121 ETTMULLER (Michel). Operum omnium medi-cophisicorum. Ed. nov. ... Opera & studio Petri hau-vin. Lugduni, Amaulry, **1690** - DUE GROSSI VOLL. in folio piena pergamena originale, frontespizi rossi e neri con graziosa figurina incisa in rame, pp. (22)-106-624-350-(23)-(8)-463-236-247-(1)-60-(28) con 1 **grande tavola** in legno. Trascurabili tarletti ad alcune pp., ingialliture, piccola mancanza a una cuffia.

L. 1.700.000

(Krivatsy, 3690. Nato a Lipsia nel 1644 seguì le lezioni dei grandi maestri del suo tempo nei maggiori atenei europei. Le sue lezioni, dato il particolare talento, furono assai seguite ed applaudite, tanto che alla sua morte precoce fu fortemente rimpianto. **Monumentale** edizione dell'opera omnia in cui l'intero secondo volume è pressoché interamente dedicato alla "Farmacologia" con i commenti a quelle di Schoderum, Morelli, Ludovici e Wedelii; Bayle, II.1). Edizione completissima e piuttosto rara.

1992

MICHAELIS ETTMÜLLERI,

PHIL. ET MED. D.

OPERUM OMNIUM

TOMUS SECUNDUS.

MICHAELIS ETTMÜLLERI,

PHIL. ET MED. D.

HUIUSQUE IN ILLUSTRISSIMA UNIVERSITATE Lipsiensi Profess. Publ. & Practici, dum viveret, longè felicissimi & celeberrimi,

OPERUM OMNIUM MEDICO-PHISICORUM

EDITIO NOVISSIMA:

CÆTERIS OMNIBUS TUM CORRECTIOR, tum auctior, tum verò facilior.

Operâ & Studio PETRI CHAVVIN Medicinæ Doctoris Collegio Lugdunensi aggregati.

Quantùm verò reliquis locupletior sit præsens editio, patet ex Præfatione post Epistolam nuncupatoriam.

TOMUS SECUNDUS.



LUGDUNI,
Sumptib. THOMÆ AMAVLRY, in vico Mercatorio, sub signo Mercurij.

M. DC. LXXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX
TRACTATUUM ET CAPITUM
Quæ in hoc secundo Volumine continentur.

Schroderi Dilucidati Phitologia, sive Regnum Vegetabile.

Schroderi Dilucidati Zoologia, sive Regnum animale.

Schroderi Dilucidati Mineralogia, sive Regnum minerale.

Index Tractatuum & Capitum.

MICHAEL ETTMULLERUS.

De compositione Medicamentorum,

sive

Commentarius in Schroderum & Morelli methodum præscribendi formulas &c.

Aviculæ

Danielis Ludovici Medici Ducal. Saxo-gothan. De Pharmacia moderno sæculo applicanda.

DISSERTATIONES III.

Cum Commentario Wolffgangi Wedellij, & Michaëlis Ettmulleri.

Præfatio ad Lectorem.

MICHAELIS ETTMVLLERI

PYROTECHNIÆ RATIONALIS. LIB. I. SECT. I.

De Salibus simplicibus & compositis.

PROEMIVM.

Addend. in Phytolog. pag. 165. lin. 4.

VIncæ pervincæ tanta est virtus omnibus in morbis, præsertim in angina, ut alteri non cedat, dum humores in uvulam delabuntur, dum tunsillæ ita turgescunt, ut suffocationis immineat periculum, sumatur hæc herba, bulliat in aquâ & fiat gargarismus, humores tumorem facientes mirificè attrahit: hanc herbam medio Septembri rectius quam alio quovis tempore colligi observare est.

SCHRODERI

SCHRÖDERI DILUCIDATI
PHYTOLOGIA
SIVE
REGNUM VEGETABILE.

PHYTOLOGIA est pars PHARMACOLOGIÆ, quæ agit de plantis.

Classes Phytologiæ sunt 4. Prima enodat *alterantia primaria*, quæ sunt *plantæ, harumq; membra*. Secunda, enucleat *alterantia secundaria*, uti sunt *Succi, Olea, Resinæ, Gummi, resinæ Gummata*. Tertia exhibet *purgantia primaria*. Quarta describit *purgantia secundaria*: utraque eodem modo cum prioribus accepta.

N. Damus autem rerum quarumcunque 1. species usualiores ab aliis distinctas. 2. Nomina seu titulos, quibus Authores celebriores & famosiores eas rubricant, id est, titulotenus inscribunt. 3. Tempus ac locum natalem. 4. Delectum. 5. Officinalia Nativa, i.e. quid de rebus singulis crudè officinale sit. 6. Vires. 7. Præparata usitatoria, &c.

Rubricas seu titulos una cum authorum nominibus addimus, non modò ut eo faciliùs rei quæsita occurrat, atque à reliquis suis speciebus distinguatur, sed & innotescat quinam Authores & quænam illorum scripta ad ulteriorem rei cognitionem consuli, adirique queant. Sunt autem Authores præcipui, eorumque scripta.

Amati Lusitani *Enarrationes in libros 5. Dioscoridis.*

Andreæ Cæsalpini *de plantis lib. 16.*

Augustanorum *Pharmacopœia, seu Dispensatorium.*

Bartholomæi Carrichteri *herbarium Germanicum, in 8.*

Caroli Clusij 1. *historia rariorum plantarum* 2. *Libri* 10. *Exoticarum* 3. *Corollaria in Dodonæum Gallicè à se redditum, ut & in Garziam, Monardem & Acostam.*

Caspari Bauhini 1. *Pinax theatri botanici* 2. *Notæ in Matthiolum.*

Castoris Durantis *herbarium in linguam Germanicam à Clarissimo Petro Ufenbachio hujus Reipublicæ Francofurtanæ olim medico celeberrimo translatum.*

Christophori Acostæ *historia aromatum & medicamentorum in Orientali India nascentium, qui est liber 9. Exoticorum Clusij.*

Eurici cordi *Botanologicum.*

Garziæ ab Horto *historia aromatum & simplicium aliquot medicamentorum apud Indos nascentium, qui liber est 7. Exoticorum Clusij.*

Hieronymi Tragi *herbarium, seu libri 3. de stirpium usitatis nomenclaturis, &c.*

Jac. Theodori Tabernæmontani *historia plantarum Germanica libris 3. edita.*

Joachimi Camerarij 1. *Hortus.* 2. *Epitome Matthioli.* 3. *Matthiolus German. quem novis iconibus auxit.*

Joh. Baptistæ Portæ 1. *Phytognomica.* 2. *Villa.*

Joh. Fragosi *historia aromatum, fructuum & simplicium aliquot ex utraque India delatorum.*

Joh. Gerhardi *historia plantarum Anglica.*

Johan. Manardi *lib. 20. Epistolarum Medicinalium.*

Leonhardi Fuchsij *historia stirpium.* 2. *Ejusdem icones in 8.* 3. *ejusdem de compositionibus medicamentorum.*

Matthæi Lobelij *historia plantarum, seu observationes & adversaria à Lobelio & Pena edita.*

Nicolai Monardis *simplicium Medicamentorum ex novo orbe delatorum historia: qui liber est 10. Exoticorum Clusij.*

Ottonis Brunsfelsij *historia libris 3. comprehensa.*

Pedacij Dioscoridis *libri 6. de materia medica.*

Petri Andreæ Mathiol 1. *Commentaria in Dioscoridem.* 2. *Ejusdem Epitome in 4.*

Petri Belloni *observationes libris 3. expressa cum notis Clusij, cujus Exoticis subjuncta sunt.*

Prosperi Alpini *de Plantis Ægyptiis liber.*

Remberti Dodonæi *historia stirpium pemtaates 6. seu libri 30.*

Valerij Cordi 1. *annotationes in Dioscoridem.* 2. *Historia stirpium.* 3. *Dispensatorium.*

Et hi sunt Botanographi, quorum hac in parte fit mentio, omissis authoribus pharmacopoëticis.

ANTEA quam nos accingamus ad medicamentorum compositionem artificialem, operæ pretium erit singula vulgo dicta INGREDIENTIA aut SIMPLICIA enucleate proponere, ut ex cujusvis natura probe perspecta, deinceps de ipso COMPOSITO remedio rectius judicare possimus. Exordiemur autem à PHYTOLOGIA, sive illa doctrina, qua plantarum natura, virtutes & præparationes enodantur.

Antequam autem ipsas plantas consideremus, quædam in genere monenda erunt *de Scriptoribus* partim *Botanicis*, partim & *variis Vegetabilium* generibus.

SCRIPTORES, qui *studio* huic *Botanico* ex professo operam locarunt, sunt vel *Veteres*, vel *Recentiores*.

Inter *Veteres* primus omnium *Vegetabilium historiam* systematicè proposuit *DIOSCORIDES*, quem secutus est *GALENUS*, omnia ferè ex prædicto *DIOSCORIDE* exscribens. Hunc *ARABES* postmodum excepere. In *DIOSCORIDEM* illum *Commentarium* scripsit *MATTHIOLUS*, *Animadversiones* vero *AMATUS LUSITANUS*.

Inter *Recentiores Botanicos* 2. *Classes* invenire licet. I. *Eorum*, qui *Grammatico* tantum modo de Vegetabilibus scripserunt, *appellationibus* nudis & *formis* externis intenti, ut *BAUHINUS*, *CLUSIUS*, *CORDUS*, *LOBELIUS*, *ALPINUS*, &c. II. *Eorum*, qui *Medicè* de iisdem egerunt, *vires* imprimis & *facultates* earundem scrutantes: Ex quibus clarent *TABERNÆ*, *MONTANUS* copiosus quidem, sed confusus & incertus: *SIMON PAULI* elegans & tamen copiosus: *CASPAR HOFFMANNUS Tr. de Med. Officin.* qui de nomine, specie & usu multa in ordinem reduxit, sed more Galenico. *KARRICHTER* in *Botanico Germanico*, qui vestigiis Paracelsicis insistens *modum colligendi & asservandi* ostendit accuratum. Quin ipse *PARACELSUS Botanicum* concinnavit, sed parvum, modum tamen ostendens verum studium hocce perscrutandi.

Facultates alias *simplicium* horum plerumque à *qualitatibus primis*, caliditate, frigiditate &c. ut & aliis *occultis* determinantur, sed minus rectè. Hac enim ratione omnes *virtutes specificæ* occultæ jacerent & prorsus laterent, quæ tamen maximam partem in curando absolvunt, *Quid quod prædictæ qua-*

litates prorsus imaginariæ sint, cum harum nullam in herbis quibusdam & aliis simplicibus invenias, quæ respectivè tamen, prout subjectum offendunt, in illud agunt, v. g. *Spina digito infixa* summum calorem infert, quum tamen per se minus calida sit. *Spiritus vini* in se frigidus actu est, in corpus tamen assumptus intensissimum calorem infert.

Rectius igitur *virtutes vegetabilium* determinandæ sunt à *mistura materiali* seu *textura minutissimarum particularum* atque *vi idearum radiativa*. Amuleta v. g. non tam qualitatibus istis actionem suam perficiunt, quam emanatione effluviorum: *Radix scil. & fundamentum* omne consistit *in tali textura*, qua mutata, mutatur & effectus. Sic *purgantia* per acida, *antiscorbutica* per exsiccationem castrantur, ob mutatam particularum texturam.

Inter particulas hasce primatum obtinent *subtiliores & volatiliores salinæ & oleosæ*. Inde enim est, quod per *sapores & odores* subinde se manifestent vegetabilia notiora v. g. *Cinamomum*, ob sal vol. oleosum in eo contentum. His enim per destillationem exhaustis, cortex iners est & omini ἐνεργεία carens.

Prout autem variat hæc textura materialis, ita & variant vegetabilium vires. Hinc longè alia virtus sæpe est in *foliis*, alia verò in *radice* unius ejusdemque plantæ. Sic *in sambuco* alia vis se exerit *in foliis*, alia *in cortice*, alia *in radice*. *Radix* sc. purgat hydropicos: *Flores* lac procreant: *Succus* autem inspissatus Erysipelati prodest & sudorem pellit.

Hisce præmissis jam propius ad *Vegetabilia* accedamus, quæ doctrinæ melioris gratia secundùm omnes illorum partes distinguemus: *Nempe*

I. *In* PLANTAS *seu* HERBAS, quæ sub *quintuplici classe* iterum considerandæ.

Prima Classis est illarum, quæ ferè sunt *insipidæ*, adeoque abundare videntur phlegmate, quales sunt lactuca & sedum majus. Hæ pro usu Medico subministrant aquas destillatas & succum expressum blandè inspissandum. Hæ tales vulgo *frigidæ* dicuntur atque *humidæ*.

Secunda est earum, quæ habent *saporem acidulum* & blandè adstrictorium, gaudentque sal. vol. blando tartareo & phlegmate mercuriali. *Tales sunt* omnes species acetosæ, ribium, berberum, &c. Subministrant aquam, sed minus efficacem. In succo remanet *sal essentiale* tartareum, in quo earum efficacia quasi concentrata est.

Tertia est earum, quæ habent *saporem amarum*, adeoque in suo concreto constant sal. nitroso Tartareo. *Tales sunt* Carduus benedictus, fumaria, lupulus, vulneraria pleraque & similia. Subministrant aquam & imprimis ex illarum succo elicitur sal essentiale, quod rectificatum super proprios cineres degenerat in perfectum nitrum, unde vis diuretica.

Quarta est earum, quæ saporem habent admodum *acrem* & mordicantem, *quales sunt* omnes species Thlaspi & omnia raphanacea, cepacea & antiscorbutica. Subministrant sal volat. parum acre sulphureum, & tam fermentando, quàm cum spirit. vini elicitur spirit. vini acris, melior tamen per fermentationem. Qui enim per spirit. vin. destillatur, magis de spirit. vini quam spirit. proprio possidet.

Quinta denique *Classis* eas continet plantas, quæ habent *odorem fortem* & *penetrantem*, saporem verò nunc amaricantem, nunc suavem, *quales* v. g. sunt Majorana, Rosmarinus & omnia aromatica. Vis earum latet in sal. vol. oleoso. Subministrant aquas nonnihil spirituosas, olea destillata & fermentando spirit. ardentes, Calcinando verò salia alcalia fixa.

II. *Vegetabilia* distinguuntur in FLORES sub *triplici Classe* contentos, quarum *prima* est eorum, qui sunt *inodori*, uti sunt flores Nympheæ. Dant phlegma blandum & succum exprimendum seu inspissandum, & in iis latet alcali & sal. vol. blandum. *Secunda eorum*, qui habent *odorem suavem*, *sed superficialem*, & facillimè evanescentem uti sunt Narcissi, Violæ, Jasminus & ex parte etiam Rosæ. Vis eorum est in parte mercuriali volatili. Sal habent volatile, quod figitur, si oleum eorum paretur cum baccis been vel amygdalis. *Tertia Classis* flores habent *odorem fortem* penetrantem & *aromaticum*, ut sunt flores rorismarini. Suppeditant aq. spirituosam, oleum & spiritum. Vis fundata est in sal. vol. & oleo.

III. Occurrunt SEMINA, quorum maxima vis est, & *subdividuntur* 1. *In ea*, quæ abundant *succo mucilaginoso* aqueo, qualia sunt sem. cydon. psyllij, lini &c. 2. *In ea*, quorum *vis latet in oleo*, *sed aquoso*, facili arte resolubili & expressibili v. g. sem. papav. &c. 3. *In ea*, *quæ sunt acria*, ut sem. sinapi, cochleariæ, &c. quorum vis in sal. vol. admodum acri, simul tamen oleoso consistit, unde tam fermentando quam cum spir. vini ex iis elicitur spirit. vol. 4. *In ea*, quæ *odore suavi & sapore grato* sunt prædita v. g. semen anisi, fœniculi &c. quorum vis consistit in copioso oleo volatili seu sulphur. quod in recessu habet sal. volatile.

IV. *Tandem* LIGNA se sistunt, quæ vim suam sal. acido volatili debent. Proinde largiuntur spiritum acidum, qui in recessu habet sal. vol. cujus rei testimonium perhibet fuligo, cum qua prodit oleum forte sed fœtidum. *Omnia* tamẽ *ligna* simul dant phlegma.

Hæc erant *generalia de Vegetabilibus* præmittenda. Jam ad *specialiora*, nempe ipsas plantas progredimur, adeoque ad ductum *AUTHORIS NOSTRI* totum negotium certis *Classibus* includemus.

CLASSIS I.

De Alterantibus primariis, quæ sunt Plantæ, harumque membra, i. e. Radices, Folia, Semina, Cortices, &c.

I. ABIES.

ABies { alba ἐλάτη, hæc præfertur. / rubra, πίτυς, Picea.

Alba inscribitur Abies, *Brunsf. Trag. Matth. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Lon. Ger. Dod.* (cui potiùs Picea.) Abies alba & fœmina, C. B. 1. Germ. *Thannenbaum*, *weisz Thannenbaum.* Sapin. [Italis Abieto.]

Rubra insignitur, Picea *Brunsf. Matth. Cord. in D. Lon. Lob. Cast. Tab. Germ* Abies 1. & rubra, *Trag.* Abies *Dod.* Picea major prima, seu abies rubra, C. B Germ. *Roth Thannenbaum, Fichte, Fichtenbaum.* Pesse ou Ganpolt.

N. Adeo conformes inter se sunt, ut nonnullis confundantur, differunt tamen. 1. quod folia Piceæ sunt nigriora latiora, molliora, læviora, minùs pungentia, ramos circumquaque vestientia. 2. quòd Cortex Piceæ sit nigrior, tenacior: abjetis albicantior, fragilior; quòd Piceæ rami ad terram flectantur, secus ac abietis. *ex Matth.*

Virent perpetua fronde, nisi quod mẽse Maio foliis pristinis decidẽtibus, nova subinde renascatur. Mõtibus gaudẽt saxosis.

OFFICIN. NAT.

Cortex (sed raiò) Coni & Resina.

[Turiones Scorbuticis salutares cocti in aqua & vino: bibatur haustus]

N. Innascitur & viscum abieti albæ, quod Plinij & Theophrasti Stelin reputat Clusius.

Vires. Cortex exsiccat, adstringit. Ususque est præcipuè externi in ulceribus & ambustis.

Coni (strobili, Thanapffel. *Pommes de Sapin*, exsiccant, adstringunt. Usus itidem sunt in primis externi in inflammatione Epatis, & aliarum partium (Epithema) in verrucis (cujus signaturam referunt) & clavis pedum abigendis (lotione.)

Resina ex abiete duplex colligi potest, liquida & sicca. Liquida (lacryma, oleum abiegnum) colligitur ex tuberculis (ceu ex Vomica) abietum novellarum, sed pauca: Hæc officinis Terebinthinæ Venetæ titulo venit (de qua class. 4.) sed perperam, siquidem illa (abiegna) acrior ac calidior sit. [Italis dicitur Oglio d'Abezzo.] Sicca ex Abiete & Picea colligitur: Hæc uti Thus figurâ ementitur, ita & usum ejus æmulatur, [congeritur à formicis: vid. lib. 5. cap. 103.]

PRÆPARATA.

[Aqua è frondibus tenellis mundificans, adstringens.]

Oleum

Oleum still. Fit ex ligno per descensum igne leni: sic exstillat clarum.

N. *Rari* est usus. Poterit tamen adhiberi in odontalgia, aliisque affectibus loco Terebinthinæ [in prolapsu ani]

ABIES hæc duplex est, alba & rubra: differentia est in forma externa, & exilis, nec multum refert, si omninò negligatur. Abies hæc rubra vocatur etiam imprimis picea seu pinus, quæ non debet confundi cum propriè sic dicta pinu, Alio nomine hæc picea seu pinus vocatur arbor antiscorbutica, propter insignes & maximè stupendas virtutes, quas exserit pinus & etiam abies in cura *Scorbuti*. Veteres parum aut nihil sciverunt de virtute ejus antiscorbutica, sed superioribus tantùm annis illa innotuit, tunc temporis cum *VLADISLAUS*, Rex Poloniæ bellum contra Moscovitas gereret, tunc enim morbus talis Epidemicus in castris grassatus fuit, ut militibus quasi crura convellerentur & contraherentur, qui tamen morbus fuit curatus à D. *ERBENIO* Archiatro, *t.t. per decoctum summitatum* pini; Et simul deprehensum postmodum fuit, quod tales contracturæ sint *paralyses scorbuticæ*: Omnes tunc temporis milites cum decocto hoc feliciter fuerunt curati. Ab isto tempore PICEA & PINUS in usum antiscorbuticum fuerunt tractæ, nec sine causa. Nam in abiete plura latitant arcana, singulare in se habet balsamum, id quod testatur pinguedo, & vis qua viret perpetua fronde, ita ut asperrimas hyemis inclementias negligat.

Primarius usus est in Scorbuto, tantùm decoctum foliorum imprimis in Batavia. Loco summitatum etiam usurpantur STROBILI juniores tactu admodum resinosi ac viscosi & apparent adspersi quasi farina flava. Hi ipsi *strobili* juniores, si non præferendi saltem æquales sunt summitatibus pini, & in decocto quoque usurpari possunt contra scorbutum. Ex his strobilis junioribus per fermentationem artificialem elicitur spiritus, qui spiritus strobilorum seu spiritus pini habet odorem instar cumini, & cum hoc spiritu postmodum paratur ESSENTIA pini, quæ est egregium remedium antiscorbuticum, in specie in arthritide scorbutica vagâ, item in paralysi scorbutica, Dresdæ prostat aqua *pini* cum vino præparata, quæ est egregia, in *atrophia Scorbutica*, & aliis affectibus scorbuticis.

Ipsa abies singulare est *antipodagricum* & *antiarthriticum*: non tantummodo in arthritide fixa communi, sed specialissimè in arthritide scorbutica vaga. Repetitur interdum VISCUS in abiete sed rarò. Hic est singulariter expertus in arthritide communi podagra, si pulverisatus à ʒß. ad ʒj. singulo matutino têpore sumatur. Plura qui cupit de virtutibus antiscorbuticis abietis & pini, vid. *MÖLLENBROCK. tract. de arthritide vaga pag.* 117. Rarum est, quod habet *MAJOR in deliciis hybernis momento secundo*: nec apud ullum alium autorem simile, quid reperiri credo; quod nempe *nuclei pini masticati vim habeant inebriandi*, & credo quod verum sit. *Coni & folia aliàs usurpantur in balneis ad contracturas ac paralyses scorbuticas* externas. Sic *BRUNNERUS in consilio suo* 15. commendat *pediluvium ex strobilis* abietum *ad* ciendos fortiter *menses mulierum*. Ea quæ habet auctor de resina, quod posit esse loco Terebinthinæ, satis sunt clara & omnino potest esse loco illius.

Dixi *in minoribus* istis *strobilis* subinde *reperiri pulverem* flavum adspersum, qui est revera *de natura sulphuris* Nam si colligatur iste pulvis, incenditur levi igne instar sulphur communis; unde vulgò vocatur sulphur. pini inflammabile. Sic vidi aliquando, quod obiter noto, sulphur simile ex *musco terrestri*. In hoc itidem *interdum reperitur similis pulvis flavus*, qui similiter est *inflammabilis*, & quidem si indatur cochleari argenteo & ita admoveatur candela, inflammatur cum tanto strepitu, ac si sclopetus adesset, inferiora versus uti aurum fulminans. Fit *interdum* ut *exedantur abietes à vermibus* seu carie. *Pulvis iste* ex corrosione à vermibus natus vocatur [Brummehl,] & admodum *commendatur contra intertriginem infantum*, si inspergatur parti quodammodo corrosæ & exulceratæ.

II. ABROTANUM.

Ἀβρότανον, ἀβρότανον, ἀβύτονον. Germ. *Stabvvurtz*, *Girtvvurtz*, *Certvvurtz*, *Gartentheil*. [Dicitur etiam *Schoszvvurtz*, *Auffrusch*, *Garthagen*, *Gaufferkraut*, *Kuttelkraut*. De l'Aurone, Garderobbe. [Italis etiam herba camphorata dicitur.]

Est { mas, quod vulgariter nomen abrotani retinet, *& hujus loci est*.
foemina, Cupressus, seu cyparissus hortulana. Vide *s. l.* }

Loco gaudet temperato, præcipuè, dum adhuc in ætate adolescente constitutum est, coliturque in hortis.

OFFIC. NAT.

Ex Abrotani maris variis generibus solum officinale est angustifolium majus: Hujus extant in Officinis *folia* & *gemmæ*, seu *summitates* collectæ Augusto: huic succedit minus seu Abrotanum humile.

Majus *insignitur* Abrótanum mas, *Brunsf. Dod. Matth. Lob. Cast. Tabern.* masculum majus, *Cam.* primum, *Trag.* vulgare mas, *Fuchs.* Abr. mas angustifolium majus, *Casp. Bauhino*.

Minus C. B. 6. Abrótanum. 3. *Trag.* odoratum, humile, densum, fructicosum, *Lob.* humile *Tab.*

Vires Calf. sicc. incidit, aperit, subastringit, extergit, validè discutit, resistit putredini ac veneno, morsibus venenatorum animalium medetur, vermes necat, urinam movet, impetus hystericos discutit, regium morbum solvit. Extrinsecus usus ejus famosus est in ossibus exsiccandis, roborandisque, & quia pilorum signaturam summitates ejus æmulantur, ad alopeciam tollendam maximopere commendantur [succus ad gingivas cruentas.]

PRÆPARATA.

1. Aqua stillat. ex foliis ac summitatibus [menses movet.]
2. *Vinum*: Veteribus in usu fuit creberrimo, modò non item.
3. *Conserva*: Ex summitatibus & flor. paratur, ut conservæ absynthij.
4. *Oleum* infusarum summitatum in oleo communi.
5. *Oleum stillatitium*: ex summitatibus siccis. [Agyrtæ Bals. Sulph. inde parant.]

ABROTANUM, *Duplex*, mas & foemina. *Mas hujus est loci*. Hoc minus nobis est in usu quam veteribus, sed perperam. Nam *odor ejusdem* insigniter *penetrans* & eleganter *aromaticus innuit sal quoddam vol.* non vulgare esse in hoc abrotano, adeò ut etiam hoc abrotanum mas *commendetur ad morbos malignos* ipsamque *pestem*. Præterea *ratione odoris* instar *chamomillæ* fere persuadeor, quod *credam* hoc abrotanum *esse egregium carminativum* seu flatus discutiens, si nempe *Gemmæ seu summitates* collectæ *sive in decocto sive essent*. internè assumantur, dolendum est, quod non magis illo utimur tempore nostro. *Oleum destillatum* credo insigne *carminativum*, *si externè* umbilico illinatur & partibus à flatibus distentis, scrobiculo cordis in *inflatione stomachi*. In *affectibus capillorum est in usu* nobis, est enim una ex herbis capillaribus, in specie ad generandos capillos commendatur. Hinc *decoctum abrotani* usurpatur *pro lotione capitis* ad generandos capillos. Item oleum *abrotani* mistum *cum melle* & *illitum* commendatur similiter ad generationem capillorum. *Facit ex hoc unguentum BUCRETII* Uratislaviensis, secretum & *expertum ad generandos capillos*: Descriptio ejus est hæc

℞ *Fol. abrotani maris*
Capillorum Veneris ana Mj.
Favi mellis.
Gummi Ladani ana ℥j.
Myrtillorum ʒj.
Seminis foeni græci.

Lini ana ℥iii.
ole. amygdal. dulc.
vini albi generoſi ana ℥iii.

Factâ infuſione per 24. horas bulliant ad humiditatis abſumtionē fiat Expreſsio ſeu [unguent. pro capillis] Creſcente luna fit inunctio cum eodem & decreſcente luna abluitur caput, poſt lotionem adſpergitur vino rubro adſtringente, ut firmentur capilli, continuantur tamdiu, donec ſufficiens quantitas capillorum provenerit, & adhibetur ſine ullo capitis ſymptomate, aliquoties à me expertum.

III. ABSINTHIUM.

Ἀβσύνθιον, Ἀψίνθιον. [Βαρύπικρον, Βαθύπικρον.] *Arab.* Aſſinthium, Aſeneni Seſurem, Alhanlais, Barus, Buleigi. Germ. *Uvermuth, Elſſen, Uviegenkraut, de l'Abſynthe vulgaire.*

Eſt { Vulgare / ruſticum / noſtras. { majus. *C. Bauhin.* N. 1. / humilius montanum. *C. B.* 2.
Ponticum. *Vide loco ſequenti.*

Majus *inſignitur.* Abſynthium Ponticum, ſeu Romanum officinarum, *C. B.* 1. Abſythium *Matth. Cord. in Dioſ. Lon.* vulgare, *Trag. Fuchſ. Lob. Caſt. Tab.* commune *Cam.*

Humilius: Abſ. ponticum montanum. *C. B.* 2. Abſ. montanum, *Cam.* in *Matth.* ſeu Romanum. *Tab.* tenuifolium ponticum, *Galeno.*

N. Vulgare majus, illud eſt quod paſſim naſcitur. Montanum in certis tantummodo locis provenit, eſtque humilius communi. Et hoc ſi haberi poſſit, eligere monet Tabern.

Florent Julio & Auguſto

OFFICIN.

Ruſtici Abſinthij *Folia* ac *Summitates.*

Vires. Stomachicum inprimis eſt, hinc hepaticum & ſpleneticum calf. 1. (ad 2.) ſic. 3. aper. atten. aſtringit amarum eſt: hinc vermes necat, bilem educit, crapulam diſcutit, ſudorem ſciet, febribus (præcipuè tertianis) convenit.

N. Capitis quia vapores craſſos exhibet, pigritiem ac ſomnū inferre ſolet, minus tamen, ſi prius per aq. calidam trahatur leviterque exprimatur. Extrinſ. arcet vigilias (temporibus ac plantis pedum impoſitum) confortat ventriculum, auditum acuit (ſuffitus aure ſuſceptus, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. deſtill.* Ex ſummit. & fol. recentibus.

2. *Spiritus.* Deſtillatur ex ſummit. ſiccis aqu. affusâ fermentatis.

NB. Poteſt ad fermentandum Sal com. aut ſimile quid addi. *Sen. in Inſt.*

3. *Succus expreſſus ac inſpiſſatus.* Fit ex ſummitatibus ſiccis in aqu. coctis.

4. *Vinum abſynthites.*

5. *Extractum liquidum ſeu Tinctura* cum ſpir. vin. facta.

N. *Ejuſdem* efficaciæ Tincturam facili negotio aſſequi poteris, ſi ſummitatibus aquam vitæ affuderis, parùm accenderis, atque hinc epreſſeris.

6. *Conſerva.* Ex ſummitatibus paratur l. a.

7. *Syrupus compoſitus.* Vide Diſpenſ. Auguſt. & Noriberg.

8. *Trochiſci de Abſynthio.* Vide Diſp. A. & N.

9. *Oleum infuſum.* Ex omphacio, & ſummit. abſynth. cum roſis. Vide D. Noriberg.

N. Auguſtani addunt quoque ſuccum abſynthij.

10. *Oleum ſtillatitium.* Cum aqua ac ſpiritu deſcendit.

11. *Sal fixum.* Ex incinerata planta l. a elicitur.

12. *Sal volatile.* Ex ſucco l. a. confici poteſt, quod raro in uſu.

N. Sunt qui abſynthium hoc vulgare, veterum abſynthium ponticum eſſe velint adeoque Romanum.

13. *Trochiſci de Abſynthio.*
V. Diſp.

IV. ABSYNTHIUM PONTICUM.

ABſynthium ponticum Officinarum, *C. B* 4. 5. Abſynthium Ponticum & tenuifolium, incanum, nobile, Abrotanum minus, & 1. *Trag.* Abr. fœmina. *Fuchſ. Lon.* Abr. album *Cord.* Abſynth. ponticum *Matt. Fuchſ.* (*in iconibus*) *Tab.* Abſ. tenuifolium, *Dod.* German. *Vuelſch Vuermuth, Garten Vuermuth*: de l'Abſynthe Pontique.

Vires. Epaticum eſt præ vulgari, Calf. princ. gr. 1. ſicc. in princ. 3. minus amarum eſt, aſtringit, validèque incid. exterg. diſc. putredini reſiſtit, educit bilem per urinam, proin convenit in omnibus affectibus Epatis, veſicæ, bilis, ventriculi: tormina ventris & uteri ſedat: minus commodè autem in mucilaginoſis affectibu; pulmonum, in primis ob adſtrictionem adhibetur. Extrinſecus diſcutit tormina ventris; adeoque & quæ partum ſubſequuntur: infantum vomitum compeſcit, &c.

N. Huic affinia ſunt quæ & in locum ejus ſubſtitui cum commodo poſſunt, abſynthium ponticum repens, ut & abſynthium Nabathæum, ſeu tenuifolium Auſtriacum. C. B. 4. & 6.

PRÆPARATA.

Præparata ejus raro pro uſu extant, parari tamen poſſunt ſecus ac ex abſynthio vulgari. *Aqu. ſtillat, ſpiritus, Succus, Vinum, Extractum, Conſerva, Syrupus, Oleum infuſum & deſtillatum.*

1. ABSINTHIUM vulgare ſeu ruſticum, Uſurpantur imprimis folia & ſummitates. Planta eſt polychreſta ſeu multiuſus: primariò quidem ſtomacho & inde natis affectibus potenter medetur: vix enim datur ſimile ſtomachicum abſinthio: in ſpecie dum turget abſinthium ſale ſalſo vol. oleoſo & quodammodo oleoſo, potenter abſtergit quaſcumque ſtomachi cruditates, & quodcunque in corpore vitioſum acidum corrigit & emendat, craſſos ſuccos incidit & attenuat, & in ſpecie quaſcunque inter-mittentes ſanat. Unde etiam vinum abſinthites adeò commendatur febricitantibus. Hinc commendatur etiam in affectibus ſpleneticis ex acido vitioſo & mucilagine craſſa obortis. Imò vix eſt affectus chronicus, cui non medeatur abſinthium: In ſpecie ſi affectus ſit vel oriatur ex affecto ſtomacho. Appetentiam dejectam ex cruditatibus, decoctum cum centaur. minor. egregiè corrigit, & famen quaſi caninam conciliat. Ad emedendum ſanguinem corruptum, ſeu uti vocant putridum, egregium eſt abſinthium. In Ictero & cachexia multi eſt uſus. In hydrope aſcite, Leucophlegmantia & Lumbricis vix melius habetur remedium, & meminit D. *MICHAEL* ſe aliquot hydropicos medicamentis ex abſinthio in ſpecie eſſentia abſinthij potui inſtillata curaſſe. Unde etiam *MATTHIOLUS* & *ERASTUS* ſolo abſinthio hydropicos ſe reſtituiſſe aſſerunt. In colicis torminibus tam virorum quam mulierum vel in paſsione hyſterica convenit egregiè. In ſpecie quando mulieres ex eſu dulcium, quod ſæpè fit, patiuntur paſſionem hyſtericam, optimum remedium eſt contra hoc ipſum abſinthij decoctum vel eſſentia quacunque ratione uſurpata. Imò ad omnia ea, ad quæ commendatur aloë peregrina, ad eadem ſpondeo vobis uſum abſinthij æque ſalutarem, utut vis laxativa ejus ſit quodāmodo minor: Amaricie ſuâ enecat Lumbricos ſive internè uſurpetur, ſive externè ole. abſinthij umbilico inungatur. Cæterum obſervetur, quod ſal. abſinthij abſumat nonnihil ſuccum nutritium corporis, quod vocant exſiccare: aſperum enim illum reddit, quo minus nutrire vel aſsimilari queat. Unde emaciatis & pthiſicis & in re venerea impotentibus prohibetur abſinthij uſus. Præterea vim habet blandam conciliandi ſomnum. Unde *Eſſentia abſinthij* vino inſtillata torporem quendam ac *ſomnolentiam* ſeu pigritiem *infert.* Unde etiam *in vigiliis ſenum* ſæpius *ex cruditatibus ſtomachi* ortis *abſinthium* & ejus *eſſentia conveniunt.* Inter *præparata* habet auctor *ſpiritum per fermentationem,* noto modo. Verum *FINCKIUS* in Enchirid. dogmatico Hermetico pag. 95. *habet egregium ſpiritum abſinthij viridem ſeu cæruleum* per fermentationem *ex ſemine* paratum, quem miris modis commendat ad quam plurimos ſtomachi affectus: *In uſu* etiam eſt *ſuccus inſpiſſatus: vinum abſinthites,* Extractum ſeu Eſſentia. *Eſſentia fit, ſi ſpiritus proprius affundatur plantæ nonnihil exſiccatæ, & ita fit extractio: Eſſentia extracta filtratur, in filtrata Eſſentia diſſolvitur ulterius ſuccus abſinthij inſpiſſatus* ſeu ejus extractum craſſum; *denuò filtratur & ita perfecta fit Eſſentia: Et hoc modo omnes fieri debent eſſentiæ*: quæ Eſſentia abſin

absinthij *in affectibus stomachi*, item in *febribus intermittentibus* est egregia. Oleum absinthij stillatitium umbilico illitum vermes necat. Hinc fit *unguentum ex felle tauri*, *aloë & oleo absinthij*, quod applicatur umbilico & ita infantibus egregiè *enecantur lumbrici*. Idem *oleũ still. illitum regioni stomachi* potenter *medetur rigoribus febrilibus*. *Sal. fixum* ex planta incinerata *propinatur in febribus* tanquam digestivum: item *ante paroxysmos* febriles ℈j *vel* ʒß. *Quidam* hoc *sal fixum imbibunt cum spiritu vitrioli & sic fiunt crystalli absinthij*, seu spiritus vitrioli coagulatus, uti vocant. Et *hoc sale* ita præparato dixit *quidam* Empericus *se aliquot hydropicos* per sudores & urinas *curasse*. Sunt, qui dicunt *si sal. huic fixo* absinthij *addatur propriũ oleum still.* quod exinde legitima digestione posit *acquiri sal. vol. quod* se sublimet, quod sal vol. *sit sal febrile arcanum HELMONTII* in febribus nempe intermittentibus. Alias *MATTHÆUS præparavit spiritum per retort igne aperto cum copioso sale vol.* Vino absinthiti si infundantur Trochisci alhandal. ad ℈j. bulliant & postmodum filtrentur, tunc fit vinum catharticum egregium pro aliquot dosibus, quod vinum phlegmata crassa ac acida imprimis ex stomacho & primis viis efficaciter evacuat, *HORSTIUS* habet modum secretum parandi essentiam absinthij, in quâ præparatione adscendit sal vol. absinthij in ipsius absinthij forma. Extractum absinthij subinde præscribitur in pilulis stomachicis, cum stomacho egregiè conferat. Post absinthium nostras sequitur.

2. Absinthium Ponticum, minus usuale, quam nostras, & ferè eosdem habet effectus, quos nostras habet: Hac tamen differentiâ, quòd magis sit carminativum magisque dissipat flatulentias, quam vulgare..

V. ACACIA VERA.

ACacia Dioscoridi frutex lignosus ac spinosus est, ex cujus semine maturo, ejusdẽ nominis succus exprimitur nigricans: ex immaturo rubescens, seu subfulvus. Et hic est vera veterum acacia, quæ Theriacam ingreditur, recipiendaque est ubi acaciæ simpliciter mentio fit. Ex omnibus præstantissima perhibetur luteo-rubea odoris grati.

Vires. Refrig. sicc. crassarum partium est, incrassat, astringit.

N. 1. *Succus* hic cum rarus sit, substituatur utplurimum Acacia Germanica.

N. 2. *Dat* & aliam Acaciæ speciem arbuscula quæ Gummi Arabicum profert sed minùs usitatam. (De Gummi Acaciæ sive Arabico, vide infra.

ACACIA est vel *Germanica* vel *vera*: Hæc est *succus ex planta Ægyptiaca*, qui succus uti est *rarus*, ita *apud nos est carus*. De hac *Acacia vera*, seu Ægyptiaca *ALPINUS c.* 4. *de Medicina Ægyptiorum* refert *usus & effectus* multiplices, quorum duo sunt potissimum principales: 1. quod *profluxionem sanguinis quamcunque* strenuè *compescat*, & *mulieribus* immodico *mensium profluvio laborantibus* promptè *succurrat*. 2. Usus est, quod *dolores podagricos & articulares* quoscunque *avertat*. Verum uti dico cum apud nos sit cara & rara loco ejus sumitur

VI. ACACIA GERMANICA.

Aγρωκοκκομηλέα. Prunus sylvestris, *Bruns. Matth. Fuchs. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Cast. Tab. C. B.* 1. *aliàs.* Acantha, *Arab.* Schamuth, Schack Halepi. Germ. *Schlehendorn.* Prunier Sauvage.

N. Prunus sylvestris transplantatione diligentique cultura evadit hortensis. fructusque fert grandiores, quos Germani vocant grosse Gartenschlehe: *des prunes d'un prunier sauvage, transplanté dans un jardin, qui sont plus grosses.*

Floret primo vere: fructum fert maturum autumnò.

OFFICIN. NAT.

Flores pruni sylvestr. raró *Folia*, rarissimè cortices radicum.

Vires. Folia, fructus, cortices refrig. exsiccant gr. 3. astring. incrassant. Usus præcipuus est in profluviis alvi, uteri. Extrinsecus Gargarism. [ex foliis tenellis, ad odontalgiam, ulcera oris venerea] balneis uterinis.

Flores. *Resolvunt, Renum sabulum educunt; compressiones cardiacas leniunt, pleuriticam radicem resolvunt, alvum laxant.*

N. Accrescit nonnunquam muscus, qui specificè herniis conferre dicitur.

PRÆPAR.

1. *Aqu. stillatit.* Ex floribus elicita MB.

N. Alij cum vino destillant.

2. Spiritus ex floribus æquè ac fructibus.

3. Conserva florum.

4. *Syrupus*: fit ex multiplici florum infusione, ut rosarum.

Vires. Purgat leniter, prodest in pleuresi, tussi sicca, renes expurgat, &c.

5. *Succus, seu Rob prunor. sylvestrium solidius.* Ex fructibus exprimitur, inspissatur, inque taleolas formatus asservatur pro acaciæ veræ substitutione.

6. *Vinum.* Ex fructibus maturis exsiccatis. Nim. contusi hi rediguntur in globulos ac in furno exsiccantur. Hinc infunduntur.

[*Lora etiam exinde paratur.*]

7. *Fructus conditi.* Fiunt cum mellis p. ij. & vini p. j. l. a. [*vel cum aceto.*]

ACACIA GERMANICA seu nostras, seu *prunus sylvestris.* Ex his prunis I. *in usu* sunt *flores*, qui *recẽter* collecti & *in sero lactis* vel lacte ipso *ebulliti* & cocti *egregium præbent purgans omnium humorum serosorum* & aquarum hydropicarum: præterea in sero lactis decocti flores *appropriatum* sunt *scorbuticorum purgãs* cum scorbuticis lac vel ipsum serum lactis sit proficuum. In genere in quibuscunque affectibus serosis, in scabie etiam tam capitis quàm corporis sunt blandum evacuans, sive infundantur sive decoquantur in lacte. Ex floribus recentibus paratur syrupus, quem habet Auctor, qui recens laxat & purgat serum, si sit vetus, vim purgandi amittit. Vinum, quod etiam habet Autor inter præparata, prodest contra omnes fluxus sanguinis, item contra dysenteriam. Succus seu rob acaciæ nostratis est succedaneum acaciæ veræ seu adhibetur loco acaciæ Ægyptiacæ; adstringens est validum, & quod raró internè usurpatur, sed tantum externè potius, ubi opus est adstrictione. Quidam ex prunis sylvestribus immaturis parant acetum fortissimum: scilicet exprimunt succum ex his prunis nondum maturis, quem succum per alembicum destillant in Bal. Mar. & ita admodum forte acetum acquirunt.

Acanthus vulgaris:
vide
Branca ursina.

VII. ACETOSA.

Oʹξαλις, λάπαθον, Acetosa, *Sauramffer.* Ozeille.

Est Acetosa.
- Major
  - hortensis rotundifolia.
  - sylvestris seu pratensis.
    - plana, &
    - *hæc interdum folia habet crispa.*
- Minor arvensis.
  - Lanceolata arvensis.
  - Non Lanceolata minima.

Ex his officinis major sylvestris, C. B. 1. in usu est, de qua vox Acetosa simpliciter intelligatur. Huic tamen nisi præferre volueris, substituere, non citra rationem, poteris hortensem rotundifoliam.

Major sylvestris *insignitur* Acetosa pratensis, *C. B.* 1. Lapathum. 4. *Diosc.* Acetosa, *Lon.* major. *Cast.* Oxalis, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lob. Tab.* Rumicis 4. genus. *Cord. in Diosc.*

Hortensis rotundifolia, C. B. 8. *insignitur* Oxalis rotundifolia, *Dod.* rotunda, *Tab.* sativa Franca rotundifolia repens, *Cam.* Acetosa rotundis foliis.

OFFICIN.

Exhibent usui pharmaceutico *Folia, Radices, Semen.*

N. Radices asservantur excorticatæ.

Florent Maio, *turgesc. semine* Iunio & Iulio.

[*Semen antidysentericum*]

Viers. Cardiaca inprimis est & Epatica : frigef. & sicc. 2. âperit, resistit puttedini, appetitum excitat, choleram reprimit, sitim sedat, unde in febribus simplicibus usitatissima est præcipuè autem usû interno, hinc & externo adhibita.

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* folior.
2. *Aqu. de till.* Ex foliis
3. *Succus* ex fol. rec. exprimitur, clarificatur ac coagulatur. [Hic sal essentiale largitur.]
4. *Syrupus.* Ex succo, & sacchar.
August. dimid. Norib. 3. p.
5. *Conserv.* Ex fol. rec. & sacch. ß. aut 3. p.

ACETOSA, In officinis sunt quidem acetosa sativa & vulgaris, præprimis est in usu sylvestris. Nomen obtinuit ex sapore subacido, & quidem sapor est acetosus, vinosus, admodû gratus. Succus expressus ex tota planta est coloris rubri, saporis acidi. Propterea est, quod tota planta & etiam radix sint egregia ingredientia in Julepis contra sitim, item contra æstum & ardorem febrilem. Nam planta decocta tam folia quam radix dant colorem rubicundum vinosum & etiam saporem acidum. Unde *PLATERUS in observ. pag.* 320. quemdam phreneticum vinum postulantem decepit decocto radicis acetosæ. Decoctum fit vinosum & rubicundi coloris, cujus cum sapor non sit legitimus subito vinosus per succum Granatorum & citri ipsi concitatur, & sic fit egregium in febribus ardentibus & malignis, ubi sitis & æstus urgent. Quod dixi de plantâ, valet de semine: Nam & hoc decoctum in aqua illam colore rubicundo instar vini tingit. Dabo exemplum talis Julepi:

℞. *Herbæ acetosæ recentis* M iv. vel in defectu hujus.

℞. *Radicis acetosæ* ℥iv.

concisa & contusa coquantur in s. q. aqu. simplicis: colaturam rubeam subacidam recipe: adde

Succi granatorum recentis
ribium ana q. s.

pro subtili & grata aciditate

f. Julep. refriger. pro pluribus dosib.

Nam saporem & colorem vinosum egregium habebit: præscribitur in febribus ardentibus & malignis. Succo hoc subacido non pauci parant extractum martis egregium in affectibus scorbuticis & hypochondriacis. Nam semel pro semper & obiter hic noto, quod nempe vegetabilium succi aptiores sint pro parandis ex marte remediis, quàm spiritus mineralium nimis acidi. Hoc ergo succo acetosæ, vel loco ejus decocto Tamarindorum, aut denique succo pomorum Borsdoffianorum limaturæ ferr. infusis fiunt elegantia extracta in scorbuto & malo hypochondriaco: Nam succus acetosæ vel ipsa acetosa in scorbuto est egregia, imprimis in subjecto cholerico, imò tota planta miscetur commodè cum aliis scorbuticis acrioribus v. gr. cum cochlearia, cum nasturtio; armoracia & similibus, ut volatilis acetosæ aciditas corrigat blandè acrimoniam istorum antiscorbuticorum, eademque temperet, & ita eorum effervescentias nimias coërceat. Fit enim inter præparata 11. conserva acetosæ, quæ conserva præscribitur cum aliis in febribus ardentibus & malignis, ad refocillandum nonnihil, imprimis post sudores. Item in biliosis, in quibus sal vol. acre temperat acetosa. Nam omnia ex acetosa remedia nimiam sanguinis effervescentiam blandè compescunt. Syrupus fit ex succo & saccharo. *Petrus Ioh.* FABER Gallus in suo mirothecio spagyrico addit nonnihil de spiritu vitrioli, ut saporem eò magis acidum acquirat. Hæc de acetosa, sequitur

VIII. ACETOSELLA.

Trifolium acetosum, *Matth. Dod. Cast. Brunsf.* Oxys, *Fuchs. Cord. Cam. Tab.* Oxytriphyllon. *Trag.* Lujula, Alleluja, *Lon.* Trifolium acetosum vulgare, *C. B.* 1. *Buchampffer, Sauuklee, Hasenklee, Mahlerkraut, Guckgugsklee.* Petite ozeille ou ozeille menuë : Pain de Cocu.

Estque { floribus albis.
floribus luteis.

Floret Aprili ac princip. Maji. Locis gaudet nemorosis & arenosis.

OFFICIN. NAT.

Folia acetosellæ alba.

Vires. Cardiaca & Epatica est singularis, acetosæ vires nisi superans, saltem æmulans, adeoque æstum febrilem mitigat sitim sedat. &c.

N. Acetosella Lonic. est acetosa arvensis lanceolata.

PRÆPAR.

1. *Conserv.* Folior.
2. *Aqua stillat.* Ex foliis.
3. *Sal essentiale.*
4. *Syrup.* Ex succ. & sacchar. dimid. aut 3. p.

ACETOSELLA quam etiam vocant trifolium acetosum, quoniam terna habet folia instar aliorum trifoliorum & tantum saporem habet acidum, Græcè vocatur ὀξυτρίφυλλον, aliis Alleluja. Folia singula terna habent cordis figuram, unde à quibusdam vocatur Tricordium propter signaturam seu figuram, quâ respondet cum parte aliqua corporis, corde, uti pictores ponunt: adeoque propter signaturam, quam obtinent folia dicitur singulare remedium in affectibus cordis. Unde in febribus malignis usurpari solet, aliàs concurrit ferè cum acetosa vulgari, utut sint, qui dicunt, quod superet acetosæ vulgaris vires, quod tamen vix credo. Post acetosellam sequitur

IX. ACORUS.

Acorus verus, sive calamus arom. C. B. 1. Acorus, perperam Calamus arom. Officinarum *Monard. Trag. Matth. Cord. Lob.* Acorum, *Lon. Cam. Tab. Ger.* Acorum legitimum, *Clus. hist. Germ. Calmus Ackervurs.* Racine de canne odorante, de l'Acore. Italis herba venerea dicitur.

N. Acorus officin. dicitur vulgo calamus aromaticus, cum tamen cal. aromat. propriè sic dictus herba sit ab hac diversa. Vide infrà.

Colitur in hortis, soloque gaudet Palustri.

OFFICIN. NAT.

Radix. Rarò *Folia.*

Eligenda radix albicans, sapore amara ac acris.

Vires. Stomachicus est, calfacit, & sicc. in princ. 3. partium tenuium est, atten. aper. Vsus præcipuus in obstruct. mensium, Lienis ac Epatis. in dolore colico.

[*In vino coctus testibus tumentibus imponitur.*]

PRÆPARATA.

1. Aqua ex radice macerata.
2. Spiritus.
3. *Acorus conditus* vulgaris. Vide Augustan.
4. *Confecta Radix.*
5. *Ol. stillat.* cum aqua ascendit.
6. *Elect. diacorum,* Vide August.
7. *Extract. rad.* Coque in Vino, exprime & inspissa.
Vires. *Plurimùm valet in dolore colic. Dos. Scrup. j.*

ACORUS VERUS Germanis [Der ralmus:] propterea quia aliàs vocatur etiam calamus aromaticus officinarum. Officinarum dico, quia non est calamus aromaticus verus, qui sub lit. C. tractatur. In usu est ejusdem radix insigniter aromatica, saporis acris & suavolentis, acuata est sal. vol. acri ad aromatum naturam accedente. Ratione ejus salis vol. acris aromatici insigne est stomachicum. In affectibus stomachi ex cruditate ortis, aut etiam in appetitu dejecto, in coctione vitiata & similibus insigniter convenit acori radix. Nam ratione istius salis admodum incidit & abstergit sordes, & succum fermentativum nimis acidum temperat & volatilisat. Præter hoc in affectibus uterinis, mensium scil. vitiis convenit. Hinc in dolore colico & passione hysterica, qui sunt unus idemque affectus. Denique etiam in morbis chronicis cachexia & similibus ratione blandi

blandi ſalis vol. acris commendatur: ergò eligenda eſt guſtu acri & morſicante, quò enim acrior, eò melior: ratio, quoniam exſiccata radix acrimoniam perdit & jacturam facit ſui ſal. vol. propterea conditur radix, quæ ita condita jejuno ſtomacho comeſta quantitate nucis avellanæ inſigniter ſtomachum roborat & appetitum provocat. In officinis proſtat Electuarium Diacoron, quod eſt inſigne ſtomachicum & artheticum. Poſt acorum verum ſequitur

X. ACORUS ADULTERINUS.

Acorus adulterinus, *C.B.* 2 Acorus falſa, *Cord. in Dioſcor.* Acorum adulter. *Trag.* falſum, *Matth.* Gladiolus luteis foliis *Eric. Cord.* luteus, *Fuſch.* (icon.) *Lon.* Acor. Officinarum, *Fuſch.* Acorus paluſtris, *Lob.* Iris paluſtris lutea, *Tab.* Pſeudoiris, *Dod.* Germanicè *gelb. Schvvertel.* Glayeul ou Flambe.

Officinis rarò inſervit, eoque in ſola radice effodienda, ſc. Septemb.

Vires. Exſicat, parum calfacit, attenuat, aſtringit, roborat, reſolvit, vi peculiari ad nervoſi generis & cerebri affectus commendatur, ut & ad dyſenteriam alioſque fluxus alvi ac uteri ſiſtendos. Extrinſecus ad dyſenteriam præcavendam more noſtratium, de collo ſuſpendi ſolet.

PRÆPARATA.

Nonnunquam inde paratum extat *Electuarium* Stomachicum. Vide lib. 2.

ACORUS ADULTERINUS quibuſdam etiam dictus acorus aquaticus. TABERNOMONTANO optimè vocatur iris paluſtris ſeu aquatica lutea & eſt ſpecies irridum ſ. gladiolorum. Hujus radix tantum eſt in uſu & inſigne eſt adſtringẽs, adeoq; quibuſcunque alvi fluxibus aut hæmorrhagiis potenter medetur. Unde & ratione hujus acori aquatici præparat ſuum nectar adſtringens B. D. LANGIUS in formâ Sirupi fecit ex ſucco cum ſaccharo certo modo præparato: & ubicunque locorum opus fuit adſtrictione, adhibuit. Unde quidam tanquam certum amuletum ad dyſenteriam commendant radicem hujus acori adulterini collo ſuſpenſam. Aliàs etiam eadem radix appenſa ſingulare amuletum dicitur contra ſpaſmum & convulſiones ſcil. menſe Majo (obſervetur tempus balſamicum ſi certæ conſtellationis) effodienda eſt radix acori adulterini aquatici, idque die mercurij ante ſolis ortum in hora ſaturnini: effoſſa radix exſiccatur, & poſtmodum die Jovi ipſo ſolis ortu recipitur radix & ſuccini albi ana includuntur ſerico rubro & appenduntur collo & ita ſingulariter contra ſpaſmum commendantur: Hinc etiam ad Dyſenteriam. Appendenda a. eſt radix, quando ſol. & ſaturnus aſpectu trino aut ſextili ſe irradiarunt. Sequitur

XI. ADIANTUM.

Adiantum, *Matth. Dod.* Capillus Veneris, *vulgò* Adiantum foliis coriandri, C. B 1. Adiantum nigrum, *Cordi.* Adiant. nigr. verum, *Tab.* Ad. album *Plinij*: magnum, *Trag.* Lugdunenſe, *Cam.* Germanicè *Frauvenhaar. Venuſhaar.* Plante nommée Capillus Veneris, qui ſignifie Cheveux de Venus.

N. Adianti vox pluribus plantis impoſita invenitur 1. Plantæ jam datæ. 2. Adianto aureo, polytricho. 3, Rutæ murariæ. 4. Trichomanni: de prioribus hoc loco, de poſterioribus alibi.

Advehitur ex Gallia Narbonenſi: Floret æſtate.

OFFICIN. NAT.

Herba ſeu folia.

Vires. Caliditate & frigiditate temperatum eſt, exſicat, attenuat, apetit, extergit, pulmonum renumque vitiis medetur, Epatis & lienis obſtructiones reſerat. Urinam & menſes ciet.

N. Sunt qui Trichomani eaſdem vires adſcribunt, adeoque ſubſtitui poſſe autumant: Alii Rutam murariam.

PRÆPAR.

1. *Aqua.* Ex fol.
2. *Syrupus ſimpl.* Ex decoct. & ſacchar. ß. Auguſt.
3. *Syr. Compoſ.* Vide Aug. & Norib.

[Extractum etiam habetur.]

ADIANTHUM primario quidem adianthum nigrum: variæ enim ejus ſunt ſpecies: Hujus adianthi herbula ad plantas pectorales refertur, & imprimis ad affectus pectoris commendatur. Poſt hoc etiam in affectibus renum laudatur. Scil. incidere & attenuare mucum viſcidum in his locis hærentem dicitur. Aliàs etiam cum alterantibus, aperientibus uti vocant, præſcribitur, in morbis chronicis, quos ex obſtructione oriri volunt, in nodulis, in decoctis & ſic porro. Unde proſtat in officinis Syrupus adianthi ſimplex & compoſitus, qui interdum utut rarò uſurpatur ad affectus pectoris & morbos chronicos, cachexias & ſimiles: rarò tamen. Sequitur

XII. ADIANTUM AUREUM.

Polytricum au reum: { majus. *Hoc minus uſuale.* medium. *Hoc uſuale.* minus. *Nec hoc officinas ſubit.* }

Dicitur Polytrichum aureum medium, C. B. 2. nobile vel primum, *Trag.* aureum Apuleii, vel 2. *Lonic.* Muſcus capillaris, *Dod.* Adiantum aureum minus, *Tab.* German. *gulden Vviderthon.* Polytric doré.

OFFICIN.

Integra herba ſeu caulis cum foliis muſcoſis & floribus.

Vires. De viribus apud authores nihil ferè invenitur, Carrichterus tamen ad morbos incantatione introductos commendat, cujus rei gratiâ apud mulierculas celeberrima eſt:

Extrinſecus ob ſignaturam commendatur ad capillos generandos.

ADIANTHUM AUREUM ſive *Polytrichon verum.* De hoc autores parum aut nihil quoad vires ſunt experti: aliàs inter herbas capillares recenſetur, propter ſignaturam, adeò ut externo uſu ad capillorum affectus commendari ſoleat: Unde ingreditur cum abrotano unguentum BUCRETII, quam deſcriptionem dedi ſub Abrotano.

XIII. AGALLOCHUM.

Ξυλαλοη, Lignum aloës, *Lon. Tab.* Agallochus ſeu Xylaloës, *Cord. in D. Lob. Caſt.* Taurum, *Cord. h.* C.B. 2. *Paradiſſ. oder Aloës Holtz*, Lignum aloës, ou bois de Perroquet.

OFFICIN. NAT.

Lignum cujus fruſtra rarò magna ad nos advehuntur, ut plurimum enim in fragmentis nobis tranſmittitur, quæ optima creſcunt nigro-purpurea, venis cinerij coloris interſecta, amara, ponderoſa, liquorem, ſi prunis, candentive ferro imponantur, exſudantia; ſuavem ac acidulum fumum, ſi incendantur, præbentia, bulIaſque ſimul poſt ſe relinquentia. haud ita facilè diſparentes. His adde haud poſtremum bonitatis ſignum ſi aquæ ſupernatarint.

Vires Calfacit, & ſicc. 2. confortativum eſt omnium viſcerum ac præcipuè cerebri, Cordis ac Uteri; ſpiritus vitales ac animales recreat: hinc medetur Lypothymiæ, amaritudine ſua lumbricos necat. Externè creber ejus uſus eſt in cucuphis & Epithematibus cordialibus.

PRÆPARATA.

1. *Extractum.* Fieri poteſt ad normam aliorum Extractorum, ſive Gummoſum ſolum id expetatur, ſive ſimul viſcoſum: *De quo vide lib.* 2. *c.* 57.

Angelus Sala ℞. Fragmentor elector. pulveratorum (inſtillari poteſt inter pulveriſandum aq. Roſar. quid avolet) ℔j. digerit ac extrahit cum Spir. Vin. rectificatiſſimi ℔v 1. vaſe clauſo in mar. Baln. per dies 3. digerendo. Decantato dein liquori affundit aq. Roſar ℔j. abſtrahit lentiſſimo calore Spir. Vin. Reſtantem Eſſentiam Reſinoſam lavat & exſiccat, pro libitu coquit ad conſiſtentiam, ut exinde trochiſci formari poſſint.

Doſis gr. iiij. ad x.

Reſiduæ fæces aptæ quæ ſunt admiſceantur candelis pro fumo.

Quercetanus. Extractum hoc, ſeu gummi parat cum aq. ſtillat. Hyperici aut Centaurei, atque pro peculiari remedio habet. in lumbricis ac putredinibus arcendis.

2. *Species Diaxylaloës.* Vide Diſp.
3. *Trochiſci Diaxylaloës.* Vide Diſp.

AGALLOCHUM lignum eſt egregiè fragrans, reſinoſum & ex cujus poris tranſſudat quoddam gummi balſamicum. Probam habet Auctor Agallochum eſt lignum aloë ſimile, quam arborem ferunt recens diſſectam, nulla odoris fragrantia eſſe gratam: Siccatum vero lignum demum, ſuaveolentiam

tiam acquirere an verum ſit neſcio. Diſtinguitur Agallochum ab aſpalatho, ex eo, quod hoc in ignem injectum flammeſcat, & in cineres abeat: agallochum vero reſinæ inſtar ebullit & prunis injectum liqueſcit. Vid. quæ habet *BONTIUS Commentar. in Garziam ab Horto cap.* 16. De hoc agallocho ubi habet de collectione & præparatione in India, quo reſinoſius eſt eò melius. Nam confortativum ſingulare laudatur omnium viſcerum totius corporis in ſpecie reſina & ejus Extractum. Frigidis ſtomachi affectibus ex cruditate ortis imprimis confert: in debilitate etiam ſtomachi deſperata. Reliqui uſus vid. in Autore. Externè lignum hoc incenſum & fumus ac odor naribus attractus ſeu hauſtus admodum convenit in ſuffocatione uterinâ aut lypothymia cum ſuffocatione uterina conjuncta: potenter eas recreat & lipothymias arcet: Inſignes laudes Agallochi in confortando cerebro & roboranda memoria, vid. in *SCHENK l. 1. obſervat.* eaſque ex *Levino LEMNIO de occultis naturæ miraculis.* Præparationes Extractorum videbitis in Auctore, qui ex *QUERCETANO* deſcribit.

XIV. AGERATUM.

Αγήρατον *Matth. Cam. Tab. Caſt.* Eupatorium Meſue, *Trag. Matth. Lon.* Mentha corymbifera minor, *Cord. hiſt.* Coſtus minor hortenſis, herba Julia, Balſamita minor. *Dod.* Ageratum foliis ſerratis, C.B. *Arab.* Gafet. *Leber-Balſam, kleiner Coſten-Balſam.* Coſtos minos.

Colitur in hortis, floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Planta cum foliis & floribus.

Vires. Calf. & ſiccat gr. 2. ſubſtantiæ tenuis, ſaporis aromatici, attenuat, extergit putredini reſiſtit, Epatica eſt, laxat alvum quàm blandiſſimè. Extrinſecus ciet urinam, uterumque emollit (ſuffitu.)

PRÆPAR.

1. *Syr. de Eupatorio Meſue.* Vide Diſp.
2. *Pil. de Eupatorio.* Vide Diſp.
3. *Trochiſc. de Eupator.* Vide Diſp.

AGERATUM ſeu alias Eupatorium Meſue. Tria enim habemus Eupatoria in officinis. Eupatorium Arabum ſeu Meſue, quod eſt hoc. Eupatorium Græcorum, quod eſt hoc agrimonia vulgaris, & Eupatorium cannabinum. Eupatorium Arabum dicitur ageratum, eſt planta in hortis tantum apud nos proveniens, vocatur Germanis [Balzam.hepat.] quoniam ex veterum hypotheſi conferre dicitur hepati. Jam vero cum hepar non amplius ſanguificet, propterea ex modernorum hypotheſi hepatica erunt talia, quæ læſam ſanguinis craſin emendare ac naturalem reſtituere poterunt: adeoque ageratum cum aliis ad corrigendam ſanguinis craſin vitiatam in morbis chronicis, quos ex obſtructionibus oriri volunt, erit, ut acommodetur. Raro tamen uſurpatur apud nos; veteribus ſæpius fuit in uſu.

XV. AGNUS CASTUS.

Ἄγνος, ſive λύγνος.] Salix Amerina Dioſc. *Matth.* Vitex *Trag. Dod. Cordin D. Lon. Cam* Agnus caſtus, *Caſt.* Eleagnon Theophraſti, *Lob.* Vitex foliis anguſtioribus cannabis modis diſpoſitis. C. B. 1. *Keuſchzamb.* Agnus Caſtus, [Semnon aliis, id eſt venerandum, ob caſtitatis cuſtodiam.] *Agnus caſtus.*

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires Calf. & ſiccat inſigniter (diſc. menſes ciet, appetitus venereos cohibet, ſemen imminuit.

PRÆPAR.

Trochiſci. Vide Diſpenſ.

AGNUS CASTUS qui aliàs etiam communiter vocatur vitex. Hic agnus caſtus ſubminiſtrat officinis ſemen, & quidem appellationem habet ex virtute, qua homines reddit caſtos, & ſtimulos libidinis ſuprimit. Hinc contra Gonorrhæam commendatur ſemen, & etiam penis erectionem ad tempus inhibet, Semen hoc etiam eſt ingrediens eſſentiæ, caſtitatis D. *MICHAEL.* contra Gonorrhæam & affectus libidinoſos. Hinc etiam in furore uterino commendatur, in quo ſemen pulveriſatum datum vel ex ſemine parata Emulſio laudatur. Dabo exemplum pulveris contra Gonorrhæam ex abundantia & nimia efferveſcentia ſeminis natam.

℞. *Sem. agni caſti* ʒij.
Succini albi præp.
Antimonij diaphoretici.
Oſſis ſepiæ præp. ana ʒß.
Sacch. Saturni ℈ß.
M. Fiat pulvis adſtringens pro aliquot doſibus. ne nimis effluat ſemen, quia extinguit.

Emulſio contra furorem uterinum eſt hæc:

℞. *Sem. agni caſti* ℥ß.
c. ſ. q. aq: Nymphea F. l. a.
Emulſio, cui adde:
Sacchari Saturni ℈j.
Camphora ℈ß.
Syrupi de Nypheâ ʒvi. *vel* ℥j.
M. F. I. Emulſ. refrig. contra furorem uterinum.

XVI. AGRIMONIA, ſeu AGRIMONIUM.

Agrimonia, *Brunf. Dod. Lob. Cam.* Eupatorium, *Matth. Fuchſ. Cord. Caſt. Tab.* Vulgare, *Trag.* Eupatorium Græcorum, *Lob. Cam.* (Arabum enim Eupatorium vel Ageratum eſt, vel Eupatorium Cannabin.) Eupatorium veterum ſeu Agrimonia, C. B. 4. German. *Agermenig. Odermenih. Adlermenig, Bruchvvurtzs, Leberkletten, Kœnigskraut.* Agrimonia, de l'Agrimoine.

Floret ferè æſtate integra, creſcit juxta ſepes.

OFFICIN. NAT.

Folia & Summitates.

Vires. Epatica nobiliſſima imprimis eſt, hinc ſplenitica vulnerariaque: calf. & ſicc. 2. ſubſtantia eſt tenuis, aperit, deterg. ſubaſtr. corroborat Epar. ejuſque fluxus coërcet, adeoque uſu creberrimo venit in morbis ab Epatis imbecillitate ſubortis, ut ſunt Hydrops, cachexia, &c. extrinſecus adhibetur ſæpiſſimè in balneis lotionibus.

PRÆPARATA.

1. *Aqua deſtillat.* Ex fol. & flor. vel ex integra planta circa finem Junij collecta.
2. *Succ.* Ex fol. & flor.
3. *Syrup.* Ex ſucco.
4. *Sal. Com.* ex cinere integræ plantæ.

[Alcea, herba Simeonis, *Fellrieſz.*]
[Ex genere Malvarum eſt Sylveſtrium]
[Appendunt ad ungues oculorum dorſo.]

AGRIMONIA quæ eſt Eupatorium Græcorum: Hæc agrimonia eſt una ex nobilliſsimis hepaticis, vel quæ optimè ad ſanguinis diſcraſiam emendandam in morbis chronicis conveniunt. Unde eſſentia ejus, decoctum, infuſum inſigniter commendatur in morbis chronicis. Deinde egregia eſt vulneraria, quæ in potiones vulnerarias, unà cum aliis ingredi ſolet, quæ propinantur, & in vulneribus & ulceribus in inveteratis & malignis. Herba & ejus ſuccus cum filamentis impoſitus vulneribus ad vulnera recentia & antiqua valet. Item ad procidentiam ani commendatur. De his & ſimilibus vid. *FORESTUM lib. 7. chirurgiæ obſ.* 3. In mictu cruento eſt egregium ſpecificum ſive in decocto, ſive ſub forma eſſentiæ adhibeatur hæc agrimonia internè. Hinc etiam extractum agrimoniæ in exulceratione renum commendatur. Certè in exulceratione renum & mictu cruento unum ex optimis eſt ſpecificis agrimonia. Unde etiam balnea ex agrimonia in mictu cruento commendari ſolent. Sic v. g.

℞. *Herbæ agrimoniæ*
millefolij
flor. hyperici ana Mj
Muſci prunorum ſylveſtrium Mß.
Seminis hyperici ʒij.

Coquantur

Coquantur in s. q. aq. simplicis contra mictum cruentum, item contra exulcerationem renum. Item:

℞. *Essent. flor. hyperici*
agrimoniæ ana ℥ij.
M. F. mix. dos. 40 *aut.* 50. *gt. ter in die.*

In tumore scroti cataplasma factum ex agrimonia insigniter commendari solet, in specie ubi est inflammatio & simile quid: in specie quidem si quod sæpius evenit oriatur tumor & inflammatio scroti & testium, quando equitamus; ubi convenit cataplasma ex agrimonia applicatum, cui si addantur flores sambuci, erit eò melius. Agrimonia etiam laudatur in inflatione testium, uti expertus est *HILDANUS Cent.* 3. *obs.* 81.

XVII. ALCHIMILLA.

ALchimilla, *Trag. Dod. Lob. Tab. Ger.* Vulgaris, *Clus. hist. Cam.* Pes leonis, Leontopodium, *Brunsfel. Fuchs. Lon.* Biancha Leonis, Planta Leonis, (Dioscor. Psiadium.) Stellaria, *Matth. Cast.* Germ. iSnavvu, *gulden Ganserich, Lœvvenfuss, unser Fraven Mantes.* Pied de Lion.

Crescit in loco udo ac humido (ac præcipuè in pascuis, unde & in hortos transplantari solet. Floret Maio, & Iunio.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Vulneraria est, è nobilissimis non postrema, calid. & frigid. temperata: consolid. astring. extergit, sanguinem incrassat, proin utilis fluxui mensium, &c Vsuque adhibetur interno, in potionibus vulnerariis, tum & externo [in Herniis proficua.]

PRÆPARATA.

Aq. Fit ex integra planta collecta mense Iunio cum floribus.

ALCHIMILLA etiam planta satis nota subinde crescit quasi spontè: In officinis prostant ejus folia seu herba, quæ ex vulnerariis similiter ferè primatum obtinet, non enim tantummodo internè adhibetur in potionibus vulnerariis; sed etiam externè ejusdem succus cum unguentis vulnerariis commodè permiscetur. Ingreditur etiam potiones vulnerarias ac dysentericas. Item Clysmata consolidantia in eodem affectu. Secretum quorundam Italorum est adstringere naturam muliebrem & minores reddere mammas, ut hoc obtineant, nempe ut claustrum virginale angustent: Item quo mammas fierent minores, usurpant alchimillam. Modus est hic: Decoctum herbæ alchimillæ supponunt mulieri, ut vapor subintret vulvam: sic enim dicuntur insigniter adstringere naturam muliebrem, idque adeo, ut se possint aliquoties pro virginibus venditare. Quodsi vero mammis est applicandum medium, ut instar pomorum fiant, uti dicunt Itali, decoctum sub forma fotus applicatur mammis & sic eas parvas, duras & rotundas efficit. Aliàs succus symphyti majoris in decocto seu balneo pro augmentandis deliciis noviter nuptorum & fallendo sponso adhiberi potest. Vid. de hoc *GABELCHOV. in Observat.*

XVIII. ALKEKENGI.

A'λικάκαβον. Halicacabum, *Cast.* vulgare, *Fulsch.* Hal. vesicarium, *Cam.* Hal seu visicaria, *Cord.* Hal. Solanum halicacabum, *Trag. Matth. Lob.* Solan. vesicarium, *Dod.* Alkekengi, *Lon.* Saxifraga rubra, & 4. *Brunsf.* Solan. vesicarium 2 *Bauhini, Iudenkirschen Boborellen*: de l'Alkekenge, ou Cocquerelle.

Crescit in vineis inter vites, locisque opacis: floret Iunio, fructus fert ante autumnum.

OFFICIN. NAT.

Baccæ, quæ, colore ac figura cerasa rubra repræsentant, colligendæ circiter finem Augusti.

Vires. Refrig. & sicc. 2. Nephriticæ, diureticæ ac lithontripticæ insignes sunt. Vsus præcipui in calculo renum & vesicæ, in ictero (baccæ & folia) in sanguine coagulato.

PRÆPARATA.

1. aq. *stillat.* E baccis.
[Habetur in Officinis nostris liquor Alkekengi citratus ex D. Horstij præscriptione.]
2. *Tinctura.* Ex baccis cum aq. propria.
3. *Trochici de Alkekengi* [Diaphyssalidon, sive de Vesicaria.] Vide Dispensat.

A kermes, *vide* Chermes.

ALKEKENGI seu HALICACABUM. In usu sunt baccæ, quæ figura cerasi imprimis in usum veniunt. Usus est in affectibus renum, est enim singulare nephriticum in alkekengi, tam in renum ulceribus & impeditâ mictione, quàm etiam in affectibus nephriticis, in calculo & similibus tam præservando quàm pellendo. Ad promovendam urinam suppressam insigniter convenit. Fit Essentia ex succo baccarum alkekengi inspissato cum aliis, quæ egregia est in remorata urina, item in affectibus nephriticis: si addatur opium fit Essentia urinaria anodyna, quæ pellit urinã & dolores nephriticos sistit. In HÖFERI *Hercule Medico p.*176. est aqua nephritica non contemnenda, cujus basis sunt hæc, baccæ alkekengi, compositio est hæc.

℞. *Malorum Citriorum q. v.*

abjice quod intus est acidum, reliquum rasum comminutumque album imprimis recipiendum, stet in vase vitreo 24. horis, post expresso succo ℞. ℔j. *fructuum alkekengi recentium numero* 64. contusa misceantur, & stent iterum 24. horis simul, dein ex vitro destillentur per arenam ut de ℔j. remaneant ℥ix.

Huius aq. destillatę ℞. ℥ij.
Vini rhenani ʒj.
Sacchari candi ℥iij. *M.*

In officinis prostant Trochisci de alkekengi, qui egregij sunt in exulceratione renum, item in ardore urinæ, sed si paretur essentia ex alkekengi succo spiritu proprio & aliis plantis, erit effectus eò magis præsentaneus. Extractum alkekengi quidam dicunt esse præsentaneum remedium in Colica. Porro hi fructus alkekengi commendantur insigniter in Ictero flavo, in quo casu mira dicuntur facere. *P. J. FABER lib.* 2. *Myrothec. spagyr. c.* 7. habet essentiam baccarum alkekengi, quam insigniter in Ictero flavo commendat. Autor præ cæteris commendat in sanguine coagulato.

XIX. ALLIUM.

Σκόροδον, Dioscoridi, *Arab.* Cham. Allium, *Brunsf. Trag. Matth. Cord. in Diosc. Lon. Lob. Cast.* hortense, *Fuchs.* vulgare, *Cam.* sativum, *Dod.* C. B. 1. Germ. *Knoblauch.* Ail.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires Calf. & sicc. 4. incid. aperit, discutit, alexipharmacum est. Vsus præcipuus internus in colica flatulenta, lumbricis, peste (cum aceto) tussi, calculo. Extrinsecus in scabie, urinæ obstructione, apoplexia uterina (umbilico inungitur succus) tussi (inungitur plantis pedum cum axungia porcina.)

[*Penè aures ponitur, & ad pulsus, in odontalgia.*]

N. Dulcius sapit si plantetur luna existente sub Horizonte, eodem tempore rursum effodiatur.

[*Graveolentiam tollit Ruta, Zedoaria.*]

PRÆPARATA.

Electuar. de allio. Vid. lib. 2.

Aloës lignum, *vide* Agallochum.

Alliaria, videatur Appendix.

ALLIUM planta satis est cognita, in specie radix, quæ est usualis. Modus præscribendi est ℞. Capita alij tot vel tot: distinguitur enim radix in bulbos s. capita. Alij sapor & odor loquuntur, quod impręgnatum sit sal. vol. admodum acri non secus atque omnia cepacea: à quo sal. vol. acri est odor admodum morsicans, sapor linguam pungens, morsicatio oculorum, & qui sunt similes effectus, qui sal vol. acre adesse loquuntur. Admodum convenit in pellendis flatibus natis per fermentationem vitiosam ab acido factam: accidum enim vitiosè fermentans dat

flatus. Hoc acidum dum corrigit sal. vol. acre allij. Simul etiam proventum flatuum corrigit, & genitos jam dissipat ac dispellit. Unde insigniter convenit allium in passionibus colicis ab acido ortis sive adsint flatus sive non adsint: scil. capita allii minutim disciduntur, & cum aq. Chamomillæ destillatâ assumuntur contra colicam. Jusculum cum allio & oleo olivarum calidè haustum cum tantillo vini generosi expertum est remedium *BORELLI* in Colica, uti habet *Cent.* 4. *Observ.* 92. sic jam in *GALENI* scriptis prostat exemplum Colicæ curatæ per allii usum in rustico, sicut ex *GALENO* recenset *SCHENCKIUS in Obs.* & *ZACUTUS LUSITANUS lib.* 2. *Med. Princ. hist.* 95. Deinde infestum admodum est lumbricis & vermibus allium, quos enecat & expellit, sive adsint vermes in intestinis, sive etiam adsint vermes pericardii, qui affectus rarus, quia parum cognitus; in quo tamen optimum remedium est succus allii expressus cum succo nasturtii in brodio s. jusculo decoctionis radicis armonaciæ assumpti: sicuti hujus rei exemplum illustre recenset *GABELCHOVERUS Cent.* 3. *cur.* 1. plura in allio latent arcana. Ventriculis malis ex cruditate acidâ egregiè medetur. Præterea in obstructione urinæ, it. in præservando calculo excellit insigniter allium. Allium & cepæ cum oleo coctæ & instar cataplasmatis regioni pubis admotæ urinam suppressam pellunt. Singulis noviluniis capitulum allij minutissimè dissectum & cum aqu. seu spiritu Juniperino assumptum, præservativum est expertum à calculo. Pro arcano hoc habetur (à consule & urbis ædile) vidi tamen ego descriptum hoc remedium à *BARTHOLIN. Cent.* 4. *Epistol. p.* 230. Et certè fundamento non caret hæc cura. Nam sal acre vol. allij acidum calculorum coagulatorum in renibus corrigit, & correctum, quatenus urin. pellit, simul educit, & ita à calculo præservat. Allium est singulare sudoriferum, adeoque in peste ejus usus insigniter commendatur: ob id rectè vocatur Theriaca rusticorum, utpote quos capita aliquot allii in aceto assumpta potenter per sudorem à peste liberant. Unde etiam externè solet adhiberi ab Ungaris in curâ morbi Ungarici. Apoplexia uterina dicit Autor: per hanc nihil aliud intelligit quàm passionem hystericam, in qua sensus & motus perit instar apoplexiæ, cum talis hysterica passio oriatur ab acido vitiosè in intestinis effervescente, propterea corrigit hoc ipsum allium. Denique contra morsus serpentum & viperarum internè & externè commendatur allium. Sunt, qui destillant ex allio aquâ. Hanc aquâ super affundunt novis allii capitibus, & hanc destillationem in sole ter repetunt, & aquâ hanc ita præparatam ad quælibet venena commendatissimam asserunt. Allium si mica una vel altera cum pane siligineo comedatur ac æger probè contegatur, potens est sudoriferum. Denique quoniam allium urinam promovet, ob id hydropicis commendatur, de quo videri potest experimentum in *FORESTO lib.* 19. *Obs.* 27.

ALLIARIA.

Alliaria, *Alliaire*, ita dicitur quòd ejus folia digitis comminuta allium seu porrum sectinum cum nasturtio redoleant, *Bauhin Pin.* 110. Quidam *Thlaspidium secundum*. Cratevæ, alii *Alectorolophon* Plinii lib. 25. c. 5. putant. Olim à quibusdam pro scordio habita alliaria, ut proinde Theriacæ immiscuerint pro scordio: quod tamen refutat & improbat *Greg. Horstius* de confect. & dispens. Theriac. tom. 2. Oper. Med. Eleganter de hac alliaria scribit Clar. *Simon Pauli*, pag. 189 quadrip. botan. excitatus à *Fabricio Hildano*. cent. 2. obs. 94. pag. 171. habere alliariam singularem vim & proprietatem qua putredini adversatur: ideoque, ait ulcera putrida & sordida abstergit ac mundificat, minori tamen cum efficacia quàm verum scordium, &c. sed pergit: Quæris forsan cur ita sim sollicitus de Alliaria, cum Scordium multo sit præstantius. Causa est quòd scordium in multis regionibus minimè crescat, neque nisi siccum, & ut plurimum obsoletum haberi possit, cum Alliaria ubiq; locorum prodeat. Sed quia in exsiccata herba parum facultatis & virium remanere expertus sum, idcirco ipsam in fine Aprilis & ineunte Maio colligere soleo, & postquam per diem unum in umbra exsiccata fuerit, minutim incido contundoque in mortario & prælo succum exprimo, &c. quem sive simplicē, sive inspissatum unguentis & cataplasmatis indo, ad gangrænam aliaque ulcera putrida, sordida ac maligna.

Alliaria autem secundùm *Matthiolum* pag. 559. calefacit & exsiccat, crassos humores attenuat & incidit: semen uteri strangulatum tollit exterius admota.

ALYSSUM de quo tacet Autor. Planta est apud Veteres commendata tanquam specificum singulare contra hydrophobiam sive morsum canis rabidi Galeni. Digladiantur adhuc autores quodnam sit verum alyssum Galeni. Multi quid pro quo hic substituunt. Descriptionem veram subministrat *Georgius SYLVIUS* in Operibus Med. ubi dicit: Alyssi herba marrubio est similis asperior tantummodo & spinosioribus capitulis cœruleo flore, legenda sub æstu ferventis Caniculæ: siccata tecta reconditur & usui servatur *RENEALMUS* in Observat. habet Essentiam alyssi, cum quâ curavit aliquot à cane rabido demorsos, & jam hydrophobicos redditos.

XX. ALSINE.

Alsines varia à Botanicis exhibentur genera, è quibus potissimùm usualis est Alsine media, C. B. 11. Alsine, *Matth. Lob. Cast.* Als. major, *Fuchs.* media *Tabern. Ger.* minor, *Cord. hist.* Morsus Gallinæ, 1. *Trag.* Germ. *Hunnerdam, Hünerbiss, Vogelkraut.* Morgeline ou Mouron, Centonice, Arroche.

Crescit in omnibus hortis & vinetis. Provenit hyeme, floretque ad mediam usque æstatem.

OFFICIN. NAT.

Folia vel integra *herba*, sed raro.

Vires. Refrig. & humect. 2. easdem vires obtinet quas parietaria, præterquam quod non adstringat: insigniter nutrire creditur, unde atrophia, phthisique laborantibus esca salutaris æstimatur. [Ad scabiem decocta adhibetur.]

ALSINE VULGARIS rari est usus jam apud nos, nisi quod mulieres soleant applicare mamis puerperarum ad impediendum lac in iis, quæ lactare nolunt, seu ad impediendum lactis proventum. Deinde etiam extrinsecus commendatur ad scabiem, si scil. præmisis universalibus cum hac planta fricentur partes scabiosæ: aut si planta decoquatur cum aqu. & istud decoctum postmodum loco lotionis manuum adhibeatur. Denique singulare est, quod habet *SCHMUCK.* Thesaur. 2. secreto medico 13. vel. 3. si scil. alsine cum aceto trita cicatrici seu vestigio sanati vulneris imponatur, idem vulnus denuò aperire sine ullâ sectione dicitur, quasi recens esset; Quod si accedat aliqualis inflammatio, tunc cum lacte caprino coquenda & imponenda, sic enim minus erit metus de inflammatione. De iis, quæ habet Auctor de atrophia & phthisi, experientia consulenda.

XXI. ALTHÆA.

Althæa Dioscoridis & Plinij. C. B. 1. Althæa *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs. Dod.* Vulgaris, *Cam. Clus. hist.* Malva palustris, *Lon. Lob.* Ibiscus, *Cast. Tab.* Malvaviscus, Bismalva, *Ger.* German. *Erbischwurtz, Heilwurtz, Hilffwurtz.* Guimauve. Ital Malvavisco.

N. Quatuor faciunt Althææ generara: althæam simpliciter sic dictam, althæam arborescentem, althæam palustrem, & althæam Theophrasti seu Abutilon Avicennæ. Ex his primum officinis in usu est.

Crescit locis humidis, floret Julio & August.

OFFICIN. NAT.

Folia, *Radix*, (collecta Vere vel Autumno,) *Semen.*

Vires Herba calida est & sicca (aliis humid.) gr. 1. (Radix calfac. in princ. 2.) emollit, laxat, discutit, dolores lenit tumores maturat, acrimoniam mitigat & corrigit. Usus præcipuus in affectibus vesicæ, pectoris, v. g. pluritide, &c. Vide Malvam, cum qua in qualitatibus omnibus convenit: Externus creberrimus ejus usus est in Cataplasm. Clysteribus. &c.

PRÆ

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex foliis & floribus.
2. *Mucilago.* Ex radice extrahitur cocta cum aqua.
N. 1. *Utiliter* hæc adhiberi poterit throchiſcis ſublingualibus incorporandis.
N. 2. *Ex* mucilagine hac inſigne Extractum cum Spir. Vin. parari poterit in lenienda faucium aſperitate utiliſſimum.
[Ex hac mucilagine Foreſtus linctum in tuſſi ferina habet, paraturque Loch ad tuſſim contumacem puerulorum, D. Vvitzelii.]
3. *Syrupus Althææ Fernel.* V. D.
4. *Unguentum Dialthææ ſimpl.* Ex ſolis emollientibus. Vide Diſp.
5. *Unguentum Dialthææ compoſ.* Ex emollientibus & diſcutientibus, Galbano ſcilicet & Gummi hederæ. Vide itidem Diſpenſatoria.
[Sal quoddam etiam exinde parant.]

ALTHÆA, item BISMALVA. Et quidem althæa vulgaris. Tota herba eſt admodum ſuavis attactu, & ab effectu etiam inter plantas emollientes ferè primatum obtinet planta & radix. Emollit enim inſigniter & laxat. Et cum contineat mucilaginem quandam blandam, ratione hujus acrimoniam humorum egregiè lenit & temperat, hinc dolores lenit althæa. Sæpius præſcribitur in clyſteribus emollientibus, ubi alvus eſt obſtructa & occluſa, & ubi ſimul urgent dolores: it. præſcribitur internè in affectibus calculoſis, quoniam dolorem lenit & acrimoniam urinæ in calculo ſemper præſentem moderatur & temperat. Radix hæc ſi coquatur in juſculo carnis, prodeſt in doloribus & affectibus nephriticis, vel etiam ſi inſtar potionis decoctum jus cum aliis propinetur. Exemplum tale elegans ſubminiſtrat BARBETTE decocti contra dolorem nephriticum, ſeu à calculo ſeu ab alia cauſa, imprimis ſi ardor ſeu acrimonia. Urin. ſimul adſit. Deſcriptio eſt hæc.

℞. *Rad. althææ* ℥j.
liquiritiæ ſeu glycyrrhizæ ʒij.
Fol. malvæ mj.
Seminis melonum ℥ß.

Coquantur in Aq. hordei: Colaturæ ℞. ℔ij. (propter radicem althææ mucilaginoſam copioſior liquor affunditur) Diſſolve

Sirupi papaveris Erratici ℥ij.
oculorum cancror. crudorum contuſorum ʒj.

M. & hoc eſt, quod egregiè lenit dolorem nephriticum, ardorem urinæ & ſimilia calculoſis & nephriticis familiaria. Vulgò dicitur, quod lubricet & laxet vias urinarias, quod meritò ridet HELMONT. ſi enim laxaret & lubricaret, prius lubricaret in ſtomacho & inteſtinis, quod tamen non eſt: convenit ergo temperando acrimoniam. Externo uſu eſt frequens Chirurgis in cataplaſmatis emollientibus & abſceſſus maturantibus: Hæc cataplaſmata uſitatiſſimè ingrediuntur radix & herba althææ: it. in cataplaſmatis anodynis quarumcunque partium & dolorem lenientibus ordinarium eſt ingrediens. Syrupus de althea ab Auctore Fernelij dictus convenit in ſupra dictis affectibus, & potiunculis aut ſimilibus ſolet addi. Proſtat in officinis unguentum dialthææ in genere ſimplex & compoſitum: inſigniter prodeſt in doloribus nephriticis & calculo: it. Unguentum dialthææ cum oleo ſcorpionum illinitur regioni pubis in ſuppreſſa urina. Unguentum dialthææ emollit & lenit. ole. ſcorpionum pellit. Alij miſcent unguentum dialthææ cum unguentis purgantibus v. g. unguento de arthanita, & ita abdomini inungunt pro laxandâ alvo ſuppreſſâ. Unguentum factum ex unguento Dialthææ ℥ß. & oleo *amygd. dulc.* ℥ß. eſt egregium remedium contra dolorem pleuriticum, ſi ſcil. ſingulis tribus horis inungatur locus dolens hoc unguento calido. Sin addatur aliquantulum de croco vel etiam aliquot grana Camphoræ, erit unguentum eò efficacius quia penetrantius.

XXII. AMARANTHUS.

Amaranthus, *Matth.* Am. parvus, *Cam.* purpureus, *Fuſchſ. Dod. Lon. Cord. in D.* Anguſtifolia ſimplici ſpicata panniculâ, *Lob.* Amar. Vulgaris, *Tab.* Amar. ſimplici panniculâ, C. B. 4. Circæa, *Trag.* aliis Flos amoris. German. *Flor. Amor*, *Tauſentſchœn*, *Sammetblum.* Amaranthe. [Ital. Fior di velluto, Fior d'amore.]
Floret Auguſto, colitur in hortis.

OFFICIN. NAT.

Flores.
Vires. Refrig. & ſiccat, modicè adſtring. Hinc uſus in fluxionibus cunctis. E. g. exſpuitione ſanguinis, diarrhæa, dyſenteria; fluxu uterino, &c.
N. Sunt qui propinant ad lactis generationem juvandam.

AMARANTHUS. Planta, quæ non amplius eſt in uſu, propterea illâ non inutiliter tempus teram.

XXIII. AMMI VERUM.

Ἄμμι, ἄμι, ἄμιον: Ameos, Amios, Ammeos, cuminum Æthiopicum, Ammi. *Brunsf. Trag. Cord. in D. Lon.* commune ſeu vulgare, *Dod. Cam. Ger.* vulgarius. *Lob.* Ammioſelinum, *Tab.* German. *Ammey.* Laberle
Adfertur Alexandriâ Ægypti Venetias & in Germaniam.

OFFICIN.

Semen. Eligendum, hoc eſt purum. [Theriacam ingreditur.]
Vires. Calf. & ſicc. g. 1. tenuium partium eſt, incidit, aperit, diſc. Hinc convenit dolori colico & uterino; in menſibus & urinâ obſtructis, in inflatione ventriculi; uſuſque præcipuè interni eſt, hinc & externi.
[Sterilibus cum fluore albo D. S. Paul. commendat Clyſterem uterinum; & pulverem ex Sem. Ammi.]

AMMI VERUM. Semen eſt inſtar cumini, cui eſt etiam adeò affine; ut iſtud ammi, quod in Æthiopia naſcitur, cuminum æthiopicum nominent: quod tamen multò minus eſt & candidius, origanumque ſapit: proinde id, quod in officinis reperitur, vix genuinum eſt: Uſus eſt nullius, niſi quod adhuc Theriacam ingreditur. Sunt tamen, qui mirificè ad fœminarum fœcunditatem facere aſſerunt, ſi nempe alternis diebus ʒj. cum vino temperato aut juſculo carnium aſſumatur: quo die fœmina hauſit, non debet cum viro concumbere, uti habet FREITAG. *in auror. Medicor. cap.* 49 *pag* 546. Carminativum eſt imprimis hoc ammi, ſed quoniam eſt rarum & rarò genuinum, propterea in locum ejus noſtrum cuminum uſurpatur: Excepta Theriaca, quam adhuc ingreditur ſemen ammi, utut non ſit genuinum; vix alibi invenitur.

XXIV. AMOMUM.

Ἄμωμον, Amomum veterum quodnam ſit, adhuc ſub judice lis eſt. Sunt enim qui Roſam Hierochontis eſſe velint, ut Cordus: alij aliud quid eſſe contendunt. Cluſius eas eo nomine deſcribit herbas, quas tamen cum Dioſcoridis amomo minimè reſpondere confitetur.
Officinæ duplex ſemen ſub Amomi nomine monſtrant, quorum alterum majus nigrum; rotundumque eſt inſtar granor. piperis rotundi, vel cubebarum, guſtu minimè acre, quod videtur veterum eſſe ſiſon, ſinon, &c. Alterum minutum ſemen & pallidum: utrumque rarò in uſum venit, locoque amomi veterum recipitur Acorus.

AMOMUM Res nominetenus cognita: quid enim ſit veterum amomum, adhuc ſub judice lis eſt. Officinæ monſtrant ſemen, ſed quid ſit, ipſæ neſciunt, & cum ſit ignotum, non adhibetur. Pergo ad

XXV. AMYGDALÆ, ſeu AMYGDALA.

Amygdalæ fructus ſunt amygdali arboris, iique vel dulces, vel amari: de Amygdalo videatur *Brunſf. Trag. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Cam. Tab. Matth. Caſt.* German. *Mandeln.* amandes douces & ameres.

OFFICIN. NAT.

Vtriusque nuclei amygdala vel amygdalæ dict.

Vires. Dulces nutritivæ sunt, temperatè calidæ & humidæ, humorum acrimoniam lenientes, & hinc dolorem & Vigilias ab acrimonia oriundas demulcentes, adhibenturque præcipuè in Emulsionibus.

Amaræ sunt calidæ & siccæ 2. atten. aper. exterg. diureticæ sunt, obstructioni jecoris, lienis, mensenterij, uterique conferunt. Extrinsecus lentigines tollunt, si masticacæ illinantur, capitis dolori subveniunt (in frontalibus.)

[*Gummi amygdali ad calculum proficuum, pannos sericos hoc obliniunt.*]

PRÆPARATA.

Confect. amygd. dulc.
amarar.
Ol. expressum amygd. dulc.
amarar.

Vires. Oleum dulce lenit, maturat, anodinum est, ususque præcipui in colico ac nephritico dolore mitigando (propinatum dosi Vnc. i. vel ij. cum manna, vel & clysmati infusum) infantulis recens natis creberrimè ad tormina Ventris exhibetur ad Drach. ij. quinti etiam ad mitigāda tormina puerperarum usus ejus creberrimus est. Olei amari vires ex superioribus colligendæ sunt.

N. Vsus interno recens expressum adhibendum est, non rancidum: Exprimitur autem tum sine igne, i. e. non calfaciendo ad ignem, vel cum igne.

AMYGDALA. Fructus omnibus notus, & in specie differentia inter dulces & amaras. Quod attinet virtutes, 1. amygdalæ dulces sunt insigniter nutritivæ: cum enim sint temperatæ & non graduatæ seu in nullâ qualitate excedunt: hinc etiam chylum lactescentem insigniter nutritivum subministrant. Vnde atrophiæ succurrunt, & propterea à quibusdam fructus Jouiales dicuntur: Cum Iupiter præsit nutritioni. Eo ipso quo sunt temperatæ simul humorum acrimoniam quamcunque blandè leniunt ac temperant. Propterea fiunt ex amygdalis dulcibus emulsiones, quæ dolores item & vigilias tollunt: item quæ effervescentiam humorum in febribus ardentibus nonnihil compescunt, quoniam temperant. V. gr. Fiat talis emulsio in vigiliis nimiis in febri continua.

℞. *Amygdalarum dulcium ambrosinarum* ℥ß.
Seminis papaveris albi ʒij
C. s. q. Aq. Nymphææ F. l. a. Emulsio. adde:
Eboris ʒß.
Syrup. de Nymph. ℥ß.
M. F. O. [Emuls. refriger & corrobr. sumend. tempore somni ad inducendum blandum soporem.

FREITAG. in auror. Med. cap. 34. alias habet lac amydalarum contra dysenteriam factum cum decocto vulnerario oleo amygdalarum dulcium expressum à multis usurpatur, internèquidem ad leniendum dolorem ab acribus Salinis humoribus obortum Vnde ℥j. vel ℥jß. vel ℥ij. in dolore nephritico ebibuntur. Sic *PLATERVS* habet mixturam expertam in colica mox in principio propinandam, cujus descriptio est hæc:

℞. *Amygdalarum dulcium* ℥iß.
vini Malvatici ℥ß.
Syrupi papaveris ℥ß.
M. pro haustu.

quæ potio insigniter commendatur ad compescendum dolorem colicum & laxandam alvum. Alij aliquot ℥ias oleo. amygdalarum dulcium propinant in pleuritide, loco oleo seminis lini, quod aliàs expertum remedium contra pleuritidem. Hoc enim oleo. Amygdalarum dulcium acidum in pleuritide peccans temperat atque dolorem subitò lenit. De quo usu olei. amygdalarum dulcium vid. *PLATERVS l. 2. obs. p.* 304 It. in Thonero obs. p. 128. in pleuritide mox in principio morbi, quod mira præstare sæpius observavit, dedit ad ℥iiß. expectorat, emollit, alvum subducit, &c. Externè inungitur oleo Amygdalarum dulcium in dolore nephritico ad eundem demulcendum.

Quod attinet Amygdalas amaras, Hæ amygdalæ amaræ extergunt & abstergunt, & observantur, quod quibusdam animalibus sint venenatæ & nocivæ, uti observatum videmus in observ. *LYSERI* annexis cultro anatomico p. 238. Hoc oleum amygdalarum amararum Vrinam pellit & promovet: quidam in secretis habent Elixyr amygdalarum amararum. Cujus hæc est præparatio.

℞. *Spiritus vini rectificati* ℔j.
amygdalarum amararum contusarum ℥iv.
Cinamomi ℥ß. *M.*

fermenta & postmodum destilla: destillatio fiat per cineres, dosis est ad ʒj. vel ʒij mirificè valere dicitur in affectibus flatulentis in genere, & in specie in dolore pleuritico notho seu spurio.

XXVI. ANACARDIVM.

ANacardium *Matth. Cord. h. Lon. Cast. Trag. Tab. Gerb. Arab.* Balado, Anacardum. *Elephanten-Lausz.* Anacardes.

Fructus est, arboris exoticæ, colore ac figura cor repræsentans, præcipuè si siccatus sit.

Crescit in India Orientali.

OFFICIN. NAT.

Fructus, sed rarò

Vires. Calf. & siccat (non 4. nec 3. gradu) ut nonnulli volunt, sed remissius. Cephalicus est, memoriam ac sensus acuens ac confortans.

PRÆPARAT.

1. *Elect. seu confectio*, *Anacardina.* Vide Dispens.
2. *Mel Anacardinum.* Ex fructu recenti in Aq. cocto supernatat. V. Disp.
3. *Oleum* vel ex fructibus exprimitur, vel in corticis coctione supernatat, sed rarissimum hoc est.

ANACARDIUM. Est fructus exoticus, & adportatur ex Ægypto & India Orientali [fabæ similis; Aliàs rari est usus: præcipuè tamen (vid. rerum exoticarum scriptores, in specie *Christophorus à COSTA cap.* 30. Hinc etiam *Ioh. JONSTONVS* in *sua dendrologia lib. 2. classe V. art.* 4) Convenit in affectibus capitis imprimis senilibus, apoplexia, paralysi, memoriæ lapsu similibus: adeo ut præparetur exinde Electuarium, quod vocatur confectio Anacardina, quæ specificè commendatur contra memoriam labascentem. Cæterum cum in fructu Anacardij sint spiritus quasi Ignei acres & volatiles, observatum fuit, quendam ex abusu confectionis Anacard. stupidum acquisivisse ingenium inque dementiam incidisse: Ergo usu moderato est adhibenda ab iis, quibus cerebrum est siccum, uti vocant: quibus verò cerebrum est humidum, ij sine tali metu possunt usurpare. Vid. *SENETRVS l. 2. praxeos p. m.* 302. Loco hujus in confortanda memoria possunt substitui Cubebæ, jejuno stomacho 2. vel 3. masticari & deglutiri; alleviant caput, exhilarant spiritus, stomachique cruditates emendant.

Loco cubebarum adhibetur Aq. magnanimitatis *LAVRENBERGII.* ex formicis in Junio cum sp. V. collectis. Ubi notetur, eas intelligi formicas, quæ acidum spirant. Vocatur Aq. magnanimitatis, quia non solum animum addit, sed quia etiam stimulat ad vener.

Mel ut & ol. nacardij est rari admodum usus.

XXVII. ANAGALLIS.

ANag. { Aquatica. *Vide infrà*
Terrestris { Mas *flore phœniceo*, C. B. 2. / Fœmina *fl. cæruleo*, C. B. 2 / Lutea *insitata.* } *hæ officin. & hujus loci*

Mas

Mas *insignitur* Anagallis, *Cord in D. Brunf. Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Cast. Ger.* Anag. phœnicea mas, *Lob. Tab. Cam.* Mas, *Clus. hist.*

Fœmina dicitur Anagallis fœmina, *Brunf. Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Cast. Germ.* Anag. cœrulea, *Tabernam. Cam.*

Dicuntur *Gauchheil*, *Golmakraut*, *Vogelkrant*: du Mouffon, Morgeline.

Crescunt in vinetis, hortis ac arvis; lutea tamen non nisi in sylvestribus ac umbrosis locis provenit.

Floret Maio, & hinc per totam æstatem:

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus, sed rarò.

Vires. Vtraque calf. & sicc. amara est, exterg. & subastr. Vnde & pro vulneraria habetur; morsui canis rabidi subvenire à nonnullis commendatur: adhibeturque usu interno ac externo.

[Maniacis & Podagricis.]

PRÆPARATA.

1. Aq. ex integra planta.
2. *Succus.* Rarò extat, cùm tamen maximè commendetur in Errhinis.

[Oleum etiam parant.]

ANAGALLIS. Hæc satis cognita est, ut & duæ ejus species, terrestris & aquatica.

Terrestris est flore phœniceo quæ alias vocatur mas, fœmina flore cœruleo. Vtraque est officinalis, præcipuè flore phœniceo, quæ etiam intelligitur, quando fit mentio Anagallidis terrestris per se. Germanico idiomatè venit [Bogelkrant,] quia avidè ab avibus appetitur: [Bernunfft. Araut: it. [Druundheil.] Dum vocatur [Bernunfft, Araut] innuitur, quod conducat contra *Maniam*, & componitur ESSENTIA ex Anagallide flore phœniceo, Hyperico & sanguine asini, cum qua b. D. *MICHAELIS* curavit Maniacos catenis constrictos. Videmus in *HARTMANNI praxi Chymiatrica* DECOCTUM anagallidis flore phœniceo commendatum ad *Manias*. Curam ita instituit: præmittit vomitorium ex infuso antimonij postea per aliquot dies utitur solo decocto Anagallidis cum successu. Habetur enim in *MYNSICHT* Tinctura Hyperici, cujus basis est hypericum & anagallis, ad dementiam. It. in *ROLFINCKII Chymia* contra *Maniam*. Et certum est, non dari meliora simplicia contra maniam, quam anagallidem flore phœniceo & hypericum. Cæterum ad Essentiam anagallidis assumitur sanguis asini, tempore verno post aures extractus, certo experimento contra maniam. (In *HARTMANNI praxeos Chymiatricæ c.3. p.53.* reperitur descriptio,) infundunt in potum ægri: Ego præferrem extractum & essentiam. Sed non tantum in *Mania* & *Melancholia* prodest anagallis, verum in quocunque delirio, sive sit in *febribus ardentibus*, sive *malignis*; quod ipsum docuit nos *GABELCHOVERUS Cent.*. *cur.* 13. *p.m.*46. Dum vocatur [Drundheil,] hoc indigitatur, quod nimirum sit singulare vulnerarium in vulneribus recentibus, quod experientia *POTERII Cent.1. cur 1. & 7.* docuit Idem in *Pharmacop. Spagyric. cap.12.* dicit: Decoctum Anagallidis fl. phœniceo dolores ulcerum inveteratorum compescit, qui urgens symptoma calorem & convulsiones post se trahunt. Anagallidem cum floribus rosarum coquit, imponit, sicque curam facilitat. *SCHMUCK* in *Curat. Magico Magnet p.15.* ceu expertissimum specificum commendat Anagall. flor. phœniceo in quacunque *hæmorrhagia* compescenda sive appendatur scrobiculo cordis, sicque *mensium nimium fluxum* certò sistit, sive manu detineatur, ut incalescat, & sic etiam sanguinis ex venâ sectâ fluxum compescere perhibetur, (idem de usnea cranij humani pollicentur,) magnum sanè postulatum, de quo tamen experientia consulenda *MYNSICHT* eandem Anagallidem habet pro singulari *cephalico*. Hæc de *Terrestri*. Sequitur.

XXVIII. ANAGALLIS AQUATICA.

Anag. aquat. { Latifolia. { folio subrotundo. { major, C. B. 1. / minor, C. B. 2. } *Hæ usuales, & præcipuè minor.* / folio oblongo. { major. / minor. } / Angustifolia. }

Dicuntur Beccabunga, Betula, Sium aquaticum, Laver. German. *Bachbungen, Wasserbungen.* Cresson aquatique, Laberle.

Crescunt in rivulis. Florent Maio, & Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia, vel integra planta.

Vires. Calfac. moderatè humectat. Vsus præcip. in scorbuto: urinam, calculum renum & vesicæ insigniter expellit, menses ciet, fœtum mortuum ejicit. Extrinsecus opitulatur phlegmoni & Erysipelati [hæmorrhoidibus cæcis dolorosis, & condylomatibus,] maculas faciei abstergit (cum furfure.) Vulneribus medetur (cum Sal. com. & tela aranearum impos. [& ulceribus tibiarum scorbuticis.]

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex planta integra, vel succo ejus expresso.
2. *Succus.* Expressus & inspissatus: qui rarò extat.

[Syrupus antiscorbuticus locis maritimis prostat.]

AQUATICA seu BECCABUNGA. *Major* & *minor* aliàs satis nota, & usitata ex hac folia, imò integra planta in *Scorbuto*. Certè singulare est antiscorbuticum, cumque aliæ plantæ antiscorbuticæ omnes sint plenæ Salis volatilis acris, hæc præ illis hoc peculiare habet, ut sit sapore moderato seu temperato & non excedat; & propterea in iis commendatur, in quibus acria, quando effervescunt cum acido scorbutico, phlogoses excitant & varia symptomata: permista enim plantis antiscorbuticis illarum acrimoniam, cum non excedat, temperat, & dum temperat, præcavet symptomata.

Vlcera itidem & *Erysipelata scorbutica* compescit. Succus hujus expressus cum lacte vel sero lactis caprilli, quod omnibus lacticiniis præripit palmam, in scorbuto est egregius. Hæc de usu interno: *Externè* in Erysipelate, scorbutica ulcera maligna progignente, prodest in balneo, vel si imponatur cum nasturtio aquatico. Sic etiam maculas scorbuticas in cute adhuc hærentes provocat, si illà fricentur, vel contusa applicetur. Fit nonnumquam, ut *Scorbuticus* adveniat *tumor pedum*, ubi decoquatur Beccabunga & foveantur illa pedes: vel contusa applicetur pedibus tumentibus: sicuti etiam contingit, ut per partum difficilem intumescant nutricibus inguina & gangrænam dent, qualem observavit *RULANDUS*; ubi itidem hæc beccabunga commendatur applicata cum chamomilla vulgari, vel contusa in forma cataplasmatis, vel decocta cum fomentis. Juxta usum in scorbuto commendatur hæc anagallis aquatica, etiam BERULA dicta, ad *calculum renum*, proventum illius præcavet, renes abstergit & urinam blandè movet: Constat namque sale vol. temperato, adeoque temperata est in omnibus actionibus.

XXIX. ANETHUM.

Ἄνηθον, ἄνηκηθον, *Dill. Dillenkraut.* Aneth.

Aneth. { Hortense, *hoc usuale.* / Sylvestre. }

Insignitur Anethum, *Brunsf. Trag. Matth. Fushc. Dod. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Cam. Ger.*

Crescit loco arenoso & aprico. Flor. Iun. Jul. August.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores & Semen.

Vires. Calef. in princ. 3. sicc. in princ. 2. (radix calf 3 sicc. 2. complete) disc. maturat, lenit dolores, auget lac, conciliat somnum, venereos appetitus minuit, singultui vomituique medetur: Et hæc omnia præstat usu & interno & externo. In primis tamen extrinsecus Clysteribus anodynis immiscetur, capitisque cataplasmatis, anodynis & & somniferis (summitates cum oleo olivarum coctæ.)

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex integr. planta (rari usus est.)
2. *Oleum insolatum.* Ex fol. & flor.
3. *Ol. stillat.* Fit ex semine.

ANETHUM, Culinis & officinis nota planta; Folia, flores, qui umbellati, & semen primariò usitatum, estque aromaticum, dum constat sale volat. acri & oleoso, cujus ratione est egregium carminativum, & convenit contra flatus, quando temperat moderatè acidum horum affectuum autorem. *Carminativum* est, uti dico, & flatus discutiens, unde folia & flores solent usitatè misceri Clysteribus carminantibus & anodynis. Extrinsecus fl. & folia solent coqui in *pediluviis* pro conciliando *somno* & sedandis *capitis doloribus* per consensum cum inferioribus, & ubi intestina affligunt flatus. SEMEN & FOLIA sunt *uterina* & *urinam* & *menjes provocant* & utrumque simul expurgant. *Summitates* seu *FOLIA* suprema anethi cum floribus sunt usitata in cataplasmatis contra *catarrhos* & *capitis dolores.* Aqua rari admodum est usus. oleum tam per *infusionem* quam *stillatitium* usus est egregij. oleum Anethi carminans est & *anticolicum.* Applicatur capiti externè pro conciliando *somno.* Stillatitium commendatur, si misceatur cum unguento Alabastrino & inunguntur tempora pro somno suscitando. Notetur tamen quando debet esse somniferum, ut sit recens, aliàs quando vetus est & rancorem acquisivit, conciliat potius vigilias.

XXX. ANGELICA.

Hortensis seu sativa. Costus niger. C. B. 1.

Sylvestris { Major, C. B. 2. / Minor montana. C. B. 5.

Ex his in usu est prima; nec contemnenda tamen est secunda.

Prima dicitur Angelica, *Brunsf. Lob. Cast. Tab.* Angelica major. *Dod.* Angelica sativa, *Trag. Matth. Dod. Lon. Ger.* Angel. odorata, *Cam.* Smyrnium, *Cord. in D.*

Secunda describitur sylvestris major, C. B. 2. Angelica syl. *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Lob. Cam. Ger.* German. *Angelickzvvurtz, geilgen Beislvvurtz, Brustvvurtz, Engelvvurtz*, Angelique.

Crescit sativa locis cultis, humidis ac pinguibus; Sylvestris major humidiora amat prata. Minor locis montanis, opacis & numerosis gaudet.

Floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Radix colligenda initio veris.

Vires. Bezoardica & cordialis nobilissima est. Cal. 3. (sy maj. 3.) sicc. 2. aper. atten, sudorifica & vulneraria est: menses movet, fœtum expellit, suffocationi uteri maximè conducit, malignis morbis, Venenis, ipsique pesti medetur: Venena omnis generis per sudorem pellit, adeoque usu interno præcipuè, tum& externo adhiberi apta est. V. g. ad arcendam pestem (in amuleto, in sublingualibus) ad morsum canis rabidi, in cataplasm. &c.

Dosis Drach. j.

[Semen inter Apophlegmatizonta recensetur.]

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex integra planta.
2. *Succus.* Ex radic. recent.

N. Potest & ex siccis radic. mediante coctione elici.

3. *Extract.* Fit cum Spir. Vin.

Dosis à Scrup. ß. ad Drach. ß:

N. Quercetanus extrahit cum Spir. Juniperi, hydromelite Vinoso, &c. *Vide Pharmacop. rest.*

Condita radix, l. a.

5. *Oleum stillat.* Ascendit cum Aq.
6. *Balsamus* l. a. cum oleo nucistæ præparato fit.
7. *Sal com.* Ex incinerata vel integra planta vel *Capit. mort.* in destillatione remanente.

N. His adjungi potest rad. præparata quam dicunt, id est, in aceto macerata. Verum enim verò quis dubitat, infusione hac magnam virium partem menstruo communicari, adeoque radici decedere.

ANGELICA. Hæc apud nos non crescit, sed ex montibus Helvetis in copiâ affertur. Germanis audit [die Brust. Murtz] quo innuitur, quod Tussientibus & Asthmaticis conveniat; usitata est RADIX, cujus sapor & odor est acris & penetrans; unde patet, quod sit aromatica, (Nam omnes plantæ & radices, quæ habent odorem suavem & acrem, sunt aromaticæ, vel Sale volatili acri & oleoso impregnatæ) & hinc carminativa. Notum etiam, quod sit alexipharmaca in morbis malignis quocunque usu, imprimis oleum, sudorem ciet & malignitatem simul, si qua subest, expellit.

Est præterea *uterina.* Suffocatio enim uterina muliebris est quasi excedens colica virorum, ergo & huic medetur. Extractum usitatum, & ex hoc fiunt PILULÆ sudoriferæ in *peste*, dum illi admiscentur pulveres Bezoardici minerales, Joviales.

Ex oleo. *stillatio* cum saccharo fiunt *rotulæ antipestilentiales*, quæ teneri possunt sub lingua, pro præcavenda *peste.* Ex hoc cum oleo. Moscatæ expresso fiunt balsama contra *colicas* infantum. Hinc ad aliquot guttas additur clysteribus Anti-colicis. Prodest itidem contta *cardialgiam* & *inflationem stomachi*, quando inungitur scrobiculo cordis.

Sal Angelicæ est *Diureticum*, vel potius *sudoriferum.* Sunt, qui ceu secretum obtinent ad arcendam & abigendam ebrietatem, si particula radicis angelicæ ad magnitudinem fabæ comedatur. De quo experientia consulenda. Odoris, ut dixi, est suavis & aromatici, unde Helveti, quibus nativa est, referunt, quod si radix, quæ adhuc hæret in terra, lædatur, exsudet Gummi, quod Moschum redoleat.

XXXI. ANISUM.

Ἄνισον, ἄνισον, Anisz. Anis.

[Dicunt absynthium dulce, Cuminum dulce, Anicetum.]

Gaudet loco optimo & stercorato; seritur mense Martio, floret Julio, semen maturescit Autumno.

OFFICIN. NAT.

Semen, rarò *Herba.*

Vires. Calf. sicc. 3. recens mitius est, atten. discutit, diureticum est, lac auget, pulmonicum ac stomachicum inprimis audit: Hinc usus præcipui in inflammatione ventriculi, &c. Infantibus Scrup. j. exhibitum blandè per inferiora ac superiora saburram ventriculi intestinorumque ejicit.

PRÆPARATA.

1. *Confectio* ex semine fit.
2. *Confectio Anisi laxativi simplex.* Fit scammonij cum saccharo mixtione, vel maceratione anisi in Aq: in qua scammonium fuerit dissolutum.

N. alij in infusione antimonij anisum conficiendum macerant.

3. *Confect.*

3 *Confect. anis. laxat. composit.* Vide August.
4. aq. *destill.* Ex herb. semine
5. aq. *vita Anisata.* Ex semine cum Vino destilletur. Vide lib. 2. de spiritu.
Fieri itidem potest spiritus, si remanentia ex destillatione aquæ residua cum fæcibus cerevisiæ fermentetur, vel simili.
6. *Oleum stillat.* cum aq. ascendit.
N. 1. *Ex* anis o stillat aqua lactea, quæ calori solis exposita copiosiùs oleum ad superficiem mittit.
N. 2 *Anisum diu macerare oportet. Sic dat.* ℔j. *olei* ℥. ß.
N. 3. *Anisi* destillatio lento igne peragenda est, quia nimirum volatilior illa pars facilis est accensu.
7. *Sal.* Ex incinerata planta vel remanentia destillationis.
8. *Species Dianis.* Vide Disp.

ANISUM. Cujus semen apud nos usitatum, cum multa in hoc latitent arcana practica. Herba non admodum est in usu. Sapor seminis correspondet cum sapore angelicæ: adeoque est aromaticum & carminans. A mulieribus expetitur, quia *lac nutricum auget*, illudque emissum anisi odorem spirare facit. In *tormentibus infantum* ex pituita viscida & acidâ nihil melius est quam anisum, flatus discutit, tormina sistit, & stomachum corrigit; Et *HEURNIUS* nihil melius pro laxandis infantibus inveniri asseverat, quam semen anisi pulverisatum grosso modo & ad ℈j. propinatum; purgat, discutit flatus & tormina aufert. Cumq; nutricibus etiam magna impendeant mala ex lactis coagulo in mammis, scirrhi & cancer,&c. Illa præcaveri possunt semine anisi, quod impedit coagulationem; Pectorale est insigne: Unde in *Tussi & Asthmate* valdoperè laudatur. Imo sunt, qui dicunt *HELMONTIUM* singularia præstitisse in affectibus pectoralibus cum aliquot guttis ol. anisi destillati, rectificati & super fl. antimon. fixos leni digestione impraegnati. Hinc acquirit colorem rubicundum. Estque egregium pectorale, adeò ut in pilulis pectoralibus præscribatur, ut fiant cum ol. destillato seminis anisi. In albo mulierum fluxu affectu satis molesto semen & ol. anisi destillatum commendatur. Unde sunt, qui solvunt aliquot gr. Zibethi & Moschi in ol. hoc, inungunt umbilico & pro remedio præsentaneo in *colica* venditant. (ZIBETHUM umbilico in Colica inunctum fuit secretum *PARACELSI*) Chirothecæ dicto ol. inunctæ suavem acquirunt odorem diuque illum retinent. *Petrus Joh. FABER in suo Myrothec. spagyr.* habet *Essentiam anisi* elegantem Ex succo per fermentationem facit spiritum & elicit sal. volatile, quod postea in ol. abit, & in affectibus infantum multum præstat De ol. destillato adhuc noto, quod sit singulare & expertissimum contra *contusionem & suffusiones sanguinis in casu ab alto.* vid. *FORESTUS lib.* 9 *Obs.* 31. qui pro indubitato habet ex percussione & casu ab alto, si inungantur partes læsæ: In primis quando infantes, qui ingressum tentant & cadunt, adeoque nares & frontem lædunt, illo inunguntur, subito tumor disparet sine noxâ subsequente. Ex hoc ol. cum corpore pro Balsamo potest fieri egregius balsamus contra tormina infantum umbilico inungendus. Post anisum sequitur

XXXII. ANSERINA.

Argentaria, Argentina, *Dod.* Potentillia, *Brunsf. Matth. Lon.* Agrimonia sylvest. Anserina, *Trag. Tab.* German. *Grensich*, *Gensеrich*, *Grünsing. Silberkraut*, Argentine, Anserine.
N. *Est sine sapore & odore*
Crescit passim herbosis in locis, pratis iuxta sepes & vias. Floret apparente æstate, quo tempore & colligi apta est.

OFFICIN. NAT.

Folia, vel integra planta.
Vires Refrig. moderatè, sicc. fortiùs, astring. constipat. Hinc sanguinis expuitioni medetur, diarrææm ac reliquos alvi, tum & uteri fluxus compescit: hæmoptoïcis & hæmorrhoïcis subvenit: renum calculum insigniter atterit: vulneribus insuper admodum conducit. Externè famosa est in doloribus dentium mitigandis, putredine gingivarum arcenda, æstu febrili sopiendo, quem potenter compescit, si cum sale & aceto contusa plantis pedum supponatur; vel carpis applicetur.

PRÆPARATA.

1. aq. Ex planta integra.
2. aq. Ex floribus.
3. *Conserva.* Ex floribus.

ANSERINA. Herba denominata ab Anseribus, qui ejudem pastu valdoperè delectantur: Planta est colore luteo,& ubi anseres sunt obvia; renascitur enim ex stercore aserino secundum circulum naturalem. *Folia & flores*, imò *integra planta* est in usu. Vulneraria est insignis; Hepatica præterea nobilis, pellit urin. & specificè commendatur ad *Icterum* flavum, quem per urin. expurgat, & dum pellit urin. commendatur ad *hydropem* ascitem valdoperè. In *æstu febrili* sopiendo, contusa anserina cum sale & aceto applicatur plantis pedum: quod etiam facit sedum majus cum fermento,aceto & sale communi, *deliria* sopit & ardorem compescit. Ex hac etiam præparatur singulare contra *calculum* renum, de quo vid. *POTERIUS in pharmacop. Spagyrica p.* 12. ubi simul dicit, quod sit singulare contra calculum. Sunt, qui pro arcano habent sequentem potionem contra calculum.

℞. *Argentinę seu anserinę viridis M.* iv.
*secalis viridis M.*ij.

exprimunt succum & addunt vinum rubrum ad pondus omnium, mixturam filtrant pro una dosi in aurora primi diei Maij sumendam: & dicunt si tribus annis continuis 1. die Maij hoc repetatur, quod per totam vitam quis, Deo gratiam concedente, sit futurus immunis. Videtur quidem adesse superstitio quod 1. Maij diem, sunt tamen, qui dicunt fuisse *TIMÆI* secretum. Herbæ colligantur ante solis exortum,& 1. die Maij, dum adhuc irroratæ sunt rore maïali.

XXXIII. ANTHORA.

Anthora *Matt. Lon. Cast. Cam.* Anthora, *Lob. Tab. Ger.* vulgaris, *Clus. hist.* Aconitum salutiferum, seu Anthora, C. B. 17. Napellus Moysis, Avicennæ, aliis Antithora (quòd Thoræ pharmacum sit, *Heilgifft*, *Gifftheil.* Authore. [Ital. Zedoaria d'Avicenna.]
N. Sunt qui radicem Contrayervam faciunt Germanicam: alij Zedoariam Arabum, Avicennæ scli. & Serapionis: vide Tabern. Herbar. lib. 1. qui posterius mordicus asserere nititur
Crescit in Alpibus Helveticis, in Sabaudia,&c.

OFFICIN. NAT.

Radix.
Vires.Saporis amari est, calfac, & sicc. cardiaca est: atten. aperit. absterg. Usus præcipui in morbis, ac ictibus venenatis, pesti specificè adversatur, & peculariter Radici Thora.
Dosis à ʒ. ß. ad ℔. j.
N.Educit insuper mucilaginemTartaream ac acquosam per alvum.

ANTHORA, Hujus flos utut conveniat cum flore Napelli, tamen tanta inter has plantas est inimicitia,ut juxta se satæ una intereant: Et propterea nostra vocatur *Anthora*, *Napellus* verò Thora. Audit aliàs aconitum salutiferum, Napellus aconitum lethiferum seu venenosum. Rari apud nos est usus, *GESNERUS lib.2. Epist.*51. eleganter describit hanc anthoram, quod habeat duos bulbos exiguos ut Napellus, qui sint albi & gustatu amari, non vero erodentes ut Nappelli, ex his unus fit junior & solidus, alter vero senior & marcescat? Item quod ei insit

insit mirifica vis contra omnia fermè venena, non solum Napelli, sed etiam pestifera: & simul calculum renum pellat. Sed ut dixi rari est usus, & propterea diutius hîc non moror, sed progredior ad

XXXIV. ANTIRRHINUM.

Ἀντίῤῥινον, ἀνάῤῥινον. Antirrhinum. *Matth. Dod. Lob. Tab.* Antirrhinum majus alterum folio longiore, C B. 2. [os Leonis aliis] German. *Orant, Dorant, Brakenthaupt, Kalbsnasen, Vnnskopff.* Antirrhinon: Musle de Veau, ou mousson violet.

Crescit locis sabulosis. Floret Maio Iunio.

OFFICIN. NAT.

Herba integra, i. e. folia cum floribus ac gemmis ramusculorum, quæ repræsentant caput vituli.

Vires. Rari usus est in Medicina, nec adhibetur nisi à mulierculis contra spectra, incantationes, veneficia, &c. idque tam præservandi quàm curandi intentione utrique satisfacit appensione, fumigatione, suppositione, oppositione, balneatione, Vide Carrichter in herbario. [Scorpionibus contrarium dicitur.

Antophylli, vid. Caryophylli.

ANTIRRHINUM, Est rarissimi usus, nihilominus contra *incantationem* & *veneficia* commendatur, ipsis etiam *DIOSCORIDIS* temporibus, atque tam internè adhibetur, quàm externè applicatur. Videatur *SCHMVCK in Curis Magico Magneticis pag. 26. TABERNÆMONTANVS* ex *MATTHIOLO* refert historiam, quæ confirmat vim antirrhini contra incantationem, (ad castelli ostium catenis constrictus aderat canis, ne extraneis Ingressus liber esset. omnibus tamen cane non amplius latrante facilis erat aditus, Inde illius domus Dominus suspicatus est ne à venefica canis fascinatus fuisset, cum tamen nullum veneficij vestigium observasset, jussit, ut servus quidam in canis casulam antirrhinum immitteret quo facto latratum recuperavit) Aliàs de morbis ab incantatione curãdis nullus auctorum melius scripsit quam *CARRICHTERVS* Conf. *Iob. LIBAVLTIVS in Thes. Pauper. Petr. HISPANI.* Post *antirrhinum* sequitur.

XXXV. APIUM.

Apium Σέλινον, *Eppich.*
- Macedonicum. *Vide Petroselinum Macedonicum*
- Verum seu hortense. *Vide Petroselinum officinarum.*
- Palustre. Apium officinarum: *de quo hic.*
- Montanum. *Vide Petroselinum montanum.*

Dicitur Apium, *Fuchs. Lon* Paludapium, *Tab.* Eleoselinum, *Dod. Lob.* Apium vulgare, *Trag. Braunes Peterlein, Vvasserpeterlein, Vvassermorellen, Vvassereppich, Vvassermack.* Persil. d'eau.

Crescit inter Becabungam: floret Iulio.

OFFICIN. NAT.

Radix & semen.

Vires Calef. & sicc. ferè g. 3. incid. aperit, unde & inter 5. radices aperientes recensetur. Vsus præcipuus internus, Vrinam & menses movet, calculum pellit [Hispani radicem mane diu mandunt.] Regium morbum solvit. [Masticatur ad odontalgiam. Semen efficacius est quam radix, annumeratur que seminibus calidis minoribus. Vtraque præcipuè internè usurpantur.

PRÆPARATA.

Aq. Ex caule, fol & floribus Iunio collectis.

[Unguentum ex apio paratur, mundificativum, in mammillarum tumoribus suppuratis egregium compertum.

APIUM. Cujus variæ, sunt species *Hortense* seu *Petroselinum commune*, & *palustre*, seu officinarum, quod hîc intelligitur; dicitur etiam *aquaticum* De hac planta usitatum *semen & radix*, quam inter radices 5. aperientes recensetur. Præter ea, quæ habet Auctor, est specificum Radix contra *redundantiam lactis* in mulieribus imprimis cum semine coriandri: Si enim repellere volueris lac, timendum, ne coaguletur. Fomentum expertum.

℞ *Rad. Apii* ℥j.
Sem. Cumini & Coriandri ana ℥ß.

Coque in sufficiente quantitate aquæ Menthæ & acet. destillat. Colatura. *D. S.* Stusserlicher umbschlag, quod cum linteo applicatur mammis aqu. apii cum aqu. menthæ destillata, mista, eodem modo lactis abundantiam coërcet.

XXXVI. AQUILEGIA.

Aquilegia, *Ageley, Ageleyen.* Ancolie.

N. Diversæ reperiuntur species florum colore, vel plenitudine distinctæ: Officinaria simplex illa flore cœruleo, C.B. 1. vel 8 intelligitur.

Dicitur Aquilegia, *Trag. Fuchs. Lon. Dod. Cam.* Aquileia. *Matth. Lob. Cast. Tab.*

Crescit sata in hortis, ac solo pingui: nonnunquam in locis sylvestribus incultis. Floret Iunio, & Iulio.

OFFICIN. NAT.

Semen, tùm *Flores & Herba.*

Vires Calf. moder. sicc. 1. aperit Epar & Lienem, ac in primis meatum biliarium, unde regio medetur morbo. Ciet urinam & menses, vulnera consolidat, ventris tormina sedat. *NB.* Semen in expellendis morbillis ac variolis usus mulierculis est creberrimi. [Ad vertiginem commendatur.] Extrinsecus frequens ejus usus est ad putredinem gingivarum scorbuticam emendandam, ulceraque oris fauciumque solidanda.

PRÆPAR.

1. aq. *stillat.* Fit ex fol. flor. ac radice Augusto collectis.
2. *conserva.* ex floribus, quæ rari usus est.
[Mel aquilegiæ utiliter paratur.]
3. *Acetum.* Ex infusione florum.
[Unguentum.]

AQUILEGIA Hæc varias agnoscit species, quarum differentia consistit in magnitudine florum & horum colorũ diversitate intelligitur hic & usurpatur *aquilegia flore cœruleo*, cujus *semen*, *flos* & *herba* usitata est, uti dicit *AVCTOR.* Semen contra *Icterum* flavum commendatur, egregiè enim expellit: unde etiam mulierculæ pro expellendis *variolis & morbillis* infãtum illo utuntur in nodulo cerevisiæ indito, vel etiã emulsione. Epellit etiam maculas scorbuticas Ex floribus cũ phlegmate vitrioli spiritu proprio acidulato fit elegans *Tinctura*. Et licet flores sint coloris cœrulei, nihilominus tamen tinctura elegantissimè rubet. Notetur enim, quod omnes flores cœrulei à liquore acido, acquirant colorem rubrum, ab urinoso viridem. Si spiritus vitriol. rubicunda fit tinctura; si spiritus urinæ viridis. Tinctura; hæc prodest in expellendis *Variolis & morbillis*, inque aliis malignis morbis multum præstat. Prodest etiam contra *Scorbutum*, dum expellit maculas. EMULSIO, quæ fit ex semine Aquilegiæ & Napi vel cardui benedicti optimè fit cum decocto ficuum, quod expertum est in *variolis & morbillis* infantum. Syrupus, qui prostat in officinis, prodest etiam in expulsione variolarum & morbillorum, item *febrium Petechialium* Externo usu commendantur flores aquilegiæ. In scorbuto oris fit unguentum ex aquilegia, hoc si misceatur cum sufficienti quantitate spiritus cochleariæ, egregium erit ad scorbutum oris, etiam ubi incipit oboriri gangræna gingivarum, [dic mundfaule:] vel potest commisceri (& specificè commendatur) cum Syrupo de rosis siccis, & eodem modo usurpari. Apud alios Tinctura Laccæ est usitata, quam descriptam habet *MYNSICHT*, & quam B.D. *MICHAEL* pro expertissima communicavit; si misceatur cum Tinctura hâc aquilegiæ, cõtra scorbutum oris evadet egregia. *Flores aquilegiæ* commendantur contra *Veneficia*, noviter nuptorum imprimis, quæ præservant & curant, adeo ut *HARTMANNVS*

MANNUS decocto florum aquilegiæ lavet membrum virile, & poſt lotum facit ſuffimigium eidem membro à dentibus hominis mortui, ſicque potentem reddat in exercitio venereo virum. Plantæ hujus occaſione paucis enarrabo ſimplicia contra veneficia, quoniam non ubivis ſunt obvia. Primas tenet HYPERICUM, dicitur etiam *fuga dæmonum.* ARTEMISIA RUBRA, HERBA PARIS, BRYONIA, ABROTANUM, mas imprimis, Herba MOMORDICA.PLANTAGO ACUTA, ALLIUM, SORBUS, ORIGANUM FOLIA & FLORES aquilegiæ. Grana pœoniæ. ANTIRRHINUM, *Adianthum & Trichomanes.* RADIX CAVA *Ptarmica* auſtriaca, Omnes hæ plantæ debent colligi, quando ſunt in ſummo vigore. Præter hæc uſitati viſci, in ſpecie viſcum Corylinum. Quercinum vel etiam lignum quercinum, lignum Tiliæ, Filix, qui creſcit ſub betula. Viſcum Tiliaceum, ſpecificum contra Epilepſiam infantum. *Morſus Diaboli*, Ricinus & Ariſtolochia rotunda, coralia rubra & alba. D.coralliis & ſimilibus vid. *HELMONT. in Tr. injaculatorum modus intrandi* §. 7. & *ſeqq. Verbena* & *Rhamnus.* Si corpus inungatur felle corvi & oleo Jaſmini, probatum in curandis à veneficio morbis. Secundina primipara. Dens hominis mortui; aſa fœtida, ex qua habet Emplaſtrum fœtidum *MYNSICHT* contra veneficium in armamentario. Tinctura corallorum cum eſſentia hyperici, & decoctum antirrhini cum ſemine hyperici & pyrolæ. Stercus proprium loco dolenti impoſitum vel cum allio, probatum. In *Heinrici ab HEER* obſ. proſtat unguentum contra veneficia ex viſco corylino cum adipe canis, urſi & caponis. Si ulcera facta per veneficium, laudatur ſtercus proprium impoſitum, & hinc in veſica in fumo ſuſpenſum, (urget ſitis contra quam ſitim convenit & incantatio.

XXXVII. ARISTOLOCHIA.

Ariſtolochia *Oſterlucey*, *Hollwurtz.* Ariſtolochie, du Mouſſon.

Eſt { Longa, de l'Ariſtolochie ou Sariſine Longue. / Rotunda (à radice rotunda,) ronde. / Clematitis. / Piſtolochia. }

Ex his officinales ſunt longa & rontunda. Verùm de (rotunda) notandum, quod officinis fumaria bulboſa illius loco uſualis ſit, quam vide ſuo loco.

Indigitatur Ariſtolochia longa, *Dod. Cord. in D. Lob. Cluſ. hiſt.* Ariſtolochia longa vera, *Cam.* C.B.3.

Rotunda vocatur Ariſtol. rot. vera. *Trag. Lon. Cam.* Ariſt. rotunda, *Matth. Dod. Cord. in D. Lob. Caſt.* 1. Ariſtolochia rotunda, flore ex purpura nigro, C.B.1.

Utraqua colitur in hortis: floretque potiſſimum Maio, & Junio.

OFFICIN. NAT.

Rotunda radix ſola. *Longa radix & Folia.*

Vires. Utraqua Cephalica, Epatica & Pulmonica imprimis eſt: calf. & ſicc. 2. completè: atten. aperit. Hinc prodeſt ad Tartaream mucilaginem reſolvendam expectorandamque; ad menſes ciendos, tumores internos rumpendos, venena diſcutienda. Inſuper *Longa* infuſio ad ſcabiem exſiccandam vel vulgo hic uſitatiſſima eſt. Extrinſecus adhibetur uſu creberrimo ad exſiccanda & mundificanda vulnera

Rotunda *tenuiorum eſt partium quam Longa, adeoque efficacior, & imprimis menſibus ac ſecundinis ciendis celeberrima: Calf. & ſicc.* 3. *aper. attenuat.*

PRÆPARATA.

Aq. Ex integra Ariſtol. longa, i. e. foliis ac radice.
[Extractum rotundæ etiam utile.]
[Tinctura Balſamum Vulnerarium ingreditur.]
Ariſtolochia fabacea, vide Fumaria bulboſa minor, radice non cava.

ARISTOLOCHIA, variæ hujus ſunt ſpecies: in officinis uſitata LONGA & ROTUNDA. Ratio appellationis fundatur in radice, & longa eſt cava, vocatur *Clematiies* & *Piſtolochia.* Quod attinet uſum internum, utraque eſt imprimis vulneraria & longa magis quam rotunda. Pulvis vel extractum cum ſpirit vin. applicatum expurgat ulcera inveterata, ſordida & maligna. *Rotunda* verò imprimis eſt uterina: In *Epilepſia* per conſenſum uteri valdoperè convenit. *Rotunda* radix habet aliqualem vim purgantem Uterum præcipuè, Menſes Lochia & Secundinam ciet egregiè, unde admiſcetur reliquis medicamentis in uteri affectibus *FREITAGIUS in Aurora medica cap.* 22. dicit, quod puerperis ſit omnium optima & convenientiſſima, ἄριςον τῶν λοχίων quoniam hærentes Secundinas, Lochia & reliquias à partu ſoleat expellere. Et ex eo quoniam extrinſecus prodeſt in vulneribus, comendatur à *CARDANO* uſu interno contra phthiſin. *FABER in Myrothecio Spagyr. l.* 2. *p.*35. habet veram ESSENTIAM VULNERARIAM & EXTRACTUM ex radice Ariſtolochiæ & Symphyti majoris egregiam. *APULEIUS in lib. de virtutibus herbarum c.* 19. Ariſtolochiam tanti facit, ut aſſerere non vereatur, medicum ſine ea nihil feliciter curare poſſe, quod hyperbolen ſatis apertè redolet.

XXXVIII. ARMORACIA.

Raphanus ſylveſtris, Sinapi agreſte 3. *Trag.* Rapiſtrum albo fl. erucæ foliis, *Lob.* album, *Tab.* Rapiſtrum fl. albo, ſeu ſiliqua articulata, CB. 2. *Heydenreich*, *Wildmerrettich.* Reffort ſauvage, Racine de Paſſerage.

N. Sunt qui Lamſanam Dioſcoridis putant.

Creſcit in locis multis juxta rivulos ac in vallibus.

OFFICIN. NAT.

Radix ſola.

Vires. Galfac. & ſicc. mucilaginem tartaream incidit, attenuat, reſolvit, viſcera aperit, diuritica, lithontriptica & antiſcorbutica eſt

N. Lac imminuere dicitur

ARMORACIA ſeu RAPHANUS SYLVESTRIS. Hæc utut ſit diſtincta à Ruſticano, nihilominus uſus obtinuit in officinis & in praxi, ut confundantur, imprimis quoniam conveniunt in forma & virtutibus. Propterea ſemper retinetur *ruſticanus*, & quod dico de Armoracia, valet etiam de ruſticano, cujus ſapor penetrans ſufficienter monſtrat, quod ſit imprægnatus ſale volatili acri, quod expirat, quando à coquis tractatur & comminuitur, & illorum oculos mordicat. Unde quo diutius coquitur, eò magis perdit ſal volatile, quod exhalat. Et ratione hujus ſalis volatilis acris commendatur in ſcorbuto, eſtque unum ex famoſiſsimis antiſcorbuticis, quoniam acidum corruptum ſcorbuticum corrigit & præcipitat. Radix infuſa in vino, ſive ſola ſive addatur Baccabunga, Cochlearia & Naſturtium aquaticum: & novi hac militem reſtitutum: Et curatus hoc menſe hydropicus aſciticus ſcorbuticus cum tumore pedum & Tuſſi præmiſsis univerſalibus Radice Raphani ruſticani. Radix infuſa in vino & cum foliis naſturtij aquatici contuſa per agitationẽ in mortario ſubacta ſine liquore, & colatura hauſta per ſuperiora & inferiora evacuavit aquam, continuato hauſtu ad aliquot dies. In armoracia eſt vis provocandi vomitum, unde nec hic mirum videri debet. Poſt vim antiſcorbuticam juvat in *calculo*, dum acidum renum calculi coagulatorem corrigit, cumque ſit Diureticum, urinam ſtimulat & renes purgat. Præter hoc eſt egregium aperitivum, incidit craſſos, & fœculentos ſuccos fluxiles facit, vel ut

ut Paracelsistæ dicunt, corrigit Tartarum seu mucilaginem Tartaream. Prodest contra ariduras particulares, sive post vulnus sive sine manifesta causa, si cum spirit vin. infundatur & membra fricentur. Aliàs commendatur Spiritus formicarum terrestrium, vid. *VVüRZ in Chirurgia*, & *AGRICOLA in Chirurgia parva.*

XXXIX. ARNICA.

Crysanthemum latifol. nardus. Chalta 1. vel plantago alpina, *Lob.* Chalta alpina, vel Damasonium, *Tab.* Alysma Diosc. *Matth.* aliis Lagea Lupi. Germ. *Mutterwurtz*, *Wolverley*, Saxonibus Arnica

Crescit in montibus ac pratis, floretque per totam ferè æstatem.

OFFICIN. NAT.

Planta cum floribus.

Vires Calfac.& sicc. partium tenuium, sudorifica est & diuretica, nonnunquam & vomitoria. Proin Holsatos rusticos contra grumosum ac coagulatum sanguinem, vel & contra febrem in cerevisia coxisse, ac cum successu propinasse observavi.

[*Arnoglessum Plantago putatur.*]

ARNICA. Planta apud nos non usitata & exotica, de qua non memini aliquid me legisse.

XL. ARTEMISIA.

Ἀρτεμισία Diosc. Artemisia vulgaris major, C.B.1. Artemis. major. *Trag. Matth. Cord. in D. Cam.* Artemis. vulgaris, *Fuchs. Lon. Dod. Clus. h.* Artē Latifolia. Artem mater herbar. *Lob. Ger.* Artem. vulgaris & Artemisia altera polyclonos dicta, *Diosc.* Artemisia rubra & alba, *Tab.* aliis olus regium, herba regia, Germ. *Beyfusz*, *S. Iohannis Gurtel.* Armoise. Herbe de S. Jean.

N. 1. *Variat* colore tum caulis, tum floris: una caule & flore rubro purpurascente, seu subpurpurascente: altera ex viridi albicante, vel subpallente (*spadiceove.*) Hinc duæ figuræ Tab.

N. 2. *Utraque* etsi interdum inveniatur major interdum minor attamen viribus conveniunt.

OFFICIN. NAT.

Summitates cum semine incluso, quin & *tota herba*, eaque tum rubra, tum alba.

Vires. Uterina est, calf. 1 sicc. 2. aperit, discutit, menses, fœtum, secundinas pellit, sordes abstergit, adeoque usus creberrimi est mulierculis, quæ eam adhibent internè & externe, adeo ut vix balnea seu lotiones parent, in quibus artemisia non contineatur.

N. Rubra efficacior habetur albâ, proin & communior.

N. Sunt qui carbonem sacro Ioh. Baptistæ die sub radice fossum, ad Epilepsiam commendant. Exhibent autem tum in pulvere, tum suspendunt de collo.

PRÆPAR.

1. Aq. Ex summitatibus & foliis.
2. *Ol. stillat.* rarò extat.
3. *Syrup. Compos.* Vide Dispens. August. & Norib.
4. *Sal* Ex planta incinerata.

ARTEMISIA. Planta usitata, quoniam illa suffarciantur aseres assatæ. Hujus variæ reperiuntur species: Omnibus tamen præfertur ob caulem rubrum *rubra* dicta. Usitata est tota herba imprimis ubi densata. Et quod etiam *AUCTOR* habet, verè est uterina, *menses obstructos* ciet, uterum à materia fœculenta illam expurgando liberat, convenit in fœtu, lochiis & secundiana expellendis & similibus. Unde post partum *decoctum artemisiæ* laudatur cum semine Cicerum rubrorum, imprimis si misceantur & coquantur in aq. appropriata & addatur tantillum aq. Cinamomi. Item quando adhibentur balnea pro laxandis viis ante partum vix reperietur unum, cui non sit admista artemisia. Sacculus ex artemisia seu *fotus* usitatus. aq. & SYRUPUS, qui in officinis prostant, in quibuscunque affectibus uterinis commendantur sal. *fixum* ingreditur medicamenta Emmenagoga seu menses provocantia, si misceatur cum croco mart. aperitivo, vel fiat lixivium, quod infundatur limaturæ mart. ut rodat illum & det crocum aperitivum, qui prodest in provocandis mensibus. Dixi quod provocet menses, ubi tamen notetur aliquid singulare; quod habet *SCHMUCK. p. 56.* Quod si ab inferiore parte sursum versus decidatur artemisia, menses supprimat, sin vero à parte superiori deorsum versus, eosdem promoveat: Id quod etiam de purgantibus per alvum & vomitum monere solent. CARBONES, quorum meminit *AUCTOR* commendantur ad *Epilepsiam*, & ex experientia scio verum esse, quod semper putavi anile figmentum, vidi tales carbones, & infantem Epilepticum illis, cuspis cultelli quantum capit, curatum novi. Quæritur die festo Joannis Baptistæ, ab hora 12. ad horam primam & hæc dicitur arthemisia rubra. Legatur *PETRÆUS in Dissertat. Nosologicis.* Et probatos videmus in praxi *IOELIS cap. de Epilepsia.*

XLI. ARUM

Ἄρον, vit de prêtre, Verge d'Aron, Pied de veau.

Est vel { Foliis maculatis. / non maculatis. } *utrumque sine discrimine officinale est.*

Prius dicitur Arum maculatum, maculis candidis vel nigris, C. B. 2. Ari 3. genus, *Trag.* Arum nigricantibus lituris signatum, *Dod.* Arum, *Matth.* majus foliis aliis maculis notatis, *Cast.* Arum offic. *Lob.* A. maculatum, *Tab.*

Posterius vocatur Arum vulgare, non maculatum, C. B. 3. Arum *Brunsf.* Ari genus, *Trag.* Arum, *Fuchs. Cord. Lon. Tab.* vulgare, *Cam.* majus *Ger.*

Crescit locis pinguibus & campestribus. Folia erumpunt mense Martio, & flores Junio.

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ recens rari usus est ob acrimoniam summam, exsiccata autem crebrioris; Colligenda radix est cùm germinare Arum incipit, mense scl. Martio.

Vires. Calfac. & sicc. 3. Galeno gr. 2. (quod de Aro nostrate, quippe quòd acrimonia maxima & exulcerante sale piperino præditum, intelligi nequit.) Tartarum præcipuè primæ regionis, tùm quoque pectoris & pulmonum peculiariter incidit, resolvit & discutit. Proin usus ejus creber est in cachexia, asthmate, &c. hernias curat, ciet urinam obstructiones viscerum resolvit.

PRÆPARATA.

1. *Radix praparata.* Præparatur vulgò maceratione in Acet. stillat. atque exsiccatione.
2. *Facula.* Fit l. a. Vide lib. 2. Vide Disp. August.
3. *Pulvis Stomachicus Quercet.* Cujus basis est radix Vino præparata. Vide lib. 1.

[Arundo, sive canna, *Schilff.* pro lotionibus pedum in vigiliis puerperarum adhibetur.]

ARUM, Dicitur ita propter acrimoniam excessivam, ejus duæ sunt species; *Maculosum & non Maculosum*: Utrumque est officinale. *Radix* est in usu, & notum est abundè impregnatum illud esse Sale volatili acerrimo, nihilominus *folia & radix* si misceantur cum aceto, dant acetarium, (einem Salat,) mitescunt & acrimoniam perdunt, sicque diureticum evadit, quoniam eorum sal acre subigitur acido aceti: Item prodest in *casu ab alto*, dum solvit sanguinem congrumescentem: *HELMONT-*

MONT. vocat remedium magnum in casu magno. Stomachicum est singulare, quoniam incidit mucilaginem viscidam plicis adhærentem, adeò ut radix præparetur & vocetur radix absumens roborat stomachum læsum & mucilagine viscida, acida & pontica obsessum. Ex hoc fundamento procedit pulvis stomachalis *QVERCETANI*, dum rad. aron. pro basi agnoscit. Hinc singularis est in Scorbuto, cachexiis, asthmate & orthopnœa, utut raro adhibeatur. In asthmate & Tussi valdoperè prodest. Pulvis contra Tussim in frequenti & felici usu D. *HORNS.*

℞ *Fœcul. ari.* ʒij.
Antihect. Poter. ʒj.
sacchar. succinat. ʒiij.
M. F. pulvis.
[contra Tussim.

Aperitivum est singulare & obstructiones quascunque reserit. FOECULA nullius pretij; potius *Radix* usurpanda. In malo hypochondriaco prodest radix præparata.

Specificè in *febribus intermittentibus* quibuscunque commendatur, si assumatur tempore matutino, egregiè enim corrigit stomachum, sique subsunt excrementa effervescibilia ad excretionem illa disponit, quod verum est imprimis de pulvere. *Radix præparata* convenit in *quartana*, quæ rara admodum est in nostris regionibus absque conjuncto scorbuto.

ASPALATHUS.

Aspalathum lignum Græcis dicitur ἀσπάλαθος: aliis, manuducente *Bauhino incomparabili*, Erysi sceptrum, *Pinac. pag.* 329. Varia tradunt de hoc ligno *Dioscor.* lib. 1. 1. c. 19. *atque Plinius* lib. 22. c. 24. & lib. 24. c. 13. *Prosper Alpin.* Ægyptiis vocari scribit Aspalathum *Darsisahan*, pag. 117. *de Medic Ægypt.* illudque vidit & eruit copiosissimum prope *Fraschya* portum, pag. 57. *de Plant. Ægypt.* Bois d'Aspalathe.

Florum Aspalathi magna est suavitas, ipsa Planta frutex est densis, ramis, spinis albis, duris, horridis, cortice caudicis albo, ad trium cubitorum & plus altitudinem in altum assurgens. Ipsi flores, ut dixi, suavissimi sunt odoris, parvique & multi, teste *Alpin.* pag. 57. *de Plant. Ægypt.*

Usus hujus Ligni est in *Trochiscis Hedychrois*, ad confectionem *Theriacæ* adornandam, non tantùm apud *nos* ad *Andromachi* intentionem, sed & ad mentem & mores *Ægyptiorum.*

Ægyptiis enim *Trochisci Hedychroi.* halindaracorum dicti, parantur ex *Darsisahan*, cortice radicum aspalathi, non minùs ut *Andromachi* quoque illo ingrediente tumet. Ingrediuntur, inquam, ligna *Aspalathi* trochiscos Hedychroos & in Ægypto & in his oris, quanquam quoad cætera discrimen quoddam sit, ut ex sequent. videre est. Trochisci Hedrychroi *Ægyptiorum* componuntur ex *Darsisahan* aspalatho, *Cassabelderira* calamo aromatico, *Idum balassam* Xylobalsamo, *Chest mur* costo. *Assaro*, asaro? *Mu*, Mei rad. *Achaovan* Maro. *Mastich. Fecaharcher* flor. squinant. *Ravendi* Rhabarbaro, *Selica* Cassia, *Darsini* Cinamomo, *Sambulendi* spica Indica, *sadagendi* fol. Ind. *Mur* Myrrhæ, *Zaffaran* Croci. M. cum vino gran. & opobals. *Galenus* Trochiscos Hedrychroos componit ex *Maro, assaro, amaraco, aspalatho, Schœnanto, Calamo aromatico, Phu pontico, Xylobals. Opobalsamo, Cinamomo, Costo, Myrrha, Folio Nard. Indic. Croco, Cassi, Amom. Mastich.* vin. q. s. & ol. cariophyl.

In defectu autem *Ligni Aspalathi* hic *Augustani* substituunt non *Myrepsi* Meum, sed *Santalum citrinum.* pag. 398. *Dispensator.* aut ipsum *Lignum Aloës*, uti *Ægyptios* Aspalatho carentes herbam quandam substitueret scribit *Alpinus.* pag. 137. quæ sit hyperici species, seminis nigri subrubescentis, picem redolentis. *Renodæus* in confectione trochiscorum, hedychroorum *deficiente ligno Aspalatho*, sumpsit cum Augustanis Santal. Citrinum, quòd diversi diversa sentiant & scribant de Aspalatho, teste *Laur. Catelan.* Pharmacopœo Monspeliensi, in discursu Gallico, Des Ingrediens de la Theriaque, pag. 133. *Olaus Wormius* lignum *Aspalathum* exponit in *Musæo* diversum ab enumerato ligno Aspalatho Bauhini, qui legatur.

XLII. ASPARAGUS.

Ἀσπάραγος, ἀσφάραγος, Sprargen: Srarschen. Asperges, *Asparagus, Sparagus.*

Triplicis generis est, hortensis sativa, 2. sylvestris. 3. palustris. Ex his prior officinis in usu est. Cui substitui in defectu potest secunda, utpote quæ à prima non nisi sola cultura differt.

Dicitur Asparagus, *Brunsfels. Trag. Matth. Fusch. Cord. hist. Lon.* Asparagus, altilis *Fuchs. Tab.* Domestica, *Bellon.* Asparagus Diosc. Aspa. sativus, *Cast. Ger.* Aspar. hortensis, *Dod. Cam.* Asp. domestique, *Lob.* Asparagus sativa, C. B. 1.

OFFICIN. NAT.

Radix & Semen.

Vires. Radix est diuretica, lithontriptica, & ex aperitivis 5. illis famosis non postrema. Calfac. & sicc. moderatè discutit. Epar, Lienem præcipuè & Renes infractu liberat, ideoque in decoctis eò respicientibus frequentissima est. Externè adhibetur (in gargarismis) pro lenienda odontalgiâ & laxitate gingivarum.

Semen easdem vires obtinet, sed usus, est rarioris.

[*Frequentior Asparagi turionum esus urina mutat odorem.*]

PRÆPARATA.

Aq. Fit ex integra planta cum baccis rubris Septembri mense collecta, quæ super recenti herba rectificari potest, sed rari est usus.

Asplenum sive Ceterach, vide scolopendrium verum.

ASPARAGUS. Planta nota satis, cum ejus *turiones* soleant adhiberi in & cum alimentis. RADIX & SEMEN sunt in usu, frequentius radix, rarius semen: refertur inter 5. radices aperientes seu aperitivas, & habetur sic pro diuretico, lithontriptico, fœtum expellentes. Quod vix puto verum esse. Subitò tantum penetrat ad vias urinarias, unde post ejus esum solet mingi urina fœtida & graveolens, quæ etiam à Raphano obvenit & si quid facit, aperit vias primas, ut sequatur copiosæ urinæ aucta excretio. Cœterum cum reddat urinas fœtidas, indicium est characteris resolventis & separantis sal urin. volatile, sicque putredinem inducentis, cujus ratione disponit ad calculum. Exemplum habetur in *HELMONT.* tr. de *Lithiasi cap.* 5. §. 17. de ICto, qui ex nimio asparagi esu Lithiasin contraxit. Est ergo nocivuum iis, qui jam dispositi sunt ad calculum renum, quoniam separat sal urinæ: Unde fit, si accedat acidum peregrinum ex primis viis, ut illud coaguletur in calculum, adeò ut usus ejus in officinis sit jam etiam rarior. *MOEBIUS* refert in *Instit.* ubi agit de Asparago *p.* 664. ex *QVERCETAN.* in *Diæt. polyhist.* quod folia & flores in viris augeant venerem, in fœminis extinguant.

XLIII. ATRIPLEX.

Melte, Milte, Molte, Scheiszmilte Attoche. *Atriplex.*

Est { 1. Hortensis fol. ac caule { rubris. / viridis, albescentibus. / fuerint. / viridis nigris. } ; 2. Sylvestr. ; 3. Maritima. }

Hac præstantior reliquis est, licèt nec reliqua contemnenda

Alba nominatur Atriplex sativa, *Trag.* Atr. sativa alba. *Lob.* Atriplex, *Matth.* Hortensis, *Fuchs. Cast.* Atriplex sativa viridis, *Cord. in D. A.* alba viridis *Lon.* atriplex hortensis alba, seu pallidè virens, C. B. 1.

Rubra dicitur Atriplex rufo folio, *Cord. in D.* Atriplex hortensis, *Dod.* hortensis rub. *Lon.* Atripl. sativa, *Lob.* Atr. rubr. *Tab.* subsativa, *Ger.* Atr. purpurea grandis, *Cam.* Atripl. hortensis rubra, C. B. 2.

Locis gaudent arenosis, crescitque sylvestris passim juxta vias. Florent Junio, Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia, sylvestris præcipuè: hinc hortensis pallidè virentis. *Semen* rarioris usus est.

Vires. Refrigerant 1. humect. 2. leniunt dolorem: Hortensis insuper culinaris ac alimentosa est; sylvestris autem in solvenda alvo celebris.

Usus officinalis præcipuè externus est in clysteribus ac Epithematibus paregoricis; v. g. antipodagricis, tum quoque in lotionibus pedum somni causâ paratis.

Avellana, vid. Corylus.

ATRIPLEX. Vegetabile ubivis obvium & cognitum, vel *rubra* vel *alba* (in usu crebriori *folia*) *semen* rarò aut numquam; Est ex emollientibus & modicè discutientibus: Emollit & laxat, fœces induratas fluxiles facit, simulque flatus discutit. Unde in usu externo ingreditur cataplamasta emollitiva, quæ imponuntur tumoribus duris; In doloribus podagricis leniendis: In clysteribus emollientibus & anodynis, alvum duram provocantibus & moderatè laxantibus: Cum foliis vitis, herba anethi & chamomilla ingreditur *pediluvia* pro somno conciliando: Usus internus non est expertus nec cognitus.

XLIV. AVENA,

Βρῶμος, vel βόρμος. Avena, *Brunf. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Cast. Lob.* Avena sativa & prima, *Trag.* Avena vesca, *Lob. Ger.* Avena vulgaris seu alba, C. B. 1. Frumentum, *Cord. in* D. Germ. Habern. Avoine. Ital. Vena.

Avenæ semen culinare potius est quàm officinale; nihilominus tamen non exul prorsus est, sed adhibetur tum crudum, tum quoque in farinam redactam Crudum sacculo inditur, qui ventri optimè calefactus imponitur ad dolores colicos & uterinos leniendos. Farina avenacea cum butyro cocta, conducibilis est in scabie capitis exsiccanda, &c.

[*N. Avena* excorticata coq. in aqua quæ convenit in inflammatione, faucium raucedine, tussi contumaci.]

Farina decoctum quidam infantibus bibendum parant pro potu ordinario.]

[*Stramen in balneis vel lotionibus convenit in tinea, scabie fœda, ulceribus manantibus, lepra.*]

AVENA. Planta cognita, ex qua usitatum semen, quod utut sit culinare, nihilominus non caret usu medico, quando ex illo fiunt juscula, (quæ sunt succedaneum ptisanæ veterū, quo de vid. GORRÆUM *in Definitionibus Medicis*, quæ fiebant ex hordeo excorticatè.) Moderatè nutriunt, abstergunt & detergunt primas vias, simulque in illis acrimoniam humorum mitigant. Eadem in febribus sunt alimentum effervescentias temperans. In *raucedine, Tussi, exulceratione & asperitate faucium, oris aphthis* à Catarrhis seu Lymphæ aciditate, juscula avenacea sunt ex usu, quando lentam viscididatem lymphæ & catarrhorum temperant & corrigunt Usitatus SYRUPUS in officinis ex decocto crasso avenæ cum saccharo factus, qui vocatur Divi *LUTHERI* & commendatur in *Colica*, non quod Auctor ejus extiterit, sed quia illo usus est *LUTHERUS* creberrimè colicâ afflictus. Nam etiam *AUCTOR* dicit, quod sacculus ex cruda avena tepidè impositus tormina colica discutiat; melius tamen est, si contundatur avena & recipiantur partes ij. & addantur Bacc. Junip. & semen cumini ana part. j. & in sacculo interpassato applicentur abdomini. NB. Sacculi duo sint ad manus. Aliàs rari est usus avena.

XLV. MALUS AURANTIÆ.

Malus Nerantia, *Pomerantzenbaum.* Oranger, oranges aigres, douces. Viret per integrum annum. Videatur pomum Arantium, *Trag.* Aurantia mala, *Matth. Lon. Cast. Tab. Cam.* Aureum malum. *Clus. hist.* Arangia, *Cord. in D.* Arantia, *Lob.* Malus Anarantia, *Dod.* Arantia major, *C. B.* 1.

OFFIC. NAT.

1. *Poma* quæ simpliciter arantia, aurantia vel mala aurea, poma nerantia, poma arangiæ dicuntur: suntque tùm acida, tùm dulcia, tùm vinosa seu media.
2. *Cortices.*

Vires. Poma acida & vinosa præferuntur reliquis, easdemque virtutes habere putantur, quas citria mala, imbecilliùs tamen: *Cortices* calidiores sunt, ususque vulgaris in torminibus ventris colicisque (à flatu subortis) inque dysuria corrigenda. Quinimò & febrifugi comperti sunt subsequente sudore.

Dosis Scrup. 1. *ad Drach.* 1.

PRÆPARATA.

1. Aq: Ex floribus. Dicitur peculiariore nomine Nampha, Napha, Lausam, vel Angelica.
Vires. Promovet sudorem, adhibeturque in odoriferis, [& Epithemat. Cordialibus.]
2. Aq: E corticibus.
3. *Succus expressus.* Ex pomis acidis, qui tamen rari usus est.
4. *Syrupus.* Ex succo acido & sacchar. dimid. rari itidem est usus.
5. *Condit. cortices.* Ex corticibus recentibus (purgatis, amaroreque aliquantulum liberatis) & saccharo.
6. *Conserv.* Ex floribus asportatur ad nos ex Gallia, Hispania, Italia.
7. *Electuar. seu Gelatina arantior.* Ex corticibus exterioribus recent. (l. a. amarore suo exutis) coctis vel & contusis, & cum malvatico, saccharoque mixtis.
8. *Oleum stillatit.* è corticibus.
9. *Balsamus.* Ex oleo: ut alii Balsami.

[Extractum corticum etiam paratur.]

Unguentum aurantior. ℞. Pomum arantium acid. facto foramine, exprime succum, cum quo misce tantillum Theriacæ, croci & aceti: inde iterum pomo, ac coque sub cineribus: tandem exprime.

Vires. *Fugat* lumbricos infantum umbilico impositum, compescit æstum cardiæ inunctum, somnum blandè conciliat temporibus illitum.

AURANTIA MALUS. Fructus hujus omnibus notus, imprimis ex gratia saporis, odoris & coloris, quibus se commendat In usu est *pomum* & *cortex.* Poma sunt vel *acida* vel *dulcia. Dulcia* dicuntur SINESIA, utut nunquam viderint *Sinam.* CORTICES ut ab his incipiam, quod testatur & odor & sapor, ditati sunt copioso sale vol. acri temperato, pinguedine vel oleo Sulphureo, & ratione hujus sunt singulare *carminativum*, ut quoscumque flatus certò expellant, adeò ut etiam non immeritò medicamentis, pro flatuum discutione & temperando acido flatuum genitore admisceantur cortices aurant. unde Essentia vel Tinctura est usitata in torminibus Colicis, quod egregiè sistit. E. *HOFERUS in Hercule Medico p. m.* 131. habet Aq. flatus discussivam, cujus elegantis compositionis auctor fuit D. *MANNAGETTA*, quæ tamen indiget correctione. Pro basi agnoscit cortices aurantiorum: Correctum sic habet:

℞ *Corticum aurantiorum exteriorum* ℥ IV.
florum chamomillæ Romanæ M. ij.
foliorum menthæ crispæ M. j.
Herbæ absinthij pontici.
Radicis Angelicæ ana pug. I.
Seminis anisi, fœniculi ana ʒ IV. *vel* VI.
Sem. cumini præparat.
Baccarum Juniperi ana ℥ß.
lauri ʒ ij.
Radicis Zedoariæ
Cinnamomi ana ℥ß.
Macis ʒ ij.

pulverisata adspergâtur Sp. nitri qui optimum est carminativum, ℈ ij. vel ʒ j. etiam; Hinc affundantur vini Malvatici vel potius Sp. vini Malvatici lib. VI. stent per triduum in digestione, postea destillētur igne sensim aucto. Potest destillari per retortam, ut spir. nitr. melius

melius promoveatur qui hic magni momenti eſt, propter vim flatus diſcutiendi. Quidam medicus expertus habet pulverem ſingularem in Colica, qui pro baſi itidem agnoſcit cortices aurantiorum & cujus talis eſt compoſitio:

℞ *Corticum aurantiorum* ℥iß.
dentium inferiorum auratæ piſcis (vel in horum defectu, maxillarum lucij piſcis)
oculorum cancrorum.
Succini præparati
Talorum leporis.
Zedoariæ. ana ʒij.

Miſceantur Fiat pulvis, qui uſum egregium habuit in Colica curanda. In quibuſdam locis præſtat Aq. *ex corticibus aurantiorum* cum vino deſtillata, quæ eſt egregium remedium in ſuffocatione uterina; Nam certum eſt, quod in multis conſpirent hæc & colica virorum, modo non ſit unus idemque affectus. Interno uſu cortices proſunt ad curam *Icteri flavi*, in quo omnia proſunt, quæ conſtant ſale volatili acri, ad corrigendum rubicundum ſal vol. in Maſſa ſanguineâ, quod tum temporis eſt depravatum potius quam quod veſica fellea obſtructa. Præterea ex corticibus deſtillatur oleum quod expertum contra *ſtranguriam*, etiam *Dyſuriam*, ſive fiat *Elæoſacharum* ſive pulvis corticum & aſſumatur à ℈j. ad ʒß. Ex oleo Cort. aurant. deſtillato cum ſevo hircino fit unguentum, quo inungitur umbilicus in ſtranguria: Ratio hujus curæ deſumitur à conſenſu urachi cum umbilico & veſica. Vel etiam poteſt fieri linimentum ex oleo deſtillato corticum aurant. cum oleo carvi, aniſi & cumini, quod illitum abdomini expertum eſt & in Colica & in ſtranguria. Proſtat inſimul *Syrupus* aurantiorum, cui ſi addantur aliquot guttæ olei aurantiorum, proderit in ſuperius dictis affectibus: Qui ipſe Syrupus pomorum aurantiorum (uti & ipſa poma non minus aurantia quàm citria multum valent,) ſingulariter prodeſt in Scorbuto: Nam poma contra ſcorbutum commendantur, adeò ut ſolo eorum uſu quoſdam à ſcorbuto liberatos fuiſſe auctores teſtentur. Hinc etiam in Italia rarò affliguntur tam peregrini, quàm incolæ ſcorbuto propter eſum pomorum aurantiorum, quæ corrigunt efferveſcentiam ab acido ſcorbutico oriundam: Et quidem magis contra ſcorbutum proſunt dulcia quàm acida. Neapoli habetur Eſſentia *ex fl. aurantiorum* quam præparant Monachi, maximè pretioſa, coloris ſanguinei ſeu aurei & clari, Moſchum odore referens, eſt egregium confortativum, & adhibetur in deſperatis morbis cum ſummo ſæpe virium levamine.

In *SALÆ* ſcriptis Chymicis in Armamentario videmus Aq. per fermentationem Corticum aurantiorum Aliàs proſtat Aq. fl. aurantiorum Aq. *Nanpha* dicta, pro ſudore movendo, ut & pro ſapore & odore conciliando reliquis medicamentis. Sunt, qui parant ex fl. aurantiorum oleũ per expreſſionẽ, quod tamen aliquatenus adulteratur. ℞ Seminis Melonum bene contuſi part. 1. indunt ollæ vitriatæ & ſuperſpargunt fl. aurant. ſic faciunt aliquoties ſtratum ſuper ſtratum, & relinquunt ad aliquot dies, alio die abjiciunt flores, & ſuper ſemen novos inſpergunt, idque aliquoties iterant: Tandem indunt ſacculo linteo Aq. Nanphæ madecto, & exprimunt oleum, quod tamen non eſt ex ſolis floribus aurantiorum, ſed etiam ex ſemine melonum. Hoc modo exprimi etiam poteſt oleum ſuaveolentum ex fl. violarum. Poſt malum aurantium ſequitur.

XLVI. AURICULA MURIS.

Piloſella, piloſella lutea. *Mauſzœhrlein, gelb Mauſzahrlein Nagelkraut.* Oreille de ſouris, piloſelle jaune.

Eſt { Repens major { hirſuta. / non hirſuta. ; Erecta. ; Montana, hiſpida, ſeu hiſpidula, *vide. ſuo loco.* }

Præfertur autem reliquis piloſella major repens hirſuta C. B. 1. Auricula muris, *Brunſf Cord. in Dioſc.* Auricula muris minor, *Trag. Lon.* Piloſella. *Matth. Lob. Caſt. Tab.* Piloſella major. *Fuchſ Dod.* Piloſella repens, *Ger.* Piloſella major repens hirſuta, C. B. 1.

OFFICIN.

Integra *planta*, ſeu *folia*.

Vires. Calfac. & ſicc. 2. aſtring. abſterg. conſtip. ſternutatoria eſt & vulneraria (intus & extus adhibita) dyſenteriam, alvi, uterique fluxus ſiſtit, bilem æſtuantem ſedat, & incraſſat, hernias (infantum præcipuè) curat. Extrinſecus medetur ulceribus oris (in collutionibus) hæmorrhagiam narium ſedat (pulvis nari inditus.)

PRÆPARATA.

Aq. Deſtillatur in MB. ex integra planta collecta ſub fine Maij vel circiter.

AURICULA MURIS, ſeu PILOSELLA. Vocatur HISPIDULA ab auctoribus & imprimis *POTERIO* hoc nomine venit, qui magni illam facit in affectibus pectoris imprimis. Uſus piloſellæ *in vulneribus* curandis ab Auctore quidem omiſſus; Eſt tamen egregium vulnerarium, tam interno uſu in potionibus vulnerariis, quàm externo in Unguentis, Balſamis &c. vulnerariis. Hinc utiliſſima in affectibus pectoris, quando ſputum & lympham aſperam arteriam irrigantem nimis acidam ſolet corrigere & temperare. Item prodeſt in *calculo*, in quo commendatur à citato *POTERIO*. Dum eſt vulnerarium, ſolet exhiberi infantibus in pulticula & cibis, quando laborant *herniâ*: hanc enim corrigere dicitur. *Externè* in Gargariſmatis cum aliis Prunella, Salvia, &c. contra inflammationem tonſillarum, faucium exulcerationes, laxationem vulvæ, &c. adhibetur: per ſe aliàs rari eſt uſus.

[AURICULA URSI.]

Sanicula alpina, Lunaria arthritica Geſneri. *Beer Sanickel.*

Inter coronarias colore, magnitudine, numeroque florum varians.

Floret primo vêrè.

Vires. Herba eſt vulneraria, nec parum adverſus vertiginem illi tribuitur.]

B

XLVII. BALANUS MYREPSICA.

Βάλανος μυρεψική *Dioſcoridi*, Balanus myrepſica, *Cord. in hiſt. Tab. Ger. Bell.* Glans Vnguentaria *Matth. Cord. in D. Lob.* C. B. Granum Ben. *Lon.* Been parvum, *Monard. Arab.* Habel Ben. Fructus eſt arboris myricæ ſimilis, magnitudine avellanæ nucis, intus nucleum continens pinguem & oleoſum, veluti amygdalæ. Grains de Been.

Vires. Nucleus calf. 3. ſicc 2. tergit, purgat ſupra ac infra, educitque bilem ac pituitam. Curat ſcabiem, impetigineſque ſanat.

N. Meſue Been duplex facit, magnum ſc. ut avellana, quod Monardes avellanas purgatrices eſſe vult: & parvum ciceris magnitudine, ex quo oleum Itali conficiunt.

PRÆPARATA.

Oleum ex nucleis exprimitur, & ad nos transfertur, titulo olei Balanini vel de Been. Vide Auguſt.

Vires. Emollit, diſcutit, nutritium eſt, ſcabritiem, lentigines, aliaque cutis vitia ſanat, qualicunque tinnitui aurium ſubvenit (in litum auri.)

N. Oleum hoc quia ranceſcere neſcit, commiſcetur rebus fragrantibus, E. g. moſcho, zibettæ, coriiſque illinitur ad fragrantiam impertiendam. Alij tamen ejus loco adhibent oleum expreſsè nucleis ceraſorum, in quo ſolutum Benjovinum. Heurn. in meth. prax.

BALANUS MYREPSICA. Cujus fructus vocantur GRANA BEEN: de forma & virtutibus videatur post *TABERNÆMONTAN. Tom.* 1. *Theatri Botanici BAUHINI*: rarioris est usus, uti etiam oleum *expressum* raro adhibetur, quoniam est adulteratum, hoc tamen præstat, quod maceret & contrahat fl. Jasmini odorem suavem, quando ex illis oleũ paratur. Nam utut flores Jasmini suavissimum spirent odorem, nihilominus si destillentur, planè illum omittunt, & malè potius olent, ut ergo suavis odor possit colligi pro suffimigio chitorhecarum, propterea accipiunt nucleos Been, contundunt & exprimunt oleũ, quod recipiunt propter diuturnitatem, quia non facilè rancescit ut reliqua olea: alias per se nullius est usus. Observanda distinctio vegetabilium fragrantium: quædam sunt aquosa ut jasminum, narcissus, lil. convall. hyacinth. quædam sunt macra & aromatica, ut anisum, mentha, salvia: illa nihil odoriferum arte de se produnt, ergò per oleũ Been infundendo & stratificando aliquale oleũ, sed adulterinum elicitur: ex posterioribus vero vis eorum odorifera in ol. destillatum concentrari & elici potest.

Est planta in Iudæa reperibilis, quæ vocatur.

BAHARAS vel BAARAS JOSEPHI. De qua *JOSEPHUS* & *HORSTIUS Lib.* 1. *Dispens. part.* 1. *p* 3. qui dicit vix fidem mereri quæ *IOSEPHUS* de hac planta habet. Conf. *C. BAUHIN. in Pinace. p.* 511.

XLVIII. BALSAMUM.

Balsami planta frutex, seu arbuscula est, tres cubitos ad summum alta, folia alens rutæ foliis similia.

Dicitur Balsamum Syriacum rutæ folio, C. B. 1. Balsamum lentisci folio Ægyptiacum, *Bellon. obs.* Carpobalsamum veterum flavum. Carpobalsamum, & Cassamum verum, *Cord.* Germ. *Balsambaum*, l'arbre du Baume.

Nascitur sponte in Arabia Felici, unde olim in Iudæam, & hodie in Ægyptum translata, loco quodam occluso [Cayro vicino] quem Matercam vocant, colitur.

OFFICIN. NAT.

Fructus (*Carpobalsamum.*) Ramusculi (*Xylobalsamum*, Liquor Balsameus (*Opobalsamum*,) de quo vide Balsamum class. 2.

Fructus eligatur recens, plenus, ponderosus, gustu mordax. Ramusculi probantur recentes tenues, odorati.

N. 1. *Carpobalsamum* atque Xylobalsamum, quia non nisi in compositionibus quibusdam veterum adhibentur, prostant rarò, atque non nisi vetustate obsoleta, unde loco Carpobalsami Cubebas adhibere receptum est, loco Xylobalsami Lentiscum recentem: Xylobalsamum autem nostras, quo Mechâ Arabiæ Felicis asportatur, esse idem cum veterum, probat Petrus Bellonius in suis observation. lib. 2. c. 29.

N. 2. *est* & arbor quædam malo punica major, sponte in Nova Hispania nascens, ex qua elicitur Balsamum Indicum, seu Peruvianum. Vide infrà cl. 2.

N. 3. *Sunt* & arbores in Tolu Provincia inter Carthaginem & nomen Dei sita, pumilis pinis similes, ex quibus elicitur Balsamum de Tolu Monardes. *Vide infra cl.* 2.

BALSAMUM, vel est ORIENTALE vel OCCIDENTALE. Orientale ex *Siria* & *Palestina*, Occidentale balsamum *Peruvianum*. Tres subministrat species: Fructus, *Carpobalsamum*, rami, *xylobalsamum*, liquor, *opobalsamum*. OPOBALSAMUM est ingrediens Theriacæ pretiosum & rarum; Unde usus obtinuit, ut adhibeatur ad occidentale de Peru. Denique præter balsamum Peruvianum provenit quidam in insula TOLU, quod dat TOLUTANUM: de quo in parte 2. plura. Hoc saltim hic noto, optimè sentire *DÖRINGIUM in Tr. de Succino*, ubi non sine ratione innuit, succinum & ejus ol. optimè posse substitui loco balsami Orientalis & Occidentalis in compositione Theriacæ.

XLIX. BARDANA.

Major, *hujus loci.*
Minor, *loci sequentis.*
Kletten. Glouteron.

Dicitur Bardana, sive Lappa major. *Dod. Brunsf. Trag.* Personata, *Lon. Lob.* Personata major, *Matth. Cast.* Personaria, *Fuchs.* Arcium, *Cord. in D.*

Lappa major, Arcium, *Diosc.* C. B. 1. Germ. *grosz Kletten.*

Crescit passim juxta vias, & in Cœmeteriis. Floret Iunio & Iulio.

OFFICIN. NAT.

Radices, rarò *Folia*, rarius *Semen.*

Vires Siccat, est pulmonica (NB.) diuretica, diaphoretica extergens, subastringens. Hinc convenit in asthmate, calculo, exspuitione sanguinis, in vulneribus inveteratis, tumore lienis, aliarumque partium, in arthriticis morbis [quibus peculiari proprietate conferre statuitur.]

Semen insigne censetur Lithontripticum.

Extrinsecus imponuntur folia vulneribus inveteratis, articulis laxatis, ambustis, &c.

PRÆPARATA.

Aq. in peste usualis.

BARDANA seu LAPPA. Quæ in duplici differentia: est enim vel *major* vel *minor*, usitata utraque. I. Majorem quod attinet, observavi, quod soleat commendari radix imprimis in affectibus pulmonum. Unde etiam radix & flos, cum singularem habeant virtutem dissolvendi sanguinem congrumatum extravasatum & coagulatum, tam interno usu quam externo applicantur. *Radix* & *Folia* commendantur contra *pleuritidem*, aqua imprimis crebri est usus. Ad hæc convenit iis, qui laborant Hæmoptosi, aut quibus in phthisin aut Epyema degeneravit. Hunc usum in affectibus pulmonum sunt qui Lappæ etiam minori adscribunt, de quo tamen experentia consulenda. Diaphoreticum est, & Antiarthriticum, quod verum: In doloribus tam fixis podagricis, quam vagis, singularis sunt utilitatis folia Bardanæ: & vidi ego exẽplum, ubi quidam arthriticus hic recepit folia Bardanæ, modicè conquassavit, applicavit partibus dolentibus perque dimidij diei spatium immunis evasit. Tam in vaga, quam fixa prodest in arthritide & podagra. In usu horum foliorum externo observetur, quod non ultra dimidium diem sint relinquenda, aliàs adhærent cuticulæ, ut non posint avelli, nisi & hæc sequatur: Et quod notandum, facie versa folia debent imponi, id est ex parte sinistra modo prius sint contus. Hæc de foliis. *Semen* ad *calculum* specificè commendatur, & vel expellit si genitus, vel generationem impedit. Radix Bardanæ si plantis pedum alligetur, dicitur, quod quasi per diaphorisin sanet hydropicos, dum aqu. expurget. Singulare est, quod habet *SCHMUCK. in Cur. Magico-Magnetis p.* 37. dum refert quod folia Bardanæ majoris tibialibus imposita, & pedibus conculcata, suffocationem matricis mulieribus tollant, sin verò applicentur capiti, inducant. Ex radice parat *FABER in Med. Spagyr. lib.* 4 *c.*16. oleum per descensum, cujus vires non potest satis commendare eximias, cum resolvat calculum, scirrhis medeatur nodis podagricis omnique Tartaro. Sequitur.

L. BARDANA MINOR.

Ξάνθιον, *Diosc.* φατγάστον, *Galen.* Xanthium, *Fuchs. Matth. Dod. Cord. in D. & hist. Lon. Cast. Tab.* Xanth. seu

seu Strumaria, *Lob.* Bardana minor, *Ger.* Lappa minor, C. B. 6. German. *klein Kletten*, *Bettlerslæuse*, petit Glouteron.

Gaudet solo læto & pingui juxta mœnia & scrobes arefactas. Viget Iulio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Radix, *fructus* (lappulæ) & herba.

Vires Calf. & sicc. dig. gustu est amaro & subacri. *Vsus* præcip. (secund. Matthiol) in minera lepræ educenda (cum Rhab. exhib. radix.) in lipothymia. Extrinsec. in struma & tumoribus discutiendis. (epitem.) in capilli luteo colore tingendis. Herba cancrorum ardori efficax est extinguendo.

II. BARDANA MINOR, ex hac planta usitata radix, fructus, & herba. Discutit imprimis & resolvit tumores, vel serum in partibus collectum. In capillis colore flavo tingendo singularis, & si hoc non verum, generat tamen certò capillos, & refert SCHOTTUS *in Phys. curios. lib. 3. cap. 23. p. 517.* de viro sexagenario, cui post gravem morbum capilli à capite & berba deciderant, quos tamen recuperavit, lixivio è Radicibus lapparum præparato, quo caput & mentum sæpius irrigavit.

LI. BASILICUM.

Ὤιμον ὤκιμον. Basilicum, sive Ocimum, *Brunf.* Basilica minor & baccharis Germinaca. *Trag.* Ocimum medium. *Matth. Cast. Cam.* Ocimum mediocre, *Fuchs.* Ocimum seu basilicum mediumvulgatius, *Lob.* Ocimum magnum. *Tab. Ger.* Ocimum vul-gatius, C. B. 6. Germ. *Basilien*, Basilic.

Crescit in hortis. Floret Junio, & Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia ac *Semen*.

Vires. Calf. 2. humect. diger. resolv. exputgat pulmones, menses movet, ideoque usurpari poterit usu interno & externo, sed rariùs adhibitum deprehend tur.

PRÆPARATA.

1. aqu. Ex integra fit planta collecta Iunio.
[2. ol. destillatum ad singultum utile.]

Becabunga, vid. Anagallis aquatica.

BASILICUM. Herba veteribus incognita sale vol. oleoso & penetrante prædita, modernis satis decâtata, cum sit aromatica & singulariter cephalica: *Folia* & *Semen* imprimis usitata. Cephalica est stomachica. Spiritus enim continet in se quasi ardentes ex sal. vol. oleoso. Unde convenit capiti in *vertigine* similibusque affectibus senilibus. Vterina, est, *menses ciet*, & uterum confortat. ZACUTUS *lib. 5. Med. princip. hist. 5.* reddit rationem, cur vocitetur Basilicum; quia inquit Basilici morsibus est remedium, quod sanè ridiculum, cum nemo unquam viderit Basilicum. Ad morsus animalium venenatorum externo & interno usu laudatur: Dicitur vulgò, quod ex Basilico cum duobus lapidibus contuso, & soli exposito per 4. septimanarum spatium, fiant scorpiones, & verum est, à quo B.D. MICHAELE expertum. HOFERUS *in Hercule Medico p. 110.* & HELMONT. *p. m. 384. §. 37. p. 92. §. 13. lib. de potestat. medicam.* idem referunt.

LII. BEHEN ALBUM,
Behen rubrum.

Binas officinæ nostrates radices monstrant nomine Behen: unam Behen rubrum appellant, alteram album. De utraque controvertitur cujus sint speciei. Arabibus (ut Serapioni) sunt Behen radices pastinacæ radicibus similes. Hinc scribit Haly-Abbas, Behen & Pastinacæ sylvestris radices nullum inter se discrimen habere E modernis Behen album aliqui Polimonij, sive Lychnidis sylvestris speciem esse autumant, quam Tabern. vocat herbam articularem: Behen rubrum, alij Limonij maritimi, alij Valerianæ rubræ, alij Bistortæ speciem esse autumant: aliqui verò, Garziâ & monente & reprehendente, Zerumbeth esse statuunt. Hinc est, quod aliqui in descriptionibus Arabum substituunt Eryngium, alij Tormentillam, alij pastinacam sylvestrem, alij Angelicam, alij denique Caryophyllatam. Auctuarius & Myrepsus Behen hermodactylos esse volunt forsan avellanas purgatrices, de quibus vide supra, Balanus Myrepsica

[Vtrumque ingreditur Species cordiales Alex. Benedict. cordiales temperatas, El. de Gemmis calidi & frigidi, lætificant. Rhasis, liberant. diamarg. cardiamoschi dulcis, pleris archontic. diaxyloal.

BEHEN, alba & rubra, quæ non confundenda cum oleo Been. Exotica est & inusitata; imò sunt, qui dicunt radicibus non esse utendum, quoniam ut plurimum sint adulteratæ; quid opus ut eadem utamur, cum præterea nondum satis cognita.

LIII. BELLIS.

Primula veris, *Marienblumlein*, *Gansblumlein*, *Maszlieben*, *Zeitlosen*, *Osterblumen*, *Bauballichen*. Marguerite ou pasquettes. Ita. Fior di primavera, primo fiore.

Est { sylvestris / hortensis } { Major, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Cast. Cam. Ger. Lob. Tab.* / Media. *Matth. Lob. Tab. Clus. Dod.* Minor, *Cast.* / Minor, *Matth. Fuchs. Tab. Ger. Lob.* C. B. 7. / simplex / prolifera.

Etsi singulæ officinales esse non nequeant prævalet tamen sylvestris, eaque minor.

Sylvestris crescit passim in pratis & pascuis: hortensis colitur in hortis. Floret per integram æstatem, præcipuè verò verno tempore.

OFFICIN. NAT.

Integra *Herba* cum floribus, sed rarò.

Vires vulneraria est, [in vulneribus capitis & pectoris laudatur,] calf. & sicc moderatè, partium est tenuium: mulierculis nostris usitatum est, herbam cum floribus infantibus ad alvum laxandam exhibere.

[*Messoribus in acetario comesta à potu frigidâ periclitantibus salutaris. Minder.*]

N. Bellis major & minor 5. 6. 7. Aprilis mane ante ortum Solis collectæ validè emolliunt, attenuantque: eædem collectæ mense Iunio, secundo die à plenilunio sub crepusculo noctis, plurimum valent ad hæmorrhagiam sistendam. Carricht. [& dysenteriam:]

PRÆPARATA.

1. Aq. Fit ex integra planta florente, mense Maio coll.

Ben, *vide* Balanus Myrepsyca.

BELLIS, Hujus variæ sunt species; *Hortensis*, ex quibus *major* dicta, aliàs Buphatalmus indigitatur. *Sylvestris*, &c. Una *major*, altera *minor* & *media*. Hortensi simplex & plena usitatissima: pro usu medico hortensis flore rubro pleno: Deinde etiam est usitata Bellis hortensis flore albo pleno. *Rubra* est usitatissima & *vulneraria* insigniter, cum insignatura sanguinem rubineum repræsentet, non externè tantum, sed etiam internè, dum quemcunque *sanguinem coagulatum*, sive ex casu, sive vulnere, sive contusione certo experimento resolvit, unde etiam in *pleuritide* ad sanguinem semicaseatum resolven

resolvendum est magni usus. MINDERERUS tractatu de medicina castrensi *p.* 77. commendat hanc iis, qui post nimiam incalescentiam corporis subitò frigidum potum ingurgitant,& hinc acetarium & decoctum laudat. Experimentum fecit b. D. MICHAEL in coquo, qui per diem ad ignem incaluit, & sitibundus arripuit haustum frigidum, unde asthmate aliisque symptomatis gravissimis correptus, ut tantum non suffocandus videretur, hunc curavit decocto hujus Bellidos flore rubro, ut sequenti die optimè sese habuerit. Fit ex floribus Tinctura cum phlegmate vitriol. spiritu proprio acidulato, quæ ad sanguinem congrumatum resolvendum optime tempore æstivo instillatur potui, ut non noceat. Unde in febribus ardentibus potest instillari Tinctura Bellidis rubræ, ut refrigerentur ægri & nocumenta ingurgitationis ut refrigidæ præcaveantur. Alias Bellis flore rubro experta in *hydrope*, & curavit b. D. MICHAEL aliquot hydropicos feliciter ejus usu continuato: Coquuntur plantæ in jusculo carnium, exprimuntur & adhibentur. Sunt qui solent adhibere in vino procura hydropiseos. Hæc possent aliquam lucem affundere doctrinæ HELMONTII de hydrope, cum resolvat etiam bellis sanguinem congrumatum, quæ tamen satis paradoxa est. Bellis flore albo pleno commendatur contra fluxum album mulierum, affectum molestum & tædiosum satis mulieribus, sive crude sive decoctum, vel sub forma *conservæ* propinetur.

LIV. BERBERIS.

Berberis, *Brunsf. Lon. Lob.Cast. Cam.* Spina acida,*Brunsf. Dod.* Oxyacantha,*Trag.*Oxiacantha Galeni,*Cord.in D.Tab.* Crespinus *Matth.*Oxyacanthus Galeni, *Cam.*Barberis dumetorum, C. B. I. Germ. *Saurrauch*, *Bersich Reisselbeern*, *Saurdorn*, *Erbsel.*

Gaudet locis incultis, dumetis, &c.

OFFICIN. NAT.

Fructus (nomine *Berberis*) collecti Autumno.

[Cortex luteus ad aphthas & impetigines utilis.]

[Semina etiam,sive acini asservantur,& ingrediuntur Species Diarrhodon. Abbat.]

Vires. Refrigerant & humectant.2. partium tenuium sunt, astringunt, appetitum excitant, roborant ventriculum ac Epar. Proin usus sunt frequentissimi in morbis, ubi refrigeratione & astrictione opus, quales Diarrhæa, Dysenteria.

PRÆPARATA.

1. *Conditi fructus.*
2. *Succus liquidus.* Ex recentibus baccis expressus.

[Tartari berberum seu salis Essentialis in febribus utilissimi, meminit D. Simon Pauli quadrip. Bot.cl.2.]

3. *Syrupus de succo berberum.*
4. *Rotulæ.* Ex succo & saccharo.

N. Fit solâ misturâ sine coctione. Vid. lib.2.

5. *Trochisci.* Vid. Dispens.
6. *Rob. de berberibus compos.* Vide Dispensat.

BERBERIS. Tam in culinis & condimentis quam officinis & medicamentis nota. SYRUPUS præ cæteris usitatus, fructus est subacidus, adeoque; effervescentiam sanguinis moderata acciditate coërcet, simulque moderatè præcipitat; Unde in *febribus ardentibus & malignis* experti est usus, tum sitim extinguit, & sanguinem effervescentem moderato coagulo coërcere percipitur. Unde in Julepis refrigerantibus, Syrupus Berberum est egregij usus. Juxta hunc usum conducit ventriculo, sitim in æstate extinguit, refrigerat & astringit, appetitumque denuò excitat. In Diarrhæa biliosa tempore æstivo, vel ex fructibus horæis, vel victu mutato syrupum hunc saporis gratia solemus adhibere cum appropriatis.

LV. BETA.

Τεῦτλον, *Dioscor. Germ. Mangolt*, *Romisch Kohl.* Blete.

Beta { alba; rubra { vulgaris; Radice rapæ, rapum rubrum. } } *Hæ sunt officinales præferturque rubra.*

Alba dicitur Beta, *Brunsf. Tab. Ger.* Candida, *Trag. Fuchs. Cord. in D. Dod.* Beta alba, *Matth. Lob. Lon. Cam.*

Beta alba vel pallescens, quæ Cicia officin C.B.2.

Rubra vocatur Beta rubra, *Brunsf. Trag. Lon. Dod.* B. nigra, *Matth. Fuchs.* & rubra *Cast.* rubra vulgatior, *Lob.*

OFFICIN. NAT.

Radices, *Folia* & *Semina.*

Vires. Calf. & siccat, in princip.g.; laxat alvum, ob nitrositatem, errhinum est. Usus ejus internus potissimus culinaris est, in acetariis, &c. Externus in errhinis.

PRÆPARATA.

Succus. Ex tota herba,& præcipuè ex radice.

BETA. Rari admodum usus, nihilominus cum sit in duplici differentia, *alba* & *rubra*, rubra solet usurpari. Constat sale nitroso, hinc blande intestina adstringit & alvum laxat. Cognatæ huic rapæ rubræ, quæ ejusdem virtutis & efficaciæ sunt cum Beta rubra. Rari, ut dixi, est usus, & adhibetur solum in *clysteribus* & *decoctis* alvum laxantibus, quoniam scatet humore aquoso acri, cujus ratione emollit fœces & elicit foras. *Succus Betæ rubræ* convenit in elicienda pituita narium, attractus enim ut *errhinum*, sive solus, sive mistus cum succo Anagallidis flore cœruleo egregiè elicit mucum viscidum, estque cum succo anagallidis primarium inter erhina. Alia rari vel ferè nullius est usus,

LVI. BETONICA.

{ 1. Betonica alba, vel primula veris. *Huc usitata.*
2. Betonica vel Venotica coronaria. Vide *Caryophyllus hortensis.* }
3. Betonica officinarum. *De qua hic.*

Dicitur Betonica, *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs.* Purpurea, *Fuchs. Dod. Lob. Lon. Cast. Tab. Ger.* Betonica vulgaris, *Clus. hist.* Vetonica, *Cord.in D.* Betonica purpurea, C.B.1 Germ. *Betonien*, *braun Betonien*: de la Betoine, Pourpre.

Crescit in hortis ac pratis, locisque umbrosis: Floret Iunio & Iulio.

OFFICIN. NAT.

Folia (Maio legenda) & *Flores.*

Vires. Calfac. & sicc 2. acris est & amara: discutit, attenuat, extergit, imprimis Cephalica est & Epatica, Splenetica, Thoracica, Uterina, necnon & vulneraria, & demum diuretica: hinc usus interno creberrima venit, maximè in morbis capitis.

PRÆPAR.

1. Aq. Fit ex fol antequam florescat, vel ex flor. in MB.
2. *Conserva* Ex floribus.
3. *Syr. Simplex.* Ex succo & saccharo dimid.
4. *Compositus.* Vid. dispensat. August.
5. *Emplastr. ex Betonic.* Vid. August.
6. *Sal com.* Ex incinerata planta. [*Extractum etiam paratur.*]

BETONICA planta partim *sylvestris*, partim *hortensis*, quæ florem habet rubrum, est sylvestris, quæ album, hortensis. Notetur hic confusio in Authoribus, quod multi Caryophyllum hortensem, vocitent Betonicam coronariam. De hac, quam valdopere extollunt, *Antonius* MUSA, Augusti Medicus, scripsit integrum tractatum, & in hunc commentarium HUMMELBERGIUS de virtutibus Betonicæ. In officinis *folia*, & hinc etiam *flores* creberrimi

berrimi uſus propter egregias facultates, quas monſtrat acrimonia ſubtilis, qua eſt impregnata, adeoque in ſe habet alcali acre. Unde inſigne eſt *vulnerarium* & *diureticum*, & nulli ſecundum in *vulneribus capitis* ſecretum, in contuſione cranij & ſimilibus affectibus. Aliàs egregia cephalica, & in morbis cephalicis crebri uſus. Ex floribus rubræ conficitur Tinctura cum phlegmate vitriol ſpiritu proprio acidulato, quæ cereviſiæ inſtillatur, & propinatur in *affectibus capitis*, in *febribus*, quæ inſequi ſolent vel vulnera, vel ulcera, quoniam ratione ſpiritus vitriol. corrigit efferveſcentiam, & ratione virtutis Betonicæ ulceribus ſimul & vulneribus competit. Iuxta Tincturam invenitur in officinis SYRUPUS, tam *ſimplex*, quam *compoſitus*, uſitatus in potiunculis & decoctis vulnerariis dicatis affectibus capitis & hujus vulneribus: & hinc etiam affectibus uterinis: nam poſt vires cephalicas eſt ſingulare uterinum: unde *flores*, rarò *folia* internè in nodulis vino infunduntur contra affectus *capitis* & *uteri*. *STOCKERUS* in praxi commendat lixivium, in quo cocta Betonica, quod inſigniter conferat ad debilitatem capitis. Et quæ jam dicta ſunt de ſimplicibus, ſunt etiam intelligenda de compoſitis. EMPLASTRUM *ex Betonica* eſt officinale ſingulare in omnibus vulneribus, ſive cum ſive ſine contuſione, imprimis ſi malaxetur cum Balſamo Peruviano, tunc enim quaſi vires ejus duplicantur, vel etiam imprimis in contuſione, ſi miſceatur cum Emplaſtro de Tacamahaca, quæ duo in contuſionibus vel vulneribus capitis mirabilia præſtare dicuntur. Fit interdum, ut ex nimio dolore capitis cum aliis affectibus ſuturæ cranij ſecedant, & impenſè doleant, cujus rei experientiæ proſtant in Obſerv. Chirurgico-Medicis *HILDANI*: Et obſervavit B. D. *MICHAELIS* in Principiſſa quæ ex nimio capitis dolore incurrit in affectum ſimilem, ut ſuturæ cum ſonitu ſeceſſerint, quam præmiſſis univerſalibus, imprimis clyſteribus acribus, curavit Emplaſtro de Betonica conjuncto cum Emplaſtro de Ranis Vigonis cum mercurio. De Emplaſtro de ranis Vigonis cum mercurio in eodem dolore capitis adhibito vid. *PLATERUS*. De ſuturarum diſceſſione ſcripſit *BOOTIUS de affectibus omiſſis*. Aliàs in catarrhorum & dolorum capitis quorumcunque curatione ſingulare eſt emplaſtrum de Betonica & expertum, imprimis ſi acceſſu Tacamahacæ & olei deſtillati rutæ, anethi &c. augeatur. In genere quando Botanici aliquem laudare volunt à virtutibus, tot illum inſtructum eſſe dicunt, quot herba Betonica. Obſervetur ratione collectionis; quod *radix* colligenda ſit, vel in plenilunio Martij, vel in plenilunio Aprilis, quoniam tunc eſt tempus balſamicum optimum pro collectione: nam omnes plantæ habent ſuum certum tempus, quo colliguntur, quando maximè ſunt in vigore. Singulare eſt, quod habet *BARTHOLINUS de Betonica Cent.* 3. *hiſt.* 97. quando refert obſervatam fuiſſe in recenter collecta Betonicæ radice vim inebriativam, dum nimirum ruſtici expurgantes quendam hortum, & effoſam radicem maſticantes evaſerunt, quaſi inebriati, & temulenti in terram conciderunt, quæ tum temporis primum eſt experta, cum nemo unquam quicquam de illa monuerit.

LVII. BETULA, ſeu BETULLA.

Betula, *Trag. Monard. Dod. Lon. Lob. Caſt. Cam. Tab. Ger.* German. *Birchenbaum.*

Creſcit in ſylvis, locis gaudens aſperis. Julos producit Martio, quibus Aprili folia ſuccedunt.

OFFICIN. NAT.

Folia, Cortex, Fungus, ſed rarò.

Vires. Folia calf. ſicc. reſolvunt, atten. abſterg. aperiunt, amara ſunt. Serum proliciunt. Hinc uſus non minimi in hydrope, ſcabie] balneum parant ex foliis vel etiam ramulis conciſis] & ſim. intus & extus adhibita [Ad ſciſſuras mammillarum, digitorumque inunctus liquor exſudans ex virgulis crematis commendatur.]

Cortex item quia bituminoſus, calfac. & emollit. Adhibeturque in ſuffitibus aëri corrigendo dicatis.

Fungus vi pollet adſtrictoria; unde ramenta ejus hæmorrhoïdibus inſperſa ad miraculum fluxum cohibent.

Succus. Ex perforato caudice verno tempore prolectus.

Vires. Commendatur ad comminuendos calculos Renum & Veſicæ, maculaſque cutis abſtergendas. [Succus hic in tanta copia profluit, ut exinde cereviſiam conficiant. Imò audet aſſeverare Hofman. intra 12. vel 14. *dies exſtillare tantùm, quod arbori cum ramis & radicibus præponderet.*]

PRÆPAR.

Aq. *ſtill.* è ſucco.

BETULA; Planta inviſa pueris; propatereaque cuique ſatis cognita, vulgaris, inſignibus tamen prædita virtutibus: In uſu ſunt *folia, cortex* & *fungi*, ſed raro: Quod dicit *AUCTOR* de virtutibus foliorum, corticum, item fungi contra *hæmorrhagias* externas, item contra *hæmorrhoidum fluxum*, verum eſt. Nihilominus quod maximè uſitatum, eſt ſuccus verno tempore prolectus, expertus eſt in *calculo* & renum & veſicæ, vel præſervando vel curando, quod modernorum debemus experientiæ, & propter hanc vim ſingularem Betula vocatur *lignum nephriticum Europæum*, adeò ut ſit ſuccedaneum ligno nephritico ex India Orientali: Nam notum eſt, quod lignum hoc aquæ infuſum illi det colorem flavum, & inſignem vim antinephriticam, quoniã vero eſt valdè pretioſũ optimè illi poteſt ſubſtitui hic ſuccus Betulæ. De viribus hujus antinephriticis vid. *HELMONT. Tr. de Lithiaſi cap.* 8. §. 24. & 25. ubi habebimus ſimul modum illum acquirendi tempore & loco legitimo, ex ſurculis tenellis antequam folia erumpant, ſimul atque enim hæc apparent, ſuccus, qui exſtillat, nullius eſt uſus. *CHARLETON in Tr.* quem ſcripſit. de *Calculo*, (qui lectu digniſſimus) Betulam præter *HELMONTUM* commendat. Vid. etiam *BOYLE Tract. Philoſ. experim. pag.* 102. egregius uſus antinephriticus: ubi ſimul de excellentia perſicariæ contra calculũ. *SOLENANDER in Conſ.* 10 *ſect.* 3. & *Conſ.* 26. *ſect.* 4. eundem ſuccum commendat, qui ſimul monet, eſſe eliciendum antequam erumpant folia qui enim aliàs erumpit, nullo uſu antinephritico præditus eſt. Hauſtus Aqu. Betulæ propinatur tempore matutino jejuno ſtomacho: Poteſt admiſſeri in potione quacunque ſine nauſea: Vino, ſi ſteterit ſuper radice vel ſemine raphani, Lithoſpermate, Baccis alkekengi &c. admiſtus eſt efficaciſſimus Præter hæc commendatur ad mundandum ſanguinem, adeò ut virtute fermentativa ſanguinem ſimul fermentet & purificet, ſique ſubſint ſordes in Maſſa ſanguinea, blandè per urinam evacuat eaſdem. Unde laxat alvum moderatè virtute nitroſa, qua imprægnatus eſt. Balneum ex ſucco Betulæ ad curam podagræ multum confert, balneum unum pro una ſeptimana ſufficit. Idem ſuccus convenit in ſcabie, primas vias aperit, mundificat ſanguinem, ſordeſque expellit, adeoque fermenta ſubtrahit, quo minus ofermentum ſcabioſum ſe poſſit multiplicare: Obſtructiones viſcerum hepatis, Lienis & Meſenterij, quæ ſæpius ſunt ignorantiæ aſylum, curat, quia nitroſo ſale vol. ſuo vias aperit, & ſuccos craſſos abſtergit. In Ictero præprimis flavo ſanando adhibetur cum ſucceſſu. Succus hic, præter dictas virtutes, eſt remedium contra incantationem, de quo vid. *HELMONT. cit. loco*, ubi quædam habet de ligatione maritorum curata per potum cereviſiæ, cui in præparatione fuerunt incocti tenelli Betulæ ſurculi conquaſſati & benè contuſi, & quod cereviſia hujuſmodi vel alius potus proſit contra incantationes, non

improbabile

improbabile est. Curatam etiam ſtranguriam torminoſam & cruentam per incantationem eadem cereviſia videbimus eodem loco, qui multa continet. *HELMONTIO* digna, & legi poteſt *HARTMANNVS in praxi Chymiatrica cap. V.* ubi de Melancholia *pag.* 55. §. 2. Commendat contra *Melancholiam*; & alios affectus Melancholicos eſſentiam croci (quæ egregiè confortat, cordiale eſt, & anodynum, ſpiritúſque exhilarat) cum Aq. vitis, quæ ex illa inciſa deſtillat. Cæterum *LINDANVS* in Collegio ſupercitatum locum, præfert eſſentiam croci factam cum Aq. Betulæ, quod ſit nobilior Aq. vitis contra affectus & deliria Melancholica.

LVIII. BISTORTA.

NAtterwurtz, Krebſſwurtz. Biſtorte eſt. Eſt C. B.

- Major radice
  - minùs intortâ
  - magis intortâ
  - } hæ ſine diſcrimine officinales.
- Alpina
  - Maxima
  - Media
  - Minima
  - } minùs officinales.

1. Dicitur Biſtorta, *Cord. in D. Matth. Dod. Caſt.* Biſtorta fœmina, *Brunſf.* Biſtorta Britannica, *Lob.* Serpentaria fœmina & colubrina, *Fuchſ.* Colubrina *Lon.* Colubrina & Dracunculus major, *Brunſf.* Biſtorta major, radice minus intortâ. C. B. 1.

2. Colubrina & Dracunculus minor, *Brunſf. Trag.* ſerpentaria mas ſeu Biſtorta, *Fuchſ.* Biſtorta, *Lon.* minor, *Tab.* latifolia, *Ger.*

OFFICIN. NAT.

Radix, & interdum *Fungus*.

Vires. Refrig. ſicc. ad g. 3. aſtringit validè, eſt auſteriuſcula, alexipharmaca, ſudorifera. Vſus præcipui in vomitu compeſcendo, in abortu præcavendo, &c. Externè in catharris exſiccandis, fluxu uteri, ſanguineque vulnerum ſiſtendo [Ad gingivas laxas & ulceroſas.]

Fungus ſanguinem in vulneribus ac hæmorrhogia narium mirè ſiſtit.

PRÆPARAT.

Aq. Ex herba.

BISTORTA. Hujus duæ ſunt ſpecies, *major* & *minor*: nihilominus non differunt in forma. Vocatur *Colubrina*, quia prodeſt contra ſerpentum morſus & venena. In officinis uſitata *radix* & *fungus*. RADIX adſtringit, & ſi quid præſtat, convenit, quando opus eſt adſtrictione, ſaporem habet ſtypticum, qui ſufficienter virtutem adſtrictoriam teſtatur. Unde DECOCTUM expertum in *vomitu* nimio quocunque, etiam ſanguinis: item in morbis omnibus, ubi opus eſt adſtrictione: In *hæmorragiis uteri* nimiis poſt partum, quæ contigunt ex retentione particularum ſecundinæ ſtimulantium ad excretionem; ſicque ſanguinis fluxum inducentium permiſta cum debitis uterinis leniter expellentibus mira facit pro expellenda ſecundina & ſiſtendo fluxu ſanguinis. In forma pulveris ſi opus ſit adſtrictione, quando ſanguis effluit. Cumque in quibuſdam morbis malignis ſymptoma periculoſiſſimum ſit hæmorrhagia narium, quæ non ſatis tutè ſiſtitur medicamentis externis, tunc inter interna referenda radix biſtortæ, quæ eſt alexiphatmaca, & fluxum ſanguinis nimium compeſcit: Ultra hæc ſanguinem congrumatum diſſolvit in contuſionibus & caſu ab alto; ut ita hac ipſa duplici occurratur indicationi, dum nimirum ſanguinem extravaſatum & congrumatum reſolvit, & adſtringendo effluxum impedit. Quæ dixi de nimiis uteri hæmorrhagiis in caſu retentæ particulæ ſecundinæ, debeo D. *SYLVIO*, cui talis aliquando caſus contigit: Et etiam fieri interdum poteſt, ut in partu difficili, vel inepta tractatione obſtetricis, remaneat fruſtulum ſecundinæ, unde oritur hæmorrhagia, quæ non ceſſat, niſi expulſa particula relicta: In hoc caſu certè res eſt periculoſiſſima & experta ſequens *SYLVII* potiuncula.

℞ *Radicis Biſtortæ* ℥ij. quæ baſis eſt.
Fol. majoran.
pulegij ana M. j.

Coquantur in Aq. puræ & vini albiſsimi ſ. q. in Colatura ℥xx. diſſolvantur Syrupi artemiſiæ ℥ij.

Aq. Cinnamomi ℥ß.

Miſceantur bis terve in die adhibeantur ℥ij vel ʒ unâ vice, & excreto fruſtulo ſecundinæ, ceſſabit fluxus. Quod ſi loco decocti placeat adhibere pulverem, hæc ejus eſt compoſitio:

℞ *CC. uſti* ℈ij.
Rad. biſtort.
Cinnamomi,
Croci,
Borracis ana ℈iß.

Miſceantur fiat pulvis pro duabus doſibus, imprimis cum Aq. Cinnamomi, vel confectione, alkermes vel conſerva Cicerum, quin etiam ſuccini ℈j. in Aq. convenienti hauſtus multum proderit. Caſus eſt periculoſus, utut rarus, & ab *AMATO LVSITANO* obſervatus.

LXI. BOMBAX.

ARbuſcula eſt exotica ferens fructus inſtar nucis crinitæ, in qua ſemen latitat lanugine molliſſimâ involutum.

Dicitur bombax officin. Cottus, ſeu Cotta & bombax *Serapioni*. Xylon ſeu Goſſypium, *Matth.* Xylon, *Fuſch. Lon.* Goſſypium, *Dod. Lob. Coſt. Cam. Tab.* Goſſypium fruteſcens ſemine albo, C. B. 1. Germ. *Baumwolalbaum.* L'arbre qui porte le Coton.

Copiam ejus plurimam producit Syria ac Cyprus.

OFFICIN. NAT.

Semen & Lanugo quæ *Goſſypium* officinarium, *baumwoll* Coton.

Vires. Lanugo calf. & ſicc. ſemen pulmonarium eſt, tuſſientibus & aſthmaticis maximè proficuum, auget ſemen.

N. Vſus tum ſeminis, tum lanuginis rarus eſt modernis.

PRÆPARATA.

[Oleum ex ſemine expreſſum ad ulcera capitis manantia & tineam, lentigines & puſtulas faciei, adhiberi poteſt. Notandum autem, ubi ſemina ſicciora, beneficio olei ovorum, vel carbonum Petræ Angliæ, digeſtione & rectificatione acquiri.]

BOMBAX, Arbuſcula cujus tam LANUGO, quam SEMEN in officinis uſitatum eſt exoticus, & propterea rari uſus ejus fructus. Lanugo non adhibetur, niſi quod leviter combuſta applicetur pro compeſcendo ſanguinis fluxu ex vulneribus

neribus recentibus. SEMEN, uti rectè dicit *AUCTOR*, pulmonarium est expertum, Tussi & asthmate medetur. Unde in Tragæis antiphthisicis est in usu.

BOTRYS.

Botrys seu Ambrosia, referente Carissimo D. Dn. *Simone Pauli*. Botrys seu botrus Ambrosioides vulgaris Bauhini. Sunt ex recentioribus nonnulli vestigia *Diosc.* & *P. Æginetæ* sequuti, qui ad thoracis mala, & in specie orthopnœam valde botrym commendant, inter quos Matthiolus, Lobel Camerarius, primi sunt: quorum ille propriâ experientiâ usum botryos, comm. in Diosc. lib. 3. c.113. pag 610. hic verò in observ. stirpium, p. 113. authoritate Zigeri Colbergiers, apud Antuerpienses olim experientissimi Medici fretus, miris laudibus effert. Tertius verò in horto suo pag. 29. testatur, in Misnia fieri ex ea cum melle electuarium ad pulmonis vitia. Herbam botrym inter alias olentes in condiendis Magnatum cadaveribus locum habuisse, etiamnum recordor. Grato enim est odore calidoque, & sicca secundo excessu, ut facilè à putredine præservet; quare non incassum Dioscoridis suasu vestibus interspergitur, aut implicatur, ne tineis exedantur. Agerius in Tragum observavit, aquam illius destillatam lenire dolores post partum, qui valde exercere, ceu in quæstionem datas puerperas solent. Qua deficiente commendandus est usus Zedoariæ radicis ʒß. pondere in vino propinandæ.

Addo hic, quod in gurgulionis affectibus, & uvula elongata, conveniat decoctum pro gargarismo, quod in Diarrhæis Clysteribus incoquatur; fumus fluori muliebri conducit, ad uteri etiam dolores Cataplasma utile ex ea paratur, succus ad defluxiones oculorum utilis est.

[Parari potest Conserva ex herba pro Phthisicis.]

[Parant etiam Syrupum Botrios hunc in modum. ℞. Herb. Botryos Miij. Erysim. urtic. ana Mij. Caulium rubrorum, Tussilagin. ana Miß. Coq. in seq. Aqu. Colaturæ adde sacchar. alb. ℔iiß. clarifica, & coque in Syrupum.)

BOTRYS, [das Braubentraut.] Planta ab *AUTORE* non descripta. Vulgaris apud nos in usu. Est egregium *pectorale*, & nulli cedit hac in parte; Unde imprimis in *Tussi* & *asthmate* insigniter convenit, si decoquatur vel in vino, & decoctum hauriatur, valdopere expectorat & Asthmati succurrit: melius fit, si addatur tantillum mellis, vel decoquatur in hydromelite, vel si fermentetur contusa cum melle in Aq. sicque egregium fit iis, qui laborant affectibus pectoris, chronicis imprimis, asperæ arteriæ, *orthopnææ* remedium &c. Præter pectoralem virtutem experta est in *Inflatione hypochondriorum* infantum, Aq. destillata egregia est & experta, potest misceri cum pulte infantum, inflationes discutit, & expertum ac singulare est remedium. Potest incoqui oleo communi & inungi umbilico: Sic enim flatus discutit & tormina sistit. Plura qui desiderat, potest videre *FORESTUM lib.* 16. *obs.* 4 in Scholio. *TABERNÆMONTANUM pag* 48. 49. & denique *KESLERUM* [in 500. controvers. Chymic. *pag.* 458.

LX. BORRAGO.

Borrago, *Brunsf. Trag. Fuchs.* (icon.) *Dod. Lon. Cam.* Buglossum, *Matth. Fuchs. Cast.* Buglossum verum, *Cord. in D.* Buglossum latifolium, *Lob.* vulgare. *Clus.* Buglossa urbana, *Clus. hist.* Borargo floribus albis, *Tab.* hortensis, *Gerar.* Buglossum latifolium, Borrago, C. B. 1. *Gerar.* Borretsch. Bouronche ou Bourrache.

Crescit utplurimum in hortis, tum quoque locis incultis, officinalisque est sine discrimine, sive cæruleos ferat flores, sive albos, quæ hîc æquè vulgaris, ac prior.

Floret mense Junio, Julio, Augusto, usque in Septemb.

OFFICIN. NAT.

Radix. Folia, Flores (qui inter 4. cordiales famosos recensentur.)

N. Radix asservatur excorticata.

Vires. Cordialis est è præcipuis, calf. & humect. 1. atram & adustam bilem corrigit, spiritus vitales ac animales fuligine atrâ biliariâ inquinatos mundificat, unde & omnibus affectibus ex atrabile oriundis convenit, v. gr. hypochondriacis.

[*In mensium obstructione naturis calidioribus, quæ à calidis Emmenagogis magis læduntur, quàm juvantur, conveniens.*]

PRÆPARATA.

1. *Aq. duplex.* 1. ex toto, 1. ex floribus.
2. *Conserv.* Ex floribus.
3. *Syrup.* Ex infusione triplici florum & sacch. Disp August.

N. Alij ℞. succi ex fol. express. Unc. 8 flor. Recent unc. 1. vel unc. i. ß. cum sacchar unc. 4. coquunt in syrupum.

4. *Succus inspissatus*, sive essentia. Vide lib. 2. de succis.

BORRAGO: Planta famosa satis: confunditur nonnunquam cum Buglossa, sed facilè possunt ab invicem distingui à perito Botanico, crescit in locis cultis & in usu sunt *radix, folia & flores*, numeratur inter cordiales rosas, viol. Bugloss. Borrag. quibus non immeritò adduntur flores Calendulæ, quoniam sunt verè cordiales & alexipharmacæ: SUCCUS, CONSERVA, AQUA, usum obtinent in affectibus malignis, *melancholia*, ubi acidum melancholicum, vel bilis acida & adusta viscidam reddit massam sanguineam, in *melancholia hypochondriaca*, quia corrigunt humorum vim acidam eamque demulcent. ESSENTIA *florum Borrag.* CONSERVA, & sic porrò SYRUPUS in melancholia tam simplici quam per consensum usurpantur. *LINDANUS* Syrupum ex Borragine & croco, quem vocat *Syrupum Borraginis crocatum*, commendat in Melancholia hypochondriaca; Crocus enim per se in Melancholia & tristitia multum præstat. Habetur in officinis Aq. CINNAMOMI destillata cum succo Borraginis, quæ BORRAGINATA vocatur, quæ adhibetur in affectibus cordis, item Melancholicis, non minus ac Aq. destillata. Cinnamomi cum Succo Cydoniorum singularis est in affectibus stomachi & intestinorum *FABER in Myrothecio Spag. Lib. V. c.*6. SPIRITUM habet Borraginis ex contusa planta per fermentationem paratum. CONSERVA *florum Borraginis*, singulariter commendatur contra *suppressionem mensium* ad ʒj tempore matutino in vino albo; si addantur grana aliquot pulveris nucis Moschatæ, erit eò certior & efficior.

LXI. BRANCA URSINA.

Σπονδύλιον, σφονδύλιον, Spondylium vulgare hirsutum, B. C. 1. Spondylium, *Lob. Matth. Lon. Cast. Tab.* Vulgare, *Dod.* Branca ursina, *Brunsf. Trag. Cord. in D.* Acanthus vulgaris, seu Germanica, *Fuchs. Barenklauv, Barvvrtz.* Branche ursine.

Crescit passim in locis humidioribus; floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Folia sola.

Vires. Est è 5. herbis emollientibus, calf. sicc. & aperit. Usus potissimùm externus est in clysteribus aliisque paregoricis quarumcunque formularum, & ut plurimum in cataplasmatis.

BRANCA URSINA, Crescit itidem in locis cultis, estque; una ex emollientibus famosis, ut sunt malva, althæa, violaria mercurialis, acanthus, seu branca ursina, quæ ordinariè ingrediuntur clysteres & cataplasmata emollientia; unde usus hujus est in clysteribus & cataplasmatis emollientibus: Aliàs usus ejusdem nullus est. Potest etiam adhiberi in fomentis seu decoctis emollientibus contra obstructiones, in balneis nephriticis & uterinis, in *calculo & partu difficili* pro emolliendis & laxandis viis.

LXII. BRASICA.

Κράμβη, Caulis, Kæl, Kælkraut, Choux.

Varia Brassicæ sunt genera, quæ his classibus comprehendi possunt.

Sativa { capitata. / non capitata. / crispa. / Apiana, i. e. apij flore.
Sylvestris.
Marina, i. e. *Sol danella*.

Ex his magis medicamentosa est, teste Matthiolo, non capitata, minutis caulibus, tenerioribus foliis, lævis, tenera, C. B. 1. Brassica alba vel viridis: huic succedit non capitata rubra.

Dicitur Brassica, *Brunsf.* Lævis; *Matth. Cast.* Brassica candida, *Ger.* hortens. lata alba, *Lon.* Brassica vulgaris, sativa, *Lob. Dod. Ger.* Brassica prima *Tab.* Brassicæ sativæ majoris species altera, *Trag.*

OFFICIN. NAT.

Folia, jus foliorum, *Semen.*

Vires. Folia calf. & sicc. citra acrimoniam, vulneraria sunt, ebrietatem arcent, astringunt & laxant, adeoque qualitatis mixtæ: nimirum ut ajunt Salernitani,

Jus caulis solvit, cujus substantia stringit.

Extrinsecus usitatum est rusticis, Vulneribus folia imponere ut consolidentur, quin imò & pleuriticis doloribus imposita eos mitigant.

Semen eadem pollet qualitate cum foliis præparata.

Loch de caule. Vide Disp.

[Muria brassicæ conditæ ambustis convenit.]

BRASSICA, Hujus cum sint variæ species, rubra usitata, non capitata; Imprimis *vulnerarium* est egregium, & rustici foliis utuntur in vulneribus, sive instillant succum, sive folia contusa nudè applicant vulneribus & ulceribus. Aliàs succus caulium & foliorum expressus internè prodest in affectibus asperæ arteriæ, quales sunt *raucedo* vocis, vitia & similia mala ab aspera arteria oriunda, imprimis in raucedine. *CODRONCHIUS*, qui de asperæ arteriæ affectibus & vitiis vocis scripsit, habet duas formulas expertissimas contra raucedinem. Quas in *SENNERTI* praxi videmus consignatas, primam *lib. 2. part. 3 cap. 4 pag. 361.* in fine. Secundum *cit. loc. pag. 359.* Formulæ sunt hæ:

℞ *Succ. Brassicæ depurat.* ℥ij.
Sacch. penid. ℥j.
Oxymell. simpl. q. s. M. F. Electuar.

in lympha crassa & viscida lambendum.

℞ *Hordei optim. excortic.*
passul. maj. s. nucl. ana ʒj.
rad. liquiris. mundat. & ras. ʒij.
caricar pinguium No. vj.
capill. Veneris.
hyssop. ana Mß.
sem. brassicæ ʒij.
pinear. recent ℥ß.

Coq. in s. q. aq. fontan. Colat. unicuique ℔ adde
mell despumat. ℥j.
sacchar. cand. ℥ß. M

Dosis ℥vj Vid. *CODRONCHIUS de vitiis vocis pag. 143. & 144.* Et quidem impris posterior convenit Pastoribus, concionatoribus & cantoribus, qui ex nimia loquela & asperæ arteriæ irrigatione in raucedinem incidunt, si de illa ℥vj. sumantur ante somnum, tempore decubitus & tempore matutino, sorbendo paulatim: si adsit imprimis tensio & inflammationis vis. Altera convenit, si aspera arteria sit obsessa à pituita viscida, hanc enim abstergit & incidit, vocemque restituit. Imo solus succus caulium Brassicæ cum melle mistus convenit in tali casu: Distinguendæ tamen causæ antecedentes, aliàs nunquam curabitur hisce æger. Experta sunt folia brassicæ ad vesicas in fluxu conservandas: Sæpius enim fit, ut excitentur vesicæ in affectibus capitis catarrhalibus in nucha vel post aures: Ut ergo hæ maneant apertæ, observetur ut applicentur benè concalefactæ ad prunas super vesicam. Commendantur à *LINDANO in coll. super Hartmanni praxin*: singulis bihoriis renoventur. (Secretum artis est singulis horis impositionem repetere, & tam calida folia applicare, quam æger ferre potest.) in fonticulis itidem commendantur. Doloribus pleuriticis convenit brassica. Modum utendi illa in pleuritide præscribit *BARTOLETUS lib. V. cap. 3. de difficili respiratione*, Et cujus solius beneficio plures pleuriticos sæpe sine ven. sect. se restituisse testatur. Recipiuntur caulium radicum Mense Martio q. s. eluuntur, in umbra exsiccantur & pulverisantur. Porrò

℞. pulveris huius ℥iv. Cumini ℥ß. caryophyllorum ʒij. mellis communis q. s. pro Emplastro seu cataplasmate, quo applicato brevissimo tempore rumpitur apostema, & sunt, qui recondunt, & pro maximè secreto habent. Alij breviter hoc modo conficiunt.

℞ *Seminis Cummi* ʒiij.
Succi caulium.
pingued. porcin. recentis ana ℥ij.

miscent applicantque loco affecto instar unguenti quod habet *GABELCHOVERUS Cent. 4. Cur. 68. in annot.*

LXIII. BUGLOSSA.

Βούγλωσσον, Buglossum, C. B. { Sativum { Latifolium { Vulgatum. *Vide Borrago.* / Peregrinum. Hisp. *inusit.* } / Angustifolium. { Majus, *Hujus loci.* / Minus. } } / Sylvestr. { Majus nigrum. / Minus 1. 2. 3. } *Inusitatum.* }

Dicitur Buglossa, *Brunsf.* Bugloss. Italica, *Trag. Lon.* Bugloss. longifolia. *Cord. hist.* Buglossum vulgare, *Matth. Cast. Tab. Ger.* Buglossum angustifolium, *Lob.* Bugl. Italicum, Hispanicum grande. *Cam.* Cirsium Italicum, *Fuchs. Cord. in D.* Echium Italicum Spinosum, *Fusch. icon.* Anchusa, Alcibiadon. *Dod.* German. *Ochsenzung.* Buglosse.

Crescit nobis in locis campestribus & arvis, floret Maio, Junio.

OFFICIN. NAT.

Flores, Radices, & Folia.

N. Radix asservatur excorticata.

Vires. Easdem obtinet quas Borrago.

PRÆPARATA.

Eadem quæ Borraginis.

N. Succus buglossæ mucilaginosus, eoque difficilis est expressu: ea propter si nihilominus eundem desideraris, colloca in loco humido per noctem, hinc exprime.

BUGLOSSA, Planta nullibi non obvia & cognita; convenit cum Borragine, & una harum præscripta præscribi solet & altera, quosque affectus curat Borrago, illos quoque curat Buglossa. Nihilominus Aq. *foliorum* vel *florum Buglossæ destillata*, expertum est remedium in crassis *oculorum suffusionibus.*

LXIV. BURSA PASTORIS.

Pera Pastoris [Capsella Sanguinaria] *Teschelkraut, Hirtenseckel, Seckelkraut, Blutkraut.* Poche de Pasteur, ou bourse de Berger.

C. B. est { foliis sinuatis { Major, C. B. 2. / Media, C. B. 3. / Minima, C. B. 4. } major ac minor, &c. / foliis integris, loculis oblongis. }

Ex

Ex his usitatior est major, cui succedunt media & minor.

Major dicitur Bursa pastoris major, *Brunsf. Trag.* Bursa pastoris *Matth. Cord. in D. Lon. Lob Cast.* (herba cancri,) *Ger.* Pastoria bursa, *Fuchs. Dod.* major, *Tabern.* Bursa pastoris major folio sinuato, C B. 2.

Media describitur Bursa Past. minor, *Tab.* minima, *Ger.* C. B. 2.

Minor est Pastoria bursa minor, *Dob.* minima, *Lob.*

Crescit B. Past. passim in locis incultis Floret Aprili.

OFFICIN. NAT.

Vires. Refrig. & sicc. adstringit & constipat: hinc valet in hæmorrhagia narium, exspuitione sanguinis, diarrhæa, dysenteria, mictione cruenta, [gonorrhœa] fluxu nimio mulierum. Externè vulneribus solidandis à plebeiis adhiberi solet, nec sine successu: uti & hæmorrhagiis narium (sub alis & in nucha, & plantis pedum.) Quinimò adhibetur sæpius in nataplasmatis febrifugis, quæ carpis imponuntur. [item ad pudendorum tumores.

PRÆPARATA.

Aq. Ex Foliis

BURSA PASTORIS, Ita dicta à figura seminum, quæ pastoris bursam ræpresentant: Major foliis sinuatis maximè est in usu. Quod attinet internum, est ex adstringentibus famosissimis ad *hæmorrhagias*, vel quoscunque humorum fluxus. In hæmorrhagia uteri nimia DECOCTUM, vel SUCCUS EXPRESSUS; vel herba contusa per se applicatur regioni pubis externè in *fluxu mensium nimio*; Est specificum in *mictione cruenta*, habet etiam vim vulnerariam, adeoque medetur apertioni vasorum in renibus. VULNERARIUM, est & applicatur ut dixi, in hæmorrhagiis cum successu. *SCHMUCK. in Cur Magico-Magnet. pag.* 15. dicit, quod solum in manu detenta quemcunque humorem in quocunque fluxu & loco sistat. Unde in *hæmoptysi* quoque convenit. Rectè adhibentur in cataplasmatis à muliercul is folia bursæ pastoris & plantaginis acutæ contusa cum tantillo croci & camphoræ, proque intermittentium curatione pulsibus applicantur aqu. nullius est usus: Ineptum enim est ex adstringentibus velle componere aquam, quod semel pro semper dictum volo, quoniam vis adstrictoria non adscendit super alembicum, estque id, quod destillatur nudum phlegma.

LXV. BUXUS, seu BUXUM.

Πύξ☉, *Buchsbaum*, du Boüis.
- Arborescens. *Hujus loci.*
- Fruticosa.
- Foliis rotundioribus. Chamepyxos: *Trag. Tab. Hac. utuntur ad areolas hortorum.*

Insignitur Buxus, *Brunsf. Matth. Matth. Dod. Fuchs. Lon. Lob. Cast. Cam. Tab.* Buxus vulgaris, *Trag.* Buxus arborescens. C. B. 1.

Viret perpetuò, Aprili tamen germina novella profert: locis gaudet asperis, & saxosis.

Vires. Rari usus est in Medicina: sunt tamen qui *oleum* ex ligno destillant, summè narcoticum: idque non solum summoperè commendant in Epilepsia, odontalgia (si dentiscalpium ipsi intinctum in radicem dentis dolentis immittatur) dentibusque coriosis, verminatione, &c. sed & pro oleo Ligni Heraclei Rulandino venditant. Videatur Quercet Tetrad. p. 214. 215. 216. ubi buxum lignum efficassimo sulphure narcotico scatere docet.

Extractum Ligni. Vid. lib. 2.

Vires. Insigne est sudoriferum & specificum ad Epilepsias, vermes, putredines.

Dosis: *Exigua pilula. Quercet. in Pharm. Rest. cap.* 46.

[℞. Succus Buxi rec. expressus beneficio liquoris appropriati, exhibitus cum successu pleuriticis in Belgio: quod pro secreto communicatum retribuo.]

[*Solo decocto ligni Buxi Icterica sana a. For obs.*]

[*Spiritus acidiusculus quo Tincturacorallorum parata Epilepticis adhibetur.*]

[*Acetum dicitur antiepilepticum.*]

BUXUS. Viret perpetuò, vim habet *anodynam* & *narcoticam*. Lignum, quod tantum est usitatum, substitui potest in curatione luis venereæ ligno guajaci. Nam non semper opus, ut lignis utamur exoticis, quoniam nostra etiam terra profert talia, quæ illis succedanea sunt. Possunt itaque optimè in curatione Luis venereæ loco ligni guajaci assumi lignum Buxi, loco ligni Sassafras, Juniperinum, loco radicis Chinæ & Sarsaperillæ, radices Bardanæ & Caryophyllatæ. Propter vim narcoticam & anodynam conveniunt dentiscalpia, ex illo facta, ut & oleum destillatum in doloribus dentium, quos sopiunt, & omnes ferè alios: Unde dicunt communiter, quod sit oleum ligni Heraclini Rulandi; quod tamen falsum: conficitur enim ex corylo, de quo suo loco. SPIRITUS cum oleo commendatur contra Epilepsiam. Spiritus internè assumptus est egregium *sudorriferum* & sanguinem purificans. DECOCTUM foliorum & Ramorum Buxi in lixivio acri, crines tingit colore ruffo.

C.

LXVI. CALAMUS AROMATICUS INDUS.

Calamus Aromaticus officinarum. *Vide Acorus.*

Calamus Aromaticus Indus, est planta Indica & diversa ab Acoro. Super quo legi potest Garzias ab Horto lib. 1. Aromat. cap. 23. & annotationes Clusij in eundem.

Inscribitur κάλαμ☉ simpliciter, & κάλαμ☉ μυρεψιϰὸς, *Hippocr. & Galen.* καλ. ἀρωματικὸς, *Diosc. Oribas. Ægin. Aëtio.* Calamus Alexandrinus, *Celso.* Calam. Aromaticus, *Cord. in D. Fuchs. Garz. Lob. Acost.* Calamus aromaticus Indicus, C. B. 1. inter arundines odoratas, German. *Vvolriechend Calmus.* Roseau Aromatique. *Calamus N.* Rara planta est officinis nostratibus, & non nisi *Foliis* solummodò arundinaceis [iisque raris] nota.

Substituunt itaque Acorum seu Calamum Aromaticum officin.

Vires. Calfac. sicc. 2. acris est ususque præcipui in Uteri affectibus & nervorum doloribus. Garzias ab Horto.

CALAMUS AROMATICUS. Hic cum sit planta exotica ex India Orientali, rara est avis in nostris regionibus, & numquam in Germania genuina, sed apud Mercatores Belgas recens invenitur Genuinus calamus aromaticus est species gladioli: Sapor ejus est acris & amarus penetrans, & insigniter incidens: prodest in morbis ubi peccat acidum, in *Scorbuto* cujus sal vol. acre & acidum coërcet: Si apud nos invenitur, aut est adulteratus, aut vetustatè corruptus, adeoque ut sal vol. acre avolaverit, & penè nullius est usus. Legitima est vis *stomacum* roborandi & *uterum*, *flatus* potenter pellit & discutit, & ardor, qui linguâ percipitur, virtutem cruditates stomachi & intestinorum, corrigendi & expellendi monstrat. Præterea *suffocationis uterinæ* magno est emolumento. Hinc instantes *menses* ciet, *lochia* & *secundinas* pellit. Cæterum cum apud nos, ut dixi, non genuina atque ideò rara, & præterea adulterata & vetustate sit corrupta, idcirco loco hujus substitui solet acorus major, qui propterea vocatur CALAMUS AROMATICUS OFFICINALIS, & annumeratur omnibus tam stomachicis, quam Carminativis. aqu. DESTILLATA est stomachica, ole.

oleũ DESTILLATUM egregium est *anticolicum* & *carminativum*. Plura qui desiderat de calamo aromatico, potest videre Rerum Indicarum Scriptorem *GARCIAM AB HORTO*, & qui in hunc commentatus est *BONTIUM in Tr. medicin. Indorum*, & qui instar omnium est *BAUHINUM in Tom. I.* qui omnia ex iisdem in ordinem fideliter redegit.

LXVII. CALAMINTHA.

Καλαμινθη, C. B. {
Incana, ocymi foliis.
Pulegij odore, seu Nepeta.
Vulgari, vel officinarum.
Hac usualis.
Magno flore.
Exiguo flore.
Arvensis verticillata.

Dicitur Calamintha. *Matth. Fuchs.* vulgaris *Cam.* Cal. montana vulg. *Lob. Tab.* Nepeta montana, *Cor. in D.* Mentha sativa rubra, *Ger.* Calamintha, vulgaris vel officinarum Germaniæ, C. B.; aliis Calamenthum Germ. *Atkermuntz, Calament, Vvilder Poley*, Calaminthe, ou Pouliot sauvage.
Floret Iunio & Iulio crescit in Arvis.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Calfac. siccat, & aperit, attenuat, discutit, extergit, partium tenuium est, stomachica ac uterina imprimis, hinc & pectoralis atque Epatica: menses ciet, fœtum ejicit, urinam movet, tussi medetur, epar reserat.

PRÆPARATA.

1. aq. Ex planta integra Iunio, vel Iulio, collecta.
2. *Sal.* Ex cinere.
3. *Syrup. compos. de calamintha.* Vid. Dispens. August.
4. *Spec. Diacalaminth.* Vid. Disp.

CALAMINTA. Planta satis cognita, cum in omnibus reperiatur agris, & odore se prodat, Mentha est simplex, & Calamintha elegantior aliis speciebus, ubi verticillatim congesti sunt flores. Ratione odoris monstrat se impraegnatam esse copioso sale vol. aromatico seu oleoso, quod confirmat & effectus & producta. Quoad effectus est *carminans* quoddam ex primariis, cum egregiè flatus quoscunque discutiat. *Stomachica* est & *uterina*. Externè discutit, attenuat & resolvit *tumores duros* & *coagulationes humorum*, qui oriuntur à peccante acido, ergo talia applicantur medicamenta, quæ morbosum illud acidum absorbent & absumunt. Dum dicit *AUTOR*, quod sit partium tenuium: Chymici ita exprimunt: habet in se sal vol. acerrimum & penetrans. *Stomachica* est & *uterina* imprimis: Omnia menthæ genera in affectibus stomachi commendantur: Mentha vulgaris contra *choleram*, (morbus ubi & per superiora & per inferiora excrementa biliosa ejiciuntur) cui sæpe subest malignitas, quod tamen magis Calamintha facit. Hinc est *uterina*, quæ vis se exserit in expellendis *mensibus* & *fœtu*. Menses adeò potenter ciere dicitur, ut etiam in gravidis proliciat, & fœtus interitum procuret; quæ enim menses movere debent, necessario sint partium acrium & tenuium, ut cachexiam corrigant, sanguinem crassum incidendo, menstruam fermentationem sanguinis adjuvent adque excretionem disponant: Dum dico menses ciet, simul intelligenda sunt *lochia* & *secundina*. Est quoque egregium & moderatè *diureticum*, quoniam urinam pellit, *ulcera renum* abstergit, & *mictionem cruentam* sanat. In *asthmate* & *orthopnæa* non vulgaris est usus, si decoquatur cum oxymelite, sive asthma & horthopnæa sit ex vitio stomachi, sive ulcere pulmonum. Utroque in loco pituitam crassam & viscidam incidit & mobilem facit, ut felicius vel per superiora vel inferiora excerni queat. Internè, dum expellit, etiam præscribi solet in *Ictero* quocunque cum aliis specificis. Externè vel in balneo vel fomentis, ubi sacculus applicatur vel abdomini, vel regioni pubis. Abdomini, in affectibus intestinorum flatulentis & fluxu cruento seu *Dysenteria*: Regioni pubis in ciendis mensibus, sistendis doloribus mulierum post partum in *inflatione uteri*, quæ contingit, quando post partum aëri frigido, quod sæpe fit, sese exponunt. Etjam capiti applicata convenit *vertiginosis*, *veternosis*, & *stupidis*, qui laborant vitio cerebri à lymphæ copiâ, quam discutit & expellit. Quoad præparata in officinis prostant plurima. Hic observetur, quod debeat colligi in Junio & Julio, quando adhuc madet rore matutino, & sic destillari: ros enim inservit loco menstrui, vires extrahit & volatilisat, ut sit in iis malis, ubi Calamintha ex usu, egregia aqua destillata. Sal communi modo paratur. Omnes diacalaminthæ species sunt egregiæ stomachicæ & carminativæ.

LXVIII. CALCATRIPPA.

Videatur Consolida Regalis, *Matth. Cast. cam. Tab. Ger.* Consolida Regia, *Lob.* Flos Regius, *Dod.* Delphinium, *Clus.* Germ. *Ritterspron, Lerchenklau, S. Ottilienkraut.* Consolide royale.

Varia extant genera quoad colores, florum multiplicitatem, modumve nascendi differentia, adeoque alia est flore simplici, alia pleno, quædam hortensis, alia arvensis. Hortensis colitur in hortis, arvensis passim in arvis reperitur, præstantiorque habetur hortensis. Floret Maio, & Junio.

N. *Sunt* qui calcatrippam pro Delphico Dioscoridis reputant, alij Cyminum sylvestre Dioscoridis esse volunt. Sufficit nobis scire & vires & usum.

OFFICIN. NAT.

Herba & Flores.

Vires. *Omnes* calcatrippæ species siccant, calore & frigore temperatæ sunt, subastringunt, vulnera consolidant, partum facilitant intrinsecus & extrinsecus adhibita.

PRÆPARATA.

1. aq. *stillat.* Ex herba cum floribus collecta initio Junij.

Vires. *Commendatur* ad oculorum rubedinem & ophthalmias. Præsertim quæ è cœrulei coloris floribus prolecta est.

2. *Conserva.* Ex floribus.

Vires. *Commendatur* ad tormina ventris infantum, ut & ad ardorem stomachi.

CALCATRIPPA seu CONSOLIDA REGALIS, multa hujus sunt genera, quorum differentia desumitur à ratione florum. usitata ex vulgata colore cœruleo flore simplici, herba & flores, imprimis tamen flores. *Herba* & *flores* simul sunt *vulnerariæ*, idque dicunt monstrare signaturam per calcar vel stimulum, & prodesse in vulneribus ex punctura provenientibus: quod linquimus *CROLLIO* & sequacibus: sufficit nobis, quod experta sit ejus vis in vulneribus. Hinc commendatur insigniter ad *partum facilitandum*, & ad *partus vitia*, quod fuit secretum *AGRICOLÆ*, qui dedit decoctum florum Calcatrippæ cum floribus Cyani pro facilitando partu difficili (NB. coquuntur in vino.) Alias ex floribus calcatrippæ & cyani fiunt egregia medicamenta, quæ cient urinam sive applicetur decoctum interno usu in potu. Etiam cum Cyano conjunctim usu interno præscribere solemus: unde ratione hujus solent misceri in hydrope medicamentis aquas per urin. expellentibus. Externo usu applicatur fotus ex decocto florum Calcatrippæ, qui impositus regioni pubis convenit in *retenta urina*: item cum cepis sub forma cataplasmatis contra retentionem urinæ. Aqua Calcatrippæ est ex præparatis, quæ singulare est *ophthalmicum*: observetur autem ex *RHUMELIO*, quod debeat esse collecta circa festum Joannis Baptistæ, quando luna versata est in signo terreo, tunc demùm enim aqua destillata

deſtillata eſt ſpecifica ad oculorum quæcunque vitia, ad ophtalmias tam ſiccas, quam humidas. Hinc aqu. hæc inſeruit pro vehiculo liquoribus ophtalmicis, ſi iis miſceatur. Poſſunt redigi flores calcatrippæ in oleum per digeſtionem, ad eum modum, quem tradunt Auctores circa flores cichorei & cyani cœrulei, de qua *SENNERT. in praxi lib. 1. part. 3. ſect. 2. cap. 12. p. m.* 786. Oleum taliter ex calcatrippæ floribus paratum ophtalmicum eſt ſingulare, & non tantum in *ophthalmiis*, ſed etiam in *ſuffuſionibus* & *catarrhactis* eſt egregium.

LXIX. CALTHA.

Calendula, Cryſanthemon, *Ringelblum.* Soulcie ou Soulcy.

Eſt præcipuè. { vulgaris. *Hæc officinalis.* / paluſtris *Hæc officinis ignota.* }

Indigitatur Calendula, *Brunſf. Trag. Dod. Cam.* Caltha ſativa, *Tab.* Caltha *Matth. Fuchſ. Lon. Caſt.* Chryſanthemum, *Lob.* Calendula ſimplici flore, *Ger.* Calta vulgaris, C. B. i. [Verrucaria.]

Creſcit in hortis florere incipit Maio, floretque per integram æſtatem.

OFFICIN. NAT.

Flores.

Vires. *Flores* Cardiaci cenſentur, hinc Epatici, calf. & ſicc. 2. (præcipuè ſi ſicci ſint) aper. diſcut. ſubaſtring. menſes cient, partum promovent (fumus ſubditus parturienti,) ſudores movent alexipharmaci cenſentur, ictero medentur.

[. *N. Semen in Quartana exhibetur.*]

[*N. Capitula* globoſa florum antequam aperiantur, muriâ & aceto condiri, locoque Capparum edi poſſunt]

PRÆPARATA.

1. aq. Ex fol. & flor. cùm incipit Floreſcere. [menſes movet.)
2. *Acetum.*
3. *Conſerva.* Ex floribus.

CALTHA ſeu CALENDULA, flore ſulphureo, vel communi, datur præter hanc Caltha paluſtris, quæ non uſitata, ſed hæc quæ communis, & vocatur Calendula ſeu Chryſanthemon, quæque flore pleno & ſimplici habetur, cujus flos apud auctores veteres non legitur in uſu fuiſſe, à modernis autem refertur inter cordiales. Inter reliquos uſus commendatur calendula ad *Icterum flavum*, cujus ferunt ſignaturam, ſi ex floribus exprimatur ſuccus, & recipiatur ſucci expreſſi ℥j. jejuno ſtomacho cum ʒj pulveris lumbricorum terreſtrium, qui ſingulare ſunt ſpecificum in quocunque Ictero. Quodſi reſolvantur Lumbrici in ſpiritum Urinoſum, eſt medicamentum eò penetrantius. Cardiaci ſunt, ut dixi, flores Calendulæ & *alexipharmaci.* Et hinc commendat *QVERCETANVS* AQUAM & SYRUPUM ex calendula in morbis malignis. Syrupus habetur deſcriptus in *HORSTII Diſpenſ. Tom. 2. lib. 1. pag.* 8. Fit ex ſucco horum florum cum ſ. q. Sacchari Hinc. rectè dicit *QVERCETANVS* : mirari hic ſubit, quod tanta Calendulæ ſit præſtantia, media hyeme vireſcat reliquis emorientibus, quare hoc egregij uſus eſt indicio, & prodidit ſeſe hujus nobilitas in roborandis facultatibus & animali & vitali: ad *paralyſin* quoque cum primula veris convenit. Jam notum, quod primula veris propter vim antiparalyticam vocitetur herba paralyſis, & huic æquales judicat *QVERCETANVS* flores Calendulæ & calcatrippæ, quæ elegantioris coloris. Præter hæc primario uſu eſt *uterina*, dum *menſes*, *fœtum*, & *ſecundinas* potenter pellit, imprimis flores: Rationem hujus rei habemus elegantem in *RIVERIO* obſ. communicata à *PASCHEQVO* 30. dum dicit ſanguinem menſtruum bene valentis odorem calendulæ ſpirare. Hinc conjecit ex ſimilitudine ſubſtantiæ Calend. movere menſes, & hanc conjecturam confirmat experientia *PETRÆI*, dum ſcribit, quod & fætum eſt expellans & ſecundinam & menſes. Sive dentur in ſubſtantia cum decocto, ſive in ſubſtantia ſubforma conſervæ. Et ACETUM CALENDULATUM in præcavenda peſte, quod vires alexipharmacas haurit ex floribus Calendulæ, nam omnia acida præcavent à peſte.

LXX. CANNABIS.

Eſt { Sativa / Sylveſtris. } { fœminina, maſculina } { Hæ uſuales promiſcuè. }

Dicitur Καννάβις, *Dioſc.* Cannabis *Brunſf. Matth. Dod. Len. Lob. Caſt. Cam. Tab. Ger.* major, *Trag.* ſativa *Fuchſ. Cord. in D.* C. B. 1. *vulgo* Cannapus, German. *Hanff, zahmer Hanff* Chanvre.

Colitur in agris : Floret Iunio.

OFFICIN. NAT.

Semen, rariò *Herba.*

Vires Semen calf. (aliis refrig.) ſiccatque, ſemen genitale imminuit (uſu continuato) tuſſi opitulatur. Ictero ſubvenit : at caput vaporibus replet.

Herba refrigerat & ſi cat, ambuſtis convenit, aurium dolores (ab obſtructione natos & à vermibus,) ſanat [*ſuccus inſtillatus.*

PRÆPARATA.

[*Oleum Cannabinum*]

[*Vires. Emollit, inflammationes arcet, ad extractionem alienorum corporum Emplaſtris additur.*]

Capillus Veneris. vid. Adianthum.

CANNABIS, creſcit vulgari uſu ex ſatione in agris. Uſurpatur imprimis SEMEN, quod vim habet opiatam & *narcoticam*, atque ad *deliria* & dementiam pronos facit homines : Hinc rari eſt uſus interni. EMULSIO nihilominus commendatur ad compeſcendam Gonorrhæam, fit ſcill. Emulſio ex hoc ſemine, quæ experta eſt, præmiſſis imprimis univerſalibus : Formula poteſt eſſe talis

℞ *Sem. Cannabis* ℥j.
4. *frig. major. ana* ʒj.

fiat Emulſio cum aq. menthæ & aq. Cyani, vel potius calcatrippæ, cui adde

ſuccini præparati
Oſſis ſpeiæ ana ʒj. quod ſpecificum eidem

Gonorrhææ : præparata edulcorentur Syrupo de Nymphæa q. ſ.

Rarius ingrediuntur quidem Syrupi Emulſiones, quoniam illas reddunt vel nigras vel rubras, ſed cum hic ſit albus, nihil impedit, quo minus poſſit aſſumi. Eadem emulſio poteſt etiam propinari mulieribus in *furore uterino*, & ſunt, qui præter vim narcoticam ei attribuunt virtutem concitatricem Epilepſiæ, quod tamen vix credo. In *laxitate uvulæ* decoquitur parum ſeminis cannabis in poſca vel aq. cum acet. miſta, quod colatum adhibetur pro gargariſmate, atque numquam fere fallere inquit *SACHSIVS* in *Ampelographia p. m.* 446. Vulgaris eſt traditio quod herba Cannabis ſoleat *imminuere virilitatem* & infringere venerem. Cui tamen contraria eſt experientia, quam habet *OLEARIVS.* in *Itinerario Perſico*, & *MOEBIVS in Inſtit. p.* 664. Ubi refert, quod Perſæ folia cannabis cum melle ſubigant & utantur crebro ad venerem ſuſcitandam. Quod dixi de Emulſione ſeminis cannabis, illam conducere contra *Gonorrhæam*, dictum quoque volo de oleo per expreſſionem, inunctum enim regioni renum Gonorrhææ medetur.

LXXI. CAPPARIS.

Frutex eſt exoticus, ex quo flores antequam è gemmis erumpant, decerpuntur, conditique ad nos transportantur

Nominatur Capparis, *Trag. Matth. Cord. in D. Lon. Caſt.* Cappar. 2. *Tab.* Capparis ſpinoſa, *Bellonij* Capparis.

retuſo

retuso folio, *Lob.* Capp. rotundiore folio, *Ger.* Capparis spinosa fructu minore, folio rotundo, C B. 1. Germ. *Cappern.* Cappres.

OFFICIN. NAT.

Cortex, radices imprimis.

Vires. Calf. & sicc. est spleneticus, acris, amarus, austeriusculus, ideoque incidens, aperiens, extergens, subastringens. Prodest in affectibus Arthriticis, hypochondriacis, & simil.

PRÆPARATA.

Conditi flores.

1. *Condiuntur* acet. affundendo, & *Sal* spergendo.

N. Nocere creduntur stomacho imbecilliori, Epati è contra & Lieni conferunt, obstructiones eorum reserando.

[Languentem appetitum excitant, nimiâ aciditate ne obsint, pectori in primis, vel vino eluendæ vel sacharo, passulisve miscendæ.

1. *Oleum Compos.* Vide Disp.
2. *Trochis. de Cappar.* vide Disp.
3. *Extract.* è corticibus *Rad* Fit secundùm Quercetan. cum Aq. flor. Genistæ vel simili, P. R. cap. 26.

CAPPARIS. Usitatus hic imprimis cortex, tum cappares conditi vel sale vel aceto. Notum, quod decantata sit vis capparum in *affectibus splenis*: Ratio operationis veteribus fuit ignota: nam dixerunt, adstringunt: & saporis sunt amari, & adstringentis quare hac ratione oriretur potius mali auctio: adhæc plurimi affectus pancreas potius agnoscunt pro subjecto, quam lienem, de quo tamen apud veteres altum silentium, uti notum. Conveniunt ergo Capparis tam fructus, quàm cortices in *affectibus splenis*, *Hepatis & pancreatis*, ubi adsunt *obstructiones*, *inflammationes*, *inflationes*, *schirri* & *tumores*: Operandi autem ratio est hæc. Cortex capparum est subamarus, adstringens & austerus, & hujus ratione absorbet acidum, quod in viis primis stagnat, & ex pancreate ejaculatur; dum ergo absumitur causa obstructionis, fit, ut sublato acido, tollantur effectus, scirrhi, &c. Nam omnes scirrhi sequuntur vel fiunt ab acido, coagulante vel sanguinem vel succum chylosum, & nisi cautè tractentur, abeunt in Cancrum, quando nimirum levissima accedit phlogosis & effervescentia: In talibus ergo scirrhis usurpanda remedia, quæ absorbent acidum coagulatorem, ut tollatur coagulatio. Prostat exemplum in *BARTOLINO* mensium obstructorũ curatorum per usum gallarum, quæ adstringunt: Rationem autem hujus rei præstat *TACHENIUS in Hipp. Chymico*, quoniam nimirum absorbent acidum. Eadem ratio est in Corticibus capparum, polypod. Scolopend. Zedoar. corticibus Tamarisci, fraxini, &c. qui commendantur ad *morbos lienis*, *hepatis*, *pancreatis*. Quod autem absorbeant acidum, demonstratur ex Mechanicis, & per Encheiresin communem, dum fit atramentum. Vid. *TACHENIUS*. Hæc ergo ratio, cur cort. capp. medeantur *lienis & hepatis scirrhis*, non minus ac *tumoribus duris pancreatis* in decocto, quod quidem ingratum, & cum infuso melius possunt adhiberi; in *affectibus splenis & hypochondriorum* in nodulis purgantibus pro purgatione leni per Epicrasin, unde creditur, eos etiam ciere *menses*, & convenire iis, qui habent *uterum* vel *scirrhosum*, vel simili affectu affectum: quod dictum de corticibus, idem de FLORIBUS tam sale quam aceto conditis verum est, & propterea ab antiquissimis temporibus commẽdantur cappares. Videatur imprimis *SCHENCKIUS lib. 3. Observ.* qui ex BENIVENIO refert de splenetico per septennium, liberato solo usu capparum, adjuncto potu Aq. ferrariorum. Nam omnes quidem adstringunt per se: Unde adhibentur eædem aquæ in dysenteria, quando excernuntur cruenta: nihilominus in spleneticis, ubi acidum obstructivum penetrat in intestina, & in quibus hepar, lien & pancreas jam tumefactum, commendantur Aquæ ferrariorum. Cumque hic adsit acidum, fit, quando sese his adjungit, ut 1. alvum reddant fluidam. 2. Dum absorbent acidum, soleant impedire & coagulationem & fermentationem, à quibus scirrhi & tumores. Unde non mirum, si his tumor per septennium splenetici fuit curatus. *FORESTUS lib. 20. obs. 2.* simile refert de vetula 20. annorum splenetica cum tumore ingenti, solo usu capparum curatâ. Unde etiam cappar. vel flor. conditi cum aceto sunt usitati in affectibus spleneticis tam internè quam externè, Externè acetum applicatur cum linteo seu spongia lateri sub hypochondrio sinistro; quod si admisceatur semen sinapi, ut ejusdem Sal. vol. sese conjungit cum aceto, erit singulare in affectibus spleneticis: Nam in sinapi est egregia vis *antiscorbutica* & *anticachectica* ole. CAPPARUM SIMPLEX competit externo usu similiter in affectibus splenis, & solet hoc oleo. cappar. malaxari Emplastrum de cicuta, usitatum in tumoribus spleneticis & similibus. Nihilominus cum sit rarius, ergo malaxetur cum ole. succini. In *ZUUOLFERI pharmacop. regiæ ultimæ edit. p. m.* 72. habetur ole. CAPPAR. COMPOSITUM, spleneticum & hepaticum singulare: Compositio videatur *cit. loc.* Adhuc noto: Capparum flores & flores genistæ, hi sunt singularia antisplenetica, & solent continuato usu conjunctim adhiberi, & ut totum conservent ventriculi, neve usu capparum de throno dejiciatur idem.

LXXII. CAPRIFOLIUM.

Περικλύμενον, Matrisylva, Volucrum majus, Lilium inter spinas, *Vualdvvinde*, *Speckgilg. Geisblatt*, *Zaungilg*, *Vualdlilien*, *Alfrancke*. Chevrefeüilles.

Est { non perfoliatum. perfoliatum. } *utrumque promiscuè officinale est.*

1. Non perfoliatum vocatur Caprifolium, *Brunsf. Lon.* Germanicum, *Dod.* Periclymenum, *Trag. Fuchs. Cord. in D. Cam.*

Periclymenum non perfoliatum septentrionale, *Lob.* Periclymenum vulgare septentrionalium. *Clus. hist.* Periclymenum non perfoliatum Germanicum, C. B. 1.

2. Perfoliatum dicitur Periclymenum. *Matth. Cast.* Periclymenum perfoliatum, *Lob. Tab. Germ.* Periclymenum vulgare alterum, *Clus. hist.* Periclymenum perfoliatum, C. B. 1.

Crescit in dumetis, fruticibusque instar convolvuli adhærescit. Floret Majo, ac Junio.

OFFICIN. NAT.

Flores.

Vires. Calef. & sicc. diureticum validum ac spleneticum est. Usus præcip. in astmate & tussi. Externè extergit ulcera sordida, sanat impetigines, aliasque cutis maculas abstergit.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex floribus.

Vires. Confortat nervosum genus, auxiliatur asthmati, tussi, palpitationi cordis: facilitat ac accelerat partum, oris siccitatem emendat (in gargarismis.)

Succus ex foliis rarò extat, insignis tamen efficacia est in vulneribus capitis ateranij curandis.

[*Oleum ex floribus instar ol. Iasmini parare nonnulli satagunt.*]

CAPRIFOLIUM, vel MATRISYLVA, Rari solet esse usus; nihilominus perperàm, cum non sit nocivum in multis affectibus: Duæ ejus sunt species, perfoliatum & non perfoliatum; ejusdem tamen usus & efficaciæ. Usitati FLORES imprimis: hinc etiam BACCÆ rubræ. Hæ baccæ & flores suaviter aliàs olentes sunt in usu: Quæ habet AUCTOR, satis sunt clara & certa. Sunt qui dicunt, quod decoctum caprifolij in cerevisia interno usu singulare experimentum sit contra arthritidem vagam. Aq. prostat ex floribus destillatis, DECOCTUM item in

in *affectibus faucium & gulæ inflammatione, exulceratione, & aphthis* pro gargarismate laudatur. SUCCUS ex foliis raro prostat, quem commendat AUCTOR ad *vulnera capitis & cranij*. AGRICOLA verò in *Chirurgia parva*, sed eleganti *pag.* 110. facit liquorem oleosum ex baccis rubris, quas in autumno maturatas contundit, & digerit vel in B. Mariæ, vel fimo equino, qua digestione resolvuntur in liquorem balsamicum, & dicit de eo, quod conducat in quocunque vulnere recenti, non verò ulcere sanando.

LXXIII. CARDAMOMUM ET GRANA PARADISI.

Cardamomum, C. B.
1. Granum Paradysi.
2. Majus officinarum.
3. Medium.
4. Minus in officinis simpliciter Cardamomum dicitur.
5. Minimum.

Ex his officinis usualiora sunt Grana Paradysi, quæ officinis Cardamomi majoris nomine veniunt: tum cardamomum simpliciter ita dictum, quod officinarum Cardamomum minus audit.

Grana Paradysi inscribuntur Cardamomum majus, *Matth. Lon. Cast.* Gran. Parad. *Cord. in D.* Milleguetta, *Lob.* Malaguetta, *Garz.* Cardam. Arabum majus, *Tab.* Germ. *Paradieszkærner.*

Cardamomum simpliciter dictum videatur. Cardamom. minus, *Matth. Lon. Tab. Cord. in D. & hist.* minus vulgare, *Lob. Clus. in Garz.* Germ *Cardamamlein.*

[*N.* Cardamomum utrumque Capsici nomine comprehenditur, ut in spec. Diamargarit. calid.]

N. De Cardamomo veterum disputatur, utrum generibus his 5. contineatur. Sunt qui Cardamomum majus, veterum Cardamomum esse contendunt: alij contradicunt, objicientes amaritudinem ac odorem gravem, quibus veterum Cardamomum celebre fuit, nostrum non iterum.

Eligitur utrumque quod est fragenti contumax, plenum, occlusum, & caput odore tentans, gustu acre & subamarum.

Affertur utrumque in Europam Alexandriâ, Ægypti, ac etiam ex India Orientalis Provinciis Malavar, Java & simil.

OFFICIN. NAT.

Fructus uterque, *Cardamomum* scil. *& grana Paradisi.*

Vires. Vtrumque calfac. & sicc. (majus & gr. 2. minus 3.) partes principes recreat, attenuat, flatus discutit, coctionem juvat, proin conducibilis eorum usus est in affectibus capitis, ventriculi, & inprimis uteri.

PRÆPARATA.

1. *Ol.* Cardamomi.
2. *Confectio.*

CARDAMONIUM seu GRANA PARADYSI. Satis usitatum aroma exoticum, & affertur ex india orientali. In usu est *majus & minus*: & quidem si præscribitur simpliciter & sine additamento, intelligitur majus, seque habere saporem aromaticum gustui monstrant: ex Sal. vol. oleoso sed egregiè temperato constant, unde cum penè omnia reliqua aromata masticata soleant ardere fauces, sola hæc solvuntur suaviter & blandè penetrant: Unde solent ex aliis aromatis conducere stomacho, adeoque ut omnibus præferantur digna sunt, dum neque faucibus, neque gulæ, neque stomacho, neque intestinis empyreuma quoddam, seu calorem & inflammationem inducunt. In *torminibus* infantum nimiis vel unum vel alterum granum datur cum lacte, & semine anisi, ut & impediatur *lactis coagulum* & acidum corrigatur, auctor torminum. Et sicut reliqua aromata cardamomum est *carminativum*, in *Colica, suffocatione uterina* & imprimis *doloribus mulierum post partum* est egregij usus. Masticatur granum unum vel aliud, datur in *vertigine capitis* juniorum, si oriatur à ventriculo debiti sive solum, sive adjuncto tantillo Zingiberis conditi.

LXXIV. CARDIACA.

Cardiaca, *Matth. Lob. Lon. Cast. Tab. Ger. Fuchs.* Melyssa sylv. *Trag.* Marrubium mas, *Brunsf.* Marrubium Cardiaca dictum, fortè primum Theophrasti, C. B. 1. Germ. *Hertzgespan.* Agripaume.

[Dicitur Agripalma, ob foliorum scissuras in digitos.]

Crescit juxta sepes & vias, locisque, gaudet frigidis: floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Fol.

Vires. Calf. 2. sicc. 3. attenuat, discutit, peculiariter medetur distensioni hypochondriorum, & cardiæ infantum (quem affectum cardiacum seu cardialgiam appellant,) ciet urinam & menses, pectus à pituita detergit, difficulter parientibus opitulatur.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex herba, quæ præcipuè in usu est.
2. *Vnguentum Cardiacum.* Vide lib. 2.

CARDIACA, Nomen hoc ab usu habet, quod tam insigniter conveniat, quam specificè curet Cardialgiam infantum, ortam ab inflatione hypochondriorum & stomachi. Præter hunc in hoc affectu usum, rarum agnoscit, utut sint, qui dicunt illam tam potu quam fotu continuato cum vino haustam, vel applicatam conducere mulieribus *parturientibus*. ac destillata in inflatione hypochondriorum infantum cum Botryde, quæ huic non cedit, si non superat, est egregij usus (butyrum rubrum.) usu non inepto à mulierculis inungitur regioni pectoris.

LXXV. CARDUUS BENEDICTUS.

Dicitur Carduus Benedictus, *Brunfs. Trag.* (qui & Acanthus Germanicus.) *Matth. Lob. Cast. Tab. Cam. Ger.* Attractilis hirsutior, *Fuchs.* Acanthium, *Cord. in D. Lon.* Cnicus sylv. alter Theophrasti, *Cord. in D. Cam.* Cnicus supinus, *Cord. hist.* Carduus benedictus & attractilis, altera species, *Dod.* Cnicus sylvestris hirsutior, sive Carduus benedictus C. B. (4. Cnici.) Germ. *Cardobenedicten, gesegnete Distel.* Chardon benit.

Crescit in hortis, floret Junio & Julio.

N. 1. *Tempus* sationi aptius est crescente.

N 2 *Carduus* benedictus si sub initium Iunij collectus fuerit, vulnera recentia mirabiliter curat, sin alio tempore, nunquam id præstabit.

OFFICIN. NAT.

Folia & Semen.

Vires. Herba Cardiaca, alexipharmaca, ac sudorifera est ex usitatissimis, Calf. & sicc. 2. atten. aperit, disc. veneno ac putredini resistit, febres etiam inveteratas & quartanas curat. Laudatur à nonnullis peculiariter in Cephalæa clavo dicta, ut & in surditate. Extrinsecus rarioris est usus, adhibetur tamen nonnunquam ad gangrænam arcendam (in Epithem. vel cataplasm.)

Semen. *Vires easdem obtinet, sed usu non aquè crebro adhibetur, commendatur imprimis ad Epar obstructum.*

PRÆPARATA.

1. *Pulvis.* Datur ad Drach. j.
2. *Aq.* Ex herb. integr.
3. *Spir.* Ex herb. fermentata,
4. *Succus*, ex herba expressus.
5. *Sal*, ex Cinere.
6. *Oleum stillatit.*
7. *Conserv.* Ex foliis seu summit.
8. *Syrup.* Ex succo.
9. *Extract.* Ex foliis c. Acet. destill.

CARDUUS BENEDICTUS. Species Cardui quæ, reperitur in hortis. Notabile, quod refert AUCTOR de tempore collectionis, & hoc confirmat, quod omnino sit observandum tempus balsamicum. In usu est semen & folia: inprimis contra dolores *pleuriticos* semen. Tempus colligendi plantam est plenilunium

nilunium Martij & Aprilis: semen decerpitur, quando est maturum, ubi vix celebrior planta in *pleuritide*. Aq. destillata egregiè prodest: Vel fiant emulsiones ex semine in *pleuritide*. Compositio potest esse talis:

℞ *Sem. Card. bened.* ℥ß. *vel* ʒvi.
Ratione doloris: Papav. albi ʒij *cum ſ. q. Aq. Card. bened. vel Aq. flor. acaciæ ſeu Aq. papav. Rhæados f. l. a. Emulſio, cui addatur. Mandibularum Lucij*
piſcis, dentis apri præparati.
antimon. diaphoretici ana ℈j. *vel* ʒß.
edulcoretur rotulis manus Chriſti perlatis, vel etiam Syrupo nymphæa. f. potio.
[pro pleuritide]

Vim antipleuriticam obtinet ex eo, quod conveniat ſanguini, eundem coagulatum diſſolvendo: jam verò in omni pleuritide eſt ſanguis talis coagulatus, ex acido præternaturali: Unde ſi ſtagnat in utraque pulmonum parte, eſt *peripneumonia*, ſi in una tantum, *pleuritis*. Et quod valet de pleuritide, valet quoque de *eryſipelate*, *phrenitide*, & omnibus *inflammationibus* partium internarum, quæ ejusdem ſunt rationis cum inflammationibus externis. Dum Card. Benedict. Aq. deſtillata impedit, ne ſanguis coaguletur, uti & SUCCUS ex eo, PULVIS, Aq. SYRUPUS & CONSERVA idem præſtant: Præter vim antipleuriticam habet vim *alexipharmacam*, quia ſudoriferum; Uſitata eſt emulſio cum appropriatis in febribus malignis, in quibus oleoſitate temperat efferveſcentias, & expellit malignitatem per ſudorem. Decocti videantur vires in *peſte* in *PALMARIO cap.* 18. de morbis malignis & contagioſis *p.* 450. Præterea eſt ſingulare *febrifugum*. DECOCTUM propinatum in *febribus intermittentibus* ante paroxyſmum præmiſſis univerſalibus. Oxoniæ curavi filiam hoſpitis meæ à febri intermittente præmiſſo vomitivo, decocto nimirum turionum Sambuci, ſummitatum cardui benedicti cum aliquot guttis Spir. Sal. ammon. vel urin. ſequente largo ſudore. Ingreditur Spiritum antipleuriticum D. *MICH.* qui fit, quando plantis antipleuriticis affunditur Spir. Vini, & digeſtione lenta abſtrahitur per alembicum, poſtmodum permiſcetur cum ſpir. nitr. digeritur, & viciſſim deſtillatur per alembicum. Debet eſſe ſpiritus nitr. dulcis, qui per ſe etiam eſt antipleuriticus. Singulare eſt quod habet, de decocto Card. Benedicti *BALLONIUS lib.* 2. *Conſ.* 11. dum dicit, quod ad ℥iij. vel iv. aſſumtum ſoleat facere urinam craſſam & fœtidam, quod obſervetur, ne aliquando in praxi fiat error.

LXXVI. CARDUUS MARIÆ.

Carduus Mariæ, *Trag. Fuchſ. icon. Lon. Caſt. Germ.* Vulgaris, *Cam.* Carduus Lacteus, *Matth.* Spina alba hortenſis, *Fuchſ.* Carduus albus & Chamæleon, *Brunſf.* Carduus Marianus, *Cord. in D. Tab.* Carduus Leucographus. *Dod.* Carduus albis maculis notatus vulgaris, C. B. 1. Sylibum, *Lob.* Germ. *Mariendiſtel. Frauendiſtel, Benediſtel, Stechkraut,* Chardon de nôtre Dame.

OFFICIN. NAT.

Semen inprimis, hinc *Folia*, & nonnunquam *Radix*.

Vires. Paſtoralis imprimis Carduus Mariæ cenſetur. Calf. & ſicc. 2. ſubaſtringit, incidit, aperit: in cæteris æmulatur carduum benedictum. Uſus præcipuè in pleuritidie, Ictero ac hydrope.

Doſis ſeminis ad Drach. j.

N. *Semen* in emulſionibus crebri eſt uſus.

PRÆPARATA.

Aq. Ex herba tenella.
[Sal etiam utile.]

CARDUUS MARIÆ, ſeu LACTEUS. Dicitur lacteus, quoniam folia notata ſunt maculis albis. Quod vires attinet, convenit in illis per omnia cum carduo benedicto. *Antipleuriticus* eſt, *alexipharmacus*, *febrifugus* & *ſanguinem coagulatum* primariò ſolvit: unde præſcripto illo præſcribitur & hic: ſemen maximè in Emulſionibus. SEMEN Cardui Mariæ etiam commendatur ad *lac generandum* mulieribus & fœmellis. Item ſingulare ſpecificum eſt ad *fluxum album* mulierum. Præterea commendatur pro *cienda urina* & *menſibus*. *LINDANUS* ſpecificè commendat ſemen cardui Mariæ ad ʒij. contra hydrophobiam ſeu rabiem, in vino, dum egregiè ſudorem movet, & dicit, ſe didiciſſe hoc ex quodam, qui hujus rei certam habuit experientiam. *STARICIUS* (In heroum Theſauro) *p.* 82. ſcribit, quod radix Cardui Mariæ, ſi geſtetur ab uno, qui converſatur cum altero, ſoleat enervare alterius vires, quod etiam refertur de chamæleonte, forſan certiori experientia.

LXXVII. CARLINA.

Χαμαιλέον λευκὸς. Apri radix, ſeu *Bherwurtz*, Carline. Carduus panis, ſeu Pacis, *Erico Cord.* Chamæleon albus, *Matth. Cord. in D. Caſt.* Carlina herbarior. *Lob.* Chamæleon albus Dioſc. *Lob. icon. Cluſ. hiſt.* Carlina humilis (vel altera,) *Dod.* Carlina ſeſſili flore, *Cam.* Carlina acaulos magno flore, C. B. 1. aliis Carolina, Cardopatium, Gerin. *weiſz Eberwurtz.* Carline.

Creſcit in locis montoſis, v. g. in Alpibus Helvetiæ, & alibi.

OFFICIN. NAT.

Radix collecta tempore verno.

[In Apulia Gummi Chamæleoni inhærens, colligitur à paſtoribus, & Cera di cardo, dicitur.]

Vires. Calfac. & ſicc. 3. eſt alexipharmaca, ſudorifera, diuretica, emmenagog. tineas ventris necat.

PRÆPAR.

Extracti mentio fit apud Practicos, convulſis utilis.

CARLINA. Cardui ſpecies, quæ uſitatius dicitur Chamæleon: duæ ejus ſunt ſpecies, *nigra* & *alba*, eſt ubivis obvius, niger vulgariter creſcit in locis benè cultis: Rari uſus tamen in officinis, utut vis ejus *alexipharmaca* valdoperè commendetur & decantetur: ſubtilioris etiam & ſublimioris Philoſophiæ ſcrutatores & Paracelſi ſectatores Magica hoc ipſo præſtare tentant, dum nigro hanc vim tribuunt, quod ſi geſtetur ab aliquo cum altero converſante, illum enervet, & vires in ſe derivet, inque hoc ferè omnes auctores conveniunt, imò nonnulli dicunt, illum ejuſmodi quoque vires obtinere in brutis, adeo ut in equili ſi appendatur equo, vel in os immittatur, derivet in ſe omnes reliquorum vires, ut valdopere fortis & generoſus evadat reliquis delaſſatis. Sunt qui cum hac radice *transplantationis* modo volunt derivare vires & robur ex equo in hominem, vid. *STARICIUM*] In heroum Theſauro *p.* 80. 87 88. & 127. qui oleo per coctionem ex radice elicito eandem attribuit vim, *TENZELIUS in Medicina Diaſtatica*, ubi tractat de modis curandi morbos per transplantationem, pro arcenda ſterilitate tranſplantat fœcunditatem in Chamæleontem nigrum, qui comeſtus à ſterili, fœcundat. *c.* 28. *p.* 151 & pag. ſubſequente ſimul facit mentionem virium per transplantationem ope radicis Chamæleontis. Item *HELMONT* de carlina *tr. magnet. vulner. curat.* §. 24. qui preſſius rem indagat, quomodo procedendum: Multa certe cum hoc chamæleonte tentantur magica. Pro his uſibus colligatur radix vel herba, intra aſſumptionem & nativitatem virginis & ſane multum his diebus tribuitur à Botanicis, quod tempus intra hos obſervatur propterea etiam, quia eſt balſamicum colligendi cornua cervorum, & aliorum Medicaminum, ſicque etiam Chamæleon tis.

LXXVIII. CARUM.

Κάρος, κάρον καρίον: Caros, *Brunsf. Trag.* Caretum, *Fuchs.* Carum, *Cord. in D. Matth. Lob. Dod. Cast. Tab. Ger.* Carvi, *Lon.* Cuminum pratense, Carvi officinarum, C. B. 1. Germ. *Vveisz Kummel, Feldkummel.* carvi ou carrotes.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Calfac. & sicc. 3. discut. atten. Stomachicum est ac diureticum, lactis abundantiam praebet. Hinc usus ejus in signis in colica, vertigine, &c. cum interne, tum externe applicatum.

PRÆPARATA.

1 *Confectum Semen.*
2. *Condita Radix, sed rarò.*
3. aq. stillat Ex planta integr.
4. *Ol.* Ex semine sicco l. a. destillatum.

CARUM. Planta nulli non nota: in officinis usitatum SEMEN & ex hoc oleũ destillatum. Semen æmulatur vires seminis cumini, nisi quod sit fortius, quoniam saporem habet acrem, & non temperatum ab oleo, sed est acrius, quare quodcunque acidum invenit in primis viis, temperat & potenter corrigit. Unde egregium est *stomachicum & diureticum*, temperat *mucilaginem* acidam & viscidam, incidit & abstergit. Deinde quoque est *anticolicum*, *intumescentias stomachi* compescit, & usu tam interno, quàm externo his affectibus medetur. A *THONERO* expertum est remedium in Cardialgiis, & *in observationibus p.* 136. refert, se curasse guttis v. stillatitij Carvi subitò dolorem totius abdominis clamosum: item in alio sævissimum ventriculi dolorem itidem ipso oleo Guttis V. olei destillati succini idem præstabitur. Hic dolor ventriculi valdoperè est molestus propter connexionem & sympathiam nervorum dorsi cum orificio ventriculi sinistro, usque ad scapulas. Unde hæc cardialgia vocari solet *Colica ventriculi*, si conjuncta sit cum inflatione, ubi oleũ Carvi stillatitium erit egregium, nam ingens est *carminans*. Sæpius fit, ut ex potu nimio immoderato & nocivo oriantur tormina stomachi gravissima, & in his nihil melius semine Carvi à ℈j. ad ʒß. sive ol. gutt. v. vi. vii. usque ad x. in jusculo calido: conjunguntur etiam cum his doloribus *diarrhææ*, & solum semen Carvi aut oleũ destillatum est sufficiens in omnibus his casibus Externo & interno usu convenit: De interno hactenus Externè conducit, quando pro majori penetrãtis miscetur cum oleo Nucis Moscatæ expresso, quod *carminativum* est & *stomachicum*. Nam olea destillita omnium fortissimè penetrant, quoniam nihil aliud sunt quam sal. volatilia simplicium concentrata ab acido figente, dum hoc salia volatilia arripit, seque cum i lis jungit, unde ex oleo destillato in digestione cũ sale fixo potest sublimari sal vol. Arcanum fuit *HELMONTIO*, de quo vid. *TACKENIUS in Hippocrate Chymico.* Vocantur elixiria parva.

LXXIX CARYOPHYLLUS HORTENSIS.

Videatur Caryophyllus, *Lob. Tab. Ger. Cast. Matth Cam. Lon* Caryophylla *Tab.* Vetonica *Dod.* Betonica altilis, coronaria Tunica, *Fuchs. Nagelblumlein*, *Graszblumlein.* Oeillet de Iardin, ou Gyroffle.

Est { Hortensis, colitur in hortis varior. color. & discrepantis plenitudinis. Sylvestris, *rari usus.*

Florescit Junio atque in multam æstatem

OFFICIN. NAT.

Flores potissimum rubri.

Vires. Moderate calf. & sicc. Cephalici sunt ac cordiales. Usus præcip. in vertigine, Apoplexia, Epilepsia aliisque & nervorum affectibus. In syncope ac palpitatione cordis: fugant lumbricos, allevant partum: Extrinsecus adhibentur in vulneribus capitis extrahunt ossa cranij fissa; leniunt cephalalgiam & odontalgiam.

PRÆPARATA.

1. *Succus inspissatus, essentia dictus*
℞. Flor. rubr. (cùm primùm gemmæ explicari incipiunt) resectisque albidis illis partibus conquassa irrorando, exprime, clarifica ac coagula lentissimè.
N. Calore nimio perdit vires, nimia agitatione cum spatula amittit colorem.
Dosis à Scrup. ß ad Drach. ß.
2. *Conserva* ex floribus.
3. aqu. *stillat.* ex flor. cum herba lenissimo MB. calore.
N. Ophthalmica insignis est, &c.
4. *Syrupus.* Ex infusione florum.
5. acet. Ex infusione florum. Vide lib. 2.

CARYOPHYLLUS. Usitato vocabulo præscribitur in officinis TUNICA: v. gr. flores tunicæ: Syrupus Tunicæ, & sic porro, estque duplex, *hortensis & sylvestris.* Hortensis flore rubro est usitatus, paratur ex illo SUCCUS, CONSERVA, SYRUPUS: Hujus flores referuntur inter primaria *cephalica*, in affectibus capitis quibuscunque interno usu, operantur enim sine notabili agitatione confortando caput: temperati sunt in suis facultatibus, unde ingrediuntur flores Tunicæ omnia medicamenta *antapoplectica*: In omnibus capitis & nervorum affectibus ordinariè miscentur medicamenta cum succo vel Syrupo florum Tunicæ. In officinis usitata CONSERVA, aqu. & SYRUPUS. *Conserva* imitatur florem, unde permista cum aromaticis à senibus est assumenda ad quantitatem nucis juglandis tempore matutino pro corroborando capite. aqu. *stillatitia* est ex primariis *Cephalicis*, contra *affectus capitis, loquelam amissam & syncopen*, quas vires etiam imitatur SYRUPUS. ACETUM usurpatur in *pestis præservatione*; in *morbis malignis & lipothymiis* applicatur pulsui externè, an cum successu nescio, usitata tamen apud modernos hæcce praxis.

LXXX. CARYOPHYLLI AROMATICI.

Charunfel *Arabibus.* Caryophylli, *Matth. Tab.* Caryophyllus, *Cord. hist. Cast.* Calafur *Arabibus*, & plerisque Indis. Caryophylli, *Lob* Caryophyllus florens & Caryophylli veri, *Ger.* Caryophyllus aromaticus fructu oblongo, C. B. 1. Antophylli dicuntur reliqui majores, *Lon, Lob. Tab. Ger.* Caryophylli maturi seu majores, *Cor. hist.* Caryophylli mares *Avicennæ.*

Fructus, seu si mavis, flos est aromaticus exoticus, Solis radiis induratus & nigrefactus.

Duplici sortis prostant: Nimirum,

1. Caryophylli dicti, qui discussi sunt antequam maturuerint, unde & minores esse solent German. *Nelcken.* Oeillets sauvages.

2. Antophylli, *Mutternelchen*, Antophylli, qui maturitatem assecuti, sunt: unde & majores existunt.

Delectus Eligendi sunt suavè fragrantes, oleosam quandam humiditatem premendo exhibentes.

Vires Cardiacum, Cephalicum ac Stomachicum insigne exhibent, calf. & sicc. 3. discutit. Hinc prosunt in Lipothymia, odontalgia, cruditate ventriculi, vertigine, arcent quoque morbos malignos, uterinos, &c.

[*Gummi Caryophyllorum habetur.*]

PRÆPARATA.

1. *Confect.* Fit l. a.
[conditi etiam habentur.]

2. aq. } ut ex aromatibus reliquis eliciuntur, vide lib. 2. vel. 4. in Cinnamomo.
2. *Oleum*

N. 1. *Caryophilli multùm olei fundunt.*

Vires. Oleum hoc denti cavo inditum odontalgiam mirificè lenit.

4. *Extractum.* Fit ex caryophyllis cum aq. stillat. & Spiritu vini.l.a

5. *Sal. com.* Ex remanentiis incineratis elixiviatur.

6. *Balsamus.* Fit l. a ex ol. Nucistæ depurato, ac ol. caryophyll. tingiturque pulvere caryophyllor.

7. *Species d. caryophyllor.* Vide dispensator.

CARYOPHYLLUS AROMATICUS. Fructus Exoticus ex India orientali & præprimis insulis Moluccis in quibus in copia proveniunt allatus. Duo horum sunt genera, CARYOPHILLI & ANTHOPHYLLI, Caryophylli vulgares sunt immaturi, anthophylli maturiores. Nam in principio, dum adhuc in arbore sunt, habent colorem rubrum, postmodum maturiores facti, nigrum acquirunt, exsiccantur in aëre, ut possint transportari in alia loca: vid. rerum Indicarum scriptores; inter alios liber editus de Regno Sinensi in quo dicit, quod sit arbor magnitudine ad instar pyri nostratis, & in extremitatibus ramusculorum copiosè congesti reperiantur caryophylli: Colliguntur in Octobr. & Febr. Hic noto, quod sint adulterata omnia aromata ex India allata: & ex caryophyllis apud nos est usitatus fructus tantùm, Indi utuntur & foliis & floribus arboris. Dixi, quod adulterentur, quod fit 1. quando macerantur, aqu. marina salsa, quæ in se habet aciditatem contrariam sali alcali seu aromatico acri. 2. Adhuc ulterius à mercatoribus corrumpuntur cum aqu. ut graviores fiant pondere. Quod attinet usum horum, singulariter *confortant* totum corpus, imprimis *capiti* & *utero* sunt dicati: præter hæc *stomacho* insigniter prosunt: admiscentur pulveribus & nodulis vel aliis medicamentis *uterinis*, quoniam *uterum* valdopere roborant. Tempore procedente Caryophilli multum odoris, exhalante sale volatili, perdunt, hunc ut recuperent, mercatores recipiunt vinum, in quo macerant optimos caryophyllos, & huic vino postmodum infundunt inodoros: unde fit, ut imbibant omnem vim è vino, & sic novum acquirunt odorem, qui tamen non diu durat, nisi contineantur in loco frigido. Vocantur ANTHOPHYLLI, propterea, quoniam conducunt *Utero*: Ingrediuntur decoctum contra *sterilitatem MYNSICHTI.* Fit etiam ex illis SYRUPUS, eodem modo ac ex vulgaribus, usitatus in *inflatione uteri*, vel aliis ejusdem affectibus. Juxta hunc oleũ destillatum Caryophillorum prostat, quod commendatissimum est externè in *odontalgia*, si cum bombace applicetur denti cavo vel lateri, penetrantius fit, si addantur grana aliquot Camphoræ, quæ per se acidum omnis odontalgiæ compescit & demulcet. Idem ole. destillatum commendatur pro Cephalico & cordiali: Unde in confectione Theriacæ in defectu Opobalsami oleũ Caryophyllorum destillatum *Theriacæ* permiscetur. Propterea à *CLODIO in Tr. de balsamis*, vocatur balsamus naturalis: & quidem vires hujus olei destillati videre possumus decantatas à *DEODATO* in ejusdem *Pantheo Hygiastico lib. 2. p. 35* Ex hoc oleo Caryophyllorum, quod etiam est ex primariis ingredientibus balsami apoplectici, fit cum corpore pro balsamo usitato balsamus, qui inungitur regioni ventriculi & cordis, in *ventriculi affectibus & syncope* ex affecto ventriculo imminente.

LXXXI. CARYOPHYLLATA.

CAryophyllata, *Brunsf. Trag. Lon. Matth. Cast. Tab. Ger.* Vulgaris, *Lob. Cam. Cus. hist.* Caryophyllata hortensis, *Fuchs.* Herba benedicta, *Brunsf.* 4. Caryophillata vulgaris, C. B. 1. *alias* Sanamunda. Herba benedicta. Germ. *Benedictvvurtz*, *Benedictkraut.* Salmonde.

Crescit locis incultis pinguibus juxta sepes.

OFFICIN. NAT.

Radix collecta mense Martio, quæ odoris fragrantis est (23. Martij circiter, raro. *Folia.*

Vires Cal. ac. & sicc. 2. subastring. robor. discut. cephalica ac cardiaca est. Vsus præcipui internè in catarrhis exsiccandis, sanguine coagulato resolvendo.

CARYOPHILLATA, apud nos usitata vulgaris, & tantùm radix collecta mense Martij circa diem 23. In usu externo solet ingredi balsama & unguenta vulneraria & ulceraria, interno in *decoctis* & *infusis* adhibetur, & quidem radix, si infundatur vino, aromaticum illud acquirit odorem, estque aroma nostras, & vinum hoc potum restaurat & *confortat ventriculum*, nec non ejus tonum laxatum corrigit. Hinc etiam in oppilationibus & *obstructionibus Hepatis Lienis* & *Mesenterij* valdopere conducit; Internè usitata quoque vulgaris in *affectibus catarrhalibus*, & quod dicitur de ligno Sassafras exotico, quod sit alexipharmacum catarrhorum, teste *BRUNNERO*, valet etiam de radice Caryophyllatæ. Et quidem jam *PARACELSUS* specificè recommendat *Radicem* Caryophillatæ cum radice acori contra catarrhos. *HARTMANNUS in praxi Chymmiatricâ cap. 21. §. 2.* habet vinum Catarrhale ex radice Caryophillatæ cum radice acori, hoc correxit *LINDANUS in Collegio super hunc locum*, & nobis præscripsit talem haustum:

℞ *Ligni Sassafras.* ℥ij.
Rad. Caryophyllatæ ℥ij.
Herbæ roris marini recentis ℥ß.

Infundantur in magnum vas, & affundantur vini generosi mensuræ duæ, coquantur leni igne in diplomate seu balneo maris, vase vel amphora bene clausa, horis 8. deinde removeatur ab igne, ut refrigescat; assumet æger haustum bonum, una vel altera hora ante pastum, vel hora 7. 10. 5. & tempore decubitus, & dicit *AUCTOR* de hoc, quod sit magnarum virtutum & comprobatum, quod credo, minimè enim jactor est: item Caryophyllata usu *Catarrhali* admirabilis est, quæque egregium simul est *stomachicum*, & loco ligni Sassafras in Catarrhis emendandis adhiberi potest.

LXXXII. CASTANEA.

Κάςανον, Castanea, *Brunsf. Trag. Fuchs. Dod. Lac. Lon. Lob. Tab. Ger.* Castaneæ minores, *Matth.* Castanæ sylvestres, *Cord. in D. Cast.* Castanea sylvestris, quæ peculiariter castanea, C. B. 1. German. *Kastanien.* Chatagne.

Castaneæ etsi omnium glandion sint præstantissimæ, teste Galen. attamen præter *membranam rubram*, cortici ac carni intercedentem, nihil officinis exhibent.

Vires. Membrana sistit valenter immodicos alvi fluores & sanguinis rejectiones (in vino austero sumpta) Quin etiam cum pari pondere ramentor. eboris, alba fœminar. profluvia cohibet.

Dosis Drach. ij. Matthiol.

[Ex castaneis Emulsiones parantur ad hæmoptysin.

PRÆPARATA.

1. aq. ad fluorem muliebrem.
2. *Conserv.* è Julis, Vomitoria.
3. Unguentum, Prævot. in alvi profluviis.

CASTANEÆ. Fructus usitatus, non est rararus: in Italia integri montes pleni reperiuntur. In usu apud nos cortex non exterior, sed pellicula illa, quæ immediatè cingit nucem. In aliis locis in

in substantia solent usurpari: Membrana seu pellicula dicta est adstrictiva, & prodest contra quemcunq; *fluorem* sive sit sanguinis, sive aliorum excrementorum, pulvis fructus cum ebore ad *fluorem album*. In Gallia præparant ex fructu SYRUPUM *pectoralem*, qui expertus est in raucedine, sed, ut dico, apud nos non est usitatus.

LXXXIII. CENTAURIUM. MINUS

Centaur. { Minus, de quo hic. / Majus. Est. Rhaponticum vulgare. Vide suo loco.

Dicitur Centaurium, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lac. Lon. Lob. Cam. Cast. Tab.* Centaurium parvum, *Lob. Ger.* Centaurea, *Brunsf. Cast.* minor *Brunsf.* Centaurium minus, C. B. 1. Alias febrifuga, fel terræ. Germanicè *Tausentguldenkaut*, *Erdgall*, *Fieberkraut* Petite Centaure. Ital. Biondella.

Nascitur solo arido, & pratis sabulosis: Floret Iulio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Planta foliis ac floribus referta, vel *summitate* solæ.

Vires. Spleneticum est & Epaticum, calfac. & siccat, amarum est citra mordacitatem unde & leniter astringens, extergens, aperiens, vulnerarium: biliosos & pituitosos humores quàm lenissimè per alvum educit, serum per poros discutit Hinc utile in febribus (unde & nomen habet,) Ictero [Ascite pulvis ad ʒj. cum sem. anisi tertio quoque die sumtus.] Menstruis suppressis, Scorbuto, Arthritide, lumbricis, & specificè in morsu canis rabidi.

[*Externè decocto utuntur ad furfures Capitis & tineam.*]

N. *Tanta* æstimationis est ut vix vinum medicatum seu absynthites vulgus paret, cujus partem non constituat.

PRÆPARATA.

1. aq. Ex integra planta.
2. *Spiritus.*
3. *Extract.* i. e. succus inspissatus ex herbis ac floribus conquassatis, atque cum aqua maceratis.
   Dosis ad Drach. j.
4. *Sal. Com.* Ex cinere.

Centumnodia.
vide
Polygonum.

[Mel Centaurij prostat in officinis nonnullis.]
[Item conserva.]

CENTAUREUM MINUS. Flore rubro usitatum; datur etiam album & luteum, quod posterius crescit in montibus Alpininis Italiæ: vocari solet aliàs FEL TERRÆ centaureum flore rubro, propter excessivum amaricantem saporem, item PLANTA FEBRIFUGA, propter egregiam & expertissimam vim, quam exserit *in febribus intermittentibus* quibuscunq; sive sunt simplices, sive compositæ sive erraticæ, sive periodicæ &c. debellandis & curandis. Certè in intermittentibus nullum datur vegetabile melius. Sunt qui ℞. Centaur. minor. flores rubros, pulverisant & pulverisatos propinant à ℈j. & ʒß. ad ʒj. pro secreto habent in curandis tertianis, præmissis universalibus primas vias abstergentibus, DECOCTUM *flor. Cent. minoris & herbæ* ejusdem usitatum fuit Euporiston *RULANDI in Curationibus Empyricis an.* 28. Basileæ editis. Hic certè mira præstitit cum decocto Cent. minoris etiam in Chronicis:

℞. *Flor. cent. minoris* Miß.
Rad. aseri Mj.

decoque in s. q. aq. simplicis, decocti calentis quotidie in lecto bene tectus eger hausit ℥vi. & diu multumque sudavit, nec non continuato hoc benè convaluit, præmisso vomitorio ante paroxysmum. Sæpe usus est idem *RULANDUS* solo Cautaureo minori cum asaro, si fuit Chronica, sine asaro, si fuerit tantum intermittens. Certè in febribus intermittentibus absynthium, fumaria, Carduus benedictus & centaureum minus sunt optima specifica. Si fuit tertiana seu spuria seu notha, conjunxit cum Centaureo minori Carduum benedictum, & in vino decoxit In *quotidianis* Cardui benedicti Mij. decoxit in vino: quæ decocta vulgaris, sed tamen egregij sunt usus. Alius enim senem sexagenarium *quotidiana* cum anorexia & Ictero afflictum curavit hoc decocto:

℞. *Origani flor. Cent. min. Card. benedict.*
ana Mß.
Croci ℈j. *gr. alkekengi* ℥j.

in aqu. simpl. lib. una coquantur ad consumptionem libræ semis. Ceterum quibus ingratæ sunt hujusmodi potiones, quoniam non parum amaricant, iis possunt præscribi extracta plantarum febrifugarum sub forma pilularum.

℞. *Extr. absynth. Card. benedict. Cent. min.*
ana ℈j.

Misceantur fiant pillulæ num. 40. Dosis 15. ante paroxysmum, loco decoctorum satis ingratorum. *POPPIUS.* de peste tanti facit Cent. minus, ut appellat *sarsam parillam Germanorum*: Tempore verno adhibitum in nodulo unà cum absinthio cachexiam corrigit. Hoc adhuc noto, est egregium *Vlcerarium*: eius enim decocto si eluatur ulcus, à malignitate illud egregiè mundificat, & ad supurationē producit. Si eluantur *fistulæ* hoc decocto, disponuntur ad maturationem, indurantur, fit callus & decidit; ad *hæmorrhoides suppressas aperiendas*, partim interno usu quocunque, partim externa affrictione conducit. Cumque sit acris saporis, stimulat intestina ad excretionem; unde vix dantur clysteres acres stimulantes & revellentes in *Apoplexia, paralysi*, & reliquis affectibus capitis, quæ non ingrediatur Cent. minus. Etiam est *Emmenagogum* seu menses provocans, flor. pulverisati vel ex eo parata tam ESSENTIA, quàm DECOCTUM. PALMARIUS *de morbis contagiosis cap.* 18 *p.* 460. dicit, quod si fiat pulvis ex summitatibus Cent. minoris, dum adhuc turgent semine, & eius ʒj in Vino vel aq. Card. bened. hauriatur, sit *pestis* imminentis, & jam contractæ per sudorem singulare propugnaculum. DECOCTUM in oleo vel aqu. simplici præsentaneum est remedium appositum externis *partibus contusis & sanguine suffusis*, discutit enim sanguinem extravasatum & coagulatum, simulque dispellit.

LXXXIV. CEPA, CEPE.

Κρόμμυον, Arab. Bassal. Cepe *Trag. Fuchs. Matth. Cord. in D. Cast.* Capitata, *Matth.* Cepa rotunda, *Dod.* Cepa sativa, *Matth.* Cepa alba & rubra, *Lon. Tab.* Cepa vulgaris, C. B. 1. Germ. *Zwibel*, *Zwiffel.* Oignon.

Ceparum etsi variæ dentur species differentes pro diverso colore florum & radicum, tum pro diversa radicum figura, rotunda, oblonga, sessili, &c. attamen conveniunt facultatibus, adeoque promicuè usurpantur, acriores tamen sunt oblongæ.

Coluntur in hortis, soloque gaudent opimo: Florent Iunio & Iulio.

OFFICIN. NAT.

Radix sola.

Vires. Calfac. & sicc. ad gr. 4. aper. incidunt, abstergunt, partium

partium sunt crassarum, adeoque flatulentæ. Usus præcipui in tartaro pulmonum incidendo & expellendo (cum melle coctæ & assatæ) in urina & menstruis ciendis, in lumbricis fugandis (in infusione.) Extrinsecus maturant & rumpunt apostemata (coctæ & impositæ) etiam maligna in peste (impletæ Theriacâ vel Mithridatio & coctæ.) Urinam proritant (tostæ in axungia & impositæ. N. idem facit membranula cuilibet carneæ particulæ intercedens, glandi scilicet imposita.) Pernionibus conferunt (cum adipe coctæ & impositæ) menses & hæmorrhoides proliciunt (subditæ) ambustis medentur (crudæ cum sale subactæ ac statim impositæ.)

N. Sunt qui contagioso aëre in conclavibus suspendunt, iisque contagium colligi, adeoque conclave purgatum iri autumant.

CEPA, Bulbus seu radix omnibus cognita, cujus ex odore, sapore, acrimonia & proprietatibus colligi potest, quod constet Sal. acri volatilisatissimo, adeò ut levi coctura evanescat. Internè raro usurpatur, quia capiti & oculis nociva. Extrinsecus applicatur *tumoribus* pro *suppuratione* partim malignis, partim benignis: benignis iisque difficilioris suppurationis egregiè conducit succus cepæ, additus cataplasmatis emollietibus & suppurātibus. Vel si cepæ sub cineribus coctæ addantur reliquis suppurantibus, adjuvant maturationem, quando non possunt discuti aliàs. Nam adest 1. humor crudus. 2. Permistum & nimium acidum in massa sanguinea: hæc duo impediunt suppurationem, quando ergo additur Cepa cocta sal ejus vol. sese ingerit & corrigit acidum, penetrativa suâ vi incidit humorem crassum, & promovet suppurationem, impedimenta removendo. In *tumoribus* difficulter suppurabilibus pro temperando acido & humore crasso incidendo, tale potest adhiberi remedium.

℞ *Ceparum sub Cineribus assatarum* ℥ij.
fol. Eryzimi, Chærefolii, Nasturtij hortensis, Sambuci ana Mß.
farinæ fabarum, lupinorum ana ℥j.
Nidi hirundinis num. j.
albi græci ℥j.

Fiat decoctio in sero lactis ad consistentiam Cataplasmatis. Externè etiam *tumoribus malignis* applicatur, in specie *bubonibus* pro materia venenosa extrahendâ, ne possit regredi in corpus. De virtute hujus cepæ vid. *FORESTUS lib. 6. obs. in Scholio*, ubi refert de Chirurgo, qui in peste Delphensi *bubonibus* præcipuè applicavit cepas coctas & contritas cum sinapi albo recenter molito seu contrito (nam si diu steterit, avolavit sal volatile, cujus ratione prodest.) Quod si defuerit sinapi album, ejus loco substituit Theriacam, quam cum cepis contudit, miscuit, & subinde intra 3. dies, *pestilentia* curata, *abscessus* maturatus & ruptus fuit. Alij interno usu pro sudore movendo in *peste*, & cepam unam, quam per medium incidunt, & excavant, cavâ implent Theriaca optima, & superimponunt operculum: hanc in linteo madefacto coquunt sub cineribus, & exprimunt succum, de quo 1. vel alterum cochleare sumptum per sudorem curat pestem. Ulterius externo usu expertissima est contra *suppressionem urinæ*. Vid. *RIVERIUS in Obs. communicatis Obs. 3.* à *MARVINO p. m. 290.* Applicatur placenta ex cepis regioni renum: placentæ descriptio habetur *obs.* 2. antecedente proximè cit. loco, vel solum cepæ sub cineribus coctæ si addatur ℥ß. pinguedinis anserinæ, & illinatur regioni Umbilici & pubis, si causa sit in vesica, si in renibus, cataplasma ex cepis cum tali pinguedine applicatur renibus. Fit etiam nonnunquam, ut ex nimio coitu supprimatur, ubi res periculi plena, & metuenda prostatarum inflammatio & exulceratio, in tali casu hoc cataplasma imponitur perinæo, spatio inter anum & scrotum secundum *HOLLERII* experientiam *Cent. 1. cap. 17* Alij addunt cepis allia: & coquunt cum adipe anserino pro tali fomento; ole. scorpionis potest substitui loco adipis, quia simul est diureticum, pro varietate circumstantiarum. Ambustioni conferunt: si succus recenter expressus applicetur recenti ambustioni: magis fit appropriata, si misceatur cum succo cancrorum fluviatilium, egregia in *ambustione*.

LXXXV. CERASA.

CErasorum varia producuntur genera, tam secundùm colorem, quàm secundùm saporem differentia. Veruntamen in usum pharmaceuticum duo potissimum accensentur, subacida, rubra scil. (Amarenæ,) dulcia, nigra.

Cerasa apud omnes ferè authores nomen suum retinent & dicuntur cerasa. Germ. *Kirschen.* Cerises.

OFFICIN. NAT.

Cerasa utriusque generis siccata. *Nuclei & Gummi.*

[Folia in lacte cocta scorias educunt biliosas, curantque Icterum.]

Vire. *Acida* refrigerant, siccant, astring. Cor ac Stomachum roborant, hinc utilia in febrili siti ac æstu mitigando, &c. Fernel. decoctum cerasorum in hypochondriaco affectu summè commendat. Dulcia temperata sunt ad humiditatem inclinantia, cephalica, unde & in morbis capitis, Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, &c. peculiariter proficua censentur.

Nuclei calculum comminuunt, adhibenturque contusi in frontalibus, unguentove refrigeranti commixti: ad dolores febriles capitis demulcendos faciunt.

Gummi *celebratur vi lithontriptica.*

PRÆPARATA.

1. *Condita.* Condiuntur acida cum saccharo. Vide supra.
2. *Succus*, *sive Rob.* Ex acidulis fit, expressione scil. & inspissatione.
3. *Syrup.* Ex succo acido & saccharo.
4. *Aq. stillat.* Ex dulcibus nigricantibus.
5. *Spir.* Ex dulcibus nigris fermentatis: dicitur & Q. E. Vide de Spirit.
6. Aq. *diuretica.* Ex nucleis utrorumque. Vid. lib. 2.
7. *Tinctura ac Extractum.* Ex nigris fit cum Spir. vin. vel Aq. propria l. a. *Querc. Pharm. Rest.*
8. *Diamare natum.* { *simplex.* ℞ pulp. ceras. vinos. (per cribrum) ℔. iij. sacch: ℔ ij. / *compos.* fit ex simplici ac aromatibus. }
9. *Oleum.* Ex nucleis exprimi potest, sed minùs usuale.

[Ineunte vere ex corticibus cerasi minutim incisis per descensum igne forti destillatur liquor Moschi odore. Hofm.]

CERASUM. Fructus cognitus satis, cujus duo genera maximè usitata: *dulcia* & *acida*: ACIDA sunt *stomachica*; minus acida *cephalica*. Sunt qui dicant, quod Mj. fol. cerasorum, si coquatur in lacte, & assumatur, *purget bilem*, & *uterum* feliciter sanet. ACIDA sunt *stomachica*, unde & *sitim* compescunt: SYRUPUS solet ingredi julepbs *in ardentibus* pro compescendo ardore & siti sedandâ. Macerantur à nonnullis in aceto, & propinantur in febribus, ut in ore retineantur pro refrigeratione & siti compescenda. Principio veris quidam recipiunt corticem interiorem Cerasi, destillant forti igne per descensum, & sic prodit LIQUOR, qui DESTILLATUS dicitur olere instar moschi & zibethi, pro illitione & odore conciliando. Ex DULCIBUS prodit Aq. & per fermentationem SPIRITUS ardens, Hic spiritus est expertissimus in *affectibus capitis, apoplexia, Epilepsia, vertigine, paralysi*, & specificus in *aphonia*, ubi vix melius remedium spiritu cerasorum nigrorum dulcium, vid. *KESLERUS* in 500. controvers. chymic. 37. edit. novissima, & quidem si misceatur cum, oleo Caryophyllorum destillato & aliquot guttæ illinantur linguæ, est egregium medicamentum *in loquela amissæ*. vel etiam si addatur spiritus Theriacalis Camphoratus, qui penetrantissimus erit eò meliùs. Nuclei commendantur contra *calculum*, & egregiè *cient urinam*. oleum ex nucleis expressum est *antinephriticum*.

LXXXVI

LXXXVI. CEREFOLIUM.

Χαιρέφυλλον. Chærefolium, *Brunsf. Dod.* sativum, *Trag.* Cærefolium, *Matth. Cast.* vulgare, *Gre. Lon. Lob. Cam. Tab.* Gingidium, *Fuchs.* Chærophyllum sativum, C. B. 1. aliàs Cerifolium Germ. *Kerbel.* Cerfeüil.

Est { sativum. *Hoc officinale, & jam nominatum.*
sylvestre. *Hoc minùs usuale.* }

Crescit in hortis, floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Folia & Semen.

Vires. Calfac. & sicc. discutit, est partium tenuium, diureticum, emmenagogum ac lithontripticon, sanguinem coagulatum resolvit, somnum suaviter inducit. Extrinsecus usus insignis est in dolore colico, in urina retenta (impos. in cataplasm.)

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex integra planta.
2. *Sal Com.* Ex cinere.
3. *Oleum.*

Ceterach.

Vide Scolopendrium verum.

CHÆREFOLIUM. Quodammodo culinare: FOLIA usitata & SEMEN. Est specificum si quid aliud contra *vertiginem* comestum, sive ESSENTIA cum ocymo & spiritu proprio, vel simplex. Hinc *sanguinem solvit*: DECOCTUM vel ESSENTIA in *casu ab alto* ad resolvendum sanguinem congrumatum commendatur. Sunt qui cum jusculis carnium esitant Chærefolium, idque ideò, quia *stomachum confortat*, & ad assumendos cibos aptiorem reddit. Dicunt etiam nonnulli, quod si ægrotus quidam desperatus assumptum succum Chærefolij retineat, signum sit illum certò reconvaliturum, sin minus, significet ægrum certè moriturum. Est *vulneraria, ulceraria*, in *abscessibus mammarum* ex vitio lactis vide *FORESTUM*.

LXXXVII. CHAMÆDRIS.

Trixago, Trissago, Quercula Calamandrina, *Gamanderlein, klein Bathengel, Bergisz me in nicht*: de la Germandrée.

Species dantur variæ, ex quibus officinales, præ reliquis chamædrys minor repens, C. B. 3. Chamæpitys, *Brunsf.* Chamædrys, *Cord. hist. Tab.* Chamædrys vera, *Trag. Cord. in D.* vera mas, *Fuchs.* cham. vulgaris mas, *Lon.* chamædrys major, *Lob. icon.* minor, *Ger.* chamædr. minor repens, *Dod.* Chamæd. major vel 2. *Clus.*

Colitur in hortis, solo gaudens aspero: floret Junio, ac Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia ac flores.

Vires. Calf. & sicc. ad g. 2. Est splenitica ac Epatica, saporis amari, incid. atten. aperit, potenter urinam ac sudorem movet. Hinc confert in febribus, Scorbuto, sanguine coagulato, Hydrope incipiente, mensibus obstructis, ac inprimis in arthritide. Extrinsecus in ulceribus serpentibus, in scabie ac pruritu, in cathartis exsiccandis.

PRÆPAR.

1. Aq. Ex integra planta, foliis scil. & floribus.
2. *Conserva.* Ex floribus.

N. Est & chamædrys fruticescens, quam Teucrium vocant, hæc iisdem pollet viribus. Et præter hanc est chamædrys vulgaris, juxta sepes nascens, quæ vere substitui potest.

[*Sal etiam habetur item extractum.*]

CHAMEDRYS. Communiter vocatur QUERCULA, & utut ejus variæ sint species, vulgaris tamen est in usu: summitates ejus adeoque tota planta, quoniam difficulter ab invicem semoventur. Sapor ejus est amarus instar febrifugarum omnium, constat enim sal. vol. acri aliquantisper temperato. Vnde non mirum, quod observavit *RIVERIUS Cent. 4. Obs. 84. p. m. 56.* de rustico, qui quamplurimas *quartanas* curavit pulvere Chamæd. exsiccatæ, propinatæ ad aliquot dies in jusculo, præmissis tamen purgantibus, quod etiam dicunt de usu in *tertianis* curandis, urin. & *sudorem ciet* beneficio salis acris, adeoque non mirum, si in his *febribus* conducat. In *arthritide* & & morbis articularibus frequentis est usus cum chamæpytide, in dolore *Ischiatico* & *paralysibus*, & semper coniunctim præscribuntur, tam internè quàm externè in balneis & lotionibus. Et propterea sunt, qui dicunt, quod cum his *podagra* sit curata. Dicta non tantum de *arthritide communi*, sed etiam *vagâ* seu *scorbutica* intellecta volo, cum sciam, illas etiam ad curationem *scorbuti* commendari: Est *spleneticum*, dicit AUCTOR, & hoc confirmat *STOCKERUS in praxi*, ubi refert, quod Chamæd. in potu contra *Icterum* quemcunque, *nigrum* inprimis & *dolorem splenis* prosit. *Quartanas* & *tertianas* curat, & propter hanc vim quam exserit decocta tantum obtinuit, à quibusdam vocari *febrifuga*.

LXXXVIII. CHAMÆPYTIS.

Ajuga, abiga, Arthetica, Arthritica, iva arthetica, *Schlaff krautlein, je lenger je lieber, Erd Pinnedirg.* Pin, Ive Artetique.

Ex generibus variis chamæpytios officinalis præ reliquis est lutea vulgaris, C. B. 3.

Quæ dicitur chamæpytis 3. *Trag. Fuchs.* 2 *Lon.* chamæpytis 1. *Matth. Dod. Cord. hist.* vera, *Cord. in D.* chamæpytis major. *Tab.* mas, *Ger.* Ajuga sive chamæpytis mas *Dioscoridis*, *Lob.* Ajuga, *Cast.* Ajuga luteo flore, *Clus. hist.*

Crescit in agris sabulosis, floret Julio & Augusto, præcipuè autem in hortis colitur.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus, seu herba tota.

Vires. Nervosum genus roborat, calf. 2. sicc. 3. incid. aper. diuretica est, & emmenagoga, confert in arthriticis doloribus.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex herba integra.
2. *Pilulæ de iva arthritica.*

[Salis, Extracti, Conservæ & Syrupi Practici mentionem faciunt.]

CHAMÆPYTIS, seu IVA ARTHETICA. Uti communiter vocatur: quando præscribitur à practicis, solet poni solo nomine ivæ. Tota planta in usu est, cum folia vix sine floribus, & flores vix sine foliis haberi queant. Vsitata est in *affectibus articularibus* cum Chamædri, & vix una sine altera in usu præscripta reperietur. In *paralysi* tam vera quam *paresi*, quæ fit ex colica, & in iis locis vulgaris est, ubi abundat vinum, experta est. Imò sunt, qui ulterius adscendunt, & dicunt, quod cum hydromelite seu oxymelite scillitico conducat ad *affectus cerebri frigidos*, qui potius ex impedito spirituum & lymphæ motu in cerebro oriuntur. Hinc etiam in vino decocta & usurpata commendatur ad *Icterum flavum*, seu morbum regium: Continuatus itidem usus in hydromelite ad *Ischiaticum dolorem* sedandum conducit: *POTERIUS in Pharmacop. spagyrica* dicit, iva in potu adhibita, sanat *cruentam mictionem*. In usu sunt PILULÆ compositæ, quæ dicuntur, propter basin, PILULÆ DE IVA ARTHETHICA & adhibentur in *morbis articularibus* & *arthritide* curandis.

LXXXIX. CHAMOMILLA.

Καμαίμηλον, ἄνθεμις, Leucanthemum *Dioscor.* chamomilla. *Chamillen, Hærnichen.* Chamomille Vulgaire.

vulgaris,

Est { vulgaris. *Hæc usitatissima.* Romana seu nobilis odorata. *Hæc itidem usualis.* fœtida. *Hæc minus officinalis.* Inodorata, *Itidem minùs usualis.*

Vulgaris, insignitur chamomilla 3. & vulgaris, *Trag. Lon.* chamæmelum (parthenij 3. species,) *Brunsf. Cast. Tab. Ger.* chamæmelum, Leucanthemum, *Fuchs.* chamæm. sylv. *Dod.* arvense, *Cam.* Anthemis; *Cord. in D. Matth.* Anthemis vulgatior, sive chamæmilla, *Lob.* chamæmelum vulgare, Leucanthemum Dioscoridis, C. B. 1.

Romana dicitur, Parthenium & nobilis chamomilla, *Trag. Lon.* Leucanthemum odoratum, *Dod.* Anthemis seu Leucanthemis odorata, *Lob.* chamæm. odorat. *Cam.* Romanum, *Tab. Ger.* chamæmel. nobile seu odoratius, C.B.2. *Romisch Chamillen.* Camomille Romaine.

Vulgaris nascitur passim in arvis aliisque locis arenosis. Romana colitur in viridariis. Fœtida invenitur itidem passim.

OFFICIN. NAT.

Flores, seu tota herba, tam vulgaris, quàm Romana.

Vires. calf. & sicc. 1. diger. laxat, mollit, mitigat dolorem, menses & urinam ciet. Eapropter usus insignis est in dolore colico, & hinc pedissequa paresi. Extrinsecus usitatissimus ejus usus est in paregoricis: emollientibus, maturantibus, cataplasmatis, clysteribus, &c.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex vulgari.
2. Aq. Ex Romana.
3. Aq. carminativa, seu de camomilla composita. Vid. lib. 2.
4. *Ol. stillat.* Ex vulgari.

N. Destillant alij cum Therebinthina, unde oleum cæruleum.

5. *Ol. stillat.* Ex Romana.

Ol. infus. 6. Ex vulgari, seu cum floribus ac oleo communi.

Sal com. Ex cinere.

8. *Syr.* de succo camomillæ.

CHAMOMILLA. Hujus duæ sunt species, *Romana* & *vulgaris*. ROMANA odoris est suavis simulque penetrantis & quod dicitur de Chamomilla vulgari, intelligendum venit de Romana, utpote quam superat, quia ejus folia magis sunt pinguia, odor magis penetrans. Tota herba est ex usu interno & externo. Quod attinet usum internum, singularis est in *Colica* tam decocta quàm præparata. Prostat ex utraque simul Aq. destillata, quæ pro vehiculo egregiè inservit medicamentis anticolicis. oleũ destillatum internè ad aliquot guttas mirum quantum conveniat in *Colica*. Destillatio Romanæ vid, *HARTMANNUM in praxi Chymiatr.* Destillatur cum Terebinthina per vesicam, & acquiritur oleum Cæruleum seu Sapphireum *in Colica* tam interno, quàm externo usu egregium. Vid. etiam *SENNERTUS in Instit.* ubi agit de oleis destillatis. Alij oleũ destillant cum rasura ligni pini, alij cum rasura radicis ligni pini, [adiposi] loco Therebinthinæ, quod convenit in *affectibus stomachi*, sive solum stillatitium, sive permisceatur cum saccharo, & fiat ELÆOSACCHARUM CHAMOMELINUM satis gratum. oleũ cum ligni seu radicis pini rasura destillatum est egregium *vulnerarium*, quod à nonnullis pro secreto habetur: *Carminativum*, est & dolores discutit, & sanè odor & sapor ejus penetrans sufficienter monstrant & testantur, quod constet copioso Sal. vol. oleoso; adeoque est planta aromatica, ut inde non mirum videri queat, si acidum colicum corrigit, & *flatus discutit*, *Menses* & urin. ciet usu interno, dicit AUCTOR, quod verum est. In *doloribus post partum* commendatur: accidit enim, ut omnibus rectè sese habentibus, nihilominus post partum sequantur dolores, quando mulierculæ frigido aëri sese exponunt, undè uterus inflatur, ut videantur adhuc semel parituræ, & hic nullum melius datur remedium, quam chamomilla vulgaris & Romana decocta in vino, & mirabilia in hoc casu præstari posse cum hac dicit *ROSENCREUXERUS in Astrologia inferiorum. FORESTUS lib.* 28. *Obs.* 75. & 81. Decocto hoc tanquam arcano semper felicissimè usus est in doloribus post partum: Huic decocto non incommodè additur artemisia. Si Essentia utriusque per spir. proprium præparetur, & extrahatur, esset gratioris & potioris usus. Denique usu interno conducunt in *febribus* Chamomillæ: Et sunt qui dicunt, quod vulgaris sit catholicum febrifugum, & contra *febres intermittentes* commodè usurpari possit. Videri potest de vi Chamomill. antifebrili *FONSECA Consult.* 62 qui commendat Aq. *flor. Cham.* ex succo destillatam, cujus ℥vi, manè assumptæ curent intermittentes, in specie tertianas, quod confirmat propria experientia *ZACUTI LUSIT. lib.* 3 *prax. admir. Obs.* 26. Post usum internum sequitur externus: Usitatissima est Chamomilla in Cataplasmatis & fomentis appropriatis, *emollientibus, discutientibus & anodynis*: ratione enim salis volatilis discutit & dispellit, *dolorem sedat* & *emollit*: in pediluviis cum floribus Nymphææ In Clysteribus *carminativis* & *anticolicis*, in *Cephalicis*, ad vigilias & dolores capitis compescendos: in quibusdam pediluviis ad *colicas* curandas: in *tumore partium genitalium*, post partum, sacculi exinde parati genitalibus applicantur. Item abdomini, in, *doloribus Uteri* post partum: Sacculi tales fiunt flor. chamomill. & matricariæ, quæ vires ejusdem uterinas, si non superat, certè æquat: In iisdem sacculis applicatis abdomini solet conferre ad *colicam torminosam*, oleum DESTILLATUM, & per INFUSIONEN paratum, quod medetur *colicæ* inunctum regioni abdominis, applicari potest in *suffocatione Uterina* simili Colicæ affectu: externè etiam prodest contra dolorem præcordiorum seu *cardialgiam*: & habet *FORESTUS in Obs.* in Cardialgia sacculum expertissimum atque aliis etiam b.D. *MICHAELE* feliciter usurpatum: Cujus hæc est compositio.

℞ *Radicis althææ* ℥ß.
rosarum rubrarum,
flor. Chamomil.
summitat. absinthina. Mj.

indantur sacculo, qui coquatur in Aq. communi & Aq. Chamomill. fiat fotus: cujus basis est Chamom. & absinth. Habet *SENNERTUS in praxi tom.* 3. p. 177. alium sacculum magis compositum, quo ipso idem *FORESTUS* instar incantamenti cardialgiam curavit, vid. cit. loco, etiam *AMAT. LUSIT. in Cent.* 5. *Cur.* 39. & aliis locis insigniter commendat Chamomillam quamcunque in *Cardialgia*, & imprimis Aq. destillatam ex earum floribus ad ℥iij. assumptam. Loco Aq. destillatæ non inconvenienter substituitur decoctum, quo felicissimè sæpe usus est *FORESTUS*, qui mercatorem aliquando clamoso dolore ventriculi laborantem curavit hoc solo decocto semel exhibito, sequentibus ructibus & doloris evanescentia. Si quis parare novit ESSENTIAM FLOR. CHAMOMILL. remedium erit convenientius, præprimis si combinentur cum radice aromatica Zedoariæ. In Clysteribus seu injectionibus *Uterinis*: in *inflatione uteri*, quando scil. post partum flatus in Utero retinentur, isque extenditur, ut speciem præ se ferat mulierem gravidam esse, suffitus ex nuce Moschata & Clyster ex floribus Chamom. & fol. matricariæ in uterum injectus est egregij usus.

XC. CHELIDONIUM MAJUS.

Κελιδόνιον μέγα. Chelidonia, *Brunsf.* Chelidonium majus, *Trag. Matth. Fuchs. Cord. hist. Dod. Lob. Cast. Tab. Ger.* vulgare, C B. 1. aliàs Hirundinaria. German. *Schwalbenwurtz Schelwurtz, Goldwurtz* la grande Chelidoine.

Crescit passim juxta sepes adhærescitque muris: Floret primo statim vere, & per multam æstatem.

OFFICIN

OFFICIN. NAT.

Folia c. floribus, *Radix*.
Vires. *Calfa*. & ſicc. 3. validè absterg. atten. ſaporis eſt acris & amari, bilem per alvum & urinam educit, viſum acuit. Hinc conducit in Ictero, obſtructione Lienis, Epatis, & Ureterum. Radix alexipharmaca ſtatuitur [pro ſuppoſitorio uſurpatur.] Extrinſecus oculorum imbecillati, ulceribus, cæteriſque affectibus medetur (cujus rei gratiâ ſunt qui ſuccum luteum ex rupto caule manantem, oculis indunt.)
N. Sunt qui ad Icterum ſanandum plantis pedum ſupponunt.

PRÆPARATA.

1. *Succus inſpiſſatus*.
2. Aq. Ex herba cum floribus.
3. *Sal com*. Ex cinere.

CHELIDONIUM MAJUS. Herba ita dicta ab hirundinibus, quod hirundines eâ utantur pro viſu pullis reſtituendo: (Gold. Burtz) vocatur, vel ob egregios uſus, quos habet ejus radix & tota planta, vel à colore aureo, quem habent & ſuccus & flores. Acerrimi eſt ſaporis, & tota planta uſitata ſal. vol. admodum acri conſtat, unde inſignem vim obtinet *abſtergendi* quaſcunque *mucilagines & ſordes* in primis viis, & abſterſas ad ejaculationem ſtimulandi. Planta eſt ſpecifica contra *Icterum flavum*, & certè expertiſſima, ſi ſcil. aſſumatur SUCCUS expreſſus, quem potavit nuper ancilla noſtra & perſanata eſt: ſed cum ſit acerrimi ſaporis, ſuperbibenda eſt Cereviſia, & ſunt qui radices inciſas infundunt vino, quod egregiè flaveſcit, & propinant in Ictero flavo certo experimento: Poteſt edulcorari cum paſſulis majoribus, qui non vulgaris ſunt uſus in Ictero. Certum eſt, non melius datur ad *Icterum* tam *flavum*, quam *nigrum*, addito tunc temporis medicamento martiali ſpecificum, quam Chelidoniummajus, ſive ſuccus ejus, ſive infuſum, ſive decoctum, ſive alio modo præparatũ. Dicunt nonnulli, quod radix fuerit ſpecificum remediũ HELMONTII contra *hydropem aſcitem*. Certè mirabili effectu in Ictero operatur inſenſibiliter, modo per urinam, modo per ſudorem, nullo præmiſſo univerſali, quæ etiam hic non multum proſunt & operantur, ſed ſaltim ſpecifica ſunt adhibenda. Sunt qui in *peſte* commendant radicem Chelidonij majoris, cui tribuitur vis alexipharmaca, id quod etiam ſuccus meretur, de quo *PALMARIUS tr. de morbis contagioſis cap*. 18 *p*. 416. Ubi dicit, quod ſuccus radicis ex vino albo cum acet. roſacei pauxillo expreſſus momentaneum fuerit in *peſte* auxilium. Deinde ſunt, qui ſingulariter laudant DECOCTUM *radicis* in *peſte* curanda, quoniam *ciet ſudorem*, malignitatem virulentam tunc temporis per ſudorem expellit. *FREITAGIUS in auror. Medic*. Chelidon. majus extollit ad quaſcunque *cachexias*, non ſolum *flavas*, ſed etiam *albas*: in genere, ad omnia mala, quæ à veteribus ex imbecillitate hepatis oriri credebantur. Idem ſimiliter ſpecificè commendat Chelidon. in aceto decoctum contra *peſtem*, & dicit, quoſdam, ſe præſervaſſe, quoſdam ſe curaſſe hoc decocto ſolo, Propter hos egregios uſus & *Hepaticos* & *antimalignos* à *POPPIO* vocatur Germanorum China, quoniam habet eaſdem vires, quas China Indorum, Sed non tantùm ſingulare *hepaticum* eſt hæc noſtra planta, ſed etiam ſingulare *ſpleneticum*, dum confert ad *lienes dolentes*, atque *tumentes* experientia certa D. *DORINGII*. Vid. *SENNERT. lib*. 3 *pr p*. 622. SUCCUS ſcil. ſolus expreſſus cum vino vel cereviſia exhibetur. Poſt uſum internum eſt inſignis uſus in *affectibus oculorum*, externè vel in *ulceribus* valdoperè prodeſt: pro quibus curandis proſtat Aq. OPHTHALMICA

ex cancr. fluviatilibus & ſucço Chelidonij majoris, quæ oculos læſos ſeu vulneratos ac deſperatos, imò exulceratos certò curat. Auctor hujus Aq. primus fuit *CROLLIUS in Baſilica Chymica*, quem poſtmodum imitatus eſt *MYNSICHT pag*. 296. *CROLLIUS* ſimpliciter fecit ex ſucco florum & foliorum Chelidon: quem deputatum in balneo maris per ſubſidentiam, conjunxit cum cancr. fluviatilibus vivis contuſis; hiſce benè miſtis & contuſis expreſſit ſuccum, quem deſtillavit per balneum maris, ſicque Aq acquiſivit, quâ utitur vel ſola in *vulneribus & ulceribus oculorum*, vel inflat pauxillum de pulvere cancror. fluviatilium incineratorum, deinde ſuperindit hanc Aq. Vid. imprimis *CROLLIUM in Baſilica Chymica*, & poſtmodum ex eo *FINCKIUM in Enchiridio dogmat. Hermet. p*. 51 Hanc Aq. ſimplicem deinceps magis compoſitam fecit *MYNSICHT in armament. Chimic. p*. 296. cujus præparationem videmus cit. loc. ſed quod obiter moneo, ex Tutia, aloë & ſanis nihil aſcendit ſuper alembicum, & talia multa occurrunt in *MYNSICHT*. Alij ſuccum ex rupto caule exſtillantem ſumunt, læſis pro curatione, ſanis pro corroboratione & purificatione oculorum, ſed, quia eſt exceſſivè acris, diluendus potius eſt cum aqua quadam appropriata, vel deſtillandus, ut fiat mitior. Cum Aq. deſtillata fit infuſum metallicum antimon. vel croci antimon. vel croci mart. ſingulare ophthalmicum *RULANDI*, & *QUERCETANI* arcanum ad affectus oculorum. Vim hanc ophthalmicam comprobatam videmus apud *SCOTTUM in Technica Cur. lib*. 2. *cap*. 22. ubi anſerum oculis diſciſſis, humoribuſque expreſſis, ſuccus ejus inſtillatus, & elapſis tribus diebus ut antea videre potuerunt. Simile quid reperiemus in Epiſtolis *BURRHI ad Bartholinum*. Præterea in uſu externo Chelidon. maj. eſt egregium *vulnerarium*, primariò ſi non adeò ſunt recentia, ſed paſſa alterationem ex aëre, & incipit acidum corruptorum vulnerum dominari: Succus tunc inſtillato oleo vel unguento cum ſordibus aurium & Terebinthina, fit BALSAMUM VULNERARIUM. Unde & alius liquor pro eluendis ulceribus indit, & pro experto habet. Colligendum pro uſu vulnerario principio Maij ante ſolis ortum, ubi vires ſuas habet exaltatas, dum madet adhuc rore maiali: Unum adhuc moneo, quod tamen etiam reperitur apud *GARENZIER in elegant. Tr. de Tabe Anglica p*. 153. ubi valdoperè commendat Chelidonium majus pro *affectibus pulmonialibus*, & quod putetur pro balſamo pulmonum. Aq. & Q. Eſſentia præparatur etiam in officinis ex illo contra Tabem Anglicam, quæ tamen toto cœlo differt à noſtra phthiſi. Qui plura cupit, conſulat *FABRUM in Myrothec. ſpagyr. lib*. 2. *c*. 4. qui docet ex illo præparare Q. Eſſentiam & valdè illam decantat.

XCI. CHELIDOMIUM MINUS.

Χελιδόνιον μικρὸν: Ficaria & Scrophularia minor, vel 2. *Brunſ* Chelidonium minus, *Trag. Matth. Fuchſ. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Caſt. Tab. Ger*. Chelidonia rotundifolia minor. C. B. 2. *Arabib*. Memiten, *Feigwartſenwurtz. klein Schelikraut, Schorbuckskraut*: la petite Chelidoine.
Creſcit locis humidis & paluſtribus. Floret Martio.

OFFICIN. NAT.

Radix & Folia.
Vires. *Refrig*. & humect. ſpleneticum eſt. Uſus præcipui in Ictero, Scorbuto, hæmorrhoïdum fluore. Extrinſecus ſpecificè mariſcas ſeu ficos ani curat, dentiumque putredini maximopere ſubvenit.

PRÆPARATA.

Aq. *ſtillat*. E herba tota.

F CHELIDO

CHELIDONIUM MINUS. AD differentiam majoris ita dicitur: utut in nullo conveniant nisi nudo nomine, Vocatur [herba scorbutica propter virtutes, quas habet in his morbis curandis. Est egregiè temperatum in principiis activis salinis, & non adeò excessivè acre, uti reliqua antiscorbutica. SVCCVS ejus in SCORBVTO valdoperè prodest: & hinc fit Spiritus ANTISCORBVTICVS Sunt qui capras habent, quas alunt cum nasturtio, Beccabunga, Cochlearia & aliis plantis antiscorbuticis, ut lac eò majores obtineat vires ex vi specifica plantarum antiscorbuticarum, quo postmodum utuntur contra scorbutum. Post usum in scorbuto est celebrior contra *hæmorrhoides & mariscas ani, seu ficus ani*, & propterea etiam vocatur [Seigmartz Kraut.] *Hæmorrhoidibus* convenit, quando vel nimium fluunt vel obstructæ, vel dolent & tumentes sunt, quarum tumor est difficilis adeò curatu, & periculosus affectus: fit enim nonnunquam, ut sequatur Vlcus & *ani gangræna*, de quo vid. *AGRICOLA in Chirurgia parva*, *SOLENANDER sect. 4. cons.* 20 non potest sufficienter commendare Chelidon. minus usu interno & externo, contra quæcunque *hæmorrhoidum vitia*, quoniam, dicit fluentes sistit, dolentes & tumentes sanat. RADIX exsiccata infunditur potui cerevisiæ & hoc potu feliciter hæmorrhoides curantur. Aq. destillata vel SVCCVS EXPRESSVS applicatus dolentibus & tumentibus easdem certò curat, it. ole. cui planta contusa fuit incocta. Ex nimio fluxu hæmorrhoidum interdum imminet hydrops, pro præcautione *hujus hydropis & hæmorrhoidum* propinari solet Aq. vel decoctum hujus Chelidonij minoris. vid. *TABERNÆMONTANVS in Herbario*, qui radicem tantum appensam instar amuleti, ceu singulare experimentum commendat contra hæmorrhoides. Fuit quidam Chirurgus, teste *SOLENANDRO*, qui curavit omnia hæmorrhoidum vitia, dolentes, tumentes & fluentes, per herbas scrophulariæ & Crassulæ majoris, quibus si addatur Chelidonium minus, est eò melius ad *hæmorrhoides* remedium. Plura qui cupit, videat citatum *SOLENANDRI* locum.

XCII. CHERMES.

KErmes, coccum infectorium, *Matth.* coccus infectoria, *Cord. in D. Cast. Tab.* Granum & coccus baphica Dioscor. granum tinctorium. *Lon.* alias Scarlatum Fructus est famosissimi fruticis, qui inscribitur Ilex in quo coccus baphica. *Bellon* Ilex coccigera, *Clus. hist Ger.* minor coccigera, *Dod.* Ilex coccifera, *Cam.* Ilex aculeata cocci glandifera, C. B. 4. German. *Schaarlachaeer, Rermebkœrner*: du Vermillon, ou graine d'Escarlatte.

Nascitur in Creta, teste Bellon. *lib.* 1. *obs. c.* 17. uti & multis Hispaniæ locis, in Narbonensi etiam Gallia, & Provincia, &c.

Delect. Eligenda sunt grana rubicundo nigra, integra, vermiculum in continentia.

Vires. Cardiaca sunt grana, calf. & sicc. adstring. vapores tetros discutiunt, spiritus vitales reficiunt, parturientibus subveniunt, vulneratis nervis medentur, morbillos erumpere faciunt.

PRÆPARATA.

1. *Confectio Alkermes.* Vide Disp.

Fit cum & sine moscho: illa viris, hæc mulieribus convenientior est.

[Asportatur Syrupus Chermes pro conficienda confectione, qui exhibetur ubi confectio aromatica non reperitur.]

2. *Extractum seu Essentia.* Fit è fructibus contusis cum spirit. vin. vel Aq. Rosar. quæ acidula reddita fit guttulis aliquot Spir. Vitriol aut Sulphuris *Quercet.*

N. Scarlatus pannus, granis hisce (quibus tinctus est) admodum celebris est adhibeturque non modò ad morbillos proliciendos (patientes in eo involvendo,) sed & ad cor roborandum, (Epithemata eo suscepta cordis regioni imponendo) ut & ad bubones venereos curandos (pannum iis imponendo.) Quin & filo serico hujus coloris, ad arcendum Erysipelas, locum affectum circumligare vulgo usitatissimum est.

CHERMES. Planta est Exotica, nec apud nos cognita, dicit AUCTOR. Potius est frutex, qui fert baccas grana Chermes dictas, quibus rubris tingitur pannus, [ders Charlac [& ex his ceu basi conficitur CONFECTIO ALKERMES, de qua vid. *EICHSTADIVM*, qui integrum *tractatum* scripsit *de confectione alkermes*. Quod attinet usum, est ille decantatissimus in cordis affectibus: adeoque erit cordiale & aliis addita confectio in *debilitate virium*, *syncope*, *palpitatione cordis*, &c. usitata, in affectibus etiam *melancholicis* commendatur à citato Eichstadio. Quæ habet AUTOR, sunt satis certa: Hoc tamen noto, quod confectio alKermes præparata cum Moscho, sit exhibenda senibus & viris, sine illo vero mulieribus, quoniam hæ non facilè ferunt moschum. Inter alia ingredientia confectionis alkermes est lapis Lazuli, qui cum habeat vim purgantem, quæritur non immeritò, an sit legitimum ingrediens: Verùm quoniam in parva quantitate seu dosi ingreditur, non contemnendus: Accedit, quod specificè sit expertus contra affectus *Melancholicos*. Dosis hujus confectionis est à ℈j. ad ʒß. cum Aq. appropriata. In detrimento virium valdoperere est ex usu admistis aliis. Prostat etiam SYRUPUS GRANORVM CHERMES cum Camphora; tinctura granorum actes seu Sambuci cum Camphora, quæ sunt singularia remedia in suffocatione uterina. Loco tincturæ potest substitui tinctura granorum actes seu Sambuci cum Camphora: *HARTMANNVS* in *praxi Chymiatric. p.*56 § 3 habet EXT. CONFECTIONIS ALKERMES cum succo pomorum Borsdorffianorum in *suffocatione Uterina*, in *Melancholia* tam *simplici*, quàm *hypochondriaca*, *mania & similibus morbis ZVVOLFERVS* in *pharmacop. regia* ult. edit *p.*179. habet MAGISTERIUM ex granis Chermes per præcipitationem non inelegans. BACCARVM CHERMES PVLVIS est usitatus ad præcavendum *abortum* in mulierculis: Certè unum ex usitatissimis remediis sunt grana Chermes pulverisata.

XCIII. CHEYRI, KEIRI, LEUCOIUM.

CLasses Leucojorum C.B. sunt 4. exhibetque
1. Incanum (folio incano) hortense,
2. Incanum maritimum,
3. Luteum folio hirsuto,
4. Luteum folio viridi.

} *singula sunt diversorum generum.*

Ex his placet officinis luteum vulgare, C.B. 5. inter Leucoia. folio viridi, quod est Leucoium, *Brunsfels. Cord. in Diosc.* Leucoium aureum, *Matth.* Leucoium Luteum, *Fuchs. icon. Dod Lob. Cast. Cam.* Luc. sativum luteum, *Clus.* Keyri vel Cheyri, *Lon.* Viola lutea, *Trag. Fuchs. Ger.* Viola petræa lutea, *Tab.* Germ. *gelbe Violen, NagelVeilen.*

Crescit nobis in hortis, raroque sponte provenit: Floret Aprili, Maio & ultra.

OFFICIN. NAT.

Flores, seu herba cum floribus, & rarò *Semen*.

2. *Vires.* Cordiales sunt, Calf. & sicc. 2. attenuant, discut. partium sunt tenuium, extergunt, cordiales ac nervini sunt, dolores mitigant, menses cient, secundinam proritant,

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* Ex floribus.
2. *Aq.* Ex floribus, vel integra planta.
3. *Ol.* Ex infusis floribus in oleo veteri.

CHEIRI. Usitata vulgatissima in specie FLORES vel SUMMITATES herbæ usurpantur, cum floribus & SEMINE. Vsus eorum imprimis in *affectibus mulierum, cient Menses, promovent partum, pellunt se-*

cundinas

cundinas & *lochia* : oleo solet inungi regioni pubis, abdominis & vulvæ pro *facilitando partu*, in *doloribus post partum*, & *in secundinis retentis* inungi potest abdomini & umbilico : propterea prostat aq. ole. ex infusione & horum vires extolluntur, si infundantur cum flor. Calendulæ. ol. inungitur abdomini cum oleo Chamomillæ misto pro expellendo fœtu : solet etiam ingredi misturas *cephalicas*, *apoplecticas*, & similes, sed, ut dixi, magis est *uterinum*, quàm Cephalicum.

XCIV. CHINA.

Chinæa radix, China radix, Chinensibus Lampatan dicta, *Fragos.* C. B. 1. Cina, aliàs China, *Matth.* China, *Garz. Acost.* Chinna, seu Cinna, *Cæsalp.* *Bochenvvurtz* : Chine

Est { Orientalis. Ex regione Synarum, China dicta.
Occidentalis. Ex Hispania nova & Peru. }

Præfertur Orientalis, quæ exteriùs est colore rubente aut subnigro, interiùs candicante aut subrubente : & hæc, quo nigrior, eo melior. Occidentalis colore est interiùs magis ruffo.

Vires. Calf leniter, siccat 2. subastringit, est diaphoretica, dieuretica, discutiens, aperiens, Epatica. Hinc convenit in cachexia, hydrope, paralysi, arthritide, cephalæa, ictero, lue venerea, tumoribus scirrhosis & œdematosis.

PRÆPARATA.

[Radix Chinæ condita antehac asportata fuit.]

Extract. cum Spir. vini, quod tamen rari usus : adhibetur crebriùs in decoctis, sufficitque Unc. i. vel Unc. ij. pro ℔. ix. aquæ

N. *Vesalius* de China librum conscripsit integrum.

RADIX CHINÆ. Valde usitata ubi frequens *morbus venereus*, cui specificè medetur, exotica & videri possunt de illâ ii, qui scripsere de rebus in Indiis Orientalibus, in quibus morbus Gallicus est endemius, hinc radix hæc in eadem crescit frequens, ut sit medicina in eodem appropriata usitatum DECOCTUM *radicis Chinæ*, seu unicum sudoriferum Galenicis cognitum, quod cum aliis odoriferis mistum, egregiè *urinam ciet*, & *sudorem movet*, in *morbis Chronicis* Galenicorum ultimum est solatium, & vocant Diætas aut sudorifera præmissis universalibus, & speciebus in *Apoplexia*, *Epilepsia*, & cæteris appropriatis. Iuxta hos affectus convenit in *Scorbuto*; sorbillant ad tempus in lacte caprillo vel sero lactis. Si instilletur spiritus cochleariæ in *arthritide scorbutica* expertum. Cæterum cum valdopere exsiccet, sunt qui præcipiunt, ut in decocto addantur passulæ majores, propter saporem & humectationem aliqualem, quæ etiam per se egregiè conveniunt in *Scorbuto*. In *catarrhis*, *phthisi* à lympha acida in pulmones, effusa DECOCTUM CHINÆ convenit, vid. *FREITAGIUS*, ubi tractat de phthisi, in Aurora medica. Modus propinandi decoctum in phthisi est hic.

℞. *Rad. Chinæ in taleolas incisæ* ℥ij.
Flor. papav. Rhœad. Betonicæ scabiosæ ana Mß.
Passularum majorum enucleatarum, minorum ana ℥ij.

Coque in s.q. aqu. communis nempe in lib. 2. ß. nam pro unaquaque ℥ assumitur libra j. in decoctis. Colatura edulcoretur Syrupo flor. papaveris Rhœados, & trajiciatur per manicam Hippocratis, F potus contra phtisim. ESSENTIAM EX CHINA habemus descriptam in *Tyrocinio BEGUINI*. Præter Chinam, de quâ locuti hactenus sumus.

CHINA CHINÆ.

DE *Chinæ* Luis Venereæ rizotomo superiùs actum lib. 4. *Chinam Paraquei* pronuper Batavi acceperunt ad ciendos vomitus. *China* verò *Chinæ* dicta, febrifugum est medicamentum *Peruvianum* hac tempestate maximè usuale ad drachmam unam & duas. Quidam *Cassiam caryophillatam* vendunt pro China Chinæ, sed fallunt & falluntur. Vera *China Chinæ* caryophillos nec olet, nec sapit. Est nempe cortex, non absimilis cortici junioris quercus, saporis amari & paulùm ingratis. Dosis communis, ut dictum, pulveris *China Chinæ* ad fugandas febres drachma una ad duas, instante paroxysmo sumenda cum aqua Card. ben. fum. aut alia febrifuga.

De *China China*, aliàs *Pulvere Indico*, *Americano*, *Peruviano*, *Iesuitico*, *de Lugo*, (quòd 1650. ex Peruviano Regno primùm à Iesuitis Romam fuerit delatus) Kinkinna, *China Canna*, *Antiquartio Peruviano*, *Palo de Calenturas*, *Cortice febrifugo* dicta, scripserunt *Iohannes Iacobus Chifletius*, *Dionysius Ionquet* in orto Paris. *Rolandus Sturmius*, *Melippus Conigius*, *Gaudentius Brunacius*, *VVolffangus Hœferus*, *VVillis*, *Rolfinccius*. Arbor hujus *Chinæ Chinæ*, teste *Chifletio* pag. 7. & *Gaudentio Brunacio* Romano pag. 14. *Gannana peride* dicitur, multumque differt à *Cassia Caryophillata*, ut videre est ex *Pisonis* descriptione, quâ profitetur corticem *Cassiæ Caryophillatæ* saporem reddere cinamomi cum carophyll. prædominio, qui sapor in *China Chinæ* sincera non reperitur.

Ipsa *China Chinæ* calida & sicca est, vim habens aperiendi, discutiendi, attenuandi, resolvendi putredinem arcendi, roborandi.

Usus est in debellandis febribus intermittentibus, & hic quoque *Francofurti* satis frequens, quòd non careat optato successu. *Corticis Chinæ Chinæ drachmæ duæ*, secundùm *Gaudentium Brunacium*, pag 17. *tunduntur subtiliter, ac per setaceum trajiciuntur. Tribus inde horis ante paroxysmum maceratur pulvis in vini albi meracioris cyato, dumque frigus febrile seu rigor irrepere incipit, in eo levi, ac primo accessionis principio vinum. & pulvis præbetur & æger se in lecto pannis coopertus componit.* Alij sumunt pulverem Chinæ Chinæ in substantia, *dilutum* tamen præfert *Coningius*. Essentiam describit *Rolfinccius*, aliamque *Sturmius* Potest etiam parari inde *Spiritus*, *extractum & oleum*. Nos hic utimur plerumque pulvere ad drachmam unam cum successu felici.

Quoad operandi modum *China Chinæ* febres tollit nec sensibiliter, nec insensibiliter, sed per vim præcipitantem febrile fermentum. Causa enim; volente *Sennerto* lib. 2. de febr. pag. 255. febris est fermentum aliquod peculiare, quod quamdiu non præcipitatur medicamentis idoneis, tamdiu febris præsens manet in corpore.

Quoad *Ch nam Chinæ* sequentia notanda dat *VVillis* pag. 154. de febr. *Primò*, quod hoc Pharmacū intus sumptum, in sāguinis massam vim suam & energiā præcipuè exercet, quippe viscera non omninò irritat, neque excretionem quamvis, aut molestiam iis infert : insuper dummodo sanguini virtus ejus communicetur *δύναμις ἀντιπυρετική* non omnino exseritur : quare non semper paroxysmus proximè secuturus at secundus aut tertius deinceps ab eodem assumpto præcavetur, atq ie ob hinc rationem quo citius cruorem afficiat usitatum est ut una cum pulvere liquor eodem valde impiægnatus propinetur; sic enim in sanguinis massam ejus particulæ faciliùs convehuntur. *Secundò*, Corticis istius virtus sanguini impressa aliquandiu in eodem manet, idque brevius, aut diutius, juxta quod major aut minor medicamenti portio intus sumitur; etenim particulæ ejus cruori conconfusæ, cum ipso diu circulantur, & quo plures adsunt, eo magis massam ejus afficiunt, & effectum diuturniorem producunt. Nam licet alimenta & alia quædam ingesta in quantum à calore nativo statim subiguntur, quicquid habent virium intra paucas horas exserunt, ac deinde assimilata, aut foras excreta cessant; tamen pharmaca nonnulla intus admissa, quia non facilè perdomantur, nec irritatione citata illicò foras eliminantur, per plures dies valde activa perstant, atque sanguinem & succos, in hoc aut illo fermentationis ritu dudum retinent. Hoc observare licet de medicamentis quibusdam, item de venenis & plerisque alexiteriis, quorum unica exhibitio per plures dies, eademque iterata longiori tempore solet corpora nostra afficere : usitatum enim est à medicamentis catharcticis, si quando per vomitum aut sedem minus operantur. post plures hebdomadas pustulas & exanthemata exteriùs erumpere : quin etiam si à toxico epoto mors evitetur, diu admodum in sanguine & succis virulentiam delitescere, nemo est qui nesciat : Pariter etiam hic pulvis, & fortassis alia quamplurima intus assumpta, in spiritus & humores quantumvis sopita videantur, etiamnum agere perseverant.

Tertiò, licet medicamentum istud immediatè in sanguinem & humores agat, tamen dyscrasiam febrilem in iis sitam haud

haud radicitus tollit: quàm cito enim ejus vis absumitur, & particulæ omnes à mixtione sanguinis avolaverunt, affectus pro tempore solum suppressus denuò emergit, & solito more accessio repetit: quatenus verò natura hoc cessationis spatio fortior evaserit, ideo post recidivam paroxysmi (non uti prius) sed die tertio & quarto juxta primum morbi typum redire solent.

Quartò, annotetur quod hoc remedium non quemadmodum vulgaria febrifuga sanguinem figendo, aut etiam fundendo accessiones febriles sistit; tunc enim paroxysmus semper ingruens, & non secundus aut tertius postea secuturus caveretur.

Quibus juxta positis, ut corollarij vice de ipso operandi modo, quo hoc pharmacum agere videatur quædam subnectamus, dicimus verisimile esse, quod cum particulæ ab eodem ingesto procedentes sanguini permiscentur, ipsum in novam quandam fermentationem compellunt, quâ dum cruoris particulæ continuò agitantur, ne materiam excrementitiam congerant, aut turgescentias febriles ineant, omnino inhibentur: quemadmodum enim post morsum canis rabidi, aut ictus venenatorum animalium, ipse sanguis & succus nervosus diu venenantur, ne tamen magnas anomalias statim concipiant, alexiteria propinata eorum liquores in alia fermentatione detinendo prohibent, quorum usus si tam diu continuetur donec corpuscula virulenta penitus avolarint, à labe isthac contracta nullum horrendum symptoma timetur. Sin priùs absumantur remedij nimis parcè exhibiti vires illicò repullulat venenum, & virus pristinum explodi visum denuo in actum deducitur: non absimili ritu quando sanguis diathesin vitiosam nactus, succum alibilem pervertit, cumque ad plenitudinem congestum, quo rectiùs expellat turgescentias febriles concipit, cortex iste Peruvianus tritus & exhibitus, particularum commercio sanguinem licèt discrasia affectum, fermentatione novâ concitatâ adeo exagitat alteratque, ut succum alibilem aliquatenus coquat, ejusque recrementa continuò evaporet, ut in paroxysmi materiam, non uti priùs congerantur. Cum verò è sanguinis consortio, hujus remedij particulæ penitus exhalarunt, totaque virtus absumpta fuerit, mala sanguinis diathesis prius contracta denuo emergit, ideoque paroxysmi febriles solito more redeunt: forsan aliquando accidit ut dum usu istius pulveris accessiones supprimuntur, propter mutatam anni tempestatem, aut alius remedij ope, aut naturæ ipsius nisu, ista discrasia sanguinis sensim emendetur, adeoque febris demùm sponte dispareat: hoc tamen non nisi raró contigisse novi, quoniam æquali ferè certitudine, qua ab isto pulvere paroxysmos febriles supprimi, eosdem postea redire expectes.

Quod attinet ad qualitates sensibiles quibus hic cortex insignitur, constat ipsum amaritudine cum stipticitate quadam pollere, ut gustu indice similem ferè saporem referat, qualis in plerisque alexipharmacis, uti sunt radix gentianæ, serpentariæ, contrayervæ, &c. reperiri solet: quæ enim sunt actu amara in supprimendis fermentorum præternaturalium viribus, maximâ virtute pollent, quinimò *radix gentianæ* (ad quam refert Chinam Chinæ *D. Glans & Hœferus*) quæ optimè hunc corticem similat, olim pro curatione febrium quartanarum celeberrimi erat usus. Nunc autem licet hic pulvis Peruvianus sit unicum adhuc repertum febris quartanæ alexiterion, quod nimirum ipsius aliarumque febrium intermittentium paroxysmos (licet solùm pro tempore) inhibet: attamen dubitandum non est, quin alia in rerum natura extent medicamina, quæ sunt æquè febrifuga, atque sperandum erit, ut novi hujus inventi exemplo ducti ad explorandas herbarum virtutes adhuc ignotas excitemur: ita dum singularum tentamini insistimus, & Medicinæ rationali Empyrica adjungitur, proculdubio quartanæ aliorumque Herculeorum morborum curationes felicius procedunt: quod eo libentius sæculo huic, aut saltem posteris spondeo: cum manuducente corticis istius analogiâ medicamentum ad profligandas febres non contemnendi usus ipse non ita pridem varia percurrens adinvenerim, quod etiam pauperibus quibusque succedanei vice, bono cum successu propinare soleo.

CHINA CHINÆ. Magis Moderna est CHINA CHINÆ seu CORTEX FEBRIFUGUS PERUVIANUS, de quo tacet *AUCTOR Febrifugus* dicitur, quia primum expertus est contra febres intermittentes quascunque, etiam chronicas, in specie quartanas: Unde vocatur â quibusdam ANTIQUARTIUM PERUVIANUM *DIGBÆUS* in Italia usus est illo cum successu in praxi, & in Gallia D. *Redi* adhuc adhibet illum feliciter. Vid. Dissert. D. *PAULI AMMANS. CHIFLETIUM, BARTHOLINUM. in Cent.* 5. *hist.* 50. Modus operandi fit præcipitando fermenta febrilia & effervescentias febriles mitigando partim per *sudorem*, partim per *urinam*. Dosis ℨj. ante paroxysmũ hora unâ in vino. Sed hoc habet maligni, quod nisi præmissis universalibus debitis adhibeatur, semper relinquat metum recidivæ & observata quinquies, imò sexies recidiva in febri, in quâ solus fuit præscriptus. *BARBETTE* in febribus curandis primò purgat. deinde pulverem hunc exhibet, post rursus purgat. Digestivum ergo præmittatur purgantibus, & observetur stricta diæta. *BOYLE* in Tr. anglico *de Philosophia Experimentali* refert, se unâ vel altera dosis corticis febrifugi ad ℨi. ante paroxismum propinati sæpius curasse *quartanas*, quæ per dimidium annum etiam duravere. Cæterum magna hic subest mercatorum fraus, dum insigniter illum adulterant, adeò ut vix inter lib. 1. reperiantur ℥i. veri. Dignoscitur adulteratus à genuino ita: Qui est saporis similis ferè cum Cinnamomo non est legitimus, sed adulteratus genuinus autem, qui ex Roma affertur, ubi est genuinus, est spissior & crassior, quodammodo albicans, saporis amarissimi, instar gentianæ nostratis: unde quoniam gentiana & ipsa egregium est febrifugum, suadeo ut loco Chinæ ad ℨi. adhibeatur ante paroxysmum, & spero eosdem ab illa effectus. Quare etiam à quibusdam China Chinæ vocatur GENTIANA INDORUM. *ZUVÖLFER. in Pharmacop. Reg.* edit. ult. *pag.* 77 habet DECOCTUM & EXTRACTUM FEBRIFUGUM, ex hoc cortice Chinæ, cui suadeo præferendum esse decoctum vel extractum Gentianæ nostratis, utpote huic viribus non inferioris.

XCV. CICER.

Ἐρέβινθος, *Kücher*, *Ziser*, *Erbsen*. Pois chiche.

Est { Sativum { album. rubrum. nigrum. ; Sylvestre.

Ex his arridet officinis rubrum sativum, cui tamen & album substitui potest.

Videatur Cicer, *Brunsf. Matth.* (cui & Domesticum,) *Cord. in D. Cast. Tab.* Ciceris altera species, *Trag.* Cicer nigrum, *Fuchs.* seu arietinum, *Cord. hist.* Cicer. arietinum, *Dod* Cicer sativum, *Ger.* Arietinum, *Lob.*

Vires Calf. & sicc. 1. emoll. absterg. discut. diuretica sunt ac lenientia, proin conducibile est eorum decoctum nephriticis. Extrinsecus adhibetur farina in cataplasmatis, &c.

CICER. Semen hujus nigrum quodammodo, & usus utut sit quibusdam culinaris, nihilominus tamen etiam officinalis, propter *vim* moderatè *diureticam*, propter vim *ciendi menses* & *abstergendi renes*: Adeoque convenit in *provocatione urinæ* & *mensium*. De hinc DECOCTUM expertum in puerperis pro *expurgando utero*, & *lochiis promovendis*, *partu facilitando*, *fœtuque expellendo*. Si adderetur artemisia & flores matricariæ, & edulcoraretur cinnamomo, esset decoctum gratius & efficacius. Ros qui circa solstitium æstivum inhæret his Ciceribus, convenit ad *scabiem* depellendam externa lotione.

XCVI. CICHORIUM ET CICHOREA.

Κιχώριον, Σέρις, solsequium, intybus, Ambubeja, Cichorea, *Cichorem*, *Vvegvvart*, *Sonnenvvendel*, *Sonnenkraut*. Chicorée.

Est { Sativum. ; Sylvestre flore { cærul. vel albo- luteo.

Ex his usitatum sativum, tum sylvestre cæruleum vel album.

Crescit juxta vias, floret Junio.

Sativum dicitur Cichorium domesticum, *Matth. Cast.* Cichoreum sativum cæruleum *Lob.* Cichorium latioris folii, *Dod.*

Dod. Cichor. latifolium sativum, *Lon.* Seris sativa, *Lob.* Cichorium sativum & album sat. *Tab Ger.* Cichorium sativ. C. B. 1. Sylvestre dicitur solsequium, *Brunsf.* Cichorea, *Trag.* Sylvestris *Matth.* Seris sylvestre, *Lob.* Seris picris, *Lob. icon.* Cichorium *Lon.* Intybum agreste, *Cord.* sylvestre, *Dod.* *Cast.* agreste, Sylvestre, *Fuchs. Cord. hist.* Cichorium, *Tab.* Hieracium latifolium, *Ger. icon.* Cichorium sylvest. sive officinar. C. B. 1. Seris πικρὶς *Dioscoridi.* *Vuilde Cichoreye.*

OFFICIN. NAT.

Flores Folia sylvestris potissimùm *Radix* [sativa.]

Vires Epaticum est nobilissimum frig. & sicc. 2. [aliis calidum videtur ob amarorem] aperit, diureticum est, attenuat, extergit. Vsus præcipuè in Epatis obstructione & febribus.

N. Collectum in sua exaltatione [die festo Nativitat. Mariæ, *hæmorrhagias sistere creditur.*

PRÆPARATA.

1. *Conserva.* Ex floribus.
2. *Condit.* Radix cum saccharo, & Confecta.
3. *Syrup. simpl.* Ex succo & sacchar. Vide Dispens.
4. *Compos.* [Coridi.] Vide Dispens. Norib.
5. *de cichor. cum Rhab.* Florent Vide Disp.
6. aqu. ex foliis & floribus.

[Aq. florum cichorii albi oculis conducit.]

7. Aq. *ophthalmica.* ℞. Flores cæruleos [collectos sol. in principio leon. collocato,] q. v. inde vitro orificij angusti, obtura optimè & massæ panis circumvolutum committe Clibano, ut pinsatur cum pane: hinc exprime ac destilla in BM.

Vires. convenit omnibus affectibus oculor. albugini, nubeculæ, ungui, suffusioni, caligini, &c. Inungitur palpebra mane & vesperi. Hartm. in Pract. Poppius in Herbar.

8. *Sal Com.* Ex planta incinerata. Atenuat, discutit, febrifugum est. [Extractum.]

CICHORIUM. Flore *cœruleo* & *albo*, utrinque usitatum, & quidem imprimis apud veteres in maximo fuit pretio, & ab iis propter maximas utilitates vocari consuevit POLYCHRESTUM, item PANCRATIUM, quemadmodum etiam medicamenta, quæ multis medentur morbis, dicuntur polycresta & pancratia. In usu ex planta FOLIA, FLORES & RADIX. De radice moneo, quod ejusdem adstrictorius sapor amaricans innuat illum constare sale acri penetrante non adeò volatili. FLORES uti etiam RADIX sunt ex *hepaticis primariis*: Vnde in *affectibus quibuscunque hepatis*, ubi sanguis à debitâ deficit crasi, solet usitatum esse Cichorium. Affectus est sæpe ignorantiæ asylum, qui à Medicis *Italis* & *Anglis* vocatur INTEMPERIES VENTRICULI FRIGIDA & HEPATIS CALIDA, statuitur radix mali hypochrondriaci, febrium chronicarum, omnisque cachexiæ. Ut dicam hic, quod res est, quando de ventriculi frigida & hepatis calida intemperie reperitur apud auctores, semper credendum adesse fermentum nimis acidum & fixum, ventriculumque pituita viscida crassa & acida esse obsessuum judicandum, & quando talis est constitutio ventriculi, Auctores dicunt: *Laborat ventriculus intemperie frigida*: Quodsi ex hac labe fiat corruptio Chyli, quæ etiam necessariò fit, facilè deinde, quando ille præterit insertionem pori Cholidochi in duodeno, oritur effervesentia, cujus comes individua est phlogosis, & tunc dicunt *laborare hepar intemperie calida.* In intemperie hac dicta commendatissimum est Cichorium, de quo vid. *PANAROLLVS in Pent.* 3. *obs.* 47. ubi Cichorium hoc commendat ceu expertissimum pro intemperie hæpatis calida & stomachi frigida, quoniam sapor amarus indicat sal penetrans, quod (1. corrigit acidum stomachi, & detergit, incidit & resolvit mucilaginem. (2) Remotione impedimentorum factâ, fit ut Chylus laudabilis præparetur, & cessent phlogoses. Lis est inter auctores, an FRIGIDUM sit Cichorium, an verò *calidum*? Sed lis est de lana caprina? si saltim consideretur sapor acris, apertum erit, quod sit calidum. Iuxta Centaur. minus & absinthium Cichorium est primarium ex *febrifugis*: valdoperè enim convenit stomacho propter vim ardores & effervescentias compescendi ab acido oriundas, & propter vim *abstergendi, incidendi*, mucilagines crassas primarum viarum, & incisas per inferiora educendi, dumque simul habet saporem substringentem, *moderate adstringit* & firmat partes, ne laxentur, in aliamque illabantur infirmitatem. Inter præparata, sunt CONSERVA, quæ *hepatica* est, & præscribi solet cum aliis appropriatis aqu, non ultimum inter ophthalmicas, & *AVCTOR* compositionem habet aqu. per deliquium in clibano, egregiè *ophthalmica*, vid. *SENNERTVS in praxi* de affectibus oculorum, & alij auctores plurimi. Sunt qui commendant FLORES ALBOS contra *hæmorrhagias narium*, si sc. vel comedantur vel extrinsecus applicentur: Sunt etiam, qui hic præferunt radicem Cichorij albi, tempore exaltationis in festo Jacobi circa meridiem collectam, & dentibus contritam, sic enim *hæmorrhagias narium* sistere creditur. Sed hoc non tantùm dicunt de radice Cichorij albi, verum etiam de cœrulei rad. eodem modo adhibita, dentibus contrita & sub lingua detenta. Vid. *ROSENCREVZERVS in astrologia inferiorum pag.* 433. Juxta hanc vim usitata est in *sputo sanguinis* masticata & sub lingua detenta, vel etiam sensim sensimque deglutita. Propter hunc usum etiam à quibusdam solet præscribi CONSERVA FLORUM CICHOREI. Formula posset esse talis, quam habet *ZACCHIAS.*

℞. *Conserv. flor. Cichorei, rosarum & summitat. rubi ana* ℥j.
Santdli rubri ʒij.
Boli Armen. ʒj.
Syrupi Myrtillor. ℥j.

Cujus misturæ una hora ante pastum exhibeatur ℥ß. in *hæmorrhagia* & narium & aliarum partium; imprimis in *sputo sanguinis*. Sunt qui se reddere volunt *impenetrabiles ab armis* cum hac radice, si assumatur simul Vsnea cranii humani, quod tamen fabulosum puto esse. Ii qui post graviores morbos dispositi sunt ad *cachexiam, hydropem*, aliosque affectus, propter crasin sanguinis nondum perfectè restauratam, optimè possunt assumere RADICEM CICHORII CONDITAM, vel eius conservam florum, & radicem per se coquere in iusculo & intali casu assumere DECOCTUM. SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO, qui vocatur maritatus, moderatè *laxat*, & solet præscribi in misturis contra *cachexiam*, & species *Icterorum*. In infantibus recens natis si tantillum ʒi, vel altera ad lambendum detur, antequam lac sugat, abstergit ventriculi sordes, ex utero attractas, & *meconium expellit*, ne disponat ad Epilepsiam, à plurimis ceu expertum laudatur, Alii loco Syrupi de Cichorio propinant oleũ amygdalarum dulcium cum saccharo penidiato. Maximi enim infantum morbi oriuntur ex corruptione acida lactis, qui præcaventur exhibitione vel Syrupi de Cichorio, vel olei amygdalarum dulcium cum saccaro penidiato (adquam disponunt sordes relictæ post partum, sive hæreant in ventriculo, sive instar Meconii in intestinis) sordes enim corrumpi nequeunt ratione sachari, quod prohibet, ne lac acescat, & ratione Rhabarbari, quod abstergit. sal FIXUM est ex usitatissimis febrifugis intermittentibus, tam die intermissionis, quàm ante

ante paroxysmum. Commodè additur in *febribus chronicis*, & quibus imminet *Cachexia*. Crocus mart. aperitivus: vel ex Cichorio fit LIXIVIUM, quod superaffunditur limaturæ ferri, & exponitur calori vel solis vel furni: Hinc fit, ut lixivium corrodat ferr. in crocum aperitivum, egregium in *morbis chronicis* & *Cachexiis*.

XCVII. CICUTA.

Κώνειον, *Vvüterich*, *Schierling*. Ciguë.

Ex generibus cicutarum infertur in Officinas cicuta major, C. B. 1. quæ Cicuta, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lob. Lon. Cast. Tab. Ger.* Cicuta major, *Cord. hist. Cam.* Vera, *Gesn. hist.* Cicutaria vulgaris, *Clus. hist.*

Nascitur passim in pratis, locis incultis & umbrosis: Floret Junio & Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia & Radix, sed rarò.

Vires. Quamvis summè frigida censeatur, atque inter venenata referatur à Dioscoride; nihilominus tamen frequens ejus usus molestis est in tumore ac inflammatione lienis, succus Emplastro splenetico incoctus extrinsecus adhibetur: hinc in inflamationibus aliis. , quinimò adhibetur quoque nonnunquam in collyriis.

Sunt qui radicem fodere monent tempore die saturn. & sol.

PRÆPARATA.

Emplastr. de Cicuta splenetic. Vide lib. 2.

CICUTA Propter similitudinem faciei hujus cum petroselino factū est, ut comesta hac pro petroselino, quia venenosā, secuta sint gravissima symptomata. Exempla prostant quamplurima. Imprimis in *KIRCHERI scrutinio pestis p.* 204. refertur de duobus monachis, qui ex esu Cicutæ radicis pro petroselino in delirium inciderunt, ut putarint se esse anseres & anates, & propterea in aquam se contulerunt & natarunt, donec interierunt. Præter hoc *KIRCHERI*, prostat exemplum in *BARTHOLINO Cent.* 4. *hist.* 36 Item in *SIMON. PAULI* elegantissima *digressione de febribus malignis p.* 101. ubi aliquot habet exempla cum symptomatis, qualia adesse solent in febribus petechialibus, quæ curavit quasi venenum fuisset assumptum. *AMATUS Cent.* 5. *obs.* 93 refert exemplum de puero ex esu Cicutæ mortuo. Bene observetur ergo, ne folia aut radix cicutæ confundatur cum foliis & radice Petroselini, utpote maximè, illi quoad faciem externam simili. Cæterum utut habeatur pro maligna & venenosa, & propterea etiam proscribatur ex officinis, & in usum medicum non adhibeatur, nihilominus *RENEALMUS in obs.* 3. & 4. non veretur propinare internè ipsam RADICEM cicutæ partim in *substantia* à ℈j. ad ʒß. partim *in infuso* ad ʒij, idque felici cum successu in *scirrhi lienis* & *hepatis*, ut & *pancreatis* gravissimis, qui solus usque eò audaciæ accessit Non minus rarum, quod refert *VERBEZIUS in suo contra Castellum de vitriolo in quo p.* 64. ex *GALENO* de quâdam anu, quæ consuetudine ita familiarem sibi fecit cicutam, ut ea vesci potuerit sine detrimento in magna copia. Tanta vis est naturæ & consuetudinis in amicis nobis reddendis inimicis seu venenis. Aliàs Cicuta *externo usu* commendatur experta in *tumoribus duris viscerum*: applicata enim quacunque sub forma est expertissima, & tunc temporis vires suas exserit quando fit EMPLASTRUM *cum gumm. ammoniaco* in aceto scillitico soluto. Hoc ad *omnes tumores duros* emolliendos esse mirabile & secreti loco habendum. Dicit *DÖRING. in Tr. de opio p.* 92. idque imprimis in *tumore duro & scirrhoso lienis*, & postmodum etiam in *scirrho mammarum*. Aliàs Cicutæ & succus expressus, & contusa planta, vel cum infuso applicata *mammarum incrementum coërcet*, duras & parvas reddit. Unde etiam prostat in officinis EMPLASTRUM SPLENETICUM dictum ex succo Cicutæ, expertissimum in *scirrho lienis*. Aliquot compositiones Emplastrorum contra scirrhos reperimus in *SENNERTI Tom.* 3. *prax. p.* 492. ubi allegat præscriptionem *HEURNII* Emplastri de Cicuta & Gummi ammon. (In *SCHRÖDERI parte anteriore* eandem reperimus *p.* 199) quod valdopere fuit expertum. Quando applicatur pro usu *contra scirrhos*, solet subigi cum oleo Capparum, vel oleo destillato succini, oleo Cochleariæ; præstat olei succini & Capparum, ergo si hoc malaxetur idem Emplastrum, erit eò melius. Sunt qui Cicutam in aqu. Chærefolii coctam & mammis applicatam commendant *contra abundantiam lactis* in iis, qui non volunt lactare, imprimis si coërcitum lac incipiat indurari & mammæ scirrhescere. *HEINRICUS AB HEER in observ. rarioribus obs.* 7. valdopere commendat Cicutam ad *inflationem* & *tumorem penis* ex nimia venere: cum aqu. Sambuci decocta applicetur, vel cum aqu. simplici, discutit & tumorem resolvit. Cicutæ folia lota & contusa si humida, si exsiccata prius macerentur in aqu. & immittantur intra præputium: Cui addatur tantillum Camphoræ, erit eò melius. *HILDANUS* in scriptis habet EMPLASTRUM DE CICUTA, & GUMMI AMMONIACO contra *splenes induratos*. Compositio non est inelegans, quam videmus in scriptis *de acidulis p.m.*657.

XCVIII. CINAMOMUM.

Cortices sunt arboris cujusdam exoticæ ejusdem nominis Germ. *Zimmetrinde*, *Canel*. Canelle.

N. De Cassia & cinamomo officinar. quod & Canella dicitur, controversæ occurrunt opiniones. Sunt enim qui inter se confundunt, & pro uno & eodem utrumque habent cortice, solisque nominibus differre, non reipsa: alij ex sola loci varietate eà distinguunt, non ex diversa specie arboris: alij ex una eademque arbore utrumque desumi volunt, cuius corticem exteriorem & crassiorem appellitant cassiam lineam seu odoratam; interiorem & tenuiorem Cinamomum. Alij diversæ speciei arborum corticis faciunt, inter quos tamen maxima similitudo intercedat, adeo ut Cassia arbor in Cinamomi arborem transplantari facilè queat: Hæc opinio Galeni. Recentiores primæ ut plurimum subscribunt opinioni, Cinamomumq; officinarum vulgo canellam dictum, legitimam antiquorum cassiam dicunt. Et in compositionibus Græcorum Xylocassiam, id est, cassiam ligneam seu odoratam postulantibus, canellam nostram esse adhibendam. Si qua tamen distinguere libet, crassiorem cassiam appellare licet, tenuiorem Cinamomum, differentia suborta à differente loco natali arborum.

Videantur Garzias ab H. lib. 1. arom. hist. c.15. Joh. Manard. lib. 8. epist. 1. Matthiol. in Dioscor. Caspar Bauhinus Theatr. Botan. lib. 11. s. 3. & sim.

Frequentes sunt hæ arbores in Zeilan, Cinamomumque præbent præstantissimum: ignobiliùs è contra Cinam. præbent arbores in Provincia Malavar, & Jaba seu Java.

N. Roseum, sive ex cinereo vinosum colorem contrahit Cinamomum ex solis calore, cui cortex detractus exponitur: non probè idem paratus, candicans, sive cinerei coloris fit, nimiis verò ardoribus solis combustus niger.

Delectus. Probatur subrubrum, odoris fragrantissimi, saporis subastringentis, & acris.

[Ita selectum dicitur Darsenum]

Vires. Calfac. & siccat, aperit, discutit, menses & partum accelerat, omnia viscera spiritusque singulos recreat, concoctiones juvat. Hinc usus ejus frequentissimus est in virium imbecillitate, lipothymia, capitis, ventriculi & uteri affectibus frigidioribus.

PRÆPARATA.

1. *Confect. Cinamom.*
2. *Aq. Cinamom.* Fit lib. a. ut ex aliis aromatibus. Vide lib. 2. vel uti in deſtillatione olei.

[Habetur etiam Roſata, Bugloſſata, citrata, cydoniata, cum Malvatico parata.]

3. *Tinctura* ſeu *Extract.* ex Spir. Vini Tartariſato.
4. *Elyxir Cinam.* Fit ex tinctura cinamomi, additis & croci & ſantali citrini Tincturis
5. *Oleum.* Elicitur unà cum Aq. beneficio deſtillationis, l. a ℔j. dat Drach. ij. vel Drach. iiß.

Nota de menſtruo: Alij adhibent ſolum vinum, alij vinum cum Aq. miſtum: quibus quoque Tart. aut Sal. com. inſuper admiſcent.

6. *Sal.* Ex fæcibus incineratis elixiviatur.
7. *Balſamus.* Ex ol. Cinam. ol. Nuciſt. depurato. Tingitur bolo Orientali vel pulvere Cinamomi.
8. *Syrup.* Vide Diſpenſ. Norib.
9. *Magiſterium.* Extrahitur cum Spir. vin. opt. ac præcipitatur cum Aq. fontan. vel cum Aq. Cinam. primùm ſtillanti, retinetque colorem Cinamomi.
10. *Spec. Diacinam.* Vide Diſpenſ.

CINNAMOMUM ſeu CORTEX AROMATICUS. De hoc controverſia, an idem ſit cum CANELLA, & ſi hoc, an ſit idem cum CASSIA, inter botanicos orta eſt, de quo *BAUHINUS Tom. I. Theatr. botanic.* Cultæ enim ſunt arbores, quæ canellæ dicuntur. Paucis dico, quod variæ CANELLÆ dentur ſpecies, quam veteres vocarunt CASSIAM, item *lignum aromaticum.* Cum ergo ſit primaria ſpecies, κατ' ἐξοχὴν CANELLA vocatur. *Arbor* eſt inſtar oleæ, abraditur *cortex* extimus, qui ex ſe eſt viridis, neque olet, dum abraſus eſt, exponitur ſoli, ne putreſcat & vermes in illo generentur acquirit odorem & ſaporem aromaticum, qui antea erat ſepultus, & colorem viridem mutat in rubrum, & ſi minus ſiccatur aalbicat, ſi nimis nigreat, dum in ſol exſiccatur, induratur, ut Cortex ſe contrahat, & in plicas abeat, cum alias ſit mollis ſatis. Ad canellas pertinet Anglis dictus CORTEX VVINTHERANUS, quoniam allatus ex India occidentali ab eorum Capitaneo VVINTHERO dicto, ſaporis eſt acris & penetrantis, coloris albicantis, vel potius flaveſcentis. Adhibetur ab Anglis contra *Scorbutum & malum hypondriacum* à ℈j ad ʒß. in *affectibus ſtomachi, apepſia & anorexia*, ſive crudus ſub forma pulvis, ſive infuſus in Aq. approprieta, vid. *BAUHIN. Tom. I. p 402.* Sed revertor ad Cinnamomum, cujus vis nota ex eo, quod inter *confortantia* primatum obtineat, adeoque in *imbecillitate & virium defectu, lipothymia & ſyncope* uſurpatur, ſive in ſubſtantia pulvis, ſive Tinctura, ſive Eſſentia, ſive oleum deſtillatum. Imprimis egregiè convenit in affectibus mulierum gravidarum: cautus tamen ſit ejus uſus, quoniam inſigniter *pellit fœtum:* & iis, è quibus expellendæ ſecundinæ & lochia, item quæ partu laborant, nullum medicamentum adhibendum, niſi admiſto Cinnamomo: quoniam præter vim confortativam ſpiritus valdoperè irritat matricem ad propellendum fœtum: In ſpecie, quod ſæpius fit, ut mulierculis ex partu difficili & partium debilitate deficiant dolores & amittatur conatus. Ut ergo renoventur dolores, propinetur Cinnamomi momentum, & accingetur de novo refocillatis ſpiritibus ad partum gravida. Quod inter *Cordialia* emineat, notum eſt. Ex præparatis eſt Aq. CINNAMOM, quæ deſtillari ſolet per balneum vel per veſicam. Bene autem notandũ eſt, quod ſi deſtilletur cum affuſo phlegmate vitrioli luna creſcente, fiat fragrantior & copioſior, quàm Luna decreſcente, & oleum etiam acquiritur copioſius & Aq. fit præſtantior luna creſcente: Poteſt etiam præparari ESSENTIA ſeu TINCTURA Cinnamomi pro mulierculis pro *affectibus uteri*, non minus quam *ſtomachi* cum ſpiritu Citri 1. ſi affundatur Cinnamomo, & per digeſtionem eliciatur ESSENTIA. 2. Si affundatur ſpiritus vini corticibus Citri ſicci, affundatur & Cinnamomo. Nam in *affectibus ſtomachi*, in *Nauſea*, *ructu*, & aliis omnibus remedium præſtantiſſimum eſt Cinnamomum. Unde in officinis proſtat Aq. Cinnamomi Cydoniata, quæ eſt elegantiſſimum remedium in *vomitu*, *ructu*, *nauſea*, *diarrhæa*, *dyſenteria*. Item proſtat Aq. CINNAMOMI BORRAGINATA, ſeu cùm ſucco borraginis deſtillata, quæ valdopere convenit in *affectibus Melancholicis, malo hypochondriaco*, in *lipothymia*, *ſyncope*, & aliis affectibus ſeu morbis. oleum DESTILLATUM CINNAMOMI, cum ſit valdopere charum, ſolet adulterari. Cum vero præ aliis oleis habeat peculiare, ut contra oleorum naturam ſubſideat in fundo (excepto oleo deſtillato Caryophyllorum) nota hoc poteſt eſſe, prò dignoſcendo oleo genuino Cinnamomi. Aliàs habet *HOFERUS in Hercule Medico p.397.* quando oleum Cinnamomi cum ſemine cannabis miſcetur, fundum petit & odorem amittit. Mirum eſt, quod refert de hoc oleo *in Tr. de Lacte* lun. MAJOR. *Cap.5.§.7.* quod temporis progreſſu ſe coagulet in Cryſtallos ſalinos, quod confirmat, quæ dixi de oleis ſalinis deſtillatis, quod nihil aliud ſint quàm ſalia volatilia concentrata, adunita & congregata, adeoque ita penetrantia. Si hoc oleum addatur ſaccharo, abit in Elæoſaccharum, quod admiſceri poteſt medicamentis ſive liquidis ſive ſiccis. In *partu difficili* matrem confortat, & fœtum expellit; agonizantibus ad aliquot guttas propinatum ad tempus illos conſervat & roborat. Optimus modus deſtillandi olei Cinnamomi eſt, ſi modicum vini inſpergatur fruſtulis Cinnamomi, & poſtmodum per retortam ex balneo roris deſtilletur, propterea quoniam in deſtillatione vulgari per exceſſivum ignem oleum comburitur; in hac vero ſine combuſtione acquiritur. Lib. 1. Cinnamomi, ʒij. ole. reddit.

XCIX. CITRUS.

MAlus Citria, Medica, Aſſyria. Arbor eſt exotica per totum annum virens, fructum tenellum cum matureſcente ſimul ferens.

Videatur Citrum, *Brunſf.* Citria. *Trag.* Citrius, *Tab. Cord. hiſt.* Malus Medica, *Matth. Cord. hiſt. Dod. Lob.* Malus citra, *Geſn. hort. Lon. Caſt. Cluſ. hiſt. Cam.* Citria & mala Medica, *Bellon.* Malus Medicæ, C. B. (. *Citronbaum.* Pommes de Citrons.

Dicitur Medica & Aſſyria, quia apud Medos & Aſſyrios, & in primis apud Perſas frequens eſt. Hinc in Italiam tranſlata fuit, poſtea & in Hiſpania in uſum devenit, ut nemora & campos occuparit hodie. Colitur & apud nos in hortis.

OFFICIN. NAT.

Fructus ſeu *Poma Citria*, (citrea) *Cortices & Semen*, raro *Flores* Fructus variant magnitudine, quædam ſunt majora inſtar melo peponum; alia minora & vulgaria: alia Limonum magnitudine. Sic alia prælonga ſunt, alia rotundiora: in officinis uſitatiora ſunt minora, utpotequæ carnoſiora, tum quoque majora.

Vires. Citrinum malum (cum cortice ac carne] alexipharmacum putatur cujuſlibet veneni, reſiſtit putredini, morbiſque malignis, lumbricos fugat, diaphoreticum eſt. Cortex calf. 1. ſicc. 2. (aliis calef. & ſicc. 3.)

Caro, ſeu pulpa refrig. & humect. & hinc ſuccus expreſſus.

Semen, Pepins de citrons, citronſeed of kernèls, calf. & ſicc. 2. attenuat., digerit, abſtergit, lumbricos fugat.

PRÆPARATA.

1. *Condit.* 2. *Poma* maxima condiuntur nondum ſatis matura, cum cortice ac carne inciſa, nucleis exemptis: dicuntur noſtratibus Citronat.

N. Eodem modo condiuntur & minora integra vel, in taleolas diſſecta.

1. *Cortices.* Condiuntur poſt mitigationem amaroris cum ſaccharo

3. *Flores cond.*

1. *Conſerv.* 1. *ex floribus.*

2. *Ex medulla*, remotis ſcil. corticibus, ac ſemine ſucoque expreſſo.

[Ex

[Ex Italia asportata nomine Agre dicedro, Acredo citri egregia ad virium imbecillitatem, & æstum febrilem.]
3. *Confect. cortic.*
N. *Majores* cortices conditi dicuntur, Citrinat. confect.
4. Aq. Ex corticibus.
[5. *Spiritus* cordialis interno & externo usui aptus.]
6. *Oleum* itidem cum Aq. ex corticibus exstillat. [Ex non fermentatis suavius.]
N. *Potest* & exprimi oleum ex semine, sed minus id usitatum.
7. *Succus*. Ex carne exprimitur & reservatur pro usu, diciturque nonnullis Vinum citri, præcipuè si cum tantillo sacchari sit fermentatus.
8. *Syr. acetositatis citri.* Ex succo & saccharo.
Syr. citri simpl. Ex cortic. Vide Disp.
compos. Vide Disp.
9. *Morsuli citri.* } Vide suis locis.
Citri laxativ. }
10. *Balsamus* ex ol. stillat. & ol. Moschato.
11. *Electuarium de Citro solutivum.*
12. *Acetum citratum.*

CITRUS. Fructus egregius exoticus, & in culinis & officinis notus. In usu sunt POMA, & ex iis SEMEN, CORTEX, PULPA. POMA quod attinet, tota sunt *alexipharmaca*, adeò ut non sine ratione præferatur omnibus Theriacis, mithridatiis & confectionibus Magistralibus in usu antipestilentiali & alexipharmaco. In *morbis malignis* tam præservandis, quàm curandis, post sudorem nihil melius, quam SUCCUS CITRI ACIDUS confert, sive assumatur succus cum potu, sive exprimatur super alimenta: Nam quando cum sudoribus deficiunt spiritus, & imbecillitas oritur, assumpto succo citri, ejus aciditas sanguinem nimis fluxilem moderatè coagulat, & debitam ei consistentiam concedit, simulque malignitati resistit, ne possit cuniculos agere, & se multiplicare. Ex SEMINE *Citri* ordinarie fiunt *Emulsiones* in morbis malignis, in *variolis*, *morbillis* & *petechialibus*. CORTEX FLAVUS egregium est *cordiale* & *stomachicum*, *flatus discutit* & est *carminans*. CORTEX ALBICANS est *lithontripticon*, & calculo succurrit: id quod videre est ex HÖFERI *Hercule Medico p.*176. qui ex hoc cortice albo cum fructu alkekengi destillat aq. elegantem NEPHRITICAM: *Aciditas* PULPÆ est egregium remedium non minus, quàm pulpa aurantiorum in *pica gravidarum*, Propterea prostat *Syrupus aurantiorum & citrorum*, qui usurpari potest in tali affectu, si combinetur cum aq. destillata vel ELIXYR CITRI, quod fit ex spiritu Citri affuso super cortices Citri, & cum saccharo misto. In *MÖLENBRÖCK Tr. de Variis*, habemus elegantissimas descriptiones, *spiritus & Essentiæ Citri*. Juxta facultatem hanc singularis est *antiscorbutica*. Teste enim RONSEO in scriptis solo malorum citriorum esu curati sunt *scorbutici*. Vnde Belgæ in navigationibus, in Indiam orientalem, ut se præservent à scorbuto, qui sub zona torrida est Endemicus, assumunt secum lagenas plenas succo Citri: adeo ut etiam conducat contra scorbutum ex vitio aëris. ACETUM *corticum Citri* solet applicari pulsibus, & objici naribus in *morbis malignis*, dum propter sudores ægri vires deficiunt; Tempora quoque ad eundem usum acet. tali foventur. FLORES dum *conduntur*, egregiè *confortant*, & solent præscribi in Electuariis. Ex PULPA fit ELECTUARIUM de Citro non inelegans. Plura qui cupit, potest adire dispensatorium *HORSTII p.*137. ubi prolixè virtutes Citri simplicis explicat, & egregias aliquot compositiones habet.

C. CYTRULLUS.

Citrullus, Anguria, *Angurien.*
Species Cucumeris est, fructu rotundo, quo reliquas cucumeris species quoad magnitudinem exsuperat.

Dicitur Citrullus, *Trag. Lon. Tab.* officinar. *Lob. Ger.* Anguria, *Matth. Cast. Cam.* Cucumer vel cucumis citrullus, *Fuchs.* Anguria, citrullus dicta, C. B. 1.

N. *Variat* corticis colore qui aliis viridis seu herbaceus, aliis candidis maculis aspersus: Caro aliis rubens & dulcis, aliis candida: Semina colore nigro, rubro, fulvo.

OFFICIN. NAT.

Officinis tantum *Semen* in usu est, idque adhibetur vel cum, vel sine cortice.

Vires. Est ex 4. sem. frig. maj. Refrig. itaque & hum. ad gr. 2. est Diureticum, aperiens, acrimoniam obtundens. Inservit præcipuè Renibus ac vesicæ abstergendis, bilis ac sanguinis æstui compescendo.

CITRULLUS. Species est cucumeris vel cucurbitæ: CORTEX est viridis, magnus, adspersus hinc inde maculis flavescentibus. SEMEN externâ facie quodammodo rubens, est unum ex 4. frigidis majoribus, adeoque convenit cum his, quatenus habet *vim diureticam*, *somniferam*, &c. Et non opus, ut multa de hoc dicam.

COCCULÆ.

Cocculæ, Cocculi, Cocci Orientales, Grains des Indes Orientales, Coques de Levant, racematim pediculis hærentes, hæderæ corymborum modo ex Alexandria adferuntur. Contra pediculos nullum præstantius remedium pronunciat *Bauhinus* pag. 511. Pinac. *Codronchius* peculiari libello usum & virtutem Coccularum exponit. Quidam Solani maniaci, quidam Tithymali, quidam Clematidis fructum putant. Dicuntur aliàs *bacca Levantica*, *Bacca orientales*, *bacca coccula elephantina*, *Cocculus Indicus*. Contra podagram has *Cocculas* commendat *Riverius*, dum ℞. baccarum harum orientalium, quas Galli vocant *coques de levant*, & myrrhæ ana ℔ß. miscetque cum aceto forti pro cataplasmate, pag. 342. *Baccæ piscatoriæ* dicuntur, quòd illarum ope piscatio instituatur, de qua *Paulus Zachias* quæst. Med. lege pag. 432. ubi in genere de *Piscatione Medica* disserit doctè & eleganter ex *Plutarcho, Cœlio Rhodigino. Avicenna, Bruerino, Plinio, Ruellius* hoc pulchrè confirmat pag. 474.

COCULÆ ORIENTALES. Grana sunt, quorum *origo nondum inclaruit*. In *phthyriasi* scilicet & *pediculis* fugandis pulverisatæ cum butyro adhibentur, & illinuntur capiti, in margine primo, deinceps vertici & toti capiti.

CI. COCHLEARIA.

Cochlearia, *Lœffelkraut.* { folio subrotundo, cochlearia Batavica. *quæ usualis.* / folio sinuato. Britannica, *Lob. hac nobis inusitata.* }

Vocatur Cochlearia, *Dod. Cam Ep. Matth. Tab.* Cochlearia Batava, *Lob.* Cochlearia fol. subrotundo. C B. 1.

Crescit apud nos in hortis loca amans palustria, rigua & umbrosa: floret April. Majo. Videlicet anno secundo à satione.

OFFICIN. NAT.

Folia, quæ recentiora adhibere præstat, quàm siccata; quippe Sal volatile, quo potissimùm efficacia sunt, arescendo evanescit.

Vires. Calf. & sicc. 2. ad 3. aper. est splenetica, ac diaphoretica, fixos ac crudos humores spirituales ac volatiles reddens putredinique resistens. Hinc utilis in hypochondriacis, morbisque Tartareis primæ regionis ac præcipuè in Scorbuto, in cujus medicatione celeberrima audit, adhibeturque intus & extus in gargarismis (ad putredinem gingivarum,) balneis, ad artuum resolutionem.

PRÆPAR.

1. *Conserv.* Ex fol.
2. *Aq. stillat.* Ex fol. recent.
3. *Syrup.* Ex succo & saccharo.
4. *Sal com. volatile.* Ex succo.
5. *Spiritus* è foliis fermentatis.
6. *Succus* expressus.

N. *Recens* maximæ est efficaciæ ad arcendam oris ac gingivarum putredinem, etiam post morbillos. *Inspissatus* loco

Extracti

Extracti assumi poterit.
7. Oleum stillatitium.

COCHLEARIA. Satis cognita; ex usu sunt folia recentia, quod benè observetur: inveterata enim parum vel nihil habent virtutum. Ejus enim efficacia consistit in sale volatili acri & fortiter penetrante; ratione cujus etiam est egregium *antiscorbuticum*. Dum ergo ipsius Sal vol. avolavit, propterea nihil valet exsiccata; ratione hujus prodest etiam in affectibus omnibus, in quibus peccat acidum in *morbis Tartareis*, *Malo hypochondriaco*, *scorbuto*, *malo Ischiatico*, *arthritide vaga & fixa*, *affectibus stomachi* ex mucilagine viscida & acida. Unde spiritus cochleariæ miscetur cum essentia absinthij, vel potius essentia absinthij fit cum spiritu cochleariæ affuso, egregium *antiscorbuticum & stomachicum*. Propinatur cum Elixyr stomachali D. MICHAEL. In affectibus scorbuticis non habetur magis conveniens remedium. Vid. *WIERUS in Observ. de Scorbuto p. 30. & seqq.* Occasione hujus moneo quædam de medicamentis antiscorbuticis, quæ sunt Cochlearia præprimis, nasturtij omnia genera, piperis, raphanus rusticanus, persicaria, flamula, Trifolium aquaticum, plantago aquatica, sinapi, fumaria, sedum vermiculare minus, barbarea, semen Erucæ, & hujusmodi alia, quorum vis, uti apparet ex sapore, consistit in sale volatili acri. De his moneo, quod attinet eorum præparationem, quidquid alij dicunt, obtinere illa sal suum vol. utut vel coquantur vel fermententur. Fermentationem quod attinet, prostat spiritus ex cochlearia, (quæ dico de cochlearia intelligenda etiam sunt de omnibus aliis) qui fit duplici modo, partim per fermentationem, partim per spiritus vini cohabitationem. Per fermentationem, quando contusis foliis adjiciunt, vel fermentum commune, vel fœces vini vel cerevisiæ, reponunt ut fermentent tamdiu, donec spirent aliquid acidi; postmodum destillata dant spiritum ardentissimum & volatilissimũ. De hac fermentatione dicunt multi, quod sit frustranea, quoniam tempore fermentationis copiosum sal vol. exhalet & avolet. Verum dico: utut avolent nonullæ partes subtilissimæ, nihilominus reliquæ, magis connexæ vinculis materiæ, sese exserunt mediante fermentatione, & dant spiritum acutum. Probo: si relinquantur simpliciter in balneo Mariæ, & destillantur, prodit aq. quæ nihil aut parum participat de sapore cochleariæ, nihilominus si hæc aqua inspissetur, ejus saporem refert, aperto argumento, quod fixatione includantur, & fiant operosiora salia. Alter modus est, quando affunditur vinum generosum, cum quo destillatur per alembicum, novis destillatum affundunt, quod adhuc aliquoties iterant, semper spiritum destillatum novis plantis affundendo: unde quoties hoc faciunt, toties spiritus de novo majores acquirit ex plantis vires, & fit potentior. Quod attinet decoctionem, etiam dicunt multa salia volatilia exhalare, verum utut & hic amittatur aliquid, non tamen est multum adeo quam putatur. Nam quoniam in destillatione parum sal. vol. exhalavit, idem etiam de decoctione: modò non nimis & vase aperto coquantur. Adhuc noto, in usu hujusmodi salium volatilium antiscorbuticorum, illa non omnibus subjectis conducere. Nam in quibusdam solent inducere varia symptomata, phlogoses, palpitationes cordis, hypercatharses, vertigines, Cephalalgias horrendas, de quibus vid. *MAJOR in Chirurgia infusoria p. 277.* Hæc damna ut præcaveantur, observetur usurpandi modus usitatus in lacte caprillo vel sero lactis caprilli, quod temperat acrimoniam salium, adeoque optimè talia acria medicamenta propinantur in hoc, quo temperetur vis acris & blande operentur, quippe quod per se est laudatum in scorbuto remedium. Iis qui laborant *febri intermittente scorbutica*, cujus norma est typus erraticus; dantur medicamenta antiscorbutica in sero lactis, quod ratione salis nitrosi volatilis egregiè abstergit, & omnibus prefertur. In quibus nullus metus scorbuti dantur in lacte caprillo. Lactis enim oleositas temperat, humores in corpore & sal acre, restaurat fermentum massæ sanguineæ à salibus deficientibus acidis. Nam ubi medicamenta penetrantia conveniunt, prodest cochlearia: In morbis cachecticis; & ubi depravata est sanguinis fermentatio, quia mucilaginem tartaream penetrat, itemque ejus salia acria se conjungunt cum salibus acidis, effervescendo cum illis naturalem fermentationem inducunt & conciliant. *HILDANUS in obs. p. 646. tr. de valetudine servanda* habet ole. cochleariæ per infusionem ole. communis, quod externè inunctum regioni lienis, excellens remedium contra *tumores scirrhosos lienis*: quod dico de affectibus splenis, intelligendum quoque de *affectibus pancreatis*, eadem cochlearia egregia; In *cachexiis*, si degenerant in *scorbutum*: Nam quod veteres dixerunt humorem *melancholicum*, moderni vocant *acidum*. Cochlearia externè in scorbuto oris expertissima in *tumore cruentativo gingivarum*, *inflatione*, *dentium vacillatione*, &c. in his, à Sale scorbutico acido in saliva, oriundis, DECOCTUM *cochleariæ* seu GARGARISMA, cum salvia & cochlearia applicetur, vel ℞ succus cochleariæ, fricentur dentes & gingivæ cum impetu. Acredo ipsius nimia cum pauca Aq. simplici imminui potest. Vel si accipiatur spiritus cochleariæ, & in eo humectatum linteum, quod postmodum affricetur gingivis & partibus palati à scorbuto oris affectis. Alij recipiunt pulveres dentifricios, eosque in mortario imbuunt & impraegnant spiritu cochleariæ, & sic pulveres dentifricios scorbuto appropriatos reddunt. Sunt etiam appropriati pulveres dentium ad scorbutum: Talem contra scorbutum oris, vide in *BARTHOL. Cent. 6. hist. 54* si adhuc impraegnetur cum succo vel spiritu cochleariæ, erit eò melior. Sunt qui norunt præparare salia vol. in forma sicca, in phialis altissimis leni igne subjecto: Sic enim fit, ut phlegma propter lenem ignem non possit adscendere; hoc modo salia in forma sicca elevantur.

CII. LIGNUM COLUBRINUM.

Lignum serpentarium, Clematitis Indica, C.B. 2. Ligni Colubrini alterum genus Garziæ, & Lignum colubrinum, *Tab. Germ.* *Schlangenholtz*, bois de Colevrier, ou Colevre. [Indix Comexi.

Advenitur ex Insula Zeilan. Eligendum amarum, non cariosum, grave.

Vires. *Calidum* est & siccum (ut amaror arguit) abstergit, morsibus serpentum, aliisque venenis medetur: bilem ac mucilaginem per alvum (nonnunquam etiam per vomitum educit) ; unde usus præcipuus est in febribus intermittentibus, tertiana ac quartana: Lumbricos necat ac fugat. Extrinsecus maculas cutis abstergit.

PRÆPARATA.

Extractum, 1 cum Aq. Centaurei vel simili factum.
Dosis ad Scrup. j.

COLUBRINUM LIGNUM. Videantur de hoc rerum Indicarum Scriptores, imprimis *PISO in Medicina Brasiliensium.* Rari apud nos est usus, quoniam est pretiosum, & nostra etiam terra talia & forsan meliora suppeditat, quæ loco illius usurpari possint.

CIII. CONTRAYERVA.

Contrayerva, radix yerva, radix contrayerva, radix bezoartica, alexipharmaca, radix cõtra venena, DraKema, rad. venenis adversa, *Monar.* *Giffwurtz.* Racine de Yerva, ou veneſe.

Est radix Iridis vel Cyperi radicibus non absimilis, quæ annis abhinc aliquot ex Provincia Peruana Charcas asportari cœpit.

N.[1] *Bauhinus facit speciem Cyperi, vocatque Cyperum longum, odorum Peruanum.*

Eligatur densa non cariosa, quæ aromaticum quiddam sapit, cum acrimonia conjunctum.

Vires. calida est, 2 alexipharmaca & sudorifera, præstantissimumque remedium adversus omne venenum, cujuscunque sit generis (excepto Merc. sublim.) vomitione id rejiciens, aut per sudores evacuans. Sed & amatoria pocula ex pulvere hausto educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Quin & in peste felix ejus usus compertus est, ut & morbillis nigris.

Dosis Drach. 1.

CONTRAYERVA. Species Cyperi esse videtur. Planta decantata est contra yerve, id est, venena. Unde cum sit *alexipharmaca*, est *sudorifera*, & solet misceri pulveribus *antipestilentialibus* & *alexipharmacis*. Præter vim *contra venena* commendatur contra *philtra* hausta, quæ emendat, ne sint nociva. Dosis est à ʒß ad ʒj unâ vice.

CIV. CONSOLIDA.

1. Consolida, seu conſ. major. *Vide Symphytum.*
2. Consolida media. *Hæc hujus loci.*
3. Consolida minor. *Vide bellis hortensis.*
4. Consolida Regalis *Vide Calcatrippa.*
5. Consolida aurea & Sarracenica vide Virga aurea.

Est { flore cœruleo. *Hæc usualior.* / flore purpureo. *Hæc rari usus.* }

Dicitur Consolida media, *Brunsf. Matth. Fuchs. Tab. Cast.* media, prima, *Tab.* prunella cærulea, *Trag.* Bugula, *Dod. Clus. hist. Ger.* Bugula & prunella quibusdam, *Lob.* Consolida media pratensis cœrulea, N. 1. C. B. Sülden Günsel.

Crescit in locis campestribus: floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Herba.

Vires. Utraque vulneraria est, tam intrinsecus, quàm extrinsecus adhibita: confert & ictero Epatis obstructioni, urinæ retentioni, herniis, &c. Brevibus: ut ea cum Prunella & figura ferè convenit; ita & viribus.

CONSOLIDA MEDIA. Quæ alio nomine vocatur Bugula flore cœruleo, carneo & albo, Dicitur quoque Prunella, sed malè. Planta est ex *vulnerariis* elegantissima. DECOCTUM ejus valdopere commendat *POTERIUS in pharmacopæa spagyr.* ceu singulare in *phthisi*, & intrinsecis *vulneribus* & *ulceribus* Nam, quod obiter hic moneo, omnia partium internarum *ulcera*, sive sunt *pulmonum*, sive *lienis*, sive *hepatis* seu *pancreatis*, insequitur *phthisis*, *febris lenta* & *hectica*, ut adeo non sit ex ulcere pulmonum solum, taceo illam sæpe ulcera externa insequi. In his etiam commendat *FORESTUS* Bugulam præprimis ejus DECOCTUM, ut dicit, contra naturam consolidarum laxat, hepati mirificè confert. Sapor ejus est insipidus, vel potius moderatus, & propterea dicitur ab *HELMONTIO*, quod habeant in se occultum alcali omnia vulneraria, quoniam acidum absumunt, inimicum vulneribus: In vulneribus recentibus acidum corrigendum mediocre inest, ideoque & talia temperata satisfaciunt: Econtra ad inveteratorum curationem, in quibus acidum jam auctum, ex usu sunt acria: quoniam acido majori corruptivo opponenda medicamenta acria, v. gr. in inveteratis ulceribus cõvenit chelidonium majus, Aristiloch, rot. & quæ acria, minimè vero moderata & temperata vulneraria huc faciunt. Interne quoque; consolida media seu Bugula in vulneribus usurpatur. Quæ basis est praxeos Chirurgorum modernorum. Itali verno tempore radicem cum foliis tenellis mundificant, & propinant pro acetario palato gratissimo, quia videtur præcavere *cachexiam* & mediantibus facultatibus fermẽtativis promovere fermentationem in massa sanguinea, *cient urinam*, uti omnia vulneraria, quæ dicuntur *diuretica*; & quæ diuretica, usitatissimè vulneraria.

CV. CORALLINA.

Βρύον θαλάσσιον, *Dioscor.* Muscus marinus. *Matth. Cord. in D. Cast. Tab.* Corallina, *Lob. Lon.* Muscus Maritimus seu Corallina officinarum, C. B. German. *Meermoos, Corallenmoos.*

Inhæret scopulis & piscium testis corallisque, eo sanè modo, quo muscus arboribus innascitur, optimaque est, quæ corallis detrahitur.

Eligatur colore, cùm sicca est, subrubescente, salso sapore, odore concharum marinarum simili.

Vires. Refrig. & sicc. astringit, incrassat, vi lumbricos necandi & expellendi celeberrima est, intus & extus adhibita.

Dosis ad Drach. j.

PRÆPARATA.

Magisterium: fit cum lixivio forti. Vid. *lib.* 2.

Dosis Scrup. j.

CORALLINA. Musci species: planta est marina; usus ejus contra *lumbricos infantum*, in quibus debellandis omnibus aliis vegetabilibus præfertur. Dosis ejus à ℈j. ad ʒß miscetur cum aliis appropriatis, vel cum aloë CC. olei hyperici, syrupis & similibus. Aliàs nullum obtinet usum.

CVI. CORIANDRUM.

Κόριον ἢ κορίαννον, *Dioscor.* Coriandrum, Germ. Coriander. Coriandre.

Est C.B. { 1. Majus. *Hoc usuale solum.* / 2. Minus testiculatum. } *inusitata.* / 3. Sylvestre. }

Insignitur Coriandrum, *Brunsf. Trag. Fuchs. Matth. Cord. hist. Lon. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.*

Colitur nobis in hortis, solo gaudens pingui: floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Semen granosum, quod primùm halitum gravem halat, resiccatum autem suavem acquirit odorem.

Vires. Stomachicum in primis est, calf. & sicc ad gr. 4. astring. Hinc celeberrimum in laxitate stomachi, si post cibum assumatur, claudit enim ventriculum, exhalationesque supprimit, quo minus caput gravent, ructusque producant.

PRÆPARATA.

1. *Præparatum.* Præparatur sem. Corian. maceratione per noctem in acet. dein exsiccatur.

N. Præparatio hæc fit ob castigationem qualitatis noxiæ (crudioris & excrementitiæ) quam tamen & arescentia amittit.

2. *Confectio.* Ex semine præparato.
3. aq. *stillat.* Rari usus est.
4. *Oleum*, cum aq. ascendit.

CORIANDRUM. Videtur ad caucalidis species pertinere, & quando viridis prodit se odore gravi. Usitatum tantum SEMEN. Accedit ferè ad naturam sem. cumini, fœniculi & anisi, & meritò inter *stomachica* & *carminativa* est referendum. Quando dico est stomachicum, intelligo simul intestina. Constat blando sale vol. oleoso aromatico sem. temperato in *laxitate stomachi*, in *cruditate acida*, vel quando post pastum oriuntur *phlogoses* & *rubores faciei*, tùnc temporis semen coriandri expertum: item contra ructus & inflationem stomachi prodest. Invaluit quidem apud veteres opinio, quod semen coriandri sit malignum, & obtineat pravam qualitatem unde usus obtinuit, ut non nisi aceto maceratum adhibeatur: sed meritò irridet hanc correctionem *ZWOLFERUS in pharmacop. Regia*, & immunitatem coriandri defendit.

CVII.

CVII. CORNUS.

Cornus, Germ. *Cornerbaum*, *Vvelsche Kirschen*. Cornillier.

Est { Mas { hortensis, sativa. *Hac usualis.* sylvestris. } fœmina. *Lon. sylvest.* }

Indigitatur Cornus, *Brunsf. Trag. Matth. Lon. Dod. Lob.* Cornus mas, *Tab.* Cornus sativa & mas *Cord. in D.* Cornus vulgaris mas, *Clus. hist.* Cornus hortensis mas, C.B. I.

Florere incipit initio veris: colitur in hortis.

OFFICIN. NAT.

Fructus, rarissimè *Folia*.

Vires. Utraque refrigerant, exsiccant, astringunt, constipant. Hinc conveniunt præcipuè in diarrhea & dysenteria.

Exhibentur fructus exsiccati & pulverisati ad Drach. I.

PRÆPARATA.

1. *Condit. fructus*, cum sacchario l. a.
2. *Rob. de Cornis.* Vide Disp. August. Ex succi pulpæ p. ij. & sacch. p. I.

CORNUS. Ex communibus est in duplici differentia, *Mas* & *fœmina*. Offert sese FRUCTUS, rarò FOLIA. FRUCTUS & FOLIA sunt ejusdem naturæ, & facultatis adstrictoriæ insigniter. Unde omnes eos affectus præstant, quæ plantæ adstringentes: quoniam compescunt *hæmorrhagias*, *diarrhæas* & *dysenterias*, imprimis in decocto. Rarus pulvis à ʒß ad ʒj. CONDITI & ROB *corni* rari quoque sunt usus.

CVIII. CORYLUS ET AVELLANA.

Corylus, *Haselstaude*. *Noisettier*.

{ Nostras { sativa { fructu albo minore. *Corylus vulgaris.* fructu majore. { rotundo, maximo: oblongo, rubente. } } sylvestre fructu est minore, albidiore & rotundiore, quàm nativa. } Peregrina { Humilis. fructu purgatrice, Monard. fructu osculi trifidi, &c. } { *Nostratibus non sunt usuales.* } }

Ex his officinis in usum veniunt nostrates coryli, quæ describuntur ab authoribus vel coryli vel avellanæ titulo, &c. Præfertur autem fructus oblongus rubens in compositionibus.

Solo gaudet arenoso & opaco.

OFFICIN. NAT.

Lignum, Fructus & Viscum.

Vires. Lignum per se raro officinale est, nec asservatur, nisi pro parandis inde spiritu ac oleo. Adhibetur autem corylus sylvestris.

N. 1. Serpens virgâ corylinâ percussus torpescit; unde conjectare licet, facultate antiserpentinâ corylum abundare.

N. 2. Faciunt ex ejusdem coryli sylvestris bifido surculo virgulam quâ metalla scrutantur.

[Viscum. *Haselmistel*. Du Visc, glas, ou guy de Noisettier. Inter Antiepileptica refertur.]

Fructus avellanæ (λεπτοκάρυα exhibent usui medico, *nucleum*, *putamen*, & *membranulas*.

Nuclei, teste Gal. lib. 7. simpl. med. plus habent essentiæ terrestris ac frigidæ, quàm juglandes. Venenis resistunt venenosorumque animalium ictibus (cum ruta & ficubus impositi,) ex mulso hausti veteri tussi medentur, urinæ odorem mitigant.

Putamen crudum in pulverem contritum astringit, obstruit ac proin sistit diarrhœam, albaque fœminarum profluvia. quercetanus specificum antipleuriticum inde facit, cum corall. rubr. & mandibul. lucii.

Membranulæ nucleum ambientes ejusdem cum putamine sunt facultatis, eidemque præferendæ.

[Iulorum farina vere colligi potest pro Epilepticis.]

PRÆPARATA.

Ex ligno, 1. *Spiritus* fit per Retortam igne nudo ex sarmentis exsiccatis.

[Acetum destillatum ligni Coryli ad gonorrhœam in lue venerea utile.]

2. *Oleum* fit itidem per Retortam, vel per descensum.

Vires. Vim habet utrumque calfacientem, incidentem, anodinam, antiepilepticam. ac præcipuè odontalgicam.

N. Sunt qui oleum hoc, oleum ligni Heraclei Rulando dictum autumant, nec sine causa quidem. Etenim non modò viribus iisdem celebre est, quas Rulandus oleo suo Heracleo adscribit, sed & nominis rationem habet. Corylus enim, quia primùm ex Heraclea Ponti in Græciam translata fuit, heracleotica seu pontica dicta est, adeoque & nuces heracleoticæ fructus ejus dicti sunt.

PRÆPARATA.

Ex avellanis *Oleum expressum*.

Vires. Articulorum dolores inunctum juvat.

N. Ingrediuntur etiam nonullas compositiones alexiphar-

macas, ubi præferendæ sativæ, rubescentes, & præcipuè oblongæ, ut dictum suprà.

CORYLUS seu AVELLANA. De hac multa prostant apud auctores, tam vera, quam fabulosa. Qualis sit planta, omnibus notum est, & quidem quod ex hoc paretur virgula Merc. quæ decidenda venit præcisè in meridie fest. S. Ioannis, ita ut unusquisq; surculus uno ictu amputetur. Usitatus FRUCTUS seu, NUCLEUS, PUTAMEN, MEMBRANA, & imprimis VISCUM. Nam omnia visca singularem vim obtinent & virtutem. 1. quidem quod attinet viscum, insignes hoc habet facultates: Specificè commendatur præ cæteris contra *veneficia*; unde ordinarium prostat UNGUENTUM *in Obs.* 8. *HEINRICI ab HEER*, cum pinguedine canis & ursi contra *veneficia*. Compositionem videre possumus cit. loco. Et quidem non tantùm viscum corylinum, sed etiam tota corylus in hoc casu est usurpata. Sic celebris quidam Medicus seu singulare secretum habet unguentum, quod præparat, dum recipit folia, & apices tenues viridis coryli, hæc benè contundit in mortario confecto ex ligno tiliacio, & contusis addit pinguedinem galli & caponis q. s. post exponit radiis solaribus, ut lenta digestione abierint in unguentum viride, expertum secretum contra *veneficia*. Præter virtutem contra incantationes, insigne est viscum corylinum contra *Epilepsiam*, in specie infantum seu puerorum, & quamvis etiam viscum quercinum sit decantatum in tali casu, præfertur tamen corylinum, cujus rasura vel pulvis detur à ℈j ad ʒß vel ʒj pro ratione ætatis adultis & junioribus. Sunt etiam fabulosa de hoc visco, quando dicitur, quod sit alimentum serpentum, vid. *STOCKERUS in praxi*, & *GOCLENIUS de admir. naturæ*. Huic accedit, quod quidam dicunt, non nasci viscum ex Corylo, nisi sit 100. annorum, quis quæso hoc expertum habet. Rectè dicit *AUCTOR*, quod lignum sit rari, usus, sed asservetur pro spiritu & oleo exinde parando. SPIRITUS LIGNI est acidus, sed acidus volatilis, ardens instar spiritus vini, quod verum est de omnibus spiritibus ex lignis, quoniam in omnibus lignis est sal vol. ex acido fixum, & spiritus ardens instar spiritus vini. Quod constet ex his spiritibus probatur: si affundatur spiritus acidus corpori

pori terrestri oculis cancror, C. C. usto, &c. tunc fit, ut acidum aggrediatur illud subjectum & corrodat, seque figat. Unde si imponatur cucurbitæ, dimittit de se spiritum vol. adeoque ex spiritu ardente & sale vol. acido fixato constat lignum corylinum, ut & reliqua omnia: Sicque etiam spiritus exinde parati. Hic spiritus præter dotes has valdopere commendatur contra *Epilepsiam*, contra *affectus capitis, Apoplexiam, Epilepsiam, paralysin*, & similes, si detur in convenienti vehiculo aqu. lil. convall. vel aqu. florum tiliæ. Dosis à gutt. x. ad xv. Vires obtinet egregiè penetrativas, & hinc etiam conjunctas habet vires *anodynas*, & quasi soporiferas. In *malo hypochondriaco* non sine fructu adhibetur, moderatè laxat alvum, & evacuat per inferiora. Singulariter pellit, enecat & exturbat *vermes* infantum & adultorum. Dum destillatur spiritus ex retorta igne aperto, simul prodit OLEUM, quod super corpus terrestre est rectificandum, ut amittat odorem fœtidum, estque decantatum ol. HERACLINUM *RULANDI*, quo ipse miranda præstitit, imprimis triplici virtute claret: Est *ant-epilepticum, summè anodynum*, & *contra vermes.* Virtutem ant-epilepticam sufficienter demonstrat *RULANDUS*, Medicus Cæsareus *in Curationibus Empiricis*, ubi tractat de Epilepsia, dum refert de puella, inter alia, 10. annorum, Epileptica per tres menses singulis diebus, purgato capite per ol. dict. guttas 3. propinatas curata. Plures observationes videri possunt, in cit. Tr. sic infantem semestrem dies noctesque Epilepticum liberavit per hoc oleũ in paroxysmo & ante paroxysmum propinato. Succedit huic vis insignis *anodyna*, ratione cujus est singulare & expertissimum remedium in *odontalgia*, quam instar incantamenti sopivit hoc suo oleo, & refert in eodem Tr. ubi agit de dentium doloribus, denti carioso ol. guttas 3. instillatas dolorem gravissimnm sedasse. Sæpius fit, ut in dentibus nascantur vermiculi, qui adeo exasperant dolores, ut vix sisti queant sine suffitu ex hyoscyamo, in tali casu etiam expertum est oleum Heraclinum *RULANDI*. Tertium quod dixi expertum pro expellendis & enecandis *vermiculis*, labiis oris, umbilicoque inunctum, dolorem à vermiculis causatum sistit. Commendat etiam hoc Autor contra vermiculos. *STOCKERUS in praxi* dicit, quod gutt. 1. vel 2. cum mica panis propinatæ, sint præsentissimum remedium contra *vermes*: adultis datur à gutt. 2. ad 4. educit per secessum vermes. Confert etiam contra *pediculos*, quod videmus, si tantillum insecto imponatur, illud interimit, adeò ut videatur præferri ole. corylinum ole. spicæ contra pediculos aliàs usitato. Post lignum & viscum in usu NUCLEUS, utut raró, cui tribuitur vis *venenis resistendi*, quod an verum sit nescio. PUTAMEN EXTERNUM est adstrictivum, & sunt qui contra *Dysenteriam* volunt commendare. Denique MEMBRANULÆ nucleum ambientes sunt *lithontriptica*, adeò ut sint, qui vel solas vel cum nucibus conjunctas expertissimas dicunt contra *calculum* seu *lithiasin*. Et quidem videantur consilia à *SCHOLZIO* collecta *Cons.* 141. ubi commendat hanc avellanarum vim contra calculum. Habet etiam *AMATUS LUSITANUS Cent.* 7. *cur.* 78. insigne experimentum avellanæ virtutis contra *calculum* & *nephritidem*, ubi refert de viro, qui lapillos rubentes per virgam cum urina ejaculavit, curato usu avellanarum in victu initio prandij & cœnæ, & insuper confirmat, alios plures usu avellanarum evasisse immunes à calculo.

CIX. COSTUS.

Κόσος, Costvvurtz.
- verus
  - amarus } *hic officinalis.*
  - dulcis
- falsus
  - Costus, *Matth*, & *Lon.* id est, Panax costinum, pseudocostus.
  - Costus Hortensis minor, *Gens.* i. e. Ageratum.
  - Costus Hortor. *Lob.* i. e. Mentha.

N. Officinæ in dulcem & amarum dividunt, quam divisionem non diversæ speciei, sed diversæ ætatis Clusius non sine causa statuit. Nimirum recentiores herbæ dulciores, cum vetustate tandem amarescunt.

Costus verus officinis nostratibus usitatus, & cortex extrinsecus cinereus, & intrinsecus candicans, C. B. 6. & 7.

Eligatur costus recens, densus, odoratus, subamarus, non cariosus.

Costus amarus dicitur, Helenij Comagenij radix, *Cord. in D.* Costus comagerius, adulterinus officinar. *Lob.* costus officinar. amarus, *Lon. Cast. Tab.* costus amarus officinarum seu Helenium comagenium, *Discor.* C B. 6.

Costus dulcis dicitur, costus dulcis officin. *Lon.* sed adulterinus, *Tab.* costi pharmacopolarum species major, *Cam. in Matth.* costus dulcis officinar. centaurio magno cogna. C. B. 7.

Vires. Stomachicus, Epaticus, Uterinus ac Nephriticus est, calf. sicc. 3. atten. aper. disc. Hinc convenit in colica, obstructis mensibus & urina, hydrope, paralysi.

PRÆPARATA.

Oleum costinum Mesue. Vide Dispens, ex cost. p. ij. cass. lig. p. 1. major. p. 8. cum vino ac oleo sesamino.

N. *Febrilem* rigorem spinæ inunctum mitigat.

2. *Pilula marcocostinæ.* Vid. lib. 2.

3. *El. caryocostinum.* V. D. N.

Crallula, *vid Fabaria.*

COSTUS Est aroma, adeoque nostris regionibus exoticus & ex aliis locis affertur. Duo ejus sunt genera, *dulcis* & *amarus*. Huic costo cum adulteretur, radix zedoariæ & zingiberis substituitur, ne nimis simus expositi adulterationibus & deceptionibus. Ipse CORTEX vocatur à quibusdam Cinnamomum album, quod respondeat illi sapore, alij adeò extollunt, ut dicant in costo esse omnium aromatum vim & virtutes collectas Et quæ solet esse natura aromatum, quod constent, sal. vol. oleoso, idem de costo habendum, est *stomachicum* in *cruditate acida, anorexia, apepsia, ructibus* & *torminibus* intestinorum à *flatibus* conducit. Unde etiam in *Colica* virorum, & *suffocationibus uterinis* usitatè & experte præscribitur si vel Theriacæ vel Castoreo, vel aliis appropriatis admisceatur. Deinde est singulariter *uterinus* in *affectibus mensium*, & circa *partum*, in *affectibus nervorum, apoplexia* & *paralysi*, in *affectibus capitis* & *cerebri* vasorum. Sunt qui præparant ELECTUARIUM ex costo, quod in affectibus stomachi commendant. Non ineptè admiscetur purgantibus pulvis costi pro purgantium virulentiæ aliquali correctione. Præstat ole. COSTI COMPOSITUM MESUÆ, quod, ut dicit *AUCTOR*, *rigores febriles* si inungatur spinæ dorsi, frangit: ubi noto non melius mitigari eosdem, quam si medietati stomachi extrinsecè applicetur balsamus stomachalis cum oleis destillatis appropriatis nucis Moschatæ, carvi, anisi, fœniculi, costi & corpore pro balsamo etiam *rigores quartanarum* certo experimento compescit, præprimis si Methodo *HELMONTIANA* apposita applicetur later calidus, ne expiret vis balsami, sed interiora penetret. De pilulis Maro Costinis vid. *MINDERERUS*. ELECTUARIUM commendatur contra *arthritidem*.

CX. CROCUS.

Κρόκος, Planta est bulbosa, florem primo autumno ferens purpureum, cujus flammea stamina (instar antheræ) officinarum *crocus* est. German. *Saffran.* Saffran.

Ex croci generibus plurimis officinal. est crocus sativus, C. B. 1. Hujus differentiam officinæ faciunt à natali loco, unde crocus Viennensis, i. e. qui ex Viennensi, agro ad nos transportatur, ubi optimus hodie nascitur. Orientalis, qui ex locis orientalibus, ac præcipuè ex Sicilia transmittitur, in cujus monte (Caryco nomine) omnium præstantissimus provenire censetur. Vulgoque dicitur crocus de Aquila. German. *Saffran Zimmat*, Saffran.

Videatur crocus, *Brunsf. Trag. Fuchs. Dod. Cord. Lon. Tab.* crocum, *Matth. Cast.* hortense, *Cam.*

Eligatur crocus flexilis, tritu difficilis, albicantibus nonnunquam filamentis permistus. Reprobatur è contra saturato nimis colore rubro, odore fugaci, utpote qui vel cnici floribus, vel carnis bubulæ salitæ villis adulteratus.

N. Adulteratio croci adeo impostoribus communis est, ut Emporiis nonnullis visum sit certos deputasse inspectores, quorum judicio ut bonus crocus venalis pronunciatur, ita adulteratus Neptuno, Vulcanove, non citra venditoris ignominiam consecratur. Cujus rei exemplum hic Francofurti aliquot abhinc retro annis observare licuit.

Vires. Cordialis est ac pulmonicus (ut quoque anima pulmonum audiat) uterinus, & hinc cæteris visceribus familiaris, calf. 2. sicc. 1. aper. dig. emoll. Anodynus est, somnum conciliat, menses ac fœtum pellit. Usus frequens in syncope, Apoplexia (gutta 1. ac 2. tincturæ aspergitur linguæ) in hystericis affectibus, in ictero, in peste, aliisque venenosis morbis, in asthemate (cum ol. amygd. dulc.)

Dosis ad Scrup. j.

Extrinsecus in collyriis, & sim. adhibetur.

NB. Usus ejus immodicus (scilic. ad Drach. ij. vel iij.) lethalis censetur.

PRÆPARATA.

Species diacurcuma. Vid. Dispens.

2. *Tinctura seu essentia croci.* ℞. Croci Orient. q. v. extrahe cum Spir. vin. opt. abstrahe lentiss. ign. ad consistentiam debitam. *Beguin.*

N. 1. Alij extrahunt cum aquis cordialibus, e. g. rosarum, iisque guttulâ unâ ac alterâ spir. vitrioli vel sulphuris roboratis: aliis fit extractio cum aq. vitis vel sero lactis.

N. 2. Spiritus vini abstractus croci facultate est imprægnatus, idcirco cum successu in usum Medicum venire poterit.

N. 3. Alij collocant crocum cum syndone in alembicum, destillantque Spir. vini ex cucurbita tantisper, donec colorem ex croco susceperit. Tinctum Spir. vini iterum destillant ad remanentiam Tincturæ in fundo. Tentzelius.

3. *Extractum.*

4. *Oleum croci Mesue,* (compos.)

5. *Ol. stillat. paratur* ut olea reliqua ex floribus, sed rarissimum est, ob nimios scilicet sumptus, quos requirit Nimirum ex croci ℔. j. vix Drach. j. elici poterit.

N 1. Alij ℞. croc. or. ℔. ß. Terebinth. unc. iß. Spir. vin. opt. q. s. destillant, sæpiusque à fæcibus cohobant. Alij ℞. croci opt. ℔ ß. terunt grossè ac admiscent Tartari, Sal. communis an. Unc. ß. circiter, cum albumine ovi F. pulmentum, cui superfundunt aquam fontan. calidam (vel aquam mellis) digeruntque dies (3. 4.) Hinc. destilant per Alembicum ex cinere. *Medull.* destillat.

N. 2. Habet potestatem prosternendi appetitum.

6. *Trochisci de croco.* Vide Dispens.

7. *Elect. de ovo dictum. Guldentiy.* Vide disp.

[Elixyria varia croceata sunt, præcipuè Uterinum.]

CROCUS. Est mediatas floris ex ipso croco collecta, flos aromaticus, cuivis satis cognitus, optimus est *orientalis*, hinc *Anglicus*, tandem *Austriacus*. De adulteratione croci videatur *AUCTOR*. Hic crocus est planta quidem elegans nihilominus sunt mala mista bonis, sunt bona mista mali. Est egregium cordiale, de quâ vi possumus videre *VELTHUSIUM Tr. de usu lienis pag.* 148. propter hanc vim cordialem non immeritò à *POLEMANNO*, *in Tr. de sulphure Philosoph. p.* 86. vocatur *Rex vegetabilium*, quod ceu Rex inter vegetabilia emineat: Hinc etiam est singulariter *pulmoniacus*, adeò ut vocatur *anima pulmonum*, non secus ac Rhabarbarum anima hepatis, Hermodactyli anima articulorum. *DODONÆUS* dicit, quod *phthisicos* in summo vitæ discrimine constitutos in vitam revocare queat, si adhibeatur crocus à ℈ß ad ℈j in potu vini generosioris. Asseritur etiam, quod hoc modo *dispnæa* & *asthmata* dicto citius curentur, quod credo, imprimis si sint convulsiva, quod confirmat *RIVERIUS in Institutionibus*, & *MYNSICHT in armamentario*. Propter vim cordialem admiscetur merito medicamentis corroborantibus, *cordialibus*. Præterea vim habet *anodynam* & *soporiferam*, quare ingreditur laudanum opiatum, quod vocatur *nepenthes vegetabile*: in majori dosi ad ʒij datus, stupefacit, inebriat & evadit venenum lethiferum. Vid. *SCHENCK lib. 7. observ.* sicuti etiam *BORELLUM Cent. 4. Obs.* 35. item *DöRINGIUM in Opiologia*, ubi non inconcinnè tractat de croco, & refert, quod habeat vim excitandi risum, *pag.* 109. adeò ut ii, qui nimium utuntur croco, dum fiunt ebrii, incipiunt ridere, & tamdiu rident, donec moriantur. Idem habet historiam de quodam super sacculo noctu dormiente, qui mortuus manè repertus est. Post hos usus est specificum singulare *capitis frigidis soporis in affectibus melancholicis*, interno usu, in *Lethargo*, *Comate*, valdopere in moderatâ dosi commendatur, & hinc in affectibus melancholicis simplicibus, non verò in *mania*, vel dum habet vim cordialem tribuitur ipsi quoque vis lætificandi, adeoque mœstis & melancholicis conducit. Vinum, cui tantillum croci admistum in lagena, haustum citius inebriat, quàm aliud satis generosum. Exhilarat quidem crocus egregiè cor, sed nimio usu caput gravat, & propter vires cordiales vocari solet *aurum vegetabile*. In *syncope* & *Apoplexia* est egregium remedium. Spiritus vini si misceatur cum croco, & hæc mistura applicetur cum linteo extremitatibus manuum pedumque refrigeratis usque ad imminentem *gangrænam*, conducit, & partes morientes denuò revivificat. Præter hæc est singulare *uterinum*, adeò ut potentissimè *fœtum*, *menses*, & similia expellat protrudat. Hinc refert *RIVERIUS in Instit. lib. 4 c.* 22. de muliere, quæ ex nimio croci usu ad provocandum, mensium desperatum fluxum provocavit, & intra triduum mortua est: Hoc certè valde probabile est, & videtur quodammodo huc facere, quod dicit *BORELLUS Cent. 2. obs.* 98. equos nimirum, qui vehunt sacculos croco repletos, mictum sanguinis incurrere. *Stomachicum* est egregium, & casu expertus est usus ejus contra *morbum navigantium*, de quo vid. historia apud *FRANCISCUM BACON de VERULAMIO in Histor. vita & mortis, pag.* 121. De Anglo, qui ne vectigal solvere teneretur de sacculo, croco repleto, illum applicavit ventriculo, & nullam sensit molestiam aliàs satis vulgarem navigantibus. *Stomachicum* dico, egregium est, quando ventriculo in sacculo applicatur. Extrinsecus etiam solet admisceri crocus medicamentis *opthalmicis*, & facilè principatum in illis obtinet. Vid. *LÆLIUM à FONTE Cons.* 27. Sunt præterea, qui sacculos crocatos applicant capiti cōtra vigilias & dolores, quod puto periculosum & vix imitandum: Potius imitandus *RULANDUS*, qui Croci tantillum miscet cum aliis aquis appropriatis in *dolore capitis & phrenitide*, dum

℞ aqu. rosarum rubrarum, sempervivi,
Bursæ pastoris, solani ana ℥iij.
Croci ʒß.

Misceatur, & fiat frontale in *Cephalalgia à causa calida*, qua mistura cum linteis fronti applicata, & hoc

hoc sæpius iterato, omnis mitigatus fuit dolor: item in *phrenitide* gravi.

℞ *aq. rosarum* ℥vij.
Opij ʒj.
Croci ℈ß.

quâ misturâ opio benè dissoluto fronti applicata, & sæpius iterata, liberavit *phreneticos* & *maniachos*. Porrò.

℞ *aq. rosarum* ℥x.
Opij ʒß. &
Croci ℈ß.

Hoc Epithemate sæpius fronti admoto, & sæpius reiterato feliciter curata fuit *Mania* periculosa. Inter præparata est SPIRITUS, ESSENTIA, TINCTURA, &c. Tinctura & Essentia omnium optima, neque potest cogi essentia croci in Extractum, quoniam maxima ejus vis volatilis exspirat. 2. Non bene potest destillari aliquid ex croco, quoniam particulæ fixiores remanent in capite mortuo, utiles adhuc in medicina. Propterea Tinctura & Essentia optima est, quæ fit, quando affunditur menstruum, separatur per filtrum, & fit essentia. Menstruum est varium: sunt qui applicant spiritui vini: Sed quoniam ipse narcoticus & inebriativus est, non adeo convenienter. Alij serum lactis vel aq. seri lactis destillatam, & non inconvenienter in *affectibus melancholicis*, alij aq. vitis destillatam, alij denique, ut *LINDANUS* aq. Betulinam. Modus cum Aq. vitis destillata solet præ aliis recommendari. Hæc ESSENTIA CROCI est *pectoralis, uterinam, stomachalis, pellit fœtum*, convenit in *affectibus soporosis, melancholicis*, & quæ sunt virtutes aliæ simplici croco propriæ. oleum quod attinet STILLATITIUM (præparationem vide in *AUCTORE*) de hoc dicit *AUCTOR*, quod prosternat appetitum, quod verissimum est. Nam utut oleum Croci sit optimum remedium in *Cephalalgia, Melancholia & stranguria*, quoniam omne acidum corrigit & volatilisat, nihilominus rectè monet, quod illo non utendum sit ante pastum, quoniam habet vim singularem prosternendi appetitum.

CXI. CUBEBÆ.

Κουβέβαι, Cubebe, Quebube, Cubebæ vulgares. Germ. *Cubeben.*

Fructus sunt aromatici exigui, forma & magnitudine piper rotundum referentes, nisi quod ferè paulum sint minores. Advehuntur ex Java, Ind. Or. Insula, ubi decoquuntur antequam vendantur, ne apud exteros plantentur. Præstant majores, recentes, ponderosæ.

Dicuntur Cubebæ, *Garz. Acost. Fragos. Cord. h. Cast. Tab Matth.* (qui eas nec Arabum cubebas, nec Galeni carpesium demonstrat) Cubebæ vulgares, C. B. Officinarum, carpesium Græcorum, *Lon.* carnum.

N. quid sint cubebæ, ambigitur: alij ex genere piperis & nigro piperi congeneres esse, Theophrastoque Piper rotundum dici volunt: alij viticis fructum (at facultates sunt diversæ) existimant: Sylvaticus, Rusci fructum, alij carpesium Galeni statuunt: At Cæsalpinus, Amomi legitimi fructum pronunciat. Est autem fructus racemosus arboris cujusdam, malo vulgari similis, foliis verò piperis, sed angustioribus.

Vires. Calfac. 2. *complete sicc.* 3 *complet. atten. disc. viscera omnia roborant, atque in primis caput, adeoque plurimis inserviunt compositionibus*, [*Indi ad stimulandam venerem utuntur.*]

OFFICIN. NAT.

1. *Confectio c. saccharo.*
2. *Ol. Cubebar. still.*
N. *Rari usus est.*
3. *Spec. Diacub.*

CUBEBÆ. Fructus aromaticus exoticus: quid sint, de hoc non convenit omnibus auctoribus: optimum est *FREITAGII* judicium *in auror. med. p.* 498. de nostratibus seu usitatis, quod non conveniant cum cubebis Arabum, sed potius, quod sint fructus plantæ cujusdam, similis smilacis fructibus, hederæ in morem arboribus se circumvolentis, & racematim grana longis petiolis cohærentia ferentis. Virtutes quod attinet, sunt usitatæ apud Indos frequenter in vino pro *excitanda venere*, quoniam constant sal. vol. paulò acriori & volatiliori ac reliqua aromata. Unde manducatæ jejuno ventriculo conferunt in *vertigine, memoria læsa*, vel similibus *capitis affectibus*. Præ cæteris *in memoria læsa* insigniter conveniunt. Propterea habet *SENNERTUS in Tom. I. prax part. 2. cap. V. p.*307. pilulas, quas ex *MONTAGNANÆ Cons.* 71. desumpsit, & vocat bonum secretum contra memoriam amissam, quoniam virum antea doctum imbecillitate memoriæ laborantem illis restituit: De his deglutiri debent sub introitu in lectum pars una, & duplum assumi manè jejuno stomacho. Basis sunt Cubebæ. Post caput sunt singulare *stomachicum*, dum ventriculum ex acido muco onustum egregiè evacuant, abstergunt & sale penetrativo cōfortant: Tandem *frigidis uteri affectibus*, inprimis in *sterilitate* conveniunt, & in specie in *affectibus Cephalicis*, *soporiferis cerebri morbis* conducunt. Inter præparata CONFECTIO & oleo rari usus: SPECIES DIACUBEBÆ sæpius præscribi solent.

CXII. CUCUMIS.

Cucumis) σίκυς in genere notat omnes fructus horarios, adeoque sub eo comprehenduntur: { Cucumis officinarum qui vel } { Sativus, *h. loci.* Sylvestris Asininus. *Vide in Class.* 4. *Elaterium.* }; Pepones, Melones, Anguriæ, &c.

Dicitur cucumis sativus, *Brunsfels. Matth. Fusch. Lon. Cast.* cucumis, *Trag. Tab.* cucumis, vulgaris, *Dod. Ger.* cucumer sativum, *Cord. in D.* cucumis sativus & esculentus, *Lob.* cucumis sativus vulgaris, C. B. 1. German. *Sucumern, Gurcken.* Cocombre.

Suntque cucumeres virides, albi, longi, recurvi, læves, asperi.

OFFICIN. NAT.

Solum *Semen*, cui & ipsi *Fructus* addi possunt: hi enim etsi sunt culinares, attamen cibum præbent medicamentosum.

Vires Semen (seu nuclei) ex numero est famosor. 4. sem. frig maj. refriger. (præcipuè si aridum sit, aliàs humect.) in fine grad. 1. absterg. aperit, urinam ducit, ususque creberrimi est in emulsionibus antip'euriticis, antiphreniticis, & sim.

Ipsa cucumerum substantia refrigerat & humectat. Excrementitij est succi, adeoque non nisi robustioribus ventriculis edenda, idque non sine corrigentibus condimentis, v. g. pipere, & simil.

PRÆPARATA.

Condit. fructus: cum *Sal. com.*

CUCUMIS. Ex quibus usitatum SEMEN, rarò FRUCTUS. SEMEN est inter 4. frigida majora, adeoque solet ingredi Emulsiones refrigerantes, quas vocant: reliqua habet AUCTOR. In *phrenitide* CARO *cucumeris* applicata capiti est singulare experimentum *BORELLI Cent.* 4. *obs.* 94 qui refert, quod rusticus quidam alterum rusticum phreneticum curaverit cum taleolis cucurbitæ capiti impositis, vocat quidem cucurbitas, sed potius puto, illum intelligere cucumeres, quoniam promiscuè sæpe utuntur auctores his vocibus. Simile habet *BARTHOLETUS* in eleganti tractatu *de respiratione*, qui in fervidâ maximè *phrenitide* commendat carnem

nem cucurbitæ tusam, niveque refrigeratam abrasis capillis capiti impositam, nam tali imposita quidam phreneticus præter spem liberatus fuit teste *BARTHOLETO*: aliàs in tali casu sedum majus contusum, & plantis pedum & capiti applicatum commendari solet. Huic tamen præfert *RIVERIUS* cucumerem. Prostat Aq. DESTILLATA Cucumeris in quibusdam locis, quæ valdoperè commendatur contra *febres ardentes*, quod soleat refrigerare & compescere *effervescentias ardentes*.

CXIII. CUCURBITA.

Κολοκυνθὶς { Sativa, *Kurbs*. Courge. *Hujus loci*. / Sylvestris. *Vide Colocynth. Claff*. 3.

Nomen cucurbitæ omnibus familiare est Botonographis.

N. Cucurbitæ sativæ etsi variant magnitudine, colore, figurâ; conveniunt tamen natura & viribus.

OFFICIN. NAT.

Solum *Semen*, & nonnunquam *Folia*.

N. Semen recensetur in numero seminum 4. frig. maj. venitque in usum cum vel fine cortice.

Vires. Cucurbita convenit viribus cum cucumere, tam in qualitatibus carnis, quàm in seminis facultatibus. Folia recentia puerperatum mammis adhibita, monente Matthiolo, lac imminuunt.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex fructu immaturo.

Vires. Fert opem omnibus inflammationibus externis, oculorum, aurium, podagricis, &c. Intrinsecus quoque mirabiliter æstum corporis mitigat.

N Succus expressus idem facit.

CUCURBITA. Planta & fructus omnibus notissimus, cujus variæ sunt species, unius autem ejusdemque virtutis & facultatis. Usitatum SEMEN & CARO; raro aut numquam FOLIA, SEMEN refertur inter 4. frigida majora, ex quibus fiunt Emulsiones. Aliàs in viribus & facultatibus convenit cum Cucumere, uti & aq. DESTILLATA cum aq. ejusdem.

CXIV. CUMINUM.

Cuminum. { sativum: *quod hic pratense: quod carum*.

Κύμινον, Cuminum sativum, *Brunsfels. Trag. Matth. Cord. hist. Lob. Cast*. Cuminum, *Lon*. Cuminum officin. cumini sylv. 1. genus, *Dioscor*. Cyminum, *Cord. in D. Tab*. sativum, *Cam*. Cuminum semine longiore, C. B. 1. aliis cuminum domesticum, Romanum. German. *Kummich, Kmmel, Ræmisch Kümmel, Pfeffer Kümmel, KramKummel, Gartentummel*. Cumin. Cumin cultivé, cumin sauvag, cumin de Rome.

OFFICIN. NAT.

Herba. seu folia, sed rarò.

Solum *Semen*.

Vires. Calfac. & sicc. 3. atten. diger, resolvit, flatus discut. utile in Colica, Tympanit. Vertigine.

PRÆPARATA.

1. Semen Præparatum maceratione in acet.
2. Confectio.
3. Aq. Ex sem. l. a.
4. *Ol. stillat*. Ex sem. l. a. cum aq. elicitur. [Gonorrhœæ pituitosorum utile.]
5. *Spec. diacumin*.

[*Ex speciebus Tabula*.]

CUMINUM. Quasi aroma quoddam nostras, cujus semen, uti semen anisi, fœniculi, anethi, carvi, sale vol. oleoso & temperato constat, adeoque, ut illa, conducit *stomacho*, & in *affectbius intestinorum* cum *inflatione stomachi*, & *tympanitide* egregium: non adeò est diureticum, uti fœniculum. Internè sumitur à ʒß. ad ʒj. contra *colicam*, externè in sacculis applicatur abdomini in *affectibus flatulentis*, denique incoquitur clysteribus, vel oleum destillatum clysteribus permiscetur *in Colicis* intestinorum morbis, moderatè *urinam promovet*, sanat tamen *stranguriam*, ratione salis volatilis oleosi, quod demulcet acidum & Colicæ & stranguriæ auctorem: Sunt qui dicunt, quod *album mulierum fluxum*, uti etiam *mensium abundantiam* cohibeat.

CXV. CUPRESSUS.

Κυπάριοσος { Mas. / Fœmina.

Arbor est procera, conifera, foliis pinum æmulans, iisque semper viridibus.

Provenit copiosè in Insula Creta.

Insignitur Cyparissus. *Cast*. Cupressus altera, sive sylvest. *Ger*. Cupressus, *Matth. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Cam. Tab*. C. B. 1. German. *Cypreßbaum*. Cypres, arbre.

OFFICIN. NAT.

Lignum, *Fructus*, & rarò *Folia*.

Vires. Lignum refrigerat, siccat, astringit.

Fructus & Folia calfaciunt parum, exsiccant ad gr. 3. astringuntque validè, proin usus sunt præcip. in hæmoptysi, diarrhæa, dysenteria. Commendantur itidem in mictione involuntaria, ut & in herniis curandis intus & extus adhibita.

N. Fructus, sive conos, nuces vel pilulas Cypressi officinæ nominant: aliis Gabulæ dicuntur.

CUPRESSUS. *Arbor* in Italia vulgaris, rara apud nos, cum in paucissimis hortis colatur: in usu sunt LIGNUM, FRUCTUS & FOLIA. Tota cupressus refertur inter *antisplenetica*. Unde ex ligno destillatur SPIRITUS ACIDUS VOLATILIS ardens, ut ex ligno corylino, de quo paulo ante, qui in *affectibus splenis* commendari solet. FRUCTUS inter *adstringentes* sunt celeberrimi usus, internè & externè, ubi opus est adstrictione, potulorum occlusione, & fibrarum laxatarum constrictione. Post cupressum arborem sequitur.

CXVI. CUPRESSUS HERBA.

Chamæcyparissus, *Trag. Fuschf. Cord. Lon*. Santolina altera, *Dod*. Abrotanum fœmina, *Brunsf. Matth. Lob. Cast. Clus. hist. Tab. Ger. Cam*. Cupressus herba, *Cord. in D*. Santonicum minus, *Cord. hist*. Polium, *Theophrast. Dioscor*. Absinthium marinum, *Tab*. Abrotanum fœmina foliis teretibus, C. B. 1. Germ. *Gartencypresz*. Cyprés, & Auronne.

Colitur in hortis nostratibus.

OFFICIN. NAT.

Herba, seu folia, sed rarò.

Vires. Convenit. qualitatibus cum abrotano, ususque præcipui est in obstruct. Epatis, Renum & Ureterum, curat Icterum, lumbricos fugat, Extrinsecus subvenit morbis uteri, &c.

CUPRESSUS. *Herba*, seu *abrotanum fœmina*: nam promiscuè apud auctores hoc nomine venit. Facultatum earundem cum abrotano mare, inter plantas *aperientes* & *deoppilativas* refertur, adeoque in *tumoribus viscerum* commendatur. FOLIA sicca pulverisata ad ʒß in aq. matricariæ, dicuntur sistere *fluxum album* mulierum.

CXVII. CURCUMA.

Cyperus Indicus, *Dioscor*. & Curcuma officinar. *Cord. hist. Clus. coroll. Lon. Lob. Tab*. Curcuma longa & rotunda, *Cord. hist*. Cyperus altera, radice lutea, *Cast*. Terra merita, *Ruel. Lob*. Cyperi genus ex India, *Matth. Fuchs*. C. B. 1. [Crocus Indicus Io.]

Est radix officinalis exotica, non tantùm croceo colore apparens, sed & eodem colore alia tingens. Germ. *Gilbwurtz*, *Geelsuchtwurtz*. Curcuma.

Duplex

Duplex communiter est, aliquando longa, aliquando radice rotundâ: Hæc multò acrior priori existit atque cum zinzibere sæpe affertur.

Vires. *Dicata* est vesicæ biliariæ, Stomacho & Epati, hinc & Lieni ac Vtero. Calf. & sicc. 2. amara est; absterg. atten. aper. dig. disc. menses movet. Vsus in Ictero, Hydrope, Cachexia.

PRÆPAR.

Species diacurcuma.

N. Rectiùs. spec. diacrocu nominantur, quippe curcumam non admittunt.

CVRCVMA. Radix exotica, est planta ex Indiis orientalibus, & generibus Cyperorum, nomen à Germanis obtinuit, quod facit ad curandum *Icterum flavum*, in quo specificè commendatur. Hinc etiam cachexiæ potenter subvenit, & in *affectibus splenis & mesenterij* valdoperè laudatur. Ingens est *aperitivum*, in quibuscunque morbis, mucosa in ventriculo imminuit, *incidit & attenuat*, atque adeò multorum morborum fomitem expurgat. Inter præparata sunt SPECIES DIACVRCVMÆ, de quibus rectum AVTORIS judicium, quoniam nihil de Curcumis illas ingreditur, potius dicendæ sunt *diacreci*, qui est basis.

CXVIII. CVCVSTA.

Est { Major, colore scil. albo vel rubro: *hæc hujus loci.* / Minor. *Vid. Epithym. in purgantibus.* }

Dicitur Androsaces, vulgò cuscuta, *Trag. Matth. Lon. Cast. Clus. Ger.* cassytha, *Lob. Tab.* cassutha, *Fuchs. Dod.* major, C. B. 3. [Lini Podagra.] Germ. *Filtzkraut, Flahseyden, Todtern, Seydenkraut.* Goute de lin, Augure de lin.

Floret Junio, Julio, Augusto: adnascitur passim herbis & fruticibus, potissimùm urticæ, lino, lupulo.

OFFICIN. NAT.

Folia seu herba tota villosa cum floribus, præcipuè lino adnata.

[Semen interdum accipitur ad compositiones spleneticas.]

Vires. *Splenitica* in primis est, hinc epatica, Calfac. 1. sicc. 2. abstergit, subastringit, aperit, melancholicum humorem corrigit, utilis in scabie, ictero nigro, obstructionibus epatis ac lienis.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex tota planta.

[*N. Hæc* apprimè convenit in rubedine faciei.]

[Prostare etiam deberet Syrupus, in febribus Chronicis efficax, à Langio expertus.]

CVSCVTA seu CASSVTA, Dicitur habere signaturam mesenterij, & propterea commendatur contra *tumores, infractusque* vasculorum tenerorum in Mesenterio. Hæc Cuscuta crescit & serpit super alias plantas, adhæret iisdem, eas exsugit, atque tunc, quando super tales crescit, mutat nomen, plantæ enim, cui adhæret, nomen assumit, v. g. quando super Thymum, vocatur *Epithymum*, super saturejam & Hyssopum, aliud nomen acquirit, & sic porro. Observetur adhuc, quod, quando crescit super plantas non adeò magnas, vocetur *cassuta minor*, & *major*, quando super magnas: & quidem cum in plantam, cui adhæret, radicetur seu radices ejus insigantur radicibus plantæ: hinc fit, ut illius succum nutritium attrahat, & cum hoc virtutes. Vnde alias habet, quando super Thymum, alias quando super hyssopum crescit; & sic varias pro varietate plantarum, super quas crescit, sortitur facultates. Vid. *FREITAGIVS in Auror. Medic.* ubi tractat de purgantibus *pag.* 260. qui ita discurrit: Cuscuta, quæ crescit super linum, humidior reliquis speciebus est, sicuti econtra, quæ Genistæ adhæret, *lienis affectibus* convenit, permista Thymo *urinam* & *alvum* ea quæ super lupulo, etiam *spleni* singulariter dicata est. Vsitatum Epithymum præscribere in nodulis *sanguinem purificantibus*, ubi subest, *scorbutus* vel *malum hypochondriacum*, cum absinthio, quacunque in forma *quibuscumque in viscerum noxis* convenit: *quartanis* etiam aliisque febrium noxis dicata dicitur.

CXIX. CYANOS.

BAptisacula, Baptisecula, flos frumenti, *Kornblum, bezu Kornblum.* Blaveola, bivet, blevet.

Cyanos { Sylvestris { Montanus. / Segetum: *Hic officinal.* / Repens. { Latifol. / Angustifol. } } / Hortensis. }

Dicitur Cyanus, *Lon* flos, *Dod.* Cyanus major, *Matth. Cast. Cam.* Cianus sylv. *Fuchs.* Cyanus vulgaris, *Lob. Ger.* cyanus cæruleus, *Tab.* Baptisecula, *Trag.* Lichnis agria & flos frumenti, *Brunsfels.* Cyanus segetum, C. B. 2.

Crescit passim inter segetes: Floret Majo.

OFFICIN. NAT.

Flores.

Vires. Frigef. & siccat. 2. astring. utilis in oculor. inflammationibus, rubedine, lippitudine, doloribus, in hydrope (propinant.)

PRÆPARATA.

Aq. stillat. ex flor.

CYANVS, Vbique crescit, & à rusticis de illius natali solo informamur. Variæ hujus sunt species: inter officinales sese offert & usitatus est, qui est flore cœruleo, internè & externè. Internè DECOCTUM cum fructu adhibetur in *suppressione urinæ*. Valde enim pellunt urin. flores Cyani: Hinc etiam egregiè *pellunt menses*. Unde *AGRICOLA in Chirurgia parva* DECOCTVM *florum Cyani* & *Calcatrippæ* commendat in *affectibus Vrinariis*. Quod si his addantur flores Calendulæ, erit *decoctum* appropriatum *uterinum*. Decoquitur vel in vino vel aqua appropriata. Modo consueto paratur TINCTVRA, quæ cum floribus Calcatrippæ in iisdem affectibus propinatur, in *difficili partu, suppressione & mensium*, & *urinæ* Vnde interno usu à quibusdam commendatur in *hydrope*, quod debeat educere aquam sub forma urinæ. Vsu externo: flores Cyani, & præcipuè Aq. DESTILLATA commendatur contra *affectus oculorum*. Hæc etiam misti cum aq. chærefolij est egregium experimentum in *suffusione oculorum*, calidè cum linteis applicata: quod si admisceatur tantillum, vel croci vel Camphoræ, erit efficacior ejusdem effectus. *SENNERTVS lib.* 1. *prax. part.* 3 *sect.* 2. *cap.* 12. *p. m* 786. habet aq. OPHTHALMICAM ex floribus Cyani per deliquium, quam in *ophthalmia & affectibus oculorum* specificè commendat. Hic pensitandum lectori relinquo, cum videamus, solum colorem viridem commendari ad visum acuendum, an non etiam intense cœruleus, sit aggregativum visus? Quod valdè videtur probabile exinde, quoniam ex pluribus ejusmodi floribus cœruleo colore tinctis fiunt specifica ophthalmica. De decocto notetur, quod quando debet fieri Emulsio ex semine violarum in *suppressione urinæ & calculo*, possit optimè fieri, vel cum aq. Cyani, vel Calcatrippæ, vel cum decocto in aq. appropriata. Vlterius semen Erysimi vel sinapi sylvestris in iisdem usibus expertum, si ad ℥j propinetur: Huic aq. vel decoctum florum Cyani loco vehiculi inservire potest. Singulare habet *SCHMVCK. in Cur. Magico Med.*

Med. pag. 54. dum inquit. Radix Cyani collecta die corporis Christi, qui est 10. Junij, detenta in manu ut incalescat, *omnem hæmorragiam* sistit, quod si alio tempore colligatur, tale quid non præstare perhibetur.

CXX. CYCLAMEN.

Vocatur Cyclaminus, *Matthiol. Cord. in D. Lon. Tab.* Cyclaminus major, *Cast.* cyclam. rotundus, *Fuchs.* cyclaminus orbicularis rotundifolius, *Dod.* Cyclamen officinar. orbiculato folio, panis porcinus & Arthanita, *Lob.* Cyclaminus flore odorato, *Clus. hist.* Cyclaminus vulgaris & cyclam. prior, *Matth. & Lob.* Lugd. cyclam. æstivus vulgaris, *Cam.* Cyclamen orbiculatô fol. *Ger.* Cyclaminus minor & Umbilicus terræ, *Trag.* Cyclamen orbiculato folio infernè purpurascente, C. B. 1. German. *Erdapffel, Sauvbrodt.* Pain de Pourceau.

OFFICIN. NAT.

Radix. colligenda Autumnò.

Vires Calfac. & sicc. 3. potenter incidit, aper absterg. Errhinum est. Usus præcip. in [auditus gravitate ex Spir. Vini infusa obstructis mensibus, in pellendo fœtu mortuo, in Ictero, in calculo expellendo, strumis ac tuberculis discutiendis. Internò cauto opus habet, magisque externo usui prostat.

PRÆPARATA.

Succus. Hic cùm rarò nostratibus in promptu sit, ejus locum subit decoctum.

Unguentum de Arthanita majus. V. D. *minus.* V. D.

CYCLAMEN, propter figuram ita vocatur: usitata tantùm RADIX, quæ inter *splenetica* ferè primatum obtinet; Ejus ℥j internè propinata solet commendari in talibus usibus, egregiè *aperit obstructos & infarctos lienes*, & tollit *scirrhos. Menses ciet*; & *expellit fœtum mortuum*; ac in *promovendo partu* convenit. Interni usus est aliquantisper rarioris, quoniam violenter aliquo modo operatur. Exterior est crebrior. Hinc sunt qui dicunt, quod radix, si appendatur instar *amuleti* collo; ita ut lienem vel tumentem vel obstructum attingat; egregegiè soleat mederi *affectibus spleneticis.* Alij recipiunt succum radicis cyclaminis, eumque cum Gum. ammoniaco coquunt in EMPLASTRUM egregium SPLENETICUM. Unde etiam videmus, quod in Emplastris omnibus ad *scirrhos & tumores duros* emolliendos & resolvendos, item ad *scrophulas*, *strumas*, & *tumores partium externarum*, recipiatur usitatissimè radix Cyclaminis & ejus succus; item Bryoniæ cum succo; nec non cucumeris asinini cum succo, & Gumm. appropriato ammon. Galban. &c. semin etiam appropriatis, & coquantur in Emplastrum, quod *durissimos emollit tumores & resolvit.* Instar omnium Exemplum habetur in SENNERT. *lib.* 2. *prax.* ubi agit de strumis *pag.* 133. & 134 Istud sit instar cujusdam schematis pro præscribendis similibus Emplastris contra *quoscunque tumores duros internos lienis & externos*, in quibuscunque partibus ex quacunque causa. SUCCUS RADICIS si inungatur ventriculo, expellit per alvum aqu. *hydropicam* collectam. Unde, quicunque succo hoc attigerit anum, mira celeritate stimulum sentiet. Præterea denique usu externo convenit in *mensium obstructione*, sive applicetur sucus cum appropriatis sub forma pessi in sinum muliebrem, sive recipiatur suffitus rad. cyclam. per membrum, qui omnibus asserentibus certò *menses provocat.* Et SUCCUS RAD. CYCLAM. unguenti de *arthanita*, & *majoris & minoris* præcipuum est ingrediens.

CXXI. CYDONIA MALUS.

Μηλέα κυδωνία, Cotonea malus, *Quittenbaum.* Coinier, des Coings.

Mala Cotonea { hortensis / ferens / sylvestris } { Mala minora, *quæ præferuntur.* / Mala majora, vulgo pyra seu struthia. / Mala media, i. e. notha, *quæ proveniunt ex cotoneis que Struthiis insita fuere, vel contra.* }

Videatur Malus Cotonea, *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs. Cast.* Malus cydonia *Lon. Tab. Cam.* Contoneus *Cord. hist.* Cotonea & Cydonea mala *Lob.* Mala rotunda minora, nonnullis χρυσόμηλα, ab exteriore cutis colore, *Dod.* Mala Cotonea minora, C B. 1.

OFFICIN NAT.

Mala ipsa exsiccata. *Semen* seu *grana.*

Vires. Mala cotonea stomachica sunt, refrig. 1. sicc. 2. astringunt, nutriunt. Usus præc. in vomitu, alvi fluxu, singultu, laxitate stomachi.

N. Ante cibum sumpta alvum constipare creduntur, è contra à pastu laxant.

Semen. Refrig. & hum. mucilagine sua lenit, acrimoniam obtundit. Usus præcip. ad linguæ ariditatem leniendam [gargaris.] ad dolorem hæmorrhoïdum sedandum [in clysteribus] ad ophthalmiam sanandam (mucilago cum Aq. rosarum facta & imposita) ad scissuras mammarum solidandas, ambustaque curanda, &c.

PRÆPARATA.

1. *Condit.* Condiuntur Cydonia (sive integra, sive in frusta concisa,) separato cortice, semineque exempto: aromatizanturque cinamomo, caryophillisque infixis.
2. *Vinum.* Est succus liquidus, cui admixtum est tantillum sacchari.
3. *Rob Cidonior.* Est succus inspissatus ad mellis consistentiam. Dicitur aliàs syrupus Ferdin. Imperatoris.
4. *Diacydonium.* Ex succo accido & acido & sacch. dimid. *Vide Disp.*
5. *Marmelata.* Est cydonior. dulcium decoctio (per manicam Hippocratis) filtrata, cum saccharo inspissata & in scatulas ut congelescant effusa.
6. *Miva Cydonior. simplex.* Syrupus est ex succ. dulcior. p. xij. vini p. v. & sacch p. iij.
7. *Miva Cydonior. aromatizata.* Syrupus est ex succ. acidor. p. xij. vini p. v. mellis p. iij. & Cinam. V. Disp.
8. *Diacydonites, vel Diacydonium simplex.* Ex carne Cydonior, scil. atque sacch. ana V. D.
9. *Diacydonites, vel Diacydonium compositum.* Diversæ descriptiones extant, V. Disp. A & N.
10. *Diacydonites Laxativum.* Vid. Disp. Aug.
[*Est vel diagrydiatum, vel Ialapinum, vel cum Gummi Gutta.*]
11. *Essentia, seu spiritus.* Ex succo dulci fermentato: *rarò in usu est.*
12. *Ol. per infusionem.* Ex cydoneis non excorticatis, succo Cydon. & oleo omphacino. V. D.

Dactylus, vid. Palma.

CYDONIA MALUS. Planta sufficienter cognita tam in culinis, quàm officinis, ex qua usitatus imprimis FRUCTUS, utut sint, qui commendant DECOCTUM FOLIORUM tanquam singulare adstrictivum, nihilominus est in usu rariori. Potius recipiuntur MALA, & in illis contenta SEMINA. Quod attinet usumfruct. internum, vi est *stomachicum*, imprimis si resolvatur stomachi tonus, si fibræ laxentur, adeoque alimenta non ritè recipiant, neque contineant, neque expellant: in tali casu præ reliquis omnibus convenit Cydonium, & omnia exinde parata medicamenta: ut propterea cum fructu adhibeantur in *lienteria*, *cœliaca passione*, *nausea*, *vomitu* & similibus affectibus, atque cum tonus ventriculi requiratur pro meliori coctione & Chyli expulsione, propterea

propterea ab omnibus singulariter commendatur ad *ventriculi læsam coctionem*, *anorexiam* & *apepsiam*. In *vomitu* certè non potest sufficienter commendari ab auctoribus, qui uno nomine succum Cydoniorum miraculosum hoc in affectu omnes vocant. Vid. *GABELCHOV: Cent.* 3. *Cur.* 70. it. *SCHENCK. lib.* 3. *Obs.* ubi agit de ventriculi affectibus *p.* 334. commendat Cydoniata tam interno quàm externo usu, simulque parat ex pulpa cum aliis appropriatis CATAPLASMA, quod applicat stomacho ad affectus stomachi corrigendos. Vid. etiam *RIVER. HARTM.* unde MISTURA talis commendari solet in Vomitu:

> ℞ *Aqu. menthæ* ℥iij. *succi Cydoniorum* ℥j.
> *aqu. Cinnamomi* ʒvj *sp. vitriol. gutt.* VI.
> *ole. Cinnamom. destillati gutt.* IV. *vel saporis gratiâ.*
> *Elæosacchari Cinnamomi* ℈ß.

ceu expertissima contra vomitum & similes affectus à vomitu oriundos. Quod attinet *apepsiam* & *anorexiam*, commendatur PANIS CYDONIORUM, si solvatur super aqu. in vino Malvatico ad consistentiam pulmenti, cui addatur Nucis Moschatæ n. I. Zedoariæ & Caryophyll. ana ʒj calidè applicetur ventriculo, & interdum reiteretur, uti etiam quantitas nucis Moscatæ interius assumpta valdoperè commendatur in *laxitate ventriculi*. Vid. *ZACVT. LVSIT. lib.* 2 *Medic. princip. hist.* 62. ubi egregia habet de pane Cydoniorum contra stomachi affectus. Quod dicitur de Cydoniis in genere, dicitur etiam de præparatis, & quidem quoniam dixi, quod mala adstringant stomachum; propterea etiam oleum CYDONIORUM DECOCTUM extrinsecè commendatur in talibus stomachi affectibus, ubi opus est astrictione Lectu digna sunt, quæ habet *BARTHOLINVS Cent. V. hist* 22. de vi Cydoniorum adstrictiva, & in certo quodam subjecto *diuretica*, ubi simul quædam curiosa reperiuntur, de tartaro Cydoniorum. SUCCUS CYDONIORUM insigniter commendatur in vulneribus venenatis. Vid *STARICIVM heroum Thesauro p.* 130. qui dicit, quod succus Cydoniorum expressus & instillatus *vulneribus venenatis sclopeto inflictis* certo tollat venenum: Et hoc ipsum ante eum dixit *FORESTVS. lib.* 6 *Obs. Chirur. obs.* 10. qui refert, quod in bello Turcico plures vulnerati fuerint telis venenatis, & quaplurimi etiam mortui propter venenum, deque veterato Medico, qui vulneribus venenatis imposuit carnem Cydoniorum dentibus contritam, atque salivâ jejuna permistam, & curati sunt omnes taliter vulnerati, nullis aliis remediis juvantibus. Hæc de fructu, sequitur SEMEN. Hoc ipsum non tam usurpatur in substantia, quàm ex eo extracta MUCILAGO mediante coctione. Ita etiam parata mucilago ad quamplurimos affectus externo usu est commendatissima: imprimis experta contra *ambustiones*, & in tali casu miracula ei adscribuntur, si extrahatur cum aqu. appropriata per macerationem ex pomis putridis destillata, quæ aliàs etiam contra *gangrænam* laudatur, it. si extrahatur cum aqu. spermatis ranarum, (quod egregium in se habet sal alkali vulnerarium) aut cum aqu. destillata per alembicum ex ranis vivis, quæ etiam habent sal vulnerarium. Quod si huic mucilagini addatur Sacchar. saturn. vel misceatur cum Succo Cancrorum fluviatilium recenter expresso, it. cum Camphora, remedium erit eò efficacius & potentius. Nam in Sacch. saturn. & camphora est vis absorbendi & temperandi acidum, quam monstrat acetum, quod per infusionem horum dulcescit. *SCHMVCK in Thesauro magico-Magnet. Thesaur* 2. *Secret. Med* 20. hanc mucilaginem cum aqu. solani extractam specificè commendat contra refrigerationem partium: sive sint clausæ, sive apertæ & exulceratæ, potest tamen convenienter applicari mucilago hæc extracta cum aqu. solani: Idem asserit posse eandem applicari, cum aqu. vel decocto linariæ extractam, *hæmorrhoidibus dolentibus & cæcis*. Est sanè expertum remedium contra *earum dolorem*: Affectus est valdè difficilis in ardentibus *ariditas linguæ* cum crustâ pituitosa astringente in *febri castrensi* & *morbo Vngarico* familiaris, contra quam insigniter commendatur mucilago seminis Cydoniorum, ceu remedium præ cæteris expertum, illinitur linguæ & per tempus ibi relinquatur, post ligno acuminato seu spatula abradiatur mucilago: Quodsi misceatur cum succo sempervivi majoris ana, vel addatur tantillum salis ammoniaci, erit remedium efficacius, & eò magis præsentaneum.

CXXII. CYNOGLOSSUM.

Κυνόγλωσσον, Cynoglossa, lingua canina *Hunds-zung.* Langue de chien.

Diversorum est generum, è quibus magis officinale, quod indigitatur cynoglossa major, *Brunsf. Cord. in D.* cynoglossum vulgare, *Matth. Lob. Cast Clus. hist.* cynoglossum, *Dod Tab. Ger.* officinarum, *Lon.* cynoglossum majus vulgare, C.B.2.

Crescit passim locis aridis ponè muros. Floret Iulio.

OFFICIN. NAT.

Flores, Folia ac *Radix*, sed rarò.

Vires. Re, rig. & sicc 2. incrass. lenit, obstruit. Vsus in sistendo fluxu alvi, in gonorrhœa, ac catarrhis incrassandis. Verùm quia in numero herbarum est, quæ ob narcosin virulentam suspectæ sunt rarissimè à practicis adhibetur.

PRÆPARATA.

1. *Pilul. de Cynoglosso.* Vide disp.
N. Somnum conciliant, narcoticæ sunt.
2. *Vnguentum.* Vide Disp.

CYNOGLOSSA. Planta hirsuta & ubivis obvia, & hujus utut varia sint genera, usitata tamen major vulgaris: Imprimis commmendatur, quod sit *narcotica* & *anodyna* atque harum virium ratione illa omnia præstat, quæ narcotica, v.g. papaver & opium, dum catarrhos sistit: hæmorrhagias quascunque impedit & sufflaminat, & qui sunt talismodi affectus alij à simplicibus narcoticis. Usitatæ sunt PILULÆ DE CYNOGLOSSA, quando obvenit, *inducere somnum* & *dolorem sedare*, cum tamen sint crudæ & paratæ ex narcoticis admodum violentis, commodè in locum eorundem substituitur Laudan. opiat. Si tamen lubeat uti his pilulis de Cynoglossa, imitandus *BENEDICTVS FAVENTINVS*, Medicus Bononiensis, qui habet pilulas catarrhales & impedientes confluxum materiæ ad fauces, quarum compos. vid. in *ZVVÖLFERO* Edit. penult. *p.* 214. egregij usus in Catarrhis, ut dixi, sistendis, corrigendis, & aliis similibus affectibus curandis.

CXXIII. CYNOSBATOS.

Κυνόσβατος κυνόῤῥοδος Rosa sylvest. arvensis canina, rubus caninus, *Vvilde-Rosen, Feld-Rosen, Heckrosen, Heiderosen, Heidorosen, Hainhecke.*

Varia comprehendit genera Est enim rosa syvelstris vulgaris, flore odorato incarnato, flore majore & rubente, &c. Verum in officinas non nisi rosa sylvestris, flore odorato incarnato infertur.

Insignitur Cynosbatos, *Diosc. Lon.* cynosbatos procerior & cynorthodos, *Cord. in D.* sentis canis & cynosbatos, *Brunsf.* Rosæ sylv. 1 genus *Trag.* Rosa sylv. *Matth. Dod. Tab.* odora, *Ger.* Rosa sylvest. vulgaris, *Cam. epit.* Rosa canina odorata & sylvest. *Lob.* Rosa canina, *Cam.* Rosa sylvestris vulgaris flore odorato, C. B. 1.

N. Matthiolus Cynosbaton & cynorthodon inter se differre

ferre statuit. Verùm non malè faciunt qui pro uno & eodem frutice habent.

Crescit in dumetis, floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Flores, Fructus, spongia, & interdum *Radix.*

Vires. Flores conveniunt in qualitatibus cum rosis sativis; sed majorem vim astringendi habent, proinde in profluvio uteri rubro & albo summæ sunt æstimationis.

Fructus, [*Hagenbutten,*] des Grates-culs épluches. *Vi Lithontripticâ maximoperè commendantur, in qua tamen excellunt exempti arilli.*

Spongia. [Bedeguar.] S *klaffkuntz, Sc klaffapfel. Itidem calculosos efficacissimè juvare dicuntur & in primis qui inibi continentur lappilli ac vermiculi; quorum hi quoque ad lumbricos fugandos commendantur.* Potest propinari spongia pulverisata, vel aliter præparata.

Radix *Spicula ex corpore extrahit (imposita.)*

PRÆPARATA.

1. aqu. fragrans.]
2. *Fructus Cynosb. conditi.*
Condiuntur abrasa lanugine & exemptis priùs arillis.
3. *Rob Cynosbati.* Fit. leg. a.
4. *Spiritus, s. aqu. spongiarum* quæ fit:
Glomi mense Maio vel Junio collecti inciduntur; remotisque vermiculis aut insectis inibi reperibilibus, digeruntur cum aqu. & fermento ut putrescant, dein elicitur aqu. seu spiritus per vesicam.
5. *Spiritus alcalisatus.* Ex capite mortuo (in destillatione præcedenti residuo) ulterius incinerato; elicitur *Sal. com.* idque purificantur cum Spiritu conjunge & aliquandiu macera. Tandem cum argilla misce & propelle per Retortam igne nudo, ut nempe totum *Sal. com* simul transeat. Postea rectifica si opus sit. *Hartm. in pract.*
Vires. Spiritus hujus guttulæ aliquot (ad 10.) in liquore conveniente adhibitæ, calculum insensibiliter expellunt.
6. Conserva florum quæ interdum laxat.
7. *Syrupus* regius, seu aureus nonnullis dictus.

CYNOSBATUS, CYNORRHODUS, Ejusdem fructus vocantur Cynosbati, & denique concrementa hirsuta vocantur spongiæ. Cynorrhodus, rosa canina communiter innuit totam plantam rosæ sylvestris: Cynosbatus innuit saltim fructum. Usum quod attinet, 1. sese offerunt flores, qui sunt odoris penetrantis, & hoc ipso superant hortenses, & eorum odor, quem spirant, est quasi aromaticus, penetrantioris & subtilioris naturæ, propterea etiam magis commendantur pro destillanda aqu. rosarum, quia melius elevantur salia super alembicum, & dant aqu. spirituosiorem, aliàs flores iidem sub conserva, vel decocto adstringunt eleganter, & commodo adhibentur, ubi opus est *astrictione*, in *nimio uteri profluvio*, & *hæmorrhoidibus* apertis. 2. FRUCTUS insigniter commendantur *contra calculum*, & non sunt postremum ex lithontripticis. Unde fructus conditi, sunt alimentũ medicamentosum contra calculum, quem expellunt, & quo minus generetur, præcavent. Sunt qui faciunt ex iisdem Cynosbatis CONSERVAM cum s. q. Sacchari: ubi hoc observetur, quod quando aperiuntur fibrilli, quibus mediantibus, arilli carni adhærent, contra *Sodam* seu ardorem ventriculi est secretum PRINCIPIS MAGDEBURGENSIS, qui his curatus est, aliis nihil omninò juvantibus. 3. Spongia sine vermiculis considerata: Hæc est singularis usus in *calculo*, similiter & parare exinde docet *AUCTOR. spir. antinephriticum* singularem: cujus uberiorem compositionem videmus in *HARTMANNI praxi Chymiatr. cap.* 191. §. 5. Aliàs FRUCTUS CYNOSBATI IPSI CONDITI referuntur etiam inter media *Epatica*, ad corrigendum *discrasiam sanguinis* & *imminentem cachexiam.* Denique in Spongia sunt VERMICULI albicantes, qui commendantur contra *vigilias* externo usu; LIQUOR enim ex vermiculis in spongiis maturis repertis, expressione paratus, & temporibus illitus, est egregium specificum *ad somnum inducendum*, Modum hunc liquorem præparandi tradit *BARTOLETUS in tr. de respir.* quando dicit, quod sint aperiendæ spongiæ, vermes eximendi, & inter duos lapides comprimendi, ut exstillet LIQUOR PINGUIS & oleosus, qui colligi potest & asservari intemeratus, quoniam nunquam corrumpitur.

CXXIV. CYPERUS.

Κύπειρος, *wilder Galgan*, Souchet.

Est { Longus. Rotundus.

Rotundus potissimi quidem usus est, tamen judicio virorum etiam eruditorum parum vel nihil longum superat; suntque partus diversi ejusdem radicis.

Crescit sponte in regionibus calidis, Italia, Syria, Alexandria, & simil. Nostratibus colitur quandoque in horto, gaudetque solo humido, sed minùs efficax est peregrino.

Dicitur Cyperus; *Diosc. Alpin.* Cyperus rotundus Orient. maj. vel Babylonicus, *Rauvolf.* Cyperus major Syriacus; *Cam. in Matth.* Cyperus rotundus orientali major, C.B. 1.

OFFICIN. NAT.

Sola *Radix*; quæ eligenda gravis, densa, fructu contumax, plena, aspera, odoris cum quadam acrimonia jucundi

Vires. Utraque Stomachica est ac uterina, calf. & sicc. 2. aper. Usus præcipuus in urina ac mensibus ciendis, cruditate ventriculi consumenda, hydrope inchoata præservanda, colica ac vertigine discutienda, ulceribus, vesicæ solidandis: masticata emendat oris fœtorem. Cocta in oleo contusa & imposita renibus ac pectini urinam proritat.

Varias quidem ingreditur compositiones, sed alieno titulo insignitas.

CYPERUS, radix est aromatica, ex genere tamen plantarum arundinacearum seu gladiolorum, acris & subamara, perfectè aromatica, ex India orientali: qui plura cupit, adeat scriptores rerum oriental. Prodest in *affectibus stomachi* & *intestinorum* simulque est *alexiparmaca*: & eo ipso quo est aromatica, convenit in *flatibus, cruditate acida, ructibus, inflatione stomachi* & similibus affectibus. PULVERE ejusdem ad ʒj. propinato in aqu. appropriata contra pestem, plures curatas fuisse refert *PALMARIUS* in *tr. de morbis contagiosis cap.* 18. *p.* 485. Convenit aliàs cum reliquis omnibus aromatis quoad virtutes.

D

DATURA INDORUM.

HANC neglexit *AUCTOR.* Ego autem dico quod sit planta ex generibus stramoniorum, & vim habeat insigniter *anodyno-narcoticam*: nihilominus mitiorem, adeo ut sint, qui præferant hanc Daturam indorum vel Turcarum ipsi Opio. De ejus vi narcotica & modo utendi in Indiis usitato, vid. *BARTHOLIN. Cent.* 6. *hist.* 76 ubi egregia & lectu digna refert: inter alia quoque, quomodo decipere soleant mulieres Indæ maritos iisdem præsentibus cum aliis concunbentes. Videri quoque potest, in itinere & descript. indiar. oriental. *pag* 130. Ex hac præparat pharmacum phantasticum *BARTOLETUS in elegantissimo Tr. de dyspnœa*, seu respiratione, cujus basis est hoc ipsum semen Daturæ. Compositio est talis;

℞ *Vini albi generosi partes* xiij. *Aquæ vitæ partes* iv. *salis communis partes* ij. *Seminis phantastici ex India advecti seu seminis Daturæ partes* vi. *Coccolæ Indicæ orientalis* ij. *partes. Croci, part.* j. *Cyperi, ligni aloës, ana quadrantem partis unius, contusa digere sub fimo horas* 40.

facta expressione circula vel in balneo vel fimo equino per 15. dies, usque dum planè clarescat, liquorem clarum à fœcibus segrega & serva. Uti solet

let hoc pharmaco *BARTOLETUS* contra phantasmata in morbis melancholicis, ut scilicet determinet imaginativam hominis vi Daturæ narcoticâ ad certum subjectum: cui addit specifica; ut cogitet & imaginetur sibi hoc vel illud: Ut si quis putet se carere pene, addit venerem stimulantia, tristi addit exhilarantia spiritus, sicque in reliquis affectibus addit specifica, & imaginativæ læsæ contraria. Quod quomodo contingat, & an ab Ideis, non est hic discurrendi locus.

CXXV. DAUCUS.

DAῦκ☉, Daucus, Daucum & Daucium, *Mohrenkummel.*

N. Dauci nomine plantæ binæ officinis veniunt. Daucus scilicet Creticus, *de quo hic*; & Daucus vulgi, seu officinarum. *Vide Pastinaca sylvestris.*

Dicitur Daucus 1. *Matth.* Daucus Cretenus. verus, *Diosc. Lob Ger.* Dauc. Creticus, *Cast. Tab.* Dauc. foliis fœniculi tenuissimus, C. B. 1.

Nascitur sponte in insula Creta, unde nomen quoque habet: tum quoque in Italia. *Semen* solum nostratibus officinale est.

Vires. Uterinum in primis est & diureticum. Calf. & sicc. 2. aperit, incidit, flatus discutit. Usus præcip. in mensibus obstructis, suffocatione & dolore matricis, in colica flatulenta, in singultu. dysuria, tussi chronica.

N. Ingreditur Compositionem Theriacæ.

PRÆPARATA.

Oleum ad calculum utile.

DAUCUS. Planta, quæ vocatur Mohrentummel: Estque duplex, *vulgaris & Creticus*, qui etiam intelligendus, & cujus semen tantùm est officinale, Duplici gaudet virtute 1. est *lithontripticon*, 2. *Uterinum.* Vis hujus seminis prophylactica à *calculo* est mirabilis, & confirmat illam quotidiana experientia. Vid. *CHARLETON in Tr. de Spir. Gorgonio seu Lithiasi p.* 177. ubi insigniter decantat vim ejus *antinephriticam*, simulque monstrat modum propinandi contra calculum: cui combinetur *HELMONT. in tr. de Lithiasi*, qui non inconcinna experientia virtutem seminis Dauci deprædicat *cap.* 1. §. 19. item *c.* 7. §. 14. *& seqq.* ex *HELMONT.* excerpsit, quæ habet *HORSTIUS in Dispensatorio Tom.* 1. *p.* 120. *HELMONT.* hinc inde & sparsim dixit. Hanc vim seminis Dauci antinephriticam adhuc experiuntur Angli, qui cerevisiæ noviter confectæ infundunt semen Dauci, & simul fermentare faciunt, adeò ut qui bibunt hunc potum alimento medicamentosum, valdoperè *præserventur à calculo.* Nam quod obiter moneo, sunt valdoperè artificiosi Angli in conficienda cerevisia medicata: Habent cerevisiam cochleariæ, quæ sal. ejus volatili insigniter impraegnata conducit *scorbuticis:* deinde conjungunt cerevisiam cum radice Chinæ in *lue Venereâ*: Similiter impraegnatam habent corticibus citri seu limonum in debilitate virium & flatulentiis. Sicque simili modo, [oleum dauci] est usitatum contra *calculum.* Altera vis est *Uterina*, quæ sanè egregia, cum valdoperè conveniat in *mensibus suppressis* provocandis, item in *partu difficili* atque in *doloribus post partum*, in quibus casibus omnibus non vulgariter commendatur. Denique insigniter etiam confert in *suffocatione uterina*, & tam in paroxysmo curando, quàm præservando, non rari est usus.

CXXVI. DICTAMNUS CRETICUS.

Dictamni officinales sunt. { Dictamus Creticus, *Eretischer Dictam.* Dictam de Crete. *De quo hic.* Dictamnus vulgaris seu albus officinar. *Vide Fraxinell.*

Dicitur Dictamnus, *Brunsf.* Dictimnum, *Matth. Lob. Cast.* Dictamnum Creticum, *Matth.* verum, *Dod.* Dictamnus verus, *Cord. in D.* Dictamnus Creticus, *Trag. icon. Cam.* Dictamnus Creticus, C. B. 1.

Nascitur in Creta foliis crassioribus, villosioribus, in hortis Italiæ majoribus, minusque incanis.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires Uterina in primis est herba ac alexipharmaca, calf. & sicc. atten. absterg. aper. Usus præc. in obstructis mensibus, in partu accelerando (intrinsecus & extrinsecus in ictibus) venenatis, in spiculis extrahendis.

DICTAMNUS CRETICUS. Est vel *verus* vel *falsus*: Falsus sæpius substituitur pro vero in officinis, qui solus est officinalis ut ergo à se invicem discernantur, observetur saltim caulis, qui in vero est niger, in falso verò albus, in foliis enim planè conveniunt. Verus præcæteris insigniter est *uterinus*, ut usitatissimè præscribatur in quibuscunque uteri affectibus, *in suffocatione, mensium suppressione*, in *doloribus in & post partum*, &c. Folia sunt usitata tantùm, numquam semen. Semper pulveribus admiscentur folia pulverisata *in mensium difficultate*, & doloribus qui post partum contingunt.

CXXVII. DIPSACUS.

Est { Sativus. { Major. *Hic usualior.* Sylvest. { Minor. *Et hic adhiberi potest.*

Videatur Δίψακ☉ *Fuchs. Dod. Tab. Ger.* Labrum veneris, *Matth Cord. in D.* Carduus Veneris, Carduus fullonum, *Lob. Trag.* Dips. sylv. aut Virga pastoris, C. B. 3. & 4. German. *Kartendistel.* Verge à berger. chardon à foullon, ou chardon à carder.

Crescit in locis asperis, arenosis: Floret Junio & Julio.

OFFICIN. NAT.

Radix, sed rarissimè: hinc *Vermiculi* in echinis reperti.

Vires. Radix, teste Matthiolo, sicc. abstergit. Usus præcip. in Rhagadibus ani solidandis (decocta cum Vino) commendatur in verrucis abigendis.

Vermiculi (vel radix) de collo suspensi quartanam arcere creduntur: eosdem cum oleo rosac. vel simili contusos paronychiam sanare, author est Matthiolus.

DIPSACUS, seu CARDUUS FULLONUM seu LABRUM VENERIS, foliis integris seu laciniatis. Hic rari in officinis est usus, adeò ut non meminerim, me legisse unquam aliquid de illo, nihilominus, quod habet *AUCTOR*, in *Rhaghadibus*, item *Verrucis ani* commendatur.

CXXVIII. DORONICUM.

Aconitum pardalianches Theophrasti, *Matth. Tab* Doronicum Austriacum alterum, *Clus. Cam.* Doronicum 2. longifolium, *Tab.* minus, *Ger.* Doronicum radice repente, eidem. Doronicum radice dulci, C. B. 1. Germ. *Gemsenwurtz, Schwindelkraut.*

Crescit in Austria, Syria, Helvetia, &c.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Accedit ad calfac. & sicc. gr. 3. discut. alexipharmaca est. Usus præcipuus in vertigine, Uteri inflatione, palpitatione cordis, venenosis morbis ac morsibus (nimirum signaturam Scorpionis habet.)

N. Sunt qui aconitum pardalianches esse volunt, adeoque noxium (ut Matthiol.) Cui tamen moderni minimè subscribunt.

DORONICUM, *Aconitum rotundifolium*: præter hoc datur etiam *acutifolium.* Vocatur

tur [Gemsentvurtzel.] quoniam damæ vescuntur illo. Hinc vis hæc damarum, ut absque vertiginis periculo alta montium adscendere queant, esui Doronici adscribitur. [Schtvindeltraut] dicitur, quia specificè prodest contra *vertiginem*, propterea etiam nostrates funambuli solent uti radice doronici, illam masticantes deglutientes, ne decidant de fune, & risum moveant spectatoribus, & hinc unum ex maximè specificis contra vertiginem solet esse pulvis radicis Doronici: Utuntur quoque illo venatores in Alpibus damas insectantes: Et pulvis sequens funambulis Anglicis contra vertiginem usitatus, ℞ Rad. Doron. ℥ß. ante ortum solis mense Septembri collectæ. Cubebar Cardamom. ana ʒiiß. rad. ireos ʒij. Coriandri, granorum pœoniæ ana ʒj. sem. fœnugræci ʒß. oleo Majoran. rorismarini ana gutt. VI. Misce, mediam partem serva pro usu interno, alteram medietatem irrora aceto destillato rosaceo dividatur in 2. partes æquales, obduc syndone rubro, & sæpius olfac. Præterea quoque est insigniter *alexipharmacum*, ratio quia Ægagropilæ vim alexipharmacam obtinere dicuntur, qui lapis crescit, quando capræ comedere solent de Doronico, reperitur in ventriculo Damarum, & vocatur Ægagrophila. De controversia an sit alexipharmacum habemus agentem *VVormium in Museo cap.* 6. p. 14. seqq. ubi defendit vires alexipharmacas impugnatas à *MATTHIOLO*. Vid. quoque *GESNERUS lib.* 1. *Epistol p.* 18. *& lib.* 2. *p.* 74.

E

CXXIX. EBENUS.

Lignum Exoticum est in medicina nullius usus, prætterquam quod Paracelsus oleum ac sal ejus maxime commendet. Ol. stillat. collaudat in doloribus arthriticis, Podagra, Paralysi, morbis venereis & pustulis (extrinsecus scilicet loco affecto inunctum) Sal celebrat vi purgandi (fortè facultatem purgatricem stimulandi) in podagricis, paralyticis, item virtute mundificandi vulnera. Vide Paracelsf. de Xylo-Hebeno. German. *Ebenholtz*. De l'Ebene.

EBENUS. Lignum uti exoticum est, ita etiam rarum & charum in officinis, raroque præscribitur à Medicis practicis: sed potius omnibus hujusmodi lignis exoticis præferendum est lignum Juniperinum, in quo revera est balsamum occidentale. Quæ in usum veniunt ex Ebeno, videantur apud *AUCTOREM* ex *PARACELSO*, qui solus primus in usum revocavit lignum Ebenum, quem tamen nemo inter practicos hactenus fuit secutus.

CXXX. EBULUS.

Καμαιάκτη Dioscoridis, h. e. Sambucus humilis, Ebulus, *Trag. Matth. Fusch. Lob. Cast. Tab.* Ebulus seu humilis sambucus, *Dod.* Ebuli & Sambuci alterum genus, *Lon.* Sambucus humilis, seu Ebulus, C. B. 5. Germ. *Niderholder, Attich.* Hieble.

OFFICIN. NAT.

Flores, Folia, Cortex interior, *Semen & bacca.*

Vires. Flores calfac. & sicc. discur. emol. resol. sudores movent ut sambuci flores.

Eadem v pollent folia, *& in primis ad podagricos dolores sopiendos, tumoresque aquosos discutiendos, adeoque & hernia aquosæ conveniunt.*

Cortex *interior maximè radicis (præterquam quod aquosos & serosos humores totius corpori, per alvum educit*) *calf. & sicc. discutit. emollit. Usus præcip.* (*ut florum*) *in inflammationibus, Erysipelate, & sim.*

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex floribus.
2. *Spiritus.* Ex floribus fermentatis.
3. *Rob Ebulin. seu pulpa baccar.*

Vires. Aquas blandè detrahit, sudoresque movet.

4. *Tinctura seu Essentia granorum Ebuli.* Fit & usurpatur eodem modo quo tinctura Sambuci.

Vires. Tinctura hæc specificum est remedium contra hydropem, cachexiam, uteri strangulatum, cujus paroxysmum sudore mediante fugat.

[Unguent. de Ebulo Lacun. ad dolores podagricos.]

De Cortice, & semine, *vide in purgantibus.*

EBULUS. De hoc erit dicendi locus inter purgantia, ubi denuò ejus virtutes ab *AUCTORE* recensentur p. 235. propterea & nos, quæ de illo dicenda veniunt, ad illum locum reservabimus.

CXXXI. ENDIVIA.

Σέρις, Intybus sativa, *Endivien.* Endive.

Est { Major latifolia, *qua intelligitur simpliciter sic dicta.* / Minor angustifolia dicitur scariola, *quæ priori substitui potest.* }

Prior dicitur Intubus sive Endivia, *Trag.* Intubus major, *Matth.* Intubum sativum latifolium, *Fuchs. Lob.* Intybum sativum, *Cord. in d. Dod. Ger.* Intybus sativa major, *Cast.* Seris (sive Endivia alba,) *Lob.* Endivia hortensis, *Cam.* Intybus major sativa, sive cichorium domesticum, *Tab.* Scariola Arabum interpretibus, Seris domestica latifolia, *Dioscor.* Intybus sativa latifolia, sive Endivia vulgaris, C. B. 1.

Colitur in hortis, solo gaudens opimo. Floret Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia, Semen, rarissimè *Radix.*

Vires. Epatica est nobilissima, refrig. & sicc. 2. absterg. aperit, diuretica est. Usus frequentissimi in febribus biliosis.

PRÆPAR.

1. *aq. stillat.* Ex integra planta.
2. *Succus.* Ex foliis.
3. *Syrup. de Endiv. simpl.* ex succo & saccharo dimid.
4. *De Endiv. compos.* Vid. D.
5. *Syr. Byzantius.* V. D.
6. *Diaser. Andernac.* V. D.
7. *Sal com.* Ex planta incinerata.

ENDIVIA Princeps inter omnes plantas Intybaceas, uti sunt lactuca, Cichorium, portulaca &c. quæ pro varietate foliorum vel *major* est vel *minor*: Et uti nota in culinis, ita ingreditur officinas. SEMEN quidem rarò, imò rarissimè, frequentissime FOLIA, RADIX verò solum condita solet usurpari. Si consideremus compositionem ejus naturalem, est planta aquosa, & valdè succulenta, propterea nihil olei in destillatione largitur, & omninò non est odoris & saporis penetrantis, sed potius est succi aquosi, qui impræegnatus sale admodum subtili volatili, ratione cujus refrigerat. Dico, quod sit subtilis, ratione cujus non ferit linguam, sed insipida apparet. Vid. de ejusmodi plantis *TACHEN. Hippocr. Chymico.* ubi egregiè discurrit & dicit refrigerare illas, quoniam acidum, quod effervescendo dat incalescentiam, moderatè temperant. *Hepatica* est nobilissima dicit *AUCTOR*, dum blandè corrigit sale suo volatili sanguinis crasin sine ulla turbulentia, & aliis symptomatis concurrentibus, quæ aliàs solent contingere à salis acrimonia. Conducit in *inflammationibus & ardoribus* corporis ab acido, quatenus sal vol. subtile temperat acidum morbificum: Convenit etiam in *febribus biliosis* dictis, scilicet in iis, in quibus sal vol. urinosum impræegnatum est oleo copioso, cujus ratione oriuntur plurima symptomata. Dum ergo sal Endiviæ vol. imbibit oleum, illud temperat, sicque bilis oleositatem & acrimoniam corrigit. De quâ correctione bilis per talia medicamenta vid. *SYLVIUS in praxi*, ubi agit de febr. bilios. *In inflammatione hepatis* tam vera quam apparente prodest: In vera ex sanguinis stagnatione, apparente ex effervescentiis: omnes quippe inflammationes

tiones oriuntur vel à sanguine stagnante, vel congrumato, vel à salibus vitiosè effervescentibus: dum ejus sal temperatum acidum emendat, ut ita simul effectus ab illo orti corrigantur, quæ aq. sal. simul occulto prædita est. aq. destillata & succus Endiviæ ad eosdem affectus commendatur. Nam ex iisdem plantis, quæ ita sunt succulenta, in destillatione, sal subtile super alembicum adscendit: quod in omnibus non habet locum, demonstrante *TACHENIO* in *Hippocr. Chimico.* FOLIA imprimis recentia commendantur ad *pediluvia*, pro concilianda quiete & *somno*, vel tempore æstivo, vel in *ardoribus febrilibus.*

> ℞ *fol. vitis, Nymphea, Endiviæ ana* mij.
> *flor. Nymphea albæ. Chamomillæ ana* miß.
> *Capitum papaveris cum semenibus n.* 6.
> *D. S.* Species [pro pediluvio.]

coquuntur in aq. communi, & tali decocto immittantur pedes tecti probe, nec abstergantur, sed relinquantur humidi, & involvantur tantummodo linteis, sicque æger ad somnum disponitur. Eadem hæc indivia commodè ratione sal. vol. temperati applicatur externè in *inflammationibus* ac *tumoribus Erysipelaceis.* Nam utut non facilè soleant applicari humida in rosa, quod tantùm de acidis & adstringentibus intelligendum, non tamen sunt nociva talia, quoniam eorum sal vol alcali corrigit. sal vol. acidum in ejusmodi inflammationibus Erysipelaceis: sicuti etiam solet applicari aq. spermatis ranarum cum tantillo croci egregium arcanum in rosa.

Quæ valent de Endivia, valent de omnibus plantis refrigerantibus *Plantagine, Portulaca, Cicorio, Sonchο, sempervivis* & similibus, quæ sunt succulentæ & quorum succus impregnatus est sal. vol. temperato seu occulto: Nam quæ habent sal vol. acre potius calidæ dicuntur & *antiscorbuticæ*, ut ex inde pateat, quid habendum sit de potentiis vel refrigerandi vel calefaciendi &c. nimirum respiciendum est ad principia materialia, à quibus dependent istiusmodi effectus. Inter præparata habet *AUCTOR*, *sal. Endiviæ* fixum; cum verò dixerim, esse succulentam, & abundare sale volatili, patet quod vel nihil vel parum salis fixi elici possit ex cineribus.

CXXXII. EPATICA NOBILIS.

Epatica alba, Trifolium nobile Epatica, *Brunsf.* aurea, *Brunfs. Tab.* Trifolium magnum seu aureum, *Trag.* Trig. aureum, *Dod. Lon.* aureum magnum, *Cast.* Trinitas, *Matth. Cord. h. Cast.* Hepaticum trifolium, *Lob. Cam. Ger.* Hepatica trifolia, *Clus. hist.* Trifolium Epaticum flore simplici, C. B. 1. Germ. *Hertz oder Leberblumlein*, *gulden Leberkraut*, *edel Leberkraut.* Hepatique dor.

Floiere incipit veris initio, colitur in hortis.

OFFICIN. NAT.

Folia ac Flores.

Vires. Calf. & sicc. moderatè (al. refr.) subastring. sanguinem mundificat, Epatis ac Lienis obstructiones reserat, urinas ciet, Renes & vesicam abstergit, Herniam curat.

PRÆPARATA.

Aq. Ex planta integra.

Epatica saxatilis, vid. Lichen.

EPATICA NOBILIS. Seu κατ' ἐξοχὴν *Epatica* sine additamento, seu *trifolium aureum*, habetur flore cœruleo, albo, carneo. Cæruleæ species in usu, & de illa folia & flores. Hæc ipsa planta est temperata similiter ferè ut Endivia, nihilominus in compositione particulas obtinet asperiores, ratione quarum solet adstringere. Quare valet ad *obstructiones reserandas*, & *fibras laxatas contrahendas.* Præterea est egregia *vulneraria*, dum ratione sal. vol. adstringit, & acidum emendat. Dicitur Epatica ratione effectus, quoniam Epati vel sanguinis *dyscrasiæ* & depravatæ fermentationi succurrit; Unde etiam nodulos laxativè temperantes, qui verno tempore solent præscribi, ordinariè ingrediuntur flores Epaticæ nobilis.

CXXXIII. EPATICA STELLATA.

Hepatica stelata, *Tab.* Matrisylva, *Trag. Cord. in D. Lon.* Asperula, *Lob. l Ger.* Asperula odorata, *Dod. Cast. Clus. hist.* Aperine sylv. quædam, *Cord.* Asperula seu Rubedo montana odorata, C. B. 1. Caprifolium aliis. Germ. *Stein-Leberkraut*, *Hertzfreud*, *Vvaldmeister*: l'Hepatique en forme d'étoile.

Gaudet solo nemoroso: Floret Aprili, & Majo.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Calfac. & sicc. seu temperata potius est, Epati ac cordi familiaris. Usus præcip. in obstructo Epate, ac meatu biliario, & hinc in Ictero, in Epate calidiore refrigerando. Extrinsecus in temperie calida Epatis (cataplas.) in tumoribus calidis. Quin & pedibus alligata parturientium partum accelerare dicitur.

℟. *Plantula* est nostratibus familiarissima, quippe vix quidam è Francofurtensibus erit cujus potum Majo mense non subornet, saporem conciliando gratissimum.

EPATICA STELLATA. Sic dicta, quoniam flores ambiunt caulem in forma stellarum, est elegans plantula ex rubiæ speciebus: vocatur etiam *matrisylva.* Usitata est herba, quæ etiam *Epati confert*, & audit Epatica vel sanguinis dyscrasiam emendat, & imprimis depravatam corrigit, & quæ de Endivia dicta sunt, possunt quoque dici de hac planta: est tamen aliquantisper acris & saporis subamari. *Vulnerarium* est egregium, imprimis ubi superveniunt *febres*, *phlogoses* vulnera.

CXXXIV. EQUISETUM.

Ἵππουρις: Herba Equinalis, Cauda Equina, *Roszschvvantz Schafftenzeuv.* Queuë de cheval, ou Queuë de chat.

Varij est generis. Est Enim Equisetum palustre varium, est sylvaticum, est pratense, est denique arvense. Et hæc etsi viribus conveniant, attamen usuale magis est pratense.

Dicitur Hippurisaltera, *Trag.* Equisetum alterum, *Matth.* Equisetum, *Fuchs. icon. Cord. in hist.* Hippuris major prima, *Lon.* Hippuris fontalis & Equisetum 2. Diosc. *Lob.* Hippuris minor *Lob.* Equisetum palustre majus, *Tab.* palustre. *Ger.* Equisetum pratense longissimis setis, C. B. 8.

OFFICIN. NAT.

Caules cum foliis suis.

Vires. Vulnerarium est, frig. sicc. 2. inspissat, astring. Usus præcip. in hæmorrhagiis sistendis, in exulceratione & & vulneratione Renum & vesicæ, interaneorum tenuium, &c.

PRÆPARATA.

aq. *stillat.*

Sal. ex cinere.

EQUISETUM. Inter varias hujus species usitata est vulgatissima, pilis in orbem consitis adornata. Planta cum foliis est adstringens celebris, & roborat partes. Unde valdoperè convenit in restituendo tono viscerum laxato, vel uti dicunt veteres, in læsa expultrice vel retentrice facultate, ubi hæc contingunt, & propter hunc tonum laxatum, aut retentiones aut expulsiones non rectè fiunt. Item dum *fluxus* adsunt vel *humorem*, vel *sanguinis per uterum*, *hæmorrhoides*, *nares*, *renes*, &c. Equisetum

tum est egregium, hujus enim decoctum *valide adstringit*, & inprimis valet in *hæmoptysi*, aut eruptione aut apertione & incisione ramuli in pulmonibus, ut taceam tales plantas habere vim incrassandi sanguinem, ratione cujus crassitiei non potest facilè penetrare vasa capillaria; unde sic duplicem dant effectum, quatenus occludunt vasa, & quatenus fluxum sanguinis per capillaria impediunt: In *vulneribus* & *ulceribus* partium internarum egregium quoque est Equisetum, & permiscetur aliis in potionibus vulnerariis, & cum habeat saporem subacrem, qui testatur de sale volatili temperato ex quo non immeritò inter *vulneraria* refertur, tam externè cum unguentis, quàm internè in decoctis vulnerariis. aq. destillata ex adstringentibus est nihil aliud, quàm purum phlegma, quoniam particulæ adstringentes non adscendunt super alembicum, de quo suo loco

CXXXV. ERUCA.

Ἔυζωμον, Arab. Legir. *Raucken*. Roquette.

Eruca { Palustris. Crescit juxta rivulos.
Sylvestris, crescit in locis arenosis, floret Junio, Iulio, &c.
Hortensis, Ἔυζωμον, Legir, *Vveisser Senff*. Moustarde, ou senevé de jardin.

Ex his infertur in officinas potissimum hortensis latifolia C. B. 1. quâ tamen acrior est sylvestris.

Dicitur Eruca, *Brunsf. Matth. Cord. in D. Cast.* Eruca sive Rucula marina major & Sinapi 8. *Trag.* Eruca sylvestris, *Fusch. icon. Lon.* Sinapis alterum genus, *Fuchs.* Erucula major, *cord. h.* Eruca sativa, *Matth. Lob. Dod.* Eruca major, *Cam.* Eruca latifolia alba sativa Dioscor. C. B. 1.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Calfac. sicc. intensè (3.) Usus præcipuus in Venere stimulanda, apoplexia præservanda. Extrins. (imposita radix) extrahit ossicula fissa, pituitam è cerebro prolicit (in apophlegmatism.)

PRÆPARATA.

Confectio semin.

ERUCA, Omnes plantulæ, quæ bursas habent & quasi siliquosæ, sunt sub eodem genere saporis acris, & quasi mordicantis, it. penetrantis, propter abundantiam salis volatilis acris: Inter has est juxta sinapi ipsa eruca, cujus variæ species, ex quibus tantum est officinalis & usitatum Erucæ hortensis SEMEN, quod ipsum instar sinapi est saporis admodum acris & penetrantis, adeò ut prodat sapore, instar soricis quod dicitur, sal. vol. acre, cujus ratione inter semina *antiscorbutica* non est ultimum: Et ex ejusmodi seminibus hoc habemus commodi, quod dum tempore hyberno in officinis Galenicis plantæ virides antiscorbuticæ haberi nequeunt, possunt præscribi talia semina, quorum vis antiscorbutica, in media etiam hyeme latet tecta sartaque sub cortice. Dico in officinis Galenicis: Chymici enim commode utuntur spiritibus & aliis medicamentis, v. g. spir. Cochleariæ &c. Sic e. g. tempore hyberno posset fieri talis MISTURA ANTISCORBUTICA.

℞ *pulv. stomach. Quercetani, cujus basis*
est crocus mart. aperitivus ʒij.
Sem. Cochlear. nasturtij,
Erucæ sinapi, ana ʒj.
aloës succotrinæ, Myrrhæ electæ ana ℈ij.

Misceantur fiat pulvis. [stomach.] antiscorbut.

Qui habet spir. ut dixi, Cochleariæ, & alia medicamenta cum illo præparata, non opus habet hac mistura. Præter vim antiscorbuticam convenit ejus sal. vol. in præservanda *apoplexiâ*, in qua nulli ex tribus regnis cedunt semen Erucæ & sinapi. Semen Erucæ cum semine Cumini mistum, & assumtum sæpius tempore matutino à senibus, eos ad longos annos præservavit ab *Apoplexiâ*. Et sanè satis experta vis in semine sinapi & Erucæ circa præservandam apoplexiam: Propterea potest fieri talis MISTURA ANTAPOPLECTICA sub forma Electuarij:

℞ *Conservæ flor. salviæ* ℥iß.
rad. Zingiberis conditi ʒiij.
Sem. sinapi, Erucæ, Cumini ana ʒj.
Succini præparati ʒiß.
Cardamom. Cubebarum, Cinamom. ana ℈j.
spir. cerasorum nigrorum ʒj.

c. s. q. Syrupi florum Tunicæ f. l. a. ELECTUARIUM. De quo capiat senex jejuno stomacho ad quantitatem Castaneæ, imprimis cum Zingiber etiam conveniat oculis, qui in senibus sunt debiles: Loco conservæ flor. salviæ potest etiam assumi conserva flor. anthos, vel conserva primulæ veris seu herbæ paralyseos vel rorismarini. Denique interno usu semen Erucæ est ex celeberrimis stapuncticis seu venerem stimulantibus, propterea dicit SCHOLA SALERNITANA: Excitat in venerem tardos Eruca maritos. Vid. *SOLENANDER sect. 4. consil. 17.* & observetur ab iis, qui juniores ita vener. indulgent, ut non possint postmodum satisfacere propriis uxoribus. Unde solet ingredi Electuaria Magnanimitatis vel similia, quæ solent stimulare venerem.

CXXXVI. ERYNGIUM.

ERyngius, Aster Atticus, Centum capita, Inguinalis, *Mannstreuv, Radendistel. Brackendistel.* Racine de Panicaut. Gaudet locis herbosis, arenosis: floret Julio.

Ex Eryngiorum generibus officinale est Eryngium primum, *Trag. Lon.* Eryngium montanum sive campestre, *Matth. Cast.* Eryngium, *Fusch. Cord. in D. Tab.* Eryngium mediterraneum. *Ger.* Eryngium campestre, *Dod. Cast.* vulgare, *Clus. hist.* Eryngium campestre mediterraneum, *Lob.* Eryng. vulgare, C. B. 2.

OFFICIN. NAT.

Radix colligenda Sole existente in Cancro.

Vires. Epatica, nephritica & alexipharmaca est, temperatè calida, mediocriter sicca, aper. discut. Usus præc. in obstructis mensibus, Urina, Epate, Vesica biliaria, Liene, &c. & hinc in ictero, ut & (teste Galeno) in Colica.

PRÆPARATA.

Condita radix.

ERYNGIUM, Hujus cum variæ sint species, usitata tantum communis seu cærulea: convenit & RADIX & SEMEN: Dicitur [Mannstreu] quoniam stimulat in venerem, & non relinquit, sed fideliter adstat maritis, ut viros se præstare possint maritatis. Vid. *FORESTUS lib. 26 Obs. 18.* ubi egregiè deprædicat vires Eryngij venereas. Unde in virorũ impotentia convenit semen sub quacunque forma. Prostat etiam RADIX CONDITA, quæ prescribi potest in Electuariis, & morsulis venerem stimulantibus. Post tales vires conservationem speciei spectantes, etiam est conservativum Individui. Eryngium est *antinephriticum, ciet urinam* decoctum, & *sabulum partium urinariarum renumque abstergit* forasque educit. Unde etiam admisceri solet medicamentis in *provocandis mensibus* obstructis vel impeditis: Aliàs refertur etiã hæc radix inter 5. famosas aperientes, ubi sunt *tumores* & *inflationes viscerum*, ubi *infractus* ab humoribus acidis. Est *Hepaticum*, quia corrigit sanguinem. Sed propter vim veneream antinephriticã & aperitivam maximè commendatur

mendatur. Habetur opiata seu ELECTUARIUM pro *maleficiatis maritis*, quæ opiata à quibusdam singulariter commendatur. Cujus hæc est Compositio:

℞ *Conservæ rad. Eryngij, satirionis ana ℥iij. Zingiberis viridis conditi; corticum citri conditorum ana ℥ß. amygdalarum dulc. nucleorum pini, pistacearum, avellanarum, dactylorum. pulpæ nucleorum viridium ana ℥j. Priapi Tauri, testiculorum leporis ana ℥ß. Sem. pastinacæ, Cinaræ, Erucæ, sinapi ana ʒj. piperis albi, galangæ, Cinnamomi ana ℥ß.*

Tritis terendis, misceantur omnia f.l a. ELECTUARIUM, quod communicatum fuit contra viros maleficiatos pro secretissimo. In omnibus venerem stimulantibus observetur addenda esse 1. remedia pro augmento seminis, qualia sunt amygdalæ, nuclei pini, pistaceæ, pulpæ nucum viridium, &c. 2. Admiscenda etiam talia, quæ semini vim titillantem tribuunt quæ nimirum sale volatili acri constant, ut sunt aromata & semina.

CXXXVII. ERYSIMON.

VAriorum est generum è quibus usualis est Ἐρύσιμον, 1 *Tab.* Erysimon vulgare, C. B. Iriol, *Matth. Cord in D. Lon.* Verbena fœmina, & Sinapi 7. *Trag. Vuessenff., Hederich.*

Crescit juxta vias: Floret Julio, Augusto.

OFFICIN. NAT.

Semen ac Herba.

Vires. Calfac. & sicc. 3. attenuat, aperit, expectorat. Usus præcip. in mucilagine contumaci pulmonum atque tussi chronica. Extrins. in Cancro non exulcerato, tumoribusque renitentibus mammarum

PRÆPARATA.

Syr. de Erysimo Lobelij. Vid. lib. 2.

ERYSIMUM vel IRION. Est planta, cujus semen in siliquis continetur, ad semina Erucæ, Thlapsi & similia refertur SEMEN insigniter attenuat, & incidit, quoniam constat sale volatili acri & penetrante, cujus testis est sapor acris, amarus & penetrans, & cujus ratione expertum est incidens, admodum penetrans & aperiens, & hujus usus imprimis est in *asthmate & affectibus pulmonum; Tussi diuturna & Chronica*, & expectorandâ *mucilagine crassa pulmonum*, meatus & bronchia infarciente; vim hanc obtinet ex sal. vol. admodum acri, ratione cujus materiam crassam attenuat & fluxilem facit, ut possit expectorari. Propterea laudatus est SYRUPUS DE ERYSIMO. *LOBELII* in *asthmate & pulmonum affectibus*, in infarctu à crassa materia expertissimus. Idem specificus est in *raucedine* ex nimiâ humectatione branchiorum, asperæ arteriæ, ab abundantia lymphæ, per tunicam asperæ arteriæ transsudantis. Vid. Compositio in SENNERTO *lib. 2 praxeos part. 3. cap. 3. pag.* 360. Cujus basis est Erysimum totum recens, cum aliis quibusdam additis, quod operatur propter sal vol. acre, confirmante id ipsum aro cum aceto præparato qui similiter expertus in *astmate & affectibus pulmonum*, in quibus erysimum solet commendari. Denique expertum semen in *Ischuria* seu *suppressione urinæ*. In ea enim potentissimum esse dicitur semen Irionis ad ʒj. in pulvere propinatum, cum conveniente vehiculo, imprimis vino albo. De quo videre possumus *FONSECAM in lib. 2 consil. 96. & 100.* Extrinsecus solet commendari in *cancris & tumoribus occultis & scirrhosis*, contunditur in mortario plumbeo, miscetur cum melle, & fit UNGUENTUM. Hoc observetur in omnibus medicamentis cancris applicandis, quod debeant fieri in mortario plumbeo, quoniam in cancro peccat acidum. Unde unguenta talia acquirunt colorem gryseum à plumbo, quod omne acidum per se absorbet, & adhibentur tam in *cancro*, quàm in *scirrho cancroso*, qui difficulter admodum, & sæpius palliativè tantùm curantur.

CXXXVIII. EUPATORIUM.

EUpatorium { Veterum seu Græcorum. *Vide Agrimonia.* / Mesuæ. *Vide Ageratum.* / Cannabinum *Describitur hoc loco.* }

Dicitur Eupatorium Cannabinum, C.B. 1. Herba S. Kunigundis, *Trag.* 1. *Tab.* Eupator. aquaticum, *Gesn.* Salvia, *Brunsfels.* Euparorum vulgare. *Matthiol. Dod. Cast.* Eupatorium adulterinum, *Fuchs.* Eupatorium Avicennæ creditum, *Lac. Lon. Cam.* Cannabina aquatica mas, *Lob.* German. *Vuafferdost. Königkraut, Hritzguntzel, Albkraut*: l'Eupatoire ou agrimoine.

N. *Plerique* hanc herbam Eupatorium Avicennæ censent, Bauhinus verò Agrimoniam pro Eupatorio & Græcor. & Avicennæ habendam esse monet.

Crescit locis uliginosis: Floret Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Flores & Folia, sed raro.

Vires. Calfac. & sicc. saporis est amariusculi, atten. aper. subastr. Epatica est & vulneraria. Usus præcip. in cachexia, catarrhis & tussi, mensibus retentis. Extrinsecus è nobilissimis est vulnerariis (ut & intrinsecus) menses ciet balneatione, &c.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex foliis & floribus.
2. *Trochisci de Eupat.* A.

EUPATORIUM vel AGRIMONIA, Hujus variæ sunt species, cõmunes *Mesuæ*, &c. Hoc est, quod vocant AVICENNÆ, quanquam falso, potius est dicendum *adulterinum canabinum*, hujus FOLIA & FLORES prostant, utut raro folia, sæpius flores. Dicitur ab EUPATORE rege quodam, sive *Antiocho*, sive *Ptolomæo* cognomento Eupator, quem volunt inventorem hujus plantæ, quemadmodum *Telephium* vocatur à rege Mysiæ TELEPHO, qui *ulcera & vulnera* sua hoc ipso curavit & persanavit. Lysimachiam invenit, & nomen illi suum impertitus est *LYSIMACHUS* Macedoniæ rex, & hujusmodi exempla plurima prostat in botanicis. Alij dictũ volunt Eupatorium quasi Epatorium, quoniam *affectibus Epatis* medetur. Et quidem commendantur ejus virtutes in *affectibus Epatis* & ventriculi chronicis, ad tempus longum contractis. Unde etiam *MINDERERUS* in medecina militari, *p.* 221. laudat decoctum herbarum tanquam singulare specificum in hepatibus tumefactis. Epaticum est singulare, & usurpatur pro *ciendis mensibus* & corrigendâ *cachexia virginum*, singulare habet *GESNERUS lib. 2. Epistol. p.* 62 quando refert de hoc Eupatorio, quod quidam decoxerit fibras radicis in vino, & decoctum istud percolatum biberit, ex quo potu intra horæ unius spatium urina & alvus motæ, & fortis vomitus 12. vicibus secutus, quo ipso excreta fuerit copiosa pituita, adeoque longe tutius purgationes peragi hoc ipso, dicit *GESNERUS*, quam fieri solent per Helleborum. Extrinsecus est ex famosissimis *ulcerariis & vulnerariis*, ea fortiter conglutinando & ad sanationem perducendo, inprimis si sint recentia.

CXXXIX. EUFRAGIA.

Εὐφροσύνη, Eufragia, Eufrasia, *Augentrost*. Euphrasie.

Eligatur Euphrasia vulgaris seu officinarum, C. B. 1. Euphragia alba, *Brunsf.* Eufragia, *Matt. cast.* Euphrasia & Eufragia, *Fuchs. Dod. Lob. Tab. Ger.* Vulgaris, *Lon.* Euphrasia Argentinensium, vel 2. & 6. *Trag.* Ophthalmica, sive ocularia.

Crescit locis apricis, sabulosis. Floret Junio, Julio, Augusto.

OFFI

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.
Vires. Ophtalmica est, & Cephalica, calf. & sicc. 2. adstring. disc. saporis subacris: Usus præcip. in oculor. suffusionibus, caligine, memoria debilitata.

PRÆPARATA.

1. *Conserva.* Ex tota herba cum floribus.
2. aqu. Ex integra herba Iulio collecta.
[Essentia spirit. vin. parata.]
3. *Vinum* nonnullis usitatum est: fit infusione summitatum pro potu ordinario.

EUPHRASIA vel EUPHROSYNE, planta immutata, dicitur aliàs κατ' ἐξοχὴν *planta ophtalmica* vel *ocularis*, propter vires quas habet oculares, & *Luminella*, quas virtutes egregias ophthalmicas videmus declaratas in *HARTMANNI praxi Chymiatrica cap.* 25. §. 1. & 2. uti etiam videre possimus *GABELCHOVERUM Cent.* 3. *Cur.* 30. *in Scholio*, ubi vires pro rectificando visu insigniter commendat ex variis auctoribus. Propterea laudandus *ARNOLDUS VILLANOVANUS*, qui habet *vinum Euphrasiatum* pro corroborando visu, dum mustum recens superfundit herbæ, quo facto per fermentationem impraegnatur vinum vitibus Euphrasiæ, cujus vini usum senum oculi rejicere nesciunt, dum visus quodcunque impedimentum potenter removet. Huic substituitur per se vinum, quod infunditur super flores; sed non sine Ratione *ARNOLDUS VILLANOVANUS* mustum fermentationi cum Euphrasia committit. CONSERVA & aqu. SIMPLEX easdem vires habent.

F

CXL. FABA.

FAba est
- Vulgaris
  - sativa
    - major
    - minor } *de quibus hic.*
  - sylvestris
- Phaseolus. *Faseln, vvelsche Bonen. Faseoles.*
- Lupinus. *Feigbonen. Lupins.*

Videatur Κυαμὸς, Faba *Brunsf. Tab. Matth. Fuchs. Cord. in D Lon. Cast. Cam.* Faba vulgaris, *Trag. Fuchs. Cord. hist.* Boona sive phaseolus major *Dod.* Faba major recentiorum, C.B. 1. Germ. *Bonen, gemeine Bonen.* Feves, *Lob.* hortensis, *Ger.* Feves communes.

N. 1. *Sunt* qui inter fabas & Boonas distinguunt, fabisque nos carere volunt, boonis è contra frui. Verum enim verò etsi constet, fabas nostrates à veterum descriptione nonnihil differre: attamen verisimile videtur, differentiam hanc à diverso loco natali potius dependere, quàm ex diversa plantarum specie, adeoque secundùm Botanicum hujus seculi sagacissimum & peritissimum, C.B. fabas magnitudine, figura coloreque differre, & quo majores eo magis in longitudinem eas esse depressas, quo minores, eo rotundiores. Utut sit, sufficit nobis quod viribus conveniant.

N. 2. *Fabarum* usus prohibitus est à Pythagora, quia flores lituris suis nigris signaturam referant lugubrem, & animas mortuorum, quæ in iis habitant: ab aliis interdicitur, quia existiment sensus iisdem hebetari, insomnia turbulenta excitari.

N. 3. *Est* & faba Indica purgatrix, cujus historiam si quis velit, ipsemet legere poterit 1. apud Clus. lib. 2. exot. c. 30. 2. in annotat. ad Monard. 3. apud Tabernæm. Nimirum quia nostratibus in usu non est, eam describere supersedeo.

OFFICIN. NAT.

Farina fabar sativar. & præcipuè majorum.
[*N. Faba fressa dicitur molâ leviter fracta.*]
Vires. Emplastica est, refrig. & sicc. 1. incrass. exterg. utilis intra corpus in diarrhæa, lienteria, &c. Extra, in maculis à sole contractis, aliisque cutis sordibus extergendis (si illa fricentur) in suggillatis discutiendis.
[*Decoctum siliquarum recentium fabarum injicitur peni in urina acrimonia.*]

PRÆPARATA.

1. aqu. Ex floribus.
Vires Diuretica est, maximique usus in maculis faciei extergendis, eaque fucandâ.
2. *Sal. com.* Ex stramine incinerato.
Vires Summum diureticum est, usitatissimumque in hydrope, calculo, in urina retenta.

FABA, rusticis pariter ac civibus notæ, *majores* & *minores*, Usus sunt non adeò vulgaris. Officinales sunt FARINÆ *fabarum* ex fabis per tritionem paratæ, quæ usitatissimè ingrediuntur cataplasmata *discutientia* & *emollientia*, adeò ut ordinarium sint ingrediens in talibus cataplasmatis & Emplastris. Hæ farinæ fabarum coctæ cum oxycrato vel aqu. & aceto, & in Cataplasmatis formam redactæ, est certum experimentum in *inflammatione* & *tumore testium*, à contrectatione violenta, casu, contusione & similibus, applicata. Experientiam hujus rei debemus *RIVERIO Cent.* 2. *Obs.* 39. *Cent* 3. *Obs.* 1. ubi nota: Curavit inflammationem testium post curationem Gonorrhææ gallicæ, qui difficil is curatu est affectus. it. *Obs.* 2. *communicata* à *MARVINO*, uti etiam *in Obs.* 4. communicata ab *Estanore* & *Cent.* 4. *Obs.* 74. Idem cataplasma commendatur etiam à *FABRO* ad *Tumores scroti duros & scirrhosos.* Alius quidam Medicus pro optimo remedio habet tali in casu sequens cataplasma:

℞ *Farinæ fabarum*
seminis cumini ana q. s.
aceti destillati, vini albi, an q. s.

f. l. a. cataplasma expertum in *doloribus & tumoribus testiculorum:* Internè raro usurpatur. Prostant etiam duæ quæ paratæ per alembicum in B. M. (1.) aqu. FLORUM FABARUM, quæ egregia est *Cosmetica.* Unde ordinarium est ingrediens in fucis, *extergit lentigines*, & *faciei maculas* detergit, (2.) aq. destillata ex corticibus fabarum est egregium *nephriticum*, & *urinas eleganter pellit*, de qua vid. *BARTHOLIN. Cent.* 1. *Epistol pag.* 238. Denique prostat etiam sal ex stramine & stipitibus incineratis in officinis, quod est egregium *antihydropicum.* Fit ex hoc sale cum aq. convenienti lixivium, quod potum potenter aquas hydropicorum per urinas ducit.

CXLI. FABARIA.

Τηλέφιον, Crassula, Crassula, major, faba inversa, *Knabenkraut. Vvundkraut, Donnerkraut, Donnerbonen, fette Henne.* Ioubarbe des Vignes.

Usuale est Thelepium vulgare, C. B. 1. quæ est Fabaria, *Matt.* Telephium, *Matth. Lob. Tab. Cast. Cam.* Telephium album, *Fuchs.* acetabulum alterum, *Cord. in D.* album, *Fuchs. icon.* Faba inversa, *Lob.* Telephium alterum, sive crassula, *Dod.* vulgare sive secundum, *Clus. hist.* Crassula seu faba inversa, *Ger.* Cotyledon alterum Dioscoridis, *Col.* scrophularia media vel 3. *Brunsf.*

Floret Iulio ac Augusto. Crescit circa muros locisque saxosis.

OFFICIN. NAT.

Folia tantum.
Vires. Matthiol. refrig. & humect. (Dodoneo refrig. & sicc.) vulneraria est, astring. mundificat, præcipuique usus est in consolidanda intestinorum erosione per disenteriam introducta

troducta [ulceribus uteri ;] in curanda hernia, in maculis cutis detergendis, in ambustis medendis.

[*Radix apppenditur inter scapulas ad hæmorrhoïdes cæcas.*]

PRÆPARATA.

aqu. Ex fol. floribus.
Farfara, *vide* Tussilago.

FABARIA. Auctor dicit, quod communiter vocari soleat *crassula*, apud Botanicos usitato nomine *Telephium*: flores sunt vel *rubri* vel *albi*. Dum est species sedi, innuit sese esse de natura sedorum, & ex plantis rifrigerantibus, quarum vis consistit in sale volatilli diluto nimis copioso phlegmate. Interni usus est rarissimi, utplurimum tamen adhibetur externè, dum celebris dicitur *vulneraria*, quatenus contusa externè applicatur *vulneribus*, quæ egregiè consolidat, propterea & TABERNÆMOTANUS in *Herbario* componit unguentum non inelegans, cujus usus satis est receptus. Solet proterea etiam internè propinari in decoctis vel Clysteribus ad consolidanda *ulcera intestinorum* in *Dysenteria*, præmissis universalibus, cum reliquis vulnerariis imprimis cum symphito, vel potum decoctum, vel cum Clysteribus infusum. Vocatur etiam *scrophularia media*, uti dicit *AUCTOR*, quo ipso innuitur, quod conveniant cum scrophularia vera, quæ decantata est in *hæmorrhoidibus*, ut adeò non sine fructu etiam applicetur iisdem *SOLENANDER Sect.* 4 *Cons.* 20. commendat Crassulæ majoris RADICEM, collectam quando primo vere turgentibus foliis erumpere incipit, jubet plantam cum foliis contundere, & cum oleo rosaceo terere, idque, si adsit imflammatio vel ardor, simul in mortario plumbeo, sin secus in mortario tantum marmoreo vel alio, & sic applicare *hæmorrhoidibus* externè in earum dolore, calore & ardore aliisque simibus symptomatis.

CXLII. FICUS.

Σύκη: Ficus, *Brunsf. Trag. Matth. Dod. Cord. hist. Bellon, Lon. Lob. Cast. Tab. Ger.* Ficus sativa, *Fuchs.* communis, C.B. 1. Germ. *Feigenbaum.* Figuier.

OFFICIN. NAT.

Fructus σῦκα.] *Laubfeigen, grosse Rorbfeigen*, Figues d'Espagne, *Rorbleinfeigen, kleine Marsiltenfeigen.* Figues de Marseille, petites figues.

N. *Primitiæ* fructus dicuntur grossæ ficus; siccæ in furno aut sole exsiccatæ, caricæ, aliis passæ.

Vires. Caricæ calf. 1. (recentes moderatius) utræque humect. pulmonariæ sunt, & bechicæ, arenulis Renum & vesicæ medentur, venenis resistunt: præcipui usus sunt in variolis & morbillis ad cutem pellendis, maturant, molliunt, attrahunt, unde & bubonibus pestilentialibus (innuente Scripturâ) conferunt: mulierculis nostratibus, appropinquante partu, ficuum tostarum esus ad partum facilitandum est familiarissimus: quin & familiare est super ficus Spirit. vin. accendere, brodiumque ad tussim sedandam propinare.

[In colica cataplasma ex ficubus, ut & in hæmorrhoïdibus cæcis.

FICUS, Fructus, qui imprimis est officinalis, satis cognitus propter dulcedinem gustus, quique communi nomine ficus dicitur. Est vel *nostras* vel *Indica*, quæ etiã vocatur *Opuntia*, quæ est vel *major* vel *minor*, in nostris hortis obvia De ficu Indica seu opuntia minore hoc potest notari, quod si comedatur sanguinolentam reddat urinam, utut nihil sanguinei coloris in illa conspiciatur: quod: ipsum non parvum terrorem injecit nautis & mercatoribus illam ex India primum advehentibus, quod autem excernitur, non est sanguis verus, sed urina saltim tincta. Radix rubiæ tinctorum solet tali etiam colore tingere urinas, de quo suo loco. Europæos ficus, seu nostrates quod attinet, sunt illi vel recentes, vel inveterati. Recentes vocantur caricæ, & ordinariè sic solent præscribi: ℞. Cariacarum pinguium tot vel tot: inveterati ordinariè ficus in formulis vocantur. Utrique valdopere prosunt in *affectibus pectoris & renum*: non enim tantum est consensus partium pectoris cum partibus genitalibus, sed etiam cum renibus, ut simpliciter, quæ conveniunt in affectibus pectoris, conveniant etiam in affectibus renum & contra: & propterea ficuum decoctum uti in *affectibus pulmonum, tussi & asthmate* prodest, & pro corrigenda lympha, temperandi, incidendi & educendi vim habet, ita idem decoctum convenit in *dolore renum nephritico; calculo, renum exulceratione, Ischuria, mictu cruento*, &c. Tantam propensionem ad renes habent ficus, ut eorum decoctum non benè percolatum, sed quod admista habet granula, urinam reddere faciat, in qua conspicua ipsum decoctum & grana ficuum. Usitatum mulieribus nostratibus macerare ficus in spiritus vini, & deflagrare spiritum pro *tussi, raucedine, & asperitate faucium*, remedium non contemnendum & expertum. Quod si loco spiritus vini communis, accipiatur anisatus, vel appropriatus pulmonibus, & pectori erit medicamentum convenientius, & elegantius in talibus affectibus. Ulterius ficus sunt experti in expellendis *variolis & morbillis*, in quibus singulariter prosunt, experientia teste, idque multiplici nomine. Propterea eorum decoctum usitatum est propinari, ut promoveatur proruptio: Hinc etiam postquam eruperint, præcavent, ne vestigia diuturna relinquant. Nam, dum temperat acrimoniam acidi abundantis in variolis, fit ut 1. temperetur ebullitio, 2. temperetur acidum, quo minus corrodere & profundas foveas facere queat, idque imprimis si decoquantur ficus cum semine milii, quod non minus conveniens est quàm ipsi ficus. De singulari eorum usu *in variolis & morbillis* nonnulla *FORESTUS* habet *lib. 6. Obs.* ubi de morbillis verba ejus hæc sunt: morbilli adeò grassabantur in civitate, ut vix immunis quisquam puer ab illis viveret, quos omnes curavi decocto ficuum. Moderni cum ficubus conjungunt semen milij, atque compositum magistrale faciunt. In hoc decocto si dissolvantur Syrup. Scabiosæ vel fœniculi, fit palato gratius & efficacius, quatenus sunt pectoralia & impediunt, ne fiat *phthisis à variolis* pulmones obsidentibus: Item cum sint *vulnerarii*, præcavent, ne profunda ulcuscula seu foveæ fiant à variolis. V. g. posset fieri talis formula

℞ *Ficium pinguium num.* 15.
Seminis Mily ℥iiß.
passularum ʒvi.

decoque in s. q. aqu. simplicis. Colaturæ adde Syrup. scabiosæ & fœniculi ana ℥iß. F. Potus: nam & decoctum fœniculi imprimis radicis commendatur pro expellendis variolis. Videmus magis compositum decoctum ficuum eodem usu in *MYNSICHT armament. Chim. sect.* 25. *p.* 386. Nihilominus observetur, quod adsit pulpa Tamarindorum: jam vero quoniam hæc solet purgare, quæ purgatio vel saltim laxatio est morbifica & lethalis in morbillis & variolis, ideò ne interficiamus, quos sevare debemus abstinendum sedulò à purgantibus. In iisdem variolis & morbillis symptoma sæpe lethale est mictus cruentus. In talis casu etiam convenit decoctum ficuum, quoniam partim præcavent, partim curant talem *mictum cruentum.* Multiplici ergo nomine conducunt in variolis & morbillis ficus. Aliàs observetur & hoc, quod ex nimio esu ficuum soleant generari pediculi, id quod antiqua est traditio, confirmata tamen à modernis ab *Henri*-

to ab HEER Observ. 23. p. 270. SEBIZIO in *Tract. de alimentis p.* 1538. *probl.* 169. an ficus generent pediculos? Negat quidem, propterea quia GALENUS tantum dixit: sed non est negandum contra experientiam. Quoad usum externum ingrediuntur fomenta & cataplasmata emollientia, suppurantia & maturantia, adeò ut nullum sit in Schola Chirurgorum cataplasma emolliens, suppurans, & maturans, quod non ingrediantur aliquot paria ficuum, insigniter etiam *maturare* dicuntur, in specie experti sunt in *tumoribus & inflammationibus Gingivarum* propè radices dentium, quæ sensim sensimque suppurantur, his si apponatur frustum ficus, sive crudum, sive aliquantisper tostum, maturat valdoperè, quamvis non sine exacerbatione doloris, Solet etiam in inflammatione gingivarum decoctum ficuum cum lacte esse proficuum, quoniam inflammationem sistit, & dolorem sopit: Alias STROBELBERGERUS *de podagra dentium c.* 5. dicit, quod ficuum esus officiat dentibus.

CXLIII. FILIPENDULA

Φιλιπένδυλα, Filipendula, œnanthe, saxifraga rubra, *rother Steinbrech.* Saxifrage rouge

N. Dicitur Oenante veterum, quia viribus aliquantum conveniunt.

Usualis est filipendula vulgaris, C B. 1. Filipendula *Trag. Dod. Math. Cord. hist. Lon. Cast. Tab.* (cui & saxifraga rubra,) *Ger.* Oenanthe, *Fuchs. Cord. in D. Lob.*

Nascitur solo herboso Floret Iunio & Iulio.

OFFICIN. NAT.

Folia & Radix.

Vires. Calfac. & sicc. 3. attenuat, abstergit, subastring. discut. diuretica est: *Usus præcip.* est in tartarea mucilagine pulmonum, renum, vesicæ ac articulorum, in cholica flatulenta, in albo mulierum profluvio. Extrinsecus in tumore hæmorrhoidum.

Dosis Drach. j.

[Syrupum quidam ex filipendula parant in fluore muliebri proficuum tempore somni pondere ℥j. sumpt.

[Extractum]

FILIPENDULA, in sylvestribus locis crescit. Hujus plurimæ sunt species, Montana, aquatica, &c. Vocatur aliàs *saxifraga*, verum quoniam plures sunt plantæ, quæ dicuntur saxifragæ, quæ in *calculo* conveniunt; propterea observetur quod hæc etiam vocatur quatenus in calculi curatione est egregia: aliàs speciali nomine vocatur *Filipendula*, *rubra* dicitur propter radicem rubram, usitata FOLIA & RADIX: Vim habet *Diureticam* & *calculum* aut frangendi aut pellendi: aliàs in usu interno commendatur ad *scrophulas* & *strumas*, dum eadem cum rad. scrophul. & rad. rusci solet misceri vel in decoctis vel in pulveribus contra *strumas*. Sic habemus in SENNERT. *lib.* 2. *prax. part.* 1. *cap.* 25. Tale decoctum contra strumas *p.* 132. ex eadem scrophularia & filipendula cum aliis ingredientibus non inelegans, quatenus resolvit & incidit materiam strumarum, eamque educit per urinam.

CXLIV. FILIX.

Πτέρις, πτέριον, *Fahrn*, *Fahrnkraut*, *Wvvaldfahrn.* Fougere ou fouchere.

{ Mas non ramosa, plurimum pedicillorum. / Fœmina ramosa, unius pedicilli. } utraque promiscuè usualis.

Mas dicitur Filix, *Brunsf.* Vulgaris, *Trag.* mas, *Matth. Fuchs. Ded. Lon. Lob. Cast. Tab. Ger.* fœmina, *Genes. Casalp.* Filix non ramosa dentata, C.B. 3.

Fœmina inscribitur, Filix sylvest. *Brunsf.* Filicis majoris genus, *Trag.* Fil. fœmina, *Matth. Fuchs. Dod. Lob. Cast. Tab. Ger.* Thylypteris Filix fœmina *Cord. in D.* Filix mas major, sive fœmina credita vulgo. *Clus.* Filix ramosa major pinnulis obtusis, non dentatis, C.B.1.

Nascitur locis opacis nemorum: viret tota æstate, nocte D. Iohannis sacrâ semen profert: novi qui dicto tempore id collegerunt, verùm quâ utilitate, ignoro.

OFFICIN. NAT.

Radix, in primis Filicis fœminæ.

Vires. Splenetica est, calf. & sicc. amara est subastr. aperit. *Usus præcip* in obstructionibus viscerum & in primis Lienis & uteri. Extrinsecus commendatur ad ambusta (extracta mucilago.)

PRÆPARATA.

[Extractum habetur]
ex radicibus.
[*Spiritus Spleneticis utilis.*]

FILIX, planta ubivis obvia præprimis crescit in locis asperioribus, *mas* & *fœmina*. Utraque est usitata, planta tota una cùm radice imprimis in *affectibus spleneticis*. Nam ex vegetabilibus omnibus spleneticis palmam facit dubiam, adeoque commendatur contra *affectus splenis*, & reperimus, quod omnia ea, quæ conveniunt *spleni* & *pancreati*, sint quasi naturæ terrestris duræ & imprimis consistentis. Nam hæ plantæ, quæ dicatæ sunt marti vel saturno, potius habent vim præcipitandi acidum; unde conducunt in *affectibus spleniticis*, qui ab acido primariò oriuntur. Hujus radicis vis singularis est contra affectus splenis & pancreatis, *scirrhos* & *inflationes*. Unde commune est ingrediens omnium potionum, decoctionum, aut Essentiarum antispleneticarum. Ita FORESTUS valdè commendat decoctum radicis filicis cum cuscuta in vino ceu arcanum expertum in *affectibus splenis*, vid. SENNERT. *part.* 4. *prax. c.* 6. *pag.* 488. Alij commendant singulariter sequens decoctum *in scirrho lienis*, & dicunt expertum esse *ad tumorem & duritiem lienis*:

℞ Herbarum filicis cum suâ radice, sabinæ, absinthij ana q. s. decoquantur in aqua ferrariorum s. q. quæ imprægnata est particulis martialibus & ferris, ad consumptionem tertiæ partis (nam quæ sunt naturæ fixioris, diutiorem requirunt coctionem, quam quæ salia habent in se volatilia, & contrarium fit in antiscorbuticis acribus, cochlearia, nasturtio & similibus, quæ vix decoctionem, sed saltim infusionem postulant. Quod observetur in formulis præscribendis, quoniam multum interest,) addendo passularum minorum q. s. pro grato sapore, de quo sub ingressu lecti bibatur bonus haustus. Possunt addi passulæ circa finem decoctionis, ut saporis gratia remaneant, quoniam aliàs facilè acescunt in diuturna decoctione. Usitata filix in omnibus medicamentis, nodullis, fomentis, Essentiis, &c. Præterea quoque in *malo hypochondriaco* est experti remedij.

CXLV. FOENICULUM.

Μάραθρον: Fœniculum. *Brunsfels. Trag. Fuchs. Cord. in D. Tab.* Vulgare, *Ger.* fœniculum nostrum vulgare, quibusdam Hippomarathrum putatum, C. B. 1. German. *Fenchel.* Fenouïl. Ital. Finocchio.

Crescit locis cultis, aridis. Floret Iulio Augusto.

OFFICIN. NAT.

Herba seu *Summitates Radix*, (quæ una ex radicibus 5. aperientibus famosis.) *Semen.*

Vires. Folia calfac. 2. sicc. 1. aper resolv. discut. diuretica, carminativa & bechica sunt, ventriculum roborant, lac augent, visum confortant, asperam arteriam leniunt.

Radix & semen calf. 3. adeoque insuper usus crebetrimi in humorum & flatuum discussione, & ad peripheriam expulsione.

N. Semen adhibetur sæpissimè ad corrigenda purgantia, ut & ad flatus discutiendos.
{ *Majus Creticum sive Vene-Theriacale.*

PRÆPARATA.

1. *Confectum Semen.*
2. aqu. ex integra planta incisa.
3. aqu. ex semine.
N. Ophthalmica est inter usitatissimas.
4. *Oleum stillat.* Ex semine.
5. *Sal com.* Ex planta incinerata.

FOENICULUM planta omnibus nota; usitatæ ejusdem SUMMITATES cum HERBA, it. CAULES concavi & RADIX, uti etiam SEMEN. Planta tota est aromatica, testante id odore & sapore suavi, blando & aromatico, dum nempe sale. vol. blando oleoso inprimis ejus semen constat, quod exinde habet *vim carminativam*, qua stomachi, intestinorum & aliarum partium *flatus* potenter *discutit*: RADIX est primaria ex 5. famosis aperientibus, convenit *pectori* & similiter *renibus*. Nam, uti dixi, semper est convenientia inter hæc; dum *Tussi* & *asthmati* medetur; Postmodum *renes detergit*, neve calculus concrescat, impedit, quatenus sal vol. temperatum corrigit acidum calculi coagulatorem. *Stranguriæ* ab acido oriundæ & *renum doloribus* à quacunque causa potenter medetur, quocumque modo usurpatum. Insigniter prodest SEMEN, ut & tota planta in *affectibus oculorum*, est *ophthalmicum* egregium. Propterea cum etiam sit pectorale, gravidæ mulieres illud debent comedere in *Tussi* & *affectibus pectoris*, ut remittant, & dicunt auctores, quod fœtus in lucem postmodū editus clareat elegantioribus oculis: Qui ergo vult filios oculis pulchris habere commendat gravidæ maritæ hoc semen in *Tussi*, & aliis pectoralibus affectibus. Propter hanc vim ocularē habet peculiarē aqu. OPHTHALMICAM *BARTOLETUS* in *Encyclop. p.* 171. qui detruncat fœniculi capita & inferiores caules, cum sint concavi, replet Saccharo, sicque relinquit per noctem matutino tempore humidum fœniculi resolvit saccharum in aquam, quam recipit, & arcanum dicit contra quamplurimos oculi affectus, est elegans sanè methodus eliciendi aqu. ophthalmicas. Imò sunt qui dicunt, quod, si fœminæ comedentes fœniculum halitum inspirent oculis infantum, illos reddant clariores & lucidiores. Serpentes quoque verno tempore dicuntur cœci propter inductam oculis cuticulam, hanc ut deponant, visumque recuperent, vescuntur fœniculo. De quo videre possumus *MINDERERUM in aloëdario c.* 11. *p.* 120. Semen uti etiam tota planta insigniter *augent lac*, unde in frequenti sit usu nutricibus lacte destitutis. Imò dicunt, lac tale emulctum spirare odorem fœniculi. Decoctum fœniculi est expertum ab *AMATO LUSITANO Cent.* 6. *cur.* 86. *HELIDEUS PADUANUS in Curationibus p.* 83. pro lacte generando commendat decoctum lumbricorum in brodio vel decocto fœniculi. Dicunt, quod mulieres recipiant folia fœniculi viridia, decoquunt in vini vel aquæ suff. quantitate, & hoc utuntur pro potu ordinario, sicque impossibile perhibent esse, quod non semper abundent lacte, quod etiam decoctum commendatur ad *menstruationes retentas* vel impeditas. Est egregium *stomachicum*, dum præter alia commoda *digestionem validè promovet*, *acidum infringit* & *flatus corrigit*. Unde in Trageas pepticas post pastum assumitur semen fœniculi. DECOCTUM FOENICULI adhibetur etiam ad *expellendas variolas*, quod notum, uti etiam SYRUPUS. ELEOSACCHARUM in iisdem prodest affectibus imprimis contra *flatus*, & nutricibus pro *augendo lacte*.

FLAMMULA.

HAnc *AUCTOR* omisit, quæ tamen magni est usus in medicina, colitur hic in hortis, in agro Norico motu spontaneo crescit, estque species clematitis, saporis acris, ut locum habeat inter communia *caustica*, pro *vesicis* & *pustulis*, & proter acrimoniam salis, quo impraegnata est, à modernis singulariter experta dicitur contra *scorbutum*, & commendatur à Belgis, & à *LINDANO in Collegio privato super Hartmanni praxin Chymiatricam*, ubi huic absolutam curationem scorbuti attribuit: potest usurpari in substantia cum aceto, vel decocto vel in infuso, vel potest plantæ affundi vinum generosum, & ita simul per alembicum destillari: sic enim prodit spiritus flammulæ seu sal vol. vel potius spiritus flammulæ cum spiritu vini mistus, qui erit egregium *antiscorbuticum*.

CXLVI. FOENUGRÆCUM.

FOenugræcum, *Fenugreck*, *Bockshorn*. Fenugrec.

Est { *Sativum*: *Hoc usuale.*
Sylvest. minus usitatum.

Dicitur fœnum Græcum, *Trag. Matthiol. Lob. Lon. Dod. Cast. Cam.* Fœnugræcum, *Fuchs. Cord. in D.* fœnum græcum sativum, C.B.1.

OFFICIN. NAT.

Semen solum, ex sativo scilicet desumptum.
Vires. Calf. 2. sicc. 1. emollit, digerit, maturat, discutit, paregoricum est, ususque adeo famosi, ut cataplasma dictarum intentionum Chirurgis vix usitatum sit, quin fœnugræcum vel hujus mucilaginem contineat. Crebrique usus est in clysteribus emollientibus, mucilaginosa quippe suâ substantiâ obtundit acrimoniam, intestinaque erosa oblinit. Insuper conducit ejus mucilago ad oculorum suggillationes discutiendas (imposita.) Vide Hartm. pract.

PRÆPARATA.

Mucilago. Extrahitur beneficio coctionis in aqu.

FOENUM GRÆCUM. Ex quo usitatum tantùm est SEMEN, idque usu non interno (nisi in clysteribus) sed tantùm externo: vel crudum vel methodo consuetâ, uti ex semine Cydoniorum, extrahitur mucilago. Est ordinarium ingrediens in fomenta & cataplasmata chirurgica, ubi opus est discussione, vel etiam maturatione, cui utrique scopo satisfacit: MUCILAGO externè illita *sedat dolores* & *inflammationes*. Internè decoquitur etiam semen in clysteribus, *emolliendis fæcibus*, & temperanda acrimonia humorum sæpius nimium corrodente intestina.

CXLVII. FRAGARIA.

Κόμαρον, Fragaria *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Lob. Cast. Ger.* Fragaria vulgaris, C.B.1. Fragula, *Cord. hist.* Fragula & Trifolium fragiferum, *Tab. Germ. Erdbeerkraut.* Herbe des fraises.
Crescit locis opacis: Floret Martio & Aprili.

OFFICIN. NATIVA.

Folia seu herba & *Fructus* in præparatis.
Vires. Herba refrig. & sicc. moderatè subastring. diuretica est, ususque crebri in Ictero, ut & in gargarismis & balneis, in cataplasmatis, &c.
Fructus (fraga) *Refriger. & humect. Splenetica sunt ac nephritica, Venenis resistunt: quia autem facilè putrescunt, non adeo commodè comeduntur.*

PRÆPARATA.

1. aqu. Ex integra planta florida. Abstergit lentigines & maculas.
2. aqu. ex fructibus.
N. Sitim & æstum febrilem extinguit, urinam ciet.

3. Syrup.

3. *Syrup.* Ex succo fragor.
4. *Spirit.* Ex succo fermentato, qui tamen usus rarioris.
5. *Tinctur.* E baccis cum aq. propria.

FRAGARIA seu TRIFOLIUM FRAGIFERUM. Dicitur ita, quia folia tantùm tria habet, & tamen profert fructus. Qui fructus, uti sunt noti in culinis, ita non adeò cogniti in officinis, quoniam rarò præscribuntur, utut RADIX & FOLIA sint usitatissima. Herba est Epatica, convenit in *Dyscrasia* sic dicta, Epatis, unde in *cachexia, Ictero*, & similibus usitatissime adhibetur, & *LINDANUS* huic plantulæ vim mirabilem attribuit pro temperando Epate, vel pro restituenda crasi sanguinis. Propterea ejus DECOCTUM cum passulis est usitatum in talibus affectibus, inprimis si usurpetur pro potu ordinario. Unde etiam *RULANDUS in Curat. Empir. in affectibus* atque *morbis Epatis* pro potu ordinario præscribit tale decoctum: ℞. Fragariæ Mij. Passularum ℥iv. decoque in aqu. fontan. q. s. detur ad potum. Quod decoctum optimè valere dicit in *morbo regio*, ipsi tamen est usitatum in aliis *Cachexiarum* generibus. In delicatulis additur aliquid Cinnamomi: Virgini cuidam *asthmate* & *tussi* afflictæ hanc præscripsit potionem:

℞. *Fragar.* Miij. *liquiritiæ rasæ* ℥ß.
uvarum passarum ℥iij. *Cinnamomi* ʒj.

Coquantur in s. q. aqu. simplicis. Idem *RULANDUS* curavit *Ictericum* longo tempore detentum & consistentis ætatis sequenti decocto.

℞. *Flor. Cent. minoris, fragariæ ana* Mj.

infundantur per horas tres in aqu. & vini ana ℔iij. postmodum decoquantur lentè ad consumtionem medii: hujus decocti ℥viij. singulis manè bibit, sudavit & curatus est. Fructus ipsi habent vim *nephriticam, renes purgant*, & *calculum eliminant*, sed insimul *refrigerant* & *humectant*, sicque varia inducunt, sanguini symptomata, effervescentias & fermentationem vitiatam, & propterea rarò in officinis reperitur. De vi fragariæ Diaphoretica vid. *BARTHOLIN. Cent. 3. hist. 57.* quæ alibi non reperitur & est inaudita.

CXLVIII. FRAXINUS.

Eschbaum. *Eschern.* } Excelsior. *Hic officinalis.*
Fraine. } Humilior. *Minus usualis.*

Dicitur Fraxinus, *Brunsfels. Trag. Matth. Lon. Lob. Tab. Cast.* Fraxinus excelsior, C.B. 1.
Floret Aprili & Maio: Semen fert Autumno. Crescit in sylvis opacis.

OFFICIN. NAT.

Folia, Cortex, Lignum, Semen.
Vires. Folia siccant validè, curantque ictus serpentum, sed usus sunt rarioris.
Cortex & Lignum, *siccant, itidem attenuant: Splenis duritiem specificè emolliunt, diuretica sunt lithontriptica eaque non è postremis.*
N. Sunt qui lignum die Johannis Baptistæ cæsum, vulneribus ac contusionibus solo affricatu mederi credunt: cædunt autem id alii ante solis ortum, alii ipso meridiano temporis puncto, Wundholtz dicitur vulgo.
Semen (*foliis adhærescens*) *calfac. & sicc. validè, conducit Epaticis, Pleureticis, Calculosis [Venereum est.]*
N. Colligendum hoc est autumnali tempore.
[*Dicitur lingua avis.*]

PRÆPARATA.

1. *Extract.* Ex corticibus per aqu. appropriatam, liquore aliquo acido acuatam, ubi excellit aqu. ex tenellis fraxini foliis destillata. *Quercetan. in Pharm. Rest.*
2. *Oleum ex ligno*: Fit destillando modo communi.
3. *Sal. com.* Ex cinere corticum.
N. Sal ex ligno incinerato, vulneribus intus & extus cum felici successu usurpatum vidi.

FRAXINUS. Apud nos incognita, vulgaris verò in agro Norico & tractu Angliæ: subministrat multa in officinis usitata, CORTICEM, SEMEN & LIGNUM, quod vocatur à quibusdam *Guajacum Germanorum*, quoniam ejus vis efficacior dicitur ipso Guajaco Indico. Cortex & lignum hoc inprimis prosunt in *affectibus splenis*, in decoctis vel essentiis splenicis præscribitur cortex Tamarisci & fraxini simul, quoniam simul habent *vim diureticam*: jam vero hic omnia medicamenta, quæ habent vim Diureticam, sunt optima. Unde etiam cum sint simul splenetica, optimè talia conducunt in splenis morbis: SEMEN est teres, & propterea apud auctores *lingua avis* vocatur. Hoc ipsum est *venereum*, dum *stimulat viros*; Hinc ingreditur medicamenta, quæ contra impotentiam virorum præscribuntur. Præterea quoque contra *calculum* singulariter prodest, in quo commendatur à *GLAUBERO* in suis scriptis. SUCCUS RECENS FOLIORUM fraxini, quem *AUTOR* commendat, facit contra *morsus serpentum & viperarum venenatos*, de cujus succi vera & certâ experientiâ videatur *ZACUTUS LUSITANUS lib. 3. prax. admir. obs. 90.* Imo sunt auctores, qui dicunt, quod serpentes non audeant appropinquare ad hanc arborem. Aqu. inter præparata, ex tenellis fraxini foliis destillata ad *surditatem* valdè commendatur, uti etiam hæc ipsa aqu. valdoperè laudatur pro lotione in *tremore manuum* in quo experta dicitur. Præ cæteris tamen singulare est LIGNUM FRAXINI SYMPATHETICUM, certo tempore uno ictu succisum, quod certa experientia quascunque sistit *hæmorrhagias*, & *vulneribus* cæsim & punctim inflictis applicatum, ea certo curat. De *hæmorrhagia* ipse experientiam habeo. Vocatur SYMPATHETICUM, quia curat *vulnera*, & *hæmorrhagias* sistit, est succedaneum pulveris sympathetici; & potest videri de vi ligni sympathetici *SCHOTTUS in Iocoseriis naturæ & artis.* Totius rei cardo vertitur in eo, quo nimirum tempore colligendum lignum fraxini: Ergo sunt, qui dicunt debere colligi die Johannis Baptistæ, præcisè tempore meridiano: alii festo Jacobi inter 11. & 12. non nisi à juvene impolluto, cum securi omnino nova: alii colligere volunt mense Aprili, in tempore conjunctionis Taur. & Lun. in signo Sol. alii noctu volunt cædere hoc ipsum lignum, & in hoc sunt, qui dicunt, latere arcana quædam contra veneficia, quicquid hujus sit, certum est illud, hanc habere efficaciam, quod nimium sanguinem sistat, & vidi etiam non sine stupore & admiratione in virgine, ita ut cessante hæmorrhagia secutæ fuerint Cephalalgiæ per biduum horrendæ: Et tale quid in vulneribus idem præstare credo.

CXLIX. FRAXINELLA.

Dictamnus albus (propter radicem albam) sive fraxinella, C.B. 5. Polemonium, *Tab.* Dictamnus putatus, *Brunsfels.* Dictamnus vulgaris, *Trag. Cam.* Officin. *Lon.* Dictamnum album, nonnullis pumila fraxinus, *Matthiol. Cast.* Tragium primum, *Dioscorib. Lob.* Dictamnus nostra, *Cord. in D.* Fraxinella, *Cor. hist. Dod. Clus. Ger.* German. *weisser gemeiner Diptam, Escherwurtz.* Du dictam blanc.
Crescit in rupibus: Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Radix verno tempore colligenda.
Vires. Est cordialis, alexipharmaca, uterina, cephalica, amara, calfac. & siccat, aperit, vermes necat: Usus præcipui in morbis malignis, in Epilepsia, aliisque affectibus capitis, in obstructione uteri (etiam pro pesso,) &c. [ad secundinas pellendas.] Extrahere quoque dicitur spicula cuti infixa.

PRÆPARATA.

[Aqu. Alexipharmaca & ophtalmica.]
Condita radix ad fluxum album.
Oleum ad faciem dealbandam & articulorum dolores.

FRAXINELLA. Planta rarò usitata, de qua tamen ab *AUCTORE* multa dicuntur, ego nihil habeo, quod moneam, quoniam nunquam aliquid de ea memini me legisse.

CL. FUMARIA.

Κάπνος, Fumaria officinarum & Diosc. C. B. 1. Fumus terræ, *Brunsfels. Cam.* Fumaria, *Trag. Matth. Fuchs. Cor. in D. Dod. Lon.* 2. Flore albo, *Tab.* Capnos, *Lob. Cast.* Fumaria major, *Cast.* Fumaria purpurea & alba, *Ger.* German. *Daubenkropff, Daubenkrbel, Ærdrauch, vvilde Rauten.* Fumeterre, ou pied de Geline.

Crescit passim in hortis, vineis, &c. Floret Maio & Junio.

OFFICIN.

Herba cum floribus.

Vires. Splenetica est ac Epatica: attenuat, serosos, biliosos ac adustos humores sensim expurgat, viscera reserat, reserata roborat, sanguinem purificat. Hinc usus præcipui ad expellendas variolas & morbillos, in scorbuto, aliisque morbis mensenterii & Lienis, in Ictero, in scabie omnis generis & sim.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex herba cum floribus.
2. *Oleum stillat.* quod rarum.
3. *Succus inspissatus* Dosis ad ℥j.
4. *Conserv.* summit.
5. *Syr. simpl.* Ex succo.
   Compos. Vide Disp.
6. *Pilul. de fumaria.* Purgant bilem serososque humores. *Dosis Drach. j. ad Drach. jß.*
7. *Sal fumariæ*, ex herba incinerata.
8. *Extractum.*

FUMARIA. Planta est saporis admodum acris & valdoperè amari & penetrantis, adeoque innuit se esse saturatam sale vol. admodum acri non tamen nimis volatili: Tota planta cum foliis adhibetur: In *depuranda Mass. Sang.* & *dyscrasia* ejusdem corrigenda non datur præstantius simplex, unde in *morbis Epatis & lienis* sic dictis, uti & in morbis vocatis melancholicis, nulla planta magis usitata pro corrigenda sanguinis fermentatione, adeò ut in *malo hypochondriaco*, *scorbuto*, *quartana*, *Ictero nigro*, utramque faciat paginam. In scorbuto sane B. *SENERTUS* quotannis aliquot libras essentiæ fumariæ consumpsit Wittebergæ: In *scabie* & morbis similibus, ubi adhuc est infecta massa sanguinea, fumaria commendatur, imprimis si sit *scabies scorbutica.* Tunc enim flores & folia coquuntur in lacte caprino, bibuntur, & sic egregiè talis scabies scorbutica curatur. Sunt qui commendant hanc plantulam in cura *morbi gallici*, *FREITAGIUS in sua aurora medicorum p.* 254. dicit, se cum successu exhibuisse *hypochondriacis*, quos simul scorbutus infestaverit, quique aliis remediis diu frustra exagitati fuissent, succum fumariæ, & cochleariæ ana in sero lactis caprilli, idque imprimis verno tempore. SYRUPUS FUMARIÆ COMPOSITUS est egregius pro purgatione massæ sanguineæ. In nostris officinis prostat essentia fumariæ composita, quæ egregia est in suppressione mensium, & aliis chronicis affectibus. PILULÆ DE FUMARIA prosunt in *purificando sanguine*, in *scabie*, *scorbuto*, & similibus affectibus, imprimis si misceantur cum mercurio dulci, in quo consistit radicalis cura talium affectuum. Observetur tamen quod is, qui laborat scorbuto, non sine periculo ferat mercur. Unde apud Belgas & apud nos inusitata est curatio luis venereæ per mercur. propter metum scorbuti, qui exasperatur à mercur.

CLI. FUMARIA BULBOSA.

FUmar. Bulb. { radice cava 1. *Hac usualior.* / radice non cava { major 2. *Hac subrogari priori potest.* / minor 3. } }

1. Dicitur Aristolochia rotunda, *Brunsfels.* Aristol. rot. vulgaris, *Trag. Fuchs.* (cui & Pistolochia,) *Cam.* Fumaria altera, *Matth. Cast.* Capnos Chelidonia, *Lon.* Radix cava major, *Dod. Clus. hist.* Fum. cava herbariorum, *Lob.* German. *Frdkrant, falsch Holvvurtz.* Fumeterre.

2. Fum. bulb. radice non cavâ dicitur Aristolochia rotunda vulgaris radice solidâ, *Trag.*

Crescunt in dumetis, locis frigidis & opacis, ut & in vineis. Florent Aprili.

[Fumaria bulbosa radice non cavâ minor, sive 3. Capnos altera, *runde kleine Osterlucey, Bonges Holvvurtz.* Mulierculis in frequenti usu est ad scabiem & pectoris angustiam: imponitur cerevisiæ tam nutricibus quàm infantibus.]

OFFICIN. NAT.

Radix: rarò *Herba* cum floribus.

Vires. Calf. 2. sicc. 3. absterg. subastr. aperit. Epatica est, Uterina, Alexipharmaca, sudorifera, diuretica & vulneraria. Usus præcip. in ciendis mensibus, lochiis: fœtum mortuum expellit. Ictero medetur, sanguinem mundificat, adeoque & scabiei succurrit. Extrinsecus commendatur quam maximè ad vulnera etiam inveterata & fistulosa, utpote quæ mundificat & consolidat; ad scabiem, ad dolores podagricos (à frigidis humoribus) ad sanguinem coagulatum in contusionibus, ad putredinem oris.

FUMARIA BULBOSA. Huic fere similis major, & vulgaris dicitur, & absolutè *radix cava*, ob cavam radicem. Est vel *flore rubro* vel *albo*, usurpatur RADIX & HERBA valdoperè cognata, & naturæ & figuræ Aristolochiæ rotundæ, adeoque non nimis quam ipsa est *uterina*, insignis *Epatica* & *alexipharmaca* imprimis tamen convenit in *affectibus uteri*, in *suppressione mensium*, *fœtu mortuo*, *lochiis* & similibus. Medetur etiam *contusionibus* & *sanguini congrumato*, si applicetur externè cum aliis, uti etiam *vulneribus* & *ulceribus*, quæ egregiè abstergit, & sordes detergit.

FUNGUS.

[INter arborum fungos præcipuus est laricis, scil. Agaricus. Inter terrestres, qui quidem majori ex parte culinarii sunt, stomacho tamen graves, sæpe etiam choleræ causa, Orbicularis, sive ovatus, Crepitus lupi, *Vvolffsfist, Bubensist*, vulgo *Bofist*, variæ magnitudinis, cranium interdum æquans, initio albicans, post pallens, ubi inaruit subflavus, pulverem emitrens, ad sanguinis profluvium sistendum Chirurgis familiarissimus.

G.

CLII. GALANGA.

Galgan. *Soucher.* { MAior radice crassiore, rubra, minus odorata, &c. / Minor, radice tenuiori, nodosa, intus & extra rubescente, sapore acri instar piperis, odore suavi. }

N. Hac priori præfertur.

Dicitur Galanga minor, *Matthiol. Cord. hist. Fuchs. Lob. Lon. Tab. Acost. Ger.* Galanga minor officinar. C.B. 2. Galanga Indica, *Amat.*

Major vocatur, Galanga major, *Matth. Cord. hist. Lon. Fuchs. Lob. Tab. Cæsalp. Gal. crassa, Amat.* Iridis genus, *Clus. in Acost.*

N. Ga

N. Galanga (γάλαγγα) quibuſdam Acori, nonnullis Iridis ſpecies videtur; minor à recentioribus Græcis Cyperus Babylonica nominatur. Arab. Galingia.

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ eligenda ſaturato rubra, ponderoſa, benè odorata, ſaporis acris.

Vires. Stomachica eſt, Cephalica ac Vterina: calf. & ſicc. 3. ſaporis acris, incidit, aperit. Vſus in cruditate ac inflatione ventriculi, vertigine, uteri obſtructione, aliiſque totius corporis affectibus à frigiditate ac flatulentia oriundis. Extrinſecus commendatur ad roborandum caput (in Errhinis.

PRÆPARATA.

[*Condita radix interdum apportatur.*]
Spec. Diagalang. Vid. Diſp.
[*Extractum.*]

GALANGA. Radix aromatica, quæ ſive ſit *major*, ſive *minor*, eſt ex genere Cyperorum, qui Cyperi ſunt referendi ad Irides aromaticos, & Cyperi radices ſunt nodoſæ, elegantemque ſpirant odorem, ex quibus etiam eſt Galanda, & cum ſit exotica, videantur rerum Indicarum Scriptores *BONTIVS* & *PISO*. Galanga cum habeat odorem & guſtum aromaticum, ſatis patet, quòd conſtet ſale vol. acri non admodum oleoſo: ratione cujus in *omnibus affectibus ventriculi* convenit, in *cruditate accida efferveſcente* & *flatus* generante, præcipuè quoniam afferveſcentiam ſopit ab acido oriundam; & hinc flatus productos diſcutit & corrigit. Unde non immeritò unum ex primariis *ſtomachicis & uterinis* eſt, nec inconcinnè à *CROLLIO* vocatur ventriculus externus: propter vim reſtituendi ventriculi interni labes & defectus! atque hinc in *cruditatibus ſtomachi*, in *flatibus* & ſimilibus experta Galanga. Similiter quando ob imbecillitatem ventriculi affligunt tempore matutino *vertigines* caput, vel quando propter conſenſum ventriculi ſunt *ſuffuſiones nothæ*, in talibus caſibus Galangæ pulvis eſt egregius. In quibuſcumque *flatulentis affectibus* experta eſt Galanga.

CLIII. GALEGA.

Galegia, ruta capraria, *Matth. Caſt. Cam.* Ruta Capraria, *Tab.* Galega, *Lon. Dod. Lon.* vulgaris, *Cluſ.* Galega vulgaris C.B.I. Germ. *Genſkraut*, *Fleckenkraut*, *Geiſzkraut*. Veſce ſauvage, Ruë de chevres.

N. Quidam Onobrychin, alii Glaucum, nonnulli Polemonium, alii Polygalam veterum eſſe judicant: verum his omnibus Diocoridis deſcriptiones contradicunt.

Colitur apud nos in hortis: Floret æſtate.

OFFICIN. NAT.

Herba Collecta Junio & Julio.

Vires. Celeberrimum eſt Alexipharmacum ac ſudoriferum, venenum in primiſque peſtilentiale inſigniter diſcutiens. Vſus ejus præcipuus eſt in petechiis expellendis, aliiſque morbis peſtilentialibus, ipſaque peſte curanda. In morbillis. In Epilepſia infantum (exhibetur ſucci cochlear 1.) in ictibus ſerpentum, in Lumbricis (quos etiam extrinſecus applicata fugat.)

N. Herba hæc ſecus ac aliæ citra ſaporem eſt, & inſuper qualitatibus primis temperata.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex integra planta Julio collecta.
2. *Conſerv.* ſummit. ſeu flor.
3. Syrupus.

GALEGA ſeu RUTA CAPRARIA. Hæc ipſa quoad integram plantam eſt officinalis, & utut ſimplex ſit adeò temperatum in qualitatibus, ut neque ſapore, neque odore, neque ullo alio modo afficiat ſenſus, atque ideò valdè contemptum ſit, eſt tamen *alexipharmacum* & *ſudoriferum*. De quâ vi vid. *FORESTVS lib. 2. de incerto urinæ judicio pag.* 209. quam habet expertam contra *morſum viperæ*, & refert hiſtoriam de lacerta cum vipera pugnante, quæ quoties vulnerata fuit à vipera, confugit ad hanc Galegam, & aliquid contra morſum decerpſit, poſtmodum verò hac deficiente mortua eſt. Quam hiſtoriam etiam habet *MEIERIVS in ſelectis medicin. p.* 27. ſingularis eſt hiſtoria, & alibi non proſtat. In *petechiis expellendis* aqu. in officinis eſt egregia. Uſurpatur in Emulſionibus & miſturis propinandis in *morbis malignis & febribus petechialibus*. *Morſus viperæ* ſi quis alius, eſt maligniſſimus, ut pauca admodum habeat antidota, nihilominus ex prudentis naturæ ductu norunt vim alexipharmacam Galegæ contra illam lacertæ.

CLIV. GALLIUM.

Γάλλιον, Γάλιον, Γαλάπον, Γαλέρον. Germ. *Megerkraut*, *Vualdſtroh*, *unſer Frauven Bettſtroh*, *Vueſtroh*, *Lebkraut*. Petit muguet.

N. Nomen habet, quòd coaguli vice γάλα, *i. e. lac, coagulet*.

Eſt { Luteum flor. luteo { vulgare. / paluſtre. ; Album flore alb. { paluſtre. / minus. }

Ex his præfertur primum C.B. ſeu Gallium luteum, quod Dioſcoridis Gallium putatur.

Dicitur Gallium *Fuchſ. Dod. Lon.* gallium luteum primum, *Tab.* gallium, *Matth. Caſt.* Luteum, *Cord. in D. Lob. Cam. Ger.* Gallium luteum, C.B.I.

Creſcit paſſim locis aridis & arenoſis, juxta vias, &c. Floret Maio, & hinc tota æſtate.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Calf. & ſicc. moderatè. Vſus ejus potiſſimum externus eſt in hæmorrhagia narium ſedanda (pulvis inflatus) in ſcabie ſimplici & maligna, adeoque in cancero mammarum, &c.

N. Rari uſus eſt apud practicos, ſolumque aſſervatur pro compoſitionibus, quas ingreditur, ut unguentum Martiatum, &c.

GALLIUM LVTEVM & ALBVM. Planta vulgatiſſima, nihilominus in officinis rariſſima, nec memini me legiſſe apud Practicum illam præſcriptam fuiſſe, de quo teſtatur etiam *AVCTOR*: Externè, dicit, contra hæmorrhagiam narium & ſcabiem prodeſt, quod tamen an verum ſit neſcio, utut quædam recepta ingredi ſoleat.

CLV. GENISTA.

Geniſta, *Gens*, *Genſter*, *Pfrimmenkraut*. Vſualis eſt è Geniſtis non ſpinoſis, C.B.I. geniſta anguloſa, & ſcoparia, ſpartium, *Lob.* geniſta, *Brunſf. Trag. Fuchſ. Dod. Cor. in D. Cam. Tab. Her.* geniſta anguloſa, *Cord. hiſt.* geniſta minor ſeu non aculeata, *Lon.* geniſta ſcoparia vulgi, *Lob.*

Solo gaudet arenoſo & aprico. Floret integra æſtate.

OFFICIN. NAT.

Flores, & Semen.

N. Flos communiter luteus, rariùs albus eſt.

Vires. Splenetica & nephritica cenſetur, hinc & epatica, calf. & ſicc. 2. aper. atten. abſterg. calculum pellit, aquoſos humores educit, tam per vomitum, quàm per alvum & urinas. Hinc uſus ejus inſignis in obſtructione Epatis Lienis & Meſenterii, adeoque in Hydrope, catharrhis, arthriticis affectibus.

N. Semen extrinſecus applicatum ſcrophulas conſumere dicitur.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex floribus & foliis.
2. *Conſerv.* Ex floribus.
3. *Sal.* Ex incinerata herba.
4. *Conditi flores.*

Condiuntur autem flores (ſeu potiùs gemmæ) collecti menſe

mense Aprili, antequam aperti fuerint, cum aceto & sale, adhibenturque loco capparum, unde & nostratibus cappares. Germ. dicuntur, *Teutsch Zapern*.

N. Citra vomitum assumi poterunt.

[*De Rapo Genistæ Hyposparcio vid. Advers. Pen. & Lobel.*

GENISTA. Provenit in pratis cultis, & ejus utut variæ sint species, usitata tamen vulgaris, quæ est flore luteo; *Genista* dicitur simpliciter, & cum additamento *tinctoria*, quoniam illa utuntur pannifices pro tingendis lanis. Usurpantur tam SEMEN, quàm FLORES, utrumque partim est *alterativum*, partim *laxativum* FLORES si in decocto propinentur, per inferiora educunt, si in substantia, *vomitus cient*. SEMEN vero imprimis solet movere per *alvum*, atque per *urinam*, etiam per *vomitum*. Unde si assumatur, & frequentes cieat vomitus, summoperè in *arthritide* prodesse dicitur. Flores & tota Genista imprimis sal FIXUM ex cineribus elicitum est excellens medicamentum contra *hydropem*, aqu. hydropicorum pellit potenter & efficaciter per urin. imprimis sal FIXUM, & ex eo paratum LIXIVIUM potum ab hydropico ciet urinam: vel etiam solum semen assumtum pellere dicitur urinam & *abstergere renes*, ut *nullum sabulum*, vel aliud quid adhærere & crescere possit. Flores Genistæ sunt singulariter *splenetici*, & cujus saburram, vel ex vitio lienis coacervatos succos expellit, vel in decocto, vel in infuso, vel Essentiis aut Elixyribus spleneticis, testantibus id ipsum omnibus auctoribus. Singulare refert BORELLUS *Cent.3. obs.18.* Quod si genista viridis circumvolvatur arboribus in stipite, omnis erucæ ab illis fugentur. Non minus inusitatum est, quod in *ROSENGREUZERI astrolog. infer. p.58 & 60.* habetur, quod in calcinatione Genistæ in cineribus verum stannum fuerit repertum, id quod non tantum habet *ROSENCREUZERUS*, sed confirmatur etiam ab aliis Medicis in MSS. Hinc quæstio orta inter Medicos, quid habendum sit de tali stanno? Præsuppono ego cum *CROLLIO*, quod detur consensus & correspondentia microcosmi cum macrocosmo, & sit consensus planetarum superiorum & plantarum: dicunt ergo Chymici, quod est jupiter æthereus, id est stannum terrestre, & propter hanc correspondentiam stannum habere Genistam. Unde ulterius quæritur, annon ex plantis mercurialibus possit haberi mercur. annon ex Martagine, Hyperico & solaribus possit parari sol, uti ex lunaria luna? & affirmatur. Nihilominus res adhuc est obscura. Et *KIRCHERUS* aliquam illi affundit lucem *in Tr. de Magnetismo*, ubi statuit, posse aliquid attrahere vegetabilia ex mineralibus, sicuti certum est, in montibus Mediolanensibus plantam reperiri, ex quâ elicitur mercur. vivus. In Ungaria vites proferunt uvas lineis aureis tinctas, quoniam tota Ungaria ditata est auro, quod potest fieri etiam in Genista.

CLVI. GENTIANA.

GEntiana (à Gentio inventore sic dicta) *Entzian, Erentzwurtz, Bitterwurtz.*

Gentiana.
- Alpina
  - major.
  - minor. gentianella.
- pratensis.
- palustris.

Usualis est ex his alpina major lutea, C B 1. de qua notandum, quod reperiatur quoque floribus flavis, imò & albis, punctis carentibus.

Dicitur gentiana, *Brunsf. Matth. Fusch. Dod. Cor. in D. Lon. Cast.* gentiana major, *Matth. Lob.* flore luteo, *Cam.* gentiana veterum, *Clus. hist.* gentianæ 1. species, *Trag.*

OFFICIN. NAT.

Radix collecta mense Augusto ac Septembri.

Vires. Cal. & sicc. 2. Alexipharmaca est, aperit, attenuat. Usus præcipui in peste, aliisque venenatis affectibus, in obstructione Epatis, Lienis, &c. Et hinc in hydrope, tum in suffocatione Uteri, in imbecillitate ventriculi, lumbricis, in febribus, in morsu canis rabidi, &c. Extrinsecus adhibetur creberrime in vulneribus ac fonticulis mundificandis, renovandis, &c. in morsu canis rabidi, veneno arcendo (cum Theriaca imposita.)

PRÆPARATA.

1. Aqu. in Tertiana utilis.
2. *Succus* inspissatus.

N. Creberrimi usus est in febribus intermittentibus, in quibus ante paroxysmum à ℥ß. *ad* ℥j. *vel* ℈iiij. *adhibetur, felici cum successu.*

3. *Extractum* cum S.V. factum.

GENTIANA CRUCIATA. Cujus utut plurimæ sint species, nihilominus flore cœruleo tantùm est usitata; Cruciata dicitur, quoniam folia sese cruciatim intersecant & dissecant: Et quia non crescit in nostris hortis, usitata tantùm radix, quæ ex aliis locis adfertur: sapor est acris & amarus, fortiter penetrans & aliquantisper adstringens: Unde monstrat sal volat. acre adstringens & amarum, ratione cujus acidos in corpore humores temperat & coërcet; Unde etiam inter simplicia *febrifuga* non est ultimum, pulverisata à ʒß ad ʒj, ante insultum paroxysmi, elicit sudorem, & repetito usu fugat intermittentes. Succus inspissatus & in vehiculo appropriato assumptus contra intermittentes à rusticis est expertus. Ex hoc fit febrifugum Extractum cum spiritu vini factum, quod cum aliis permiscetur, & fiunt pilulæ febriles, v.gr.

℞. *Extr. Gentiana, Cent. minor. absinth. ana ℈j. vel potius ʒß.*
F.l.a. pilula num.60.
Febrifug.

quarum 20. adsumantur unâ horâ ante paroxysmum, præmissis universalibus, sæpe solis his febris curata est. Propter hanc vim febrifugam non immeritò substituitur Chinæ Chinæ seu pulveri resinato, qui in quartanis & tertianis usitatissimus: Nam hic habet similiter saporem amarum ut Gentiana. Cæterum (1.) cum sit carus, (2.) relinquat recidivam, (3.) à mercatoribus adulteretur, consideratè illi substituitur Gentiana in curatione intermittentium *tertianarum & quartanarum*. *GESNERUS lib.2. Epist. p.62.* valdopere laudat succum, & dicit, se aliquoties illo cito tutoque sanasse *tertianas longas & nothas*, & hujusmodi alias. Extractum hujus radicis valdoperè alii commendant contra *asthma*, ortum vel propter ventriculum copiosâ mucilagine acidâ refertum, vel ex vitio pulmonum ex infarctu branchiorum à materia crassa, quæ non permittit liberum aëri per branchia ingressum & aditum. Cumque sit amarissima, respectu cujus amariciei specialiter contrariatur acido, & affectibus ab illo oriundis, ut inde facilè judicare queamus, quo modo, quod *AUCTOR* habet, *conducat Hepati, Hypochondriacis*, &c. In *cachexia & dyscrasia sanguinis* remedium Gentiana est elegans. Unde in nodulis sanguinem corrigentibus præscribitur, utut sit valdopere amara; vel extractum seu succus inspissatus sub forma pilularum propinatur, ne sapor amarus admodum afficiat linguam. *PALMARIUS cap. 18. p.155. tr. de morbis contagiosis*, commendat hanc ipsam contra *malignitatem febrium contagiosarnm*, quam malignitatem præservare, vel contractam curare dicit. Plura qui cupit, *ZAPATAM in Clave Medicin. cap 8 & 9 p.99.* videre potest.

CLVII. GERANIUM.

GEranii multa recensentur genera, officinis nostris maxima ex parte inusitata. Usitatius tamen præ cæteris est, quod geranium Robertianum dicitur, aliàs gratia Dei, *Ruprechtskraut, Gichtkraut, Gottes Gnad, Rothlauffkraut*,) quia

Erysipelati mederi dicitur.) Geranion, ou bec de grue, bec de Cigonge

Dicitur Geranium. *Brunsf. Matth. Fuchs. Lon.* Geranium Robertianum, *Lob. Dod. Cam. Tab.* Gratia Dei vel geranium quibusdam, *Trag.* Herba Ruperti & Geranium, 2. *Diosc.* Geranium Robertianum primum, C. B. 5. videlicet inter species Geranij folio cicutæ vel myrrhidis.

[Dicitur etiam Rubrisiconia. Brov. p. 6. Resol. pag. 553.]

Gaudet locis opacis ac desertis. Floret potissimum Aprili & Majo.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Temperatum est in calf. & frig. moderatè siccat, subastring. exterg. sanguinem in corpore coagulatum resolvit, vulneribus convenit, sanguinem scil. cohibendo, vulneraque mundificando. Usus externus (omnium generum Geranij,) vulgaris est in cataplasmatis, plantis pedum cum sale & aceto applicandis, ad febrilem æstum compescendum Adhibetur itidem ad mammarum fissuras, lactisque discussionem [Robertianum impositum.]

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex integra herba in fine April. collecta.

[Gingidium, vid. chærefolium.]

GERANIUM.

Geranij multæ species numerantur à Botanicis, uti videre est in Pinace *Bauhini*, ortæque sunt circa hanc plantam variæ difficultates, *Ruellij*, *Hermolai*, *Brasavoli*, quas exponit *Matthiolus* pag. 566. Omnibus tamen, volente *Paulli*, eadem ferè virtus indita creditur: illud quod Robertianum dicitur, numero quintum apud *Bauhinum*, potissimùm experitur, ut eo ad mammarum scissuras, pudendorumque ulcera extergenda utamur; quod tamen præter abstergendi vim, etiam siccandi facultatem possidet; ita ut mox ea consolidare valeat. *Gullielmus Fabricius Hildanus* aquam stillatitiam Geranij commendat ad Cancrum tollendum. *Iacobus Cornutus* in hist. herb. Canad describit *Geranium triste Canadense*, quod noctu solùm odorem spargat, ut nostræ *hesperides* influxum illucentis solis adeo aspernati videntur, ut integro die odorem negent, cùm Lunæ accessu gratissimo odore moschato, quasi thure libent, qui odor intempesta quoque nocte ad auroram usque perseverat; statimque solis præsentiâ evanescit. Nostrum *Geranium Moschatum*, quod ingreditur *Vnguentum Martiatum*, *Tabernamontanus* pag. 121. num. 5. exponit, refertque ad 1. *Dioscoridis*, herba moschata, acus moschata, aliàs dictum.

GLYCYPICRON.

[Solanum] γλυκύπικρον, Thal. solanum scandens, Dulcisamata *Trag.* Dulcamata, *Dod.* Circæa Monspeliensium, *Lob. Je Langer je Lieber*, *Hundschkraut.*]

OFFICIN. NAT.

Herba integra. Cortex.

Vires. Calida 2. gradu, Febrifuga est, pneumonica, vermes necat. Vsus externus est in Cataplasmate ad mammarum tumores ex lacte coagulato, maculas faciei abstergit [succus acinorum.]

GERANIUM RUPERTINUM. Nam utut plurimæ Geraniorum sint species, solum tamen hoc usitatum, quod provenit in muris antiquis & locis derelictis, fertili tamen solo gaudentibus. Unde cum Geranij Rupertini fit mentio, generaliter dicitur Rupertinum, quod observetur in lectione Chirurgorum. Flores purpurissantem habent colorem, usitata sunt folia & tota planta, & ex signatura fructuum vel seminum, quæ repræsentant quodammodo gladium, putarunt primum convenire in *vulneribus*, vel flictim, vel cæsim productis, interno & externo usu: quod etiam experientia confirmavit, cum sit principale ex vegetabilibus vulnerariis, dum internè ingreditur potiones & essentias vulnerarias, quoniam *sanguinem congrumatum dissolvit*, & *contusiones* & *lacerationes* ita disponi, ut dispareant & facilè consolidentur. Externè ingreditur unguenta & emplastra succus robertinus cum Terebinthina subactus, & *recentia vulnera* cito, tuto & jucundè percurat. Quodsi contraxerint labem vitio aëris vel alia ex causa vulnera, facilè degenerant in ulcera, ne autem hoc fiat, singulare est Geranium, quoniam vulnera mundificat & acidum corruptivum ratione sal vol. alcali, uti reliqua vulneraria omnia, mortificat. Ulterius externo usu expertissimum est geranium contra *tumorem pedum*, qui est à lympha adrecta in pedes & coacervata, sive subtili, unde tumor serosus, sive crassa, unde pituitosus, in genere in *tumore pedum hydropico* contusũ, & instar cataplasmatis pedibus applicatum. Sæpius fit, ut post morbum chronicum, vel acutum intumescant pedes; in tali casu Geranium applicatum est expertum remedium, in defectu hujus commodè potest substitui chelidonium majus, quod easdem habet vires *discutiendis tumoribus ædematosis*, & has expertas habeo in amcio, quem nuperrimè chelidonio dicto ab eodẽ tumore liberavi: Quod si Geranium non videatur sufficiens potest misceri cum stercore columbino vel caprino, contundi, & instar cataplasmatis applicari, & sic tumores ædematosi disparebunt & dissipabuntur. Solet etiam commendari interno & externo usu in cancro *mammarum*, si scil. usurpetur internè in potionibus: externè in unguentis & emplastris cancrum, sive sit exulceratus, sive non exulceratus, in utroque casu valdè commendatur.

CLVIII. GLYCYRRHIZA.

Liquiritia, *Brunsf.* dulcis radix, *Trag.* Glycirrhiza, *Fusch. Cord. in D. Cam* Glycyrrhiza altera, *Matth.* vulgaris, *Dod Cam. Egit* Glycyrrhiza siliquosa, C. B. 2. Germ. *Suszholtz* de la Reglisse.

Crescit locis sylvestribus & sabulosis. Floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Radix ex Episcopatu Bambergensi, ubi in copia crescit, ad nos transmissa, quæ sole exsiccata biennium integra manet.

Vires. Calidit. & frigid. temperata est (seu moderatè calefacit) in reliquis ad humiditatem inclinat, pulmonica ac nephritica est, acrimoniam mitigans, expectorationem promovens, asperitatem leniens, alvum infantum leniter mollions. Usus præcipui in tussi, raucedine, vesicæ erosione, urinæ acrimonia.

PRÆPARATA.

1. *Succus inspissatus.*
2. *Liquiritia cocta, sive bacilli pectorales.*
3. *Syr. Compositus.* Vide Disp.
4. *Extractum.*
5. *Vnguentum.*

GLYCYRRHIZA. Aliquot ejus dantur species, ex quibus tamen tantùm usurpatur, quæ provenit in Germania circa Bambergam. Radix prostat & ex illa paratus succus, [der Lacritzen-Safft RADICIS usus est in decoctis, ubi opus est, ut temperentur acres & salsi humores: propterea adhiberi solet in *affectibus faucium*, quando aspera arteria, & aliæ partes à lympha nimis acidâ ex glandulis vicinis destillante lædantur, quæ etiam interdum *aphtarum*, *exulcerationum*, *raucedinis*, &c. auctor est; pro temperanda hac lympha radix Glycyrrhizæ cum aliis decocta est egregia. Eadem lympha nimis acris mala graviora sæpe inducit, Tusses & asthmata, ut etiam vitia vocis & sermonis, in quibus decoctis pectoralibus incoquitur etiã hæc radix, quoniam, ut dixi, lympham dulcificat, & sic causam talium affectuum tollit. Nam Glycyrrhiza *pectorale principale*, & *pulmoniacum*, & *nephriticum* dicitur, unde etiam in *dysuria* & *stranguria* cum aliis usurpanda. Item in calculo DECOCTUM GLYCYRRHIZÆ solet propinari, quoniam temperat humorum acrimoniam. Specificos affectus in quibus convenit, habet AUCTOR. SUCCUS INSPISSATUS usitatus est, ut sensim sensimque liquescat in ore pro *affectibus faucium*, *linguæ* & *laryngis*, qui ortum itidem habent ex lympha nimis acri. Cæterum observetur, quod succus hic sit adulteratus permistus cum quisquiliis, pulveribus, arenulis, & aliis rebus, quæ pondus augent; ut ergo purus habeatur, præscribi debet, ut dissolvatur in aq. appropriata, filtretur & transcoletur, & ita lento & moderato igne, quia

quia follis facilè Empyreuma illa inducit: Ex hoc apparebit, quod ex ℥j succi glycyrrhizæ vulgaris vix ʒij genuini acquirantur, reliquum pondus æquant quisquiliæ, quæ potius exasperant & augent malum, quam quod levent: Propterea dicto modo prius quam præscribatur, inspissetur: *LINDANUS* pilulas quasdam catharrhales præscribit ex tali succo in catharro, ex lympha acri orto, sequente rejectione materiæ purulentæ è pulmonibus in illorum *tabe*.

℞ *Pilul. de Cynogloss.* ʒj.
Laudan. optat. gr. iij *glycyrrhizæ in aq hyssopi soluti, colati, & denuò coagulati* ʒij
Misce fiat massa: formentur pilulæ.

Modus hic est legitimus præscribendi, & convenit in *Catharrhis*, & similibus vitiis. Aliàs etiam in *affectibus renum* similibusve convenit ac ficus.

CLIX. GRAMEN.

GRamen absolutè sic dictum, Officinis graminis speciem denotat quàm *Dioscord.* ἀγρῶτιν, κατ' ἐξοχὴν vocat, estque Gramen caninum, seu arvense, C.B.1. Gramen, *Dod. Cord. in D. Cast.* Gramen canarium medicatum, *Lob* Gramen caninum, *Tab. Ger.* German. *Reh oder Hueckengrasz.* Du chiedant.

Passim sponte provenit, feliciùs autem in terra arida & arenosa.

OFFICIN. NAT.

Potissimum *Radices* (collectæ mense Majo vel Septemb.) raro *Caulis* cum foliis, rariùs *Semen*.

Vires. Radix cujuscunque graminis refrig. & sicc. aper. subastring. substantiæ est tenuis ac penetrativæ.

Herba seu folia intra siccitatem & humiditatem moderata sunt, frigida gr. 1. Usus præcip. in obstructionibus Epatis, Lienis, Ureterum, in exspuitione sanguinis (ubi succus ex integra planta valet) in lumbricis necandis. Extrinsecus in dolore capitis leniendo (seligunt gramen septem nodorum) in oculorum inflammationibus. (Has sedare dicitur gramen trium nodorum, decrescente Lunâ evulsum ac collo circumligatum:) in auribus purulentis, in odontalgia, in tumoribus podagricis discutiendis.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex radice Majo mense collecta.

N. Diarrhæam sedat infantum, si abdomen eâ lavetur.

Est & graminis species, Gramen mannæ dictum, inter gramina dactilodea C. B. 8. Cujus semen in cibum venit nomine Mannæ in German. ex Silesiæ ac Poloniæ confinibus transportatum, semini milij solis non absimile. De hoc vulgi opinio, quod ex aëre decidat, unde & Mannæ nomen impositum est. German. *Himmelthau, Schvvaden.*

GRAMEN. Hic intelligitur communissimum, ex quo usitatum est SEMEN & RADIX. Hæc radix utut raro præscribatur, nihilominus DECOCTUM RADICIS commendatur à *BARTOLETO in Encyclopæd. p.* 185. in *abigendis vermibus puerorum.* Aq. EX GRAMINE DESTILLATA eodem usu convenit in *vermibus puerorum.* Aliàs contra *hæmorrhagias* fortiores commendatur propter vim adstrictoriam.

CLX. GRANATA.

MAlus punica { Domestica, quæ pomifera est. / Sylvestris, quæ flores solùm fert.

Videatur Malus punica, *Trag. Matth. Dod. Cord. hist. Lon. Cam.* Mala punica, *Cord in D. Bellon.* Malum punicum, *Lob. Cast.* Malus granata, *Tab.* Malus punica, C.B. Germ. *Granaten.* Grenadier.

OFFICIN. NAT.

Utraque arbor, quamvis exotica sit, nostratibus tamen in hortis colitur.

1. *Poma*, eaque vel dulcia, vel acida, vel acidodulcia, i. e. vinosi saporis. 2. *Flores* collecti ex Granata sylvestri (*Balaustia* dicuntur) tum quoque interdum ex domestica (appellantur *Cytrini.*) 3. *Cortex* pomorum *malicorium*, *psidium.* 4. *Nuclei.*

Vires. Poma in genere censentur boni succi, ventriculo convenientia, sed pauci nutrimenti. Dulcia adhibentur in tussi chronica.

N. Quia ventriculo inflationes causantur in febribus minus commodè adhibentur.

Acida, frigida sunt ac astringentia, stomachica. Usus præcipui in febribus biliosis, in gonorrhæa in pica gravidar. compescenda, orisque putredine corrigenda & sim.

Vinosa (acidodulcia, granata Muzæ) mediæ sunt naturæ inter dulcia ac acida, ad frigiditatem tamen aliquatenus accedunt. Cardiaca sunt ac Cephalica. Usus præcipui in Syncope ac vertigine, &c.

Flores, tam Balaustia, quàm Cytini ejusdem sunt naturæ, terrestris scil. validè astringentis, inspissantis, refrigerantis, siccantis, unde & balaustior. creberrimus usus esse solet in omnibus generis fluxionibus. E. g. Diarrhæa, Dysenteria, uteri fluore, & sim. in sanguine vulnerum cohibendo, in gingivarum laxitate emendanda, in Hernia curanda, &c.

Cortex, [malicorium, psidion] ejusdem cum floribus censetur naturæ, præcipuique usus est in sedando fluxu hæmorrhoidum, narium, uteri, &c.

Nuclei refrigerant itidem, astringuntque, in primis qui ex pomis acidis collecti.

PRÆPARATA.

1. *Succus liquidus.* Ex pomis expressus, fermentatus & depuratus. qui nomine *vini granatorum* venit.

N. 1. *Præfat* vinum ex pomis acidodulcibus.

N. 2. *Ante* præparationem hujus vini, extremam cutem granis detrahære solent.

N. 3. *Ad* conservationem nonnihil seminis Coriandri pulverisati in Vino eodem suspendunt.

2. *Syrupus.* Ex succo granator. dulc. ac sacchar. 3. p. Vid. Disp.

GRANA PARADYSI.

Paradyszkarner. Vid. Cardamomum.

GRANATA. Planta est exotica, cujus flores vocantur BALAUSTIA, inprimis si sint ex malo granata sylvestri, quæ habet plenum, domestica saltim simplicem, & ea cum flore pleno non gaudet fructu, sed saltim ista cum simplici, POMA sunt vel *dulcia*, vel *acida*, vel inter hæc duo media, vel *vinosa*, Poma in genere *conveniunt stomacho, in morbis calidis*, confortant inprimis vinosa: sic enim fit, ut *vomitum* & *nauseam* corrigamus potentissimè granatorum vinosorum usu. *Dulcia* sunt rari usus, imprimis vinosa usurpantur. Succus qui convenit cum succo citri, commodè usurpatur in *Gonorrhæa* compescenda & emendanda, valde uti dico convenit succus granatorum cum succo citri mistus: Hinc etiam succus acidorum & syrupus ex iisdem commendatur *in pica gravidarum & prægnantium*, non minus quam succus & syrupus de corticibus citri, qui sunt in tali casu experta remedia, ut etiam succus vel Miva Cydoniorum in tali pica vel appetitu depravato. Flores quod attinet BALAUSTIA dictos, sunt primariò *adstringentes* quocunque usu, & propter colorem sanguineum non incommodè eosdem usurpare solemus in *sistendo fluxu sanguinis quocunque*: Ingrediuntur pulveres *dentifricios*, & decocta pro *firmandis dentibus*, & illorum abstersione; colorem simul conciliant rubicundum & elegantem. Cortex qui vocatur MALICORIUM, & simpliciter solet præscribi *malicorium*, omninò *magis adstringit*, quam ipsi flores: inprimis ejus decoctum solet usurpari externo usu in *variolis* pro præservandis oculis, naribus & faucibus: Nam variolarum hæc est malignitas, ut oculos, fauces & nares valdoperè lædere soleant. Ut ergo hoc non contingat, hæ partes muniendæ: & quidem testatur experientia, quod variolas insecuta fuerit cœcitas & gutta alba, partim in uno oculo, partim in ambobus. Propterea usitatum est, ut

præca

præcaveatur læsio oculorum, per quandam lotionem, inter quæ primatum obtinet *decoctum granatorum*, ℞. Cortic. gran. s. Malicorij ℥iij infunde in s. q. aqu. rosaceæ, item plantaginis, stent in loco calido, postea filtrentur & addantur pulveris Smaragdi præparati, margaritarum præpar. ana gr. VI. Croci gr. IV. Camphoræ gr. iij. Misce F. collyrium. Periculosæ sæpè sunt variolæ in oculis, & aliis vicinis partibus propterea sunt præservandæ: Vti poma granatorum acida singulare sunt *stomachicum*: ita succum granatorum dulcium ceu singulare *hepaticum* commendat *BACO de VERULAMIO in hist. vitæ & mortis p.* 139. pro confortando & conservando habet vinum in usu ex granatis dulcibus, vel si hoc haberi non potest jubet adhibere eorundem succum Quæ dixi de succo, valent de Syrupo, utut magis sit fermentescibilis propter admistum saccharum, quod de omnibus syrupis verum est, & propterea raro soleo præscribere Syrupos, imprimis in majori dosi.

CLXI. GUAIACUM.

Lignum Indicum, Lignum Sanctum. Guaacan, Guaiacan. Palus sanctus, *Frantzosenholtz, heilig. Holtz*, du Guaiac, ou bois Saint. Arbor est exotica, procera, quæ ex India Occidentali ad nos transportatur.

Estque Guaiacum { magnâ matrice. Guaiaci 1. genus, *Monard. & Matthiol.* / propemodum sine matrice, quod priori præstantius. Guaiaci 2. Genus, *Monard. & Matth.* }

N. 1. *Sunt* qui prius Guaiacum appellant, posterius lignum sanctum: Verum quia apud Authores Synonyma sunt, præstat matrice, uti dictum, ea distinguere.

N. 2. *Posterius* dividitur à nonnullis in plura genera, quæ tamen non re seu essentia. sed solo colore differre vult Matthiolus, idque pro diversitate maturitatis, quo enim maturius, eo ipso nigrius est, & quantò minus adoleverit, tantò magis albicat.

OFFICIN. NAT.

Lignum, *Cortex & Gummi* (sed rarò.

Eligendum est lignum recens, ponderosum, succulentum (quod Carboni impositum fumigat.) Posterius præstat, quod colores ruffum, spadiceum, flavum, lividumque simul mixtos habet.

Vires. Lignum calf. & sicc. sudorem ac urinam largiter promovet, adeoque sanguinem mundificat, putredini resistit. Usus præcipui in Arthritide, Hydrope, Catarrhis, aliisque morbis à phlegmate tartareave mucilagine aut flatibus oriundis: peculiariter ac specifice curat luem Gallicam.

Cortex. Minus calidus est quàm Lignum.

Gummi (Resina.) Gummi hoc mecum communicavit, Vir, rerum novarum curiosus Adrianus Sonnemann, Materialista hujus civitatis, Affinisque mihi dilectus, idque cum felici successu aliquoties in curanda lue Venerea fuisse adhibitum affirmavit. Sapore est acri, colore ac figura Laccam ferè repræsentante, pellucidum, friabile.

PRÆPARATA.

1. *Decoctum*. ℞. Guiac. incisi ℔i aqu. fontan. ℔xij. post infusionem 24. horarum coq. ad ℔vij plus minusve; coletur pro sudorifero, reliquum coquatur cum aqua tantundem pro potu ordinario.

N. Possunt & addi Liquiritia, passulæ sem. anisi &c.

2. *Extractum viscosum & gummosum*. Vide lib. 2.

3. Oleum *Rectificatum*. Fit destillatione. Vide lib. 2.

Vires. Exhiberi commodè poterit intrinsecus in lue Venerea, aliisque morbis diaphoresi opus habentibus.

Dosis gr. iij v.

N. Sunt qui oleum hoc pro oleo Heraclino Rulandi habent, ejusque vires admodum deprædicant in Epilepsia, expellendo fœtu vivo ac mortuo, in dolore dentium mitigando. *Vide Brendel. in Chymia*.

4. *Spiritus*. Est liquor acidulus, unà cum oleo in destillatione collectus ac rectificatus. Vide lib. 2. de spiritibus.

N. Spiritus hic acidus præter medicinales virtutes descriptas, vim habet perlas corallia, &c. solvendi. Intus exhiberi poterit à ℈ß ad ℈j.

5. *Sal*. Ex cinere elixiviatur, sed paucorum.

[Ex Gummi Guaiaci paratur Extractum per vin. spirit. Tartarisat. Dos. gran. IV. in liquore conven. utile ad Gonorrhœam.]

LIGNUM GUAJACUM. Lignum tantum apud nos usitatum, dicitur *lignum sanctum*, item propter effectum, quem obtinet in curatione Luis gallicæ, cujus decoctum est potentissimum sudoriferum, & solet hauriri ab ℥vj ad ℥viij, matutino tempore in curatione Luis venereæ. Post vim in lue venerea commendatur etiam in Curatione *anasarcæ* per sudorem, uti etiam in *curandis catarrhis*. Post catarrhos usurpatur in *phthisi* à lympa nimis acida, quæ vulgò dicitur acris, & sæpius usu venit in *Scorbuto*, quæ non rarò cum scorbuto solet complicare, tale decoctum valdè est usitatum. Formulæ quædam contra catarrhos & phthisin prostant in *SENNERTO*: potest esse talis, quàm habet *LINDANUS in Collegio*.

℞ *Ligni Guajaci*, *Tamarisci ana* ℥iij.
Ligni Rhodij, *Sassafras Gummosi ana* ℥ij.
Herbæ absinthii vulgaris Mij.
Scolopendriæ, *Eupatorii*, *Menthæ*, *Hyssopi ana* Mß.
Rad. Helenii, *Cent. maior.*
Zedoariæ, *Cinamomi ana* ʒj.

affundantur mensuræ IV. vini generosi, sumatur haustus hora j ante pastum, hocque in *catarrhis & phthisi*. præparari solet essentia linorum ex hoc, & aliis lignis cum spiritu fumariæ & Sambuci, quæ longè utilior est, quam decoctum, etiam minori dosi facit id, quod decoctum, in majori. Usitatum est apud Galenicos, in *morbis catarrhalibus*, ceu ad ultimum asylum refugere ad decoctum ligni Guajaci, in *Arthritide*, *catarrhis & febribus Chronicis*, ut ita per sudorem tandem necessariò curent suos ægros. Plura qui vult de viribus egregiis Guajaci, adeat *THEOPHILUM de GARANCIERS in* Tr. *de Tabe Anglica pag.* 146. qui satis decantat hoc ipsum lignum potest etiam videri *FREITAGIUS de phthisi*, ubi de ligno & ejus decoctis multa dicit lectu digna. Cæterum, uti dixi, quod sit exoticum, *AMATUS LUSITANUS Cent.* 2 *Cur.* 95. substituit Buxum succedaneum hujus ligni Guajaci, & credo ego esse efficaciorem illo propter vim anodynam, quâ caret Guajacum, ut taceam ciere simili modo sudorem atque Guajacum. Sunt qui volunt, quod lignum Guajacum sit verùm *lignum Heraclinum RULANDI*, in qua sententia est *STROBELBERGERUS in tr. de dentium Podagra cap.* 47. Verum ex antecedentibus notum erit, quod sit lignum Corylinum. Prostat etiam GUMMI GUAJACINUM, utut rarum, quod specificum est singulare in *Gonorrhæa virulenta*, quam certò sistit aliis non credentem, rarò usurpatur, sed potius extractum cum spiritu vini Tartarisato ad gr. IV. v. & VI. cum successu in tali *Gonorrhæa* propinatur. Inter præparata præprimis est DECOCTUM, quod describit auctor, & rectè dicit, quod ad ℥j lignorum sint assumendæ ℥XII, seu lib. j. aqu. simplici, quod observetur in decoctis lignorum omnium & radicum: ut talis sit proportio. Ratio hujus rei hæc: quoniam lignum quodcunque non facilè tribuit suas vires aquis, nisi post diuturnam coctionem: jam verò in hac coctione copiosissimè aqu. exhalat; Hinc ut sufficiens affundatur quantitas necessum est, & in genere notanda, dicta ab *AUCTORE*, pro decoctis lignorum & radicum. In destillatione ligni Guajaci per retortam igne aperto, prodit vel SPIRITUS ACIDUS, & hinc oleum admodum fœtidum. Qui spiritus acidus internè pro purificando sanguine propinatur.

Hinc etiam SPIRITUS LIGNORUM habetur compositus. In destillatione spiritus per retortam ex ligno Guajaco oleum GUAIACUM prodit simul, quod prodest usu externo imprimis contra *ulcera Gallica* emollienda, *tophos Gallicos*, & in similibus Gallicis symptomatis: utut sint, qui etiam internè propinare illud volunt, sed est nimis ingratum, & pauci erunt, qui bona cum venia usurpant. In *bubonibus venereis* applicatur pro emollitione & suppuratione Emplastrum Diachylon malaxatum cum oleo destillato Guajaci, vel loco hujus cum oleo Tartari fœtido. DECOCTUM istud ligni Guajaci vel Tinctura cum spiritu vini extracta mirè commendantur contra *odontalgiam*: si decoctum teneatur in ore, vel Tinctura cum linteo applicetur denti dolenti, sic enim evanescit & cessat dolor brevi post. Potest etiam parari spiritus ex Guajaco per fermentationem, sed hæc est res non adeò vulgaris. In *morbo Gallico* expertissimum est, & omnia ex eo parata.

H.

CLXII. HEDERA TERRESTRIS.

Χαμαίκισσος, hedera humilis vulgaris, corona terræ, *Hundelreb*, *Hrundreb*, *Hrundmann*, *Erdephen*, nostratibus *Donnerreb*. Du lierre traînant, ou terrestre.

Est { vulgaris. *Hæc usualis.*
montana. *Inusitata.*

Nuncupatur Hedera terrestris; *Brunsf. Matth. Dod. Tab. Her.* Elatine *Brunsf.* 4. Chamæcissos; *Trag. Fuchs. Cam.* Chamæclema, *Cord. hist.* Corona terrestris vulgaris, C. B. 1.

Crescit passim circa sepes: floret Aprili potissimùm.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Saporis est amari & acris. calf. & sicc. vulneraria est, aperit, abstergit. Usus creberrimi in tartaro, tam pulmonum, quàm renum, aliarumque partium, indendo, resolvendo, adeoque confert obstructionibus inde natis & Ictero: conducit erosionibus & ulceribus viscerum abstergendis, consolidandis, &c. Extrinsecus adhibetur creberrimè ad calculum renum senum resolvendum (in balneis) ad dolores colicos resolvendos (in clysteribus.

PRÆPARATA.

1. Aq. *stillat.* Ex herba Maio collecta.
2. *Conserva.* Ex floribus summ.

N. Conservam compositam habent August.

3. *Syrup. simpl.* Ex succ.
4. *Compos.* Vide Disp.
5. *Succus*, in morbis gravissimis utilis.

HEDERA TERRESTRIS. Quam vocāt Bundermann. Hæc ipsa est usitata, saporis subamari & subacris. est *Vulneraria*, & inter celeberrimas, pauca sint, quibus ipsa cedat sive interno usu, sive externo. *Pectorale* est insigne, & hinc *nephriticum* Pectorale est, quatenus in *Tussi*, *phthisi* & *Empyemate* convenit *Nephriticum est*, quatenus *calculum pellit*, & *defectus urinæ* potenter corrigit: & quidem interne in *ulceribus viscerum*, sive sint *renum*, sive *pectoris & pulmonum*, sive *Empyema* pòst pleuritidem suppuratam hædera terrestri non datur melius simplex: ad *sputum sanguinis cum pure* hedera hæc usitata, & ad *phthisin cum ulcere pulmonum*, si detur bene præparata cum aliquot guttis oleo Sulphuris hedera expertā in vino rubro. In *Empyemate* est inæstimabilis, sive ejus DECOCTUM, sive CONSERVA, materiam purulentam in pectore collectam mirum quantùm evacuet, & ulcus potentissimè detergit. Post has vires prodest in *Nephritide*. Nam vires in illa etiam insignes habet, & propinatum contra *Lithiasin* magnum & probatum dicitur esse auxilium, & pulvis hujus hederæ terrestris propinatus cum aqua Hederæ terrestris dicitur fidem superare, quantum calculum atterere queat, teste *PAULI in suo quadripartito.* In *casu ab alto* & *sanguine* imprimis *congrumato*, indeque orta *difficili respiratione* confugiamus ad hanc hederam, quam ad sacram anchoram, quæ nunquam nos deseret.

CLXIII. HEDERA ARBOREA.

Κισσὸς, κιζζὸς, Hedera; *Brunsf. Trag. Cord. in D. Dod.* Hedera arborea, *Matth.* Nigra *Fuchs. Lon.* Hedera corymbosa communis. *Lob. Tab. Her.* Hedera major, *Cast.* Hedera arborea, C. B. 1. Germ. *Epheu, Eppich.* La lierre arborée.

Est { Arborea. *Hæc usualis & jam nominata.*
Major sterilis.
Minor.

Adhæret muris, arboribus, aliisque rebus in altum exsurgentibus. Viret per totum annum: Floret autumno, baccas fert hyeme.

OFFICIN. NAT.

Folia, Bacca Lachrima seu *Gummi.*

Vires. Herba calf. & sicc. (Galeno est mixtæ naturæ, calidæ scil. & frigidæ,) subastringit. Internus ejus usus, quia capiti, nervosoque generi adversatur, rarus est. Externus crebrior in acheribus exsiccandis & sanandis, in fonticulis ab inflammatione nutandis (imponitur quotidie folium) in Ozænis curandis, in aurium purulentarum dolore sedando miscetur succus cum ol. e. g. liliaceo.

Baccæ *Purgant per superiora & inferiora, unde & contra febres à vulgo exhiberi solent.*

Gummi, *seu lachryma ex trunco hadere majoris vulnerato, & interdum sponte exit, colore ex flavo rubescens; odore grave, sapore acre. Psylothrum à majoribus habetur insigne ac causticum, lentesque interimere dicitur.*

N. Nostratibus in usu non est, quippe gummi hædere officinarum nec figura, nec viribus descripto gummi convenit. Purpureo nigricans est (adeoque Mumiæ non absimile) fragile, nec saporis acris sed velut adusti, lignosis segmentis ac sordibus plerumque scatens.

[*Mentio fit gummi hujus in Unguento de althea.*]

PRÆPARATA.

Ol. stillat. Ex baccis cum aqu. fermentatis per Vesicam.

N. Alij lignum, baccas ac gummi simul per Retortam destillando, oleum parant.

HEDERA ARBORESCENS, ex hac ubique adhærescente in usum veniunt BACCÆ, quæ per superiora & inferiora insigniter *Purgant*, & propterea etiam conducunt contra *philtra*, quæ ita per superiora & inferiora rejiciuntur, & corrigitur insimul malignitas. Aliàs baccæ hæ pulverisatæ & in minima quantitate assumptæ certum sunt *pestis alexipharmacum*, quod non tantum *PALMARIUS in tr. de morb. contag. pag.* 453. testatur, sed etiam ante aliquot annos palam factum experientia Hibernorum, apud quos grassans pestis curata est, pulvere baccarum hederæ arboreæ GUMMI ipsius à quibusdam venit in usum, nihilominus in præparatione hallucinatur, quia incertum est menstruum pro ejus dissolutione. Optimè ii faciunt, qui resolvunt cum Terebinthina: Hæc est enim genuinum menstruum pro dissolutione ejus, de quo vid. *ZUUOLFERUS in animadversionibus in Pharmacop. Augustan. p.* 338. de hederæ, baccis pulverisatis, vi contra pestem insigniter loquitur *KIRCHERUS in scrutinio pestis p.* 317.

CLXIV. HELENIUM.

Ἑλένιον, Elenion, *Trag.* Helenium, *Brunsfels. Matthiol. Dod. Cord. in D. Lob. Cast. cam. Tab. Her.* Enula, *Lon.* Enula Campana, *Brunsfel. Cam.* Helenium vulgare, *Alantvvurtz.* Aunée, ou Enule campane.

N. Dios

N. *Dicitur* Helenium, quòd è lacrymis Helenæ natum dicatur.

N. *Crescit* plerumque locis humidis: *Floret Iulio.*

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ collecta, antequam in stolones abierit, in taleolas secatur, inque umbra exsiccatur.

Vires. Nonnullis calfac. & sicc. 2. (Fernelio calf. 3. sicc. 1.) abstergit, discutit, aperit, pulmonica est, stomachica, alexipharmaca, sudorifica, &c. Usus præcipui in tartaro pulmonum renumque attenuando ac educendo, & hinc in tussi, asthmate, in cruditatibus ventriculi emendandis, ureteribus reserandis, in peste, contagiosisque morbis arcendis, in scabie, &c.

PRÆPARATA.

1. *Radix condita.*
2. Aqu. Ex radice destill.
3. *Conserva* Radicis.
4. *Extract.* Ex Rad.
5. *Vinum Enulatum.* Ex Radice & musto.

HELENIUM, folia profert magna; altum est aliquot ulnarum: flore est luteo, usitata ex hoc tantùm RADIX, quæ tempore exaltationis est colligenda, quando incipiunt erumpere surculi & succulenta est: tunc enim temporis est impragnata maximè facultatibus primariis. RADIX hæc habet *vim stomachicam, & conducit egregiè stomacho*, Unde usitatum est apud quosdam infundere radicem in mustum, & per fermentationem facere vinum Enulatum seu Heleniatum, quod egregium est in *cruditatibus & vitiis stomachi.* Vid. *STOCKER. prax. c.* 12. Ubi de viribus vini Enulati stomachicis, & aliis pro *confortatione intestinorum* egregia habet. Præterea est specificum egregium in *Colica*: sunt namque, qui eandem decoctam vino ceu singulare experimentum *in colicâ* commendant. Alij vero addunt rad. Helen. herbam absinthij una cum corticibus aurantiorum, decoquunt in vino, calidissimè potant addito tantillo Theriacæ seu mithridatij à *MINDERERO* commendatur *in Medicina Militari p.* 325. Cæterum hæc dicta sunt de Colica simplici. Prostat tamen etiam complicata cum paralysi, quæ communiter vocatur paresis, & frequens est in Austria & Moravia, ubi potant vinum acidum & crudum: Unde fit ut propter nimiam austeritatem succi Pancreatici oriatur colica gravissima, & hinc excitatur paresis. In hac singulare est Helenium, dum conducit simul & *colicæ & paralysi.* DECOCTUM, ESSENTIA & EXTRACTUM *Helenij* omnibus est præferendum remedium: imprimis si misceatur decoctum, vel in essentia cum spiritu tartari benè rectificato, & internè usurpetur, est expertum *in paresi ex colica.* Externè cum decocto Helenij membra *paresi* affecta possunt fricari & foveri, ut acquirant denuò suum debitum motum. De virtute hujus ENULÆ CAMPANÆ (nam ita etiam promiscuè vocatur Helenium) in *Colica* vid. *FINCK. in Enchiridio dogmatico Hermetico p.* 111. *cap.* 22. Spiritus ut dico, tartar. benè rectificatus à ℈ß ad ʒj cum decocto vel essentia mistus, est expertus in *Colica.* In *affectibus pulmonum* convenit EXTRACTUM vel ESSENTIA HELENII in *Tussi & asthmate*, in quibus affectibus multa tribuunt Helenio. Quod dixi de *paresi ex colica*, intellectum & concludendum volo de *paresi in scorbuto*, quæ non est rara in scorbuticis. In his ex Helenio præparata cum spiritu Tart. vel alio spiritu urinoso mista, sunt egregia. Denique inter præparata est RADIX CONDITA, quæ vulgo permiscetur Electuariis & aliis in *affectibus pectoris*, etiam Electuariis *pulmoniacis. RONDELETIUS in prax lib.* 1. *c.* 9. celebrat rad. Helenij tanquam singularitatis remedium, & hinc commendat illam in *Melancholicis affectibus*, ubi homines sunt tristes, propterea nititur hac radice succurrere eorum tristitiæ.

CLXV. HERNIARIA.

Dicitur Herniaria, *Dod. Cam. Tab. Ger.* Herniaria multigrana serpillifolia, *Lob.* Herba Turca, *Lob.* Polygoni genus, Hernaria appellata, *Clus. hist.* Millegrana, *Cord. hist.* Herba cancri minor, *cord.* Polygonum minus, *Cast. Matthiol.* Empetrum, *Trag. Lon.* Polygonum minus seu millegrana major, C. B. 11. (videl. inter Polygoni minores species) German. *Harnkraut, Bruchkraut, Tausend-Korner.* Renoüée & Corrigiole.

Crescit locis aridis ac arenosis, nonnunquam tamen & circa ripas: floret Junio, Iulio.

OFFICIN. NAT.

Herba seu planta integra.

Vires Refrig. & sicc. Usus præcipui est in Hernia curanda, urina cienda, renum ac vesicæ calculo atterendo, ventriculi ac aliarum partium mucilagine incidenda, educenda, bile ac aqua expellenda, adeoque in Ictero curando.

PRÆPARATA.

Aqu. *stillat.* Ex herba.
[conservæ meminit Platerus.]
Hirundinaria, *vide* Vincetoxicum.

HERNIARIA, Hæc Herniaria, ex qua usurpatur planta, provenit in locis cultioribus, nomen habet ab Herniis imprimis intestinorum & omenti, quæ propter laxitatem Peritonæi descendunt in scrotum, ubi expertissima hæc est planta, in talibus casibus nullis cedit remediis Herniaria. Primus, qui nobis hoc manifestavit, fuit *MATTHIOLUS*, cujus assertum jugi experientia confirmavit *HOLLERIUS in tr. de morbis internis cap.* 62. ubi tractat de *herniis*, & mirum quantum commendat Herniariam. Dicit namque: Herbula est in sabulis crescens foliis minimis & rotundis gustus adstringentis, cujus succus expressus, & affusus vino albo, expertum est remedium *in Herniis*, quas intra novem dies certò curat, & propter hoc Encomium Herniaria vocari solet HERBA *HOLLERII*, qui virtutes contra hernias manifestavit, & in apricum produxit. Hæc ergo sive crudo modo usurpatur secundum ductum *HOLLERII*, vel decocta, sive in ESSENTIA redacta, vel sola, vel cum aliis vulnerariis usu interno usurpatur. Externè sub formâ CATAPLASMATIS imponitur, vel fiunt UNGUENTA ex ejus SUCCO, quæ post repositionem omenti vel intestinorum rupturam consolidant & restituunt. Præter hæc singulare etiam est experimentum in *vulneribus quibuscunque*, sive externis, sive internis, cum sit ex celeberrimis *vulnerariis*, jam vero sicut utplurimum usu venire solet, ut plantæ vulnerariæ, si non omnes, tamen plurimæ *urinam cieant*: ita hæc valdè commendari solet in *cienda* urina & *promovendo sabulo* in *renum fistulis* stabulante: in talibus enim casibus *nephriticis* usurpatur Herniaria non sine fructu, non sine emolumento insigni. Inter præparata tantum prostat aqu. posset tamen optimè ex eadem præparari ESSENTIA unà cum aliis vulnerariis.

CLXVI. HISPIDULA.

Æluropus, pes Cati, pilosella montana hispida, C. B. 5. *Katzenfusz.* Pied de chat, ou pilosselle. Est species pilosellæ (aliis Gnaphalij) parva admodum, totaque ferè tomentosa, maximè verò flosculi, quos profert tubentes, interdum albidos *Videatur Renodæus.*

Nascitur in collibus ac locis siccis & apricis: floret Maio, Junio.

OFFICIN. NAT.

Tota *Herba* cum floribus

Vires. Easdem vires obtinet quas reliqua pilosellæ genera: vide auriculam muris: peculiari tamen proprietate pulmonum exulcerationi conferre statuitur, & sanguinis exspuitioni.

PRÆPARATA.

1. aqu. Ex integra planta cum floribus.
2. *Syrupus simpl.* Vide Renodæum.
3. *Compositus de pede Cati* Vide lib. 2.

N. Nostratibus Syrupus hic compositus vulgarissimus est.

HISPIDULA. De qua supra sumus locuti sub nomine auriculæ muris, quoniam in officinis sunt una eademque planta, & quæ dicta sunt de auricula muris, etiam de hac veniunt intelligenda. Est singularis in *affectibus pulmonum*, eorum exulceratione, *phthisi* & *Empyemate*. Est eadem cum auricula muris, ut dixi, & utut sit aliqualis differentia in forma externa, illa tamen non attenditur in officinis, sic semper inter se confunduntur, & recipitur nunc hispidula, nunc auricula promiscuè.

CLXVII. HORDEUM.

G*erste* Orge. Est { Hyemale. *Hoc præstantius.* / æstivum.

Videatur Hordeum, *Brunsf. Matth. Lob. Dod. Lon. Cast. Ger.* hordeum majus, *Trag.* Hordeum polysticum, *Fuchs. Tab.* Hordeum hyemale, *Cord. in D.* Hordeum polystichum hybernum, C. B. 1.

OFFICIN. NATIVA.

Semen & Farina.

Vires. Refrig. & sicc. 1. absterg. aperit, dig. emol. est diureticum nutritivum.

N. Crudum ventriculo aliquatenus inimicum est, quippe flatulentum; tamen coctione corrigitur.

PRÆPARATA.

1. Aqu. *Hordei graminis.* Fit mense Maio, colligiturque mane gramen rore adhuc madidum.

N. Insignis est efficaciæ in æstu domando, extrinsecus in Cæphalalgia mitiganda, oculorum defluxionibus calidis emendandis, &c.

2. *Decoctum hordei, seu aqu. decoctionis hordei, Gersten-Vvasser,* l'eau d'Orge.

N. Ad decoctum hordei sumitur hordeum non excorticatum, si intentio sit abstergere, exsiccare: Excorticatum, si animus digerere, sitimque extinguere. &c. Formulæ decoctionum usitatissimæ, mulieribusque notissimæ sunt.

[*N. Cerevisiæ* hordeaceæ feces valent ad ambusta.]

HORDEUM. Planta satis nota in officinis pistoriis, culinis & officinis pharmaceuticis, ex qua usitatum SEMEN & exinde parata FARINA, quod habet *AUCTOR.* Crudum hordeum extrinsecus cum sale imponi obtinuit in *inflationibus stomachi & intestinorum*, uti etiam in *colicis torminibus*, haud secus atq. avena. FARINA externè est ordinarium ingrediens in *tumoribus duris emolliendis, maturandis & suppurandis.* Inter PRÆPARATA sunt duo aqu. HORDEI DESTILLATA, & aq. DECOCTIONIS HORDEI. DESTILATA fit ex hordeo madido & est rari usus: potius prostat aqu. decoctionis, hæc est usitatissima in *temperando æstu febrili*, imprimis si oritur ex effervescente acrimonia, oborta ex sale vol. pingui oleoso & copioso, quod aliàs vocatur bilis, in tali æstu propter effervescentiam salis biliosi cum acido optimè convenit aqua decoctionis hordei, quoniam ratione salis sui occulti & temperati, temperat acrimoniam salis deficientis & tollit effervescentiam, quare fit ut temperata acrimonia etiam sensim deficiat calor & æstus. *Decoctum hordei* est vel *simplex* cum aqu. communi & hordeo, & commendatur ad dictum *æstum compescendum*, & *temperandam acrimoniam humorum.* indeque ortam *effervescentiam: Compositum* fit cum C. C. rad. Scorzoneræ, vel cum rad. Chinæ, quæ apud DRESDENSES usitata. Aliquando à DD. *LUIA* sequens præscriptum vidi.

℞. *Decoct. hordei cum* CC. ℥vj.
alterant. ℥iij.
Tinct. Fl. viol.
bellid. ana ʒj.
Syrup. Canell. c. ℥j.
Iuleb. rosar. ℥ß.
Fl. a. Potus.

℞. *Antihect. Pot.*
Pulv. Bez. Sennert. ana ℈j.
Bez. sol. gr. vj.
Diu. in 2. partes æqual.

Hæc omnia decocta usurpantur loco potus *in febribus malignis*, aut *ardentibus* communibus, ubi suspicio est *malignitatis latentis*: in tali casu præscribitur decoctum hordei, quod temperat acidum acre, ut præcipitatio fiat & appareat coctio: Pro potu ordinario commendatur. In Gallia & italia loco potus ordinarij bibunt ptisanam in aqu. hordei, & impraegnant aliquod corticibus citri aromatisatis & certè valdè conveniens est potus in ejusmodi climatibus & regionibus calidis. In *febribus ardentibus*, ubi *sitis est ingens*, & *ardor totius corporis*, pro potu potest talis ordinari julepus:

R. aqu. decoct. hordei, vel aqu. destillatam decoctionis hordei, idem est ℥xxx. *aqu. flor. rosarum optimæ* ℥ß. *ob saporem vel odorem, spir. vitriol. q. s. ad gratum acorem.*

Misceantur F. Julebus seu potus. Ut ejusdem fiat aliqualis depuratio, stent prius in Mar. Bal. per horas 3. colentur: colaturæ addantur Syrupi jujubarum, vel Syrupi acetositatis citri ℥iij. & fiat sic *Iulebus.* Fit tamen nonnunquam in quibusdam, ut non possint ferre acida talia: in tali casu nihilominus præscribatur talis julebus sine acido adjecto, qui ipse eidem scopo satisfacit.

℞ *aqu. Decoctionis hordei* ℥xx.
Cinnamomi ʒx. *pro sapore & odore,*
Violarum simplicis vel rosarum ℥iiß.
Lapidis prunellæ hoc est nitri fixi ʒj.

Misceantur. Vel etiam commodè hujusmodi decocto hordei, quod est basis, admiscentur Tincturæ appropriatæ. Vel in *malignis*, imprimis simplicibus, recipiatur decoctum hordei cum CC. vel cum rad. Scorzoneræ, addantur Tincturæ, v. g. aquilegiæ, dissolvantur in illa Syrupi, imprimis rubi Idei. In *pleuritide* fit potus ex decocto hordei, in quo resolvuntur Tincturæ papaveris rhæados seu erratici & bellidis item Syrupi papaveris rhæados & bellidis, & sic in quamplurimis casibus potest eodem modo usurpari.

CLXVIII. HORMINUM.

S*Clarea. Scharleyen*: Toute-bonne, ou orvale. { hortense, odoriferum. / sylvestre.

Ex his officinale, quod Gallitricum, *Cam. Ger.* Gallitrichum sativum, *Trag.* Sclarea, *Matth. Cast. Cam. Tab.* Sclarea, *Lob.* Horminum sylv. 1. *Clus. hist.* Horminum sativum, *Fuchs. Cord. in D.* Orvala, *Dod. Cast.* Horminum sclarea dictum, C. B. 3.

Floret Junio, Julio: solo gaudet optimo.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus, sed rarò.

Vires. Calfac. & sicc. abstergit, attenuat: Usus rari

nisi

niſi quod in vino cum floribus ſambuci & vitis ſuſpendi ſoleat.

[Semen oculo horâ ſomni impoſitum, ſordes abſtergit albugini conducit.]

[Hormini ſylveſtris decocto cum melle roſato ozænas curat Rencalvi.]

HORMINUM. Refert formam ſalviæ, folia ſaltim ſunt majora, ſaporis eſt acris, flores habet albos: Vocatur etiam *Gallitrichon*, in ſpecie *ſcarlea*, quo nomine in officinis venit vid. *TABERNÆMONTANVS*. Hanc ſcarleam, cujus flores tantùm ſint uſitati, rari uſus dicit *AVCTOR*; nihilominus ex modernorum experientia conſtat, quod flores albi ſint expertiſſimi contra *fluxum album* mulierum, in quo nihil melius eſt ſcarlea. In *colica*, item in *ſuffocatione uterina* eſt ſingulare. Unde eſt ex principalibus ingredientibus *eſſentiæ contra fluxum alvum D. MICHAEL* qui morbus eſt admodum frequens in mulieribus & difficillimus curatu; in tali ergo ſingulariter commendatur: uti ſunt, qui extrinſecus eandem applicandam ſuadent pudendis pro eodem affectu. Imò referunt practici, inprimis *CORBEIVS de morbis mulierum cap.* 3 *pag.* 83. facit mentionem, quod mulier quædam curaverit alias mulieres fluxu albo laborantes hoc unguento.

℞ Scarleam, quæ etiam vocatur *ſalvia Romana*, hanc contrivit, cum butyro non ſalico miſcuit, & ita ad tempus putrefieri paſſus fuit, poſtmodum hoc ipſum coxit, transcolavit & ad uſum ſervavit. Mulier inungatur hoc unguento ab umbilico, & ipſa vulva, & intrinſecus herbam iſtam comedendam curavit, & ſic omnes iſtas mulieres certo experimento liberavit. Obſervatum quoque fuit, quod tale UNGUENTUM omnes *poſt partum dolores* eodem modo inunctum ſedare ſoleat. Internè ESSENTIA parata, eſt uſitata in tali caſu: propterea eſt pars eſſentiæ contra fluxum album *D. MICHAEL* uti ſuperius dixi.

CLXIX. HYOSCIAMUS.

Iusquiamus, Faba ſuilla, Herba canicularis Dens caballinus. *Bilſenkraut, Bilſen. Dollkraut, Schlaffkraut, Bilſen, Sau-Bon, Rinds-Vvurtz, Ziegeunerkraut.* Juſquiame, ou Hannebanne.

Eſt { vulgaris vel niger, C. B. 1.
albus { major, C. B. 2.
minor. }

Ex his eligere monet Fernelius floribus albis, ſemineque albo, reliquis neglectis

Inſignitur Hyoſcyamus albus, *Matth. Dod. Lob. Lon. Caſt. Cam. Ger. Tab.* Hyoſc. candidus, *Trag.* Apollinaris 3 *Cord. in D.* Hyoſcyamus albus major, vel 3. Dioſcoridis, C. B. 2.

Creſcit incultus: floret Junio, & Julio.

OFFICIN NAT.

Radix, Semen, Folia.

Vires. Refrig. 3. ſicc. 1. emollit, mirè ſomnum inducit, ſtupefacit, acrimoniam mitigat, rationem perturbat. Unde internus ejus uſus rariſſimus eſt, exhibetur tamen ad hæmoptyſin curandam. Externus aliquatenus crebrior, ſcilicet in tumoribus calidis, in odontalgia (ſuſcipitur fumus ſeminis per infundibulum.)

N. 1. *Trallianus* amuletum antipodagricum ex radice facit: colligit eamdem luna exiſtente in aquario & piſc. ante ſolis occaſum, radicem non attingendo, ſed eſſe cujuſcunque animantis mortui effodiendo, peculiariaque inſuper adjurationis verba ſuperaddit, quæ cum ſuperſtitioſa videantur, adſcribere ſuperſedeo. Videatur Trallian. lib. 11. in fine.

N. 2. *Antidota* Hyoſcyami ſunt, lac caprinum, aq. mulſa, ſemen cucurbitæ, ſem. Urticæ, Sinapi, Raphanus, Cepa, allium cum vino aſſumpta.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex fol. floribus ac ſemine immaturo deſtill.

2. Oleum expreſſum. Ex ſemine albo recente, ſicco, calida aq. aſperſo, inſolato, tritoque.

N. Alij macerant Hyoſcyamum cum ſemine ſuo immaturo in Omphacino, hinc exprimunt & coquunt.

3. *Extractum, ſeu ſuccus Hyoſcyami.* Ex radice menſe Septembri vel Martio cum germinibus tenellis exprimitur ſuccus, depuratur ac digeritur, ut rubicundo colore tingatur.

N. Ingreditur laudanum opiatum. Quercetan.

HYOSCYAMUS, Planta hæc ubivis locorum obvia, & vulgaris tantùm eſt in uſu. Nam ſunt variæ ejuſdem ſpecies, ex qua *radix, ſemen & folia.* Tota planta eſt una ex primariis *narcoticis*, & crudè uſurpata ſine præparatione habet *vim ſtupefictivam*, & *dolorum lenitivam*, ſive internè ſive externè uſurpetur eodem modo eſt narcotica & ſtupefactiva. Unde etiam nimius ejus uſus ſolet dementes & amentes reddere homines, adeò ut dicatur, ſi paſſeres comedant ſemen hyoſcyami, illos decidere in terram torpidos & ſtupidos, tam diu, uſque dum à natura ſuperata fuerit vis ſtupefactiva. Nihilominus in SEMINE ejus ſingulare eſt arcanum contra *ſputum ſanguinis*, quod in arcanis habuit *HELIDÆUS PADUANUS*, & iſtad nulli revelandum putavit: ſcil. miſcuit ſemen hyoſcyami cum conſerva violarum, & hanc conſervam ſub forma boli propinavit internè, & ſic miraculi inſtar ſanguinis exſpuitiones & rejectiones percuravit. Item alij hoc *Electuarium* ſimplex *HELIDÆI PADVANI* correxerunt, & illud in hanc formulam redegerunt:

℞ Conſerv. Roſar. antiquiſſimam q. ſ. adde ſeminis hyoſcyami, papaveris albi ana ʒx, terræ ſigillatæ, corall. rubrorum ana ʒv. cum ſyrupo Portulacæ fiat *Electuarium*, & hoc ipſum mirabilia præſtare dicunt. Alij ſub forma pulveris propinant:

℞ *Sem. hyoſcyami, papav. alba ana* ʒß.
Coriandri præpar. ʒj.
Turis gr. ij. *Maſtiches gr.* iv.
pulveris hirundinum præparatorum ℈ß.
Sacchari ʒiv.

cujus uſus eſt, ut aſſumatur ʒj. duabus horis à cœna ante ſomnum in *ſputo ſanguinis*, â catarrho nimis acri & corroſivo, à lympha nimis acidâ exedente vaſcula pulmonum. *Anodynum* eſt, uti dixi, quoniam *omnem dolorem* potenter tollit ut anodyna. Unde extrinſecus ſolet adhiberi in *tumoribus* nimis *calidis*, ubi eſt nimius *dolor* & *ardor*: Ita ſunt, qui recipiunt folia & contuſa applicant partibus *arthritide* affectis, & *VALLERIOLA lib* 1. *obſſ. obſ.* 7. habet exemplum horrendæ *cardialgiæ* ſeu *intumeſcentiæ ventriculi* ortæ ex hauſtu improviſo *mercurij ſublimati*: in tali caſu præter interna, primum quidem uſurpavit hoc FOMENTUM extrinſecus.

℞ Fol. hyoſcyami albi & abſinthij Roman. ana Miß. Maſtichis ℥iij. Criſtall. puriſsim. ℥ij quæ omnia coxit in oleo roſaceo, violaceo, liliaceo, & anethino ana q. ſ. cum vini rubri lib. ß. applicavitque ſubinde cum linteis calidis ſtomacho: Obiter noto: Criſtallus additur, qui externè uſurpatus nullius eſt efficaciæ, quoniam particulæ craſſæ non poſſunt penetrare ad ſtomachum, ergo potius ab hoc in fomentis abſtinendum. Aliàs Criſtallus interno uſus eſt egregius contra mercur. quia abſorbet acidum, Deinde appoſuit cataplaſma ferè ſimile, formula fuit hæc:

℞ Fol. hyoſcyami albi & malvæ ſub prunis coctorum per ſetaceum trajectorum ana ℥iij. farinæ hordei, & lentium cum aq. decoctionis Malvarum ad debitam conſiſtentiam incoctarum ana ℥ij. Mucilaginis Tragacanthi, ſem. pſyllij & Cydoniorum ana ʒj Miſceantur, fiat CATAPLASMA, quòd egregiè profuit.

In *odontalgia* commendari ſolet, in ſpecie, quæ eſt à vermiculis reſidentibus in cavernulis dentium, & corrodentibus nervulos dentium & gingivarum, ubi non exiguus eſt dolor non curandus, niſi extrahantur vermiculi ex dentibus. In tali caſu optimum experimentum eſt ſuffitus hyoſcyami receptus in dentem, ubi hoſpitari ſolent vermiculi, tunc enim neceſſario egredi coguntur. Alij ſolent habere ſuffitum ex Trochiſcis factis ex ſem. hyoſciami albi cum ſucco cepæ vel

vel porri & nitr. cum sevo hircino formatis impositis carbonibus,& fumus receptus in cavum dentis elicit vermes,& dolorem ab eorum corrosione oriundum compescit. Fit UNGUENTUM pro dentibus sine dolore evellendis ex Gumm. Ammon. sem. hyoscyami albi & sacchari ana ℥iß. his additur pinguedo ranæ viridis & terebinthinæ,ceræque parum pro consistentia unguenti,quo inunguntur Gingivæ, ut facilè dimittant dentes in evulsione. In officinis prostat oleum EXPRESSUM,quod extrinsecus usurpatur in leniendis doloribus imprimis capitis,& in somno producendo,in talibus casibus non ineptè miscetur cum extracto verbenæ, quod est specificum in *Cephalalgia*, vel etiam sit talis formula,

℞ *Unguenti de Alabastro* ℥j.

quod est specificum Cephalicum,

oleo nucleorum persicorum ℈j.
oleo Hyoscyami per expreß. gut. vij.
M. S. foring. cephalicur.

Item pro *vigiliis*.

℞ *oleo Nymphea*,
papaveris expressi ana ℥j.
oleo Hyoscyami ℈j.

Applicatur etiam semen hyoscyami cum aliis externè. Sic fieri potest emulsio applicanda fronti & temporibus in Cephalalgia & Agrypnia in tali formula.

℞ *Nucleorum persicorum*,
sem. papaveris albi ana ℥iij.
semin. hyoscyami ℥j.
c. s. q. nymphea.
F. l. a. Emulsio.
capit. apl. canea.

contra *dolorem*,& pro inducendo blando *somno*.

CLXX. HYPERICUM.

Ὑπερικὸν, Hypericum, *Brunsfels. Matthiol. Fuchs. Lon. Dod. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.* Herba perforata & Hypericum, *Trag.* Ascyron. *Cord.* in D. Androsemum minus, *Gesner.* Hyperic. vulgare, C. B. 1. aliis fuga Dæmonum, *Iohannskraut.* Mille-pertuis.

Crescit passim in dumetis, aliisque locis incultis: Floret Iulio.]

OFFICIN. NAT.

Folia ac Flores.

Vires. Calf. & sicc. est partium tenuium, diureticum ac vulnerarium. Usus præcipui in vulneribus mundificandis, consolidandis (intus & extus) in sanguine coagulato resolvendo, in calculo renum atterendo, in Lumbricis fugandis, [scil. si tempore exaltationis collecta fuerit, aliàs hac facultate destituitur.) Extrinsec. in contusionibus (præcipuè nervorum) in tremore, in partu allevando (sit suffitus.)

N. Paracelsus refert inter herbas veneficia ac spectra arcentes: colligereque jubet sub influentia mart. Jovis ac veneris (nullo modo sub lun.) tempore auroræ, atque varium ejus usum docet, loco amulet. adhibet, pileo includi noctu pulvinari supponit, sæpius naribus admovet, sternit per domum, de parietibus suspendit, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex fol. ac flor. in fine Junij collectis.
2. *Oleum.* Ex infusione florum in oleo communi.

N. Alij summitates cum flor. ad maturitatem seminis ferè accedentes macerant, cum vino exprimunt, atque cum Therebinthina & oleo coquunt. *Vide Disp. August.*

[Oleum Venetianum rubrum, vulnerarium, antiloïcum, aliisque viribus egregiis pollens, descriptum ab Hosm.]

3. *Sal.* Ex planta integra incinerata.
4. *Tinctura.* Hanc habet Tentzel. in Exeg. Sala de Essentiis. Vide lib. 2.

N. Dos. gr. vj. ad ʒß.

HYPERICUM, Planta ubivis proveniens, est polychresta valdoperè, multi usus & magni emolumenti in affectibus plurimis. *Fuga dæmonum* etiam vocatur propterea, quia est celeberrima inter plantas, quæ *arcent veneficia & incantiones*. De quibus viribus vid *AUCTOR*,& simul tempus collectionis. Egregium exemplum hujus plantæ,quomodo resistat spectris & dæmoniis, affert DESBELSED in Dehammen Buch de muliere sæpius compressa à Diabolo, qui planta hac ab illa recepta, non amplius eam vexare potuit. Deinde commendatur à quibusdam contra *fulminum & tempestatum vim*: De ratione hujus rei,& quomodo soleat & debeat usurpari in ædibus & corpore,videre possumus *STARICIUM in heroū thesauro p.* 329 Ulterius interno & externo usu est singulare vulnerarium,adeò ut sit una ex celeberrimis;si qua est alia. aq. DESTILLATA, ESSENTIA,DECOCTUM expertum interno usu contra *sanguinem congrumatum*, contra *vulnera & ulcera* internarum partium quarumcunque, ubi nulli cedit Externè in eo latet *Balsamum vulnerarium* contra *contusiones & vulnera recentia* certè mirabile.Item in *ulceribus renum* hypericum est specificū expertū,sive ejus *decoctum*,sive essentia propinetur vel sola, vel cum essentia aut decocto agrimoniæ. Nullus est balsamus vulnerarius,quē nō ingredi soleat ordinariè Hypericum.Ita sunt,qui habent tale balsamum vulnerarium excellens & expertum.

℞ *Flor. hyperici, dum adhuc sunt in Gummis partem* j.
Gemmarum verbasci partem sem.
Spir. vini rectificati optimi partes iij.

Stent in infusione neque dum tingatur spiritus vini, post expressionem tincto addatur Terebinthina, vel etiam oleo infusionis momordicæ,& mista digere per dies & noctes 3. in cucurbitula, eritque egregius balsamus vulnerarius; Item elegans balsamus vulnerarius ad vulnera & ulcera inveterata, ex hyperico cum aliis infuso oleo ex semine expresso & vino rubro, vid. in *HEINRICO ab HEER obs.* 10 *p.* 150. Prostat in officinis oleo,tantùm per INFUSIONEM FLORUM in oleo communi,nihilominus egregium experimentum in *vulnere* quocunque, sic v. gr. *FORESTUS* refert *lib.* 9. *obs.* 32. de puero in fronte contuso,qui exinde statim desipiebat, & quidquid in buccam veniebat,emovebat,cum cranij fractura,quæ satis est periculosa & repositione indiget,qui fuit perfectè curatus solâ inunctione in fronte cum oleo hujus hyperici per infusionem oleo hoc tam per infusionem, quàm per expressionem expertum est in vulneribus nervorum, in quibus etiam valdoperè commendatur.Ulterius cum sit vulnerarium,& vulneraria prosint in *affectibus renum*, ejus Essentia erit egregia in illis: itē ejus SEMEN habet benedictam vim contra *calculum*, quem præservat & *sabulum renum expellit*.CONSERVA facta ex semine hyperici cum saccharo ceu expertissima & non satis laudanda commendatur ad *præservationē calculi* à *ZEPATA, clavis medic. cap.* 10. *p.* 101. Unde solet misceri cū aliis lithontripticis ad *præservandū & expellendum calculū* Videre etiā possumus *ZACUT.LUSIT. lib.* 3. *Medic. histor.* 38. de vi huj⁹ seminis antinephritica,Interno usu ulterius hypericum resistit valdoperè *vermibus* quibuscunque, tam generandis,quam generatis: hujus rei experientia habetur ex *RIVERIO Cent.* 1. *Obs.* 10. Unde etiam aq. hyperici præter alias vires, cum aq. graminis internè propinatur contra vermes infantibus. Sunt qui dicūt, quod hausta,quocunque die hausta fuerit, in die vini potationis reddat illud innoxium,ne scilicet inebriet, aut aliquam noxam capiti inferat.Fit etiam oleum quoddam HYPERICI COMPOSITUM seu BALSAMUS cum quibusdam aliis ingredientibus, inprimis visco Corylino, qui balsamus valde commendatur contra *veneficia*:additur etiam momordica.Idem balsamus prodest insigniter contra vermes, & in specie contra *dysenteriam Epidemicam*. Hoc ole. Hyperici tam simplici,quàm composito non inconcinnè malaxantur Emplastra vulneraria, ut eo potentius operentur,& citiuscurentur vulnera. Ex flor.hyperici fit cum spir. vini ESSENTIA, quæ est coloris rubicundi & vocatur tinctura FLOR. HYPERICI: hæc præter vulnerarias & nephriticas facultates est specifici usus in *deliriis*. *Mania*, *Melancholia* & similibus, adeò ut soleat misceri cum Es-

sentia

ſentia anagallidis contra *maniam*: propterea videre poſſumus tinctur. flor. Hyperici compoſitam cum anagallide & aliis in *MYNSICHTI armamentario Chymico* & *ROLFINCKII Chymia in artis formam redacta*. Item tinctur. ſimplicem habet *TENZELIUS in Exegeſi in SALAM*. Denique fit etiam ſal ex plantâ incineratâ, quod ſpecificè convenit, & ceu experimentum ſingulare laudatur in *Pleuritide* à ℈j. ad ʒß. uſurpatum. In *FABRO* ejus *l.4. Myroth. Spagyr. cap.21.* videre poſſumus oleum HYPERICI DESTILLATUM, ejuſque eximios & excellentes uſus. In *FREITAG. auror. Medic.c.8.* habemus quædam olea vulneraria, quorum baſis ferè ſolet eſſe hypericum.

CLXXI. HYSSOPUS.

Ὕσσωπος, Hyſſopum, *Iſop*, *Iſpen*: de l'hyſſope.

Eſt { Hortenſis. *Hæc officinarum.* / ſylveſtris.

Vocatur Hyſſopus, *Brunſf. Trag. Cord. in D. Lon. Tab. Cam.* Hyſſopus hortenſis, *Fuchſ.* Hyſſop. vulgaris, *Dod. Cluſ.* ſativa, *Cord. hiſt.* Hyſſopus Arabum, *Lob. Ger.* Hyſſopus officinar. cærulea, ſive ſpicata, C.B.1.

Creſcit in hortis: floret Jul. & Auguſt.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus collecta Aug.

Vires. Calf. & ſicc. 3. partium tenuium eſt, atten. aperit, abſterg. Uſus præcipuus in affectibus pulmonum tartareis, tuſſi, aſthmate. Extrinſecus adhibet crebrò ad ſugillationes oculorum, ad uterum mundificandum, auriumque tinnitus tollendos (per tritorium ſuffitus ſuſceptus) ad oris abſterſionem (in gargariſmis.)

N. Sunt qui Abſynthio in corroboratione ventriculi præferunt.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. ſtillat.* Ex herba & floribus in MB.
2. *Ol. ſtillat.*
3. *Conſerv.* Ex floribus.
4. *Spec. Diahyſſopos.* Nic. V. D.
5. *Syrup. ſimplex.* Ex ſucco.
6. *Compoſ.* Vid. Diſp.

HYSSOPUS. Qui cum ſit triplex, *albus*, *ruber* & *cæruleus*: poſterior tantum uſitatus eſt, prodit ſe odore, qui eſt aliquantiſper gravis. Tota planta eſt in uſu, quia flores & folia adinvicem maximè ſunt conſita, internè in *affectibus pulmonum*, *Tuſſi*, *Aſthmate* & ſimilibus, ubi ſufflaminatur reſpiratio propter abundantiam pituitæ craſſæ, viſcidæ & mucilaginoſæ, ſive ſtabuletur in ventriculo, ſive bronchiis pulmonum, dum inprimis acidam ex læſâ digeſtione primâ, attenuant, incidunt & reſolvunt medicamenta præparata ex hyſſopo. Unde partim *in decocto*, partim in cereviſia ordinaria *in infuſo* fol. & flor. adhibentur in *affectibus pectoris*, & hinc dicuntur mirabiliter *ſtomachum confortare* & corroborare. SYRUPUS tam *ſimplex* quam *compoſitus* ſingulariter *expectorat* mucilagines in ventriculo, primis viis & pectore ſtagnantes, quoniam reſolvit craſſos ſuccos in pectore ſtabulantes, ſi aſſumatur, vel in decocto, vel alio modo. Unde ELIXYRIA, SYRUPOS & MAGISTERIA pectoralia ingreditur. Externo uſu egregius eſt contra *ſugillationem oculorum*. Nam jam ex *GALENI* temporibus, quod de hyſſopi ſummitatibus tritis, in nodulo ligatis, in ferventi aqua bullitis & oculis applicatis, conſignatum habemus, quod quaſi viſibiliter ſanguinem congrumatum reſolvant: Hoc utut dubium viſum fuerit, nihilominus *RIOLANUS in Tr. de affectibus oculorum p.133.* ſe hoc expertum fuiſſe narrat. Alii conjungere ſolent aqu. hyoſcyami & hyſſopi, externeque applicant ceu expertam in *ſugillatione*. Vid. *SENERT. Tom.1. prax. part. 3. ſect. 2. cap. 22.*

I.

CLXXII. IACEA.

HErba Trinitatis, *Brunſf. Fuchſ. Lon.* ſativa, *Trag.* jacea ſive flos Trinitatis, *Matth.* jacea major, ſive viola tricolor, *Caſt. Dod. Cluſ. Ger.* Viola flammea, *Coloria*, *Lob.* Viola Trinitatis 1. *Tab.* Viola tricolor hortenſis, C.B.5. inter violas Martias, german. *Fryſamkraut*, *Dreyfaltigkeitublum*, *Siebenfarbenblum*, *Unnutzeſorge je larger je lieber*: de l'herbe à la Trinité.

Floret Aprili, Maio ac totâ ferè æſtate: creſcit locis arenoſis.

Colitur in hortis, creſcit & in agris. Illa licèt præferatur, attamen non licet non recipere & ſylveſtrem.

OFFICIN. NAT.

Herba integra cum floribus.

Vires. Calfac. & ſicc. ad gr. 3. uſque, (aliis remiſſius) ſubamara ac acris eſt: hinc abſtergit, penetrat, incidit, diſcutit, vulneraria eſt ac ſudorifica. *Uſus præcip.* in æſtu (maximè infantum) domando, in ſcabie ac pruritu, in mucilagine viſcoſa pulmonum, in uteri obſtructione. Extrinſecus itidem in pruritu, in abſtergendis vulneribus, in mucilagine pulmonum incidenda; in uteri obſtructione (baln.)

PRÆPARATA.

Aq. ex integra herba.

JACÆA. Vocatur etiam *viola Trinitatis*, it. *viola Tricolor*, & hæc ſunt ejus primaria ſynonyma. Rari eſt uſus, nihilominus inter *vulneraria* refertur, inter quæ non eſt ultimum. Hinc etiam in *affectibus pulmonum*, ſolet inſigniter laudari in *Aſthmate*, *Tuſſi*, *Dyſpnæa* & ſimilibus: imo folia & flores uſurpari *laxare alvum* & *leniter purgare* dicuntur, quod an verum ſit, experientia conſulenda, rari aliàs eſt uſus, & rarò præſcribitur à practicis in officinis.

CLXXIII. JASMINUM.

Ἰάσμινον, Ioſmenum, Ioſeminum, Gelſeminum, Arab. Zambach, Iaſemin, Iaſm. *Brilœl. Reben.* Iaſmin.

Uſuale eſt, Iaſminum vulgatius flore albo, C.B.1. quod eſt Iaſminum, *Dod.* (cui & Apiaria,) *Cord. in D.* album, *Tab. Ger.* Gelſeminum vel Iaſminum, *Matth. Caſt. Cam. Alpin.*

Gaudet locis calidis ac apricis. Noſtratibus colitur hortis: floret ferè per integram æſtatem.

OFFICIN. NAT.

Soli flores, ſed rarò. Nimirum noſtratibus non niſi *Oleum* in uſu eſt, quod fit ex reiteratâ infuſione vel coctione florum in oleo veteri.

(*N. Aliis* in oleo amygd. dulc.)

Vires. Eaſdem ferè vires obtinet, quas chamæmelinum. Dig. calf. emoll. aper. Uſus præcipuus internus ad uterum calefaciendum & laxandum, ejus ſcirrhum ſanandum, ad partum facilitandum, ad tuſſim anhelituſque difficultatem, ad pleuritin, dolores ſtomachi, inteſtinorum, uteri (oleum Iaſmino amygd.) Externus in catarrhis frigidis, in membris ac articulis reſolutis, in dolore pleuritico, colico ac uterino (in climaſte vel unguentis.)

N. Sunt inter mulieres, quæ oleo Iaſmino amygdalino capillos pectunt, ut eo felicius creſcant. Verùm caveant ab eo bilioſæ, utpote quæ facilè capitis dolorem illo ſibi conciliare poſſunt.

JASMINUM. In Italia proveniens apud nos rarum eſt, raroque præſcribitur. Proſtat tamen in officin. ole. JASMINI factum cum ole. Been. Dum ole. flor. expreſſo denuò infunduntur. de quo dictum ſuperius, nam ſi deſtillatur Jaſminum, nunquam tamen elicitur aqu. fragrans. Ole. Iaſmini valdè

commendatur ad *generationem capillorum*, quos longiores facit & copiosiores. Aliàs eas ferè obtinet vires, quas Chamomelinum, quod & illi præferendum, quia crebrioris est usus, nec adeò carum.

CLXXIV. IMPERATORIA.

Ostrutium, *Lon.* Ostrucium, Astrutium, Astrentium, Astrantia, *Brunsf. Dod. Clus. hist.* Magistrantia, *Cam.* Struthium, *Cord. hist.* Laserpitium germanicum, *Fuchs.* Smyrnion hortense, *Trag.* Imperatoria, *Matth. Lob. Cast. Tab. Ger.* Imperatoria major, C.B.I. *Meisterwurtz, Magistrantz, Ostritz.* Imperatoire.

Floret Augusto, colitur in hortis.

OFFICIN. NAT.

Sola radix.

Vires. Saporis est acerrimi: calf. & sicc. 3. alexipharmaca ac sudorifera est, atten aperit. Usus præcip. in venenatis morbis ac ictibus, in pulmonum tartaro resolvendo, expectorando, in fœtore anhelitus corrigendo, in capitis affectibus phlegmaticis, paralysi, Apoplexia, &c. in cruditate ventriculi, & colico dolore, in febri quartana. Extrinsec. in Odontalgia (gargarism.) in catarrhis exsiccandis (suffitu) in tumoribus ac arthritide frigida. In scabie capitis exsiccanda (lotione) in serpigine inveterata sananda (cum adipe suillo illita) in globulis sagittisve corpori extrahendis (imposita.)

PRÆPARATA.

1. Aqu. *stillat.* Ex herba florescente collecta Julio.
2. *Extractum.*
3. *Oleum.*

IMPERATORIA. Quæ vulgo, utut falsò vocatur. *Ostructum.* Radix est exotica, nec sponte apud nos provenit, nihilominus sat abundè colitur in hortis & feliciter etiam crescit. Externa ejus forma similis ferè Angelicæ: unde etiam, cum conspirent in facultatibus, radix angelicæ & Imperatoriæ, illa huic in defectu substituitur, cum periculo ægri non adeò insigni. Usitata tantum RADIX, quæ est aromatica: adeoque præter vim *Carminativam*, quam obtinet à sale vol. oleoso, est *sudoriferum*, & egregium *alexipharmacum.* Vid. AUCTOR. Hoc tantum noto, quod contra *febres intermittentes* quascumque ceu expertum specificum commendatur, sive adhibeatur ESSENTIA in forma liquida, sive adhibeatur sal FIXUM, quod ceu catholicum *febrifugum* æstimatur à ℈j ad ʒß. ante paroxysmum: idem sal Imperatoriæ commendatur contra *fœtorem oris*, malum non tam periculosum quam molestum. Quæ habet AUCTOR, per se constant.

CLXXV. IRIS NOSTRAS.

Veis-Beyelwurtz, Himmuel-schwertel, blauw Gilgen. Glayeul ou Iris de Florence.

Iris in officinis usitata est { Nostras. { *Hæc hujus loci.* ; Peregrina, Illyria scil. & Florentina. *Vid. infra.* }

E variis Iridis nostratis speciebus infertur solùm in officinas Iris vulgaris germanica seu sylvestris, (latifolia.) C.B.I. Quæ inscribitur Iris, *Brunsf.* Sylvestris, *Matth. Cord. hist. Cast. Tab.* Sylvest. 1. *Lob* sylv. major, *Matth. Epit.* Iris germanica, *Fuchs.* cœrulea, *Dod.* gladiolus cœruleus major, *Trag.* Iris latifolia major vulgaris, *Clus. hist.*

Floret tempore verno, Aprili scil. & Maio.

OFFICIN. NAT.

Radix, colligenda vere antequam germinare cœperit.

Vires. Calf. & sicc. 3. valdè hydragoga est, ac errhina. Usus præcip. in hydropicor. aqua educenda. Extrinsecus in impetiginibus, aliisque corporis maculis detergendis.

N. Ventriculo reliquisque visceribus infensa est, proin corrigitur stomachicis.

PRÆPAR.

1. *Succus.* Exprimitur ex radice, depuratur (digestione) adhibeturque recens pro hydragogo.
Dosis ʒj ad ʒiij.
N. Inspissatur nonnunquam, reservaturque pro Errhinis.
2. *Fecula.* Fit ex succo l.a.
N. Non æquè purgat ac ipsamet radix.
3. *Oleum infusum.* Vid. Disp.

IRIS NOTRAS. Planta satis cognita. Habuimus supra acorum adulterinum & gladiolum, qui est iris lutea. Hæc nostras, quæ cum sese offerat inter *purgantia*, & decantata magis sit propter vim purgantem quam alterantem, erit de illa infra uberior dicendi locus, ubi agetur de purgantibus.

CLXXVI. IRIS ILLYRICA, AC FLORENTINA.

Prævalet Illyrica; sequitur Florentina: utriusque itidem sola radix in usu est. Germ. *Viol-Wurtz.* Glayeul ou Iris de Florence.

Vires. Calfac. & sicc 2. incidit, atten. expectorat, diger. absterg. emollit. Usus præcip. in mucilagine seu tartaro pulmonum, tussi, asthmate, obstructione mensium, torminibus ventris infantum. Extrinsecus abstergit cutis maculas & lentigines (cum Elleboro & melle mixta) oris fœtorem emendat: celeberrimus usus modernis est in pulveribus, qui capillis insperguntur. Vulgus vocat pulveres de Cypro.

PRÆPARATA.

1. *Extractum.*
2. *Spec. Diaireos simpl.* V.D.
3. *Salomon.* V.D.

IRIS FLORENTINA seu ILLYRICA. Hæc ipsa planta est satis cognita, quæ alias valdoperè suaveolentem spargit odorem, optima est, quæ crescit in Dalmatia: nihilominus Florentina est egregium *pectorale:* cum semper ingrediatur pulveres & medicamenta liquida pectoralia in *Tussi & asthmate, asperitate faucium, raucedine*, & similibus; cum insignem habeat vim expurgandi mucilaginem crassam pectori impactam. Unde solet, ut dixi, ordinarium esse ingrediens pulverum pectoralium. Deinde etiam prostant species Diairidos: Hæ ipsæ similiter in Rotulis & morsulis pectoralibus solent præscribi. Extrinsecus usus est primarius inter *Cosmetica* vel inter ea, quæ solent delere maculas & sordes cutis. Item masticata & in ore detenta adhiberi solet contra *fœtorem oris.* Denique admiscetur pulveribus Cypriis, den poudre, qui insperguntur capillis.

CLXXVII. JUGLANS.

E Juglandum generibus usualior est, quæ dicitur nux regia *Brunsfelf. Cord. in D.* Nux juglans, *Trag. Matth. Lon. Dod. Lob. Cast. Tab. Cam.* Juglans, *Fuchs.* Nux juglans seu regia vulgaris, C.B.I. *Nusz-Baum, welsche Nusz.* Le Noyerla, Noix.

Juli & folia erumpunt Martio: nuces maturescunt Autumno.

OFFICIN. NAT.

Nuces, Putamina nucum externa, eaque viridia, *Cortex* internus ipsius arboris, *Cortex* interior nucleum ambiens, *Iuli* ante oculos apparentes & decidentes.

Vires. Nuces recentes calf. 1. sicc. 2. siccæ sunt facultatis, calidioris ac siccioris. Comestæ difficilis sunt digestionis, pauci nutrimenti, ventriculo infensæ, bilem augent, cephalalgiam excitant, pulmonum affectus, ac præcipuè tussim, exasperant. Dicuntur tamen à peste præservare.

Putamina *externa viridia, vi vomitum leniter movendi prædita sunt.*

Cortex

Cortex interior, de arbore decerptus, dum adhuc succulentus est, siccatusque ciet vomitum sat validè.

Dosis à ʒß. ad ʒj.

Cortex *nucleum ambiens juvat colicos (potus.)*

Juli *itidem vomitum excitant, sed lenius. Usus præcipuus in colico nephriticoque dolore: sistunt & diarrhœam exhibiti.*

PRÆPARATA.

1. *Nuces conditæ.* ℞. Nuces virides circa Festum Joannis collectas, perfora aliquoties, ut penetrabilia putamina sint, ac macera (per septem dies vel 10.) in aqu. frigida, aqu. quotidie semel ac iterum permutando, ut aliquo modo dulcescant. Hinc coque l. igne ut mollescere incipiant. Postea sicca & configе Cinam. Caryophyll. &c. atque cum saccharo vel melle coque ad consistentiam. Vide lib. 2. Confortant stomachum, juvantque digestionem, unde & bellariorum loco apponi solent. Specificè eas ciere menses, testis est Matthiolus.

2. *Aqu. Vomitoria ex nucibus.* Vide lib. 2. cap. 38.

N. Alii destillant aquam ex nucibus immaturis contusis [in peste, grumis sanguinis, ulceribus tibiarum, Melicerta utilem, secundùm Camerarium] alii ex solis putaminibus viridibus.

3. *Succus* mense Februario è radicibus perforatis destillans.

Vires. Podagricos dolores ad miraculum lenire dicitur illitus.

4. *Rob nucum: Diacaryon.* Fit ex corticum viridium succo & mellis dimid.

Vires. Destillationi tenuium catarrhorum confert. Vide Disp.

5. *Oleum.* Fit expressione ex nucleis maturis.

Vires. Flatus potenter dissipat, adeoque in colico dolore multum fert auxilii.

Dosis ʒij. iij. ad iv. &c.

Extrinsecus tumores discutit, contractos nervos emollit, scabiem antiquam sanat.

[Oleum è corticibus destillatum Oleo Vitrioli affine, in peste & venenis conveniens.]

6. *Electuarium.* Vide lib. 2.

N. Varia Electuarii nucum inveniuntur descriptiones, quæ tamen Basin minimè à nucibus participant, unde nec hujus loci sunt.

[7. *Acetum Nucum.*]

JUGLANS. Arbor ubivis nota, imprimis in Sabaudia, ubi integri montes pleni reperiuntur, multa officinalia subministrat crebri usus in praxi medicâ. NUCES per se rarò usurpantur sive sint recentes, sive exsiccatæ: Recentes habent *vim anodynam*: sunt tamen etiam, qui dicunt, illas inducere Cephalalgias, & certum est, quod versantes vel dormientes ad tempus sub juglande cephalalgia affligantur. Exsiccatæ comestæ inducunt asperitatem faucium. Conditæ, cum impræganatæ sint aromatis, valdè conducunt internè pro *corroboratione capitis & stomachi*, erigunt etiam *membra torpida ad venerem*. Adhæc præservativè solent adhiberi contra *pestem*. Nota namque est antidotus MITHRIDATII, quâ se præservasse dicitur à quocumque veneno, & constat ex aliquot nucibus juglandibus, aliquot foliis rutæ & aliquot ficubus. Vid. *SENNERTUS de peste.* Adeò ut ab omnibus semper nucibus juglandibus fuerit adscripta vis *contra venena*. Hinc in Belgio prostat aqu. PROPHYLACTICA contra *pestem & morbos malignos* Epidemice grassantes, cujus basis ferè sunt juglandes. Ejus compositio est hæc, quam lubet communicare, quia non ubivis est obvia.

℞. *Rad. Angelicæ, zedoariæ ana* ℥j.
petasitidis ℥ij.
fol. rutæ ℥iv.
Melissæ, scabiosæ flor. calendulæ ana ℥ij.
nucum juglandium immaturarum concisarum lib. ij.
pomorum citriorum recentium concisorum lib. j.

contundantur omnia simul, deinde affundantur acet. vini optimi ad 3. quartas partes ex arena in cucurbita vitrea per se destillati lib. xii. Digerantur per noctem, deinde destillentur igne Cinerum lento ad siccitatem, idque sine ustione, & acet. destillat. hoc usui servetur. Descriptionem hanc habet *BARBETTE in prax. lib. 3. cap. 3.* uti etiam in *tr. de peste*. Compositio est elegans; & quæ frequentis est usus, ut dixi, contra *pestem*, & alios *morbos malignos & Epidemicos*, cujus primarium ingrediens sunt nuces juglandes, modo non sint basis. Nunc offerunt se PUTAMINA *externa viridia*: Hæc vi quadam *vomitoria* dicuntur prædita esse: Etiam his corticibus vis quædam adstrictoria vitriolica inest; unde audent quidam præparare ex his vitriol quoddam, quod adhibere volunt pro extractione Tincturæ Corallorum. SUCCUS *ex his putaminibus viridibus* expressus & inspissatus vocatur ROB NUCUM: hoc ipsum meritò commendatur ab *HARTMANNO* in omnibus *faucium affectibus*, imprimis quidem in *inflammationibus faucium, uvulæ tonsillarum & angina*. In principio morbi frequentissimè solet adhiberi pro *sistenda inflammatione* in *angina*. In tali casu sub forma *Gargarismatis* præscribi solet rob dictum, v. g.

℞. aqu. *sempervivi, prunellæ ana* ℥iij.
Syrupi de sempervivo majore ℥j.
imprimis Rob dianucum ℥ß.

Una vice aliquot cochlearia in ore detineantur, & sensim sensimque ad fauces protrudantur, & sic gargarisentur, vel

℞. aqu. *sempervivi, Corticum nucum ana* ℥j.
Rob dianucum ℥ß.
Sal ammoniaci ʒß.

quod est egregium in *laxatione uvulæ & angina*, f. ut supra. Optimum est hoc:

℞. Sedi majoris Mij Cancrorum fluviatilium num. 6. contundantur in mortario lapideo, & exprimatur succus, cui adde rob nucum ℥j. Misc. D. S. ut supra. aqu. DESTILLATA *ex his corticibus viridibus* valdoperè commendatur ad *calculum*. Subsequitur jam CORTEX INTERIOR durus, qui de arbore decerptus, dum adhuc succulentus est, siccatusque habet vim, ut dicit *AUCTOR*, *vomitoriam* à ʒß ad ʒj, alia non propinatur; sunt tamen etiam qui commendant hunc corticem contra *calculum*.

Ulterius se sistit CORTEX INTIMUS nucleum ambiens, qui uti habet *AUCTOR*, juvat *Colicos*. *PLATERUS* in praxi solet eundem applicare pulsibus seu carpis manuum in iis, qui laborant *febri tertiana intermittente*. Denique prostant JULI, Hi ipsi Juli habent *vim vomitoriam*, utut leniter. *IOEL in praxi* specificè commendat Julos pulverisatos contra *suffocationem uterinam*, quemadmodum iidem Juli si assumantur in aqu. appropriata cum aliquot guttis olei destillati succini, quod ipsum solet esse specificum in tali casu, à quamplurimis commendatur in dicto affectu. Præter hæc exsiccati Juli & pulverisati sunt ex primariis remediis contra *Dysenteriam*. Sunt enim qui commendant ceu arcanum specificum, illos tempore verno in Majo collectos cœlo sereno pulverisatos & propinatos ad ʒj in aqu. appropriata contra *Dysenteriam*. Succus mense Februario è radice incisa destillans est singulariter commendatus contra *podagricos & nephriticos dolores*, quos ad miraculum placare dicitur. Ad hæc singulariter convenit in *Cephalalgia*, de qua vi vid. *BARTHOL. Cent. 3. hist. 97.* ubi imprimis de nucibus agit juglandibus, quas ob figuram capiti & cerebro æmulam in *affectibus capitis* convenire, & in Belgio felicem hujus rei factam esse experientiam asserit. Nonnulli hanc aquam tanquam secretum habent in quamplurimis morbis.

CLXXVIII. IUIUBÆ.

Ζίζιφα. Jujubæ majores oblongæ, C.B.1. Jujubæ, *Trag. Cord. hist. Lon. Tab.* Jujubæ Arabum, *Lob.* Ziziphа, *Matthiol. Cast.* Ziziphus, *Dod. Clus. hist.* Ziziphus rubra, *Cam. Brust-Beerlein.* Jujubes. Fructus sunt arboris Ziziphi, magnitudine olivas, sapore passulas majores æmulantes, unicum referentes lapideum nucleum.

Asportantur ex Italia.

Vires. Moderatè calf. & humect. Usus præcip. in pulmonum asperitate, tussi, pleuritide, urina acri, fervescentia sanguinis, erosione renum ac vesicæ.

PRÆPAR.

Syr. de Jujubis. Vide Disp.

JUJUBÆ seu ZIZIPHÆ. Adportantur ex Italia, cumque sint saporis subdulcis, prosunt valdè in *temperanda acrimonia humorum*, inprimis leniunt *asperitudines, acredinem & salsedinem lymphæ*, & propterea in *Tussi asperitate faucium, raucedine*, & similibus morbis insigniter conveniunt. Post faucium affectus ex lympha acri ortos, convenit in *affectibus renum*, ex nimia urinæ acrimonia, & exinde inducta *corrosione renum* & viarum seu fistularum urinariarum. Ob dictos ergo usus solet ingredi decocta pectoralia, & nephritica, vel his ipsis admiscetur pro tali scopo SYRUPUS DE JUJUBIS, qui semper in officinis prostare solet.

CLXXIX. JUNIPERUS.

Ἄρκευθις, ἄρκευθος. Juniperus, *Brunsfels. Matth. Dod. Lon. Lob.* nostras, *Cam.* vulgaris, *Trag. Clus. hist.* Minor, *Fuchs. Cord. in D. Sylvest. Cast.* Juniperus & Juniperus baccifera, *Tab.* Juniperus vulgaris fruticosa, C.B.1. Germ. *Wechholder, Wachhulder, Wachholder-Baum, Kramet Baum,* Genévre.

OFFICIN. NAT.

Lignum, Bacca, Gummi, Fungus.

Vires. Lignum calidum ac siccum est 3. suaveolens (præcipuè si Martio mense cædatur,) unde & rasura ejus non sine causa in cucuphis adhibetur, quippe cephalicum est, nervosumque genus insigniter roborat.

Bacca, Calf. 3. sicc. 2. discut. incid. atten. Usus præcipui in cienda urina, sudore, obstructis mensibus, obstructo liene, in affectibus capitis, nervorum, pectoris (tussi) in morbis à flatu (ut colica) in mucilagine renum & vesicæ, &c. Suffitus usitatissimus est tempore pestis, tùm è baccis, tùm è ramusculis suscitatus. Colliguntur baccæ Sole in Virgine existente.

Gummi (Arab. Sandaraca, vernix) truckener Firnisz, calf. & sicc. 1. (alii 2.) condens. discut. Usus præcipui in nervorum affectibus, resolutione, frigiditate, contractura, &c. convenit & in capitis affectibus reliquis à frigiditate subortis.

N.1. Vernix liquidus, factitius est liquor, ex gummi hoc, i.e. Sandaracha in oleo lini soluta. Valet ad ambusta, lenit dolores, præcipuè hæmorrhoïdum.

N.1. Sandaracha Græcorum est Auripigmentum.

Fungus. Maio mense instar musci adnascitur. Inservit aquę ophthalmicæ.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex baccis sine præmissa fermentatione rarò destillatur.

2. *Spiritus.* Fit ex baccis cum (aqu. per dies 4.5) fermentatis & per vesicam destillatis. Vide lib. 2.

N. Alii loco aquæ sumunt cerevisiam, spiritusque copiam sibi persuadent majorem: verùm enim verò major illius pars cerevisiæ debetur.

3. *Oleum ex baccis.* In destillatione aquæ spiritus simul exstillat.

3. *Oleum ex ligno.* Fit per descensum vel retortam. Applicatur extrinsecus in morbis, ut suprà diximus, nervinis.

[Aqua primò extillans ulcera curat.]

N. Melius elicitur per vesicam, exstillatque clarum.

5. *Sal.* Ex cineribus baccarum elicitur, tum quoque ex ligno combusto.

6. *Rob Juniperinum. Mel Juniperinum. Theriaca Germanorum.* Fit coctione cum aqu. hinc expressione ac inspissatione.

N. *Quercetanus* macerat ac coquit cum vino, Ph. Rest. cap. 23.

7. *Extract. gummosum.* Ex ligno & cortice fit l.a. Quercetan. Ph. Rest. cap. 23.

8. *Extract. è baccis siccis.* Fit l.a. cum spirit Vin. vel cum aqu. i.e. Spiritu Juniperi.

Dosis ℈j. ad ℈ij.

Vires. Utrumque Extractum excellens est sudorificum & Bezoardicum adversus Epilepsias, pestes & affectus alios contagiosos atque venenatos.

9. *Elyxir Juniperinum.* ℞. Baccar. Juniper. maturar. ac electar. q.v. contundantur crassè; digeranturque affusâ aliquâ aqu. diureticâ. Hinc exprime, abstrahendoque inspissa ad consistentiam mellis. Hujus mellis Juniperi cochl. 10. 11. 12. &c. misce optimè cum aqua vitæ Juniperina, digereque aliquandiu, lenissimo calore (solis, & sim.) sic confecisti Elyxir Juniperinum admirandarum virium in calculo, quod insuper stomachicum insigne est, aliasque facultates eximias obtinet, de quibus in baccis.

Dosis Cochl. j.

N. Vir Generosus ac Nobilissimus Dn. Chun Quirinus Illustriss. Aulæ Darmstadinæ olim Mareschallus, vir in omni scibili solertissimus, jam morte immaturâ, non sine plurimorum querela ereptus, creberrimo Elixyris hujus usu annos plurimos à calculi injuriis, quibus aliàs obnoxius maximè fuit, liber vixit, eoque nomine id mecum communicavit.

JUNIPERUS. Planta seu frutex satis cognitus, de quo, quoniam est planta insignis usus in officinis, prostant integri tractatus: sic *CUNRADUS CUNRADI* habet *in Medulla destillatoria*, tr. *de Junipero p.270.* Alius vocatus *MICHAEL* librum *in quarto scripsit de Junipero*, quem intitulavit *Juniperetum*: multos brevitatis studium tacere jubet. Et certè lignum juniperinum tantarum non immeritò censetur virium, ut non cedere dicatur ligno Guajaco: unde in *potionibus sudoriferis & antivenereis*, seu in Curatione *luis Gallicæ*, usitatissime substituitur ligno Guajaco lignum Juniperinum. *HELMONT. in Tr. de vita longa & arbore vitæ*, vult parare remedium ad vitam longam ex arbore Cedro: Cum verò hæc sit rara apud nos, propterea *TACKIUS* in *sua Chrysogon. p.67.* tanti æstimat Juniperum, ut illum pro præparando medicamento ad *vitam longam* commendet: Alii alia cum hoc ipso ligno tentant. Inprimis videre possumus, *TENZELIUM in Medicina diastatica p.166.* ubi disserit de modo, quo virtutes serpentis balsamicæ possint transplantari in Juniperum *p.169.* idem *TENZELIUS* commendat baccas Juniperi contra lepram. Primaria officinalia quod attinet, offert se primo LIGNUM, quod suaveolet, & cujus rasura interno & externo usu confert in *affectibus nervorum*, item ejus suffitus est usitatus in *corrigendo aëre pestilenti*, veneno infecto. Similiter *ligni Juniperini* DECOCTUM elegans est *sudoriferum.* BACCÆ ipsæ sunt aromaticæ, & quasi aroma Germanorum, & prosunt in *affectibus ventriculi, intestinorum flatulentiis* quibuscunque & *uterinis.* Præter hos prosunt ad *provocandam urinam.* Et ex baccis paratum ROB, ut & EXTRACTUM valdoperè *detergit renes*, & *sabulum in iis coacervatum & concretum expellit.* Præservans dicitur *à calculo*, si ejus aqu. jejuno stomacho potetur. SYRUPUS ex his baccis singulariter confert in *obstructione viscerum*, imprimis *lienis*, & hinc etiam in *obstructione mensium*, quas ciere solet. Hæ ipsæ baccæ valdoperè etiam commendantur in *affectibus oculorum*: item admiscentur commodè *potionibus vulnerariis*, in *vulneribus & ulceribus* partium internarum. SUFFITUS BACCARUM prodest iis, qui laborant *catarrho*, si misceantur cum succino, aut attractus per os, iis qui laborant *Phthisi* seu *ulcere pulmonum.* GUMMI, quod Juniperinum vocant, vocatur aliàs SANDARACHA.

Cæterum

Cæterum observetur, quod etiam auripigmentum vocitetur SANDARACHA, sed cum additamento GRÆCORUM; Juniperinum verò gummi vocatur SANDARACA ARABUM: quod probè notandum, ne fiat confusio in praxi. De FUNGO dicit *AUCTOR*, quod inserviat aqu. *ophthalmicæ*: paratur autem exinde h. m. Spongiæ istæ, quæ mense Majo sunt molles instar pultis induntur cucurbitæ, quæ benè clausa exponitur radiis solaribus, & sic resolvuntur spongiæ seu fungi in liquorem seu aquam, quæ filtratur per linteum seu chartam Emporeticam, sicque imponitur acervo formicarum, in quo purificabitur. Hæc aqua *omnibus oculorum vitiis* efficaciter succurrere dicitur. SUFFITUS ex *baccis* & *ligno* omnes *interimere* dicitur *muscas*; sed hoc est ludicrum: potius suffitus hic commendatur contra *veneficia* & *incantationes*. Inter PRÆPARATA sese offert aqu. EX BACCIS SIMPLEX, sive per vesicam, sive per B. M. destillata, quæ est singularis & multi usus, egregium *anticolicum* & *antinephriticum*: quod si verò contundantur, & fermententur baccæ communi methodo, dant SPIRITUM *ardentem* instar spir. vini, quem si rectè paraveris, adscendit simul sal VOLATILE, quod incrustat alembicum eleganti forma & facie. Oleum se offert STILLATITIUM, quod internè & externè *contra calculum* prodest, uti etiam *Colicam*. Externè ingredi solet *unguenta nervina* & *antiparalytica*. Idem oleo internè solet commendari in *morbis malignis* & contra *pestem*; in quibus cum aliis assumtum potenter *sudores movet*. Sal FIXUM *ex baccis* specificè commendatur in *hydrope*; quoniam valdè *ciet urinam*, sive eliciatur ex baccis, sive ex ligno, & propinetur, sive in forma sicca, sive in lixivio: etiam valdè *sudorem movet*. ROB JUNIPERINUM, vocatur meritò *Theriaca rusticorum Germanorum*, quoniam non cedit Theriacæ; laboriosæ satis compositionis, viribus præservativis & curativis, ut & pulveribus omnibus *antipestilentialibus*: quod etiam de EXTRACTIS JUNIPERI est intelligendum. Imò sunt, qui dicunt, quod LIXIVIUM paratum *ex cineribus* baccarum & ligni Juniperi, si illo lavetur caput singulis septimanis, ita *roboret visum*, ut per totam vitam nullum detrimentum quis patiatur in illo: imò *arcet pediculos*, quorum exercitus satis est frequens & molestus! Dicunt etiam, quod color capillorum nunquam mutetur, utut longissimè quis vivat. Denique est etiam ELIXYR JUNIPERINUM, cujus descriptionem habemus in *AUCTORE*, unà cum experientia certa contra *calculum* seu *nephritidem*: vocari solet MALVATICUM IUNIPERINUM, quoniam ferè saporem habet vini Malvatici. Paratur per spir. proprium Iuniperinum, qui affunditur Rob Iuniperino, & sic per digestionem elicitur tinctura RUBRA elegantissima, *stomachica* & *nephritica*, Item *in peste* non vulgaris est usus. Potest usurpari in quocumque casu, aliquot dies ante & post novilunium, singulis vicibus ad Cochleare j. Et præter dictos affectus egregiè prodest in *Scorbuto*.

L.

CLXXX. LACTUCA.

LActuca, *Lattich*. } Hortensis { vulgaris, capitata, crispa. } *Usuales sunt promiscuè.*
Laictuë: est } Sylvestris.

N. Nomen Lactucæ Botanicis omnibus usuale est.
Solo gaudet pingui & stercorato. Floret æstivo tempore.

OFFICIN. NAT.

Folia ac Semen.
Vires. Refrig. ad gradum usque 3. siccat mitius, conciliat somnum, bilis fervescentiam ac æstum compescit, lac auget, alvum leniter movet, ventriculo convenit, multi ac laudabilis nutrimenti est, unde & in acetariis usurpari crebrius solet. Extrinsecus sedat dolorem capitis, medetur ambustis, somnum conciliat (in lotionibus pedum) &c.
Semen. Est ex seminibus frigidis famosis illis, quæ minora dicuntur. Valet ad Gonorrhœam virulentam, ad urinæ ardorem, ut & ad reliqua quibus folia convenire diximus.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex foliis.
2. *Succus inspissatus.*
3. *Caules conditi.* Fiunt è stolonibus nostratis lactucæ, dum caulescunt.

[*N. Olei* Lactucæ ad Gonorrhœam sumendi per aliquot dies, fit mentio à Camerar. & in Disp. Norimb.

LACTUCA. Planta non ignota, ex qua *folia* & *semen* sunt in usu: FOLIA raro, utut referantur inter *refrigerantia*, de quibus superius sumus locuti, quod constant sal vol. subtili, copiosa aqua diluta, cujus ratione omnia olera refrigerant. Alias solent præscribi externè in *pediluviis* contra *agrypniam* & *vigilias*. Quidam recipiunt & ebullire sinunt in jusculo gallinæ, & hoc propinant contra *vigilias*; quæ habet *AUCTOR*, per se constant. SEMEN est ex *frigidis minoribus*, quod valdè commendatur ad *spermatis abundantiam* & *depravationem*. Unde EMULSIO *ex semine* commendari solet contra *Gonorrhœam*, item contra *libidinosa somnia*, & nimias *pollutiones nocturnas*.

CLXXXI. LAGOPUS.

E generibus Lagopi usitatius est quod inscribitur λαγώπυς, *Dioscorid. Plin.* λαγώπυρον, *Hippocr.* Lagopus seu leporinus, *Matth. Fuchs. Dod. Lob.* (cui & lagopyron.) Lag. major, *Cæs.* minor, *Cam.* Lagopodium, *Tab. Ger.* Lepor. pes, *Cor. in D.* aliis trifolium leporinum. Germ. *Hasen Klee, Hasen-pfotlein, Katzen-Klee*. Pied de Lievre.
Crescit inter segetes. Viget Julio potissimum.

OFFICIN. NAT.

Herba cum Spicis.
Vires. Sicc. & adstring. usus præcip. in profluviis alvi, uteri (fluore albo) in dysenteria, hæmoptysi stranguria, ulceratione vesicæ, &c. Extrinsec. in hæmorrhagia hæmorrhoidum, vulnerum, in tumoribus inguinum & herniis, &c. Quin & ad cutim Solis ardore induratam leniendam adhibeatur (lotione.)

LAGOPUS. Rarissimi est usus in officinis, & vix memini me legisse illum præscriptum apud practicum, nisi quod interdum à quibusdam, ubi opus est *adstrictione*, soleat commendari Alias, ut dixi, nullius est usus, nisi ubi est *adstringendum*.

CLXXXII. LAPATHUM.

Est vel
- Acetoſum. *Vide Acetoſam.*
- Hortenſe. *Vide Spinachiam.*
- Sylveſtre.
  - Anguſtifol. *De quo hic.*
  - Latifol. *Vide Rhabarb. Monachorum.*
- Aquaticum.

Dicitur Rumex acutus. *Cord. in D.* Oxylapathum, *Fuchſ. Matt. Caſt.* Oxylapathum, *Dioſcor.* Lapathum acutum, *Trag. Lob. Dod.* Lapathum ſativum, *Cam.* Lapathum, ſeu Rumex, *Lon. Caſt.* Lapathum folio acuto plano, C.B.1. [Papillaris in Pruſſia. quia papillas exulceratas ſanat.] Germ. *Mengel-Vvurtz, Grind-Vvurtz, Streiff-Vvurtz, Buben Kraut, vvilder Mangolt, Vvilder Ampffer, Lenden-kraut.* Oſeille, Racine de Patience.

Provenit in locis incultis: floret Maio ac Iulio.

Radix ac *Semen*, ſed rarò.

Vires. Lapathum temperatæ cenſetur naturæ in activis, aliàs ad ſiccitatem inclinat. Semen alvum obſtruit: Folia ſubducunt: Radix uſûs crebri & præcipui eſt in ſcabie extergenda ac ſiccanda, idque extrinſecus, potiſſimùm in lotionibus [in aceto cocta & trita lieni tumenti imponitur.]

PRÆPARATA.

Aqu. *ſtillat.* Ex radice.

Vires. Commendatur maximoperè ad cutis maculas & puſtulas, alphos, junthos, vitiligines, & lichenas.

[*Extractum ſeminis ad dyſenteriam utile.*]

LAPATHUM ACUTUM, ſeu ANGUSTIFOLIUM. Saporis eſt quodammodo acris, & commendatur DECOCTUM *radicis Lapathi* pro *purificando ſanguine* in *affectibus cutaneis*, in quibus etiam ſolet adhiberi fumaria, cui tamen ferè præferendum hoc Lapathum acutum. Unde etiam extrinſecus SUCCUS *radicis Lapathi*, vel INFUSUM uſitatum eſt in *Scabie*, *ſerpigine*, *lentigine* & aliis ſimilibus cutaneis affectibus, dum vel loco fomenti vel unguenti applicatur pro purificanda cute. Amuletum contra *peſtem* ex literis *BENEDICTI HINCKELMANNI*, Archiatri Elect. Saxon. J. Georg. I. ad ejus Sereniſſ. Conjugem datis. RADIX LAPATHI majoris ſpatula ferrea effoſſa, ita ne tangatur (in nomine SS. Trinit.) lavatur & in taleolos diſſipatur, poſtquam in umbra fuit exſiccata, quorum taleolorum tres collo appenduntur. Sunt qui etiam valdè commendant lapathum acutum contra *hæmorrhagias, narium* præprimis.

CLXXXIII. LARIX, ſeu LAREX.

Λάριξ, Larix, *Brunsf. Matth. Dod. Fuchſ. Lon. Lob. Caſt. Cluſ. hiſt. Tab. Ger. Cam.* German. *Lerchen-Baum, Lerchen-Dannen.* Des Eſpinardes.

Gaudet montanis, unde & in Helvetia ac territorio Tridentino vulgaris eſt, viget ac floret Vere.

OFFICIN. NAT.

Folia & cortices adſtringunt.

Lignum ad Elephantiaſin & lepram magni æſtimatur.

Reſina & Fungus trunco adnatus Agaricum dictus. Vide infra.

Reſina fluit ex arbore ad medullam uſque perforata, venditurque titulo Terebinthinæ vulgaris. De hac vide infrà Terebinthina.

Muſchus errhinum præbet.

[In caudicibus vetuſtiſſimis reperitur corio ſimile, quod mirè commendatur ad hæmorrhagiam & glutinanda vulnera.]

Lavendula, vide Spica.

LARIX. Frequens eſt in diſtrictu Tyrolenſi, & ſubminiſtrat *reſinam & fungum.* RESINA vocari conſuevit TEREBINTHINA, de qua ſuo loco inter alterantia ſecundaria: Fungus eſt AGARICUS *purgativus*, de quo cum etiam inferius ſit dicendi locus, & nihil, præter hæc duo larix ſubminiſtret; idcirco pergo, & quidem in ordine ſequitur.

CLXXXIV. LAURUS.

Δάφνη, *Lorber-Baum*, Laurier.

Eſt
- Hortenſis.
  - Latifolia. *Hæc uſualis.*
  - Anguſtifolia vulgaris.
- Sylveſtris. *Hæc priori ſubſtitui poteſt.*

Dicitur (latifolia) Laurus latiore folio, *Matth. Caſt.* L. Latifolia, *Cor. in D.* L. Latifolia mas, *Tab.* Laurus latifolia, πλατυφύλλα, Dioſcor. C. B. 1. Anguſtifolia dicitur Laurus, *Brunsfelſ. Trag. Lon. Lob.* Laurus tenuifol. *Matth. Cord. in D. Caſt. Cam.* Lauri altera ſpecies, *Dod.* Laurus mas, *Tab. & Ger.* vulgaris, C.B.2.

Creſcit ſat copioſè in Italia: apud nos nonniſi in hortis colitur.

OFFICIN. NAT.

Folia & Bacca.

Vires. Calf. & ſicc. 3. (baccæ paulò calidiores ſunt] emolliunt, reſolvunt. Uſus præcip. (baccarum) in menſibus & urinis ciendis, affectibus nervorum, paralyſi, in colica, in dolore poſt partum, in cruditatibus ventriculi. Extrinſecus conferunt folia ad ictus veſparum, molliunt tumores, promovent menſes (in ſuffitu ac balneo) leniunt dolores, odontalgiamque mitigant (gargar.)

PRÆPARATA.

1. *Electuar. de baccis lauri.* V.D.
2. *Emplaſtr. de baccis.* V.D.
3. *Oleum laurinum.* Vel ex baccis recentibus exprimitur, vel coquendo elicitur. Auguſt.
4. *Oleum ſtillat.* ℞. Bacc. ℔.ij. contuſis ſuperfunde aquæ tepidæ ℔.iij. vel iv. Poſtquam aliquandiu ſteterint, deſtilla per al. vel veſicam. Sic prodibit oleum ac aqu. per tritorium ſeparanda.

Vires. Oleum hoc ſtillat. diſcutit inſigniter flatus ac ventoſitates, præcipuè in ſpaſmo gravidarum, ut & in colica, ſiderata membra illitu reſtituit, auribus inditum dolores compeſcit, auditumque confortat, delet impetigines, lentigines & quaſcunque faciei maculas. Denique ichoroſis capitis ulceribus medetur, phthiriaſin & tineas curat.

Doſis gr. ij.iij. iv. *Videatur Tentzel. in Exeg.*

5. *Spiritus.* Fit ex Baccis cum aqu. fermentatis.
6. *Eſſentia.* Fit ex baccis, quæ in ſpiritu infuſæ vires ſuas eidem communicant.

LAURUS. Aliàs ſatis cognita arbor, dum ex odore & ſapore prodit vim aromaticam, adeò ut ſit aroma Europæum, ſubſtituendum aromatis Indicis, BACCÆ obtinent vires omnes quas Juniperinæ, unde ſolent conjungi cum his in præſcriptis formulis, propterea quoniam conſpirant in effectu. *Carminativum* eſt, *diureticum* & *uterinum*, inprimis eſt decantata laurus ob vires *anticolicas* & *uterinas.* Unde etiam BACCÆ & FOLIA præparata ibidem conveniunt, inprimis BACCÆ ſunt valdoperè *uterinæ*, & pro *corrigendis menſium vitiis* commendantur, *promovent menſes*, *pellunt fœtum* & *ſecundinas.* Præterea egregia eſt laurus in *affectibus nervorum paralyticis* externo uſu: folia ejus & baccæ in *lotionibus*, *inunctionibus* & *fomentis* ſunt uſitatæ. FOLIA adhibentur in *cataplaſmatibus* & *fomentis diſcutientibus*, *reſolventibus* & *attenuantibus.* Externè EMPLASTRA uſitatè ingrediuntur. Pulvis baccarum Lauri aſſumtus in *peſte* valdè commendatur cum acet. deſtill. & aq. appropriata, &

& quidem si adsit *febris ardens*, sumitur in acet. destill. & aqua appropriata, si *non ardens*, assumitur cum vino, & sic per sudorem curare *pestem* asserit PEDEMONTANUS. Inter PRÆPARATA offert se ELECTUARIUM de BACCIS, quod usitatum est in clysteribus *discutientibus flatus* ad ℥j. Deinde EMPLASTRUM de BACCIS LAURI extrinsecus applicatur in *torminibus ventriculi ex flatibus, inflatione stomachi, suffocatione uterina & flatulentia hypochondriorum.* ole. denique LAURINUM tam *expressum*, quam *destillatum*, utrumque valdè usitatum, extrinsecus quidem in *affectibus nervorum & uteri*. Expressum necare dicitur & tollere *pediculos*, & tollere *furfures capitis*, oleū vero destillatum inprimis convenit internè contra *flatus & affectus flatulentos* in *colicâ & suffocatione uterina*, item olei gutt. vj. vel viij. adduntur clysteribus *Carminativis*. oleum idem conducit externè in *spasmo flatulento*, si membra affecta hoc oleo destillato inungantur. Sunt qui dicunt, quod lauri baccæ putrefactæ si destillentur, solo odore hausto sequatur *purgatio per alvum*. Sunt qui instituunt δοκιμασίαν pro cognoscenda fœmina *an gravida sit vel non*, si habeat tumidum abdomen; propinant haustum vini infusum per diem & noctem super 4. vel 5. baccas, & dicunt, quod si vomat, sit signum, quod sit gravida, si vero non vomat, illam non esse gravidam perhibent. Ex MSS. D. Dr. ANDR. KLAUNIGS unguentum *ad maculas faciei*.

℞ *ole. Baccar. Laur.* ʒj.
Unguentis rosat. ʒß.
mercur. dulc. ℈ß.
ole. Tart. p. d. gutt. iij. M.

LENS ARVENSIS.

Φακός, Diosc. φακή Theophr. Lens vulgaris; agrestis, Lenticulæ 1. genus *Trag.* Lens minor. *Lob. Dod. Cam.* Germ. *Linsen.*

[Non quæritur Unguentum in lenticula, ἐν τῇ φακῇ μύρον; sed tantum monetur, quia decoctum plurimi faciunt in expellendis morbillis, & variolis, quoniam nitrosus cortex, & alvus ejus usu subducitur, gracilibus in primis, neque ab initio, neque in progressu, usum esse satis tutum.]

CLXXXV. LENS PALUSTRIS.

Lenticula lacustris, aquatica: Lenticula aquatica, *Brunfs.* Palustris, *Matth. Card. in D. Lob. Ger. Dod.* Lenticula palustris vulgaris, C.B.2. germ. *Wasser-Linsen.* Lantille d'eau.

OFFICIN. NAT.

Folia aquis supernatantia.

Vires. Refrig. humect. 2. Usus præcipui ad extinguendas inflammationes æstusque sanguinis. Extrinsecus ad scabiem etiam malignam.

PRÆPARATA.

[Aq. in febribus continuis non malignis conveniens.]

LENS PALUSTRIS, Quid sit, omnibus notum. Hæ lentes sunt rari usus, nisi quod soleant applicari plantis pedum pro temperando *æstu febrili*. De lentibus sativis noto, quod illarum DECOCTUM vulgo commendari soleat contra *variolas & morbillos*, sed valdè erroneè, demonstrante id ipsum SEBIZIO *p. 198. in tr. de facultatibus alimentorum.*

CLXXXVI. LENTISCUS.

Σχῖνος, *Dioscor.* Lentiscus, *Matth. Dod. Lon. Clus. Lob. Cæs. Cast.* germ. *Mastir-Baum.* Lentisque. Arbor est baccifera, in Italia, Gallia Narbonensi, & præcipuè in Insula Chio copiosè nascens.

N. Bellon. *lib. 2. observ. cap.* 8. Solas Lentiscos in Chio Insula Mastichen proferre asserit, cui experientia reclamat. Nimirum ex donatione affinis mei dilecti D. Ioh. Glaseri, Pharmacopœi hujus Reipub. solertissimi, frustulum obtineo mastiche ditissimum, quod sibi ex Helvetiis alpibus transmissum fuisse asserit.

Exhibet officinis *Gummi resinam Mastichen* dictam, quam vide infra. Ex ligno fiunt vulgariter dentiscalpia, quæ reliquis laudem præripiunt.

N. Hippocrates adhibet & baccas, quas χυίδας appellat.

N. 2. Exprimitur & oleum ex baccis, *Clus. in hist.* Verum nobis vulgare non est.

LENTISCUS. Ex hac destillat Gummi, quod vocatur MASTICHE, de quo suo loco, inter alterantia tantum secundaria. De LIGNO LENTISCINO tamen hoc noto, quod licet rarò inveniatur, nihilominus sit singulare remedium contra *Diarrhœam Epaticam*, affectum difficillimum curatu, qui sæpissimè inducit *cachexias*. Inprimis ejus DECOCTUM valdoperè, & tanquam singulare arcanum commendatur. Loco hujus ligni lentiscini quidam, cum sit rarum & carum, decoquunt & infundunt in vinum lignum Cotoneum, & ejusdem efficaciæ dicunt decoctum illius in *fluxibus*, *Hæmorrhagiis uteri nimiis*, uti etiam in *sputo sanguinis* valdè laudatur.

CLXXXVII. LEVISTICUM.

Ligusticum vulgare, C.B.7. (inter Libanotides,) Laserpitium Europæum germanicum. Levisticum, *Brunsf. Lob.* vulgare, *Matth. Dod.* Ligusticum. *Brunsf. Cord. in D. Lon. Tab.* sativum, *Trag. Cord. hist.* vulgare, *Cam.* Lybisticum vulgare, *Fuchs. Icon.* Laserpitium. *Ger.* Smyrnium, *Fuchs.* aliàs Hipposelinum, Germ. *Lieb-Stöckel, Badkraut*, Levistic, Ligustic, Panais, ou Livesche.

N. Est & Ligusticum verum. Vide Seseli offic. Est itidem Laserpitium aliud Dioscoridis, ex quo Lasèrp. gummi, modernis incognitum.

Floret in primis Iulio mense, gaudet solo umbroso.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calf. & sicc. 3. incid. aper. alexipharmacum est ac diureticum, vulnerariumque, ventriculum roborat, asthmati subvenit, menses & lochia ciet, fœtum mortuum ejicit (semen) tartarum lentum resolvit, doloresque inde natos sedat, Epatis, Lienisque obstructiones reserat, adeoque præcipuè Ictero convenit. Extrinsecus usus ejus creberrimus est in balneis, cataplasmatis (utero & ureteribus dicatis) & emplastris vulnerariis & simil.

N. 1. Vulnus per caulem cavum potum haurire suevit, quo tussim sedatam iri persuadet.

N. 2. Radicem effossam, dum sol in ariete intrat, amuleti loco appendunt in atrophia. *Fel. Wurtz.*

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex integra herba cum rad. ac flor. mense Julio collectis.
2. *Oleum stillat.* Cum aq. ascendit.
3. *Sal.* Ex cinere.

LEVISTICUM. Planta est umbellifera, odorem spirat aliquantisper graveolentem, subdulcem tamen & insigniter aromaticum. Ex planta aromatica, abundat sale vol. oleoso penetrante: Unde quis facilè colligere potest, quod quascunque *flatulentias discutiat*, & *ventriculo medeatur*: & quoniam est virtutum aromaticarum, quodcunque acidum in corpore blandè temperat & corrigit, *flatusque* ab acido oriundos discutit. Est *stomachicum egregium*, *uterinum*, & in *morbis uteri*, qui tam *menses*, quàm *partum* concernunt, est usitatissima planta: SEMEN *carminans* est, & usitatum mulieribus in *doloribus ventris*, sive ipsæ fuerint adhuc gravidæ, sive in *torminibus post partum*. EXTRACTUM *Levistici* cum spiritu vini est egregium medicamentū in *partu difficili*. Videre possumus FORESTUM *l. 28. obs. 32 in scholio*, ubi ad longum decantat *virtutes uterinas* Levistici tam seminis, quàm plantæ. Semen assūtum cum aliis medicamentis mistum urinam nigram reddere dicitur, quod observetur in praxi, ne post ejus usum pro infausto habeatur signo talis urina nigra, absque hoc satis horrenda. De Levistico adhuc notandum, quod singulariter prosit in *promovendis mensibus suppressis*: Exemplum hujus rei luculentum subministrat GABELCHOVERUS *Cent. 1. cur. 81. in annot.* de quadam muliere, quæ ex terrore ob nuncium de filio interfecto *suppressos menses* revocavit in fluxum comestione paucorum foliorum Levistici, quæ simul retulit, se potuisse eodem suppressos quandoque voluerit, provocare.

CLXXXVIII. LICHEN.

Lichen petræus, Lichen saxatilis, Muscus saxatilis, Hepatica, *Brunsfels. Lob. Lon. Tab.* hepatica Saxatilis fontana, *Trag.* Lichen, *Matth. Fusch. Dod. Cord. in D. Cast.* Lichen 1. petræa, *Ger.* German. *Leber-Kraut, Steinleberkraut, Steinflechten, Moos Kraut, Brunnuen kraut.* Hepatique de Fontaine.

N. Huic subrogatur muscus arboreus crustaceus. Vide Pulmonaria arborea.

Floret

Floret Majo & Iunio, floresque fert instar stellarum. Crescit locis udis & umbrosis in puteis, juxta fontes, & simil.

Vires. *Refrig.* & sicc. absterg. Epatica insignis est. Vsus præcip. in Epatis obstructione & vesicæ, quorum signaturam in foliis gerit. Hinc in Hectica, in Ictero, in scabie & Lichenibus, in gonorrhæa, in febri. Extrinsecus sistit sanguinem in vulneribus.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Fit in fine Maij ac principio Junij.

Lignum Aloës.
Vide
Agallochum.

Lignum colubrinum, vide lit. C.
Colubrinum.

Lignum Sanctum, vide Guaiacum.

LICHEN. Intelligitur hic *Petræus*, parva plantula, cumque sit rarus, substituitur illi commodè *arboreus*, si non haberi potest. Saxatilis seu Petræus vocatur etiam *Pulmonaria.* Arboreus: usus est rari, nihilominus sunt, qui illum commendant in *affectibus pulmonum*, & propterea pulmonarium dici volunt. Alij laudant in *affectibus Epatis*, in *hydatidibus* seu vasculis lymphaticis obstructis, quoniam ejus pustulæ ex signatura referant talis modi hydatides Fides sit penes experientiam. Siccatus extrinsecus expertus est, laudatus satis & cognitus lichen pro compescenda *hæmorrhagia vulnerum.*

CLXXXIX. LIGUSTRUM.

Κύπρος. Ligustrum, *Brunsf. Matth. Fuchs. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Ger.* Ligustrum Germanicum, C. B 1. vulgare. *Trag.* majus, *Lon.* Phyllirea, *Dod.* Arab. Kenne. Germ. *Hartriegel, Beinholtz, Reinvvoiden, Mund-holtz.* Fresillon de vallée.

Est { Vulgare; *quod officinarum, & hujus loci.*
Myrtyfolium.
Foliis laciniatis.
Ægyptiacum latifolium.
Angusti folium. } *Officinis inusitata.*

Crescit passim in sepibus. Floret Majo, Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores.

Vires. *Refrig.* & sicc. adstring. incid. (folia efficacius flores imbecillius) proin conducunt ad inflammationes, putredines, exulcerationes oris & faucium, ad procidentiam & tumorem uvæ, laxitatem gingivarum (in collution.) Quin & intrinsecus ad scorbuti curam folia maximè facere compertum est. Adhiberi quoque possunt in profluviis sistendis, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* E floribus.
N. Hæc commendatur præter dictas qualitates ad oculorum inflammationem & rubedinem.
2. *Oleum infusum*, sed rarò,

LIGVSTRVM. Planta cognita satis flore albo, crescit sponte in dumetis & locis cultis, odoris est non inelegantis. In usu sunt fol. & flor. vulgaris. Et quidem in genere tota planta fol. & flor. sunt ex numero potenter, *adstringunt fibras laxas*, reddunt & partium usum conservant: rarissimè internè, frequentius externè adhibetur ligustrum pro *collutione oris & gargarismate* contra *exulcerationes* & *inflammationes* & *excoriationes faucium* & *uvulæ*, uti contra laxationem & *procidentiam uvulæ*; item contra *laxationem gingivarum scorbuticam*, in quibus casibus valdè convenit: etiam in *aphtis faucium. Forestus lib. 14. obs. 21.* valdè commendat decoctum foliorum ligustri pro collutione oris & gargarismate, si sint depascentes & exulceratæ, miscet cum melle, & internè pro inunctione adhibet non sine egregio successu. *PLATERVS* idem decoctum commendat pro gargar. ad *excoriationem faucium*: si simul addantur folia scabiosæ, res erit eò melior, ubi adest solutio continui & consolidatione opus est: item si addatur Rob nucum, vel *Tinct.* bellidis & rosarũ pro aciditate subtili erit convenientius. Contra *siccitatem, fissuram ac duritiem linguæ* aq. FLOR. destill. ligustri valdè convenit. Experientiam hujus rei habet *GABELCHOVERVS Cent. 5. cur. 7.* formulam habet talem cit. loco.

℞. *Aq. Flor. ligustr. rosar. plantaginis ana.* ℥ij.
Rob diamaron ℥j. Misce pro curanda siccitate, fissuris & duritie linguæ. In annotatione supra citatum locum habent elegantem historiam exulcerationis, inflammationis & excoriationis faucium factam ex esu esulæ ut alvum moveret, curatæ per aq. ligustri in ore detentam, quæ calorem lenivit. Vulgaris planta est, quæ tamen in affectibus faucium singularis, inprimis ex comestione Causticorum contractis. Ita memini aliquando puerum inunxisse membrum genitale succo esulæ ut intumesceret & augeretur, & exinde incidisse in inflammationem: qui benè potuisset curari per aq. ligustri, nihilominus per fotum seri lactis, cui incocta fuerunt folia & semen sambuci, cura peracta est, contigit hoc in Polonia. Ad *Putredinem gingivarum*, malum satis frequens *in scorbuto*, convenit aq. ligustri si dissolvatur in illa aliquantulum mellis rosati, & addantur aliquot gutt. Sp. sal. & vitrioli, & sic putredo præservatur & *roborantur gingivæ.*

CXC. LILIVM.

Κρίνον, Lilium. Germ. *Lilien, Gilgen.* Lys.

Liliorum genera diversa sunt, album scil. aureum & cruentum. Officinis tamen usitatius est album, quod insignitur lilium, *Brunsf. Matth. Cast.* Lilium album. *Trag. Fusch. Lon. Tab.* Lil. candidum, *Cord. in D. Lob. Dod.* Lilium album vulgare, *Cam.* Lilium album flore erecto & vulgare, C. B. 1.

Gaudet solo pingui, stercorato & umbroso, Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Flores, Radix, Stamina.

Vires. Flores moderatè calf. & humect. partium sunt diversarum, & anodyni, digerunt, maturant.

Radix, absterg. & sic. 1. digerit itidem, emollit, maturat. Vsus internus rarus est, externus crebrior, isque tumoribus maturandis & leniendis, in clavis pedum, &c. sanandis, in pudendis parturientium molliendis, in ambustis emendandis, &c.

Stamina exhibentur ad facilitandum partum cum aq. verbenæ vel simili.

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* 3. Flor. alb.
2. Aq. Ex florum foliis recentibus, iisque tum solis, tum concisis cum radice.
Vires. Vsus est crebri in affectibus pulmonum, asthmate, tussi, & simil. Extrins. in facie dealbanda (cum camphora & oleo Tartari)
3. *Ole. Lil. simpl.* Ex florum foliis in ol. olivar. veteri infusis. Vide D. dicitur Susinum.
4. *ole. Lilior. compos.* Ex iisdem floribus ac aromatibus. Vide Disp.

LILIUM. Est planta satis cognita & usitata, & quidem inter varias species usitatum est lilium flore albo, quod odore suavi se commendat. Ex illo in usu sunt FLORES, qui temperati *sunt* in sua compositione materiali, *vimq;* habent *anodynam*, dolorum sedativam & simul *digestivam* & *maturativam*: Unde ingredi solent cataplasmata & Emplastra *suppurantia* & dolorem sistentia. Ex his floribus destillatur aq. quæ est egregia *cosmetica*, dum adhibetur ad dealbandam *faciem* & *detergendas* ejusdem *maculas*, sive sola, sive cum aq. spermatis ranarum vel flor. fabarum & similibus aliis mista, & in his dissolvitur aliquid ole. *Tart.* per deliquium, vel tantillum Camphoræ: nam hæc duo valdè commẽdantur in *affectibus cautaneis.* Obiter hic noto, quod ubi sunt *pustulæ*, ibi sit acidum ex vitio vel digestionis, vel insensibilis transpirationis, ut in *varis* in gutta rosacea in tali casu ergo conveniunt talia, quæ habent in se alcali volatile, ut istæ aq. & Cãphora propter vim penetrativam, cum tota sit volatilis, detergit sordes collectas, quod etiam est verum de oleo *Tart.* per deliquium & mercur. dulci, qui omni acido caret: In his consistit nervus omnium Cosmeticorum: Dicunt quidem oriri ejusmodi maculas ex vitio hepatis & bile, sed falso, tantum est vitium partium subcutanearum, & propterea etiam saltim conveniunt, quæ absorbent acidum: alcalia optimè conducunt in his vitiis. Hæc obiter. Præter aq. destillatam præstat ole. SIMPLEX *ex infusione fol.* in ole. commune, quod

vulnera

vulnera recentia cito, tuto & jucundè *conglutinat* & *consolidat* in quibuscunque partibus. Fuerunt flores, Sequitur RADIX, quæ usitatè usurpatur externè, ubi est *emolliendum*, *suppurandum* & *maturandum*, cum sit ex primariis emollientibus, maturantibus & suppurantibus, unde est ordinarium ingrediens cataplasmatum: etiam oleum *suppurat* & *maturat abscessus*, *inflammationes*, unde nullum cataplasma vel *bubones* vel *anginam* suppurans datur, cui non addatur radix lilii, & pro aliquali consistentia aliquid olei liliorum alborum. Usurpatur etiam in clysteribus tam *alvum emollientibus*, quam *laxantibus uterum ante partum*. Item obstetrices solent inungere manus oleo amygdalarum dulcium & oleo lil. alborum, quas sic immittunt inunctas in sinum muliebrem, ut via emolliatur, leniatur & lubricetur pro partu faciliori. Idem oleum cum sit saporis quodammodo aromatici, convenit in *affectibus renum* & & vesicæ, ortis ex acrimonia urinæ: ita in *dolore nephritico* inungitur cum oleo scorpionum & oleo lil. alb. regio renum. Illud *calculum pellit*, hoc laxat & *dolores lenit*. In *Ischuria* & *Dysuria* pro laxandis viis & *dolore* sedando inungitur regioni pubis: In tali casu etiam miscetur cum unguento dialtheæ, & iisdem partibus illinitur. STAMINA FLAVA denique sunt in officinis usitata, quæ vocantur ANTHERÆ, & sunt experta & recommendata ad *propellendum fœtum*, & *facilitandum partum*, si cum aliis propinentur in aqu. verbenæ, vel artemisiæ: ad *menses provocandos*, *abortum procurandum* adhibentur: etiam ad *reiiciendum fœtum mortuum* sunt in usu hæ antheræ.

CXCI. LILIUM CONVALLIUM.

Lilium convallium album, C. B. 2. Ephemerum non lethale, *Fusch.* Cacalia, Lilium convallis vel sylv. *Brunsf.* Lilium convallium, *Trag. Matth. Dod. Cast. Tab. Ger. Clus. hist.* Lilium convallium vel vernum Theophrasti, *Lob.* Germ. *Mayenblumlein* Muguet.

N. Est & Lilium convallium flore rubente, sed minùs usitatum.

Gaudet solo humido, nemoroso. Floret initio Maii.

OFFICIN. NAT.

Soli *Flores*, rarò *Radix*.

Vires. Calfac. & siccant, cephalici sunt. Usus præcipui in morbis capitis frigidis, ut Apoplexia, Paralysi, Vertigine, Epilepsia. Hinc & in Lypothymia. Insigne itidem errhinum exhibent pulverisati.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. simplex.* Ex floribus.
2. *Spiritus vini liliatus.* Ex floribus cum Vino vel Malvatico destillatis.
3. *Spiritus Lilior.* Ex floribus fermentatis destill.
4. *Conserva.* Ex floribus.
5. *Oleum.* Ex infusione florum recentium in oleo veteri.
6. *Pulvis sternutatorius.* Ex floribus pulverisatis.

N. Sunt qui succum instar olei præparant. Floribus implent vasculum, occluduntque: hinc per mensem in formicarum acervo sepeliunt, ut in succum liquescant. Anodynum hoc censetur insigne antipodagricum, curativumque serpiginis.

[7. *Extractum etiam habetur.*]
[8. *Sal volatile.*]

LILIUM CONVALLIUM. Planta cognita ubivis & omnibus nota; tres ejus dantur species; inprimis tamen usitatum est commune seu flore albo. Usitati frequentissimè FLORES, externè interdum etiam adhibetur RADIX. FLORES sunt ex primariis *Cephalicis* & specificis convenientibus in *affectibus capitis*. Unde etiam intrant quæcunque medicamenta Cephalica, sivè decocti, sive præparentur lege & arte spagyricâ: Et quidem primario pro præparatione sunt colligendi tempore matutino, dum adhuc madent rore Majali: sic enim solito spirituosiorem dant aqu. Flores hi I. destillati dant AQUAM, quæ ordinarium est vehiculum medicamentorum cephalicorum. Deinde prostat SPIR. DESTILLATUS LIL. CONVALL. qui fit post affusionem spir. vini vel vini generosi, & prodit spirit. vini cum spir. lilium convallium qui est egregius in *affectibus capitis*, & inprimis in *amissa loquelâ*. Melior & elegantior est SPIR. qui fit ex flor. lilium convallium fermentatis, convenit in *apoplexia, Epilepsia*, *vertigine*, *paralysi*, *lipothymia* & *syncope*, *roborat corpus*, & *Spiritus deficientes* denuò *reficit*. Cum hoc SPIRITU propriis floribus affuso, elicitur ESSENTIA LIL. CONVALL. quæ in dictis affectibus utilis, & potentior est solo spiritu. Cum eodem SPIRITU affuso Ambræ fit ESSENTIA AMBRÆ, corroborativum optimum, & nulli cedens in omnibus aut *virium defectibus*, aut *subitaneis capitis affectibus* remedium. Erit quoque egregium *venereum*, quod specifice armabit *impotentes maritos* ad bellum venereum. Item hæc Essentia Ambræ convenit in *aphonia*, ejus præprimis aliquot guttæ impositæ linguæ. Si cum bombace applicetur auribus, prodest in *surditate*, *tinnitu* & similibus aurium affectibus. Specifica est in *corroboranda memoria* & firmandis operationibus sensuum internorum. Item resistit *pavori nocturno*, quæ est species convulsionis: Et huic non minus medetur quam *incubo*. Prostat inter præparata ACETUM LILIORUM CONVALL. egregium in *lipothymia* & *spirituum dissipatione* ex sanguinis nimia effervescentia contractâ, sive applicetur naribus, sive cum sacculis pulsibus. In *præservanda peste*, inprimis si sit pestis in qua læduntur operationes mentis & facultates capitis. Denique flores pulverisati, aut radix solet esse basis *pulverum sternutatoriorum*, & quidem radix fortior est flore: vixque datur pulvis sternutatorius Medicatus, cujus non sit basis, vel saltem principalissimum ingrediens, formula potest esse talis:

℞. *Flor. lil. convall. fol. majoran. ana.* ʒj.
Ole. destill. majoran. ℈ß.
M.F. Pulvis sternutatorius.

Quod si debeat esse fortior, possunt addi vel pulv. Hellebor. albi ℈j vel potest addi pulv. Euphorbii ad gr. v. vel vi. qui valdoperè eliciunt ex naribus: Quod si ambiatur odoris gratiâ, potest addi pulvis radic. Ireos Florent vel aliquot grana Ambræ vel Moschi, sicque potest specificari pro libitu.

CXCII. LIMONIA MALA.

Λιμώνια μῆλα, Germ. *Limonien*, des Limons. Poma sunt mali limoniæ, C.B. I. Videatur malus Limonia, *Matthiol. Dod. Lon. Cast. Tab.* Limones, *Cord. in D. Bellon. Lob. Clus. hist.* Limon. arbor. ex citri genere, *Cord. hist.* Malus Limonia acida, C.B. I.

Vires. Citrii mali virtutes æmulantur, nisi quod ut magis acidiuscula sunt, ita & magis refrigerantia ac siccantia. Usus præcip. in febribus aliisque morbis calidis, in calculo, & sim.

PRÆPARATA.

1. *Succus expressus.*
2. *Syr.* de succ. express. & sacchari dimid. Vide Disp.
3. *Aqu.* Ex floribus quæ rarò extant.

N. Sunt qui cortices cum succo clauso vase macerant, & postea destillant.

LIMONIUM. Malus ferè similis Citro, satis usitatus ejus fructus in Italia, qui æmulatur citria mala, quod dicit AUCTOR. Nihilominus adhuc quandam habet præeminentiam. Idem enim SUCCUS LIMONUM recenter expressus convenit in pellendo *calculo*: sic in secretis dicitur fuisse *D. TIMÆO* ad propellendum calculum:

℞. *Succi limonum recenter express.* ℥ij.
Vini Hispanici ℥vj.

M. pro dosi: quod ipsi fuit singulare, peculiare & consuetum pro *expellendo & promovendo calculo.* Hic succus ulterius commendatur & expertus est contra *Ischuriam, Gonorrhœam & pro extinguenda Venere nimia*; quod videmus comprobatum ab *AMAT. LVSIT. Cent.6. Cur.71.* ubi tractat de Ischuria ex obstructione meatus urinarii à crassis, lentis & viscidis humoribus, si adhibeatur ad ℥iij. vel iv. Unde apud Italos quosdam solet commendari hæc potiuncula, quam habet *SYLVATICVS Cent.4. obs.1. Consiliorum* ceu præsentissimum remedium ad compescendam *Gonorrhœam.*

℞. *Aqu. rosar.* ℥iij. *succi limonum* ℥j. *albumin. ovi crudi No.* j.

hauriatur quarta qualibet die. Videmus etiam compositionem aliam à *FABRO Cur.18.* qui itidem commendat hunc succum ceu expertum. Quod si tali potioni addatur aut antim. diaphor: aut succinum album, aut ossa sepiæ præparata, quæ omnia sunt specifica, erit eo magis præsentanei remedii. Dixi quod conveniat hujusmodi succus in *Ischuria* ad ℥iij. vel iv. in aqu. dilutus, inprimis ex succis crassis obstruentibus meatus urinarios. Unde *RIVERIVS in obs.42* communicata à *FORMIO* commendat hanc misturam ceu specificè:

℞. *Succi limonum.* ℥ij.
Spirit. Terebinth. ℨij.
Vini albi ℥iv.
Misc. & hauriatur.

SYRVPI elegantem compositionem habet *FABER lib. VI. Myroth. spagyr.* ubi etiam ejusdem effectus copiosius declarat. Denique non inelegans *Cosmeticum* quidam parare volunt ex Muria limonum, quam recipiunt, eamque destillant per alembicum usque ad siccitatem, sicque dicunt se sublimare sal vol. in alembicum, quod dissolutum in cellâ fit Cosmeticum. Interim puto non esse sal vol. sed potius armoniacale, quod cuilibet rem intelligenti videbitur verum.

CXCIII. LINARIA.

Linariæ genera plurima occurrunt, ex his solummodò inservit officinis Linaria vulgaris lutea flore majore, C.B.1. Osyris, *Matth. Cor. in D. Lob. Cast.* major Tabinaria (& pseudolinum,) *Brunsfels. Ger.1. Dod. Lon.* Linaria vulgaris. *Trag. Cam.* Germ. *Leinkraut, wilder Flachs, Hanffkraut, Harnkraut.* Linaire, Lin sauvage.

Crescit locis incultis & cultis juxta sepes. Floret Junio, Julio ac Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Calf. & sicc. est diuretica, amari saporis. Vsus præcip. in ictero & obstructo Epate. In urinæ difficultate, in hydrope. Extrinsecus imponitur abdomini in stranguria; Ano, in hæmorrhoïdum dolore.

PRÆPARATA.

1. Aqu. *stillat.* Ex integra planta in fine Maii collecta.
2. Vnguentum pro sopiendo hæmorrhoïdum dolore.

Lingua Cervina, *vide* Scolopendria.

LINARIA. Vulgaris flore luteo usurpatur, vocatur etiam *osyris* non rarò apud Practicos, quod observetur. FOLIA habet instar lini, & propterea vocatur milder flachs. Internè rarò usurpatur: Externe applicatur *hæmorrhoidibus dolentibus cæcis*, in quo casu nullum habet remedium par: in cæcis dictis, affectu molesto propter dolorem, & periculoso propter gangrænam & inflammationem. Habebetur VNGVENTVM pro illis *in prax. Chimiatr. HART. cap.160.* qui recepit herbæ linar. Mj. contrivit, & cum sævo hircino miscuit addendo vitellum ovi, applicat. Omnes certè Practici valdoperè commendant hanc linariam, & propria experientiâ illustrat dicta *HÖFERVS in Hercule Medico pag.195.* Nam non semper necessarium est, ut fiat unguentum, sed saltem sufficit, si contusa applicetur si sit viridis: si sicca in sacculo ex Chamomil. & linar. Plantas has coquunt in lacte, & applicant in *dolore hæmorrhoidum cæcarum*; vel has ipsas contundunt recentes & applicant. Si addatur oleum Scarabæorum vel asellorum, erit eò melius: cum oleo Scarabæorum per se à *SOLENANDRO*; & oleum asellorum per se à *BORELLO* insigniter soleant commendari.

De cæteris vid. *AVCTOR.*

CXCIV. LINVM.

Linum. *Flachs*, du Lin. { Sativum. *Hoc usuale.* / Sylvestre.

Dicitur Linum, *Brunsf. Matth. Fuchs. Tab. Cord. in D. Lon. Cast.* Linum sativum, *Trag. Dod.* Linum vulgare cœruleum, *Lob.* Linum sativum, C.B.1.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Calf.1. in reliquis temperatum est, digerit, emollit, maturat. Vsus præcip. in tussi, pleuresi, phthisi. Extrinsecus maturat tumores, lenit dolores, fœtum expellit.

PRÆPARATA.

1. *Mucilago.* Fit coctione vel infusione seminis in aqu.
2. *Farina.*
3. *Oleum expressum.*

Easdem vires retinet, quas semen. Prodest etiam ad pterigia oculorum (instillatum) in primis cum successu exhibetur pleuriticis atque dolore colico vexatis, in quibus & intrinsecus prodest, ut & in Liene duro.

Dosis ad ℥ij.

[Acidum hujus Olei aquâ vel Spir. Vini aufertur.]

N.1. Stupa & tela inserviunt non rarò aliorum medicamentorum susceptioni & applicationi. V. gr. Tela recens anodynis nephriticis suscipiendis familiaris est.

N.2. Hoc oleum dictum è chartis combustis, videlicet charta accenditur, imponiturque laminæ stanneæ ut comburatur. Sic adhærescit stanno liquor crassus colligendus.

Vires. Anodynum est consolidativum. Hinc utile in odontalgia, lichenibus, &c.

LINVM *fl. cœruleo.* Hoc linum subministrat in officinis SEMEN, ex quo fiunt quædam remedia. Et quidem semen per se est *emollitivum & maturativum*: unde FARINA SEMINIS solet misceri cataplasmatis *emollientibus & suppurantibus*; quod intelligendum etiam venit de MVCILAGINE, methodo consueta ex semine extracta. Præ cæteris officinale est oleum EXPRESSVM ex hoc semine, quod in quamplurimis convenit affectibus, & primariò quidem ceu singulare specificum commendatur interno haustu contra *pleuritidem*, si scil. ad aliquot ℥ias vel solum, vel cum oleo amygdalarum dulcium propinetur. Fit enim ut hoc modo & compescatur inflammatio pleuræ, & promoveatur sputum. Miscent simul pulverem dentis apri præparati, qui specificum est contra pleuritidem, non sine successu, v.gr.

℞. *Ol. Lini* ℥iv. *Pulv. dentis apri præparati* ʒj.
Sacchari parum.

Quod hauriunt ægri, & exinde miram solutionem in *pleuritide*, partim per alvum, partim per sputum sentiunt, attestantibus omnibus. Cæterum necessum est, ut hoc oleum lini pro usu interno sit recens, quod non inelegantis est saporis, & palatum suaviter afficit, aliàs quando est inveteratum, nauseam concitat,

citat, & palato ingratum est ob rancorem. Loco hujus sunt qui usurpant oleum amygdalarum dulcium, nihilominus meritò huic præfertur oleum lini. Et pro oleo lini loquentem videmus *GABELCHOV. Cent.4. Cur.68.* in pleuritide, & *BARTOLELTUS de respiratione lib.5. cap. 12. in pleuritide & peripneumonia*, magis periculoso affectu, hoc oleum commendat: oleũ verò amygdalarum dulcium commendat *THONERUS in prax. 128. obs.* uti etiam *PLATERUS lib.2. obs. p.m. 493.* videri quoque potest *SENERTUS* in scriptis. Aliàs in *affectibus pectoris*, in *phthisi*, *Tussi* & similibus tanquam remedium quod vix habeat par, oleum lini commendatur. Ulterius est valdoperè *anodynum* & dolorum sedativum: Unde singulariter commendatur internè contra *contumaces alvi obstructiones*, adeoque etiam *volvulum* seu *passionem Iliacam* imminentem, in quibus non semel salutarem præstitit effectum: Secretum in his fuit *D. MICHAEL* oleum lini & raparum expressum ana ℥iv. loco clysteris injectum, quod illum nunquam reliquit, sed semper felicem effectum produxit. Sic refert *RULANDUS in Thesaur. p.234.* de rustico, cujus alvus ob Scybala constipata fuit, adeò ut abdomen planè durum evaserit, curato per clysterem ex oleo lini ad ℥v. injectum: Usus est oleo lini nunc solo, nunc misto cum Trochiscorum alhandal ʒß, & hoc ipso non unâ vice desperatam *alvi obstructionem* curavit. Omnibus tamen præferendum oleum lini mistum cum oleo raparum, quod est egregium.

CXCV. LOTUS.

Lotus hortensis, *Tab.* hortorum odora, *Lob.* sylvestris, *Matth. Cast.* sativa, *Cord. in D. & hist. Cam.* Trifolium Dioscor. *Trag.* Trifolium odoratum, *Fuchs. Lon.* Trifol. odor. alterum, seu Lotus sativa, *Dod.* Germanicè *Siebengezelt.* Treffle odorant, (quod septies in die odorem mutare dicitur.)

Seritur in pratis. Floret Junio, Julio, Augusto ejusdem anni, quo sata est.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus, & *Semen*, sed raro.

Vires. Calf. temperatè, sicc. digerit, absterg. alexipharmaca, anodyna, diuretica ac vulneraria est. Usus præcip. in pleuresi, dysuria, Epilepsia uterina, Hydrope incipiente, &c.

Extrinsec. in vulneribus ab inflamm. defendendis & consolidandis, eorum veneno corrigendo (fotu) hæmorrhoidibus leniendis (balneo vel fotu) in oculorum nubeculis (succus instillatus.)

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex herba cum floribus.
2. *Ol. infus.* Fit ex fol. & floribus in ol. comm. maceratis.

Vires. Ad vulnera glutinanda, Herniasque puerorum sanandas, tumoresque molliendos & maturandos plurimùm commendatur.

N. Herbam aridam interponunt vestimentis, ne à tineis rodantur.

LOTUS. Item *Trifolium odoratum*: Cujus cum variæ sint species, usitatus odoratus tantum in officinis, qui Germanis dicitur das Diebengezeit. Internè & externè, utut internè non adeò frequenter, nihilominus accensetur quodammodo *alexipharmacis*. & ingreditur *potiones vulnerarias*, in affectibus ubi est *sanguis congrumatus*. Externè usurpatur in Unguentis & Emplastris *vulnerariis*, cum sit unum non ex ultimis vulnerariis. Aqu. STILLATITIA est inter *aquas ophthalmicas*, quorum claritati non parum conducit. Oleũ ejus INFUSUM est *vulnerarium*, quod extrinsecus in *contusis* & *ruptis* solet adhiberi utiliter.

CXCVI. LUPUS.

Βρύον, Lupulus salictarius, *Hopffen*, du Hoblon.

Est { Domesticus. *Hic præfertur.* / Sylvestris.

Dicitur Lupulus, *Brunsf. Matth. Dod. Clus. hist. Tab.* Lupulus sativus, *Trag. Lon. Cast.* (mas,) *Cam. in Matth.* Lupulus salictarius, *Fuchs. Lob.* Lupulus mas, C.B.1.

Floret Augusto: Solo gaudet pingui.

OFFICIN. NAT.

Flores & *Iuli* Martio mense prorumpentes.

Vires. Flores calfac. & sicc. 2. amari saporis anodynique sunt, discutiunt. Usus præcipui in obstructione Lienis ac Epatis, & inde in Ictero, in hypochondriacis affectibus, &c. Ciet menses & urinam. Extrinsecus sedat dolores, auxiliatur contusionibus, luxationibus, tumoribus.

Iuli (turiones, i. prima germina, asparagi) mundificant sanguinem, adeoque à scabie præservant (in acetariis assumpti.)

N. Nimius ejus usus gravat caput.

PRÆPARATA.

1. Aqu. è flor.
2. *Syrupus de lupulo.* Ex succo turionum ante enata folia expresso ℔ iiij succ. fumar. ℔. ij. cum saccharo.

LUPULUS. Planta non ignota propter ejus decoctum cum hordeo, quod *cerevisia* dicitur: in officinas subministrat FLORES, & tempore verno prorumpentes JULOS. Flores saporis sunt aromatici, subamari & glutinantis, adeò monstrant sese impraegnatos esse sal. vol. oleoso, & convenire cumprimis cum virtutibus absinthii, utut non adeò potenter. Internè adhibentur ad *incidendam mucilaginem crassam & viscidam in febribus Chronicis intermittentibus*, item *in tumoribus splenis* valdè commendantur, *urinas movent* moderatè, *abstergunt renes*, ne sabulum sensim sensimque coacervetur & concrescat in calculum. FLORES macerati in sero lactis caprilli commendantur ad *purificationem sanguinis*, & *procurandam fermentationem*, quæ separat particulas heterogeneas non miscibiles cum sanguine. In *scorbuto* non sunt inelegans remedium, item *hypochondriacis* & *spleniticis* conducunt: Conveniunt etiam in *affectibus cutaneis* ut *scabie*, *serpigine* &c. decoctum eorum, dum fomitem ex sanguine subtrahunt, ille enim sæpius sanguini inhæret. In *morbis melancholicis* commendatur ratione sal. vol. acris, dum purificat sanguinem, & corrigit acidum. JULOS quod attinet, imprægnati sunt illis particulis fermentativis. Unde non mirum si solent *purgare* & *moderatè laxare alvum*. Nam ex esu horum laxatur sensim sensimque alvus, quoniam fermentationem similem purgantibus instituunt in Massa sanguinea; unde præservativum sunt à subsequentibus morbis. In corporibus impuris inducunt effervescentias febriles propter vim fermentativam. SYRUPUS erit egregius in *purificando sanguine*, raro tamen prostat in officinis. Interim SUCCUS *Turionum lupuli* & fumariæ utrique scopo satisfaciunt egregiè.

M.

Macis & macer, *vide* Moschata.

CXCVII. MAJORANA.

Ἀμάρακος, Σάμψυχον, *Majoran, Maseran, Masoran, Masoran, Meyeran*: de la Marjolaine.

Majorana. { peregrina. *Vide Marum.* / sativa { latifolia vulgaris. / tenuifolia minor. } / Sylvestris. }

Ex his usualis est sativa utraque, è quibus tamen latifolia præfertur, C. B. 5. quam nostrates rubram vocant, eo quod caulis nonnihil ad rubedinem inclinet.

Vocatur Majorana, *Brunsfelf. Dod.* Amaracus, *Matth. Fuchs.* Sampsuchus sive Amaracus, Latinis Majorana. *Cord. in D. hist.* Amaracus vulgatior, *Lob. icon.* major, *Cast.* Sampsuchus, *Lob.* Majorana vulgò, Maron, *Diosc.* Majorana sive amaracus major, *Tab. Ger.* Amaracus sylvestris annua, *Cam.* Majorana vulgaris, C.B.5.

Gaudet solo umbroso, stercorato, humido. Floret Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia, Semen.

Vires. Calf. & sicc. initio 3. est partium tenuium, digerit, attenuat. Vsus præcip. in affectibus capitis ac nervorum hinc & uteri & ventriculi: ciet menses (in pessario.) Confortat cerebrum ejusque flatus discutit: errhina est & apophlegmatisans.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex foliis recentibus in MB.
N. Præstat gemmas cum vino destillare.
2. *Conserv.* Ex foliis seu summit.
3. *Confect. Sem.*
4. *Ol. stillat.* Ex foliis.
5. *Balsamus.* Fit ex oleo destill.

MAIORANA. Planta cuivis cognita, quæ se prodit per suaveolentiam odoris: vocatur alias AMARACUS, SAMPSUCHUS ab iis, qui solent ludere in præscriptione ejusdem, quod faciunt inprimis Itali & Galli: FOLIA & SEMEN sunt in usu. Tota planta est aromatica, usitata hinc in *affectibus capitis, paralysi, apoplexia, vertigine* & similibus: item in *affectibus uteri*, dum fortiter solet *ciere menses.* Præ cæteris dicata est *naribus* & *læsionibus olfactus*, item *Coryzæ*, in quibus narium affectibus nulli cedit remedio. Propterea etiam in *odoratu abolito* ceu specificum commendatur extrinsecus Majorana ab *HARTMANNO in prax. Chimiatr. cap.57.* qui *extractum* ejus intrinsecus assumtum commendat. Et notum hoc est mulierculis, quæ in *coryza.* & *gravedine nimia* solent coquere folia Majoranæ in jusculo, & sic curant Coryzam. Externi usus est innumeri; oleum Majoranæ, tam *expressum*, quam *destillatum*, est egregium in *Coryzâ*. Sic pro attractione in nares, in *læso olfactu* & *coryza*, usurpari potest hoc oleum.

℞. *Ol. nicotian. Ole. Irini ana* ℥ß.
Ol. Destillati majoran. ℈i *Misce. F. ol. pro naso.*

In *coryza*, si attrahatur in nares pro aperiendis meatibus obstructis, si addantur aliquot grana Camphoræ, erit remedium magis proficuum in tali *coryza* & *olfactus læsione.* Familiare est malum in infantibus, ut habeant nares obstructas, & difficulter respirent: in tali casu ole. majoran. & ole. Nicotian illinitur naribus felici cum successu. In eadem Coryza fiunt noduli olfactorii h.m.

℞. *Pulv. fol. majoran. semin. nigell. ana* ʒij.
Ol. Destillati Majoran. gutt. v. M. F. L. a.

Nodulus cum stylo. Pro naso. Et in talibus casibus Coryzæ est ordinarium ingrediens pulverum sternutatoriorum. Aliàs idem oleum externè solet usurpari in inunctione nervorum spinæ dorsi in *affectibus paralyt.* Sive *vera*, sive *notha ex colicâ* fuerit *paresis.* Ipsa aqu. solet educere humorem per nares in coryza: CONSERVA & EXTRACT. in *affectibus capitis* sunt commendatæ; in specie tamen extrinsecus in *affectibus narium.*

CXCVIII. MALABATRUM.

Μαλάβατρον, Malabathrum. *Matt.* cui & Folium) *Lob. Tab.* Folium Indi seplasiariorum, *Trag.* Cassiæ folium, *Cord. in D.* Tamalapatra, *Garz. Clus.* Cadegi Indi. id est, folium Indum: Arabus, C. B. 1. German. *Indianisch Blat.* Feüille d' Indes.

Dioscorides folia hæc in aquosis crescere locis, aquisque innatare scribit, uti lens palustris. Garcias ab horto autem esse folia arboris ait, inveniri que copiosè in India, ac maximè in Cambaja, procul ab aquis. Vtrum ergo folium modernum cum veterum idem sit, est de quo ambigitur.

Eligenda sunt recentia, viridiuscula (non nigra.)

Vires. Iisdem facultatibus pollent, quibus spica nardi, sed fortioribus; urinam potenter movent.

MALABATHRUM. Hujus natale solum controversum apud scriptores rerum exoticarum Cumque non statuatur certum, nec vires ejus constent, rari est usus in officinis. Sunt qui solent præscribere in *affectibus capitis* & *confortanda memoria*, sed incerta experientia. *Cosmeticum* etiam creditur, sed incertæ naturæ.

CXCIX. MALVA.

Malva { Sylvestris { folio rotundo / folio sinuato } *hujus loci.* / Hortensis seu arborea, *loci sequentis.* }

Appellatur Malva, *Brunsf. Matth. Cast.* Malva vulgatissima *Trag.* Malva sylvest. pumila, *Fuchs. Dod.* Malva sylvest. repens pumila. *Lob. Ger.* Malva sylv. supina, *Cord. hist.* Malva minor, *Lon.* sylv. minor, *Tab.* vulgaris minor, *Cam.* Malva sylvest. folio rotundo, C.B.1. Græc. μαλάχη. Germ. *Pappeln, Rasz-Pappeln, Hasz-Pappeln.* Mauve.

Crescit passim inculta, gaudet solo pingui ac humido: floret Maio ac sequentibus.

OFFICIN NAT.

Folia, Flores, Semen, Radix.

Vires. Herba (folia & flores) moderatè calf. (aliis refrig.) humect. emollit, lenit dolores, laxat alvum, urinæ acrimoniam mitigat. Vsus præcip. in affectibus pulmonum, Vesicæ, intestinor. Vteri, e.g. phthisi, tussi. raucedine, calculo, erosione vesicæ ac intestinor. in duritie uteri, febribus, &c. Extrinsecus in tinea capitis (cum urina in lixivium cocta) in tumoribus maturandis doloribusque sedandis (catapl.) in alvo lenienda, dolore nephritico mitigando (Clyste.)

N. Semen & radix iisdem pollent viribus, sed usus rarioris sunt. Præferuntur nihilominus in medicamentis internis.

Radix cocta fursures capitis cadere facit (lotione.)

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex fol. & flor. Maio collectis.
2. *Conserv. flor.* Verùm rari usus est.

MALVA. Planta satis cognita, inprimis *vulgaris*, cujus duæ dantur species: foliis rotundis, & aliquantisper laciniatis: utraque est in usu promiscuè. Herbam totam quod attinet, fol. & flor. sunt unum ex primariis *emollientibus.* Unde ratione emollitionis interno usu quoad Clysteres, externo quoad cataplasmata & unguenta est usitatissima. In clysteribus pro *stimulanda alvo* & *emolliendis scybalis* obduratis nulla habetur melior planta hac malva, inprimis si hujusmodi clysteribus addatur tantillum salis Gemmæ, quod egregiè convenit, ubi opus est incisione & abstersione mucilaginis viscidæ. Sic pro fæcibus nimium induratis emolliendis, si non velimus infundere Clysterem ex oleo lini & raparum, de quo

quo paulo ante locuti sumus sub *lino*, possumus habere talem:

℞. *Herb. malvæ Mij.*
Flor. Meliloti Mj.
Malvæ pij.
Chamomill. pj.

Coquantur in suff. q. aquæ simplicis; Colaturæ adde Electuar. Lenitiv. ℥j. sal gemm. ʒj. & vitell. ovorum No. j. & erit potens Clyster pro induratis fæcibus emolliendis & incidendis. Hinc etiam externè in *tumoribus duris & abscessibus emolliendis, maturandis & suppurandis* Malva est magni usus. Unde nullum habetur Emplastrum Chirurgicum pro dictis usibus, cujus ingrediens non sit malva. Interno usu ejus DECOCTUM prodest pro *temperanda humorum acrimonia*, inprimis nimis acida. Blanda enim est planta, & blandè operatur. Unde in *affectibus renum ex urina nimis acri, stranguria & Dysuria*, est egregium remedium. Hinc etiam CONSERVA *flor.* malvæ tanquam singulare specificum expertum commendatur ad *ardorem urinæ* seu ad *Dysuriam*, id quod testatur *AMATUS LUSITANUS Cent. 6. Cur.* 58. Item *HÖCHSTETERUS in Decad. VI. cap. 2. Scholio.* Uti etiam ipsum decoctum radicis Malvæ in tali casu est usitatum: Extrinsecus radix malvæ, sole Aquar. ingrediente effossa & appensa, singulare est *ophthalmicum*, inprimis in *Ophthalmia Epiphora*, & similibus aliis affectibus. De quo vid. *HARTMANN. in praxi p. 96.* & tali modo appensa etiam ad *lippidines* & similes affectus convenit: Unde etiam solet h. m. appendi in *variolis* pro *præservatione oculorum*, ne occupent oculos, & sequatur, quod fit interdum, *cæcitas.* Ulterius externo usu DECOCTUM MALVÆ singulariter commendatur ad *delendam tineam capitis* in infantibus, in lixivio paululum acri. Quidam volunt hoc præstare etiam in urina propria. Hoc ipsum decoctum est melius, si ipsi malvæ addantur pisa; sic enim fit decoctum expertissimum. Sunt, qui etiam faciunt UNGUENTUM *flavum ex Malva* ejusque radice cum butyro Majali non salito, cui addunt tantillum Camphoræ, & fit elegans unguentum contra *Tineas & Achores capitis.* Post Malvam vulgarem sequitur.

CC. MALVA ARBOREA.

Malva rosea folio subrotundo, Malva hortulana, *Brunsfels.* hortensis, *Trag. Fuchs. Dod. Lon. Ger.* Malv. major, *Matthiol.* Malv. arborea, *Tab.* Malva Romana, *Gesn.* Malv. major unicaulis, *Matth. Cast.* Malv. rosea fruticosa, *Lob.* German. *Herbst-Rosen, Winter-Rosen, Erndt-Rosen, Garten-Pappel, Bauw-Rosen.* Mauve Romaine, Arborée, &c.

Est flore simplici vel pleno, eoque coloris albi, purpurei, incarnati.

Crescit in hortis: Floret in fine æstatis, initioque autummi.

OFFICIN. NAT.

Flores soli.

Vires. Calfac. & hum. minus tamen quàm vulgaris malva, subastr. Usus præcip. in tonsillarum morbis, oris putredine (gargar.) in fluxu menstruor. [Erysipelate] in reliquis malvæ vulgari similis est.

[Tingitur his floribus spirit. Vin. Vinum Hippocraticum.

MALVA ARBOREA. Planta omnibus cognita, usitata tantummodo ea, quæ habet flores rubros, sive sint simplices, sive pleni. FLORES habent vim *subastringentem*, utut moderatam. Propterea usitatissimè, usurpantur flores Malvæ in *gargarismatis*, in *affectibus faucium*, inprimis in *inflammatione gingivarum*, in *angina*, *exulceratione faucium*, in *oris aphthis*, in *gurgulionis affectibus* & aliis: In genere ergo pro quibuscumque ferè *faucium affectibus* posset fieri tale gargarisma, commendatum ab *HARMANNO*, cujus basis ferè est Malva:

℞. *Flor. malvæ rubr. Mj.*
Rosar. rubr.
Prunellæ, veronicæ, salviæ ana. Mß.
Rad. polypodij quercini ℥ß.
Seminis sinapi contusi ʒij.

Coquantur in aqu. simplicis lib. iiß. & aceti vini lib. ß. ad casum tranversi pollicis, cola cum levi expressione: colaturæ adde sacchari ℥iij. Misc. fiat gargarisma. Hoc est ferè catholicum *in omnibus faucium affectibus*, tam in principio, quam in incremento. Unde etiam *HARTMANNUS in sua praxi pag. 126* simile ferè huic valdè commendat: Hoc tamen est correctius, & dum additur sinapi, magis appropriatum pro discussione. Nam sinapi prodest in discutienda inflammatione faucium & gingivarum ratione sal. vol. acris. In floribus saltim differentia quædam est. Flores malvæ vulgaris *temperant acrimoniam humorum*: unde in Clysteribus adhibentur, item in decoctis: Flores malvæ arboreæ *adstringunt*: unde gargarismata ingrediuntur.

CCI. MANDRAGORA.

Μανδραγόρας, Arab. Jabora, Herbr. Dudaim. German. *Allraun*, Mandragore. Herba est baccifera, radicem habens, quæ hominis partes inferiores aliquatenus repræsentat.

Estque mas vel fœmina: illa usualior. Insigniturque Mandragora mas, *Trag. Fuchs. Matth. Cord. in D. Lob. Cam.* Mandragor. albus seu masculus, *Cord. hist.* Mandrag. mas vel alba, *Cam.* Mandragora fructu rotundo, C.B.1.

OFFICIN. NAT.

Cortex radicis, qui ad nos aliundè, potissimùm ex Italia asportatur.

Vires. Refrig. 3. sicc. 1. emollit mirè, Narcoticus est ac soporiferus, rari usus intrinsecus. Extrinsecus usus ejus est in oculorum rubore ac dolore, in Erysipelate, in tumoribus duris, strumis, &c.

PRÆPARATA.

Ol. Fit ex decoct. cortic. aliorumque narcoticor. succis, atque oleo. Vide Disp.

MANDRAGORA. Planta quæ ad nos adportatur, est rara, & crescit non nisi attenta cultura in nostris hortis. Radix similis est corpori humano: Propterea vetulæ faciunt exinde *veneficia*, virunculos incubum excitant, cum careat crinibus seu capillis, propterea, ut & ipsos acquirat, solent perforare radices, & indere grana aliquot hordei. Vid. de his masculis *BARTHOLIN. in Cent. 2. hist. 54.* quos sanctè colunt. Solet distingui Mandragoræ radix in *marem* & *fœminam*, hac differentia, quod mas sit sterilis; fœmina v. ferat fructus. Planta uti usus est rari, ita rara etiam est in officinis. Vim habet ex se *Narcoticam & stupefactivam*, & est una ex primariis Narcoticis & stupefactivis: unde internè rarò, imò rarissimè & ferè nunquam usurpatur: Extrinsecus familiarius usurpatur: Nam CORTEX ejus solet adhiberi interdum pro *emolliendis tumoribus duris & scirrhosis*, non secus ac Cicuta, de qua supra locuti sumus. Unde sunt, qui commendant SUCCUM MANDRAGORÆ cum succo Nicotianæ conjunctum cum ammoniaco in formâ unguenti vel cataplasmatis sive Emplastri contra *tumores duros splenis.* Habetur etiam EMPLASTRUM de MANDRAGORA contra eosdem *scirrhos & tumores duros splenis* in *HARTMANN. prax. Chymiatr. p. 218* sic habetur in officinis oleum *ex* MANDRAG. cocta in oleo communi, sed est rarum. *FABER* in *Myrothecio spagyr. lib. 4. c. 1.* Habet oleum MANDRAGORÆ

DRAGORÆ per DESTILLATIONEM per *descensum*, quod valdoperè commendat ad hujusmodi mala, externè pro *emolliendis duris tumoribus* & *sistendis doloribus*, quoniam est *narcoticum* & *anodynum*.

CCII. MARRUBIUM.

Marrubium { Nigrum, Ballote. Hoc *minus usuale.* Album, *Hoc officinale est.* }

Dicitur Marrubium album vulgare, C.B.1. Marrubium, *Matthiol. Cord. in D. Fuchs. Dod. Cast.* vulgare, *Clus. hist. Lob. Tab. Ger.* Marrubium fœmina, *Brunsf.* Candidum, *Trag.* Prassium. Germ. *Vveisser Andorn.* Marrube blanc.

Crescit incultum juxta vias. Floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia sola.

Vires. Calf.2. sicc.3. aper. absterg. atten. saporis amari. Usus præcip. in obstruct. pulmonum, Epatis, Lienis, Uteri, adeoque in phthisi, in exspuitione sanguinolenta, in partu difficili, lochiisque remoratis. Extrinsecus usus ejus rarior est.

℞. *Vesicæ* ac renibus censetur noxium, correctum tamen Glycyrrhiza ac passulis nihil nocere dicitur.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex integra planta, Junio ac Julio collecta.
2. *Syrup. de prassio.* Fit ex herbis pectoralibus, radic. aperient. emoll. &c. Vide Disp.
3. *Spec. Diaprassii.* Vide Disp.

MARRUBIUM. Planta quæ crescit vulgariter & est sylvestris, *album* reperitur & *nigrum*, quod etiam vocatur *BALLOTE*. Utrumque facilè cognoscitur, quoniam flores verticillatim circa caulem congesti sunt minores; Marrubium album nomen retinet in formulis: nigrum usitate à Practicis vocatur *Ballote*. FOLIA sunt usitata, quæ saporem habent subamarum, & leviter *adstringentem*, adeò ut pateat, quod sal. vol. acri & penetrante sint ditata. Primarium sunt remedium in *incidendis humoribus crassis*, & hinc ortis *obstructionibus* & *tumoribus viscerum* solvendis & reserandis. Conveniunt inprimis in *Tussi inveterata*, quæ oritur ex ventriculo nimis acida mucilagine & crassis succis referto, ob deficientem chylosin Decoctum marrubii in aqu. vel in vino est egregium remedium pro attenuanda & expectoranda tali mucilagine: inprimis in *Tussi senum* convenit Marrubium quocunque modo præparatum. Hinc etiam interno usu confert marrubium ad *Icterum flavum*, quem ejus succus expressus & in formam SYRUPI congestus, vel aliis mistus cum vino, & potatus, certo curare dicitur. De quo vid. *FREITAGIUS in aurora Medica, cap.*36. quod ipsum confirmatur à *FORESTO lib.*19. *obs.*40. qui etiam ceu expertum specificum commendat ad *Icterum flavum*, qualis sæpe aliàs est lethalis, nihilominus *FORESTUS* dicit, illam curari posse marrubio albo. Ulterius in *obstructionibus* & *infarctu hepatis scirrhoso* ex mucilagine crassâ ab acido coagulata commendatur insigniter. Vid. *ZACUT. Lusit. lib.*1. *prax. admir. obs.*41. meæ editionis: Uti etiam *HARTMANN.* ubi tractat de Ictero, qui marrubium valdopere commendat in *Ictero* & *Hepatis affectibus*: Item ceu singulare secretum in *Hepatis obstructionibus*; in iis præprimis, quæ conjunguntur cum tono laxato. In officinis prostat aqu. DESTILLATA, quæ ad eosdem usus ac herba usurpatur, nihilominus DECOCTUM est melius: Prostant enim quamplurimæ in officinis aqu. destillatæ, quæ nihil participant de viribus herbæ, ex qua distillantur. De quibus inferius. SYRUPUS DE PRASSIO. seu de marrubio (utrumque legitur) usitatus est in *affectibus pectoris*, *Asthmate* & *Tussi* ex mucilagine & pituita crassa vel viscida, sive stabuletur in bronchiis pulmonum, sive in ventriculo.

CCIII. MARUM.

Planta est exotica, Majoranæ in facultatibus ac figura similis, adeo ut pro una eademque herba à nonnullis habeantur. Quamobrem cùm maro hisce in regionibus destituamur, Majoranam vel Dictamnum Creticum substituere solemus.

PRÆPARATA.

Pilulæ Marcostinæ Mindereri. Vide lib.2.

MARUM. Planta exotica, similis ferè majoranæ, utut sit statura minor, & odore & sapore magis aromatico. Dictamno cretico substituitur. Rarus est ejus usus in officinis, imò rarissimè præscribitur, nec memini me unquam legisse præscriptum, nisi quod ingrediatur pilulas Maro-costinas MINDERERI qui videri potest simul discurrens de virtutibus mari *in Aloedario cap.*2.

CCIV. MATRICARIA.

Arthemisia tenuifolia, *Trag. Fuchs.* & nostras, *Lob.* Parthenium, *Matthiol. Dod. Cord. in D.Cast.* Amaracus, *Galen.* Matricaria parthenii 1. species, *Brunsf.* Matricaria, *Trag. Lon. Cam. Ger.* Matricaria vulgaris, C.B.1. German. *Metram, Methran, Meter, Meterkraut, Muterkraut, Feberkraut,* Matricaire.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Calf.3. sicc.2. attenuat, incid. Usus præcip. in affectibus uteri frigidis ac flatulentis, in obstruct. mensium, in impotentia Veneris, in Hydrope (purgat per urinam nonnunquam & per alvum,) &c. in febribus putridis, in calculo renum, in vertigine. Extrinsec. in suffocat. matricis (decoct. cum aceto naribus applicatum) in mensibus ciendis (pessar.) in duritie mammar. (catapl.) in æstu febrili mitigando (fricando dorsum) in arthritico dolore sedando, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Fit ex integra herba mense Maio & Junio.
2. *Sal com.* Ex cinere.
3. *Syr. de Matricaria.* V D.
4. *Ol. stillat.* rarò extat.

MATRICARIA. Planta satis cognita in hortis & officinis: vocatur matricaria, & Germ. Mutterkraut propter vires egregias, quas habent fol. & flor. ad *affectus uterinos*: vocatur alio nomine *Parthenium*. Refertur aliàs ad artemisiam, quæ valdoperè est *uterina*, unde non mirum videri potest, quando etiam hæc mirè utero succurrit. Odor penetrans & sapor acris loquitur de sale vol. penetranti & acri: unde *pituitam* & *mucilaginem viscidam in vasis uteri stabulantem*, ibi effervescentem, sicque *flatus* & *mensium suppressionem* causantem, removet, incidit, & propulsioni aptam reddit, & propterea etiam convenit in *mensibus obstructis*, in *lochiis remoratis* & *aliis affectibus uterinis*, qui revera sunt uterini. In *dolore post partum* matricaria cum Chamomilla vulgari, vel quod melius est Romana, decocta, & cum sacculo duplicato imposita abdomini, valde prodest. Quod attinet alias virtutes præter uterinas, raræ sunt illæ, & rarò præscribitur matricaria, nisi in *affectibus uteri*. Usitata est aqu. STILL. & SYRUPUS de *matricaria*, non minus quam syrupus de artemisia. Prostat etiam in quibusdam officinis CONSERVA

CONSERVA de matricaria, sed est rara, & non in omnibus reperitur.

CCV. MATRISYLVA.

Matrisylvæ vocabulum diversis plantis attribuitur, 1. Epaticæ stellatæ, 2. Caprifolio, ac 3. Hormino. Vide suis locis.

CCVI. MELILOTVS.

Melilotus vera, major vulgaris, *Trag.* Lotus Vrbana, *Matth.* Sylvestris, *Fuchs. icon. Tab.* officinarum Germaniæ, C.B.1. Melilotum majus, *Brunsfels.* Melilotus, *Lon.* Saxifraga lutea, *Fuchs.* Loti sive trifolii species, *Cord. in D.* Melilotus Germanica, *Lob. Cam. Ger.* Trifolium odoratum, 1. & 2. *Dod. Honig-Klee, Stein Klee, edler Stein-Klee.* Melilot.

Gaudet locis saxosis. Floret integra æstate.

OFFICIN. NAT.

Flores, seu integra *Herba*, *Semen*.

Vires. Calf. 1. emoll. disc. dolores mitigat. Vsus creberrimi præcipuè extrinsecus, in tumoribus, doloribus, oculis rubicundis, in clysteribus, & sim.

N. *Quoties* simpliciter meliloti fit mentio, semen recipiendum.

1. Aqu. ex herba cum flore still.
2. *Emplastrum de Meliloto.* V.D.
3. *Oleum.*

MELILOTUS. Vel florem habet luteum vel album, dicitur & lotus odoratus. Ubique provenit, in locis & pratis, præ primis cultioribus, vocatur etiam trifolium odoratum, quoniam suavem spirat odorem. Hoc ipsum trifolium primario externo usu est celebre, quoniam specificum est ex primariis *emollientibus* & *discutientibus*: est usus crebrioris in Cataplasmatis, hinc etiam in decoctis. Præter vim discussivam & emollitivam obtinet *vim anodynam*: propterea in *doloribus arthriticis* instar Cataplasmatis vel fomenti à quibusdam solet commendari, quoniam *discutit tumores* & *lenit dolores*. In *inflammatione uteri*, *ani*, & *testium* fotus ex decocto Meliloti est egregius, inprimis si ipsi addatur viridi agrimonia & Chamomilla, quæ in vino vel aqu. decocta *dolorem* & *inflammationem* egregiè sistunt. Aliàs in Clysteribus simili usu emollientibus usitatus melilotus cum malva. SEMEN est rarissimi usus. Prostat in officinis EMPLASTRUM de MELILOTO, quod commendatur ad *emolliendos tumores duros* & *abscessus* pro *suppuratione*: Inprimis usitatum est in principio *anginæ* & *inflammatione Tonsillarum*, ubi externè applicatur gutturi, potest malaxari seu subigi vel cum oleo amygdalarum dulcium, vel Chamomill. additis aliquot guttulis olei destillati Cumini. Ubicunque sunt *tumores emolliendi* & *suppurandi* Melilotus impositus est usitatus.

CCVII. MELISSA.

Μελισσόφυλλον, Melissophyllum, *Matthiol. Cast. Tab.* Melissophyllum vulgare vel adulterinum, *Fuchs.* Apiastrum, *Matth. Cord. in D. Lob.* Citrago, *Gesn.* Melissa, *Brunsf. Dod. Ger.* Melissa domestica, vel 1. *Trag.* nostras, *Cam.* hortensis, *Lob.* & 1. C.B. Germanicè *Melissen*, *Ivenblat*, *Biensaug*, *Mutter-Kraut.* Melisse.

N. *Est* Melissa peregrina, quæ à loco natali, unde asportatur, Turcica, Italica, &c. dicitur, coliturque itidem nonnunquam apud nos in viridariis, sed minus ea est usualis.

Floret Julio: crescit in hortis.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calf. 2. sicc. 1. Vsus magni est in affectibus cephalicis, cardiacis, uterinis, hinc & in stomachicis, adeoque in Melancholia, in somnis turbulentis, Paralysi, Apoplexia, Epilepsia, vertigine, Lipothymia, cruditate ventriculi, moratis mensibus ac lochiis puerperarum, suffocationeque uteri, emendat insuper fœtorem anhelitus. Extrinsecus in uterinis balneis, cataplas. in ictibus venenatis apum, vesparum.

N. *Recensentur* inter herbas cordiales.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex herba integra in MB.
2. *Aqu. c. Vino destillata.*
3. *Spiritus.*
4. *Ol.* Ex herba sicca, rarò extat.
5. *Extractum.* Ex foliis.
6. *Conserv.* Ex floribus.
7. *Syrup. simplex.* Ex succ. & saccaro dimid.
8. *Compos.* Fernel. Vid. Disp. Noriberg.
9. *Sal Fixum.*

MELISSA. Dicitur etiam *Melissophyllon* vel *verum* est, vel *adulterinum*: de vera Melissa hic sermo est, quæ tantum usitata est in officinis. Est planta egregia & excellens. Cæterum colligenda inprimis tempore exaltationis seu balsamico, quod est ut colligatur *Lunâ* decrescente, quando versatur in signis igneis & Martialibus, qualia sunt aries leo & arci-tenens, &c. Usitata est ipsa planta cum floribus, ipsique non immeritò tribuitur virtus singularis *corroborandi*, quod conveniat *in affectibus capitis*, *cordis*, & *uteri*, & quod *deficientes spiritus refocillet atque restauret*. Propterea etiam medicamentum paratur ex melissa secundum manuductionem *PARACELSI*, quod vocatur arcanum seu V. ESSENTIA, item I. ESSENTIA MELISSÆ, qua ipsa restitui potest aliquantisper juventus, vel possunt tantum inducere tales alterationes, ut videantur *rejuvenescere homines*, ut senibus decidant pili & ungues, novique regenerentur, ut revocentur menstrua, ut renascantur dentes antea deficientes & similia: Inprimis vid. de Essent. I. Melissæ & ejus vi restaurativa *LEFEBURE*, *Tr. de Chym. Tom.* 1. *cap.* 9. *pag* 282. *& seqq.* ubi propriam allegat experientiam, quid præstet in renovatione virtutum, adeo ut fœminæ plus quam sexagenariæ intra 10. dies *menses redire* fecerit, cum colore corporis admodum laudabili. Habet etiam aliàs experientiam de gallina veteri, quæ ex esu hujus Essent. I. dejecit plumas, & novas acquisivit novaque calcaria: plura videri possunt apud cit. *AVCTOREM*, qui descriptionem ejus habet, eamque ex *PARACELSO*: Præparatio non est adeò difficilis, requirit saltem solertem & peritum Chymicum: Iuventus tamen inducta hac Essentia I. non est vera sed palliativa, demonstrante *HELMONT in Tr. de vita longa.* SPIRITVS ex eadem herba Melissæ destillatus per fermentationem, vel aqu. spirituosa destillata cum vino valdopere *confortare* dicitur *memoriam*, & *movere facultates mentis* & *operationes capitis*, quæ consistunt in sensu & motu. Hinc prodest *in affectibus melancholicis*, in quibus *tristes exhilarare* & *lætificare* dicitur: Cumque simul sit *uterinum*; propterea in *melancholia virginum* & *viduarum*, oriunda sæpe ex mensibus non ritè fluentibus, & per consensum uteri, egregius est spiritus per fermentationem Melissæ. Idem spiritus Melissæ specificè commendatur contra *sterilitatem*, de quo habet *ROSENCREVZERVS in Astrol. infer. ubi tractat de auro p.* 253. Prostat etiam in officinis ESSENTIA MELISSÆ cum spiritu vini vel spiritu proprio extracta, quæ est earumdem virium atque Melissa simplex. Ex semine Melissæ fiunt EMVLSIONES, crebri usus in *febribus malignis*, uti etiam in *palpitatione cordis*: in quibus affectibus parantur tales emulsiones vel cum aqu. spirituosa Melissæ, vel, quod est melius, cum aqu. destillata cordis Cervi, quæ *malignitati* adversatur, & aliàs in *palpitatione cordis*

est

est arcanum remedium. Aqu. Melissæ cum vino vel pulsibus vel regioni cordis applicatur in *lipothymia* & *syncope*, de qua virtute in syncope & palpitatione cordis egregiam habet experientiam *FORESTUS lib.17. obs.1. qui in palpitatione cordis & syncope* gravi, orta ex vulnere pectoris & sanguine circa præcordia concreto, recepit, præmissa ven. sectione, Melissam viridem & borraginem, quas calefactas, & *Aceto* roaceo adspersas applicavit regioni cordis, unde miraculi instar omnis palpitatio cessavit; id quod *HELIDÆUS PADUANUS* soli Melissæ attribuit. *HARTMANNUS* commendat sacculum cum Melissa & spir. vini adspersum cordisque regioni admotum. Mirabilis virtutis Melissæ in affectibus cordis, & quidem interno usu, exemplum habet *FORESTUS lib.3. obs.29.* oleum DESTILLATUM MELISSÆ ex herba usitatum pro fricatione pulsuum & temporum, si misceatur cum Aqua Carbunculi & oleo scorpionum MATTHIOLI, *in peste*, in qua melissa est egregia, inprimis illa, quæ hoc habet maligni, ut statim adsit prostratio virium. SYRUPUS easdem habet vires atque ipsum simplex. Syrupus hic in affectibus uteri magni est usus. Sunt qui non minus *in affectibus ventriculi* ex cruditate acida provenientibus eundem commendant, quibus tamen syrupis omnibus præferuntur Essentiæ legitimè præparatæ.

CCVIII. MELO.

Πέπων: Melo, *Bruns f.Tab. Trag. Ger.* Melo sive melopepo vulgi. Cucumis, *Gal. Dod.* Melo vulgi, seu cucumis antiquorum, Melopepo Dioscoridis, *Lob.* Melopepo, *Lon.* Pepo, *Matth. icon. Fuchs. Cast.* Pepo, grandis Melo, *Cord. hist.* Melo vulgaris, C.B.1. German. *Melonen. Pfeben.* Melons.

N. Matthiolus majores vocat Pepones, minores Melopepones.

Gaudent solo aprico & versus meridiem sito, pingui, æstateque serena. Colligendi sunt ante ortum solis.

OFFICIN. NAT.

Semen excorticatum, & non excorticatum.

Vires. Ipse fructus seu pulpa refrig. & humect. nutrimenti est mali, putrescibilis, febribus ac torminibus generandis apti [lumbricum tamen latum occultâ qualitate necare putatur.]

N. Minus nocet coctus, potuque vini & pipere correctus.

Semen est è 4. seminibus frigidis majoribus, aperit, ac abstergit, Epaticum est & nephriticum, ea propter confert tussi, phthisi & febribus, medetur stranguriæ, ardorem urinæ, sitimque sedat, &c. Vide reliqua semina frigida majora, cum quibus in omnibus convenit.

PRÆPARATA.

Melones conditi. Inciduntur melones nondum maturi secundum longitudinem, maceranturque in aceto dies aliquot (10.) hinc effuso acet. recens affunditur, macéranturque denuo. Tandem exempti ac siccati. in melle, vel saccharo syrupisato sensim coquuntur, admistis aromatibus pro libitu.

MELO. Fructus satis cognitus & usitatus, magis tamen in culinis quam in officinis; pulpa non adeò usitata est in officinis, nec adeò salubris, quoniam facilè fermentationem inducit Massæ sanguineæ, & ad febres, inflationes stomachi, & tormina colica usitata disponit: SEMEN ergo tantum est usitatum: *Hepati confert*, quatenus temperat moderatè, & *ardores Epatis compescit*, & *nephriticum* est quatenus *urinam moderatè ciet*, quoniam convenit cum seminibus 4. frigidis majoribus. Prostat in officinis aqu. DESTILLATA Melonum, quæ refertur inter *Cosmetica* seu illa quæ pro faciei & cutis nitore adhibentur, inprimis si imprægnetur cum tantillo Mercurii, qualem describit *MYLIUS in basilica Chymica lib.2. cap.9 p.199.* Hæc eadem aqua solet à quibusdam commendari in *febribus purpuratis mulierum*, pro vehiculo appropriato. Dico pro vehiculo tantum inservit, nam huic soli non fidendum.

CCIX. MENTHA.

Μίνθη ἡδύοσμος, *Muntz-Balsam.* Mente.

Est
- sativa
  - Acuta } *hujus loci.*
  - Crispa } *hujus loci.*
  - Saracenica. *Vide loco sequenti.*
- Sylvestris. Mentha caballina, mentastrum. *Minus officinalis est.*
- Aquatica. *Vide sisymbrium.*
- Cattaria. *Vide Nepeta.*

Etsi mentha utraque, tam acuata, quàm crispa earundem virium, adeoque officinalis utraque sit, præfertur tamen à nonnullis Crispa ceu nobilissima, sive verticillatam velis, sive spicatam, & potissimùm cujus caulis ad rubedinem inclinat, rubra inde vulgo dicta.

Videatur Mentha sativa seu crispa, *Trag. Cord. in D.* Mentha sativa altera, *Matth.Fuchs. Dod.* Crispa, *Lon. Cam.* sive Balsamintha. Mentha rotundifolia altera flore spicato, sive cruciata Mentha, *Lob.* Mentha sativa minor, *Cast.* Mentha rotundifolia crispa spicata, C. B. 5. Germ. *Krausemuntz.* Mente crépuë ou frisée de jardin.

Mentha angustifolia spicata, C.B.7. Mentha, *Brunsf.* 1. *Matthiol. Cast.* sativa vel hortensis, 3. *Dod. Fuchs.* acuminata, *Lon.* acuta, *Tab.* Roman. *Lob.* cruciata, *Ger.* odorata angustifolia, *Cam.* Germ. *Spitzmuntz.* Mente à feüilles estroites.

N. Hæc foliis est tum latioribus, tum angustissimis & longissimis.

Colitur in hortis: gaudet locis apricis, non pinguibus quidem, sed humidis. Floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Calfac. & sicc. in princip. 3. partium est tenuium, subastring. Usus præcip. in ventriculi imbecillitate, cruditate, singultu, vomitu, flat. ardore, Epatis obstructione, intestinor. dolore, capitis vertigine, lactis coagulationem impedit. Extrinsecus corrigit ventriculi imbecillitatem, doloresque colicos sopit (cataplas.) duritiem mammarum lactisque coagulationem, capitisque achores sanat, &c.

N. Mentha aquatica easdem cum sativa vires habet, adeoque in defectu substitui poterit.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex herba,

N. Mulierculis usitatissima est ad tormina ventris in infantibus compescenda.

2. *Syrup. de mentha minor.* Ex succis menthæ granatorumque ana. Vide Dispens.
3. *Syrup. de mentha major.* V.D. [Habetur & Mel Menthæ.]
4. *Conserv.* Ex foliis.
5. *Oleum stillat.*
6. *Oleum infus.* ex mentha crispa.
7. *Balsamus.* Rarus est.
8. *Sal.* Ex cinere.

CCX. MENTHA SARACENICA.

BAlſamita, *Brunſf.* Mentha Saracenica, *Cord. in D. Lon. Cam.* Mentha corymbifera major, *Cord. hiſt.* Coſtus hortorum, *Lob.* M. Græca, *Matthiol. Caſt.* Aliſma. *Trag.* M. hortenſis Corymbifera, C.B.1. (& 2.) aliis mentha Romana, Mentha S. Mariæ, germ. *Raveni-Muntz*, *Marien-Muntz*, *Pſankuchen Kraut.* La Menthe ſaracenique.

Colitur in hortis & cœmeteriis. Floret Junio, Julio.

Officinalis quidem eſt, ſed rariſſimè: non abs re tamen eſſet aſſervare *Folia* grati odoris & ſaporis, ut & *Radices.*

Vires. Calf. ſicc. aper. atten. diſcut. abſterg. auxiliatur uterinis affectibus, menſes ciet, jecur corroborat, peculiarique vi opij aliorumve venenorum malignitatem retundere ſtatuitur.

Doſis ad ʒij. præcipuè radix.

Extrinſecus adhibetur in balneis ad ciendos menſes, &c.

MENTHA SARACENICA. Vocatur alias *Mentha Corymbifera*; item *coſtus hortorum*, utut non ubivis ſit uſitata, à quibuſdam Practicis vocatur κατ' ἐξοχὴν *Balſamita*; item in quibuſdam officinis *herba coſtæ* nuncupatur. Hæc ipſa inter vulneraria refertur, interno uſu admiſcetur *potionibus vulnerariis*, in quibus ſemper prodeſſe dicitur. Cæterum folia aromatico odore & ſapore innuere videntur; quod vires habeat non abſimiles abſinthio, & credo, ſi in uſum revocaretur, quod in affectibus Chronicis perinde ac abſinthium valde conveniat. In *affectibus uterinis* commendatur: pro *menſium provocatione* eſt egregia.

CCXI. MERCURIALIS.

AΙνόζωσις. German. *Bingel-Kraut*, la Mercuriale: à noſtratibus *Vvincergrun.*

Eſt { Mas teſticulata, C. B. 1. / Fœmina, ſpicata C. B. 1. } *uſurpantur promiſcuè.*

Mas inſignitur Mercurialis, *Trag. Brunſf.* M. mas. *Matthiol. Fuchſ. Dod. Lob. Caſt. Tab. Ger. Cam.* Mercurialis maſcula, *Cord.* Phyllon arrhenogonon Theophr. *Cord. in D.* Mercurialis teſticulata, ſive mas. *Dioſc.* C. B. 1.

Fœmina dicitur: Mercurialis vulgaris, C. 1. *Trag.* M. Fœmina, *Matth. Fuchſ. Dod. Lob. Caſt. Tab. Ger.* M. ſpicata ſeu fœmina, C. B. 1.

Naſcitur in campeſtribus cultis, vinetiſque. Floret per integram æſtatem.

N. Eſt & Mercurialis ſylveſtris ſeu montana, ſed minùs uſualis.

OFFICIN. NAT.

Folia. Semen [menſes ciens.]

Vires. Mercurialis calf. & ſicc. 1. abſterg. alvum movet (bilem ac aquas purgat.) Extrinſecus vulvæ adhibita menſes & ſecundinas trahit, tumores emollit, creberrimi uſus in clyſteribus.

N. Sunt è noſtratibus mulierculis, quæ Mercurialem infantulis cum pappa exhibent, ut alvum ſolutam retineant, torminaque præcaveant.

PRÆPARATA.

Aq. *ſtillat.* Ex herba floreſcente.

2. *Syrup. de ſucco Mercurialis*, & ſaccharo dimid. Vide Diſp.

3. *Mel Mercuriale.* & ſucc. & mell. dimid. Vid. Diſp.

N. Adhibentur potiſſimùm in clyſteribus.

MERCURIALIS. Ejus duæ ſunt differentiæ *mas* & *fœmina.* Conſiſtit in hoc, quod noduli ſint circa caulem ubi eſt flos: in fœmina ſunt plures, in mare duo, qui quaſi teſticulos duos repræſentant: uſurpatur promiſcuè: nihilominus ſunt qui dicunt, quod mas debeat adhiberi à maribus tantum pro *operibus naturæ*: & fœmina à fœmellis pro *fœtus perceptione.* Alij dicunt, quod mercurialis fœmina comeſta à muliere gravida det fœmellam, à Mercuriali mare verò ſit conceptura maſculum, & certè non eſt planta, quæ adeò commendatur *arcenda ſterilitate* & *expurgando utero*, quam mercurialis, ſive internè, ſive externè. Internè in ESSENTIA ſolet uſurpari eadem. Externè ſub forma PESSI vel CLYSTERIS UTERINI applicatur, inprimis poſt fluxum ſanguinis menſtrui, remoratum à craſſa & viſcida mucilagine vaſa uteri infarciente, quæ impedit fœcundationem & imprægnationem pro eadem expurganda. QUERCETANUS in ſuis ſcriptis mirum quantum commendat Mercurialem pro *purificando* & *abſtergendo utero*: *in medicamentis uterinis*, ratione ſalis nitroſi oleoſi *purificat ſanguinem*, & *abſtergit uterum*: Et hinc *contra ſterilitatem* valdè ſolet laudari. Ex Mercuriali contuſa & ſyndone involuta fit PESSUS frequentis uſus *in menſibus retardatis* & *Lochiis non ritè fluentibus.* ſtimulat etiam inſigniter & facit ut talia excrementa feliciter ejiciantur. Inprimis fit PESSUS elegans, ſi taliter contuſæ addatur Crocus & Myrrha *pro menſibus*: Poteſt fieri talis præſcriptio: ℞. Myrrhæ ℥ß. Croci ʒß. cum ſucco Mercurialis & pauco melle fiat peſſus, qui obducatur ſyndone rubro, & applicetur in forma conſueta: Quod ſi addatur ʒß. Trochiſc. alhandal, erit eo efficacius *pro provocandis menſibus*, & etiam pro *ſtimulandis lochiis.* MEL MERCURIALIS non adhibetur, niſi quod ſoleat ingredi Clyſteres alvi, ubi opus eſt abſterſione mucilaginis craſſæ ab ℥ß. ad ℥j. vel ℥iß.

CCXII. MESPILUS.

MEσπιλος, Meſpilus, *Brunsfelſ. Trag. Lon. Lob. Dod.* meſpilus altera, *Matth.* meſpili altera ſpecies ſponte proveniens, *Cord. in D.* meſpilus vulgaris, *Cluſ. hiſt. Cam. Epit.* meſpilus vulgaris germanica folio laurino non ſerrato, C. B. 1. ſive meſpilus ſylveſt. germ. *Neſpel-Baum, Meſpel-Baum.* Neſles.

Creſcit in hortis. Floret Iunio, Fructus fert Octobri.

OFFICIN. NAT.

Fructus (μέσπιλον,) *Oſſicula*, *Folia.*

Vires. Fructus (meſpila) refrig. ſicc. ſaporis ſunt auſteri, aſtringunt, conſtipant validè. ventriculo noxia ſunt, præcipuè emollita enim aſtringunt levius, nocentque minus, ac facilè putreſcunt. Uſui eſſe poſſunt in diarrhæa, dyſenteria. Extrinſecus in vomitu, (cataplaſ.) impoſiti.

Oſſicula (lapilli, acini) commendantur ſummoperè ad calculum atterendum & expellendum.

Folia ſimilem vim cum fructibus obtinent, adeoque & iiſdem indurationibus inſerviunt. Et præcipuè in gargariſmis: balneis uterinis.

PRÆPARATA.

Conditi fructus, cum melle.

MESPILUS, Arbor ſatis cognita, magis fructus ipſius: Uſitati tantum FRUCTUS & ejuſdem partes. Cæterum fructus meſpilorum recipitur in uſum quando eſt immaturus. (Nam recentes & maturi ſunt fermenteſcibiles, quod veteres dicunt putreſcibiles) propter *vim adſtrictoriam*, quam prodit guſtus adſtringendo linguam & fauces; unde etiam intrinſecus pro reſtrictivo excellenti meſpila immatura ſolent commendari, & exinde in *quocunque fluxu alvi*, uti etiam *in vomitu, nauſea* & *Diarrhœa*, in genere in omnibus caſibus ubi partes ſunt nimis laxæ, ut fibrarum adſtrictione roborentur: Hunc in uſum conveniunt inprimis MESPILA CONDITA: ſic enim gratiorem habent ſaporem, & palato arrident nihilque deperdunt ex vi adſtrictoria. Exemplum hujus uſus habet FORESTUS *lib. 22. obſ. 1.* qui feliciſſimum uſum meſpilorum expertus eſt in *Diarrhœa* compeſcenda & aliquando in quibuſdam contumaciſſimaquos aliis irritis & nihil juvantibus uſu tantum Meſpilorum crudorum reſtituit. Cum ſimili ſucceſſu adhiberi mirè ſolent in *Dyſenteriis*, in quibus adhuc magis convenire videntur. Hinc Germanis dicuntur die Arſchtlammern. OSSICULA reperiuntur in Meſpilis, de quorum pulvere notum, quod ſoleat eſſe commendatus ad *pellendum calculum* inprimis *renum*, utut ſint, qui dicunt illum *ſolvere* & *atterere calculum*,

quod tamen non ausim dicere. FOLIA rarò adhibentur internè, externè frequentius in decoctis pro *gargarismate adstrictorio*: vel in decoctis pro *balneis uterinis*, in *nimiis fluxibus mensium* vel *lochiorum*, vel post *puerperium*, ut gratiores fiant mulieres viris, adjecto tunc temporis pauco alumine, ut sic de novo possint celebrari nuptiæ.

CCXIII. MEUM.

Μῆον, Officinis Meu indeclinabiliter. Meum, *Matthiol. Tab. Ger. Cast. Dod.* Daucus. *Cast.* Tordylium, *Cord. in D.* Meum vulgare tenuifolium, *Clus. hist.* Daucus Creticus, *Trag. Fuchs.* Seseli Creticum, *Fuchs.* Meum foliis anethi, C.B.1. *Beer-Vvurtz, Ba-Vvurtz, vvildere Dill, Baren-Dill, Baren-Fenchel, Mutter-Vvurtz, Hertz-Vvurtz, du Meu.*

Crescit copiosè in sylva Hercinia, aliisque locis montanis, ut & in montibus campestribus & apricis; apud nos non nisi in hortis cultum invenitur. Floret Junio ac Iulio.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Calf. 3 sicc. 2. atten aper. flatus discutit. Usus præcip. in inflatione, ac ructu ventriculi, in mensibus ac urina ciendis, in uteri suffocat. In torminibus ventris, in catarrhis tartaroque Pulmonum expectorando. Extrinsecus in balneis, cataplasmatis, &c.

PRÆPARATA.

Multas ingreditur compositiones, ut & ipsam Theriacam.

MEUM Nomen hoc accepit, quoniam conducit *utero muliebri*, & certum est, quod radix ipsa, quæ & odorem & saporem spirat aromaticum similem ferè fœniculo, sit insignis *uterina*, & inprimis conveniat in *affectibus flatulentis uteri*. Hinc etiam in *mensibus provocandis* & *lochiis propellendis* vulgatissimi est usus apud mulierculas radix pulverisata. Hinc propter *vim carminativam* & aromaticam convenit in *suffocatione uterina*, compescendo acidum corruptum effervescens in intestinis & inducens suffocationem uterinam, affectum convulsivum. Usitata tantum RADIX in *affectibus uteri*.

CCXIV. MILIUM.

Κέγχρος, Milium, *Brunsfels. Trag. Matth. Fuchs. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Cast. Tab.* Milium aureum & album, *Cam.* Milium semine luteo vel albo, C. B. 1. *Hirs, Hirschen*, du Millet.

Gaudet solo arenoso, humido. Floret Augusto.

OFFICIN. NAT.

Semen ac Farina seminis.

Vires. Refrig. & sicc. 3. alvum constipat, est difficilis digestionis, plurimi tamen ac laudabilis nutrimenti. Decoctum sudorem ac urinam potenter movet. Extrinsecus exsiccat catarrhos, dolores capitis & ventris sedat (tostum cum Sale com. calid vertici vel ventri impositum) consumit lac, pellit calculum renum (in baln.) Diarrhæam infantum sistit (cataplas.) cum decocto sumach.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex herba florescente. Insigne præservativum censetur in calculo.

2. *Decoctum D. Ambrosij.* ℞. Milij ℔j. coq. in aq. ℔iij. ad crepaturam, coletur.

Vires. Magnarum virium censetur in febribus, in primis tertiana, si in declinatione paroxysmi exhibeatur ad sudorem eliciendum.

N. Aliis vinum adhibuisse placet.

MILIUM. Qui fructus Cerealis nulli non notissimus. Usitatum tantum SEMEN, quod contritum dat FARINAM: Est facilis, contra AUCTOREM, digestionis & optimæ nutritionis adsuetis. *Ciet sudorem* &c. dicit AUCTOR: id quod observandum præprimis *in variolis*, & quidem solum DECOCTUM est egregium in *temperanda effervescentia* & *expellendis variolis*, sive solum propinetur, sive incoquatur radix fœniculi vel scabiosæ vel aliquot ficus, & quidem perlibenter admiscemus radicem scabiosæ, quoniam variolæ valde lædere solent partes internas, sicque *phthisin*, sæpe *mictum cruentum*, *Dysenteriam* inducunt: Hæc mala ut præcaveamus, addimus radicem scabiosæ, quia vis ejus vulneraria notissima est. Unde etiam *Syrupus scabiosæ* in decoctis hujusmodi solet dissolvi pro præservando pectore & partibus internis contra exulcerationes à variolis: Decoctum D. AMBROSII dicitur, & contra *variolas*, *morbillos* & similes affectus convenire. Interni usus aliàs est rarioris: Externè frequentissimè semen Milij cum sal. tosto applicatur Capiti in *affectibus catharralibus*, in *dolore Capitis gravativo* & *tensivo* in vertice & bregmate, qui dolor gravativus frequens est mulieribus per consensum uteri cum capite: In tali dolore expertissimi sunt sacculi ex milio, vel tosto, vel non tosto cum sale communi leviter tosto capiti impositi: His sacculis pro re nata adduntur alia medicamenta. LINDANUS sanè in *Coll. super Hartmannum*, non potest satis commendare tales sacculos in talibus doloribus capiti applicatos, uti & auribus in *surditate*, *tinnitu* & similibus *aurium affectibus*. Formula potest esse talis;

℞ *Seminis milij (præscribi potest prout lubet) vel leviter tosti, vel leviter contusi Mj.*
Salis communis leviter tosti Mj.
Herbæ Verbenæ (specificè in Cephalalgia)
Florum Chamomillæ ana. Mß.
Rad. Rhodiæ (quæ est specifica in dolore capitis) ℥j.
Zedoariæ ʒß.

Ex contusis fiat sacculus interpassatus No. j. Si debent esse duo, præscribitur in dupla dosi. Applicatur bregmati, osi bregmatis & vertici. Adspergi possunt cum aq. appropriata, etiam cum Sp. vini non adeò generoso vel minus rectificato. Vel irrorari possunt oleo destill. succini vel Juniperi vel alio simili. Denique sæpius contingit, ut intrinsecus deglutiantur fructula vitri, aciculæ & similia: In tali casu, ne deglutitæ res inferant nocumentum corpori, assumatur PULMENTUM MILII. cum lacte ad consistentiam crassiorem coctum, in magna copia, & nihil potus desuper affundatur: Hoc modo enim fit, ut res acres & pungentes involutæ pulpæ milii egrediantur ex stomacho, & proreptent per intestina absque nocumento: Cujus rei egregiam historiam refert KECKERMANNUS in *Systemate Physico.* Item SENNERTUS *Lib. 3. prax. part. 1 sect. 11. cap 3. p. 15.* de quodam, qui in gratiam amici devoravit vitra, ex quo magnum dolorem sensit in ventriculo, curato tamen per pultem ex frumento Saracenico, Loco hujus potest sumi vel ex milio, & sunt ejusmodi pulmenta satis experta Aliàs mihi narravit hospes meus Parisiis Chirurgus expertissimus de puella, quæ deglutivit aciculam quam post triennium ex ulcusculo in pede prope talum extraxit, adeò ut sensim sensimque penetrando, ad partes inferiores fuerit delata, & hujus penetrationis non sunt raræ observationes. vid. PFIZERI *Consult. de ulceribus & vulneribus* refert de cultro, qui penetravit & ex ventriculo extractus est Sic etiam legitur de arista deglutita, & postmodum, orto abscessu circa ventriculum, ex illo extracta.

CCXV. MILIUM SOLIS.

Λιθόσπερμον, Lithospermum, *Brunsf. Fuchs. Cord. in D. Lon.* Lithospermum minus, *Matth. Dod. Lob. Cast. Ger.* Vulgare minus, *Cam.* Lithospermum legitimum, *Clus.* Saxifraga tertia, *Brunsf.* Milium solis Sativum, *Trag. Fuchs.* Lithosper. arvense, *Tab.* majus erectum, C. B. 3. minus, *Matth.*

Germ.

Germ. *Meerhirse Steinsamen.* Saxifrage, du Milium solis. Crescit in hortis, inter fruges incultum Floret Majo.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calf. & sicc. 2. calculum insigniter comminuit ac expellit, Renes abstergit, urinas ciet, partum pellit.

Dosis sem. ℈j. ad ℈ij.

N. Sunt qui pro certo experimento jactitant, in febri quotidiana ante invasionem semen exhibere, idque vicibus iteratis.

Aq. stillat. è foliis.

MILIUM SOLIS seu LITHOSPERMON. Parva est planta cum foliis angustis, communiter solet præscribi in officinis *lithon sperma*, quo nomine etiam venit apud Practicos, ut plurimum dicitur lithon sperma sive semen lapidum propter *vim atterendi & pellendi calculum*. Est una ex celeberrimis plantis pellentibus & *vim atterendi calculum* habentibus: unde etiam solet *abstergere renes* à mucilagine viscida calculorum fotrice & nutrice. Solet *ciere urinam* aliquantisper suppressam; ʒj. hujus seminis experta valdoperè pro *pellenda urina*. *Partum promovere* dicitur: id quod confirmat *FREITAGIUS in A. M. p. 551.* qui dicit, quod ℥ij. seminis minoris lithon sperm. propinati cum lacte sint certissimum experimentum *ægrè parturientium*, quoniam *fœtum egregiè promovent*. Idem *AUCTOR* commendat semen lithon sperm. ad ʒiß. cum pulv. asplenij ʒß & succini ℈ij. cum succo plantaginis aut lactucæ ad *Gonorrhœam cohibendam*: idque suo experimento se hoc didicisse affirmat.

CCXVI. MILLEFOLIUM.

Στρατιώτης, ὁ χιλιόφυλλος. Stratiotes millefolia, *Fuchs. Cast.* millefolium terrestre majus, *Tab. Cord.* millefolium album, *Brunsf.* millefol. vulgare, *Trag.* Achillea, *Lon. Dod.* millefolium, *Cam.* millefol. stratiotes, *Cord. in D.* millefol. album, C. B. 2. supercilium Veneris. Germ. *Garb Tausent Blat, Garben-Kraut, Schaff Garbe, Schaaffripp, Iungfern Augen.* Millefeüille.

Crescit passim locis aridis juxta vias in cœmeteriis, &c. et Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus.

Vires. Exsiccat, astringit cum temperato calore ac amarore: hinc medetur vulneribus, tumoribus ac inflammationibus sine repulsione. Usu itaque interno convenit in hæmorrhagiis ac fluxionibus omnis generis, narium, uteri, alvi, vulnerum, screatu sanguinolento, vomitu, urina retenta, calculo; mictione sanguinolenta, gonorrhæa, hæmorrhoïdibus, fluore uterino, mariscis, cruore, vulneribus. Extrinsecus adhibetur feliciter cephalalgiæ, pterigio oculorum, hæmorrhagiæ narium, vulnerum, odontalgiæ (masticando vel emplastrando) mensibus superfl. fluori albo, diarrhææ, vulneribus consolidandis, tumoribus hæmorrhoïd. Herniæ, Ictibus venenatis, contracturis, tumori penis.

N. 1. *Sunt* qui herbam cum floribus in peste præservanda & curanda; pro secreto peculiari venditant.

N. 2. Herba recens naribus indita hæmorrhagiam causatur.

PRÆPAR.

Aq. Ex herba cum floribus.

N. Medetur putredini gingivarum quàm optimè.

MILLEFOLIUM, Ejus cum tres dentur differentiæ *album, rubrum & luteum*: album tantum est usitatum, primarium est ex iis, quæ *vim* habent *adstrictoriam*, id quod videmus sufficienter diductum ab *AUCTORE*: adeò ut non sint multa de eadem dicenda. Hinc etiam est excellens & primarium *vulnerarium*. Ejus namque succus *vulnera recentia* intra 24. horas consolidare dicitur, & pulvis vulneri inspersus non minoris creditur virtutis. Propterea SUCCUS MILLEFOLII est ordinarium ingrediens in balsama vulneraria, uti etiam pulvis. Ipsa herba ingredi solet Essentias vulnerarias, & sic propinatur *in vulneribus malignis & venenatis*, ubi malignitatem corrigit *AUCTOR* dicit, quod conveniat *in fluxu albo mulierum*: quod verum est, & huic fluxui in viris respondet *Gonorrhæa virorum.* Unde succus millefolij est egregius in compescenda eadem; si ℥j. recip. & propin. cum lacte dulci: Hæc enim potio certò curare Gonorrhæam dicitur: idque imprimis, si admisceatur aliquid de antimonio diaphoretico, vel succino præparato. Hæc namque duo sunt specifica contra Gonorrhæam: eo melius foret, si extrinsecus applicetur testibus succus lactucæ cum pauco Camphoræ. Hæc enim vel sola commendatur contra Gonorrhæas. De cæteris vid. *AUCTOR.*

CCXVII. MOMORDICA.

Balsamina, *Matth. Fuchs.* Balsamina cucumerina punicea *Lob. Tab.* mas, *Cam. Ger.* Pomum mirabile, *Trag.* Pomum Hierosolymitanum, Balsamina rotundifolia repens seu mas, C. B. 1. German. *Balsamapffel.* Merveille.

Colitur apud nos in hortis.

OFFICIN. NAT.

Folia & Fructus (*Poma* dicti.)

Vires. Refrig. parumque siccat, vulneraria est, dolores ac præsertim hæmorrhoïdum mitigat. Extrinsecus sauciatis confert nervis, herniæ, ambustis, &c.

PRÆPARATA.

Oleum. Fit ex infusione & decoctione fructus (exempto semine) in oleo amygd. dulcium.

Morsus Diaboli,
vide
Succisa.

MOMORDICA. Quæ etiam vocatur à quibusdam primario *Balsamina cucumerina*, planta est rara & exotica: ex signatura ubique aculeata videtur ferè signare suam vim vulnerariam, propter quam virtutem vocatur balsamina, quoniam habet vires balsami, & revera sit balsamum quoddam *pro curandis & consolidandis vulneribus*. Interno usu nondum est recepta: sed vis balsamica tantum externo usu se sufficienter commendat, & quidem externè OL. infusionis fructus momordicæ insigniter convenit in *lenendis doloribus hæmorrhoidum*. Hinc etiam oleũ commune, cui infusa fuerint poma momordica est *excellentissimum vulnerarium*. Vid. imprimis de stupendis virtutibus hujus olei momordicæ balsamicis *WITTICH* in *Consiliis.* 632. & imprimis 634. qui stupendas vires in *vulneribus recentibus* attribuit Ol. momordicæ, in conglutinandis illis sine ulla suppuratione, & in ulcus degeneratione. Dicit enim, quod Ol. tanta insit vis, ut etiam *partes abscissas reglutinet*. Præterea si equi albi & nigri aures amputaveris & nigro equo aurem albi agglutinare volueris, præstabis Ol. Momordicæ, quod quidem Hyperbolem sapere videtur. Et quidem in specie *in vulneribus & morbis mammarum* Ol. momordicæ, & alia exinde parata medicamenta adhibentur non solum in vulneratis, sed etiam in *induratis & fissuris papillarum*, quæ impediunt suctionem, quoniam est specificum momordica in talibus fissuris, sive sint in vitis, sive mulieribus, sive sint fissuræ manuum, sive pedum à frigore, in omnibus fissuris egregium est remedium Ol. momordicæ. *In ulceribus & apostematis matricis* Ol. inunctum vel decoctum sub formâ Clysteris Uterini injectum est expertum: Cujus rei experientiam habet citatus *WITTICH d. l.* In *fissura & Apostemate Uteri*, malo sæpius degenerante *in cancrum*, convenit: Si infundantur in Ol. lini, fit Ol. egregium *contra ambustiones*, imprimis si post expressionem addatur. Saccharum. saturn. & Ol. Camphoræ, Si quis recipiat

recipiat fructum maturum in manum, & illum retineat tamdiu; donec incalescat, fit, ut cum crepitu rumpatur, & suum ejiciat semen. Ex hac signatura fuit conjecturatum, numne prosit *in partu promovendo*? numne possit expellere & propellere foetum? quod postmodum jugi experientia confirmatum, & Clysteres Uterini ex momordicâ, uti inquit *AUCTOR*, conveniunt in *partu promovendo*. PULVIS hujus herbæ in Aq. plantaginis assumptus *intestinorum vulnera* curare dicitur, etiam si intestina in utraque parte fuerint perforata. Certè usus momordicæ non potest satis commendari in *vulneribus recentibus*, quia illa adhibita dolor remittit, & vulnera nullâ accedente inflammatione per sanantur. Plura de hoc habeo exempla, quæ mihi satis confirmant vim momordicæ vulnerariam.

CCXVIII. MORUS.

Μορέα, Maulbeer Baum. Meurier. Est { alba, album ferens fructum: nigra, celsa, nigrum ferens fructum. *Hæc præfertur.* }

Dicitur Morus, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Tab. Ger.* vulgaris, *Cam.* Morus, nigra, *cord. in D. Cast.* Morus celsa officinis, *Lob.* Morus fructu nigro, C. B. I.

Maturescit fructus Augusto.

OFFICIN. NAT.

Cortex (præcipuè radicis,) *Folia & fructus*, exsiccatus, sed rarò.

Vires. Cortex Radicis calf. & sicc. amari saporis est, absterg. adstringit, Epar ac lienem aperit, alvum laxat, tineas latas enecat.

Fructus Nigri immaturi (mora immatura) refrig. & sicc. 3. validè astring. Usus præcip. in omnibus fluxibus. E. gr. diarrhæa, dysenteria, fluxu menstruo, exspuitione sanguinis. Extrinsecus in faucium ac oris inflammationibus, ulceribusque.

Mora matura refrig. & sicc. parum (aliis humect.) solvunt alvum (initio pastus) sitim sedant, appetitum excitant.

N. Nutrimenti sunt pauci & putrescibilis.

Folia vel sola, vel cum cortice cocta odontalgiam sedant (gargar.)

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex moris immaturis.
N. Rarò prostat.
2. *Rob Diamoron simpl.* Ex succ. & mell. dimid. Vide Disp.
3. *Diamoron compos.* Fit ut simp. addendo myrrh. croc. omphac. Vide Dispens.
4. *Diamoron Nicolai.* Ex succo moror. celsi ℔. ß. Ororum rubi ℔. j. mell. ℔. j. sapæ ℥iij. V. D.
N. Hoc usitatissimum est.
5. *Diamoron cordi.* Ex succo moror. Rubi, Rubi Idæi, Celsi. fragor. & melle. V. D.
N. Mororum succi ex immaturis moris exprimendi sunt.

MORUS. Ex hac, quæ est duplex, vel alba vel nigra, imprimis usitatus est FRUCTUS mori nigræ. Pro usu officinali exhibet & CORTICEM, FOLIA & FRUCTUS, qui exsiccantur. Fermentare namque recentes dicuntur, & facilè putrescibiles sunt, quod moderni explicant per fermentescibile. Cortex & arboris & radicis sunt ex *adstrictoriis* moderatè, & conveniunt in iisdem affectibus, in quibus cortex fraxini & Tamarisci in *affectibus splenis*, unde credo, quod simili possit modo præscribi *contra splenis affectus*, ac exotica ejusmodi. Quod attinet FRUCTUS. hi ipsi exsiccati *adstringunt*, & conveniunt *in fluxu nimio* tam sanguinis, quàm aliorum humorum. Externè *in oris ac faucium inflammationibus* prodest, & imprimis ROB DIAMORON: Hoc ipsum tam *simplex* quàm *compositum* usitatè ingreditur gargarismata contra *inflammationem*, *laxationem uvulæ*, & *exulcerationem faucium*, *palati*, & aliarum imprimis *partium vicinarum*, & quod superius dixi de Rob dianucum, similiter intelligendum venit de Rob diamoron. Propterea sæpius præscribuntur in formulis simul, rarissimè solum rob vel dianucum vel diamoron: Aliàs sunt rarissimi usus in officinis. Hoc observetur, quod ex tractatione fructus mori soleant tingi manus colore rubro, qui difficulter tollitur, simul ac verò immaturo adhuc fricantur manus, subito color ruber disparet.

CCXIX. MOSCHATA, MACIS.

NUx moschata, & muschata, *Lon. Lob. Fragos. Cord. Tab. Acost.* Nux Aromatica, moschocaryon, moschocarydion. Nux myrista seu unguentaria. *Matth. Cast.* N. Myristica, *Clus. exot.* Nucista, Nux moschata fructu rotundo, C. B. I. Germ. *Muscat-Nusz.* Noix muscade.

N. Clusius duplices statuit, minores (fœminas) & majores, seu oblongas [mares.]

Crescit in Insula Banda Indiæ Occidentalis.

Duplici cortice vestita est: altero exteriori & crassissimo, per maturitatem dehiscente, ut in juglandibus; altero tenuiore, nucleum proximè instar reticuli ambiente, eoque primùm coloris rubescentis, postmodum flavescentis, & hæc officinarum Macis est. German. *Mubsiablubth.* Muguette.

N. 1. Macer veterum est ligni cujusdam cortex lignosus, crassus, rubescens, ex Barbaria afferri solitus, gustu valde amarus & astringens, adeoque differt à maci, quanquam interdum à modernis confundantur.

N. 2. Est & genus maceris Insul. Oriental. quod forsan idem cum veterum. *Vid. Christ. Acost. c. 12.*

OFFICIN. NAT.

Nux ac Macis.

Eligenda Nux recens, gravis, pinguis & quæ acu puncta succum oleosum emittit.

Macis probatur odore suavi, sapore subacri, colore flavo.

Vires. Nux calf. & sicc. subastr. est stomachica, cephalica, uterina, discutit flatus, coctionem juvat, halitum fœtidum oris emendat, fœtum recreat, lipothymiæ ac palpitationi cordis succurrit, lienem minuit, alvi fluores compescit, vomitum sistit.

Maci eadem vires adscribuntur, quia tamen partium tenuiorum existit, ideo & operando efficacior & magis penetrans habetur.

PRÆPARATA.

1. *Condit. Nucist.* Condiuntur nucistæ virides, integræ ut juglandes, conditæque ad nos transportantur.
2. Condiuntur sine involucris.
N. Possunt & apud nos condiri: videlicet. ℞. Nucistas quoad fieri potest recentissimas, macera in lixivio forti, dies (9. vel 10.) ut mollescant: dein abrade externam cuticulam, lavaque donec lixivio penitus exutæ sint: hinc sicca ac cum sacharo syrupisato condito.
[Syrupi de Nuce Moschata fit mentio à M. Bas. utilis concinnari potest ad diarrhæas & dysenteriam puerulorum, meditullium nucis conditæ cum vino generoso coquendo.]
2. *Confectio Macis.*
N. Conficiuntur ut Nucistæ, sed rarissimè.
3. *Aq. Nucistæ* parari potest ut Cinamomi. *Vide lib. 1.*
4. *Oleum Nucistæ still.* exstillat unà cum aq. prodest in cardialgia & sim.
Dosis gt. iij. iv.
5. *Ol. Nucistæ expressum.* Exprimitur ex nucibus recentibus contusis & in sartagine fervefactis l. communi.
Vires. Prodest in torminibus ventris ac nephriticis (in liquore calido exhibitum.) Extrinsecus conciliat blandè somnum (temporibus illitum) tormina infantum cedat (umbilico inunctum.)
N. Ex oleo expresso paratur corpus balsamorum.
6. *Sal Nucistæ.* Ex remanentia incinerata elixiviatur.
7. *Ol. Macis stillat.* Eodem paratur modo.
Dosis gr. iij. iv.
8. *Ol. Macis expressum.* Exprimitur itidem ut dixi.
9. *Extract.* ℞. Ol. Nucist. express. q. v. extrahe secundùm artem digerendo, cum spir. vin. rectificatissimo decanta, filtra, & abstrahe ad consistentiam olei.
Vires. Præter *utilitates alias Balsamo nucistæ conficiendo inservit.*
N. Album corpus post extractionem residuum aliquoties aq. calida abluatur, serveturque pro corpore Balsamorum quod præstat tamen, si extractio cum spir. vin. tartarisato peracta fuerit.
10. *Balsamus Macis.* Fit ex oleo expresso, additis guttulis aliquot destillati olei.
11. *Balsamus Nucistæ.* Fit similiter.

MOSCHATA. Quod exoticum & peregrinum aroma, cuivis satis notum, adfertur ex India Orientali, Insula Sumatra, Madagascar & tractibus Chinensibus, vid. rerum Indicarum & exoticarum scriptores, imprimis NIEHOFF. MACIS seu flos Moschatæ est istud ipsum, quod nucleum ambit immediatè: fructus in se est salubris & aromaticus totus, nihilominus adulteratur in Indiis, propterea ut transferri possit in alias regiones: Maceratur nimirum in aq. calcis vivæ: sic enim fit, ut quidem non corrumpatur, quando transvehitur, sed tamen vis extrahitur, adulteratur & pervertitur. NUCES MOSCHATÆ sunt in duplici differentia, quædam sunt *longiores*, quædam *breviores & rotundiores*: observetur differentia, quod longiores vocentur, nuces moschatæ pro viris à quibusdã etiam nuces moschatæ, pro mulierb. & vulgaris est superstitio, quod sint meliores reliquis, & conducant mulieribus pro *arcenda sterilitate*: viris pro *auctione seminis*. Nihilominus hic error vulgaris obtunditur à rerum Indicarum scriptoribus, quod Indi oblongiores flocci pendent, & omninò negligunt, vid. [Niehoff.] adeò ut sit falsa superstitio, esse meliores oblongos, cum econtra sint viliores. Quod attinet vires MACIS, est unum ex nobilissimis aromatis impraegnatum totum copioso sale volatili, quod sepultum jacet sub copiosâ pinguedine oleosa. Unde nux Moschata, aliàs *stomachica & uterina*, nihilominus aliquantisper *gravat ventriculum*, ratione nimis copiosi olei. *Uterina* est, insigniter, enim *roborat uterum*, *semenque muliebre* reddit spirituosius, indeque aliqualiter confert pro *arcenda sterilitate*. In metu imminentis *abortus* pro *roborando fœtu*, & *abortu præcavendo* adhibetur nux Moschata. Recipiunt enim mulierculæ frustum panis, in aq. vitæ mulierum & vinum Malvaticum intingunt, adspergunt pulvere nucis Moschatæ, & applicant umbilico pro *roborando fœtu*. Simili modo applicatum prodest valdè pro arcenda *Diarrhœa & compescendo fluxu alvi nimio*: quidam simili usu infundunt frustulum panis, tostum super carbones, & pulvere nucis Moschatæ adspersum, in Cerevisiam, & adhibent in *Cœliaca passione, vomitu, nausea*, &c. In *Lienteria*, affectu in quo assumpta per alvum excernuntur indigesta, pulvis nucis Moschatæ cum vitello ovi est egregius, de quo refert *FORESTUS lib. 22. obs. 328.* quod quidam *Lienteria* ferè emaciatus præter omnem spem curatus fuerit per vitellum ovi, pulvere nucis Moschatæ unius insperso, & super tegulam ignitam assatum, quo exhibito æger convaluit probè curatus, unde etiã in *vomitu* compescendo usitata, sive ejus Ol. extrinsecus illinatur stomacho, quod etiam valet in *Cholera*, sive pulvis assumatur internè cum medicamentis aliis. In *affectibus Uteri flatulentis*, in *dolore uteri*, & *inflatione* ejus *post partum* expertum remedium est suffitus nucis Moschatæ. Fit scil. non rarò, ut *post partum* nimis maturè se exponant aëri frigido, vel saltim non satis calido, hinc subito *inflatur uterus*, ut adhuc semel videantur parituræ. Malum est satis frequens in mulierculis magis addictis pompæ quàm sanitati; In tali ergo casu nux Moschata integra sumatur, & dividatur in 4. partes, quarum una superimponatur carbonibus, & fumus recipiatur per infundibulum in Vulvam, qui *discutit flatus*, ut cum sonitu erumpant, & uterum in debitam constitutionem reducit. Expertum hoc est à *SOLENANDRO*, & postmodum ab omnibus Practicis *HARTMANNO, RIVERIO, CORBEO*, &c. In *doloribus post partum flatulentis* sæpe egregium remedium est nux Moschata, & ole. ex eadem inunctum. MACIS seu flos easdem dicitur habere virtutes cum ipsa nuce: Dixi superius, quod ob Oleositatem gravet ventriculum, quoniam minuit fermenti vires, easque obtundit, quod malum præcavere videntur ipsi Sinenses, dum recipiunt nuces Moschatas recentes, & benè maturas infundunt in sal. commune & acet. sic committunt mensis ante pastum, quoniam Oleositas corrigitur ab acet. ob quod acet. nuces magis fiunt volatiles: Egregia sanè inventio est. Item nuces aceto infundunt, & stomacho proficuum parant medicamen & gulæ oblectamentum. Ex præparatis, NUX CONDITA in Electuariis *corroborantibus caput* & *uterum* solet præscribi, uti etiam in morsulis. Hinc etiam prostat ole. NUCISTÆ & ole. MACIS DESTILLATUM & expressum, quod ad affectus stomachi & uteri commendatur: illitum stomacho *retardat vomitum*: regioni Umbilici inunctum in *Diarrhœa & Cholera* conducit: In specie *Colica*: OL. DESTILLATUM potentius & penetrantius est Ol. expresso. EXPRESSUM illinitur temporibus pro *conciliando suavi & leni somno*: imprimis si unum vel alterum gr. opij vel Ol. expressi Hyoscyami admisceatur, egregius erit balsamus soporiferus. Ol. DESTILLATUM MACIS inunctum renibus in dorso & umbilico compescit *dolores Colicos & stranguriam* ex eadem origine ortos. Pulvis Nucis Moschatæ cum pulvere baccarum Lauri assumtus brevi *stranguriam* curare dicitur. Si nux Moschata pulverisata coquatur cum matricaria in vino, erit optima potio in *affectibus Uteri flatulentis*. Ulterius Oleum stillatitium Macis solet admisceri pulveribus purgantibus pro correctione ad aliquot guttulas. Sic enim ratione odoris suavis assumti retinentur in ventriculo, & sine flatibus & torminibus blandè purgantem vim exserunt.

CCXX. MUSCUS.

Bρύον, Arab. Usnea, *Moos*, Mousse d'arbre, terrestre, de caillous, marine.

Muscus { *Arboreus. De quo hic.* / *Terrestris. De hoc sequenti loco.* / *Saxatilis, Vide Lichen.* / *Marinus. Vide corallina.* }

Muscus, qui arboribus accrescit, figuræ ratione potissimùm triplicis est sortis: 1. capillaceus, id est, habens formam capillorum, adnasciturque caudici) C.B. 1. seu usitatior officinatum.) 2. Fœniculeus, i. e. fœniculi folia æmulans, (C. B. 3. seu muscus arboreus cum orbiculis.) *Tab.* Muscus ramosus, floridus & non floridus. Adnascitur ramis. 3. Crustaceus, habens formam crustarum, (C.B. 7. seu muscus pulmonarius, *Tab.* pulmonaria.) Vide pulmonariam arboream.

Ex his hujus loci sunt priores, quorum usualior primus, adeoque usnea officinar. dictus. Hic tum tenuior est, tum crassior: aliàs brevior, aut prolixior: omnes candescentes, pauci rutilantes, quandoque nigri. Primæ nobilitatis sunt muscus lariceus, piceus, pineus & abietinus. Hinc populeus, sed candidus (nigricans enim improbatur) utilissimus omnium est quernus.

Videatur Muscus arboreus, *Trag. Matth. Dod. Cast.* Muscus, *Cord. in D.* Musc. arborum, *Lob. Tab.* Musc. quernus, *Lob Ger.* Muscus arboreus, Usnea officinar. C. B. 2. inter species musci arborei.

Colligendus est in initio veris.

Vires. Muscus omnis astring. Usus præcip. in Ictero, vomitu, diarrhœa, dysenteria, ab ortu præcavendo. Extrinsecus in laxitate gingivar. in sanguinis fluxu compescendo [cum thure in vino & modico aceto, in nervis punctis & dolentibus.]

N. Quia signaturam capillor. habet, ideo & capillis muscum dicatum esse volunt.

MUSCUS. Est varius, tantum usurpatur *arboreus vulgaris*, raro tamen celebris est ex eo, quod sit *adstrictivum*, idque externo usu. Unde ubique adstringit, & ad impeditionem fluxus humorum solet adhiberi. Mentionem facit *AUTOR* Musci ex cranio humano seu Usneæ, de qua erit inferius dicendi locus. Observetur tantum hoc, quod semper debeant esse musci ex homine violenta morte interempto, alias vel nullas, vel paucas admodum habebunt vires, quæ ipsis adscribuntur.

CCXXI. MVSCVS TERRESTRIS.

MVsci terrestris variæ itidem dantur species, è quibus in officinas solùm venit quæ repens vocatur, C.B.10. seu muscus terrestris clavatus: muscus terrestris, *Trag. Matthiol. Dod. Cast.* Lycopodium, pes lupi, *Tab.* Pes Leoninus, *Lob. Ger.* Cui tamen affinis est muscus ramosus, C. B. 2. muscus terrestris, *Tab.*Germ. *Barlapp, S.Iohannis Gürtel, Gurtel-Kraut, Neunheil, Teüffels Klauv, Lavven-Fusz,* l'Arbre terrestre, de caillous, marin.

Crescit in sylvis desertis ac myricetis. Floret Junio.

OFFICIN. NATIVA.

Muscus, flos citrinus & Farina.

Vires. Refrig. & sicc. Vsus præcip. in calculo atterendo ac expellendo (laudatur summoperè flos ejus citrinus) in fluxu alvi. [Pro Epileptico puerili habetur.] Extrinsecus in laxitate dentium, in consolidatione & siccatione vulnerum (farinâ excussâ inspersâ)

MUSCUS TERRESTRIS, Imprimis *clavatus*, qui respersus est farinâ quâdam, quæ vocatur sulphur musci: Celebratur in *vulneribus recentibus*, ut & *hæmorrhagiis*, imprimis si misceatur cum pulvere Thuris & Colophoniæ, sic enim inspersus *hæmorrhagias sanguinis* compescit: rari aliàs usus, ut nihil habeam, quod de illo dici possit.

CCXXII. MYRTILLUS.

MYrtillus, *Matth. Lon. Cast.* Myrtill. vulgaris baccis nigris, *Clus. hist.* vitis idæa, *Tab.* vitis idæa nigra, *Cam.* Myrtillus Germanica, vaccinia nigra, C.B.1. seu viridis idæa foliis oblongis crenatis, fructu nigricante. German. *Heydel Beer.* Myrtill.

OFFICIN. NAT.

Baccæ. Vaccinia seu Myrtilli Germanici.

Vires. Refrig.2. sicc. & subastring. sedant sitim. Vsus rari sunt; adhiberi tamen possunt in febribus, vomitu ac diarrhæa. Alii exsiccant, inque dysenteria utiliter propinant.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. Myrtillorum.*
2. *Syrupus,*
3. *Vinum.*

MYRTILLUS, Ex quo frutice usitatus fructus exsiccatus, valdoperè *adstringit*, & propterea convenit in quibuscunque quorumcunque humorum fluxibus, in *hæmorrhagia Vteri, narium & Dysenteriâ.* Prostat etiam SYRUPUS MYRTILLORUM, qui in *quocunque fluxu tam sanguinis,* quàm *aliis*, in *vomitu* etiam, *Dysenteria*, & in specie in *hæmorrhagia pulmonum*, vel *in sputo sanguinis* convenit. Refert *FORESTVS lib.16. obs.20. Scholio,* quod in Tussi cum sputo sanguinis, affectu satis periculoso, propinatus sit egregium remedium Syrupus Myrtill. cum vel solus soleat conducere pro compescenda Tussi & sanguinis excretione, OL. MYRTILLI per infusionem & coctionem prostat, quod extrinsecus solet illini capiti contra *defluxionem capillorum.* Item inungi solet partibus abdominis cum Oleo Mastichino in *nimis alvi fluxionibus, vomitu, Diarrhæa, Cholera* & similibus.

CCXXIII. MYRTVS.

Μυρτίνη ἢ μυῤῥίνη: Myrtus & murtus. Germ. *Myrten-Baum.* Myrte.

E variis myrtorum generibus usualior est Myrtus, *Tab.* M. Minor, *Lob.* & Tarentina, *Clus. hist.* M. Tarentina, *Matthiol. Cast. Cam.* M. minor vulgaris, C B.9.

Huic substitui poterit Myrtus foliis minimis & mucronatis, C.B.8. M. prior. *Dod.* angustifolia 9. *Lob.* M.domestico fructu albo, *Clus.hist.*

Crescit in regionibus calidis, Italia ac Gallia Narbonensi juxta ripas maris.

OFFICIN. NAT.

Folia, Baccæ (Myrtilli officinarum myrta.)

Vires. Vtraque refrigerant temperatè, sicc. validè, astringuntque. Vsus internus rarior est, nihilominus tamen adhibentur in fluxu alvi ac exspuitione sanguinis. Extrinsecus usus utriusque crebrior.

Folia emendant fœtorem (sub axillis ac inguinibus pulvis aspersus:) sudorem corporis immodicum sistunt (frictione:) membris catarrhosis opitulantur, alvi fluxui succurrunt, defensivum exhibent in herpetibus, putredinem oris sanant, hæmorrhagiam narium sistunt, polypo medentur (cum melle ac vino.)

Baccæ mitigant oculorum inflammationes, juvant luxatos articulos ac ossa fracta, subveniunt procidentiæ uteri ac ani, capitis tineas, furfuraceaque excrementa abigunt.

PRÆPARATA.

1. *Syr. myrtillor. seu myrtinus.* Vide Disp.
2. *Ol. myrtillor.* Ex fol. myrti & ol. communi infusis.
3. *Ol. myrtinum.* Ex fol. myrti & ol. communi.

MYRTUS. Variæ sunt species: sed rari est usus, utut tota planta spiret odorem aromaticum, & imprægnata tota arbor Oleo balsamico aromatico, quo natura se perpetuò virore vestit. Vis stomachica latet in BACCIS egregia. Unde *affectibus stomachi* conducit, quod etiam confirmat *AVCTOR*, aliàs tam fol. quàm fructus adstringunt, sive adhibeantur internè sive externè: Et quidem *in laxitate gingivarum Scorbutica baccæ & folia* commendantur, pro *arcendâ putredine*, & pro *roboranda adstrictione gingivarum:* solet etiam admisceri decoctionibus & præscriptionibus pro *capite purificando in Tinea*, vel à *furfuribus* & aliis *impuritatibus capitis* sub capillis occultatis.

N.

CCXXIV. NAPUS.

Bunias { sativa, usualis. / Sylvestris.

Vide Napus, *Brunsfels. Matthiol. Dod. Cor.in D.Cast.Cam. Lon.* Rapum sativum alterum, & Napus veterum, *Trag.* Napus Bunias sativus, *Fuchs.* Bunias seu napus, *Lob.* Napus sativa, C.B 1. Germ. *Steckruben.* Naveau & navettes.

N. Recensentur Napi in genere raporum, quòd caule, floribus, semineque Rapa æmulentur, quamquam folio & radice Raphanos magis referant. Est autem genus plantar. sativar: notissimum, quod colunt non modò ob radicum usum esculentum, sed & ob seminis oleum expressum, quo tum fercula impinguant, tum lampades instaurant.

Floret à Vere in æstatem.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Calf. sicc. absterg. aper. digerit, atten. & incid. venenis potenter resistit (unde & Theriacam Androm. ingreditur,) morbillos ac variolas peculiari facultate à centro ad circumferentiam corporis pellit, ideoque in febribus malignis & petechialibus crebri usus est, (in emulsionibus.) Confert & in Ictero, urina remorata, &c.

Dosis ℥j.

PRÆPARATA.

Oleum expressum ad omnia utile ad quæ semen. Vsitatum est plebeis, ad compescenda tormina ventris infantibus exhibere.

NAPUS. Quo nomine observare datur, quod vocetur ab auctoribus, utut non varii sit usus, sed soleat præscribi *in affectibus malignis* pro *expulsione malignitatis*, ad corporis peripheriam: in nodulis quos iniiciunt mulierculæ cerevisiæ pro *expellendis variolis & morbillis*, ex semine napi & aquilegiæ, atque

atque ita *promovent eruptionem variolarum*. In adultis ſolet ſemen napi ingredi in Emulſiones in *purpura, petechialibus, variolis & morbillis* præſcriptas, unâ cum quibuſdam aliis, ut adjuvent expulſionem. Tandem interdum in uſum venit mulieribus pro expellendis lochiis, ſecundinis & menſibus, utut rarò in tali caſu ſoleat adhiberi, aliàs non erit uſus niſi in prædictis affectibus.

CCXXV. NASTURTIUM AQUATICUM.

KΑρδαμινη, Naturtium aquaticum (& 2.) *Trag. Lon. Dod.* Creſſo, Laver odoratum, *Cord.* Syſimbrium cardamine, *Fuchſ.* Syſimbrium aquaticum primum, *Tab.* Syſimbrium alterum, *Cord. in D.* Sion Cratevæ, Syſimbr. 2. *Dioſcor.* Sion Cratevæ, Erucæ folium, *Lob.* Sium majus, *Ger.* Syſimbrium aquaticum, *Matt. Caſt.* Naſturtium aquaticum ſupinum, C.B.1. German. *BrunnenKreſz.* Siſimbre, Large-feüille, Crépin Aquatic, du Creſſon d'eau.

Creſcit in rivulis vel paludibus: floret Julio & Auguſto. Viret perpetuò, adeoque hyemali tempore acetaria exhibet non vituperanda.

OFFICIN. NAT.

Folia ſeu herba cum floribus.

Vires. Calfac. & ſicc. 2. (exſiccatum 3.) atten. aper. Vſus præcip. in calculo ac ſabulo, obſtructione Lienis ac Epatis, menſiumque: ſpecificè in ſcorbuto commendatur.

N. *Præſtat* recens adhibuiſſe, quàm exſiccatum, ob Sal volatile paulatim evaneſcens.

PRÆPARATA.

1. *Succus inſpiſſatus.*

℞. *Cum* aceto naribus illitus, arcet immoderatas vigilias, Polypum extirpat, ſuccus naribus inditus.

2. *Aqu. ſtillat.* Ex planta integra collecta Auguſto.

3. *Spiritus.* Ex herba contuſa, addito tantillo fermento, fermentata.

NASTURTIUM COMMUNE, ſeu AQUATICUM. Quod aliàs ordinariò vocatur apud Practicos, & quidem uſitatius *Siſymbrion*: Creſcit in locis humidis & paludibus, dicitur naſturtium quaſi nares tortium, quod nares tormentet, quatenus abundat copioſo ſale volatili admodum acri, quod acredine ſuâ vellicando & pungendo nares tormentat. Abundat ſale volat. acri. Unde eſt unum ex primariis *antiſcorbuticis*, quoniam *omnes mucilagines craſſas primarum viarum corrigit*, & incidit, quamcumque in corpore noſtro aciditatem potenter emendat, & denique langueſcentem partim, partim depravatam ſanguinis fermentationem cum ſale ſcorbutico concurrendo ſuſcitat, auget & fortiorem reddit. Unde quod dictum de Scorbuto, dicendum quoque de ſimilibus vitiis, in *malo hypochondriaco, affectibus ſplenis & Pancreatis*, in *morbis Chronicis*, imprimis in *quartanis*, eſt elegantiſſimum remedium: Solent enim quidam recipere ſuccum naſturtii aquatici expreſſum cum ana aceti communis, cochlearia 2. vel 3. mixta cum VI. vel VII. gr. ſalis abſinthii fixi: Hanc ipſam miſturam propinant ante paroxyſmum, idque ter quaterve repetunt, ſicque curari *quartanas* dicunt. Et quidem cum ſæpe complicata ſit quartana cum ſcorbuto, vel curanda veniat ut *ſcorbutus*, in tali caſu egregium remedium erit naſturtium aquaticum. Rectè dicit AVCTOR, quod viride & adhuc recens naſturtium adhibitum melius ſit; quod verum eſt de omnibus ejuſmodi ſal volatil. præditis: avolat enim ſal, quando exſiccatur, & ſic depauperatur virtutibus. Prodeſt contra *nephritidem*, quod habet AVCTOR, idque quatenus ſal ejus volat. acre temperat & corrigit acidum *calculi* coagulatorem. Præterea etiam ſolet *ciere urinam* eamque provocare. Naſturtium aquaticum, imprimis ejus SEMEN, ſolet valde commendari, quod *ſanguinem congrumatum* omnium optimè ſoleat *diſſolvere*. SUCCUS INSPISSATUS imprimis eſt officinalis, de hoc obſervetur AVCTORIS error, quod dicit, cum aceto illitum naribus ſolere arcere vigilias immoderatas, & quaſi inducere ſomnum. Nam ſpongia, cum ſucco naſturtii & aceto roſaceo impprægnata, ſolet certo experimento aplicari naribus in *Lethargo*, ut arceat periculoſum ſomnum, quin imo acetū per ſe *agrypniam* inducere ſolet: propterea in Epithematibus Cephalicis moderatus aceti ſit uſus, ne vigilias inducat Unde non poteſt eſſe, quod conducat contra vigilias, potius conveniet contra *Lethargum*. Si inſpergatur ſpongiæ, cum ſucco naſturtii & aceto roſaceo imprægnatæ, pulvis Caſtorei, ejuſdem efficacia magis appropriata reddetur, quia pulvis dictus expertus eſt in *Lethargo*. Unde etiam FORESTVS lib. 10. Obſ. 39. commendat valdoperè in *Caro pituitoſo* & frigido, nilque præſtantius eſſe dicit, quam uſum naſturtii, ſive cocti, ſive in acetariis uſurpati. Et quidem quod acet. proſit contra nimium ſomnum, patet ex eo, quod ad arcendum nimis frequenti & immoderato opiatorum & narcoticorum uſu inductum ſomnum ſæpe lethalem ſit optimum acetum, cum corrigat vim opiatorum narcoticam. Ergo cum naſturtio conjunctum magis vigilias inducet quàm ſomnum contra AVCTOREM. Dicit præterea AVCTOR, quod ſuccus naſturtii conveniat in *Polypo* (qui eſt caro propendens ex naribus, ubi ſæpè metus eſt, ne inducatur ſuffocatio, niſique rectè tractetur, abit in gangrænam, & ulcus cancroſum exinde fieri poteſt) quod verum eſt: Et fuit hic ſuccus ſecretum cujuſdam Mulieris nobilis Lotharingiæ, quæ hoc ipſo ſucco quamplurimos polypo laborantes curavit: Quod teſtatur HARTMANNUS in ſcriptis ad D. MICHAELEM tranſmiſſis. Alii ſolent commendare ſuccum ari vel aſari, qui ſucci non minus quam naſturtium aquaticum imprægnati ſunt ſal. vol. acri. Hinc ſequitur aqu. NASTURTII per B. M. & ſpir. inſtar ſpir. vini elicitus, quæ ad eadem conveniunt vitia, ad quæ ipſum naſturtium aquaticum ſimplex.

CCXXVI. NASTURTIUM HORTENSE.

Kάρδαμον, eſt { Latifolium. Criſpum vulgatum. *Vſitatius.*

Naſturtium, *Brunsfelſ. Matthiol. Caſt. Tab.* Naſturtium hortenſe, *Trag. Luchſ. Lob. Dod. Ger.* Naſturtium hortenſe vulgatum: C B. 2. *Garten Kreſz.* Large feüille crépu: Creſſon domeſtique. [*Agretto*, Italis.]

Colitur in hortis.

Seritur vere, floret æſtate.

OFFICIN. NAT.

Folia ac Semen.

Vires. Semen & herba ſicca calf. & ſicc. 4. (Herba viridis mitior eſt (utrumque attenuat, aperit, abſterg. Vſus præcip. eſt in tumido liene, menſibus obſtructis, fœtuque mortuo expellendo, tartaream mucilaginem Pulmonum incidit, Scorbuto confert. Vulgò itidem ad expellendos morbillos inſervit ſemen. Extrinſecus uſu venit in apophlegmatiſ. errhinis, phœnigmis: furfures ac ſcabiem fœdam capitis aliarumque partium ſanat (tritum aut frixum, cumque porci axungia illitum.)

N. Naſturtium pratenſe (quem florem cuculi appellant, alii Iberim, Lepidiumve minus,) ut & Naſturtium montanum, ſeu alpinum, nec non & naſturtium hybernum (eruca lutea vel Barbarea dicta) officinis incognita ſunt.

[Naſturtium Indicum, ſ. Peruanum viribus æquale eſt aliis: Flores in acetariis appetitum excitant. aqu. ad plagas oris adhibetur, & ulcera ſcorbutica.]

NASTURTIUM HORTENSE. In hortis ſolet ſeri & coli, ſaporem habet eundem cum naſturtio aquatico, utut ſit aliquantiſper mitius. Eſt aliàs ejuſdem uſus & naturæ cum naſturtio aquatico, con-

venit

venit itidem in *Scorbuto*, ac Nasturtium aquaticum, & quod præstat, ratione salis vol. acris præstat. Sunt qui commendant singulariter contra *vermes*, & imprimis contra *vermen pericardii*. De quo verme cordis in Capsula vid. *HARTM. in prax. Chymiatr. cap.*3. qui inter alia commendat succum nasturtii aquatici contra tales vermes, simile memini me legisse in *Obs. GABELCHOV. Cent.*3. *Cur.*1. de vermibus cordis: historia est elegans, quæ videri potest apud *AUCTOREM*, de puella, simili succo nasturtii & allii cum brodio, in quo maceratus fuit raphanus rusticanus, curata haustibus repetitis: In annotatione sequente facit mentionem vermium, quod non sint arcendi quam succo nasturtii, allii & raphani rusticani. Est rara & observatu dignissima historia. Aliàs ejusdem est usus cum nasturtio aquatico. Adhuc noto de nasturtio, quod detur etiam species. INDICUM dictum, quod commendatur valdè in curatione *phthiseos*, sive ejus folia, sive succus usurpetur. Si assumatur cum conserva rosarum, valdoperè ad *phthisin* curandam commendatur: Hocque expertum secretum fuisse dicitur B.D. *MOEBII* Prof. quondam Jenensis. Et quidem in *phthisi Scorbutica* valdè prodesse dixerim, ubi acidum scorbuticum corrodit pulmones. Unde talia antiscorbutica seu cum conserva rosarum, seu cum sero lactis caprini prodesse dixerim: cum lacte præprimis, quod coërcet febrim hecticam cum phthisi conjunctam.

CCXXVII. NEPETA.

Mentha felina, *Tab. Ger.* Cattaria, *Dod. Lob.* Mentha non odorifera, Nepeta vulgaris, *Trag.* Nepeta fruticosa *Cord in D.* herba gattaria, *Matth. Cast.* Calaminthæ 1. penus, *Fuchs.* Nepeta Germanica, *Cam.* Calamintha montana. *Lon.* Mentha cattaria vulgaris & major, C.B.1. German. *Ratzen-Kraut-Ratzen-Nept.* Herbe, ou Menthe au chat.

Crescit utplurimùm in hortis, tum quoque juxta vias: floret Junio, Julio, Augusto.

OFFICIN. NAT.

Herba.

Vires. Calfac. & sicc.3. partium est tenuium, attenuat, aper. (Usus præcip. in morbis uterinis, scil. obstruct.) sterilitate, fœtu pellendo, tum quoque in tartaro pulmonum incidendo, &c. Extrinsecus in balneis pro utero.

N. Ob gravem odorem raro intrinsecus exhibetur.

NEPETA. Species menthæ, non est odoris grati, uti reliquæ species, sed admodum molesti, dicitur (Rahenmunhe) quod alliciat feles & canes. De qua vi alliciendi vid. FABER in *Myroth. spagyr. lib.*2.*c.*34. ubi præscribit modum faciendi V. ESSENTIAM ex nepeta cujus odore ita delectari feles & canes scribit, ut apud Phiolam, in qua illa paratur, moras longas nectant. Herba raro solet præscribi, nisi in *Uterinis affectibus*, estque unum ex primariis *Emmenagogis* vel *menses & lochia expellentibus*. Unde & internè & externè solet præscribi. Externè in balneis Uterinis, aut etiam in Clysteribus Uterinis.

CCXXVIII. LIGNUM NEPHRITICUM.

Est ligni genus crassum & enode, aquam infusione cæruleam reddens. Germ. dici potest, *Gruszholtz.* Bois nephritique.

Videatur lignum nephriticum, seu lignum ad renum affectiones & urinæ incommoda, *Monard.* Lignum ex novo mundo pyro simile, *Fragos.* Lignum peregrinum aquam cæruleam reddens, C.B 4. Inter genera Fraxini.

Affertur ex nova Hispania

Vires. Calf. & sicc. gr 1. Usus ejus receptus est ad renum vitia, urinæque difficultates & incommoda. Hinc in Epate & lienis obstructionibus.

PRÆPARATA.

Infusio, quæ in aqu. fontana facta nonnullis potus est sat expetitus, tùm ratione saporis, quem ferè nullum exhibet, tum quoque coloris cærulei, adeoque amicabilis. Potest illâ dilui vinum.

N. Adulteratur alio ligno simili, quod aquam croceo colore inficit. Monard.

NEPHRITICUM LIGNUM. Exoticum, lignum admodum crassum & durum, quod aquæ infusum vario eandem solet tingere colore, & infusum in aqu. communem, si consideretur in loco umbroso, videtur cœruleo colore, si in claro & sole, apparebit infusio lutea vel crocea. De qua varia tinctura quam lignum nephriticum imprimere solet aquæ infusum vid. *SCHOTT. mag. natur. part.* 1. *lib.*5 *acroamat.*1. *KIRCHERUS*, ubi tractat de ligno nephritico & simul rationes addit diversitatis colorum in *arte magna lucis & umbræ lib.*1. *part.*3. *cap.*4. Elegantissima habet *SCOTTUS*, & digna quæ legantur. *KIRCHERUS* in proprio scripto dicit, quod vis tingens ligni nephritici oriatur à sale quodam ammoniacali in ligno existente, quod resolutum per humidum, pro diversa radiorum solis incidentia, & refractione varios & diversos repræsentet colores. Hoc ergo lignum nephriticum propter vim tingendi cœruleo colore vocatur SANTALUM COERULEUM: Santala sunt tria: Santalum rubrum, album & luteum seu citrinum, de quibus inferius, unde hoc solet vocari quartum & cœruleum. Quoniam solet adulterari, fit probatio, quando infunditur in aqu. ut videamus, an tingat illam, & quidem in loco umbroso, an colore cœruleo? Expertum est in *affectibus calculosis & nephriticis*, sive debeat *pellere calculum*, sive ejus *genesin impedire*. Propter hanc insignem vim *antinephriticam* hoc nominis accepit, adeò ut nullum sit simplex, quod ita simpliciter usurpatum talia præstet, quæ lignum nephriticum, absque omni saporis ingratitudine, & aliis molestiis & potus ratione etiam coloris gratus est. Solet præterea usurpari in curatione *lienis vitiorum*, in *tumore ejus & duritie*, dum *flatus & materiam crassam potenter resolvit*, & per *urinam resolutam eliminat*. Optimus namque curandi lienis vitia modus est, qui fit per diuretica. Huic ligno nephritico usitatè tanquam exotico substituitur nostra betula pro dictis usibus, de qua supra. Vid. etiam *HELMONT.*

CCXXIX. NICOTIANA.

Tabacum, Tobacum, Tabacca, Tubac, Petum. Herba sanctæ Crucis, Sana sancta, Torna bonna. *Indianisch. Bein Vuelle, indianisch Vuund Kraut, heilig Vuund-Kraut, Tobak.* Nicotiane, Herbe à la Reine, du Tabac.

N. Ante annos aliquot ex America primùm adferri cœpit, unde postmodum in nostris hortis colitur, & copiosè ab Hanoviensibus, qui officinas nostrates suo Tabaco sufficienter instruunt: Huic tamen Indicum præferendum censemus ex Indiæ Occid. Insula virginea florida ceu patria genuina ad nos allatum.

Est:
- Major
  - latifolia, seu fœmina, C.B.
  - angustifolia mas, C.B.2.
- Minor, C.B.3.
- Minima, C.B 4.

1. Videatur Nicotiana, *Lon.* Major, *Tab.* Tabacum (ab ejus nominis Insula,) *Monard. Fragos.* Tabac latifol. *Cam.* Petum, *Clus. ad Monard.* Hyoscyamus Peruvianus, *Dod. Cam. Epit* Sana Sancta Indorum, *Lob. Ger.*

2. Tabacum seu herba sancta minor, *Lob. Tab.* angustifol. *Cam.* Petum angustifol. *Clus. ad Monard.* Hyoscyamus Peruvianus alter, *Dod.*

3. Petum 4. *Clus. ad Monard.* Hyoscyam. niger vel 3. *Matth. Cast.* Hyoscyamus luteus, *Dod. Lon. Cam. Ger.* Hyosc. Peruvianus, *Tab.*

4. Tabacum minimum, *Cam.* Tabac, seu Sana sancta minima, *Lob.* Petum 3. *Clus. ad Monard.*

N. Nicotiana dicitur à Nicotio, Regis Galliæ Legato, qui herbam eam Vlissipone Zelandiæ accepit è Florida allatam, postmodumque Gallis innotescere fecit.

Gaudet solo pingui ac læto, area plana, opaca, aqua mirè delectatur, frigoris impatientissima est. Seritur felicissimè tempore verno, in principio April. lun. crescente, colligitur herba sol. in leon. 15. gr. 18. 19. 20. lun. decrescente. Semen martio & aquar. est dicatum.

OFFICIN. NAT.

Folia seu herba & *Semen.*

Vires. Herba recens calf. & sicc. 2. siccata 3. (aliis calf. 1. sicc. 2.) aliis refrig abstergit, incid. 1. resolvit, aliquantulum astringit, resistit putredini. Sternutatoria est, apophlegmatizans, anodyna, vulneraria, vomitoria, &c. Vsus præcipuè externi ad catarrhos cerebri exsiccandos; somnum inducendum, lassitudinem ex labore discutiendam, uteri strangulatum compescendum: à peste præservat (in suffitu) sedat dentium dolores, discutit tumorem uvulæ (in gargar.) medetur lichenibus, phthiriasi, porrigini, achoribus ac favo, mundificat ac consolidat vulnera ac ulcera inveterata, sanat ambusta quoquo modo adhibita (balneatione scil.) vel sola impositione foliorum recentium nostratis Nicotianæ, &c.) Nec tamen prorsus usum quoque subterfugit internum, dum pro vomitorio exhibetur (sat violento) qua ratione curat febres, similesque morbos, sed cautione hic opus est.

N. 1. Non adeo proficuus Tabaci usus est juvenibus ac biliosis.

N. 2. Novi qui mictionem nocturnam vespertino Tabaci suffitu præcavebat.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex foliis.
2. *Syrupus de Nicotiana.*

Vires. Et aquam & syrupum cum successu exhibent in asthmate, pulmonumque tartaro, quin & in febribus.

3. *Ol. peti stillat.*
4. *Ol. per infusionem.*

[*N. Oleum* Zuvingeri ex semine per 3. dies in aqu. propria vel fontis loco calido macerato, expressum proficuum ulceribus & vulneribus cum ole. Therebinth.]

5. *Sal* ex cinere.
6. *Vnguentum de Nicotiana.* Vide Disp. August.

N. Parari itidem potest ex solis foliis recenter contusis, seu si mavis, ex succo ac pinguedine.

[*N. Vnguentum* Iouberti ex Peto, vid. disp. Norib. ad Scrophulas mirabile, &c.]

7. *Balsamum.* Vide lib. 2.

N. Sunt qui folia minutissimè incisa (zerhackt) in vitro optimè clauso dies (40.) tepori, (e.g. fimi vel acervi formicarum) exponunt, atque hac ratione Balsamum acquirunt. Vvittich.

peculiarem Tabacologiam conscripsit Joannes Neander, Medicus olim Bremanus. & inde Alstedius in sua Encyclop. Satis itidem prolixus in descriptione Tabaci est Nicol. Monard. in simplic. medic. hist. c. 24.

NICOTIANA. Datur flore cœruleo & luteo. Dicitur etiam TABACUS, it. à quibusdam vocatur HYOSCYAMUS PERUVIANUS HERBA REGINÆ. *Nicotiana* dicitur à *NICOTIO* regis Galliarum Legato in Hispaniam, qui primus in Gallias plantam hanc & ejus usum introduxit. Indico nomine vocatur *Tabacus*, & *regina* propter elegantes virtutes, quas possidet. *Hyoscyamus Peruvianus* dicitur, quoniam instar Hyoscyami habet *vim narcoticam & stupefactivam*, etiam quoniam planta similis est hyoscyamo. Usitatè vocatur apud Practicos PÆTUM, unde *oxymel de Pæto QVERCETANI* vel de nicotiana: Variæ ejus sunt species: flore subrubente est usitata: locus ejus natalis est in Insulis occidentalibus, Florida, Virginia & sequentibus. Copioso sale vol. acri est imprægnata, ratione cujus habet gustum subamarum & acutè penetrantem. Hinc sal. vol. acri & penetranti adscribitur, quod masticata producat phlegma, pungendo membranas glandularum faucium: Hinc deprehenditur ole. crassum in quo consistit *hypnotica*, quando reddit ejus amatores cōsopitos. Unde modus est novus conficiendi fistulas nicot. cum tubulo parvo ut vis narcotica cum fumo hauriatur. Deinde sal vol. acre habet *insignem vim purgantem*, ut si tantillum ab haustu deglutiatur, enormes *vomitus* & enormes *dejectiones* soleat inducere. Unde modernorum est inventum sibi applicare CLYSTERES *ex fumo Nicotianæ*, qui egregii sunt in *Colicis torminibus & affectibus flatulentis.* Modum & instrumentum, quo applicantur tales Clysteres, vid. apud *BARTHOL. Cent. 6. hist. 66.* sine noxâ & molestia. Unde etiam fumus haustus solet inducere Choleram, & prostat INFUSUM NICOTIANÆ, quod solet *purgare per superiora & inferiora*, v. gr. Pro pauperibus ℞. Tabaci Virginii minutissimè concisi ʒj. infundatur per noctem in quemcunque velis liquorem, imprimis in vinum, manè lentè exprime & pota, quæ potiuncula sursum & deorsum egregiè purgabit. Pro ditioribus ℞. Tabaci Virginii optimi q.s. rosarum incarnatarum in umbra exsiccatarum vel ana vel partes 2. & 1. partem Nicotianæ, extrahe cum spir. vini in vitro clauso & loco calido, sicque fiet tinctura purgans. Quod attinet ulterius internum usum, ratione sal. vol. acris habet *vim aperiendi, incidendi & resolvendi* potentem, & propterea est experta in *Asthmate*, *Tussi* & similibus affectibus, à mucilagine crassâ pulmonum tubulos infarciente obortis. Unde prostat in officinis SYRUPUS NICOTIANÆ, qui in curando *asthmate* expertissimus, & in tali casu divinum est remedium: sed necesse est, ut legitimè sit præparatus, per crebras purificationes & repetitas infusiones, sic enim domatur ejus vis nimium purgans & vomitoria. Unde expertus est SYRUPUS vel OXYMEL *de Pæto QVERCETANI*, quæ compositiones duæ sunt elegantissimæ contra *asthma.* Aqu. DESTILLATA ex *foliis* Nicotianæ commendatur à *FABRO* in *Asthmate*: quæ aqu. mista cum succo Nicotianæ, & aliquot guttis ole. (spir.) sulphuris, uti vult LANGIUS, erit egregia in *asthmate*, nec solum in asthmate adultorum, sed etiam infantum, tunc temporis præprimis, quando est metus suffocationis, & sentitur sonus & murmur in imo pectore. Hinc in expectorando *Empyemate & pure pectoris*, sive ex *pleuritide suppurata*, sive *vomica*, sive *vulnere pulmonum* expertissima est Nicotiana, & ex eadem paratus SYRUPUS. De quo meretur, qui videatur *EPIPHANIUS FERDINANDUS in hist. 32 & 45.* qui non potest sufficienter commendare Nicotianam, & ex eo paratum Syrupum pro expectorando EMPYEMATE. Per DECOCTUM NICOTIANÆ se quendam à morte præsentissima liberasse dicit. Res procedit eò felicius, si imprimis huic Syrupo Medicus adjungat Syrupum de hedera terrestri vel Symphyto *FERNELII.* Hæc namque sunt vulneraria & sanant vulnera, quæ Nicotiana purificavit. Præterea quoque, ut ad externum deveniam usum, convenit in *tumore & obstructione splenis.* Unde in *ZWÖLF. pharmacop. Reg. edit. ult. p. 312.* prostat EMPLASTRUM SPLENETICUM, cujus basis est Nicotiana. Et sunt etiam, qui habent Emplastrum contra *quartanas* ex Nicotiana, quod applicant regioni splenis pro cura quartanarum, & dicunt fuisse *HELMONTII*, qui statuit nidum quartanæ esse in splene, quo applicato plures curavit. Ulterius Nicotianæ succus, Syrupus, Essentia & sic porro, est singulare *vulnerarium*, sive in *vulneribus recentibus*, sive in *ulceribus malignis*, & phagedænicis persanandis Sic v. gr. sola FOLIA NICOTIANÆ *viridia* contusa paulisper manè & vesperi imposita, curant *ulcera Tibiarum* satis aliàs difficilia curatu. SUCCUS NICOTIANÆ ordinarium ingrediens est balsamorum *vulnerariorum* & unguentorum, quæ applicantur *partibus ulceratis*: Suppurat enim egregiè, & ad sanationem perducit. Unde etiam in *ulceribus* vulgatum unguentum diapompholygos malaxatur cum ole. Nicotianæ. Denique in *ulceribus*

fistulosis, & ipsis *fistulis* succus Nicotianæ, cum pulvere exuviarum serpentum per siphonem fistulis injectus, easdem mirabiliter sanare dicitur. Alii recipiunt succum cancrorum fluviatilium cum foliis Nicotianæ, & pulvere Exuviarum serpentum, & *fistulis* ac *ulceribus fistulosis* applicant. Alii loco pulveris Exuviarum serpentum recipiunt mercur. dulcem, & cum succo canc. fluviatilium ac foliis Nicotianæ mistum, *fistulis* & *ulceribus fistulosis* felici cum successu iniiciunt. In quibuscunque *vulneribus* nunquam nos fallet Nicotiana, & externo usu non habemus par *vulnerarium*. Parant quidam BALSAMUM VULNERARIUM ex Nicotiana h.m.

℞ *Spir. Terebinth. & Juniper. ana lib. j.*
Fol. Nicotianæ Indicæ ℥vj.

Infunde, circula vel digere per 8. dies & noctes, exprime cum prelo, & sanabit omnem plagam intra 24. horas. DECOCTUM NICOTIANÆ externè instar lotionis usurpatum prodest in *affectibus cutaneis, herpetibus, scabie*, & similibus, sive decoctum pro lotione, sive ole pro inunctione. Prostat etiam in quibusdam locis unguentum Nicotianæ, quod expertum est contra *pediculos* seu *phthiriasin*. Ita UNGUENTUM NICOTIANÆ in officinis usitatum est egregium contra *pediculos*. In aliis officinis prostat etiam unguentum contra pediculos, quod solet malaxari cum ol. Nicotianæ, & fit magis appropriatum & expertum, vel si solum ole. Nicotianæ inungatur vesperi capiti, manè mortui reperientur. In *mundificatione ulcerum* est expertissimum & elegantissimum factum decoctum ex plantagine, Nicotiana, Aloë & Myrrhâ; Externo usu est ex celeberrimis *apophlegmatizantibus*, ratione salis volatilis penetrantis. Masticata enim copiosum phlegma educit. Cæterum cum halitum reddat graveolentem, propterea quidam alium modum parandi invenerunt, dum per spiritum vini ex Nicotiana parant extractum, quod redigunt in pilulas pisi magnitudinis, quarum una linguæ imposita copiosissimum phlegma educit, sed observetur, ne deglutiatur, aliàs excitat vomitum enormem, folia recentia vel exsiccata noviter humectata commendantur imposita auribus contra *otalgiam*, seu *aurium dolorem*. Sicuti etiam Nicotiana in ore detenta *dentium doloribus* certò succurrit. sal enim vol. corrigit acidum, & oleum narcoticum sistit dolores ab acido oriundos, adeoque utrique scopo hac ipsa succurritur vid. *RIVERIUS Cent* 4. Satis notus est etiam externus Tabaci usus, quando per suffimigia attrahitur. Parandi modum videre possumus in *Chymia LEFEBURE*, qui habet totum processum: Unde quoniam paratur cum urin. destillata, dat sal vol. quod non est ex Tabaco, uti putant nonnulli, sed ex urina. Hujusmodi Nicotianæ suffitus satis est usitatus, adeò ut quidam, referente *THONERO obs. 3. lib. 2. pag. 103.* statuto pretio 200. Imperialium exhauserit 300. fistulas. De hoc quæstio est, an feriat cerebrum, & inde vitietur colore nigro? Sunt qui affirmant, sunt etiam qui negant. Negativa est communissima, quod scilicet non denigret, experientiam habemus in *manuductione ad medicinam HORSTII pag. 37.* item in *HOFER. Hercul. Medico p. 34* Aliàs hoc certum est, quod suffitus Nicotianæ tingat pulmones, eosque aridos, exsuccos, & nigris maculis deturpatos reddat. Experientiam videmus in *TULPIO lib. 1. cap 6.* Item in *BARTHOLIN. Tr. de pulmonibus pag. 9.* & denique *LINDANUS in Medicina physiologica cap. 6.* uti etiam *HOFMANNUS lib. 2 de Medicamentis officinalibus cap. 3 pag 327.* Omnes hi varias habent experientias vitiorum pulmonum ex suffitu Tabaci attracto. Hic suffitus solet *prohibere famem* ex duplici fundamento, partim quia inducit stuporem orificio sinistro, partim quia sal vol. oleosum nicotianæ temperat salsum fermentum ventriculi, quo temperato, cessat stimulus, famis origo. Hinc Indi, quando ad tempus sine victu peregrinari volunt, faciunt globulos ex conchiliis calcinatis cum succo nicotianæ, quod in ore detinent, quoniam conchilia fermenti vires attrahunt: Succus vero nicotianæ stimulum inhibet, & sensationem tollit. Hic suffitus, utut propter abusum sit inutilis, in multis tamen est utilis, in *affectibus narium & faucium, Coryza, Laxatione Uvulæ* & similibus, in *inflammatione faucium* & *affectibus catarrhalibus*. Potest appropriari, quando miscetur Nicotianæ oleum destillatum succini vel oleum destillatum anisi, aut quædam aromata, item unum alterumve granum Camphoræ, sic enim appropriatur ad *catarrhales affectus*. Utilitates suffitus Nicotianæ videndæ sunt in *HÖFER. Hercul. Medic. pag. 34* uti etiam legitimum usum & illegitimum abusum suffitus Nicotianæ in *Dispensat. HORSTII pag. 137.* oleum autem ex nicotianâ, imprimis DESTILLATUM, prodest per nares attractum *in Coryza*, formulam suppeditavi, ubi egi de Majorana. Hoc etiam oleum frequentis usus est in *ulceribus* & *vulneribus*, malaxantur eo unguenta & Emplastra: Prodest etiam in unguento contra *scabiem*. Scripserunt de Nicotiana quamplurimi, quos inter antiquissimus est *NEANDER. MAGNANUS* egregius Profess. Ticinensis, & imprimis *SIMON PAULI* de Tabaci abusu Americanorum veteri, & herbæ Théæ Asiaticorum in Europa novo,

CCXXX. NIGELLA.

Μελάνθιον, Gith. Melaspermum, Cummum nigrum, German. *schvvartzer Coriander, schvvartzer Kummich, Rœmischer Coriander, Nardenkraut.* Nigelle.

Est:
- Arvensis cornuta, *Raden.*
- Hortensis sativ.
  - flore cœrul.
    - majore
      - simplici,
      - pleno.
    - minore
      - simplici,
      - pleno.
  - flore candido
    - simplici
    - pleno.
- Cretica.

Ex his Nigella arvensis officinas subit, & ex his præcipuè flore candido minore simplici, C.B.5. Melanthium sativum, *Matth. Dod. Cast Tab.* 1. Melanth 1. *Fuchs. icon.* Mel seu Nigella Romana odora, *Lob.* Melanthium, *Ger.* Melanth. Damascenum, *Cam.* Huic tamen & reliquæ subrogari non nequeunt.

Non nisi studiosè culta nobis crescit, gaudetque solo pingui. Floret Junio ac Julio.

OFFICIN. NAT.

Semen solùm.

Vires. Calf. & sicc in princ. g. 3. atten. aper. Usus præcip. in mucilagine pulmonum resolvenda & expectoranda, lacte augendo, urina ac mensibus ciendis, morsibus venenatis corrigendis. Specificè in febribus quartanis ac quotidianis. Extrinsecus crebri usus est in cephalalgia sedanda, catarrhis

exsiccandis

exsiccandis (sternutando , suffiendo ,) in cucuphis, Epithemat. &c. applicatum.

Radix sistit proprietate suâ hæmorrhagiam , si dentibus masticetur , naribusque imponatur.

PRÆPARATA.

1. *Semen præparatum.* Maceratur in acet. atque exsiccatur.
2. *Aqu. stillat.* Ex semine.
3. *Ole. stillat.* Ex semine.
[4. Oleum expressum ad excludendum fœtum juvat.]

NIGELLA seu MELANTHIUM, Provenit in hortis , & quidem non adhibetur pseudomelanthium , sed solum semen ex hoc : & illud quod attinet , valdopere usitatum est , 1. quidem *in Catarrhis* , & ita videtur *HARTMANNO prax. Chymiat. cap.22 §.6.* qui inter omnia palmam refert nigellæ nostræ ejusque semini , si pulverisatum in aqu. majoranæ per nares attrahatur. Imò vel solo odore prodesse dicit , quod confirmat *SENNERTUS lib.1. prax.pag.710.* qui etiam habet formulam seminis nigellæ per nares attrahendi contra catarrhos. Vid. etiam *TABERNÆMONTANUS in Herbario c. de nigella* , ubi decantat vires nigellæ contra *catharros*. Unde usitatum est, ut fiant noduli ex foliis majoranæ & semine nigellæ. Formulam habuimus superius , ubi de majorana egimus. Semen internè commendatur pro promovendis mensibus: experientiam vid. in *FOREST. lib.28.obs.4.* qui multum commendat hoc semen pro dicto usu. Aqu. & oleum rari sunt usus, & raro prostant in officinis.

NOLI ME TANGERE.

HAnc neglexit *AUCTOR* , sed tamen observetur , quod circa folia sint noduli succi pleni & turgiduli , & quando semen aperitur , dispergitur, crescit in hortis publicis. De hac noto ex *GESNERO lib.1. Epist. p.21.* quod prosit ad *provocandam urinam* , uti etiam folia imposita conducunt in *stranguria* , in *sedando dolore* , &, uti dixi , quod juxta folia sint noduli turgiduli & succi pleni , ex hac signatura *GESNERUS* autumavit , si conveniret in *tumore arthritico & podagra nodosa* , quod etiam postmodum confirmavit experientia , sive per se contusa instar cataplasmatis , aut cum ole. lil alborum , vel alio appropriato decocta iisdem applicetur.

CCXXXI. NUMMULARIA.

CEntummorbia, Hirundinaria, Serpentaria , *Egel Kraut, Schlangen-Kraut , klein Natter-Kraut , Pfenning Kraut.* Herbe monnoyere.

Est C.B.1. { Major lutea. *Hæc usualis.* / Minor purpureo flore. *Hæc incognita.* }

Dicitur Serpentaria 3. & centummorbia, *Brunsfels.* Nummularia , *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Lob. Lon. Cast. Cam. Tab. Ger.* Hirundinaria minor , *Tab.* Nummularia major lutea. C.B 1.

Crescit in campestribus ac locis herbosis , humidisque. Floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Herba seu folia.

Vires. Refrig. sicc. subastring. vulneraria est. Usus præcip. in pulmonum exulceratione , venis ruptis , tussi sicca infantum : in fluxu cujuscunque generis , diarrhæa , dysenteria, hæmoptysi : commendatur in Scorbuto , herniisque omnis generis.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex herba collecta cum floribus mense Maio.

NUMMULARIA. Est planta parva , quæ ubique crescit in locis cultioribus , flore est luteo, & tota planta est egregiè *vulneraria,* interno & externo usu , in *vulneribus recentibus* & *inveteratis* Interno usu *in vulneribus pulmonum* & *Herniis* consequenter. Commendatur specificè in *Scorbuto* , in cura cujus videtur accedere ad vires Beccabungæ , quoniam est temperata , nec excedens acris , uti reliquæ plantæ antiscorbuticæ.

CCXXXI. NYMPHÆA.

Νυμφαία , Nenuphar. Arab. Nenufar. *See-Blum, Hertz-Wurtz , Haarwurtz , Mummelken , Wasser-Lilgen.* Blanc d'eau & Lis d'estang. Nenuphar.

Est { Alba floribus albis. { major. / minor. / minima. } / Lutea, floribus luteis. { major. / minor. } }

Ex his præfertur quidem alba , eaque major , quæ intelligenda quoties Nymphææ simpliciter mentio fit. Verumtamen nec negligenda est lutea.

Alba dicitur Nenuphar album , *Brunsfels.* Nymphæa alba, *Brunsfels. Matthiol. Dod. Lob. Lon. Tab. Ger. Clus. hist.* Nymphæa candida , *Trag. Fuchs.* Nymphæa maj. alba , *Cast.* C.B.1.

Lutea usitatior est , quæ inscribitur Nenuphar luteum, *Brunsfels.* Nymphæa lutea , *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Lon. Lob. Cast. Tab. Ger.* major (*Clus. hist.* Nymphæa lutea major, C.B.1.

Crescit in lacubus. Floret Maio & Junio.

OFFICIN. NAT.

Radix, Folia, Semen, Flores.

Vires. Radix & semen refrig. & sicc. gr.3. astring. Flores & folia refrig. & humect. Singula sunt usus præcip. ad fluxum alvi , ad pollutionem nocturnam, seminis acrimoniam, sanguinis æstum & tenuitatem. Extrinsecus crebrò adhibentur folia & flores ad febriles æstus & vigilias sopiendas (in lotionibus pedum,in impositione foliorum,scil.lumbis, temporibus , plantis pedum.)

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex floribus albis.
2. *Aqu. stillat.* Ex floribus luteis.
3. *Syrupus Nimphææ simpl.* Ex infusione florum.
4. *Syrupus de Nymphæa compos. sive de Nenuphare.* Vide Disp.
5. *Conserva.* Ex floribus albis.
[*Extractum radicum.*]
6. *Ol.* Ex infusione florum.
7. *Unguentum de Nymphæa.* Vide lib.2.

NYMPHÆA. Folia sunt nota , crescit flore luteo & albo : Vocatur etiam à quibusdam NENUPHAR, sic Syrupus de Nenupharo. Utraque flore luteo & albo usitata. Radix Nympheæ utriusque commendatur contra *maniam* , si assumatur pulvis ad ℨj. vel ℨiß. Item Nymphea flore luteo collecta in ipso puncto ingressus sol. in cancr. & exsiccata appensa tollit *vertiginem* , quod alio tempore collecta non facit Hæ plantæ, uti etiam ex iisdem parata remedia , usitata sunt contra affectus ex *nimia seminis abundantia* , *Gonorrhæam* , *Priapismum* , *Satyriasin* , *nimiam salacitatem* , & *furorem uterinum.* Aqua DESTILLATA interno usu usurpatur in *febribus ardentibus* , externe ingreditur Epithemata contra *cephalalgias & agrypniam.* SYRUPUS NYM-

PHEÆ SIMPLEX internè usurpatus *dolorem calidum* sedat, & *blandum somnum* inducit, in *affectibus biliosis*, & *febribus ardentibus*. Vnde convenit in *ardore renum* interno usu & *Gonorrhæa*. Ole. *ex infusione florum* inungi solet cum aliis temporibus & fronti, ut suavis & temperatus inducatur *somnus*.

O.

CCXXXIII. OLEA.

Ἐλαία, Olea, *Oliren-Baum*, *Oel Baum*, Olivier. Est { Sativa. Sylvestris, oleaster.

Prior insignitur Olea, *Brunsfels. Trag. Cord. hist. Lon. Dod. Lob. Cam Bellon.* Olea sativa, *Matthiol. Cord. in D. Cast. Tab. Ger.* Olea sativa, C B. 1.

Posterior Olea sylv. *Matth. Tab. Ger.* Olea sylv. seu Oleaster, *Lob. Cast.* Oleaster, *Lon. Clus. hist.* C. B. 2.

Crescit utraque in regionibus calidis, Italia, Hispania, &c. Gaudet locis siccis argillosis. Floret Julio. Fructus decerpuntur mense Novembri & Decembri.

OFFICIN. NAT.

Folia. Fructus (sed conditi.)

Vires. Folia refriger. & exsiccant, astring. Vsus externus & præcip. [in cephalalgia,] in fluxu alvi, mensium, in herpetibus, & simil. Fructus immaturi siccant & astring. in primis sylvestres.

N. Exhibet itidem (tùm olea, tùm oleaster) lachrymam resinosam, resinæ Elemi non absimilem, sed hæc in usu non est.

PRÆPARATA.

1. *Condit. Olivæ.* Condiuntur muria antequam planè maturuerint, in Hispania & Gallia Narbonensi: interdum etiam maturæ & nigræ.

Vires. Comestæ initio pastus excitant appetitum, movent alvum, humentem ventriculum exsiccant ac confortant.

N. Rancidæ subvertunt ventriculum.

2. *Oleum* (simpliciter ita dictum,) exprimitur ex olivis maturis, diciturque oleum (simpliciter,) oleum commune olivarum.

Baum Oel. Olivier sauvage.

Vires. Calfac. & humectat moderatè. [N. Vetus calidius est recenti] emollit, digerit, vulnerarium est, alvum laxat cum cerevisia calida assumptum ℥j. ariditatem pectoris corrigit, tormina ventris mitigat, urinarios meatus laxat, erosos abstergit & consolidat. Extrinsecus creberrimi usus est in clysteribus, tumoribus calidis, &c.

N. 1. Cum aqu. tepida assumptum movet vomitum.

N. 2. In patria mea Vvestphalia usitatissimum est vulneratis quotidie exhibere oleum olivarum cum cerevisia calida, quo adeò largè utuntur, ut quoque sudor oleum redoleat.

4. *Oleum omphacinum.* Exprimitur ex olivis immaturis.

Vires. Refrigerat, siccat, astringit, adeoque multis compositionibus inservit.

5. *Oleum Philosophorum.* Fit destillando oleum olivarum, cum lateribus ignitis mixtum ex retorta. *Aug.*

Vires. Discutit, maturat, emollit. Prodest tumoribus frigidis, duris, &c.

OLEA. Crescit in Italia vulgariter, & integri montes pleni. Vnde exinde oleum COMMVNE expressum ad nos adfertur. Vsitata sunt FOLIA & FRVCTVS, in specie oleum ex fructu expressum. Folia sunt rari usus, utut singularem habeant *vim adstringentem*: Potius fructus oleæ conditi adhibentur, qui habent *vim diureticam*, & instar asparagi reddunt urinas fœtidas. Quod attinet oleum, notum, quod *laxet*, *emolliat* & *acrimoniam humorum temperet*; adhibeti solet partim internè, partim externè. Quoad vim emollitivam sunt, qui parant clysteres ex solo ole. pro alvo obstructa reseranda à fœcibus induratis nimis, quæ emolliuntur egregiè, & emollita inveniunt exitum. Sic *PRÆVOTIVS* curavit in quodam nobili contumacissimam alvi obstructionem solo oleo ad lib. j. infuso, unde per biduum alvi beneficium habuit. Alij qui respuunt clysteres, sibi commendatam habeant micam panis leniter torrefactam, sed largiter ole. olivarum irroratam, quæ assumta matutino tempore largiter laxabit alvum. Vid. *BORELL. Cent. 2 obs. 24.* Facit huc, quod habet *RVLANDVS in Thesauro Practico*, de quodam, cujus alvus per tres hebdomadas ita fuit constipata, ut nullo clystere neque suppositorio potuerit moveri; cui singulis horis ℥iv. ole. hujus injecit instar clysteris, quo factum, ut scybala multa rejecerit, alvo postmodum apertâ manente. De portentosa alvi constipatione, quâ quidam ad 20. dies, imò sæpè tres menses non deposuit, vid. *PANAROLL. Pen. 1. obs. 1. pag. 1.* Propter hanc vim temperandi & laxandi adhiberi solet externè, ubi in copia habetur nimirum in Italia, in balneis contra *febrim hecticam*, *atrophiam* nimiam & *tabem* corporis. In *calculo* & *nephritico dolore*, ut laxentur & humectentur viæ, & inde pateat calculo exitus, doloresque sistantur: Præprimis cum ole. externè habeat *vim anodynam*. Internè eodem laxandi usu adhibetur. Vnde sunt, qui cum cerevisia, quod etiam habet *AVCTOR*, assumunt in *affectu colico* pro temperandis humoribus acribus: In *stranguria* & *calculo pellendo*, quo laxentur viæ, & postmodum fiat calculo & arenulis transitus. Cum saccharo mistum adhibetur in *affectibus pectoris*. Cæterum in tali casu tutius ole. amygdalarum dulcium usurpatur, quoniam hoc in se habet acidum, de quo postmodum locuturi sumus. Ole. hoc, si in dosi excessiva assumatur, *vomitum ciet*, quoniam laxat orificium ventriculi sinistrum, & accedente huic levi constrictione pylori, omnia in ventriculo contenta per superiora reiiciuntur. Hoc est oleum SIMPLICITER DICTVM. Vlterius hoc est ordinarium ferè ingrediens in balsamos & unguenta *vulneraria*, unde parant nonnulli BALSAMVM SALVATORIS ex hoc oleo & vino juxta locum scripturæ, ubi hominem istum in latrones illapsum à Samarita vino & oleo obtinctum fuisse legimus. Hæc duo coquunt invicem ad spissitudinem unguenti seu balsami, de quo videantur Chirurgi hinc inde in scriptis. Balsamum hoc correxit & augmentavit cum aliis ingredientibus *THEOPHRASTVS PARACELSVS in Chirurgia parva.* Cæterum de hoc oleo communi noto, quod illi insit copiosum acidum à pinguedine quidem temperatum & correctum: ut gustu se non prodat: nihilominus tamen est acidum, adeò ut soleat corrodere omnia metalla, excepto solo auro. Immittat enim aliquis vel ferrum, vel cuprum, vel aliud metallum in hoc ole. & videbit illi adhærentem rubiginem, quæ non est ærugo, sed crocus metalli ab olivarum oleo corrodente. Vnde valdoperè errant ii, qui gladios, aut alia arte ex metallo quodam facta, inungunt ole. communi, quippe quod magis, præter hoc quod lubricat, rubiginis auctor est, quam quod eandem arcere valeat. Potius inungendi sunt cum sevo animalium, sive sit commune, sævum bovistum, sive sit hircinum, quod præ cæteris omnibus ratione sal. vol. habet vim arcendi rubiginem. De ole. hoc communi, quod corrodat metalla, vid. *SCHOTTVS in Techn. Curios. lib. 9. cap. 8. propos. 30. pag. 691.* uti etiam *TACHENIVS in Hippocrate Chymico*, ubi sufficienter probat, quod in ole. communi sit copiosum acidum *p. 17. & p. 175.* & habet simul egregia quædam de

oleis.

oleis. Id quod de omnibus oleis expreſſis eſt intelligendum. Propterea talia olea, quod habent acidum in ſe inimica ſunt omnibus vulneribus & ulceribus, & fiunt exinde Thelephia, Chronica, & difficillima curatu. Hanc aciditatem poteſt quilibet experimentare in ſeipſo, ſi ſcil. unica gutta incidat in oculum, quæ magis mordebit ſenſibiliſsimam oculi tunicam, quàm gutta ſucci citri. His præmiſsis non immeritò, quoniam in ſe habet acidum olei, contrarium & inimicum vulneribus, quæritur, unde ſit, quod ingrediatur balſama & unguenta vulneraria? 2. Unde ole. hoc temperet acrimoniam humorum? Rationem ſubminiſtrat *TAHCENIVS*: quoniam nimirum, quando ſentit ignem, fit, ut exhalet ſubtilior acida pars, & relinquatur ole. alcaliſatum, contrarium omni acido. Unde potius ſpiſſum acido vacuum impatiens acido rurſus deſiderat ſaturari; illudque dum in membro dolente reperit alcalizatum, abſorbet, corrigit, extrahit, inque ſe recipit, & dolor inde ceſſat aut ſaltim mitigatur. Vid. *TACHENIVS cit loc.* Fu t hoc ole. commune, quod exprimitur ex olivis maturis, nunc de oleo Omphacino, quod fit ex olivis nondum maturis, & propter hoc *Vim habet adſtringentem* & *ſtypticam*. Unde etiam ſolet uſurpari tunc temporis cum aliis, quando opus eſt *adſtrictione* & *conſtipatione*. Deniq; ſequitur ut ole. PHILOSOPHICUM, quod paratur ex oleo communi hoc modo, de quo etiam habet *AVCTOR*. ℞. Fruſtula laterum, quæ igniunt probè & injiciunt in oleum commune, unde imbibunt in ſe copioſum oleum, quocum imprægnata & ſaturata injiciunt in retortam, & igne aperto deſtillant oleum penetrantiſsimum, quod vocant *oleum Philoſophicum*, item *Latericium*. *Penetrat*, *reſolvit*, *attenuat* & *incidit*, in quibus indicationibus non habetur ei par remedium. Unde in *tumoribus duris emolliendis* & *incidendis*, & *attenuandis coagulatis* oleum hoc eſt frequentis uſus. Ad *morbos frigidos quoſcunque* convenit, cum egregiè *calefaciat*: cum pauco bombacæ auribus inditum *ſurditati* & *deficienti auditui*, ſeu *ſubauditioni* ſuccurrit: Egregiè *diſcutit*, & per poros cutis expellit. *GLAVBERVS* elegantius reddit per concentrationem, abſtrahendo hoc oleum à ſpiritu nitr. Proceſſum videre poſſumus in *Scriptis in quarta part. 2. p 90. STARICIVS* in hæroum Theſauro 13. refert, quod ſi quis in oleum philoſophicum intingat & maceret lanam bombicinam vel aliam, exque hac poſtea cum cera, vel ſevo faciat candelam hæc ipſa ſemel accenſa, neque à pluvia, neque vento extinguatur.

CCXXXIV. ONONIS.

Ἀνωνις, *Dioſcorid.* Ονωνις, *Theophr. Hauhechel, Stalkraut. Ochſenkraut.* Arreſte bœuf.

Eſt
- Spinoſa
  - purpur. (flor.) *Hæc uſualior.*
  - lutea (flor.)
- non ſpinoſa
  - purpur.
  - lutea
    - major.
    - minor.
  - luteo-variegata

Videatur Reſta bovis. *Trag. Lon.* Anonis ſeu Ononis, *Matth. Tab.* Anonis, *Fuſchſ. Dod. Caſt.* Ononis, *Cord. in D. Lob.* Anonis. *Ger.* Anonis ſpinoſa flore purpureo, C.B. 1.

Creſcit in Campeſtribus, dumetis, arvis, juxta vias. Floret Junio, Julio.

OFFICIN. NAT.

Radix ac potiſſimùm huius *Cortex*.

Vires. Calf. & ſicc. in princ. 3. abſterg. attent. diſcut. Uſus præcip. in diureſi, lithiaſi, ictero, obſtructione hepatis, in carnoſo ramice abſumendo. Hæmorrhoïdibus cæcis, mariciſve diſcutiendis (infuſum aliquandiu bibitum.) Extrinſecus in putredine oris ac dolore dentium (gargariſ.)

N. Antequam ſpinas protrudat, conditur cum ſale pro cibario.

PRÆPARATA.

1. Aq. *ſtillat.* Ex integra planta cum radicibus novellis eruta.
2. Syrupi in diſpenſatoriis quibuſdam fit mentio.]
[3. Sal. diureticum.]

ONONIS, Quoniam ubique proſtat in agris, dicitur REMORA ARATRI, quod ruſticos in arando impediat, item RESTA BOVIS. Quod attinet hanc plantam, in uſu eſt ejus RADIX & RADICIS CORTEX. Convenit imprimis ubi opus eſt, ut fiat *apertio obſtructionum* & *attenuatio craſſorum* ac *induratorum humorum*. In *obſtructione hepatis*, *Ictero*, & ſimilibus prodeſt. Imprimis decantata eſt inter *nephritica* & *diuretica*, cum ſingularem habeat vim *pellendi urinam* & *calculum*, & exturbandi *arenulas* ex renibus, cui uſui imprimis convenit herbæ infuſum in vinum malvaticum, quod vinum infuſionis herbæ egregiam acquirit vim *antinephriticam*. Præterea ſpecificè convenit in *Hernia carnoſa*, ubi teſticulis caro nigra accreſcit: in hac certe pulvis rad. ononidis ad ʒj. aſſumptus expertum eſt remedium à *MATTHIOLO*, de quo vid. *SENNERTVS lib 3 prax. med. pag 919.* quod confirmat *HORNVNGIVS in Ciſta medica p. 311* dum inquit decoctum radicis ononidis prodeſſe ſingulariter in Hernia carnoſa: cum aqua etiam ulterius habemus exemplum curatæ *Herniæ*, non omiſsis externis, apud *SCVLTETVM in armam. Chirurg. obſ. 74* Externè applicantur emollientia, internè datur ʒj pulveris ononidis Extrinſecus etiam convenit in gargariſmatis radix decocta in oxycrato vel acet. vel aq. in *ſcorbuto oris*, ſeu *putredine gingivarum*; quo uſu etiam prodeſſe dicitur in *dolore dentium*.

OPHIGLOSSUM.

Dicitur ita, quoniam flore refert linguam viperinam, creſcit in ſylvis umbroſis & nemoroſis, & à ſimilitudine, quam habet flos ex folio erumpens cùm lingua viperina, inter *vulneraria* non extremum habetur, ſive internè in decoctis & potionibus vulnerariis, ſive externè inter balſama & unguenta *vulneraria* & *ulceraria* adhibeatur: in utroque caſu eſt planta ſatis commendata à modernis, qui etiam inter alia eam in *herniis infantum* multum commendant. Aliàs de hac nihil proſtat. Compoſita ex illa poſſunt videri apud *TABERNÆMONTANVM: AVCTOR* planè omiſit.

CCXXXV. ORIGANVM.

Origanum, *Brunſ.* Orig. vulgare, *Trag. Matth. Lon.* Origanum ſylveſt. *Dod. Cord. in D. Fuchſ. Tab. Cam.* Agri origanum, ſeu Onitis major, *Lob.* Origanum, Anglicum, *Ger.* Origanum ſylv. Culina Bubula Plinij, C. B. 1. Germ. Cunicula *Doſten, Vvolgemuth.* Origan.

Creſcit in locis Campeſtribus opacis. Flor. Junio, ac Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus ſeu *Summitatibus*.

Vires. Calf. & ſicc. 3. abſterg. aſtring. Uſus præcip. in obſtructione Pulmonum, Epatis ac uteri, & hinc in tuſſi, aſtmate, Ictero, auget lac, ichoroſa excrementa per ſudorem expellit (ante balneum aſſumptum.) Exerinſecus uſui venit crebriori, eoque in balneis uterinis, cephalicis, totius corporis (contra ſcabiem.)

PRÆPARATA.

1. *Aq. ſtillat.* Ex integra planta cum floribus.
2. *Oleum ſtillat.* raro proſtat.
[Odontalgiæ conveniens.]
3. *Sal ex cinere.* Raro itidem paratur.
[Oſtrutium, vide Imperatoria.]

ORIGANUM. Planta est satis cognita, quoniam crescit in locis sylvestribus: duplex prostat in officinis, *vulgare* & *Creticum*. OLEUM DESTILLATUM ex origano Cretico omnibus præfertur aliis remediis in *odontalgia*, quam incantamenti instar compescere dicitur: quodsi sit nimis forte, diluitur cum pauco oleo amygdalarum dulcium expresso, si sit impotens & debile, adduntur gr. 1. vel 2. Camphoræ, sicque fit oleum laudatum ad *odontalgiam*: Potest etiam admisceri oleum caryophyllorum, quod non minus est odontalgicum, quam oleum amygdalarum dulcium. Sed misso hoc origano Cretico, cujus RADIX etiam habet *vim alexipharmacam*, & convenit in *morsu ab animalibus venenatis, viperis*, &c. converto me ad ORIGANUM VULGARE *nostras*, quod est singulare *cephalicum* & *uterinum* non minus etiam, quàm *stomachicum*, utut interni usus sit rarioris: Extrinsecus imprimis usurpatur in fomentis & decoctionibus, item in pediluviis in *affectibus capitis catarrhalibus*, & in *affectibus matris* seu *uteri*, cum aliis herbis origanum adhibetur. Inprimis interno usu convenire dicitur *stomacho*, iisque, qui *acida rustant*, aut qui *nausea* & *fastidio* torquentur. *Menses* etiam peculiariter *ciere* dicitur.

P.

CCXXXVI. PALMA,

Φοίνιξ. Palma, *Trag. Matth. Dod. Alpin. Cord. in D. Lob. Cast. Cam.* Palma major, *Tab.* Dactyliscum, palma elate *Matth.* Palma elate, *Cord. in D. Dod.* Caryotæ, Caritides, fructus palmæ dactyli, *Cast.* Palmarum fructus, sive dactyli, *Lob. Dod* Palma major, C. B. 1. *Dattelbaum, oder Dactelbaum.* Palmier.

Crescit in Judæa, Syria, Ægypto, Africa, & simil. locis calidis.

N. Palmas fœminas non sine aspersione pulveris vel florum è palmis maribus parere asserit Alpinus.

OFFICIN. NAT.

Fructus (officinis) dactyli, palmulæ, *Datteln.* Dattes.

Eligendi magni, flavi, parum rugosi, molles, pleni, carnosi, carne subdura ad nucleum candicante, ad corticem rubescente, & qui concussi minùs sonant, sapore vinoso. Deteriores sunt graciles, flaccidi, duri & excarnes.

Vires. Dactylorum maturorum pulpa calf. subastring immaturi astringunt fortiter,) asperitatem faucium leniunt, fœtum in utero roborant, fluxus ventris sistunt, vitiis renum ac vesicæ succurrunt. Extrinsecus conveniunt in cataplasmatis astringentibus, & simil.

N. Concocti sunt difficiles, capiti dolorem inferunt (imprimis exsiccati) crassum ac melancholicum humorem generant.

[Ossa, *Dattelkern*, Noyaux de Dattes. Usurpantur ad dystokiam.]

PRÆPARATA.

Species seu Electuarium Diaphœnicum Mesue & Fernelij. 2. *Diaphœnicum in solido*, i.e. tabellæ El. diaphœnic.	Horum basis est Turbith, ac diagrid. Vid. D. & Turbith, infra de purgant.

PALMA, Cujus fructus vocantur DACTYLI, Ex hac palma tantummodò officinis est notus fructus, qui *Dactyli* vocantur, seu *Palmi*. De Electione vid. *AUCTOR*, non adeo crebro sunt in usu, cum raro soli, sed sæpius adhibeantur cum ficubus, ut temperent *acrimoniam* & *nimiam corrosivitatem humorum*, item *in lenitione asperitatis faucium*: Sunt tamen, qui ex fructu Dactylorum singulare parent remedium contra *ardorem urinæ* seu *dysuriam*, cujus compositio est hæc:

℞ Dactyli q. v. ossa limâ terantur in pulverem tenuissimum, caro scindatur in particulas, & in clibano exsiccetur, pulverisetur in mortario, & misceatur cum pulvere ossium, addendo æquale pondus sacchari M. F. pulvis, cujus manè & vesperi tantùm sumatur, quantum cuspide cultri ter assumi potest in mistura sequenti:

> ℞ *Syrup. d. althea Fernelij* ℥iij.
> *de Cichorio cum Rhabarb.* ℥j.
> *Aq. Nymphea, Lactucæ, Chamomillæ ana* ℥iv.
> *Cinnamomum.* ℥ß. M.

Rari & pauci aliàs sunt usus Dactyli.

Est lignum exoticum ab *AUCTORE* neglectum quod vocatur lignum.

PAVANA.

Quod tamen apud modernos est in usu creberrimo. Scripserunt de eo *ACOSTA in descriptionibus rerum exoticarum*, vid. ex eo imprimis *BAUHINUS Histor. Plant. Tom. 1. lib. 3. pag.* 342. qui vocat LIGNUM MOLUCCENSE. Conf. *JONSTON. lib. de Arbor.* 9. *cap.* 6. *art.* 2. *fol.* 458 Notum uti dico est apud modernos, & commendatur specificè contra *paralysin*, & *affectus Paralyticos*, & quidem tantùm in *paralysi*, quæ fit ex laxatione tendinum & nervorum motui inservientium, & liquore seu lympha acidâ subtili, quæ coagulat spiritus animales, & in aq. resolvit: in tali casu DECOCTUM PAVANÆ est remedium expertum, per *sudorem* expellendo ejusmodi humiditates, & membro restituendo motum. Valdè commendat hoc *LINDANUS in Collegio privato super praxim HARTMANNI*. Reperitur, aliquoties, & non sine successu *Paralyticis* propinatur.

CCXXXVII. PAPAVER SATIVUM.

Μήκων, Papaver (simpliciter.) Arab. Thaxthax, *Mag-Samen: Del-Magen, Del-Samen*, *Mœn.* Du pavot.

Est { Album, *quod tutiùs intra corpus adhibetur.*
Nigrum, *quod non aquè tutum est.*

Videatur prius Papaver, *Brunsf. Lon.* papaver sativum, *Matth. Tab.* papaver album *Trag. Dod.* papaver album sativum, *Lob. Cast. Ger.* papaver sativum semine candido. *Fusch.* papaver hortense semine albo, C. B. 1.

Nigrum usitatiùs inscribitur Papaver nigrum, *Brunf. Cast.* Papaver sativum 2. vulgò nigrum, *Cord. in D.* papaver sativ. semine atro, *Fuchs.* papaver hortense nigro semine, sylvest. Dioscoridi, nigrum Plinio, C. B. 2.

Colitur in hortis. Floret media æstate.

OFFICIN. NAT.

Flores, Semen albi & nigri. *Capita* cum & sine semine.

Vires. Refrig & hum. 3. (alij 4.) Usus præcip. in somno conciliando, in affectibus pectoris ac pulmonum, & inprimis in tussi, raucedine, phthisi. Hinc & in fluxu alvi. Extrinsecus in dolore leniendo, somno introducendo (capiti pedibusve adhibitum.]

PRÆPARATA.

1. *Succus inspissatus.* Ex foliis.

N. De Opio ac Meconio, quæ succi sunt papaverum exoticor. Videsis infra.

2. *Extractum.* Ex floribus siccis cum aq. papav.

N. Quercetanus in Pharm. Rest. c. 25. parat. hoc modo ♃. Cap. papav. q. v. (cum flores expandere incipit, præstatque papaver, quod flores fert rubicundos.) contunde ac diger. in *M. B.* cum Hydromelite vinoso, vel vino Canariæ, dies (12. 15.) ut liquor intentissimè rubescat. Exprime fortiter ut omnis virtus gummosa & resina eliciatur. Abstrahe. l. aq. (VB) ad remanentiam gummosæ & resinosæ substantiæ, quam adhuc calentem si voles affunde in frigidum & subitò coagulabitur. Et hoc, ait, est verum probatumque opium, ac nullo modo sophisticum (intellige Germanicum) quod loco opij exotici adhiberi potest, de quo classe sequenti.

3. *Aqua.* Ex floribus vel capitibus florentibus.

4. *Syrup. simpl.* Ex decoct. capit. papav. utr. c. sem. an. & penidio. Vide Dispens.

5. *Compos.* Fit cum aliis pectoralibus. Vide Disp.

Electuar. 1. *Diacodium simpl.* Ex Decoct. capit. papav. albi & melle, (vel saccharo, vel sapa cum Glycyrrhiza

7. 2. *Diacodium Montani*, *seu Syrupus de Siliquis.* Ex decoct.

coct. capit. papav. alb. siliquis Rad. Alth. & Glycyrrhiza, cum saccharo candido & penidio.

8. 3. *Diacodium Actuarij*. Hoc ex astringentibus.

9. 4. *Diacodium in solido*, i. e. Rotulæ ex emulsione & saccharo. Vide Disp.

[Trochisci de papavere, ad intercipiendos Catharrhos.]

10. *Lohoch*. Vide Disp.

11. *Oleum*. Ex semine exprimitur.

PAPAVER. Duplex est, *sativum* & *Rhæas*, seu *sylvestre* & *erraticum*. Differentia est in foliis, quæ notatu digna, ne fiat confusio, errorum mater. Papaveris sativi SUCCUS EXPRESSUS & INSPISSATUS vocatur MECONIUM, destillatur vero ex capitibus: nobis audit OPIUM, de quibus infra in alterantibus secundariis. Observetur hic saltem, quod tota planta papaveris sativi sit *anodyna*, *narcotica* & *stupefactiva*, cumque imprimis papaver ratione seminis sit duplex, *album* & *nigrum* : Semen papaveris nigri magis dicitur narcoticum, quàm semen papaveris albi. De quo vid. *FORESTUS lib.9.obs.14.in Scholio*. Quod attinet usum, uti dico, usitatissimum est papaver in *sistendis doloribus*, & *inducendo somno*, quoniam spiritus & humores affluentes fixat. His duobus scopis inservit primariò, Cæterum ut magis sit appropriatum ad *cephalalgias* cum vigiliis conjunctas, propterea necessum est, ut colligatur tempore balsamico lun. in cancr. existente in tern. vel sextil.mart. quod monet inprimis *RHUMELIUS in Scriptis jatrochymicis p.352.* & solet præscribi pro usu dicto in emulsionibus. SEMEN ulterius præter has virtutes *anodynas* commendatur etiam valdoperè in *affectibus pectoris & catarrhis*, qui oriuntur ex lympha acida vel subacidâ, in talibus casibus est expertum, dum solet temperare aciditatem lymphæ; & impedire ejusdem effervescentiam ac ardorem. Unde in *raucedine*, in *Tussi tenui*, & in *phthisi*, *hæmoptysi*, & similibus *pectoris pulmonumque affectibus* usitatissima sunt remedia ex papaveris semine parata. Etiam præter hos usus, quoscunque *spirituum* & *humorum fluxus*, sive sint *naturales*, sive *præternaturales*, ut in *Diarrhæa* & *Cholera*, item *internas effervescentias potenter sistit* papaver, & ex eo parata remedia quæcunque. Quod dico de papavere concludendum quoque est de Opi. In *catarrhis* certè, & inprimis *tenuibus* & *salsis* nihil est melius semine papaveris albi. CAPITA PAPAVERIS. imprimis semine turgida, non minus sunt *narcotica*, quam ipsum semen : Et quidem usitatè tantum præscribuntur cum semine capita, in pediluviis pro sistenda *cephalalgia* & *leni somno* inducendo: Exemplum habuimus superius. *BORELLUS Cent 4. obs.25.* in capitibus papaveris maximam vim narcoticam latere dicit, imo majorem quam in foliis, quæ etiam Chymicè parata ad gr.v. exhibita miros præstare effectus dicit, utut tota papaveris planta sit narcotica. Quod attinet PRÆPARATA, videamus *AUCTOREM*, qui habet EXTRACTUM ex QUERCETANO, quod est quasi opium nostras, & commodè substituitur opio exotico sæpius adulterato. SYRUPUS SIMPLEX valdè convenit in *catarrhis salsis* & *acribus*, fauces, asperam arteriam & pectus infestantibus, tollit *asperitatem*, & temperat *lymphæ acidæ*, vel *salsæ acrimoniam*. Infantibus pro *somno* valdoperè commendatur, hic Syrupus papaveris simplex: Observetur tamen, cautos nos esse oportere in propinando medicamento papaverato infanti. Nimius enim ejus usus, & in excessiva dosi, valdè est nocivus, quoniam reddit eosdem stupidos. Vid. *PANAROLI. Pent 2. obs. 44.* SYRUPUS COMPOSITUS commendatur, ubi opus est *incrassatione tenuium humorum*, & ubi opus est, ut *sistantur effervescentia nimia* : In *Dysenteria* est creberrimi usus. Quæ sequuntur præparata DIACODIA non sunt frequentis, usus & loco horum à modernis usurpatur LAUDANUM OPIATUM in varia dosi pro varietate compositionis, de quo suo loco. LOHOCH seu *succus crassus* papaveris valde convenit in *catharris salsis* & *tenuibus*, & inde *ortis faucium affectibus*; sensim enim sensimque tunc temporis sorbendo deglutitur, ut corrigat ita *affectus faucium*. Hæc de vulgari, sequitur.

CCXXXVIII. PAPAVER ERRATICUM.

Μήκων ῥοιὰς, Ῥοιὰς, Papaver, fluidum, Papaver rubrum, *Klapper Rose*, *Korn-Rose*, *Ieldmag-Samen*, *Grind-Magen*. Pavot sauvage.

Est { majus *Hoc officinarum est*. minus. *Inusitatum*.

Dicitur Papaver erraticum, *Matth. Cord. in D. Lon. Dod. Cast. Tab.* Papaver erraticum primum, *Fuchs.* Papaver Rhæas, *Lob. Germ.* papaver Rhæas, sive flore caduco puniceo, *Lob. icon.* papaver erraticum majus C. B. 10. inter spec. papaveris.

Crescit in arvis, juxta vias ac inter segetes. Floret Majo, Junio.

OFFICIN. NAT.

Flores.

Vires. *Refrigerat* validè, somnum conciliat, dolorem sedat. *Usus præcip.* in febribus, pleuresi (cui specificè prodest,) anginæ, aliisque morbis (in primis pectoris) refrigeratione opus habentibus. In inordinato mensium fluore (infus. flor. in spirit.vin.) Extrinsecus sunt. qui herbâ Hepati impositâ, hæmorrhagiam narium sistere conantur, quam vim & radici adscribunt.

N. Galenus semen multò frigidius esse ait, quàm sem. papaveris sativi, unde & internum ejus usum interdicit.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex floribus.
[*Tinctura ex floribus.*]
2. *Syrup.* Ex infusione florum triplici.
3. *Conserv.* Ex floribus.
4. *Extractum.* Cum propriâ aquâ acuatâ Spir. Sulphuris, *Quercet. Ph. Rest. cap.26.5.*
3. *Acetum.*

PAPAVER ERRATICUM. Quod in multis convenit cum sativo seu vulgari, utut non adeò sit narcoticum, anodynum & stupefactivum, ut illud; sed moderatum in facultatibus. In usu est ejus FLOS imprimis, quod etiam *somnum conciliat*, & *dolorem sedat* moderatè, & non ita potenter ac papaver sativum. Specificè aliàs solet adhiberi in *pleuritide*, ubi non datur præstantius remedium floribus papaveris erratici: sive adhibeantur flores loco Julepi tincti hac formula:

℞ Flor. papav. erratici p. iij. irrorentur spir. vitriol. vel ole. sulphur. (quod idem est, uti postmodum patebit) affundatur s. q. aq. papaver. errat. destillatæ, stent in loco calido per aliquot horas & colentur. Colaturam recipe & adde Syrup. papav. errat. q. s. pro grato sapore. Julepus refrigerans in pleuritide, Julepus antipleuriticus ex Tinctura papav. Read. similis vid. apud Timæum cas. pag. 83. (Potest fieri talis *Iulepus* ex fol. Cyani, calcatrippæ, aquilegiæ, bellidis & similibus pro varietate affectus) vel potest præscribi in *pleuritide* ipse Syrupus papaveris erratici Fit etiam ex hoc papavere erratico TINCTURA cum spiritu vitriol. & phlegmate vitrioli, quæ imitatur in multis Tincturam florum bellidis, imprimis quod attinet vim ejus *sanguinem congrumatum dissolvendi*. Præterea Tinctura hujusmodi *sistit hæmorrhagiam narium & moderatum inducit somnum*, CONSERVA ex FLORIBUS, uti etiam EXTRACTUM est ejusdem usus. acetum commendatur contra *pleuritidem* & *pestem*, miscerique solet inter potiones & Julepos *antipleuriticos*.

CCXXXIX. PARIETARIA.

Ἑλξίνη, Parietaria, Urceolaris, vitraria herba muralis. *Tagund. Na. ht. S. Peters-Kraut, Glasz. khraut. Glasz-kraut.* Parietaire.

Est { Major vulgaris. *Hæc officinar.*
{ Minor *Tragi.*

Dicitur Parietaria, *Brunf. Cord. hist. Dod. Tab. Ger.* Parietaria vulgaris & major. *Trag.* Helxine, *Matth. Fuchs. Lon. Cast. Cam.* Helxine altera, *Cord. in D.* Perdicium, *Lob.* Pariet. officinarum & Dioscoridis, C. B. 1.

Crescit juxta sepes, muros ac parietes. Floret. Julio:

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Refrig. & humect. parum, emollit, maturat, exterg. subastring. Usus ejus internus licèt rarus sit, tamen prodest in pectoris mucilagine, & hinc in tussi, in renibus extergendis, & hinc in stranguria & calculo. Extrinsecus crebrior ejus est usus, isque in tumoribus, erysipelate, ambustis, vulneribus, & utplurimum adhibetur in clysteribus & cataplasm.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex integra herba mense Julio collecta.
[Syrupum Varign. laudat ad calculum.]

PARIETARIA. Crescit in muris & parietibus antiquis, unde etiam parietariæ habet nomen. Est vel *major* vel *minor.* Imprimis usitata est major. Tota hæc planta est ex primariis *emollientibus*; Unde ingreditur Clysteres, cataplasmata & fomenta emollientia, & sic porro. Quod attinet usum internum, imprimis convenit pro *pellenda urina*, extergendis renibus & *promovendo calculo*: imprægnata namque est copioso sale nitroso, cujus ratione internè temperat *renum ardores*, abstergit etiam renum meatus, ac *ciet urinam* potenter: Et quidem pro hoc *usu Diuretico* colligenda venit ea, quæ crescit in muris antiquis, non verò quæ invenitur in locis cultis. Ad muros namque crescens ex calce murorum attrahit sal nitrosum, quo ipso sale nitroso *virtus diuretica* multum exaltatur. Ratione hujus virtutis Diureticæ est singulare arcanum ANGLORUM pro cura *hydropyseos*, qui ex ejus succo conficiunt SYRUPUM, & hoc ceu expertissimo secreto utuntur contra *hydropem*, cum hydropicorum, sive sit hydrops ascites, sive anasarca, aquas per urinam certo experimento curet. In *Ischuria* seu suppressa urin. parietaria cum oleo scorpionum, cataplasmatis instar, pectini vel regioni pubis imposita *Ischuriam* seu *urinam suppressam* certo experimento provocat. De quo vid. *FORESTUS lib.* 25. *obs* 8 Ejus verba sunt hæc: Herba parietaria cum oleo scorpionis experimentum est *HELIDÆI* in *Ischuria*, quod rarò me fefellit &c. Facit etiam mentionem *Ischuriæ* puerperæ ex frigore desperatæ, in qua egregiè profuit hæc parietaria, quod notatu dignum: remedium fuit hoc:

℞ Parietariæ Mij. Chærefolij Miß. incisa coquantur ad mollitiem, adde butyri recentis ℥ij, ole. Scorpionis ℥iß. applicetur calidè, NB. supprimuntur cum urina in tali casu etiam sæpe *lochia*, quod probè observandum. Videatur etiam de hoc parietariæ effectu in *Ischuria AMATUS LUSITANUS Cant.* 4. *curat.* 10. Item in *renum doloribus* & *calculi torminibus* solet cataplasma ex parietaria & oleo Scorpionis applicari lumbis pro adjuvando *calculi transitu*, aut sistendo saltim ejus dolore. SEMEN *parietariæ* contusum, & cum acet. applicatum *pedibus tumefactis* valdè eorum tumorem discutere dicitur à *SCHMUCK. thesauro* 2. *secreto medico* 18.

CCXL. HERBA PARIS.

Herba Paris, *Matth. Dod. Cast. Ger.* Paris herba, *Lon. cam.* Aconitum pardalianches monococcon, *Cord. in D.* Solanum tetraphyllon, *Lon.* Solanum quadrifolium bacciferum, seu 10. C. B. Aconitum salutiferum, *Tab.* Uva versa. Uva vulpina, *Ein-Beer, Vvulffs-Beer, Augenkraut, Sternkraut, Sau-aug,* Raisins de Renard.

Crescit in sylvis opacis. Floret Aprili & Majo.

OFFICIN. NAT.

Bacca, rarò *Folia.*

Vires. Bacca ac folia refrig. & sicc. Usus baccarum internus est alexipharmacus in peste, venenatis morbis, venenisque assumptis. (E. gr. Arsenico.) Extrinsecus foliorum usus est in bubonibus pestilentialibus, aliisque calidis tumoribus, in paronychia, in inveteratis ulceribus.

PRÆPARATA.

Pulvis Saxonicus. Vid. D. A.
Passula, vita Passa, vid. Vitis.
(*N. Oleum* ex granis herbæ Paridis expressum, vel destillatum, quibusdam Oculorum anima dicitur.

HERBA PARIS. Hæc est satis usitata plāta, folia nonnunquam habet v. utplurimum iv. Hinc etiam ab aliis vocatur SOLANUM QUADRIFOLIUM, item UVA INVERSA vel UVA VULPINA: alij salutant ACONITUM SALUTIFERUM, quoniam aconita reliqua sunt lethifera venena: id quod observetur, ut intelligantur Practici. Usitata est BACCA, rarò FOLIA. Internè BACCÆ commendātur contra *venena*, resistere dicuntur *pesti*, & per *sudorem promovere malignitatem* ex vi alexipharmaca. Quod dico de peste, intellectum etiam volo de *reliquis malignis morbis.* Specificè convenire dicitur in *comestione nucis vomicæ*, de qua virtute vid. *GESNERUS lib.* 1. *epist. pag.* 16. Baccæ hæ pulverisatæ singulariter etiam commendantur ad *Epilepsiam*, & expertæ sunt imprimis in *Epilepsia infantum*, de quâ virtute vid. *BLOCHUTIZIUM in anatomia Sambuci p.* 62 66. 67. & 68. Extrinsecus baccæ & herba singulariter prosunt in *tumoribus* & *Bubonibus pestilentialibus*, & in his vix habetur melius remedium simplex in regno vegetabili. Nam vel sola contusa & applicata *bubonibus*, solet eosdem *maturare* & *attrahere venenum.* Interdum tamen etiam solet cum aliis applicari. Sic v. gr. in *bubonibus pestilentialibus.*

℞ *Herba paridis* Mij.
Rad lil. alborum, althea ana ℥j.
Ficuum pinguium nam. 2. *vel.* 3.

Coque in s. q. ole. lil. albor. adde fuliginis splendentis ℥j. saponis veneti ʒvj. ole. aranearum ʒj. Misceantur pro cataplasmate. Vel adhuc melius:

℞. *Pulv. bufonum exsiccatorum* ℥j.
fermenti acerrimi ℥iij.
pulv. foliorum herb. parid. ℥j.
ficuum pinguium ℥ß.

Misceantur in mortario cum s. q. mellis, adde fuliginis splendentis ʒiij. pro cataplasmate De hac vi proficua contra *bubon. pestilent.* vid. *GESNER. in Epist.* raris quidem sed elegantissimis *pag.* 110. Item *PETRUS JOHANNES FABER in Pathologia cap. de peste.* In *tumoribus scroti* & *testium*, imprimis in eorum *inflammatione* folia herbæ paridis egregiè prosunt non minus, quam in *inflammatione* ipsius *penis* cataplasma ex herba virente contusa factum & applicatum egregiè convenit.

CCXLI. PASTINACA DOMESTICA.

PAſtinaca eſt tum { Latifolia Elaphoboſcum.] { Sylveſtris { *minùs*
Sativa { *uſuales.*
Tenuifol. { Sativa ſeu domeſtica. *Hujus loci.*
Sylveſtris. *Hæc loci ſequentis.*

Eſtque Paſt. ſativa. { lutea, Carota lutea, *Gelbe Mohren, gelbe Paſtenach, gelbe Ruben.* Paſtenades jaunes.
alba, Carota alba. *vveiſſe Paſtenach, vveiſſe Ruben.* Paſtenades blanches.
rubra, Carota [ſimpliciter,] *rothe Ruben.* Paſtenades rouges, carotes.

Videatur Paſtinaca ſativa. 1. & 2. *Fuſch.* 1. [& Elaphoboſcum.] *Tabern. Lon.*] Sativa Dioſc. *Lob. Cord*, *in D.* tenuifolia (& latifol. ſativa) *Dod. Ger.* Paſtin. 3. Daucus ſtaphylinus altilis & hortenſis, vulgo Carota, *Cam. hort.* Carota ex albo flaveſcens [& panaca domeſt.] *Caſt* noſtra lutea, *Cam.* Staphylinus 1. & 2. *Trag.* Staphyl. ſativus & Daucus domeſticus, *Galeno* Siſer alterum, *Matth. Tab.* Paſtin, tenuifolia ſativa radice lutea vel alba. C. B. 5.

De rubra vide Paſtinaca ſativ. 2. *Fuchſ.* ſat. rubens, *Dod. Tab.* atrorubens, *Lob.* Carota, *Matth.* radice rubra, *Caſt.* vulgaris, *Lob.* Staphylinus, 3. *Trag.*

OFFICIN. NAT.

Semen, rarò *Herba* Radices culinariæ ſunt.

Vires. Semen & herba calf. 3. ſicc. 3. Vſus præcip. in vulneribus, ſingultu, pleureſi, torminibus ventris, calculo ac menſibus pellendis. Specificum habetur ad uteri ſuffocationem.

Doſis ſeminis ℥j.

N. rarò. planta hæc in officinas infertur.

PASTINACA DOMESTICA. Vocatur aliàs etiam DAUCUS, it. in ſpecie CAROTA: cujus carotæ uſitatum imprimis SEMEN & HERBA. SEMEN ferè convenit. cum virtutibus ſeminis Dauci. Unde cum ſemine Dauci ſpecificà commendatur ad *ſuffocationem uterinam* arcendam. *Carminativum* enim eſt, & *flatus* quoſcunque *pellit* potenter ſemen. Aliàs rari eſt uſus hæc planta.

CCXLII. PASTINACA SYLVESTRIS.

PAſtinaca tenuifolia ſylv. Dioſcoridis, vel Daucus officinarum, C. B. 1. Daucus agreſtis, Galen, Dauc. vulgaris, *Cluſ. hiſt.* Paſtinaca erratica Plinij, *Fuchſ. Cord. in D. Tab.* Staphylinus ſylveſt. *Trag.* Paſtinaca ſyl. *Matth. Lon. Caſt.* ſylv. tenuifolia, *Dod. Ger.* ſylv. genuina Dioſcor. *Lob.* Paſtinaca 4. *Cam.* Germ. *Bogels Neſt.* Racine de Panais, Carote ou Paſtinet ſauvage.

Creſcit paſſim locis Campeſtribus ſiccis & arenoſis. Floret Julio & Auguſto.

Semen, rarò *Radix & Herba.*

Vires. Eidem prædita eſt viribus, quibus Daucus Creticus, cujus quoque loco in compoſitionibus adhiberi commodè poteſt. Semen calefacit & ſicc. 3. radix paulò imbecilliùs, herba adhuc minus; atten. aperit. Uſus præcipui in tuſſi, pleureſi, ſtranguria, reſerat Epar, Lienem, Vreteres, ciet menſes & motas ſedat matricis ſuffocationes, ſtimulat Venerem. Extrinſecus convenit radix peſſariis, exſiccat herba catharros (in lotionibus capitis) & partum promovet (in ſuffitu.)

PRÆPARATA.

1. *Confect. ſem.*
2. *Aq. ſtillat.* Ex tota herba cum floribus ac radicibus Julio collecta.
3. *Ol. ſtillat.* Ex ſemine.

Vires. Coërcet ſeroſitatum affluxum ad articulos vulneratos.]

PASTINACA SYLVESTRIS. Facilè cognoſcitur in fimbriis ſub flore inſtar coronæ illum ambientibus: Ex hac officinæ cognoſcunt totam plantam, quæ convenit cum Dauco Cretico, non ſecus, ac paſtinaca Domeſtica cum Dauco noſtro. Unde etiam ſolet eſſe ſuccedaneum ejus in compoſitionibus quibuſdam Theriacalibus. Extrinſecus ſolet convenire in *affectibus, matricis*, tam in *partu difficili*, quam etiam in *menſium* & *lochiorum vitio*, aliàs uti domeſtica rari eſt uſus.

CCXLIII. PERFOLIATA.

PErfoliata vulgatiſſima, ſeu arvenſis, C.B. 1. Perfoliata, *Brunſf. Matth. Fuchſ. Dod. Cord. in D. Lon. Tab.* major, *Trag.* perfoliatum vulgare flor. luteo, folio umbilicato, *Lob.* perfoliata vulgaris. *Ger.* Germ. *Durch Vvachs, Bruch Vvurtz.* Perfoliate, Perſefeüille.

Creſcit in locis ſabuloſis. Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia & Semen.

Vires. Calf. & ſicc. (amari ſaporis) vulneraria eſt. Vſus præcipui in vulneribus recentibus, Enterocelis (in primis umbilici) tumidis artubus [exoſtoſi Uberbein] ſtrumis, ſive intrinſecus, ſive extrinſecus adhibere volupe ſit.

OFFICIN. NAT.

Aq. ſtillat. Ex integra herba florente.

PERFOLIATA, Planta ſatis uſitata in officinis, dicitur Perfoliata, quoniam ejus caules perforant folia, & ratione hujus ſignaturæ, quâ repræſentat inteſtina perforantia peritonæum, indigitat ſe eſſe remedium *herniarum*, ex procidentia inteſtinorum in ſcrotum, ſive interno uſu pulveriſata, ſive ejus ESSENTIA aſſumatur, ſive UNGUENTUM ex illâ applicetur extrinſecus rupturæ. Certè in *Herniis*, ſive *ſcroti*, ſive *umbilici*, ſive ſit ab *omento*, ſive ab *inteſtinis* tam internè, quàm externè perfoliata eſt medicamentum egregium. Hinc etiam expertiſſimum eſt *vulnerarium* utroque uſu, & vix datur potio, in quam non ingrediatur perfoliata: Et externè SUCCUS eſt frequens in unguentis & balſamis vulnerariis. Extremitatibus *pedum* in illorum *tumore*, vel poſt morbos Chronicos, vel ab hydrope incipiente, applicari ſolet herba contuſa cum ſucceſſu. aq. proſtat in officinis, & proſtare etiam deberet ESSENTIA pro uſu interno.

CCXLIV. MALUS PERSICA.

PErſicus, *Brunſf.* Perſica, *Fuchſ. Cam.* Perſica malus, *Lob. Tab Ger.* malus perſica, *Dod.* perſica arbor & ejus 1. genus, *Trag.* perſica molli carne & vulgaris, viridis & alba, C. B. 1. perſicus alba & popularis, *Lon.* perſica viridis & alba, *Matthiol. Caſt.* Germanicè *Pferſich-Baum.* Peſchier.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores, Nuclei, Fructus, ſed rarò, quippe hi facilè putreſcunt.

Vires. Fructus [mala perſica, Arab. Sanch,] refrig. & humect 2. nutrimenti ſunt pauci, facileque putreſcunt. Verùm initio paſtus laxant alvum. Exſiccata conſtipant, laudanturque in fluxu alvi, &c.

Flores, *Folia* ac *Nuclei*, calf. & ſicc. abſterg. Vſus præcip. (florum) in lumbricis infantum, in alvi laxatione, meſenterij obſtructione, ſeri purgatione, & ſim. [Nucleorum] in diureticis ac lithontripticis, in obſtructione Epatis ardore ſtomachi. Extrinſecus adhibentur crebrò in emulſionibus dolori capitis dicatis, &c.

PRÆPARATA.

1. *Condit. fruct.* 5. ſubtrahitur ſc. exterior cuticula, hinc condiuntur l.a.

N. Aptiora ad condituram cenſentur mala minora quàm præcocia.

2. Aq. Ex floribus.

N. Alvum infantum lubricam reddit, lumbricoſque educit,

3. *Aq. diuretica.* Vide lib. 2. c. 38. aq. diuretica ex nucleis.
4. *Syrup. de floribus perſicæ.* Fit ex iteratis infuſionibus, ut ſyr. ex infuſione violarum.

Vires. Bilem. ac ſeroſos humores educit, meſenterium reſerat, vermes enecat.

Dosis ad ʒij.

5. *Conserva florum Persica.*

6. *Oleum.* Fit expressione.

Vires. Sedat aurium, hæmorrhoïdumque dolores ac tumores, colicos juvat (assumptum.)

[Malus Persica Armeniaca.

Est { Major, Baracocca, *Cæs.* Minor, Præconia, *Brunsf.* Persicus Armenia præcox, *Gesn.* Germ. *Marellen, Mamme-laucken. Sommer-Pfersich. Abricots.*

Vires. Mala hæc melioris sunt nutrimenti quàm mala Persica, cordi alia putantur & inter bellaria confecta pastâ apponuntur. Oleum è nucleis Persicis expresso æquale.]

PERSICA MALUS. Quæ arbor est omnibus nota, cum satis se commendet gratia florum & fructus. Quod attinet FRUCTUM, potius ille est culinaris, quam officinalis, & parum vel nihil prostat de illo in officinis: nec diu potest asservari, quoniam facilè est fermentescibilis, & putredine corrumpitur. Maligni etiam aliquid in se habere putatur, adeoque disponere corpus ad febres malignas & Dysenterias malignas. Quod attinet flores, in illis latet vis quædam *purgandi*, quæ se exserit in educendo humore tenui & fluido, unde inter *hydragoga* referuntur. Unde etiam sunt, qui recipiunt flores eosque infundunt in vinum vel serum lactis, & infuso isto pro purgante tempore vernali commodè utuntur, moderatè enim *laxat* & *purgat* sine ingenti molestiâ & torminum cruciatu, & mirum illos habere vim purgantem, cum nihil in tota arbore sit, quod purget. *Serum* certè *eliciunt* sine omni dolore & torminibus. Destillatur ex his floribus AQUA, fit etiam SYRUPUS ex illis, quæ utraque & aq. & Syrupus *purgant*, & imprimis adhibentur pro *expellendis lumbricis infantum*, non minus, quam SUCCUS *ex floribus expressus.* Quod etiam faciunt infusi vino, & propinati infantibus & aliis illis conflictantibus, & *vermes* si quid aliud potenter solet expellere. Propterea etiam sunt, qui recipiunt folia Persicorum cum felle Tauri, exque his duobus faciunt cataplasma, quod applicant decrescente luna umbilico pro ejiciendis molestis *lumbricis.* Hinc SYRUPUS FLORUM PERSICORUM etiam *podagricis* plurimum conferre pro evacuando acido noxio dicit *CARDANUS* in scriptis, NUCLEI PERSICORUM commendatur contra *calculum*, & potentissimè dicuntur *ciere & promovere urinam.* Unde etiam ex his nucleis & nucleis dactylorum destillatur per retortam OLEUM & SPIRITUS acidus igne aperto, qui rectificati egregiè *pellere calculum* dicuntur: & PULVIS NUCLEORUM PERSICORUM pondere ʒj in vino albo tenui spatio novem dierum assumtus, longa experientia probatum, quod mirè à *renum calculo* liberat. Ulterius parari solet ex nucleis hisce OLEUM per *expressionē*, quod oleum singulare arcanum est in *affectibus aurium*; imprimis quidem in *vermibus aurium* eliciendis, item in *dolore*, *surditate*, & *tinnitu aurium*, idque magis, si misceatur cum oleo decoctionis Colocynthidos, quod mirè etiam commendatur in *aurium affectibus.* Idem oleum etiam extrinsecus commendatur contra *dolorem Capitis* & *Cephalalgiam*, unde sæpius solet ingredi unguenta & olea in *Cephalalgia* usitata. Verb. gr. linimentum contra dolorem capitis potest fieri tale:

℞ *Olei papaveris expressi.*
nucleorum persicorum express. ana ʒj.
Succi verbenæ inspissati ʒiß.

M. f. l. a. *Linimentum*, quo vertex & tempora illinuntur. Unde etiam ex semine persicorum solent fieri EMULSIONES contra *dolorem capitis*, & contra *agrypniam* seu *deficientem somnum.* Contra *dolorem Capitis* Emulsio potest esse talis:

℞ *Nucleorum persicorum* ʒiij.
Sem. papav. albi ʒij.

c. s. q. decocti radicis Rhodiæ f. l. a. Emulsio, cui adde

pulveris Zedoariæ ʒij.

In *agrypnia* verò seu somno deficiente fieret talis Emulsio:

℞ *Nucleorum persicorum,*
sem. papav. alba ana ʒiij.
hyoscyami albi ʒj.

c. s. q. aq. hypnot. fiat l. a. *Emulsio.* D. S. Vel ex aq flor. persicorum pro externo usu potest etiam fieri EPITHEMA in modo dictis affectibus, v. gr.

℞ *Aq. flor. persicorum, verbenæ, flor. Chamomillæ ana* ʒj.
Laudani opiati gr. vj.

[Capit. aplicand. Epithem.]

CCXLV. PERSICARIA.

PErsicaria est C. B. { 1. mitis maculosa, & non maculosa. 2. urens, hydropiper. *Hoc officinale.* 3. angustifolia. 4. minor, pulicaria pumila.

Dicitur ὑδροπέπερι, Hydropiper, *Fuchs. Dod. Matt. Cord. in D. Cam. Cast. Ger.* persicaria 1. *Trag. Tab.* Mas. *Lon.* Mascula. *Brunfs.* Pers. urens, *Lob.* aliis pulicaria. Germ. *Vlæh kraut, Wasser-Pfeffer, Micken-kraut.* Persicane, poivre Aquatique.

Crescit locis udis ac palustribus. Floret Julio & Augusto

OFFICIN. NAT.

Hydropiperis *Foli*.

Vires. calfac. & sicc. Usus præcipui extrinsecus in vulneribus, tumoribus induratis, ulceribus inveteratis [in cataplasm.]

N. 1. *Persicaria* mitis habetur frigida, sed officinis inusitata est, ut species reliqua.

N. 2. *Paracelsus* in Hydropiperis descriptione admodum prolixus est.

N. 3. *Sunt qui* hac herbâ, ad transplantationem morborum præsertim incantatione introductorum utuntur.

PRÆPARATA.

1. Aq satis acre antiscorbuticum.
2. Essentia in lassitudine ulcerosa.
3. Unguentum doloribus podagricis demulcendis proficuum.

PERSICARIA. Cujus variæ sunt species, usurpanda imprimis venit ea, quæ est maculosa & urens, vel quæ saporis est acris & valdè penetrantis, & propter talem acrimoniam & penetrantem saporem vocatur etiam HYDROPIPER Ordinariè in officinis dicitur Persicaria, quod attinet primo ipsam vim, ex sapore facile notum est, quod imprægnata sit copioso acri & penetrante sale volatili, ratione cujus pro maximo solet haberi secreto à quibusdam in *affectibus hypochondriacis*, *scorbuticis* & *spleniticis*, item in *tumoribus* & *infarctibus mesenterij*, similibusq; aliis hisce cognatis. *Incidit* enim egregiè, *aperit* & *resolvit* potenter, & dum foliorum persicariæ maculosæ sunt, gerunt ipsam signaturam macularum scorbuticarum, propterea dicunt, quod hoc ipso innuatur illius vis expellendi *verminosam malignitatem scorbuti.* Unde etiam ex persicaria paratur ESSENTIA, quæ multum commendatur in dictis affectibus. Externo usu frequens est DECOCTUM PERSICARIÆ in *vulneribus*, & *ulceribus malignis* & *inveteratis*, *cacoëtheis*, & difficulter coalescentibus, in specie in *ulceribus Gallicis.* Unde & aq. PERSICARIÆ DESTILLATA commendari solet contra *vermes*, contra *venena* & *ulcera gallica*, uti & contra *lepram* A multis etiam pro singulari secreto venditatur in curatione *luis Gallicæ*, interno quidem usu sive sola, sive aliis permista, quacunque sub forma; sive Decocti, sive essentiæ. Melior tamen est essentia extracta, quam decoctum, cum in decoctione multum

pereat

pereat de ſale volatili. Propter vim in *ulceribus* etiam prodeſt perſicaria contuſa impoſita equis contuſis. Imò commendari ſolet in *ulceribus* & *doloribus podagricis*, idque non ſine ratione, cum oriantur ab acido corroſivo: Hoc acidum, quid mirum, ſi corrigatur à ſal. vol. acri perſicariæ. Vid. *SCHMUCK. Theſaur.* 2. *ſecreto phyſico* 8. Notum aliàs eſt, quod nulla planta æque ſit celebris in *Curationibus magico-naturalibus*, in *transplantatione morborum*, & aliis affectibus magico-naturalibus. Sic perſicaria recens & viridis in aqu. macerata imponi ſolet *ulceribus* & *vulneribus*, ut probè incaleſcat, & ubi incaluerit, calida ſepelitur ſub fimo, ut putreſcat facilè, & hinc curantur *vulnera*. De Magnetiſmo perſicariæ vid. *MARCUS MARCI in Philoſophia veterum reſtituta part.* 5. *ſect.* 1. *ſubſect.* 6. Magicè etiam naturaliter commendatur ad curandam *odontalgiam*: In quo caſu inque quamplurimis aliis fit maximi à *PARACELSO*, qui ſi quis alius maximè ejus vires perſcrutatus eſt. Et quidem ſecundum *SCHMUCK. in cit. loco* curat *odontalgiam*, ſi maceratur viridis & recens in aqua, poſtmodum imponitur loco dolenti & calenti, ut probè incaleſcat. Hinc in fimo ſepelitur, ut putreſcat, & dolor ceſſat. *FONSECA lib.* 1. *Conſil.* 47. alio modo inſtituit hunc magnetiſmum: Decoquit herbam Perſicariæ cum corticibus hyoſcyami in aceto roſaceo: aceto hoc pro gargariſmate utitur, reliquias vero decocti vel gargariſmatis ſepelit in aqu. & dum putreſiunt, dolor ſedatur. Quod idem habet *RIVERIUS*, qui ſolet comburere reliquias poſt decoctionem, ut eò citius & facilius ſedetur dolor. Sed de mirandis perſicariæ hinc inde apud Auctores leguntur: imprimis *PARACELSUS* plurima ipſi tribuit, non ſine ratione.

CCXLVI. PETASITES.

Πεταςίτης, *Peſtilentz-Wurtz, Negen-Krafft.* La petaſite, ou Glouteron.

Eſt { Major, mas, flore luteo. *Hæc uſualis eſt.*
Minor, fœmina, flore albo.

Dicitur Petaſites. *Trag. Fuchſ. Dod. Cord. Lob. Lon. Tab. Ger.* mas, *Cam.* major. *Matthiol. Caſt.* major & vulgaris, C.B.1.

Creſcit in locis humidis. Floret initio veris.

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ gummoſa eſt.

Vires. Calf. & ſicc. 2. part. eſt tenuium, amari saporis, atten. aper. ſudorifica eſt ac alexipharmaca in peſte, in lipothymia uterina, morbis pectoris, à mucilagine tartarea oriundis, E.g tuſſi, aſthmate. Extrinſecus commendatur ad bubones & ulcera maligna.

N. Subſtitui poteſt coſto, quippe viribus eidem æquipollere compertum eſt.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex radicibus, vel ex tota herba.
2. *Ole. ſtillat.* ſed rarum eſt.
3. *Extractum.*

PETASITIS. Planta, quæ tempore verno prodit, cujus folia in magnum creſcunt tempore æſtivo, de qua uſitata eſt imprimis RADIX, quæ vel ſolo nomine prodit, cui uſui ſit deſtinata, dum vocatur *Petaſitis*, peſtis radix, propterea quoniam habet *vim alexipharmacam*, & *reſiſtentem quibuſcunque venenis: ſudoriferum* nempe eſt, & per poros cutis *malignitatem potentiſſimè expellit.* Unde nullus eſt pulvis compoſitus, aliis pulvis alexipharmacus dictus, quem non ingrediatur. Externo uſu contuſa radix viridis, vel ſola, vel aliis admiſta, commendari ſolet contra *bubones peſtilentiales*, ut eoſdem maturet, & malignitatem foras evocet. Præparata rarò, imò ferè nunquam in officinis proſtat.

CCXLVII. PETROSELINUM.

Apium hortenſe, ſeu petroſelinum vulgare, C.B 1. Petroſel. *Trag. Brunſf. Cord.* vulgare ſeu nativ. *Lob.* hortenſe. *Matth. Lob. Dod. Caſt. Ger:* Sativum. *Tab.* Apium ſelinum Dioſcor. Petroſelinum, perſilium, oreſelinum, *Fuchſ.* Arab. Kaiphi, *Peterlein, Peterſilg, Garten-Eppich*, Perſil.

N. Petroſelinum verum ſeu veterum, eſt petroſel. Macedonicum (quod ſequitur.)

Gaudet ſolo humido, colitur in hortis. Floret Junio, Julio & Aug.

OFFICIN. NAT.

Radix (colligitur vere,) *Semen*, (colligitur Auguſt.) & *Folia.*

Vires. Calf. & ſicc. in princ. 2. atten. aper. exterg. diuretica ſunt, Epatica, &c. Uſus præcip. in obſtructione Pulmonum, Epatis, Lienis, Renum, ac Veſicæ, & hinc in tuſſi, Ictero, Cachexia, calculo, ſabulo, menſibus obſtructis, aſthmate, &c. Extrinſecus reſolvunt humores calidos (in primis oculorum ſuggillationes) impediunt capillorum caſum (cum Abrotan.) imminuunt lac (mammis impoſita) adeoque mulierculis noſtratibus uſui ſunt in ablactione infantum.

N. Foreſt. lib. 16.6. commendat ad tuſſim puerorum ℞. Succ. Petr. ℥ß. Lact. muliebr. ℥j. Cumin. ℈j. M. da tepidè.

PRÆPARATA.

Aqu. ſtillat. Ex integra planta cum radice: coll. initio veris.

PETROSELINUM. Planta ſatis eſt cognita, & in culinis & officinis, vocatur aliàs etiam APIUM HORTENSE ſeu SATIVUM, ut diſtinguatur à paluſtri & reliquis quamplurimis apiorum ſpeciebus. In uſu eſt RADIX, & imprimis SEMEN, rarò vero FOLIA. Radix eſt ex 5. radicibus *aperientibus* majoribus, & juxta *vim aperitivam* eſt elegans *diureticum*, & leniter & ſuaviter ſolet *ciere per* urinam materiam in *hypochondriis* ſtabulantem. Unde in *obſtructione partium internarum* valdè eſt uſitata, & convenit in omnibus affectibus, ubi opus eſt apertione, acidi contemperatione & materiæ excrementitiæ per urinam evacuatione. Superius dixi, ubi diſſerebam de *apio paluſtri*, quod conveniat ad *diſcutiendum tumorem mammarum* ex *coagulatione* & *abundantia lactis*: id quod etiam de petroſelino ſperandum eſt: *lac* enim *diſſolvit concretum in mammis*, extrinſecus uſurpatum. Reliqua, quæ habet *AUCTOR*, ſatis ſunt cognita de hoc ipſo. AQUA DESTILLATA eſt rara. Potius adhibetur RADIX ejuſque DECOCTUM ex aperientibus & medicamentis contra *morbos Chronicos* & *Cachexias*.

CCXLVIII. PETROSELINUM MONTANUM.

Ὀρεοσέλινον, *Dod. Lob. Cluſ.* in ſ. 1. *Tab.* Apium montanum, *Caſt.* folio ampliore, C.B.6. Elaphoſelinum, polychreſton. *Cord. Berg Peterlein, Berg Eppich, Hirſch-Peterlein, wilde Peterſilien.* Perſil de montagne. Ache.

Creſcit in locis montanis, ſabuloſis, ut & in hortis.

OFFICIN. NAT.

Radix atque *Semen.*

Vires. Calf. & ſicc. 3. eſt alexipharmacum, ſudoriferum, diureticum, diſcutiens. Uſus præcip. in calculo Renum & veſicæ, in peſte (ſudorem eliciendo) in morbis & flatibus, in ſtranguria.

PETROSELINUM MONTANUM. Planta usitata, petroselino sativo ferè similis, nisi quod aliquantisper sit major, & saporis magis acris. Unde tota planta, imprimis ejus SEMEN solet esse excellentiorum virtutum, quam Petroselinum hortense. *Sudoriferum* & *Diureticum* egregium est, & inter *alexipharmaca* refertur, etiam *stranguriæ* mederi solet.

CCXLIX. PETROSELINUM MACEDONICUM.

Πετροσέλινον, Macedonicum, *Matth. Lob. Cast. Dod. Tab.* aliàs Apium saxatile, *Peterlein*, *Stein-Eppich*, *Stein-Peterlein*. Persil Macedonique.

Colitur apud nos in hortis. Gaudet solo sabuloso ac saxoso.

Semen raro radix.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calf. sicc. (3.) absterg. atten. aper. alexipharmacum est, unde & Theriacæ compositionem ingreditur. Usus præcip. in urina ac mensibus ciendis; in reliquis cum viribus petroselinorum speciebus adscriptis convenit. Adhibetur & morbis veneficio introductis.

PETROSELINUM MACEDONICUM. Hoc ipsum est genuinum veterum petroselinum. Nam petroselinum nostras hortense & montanum, non est illud veterum, quod adhibuere in compositionibus Theriacalibus, sed hoc apud illos solummodo in usu esse consuevit. Nihilominus cum non semper possit haberi, utut colatur in hortis, loco illius potest substitui petroselinum montanum, sine fraude ægri. Convenit cum virtutibus petroselini dictis, nisi quod in *virtutibus alexipharmacis* idem antecedat, & propterea Theriacales compositiones & antidotum *MATHIOLI* solet ingredi.

CCL. PEUCEDANUM.

Πευκεδανὸς, Peucedanum, *Trag. Fuchs. Dod. Cord. in D. Lob. Lon. Ger. Tab. 1. Cam. Matth. Cast.* Peucedanum, C.B. 1. & 2. aliis fœniculum porcinum, German. *Haar-Strang, Saw-Fenchel, Schwebel Wurtz, Himmel-Gall.* Peucedane, ou Queuë de Pourceau.

Crescit in montibus opacis. Colitur & in hortis: floret Iulio.

N. 1. C.B. duplex facit Peucedanum, alterum Italicum, alterum Germanicum: Verùm enim verò promiscuè in usum accersiri poterunt.

N. 2. Radicem Peucedani officinis usualem, non esse legitimam. Vide ap. Matthiol. & Castor.

OFFICIN. NAT.

Radix colligenda Vere, Autumnove.

N. Radix imprægnata est succo resinoso, qui tamen in usum medicum nondum venit, licèt alias magnifiat.

Vires. Calf. & sicc. 3. aper. atten. expectorat, mucilaginem tartaream bilemque educit. Usus præcip. in affectibus pectoris, tussi, inflationibus (so die Lung in den Hals steiget,) & sim in obstruct. Epatis, Lienis, Renum, ciet urinam, calculum atterit & expellit. Extrinsecus in Hemicrania, aliisque generibus cephalalgiæ à catarrhis ortum ducentibus, in tumoribus renitentibus, ulceribus inveteratis mundificandis, promovet capillorum proventum, &c.

PRÆPARATA.

1. *Sal.* } quæ raiò prostant
2. *Oleum stillat.* } officinalia.

PEUCEDANUM. Planta apud nos non adeò vulgaris, quæ tamen in quibusdam locis cultis solet provenire, convenit quoad florem cum Petroselino, quoad folia vero est diversitas. Usitata est radix, quæ colligenda tempore verno, quando est succiplena & turgida, non vero in autumno, quando est effœta, uti vult *AUCTOR*. Valde commendatur in *affectibus pectoris*, in *infarctu* & *inflatione pulmonum* ex effervescentia succorum excrementitiorum in pulmonibus stabulantium, à qua effervescentia pectus inflatur: Refertur non immeritò inter radices *aperientes*, easque ferè superare dicitur. Unde in *affectibus hypochondriorum* convenit; nam ratione salis vol. acris temperat acidum, à quo oriuntur *hypochondriaci*, & tales *Chronici affectus*. Id quod veteres dixere, quod aperiat. Refertur etiam inter *capillares* herbas, quatenus efficit, ut tenaciter *adhæreant cuti capilli*. Præparata aliàs raró prostant, atque sic, uti tota planta, rari sunt usus.

CCLI. PIMPINELLA, BIPENELLA.

Τραγοσέλινον, Bibinella, Bimpinella, *Bibernell*, *Bibinell*, *Stein Peterlein*, *Bocks-Peterlein*. Pimpinelle, d'Almagne. German. *Duytsche Pimpinelle.*

Bibinella. { saxifraga { major } *promiscuè*
{ minor } *usuales.*
{ sanguisorba, Italica. *Vide sanguisorba.*

Major est Pimpinella saxifraga, major candida, C.B 1. Pimpinella, *Cord. Lon. Trag. Fuchs. Lob. Cast.* Pimpinella saxifraga, *Matth. Cam.* Pimpinella saxifraga major, *Dod.* Tragoselinum maius, *Tab.*

N. 1. Hujus radici adnascitur quibusdam in locis granum rubeum, quo utuntur Tinctores ad Colorem Carmesinum, unde sunt qui pro cocco habent.

Minor, est pimpinel. minor, C.B 4. minor, *Fuchs.* pimp. saxifrag. minor, *Cam.* Tragoselinum petræum, *Tab.* saxifrag. parva, *Dod.*

N. 2. Hæc præstantissima est, petroselini Macedonici loco compositiones ingredi potest, si id deficiat.

Gaudent solo pingui, sed inculto: Floret Julio, Augusto.

OFFICIN. NAT.

Radix, Folia, Semen.

Vires. Calf. & sicc. (major in princ. 2. minor compl. g. 3.) atten. aper. absterg. sudorifica est, lithontriptica, vulneraria, &c. saporis acris. Usus præcip. in præcavendis ac curandis venenis ac contagiosis morbis, in reserandis obstructionibus hepatis, Renum, Pulmonum, mensium. In arena, calculo ac stranguria, in colicis doloribus, tussi, asthmate, peripneumonia: in cruditate ac imbecillitate ventriculi: in lue venerea Antidotus item est argenti vivi. Extrinsecus valet in maculis faciei abstergendis, in odontalgia: auget lac, maturat bubones, cancrososque tumores, mundificat ac consolidat vulnera tam recentia, quàm inveterata.

PRÆPARATA.

1. *Condit.* Ex radice.
2. *Confect.* Ex radice, vel ex semine.
3. *Conserv.* Ex semine.
4. *Aqua stillat.* Ex radice ac integra herba, florente Junio mense collecta.
5. *Oleum stillat.* Ex tota planta cum radice.

N. Sunt qui in vino rubello semen macerant rursum, exsiccant, atque sic oleum exprimere conantur.

6. *Sal.* ex cinere.

PIMPINELLA seu PIBENELLA. Hic ante omnia noto, quod cum sit duplex, SANGUISORBA & PIBENELLA, quæ vocatur etiam TRAGOSELINUM, & hic ab *AUCTORE* intelligitur, quando vocant Practici in scriptis Pimpinellam, usitatissimè illa sanguisorba intelligatur: alteram vocant Tragoselinum seu Pibenellam, quæ ut dixi, hujus est loci, quod probè notandum. Est planta umbellifera, cujus folia ferè sunt similia pimpinellæ seu sanguisorbæ: vocatur aliàs *Pimpinella saxifraga*, & refertur inter plantas *saxifragas propter vim diureticam & calculorum* pulsivam, adeò ut primaria ejus vis resideat in *virtute diuretica* & *lithontriptica*. Saporis est acris, propterea *movet sudorem*, & extrinsecus convenit in *mundificandis ulceribus*. Post hos

hos usus, de quibus pluribus videatur *AUCTOR*, prodest valde in *cruditate & imbecillitate ventriculi*, quando est oneratus phlegmate acido, copioso & crasso. In tali nempe casu mirum quantum commendatur saxifragum hoc Tragoselinum seu Pibenella. Unde etiam RADIX CONDITUR, quæ solet prostare in officinis quibusdam; in Electuariis *stomachicis* & stomachum confortantibus, nunc etiam in Electuariis *alexipharmacis & malignitati resistentibus* solet præscribi. Decocta enim hacce Pimpinella cum butyro curata fuit *Dysenteria*, teste *RIVERIO Cent.3.obs.84* Radix etiam in butyro frixa admodum commendatur ad *extrahendos globulos* ex corpore, auctore *STARICIO* in heroum theseuro.

CCLII. PINASTER SEU PINUS SYLVESTRIS.

Pinus { Sativa. *Vide loco sequenti.* / Sylvest. { montana { 1. Fructifera. / 2. 3. Sterilis. } / maritima major & minor, &c. } } { *promiscuè usuales.* }

Videatur Pinus sylv. *Brunsfels. Trag. Lob. Matth. Cast. Dod. Tab. &c.*

OFFICIN. NAT.

Cortex, Folia, Nuces, Resina.

Vires. Cortex & folia refrig. & sicc. adstringunt. Usus præcip. (externi) in dysenteria, fluore mensium (suffiendo.)

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex conis viridibus.

Vires. Rugas faciei delet & mammas admodum in virginibus exuberantes cohibet (impositum cum linteolis.)

2. *Oleum.* Fit ex ligno per descensum igne leni, ut oleum ex abiete.

N. Forsan hoc oleum est officinis Templinum dictum, sive tedæ, quod ab impostoribus Agyrtis vulgo venditur pro Balsamo sulphuris.

Vires. Impetigines sanat inunctum: Verrucas consumit vulneratis verrucis inditum.

CCLIII. PINUS ET PINEA.

Πίτυς, Pinus, *Brunsf. Trag. Dod. Cord. in D. Lon. Cast.* pinus domestica, *Matth. Tob.* pinus sativa, *Ger.* pinus vulgarissima, *Lob.* pinus Italica, *Cam.* pinus sativa, C.B. 1. Arab. Sonabar. *Ichten Baum*, *Hartz Baum*, *Rinn Holtz*, *Ioren-Holtz.* Le pin, & piguet.

OFFICIN NAT.

Nuces pineæ, Cortex & Folia.

Vires. Nuces pineæ (strobili, Conicoccali & conaria veteribus) caliditate temperatæ sunt & humidæ, maturant, leniunt, & agglutinant, resolvunt, impinguant, adeoque nucleorum Usus præcipuus est in phthisi, (quia nutriunt benè) tussi, stranguria ac acrimonia urinæ mitiganda: segnem excitant Venerem, ulcera Renum mundificant, &c.

Cortices & folia *viribus conveniunt cum cort. & fol. pini sylvest.*

PRÆPARATA.

1. *Oleum.* Exprimitur ex nucleis.
2. *Confect.* nucleorum.
3. Loch de pino.

PINUS. Eaque tam legitima seu *Italica*, quàm nostras *pinaster*, seu pinus sylvestris. Planta est, vel potius arbor ferè ex abietum speciebus, exotica, & quæ apud nos non crescit, utut in Italia satis copiosa reperiatur: propterea rarus ejus est usus in officinis nostris, nec memini me legisse quicquam apud Practicos de ea. Sylvestris semper quando præscribitur, intelligitur *Pinea*, quod observetur, ne fiat confusio inter pinum hic intellectam, & inter piceam, quæ vocatur Pinus nostras. Pinus hæc, quam intelligimus, est Italica, ex qua veniunt pineæ, & picea nostras abusivè vocatur pinus: hæc profert STROBILOS: illa fructum, *pinea* dictum, qui tantùm sunt apud nos usitati, æquant magnitudinem nucum cum putaminibus, ex quibus eliciuntur postmodum PINEÆ. Has quod attinet pineas, accedunt ferè ad naturam amygdalarum dulcium, egregiè *nutriunt*, & nutrimentum suppeditant laudabile & bonum, quoniam sunt temperatæ & oleosæ, insigniter etiam *augent materiam seminalem.* Nam in duplici differentia sunt medicamenta quæ ad seminis proventum faciunt: & quæ ad ejus generationem, & quæ ad stimulum. Quæ augent semen, sunt temperata & nutriunt, uti pineæ, & conveniunt cum amygdalis dulcibus & pistaciis, &c. quæ ad generationem & stimulum adhibentur, sunt salina & aromatica seu acria. Unde in Electuariis venereis usitatè præscribuntur simul pineæ & etiam Pistaciæ. Et certe usurpatæ tales pineæ internè *augent semen*; Sunt qui volunt, quod ole. recenter EXERESSUM ex his pineis sit singulare remedium pro *st[illegible] venere.* Hoc secretum fuisse dicitur magni cujusdam principis cum vino sumptum, cum egregiè conveniat in erectione membri: de his dabitur ulterius dicendi locus, ubi de pistaciis. Præter hoc etiam valdè commendari solet in *affectibus pect[illegible]*, imprimis talibus, ex lympha nimis acri salsa & acida in pectus destillante: cum enim sint temperatæ pineæ, temperant oleo suo acrimoniam lymphæ, quæ nimiâ acredine & salsedine suâ posset corrodere pulmones & partes pectoris. Unde in *phthisi*, *raucedine*, *asperitate faucium*, & similibus magni sunt usus pineæ. Propter eandem aciditatem & salsedinem humorum temperandi virtutem conveniunt in temperanda *acrimonia urinæ*, & humorum in *Stranguria & dysenteria*, vel inchoatâ *renum* levi *corrosione*: In tali casu valdoperè solent laudari pineæ.

CCLIV. PIPER.

Πέπερι, Arab. Fulfel, Filfel, *Pfeffer*: du poivre.

Est { Rotundum { Album: *hoc omnium præstantissimum.* / Nigrum: *succedit albo.* } / Longum, macropiper. { Orient. minus, *Tab. hoc usuale.* / Occidentale majus, *Tab.* } }

Album, dicitur piper album, *Matthiol. Lob. Tragos. Clus. Cast. Tab.* Piper rotundum album, *Cord. hist.* Piper rotundum album, C.B. 2.

Crescit rotundum in Malavar ac finitimis Insulis Javæ, Sunda, &c. fructusque est plantæ cujusdam, quæ arboribus instar convolvuli circumducitur.

Eligendum recens, ponderosum, plenum, acre, non cariosum.

Vires. Calf. & sicc. 3. incid. atten. aper. restr. Usus præcip. in frigiditate ac cruditate ventriculi, colicis doloribus (præstat album) in visus imbecillitate (quia flatus discutit.) Extrinsecus in apophlegmatismis, gargarismis, sternutatoriis, sedat odontalgiam, columellam tumidam imminuit, nervorum affectus frigidos juvat.

N. 1. Vis piperis volatilis valde est. Vitentur ergo præparationes in quibus volatile evanescit, e. g. Extractorum præparationes.

N. 2. Vulgus piper longum in paroxysmis febrium exhibere solet, id quod non nisi in principio locum habere potest.

PRÆPARATA.

[Piper in racemis conditum antehac fuit apportatum.]
1. *Spec. diatrion pipereon*. V.D.
2. *Tragea seu species fortes*. V.I.1.
3. *Oleum piperinum stillat*. Fit ex nigro, ad modum, quo ex reliquis aromatibus.

N. Piper parcissimè oleum dat (sci. ℔j. dat ℈j. circiter) ideoque aqu. destillata aliquoties super remanentiam seu caput mortuum refundenda erit.

Vires. Admodum penetrabile est, flatus discutit, paroxysmum tertianæ præcavet, si hor. 1. ante paroxysmum exhibeatur, purgato tamen corpore. Extrinsecus admiscetur inunctionibus dorsi in febribus.

Dosis gr. ij. iij. iv. &c.

Ol. De piperibus.

PIPER Cujus duæ sunt species, ambæ officinales: unum *rotundum*: alterum *longum*: Et quidem utrumque est vel *nigrum*, vel *album*. De natura & productionis modo piperis vid. rerum exoticarum scriptores, qui testantur, quod crescat in planta, quæ scandat instar smilacis & clematitis: unde etiam clematitis est species: In principio quod attinet rotundum, racematim sunt congesti ejus fructus, qui primum sunt virides, & hinc fiunt rubri, & quando sunt rubri, tunc temporis sunt maturi. Fructus rubri seu maturi decerpuntur & exsiccantur in sole, atque sic sensim sensimque acquirunt nigredinem, & propter exhalationem particularum volatilium rugas. PIPER quod attinet ALBUM, est fructus non benè maturatus, sed decussus & externo cortice denudatus, sic enim quando exsiccatur, remanet albus. PIPER LONGUM ferè est ejusdem naturæ, & crescit in frutice simili rotundo: Et differentia potius in natali solo est, quàm planta. Piper cum sit aroma, ejus sapor & effectus omninò loquuntur, quod imprægnatum sit copioso sale vol. acri admodum, nec adeò oleoso & temperato, uti reliqua aromata: quare egregiè *incidit* & *penetrat*: Cæterum, uti dixi, parum vel nihil olei possidet, unde propter absentiam olei quod solet ligare sal vol. est volatissimum, & levi tritura sal vol. evanescit. Ratione hujus salis vol. *penetrat* adeò, *incidit crassa*, & absorbet acidum, propterea ubi peccat acidum, & ubi acidi affectus, quorum primaria causa est acidum, convenit piper, dum acrimoniam temperat. Unde non mirum, si convenit in *Colica*, cujus acidum corrigit: Item quod adeò prosit in *affectibus stomachi* ejusque aciditate imprimis acida, quatenus aciditatem temperat, fermentum nimis fixum volatilisat, & *mucilaginem crassam resolvit* in ventriculo stabulantem. Dantur ejus grana aliquot in vino 2. 3. vel 4. partes conscissa, quæ admodum conducunt *stomacho*, & quamvis excernantur immutata, nihilominus sal eorum vol. vires suas sensim sensimque, dum contenta fuere à ventriculo, exservit. Quando præscribitur piper in formulis absolutè & sine additamento, semper intelligitur *nigrum*, aliàs additur vel longum vel album. Usitatum est apud vulgus ante *paroxysmum febrium intermittentium* dare aliquot grana piperis in vino vel spiritu vini, idque præmissis universalibus, non infelici, sed fausto cum successu. Alii recipiunt oleum PIPERIS DESTILLATUM, ejusque 3. vel 4. guttas miscent cum extracto Gentianæ, & propinant sub forma pilularum ante paroxysmum *quartanarum*. Nam hoc oleum est *egregium stomachicum*, prodest in *colica*, & *quartanis* specificè mederi dicitur. Familiaria quædam & elegantia remedia ex pipere videmus descripta in *BARTHOLIN. Cent.5. histor.48.* tam pro usu interno, quam etiam pro usu externo. Propter hanc vim etiam SPECIES DIATRION PIPEREON sunt egregiæ in *stomacho confortando* & *promovenda* ejusdem *digestione*. Externo usu solet unà cum aliis ingredi in gargarismata & apophlegmatismata pro *incidenda lympha crassa* fauces oblinente, item pro *incidenda inflammatione*, vel *temperanda urina acida*, vel *incidendo sanguine congrumato*. In gargarismatis pro *laxatione oris* cum *dentium dolore*, & *lavatione uvulæ* cum tantillo aluminis. Vel solet fieri pulvis ex pipere, sal, ex Gentiana, qui sufflatur ad locum columellæ vel *uvulæ*, ejus *laxitatem* solet corrigere. Vid. *SENNERTUS de Uvula laxata*. Oleum destillatum piperis cum oleo Laurino, & etiam cum oleo nardino spinæ dorsi inungi solet in nimiis & *horrendis rigoribus febrium intermittentium*, imprimis *quartanarum*. Ab aliis solet oleum piperis cum oleo nucis Moschatæ expresso inungi regioni stomachi, quo usu valdoperè mitigant *horrores febriles*, in quibuscunque intermittentibus obvios.

Est planta ab *AUCTORE* neglecta, quæ vocatur.

PIPERITIS.

Hujus sapor cum sit nimis acris, penetrans & corrosivus æque ac piperis, id ipsum loquitur de præsentia copiosissimi & potentissimi salis volatilis acris, ratione cujus est planta adeò conveniens in *Scorbuto*, cui potentissimè mederi solet, non minus ac cochlearia, nasturtium, &c. uti etiam *malis hypochondriorum*: Idque eò magis, quoniam est egregium *stomachicum*, quatenus materiam acidam in stomacho stabulantem corrigit. Et cum sedes *mali hypochondriaci* sit in stomacho, & ex cruditate acida non unus è stomacho in Massam sanguineam veniat morbus, unde sal acre conveniet in omnibus affectibus, ubi est acidum, quod corrigit & sal vol. in massa sanguinea acrius & penetrantius reddit, & auget in corpore.

CCLV. PISTACIA.

Πιστακία, pistacia, *Matth. Cord. Lon. Dod. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.* Terebinthus Indica Theophrasti, *Lob.* C.B.1. Arbor est Indicæ Terebintho similis.

Nascitur in Persia, Arabia, Syria, India. Quin & Italiæ indigena facta est.

OFFICIN. NAT.

Fructus (*Pistacia*, phisticia, βιστακία, Fistici, *Pimper-Nußlein*.) Pistaches. Sunt nuclei duplici vestiti putamine, primò exteriore coriaceo, hinc lapideo, quod nucleum proximè continet, membranula rubella circumdatum.

Eligendi nuclei recentes, ponderosi, extrinsecus albidi, intrinsecus virides, non rancidi, in apice aliquantulum patentes.

Vires. Calf. 1. humect. 1. atten. aper. Usus præcip. in mucilagine pulmon. obstruct. Epatis, roborant stomachum, arcent nauseam ac vomitum, excitant appetitum, bonum suppeditant nutrimentum.

PRÆPARATA.

Oleum exprimitur ex nucleis.

PISTACIA. Potius ejus fructus, apud nos crebri est usus. Folia semper sunt terna, & crescit in Italia: Ex qua fructus sunt nuclei parvi, saporis instar amygdalarum dulcium, conveniunt cum pineis, cum quibus etiam simul præscribuntur in Emulsionibus *antiphthisicis* & *antihecticis*: quoniam egregiè partes nutriunt: Temperati enim sunt quam maximè, nec ullo modo excedunt, dum humore roscido & oleoso sunt impraegnati: Conveniunt in *marasmo* & *atrophia*, in quibus etiam valdoperè sunt usitati. Juxta virtutem nutritivam conveniunt in *augendo semine*, & *stimulanda venere*. Et quod supra dictum de pineis, intelligendum venit de pistaciis: augmentum enim seminis

ſeminis dant egregiè. Unde quod dixi de OLEO EXPRESSO PINEARUM, valet de OLEO EXPRESSO PISTACIARUM. Unde princeps magnus in vicinia, ante paucos annos mortuus, & valdoperè etiam in ſenio famoſus in re venereâ, pro ſecreto habuit oleum piſtaciorum recenter expreſſum Cochlear.j. vitell. ovorum num.j. & ambræ, quantum cuſpide cultelli capi poteſt, & denique ſacchari Candi, quantum tribus capi digitis poteſt: Hæc invicem ſuper cineribus calidis miſcentur, ſicque habent conſiſtentiam Electuarii, quod valdè convenit in *promovenda & ſtimulanda venere.*

CCLVI. PLANTAGO.

Ἀρνόγλωσσον, *Vvegerich*. Plantain.

Species plantag. uſualiores ſunt tres.

1. Dicitur plantago latifol. ſinuata. C B. 1. rubra, *Trag. Brunsfelſ.* major & 1. *Lon.* major, *Matthiol. Fuchſ. Dod. Caſt. Tab. Cam.* latifolia, *Cord.* latifol. levis, *Lob.*

2. Plantago latifolia incana, C.B. 3. Plant. major, *Matthiol. Lon. Cam.* latifol. minor Dioſcoridis, *Tab.* major incana, *Lob.* Plantago media, *Fuchſ. Dod.*

3. Plantago anguſtifolia major, C.B. 1. plant. minor, *Fuchſ. Dod. Lon.* media, *Caſt.* plantago lanceolata, *Trag. Tab.* Plantago longa, *Matth.* plantago quinquenervia, *Lob.*

Creſcunt locis herboſis, florent Maio & Junio.

OFFICIN. NAT.

Semen, Folia, Radix.

Vires. Refrigerant & ſicc. 2. abſterg. incraſſ. epaticæ ſunt ac vulnerariæ. Vſus præcip. in fluxionibus cujuſcunque generis. E. g. alvi, exſpuitione ſanguinolenta, gonorrhœa, mictione involuntaria, in menſium profluvio, in febribus, & ſim. Extrinſecus in mundificandis conſolidandiſque vulneribus ac ulceribus inveteratis.

PRÆPARATA.

1. *Succus inſpiſſatus*, extractus ex foliis.
2. *Aqu. ſtillat.* Ex herb. integr.
3. *Syrupus de ſucco.*
4. *Extractum.*
5. *Species diaplantaginis Mynſichti.*

PLANTAGO. Dicitur ita, quoniam in viis creſcit: Hujus duæ ſunt differentiæ notatu dignæ. *Plantago* TERRESTRIS, & *Plantago* AQUATICA, utut hujus nullam mentionem faciat *AUCTOR*. TERRESTRIS eſt vel ACUTI-vel LATIFOLIA imprimis. Obſervetur, quod in *plantagine aquatica* ſit maximè CAUSTICUM ſal. vol. acre, quale etiam reperitur in flammula, de qua ſuperius. Unde & hæc *Plantago aquatica*, ratione hujus ſal. vol. acris, extrinſecus applicata, ſolet excitare puſtulas & veſicas: & propter has virtutes ulcerandi applicatur à quibuſdam pulſibus manuum in *intermittentibus*: nec contra rationem abigi poſſe putantur eædem, præmiſſis univerſalibus. Alii appendent RADICEM pro amuleto in *febribus intermittentibus.* Cæterum cum habeat ſal vol. acre inſtar flammulæ, innuit, quod conveniat in curâ *ſcorbuti*, cujus ſal acidum corruptum acrimonia ſalis volat. temperat & corrigit: *Alexipharmacum* dicitur internum, quodque per *ſudorem egregiè venena pellit.* PLANTAGO TERRESTRIS ſequitur, de qua vid. imprimis *AUCTOR*, cujus variæ ſunt ſpecies, & quidem quando plantago abſolutè ponitur, intelligitur *major*, utut communiter ſtatuatur, quod *minor* ſit efficacior majori, quicquid ſit, hæc plantago inter ſimplicia *vulneraria* eſt ex principalioribus interno & externo uſu. Interno uſu quemcunque *humorum fluxum*, ſive ſit *ſanguinis*, ſive *alius*, *potentiſſimè ſiſtit.* Unde SUCCUS EXPRESSUS vel SYRUPUS conveniunt in *ſputo ſanguinis*, in *vomitu ſanguinis*, uti etiam in *nimia uteri hæmorrhagiâ*, ſive *poſt partum*, ſive *tempore menſtruationis*: in quâ etiam DECOCTUM *Plantaginis* cum aceto roſaceo & aqua ſpermatis ranarum applicatur cum ſpongiis regioni pubis. Adhæc SYRUPUS PLANTAGINIS ceu expertum ſpecificum commendatur ab *HOECHSTETTERO Decad. 1. cap. 3. pag. 12. in mictione cruenta.* Sic plantagine ſolâ in juſculo vervecis cocta ad *Diarrhœam* & *Dyſenteriam* curandam feliciter utitur *POTERIUS in ſuis ſcriptis.* Externum quod attinet uſum *vulnerarium* quidem, uſitatum eſt ejus DECOCTUM vel SUCCUS in *vulneribus* quibuſcunque, quæ mirificè conſolidat, non minus etiam, quàm in *ulceribus* & *abſceſſibus*; quos egregiè *mundificat*, & ad *conſolidationem perducit*: Ita ut inter plantas vulnerarias utramque fere ſoleat facere paginam Plantago, interno uſu & externo. Hinc etiam *RULANDUS* valdopere commendat in *ulceribus linguæ* aqu. vel decoctum plantaginis: Habet enim exemplum de quodam, cujus lingua referta fuit *ulceribus malignis, ſinuoſis, gangrænoſis*, &c. quem, præter interna remedia, juſſit colluere os manè & veſperi ante paſtum decocto calido plantaginis, & curata atque conſolidata ſunt illa mirificè. Tanti uſus eſt plantago in *ulceribus linguæ.* Unde ſolet ingredi decocta pro gargariſmatis familiaribus in *ulceribus tonſillarum*, *Uvulæ*, *faucium*, ſimiliumve vicinarum partium. Cæterum pro hoc uſu vulnerario inprimis colligenda eſt inter duo feſta Mariæ. quod ſi enim colligatur radix plantaginis in die martis & lunæ, ita quidem ut luna exiſtat in ſigno vel arietis vel arciten tunc collecta commendari ſolet contra *apoplexia.* Hæc de uſu vulnerario. Præterea Plantago ſimili uſu interno eſt egregia *Alexipharmaca*, quoniam potenter *reſiſtit venenis*, eaque arcet, adeò ut contra *quodcunque venenum* commendetur pulvis ex radice & planta. Vis hæc alexipharmaca edocta fuit per bufonem. Refert namque *TACKIUS in ſuis ſcriptis*, ſe obſervaſſe aliquando certantem bufonem cum aranea, & bufonem eſſe punctum ab aranea, & exinde inſigniter intumuiſſe, cæterum bufonem ſtatim repſiſſe ad plantaginem, aliquid decerpſiſſe ſeque perſanaſſe, indeque de novo cum aranea certamen ſuſcepiſſe vehementius, & aliquoties ab aranea punctum fuiſſe, atque ut antea intumuiſſe, ad plantaginem repſiſſe, ſeque curaſſe. Cæterum cum plantago interea temporis à ſpectatore avulſa fuiſſet, bufo tandem ab aranea punctus tumefactus interiit: Ex hac experientia vis plantaginis alexipharmaca primum fuit detecta.

CCLVII. POEONIA.

Παιονία, Arab. Feonia, *Pœonien*, *Benig Roſen*, *Pfingſt-Roſen*, *Gicht-Roſen*, *Kanigs-Blum.* De la pivoine, Mâle & Femelle.

Eſt { Mas, C.B. 1. *Hac præpollet.*
Fœmina { flor. ſimpl. C.B. 2. *&c.*
flore pleno, C.B. 12. *&c.* }

Mas dicitur Pœonia nobilior, vel 1. *Trag.* pœonia mas. *Matth. Cord. in D. Lob. Dod. Tab. Ger.* Pœonia folio nigricante ſplendido, C.B. 1. Fœmina nuncupatur pœonia, *Trag. Lon.* Pœon. fœmina, *Brunsfelſ. Fuchſ. Cord. in D. Lob. Cam.* Pœonia fœmina altera, *Dod.* pœonia vulgaris fœmina, *Cluſ. hiſt.* pœonia communis vel fœmina, C.B. 2.

N. Diſcernuntur invicem Mas & Fœmina foliis & radice. Mas eſt foliis nigricantibus ſplendidis, juglandis folia emulantibus, radice digitali craſſa, alba: ſeu mas non una radice nixus eſt, ſed plures habet: fœmina variat colore foliorum. Eſt folio utrinque virente & glabro, caule hirſuto, flore vel ſimplici, vel pleno, foliis helleborum æmulatur, radicibus ceu balani longiores circiter octo aut ſex adhærent. Mas plures habet, &c.

OFFICIN. NAT.

Radix, Semen seu grana: Flores.

Radix effodienda est Vere, luna decrescente (3. die. ante novilunium.) Alii effodiunt sole existente in leone, dieque ac hora solaribus, luna decrescente. Flores colligendi sunt Maio, Semen Augusto.

N. Pœonia flore multiplici, rarò semen producit.

Vires. Calf. & sicc. 2. saporis est subdulcis ac subacris, seu amari, subastringit. Vsus præcip. in affectibus Cephalicis, Epilepsia, incubo, &c. Vterinis, mensibus obstructis, lochiis purgandis, doloreque post partum mitigando, Epatis obstructione. Extrinsecus suspenduntur grana ac radix de collo pro arcenda Epilepsia.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex floribus, additáque, si placet, radice.
2. Syr. Ex infusione florum.
[Prostat alibi Mel pœoniatum puerulis Epilepticis lambile.]
3. Extract. Ex floribus exsiccatis.
[Extractum diapœon. Mind.]
4 Conserv. Ex floribus.
5. Sal. Ex incinerata integra planta.
6. Fecula. Ex radice, l a.
7. Oleum stillat. Ex granis elicitur cum aqu. fermentat. l. com.

Polium Creticum.

Polium Montanum aliis præfertur, in primis Creticum, Cretischer Polen. Polium de Crete.

Vires. Calf. & sicc 2. viscera aperit, ciet menses & urinam, ad serpentum ictus utile, [Theriacam ingreditur.] Externè fronti imponitur virescens ad suffusionem. Vulnerarium audit.

POEONIA. Quæ est imprimis duplex, *mas & fœmina*. Officinalis esse debet *Pœonia Mas*, utut sit rarior fœminâ. Substituitur ergo in officinis pro mare fœmina, & propter hoc succedaneum, egregiæ virtutes à veteribus descriptæ, non experiuntur à pœonia. Differentia potest facilè desumi à foliis, cum fœmina folia habeat angustiora & acutiora, mas verò rotundiora, latiora & nigriora, & multis modis præpolleat fœminæ. Quod attinet usum 1. internum, notum est, quod tota planta sit insigniter *Cephalica, pectoralis & Vterina*, quodque in *horrendis capitis*, vel capiti saltem *adscriptis affectibus*, *Epilepsia, vertigine, convulsione, Incubo* & similibus sit expertissima & efficacissima. Nam radicem solam appensam *Epilepsiam* arcere, jam ex *GALENI* tempore notum est: & hæc vis amuletica à *GALENO* experta adhuc noviter est comprobata à modernis, uti videre possumus in *RIVERIO* in *Observat, communicatis pag.*299 Præterea idem videre est in aliis: In *FORESTI lib.*10 *Observ.*59. hic enim appendit sacculum interpassatum ex radice pœoniæ concisa, & ex pulvere seminis pœoniæ: Vid. similiter *BARTHOLINVS Cent.*4. *Observ.*69. Cæterum ut hanc virtutem amuleticam & *ant-Epilepticam* exserat pœonia, necesse est, ut sit (1.) radix ex mare, (2.) ut collecta sit tempore Balsamico, seu suæ exaltationis, sub certâ scilicet constellatione. De his ingens est controversia inter auctores. *PARACELSVS*, qui magnam habuit experientiam affectus constellationum circa tempus plantarum collectionis, putat effodiendam esse pœoniam crescente luna, sole in leone radio sextil. aut Ign. eam spectante, de quo vid. etiam *SCHMUCK. in Curis Magneticis pag.*9. *Citato* verò *RIVERII loco* debet esse collecta decrescente luna, sole in ariet. existente. Alii uti *FINKIVS* in *Enchiridio dogmatico Hermetico p.*26. eandem colligendam putant luna decrescente mense Martio & Aprili. Alii volunt colligendam esse hanc radicem mense Aprili sol. in ariet. existente & luna in opposito in Libra, ut adeò varii sint in hoc ipso Auctores: nihilominus *RIVERIVM* vel *PARACELSVM* optimè hac in parte sequimur, cum hic in his rebus fuerit valde expertus. Hæc de usu externo. Internè RADIX, SEMEN & FLORES in simili usu *ant-Epileptico* (de hoc vid. *STROBELBERG. in manuduct. ad curandos pueriles affectus pag.*16.) *vertigine, convulsione* & similibus valde sunt experti; Unde ex semine parantur EMULSIONES multum proficuæ contra *Epilepsiam*, item pueris, qui habent *pavores nocturnos*, qui pavores sunt prodromi Epilepsiæ. Unde etiam valdè prodest in *incubo* adultorum, in quo, uti, & in *pavore puerorum nocturno* talis potest præscribi Emulsio:

℞. Seminis pæoniæ maris ℥iij. c. s. q. aqu. flor. pæoniæ. F. l. a. Emulsio. adde Smaragdi præp. ℈ij. edulcoretur parum rotulis manus Christi perlatis. Ingreditur radix pœoniæ maris pulverem Marchionis seu Epilepticum, cujus talis est descriptio:

℞. rad pœon. maris decrescente luna. effossæ ℥ß.
Visci quercini
rasuræ Ebor.
ungulæ alcis.
spodii.
unicornu vel
C.C. ex apicibus
Corall. rub. & alb.
Margarit. præp. ana ℥j.
Fol. auri num. xx.
Fiat pulvis.

De hoc vid. *STROBELBERGERVS in manuduct. ad curandos pueriles affectus pag.*18. ubi de Epilepsia puerorum: Datur à ℈j. ad ℥ß. in aquis convenientibus, aut alio quovis modo, quin etiam in ipsa pulte exhibetur: Plurimas illi *STROBELBERGERVS* laudes tribuit, utpote quem dicit se quotidie ferè salutariter præscribere. Smaragdus specificè conducit contra Epilepsiam, semen hoc admiscetur in Emulsionibus in principio *variolarum & morbillorum*, propterea quoniam in his sæpius imminet *Epilepsia & Convulsiones*, in tempore eruptionis: has ut præcaveamus, tales Emulsiones compositæ præscribuntur. Ex floribus Pœoniæ fit methodo consueta ex spir. vitrioli cum phlegmate vitriol. tinctur. quæ instillari potest potui in morbis, ubi adest vel metuitur *Epilepsia*. Hæc tinctura cum tinctura Cephalica composita potest misceri, & convenit in *somniis truculentis*, Cæterum, qui novit simplex, novit ex eo præparata.

CCLVIII. POLYGONUM.

Πολύγονον, { Majus, varii generis est, è *quibus usuale latifolium*, C.B.1. Minus variorum itidem generum, *quæ cuncta minùs usualia sunt*. }

Dicitur centumnodia, *Lob. Brunsf.* Polyg. mas, *Matth. Fuchs. Dod. Cord. Cast. Trag.* vulgare, *Cam.* majus, *Lon. Tab.* German. *Vveg Grasz*, *Vvegdrit*, *Denn-Grasz*, *Blut-Kraut*. Centinodia, la Renoüée.

Crescit locis incultis, aridis ac juxta vias. Floret integrâ ferè æstate.

OFFICIN. NAT.

Vires. Refrig. 2. (al. in princ. 3.) sicc. astring. vulneraria est. Usus præcip. in sistendis fluxibus quibuscunque, diarrhæa, dysenter. Fluxu uter. vomitu. Hæmorrhagia narium. Extrinsec. prodest vulneribus, ulceribus, inflammationibus oculorum, mammæ tumoribus, febri tertianæ (carpis imposita.)

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. Ex herba collecta in principio Augusti.

POLYGONUM. Dicitur ita propter multos nodos

dos, quos habet hinc inde. Eſt vel *majus* vel *minus*, utrumque promiſcuè poteſt uſurpari. Vocatur & à Latinis quibuſdam *ſanguinea* propter *virtutem adſtrictivam*, quâ quaſcumque *ſanguinis eruptiones* potenter *ſiſtit*, ſi contuſa ſcilicet applicetur loco, unde ſanguis erumpit. Interno uſu *adſtringit*, & *quoſcumque fluxus ſiſtit*. Hinc etiam internè imprimis convenit *Hernioſis*, & *Hernias* feliciter *curat*: quo ipſo FALLOPIUS quamplurimos Hernioſos reſtituit, idque imprimis polygono latifolio ſeu majore. Cæterum hic ſemper conferatur *AVCTOR*, quæ enim habet *AVCTOR*, non opus eſt, ut multis dicam.

CCLIX. POLYGONATUM.

Eſt { Latifolium, varii generis, è *quibus uſuale vulgare*, C.B.1.
Anguſtifolium, varii generis, *quæ minus uſualia*. }

Dicitur Sigillum Salomonis, latifolium, *Trag.* polygonatum. *Matth.Caſt.* vulgare, *Cam.* latifolium, *Fuchſ.Dod. Tab.* maius, *Lon.* German. *Vveiſz Vvurtz.*
Creſcit in ſylvis & collibus. Floret maio.

OFFICIN. NAT.

Radix, rarò *Folia*, rarò *Bacca*.
Vires. Temperamenti eſt mixti, ſubaſtring. exterg. ſaporis eſt ſubamari ac ſubacris. Uſus internus eſt in fluore albo mulier. Baccæ pituitam mucilaginoſam per vomitum ac ſeceſſum educunt. (Doſ.n. 14. 15.) Idem dicitur & de radice (ʒi.) ac de foliis. Extrinſecus faciei maculas abſtergit, cutim dealbat, reſolvit ſugillationes ac tumores renitentes, lotione fugat lenticulos capitis, ſcabiemque infantum exſiccat, cicatrices, maculaſque morbillor. emendat, &c.

PRÆPARATA.

Aqu. Ex radice cum foliis ac floribus.

POLYGONATUM. Quod vulgo etiam vocatur SIGILLVM B. MARIÆ, ſeu SIGILLVM SALOMONIS: quæ nomina promiſcuè uſurpantur. Hoc polygonatum ſeu Sigillum Salomonis exhibet pro uſu medico imprimis RADICEM; BACCÆ ejuſdem referuntur inter *vomitoria*, & *vomitum ciere* dicuntur: aliàs internè eſt rarioris uſus hæc planta. Extrinſecus verò expertiſſima eſt contra *ſugillationes* quaſcunque & *Ecchymomata* ſeu *ſuffuſiones*; ubi non habetur melius remedium radice ſigilli Salomonis contuſa & applicata. Tale Cataplaſma impoſitum ex rad. ſigill Salomonis & rad. ari vid. in *SENNERT. lib. V. prax. med. part. 1. pag. 89. cap. 16.* ubi de ſanguine ſuffuſo in partibus ſubcutaneis: & propter hanc vim ſanguinis ſuffuſiones curandi radix ſigilli Salomonis eſt baſis *Emplaſtri MYNTICTHI* ad livorem faciei, item contra *contuſionem oculorum*, quod deſcribit *pag. 501.* Cæterum hæc radix ſigilli Salomonis cum ſit acris & quodammodo corroſiva, ut hæc acrimonia temperetur, additur communiter radix ſymphyti majoris, & ſic fit expertiſſimum cataplaſma ſeu unguentum contra quaſcunque *ſuffuſiones* & *ſanguinis effuſiones ſubcutaneas*: Coquuntur contunduntur & per ſetaceum traiiciuntur, ſicque fit cataplaſma expertiſſimum in tali caſu. Inter *Coſmetica* ſimiliter refertur radix ſigilli Salomonis, adeoque *detergit* & *abſtergit maculas* & *puſtulas faciei*, quoniam conſtat ſale volat. acri, quod detergit omne acidum ſubtile, quod tales maculas & puſtulas ſolet producere.

CCLX. POMUS.

Μηλέα, Malus, *Apffel-Baum.* Pommes, Pommier.

Poma ſunt { Domeſtica { acida. dulcia. ſubacida. } Sylveſtria. }

Vires. Acida ſunt naturæ frigidioris ac aſtringentis. Verùm cum butyro cocta cibum febricitantibus præbent commodum.
Dulcia ſunt naturæ calidioris ac laxantis.
Subacida ſeu vinoſa, naturæ ſunt mixtæ, conveniuntque ventriculo & cordi.
Sylveſtria. *Aſtringunt.*
Extrinſecus (dulcia ſub cinere cocta) ſedant dolorem oculorum, pleuritidis (cum myrrha impoſita.)
[*N. Poma* Borſtorffana ſapore & odore aliis præponuntur.

PRÆPARATA.

[Quandoque Aqua inprimis pomorum Boſtorffienſium, hinc acidorum, & ſylveſtrium proſtat.]
[Item Spiritus.]
1. *Succus fermentatus, ſeu vinum pomorum, pomaceum.*
N. Vulgatiſſimum eſt in Normannia Galliæ Provincia, adeò ut non modò potus loco habeant, ſed & ex eodem aquam vitæ deſtillent, & aceta conficiant, quæ vel cum ſpiritu ac acetis ex vino certare videntur.
2. *Syrupus de pomis ſimpl.* Ex ſuccis pomor. dulcium ac vinoſorum.
Vires. Succurrit affectibus cordis, ſyncopi, palpitat. ac aliis ab atra bile ortis. Ventriculo gratus eſt, ſedat ſitim, febribus auxiliatur.
3. *Syrup. de pomis Regis Saborum.* V.D. & infra de Sena.
4. *Extract.* Seu ſuccus inſpiſſatus pomorum dulcium fragrant.
5. *Extract.* è radice arboris fructus acidos ferentis, fit l.a. cum aqu. ex pomis propriis deſtillata.
Vires. Summum eſt medicamentum contra omnia ventris profluvia, dyſenteriam, lienteriam, diarrhæam, fluxum epaticum. Quercet. P.R.c 6.
6. Vnguentum pomatum.

POMVS. Fructus cuicunque noſtrum notus: & quidem fructus ſunt uſitati, qui cum ſint varii, DVLCES, ACIDI, SVBACIDI, SYLVESTRES & ſic porro: tantum uſurpantur *poma dulcia*, & omnibus palmam præripiunt BORSDORFFIANA, quæ ſunt egregia alimento-medicamentoſa. Quod attinet uſum pomorum dulcium, omnibus notum, quod ex pomis, pyris & Cydoniis per fermentationem fiant liquores vinoſi, uſitatiſſimi in Anglia & Gallia, qui dicuntur *Cidre.* Hoc vinum pomorum, imprimis ex pomis Bors-dorffianis erit egregium remedium *cordiale*: Et ſpiritus ex tali vino paratus valde convenit *pro roborando corde*, & in *affectibus melancholicis*: Vnde POMA BORSDORFFIANA, ſicuti quælibet poma dulcia, valdopere proſunt in *Melancholia*; uti etiam ſingulariter conveniunt in *malo hypochondriaco*. Et VINVM paratum per *fermentationem ex ſucco pomorum Borsdorffianorum* cum paſſulis majoribus erit potus egregiè medicamentoſus ſeu medicatus in *Melancholicis affectibus*, & in ſpecie in *Melancholia hypochondriaca*, in qua valde conveniunt poma dulcia, & præprimis Borsdorffiana. Vnde etiam cum ſucco Pomorum Borsdorffianorum præparatur extractum ferri ſeu martis quod per ſpir. vini poſtmodum dat egregiam ESSENTIAM mart. APERITIVAM, quam hinc inde deſcribunt auctores, imprimis *ROLFINCK in Chymia in artis formam redacta.* SVCCVS POMORVM SIMPLEX convenit in *affectibus cordis*, qui oriuntur ex mœrore & triſtitia, in *Syncope*, *lipothymia*, *palpitatione cordis*, &c. propter hanc vim cordialem & anti-Melancholicam idem ſuccus ſimplex ſolet ingredi *confectionem alkermes*, de qua ſuperius locuti ſumus, quod videatur inprimis in *EIHSTADIO in Tract. de confectione alkermes.* Habetur etiam SYRVPVS DE POMIS BORSDORFFIANIS COMPOSITVS, qui

qui vocatur SYRUPUS REGIS SAPOR, qui est *laxativus*, & pro *purgandis Melancholicis* usurpari potest. Unde quidam faciunt infusum foliorum Sennæ in Syrupum hunc, quod est grati saporis, & facilè exserit vim suam purgantem, in *purgatione melancholicorum*, *Scorbuticorum* & *malo hypochondriaco* laborantium & similiter ægrotantium. Ingeniosum certè infusum. Quando poma fiunt putrida, ex iis destillatur AQUA per alembicum, quæ est expertum & singulare remedium in *morbis externis*, præprimis in *Ulceribus malignis*, ut non reperiatur ei par in *ambustionibus*, uti in *Gangrena* & *Sphacelo*, de quo vid: *SCHMUCK Thes. 2. secret. med.* 19 Ratio in promptu est. Nam constat copioso sale vol. salso occulto, ratione cujus vim acrem putredinosam in *Ulcere* attrahit & absumit, quo acido seu fermento putrido ablato, non potest non fieri, quin consolidentur ulcera. In hac aq. si solvatur mercur. dulcis vel saccharum saturn. & sic imprægnetur talibus metallicis, fit egregia ad *ulcera Phagedænica*, *Telephia* & *cacoethea*, quæ experta est à quam plurimis, & arcana esse dicitur nonnullis: Item in *cancro putrido* & *corrosivo*, qui magis cupit relinqui, quàm tangi, prodest: si scilicet linteum quadruplicatum hâc aqua humectatum imponatur, & quidem hoc non in cancr. solum, sed etiam in *Ulceribus corrosivis* verum esse, experientia Chirurgorum docet. aqu. hæc pomorum putridorum destillata mista cum saccharo saturni, & imposita cum linteis, est egregia in *ambustis*: quoniam *refrigerat*, & vitium per ambustionem illatum corrigit. Unum adhuc monendum est de pomis: Externo nempe usu poma dulcia assata, & instar cataplasmatis applicata *oculis*, sunt expertum remedium contra *inflammationem* & *dolores oculorum*, qui fiunt ex contusione vel vulnere oculorum, Experimentum fuerunt TIMÆI, Nihilominus etiam in *SCULTETO* habetur experimentum in *armamentar. Chirurg.* Formula sit talis. ℞ pomorum dulcium (si possunt esse *Borsdorffiana* est optimum) n. iij. Coquantur in s. q. aq. Euphrasiæ & fœniculi ad mollitiem, trajiciantur per setaceum, pulpæ trajectæ adde sacchari albissimi ℥iij. Camphoræ gr. xv. croci gr. v. Misceantur: applicetur tepidè cum linteolis duplicatis.

CCLXI. POPULUS.

Est { Alba latifolia, *Weisz-Pappel Baum*, *Aspen. Peuplier.*
Nigra, *Schwartz-Pappel-Baum. Blachk poplar-Tree.* *Hæc usualis.* }

Alba dicitur pop. alba, *Matth. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Ger.* populi albæ alia species, *Trag.* C. B. 1.

Nigra dicitur populus nigra, *Trag. Lon.* populus nigra, *Matth. Dod. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Germ.* C. B. 3.

OFFICIN. NAT.

Cortex pop. albæ, sed raro. *Oculi* pop. nigræ.

Vires. Utraque naturæ est mixtæ, (sed humido-siccæ) cæterùm ad frigiditatem inclinantis, abstergitque. Cortex pop. albæ præcipuè adhibetur in dolore ischiadico intus & extra, in stranguria, in ambustis. Oculi seu gemmæ (πέρματα,) pop. nigr. adhiberi solent à sexu muliebri ad capillos adornandos & promovendos, prosunt ibidem ad dolores sedandos; [v g dentium, decoctum ex aq. vel acet. ore detentum.]

N. 1. Est & gummi pop. nigræ, quod calfac. 2. sed minus id usuale est.

N. 2. Succus in foraminibus populi collectus, verrucas ac impetigines curare creditur.

PRÆPARATA.

1. *Oleum populinum.* Ex oculis pop. nigr. (primo Vere collectis) & oleo veteri. Vide Disp.

N. Alij. addunt quoque vinum & coquunt ad hujus consumptionem.

2. *Unguentum populeon.* V. D.

Vires. Refrigerat, somnum conciliat.

POPULUS, Arbor ubivis obvia & nota: quæ cum sit vel *alba* vel *nigra*, nigra tantùm est usitata. Per se populus rarò aut nunquam solet præscribi, sed tantummodo usitatum ex gemmis populi paratum oleum POPULINUM & UNGUENTUM POPULEUM, quod unguentum in *affectibus nervorum* & *capitis* solet commendari, & imprimis unguentum usitatum est, ut inungatur temporibus pro sedando *dolore capitis*, & *inducendo blando somno.*

CCLXII. PORRUM.

Πράσιον, *Lauch.* Porreau. { Domesticum. { capitatum. *Æschlauch.* sectile. *Schnitt-Lauch.* } Usuale sylvestre. }

Dicitur porrum, *Brunsf. Cord. in D Lob. Dod. Cast. Tab.* porrum commune, *Matth.* vulgare, *Lob.* porrum capitatum, *Fuchs.* porrum capitatum vulgare. *Cam.* porrum commune capitatum, C. B. 1.

N. Capitatum & sectile non differunt genere, sed solùm culturâ. Sectile enim dicitur, quod detondetur ad culinares usus: capitatum, quod sine detonsione linquitur, & autumno transplantatur, ut capitatum fiat.

Gaudet solo pingui. Seritur Martio & Aprili.

OFFICIN. NAT.

Radix, *Herba*, *Semen.*

Vires. Porrum calfacit insigniter, siccatque, atten. aper. incidit, resolvit. Usus præcip. in serpentum morsibus & ustionibus, mucilagine pulmonum. Extrinsecus in aurium tinnitu ac suppurationibus, in venis hæmorrhoïdum tumidis ac dolentibus &c. Semen urinam ciet.

N. Frequens ejus usus somnos turbulentos inducit, visuique officit.

PORRUM. Planta odore & figura ferè similis Cepæ: quo ipso sapore & odore refert etiam cepam vel allium, & exinde testatur, quod copioso sal. vol. constat. Prodest in iis affectibus, in quibus allium vel cepæ & succus ceparum solent præscribi. Rari est usus, cum semper Cepæ sufficient: potest substitui his, si non haberi possunt, vel non sunt virides.

CCXLIII. PORTULACA.

Ἀνδράχνη, Arab. Backaleancha, Pourcelaine, Pourpier.

{ Latifolia sativa *Hæc præfertur.*
Angustifolia sylvestris. }

Inscribitur Portulaca, *Lon. Cord.* hortensis, *Trag. Fuchs. Dod.* domestica, *Matth. Lob. Cast. Tab. Ger.* major, *Cam.* Portulaca latifolia seu sativa, C. B. 1.

Floret Junio: Crescit locis arenosis & sabulosis.

OFFICIN. NAT.

Folia, *Semen.*

Vires. Refrig. 3. sicc. 2. astring. pauci nutrimenti est, lumbricos fugat & expellit. Usus præcip. in mitigando fervore bilis, & hinc in febribus putridis malignis, ardore urinæ, ut & in scorbuto, apprimè succurrit febricitantium æstui (folia recentia applicata jecori, Renibus. &c.)

N. In tabe prodesse, succulentia & crassicies foliorum arguunt.

PRÆPARATA.

1. *Succus inspissatus.*
2. *Aq. stillat.* Ex herba.
3. *Syrupus simpl.* Ex succo.
4. *Compos.* Vide Disp.

N. Solet & condiri ad modum quo Cappares condiuntur.

5. Conserv.

5. *Conserv.* Ex foliis.
6. *Loch.*

Vide, *Anserina*, *Potentilla*.
[*Prassium*.
Vide *Marrubium album*.]

PORTULACA. Hujus folia admodum sunt succulenta, & in Italia frequenter adhibentur in acetariis, utut gravare soleant ventriculum, & difficilis sint coctionis. Adhibetur SEMEN, FOLIA, & ex his PRÆPARATA. FOLIA sunt ex primariis *refrigerantibus*, de quorum virtute superius dictum, ubi de Endivia egimus, quod consistat in subtili alcali diluto copioso phlegmate. Conveniunt in *Ebullitione sanguinis* ab acido concitata, ut soleant *effervescentiæ* oriri *febriles*, adeoque apparenter refrigerant: Imo in *phlagosi* & *effervescentiâ scorbuticâ* SUCCUS vel SYRUPUS PORTULACÆ est expertissimus, quemadmodum cum blandè & moderatè temperet & corrigat acidum, ratione hujus convenit in *ardore urinæ* & *stranguria*, item in *Soda*, quoniam hi affectus ab acido oriuntur, SYRUPUS easdem habet virtutes imprimis *refrigerandi*. Item Portulaca comesta prodest egregiè in *stupore dentium* ab acido, quoniam absorbet omne, uti dico, acidum portulaca. Folia recentia contusa, & cum fermento recenti ac sale mista & acet. irrorata, instar cataplasmatis applicata plantis pedum eorum, qui laborant *febribus ardentibus*, valdoperè *temperant æstum*, & *Cephalalgiam* compescunt. Aliàs valdoperè expertum remedium est in *sputo sanguinis*, in quo peculiares sanè exserit vires, quod sputum sanguinis quocumque modo usurpatum compescit, sive Succus, sive Syrupus, sive Lohoch usurpetur. Et quidem in *sputo sanguinis*, qui est ex pulmonibus, usurpatur Succus vel Syrupus internè, v. gr. potest fieri talis MISTURA:

℞ *Aq. Plantag. portulacæ* (*ubi deest portulaca commodè substituitur plantago*) *ana* ℥i.
Lapidis hæmatitis præparati ʒj.
Sanguinis Draconis ʒß,
Succi portulacæ ℥j.
Spir. vitriol. gutt. xv.
Syrup. Portulacæ ʒvj seu ℥j.
[Potio in sanguinis sputo.]

Quod si verò sanguis erumpat, vel ex dentibus, vel gingivis, vel palato, ore & faucibus, quod usitatè in *scorbuto oris* contingit, portulaca masticata & comesta sensim sensimque, valdè convenit pro compescendo tali sanguinis fluxu. Potest etiam fieri ex portulaca DECOCTUM, & addi SYRUPUS SIMPLEX cum aliquot granis Laudani opiati in *sputo sanguinis*, & aliis *sanguinis ejectionibus*; In quocunque *fluxu* & *hæmorrhagia*, sive *capitis*, sive *pectoris*, sive *uteri*: similiter potest commodè misceri cum Syrupo de Symphyto *FERNELII*, utpote qui cum illo conspirat in viribus & efficacia.

CCLIV. PRIMULA VERIS.

Φλομὶς, Herba, Paralysis, *Cast. Brunsf.* vulgaris, *Trag.* primula veris, *Matth. Tab.* Major, fl. luteis odoratis, *Dod.* Primula pratensis, *Lob.* verbasculum odoratum, *Fuchs.* Arthriticum, *Gesn.* simplex luteo flore, *Cam.* verbasculum pratense odoratum, C. B 1 German. *Schloussel Blumen*, *Himmel-Schloussel*, *S. Peters Schloussel*, *Vveisz Betonien*. Primevere, Bavillon.

Crescit in campestribus ac sylvis. Floret Aprili.

OFFICIN. NAT.

[*Radix* nonnunquam, cujus pulvis ad vermes datur.]
Flores ac *Folia*.
Vires. Calfac. leniter, siccat fortiùs, saporis est subacris ac sub amari, sub astring. anodyna est. Usus præcip. in affect. capitis, Apoplexia, Paralysi. In articulorum doloribus. Extrinsecus in Arthritide [succus foliorum contusorum impositus,] ac tumoribus, qui ictus venenatorum animalium subsequuntur.

N. Acetum radicibus impregnatum ac loco errhini in nares attractum, odontalgiam mirabiliter sedat.

PRÆPAR.

1. Aq. Ex integra herba [caule, foliis ac floribus.]
2. *Spiritus*.
3. *Conserv.* Ex floribus.

PRIMULA VERIS. Planta omnibus nota, quæ usitatissimè apud auctores vocatur HERBA PARALYSIS, & sæpius ita præscribitur, quam primula veris, cujus usitata FOLIA & FLORES. Dicitur paralysis propter *vires antiparalyticas*, dum in curandâ paralysi nulla planta ipsi habetur par: Et quidem ex hac herba contra paralysin paratur ESSENTIA, uti etiam SPIRITUS *per fermentationem*. Prostat etiam ex *floribus* parata CONSERVA, usitata in *affectibus capitis* & imprimis *paralyticis* & *apoplecticis*. Interno usu hæc. Externo usu inter *unguenta paralytica* & *apoplectica* solet assumi & misceri. Sic misturam antiparalyticam & apoplecticam præscripsi non ita pridem cum felici successu hoc modo:

℞ *Aq. primul. veris, flor. Tiliarum, Lavendulæ ana* ℥ij.
Aq. apoplecticæ optimæ sive liliorum Convallium: Cerasorum nigrorum ana ʒj.
Essent. primul. veris ʒiij.
Sal. vol. succini ʒß. *ad* ʒj.
Syrup. flor. Tunicæ ℥j.

Alij propriam recipiunt conservam, & irrorant spiritu proprio, vel essentia propriâ, & addunt pulveres appropriatos pro Electuario præservativo *apoplexiæ* & *paralyseos*, inprimis si recipiatur simul conserva florum Lavendulæ, vel florum anthos vel rorismarini, qui rosmarinus est totus Cephalicus, & convenit in paralysi, erit eò efficacius.

CCXLV. PRUNELLA.

Brunella, *Dod. Brunsf. Lon.* Brunella vulgaris & 6. *Trag.* consolida minor, *Matthiol.* minima, *Cam.* Prunella, *Fuchs. Cam. Tab. Ger.* symphytum petræum, *Lob. icon. Cord.* in *D.* German. *Brunellen*, *Gottheil*, 8. *Anthoni Kraut*, Herbe au Charpentier.

Nomen ducit ab Angina, quam Brunellam alij vocant.

Crescit in campestribus ac locis herbosis. Floret Junio, & hinc ferè integrâ æstate.

OFFICIN. NAT.

Folia, *Flores*.
Vires. Calf. & sicc. (subamara est,) abstergit, consolidat, vulneraria est. Usus præcip. in vulneribus in primis Pulmonum, in sanguine coagulato. Extrinsecus in vulneribus, & creberrimè in gingiva, aliisque affectibus oris ac faucium (gargaris.)

N. Author est Crollius, radicem aridam denti dolenti affrictam, ut sanguinem susceperit, magneticâ vi dolorem sopire, si salici indatur perforatæ, foramenque mox tubulo ex salice obturetur.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex integra planta Augusto collecta.
2. *Conserv.* Ex floribus.

PRUNELLA. Quæ autumnali tempore floret, ubique prostat: Dicitur etiam à quibusdam CONSOLIDA MINOR. Nam tres consolidarum sunt species, MAJOR, quæ aliàs SYMPHYTUM, MEDIA, quæ BUGULA, & MINOR, quæ PRUNELLA vocatur, & similis ferè est Bugulæ seu consolidæ mediæ. Hæc quia est ex genere consolidarum

solidarum, propterea tota planta, folia & flores, egregia est *vulneraria*, dum externo usu *mundificat ulcera & consolidat vulnera*: interno usu *sanguinem dissolvit coagulatum*: In *vulneribus pulmonum* specifica est. Hinc prunella hæc est specifica quoque in detrimentis seu *morbis faucium anginosis*. In *angina faucium* usitata prunellæ vel aq. vel decoctum pro gargarismate, usurpatur tam in imminente, quàm præsente; unde etiam *lapis prunellæ* seu *sal fixum* dicitur, quoniam easdem vires quas prunella obtinet in *angina*: & hinc in decocto vel aq. prunellæ dessolvitur pro gargarismate in *angina*: in *inflammatione tonsillarum*, in *ulceribus oris & palati*, in *aphthis*, item in *linguæ & gutturis inflammationibus*, quæ sunt species anginæ, decoctum hoc in ore detentum specificè commendatur.

CCLXVI. PRUNUS.

Prunus { Domestica sativa, *hujus loci*. Sylvestris, *vide Acacia*.

OFFICIN. NAT.

Κοκκύμηλα, Pruna, *Pflaumen*, *Zwetschen*. Prunes: fructus pruni.

Varii sunt generis colore, sapore, figurâ & magnitudine differentia; sunt enim dulcia, subacida, acida. Sunt purpureo nigra, rubra, lutea (cerea, *Spillinn*. Des prunes jaunes,) alba: sunt oblonga, rotunda: sunt denique majora, minora, &c. In officinis autem usitatiora sunt pruna, Damascena (*Zwetschen*, prunes de Damas,) quorum vicem subeunt pruna Ungarica, tum quoque nostratia dulciora in clibano exsiccata. Præterea sunt & Pruneola, (prunes de Brignioles, è loco natali in Galliis,) quæ enucleata & exsiccata afferuntur, C. B. 15. pruna ex flavo rufescentia, mixti saporis, gratissima, Germ. *Pflaumen*, *Prunellen*, Prunier.

Palma datur Damascenis, quæ ex Syria Venetias sicca afferuntur, nucleoque sunt longo & plano potiùs quàm rotundo. Secundo loco sunt, quæ ex Pannonia, prunes d'Hongrie, (unde Ungarica dicta sunt, aliis etiam Damascena, *Cord. in D.* & Transylvaniâ adferuntur: at *Dod.* Moravica magis ad alvum leniendam probantur. His 3. subjungi poterunt & nostratia; sed viridibus ea minora sunt.

N. Est & gummi prunor. ad calculum atterendum utile, sed rari usus.

Vires. Pruna naturâ refrig. & humect. Recentia cruda emolliunt alvum quidem, verùm facilè putrescunt & proin minus commodè (in primis post cibum) usitantur maximè si immoderatior usus fit. Pruna Damascena esui aptiora sunt, laxant, acrimoniam humorum obtundunt, linguam (macerata ac frigida in ore retenta) humectant, sitim mitigant.

Pruneola (seu prunella dicta) Wein Pflaumlein, Brunellen, *Des Bregnoles*, refrigerant magis quam reliqua, humectantque, sed citra alvi commotionem, adeoque esui aptiora censentur, gratumque refrigerium in febribus exhibent.

PRÆPARATA.

1. *Condita pruna* [cerea] cum mell. p. ij. & vini p. j
2. *Pulpa prunor.* Ex magnis acidis & vinosis fit, coctis scil. perque setaceum trajectis, & cum saccharo dimid. circiter inspissatisj
3. *Electuarium Diaprunis simpl.* Eodem modo paratur ex pulpa & sacchar. dimid.
4. *Diaprunum compositum* lenitivum Diadamascenon. *Vid. Dispensat.*
5. *Diaprunum non laxativum, sine saccharo.* V. D. Norib.
6. *Diaprunis solutivum Nicolai diagrydiatum.*
7. *Pruna laxativa.*

PRUNUS. Prunorum varia sunt genera, sunt DOMESTICA, EXOTICA & SYLVESTRIA, quæ vocantur acacia, [die Schleem.] *Alba* se offerunt 1. seu *cerea*, [die Spilgen:] hæc uti exulant ex pharmacopæis, ita exulare debent ex usu & esu communi, propterea quoniam nihil magis tempore autumnali excitat Diarrhæas & Dysenterias, quam hæc ipsa. In officinis usitata sunt PRUNA DAMASCENA, quæ ex *Syria* adferuntur per Venetias, His possunt substitui HUNGARICA, quæ differunt à nostris & & magnitudine & colore, magis enim sunt cœrulea. UNGARICA etiam apud nos in hortis solent coli, & transplantari. Virtutes & facultates prunorum quod attinet, omnia *laxant*, magis recentia, minus exsiccata: Et hæc vis laxandi consistit in facili fermentescibilitate, qua fermentata reliquos humores in similem fermentationem concitant, unde sequitur talis purgatio: Cæterum minus effervescibilia sunt sicca quam humida: unde in iis, quibus opus est alvi leni solutione, decoquuntur, & sic usurpantur. Usitatum est mulierculis incoquere cum prunis folia sennæ, & sic fit elegans laxativum & præservativum à quamplurimis morbis. Propter hanc vim laxativam imprimis in usu sunt pruna in officinis, & inter præparata sunt PRUNA CONDITA, PULPA PRUNORUM, uti habet *AUCTOR*. In quibusdam officinis communia sunt PRUNA LAXATIVA, quæ fiunt, quando infunduntur in liquorem laxativum, & virtute laxante impraegnantur, impraegnata exsiccantur, & exsiccata assumuntur: Modi sunt varij. Non inelegans est compositio prunorum laxativorum *TIMÆI*, quæ est talis.

℞ *prunorum Damascenicorum integrorum* ℥iv.

Coquantur ex aq. simplici. Colaturæ ferventis ℞. lib. 1. foliorum Sennæ sine stipitibus ʒij. Cremoris tartari ʒij. Cinnamomi acutissimi ʒiß. stent in infuso per diem, manè ebulliant, semel atque iterum exprimantur & colentur: Colatura affundatur prunis prioribus, serventur in vase lati orificij, quo humiditas sensim sensimque exhalet. Dosis à prunis v. ad x. vel. xi. Non minùs elegantia sunt pruna condita *BURSERI*, quorum hæc est compositio: ℞ fol. Sennæ ℥j anisi ʒß. flor. cordialium ana p. j. aq. fontanæ claræ lib. 1 fiat infusio, in qua bulliant pruna Damascena, donec turgescant: deinde per decantationem separa decoctum à prunis, in quo dissolve Mannæ ℥iij. vel iv. quibus prunæ condiuntur. Leniter *purgant humorem melancholicum & biliosum*, & ubi Clysteres odio habentur prosunt: adsumuntur à 3. ad vi. hora 1. ante pastum. Deinde etiam pulpa prunorum est ex usu pro laxatione leni, sive sola, sive permista cum aliis. Sic tale Electuarium laxativum ex prunis posit esse,

℞ Pulpæ passularum, prunorum dulcium, Tamarindorum, Sebesten, Cassiæ recentis ana ℥j. pulveris Cinnamomi electi ʒiij. Misce pro Electuario, quod valet in *obstructionibus*, vel ubi adest *dolor abdominis* ELECTUARIUM DIAPRUNIS. Reliqua, tam *simplicia* quam *composita*, possunt videri hinc inde descripta in Dispensatoriis intercomposita.

CCLXVII. PTARMICA.

Ptarmica, *Matth.* 1. *Fuchs. Lon. Cast. Lob.* folio Taraxaconis, *Lob.* pratensis, *Cam. Ger.* Draco sylvestris seu ptarmica, *Dod.* Tanacetum album seu acutum, *Trag.* (& millefolium 3.) *Tab.* Pyrethium, *Brunsfers. icon.* aliis Pseudo-pyrethrum, Dragunculus pratensis serrato folio, C. B. 2.

Crescit in pratis, ut & arvis etiam indultis, aliisque locis saxosis. Floret Majo, Junio ac Julio.

OFFICIN. NAT.

Radix & Folia.

Vires. Calfac. & sicc. sternutatoria sunt (ob acrimoniam,] sed rarioris usus.

PTARMICA. planta hæc ubique crescit in agris foliis acutis, flore albo. Usitata RADIX & FOLIA, Nomen habet propter vim ptarmicam seu sternutatoriam, & propterea solet interdum usurpari in pulveribus *sternutatoriis*, sed raró, quod *AUCTOR* dicit, & raró etiam præscripta legitur à practicis.

CCLXVIII. PULEGIUM.

Πλήχων, βλήχων, Pulegium, { Latifolium { fœmina. *Hoc usitatius.* mas. *Hoc subjungitur.* Angustifolium Cervinum, cui subjungitur Creticum & Massilioticum, quæ *minus usualia.*

Insignitur pulegium, *Brunsfels. Trag. Matth. Fuchs. Cord. in Dod. Lon. Cast. Cam.* pulegium regium *Lob.* pulegium latifolium, C. B. 1. germ. *Poley-Floh-kraut.* Pouliot.

Crescit locis cultis & incultis, humidis ac campestribus. Floret Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia, quæ eligenda caulibus ad rubedinem inclinantibus.

Vires. Calf. & sicc. 3. saporis subacris & subamari, partium tenuium, atten. incid. aper. resolv. Usus præcip. in mensibus ciendis, fluore albo, fœtu ejiciendo: confert Epaticis ac pulmoniacis: nauseam ac tormina ventris discutit, calculum ac urinam pellit. Ictero ac Hydropi medetur. Extrinsecus prodest capiti, somnum arcet, vertiginem discutit, doloribus arthriticis convenit, dentes abstergit, pruritum cutis curat, &c.

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* è summit.
2. *Aq. stillat.* Ex herba.
3. *Aq. bis destillata.* Ex herba.
4. *Ol. stillatitium.*

PULEGIUM. Planta satis nota, tam ex figura quam odore. Hoc pulegium est vel *latifolium* vel *angustifolium*, quod etiam vocatur *cervinum* vel *regale*, cumque rarioris sit inventionis, rari quoque est usus: Latifolium solum usurpatur, & quidem tota planta, caulis cum foliis & floribus, colligenda venit tempore, dum madet & turget rore Sic enim vi sal. armoniacali roris impraegnatur pulegium, & cum ea combinatum ingreditur compositiones. Impraegnatum est sale vol. acriori temperato nonnihil oleoso & sic accedit ad naturam plantarum aromaticarum, quales sunt Mentha & similes: resolvit egregiè, & *attenuat crassam & viscidā mucilaginem*, ac moderatè acidum in intestinis & Mass. sanguinea absorbet & temperat, sine ingenti effervescentia: Imprimis solet usurpari in affectibus uterinis quoniā egregia est *uterina*. Unde in *mensib⁹ ciendis*, aut *lochiis promovendis* in vulgatissimo solet esse usu; non tantùm usu interno, ubi Essentia pulegij cum Essentia mart. aperitiva mista est egregia: sed etiam externo usu solet adhiberi in tali casu, partim quidem in balneis & pediluviis pro *ciendis mensibus*, quæ solent fieri ex foliis pulegij, Serpilli, Matricariæ, Origani, Baccis lauri & similibus: Imo GABELCHOVERUS *Cent.* 3. *Cur.* 61. etiam in *mensibus retentis* pulegium calceis imponendum suadet. *Carminativa* aliàs est similiter, & ubi opus est discussione, cum serpillo usitatè adhibetur. Leviter etiam *urinas pellit*, sed in hoc non est magnæ considerationis.

CCXIX. PULMONARIA ARBOREA.

Muscus pulmonarius, *Lob.* C. B. 7. pulmonaria, *Trag. Matth. Fuchs. Dod. Lon. Tab.* prima, *Cast. Germ. Lungeen Kraut.* Pulmonaire s'élevant aux arbres.

Adnascitur arboribus præsertim, v. g. Quercui & aliis, tum & petris; sed hæc candidior est. Vide Lichen petræus.

Vires. *Refrig.* & sicc. moderatè (aliis calefacit.) Usus præcip. in affectibus pulmonum, scil. erosione, tussi, asthmate, in profluviis alvi ac uteri. Extrinsecus in vulnerum sanguine compescendo. Vide & lichenem, cum quo, ut figurâ, ita & viribus ferè convenit.

Lungeen-Kraut, Pulmonaria, *Pulmonaire.* { Latifolia. Angustifolia. { vulgaris, *Schmal blatterich Lungenkraut.* Plinij, *Schmal blatterich Hirsch mangolt, Hirsch-kohl.*

Crescunt in dumetis opacis ac umbrosis. Florent Aprili. Eligitur præ ceteris latifolia. Hæc insignitur symphytum maculosum seu pulmonaria latifolia, C. B. 1. Pulmonaria altera, *Matt. Cast.* maculosa, *Lob. Cam. Tab.*

N. Foliis variat, quæ aliquando albis punctis notantur, aliquando carent: floribus est communiter cæruleo-rubentibus, rariùs albis. Sunt qui in marem & fœminam distinguunt.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. *Refr.* & sicc. consolidant, conglutinant, (al. calf.) Usus præcipuus in affectibus pulmonum, phthisi, exspuitione sanguinis. Extrinsecus in vulneribus.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillatit.*
2. *Conserva ex florib.*

Pulsatilla.

Herba Venti, *Trag.* Sardoa *Dod.* Anemone Spec. *Gesl.* limonia & samolus Plin. Dalech. *Germ. Kuchens-Schell, Schlotter Blumen, Mutter-Blumen.* Coquelourde, Passe fleur.

OFFICIN. NAT.

Radix,

Vires. *Calef.* & sicc. Alexipharmaca est, præservativè & curativè in peste utilis, ut & in febribus tertianis: uterina etiam est, & errhina.

[*Folia* vi causticâ prædita, verrucas, lentigines, unguium vitia tollunt, ulceribusque mundificandis inservire possunt.]

PRÆPARATA.

Aq. ex herba obstructioni narium conveniens.

PULMONARIA ARBOREA.

QVam monstravit sub musco arboreo. Vocatur etiam MUSCUS PULMONUM. Hic non adeò est in magno usu, nihilominus *adstrictoria facultate* solet imprimis commendari: unde in internis *erosionibus pulmonum*, in *phthisi pulmonumque vulneribus* solet convenienter usurpari. Rectè etiam AUCTOR dicit, quod extrinsecus conveniat in *sanguine vulnerum compescendo*. Rectè pergimus ad.

PULMONARIAM VERAM.

HÆc est vel *latifolia* vel *angustifolia* LATIFOLIA est vel *maculosa*, vel *non maculosa*, & imprimis ex usu in *affectibus pulmonum*, unde etiam id nominis acquisivit PULMONARIA MACULOSA propter *vim consolidativam* vocari à quibusdam solet SYMPHYTUM: nam in omni *pulmonum corrosione & ulceribus*, ut etiam in *hæmoptysi* seu *sanguinis sputo* est usitatissima: Extrinsecus etiam ad *vulnera* quæ vis imprimis tamen *pudendorum*, solet adhiberi. Ex præparatis nihil prostat in officinis, sed tantum sola planta simplex. In Syrupis tamen & hydromellibus, item cum Essentiis & Electuariis pectoralibus commodè potest permisceri. Est planta ab AUCTORE neglecta, non tamen inelegans, quæ vocatur

PLUMBAGO.

DE hac plumbagine imprimis moderni observarunt singularem & specificam vim contra *odontalgiam*: ratione cujus virtutis hæc à quibusdam solet vocari DENTICARIA, propter vim nimirum succurendi

succurrendi dentibus dolentibus. Et quidem adhibetur h. m. Contunditur, & contusa applicatur carpo aut volæ manus, relinquitur per noctem, & mane macula plumbea invenitur in loco, ubi applicata fuit, dolorque dentium cessat: idque certo experimento à multis fuit compertum. De quo vid. *PANAROLLUS in Pent.4. obs.10.* item *STROBELBERG. in tract.de dent. podagr. cap.43.* uti & *TABERNÆMONTANUS in Herbario*, ubi de plumbagine.

CCLXX. PYRETHRUM.

Πύρετρον, Pyrethrum flore bellidis, C.B.1. pyrethrum, *Brunf. Trag. Fuchs. Dod.2. Matth. Cam. Tab.* maius. *Lon.* verum, *Cast.* officin. *Lon.* Germ. *Berkram.Zahn-Vvurtz, Speichelvvurtz, Geifer Vvurtz* Pyrethre.

Crescit in Italia, aliisque locis calidis ac orientalibus, ut & in Helvetia, apud nos non nisi in hortis colitur.

N. Pyrethrum Germanicum seu pseudopyrethrum, *V.* ptarmica.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Calf. & sicc. ultra 3. atten incid. sudorem validè movet usus præcip sed rari in viscoso phlegmate corporis, ac præcipuè pulmonum, quod attenuat atque per exspuitionem ac urinam expellit. Venerem stimulat, quartanam curat. Extrinsecus in Odontalgia frigida, in Batracho apophlegmatizans insigne est: juvat & in Hemicrania: paralysin ac stupida membra sanat, rigores febris præcavet [inunctum dorso ac plantis pedum.]

PYRETHRUM. Planta, quæ in hortis apud nos colitur, in Italia, & aliis calidioribus Climatibus spontaneo motu provenit: rari, imò ferè nullius, usus est pro assumptione interna, utut *extrinsecus* frequentissimè soleat usurpari. 1. Quidem præscribitur ordinario in Clysteribus acribus, & ubi forti opus est stimulo. In tali enim casu non incommodè adhibetur radix pyrethri, quippe quæ est impregnata copioso sale vol. admodum acri instar cujusdam Gentianæ, & ratione istius salis acris adeò potenter *stimulat alvum*; sicque in Clysteribus, quos vocant revellentes, ordinariò usurpatur. Exemplum talis Clysteris fortis, acris & revellentis in *apoplexia* vel *lethargo*, vel simili tali affectu potest esse tale.

℞. *Herb. Origani, rorismarini,*
fol. asari ana Mj.
flor. stoech. arab. Cent. min.
lil. convall. ana pj.
rad. aristolochiæ rotundæ, Cyclaminis,
pyrethri ana ℥ß.
Sem. Carthami in petia ligati ℈j.

Coquantur in s. q. aqu. communis, colaturæ ℞. ℥viij. vel x. in quibus dissolve
Elect. Hiera picr. c. agar.
Benedictæ laxativæ ana ℥ß.
Succi rutæ inspissati ℥ß.
Extracti Castorei gr. VI.

F. l. a. Clyster pro duabus vicibus. Deinde *externo* usu est primarium quoddam *Masticatorium* seu *apophlegmatizans*, quod masticatum, uti copiosum *elicit sputum*, per sal volatile acre, quod *penetrat & aperit pororum meatus*, ita *crassam salivam & lympham attenuat*, *resolvit & fluxilem facit*: sicque masticatione hujus pyrethri *copiosa elicitur lympha*: ratione hujus effectus etiam vocatur altræ radix de quo *AUCTOR*. Ulterius usitatum est Pyrethrum in *gargarisationibus*, contra *dolorem dentium*, in quibus sæpe usurpatur: Tantum solum decoctum in aqu. communi, vel etiam aliis permistum. Quod attinet tale decoctum contra *odontalgiam*, elegans est hoc, in quo omnia ferè contra odontalgiam ex regno vegetabili specifica & appropriata continentur:

℞. *rad. Lapathi acuti,*
Urticæ, pyrethri ana ℥ß.
Herb. persicariæ,
serpilli ana Mj.
rasuræ ligni sancti, buxi ana ℥ß.
seminis hyoscyami albi ʒij.

Coque in s. q. aqu. *Communis, colatura* ℞. ℥VI.
adde Syrupi de Caryophyll. aromat. ℥j.

M. pro gargarismate odontalgico. *HARTMANNUS in praxi Chymiatricâ cap.73. §.14.* pro simili usu contra *odontalgiam* commendat pulverem Gallarum succo radicis pyrethri sæpius imbibitum, & cum fermento mixtum, ac in parvos globulos redactum, quos globulos imponit denti dolenti, ut extrahatur phlegma, eliciantur vermiculi, & denique sedetur & compescatur dolor. Internè etiam radix pyrethri solet permisceri inter medicamenta aphrosidiaca seu vener. stimulantia, ratione sal. vol. acris, quo effervescentiam & turgescentiam semini conciliat, uti etiam fermentum testium exsuscitat & exaltat. Ulterius externo usu pulvis radicis Pyrethri cum pinguedine coturnicis permiscetur, & hoc inungitur membrum virile, quando quis vult coire cum fæmina: Hinc fit, ut membrum appareat solito majus, & mulier denuo videatur esse virgo. Denique inter oris vitia est *batrachus* seu *ranula sub lingua*, affectus frequens infantulis: In hac ranula sub lingua decoctum ex origano, menthastro, pyrethro & sale gemmæ confert, si hoc colluatur os & ranula, ut resolvatur & attenuetur tumor ædematosus ranulæ.

CCLXXI. PYROLA.

Pyrola rotundifolia major, C.B.1 Pyrola, *Matth. Brunsf. Dod Lob. Cast. Tab.* Limonium, *Fuchs.* sylvestre, *Trag.* Lymonium & Pyrola, *Lon.* Germ. *Vvinter-Grun*, *Vvald-Mangolt.* Pyrole.

Crescit in sylvis humidis. Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Refrig. & sicc. astring consolidant, vulneraria sunt. Usui interno & externo celeberrima.

PYROLA. Hujus variæ sunt species, dicitur Mintergrun, quoniã hyberno tempore toto semper permanet viridis. Quod attinet usum, in illo sunt FOLIA, quæ inter *vulneraria* sunt elegantissima, tam in *vulneribus internis* quàm *externis*. Internè in decoctis & Essentiis vulnerariis confert pro *consolidandis intestinorum vulneribus*. Item *STARICIUS* in heroum thesauro *pag 132.* commendat pro vulneribus magnis & ferè lethalibus totam herbam pyrolæ, quam coquit in vino, & per aliquot dies propinat ægro, unde, dicit, apparebit vinum in vulnere & contusione; ossa, ligna aliæque partes heterogeneæ omnes per vulnera, & quæ etiam in vulneribus sunt, spontè expelluntur, quod ipsum aliàs non parum facessit negotii Chirurgis. Aliàs decoctum elegans interno & externo usu est hoc

℞. *Vincæ pervincæ, pyrolæ, saniculæ.*
Consolidæ Saracenicæ, Nicotianæ ana Mij.
albi græci ℥ij. Misceantur.

Quod decoctum tam potum internè, quàm externè instar lotionis applicatum, *vulnera & ulcera* eleganter *sanat*.

CCLXXII. PYRUS.

Ἄπιος, ἄπιον, *Birn-Baum*, poirier.

1. pyra { Domestica, Sylvestris. } 2. { Dulcia. Acida. Acerba.

Vires.

Vires. Refrig. astring. δύσπεπτα sunt. *Cocta* verò melioris notæ censentur, & ut schola Salernitana habet:
Cruda gravant stomachum, relevant pyra cocta gravatum.
Differre tamen viribus, prout sapore differunt, non difficile est colligere, dulcia laxant, acida & acerba astringunt, &c.
N. Arefacta cocta & comesta commendantur in fluxu alvi.

PRÆPARATA.

Ex pyris vulgaribus fit 1. Pyraceum vinum, Germ. *Birn-Wein.* Poiré: quod rusticis nostratibus loco vini inservit, paraturque ad modum quo vinum.
2. Ex eodem pyraceo fit acetum rusticis nostratibus vulgatissimum.
3. Condita pyra muscatellina cum decocto proprio.

PYRUS. Cujus fructus commendatur in culinis & officinis, & quidem in usu sunt imprimis *pyra domestica dulcia.* In genere pyra habent *vim adstrictivam*, & satis *constipant alvum*, eamque reddunt pigram, gravant stomachum, nec facilis adeò sunt coctionis: arefacta commendantur in *fluxu alvi nimio & Diarrhæis*, & ex succo pyrorum fit pyraceum seu vinum ex pyris, quod est elegans *stomachicum*, cum sit moderatum, & *infirmitatem stomachi roboret* in *intestinorum fibris contrahendis.* Prostant in officinis PYRA MOSCATELLINA condita, quæ adhibentur interdum pro fraude, quo talibus pyris palliatum medicamentum assumatur ab ægro. Sic v. gr. Tale pyrum leniter excavatur, & induntur aliquot gr. pulveris antimonialis Emetici, sic enim fit, ut comesto pyro, pulvis una assumatur sine nausea, & sine alio affectu, & tamen subsequatur vomitus. Porro recipiuntur aliquot pyra, leviter excavantur, & inditur pulvis Mechoacannæ: quæ propinata, & comesta ab infante purgando, leniter & eleganter subducunt alvum.

Q.

CCLXXIII. QVERCVS.

Δρῦς, Quercus, C.B.4. Quercus, *Matth. Fuchs. Dod. Trag. Lon. Tab.* vulgaris, *Lob. Cord.* Germ. *Eichbaum.* Chesne.

OFFICIN. NAT.

Folia, *Glandes*, earumque *Cupula*, *cortex*, *Viscum*, *Fungus.*
Vires. Folia, Glandes, Cortex, cupulæ glandium refrigerant, sicc. astring. *Usus* in fluxu alvi, uteri, seminis. Extrinsecus in Odontalgia, profluvio uterino, &c.
Viscum (quod præ reliquis visci generibus probatur) Eichenmistel. Du Visc, ou guy de chêne, calfac. moderatè, seu paulatim emollit, discut. *Usus* præcip. ac specificè in Epilepsia. Extrinsecus maturat tubercula, parotides, cæterosque abscessus (cum resina ac cera mixtum.)
[Dicitur Lignum Crucis, Bravo resol. Med. pap. 6. pag. 553.]
Fungus quercinus hæmorrhagiam narium ac sanguinem vulnerum, non minùs ac betulinus cohibere dicitur.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex foliis quercuum novellar. Maio collectis.
2. *Gluten.* i. e. Extractum viscosum è visco (Bogellein) quod ingreditur nonnulla Emplastra.
3. *Spiritus* per retortam aperto igne prolectus & rectificatus, fœtidus & Empyreumaticus est, sed in Epilepticis utilis & clystericis.

QUERCUS. Arbor si quæ alia vel maximè accommodata pro curis morborum transplantatoriis: idque propter vivacitatem, ut ita dicam, seu propter longos annos, quos solet perdurare. Sic pro *firmitate dentium* transplantantur dentes puerorum in quercum: pro *firmitate capillorum* transplantantur capilli in quercum: contra *dolorem dentium* fit transplantatio beneficio sanguinis ex dente dolente ligno aspersi in quercum: pro *atrophia & hectica* fit certa transplantatio in quercum: pro sedanda *arthritide* fit transplantatio unguium membrorum arthritide affectorum in quercum: de quo eleganter *MARCUS MARCI.* In genere, quomodo ferè omnes morbi possint curari per transplantationem mumialem in quercum, videre possumus *TENZELIUM* in *Medicina Diastatica pag.* 87. Sed his missis, quod attinet usum foliorum, glandium, harum cupularum & gellarum, visci & fungorum, hæc omnia valdoperè *astringunt*, ita ut vix habeatur remedium, quod potentius adstringat, interno pariter & externo usu; & ideò in quibuscunque fluxibus humorum quocunque ex corporis loco valdè commendantur ex quercu remedia. Sic v.gr. cupulæ glandium, uti & ipsæ glandes sunt experteæ in *Dysenteriis*, inprimis quidem si aliquantisper torrefactæ sint. DECOCTUM FOLIORUM QUERCUS internè compescit *vomitum sanguinis*, & nimias *Uteri hæmorrhagias.* In radice quercus provenit concrementum quoddam, quod vocatur propter formam UVA QUERCINA, de quâ vid. *SENNERTUS lib.* 3. *prax.* ubi tractat de Dysent. *p.* 359. quæ est expertissima in cura *Dysenteriæ*, cujus defectui optimè potest substitui *viscus quercinus*, qui ipse valdoperè prodest. FOLIA QUERCUS *decocta* cum priapo Cervi vel Tauri nulli cedunt remedio in cura *dysenteriæ.* In *Tenesmo*, qui est continua sed irrita deiiciendi appetentia, sive sit cum Dysenteria, sive sine ea, cum *Ulceribus ani*, experti sunt sacculi ex foliis quercus in aqu. Chalybeata decoctis, ano applicati: Alii ℞. verbascum, folia quercus & anserinam ana, hæcque cum sacculis in lacte coctis adhibent. Similem faciunt ex foliis quercus decoctis in aqu. & aceto, qui si applicetur regioni pubis in *nimio Uteri fluxu*, sive *mensium* sive *lochiorum*, valdè prodest. Sunt quidam qui internè commendant decoctum foliorum quercus pro dissolvendo quodam *sanguine congrumato.* Pro quo usu sunt, qui præferant flores foliis. VISCUS QUERCINUS, est optimum viscum juxta viscum Corylinum: unde & non vulgariter commendatur in curatione *Epilepsiæ*, sicuti ipsum Corylinum. Alias hoc viscum est expertum remedium *PARACELSI* contra *nimium menstruorum fluxum* in mulieribus; scilicet sive assumatur viscus quercinus pulverisatus in ovo sorbili, & sic statim sedare fluxum dicitur, sive visci quercini ℥iij. bulliant in vini optimi lib. 1. adde vitellum ovi leniter ustum, succi acaciæ sylvestris ℈iß. Usneæ mortuorum ℈j. Extracti rad. symphyti ʒß. Misce, bibatur per 2. vel 3. dies calidè, *sistit omnes fluxus*, *rubrum & album.* Valet etiam in *ruptura mulierum in matrice*, seu alio in loco FUNGUS sequitur considerandus QUERCINUS hic ipse valdè commendatur in *Dysenteria*, etiam si tantummodo in potum injiciatur, potusque sic hauriatur: Compescit etiam *hæmorrhagiam narium* externè, uti etiam *hæmorrhagiam vulnerum.* Inter præparata est 1. quidem aqu. DESTILLATA *ex foliis quercus*, quæ est egregium remedium contra *Dysenteriam* nimiam & desperatam in potu; LIGNUM QUERCINUM, si per retortam destilletur instar aliorum lignorum, dat SPIRITUM *acidum* & oleum *fœtidum*: Hic ipse *spiritus acidus*, qui alias etiam acetum quercinum vocatur, valdè commendatur ad curam *luis venereæ*: Item commendari solet in *Dysenteria*, quod tamen non credo.

CCLXXIV. QUINQUEFOLIUM.

Πεντάφυλλον, Quinquefolium majus repens flore luteo, C.B.1. pentaphyllon minus, *Brunsf.* vulgare *Trag.* Dioscor. *Tab.* luteum majus, *Dod.* 1. & 2. *Lon.* repens, *Cam.* Quinquefolium, *Matth. Lob.* Germ. *Funffinger-kraut, Funff Blat.* Quintefeüille.

Crescit passim locis arenosis, campestribus. Floret Maio & Junio.

OFFICIN. NAT.

Herba colligenda cum floribus, colligenda Vere.

Vires. Temperatum est caliditate & frigiditate, sicc. 3. astring. vulneraria est. Usus præcip. in affectibus à catarrhis oriundis, paralysi, phthisi, arthritide, in uteri humiditate corrigenda, in sanguinis expuitione ac tussi, in Ictero, in obstructione Epatis & Lienis, obtundit acrimoniam bilis adustæ, sistit fluxus alvi, hæmorrhoïdum, hæmorrhagiam narium. Prodest in calculo ac erosione Renum, in Hernia, in febribus. Extrinsecus prodest in oculis inflammatis [succus instillatus] in oris putredine, laxitate dentium, abstergit ulcera etiam maligna.

N. 1. *In* febribus tertianis exhibent folia trina, in quartana quaterna, &c.

N. 2. *Sunt* qui radicem pugno detentam ad hæmorrhagiam narium sedandam commendant.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Fit ex herba collecta Maio.
2. *Extractum.*

QUINQUE FOLIUM, seu PENTAPHYLLUM. Cujus cum variæ sint species, usitatum tantum illud, quod solet repere, & humi spargere suos ramusculos: dicitur aliàs quinque folium repens flore luteo. Valdoperè *adstringit*, & *vulnerarium est insigne.* Unde ubicunque est humorum aliquis fluxus, quinque folium usitatè præscribitur. Quorundam superstitio vult, quod Pentaphylli folium 1. sanet *febrim Ephemeram*, folia 3. sanent *tertianam*, 4. *quartanam*; sicuti etiam quod Heliotropii gr. iij. *tertianas*, gr. IV. *quartanas* persanent. Sed hoc tantum superstitionem sapit. Quatenus adstringit vehementer, facilè patet, in quibus affectibus posit commodè usurpari.

R.

CCLXXV. RAPHANUS.

Raphanus
- major orbicularis, vel Raph. rotundus domesticus. *Hujus loci.*
- niger. *Idem hic cum priori.*
- minor oblongus. *Est esculentus & minùs officinalis.*
- rusticanus seu marinus. *Vide in sequenti.*
- aquaticus. *Non est in usu.*
- sylvestris. *Vide Aromacia.*

Ῥαφανὶς, ῥάφανος; Arab. Fugell. Raphanus magnus, *Lob.* Raphanus sativus, *Fuchs. Cast.* Raphanus rotundus, *Lon. Tab.* orbiculatus, *Tab.* & *Ger.* Radicula sativa, *Dod.* Raphanus major orbicularis vel rotundus, C.B.1. *Rettich.* Refort.

Crescit in hortis. Gaudet solo humido.

OFFICIN NAT.

Semen, *Radix*, sed rarò, quia culinaris potissimùm est. [Liquor tamen ex taleolis saccharo cando conspersis, puerulis convenit in pectoris mucilagine.]

Vires. Calf. 3. sicc. 2. aper. absterg. atten. Usus præcip. in calculo atterendo ac expellendo, urina ac mensibus ciendis, in obstructionibus Epatis ac Lienis, attenuat mucilaginem viscosam in ventriculo, confertque ad distributionem chyli, chymique. Extrinsecus apponitur plantis pedum in febribus, sicuti & cervici in capitis dolore febrium malignarum comite.

N. De usu interno notandum quod nauseam & ructus ciere soleat.

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. Ex radicibus [Ictericis utilis.]

RAPHANUS. Hic raphanus valdè convenit in *pellendo calculo* & *ciendâ Urina suppressa*, in quibus casibus nulli cedit remedio. Adhæc valdoperè convenit ejus species pro *attenuanda crassa, viscida ac tenaci mucilagine.* UNDE SUCCUS RAPHANI *recenter expressus*, cum pauco saccharo mistus, valdoperè convenit in *incidenda pituita viscida stomachi* & *pulmonum*, & in *sedanda tussi* ac *asthmate*, à tali mucilagine oriundis: etiam ubicunque est talis mucilago, certo eam resolvit & attenuat. Extrinsecus raphanus apponitur in *febribus ardentibus* & *malignis* plantis pedum pro temperando calore, pro *sedandis vigiliis, Comate vigili*, & etiam in *Delirio.* In talibus casibus sequens pulmentum conducit egregiè

℞. *fol. rutæ recentium, aut etiam fol.*
sempervivi Mij. *vel* iij.
rad. raphani n. ij. *vel* iij. *salis* Mj.
Fermenti acerrimi Mij. *aceti rosacei q.s.*

F. l. a. cataplasma, quod applicetur plantis pedum applicari etiam potest volæ manuum. Aliàs pauci est usus raphanus, nisi contra calculum.

CCLXXVI. RAPHANUS MARINUS SEU RUSTICANUS.

Raphanus Rusticanus, C.B 5. sylvestris, Dioscor. *Fuchs.* Amoracia aut Raphan. major, *Brunsfels.* Raphan. major, *Trag.* marinus, *Tab.* vulgaris & rusticanus, *Matthiol.* Radicula magna, *Dod.* rustican. *Lob. Cam.* German. *Meer-Rettich* Grand refort.

Gaudet solo humido.

OFFICIN. NAT.

Radix, effodienda Martio.

Vires. Calf. & sicc. ad gr. 3. incidit, atten, easdemque cum priori qualitates habet, sed fortiores: tartaream mucilaginem incidit, ciet vomitum (si succus vel infusio in aceto cum melle tepidè assumatur & aqua superbibatur) specificè scorbuticis prodest. Calculum pellit, menses ciet. Extrinsecus prodest in febribus (tertiana & quartana) succus cum ol. piperino dorso inunctus, pulsibusve cum Sal. com. impositus, vel umbilico applicatus, donec sentiatur, [sugillata tusus è vestigio tollit. aut succus expressus, auferendus ubi mordere incipit. *Seb.*]

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. è radicibus.

RAPHANUS RUSTICANUS. De quo, ubi de armoracia habuimus, sufficienter locuti sumus, imprimis, quæ de armoracia etiam dicta sunt, volo ut hic repetantur, quoniam semper ferè loco illius adhibetur.

CCLXXVII. RAPUM ET RAPA.

Γογγύλη, *Ruben*, Navau, Rave. Arab. Seliom Selgem, Selgrem, *Dioscor.*

Est,

Eſt { longum, fœmina. / rotundum, mas / ſylveſtre, *quod minùs uſitatum.*

N. Nomen Rapi omnibus uſuale eſt.

Vires. Calf. 2. ſicc. 1. Seminis uſus præcip. in antidotis, Ventrem ciet, morbillos expellit. Doſis ℨß. Radix magis culinaria eſt, ſed ventriculo flatulenta. Succus & decoctum leniunt acrimoniam bilis ac aſperitatem bronchiorum, aſperæque arteriæ, &c. Extrinſecus imponitur Pernioni (cocta) adhibeturque in gargariſ. Vide & Napum.

RAPUM ET RAPA. Promiſcuè ſic dicitur. Radix hæc non minus eſt officinalis, quàm culinaris, eſt nimirum alimentum medicamentoſum. Temperata enim omnia ſimplicia ſunt alimentoſa, ſimul ac verò in ſapore excedunt, fiunt alterantia & medicamentoſa. DECOCTUM RAPORUM commendatur tanquam medicamentum domeſticum, in *malo hypochondriaco*, & in *flatibus* ejuſdem *mali hypochondriaci*. Idem decoctum raporum ſingulariter & ſpecificè commendatur à *GABELCHOVERO in ardore urinæ ſeu Dyſuria Cent 3. cur. 2* ceu expertiſſimum, in cujus curationis annotatione adhuc invenimus de rapis non inconcinna. Quod dictum de ardore urinæ, dictum ſit de retentione, quoniam illam provocat. *CRATO* trium Imperatorum Archiater, Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II Auſtriaci, Decoctum raporum valdè uſitatum habet in cura *Tuſſis*, *aſthmatis*, & ſimilibus *pulmonum & pectoris affectibus*; in iis ſcil. ubi ſubeſt acrimonia lymphæ, quam temperata rapa corrigunt. Unde etiam *BRENDELIO* expertiſſimo Chymiatro aqu. DESTILATA ex *floribus raporum* commendatiſſima eſt in *aſthmate*. Singulare itidem experimentum ſuggerunt rapa contra *dolorem dentium*, quod poſſumus videre in *cit. GABELCHOV. loco*: ſi ſcil. ſub cineribus calentibus aſſata poſt aures applicentur prope carotides, magnæ ſunt efficaciæ, revellunt & dolorem ſedant. Proſtat imprimis in officinis præter decoctum & ſuccum ole. RAPORUM, quod egregiè *diſcutit flatus*, & clyſma ex hoc oleo vel ſolo, vel cum oleo lini expertum eſt in *dolore colico*, & aliis *flatulentis affectibus*. Hinc etiam in deſperatiſſima *alvi obſtructione* eſt expertiſſimum, ubi neque clyſma, neque aliud medicamentum profuit, quod tunc temporis inſtinctus digitus in ole. raporum, & ſedi, vel ano aliquoties immiſſus egregriè provocavit alvum. Extrinſecus rapum habet magnum uſum in *pernionibus*, qui ſunt malum, quod in principio videtur leve, periculoſæ tamen ſequuntur *exulcerationes & gangræna*. Unde ex rapis compoſitum UNGVENTUM habet *MYNSICHT in armamentar. Chim.* Alii nudè recipiunt rapa, & cocta in aqu. ſimplici inſtar Cataplaſmatis applicant. De quo vid. *FORESTUS lib. V. obſ. 15.* Et quidem rapa imprimis exſiccata, conveniunt tantùm in *pernionibus*. Sunt alii, qui recipiunt rapum, & excavato infundunt oleum roſarum & Terebinthinæ ana, & hæc invicem coquunt, vel ebullire ſinunt, & tali unguento partes *à frigore læſas* inungunt. Quod oleum roſarum in rapâ excavatâ aſſatum valdè etiam commendatur ad *fiſſuras partium à frigore contractas*: Sed obſervetur, ut antequam inungantur partes refrigeratæ, immittantur in aqu. frigidam. Deinde exponantur fumo aqu. ferventis, & denique his factis fiat inunctio cum medicamentis externis. Uti dico, tales *Perniones* abeunt non raro in *Gangrænam & ſphacelum*; Unde EMPLASTRUM tale expertum habet *FONSECA lib. 2 Conſ ij.*

℞. Rad. 1. Raphani hortenſis & rad. 1. rapi, terantur in mortario, adde ſinapi ℥j pulveris Caryophyllorum ʒiij. ole. ſeminis lini, juglandum veteris ana q.ſ. fiat Emplaſtr. Elegans eſt compoſitio, & non ſpero illud futurum fruſtraneum.

CCLXXVIII. RHAPONTICUM VULGARE.

RHaponticum ſeu Centaurium majus. { folio in lacinias plures diviſo, C.B. 1. folio non diſſecto, C.B. 2. / Alpinum luteum, C.B. 3.

Ex his uſualius eſt primum, quod inſignitur Rhapontica, quæ hodie centauria major, *Trag. Cord.* Centaurium majus, *Lon. Lob.* magnum, *Matth Dod. Caſt.* Centaur. majus ſeu Rhaponticum pharmaceuticum, *Cor. in D. Cam. Tab.* German. *groſz tauſendgulden Kraut, Rhapontic.* Rapontic vulgaire.

Creſcit in alpibus & vallibus pinguibus, apricis, Apuliæ, Sabaudiæ.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Naturæ eſt temperatæ, ſicc. aſtring. vulneraria eſt, ſaporis ſubdulcis ac ſubacris. Uſus in fluxibus alvi, Dyſenteria: ciet menſes, profluviumque è contrario ſiſtit: prodeſt in hernia, ſanguine coagulato, exſpuitione ſanguinis, in febribus ſtomachicis: Epar aperit ac roborat, ſummoperè laudatur à nonnullis in obſtructione venarum meſaraicarum, & in morbis hinc ortis.

RHAPONTICUM VULGARE. Quod à quibuſdam etiam vocatur *Centaureum majus*, apud nos rarum, in Italiæ ècontra Alpibus eſt frequens. Uſurpatur tantùm RADIX, quæ cum ex Italia ſoleat afferri ſæpius eſt adulterata & veſtutate corrupta: propterea eſt eligenda acris, ſapore ſubamaro & quodammodo adſtringente. Virtute conſtat imprimis *vulneraria* internè & externè, vid. *AUCTOR.* Et quidem imprimis convenit in *caſu ab alto*, indeque *ſanguine coagulato*, in *ruptione partium internarum*, *pleuritide*, *dyſpnæa*, & *Tuſſi inveterata*. CENTAUREUM MAJUS dicitur à Chirone Centauro, quoniam ab ipſo in uſum medicum fuit tractum. QUINTAM ESSENTIAM CENTAUREI MAJORIS præparandam commonſtrat, uti etiam uſum in medicina *FABER in Myrothecio Spagyrico.*

CCLXXIX. RHAPONTICUM VERUM.

RHeum, Rha Dioſcoridis, C.B 3. Pontificum Rha antiquorum, *Lob.* Rhapontic. verum officin. German. *Rhapontic.* Rapontic vray.

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ ad nos ex Aſia advehitur.

Eligenda quæ non carioſa, rubeſcens, in ore lentorem referens.

Vires. Calfac. & ſicc. 2. ſeu mixturæ temperatæ eſt, terreſtris & igneæ, ſaporis ſubacris. Stomachica, ſplenetica ac hepatica. Uſus præcipui in doloribus arthriticis, febribus, venenatorum animalium ictibus, &c.

PRÆPARATA.

Extract. f.l.c.

Vires. Summum eſt cardiacum. Quercetan. Pharmacop. Reſt.

RHAPONTICUM VERUM. Quod etiam vocatur *κατ' ἐξοχὴν*, RHEUM, natalibus exoticum. Nam *tria* habemus *rhea. Verum*, *vulgare*, & *barbarum*, quod eſt purgans, & de quo ſuo loco. Verum & vulgare hic conſideratur: Et quidem valdè litigant auctores, quodnam *verum* ſit *Rhaponticum officinale*. Cum apud modernos non ſit in uſu, ſed auctoritate veterum ad nos pervenerit. Vid. *PROSP. ALPINUS*, qui ſcripſit Tractatum de Rhapontico vero, in quo etiam de ejus effectibus & effigie. Modernis non eſt in uſu, quoniam cum ignotâ facie exolvit: imprimis cum afferatur ex Aſia, adulteratur à mercatoribus valdè.

CCLXXX. RHODIA RADIX.

Ῥοδιῤῥίζα, Radix rosea. *Trag. Matt. Dod. Cord. Cam. Fuchs. Lon. & Tab.* Germ. *Rosenvvurtz.* Racine sentant la Rose.

Crescit sponte in Alpibus, solo gaudet umbroso.

OFFICIN. NAT.

Radix sola.

Vires. Naturæ censetur temperatæ (Fuchs. calf. & sicc. 2.) cephalica est. Usus præcip. in dolore capitis (cum ros. contusa.)

RHODIA RADIX Vel RADIX ROSEA, item herba rosea flore luteo. Ex hac radice rosea tota plantula, folia, flos, & radix imprimis est in usu; utut rarò, cum applicari soleat & usurpari tantummodo in *Cephalalgiis*, vel *doloribus capitis*, in quibus recipiant hanc herbam roseam totam q.s. contundant in mortario cum s.q aqu. verbenæ & flor. persicorum, & hoc cataplasmatis instar contusum applicent capiti cum linteo duplici contra Cephalalgiam & & intensum capitis dolorem: Sin vero sit talis capitis dolor, ut metuatur *Erysipelas*, in hoc casu, cum non conveniant humidiuscula, recipiatur pulvis rad. Rhodiæ & verbenæ ana ℥j. qui inspergatur partibus dolentibus.

CCLXXXI. RHODIUM LIGNUM.

Asphalatus, *Rodiser-Holtz*, Bois sentant la Rose.

Asphalatorum 4. quidem modernis innotuerunt genera, 1. Cortice cinereo, ligno purpureo, seu Dioscoridis 2. Asp. colore buxi. 3. Asp. albicans torulo citreo 4. Asphalat. rubens. Verum officinis nostratibus non nisi secundum & tertium suppetunt. Prius est Asphalati 1. genus, *Lob.* Posterius dicitur Rhodium Lignum quibusdam Agallochum, oleaque Æthiopica, *Cord. in D.* Agallocum forte, i.e. xyloaloë solida, quibusdam lignum Rhodium, Rhodisium & asphalatum, aliis oleastrum lignum, *Cord. hist.* Asphalatus roseus, seu 3. *Lob.*

Vires. Dioscoridi & Galeno calfac. & sicc. & astringit, unde commendabile ad ulcera oris, ad nomas genitalium & sordida ulcera, ad alvi fluxus. Verùm enim verò an hæc nostrati conveniant, cuivis licet experiri. Vix enim modernis practicis in usu est, nisi quod interdum ad renum calculos decoctis incoquatur.

PRÆPARATA.

Ole. still. quod communiter pro oleo rosatum habent.

RHODIUM LIGNUM. Propter odoris gratiam satis notum & usitatum, sub nomine aspalathi quibusdam venit, utut varia sint Aspalathorum genera: vid. *AUCTOR.* Debet eligi, quod est valdè densum, & valdè odoratum, gustu valdè amarum, & benè denique ponderosum: Has quatuor conditiones debet habere, quando recipitur in usum medicum, utut rari sit usus, quoniam lignum est pretiosum, & *vires* quas veteres adscribunt *adstrictorias*, & contra *ulcera*, cum non habeat nostras, propterea putatur, quod lignum rhodium veterum sit aliud à ligno rhodio modernorum. A quibusdam nostras solet præscribi in *affectibus renum calculosis* sub decocti forma, sed rarò Prostat in officinis oleum RHODIUM, quod etiam in usum medicum rarò venit, quoniam est pretiosum: Tantummodo adhibetur ad *Cosmetica*, pulveres, unguenta & balsama odorifera & similia alia Cosmetica.

CCLXXXII. RHUS.

Rhus folio ulmi, C.B. 1. Rhus, *Matthiol. Tab.* Rhus coriaria, *Dod.* Rhus obsonior. *Lob. Cam.* Sumach Arabum, *Lon. Cast.* Rhu, Rhuë, Rhus culinarium, German. *Ferber-Baum, Schling-Baum.* Rhon *Sumach Officin.*

[Rhus cum Thée idem putatur à nonnullis.]

OFFICIN. NAT.

Semen, Folia.

Vires. Refrig. 3. sicc 2. astring. Usus præcip. in fluxu alvi, uteri seu mensium: hæmorrhoides compescit, bilem obtundit. Extrinsecus resistit putrefactioni ac Gangrenæ in paronychia.

N. Gummi dentibus inditum odontalgiam sedat.

PRÆPARATA.

Succus Sumach, i.e. Pulpa sine osseis seminibus.

N. Alij ℞. Decoct. Rhois ex ramusculis & Tamarind. conquassatis, macerant ac coquunt ad consistentiam. Tabernmin Herbariol.

RHUS. Qui vulgo dicitur SUMACH, ubi observetur distinctio, ne fiat confusio inter Rhus & ruscum, de quo suo loco. Hic Rhus vocatur etiam à multis Practicis & Mechanicis *sumach.* Frequentis est usus SEMEN & FOLIA in *adstrictione*, dum in vi adstrictoria nulli cedit plantæ. Unde *in quibuscunque sanguinis, & aliorum humorum fluxibus adstringendo & contrahendo* fibras est egregii usus. Imprimis sub gargarismatis forma adhibetur in *scorbuto oris, putredine & corrosione gingivarum*, & hinc *dentium Vacillatione.* Propter similem vim adstrictoriam, uti quercus & Gallæ, tingit colore nigro, & propterea utuntur illo Tinctores.

CCLXXXIII. RIBES.

Grossularia multiplici acino, seu non spinosa, hortensis rubra seu ribes officin. C B. 1. Ribes hortense, *Trag.* vulgaris domestica, *Matthiol. Cast.* Ribes, *Fuchs. Lon. Tab.* Uva Ursi, Ribesium fructu rubro, *Dod.* Ribes Arabum, *Lob.* German. *Iohannis Beerlein.* Des groselles.

Est { Rubra. *Hujus Baccæ officinales.* / Nigra. *Usualis non est.* / Alba. *Et hujus baccæ in officinas inferuntur gratioresque sunt gustu ipsis rubris.* }

Coluntur in hortis, maturescunt circa festum S. Ioannis.

Vires. Refrig. & sicc. 2. partium tenuium, subastring. ventriculo conveniunt. Usus præcip. in profluviis alvi, dysent. choleram sedant, in febribus biliosis prosunt, putredini resistunt, sitim restingunt.

N. Albæ ut minus acidæ, ita minùs frigidæ censendæ sunt.

PRÆPARATA.

1. *Condita baccæ*, cum decocto proprio & sacch.
2. *Rob de Ribib. simpl.* Est succus inspissatus ad mellis consistentiam.
3. *Rob de Ribib. compos.* Est syrupus è succo & sacchar. dimid.
4. *Vinum*, i.e. succus liquidus.

RIBES seu RIBESIA. Fructus omnibus satis cognitus: habemus 3. genera horum, *rubra, nigra*, & *alba. ACTOR* dicit, quod nigra non sint ex usu, nihilominus aliud loquuntur Practici, quando folia ribesiorum nigrorum valdè commendant in *Ischuria.* Nam observetur, quod folia odorem spirent urinaceum felinum, ex qua signatura conveniunt in *affectibus Urinariis*, ut provocetur fluxus. Vid. imprimis *FORESTUS lib. 25. obs. 18. in Scholio*, dum dicit, quod nihil æque prosit in *Ischuria*, quam fol. ribium nigrorum Mj. addere decoctis: sic enim *pellere* dicit urinam, ut etiam sanguinem cum lotio reddere faciant. In officinis aliàs usitata sunt imprimis RIBESIA RUBRA, quæ cum saporem obtineant acidulum, conveniunt in sale vol. urinoso vel nimis oleoso, acri & copioso, in M. sanguinea temperando, seu uti veteres dicunt, in *affectibus biliosis*, vel

vel in *effervescentiis & ardoribus corporis*, quoniam acida simul præcipitant effervescentias, & coagulant Mass. Sang. nimis fluxilem & dissolutam: corrigunt etiam incalescentiam corporis ex effervescentia obortam, & hinc dicuntur *refrigerare*. Aciditate moderata *vim* obtinent *adstringentem* coarctando fibras: unde grata sunt *ventriculo*, *quem roborant* & constipant, *Vomitibus & Diarrhæis supervenientibus morbis malignis & febribus ardentibus* medentur, modo non sint nimis recentia, ubi fermentando diarrhæas inferre possunt. In *febribus ardentibus* usitatè permiscetur succus ribium Julepis & Potionibus, quoniam sitim restinguunt & calorem mitigant. Succus inspissatus vocatur ROB RIBIUM. Prostant etiam BACCÆ CONDITÆ, quæ solent præscribi in Electuariis, quæ debent refrigerare Epar, vel attemperare effervescentiam M. sanguineæ seu *æstum febrilem*. Conveniunt Electuaria & alia medicamenta ex ribibus in *febribus ardentibus*, ad effervescentiam in Mass. Sang. compescendam, & ad *restinguendam sitim* in *febribus malignis*. v. gr. potest adhiberi tale Electuarium post sudorem in febribus malignis, ubi nimis fluxilis est Massa sanguinea.

℞. *Conservæ rosarum vitriolatæ* ℥iß.
Conservæ, pulpæ citri ℥j.
Ribium conditarum ʒvi.
Hepatici rubri ʒiß.
Ebor. sine ign. ʒi.
Syrupi acetositatis citri q.s.
F. Electuarium corroborans pro plurib. dosib.

Dosis est ad magnitudinem nucis juglandis seu Castaneæ. Syrupus & succus ribium præscribitur in Iulepis refrigerantibus in æstate, post nimium potum, post sudorem, qui debent esse refrigerantes, & moderatè adstringentes.

CCLXXXIV. ROSA.

Est { Domestica, ῥόδον, *Rosen*. Rosier. Roses, *hujus loci*.
Sylvestris, κυνόῤῥοδος κυνόσβατος *Vide Cynosbatos*. }

Rosarum varia sunt genera, coloribus ac foliorum multiplicitate differentia. Sic est Rosa (millesia) rubra, rubra pallidior, saturatiùs rubens, purpurea (hæc colorem carnis referens, Zebethina dicitur.) Versicolor alba, moscata seu Damascena, spinis carens, subviridis, &c. In officinis autem tria præcipuè genera usualia sunt. Rosæ scil. rubræ (quæ præstantissimæ) pallidæ quæ rubris succedunt, & albæ quæ infimæ sortis. Omnibus tamen laudem præripiunt Rosæ moscatæ, s. Damascenæ.

Florent Maio & Junio. Coluntur ubivis in hortis.

OFFICIN. NAT.

Flores (rubri & pallidi asservantur exsiccati) *Anthera*, *id est, capillamenta.*

Vires. Rosæ ut variant generibus, ita & qualitatibus. Sunt enim qui non sine causa rosas partim calidas & acres, partim frigidas volunt, caloremque residere in superficie; à frigore scil. eo expulsum, qui in marcescentibus evanescit, in genere tamen omnes refrig. 1. ac astring. spiritus vitales, animalesque recreant, ac roborant. Pallidæ seu incarnatæ laxant. Rubræ ac albæ astringunt (alba levius, rubra fortius.) Usus præcip. in fluxionibus, febribus, siti, appetitu prostrato, &c. Extrinsecus in vomitu, cephalalgia, vigiliis, dolore aurium, gingivar. sedandis, recti intestini (cum vino coctæ & impositæ:) in ulceribus & inflammationibus oris, faucium, oculorum.

Flosculi lutei capillamentis in medio florum adhærescentes (Anthera offic.) exsiccati *immiscentur dentifriciis ad gingivarum astrictionem fluxionumque exsiccationem.*

PRÆPARATA.

1. *Acetum.* è flor. rubris.

2. *Aqu. stillat.* è flor. pallidis (præferuntur ad oculor. morbos.)
3. è floribus rubris.
4. albis.
5. *Balsamus.* Ex ol. stillat. & cera depurata.
6. *Conserva*, 1. *ros. rub. recens.*
7. 2. *antiqua.*
8. 3. *ros. rub. vitriolata.*

N. *Præstat* ex tempore vitriolatam hanc conservam conficere, affusione scil. guttularum aliquot, quippe quæ ad tempus asservatur, & amittit colorem & saporem mutat.

9. 4. *Conserv. ros. pallid.*
10. *Elect.* I. *Rosatum Mesue*, V.D.
11. 2. *de succ. Ros. solid.* } Aug.
12. 3. *liquidum.* } Aug.
13. *Morselli*, *i.e. saccharum rosar.* Ex succo & saccharo.

N. *Morsuli* de spec. è succo rosar. sunt idem quod Elect. solidius.

14. *Rotula Manus Christi*, officinis dictæ simplices & perlatæ.
15. *Ol. stillat.* ascend. cum spirit.
16. *Ol. infusum* 1. *vulgare.*
17. 2. *omphacin.*
18. 3. *Compos.* Aug.
19. *Pilul. Rosat. i.e. de aloë rosar.*
20. *Spec. Elect. de succ. rosar.* Aug.
21. *Aromatic. ros.* Aug.
22. *Diarrhod. Abb* Aug.
23. *Rosat. novell.* Aug.
24. *Spiritus*, è rosis rubris fermentatis.
25. *Syrup.* 1 *rosatus simplex*, *seu laxativus simplex*. Ex infus. 3. ros. rub.
26. 2. *rosat. solutivus Mucharum* (è Damascen.) Aug.
27. 3. *Laxativ. compos. seu elleboratus.* Aug.

[*Syrup. Rosarum solutivus compositus, cum Ambubeia dictus.* Vide D.]

28. 4. *sine elleboro.* Aug.
29. 5. *de rosis siccis.*
30. 6. *rosatus regius, seu Iulep Rosatum.*
31. *Mel rosatum Mesue.*
32. *simplex.*
33. *Citratum.*
34. *Laxativum*, ferè idem est cum syr. simplici.
35. *Tinctura.* Fit ex rosar. rub. sicc. ℥j. infusa in aqu. rosar. (vel fontanæ) tepefact. ℔iv. additis spir. vitrioli vel Sulphuris ʒij. factâ digestione F. Expressio, & si opus sit, filtratio.
36. *Trochisc. Diarrhod.* Aug.
37. *Unguentum rosarum.*

ROSA Planta ubivis locorum cognita, quæ est vel *Sylvestris* vel *Domestica*: De Sylvestri supra egimus sub nomine *Cynosbatus*. DOMESTICÆ sunt, quæ coluntur & excoluntur in hortis. De rosa non immeritò dicit *PLINIUS lib. 1. hist. natural. cap. 3.* quod sit princeps florum, & maximum terræ hortorumque decus & panacea morborum. Inter rosas, quantum centum ferè sunt species, imprimis usurpantur in officinis *rosæ rubræ & pallidæ*, Quæ rubræ rosæ etiam vocantur *Moschatæ* seu *Damascenæ*, propter suavem odorem, post assumuntur *rubræ rosæ*, quæ sunt sine odore: hæ tres species imprimis sunt officinales. Et quidem pro varietate præparationis, nunc colliguntur dum madent rore matutino, nunc sine eo: sic pro laxatione & purgatione recipiuntur, dum sunt madidæ rore matutino, qui habet *vim salinam nitrosam*, *abstersivam* & *laxativam*, & quo concentrantur rosarum particulæ laxativæ, quæ accedente sole exhalant: Et quidem *flores rosarum Moschatarum* vim habeant *purgativam*, imprimis recentes, adeò ut POTERIUS dicat, quod pulvis rosarum ad ʒ1. exhibitus egregiè soleat purgare, id quod intelligendum est de Moschatis: nam vis purgans consistit in partibus subtilibus & volatilibus, quibus exhalatis, magma relinquunt terrestre, potius adstringens quam laxans. Unde non magnam sustinent coctionem, ubi aliàs, si exhalant odora & volatilis portio, loco laxationis vim adstrictoriam produnt. In RUBRIS ROSIS sine odore præpollet *vis adstrictoria*, & nullam habent purgantem: ut exinde

constet,

constet, quod vis laxativa rosarum à particulis odoriferis solum dependeat. FOLIA *rosarum albarum* usurpantur in *fluxu albo mulierum*, quoniam *adstringunt* & eundem corrigunt. ROSÆ RUBRÆ INODORÆ *potenter adstringunt*, imprimis exsiccatæ; Unde prostat in officinis CONSERVA *rosarum rubrarum*, quæ est insigne *stypticum & adstringens*. Hinc etiam talis conserva vel *nuda*, vel *vitriolata*, seu Sp. vitrioli irrorata, usitata est ad *compescendum vomitum & fluxum alvi*. Item talis conserva rosarum rubrarum antiqua (sic enim præscribitur ℞. Conserv. rosar. antiquæ ℥. tot vel tot) expertum est remedium in *phthisi*, jam à veterum temporibus multis nominibus commendatum à *GALENO*. Vocatur etiam à quibusdam, & quidem vulgo SACCHARUM ROSARUM. De usu hujus conservæ in *phthisi* vid. *FORESTUS* lib 16. obs. 58. item *SCHECKII Observationes*, ubi de phthisi, uti etiam *VALERIOL.* lib. 5. obs. 5. usurpatur scilicet ad *adstrictionem & consolidationem Ulcerum pulmonum*, ubi præmissa sunt Ulcus purificantia, & adhibetur vel nudè, vel adduntur pulveres appropriati: sic solet POTERIUS miscere suum antihecticum: alii addunt terram sigillat. vel lapid. hæmatit. addendo scil. ℥j. conservæ rosarum ʒß. ad ʒj. Terræ sigillatæ vel lapid. hæmatit. Ubi opus est adstrictione & consolidatione dico: nam in principio potius est nociva: idcircò præmissis purgantibus expectorantibus est præscribenda. In *omnibus fluxionibus*, ubi opus est adstrictione ut *hæmoptysi*, est egregia conserva rosarum cum semine papaveris, semine hyoscyami vel Bolo armeno, & sub forma vel boli, vel Electuarii cum succo Portulacæ, vel plantaginis exhibita. Syrupus de rosis siccis, qui prostat in officinis convenit pro usu adstrictorio: Unde medicamentis internis *hæmorrhagias sistentibus* admiscetur pro sapore, & quia simul habet vim adstrictoriam. Sunt alia aliis virtutibus prædita ex rosis acet. & aqu. DESTILLATA. De qua aqu. destillata notum, quod leviter *adstringentem habeat vim & leviter refrigerantem*. Observetur tamen, quod vulgariter per organum cupreum destillatæ adhuc insit quoddam subtile, occultum ac insensibile acidum: De quo videri potest *TACHENII Hippocrates Chymicus* pag. 152 & seqq. ubi comprobatur experimento egregio tale acidum in aqu. rosar. & propterea simus cauti in ejus applicatione pro refrigeratione, quoniam auget potius malum, quam quod leniat. Usitatum est in *doloribus oculorum*, cum linteis illam applicare, sed nunquam soleo præscribere in tali casu aqu. rosar. Modi destillandi aqu. rosar. sunt varii, per retort. per Bal. Mar. per organum vitreum, & per organum cupreum, &c. De conserva rosarum antiqua dictum, quod habeat vim adstrictoriam. CONSERVA RECENS habet *vim laxandi & confortandi ventriculum* egregium. *FREITAG. in Auror. Med. cap.* 8 *p* 421. facit elegantem conservam flor. rosar. laxativam ex recentibus rore matutino madidis, addendo loco sacchari mannam calabrinam, quæ per se est elegans laxativum & purgans. Unde flor. conjuncti cum Manna Calabrina abeunt in elegantem & suavissimam conservam laxativam. Fiunt Boli elegantes laxativi in *febribus, biliosis & intermittentibus*:

℞. *Conservæ flor. vel Cichorei*
vel conserv. rosarum ʒj.
Epatici rubei ℈j.
Scammonii sulphurati gr. v. vel VI.

Adspergantur aliquot guttis spir. rosarum. F. BOLUS, purgans qui tribus vicibus purgabit: nam biliosi affectus non ferunt fortiora purgantia ob fermentationem sanguinis nimiam. Præscribuntur in *Declinatione febrium ardentium*. Oleum STILLATITIUM ex rosis rara est avis, & integra lib. rosarum vix unam alteramve guttulam olei dabit: Sunt tamen quædam Enchirises, quibus volunt copiosiorem olei elicere partem: sed non semper respondet effectus sententiæ: Et mirum est, quod maximè odori flores, uti sunt Jasmini, lil. convall. rosarum, &c. paucissimum olei subministrant, qui tamen odor in oleum consistere putatur. Nam odor est à sulphur. quod concentratum dat oleũ Per fermentationem ex rosis paratur *Spiritus ardens* suaviter olens, qui *confortat cor & spiritus labentes, lipothymiam & syncopen imminentem* arcet, & *vires refocillat*: Hujus vis refectiva exaltatur admistione ambræ. Unde sunt, qui miscent cum foliis rosarum fermentescentibus, & sic parant spiritum rosarum ambratum, qui per fermentationem utrorumque paratus est, elegantissimum confortativum. Alii spiritum rosarum affundunt ambræ & parant *Essentiam ambratam*, quæ est coloris rubri, egregium refectivum ægrè decumbentibus & senibus apprimè conveniens. Apud *FREITAG. cit. loco auror. Med. c.* 8. habemus SYRUPUM ROSARUM LAXATIVUM compositum, qui valdè commendatur ab eo ad *hydropem & Icterum*. SYRUPUS ROSATUS REGIUS obtinuit nomen à Medicis Parisiensibus, quia fuit Regi Galliæ Francisco in deliciis. Tinctur. (Ejus præparationem addidit *AUCTOR*,) quæ sicuti aliæ tincturæ solet usurpari, ut instilletur vel potui, vel admisceatur Julepis in *febribus ardentibus & morbis acutis*, pro moderatâ refrigeratione & refectione: Paratur etiam cum spiritu Vitrioli. Oleum ROSARUM SIMPLEX, item UNGUENTUM ROSARUM, in officinis usitatum, solet inungi regioni Epatis & regioni renum in *nimiis* partium harum *ardoribus*: Vulgò hoc fit, quod minimè approbarem. Oleum COMPOSITUM adhibetur in *inflammationibus partium externarum*, quam praxin Chirurgis relinquo, & nunquam velim imitentur, nimis enim inconvenienter hoc fit.

CCLXXXV. ROS SOLIS.

Rorella, Salvara, *Sonnen Thau, Sonthau*. Rosée du soleil.

Est { folio rotundo.
folio oblongo.

Ex his usualis quidem, verumtamen non nisi rarissimè, major, qui inscribitur Ros solis, *Dod. Lon. Cast.* Rorida sive Ros solis major, *Lob.* Rorella minor, I. *Tab.*

Crescit locis campestribus & palustribus, inter muscum albicantem & rubentem. Floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Herba colligenda quando sol. est in leon. (medio leonis) luna crescente, die sereno ac calido: asservaturque sine lotione Item *succus* foliis instar sudoris adhærescens.

Vires. Dodonæus facit calid. & sicc. 4. unde internum ejus usum vetat: verum enim verò, sunt qui è contra magni faciunt, maximopereque commendant ad Phthisin (quia calidissimo etiam tempore sudat) ad pestem, ad vulnera (in potu, &c) ad Epilepsiam arcendam & præcavendam. Extrinsecus promovere dicitur partum in puerperio (abdomini imposita) odontalgiam sedare (in ore detenta) affectum mitigare maniacum (collo appensa) curare quartanam, pulsibus 6. horis applicata ac dein hor. 6. aquæ imposita: vicissim pulsibus applicata, idque multoties (10. 12. cies.) Forest. lib. 16. 58.

N. Novi qui infusionem Rorellæ in aqua vitæ factam, pro cordiali usitato habet.

Succus dicitur humiditas, quæ instar sudoris diebus quoque calidissimis, imò in majori copia, quam alias, herbæ adhæret, atque concutiendo in patellam suppositam colligitur.

Vires. Confortat cor, Epar ac ventriculum: capitis dolorem à causa calida sedat, pestem præcavet ac curat. Extrinsecus adhibetur in affectibus oculorum, dolore, scil. inflammatione, &c.

PRÆPA

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. ex tota herba.

[Quoniam Aquæ (Roris Solis titulo) variæ aliunde apportantur, & bibuntur à multis, placet huc apponere formulam, ut qui Ros Solis, Rosæ Solis, vel Rossoglio, aquâ vitæ delectantur, sciant quod bibunt. Habet eam Antonio de Sgobbis nel nuovo & universale Theatro Farmaceutico, ex Ph. Lond.

℞. Aq. vitæ optimæ ℔xij.
Succi Rorellæ sive liquoris ex foliis calidissimis diebus collecti ℔ijß.
Aqu. totius Citri ℔ij.
adde Rorellæ Mvj.
Rosar. rubr. Mj.
Rad. Angelic. ℥ij.
Nuc. Moschat. ℥iß.
Sem. Anisi,
Coriandr. ana ℥j.
Galang.
Zingib.
Caryophyll. ā ℥ß.
Cardamom. maj.
min.
Zedoar.
Calam. aromat. ana ℥j.
Cinamom. ℥iß.

Stent in infusione per dies octo in vase vitreo benè clauso, hinc destill. per MB, liquori destillato adde Lig Sant rub. & citrin. minut. concis. ana ℥iß. macera per dies XX. postea filtra, & adde sacchari in aqu. Rosar. & flor. citri q s. soluti & in consistentiam Julepi cocti ℔iß. M. optimè & serva pro usu.

Vires. Corroborat cerebrum, cor & stomachum, præservat ab epilepsia, & apoplexia, animo languentes refocillat, pesti resistit, & mitigat rigores quartanæ, bonum habitum corpori conciliat in cachexia & chlorosi utile, ut & in calculo.

Dosis cochl. j. vel ij.

N. Omittuntur interdum Rosæ, ut & aromata, excepto cinamomo, & Julepus rosatus ambratus additur.]

ROS SOLIS seu RORELLA. Quoniam semper sub. Sol. planta est madida rore, & ejus guttulam semper secum habet, modum collectionis dat *AUCTOR.* Hæc, utut crescat in locis humidis, utut madeat semper rore, nihilominus saporis est acris & penetrantis, & constat copioso sale volatili acri, imprimis solet convenire *in affectibus pectoris*, in specie in *phthisi.* De quibus virtutibus contra phthisin vid. *SCHENCK Obs. de phthisi.* Habetur etiam pro insigni *confortativo*, uti habet *AUCTOR* De *vi Caustica*, propter quam nonnullis suspecta habetur, vid. *LOBELIUS in animadversionibus.* Credo, quod in hac herbula multa lateant arcana non omnibus nota. Præterea destillatur ex illa aqu. *cum vino*, & convenit in *affectibus cordis*, *palpitatione*, *Tremore*, *Syncope* & *Lipothymia.* Commendant etiam hanc aqu. in *Tussi* & *asthmate*, pro adjuvanda *expectoratione.* Vid. *AUCTOR*, qui fusius de hac agit.

CCLXXXVI. ROSMARINUS.

Λιβανωτὶς, στεφανωματική: Rosmarinus, *Brunsfels. Trag. Frag. Lon.* Rosmarinum coronarium, *Matthiol. Lob.* Rosmarinus coronarius, *Cam.* Rosmar. coronaria, *Dod.* Hortensis angustiore folio, C.B.1. Libanotis coronaria. *Cord. in D.* German. *Roszmarin.* Romarin.

Crescit in locis apricis. Floret Maio, Junio.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores (specialiter Anthos offic.) *Semen.*

Vires. Calf. & sicc. 2. lenta incidunt, saporis sunt mixti, acris, amari: subastring. cephalica sunt è præcipuis, ut & uterina. Usus præcip. in affectibus capitis ac nervorum, Apoplexia, Epilepsia, Paralysi, Vertigine, Caro, &c. Visum acuunt, fœtorem anhelitus emendant. Epatis, Lienis ac Uteri obstructiones resolvunt, Ictero ac fluori albo mulierum medentur, corque confortant. Extrinsecus prosunt in catarrhis (suffitu) & exinde natis affectibus. In utero corroborando, &c.

N. Flores asservari possunt per biennium.

PRÆPARATA.

1. Aqu. E planta integra.
2. Spiritus.
3. Mel anthosatum.
4. *Ol. stillat.* Unà cum aqu. exstill.
5. *Balsamus.* Fit ex oleo l.c.
6. *Conserva.* Ex floribus Anthos.
7. *Species Dianthos.*

ROSMARINUS, it. LIBANOTIS CORONARIA. Hic ex gratia odoris est plantula aromatica, quæ constat sale volatili oleoso insigni: vimque obtinet balsamicam: unde totis mensibus hybernis eadem viret. Usu interno est usitata in *affectibus capitis & uteri. Cephalica & uterina* est insignis, & nulli in his cedit. In *affectibus capitis & nervorum* insigniter commendatur, sive præparata ESSENTIA, sive SPIRITUS per fermentationem paratus, sive alio modo adhibeatur. *EPIPHANIUS FERDINANDUS* certè *hist.* 46. Essentiam rorismarini mirabilem esse dicit in *affectibus nervorum*, quæ Essentia paratur ex floribus, extrahitur nempe per spiritum proprium, qui affunditur aliis floribus, & fit Essentia, quæ abstracto spiritu inspissatur in formam EXTRACTI, quod per aliam Essentiam dissolutum, egregium dat remedium. DECOCTUM rorismarini specificè commendatur contra *paralysin*, si hausto hoc decocto paralyticus sudet: sic enim paralysin curari certò sunt qui affirmant. *ZAPATA* medicus Italus in *Clave Medicinæ* multus est in decantata rorismarini aqu. & *Essentia*, adeò ut tantum non *Panaceam* faciat ex roremarino. In *sterilitate* mulierum arcenda à multis commendatur specificè rosmarinus, usu tam interno quàm externo. In balneis externè fol. & flor. rorismarini adhibentur cum formicis pro arcendâ *sterilitate*, quod egregium in tali casu est balneum. Internè etiam rosmarinus valde convenit *mulieribus sterilitate laborantibus*: ad hæc *in fluore albo mulierum* decoctum rorismarini ceu expertum commendatur à *LINDANO in Collegio super Hartmannum.* Alii ternarium simplicium Melissam, Mentham & rorismarinum, ceu expertissimum commendant ad eundem *fluorem album.* In *fœtu roborando & abortu præcavendo* ex roremarino parata remedia conveniunt. Præter has virtutes decoctum rorismarini, ceu arcanum commendatur ad *curandas scrophulas.* CONSERVA *florum anthos* seu rorismarini ingreditur Electuaria & remedia alia: item morsulos pro *affectibus capitis & Uteri*: *Memoriam* singulariter *confortare* dicitur, uti etiam *oculos.* Præservare dicitur ab *Apoplexia & paralysi*, imprimis in senibus. *EICHSTACHIUS* in *Tr. de Confectione alkermes* refert, quod ex stercore vituli, qui per aliquot dies pastus fuit roremarino, possit parari elegans pulvis cyprius odoratus.

CCLXXXVII. RUBIA.

Ἐρυθρόδανον. Rubia tinctor. sativa, C.B.1. Rubia, *Cord. in D. Dod. Lob. Clus.* Rub. sativa, *Brunsf. Matth. Fuchs. Lon. Cast.* German. *Rothe, Ferber-Rothe, Ferber Wurtz.* De la Garance.

Adfertur ad nos ex Silesia, ubi copiosè seri colique solet. Gaudet solo pingui, floret, semenque fert æstate.

OFFICIN. NAT.

Radix sola, collecta Maio ac Junio.

Vires. Calf. 2. sicc 3. (al. refrig) aperit, disc. dissolv. subastr. Vulneraria est. Usus præcip. in obstruct. Epat. Lienis, & in primis uteri. Proin in Ictero, Hydrope, urina obstructa, obstructione mensium, in pessis, &c.)

N. Adhibetur & à tinctoribus ad coloris rubri præparationem.

N. Olea v.g. Terebinthinæ suaviorem colorem ex rubia extrahunt, quàm Aqua & Spir. Vin.

RUBIA. Variæ utut sint species rubiæ, nihilominus *sativa* hic intelligenda venit: *Rubia* dicitur, quoniam illâ utuntur tinctores ad tingendas lanas colore rubro. Hujus rubiæ imprimis hæc est proprietas & vis, ut comesta, vel quocunque modo assumta, mox urinam humanam soleat tingere colore rubro. (Uti de *opuntia* superius dictum, ubi de ficu,) non secus ac rhabarbarum colore luteo, utut substantia Urinæ non immutetur. Quod attinet usum medicum, non adeò frequenter usurpatur, nihilominus inter *vulneraria* & *aperitiva* primaria recensetur: In specie RADIX hæc decocta in aqu. cum acet. sicque bibita, commendari solet *in casu ab alto & sanguine congrumato*, à casu ab alto contracto.

CCLXXXVIII. RUBUS.

Rubus officinalis est { vulgaris. *Hujus loci.* idæus. *Loci sequentis.*

Insignitur: Rubus vulgaris seu rubus fructu nigro. C. B. 1. βάτος, Græc. Sentis Latin. Rubus, *Dioscor.* & *Plinio.* Rubus, *Brunfels. Matth. Fuchs. Dod. Cord. in D. Lon. Lob. Cast.* Rubus grandis & secundus, *Trag.* Rubus arvensis. *Tab.* German. *Brombeer*, *Bromen.* Ronces.

Crescit inter dumeta. Florescit initio æstatis, maturescit in fine ejusdem.

OFFICIN. NAT.

Folia, Fructus (*Mora* rubi, *mora bati*, bati βάτινα,) Radix, sed rarò.

[Quidam pulverem vermium rubi habent pro Antiepileptico.]

Vires. Folia ac Fructus immaturus refrig. sicc. astring. potenter. Fructus verò maturus caliditate est temperatus ac subastringens. Usus præcip. in quibuscunque profluviis, vomitu, fluxu alvi, uteri, narium. Extrinsecus in aphthis, aliisque oris affectibus abstergendis, in vulneribus adstringendis, capillos nigrat, scabiem curat.

Radix lithontriptica censetur, sed rari usus est.

PRÆPARATA.

1. *Rob Diamoron simpl.* Ex succo fructuum immaturior.
2. *Diamaron compos.* V. Disp.
3. *Diamoron Nicolai usitatum.* Vide Disp.

RUBUS. De hoc observetur, quod duæ species sint officinales. *Rubus vulgaris*, & *rubus Idæus.* Vulgaris, de quo hac vice, totam nobis plantam subministrat. FOLIA & FRUCTUS *immaturi adstringunt* potenter, id quod etiam de moro & fructu ejus immaturo fuit dictum. Observetur enim, quod à veteribus etiam vocetur morus, & distinguantur mori in *morum Celsi* & *morum rubi*: Morus CELSI est morus. Hic est morus rubi, utriusque fructus *adstringunt*, & certo experimento solent usurpari interius. Et propter hunc usum morus rubi ingreditur Rob mori Celsi, quod componitur ex moro rubi & Celsi, & in gargarismatis pro collutione *Ulcerum gingivarum* adhibetur. Maturus non est usitatus, utut immaturus conveniat in *profluviis* quibuscunque. ROB *compositum* & *simplex* ex hoc rubo & moro Celsi sunt usitata, ut dixi, in *affectibus faucium.* Vid. supra, ubi de moro Celsi. Hac virtute adstrictoria similia sunt folia rubi canis, (ita enim passim vocantur) Gallis, corticibus granatorum, corticibus nucum juglandium viridibus, & habent in se occultum alcali, demonstrante *TACHENIO*: ratione hujus, inquam, vis egregia est in foliis rubi contra *tibiarum ulcera*, teste *GABELCHOV. Cent. 4. Cur. 5.* qui refert, quod DECOCTUM *fol. rubi canis* sit egregium experimentum contra *ulcera profunda tibiarum*, quæ difficillima sunt curatu propter defectum, (1.) partium carnosarum & abundantiam partium nervosarum; (2.) propter præsentiam ossis, unde metus est, ne acidum corruptivum corrodat os, & inducat cariem, quæ multum facessat negotii Chirurgis, dum impedit consolidationem vulneris, nisi auferatur: in talibus ulceribus, quæ similia phthisi inducunt symptomata, febrim lentam & hecticam cum atrophia, si decoquantur in vino folia seu summitates hujus rubi canis, & hoc vino decoctionis validè sæpius ulcera abluentur, prosunt: *adstringunt* etiam & *exsiccant*: quam ob causam *Herpetes cutis* sanant: *oris aphthis & ulceribus*, *GALENO* testante, medentur: Certè magna vis Chirurgica in foliis hisce latet. Dixi, quod hæc folia quoad naturam similia Gallis, corticibus granatorum, &c. & propterea habeant vim *tingendi capillos colore nigro*, uti habet *AUCTOR*: quod fit eodem modo, quo ex gallis & vitriolo fit atramentum: Copioso enim illæ alcali scatent, quod coit cum vitriolo, & in nigrum destruit & absorbet ejus acidum: idem fit, quando alcalicæ rubi canis partes assumuntur à transpiratione capillorum, quæ est acida. Certè ex hac mechanica, quâ fit atramentum ex acido & alcali, multa in natura possunt demonstrari.

CCLXXXIX. RUBUS IDÆUS.

Rubus idæus { spinosus. *Hic usualis.* lævis. fructu albo.

Inscribitur rubus idæus spinosus, C. B. 3. βάτος ἰδαία, rubus idæus, *Trag. Matth. Dod. Lob. Lon. Cast. Tab.* Rubus idæus exilibus spinis, *Cord. in D.* Rubus idæus vulgaris, *Clus.* Germanicè *Hindtbeer.* Des framboises, Bois de Ronce.

Crescit itidem inter dumeta. Floret initio æstatis, maturescit Augusto, &c.

OFFICIN. NAT.

Fructus.

Vires. Easdem vires obtinent, quas præcedentia mora, cordiales tamen præ iis peculiariter censentur.

PRÆPARATA.

1. Aqu. ex baccis.
2. *Spiritus.*
3. *Syrup.* Ex succo fructus & saccharo.
4. *Vinum.*
5. *Fructus conditi.*
6. *Acetum.* Ex fructib. infusis.

RUBUS IDÆUS. Fructus satis cognitus, cum etiam ubique crescat, imprimis in locis cultioribus. Subministrat hic frutex tantummodo FRUCTUS, qui immaturi conveniunt omninò cum præcedentis rubi canis; ubi autem maturuerint, uti sunt elegantioris coloris & saporis, ita sunt melioris virtutis in *morbis & febribus malignis*: quod habent vires *confortandi vires*, quas vulgo adscribunt cordi, & *arcendi malignitatem.* SYRUPUS *rubi Idæi* Julepis in hoc casu admiscetur tanquam expertus: adeò ut *GESNERUS* antiquus quidem medicus, sed qui sincerâ fide omnia scripsit *lib. 1. Epist.* dicat, quod Syrupus hic præferendus sit omnibus perlis & gemmis in corroborando corde & stomacho: Notum enim est, quod mulierculæ in prostratis viribus

bus

bus ſtatim perlas & gemmas, exque his præprimis medicamenta præparata, ut ſunt Eſſentia perlarum, &c. deſiderent & adhibendas eſſe putent, quæ in uſum & emolumentum pharmacopæorum, in damnum verò ægrorum cedunt. Hunc abuſum perſtringit *GESNERVS*, & præfert Syrupum rubi Idæi. Vnde vel ſolus ſolet adhiberi in potionibus in *morbis malignis*: in ſpecie in *febr. petech.* non ſine ſucceſſu. Proſtat ACETVM *ex fol.* infuſum, quod egregium eſt *præſervativum* in *peſte*: poteſt applicari pulſibus cum linteis pro *compeſcendo æſtu*, & *malignitate arcenda* in *febribus malignis*.

CCXC. RVSCVS.

Ὀξυμυρσίνη, Ruſcus, *Matth. Trag. Cord. in D. Lob. Caſt. Cam. Tab.* Ruſcum, *Dod.* Myrtachantha, *Lob.* (*icon.*) aliis Bruſcus & Bruſcum. Germanicè *Mauſz Dorn.* Du Ruſc.

Creſcit copioſè in Italia, ut & quibuſdam locis Germaniæ. Locis gaudet aſperis. Primo Vere turiones promit, autumno ſemen.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Calf. & ſicc. temperatè, ſaporis eſt auſteri & ſubamari, incid. atten. aperit. Vſus præcip. in obſtructione Epatis, urinæ [ſtranguria] Menſium, &c.

N. Recenſetur inter 5 Radices aperientes.

RVSCVS. Habuimus Rhus, qui aliàs vocatur *Sumach*. Jam ſequitur *ruſcus* ſeu *Bruſcus*. Subminiſtrat in officinas RADICEM, quæ eſt una ex 5. uſitatis aperitivis radicibus majoribus, & propterea in *lienis* & *aliorum viſcerum* ex *infarctu oriundis morbis*, in ſpecie in *Cachexia* pro alteranda M.S. fermentatione eſt uſitata. Præterea in *urinariis affectibus*, *Iſchuria*, *Stranguria* & *Dyſuria*, item in *ciendo* moderatè *calculo* commendari ſolet. Præ cæteris tamen valdè laudatur ab auctoribus ad curationem *ſcrophularum* & *ſtrumarum*: ſi pulvis ad ʒj. ſingulis diebus matutinis horis aſſumatur in vino ſive ſola, ſive miſceatur cum radice ſcrophulariæ aut radice filipendulæ. Nam hæc duo ſimplicia præ reliquis conveniunt in *curandis ſtrumis*. Vid. etiam *SENNERTVS lib. 2. prax. cap. de ſtrumis pag.* 131. Dixi, quod conveniat ruſcus in affectibus urinariis, ad quos etiam revocanda venit *Gonorrhæa*, in qua uſu veniunt FRVCTVS imprimis hujus ruſci, de his in CONSERVAM cum ſaccharo redactis, & à ℥ij. ad ℥ß. aſſumptis, experientia proſtat, quod valdopere conveniant in cura *Gonorrhæa* in *RIVER. obſ.* 47. *communicata* à *FORMIO*: ad quem uſum ſimiliter commendari ſolet aqu. *Bruſci deſtillata*, item CONSERVA *baccarum ruſci*.

CCXCI. RVTA.

Πήγανον, Ruta hortenſis, *Rauten*, *Vvein-Raut*, de la Rue.

Ruta est C.1	Hortenſis	1. latifolia 2. tenuifolia.	*hujus loci.*
	Sylveſtris.	3. major 4. minor. 5. flore magno albo.	*inuſitata.*

Cnat officinas hortenſis utraque, è quibus vulgatior quidemſt latifolia, eaque major, cœſiique coloris: præſtantior erò tenuifolia, minor & nigricantior.

Laifolia inſcribitur Ruta, *Brunsfelſ. Matth. Caſt.* Domeſtica *Trag.* Hortenſis, *Fuchſ. Lob. Cam.* ſativa, *Cord. in D.* gravelens hortenſis, *Dod.* latifolia, *Tab.* Ruta hortenſis latifolia, C.B.1.

N. Hæc diligenti culturâ arboreſcere ſolet, cujus exemplū nobis præbuit hujus civitatis civis è primariis Phil. Leut-vvein.

Anguſtifolia inſignitur Ruta hortenſis altera, C.B.2. Ruta hort. minor, *Trag.* Ruta ſativa tenuifolia. *Cord. in D.* Ruta tenuifol. *Tab.*

Gaudet ſolo arido ac calido. Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Herba ac *Summitates* cum ſeminibus.

Vires. Calf. & ſicc. 3. incid. atten. diger. diſcut. eſt alexipharmaca, cephalica ac nervina. Vſus præcip. in variis morbis, peſte, aliiſque affectibus malignis præſervandis ac curandis, veneno arcendo, viſu acuendo, laſcivia reprimenda, pleuritide curanda, imbecillitate ventriculi corrigenda, colica diſcutienda, morſu canis rabidi debellando, &c. Extrinſecus in ictibus ſerpentum, carbunculis, in febrium paroxyſmis arcendis (inunct dorſ.) Cephalalgia ex crapula, hemicrania, in febribus malignis (pro aceto) in dolore capitis, febrium ardentium & malignarum (ſimiliter pedum plantis adhibita.)

N. Nimius uſus internus officit gravidis.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. ſtillat.* Ex planta cum cauliculis Maio collectis.
2. *Ole. ſtillat.*
3. *Ole. infuſum.* Ex infuſa herba in oleo communi.
4. *Sal.* Ex herba incinerata.
5. *Acetum.* Ex infuſione.
6. *Balſam.* Ex ol. ſtillat.

RVTA. *Hortenſis*, quæ planta nulli non poteſt eſſe cognita, & quidem imprimis latifolia ſeu communis. Subminiſtrat ſummitates hæc ruta, it. fol. cum flor. & ſemine. Eſt planta admodum uſitata 1. quidem quoad uſum internum notum, quod commendari ſoleat *in affectibus malignis*, tam *præſervando* ab iiſdem, (unde eſt acetum RUTACEUM) quam etiam *curando malignos morbos*: Et quidem in *præſervandâ peſte* à multis commendatur, ſi uſitetur matutino tempore cruda: alii commendant eandem aceto infuſam: quod acetum ſimiliter inter præſervantia commendari ſolet. De hoc aceto admodum ſalutari & uſitato in præſervanda peſte Romana & Neapolitana perculoſiſſima propter vitriolum & Clima poſſumus videre *KIRCHERVM in ſcrutinio peſtis ſect.* 3. *p.* 370. qui habet acet. COMPOSITVM ex ſpeciebus vulgaribus, ſed valde uſitatis in peſte, nimirum.

℞. *Acet. Exquiſitiſſimum rut. Pimpin. beton. nuces jugland. allium, baccas Juniperi,*
quibus additur, ſi ſuppetit, tantillum Camphoræ. Doſis eſt Cochleare 1. *pro præſervatione*

ad diem 1. *P.* 328. de mithridate refert, quod 4. ſimplicia in peſte pro arcanis habuerit, rutam, allium, nuces jugland. & pimpinell. & hæc Teſtamento quaſi contra venena reliquit MITHRIDATES. Tanti uſus eſt ruta in *peſte*. Vnde etiam ſolet SVCCUS RVTÆ permiſceri medicamentis peſti curandæ deſtinatis. Singularem antipathiam & inimicitiam geſtare dicitur ruta cum bufonibus, item cum ſerpentibus, ut non poſſint ferre præſentiam rutæ. Vnde dicunt, quod muſtela, dimicatura cum ſerpente, rutam manducare ſoleat, & ſe præmunire, teſte *MINDERERO in aloëdario p.* 134. qui plura cupit, videre poteſt *ZACVTVM LVSITANVM lib.* 1. *Med. Princip. hiſt.* 31. qui multus eſt in decantanda ruta contra *venena* & *Epilepſiam* (nam ad *affectus Epilepticos* valdoperè etiam commendari ſolet planta hæc, & eſt una ex uſitatis ant-Epilepticis.) Vnde vel ſola, vel cum aliis miſta ruta, & extrinſecus applicata *carbunculis peſtilentialibus* ſolet extrahere malignitatē. Item in *febribus malignis* applicari ſolet cum fermento ruta plantis pedum non ſine ſucceſſu, imprimis ubi metuendæ ſunt *agrypniæ* & ſimilia mala, quod & de raphano dictum. Internè ſingulariter ſolet commendari ruta pro *confortando viſu*, adeò ut veteres pictores

res semper ad manus habuisse dicantur folia rutæ, quorum esu visum suum corroborarunt & conservarunt. Fieri solent Electuaria corroborantia visum ex succis fœniculi & rutæ cum melle mistis. Imprimis singularem vim habet ruta *præservandi oculos à variolis*: sæpius enim fit, ut cœcitatem, guttam serenam vel catarractam deportent à variolis: Ut ergo præmuniantur & præserventur oculi, appendi solet radix rutæ, vel sola, vel cum radice scabiosæ collo: Hoc modo enim dicunt præservari oculos, quo minus à variolis infestentur. Vid *LIPSIUS* in eleganti *Tract. de variolis*. In scriptis *LOTICHII lib.1 obs. p 99* hoc commendatur amuletum, ut *præserventur oculi à variolis*.

℞. *rad. solani, rutæ, scabiosæ ana ʒiß.*

Incisa suspendantur in serico rubro cum filo duplici. Item quæcunque partes fricentur cum ruta recenti & viridi, dicuntur manere *immunes à variolis*. Unde vel gargarisatus succus, vel extrinsecus circumdatus collo præservat, ne possint variolæ occupare collum, ubi aliàs res est periculi plena, quod mihi communicatum fuit ab amico, qui habuit hujus rei experientiam. Hinc etiam aqu. RUTÆ DESTILLATA ceu experta solet commendari in *Collyriis*, quoniam *visum acuere & nebulas discutere* dicitur. In *Gonorrhæa*, *Satyriasi* & *Priapismo* commendari solet similiter ruta. Unde ordinarium est ingrediens Essentiarum & aquarum Castitatis, seu *MYNSICHTI*, sive D. *MICHAEL*. Propterea *ZECHIUS Cons.* 78. & *cons.* 16. commendat valdè contra *Gonorrhæam* & *priapismum* hunc pulverem:

℞. *Menthæ ʒiij. sem. Lactucæ ʒij.*
Sem rutæ, Viticis seu agni casti,
rad. Ireos Florentinæ ana ʒj.
Sacchari q. s. F. pulvis.

Correctiori modo præscripsit hunc pulverem *D. MICHAEL* hoc modo: cujus scio experientiam factam in quodam Juvene.

℞. Fol. Menthæ. sem. agni casti, rutæ, succini, ossis sepiæ ana ʒj.

M F. pulvis, cujus dosis à ʒß. ad ʒj. imprimis *in abundantia quadam seminis*. In *priapismo* sive *nimia erectione & distensione penis*: *HARTMANNUS* commendat valdoperè oleum *RUTÆ DESTILLATUM*, si inungatur peni, vel etiam si assumatur internè. Unde etiam *JOEL* in *praxi* aqu. rutæ destillatæ commendat in eodem *priapismo*. Ruta singularem habet vim *carminativam*: adeoque *resistit flatibus* eosque arcet. Unde ut oleum RUTACEUM ita etiam MEL RUTACEUM solet misceri cum Clysteribus *carminantibus* & *anticolicis* propter vim resistendi flatibus quæ est in ruta. *Arcere* etiam dicitur *ebrietatem* ruta imprimis si aliquot ejus folia cum aceto applicantur pulsibus: sic enim arcere ebrietatem, sunt qui pro experimento habent. Si recipiatur decoctum rutæ cum vino, & hoc decocto eluatur os: ceu expertum commendatur contra *cariem dentium*, & contra *gingivas scorbuticas*, dum simul absumit salivam vitiosam in ore scorbuticorum eamque corrigit *Contra pediculos* in indusiis stabulantes etiam experimentum prostat ex ruta: si scilicet indusium immergatur in decoctum, aliquantisper coquatur & denique siccetur: sic enim omnes arcere pediculos dicitur, & quando gestatur hoc indusium, nunquam generari pediculos creditur: Idem fieri dicitur, si indusium vulgariter lotum coquatur in aqua communi cum viridi æris & sevo bovino. Vid. *STARIZIUS* Heroum Thesauro *pag.* 122. oleum. *RUTÆ* commendat se valdoperè in *arcenda Epilepsia* infantum, item ex hoc oleo destillato fit Balsamus præservativus in *peste*, quo inunguntur tempora & nares. Prodest itidem hoc oleum in *torminibus ventris* & *colicâ* imprimis, ubi simul adest metus *Epilepsiæ*.

CCXCII. RUTA MURARIA.

Ruta muraria, C.B. *Dod. Ger.* Capillus veneris, *Brunsf. Trag.* Adiantum candid. *Cord. in D. & hist.* Ad. album, *Lon. Cam. Tab.* Adiant. nigrum, *Cæsalp. Gesn.* Saxifraga seu Empetron, *Fuchs.* Paronychia, *Matth. Cast.* Salvia vitæ. *Lob.* German. *Maur-Roten*, *Stein-Rauten*, *Venus-Haar.* Ruë de muraille.

Nascitur in parietibus ac muris juxta aquas, locis videlicet irriguis & non apricis. Vivax est toto anno, æstate tamen amplius viret, flore & semine caret.

OFFICIN NAT.

Folia seu herba cum caule.

Vires. Calid. & frigid. temperata est, siccat, digerit, discutit, tartaream & viscosam mucilaginem in Pulmonibus, &c. incidit, Usus præcip. in tussi, asthmate, pleuresi, ictero, obstruct. splenis. Valet ad Renum & vesicæ dolores, urinam clementer ciet, calculosque expellit. Peculiariter præstare eam perhibet Matth. ad Enterocelas puerorum (dies 40. pulvis exhibitus, &) sim.

Extrinsecus capillos crescere facit, ulceraque manantia capitis abstergit, strumas & abscessus digerit.

N.1. Ubi Adiantum verum & Trichomanes desunt, aut vetusta sunt, hac uti licet. Hæc sumenda quoque ubi Medici recentiores Adiantum præscribunt à capillo vener. diversum. C.B.

N.2. Matthiolus hanc Paronychiam Dioscoridis esse disputat contra Dodonæum, qui id negat.

RUTA MURARIA. Quæ est species quædam adianthi. Dicitur ruta muraria, quoniam crescit in muris & parietibus antiquis, item in locis saxosis: est egregia & elegans, virens perpetuò. Integra herbula assumitur, & de ea quæ dicit *AUCTOR*, videri possunt. Ulterius moneo, quod utut sit exigua, nihilominus sit expertissima contra *scorbutum*; id quod experimentum fuit B. D. *MICHAEL*: qui non satis potuit commendare contra *scorbutum*, hanc ipsam propriâ experientiâ, & retulit quòd in arce Pirnensi obsessa omnes milites propter aëris inclementiam fuerint affecti scorbuto, & *convulsivis contracturis scorbuticis*: sed hujus rutæ murariæ usu perfectè curati. Reliqua habet *AUCTOR*.

S.

CCXCIII. SABINA.

Βράθυς, Savina, *Seven-Baum*, *Sieben-Baum*. Sabinae, Savinier.

Sabina folio { Tamarisci *Hæc usualis.* / Cupressi. 1. & 2.

Dicitur Sabina, *Brunsf. Trag. Fuchs. Dod. Lob.* vulgaris, *Cam.* Sabin. Myrti folio, *Cord. in D.* Savina, *Lon.* Savina mas, *Tab.* Sabina folio Tamarisci, Dioscorid. C.B. 1.

Colitur in hortis: viret perpetuò.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Calf. & sicc. 3. partium tenuium, incid. atten. discut Usus præcip. in mensibus fortiter ciendis, fœtu ejiciendo urina pellenda, asthmate medendo. Extrinsecus in affectibus uterinis, ulceribus serpentibus arcendis, scabie præcipuè capitis infantum exsiccanda ac curanda [cum cremore lactis] in maculis. faciei abstergendis, ad defluxiones (in fumo.)

PRÆPARATA.

1. Ex foliis.
2. *Spiritus.*
3. *Extractum.*
4. *Oleum.*

SABINA. Quoniam cognita eſt Sabinis. Hæc ſubminiſtrat imprimis *FOLIA*; arbor eſt, quæ accedit ad genera abietum, eſt reſinoſa & propterea perpetua fronde viret. *Vterina* eſt ex omnibus plantis notiſſima & mulierculis, quæ volunt eſſe virgines in frequenti uſu, *pellit menſes & fœtum*, ſive vivat ſive ſit mortuus. *MYNSICHT* habet PILULAS *de ſabina* compoſitas cum aliis egregiis ſpeciebus, quas commendat contra *obſtructos menſes*: ſic oleum DESTILLATUM *ſabinæ* eſt potentiſſimum & elegantiſſimum ad *pellendos menſes* remedium, paratur ex ligno & foliis, & propterea *fœtum mori facit & ejicit*. Cæterùm quoniam ſunt violentæ pilulæ, & oleum hoc, non ſunt adhibendæ, niſi in caſibus, quaſi contumaciſſimis & deſperatis, quia remedia nimis ſunt fortia. Caveant hanc ſabinam gravidæ, quoniam fœtum ſolent interimere, & periculoſiſſima eſt enecare fœtum ſine periculo matris. EXTRACTUM cum ſpiritu appropriato paratum in *affectibus uterinis* ſimiliter ſolet eſſe in uſu. Præter virtutes uterinas ſingulare experimentum latet in ſabina pro *enecando verme umbilicali infantum*, ſi ejus pulv. cum pulvere vitri veneti & melle applicetur umbilico infantum pro *enecando verme umbilicali*: videre poteſtis egregiè de hac re agentem *SENNERTUM lib.3. prax part. 10. cap.4. pag. 984. & ſeqq.*. Hoc quod habetis in *SENNERTO*, expertum eſt à D. *MICHAEL* ad curandum vermem umbilicalem infantum, qui vermem digiti longitudine extraxit. Quando eſt ſuſpicio talis vermis, applicatur circa noctem fundulus vivus umbilico, qui videtur manè corroſus in latere, & hoc eſt ſignum vermis præſentis: Hoc facto pulv. dicti cum melle in nuce juglande excavata, apponuntur umbilico, hinc fit, ut melle alliciatur, pulveribus verò enecetur vermis. Caſus quidem eſt rarus, ſed benè obſervandus. Denique inter *vulneraria* non extremum obtinet locum ſabina interno & externo uſu, ſed cum circumſpectione eſt uſurpanda, quoniam eſt admodum acris: Imprimis quidem ſabina convenit internè in *potionibus vulnerariis*, quando in vulneribus profundioribus latent oſicula, lignorum fruſtula vel alia exotica, tunc ſcilicet reliquis medicamentis vulnerariis additur ſabina; ita ut ſabinæ ſit pars una, cum reliquorum vulnerariorum ſint 6. & hoc potum ejicere dicitur omne extraneum, imprimis ſi aſſumatur ſimul pulv. oculorum 69. fluviat. De hoc vid. *FELIX VVURTZ in Chirurgia pag.663.* ſuperiùs quoque dixi, quòd folia mori rubi conveniant in *ulceribus tibiarum*, id quod non minùs velum eſt de ſabina: quæ ſabina in vino decocta pro lotione penis adhibita, *ulcera pedum antiqua & Dyſepulota* curat, *extrahendo* imprimis *vermes*, & alias res inconſpicuas, teſte *SCHMUCK. Theſaur. med. 1. ſecret.* 8 aliàs in *ulceribus fiſtuloſis* & 69. vino incoquitur cum Nicotiana pro purificatione illorum

CCXCIX. SALIX.

Ἰτέα. *Vveide*, *Vveiden-Baum*. Saule ou ſaulx.

Salix multorum eſt generum, quæ ſine diſcrimine in uſum medicum accerſiri poterunt.

Creſcunt in locis udis: florent Majo & Aprili.

OEFICIN. NAT.

Folia, *Iuli*, *Cortex & Viſcum*.

Vires. Folia refrig. & ſicc. ſubaſtring. citra morſum. Uſus præcip. in libidine arcenda, (decoctum potum) Extrinſecus in lotionibus pedum pro vigiliis ac æſtu febritantium arcendo in hæmorragia vulnerum, narium, & ſim. adſtringenda. In aëre refrigerando (ſtrata in pavimento.)

Iuli ſiſtunt hæmorrhagiam quamcunque (impoſiti.)

Cortex ſimilem facultatem habet. Inſuper verrucas & clavos pedum corticum cinere (ſuperimpoſito) extrahi tradit Dioſcor.

Viſcum commendatur præ aliis ad partum facilitandum.

PRÆPARATA.

Aq. ſtillat. E foliis.

SALIX. Quæ utut ſit varia, nihilominùs ſalix communis, eſt uſitata, uti habet *AUCTOR*, in *libidine arcendâ*, quod verum eſt, imprimis mulierculárum, imò per ſalicem non ſaltim imminuitur appetitus mulierculárum, ſed ſe poſſunt illa reddere omninò *ſteriles*, Sic contrà *furorem uterinum*, item contrà *nimiam ſalacitatem mulierum* prodeſt, ſi primo verè ſurculi tenelli ſalicum deciduntur & abſcinduntur, ſic enim effluit aq. cum qua aq. formata maſſula propinata mulieri efficiet, ut nunquam amplius æſtimet res venereas. Imò ſunt, qui dicunt, quod DECOCTUM SALICIS jejuno ventriculo aliquoties à muliere potum *ſterilitatem inducat*: aliàs internè rari uſus ſunt remedia ex ſalice, ſed potiùs externè CORTICES *ſalicis*, uti & FOLIA, valdè conveniunt in balneis contra *atrophiam infantum*, ſi ſit imprimis *ex veneficio ſeu faſcino*, ſi tali balneo laventur infantes, valdè prodeſſe dicit *GABELCHOV. Cent.4. cur. 16.* quon confirmat etiam *HARMANNUS in prax. Chymiatr. p.64.§.6.* Aliàs in pediluviis adultorum folia ſalicis admiſcentur reliquis, pro *conciliando ſomno & arcendis vigiliis*, Unde etiam *BARTHOLETUS in Encyclop.* oleum SALICIS per coctionem paratum commendat tanquam elegans *hypnoticum*.

CCXCV. SALVIA.

Ἐλελίσφακον, Arab. Eliſſacos, *Salbey*, Sauge.

Eſt:
- Major, *Breit Salley*.
- Minor, acuta, nobilis, *Spitz-Salbey*, *Erentz Salbey*, *Edel-Salbey*.

  { *ſunt uſuales, ſed minor præſtantior eſt.*
- Sylveſtris, *Hæc officinis ignota, aliàs convenit viribus cum Hormino.*

Major inſcribitur Salvia latifolia, *Trag. Lon. Cluſ. Cam.* Salvia major, *Matthiol. Fuchſ. Dod. Caſt. Tab.* Salvia, *Cord. in* major ſcabrior Dioſcorid. *D. Lob.* C.B 1.

Hæc variat in foliis & floribus: foliis eſt viridibus, iiſque criſpis & non criſpis, purpuraſcentibus, verſicoloribus: ſic vel totis vel partim albidis, floribus communiter cœruleis, rariùs candidis.

Minor vocatur, Salvia minor aurita, C.B.2. Salvia nobilis, *Brunsfelſ.* Anguſtifolia & minor, *Trag.* Salv. minor, *Matth. Fuch. Cord. in D.Lob.Tab.* pinnata *Fern*, Salvia acuta, *Lon.* Anguſtifol. *Cluſ.* Salv. tenuifolia auriculat. *Cam.*

Variat foliis auritis vel pinnatis, & non auritis: foliis aliquando Lavendulæ concoloribus, ſed latioribus & gravioris odoris, rariùs luteolis: flore cœruleo, rariùs albo.

Gaudet ſolo fœcundato argilla, &c. Floret Iulio ac Auguſto. Tranſplantatur Martio, cum ruta intermixta, quâ ſerpentes & bufones ſalviæ viciniam amantes arceantur.

OFFICIN. NAT.

Folia, *Flores*.

Vires. Calf. & ſicc. ſubaſtring. abſterg. Vſus præcip. eſt diureticus: menſes ob craſſitiem remoratos ciet, nimios emendat. Prodeſt in paralyſi, vertigine, tremore, catarrhis, Extrinſecus aphthas oris abſtergit (in gargariſ. &c.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex herba cum floribus.
2. *Oleum ſtillat.*
3. *Sal.* Ex herba incinerata.
4. *Conſerv.* Ex floribus.

Salvia baccifera.

Sic dicitur à baccis, sive pomis instar gallarum excrescentibus. Crescit in Insulis Creta & Cypro. Baccæ hæ saccharo vel melle conditæ ad nos, apportantur, stomacho gratæ.

SALVIA. Hæc satis est nota, & imprimis intelligenda venit ea, quæ est hortensis & odorifera: quò magis enim est odorifera, eò magis est aromatica, & *cephalica* sive *nervina*. Quoad folia & flores est ex celeberrimis *Cephalicis* seu *nervinis* & in *affectibus ligamentorum, nervorum*, ac *tendinum frigidis*, quò pertinet *paralysis, tremores, lethargus* &c Commendet *GABELCHOV. Cent. 2. cur. 39.* adeò ut etiam *RULANDUS* curavit quandam Epilepticam solo usu vini salviati s. cui infusa fuit salvia: vid. *AUCTOR*, qui multa habet de virtutibus salviæ in affectibus similibus. Unde etiam *Ess.* ex salviâ paratâ contrà *vertiginem* & *tremorem* est egregium remedium, sicuti etiam est præservativum senum contra *apoplexiam*. Nota est res de salviâ quoad usum internum. Prætereà est *uterina*, cùm ejus vires consistant in sale vol. oleoso in specie convenit in *morbis cachecticis, febri alba* seu *leucophlegmatia*, ex consensu uteri in mulierculis ortis. In *scorbuto oris* commendatissima est salvia, sive succi salviæ & cochleariæ usurpentur, sive his duobus sub forma decocti gargarisentur *gingivæ tumentes, dolorosæ* & *ulcerosæ*, teste *LINDANO* in *collegio super Hartmannum*, qui decocto hoc in Belgio quosdam feliciter curavit. Itidem commendatur contra *sterilitatem mulierum*. Singulare interim est in salvia, quod illâ delectentur bufones ob singularem sympathiam, adeò ut sæpiùs reperiantur in illius consortio. Unde non rarò inficitur veneno bufonum salvia, ut sit lethalis vel saltim truculenta inducat symptomata. De quo vid. *DOERING, in tractat. de opio p. 122. & 126* Videri etiam potest *MEIERUS in selectis medicis p. 74.* ubi exemplum habet de duobus desponsatis ex esu salviæ mortuis. Signum, quòd salvia sit infecta à bufone, subministrat etiam *DOERING*, qui dicit notum esse, quòd folia sint quasi carbuncula, quòdque tota planta sit retorrida & languidula, & quasi sphacelo correpta. Cæterùm hanc setentiam reiicit *KIRCHERUS in scrutin. pestis p. 7.* qui reiicit causam in vermiculos, qui eam incrustent, & dicit quod crusta illa sit congeries copiosissimorum vermiculorum, & ab his nocumenta non verò à bufone, quòd benè observatur ab isto *AUCTORE*.

CCXCVI. SAMBUCUS.

Ακτη, Sambucus, *Holder-Baum*, *Hollunder*. Sureau, Suyer.

Est { Vulgaris. *Hujus loci.* / Humilis. *Vide Ebulus.* }

Insignitur Sambucus fructu in umbella nigro, C B 1. Sambucus, *Brunf. Matthiol. Fuchs. Dod. Lon. Lob. Tab.* Sambucus vulgaris, *Trag.* domestica, *Cast.* Sambucus Campestris seu vulgaris, *Cam.*

Gaudet locis opacis, sepibus, pomeriis & asperis vallibus. Floret Maio, Junio, Julio, Baccæ maturescunt Augusto.

OFFICIN. NAT.

Flores, Baccæ, Liber, Spongia, Turiones.

Vires. Sambucus integra calfacit & siccat, resolvit, hydropicos juvat.

Flores discutiunt insuper, emolliunt, resolvunt, sudoriferi ac anodyni sunt. Usus præcip. intrinsecus in Erysipelate præcavendo & abigendo, quartana curanda. Extrinsecus in colico dolore, in Erysipelate, combusti, &c. (impositi.)

Baccæ sudoriferæ itidem sunt ac alexipharmacæ.

Liber [cortex interior] educit serosos humores. Extrinsecus easdem vires habet, quas flores.

N. *Eligendi* cortices radicis.

[Ex medio cortice sambuci in oleo macerato, fit Oleum ambustis utile.]

Turiones & Gemmæ, sive cyma, Holderkeimen, *sommitez du sureau*, adhibentur in acetariis, alvumque movent & nonnunquam etiam vomitum, præcipuè si sursum decerpantur: idem facit & pulvis.

Spongia [Auricula Iudæ] oculorum affectibus medetur [macerata in aq. appropriata imposita.]

[Decoctum bibitum specificum in angina.]

N. 1. Sunt qui infusum spongiæ bibunt ad hydropis curam.

N. 2. Sambucum, visci instar, in salice nascentem pro peculiari commendant antiepileptico.

PRÆPARATA.

I. E FLORIBUS.

1. *Aq. stillat.* Ex flor. l. a.
2. *Spiritus.* Fit rectificatione aq. stillat. vel ex floribus in dolio querno fermentatis.
3. *Vinum*, ℞. flor. in umbra exsiccat. ℔j. circiter, infundantur musti mensuris 8.
4. *Acetum.*
5. *Oleum infusum.* In ol. cydon.
6. *Oleum stillat.* Cum aq. exstillat. sed rarò prostat.

N. Potest idem elici hoc modo. ℞. Flor. q. v. macera cum vino Malvatico vel Hispanico vitro benè occluso calore solis per tempus [septim. 6.] hinc exprime fortiter, ac moderatè calfacito, sic supernatabit oleum, *Blochvvitz.*

II. E BACCIS.

1. *Rob Sambuci.* Est pulpa baccar. maturarum.

Usus est frequentissimus ad sudorem ciendum. Prodest & peculiariter in affectibus uterinis, assumptum. Extrinsecus imponitur ad refrigerandum: quin & plantis pedum in febribus iniungitur.

2. *Tinctura ac Extractum.* Fiunt ex Rob Sambuci [Quercetanus ℞. baccas in umbra exsiccatas] beneficio spirit. vin. qui acidulus redditus sit cum liquore acido aut Sulph.)

N. Dicitur Tinctura antequam spirit. vin. fuerit separatus. Extractum si idem spirit. vin. abstractus sit.

Vires. Suffocationi uterinæ succurrit. Dosis tincturæ, cochlear ß. Extracti ℈j.

3. *Spiritus.* Fit è succo ex baccis maturis expresso, vel ex baccis ipsis saltem contusis & fermentatis, l. a.

N. Sunt qui è baccis exsiccatis crasseque contusis farinæ hordeac. 3. p. addunt. affusaque aq. fervente digerunt.

4. *Oleum.* Ex acillis baccar. post succi transcolationem in filtro relictis: videlicet hæ benè elotæ & in aëre exsiccatæ, vino albo irrigantur ac fortiter exprimuntur.

Vires. Est vomitivum egregium.

Dosis ʒj. vel ℥ ß *in cerevisia tepida, &c.*

N. Non est officinale.

His 5. addi potest *Tragæa granorum Actes* Quercetani: ♃. succum baccar. maturar. expressar. q. v. adde farinam secalinam, fac pastam & exinde panes exiguos, in furno ad duritiem bis cocti coquendos. Hos pulverisa, pulverem cum eodem succo iterum impasta, atque ut prius in furno coque, idque tertiò repetatur. Tandem pulverisa ac serva.

Vires. Specificum est arcanum adversus dysenteriam.

Dosis ʒs. *cum Nucista* ʒj.

N. Anatomiam Sambuci conscripsit Martinus Blochvvizvius, M. D. in qua & præparationes & usus sambuci in plurimis affectibus curandis exhibet.

SAMBUCUS. De qua multa essent dicenda: Cæterùm quoniam de sambuco inferiùs, ubi de purgantibus agetur, denuò se offerat dicendi occasio, differamus ad istum locum, cùm magis sit purgans quàm alterans.

CCXCVII. SANGUISORBA.

Pimpinella sanguisorba. Sorbaria, *Vvelsch Bibinell.* Racine sentant Roses. Pimpinelle d'italie.

Est { Major. / Minor. { Hirsuta. *Hæc sola officinis cognita.* / Lævis. } }

Dicitur Pimpinella sanguisorba minor hirsuta, C. B. 7. Pimpinella, *Lob.* Italica, *Trag. Lon.* minor Pimpinel. sanguisorb. *Dod.* minor, *Matth. Cast. Cam.* sanguisorba minor, *Fuchs. Cord. hist. Tab.*

Colitur nobis in hortis. Floret Majo & Junio.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus. *Radix.*

Vires.

Vires. Refrig moderatè, sicc. astring. Vulneraria ac pulmonaica est, saporis grati. Usus praecip. in catharr. affectibus pulmonum, phthisi ex erosione, in morbis malignis, in profluviis alvi, haemorrhoïdum: praecavet abortum. Extrinsecus in haemorrhagia quacunque utiliter adhibetur.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex integrâ planta cum radice ac floribus collecta Junio.
2. *Syrupus.* Ex succo & sacchato.
3. *Conserva* ex floribus.

SANGUISORBA. *Pimpinella sanguisorba.* Planta est ubique proveniens in pratis, & ita ob capitula rubra dicitur. Superius dixi, quòd non debeat fieri confusio inter pimpinellam saxifragam & sanguisorbam, de qua hîc locorum agimus, & hae species nonnunquam sine detrimento tamen confunduntur, est in usu, & offert in officinas totam herbam cum radice? Haec ejusque folia inprimis juniora singularem & egregiam vim obtinent *purificandi sanguinem*: Unde solet commendari in acetariis propter vim reparandi depravatam sanguinis fermentationem. Vid. *JORDANUM*, ubi tractat *de peste lib.3. cap.3.* ad *Dysenteriam* aliàs curandam commendat *RIVERIUS*, tàm in ptaxi quàm observationibus: idque non sine ratione, Egregiè enim, *adstringit* haec sanguisorba & *haemorrhagias quascunque compescit*, si folia decocta vel contusa *vulneribus recentibus* applicentur, sic enim sanguinem cohibent, imò in manibus contenta solùm *haemorrhagiam narium* sedare dicitur, id quod monstrat signatura, dum capitulum floridum refert guttam sanguinis. Aliàs est *vulneraria* & interno usu in potionibus vulnerariis creberrimè adhibetur.

CCXCVIII. SANICULA.

Sanicula officinar. C. B Sannicula, *Trag. Brunsf. Cam. Tab. Dod. Lon.* Diapensia, *Brunsf. Matth. Cast.* San. mas, *Fuchs.* Sanic. & Diapensia, *Lob. Ger.* Germ. Sannickel, Sanickel. Bois sentant Roses.

Crescit in montibus ac vallibus: solo gaudet pingui ac opaco: colligitur Junio mense cum floribus.

OFFICIN. NAT.

Folia, rarò *Radix.*

Vires. Calf. & sicc. astring. saporis est amari: vulneraria que una ex praecipuis, utilis in consolidandis ulceribus, fistulis, rupturis, erosionibusque, tam internè quàm externè adhibita.

PRÆPARATA.

Aq. Ex herba florente.
[Syrupus proficuus parari potest.]

SANICULA. Ejus species, quae vocatur sanicula *mas*, aliàs etiam DIAPENSIA, quae inter omnes sanicularum species, quae sunt quamplurimae, est quae ingreditur officinas, adhibetur in usum medicum. Planta tota fol. & flores sunt *vulnerarium*, & dicitur sanicula à sanando, quod sanat & consolidat *vulnera & ulcera* usu interno & externo & à moder (Nam apud veteres nihil prostat de hac plantula) adhibetur ad balsama & ad decocta *ulcera pro eluendis ulceribus antiquis destinata.* Caeterùm optimam methodum componendi potiones & decocta vulneraria potestis videre apud *FELICEM VVURTZ cit. loco in Chirurgia p.m.663.*

CCXCIX. LIGNUM SANTALUM.

Σάνταλον, Santal, ou Santal blanc, citrin; rouge. { Album, *Matth. Lon. Cord. hist. Cast. Garz. Tab.* Rubrum, *Matth. Lon. Cast. Garz. Tab.* Citrinum. *Cord. hist. Lon.* Flavum, *Tab.* Pallidum, *Matth. Garz.*

Ligna sunt exotica ex Indiis ad nos transportata.

Praestantissimum est, citrinum, succedit album, infimas tenet rubrum, planè inodorum. Eligendum autem citrinum suaviter fragrans, magnam habens medullam, grave, nodosum. Hujus in defectu recipi potest album.

Vires. Refr. 3. (al. 2.) sicc. 2. aperiunt, Epatica sunt ac cardiac. Usus praecip. in lipothymia, palpitatione cordis, obstructione Epatis, &c. Extrinsecus in catarrhis, Cephalalgia, Vomitu, Epatis intemperie calida (in Epithemat. &c.

N. Santalum rubrum magis refrigerat ac astringit, quàm reliqua.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Gummosum.* Fit ut aliorum lignorum extracta cum spirit. vin.
   N. Quercetanus parat cum aq. aliqua Epatica, e.g. Agrimoniae.
2. *Spec. Diatron santal.* V. D.
3. *Vnguentum santalinum.* V. D.
4. *Cerotum seu Emplastrum.* V. D.
5. *Trochisci de santalis* V. disp.

SANTALUM LIGNUM. Cujus ligni santali tres habemus differentias in officinis ALBUM, CITRINUM ac RUBRUM. Superiùs mentionem feci *caerulei*, quod est lignum nephriticum exoticum. Hac vice de tribus speciebus, quae sunt etiam exoticae, & ex India ad nos adportantur. Santalum CITRINUM *solet esse optimum*: Hinc RUBRUM: ALBUM est vulgatissimum, & minimè efficax in medicinâ. Odorem habet admodum suavem hoc lignum & quasi aromaticum: adferuntur, ut dixi, haec tria ligna tanquam exotica ex Indiis, & rubrum in India orientali extra Gangem, in quo loco natali usurpatur contra *febres*, imprimis *ardentes.* Experientiâ confirmatum est, quod rectificet & renovet mass. sanguineae fermentationem: Hinc est quod vulgò dicitur, quòd sint *Hepatica*, id quod ex modernorum Theoria explicandum & applicandum venit ad mass. sanguineam Santalum rubrum, quod dixi, convenit in mass. sanguineae fermentatione corrigenda. Habet praeterea *vim adstringentem*, sicque *corroborantem viscera. Vis cordialis* non immeritò etiam tribuitur santalo rubro: unde in usu est in quibusdam locis decoctum ex Santalo rubro, quod vocatur decoctum rubrum, propterea quia habet colorem rubrum, item Decoctum alterans. Convenit in *febribus biliosis*, *ardentibus continuis*, *tertianis intermittentibus* & similibus. Unde etiam parari solet cum spir. vini Tinctura ex Santalo rubro, quae commendatur pro *corroborando hepate & Mass. sang. fermentatione rectificanda* Huic Tincturae si addantur aliquot gr. Scammonij fit Tinctura moderatè alterans & laxans. Suave enim sic & elegans evadit medicamentum. Interius adhuc lignum santalum additur decoctis lignorum *morbo venereo*, *phthisi* & *catharrhis* usitatorum, in quibus calorem id est amaritiem & vim exsiccandi reliquorum lignorum corrigit. Sic imprimis in *phthisi inveterata*, quae à quamplurimis curari solet per decoctum ligni Guajaci, sunt qui huic praeferunt decoctum lignorum santalorum sive sit rubrum sive quod melius citrinum: & commendatum fuit multum decoctum tale à *PRAEVOTIO* in curanda *Tabe* seu *phthisi* etiam *haereditaria.* Et inprimis virtutes hujus decocti santalorum contra *erosionem pulmonum & phthisin* commendatas videbitis in

FRONSECÆ lib. 1. *cons.* 58. non minùs quàm in *RIVERIO* ejusque *prax. lib.* 7. *c.* 7. A quamplurimis aliis etiam prætertur decoctis ligni Guajaci & ligni Sassafras usitatis: Imprimis tunc temporis erit egregium, si singulis dosibus addatur ʒj. Therebinthinæ venetæ, hujus enim vis pulmonum ulcera purificandi & consolidandi est mirifica: Ut decoctum magis fiat appropriatum *vulnerarium antiphthisicum*, addi possunt plantæ vulnerariæ & præ cæteris in phthisi expertæ: Hedera Terrestris pyrola, veronica, Hypericum & similes. Quod dixi de phthisi, intelligendum quoque est de Catarrhis à lympha acida & inordinatè motâ obortis sæpiusque cum phthisi conjunctis: In his non infimum obtinet locum decoctum hoc ut & reliqua decocta lignorum debitè præparatum. Paratur autem uti reliqua, & dixi de hac superius ubi de ligno Guajaco. Ex ligno santalo per retortam Igne aperto uti ex omnibus reliquis lignis destillatur SPIRITUS acidus, qui egregiè *temperat æstum bilis* & salis volatilis urinosi, & propterea convenit in *æstu æstivo & aliis incalescentiis corporis & morbis calidis*. EMPLASTRUM & UNGUENTUM, de quibus habet *AUCTOR*, sunt in usu contra nimium *calorem hepatis & renum*: fit enim interdum ut ex nimia sanguinis effervescentia facile in his partibus excitetur calor, inflammatio & ardor, in hoc ardore convenit tale Emplastrum: item in inflammatione renum malaxari solent, talia Emplastra cum oleo Nympheæ & sic malaxata applicantur partibus nimis ardentibus.

CCC. SANTONICUM.

Absinthiacum santonicum, *Vuurmkraut*, est C. B. { Judaïcum. Alexandrinum. *Hujus semen officinale sol.m.* Ægyptiacum. Gallicum. }

Insignitur semen sanctum seu sementina, *Matth.* & semen Zedoariæ, *Lob. Cast.* Absynthium Seriphium, Alexandrinum semen Cinæ, *Cord.* Sementina, *Dod. Tab.* [cui & santonicum] Santonicum & semen sanctum. *Lon.* Ger. *Zituvensamen*, *Vuurmsamen.* Semence à vers.

OFFICIN. NAT.

Semen quod affertur. ex Alexandria Ægypti.

N. Sunt qui & ex absynthio [santon.] Ægyptio, semen Zinæ colligi nolunt. Hoc videatur apud *Matth. Dod. Lob. Tab.*

Vires. Calfac. & sicc. saporis amari est. Usus in lumbricis cujuscunque generis enecandis, fugandis & expellendis.

PRÆPARATA.

1. *Semen santonicum præparatum*, i. e. in aceto destillat. dic. noct. (4. 5.) maceratum atque exsiccatum.
2. *Confectio seminis Cinæ*, *uberzogen Vuurmsamen.*

SANTONICUM Species est absinthij apud nos inusitata & incognita, ut ut SEMEN ex Venetiis & Indiis advehatur: unde etiam semen solum solet adhiberi, & quidem *sanctum s. Alexandrinum*: quod hoc attinet obtinuit quod vocatur [semen contra] à specifica vi *pellendi vermes* & adhibetur à mulierculis in *lumbricis infantum* à ℈j ad ʒß. pro diversitate ætatis propinatur tenellis adhuc in lacte materno, adultioribus in aqua graminis in aqua destillala flor. persic. Hyperici & similibus: vis ejus valdè decantata in *vermibus pellendis*, sive solùm exhibeatur sive admisceatur *CC.* ustum, semen hyperici aut etiam aloë, & qui omnibus meritò præfertur tantillum mercurij dulcis, qui est infensissimus hostis omnis progeniei verminosæ. Vis hæc satis est decantata: Nihilominus *ROCHAS* Gallus, qui scripsit de *rebus minerabilibus s. metallicis* illum suspectum reddit, quando dicit: quòd potius pro gignendis, quàm enecandis vermibus faciat ex hoc fundamento: quòd si recipiatur semen santonicæ & admisceatur 3. partibus farinæ optimæ & hæc mistura subigatur, cum aq. tepida & ponatur in loco calido intra 24. horas vermes progenerentur copiosissimi: & simili modo in corpore tales exinde asserit produci posse vermes. Verum enim verò in hoc asserto gravis latet error; Notum enim est, quod ex omnibus plantis, dum putrescunt & resolvuntur eorundem particulæ, generantur vermes: quoniam ergo hoc fit ab omnibus, idem similiter verum erit de santonico. Sic v. g. absinthium, quòd si quid aliud resistit vermibus, si putrescat & resolvantur ejus partes constitutivæ, fiunt ex illo vermes: id quod etiam verum est de aloë: Imò ex omnibus plantis, quando putrescunt, generantur vermes & quidem diversæ speciei & singulares: sic ex melle & mica panis copiosissimæ generantur formicæ: item ex Indusio usitato in acervum tritici immisso brevissimo tempore generantur perfecti mures: ex indusio generantur pediculi & sic porrò. Quod attinet ergo experimentum *Rochas*, illud nihil probat: probat quidem quod generentur vermes sui generis: sed hoc etiam verum est de aloë, absinthio aliisque vegetabilibus, quæ tamen non inferiorem propterea vim contra vermes obtinent. Aliàs notanda venit hic fraus & impostura Empiricorum & circumforaneorum, quorum mentionem facit *TABERNÆMONTANUS p.* 25. quod hi multos morbos attribuant lumbricis, ut ut ægri nullos planè habeant: utque suis dictis fidem faciant, recipiunt lumbricos, exsiccant, pulverisant, sicque propinant, & ita fit, ut generentur in intestinis exinde lumbrici alij, quos postero die per medicamenta expellentia vermes exturbant. Videatur *TABERNÆMONTANUS loco dicto*, qui multus est in perstringenda hâc fraude.

CCCI. SAPONARIA.

Στρούθειον, *Diosc. Fuchs. Lon.* Saponaria, *Trag. Dod. Lob. Tab. Cam. Ger.* viola agrestis, *Trag.* Saponaria major lævis, C. B. 1. Germ. *Seiffenkraut*, *peichelvuurtz.* Saponaire, Herbe à foulon.

Crescit passim juxta rivulos & vias: Floret *Majo.*

OFFICIN. NAT.

Folia, sed raró, & Radix.

Vires. Calf. & sic strenuè attenuat, aperit sudorifera est. Usus in adstmate, utero, mensibus ciendis, lue Venerea. Extrinsecus ptarmica est, tumores ac præcipue penis discutit.

SAPONARIA. *Simplex* habetur & *flore pleno*. Hæc quoad folia imprimis usurpatur, & quidem internè specificè contra *luem veneream*, ad quam expertum dicitur remedium. Deinde etiam hæc saponaria contusa & aquæ injecta, solet excitare spumam & bullas. Hinc *BORELLUS Centur.* 18. *observ.* 1. concludit, quod hæc repræsentet spumam, quæ conspicitur circa os Epilepticorum in paroxysmo: Unde hanc adhibuit in *Epilepsia* non sine successu. Post usum internum sæpiùs externè adhibetur in balneis & lotionibus tàm in *Ictero*, quàm *scabie & totius corporis defœdationibus*: in his balneis decocta vel sola saponaria vel cum fumaria, Capatho & similibus est egregia & purificat cutem ab *Ictero* tàm *flavo* quàm *nigro*, & eandem nitidam reddit.

CCCII. SARSA PARILLA.

Sarsa parilla, smilax aspera Peruviana, C. B. 4. *Tab. Ger.* Zarzaparilla, *Matth. Mon. Garz.* Zarzaparilla Peruviana, *Dod.* Zarza seu sarsaparilla, *Cast.* sarsaparilla, *Lon. Trag. Lob.* Sarmentum Indicum. Germ. *Sarsaparill*, Salsepareille.

Nomen accepit à similitudine quam cum simulace aspera (Hisp. Zarzaparilla) habet.

Tripex

Triplex est ea (Nicol. Monardo monente) adfertur scil. 1. ex Hispania Nova, quæ candidior ad pallorem tendens & gracilior. 2. Ex Provincia Honduras, quæ cinerea nigrior & crassior, priorique melior est. 3. Ex Provincia Quitto, locis Ubi Guaiaci vicinis (unde Zarzaparill. Guaiacillana dicitur,) quæ ex cinereo nigricans, major & crassior adhuc est cæteris.

OFFICIN. NAT.

Radix lignosa, prælonga, fibrosa, uniformis.

Eligenda quæ coloris aliquantulum nigri, recens (non cariosa,) gravis, flexibilis, nec frangibilis.

Vires. Calfac. moderatè, sicc. partium tenuium, sudoriferaque. Usus præcip. in lue venerea, quam specificè curat, in Catharrhis atque inde natis affectibus, E. g. Artithride, &c.

[Utuntur quidam Extracto.]

SARSAPARILLA. Planta exotica, quæ à quibusdā practicis etiam & quidē sæpissimè vocatur SMILAX ASPERA vel *radix smilacis aspera* : Hæc enim Smilax aspera vulgaris magnam similitudinem gerit cum sarsaparilla : interdum præscribitur nuda, interdum additione Peruviani : Item similax aspera Peruviana : quoniam adfertur ex Insula Indiæ occidentalis Peru. Radix lignosa longa & teres, est exotica, & uti dixi ex provincia Peru. Usus est creberrimi in *decoctis sudoriferis* Galenicorum, quando adhibetur pro sudore in morbis vel malignis vel Chronicis. Unde usitatissimum est ingrediens decoctorum sudoriferorum in *curanda lue venerea* usitatorum. Præterea, specificè admodum commendat idem decoctum radicis sarsaparillæ in expugnandis *febribus* etiam *ardentissimis* præmissis universalibus *ZABELCHOS*, *Cent 6. obs.* 37. qui criseos saltim rudimento apparente in Urina propinat feliciter Sarsaparillæ decoctum, idque eò magis erit in usu, si non sint simplices sed complicatæ cum *peripneumonia, pleuritide & inflammatione partium*, *Erysipelatea*, sive internarum sive externarum, quæ non melius possunt curari nisi per sudorifera, inter quæ primaria est sarsaparilla. Propter vim sudoriferam convenit in omnibus affectibus ubi opus est sudore, etiam in *anasarca*, *catarrhis* & quibuscunque vitiis lymphæ vel retardatæ vel non debitè motæ. Hæc sarsaparilla vel sola vel cum aliis mista vel in decocto vel Ess. valdè conveniet.

CCCIII. SASSAFRAS.

Arbor est prægrandis, nascens in Florida, folio ficulneo, cortice ex fulvo nigricante, aliquantulum acri sapore, sed aromatico, odore fœniculum redolente.

Dicitur pavame, seu sassafras, *Mon. Frag.* *Fenchelholtz.* Du bois sassafras.

OFFICIN. NAT.

Lignum & *Cortex*, qui præfertur ligno, maximè si ex radice sit, quippe radix reliquis partibus prævalet, adeoque & ejus cortex.

Vires. Cortex calf. & sicc. ad gr. 3. Lignum calf. & sicc. 2. atten. aperit. discut. sudores movet. Usus præcip. in omni mobor. genere, præsertim obstructionibus tollendis, partibus internis roborandis, in sterilitate emendanda, & venerea lue curanda.

N. Instar Panaceæ in catarrhis habetur.

PRÆPARATA.

1. *Extract.* Fit l. a. Vid. l b. 2.
2. *Sal. habetur.*
3. *Ol. stillat.* Vid. lib. 2.

SASSAFRAS. Lignum similiter exoticum & ex India occidentali beneficio Hispanorum ad nos translatum, odorem habet instar fœniculi, & propterea solet vocari à quibusdam LIGNUM FOENICULATUM. De hujusmodi Lignis exoticis optimè omnium scripsit *MONARDES* Medicus Hispanus in Tract. de Plantis Indiæ, qui satis prolixus est in describendis viribus lignorum imprimis sassafras. Ingreditur similiter ac alia ligna decocta sudorifera : Cæterùm observetur hic quod monet *CARTESIUS* in *Pharmacopea Messanensium* p. 103. quòd scil. quoad electionem pro usu medico debeat assumi recens colore cinereo & egregiè fragans imprimis quod retineat suum corticem : istud enim dicit quod cortice careat, non ita esse efficax sed omninò invalidum: Nam ipse cortex dicitur magis aromaticus & odore fragrans quam reliquæ lignosæ partes: ideòque semper lignum cum cortice est adhibendum in decoctis & alibi : Præ cæteris hoc lignum sive Ess. cum sp. appropriato cum aliis lignis sive decoctum quod crudius convenit in *affectibus pectoralibus* & *catarrhalibus*, adeò ut etiam Sassafras vocetur verum alexipharmacum catarrhorum in Consiliis *BRUNNERI*. In specie si Ess. hujus ligni præparetur cum sp. serpilli : cum vel hoc sit inter vegetabilia celeberrimum contra *catharros*. Propterea Ess. ligni Sassafras cum sp. serpilli parata vocari solet à quibusdam *Ess. Catharrhalis*, idque imprimis si addatur huic Ess. succino quod ipsum valdè quoque est commendatum ad *catarrhos*. *MYNSICHT* in *suo armamentorio Chymico* etiam habet Tinctura. *ligni Sassafras* quæ facilis paratu ac egregia est & valde commendatur ab ejus auctore contra *omnes defluxiones catharrhales*, quas ipsas radicitus absumere & radicitus tollere dicit. Paratur Tinctura *MYNSICHTI* solum ex ligno Sassafras in aq. fontanam puram & calidissimam infuso : sic enim evadit Tinctura rubinea, quæ parùm aromatizatur cum cassia lignosa i. e. Cinnamamo, & *nectar catarrhorum* dicitur. Cæterùm quod hic dico de vi catarrhali ligni Sassafras, à quibusdam affirmatur de cortice Tamarisci, quod eodem modo præparatus & usurpatus ac lignum Sassafras, non minus usitatus sit quàm illud. Cæterùm cum catarrhorum fons sit ex stomacho, quando ob chylosin læsam, Mass. sanguinea fit serosa, & exinde delata lympha abundante ad glandulas fiunt defluxiones catarrhales. Præterea etiam vim egregiam lignum Sassafras obtinet *stomachicam*, adeò ut *BARTHOLETUS in tract. de respirat.* commendat valdopere contra *anorexiam* & *apepsiam* sal. ammoniacum usurpatum cum decocto ligni Sassaras, quoniam aromatica ejus vis potenter *apepsiam*, & *anorexiam corrigit*. In cura *luis Gallicæ* non minoris æstimatur quàm Guajacum s. lignum sanctum, siquidem ordinario ingredi solet *decocta sudorifera* contra *luem Gallicam*. Denique interno usu ulterius commendari solet contra *sterilitatem* ortam ex vitio seminis & uteri squalidi ac serosis & mucilaginosis excrementis refertur à tali causa, si sterilitas commendatur *Ess. ligni Sassafras* vel simplex vel cum aromatibus uterinis v. g. anthophyllis, Cinnamomo & similibus, utpote quæ imprimis antophylli vim uterinam egregiam habent : unde cum his mista Essent. Sassafras erit utilis in sterilitate. De modo parandi Ess. ligni Sassafras habebimus plura, ubi de serpillo, quo ipso ceu menstruo paratur.

CCCIV. SATUREIA.

Θύμβρα θύμβρον, *Saturey*, *Sangenkrant*. Sarriete. Saturée.

Satureja est C. B. {
1. Hortensis seu culinaria. sativa. *Hæc usualis*
2. Montana.
3. Spicata.
4. Cretica.
5. Thymi folio.
}

Insignitur Hyssopus agrestis, *Brunf.* Satureja, *Trag. Lon. Dod. Lob. Tab. Cam.* Sat. altera, *Matth.* sativa, *Fuchs.* Cord sylvestris, 2. *Cast.*

Colitur in hortis. Floret integrâ ferè æstate.

OFFICIN. NAT.

Herba cum *Floribus*.

Vires. Saporis ac odoris est acris ac calidi, unde & calida ac sicca censetur g. 3. atten aperit, disc. Usus in affectibus ventriculi, cruditate, anorexia, &c. Pectoris, asthmate: uteri, mensibus obstructis. Visum acuit. Extrinsecus discutit tumores, doloresque aurium sedat.

N. Pulices. necare dicitur strata in cubili.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex herba florente.
2. *Ole. stillat.*

SATUREJA Quæ à quibusdam practicis vulgò etiam vocatur *Thymbrium* græco vocabulo & sæpius quidem hoc nomine venit quàm saturejæ. Inter species saturejæ, *Hortensis* s. *sativa* est in usu, planta pumita, suavem tamen spirans odorem. Interno usu præter ea quæ *AUCTOR* enarrat imprimis commendatur ad *Lethargum* & similes *capitis soporosos affectus*: sive internè misceatur cum aliis sive in specie externè decoctum saturejæ in vino calidè admoveatur occipiti. Hoc ipsum etiam expertum in *caro sopor sisque* aliis *affectibus*: sicuti etiam hujus decocti aliquot guttæ instillatæ auribus *soporosos* excitare dicuntur, vid. *LOTICHIUS obs. lib. 2 cap. 1.* item *Schenck lib. 1. obs.* Aliàs *pectoralis* imprimis est & *pulmoniaca* satureja, quæ suo sale vol. aromatico egregiè *detergit sordes pulmonum & pectoris* indeque enatas *Tusses & asthmata* curat. Non rarò est, quod in *affectibus faucium* usurpetur externè in Gargarismatis contra *laxationem uvulæ*, *vulnera & ulcera faucium*: Imprimis egregia est in *affectibus faucium & tonsillarum*, si decocta cum aliis sæpè gargarisetur. *Diaphoretica* est egregia & *discutiens* insignis: Unde inter alia etiam ad *tinnitum aurium* item *dolorem aurium* solet commendari, si ejus decocti *SUFFITUS* recipiatur in aures: sic enim discutiendo *tinnitum* & *dolorem* aufert. Aqua & oleum sunt admodum raræ aves.

CCCV. SATYRIUM SEU ORCHIS.

Satyrium, seu Orchis. Germ. *Kenabenkraut, Stendel-Wurtz*. Couillon de chien, Satyrion.

N. Dioscor. distinguit, inter Orchides & Satyria, orchidesque vocat, quæ radicem bulbosam habent, eamque geminam: Satyrium, quod unicam. Plinius verò utraque confundit.

Genera Orchidum seu Satyriorum passim quamplurima nascuntur, quæ etsi promiscuè in usum accersiri queant: attamen eligunt officinæ præ reliquis cynosorchim.

Crescunt in Campestribus, Sylvis ac Vineis: Florent Aprili & Maio.

OFFICIN. NAT.

Radix, cujus bulba distentior eligenda, rejecta flaccidiore. Colligitur ineunte Vere, vel exeunte Autumno.

Vires. Cal. & hum. saporis dulcis. Usus præcip. (ex signatura lasciva) ad virilem fortitudinem restaurandam. Sic & uterum confortare creditur, & ad conceptionem disponere.

PRÆPARATA.

1. *Condita Radix*. ℞. Orbiculum distentiorem, purga benè ac coque: hinc exsicca ac confice sacchara.
2. *Electuar. Diasatyrion*. V. D
3. *Extractum*, *seu sanguis*: Fit ex radice conquassata, & cum pane atque vino (spirit. vin.) digesta. Vide l. 2. & Quercet. in Pharm. Rest. c. 16. ab Heer. observ. 8. qui ita parat: ℞. Rad. Satyr. aquæ injice, duobus quibus constant orbiculis divulsis, quæ fundum petierint (abjectis quæ supernatant,) contunde ac adde sensim micas panis alb. propter lentoris dilutionem spirit. vin. è malvatico, ut irroretur. Dein digere in MB, vase clauso septim. (6.) Tum exprime, expressum iterum per mensem digere. Innatabit liquor rubicundus, hunc inclinando collige abjectis fæcibus. Hinc paratur Extractum compositum *Vide lib 2.*

SATYRIUM. Hujus utut variæ sint species nihilominus inter omnia Satyriorum genera eliguntur, quæ habent duos bulbulos in radice & quidem ita ut unus sit plenus & turgidus, alter inanis & flaccidus. De his observatum est, quòd quando unus turget hoc anno & plantam profert, alter sit flaccidus, & qui hoc anno fuit flaccidus altero flaccido existente turgeat, ut ita successivas quasi vices in nutritione & vegetatione plantæ obtineant hi bulbi. Ex signatura quâ referunt hi Bulbi testiculos vel humanos vel brutales, Medici imprimis philosophi Hermetici invenerunt, quod habeant *vim veneream*, quod ipsum etiam experientia confirmavit postmodum: *turgidus* enim *stimulat illam*, *flaccidus extinguit.* Unde turgidus in stimulanda, flaccidus verò in extinguenda venere & *Gonorrhœa* adhibetur. Semen enim imminuit & Gonorrhææ ita succurrit. Pro tali usu colligendus venit bulbus flaccidus & radix, venere in leone existente, & pro usu venereo prostat in officinis RADIX TURGIDA CONDITA, quæ in Electuariis contra *impotentiam* adhibetur, item Ess. composita Crollii ex Satyrii rad. turgida contra impotentiam & deficientem vim veneream. *TIMÆUS* habuit misturam contra *impotentiam* satis fortem, generosam & elegantem, cujus hæc fuit compositio.

℞. *Aq. magnanimitatis* ℥viij.
Aqu. Cinnamomi ℥iv.
Ess. *Satyrii* ℥ij. Tincturæ *Corallorum* ʒij.
Ess. *ambræ* ʒj. Misceantur.

Hanc misturam satis fortem valdè commendat *TIMÆUS pro stimulanda venere.* EXTRACTUM sive SANGUINEM SATYRII habet *AUCTOR*. Præter vim veneream imprimis satyrium commendatur ad *confortandam memoriam*, pro qua confortanda est insignis idque imprimis si misceatur ejus *Ess.* cum Ess. ambræ, omissis aliis venerem stimulantibus: Tunc enim facit ad *confortandam memoriam*, & *promovendas mentis operationes*, *si colligatur* verno tempore in plenilunio quando erumpit: sic enim vis latet adhuc in bursula turgida & nondum translata est in folia. In genere ingens *analeptica & confortativa* dicitur: sic satyrium in *debilitate & prostratione virium* in statu *neutralitatis* & *convalescentiæ* conducit. Folia maculata inter *Cosmetica & maculas faciei delentia* vulgo referuntur & propterea aqu. SATYRII maculosi solet præscribi cum aqua leucoy bulbosi, in *delendis lentiginibus*. Paracelsistæ in satyrio dicunt latere singularem & peculiarem muniam, ut propterea singularem habeat sympathiam cum Microcosmo & exinde specificè commendetur contra *Dysenteriam*: si scilicet 3. vel 4. radices infundantur in vinum & vel decoctum vel infusum bibatur: sic enim statim Dysenteriam sisti & curari dicit, quoniam vis mirabilis corroborandi sit in Satyrio.

CCCVI. SAXIFRAGA.

Saxifraga, *Lon.* alba, *Trag. Dod. Fuchs.* (icon.) *Cam. Tab.* Saxifraga, *Brunsfels.* major, *Fuchs.* Saxifraga alba chelidonides, *Lob.* Saxifr. alba tuberosâ radice, *Clus. hist.* German. Steinbrech. De saxifrage blanche.

Crescit in locis asperis ac sabulosis: Floret maio.

N. Sunt & alia saxifragarum genera, verum officinis vel inusitata sunt. Sic est saxifraga lutea. 1. Melilotus rubra. 2. Filipendula saxifraga, Pimpinella. Vide suo loco.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus, *Radix* quam *Semen* vocant.

Vires. Calfac. & sicc. evidentissimè (3.) diuretica est, aperit. Usus præcip. in sabulo ac calculo Renum ac Vesicæ atterendo

attercndo, & expellendo, tum & in mucilagine corundem attenuanda: in menſibus obſtructis. Extrinſecus in Balneis diureticis.

PRÆPARATA.

Aqu. Ex planta integra, Maio collecta.

SAXIFRAGA. Et quidem alba. Multæ plantæ ſunt quæ dicuntur ſaxifragæ propter vim quam habent in alterando & pellendo calculo. Hæc tamen *κατ' ἐξοχὴν* vocabulo tali dicitur ſaxifraga, propter vim inſignem *diureticam*, qua *urinam promovet*, *ſabulum ex renibus exturbat* & per *urinam expurgat*: Hic uſitata in *pellendo calculo renum* & *veſicæ* & *detergenda mucilagine renum*, quæ in calculum concreſcit & coagulatur. Hoc in uſu adhibetur in *Eſſ.* & potionibus: item externè balneis, unguentis & fomentis in calculo uſitatis. Aqu. valdoperè eſt uſitata in officinis: Præterea nihil proſtat.

CCCVII. SCABIOSA.

Scabioſa C B eſt:
- Pratenſis & arvenſis, variarum ſpecierum, ex quibus *uſitata eſt*, C.B.1.
- Montana. Variarum ſpecierum.
- Capitulo globoſo. Variarum ſpecierum.
- Stellata. Variat. ſpec.

Dicitur ſcabioſa pratenſis hirſuta, C.B. Scabioſa, *Lon.* vulgaris, *Fuchſ.* major, *Caſt.* arvenſis, *Tab.* (cui & major flore cæruleo purpureo.) Scabioſæ 1. genus, *Trag.* Scab. ſegetum, *Ger.* German. *Scabioſen*, *Apoſtem-Kraut*, *Grind-kraut*, de la ſcabieuſe.

Creſcit in arvis. Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

Radix (colligenda Vere.) *Folia*, *Flores*.

Vires. Calf. & ſicc. uſque ad 2. abſterg. atten. diſcut. ſudorifera, alexipharmaca ac pulmonica eſt. Vſus præcip. in apoſtematibus (unde & nomen habet) pleureſi, angina, tuſſi, aſthmate, peſte, fiſtuloſis ſeu manantibus ulceribus (mammarum, crurum, &c.) Extrinſecus in ſcabie, pruritu, impetigine ac præcipuè in achoribus ac tinea capitis (Erbgring.) in furfuribus de lendibus capitis, in ſuggillatis, maculis faciei, dolore hæmorrhoïdum (in ſuffitu vaporoſo.

N. Radix ſcabioſæ majoris flore purpureo, ſpecificè curare dicitur L. veneream, adeo ut ſalſæ parillæ vel parum, vel nihil cedere cenſeatur.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. ſtillat.* Ex integra planta cum radice ac floribus.
2. *Syrupus.* Ex ſuccho & ſacchato.
3. *Conſerv.* Ex floribus.
4. *Sal.* Ex planta incinerata.

SCABIOSA. Cujus variæ ſunt ſpecies: uſitata tantum foliis ſciſſis vel integris provenit in locis cultioribus. Planta eſt multi uſus in multis affectibus: imprimis refertur inter plantas *alexipharmacas*, *quia malignitatem* ſub forma ſudoris ex corporis machina exturbat. Deinde *pulmoni* eſt dicata cui *ſpecificè* ſuccurrere dicitur. Hinc ratione harum virtutum dicitur, germanicè Apoſtem-Kraut, Grind-Kraut, & commendatur in *Apoſtematis* & *abſceſſibus* in partibus internis ſive ſint *hepatis* ſive *lienis* ſive *ventriculi* ſive *pulmonum* & *aliorum viſcerum*: hic ſive SYRUPUS ſive DECOCTUM ſive. Aqu. SCABIOSÆ propinetur, rumpit abſceſſum eundem purgat & fermentum corruptivum delet, ut illo purificato poſſit conſolidari vulnus. In *Variolis* eſt experta ſcabioſa & quidem ejus ſyrupus, quando internas partes lædunt, item quando cum gravi *Tuſſi* ſunt conjunctæ *Phthiſin* poſt ſe relinquunt. Hæc ergo ut partim præſervetur, partim curetur convenit SYRUPUS vel DECOCTUM SCABIOSÆ. Imprimis in *apoſtemate ventriculi* poſt inflammationem rumpendo valdè commendatam vid. ſcabioſam in *FOREST. lib.* 18. *obſ.* 32. qui multis commendat hanc plantam pro *ulceribus* & *abſceſſibus partium internarum* tam *pectoris* quàm in ſpecie *ventriculi*: ſic v.g. ad ruptionem & curationem abſceſſuum internorum præſcribi poteſt talis formula.

℞. *Aqu. vel decoct. ſcabioſæ* ℥ij
Syrupi ſcabioſa ℥iß.
Spir. Tartari benè rectificati.
vel m. ſp. Tartari *volat.* ʒj.
Miſce pro aliquot doſibus.

In *Tuſſi Epidemica* quæ ſæpius eſt *maligna* uti & tuſſi quæ ſupervenit *febribus catarrhalibus Epidemicis* ſcabioſa eſt planta meritò commendata: talem enim *Tuſſim Epidemicam* ſæpius *malignam* egregiè ſolet curare. Imprimis commendatur ſcabioſa & ex illâ præparata contra *pleuritidem* & *peripneumoniam*, ſi jejuno ſtomacho aſſumatur, ſive ex ſe incipiant ſive ſequantur alios morbos; nam *inſigne* eſt *pectorale*. Dixi quod ſit egregia ſcabioſa in *variolis* affectib. ne partes lædantur internæ. Id quod etiam verum eſt de Helenio, quod non minus proficuum eſt in tali caſu ac ipſa ſcabioſa. Ulterius eſt una ex *vulnerariis* non ultimis interno & externo uſu: Unde internè decocta externè unguenta vulneraria ſolet ingredi & *ARGICOLA* in *Chirurgia parva p.* 101 refert, quod ſi inciſura in illa fiat tempore oppoſitionis ſol. & lun. in gemini menſe Majo, ex tali levi inciſione emanat egregium & pretioſum *GUMMI*, quod ſit ſufficiens pro quibuſcunque *vulneribus curandis*.

CCCVIII. SCHOENANTHUM.

Σχοῖνος, Σχοινάνθον, *Lon.* Iuncus odoratus, *Matth. Lob. Cluſ. Caſt.* Squinanthum officin. fœnum Camelorum, Stramen Camel. *Camels-Heu*, *Camel-Stroh.* Paſture de chameau. Affertur ex Arabia.

OFFICIN. NAT.

Culmi ſeu ſurculi (ſtramen) *Flores*, *Radix*.

Vires. Calfac. ſubaſtring. tenuium eſt partium, diſcutit Uſus præcip. in obſtructis menſibus, Epate, Liene, in ventriculi inflatione, vomitu ac ſingultu: in urinæ difficultate, Renum, Veſicæ ac uteri dolore. Extrinſecus corrigit fœtorem oris, roborat caput (lotione) diſcutit uvulæ tumorem, roborat ventriculum.

SCHOENANTHUM. Plantula eſt parva & exotica ex Aſia ad nos adfertur rari eſt uſus, imprimis ſolet ex eo notari, quod *vim* habeat *alexipharmacam* & ingrediatur Theriacam, propterea etiam habetur in officinis, alias non præſcribitur. A veteribus ſolet addi purgantibus pro correctione earum virulentiæ. Rarum aliàs eſt, quòd ſoleat præſcribi uti dixi.

CCCIX. SCOLOPENDRIUM VERUM.

Ἀσπλήνιον, ἄσπλενιον, Arab. Scolofendrion, Caterach Officinis, Scolopendrium, *Cord.* Scolopendria vera, *Trag. Lon.* Aſplenum & nion, *Matth. Lob. Caſt. Cam. Dod. Cord. in D.* Grman. *Miltz Kraut.* Scolopendre.

Eſt:
- Scolopendria vera. *Hic deſcribitur.*
- Vulgaris. *Loco ſequenti.*

Creſcit in rupium fiſſuris, lociſque aſperis ſine floribus.

OFFICIN NAT.

Folia collecta Septembri.

Vires. Calfac. & ſicc. ſaporis acerbi, abſterg. ſpleneticum eſt. Vſus præcip. in duritie Lienis Ictero, febri quartana: urinam

urinam movet, calculum comminuit, menses ciet, semen imminuere creditur (illuni nocte effossum.)

N. Dioscorides folia in aceto fervefacta ac per dies 40. pota, Lienem absumere scribit.

PRÆPARATA.

Syrupus de Scolopendria. Ex meris spleneticis fit. Vide Disp.

SCOLOPENDRIUM. Est duplex, vel *verum*, quod aliàs CETERACH, vel *vulgare*, quod aliàs PHYLLITIS seu LINGUA CERVINA vocatur. Jam de

SCOLOPENDRIO VERO.

Quod est planta parva & exilis, crescens in locis umbrosis & montosis: Planta est Saturnina, adeoque dicata saturn. in microcosmo sive *spleni* & valdoperè ad *affectus spleneticos*. Unde etiam ab Italis vocatur MILZATELLA, quæ Milze est Latinis splen. Et propter hanc *vim spleneticam* commendatur valdè in *febribus quartanis*, cum splenis vitiis conjunctis, in *Scorbuto*, in *Malo hypochondriaco*, in quibus splen est depravatus, & aliis ejus vitiis, in nodulis alterantibus & laxantibus verno & autumnali tempore, qui infunduntur potui, ut purificet viscera in *malo hypochondriaco*. Quando imprimis eò processit, ut etiam splen malè se habeat. DECOCTUM *Ceterach* in aqua ferrariorum, in qua sæpè ferrum candens fuit extinctum, multùm laudatur ad *tumorem & inflationem splenis*, adeò ut dicatur à *DIOSCORIDE*, quòd *absumat lienem* vel potiùs *imminuat*: Unde canes ferrariorum, qui bibunt sæpiùs talem aquam dicuntur carere splene. Vid. *MAIOR in Apologia in Chirurgiam infusoriam*, vitandum est verum, sicuti etiam vulgare, à mulieribus, quoniam *impregnationem inhibere & sterilitatem inducere dicitur*, & Paracelsistæ dicunt, quòd omnes plantæ Saturninæ soleant impedire conceptionem & inducere sterilitatem: quod de hac & similibus plantis verissimum esse dicitur.

CCCX. SCOLOPENDRIA VULGARIS.

Φυλλίτις, Lingua cervina Officin. C.B. Scolopendrium, *Brunsf.* Scolop vulgare, *Matth. Dod. Cord. Lob.* Hæmonitis, *Fuchs.* phyllitis seu lingua cervina, *Tab.* German. *Hirsch Zung* Langue de Cerf.

N. Scolopendria vulgaris vel lingua cervina dici potest, ad differentiam cetarach.

Crescit in sylvis, locisque umbrosis ac opacis, in puteis. Viret per totum ferè annum.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Refrig. ac sicc. subastring. atten. Splenetica itidem ac Epatica sunt. Usus præcip. in Liene tumido, fluxu alvi, expuitione sanguinis. Extrinsecus mundificant vulnera ac ulcera.

PRÆPARATA.

Aqu. Ex foliis.
Acetum.

SCOLOPENDRIA VULGARIS. Quæ aliàs vocatur LINGUA CERVINA, PHYLLITIS item. Folia interdum sunt acuta, interdum habent in superiore parte Lacinias. *Phyllitis* dicitur & quando apud practicos legitur scolopendria intelligitur vera, quando intellectam volunt vulgarem vocant *linguam cervi*, Phyllitem quod attinet, viribus convenit cum altera scolopendria in *affectibus splenis*: Unde solent folia hujus incoqui cum cerevisia & fieri *CEREVISIA MEDICATA*, quæ convenit iis, qui *affectibus splenis* obnoxii sunt, qualis potus medicatus in *malo hypochondriaco*, *scorbuto*, *quartana* & similibus, in quibus vel per Ess. vel per consensum affectus est lien, multi est usus. Præter spleneticam vim nullum obtinet usum in medicina. Omnes plantæ saturninæ quales sunt Cyclamen, Cicuta, polypodium, scolopend. Filix & quæ vocantur saturninæ etiam conveniunt cum saturno microcosmi splene & affectibus spleni tributis: tales sunt omnes plantæ quæ in locis opacis crescunt & colore viridi fusco gaudent, quòd semel pro semper dictum sit.

CCCXI. SCORDIUM.

Σκόρδιον, Scordium, C.B.I. *Trag. Matth. Dod. Lon. Lob. Cast. Cam. Tab.* minus, *Ger.* German. *Wasser-Bathenig, Lacken knoblanch.* Chamatat.

Est { Maius, *quod usitatius.* / Minus.

Crescit in locis humidis. Floret Junio ac Maio.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Calfac. & sicc. 2. absterg. atten. incid. putredini resistit, alexipharmacum ac sudoriferum est. Usus præcip. in peste, pestilentialibusque morbis, febribus malignis (tam præservando, quàm curando) in obstruct. Epatis ac Lienis, in Pulmonibus purulentis ac mucilagine refertis. Extrinsecus mundificat vulnera ac ulcera: lenit dolores podagricos.

N. Sunt qui in mensium profluvio cum successu exhiberi velint.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.*
2. *Succus inspissatus.*
3. *Syr. de scordio simpl.* Ex succo & saccharo.
4. *Compos.* Hier. Mercurialis. Vide Disp.
5. *Conserv. ex fol.*
6. *Elect. Diascordium*, *Fracastorii*, Vide Disp. *Dosis* à ℈j. ad ʒj.
7. *Sal.* Ex cinere.

SCORDIUM. Planta satis celebris in officinis, quòd una sit ex *alexipharmacis* & *veneno pestilentiali* pestilentibus. Unde inter *alexipharmaca*, *sudorifera* scordium est celeberrimum, quocunque modo usurpetur. Prostat in officinis *DECOCTUM* hordei cum scordio, quod est basis decoctionum, Juleborum pestilentialium. *Putredini resistit* & ideò convenit in *balsamatione cadaverum*. In *morbo Hungarico* aliisque *malignis febribus*, maximi & nunquam satis decantati est usus. Vid. imprimis de virtutibus scordii egregiis in *morbo Hungarico* & *peste GABELCHOV. Cent* 5. *cer.* 21. *scholio s. annotatione*, ubi aliquot refert historias ex *BUSBEQUIO* curatorum in peste & morbo Hungarico vel solo scordio. ELECTUARIUM DIASCORDII, celebre est in *morbis malignis & pestilentialibus. Putredini resistit* & in *balsamatione corporum* adhibetur, nam *vermes enecat & expellit*. Unde etiam internè Scordium & Hypericum valdè laudantur in propellendis lumbricis puerorum. De decocto hyperici & scordii contra *lumbricos* vid. *RIVER. Cent.* 1. *obs* 10. Inter præparata aqua SYRUPUS & acet. SCORDII usitatum in *peste & morbis & similibus malignis* tàm *præservandis* quàm *curandis*. Externè decoctum scordii & ex eo cum Myrrha, aloe & sp. vini paratus fotus est expertus in *cura gangrænæ & sphaceli*, quem sistit & corrigit, vid. *HILDANUS Tr. de Gangræna*. In Cataplasmatis contra *gangrænam*, ut plurimum solet admisceri, quoniam *putredini Gangrænosæ potenter resistit*.

CCCXII. SCORZONERA.

Scorzonera { Latifolia. { 1. Hispanica. *Hæc usualis.* 2. Germanica, *Tab.* Bohemica, *Matth. Lob.* 3. Foliis nervosis, Germanica angustifolia. 4. Humilis nervosa, Pannonica, *Tab.* } Angustifolia. }

Dicitur Scorzonera, *Dod. Lon. Lob. Cam.* Hispanica, *Matth. Cast. Tab.* (cui & Germanica 1.) Scorz. latifolia sinuata, C.B.1. aliàs Viperaria, *Schlangen-Mord.* De la Scorzonere.

OFFICIN. NAT.

Radix.
Vires. Calfac. humect. 1. alexipharmaca est. Usus præcip. in morsibus serpentum, peste, melancholia, epilepsia, vertigine, &c. Quin etiam commendatur maximoperè ad uteri suffocationem.

PRÆPARATA.

1. Aqu. è radice.
2 *Extractum.*
3. *Condita radix.*

SCORZONERA. Cujus cùm variæ sint species imprimis tamen usurpari solet, quæ vocatur VIPERARIA, dicta ob virtutes, quas habet in *resistendo venenis per morsum ab animalibus venenatis* communicatis, in quo nulli cedit simplici, & vis resistendi venenis & *alexipharmaca* ejus est satis decantata & egregia, ratione cujus usitata in curandis *morbis malignis & peste* radix ejus quocunque modo usurpata: Undè ordinariè syrupos, Electuaria, spiritus & Essentias antipestilentiales item aceta Bezoardica aliaque solet ingredi. In officinis prostat DECOCTUM RADICIS SCORZONERÆ cum C.C. quo utimur tanquam basi pro Julepis in *febribus malignis, petechialibus & variolis*, in quibus egregia est & multi usus. Aliàs internè raro adhibetur nisi in *affectibus & morbis malignis*, utut etiam AUCTOR eam commendat in *suffocatione uterina*. De hac Scorzonera scripsit tractatum D. FEHR, quem dicit anchoram sacram s. de Scorzonera, in quo plurima invenietis de commoditatibus & utilitatibus ejus. RADIX CONDITA solet in Electuariis, morsulis & rotulis alexipharmacis & Bezoardicis præscribi.

CCCXIII. SCROPHULARIA.

Scrophularia, *Matth. Dod. Cast.* major, *Brunsfels. Lon. Lob. Cam. Tab. Ger.* nodosa fœtida, C.B.1. Ocymastrum. *Trag.* Galeopsis, *Fuchs.* Aliis Ficaria, Ferraria, millemorbia, Castrangula. *Braun Wurtz, grosz Feigenwartzen-Kraut, Knodenkraut, Sau-Wurtz.* Scrophulaire.
Crescit in locis umbrosis, juxta sepes ac in cœmeteriis. Floret Junio ac Julio.
N. Est & fœmina dicta, quæ non nisi in locis palustribus nascitur, sed priori bonitate cedit.

OFFICIN. NAT.

Radix nodosa.
Vires. Calf. & sicc. digerit, incidit, saporis amari. Usus præcip. in strumis seu scrophulis, ficis & mariscis ani (unde & nomen accepit,) in cancrosis ac similibus serpentinis ulceribus, malignaque scabie. Extrinsecus in tumoribus renitentibus, malignisque molliendis. E. g. scrophulis & simil.

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. Ex herba cum radice.

SCROPHULARIA. Vulgaris nempe. Multæ ejusdem sunt species: Usitata illa, quæ in locis cultioribus ubique provenit & imprimis ejus radix nodosa, quæ multis nodulis, tuberculis & eminentiis est insignita: unde cùm quasi per signaturam hisce referat *Mariscas*, sive *ficus ani*, per experientiam confirmatum est, quòd conveniat *in morbis hæmorrhoidum*: in *hæmorrhoidibus cœcis fluentibus nimis & suppressis*, in *quocunque hæmorrhoidum statu*, utut sint contrarii, usitatissima est scrophularia usu pariter interno & externo: sunt enim qui dicunt referente SCHOLZ. *consil.* 207. quod scrophularia hæmorrhoides tàm sistit nimis fluentes, quàm provocet suppressas: si scil. radix in taleolos dissecta vino injiciatur, de quo vino infusionis patiens per 9. dies bibat: postea radices debent siccari, & eo modo, quo siccantur radices, etiam siccantur hæmorrhoides & curantur. Si velis proritare easdem, infundenda est radix in vino, de quo bibatur, & eo modo, quo se extendunt rugæ radicis in vino, eo etiam se extendunt mariscæ & sequitur fluxus. Vid. SCHMUCK. Ad hæmorrhoides cœcas & nimiùm dolentes ac tumentes propriâ experientiâ commendat HEINRICUS ab HEER *observatione* 20. *pagina* 244. si quis dicit, hæmorrhoidum cœcarum atrocissimo nimis torqueatur dolore, is nimirum quid radicis vel foliorum scrophulariæ cum cibo vel potu capere debet: Hinc etiam fit, ut dolor egregiè mitigetur, sive in substantia assumatur, sicca aut viridis seu decoctum ejus assumatur, sive vinum infusionis bibatur. Denique externo usu convenit in hæmorrhoidum quibuscunque affectibus: si scilicet radix sola à sordibus purgata: appendatur collo, ut attingatur nudum corpus, & sic gestetur: sic enim fieri dicunt, ut miraculi instar omnia hæmorrhoidum vitia corrigantur & compescantur: id quod propriâ experientiâ confirmat SCULTETUS in *armamentario Chirurgico, tabul.* 42. Hoc ipsum etiam est experimentum D. HORSTII, qui adhuc in vivis est: ℞. radicem benè purgatam & in hæmorrhoidum affectibus appendit femori, ut radix nudum femur attingat: sic enim fit, ut dolor evanescat, sicut radix exsiccatur: id quod habeo ex Manuscriptis Epistolis ad Dn. D. MICHAELEM, videri quoque potest in *Dispensatorio libr.* 1. *pag.* 3. Post virtutes in hæmorrhoidibus, in quorum affectibus juxta linariam nulli cedit plantæ, etiam valdoperè commendatur in *scrophulis & strumis* ex signatura, unde etiam id nominis accepit, quo vocatur scrophularia, quod in *scrophulis & strumis* usurpatur, sive internè sive externè in quocunque loco sint scrophulæ & strumæ: nam, quod obiter noto, sunt scrophulariæ & strumæ tumores duri glandularum, sive sint induratæ glandulæ in Mesenterio, sive sint induratæ in collo, sive induratæ in inguinibus, &c. In *talibus tumoribus duris glandularum* celeberrimum remedium est scrophularia, si ejus radix accrescente luna fodiatur: postmodùm verò decrescente luna usurpetur, & intereà temporis exsiccetur: si scilicet interiùs ejus decoctum, vel pulv. à ʒß. ad ʒj. accipiatur, vel etiam, si decoctum, uti dixi, scrophulariæ interiùs bibendo usurpetur. Externè convenit scrophularia in scrophulis & strumis imprimis colli: accipitur scilicet numerus tuberculorum horum impar, & hæ radices filo trajectæ appenduntur collo: sic enim fiet, dicunt, ut scrophulæ brevi post evanescant. Paratur UNGUENTUM ex scrophularia: si scilicet radix hæc in autumno collecta ad lib. iß. contundatur in mortario lapideo cum butyro recenti. Deinde in vase clauso

clauſo ponantur in fimo equino vel in Baln. Mar. per 14. dies: poſtea leni igne liqueſcant & colentur, fiatque ſiccum pinguedine humana & cera unguentum, quod valdè prodeſſe dicitur tàm in *affectibus hæmorrhoidalibus*, quàm etiam in *tumoribus glandularum duris*, *ſcrophulis & ſtrumis*. *Ficus* & *mariſcè* ani ſunt hæmorrhoides cœcæ variè dolentes, ſcrophulæ & ſtrumæ, unde ſcrophularia vocatur. In genere in *omnibus nodis* vel *duris tumoribus*. Conducit ſcrophularia etiam contra capitis tumores infantum, uti vocant mulierculæ, qui ſunt tumores molliuſculi glandularum, ſimiliter ſuccurrit ſcrophularia. Videatur imprimis de hoc ipſo *SCHMUCK. Cur. Magic. Magnet. pag.* 20. qui jubet, ut impar numerus appendatur collo: manè & veſperi ʒß. ad ʒj. pulv. aſſumatur, & in potum infundatur, qui eſt uſurpandi modus.

CCCXIV. SCYLLA.

SQuilla, *Brunſf.* Scilla. *Trag. Matth. Fuchſ. Cord. hiſt. Lon. Cam.* majus Pancratium, *Dod. Tab.* rubentibus tunicis, *Lob.* Arab. Haſpel. German. *Meer-Zuvibel.* Scylle.

Creſcit copioſè in Apulia, Sicilia, Portugallia.

OFFICIN. NAT.

Radix bulboſa, quæ eligatur recens, ſucci plena, collecta Julio.

Vires. Calfac. ſicc. 2. ſaporis acris & amari, atten. incid. abſterg. diſcut. putredini reſiſtit, diuretica eſt. Uſus præcip. in obſtruct. Epatis, Lienis, meatus biliarii, menſium urinæ, in mucilagine Pulmonum, tuſſi, &c. Extrinſecus in achoribus capitis (infuſ. in ol.) in pernione.

N. Veneficia ac incantationes arcere dicitur.

PRÆPARATA.

1. *Præparata radix.* Involvitur maſſæ panis, atque cum eadem in clibano coquitur: hinc eximitur atque exſiccatur. Vide Diſp.

N. Præparatio hæc inſtituitur ad obtundendam acrimoniam.

[Ex hac parantur Trochiſci.]

2. *Syr. Oxymel ſcylliticum ſimpl.* Ex acet. ſcyllitico & melle.

3. *Oxymel compoſitum* Vide Diſp.

[Paratur etiam Oxyſaccharum ſcylliticum]

4. Loch de ſcylla, Loch ad aſthma. Ex ſucco ac melle.

5. *Acetum ſcylliticum.* Ex infuſione radicis in aëre exſiccatæ (per dies & noctes 40)

6. *Fecula.* ℞. Scyllæ cor, incide minutim, vel conquaſſa, digereque aliquod temporis ſpatium in MB. Hinc tranſcola & inſpiſſa. Quercet. Pharm. Reſt. c. 24.

7. *Extractum* Vide Quercet. Ph Reſt. c. 24. ubi & Saccharum ſeu conſervam Scyllæ parare docet.

SCILLA. Radix exotica in locis maritimis tantùm creſcens, quæ ex iſtis etiam ad nos defertur. Radix hæc magni æſtimata fuit à veteribus, & apud illos in magno fuit uſu, nec immeritò: Nam in multis morbis convenit egregiè, cum imprægnata ſit eleganti ſale vol. acri, non minùs quàm omnia ceparum, porrorum & alliorum genera; imprimis quidem radix, ſi ſit recens & ſucci plena, è radice enim marcida & flaccida unà cum ſucco ſal vol. evanuit, & radix eſt ſaltim caput mortuum exutum omnibus viribus. Ratione ſalis vol. acris habet ſaporem amarum, acrem & penetrantem, *incidit mucilaginem viſcidam & craſſam*, *pituitam* dictam *abſtergit*, & valdoperè *purificat viſcera* à ſordibus eorum meatibus adhærentibus: cujus ſal. ratione etiam ſolet *ciere urinam* per modum coagulationis in Maſſ. ſanguinea, & quaſi præcipitationis, de quo inferiùs, ubi de Diureticis. Ex quibus facilè patet, in quibus affectibus conveniat, ſcilicet commendatiſſima eſt in *aſthmate & Tuſſi*: ſi nimirùm oriantur aſthma & Tuſſis ex mucilagine craſſa, viſcida & tenaci, quam veteres vocarunt pituitam vitream, optimè convenit ſcilla, ſive hæreat in cavo ſtomachi, ſive in ramulis bronchiorum pulmonum: In tali etiam caſu acetum SCILLITICUM ex infuſione ſcillæ in acetum, & ſic fit ex ſale acido aceti & ſal. vol. acri ſcillæ egregium ſalſum volatile, item quod ex ſcilla acet. & melle paratur OXYMEL SCILLITICUM, tàm SIMPLEX quàm COMPOSITUM, ſunt egregia remedia, quæ in *affectibus ſtomachi & pectoris*, ubi præſens eſt talis materia craſſa & tenax, valdè conveniunt. Item oxymel ſcilliticum cum ſyrupo de Nicotiana egregium eſt in talibus tàm adultorum affectibus, quàm in ſpecie in *aſthmate ſuffocativo infantum*. In tuſſi & aſthmate tali ex craſſa & viſcida materia ſtabulante vel in pectore vel ſtomacho, poſſet fieri talis præſcriptio pro inciſione & promovenda expectoratione.

℞. *Aqu. Hyſſopi, Nicotianæ, ritè præparatæ aa* ℥ij.
Syrupi de hyſſopo, Eryſimo Lobelii aa ʒvi.
Oxymel: vel acet. ſcillitici ℥j. *vel* ℥iß.
(*ſive ſit oxymel ſive acet. perinde eſt, utut oxymel ſit melius acet. propter admiſtum mel quod etiam incidit.*)
Aqu. Aſthmaticæ (*quæ eſt aqua ſpirituoſa ex infuſione aromatum quorundam*) ʒvj.
Spiritus nitri dulcis vel ſalis gutt. XV. *vel* XX.

Miſceantur fiat potio pro aliquot doſibus, quæ experta eſt in tali mucilagine craſſa & viſcida oriunda tuſsi & aſthmate. In *affectibus renum & veſicæ*, *urinæ ſuppreſſione & ſimilibus*, à craſſo tali ſucco ſcilla eſt egregia, etiam acet. ſcilliticum. Veteres valdè commendant MEL SCILLITICUM ad EPILEPSIAM, de quo vid. ZACUT. LUSITANUS *lib.* 1. *med. princip. hiſt.* 29. Huic ſcillæ ſi adjiciatur in melle vel aceto ſtæchas Arabica, eò præſtantius remedium evadere dicunt ad *Epilepſiam & vertiginem*: Uti vult *FREITAG. in auror. Medicorum.* Præ cæteris in magna fama & æſtimatione apud veteres fuit ACETUM SCILLITICUM. De hoc ejuſque viribus integrum ſcripſit tractatum, Italus quidam *DURASTANTES*: ſicuti etiam in deſcribendis aceti hujus viribus & laudandâ præſtantiâ fuſus eſt *MINDERERUS in Aloëtario*, *pag.* 130. item *ZAPATA* in *Clave Medicinæ cap.* 4. Nam veteres hoc ipſum Acetum Scilliticum habuerunt pro *panacea*, ejuſque inventorem per omne tempus vitæ benè vixiſſe dixerunt. Doſis hujus aceti poteſt eſſe ab ℥ß. ad ℥j. imprimis quando gaudet vehiculis aliorum: affunditur cochleatim pro correctione ſanguinis & inciſione craſſorum humorum ob ſal vol. *Optimum faciei colorem* uſu interno inducere dicunt, quod credo. In *affectibus oculorum*, imprimis per conſenſum à ventriculo, acetum hoc eſt egregium. In *apoplexia*, imprimis ſenum, apud veteres uſitatum: Hinc etiam in *affectibus ſoporoſis* adhibitum fuit: ad *affectus ventriculi* multùm prodeſt hoc acetum. Unde ad ejuſdem *cruditatem acidam*, & ad *apepſiam ventriculi* valdopere confert. In *corpulentia nimia* ſimiliter in uſu eſt: Nam uti aceta omnia imminuunt, ita imprimis acetum ſcilliticum in hoc paſſu eſt commendatum. *Præſervativum* aliàs eſt peſtis, ſicut omnia aceta, & ex aceto parata remedia.

CCCXV. SEBESTEN.

SEbeſten, *Trag.* Prunus Sebeſten, *Matthiol.* Sebeſtena, Myxæ, Myxaria, *Tab. Alpina.*

OFFICIN.

OFFICIN. NAT.

Μυξάεια μύξα, myxæ, myxaria, Sebesten *Brust-Beerlein*, *Sebesten*. Sunt fructus arboris pruno similis, assimilati parvis prunis, referentes nucleum cortice triquetro lapideo inclusum.

Asportatur ex Syria ac Ægypto.

Vires. Sebesten inter caliditatem ac frigiditatem temperata sunt, humectant, emolliunt, acrimoniam humorum obtundunt. Vsus præcip. in catharris acribus, urina acri, febribus biliosis, alvi obstructione: summatim ut figura, ita & viribus pruna Damascena æmulantur.

PRÆPARATA.

Electuar. de Sebesten. V.D.

Vires. Purgat leniter, obtunditque acrimoniam humorum.

Dosis ab ℥ß. ad ℥ij.

SEBESTEN. Fructus parvus exoticus referens ferè prunum, vocantur à quibusdam etiam MIXARIA, sed rarò. Hi sebesten germanis audiunt Brust-Beerlein, propter egregium usum, quem habent in *affectibus pectoris*, & sunt ferè ejusdem naturæ cum Jujubis, de quibus superiùs, quòd conveniant in *affectibus catarrhosis* à Lympha acida & acri in fauces & asperam arteriam transsudante & corrodente, cujus acrimoniam temperare & corrigere dicuntur, id quod etiam de *affectibus urinariis* ex nimia urinæ acrimonia verum est: quam similiter temperat & obtundit: Alias rari est usus, nisi quòd à quibusdam loco laxativi adhibentur, in quo etiam usu est ELECTVARIVM DIASEBESTEN, quod *leniter purgat* & *acrimoniam humorum attemperat* & *infringit*. Vsitatè præscribitur cum jujubis, cum quibus quoad vires ferè coincidit.

CCCXVI. SECALE.

Farrago, Rogga, Siligo, Briza, German. *Rogken*, *Korn* (nostratibus) Seigle.

Est { Hybernum vel majus, C. B. 1. Vernum vel minus, C.B.3.

1. Dicitur Rogga sive secale, *Dod.* Siligo, *Brunsf. Lon.* Veterum & Secale, *Trag.* Secale, (Secla,) *Matth. Fuchs. Lob.Tab.Ger.* Secale & Farrago Plinii. *Cast.* Olyra, *Cord.in D.* Tipha Cerealis Portæ, C.B.

2. Appellatur Rogga seu secale æstivum, *Dod.* Siligo æstiva, *Trag.*

N.Veterum siliginem à secali nostro esse differentem, videsis apud Tabern. lib.1.s.7.c.1.

Floret Junio.

OFFICIN. NAT.

1. *Farina*. 2. *Furfures*.

Vires. Secale calefacit moderatè, minus tamen quàm triticum, magis verò præ hordeo. Vsus ejus potissimus culinaris est, adhibetur tamen non rarò farina extrinsecus ad tumores & dolores discutiendos, adeoque imponitur Erysipelati, podagricis doloribus, & sim.

Furfures abstergunt, emolliunt, discutiunt (calidi impositi in sacculo.) [Decoctum furfurum cum ficubus in tonsillarum affectibus utile.]

PRÆPARATA.

1. *Panis*. Adhibetur in doloribus capitis & aliarum partium (impositus) in ventriculi imbecillitate, in cordis palpitatione, in fœtu roborando (tostus & vino aliove liquore convenienti imbutus, vel in micas redactus, & cum aliis impositus,) in tumoribus maturandis (masticatus cum butyro & impositus) in dentifriciis crusta tosta & trita.

2. *Aqu. still. è pane*. Fit è micis Panis vi MB.

N.Commendatur in Diarrhæa & Dysenteria.

3. *Aqu. Siliginis officinarum*. Fit è gramine MB.

[Hæc aqu. ad Epilepsiam puerulorum valet.]

[*N. Succus* germinum secalis sudoriferus est ad ℥iij. vel iv.

4. *Emplast.* de crusta panis. V.D.

SECALE. Est frumenti genus, ex quo conficitur noster *PANIS* usualis, & ex quo se offerunt *FARINA & FVRFVRES*: *FARINA* internè nunquam adhibetur, sed saltim externè pro *discutiendis tumoribus* in Cataplasmatis vel adspersione nuda, in *tumoribus* præprimis *Erysypelaceis*. *FVRFVRES* insignem *vim obtinent abstersivam*, & interdum incoquuntur Clysteribus, pro feliciori fœcum & intestinorum abstersione: Impositi furfures in sacculo, imprimis cum sale egregiè discutiunt & *flatulentias dissipant*. Inter præparata exhibet imprimis panem, qui satis quidem est usitatus in esu communi, nihilominùs idem non est rari usus in medicina. Externè usurpatur in *confortando stomacho*: si recipiatur crusta vel frustulum panis torrefactum vel tostum, adspergatur aceto & pulveribus aromaticis verb. grat. Cinnamomi, Nux Moschatæ & pauxillo croci, sicque applicatur regioni stomachi, quæ ad *Choleram sistendam*, *vomitum compescendum* & *sedandam nauseam* est egregium remedium: quod adhuc feliciùs præstant *panes melliti*. Unde etiam panis recens solet olfactum inhibere, quò minùs *vomitus* & *nausea sequatur*, post medicamentum ingratum vel purgans assumtum, imprimis si panis adspergatur aceto vel rutaceo, sic enim *solet compescere vomitum*. Talis crusta panis aceto humectata, & pulveribus aromaticis adspersa *in vomitu nimio* convenit post medicamentum vomitorium nimis fortè assumptum, imprimis si irrorata aceto adspergatur cum pulvere Zedoariæ & applicetur stomacho. Deinde talis crusta panis vel recens vel leviter tosta vel spiritu vini, vino Malvatico vel balsamo Embrionum irrorata & umbilico applicata convenit in *roborando fœtu* & *præcavendo abortu*. E pane ulteriùs in furno Chymico paratur egregius SPIRITUS acidus volatilis, cum quo in rectificatione in phiola alba una solet exaltari & elevari sal volatile, quæ duo egregium obtinent usum in confortando stomacho & in succurrendis ejusdem symtomatis. Idem spiritus acidus magnum obtinet usum in usu Chymico. Dum est singulare menstruum pro parandis tincturis ex metallis & subjectis mineralibus, promptissimum verb. grat. ex marte & antimonio. Quæ tincturæ sunt eò magis convenientes & amicæ corpori, quò magis est acido volatile menstruum. Unde tali acido menstruo paratæ tincturæ sunt convenientissimæ. Spiritus hic etiam est egregiè *stomachalis* & gratus atque amicus stomacho: Unde est quòd panis nunquam soleat generare sui nauseam, utut quotidiè commendatur, qui nimirum symbolizat & amicitiam mutuam colit cum fermento stomachi acido. Propter similem spiritum acidum exhalantem ex pane solet *curare vomitum* & *compescere*, item *nauseam sedare*. In morbis ejus appetitus amittitur, & in reconvalescentia eum ventriculus primum tanquam homogeneum appetit Vltra Spiritum acidum volatilem cum sale volatili sunt non pauci, qui parant oleum & ESS. PANIS, hoc modo: ℞. Crustas panis, affundunt vinum Malvaticum, & digerunt per tres septimanas in Phiola benè clausâ. Hinc destillant per retortam in Cineribus, & tandem adscendit oleum & ESSENTIA PANIS instar rubini, quæ duo sunt singularia *specifica stomachica*, teste *HARTMANNO in Praxi cap.*131, utut ibidem præparationem reticeat. Oleum panis commendatur ad *HOEFERO* ad *Epilepsiam* imprimis infantum: uti videre possumus in ejusdem *Hercule Medico p.*13.

CCCXVII. SEDVM.

Sedum. { Majus { majus arborescens, *inusitatum.* / vulgare, *hoc usuale.* } / Minus Hæmatoïdes, &c. *Officinis incognitum.* / Minimum. *Vide vermicularis.* }

Insignitur sempervivum majus, *Brunsf. Matthiol. Ger. Lob.* Sedum majus. *Fuchs. Cord. in D. Tab.* Sempervivum, 1. *Lon.* Sempervivum majus 2. seu Jovis barba, *Dod.* Aizon majus, *Cam.* Sedum majus vulgare, *Clus.* Germ. *Hausz vvurtz, Donner-Bart, Maur-Pfeffer.* Joubarbe.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Refrig.3. astring. incrassat. Usus præcip. intrinsecus in febribus biliosis, sedat scil. sitim. compescit ardorem. Extrinsecus in Angina, &c.

N. Vulgare est plebi nostrati expressum succum cum sacchard in febribus morbisque calidis propinare.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex foliis stillat.
2. *Succus ex foliis.*
N. Adhiberi solet recens in febribus malignis & biliosis.
3. *Syrupus.*

SEDVM MAJUS. Hoc ipsum, imprimis quidem folia sunt ex primariis *refrigerantibus*, alcali volatili occulto copiosa aqua diluto constitutis, ut reliqua refrigerantia omnia: vocatur sæpius apud Practicos SEMPERVIVVM quàm *sedum.* Internè rarius adhibetur, ut ut à quibusdam aqua, SUCCUS & SYRUPUS sempervivi commēdantur in *nimiis incalescētiis totius corporis*, vel *in morbis acutis* cum ardoribus, *in febribus biliosis* dictis ex vitiato & nimis oleoso sale volatili urinoso Massæ sanguineæ, quod corrigit & alterat, imprimis in *febribus* cum inflammationibus conjunctis conveniet, in quibus sal. ejus vol. alcali compescit acidum coagulans in Massa sanguinea. Extrinsecus magni usus solet esse pro refrigeratione in *morbis acutis* & *febribus ardentibus*: nempe si applicetur sedum contusum & applicatum capiti instar cataplasmatis, multum solet conferre in *phrenitide*: applicatur vel plantis pedum, vel regioni frontis, sic enim sedat *phrenitidem*, & *somnum conciliat*, imprimis si misceatur cum lacte muliebri, vel, quod melius est, cum succo cancror. fluviatilium expresso, & instar cataplasmatis applicetur. In talibus casibus à quibusdam simili modo sedum solet applicari spinæ dorsi, sed hoc est periculosum, & nolim esse auctor talis applicandi modi, & hoc vulgari sum contentus. In *affectibus faucium inflammatoriis* multi est usus sedum: imprimis in *angina*, in *inflammatione Gula & Laryngis*, succus ejus cum sale ammoniaco permistus, & destillatus dant expertum Gargarisma in tali casu, it. si sedum majus cum cancris fluviatilibus contundatur, & succo expresso fauces colluantur, est etiam expertum remedium in *angina*, quæ duo debemus *PARACELSO* Vid. *SENNERT. Prax. part.1.lib.2.cap.24* Usitatus etiam est SYRUPUS cum aq. DESTILLATA sempervivi in talibus *faucium collutionibus*, cum quibus potest misceri succus cancrorum fluviatilium, vel sal. ammoniacum, pro experto Gargarismate in incipiente *angina.* Sæpius fit, ut in ardentibus exarescat, & arida fiat lingua, imo fissuras propter ariditatem & siccitatem accipiat, in tali casu impositus succus sempervivi linguæ, & detentus sine deglutitione refrigerat linguam, corrigit siccitatem, & *fissurarum dolorem lenit easque consolidat.* Cum aqua vel succo Prunellæ potest misceri, & sic erit etiam expertissimus in *morbo Hungarico* & *febribus ardentibus.* FOLIA, detracta interiori cuticula, apponuntur *clavis & verrucis pedum*, quas emolliunt, ut possint sensim sensimque exscindi (applicantur manè & vesperi.) Quod etiam faciunt folia eadem detracta pellicula, in *gangliis* & *nodis* partium tendinosarum & nervosarum, imposita & semper manè ac vesperi renovata, emolliunt enim tumorem, ut sensim sensimque invisibiliter dispareat.

CCCXVIII. SENECIO.

SEnecium, ἠριγέρων, Erygerum, herba pappa, Germ. *Creutz-Vvurtz, Grind-Kraut.* Du seneçon.

C. B. est { 1. senecio minor vulgaris. / 2. Senecio minor montana. } *indifferenter usuales.*

1. Appellatur Senecio, *Matth. Fuchs. Cord. in D. Lon. Lob.* minor, *Cast.* vulgaris, & 1. *Trag. Tab.* Erigerum minus, *Dod.* Verbena fœmina, *Brunsfels.*

2. Senecio 2. *Tab.* Erigerum, *Ger.* majus, *Dod.*

Nascitur passim in hortis, in agris, secus vias, &c. majus sylvosis gaudet & arenosis. Vere florere incipit, floresque per totam æstatem producit, aliàs hyberno quoque tempore viret.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus & caule.

Vires. Mixtas vires habet, refrig. ac simul modice discut. consolidat. Usus præcip. in [Epilepsia infantum pulticulis incocta, Sebiz] cholera, Ictero, intemperie calida Epatis, lumbricis, vomitu & exspuitione sanguinis. Ischiatico dolore, fluore muliebri. Extrinsecus in mammis inflammatis, scabie [capitis] struma, dolore ventriculi, urina remorata, arthritide, vulneribus (fistulis.)

PRÆPAR.

Aq. still. Fit è fol. flor. ac caule, tota æstate.
N. In Febribus utilis.

SENECIO, A Quibusdam etiam vocari solet ERIGERUM. Hoc utut crescat ubique, modo *majus*, modo *minus* pro loci cultura, rarissimi tamen est usus, nec memini me legisse præscriptum. *AVCTOR* multa ipsi tribuit, quæ tamen non scio, an sint experta.

CCCXIX. SERPILLUM.

Ἕρπυλλος, *Diosc.* Serpillum, *Brunsf. Trag. Fuchs. Lon. Lob.* vulgare, *Dod. Germ.* Serpillum sylvest. *Matth. Cord. in D.* sylvestre alterum, *Cast.* cerpillum minus fl. albo & fl. purpur. *Tab.* Serp. vulgare repens, *Clus. hist.* Serp. vulgare minus, C. B. 6. German. *Quendel. Kunlain, Hunerkol, vvild Poloy.* Du serpolet.

N. Sunt species plures, sed hæc officinis usitatior.

Crescit locis sabulosis, apricis. Flores Majo mense protrudit, integraque æstate fovet.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calfac. & sicc. in princ. 3. saporis acris, atten. aperit Cephalica, uterina ac stomachica. Usus præcip. in mensibus ac urina cienda (balneo) in exspuitione sanguinis, spasmo, extrinsecus arcet vigilias, cephalalgias, vertiginem. Ciet menses (balneo.)

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex planta cum floribus Iunio collecta.
2. *Oleum stillatit.*

SERPILLVM. Commune & repens flore rubro: quod est planta multi usus in *affectibus* imprimis *capitis & Vteri.* In *affectibus capitis* quidem valdè convenit in *Catarrhis.* Dictum enim est supra sub Sassafras, quod cum spiritu serpilli, & ligno Sassafras paretur ESSENTIA CATARRHALIS, & pro iisdem catharris aq. & sp. serpilli in frequenti sunt usu. aq.

præparatio

præparationem docet *HARTMANNUS* in *prax. c.*41. quod debeat colligi serpillum, dum madet adhuc rore matutino, & ita in usum medicum contra *catarrhos* assumi. In *MYNSICHT. armamentario* Chymico prostat aq. BENEDICTA SERPILLI, quæ dicitur ab eo benedicta in *catarrhis* & *morbis catarrhalibus* curandis. Deinde spir. & aq. serpilli conveniunt valdè in *Uterinis affectibus* internè, quando *menses* sunt *suppressi*, vel *nimis dolorosè* & *ordinatè fluunt*. Externè solet præscribi cum Camphora contra *catharros*: item in balneis, quæ usurpantur ad *vitia mensium corrigenda*.

CCCXX. SESAMUM.

Σήσαμον Veterum, C. B. Sesamum, *Alpin. Matth. Lob. Dod. Cast. Tab.* Verum, *Cord. in D. Cam.* German. *Lein-Dotter, Flach-Dotter*. Du sesame.

N. Est & Sesamum, Myagrum dictum ac officinis insitatum.

OFFICIN. NAT.

Semen quod affertur ex Alexandria, Creta & Sicilia.

Vires. Calfac. modicè, humect. emollit, paregoricum, viscosum, pingue, adeoque & Emplasticum est: nervorum duritiem illius discutit, colicis doloribus medetur.

PRÆPARATA.

Ol. Expressum: Hoc eligatur candidum, syncerium; adulteratur enim oleo nucum & Papaveris, qui dolus tamen odore & sapore facilè dignoscitur.

N. Olim solùm ex Alexandria Ægypti Venetias atque inde ad nos comportabatur. Hodie & apud nos ex sesamo paratur.

Vires. Moderatè calf. itidem emollit, maturat, pulmonicum est. Usus præcip. in tussi ac asperitate Pulmonum (linctum) in pleuritide: impinguat, semen genitale auget. Extrinsecus in duritie nervorum, aurium doloribus, in ulceribus serpentibus ac malignis.

N. Quia nauseam excitare solet, raro internum usum subit.

SESAMUM. Planta sylvestris, habet foliculos triangulares, ex quibus colligitur SEMEN, cui præfertur exoticum ex Asia, quod etiam sæpius quam nostras solet præscribi in cataplasmatis cum semine fœnu-græci, ubi opus est *emollitione*, *exulceratione* & *suppuratione*. Præ semine tamen est oleum ex semine expressum: Cujus adulterat, vid. apud *AUCTOREM*. Hoc internè rarius usurpatur, quoniam solet excitare nauseam; utut soleat commendari internè in *pleuritide*, non minus quam oleum amygdalarum dulcium & oleum lini: SEMEN hoc aliàs, & oleum EX SEMINE paratum commendatur ad *augmentandum semen virile* & *semen genitale*. Externo usu oleum est itidem Emplasticum conveniens in *emollendis* & *suppurandis tumoribus*: idem oleum illitum cum oleo lumbricorum *emollit nervos* ac *tendines, eosque flexiles* & *molles* facit.

CCCXIX. SESELI OFFICINARUM.

Αἰγυπτικὸν, *Diosc.* Λιβυστικὸν, *Gal.* Ligusticum quod seseli officinar. C. B. 1. Siler montanum, *Trag. Dod. Lob. Clus. hist.* Ligusticum, *Matth. Cast.* verum, *Tab.* Seseli Massilioticum, *Cord. in D.* Seseli Italicum, *Cast.*

Crescit copiosè in Liguria Italiæ.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Calf. sicc. menses & urinas ciet, flatus discutit.

CCCXXII. SESELI MASSILIOTICUM.

Σέσελι, σεσελὶς, *Hippocr.* σέλς, σίλι. Siselios indeclinabiliter, German. *Sesel Kraut, Marsilischer Sesel, Rosz-Kummel, Zirmet, Silermontan.* Du seseli de Marseille.

Est { ferulæ folio. } *promiscuè*
Est { fœniculi folio. } *usualia.*

1. Dicitur Seseli Massiliense, *Matt. Lon. Cast. Tab.* nuperorum, *Lob.* Seseli Mass. ferulæ au Dauci Cretici facie, *Lob.* Siler montanum. *Ger.* C. B. 8.

2. Seseli Massil. fœniculi folio, quod Dioscor. censetur, C. B. 9. *Lob.* Ses. Massil. *Dod. Diosc. Clus. hist.* nonnullorum, *Cam.* Fœniculum petræum, *Tab.*

Crescit spontè in Gallia ac Italia; apud nos non nisi in hortis colitur, solo gaudet sabuloso.

OFFICIN. NAT.

Radix atque *Semen*, quod verum in modernis officinis prostat, secus ac antea, ubi semen brancæ ursinæ, monente Tabernæmontano, ejus loco venum ivit.

Vires. Calfac. & sicc. ad gr. usque 3. incid. aperit, discut. Usus præcip. in morbis capitis, Epilepsia [cui tota sua substantia resistit,] in imbecillitate visus, spasmo, &c. in Pulmonum ac pectoris affectibus, tussi, catarrhis; in Epatis obstructione. Hydrope, ventriculi cruditate ac inflatione, in calculo Renum ac Vesicæ, in mensibus obstructis. Specificè antidotus est cicutæ. Extrinsecus in spasmo, contractis, in lacte mammarum coagulato, in uteri impuritate ac obstructione.

CCCXXIII. SESELI CRETICUM.

Τορδύλιον, *Dioscord.* Seseli Creticum minus, C. B. 4. *Cam.* Seseli Creticum. *Lob. Dod. Cast. Tab. Ger.* Pimpinella Romana, *vulgò Arab.* Arturtilon, *Cretischer Sesel, Candischer Sesel*, Seseli de Crete, semence du Siser de Crete.

OFFICIN. NAT.

Vires. Calfac. & sicc. 2. nephriticum, uterinum, pulmonicum. Usus præcip. in stranguria, & urina retenta: dolores discut. menses ciet, catharrhorum expectorationem promovet.

SESELI. Quorum tria sunt genera *Officinale, Massilioticum* & *Creticum*. SESELI OFFICINALE habetur in officinis, quoniam solet ingredi Theriacam & ratione hujus usurpatur & adservatur, aliàs nullius est usus: commendatur etiam in *mensibus ciendis*, sed quoniam est rarum & carum, non præscribitur. SESELI MASSILIOTICUM celebrioris est usus in officinis, in *affectibus uteri*, in quibus solet præscribi internè, *purificat* egregiè *uterum* & *menses provocat*, it. in *Epilepsia*, per consensum Uteri aborta in specie, valde commendari solet: in Rotulis etiam & pulveribus *pectoralibus* pro *facilitanda expectoratione* solet præscribi. SESELI CRETICUM, quod ex Insula Candia adfertur, easdem obtinet vires cum Massiliotico. Cæterum noto, quod omnia ex Candia advecta remedia ob climatis constitutionem sint potentiora reliquis & operosiora, penetrantiora & volatiliora. Unde etiam hic Seseli officinali & Massiliotico meritò præfertur Creticum, cum in usu conspirent. Et quod dixi Climatis constitutionem ad plantarum præstantiam quid conferre, probat etiam dictamnus creticus, de quo nullus tantas exserit virtutes, quantas exserit, qui ex Italia adfertur.

CCCXXIV. SIDERITIS.

Σιδηρῖτις, Sideritis 1. *Fuchs. Cord. in D.* vulgaris *Cam. in Matth.* 2. *Clus. hist.* 4. *Lon.* Sid. Heraclea, *Cord. hist Tab.* Sideritis seu ferruminatrix, *Lob.* Sid. vulgaris hirsuta erecta, C. B. 4. Arab. Tetrahit, Sidrichis. German. *Glied Kraut.* De la Siderite.

N. Matthiolus Marrubiastrum pro Sideritide Dioscoridis habet, cui contrariatur Tabern.

Crescit locis apricis montanis sabulosis: floret, Majo.

OFFICIN. NAT.

Herba, sed rarò.
Vires. Absterg. astring vulneraria est intus & extra adhiberi apta. Usus præcip. in herniis.
N. Adhibetur itidem in morbis incantatione introductis.

Sigillum Salomonis

Vide Polygonatum.

SIDERITIS, Solet referri inter *vulneraria*, est autem rarioris usus: Externè valdoperè commendatur ad *abstergendas sordes cutis*, & *aperiendos* ejusdem *poros*, Vid. *HOEFERI Hercul. med. p.* 267. ubi habet historiam *morbi infantilis* curati pre herbam hanc.

CCCXXV. SILIQUA.

Κεράτια. Siliqua edulis, C. B. 1. Siliqua, *Matth. Cord. in D. Lon. Cast. Cam.* Ceratonia, *Dod.* Cerata vel Siliqua, *Matth. Cord. in D. Lon. Cast. Cam.* Ceratonia, *Dod.* Cerata vel Siliqua, *Lob. Tab. Ger. Clus. hist.* Sil. dulcis, Carub & Carnub vocata, *Alpin.* Xylocerata, quasi cornua lignea, German. *Johanns-Brodt.* Carouglier, de Carouges.

Crescunt in Regno Neapolitano, tùm in Insula Creta & Syria.

OFFICIN. NAT.

Fructus (scil. siliquæ,) cujus succus melligineus in usum solùm venit.
Vires. Siccat & astringit. Usus præcip. in ardore stomachi, tussi, &c. alias concoctu est difficilis.

PRÆPARATA.

[*Syrupus de siliquis, Diacodion alias.*]

SILIQUA. Eaque CERATA, arbor est exotica, quæ in Italia crescit in tractu Neapolitano, adferuntur ergo hæ siliquæ ex Italia, cum apud nos non proveniat, quæ satis satisque se commendant dulcedine gustus: Usurpantur vel in substantia, vel ex iis elicitus succus: In substantia contra *sodam* imprimis seu *ardorem stomachi*, uti etiam contra *stranguriam*: acidum enim, quod hos affectus producit effervescendo in stomacho, corrodendo in vesica, absumit, & dum hoc siliquam corrodit, amittit acrimoniam & acredinem, sicque affectus dicti curantur. Succus Melligineus prodest in *stomachi* & *pectoris affectibus*: demulcet enim acrimoniam humorum, simulque lympham tenuem inspissando, expectorationi eandem reddit aptam. Hic succus etiam interdum prostat in officinis, dum spontè transsudat per saccos, in quibus adservantur siliquæ, estque conveniens in *contumace Tussi*: si non prostat talis, recipiatur aq. nymphææ, & mediante hac ex siliquis coctione eliciatur succus, qui propinetur tanquam ECLEGMA quod sensim sensimque deglutiatur. Secretum fuit D. *SANCTORII* in *Tussi contumaci* & *inveterata*.

CCCXXVI. SINAPI.

Σίνηπι, νᾶπυ, Arab. Cardel, *Se ff.* De la moustarde.

Sinapi { Hortense { rapifolio: *Hujus semen purpureum & usuale potissimum.* / apii folio: *Hujus semen rubescens & minus usuale.* } / Sylvestre, &c. }

Dicitur Sinapi, *Cast. Matth.* Sinapi htorense, *Cord. in D. Lon.* sativum prius, *Dod.* Sin. sat. Erucæ aut rapi folio, *Lob. Tab.* seu album, *Cam.* C. B. 1.

OFFICIN. NAT.

Semen.
Vires. Calfac. & sicc. 4. incidit, atten. attrah. rubificat. Usus præcip. in appetitu excitando, chylificatione promovenda: in affectibus hypochondriacis ac quartana ex mucilagine tartarea, item in quotidiana [ante paroxysmum, Dos. ℈j. exhibita] in calculo: caput purgat. Extrinsecus in sinapismis, in arcendo caro, [naribus inditum vel in sinapismo adhibitum] tumores maturos aperit, sternutationem movet.

PRÆPARATA.

Oleum. Ex semine expressum.
Vires. Nervorum affectibus frigidis confert.

SINAPI Planta satis cognita, imprimis ratione SEMINIS, quod solum est officinale & magnam alit confinitatem cum Eruca, de qua superius, ubi etiam quædam de sinapi, data occasione, dicta sunt. Quoad electionem est notandum, quod sit eligendum pro usu HORTENSE, idque imprimis, quod est seminis aliquo modo *lutei* seu *flavi*. Habemus enim sinapi semine flavo, luteo & albo: semen luteum tantum est in usu, quod ratione saporis satis monstrat, quod abundet sale. vol. acri, ex quo facilè hariolari possumus, ad quos affectus conveniat: Primo, ut ordine procedamus, ad *stomachum confortandum*, ejusque *apepsiam* & *cruditatem acidam corrigendam*, quæ est, quando chylus non abit in salsum succum, sed massam viscidam ac crassam, est excellens sinapi: quando sal acidum fixum corrigit, & stomachi fermentum volatisat, exaltat, ut felicius possit in cibos coquendos agere. Notum est, quod unà cum cibis difficilis coctionis, quales sunt carnes induratæ, Haleces indurati, &c. [die Bictlinge] in quibus omnibus est acidum fixum, pro condimento apponatur sinapi, vel cum musto vel aceto subactum: Fit enim, quando semen contusum permiscetur cum musto recenti, & sensim sensimque inspissatur in consistentiam, quam obtinet: quidam addunt tantillum aceti nec incongruo consilio: Tale condimentum est salinum volatile, quod attenuat & incidit alimenta crassa, & incisa, cum abundet sale volat. acri, corrigit, & dum ambo fermentantur, in salsum succum seu chylum acido salinum convertit, sicque meritò *appetitum acuit*, & *alimentorum digestionem promovet*. Propterea apud Gallos, uti etiam apud quosdam Latinos vocatur MUSTARDA, quasi mustum ardens, quoniam habet saporem acrem & quasi ardentem, & paratum est ex musto & sinapi: De his & aliis pluribus vid. *SEBIZIUS in absol. Tract. de alimentorum facultat. p.* 464. Post has cruditates correctas valdoperè convenit præterea in *stomachi statu præternaturali*, vitiis & inde ortis malis: in *malo hypochondriaco*, quatenus hoc radicem figit in stomacho, valdoperè convenit, dum acrimoniâ suâ salinâ acidum corrigit & temperat: præterea quoque *crassas mucilagines* & *venereos succos incidit*, *attenuat* & *resolvit* & ita causam mali hypochondriaci potenter removet. Præterea quoque cum ex acido per fermentationem fiant *flatus*, ordinarium & primarium mali hypocondriaci symptoma, illud ab acrimonia salina sinapi correctum imbecille evadit, quo minus possit in flatus abire. Ulterius si malum hypochondriacum splenem occupet, verbi gratia in *tumore*, in *scirrho*, *inflatione* & *obstructione splenis*, semen sinapi interno & externo usu est commendatissimum. De usu interno res facilis est intellectu. In usu externo prædecessorem habemus *BARTHOLET.* in

Tr.

Tr. de respirat. p. 431. qui in *lienis infarctu*, & in *lienis* ferè *induratione* summo cum fructu utitur externè sinapismo humido ex semine sinapi & urin. quæ duo contusa applicat regioni lienis instar cataplasmatis vel Emplastri: sic enim sal vol. sinapi, maritatum cum sale vol. Vrinæ, *penetrat* potenter *infarctus lienis*, corrigit & acidum temperat. Quod dixi de malo hypochondriaco, intelligendum quoque est de *Cachexiis*, imprimis *virginum* cum *mensium obstructionibus* conjunctis, in quibus est egregium sinapi: Excessivus gradus mali hypochondriaci est *Scorbutus*, de quo scorbuto superius dixi sub Eruca quædam, quod cum illa sinapi sit egregium in illo remedium: unde nautæ navigaturi secum portant semen sinapi, quo partim præservant, partim curant scorbutum in longis navigationibus obvium, & dedi simul formulam pulveris scorbutici, tempore hyberno, in defectu plantarum antiscorbuticarum, in officinis Galenicis parandi. In *febri quartana* egregium remedium est semen sinapi interius adhibitum, quod plura præstat quam omnia decocta Melanagoga seu melancholiam præparantia. In *affectibus soporosis* nulli cedit remedio sinapi, imprimis in *præservanda apoplexia*, in qua multum facit tam præservanda, quàm curanda. In præservanda, si senes singulis mane pugillum unum seminis assumant, vel solum, vel in convenienti vehiculo jejuno stomacho: quâ ratione assumtum semen sinapi non minus convenit in *vertigine*, item in *Catarrhis*, &c. Præservat egregiè, & potest fieri compositio præservativa, ex succino albo præparato, misto cum semine Erucæ & sinapi, quod multis erit conveniens remedium: In *suffocatione Vterina* non minus egregium est, quam in *malo hypochondriaco*, cum sit tantummodo species quædam mali hypochondriaci: Adhæc in reliquis *affectibus soporosis* præter apoplexiam, in specie in *catarrhis* convenit sinapi, tam interno quàm externo usu, de usu interno res facilis: Externè si semen sinapi contusum cum aqua betonicæ vel Lavendulæ instar cataplasmatis applicetur capiti, item in eodem *Lethargo* conveniet, si pedes fricentur cum aceto in quo decoctum fuit semen sinapi, quod similiter naribus est indendum contra *Lethargum*, & similes *affectus soporosos*. Externo usu formula quædam habet nomen & appellationem habet à sinapi, & vocatur SINAPISMUS: quod est, quando applicatur remedium sub formâ cataplasmatis rubificantis, & ferè in pustulas elevantis cuticulam: Habemus enim rubificantia, pustulas excitantia, vesicatoria & Caustica. Formula posset esse talis

℞. *Seminis Sinapi*
Stercoris columbini ana ℥ß.
piperis ʒß.
picis & Terebinthinæ q. s.

F. l. a. Cataplasma seu Malagma rubificans. Operatur imprimis ratione salis volatilis Sinapi & armoniacalis stercoris columbini, potenter penetrando cutem, attenuando, resolvendo, & in liquamen album mutando, sanguinem pustulasque faciendo, de quo modo operandi postmodum.

CCCXXVII. SISARUM.

Σίσαρον, Sisar, siser, *Brunsf. Matth. Cord. in D. Lon. Cam.* sativum, *Fuchs.* Sisarum *Trag.* (& Rapunculus hortensis,) *Dod. Lob. Tab. Ger.* Sisarum Germanorum, C.B.1. Germ. *Gierlein*, *Gorlin*, *Klingel Rubelein*, *Zuckervvurtz.* Du chervy ou Siser.

Colitur in hortis, solo gaudet pingui.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Calf. 1. saporis subamari, subastring. ventriculo convenit, appetitum excitat, diuretica ac lithontriptica est, benè nutrit, facilè concoquitur, specifica antidotus censetur mercurii vivi.

N. Est usus potiùs culinaris, quàm officinalis.

[*Conditur tamen interdum radix secaculi seu sisari.*]

SISARVM. Radix ejus est alba, & saporis dulcis instar sacchari, rarò præscribitur in Officinis, utut virtute *Diuretica* & *Lithontriptica* à quibusdam commendatur. *AVCTOR* dicit, quod censeatur specifica *antidotus mercurii vivi*: quod an verum sit nescio: Potius in mercurio vivo quacunque ratione assumto expertum est decoctum *HOECHSTETERI*, quo vel haustus vel unguento attractus elicitur, quod per incidentiam addere libet, formula est talis:

℞. *rad. Enulæ Campanæ* ℥ij.
fœniculi ℥iß.

Coquantur in aqua. Communi lib. ijß. ad consumptionem tertiæ partis.

F. decoct. pro quatuor dosib.

Quo poto semper expectetur sudor: & sic expellitur mercurius ex corpore, certa experientia *HOECHSTETTERI* & aliorum, imprimis si simul in ore detineatur nummus aureus, qui extractus apparebit albus: promptè enim accurrit ad aurum mercurius & illud inargentat: quod videre possumus, quando in unâ oris parte detinemus mercurium in altera aurum & sic mercurius extrahitur, in quacunque corporis parte lateat. Sic in *Cephalalgia*, quæ facta est à mercurio *in luis venereæ curatione*, aurum in ore detinetur, & extrahitur mercurius. Unde in decocto illo usurpando meritò nummus aureus detinetur in ore. Aliàs, quod rectè dicit *AVCTOR*, potius est culinare sisarum quam officinale.

CCCXXVIII. SOLANVM.

Στρύχνος, Solatrum, *Nachtschatten*, *Sau-Kraut.* de la Morelle.

Solani varia occurrunt genera, quorum alia baccifera sunt, alia pomifera. Verum officinis quod usitatius Solani titulo, est solanum officinarum, C.B.1. Solatrum, *Brunsf.* vulgare, *Trag.* Solanum, *Lon.* hortense, *Matth. Fuchs. Dod. Lob. Cam. Ger.* sativum, *Tab.* Solanum nigrum, *Cord. in D.*

Crescit juxta sepes ac vias: floret æstate integra.

OFFICIN. NAT.

Herba, bacca.

Vires Refrig. 1. reliquis temperatæ sunt, astring. repellunt. Usus præcip. externè in Erysipel. in dolore capitis, in æstu febrili mitigando (capiti ac pedibus applicatæ) in parotidibus.

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. Ex herba cum floribus.

N. Sunt qui ante biennium exhibere vetant.

SOLANVM. Sativum seu vulgare, quod ubique locorum crescit: Superius locuti sumus de solani speciebus in genere, ubi de *Datura.* Hoc est *hortense*, quod habet baccas nigras: Hoc ipsum refertur inter *refrigerantia*, & aqua DESTILLATA applicatur externè *capiti dolenti* in Epithematis, *in febribus ardentibus* & similibus affectibus. Interim uti omnes Solani species, ita & hæc suspecta est *Narcoseos*, alia tamen minus, alia plus. Nam planta est experta in cancro *tam occulto* seu *nondum exulcerato*, quàm *exulcerato*, quem non quidem perfectè & absolutè curat, sed palliativè tantum. Vnde semper unguenta & cataplasmata contra cancros solet ingredi SVCCUS SOLANI, ex quo succo cum aliis solet fieri unguentum in mortario plumbeo. Nam notum est, quod plumbum conveniat in cancris. Vnde quando fiunt in mortario plumbeo unguenta, per agitationem

nem corroditur & abraditur aliquid de plumbo, sicque fiunt grysea contra cancros & *exulcerationes*. Aqua vel SUCCUS *solani* contra *cancrum exulceratum* conducit applicatus. *GESNERUS lib.1. Epist. pag* 34 mentionem facit solani, quod nos vocamus SOLANUM MANIACUM seu *Melanocerasum*, & habet fructus instar cerasorum, quod ipsum etiam vocatur SOLANUM SYLVATICUM. De hujus fructibus refert, quod succus eorum expressus, & ad Syrupi consistentiam cum pauco saccharo redactus sit conveniens & efficax medicamentum, si cochlearis parvi mensura assumatur, *somnum inferat*, *quascunque fluxiones sistat* & *dolores tollat*, & idem in *Dysenteria* curanda propter vim Narcoticam divinum dicitur; Deinde si RADICIS de hoc solano *particula* ad ʒß. in haustu vini propinetur, (infunditur radix ad ʒß. in vinum) & hoc vinum infusionis si adhibeatur horâ dimidia ante cœnam, omnis ex hoc appetitus amittitur, ut nihil omninò possit assumi. Hunc ipsum autem possumus recuperare, si postea assumatur acetum vel succus Limonum; quo facto statim fiet, ut edere & bibere possit æger. Benè notanda, curari optimè narcoticorum virulentiam per acida, sicut hoc ipsum etiam *GESNERUS* tanquam secretum quoddam nemini revelandum suadet. Est planta vulgaris, ab auctore neglecta, quæ vocatur

SOPHIA CHIRURGORUM, seu SERIPIUM GERMANICUM.

Est planta, quam maximi facit *PARACELSUS* in scriptis, & eidem multas adscribit virtutes, quas tamen ceu secretas reticet: Per experientiam notum est, quod egregia sit *vulneraria*, & imprimis interno usu in quibuscunque *fluxibus sanguineis alvi*, in *Dysenteria* & *fluxu hepatico*: in his multum confert, sive decoctum per Clysteres infundatur, sive potetur, sive sub Essentiæ vel alia forma propinetur: de hac herba etiam refert *GESNERUS lib*.3. *Epist. pag* 118. quod vocetur à *THEOPHRASTO* CONSOLIDA MEDIA, gulden Kinsel: hoc tamen observetur, ne fiat confusio hujus cum virga aurea, quæ κατ' ἐξοχὴν vocatur gulden Kinsel, & quod in vino calefacta, partique cuidam corporis superimposita, venas & vasa sanguinea, utcumque minima & latentia sub cute, ad superficiem trahere soleat, ut commodè scalpello incidi & aperiri queant: item quod in *sanguine concreto* & *congrumato in partibus subcutaneis effuso* sit egregia, quam & *resolvat*, & foras ad superficiem educat.

CCCXXVIII. SORBUS.

Οὔη, οὖη, Sorbus, *Sperber-Baum*. Cormier.

Sorbus est C. B. { sativa. *Hac officinalis.* / sylvestris.

Insignitur Sorbus, *Brunsf. Trag. Dod. Cord. in D. Lon. Tab. Ger.* Sorb. Domestica, *Matth. Lob. Cast.* Sorbum ovatum, *Fuchs.* Sorbus legitima, *Clus. hist.* esculenta, *Cam.*

Crescit in hortis: maturos fert fructus Autumno.

OFFICIN. NAT.

Fructus, (Sorbum, Speyerling.)

Vires. Refrig. & sicc. astring. Usus præcip. in fluxionibus alvi, uteri, &c. Extrinsecus adstringit vulnera (fructus pulverisatus.)

N. Sorba colliguntur potissimùm immatura, exsiccanturque tùm in aëre, tùm in clibano: siccata pulverisantur pro usu medico, pauci enim sunt nutrimenti.

PRÆPARATA.

1. *Condit. Fructus* cum melle.
[2. *Diasorbis ad diarrhœas.*]

SORBUS. Quæ cum multiplex sit, ea quæ crescit in sylvis & habet fructus rubros, est in usu. Folia in similitudine & effectu respondent foliis Sumach seu Rhus; fructus exsiccatus imprimis immaturus convenit cum fructu acaciæ sylvestris, cum æque *potenter adstringat*, *constipet* & *coagulet*: unde in quibuscunque *alvi*, *uteri*, *aliarumque partium fluxibus* est egregius, cum *potenter soleat adstringere*, idque eò magis, si FRUCTUS colligantur IMMATURI, tali enim modo collecti *potentius adstringunt*, quàm ubi maturuerint: id quod de omnibus ejusmodi fructibus immaturis verum est. In *stomachi ardore* seu *soda* iidem fructus exsiccati valdè commendantur.

CCCXXXIX. SPICA.

Est { Spica mas. / Spica fœmina. Lavendula.

Non discrepant nisi magnitudine, quæ tàm flor. quàm foliorum in spica major est, in Lavendula minor: odor itidem spicæ gravior est, Lavendulæ gratior, ideoque promiscuè usurpari possunt.

Mas insignitur Lavendula latifolia, C.B.1. Spicanardi Germanica, *Trag.* Nardus Italica, *Matth. Lob.* Germanica, *Lon.* Lavandula, *Dod.* major, *Cord.* Pseudonardus, *Matth. Cast.* mas, *Fuchs.* at *in icon.* fœmina. Lavendula latioribus foliis, 1.*Cam.*2. longiore folio, *Clus.* *Lavendel.* Lavande grande.

Fœmina dicitur Lavendula angustifolia, C.B.2. Lavendula, *Trag. Matth.* vulgaris, *Cord. in D.* minor, *Cord. hist.* Pseudonardus fœmina, *Matth. Fuchs.* (at *in icon.* mas) Lavendula, *Lob.* spica nardi, *Cam.* breviore folio, & spica, *Clus.* Germ. *Spicanard.*

Colitur utraque in hortis, nobisque vulgatior est spica fœmina: Floret Junio ac Julio.

OFFICIN. NAT.

Flores utriusque.

Vires. Calfac. & sicc. 3. (prævalet tamen spica) saporis subacris ac subamari, partium tenuium, cephalica est ac nervina. Usus præcip. in catarrhis, paralysi, spasmo, vertigine, lethargo, tremore artuum. In urina, mensibus ac fœtu pellendo (unde & parturientibus exhiberi solet) in torminibus ventris flatulentis. Extrinsecus in lixiviis, capitis ac artuum affectibus, in Masticatoriis [pro catarrho exsiccando ac revellendo ad palatum] ne ad pulmones defluat.

N. Odore suo fugat pediculos.

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* Flor. Lavendulæ.
2. *Confect.* Florum.
3. *Aqu. stillat.* Ex floribus irrigatis sc. vel vino vel aquâ.
4. *Spiritus in paralysi lingua maxima virtutis.*
5. *Ol. spica stillat.* cum aqu. ascendit.

N. Asportatur ad nos sat copiosè ex Provincia Galliæ regione, ubi copiosè crescit: uteri motus ac dolores compescit umbilico illitum.

SPICA. Ejusque congener species aliàs vocatur LAVENDULA, utut sint planè distinctæ species, tamen ratione formæ externæ conveniant. LAVENDULA dicitur *fœmina*, SPICA autem *mas*, quæ non præscribitur in officinas, sed saltim Lavendula, v.gr. ℞. Aqu. Lavendulæ: nunquam spicæ. Spica est odoris admodum grati, Lavendula ingrati. Vocatur aliàs PSEUDONARDUS, ad differentiam veri, de qua postmodum, quem verum nardum similitudine quodammodo repræsentat. Hæc ipsa spica, & imprimis flores tam spicæ quàm Lavendulæ, imprimis sunt *Cephalicum*, & sapore & odore testantur vim suam

aromaticam

aromaticam subtilem satis & penetrantem, fundatam in sale volat. oleoso: *Capitis & nervorum affectibus* imprimis conducit. Unde etiam in *apoplexia & paralysi*, item in *catarrhis* usus est magni. In *catarrhis & morbis catarrhalibus*, sunt maximè experta ex Lavendula parata remedia: non minus quàm in *confortanda memoria*, in quâ multum commendari solent. In ore detenta & masticata multum commendatur spica à FREITAGIO ad *inhibendos catarrhos, faucium affectus*, quoniam instar masticatorii subtilis lympham derivat in os per ductus salivales, ut possit excerni. *ZACUT. LUSIT. lib. 5. Med. princip. Hist. 57.* multus est in explicanda Lavendulæ facultate ceu *utilissimi stomachici*: Nota est muliercculis vis Lavendulæ spicæ *uterina*, qua simul *roborat uterum*, & *fœtum* & *menses pellit*: ad *hæmorrhagias*, imprimis quidem *uteri & narium*, specificè adhibet pulverem spicæ nardi ad ʒj. in aqua plantaginis *RIVERIUS*, qui valde commendat hanc spicam nardi in *hæmorrhagia narium* ad ʒj. adhibitam in aqu. dictæ plantaginis, vel succo portulacæ similibusve simplicibus. In officinis prostat imprimis aqua FLOR. LAVENDULÆ STILLATITIA, eaque legitimè præparata multum commendatur ad *amissam loquelam*, in qua commodè permiscetur cum sp. cerasorum nigrorum, addita quinta. Essentia *MATTHIOLI*, vel aliquot guttis olei destillati anisi vel olei Caryophyllorum, uti & olei destillati succini, quæ olea destillata multum commendantur in *paralysi linguæ*. CONSERVA est *Cephalica*: CONFECTIONES itidem. Denique oleum spicæ destillatum, quod ex Brabantia adfertur, in *paralysi linguæ* est egregium, uti etiam externè cum oleo lumbricorum terrestrium in *Spasmo* & similibus affectibus. In *mensibus pellendis* externè regioni pubis inungi solet, uti etiam in *expellendo fœtu*. Contra *pediculos Capitis* vel solum, vel cum aliis mistum est mirabile, quod non tantum *SCHENCK. lib. 4. obs. de Testibus*, sed & *SENNERTUS lib. 3 prax. part. 9. sect. 2. cap. 1. pap 946.* commendat contra *pediculos in partibus genitalibus*: Nam ad *fugandos pediculos sub axillis*, & in *partibus genitalibus* sunt, qui se illinunt unguentis mercurialibus, sed hi fiunt inepti ad venerem, & observatum est quendam fuisse correptum febri ardenti ex tali inunctione: oleum contra spicæ inungitur regioni pubis absque læsione facultatis genitalis. *THONERUS in obs. p. 322.* pediculos capitis fugavit numero magno præsentes, dum capiti oblinivit ole. spicæ, vitta contegit, & per noctem reliquit, matutino tempore cum lixivio decoctionis spicæ lavare jussit caput, quo abluto pediculi mortui deciderunt. *Pediculos enecat*, quod omnes testantur: unde cum unguento pediculari, vel oleo Nicotianæ posset misceri pro meliori inunctione.

CCCXXX. SPICA CELTICA.

Nardum Celticum, *Matth. Cord. hist. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.* Nardum Celticum Dioscorid. C. B. 4. Nardus alpina seu celtica, *Clus.* aliis Romana Galatica, Saliunca, Germ. *Celtischer Narden.* Du Nard Celtique, Aspic, &c.

Crescit in Liguria, in Carinthia, in Syria, in alpibus Tyrolis, &c.

OFFICIN. NAT.

Radicula, cum adnatis, colligenda Julio & Augusto.

Eligenda recens jucundi odoris, radiculis numerosis cohærens, non fragilis, & plena.

Vires. Calfac. & sicc. viriumque earundem est cum spica Indica, sed imbecilliorum, majore tamen cum utilitate adhibetur in urina cienda, ventriculo corroborando, flatibus discutiendis. Extrinsecus additur malagmatis, unguentisque calefacientibus.

SPICA CELTICA. Seu NARDUS VERA, Planta exotica est, crescens in Italia, Liguria & tractibus Genuensibus, aromatica est & fragrans. Sed observetur, quod hæc planta rara sit in officinis. Aromatica est & fragans, pretiosa & cara venditur, & propterea rarò adhibetur nisi in confectione Theriacali. Singulare est *Carminativum & Uterinum.*

CCCXXXI. SPICA INDICA.

Nardus, *Cord. in D. Lob.* Nardus Indica, *Matth. Cord. hist. Lon. Cast. Ger.* Nardus seu Spica Indica, spica nardi officin. C. B. 1. Arab. stumel, *Indianisch Spicanarden.* Du Nard d'Inde.

Radix est officinalis ex India Alexandriam, atque inde Venetias in Germaniam transportata. Dicitur autem spica, quòd spicæ similitudinem habeat.

N. Est & Nardus spuria Narbonensis, ut & Nardus montana, valerianæ non absimilis; verùm officinis nostratibus peregrinæ.

Eligenda recens, levis, longam comam habens, spicam verò brevem, colore flavo, aliquantulum redolens Cyperum, sapore amaro ac linguam attrahente, quæ diu in suâ odoris gratia permanet.

N. Madefacta dolosè vendi solet, quæ fraus deprehenditur, quòd spica sit candida, squalida, nulloque pulvere obsita, filisve lanæ instar crinita.

Vires. Calfac. 1. sicc. 2. atten. astring. nephritica & stomachica est. *Usus* præcip. in urina ac mensibus ciendis, in ventriculi erosione, inflatione, in Ictero, &. Extrinsecus in lixiviis cephalicis, balneis uterinis, &c.

PRÆPARATA.

1. *Ol. Nardinum simplex.* Fit ex coctione in ol. communi, vino ac aqua.
2. *Ol. Nardinum compos.* Fit ut simplex, additis nonnullis aromatibus.

SPICA INDICA, seu NARDUS INDICA. Quæ ex Indiis orientalibus adfertur per Asiam, quæ similiter est cara & rara, utut, uti quamplurimæ plantæ Indicæ, sit elegans. *Stomachica* est & *Uterina*, ut & *nephritica*, sicuti reliqua omnia aromata. Ipsa per se raro adhibetur, nisi quod ad usum vocatur oleum NARDINUM *simplex*, de quo vid. *AUCTOR*, & *compositum*, in *affectibus nervorum*, *Spasmo*, *Paralysi* & similibus, cum oleo Laurino & similibus, compositum imprimis valdè solet commendari.

CCCXXXII. SPINACHIA.

Spinachia, (Spinacia,) *Brunsf. Fuchs. Dod. Tab. Lon. Cast. Matthiol. Lob. Ger.* mas, *Cam.* vulgaris, *Trag.* Lapathum hortense seu Spinachia semine spinoso, C. B. 2. German. *Binetsch, Spinet.* Des Espinardes.

Colitur in hortis: floret utplurimùm Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Folia, seu herba. *Potissimùm culinaris est.*

Vires. Refrig. & hum. 1. utilis cibus in omnibus morbis, laxat alvum, lenit asperitatem pulmonum. Extrinsecus refrigerat ventriculum ac Epar (imposita.)

N. Continuus usus ejus melancholicum generat sanguinem.

SPINACHIA. Aliàs Spinachia nobilis: Planta quæ colitur in hortis, & adfertur pro usu culinari, utut non nimis exulare debeat ex officinis, quoniam est ex *emollientibus* & *moderatè refrigerantibus*, quoad folia. Deinde *laxat alvum moderatè* (non purgat) eamque fluidam reddit. Temperatè est frigida, sal vol. nimis oleosum corrigit, & tempore æstivo valdè est conveniens nutrimentum.

CCCXXXIII. STAPHISAGRIA.

Staphisagria, *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Lob. Cast. Cam.* Herba pedicularis, *Cord. in D.* Arab. Alberas, *Lausz-Kraut, Speichel-Kraut, Biszmuntz, Mauszund Ratten-seller.*

Herbe aux poulx, aux poüilleux.

Crescit in Apulia, Calabria, Dalmatia, Istria.

N.Crescit & apud nos species quædam, verùm minùs illa usitata est.

OFFICIN. NAT.

Semen triquetrum & asperum.

Vires. Internus usus purgatorius est, sed rarus. Extrinsecus ejus usus est apophlegmatisans in masticatoriis, gargaris. odontalgicis (cum acet.) ac abstergentibus, in ulceribus ac papulis, &c. Adhibetur & in phthiriasi.

STAPHISAGRIA. Apud nos est exotica, imprimis in Italia crescit in copia, cultura tamen apud nos in hortis provenit. Vocatur HERBA PEDICULARIS propter vim, quam habet SEMEN in *enecandis pediculis.* Vocatur in officinis TRIQVETRVM, Das Buckeltorn, propter formam triangularem. Hoc semen contusum vel solum, vel cum butyro recenti inungitur capiti pro *fugandis pediculis*, & mirum est, quod quando hoc sentiunt, in fugam omnes se recipiunt, aliàs ab hoc unguento quotquot attinguntur, interficiuntur, monente *HORSTIO*, qui dicit in *Dispensat. lib.1. cap.7.* quod sicut Staphis-agria vi incognita pediculos, ita Conyza *pulices enecat.* Internè à Veteribus usurpatum fuit pro *laxatione & purgatione*, qui tamen usus apud modernos exolevit. Rari aliàs est usus apud modernos, & non multum adhibetur. Sequitur.

CCCXXXIV. STOECHAS.

Στοιχὰς. Stœchas, *Trag. Matth. Lob. Lon. Cast.* (Stichas) *Fuchs. Dod.* Stich. Arabica. *Cord. in hist. Cam.* St. brevioribus ligulis, *Clus. hist.* St. purpurea, C.B.1. Arab. Astochodas. *Komischer, Vvelscher, frembder Kummel oder Thymian, Stechas Kraut.* Du stechas.

Crescit copiosè in Insulis Galliæ quæ Stœchades dicuntur, optima tamen censetur Arabica (unde ad compositiones recipere monent Arabicam.) Huic succedit Cretica.

OFFICIN. NAT.

Flores seu potius spicæ compressæ, inter florum ac seminum proventum collectæ.

Eligendæ spicæ recentes odoratæ & subamaræ, & si haberi possint Arabicæ.

Vires. Calfac.2.& sicc.2. absterg. atten. aperit. Vsus præcip. in affectibus capitis & nervorum, scil. in vertigine, Apoplexia, Paralysi, Lethargo: In morbis pectoris itidem præstat quod Hyssopus: insuper urinam & menses ciet, venenis resistit, affectibus hypochondriacis succurrit. Extrinsecus in lotionibus capitis, suffitu, &c.

PRÆPARATA.

1. *Syr. de Sthœchade simplex.* V.D.
2. *Syr. de Stœchad. Compos.* V.D.
3. *Syr. de Stœchad. Fernelij.* V.D.

STOECAS ARABICA. Deinde etiam CITRINA, Arabica est planta non vulgaris, nec magna, cum in Arabia felici & in Brabantia, Provincia Galliæ, circa montem Vesuvium proveniat, quæ tamen Stœchas posterior non æquat vires Arabicæ. Odoris est pergrati, & est aroma singulare, quâ de re specificè *capiti convenit*, & multi est usus in *medicamentis Cephalicis.* Hinc etiam valdè convenit in *Vteri affectibus.* Unde & medicamenta *uterina* cum aliis solet ingredi flos sive parva spica. Ingrediens est quoque Theriacæ, seu compositionis Theriacalis *ANDROMACHI.* Præterea est instar hyssopi in *affectibus pectoris*: In *Tussi*, *asthmate* & similibus commendari solet, quoniam partes crassas incidit, & vi aromatica instar croci *partes læsas roborat*, uti & *partes nervinas.* In lotionibus pedum & capitis, pro *corroborandis generibus nervorum*, solet adhiberi: Pro *mensibus ciendis* solet infundi potui, ut vis emmenagoga communicetur potui. Quod dictum de Stœchade simplici, intelligendum quoque venit de ejus SYRUPO, tam SIMPLICI quam *composito.*

CCCXXXV. STOECHAS CITRINA.

Ἑλίχρυσον, Elichrysum seu Stœchas citrina angustifolia, C.B.4. Stœch. citrina, *Matth. Gesn. Dod. Cast. Tab.* Amaranthus luteus, *Fuchs. Lon.* Coma aurea, *Lob.* aliis Tinearia (quòd tineas abigat.) Germ. *Rhein-Blumen, Motten-Kraut.* Herbe aux teignes.

Crescit locis aridis & sabulosis, & in convallibus frequens juxta Rhenum: floret Junio.

OFFICIN NAT.

Flores.

Vires. Calfac. & sicc. incid. aperiunt, diaphoretici ac vulnerarij sunt. Usus præcip. in obstructione urinæ, Epatis, Lienis, mensium: coagulatum sanguinem resolvunt, catarrhos exsiccant, menses nimis fluentes siccando sistunt, lumbricos fugant: commendantur & in primis ad exsicandas defluxiones acres Pulmonum, &c. Extrinsecus faciunt ad emolliendam uteri duritiem (in balneo) lendes abigunt (in lixivio capitis) defluxiones siccant & discutiunt (suffitu) &c.

N. Sunt qui amuleti loco de collo suspendunt, lumbricosque ventris eo fugari volunt. Dn. D. Arnold. VVeichard. in thesauro pharmaceutico.

STOECHAS CITRINA. Apud nos provenit in hortis, estque species quædam quasi agrimoniarum, adeoque quoad vires internas flos ejus accedit similiter ad vires floris agrimoniæ, *Hepatica* est, id est in corrigenda Massa sanguinea & alteranda ac restituenda ejus fermentatione legitimâ convenit, quod alias dicitur, quod sit Hepatica. *Vrinam ciet*, & *renes abstergit*, eorumque materiam crassam ac *sabulum attenuatum expellit. Lumbricos enecat.* Denique in lotionibus Capitis adhibita *pediculos fugare* creditur.

CCCXXXVI. SUCCISA.

Succisa, *Matth. Fuchs. Dod. Cast.* glabra, C.B.1. Jacæa nigra, *Brunsf.* Morsus Diaboli, *Trag. Lob. Lon. Tab.* Germ. *Abbisz, Teuffels-Abbisz.* Mors du Diable.

Crescit passim in campestribus, pratis ac juxta arva: floret Julio, Augusto, Septemb.

OFFICIN. NAT.

Radix, Flores, nonnumquam & *Folia.*

Vires. Calf. & sicc.2. amara, alexipharmaca ac vulneraria est, ut scabiosa, cum qua & reliquis facultatibus convenit. In primis celebratur in Epilepsia, Peste, uteri dolore, sanguine coagulato, abscessibus occultis, lue venerea, ejusque ulceribus, in vulneribus recentibus, &c. Extrinsecus in angina, tumoribus tonsillar. diuturnioribus, qui ad suppurationem ægrè perveniunt (gargaris.) in suggillationibus, bubonibus, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex integra planta (cum rad. & flor.) collecta in fine Julii.

Sumach, vid. Rhus.

SUCCISA. Quæ aliàs vocatur communiter etiam MORSUS DIABOLI, & propterea hoc nominis obtinuit, quoniam radix semper ex unâ parte videtur mutila: Unde dicunt diabolum invidere hanc radicem integram, propter vires egregias, quas habet, generi humano: Multi est usus sive RADIX, sive FOLIA, sive FLORES usurpentur: Imprimis RADIX refertur inter *alexipharmaca*, & *in ciendo sudore* ad ʒj. multum commendatur. Deinde est *Vulneraria*, & interno & externo usu valde commendari solet, siquidem virtutibus convenit cum scabiosa. Vid. *AVCTOR.* Quæ etiam est congener species: *vulneraria* est, & *in sanguine coagulato* multum prodest:

prodest: In *angina* & *faucium tumoribus*, uti etiam in *ulceribus faucium*, qui ad suppurationem veniunt, egregia est succisa: Et in his affectibus elegans est Gargarisma, quod habet *TABERNÆMONTANUS* ex herba succisæ, scabiosæ & Betonicæ: recepit succisæ partes ij. & scabiosæ ac betonicæ partem j. decoquit, & in decocto colato dissolvit Rob dianucum & Diamoron ana ℥iß. albi græci pulverisati ʒß. Nam album græcum est singulare specificum in suppurandis & discutiendis tumoribus, & in inflammationibus faucium, atque excellens vulnerarium. Loco hujus decocti possunt assumi aquæ succissæ ℥vi. scabiosæ & betonicæ ℥iij. ana, & dissolvi in illis dicta rob. ad ℥iß. ana. In *ulceribus malignis* valdè solet commendari succisa, non minus etiam quàm scabiosa: imprimis succus harum expressus in *bubonibus* & *carbunculis suppuratis*: item in aliis *ulceribus malignis* multum commendatur: Quantum *vulnerarium* est, tantum & *alexipharmacum*, unde facilè possumus colligere, ad quos usus etiam aliàs conveniat.

CCCXXXVII. SYMPHYTUM.

Symphytum.
- Officin. *hujus loci.*
- Majus tuberosâ radice.
- Minus tuberosâ radice.
- Minus, borraginis specie.
- Maculosum, *vide Pulmonaria.*
- Petræum, *minus usuale.*

(Majus tuberosâ radice … Petræum: *Minus usualia.*)

Insignitur consolida major, *Brunsfels. Trag. Cam. Ger.* symphytum, *Lon.* majus, *Matthiol. Cord. hist. Cam. Cast. Tab.* magnum, *Fuchs. Dod.* alterum, *Cord. in D.* Symphytum Alum & Alus, *Lob.* Consolida vulgò, Solidago, Germ *Vuall-Vuurtz, Schvvartz-Vuurtz, Schmeer-Vuurtz, Beinvvell.*

Crescit in pratis, & hortis, gaudet loco humido: Floret Maio ac Junio, floresque fert purpureos vel albos: illud marem vocant, hoc fœminam, quæ hoc tractu vulgarior crescit.

OFFICIN. NAT.

Radix, Folia, Flores.

Vires. Caliditate temperatum est, sicc. 2. vulnerarium est è præcipuis celeberrimum, mucilaginosum, incrassans, acrimoniâque humorum abundans, imò & incidens, adeoque partium mixtarum. Usus præcipui in fluxionibus quibuscunque, imprimis alvi; in Erosione Pulmonum ac phthisi, in herniis, ruptis venis, fractis ossibus, &c [Succus Lethargicis convenire dicitur, ad ℥ii. exhibitus.] Extrinsecus vulnerum sanguinem sistit, fracturas ossium ac vulnera consolidat. [Bubonibus & carbunculis apposita conquassata profuit in peste. H]

PRÆPARATA.

1. Aqu Ex herba cum radice.
2. *Conserv.* Ex floribus.
3. *Condita Radix.* V. Renodæum.
4. *Syrup. de Symphyto.* V. D
5. *Extract. Symphyti.* ℞. mucilaginem radicis coctæ inspissatam. Extrahe cum spirit. ac abstrahe.
6. *Extractum sanguineum. Sanguis.* ℞. Rad. recent. symph. maj. & min. conquassa in formam pultis. Hinc adde panis 4 p. (scil. secalini vel triticei) M. ac irriga cum vino generoso, inde phialæ vitreæ occlusæ cerâ Hispanicâ, digere aliquamdiu in fimo vel VB. Hinc exprime, digere, fæcesque subsidentes separa, reliquum inspissa. Vide Quercetan. Pharmac.
   Vires. Præstat ad hernias & ulcera omnia.
   Dosis ℈j. *ad dies plusculos.*
7. *Ole. stillat.* Ex radice siccâ per Retortam elicitur.
   N. *Oleum* hoc ut perpaucum elicitur, ita viribus pretiosum est, in herniis curandis intus & extra adhibitum.

SYMPHYTUM MAJUS. Seu quod vocant *officinale*; Hujus utut variæ sint species, omnibus tamen præfertur commune flore rubro seu purpureo, & utut multæ plantæ vocentur symphyta, hæc κατ' ἐξοχὴν tamen dicitur symphytum seu CONSOLIDA MAJOR: cujus radix pro usu medico colligenda est mense Martio & Aprili, & quidem in plenilunio, quo est tempus balsamicum, & ejus vires in maximâ deprehenduntur exaltatione, ut vocant. Usum quod attinet symphyti majoris, *vulnerarium* est ab omnibus maximè decantatum, usu pariter interno & externo. Internè imprimis sub forma ESSENTIÆ, vel EXTRACTI, vel SYRUPI adhibetur, quorum præparationem subministrat *AUCTOR* in Catalogo præparationum. In decoctis non potest assumi, quoniam illa reddit mucilaginosa, quæ mucilago illa ingrata reddit assumpta: sed obtinet usum sub formis dictis. Nec in infusione commodè potest adhiberi. Refert enim *HÆCHSTETERUS Dec. 3. cas. 5.* quod cuidam rustico, qui assumsit potum vini, cui infusa fuit radix symphyti, guttur faucesque omnino fuerint adstrictæ & quasi conglutinatæ, ut nihil potuerit deglutire: qui tamen curatus fuit per acetum, quod mucilaginosam vim incidit & abstersit: Facit etiam mentionem in eadem *Decad. 3. cas. 5 in Scholio*, quod cocta radix symphyti in balneo efficiat, ut virgo licet deflorata possit pro virgine haberi. In decocto, ut dico, & infuso non commodè usurpatur, optimè verò in Essentia, vel Extracto, vel Syrupo. Sic paratur SYRUPUS à *FERNELIO*, qui dicitur SYRUPUS DE SYMPHYTO *FERNELII*, & permiscetur *potionibus* & *mistur is vulnerariis*, item in *contusionibus* & *fracturis*, similibusve, ubi opus est auxiliis Chirurgicis in vulneribus externis: sicuti hinc etiam commendatum in *vulneribus internis* est remedium, & præ aliis in *Ulcere pulmonum*: pro cujus glutinatione usus istius commendatur valdoperè. *ZUUOLFERUS in pharmacop. reg. edit. ultim. pag. 234.* subministrat modum, quo debeat coqui symphytum, ut possit assumi, qui potest videri ab iis, qui gaudent & delectantur decoctis Galenicis. Externè convenit in usu *vulnerario*, & in *morbis per contusionem*, *incisionem* & *puncturam*: sicuti dixi ubi de sigillo Salomonis, quod sit singularis in *contusionibus*, *suffusionibus* & *ecchymomatis*: sic contra *suffusiones* ex symphyti part. 2. & sigilli Salomonis part. 1. paratur cataplasma vel unguentum: contra easdem *contusiones* & *suffusiones* elegans est hoc CATAPLASMA, ex basi symphyt. cujus hæc compositio.

℞. *Rad. Symphyti maj. & minoris ana* ℥iij.
Chamomill. melilot. ana ℥j.
Croci ℈j.
Farinæ fabarum ℥ij.
farinæ fœnigræci ℥j.

Coquantur ex aqu. & quidem primo radices, decocto add.
absynthii & cumini ana ʒß.

F. l. a. Cataplasma, egregium ad *contusiones*. Præterea in *vulneribus conglutinandis* & curandis præsentaneum remedium est Symphitum. Dicunt namque, quod ollæ intrusum, in qua coquuntur frusta carnis, à mucilagine symphyti conglutinentur, ut fiant quasi unum frustum, quare extrinsecus applicatum mirum quantum *consolidat vulnera*, eaque ad sanitatem perducit. In *fracturis* nil melius est symphyto, si scilicet extrinsecus applicetur loco fracto cataplasma, factum ex symphyto contuso permisto cum pulvere Osteocollæ, vel etiam si fiat tale cataplasma ex symphyto majore, & ex Geranio rubro seu sanguineo, vel si loco symphyti crudi assumatur Extractum symphyti, & permistum cum pulvere osteocollæ similiter applicetur in *fracturis*, hic enim mira præstat. MUCILAGO, quæ elicitur ex tota planta, externè solet applicari *Herniis*

niis quibuscunque, tam *umbilicalibus*, quàm *scrotalibus*, quarum *rupturas conglutinat*, & consolidat testante *ZVVELFERO Pharmacop. reg. edit. ult. pag.* 237 & 312. Hæc mucilago symphyti non incongruè etiam permiscetur cum Emplastris, vel unguentis vulnerariis. Tale prostat in Chirurgia *BARBETTE p.*218. Ubi habet Emplastrum vel unguentum, quod vocat FACTORUM propter usum egregium vulnerarium, cujus hæc est compositio:

℞. *Ole. rosarum* ℥xij. *Cerussæ*,
mucaginis rad. consolid. ana ℥vi.
Ceræ albæ ℥iv.
Lithargyrii aurei, *Minii*,
Lapidis Calaminaris ana ℥iij.

M. fiat secundum artem unguentum. Ulterius hoc symphytum mirum prodest in *vulneribus*, imprimis *nervorum*, *articulorum* & *tendinum*, quæ præ reliquis omnibus sunt periculosissima, & difficillima curatu: quoniam facilè degenerant in ulcera sordida, & hinc abeunt in gangrænam. In his, si in vulnere læsus sit nervus, sunt dolores ferè intolerabiles, unà cum tumore partis insigni, & color sublividus. In tali casu recipiunt EXTRACTUM SYMPHYTI *majoris*, vel mucilaginem symphyti hujus, & applicant toti loco affecto, & sic in continenti tumor cessat & dolor evanescit. Similem effectum habere dicuntur folia betonicæ contusa: si scilicet quis punctim læsus, & nervus fuerit affectus, & inflammatio cum dolore horrendo invaserint. Quod si verò symphytum non habeatur recens, ut non possit parari extractum vel mucilago, solum recipitur radix, pulverisatur, & applicatur cum vino calido, sub forma cataplasmatis vel unguenti, & statim exinde talia gravia symptomata curabuntur. Præter vim quam habet consolidativam symphytum, in specie convenit, quod *impediat sanguinis cursum* vel motum, *nimiasque hæmorrhagias* in vulneribus recentibus. Præparata, quæ habet *AUCTOR*, satis sunt clara, adque eadem conveniunt, ad quæ ipsum simplex crudè & nudè usurpatum.

T.

CCCXXXVIII. TAMARISCUS.

TAmariscus C.B. est:
1. Germanic. *Hic usualis.*
2. Gallicus.
3. Ægyptiacus.

Dicitur Tamariscus, *Brunsf. Lon.* fœmina, *Cord. hist.* Myrica, *Trag. Clus.* sylvestris seu Tamaryx, *Matth. Cast. Dod. Tab.* Tamaryx sylvest. fœmina, *Fuchs.* Tam. humilis, *Cord. in D.* Myr. sylv. altera, *Clus. hist.* Myr. altera in Germania, *Cam.* Tam fruticosa folio crassiore, C.B. al. Murica, Arab. Tarsa, *Tamariscen-Holtz*. Tamarisc.

Frutex est arborescens, similis Sabinæ, in tantam excrescens magnitudinem, ut doliola inde fiant mensur. 1. capientia, quæ vulgaria sunt nostratibus.

Nascitur juxta Rhenum & Danubium, tum quoque secus paludes, solo gaudet saxoso.

OEFICIN. NAT.

Lignum, Radix, Cortex, (qui maximè usualis est, in primis radici detractus.)

Vires. Cortex calfac. & sicc. 2. (lignum ad frigiditat. inclinat,) atten. aper. absterg. subastring. diureticus est ac spleneticus. Usus præcip. in obstructione ac tumore Lienis (quem absumere scribit Dioscorid.) in morbis ab atra bile ac sero oriundis, ut scabie, pruritu, in Ictero nigro, profluvio albo mulierum, &c. extrinsecus in primis in tinea capitis, & obstruct. mensium (insessu.)

PRÆPARATA.

1. *Extract.* è corticibus fit l.a. cum Spir. Vin. vel aqu. v. gr. flor. genistæ, scolopendriæ, & sim. Quercetan. Pharm. Rest.
2. *Sal.* Ex incinerato ligno, l.a.

TAMARISCUS. Arbor apud nos exotica, quæ tamen frequens est satis in Climatibus calidioribus, imprimis in Italia, ubi frequens visitur in hortis. Ab aliis vocatur MYRICA seu MYRIX. Præprimis in usum venit CORTEX, & quidem *radicis Tamarisci*, qui imprimis est medicinalis, & commendatur maximè in *affectibus splenis*, in quibus eadem præstat, quæ superius dixi de Fraxini Cortice. Unde conjunctim utplurimum præscribuntur, *deficiens officium lienis restaurant*: Præterea *incidunt* & *resolvunt mucilaginem crassam* ac *viscidam infarcientem lienem*, ex quâ infarctione solent oriri inflammationes viscerum, & dolores tensivi gravativi & flatus. Propterea sunt, qui dicunt, quod si bibatur ex vase ex ligno Tamarisci confecto, non tantum præserventur, sed etiam curentur *affectus lienis*. Ex cortice & ligno incinerato prostat in officinis sal. FIXUM, quod est *egregium spleneticum*, & permisceri solet cum pulveribus aperientibus & digerentibus in affectibus *spleneticis*, & similibus aliis morbis: Ingreditur etiam Pilulas spleneticas quorundam auctorum. Præter virtutes spleneticas imprimis CORTEX TAMARISCI est celebris in cura *catarrhorum*, & similium affectuum catarrhosorum dolentium: imprimis ex acido ortorum: si recipiatur cortex ligni & radicis fraxini ad ℥vi. quæ coquantur in Mensuris vi. aqua simplicis ad dimidias, quod decoctum vel solum potum, vel cum vino permistum commendatur multum ad *affectus catarrhosos*, item contra *Podagram*; contra *hydropem*, in quibus omnibus maximè conducit, hoc observato, ut alvus semper sit aperta. Easdem aliàs vires obtinet, quas fraxinus, adeo ut ea, quæ de illa dicta sunt, de hoc quoque dici queant. Modo excipio vim vulnerariam & sympatheticam.

CCCXXXIX. TANACETUM.

TAnacetum C.B.:
- Odoratum.
  1. vulgare luteum. *Hoc usuale.*
  2. foliis crispis.
  3. minus, album.
  4. alpinum.
- Inodorum Flore
  - minore.
  - majore.

Dicitur Tanacetum, Matricariæ 2. species & parthenium, *Brunsfels.* Tanacetum vulgare, *Trag.* Tanacetum, *Matth. Lon. Dod.* Artemisia tenuifolia, *Fuchs.* Ambrosia quibusdam, *Cord. in D.* Tanacetum millefolii foliis, *Lon.* Athanasia seu Tanacetum, *Cast.* Artemisia, *Dioscor. Tab.* Græcè Ἀρτεμισια λεπτόφυλλος, Athanasia, Tanasia, Germanicè *Reinfarn*, *Vvurm-Kraut*. Athanasie, ou Tanacet.

Nascitur locis arenosis incultis: floret Junio & Julio.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus, *Semen*.

Vires. Calfac. & sicc. incid. discut. vulnerarium, uterinum & nephriticum est. Vsus præcip. in lumbricis, torminibus ventris, calculo, impuritateque Renum ac Vesicæ, mensibus obstructis, flatibus, hydrope, &c. Extrinsecus iisdem affectibus adhiberi potest, lavando, cataplassando, &c.

PRÆPARATA.

1. *Aqu stillat.* Ex tota planta florente.
2. *Conserva florum.*
3. *Ole. stillat.* quod rarò prostat.
4. Sal.

TANACETUM. Est planta vulgaris, quæ crescit in locis cultioribus propè rivos. Intelligitur hic ODORATUM: nam datur etiam INODORUM, sed

sed hoc non usurpatur. ATHANASIA à quibusdam vocari solet, & sic interdum invenitur in præscriptionibus, à Germanis vocatur Brumfraut, propter virtutes, quas obtinet *pellendo Lumbricos*, si scil. vel SEMEN vel aqua ex planta destillata assumatur, valdè *pellere* dicitur *vermes*. Idem non tantum ad *vermes intestinorum*, sed etiam ad *vermes præcordiorum* solet commendari Tanacetum, affirmante *SENNERTO lib.2. prax. p.393.* Paratur etiam oleum ex Tanaceto, quod extrinsecus inunctum convenit in *pellendis lumbricis*, imprimis quando simul adsunt *dolores* ac *tormina intestinorum*. Tanacetum obtinet ferè odorem matricariæ, ad cujus species etiam vulgo solet referri, & tribuuntur ipsi eædem vires, quæ matricariæ, utut sæpius soleat usurpari matricaria. Aqua DESTILLATA Tanaceti contra *vermes*, prodest, ut dixi, & in specie contra *Tormina abdominis & ventriculi*. Præscribi etiam potest in *affectibus Uterinis*, non sine fructu.

TAXUS.

Nota arbor, quæ non solet esse officinalis, quoniam potius est deleterium, narcoticarum & noxiarum virium, quam salubrium, & quidem sub Taxo morantes fiunt somnolenti & stupidi, captoque somno gravia habent insomnia, unde fit, ut Taxo injecta in aqua in qua stabulantur pisces, illi reddantur stupidi, & quasi semi mortui, ut ad superiora natent, & manibus capi queant: quæ aqu. Taxi pota similem corpori nostro potest inferre noxam lethalem: videre de Taxo possumus *SCHOTTUM in Iocoseriis artis & naturæ*, qui fuit Jesuita Herbipolensis.

CCCXL. TARAXACUM.

Dens Leonis, *Brunsf. Matth. Dod. Lob.* (corona, & caput Monachi,) *Tab. Ger.* Hieracium majus, *Trag.* parvum, *Cord. in D.* Hedipnos major, *Fuchs.* Taraxacon minus, *Lon.* Dens Leonis latiori folio, C.B.1. German. Pfaffen-Blat, Munchs Kopff. Chicorée sauvage, Dent de Lion ou pissenliet.

Habetur & major & media, quæ vulgatior est, folio acutiore, aliquando obtuso.

Crescit in herbosis locis: Floret Aprili, Maio.

OFFICIN. NAT.

Radix, Folia.

Vires. Refrig. & sicc.2. saporis amari, absterg. aperit, Epaticum est, cum Endivia conveniens, quâ tamen potentiùs operatur. Usus præcip. in febrib. putrid. inveteratis, &c. Extrinsecus maculas abigit oculorum (lac ex disrupto caule, ter quotidie oculis inditum,) vulnera ac ulcera abstergit, &c.

N. Radix amuleticè curare dicitur affectus oculorum, peculiari tamen modo, ut volunt, collecta. Nimirum, sunt qui introrsum per fossam subtus factam evellunt. Sunt qui quoquo modo effossam in novem secant frusta, novemque diebus de collo suspendunt. Alii integram radicem adhibent. Idem Amuletum & tertianam fugare dicitur.

PRÆPARATA.

Aqu. stillat. Ex planta cum radice, foliis ac floribus collecta initio Maii.

Thapsus barbatus.
Vide
Verbascum.

TARAXACUM. Quod vulgariter ubique prostat: alio nomine vocatur DENS LEONIS, flos est luteus & folia incisa. Impragnatum hoc est lacte albicante, eoque satis acri & gustus peramari, & constat sale volatili satis quidem acri, sed non adeò fortiter penetrante: Nam est etiam alcalibus sua respublica, quando unum est penetrantius altero, acrius & temperantius altero, &c. Inter plantas Epaticas seu eas, quæ Mass. sanguineæ dyscrasiam corrigunt & emendant, valdè commendatur, unde est, quod in *febribus intermittentibus* quibuscunque sit adeò egregium simplex: dum quocunque modo assumtum ante paroxysmum, illas solet per *sudorem* curare. In *intermittentibus* tam *recentioribus*, quam *inveteratis & chronicis* convenit infusum vel in vino & expressum, vel decoctum potum: sic enim certo *febres pellit*. Præterea mira præstat in curanda *pleuritide* SUCCUS EX TARAXACO recenter expressus: qualia exempla habet *BARBETTE in praxi & etiam in Chirurgia*, qui hac potiuncula *pleuriticos* aliquot periculosè decumbentes curavit: cujus hæc compositio:

℞. *succi Taraxaci depurati* ℥iß.
Aqu. plantaginis ℥ij.
Card. benedict. scabiosæ,
Syrup. papav. errat. ana ℥j.
Oculorum cancrorum præparatorum ʒß.

Misc. Cujus misturæ patiens singulis semihoris aliquot cochlearia hauriat. Vid. *prax. BARBETTI: p. m.* 32. & 35. uti etiam in ejusdem *Chirurgia p.*60. Hic ipse auctor eundem succum Taraxaci commendat similiter in aliis *partium internarum inflammationibus* cum *febribus acutis conjunctis*: & certè & ipse in his casibus succum hunc mira præstare arbitror. Nam obiter moneo, quod istæ *febres ardentes*, quæ conjunctæ sunt cum inflammationibus partium internarum: ut *pleuritis* cum inflammatione pleuræ & pulmonum, *nephritis* cum inflammatione renum, sicut & istæ febres, quas sequitur inflammatio viscerum imprimis stomachi, item tumores Erysipelacei, &c. sint curandi eâ methodo, quæ adhiberi solet in curatione pleuritidis: Unde idem succus erit egregius in similibus affectibus. Externo usu convenit valde Taraxacum in *affectibus oculorum*: sic lac expressum & cum aqua fœniculi dilutum convenit in *abigendis maculis, nebulis & albuginibus oculorum*: idque non tantummodo si in substantia sua applicetur: sed etiam instar amuleti multum ipsi tribuitur. Refert mirum *SCHMUCK in Cur. Magnet. Magic. pag.*12. quod contra *ungues oculorum*, contra *albuginem*, *nebulas & maculas oculorum*, valdoperè commendetur radix appensa istius plantæ, ipse tamen nesciens qualis sit hæc planta, putat esse Taraxacum dictum: quod appensum primitus inducat dolorem compressivum, obtusum & gravativum, post hunc sentiant quasi contorsionem oculorum ægri, & his peractis affectus curetur. Externè succus alcali acri & abstersivo impraegnatus convenit in *mundificandis ulceribus & detergendo* eorum *pure*, quâ facta detersione, ipsa ulcera à natura vel spontè consolidari solent. Aqua DESTILLATA Taraxaci servit loco vehiculi aliis medicamentis in *pleuritide*, *febribus intermittentibus*, & similibus affectibus.

CCCXLI. THLASPI.

Bauren-Senff. Senevé sauvage. Genera varia sunt, eaque promiscuè usualia. Præferuntur tamen arvensia.

Nomen Thlaspi Botanicis ferè omnibus vulgare est.

Nascitur in locis incultis, saxosis, apricis, parietibus ac tectis. Floret Maio, maturescit Junio.

OFFICIN. NAT.

Semen & Herba.

Vires. Calfac. & sicc. 4. abstergit. Usus præcip. in internis abscessibus rumpendis, mensibus ciendis, Ischiaticis affectibus curandis. Extrinsecus abstergit ulcera quæcunque manantia, insuperque ptarmicum est, sed minùs vulgare.

N. Gravidis, quia fœtum necat, infensum censetur.

THLASPI, Cujus variæ sunt species: Et quidem in genere omnes plantæ, quæ habent bursulas sive majores, sive minores, generali nomine *Thlaspia* vocantur, adeo ut sinapi & Bruca, imprimis acri sapore prædita, ad Thlaspium genera referantur: nec per Thlaspi hic una certa, & determinata planta indigitatur, sed intelliguntur omnia Thlaspia, quæ in locis campestribus inveniuntur, quoniam omnia assimilantur Erucæ sal. vol. acri ac fortiter penetrante, quo simile est sal. vol. acri vel Erucæ vel sinapi, Unde hoc semen Thlaspi, utut in officinis valdè sit neglectum, eodem modo potest usurpari atque semen sinapi & Erucæ, dum facultates suas debet sali vol. acri abstersivo & penetranti fortiter, unde potest intelligi *AUCTOR*, & etiam plurima huc possunt referri, quæ dicta sunt de Eruca & sinapi. A veteribus incognita, à modernis verò demum in usum redacta est.

THEE.

HErba *Thee* Iaponibus dicitur T'chia, Chinensibus *Thee*, cujus notitiam (verba sunt *Tulpij* pa. 400. obser. medic. l. 4.) ab illis, qui cum sūmo imperio illic præfuere, mihi cōmunicata me quidem lubens posteritati tradā Sunt itaque huic herbæ ut folia oblonga, acuminata & in ambitu crenata; sic radices fibrosæ ac in minimas particulas dispersæ: crescitque non tantum in China, ac Iaponia, verùm etiam in Chiam, at eo discrimine, quod Chinensis folia sint ex nigro viridia, Japonensis verò colore dilutiore ac sapore gratiore: unde quoque fit, quod Iaponensium T'chia longè pluris etiam æstimetur quàm Chinensium The; veneatque non rarò una ipsius libra centum argenti libris.

Quippe creditur hic passim nihil hac herba salubrius, cum ad vitam in extremam senectutem protogandam, tum ad impedienda quæcumque sanitatis incommoda: neque ipsam solùm corpora reddere vegeta, atque arcere calculi dolores quibus illic neminem dicunt obnoxium, verùm etiam tollere dolorem capitis, gravedinem, lippitudinem, destillationem, spiritus difficultatem, ventriculi imbecillitatem, intestinorum tormina, lassitudinem ac somnum, quém tam evidenter compescit, ut sorbitionem hujus decocti assumentes, videas interdum integras noctes lucubrando consumere ac sine ulla molestia evincere inexpugnabilem cæteroquin dormiendi necessitatem, calefacit enim modicè, & astringendo ventriculi osculum, refrenat coërcetque usque eò vaporum ad somnum conciliandum necessariorum ascensum, ut nihil impedimenti offeratur illis, qui scribendo aut meditando satagunt noctem transigere.

Videtur autem hæc planta non longè cognita fuisse Chinensibus, neque admodum diu in usu, desunt enim ipsis avita, quibus eam designent, nomina, sive hieroglyphici illi charecteres, (quales fermè sunt omnes Chinensium literæ) quibus exprimant ipsius naturam. Differuntque etiam inter se haud parum discrepantes hæ nationes circa utendi rationem: permiscentibus Iaponibus pulverem hujus plantæ in lapide Ophitide contritum aquæ calidæ; Chinēsibus verò ipsam plantam cum paucis salis sacchari ve granis ex liquore aliquo decoquentibus quod decoctū deinde calefactū officiosissimè propinant cùm convivis invitatis, tùm quibuscunque honoris causa ipsos salutatū venientibus, idque ea animorum inclinatione, ut Principes etiam viri non detrectent, quin potiùs honori ducant, suis manibus hanc herbam vel amicis decoquere, vel alioquin ei miscendæ temperandæve operam suam impendere, extructis propterea in palatiorum suorum interioribus, conclavibus, ac foculis ex pretiosissimis lapidibus lignisve isti operi speciatim dicatis. in quibus etiam curiosè asservantur ollæ, tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaque perpolita hujus culinæ instrumenta, quæ aliquot aureorum millibus redempta, ac sericis integumentis involuta intimis solummodo amicis ostendunt, neque minori habent loco, quàm apud nos adamantes, gemmas, ac baccata summi pretij monilia, uti videre est apud *Ioannem Maffæum* rerum indicarū lib 6. & 12. & *Ludovicum Almeydam* select. epist. lib. 4. & *Petrum Iarricum* tom. 2. lib. 2. cap. 17. & *Matthæum Riccium* de Christian. exped. apud *Sinas* lib. 1. cap. 7. *Aloïsium Frois* in relat. Japonic. *Iacobum Bontium* dialog. 7. Medic. Ind. *Ioannem Linscotum* cap. 26. *quibus addendus Tulpio* ignotus adhuc, *Nicolaus Trigaucius* tr. de regno Chin. c. 3. pag. 34. *Alexander de Rhodes* in Gallico tractatu de China, pag. 25. *Olearius* in Pers. Itiner. pag. 599. *Mandesloh* cap. 11. pag 42. *Bernh. Varenius* c. 23. pag. 161. Neuhof. pag 37. & 438.

Vires infus. herbæ Thee tres potissimùm enumerantur, quod caput levet & servet à somno immune, vaporesque reprimat, ventriculum roboret, renesque calculo & arenis purget. Clarissimus *Simon Paulli* hanc herbam *Thee* putat esse Myrtum Brabanticam, Dodonei Chamœleagnum, Germanis *Post* dictum.

THEE HERBA. De hac ipsa utpote modernis tantum cognitâ, nihil est in *AUCTORE*, in appendice autem hoc anno edito aliquid requiritur. Est planta habens folia instar Myrti, provenit in insulis Japonensibus, & in tractu regni Chinensis, ubi auctores valde laudant DECOCTUM hujus herbæ, & imprimis foliorum, ad quamplurimas ægritudines. Præprimis decoctum hoc aliquantisper saccharo edulcoratum convenit in *affectibus stomachi*, quem *mirificè roborat*, & *apepsias*, *cruditates* & similia vitia valdopere *corrigit*. Unde etiam rarum est apud tales auctores, ut laborent *malo hypochondriaco*, & aliis vitiis ex stomacho tanquam fonte oriundis. Præterea nobilissimum est *nephriticum* & *podagricum*. Unde qui hanc herbam in potu assumunt, *calculis* & *sabulo*, infestantibus renes & vesicam, non sunt obnoxij: dum partim exturbat, partim absumit acidum in primis viis: ratione posterioris etiam præservat à *Podagra*, ut Japonenses & Chinenses aut rarò nunquam soleant infestari à Podagra. In specie celebre est *Cephalicum*, & in *arcendis soporibus* ac *vertigine* valdè laudata, cum præterea imprimis sit *memoria confortativum*: Unde decocto hoc qui utuntur, aliquot dies & noctes insomnes ducere possunt sine lassitudine & sine labe ingenij: hoc enim egregiè acuit: Id quod innotuit mercatoribus Italis & Belgis, qui quando diu incumbere volunt scriptioni literarum in domo Germanica Venetiis, præmuniunt se decocto hujus herbæ Thee, quo assumto, possunt per aliquot noctes absque delassatione exarare literas. *Memoriam & cerebrum confortat*, *somnum arcet*, *vertigini* quoque & *stomachi affectibus medetur*. Qui plura de hoc cupit, potest videre *VVORMIUM in Museo pag. 165. TULPIUM in obs. lib. 4. cap. ult LINSCHOTTEN. in cap. 26. ejusdem Itinerarij BORELLUM ib. lib. 3. ob* 29 & denique *MOELLENBROCK de variis p. 117.* uti etiam *MANDELSLOH* in *Itinerario Orientali* ab *OLEARIO* edito.

CCCXLII. TEUCRIUM.

TEucrium, *Fuchs. Cord. in D. Lon. Lob. Cast.* Teucrium, 1. *Tab.* & C. B. 2. *Matth.* chamædrys 2. seu assurgens. *Dod.* Teucrum vulgare fruticans seu 1. *Clus. hist.* Teucr. latifolium, *Ger.* German. *grosz Bathengel*, haute Germandreé.

Crescit locis herbosis asperis, aridis, apricis: Floret Aprili, Majo.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus, vel & herba antequam flores eruperint collecta.

Vires. Calfac. & sicc. 2. Epatica est, saporis amari, viribus omninò convenit cum chamædry.

TEUCRIUM. Istudque verum, imprimis magnum seu latifolium. Hæc planta, uti rectè dicitur ab *AUCTORE*, convenit in viribus cum Chamædry, unde promiscuè possunt usurpari, rarioris usus solet esse Teucrium, & frequentius præscribitur Chamædrys, utut in usu vulnerario illud præferendum sit huic. Aliàs quoad internos usus *Hepaticum*, seu ad Massæ sanguineæ dyscrasiam corrigendam, & *arthriticos dolores compescendos*, eadem est cum Chamædry.

CCCXLIII. THYMUS.

Thymus C. B. { 1. Vulgaris, folio tenuiore. *Hic usualis.* 2. Vulgaris, folio latiore. 3. Capitatus. 4. Inodorus.

Dicitur Thymus, *Brunsfels. Trag. Matth. Fuchs. Cord. hist. Lon.* Thymus durior, *Cam.* nostras, *Cord. in D.* Serpillum hortense, *Dod.* aliàs Thymum. Arab. Hasce, Germ. *Romischer, Vvelscher Quendel, Thymian*, du Thym.

Crescit nostratibus in hortis: floret Julio.

OFFICIN. NAT.

Herba seu *Folia & Semen.*

Vires. Calfac. & sicc. 3. saporis subacris, atten. incidit, discutit. Usus præcip. in affectibus Tartareis. 1. Pulmonum, ut asthmate, tussi. 2. Artuum, ut podagra; omnia viscera reserat, appetitum excitat. Extrinsecus in tumoribus frigidis, sugillationibus, inflationibus ventris, doloribus arthriticis.

PRÆPARATA.

1. Aq. Ex herba cum floribus.
2. *Spiritus.*
3. *Oleum stillat.*

THYMUS. Imprimis *Creticus*, cujus odor aromaticus prodit naturam quasi aromaticam: Imprægnatus est sal. vol. oleoso temperato: Unde non immerito inter *Cephalia* refertur, cujus affectus potentissimè curat: Præterea quoque *flatulentias intestinorum* Carminativa virtute *discutit.* Unde solet esse unum ex principalioribus ingredientibus pediluviorum, capitis & Uteri gratia institutorum, in quibus valdè convenit: In *affectibus articulorum arthriticis & paralyticis*, externo usu planta est satis celebris. Reliqua quæ habet *AUCTOR*, per se constant. *PETRUS IOANNES FABER lib. 2. Myroth. spagyr. cap.* 33. parat elegantem V. ESSENTIAM Thymi, quam ad quamplurimos affectus commendat, quæ videri potest citato loco.

CCCXLIV. THIMIAMA.

Thymiama (*officinis* corruptè Thymiana, vel Thuris cortex, vel Thus Judæorum, quòd Judæi in suffumigiis frequenter eo utantur) corticosum quid est ex India allatum. Videatur Styrax rubra, *Bellon.* Nascaphtum, *Cord. hist.* Storax rubra officinatum, C. B. 3.

Vires. Constrictionibus vulvæ ex suffitu prodest. Odoris jucundi gratiâ suffimentis immiscetur. Vide Thuris cortex, Class. 2.

N. Sunt & qui Ammoniacum electum, thymiama appellitant.

THYMIAMA. Potius esset referenda ad alterantia secundaria: Est cortex quidam instar Thuris corticis, affertur ex Asia, odoriferus, & nullius alius est usus, nisi in *suffimentis*, tam pro *correctione affectuum pulmonum*, quam in iis, qui adhibentur pro *correctione aeris maligni & pestilentialis.* Aliàs nullius est usus, & quoniam est pretiosus, semper cum fructu illi substituitur Thus vel cortex Thuris.

CCCXLV. TILIA.

Tilia, *Leinden-Baum*, Tillet. { Mas est sterilis. *Hæc nobis inusitata.* Fæmina, flores ac semen proferens.

Dicitur Tilia fœmina, *Brunsfels. Matth. Fuchs. Lob. Tab.* Tilia, *Lon. Dod.* sativa, *Trag.* Phyllirea, *Cast.* Tilia fœmina fol. Maiori, C. B. 5.

N. Est & folio minori Tilia sylvestris, *Trag.* quæ priori per omnia similis, nisi quod sit minor & nigrior.

OFFICIN. NAT.

Flores, Folia, Cortex, Semen, Lignum, Viscum.

Vires. Flores calf. & sicc. partium tenuium sunt, discutiunt. cephalici sunt. Usus præcip. in Ephilepsia, Apoplexia, Vertigine.

Folia ac *Cortex* siccant, repellunt, urinam ac menses cient [decocto Corticis in vino Cachecticam feliciter usam recordor.] Extrinsecus ambustis subveniunt (mucilago scil. extracta ac inuncta.)

Semen dysenteriæ & fluxionibus quibuscunque medetur, etiam hæmorrhagiæ narium, (naribus scil. inditum.)

Lignum in titiones aceti aspersione redactum, sanguinem coagulatum fortiter resolvit.

Extrinsecus adhibentur folia in aphthis ac tumoribus pedum discutiendis: corticis mucilago in ambustis ac vulneribus magni est solaminis.

N. Humor defluens è medulla dissectæ tiliæ capillorum defluvio succurrit.

Viscum tiliaceum *Lindenmistel.* du Visc, glu, ou guy de Tilliet, ad motus convulsivos epileticos utile censetur.

PRÆPARATA.

Aq. stillat. Ex floribus.
2. *Spiritus.*
3. *Conserv.* Ex floribus.

TILIA. Quæ arbor, imprimis fæmina, floribus & fructu onusta est usitata. Tota Tilia quanta est *Cephalica* est, & miræ laudis in *affectibus Epilepticis*: Sic contra *Epilepsiam* valdè conferre dicitur nuda aqua DESTILLATA *ex floribus*: per fermentationem elicitur SPIRITUS ardens & elegans, qui spir. valdè commendatur ad *vertiginem*, ad *convulsiones Epylepticas*, & similes affectus ex uno ferè fonte promanantes. Aliàs flores Tiliæ etiam in nodulis & potionibus Cephalicis solent præscribi. VISCUS TILIACEUS similiter atque viscus Corylinus in *Epilepsia* commendatur, & ex hoc æque ac ex illo parari potest SPIRITUS contra *Epilepsiam.* Unde quidam contendunt pro assumptione medicamentorum Epilepticorum factum cochlear ex ligno Tiliaceo. MUCILAGO est egregia, uti habet *AUCTOR* in *ambustis*, quod etiam verum est Et FUNGUS quidem Tiliæ vel in infuso, vel pulvere valdè commendatur à mulo-Medicis in *morbis pecudum*, uti hoc refert *SCHMUCK, Thesaur.* 2 *secreto Phys.* 10. Juxta hos usus Cephalicos, in quibus singulariter commendatur, Decoctum foliorum Tiliæ prodest ad *dolorem Tenesmi*, quando volumus exonerare alvum, sed irritò conatu, si scil. instar fomenti cum linteis duplicatis applicetur ano, quoniam idem dejiciendi cupidinem stringit & alvum, ac reprimit molestum dejiciendi conatum. SPIRITUS FLORUM TILIÆ elegans præbet menstruum pro parandis Extractis aut Essentia *Cephalicis in Apoplexia Epilepsia, & vertiginosis ac similibus affectibus curandis.*

CCCXLVI. TORMENTILLA.

Tormentilla C. B. { 1. Sylvestris. *Hæc usualis.* 2. Alpina. { majori folio, sericeo.

Appellatur Tormentilla *Brunsf. Matth. Dod. Cord. Lon. Lob. Cast. Tab.* (cui consolida rubra,) *Ger.* Heptaphyllum, *Fuchs.* German. *Tormentill, Heil Vvurtz, BlatVvurtz, roth Guntzel, roth Heil Vvurtz, Rubr-Vvurtz.* Tormentille.

N. Sunt qui χρυσόγονον *Dioscor. esse velint.*

Crescit passim in herbosis ac arenosis locis: florere incipit Majo.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Siccat 3. sine insigni caliditate, astringit, vulneraria, diaphoretica ac alexipharmaca est. Usus præcip. in peste, morbisque cæteris malignis, in primis si cum fluxu alvi conjuncti sint, in catarrhis exsiccandis, in lue venerea, in veneno hausto, in vulneribus. Summatim non est vegetabile,

tabile, quod in fluxionibus quibuscunque (alvi, uteri,) usitatius sit, quàm hæc tormentillæ radix. Extrinsecus iisdem adhibetur variis in affectibus, in vomitu, vulneribus, & sim.

PRÆPARATA.

1. Aq. still'at. Ex herba tota cum floribus collectis Majo.
2. Extractum radicum.

Tribulus Aquaticus:
Vide Appendicem.

TORMENTILLA. Planta satis cognita, quæ est species quæ quinque foliorum, caule ut & radice rubris. Nam certum est, quod Tormentilla sit una ex plantis *adstringentibus* celeberrimis, quæ tota quanta quanta est *adstrictoria* est, & propterea in *quibuscunque fluxibus* nimiis conveniet. DECOCTUM vel EXTRACTUM rad. Tormẽtillæ est celebre *Dysentericum*, in *fluxibus Uteri sanguineis*, vel aliis excretionibus in quocunque loco: Item *in vomitu sanguineo* Tormentilla utramque facit paginam. Præter has virtutes adstrictorias est *alexipharmaca*, & inter medicamenta malignitatem solventia commodè refertur. *Sudorem* enim *movet*, & sub forma sudoris *malignitatem* & *venenositatem* valdoperè expellit. Unde in *morbis malignis* cum *Dysenteriis* & *Diarrhæis conjunctis valde cõvenit: nam malignitati resistit*, & fluxum compescit. In *morbis malignis* cum *hæmorrhagiis* imprimis *narium* cõjunctis Tormentilla est præsentaneum remediũ, cum fluxum, ut dixi, arceat, & *malignitati resistat*. Propter hanc vim *AMMELUNGIUS in Apologia* commendat Tormentillam, & loco radicis Chinæ illam commodè usurpari posse asserit: Caulis & radix rubri sunt coloris, & hoc quasi per signaturã prodere dicitur Tormentilla virtutes contra *hæmorrhagias*. Vid. *CROLLIUS* & *IOH. FRANCUS*.

TRIBULI AQUATICI.

Tribulus Aquaticus, *Noix ou Chatagne d'eau*, τρίβολ☉ ἔνυδρ☉, ad differentiam Tribuli Terrestris appellatur, qua de re vide *Dioscorid.* lib. 4. c. 14. & *Theophrast.* lib. 6. c. 5. de historia Plantarum. *Ruellius* putat Tribulum aculeatum Theophrasti eam esse plantam, quam Hetrusci vulgò vocant Cacatrippola, sed hunc hanc ad rem refutat *Matthiolus*. Quoad vires *Galen.* lib. 7. de med. simpl. statuit Tribulos aquaticos constitui ex humida essentia modicè frigida, siccaque adstringente, & hinc usum eorum esse contra phlegmonarum generationes & influxus. Ingrediuntur Tribuli Aquatici *Unguentum Agrippæ*, cujus compositionem pulchrè exponit *Antonius de Sgobbis* in Theatro Pharmac. pag. 492. Veneciis nuper excuso. Tribulus autem Aquaticus foliis provenit, notante *Matthiolo* pag. 617. latis, subrotundis, crassis, & aversa parte maculosis, nervosisque, & per ambitum serratis, prælongis & crassis pediculis nitentibus; caulem edit crassum pinguemque, sed in summitate longè vegetiorem, quàm ab radice. Radix illi longa, comantibus spiceis capillamentis. Fructum profert nigrum castaneæ magnitudine, triplici armatum mucrone, unde illi nomen, cortice membranoso, & albâ intus medullâ, gustu castaneis haud absimili: vulgus aquaticas castaneas vocat, ac non secus ac castaneis eo in cibo utitur. Quin etiam quibusdam in locis è siccis tribulis in farinam redactis; per annonæ inopiam agrestis plebecula panem parare solet, perinde ac ex castaneis paratur ab aliis. Sunt etiam qui eosdem tribulos sub cineribus assatos pro gratis bellariis edant. Ex his porro qui peregrè proficiscuntur, verticillos faciunt, quibus suas preces enumerent, colloque gestent, ut majorem præ se ferant religionem, ne dicam hypocrisin *Confirmat* hoc *Amatus Lusitanus* comment. in Dioscor. Cl. *Simon Pauli* mitris Iesuiticis tribulos aquaticos comparat pag. 507. quadrip. Botan.

CCCXLVII. TRICHOMANES.

Τριχόμανες, seu Polythricum officinarum, C. B. Trichom. *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Cord. hist. Lob. Cast. Cam.* Trichom. mas, *Tab. Ger.* Adiantum rubrum. *Lon.* Polytrichum vulgò, *Cæsalp.* aliàs capillaris Filicula. German. *Widertodt.* Du Trichomanes.

N. C. B. ex tabern. diversa genera refert, verùm promiscuè singula in usum accersiri possunt.

Provenit locis humidis juxta aquas in vetustis parietibus ac muris. Virescit perpetuò, sterilęque est.

OFFICIN. NAT.

Flores seu herba integra.

Vires. Adiantho (capillo veneris, ut & Rutæ murariæ) facultatibus omnibus respondet, ideoque eò recurrendum. Peculiariter tamen monet Tabern. quòd aqu. stillat. in primis proficua sit iis, quibus jecur putrescere incipit.

TRICHOMANES, seu POLYTRICHON. Species est ex herbis capillaribus, nempe ex adianthis, quæ rari est usus, & raro præscribitur, quoniam dicitur iisdem pollere facultatibus, atque reliqua adianthorum & herbarum capillarium genera. Unde & loco hujus solum adianthum adhibetur, referente *AUCTORE*.

CCCXLVIII. TRIFOLIUM.

Trifolij quamplurima passim occurrunt genera, nimirum plantæ quæcunque foliis ternis germinantes hoc sibimet nominis jure nativo vendicant. Ex omnibus tamen, non nisi species paucas officinis inservire comperimus, hæ sunt

Trifol. { Acetosum. *Vide Acetosella.*
Aureum. *Vide Epatica nobilis.*
Odoratum. *Vide Lotus & melilotus.* }

[Trifolium Palustre, fibrinum. *Biberklee*, *Lungenklee*, commendatur expertum ad scorbutum, & ad hydropem parari potest essentia.]

TRIFOLIUM. Tres sunt Trifoliorum species officinales, de quibus omnibus in superioribus, & propterea nullum habet *AUCTOR*, de quo in præsentiarum agat: Nihilominus datur TRIFOLIUM AQUATICUM, quod etiam vocatur FIBRINUM, quia flores constant albis fibris, cujus folia innatant aquis, & flos tantum ex illis emergit, floret Junio & Julio, saporis est admodum acris instar piperitidis & nasturtij, adeoque valdè commendatur in *Cura Scorbuti*, in qua etiam cochleariæ solet præferri, dum dicitur, quod ei scorbuto succurrat, quem usus cochleariæ reliquit intactum: Unde apud Danos, qui scorbutum pro morbo agnoscunt Endemio, in frequenti est usu pro cura scorbuti, vel solum, vel cum Cochlearia. Ratione salis vol. acris convenit etiam in malis, quæ ex acido in primis viis oriuntur: in *malo hypochondriaco*, *Colica* & similibus aliis.

CCCXLIX. TRITICUM.

Triticum nobis usitatius est duplex, hybernum & æstivum.

1. Dicitur hybernum aristis carens. C. B. 1. *Matth.* Triticum, *Brunsf. Cord. hist. Dod. Tab.* Trit. 1. genus *Trag. Fuchs. Lon.* Siligo, spica mutica, *Lob.* Trit. spica mutica, *Ger.* Τυρὸς, Robus: *Arab.* Henta, Henca, Hantha, German. *Weitz*, *Winter Weitze.* Patte de cheval.

2. Appellatur Triticum æstivum, trimestre Setanium, *Gal.* German. *Sommer-Weitze.*

Est & triticum terrestre, *Cord.* aliàs Zea amylea, vel Zoopyrum amyleum, C. B. 3. Trit 2. *Trag.* Tritit. amyleum, *Tab.*

OFFICIN. NAT.

Semen ejusque Farina & Furfures.

Vires. Moderatè calfac. emollit, maturat, discutit, internus ejus usus cibarius est, multum enim ac bonum nutrimentum suppeditat, incrassat & obstruit. Extrinsecus adhibetur (farina in tumoribus molliendis, leniendis, &c.) in oculorum inflammationibus ac fluxionibus (cataplasmatis formâ imposita) in Erysipelate, podagricisque doloribus leniendis (sicca farina imposita.)

Furfures

Furfures abstergunt squamulas capitis, leniunt dolores (in cataplas. vel sacculis.)
Triticum trimestre inservit amylo conficiendo.

PRÆPARATA.

1. *Aq. stillat.* Ex pane in M. b.
Vires. 1. Sistit fluxus alvi in infantibus, &c.
Oleum tritic. Parari potest destillando per descensum, ex tritico contuso, sed inusitatum est.
[Ad abstergendas maculas usurpatur.]
N. Alij extendunt triticum contusum super laminam ignitam, vel torrent in sartagine ac exprimunt.

TRITICUM. Et quidem Triticum fructus, & frumentum omnibus cognitum subministrat, semen tantum FARINAM & FURFURES. Semen magis est culinare, quam officinale, cum potius in alimentis soleat habere locum, quàm in medicamentis: nihilominus farina, uti reliquæ farinæ omnes, usurpantur externè in *Cataplasmatis emollientibus & suppurantibus*, item admisceri solet cum aliis pulveribus, qui adsperguntur in *Erysipelate*, cum pulvere nimirum flor. Sambuci, Cretæ, sacchar. Saturni seu Cerussæ. FURFURES vim habent *abstersoriam* adeoque usurpantur in lotionibus capitum *Tinea* affectorum, in *achoribus, flavis* & similibus *capitis ulcusculis*, in quibus lotionibus cum aliis permiscetur. Paratur ex Tritico sal vol. quod utut sit coloris albi, nihilominus expertus *ROBERTUS FLUD* in *Tract. ubi de anatomia* Panis & Tritici refert, quod hoc sal album expositum soli in vase clauso acquirat colorem hyacintheum & rubineum, quod potest occasionem dare meditandi de colore rubineo in Massa sanguinea. In mentem hic venit artificium panificij, quando ex hac & aliis farinis fiunt panes non tantum pro usu & esu communi, sed etiam medicati, quibus præter vim nutritivam inest vis medicinalis. Sic v.gr. fit panis Tartarisatus, qui est *detergens*, *incidens & abstergens crassam ac viscidam pituitam*, in *ventriculo & intestinis*: Datur adhuc panis, qui fit ex floribus farinæ, sive sit secalina, sive triticea, & loco salis additur Tartarus albus. Item fit PANIS SOLUTIVUS, quando scil. in pavimento furni coquitur medicamentum purgans, & postmodum panis in illo coquitur, unde acquirit ex furno vim purgantem & laxativam, quæ inerat plantis purgantibus: Ita famulus cujusdam rustici per accidens fuit purgatus ex pane decocto in furno, in quo prius arefecerat Esulam, quæ est fortissimum purgans. Item potest fieri PANIS SOLUTIVUS ex comistione cujusdam medicamenti purgantis cum pasta, ex qua fieri debet panis: ita pueris solet confici pasta panis solutiva seu laxativa, cum pulvere Rhabarbari. De quibus vid. *BARTHOLETUS in Encycloped. Medicin.* & quidem *Hygienis part.* 2. Sic alij faciunt panes medicatos ad *malum hypochondriacum*, quatenus scilicet miscent cum massa pulveris radicis aronis seu ari, & sic fit egregius panis medicatus, conducens in *malo hypochondriaco.* Inter præparata est aq. DESTILLATA, est etiam oleum de quo oleo dicit *AUCTOR*, quod soleat parari, quando imponitur triticum laminæ: Modus est hic: Multum tritici imponunt Laminæ ignitæ, terunt, & per expressionem eliciunt oleum quod laudatur valdè in *impetigine*, tanquam egregium *Cosmeticum & abstersivum.*

CCCL. TUSSILAGO.

TUssilago. { Vulgaris. *Hæc usualis.*
Alpina. { rotundifolia glabra. | rotundifolia canescens. | folio oblongo.

Dicitur βήχιον, *Diosc. Cord. hist.* Ungula Caballina, *Brunsf Trag.* Tussilago (Bechium,) *Matthiol. Fuchs. Cord. in D. Lon. Dod. Lob. Cast.* vulgaris, *Cam.* aliis Farfara, Farfarella. German. *Huff-Lattich, Brand-Lattich, Roszhub* Tusilage ou pas d'Asne,
Nascitur in amœnis ac riguis locis, crepidinesque fluminum amat: Floret Martio.
N. Dicitur & Filius ante patrem, quia Februario & & Martio foliis nondum egressis, repentè floret, floresque fugacissimos ultra biduum ferè cum caule non perstantes profert.

OFFICIN. NAT.

Folia, Radix.
Vires. Radices & Folia virentia temperatis proxima sunt [al. refrig.] siccata verò modicè acria & calida evadunt. Planta est thoracica. Usus præcip. internè in tussi [unde & nomen habet] orthopnæa, vomicisque pectoris, quibus singulis & fumus ejus ore hiante attractus mederi creditur; [Dicitur etiam quartanam arcere succus 9. diebus potus Extrinsecus prosunt ulceribus calidis & inflammationibus [folia recentia imposita;] item fol. & flor. in vino cocta cum Mastiche, Myrrha, lithargyrio, arcent gangrænam Asciticorum cruribus exulceratis.

PRÆPARATA.

1. *Syrup. de farfara*, è succo foliorum.
2. *Conserv.* è flor.
3. *Aq. stillat.* è foliis.
4. Loch de farfara.

TUSSILAGO. Cujus flos verno tempore solet prodire ante folia, unde dicitur à quibusdam FILIUS ANTE PATREM: Usitatissimè apud practicos vocatur FARFARA, & parata exinde aq. de farfara, Syrupus de farfara. UNGULA CABALLINA dicitur propter figuram, quâ repræsentant ungulam caballinam folia. Virtutes quod attinet, id nominis, quod vocetur Tussilago, obtinuit à *Tussi*, cui specificè mederi dicitur cuicunque, imprimis illi, quæ oritur à mucilagine crassa, quem sistit. Conveniens est in *expectorandâ pleuritide*, in *vomica pulmonum & Empyemate*, in quibus decocta magistralia & Oxymelita pectoralia utplurimum solet ingredi: Et hoc non tantum folia eorum decocta & Essentia parata præstat: sed etiam ex succo foliorum paratus SYRUPUS conveniens est. Extrinsecus similiter solet adhiberi fumus foliorum Tussilaginis pro *sistendis catarrhis bronchiorum & pulmonum*: fit scilicet suffitus ex foliis exsiccatis, qui aperto ore hauritur pro exsiccanda lympha. Aliâs folia Tussilaginis contusa cum succino & semine anisi permista hauriuntur, per fistulas instar Tabaci, & sunt qui præferunt hunc fumum fumo Tabaci, pro *exsiccandis catarrhis. AUCTOR* dicit, quod folia recentia imposita prosint in *Ulceribus calidis, inflammationibus*: ita est: Unde volunt, quod conveniat contra *incipientem gangrænam* taliter applicata. Quod dixi de crudo, dicendum quoque est de præparata aq. CONSER. ESS. & SUCCO, &c.

V.

CCCLI. VALERIANA.

Valerianæ usuales sunt { Hortensis. / Sylvestris { Major. / Minor. }

Hortensis insignitur Phu magnum, *Fuchs. Matth. Lon.* majus, *Matth. Cord. hist.* verum, *Cord. in D.* Ponticum, *Tab.* Valeriana vera, nardus agrestis, *Trag.* Valer. major, *Lob. Cam.* Valer. hortensis, *Dod. Ger.* C.B.1. (cui & Phu folio olusatri Dioscoridis) Carpesium, *Cast.* Terdina *Paracelso*, *grosz Baldrian, grosz Garten-Baldrian.* Valeriane.

Sylvestris Major, C.B.4. dicitur Phu similitudine Elaphobosci, Dioscoridis Valeriana, *Brunsf.* vulgaris, *Trag. Cord. in D.* Sylvestris, *Lob. Dod. Cam. Clus. hist.* major, *Tab.* Phu parvum, *Matth. Cast.* Phu Dioscorid. *Brunsfels.* vulgare, *Fuchs. Tab.* Phu Germanicum, *Fuchs. grosse vvilde Baldrian.*

Minor appellatur Valeriana palustris (sylvestris) minor, C.B. Valeriana exigua, vel 4. *Trag.* Valer. minor. sylvestr. *Lob.* minima, *Dod.* sylvestr. seu palustris minor, *Cam.* Phu minus, *Lon. Tab.* minimum, *Matthiol. Cast. Cam.* (Epit.) *klein Baldrian.* Petite Valeriane.

Phu verum colitur nobis in hortis, in Ponto & Creta sponte provenit, nasciturque in pratis, aliisque locis humidis: minus, in Campestribus udis: florent Maio, Junio ac Julio.

Optima censetur hortensis, cui succedit minor, ac demùm major.

OFFICIN. NAT.

Radix præcipuè, tum & *Herba* Phu veri.

Vires. Calfac. & sicc. atten. aperiunt, alexipharmacæ, sudoriferæ ac diureticæ sunt. Usus præcip. in imbecillitate visus, peste, asthmate, pleuritide, obstruct. Epatis, lienis, Vreterum, Hernia, Ictero, & simil. Extrinsecus confortant visum, maculas oculorum abstergunt, cephalalgiam sedant, menses cient, sudorem promovent (in balneis) exsiccant catarrhos (suffitu) bubonum ac anthracum malignitatem corrigunt, globulos sagittasve infixas extrahunt, ulcera inveterata mundificant.

N. Sunt qui radicem pro amuleto febris quotidianæ habent, eamque de collo suspendunt.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex integra planta (radice, caule ac foliis) in fine Maii.
2. *Extract.* Itidem ex integra planta vel radice sola paratur.

VALERIANA. Cujus tres species in officinis debent esse usuales. 1. Debet esse officinalis VALERIANA MAGNA ALBA, quæ est flore rubro. 2. VALERIANA SYLVESTRIS MAJOR. 3. VALERIANA SYLVESTRIS MINOR: quæ duæ species non differunt in forma externa, nisi quod illa sit major hac. Interdum valerianæ vocantur φῦ, quo nomine Græco frequenter appellantur ex auctoritate DIOSCORIDIS: cui non notum fuit vocabulum valerianæ. Quod attinet facultates harum, superius memini aliquando, ubi de simplicibus *veneficiis resistentibus*, quod sit primaria ex illis valeriana, id quod intelligendum est de sylvestri majori, seu Phu vulgari, & facultates hujus *resistendi veneficiis* videre possumus in appendice *CARRIBHTERS*, ubi habet quædam medicamenta contra *veneficia*, in quibus phu hoc est basis seu primarium ingrediens remedium. Radices reliquarum sunt *alexipharmacæ*, in specie hortensis, dum per *sudorem expellunt malignitatem*, unde in *peste & morbis pestilentialibus* commendatur. Deinde solet etiam esse *uterina à morbis uterinis*, *à mensibus & lochiis provenientibus* solent succurrere. In specie tamen omnis valeriana hortensis, *Ophthalmica*, nunquam satis est decantanda, si scil. pulvis rad. valerianæ internè usurpetur quotidie; nam *restituit mirè visum senum*, & imbecillitatem promovet mirificè: quod auctor verum omninò esse approbat. Imprimis vid. *TABERNÆMONTANUS in Herbario p. 456* Ubi habet quædam de viribus hujus valerianæ contra *imbecillitatem visus*, verba sunt lectu & observatu digna. Tanta est vis hujus valerianæ in *affectibus oculorum* interno quidem usu: Externè egregia est, si aqua ejus adhibeatur in *Collyriis* seu lotionibus oculorum, in quibus non tantum *Ophthalmiam*, sed etiam *nebulas maculas*, & *albugines oculorum* tollit. Reliquæ virtutes omnes, quas *AUCTOR* tribuit valerianæ, similiter firmo & experto stant talo.

CCCLII. VERBASCUM.

Φλόμος, Candelaria, Candela regis, Lanaria, *Vvull-Kraut*, *Kerzen-Kraut*, *Brenn-Kraut*, *Himmel-Brand*, *Vnholden Kertzen, Konigs Kertzen.* Bouillon.

Verbascum C.B. {
- Album {
  - mas { latifolium luteum, C.B.1. / angustifolium pallidum, 2.
  - fœmina { flore luteo magno, 3. / flore albo, 4. / lychnitis flore albo parvo.
- Nigrum { fol. papav. corniculati. / flore ex luteo purpurascente.
- Salvifolium: Hoc singulare & rarum speciebus 4.

Ex his usualiora sunt, Verbasc. mas latifolium luteum, cujus Vicarium est Verbasc. fœmina flore luteo.

Prius insignitur Verbascum, *Matth. Cord. in D.* Verbascum mas, *Lob. Cast. Tab.* Verbascum candidum mas, *Lon.* Verbascum latius, *Dod.* Tapsus barbatus, *Ger.*

Posterius, Verbascum seu candela regia, *Trag.* Verbasc. nigrum, *Fuchs. Lon.* Verbascum maximum album fœmina flore subpallido, *Lob.* Verbasc. luteum, *Tab.* Verbasc. lichnite minus, *Ger.*

Crescunt locis arenosis: Florent Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores, sed rarò.

Vires. Calf. moderatè ac sicc. emoll. discut. dolores leniunt, Usus præcip. in morbis pectoris, tussi, expuitione sanguinolenta, torminibus ventris.

N. Radix hæmorrhoidum fluxum & dolorem sistere dicitur (dieb. 9. vel 10. continuis assumpta.)

Extrinsecus sunt flores ac folia præcipuæ æstimationis, in sopiendis doloribus quibuscunque, & in primis in affectibus ac tumoribus ani (hæmorrhoïdibus:) in capillis luteo colore tingendis.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* Ex floribus.
2. *Ole.* Ex infusione iterata flor. in ol. oliv.

N. Matthiolus oleum parat ex floribus solis, quibus vitrum repletum beneque obturatum exponit soli, qua ratione flores aliquatenus liquescunt.

VERBASCUM. Uti vocant nostrates mulierculæ: cujus variæ sunt species, *album*, *luteum* & *nigrum*. Usitatum tantum latifolium, vulgare luteum crescit in magnam altitudinem, & provenit ubique in locis cultis. Totum verbascum est *anodynum*, & vires habet *sedandi dolores* quosvis in corpore externè

nè adhibitum. Unde est ingrediens olei anodyni *MYNSICHTI* compositi: Et ex floribus per putrefactionem in liquorem dissolutis, fit egregium remedium *anodynum*, contra dolorem nimium in *arthritide*: cujus præparationem videre possumus in *SENNERTO*, ubi tractat *de arthritide p.34. & 37.* de quo oleo flor. verbasci per deliquium seu putrefactionem & colliquationem, dicit *STOCKERUS* in *praxi*, quod sit ars mirabilis & expertissima in dolore podagrico & dentium: vidi, inquit, & feci, hunc liquorem. Præter has vires anodynas in doloribus partium externarum flores verbasci commisti, cum floribus Chamomill. imprimis sunt egregii usus. In *Tenesmo*, præprimis si sit cum *Dysenteria*: item in *Doloribus & affectibus hæmorrhoidum cœcarum* vesbascum est specificum nulli cedens: Et quidem 1. quod attinet *Tenesmum*: Decoctum verbascum in lacte vaccino, & exinde factus fotus est egregius ad leniendum dolorem Tenesmi, imprimis si sit in *Dysenteria*, qui est periculosus curatu, quod testatur præter alios practicos *LAMMONIERE in Tract. de Dysent. cap.5. pag.169. MYNSICHT* etiam habet specificum suffimigium ex verbasco contra eundem *Tenesmum*, quod est expertum. *RHUMELIUS* in *suis scriptis pag.419.* valde commendat fotus ex surculis verbasci, fol. quercus & anserina coctis in lacte in *Tenesmo*. Ingreditur etiam Clysteres anodynos in *Dysenteria & Tenesmo Dysenterico* usitatos: Cujus Clysteris formulam in tali casu elegantem & valde expertam vid. in *SENNERT. lib 3. prax. cap. de Tenesmo p.415.* Præter vim in cura Tenesmi, non minus egregium est verbascum in cura *hæmorrhoidum cœcarum*, vel in *quocunque hæmorrhoidum malo*: Sic v.gr. flores verbasci in aqua ferrariorum, vel vino adstringente decocti instar fotus applicantur ano, sicque specificè *compescunt nimium fluxum hæmorrhoid.* vid. *prax. SENNERT. part.3. cap. de hæmorrhoid. p.425.* uti etiam *Praxis RIVERII.* Ad *hæmorrhoides cœcas, earumque dolores* egregium est experimentum *MYNSICHTI*, quod *habet p.133.* qui parat pulverem ex verbasco calcinato, permisto cum rhabarb. qui impositus *hæmorrhoidibus cœcis*, earum *tumores* ac *dolores* brevi *curat*. Item fotus ex floribus Sambuci & verbasci in aqua simplici vel lacte admotus est specificus ad *dolorem hæmorrhoidum*. Denique *FOREST. lib.23. obs.6.* refert se expertum fuisse in quadam muliere, in qua dolorem hæmorrhoidum, nullis aliis remediis juvantibus, sedavit fotu ex Thapsi barbato seu Verbasco & semine hyoscyami in aqua cocto, ex quo subito cessarunt hæmorrhoidum vitia & dolor. Sæpius, quod notandum, vocatur Thapsus barbatus hæc planta apud auctores, quam verbascum. Contra *tormina ventris*, sive sint *Colica*, sive *Dysenterica* flores Thapsi barbati unà cum flor. Chamomill. vel cum sacculis, vel fomentis applicati sunt experti. Et quod dixi de virtute contra hæmorrhoides, quas retardat, & dolores compescit, propterea sunt, qui aloën, quando assumenda est interius, ne excitet dolorem & tumorem hæmorrhoidum, solent prius impraegnare & imbibere succo verbasci, qui succus demit virulentiam hæmorrhoidalem in aloë. *STARICIUS*, heroum thesauro *p.107.* ceu experimentum expertissimum commendat, in contusionibus nervorum ac membranarū, & applicandum suadet succum verbasci cum foliis contritis, quæ imposita huic malo optimè prosunt. Eæ imprimis mulieres, quæ gratam flavedinem suis conciliare volunt capillis, solent flores verbasci immittere lixivio, quo se pectendo & irrigando capillos, similem flavi coloris gratiam illis inducere satagunt. Verbascum ergo pro usibus modo dictis colligendum est in plenilunio Junii aut Julii, antequam flores decesserint, tunc enim est tempus balsamicum, ubi maximâ pollent virtute. RADIX verbasci solet etiam vocari RADIX RHEUMATICA à Rheumate seu *catarrho*, propterea, quod vi amuletica appensa specificè *resistit catarrhis*: quam vim amuleticam, applicandi rationem, & operandi modum vid. in *HARTMAN. prax. Chymiat. cap.21. §.5.* In genere solet adhiberi ad *affectus ani*, in quibus explicandis fusus est *TABERNÆMONTANUS*, qui videatur. Oleum VERBASCI, quod ex planta parandum monstrat *AUCTOR* ex *MATTHIOLO*, est oleum *anodynum*, quod adeò commendatur in *curâ arthritidis.*

CCCLIII. VERBENA.

PEristereum, Verbenaca, Verbena. Arab. Beneran, Albea, &c. *Eisenkraut, Eisenreich, Eisenhart, Daubenkraut.* De la verveine.

Verbena. { 1. Communis. *Hæc usualis.*
2. Tenuifolia Verbenaca supina, *Tab.*
3. Fœmina. *Vid. Erysimon.*

Dicitur Verbena, *Lon.* recta, *Trag.* mascula, *Brunsfels.* communis & sacra recta, *Lob.* Verbenaca, *Matthiol. Cast.* supina (& fœmina,) *Fuchs. Cord. in D.* recta, *Dod. Tab.* fœmina, *Cam.* vulgaris, *Clus. hist.* al. Columbaris. Verbenaca communis cœruleo flore C.B.1.

Crescit passim juxta muros & vias. Floret Julio ac Augusto.

OFFICIN. NAT.

Herba seu folia.

Vires. Calfac. & sicc. saporis amari, astring. Cephalica ac vulneraria est. Usus præcip. in dolore, aliisque affectibus capitis (à frigidis humoribus) in affectibus oculorum & pectoris, in tussi inveterata, in obstruct. Epatis ac Lienis, Ictero, torminibus ventris, dysenteria, imprimis atterit ac expellit calculum, libidinem coërcet, febrim tertianam fugat, arthritidem mitigat, vulnera sanat, partum facilitat. Extrinsecus in cephalalgia, odontalgia, alopecia, melancholia; in oculorum lippitudine, imbecillitate, rubore, in Angina, in raucedine (collo circumplasmatizata) in tumore glandularum, in faucibus [gargaris.] in dolore Lienis [cum axung. porci,] ac podagrico mitigando, in vulneribus astringendis ac putridis abstergendis, in procidentia ani, in mariscis, &c.

N.1. Sunt qui febrim tertianam ac quartanam succo, & peculiari modo eâ curant. Nimirum in tertiana recipiunt geniculum tertium [à terra] idque sursum decerptum propinant: in quartana quartum.

℞.2. *Amuleticè* strumam verbenâ curari, sunt qui statuunt. Modum Marcellus Empyricus edocet. Radicem transversim in partes duas jubet dividere, inferiorem suspendere de collo, superiorem in fumo. Sic arescente parte superiore & strumam arescere ait. N. Quod si utraque pars postmodum in fluentem conjiciatur, malum recrudescere idem asserit.

N.3. In dolore capitis sedando quantum valeat si de collo suspendatur, videre licet apud Forest. lib.9. observ.52.

PRÆPARATA.

1. *Aq. destillat.* Ex herba cum floribus æstate collectis.
2. Est & *unguentum de verbena*, aliàs unguentum Iovis dictum. Vide August.

VERBENA. Hæc verbena seu VERBENACA semper apud auctores fuit in magna æstimatione, adeò ut apud gentiles ceu planta sacra imposita fuerit altaribus in sacrificiis, imprimis apud Romanos: quo de vid. *MAIOR in Tr. seu inventis novis*, ubi de inunctione verticis, it. *TERENT. Comœd.1.* sed hæc nihil ad nos: Considerabimus potius virtutes verbenæ medicas, & quidem hæc ipsa verbena imprimis cœpit commendari contra *dolorem capitis*, externo usu ex eo tempore, ex quo *FORESTUS* adeò singularem & observatu dignissimam habuit observationem *lib.9. obs.52.* (quem locum etiam habet *AUCTOR*) ubi curavit *horrendum & portentosum dolorem capitis* cum herba contusa, in sacculo collo appensa. Ex hoc tempore semper specificè fuit commendata in *affectibus capitis.* Aqua DESTILLATA

LATA solet applicari in Epithematis capiti: SUCCUS EXPRESSUS seu EXTRACTUM solet misceri cum oleo seminis Hyoscyami, vel oleo seminis papaveris expressis, & inungi temporibus ad *sistendos dolores capitis.* Herba recens contusa applicatur fronti & temporibus instar cataplasmatis, pro compescendo eodem capitis dolore, sive contundatur sola, sive admisceatur aliquid de radice Rhodiæ, (de qua superius) vel etiam pulvere Zedoariæ. Interdum solent fieri Emulsiones ex semine papaveris, ex nucleis persicorum & similibus, pro externo usu instar Epithematis fronti & temporibus applicandæ in *dolore capitis* cum aliquo liquore, loco cujus optimè in talibus potest addi decoctum rad. rhodiæ, vel verbenæ, & sic fiunt magis appropriatæ ad compescendos capitis dolores Emulsiones. De eadem vi amuletica vid. *HARTMANNUS in praxi lib.2 c.1 §.13.* in *dolore* scil. *capitis.* Nostratibus mulierculis in usu est frequenti & feliciter experto aqua verbenæ ad *præcavendum abortum*, in quo est egregia: imprimis si cum ista misceatur præparatus succus è cancris fluviatilibus: vel etiam si ipse pulvis cancrorum fluviatilium in illa aqua assumatur. Aqua enim sola, sicuti etiam soli cancri sunt specifica ad *præcavendum abortum.* Sunt nonnulli, qui ceu expertum, Empiricum tamen, laudant SUCCUM VERBENÆ cum vino ante *paroxysmum intermittentium* assumtum: cum tamen meliora prostent, hæc missa facimus. *AUCTOR* dicit, quod *partum facilitet*, quod ego non credo, quoniam ut dixi, *abortum præcavet.* Plura vid. apud *AUCTOREM*, quæ habet de virtutibus verbenæ.

CCCLIV. VERMICULARIS.

SEdum minimum, *Tab.* 3. *Fuchs.* Sedum minus 3. & Vermicularis *Trag. Lob.* 3. *Matt. Cast.* Sempervivum minimum, illecebra, s. sempervivum, 3. *Dod.* ἀίζοον, 3. Dioscor. ἀιζ. acre, *Cord. hist.* Portucula 3. *Brunsf.* Vermicularis sive Illecebra, *Ger.* Germ. *Maur-Pfeffer, klein, Hausz Wurtz.* Joubarbe petite.

Crescit in muris, locisque arenosis. Floret maximè æstate integrâ.

OFFICIN. NAT.

Folia cum Floribus.

Vires. Calfac. & sicc. validè, saporis acerr. bilem per vomitum insigniter educit. Unde Usus præcip. in febribus. Extrinsecus in laxitate dentium (quorum signaturam refert) ac putredine gingivarum scorbutica (gargarism.) rubificat, vesicatoria est, strumas discutit.

N. Sunt qui pro amuleto febrili 9. di. noct. de collo suspendant.

VERMICULARIS. Etiam SEDUM MINIMUM, crescit in muris, parietibus & locis saxosis, ac arenosis per totam æstatem; saporis est acerrimi & acrioris longè quàm persicaria, Piperitis, armoracia, &c. Unde vocatur Maverpfeffer, & ratione hujus salis volatilis acris est maximè expertum remedium in *curâ Scorbuti*, & *mali hypochondriaci*: ita ut in *Scorbuto* curando D. *MICHAEL* nunquam potuerit satis commendare. Hoc sedum etiam vocatur à multis practicis ILLECEBRÆ. SUCCUS assumptus acris nimia acrimonia adeò stimulat ventriculum, ut copiosus sequatur *vomitus.* Unde ratione hujus vomitus solet commendari succus *ante paroxysmum febrium intermittentium*, & narratum mihi fuit à fide digno auctore, quod quidam medici ceu experimentum insigne habeant in *febribus*, si instar amuleti appendatur collo hæc herba. Alius dixit, se expertum esse aliquoties hoc sedum minimum in *febribus chronicis & inveteratis*: se contusisse cum aceto vini & expressisse succum, & hujus succi expressi haustum assumtum ante paroxysmum insecutum fuisse vomitum, quo insecuto *febres expugnatas & curatas fuisse*, & quidem quidam, qui per 11. septimanas, quidam qui per 6. cum illa conflictaverant. In quibusdam per vomitum solent curari febres, in aliis non per vomitum, sed per sudorem & insensibilem operationem eædem profligantur. Succus expressus cum aliis permistus, vel decoctum gargarisatum, multum prosunt in *laxitate & putredine gingivarum scorbutica corrigenda*, dum ratione salis volatilis acris aciditatem putredinosam *in laxis gingivis* corrigit, & *gingivas firmat* ac *consolidat.*

CCCLV. VERONICA.

EHren-Preisz, *Brundtheil.* De la veronique.

Veronica est C.B.
- mas
  - 1. Erecta.
  - 2. Supina & vulgatissima. *Hæc usualis.*
- Spicata
  - latifolia.
  - angustifolia.
  - minor.
- Fœmina seu pratensis, serpyllifolia.

Insignitur Teucrium, *Trag.* Veronica, *Tab.* Veronica mas, *Fuchs. Lon.* Veronica mas serpens, *Dod.* Veronica vera & major, *Lob.* [cui & major, septentrionalium,] *Cam. Ger.* Veronica vulgaris supina, *Clus. hist.*

Crescit in dumetis. Floret Junio, floribusque est subcæruleis, rariùs candidis.

Eligenda quæ circa quercuum radices nascitur.

OFFICIN. NAT.

Folia, Flores.

Vires. Calfac. & sicc. saporis amari & astringentis, incidit, vulneraria insignis ac sudorifera est. Usus præcip. in erosione ac obstructione Pulmonum, Lienis, hinc & in primis in colica, Phthisi, scabie, pruritu, peste, vulneribus, &c. Extrinsecus famosissima est in vulneribus abstergendis, astringendis, in duritie Lienis, in colica [clysmat.]

PRÆPARATA.

1. *Conserv.* ex summit.
2. *Aqu. stillat.* Ex herba cùm incipit florere.
3. *Aqua* cum vino destillata.
4. *Syr.* Ex succo & saccharo.
5. *Sal.* Ex cinere.
6. *Rob* pro æmopticis. V.D. Aug.

VERONICA. Tanquam planta & gloriâ & honore digna, cujus variæ sunt species, inter quas potest usurpari vulgaris: habet florem vel purpureum, vel cœruleum & sic porro. Ipsa planta, nempe folia & flores sunt ex usu: Vocatur germanicè Brundheil, quasi ex fundamento curet & *sanet vulnera*: *vulnera* enim & *ulcera consolidat* & *purificat.* Unde etiam *ulcera maligna inveterata* & *cacoethea* corrigit, & ad sanitatem perducit, teste *HORSTIO in Dispensatorio*; Deinde in *affectibus lienis* à quamplurimis commendatur veronica, ceu singularis planta in corrigenda duritie orta ex infarctu vasorum: in *Colica* specificè laudatur à *CRATONE* trium Imperatorum Archiatro, sive sub Clysmatis forma infundatur, sive sub potus forma assumatur veronicæ & aqua vel decoctum. Denique multum conducit veronica in iis, qui *laborant copiosis excrementis in bronchiis pulmonum*, utpote sunt pituita crassa ac viscida: in tali prodest aqua veronicæ spirituosa vel SPIRITUS VERONICÆ, pro *adjuvandâ expectoratione*, ubi scil. adest inanis ejiciendi conatus, dum incidendo phlegmata eorum expectorationem facilitat.

CCCLVI. VICTORIALIS.

{ Mas longa. *Hæc uſualis.*
Fœmina. *Eſt ſpecies gladioli*, C.B.3.

Appellatur Allium montanum, latifolium maculatum, C.B.9. [inter allia] Allium Alpinum, *Tab.* [cui & Victorialis mas.] Allium anguinum. *Matth. Cam. Porta.* Serpentinum, *Caſt.* Ophioſcordion, *Lob.* Victorialis longa, *Cluſ.* [cui & major.] Germ *Sieg-Vvurtz.* Du glais, ou glayeul.
Creſcit in alpibus: Floret cum aliis ſpeciebus allii.

OFFICIN. NAT.

Radix crinita.
Vires. Calf. &c ſicc. perinde ac allium agreſte, cui & in facultatibus aliis per omnia ſimilis exiſtit.
N. Plebi noſtrati, Judæiſque amuletum eſt familiariſſimum quo à ſpectris aëreque infecto ſe tutos fore perſuaſi ſunt.
[Appenſa radix contracturam arcere dicitur. Podagricis amuletum ex victoriali ſerico incluſâ, quod venale circumtulit Agyrta.

VICTORIALIS. Quæ alio nomine etiam vocatur ALLIUM MONTANUM, & primâ fronte ſtatim apparet, quod ſit de genere alliorum & ceparum, quas plantas odore & ſapore ſat prodit; unde ad eoſdem uſus commendatur, ad quos reliqua allia: uti dicit *AUCTOR*: Cæterum cum ſit rara, libentius & frequentius allio communi utimur.

CCCLVII. VINCA.

Κλήματις δαφνοειδής, *Singrun*, *Ingrun*, Pervenche, du Liſſeron.

Clematis Daphnoides, C.B. { 1. Minor. *Hæc uſualis.*
2. Major.
3. Flore pleno.

Nominatur Vinca pervinca, *Brunsf. Lob. Tab.* pervinca, *Trag.* clematis *Matth Cord. in D.* Clem. Daphnoides, *Dod. Fuchſ. Lob. Cam. Tab. Cluſ. hiſt.*
Solo gaudet fœcundo: Floret Aprili, Maio, viret ſemper. Flores cœrulei ſunt, quandoque candidi, rariùs rubentes, vel ſubpurpuraſcentes.

OFFICIN. NAT.

Folia.
Vires. Reſtrig. ſicc. & aſtringit. [Dodonæo calfacit 1.] ſicc. amplius. Vulneraria inſignis eſt. Uſus præcip. in fluxionibus alvi, dyſenteria, hæmorrhoïdibus, exſpuitione ſanguinis, vulneribus ſeroſo liquore manantibus. Extrinſecus in profluvio menſium, narium, in laxitate & dolore dentium: lac extinctum revocat.
N. Adhibetur quoque ad profligandos morbos incantatione introductos (in lotionibus,) &c.

PRÆPARATA.

Aqu. ſtillat. Ex radice foliis ac floribus principio Veris collectis.

VINCA PER VINCA. Quæ aliàs etiam uſitatius vocatur apud Practicos CLEMATIS DAPHNOIDES, egregia eſt planta, utut raro præſcribatur ab auctoribus. Variæ ejus ſunt ſpecies, flore albo, purpureo & cœruleo. Præ cæteris convenit, quæ eſt flore cœruleo: eſt vulneraria una ex primariis & principalioribus, conveniens tam internè in *vulneribus & ulceribus* in *potionibus vulnerariis*, quam externè in *vulneribus conſolidandis*, & *ulceribus mundificandis.* Unde ſolet permiſceri ſuccus vincæ pervincæ Clyſteribus in *Dyſenteria*, ubi opus eſt conſolidatione internorum ulcuſculorum in inteſtinis. Externè ſolet adhiberi ad *compeſcendas hæmorrhagias* quarumcunque partium: interim nihilominus ſolet laudari ſimiliter ad *ciendos menſes. AGRICOLA in Chirurgia parva p.905.* ſpecificè commendat hanc vincam pervincam in *affectibus Tonſillarum & uvulæ*, in *laxitate uvulæ & inflammatione Tonſillarum*, dum ita dicit: ſi modo inflammatio uvulæ ægrum ſtranguler.
℞. vinc. pervinc. coq. ſ. a. inſ. q. aqu. comm. & f. gargariſa tumor attrah.
Tempus colligendi ad 15. ſeptemb. Cui non datur par remedium: Dicit enim, quod decocta in aqua communi, & inſtar gargariſmatis uſurpata, in tali *Tonſillarum inflammatione & uvulæ laxitate*, tali etiam ut immineat præſentiſſimum ſuffocationis periculum, ſit expertum remedium, quod copioſam pituitam viſcidam eliciat, & ſuffocationis periculum auferat, reſtituendo liberum aëris uſum. Colligenda eſt planta pro uſu tali in medio Septembris. Externo uſu etiam convenit in *augendo lacte*, ſi ſcil. applicetur mammis mulierum, ſic enim multum lactis adferre dicitur.

CCCLVIII. VINCETOXICUM.

Ἀσκληπιὰς, *Dioſcor.* Hirundinaria, *Schvvalben-Vvurtz*, l'Aſclepias, ou vincetoxicum, vinc poiſon.

Aſclepias C.B. { 1. Albo flore, & Gerard. *Hæc uſualis.*
2. nigro flore } *minus uſualis.*
3. Cretica }
4. Virginea }

Inſignitur Hirundinaria, *Brunsfelſ. Trag. Lon.* Vincetoxicum, *Matth. Dod. Caſt.* Aſclepias, *Fuchſ. Cord. hiſt. Lob. Tab. Cam.*
Creſcit in ſylvis, lociſque petroſis atque arenoſis: Floret Julio ac Auguſto.

OFFICIN. NAT.

Radix. raro *Semen.*
Vires. Calfacit atque ſicc. moderatè, atten. alexipharmaca ac ſudorifera eſt inſignis. Uſus præcip. in peſte, aliiſque venenoſis affectibus, in obſtructionibus menſium, in palpitatione cordis, ac lipothymia, in Hydrope. Semen Commendatur ad calculum. Extrinſecus uſus tam florum, quàm radicum ac ſeminis eſt in ulceribus ſordidis ac malignis purificandis, ad ictus inſector. venenator. in ulceribus mammarum, &c.
Doſis rad. ʒj.

PRÆPARATA.

1. Aqu. Ex integra planta.
2. *Extract.* cum S.V.

VINCETOXICUM. Quod alio nomine vocatur etiam ASCLEPIAS. Hujus duæ ſunt ſpecies, flore albo & nigro: flore albo convenit imprimis: vocatur etiam HIRUNDINARIA, quo nomine imprimis apud *PARACELSUM* & Practicos venire ſolet. Dicitur Vincetoxicum, quoniam in vincendis toxicis ſeu venenis eſt experta: Hincque eſt *ſudoriferum*, quod in *morbis malignis* decoctum multum valet ad *ciendum ſudorem & expellendam malignitatem*: Deinde ſi quid aliud ſpecificum eſt egregium ad *hydropem aſcitem*, & etiam ad *hydropem anaſarcam*: in his duabus hydropis ſpeciebus multum valet, imprimis quidem ad *hydropem aſcitem*, in quo ejus DECOCTUM, ESSENTIA vel EXTRACT. ſæpius aſſumtum per *ſudorem* feliciter *curat aſcitem*: eſt ſcil. unum ex ſpecificis antihydropicis. Unde *PARACELSUS* habet deſtillatum quoddam, quod ab aliis medicis ceu expertum valdè commendatur ex Tart. hirundinaria, capite mort. vitrioli & ſpir. vini: Compoſitio eſt talis:
℞. Tartari vini rubri lib.1. Hirund lib. ß. Colcotar ſeu capiti mortui vitrioli ℥VIII. ſpir. vini ſeu vini ardentis q.ſ. pro incorporatione. Deſtilla per alembicum. Doſis eſt ʒß. manè & ſerò ſumptum *pellit urinam*, quam & fœtidam reddit. Aſſumi poteſt in

in vino Malvatico: Continuandum est per aliquot dies: Nam primâ vice assumtum parum aut nihil operatur. Ita ESSENTIA vincetoxici egregia imprimis, quæ fit ex lumbricis terrestribus & vincetoxico: egregia certè Essentia *antihydropica*, quæ *pellit urinam & movet sudorem*: Unde tam in *ascite*, quàm in *anasarca* multum prodest Magnarum certè virium, & magni nominis est in cura hydropiseos hirundinaria seu vincetoxicum.

CCCLIX. VIOLA PURPUREA.

Ex variis violarum classibus, quæ apud Botanicos occurrunt, tres officinis potissimùm considerandæ veniunt. Viola purpurea Martia, de qua hîc. Viola lutea, de qua in Cheiri, ac Viola tricolor, de qua in Jacea.

E violis purpureis Martiis inferuntur in officinas odoratæ, neglectis inodoris.

Insignitur Viola, *Lon.* Violà sativa, *Brunsfels.* Viola Martia odorata nigra seu purpurea, *Trag.* Viola purpurea, *Fuchs. Matth. Cast.* Viola nigra, *Dod. Cord. in D. Ger. Clus. hist.* Viola Martia purpurea, *Tab.* Viola præcox, *Lob.* Viola Martia purpurea flore simplici odore, C.B. i. aliis violaria, Germ. *Violen kraut*, *Veil kraut*, *Braune Violen*, *Mertz-Violen.* Violette pourprée, Violier.

Eligatur odorata.

Solo gaudet umbroso ac aspero, juxta vias, sepes & muros, &c. Floret circiter finem Martii ac initium Aprilis.

OFFICIN. NAT.

Flores, Folia, Semen.

Vires. Violaria (præcipuè flos) refrig. 1. hum. 2. flores exsiccati refrigerant imbecillius, siccantque, emollit, laxat, cordialis est ac pectoralis, expectorationem promovet. Usus præcipui ac creberrimi in bile, præcipuè atra mitiganda, in fervore febrium compescendo, doloreque capitis inde nato, in tussi, asperitate gutturis, catarrhis acribus, pleuritide, &c.

N. 1. Flores alvum leniter subducunt. Extrinsecus adhibetur herba crebrò in lotionibus, cataplasmatibus, clysteribus, & simil.

Seminis usus rarus est, isque in obstructione renum, ubi emulsioni potissimùm inservit, de qua nota, quod plerumque vomitum ac secessum moveat.

Dosis ℥ß. ad ℥j.

N. Flores locum sibi vendicant inter flores illos cordiales famosos.

PRÆPARATA.

1. *Syrupus violar. solutivus.* Ex multiplici infusione florum recentium in aqu.

Vires. Ex viribus supra enumeratis, maximè lenit alvum. Dosis ℥ij. ad ℥iij.

2. *Syrupus ex succo violar.* (*syrupus violar. simpliciter dictus.*)

3. *Syrupus violarum compositus Mesue.* Ex decoct. flor. ℥j. sem. Cydon. Malvæ, (jujub. i. sebest. an. N. xx.) in aqu. cucurb. ℔ v. vj.

4. *Syrupus violatus regius*, i.e. Julep. violar. ex aqu. flor. & sacchar.

5. *Conserv.* Ex floribus selectis à parte herbacea (alabastris.)

6. *Acetum.* Ex infusione florum.

7. *Ole.* Ex floribus infusis in oleo omphacino.

8. *Aqu. stillat.* Ex floribus.

9. E tota herba.

10. *Tinctura.* ℞. flores, macera in propria aqu. leviter exprime & cola.

N. Addi hic potest spir. vitrioli, ut in Tinctura Rosar. ait Gluckradt: verùm vereor, ne color inde mutetur, quod tamen viribus nihil derogat.

N. 1. Eleganter quoque violarum Tinctura conficitur, si flores phlegmate vitrioli. (N. pluries, 8. vel 9. super caput mort. cohobato) irrorentur, digerantur ac exprimantur.

11. *Extractum.* Ex succo, lentissimo igne inspissato.

℞. Flores violar. ℔ ß. inde cucurbitæ etiam sine conquassatione, affusaque aquæ ℔j. pone in MB. tepidum, ut coloretur: exprime ac procede ut moris: nimirum expressum succum novis floribus affunde, macera, exprime, inspissa.

Dosis ʒj. *Sala.*

N. 1. Gemmas integras, non rejectis alabastris (foliis exterioribus) adhibere licet. 2. Etsi color ultra semestre spatium non durat, nihil tamen inde viribus decedit. 3. Si ex floribus exsiccatis idem conficere volueris, ad eundem illum modum id præstare poteris, præterquam quod major aquæ copia requiratur.

12. *Trochisc.* Vide Disp.

[Viscum, *Mistel*, du Visc. glas, ou guy.

Hujus variæ Species: præ reliquis probatur quercinum, de quo supra: in usum tamen etiam veniunt Corylinum, Pomorum, Tiliæ, Salicis: rarum acatiæ innatum, circa Nassoviam Visulæ, pondus filiæ matri id ferenti inæquale: abietini mentio facta cap. 1. hujus lib.]

VIOLA. Eaque purpurea, quæ alio nomine vocatur VIOLA MARTIA, satis cognita, imprimis ea, quæ odore suavi se commendat: vocatur etiam VIOLARIA, quæ synonymia non multum variat. Quod attinet hanc violariam, ipsa imprimis planta ordinari solet vel reduci ad *emollientes*, utpote cum usus sit frequentis in Clysteribus & cataplasmatis alvum emollientibus & leniter subducentibus, it. in lotionibus pedum ubi opus est emollitione, vel aliquali somni provocatione. Huic nempe plantæ succedunt flores imprimis odorati. Hi FLORES dicti præcipuè VIOLÆ, colligendi sunt matutino tempore, quando eorum virtutes nec calor solis resolvit, nec pluvia dissipavit: nempe dum madidi sunt adhuc & roscidi à rore matutino. Hoc modo collecti flores violarum *vim habent moderatè laxativam*, quoniam per alvum leniter & suaviter expurgant, & primas vias evacuant, uti omnia parata ex his flor. hanc habent vim: SYRUPUS VIOLARUM SIMPLEX, qui ab *AUCTORE* SOLUTIVUS dicitur, ad aliquot ℥ias propinatus *leniter & egregiè purgat*: quod etiam facit COMPOSITUS cum Jujubis & Sebesten potentius, quæ etiam vim habent laxativam, uti superius dictum. Ex hâc ratione collectis violis etiam paratur CONSERVA VIOLARUM. Sic *TIMÆUS* habuit conservam violarum laxativam, quam hoc modo præparavit.

℞. *Succi violarum recenter expressi lib. j.*
Mannæ purissimæ q. s.

ad redigendum succum in consistentiam conservæ, quando manna exsiccata fuerit, novum succum adfunde, repetendo, donec manna nil succi amplius recipiat. Hinc in vase vitreo soli exponatur ad aliquot dies, & ad usum servetur. Dosis à ʒij, ad ℥ß. *laxat egregiè, & per inferiora purgat.* Hæc vis laxativa non tantum attribuitur violis recentibus, aut rore madentibus, & ex his paratis remediis, sed etiam exsiccatis: Refert namque *POTERIUS*, quod pulvis violarum siccatarum ad ʒj. exhibitus egregiè *purget & laxet*. Sunt qui per fermentationem ex floribus violarum parare contendunt SPIRITUM, & hic ipse est pretiosus, non minus quàm etiam spiritus rosarum. Præterea violæ peculiariter *pectus respiciunt & laryngem*, & conducunt in *affectibus faucium, laryngis & pectoris*, ex lympha nimis copiosa & acida, vel in *catarrhis* has partes infestantibus; *lenit enim acrimoniam lymphæ*, & simul fluidam inspissat ac incrassat, ut citius sequatur anacatharsis seu evacuatio per sputum. Quamdiu enim materia est tenuis, tamdiu frustraneus est conatus ejciendi, & nimis difficulter evacuatur lympha, simulac verò adhibentur temperantia acrimoniam lymphæ & incrassantia, qualia sunt violæ, jujubæ, sebesten, succus Glycyrrhizæ & similia, res optimè se habet. Unde notum, quod succus inspissatus & Syrupus simplex violarum præscribantur in *Tussi*: hinc in *asperitate faucium & gulæ*, uti etiam in *gutturis*, & *harum partium inflammatione*. In *asperitate faucium* est egregium remedium viola, uti etiam in *ariditate linguæ*. *Cordialis* etiam *vis* tribuitur violis, ut flor. sint inter 4. flor. *cordiales*, quales sunt flor. borrag. bugloss. Tunicæ & violæ, utut moderni non immeritò addant flores Calendulæ. Hinc adhibetur in affectibus dictis *Melancholicis* pro *corrigendo humore Melancholico* seu attemperanda nimiâ aciditate, imprimis inter

inter medicamenta *Melancholiam digerentia* aut mitigantia succus est egregium remedium, uti & parata ex illis: ad hæc in bile atra corrigenda, & attemperanda est usitata apud auctores, sicuti etiam reliqui flores Cordiales. SEMEN nunc sequitur, quod egregiè *laxat alvum*, & magis quàm flores. Præter vim alvum laxandi habet vim singularem *pellendi urinam & calculum*, estque egregium semen *nephrocatharticum*, vel uti dixi, quod *urinam & calculum pellit*, simulque *alvum laxat*, & inter semina purgantia referri solet à nonnullis. Ex hoc semine paratur EMULSIO elegans cum aqua veronicæ, quæ est singulare experimentum in *Ischuria* quacunque, sive sit ex arenulis, sive sit ex mucilagine crassa obstruente sive sit ex aliis causis. Hanc Emulsionem in *retentione Urinæ* valdoperè commendat *CRATO*, & *HARTMANNUS* habuit secretum in tali casu sive cum sive sine calculo. Vid. etiam possumus *HENRICUM ab HEER in obs*.17. qui habet experientiam Ischuriæ ingentis obortæ ex ebrietate, curatæ per Emulsionem seminis violarum purpurearum, factam cum aqua Veronicæ, additis paucis guttulis spir. vitrioli. It. in *nephritide & principio calculi & paroxysmi calculosi*, quando necesse est, ut simul alvus moderatè laxetur, ex semin.viol.℥iij. cum aqua violarum paratur Emulsio conveniens, *renes* enim *purgat* ejiciendo arenulas, & *ciendo urinam, alvumque moderatè solvit*. Denique succus Veronicæ, qui inspissatur cum saccharo, & huic adduntur semina pulverisata violarum, pro tali casu in forma Electuarii est usitatus. SYRUPUS SIMPLEX VIOLARUM confert singulariter in *Exulceratione renum*, in qua ipsa etiam non est inelegans earundem tinctura. De qua observetur, quod eliciatur ordinario cum aqua propria ex floribus, si scil. &c. uti habet *AUCTOR*: & fiat tinctura purpurea: sin verò huic tincturæ purpureæ addantur aliquot guttæ spir. vitriol. fit rubinea. Nam proprium est vitriol. acidis spiritibus, ut cœrulea in rubra mutent. Hæc tinctura parata cum spir. est egregia in *affectibus Massæ sanguineæ nimis calidis*, seu in *nimia incalescentia sanguinis*: nam *effervescentias febriles temperat & corrigit, sitim extinguit, & ventriculum non minus ac Epar egregiè corroborat*. Dari potest à guttis 12. ad 20. *PETRUS IOHANNES FABER in suo Myrothecio spagyrico lib.2. cap.*11. habeat tincturam ex violis *somniferam* seu *anodynam*, quam vid.c.loc.

CCCLXII. VITIS.

Ἄμπελος οἰνοφόρος, Vitis Vinifera. Arab. Harin. *Wein Stock, Wein Reb.* Une vigne.
Loca amat aprica: Floret Junio.

PRÆPARATA.

Folia, quibus adjungi poterit *Succus* (lacryma) ex amputatis palmitibus exstillans, sic & *Vinum*, *Omphacium*, *Tartarus*, *Uva*, *Acini* uvarum, *Uva passa*, *Vinacea*; quippe hæc omnia absque operatione officinali suppetunt.

Vires. Folia (pampini) capreolique refrigerant, astringunt validè. Usus præcip. in dysenteria, pica, vomitu exspuitione sanguinis, aliisque hæmorrhagiis sistendis, (succus expressus assumitur.) Extrinsecus refrigerant ac leniunt capitis dolores ac æstum, conciliant somnum in lotionibus pedum, ut & ipsi capiti adhibita.

Succus ex amputatis palmitibus exstillans. (Aqua Vitis, Lachryma Vitis) Intrinsecus vim habere creditur atterendi & expellendi calculum; oculorum caligini medetur ac rubedini (oculis instillata;) impetigines sanat, si locus affectus nitro antea fricatus eo lavetur.

N. De Vino Omphacio, aceto ac tartaro, vide suis locis infra.

Uva immatura (*Agresta*,) refrigerant & siccant, astringunt. Proin poterit esse usus earum in febribus ardentibus, excitant scil. appetitum, fluxum ventris sedant, ast sanguinem indigestum procreant. Vide etiam Omphacium.

Uva matura calfac.& humect.1. recenter deglutitæ, generant inflationes & cruditates ventriculi, diarrhæam & simil. magis tamen id faciunt adolescentes, minùs rufescentes. Exsiccatæ uvæ ventriculo commodiores sunt, appetitumque excitant, alvum laxant.

Uva passa, sunt uvæ maturæ vi caloris exsiccatæ, sive calore Solis exsiccatio illa peracta sit, unde passulæ dulciores resultant; sive calore clibani, unde dulco acidæ. Prostant uvarum passularum potissimùm genera tria. Passulæ scil. maximæ, seu Damascenæ, Zibebæ dictæ, *Zibeben*, des Zibebes ou Raisins des Damas, *Zibeben*. 2. Passulæ majores, Germanicè *Rosinlein*, Raisins de vigne, è quibus sunt, quas uvas Massilioticas vocant. Germanicè *blan Rosinen*. Raisins de Masseille. Passulæ minores seu Corinthiacæ, *kleine Rosinlein Corinthen*, des petits Raisins, Raisins de Corinthe.

Vires. Omnes calidæ sunt, seu temperatæ, leniunt, alvum laxant, acrimoniam hebetant, ventriculo, pulmonibus ac Epati gratæ sunt, tussim mitigant. Zibebæ dictæ, exemptis acinis (gigartis) in aqu. fontan. vel stillat. convenienti infusæ, potum ægrotis exhibent sat gratum sitique convenientem. Acini vim habent astrictoriam, conveniuntque in vomitu, alvique fluxu, sive intrinsecus, sive extrinsecus adhibeantur (torrentur scil.ac teruntur.)

Vinacea, id est, exuviæ cum acinis in expressione musti residuæ, magnarum virium perhibentur in arthriticis doloribus sedandis. Si membrum affectum vinaceis per se calescentibus imponatur.

PRÆPARATA.

1. *Aqua* ex foliis vitis tenellis destillata Maio, ad Picam gravidarum utilis.
2. *Cinis sarmentor.*

Vires. Adhibetur ad cauteria, & furfures capitis extergendos.

3. *Loch passulatum*. Vide lib.2.
4. *Mel passulatum*. Vide lib.2.
5. *Condit. passula laxativa*. V.D.
6. *Acetum Agrestinum solutivum D. Clossai*. Vide lib.2. cap 37.

[Item Acetum Passulatum paratur.]

7. Oleum ex acinis, dicitur etiam Lætitiæ, podagricis utile.

VITIS. Cujus succus seu VINUM, excrementum ejus seu Tart. & vitium seu acet. suo subsequentur loco. Hic agemus tantum de planta, de qua scripsit Tr.satis copiosum & prolixum *PHILIPPUS JACOBUS* Medicus Uratislaviensis, quem inscripsit *ampelographiam*, in quo omnia, quæ ad vitem, succum, Tart. & acet. faciunt, partim ex propria experientia, partim aliorum auctoritate longè deduxit. Quod attinet officinalia, ex his se offerunt 1. FLORES VITIS: hos ipsos flores eorumque spiritum omnium *cordialium* præstantissimum esse dicunt: Et ex his flor vitis cum aqua vitis propria paratum EXTRACTUM per infusionem egregium & celeberrimum prædicatur *cordiale ac confortans*. Bufones cum floribus vitis singularem inimicitiam habere, & ubi inveniuntur tales flores, non diu subsistere posse dicunt: quod etiam habet *GLAUBERUS* in suis scriptis.

FOLIA recentia, quæ vocantur PAMPINI, uti etiam CAPREOLI, saporis sunt subacidi: aciditate tamen constant moderatè volatili, & exinde habent vim moderatè ac blandè *adstringendi & contrahendi* fibras partium, in qua fibrarum contractione legitimus partium tonus consistit. Succus ex his foliis tantum expressus, quàm etiam aquam ex suis foliis recentibus, & tenellis adhuc *destillata* valde commendatur ad *Picam* seu *appetentiam depravatam prægnantium*: sive sola, sive cum miva Cydoniorum permista est egregia. Deinde aqua VITIS DESTILLATA, vel ex vite incisa, vel etiam arte, est specifica in *purpura puerperarum*, additis tamen etiam appropriatis aliis. Dum dixi, quod *adstringant* folia & succus, facilè patet, quomodo in *Dysenteria*, *Diarrhæa*, *vomitu* & similibus affectibus, quod habet *AUCTOR*, magis sint usus, & egregiè prosint. Externè SUCCUS capiti applicatus solet *restringere æstum*, ac temperare *Cephalalgias* ex nimia mora in sale vel loco calido contractas. FOL. VITIS externè ordinario

ordinario ingrediuntur pediluvia, *somnum blandum inducentia*. Post folia SUCCUS sequitur, qui etiam dicitur LACRYMA VITIS, item aqua vitis, quæ internè commendatur ceu *confortativum in febribus malignis*: Vim etiam obtinet *nephriticam* & *abstersivam renum*: *oculis confert* hæc aqua vitis, eorumque *abstergit maculas*, *nebulas tollit*, & *obscuritatem visus corrigit*, subtili enim sale vol. est impraegnata: notetur tamen, quod in *ophthalmia* non prosit propter aciditatem, sed saltim ad *nebulas* & *maculas*: distinguendæ enim sunt causæ. Sunt etiam, qui commendant externè contra *maculas* & *impuritates faciei*, ceu *cosmeticum*. FRUCTUS sunt UVÆ, quæ sunt vel IMMATURÆ vel MATURÆ: IMMATURÆ *constringunt* & *constipant*, uti reliqui fructus immaturi omnes, ergo ubi opus est *adstrictione*, commodè possent usurpari: rari tamen sunt usus, potius MATURÆ adhibentur, quæ sunt vel recentes vel exsiccatæ. RECENTES propter *vim fermentativam*, solent generare *flatus*, & inde concitare borborygmos ac murmura abdominis. Deinde etiam propter eandem vim fermentativam, fermentando Massam sanguineam solent inferre Diarrhæas & fluvius alvi: *ZACUT.* tamen *LUSITANUS in lib. 2. prax. admir. obs.* 131. valdè commendat usum uvarum maturarum rore adhuc madidarum in *affectibus stomachi* & aliis: Singularis est observatio & digna lectu. UVÆ EXSICCATÆ vocantur UVÆ PASSÆ, quæ sunt uvæ vitis vi caloris, sive furni, sive solis exsiccatæ, aliàs uno nomine vocantur PASSULÆ, quæ sunt vel MAJORES vel MINORES. Minores aliàs etiam vocantur PASSULÆ CORINTHIACÆ, & hoc nomine solent præscribi, sicuti passulæ majores ZIBEBÆ. Hæ ipsæ passulæ quæcunque, imprimis minores temperatæ sunt in potentiis activis, quando enim exsiccantur, phlegma tantum exspirat, relictis & adhuc præsentibus ipsis salibus activis, à quibus dependet fermentatio, sed concentratis: Unde ex his contusis cum aqua affusa parari potest egregium VINUM, quoniam nihil aliud sunt, quam mustum concentratum, & fit vel vinum simplex, vel addito saccharo fit egregiè dulce, nam saccharum simul promovet fermentationem: vel ex his passulis cum pyris Moschatellinis fit vinum compositum, & egregium ad *corrigendam cachexiam Massæ sanguineæ*: & utile in *affectibus Cachecticis*: Ex his passulis contusis cum succo pomorum Borsdorffianorum potest fieri vinum compositum egregium in *affectibus hypochondriacis* & *Melancholicis*: modo observetur legitima fermentatio, nam in hac totius rei cardo vertitur. Ulterius conveniunt in temperanda Massæ sanguineæ acrimonia, à quocunque sale excessivo orta, & temperata ita acrimonia dant oleum copiosum temperatum, roscidum, pinguem ac salsum, unde *pinguefaciunt*; quam vim non tantum JOEL *in praxi* monet, sed etiam aliquot experientiis comprobat *RIVERIUS Cent. 4. obs.* 43. 44. & 37. id quod imprimis erit conveniens, si assumatur cum amygdalis dulcibus excorticatis: hæ enim habent vim salsam & abstersivam. Quod dixi, quod conveniant in Massa sanguinea, & *Cachecticis affectibus corrigendis*, est quod dixerunt veteres, quod sint *hepaticæ*, & conveniant in *confortando hepate*, stante illorum hypothesi de sanguificationis munere Hepati delegato. Unde in quacunque sanguinis Dyscrasia habet remedium non inelegans *SOLENANDER Cons.* 11. Cujus hæc est compositio:

℞ *Uvarum Corinthiacarum lib.* j.
Rhabarbari ℥ß. *Sacchar.* ℥iv.

Misce & sicca. Usus est ante cibum cochlearis mensura plus minus, pro varietate circumstantiarum, bene mansa deglutiantur cum pauco Cinnamomi: Incredibile est, inquit *SOLENANDER*, quam multa hoc Electuarium præstet, blandè *alvum subducit*, primas vias purgat, & sanguinis crasin egregiè corrigit ac emendat. Item etiam *HORSTIUS* Pater *lib. 4. obs. obs.* 31. simile habet Electuarium ex passulis, aliquantisper cum aromatis magis compositum, expertum in *Cachecticis* & *hydropicis affectibus*, Vid. cit. loc. Acrimoniam quamcunque humorum hebetant passulæ. Unde in iisdem *affectibus pectoris*, in quibus adest *Tussis nimia asperitas* & *raucedo* ex lympha acri & acida, valdè conveniunt passulæ: imprimis rob seu succus expressus & inspissatus. Unde etiam in officinis habetur. LOHOCH PASSULARUM, quod in *asperitate faucium*, & *pectoris* valdè est utile sensim sensimque deglutitum. In *affectibus pectoris*, *Tussi* & *raucedine* valdè convenit. Unde incoquuntur passulæ in nodulis & potionibus Magistralibus pectoris. Ubi id observetur, quod tunc semper præscribantur exacinatæ. Nam acini *vim* habent *adstrictoriam* leniter, & hinc etiam *vim pellendi urinam* quod non semper est conveniens; nam sæpius præscribuntur pro scopo laxativo, cum mustum vim habeat laxandi: Unde etiam passulæ obtinent vires alvum obstructam & induratam reserandi, hincque ROB PASSULARUM veteres concedunt prægnantibus, in quibus purgantia sunt periculosa: imprimis quando intumescit uterus, ut alvus adstringatur, quam apertam servat rob vel succus passularum. Unde quidam parant passulas laxativas in specie, quarum compositio est multivaria, nihilominus imprimis ita fieri possunt.

℞. Passularum quantum vis, coque, donec intumescant, postmodum ℞. Diagrydii dissoluti in vino albo, quod Diagrydium dissolutum denuò inspissa & pulverisa. Hujus pulveris recipe ℈j. eumque insperge passularum ℥j. dum imprimis adhuc calent ex coctione, misce probè, & sicca ad solem, sic enim optimè purgant, & grati ac elegantis sunt saporis: Passulæ ulterius egregiam *vim* obtinent *compescendi sitim*; non enim in omnibus affectibus conveniens est medicamentum vel acidum, vel copiosæ aquæ ingurgitatio: sitis namque oritur ex acri saliva, & aliis humoribus infestantibus linguam aut guttur: v. gr. In *hydrope*, *Cachexiis* & *scorbuto*, ubi est intensissima sitis propter acrimoniam salivæ & lymphæ, & non licet aquosa assumere, hæc enim augent aquam, nec acida, quippe quæ quamplurimos tam in intestinis, quam Massa sanguinea inducunt affectus: in talibus ergo casibus, ubi non commodè usurpantur aquosa vel acida, conveniunt passulæ & decoctum passularum pro *compescenda siti*, quoniam acrimoniam salsam, exque illa productam sitim corrigunt, & etiam dum temperant acrimoniam humorum, indeque obortas effervescentias compescunt, adeoque moderatè *refrigerant*, & in multis affectibus propter acrimoniam humorum nimiam conveniunt. Sequuntur denique VINACEA. Hæc ipsa vinacea singulariter & specificè prosunt in *articulorum doloribus*: imprimis in *Ischiade*, conveniunt, si scil. membra *arthritica*, vel dolentes partes nervosæ & articuli imponuntur in vinacea per se spontè incalescentia, quando enim ad tempus steterunt, incipiunt fermentare & incalescere; uti etiam, si totum corpus usque ac umbilicum immittatur his vinaceis calentibus, tunc conveniunt in *Ischiade*: Cujus rei egregiam habet experientiam à *CASTRO*, qui propriam sororem, desperatâ *Ischiade* laborantem, per incessum corporis in vinacea recentia per se incalescentia curavit. Unde hoc oriatur, videmus egregiè explicatum in *ZUVÖLFERI Apologia contra Tachenium*, *p.* 204. qui derivat ex sale volatili vinacearum, per fermentationem exsuscitatum, quod ubi ingreditur membra arthritica, corrigit acidum arthriticum, evocando per poros cutis, quo evacuato cessat dolor ab acido pungente & vellicante nervos inductus.

inductus. Unde ſal VOL. VINACEARUM, dum corrigit acidum, & per poros evocat, ſenſibiliterque quaſi his affectibus convenit. Idem *CASTRO* in ſupra citata experientia etiam hoc obſervavit, quod per talem inſeſſum in vinaceis recentibus calentibus non tantum curatus fuerit *dolor Iſchiaticus*, ſed etiam *menſes cœperint fluere*, qui per longum tempus reſtricti, per nullum aliud medicamentum potuerunt provocari. Demerſione femorum in vindemiam calidam poſt vini extractionem, vel in vinacea per ſe ſpontè incaleſcentia, *tumorem teſticuli* cum inflammatione & rubore, per multos annos qui duraverat, curavit *BORELLUS*: it. *Podagricum* ex cauſa frigida, qui nulla remedia utilia experiri potuerat, ſimili remedio mirè levavit, imò ferè curavit: ſed ſemel in anno illud uſurpandum eſt. Vid. *BORELL. Cent. 2. obſ. 42. p. 145.* Inter præparata eſt CINIS SARMENTORUM VITIS, qui inter cauteria ſolet referri. ROB PASSULARUM ad magnitudinem nucis Caſtaneæ egregiè convenit *in alvi adſtrictionibus*, moderatè emolliendo, uti etiam in *fœcibus induratis*, ſi hoc fiat ex nimiâ quiete, vel pauco potu, quod contingit in vitam ſedentariam viventibus, uti imprimis etiam in prægnantibus, ex his ſi adſtringatur alvus, multum conducit Rob paſſularum in eâdem laxanda. Unde etiam in tali alvi obſtructione commendari ſolet Clyſter, qui fit ex paſſulis lib. 1ß. coctis in jure vituli, deinde colatis & expreſſis per linteum, ex quâ expreſſione fit Enema in *fœcibus induratis* & *longa alvi retentione*, à quiete nimia & potu parco, imprimis in gravidis, uti dixi. De vino & aceto habebimus, ubi de alterantibus ſecundariis.

CCCLX. VIRGA AUREA.

Virga aurea C.B. eſt {
1. V. A. major ſeu Doria.
2. V. A. latifolia ſerrata. *Hujus loci.*
3. V. A. anguſtifolia ſerrata. *Hæc & Sarracenica dici ur.*
4. V. A. anguſtifol. minùs Serrata. *Hæc Serratæ ſubrogari apta eſt.*

Secunda dicitur virga aurea, *Cam. Epit. Ger.* V.A. ſerratis foliis, *Tab.* V.A. altera *ſerrato folio*, *Lob.* V. A. minor laciniatis foliis, *Cam. German. gulden Vvundkraut, ein ander Heidniſch Vvundkraut.* Verge d'or.

Quarta dicitur V. A. *Matth. Dod. Lon. Caſt.* Villanovani, *Lob.* V.A. foliis non ſerratis, *Cam. Epit.* V.A. major anguſtifolia, *Cam.* Symphytum petræum, 3. *Tab.*

Creſcit anguſtifolia utplurimùm in ſylvis: latifolia in collibus, agrorumque marginibus & vineis. Floret Julio & Auguſto.

OFFICIN. NAT.

Folia & Flores.

Vires. Utraque calf. & ſicc. 2. aſtringit, vulneraria eſt celeberrima, intrinſecus & extrinſecus adhibita, nec non & lithontriptica diureticaque non è poſtremis. Confert itidem diarrhææ & dyſenteriæ, ſanguinis exſpuitioni medetur, mucilaginem renum & ureterum efficaciter abſtergit, putredinem gingivarum, dentiumque vacillationem curat.

PRÆPARATA.

Aqu. ſtillat. Ex herba cum flor. Julio & Auguſto collecta.

VIRGA AUREA. Quæ eſt planta quidem communis, & dicitur Gulden-Kinſel, item Gulden-Bundraut, hoc nominis obtinuit propter vim, quam habet *vulnerariam*, quaſi ſcilicet auro non ſit redimenda ejus vis vulneraria: FOL. & FLOR. ſunt experti in *recentibus & inveteratis curandis*, interno pariter uſu atque externo & quocunque modo *vulnera ſolent contingere.* Præter vim vulnerariam habet etiam *nephriticam*, dum conducit in *affectibus renum & veſica*, ſive ſint arenulæ, ſive mucilago, & hinc obſtructiones ſive exulceratæ, in omnibus convenit, cum ſimul *urinam pellat.* Obſervetur benè, quod vulneraria ſint imprimis etiam *Diuretica*, quod aliquantiſper poteſt affundere lucem, quomodo Diuretica moveant urinam: ſed ſapienti ſat. Sequitur altera ſpecies virgæ aureæ dicta:

CCCLXI. VIRGA AUREA, ALIAS CONSOLIDA SARRACENICA.

Solidago Sarracenica, *Trag. Fuchſ. Dod. Lon. Lob.* Conſolida aurea, *Tab.* Herba Doria, *Ger. icon.* Virga aurea anguſtifolia ſerrata, C.B. 3. *Heidniſch Vvundkraut.* Conſolide Saraſine.

Creſcit in locis montanis, ſed magis udis & depreſſis.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Aſtringit, amara eſt, ſiccatque evidentiſſimè, vulneraria eſt inſignis uſu interno & externo adhiberi apta, medetur fiſtulis, ulcera maligna mundificat ac ſanat.

CONSOLIDA SARRACENICA. Eſt ejuſdem potentiæ atque virtutis cum communi, amarioris aliquantiſper eſt ſaporis, & magis deterſivi, adeoque in *vulneribus antiquis* & in *Ulcera abeuntibus* convenit, & in aliis *vulneribus*, ſive *ulceribus malignis dyſepulotis & cacoetheis.* Extrinſecus uſus eſt egregii: quoniam *acidum corruptivum temperat*, *purificat & mundificat*, ut ſpontè ſequatur *conſolidatio ulcerum.*

CCCLXII. ULMARIA.

Barba Caprina, 1. *Lon.* Barba Capræ, *Lob.* Barbula Caprina, 1. *Trag.* Medeſuſium, *Cord. hiſt.* Regina prati, *Dod. Ger.* Ulmaria, *Cluſ. Tab.* Barba capræ floribus compactis, C.B. 2. Germanicè, *Geiſz-Bart.* Barbe de Chévre, Reine des prez.

Creſcit locis udis, juxta flumina, & ſim. Floret Junio & Julio.

OFFICIN. NAT.

Folia cum floribus, & nonnunquam radix.

Vires. Refrig. ſiccat, aſtringit, ſudorifera & alexipharmaca eſt, proin convenit in fluxibus omnis generis, in diarrhæa, dyſenteria, fluxu menſtruo, necnon in exſpuitione ſanguinis, reſiſtit peſti. Extrinſecus ſunt, qui radicem recentem contuſam vulneribus imponunt, tum ad ſiſtendum ſanguinem, tum ad conſolidanda vulnera.

PRÆPARATA.

1. *Aqu. ſtillat.* Ex foliis cum floribus.
2. *Extract.* Quod admodum Quercetano probatur in peſte. *Pharm. Reſt. cap. 26.*

ULMARIA. Quæ aliàs etiam vocatur REGINA PRATI: it. BARBA CAPRÆ, propter florem, qui ſimilis eſt barbæ caprinæ: in uſum exhibet FOLIA & FLOR. imo etiam RADIC. quoniam tota planta eſt *alexipharmaca* & egregiè *ſudorifera*, *pellens malignitatem* beneficio ſudoris foràs. Unde etiam in *morbis Epidemicis*, *malignis*, frequentis eſt uſus, in ſpecie in *fluxibus alvi*, *diarrhæis & Dyſenteriis Epidemicis* in autumno utplurimum graſſantibus: & aqua DESTILLATA ſæpius inſervit pro vehiculo medicamentis Bezoardicis in *morbis malignis.* EXTRACTUM, quod vid. in *Pharmacop. QUERCETANI*, commendatur ab *AUCTORE* contra *peſtem & febres malignas.*

CCCLXIV. URTICA.

Ἀκαλήφη. Urtica C.B. est { Vrens { Maxima, Minor, Romana. } *Hæc usualis.* — Fatua est Cannabis sylvestris. — Mortua, *vide infra.* }

Maxima dicitur Urtica major, *Brunsfels. Fuchs. Lon. Tab.* Urtica vulgaris Urens, 1. *Trag.* Urtic. 2. *Matth. Cast.* Urtica, *Cord. in D.* Urt. urens, *Ger.* Urt. urens altera, *Dod.* Urtic. sylvestris asperior, *Lob.* Urt. communis seu major & fœmina, *Lob.* Urtica urens maxima, C.B 1. Germanicè, *grosse heisse Brennessel.* Ortie vive, grande, Romaine.

Minor insignitur Vrtica minor, *Brunsf. Fuchs. Cord. hist. Lon. Tab. Ger.* Vrtic. 3. *Trag. Matthiol. Cast.* Vrtica urens minima, *Dod.* Vrtica minor acrior, *Lob.* Vrtica urens minor, C.B 3. *heiter Nessel.*

Romana dicitur Vrtica legitima, *Clus. hist.* Vrt. Rom. *Trag. Fuchs. Matthiol.* Romana vel macula, *Lob. Cam. Tab. Ger.* Vrtic. 1. *Matthiol. Cast.* Vrtica urens, 1. *Dod.* German. *Romische Vuelsche Nessel.*

1. & 2. Crescunt passim locis arenosis juxta sepes ac muros, &c. Prior potissimùm sylvas amat. 3. Colitur in hortis. Omnes vigent æstate.

OFFICIN. NAT.

Vrticæ maximæ *Radix*, *Semen*, (Julio & Augusto colligendum, *Folia.* Minoris *Herba*, Romanæ *Semen.*

Vires. Vrtica omnis calf. moderatè & sicc. 2. partium tenuium est, aperit, incidit, absterg. emollit, dieuretica est, & lithontriptica, peculiariterque cicutæ adversatur, ut & Hyoscyamo. Radix (urticæ maximæ) commendatur maximoperè ad Icterum. Herbæ usus in gangræna (decocta & propinata.) Eadem in olere sumpta [prima videlicet germina] solvit alvum, abstergit Renes, calculos expellit, expectorationem, morbillorumque eruptionem promovet: Semen (Romanæ) usus crebri est in Pulmonum affectibus, asthmate, tussi contumaci, pleuritide, peripneumonia. Extrinsecus reprimit urtica uvulam inflammatam (in gargaris.) sedat hæmorrhagiam narium (urtica minor, scil. contusa vel & succus ejus expressus naribus inditus,) gangrænam mundificat.

N. 1. *Noverunt* & Chirurgi urentis urticæ fricatu sanguinem allicere, adeoque atrophiæ subvenire.

N. 2. *Prurigini* ab urtica introductæ medetur oleum olivarum.

PRÆPARATA.

Oleum ex semine expressum.

Vires. Fissuris labiorum & mammarum convenit. (Sebis.)

URTICA. Quæ est vel *urens* vel *mortua*, Imprimis quidem urtica urens satis solet esse cognita. Cujus ustio & urendi virtus fit per puncturam aculei, deinde per humorem acrem, qui circa basin aculei est consitus, Nam aculei sunt cavi, unde quando perforant cutim, penetrat simul succus, & salina vis communicatur parti, ubi salina sua acrimonia ardorem concitat, & partes fermentativas fermentat, & fit tuberculum. Vid. experimenta neotericorum imprimis Anglorum, qui observarunt per microscopia tales aculeos excavatos talemque humorem. Virtutes medicas quod attinet, est dicata *pulmonibus.* Vnde pulverisata folia Vrticæ solent commendari in *phthisi & affectibus pulmonum.* Deinde urtica & ejus SEMEN expertum est contra *calculum*, & in *affectibus calculosis in pulmonibus*, *renibus & vesica.* In calculosis affectibus est usitatissima. HERBÆ usus, dum contunditur & applicatur, vel dum *succus ex radice* exprimitur & applicatur, solet commendari singulariter contra *gangrænam.* Ne frigus noceat solet ceu præsentaneum remedium commendari semen urticæ, cum sevo hircino, aut oleo Laurino & cerâ illitum, sic enim nullum frigus sentiri inquiunt. Inprimis tamen excellentissimus omnium est succus urticæ contra quemcunque *sanguinis fluxum*, seu *hæmorrhagiam*, in quibus expertissima est Vrtica major: sic RIVERIUS *Cent.* 4. *obs.* 81. expertus est, quod succus urticæ ad ʒß. propinatus *fluxum nimium mensium sistat*, id quod etiam facit in nimio *fluxu hæmorrhoidum*, ad *hæmorrhagiam narium*, ad *exspuitionem sanguinis*, ad *vomitum sanguinis*: in summa, ad quascunque *hæmorrhagias* valdè commendatur Vrtica, de quo omnes testantur Practici, & imprimis RIVERIUS *prax. lib.* 2. *cap.* 8. BORELLUS *Cent.* 1. *obs.* 95. qui etiam non ineleganti utitur discursu, quod faciat idem, sive internè assumatur succus, vel etiam aqua ex rad. urticæ urentis DESTILLATA, & quidem hæc in specie cum spir. vitrioli leviter acidulata, & frigida assumta *vomitum sanguinis sedare* dicitur. Item in *nimio narium fluxu*, ubi propter cicumstantias interna propinari nequeunt, adhibita extrinsecus folia urticæ conveniunt, si scil. contusa plantis pedum & volis manuum applicentur, & linteum aqua frigida Vrticæ, vel ejus succo madefactum circa scrotum, vel testes ponatur, & denique turundæ ex cepis, aquæ vel succo urticæ immersæ (vel etiam ex linteo paratæ, & immersæ succo Vrticæ) naribus indantur, hisce enim externis brevi post narium fluxus intercipitur. AMAT. LUSITANUS habet etiam egregiam experientiam hæmorrhagiæ nimiæ, uti & mensium fluxus nimii, per succum urticæ curati.

CCCLXV. URTICA MORTUA, SEU GALIOPSIS.

VAria genera & urticæ mortuæ passim observantur, colore, odore, figurâ, & simil. differentiâ. Datur fœtida & non fœtida: maculata & non maculata: flore purpureo, albo, luteo. Primas autem præ cæteris dant fœtidæ ac præcipuè maculatæ, quam geminam suspicantur. Galiopsis Dioscoridis, ex lacteo scil. ductu, qui folia media in longum intersecat. Huic subrogari tamen non nequit & fœtida non maculata.

Maculata insignitur Lamium albâ lineâ notatum, C.B. 5. Vrtica lactea, *Matthiol.* Galiopsis Dioscoridis, *Cam.* Milzadella *vulgò*, seu Lienaria [quòd lieni conveniat.]

Non maculata est, quæ inscribitur Lamium purpureum fœtidum folio subrotundo, seu Galiopsis Dioscoridis, C.B. 1. Vrtica labeo mas, *Brunsf.* Lamium, *Trag.* [vel urtica 8. 9. 10] *Fuchs.* Galiopsis, *Cord. hist. Lon.* 2 *Tab.* purpurea, *Cast.* Vrtica iners altera, *Dod.* non mordax, *Lob.* Ortie morte.

Crescunt juxta sepes, parietes, vias, in ruderibus, &c. magna ex parte totâ æstate florent.

OFFICIN. NAT.

Herba cum floribus.

Vires. Calfac. & siccat, præcipuè commendatur Galiopsis fl. purpureo ad dysenteriam (decoctum propinatum) flores albi ad fluorem album specificè celebrantur. Extrinsecus medetur urtica pano, hæmorrhoïdum tumori, &c.

PRÆPAR.

Conserv. Ex floribus albis.

VRTICA MORTUA. GALIOPSIS vulgari nomine vocatur. Hujus duæ sunt differentiæ, quædam vocantur LAMIA, quædam Galiopsides: Lamia sunt majora, Galiopsides minores: Galiopsidum 3. dantur species, *flore albo*, *rubro & luteo*, & promiscuè sunt in usu. Dicitur Galiopsis, quoniam flores quasi repræsentant Galeam: deinde quædam adhuc sunt *maculatæ*, quædam *non maculatæ*, maculata vocatur ab Italis MILZATELLA, quæ est species urticæ mortuæ, & aliàs dicitur LAMIUM MACULATUM: Dicitur Milzatella propter specificam

vim

vim in *affectibus lienis*, qui ab Italis vocatur Milza, *in scirrho, induratione & obstructione splenis.* De qua Milzatella videri potest SOLENANDER *Consil.*12. & ex eo SCHENCK *lib.* 3. *observ.* ubi de splene, uti etiam HARTMANNUS *in praxi Chymiat. cap* 178. § 3. reliquas Galiopsides seu urticas mortuas quod attinet, ista quæ est flore purpureo, commendatur ab AUCTORE specificè contra *fluorem album mulierum.* Nam sive sit *Gonorrhæa vera*, sive *notha mulierum*, seu *fluxus albus uteri*, flores Galiopsides seu Lamii sunt insignes, sive assumatur ex floribus parata conserva, sive assumatur decoctum in vino, perinde est, valdè proderit, etiam externè in pediluviis commendatur in tali casu Galiopsis flore albo, & novi nobilem fœminam ante paucos annos decocto solo Galiopsidos in vino albo curatam, cum aliàs nullum voluisset conducere remedium. Est planta ab AUCTORE neglecta, quæ vocatur.

UVULARIA.

A Quibusdam BONIFACIA seu BISLINGUA vocatur imprimis Uvularia, quæ id nominis accepit propter egregium usum in *affectibus faucium*, imprimis contra *affectus uvulæ*, in specie quidem in ejusdem *prolapsu & nimia laxatione*, hæc scil. in decocto instar Gargarismatis usurpata: ab aliis solet radix & herba infundi potui, & ita potus usurpari. Infantulis appendi solet instar Amuleti, ut præcaveat *laxitatem uvulæ.* Postmodum in principio *inflammationis uvulæ*, item *Gangræna*, cum aqua veronicæ commendatur, vid. TABERNÆMONTANUS in Herbario & JOEL.

UVA SPINA.

Uva spina seu crispa. Grossula, *Matt. Closterbeeren, Krauselbeeren, Stichelbeeren.* Ital. Uva Macina.

Est { Hortensis, baccis interdum hirsutis.
Sylvestris.

Baccæ immaturæ appetitum excitant, Cholericis loco agrestæ in brodiis, conducunt gravidis, in alvi fluxu, fluore albo, gonorrhœa.

Z.

CCCLXVI. ZEDOARIA.

Zedoaria. *Zitvver.* Du Zedoar. est C.B.
{ 1. longa
2. rotunda. } *Hæ promiscuè usuales.*
3. Tuberosa nigricans.
4. Geiduar. } *inusitatæ.*

1. Insignitur Zedoaria, *Lon. Matt. Lob.* Zed. radice longâ, *Clus. in Coroll.* Zedoaria veterum & Arnabi 2. species radice longâ, *Cord. hist.* C.B. Zadura, Zaduar, Zudar, &c. *Fuchs. in comp. med.*

2. Dicitur Zerumber Serapionis, *Lob.* Zurumbethum, *Cord. hist.* Zerumbeth & Zedoaria rotunda, *Fuchs. comp.* [Radix Bezoartica Sinensis.]

N. 1. *Datas* has Zedoarias non differre inter se; nisi solâ formâ, adeoque ejusdem radicis partes esse, videre licet apud Lobellium in advers. & observ.

N. 2. *Tabernæmontanus* & Matthiolus Zedoariam Avicennæ nihil aliud esse, quàm Antoram modernorum, probare nituntur: Dodonæus Zedoariam officinarum pro Zerumbeth Avicennæ & Serapionis habet.

Advehitur è Sinarum regione & ab extremis Indiæ finibus.

OFFICIN. NAT.

Radix sola.

Eligitur odorata, albida, amara, ponderosa, non cariosa.

Vires. Calfac. & sicc. 2. incid. flatus discutit, amarissimi est saporis ac alexipharmaca. Usus præcip. in doloribus colicis atque ventriculi: animalium venenatorum morsibus opitulatur, lienteriam sistit, vomitiones reprimit, menses ciet, suffocationi uteri efficaciter succurrit, alvi tineas quascunque enecat, antidotis permiscetur.

PRÆPARATA.

1. *Condit. Zedoaria.* Conditur ut Zinziber.
2. *Confect. Zedoaria* Fit l. comm.
3. *Extract.* Fit cum spir. vin.
N. *Substitui* poterit decoctum inspissatum.
4. *Ole. stillat.* cum aqu. ascendit.
5. *Stillat. simpl. & cum Vino.*
6. *Balsamus* Ex oleo & corpore olei nucistæ.
[Morsui de Zedoaria Prophylactici parantur]

ZEDOARIA Radix exotica, aromatica tamen egregia, imprægnata copioso acri volatili sale. Hæc uti aromata omnia est egregiè *carminativa*, & quidem vix datur aroma, quod magis vel impediat, vel *discutiat flatus*, quam Zedoaria, præterea quoque egregiè mulieribus prodest. Cum spir. vini ex rad. Zedoariæ fit elegans tinctura rubicunda, valdè conveniens in *affectibus stomachi & intestinorum*, in specie in *Colica*; Et egregium destillatum stomachicum ex Zedoaria habet HORSTIUS *lib.* 4. *obs. obs.* 1. *& obs.* 28. non quidem artificiosum, sed fructuosum, Zedoaria valdè etiam in usu est, & commendata mulieribus pro *ciendis mensibus*, sive in substantia, sive sub forma pulveris, sive usurpetur ejusdem extractum. Post menses, quos provocat, etiam convenit in *suffocatione uterina*, & imprimis *in doloribus post partum. Lumbricos intestinorum potenter enecat* Zedoaria. *Vapores mineralium acidos & venenatos corrigit* Zedoaria & reprimit: unde vel metallariis, vel etiam Chymiæ operatoribus debet esse commendatissima. In ore detenta radix præservat medicum, dum invisat ægros maligno & contagioso morbo affectos, de quo vid. imprimis RULANDUS in *Tractatu de febri Hungaricâ.* Aliàs ab HARTMANNO & LINDANO multum commendatur ad *stomachum restaurandum*, & *inhibendum Pituitæ proventum.* Oleum est *stomachicum.* Acetum est egregium in *peste*, in quâ confert valdopere præservando.

CCCLXVII. ZINZIBER. ZINGIBER.

Ζιγγίβερ, Ζιγγίβερις, Γιγγίβερις, Zingiber, *Lob. Monard.* Zingiber & ejus siliqua, *Matth.* Zinziber, *Lon.* Gingiber, *Garz. ab H.* Arab. Zingibel seu Lengibel. [Mas dicitur Anchoa, Fœmina Chilli Mexicanis.] German. *Imber, Ingber*, du Zingembre.

N Reperiuntur apud Aromatarios radices albæ & rubentes: hæ rubricâ, illæ sæpè cretâ infectæ, quo à teredinibus, quibus candidiores & molliores magis obnoxiæ, præserventur.

Advehitur copiosum ex Calecut Indiæ Emporio, atque ex Troglodytica Arabica.

Vires. Calfac. potenter, sed non primo statim occursu, adeoque partium est crassiorum, earumque non terrestrium, sed aquearum, & consequenter humectantium: aperit, incidit, attenuat. Confert ventriculo, thoraci, aliisque visceribus, appetitum prostratum excitat, putredini ac malignitati humorum resistit.

PRÆPARATA.

1. *Zingiber in Indin seu Chinn conditum.* Convehitur ad nos ex India conditum scil. recenter saccharo, vel quodam mellis genere, quod quibusdam è siliquis exprimunt.

2. *Conditum nostras.* Fit lege commun. Vide lib. 2.

3. *Confectio Zingiberis.* Macera radices aliquandiu in aqu. vel lixivio, postea scinde in tenues & oblongas particulas, exsiccaque: hinc confice l. c.

4. *Zingiber laxativum*. V. August.
5. *Spec. Diazingiber*. V. Disp.
6. *Ol. stillat*. Fit l.c. Vid. lib. 2.

ZINGIBER. Radix aromatica ex Cyperorum generibus, exotica ex Indiis allata. Hoc Zingiber ratione saporis sui acris non multum abest à Zedoaria: Hoc tamen imprimis habet peculiare, quod *cruditatem acidam* & *viscidam* in *stomacho* & *intestinis* solet absumere, vel attenuare, liquefacere, & excrementorum promovere ejectionem, optimè corrigit folia sennæ: Unde cum senna usitatè præscribitur in purgationibus. *Sudorem movet*: unde ex Zingibere & Guajaco fit insignis potio sudorifera, teste *LANGIO Commentario in Fabrum*. Denique Zingiber crassum *infarctum pulmonum attenuat*: Tenuem verò lympham & acrem attemperat. Unde in *Tussi inveterata*, & imprimis in *asthmate* est egregium. Iis qui *caliginosis sunt oculis*, valdopere convenit Zingiber, cum tales affectus oriantur ex stomacho: Imprimis ZINGIBER in INDIA, seu CHINA CONDITUM: istud est *egregium stomachicum*, & *affectus in oculis obortos* similiter *corrigit*.

SECTIO II.

SECTIO II.

DE

ALTERANTIBUS SECUNDARIIS.

ABSOLVIMUS alterantia dicta primaria, seu quæ sunt desumpta immediatè ex herba, foliis scil. radice, cortice, ligno, semine, &c. sequuntur ALTERANTIA SECUNDARIA, ita dicta, quod immediatè à primariis fiant: utpote sunt SUCCI CONCRETI, RESINÆ, &c. ex primariis partim naturæ, partim artis beneficio educta, inter quæ primum se offert.

CCCLXVIII. ACETUM.

ACetum est liquor Aciditate terrestriori ac fixiori (Vitriolicam vocant) imprægnata.

Delectus: Acetorum maxima diversitas est, variantque naturâ, viribus ac præstantiâ, pro varietate rerum ex quibus ea confecta sunt. Sunt enim aceta ex vino, cerevisia, ex succis fructuum (pomaceis, pyraceis,) ex melle, &c.

Usitatiora autem sunt vinacea, quæ recipienda quoties aceti simpliciter fit mentio.

Hæc itidem variantia occurrunt. (Etenim ut vinum differt præstantia, ita & Aceta exinde confecta. Eligantur igitur quæ ex meliori ac generosiori vino, utpote omnium vegetabilium principe, & maximè omnium vitriolato, confecta sunt.

N. Ad menstrua metallis solvendis destinanda, eligenda sunt in primis aceta hydromelitum vinosorum, utpote quæ cum manna cœlesti (melle) naturam animalem præter vegetabilem ex floribus induerunt, atque ita alia menstrua solvendi potentiâ superant. Et hæc sunt aceta illa Philosophis usitata, unde & Philosophica dici solent, de quibus amplius in menstruorum descriptione, lib. 2. c. 77. *Vide etiam Quercet. in Te rad.*

N. De reliquis Acetis cerevisiarum, succ. pomaceorum aut pyraceorum immaturorum, viliorumve vinorum, notetur, quod rerum metallicarum solutionibus minus sufficiant.

Vires Substantiæ acetum est mixtæ, frigidæ ac calidæ [Superat tamen frigiditas caliditatem] in reliquis siccæ. Partium est tenuium, atten. penetr. astring. putredini resistit, sudorem ciet.

N. Acetum accedit proximè ad naturam Vitrioli, primasque tenet præ cæteris correctivis, quorum operâ gummi calfacientia succive venenati corriguntur. Per se quoque singulare est remedium adversus ictus serpentum etiam venenatissimorum, quales sunt aspides. *Quercet. in Pharm. rest. c.* 24.

PRÆPARATA.

I. ACETA DESTILLATA.

1. *Acetum destillatum commune.*

℞. Acet Fortissimum, destilletur ex cucurbita vitrea in B. M. vel cineribus leniss. calore: primò ascendit phlegma insipidum (fermè quarta pars liquoris,) quod phlegma ubi exstillaverit (acido odore & sapore id deprehenderis) muta recipiens, colligeque acet. destill. (spir acet.) seorsim, continuando destillationem donec spiritus omnis ascenderit.

N. 1. Si ad extracta ususque medicos acet. destill. destinetur, cauto opus est, ne nimium urgendo ἐμπύρευμα concilietur: sin verò ad metallicos labores, urgendum erit donec rubri spiritus attollantur, nihilque amplius spirituum exeat: id felicius fiet in arena.

N. 2. Alij rectificant aliquoties cohobando, tandemque partem aliquam phlegmatis lento M B calore abstrahunt. *Sen. inst.*

Vires. Phlegmatis usus esse potest in Extractionibus quibusdam. E. g. viridis æris, pro conficiendo Vitriolo veneris, & aliarum Tincturarum.

2. Acetum ex fæcibus.

℞. Fæces. acet. (*die Mutter von Wein-Essig,*) du Vinaigre: destilla per vesicam cum refrigeratorio, ac prodibit acet. destill. igneum.

Vires. Solvit metalla, &c. *Kesler.* 4. *cap.* 65.

3. *Acetum Radicatum*, seu alkalisatum.

℞. Fæcum ex acet. destill. destillatione relictarum ℔. 3. vel 4. calcina ad siccitatem, dein affunde acet. destill. idque iterum abstrahe in arena, toties cohobando, donec omnis sal cum acet. destill. ascenderit. *Sennert. instit.*

Aliter. ℞. Sal. com. aceti volatilis (vide infra) p. 1. acet. destill. p. 4. confunde & destilla per arenam in retorta, dando in fine ignem satis fortem. Destillatum destilla iterum supra Sal com. fixum, cohobiis toties repetitis, donec omne cum acet. destill. ascenderit. *Beg. lib.* 2. *cap.* 5.

℞. Aceti mens. 1. affunde supra tart. calcin. ℔. ß. Sal. com. ℥iv. destilla, cohobaque aliquoties, tandemque supra recentem tart. calcin. & Sal funde, destillationemque reitera. *Vide Kesler.* 4. *cap.* 78.

4. *Acetum mellitum.*

℞. Mell. ℔. 4. acet. ad emin. 4. digitor. destilla ex arena Exit aqua acerba, quam rectifica.

Vires. Solvit Corallia, Margaritas, & reliquos lapides pretiosos.

5. Acetum Terebinthinatum.

Fit ex aceto & Terebinthina per retort. simul destillatis, hinc oleo & spiritu ab aqu. separatis. *Hartman.*

6. Spiritus aceti S. Closs.

Destillentur ℔. vj. in MB. paulò ultra tepidum incalescente, donec sexta tantùm pars restet, ℔j. vix excedens, quæ unà cum cucurbita & alimbico in cineres transportetur, & destilletur ad siccitatem usque cum cohobio ter & quater super fæces repetito. Quod si adhuc fortiorem exoptes, tunc ex crystallis fæcum acet. cum boli s. q. globulos concinna, qui per retort. acti igne nudo in Recip. quod prædictum acet. spiritum contineat, rectificatique igneum, atque corrosivum Spir. dabunt metallorum solutionibus aptissimum.

N. Sal com. evanescit ab Extractis & Tincturis quibuslibet per putrefactionem cum spirit. & abstractionem fortem in cineribus. Sic enim Sal fit volatile & ℥ß illius qualibet vice ascendit.

7. Syrupus acetosus simplex Mes.

8. Syrup. acetosus comp. Mes.

9. Syrup. acetosus diarhodon. Mes.

II. CRYSTALLI EX ACETO.

℞. acet. ad mellis consistentiam inspissatum, repone ad crystallisandum s. artem. Crystallos purifica solvendo (e. g. in phlegmate acet. abstracto,) & crystallisando. *Libavius.*

[Vide Untzerum, qui calculos valide pellere prodit.]

ACETUM. De quo PLINIJ effatum, quod *vini vitium* vertatur in medicamentum, quod intelligendum est de aceto. Et quidem non tantum ex vino, sed ex quibuscunque vegetabilium succis potest fieri acetum si scil. fermentatione salia volatilia exaltentur, & acido concentrentur, sicque acorem contrahant: & non tantum ex vegetabilibus nativis fit acetum sed etiam ex decoctis: ex nativis v. gr. ex succo

succo uvarum, pyrorum, pomorum, Cydoniorum, ex omnibus his & similibus fit tandem acetum. Ex decoctis & infusis fit acetum quo pertinent acetum ex cerevisiis paratum, & ex quibuscunque infusis: recipiatur enim planta quæcunque, decoquatur in aqua simplici, & in loco calido vel soli exponatur & acescet. Animalium partes imprimis carnosæ in acetũ degenerant: v. gr. si quidam tempore æstivo decoquat carnem in aqua simplici, & brevi caro ista acescet, & acorem contrahet instar aceti. Ex melle etiam cum aqua simplici per fermentationem fit egregium acetum mordax & acre, quod à *QVERCETANO* vocari solet ACET. PHILOSOPHICUM, quoniam usurpatur à Chymicis in solvendis metallis & mineralibus, de quo vid. *AVCTOR.* Potest tamen etiam fieri acetum extemporaneum, quod parandum docet *SCHMVCK Thesaur 2. secreto physico 12.* qui extemporaneum parat acetum ex cremore tartari acido & fœcibus acet. aqu. affusa. Subito enim fermentant & in acet. abeunt. Modus generationis acet. fit per fermentationem, dum scil. in liquoribus per fermentationem (vel succo crudo) v. gr. musto volatilisantur partes subtiles, & blandè combinantur cum partibus acidis, & sic fit vinum Hoc quando superstat fœcibus propriis Tartareis, quæ impregnatæ sunt copiosis partibus volatilibus & acidis, fit ut partes fermentativæ fœcum sensim sensimque, agere incipiant in vinum, quo fit, ut vinum fermentet, quâ fermentatione partes volatiles partim exhalant, partim à reliquis acidis figuntur & subiguntur. Dum ergo acidum figit, subigit & assimilat spirituosas, partes salinas volatiliores & subtiliores, fit ut vinum interim degeneret in acetum. Uno verbo aceti generatio fit per fermentationem, quando partes salinæ volatiles non tam exhalant, quàm sensim sensimque subiguntur, & figuntur ab acido, quibus subactis fit acetum. Hic processus non tantum fit in vino, sed in omnibus succis expressis, quando in acetum degenerant. Qui plura cupit. vid. *SACHS.* in *Ampelographia,* ubi multa reperimus de aceto, & ejus generatione. *KERGERVS* in *tr. de fermentatione,* ubi non ineleganter modum generationis aceti per fermentationem explicat. Et quidem quò generosius est vinum vel liquor, eò generosius fit acetum, vel quo spirituosior est liquor, eò acrius, eò acidius, & eò penetrantius fit acetum, adeò ut ex vino, ex quo per destillationem exhalavit volatilis spiritus, non fit acetum unde concludendum: quo magis impregnatum est vinum vel liquores spiritibus, eò fortius & acidius fit acetum, quare etiam vinis vulgaribus, ut eò fortius dent acetum, solet infundi vel semen sinapi, piper, semen erucæ, similiaque sale vol. acri constantia, ut exaltetur liquor minus generosus: Fundamentum consistit in hoc, quod ejusmodi subjecta sale volatili impregnata augeant partes vol salinas liquoris minus generosi: Unde auctis his fortius congrediuntur cum acido, ex quo augetur fermentatio, magis subiguntur salia vol. & exaltatur aciditas, ex quo fit acrius & penetrantius acetum. In fermentatione, qua fit acetum dixi, quod à partibus acidis per fermentationem combinatis, cum volatilibus figantur partes salinæ & occultentur, non verò omninò exhalent, sed ligentur: Uno verbo, quod partes salinæ spirituosæ occultentur, non verò exhalent vel figantur tantum ab acido fixo: Probo quoniam ex omni aceto potest de novo resuscitari spir. vini, id quod monstrat, quod non omninò immutentur salia volat. sed saltim occultentur. Probo etiam hoc ipsum de resuscitatione sp. vini, quando scil. fit sacchar. saturni cum aceto & plumbo, vel quando solvuntur corallia in acet. fit ut liquor dulcescat, quoniam partes acidæ adhærent plumbo vel corallis: quando hæc immittuntur in retortam vitream, & leni igne destillantur, prodit SP. VOL. ARDENS instar spir. vini qui non est ex corallis, neque etiam est ex plumbo, quoniam impossibile est ut iis insit, sed prodit ex partibus acidis acet. adhærentibus Coralliis & saturno. Eo enim ipso, quo acidæ partes adhærent corallis vel plumbo, fit ut ex arcto nexu acidarum particularum cum partibus vol. plumbi, ab acido ligante liberetur, & fiat sui juris: Hinc fit, ut prodeant particulæ volatiles ab acidis liberatæ, & antiquam suam formam vel spirituositatem nanciscantur: Est ergò impostura, quod ejusmodi spiritus sit vel spir. saturni vel spir. corallorũ, sed ex aceto regeneratur, est spir. vini. Aceti partes non parum controversas optimè videtur declarasse *VERBEZIVS,* dum scribit de vitriol. *contra Castellum p. 42.* qui rectè dicit, quod acetum non minus, quam ipsum vinum ex diversis partibus sit compositum. Nam aceti anatomia spagyrica, & resolutione artificiali ex retorta in leni balnei calore exhibet 1. quidem spir. quendam acidum subtilissimum, & volatilissimum in minimâ quantitate, deinde phlegma quoddam insipidum, tandẽ aq. subdulcem, hinc liquorem acrem & solventem vel acet. Denique ultimo omniũ prodit oleũ rubicundum fœtens, & quasi sanguineum. in Cap. vero mortuo remanet tandẽ sal. fixum de natura alcaliũ. Et quidem iste spiritus volatilis subtilis parum acidus, qui primus solet esse in destillatione, ob volatilitatem statim solet evaporare, exhalare & resolvi (& nisi adhibito debito ignis regimine monstrari nequit) iis saltim injectis, quæ effervescentiam excitant sal. tartar. fixum & alia alcalia. Nam subito motu & calore oborto spiritus hic volatilis exhalat. Unde etiam jam *GALENVS* dixit suo tempore, quod vires Acet. imminuantur coctione, & etiam *ISAACVS HOLLANDVS* dicit, quod spir. hic volatilis acet. sit millies subtilior ipso spiritu vini, quod intelligendum est non de communi spiritu, sive de illo, qui ex ignis regimine prodit, aliàs est acris & solvens. Plura qui vult de aceto, adeat imprimis *SACHSIVM* & *KIRCHERVM*, uti etiam *SENNERTVM in Paralipom.* ubi de aceto & ejus generatione per fermentationem quædam habet. Hæc de aceti natura. Jam de Usu quædam, & quidem imprimis decantatissima à *GALENI* temporibus ad hæc nostra est vis aceti *alexipharmaca* ac *venenis resistiva*, & superius, ubi de nuce juglande & Ruta, hujus injecimus mentionem. Unde etiam prostant acet. *Theriacalia præservantia à peste,* quæ fiunt ex solutione Theriacæ in aceto vini, præcipuè leni igne digeruntur & filtrantur egregia aceta Bezoardica & maximi usus *in peste.* Sic *SYLVIUS* in duplici peste se præservavit nudo cochleari acet. vini manè assumto, ut nunquam illa fuerit afflictus, utut sæpissimè peste correptos visitârit: Acet. tamen ex appropriatis & specificis in *peste* præservanda præferendum est simplici, & potest fieri de infusione scordij, scorzoneræ, vincetoxi, rutæ, zedoariæ, zingiberis, Caryophyllorum, Valerianæ, Tormentillæ & similium in acet. igne leni digeri & denique per filtrum depurari. Unde etiam frequenter adhibetur in correctione medicamentorum, eorum imprimis quæ suspicionem venenositatis ac vim obtinent nocivam corpori, ut sunt purgantia nimis generosa & succi venenati: Horum purgantium generosiorum vis & venenositas cum consistere soleat in sal. vol. acri, quod colliquefaciendo in mass. sang. venenositatem exserit, hinc fit, ut per aciditatem aceti corrigatur & mitigetur sal vol. acre; quoniam partes acres figuntur ab acidis, & sic fiunt remedium optimum. Id quod tam de purgantibus, quàm aliis malignis valet & locum obtinet. Corruptionem viscerum internorum præcavet, corpusque ab internis putredinibus præservat; Et quidem de usu acet. *in peste & morbis venenatis* vid. *BARTHOL. Cent. IV. hist. 13.* ubi habet lectu non indigna. Acet. *resistit putredini & corruptioni*, nihilominus acet. quodcunque scatet copiosissimis vermiculis:

de

de quo vid. *SACHS. in Ampelograph. p.m.* 538. uti etiam dictus *BARTHOL:* dicto loco. Nec quemquam deterreat; quod insint vermes in aceto nam in frequentissimis nostris alimentis copiosissimi solent esse vermiculi. Sic rarissima est aqua fontana, in qua non inveniantur vermiculi per microscopium detegendi. Jusculum etiam innumerabilibus scatet quocunque tempore per microscopium conspiciendis. Ratum est mel, quod non copiosos habeat vermiculos: In omnibus alimentis oleosis rancidis ac vetustis copiosissimi sunt vermiculi. Unde nonnulli Auctores sunt in hac opinione, quod malignorum morborum malignitas consistat in tali progenie verminosa, quæ per erosionem, morsicationem punctiones &c. inducat gravia illa symptomata in morbis malignis occurrentia. Videre potestis de hac materia quæ habet *KIRCHERUS in Scrutinio Pestis de putredine animata* & *HAUPTMANNUS in tr. de vivâ mortis imagine*: item *in Thermis VVolckensteinensibus*, in quo duæ sunt Epistolæ scriptæ ad FABRUM Una, altera ad *KIRCHERUM*. Vid. etiam Langius noster in Commentar. super Joh. Fabri Pathologiam, ubi hinc inde gravissimos morbos oriri dicit à putredine tali animata, *HAUPTMANNUS* tractatum suum inscribit *de viva mortis imagine*, & est in eâ opinione, quasi mors sit Ens reale in naturali morte nec violenta, sc. vermis infensissimus vitæ nostræ minutissimus quidem, à quo fiat internecio. De his omnibus optimè judicat *MARCUS MARCI, in tr. de Philosophia veterū restituta*, ubi tractat de putredine animata in integra sectione. Concedit nimirum lubentissimè, quòd in quàm plurimis morbis sint vermiculi, in febribus malignis, pestilentialibus, petechialibus &c. sic observatus est sanguis venæ sectione missus plenus copiosissimis vermiculis: item reperti fuerunt in Carbunculis & Bubonibus pestilentialibus; item quod Emplastra his tumoribus pestilentialibus admota scatuerint & repleta fuerint copiosissimis vermibus. Unde etiam maculæ petechiales & scorbuticæ sunt progenies verminosa secreta ex sanguine, & sub cute defixa. Nullū enim datur ulcus quocūq; in loco in quo non reperiatur copiosissimi vermiculi. Elegantē historiam legi in Disputatione eleganti, ubi respondens dicit, se vidisse aliquando mammam gravi ulcere affectam, quod fuerit difficillimæ consolidationis; unde in suspicionē venit vermiculorū, & ope microscopij se observasse dicit, quod pus fuerit verminosū & refertū vermibus, & licet multa remedia fuerint adhibita, nihil tamen profecisse donec ipse curaverit per pulverem bufonum cum pauxillo arsenico fixo: Hoc enim enecatis vermibus brevi pòst ulcus fuit consolidatum: imò ipsa gangræna sive partes gangrænosæ copiosissimos habent vermiculos, adeò ut observatum fuerit per microscopium, quod talis vermis ex gāgrænâ extractus in charta subitò alios 50. vermiculos produxerit, teste Hauptmanno: Quod dixi, rectum est Judicium Marci Marci de putredine verminosa, quod vermes consequens putredinis, non tam sint causa morborum malignorum, quam potius sint adjunctum, adeò ut morbi maligni & lethales esse possint nullis vermibus præsentibus, seu ut morbi isti sint lethales ante putredinem & misti resolutionem atque destructionem. Hæc occasione de vermibus in aceto. Hoc quale sit disputant Chymici cum Galenicis an sit FRIGIDUM AN CALIDUM, & lis est de lana caprina: Nihilominus certum est, quod aceti aciditas sit singularis, dum blandè *coagulat sanguinem*, & *nimiam effervescentiam compescit*, sicque aliquantisper videtur *refrigerare* nihilominus cum spirituosis partibus constet volatilibus & inflammabilibus, uno verbo: partibus cop. vol. acribus, hoc ipso egregiam simul vim obtinet *calefaciendi*: In genere aciditas aceti est tota peculiaris, & nullo modo convenit cum aciditate fixa mineralium v. g. vitrioli &c. sed volatilis est penetrans & dissolvens, non adeò potenter coagulans aut constipans & constringens, uti sunt acida fixa ex mineralib. imprimis ex sulphure. Propter hanc vim aceti volatilem adeò nocivum est hypocondriacis, Scorbuticis & Melancholicis, quoniam nimis solet effervescere & imprimis exaltare acidum succum in istis subjectis, quem veteres vocant Melancholiam, & dicunt non inconcinnè, quod sicut acet. fit ex vino, ita Melancholia fiat ex sanguine, unde commodè ab *HIPPOCRATE* dicitur acidus succus. Hæc Melancholia cum in subjectis Melancholicis & hypochondriacis soleat efferari seu explicari ab aceto non mirum, quod acetum interno usu adeò sit nocivum iisdem. Aliàs acidum volatile adeò penetrans, ut etiam sanguinem congrumatum possit per se resolvere; undè non incongruè in *potionibus vulnerariis* cum cancr. fluviatil. præscribitur acet. Acetum magni est usus tam internè quàm externè: Egregiè internè convenit *contra venena varia, & resistit omni malignitati*. 2. Solet *resistere putredini*. 3. *Tollit obesitatem* & *homines* reddit macros, imprimis quidem in tali casu convenit acetum SCILLITICUM, item acetum RUTACEUM vel etiam acetum mistum cum aqua chalybeata: Hoc enim acetum valdè pollet reddere homines macros: Sic refert *CATTIERIUS in Observ. in BORELL. p.* 44 de quodam viro obeso, qui loco vini aceto utens in potu adeò rursus extenuatus fuit, ut 78. *lib.* pondere decreverit ex usu acet. Hinc etiam *STEPHANUS in operibus medicis p.* 462. ad obesitatem tollendam nihil æque prodesse dicit, quam acet. Scilliticum, jejuno stomacho quotidie assumtum. 4. Acetum valdè convenit in *discutienda crapula & præservando ab ebrietate*, ratio est, quoniam acidum figit spiritus vini volatiles Sulphureos caput petentes & ebrietatem inducentes: Ex eodem fundamento etiam pulvis HEPATICUS RUBEUS vocatur pulvis acidus aceto distil. qui etiam prostat in nostris officinis propterea, quoniam arcet ebrietatem adeò ut qui se illo præmunivit, possit duplo plus bibere, factus enim est ex Spir. vitriol. & cremore Tartari, quæ figunt Spir. salinos & ebrietatem impediunt. In *stomachi affectibus* est egregium remedium acetum in *singultu, vomitu & cholera* & similibus tam internis remediis mistum, quàm externè: cum pane imprimis mellito applicatum adspersis simul pulveribus nucis Moschatæ & Caryophyllorum in *singultu, vomitu, cholera* & similibus. Dedi superius cataplasma ex fermento & aceto, quod etiam est egregium vid. ibi de MENTHA. Externè acetum est egregium in *arcenda putredine ulcerum* & in *prohibenda gangræna*: Etiam *tumores serosos & œdematosos* solet *discutere*, si scil. Acetum superfundatur silici vel lateri ignito & recipiatur fumus partibus tumentibus, egregiè enim *discutit tumorem*. Ad *tumores duros & scirrhosos* non minus egregius est externo usu suffitus aceti, & acetū externè regioni splenis applicatum *scirrhosos & induratos lienes* dicitur curare: crassam *mucilaginem incidit* & sic *duros lienes reserat*: Externè egregiè *sistit sanguinem*: Sic in *hæmorragia narium* acetum superfunditur naribus, vel nuchæ immittitur vel bolus communis seu Armena subigitur cum acet. & fit cataplasma, quod applicatur fronti; & solet *sistere hæmorrhagias* etiam contumacissimas, & quidem apponitur sine interposito linteo. Habui de hoc experientiam nuperrimè in quodam febricitante: vel acet. applicatur scroto, & sic similiter hæmorrhagiæ cessant: quod acetū scroto applicatum solet etiam arcere ebrietatem jam ut ebrius mox denuò fiat sobrius. *In nimio mensium fluxu* egregium est experimentum acetum externè applicatum vulvæ, vel potest fieri in tali casu hæc mistura:

℞. aqua Spermatis ranarum ℥iv.
quæ est egregia in hæmorrhagia:
Acet. rosacei ℥jß. Sperniolæ Crollij ℈j.
Mistur. exter. aplicanda.

Hæc mistura cum linteis duplicatis applicatur regioni

ni pubis vel vulvæ, *sistit hæmorrhagias nimias & menses* atque *lochia nimiùm fluentia*, cum blandè coagulet *sanguinem & constringat partes*, unde sanguis non adeò est fluxilis, & fibris constrictis oscula constipantur, constringuntur pori, ne sanguis possit effluere. In *affectibus soporosis & somnolentis* est egregium naribus applicatum uti & intrinsecus assumptum Acetum. Excitat enim potenter soporosos: vel suffitus Aceti è laminis ignitis naribus excipitur in *lethargo*, & subitò excitat ægros. Unde Aceto præparatur OPIUM à quibusdam, ut corrigat nimiam vim narcoticam: & si ex opio assumpto nimius insequatur somnus, præsentaneum est remedium haustus Aceti. Externo olfactu & victu curat *syncopen*, si scil. oriatur ex sanguinis nimia dissolutione & spirituum dissipatione orta in balneo: in hac Acetum olfactum, vel temporibus & pulsibus applicatum est egregium: imprimis in tali casu convenit Acetum LILIORUM CONVALL. observetur tamen, quod Acet. noceat. 1. Quidem Melancholicis seu qui abundant humore Melancholico i. e. acido præternaturali. 2. Nocet mulieribus & utero infestum est acet. fereque ad sterilitatem disponit. 3. Cerebro & partibus nervosis aliis est inimicum acetum & omnia acida: Unde etiam podagricis interdicitur acet. quoniam auget acidum morsicans & dolorificum. Sequuntur nunc *præparata*, inter quæ se offert acet. quod DESTILLATUM communiter, nihil aliud est quam concentratum acet. observentur enim destillandi Enchireses quod (1.) acet. quò sæpius destillatur, eò fiat imbecillius, particulæ enim sensim mutant situm & fiunt aquosæ. (2.) Quod leni igne destillandum sit acetum, ut separetur phlegma à reliquis particulis liquoris acidi fixi præcedentis (3.) Cavendum ne nimis forti igne urgeatur acet. quod nisi fit, Empyreuma contrahit & ex acido fit amaricans. Optimè destillatur in balneo, idque imprimis igne leni. Sunt qui etiam ex fœcibus vini destillant acetum, & dicunt esse acre & corrosivum: teste *KESLERO in suis processibus.* Acet. si abstrahatur à nitro vel sale communi, admodum fit acre & potens: vel etiamsi acet. dest. *lib.* un. addas salis ammoniacalis ℥ß, fit acet. admodum acre, quodque etiam metalla solvere dicitur teste *RHUMELIO.* Si acet. destill. ex cucurbita *cuprea* per alembicum plumbeum, fit aqua, quam vocant Asclepiadeam, quæ vim obtinet *vomitoriam* & commendari solet ad multos morbos. Vid. AUCTOR de præparatione aceti radicati: acet. RADICATUM seu alcalisatum fit, qn. abstrahitur à capit. mort. uti *habet* AUCTOR. Rationem hujus rei dat non in elegantem *SACHS. in Ampelogr. p. 572.* quod nempe acet. habeat duplex sal in se: Unum vol. qs. armoniacale ex acido & volatili quod cum acet dest. transit, alterum verò sit fixum quod cum acet. destill. sit animandum; ut sic fiat acet. radicatum. Tandem sunt CRYSTALLI ex aceto parati ita ut habet AUCTOR, utut satis obscurè: nempe remanenti acet. dest. affunditur aqua simplex destillata, filtrãtur & evaporantur ad tertias, & sic frigido exponuntur, ut coagulentur in Crystallos. Est & acetum quod vocatur acetum SOLUTIVUM MAGISTRALE Comitis MONTALDI, quod paratur quando

℞. Polypodij quercini ℥iv.
Zingiberis lib. j.
Acet destill. Optimi lib. vi.

infunduntur omnia per horas 24. fitque expressio Colaturæ add. fol. Sennæ ℥iiiß.

Passilarum mundatarum vel exaciccatarum ℥iiß.

Cinamom. ʒiii. Infundantur in dictam colaturam per 24. horas in vase vitreo lento igni, & facta colatura servatur usui

CCCLXIX. GUMMI AMMONIACUM.

Ἀρμενιακὸν, ἀρμονιακὸν, vel ἀμμονιακὸν, Dioscorid. Hammoniacum, Ammoniacum, Thymiama, Gutta ammoniaca, *Cord. hist.* Ferulæ lacryma, *Galeno.* Ammoniaci lacryma, *Matthiol. vulgò* Armoniacum. Arab. Althatut, Raxach, Aassach, &c. *Ger.* Gummi *Armoniac.* De gomme Ammoniac.

Gummi est stillans ex ferula quadam, quam ad differentiam aliarum, Ammoniaciferam vocant, alij Metopion. Dicitur autem Hammoniacum ab Hammonis oraculo, juxta cujus delubrum colligitur.

Eligendum est syncerum, instar Thuris in grumos condensatum, odore Castoreum utcunque æmulans, sapore amarum, digitis tractatum mollescens, bene coloratum (exterius flavum, interius candidum.) Et hoc θραῦσμα, (thrauston Plinio, i. e. fragmentum) appellatur: sicut id quod terræ, calculorumve particeps est, φύραμα (Phyma Plinio, i. e. mixtura) dicitur.

Vires. Calfac. 2. sicc. 1. emollit, attenuat, resolvit, digerit, maturat, attrahit validè, ut quoque spinas carni infixas eliciat, alvum movet, spleneticum est. Usus præcipuus est in doloribus arthriticis; in resolvenda mucilagine tartarea viscosa crassa ac contumaci Pulmonum, Mesenterij, & hinc in obstructionibus contumacibus Lienis, Epatis, Uteri, in calculo. Extrinsecus in scirrhis, panis tophisque juncturarum, in scrophulis, aliisque tumoribus durioribus resolvendis. &c.

Dosis à ℈j. ad ʒj.

PRÆPARATA.

1. *G. Ammon. depuratum.* ℞. Gummi q. v. solve, cola ac exprime, hinc inspissa.

N. Solvitur in quocunque liquore aqueo, acet. vino, succo, &c. Usitatius tamen per acet. depuratur.

2. *Ol. stillat.* Fit per alembic. vesicam vel Retortam. *Vide supra.*

Vires. Omnibus confert affectibus, quibus Gummi Ammoniacum.

3. Oleum cæruleum S. Closs.

Feliciter eliciuntur hujusmodi olea per retort. tribus fulcris è luto sicco statuminatam in capella sabulo & cineribus vacua, cooperta tamen: dando ign. lentum rectificentur.

N. Simili modo eliciuntur olea ex Galbano & Sagapeno.

4. Pilul. de Ammoniaco. *Vide lib. 2.*

N. Ibidem describuntur Pilulæ tartareæ diversæ, quarum non minima portio Ammoniacum existit.

5. Extractum Resinosum seu Resina. *Vide lib. 2.*

N. Convenit viribus cum ipso G. Ammoniaco.

6. Extractum viscosum. *Vide lib. 2.*

Vires Lenit asperitatem asperæ arteriæ, incrassat acres ac tenues catarrhos, unde & utiliter linctibus commiscetur.

GUMMI AMMONIACUM. Hoc Gummi ammoniacum est exoticum, crescens in planta quadam ferulacea ammoniacifera, uti habet AUCTOR: Electionem idem habet. Observetur de hoc quoad usum, quod sit unum ex primariis simplicibus *emollientibus* ac *tumores duros scirrhosos* & similes potenter *attenuantibus* atque *reserantibus. Concretiones tartareas in corporibus dissolvit*, & *vias* exinde *obstructas potenter aperit* Unde frequenter adhibetur usu interno in *scirrhis viscerum*, & usus extern. frequentissimi est in *tumoribus scirrhosis & duris*, sive ammoniacum solum applicetur, sive permisceatur cum Emplastro de Cicuta. Unde etiam Emplastrum AQUAPENDENTIS ex Gummi Ammoniaco egregium est externè applicatum *in scirrhis* ac *indurationibus lienis desperatis.* Vid. *SENNERT. lib. 3. prax. p. 492.* Ubi de scirrho lienis. & certum est, quod Gummi ammoniacum sit egregium resolvens & indurationes attenuans, & incidens. Unde etiam interno usu in *asthmate* à materia crassa & viscida, est egregium remedium, sive stabuletur in stomacho sive in bronchiis pulmonum; nam in utroque loco potest inducere asthma: In tali asthmate potionem expertissimam habet *BRUNNERUS,* cujus descriptionem vide ap. *SENNERT. lib. 2. prax. p. 328.* Sane egregia est in *asthmate* ac *incipiente catarrho suffocativo* ut & elegans potiuncula: incidit enim materiam crassam ac viscidam potenter. Potest meliorari si scilicet

℞. Gummi

℞. Gummi Ammoniac. ℥iß.
Oxymellis Scyllitici ℥iß.
Croci ʒj.

Et hæc misceantur cum aqua appropriata v. gr. aqua hyssopi, aqua Nicotianæ & similibus, ut fiat potio pro aliquot dosibus. Sic etiam B. D. *MICH.* præparavit spiritum Asthmaticum, qui fuit factus ex
Viridis æris. v. gr. ℥iv.
Gummi ammon. ℥ij.
sulphuris ℥iß.

Hæc invicem mista & destillata ex arena per retortam dant spiritum acidum penetrantissimum, & Ol. admodum fœtidum, quæ invicem separantur, & sp. rectificatur: Observetur autem ignis regimen in hoc legitimum, nam aliàs omnia infringuntur. Egregiè hic incidit pituitam viscidam tam in vintriculo quàm in pulmonibus: In *affectibus stomachi* miscetur cum Elixyr stomachali, in affectibus pectoris cum Elixyr pectorali, & mirum quantum faciat in acida tenaci ac viscida pituita temperanda, adeò ut in affectibus stomachi & pectoris eo vix detur par remedium. Certè in *quibuscunque obstructionibus* à materia viscida est expertissimum Gummi ammoniacum. Unde vel nudè & crudè potum solet conducere: Cum Acet. appropriato mistum, quale est imprimis Acet. menthæ, aqu. vel Syrupus, vel aliis pro vehiculo, internè usurpatur quocunque in casu. Propterea prostant in officinis PILULÆ DE AMMONIACO QUERCETANI, quæ conveniunt in *expurganda materia crassa ac viscida*, & imprimis in *affectibus hypocondriacis & Melancholicis*: sicuti etiam BONTIUS *in Medicina Indorum* habet pilulas de ammoniaco, quas commendat valdè in *affectibus splenis*. *BARTHOLETUS in Encyclop. lib. 5. cap. ult.* habet LAC AMMOMIAC. paratum cum Aceto ex citri succo destillato: elegans remedium in *incidendis duris tumoribus*.

CCCLXX. GUMMI seu RESINA ANIMÆ.

G. Animæ est. { 1. fulvescens & pellucidum. 2. nigricans taurino glutini vel colophoniæ simile. 3. pallidum & retorridum. }

1. G. Animæ est Resina pellucida ex albo citrinescens, in nova Hispaniola seu America ex arboribus quibusdam proceris incisis exstillans, Thuri simillima, quo tamen majora grana refert. Et hæc nobis usualis est.

N. Veteribus incognita statuitur. Amatus tamen pro cancamo veterum habet, cui consentit Garzias.

Eligenda est albida seu flavescens, granulata: oleosa, si frangatur citrina, fragrantissima ac gratissimi saporis, carboni imposita facilè liquescens.

2. Myrrhæ quodammodo assimilatur.

Hanc esse Mineam Galeni, vel Ammineam Dioscoridis & Serapionis, idem vult. Amatus, adeoque Animum Lusitanis dici. *Vide Myrrha.*

3. Est ea species, quam ex India Orientali afferunt, granis minoribus granulatam. Hæc ut colore ac pelluciditate priori cedit: ita & viribus minor est.

Vires Calf. 2. hum. 1. atten. resolv. astring. discutit, cephalica est. Usus præcipuus est externus in capitis ac nervorum affectibus frigidis dolorificis, catarrhosis, flatulentis, in affectibus articulorum, paralysi, contractura, luxationibus, contusionibus, &c.

N. Solvitur ut aliæ Resinæ in oleo, tum quoque in spir. vin. rectificatissimo.

PRÆPARATA.

Ol. still. Fit ut ex aliis Resinis, per Retortam ex arena *Vid. lib. 2.*

N. Colligi possunt sigillatim oleum tenuius ac crassius. *Sala in Hydrolog.*

GUMMI SEU RESINA ANIMÆ. Est elegans Gummi sudoriferum & suaveolens: à *VVORMIO in Musæo* refertur inter balsama. Differentia vid. in AUCTORE: adfertur ex India occidentali ex insula ejusdem Hispaniola Hoc gummi animæ imprimis *nervis conducit & affectib. nervorum*: imprimis *in vulneribus capitis* est egregium, & miscetur commodè cum Emplastris Cephalicis & nervinis. In suffimigiis *catarrhalibus* est unum & elegans ex primariis ingredientibus Ita in *Coryza* suffitus ex Gummi animæ est expertus & probatus: vel etiam Ol. destillatum olfactum valdopere conducit in eadem *Coryza*. In Emplastris Cæphalicis bregmati capitis applicandis in affectibus capitis est unum ex primariis ingredientibus: in *affectibus partium paralyticis* & sic porro vid. AUCTOR.

CCCLXXI. GUMMI ARABICUM.

Gummi simpliciter, Gummi Thebaicum, Gum. Babylon. Gum. Saracen. Gum. Acanthin. ex arbuscula quadam manat, quam Dioscorides Acaciam vocat. Estque Gummi naturæ prorsus aqueæ.

Eligendum vitri modo pellucidum, syncerum, in vermiculorum speciem contractum, candidum, vel ad flavedinem inclinans Reprobandum sordidum, resinosum, adulteratum. Adulteratur enim admixtione gummi cerasor. prunor. & simil. vel & Resinarum quarundam, id quod cognoscitur solutione in aqu. qua syncerum liquidissimè ac limpidissimè solvitur, adulteratum non item.

Vires Calf & hum. 1. inspissat, poros cutis obstruit, acrimoniam medicamentorum obtundit, asperitati asperæ arteriæ ac tussi confert, ocularibus medicamentis & arteriacis commodissimè adhibetur. Et contra Dysent.

[*Plura vid. in append.*]

PRÆPARATA.

1. *Pulvis.*
N. Ut benè pulverisetur, calfiant mortarium ac pila.
2. *Depuratum* solvitur in aqua colatur ac inspissatur.

GUMMI ARABICUM. De hoc est controversia. Veteres Gummi Arabicum desumpserunt ex acacia Ægyptiaca, dum exsudat ipsa, ex Arabia Ægypti collectum, unde & nomen habet: Moderni inquiunt, quod non habeamus amplius verum & legitimum Gummi arabicum, sed loco illius substituendum putant, quod transsudat ex arboribus Persicorum, Cerasorum, prunorum & similibus, & quidem præprimis id adhibendum esse, quod ex prunis. Paucissimi affirmant, plurimi contrarium statuunt. Optimè facit *TOBIAS ALDINUS, in horto Farnesiano sect. 2. p. 18.* ubi tractat de accacia Ægyptiaca, & ibidem controversiam habet & affirmat, quod gummi arabicum nostrum, sit genuinum, Gummi arabicum. De adulteratione & reliquis videatur AUCTOR. Imprimis convenit in *in affectibus faucium* & in *aspiritate asperæ arteriæ*, uti etiam in *pluritide*, in qua imprimis convenit, si recipiatur pomum, quod excavetur & impleatur gummi arabico, coquatur ad ignem & coctum ita assumatur: egregium remedium est in *pleuritide siv. tussim sedantibus.* De hoc, ubi de Thure, plura. Præscribitur in pilulis Bechicis & Lohoch siv. Linctibus, quoniam *asperitatem faucium lenit, & lymphæ acrimoniam temperat.*

CCCLXXII. ASA FOETIDA.

Ὀπὸς μηδικὸς, Συριακὸς (olim κυρηναϊκὸς,) Laser medicum, fœtidum. Arab. Altit, *vulgò* Assa fœtida [Indis Hin, quibus odore grata, & cibis condiendis inservit.] Dicitur etiam succus cyrenaicus. Germ. *Theuffels-Dreck.* Du Asa fœtida. Succus est sive lachtyma Laseris sive Sylphij in Media, Libya ac Syria crescentis, [non Laserpitij Dioscoridis, cujus succus modernis incognitus est.] Et ex illius radice ac caulibus incisis colligitur.

Eligenda est syncera allij odorem ferè æmulans, viscida: reprobanda adulterata. Adulteratur enim permixtione farinæ, furfuris, sagapeni.

Vires Calf. 3, incidit, &c. Usus internus præcipuus, in suffocatione

suffocatione uteri, peripneumonia ac vulneribus, aliàs rarò adhibetur. Extrinsecus in tumido Liene, uteri suffocatione, panaritio (cum allio ovi alb. suscepto.)

Dosis ℈ß. ad ʒj.

N. 1. *Solvitur* super prunis coquendo in aqua aceto, aut vino.

N. 2. *Si* quis Epilepsiæ obnoxius senserit suffitum ex Asa fœtida ac cornu caprino, paroxysmo actutùm corripitur.

PRÆPARATA.

1. *Pilula de Asa fœtida.* ℞. Asæ fœtid. q. v. humecta vel solve cum Acet. destill. ac redige in massam.

2. *Pilula fœtida.* Vid. Disp.

[Oleum uterinum.]

ASA FOETIDA. Est succus seu lacryma destillans ex planta quadam quæ crescit in Lybia: Unde à quibusdam vocatur SUCCUS LYBICUS, seu etiam SYRIACUS. Olim appellatus fuit SUCCUS CYRENIACUS, quoniam ex Cyreniaco agro copiosissimè fuit advectus, quo ipso tamen hoc tempore careant. Asa fœtida est vel clara, pellucida, & limpida, vel est obscura & turbida, quæ dicitur, stercus diaboli de quo vid. *VVORMIVS in Musæo.* Ubi de ea non inconcinnè agit. Quoad facultates notum est, quod usurpetur in *suffocatione uterina.* Cum Castoreo tam in substantia, quàm suffitu, & quidem vel in substantia crassa, sive in forma Ess. Observetur autem hîc, quod non in omnibus conveniant graveolentia & fœtida in suffocatione uterina: prostant enim exempla læsarum ex illis: sicuti nec omnes ferre possunt Suaveolentia, nec omnes læduntur ab illis. Aliæ juvantur ab ambra, zibetho aliisque suaveolentibus, aliæ rursus juvantur à fœtidis & graveolentibus. Post suffocationem uterinam optimè convenit asa fœtida in *Colicâ passione*, quam corrigit: Nam uti testatur odor, constat sal. vol. copioso admodum acri & penetrante; cujus ratione acidum in intestinis torminosum ac corrosivum, ut sic dicam, temperat, emendat ac corrigit. Aliàs asa fœtida assumpta cum oxymelite *Tussim persanat*, siv. assumatur cum ovo sorbili, ad *raucedinem* commendatur. Adhibetur etiam non inconvenienter in *pellendis mensibus & secundinis*, si sic hauriatur cum pipere & Myrrha. Hoc modo multa facit in aqua mulsa, in primis ad *pellendas secundinas & lochia.* vid. *VVORMIVS in Musæo p.* 325. Frequens ejus est usus in Indiis tam alimentis quam medicamentis, utpote cum utantur illo in conditura alimentorum: commendatur ad *appetitum dejectum & tollendum fastidium, flatus discutit* & etiam *in dolore dentium* cavernis eorum intruditur. venerē *excitare dicitur* & in magno est pretio apud Indos.

CCCLXXIII. BALSAMUM VERUM.

Balsamum Syriacum, Ægyptiacum, Balsamelæum, Opobalsamum, Balsam. de Mecha: est liquor Balsamæus, flavus instar Terebinthinæ, odoris fragrantissimi, saporis subamari & acris, sudans ex balsami tum fruticibus, quoad corticem vulneratis, tum ex ramusculis amputatis.

N. 1. *Si* guttula aquæ tepidæ immittatur, per totam superficiem sese extendit, ac rursum aqua refrigerata sese contrahit, lacti instillatum idipsum coagulat, in vestem laneam effusum non linquit maculam, secus ac alia. [Quibus signis discernitur ab Oleo Zacconis pruni Hierichuntini, & oleo ex Mauritania.]

N. 2. *Tantæ* æstimationis est, ut Princeps Arabiæ Felicis, cui etiam Mecha paret, singulis annis inter alia munera tres quatuorve ejus libras Turcarum Imperatori honorarij loco transmittat. Cayri itidem Præfecto unam. Quin & Ducibus peregrinis idem ceu maximum honorarium præsentat.

Vires. Inter olea quævis & balsama omnium est laudatissimum, præstantissimum ac toto orbe maximè celebratum, ut pote quod vires habeat abigendis morbis, tam internis, quàm externis, nulli medicamento secundas. Confert febricitantibus, asthmaticis, jecoris obstructiones solvit, menses movet, stomachi dolores sedat, phthisicos juvat, appetitum excitat. *Vide prolixius Balsamum de Tolu*, & Clusium in Monard. ut Petrum Bellonium in observationibus suis. Alpinum de plantis Ægypti, ut & in Dialogo de Balsamo peculiariter conscripto.

BALSAMVM. Quod est 1. verum, quod alias etiam vocatur BALSAMUM ÆGYPTIACUM seu SYRIACUM. Cæterum de hoc balsamo, utut valdè commendetur & decantetur apud veteres, adeò ut etiam Theriacam ingrediatur, lis est inter modernos, an detur verum Opobalsamum Syriacum hoc tempore? Multi negant, paucissimi affirmant Quicquid sit in nostris regionibus non datur amplius, unde facilè illi substituitur in confectione Theriacæ Cardamomum, alias de Balsamis vid. *DöRING.* Medicus VVratislaviensis, uti m. *VVORMIVS in Musæo* Plura qui cupit, videre potest rerum exoticarum Indicarum scriptores.

CCCLXXIV. BALSAMVM DE TOLU, seu TOLUTANUM.

Balsamum de Tolu est liquor Balsamæus, coloris rubei ad aureum tendentis, mediæ inter liquidum & densum consistentiæ, valdè glutinosus, & ubicunque reponatur firmiter inhærens, saporis dulcis & grati, non nauseabundi (secus ac reliqua balsama) odoris excellentissimi, Limoniorumque fragrantiam vel Iasmini quodammodo referentis, præsertim si pauxillum in vola manus fuerit fricatum.

Advehitur ex Continentis quadam Provincia, inter Carthaginem & Nomen Dei sita, Tolu ab Indis appellata: ubi colligitur ex arboribus Pino pumilæ similibus, iisque tum domesticis, tum sylvestribus, quæ vulnerato cortice præstantissimum hunc liquorem fundunt.

Vires. Antecellere videtur facultatibus ei, quod è Nova Hispania adducitur (Peruviani nomine) efficaxque est ad omnia ad quæ Balsamum illud Ægyptiacum. Calfac. & sicc. atten. resolvit, vulnerarium est, pectus expurgat, &c. Vsus præcip. in asthmate, phthisi, in ventriculi cruditate & dolore. Extrinsecus doloribus à causa frigida quibuscunque, & in primis capitis, arthriticis & nephritico: in defluxionibus ad oculos cohibendis, in paralysi, in ventriculi imbecillitate, dolore, inflatione (inunctum cum oleo nardino) in Hydrope (illitum cum Vnguento aperitivo,) in Lienis imbecillitate, in tumoribus quibuscunque ac œdematibus, in contractura: parotides insuper seu scruphulas cæcas curat. In primis autem celebratur in vulneribus consolidandis, defendendis, præsertim si ossa quoque sint confracta (quippe fragmenta expellit) in vulneribus articulorum, sectionibus nervorum, puncturis, contusionibus, &c.

Dosis gr. 3 4. &c. *Nicol. Montan.*

N. Balsamum hoc illud esse arbitror, quod nostratibus Balsamum de Honduras vulgo dicitur.

BALSAMUM TOLUTANUM. Quod est succus allatus ex India orientali balsamicus, uti habet AUCTOR. Rarum est apud nos, quoniam & prætiosum, & habemus Peruvianum, quod substituimus, nec memini me legisse hoc præscriptum. Vid. AVCTOR.

CCCLXXV. BALSAMVM INDICVM.

Balsamum Indicum novum, *Matth.* Balsami genus novum, *Fragos.* Bals. Peruvianum, *Indianisch Balsam.* Baume d'Inde. Est liquor fragrans arboris cujusdam Indicæ Balsami dictæ (Indis Xylo) coloris ex albo ac nigro rubentis, odoris suavissimi, saporis acriusculi & aliquantulum amari. Affertur ex America seu Nova Hispania Indiæ Occidentalis. *Monard.*

Est { Limpidum subalbidum: Ex cortice arboris sauciato stillans: Opobalsamum vocant, nostratibus officinis dicitur Balsamum, Indicum verum, *Dervveisse, Indianische Balsam.*
Crassius. Ex segmentis trunci ramisque cum aqu. coctis supernatans: dicunt Xylobalsamum: nostratibus appellatur Balsamum Indicum, seu Balsamum Indicum vulgare, nigrum.

Prius præstat limpidius, posterius eligatur purpureum, suaveolens (ut vel optimo Styraci calamitæ nihil cedat) cujus guttula carboni instillata suavem suffitum præbeat. Rejiciatur nigrum, crassum, odoris gravis.

Vires Calf. & sicc. 2. discut. emol. subastring. Usus præcip. in asthmate, phthisi, nephritico dolore, mensibus obstructis, ventriculi debilitate ac dolore, Epate obstructo, utero squalido atque inde ad concipiendum inepto, suffocatione ex utero, &c. Extrinsecus lenit dolores ex humoribus frigidis ortos, discutit humores aqueos, roborat caput ac nervosas partes, contractionesque sanat, ventriculi flatus discutit, cruditates tollit, lienem durum emollit, nephriticum dolorem mitigat, urinam remoratam promovet, arthriticis doloribus summè confert: in Chirurgia proficuum est vulneribus recentibus (tum consolidando, tum noxia discutiendo:) inveteratisque, necnon & nervorum prodest contusionibus: febricitantibus confert, spinam ante paroxysmum inungendo, atque cum Vino guttulas aliquot exhibendo, idque iteratis vicibus.

Dosis gt. 4. 5. 6.

N. Tantæ censetur efficaciæ, ut sint qui Opobalsamo seu Balsamo Syriaco substituere non vereantur. *Nicol. Monard.*

PRÆPARATA.

Spiritus ac ol. stillat. Fit per arenam ex retorta 1. ign. Sic exstillat post roridam aqu. oleum clarum instar sacchari candidi coagulabile (Spiritus.) 2. Pòst flavescere incipit igne fortiori (oleum) 3. In retorta manet materia instar Colophoniæ.

OPOBALSAMUM INDICUM PERVINUM. S. PERVUIANUM: ita dr. quod adfertur ex Provincia Peru Indiæ occidentalis. Communiter vocatur BALSAMUM INDICUM seu PERVUIANUM, quo nomine etiam præscribitur in officinis. Hujus *duæ* sunt *differentiæ*, quas subministrat AUCTOR, limpidum & crassum: LIMPIDUM est, quod exstillat ex Corticibus: CRASSUM, quod ex illis excoquitur. Limpidum est melius, posterius est ignobilius. Suffitum suavè odorem habet elegantem, & quo gratior est suffitus, eò melius est balsamum; item quo gratius & purius, eò melius, quia valdè adulteratur. Unde misceri solet cum aliis suffitibus odoris gratia: Est in frequenti usu, & non adeò charum uti reliqua balsama, sed bono & æquo pretio constat. Internè & externè adhibetur: Internè valdoperè convenit *in affectibus pulmonum*, in specie quidem in *phthisi*, si sit ex ulcere pulmonum quacunque; ex causa oborto. In tali Ulcere purificando & consolidando multa facit hoc balsamum: Gutta una cum saccharo in pilulam redacta, & quotidiè manè assumpta, tali in casu est egregia. Sunt qui miscent non ineleganter cum balsamo sulphur. vel in pilulas cum saccharo, l. additione copiosioris sacchari in formam pulveris. in *phthisi*, ubi ulcus est purificandum & consolidandum. Unde RIVERIUS commendat has pilulas, ceu tales, quæ singularia præstant in *phthisi* & similibus affectibus, non sine ratione. Compositio est hæc:

℞. Mas. Pil. Ruffi ℥j.
Antimonij Diaphoretici &
Gumm. Guajac. ana ʒß.
c. Balsamo Peruviano fiat M.

de qua capiatur ℈j. per mensem integrum matutino tempore: Sunt elegantes Pilulæ, & credo, quod satis sint efficaces in cura *phthiseos*. Non minoris usus est hoc balsamum in *Asthmate*, in quo curando egregias solet monstrare efficacias. Ulterius mirè commendari solet à CHARLETON ad *Calculum*, uti videre potestis in *tr. de Spir. Gorgonio p.* 204. in quo egregiè prodesse dicitur. In *affectibus Uteri*: imprimis in *Uteri debilitate & sterilitate* cum aliis permistus B. *Peruvianus* est egregius. Cœterum externè frequentius fere solet adhiberi quam intrinsecus. Singulare est *vulnerarium*, & commendat se ubique suavitate odoris, permiscetur cum balsamis & unguentis vulnerariis in *vulneribus gravissimis* tam partium carnosarum, quàm in *specie* nervosarum: singularis n. *vis nervina* consistit in Balsamo Peruviano, sive adhibeatur solum, sive mistum cum Oleo hyperici, & cum Cerumine aurium, & sic fit unguentum egregium vulnerarium. Externè ulterius in *affectibus ventriculi* est egregium orificio applicatum, sive solum sub forma unguenti cum Oleo. Nucis Moschatæ vel expresso vel destill. sive cum aliis in specie Emplastro de Ladano CRATONIS, vel in specie cum Emplastro de Tacamahaca Formula elegans & multi usus *D. MICHAEL* est hæc;

℞. Emplastri de Ladano Crollij.
Tacamahaca. an q. s.

Malaxantur cum q. s. Balsami Peruviani, fiatque Emplastrum in forma usitata scuti stomachalis. Hoc Emplastrum est expertum in *vomitu*, *singultu*, ac *cholera*, & imprimis in *dolore ventriculi nimio*, & hujusmodi aliis stomachi affectibus non minus etiam convenit in *affectibus intestinorum dolorificis*, uti etiam in *flatulentiis*, illitum extrinsecus Umbilico sistit *dolores & flatulentias* dissipat. In *dolorib. & tumorib.* partium est egregium balsamum Peruvianum; si scilicet permisceatur cum spirit. vini & applicetur *partibus dolentibus & articulis affectis & tumentibus* & nihil hac mistura efficacius & melius esse dicitur. Specificum etiam est in *dolorib. artuum ex contusionibus & læsionibus nervorum* obortis teste THONERO in *Obs. p.* 203. In ossibus quoque fractis permistum cum aliis remediis ad *fracturam ossium* conducentibus est egregium, si applicetur super locum fracturæ; imprimis si misceatur cum extracto Symphyti, & addatur pulver. ostiocallæ, egregium fit unguentum ad *ossium fracturam* In *paralysi* ex *laxitate & nimiâ humiditate nervorum*, *tendinum*, & *ligamentorum* balsamum Peruvianum est singulare, sive solum cum spir. vini imponatur, sive cum sp. salviæ vel florum anthos, vel permisceatur cum Ol. lumbricorum terrestrium vel spir. lumbricorum terrestrium & formicarum, vel etiam Ol. destillatum salviæ, & illinatur spinæ dorsi & partibus affectis, & sic egregium erit B. Peruvianum in *Paralysi*, & similibus affectibus. B. Peruvianum commodè substituitur Ol. destill. succini in affectibus capitis & nervorum. Hoc enim in *Apoplexia, affectibus capitis catharrhalibus, vertigine* & similibus inunctum vertici est expertissimum: quoniam vel ratione odoris graveolentis est infestum, à quibusdam loco hujus substituitur B. Peruvianum, quod odoris suavitate satis se commendat, de quo vid. *HENRICUS ab HEER*, *Obs* 17. Denique spinæ dorsi inunctum vel etiam regioni stomachi, proficuum est in *rigoribus & horroribus febrium intermittentium*, in specie *in quartanis*, quæ ratione rigorum & percussionum est molesta satis. Sunt etiam, qui volunt in *intermittentib.* in primis *quartanis* usurpare Balsamum Peruvianum, si scil. aliquot guttas in aqua febrifuga ante Paroxysmum assumant ægri. Cujus rei fides sit penes experientiam. In *vulneribus nervorum*, quæ periculosa sunt præ aliis propter symptomatum catervam, præferendum simplicibus omnibus aliàs *in vulneribus partium nervosarum* decantatis: Præparata vid. in AUCTORE.

CCCLXXVI. BDELLIUM.

Βδέλλιον, Belchon, Malathram, Maldacon seu Madelcon, lacryma est arboris cujusdam spinosæ nascentis in Arabia, India, Media. *Videantur Matthiol. Cord. hist. Cæsalpin. Fragos.*

Probatur gustu aquarum, translucidum cum frangitur, pingue cum fricatur, odoratum, subamarum, facilè mollescens, syncerum (Parthicum nominant.) Reprobatur sordidum, nigrum, in offas convolutum, quod Adrobalon nuncupatur.

N. Sunt qui G. Anime legitimum Bdellium esse putent.

Vires. Calf. & sicc. (N. Aliis calf. 3. sicc. 2. aliis calf. 2. humect. 1.) digerit, discutit, sudorem movet. Vsus præcip. intern. in tussi ac Pulmonum apostemate, calculo atterendo, urina cienda, mensibus immodicè fluentibus, ut & in fluore uterino sistendo, fœtu expellendo. Extrinsecus discutit hernias, mollit durities ac nervorum nodos, adeoque creberrimi usus est in Emplastris stipticis.

N. Contusum solvitur affuso vino, aqua calida aut aceto.

PRÆPARATA.

Pilulæ de Bdellio. Ex Bdellio & Mirobalanis.
N. Sistunt fluxum hæmorrhoïdum ac mensium.

BDELLIUM Quod est gummi vel lacryma ex arbore crescente in Asia media, Arabia & India orientali: Parum vel nihil, aliquantisper tn. fragrans album & purum De electione vid. AUCTOR. Usus rarioris est: Interno tamen solet commendari in *affectibus pectoris* pro temperanda lympha acida & acri, quæ sæpius est auctor affectuum pectoris, *tussis*, *raucedinis & asthmatis*. Specificæ sunt pilulæ de Bdellio in *fluxu nimio hæmorrhoidum, ac fluxu mensium. Sic in hæmorrhoidibus*, multum commendantur tales pilulæ, si ʒj. propinetur, potenter namque fluxum inhibere nimium dicuntur, in primis si accedat suffitus Bdellij receptus per anum. Videre potestis de hac efficacia pilularum de Bdellio *SOLENANDRUM sect. 4. consil. 20. FORESTUM lib. 23. obs. 5. Scholio.* Non minus quam *RIVERIUM in praxi p. 511.* qui omnes constanter asserunt, magnum illorum esse usum in *hæmorrhoidibus nimis fluentibus*, quod ipsum etiam intelligi potest de *mensib. nimium fluentibus*. Ingreditur Emplastra *Nervina & Styptica*, ut vocant, *in vulneribus recentibus*, usitata.

CCCLXXVIII. BENZOIN.

Benivi, Garz. Benivinum, Belzoinum, Benzoinum, *Matthiol.* vulgo Asa dulcis, *Cord. hist.* [succus Cyrenaicus, quo nomine tamen Asam fœtidam indigitant,] *vvolriechend Asand.* Du Benzoin. Resina est citrinescens vel flava, ceu variis ex frustulis diversorum colorum in massam redacta, bene odorata, facilis liquatu ac fractu. Stillat ex arboribus certis magnitudinis proceræ, quoad corticem sauciatis.

Est {
- Amygdaloides, quod maculas candidas refert instar amygdalar. delibratar. colligitur in Sion & Samaria
- N. *Hanc Myrrham Trogloditicam Dioscoridis, Amatus censet*
- Nigrum odorem suavissimum spirans. Exsudat ex novellis arboribus. Dicitur benivi de Bonias, q. de floribus.
- Nigrius parum fragrans, quod vilius.
}

N. Comisceri solent, ut una commodiùs vendantur.

Optimum censetur pellucidum, globulis candidis refertum, Thuris æmulum, suavissimè spirans, nec heterogeneis inquinatum.

Vires Calfac. & sicc. 2. incid atten. pulmonicum est. Vsus præcip. intrinsecus in affectibus pulmonum catarrhosis, tussi, asthmate. Extrinsecus in cerebro per sternutationem expurgando, in odontalgia (masticando) in tuberculis ac rubore faciei abstergendo: ob suavem insuper halitum creberrimè suffumigiis commiscetur.

N. 1. Si suffitus ex solo Benzoino paretur, tussis excitatur.

N. 2. Solvitur in oleaginosis ac spiritu vini rectificatissimo, ut & in ovi albumine, aëri humido ad liquescendum exposito.

PRÆPARATA.

1. *Magisterium.* ℞. Benzoin. solve in spirit. vin. rectificatissimo. (NB. nisi spirit. vin. fuerit omnis phlegmatis expers, nihil effeceris:) solutioni affunde aqu. & præcipitabitur lacescens Benzoin. lava aqu. rosar. ac exsicca.

N. 1. Vnius horæ spatio solutio hæc absolvi potest, calore MB. saltem adhibito.

N. 2. Poteris itidem spirit. vin. abstrahere sine affusione aquæ.

N. 3. Magisterium hoc non est nisi depuratum Benzoin.

N. 4 Solutio, quam Tincturam nonnulli vocant, manus abstergit, candidasque reddit.

2. *Flores.* ℞. Benzoin. trit. q. v. inde ollæ vitreatæ desuper ponendo pyramidem ex charta duplici formatam, admoveque paulatim ignem lenem carbonum vel cinerum: sic sublimabuntur flores; chartæque adhærescent, quos sæpius exime, ne rursum decidant.

Dosis à gr. iij. ad ℈ß.

N. Sunt qui flores in spirit. vin. rectificatiss. solvunt, solutionemque pro Tinctura venditant.

[Tinctura florum Benzoini pro mundificando sanguine adhibetur, & potionibus vulnerariis miscetur.]

Florum Benzoini perfectior modus.

℞. Benzoin. pulv. ℔j.
Spir. vini opt. ℥ix.
destilla per retort. in arena.
Spirit. vin. seorsim primò exprime.

Butyri partem primam & albidiorem solve in aqu. fervente, & citissimè per chartam cola, & mox sub ipsis manibus flores coagulari videbis: cum nigriori butyri parte eodem modo procedes, sed flores non adeo elegantes habebis. Aquam residuam aquæ frigidæ in suo vase impone, & sensim descendet lac album, ejusdem cum floribus virtutis.

Post butyrum superius pelle ulterius, & habebis oleum Benzoin. cum cineribus vel calce viva rectificandum.

Ex communicatione Cl. Dn. D. Iob. Casparis Fausij, Archiatr. Palatin. Amici mei colendi.

3. *Liquor.* Fit in albumine ovi cocti ut supra. Abstergit maculas, stigmataque è lue venerea contracta.

4. *Oleum.* ℞. Benzoin. pulv. ℔j. spirit. Vini ℔iij. (vel iiij.) digere per dies (4. 5. 6.) dein adde sabulum purum vel scoriatum ferri ℥iiij. destilla per Retortam ex arena vel cinere igne gradativo: hinc separa oleum à spiritu. *Panth. hygiast. Deodat.*

N. Spir. vini leniter abstracto, ascendit materia gummea, candida, solida, quam vocant Mannam Benzoin. Hæc albificat cuprum.

Alij.

℞ Benzoin. pulv. ℔ij. affundunt acet. ros. in olla benè clausa, committuntque igni ut fluant (odore id cognosces) Hinc affundunt novum acet. fluereque sinunt continuò agitando; tandem inspissari paulatim permittunt, immiscendo pro libitu flores Rorismar. Lavend. Ros. Spic. Ind. ut & sant. citr. in fine superfundunt spirit. vin. rectif. ac destillant ex arena vel cinere. *Med. destill.*

Alius modus optimus.

℞. Benzoin. pulv. q. v. misce cum sabulo ac imple Retortam ad medietatem: destilla gradatim ex arena, & nanciseeris liquorem ac oleum crassum instar butyri. ℞. hujus (à liquore separati) p. j. aqu. pluv. p. xij. destilla in cinere per alembic. & exstillabit oleum clarum & flavum ad fundum subinde secedens. Postquam pars media aqu. exstillarit, extinguatur ignis effundaturque materia in cucurbita relicta in lebetem æneum, calfiatque optimè super ign. affuso subinde aquæ calidæ quadruplo: hinc filtretur per pannum, reponaturque filtratura ad crystallisandum. Crystallos collectos ex sicca lento ign. calore.

N. 1. Oleum illud rectificari poterit semel ac iterum ex alembico cum spirit. vin. Tartarisato, & evadit odore, saporeque gratius.

N. 2. ℔j. Benz. præbet. ol. ℥iß.) crystall. seu florum (℥j.)

Modum hunc cum aliis non paucis acceptum refero viro solertissimo Joh. Casp. Sparre, Pharmacopœo hujus Reip. Seniori, affini meo colendo.

N. Sunt qui Benzoinum solvunt in ol. nucl. cerasor. express. solutionique admiscent ambram, moschum & zibettum, & exprimunt ad perfumandas, ut aiunt, chirothecas.

Oleum Sam. Closs.

Ego (*Sam. Closs.* (Oleum Benzoin. paro ad modum

Deodat,

Deodat in Pantheo: materia gummea, quæ post destillationem spirit. vin. ascendit, est flos sive crystalli Benzoini, qui collum retortæ opplent, ac proinde bacillo removendi veniunt, ne retorta fragatur: post flores exit materia butyracea, inde acetum & phlegma Benzoini sequitur oleum hiacynthinum boni odoris, sed paucum, tandem Balsamum spissum igne adaucto. Ex floribus sive crystallis & materia gummosa cum spirit. Vin. tincturam citrinam elicies, remanente gummate albo in fundo cucurb.

Vires. Crystalli sudores movent summa cum utilitate in lue venerea, si decocto Guaiacino permisceantur. Oleum vulnerarium est, balsamus vice Peruviani falso divenditur 4. trochisci de Benzoin, Vid. Dipensat.

BENZOE, seu GUMMI BENZOES. Ab aliis communiter vocatur, ASA DULCIS; nihilominus asa dulcis & asa fœtida sunt duo gummata omninò distincta & discrepantia. Legitimum nostrum Benzoë est Gummi veteribus incognitum, lachryma, quæ transudat in arbore quadam in Insula Sumatra & Java crescente, quæ Insula veteribus fuit incognita ista arbore sauciata succus hic profluit atque sensim sensimque coagulatur, & ita toto genere diversus est ab asa fœtida vid. *GARZIAS* ab HORTA, qui sufficienter demonstrat, quod hoc Benzoë non sit *laser.* ad quæ laserum genera refertur asa fœtida. Idem etiam describit arborem, ex quâ stillat, quam nonnulli putant esse arborem agallochum, quod tamen est dubium Vid. de hoc *VVORMIUS in Musæo p.* 222 Collectionem & selectionem sufficienter describit *AUCTOR.* Internè valdè commendatur ad *affectus pulmonum* adeò ut non incommode vocetur à *BARTOLETO balsamum pulmonum* it. convenit in *vulnerib. & ulcerib. phthisi pulmonum*, & in genere in *Tussi & asthmate.* Sic in *Tussi inveterata & contumaci experimentum* habet AMATUS LUSITANUS *in Cent.* 6 *Cur.* 90 qui recipit flores sulphr. & flor. Benzoës, horumque tantillum singulis vesperi quotidiè sub introitū lecti suadet assumere in ovo sorbili, & curat feliciter *Tussi & asthmate* contumacissimis affectos, si per aliquot dies continuetur. Aliàs interno usu rarò adhibetur, Externe frequentius: 1. admiscetur in *pulveribus sternutatoriis* propter gratum odorē & vim quā habet *Errhinam s. sternutatoriā* 2. est egregium *cosmeticum* scilic. *maculas faciei abstergens*: modum utendi postmodū habebimus. Aliàs in manu detentum Benzoë arcere dr. *torporem & stuporem*, quem inducere solet Torpedo piscis: de quo notum est, quod torpidos & stupidos reddat piscatores: Quam experientiam tribuo *IOH. STEPHANO*, qui vid. *in Operib. miscellaneis medicis p.* 42. quod attinet deinde suffitum, m. hic convenienter adhibetur, sive sit suffitus capitis *pro affectibus catarrhalibus*: sive sit suffitus pectoris *pro sedanda Tussi, raucedine & asthmate &c.* Inter PRÆPARATA se offert MAGISTERIUM BENZOES: estque solutio in spir. vini rectificatissimo; quæ solutio cum aqu. simplici præcipitur, sicque fit Magisterium. Solutio vocatur aliàs ESS. BENZOES, quæ Ess prodest *in affectib. pectoris*, ut dixi: Si v. instillentur aliquot ejus guttæ in aqu. rosaceam, evadit lactea, & hæc egregium spirat odorem, & est elegans & efficax *Cosmeticum: reddit partes glabras, candidas & splendentes.* Post magisterium sequuntur FLORES, qui sublimantur, uti habet AUTOR, Videri etiam potest *ROLFINCKII Chymia*, in manica chartacea. Partes vocantur subtiles, quæ ab igne elevantur in altum sub forma sicca, quæ adhærent manicæ chartaceæ & ita colliguntur. Facilis sunt præparationis Alium præparandi modum habet AUCTOR, satis clarum. LIQUOR BENZOES fit, si albumen ovi ad duritiem cocti exempto vitello repleatur Benzoë, hoc sic repletum in loco frigido facit, ut abeat Benzoë in liquorem per deliquium, qui liquor est *egregium Cosmeticum*: nam ipsum qq. albumen ovi est Cosmeticum. *BARTOLETUS lib.* 5. *de Dyspnæa cap.* 1. multa habet de Benzoë in *affectib. pectoris & respirationis vitiis*: & docet modum parandi lapillos s. crystallos ex Benzoë; cujus frustula imponit aqu. violarum, & aquæ florum aurantiorum post aliqualem macerationem partem istarum aquarum abstrahit, quâ abstractione facta, lapilli corpori adhærent, qui lapilli sunt partes salinæ in Benzoë solutæ per aquas, quæ partes denuò congeruntur & sub crystallorum formâ relicto corpori adhærent: Cum aqu. ista destillatione abstracta prodit simul oleum, sed paucum & pretiosissimum pp. egregium odorem & virtutes, uti m. in reliqua aqua non abstracta, sed nudè tantum decantatâ, supernatat pinguedo oleosa elegantissima, quæ ipsa destillatione potest separari. Sequuntur modi destill. oleum ex Benzoë, qui sunt varij, quorum aliquot enumerat AUCTOR, qui à quolibet facilè possunt intelligi, aliquot satis non sunt clari & apertè descripti: optimus est iste quem vocat: ALIUS MODUS OPTIMUS, tertius scilicet, quoniam acquiritur ol. per se præparatum, quod rectius per alembicum destill. in Cineribus fit purum, & ol. hoc modo præparatum reliquis meritò præferendum. Hîc in eodem modo destillandi Ol. Benz additur alius modus præparandi CRYSTALLOS BENZOES, qui tamen non sunt ita elegantes atque ii, qui fiunt ad modum ex BARTHOLETO dictum.

C.

CCCLXXVIII. CAMPHORA.

Κάφυρα, Camphora sive Caphura, *Matth. Cast.* Arab. Capur & Cafur. Lachryma est resinosa proceræ cujusdam ac peregrinæ arboris (non bituminis genus.) Germ. *Kampffer.* Du camfre.

Differentia dua 1. Caphura de Burneo (Insulæ Oriental.) Burneina dicta, quæ rarò adfertur, & omnium nobilissima est 2. Ex China seu Cnicheu, quæ communiter in Europam adfertur, in panes orbiculares coacta *Garz. Acost. Linscot. Fragos.* (dicitur Chinea, Chinichis, &c.) Sic alia rudis est ignem non experta, alia eleborata, quæ solis aut ignis calore cocta atque purgata, album colorem contraxit. *Matth.*

Seligenda est alba, pellucida instar Crystalli, sincera (non maculata) odora, digitis friabilis, quæ accensa vix extinguibilis.

Distinguitur à supposita, quòd hæc calido pani triticeo (uti ex clibano extrahitur) dissecto imposita torreatur, vera autem liquescat.

N. In tritura, mortarium ac pistillum oleo aliquo, e. g. amygdal &c. est inungendum.

Vires. Resistit putredini ac venenis, unde frequens ejus usus in peste malignisque morbis, febribus, &c. Veneris quoque stimulum arcere, conceptumque impedire creditum est: verùm si experientia ac observatio Scaligeriana fidem meretur, citra veritatem (nisi usu continuato id experiri quis velit) suffocationi uterinæ subvenit. (sc. aqu. meliss. in qua Camphora extincta fuerit propinata.) Usus externus crebrior est, isque potissimùm in Epithematibus sc. Frontalibus refrigerantibus & paregoricis, quibus ut commisceatur, solet in spir. vin. vel conteri cum nucleis s. semine aliquo oleaginoso, e. g. pineis, sem. citrull. & sim.

De qualitatibus primis diversitas haud levis est. Majores ad gradum usque 3. frigidam statuunt. Recentiores è contra calidam: utrisque sunt rationes. His inservit 1. inflammabilitas, utpote quæ aëris, non aqueis, ac terrestribus propria est. 2. Odor aromaticus ac sapor acer. 3. Facilis evanescentia, qua vel sponte aërem ceu chaos suum repetit. Illis, vis venerem ac libidinem compescendi, inflammationesque extinguendi. Verum triumphare videntur Recentiores. Et enim quantum ad prius, posito quod venerem arceat, non tamen propterea necessariò frigiditatem concludi posse, argumento sunt Ruta, Vitex & sim. Nec firmior ratio posterior, utpote ab operatione quæ per accidens fit, desumpta. Quippe inflammatio eo in casu non à qualitate frigida introducitur, sed à subtili penetrativa, exhalationibus calidis exitum reserente, atque per sudorem, insensilemque transpirationem discutiente.

PRÆPARATA.

1. *Oleum Camphoræ* ℞. Camphor. ℥iv. Terræ argilla-

cex

ceæ vel boli armen. M. ij. (alij ℞. Camphor. part. 1. Argill. p. 3.) Misce diligenter, & ex Massa mixta forma globulos, quos in solo vel umbra exsiccato destilla in arena ex Cucurbita vel Retorta vitrea (in excipulum, quod continent, si libet, aliquid aquæ pluv. destillat.) Sic prodit primùm quiddam album, mox aqua perpiscua, tandem igne fortiori oleum fragrantissimum. Ol. hoc cum spirit. vin. bis rectificatum, aureum colorem acquirit.

N. 1. *Eodem* modo destillari potest cum terra communi.

N. 2. *Album* illud sublimatum liquescet in Alembico, & defluet in Excipulum.

N. 3 *Non* opus est formare globulos, sufficit enim materias solùm miscuisse.

Vires. Vires ex superioribus collige. Optimum insuper remedium est in gangrænis, ac odontalgia. Hoc oleum affusum super Talcum subtiliss. pulveris. (melius calcinatum) biduana in MB. maceratione albescit, virginibus ad nitorem faciei egregiè inservit Sennert. in Instit. Hartman. in pract. Tentz. Sala.

2. *Ol. Camph.* Paulò aliter.

℞. Camph. p. 1. Boli p. 2. Pulverisata misce & destilla ex Retorta vitrea loricata, l. ing. arenæ, & prodibit Camphora instar butyri. Hujus ℞. part. 1. Tart. optimè calcinati part. 2. spirit. vin. ad eminent. digit. Dest. per MB. donec Camphora incipiat ascendere, quo dato signo, subtrahe ignem & effunde spir. vin. qui exstillavit, in vitrum angusti orificij, affundeque aqu. fontanæ quantitatem, sic lactescet spirit. vin. oleumque Camphoræ supernatabit, quod separa. Materiæ in Cucurbita relictæ affunde denuò spirit. vin. & destilla, separaque ut antea, idque toties reiterando, donec nihil Camporæ ulteriùs ascendere conspiciatur, sic habes oleum Camphoræ, quantitate quidem paucum (8. p.) viribus verò efficacissimum.

N. Spirit. vin. Rectificare poterit ad usus alios.

Ex communicatione Johan. Casp. Sphat. pharmac. hujus Reip. primarij.

Aliter.

Solve Camphoram in Spirit. vitrioli antiepileptico Hartmanni, (vel & in spirit. vin.) & Camphora elevabitur in forma olei ad superficiem. Hoc seorsim collige, atque cum terra sigillata & pauco acet. forma globulos. Destilla per retortam, & prodibit spir. seu ol. valde fugax. *Hartman. in pract.*

Aliter.

℞. Camphor. el. ℥ij. Sal. com. ʒij. Sal. Tart. ʒiij. terantur subtiliss. cum lacte in formam pultis. Hanc macera in Arena per dies 3. dein affunde vini Malvat. ℥iij destilla per alemb. humilem recipienti firmiter annexum, idque l. ign. & prodibit aquosa & oleosa substantia, quam utramque rectificare poteris.

1. *Oleum Camph. Succineum.*

Solvatur Camph. in spiritu vitrioli aut Nitri in oleum supernatans, quod cochleri vitreo separetur, & cum Olei succini rectif. pari pondere aliquoties per retor. distilletur, donec uniantur optime, postea super colchotar vitrioli sæpius rectificetur, donec omnino purum evadat, & Camphora corporaliter non amplius appareat. *Est Diaphoreticum eximium in maligna febri. Dos. gutt. 6. vel 8. in liq. appropr. Ex communicatione Greg. Horst. p. m. habuit S. Closs.*

2. *Liquor.*

℞. Camphoræ q. v. inde urinali, ac impone desuper aliud urinale inversum, juncturis benè clausis sublima ex cinere, toties urinalia illa invertendo, donec Camphora in ole. abeat *Kesler 4. c. 66.*

N. Sunt qui in aq. Fort. camphorã dissolutam pro oleo vendunt, cujus equidem usum internum nemini suadeo. Extrinsecus autem adhiberi solet in dolore dentium. Hoc ol. tandem rursus in camphoram coalescet Med. destill.

Nonnulli in peste hoc deprædicant.

℞. Camphor el. ℥iß. Sal. absynth. ℥iij. M. diligenter & macera per diem unum ac alterum, vase cl. Hinc destilla per retortam, iterum Sal. absynth. ℥i. admisce, ol. rursum affunde per dies 3. digere atque hinc denuò per retortam destilla.

Alij.

℞. Camph. p. 1. Spir. Terebinth. p. ij. destillantque bis cohobando.

3. *Essentia Camphoræ alexiteria.*

℞. Camphoræ q. s. solve, cum amygd. dulc. scil. digerendo, colatuiam cum spir. vin. aliquandiu circulatam destilla denuo, ut abstrahatur spir. vini, residuo adde tincturam croci ad aureum colorem usque inducendum.

Vires. Mirabilis est ad præcavendam & curandam pestem, item in suffocatione Matricis & Febrib

Dosis gut. 1. ac altera. *Tentzel.*

N. 1. *Spiritus* ille abstractus haud minori cum successu in usum accersiri poterit.

N. 2. *Quercetanus* elicit ex camphora essentiam cum aqu. vitæ artarisata. Pharm. rest. c. 26.

4. *Trochisci de Camph.* A.

CAMPHORA. Quæ alio & quidem græco nomine vocatur CAPHURA, & sæpius ita apud Practicos præscripta invenitur. Subjectum est maximâ laude dignum in praxi medicâ. Unde ob peculiares, quas habet vires, in morbis plurimis usurpatur. Egregium tractatum scripsit MOEBIUS: in quo elegantissimè congessit quæ hinc inde apud auctores leguntur. Hic enim est mos Jenensium, ut ex proprio cerebello parum prodant, sed quæ ex & ab aliis sparsim dicta sunt, ingeniosa serie componant. *Camphora est duplex*: BURNENSIUM, & CHINENSIUM; BURNENSIUM est, quæ ex *Borneo* Insula adfertur, & est nativa ex arbore sui generis exstillans: altera est CHINENSIS & artificiosè seu per artem præparata. Vid. de differentia hâc *KIRCHERUS mund. sub terran. lib. 9. sect. 3. cap.* 5. Magna fuit hactenus controversia inter auctores, cujus naturæ sit Camphora; imo multi fuere, qui eam mineralibus & fossilibus magis annumerare, ac è bituminum genere esse arbitrati sunt, sed hoc est erroneum. Vid. AUCTOR & *cit. MOEBIUS*. Modus probandi Camphorã legitimus est cum pane calido triticeo, quem etiam habet AUCTOR, & eundem satis clarè descripsit: arborem, ex qua stillat Camphora, satis sufficienterque delineavit & descripsit *BAUHINUS in Theatr. Botan. Tom.* 1 Quod attinet primò virtutes Camphoræ simplicis, notum est, quod adeò sit volatilis camphora, ut in capsula contenta exhalet nullo vestigio relicto, ut soleat imponi in grana piperis vel semen lini: ab his enim conservatur, ut non exhalet: Est ergò Camphora liquor oleosus totus volatilis: vel potius est sal volatile quoddã concentratũ cũ pinguedine sulphurea & oleosa itidẽ volatili, & inde adeò penetrãtis & volatilis est naturæ. De hac Cãphora est quæstio, *an sit* FRIGIDA an CALIDA? Sunt qui frigiditatem probant ex eo, quod venerem extinguit, & incandescentes inflammationes restinguit, & sic quasi refrigerat: caliditatem defendunt ex vi penetrativa, deinde quod etiam in mediis aquis accensa vehementissimè flagret: nam ex Camphora faciunt stiriis glaciales ardentes instar candelæ, dum recipiunt stiriam, quam excavant, & indunt camphoram: Similiter fit nive conglomerata & impleta Camphora pila ardens. Quicquid sit, res est ridicula: Nam Camphora per se est *calidissima*, quæ vero videtur refrigerare, quando *compescit acidum in inflammationibus*, non in caliditate & frigiditate consistit, utpote quæ sunt Relolleæ ita ab *HELMONTIO* & *PARACELSO* ficto vocabulo dictæ, sed magis activa principia est respiciendum, nempe ad salia. Non potentius datur *alexipharmacum* in *malignis* & *pestilentibus morbis*, quam Camphora externo & interno usu, propter mirandos & stupendos effectus, quos præstat in *peste* & *malignis febribus*. Ita Medicus Veronensis Henisius habuit Ol. pestilentiale expertissimum, compositum ex Ol. destill. succi citri & Camphor, hæc sigillatim destill. miscuit & habuit ol. Camphoræ pestilentiale stupendarum Virium: cum quo tanta præstitit in *peste Veronensi*, ut ipsi columna triumphalis fuerit erecta. Unde quidam Norimbergæ dixit, quod si ille, qui manè assumpserit aliquot Ol. Cãphoræ guttas, illo die à peste corriperetur se velle pati suspẽdium, aliàs se velle pœnam patibuli in se recipere, si non peste infectũ curaret per Ol. Camphoræ. Vid. *HARTMANNUS in praxi Chimiatricâ.* & *MOEBIUS in Anatomia Camphoræ p.* 53. Propterea quidam in secretis habuit LIQUOREM CAMPHORÆ ANTIPESTILENTIALEM ex Camphoræ ℥j. albuminis ovorum ℥vi. quæ duo destillantur per retort & liquor, qui prodit, cum spiritu vini cohobatur, fitque elegans remedium *antipestiferum*. In *febrib. malignis* certissimum est remediũ Camphora: Propterea nunquam me fefellit, in primis cum sale vol. C.C vel sale vol. viperarum, addito vel antimonio Diaphoretico vel specifico Cephalico D. Mich.

Mich. ex Cinnabari antimon si singulis 8. horis repetatur, talis pulvis valde in *febribus pestilentialibus*, est expertus. fit h. m.

℞. Antimon. diaphoret. ℈j.
sal. vol. C. C. vel sal. vol. viperarum gr. viij.
Camphoræ gr ij. iij. iv. pro ætatis ratione:

Misceantur fiat pulvis pro unâ dosi, qui singulis 8. horis repetendus est in *febribus malignis*. Interdum loco antimon. Diaphor. substituo Cinnabar. antimon. si adsit *delirium* & immineant *convulsiones Epilepticæ*; Laudani Opiatum addo, si sunt inquieti, & se jactitant in lecto, & dificilis diaphoresis. EXTERNE Camphora in iisdem *febribus malignis*, si sc. cum aliis applicetur pulsib. item si in febribus malignis adsint *agrypniæ* & *deficiẽs somnus*: item si adsit *delirium* vel incipiens vel confirmatum, egregiè confert, externè cum Epithematis capiti imposita aliquot gr. permista: certè mirabiles præstat effectus, si singulis horis Epithema renovetur. Ex aqu. spermatis ranarum, aqu. Solani, aqu. semper vivi majoris, ex his, inquam, ad aliquot uncias cum papavere albo fit Emulsio tenuis, additur Camphora pro Epithemate Cephalico: vel cum aquis miscetur succus cancrorũ, Fluviatilium, & additur Cãphora pro simili usu in *morbis malignis* Certè miranda vidi ex tali Epithemate in quodam desperatè decũbente. Ulterius cõmunis est sententia, quã Camphora *arcere* venerem, statuitur. Unde natus versiculus Scholasticus.

Camphora per nares castrat odore mares.

quæ tamen est falsissima, & sufficienter hunc versiculũ strigillat *TACHENIUS in Hippocrate Chymico*, ubi de viribus Camphoræ, & confirmat, quod resinatores Cãphoræ Venetiis sint salacissimi, & copiosissimã progeniem alant: adeò ut dicat *CRUGNERUS in tr.* de Pinu *c. 3 p. 31.* quod Camphoræ ℥ß. in sp. abiet. ℥iv. *venerem concitare* soleat. Nihilominus hoc certum est, quod Camphora in specie in *Gonorrhæa maligna virorum* sit magnæ efficaciæ, quod ipsum an sit, quod absumat semẽ, vel quod probabilius est, quod absumat acidum, quo semen est impræegnatum in *Gonorrhæa*, (unde est adeò tenue) est, quod in medio relinquo: In *tali Gonorrhæa* virorum est experta mistura quæ fit ex

Sp. Terebinth. ℥ij.
Sacc. saturni ʒß. &
Camphoræ ℈j

m. f. mixtur. Cujus dosis sunt 15. vel 20. guttæ. Deinde in *furore Uterino* Cãphora est expertum remedium: in quo valdoperè cõmendatur Camphora incensa & in potu ordinario aliquoties extincta: quod ipsum ceu expertum cõmendat *HORSTIUS*, uti videre potestis in *cent. 3. epist. BARTOLIN p. 147* Eodem modo Camphora extincta in potu vel aqu. appropriatâ & propinata est expertum remedium in *suffocatione Uterina*, in qua ℈j. & aqu. appropriata in qua solvitur, valdè commendatur à *RIVERIO in praxi*, quin imo eadem Cãphora in substantia, vel etiam ol. medicamentis in *suffocatione Uterinâ* permiscentur. Non mirum esse debet quod Camphora prosit in *furore Uterino*, utpote delirij speciê. Unde similiter in *mania* est egregia, & arcanum fuit PRÆVOTII Medici practici Patavini; cujus singulare experimentum fuit in *mania*, ol Camphoræ cũ Moscho: & à *PARACELSO de Philosophia vitali, tr. 2. cap. 4 in mania* tanquam præsentaneum remedium commendatur hocce:

℞ ol. Camphoræ ʒj. ol. Musci vel Moschi ʒß. vel ʒj.

Misce & administra qualibet vice ʒß. mirabiliter enim coagulare dicitur materiam *maniæ*, seu aqu. in glaciem coaguletur, & extinguere calorem corporis ac ebullitionẽ. ol. pro cura maniæ destill fit ex Camphora mista cum bolo & destillata per retortam: Hujus ol. gutt. 10. *furorem maniacum* aliquot horarum spatio sistere dicit *PRÆVOTIUS*. Propterea etiam *HILLERIUS* ad *maniam* externè, præscribit ablutionem temporum cum tali liquore:

℞. Spir. vini ℥iß. (iiß.)
Camphoræ in eo dissolutæ ʒß.
Imponantur noduli ex opij ℈ij.
Moschi gr. 4

Hic liquor temporibus applicatur, & narib admovetur ad *conciliandum somnum* Qui plura cupit de vi Camphoræ in mania, vid. scriptum *PENOTI*. Istud Epithema, quod dixi in *febribus malignis* convenire, non incommodè etiam adhibetur in *aliis febribus*, item in *agrypnia cõpescenda & suavi somno inducendo*, utut olfactu arcere dicatur propter gravem & penetrantem odorẽ. Externè etiam *dolores podagricos* & *affectus articulorum* mirè sanat Camphora, imprimis si dissoluta in spir. vini applicetur, qui spir. vini cãphoratus applicatus artic. arthritide affectis mira præstat pro *sedando dolore* & pro *dissip. tumore*, quoniã acidũ absorbet, quod in artic. gubernãs doloresinducit arthriticos. Sic Cãphora in *arcenda gangræna* est expertissimum remedium, & mira præstat in tali casu. Unde etiã Camphora solet præscribi in unguentis podagricis & linimentis contra articulorum dolores. Cãphora si dissolvatur in ol. amygdalarum dulcium, & illinatur ossi narium seu nasi, experimẽtum est in Coryza Doct. *TANCKII*, quam subito sitit. ExterneCãphora applicata, mira facit in *affectib. ventricul*: sic fuit quidam æger, qui afflictus fuit desperata *cholera*, in qua per 4. dies. ἄνω & κάτω sursum & deorsum omnia ingesta alimenta & medicamenta cum impetu rejecit, & quæcunq; assumpsit dicto citius egessit: curatus tamen fuit æger talis, utut periculosissimus ejus status fuerat, quoniam per 4. dies malum duraverat, per spir. vini rectificatissimum, ab Herbis Cordialibus destillatum, cujus ℥j. additus fuit ℈j. Camphoræ, & talis spir. vini camphoratus applicatus fuit cum linteis duplicatis regioni ventriculi, quo facto æger cum admiratione summâ adstãtium ne semel quidem evomuit. Externè etiam si appendatur in linteo circa regionem scrobiculi cordis *tertianas fugat*. Singulare hujus rei experimentum habet *D. CHRÆCK*, Medicus Augustanus, qui aliquot tertiana laborãtes per ℈j. vel ʒß. Cãphoræ in linteo scrobiculo cordis appenso curavit: ubi cessante febri Camphora absumta fuit, præmisso levi universali: observatum tamẽ fuit, quod Cãphora noceat olfactui, cuius rei experiẽtiam habet *BARTHOL. Cent. 3 hist. 91*. Dixi quod spir. vini camphoratus conveniat in *gangræna* & *podagra*: præterea quodque cõvenit in *Colica*, in *contracturis* ex Colica seu paresi, ut vocãt similibusve *partium externarum & internarum affectib*. Nescio an verum sit quod habet *HILDESHEIM in spicilegio, p. 149. de affectib. capitis*, quod sc. Camphora pudendo aligata & in brachio gestata, membrum virorum flaccidum faciat: experimentum est spir. vini Camphoratus in *affectib. pestilentialibus* arcẽdis, Potest solvi in spir. Theriacali, & sic fit THERIACALIS CAMPHORATUS, qui est tertium ingrediens misturæ Bezoardicæ seu misturæ simplicis, quæ Cãphora dicitur à qubusdã basis eiusdem in *morbis malignis arcendis*. Inter parata est *Ol. Cãphoræ*, cuius tot sunt præparationes, quot sunt capita chymicorum: ante omnia inquirendum est: *an detur ol. Camphoræ verum?* Quod multi nõ sine ratione negant: si enim Ol. infundatur in aqu. subitò se conspiciendam præbet Camphora in forma, quam antea habuit. Sic. v gr etsi solvatur in spir. vitrioli, ut dispareat sapor & odor omninò evanescãt, subitò tantũm atq; ita dissoluta injicitur aqu. simplici denuò renascitur & sub sua formâ antiqua supernatat; Obtinet hoc, sive dissolvatur in Aceto sive aqua fort. & in omnibus præparationib. Camphoræ, ut, quando permisceatur cum aqu. Camphora regeneretur. Unde non sine ratione sunt, qui dicunt impossibile esse, quod detur Ol. Camphoræ destillatum verum, sed esse imposturam, cum admista aqu posset regenerari. Et quidẽ hic imprimis fit Ol. Cãphoræ per succos & per spir. acidos corrosivos cum spirit. vitriol. vel aq. fort. aq. vegal. vel acet. destillat & similib. in quibus soluta Camphora potius ex illa

nocivum

nocivum quam verum ol. cum subito camphora possit regenerari. Vel præparatio est cum bolo & est communissima: Nihilominus fieri potest egregium Oleum. Hoc ol camphoræ solet imprimis desiderari propter *vim Cosmeticam*, nam Camphora est *egregium cometiscum*. Cum enim notum sit, quod affectus cutanei & maculæ faciei imprimis oriantur ex subtili acido ex depravatione alimenti in coctione tertia, vel propter læsam transpirationem, non mirum si assumpto acido tales maculæ dispareant. Unde etiam sp. vini Camphoratus cum aqu. appropriata est expertus *in gutta rosacea*, in *variis* est egregius. Nihilominus interno usu commendatur in *morbis malignis*, in *peste*. Potius fit cum Ol. succin. v. gr.

℞ Ol. succini partes 3.
Camphoræ part. 1.

Digerantur in loco tepido per 3 dies naturales: deinde induntur retortæ vitreæ benè lutatæ, & destillantur sic per arenam primo leni igne, mox fortissimo, & sic prodit OL. CAMPHORÆ COMPOSITUM *antipestilentiale*: Hæc destillatio repetatur cohobando secunda vice. Dosis sunt guttæ VI. ad 8. Eodem etiam modo destillari potest OL. CAPHORÆ SUBTILE per retortam, si Camphora misceatur cum Ol. destillato Juniperi egregio, dum commista destillatur ita & sic fit etiam non inelegans Ol. Camphoræ. Alii quoque parant Ol. Camphoræ per dissolutionem Ol. amygdalarum dulcium, sed est vulgare, nihilominus commodè usurpatur in *odontalgiis*, si applicetur denti dolenti vel indatur denti carioso & excavato. Efficacius erit si Camphora dissolvatur in Ol. origani Cretici, & hoc Ol. dissolutionis Camphoræ applicetur denti dolenti. Qui destillant Ol. Camphoræ cum bolo vel terra sigillata, melius destillant, quando solent imbibere bolum cum acet. destillat. ad minimum ter, exsiccant & cum Camphora miscent, sicque copiosius Ol. acquirunt, nihilominus omnia hæc Olea abeunt in Camphoram vulgarem solâ admistione aquæ, adeoque non sunt Ol. vera. In *paroxysmo Epileptico* Camphora est egregia, & quidem si præcaveri debet, miscetur Camphora cum Laudano Opiato, si jam actu affligit, vel sola cum appropriatis propinatur sine Opio. Quod enim dixi de *Suffocatione Uterina*, valet de *Epilepsia*: nam illa est quasi species Epilepsiæ. LIQUOR CAMPHORÆ (habet quidem AUCTOR alios modos) fit etiam si nimirum in albumen ovi ad duritiem cocti indatur Camphora, & in loco frigido ita dissolvatur in liquorem, qui liquor Camphoræ est egregius. Quæ habet AUCTOR sunt satis clara.

CCCXXIX. CANCAMUM.

Κάγκαμον, Dioscoridi est Arabicæ arboris lachryma, Myrrhæ quodammodo similis, vinosi gustus: ad suffimenta usurpatur.

Quoad vires, eandem splenetica, emmenagoga & ophthalmica habetur.

N. De hoc Dioscoridis Cancamo diversæ hoc tempore sunt opiniones. Laccam dicunt alij, alij Resinam Animæ faciunt, alij Benevinum, nonnulli prorsus incognitum putant. Videantur Matth. Garz. Clusius in Garz Amatus in D. & sim.

CANCAMUM. Lacryma cujusdam arboris exoticæ, cujus tamen natales nondum sunt cogniti, nec propterea ejus vires sunt in magnâ æstimatione, & rarò imò ferè nunquam præscribitur, nisi in usu externo.

CCCLXXX. CARANNA.

Caragna, Carana: est Resigna duriuscula, tenax, sine multa agglutinatione, Tacamahacæ similis nisi quod sit paulò odoratior, splendidior, liquidior & densior. Affertur ex Carthagine Indiæ Occidentalis seu Novæ Hispaniæ Provincia, ubi ex vulnerata arbore elicitur, atque illinc foliis latis ac nervosis instar arundinaceorum foliorum involuta ad nos pervenit.

Vires. Calfac. & sicc. 3. viribusque pollet iisdem quibus Tacamahaca, qua tamen operando citior & efficacior est, præcipuè in tumoribus, omnisque generis doloribus, maximè juncturarum: tumores inveteratos dissolvit, defluxiones frigidas aut mixtas sistit, nervorum ac cerebri dolores sedat, vulnera recentia, præsertim nervorum & juncturarum sola sanat, defluxiones in oculos & alias partes reprimit (ponè aures vel temporibus imposita.) Monard.

Solvitur in Oleo.

Præparatur inde Emplastr. antipodagricum insigne.

℞. Carannæ ℥j. ceræ flav. ℥ß. cum Ol. verbasc. F. Emplastr.

CARANNA. Est gummi album similiter transsudans ex arbore, juxta Carthaginem apud novam Hispaniam enatum, ubi, uti dixi, exsudat ex cortice arboris vulnerato. Hoc in viribus convenit cum Tacamahaca & propterea adhibetur in *affectibus stomachi* extrinseco usu, imprimis in *dolore stomachi*: deinde in *Emplastris Cephalicis*, & in Emplastris pro bregmate usitatis. Item sunt interdum *dolores partium*, qui putantur esse à catarrhis, revera tamen sunt *flatulentiæ* in interstitiis musculorum, in his non datur melius remedium, quam ex hoc Gummate Carannæ factum EMPLASTRUM, si scilicet in mortarium calidum immittatur & agitetur calido pistillo: sic enim fit fluxile & flexile, id quod habet *LINDANUS in Collegio super Hartmannum cap. de Catarrhis.* In *odontalgia* & *ophthalmia* in forma Emplastri magnitudine thaleri applicatum temporibus est egregium remedium pro *adstringendis defluxionibus oculorum* & *compescenda lympha in ophthalmia* & *odontalgia* sæpius excedente; In genere ea, quæ dici possunt de Gum. Tacamacha imposterum dici qq. possunt de Carannâ, ut in hoc dicatur esse potentius & efficacius in suis effectibus. In *doloribus articulorum* valdè commendatur, & Egregium Emplastrum habet AUCTOR sub finem hujus cap. *PETRUS JOHANNES FABER*, *in Myrothec. spagyr. lib. 2. cap. 41.* habet Q. ESS. Gummatis Carannæ, quam prædicat ceu specificam in *Podagra & Colica.*

CCCLXXXI. COLOPHONIA.

Colophonia Officinarum, C.B. Pix Græca, *Matth. Cord.* est substantia naturæ oleaginosæ, flavescens, arida ac friabilis, residua ex resinis abietina, strobilinaque, coctione dum purgantur, inspissatis ac frigore induratis.

Eligenda est pellucida, odorata, quæ Thuris fumum accensa æmulatur.

N. 1. Dicitur Colophonia, quòd ex Colophone olim advehebatur.

N. 2. Friabilem illam flavamque substantiam in Resinarum singularum destillatione residuam, alij Resinam frictam appellant: alij eidem colophoniæ nomen imponunt.

Vires. Siquidem Colophonia portio est Resinarum, Resinarum quoque vires retinet, sed minus penetrabiles: calfacit itaque & siccat, emollit, glutinat, ususque ejus, quia pinguibus solvitur, commodissimus est in Emplastris.

COLOPHONIA. Quæ est *duplex*, UNA est residuum istud crassamentum, quod in abluitione & depuratione resinarum abietinarum remanet; ALTERA est istud residuum, quod post destillationem Terebinthinæ remanet. Hæc Colophonia tantum ingreditur Emplastra *in vulneribus* usitata: Deinde commendari solet contra *calculum*, imprimis ista, quæ remanet post destillationem Terebinthinæ, nempe laudatur in *pellendo calculo si pulverisata assumatur.*

CCCLXXXII. RESINA COPAL.

Pancopal, Copal. Resina est duriuscula, admodum candida, vel ex albo flavescens, pellucida, benè odorata, in massam redacta. Asportatur ex India Occidentali, sive nova Hispania, ubi ex vulnerata arbore guttatim stillat. *Monard. Clus. in Monarg. Fragos. Cæsalp.*

Vires. Calfac. 2. hum. 1. emollit, resolvit. Usus præcipui in affectibus cephalicis.

PRÆPAR.

PRÆPARATA.

Ole. tenuius & crassius. Eodem modo elici potest utrumque, quo ex Resina anime.

N. Cœpit ab annis aliquot ex eadem India Occidentali liquor quidam adferri olei de Copalyra appellatione, quod an ex Resina jam descripta sit, in dubio relinquit Clusius in Monard. commendari id ait ad vulnera recentia curanda: nostratibus ignotum est.

COPAL. Hæc est rari usus, in *affectibus capitis* tamen imprimis usurpatur elicitum ex ea oleũ *destill.* per retortam in arena, uti potest fieri ex aliis resinis omnibus. Habet hic AUTOR, quod dicit afferri ex India orientali liquorem, quem vocitent COPAIBA. Moderni vocant *Balsamum* COPAIBA. De hoc vid. imprimis *BAUHINI Theatri Botanic. Tom.1.lib.3.cap.38.p.306.* qui dicit, quod in Brasilia reperiantur plantæ, quas vocant Copaïbas, ex quarum cortice per æstatem inciso emanat liquor, dictus balsamus Copaiba qui sit singularis ad *vulnera recentia curanda, & cicatrices inducendas.* Id quod dicit BAUHINUS, frequenti experientia confirmant Belgæ, qui in *vulneribus recentibus* usitatissimè adhibent balsamum Copaiba, dum in iisdem conglutinandis mira facit. Deinde internè interdum solet sumi *contra phthisin*, quam sanare dicitur: specificè tamen & quidem mirificè convenit in *curanda Gonorrhæa*, in qua Gonorrhæa percuranda usitatissimum fuit remedium LINDANO, qui dedit B. Copaiba gutt. 5. vel 6. in vino Hispanico omni manè, & dicit mirabile & nobile remedium esse, id quod non tantùm verum est de *Gonorrhæa seminali & legitima*, sed etiam *virulenta*, in qua dedit balsamum copaiba cum mercur. dulci, idque felicissimo ut dicit cum successu. In *stranguria* similiter commendatur, quam stranguriam balsami Copaibæ guttæ aliquot in decocto petroselini subitò solvunt. Est liquor rubicundus.

CCCLXXXIII. ELEMI.

Gummi Elemi, Elemii, Elenii, Resina est, sive lacryma pellucida albicans, cum flavis particulis intermixta, in massam redacta, suavem accensa halans suffitum. Asportatur ex Æthiopia, ubi stillat ex arbore, quam oleam nonnulli volunt [quod negat Matth.] alii cedrum.

N. Dioscoridi flavum est ac scammonio utcunque simile, mordaxque, nostras non item: quare an verum habeamus, dubium est. Damnatur Ammoniaco vel Gummi Arabico simile, colore nigricans.

Vires. Calf. temperatè, emollit, digerit, resolvit, maturat, dolorem sedat, capitis, ac nervorum affectibus, eorundemque vulneribus, ac in primis calvariæ vulneratæ specificè confert, contusionibus articulorum prodest, menses ac urinam ciet.

Solvitur in oleaginosis, ut reliqua resina.

PRÆPARATA.

1. *Ole. stillat. Elemi.* Fit ex retortâ per arenam vel vesicam, ut ol. Anime. *Vide supra.*

Vires. Specificum præ aliis (ut & ipsa Resina) censetur in affectibus nephriticis, paralysi, contractura.

GUMMI ELEMI. Quod est resina alba & pellucida; vel est lacryma oleæ Æthiopicæ, teste HORSTIO in *Dispensatorio.* Hoc gummi Elemi est singulare specificum in *affectibus capitis* in specie quidem in *ejusdem vulneribus*, in quibus mistum cum Emplastro de Betonica excellentissimum est remedium, & quidem non tantùm *in capitis vulneribus*, sed in *quibuscunque aliis* est usitatum, in specie in *vulneribus punctim inflictis* præ aliis omnibus commendatur, uti videre potestis in *MINDERERI Medicina militari p.*943. & 346. *ARCEUS* habet linimentum primâ fronte simplex, usu tamen valdè excellens in vulneribus quibuscunque, quod est hoc:

℞. Therebinth. Claræ,
Gummi Elemi ana ℥iß.
pinguedinis castrati ℥ij.
pinguedinis porcinæ antiquæ ℥j.

Liquescant ad ignem & fiat linimentum, quod mox in principio vulneri applicatum, cuicunque mira præstitit *ARCEO* vid. in *SENNERT. lib.5. prax. pag.*399. quod dixi de *vulneribus capitis*, eodem modo potest dici de *vulneribus nervorum aliarumque partium nervosarum* ac *tendinum*, in quibus Gummi Elemi reliquis omnibus balsamis vulnerariis præferendum est; quod de *contusione partium nervosarum*, similibusve notandum venit.

F.

CCCLXXXIV. FULIGO.

Fuligo est pars rerum combustibilium levior, à partibus crassioribus sub specie fumi elevata, inque substantiam crassam nigricantem vi frigoris compacta. Germ. *Rost.* De la Suye.

Delectus. Fuligo eligatur splendens instar succini nigri, quæque fumarii parietibus proximè adhæreat (quo fornaci propior, eo melior) imò nec abs re fovet, delectum quoque instituere ratione materiæ combustæ: quæ quantò medicæ intentioni convenientior, tantò quoque fuligo præstantior censenda est.

Vires. Acris est, extergit, rarique usus per se, nec adhiberi eam memini, nisi quod intelligam, in suffocatione matricis à mulierculis plebeiis cum successu esse propinatam. Quin & cum aliis mixta carpis imponitur ad arcendam febrim [cum albumine ovi, sale & aceto ad hæmorrhagiam uteri.]

PRÆPARATA.

1. *Spiritus.* 2. *Oleum,* & 3. *Sal.*

℞. Fulig el. q. v. imple ad collum usque retortam vitream lutatam, & destilla, ignis aperti gradibus successivè adhibitis, in Receptacul. capaciss. ut prodeant cum phlegmate spiritus albicantes, ac oleum flavum, ultimoque rubeum. Spiritum cum oleo aliquamdiu digere, postea affunde medietatem spir. vin. & destilla sæpius: prodit cum spir. vin. Spir. fuliginis, & simul ol. rectificatiss. Caput mortuum incinera & extrahe sal more solito cum acet.

Vires. Spiritus ac oleum confortativa sunt insignia, mirabiliter agonizantes exhibita refocillant.

Dosis Spiritus gr. vj. ad ℈ß.

*Olei gr.*2 3. *in vino vel alio vehiculo convenienti.*

Vires Salis. Præstantissimum curativum est in cancro exulcerato, si in cella solutum cancrosis ulceribus semel ac iterum inungatur, venenositas instar vaporis visibiliter extrahitur. Tandem oleum (crassius) leni aspergine sæpius illitum, crustam instar cuticulæ superinducit, quæ sponte, spatio 5. vel 6. dierum decidens, ulcus consolidatum esse indicat. Hartm. in Pract.

FULIGO FURNI. In cujus delectu observetur, quod soleat præscribi ab auctoribus FULIGO FURNI SPLENDENS. Nam hæc præ cæteris est elegans. Rectè etiam monet AUCTOR, quod delectus sit habendus ratione materiæ, ex qua colligitur fuligo: Nam omnes virtutes obtinet ex fumo elevato, ex ligno combusto, & quoniam fumus imprægnatus est sp. acido volatili, qui aliàs per retortam destillatus prodit; hic v. sp. vol. acidus in combustione ligni exhalatur, & in tali combustione simul elevatur oleũ quod conjunctum cum sale volatili quod quasi compedibus vinctum tenet, quæ juncta constituunt fuliginem, quæ ex acido & salibus volatilibus spirituosis constat. Spiritus iste acidus lignorum compositus est ex acido volatili & etiam ex sale volatili spirituoso: nam hæc duo possunt ab invicem separari per corallia vel oculos cancror de

quo suo loco. Hic SP. ACIDUS VOL. cum oleo dilutus fit oleum, quod vocatum est oleum DESTILL. jam verò Olea destillata vegetabilium sunt nihil aliud quàm salia volatilia destill. concentrata ab acido vol. pinguia quo habent consistentiam olei. Hinc ergo fuliginem constituit fumus, cujus volatilitas dependet à sale vol. penetrante maximè temperato à sp. subtili acido & Ol. destillato: seu Ol. destillatum & spiritus acid. vol. constituunt fuliginem. Hinc adeò penetrantis est naturæ, ex quibus patet, quare fuligo adhibita in substantia vim habeat concentrandi omne acidum, & non mirum est quod fuligo sit adeò ægregia *in casu ab alto pro sanguine congrumato dissolvendo*, quòd adeò sit egregii usus internè in *suffocatione uterina*, cujus ℈j. multum commendatur, si assumatur in substantia, in *suffocatione uterina*. Quæ dosis fuliginis splendentis non minus etiam valdè commendatur in *Colica*. Deinde non minoris efficaciæ est fuligo furni in *pleuritide curanda* ad ʒß. in aqua Cardui benedicti propinata, in qua mira præstat teste *RIVERIO Cent.2. obs.89. D. HORSTII specificum antipleuriticum* est hoc: ℞. fuliginis benè tritæ quantum vis. lava sæpius cum aqua flor. sambuci, hinc exsicca & pulverisa: hujus dosis est à ʒß. ad ʒj. Notum præterea est quod in *pleuritide* conveniant medicamenta nitrosa. Unde non tantùm spir. nitri dulcis, sed etiam stercora animalium utpote quæ sunt impregnata copioso sal. vol armoniaco sive nitroso: jam v. sal salsum fuliginis furni est de natura nitri cum ex fuligine furni facilè possit generari nitrum Unde ratione hujus salis nitrosi habet tantam efficaciam in *pleuritide, Colica & suffocatione uterina*. Sunt tamen qui non minoris æstimant fuliginem in *promovendo partu difficili*, in quo imprimis commendatur ejus spiritus, de quo postmodum, vel etiam ipsa fuligo in substantia hausta. Extrinsecus crebrius adhibetur fuligo in *Ulceribus*, imprimis *malignis & cacoëtheis*. Sic prostat quoddam EMPLASTRUM DE FULIGINE in *Pharmacopoliis*, quod impositum *Bubonibus & anthracibus pestilentialibus* valdè commendatur propterea, quod *attrahat venenum* foras, *tumorem emolliat* & sic ad *felicem suppurationem perducat*: sicut de usu hoc fuliginis videre potestis *SENNERTUM tr. de Febribus*. Ubi de peste & medicamentis externè tumoribus pestilentialibus applicandis. Extrinsecus etiam ulterius applicari solet fuligo furni cum acet. pulsibus, pro arcentibus febribus intermittentibus. Observatur tamen hoc ante omnia, quod ingens sit differentia fuliginis secundum differentiam lignorum ex quibus fit. AUCTOR docet præparare *sp.* & ole. per destill. ex fuligine, uti etiam postmodum sal fixum, quod in Cineribus & capite mort. remanet. Spiritus hic est insigne & egregium Diaphoreticum, quod *potentissimè ciet sudorem*: acidus est volatilis & penetrans, & habetur à quibusdam pro singulari menstruo pro præparandis medicamentis: Sunt qui hoc ipso spiritui instituunt δοκιμασίαν seu probationem futuræ mortis in ægro. Dicunt namque si propinetur spir. fuliginis ægrotanti acet. destill. simplici, & sudor copiosus sequatur post exhibitionem, signum esse indubitatæ convalescentiæ, sin v. non sequatur, signum dicunt esse imminentis mortis. *Syncopen & Lipothymiam* arcet hic spir. internè propinatus, sicuti etiam commendari solet internè in *Epilepticis affectibus* non minùs quam etiam in *Lue venerea*: de hac ratio est in promptu; notum enim est, quod Lues venerea soleat curari per decocta vel per Ess. vel per sp. lignorum, jam verò omnes virtutes habet fuligo ex lignis, unde perinde erit, sive propinetur decoctum, sive spir. fuliginis in illa. In *dolorib. podagricis* illitus spiritus commendatur, est enim penetrans & subtilis subacidus, impregnatus sal. vol. acri copioso. Post spiritum prodit simul *flavum* & etiam rubineum seu rubicundum. Quæ olea internè commendantur *pro pellendo fœtu in partu difficili*: externè *siccant scabiem, sanant lepram & Elephantiasin*, non minus commode etiam permiscentur unguentis & Emplastris pro *Ulceribus corrosivis & putridis*. Sal denique, quod ex incinerato capit. mort. elicitur, mirè commendatur, sive sal. ipsum adhibeatur, sive solvatur in loco frigido (modum habet AUCTOR) per deliquium in oleo scilic. potius, quod rectè monet AUTOR, in liquorem, qui liquor multum solet commendari *in cancro exulcerato*. In quo casu magni fit sal fuliginis: Hic ipse liquor sal. fuliginis maximi æstimatur, ad *Ulcera inveterata, Cacoëthea, & insanabilia, fistulas, lupos* & similia *Phagadænica & difficulter sanabilia Ulcera*, si inungantur tali liquore vel solo, vel aliis unguentis misto, pauco tempore curabuntur. Quæ habet AUCTOR, satis sunt clara.

G.

CCCXXXV. GALBANUM.

Γάλβανον, χάλβανον, Galbanum, (*Matthiol. Cord. hist. Cæs.*) est gummi (seu succus) ferulæ Syriacæ, quam Metopium vocant (quo nomine aliis gummi idem venit,) intensè flavum vel albidum, inflammabile, odore Opopanacem referens, colore Tacamahacam.

Optimum censetur cartilaginosum (alii granulatum volunt, sed rarissimè, ob mollescentem naturam in granis invenitur,) flavum, syncerum, pingue, non lignosum, quod in se retineat nonnihil ex suis seminibus, & ipsis ferulæ samentis, gravis & ingrati odoris, nec nimis humidum, nec nimis aridum, cum accenditur flammam nutriens.

Vires. Calfac. sicc. 2. com. emollit, resolvit, extrahit.

Usus præcipuè intrinsecus in mensibus ac partu pellendis, in tussi inveterata ac Asthmate: Adversatur toxicis.

Extrinsecus prodest in partu ac mensibus, suffocatione uteri, vertigine, in furunculis ac lentiginibus: quin & glandi impositum Emplastri vice Urinam provocare dicitur.

PRÆPARATA.

1. *Galbanum depuratum*: solve in liquore, exprime ac inspissa.

N. 1. Solvitur ut alia gummata ferulacea, in quolibet liquore aqueo, aceto, succo, vino.

N. 2. Galenus suspendit in linteo super Vapor. Baln. atque purum exstillare facit.

N. 3. Dioscorides demittit in aquam ferventem, impuritatesque supernatantes ejicit.

2. *Ole. stillat.* Fit l.a. per retortam ex Arena, addito sabulo, vel silicibus contusis.

N. Sunt qui Galbanum cum aceto in formam mellis miscent, atque destillant. At exit primò liquor, dein ole. adeoque opus protrahitur citra necessitatem.

Vires. Maximarum est virium in passione hysterica, intrinsecus exhibitum, vel extrinsecus umbilico illitum. Maturat bubones & anthraces.

Oleum aliud Sam. Closs.

Solutio Galb. in acet. non est de nihilo, præsertim ubi spiritus Galb. expetitur: omnium optimè fit oleum cæruleum ex catino ferreo ad latus inclinato, cùm retort. super tripodem terreum imponitur, deinde pertuso operculo obturatur, ita servantur gradus ign. exitque primò spiritus, mox oleum, & balsamus empyreuma redolens.

3. *Galbanetum, i.e. Balsamum Galbanetum, seu spiritus Terebinth. Galbanetus.*

℞. Galban. trit. ℔. ß. Spirit. Terebinth. ℔. 1. Digere per dies aliquot, dein destillata ex cucurbita humili, vel retort.

Vires. Summarum virium censetur in contractura ex colica, extrinsecus illitum.

N. Est & aliud Galbanum Theophrasti dictum.

℞. Galb. ℔. ß. Gumm. Hederæ ℥iij. trita seorsim misce, ac destilla per retortam in Arena, destillato adde Terebinth. ℔. 1. Ol. laur. ac spic. ana ℥j. destilla denuò.

Vires. Cephalicum est ac neuriticum insigne, contracturas ac morbos similes curans. Med. destill. part. 1.

4. *Ceratum de Galbano, s. Ceratum Matricale.* Vid. August.

Gummi

Gummi Hederæ.

Vide Hedera, Class. 1.

GALBANUM. Gummi ita appellatum ex planta quadam ferulacea: & tales ferulæ dicuntur ferulæ Galbaniferæ ex eo, quod ex Cortice transsudat Gummi Galbanum. Crescit in regione Asiæ Syriâ, ex qua etiam ad nos adfertur. Delectum & rationem eligendi ex aliis optimum Galbanum habet AUCTOR sufficienter descriptum. Galbanum hoc convenit cum reliquis Gummatis ferulaceis, qualia sunt ammoniacum, sagapenum & similia: de quibus inferius, ubi de Sagapeno: & in genere insignem habet *virtutem emolliendi & resolvendi* dura, & etiam adhibetur à Chirurgis in *Emplastris attractoriis*. Dicunt enim quod attrahat à centro ad superficiem cutis, ut fieri possit facilior & felicior abscessus apertio: Nihilominus specificè Galbanum quocunque modo usurpatum intus extusve arcet præ reliquis Gummat: *Uteri mala, & dolores ab acido ortos* placat: ratione hujus virtutis Uterinæ usitatissimum est mulierculis Medicastris, ut adhibeant Galbanum super alutam extensum in forma Emplastri umbilico in *suffocatione Uterina*, in qua non est contemnendi effectus. CEROTUM vel EMPLASTRUM MATRICALE habet AUCTOR, quod in *suffocatione Uterina* valdè prodest impositum Umbilico v. gr. Præscribi potest h.m.

℞. Emplastri matricalis (s. Ceroti de Galbano quod perinde est,) q. s. Malaxetur cum Ol. de Castoreo, superinducatur linteo rubro, fiat Emplastr. uteri, In forma rotundâ. In similibus Uteri vitiis etiam OL. DESTILL. EX GALBANO per retortam ex arena, uti usitatissimè fieri solet, commode inungitur Umbilicus & similes partes affectæ. In *dolorib. uteri* vel *flatulentis* vel similibus idem Emplastrum applicari potest, sed tunc temporis malaxetur cum Ol. destill. Chamomill. quod est egregium carminativum, uti notum est, & unguentum tunc temporis fieri potest ex Ol. destill. Chamomill. Ol. still. Galbani & Ol. still. Lauri. In *suffocatione Uterina* Galbanum solet permisceri in *suffimigiis* cum Castoreo, asa fœtida, Myrrha & similib. ut succurramus mulierculis. *Suffocationi Uterinæ* cognatum est malum in viris dictum *Colica*, in qua *Colica* non minoris efficaciæ & præstantiæ erit Galbanum extrinsecus usurpatum, & quidem idem Emplastrum matricale applicatum Umbilico Nihilominus usitatius est OL. COMPOSITUM PARACELSI cum Gummi hederæ & Terebinth. quod vocatur GALBANETUM PARACELSI, de quo intelligendus est AUCTOR, qui vocat THEOPHRASTI: & est expertum remedium in *Colica* inunctum Umbilico & locis vicinis. In specie maximè convenit in paresi vel in Colica, quæ abit in paralysin membrorum, quæ hic locorum quidem est rara, in Moravia vero, Austria & similibus locis, in quibus abundat vinum & continuus vini potus, frequentissima est paresis; cum subtile acidum ex vino subacido in intestinis dat Colica tormina, & ex intestinis delatum ad artus seu partes externas, dat paresin. Idem enim, quod in intestinis dedit *Colicam*, in partibus externis dat *paralysin*, in qua non tantum non possunt moveri membra, sed adest etiam dolor exquisitissimus: In tali *paresi* & prodromo ejus *Colica* GALBANETUM THEOPHRASTI est expertissimum, scilicet quatenus inungitur umbilico & partibus abdominis in Colica partibus vero membrorum cum paralysi ex colica, affectorum: omnes certe valdoperè commendant hoc Galbanetum Hoc ipsum Galbanetum, uti ab Auctore describitur, est communis descriptionis & etiam communis usus, potest tamen meliorari, si scilicet ex Galbani lib. ß. & Ol. Terebinthinæ Claræ mistura destilletur Ol. cui affundatur Ol. Lavendulæ destillati ℥j. & repetatur destillatio: unde evadit Balsamum admodum generosum, quod affuso spir. vini aliquantisper digestum seu circulatum, fit penetrantissimum balsamum, præstantissimumque ad *dolores Colicos & paralyticos ex Colica*, imprimis si misceatur cum aliquot guttis Ol saponis veneti, vel cum aliquot guttis Ol. Camphoræ; Nam Ol. Lavendulæ destillatum, per se valde est conveniens in contusione ligamentorum, tendinum ac partium nervosarum, ex qua ipsa subsequuntur tensiones & quasi dolorificæ convulsiones partium, tam interno usu quam externa inunctione. Fit non rarò, cum sumus in affectibus nervorum, ut in paralysi, nervi tendines, ligamenta & similia fiant nimis flaccida & laxa, adeò ut pars non possit moveri ex humiditate quadam, imprimis lympha, quâ imbibuntur tales partes nervosæ: in tali casu commendat hoc Emplastrum BARBETTE *in Anatomia Practica p.* 51.

℞. Gumm. Carannæ ℥ß.
Galbani ℥j.
Ol Euphorbii ʒiß.

F.l.a. Emplastrum, quod est egregium in tali casu, imprimis si prius inungatur pars cum linimento facto ex axungia humana & anserina ana ℥j. & Ol. Terræ ʒiij. Fiat linimentum Consequens paralyseos ex contractura membrorum, in hac destillatum Galbanetum adhibitum est externè elegans remedium; sive sint contusiones sive dislocationes membrorum ex casu sive contractura, imò dolores ingentes sive sint convulsivi sive Paralytici partium ex variis causis antecedentibus orti, Galbanetum in his omnib. est præferendum. Quod dixi de *Paralysi ex Colicâ*, idem est intelligendum de CONTRACTURA *ex Colica*. Nam processus est talis, primo succus acidus in intestinis dat tormina Colica, postmodum delatus ad partes impeditus motum partis, & fit paresis, si ulterius coaguletur synovia partis ab eodem acido, fit, ut ex tali coagulatione repleta spatiola & poruli impediant, quo minus possint fibræ contrahi, unde fit membrum rigidum durum & immobile, & vocatur contractura ex Colica, in tali Galbanetum destillatum est egregium remedium, & magni usus, in genere ad *omnes affectus nervorum*, qui *ex casu* oriuntur aut *contusione & dislocatione* Galbanetum est egregium. Ulterius quod suprà dixi de *affectibus Uteri*, confirmat AUCTOR, quando Galbanum commendat ad *promovendum partum & menses*, sive solum, sive permisceatur cum Myrrha & Gummi ammoniaco in forma pilularum: Hoc enim modo multum confert in *pellendis mensibus & fœtu*. EMPLASTRUM seu CEROTUM MATRICALE vid. ap. ZWOLFERUM. Reliquorum præparatorum descriptiones satis sunt claræ in auctore. Qui plura cupitis de Galbano, Gummate ammoniaco. & similibus ferulaceis vid. potestis *FREITAGIUM in Auror. Medic. de purgantibus*, ubi elegantia invenietis scripta.

CCCLXXXVI. HYPOCISTIS.

HYpocistis, germen seu plantula est, è radice cisti fruticosi dum florescit, ceu viscum ex quercu prosiliens: Dicitur & Limodorum, aliis Roberbion. Ex hac itaque plantula, cùm floribus succulenta sit, exprimitur succus, qui in sole exsiccatus Glycyrrhizæ succo non absimilis evadit; atque ad nos, sed rarò asportatur. Diciturque Hypocistis, vel succus Hypocistidis. *Videatur Matth. Dod. Cord. in D. Lon. Cast. Clus. hist. Lob. Tab. Ger.*

Vires. Refrig. (1) siccat, potentissimè astringit, condensat. Usus præcip. in quibuscunque fluxionibus sistendis, Diarrhæa; Lienter. Dysent. profluvio [hæmorrhoidum,] uteri, vomitu, &c. Uti & in exspuitione Sanguinis ex lapsu ca-

ſuve orta. Extrinſecus roborat viſcera humidiora, ventriculum, hepar, &c.

N. Qua rara eſt, ejus loco ſuccus Acaciæ recipi poteſt, quippe quæ analogas vires habet, quamvis imbecilliores.

PRÆPARATA.

Hypoc. depurata.

℞. Et ſolve in aqua, aut ſucco appropriato, cola & inſpiſſa

HYPOCISTIS. Eſt planta quædam Exotica ſeu potius eſt ſuccus, qui exprimitur & elicitur ex planta Ciſto, & vocatur *Hypociſtis*, unde & tota planta cœpit vocari Hypociſtis. Elicitur per expreſſionem, & abit in conſiſtentiam craſſam & viſcidam ferè ſimilem ſucco Glycirrhizæ: Modum præparandi ſuccum Hypociſtidis deſcribit *STOCKERUS*, *in Praxi p.143.* Valdoperè adſtringit, unde uſitatiſſimus eſt hic ſuccus pro ſcopo, ubi opus eſt *adſtrictione*: ergo conveniet *in quibuſcunque fluxibus* tam *ſanguinis* quàm *aliorum excrementorum.* Cæterum quoniam partim eſt rarus, partim adulteratus, optimè ſubſtituitur in locum ejus ſuccus acaciæ noſtratis, qui ad eoſdem uſus convenit, ad quos Hypociſtis.

L.

CCCLXXXVII. LACCA.

De Lacca diverſæ opiniones. 1. Fit Laccæ cujuſdam mentio apud Arabes, quam Cancamum Dioſcoridis eſſe volunt; quod inodorum planè & nobis incognitum eſt. 2. Lacca eſt vulgaris, ſeu officinar. quam Garzias ab Horto fieri ſcribit ex ſucco arboris cujuſdam proceræ familiaris in Pegu, Bengata ſeu Balagvvate & Martaba, Malavar, Provinciis ſcil. Indiæ Orient. Nimirum à formicis alatis ſuccum quendam exſugi ait, eumque in Laccam, (non ſecus ac mel ab apibus) redigi, ramiſque arborum induci, unde poſtmodum cum ramis ad nos tranſportetur. Alii ſponte exſudare volunt, atque circa ramos concreſcere. Eſt autem reſina ſicca, Myrrhæ rubræ ſimilis, maſticata ſalivam rubro colore tingens, accenſa vel tuſa ſuave olens. Dicitur Lacca Sumetti, à loco natali, ſcil. Inſula Sumetra, ſicut ea quæ in glebis ſive ſurculis affertur, Lacca Comberti vocatur.

N. Eſt & genus laccæ factitiæ terreſtris, pictoribus familiare, quibus ad conficiendos inde colores inſervit. Laccam vocant globulatam ſeu rotulatam, quippe globorum plerumque venit formulis, colore minii, &c. Duplicis id generis eſt, alterumque vulgarem Laccam inſectoriam appellant: alterum Florentinam, quæ carior & coloris ſaturatiùs rubri.

Vires. Calfac. (aliis temperatè, aliis 2.) atten aperit, ſanguinem purificat, ſudorem ciet, diuretica eſt. Uſus præcip. in obſtruct. Lienis, Veſicæ, Fellis, Epatis ac pulmonum, & hinc in hydrope, Ictero, Aſthmate, apoſtemate pulmonum: in expellendis variolis, morbillis atque peſtilent. contagio, in ciendis menſibus, &c.

PRÆPARATA.

1. *Lacca lota ſeu præparata.* Tota lacca lavetur in decocto Ariſtoloch. & Schœnanti, quoad clareſcat: hinc collige quod reſiderit.
2. *Spec dialacca.*
3. *Trochiſci de Lacca.* V.D.

GUMMI LACCÆ. De quo Gummi Laccæ, cujus ſit naturæ, diſcrepant auctores. Hoc tamen certum eſt, quod fiat per formicas, quodque formicarum ſit labor Lacca. Diſſentiunt tamen adhuc, dum dicunt, quod formicæ alatæ dum ſugunt & pungunt radices arboris, ex puncturis iſtis tranſſudet Gummi, quod collectum vocetur *Lacca.* Alii volunt, quod Gummi Laccæ ſit alimentum, quod formicæ alatæ exſugant inſtar apum ex plantis & arboribus, quod inſtar mellis ab iis redditur, & eſt idem, quod Lacca. Unde & AMATUS LUSITANUS & ANDROUALD. Laccam vocat formicarum alatarum ſtercus, ſicuti mel eſt ſtercus apum. Certiſſimum eſt fieri Laccam ex formicis, & credo quod fiat eodem modo, quo mel ab apibus. Videre poteſtis Bontium in Medicina Indorum, & quidem in Animadverſionibus in GARCIAM ab HORTO *cap.* 8. vid. *etiam VVorm. in Muſeo* 226. Adfertur ex Inſula Sumatra Indiæ orientalis. Δοκιμασία ſeu probandi modus eſt hic, ſi maſticetur facit ſputum rubrum & quaſi ſanguineum, ſalivam etiam reddit rubram, utut ſit omnino dura & exſiccata. Quod attinet uſum, internè commendari ſolet in *affectibus ſplenis*, ad cujus *infarctus*, *obſtructiones* & *ſcirrhos* commendatur. DECOCTUM Laccæ valdè conducit pro expellendis variolis & morbillis, eoque nomine magni apud veteres æſtimata fuit. Specificè tamen Lacca, ſi quod aliud remedium, convenit in *Scorbuto oris* eoque etiam *deſperato*, adeò ut licet partes gingivarum incipiant *gangrana* arripi, putreſieri & fœtere, nihilominus Lacca eſt egregium remedium. Propterea tinctura LACCÆ MYNSICHTI, quam deſcribit in *Armamentario Chymico ſect.2. p.*46. eſt adeò excellens remedium in cura ſcorbuti oris, qua tinctura Laccæ *D. MICH.* curavit *ſcorbutum gingivarum deſperatum* in quodam Nobili, adeò ut gingivæ gangrænatæ & putridæ totum infecerint Muſeum. Deſcriptionem hujus Tincturæ vid. in ipſo AUCTORE. Cæterum loco hujus Tincturæ, cum non ſemper proſtet in officinis, poteſt fieri decoctum ex Lacca pro *gingivis gangrænoſis* non minoris efficaciæ, *deſcriptionem* vid. in *SCHENCKIO* & *CROLLIO in Baſil. Chymica.*

℞. *Lapidis* medicamentoſi Crollij ℥j.
Aquæ ſedi minoris ſeu vermicularis.
Cochleariæ ana q.ſ.

pro ſolutione lapidis coquantur & colentur. Colaturæ infunde Gummi Laccæ ʒiß. à lumin.uſti ʒj.flor. aquilegiæ p.iij. ſtent in infuſo per 24. horas, poſtea filtrentur. d.ſ.

Dentrifica Tinctura, quæ *putredinem gangrænoſam* & *incipientem Cancrum gingivarum ſcorbuticarum arcet, gingivas roborat, & flacciditatem corrigit.* TROCHISCI DE LACCA ſunt uſitati in *obſtructionibus viſcerum, lienis, &c.*

CCCLXXXVIII. LADANUM.

Labanum, Ladanum eſt liquor ex Ciſti (Ledon appellati) foliis exſudans, ſeu eſt maſſa non abſimilis maſſæ pilularum [in pilulas vel ſolâ manu formabilis,] friabilis, colore opaca cinerea, inflammabilis, accenſaque gratum ſaporem habens, in ſuffitibus uſitatiſſima.

Ciſtus illa familiaris eſt in Cypro, Libya, Arabia. Videatur Λῆδον, Ledum, *Matth. Epit. Caſt.Tab.* Lada & Ladon, *Cord. in D. & hiſt.* Ladanum, *Lon.* Ciſtus, Ledon latifolium, *Lob.* Ledum latiore folio Italicum, *Cam.* Ciſtus, Ledum Matthioli, *Ger.* Ciſtus ladanifera C.B.1.

De origine Ladani ſcribit Dioſcorides, quod hirci frondes Ciſti depaſcentes, ſuccum illum barbis ſuis colligant, unde poſtea pectione decerpatur.

Laudatur odoratum, ſubviride, leve, facilè molleſcens, pingue, reſinoſum, arenularum, aliarumque ſordium expers, quale in Cypro gignitur, quod plerumque ceu ex gyris coagmentatum aſportatur. Arabicum vilius habetur, affertur que in maſſa uniformi.

Vires. Calf. ſicc. emollit, digerit, maturat, attenuat, aperit, orificia venarum reſerat, inſpiſſat. Uſus præcip. in capite humido ac catarrhoſo, in dyſenteria, &c. Extrinſecus ejus uſus eſt in Emplaſtris emollientibus, anodynis, tuſſim ſedantibus, in Alopecia (inunge vel coque in vino & lava) in odontalgia, in cardialgia, doloreque ventriculi (cum modico Bdellij faciunt pilulas dandas, Num. 1. & 2. hora 1. ante paſtum, Crato) in ſuffocatione uteri [introrſum adhibitum,] cicatrices curat.

PRÆPARATA.

PRÆPARATA.

1. *Ol. stillat.* Vide Medull. destillat. lib. 1.
2. *Pilula de Ladano.* V. lib 2

N. 1. *Sala* purificare edocet in aqu. id solvendo atque colaturam inspissando. Verùm mehercle minus commodè. Etsi enim coctione nonnihil in aqua solvatur, id tamen non nisi portiuncula minima est: relinquitur pars major intacta, quæ non minus quàm illa commoda est.

N. 2. *Etsi* inflammabile ladanum sit, non tamen pinguibus solvi potest.

LADANUM. Est succus ex Cisto, qui Cistus vocatur CISTUS LEDON, Unde effectus ejus dicitur Ladanum, est succus vel Gummi in pilulas seu massas parvas & friabiles collectus. De origine hujus Ladani res est controversa. Nam quod habet AUCTOR, quod colligatur ex barbis Caprarum depascentium plantas, est erroneum; sed est nihil aliud, quam exhalationes viscidæ & roscidæ, quæ exhalant ex Cisto Ledan, dum scilicet calor Solis interdiu rarefacit succum hunc, qui etiam in die exhalat, à noctis frigore verò sensim sensimque coagulatur, & concrescit in parvos globulos & parvas pilulas concurrente humiditate roris matutini. Hæc est generatio & ortus Ladani. Quod si verò sequente die depascant capræ Ledon, fit, ut adhæreat illarum barbis: Vnde falsò putatur esse ex barbis caprarum: est potius dicto modo adhærens barbis & pilis, dum istæ depascunt cistum Ledon. Hæc est, uti dixi, origo Ladani in Cypro insula imprimis provenientis. Effectus & virtutes ejus quod attinet, illæ satis sunt notæ: Convenit præ cæteris, *quæ habet AVCTOR, in capite humido & catarrhoso: aurium dolores sistit*, si extrinsecus applicetur, vel intrinsecus cum hydromelite assumatur. *Pessis uterinis* junctum Ladanum *secundinas elicit*, & *vulvæ dolorem sanat*; Extrinsecus stomacho inunctum valde convenit in *stomachi vitiis*, unde in Officinis prostare solet Emplastrum stomachale de Ladano CRATONIS, quod egregium est in *affectibus stomachi*: Et CRATO ante pastum solet præscribere PILULAS ex Bdellio & Ladano pro *confortando stomacho* & *roborando* ejusdem vigore. Reliqua, quæ habet AVCTOR, satis clara.

CCCLXXXIX. LIQUIDAMBRA.

Liquidambar, Liquidambra, (q. liquida ambra, ob odoris suavitatem,] Resina est oleaginosa suavissimi ac fortissimi odoris, effluens ex arbore quadam procera ac venusta, Ococol, sive Ocosolt Indis dicta. Estque partim siccior, partim liquidior. Liquidior pars vel seorsim collecta, vel expressione à sicciore separata, sigillatim venditur, dicta eodem nomine Liquidambar, oleumve de Ambra. *Videatur Monard. Cæsalp. Lugdunens. in hist. Mexic.*

N. 1. *Effluxio* hæc incisione corticis promovetur.

N. 2. *Arbor* Ococol familiaris est in India Occidentali, seu Nova Hispania, unde paucos ante annos in Europam transferri cœpit.

Vires. Calf. 2. (oleum 3.) hum. 1. resolvit, obstructiones expedit, emollit, maturat. Vsus præcip. in utero obstructo ac indurato, tumoribus duris, &c. in suffitibus, & sim.

N. Adhibetur mechanicè in perfumandis (ut aiunt) coriis ac chirothecis.

PRÆPARATA.

1. *Ole.* (ut dictum) vel seorsim collectum, vel expressione à sicciore parte Resinæ separatum.
2. *Coctione ex ramis elicitum.* Coquunt enim Indi ramulos in aqua, supernatantemque pinguedinem nomine olei colligunt. Et hoc esse oleum illud officinarum nostratium, color arguit rubro purpureus, quippe nativa albicantiora esse solent.

N. Resina nostratibus in usu non est.

LIQUIDAMBRA. Quæ est succus admodum odoratus, affluens ex arbore quadam Indiæ occidentalis nomine Occocol seu occosolt vid. AUCTOR. In his & similibus exoticis consulendi sunt rerum exoticarum scriptores, & quidem ubi fit mentio occidentis, MONARDES, CÆSALPINUS & TERENTIUS, in orient. Imprimis BONTIUS, & qui scripserunt) itineraria LEGATIO SINENSIS & similes auctores. Hanc Liquidambram quod attinet, est admodum pretiosa, & rarò internè usurpatur: adhibetur saltim odoris gratia in Emplastris contra *tumores* in suffitibus pro *grato odore*. Aliàs in usu medico est rara.

CCCXC. LYCIUM.

Λύκιον, Lycium Dioscoridi est succus extractus (coctione scilicet & inspissatione) ex ramis ac caudice arboris ejusdem nominis. Hanc describit titulo Lycii, *Matth. Tab. Ger.* Lyc. Alpini, *Lugd.* Pyxiacanthæ, *Dod. Lon.* Verum cùm modernis incognitum sit, factum est, ut diversæ inde subortæ sint opiniones, *Lob.* substituit suum ex Lycio Narbonensi extractum: *Garz.* suum Cate dictum; habet & suum proprium *Rauwolfius* in Itinerario. *Officina* suum Lycium communiter ex Periclymeni baccis gravissimo errore conficiunt: alii ex Ligustri fructu: alii ex prunis sylvestribus. Præstaret tamen, monente id etiam C. B. *in Matthiol.* succedaneum ex Oxyacantha aut Rhamno, aut Rheis succo compilare.

LYCIUM. Quod ipsum quid sit adhuc controversum & ignotum: Unde modernorum nonnulli substituunt succum ex rad. rhamni periclimeni & Cyclaminis. Verum quoniam est incognitum, non opus est ut in ejusdem explicatione tempus teramus.

M.

CCCXCI. MASTICHE.

Mastiche est Gummi Resina ex albo citrina, pellucida, granulata, bene odorata, ex Lentisco arbore exsudans.

N. De Lentisco. Vide Class. 1.

Delectus.

Optima censetur quæ in Insula Chio provenit, odorata, candida, instar ceræ albæ splendens, adulta retorrida, friabilis, syncera, stridens. Reprobatur nigra bitumini similis, viridis, livida, impura. Adulteratur Thure & Resina pini, sed odore fraus statim deprehenditur.

N. Quanto vetustior, tanto intensiùs citrina agit.

Vires. Calf. & sicc. 2. subastr. emollit. ventriculum roborat. Usus præcip. in vomitu, nausea ac fluxu alvi compescendo. Obtundit ac corrigit purgantium acrimoniam, reprimit exhalationes ventriculi, quæ caput aliàs ferire solent [grana aliquot post pastum deglutita,] roborat caput, nervosumque genus, exspuitioni sanguinis ac tussi medetur, emendatioris halitum, pituitam è cerebro elicit (masticando.) Extrinsecus usus ejus creberrimus est in dentifriciis, emplastris ac cataplasmatis stomachicis.

N. Coquitur ℥ß. in aqu. ℔. iij. vel iiij. daturque pro potu ordinario in Diarrhæa.

PRÆPARATA.

1. *Ole. stillat, seu flavum.* 2. *Ole. rubrum, seu Balsamus.*

℞. Mastich. q. v. salis parum (3. p.) silic. contus. ana, destilla per retortam, primò exstillat liquor albus cum ol. flavo, tandem igne fortiori, ol. rubrum, rectifica per retort. parvam: flavum ol serva seorsim, rubrum deinde, & Balsamum nigricantem itidem seorsim.

Aliter.

℞. Mastich. ℔. ij. Boli pulv. M. ij. spirit. vin. q. s. impasta, digere per dies (14.) dein destilla per retortam ign.

nudo, & prodibit ole. leve ſupernatans, tum quoque grave & ad fundum ſecedens, utrumque rectifica cum bolo ac ſale.

N.1. Habes ergregium modum Olei albi flavi & rubri prima parte Glauber. pag. 36.

N.2. Eſt aliud ſub titulo Quintæ Eſſentiæ cum ſpiritu Thereb. Myroth. Fabri. Per ſe autem factum Oleum præbet in copia, quod ſi ſuper vitriolum rectificaveris, acredinis alicujus erit particeps, additâ verò aqu. font, per B. habebitur Oleum flavum S. Cloſſ.

2. *Ole. per deliq.*

Fit in albumine ovi cocti, aëri humido expoſito.

3. *Ole. Maſtichinum coctum.*

Fit coctione maſtich. in Ol. Roſat. omphac. *Vide Diſp.*

4. *Spiritus Maſtichis.*

Eſt liquor albus [qui in deſtillatione olei prodit] rectificatus.

5 *Spirit. vin Maſtichatus.*

℞. Maſtich. el. ℔ 1. ſpirit. vin. rectif. ℔ß. digere per dies (14.) poſtea affunde aqu. fort. ana, & deſtilla in MB. t. prodit ſpir. dein aqu. quæ nullius uſus, ſpiritum in MB. rectifica & ſerva.

N. Quod remanſit deſtillari poteſt per retortam, ut profundat ol.

Vires. Maximè prodeſt in ventriculi imbecillitate ac cruditate, in colico dolore, &c.

6. *Aqua Maſtichina FF.*

℞. Maſtich. ℔ ß. Caryophyll. ℥ß. Macis ℥j. vini albi generoſi ℔ ij. deſtilla per alembic.

7 *Pilulæ Maſtichinæ.* Vid. D.

8. *Emplaſtrum Maſtichinum.*

Stomachicum, nervinum, Fierrus arteriæ ſectæ imponit.

MASTICHE. Gummi ſeu reſina ex Lentiſco arbore tranſſudans, quæ lentiſcus ap. nos eſt rara, viſitur frequenter in Italia, præcipuè in hortis magnatum & in horto Patavino: ex iſto effluit Maſtiche eodem modo, quo gummi ex noſtris prunis & ceraſis. De electione & adulteratione vid. AUCTOR. Quod attinet virtutes, notum eſt, quod Maſtiche ſit nobiliſſimum *ſtomachicum*, & quod non habeatur melius remedium in *ſtomacho corrigendo & confortando ventriculi fermento.* Hinc etiam in *vomitu*, *Diarrhæa* & ſimilibus, magni uſus eſt Maſtiche, & quidem imprimis ejuſdem SPIRITUS. DECOCTUM itidem Maſtiches cum corticibus aurantiarum in aqu. appropriata prodeſt in *fluxibus alvi quibuſcunque*, in quibus miranda facit. Purgantibus miſta omnium optimè corrigit eorum virulentiam, adeò ut nullum purgans debeat præſcribi ſeu propinari ſine Maſtiche. Purgantia enim nocent ſtomacho: Unde adjecta Maſtiche optimè illi ſuccurritur. GALENUS tanti facit Maſtichen, ut omnibus reſinis illam præferat: contra DIOSCORIDES præſtantiſſimum omnium reliquarum reſinarum Terebinthinam eſſe dicit: Et certum eſt in multis inter ſe convenire hæc duo: Unde GLAUBERUS loco Maſtiches ſubſtituere ſolet grana Maſtiches ex Terebinthina à formicis collecta. GRANA Maſtiches aliàs poſt paſtum deglutita *promovent coctionem & ſtomachi fermentationem*, ſicque *lienteriæ* aut *cœliaco fluxui* ſuccurrunt. Extrinſecus quoque magni uſus eſt Maſtiche, ejuſque OLEUM PER COCTIONEM paratum in *roborando ſtomacho*, ſi inungatur ſtomacho in *vomitu & nauſea*; vel ipſa Maſtiche inducatur ſuper alutam: & applicetur ventriculo in eadem *nauſeâ* & *vomitu*. Maſtiche & quidem GRANA conveniunt in *apophlegmatiſmis*: Nam maſticata elicit lympham, quæ gravat caput. Inter præparata dicitur, quod DECOCTUM ſit egregium. Paratur aliàs etiam AQUA MASTICHES h. m., Maſtix imponitur ſuper prunas ardentes, & fumus excipitur olla nova, olla impleta benè fumo mox repletur Aqua vel crudâ, vel decoctâ ſecundum intentionem Medici, & optimè tegitur, ſic enim Aqua saporem & facultates Maſtichis ſuſcipit, & evadit optimum remedium in *ſtomachi & inteſtinorum fluxibus*, in ſpecie quidem in *Dyſenteria*: Notum namque eſt, quod SPIRITUS MASTICHES internè aſſumtus valdè conveniat in tali caſu, *vomitu*, *Diarrhæa* & ſimilibus. Jam hic fumus nihil eſt aliud quam ſpiritus Maſtiches nudè collectus ac Oleo imprægnatus, ergò perinde eſt, ſive ſpiritus inſtilletur, ſive hæc Aqua ita parata propinetur: imo melior eſt Aqua, quoniam Oleum ſimul recipitur in olla, quod aliàs ſolet ſeparari. OLEUM DESTILLATUM eſt 1. FLAVUM. 2. RUBRUM ſeu *Balſamum Maſtiches*, 1. prodit AQUA ALBA, quam ſequitur 2. OLEUM FLAVUM, hoc 3. RUBRUM. Hæc in *morbis ſtomachi*, *inteſtinorum* & ſimilibus: in *ſtomachi* vel *inteſtinorum fluxibus* ſunt egregia. (NB. per characterem Aquæfortis hic intelligitur Aquafontana, non Aquafortis. PILULÆ MASTICHINÆ valdopere conveniunt in *ſtomachi & uteri affectibus*; imprimis quidem in *Cephalalgia mulierum ex conſenſu uteri*, cujus ſignum infallibile eſt, quod dicunt ſe ſentire in vertice frigus, in tali dolore capitis ex utero egregiæ ſunt hæ pilulæ. Alii parant OLEUM MASTICHES, cum Spiritu Vini, uti monet AUCTOR. Nimirum Maſtichæ & Spiritus Vini addunt ſilices, ſicque ſolent deſtillare per alembicum, deinde in balneo leniter Spiritus Vini abſtrahunt, & ſic in vitro remanebit elegans OLEUM MASTICHES.

CCCXCII. MYRRHA.

Σμύρνα, *Dioſc.* Bola Indis, Myrrha, *Matth. Cord. in D. Garz. Frag. Caſ. Lob.* Eſt reſina gummea (concretus gummi reſinoſus ſuccus,) cujuſdam arboris exoticæ, quæ cortice vulnerato Myrrham profundit, partim in ſubſtratas ſegetes deſtillantem, partim citra caudicem concreſcentem. Plurima affertur ex Arabia, tum etiam ex Regione Alexim, quæ Æthiopia eſt.

Delectus.

Laudatur friabilis, levis, undequaque concolor (minutis glebis, amara, acris, odorata, & quæ confracta, venas unguium modo candidas, & læves oſtendit. Omnibus autem antefertur, quæ à loco unde convehitur, Troglodytica nuncupatur, colore palleſcens, ſeu ſubviridis, ſplendens ac mordax. Inutilis eſt ponderoſa & coloris picei ſeu nigra: hæc (myrrha) animinea Amati.

N. Stactem nihil aliud eſſe quàm myrrham liquidam, teſtatur Dioſcorides. Ejus autem colligendi diverſos deprehendimus modos. 1. Sponte ex arbore non vulnerata exſudat. 2. Exprimitur ex myrrha, ut oleum Liquidambar ex Reſina ejuſdem nominis.

Vires. Myrrha calf. & ſicc. 2. (al. 3.) aperit, ſubaſtr. atten. maturat, diſcutit, putredini reſiſtit. Uſus præcip. in uteri obſtructione, fœtu expellendo, in pulmonum & inteſtinorum mucilagine, ac inde nata raucedine, tuſſi & angina, pleuritide, colica, lumbricis: compeſcit diarrhæam ac dyſenteriam, febrium rigorem, præcipuè quartanæ arcet. Extrinſecus prodeſt in igne ſacro, gangræna, tumoribus, vulneribus inveteratis ac recentibus, imprimis capitis, unde in Emplaſtris ſticticis, ut vocant, uſus ejus creberrimus eſſe ſolet. Maſticapa ac ſubinde deglutita halitus fœtorem curat, &c.

Doſis à ℈ß. ad ℈ij. vel ʒj.

PRÆPARATA.

1. *Myrrha depurata.*

Depuratur more ſolito: Myrrhæ ſubtiliſſ. tritæ affunde expreſſum ſuccum, decoctum, vel infuſum (intentioni tuæ appropiatum,) vel vinum ad eminent. digit. 2. digere in MB. ut molleſcat, dein calida exprime, & inſpiſſa lentè. *Vide Quercet. Pharm. Reſt. c. 15.*

2. *Myrrha*

2. *Myrra Extracta.*

Extrahitur cum spirit. vin. rectificatiss. s. a. abstrahitur spirit. vin. inspissaturque extractum ulteriùs in vitro, vel vitreato vase ad consistentiam olei.

3. *Oleum Myrrhæ.*

Destilla per retortam ex Arena.

N. 1. *Sunt* qui myrrham cum serratura abietina macerant, ac postmodum per Vesicam oleum eliciunt. Verùm id aliqua ex parte abietinum est.

N. 2. *Alii* liquori myrrhæ spirit. vin. affundunt, digerunt, ac per alembic. destillant, Med. destill.

N. 3. *Alii* digerunt myrrham pulverisat. cum acet. atque hinc destillant.

N. 4. *Neque* per se, neque cum silicibus, arenâ, bolo aut farinâ laterum, Ol. profundit, sed solùm spiritum gravem & acidum ac fœtentem. Fiat igitur utroque modo, ut dixi de Mastiche. S. Closs.

4. *Liquor Myrrhæ.*

Impone Myrrham pulverisf. albumini ovi cocti adhuc calido, ac repone in cellam ad liquescendum, vel mixtam cum eodem albumine repone supra tabulam vitream, ut liquescat, & destillet in vitrum suppositum.

Vires. Abstergit maculas cutis, stigmatáque ex lue Venerea.

[Oleum Myrrhæ per deliquium elicitur.]

5. *Trochisci de Myrrha.*

MYRRHA. Quæ similiter est succus ex arbore extillans exoticâ. Observetur delectus, & de hoc quæ habet AVCTOR, clarè satis explicat, quænam sit præferenda alteri: Etiam præparationis medicamentorum ex Myrrha modus observetur, quod, quando addenda myrrha medicamento, quod debet coqui super Aqua, addatur, quando tollitur ab igne: Non enim sustinet coctionem, & quando coquitur, perditur maxima ejus vis, & exhalat. Saporis est amarissimi, & satis egregii propter copiosum Sal commune vol. oleosum, sed admodum acre, quo constat: Vnde imprimis internè ad *resistendum putredini & corruptioni* commendatur Myrrha: *putredines, præprimis verminosas corrigit, & curat*: Hincque usitatissimè adhibetur in *conditura cadaverum*, dum illa præservat à vermibus. Imò etiam Myrrha singulare est *balsamum confortativum nostræ vitæ*, adeoque multum commendatur ab *HELMONTIO p. m.* 626. uti etiam ab *HORSTIO in judicio super Chirurgiam infusoriam pag.* 88. Dum enim balsamum est *myrra, in ulceribus & corruptionibus partium internarum* est magni usus, *in phthisi pulmonum, Empyemate, ulceribus rerum* & similibus malis nimis frequentibus, dum corruptionem & putredinem ulcerosam corrigit, & fermentum acidum corruptivum ulcerum enecat ac tollit: Unde etiam Myrrha externè in *Vlceribus malignis & cacoethe is mundificandis* est egregia, sive misceatur cum decoctis pro abluitione, sive cum unguentis aut Emplastris, quæ imponuntur *ulceribus talibus*, imprimis contra *ulcera gangrænosa, verminosa & maligna* solet ingredi Emplastra. Plura qui cupit de Myrrhæ viribus pro præservandis à *putredine corporibus* vid. *MINDERER. alcëdar. cap.* 6 Ubi præter alia modum & remedium ex Myrrhâ, Auro, & Thure pro senibus ad *vitam longam* parandi præscribit, quod à multis magnifit, & dicunt huc respexisse MAGOS, qui SALVATORI dono dederunt AVRVM, THVS & MYRRHAM. Unde etiam est ingrediens quoddam Elixyr proprietatis, quod egregias vires habet præservandi à *putredine partium internarum*: In *ulceribus & affectibus Vterinis.* Notum etiam est, quod pulvis Myrrhæ & parati ex illo TROCHISCI multum prosint ad *ciendos menses, ac promovendum partum difficilem, etiam fœtum mortuum*: Imo, fit non rarò, ut *secundinæ retentæ putrescant, & morbos periculosissimos inducant*: in tali casu myrrha est egregium remedium, dum *putredinem secundinæ arcet*, & simul *pellit* ac *promovet*: in hoc certè myrrha est excellens remedium. Præterea myrrha valdè est conveniens in *expellendis variolis & morbillis.* NB. Convenit itidem pro *expulsione purpuræ albæ puerperarum.* Jam sæpius fit, ut talis purpura sit conjuncta cum *suppressione lochiorum*: ergò hîc maximè conveniens erit remedium Myrrha, quoniam & *lochia promovet*, & *expellit purpuram*, ut sic duabus magnis Indicationibus uno succurramus medicamento. Vnde in *malignis puerperarum febribus cum lochiis retentis* aliis remediis admiscetur myrrha, quæ *malignitati resistit*, & simul *promovet lochiorum fluxum*: & sunt, qui semper miscent Myrrham cum Ess. uterinis. Sicuti & ipsa *D. ROLFINCII*, quam magni admodum facit, fit ex Oleo Myrrhæ, Oleo sacchari, Oleo Melissæ, Oleo Sabinæ & Oleo Camphoræ. Sunt, qui commendant valdè EXTRACTVM MYRRHÆ *in febribus intermittentibus.* Cæterum modus parandi hoc Extractum est arcanus. Nam myrrha non solvitur in spirituosis volatilibus, sed tantum solvitur radicaliter in spir. Sal. in quo soluta digeritur, & circulatur per aliquot dies, & deinde commodè cum Spiritu Vini potest extrahi. Spiritus Vini aliàs benè rectificatus & acidulatus aliquantisper cum Spir salis, & qui stetit super Myrrh:, egregius est, pro *præservandis corporibus à putredine*: vidi ego aliquot infantes ita à putredine ad multum tempus in viriis præservatos, qui, quasi vivi essent, apparebant. Denique Myrrha, ad magnitudinem pisorum aliquot assumta, multum commendatur ad *morbos catarrhales & ad absumendos catarrhos. In vulneribus inveteratis*, quæ jam degenerant in *ulcera, præservat à putredine verminosa seu progeniem verminosam absorbet*, & simul illa *mundificat.* Observetur, quòd Spiritus Vini nihil extrahat ex myrrhâ, sed semper debeat esse acidulatus cum Spiritu Sal. communis. OLEVM MYRRHÆ per retortam DESTILLATVM ex arena, cujus præparationes aliquot vid. in AVCTORE, quamcunque *putredinem corporis internam & externam potenter arcet, & potenter præcavet, fœtum mortuum potentissimè pellit*, & denique *dentium acerbissimum dolorem* sedat; Observetur, tamen quod myrrha per se, ex retorta destillata, paucum det Oleum, sed subministret potius liquorem acidum, seu Acetum acre, quod arcanum est ad *venena putrefactiva & corruptiva, quæ per sudorem expellit*, utut sit ingratus. Vt copiosius acquirant Oleum, miscent cum serratura abietina, uti habet AUCTOR. OLEVM seu LIQVOR MYRRHÆ PER DELIQVIVM in loco frigido, uti habet AVCTOR, est singulare *cosmeticum*, quod valdè commendatur ad *lentigines*, Confert etiam singulariter ad *delendas cicatrices vulnerum*, uti etiam *rugas faciei delet*, si sæpius illinatur. Cæterum ex Myrrha alius parari potest fucus *contra rugas* valdè expertus h.m. Mulieres, quæ habent faciem rugis obsitam, admovent Igni novam ferream patellam, quousque candescat: Deinde vino albo uno impetu ex ore rejecto patellam ipsam restinguunt, mox capite linteo amplo contecto vaporem facie excipiunt, subinde postmodum in eandem patellam rursus igne candentem Myrrham pulverisatam projiciunt, eodemque linteolo contecti fumum Myrrhæ excipiunt, denuò ipso linteo faciem contegunt, & cubitum se conferunt: Fit hoc fuco singulis 8. diebus parato, ut eæ perpetuò erugatæ, juventutem etiam in senio mentiantur.

O.

CCCXCIII. OMPHACIUM.

Agresta, *Agrest. Gall.* du Verjus. Est succus ex uvis immaturis expressus, colatus, inque doliis repositus, & vase clauso asservatus.

N. 1. *Praestat* uvas adhibere dies aliquot (45.) soli expositas.

N. 2. *Tempore* Dioscoridis inspissabatur calore Solis ad consistentiam Rob.

N. 3. *Oleum* acidulum ex olivis immaturis expressum, ob saporis affinitatem, itidem Oleum Omphacinum appellari solet, de quo vide suprà Olea, class. 1.

Vires. Inservit tam Esculentis, quàm Medicamentis. Refrig. 2. sicc. 1. substantiae est crassioris, saporis acido-acerbi. Usus praecipui ad hypochondria ardentia, stomachi ardorem, (orificio impositum) imò calidis morbis omnibus feliciori juvamento est, quàm acetum quod praeter refrigerandi vim, & caliditate acri pollet, secus ac omphacium.

PRÆPARATA.

Syrupus de Agresta, vide Disp.
Rob agresta.

OMPHACIUM. Quod alio nomine imprimis appellatur AGRESTA, estque nihil aliud quam succus ex uvis immaturis expressus. Dicitur agresta communiter, à quibusdam OMPHAGIUM. Observetur tamen, ne fiat confusio hujus cum *Oleo Omphacino*, quod fit ex Oleis immaturis, de quo superius: Dicitur Omphacium, dum eodem modo, quo ex Oleis immaturis exprimitur agresta. Usurpatur internè propter *vim adstrictivam*, egregiè enim *adstringit & roborat*, & propter aciditatem moderatam *effervescentias Massae sanguineae compescit* ac *corrigit, blandè coagulat nimis fluidum sanguinem*, & sicuti dixi, *effervescentias sistit*: Unde SYRUPUS DE AGRESTA interdum in tali casu solet praescribi.

CCCXCIV. OPIUM.

Sunt qui Opii ac Meconii nomina confundunt, & duo uno pro eodemque habent, sed malè.

Opium enim lacryma est, quae stillavit ex capitibus papaveris, dum maturescebant, leviter incisis.

Meconium è contra succus est ex iisdem expressus. *Videatur Matth. Cord. Garz. Frag. Bellon. Cord. in hist.*

Opium triplex est.
- 1. Album, affertur ex Cairo, fortè est Thebaicum.
- 2. Nigrum & durum, ex Aden.
- 3. Flavescens magis & mollius, ex Cambaja, & Decan.

Colligitur Plinio & Avicennae ex pap. nigro, at Turcae ex albo (docente Bellonio *lib.* 3. *obs. c.* 15.) leviter inciso eliciunt, quotidianoque usu ad ℈ß vel ℈j. nomine Maslac, assumunt, ad conciliandam scil. animositatem. Verùm quia hoc opio caremus (flavescens enim id esse, leoninorum pilorum modo, ait Bellonius) de opio agemus nobis usitato, quod vel adulteratum, vel meconium potiùs, quàm opium.

Praestantissimum habetur nobis usitatum opium Cabaisanum, quod ponderosum, densum,) inflammabile & ardens (non atra tamen flamma) odore soporiferum (instar papaveris,) ac graveolens, sapore amarum & acre, colore ad aloën accedens, cum frangitur, splendore quodam nitens, facilè solutu.

N. 1. *Dignoscitur* ab adulterato, quòd hoc si diluatur, liquorem croceo colore tingat, ob Glaucium admistum.

N. 2. *Opium* seu Meconium nostras, secundum Quercetanum, ex papav. nostrati Extractum. Vide supra in papav.

Vires Opii. Vim possidet spiritus commotos, inquietos, seditiososque compescendi, facultatique animali peculiari quadam proprietate torporem inducendi. Unde somnus, sensibilitatis imminutio, &c. media sanè maximi solaminis in vigiliis, doloribusque intensis. Verum enim verò, nec & suis incommodis opium caret, nimirum, praeterquam quod excretiones urinae & foecum supprimat, malignitatem quoque exercere aptum est. Hac videlicet livorem artuum, frigidosque sudores, respirationem parvam, ac difficilem, & mentis alienationem inducit. Scribonius. [Pruritum crebro usu inducere observatum est.]

N. De caliditate & frigiditate maximè controvertitur. Plurimi tamen cum Recentioribus calidum id probant, inducti amarore, inflammabilitate, acredine, vi exulcerandi, &c. Alii cum majoribus frigidum id demonstrant, virtuti scilicet insistentes narcoticae, quam obtinet. Disputatio, me hercle, citra necessitatem. Etenim statuatur calidum, reputetur frigidum, quid inde? nec enim in copia adhibetur tanta, ut metuendum, inde inferri posse incommoda. Veruntamen calidum potius dicendum esse quàm frigidum, potiores vincunt rationes: nec obstat vis narcotica, utpote quae non à frigiditate, sed occulta qualitate procedit. Similem enim νάρκωσιν observare licet in nonnullis correptis peste, febribusve malignis & ardentibus. In quibus sanè quicunque narcosin ad frigiditatem referre voluerit, igni frigiditatem attribuet.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Opii Quercetani.*

℞. Opii tenacis (non emarcidi,) q. v. scinde in bracteolas tenues & exiguas ac in patina vitreata moderato calore (arenae) exsicca (cavendo fumum) donec in pulverem digitis comminui possit & foetorem amittat. Sic Sulphur foetidum discussum, in quo omnis vis narcotica.

℞. Opium hoc Sulphure suo narcotico exutum, extrahe s. a. Tincturam cum acet. destill. fortissimo, (vel succo Limoniorum,) abstrahe dein menstruum in MB. ad mellaginem seu extracti formam. *Hartman. in Croll.*

N. Faeces, quae post Tincturam extractam remanent, inservire possunt anodynis externis inde concinnandis, v. g. in Podagra, &c.

2. *Aliud Quercetani Extractum Opii & Hyoscyami*, quod placet appellare.

Extractum Opii succati.

℞. Succi seu Extracti Hyoscyami ℥x. (vide Hyoscyam.) opii praepar. i. e. ad ignem exsiccati, ut dictum ℥x. vel xj. Digerantur lento calore cinerum. Sic attrahit opium tantum succi, quantum sufficit: quod residuum erit ab attractione, seorsim separabitur per inclinationem & exhalationem. Ex eo autem, quod coagulatum est, extrahe Tincturam cum succo Limoniorum s. a donec animadverteris succum non amplius colorari. Tinctos liquores decantatos digere denuo, ut crassiores faeces subsideant, quas secerne.

N. Laudanum opiatum majus Quercetani ingreditur.

3. *Extractum Opii Angeli de Sala.*

℞. Opii in frustula concisi ℔. ß. humectetur aceto ros. ℥ij. vel iij. atque exponatur igni in sartagine ferreâ, continuò agitando ut liquescat, vaporque opii Sulphureus ac noxius unà cum aceto in auram abeat, opiumque refrigeratum friari ac pulverisari queat.

N. Ignis cautè administrandus, ne ἐμπύρευμα contrahat.

Hinc ℞. opium illud pulverisatum, acet. ros. ℔iij. stent in calore arenae (saltem aliquot horis) ut solvatur, dein cola per colum linteum cum expressione ac coagula. Hinc solve denuo in Q. E. Sambuci rectificatissima: clarifica cum albo ovi, ac inspissa ad consistentiam pilulis aptam.

N. Sal acet ros. operationem opii (cum quo jungitur) non modò mitiorem reddit, sed & vim ejus diaphoreticam confortat, ut vel sudor haud sine levamine subsequatur.

4. *Extractum Opii Crollianum.*

℞. Opii (purgati priùs in liquore hyssopi, vel aqua destillata,) q. v. extrahe s. a. cum spirit. vin. decanta & abstrahe.

N. Crolliana haec extractio non sine ratione reprehensionem incurrit, quia 1. Sulphur illud, in quo vis narcotica latitat, humanae naturae inimica, per spirit. vin. tenuius, subtilius, adeoque ferocius redditum, Laudani compositionem deteriorem facit. 2. Spiritus vini suâ naturâ nihil praeter Sulphur extrahit, sale intacto, quod potissimum tamen requirimus. Praestat itaque cum aceto extrahere, quàm cum spirit. vin. Hartman. in Croll. Brendel.

5. Laudanum Opiatum.

Laudanum opiatum nihil aliud est quàm Extractum Opij admixtione alexipharmacorum, cordialiumve, & sim. correctum. Dicitur autem Laudanum, quasi laudatum medicamentum, ob insignes operationes, quas vel in gravissimis morbis præstat: quales sunt 1. dolores sedare. 2. somnum inducere 3. omnes fluxiones sistere 4. ardorem mitigare. 5. Naturam confortare, inquietos spiritus in Phrenitide, Arthritide, Epilepsia, & sim. compescere. Variæ porro laudani hujus descriptiones circumferuntur, quarum tamen præcipuæ sunt sequentes.

6. Laudanum Opiatum.

℞. Extract. Opii (Quercet. vel Sallæ) liquidi adhuc instar mellis ℥j. Magister. vel sal. corallor. perlar. ana ʒß. Extra croci (cum spirit. vin. facti) ʒij. M. omnia diligenter & serva. In fine addi possunt aliquot guttulæ ol. caryophyllorum.

N. alij spir. vitriol. admiscent.

Hoc Laudanum est penè inculpabile, & securè sine omni alicujus peregrinæ affectionis metu potest administrari.

Dosis à gr. ij. ad iij. *Hartman. in Croll.*

7. Laudanum Opiatum Querc.

℞. Extr. seu Essent. Opij. ℥ij.
Extr. Croc. (cum aq. Limon. fact.) ℥j.

His contusis adde

Pulv Hyacinthor.
Corallor. ana ʒiß.
Terræ sigill. ver. ʒj.
Bezoard. ver. s. Extracti Bezoardici, *v. lib. 2. 57.*
Unicornu.
Ambr. grys. ana ℈ij.

M. exactè, continuò agitando ad ign. lentum, donec ex materia frigefacta pilulæ formari possint.

Vires. Insignes ac suspiciendas percipies hujus anodyni effectus, quod te spe numquam frustrabit. Nam confert citra molestiam & cerebri ullam perturbationem, adversus omnis generis dolores à quacunque causa subortos, contra omnes hæmorrhagias, in quacunque corporis parte fuerint, contra omnes defluxiones & fluores ventris, dysentericos, hepaticos, lientericos, & sim. ad inducendam gratam tranquillitatem in febribus ardentibus, in quibus ipse rationis sensus læditur, & in phrenesin æger plerumque delabitur.

Dosis pilula una ac altera magnitudine grani piperis. *Querc. Pharm. Rest. c. 25.*

8. *Aliud laudanum Opiatum Quercetani*, quod libet appellare.

Laudanum Opiatum majus Querc.

℞. Extract. Bezoard, Quercetan. (nondum inspissat.) *Dosi ut lib. 2. c. 57.*
Extract. Croci ex croc. ℥iiij. cum aqu. destillat. ex succo Limon. vel pomor. rodolent. acuata cum spiritu vitriol. vel ol. Sulphur.
Extr. Myrrhæ ac mumiæ (ut sequitur.)
Extr. Opij succati (quale & quantum supra paratum,) sc. ʒvj.
Misce & lento igne redigantur ad consistentiam mellis.

Dein adde.

Succin. Citrin. præparat. (i. e. super quo spirit. vin. opt. aliquoties (4. deflagrarit,) ℈iiij.
Sal. Perlarum,
Corallorum, ana ʒij.
Terræ sigill. opt ʒß.
Pulv. Bezoard. ver.
Oss. de C. C.
Unicorn. ver ana ʒj.
Ambr. grys. ʒß.
Misc. opt. in fine addendo, ol. Anis.
Fœnic. ana gr. xij. vel xv.
serva pro usu.

Dosis, est magnitudo piperis, vel gr ij. iij.

Extractum Myrrhæ ac Mumiæ fit.

℞. Utriusque ana ℥ß. dissolve in hydromelite vinoso ad ignem, trajiceque calidè per chartam; quia viscosa est solutio.

9. *Aliud Laudanum Opiatum, Anodynum specificum Paracelsi.*

℞ Opij Thebaic. ℥j.
Succ. aurant. acid.
Cydon. ana ʒvj. (alij addunt & aq. spermat. Renat. tantundem)
Cinnamom.
Caryophyll.
Croci or. ana ℥ß.

F. digestio leni calore Solis vel fornacis per mensem dein exp imantur & imponantur iterum:
Moschi ℈ß.
Ambræ ℈ iiij.
Magist. Corall.
Perlar. ana ʒß.
Misce digereque iterum per mensem postea adde
Quin. essent. auri ʒß.
Misce exactè.

N. Hartmannus omissa Q. E. auri remanentiam incinerare, atque Sal inde extractum priori mixturæ admiscere jubet.

Vires Anodynum specificum est Paracelsi ad auferendum quoscunque dolores internos & externos. *Harmant. in Croll. Sala in Opiolog.*

10. Aliud.

Nepentes Aureum Angeli Sala.

℞. Extr. Opij (Salæ) ʒß.
Croci (ut in laudan. opiat. major.) ℥ij.
Lap. Bezoard. seu Tinctur auri, ℈ij.
Resin. ligni aloës.
Ambr. grys. opt. ana ℈j.
Misce & incorporentur simul in vase vitreo, eoque bene clauso serventur.
Sala in Opiologia.

11. Laudanum Opiatum Crollij.

℞. Opij Thebaic. ℥iij. purgetur in aqu. hyssop. dein extrahatur cum Spir. vin.
℞. Succ. Hyoscyam. debito tempore collecti, & in sal. inspiss. ℥ß. F Extractio cum spir. vin.
℞. Spec. Diambræ
Diamosch. ana ℥ij. ß.
F. Extract.

Hisce extractis per menses. 2. digestis admisce.
Mumiæ transmar. ʒß.
Sal. Perlar.
Corall. ana ʒiij.
Liquor. succin. per alcohol vini extract.
Oss. de Corde Cervi.
Lap. Bezoard.
Unicor. animal. vel mineral. ana ʒj.
Moschi,
Ambræ, ana ℈j.
Et in defectus genuini auri potabilis, nullis corrosivis inquinati, addantur in fine.
ol. Anisi.
Carvi.
Aurantior.
Citrior.
Nucist.
Caryophyll.
Cinamom.
Succin. ana gr. xij.
F. Massa pilularis.

N. 1. Radices & Cortices Hyoscyami juniores recentes (abjecto interno trunco lignoso,) colligantur sol. & lun. existentibus vel in ariete, vel in libra ante plenilunium. Alij colligunt, si fieri possit, in ipsa hora, quando lun. in dictis signis renovatur. Expressus succus depuratus inspissatur ad consist. mellis, dein extrahitur cum spir. vini, inspissaturque l. ign.

N 2. Succus Hyoscyami & Opium (antequam reliquis misceatur,) priùs rejiciant sua Sulphura, & venena noxia (quæ spumæ instar superficiem petunt.)

N. 3. Pro mulieribus propter suffocationem matricis omittantur Moschus & Ambra, vel corrigantur adjectione granorum aliquot Castorei.

N. 4. Ex remanentia incinerata Sal. extractum mixturæ misceantur.

N. 5. Extractiones illæ digerantur per menses 2. dein abstrahatur spir. vin. addanturque pulveres.

N. 6. Oleis, quia difficulter extracto miscentur, prius invicem mixtis, aliquot guttæ spir. vin. affundi solent, & diligenter commisceri, ita facilè compositioni miscentur.

N. 7. Compositio lenissimo calore per mensem fermentari poterit.

Dosis à gr. ij. ad iiij.

12. Laudanum Opiatum Clar. Sennerti.

℞. Opij purific ℥j. F. Extr. cum spir. vin.
℞. Spec. Diambr. ℥j. F. Extr. itidem cum spir. vin.
Hinc affundantur Extracto opij, (ad syr. consist. impissato) Tincturæ & Diambræ pars dimidia, & succ. extr rec. purific.

purific. ℨvj. ſtent in digeſtione per dies 20. ſæpius agitentur, ubi ſpirit. vin maxima pars exhalaverit.

Adde

Extr. Caſtor.
Solut. Corall.
Perlar. ana ℨß.
Eſſent. Croci ℈j.
Affund. Tincturæ Diambræ reliquum, lentoque ign. ſpir. vin. exhalet.

Sub finem adde.

Ol. Citri.
Cinamom.
Caryophyll. ana gr. iij.
F. Maſſa inſtar. Extracti.

Dimidiæ parti adde

Moſchi,
Ambræ ana gr. vj.
Reliquum reſervetur pro fœminis.

14. *Laudanum ſimplex Plater.*

Laudanum ſimplex habetur in obſer, Plateri pag. 455. ex ℨj. bdell. in ſucco plantag. emolliti, & ℈j. opij in ſpir. vin. ſoluti. F. maſſula, cujus doſis gr. vj.
℞ opij ſuper lamina ferrea exſiccat.
ℨij.
Styrac. calamit.
Labdan. ana ℨß.
Ol. caryoph. gutt. iiij.
Malaxentur in mortario calido, & formentur pilulæ magnitudinis piſi, pondere gr. 4. aut 5. detur unica.

15. *Laudanum liquidum.*

Fit ex opij deſiccat. ſuper lamina ferrea ℥ß.
Spir. vin. opt. rectificat. ℥vj.
ſpir. vitriol. opt. ℥ß.
Croci Anglic.
Specierum diambr.
Diaromat. roſ. ana ℈iiij.
Ambr. gryſ. ℨß.
Infundantur ſimul matracio clauſo, digerantur calore lento per 20. dies continuos, colentur per chartam & colatura ſervetur. Eſt iis accommodatum, qui pilulas ſumere nequeunt.
Doſis gr. 4. ad 8. &c.
[Laudani Cydoniati liquidi meminit celeberrimus. Vvillis in Pharmac. Rational. exhibiti à g. xxiv. in dyſent,]

16. *Laudanum ſolidum S. Cloſſ.*

Totum Laudanorum artificium conſiſtit in correctione opij, quæ fit per diutinam digeſtionem in Acet. deſtill. (ſp. 8. dierum) quæ ter cum novo Acet. deſtill. repetenda venit, abſtrahatur poſtea Acet. deſtill. à tincto liquore ad conſiſtent Extracti.
℞ extracti Opiatici ℥ij.
Croci (in p. 8. aq. roſ. & ſpir. vin. parte una facti) ℥ß.
Caſtor. eodem modo parati ℥j.
Extr. ſpec. Diambr.
Diamarg. frig. &
Diamoſc. dulc. in Acet. deſtill. mixtim parat. ℥iiij.
Magiſterij corallini vitriolati ℨvj. M. ut artis eſt. Servetur in vitro ad dimidias ſolùm pleno, ut poſt paucas horas fermentari incipiat, quod dum fit, agitetur ſæpè ſpatulâ ligneâ.
Doſis g. iij.
N. Eſſentiæ & cariora omnia quæ vulgariter Laudanis adduntur, pretium potius, quàm virtutes augent.

17. *Laudanum pectorale valde excellens, Ang. Salæ attributum.*

℞. Extract. Opij liquidi in part. iij ſpir. vin. & parte 1. aq. roſ. per digeſtionem 3. dierum in B. parati ℥j.
Croci.
Florum Sulphur. Benzoinat.
Aloës lucid.
Myrrh. el. ana ℨj. pulveriſentur & M. calidè, addendo ſpiritus Sal. com. ℨj. (ad promovendam fermentationem.)
Hoc Laudanum tutiſſimè exhibetur phtiſi à Catarrho, Aſthmaticis tuſſientibus, cum extracto ſucci glycyrrh. in Epilepſia aërea cum ſanguinis effervescentia, hæmorragia, capitis dolore. In dentium dolore diſſolvitur in aceto & applicatur denti. *Doſ. eadem cum ſuperiori.*

N. Plures inſuper Laudanorum deſcriptiones paſſim reperiuntur, ut in Alchymia Libavij, lib. 2. c. 1. in Opiolog. Cl. Dn. D. Vvinkleri, Freytagij, & ſim. quò curioſum Lectorem remittimus.

18. *Pilulæ Narcoticæ Plateri.* Vide lib. 2. cap. 74.

OPIUM. De hoc obſervetur, quod ſint duo diſtincti liquores *Opium* & *Meconium*, utrique oriundi ex papavere ſativo. MECONIUM eſt ſuccus expreſſus ex tota papaveris planta, filtratus inſpiſſatus & coagulatus. Opium eſt idem ſuccus, ſed qui ſponte exſtillat ex capitibus papaveris maturis inciſis & ſauciatis qui Solis calore coagulatus inſpiſſatus exſiccatus nigricat, & dicitur opium: tres enim ejus ſunt differentiæ: datur *opium* ALBUM, NIGRUM & FLAVESCENS, quæ utut promiſcuè poſſint uſurpari, nihilominus opium nigrum magis eſt uſitatum. Elegans ſane & neceſſarium ſimplex in medicina eſt opium, ut multi de eo ſcripſerint Auctores: Sic ſcripſit de Opio *VVINCKLERUS, FREITAGIUS, HARTMANNUS, DÖRINGIUS, SALA, DEODATUS, SCHILLINGIUS, BACO DE VERULAMIO* in tr. *de Hiſt. vitæ & mortis*, multa habet elegantia de Opij & opiatorum facultatibus *pag 96. & ſeqq. HARTMANNUS* accuratiſſimè, ſicuti *DÖRINGIUS* fuſiſsimè inter omnes de Opio ſcripſerunt: Modum colligendi verùm habet AUCTOR, qui vid. & rectè dicit, quòd nos ſolum habeamus Meconium, idque adulteratum & multis quiſquiliis permiſtum: propterea loco hujus meconij ſuaderem, parandum noſtras ad imitationem *QUERCETANI*, cujus modum habet AUCTOR, ubi de papavere: ut melius conſulatur ægris adhibendo noſtras Meconium, cum ut dixi, Meconium ad nos allatum ſæpius adulteretur. De opij uſu & adhibendi ratione variant ſententiæ, dum opium laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Sententias, veterum de uſu opij vid in *ZUVÖLFERI Pharmacop. Reg. Edit. Ultim p. 153. & ſeq.* Ubi magnum habet catalogum auctorum, qui rejiciunt, objurgitant & contemnunt opium, parvum, qui commendant. Moderni nihilominus ſequentes *PLATERUM* magnifaciunt opium *ZACUT. lib. 1. Med. Princip. hiſt. 61.* fuſus eſt in explanandis noxis ex opio inconvenienter adhibito oriundis: & proſtant exempla, etiam poſt externum Opij uſum inſecutam fuiſſe mortem: vid. *FORESTUS lib. 9. Obſ. 14 Schol.* Uti etiam in *ZACUT. cit. loco* & præterea etiam in *lib. 1. prax. Obſ. 61.* Econtra *PLATERUS*, & plurimi modernorum magni æſtimant opium, vid. ejus *Prax s.* Hujus imitatorem ſe ſiſtit *SYLVIUS* in Belgio, qui ſæpius utitur opio in quibuſcunque remediis, in quocunque caſu. Quicquid ſit, legitimè uſurpatum, & legitimè præparatum opium eſt optimum & elegantiſsimum remedium, quod has obtinet virtutes, ut beneficio ſalis vol. acris Oleoſi, in quo ſpecifica ejus vis conſiſtit narcotica & anodyna, ut inquam, ratione hujus ſalis vim habeat *ſiſtendi quoſcunque ſpirituum inordinatos motus*, & *quaſcunque ſanguinis, & aliorum humorum effervescentias* & *fluxus*. Hæc eſt vis generalis, & à quâ derivari poſſunt omnes reliqui effectus. Nam dum *ſiſtit motus ſpirituum feroces* & *inordinatos, vigilias arcet*, & *ſuavem inducit ſomnum*. Hinc interno pariter atque externo uſu quoſcunque dolores compeſcit, & ſedat; deinde quaſcunque effervescentias in corpore humano obortas tollit; ratione cujus virtutis generale & catholicum eſt *febrifugum*; Convenit enim in *omnibus febribus, tam continuis, quàm intermittentibus* tam *benignis, quàm malignis*: Quoad benignas, teſtis eſt *BRENDELIUS Conſ. 104.* Quòd Laudani opiati beneficio quam plurimos à *febribus ardentibus*, tam benignis quam *malignis*, viderit liberatos: & *in hiſt. anatom. BARTHOL.* proſtat exemplum

febris

febris continuæ per usum Laudani Opiati in nimiâ dosi, & inde secutum gravem somnum, curatæ: Mulier nempe pro una dosi assumpsit, & sic à *febri continua* fuit liberata. Hoc modo in *febribus intermittentibus* usu venit, si præmissis universalibus, Opium cum specificis ante paroxysmum propinetur, qui mox imminuitur, tandem cessat omnino. In *febribus malignis* excellens est remedium Opium: est namque *optimum sudoriferum*; Jam in omnibus febribus malignis totius curationis cardo consistit in legitima & convenienti sudoris provocatione, quod docebit vos *VVALÆVS in methodo medendi pag. 65.* Ubi asserit, quod opium sit basis Theriacæ, & quod Theriaca hanc vim sudoriferam obtineat à solo Opio: De qua virtute Opij sudorifera vid. *PRIMIROSIVS lib 4. de feb. cap. 10* Uti & *HARTMANNVS de Opio Theoremat. 5.* & quidem in *feb. continuis benignis & malignis* pariter & *intermittentibus* convenit opium, quando adsunt inquietudines ægri, & jectigationes corporis, & debilitatio virium, à quibus somnus & sudor deficit: adhibito autem opio cessant jectigationes, & sedato corporis & spirituum motu, sequitur blandus sudor & suavis somnus. Dum dico, quod humorum effervescentias compescat, facilè patet, quòd conveniat in *quibuscunque fluxibus, & humorum effervescentiis*, non solùm *in hæmorrhagiis quibuscunque sive per nares*, sive *per anum*, sive *per uterum*, sed etiam in *humorum fluxibus, Diarrhæis, Choleris, Dysenteriis* & similibus affectibus, est divinum remedium opium, adeò ut etiam in *hypercatharsi* sive nimia post assumptum purgans purgatione, opium sit expertum, & hinc ratione opij Theriaca. In *quibuscunque fluxibus sanguinis, & humorum*, tam *Epidemicis*, quam *Sporadicis*, est expertum opium: dum dico de effervescentiis, facilè patet quòd etiam conveniat opium in *paroxysmo hypochondriaco*, imprimis in *paroxysmo, suffocationis Vterinæ*, præcavendo, uti etiam in *præcavendis insultibus Epilepticis*, in quibus posterioribus, *suffocatione Vterina*, & *Epilepsia*, commodè permiscetur cum camphora, qualis mixtura experta est in paroxysmis hisce præcavendis. Unde *BARTHOLINVS* habet exemplum *furoris uterini* curati beneficio opij *Cent. 5. hist. 85.* in quo casu similiter etiam commendatur à *RIVERIO*. Dum dixi, quòd compescat dolores, patet, quarè internè conveniat in *torminibus colicis*, quare conveniat in *doloribus podagricis, Ischiaticis, Capitis*, & similibus, id quod præstat, *dum compescit inordinatum spirituum motum.* Hinc habet *RHVMELIVS* PILULAS *in podagra*, quas vocat, VENI AMICE, SURGE, & AMBULA. Compositio est hæc:

℞. Mass. pil. aloephangin: ℨij.
Laudan. opiati ℨß.
M. F. Pilulæ.

Dividatur in 4. partes æquales. Dosis est una pars in vino assumenda tribus l. 4. horis ante pastum. Talis pilularum compositio ex MP. aleophangin. cum Laud. opiato est experta in *paroxysmo colico*, in quo sedando, vim magnam ipsi tribuit *STOCKERVS*, qui aliquando magnum Principem à colica, cum illa curavit. Dum compescit impetuosos spirituum motus, quæritur annon conveniat etiam opium in *deliriis Melancholicis?* Nam quod obiter moneo, in *phrenitide, & deliriis aliis obviis in febribus intermittentibus*, opium est expertissimum remedium: Quæstio hic saltim est de deliriis Melancholicis, & maniacis, an in talibus conveniens sit opium; Scrupulum in tali casu non incongruum movit *HELMONT. in tr. Ius duum viratus* § 5. 56. est congruum remedium opium ex eo, quod vis opij narcotica & stupefactiva inferat somnia truculenta & turbulenta, & hoc verum est non tantum de opio, sed de omnibus simplicibus narcoticis, Hyoscyamo, Solano, papavere, & similibus. De omnibus his verum est, quod inducant somnia turbulenta, & phantasmata varia objiciant: Unde metuendum est, ne phantasmata etiam opij usu excitemus, & inducamus. Ut taceam *Melancolicos & Maniacos*, utut multum temporis ducant in somno, ne quidem tripla dosi opij, posse ad somnum permoveri. *BRENDELIVS supra citato consilio 104.* refert, se vidisse per opium *restitutum furiosum*, quem dicit compedibus vinctum, præmissis paucis præmittendis: nihilominus rationes *HELMVNTII* sunt satis prægnantes & persuasivæ: utut non totum eorum usum velim neglectum, modo rectè & legitime sint præparata, & debitè cum aliis promista. Dixi, quod opium conveniat in *Dysenteria* internè: id quod negat *HOFFMANNVS tr. de Med. Chimicis p. 30.* & etiam quasdam observationes habet *THONERVS in Obs.* quod opiata in Dysenteria fuerint lethalia: Nihilominus totus cardo opiatorum versatur, & vertitur, in eo, ut legitimo modo usurpetur, quæ consistit in hoc, ut justo tempore cum aliis promistum propinetur, ut postmodum dicam. Dum motum spirituum sistit Opium, eo ipso, quascunque fibras & partes compedibus stringit, quo minus sentiantur, sive eo ipso partium & fibrarum *quascunque contracturas impedit*, & *sistit*, simulque *irritationes partium*, quo minus sentiantur, *inhibet*: Ita in *vomitu, singultu*, & similibus ab irritatione oriundis affectibus valdoperè convenit opium: Denique in *Tussi* à Lympha acri & acidâ, quæ imprimis nocturno tempore solet affligere: in tali casu opiata sunt egregia: Propterea à veteribus valdè sunt commendata PILULÆ DE CYNOGLOSSA, quorum ingrediens primarium est opium & semen hyoscyami: unde loco eorum, in modernorum praxi, opium, ejusque laudanum optimè correctum potest substitui. Dixi, quòd opium *sistat quoscunque motus humorum, & sistat fluxum etiam purgantium.* Hinc quæritur annon permisceri vel præmitti possit opium purgantibus: Eo ipso quidem, quod impedit purgationem, videtur quidem inconveniens: Nihilominus à modernis practicis, eleganti methodo, semper cum purgantibus, in *Melancholicis & Hypochondriacis* promiscentur opiata. Nam propter aciditatem humorum, in his gravia symptomata subsequuntur purgantia, tormina, tremor, palpitationes cordis, vertigines, lipothymiæ, erosiones intestinorum &c. Hæc symptomata ut præcaveantur, optimum est opium, sive præmittatur cum digestivo, sive ipsi purganti permisceatur, habita doseos ratione, quæ debet esse auctior cum opio, quàm aliàs. In talibus subjectis Melancholicis, & hypochondriacis, Opium est optimum cum purgante mistum: Et hoc convenit in tali casu, quando adest effervescentia humorum excrementitiorum: Dum enim his datur opium purgantibus permistum, opium sistit effervescentiam, & purgans simul humores refrænatos evacuat, sicque scopis duobus uno medicamento possumus satisfacere. De mistura opij cum purgantibus vid. *HÖFER in Hercule Medic. pag. 777.* qui multis facit mentionem promistionis opij. cum purgantibus, ut ut aliàs non vulgaris sit usus. De Opio adhuc est quæstio, AN RECTE POSSIT PROPINARI INFANTIBUS? Et quidem, cum in *PANAROLLI obs.* legatur, quod papaveris semen, infanti in pulte propinatum, sit nocivum, multò magis id videtur observandum in opio, quoniam est stupefactivum, & quasi papaver concentratum Nihilominus sunt modernorum quamplurimi, qui opium legitimè præparatum, seu Laudanum opiatum propinant infantibus ad quartam partem gr. j. cum aliis apropriatis remediis. Cum ergò adeò egregium sit opium in usu medico, non mirum est, si communiter aliis medicamentis compositis permisceatur. Sic D. *MICH.* habuit Ess. THERIA

RIACALEM ANODYNAM, COMPOSITAM CUM OPIO, habuit ESS. UTERINARIAM ANODYNAM COMPOSITAM CUM OPIO; Quæ Ess. compositæ quamplurimæ possunt præparari ab eo, qui novit facultates simplicium, permiscendo specifica cum opio. Inter veteres fuit lis, AN SIT FRIGIDUM OPIUM, AN CALIDUM? Et quidem veteres, insistentes suis hypotesibus, quod vis narcotica & soporifera consistat in frigiditate, dixerunt, quòd sit frigidum in quarto gradu: Moderni, qui objiciunt amaritiem, inflammabilitatem, & odorem Sulphureum; & qui invenerunt, quod in opio sit cop. sal vol. acre Oleosum, statuunt, quòd sit valdè calidum. Quæ lis non est magni ponderis, neque in Theorica, neque in praxi. Cæterum, utut sit adeò proficuum opium, observandæ tamen sunt quædam cautelæ in praxi (1) Quòd sit infestum utero, & quod non conveniat mulieribus semper & ubique, præcipuè noxium est prægnantibus. Observatum namque est, quod procuret non rarò abortum, etiam in sanis, & in ultimis gestationis mensibus, ubi rarius, difficulter, & sæpe infeliciter solet fieri abortus, (2.) Quod opium solum propinatum, impediat effervescentiam, & motum, fluxumque humorum & fermentationem, sicque gravia causentur symptomata: propterea observetur, ut admisceatur semper specificis morbo appropriatis: Ut v gr. in *febribus intermittentibus*, ante paroxysmum, semper admiscendum est Laudanum opiatum Essentiis vel spiritibus specificis, cum antimonio Diaphoretico, arcano duplicato *Mynsichti*, sp. sal. armoniaci & sic porro: In *febribus malignis*, semper permiscetur cum medicamentis Bezoardicis & alexipharmacis: cum Bezoardico minerali, cum Bezoardico Ioviali, item cum salibus volatilibus, vel viperarum: vel C C. In *affectibus capitis*, *vigiliis nimiis*, & hinc *ortis deliriis*, permiscendum opium cum cephalico specifico & similibus: Item in reliquis affectibus, opium permiscetur cum præcipitantibus & Diaphoreticis. In *Dysenteria*, cum præcipitantibus fixis Diaphoreticis: In quâ convenit Diascordium *FRACASTORII*, quod præcipitat, *sistit fluxum* & *vim* obtinet egreg. *anodynam*. (3.) Opium, dum *sistit spirituum motum*, solet quasi debilitare corpus, & dum impedit fermentationem Massæ sanguineæ, solet simul impedire coctionem *in morbis acutis*. Ut hoc præcaveatur, observetur tempus propinandi opium, quod consistit, in eo, ut propinetur in principio & incremento morbi, nullo vero modo in statu, aut circa statum, nam in hoc videbitis erratum practicorum ingens, quod in statu propinetur cum pessimo successu: potius in incremento, imprimis in morbis acutis, præstat mirandos effectus, in statu sæpius cum interitu ægri est conjunctum: quia valdè stupefactiva est vis opij narcotica, qua spiritus figit, & ægros immobiles, stupidos, & torpidos reddit ratione sal. vol. acris oleosi Ratione cujus se subitò conjungit cum spiritibus, similiter salinis, quos figit, & stupidos, trepidos, & admodum ineptos reddit, unde sequuntur insomnia turbulenta & profunda. Non rarò *solum inducit somnum*, sed etiam omninò ægris est lethiferum. Huic narcosi duobus modis occurrimus per acet. & acida: hæc enim præcipitando, & fingendo sal vol. acre oleosum, optimè corrigunt ejus virulentiam, si aliquot tantùm cochlearia assumuntur, mox sedetur somnus: id quod fit, si acet. cum spongia applicetur naribus, nam & hoc lethargum, ab opio inductum, emendat: Præcipuè commendatur in tali casu, si assumatur acet. in quo soluti sint oculi cancr. ℥j cum unicornu gr. 10 mistum: Hæc enim mistura calidè epota contra *venenum opij optimum & efficacissimum* est remedium. Verùm melius est, ut ab opio tollatur vis narcotica, antequam in corpus assumatur, & hanc vim correctiones opij respiciunt, imprimis ejus præparatum, quod dicitur, LAUDANUM OPIATUM, quasi laudandum propter egregias virtutes & facultates. Scopus præparationum in opiatis est duplex, vel ut tollatur ejusdem vis narcotica spirituum stupefactiva & torpefactiva: econtra verò, ut relinquatur vis *anodyna*, nimirum *dolorum* & *motuum sedativa*. Nam duos effectus distinctos habemus ab opio, quando opij crudi, vel communi modo præparati, ultra gr. 1. vel ij. non possunt propinari sine noxa. Econtra legitimè præparatum potest propinari à gr. 10. ad 20 & 30. ut nulla sequatur ægri noxa, & hoc est signum legitimè correcti opij à vi narcotica, & relictæ archei sedativæ. Præparandi modi sunt varij (1) sunt qui admiscent hyoscyamum, sed pessimo consilio, nam hyoscyamus potius intendit ejus vim narcoticam, quàm quod imminuat. (2.) Alij corrigunt opium, solvendo in aqua destillata, vel sp. roris maialis, solvunt, filtrant, & denique coagulant Sed hoc est superficialis saltim depuratio, nullo modo legitima correctio. (3) Alij opium solvunt in spiritu vini, digerunt, filtrant, & incrassant s. coagulant: sed notum est, quod spir. vini per se sit anodynus, stupefactivus, & inebriativus: potius ergò spiritus vini exaltabit virtutem opij narcoticam quàm corriget: quare & hæc correctio est inanis. (4) Alij corrigunt opium, solvendo in acet. destillat. digerendo, inspissando. Cæterum, cum vis opij consistat in sal. vol. acri Oleoso, & acet. ejusque sal. acidum soleat figere hujus sal vol. acre, patet, quod præparatio talis non sit correctio, sed potius castratio, dum non solum vis narcotica, sed etiam anodyna aufertur ab acido acet. (5) alij præparant opium super prunas s. carbones, exhalando sensim sensimque: sic enim dicunt, exhalet sulphur narcoticum fœtens: Cæterum sic & bona & mala exhalant, & opij virtutes castrantur. (6) Alij sulph. accendunt, & ejus fumo exponunt opium contusum, & sic fit, ut exhalet partim virtus narcotica, partim fit, ut se insinuent in opium partes acidæ Sulph. unde bonæ partes partim exhalant, partim ab acid. Sulph. reliquiæ figuntur, & durum quid remanet, & crudum. Hæ sunt vulgares & usitatæ apud auctores correctiones, & nomina Laudani opiati nugatoria, ad quas plurimas alias potestis examinare, & invenietis plurimas præparationes opij quæ illud vel castrant, vel ejus vim narcoticam exaltant. In genere, tot sunt descriptiones, quot capita: nam utut in omnibus soleat aliquid admisceri vel aliquid de perlis, de corallis & similibus, tamen faciunt ad correctionem, sed alios usus. Hic respiciendum eò, ut acquiratur vis anody. & auferatur narcosis: reliqua possunt adhiberi pro diversitate scoporum. Egregia valde & elegans præparatio in Anglia mihi fuit data, quæ fit: si scil. opium permiscetur cum sale Tartar. fixo, & affunditur spiritus Terebinth. ponitur in legitima digestione donec correctum sit opium, tandemque denuò in formam pilularem redigitur, & propinatur. Elegans sanè correctio & secreta; Alij valdè eleganter corrigunt opium, & legitimè per fermentationē, qua omnino invertitur opium, adeò ut maturescat Sulphur narcoticum crudum, & fermentatione. Ista subactum ac immutatum abeat in Sulphur narcoticum ac maturum. Instituitur fermentatio, præprimis per succum Cydoniorum, quæ præparatio omnium optima mihi videtur, quam vel unquam vidi vel audivi: suntque qui pro *HELMONTII* Laudano habent opiato, de quo *Jus duum viratus* § 64. dicit, felix æger, cujus auxiliator medicus novit lethalia è papavere separare, retento auxilio excitatore potestatis in Duum viratu. Præparationem hanc videbitis ulterius declaratam à D. *Langelot*, Medico Holsato, *in Epistolis ad BARTHOLINUM Cent.* 3.

Epist.

Epiſt. BARTHOLINI Epiſt. 45. *p.* 188. 190. & 201. Hoc modo etiam poteſt præparari Laudanum opiatum cum ſucco aurantiorum ad imitationem *BECKERI in Medico Microcoſmico p.* 159. Non inelegans denique, & ſcopo ſimili valde conveniens eſt, quam habet D. *CONERDINCK*, Medicus Luneburgenſis, & fermentum vocat narcoticum, quo cum egregia multa præſtitit: recepit opium cum fermento acri benè fermentatum, & inſpiſſatum, rurſuſque cum ſucco citri diſſolutum & per manicam Hippocratis trajectum, denuò inſpiſſatum, cum ſpirit. vin. extrahit, filtrat & denuò coagulat, acquiritque ſic opium correctum non inelegans. *ZVVöLFERVS Pharmacop. Regia p.* 52. Non inelegantem quoque habet Laudani opiati præparationem, dum ſcil. extrahit, vel ſolvit opium cum aqu. Cinnamomi, & ſolutionem hanc præcipitat cum ſale Tartari fixo. Omnes reliquæ præparationes, quas habet AUCTOR, ſunt peccantes & nocivæ: id quod patet ex ſuperius dictis, quia non rectè corrigitur, ſed ſaltim palliatur opij venenoſitas aliquantiſper. Q od attinet DOSIN, hæc variat pro varietate præparationum, & permiſtionis cum aliis. Opium crudum ex planta propinatur vix ad gr. 1. Sed *Laudanum opiatum*, pro varietate præparationis & admiſtionis ſ. additorum plus vel minus, ſæpius plus, rarò minus, habita ratione ſcopi, propter quem propinatur variat: varianda enim eſt doſis pro varietate præparationis, uti dixit, & conſuetudinis. Turcæ, Perſæ, & Indi aliique populi orientales in frequentiſſimo uſu habent opium crudum: ratione conſuetudinis ergo poteſt variari doſis. Referunt enim auctores, quod dictis populis ad ʒj crudum aſſumatur cum inſigni fructu, quod habeant exinde inſomnia quaſi, verſentur in hortis, & viridariis jucundis ac amœnis. Imo adhibetur tanquam confortativum, & reſtaurativum virium: cum namque in talibus climatibus calidioribus ſpiritus ſint volatiles, & facilè diſſipentur: ne ergo ſequatur defectus ſpirituum, in uſu eſt opium, à quo finguntur ſpiritus ab æſtu nimis agiles, ut præcaveatur imbecillitas & proſtratio virium. Propterea ſatrapæ Regis Indiæ, legitimum opium aſſumunt, pro virium reſtaurativo & refectivo, quando ſunt feſſi à curis, idque in magna doſi virtute conſuetudinis. Item Tabellarij Indi norunt virtutem confortativam in Opio, unde, ne deficiant in curſu, gerunt continuò in ore globulos ex opio, quo ipſo confortati; alium equitem poſſunt comitari ſolum virtute opij in ore detenti.

CCCXV. OPOPANAX.

Ὀποπάναξ, *Dioſcorid.* Opopanax Gummeus eſt ſuccus ex panacis heraclei ſauciata radice effluens ac concreſcens.

Dicitur Opopanax & Opopanacum, *Cord. hiſt. Ceſ.* Planta autem inſignitur, πάνακες ἡράκλειον, *Dioſcorid.* Panaces Heracleum, *Matthiol. Caſt.* Panax Heracleum. *Lob. Dod. Ger. Pan.* Herculeum, *Caſalp.* primum, *Tab.* Panax Sphondylij foliis C. B 2.

Vires. Calf. 3. ſicc. 2. emollit, digerit, flatus diſcutit, purgat pituitam craſſam & lentam à partibus remotis, cerebro, nervis, ſenſoriis, juncturis, Thorace (de quo Claſſ.) 4. uvulæ delapſæ opitulatur (ſuffitu in os immiſſo.)

N. Signa bonitatis, color extus flavus, intus albus, aut ſubflavus, ſapor valde amarus, odor gravis, conſiſtentiâ pinguis, facilè in aqua ſolubilis, levis, terrena, friabilis, galbani inſtar lacteſcens, dum ſolvitur ad lacteum liquorem propiùs accedens. Improbatur Opopanax niger ac mollis.

PRÆPARATA.

[Pilulæ de Opopanace rari uſus.]

Opopanax, ſtyrax calam bdell. labdan. oleum ſed paucum profundunt.

OPOPANAX. Eſt ſuccus gummeus effluens ex ferula, ſ. planta corymbifera ſauciata, quæ dicitur PANAX. vid. *THABERNÆMONT.* Cujus ſuccus per inciſionem extillãs dicitur OPOPONAX. Hoc virtute convenit omninò cum Gumm. Sagapeno, de quo poſtmodum, imprimis in eo, quod uti reliqua gummata, habent *inciſivam & attenuativam mucilagines craſſas* ac *viſcidas*. Unde in *Aſthmate*, & *Tuſſi veteri*, valdè convenit, imprimis, ſi propinetus cum ſucco marubij & melle. Aliàs externo uſu ſolet commendari contra *ulcera antiqua*, & *contra fiſtulam*. Aliàs rarò uſurpatur.

P.

CCCXCVI. PISSASPHALTOS.

Πισσάσφαλτος, Πισσάσφαλτο. } Nativum, *Erdtwerks.* Aſphaltos. *Aſphaltus.* Factitium.

Nativum deſcribitur à Dioſcoride, quod naſcatur in Apollonia Epirotar. Item quod ex Ceraunijs montibus devolvatur, & impetu fluminis raptum rurſus æſtu in litus expuatur, ibique concreſcat. Hac ratione nihil aliud eſſe videtur quàm ἄσφαλτος, de quo lib. 3.

Factitium, eſt compoſitum quid ſeu mixtura ex pice ac bitumine (unde & nomen accepit, (viderurque id eſſe, quod noſtrates ἀσφαλτὸν vocitant, ſeu bitumen Iudaicum.

N. ſunt qui Piſſaſphalton mumiam Arabum dicunt, de quo lib. 5. in homine.

Vires. Cal. 3. & ſicc. 2 doloribus capitis, aliiſque ejus morbis à frigiditate obortis medetur.

PISSASPHALTUS. Eſt vel NATIVUS, vel FACTITIUS: Nativus veteribus uſitatus non amplius eſt ex uſu & ejus notitia incognita eſt modernis. Aſphaltus factitius eſt, qui vocatur BITUMEN INDICUM ſeu ASPHALTUM, de quo, ubi de bituminibus erit dicendi occaſio.

CCCXCVII. PIX.

Πίσσα, Pix, *Pech.* Eſt pars reſinoſa ex accenſis tædis, i. e. arboribus reſinoſis per ſenectutem nimiâ pinguedine q. ſtrangulatis colliquata

Modus fiendi ruſticis committitur, qui in nonnullis locis, ubi arbores reſinoſæ abundant, inde victum lucrantur: fitque ad modum quo deſtillatio per deſcenſum fieri ſolet. Rogus ſcil. tædarum reſinoſarum contegitur undique terminibus terræ, ne qua exhalatio fieri queat: hinc ſubdunt ignem per foramen relictum, quo fit ut reſinoſa pars colliquata in canales affabrè ſubditos effluat, initio liquidior, hinc craſſior, ultimò craſſiſſima. Affertur autem copioſè ex Finlandia, ubi rogos ejuſmodi plures non citra oblectationem vice unâ & eadem conſpexi, abjetem enim ac Pinum copioſè illa alit.

Dicitur Pix liquida, Piſſelæon *Dioſcor.*

N. Arbores reſinoſæ ſunt imprimis, Pinus, Abies, Larix, Terebinthus, Cedrus.

Pix illa ubi denuò coctione purgatur, ſeu ſi mavis dephlegmatur, craſſeſcit magis diciturque Pix ſicca, Palimpiſſa, Pix navalis (quòd navibus picandis adhibetur, non quòd à navibus maritimis deraſa ſit, quippe hæc appellatur Zopiſſa.

Vires. Vt reſinam ſapit, ita & reſinatum Vires obtinet, idque eo magis, quo liquidior pix fuerit, ſicca enim exſiccat fortius: facultatis itaque pix liquida eſt calfacientis, diſcutientis, mollientis, digerentis, anodynæ, &c.

PRÆPARATA.

Ol. ſtillat. Fit 1 c. per ſe, vel addito ſabulo.

Vires. Maximè prodeſt ad vulnera capitis, ad puncturas ex cauſâ frigida egregiè facit.

N. Multum olei fundit.

[Aqua picis arthriticis doloribus utilis dicitur.]

PIX. De qua notum eſt, quod ſit ſuccus reſinoſus, ſ. gummi deſtillans ex arboribus reſinoſis accenſis, ex nimiâ pinguedine ſuffocatis & quaſi ſtrangulatis:

gulatis: vid. modus præparandi apud AUCTOREM. Pix depurata altera solutione, uti habet AUCTOR, dicitur *pix navalis*. Quod attinet usum piscis, quem habet AUCTOR, est satis clarus. Imprimis convenit externè iis, qui per nives iter faciunt, si nimirum quis membra pice illinat, à quocunque frigore immunis erit. Deinde pix navalis instar Unguenti l. Emplastri, applicata *emollit digerit* eleganter, & *discutit*. Unde in *tumoribus partium*, ex lympha acri & acida ortis, *sedandis*, pix est egregia, quoniam discutit lympham, & foras per poros cutis extrahit aquam quâ extractâ, cessat dolor. Propterea dicitur, quod pix valeat ad *humores acres* ex alto evocandos & dissipandos. Unde *Ischiaticis* valdè convenit Emplastrum ex pice, in *arthritide* & similibus effectibus arthriticis non est incongruum remedium. Sic in *Ischiate* habet POTERIUS elegans Emplastrum, quo applicato solet curare *Ischiaticos*, idque in frequenti ipsi fuit usu.

℞ Picis navalis ℥iv.
Terebinthinæ communis ℥ß.
Mastiches ʒiij.
sulphu. subtilissimè triti ℥ß: Misce probè.

videatur EJUSDEM *Cent.* 2. *Obs.* 85. Item *Obs.* 39. & etiam *Obs.* 31. In his tribus observationibus videbitis egregium usum hujus Emplastri in *malo Ischiatico* curando. Usum Picis expertum in *arthritide* vid. *BARTHOL. cent.* 6. *histor. anatom.* 95. Inter præparata ex pice est OL. DESTILLATUM, quod habet AUCTOR, & quidem per retortam; cæterum elegantior modus destillandi Ol. ex pice nigra, est sursum per alembicum, quod magis est *penetrans* & conveniens in *quamplurimis affectibus externis*.

R.

CCCXCVIII. RESINA TEREBINTHI, seu TEREBINTHINA CYPRIA.

Terebinthina in officinis Resina est liquidiuscula referens balsamum, sive oleum crassiusculum, colore ex albo flavescens, sapore acris, lenta cutiq; tenaciter adhærēs. Estque duplicis generis Resina scil. Terebinthi, & Resina laricis; Resina Terebinthi ῥητίνη τερμινθίνη, Resina Terebinthina (Avicennæ gluten Albotin) est ea quam officinæ Terebinthinam Cypriam, Venetam; Paracelsus Lorcher appellat. Terebinthina Resigna, *Matth.* Ter. vera, C. B. I.

Optima censetur clara, pellucida, alba, vitrei coloris in cæruleum vergentis, acris & odorata. Præfertur item quæ ex Chio Insula affertur, post hanc Libyca, tùm pontica, tandem Cypria, Syriaca, Iudaica, Arabica. Terebinthus arbor est mediocris magnitudinis, in plurimis regionibus sponte familiari v. g. in Hispania, Syria, Sicilia, &c.

N. Terebinthinam veram officinis esse ignotam autumat Clusius, officinalemq; esse resinam abietinam è novellis abietibus collectam. Videsis class. 1. in abiete.

Vires. Facultates Terebinthinæ ex lib. 2. sub titulo de Resinis, huc referre licet. Excellit enim Terebinthina præ reliquis Resinis, unde & facultatibus præpollet. Confert intrinsecus, præcipuè in tussi aliisque pulmonum affectibus (cum melle,) in urina ac alvo cienda: convenit Epati, Lieni, Renibus, Vesicæ, expectorationi purulentæ ac phthisi incipienti succurrit, calculum pellit, arthriticos affectus juvat, uterum à saburra liberat. Extrinsecus usitatior est terebinthina laricea, quæ hujus vicaria in defectu esse potest, viribus iisdem pollens sed imbecillioribus.

N. 1. *Lavari* solet in aqua appropriata, & hinc exhiberi.

N. 2. *Exhiberi* potest 1. per se, placentulis, quas oblatas vocant, involuta 2. In aqueo liquore, adjecto tantillo Vitelli ovi, sic aqueum scil. exhibet liquorem. 3. Inspissata aliquantulum & in pilulas redacta. Verùm ob evanescentiam spiritus præstant modi priores, vel si placet, formentur modo sequenti.

Pilula de Terebinthina cum Rhab.
Pilula Podagrica.

℞. Terebinth. Cypr. ℥j. coq. in aqua chamæpyt. dum albescat, hinc adde Rhab. opt. pulv. ʒvj.

Iv. arthetic.
Succin. alb ana ʒij.
Glycyrrhiz. ʒj
M. & F. Massa.

Vires. Faciunt ad removendam materiam calculi & podagræ.

Dosis ʒß. ad ʒj &c. *Cl. Gregor. Horst. part.* 2. *lib. observ.*

N. Crato easdem habet, sed paulò secus, cons. 143.

RESINA TEREBINTHI. Hæc est duplex, vel resina ex arbore TEREBINTHO, vel resina ex LARICE, ambas species habet AUCTOR. Ista, quæ est ex arbore Terebintho, vocatur TEREBINTHINA CYPRINA, quoniam imprimis colligi solet in Insula Cypro, & advehitur per Venetias, propterea communiter præscribitur ♃ Therebinth. Venetæ, quo indigitatur Terebinthina ex Cypro: Resina verò Laricis est communis s. vulgaris. Resina Terebinthi sive Cyprina est longè elegantior & efficacior Therebinthinâ vulgari, nihilominus quando est clara, pura, & pellucida, potest substitui in locum Terebinthinæ Venetæ s. Cypriæ. Et quidem in genere, omnis succus, qui solet destillare ex arboribus resiniferis, quales sunt Terebinthus, Lentiscus. Larix, Pinus, abies &c Omnis in genere vocari solet usitatè Terebinthina, propriè tamen & κατ' ἐξοχὴν iste, qui est ex Terebintho arbore, qui est efficacissimus & optimus, reliqui sunt eo meliores, quo propius accedunt ad Therebinthinam veram. Usum, quod attinet, internè & externè convenit. Internè imprimis in *Vlceribus partium internarum*, in specie in *mesenterij abscessibus*, & *renum ulceribus*: item in *phthisi*, quæ sequitur partium internarum exulcerationem, est elegans, *valdè abstergit*, & *mundificat ulcera interna*, quæque abstersit & mundificavit, etiam consolidat. Nam Terebinthina est verum quoddam balsamum septentrionale, quo possumus uti internè pariter & externè: in *vulneribus* & *ulceribus*, uti etiam internè. Præter vim, quam habet in *ulceribus*, reliquis, quæ satis sunt frequentia & maximè tædiosa, convenit etiam in *calculosis affectibus*, in absente, præservando, & præsente, pellendo, mirum namque est, quàm abstergat renes, & præservet à coagulo calculoso. Deinde valde convenit in *affectibus urinariis*, in *mictu cruento* & *purulento*, sive sit *ulcus renum* sive *vesica*, & similibus, in quibus multi est usus. Item quando semen excernitur, ut *in Gonorrhæis*, in quibus Terebinthina est experta, sive in substantia adhibeatur, sive SPIRITUS & OL. propinetur, sive propinetur ex spiritu Terebinthinæ paratum BALSAMUM sulphur. de quo suo loco: & quidem interno usu Terebinthina Veneta seu vera solet usurpari in variis formis 1. Communiter sub *forma* PILULARI, vel sola, vel permista cum Rhabarbaro, quâ ratione imprimis convenit in *expurgandis renibus*, & *viis urinariis*: sic etiam præstant PILULÆ de TEREBINTHINA MYNSICHTI, quæ valde commendantur in tali casu, sic possunt etiam fieri pilulæ h. m.

℞. Terebintinæ Venetæ s. puræ ʒj.
Rhabarbari pulverisati ℈ij.
succini præpti ℈ß.
Cinnamomi ℈ß.

Fiant Pilulæ in *calculo*, & *calculosis affectibus*, pro duabus

duabus dosibus. Communiter Terebinthina Veneta in præparatione medicamentorum solet primum lavari in aqu. appropriata, sed est inanis lotio, multum enim suffuratur aqu. in quâ lavatur, de sale ejus volatili balsamico, quod etiam fit, quando à quibusdam Terebinthina leni ignis ardore exhalatur, ut amittat glutinositatem & spissescat, ut facilius cogi possit in pilulas, sed in hoc etiam multum suffurantur de sale ejus volatili, in quo consistit ejus primaria agendi vis balsamica: à quo sale volatili Balsamico oritur odor violaceus in urina. vid. *BORELLUS Obs.* 31. *Cent.* 2. Dum ergo hoc sal vol. balsamicum loturâ, & exhalatione suffurantur ab ign. & aqu. probè observetur, ne ita præscribatur, quia magna ejus vis imminuitur & deperiit. Deinde solet adhiberi in forma liquida, sive potus, dum scilicet cum vitello ovi redigitur in liquorem lacteum & quasi in Emulsionem quandam, idque auctore imprimis *PLATERO*, qui in observationibus in *vitiis vesicæ*, *renum* & similiter aliarum vicinarum partium mixturam hanc habuit in frequenti usu.

℞. *Resinæ Laricea vel Abietinæ puræ.* ℥ß.
vitellum unum ovi,
Mellis ℥ß. *agitentur* probè in mortario marmoreo donec albescant, instar cremoris lactis. Postea adde vini albi, aquæ parietariæ & flor. fabar. ana. ℥iß.
Syrupi acetositatis citr. ℥j.

agitentur, ut amplius albescat, & servetur pro usu. Hæc potio ipsi valdè fuit experta in *renum exulceratione*, *calculo*, *ulceribus vesicæ*, in *mictu cruento* & *purulento*, in *Gonorrhæa* & similibus: & nuperrimè vir quidam hîc locorum magnum solamen accepit ex tali mistura, cum laborarit *ulcere vesicæ*. Si quis vult habere aliquantisper laxantem, potest admiscere quantum satis de Rhabarbaro: si vult habere anodynam, aliquantulum potest addere opii correcti & sic porrò. Est experta hæc potio in *affectibus renum*, *vesicæ* & *Gonorrhæa*. In *Gonorrhæa* Terebinthina & ejus spiritus sunt egregia medicamenta: & quidem imprimis in *Gonorrhæa maligna* convenit, si misceatur cum mercurio dulci, & propinetur sub forma pilulari: In *Gonorrhæa simplici* verò Terebinthina simplex cum succo citri assumta, vel cum succino præparato in pilulas coacta Terebinthina simplex, vel ejus spiritus. Denique Terebinthina, uti & balsamum Terebinth. sulphurat. sunt satis experta in *Gonorrhæa*. Interne etiam solet referri Terebinthina inter *laxantia moderatè* & *purgantia*, & vim non vulgarem laxandi habere dicitur spiritus ejus legitimè præparatus. Externo usu notum est, quòd sit *egregium balsamum vulnerarium*, ut nullum sit Emplastrum vel unguentum Chirurgorum, quod non ceu basis ingrediatur Terebinthina, & quidem externè vulgaris non Veneta adhibetur. Citò sanè, tutò & jucundissimè *sanat vulnera*, etiamsi nudè liquefacta instilletur vulneribus, & mirum quantum illa consolidet: Est enim liquor oleosus balsamicus, qui constat sale vol. oleoso admodum temperato, usitatissima est Chirurgis. Inter præparata sunt sp. Terebinthinæ: Prodit enim 1 SPIRITUS, deinde oleum 3. BALSAMUS. 4. CRASSAMENTUM remanet in fundo. SPIRITUS TEREBINTHINÆ valdè convenit in *affectibus pulmonum*: Unde in *pleuritide* à *BARTHOLETO* valdè solet commendari, quod scilicet humorem in thorace impactum solvat, & ad vias urinarias felici cum successu perducat. Oleum TEREBINTHINÆ internè solet commendari in *peste* & *febribus pestilentialibus*, quod egregiè conveniat pro *arcendâ malignitate*. SPIRITUS TEREBINTH. MELLITUS, de quo vid. *AUCTOR* in fine, est *egregium suppurativum digestivum* & excellens *mundificativum ulcerum*, *s. vulnerum* in ulcera degeneratorum. Notum est, quòd cum spiritu Terebinthinæ veræ conficiatur BALSAMUS sulphuris egregriè penetrans, adeò ut si aliquot guttæ inungantur carpis pulsuum, paulò post in urina sentiatur odor sulphuris, de quo inferius ubi de sulphure.

CCCXCIX. RESINÆ LARICIS, S. TEREBINTHINA VULGARIS.

Resina Laricis est, quam Terebinthinam vulgarem, seu Terebinthinam simpliciter ita dictam vocant. Hæc quantò Terebinthinæ priori similior, tantoque præstantior æstimatur, adeoque optima, quæ purissima, odoratissima, aliquantum translucida, & quæ in intincto digito contumaciter & æqualiter diffluit.

Vires. Calfac emollit, abstergit. Usus præcipui intrinsecus in pulmonibus expurgandis, in Gonorrhœa sistenda (cum aqu. plantag. ac succino,) urinam ac alvum ciet. Extrinsecus Chirurgis usitatissima est, fereque in Emplastris omnibus adhibetur, movet enim pus, maturat, scabiei cutis medetur.

N. Sunt qui Terebinthinam in cerevisia infundunt atque simul defervere sinunt, pro potu ordinario in præservatione calculi, viscerumque obstructionibus.

PRÆPARATA.

Ex Terebinthina sola vulgari fieri solent, ad quem modum tamen & reliqua tractari poterunt.

Suntque 1. *Spiritus Terebinthinæ.*
2. *Oleum Terebinthinæ.*
3. *Balsamus Terebinthinæ.*
4. *Colophonia.*
} *Horum præparationes* Vide lib. 2. de oleis.

N. Oleum ac Balsamus rarò seorsim, crebrò conjunctim extant.

Vires. Spiritus calfacit, siccat, attenuat, urinam ciet, tartaream mucilaginem resolvit. Hinc confert in tussi, aliisque Pulmonum affectibus tartareis, in lienis & uteri obstructione in calculo Renum & Vesicæ, in stranguria, gonorrœa virulenta, ulceribus penis ex lue venerea.

Dosis à gr. iij. ad vj. & ultra.

N. Urina odorem violaceum conciliat.

Balsamus calfacit, attenuat, mundificat, consolidat. Hine adhibetur feliciter membris frigore rigidis, tumoribus scirrhosis, vulneribus inveteratis ac putridis, gangrænæ, fissuris pedum à frigore oriundis (pernionibus) quas efficaciter curare creditur.

N. Conrad. Kunrath commendat summè spiritum Terebinth. mellitum, cujus guttulas 4. 5. 6. in liquore convenienti quotidie ad calculum Renum & Vesicæ atterendum parat ex mellis puri part. 2. & Terebinth. p. 1. mixtis exactè, & per Ret. vel alembico destillatis.

5. *Oleum cœruleum Terebinth.*

Fit S.S.S. in Vesica cuprea ex scobe radicum pinguium abietinarum cum flore chamom. affusâ aqu. q. s. fermententur per dies aliquot, donec Tereb. abieti inhærens tincturam vitriolis ad se attraxerit, quam in olei ejus prolectatione secum in alembico rapit, sibique per omnia miscet. *Est vulnerarium incomparabile, si Thurnheusero creditur.*

6. *Tinctura Therebinth.*

Evaporet ol. flavum illius leniter in scutella, dum restet Colophonia rubentissima, è quâ tinctura cum spirit. vin. trahitur, eoque remoto balsamus relinquitur, quo renes inunguntur in doloribus.

7. *Sal volatile Tereb. purgans.*

Describ. in Myroth. Fabri.

8. *Pilulæ de Terebinthina cum Rhabarb.*

℞. Therebinth. Cypr. ℥j.
Coq. in aq. chamæpythios dum albescat.
Hinc adde Rhabarb. opt. pulv. ʒvj.
Ivæ arthetic.
Succin. alb. ana ʒij.

Extr.

Extr. Glycyrrhiz. ʒj.

M. F. Massa.

N. Crato aliquot hujusmodi descriptiones exhibet, atque Rhabarbarum in minori quantitate immiscet.

Vires. Commendantur in præservatione arthritidis, calculi, &c. Assumuntur singulis trimestribus, &c.

Dosis ad ʒj.

Greg. Horst. *lib. 1. observ.*

5.

CCCC. SACCHARUM.

Σάκχαρ, Ϛάκχαρον, μέλι καλάμινον, ἅλς Ἰνδικός, Sacchar, Saccharum, Zuccharum, Zacchar, Zaccharum, Succharum, mel Harundinaceum, mel Cannæ. *Arabib.* Zazar, Sudut, Sutter. Germ. *Zucker*. Du Sucre.

Succus est plantæ cujusdam arundinaceæ, non solùm in India, sed in multis Asiæ & Africæ locis, quin imò & in Europæ quibusdam Regionibus vernaculæ.

Exhibet autem Saccharum, partim incisione trunci, unde Saccharum instar Lacrymæ exstillat, quod rarum est, partim elixatione, potissimùm medullæ ac radicis, donec sc. saccharum in fundo instar salis concreverit.

Planta illa sacchariferа inscribitur Arundo sacchariferа, C.B. 2. scil. inter arundines Indicas. Arundo saccharata, *Dalech. in D.* Arundo saccharina Indica, *Lob.* Ar. & Calamus Saccharinus, *Lon.*

N. Sunt qui saccharum Veteribus incognitum fuisse statuunt, sed falsò. Mentionem enim sacchari faciunt, sed nomine mellis in cannis concreti, mellis arundinacei, Galen. 8. Meth. & 7. simpl. Dioscor. lib. 2. c 75. Hinc Paulus Ægineta, lib 7. c. 3. Salem indicum vocare videtur, quòd interdiu superveniente Solis calore induretur & concretum Solis effigiem referat. His 3. adstipulatur Plinius lib. 14 cap. 18. Sic Avicenna fen. 1. Can 4. tetr. 2. c. 23. salem scil. appellat, qui ex India advectus, colore sal, dulcedine mel repræsentat.

Denominationes sacchari sumuntur tum à locis, unde plerunque asportatur, tum ab elaboratione, qua depuratur, Officinisque communicatur.

A loco natali dicitur 1. Saccharum Madariense, vel Maderiense, à Madera Insula. 2. Saccharum Canariense, Canarium, à Canariis Insulis. 3. S. Thomasinum seu Thomæum, ab Insula S. Thomæ. 4 Saccharum Maltanum, Melisium, sive Melitheum, Cibale, à Maltha, seu Melitha Insula, sic dicitur, & 5. Valentinum à loco refinationis, qua Valentia Hispaniæ celebris est.

N. Madera, Canariæ S. Thomæ Insulæ, sunt Insulæ in Athlantico mari sitæ, Africæque vicinæ.

Ratione elaborationis, saccharum vel est non finum, vel refinatum, seu finum, vel Candisatum, vulgo saccharum Candy seu Candum. Non finum quod solâ coctione in aqu. depuratum est, adfertur ad nos partim in Pyramidales metas fusum, partim in formam pulveris ac grumorum crassiorum redactum. Non finum in pulvere Materialistis Cassonada vel Castonada vocari solet, forsan à Cistis, quibus inclusum ad nos advehitur: Cista enim Germanis inferioribus *Kast* appellatur. Aliis saccharum miscellaneum, quòd ex diversis saccharis commisceatur. Estque hoc saccharum tum minus excoctum, tum quoque minus purgatum, unde & minus candidum, quippe quo magis depuratur, eo magis albescit. Hinc diversi coloris exhibetur, album, gryseum, pallido-citrinum, citrinum, purpureonigricans, &c.

Non finum in metis, est pulveratum illud saccharum, ulteriori coctione in aqu. excoctum, despumatione (citra refinationem) clarificatum, in formulas pyramidales usitatas effusum, qua ratione à sordibus fæculentis per foramina formularum illarum destillantibus sequestratur.

Refinatum seu finum est, quod lixivio (ex calce viva cum aqu. facta) solutum, excoctum, despumatum, & postmodùm inspissatum, inque formulas effusum est, inferiori parte perforatas, ut fæculentus glutinosus succus defluat.

Saccharum candisatum, vulgò saccarum candi, sc. candum, saccharum candium, saccharum crystallinum, saccarum lucidum, Germ. *Zucker Candit*, du Sucre Candy. Est saccharum candisando in crystallinam formam s.a. redactum, ad modum quo salia crystallisari diximus. Atque album vel rubrum: album fit ex Canariensi, rubrum ex Tomasio.

Delectus 1. Ex loco natali optimum habetur Maderiense, hinc Canariense, tertium locum sibi Melisium vendicat, ultimum Tomasium. 2. Ex colore purius æstimatur album, hinc gryseum, & denique rubrum.

N. De saccharo refinato, utrum non refinato præstet, dubium movetur. Negativam habet Tabernæmontanus Herbar. lib. 1. cap. 41. Affirmativam tuetur Angelus Sala in sua Saccharologia, lib. 1. c. 4. Verùm mallem ex Scopo rem decidere: quod refinatum, quia aliquantulum acrius est, præstat in attenuatione, incisione, abstersione; non refinatum in lenitione, lævigatione, adeoque in pulmonum vitiis, &c.

PRÆPARATA.

1. *Saccharum Penidium.* Hoc sic fit. ℞. sacchari q. v. dissolve & clarifica per alb. ovi. Hinc cola ac inspissa lentè, donec bullæ magnæ apparuerint. Hinc retrahe ab igne, ut bullæ residеant, effundeque in tabulam oleo amygd. [vel Butyr. insuls.] illitam, atque ubi nonnihil induruerit, de unco suspende, manibus celeribus [amylo conspersus] distrahe in formam debitam ac repone.

2. *Saccharum rosatum.* Fit ex sacchar. in succ. ros. soluto.

3. *Saccharum violatum.* Fit eodem modo cum succo violar.

4. *Aqua seu spiritus acidulus.* ℞. Sacchari (℔ij.) destilla ex cucurbita vitrea sat alta & ampla [quippe facilè in altum attollitur,] ign. arenæ per gradus [NB. vel Retortam adhibere poteris,] sic exstillat aqua acidula, cum oleo supernatante: Rectifica VB. si placet, oleumque à spiritu separa.

Vires. Spiritum hunc in dissolutione lapidum, aliorumque crustaceorum adhibere licet, & est instar spiritus Guaiaci.

5. *Ole.* Ex prioribus patet.

6. *Sal.* Ex relicto capite mortuo ulteriùs incinerato elixiviatur.

7. *Liquor seu Syrupus.* ℞. Sacchar. cand. q. v. affunde spirit. vin. ad eminent. digit. 1. accendatur, efflagretque ad consistentiam syrupi.

Vires. Prodest in tussi, aliisque affectibus pulmonum, incisione ac lævigatione opus habentibus.

N. Liquor hic apud vulgum usitatissimus est, magnæque æstimationis.

8. *Liquor* alius. Inde Saccharum candidum albumini ovi cocti ad duritiem, repone ad liquescendum.

Vires. Exhibetur ad tussim & asperitatem gutturis infantum. Extrinsecus confert oculorum rubedini.

9. *Essentia & crystalli Sacchari.*

Essentiam & crystallos Sacchari paravi, ut reperies publicatum centur. 3. artic. 20. Kesleri. Addo autem pastæ ex sacch. & acet. destill factæ cochleare unum ac alterum ol. Tartari, materiam relinquo in digestione cinerum per 24. horas, postea pro ℔j. sacch. affunde spirit. vin. non rectif. mens. ß. digeratur denuò, habebis Tincturam corroborantem.

Dos. cochl. ij. Sam. Closs.

SACCHARUM. Vocabulum Arabicum, cum apud Arabes & nomen & res frequentissimè fuerit usitata, unde commodè à Latinis vocatur SACCHARUM, à Germanis Zucker. Notetur aliud esse Saccharum modernorum, aliud fuisse Veterum. Nam quæstio agitatur inter auctores: an saccharum nostras sit verum saccharum veterum? De hac controversiâ egit *MONARDES lib. 2. Epistolarum Epist.* 22. & hunc secutus *SALMASIUS* in eleganti Tractatu Critico-medico *de Saccharo. MATTHIOL. lib. 1. Epist. pag.* 71. Quid revera sit paucis explicabo. Saccharum nostras est succus ex planta arundinacea benè contrita expressus, calore ignis aliquantisper inspissatus, & sic tandem defœcatus. Hæ arundines, quæ copiosè proveniunt in India, tam Orientali quàm Occidentali, quales etiam proveniunt in Calabria & Sicilia Italiæ: sunt singularis species arundinis, quæ in se habent succum quendam subdulcem, & masticatæ illum præbent. Et quidem apud Chimicos est modus parandi salia Essentialia ex plantis, dum exprimunt succum, coagulant, & in formam salium redigunt: Hac ratione saccharum est nihil aliud quàm sal vel tartar. ex succo per coagulationem illius igne elicitus: Plura qui cupit & modum inspissandi succum ex arundinibus vid. *BARTH. lib. 1. Epist. pag.* 45. ubi explicat modum usitatum conficiendi saccharum in Sicilia & Calabria: item exotici Scriptores, ut *tr. Gallicus*, qui inscribitur, *Naturalis Montiliana.* Saccharum nostras ergò omninò fuit incognitum veteribus, &

propterea

propterea, quia fuit incognitum, omninò inusitatum. Econtra veterum saccharum fuit nihil aliud nisi quædam manna, ea tantùm quæ in Arabia felici & India Orientali in arundinibus majoribus circa folia fuit à calore solis coagulata. Ita ut saccharum nostras & saccharum veterum toto cœlo, quod dicitur, differant. Vel saccharum veterum fuit liquor quidam roscidus subtilis nocturno frigore elevatus circa arundinem, & subsequente solis calore coagulatus, propereaque vocatur tantum MEL ARUNDINACEUM, quod de nostrate nullo modo dici potest. Differunt ergò nostras & veterum saccharum 1. *Materiâ*: Nam materiam sacchari nostratis subministrat succus ex arundinacea planta expressus & inspissatus: Materia verò veterum fuit ros sensim sensimque coagulatus & inspissatus circa arundinem in forma mannæ: Nam ros, dum se conjunxit cum exhalationibus arundinum, accepit ab illis saporem dulcem, & MANNA appellatur. Differunt 2. *Formâ*: Nam saccharum antiquorum salis granulati habuit formam, nostras habet formam succi inspissati aut quasi tartar. cujusdam coagulati. Differunt 3. *Efficiente*: Nam nostratis sacchari efficiens est torcular exprimens succum, & ignis eundem inspissans: antiquorum verò sacchari est calor solis blandè indurans rorem nocturnum circa arundines in formam granulorum salinorum. Denique *proprietatibus* differunt & *efficaciâ*. Nam veterum saccharum à *PLINIO* & *DIOSCORIDE* aliisque inter mella recensetur, utpote cum & citati auctores soleant mel referre ad species roris, quod ipsum de nostrate sacchato nullo modo dici potest, adeò ut saccharum nostras sitiens purè artificiale: saccharum verò veterum fuit ens omninò naturale. *Efficaciâ* etiam differunt: Nam saccharum veterum *vim* habuit *abstersivam leniter, & modicè laxativam*, modernorum verò nullo modo tales habet virtutes, sed longè alias uti postmodùm dicitur. Obiter nota, dum veteres in suis dispensatoriis ut Arabs MYREPSUS, subinde miscent medicamentis non imitandos esse illos, & loco sacchari illorum nostras substituendum quoniam plus est nocivum quam proficuum: Contra veterum fuit plus proficuum quàm nocivum. quàm male ergò excusent multi suos syrupos & conservas saccharo permista alia, & quàm hallucinentur facilè apparet, dum dicunt, quòd etiam veteres syrupis & aliis admiscuerint saccharum. Saccharum porrò nostras pro varietate locorum natalium varia sortitur nomina: unde appellatur *Madarense*, *Canariense*, *Thomæum*, *Meliteum* & *Valentinum*, uti habet *AUCTOR*. Denique differunt ratione puritatis & purificationis. Nostratis enim aliud dicitur *saccharum candi*, aliud *finum* & sic porrò. Qui modi refinendi saccharum satis clari sunt ap. *AUCTOREM*. Fit nimirum per aquam Calcis vivæ seu per aquam in qua soluta fuit Calx viva, quâ aqua dum purificatur saccharum fit, ut illi simul communicetur acredo corrosiva adeò ut quò magis refinetur eò magis evadat corrosivum, & noceat pulmonibus & partibus internis. Unde patet error illorum, qui præscribunt saccharum benè refinatum s. benè imprægnatum salibus acribus calcis vivæ. Quod attinet usus quos habet saccharum 1. quidem admodum *fermentativum est*, dum est succus plantæ inspissatus, imprægnatus adhuc principiis effectivis, seu constitutivis plantæ iisque valdoperè fermentescibilibus. Id quod patet exinde: Quoniam saccharum per se dest. subministrat SPIRITUM *acidum & corrosivum* instar acet. cujusdam, qui corrodit Corallia, Perlas & similia subjecta: Imò si saccharum permisceatur cum antimon. & destilletur simul prodit liquor antimoniatus, dum saccharum corrodit antimon. & corrosum per retortam secum transportat. Præterea dest. SPIRITUS *ardens & inflammabilis* instar spiritus vini, qui potest parari ex saccharo per fermentationem, si scil. saccharo q.s in aqu. soluto addatur fermentum, quod invenitur apud pistores panum mellitorum, quod sp. subministrat ardentem volatilem. Imò vel nudum saccharum ritè fermentatum dat liquorem instar cujusdam vini: adeò facilè est fermentescibile saccharum: quæ fermentatio patet adhuc ex eo, quòd carnes recentes sicut per sal commune præservantur à putredine: Ita adsperso sacchato subitò putrescunt. Fiat periculum & suspendantur caro recens & caro vetus, recens adspergatur saccharo, & altero die reperietis carnem recentem putredine correptam veteri adhuc sine noxa contracta existente. Saccharum ulterius lucidos, & ferventes in se continet spiritus, quod patet ex eo, quòd si in loco occulto s. opaco fricetur, possint conspici scintillulæ, propter spiritus igneos & ferventes in saccharo residentes. Vid. *BORELL. Cent.* 1. *obs.* 3. *p.* 6. Prostat *Tr.* ANONYMI, cujus tamen autor est D. *TACKIUS* Archiater Darmstadiensis, qui inscribitur *de consanguinitate auri, spiritus vini & sacchari*, in quo saccharum honestè admodùm tractatur, & si quid dici potest, boni ipsi adscribitur. Aliàs internè rari est usus: Sed propter vim fermentativam admodùm nocet; Unde est quare *hypochondriaci, scorbutici, cachectici*, & quare mulieres *suffocationi uterinæ obnoxiæ*, nullo modo possint perferre saccharum aut saccharata. In talibus enim subjectis ex sacchari usu subitaneæ effervescentiæ oriuntur, inflationes abdominis, tormina, Diarrhææ, phlogoses & similes alii effectus & affectus, qui sequi solent effervescentias nimias humorum. Si suffocationi uterinæ afflictæ mulieri tantillum sacchari propinetur paroxysmum statim incurrit: Propter similem effervescibilitatem periculosum est admodùm præscribere syrupos, conservas, & similia medicamenta cum saccharo parata in febribus, sive intermittentibus, sive continuis: Demonstrat namque *HENRICUS ab HEER*, quòd multi ægrorum divitum soleant interire in febribus propter abusum syruporum & medicamentorum dulcium, vel sacchararorum, quæ nimium exasperant febres: cum èontra pauperiores, qui non semper sint solvendo medicamenta saccharata, nudis decoctis & simplicibus feliciter curentur propter defectum sacchari. Quod tam de syrupis quàm conservis, & conditis Similibusque aliis saccharo permistis est intelligendum. Ulterius saccharum admodùm nocivum est pulmonibus, id quod sufficienter & eleganter docet *GARENZIERS in tract. perelegant: de tabe Anglica pag.* 98. qui non sine ratione perstringit decoctorum pectoralium in morbis pulmonum, & imprimis in phthisi sacchari permistionem & edulcorationem, quoniam ulcera pulmonum magis reddit sordida pulmonesque magis ad putrilaginem disponit. Inter præparata est SACCARUM PENIDIUM, it. SPIRITUS ACIDULUS qui dest. per alembicum vel retortam addita arena vel silicibus contusis, ne effervescendo ora retortæ excedat. Usitatus etiam est LIQUOR scil. ole. scil. SYRUPUS SACCHARI, qui paratur ex præscripto *AUCTORIS* cum spir. vini. Cæterum observetur, quod spir. vini si sit legitimè rectificatus non solvat saccharum: Utpote quod ceu sal quoddam Essentiale tartareum plantæ pro genuino menstruo, uti reliqua salia omnia requirit menstruum aquosum; unde etiam spir. v. si rectè est rectificatus non solvit saccharum: sin verò adhuc est phlegmate imprægnatus potest se sociare cum saccharo dum illum absorbet, & suscipit saccharum: recipiendus ergo spir. vini non rectè rectificatus, à quo saccharum abit in elegantem liquorem crassum & subdulcem, & hic est ole. SACCHARI, expertum sanè remedium in *Tussi*, in qua ipsum magni fit. Pro qua Tussi variæ ejus prostant præparationes: Valde per

se hunc liquorem commendat HARTMANNUS *in praxi*, non minus quàm RIVERIUS, & alii Auctores; sunt qui magis reddunt appropriatum liquorem, & loco spir. vini simplicis recipiunt spir. Juniperi, & cum eodem præparant ole. sacchari: *Alii* magis compositum reddunt, dum primum spiritum vini affundunt super simplicia pectoralia Rad. Helenij, Rad. ari, super Herb. Marrubii, Hyssopi &c. & extrahunt Ess. ex his & hâc Ess. solvunt saccharum, & methodo usitatâ faciunt liquorem scil. ole. pro *Tussi*.

Quidam ℞. hunc liquorem sacchari ad lib. I.
Addunt ole. Cinnamomi gutt. VI.
Aqu. Cinnamomi ℥IV. *& ole. sulphur.* ʒj.

Hæc omnia miscent & I. cochlearis dosin assumunt pro *Tussi* & *faucium* ac *pectoris affectibus* AUCTOR habet quod communi methodo spir. vini accendatur, & sic separetur à liquore sive ole. sacchari, meliùs tamen esse putat, ut non tàm accendatur, quàm abstrahatur per alembicum, ut sic relinquatur ole. sacchari quod & ipse melius esse existimo. Ole. hoc sacchari egregium prætereà est *vulnerarium*, & quod *recentia*, *glutinare* facit, vel quod *ulcera* jam facta *purificat* & *detergit*; *abstersivam enim vim habet* externo usu, & omnem *putredinem in ulceribus arcet*, id quod imprimis de liquore, sive ole. hoc sacchari verum est. Auctore STARIZIO, in heroum thesauro *pag*.132. Turcæ quotidiè solent *vulneri recentia* abstergere vino, & hinc post abluitionem inspergere saccharum pulverisatum, & sic non inconcinnè seipsos curant. Idem liquor sacchari potest fieri liquor jucundissimus, si scil. spiritus vini, in quo solutum est saccharum misceatur cum aqu. Cinnamomi, & sic destilletur per balneum, in rostro verò alembici sit nodulus Moscho repletus, & sic liquor qui prodibit erit liquor jucundissimus. Sunt qui parant spiritum de saccharo *nephriticum*, propellendo scil. Calculo dum recipiunt saccharum solutum, quod superinfundunt lateribus parvis, sive contusis, & candefactis, hoc continuant tamdiu, donec incandefacti lateres nihil amplius imbibant, tunc frustula impregnata saccharo indunt Retortæ, & per eundem pellunt spiritum, qui convenit in *nephritide*, & in Chymia elegans est *menstruum, pro parandis quibusdam medicamentis*.

CCCCI. SAGAPENUM.

Σαγαπηνόν. *Diosc.* Sagapenum Sacoponium, *Offic.* Serapinum, *Matth.Cord. hist. Cas. Serapinsafft.* Sagapene. Est lacryma seu Gummi arboris cujusdam ferulaceæ, ejusdem cum succo nominis, ex qua sauciata educitur.

Nascitur in media regione, unde Alexandriam, ac hinc Venetias atque in alia Europæa loca transportatur.

Optimum censetur syncerum translucidum, foris colore fulvo, vel ruffo, intus albido, gustu acre, odore gravi, porrumque æmulans.

Vires. Calf.3. sicc 2. attenuat, aperit, substantiæ est tenuis: tanta extrahendi vi pollere dicitur, ut quoque spicula ex carne eliciat: purgat lentos & crassos, imò & serosos humores ex ventriculo, intestinis, utero, renibus, cerebro, nervis, juncturis, pectore. Hinc prodest in hydrope, tussi inveterata, asthmate, cephalalgia, spasmo, epilepsia, paralysi, tremore artuum, in obstructione & tumore splenis, febribus intermittent. dolore colico, menses ciet. (sed fœtum enecat) urinam movet. Extrinsecus convenit in pleuresi, aliisque tumoribus ac doloribus, mitigatione ac resolutione opus habentibus. Fumus excitat Epilepticos, hordeola, Ciliorum sanat.

Dosis à ʒß. ad ʒ.

N.I. Ventriculo ac Epati quia non adeo familiare est, corrigitur tertia parte Mastiches, Cinamom. Zinziber, &c.

PRÆPARATA.

1. *Sagapenum depuratum.* Fit ut depuratum ammoniacum.
2. *Pilulæ de Sagapeno.* Vide Disp. August. & Cordi.
3. *De Sagapeno Camilli.* Videus apud Quercet. & supra lib. 2.
4. *Fœtidæ.* Vide Disp. Aug. &c.
5. *Ole. stillat.* Fieri poterit ol. Gum. Ammoniac. per alembic. in Arena.

SAGAPENUM sive SERAPIUM. Est Gummi arboris Gummosæ ferulaceæ, sicuti omnia reliqua Gummata, quod ex eadem per incisionem sauciata transsudat & extillat. Naturæ ergò est ejusdem Gummi Sagapenum, cum Gummi ammoniaco, cum Gummi Galbano, Bdellio, imo etiam ferè cum resinis Mastiche & similibus: Jam v. cum omnia hæc conveniant natura & effectu, dum *attenuant valdoperè*, *incidunt*, *emolliunt*, & *resolvunt dura* atque *compacta*: Unde habeant has vires paucis edisseram. In genere præsuppono, omnes arbores nutrici succo quodam sub aspero, & quasi austero (loquor de Truncis) Hic succus nutritius arborum, nunc est magis temperatus, nunc minus temperatus. Qui est magis temperatus est ille, qui reperitur communiter in arboribus quibuscunque: qui minùs temperatus consistentiam, obtinet Crassiusculam, & subpinguem: Et hic similiter est, vel magis pinguis, vel magis mucilaginosus; is qui est magis pinguis sunt RESINÆ, *Terebinthinæ, &c.* qui magis mucilaginosus sunt GUMMATA. Differentia consistit in hoc, quod mucilaginosa solvantur in menstruo aquoso & acido v. gr. aqu. simplici vel acet. resinosa verò in menstruo oleoso, quale est spiritus vini, observetur hoc: Dico quod in genere ex omnibus lignis destilletur spiritus subtilis acidus, quem habet ex succo nutritio, & qui etiam est in fuligine deprehensibilis, quæfit ex spiritu in combustione lignorum exhalante, & cum reliquis partibus coagulato. Cum ergò Gummata, & resinosi succi, qui destillant, sint earum proprium nutrimentum, patet quare destillati, etiam dent spiritum & liquorem subacidum magnarum virium in medicinâ non quidem aciditate fixâ, sed est spiritus acidus, volatilis compositus imprimis ex liquore acido & ex liquore salino volatili, qui duo conjuncti, & uniti dant spir. volat. admodùm penetrantem, mox autem possunt separari ab invicem: si scil. in talem spir. subacidum volatilem & penetrantem injiciantur oculi cancror. vel corallia, & fit ut spir. acidus corrodat corallia iisdemque firmiter adhæreat, quo fit ut spir. volatilis sulphureus postmodum instar spiritus vini sit separabilis. Cùm ergò gummata quæcunque, resinæ itidem, & Terebinthinæ quoque ipsæ sint largiter dotatæ tali spiritu subtili volatili acido & penetrante: facilè patet unde hæc Gummata habeant vim *attenuandi*, *resolvendi*, & *incidendi* crassa, & mucilaginosa. Unde conveniant in *scirrhis viscerum internorum*, quos interno usu *resolvunt*, quare conveniant in *tumoribus duris partium externarum* quos potenter *attenuant*, & *emolliunt*. Nimirum præstant talia per talem spir. subtilem volatilem acidum. Unde etiam in usu interno hæc Gummata & ex iis paratæ pilulæ in frequenti sunt usu: in *obstructionibus viscerum* internorum. Pilul. de ammoniaco, de sagapeno, quæ sunt multi usus, ubi *viscerum*, *lienis*, *vasorum lacteorum*, & *mesenterii sunt obstructiones*. Conveniunt ubi *ventriculus*, & *intestina obducta* sunt *copiosa pituita viscida crassa*, & *tenaci*, ex qua per fermentationem fiunt *flatus*. Mirum est namque quàm potenter *incidunt*, *educant*, & *evacuant*: simul enim obtinent *vim purgantem* unde & *incidunt*, & *incisa exturbant*. Hæc quæ dicta sunt possunt applicari reliquis Gummatis. Item quare conveniunt adeò in *mensibus obstructis*, item *in morbis uterinis*, in quibus pilulæ fætidæ cum pilulis de sagapeno mistæ sunt expertæ.

CCCCII. SANGUIS DRACONIS.

Αἷμα δρακόντιον, *Dioscor.* Sanguis Draconis est Lacryma arboris cujusdam, instar sanguinis exsiccati concreta. Solvitur quidem in aqu. quam lacteam quasi reddit, sed sine mixtione, quippe refrigerata aqu. subsidet iterum, parietibusque vasis adhærescit. *Videatur Cord. hist. Matth. Clus. Acosta* (inter Gummi.) *Drachenblut.* Sang de Dragon en Larmes.

Advehitur ex novi Orbis Insula cui nomen Portus sanctus, ubi partim sponte, partim vulnere caudici illato profluit: arboris illius fructus cerasis similes sunt, detractaque pelle dracunculum exactissimè repræsentant, unde & nomen lachrymæ succo huic impositum est.

N. Sunt qui Dioscoridis cinnabarim esse velint.

Vires. Refrigerat (aliis caliditate & frigiditate temperatus est,) exsiccat strenuè, astringit, repellit. Usus ejus est præcipuus intrinsecus in exsiccandis catarrhis (impositus capiti) in hæmorrhagia sistenda: vulneribus glutinandis, dentibus laxis stabiliendis.

N. Vmbilico impositus quoque dysenteriæ prodesse dicitur.

PRÆPARATA.

Nulla inde prostant, depurari tamen potest, si in aqua decoquatur, à fæcibus decantetur, & denuo inspissetur.

SANGUIS DRACONIS. Est lachryma quædam rubicunda quæ ex arbore emanat, quæ vocatur *Draco*, propterea quoniam in foliis arboris est expressa imago Draconis, unde etiam succus rubicundus ex arbore extillans dicitur, SANGUIS DRACONIS. Usus est imprimis ubi opus est *adstrictione. Potenter* namque *adstringit*, & propterea tàm internè quàm externè in *fluxibus quibuscunque sanguinis* ac *humorum*: valdè usurpatur externè in *hæmorrhagia vulneris*, ac *sanguine arteriâ discissâ compescendo & sistendo.* Adhibetur etiam in pulveribus dentifriciis pro colore rubro illis conciliando. Aliâs nullius est usus.

CCCCIII. SARCOCOLLA.

Σαρκοκόλλα, est lacryma gummea in granulis, mannæ seu pollini Thuris similis, colore subrufa (vel flava) sapore amara, dulcedinemque Glycyrrhizæ æmulam post se relinquente. Profluit ex arbore quadam exotica, spinosa ac nodosa, ejusdem cum lachryma nominis, quæ tùm sponte, tùm sauciata lachrymam illam profundit. *Videatur Matth. Cord. in D. & hist. Ces.*

Eligenda recens, coloris ad pallorem vergentis [vetusta enim rubescit,] saporis amari, substantiæ porosæ, viscosæ, glutinosæ, & quasi spumosæ, facilisque in aqu. solutionis, &c.

Vires. Calfac. & sicc. I. astringit, consolidat, glutinat, coquit, maturat. Usus præcipui in vulneribus extergendis, consolidandis, cicatrice obducendis, unde & nomen adepta est, &c. Mirificè prodest & in oculorum fluxionibus, albugine, nubeculis, [maceratur in lacte asinino vel humano per dies (5.) postea cum aqu. Rosar. mixta, ciliis imponitur, addito si libet tantillo sacchari) in hæmorrhagia narium, [anacollematis immiscetur.]

N. Sunt qui propinant purgandi gratiâ, crassosque & viscosos humores ex partibus dissitis, e.g. ab articulis, pulmonibus, illâ retrahi scriptitant.

Dosis ℈j. corrigenda est ut sagapenum.

PRÆPARATA.

Pilulæ de Sarcocolla compos. Vide Dispens. August.

SARCOCOLLA. Quæ similiter est lachryma ex arbore exotica ejusdem nominis emanans: Electionem habet *AUCTOR* sufficienter; *adstringit* valdoperè; propter glutinositatem vocatur sarcocolla, quia conglutinat quasi & coagulat carnes. Hinc in *Dysenteria* multum commendatur à veteribus: ORIBASIO fuit valdè in usu, qui exinde paravit ELECTUARIUM contra *sputum sanguinis*: *In vulneribus, & ulceribus* implendis, in *carne regeneranda & cicatrice obducenda* usitatissima est: Cum ab eodem effectu habeat nomen.

CCCCIV. SUCCOLATA.

Succolata est massa in placentas sat crassas formata, rubra saturatè, friabilis, sine odore, non absimilis sanguini Draconis, præterquam quod sit coloris lucidioris.

Dicitur Chucalate, Chocolate, *Linscotto part. 9. lib. 4. c. 22. Ind. Occid.* Cacavate, *Benzon. part. 5. lib. 2. c. 16. & 17. Ind. Occ. Clus. exot. lib. 1. c. 18.*

Fructus ex quibus Chocolate conficitur, dicitur Cacao, *Clus. Tab.* Amygdalis similis fructus, Guatimalensis scil. Avellana Mexicana, C.B. 6. Jacao, *Bertio*, Mercatoria *in Hispaniola.*

Fructus hic arboreus siliquis inclusus, amygdalarum speciem refert colore fuscus. Adfertur copiosus ex Guatimala, adhibeturque loco monetæ, pauperibusque eleemosyna datur. Parant ex hoc tum potum Indis vulgarem, tum massam hanc chocholaten dictam: (& potus hoc nomine venit) quæ fit ex dictis granis contusis, & aromatibus mixtis.

N. Primus honor debetur ei, quæ in America paratur; posterior, quæ in Hispania ex granis advectis conficitur: vetustate paulatim vilescit.

Vires. Conferre dicitur ventriculo frigido, pectori, adeoque tussi, purulentoque in primis screatui, vertigini. Quin & commendatur summè ad roborandum vitæ Balsamum, Veneremque proritandam.

Usus est, ut manè cum sacharo in vino vel cerevisia calida diluta absorbeatur, vel cum lacte.

Dosis ʒij. ad ℥ß. & ultra.

N. Fructus hujus participem me fecit Job. Petræus Materialista hujus Reip. celeberrimus.

SUCCOLATA. Quæ non est nativum, sed artificiale quoddam auctoribus Indis elaboratum & in nostras regiones transportatum. Fit scil. ex fructu arboris Indiæ Orientalis, qui dicitur fructus arboris CACAO, ex quo fructu exsiccato contuso ac pulverisato coctione parant Indi potum, & etiam parant ex eodem massam cum pipere, croco, Cinnamomo & similibus aromatis, quæ massa ita composita vocatur communiter SUCCOLATA usitata auctoribus Juccolata. Potus usitatissimus est apud Indos Americales, sive in America, qui frequentissimè illo utuntur & dein Hispani & Angli, apud quos frequentis satis itidem est usus: Coloris est subfusci, & quando Angli parare volunt pro potu recipiunt succolatam, coquunt in lacte vel vino: unde subflavum acquirunt colorem: quando coquunt in vino addunt saccharum: saporis est elegantis, & instar Emulsionis Amygdalaceæ. Hic panis, Anglis & Indis ipsis usitatissimus est pro insigni *confortativo*, & *corroborativo*, *singulari* quoque *stomachico*, adeò ut servis suis manè opificium aggredientibus propinent Indi, & Angli potum succolatæ, unde fiunt adeò robusti & laboriosi, ut per integrum diem sine alimentis cibo & potu possint perdurare. Et Rex Angliæ delectaturus se Pila lusoria accipit potum succolatæ, ut possit per aliquot horas continuare lusum in quo maximè excellit. *Nutrit egregiè & confortat stomachum* sine nocumento. Deinde multùm potest in *Hectica*, pro scopo nutritivo ac potenter succurrit *Atrophiæ*. In *scorbuto* est egregii usus in lacte cocta, per quam Angli curant suos *scorbuticos*. Hispani sicuti nos vinum advenis & amicis propinant, potum succolatæ tàm sexus virilis quàm muliebris. Deinde *confortat*, ut in ista Indi se exercere queant, quam *roborare*, & *semen genitale augere, & spumescere* dicitur. Vis hæc nutritiva, & confortativa corpora hujus fr. cacao potest deduci per artificium Chymicum. Mirabile est enim quòd iste fructus, si destillatur igne aperto prodeat SUCCUS sive PHLEGMA quoddam instar jusculi carnis; spir. verò & ole. quæ simul prodeunt, habent saporem & odorem pinguedinis destillantis ex carnibus dùm assantur.

CCCCV. STYRAX SEU STORAX CALAMITA.

Στύραξ, Styrax, duplicis generis in officinis prostat siccus & liquidus.

Siccus Officinis Storax calamita, (à Cannarum calamis sic dicta, in quibus olim ex Pamphilia asportabatur,) est arboris cujusdam gummeus, resinosusque succus concretus, acidus, odoris suavissimi. *Videatur Matth. Cord hist.*

Crescit arbor illa Storaciflua in Syria, Cilicia, Pamphilia.

Præfertur Styrax pinguis, lentus, fragmentis albicantibus rufescens, vel flavus, odore perseveranti, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit. Improbatur furfurosus, niger, cano situ obductus, inodorus.

Vires. Calfacit, exsiccat, emollit, concoquit, Cephalicus in primis est & nervinus: medetur tussi, catarrhis, raucedini, gravedini, vulvæ præclusæ, duritieve laboranti: extra & intra datus convenit: immiscetur cardiacis & lætificantibus, alvum leniter mollit, si cum Terebinthina in forma catapotii assumatur.

Extrinsecus suffitu capiti adhibetur.

PRÆPARATA.

1. *Oleum stillat.* Fit si Styrax cum aqu Rosarum digeratur, postmodum in cinere ex alembic. destilletur, primùm igne leni dein quando oleum stillare incipit, fortiori.

Vires. Iisdem confert, quibus Styrax, sed majori efficacia: gutta auribus instillata sibilum discutit.

2. *Oleum coctum.* Vide August.

N. Occurrunt descriptiones medicamentorum, in quibus Storax calamita & rubea distinctim præscribuntur, uti sunt Diacastoreum Nicolai, Trochisci Aliptæ moscatæ. In his igitur quid per Styracem calamitam è rubea distinctam intellectum velit Nicolaus, diversæ sunt opiniones: Sunt qui Thymiama per Styracem rubeam innui volunt, ut Fuchs. in composit. Medic. & Bauhinus in Pinac. Alii Styracem optimam, quæ in grana confluxit, ut Augustani & Cordus. Alii Styracem vetustate rubefactam. Verum enim verò cum in præscriptionibus optima quæque eligenda sint, adeoque & Styrax in granis recipiendis, ubi calamitæ styracis fit mentio, per rubram aliud quid intelligere utique oportet.

CCCCVI. STYRAX LIQUIDUS.

Est Liquor pinguis, instar Balsami crassus, graveolens.

N De Styrace liquido, magna inter Authores est dissensio. Aliis videlicet nihil aliud est, quam stacte: i. e myrrhæ colamen. (a) Aliis factitium quid ex styrace calamita in oleo ac vino soluta, admistaque resina laricea excocta, (b) quæ decoctio ubi refrixerit, styrax liquidus ad fundum secedere dicitur, ad superficiem mittens oleosam substantiam liquidiorem, (alii expressu idem moliuntur.) Serapioni styrax liquidus, est oleum ex nucleis arboris storaciflua expressum: at cortex, & fructus, ex quo oleum expressum est, stirax sicca eidem dicitur. Avicennæ styrax humidus fit per decoctionem corticis, estque colore nigro. Fæx remanens eidem styrax sicca dicitur, lib 6. cap. 32. Dioscorides oleum styracinum appellat, quod ait componi in Syria ex Styrace. De hoc refert quod calfaciat vehementer & emolliat, verùm caput dolore afficiat gravetque, & soporem adferat. Quæ facultates in styrace liquido deprehenduntur.

a) *Matth. in Diosc. lib. 1. cap. 26. Bauhin. Pinac. lib 12 sect. 6.*
b) *Fuchs. de comp. med. lib 1. c 11.*

STYRAX. Et primò quidem *sicca*, sive *Calamita*, & 2. *liquida*. Styrax CALAMITA dicitur à calamis Cannæ, quibus inclusa fuit adportata & quidem est succus ex arbore Asiæ Provinciæ, Syriæ, Ciliciæ, & Pamphiliæ: Dicitur Calamita, ut dixi à calamis in quibus inclusus fuit advectus non propterea quia fuit liquidus, satis enim crassam habet consistentiam, sed propterea fuit calamis inclusus ut suavis odor conservaretur, nec dissiparetur ab aëris mediatione: quod etiam fecerunt ii, qui dictamnum creticum attulerunt. *Cephalicum* est, & *Uterinum*, & odor Balsamicus *eorum affectibus* multùm confert: Item in *affectibus pectoris*, *Tussi* & *Catarrhis* conducit, unde Rotulis & pilulis permisceri solet, utut rari sit usus propter pretium Externè *in suffitu* conducit *capiti*, quod *roborat*, & *confortat*, *vertigini* & *catharris succurrit*. Styrax liquida pinguis, sed admodùm graveolens suavis tamen. De hac non sciunt auctores, quæ dicunt, quoniam nesciunt quid sit, nec conveniunt inter se: quare nec nos in eâdem explicandâ multùm temporis teremus.

T.

CCCCVII. TACAMAHACA.

Resina est ex iis, quæ ex Nova Hispania non ita pridem adferri cœperunt. Colligitur ex vulnerata arbore instar populi procera, admodum odorata, cujus fructus ruber est, Pœoniæ semen æmulans. Resina autem colore accedit ad Galbanum, unguibus est albis, uti ammoniacum, odorem ac saporem gravem refert, cutique tenaciter adhærescit. *Vig. Frag. Monard. & Indiæ Occid. part. 9 lib. 4 c. 9.*

Vires. Calfac in princip. 3. sicc. 2. validæ astrictionis particeps, digerit, resolvit, maturat, tumores emollit, dolores ac flatus discutit: uterina in primis est, nervina ac cephalica. Usus præcipuè externus est. Prunis injecta naribusque admota, mulieres uteri suffocatione laborantes illicò liberat. Umbilico Emplastri modo imposita uterum suo loco retinet (usu familiarissimo.) Ventriculum roborat, defluxiones quascunque à capite defluentes reprimit (linteo excepta, & post autem alteram saltem vel utramque applicata, suffituve attracta.) Temporibus adhibita (cerati modo) defluxiones in oculos aut alias faciei partes revellit, dolorem dentium sedat (dentibus etiam corruptis indita:) abdomini Emplastri instar imposita uteri fluxum cohibet: magnæ est efficaciæ in doloribus articulorum (coxendicis, juncturarum ac nervorum vulneribus imposita eadem curat) nimirum statim suppurare facit, & spasmum prohibet. Monardes.

N. 1. Adeo celebris est apud Indos ut ad qualemcunque dolorem adhibeatur, nec aliud remedium norint, modò non adsint inflammationes admodum calidæ.

N. 2. Inveteratos cruris dolores Tacamahacâ Emplastri loco impositâ curatos vidi.

PRÆPARATA.

Empl. Stomachicum. Vide lib. 2.

TACAMAHACA. Gummi ex arbore procera in India Orientali, Provinciæ Hispaniæ exsudans. Hæc rarò internè usurpatur. Externo usu est frequentissima, & usitatissima in genere ad *quoscunque dolores mitigandos*, & *demulcendos in specie partium nervosarum* est commendata admodùm. Deinde in *affectibus flatulentis stomachi*, & *intestinorum* uti etiam *suffocatione uterina* est elegans, & multi effectus, si scilicet in mortario calido dissoluta super alutam extensa supra dictis partibus applicetur in *suffocatione uterina*. Præ cœteris etiam est specificum expertum extrinsecùs applicata *ventriculo in dolore* ejus seu *cardialgia*, in qua curanda Emplastro ex Tacamahaca præstitit multa & miranda *POTERIUS*, *Cent. 3. cap. 32* Unde etiam tale Emplastrum fuit usitatissimum D. *MICHAEL*, quod dedi sub balsamo Peruviano. Alii elegantius faciunt Emplastrum ex Tacamahacæ parr. 1. Styracis partibus tribus & momento ambræ, & sic fit Emplastrum stomachicum longè utilissimum. In *nephriticis* & *capitis dolorificis*, Gummi Tacamahaca applicatum est elegans. Quidam volunt exinde præparare oleum ad multos affectus præstantissimum. Temporibus applicatum *defluxiones sistit* & *sedat dolores dentium:* Unde mulierculæ nostrates gestant in dolore dentium Emplastrum in forma Thaleri temporibus applicatum ex Tacamahaca & multis Chirurgis secretum est secretorum. In *Ischiade* & *doloribus* aliis *arthriticis* multi est usus.

CCCCVIII. DE TARTARO.

Tartarus in Medicina pathologica est res naturæ lapidescentis, i. e. in lapides coagulari apta, vel jam demùm coagulata: potissimùm tamen viscosam ac lentam mucilaginem denotat, quæ nondum in duritiem lapidis conversa est. Hinc deducitur quoque ad officinam, denotatque sal terrestre ex vegetabilibus certis vel per se, vel artificio separatum.

N. De

N. De Tartari origine non possum quin animi sensa communicem: Rerum principia primitus indigesta sunt, ac veluti in coatica sua dispositione simplicia: hinc subinde cum maturitate in partes secernuntur crassiores & subtiliores. Crassiores ad elementalem vergunt statum, scil. aqueo terrenum: Subtiliores & potiores exaltantur subinde seu (uti dicitur,) spiritualisantur, i. e. in statum spiritus evehuntur. Hæ ergo ubi ad statum deductæ fuerint summum, quem natura intendit, exhibent spiritualem partem; sin minus eædem sint digestæ, vel cum tempore retrogressæ ad statum, crudiorem exhibent Tartarum, constantem scil. ex partibus potioribus aquæ, terræ & salis, adeoque Tartarus pollet viribus insignibus, spiritus vires æmulantibus.

PRÆPARATA.

Præparationes Tartar. sunt 1. *Depuratio*, 2. *Destillatio*, 3. *Salificatio.*

I. *DEPURATIO.*

Depuratio vel fit à sordibus externis vel parte magis arenosa ac minùs solubili: illa lotione peragitur, hæc solutione ac coagulationibus.

Lotio seu ablutio: unde Tartar. lotur.

℞. Tart. triti ac cribrati, q. v. affunde aquam fontanam calidam (vel lixivium forte, e. g. ex cineribus clavellat.) agitátque optimè, hinc sine residere ac refrigescere, postea decanta aquam una cum impuritatibus, idque repete aliquoties, donec Tart. sit instar arenæ.

N. Si lixivium adhibueris, edulcorare Tart. oportet.

Solutio & coagulatio, unde.

1. *Tartarus depuratus, Acidum Tart. Cremor & Crystalli Tart.*

℞. Tartari optimè loti, q. v. affunde aquæ ferventis bonam quantitatem, agita spatulâ ligneâ, & solvetur particula Tartari, cola per manicam Hippocrat. dum adhuc calet, aliàs coaguletur rursus, quod solutum erat restanti Tartaro affunde aliam aquam ferventem, agita, idque reitera tantisper, donec nil nisi arena irresolubilis restet. aquas has Tartaro impregnatas repone ut refrigescant, & videbis Tartar. purum, partim supernatare instar cuticulæ, partim instar crystallorum vel ad fundum residere, vel parietibus ac bacillis immissis adhærere: utrumque, cuticulam scil. & crystallos collige, exsicca, atque serva.

N. 1. *Si* nimia aquæ quantitas coagulationem impedierit, evaporare aliquantulum sine.

N. 2. *Sunt* qui cuticulam supernatantem seorsim colligunt (nomine cremoris Tart.) & crystallos itidem seorsim (titulo crystallorum Tart.) Verum cùm utrumque ejusdem sit naturæ & efficaciæ, distinctionem hanc parvi momenti autumo.

N. 3. *Felicius* adhærescent crystalli vasi ligneo.

N. 4. *Si* depuratum hoc Tart. haud satis candidum sit, solve iterum in aqu. fervente, filtra, repone ut ante, ad coagulandum.

Vires. Usus hujus Tartar. depurati est crassos tartareosque humores, præcipuè autem in prima ventris regione stabulantes incidere ac attenuare: commodè itaque adhibetur in obstructione Epatis, Lienis, Mesenterij, Renum, & in affectu Hypochondriaco, &c. Hinc quoque sibi primas vendicat inter Digestiva universalia, cujus rei gratiâ & catharcticis præmitti plerumque solet. Quinimò ad laxandam alvum commodissimum medicamentum est, si saltem grano uno ac altero Diagridij vel Gummi de Gamandra acuatur.

Dosis à ʒß. ad ʒj. vel ʒij.

2. *Chrystalli Tart. chalybeati, acidum Tart. chalybeatum* Salæ.

℞. Acid. Tar. ℥iiij. Magister. chalybis e crystall. mart. per spir. vitriol. (vide in mart.) ʒij

Crystallos mart. solve in aqu. fumar. solutionem incorpora cum acido Tartari in mortario lapideo. Exsicca iterum ac pulverisa, aromatisetur aliquot guttis ol. Cinamomi.

Vires Utilissimum medicamentum est in morbis chronicis, ut sunt obstructio Lienis, quartana, icterus uterque, cachexia virginum, hypochondriaca passio.

Dosis à ℈j. ad ℈ij.

3. *Cremor Tartari chalybeatus compendiosior, S. Closs.*

Ubi aqua impregnata Tartari pulverisat. ℔j. (solvitur in ℔ xv. aq. fluvial.) per ebullitionem fuerit resoluta, & ad decidentiam unius quartæ evaporata, injice in vas ℥iiij. limartis, moxque ab igne remove ac cola calidè. Habebis cremorem pretiosum & summè deoppilativum.

N. Injiciatur limatura dum aqu. fervet, nec diu relinquatur, ne cremor reddatur vomitorius.

[Tartarus Tartarisatus, Tartarus est sui ipsius beneficio præcipitatus. Videatur apud Bartoletum: Tartarus solutus etiam dicitur in frequenti apud nostrates usu.

II. *DESTILLATIO, unde*

1. *Spiritus ac oleum.*

℞. Tartari albi crudi loti (vel quod melius depurati,) q. v. destilla ex Retort. vitrea in arena (vel igne nudo) igne gradatim adhibito: primò exstillat phlegma, dein spiritus in forma nebulæ, & tertio oleum pingue. Separa oleum à spiritu, vel beneficio chartæ ac filtrationis, vel tritorij gossypive auxilio.

N. Sunt qui spiritum Tartari ternâ vice supra colchotar rectificant.

Rectificatio spiritus Tartari. Destilla ex M B. tertia vel quarta vice semper vasa destillationi inservientia optimè lixivio forti eluendo.

Rectificatio ol. Tartari. Affunde quantitatem magnam aq. (vel Acet. destill.) ac destilla per MB, separa oleum ab aqu. ut moris, idque rectifica aquam scil. fragrantem aliquam addendo ac denuo destillando.

N. Ex residuo capite mortuo extrahi potest sal. Vide suo loco.

Vires. Spiritus vim habet incidendi, attenuandi, resolvendi, discutiendi. Hinc reserat obstructiones viscerum, purgatque per sudorem ac urinam, ideoque utiliter adhibetur in Hydrope, Tympanitide, Arthritide, Paralysi, Scorbuto, lue venerea, impetiginibus, scabie, contractura artuum (ex materia flatulenta & humorali fluida, non Tartarea, coagulata & fixa.)

Dosis à ℈j. ad ℈ij.

Oleum intrinsecus adhibitum prodesse creditur adversus dolorem colicum, suffocationem uterinam, &c.

Dosis gr. iij. iiij.

Extrinsecus admisceri potest unguentis contra scabiem communem vel luis venereæ, &c. *Vide Crollium, Senert. in Instit. Salam in Tartarologia.*

N. Spiritum Tartari ex musto parat Forsterus pag. 100. de morb. Tartar. collectis scil. crystallis evaporatione lenta, in quibus spiritum Tartari primaterialem remanere credit.

2. *Spiritus Tartari compositus.*

℞. Tartar. purum, destilla ut moris, prodeatque phlegma, spiritus ac oleum. Ex capite mortuo extrahe Sal com. quod solutionibus ac coagulationibus purificatum, conjunge cum phlegmate, spiritu ac oleo: Hinc digere in MB. vase clauso, donec Sal com. totus solutus sit: cum hoc liquore impasta argillam siccam, formaque globulos & destilla ex Retorta, igne nudo (ut destillatur spiritus Sal. nitri,) prodibit cum spiritu & oleo, Sal totus spiritualiter, in posterum à spiritu Tartari inseparabilis: Oleum fœtens separa à spiritu, ut moris.

Vires. Penetrantior & efficacior est priori.

3. *Spiritus Tartari vitriolatus, seu spiritus Tartar-aperitivus compositus.*

℞. Spir. Tartari (simplicis) ℔j. spirit. vin. ℥iij. Misce & affunde colchotari: digere in MB. (per dies 11. t. 1 q. 8.) ac destilla per Retort. adhibitis ignis gradibus omnibus. Totum deinceps quod prodit, funde super caput mortuum nigrum Tartari, ex quo nimirum spiritus ille simplex est prolectus Digere hor. 24. Tincturam decanta, residuum calcina ad albedinem, atque ex eodem extrahe Sal. cum Tinctura illa decantata, in calido S. (hor. 24.) relinquendo; aquam, ac per filtrum purifica.

Vires. Exhibetur magno cum successu ad contumaces obstructiones viscerum, ad fœdos colores, febres diuturnas, Hydropem.

Dosis à ℈j. ad ℈ij in aquis appropriatis.

Spiritus Tartari Philosophicus ad aurum potabile S. Closs.

Reverberetur Sal. Tartari super testa probatoria) *in ciner flachen Scherben*) absque fusione tamen, per horas 24. ita cœruleum evadet sal, affunde Acet. destill. quousque non tumultuet amplius, & Acet. destill. 3. digitos super materiam emineat: digere, & tingetur Acet. destill. saturato rubore, filtra & coagula. Hoc quater cum novo Acet. destill. repete. Permixtis his 4. salibus spirit. rectific. suffunde, & tincturam extrahe toties, dum colorari desinat: sal restans

 solve

olve iterum in Acet. destill. iterumque cum spirit. vin. extrahe tincturam. Jam omnes spirit. vin. tinctos, & in unum collectos destilla per MB. in cucurb. cui alembic. infundibulo instructus imponatur, exstillatum spirit. vin. reaffunde per infund. sali tincto, & cohoba toties (14. vicibus ad minimum) donec videas guttas rubentes decidere, tum cessa, & liquorem ex Arena per retort. leniter destilla, ita transibit spiritus salis Tartari nebulosus cum guttis rubris, superstite in fundo retort. pulv. rubro. Illo utere ad extractionem salis.

Vires. In obstructione mesenterii, & arthritide, dantur gutt. 4. 6. in vino, in retentione mensium, si dosis ter aut quater iteretur, certò fluent menses.

III. SALIFICATIO, unde 1. Sal. Tartari.

Sal Tartari elixiviatur ex Tartaro ad albedinem calcinato, (i. e. combusto,) non secus ac ex aliis cineribus Sal extrahi solet.

N. 1. Ex capite mortuo in destillatione spiritus residuo, itidem Sal. elixiviari potest, si ulterius comburatur. Promptè enim ignem concipit, atque etiam extra ignem comburi potest.

N. 2. Communiter calcinatur Tart. in fornace figulina.

2. Ol. Tart. p. d.

Pone Tart. calcinatum in cella ad liquescendum, vel dissolve Tartar. calcinatum in aqu. communi, filtra & coagula.

Vires. Optimum est remedium in serpiginibus, ulceribus, tinea, scabie, &c.

N. Est porrò hujus olei elegans usus in Extractis vegetabilium purgantium conficiendis. Ejus enim guttæ aliquot cum menstruo mixtæ, tum extractionem facilitant, tum catharsin ipsam promovent.

3. Magisterium Tart. seu Sal nit. Tart. alcoholisatus.

Imprægna Sal. Tart. Sale volatili Vini, v. g. ℞. Salis Tart. purissimi, q. v. affunde spirit. vin. ad eminent. digit. 1. digere ac destilla lenissimo calore, iterumque spirit. vin. affunde, idque repete toties, donec Sal Tart. totam spirituosam Vini substantiam, seu omne Sal volatile. Vini imbiberit, quod ubi factum, sublima, habebisque sal vini sublimatione ab omni phlegmate & aquositate separatum. *Sennert. in Institut.*

4. Magisterium Tartari purgans.

℞. Sal. Tart. q. v. imprægna aceto optimo, donec Tart. nihil amplius aciditatis retinere velit (vide correctionem flor. antimonij Crollianam lib. 3.) dein affunde spirit. vin. eumque abstrahe aliquoties cohobando: tandem repone Tart. ad liquescendum, & habebis oleum rubrum.

Vires. Purgat per inferiora, utile in omnibus morbis deploratis.

Dosis à gr. v. ad ℈ß.

N. Sal illud Tart. Aceto destill. sufficienter imprægnatum, si in aqu. destill. (e. g. Borraginis) solutum atque s. a. crystallisatum sit, conveniens medicamentum evadit in morbis Tartareis.

5. Tinctura seu Sulph. Tartari.

℞. Sal Tart. optimè purificatum, calcina igne violentiss. ad cæruleitatem: dein affunde spirit. vin. extrahe rubedinem s. a. decanta, abstrahe ad consistentiam olei. Sic habes Tincturam Tart. quam si placet exaltare, digere aliquamdiu cum spirit. vin. recenti ad emin. dig. 1. affuso.

N. 1. sunt qui ex Tart. cum Sal. com. an. calcinato Tincturam hanc extrahunt, sed prævalet modus prior.

N. 2. Maxima pars Tartar. decedit.

Vires. Urinam largiter ciet, confertque in Melancholia hypochondriaca, Scorbuto, Hydrope, aliisque Mesenterii ac Lienis morbis & obstructionibus.

Dosis gutt. aliquot, 4. 5. 6. 7. 8.

6 Tart. vitriolatus.

℞. Ol. Tart. purissimi per deliq. ℥iiij. affunde guttatim Spir. vitrioli ℥ij. vel q. s. donec strepitus cesset, idque in vitro capaci, sic fiet coagulum: sedata ebullitione evaporare sine humiditatem lento calore ad siccitatem.

Vires. Digestivum est præstantissimum, Tart. in corpore humano efficacissimè resolvens. Hinc utilissimè exhibetur in obstructionibus viscerum, venarum mesaraïcarum, in omnibus febribus, præcipuè in quartana, in obstructionibus mensium.

Dosis à ℈ß. ad ℈j. in convenienti liquore, convenientissimè autem propter saporis emendationem offertur in Hydromelite.

N. Eodem modo fieri quoque poterunt salia vegetabilium vitriolata. Sic sal (e. g. absynthii) depuratum solve in aqu. absinthii, instilla spiritum vitrioli, procedeque, ut cum Tart. vitriolato.

Tartarus Vitriolat. alius.

℞. Magisterium Tart. purgans ad siccitatem evaporatum, affunde guttatim spiritum vitrioli, donec strepitus omninò cesset, abstrahe phlegma in Arena, coagulum superstes reverbera per triduum, ita tamen ut sal non fundatur, sed in continuo isto calore velut fixetur. Vocatur à Parac. *lib. 7. Archidox.* specificum purgativum.

Vires. Purgat benignè per inferiora, & sudores movet in peste, scorbuto, hydrope.

Dos. ℈ß. in syr. de ros. de rhamno, &c. Ex communicatione S. Closs.

7. Tart. vitriolatus crystallisatus.

℞. Crem. Tart. ℥iiij. spir. vitriol. ℥ij. digerendo solvantur. Hinc affunde aqu. calid. ut penitus solutio fiat, abstrahe aliquantulum, & repone ad crystallisandum.

[Tartarus nitratus Grulingii ad Anginam, febres, epatis infarctus utilis.]

Dos. à ℈j. ad ʒß.

8. Sal Tart. volatilisatum.

℞. Sal. Tart. purificat. q. v. affunde spirit. vin. rectificatiss. destilla ex Arena per alembic. cohobando aliquoties (3.) & adhærescet Sal Tart. lateribus alembici.

N. Si per MB. destillaveris, non sublimabitur, sed exhibebit Menstruum corallis solvendis idoneum.

Vires. Insigne est lithontripticum.

Dosis gr. v. vj.

9. Liquor Tartari spleneticus.

℞. Tart. ℔j. Sal. com. ℔ß. (al. ℔j) Misce exactè, imponeque mortario, sartagini vel laminæ ferreæ ignitæ, ut calcinentur: Hinc pulverisa ac affunde aquæ ferventis ℔iiij. digere in loco calido per dies noctes q. (6.) quotidie agitando, postea colentur, ut omnis salsedo insit aquæ. Huic aquæ imprægnatæ tandem adde Tart. cl. ℔j. digerantur per dies noct. q. (8.) filtrenturque pro usu.

Vires. Insigne est deoppilativum Lienis, aliarumque tartarearum obstructionum, mesenterium maximè infestantium, adeoque utile in hypochondriaca, scorbuticaque affectione, ac mensium obstructione.

Dosis cochl. ß ad 1. cum aliis appropriatis vehiculis.

[Tartarus Emeticus Mynsichti exhibetur ad gran. ij. Hofmanni à ℈j. ad ʒß.]

Terebinthina.

Vide Resina.

TARTARUS VINI. Qui est istud concrementum salinum, acidum terrestre, quod doliis & parietibus doliorum vini adhærere solet. De ejus generatione & concrescendi modo omnium optimus qui disserit est *HELMONTIUS in Tract. Tartar. vini historia* in qua est elegans perspicuus & accuratus, & meretur qui legatur. Notum est, ut aliquid de generatione dicam, quod mustum dum fermentat præter Gas Sylvestre narcoticum, quod inebriat, suffocat subeuntes & candelas extinguit: præter hoc Gas inquam per fermentationem separatur portiuncula non benè miscibilis quæ secedit in fundum & dicitur FÆX VINI. Hæc fœx vini abundat particulis vini salinis tàm volatilibus quàm acidis admistis simul portionibus terrestribus, unde ad fundum secedit vasis, & dicitur fæx vini. Jam in omni vino, imprimis quod habet copiosum tartar. est subtile acidum & hoc in circumferentia vasis est longè fortius, in

centro

centro verò longè debilius. Ratio: quoniam in centro vini aduniti & in magna copia sunt spiritus vini, qui temperant acrimoniam, in peripheria verò sunt pauciores. Probo hoc: si enim cadus, sive dolium vini exponitur frigoribus hybernis apparebit, quod vinum sit conversum in glaciem, in centro verò conspicitur spiritus vini subtilissimus & volatilissimus. In cellis vinariis est frigus continuum: ergò etiam sensim sensimque acidum à medietate, spiritus vini verò à frigore ad medietatem pellitur, non quòd omninò illo destituatur vinum, sed quòd non adeò sit copiosus. Ergò in parte vini circa vasis latera contenti erit acor magis sensibilis qui fœces sensim sensimque rodit & rodendo fœcum partes terrestres salinas temperare solet, & simul etiam solvit, quibus solutis confestim aliud vinum acidum succedit in locum, &c. Quando ergò jam acidum vini corrodit fœcem, fœx vini se impraegnat Cop. sal. vol. unde fit ut acor vini cum fœcis partibus solutis se coagulent & sub ista coagulatione partes fœcum terrestres simul constringant & secum uniant, ita ut ex tali coagulatione salium cum partibus terrestribus fœcum oriatur tale concrementum salinum acidum, quod dicitur tartar. qui tartar. etiam est in peripheria dolii, quoniam ibidem est acidum copiosius & fortius & coagulando in crystallum acidum peridoneum. Qui pluribus vult explicatam hanc generationem tartar. vid. *HELMONT. cit. loc.* Hic tartar. est genuinus, qui doliis vini adhaeret atque ex vino albo est albus ex vino verò rubro, ruber: & uterque in genere tribus modis solet accipi (dicta alias sunt fœx vini & tartar. vini.) 1. Specialissimè dicitur tartar. illa vini pars, acidior & fixior quae cum vino semper conjuncta manet etiam purissimo & quae pars acidula tartar. est parens aceti in vino, dum subigit partem vini volatilem subtilem in aceto. Hic tart. in vino est auctor, ut vini potatores sint obnoxii arthritidi & Colicae: Calculi & renum morbi ab acido ejusmodi coagulante oriuntur. Hic tartarus interdum est magis interdùm minùs volatilis, magis volatilis est ut etiam cum spiritu per alembicum rapiatur, id quod fit in vino generoso Hispaniaco, Ungarico & Rhenano: interdum est minùs volatilis, ut remaneat in fundo; interdum fit ut vitrum vini effusum in tabulam per noctem manè monstret tartar. in tabula, qui in vino fuit, cujus farinae est Gallicum. Hoc acidum se manifestat. Si illi immittatur ovum: apparebit namque sic altero manè cum vitreis quasi crystallis aut imprimis tartareis tectum, quod fit quando acidum in vino rodit testam ovi quae copioso sal. vol. alcali est impraegnata dùm ergò rodit, se conjungit cum sal. vol. alcali corticis ovi & coagalat se in crystallos tartareos minutos, qui adhaerent altero manè cortici ovi. Hinc enim fit quòd oculi cancror. infusi vino ejus adimant aciditatem & illud robur suum amittit & saporem, & cum iis se coagulat atque unit, quoniam acidum rodit oculos cancror. Haec est generalissima, sed allotria acceptio. 2. Specialiter vocatur tartarus vini, illa substantia vini quae liquefacta cum recenti vino turbido adhaeret musto admista, per fermentationem ulterius separata tanquam terrestris pars in fundo secedit; Et alio nomine proprio fœx vini vocatur. Proprius vel legitimus ac genuinus tartar. acceptus: est quoddam concrementum Crystallinum acidum, quod lateribus vasis adhaeret: ita vocatur, quia fit uti dixi ex fœcibus ab acido corrosivo vini in talem crystallum coagulatis. Differt ergò tartarus verus à fœcibus vini in eo, quòd fœces imprimis constent salibus volatilibus & partibus terrestribus copiosis: tartarus verò ipse constat copioso sale acido figente spirit. volat. fœcum & concentrante salia volatilia earundem eaque cum terrestri fœcum portione in Crystallum coagulante.

Plura qui cupit de tartaro ejusque medicamentis vide *SACHSIUM in Ampelographia* qui multa habet de hoc ipso tartaro; ab hac similitudine tartar. in vino desumta est appellatio tartar. microcosmici, ita ut sicut tartar. in vino fit, &c. fit ab acido subtili rodente & coagulante fœces vini, ita etiam tart. microcosmi dicitur talis succus esse, qui acidus vitio digestionis primae in deficiente volatilisatione genitus in convenienti materia abit in coagulationes ex quibus coagulationibus denique nodi, Tophi, Calculi, Gummata producuntur & coagulationes aliae. Tartarus Ergò vini constat ex copioso sale acido subtili, quod impraegnatum est copiosis salibus volatilibus acribus vini quae maritata sunt vel invicem intertexta & texta à portionibus terrestribus fœculentis. Ratione egregiorum horum principiorum salinorum patet quid de ejus virtutibus habendum sit; nempe habet *vim incisivam*, *penetrativam* & *abstersivam* ob acidum volatile & propterea notum est quòd usurpatur pro *abstergendo muco* in *Stomacho* & *intestinis*, sive primis viis agglutinato. *Hypochondriaci* utuntur illo pro *laxanda alvo* in ejusdem *nimia obstructione*. Imò sunt qui Crystallos tart. ceu *digestivum universale* & praeparativum excrementorum ad purgationem & evacuationem commendant. Caeterum cùm in vino tart. sit pars terrestris & fœculenta, quae non est superabilis à nostro stomacho & instar calcis cujusdam in fundo ejus praecipitatur & subsidet, propterea superficialiter praeparari solet, ut secernatur pars crassior & fœculenta, fitque per solutionem & iteratam coagulationem, ex quibus oritur cremor & Crystalli tart. solvitur enim tartarus in aqua calida agitatur probè cum baculo & contritus dat in superficie cutem sive spumam salinam, quae cum cochleari perforato ablata & denuò canescens dicitur CREMOR TARTARI. Aqua verò reliqua trajicitur per pannum & in loco frigido denuò concrescit in CRYSTALLOS tartari. Sed observetur quòd interdùm CRYSTALLI ut fiant puriores & magis perspicui saepiùs iteretur haec solutio, sed perperàm; nam semper in aqua pars acida volatilis remanet, unde debilitantur & tantùm virium decedit. Id ne fiat semel aut ad summum bis sufficiat solutio sive crystallisatio: Conducunt hi valdè in *affectibus hypochondriacis & cachecticis* similibus. Constant enim utroque principio fermentativo acido & alcali volatili, utut praeponderet acidum. Hinc in *affectibus hypochondriacis, & affectibus cachecticis* uti dixi in multo usu sunt hic tartari cremor & Crystalli. Prostant etiam in *affectibus hypochondriacis.* PILULAE DE tartaro QUERCETANI; alii pro *stimulando leniter alvo*:

℞. Cremor. vel Crystallorum tart. pulv. ℥ß.
sive ℈ij. & addunt Diagrydii vel scamonij sulphurati gr. ij. vel iij. Et sic *medicamentum laxans* efficax habent. Verùm in usu Crystallorum & Cremoris tartar. observetur, quòd 1. assumenda sint in liquore calido, jusculo, vel cerevisia calida, ut meliùs dissolvantur. 2. Dum assumuntur benè sunt motitanda pro faciliori dissolutione, eodem fructu ne in ventriculo coagulatae aut concretae subsistant. Hunc tart. & Crystallos tart. impraegnandi cum simplicibus alterantibus, & purgantibus elegantem modum *ZUOLFERUS subministrat in Mantissa Hermetica ult. Edit. pag.* 411. Sic prostat etiam elegans Tractatus Medicorum Heilbrunnensium de cremore tart. qui est conscriptus contra pastorem paganum qui omnes morbos curare voluit cremore tart. *AUCTOR* etiam praescribit modum parandi tartar. CHALYBEATUM, qui est egregium medicamentum & multi usus. *In malo hypochondriaco.* Refert *THONERUS* de Cachexia *lib.* 3. *obss. obs.* 4. quòd quidam *cachecticus* abhorrens ab omnibus medicamentis fuerit restitutus solertia medici,

qui

qui loco salis communis omnibus alimentis addidit pulv. tart. quâ eleganti fraude æger fuit curatus. Prostat in officinis cremor tart. scilicet crystalli rubicundi, qui vocatur aliàs pulv. HEPATICUS DRESDENSIUM, qui valdè convenit in *corrigendo stomacho*: in *præcipitanda effervescentia sanguinis* à sale volatili: convenit itidem tempore æstivo, pro *arcendo æstu nimio*, sic pro *arcendâ ebrietate* & similibus aliis, hinc Germanis dicitur das Gauffen, quia mane si sumserimus consueto majorem duplo potum innoxiè perferre possumus, atque ad quàm plurima alia commendari notum est. Præparationem videre potestis in *ROLFINCKII Chymia in artis formam redacta*, & hinc inde apud Auctores.

Succedunt nunc PRÆPARATIONES tart. CHYMICÆ: & quidem artificialiter præparatur si scilicet tart. igne aperto per retortam destilletur. 1. acquiritur SPIRITUS VINOSUS. 2. ole. destill. admodùm fœtidum. 3. In cap. mortuo copiosum sal FIXUM ALCALI. Si attendamus quæ dixi quòd constet ex cop. sale vol. concentrato per acidum subtile, dum ergò moderato & leni igne retortæ inditus urgetur tart. liquescat, acidum agit in alcali, & alcali vicissim in acidum & in tali mutua actione & reactione sive fermentatione, subtiles partes erumpunt sub forma liquoris sive spiritus urinosi. Quod enim talis oriatur effervescentia in retorta patet exinde quod tunc temporis copiosus exhalet spir. sive Gas sylvestre adeò incoercibilis ut omnia vasa angusta & clausa penetret, imò ædes perreptet propter obortam effervescentiam. Quod si verò vasa exactissimè sint clausa, non potest fieri quin rimas agant & dissiliant. Dum ergò acidum agit in alcali, fit ut sensim sensimque acidum & alcali arte resoluta se conjungant & volatile alcali concentratur ab acido & uniatur, ut postea subsequatur liquor oleosus crassus & fœtidus, qui cum fit oleum destill. nihil aliud est quàm sal vol. tart. concentratum ab acido & in olei corpus sive formam redactum. Cæterum ex arctiori combinatione & fortiori liquefactione mutatur in sal fixum alcalicum in cap. mortuo remanens. Ex hoc apparet quàm varias formas ignis attribuat rebus, quæ sub ejusdem sunt tortura sive dominio ut v. gr. tart. abeat in spiritum, in ole. & alcali fixum. Vid. quædam in *TACHENII Hippocrate Chymico*. Tart. ex sua prima generatione est admodum acidus ex sale acido præpollente: quod etiam gustus testari potest, nihilominus si per ignem destilletur in omnibus productis ne tantillum reperitur acidi, quoniam omne acidum commutatum per effervescentiam & subactionem ab alcali, concentratur ab arte cum alcali & dat oleum: Idem alcali liquefactum cum acido dat sal alcali fixum in cap. mortuo adeò ut hoc non sit naturale, sed omninò artificiale. Id quod non tantùm de hoc, sed de omnibus salibus fixis & lixivialibus vegetabilium est intelligendum. Spiritus iste tart sive liquor urinosus tart qui primùm prodit, est rectificandus ut fiat volatilis, ut scilicet sit eò melior in operationibus & efficacior in medicina. Modi parandi spiritus tart. vol. sunt varii. Sunt qui parant spirit. tart. vol. dum semel destill. rectificant, super proprium cap. mortuum remanens, quod copioso sale fixo est impprægnatum. Fundamentum est hoc, quoniam scilicet in spir. tart. utut urinoso adsit tantùm subtile acidum, quod impedit penetrationem sal. vol. penetrantissimi. Dum ergò reaffunditur spiritus tart. Capiti mortuo imprægnato sale fixo fit ut à sale fixo acidum in spiritu restitans imbibatur & sal fixum unit sese cum acido in spiritu volatili & illud retinet: Unde spir. tart. urinosus perfectus exhalat & instar spiritus cujusdam urinosi, volatilis se repræsentat. Alii recipiunt spirit. tart. & solent injicere sal tart. fixum & inde ingentem effervescentiam excitant propter sal tart. fixum alcali quòd congreditur cum acido, & ex tart. hoc artificio præparata parare volunt spiritum egregiè penetrantem. Et hoc est quod dicitur, quod sal tart. per fermentum proprium fermentatum det spiritum volatilem. Artificium hoc videbitis in *BARTHOLINI Cent. 2. Epist. p. 532.* artificium sanè est egregium. Melior est modus parandi spir. tart. vol. si loco tart. communis recipiatur fæx vini exsiccata: ex qua omnem suam volatilitatem tart. habet & per destill. præparetur spir. & qui novit artificium hoc simul acquirit sal tart. vol. egregium quod se sublimat in alembicum instar nivis & saporis est urinosi instar vol. urinæ. Denique volatilisari potest spir. tart. si scilicet misceatur cum spir. vini: Hinc fit ut dulcescat, & saporem & odorem, nauseabundum ac fœtidum perdat quâ misturâ destillata prodit spirit. tart. vol. cum spirit. vini in fundo remanente phlegmate, qui spiritus transiens egregium solet esse *sudoriferum*. Cæterùm optimus spir. tart. vol. est qui fit ex fœcibus vini per alembicum. Hujus spir. tart. vol. usum quod attinet, imprimis ea quæ dicuntur de spir. tart. fœtido intelligenda sunt de spir. tart. vol. in quo vires sunt exaltatæ, & longè potentiores, quàm in vulgari: Cumque sit vol. urinosque patet quod conveniat externè & internè in AFFECTIBUS *ab acido oriundis*, cum acidum ratione salis urinosi concentratur, figat, & dulcescere faciat. Unde insignis est ejus usus internè in *affectibus hypochondriacis*, *scorbuto*, *pleuritide*, & similibus. Item hîc spir. tart. vol. egregium est *diureticum*, *urinamque movet* potenter. Unde in *hydrope* est ejus usus adeò exoptatus. Ulterius in *Paresi ex Colica* spir. tart. vol. vel intrinsecus assumptus à ℈j. ad ʒß. vel *extrinsecus membris paralyticis inunctus*, est expertum remedium, & quidem internè in tali casu, adhibetur sub vehiculo vel vini vel decocti Emulati: Curat enim sic paræsin per sudorem. In *arthritide*, egregii quoque est usus, quoniam acidam lympham, nervos infestantem & tendines pungentem & corrodentem emendat, & coagulationem in tophos impetiit internè assumtus & externè inunctus, aut applicatus cum linteis. Hic spir. tart. admodum fœtidum graveolentem, & nauseabundum habens saporem (qui sapor ut dixi optimè corrigitur rectificatione, super cap. mort. vel super sal tart. fixum) quando prodiit sequitur etiam ole. tart destill. quod sub actione mutua acidi & alcali in se invicem oritur & sal vol. concentrato ab acido in tartar. Hæc duo conjuncta exeunt sub forma olei, quod est liquor crassus, obscurus, & fœtidissimus ob id à multis rejicitur ut inutile quid: sed perperàm cum in eo sit sal vol. concentratum egregium magnarum in Medicina virium. Hinc internè pro corrigendo quocunque acido mirabile est, & *propellendo sudore* fortissimè. Item internè adversus *Colicam* & *suffocationem uterinam* est egregium: Externè mirificè *resistit doloribus podagricis*, & Emplastri loco renibus applicatum *calculi concretionem dissolvit*: externè quoque ad *scabiem* & *luem veneream* multum conducit: adhibetur etiam in *tumoribus malignis* & *bubonibus* imprimis pro iisdem maturandis, ut & pro *ulceribus* ex maturatione ortis *purificandis* & *consolidandis*. Multa certè latent adhuc in hoc oleo paucis cognita. Sunt qui volunt resuscitare ex hoc sal vol. tart. urinosum, quod non fit facilè utut multùm laborent quidam in hoc auctores. Digestio tamen & rectificatio super sal fixum optimus videtur modus resuscitandi sal vol. quoniam sic sal tart. fixum attrahit acidum olei, quod antea concentrabat acidum in olei forma, quo concentrato prodit sal vol. Postquam ole. prodit in cap. mort. sal fixum restitat conjunctum cum copiosis nigris terrestribus portionibus, quod factum ex colliquatione alcali & acidi, quæ duo colliquata abeunt in sal fixum, quod de omnibus salibus

bus lixiviosis vegetabilium verum est, quæ non nativa sunt, sed ignis producta per fortem colliquationem facta. Hoc sal *FIXUM* est medicamentum singulare magni usus in Medicina & Alchymia. Nam 1. quidem usus est egregii, dum est singulare *diureticum*; Deinde *digestivum* est celebre *in morbis Chronicis & affectibus hypochondriorum* ab acido ortis. Ulterius liquefactum in aqu. egregium præbet *menstruum pro extrahendis virtutibus simplicium infusorum*, imprimis *purgantium*, v.g. pro infusione purgativa ex fol. Sennæ in aqu. appropriatam addatur sal. tart. fixum, & hoc eliciet potenter virtutes, ut promptè ab illo sequatur purgatio. Ex hoc fundamento prodit INFUSUM LAXATIVUM MANNAGETHÆ, quod describit *ZUUOLFERUS in Pharmacop. Regiâ*, quod paratur equidem cum cremore tart. melius tamen foret si pararetur cum sale fixo tart. unde in usu est ut ingrediatur nodulos purgantes & alterantes vino infundendos sal tartari fixum, hoc enim solutum à vino efficit, ut extrahantur fortius virtutes vegetabilium. Si hoc sal tartari ponatur in loco humido liquescit in liquorem (salia enim alcalia facilè liquescunt in humido) & vocatur ole. tartari PER DELIQUIUM ad differentiam olei destill. alterius. Hoc externè est in usu creberrimo inter *Cosmetica*, contra *serpigines* imprimis, *scabiem*, *pustulos*, *varos*, & similia alia mala. In *Tinea capitis*, in *gutta rosacea* & similibus, quæ præveniunt ab acido fermentativo sub cuticulis concluso egregium est. Ex hoc sal tart. conjuncto cum spir. vitriol. fit tartar. vitriolatus, pure albus insipidus elegans *digestivum* ante purgationem & aperitivum viarum & meatuum obstructorum. Ad imitationem tartar. vitriolati fieri potest tartar. vitriolatus si sit. nitr. conjungatur cum sale tartar. per effervescentiam enim coeunt, qui est egregius in multis morbis internis, & multum huic tribuit *BARTHOLETUS in tr. de respiratione difficili lib. 5. cap. 1.* Et observetur hoc mirabile, quod sal tartar. cum spir. sal conjunctum det sal commune, cum spirit nitr. dat verum nitrum; si conjungatur cum spir. nitri, dat nitri corpus regeneratum, sub qua regeneratione corporum salium, illo affundendo spir. vel nitri vel vitrioli vel salis magnum residet arcanum Hermeticum: Observetur quoque quod si tart. vitriolat à ℈j. ad ʒß. purgantibus admisceatur dimidia saltim dosis sit sumenda purgantis, quoniam tart. per se habet vim *proritandi alvum & stimulandi intestina* ad excretionem, licet in tartaro vitriolato salia sint concentrata, & appareant insipita nihilominus ex tartaro vitriolato potest dest. spir acidus ex retorta vitrea per fortissimum ignem, qui spir. acidus à quibusdam vocatur Spir. DUPLICATUS à multis Spir. TART. VITRIOLATUS, & multum præfertur spiritui vitriolato vulgari & in usu alchymistico pro *resolutione metallorum* multi & magni æstimatur: sal tartar. fixum si conjungatur cum aceto, sal vol. aceti se jungit cum sale fixo tartar. & prodit per alembicum phlegma insipidum, hoc si fiat toties usque dum acet. sub antiquâ sua acredine super alembicum adscendat, & remanens sal tartar. ab aciditate acet. saturatum conjunctum per cohabitationem cum spirit. vini fit TERRA FOLIATA TART. quæ multum valet in medicina estque excellens *menstruum* pro recludendis vegetabilibus & extrahendis eorum essentiis: sicuti eadem Terra tartar. foliata, convenit egregiè in eliciendis tincturis metallorum & cum hac præparatur tinctur. mart. aperitiva ex vitriolo martis quæ auctore *ZUVOLFERO* est inventa, & est excellens remedium in *morbis cachecticis*, & *aliis quibuscunque Chronicis*. Terra hæc foliata tartar. conjuncta cum spir. sal ammoniaci in digestione est remedium singulare in *malo hypochondriaco*, *scorbuto* & similibus. Vocari solet aliàs etiam sal essentiale vini quoniam parata est ex sale tartar. fixo ex acet. & spir. vini, adeò ut ex hac terra tart. fixa denuò possint destill. tanquam ex tart. spir. ole. & sal fixum: mira naturæ Pericyclosi De hac terra tart. foliata vid. *ZUUOLFERUS in Apologia contra Tachenium*, imò ipse *TACHENIUS in Hippocrate Chymico*. *ROLFINCK in f. a Chymia*, ubi de tinctura mart. aperitiva, & simul de hac terra tart. foliata. Sal tartar. imprægnatum acet. si solvatur in loco frigido in liquorem, vocatur LIQUOR scilicet sal ESSENTIALE tartar. Egregium est *diureticum*, quod Magnifecit *SENNERTUS* uti videre est in *Institutionibus* circa finem ubi de salibus fixis: sal tart fixum non est magnarum virium si sub fixitate suâ persistat, propterea semper allaborarunt omnes alchymistæ ut volatilisaretur: ubi observetur distinctio, quod aliud sit sal tartar. VOLATILE, & aliud sit sal VOLAT tartar. Nam sal vol. tart. potest haberi ex fœcibus & quod est egregium: Cæterum sal tart. volatile est quod remanet, hoc Opus hic labor est, & est fixum: ut ergò volatilisetur, magnus requiritur labor, & qui norunt volatilisare sal tartar. habent succedaneum liquorem alkahest, sive menstruum universale. Item hujusmodi sal fixum volatilisatum est remedium penetrantissimum, quod auctore *HELMONTIO* perreptat ad 4. digestionis limen, quod statuit in arteriis, quodque saponariâ virtute quascunque partium *sordes abstergit*, & *corpus purificat* virtute stupenda. Mirum quid in *Melancholicis affectibus* præstat sal tartar volatilisatum. Modi volatilisandi instituantur varii infelici tamen cum successu. Sunt qui volunt volatilisare per eundem spiritum vini egregiè correctum & rectificatissimum Alii volunt volatilisare sal tartar. per deliquescentiam reiteratam in aëre qui modus est *ZUUOLFERI in Pharmacop. Regia*, & est sophisticus, quoniam non acquiritur sal vol. simplex, sed sal vol salsum de natura armoniacalium, quoniam sal subacidum, quod est in aëre, se conjungit cum alcali tartar. & hæc non est volatilisatio, nec perfecta transmutatio, sed immutatio in tertium salsum. Alii volunt volatilisare sal tartar. fixum per rorem maïalem & sp. ejus, quod est magis probabile, sed est labor admodùm difficilis. Ex Tartaro ulteriùs paratur tartar. vitriolatus metallicus sive qui conjungitur cum metallis, imprimis per antimoniat. ex liquescentia & fusione mutuâ antimon. & sal. tartar. elixiviati ex cap. mort affuso sp. vitriol. Simili modo potest fieri Tartarus vitriolatus ex conjunctione sal tartar. cum vitriol. mart. & super infusione spir. vitriol. qui sunt vulgari tartar. vitriolato potentiores longè Sunt qui volunt parare tinctur. tartar. ex sal tartar. fixo cum sp. vini, sed est impostura, à & nihil aliud nisi imbibitio fœcum salis tartar. fortiter calcinati. His fit ut sp. vini blando calore, dum imbibit fœces sal tartar. se tingat colore rubro; forti enim calcinatione præcedente, sal tartar. abit in fœces, sine ulla efficacia & usu: Denique sal tartar. magni est usus in alchymia pro resuscitandis metallis, & pro elaborando mercurio corporum metallicorum. Unde etiam dicitur SAL RESUSCITATIVUM. Inter quæ salia est ipse sp. urinæ, sal fuliginis, sp. salis armoniacalis, inter hæc tamen sal tartar. primatum obtinet, ejusque singulare est privilegium, ut potenter omnia resuscitare & mercurios vivos producere possit. Fundamentum consistit in hoc, quoniam præprimis solvuntur metalla per sp. acidos, dum ergò sal tartari fixum adjicitur, attrahit acidum, quo acido separato, ipsa metalla liquefacta in igne regenerantur, antiquam formam assumunt & resuscitantur. Item concretio metallorum, qua Mercurius vivus acquiritur, fit ab acido. Dum ergò hoc acidum per salia resuscitantia, qualia sunt omnia alcalia, imprimis per sal tartar. fixum solvitur & attrahitur,

fit, ut ſolvatur coagulationis vinculum, & acquiritur mercur. corporum metallicorum, qui multi eſt uſus in Alchymia & Chymia. Multa ſanè habent in hoc ſal tartar. vol. alchymiſtæ, quia ſingulare privilegium obtinet, uti dixi, in metallis reſuſcitandis & mercurio vivo producendo.

CCCCIX. THUS.

Λίβανος, *Dioſcorodis*, Λιβανωτόν, Olibanum, Arab. Lovan, Conder. German. *Vueyrauch*, l'Encens. Reſina eſt duriuſcula, pellucida, profluens ex arbore Arabica Lovan. *Arab.* dicta. Vide Thus, *Matth. Cord. hiſt. Cæſ.* Lovan & Conder, *Garz.* C B.7. (inter Gummata)

Genera Thuris traduntur duo, maſculinum ſcil. quod propriè Olibanum dicitur, ſeu Melax (Arab. Melaſon:) & fœmininum.

Maſculum ex albo flaveſcit, ſuapte natura rotundum eſt guttarum formam referens, candidum intus & pingue.

Fœmininum, reſinoſum magis eſt, ac molle, citò ardens, flavum.

præfertur maſculum, ut quod ex arboribus montanis colligitur.

Vires. Calfac.2. ſicc.1. ſubaſtringit. Uſus præcipui intrinſecùs ad varios capitis & pectoris affectus, ut ad alvi, uterique profluvia, ad tuſſim [deglutitur veſperi fruſtatim,] vomitum, ſanguinis excreationem, diarrhæam, dyſenteriam mitigandam. Extrinſecus inſervit ſuffitibus pro capite roborando, catarrhos diſcutit, cava ulcera carne replet, & ad cicatricem perducit, cruenta vulnera cephalica in primis glutinat, perniones [cum ſuillo adipe aut anſerino] ſanat, ulcera cacoëthea, tum ſedis, tum reliquarum partium demulcet, [tritum cum lacte in linimentum:] oculorum rubedini ac lippitudini medetur, ſcilic. aqu. Roſarum multiplici extinctione Thuris imprægnata, lactique muliebri poſtmodùm commixta, pro collyrio liquido [verrucas incipientes & impetigines abigit, cum pice & aceto impoſitum.]

Cortex Thuris in Officinis corticoſum illud vocatur, quod Thymiama ſuprà appellavimus. Cortex hic præfertur craſſus, pinguis, odoratus, recens, lævis, minimè ſcaber. *Vide ſuprà.*

Manna, Thuris ſunt micæ, fragmenta, [pollen, ac farina] Thuris, quæ ex colliſione, dum in ſaccis vehitur, colliguntur.

PRÆPARATA.

1. *Liquor.* Fit in albumine ovi cocti, ſummeque prodeſt ad maculas abſtergendas, cavitateſque cicatricum explanandas.
2. *El. Diaolibanum.* V.D.ſp.

THUS. Quid ſit, omnibus notum eſt, nimirum ſuccus extillans ex arbore exotica reſinoſa: ſolet adulterari ſæpius, & permiſceri cum cortice aut reſina pini, quod poteſt deprehendi in ignem injectione. Dum Thus ſuavem exſpirat odorem, fit, ut adulteratum cum cortice pini reſtitet ſine odore. Vulgo duplicis habetur generis, MASCULINUM & FOEMININUM. MASCULINUM eſt, quod eſt album aut modicè flavum puriſſimum, & in globulos rotundos concretum inſtar teſticulorum, unde etiam Thus maſculinum vocari obtinuit: FOEMININUM eſt magis reſinoſum & molle: in uſu medico eſt ingrediens Theriacæ, & cum aliis laborioſam illam conſtituit compoſitionem. Alii pro roborando & confortando ventriculo deglutiunt aliquot grana Thuris, iiſque ventriculum admodum confortari dicunt. Multum conducit in *temperanda nimia acrimonia humorum & lympha præcipuè acida* ac *ſalſa nimis*, in *affectibus pectoris*, *Tuſſi*, *aſthmate & raucedine*. In ſpecie in *pleuritide* eſt expertum *à QUERCETANO*, qui recipit pomum excavatum, quod replet cum ℨj. Thuris, & ad ignem coquit; quod ita coctum comeſtum eſt ſingulare experimentum in *Pleuritide* vid. de hoc ipſo *RIVERIUS* in praxi, uti etiam in *Cent.1. obſ.86.* Hoc pomum adhuc melius perficit *FORESTUS lib.2. cur 85.* qui intromittit Thuris ℨß. & flor. ſulphur. ℨj. quæ coquit, & dat contra *pleuritidem* multis inſervit. Tale pomum ſimiliter utile eſt in *aſthmate*, vid. *RIVERIUS Cent. 4. obſ.88.* Idem pomum hoc modo paratum eſt egregium experimentum in *Dyſenteria*, dum ulcuſcula inteſtinorum conſolidat, & fluxum ſanguinis inhibet, & imprimis in *Dyſenteria* ſumitur convenienter Coroneum excavatum. Extrinſecus ulterius uſus eſt frequentis in *ſuffitibus capitis* pro *catarrhis*, *vertigine*, *Coryza* & ſimilibus, uti & in *procidentia ani* & *Teneſmo*, ſi ſcilicet in ſella fiat ſuffitus, qui ano aperto excipiatur. Deinde frequentis eſt uſus in *vulneribus* & *ulceribus*, unde uſitatiſſimè ingreditur balſama & unguenta vulneraria & ulceraria: ſicuti etiam ingrediens unguentorum contra ulcera eſt, quando opus, ut impleantur carne & cicatrice obducantur: Pro quo ſcopo etiam ſolet *pulv. dentifriciis* permiſceri, quando copioſus ſanguis per gingivas tranſſudat. Ole. THURIS in *phthiſi* efficaciſſimum eſt remedium. *FABER in Myrothecio ſpagyr. lib.2. cap.43.* præparat ex Thure V. ESSENT. Thuris balſamicam cum ſp. Therebinthinæ, quæ egregium eſt remedium.

CCCCX. TRAGACANTHA.

TRagacanthum, Tragacantha, corruptè Tragacantum, vel Dragagantum, *Tragant.* Meleſe. Eſt gummi fruticis ejuſdem nominis, pellucidum, album, ſubdulce, leve ac ſyncerum, in granis plerumque fragmentiſvè contortis.

N. Aqu. calida ſolvitur; mucilaginemque exhibet aliis Medicamentorum formulis, e. g. trochiſcis formandis convenientem.

Dicitur Spina hirci, Arab. Chitin. Germ. *Bocksdorn*.

Exſudat hoc gummi radice inciſa, vel ut alii volunt, ſponte ſua.

Praſtat pellucens, gracilis, levis, ſyncera, ſubdulcis.

Vires. Refrig 2. (aliis temperata eſt) hum. 1. [aliis ſiccat] lenit, cutis ſpiracula obſtruit, acrimoniam mitigat, incraſſat. Uſus præcip. ad tuſſim inveteratam, ad fauces exaſperatas, retuſas voces, cæteraſque deſtillationes [cum melle inde fit linctus, ſubditurve linguæ, ut liqueſcat,] contra renum dolorem & veſicæ roſiones [in paſſo vel brodio,] in dyſenteria. Extrinſecus ad dyſenteriam [in clyſteribus,] ad rubedinem & acres deſtillationes oculorum [ſoluta aqu. roſar. vel lacte,] ad palpebrarum ſcabriciem.

Doſis ℨj.

N. Tragacantha quo vetuſtior, eo calidior.

PRÆPARATA.

Spec. Diatragacanth. calida }
Diatragacanth. frigida. } V.D.

[*Tragacanthum Venereum Indicum. Nidus avium commendatur ad excitandam venerem in juſculo manè ſumptum.*]

TRAGACANTHUM. Eſt liquor gummoſus ex planta Tragacantha dicta exſudans, eſt frutex parvus friabilis admodum & ſpinoſus, in Italia frequens: unde à quibuſdam dicitur SPINA HIRCI: ex radice imprimis ſciſſa vel fracta exſudat. Egregium eſt in *affectibus pectoris* pro demulcenda acrimonia lymphæ: Unde proſtant in officinis SPECIES DIATRAGACANTHI, utiliſſimæ pro *compeſcenda Tuſſi*, ſub formâ rotularum & morſulorum liquefactæ in ore, & ſenſim ſenſimque deglutitæ, & *quidem in catarrhis ſalſis*, ubi adſunt *raucedines*. Quod valet de humoribus acribus in pectore, valet de *urinæ acrimonia*, quando convenit in *Dyſuria*, *exulceratione renum*, *Stranguria*, &c. dum eandem acrimoniam ſimiliter demulcet & compeſcit. Tragacanthum crudum ingreditur pulv. *Sympatheticum compoſitum*: nam habemus etiam ſimplicem ex vitriolo Romano ad albedinem calcinato in ſale, & adhibetur ad vulnera cæſim & punctim inflicta, & compoſitum cum Tragacantho permiſtum qui convenit in *vulneribus cum contuſione*, *oſſium fractura* & ſimilibus ſymptomatis conjunctis, in quibus pulv. ſimplex non eſt ſufficiens: de his pulv. multa hic

inde

inde proſtant. vid. tamen etiam *VVORMIVS* in *Muſeo*, ubi de vitriolo.

CCCCXI. TUBERA CERVINA.

Fungus Cervinus, Cervi boletus, *Matth. Cam. Lon. Tab. Cord. in D. C. B. 2.* Germ. *Hirſchbrunſt*, *Hirſchvvamm.* Terebinthe.

Creſcit in ſylvis, ut vulgò creditur, ex libidine cervorum, quippe nonnunquam formâ genitalis cervini reperitur. Verum teſtibus Lonicero & Cordo, nec iis denegatur locis, ad quæ nec cervi, nec damæ unquam pervenerint. Inhiant autem iis Cervi ob odorem fortem, quo delectantur.

Vires. Rari uſus eſt, nec adhibetur, niſi quod nonnulli ad libidinis ſtimulum, lactiſque incrementum id commendent, cui Lonicerus contradicit, qui contrà naturæ frigidæ & humidæ ſtatuit, adeoque ad ſtimulum ineptæ. Extrinſecus commendatur ad uterinas aſcenſiones compeſcendas, & partus difficultatem.

N. His ſubjungi poterit & Fungus Chirurgorum, videlicet Fungus orbicularis, ovatus, pulverulentus, Crepitus Lupi, Germ. *Bubenfiſt*, *Vvetberfiſt*, *Vvolffsfiſt.* Videatur *Lon. Tab. Caſt. Dod. Matth. Cam.*

Hujus vires ſunt adſtringere, ſiccare, adeoque pulvis ejus ad intertrigines, & abraſa non inutiliter adhibetur, de quo plura ſuprà.

TUBERA CERVINA. Vocatur etiam FUNGUS CERVINUS: BOLETUS CERVI uſitatiſsimè: Eſt ſpecies fungi, qui obtinet figuram penis Cervini: unde putatum eſt, quod creſcat in ſylvis ex ſpermate cervi, qui orgaſmo æſtuans ſemen ejaculatur, ex quo oriuntur tales fungi; Teſte autem LONICERO & VALERIO CORDO fungus talis reperiri poteſt etiam iis in locis ubi nunquam fuêre cervi reperti. Unde patet, quòd externa figura occaſionem dederit commento, quòd oriatur ex ſpermate Cervi. Hoc commentum ſecutum eſt aliud quod Prædicatur ad Stimulandam venerem: Unde ingreditur Electuaria *venerem ſtimulantia*; ſed peſsimo conſilio cùm ex ſe ſit indigeſtæ naturæ, & inſtar omnium fungorum aliquid maligni in receſſu habeat: Ergò potiùs extinguit venerem, quàm quòd provocet. Hinc ſecutum ex uno inconvenienti adhuc aliud, quòd mulieres illum permiſcere ſoleant in poculis amatoriis cum aliis quibuſdam ſpeciebus incantatoriis & magicis; Hæc tamen omnia ſunt vana & inutilia, adeò ut exulet nunc meritò ex medicina. Vid. *VVORM. pag.* 139. & VALERIUS CORDUS *in Notis in Dioſcoridem cap.* 83. Huic affinis eſt CREPITUS LUPI qui ſimiliter ſpecies fungi famoſus eſt apud Chyrurgos, cùm uſitatiſsimus ſit in *vulneribus recentibus* benè contuſus & exſiccatus, in quibus eſt expertiſsimus. Modum præparandi optimum pro tali caſu vid. in FELIC. WURZ. *Chirurgiâ* ubi tract. de Symptomatis vulnerum.

CCCCXII. DE VINO.

Anatomia Vini.

Vinum eſt ſuccus vitis, fermentatione exaltatus.

Dicitur *Paracelſo*, Sanguis Terræ. *Querc.* omnium vegetabilium Princeps, & maximè vitriolatum.

Eligatur generoſum, beneque maturum.

PRÆPARATA VINI SUNT VARIA, pro diverſis ſcilicet partibus variantia.

Nimirum,

Vini partes ſunt.

Eſſentia ſubtiliſſima, incorruptibilis, vulgò aqu. vitæ, aqu. ardens, ſpirit. vin. Sulphur Cœleſte, Sulphur Bezoardicum vegetabile, menſtruum cœleſte, aqu. cœlica, Lullii cœlum, clavis philoſophorum, corpus æthereum ex igne & aqu. conſtans, Balſamus volatilis liquoris catholici. 2. Magna copia aqu. inſipidæ corruptibilis. 3. Hanc ſequitur ſpir. quidam fumidus, qui nihil aliud eſt, quàm Sal com. vino volatili craſſius, in forma fumi aſcendens. 4. Huic mox ſubjungitur ole. quoddam verè pingue & unctuoſum combuſtibile, ſed paucum. 5. Ex mort. extrahitur Sal commune quoddam corroſivum. 6. Poſt extractionem Sal. com. relinquitur Terra limoſa inutilis. *Sala in Anatomia antimonij.*

Hinc 1. ſpirit. vin. ſc. aqu. vitæ, Q. e. Vini.

℞. Vinum generoſum, deſtilletur per veſicam, donec pars optima deſtillarit, (quod guſtu facilè cognoſcitur) deſtillatum rectificetur aliquoties per B. M. abſtrahaturque ſaltem pars dimidia, tertia aut quarta, ut nihil humiditatis relinquat combuſtibilis.

N. 1. Rectificatio feliciùs peragitur 1. Si in rectificatione orificium cucurbitæ charta ſubtili triplici vel quadruplici, vel panno ſpiſſiori tegatur, quippe hac ratione penetrat ſolùm pars ſpirituoſior, aquoſiore in cucurbitam relabente. 2. Si rectificatio ex cucurbita colli longi, vel per phiolam ſerpentinamve perficiatur.

N. 2. Nonnulli obſtruunt cucurbitæ vel philolæ orificium ſpongia oleo imbuta, qua ratione ſolus ſpir. tranſit, aqua in ſpongia remanente. Senn. Inſtit. Libav. in Alchym. Verùm nemini ſua ero hunc modum, inficitur enim ab oleo aſcendente ipſe ſpirit. vini.

N. 3 Eodem modo paratur ſpirit. vin. & ex fæcibus vini, ut & ex ſiliquis uvarum, ex quibus vinum fuit expreſſum. Keſl. 1 cap. 70.

2. Aliter ſpirit. vin. ſubtiliſſ.

℞. Vini generoſ. q. v. digere (14) per dies in fimo, vel alio leniſſimo calore, poſtea per phiolam deſtilla, deſtillatumque aliquoties per eandem phiolam rectifica, donec ad ſummam ſubtilitatem pervenerit.

℞. Hujus ſpir. ℔ij. miſce cum recentis vini ℔. vj. deſtilla iterum per retortam, ac prolice ſaltem ℔ij. affunde iterum recentis vini ℔vi. ac deſtilla denuo, ut dictum, idque repete ſepties vel pluries ab ℔ij. colligendas.

N. Hic ſpir. adeo ſubtilis ac fugax eſt, ut guttatim deſtillando ne Terram quidem attingere poſſit, qui in auram evaneſcat. Tentzel. Gluckrath in Beguin.

Vires. Spirit. vin. Calidus eſt & ſiccus, penetrantiſſimus, incorruptibilis, reſiſtit putredini, refocillat apoplecticos, comate oppreſſos, &c. Extrinſecus reſolvit tumores frigidos ac ſcorbuticos, arcet coagulationem ſanguinis in contuſionibus, cruoremque reſolvit ac diſcutit.

N. Sunt qui ſpirit. vin. circulatum ac toties deſtillatum, ut in oleaginoſam abeat conſiſtentiam, Circulatum Paracelſi autumant, ſed malè. Alii ſpirit. vin. cum proprio ſale, intervenientibus tamen digeſtionibus, aliquoties deſtillant, ut ſal tandem cum ſpirit. vin. per Alembicum transferatur, vocantque Circulatum Majus. Libav. tract. de Igne Naturæ. Verùm fallunt & falluntur.

3. Spiritus Vini alcaliſatus.

℞. Vini generoſi Hiſpanici vel Hungarici, q. v. elice ſpiritum ac phlegma: ſepara eadem ab invicem: ex fœcibus calcinatis cum phlegmate extrahe Sal, idque per cryſtalliſationem purifica, in ſpiritu ſolve Sal, & habes ſpirit. vin. alcaliſatum.

4 Spiritus Vini acutus Tart. ſeu ſpiritus Vini Tartariſatus.

℞. Spirit. vin. ℔.ij. Tart. alb. crudi puriſſ. groſsè contuſi ℥j. deſtilla in balneo pleno ſcobe ligni ſerrati madefacta leniſſimo aqu. ut ad quartum ferè pulſum guttula cedat: quando phlegma ſtillare inceperit, ceſſa, vel ſi phlegma quoque prodierit, rectifica.

N. 1. Si ſubtilior adhuc expetatur, denuo ad hujus ℔ij. addatur Tartari ℥j. deſtilleturque ut antè. Sennert. in Inſtit. Tentzel. in Exeg.

N. 2. Ad cognoſcendum utrùm ſpiritus prodeant necne, obſerventur ſtriæ, quippe quo ſpiſſioribus ſtriis alembicus refertus fuerit, eo uberior ſemper ſpirituum fit evaporatio, & è contra.

N. 3 Oleum quod lentâ hac deſtillatione peractâ, guttis quibuſdam innatare videbitur [quamvis vina in hoc valde inter ſe diſcrepent] vera vini eſſentia æſtimatur. Tentzel.

5. Alius ſpirit. vin. Tartariſatus, ſive ſpirit. vin. Tartar. alcaliſatus.

Hic ſpiritus ſi ſuper eundem Tartarum per Retortam cum cohobiis rectificatur, & in fine (phlegmate intermedio obje-

cto) fortiori igne urgetur, spiritus vini Tartarisatus acquiritur. *Sennert. Instit.*

6. Spiritus Vini Tartarisatus, seu aqu. philosophica.

℞. Tartarum in præcedenti spiritus Tartarisati præparatione post cohobia relictum (vel & Tartarum recentem) calcina ad viriditatem [cærulitatem,] dein affunde spiritum illum Vini Tartarisatum, destilla & tandem propelle igne fortiori. *Tentzel.*

Vel: Ex Sale Tartari ad cærulitatem calcinato extrahe essentiam digerendo cum spirit. vin. [spirit. vin. habeat aliquid phlegmatis, cujus beneficio sal arripit] destilla gradatim, ad ignem fortissimum subinde progrediendo.

Vires. Spiritus hic longè præstantissimus est ad Tincturas & Extracta purgantium in genere elicienda ad conservandas metallorum & vegetabilium, animaliumque facultates.

In θεραπείᾳ arcanum est ad plurimos affectus, in primis tartareos, & ubi sal fixum ex deficiente coctionis πνεύματος abundat, ut in Scorbuto, Tartareo Hypochondrio, Asthmate, Cachexia Epatis aut reliquorum viscerum obstructionibus: conciliat insuper somnum cum essentia croci propinatus.

N.1.Spiritus vini hoc modo ritè præparatus, est Ros Jovis amphibij vegetabilis ad parandum illud Biolychinum Burggravii. Ejusdem beneficio fit & perpetuum mobile, & χρᾶσι criterium. Hartman. in pract. Tentzel. in Exeg. Qui plura de spirit. vin. facultatibus voluerit, consulat Lemnium, Evonymum, Gesnerum, Libavium, Med. destill.

N.2. Hic spirit. vin. tartarisatus in spagyrica cochlea Hermet. Gl. circulatus, è mero spiritu evadit Balsamus, è fragrante fragrantior, è crystallino carbuncularis, haud secus ac cor sanguinem Epatis, continente pulsuum circulo, in auream vitæ Balsamicam, vividamque spirituum vitalium naturam exaltat.

Vires, & Dosis. Hujus essentiæ guttæ 3. vel 4. calidum nativum in Eclampsiu evocant. Cum Croci essentia somnum conciliant, restaurationemque membrorum conantur.

7. Spiritus Vini microcosmicus, id est, cum sale urinæ volatili acuatus.

℞. Spiritus Vini subtiliss. ac Sal. urinæ ad summam puritatem deducti (vide in urina) ana, mixti ponantur in locum frigidissimum. Hinc digerantur per lentum calorem Vapor. Baln. in Phiola H. Cl. spatio 20. vel 30. dierum & noct. & convertentur in liquorem, qui si lubet per MB. semel ac iterum rectificetur. *Beguin. lib. 3. c. 2. Hartm. in pract. & in Croll. Sen. in Instit.*

Vires. Menstruum est auri potabilis præparationi inserviens: poterit quoque intrinsecus adhiberi ad reserandas obstructiones viscerum, ut & extrinsecus ad dolorem compescendum.

8 Spiritus Vini vitriolatus.

℞. Spiritus vini opt. & spir. vitrioli rectificati ana ℥iij. M. & destilla per alembic. in cinere, primò lento igne, dein fortiori, ut simul alembicum transeant: itera destillationem vice tertia, postmodum circula per mensem simul, habebisque spiritum odore & sapore sat gratum.

9. Quinta essentia vini.

℞. Vini generos. alb. vel rub. q v. destilla ex MB. rectificando donec spirit. vin. evadat quasi igneus (fit rectificationib. sæpius iteratis, scil. 12. &c.) Spiritus hic indatur vitro, quod bono luto, vel mastiche, calc. vin album. ovi, optimè claudatur. Hinc circuletur Vapor. Baln. per mensem. Postmodùm aperi sensim, & si mirum oleat saporem, assecutus es vini V. Essentiam; sin minus, claude denuo vitrum, & repone in Vapor. Baln. donec dictum signum senseris, saporem sc. sive odorem ἐνώδη.

N. Acquiritur scopus beneficio salis proprij. Popp. in Hodoger.

Vires. Balsamus est efficacissimus, nostroque balsamo naturali roborando convenientissimus. Insuper antidotus est certissima adversus pestem intra 6. horas sanandam, si in primo illius insultu guttæ xij. exhibeantur ad movendos sudores, Epilepticum paroxysmum annihilat eâdem dosi, fœtum expellit, in partu difficili illico, & ad miraculum usque operatur, si cochlear integrum illius exhibeatur.

10. Aliud opus vegetabile, ex communicatione S. Closs.

Cohoba Acet. destill. super sal Tartari proprium tantisper, donec tam acidum egrediatur, ac fuerat affusum: cumque sufficienter spiritibus suis acidis fuerit impregnatum, ♃. illius ℥vj. spirit. vin. super sal. Tart. proprium rectificati ℥j. Digere per mensem ign. lampadis, usquedum corpus suam receperit animam: imbibatur rursus eadem quantitate olei ætherei, & desiccetur per quindenam, his imbibitionibus ad sufficientiam factis, detur ignis æqualis, & elevabitur Sal candidissimum, relictis terreis aliquot impuritatibus. Sublimatum reconde in alia phiala H.C. & ign. eodem lampadis decoque ad albedinem usque perfectam. Quo viso imbibatur fixissima hæc materia spiritu æthereo suo, sive animâ, idque toties intercedente digestione fixativâ iteretur, donec in igneum ruborem elevata fuerit, summam corporis nostri medicinam.

11. Magisterium Vini, s. Lapis vini vegetabilis.

℞. Vini generosi Hispanic. vel Ungaric. q.v. putrescat. 40. per dies noct. in fimo equino. Hinc destilla in MB, & prodibit spiritus, ac tandem oleum: hæc separa ab invicem, spiritumque dephlegma. Oleum denuo in fimo equino per dies ac noct. 40. putrescat ac destilletur. Ex remanentibus fœcibus beneficio phlegmatis extrahatur sal volatilius sine calcinatione. Utrumque conjunctim s. a. purifica. Postea impræqna sal spiritu suo ac digere: hinc adde & oleum, digereque donec coloris tandem rubei pulverem nanciscaris.

Vires. Grana (vel guttæ aliquot, si mavis liquidius) integram mensuram aquæ vinosis qualitatibus perfundunt.

12. Menstruum Basilii Valentini, Aquæ temperata, Temperatum Extractivum.

℞ Spiritus vini subtiliss. q. v. eumque cum spirit. Sal. comm. digere, ac terna destillatione per alembicum uni. Sic dulcescit, acrimoniamque amittit. *Vide spir. Sal. com. dulc.*

Vires. Solvit aurum non radicaliter, sed tincturam eius extrahendo. Vide de auro Basil. in repetit. magni lapidis Veterum. Senn. Instit.

N.1. Alii ℞. Spirit. vin. optimum, eumque cohobant multoties (12.) supra Sal com. ut essentiam Sal. communis secum evehat. Huic spirit. vin. essentiâ Sal. com. impraegnato affundunt tantundem spir. Sal. com. rectif. digeruntque.

N.2. Tentzelius ℞. Spirit. vin. rectific. q. s. superfundit Sali Tartari philosophico ad emin. 3. digit. digeritque in Phiola longiss. colli aliquamdiu l calore: postmodum destillat.

13. Sal Tart. Philosophorum.

℞. Sal ex cineribus Sarmentor. extractum, reverberetur igne aperto (hor. circiter 3.) donec albescat. Dein solve in aqu. & separa fœces filtrando & coagulando. Sic habes Sal Tartari Philosophorum. *Tentzel. in Exeg. de auro potabili.*

14. Cinis Clavellatus.

℞. Caput mort. ex destillatione fœcum residuum, combure & elixivia.

VINUM. De quo notum quòd sit succus ex uvis expressus & per fermentationem depuratus & exaltatus, quod cum illo commune habent omnes omnium vegetabilium succi expressi ut fermentescant quâ fermentatione separatio fit partium heterogenearum & non miscibilium & reliquarum miscibilium arctior unitio, & per motum intestinum partes volatiles fiunt pars liberior dum ab aliis separantur & in volatilitate ac in penetrabilitate sic exaltat: ex hac exaltatione sequitur vis vini roborandi & confortandi. Nam siquis vel dolium musti ebibat, nunquam tamen inebriabitur, quod verò vel cantharum vini generosi assumatur, vis illius sentietur facilèque inebriabitur, & hanc habet per fermentationem, dum exaltatæ partes spirituosæ & à vinculis liberatæ facilè penetrant, afficiunt & ligant Spiritus nostros. Et quidem hoc non tantùm contingit ex succo uvar sed etiam ex succis expressis quorumcunque fructuum uti notum est ex pomis, pyris, rûbis Idæis, Cydoniis & similibus aliis: Propter egregias has virtutes non immeritò vocatur SAN-

GUIS

GUIS TERRÆ & PRINCEPS OMNIUM VEGETABILIUM à PARACELSO: Anatome Chimica accedente. Spiritus quem subministrat ardentem, dicitur aqu. VITÆ, quoniam Spiritus vitales roborat & confortat & propter egregias virtutes à ZAPATA dr. AURUM POTABILE VEGETABILE, cùm magis confortat corpus quàm aliàs aurum potabile. Hujusmodi sp. per alembicum destill. in B.M. Const. sale vol. oleoso copioso, quod dilutum est phlegmate aqu. observetur tamen quòd in spiritu vini admistum sit quoddam subtile acidum volatile idque eò magis quò potentius & generosius est vinum: ratione hujus acidi spiritus vini facilè potest coagulari cum sal. vol. armoniacali quoniam hoc tanquam sal urinosum purissimum per mistum cum sp. vini rectificato arripit acidum subtile in spiritu vini. Dum ergò fit coagulatio simul coagulatur reliqua sp. vini portio & fit sp. vini coagulatus per sal vol. ammoniacale Sin verò hoc sal vol. ammoniacale conjungatur cum terra foliata tartar. & humectatum per retortam in cujus recipiente sit spir. vini, destilletur, prodibit liquor admodùm spirituosus vol & valdè penetrans, qui resolvitur in sp. vini & est remedium penetrantissimum atque gratissimum. Ulterius spiritus vini communiter solet rectificari super Cap. Vitrioli mort. quod reliquum denuò reducitur ad fermentationem & ex hoc Cap. mortuo denuò potest parari spiritus vini novus. Hic spiritus vini copioso constat sale vol. oleoso seu cum pauco acido composito: qui sp. vini rectè rectificatus dicitur ALCOHOL VINI. Ejus probatio est hæc, ut cochleari ejus effuso in terram ne gutta quidem illam attingat, sed sub nebulæ forma in aëre dispergatur 2. ut linteum madefactum à tali sp. vini incendatur & post ejus deflagrationem linteum sine humiditate reperiatur, 3. ut pulvis pyrius abactus cum spir. vini & accensus nullum relinquat signum humiditatis, signum est rectificati sp. vini, sin verò relinquat, signum est phlegmatis adhuc contenti. Destillatio fit vel ex arena vel ex balneo. Cæterùm est adhuc alia quam vocant philosophicam quæ fit, quando vinum in doliis contentum exponitur frigori hyberno à quo vinum coagulatum exhibet in medio sp. vini, qui non facilè coagulabilis est & vocatur SP. VINI PHILOSOPHICUS: ut fiat legitimus & omnium optimè defœcatus affunditur subindè sal tartar. sic n. fit ut sal tart. omne phlegma absorbeat & sp. ascendat: hoc sal tartar. exsiccandum & de novo sp. affundendus tamdiu, donec fiat rectificatissimus qui ita abstractus tandem aliquid de sale tartar. per alembicum deducit idque eò plus quò sœpius affunditur & destill. vocatur SP. VINI TARTARISATUS estque *menstruum pro extrahendis simplicium vegetabilium virtutibus*; Cæterùm pro hoc scopo optimum est menstruum si destill. sp. vini per vesicam ex fœcibus non minùs etiam ex fœcum cap mort. dest. sp. vol. ardens, huic affinis, qui ex fœcibus elicitus, sed aculeatus magis sale vol. copiosiore & faciliùs subintrat & solvit vegetabilia & extrahit virtutes essentificas. Alij etiam parant sp. vini admodùm penetrantem ex phlegmate aceti quod affundunt tartaro calcinato & hanc misturam per lenem balnei calorem evocant ut sic fiat sp. vini penetrans & volatilis. Usum vini quod attinet: in hoc duæ partes pensitandæ 1 pars Spirituosa volatilis ardens. 2. Subtile acidum quod in omni deprehenditur. Ratione spirituosæ partis recreat & refocillat simulque agiles facit & exhilarat sp. nostros modò non nimis usurpetur, estque *præse tissimum restaurativum* pro iis, qui nimiâ venere delassati sunt, ita ut animum linquant, dum resuscitantur per potum vini Hispanici idque eò magis si indatur & agitetur cum ovo sorbili & aliquot granis ambræ est expertum, Solus odor vini solet *Lypothymicos & sincopticos* restituere & refocillare. Ratione acidæ partis non minùs est conveniens potus, modò non nimis inordinatè usurpetur, adeò ut possit digeri in prima stomachi culina & mutari in vol. & sic non sit nocivum, si verò nimio usu potetur vinum, adeò ut non legitimè concoctum ex stomacho egrediatur, sed aciditatem adhuc obtineat, fit auctor multorum malorum in intestinis torminum, in massâ sanguineâ effervescentiæ, in partibus membranosis & nervosis dolores podagrici & corrosivi, aliorumque qui ab acido vulgò derivantur. Aliàs per se nemini nocet, adeò ut tutò in febribus possit concedi pro *virium refectivo*, modò acidum à stomachi fermento possit subigi, & in salsum volatile mutari. Venenis præterea resistit. Unde in *peste* optimum est præservativum haustus vini generosi in peste manè assumtus, id quod omnes pestis victores unanimi consensu testantur, quòd nimirum haustus vini generosi præservat; vid. Willis cap. de peste. Imò vini meracioris potus oculorum dolores & rubores curat. De hoc vid. aphor. Hip 31. sect. 6. & aphor. 46. sect 7. Et habet obs. Borellus obs. 77. Cent. 2. de tribus viris nobilibus, antiquis oculorum doloribus & ruboribus cruciatis, aliis omnibus irritis, vini meracioris potu curatis p. 175. it tract. de febribus sp. vini ulteriùs potenterque penetrat, & acidos succos nostri corporis temperat & corrigit, id quod patet ex eò, quòd spir. acidissimi spir. vitriol. nitr. & salis cum spir. vini conjuncti, digesti & circulati dulcescant. Unde etiam spir. vini internè assùmtus acidos succos similiter emendat, corrigit & demulcet. Externo usu efficax est spir. vini propter vim temperandi coagulata, resolvendi, & acidum corrigendi in Erysipelate, in specie convenit quoniam acidum ibidem singulare corrigit, & ortam inde inflammationem extinguit: hujus ratione convenit in reliquis *inflammationibus*, quæ ex contusione oriuntur, dum sanguinem in *Ecchymomate concretum* dissolvit; *fluxilem & exspirab lem facit*. Hinc à putredine præservat, quæ illi infunduntur: egregiè etiam *ulcera sordida, cacoëthea & maligna* sive solus instilletur, sive eo abluantur, sive in spir. vini infundantur aloe, myrrha & similia, & elevatur ulcus cacoetheum & malignum sanat, *putredinem enim arcet*, & acidum *putrefactivum* potenter coercet ac sedat. SPIRITUS VINI CAMPHORATUS fit, si solvatur Camphora in spir. vini rectificato, & per alembicum destilletur, est generosissimum & penetrantissimum remedium in peste, imprimis internè: & in *Gangrænâ*, ac *Sphacelo* externè egregiè & potenter convenit, de spir. vini tartarisato quòd fiat abstractione, &c. per sal. tartar. quidam affundunt super, &c. vid. ap. *AUCTOREM*, spir vini alcalisatus nihil est aliud, quàm spir vini rectificatus super sal. tartar. alcali fixum, à quo vocatur spir. vini alcalisatus. Spir. vini Camphoratus præterea est egregium remedium in compescendo dolore podagrico, quem extrinsecùs applicatus potenter corrigit Spir. vini conjunctus cum spir. vol. urin. est generale menstruum pro præparandâ tinctur. auri sive potabili auro, quando priùs aurum debitè & radicaliter est solutum per appropriatum & conveniens menstruum: aurum enim sic solutum optimè cum spir. vini & sal. vol. urin extrahitur in tinctur. rubineam. De quâ controversiâ an sit proprium menstruum pro parandâ auri tinctur vid. scriptum *D. HARTMANNI*, qui pro Angricolâ defendit spir vini cum sale vol. urinoso contrà *DETHARDINUM* pharmacopolam Stetinensem, dicitur spir. vini microcosmicus. Item spir. vini certo modo & singulariter cum mercurio præparato conjunctus fit *menstruum solvens aurum*: & sunt, qui putant, quod sit Azoth *PARACELSI*, vel liquor *alkahest HELMONTII*. Ex tartaro, nitro & spir. vini per retortam tubulatam destillatis

latis fit *spiritus carminativus* egregius & potentissimus, qui in *uteri affectibus*, *malo hypochondriaco* & *scorbuto* multas obtinet virtutes & facultates. Cum spir. vini microcosmico paratur tinctura auri cum eodem ex marte extrahitur tinctura martis rubra; quæ excellens est ad *uteri mala* & *lienis affectus*. Cum musto potest fieri tinctura martis aperitiva, si infundatur super limaturam ferri, donec benè imprægnatum sit ab atomis ferri, hoc facto decantetur & inspissetur in consistentiam mellis, vel extrahatur hoc, cum spiritu vini, vel cum spir. vegetabilium appropriato, & fiat tinctura martis aperitiva. Idem processus potest fieri cum succo pomorum Borsdorffianorum pro *affectibus Melancholicis* & *hypochondriacis*.

CLASSIS III.

DE PURGANTIBUS PRIMARIIS. Sequuntur nunc *purgantia* quæ similiter sunt *duplicis generis*; PRIMARIA nempe & SECUNDARIA. Observetur, quòd vulgò in quadruplici habeantur differentiâ, dùm nimirùm alia sunt CHOLAGOGA, PHLEGMAGOGA, MELANAGOGA & HYDRAGOGA. Verùm à modernis satis est explosa hæc divisio, & stabilitum, quòd omnia laxantia & purgantia indiscriminatim ex massâ sanguineâ expurgent: utut hoc verum sit, quòd unum purgans in hoc casu plùs operetur quàm in alio, & propterea habendus sit delectus pro varietate affectuum, & consulenda experientia, nec ad humores fictitios respiciendum, sed aliud inquirendum, nempe vis humorum colliquefactiva in M. sanguineâ, ratione cujus colliquant promiscuè massam sanguineam, & excrementa evacuant. Jam de

PRIMARIIS.

ET quidem in illis sese nobis sistit primùm.

CCCCII. AGARICUM.

AGaricus, scil. Agaricum, fungus est albicans trunco laricis adnatus *Vid. Brunsf. Matth. Dod. Cord. in D. Lob. Cast. Tab. Ger. Cam. Lon. Port. Bellon.* German. *Lerchenschwamm.* Agaric.

Estque *Diosc. & Plin.* { Mas, *hic reprobatur.* Fœmina, *hac præfertur.*

Mas rotundus est & undique sibi similis (Plinio,) crispior amariorque. Fœmina rectas intus habet pectinum modo venas, & q. divisuras (Plinio.) Fœmina solutior est, initio dulcis, mox in amaritudinem transit.

Eligatur itaque Agaricus albus, levis, valde rarus, velociter friabilis, sapore primum dulcis, mox amarus & stypticus. Reprobatur lignosus, longus, durus ac gravis.

N. 1. Pars exterior præstat interiori.

N. 2. Multos in annos durabilis est sine virium jactura.

N. 3. Adnascitur itidem Fungus hic Abieti. Picæ salv. Tedæ & Larici, sed solum Larignus intra corpus sumitur.

Vires. Pituitam educit tenuem, aquosam, serosam & viscosam totius corporis, & in primis excrementa mesenterii, tum capitis ac pulmonum. Urinam ciet ac menses, calf. 1. sicc. 2.

N 1. Quia ventriculo nauseabundus est, corrigitur stomachicis, e.g. Zinzib. Caryophyll. Spica Celtica, &c.

N. 2. Quia tardè operari solet, additur stimulus ex sale gemmæ, crystallis Tartari, & similib.

Dosis à ʒ. ad ʒij. in infusione à ʒ j. ad ʒv.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Agarici.*

℞. Agarici, q.v. Extrahe cum spirit. vin. &c. *August.*

N. Sala adhibet Agaric. Trochiscatum, extrahitque cum spirit. vin.

Alii aquam adhibuisse malunt, ac præ aliis aquam Anisi vel Cinamomi, in qua Agaricum macerant (hor. 24.) exprimunt ac inspissant. Verum enim verò quia Agaricus nonnihil resinosi quoque in se continet; præstat spirit. vin. adhibere.

Dosis à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.

2. *Agaricus Trochiscatus.*

℞. Agaric. limat. cum vino, in quo maceratum Zinzib. additoque tantillo Tragacanth. vel Gummi Arab. F. Trochisci.

[Fecula Agarici etiam paratur.]

3. *Trochisci de Agarico.*

℞. Agaric. lim. ℥iij. 8. ʒß. Zinzib. ʒiij. cum Oxymell. q. s. F. Trochisc. Vide D.

4. *Pilula de Agarico.* Vide Disp. Dosis à ʒß. ad ʒiß.

5. *Pilula Hiera cum Agarico.* Vide Disp.

Dosis à ʒj. ad ʒij.

[Syrupum de Agarico quidam habent in usu.

AGARICUM Est fungus adnatus arbori Laricis: Habuimus superiùs ejus succum, qui est Terebinthina: nunc sese offert fungus. Sunt quàm plurimæ arbores, quibus ad nascuntur fungi, & omnes sunt resiniferæ, ut picea, Larix, abies, &c. omnibus tamen præfertur, qui ex Larice est desumtus, & vocatur agaricum. De hoc observetur, quod sicut etiam omnes fungi sint succus excrementitius, non aptus nutritioni arboris; unde non mirum est, si omnes, uti etiam agaricum, conjunctam habeant malignitatem, & aliquid veneni maligni lateat in Agarico. Et miranda veterum simplicitas, quòd fungum hunc referant inter *Cordialia* remedia, uti fecit *DIOSCORIDES*, & ingrediatur Theriacam *ANDROMACHI* primariam veterum compositionem alexipharmacam, & malignitati resistentem. Rectè dicit de hoc *CARDANUS*, in operibus senilibus, agarico bono nil melius, malum verò veneno proximùm esse. Quicquid sit, adhibetur tamen Agaricum imprimis in usum *purgantem* dùm observatum fuit, quòd mucum crassum & viscidum primariò expurgare soleat, unà cum aliis excrementis, quæ liquefacta & sero involuta evacuat. Convenit in *affectibus pectoris*: licet enim hoc verùm sit, quòd in affectibus pulmonum purgantia sint nociva, quemadmodum hoc in Phthisi, in vulneribus, & aliis affectibus pulmonum verissimum deprehenditur, ubi tales affectus exasperant, nihilominùs in *Tussi*, *Asthmathe* & aliis, ubi necessum est, ut purgatio instituatur, nihil melius est agarico. In hydromelita, Syrupos magistrales & decocta pectoralia, ubi opus est evacuatione & expectoratione, usitatissimè ingreditur Agaricum. Post pectus usitatum etiam est in *evacuando capite*: Cujus phlegma crassum & viscidum non minùs quàm ex Thorace & totâ massâ sanguineâ solet expurgare. In substantiâ nunquam usurpatur, sed tantùm in infusis vel decoctis, à ʒj. ad ℥ß. vel etiam ʒVI. Cæterùm Agaricum valdè inimicum est stomacho, & solet *producere vomitum*, propter levitatem, *Caldialgiam*, &c. Propterea

pterea corrigi solet admisto pulvere Zingiberis. Item cùm sit tardæ operationis, & leniter soleat evacuare, solemus admiscere cremorem tartareum vitriolatum, sal tartar. & similia alia, quæ stimulorum loco adduntur. Inter PRÆPARATA se offert EXTRACTUM AGARICI, quod paratur nunc per menstruum spirituosum v. gr. spiritum vini, nunc per menstruum aquosum, dum infunditur in aquam appropriatam. Hîc quænam præparatio sit melior, quæritur? vid. *ZWOELFERUS, in animadversionibus in Pharmacop. Autuscanam*, qui controversiam decidit pro menstruo spirituoso spiritu nempe vini; non tamen sit nimis rectificatus, sed quali quali phlegmate adhuc imprægnatus, unde eò feliciùs & meliùs extractionem suam perficient AGARICUM TROCHISCATUM; de hoc observetur, quòd sæpiùs substituatur loco agarici crudi, quoniam ejusdem malignitas aliquantisper corrigitur per admistum Zingiber, & propterea tutiùs usurpatur Trochiscatum hoc loco simplicis, quando miscetur pro infusione & decoctione. Trochisci de Agarico qui fiunt cum oxymelite: Nam per hoc optimè corrigitur malignitas & venenositas in Agarico, & antiqua est præparatio: abstergendo enim & incidendo pituitam adjuvat & faciliorem reddit Agarici operationem. Deinde ratione aciditatis in oxymelite malignitas agarici optimè corrigitur PILULÆ DE AGARICO sunt *simplices* vel *compositæ*, quæ posteriores dicuntur *Pilulæ de Hierâ cum Agarico*, & conveniunt in *evacuandâ materiâ mucilaginosâ, crassâ & viscidâ intestinorum & stomachi*, & quidem in hoc expertæ sunt pilulæ de hierâ cum Agarico, dum stomacho admodùm sunt dicatæ. In *dosi* rarò adscendimus ad ℈j. & non transcendamus, sed additur stimulus, sæpius infrà ℈j. subsistimus, sunt enim satis violentes.

CCCCXIII. ASARUM.

Ἄσαρον, *Diosc.* Asarum, *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs. Dod Cord. in D. & hist. Lon. Cast. Tab. Ger. Cam.* C.B.1. Asarum baccaris seu baccatum, *Lob. aliis* vulgo *Haselwurtz*; du Cabaret.

Solo gaudet montano opaco, viciniaque corylorum. Viret perpetuò, nova folia tamen unà cum flosculis vere promit.

OFFICIN. NAT.

Radix colligitur vere, *& folia.*

Vires. Crassam pituitam, bilemque utramque per vomitum ac nonnumquam per secessum violenter expurgat. Calf. & sicc. 3. diureticum est, ac emmenagogum insigne, Epar, Lienem: vesicamque fellis aperit. Hinc utile in arthritide, hydrope, febribus, præcipuè tertiana & quartana, in ictero, &c.

Dosis Rad. à ʒß. ad ʒj. in substantia, à ʒj. ad ʒiij. in infuso.

Folia exhibentur N. 6. 7. 8. 9. infusa, cocta & expressa.

PRÆPARATA.

1. *Extractum alcalisatum*, quod venit nomine *Coaguli Asari.* ℞ Rad. ac folia Asari, extrahe cum spirit. vin. ac filtra. Hinc adde sal ex incineratis fæcibus elixiviatum, & ad ignem fusionis calcinatum, solutione ac inspissatione purificatum, abstraheque Vini spiritum ad consistentiam mellis. *Vide Sennert. in Instit. Hartm. in pract.*

Dosis ℈j. ad ℈ij.

2. *Diasarum Fernelii.* Vide lib 2. cap. 51.

Dosis à ʒj. ad ʒij. vel ℥ß.

ASARUM. Hoc asarum, quod satis est notum, subministrat *radicem & folia.* RADIX est *vomitorium*, & secessum potenter satis movet. Observetur tamen & hoc, quòd pro varietate collectionis & præparationis modò plùs modò minùs vel per secessum vel per superiora operatur. Sic si radix evellatur sursùm versùs, *vomitum* movet, si verò folia decerpantur inclinando super terram, & radix effodiatur per foramen inferius factum, per *inferiora purgat.* In substantia ʒj. pulv. Rad. asari potenter movet vomitum & interdùm per secessum evacuat. Radix asari propter vim vomitoriam *quartanas* compescere dicitur, utpote quorum fundamentum curationis consistit in vomitu, si pulv. ad ʒj assumatur. Pulvis tamen hic variat in operatione, ratione præparationis. Quo enim tenuiùs pulverisatur, eò efficaciùs *menses & urinam movebit*, uti & *vomitum*, sin verò minùs accuratè pulverisetur, movebit solummodò alvum sine ventriculi subversione. DECOCTUM etiam præparatur vel in vino vel in aqua simplici: si decoquatur in vino, retinet vim vomitoriam & catharticam, si verò decoquatur in aqua communi, loco Emetici fit *Diureticum*, in *morbis Chronicis & febribus intermittentibus Chronicis* potens remedium: cujus decocti inventionem debemus *HELMONTIO*, quod ipsum confirmat *ZWOELFERUS, in Pharmac. Reg.* Et quidem tale decoctum asari in aqua ita ut bulliat est expertum remedium contrà *scirrhos viscerum*, quos per potum *attenuat, resolvit & colliquat*, & uti dixi in substantiâ non minùs, quàm in decocto, est *Panacea quartanorum & febrium intermittentium Chronicarum.* In substantiâ pulv. in decocto radix cum vino: Ulteriùs in *scirrhosis tumoribus*, imprimis *lienis*, mirabile est ejus decoctum, quia eos *attenuat & potenter urinam movet.* Unde etiam radix asari decocta in Hydromelite & epota *omnem pituitam pulmonum resolvit*, & *Asthma* ac *Tussim* potenter abigit: Si decoquatur in acet. non minorem virtutem obtinet vomitoriam, quàm si decoquatur in vino. Unde si fiat oxymel radicis asari, conducit in *affectibus stomachi*, & *in febribus intermittentibus Chronicis* pro *vomitu.* Aliàs etiam radix asari multi est usus in *movendis mensibus* in aqua decocta, additis imprimis simul etiam aliis specificis: si adhibetur radix in substantia, datur à ʒß. ad ʒj. in infuso & decocto verò à ʒj. ad ʒiij. Fuit radix Sequuntur nunc FOLIA, quæ non minùs *purgant* quàm radix: recipiuntur fol. 3. 4. vel 5. pro varietate circumstantiarum, teruntur, & in vino albo per noctem macerantur, de quo ℥iij. vel IV. propinatæ egregiè *movebunt vomitum*, & commendantur ad *febres intermittentes*, dum adhuc sunt in principio. Alii recipiunt folia 3 vel 4. contusa, quæ permiscent cum aliquot Unciis vini, digerunt, exprimunt, & propinant pro felici *vomitu.* Cæterùm præter virtutes *spleneticas & diureticas* egregium etiam est specificum remedium ad *affectus aurium*, si scil. specificis addatur ad *auditum læsum*, dum folia ex signaturâ repræsentant aures. ESS ejus vel decoctum sub formâ suffitus auribus exceptum ad *auditum læsum & tinnitum aurium* prosunt: alii lixivio, in quo coctum fuit Asarum, lavant caput, & specificum dicunt ad *Catharros quoscunque*, in specie si affligant *auditum*, & audiendi impotentiam auferunt, & hinc *auditum & memoriam confortare* credunt.

B.

CCCCXIV. BRYONIA.

Ἄμπελος λευκή, *Diosc.* Bryonia, *Trag. Lon. Tab. Cam.* alba, *Dod. Ger.* Vitis alba, *Matthiol. Fuchs. Cord. in D. Lob. Cast. C.B.1.* Germ. *Zaunrube, Schmeerwurtz, Stickwurtz, Scheiszwurtz, Sauwurtz.* Coulevrée.

Est baccis rubris & nigris, *utraque usualis, præfertur tamen prior.*

Crescit in dumetis: Floret Maio.

OFFICIN. NAT.

Radix collecta verno tempore.

Vires.

Vires. Purgat validè serosos & pituitosos humores. Splenetica, Uterina & Jecoraria est, utpote quorum obstructiones aperit. Calfac. & sicc. 2. Hydropicorum aquas per vomitum ac secessum educit, menses ciet, fœtum ejicit, suffocationes uteri arcet, asthmata sanat, podagricis convenit (intus & extus)

Dosis in substantia à ʒj. in infusio ad ℥ß. vel ultra.

Extrinsecus confert Hydropi, abdomini emplastrata cum sterc. caprillo, quin & quartanam curare dicitur arteriis temporum & brachiorum affixa. [Ad scyrrhos & carcinomata contusa cum sanguine taurino]

PRÆPARATA.

1. *Fæcula Bryoniæ.* Vide lib 2.
Vires. Uterina est, menses ciens, sed non citra nauseam.
Dosis ad ℈j.
2 *Nectar succosum S. Closs.*
Fit ex ℥j succi bryon. per expressionem facti, & ʒj. ol. vitrioli, vel Sulph. M.
Dosis ʒj. in vino albo.
N. Purgat aliquando per vomitum, alvum, & urinam.
3. *Unguentum Agrippæ.* V.D.

BRYONIA. In specie illa species, quæ vocatur VITIS ALBA, & usitatiùs præscribitur vitis alba quam Bryonia: ubique crescit: Dicitur vitis alba, quoniam instar vitium ambit arbores, & ascendit ad illarum summitatem. Usitata RADIX, quæ est specificum *purgans hydropicorum* & similium morborum, ubi est nimia copia seri vel lymphæ, dùm potenter eandem per superiora & inferiora solet evacuare cum aliis mistis. Unde SUCCUS RADICIS BRYONIÆ & exinde paratus SYRUPUS valdè usitata sunt ad eundem *hydropem*. Post hydropem etiam specifica est in *affectibus uteri*. Unde quando opus est expurgatione uteri, recipitur radix Bryoniæ & adhibetur sub formâ pessi uterini: Radix item hæc, vel succus ex eâ solet *provocare menses & fœtum mortuum*, quod etiam facit suffitus per decoctionem. SYRUPUS BRYONIÆ etiam multùm conducit in *enecandis vermibus & animalibus aliis* ex stomacho & intestinis evacuandis. Illustre hujus rei exemplum habebitis in *BARTHOLINI, Cent.4. hist.19.* ubi habet exempla lacertarum, bufonum & ranarum per vomitum rejectarum assumto succo rad Bryoniæ & rad. Ireos. Est historia observatu & lectu dignissima, ut videatur, quantùm valeat succus rad. Bryoniæ & rad. Ireos ad talia animalia, ex intestinis prolicienda: Unde iis, qui scatent *lumbricis* & aliis variarum formarum vermibus, vel quorum in Intestinis viva stabulantur animalia, lacertæ, bufones, ranæ & similia, nihil magis conducit quàm succus vel pulv. Rad Bryoniæ, quoniam illa enecat & expellit. Hoc etiam duobus egregiis exemplis confirmat *FREITAG in Aurorâ Medicorum cap.37. pag.379.* qui nihil aliud inibi tractat, quàm quòd explicet purgantia, adeò ut nullus sit auctor, qui meliùs & concinnius scripserit de purgantibus, quàm *FREITAG. in cit. tract.* Et quidem non tantùm internè adhibita radix bryoniæ curat *hydropem*, sed externè etiam contusa, vel succus applicatur cum stercore vaccino, vel etiam columbino: sic enim similiter solet evacuare aquas hydropicorum. Applicatur etiam *pedibus ædematosis* it. in *Herniâ hydrocele scroti* & similibus, in quibus eodem modo applicata radix contusa vel succus applicatus *evacuant serum & tumores discutiunt* In substantiâ nunquam vel rarò usurpatur, sed saltim in infuso ab ℥ß. ad ʒVI. *ZACUT. lib.1 Med. Princ.* Habet exemplum curatæ *Melancholiæ* per usum bryoniæ. Hoc certum est, qui norunt corrigere rad. Bryoniæ venenum laxativum, satis potens habent uterinum præcipuè ad mensium affectus non contemnendum, & medicamentum diureticum ad *evacuandas aquas hydropicorum*, quod fuit *HELMONTII*, de quo vid. *tract. Hydrops ignotus.* Inter præparata est FOECULA, quæ nullius est usus ac potestatis. NECTAR SUCCOSUM non inconveniens est remedium, cujus præparationem vide apud *AUCTOREM*; *unguentum Agrippæ* adhibetur externè inunctione stomachi vel umbilici, non verò internè tutò assumitur, ab eoque *evacuatur serum* ex intestinis per alvum. Descriptionem ejus vide apud *ZUUOELFERUM. FABER in Myrothecio spagyrico lib.6. cap.10.* Habet præparationem SYRUPI EX BRYONIÆ SUCCO, sal ejus & saccharo, quem commendat ad *morbos virginum* in specie ad *cachexias virginum.*

CCCCXV. CARTHAMUS.

Κνίκος, *Dioscor.* Κνίκον, *Plinii.* Arab. Karten. Cnicus, *Matthiol. Dod. Lob. Cast.* vulgaris, *Clus. hist.* sativus, *Cord. in D. & hist. Lob.* Cnicus urbana & sativa, *Theophrast. & Plinio.* Carthamus, *Brunsf. Trag. Fuchs. Lon.* flore Croceo, *Cam.* Cnicus sativus seu Carthamum officinar. C.B. 1. *aliis* Crocus sylvestris, Cnecus. German. *Vvild Saffran.* Carthame, Graine de passegais, saffran sauvage, &c.

N. Floribus est croceis, rariùs albidis: illorum admistione adulterant Crocum.

Colitur in hortis Italiæ, Galliæ. Floret Julio & Augusto.

OFFICIN. NAT.

Semen.

Vires. Semen pituitam viscosam ac aquas vomitu ac dejectione purgat: confert maximè pectori: Calf. & sicc. 1. Stomacho adversatur, ideoque corrigitur stomachicis, anis. galang. Zinzib. &c.

Dosis in substantia à ʒj ad ʒij. ß. (sed rarò ita exhibetur ob viscositatem) in infuso à ʒiij. ad vj. vel ultra.

PRÆPARATA.

1. *Extract. Diacartham. s. Cnicopharmacum.* Vide D.A.
Dosis à ʒß. ad iiij.
[Loch de Carthamo etiam paratur.]
2. *Syrupus de Carthamo.* V.D.
Dosis ab ℥j. ad ℥ij.
3. *Electuar. Diacartham.* Dos. ℥j.
4. *Species Diacartham.* Dos. ℥j.

CARTHAMUM sive CNICUS. Ita usitatissimè vocatur: cognita est planta propter florem croceum, quo flore solet adulterari verus crocus. Usitata sunt ex hoc FLORES & SEMEN; *potenter purgat* semen, & tamen Psittaci illo pro cibo grato utuntur sine ullâ laxatione, quemadmodùm coturnix vescitur Helleboro, sine purgatione. Quod attinet 1 SEMEN est album & magnum, constans intrinsecus pulpâ eleganti, *purgat fortiter humores crassos, viscidos & mucilaginosos*, unà cum aliis: unde convenit, ubi primæ viæ sunt obsessæ crassâ & viscidâ mucilagine, uti etiam in *pectoris affectibus*, in *asthmate & Tussi* à crassâ & viscidâ materia ortis. In substantiâ rarò adhibetur, nisi sub formâ Emulsionum. Cum aqua vel decocto appropriato sem. fœniculi, anisi, Cinnamomi in purgans elegantissimum redigitur, à ʒj. ad ʒiij quæ est gratæ potionis & potenter id, quod molestum est expurgat & evacuat. Vid. de Emulsionibus *FREITAG. Auror Med. cap.21. pag.482.* aliàs in substantiâ rarò aut nunquam adhibetur, sed vel in infuso vel in decocto, ab ℥ß. ad ʒVI. FLORES ad ʒj. etiam *purgant*, & specificè convenire dicuntur in *morbo regio* sive *Ictero*: Unde flores Calendulæ & hi specificum constituunt remedium contrà *icterum flavum & Epatis obstructiones*, si ex iis paretur CONSERVA: ex signaturâ in Ictero convenire dicuntur propter colorem flavum. Aliàs lentè & difficulter operatur cnicus. Solet etiam in Clysteribus præscribi, ubi opus est forti purgatione & revulsione à capite in *affectibus capitis, Caro, apoplexia, Epilepsia, Lethargo* & quidem in principio.

EXTRA

EXTRACTUM ſolet imprimis extrahi cum aqua ſpirituoſâ vel cum aqua & ſpiritu aniſi, corticum aurantiorum, &c. & vim purgantem continet à ʒß. ad ʒj. ſub formâ pilularum ſolet etiam exhiberi.

ELECTUARIO *de Carthamo* ultra ℥VI. rarò fit aſcenſus, utut *AUCTOR* habeat ℥j. quod tamen falſum.

CCCCXVI. CASSIA.

CAſſia (Caſia) fiſtula, *Arab. & Alpin.* Caſſia nigra, *Actuario, Dod. Cord. in D. Caſt. Fragoſ. Tab. Ger.* Claſſ. laxativa, *Lon. Caſt.* ſolutiva, *Bell. Monard. Garz.* Siliqua aut Caſſia purgatrix Arabum, *Lob.* Caſſ. Ægyptia, ſcil. purgans, *Cam. aliis* Canna fiſtula, Siliqua Indica. Caſſ. ſolutiva, ſeu Ægyptia ſiliqua, *Matth.* Caſſ. F. Alexandrina, C.B.1. La Caſſe en bâton. Caſſia fiſtula.

N. Advehi cœpit & ex Braſilia Caſſia purgatrix, cujus ℥j. plus purgat quàm ℥ij. Caſſiæ illius Ægyptiacæ.

Caſſia Arbor procera eſt, inſtar juglandis ferens ſiliquas, ſeu cannas longas, rotundas, exteriùs lignoſas, intus ſeminibus ac medulla prægnantes.

OFFICIN. NAT.

Siliquæ ſeu Cannæ medullam includentes. Hæ eligendæ ponderoſæ, recentes, plenæ, quæque minimè commotis intus ſeminibus reſonent, ſplendentes, foris etiam ac in pulpa pingues.

Vires medullæ. Alvum lenit clementer, atque ſine torminibus fæces educit, caliditate & frigiditate temperata. (Fernel. cal. 1.) cætera humidior: unde nec humido ventriculo, nec hypochondriacis ac flatulentis, niſi ſtomachicis & carminativis (e.gr. Cinam. Maſtich. ſem. aniſ.) correcta convenit. Potio ejus grata eſt pleureticis.

PRÆPARATA.

1. *Caſſiæ flos ſ. pulpa Caſſiæ, Caſſia extracta.* Fit trajectione medullæ exemptæ per cribrum.

N. Vapor aquæ cribro ſubditur, ut medulla in cribro agitata eò faciliùs tranſeat: debet autem fieri extractio actutùm quando uſus poſtulaverit, aceſcit quippe pulpa cum tempore.

Doſis. infantibus ad ʒiß. adultis ad ℥iß. in clyſteribus ad ℥ij.

2. *Caſſia extracta, ſeu Caſſia extracta communis, ſive pro clyſterib.* Fit pulpa cum decocto herb. mollientium & melle ad conſiſtentiam Electuarii coquendo. Vide Diſp.

3. *Elect. Diacaſſiæ cum Manna.* Electuarium eſt & paratum ex pulp. Caſſiæ p vj. Tamarind. j. Mannæ ij. Sacchar Cand. j. Penid. j. Sacchar. Violar. iiij. quæ ſuſcipiuntur decocto prunor. & ſyrupo violat. V.D.

4. *Caſſia extracta ſine foliis ſenæ.* Electuarium eſt ex pulpæ Caſſ ℔ij. Tamar. ℥j. ſacchar. ℔ij. ſuſceptis decocto expreſſ. polypod. ſem. carth. herbar. pectoral. Vide Diſp.

5. *Caſſia Extracta cum foliis ſennæ.* Fit ex prioris Electuarii p xij. pulv. ſen p. j. Vide Diſp.

6. *Extractum Caſſiæ.* Vide Quercet. in Diæt. & Ph. Reſt.

Doſis ad ʒiß.

7. *Aqua caſſiæ.* Fit ex pulpa, additis limon. parvis, & ſer. lact. q.ſ. Extrahitur aq. per B.M. dantur ℥vj. in nephrit. & inflammatione Renum.

8. *Syrupus de Caſſ.* Deſcribitur à Renod.

CASSIA. Et quidem CASSIA FISTULA. Nam gerit fiſtulas in quibus ſuccus niger reperitur, qui eſt uſitatus. Habemus enim *tres Caſſias* in officinis. 1. CASSIAM VETERUM, quæ eſt verum *Cinnamomum* modernorum. 2. CASSIAM POETARUM ſive *Canellam*, & 3. hanc LAXATIVAM noſtram, de quâ agimus. Dicitur in ſpecie CASSIA ÆGYPTIACA, it. ALEXANDRINA: Nam duplices ſunt Alexandrinæ, una eſt Orientalis, altera Occidentalis, vid. *VVORMIUS, in Muſæo pag.* 144. Orientalis purgat, minimè verò Occidentalis, utut contrarium ſtatuat *AUCTOR*: videbitis hoc confirmatum in *BARTHOLIN. Cent.* 1 *Epiſt. pag.* 8. quòd nimirùm Orientalis tantùm purget, non verò Occidentalis. Ex hac Caſſia fiſtula recipitur fiſtula & ex ea elicitur ſuccus vel nigra medulla, quæ ſolet adhiberi pro ſcopo purgativo & quidem eſt ex iis, quæ *clementer & leniter ſolent laxare alvum*: In *affectibus bilioſis & febribus*, uti vocant *bilioſis* laudatur. Hoc tamen habet vitii ſuccus expreſſus, quòd ſoleat fermentare & inde inducere tormina & flatulentias: ſunt qui volunt adhibere pro purgatione prægnantium: item ſpecificè commendatur in iis, qui *laborant ſtranguriâ*, quoniam eſt *diureticum*. Contrariatur autem rectè *HOEFERUS, in Hercule Medico* & negat: In gravidis enim metus propter flatulentiam eſt, ne menſes cieat, & abortum provocet. Cæterùm non tantùm pulpa intùs contenta ſolet purgare & evacuare, ſed etiam interſtitia lignoſa inter pulpam concluſa, id quod caſu fuit inventum: Nam cum talis cortex fuiſſet projectus ſimiæ, invenerunt eum, & ex illo devorato fortiter purgata fuit, cortex, in quo fuère interſtitia & pulpa, ſolet *ciére menſes & fœtus excluſionem promovere*. In *Pleuritide* ſpecificè commendatur uſus Caſſiæ fiſtulæ, & ℥j. hujus ſucci ſive medullæ extractæ laudatur in principio pleuritidis, quoniam ſimul *ſputum egregiè promoveat*. Uſitata ex præparatis ſunt MEDULLA: ex ſe Caſſia nunquam præſcribitur, ſed ſub nomine PULPÆ Caſſiæ recenter extractæ, nam brevi poſt extractionem aceſcit: & auget tormina inducitque multa ſymptomata: unde ſemper extrahitur, quando adhibetur in uſum, modus vid ap. *AUCTOREM*, qui ſatis clarè eſt deſcriptus. In adultis datur ab ℥j. ad ℥iß. utut apud nos rarò uſurpetur. In Italia ad ℥iß. propinari ſolet frequenter, ſed eſt nauſeabundum remedium. Cæterùm utut valdè commendetur Caſſia ab auctoribus, multùm tamen ipſi detrahit *QUERCETANUS*. Dicit enim malignum eſſe remedium, ne quidem purgare nec laxare, ſed quod dum tractetur cortex & deſtillatur, dat liquorem *cauſticum* & *corroſivum*: Unde ſit ridiculum, quòd omnes in affectibus urinariis & ſtranguria illum convenire aſſerunt, utpote quos potiùs augeret, quàm imminueret, rarum eſt apud nos medicamentum, interim tamen in Italia & Gallia frequenter uſurpatur, copioſos autem producit flatus.

CCCCXVII. CATAPUTIA MINOR.

Λαθυρὶς, *Dioſcor.* Lathyris, *Brunsfelſ. Matth. Fuchſ. Dod. Cord. in D. Lob. Lon. Cam. Caſt. Gerh. Tab.* Lathyris ſeu Cataputia minor, 1. *Trag.* Cataputia minor, *Lob. Tab.* Lathyris minor, C.B.1. Granum regium minus, *Meſ.* German. *Springkorner.* Eſpurge.

Ratione ætatis, latiora vel anguſtiora folia habet, hinc apud *Tab.* Lathyris duplex, latifolia ſcil. & anguſtifolia, quæ promiſcuè uſuales.

N. Recenſetur inter genera Tithymalorum, utpote tota candido & lacteo ſucco turgens.

Colitur in hortis: Floret Julio, fert ſemina Auguſto.

OFFICIN. NAT.

Semen (ſ. grana) rariſſimè Folia.

Vires. Purgat cum violentia per vomitum ac ſeceſſum, humores in primis ſeroſos, & bilioſos, hinc phlegmaticos, calf. & ſicc. 3. Doſis à baccis vj. ad xij. Folia Num 4. vel 5. ſed eſt rari uſus. Extrinſecus veſicatorium exhibet & pſilothrum, præcipuè ſuccus lacteus.

CATAPUTIA MINOR. Quæ etiam vocatur LATHYRIS MINOR. Nam major eſt, quæ dicitur *Ricinus*, de quo impoſterùm. Minor eſt *Lathyris* planta tota lactea, cujus lac eſt *cauſticum & corroſivum*. Hæc ſubminiſtrat nobis tantùm GRANA; nam propter *vim cauſticam & corroſivam* impoſſibile eſt, ut adhibere poſſimus folia: *violenter ſurſum & deorſum purgant*, & propterea rarò vel nunquam adhibentur niſi ab Empiricis,

Empiricis, gr. 10. vel 12. putaminibus mundata tusa & in ovo sorbili pro vomitu & purgatione: propinantur etiam iis qui opus habent vomitorio violento, quando hauserunt *Philtrum*, iis quoque qui per *veneficium* aliquid interiùs assumserunt, per vomitum denique excludendum. Et quidem qui assumunt in substantiâ, si volunt fortiter, purgari, masticant benè, si non fortiter, integra vel saltim leviter tusa deglutiunt. Aliàs raro ursurpantur propter nimiam vehementiam ac violentiam.

CCCCXVIII. COLOCYNTHIS.

Colocynthis, C. B. *est*.
- rotunda
  - major.
  - min. *hæc usual.*
- oblonga.
- pyriformis.
- pomiformis.

Dicitur Κολοκυνθὶς, *Dioscorid.* Colocynthis fructu rotundo minor, C. B. 2. fœmina, *Tab.* Colocynth. fungosa & levis, *Cord. hist. aliis* cucurbita sylvestris, fructu rotundo minor vulgo, Coloquinthis Sicyonia. Arab. Chandel, Handel & Handhal. Videatur & Colocynthis, *Matth. Cord. in D. Lob. Dod. Cast. Cam. Ger.* Vera, *Trag.* prima, s. mas, *Tab.* German. *Coloquinth*, Coloquinte, Pommes des Coloquintes.

OFFICIN. NAT.

Fructus seu poma, ac præcipuè medulla ejus arida; affertur autem ex Ægypto.

Vires. Pituitam crassam ac glutinosam ex profundioribus & remotioribus partibus expurgat, ut ex cerebro, nervis, juncturis, pulmonibus, unde cum commodo exhibetur Vertiginosis, Hemicranicis, Epilepticis, Apoplecticis, Scabie, Lueque Venerea afflictis. Calida est & sicc. 3. verùm ob vehementiam ac amarorem, & quia ventriculo ac intestinis noxia est, rarissimè in substantia, & nonnisi robustis, imò decenter correcta exhibetur. Corrigentia illa sunt cuminum, tragacantha, mastiche, bdellium, & sim. cardiaca, hepatica. stomachica.

Dosis in substantia à gr. vij. ad ℈j. in clysteribus (in petia) ad ʒß.

PRÆPARATA.

1. *Trochisci Alhandal.* Vide Disp.

2. *Infusum Trochisc. Alhand. Spir. vitæ aureus Rulandi* (*nonnullis.*)

℞ Trochisci Alhand. ℥ß. spirit. Malvat. ℥x. vel ℥xij. Digere aliquandiu, & serva ad usum.

Vires. Purgat per alvum absque periculo omnes humores viscosos, bilem utramque ac serum, si tertio quoque die propinetur.

Dosis à ʒij. ad ℥j. vel ℥iß. vel si placuerit inspissare ad consistentiam extracti, detur à ℈ß. ad ℈j.

3. *Extract. Colocynth.*

℞. Colocynth. pulpam (rejectis seminibus) pulverisatam, extrahe digerendo, vase clauso cum spirit. vini, aliquot septimanis (3.) quo temporis spatio totam acrimoniam amittit, filtra & si dulcius desideras, iterum digere, & dulcescet, Medicamentum evadens optimum ad pituitam & alios humores crassos à remotioribus partibus attrahendo, idque sine noxa. Corrigitur oleo Mastich. Nucist. Cinam. *Wecherus ex Querc.*

N. Sala ℞. pulpæ coloc. sine semine q. pl. eamque subinde irrorando aqu. plantag. incidit, dein extrahit cum aqu. plantag. part. ij spirit. vin. p. j. filtrat, defecat & inspissat ad consistentiam mellis.

Menstruum ex aqu. plantag. & spirit. Commiscet, ne quid ex parte resinosa ac viscosa, quibus Colocynthidem constare ait, intactum maneat.

Dosis à gr. iij. ad x. cum corrigentibus.

N. Præstat Extractum hoc cum aliis purgantibus miscere, ut illis stimulo sit, quam solum exhibere.

COLOCYNTHIS. Quæ ab Arabibus vocatur HANDAL: Hæc subministrat fructum sive pomum & propter frigiditatem climatis non provenit apud nos, sed ex Ægypto adfertur. Pulpa ex pomo purgat vehementer pituitam crassam & viscidam cum impetu & gravibus symptomatis: est enim unum ex vehementissimis & malignissimis. Ad *pituitam vitream crassissimam & acidissimam* valdè commendatur colocynthis & ex omnibus iis qui succos crassos & mucilaginosos solent evacuare est *potentissima*, estque *Rex* quasi *inter purgantia:* Nihilominus cum malignitate est conjuncta, de qua vid. *SALMUTH. Cent.* 3. *obs.* 2. Uti etiam simile exemplum habet *PLATERUS*, *lib.* 3. *obs. p.* 805. Insignis est malignitatis unde cum nausea, syncope, Lipothimiâ & similia & similibus evacuat. Aliàs in *lue venerea*, multùm commendatur, & dixit *HELMONT.* se meliùs velle curare per colocynthidem luem veneream, quàm per omnia decocta lignorum, modò sit legitimè correcta, & venenum laxativum sufficienter castigatum. Pro usu in *lue venerea*, sive *Gallica* ut remedium crudum non tamen contemnendum sunt qui recipiunt dimidiam partem pomi Colocynthidis pro viribus ægri & varietate circumstantiarum: hunc indunt vitro, & superfundunt vinum, macerant per noctem clauso, manè clarum per declinationem sine expresione effundunt, quod ipsum æger, qui aërem frigidum vitare debet, calidè bibat, & quinquies vel sexies assumptum *luem veneream* curare dicitur. Nullum enim datur remedium, quod venenum venereum à remotis partibus adeò solet revellere quàm Colocynthis: Unde dixit *HELMONT.* quòd unâ die plùs exsiccet, quàm decoctum Sarsæparillæ per 3. septimanas: Prætereà tamen ut illam corrigant, Brodium vel jusculum ex Lactuca, Portulaca, Endivia, &c. post assumptionem horis præscribunt, & cibum per totum illum diem interdicunt, hocque aliquoties iterato luem veneream curari posse perhibent. Aliàs in *arthritide* præprimis & *malo Ischiatico* multùm commendatur. *Z. LUSITAN. lib.* 3. *hist.* 30. 31. exemplum habet curati *mali Ischiatici* per usum colocynthidos. In coqui solet pulpa Colocynthidos à ℈j. ad ʒß. in clysteribus in *affectibus somnolentis*, imprimis in *apoplexiâ* cum aliis specificis. Ligata autem tunc temporis sit necessum est in Petia, nisi enim hoc fuerit solet adhærere intestinis eaque exulcerare: Monente *LOBETIO*, *in obs.* quod benè observandum, nam hac in parte multùm errant communiter Practici. Externè decoctum Colocynthidis cum absynthio & similibus adhibetur contra *vermes & pediculos*, dum in eodem lavatur caput, *omnes vermes enecat*, ut cesset infestatio eorum: id quod præstat decoctum imprimis seminis, quod etiam à quibusdam habetur pro purgante. Poma si macerentur in aqua & per vesicam destillentur dant oleũ cujus gutt. una vel altera umbilico illita sufficienter purgat per inferiora. Vinum in quo bullivit ℈j. TROCHISCORUM ALHANDAL, habet *vim purgantem Cholagogam*, si propinetur post filtrationem, sunt qui volunt etiam usurpare in substantiâ pomum Colocynth. sed est difficilis pulverisationis quod si verò ℞ pom Colocynth. ℥vi. & add. saccari fin. ℥j. facili labore possunt conteri. Potens admodum est remedium: unde ea quæ agarici & Turpethi vim eluserunt excrementa, convenienter per Colocynthidem possunt expurgari. *LOBELIUS*, testatur se semen Colocynthidis in majori exhibuisse dosi quam colocyntidem ipsam & purgationem meliorem, utiliorem & minimè molestam sensisse. Extractum hujus seminis cum spir. vini lib. 1. factum addita aloe ad ℥ij. & sennæ ℥ij. cum aliis est elegans purgans à gr. X. ad XIII. usurpetur cum successu. Vehemens purgans est in substantia, utut in clysteribus in petia ligata usurpetur Valdè insuper amaricat: unde modis variis corrigitur. Sunt quidam, qui instituunt correctionem infusione urinæ: sic enim valdè infringitur ejus virulentia,

lentia, adeò ut ad ℨj. possit exhiberi convenienter, id quod testantur omnes ferè practici. Vid. imprimis *RIVERIUS*, *lib.* 1. *Praxeos cap.* 15. Meliori modo potest obtineri correcta Colocynthis per spir. roris Maialis vel spiritum mellis: quidam potentiùs corrigunt malignitatem purgativam Colocynthidis acet. cum arcano tartari impraegnato, quod optimum habetur corrigens colocynthidis. Vis enim maligna colocynthidis consistit in sale vol. acri & penetrante, à quo etiam suam habet amaritiem, unde necesse est ut ista debitè correcta, & sapor talis corrigatur. Alij minùs artificiosam instituunt per macerationem in aqua & vino Rhenano partibus æqualibus vel in sero lactis & sic deponunt multùm de amarore & venenositate, sed necessum est ut putrescant & per longum tempus stent, in balneis additur plantis aromaticis menthæ & similibus sicque multùm conducit *in mensibus ciendis* & est potens remedium. TROCHISCORUM ALHANDAL descriptionem vid. in *ZUUOELFER.* & aliis dispensatoriis. Infunduntur in vinum & paratur extractum quod ad gr. 1. vel alterum additur pilulis purgantibus loco stimuli. Unde etiam infusi in spir. vini solent dicere quod sint spirit. vitæ aureus *RULANDI*, vid in *Thesauro & Practicis ejusdem.* Prostat etiam in officinis oleum DIACOLOCYNTH. non quidem destillatum sed oleum per *coctionem*, quod præparavit imprimis *QUERCETANUS*, & dicitur oleum diacolocynth. *Quercetani* & obtinere dicitur virtutem *attemperandi & corrigendi malignitatem*, adeò ut sic correcta non adeò sit nociva intestinis quæ aliàs corrodere & exulcerare solet, adhibetur pro inunctione *suppositoriorum*, ut feliciùs operentur. Inungitur umbilico pro *pellendis vermibus & lumbricis* cum aloë & oleo taurino instar unguenti. Si extrahatur cum spir. vini dat resinam potens remedium & substituitur loco extracti Trochiscorum alhandal. de hoc vid. *ZUUOELFER. Pharmac. Reg. p.* 75. *FABER*, *in Myrothecio spagyr. lib.* 2. *cap.* 29. docet simili modo parare QUINT. ESSENT. ex Colocynthide, quæ est egregium remedium & *purgans* non inelegans. Hic aliquid adhuc de purgantibus in antecessum monere lubet, & quidem quod dicit *AUCTOR*, observetur, nimirum purgantia propriè dicta non carere malignitate, excepto Rhabarbaro & aloë: Cætera omnia habent in se venenum aëre colliquefactivum, uti vocat *HELMONT.* ratione cujus sanos non minùs quàm egros expurgant, & utiles æque atque inutiles succos evacuant. Hoc venenum colliquefactivum (cujus probatio ad alium locum pertinet, vid. interni *HELMONT. de Febr.* & *KNOEPHELIUS*, *in tr. de febr. Epidem. malignâ*) & ejus malignitas, quæ se exserit per varia symtomata, quæ insequuntur præ posterum illarum usum, utpote sunt convulsiones artuum, tormina, Dysenteriæ, exulcerationes ani &c. ut corrigatur malignitas ista, consuetum est addere pulv. corrigentes, qui fuerunt ap. veteres aromata, ut Sennæ addiderunt Zingiber: Helleboro anisum, Agarico Zedoariam, &c. Verùm hæc correctio non fuit correctio vera, sed sophistica, dum malignitatem purganti permittunt ut exserat, & dum noxam inducunt, ejusmodi pulveres saltim eandem inde illatam corrigunt. Alij corrigunt per acida, acet. succum Citri, Cydoniorum &c. spir. acidum sulphuris exhalando super purgantia, hæc autem non est correctio, sed nuda castratio. Nam vis purgativa sive colliquefactiva consistit in sal. vol. acri, quæ per acida figitur & infringitur: adeò ut tantum purgantia depereant virium, quantum imbibunt de tali aciditate, & quod restat, similiter est malignum ac crudum, atque priùs fuit. Loquor hîc de vegetabilibus tantùm, de antimonio & aliis res aliter se habet. Vera autem correctio purgantium à modernis fit per fermentationem artificialem, quâ blandè & moderatè fiunt agentia, adeò ut fermentatio ita invertere dicatur illarum malignitatem, ut ex purgantibus fiant confortantia & refectiva. Sic ex Helleboro nigro per artificiosam fermentationem fit excellens refectivum & corroborativum capitis, quod multùm conducit in roborandis facultatibus animalibus, & ad vitam prolongandam, sed non cuivis contingit adire Corinthum: Notetur saltim secundò quoad efficaciam purgantium: Medicis veteribus & nostratibus medicastris mulierculis persuasum esse, quod nisi decies & quindecies, aut etiam vigesies purgentur ægri, ab assumpto purgante, inefficax fuisse: Unde videbitis veteres præscripsisse pilulas ad ℨj. cùm jam vix ad ℈j. præscribantur: Hæc carnificina prostat ex eo, quod sequantur subitaneæ virium prostrationes, de quo vid. *HELMONT. Tract. Scabies & ulcera Scholarum.* Nos potiùs sequimur *HIPPOCRATEM* qui in *Aphorismis sect.* 1. dicit, si expurgentur, qualia oportet, facilè fit & leviter fuerunt i. e. sine molestia ægri, sed cum alleviatione & absque symptomatum graviorum concursu: Hæc est evacuatio legitima, & quando æger 3 vel. 4. vel 5. ad summum dejicit, abundè sufficit: Imò si expurgatur laxationis gratia, omninò sufficit bis tantùm evacuari: id quod observandum in morbis acutis. Nam purgatio instituitur, vel ut præserventur, vel ut curentur homines. In præservatione 5. aut sexies ad summum potest fieri evacuatio: in curatione tantùm purgatio instituitur vel in declinatione acutorum vel in progressu chronicorum. Nam in principio morborum purgatio est nociva, quoniam omnia adhuc sunt cruda; & concocta medicamento purgante educenda & movenda, non cruda, neque per initia, nisi turgeant, plurima v. non turgent, uti habet *HIPPOCRAT. sect.* 1. *aph.* 24. Ergò eradicativa evacuatio nullo modo conveniet. Tandem etiam in progressu sufficit, si instituatur purgatio 3. vel quater, & quidem si sint morbi Chronici, in illis potest singulis 4. septimanis propinari purgans. In acutis non nisi in declinatione, quando nondum facta est Crisis, nec æger per sudorem benè fuit curatus, bis vel ter evacuare sufficit, simul ac exciditur, æger detrimentum patitur. Ergò cauti simus in purgantibus, & quando non admodùm exiguntur, saltim largus provocetur sudor, qui melior erit omni purgante.

CCCCXIX. EBULUS.

De Ebulo actum est supra, class. 1. Hoc loco ergo solum Ebuli partes purgationi inservientes perstringimus. Hæ sunt *Cortex & Acini*, s. seminula baccarum. Bayes d'Hieble.

Vires. Ebuli cortices & seminula vim habent educendi aquam, conferunt igitur in Hydrope, Arthritide, cæterisque morbis à sero natis.

N. Eliguntur. cortices medij ac potissimùm radicis.

Semen Ebuli solutorium acquiritur hoc modo.

℞. Baccar. Ebuli quantitat. magnam, exprime succum (quem in Extractum redigere poteris ad normam datam lib. 1.) acinulosque restantes à siliquis separa, aliquoties lavando, semperque quod supernatat rejiciendo, donec solos acinulos, eosque puros nactus fueris. Hoc sicca ac serva pro usu.

Diuretici sunt.

N. 1. Dosis à ℨj. ad ℨij. vel fit emulsio in dosi majori. *Sala.*

N. 2. *Ex* hoc semine exprimitur oleum quod ventri inunctum alvum laxare dicitur.

Aqua still. Sambuci aut Ebuli radicum, cujusque ad ℥iij. sumpta per 30. dies, confert Hydropi.

Arcanum chamaactes S. Closs.

Semina contusa pone in cucurb. affunde aq. limpidam,

agita materiam in calore remisso, donec in pultem tenuem evadat, digere per 3. dies, dein cola torculari fortiter. Oleum mixtum erit cum aq. Digere & quod supernatabit, serva, & in fundo habebis ejusdem sem. unguentum.

Vires. Oleum hoc intus sumptum purgat egregiè pituitam, si ejus ʒß. cum far. amyli incorporetur, vel in jusculo exhibeatur. Extus podagræ materiam influentem abigit, ingressam discutit, durescentem emollit, in omnibus doloribus salutare est.

EBULUS. De quo cum nihil inter alterantia sit dictum, hîc aliquid monendum. Aliàs vocatur PARVA SAMBUCUS, vel sambucus fruticosa, quòd quoad formam & figuram conveniat ferè cum sambuco, nisi quod sit humilior & foliosior. Hic formam quam externè gerit, similem sambuco obtinet, internè cum illo quoad facultates & quæ dici possunt de sambuco, etiam intelligenda veniunt de Ebulo, nisi quòd sambucus sit calidior, acrior & fortiùs purget quàm Ebulus: nihilominus inter *purgantia* non ultimum obtinent locum, Ebuli CORTEX & ACINI seu SEMINA baccarum: reliqua FOL. alterant: Cortex ut dixi, & acini potenter *evacuant aquam & serum sive lympham copiosam in hydropicis*, deinde m. lympham acidam & acrem vellicantem partes nervosas circa articulos: Unde in *affectibus arthriticis* à lympha acri commendatur cortex Ebuli pro purgante: & ubi in genere in omnibus morbis est serosa colluvies, non inutiliter præscribitur Ebulus ejusque cortices. SUCCUS BACCARUM ab ℥j. ad ℥ij. propinatus *purgat per inferiora in hydropico*, & simul per *vomitum*, si præprimis ex corticibus proliciatur. *QUERCETANUS* in *Pharmacop.* habet aquam destillatam purgantem ex baccis corticibusque Ebuli & sambuci. Aliàs ex semine Ebuli & semine sambuci oleum fit per expressionem, quod illinitur externè umbilico & ventriculo pro *laxatione alvi*: Cortex ergò hic dum purgat, præscribitur in infuso h. m. ℞. Cort. Sambuci, Ebuli &c. medianorum, & dosis in infuso solet esse ad ʒiij. vel ℥ß Disceptant inter se Chimici, an ex purgantibus possint haberi aquæ & spiritus purgantes. Negant hi, affirmant illi; sed neutrum universaliter dici potest: sunt enim quæ dant aquam sunt etiam quæ nullam dant: ergò de uno saltim hoc verùm est, non de omni. Si aquam destillatam ex sambuci aut Ebuli radice habet *AUCTOR*. Observetur quoad nomen *CHAMÆACTE*, quod Acte sit sambucus, Chamæ verò parvus: virtus hujus arcani satis est expressa ab *AUCTORE*. Quod attinet virtutes alterandi in flor. & foliis Ebuli, est *vis diaphoretica*, sicuti etiam in foliis & floribus sambuci, dum *movent sudorem potenter*: vid. *AUCTOR*, in parte illâ ubi de alterantibus. Ex spir. Ebuli proprio, digesto super grana Ebuli, fit Tinctura vel ESSENT. gr. Ebuli, quæ est elegans remedium in curandâ *suffocatione uterina*, non minùs etiam Tinctura granorum sambuci.

CCCCXX. ELLEBORUS NIGER.

VTimur non omnibus Ellebori nigri speciebus sed (*monente Matthiolo.*) Helleboro nigro, flore roseo, C. B 4. cui tamen alij substituunt Helleborum nigrum hortensem flore viridi. Alij ejus loco cum successu utuntur Elleboro nigro tenuifolio, Buphthalmi flore; *teste Bauhino in Matth.* German. *schvvartze Nieszvvurtz.* Ellebore noir.

Prior insignitur Elleborum nigrum, *Matth.* (cui & Helleb. purpur. flore,) *Cast. Cam.* Helleborus niger, *Lob.* 2. *Dod.* verus, *Ger.* Veratrum nigrum, *Dod.* Legitimum, *Clus. hist.* Styriacum, *Tab* C B 4.

Posterior nominatur Helleborus niger, *Brunsfels.* alter, *Matth.* 3. *Dod.* nostras, *Cord. hist.* Helleb. niger adulterinus domesticus, *Trag.* hortensis, *Fusch.* Helleborastrum, *Lob. Ger.* Veratrum nigrum, *Cord. in D. Clus. pan. & hist. Tab.* C. B. 2.

Tertianus dicitur Elleborus niger venereus, *Trag. Lob.* Pseudo Elleborum, *Matthiol.* Buphthalmum, *Dod. Clus. Cam.* Helleborine tenuifolia, *Cord. h.* Helleborastrum nigrum *Cam.* Helleb. niger ferulaceus Theoph. *Lob.* Elleb. alterum, *Cast.* Hellebor Hippocratis, *Tab.* C.B. 9.

Prior crescit copiosè in Austria. floret januario.

OFFICIN. NAT.

Radix, ac præcipuè *Cortex*.

N. Colligendi tempus referunt luna in aspectu felici cum Iove aut vener existente sub ortu solis, luna crescente, ac peragrante signum Capricorni, Leonis aut Sagittarij. *Heurnius.*

Vires. Purgat potenter humores melancholicos, utile per consequens medicamentum est omnibus affectibus inde originem trahentibus, quales Mania, Insania, Hypochondriaca passio, Elephantiasis, Herpes, Cancer, Quartana, Vertigo, Epilepsia, Apoplexia, Scabies. Sed cautè & non nisi robustis ob violentiam, quam exercere aptus natus est, exhibere conducit. In decocto tamen minùs periculi. Corrigitur mastiche, cinam. anis fœnicul. & sim.

Dosis à ℈j. ad ℈ij. infusione dant à ʒj. ad ℥ß.

PRÆPARATA.

1. *Præparatio Ellebori Officinarum.*

Maceretur (rejectâ medulla lignea) per dies 3. in Vino cydonior. (alij in Malvatico) postea exsiccetur. *Aug.*

Quercetano sufficit 24. hor. in aceto ros. macerasse. Ph. Rest. c. 26.

N. Alij radicem ita præparatam ulteriùs pomo cydonio infigunt, idque pasta panis obvolutum in clibano coquunt, postmodum radicem exemptam exsiccant.

2. *Præparatio Recentiorum.*

℞. Rad. Elleb. nigr. pulveris. q. v. irrora phlegmate vitrioli, & ad lenem calorem continuò lignea spatula agita, iterumque irrora & agita, donec fœtor omnis exhalarit, radicesque gratum odorem & colorem nigricantem acquisiverint.

Dosis à ℈ß ad ℈j. cum corrigentibus. *Hartmann. in Croll. Sennert. Inst. Tentzel.*

N. 1. *Alij* irrigant aliquoties (3.) succo rosarum, & in umbra exsiccari sinunt, dantque ad gr. 10. vel 12. imò ad ℈j.

N. Non minoris virtutis sunt aliæ correctiones, quæ per macerationem radicum seu fibrarum helleb. teretum & minutularum ex Oriente allatarum fiunt in lacte caprino, sero lactis, melicrato, & oxymel. per triduum, vel etiam modò sequenti.

3. *Extractum Ellebori nigri.*

℞. Cortic. rad. & fibrar. q. v. coque in vino albo generoso leni calore hor. 3. in fine aquam augendo, ut bulliant. Dein exprime, & coagula ad consistentiam extracti.

Dosis à gr. x. ad xv. vel. xx. cum ol. mastich. & sim.

N. Alij loco vini sola aqua pluviali utuntur, ut *August.* Alij aqua anisi, de qua oleum separatum, ut *Heurnius in Meth. pract.* vide & *Vvecker.* vel aq. major. aut Meliss. cum oleo Tart. per d. *Hartman. in pract.* alij spirit. vin. ut Beg lib. 2. cap. 9.

4. *Extractum Ellebori nigri Quercetani.*

℞. Rad. & fibrar. cum aceto rosar. præparat. q. v. extrahe digerendo, cum succ. Limonior. part. 1. & succ. pomor. redolent. part. ij. (succi priùs sint benè depurati & clarificati,) exprime. Fæcibus affunde novuum succ. Rosar. pallidar. clarificatum, ac denuo digerendo extrahe colando & exprimendo. Utramque Tincturam conjunctam digere in MB. & defeca. Defecatam Tincturam l. igne coagula ad formam extracti.

Dosis ad ℈j. cum stimulo aliquo vim ellebori vomitoriam obtundente, e. g. Extract. diagrid. & sim. *Quercet. in Pharm. Rest. cap.* 26.

5. *Aliud Quercet.*

℞. Extract. elleb. nigr. (cum aqua Anisi factum) affunde spirit. vin. digerendo: extrahe, filtra, coagula. *Vvecker. ex Quercet.*

N. Si viridem habueris Elleborum, Extractum quoque

parare

parare poteris cum aqua ejus destillata, ad modum in Esulæ Extracto delineatum.

6. Extractum Ellebori nigri Sala.

℞. Cort. ellebori nigri, ℔ß. aqua borrag. ℔iij. spir. vin. ℥iij. digerendo extrahe, vase cl. decanta, ex fæcib. combustis extrahe sal, idque Tincturæ admisce, digere per diem. 1. ac coagula.
Dosis à ℈ß. ad ℈j.

7. Extractum helleb. nigri S. Closs.

Desicca fibras helleb. nigri flore purpureo in patella ferrea, admoto subtus igne lento, quasi animus esset aliquid frigere: agita frequenter, ut vapor malignus, qui convulsionis causa est, inde exhalet: hoc facto tere radiculas, & cum phlegmate *Acet. destill.* tincturam extrahe, filtra & coagula.

Balsamus Elleboratus.

℞. Herbas & rad. elleb. nigri, mundentur, conquassentur & ponantur in Vinum moschatellinum rubr. mensur. 4. vase vitreo benè clauso per menses duos, postea exime, & succum exprime, expressum filtra, filtratum pone super herbas radices recentes ana m. j. rosl. rubr. m. v. caryophyll. ʒvj. Ponantur ad digestionem per aliquot dies, adde spir. vin. octavam partem, deinde exprimatur, expressum servetur. Tandem remanentiam combure in cinerem, & s.a. salem præpara, liquorem abstrahe in B.

♃ Salis præparati ℥ß.
Croci ʒj.
Ambar. grys. ℈ij.
Mosc. ℈j.
Aloës epat. ℥ß.
Spec. Diambr.
Diagrid. ana ʒj.
Ol. caryoph. ʒß.

Solvatur extractum, deinde admisceantur hæ species, iterumque ad formam inspissentur: datur à ℈j. ad ʒß. & ultra. *Ex communicatione Greg. Horstij habuit S. Closs.*

Syrupus Helleboratus Vlmensis.

℞. Myrobalan. omn ℥iiß. contundantur crassiori modo & fricentur manibus cum ol. amygd. Deinde infundantur per diem & noctem in aq. fumar. ℔ xij. Postea coque ad consumpt. tertiæ partis.

Adde cort. rad. hellebor. nigr. præpar.
Glycyrrhiz. mund.
Polypod. q. ã. ℥j.
Sem. citr.
Caryophyll. ã. ʒß.
Summ. fumar.
Fl. Cichor. ã. mß.
Borrag.
Bugloss. ana p.1.

Bulliant omnia ad remanentiam ℔. v.
Postea adde Fol. sen. el. ℥iiß. Epithym. ℥ij.
Iterum bulliant, donec maneant ℔. iij.
Additi sacchar. ℥xxxij. coque ad consist.

Greg. Horst. in observ. lib. 1.

N. *Syrup. Helleb. Quercetan.* Vide lib. 1.

Syrupus Elleboratus. In hoc continentur { Cort. Elleb. 3. Rhabarb. 8. Fol. Senæ. 16. Polypod. 16. Helleb. alb. 3. } partes.

9. *Oxymel Elleboratum*: In quo { Helleb. nig. 3. Esulæ. 2. Agaric. 2. Turbith. 8. } partes.

Pulvis purgans.

Fit ex foliis helleborastri mense Septembri vel Octobri collectis, luna decrescente, quæ in umbra per se exsiccanda, vel in pane siligineo.
Dosis à ʒß. ad ʒj in vino albo.

ELLEBORUS NIGER. Habemus duo Ellebori genera: Unum vocatur *nigrum*, alterum *album*. NIGER ELLEBORUS à *PARACELSO* vocatur *senior*, albus verò *junior*, cui Elleborismi fuerunt in frequenti usu: aliàs niger VERATRUM dicitur ratio est ea, quòd mentem vertat, quoniam in *Maniacis & Melancholicis* eam invertit: unde dicitur caput Elleboro dignum i. e insanum, quod corrigendum est per Elleborum capiti dicatum. Observetur quod medicis incautis non rarò loco Ellebori soleat ostendi aconiti radix, quæ tamen est maligna & venenosa, & cum maximo ægri detrimento ac nocumento conjuncta: & quidem præ cæteris vid. de hoc *HILDANUS, Cent. Epist. p. 974. uti etiam ZUUOELFERUS Pharmacop. reg. p. 75.* Dicitur Elleborus niger ratione radicis, quæ est nigra, & albus ratione radicis quæ est alba, non ratione foliorum, quæ in nigro sunt alba, in albo nigra In usum revocatur tantum RADIX, cujus colligendæ rationem habet *AUCTOR* ex *HEURNIO*. Discrepant tamen & sunt, qui dicunt, colligendum esse mense septembri Sole in Libra, vel mense martio Sole in ariete existente. Inter ea, quæ humorem sic dictum melancholicum veterum evacuant, i. e. crassum viscidum ac acidum est præcipuum Elleborus, imprimis convenit in *affectione hypochondriaca, scorbuto, melancholia & maniis* similibusque, in quibus decantatissimus est Elleborus niger, quia potenter evacuat tales humores è corpore. Unde *in omnibus affectibus*, quos veteres dixerunt *melancolicos potenter evacuant. In affectibus capitis* singulare est specificum in *Epilepsia, Apoplexia, vertigine, Paralysi &c,* In specie in *affectibus melancholicis & Mania.* Dosin tàm in substantia quàm in infuso habet *AUCTOR*. Cæterum quoniam est vehemens remedium, rarò aut planè non adhibetur in substantiâ, nisi priùs corrigatur aliquantisper. Dicitur aliàs *secundus Rex medicaminum purgantium*, sicuti *colocynthis primus* vocatur, propter egregiam & Fortem vim purgantem: item sunt, qui dicunt, quòd nihil adeò sit salutare humano generi sub luna quàm elleborus niger, quia esu albi suffocationis periculum imminet. Contrarium dicitur de brutis, qui jugulantur ab Elleboro nigro, teste MATTHIOLO. Adeò ut sint qui dicunt, quòd si Elleborus niger per fermentationem imprimis alteretur, & dematur malignitas venenum laxativum, fiat magnum remedium specificum in *morbis cephalicis & confortativum capitis.* Ad *insaniam* præstantissimum vocatur Alexipharmacum à *ZACUTO LUSITANO, lib. 2. Histor.* 29 Et hujus Ellebori nigri ope una tamen cum aliis aliquot *hydropicos* curatos fuisse ab *EZLERO*, constat. Certum aliàs est, quòd *acuet ingenium, & spiritus roboret hominesque hilares* atque *promptos* reddat, id quod experientia propria confirmat *GESNERUS Epist. p.* 13. à *MATTHIOLO*, dilutum sive infusum Ellebori nigri specificum purgans vocatur *quartanarum*: dicit namque quod nulli propinaverit, qui non una alterave purgatione fuerit curatus. Vid. *MATTIOLUS, Comment. in Dioscorid. & DEODATUS* dicit, vim specificam Elleboro nigro inesse educendi omne id, quod sanguini permistum est; & rectè dici *fugam dæmonum*, eò quod succos mentes turbantes expellat, in quibus nidus esse dicitur Diaboli, de quo vid. experientia in *FREITAG. Auror. Med. cap. de Elleboro*, ubi narrat exemplum curati per Elleborum, qui quasi Diabolo fuit obsessus, ex quo locutus, se coactum esse, inquiens ut exeat, quoniam nidus suus sit destructus. *PARACELSUS* Elleborum nigrum præfert omnibus aliis pur-

gantibus, & dicit, quòd non sit melior radix Elleboro nigro, quoniam curat quatuor morbos principales, qui ipsi sunt *Podagra*, *Hydrops*, *Epilepsia & Apoplexia*, & quorum sub vexilla tanquam sub summa genera reliquorum morborum cohortes coercet. Sed eò ipso, quoniam est purgans, non caret malignitate. Testantur enim observationes, quòd Elleborus niger inducat convulsiones lethales: id quod quidam dicere volunt de Elleboro albo tãtùm, *HIPPOCRATI* usitato; Verùm enim verò prostant etiam Exempla de Elleboro nigro: Sic *HILDANVS*, *in Cent. Epist. p.* 914 refert quòd quidam princeps per extractum Ellebori nigri pro purgante fuerit interfectus. Item quòd mulier cum Extracto Ellebori nigri purgata intra 6. horas sit mortua. Vid. *HILDANVS*, *cit. loco*, utut mirè rectè tamen præparatus commendatur ad *quartanas* it. in *affectibus cutaneis externis*, *scabie*, *serpiginibus*. vid. *cit. locus*. Ut ergò malignitas præcaveatur propterea præparatur. Inter PRÆPARATA sese offert aqua destillata, quæ est egregium purgans & fit dum ℞ radic. Ellebori nigri veri lib. 1. infundunt in vini 4. libras sive mensuram una cum semine fœniculi & anisi ceu corrigentibus, deinde per balneum destillatur aqua cujus cochlear. 1. purgare corpus sufficienter dicitur Non contrariatur hic *ZVVOELFERVS in pharmacop.* 209. *p.* 76 & 37. it. *in animadversionibus in pharmacop. p.* 139. qui dicit, quòd sal vol. acre purgans Ellebori nigri adeò sit vol. ut adscendat promptè per alembicum, & in cineribus nullum sal fixum remaneat: sunt enim acriora folia Ellebori, quàm folia plantarum antiscorbuticarum, piperitidis, nasturtij, cochleariæ, Raphani rusticani &c. quod cuilibet illa degustanti innotescet Alij præparant Veratrum nigrum alio modo, quod ita præparatum commendant ad *multos affectus capitis* & *catharros* h. m ℞. Radices Ellebori nigri mense Octobri collectas (observetur enim quod Elleborus floreat tempore hyberno, sub mediis nivibus, adeòque tempus autumnale illi sit quasi vernum, & æstivum instar hyemalis, & autumnali in maximo est vigore) Macerentur in vino malvatico, exsiccentur in sole vel alio calore, exemtis tamen primùm interaneis sive medulla, quod ter est repetendum, tùm pulverisanda radix & vitro indenda, huic superfundendus succus rosarum pallidarum, & in sole vel alio calore, vel furno siccanda radix, quod iterum ter repetendum, tandem radix sicca denuò pulverisanda & servanda dosis est à ℈ß. ad ℈j. Vinum Cydoniorum à multis dicitur specificum corrigens Ellebori nigri. Quod etiam confirmat *ZVVOELFERVS*, *in pharma op. reg. p.* 35 Dum m. refert *AVCTOR*, quod quidam radicem Ellebori nigri indant pomo &c. Fuit hoc pomum *FONSECÆ* secretum, qui recepit pomum, imprimis dulce, cui infixit radicem Ellebori nigri, cumque illa sub cineribus coxit, postmodùm extraxit radicem, & propinavit pomum ita coctum melancholicis, quos ita purgavit, uti & aliis, quibus opus fuit Elleborismo: Notetur verò ut radiculæ post coctionem extrahantur. Præparationem cum phlegmate vitrioli multi commendant, recipiunt nempe phlegma vitrioli acuatum cum spir. proprio aliquantisper, cum quo extrahunt radicem, & radicis extractum inspissant in consistentiam mellis, cujus dosis est à ℈ß. ad ℈j. Interim tamen observetur, quod minùs evacuet, quò plùs spir. acidulatum fuerit phlegma, nam acidum figit sal purgans, & vim deleteriam, & quo dilutius minor dosis præscribitur. Contrà, quo minùs fuit acidulatum, eò magis purgabit in tali dosi. Elegantior modus videtur *BARTHOLETI*, *qui in Encyclopedia p.* 417. radices Ellebori nigri debito tempore collectas acet. imprægnatas solet extrahere per serum caprinum, & posteà extractionis evaporatæ *lib.* 1. admisceat ʒß. spir. vitriol. GEDANENSES elegantiùs adhuc duobus modis extrahunt: dum vel infundunt pulv. rad. cum sero Lactis destillato & addunt vitriol. Tart. albissimum vel infundunt serum lactis cum ʒj. sp. vitrioli non de phlegmati & ℥j phlegmatis in sp. rectificatione residui & sic non inconvenienter corrigunt Elleborum nigrum. Deinde præparatur cum vino vel cum spir. vini vel aqua anisi, dosis est à gr. X. ad XV. ad summum, in omnibus affectibus, in quibus commendatur aliàs Elleborus niger: it. sub forma pillularum præscribitur usitatè & additur aliis v. g. pilulis tartareis *QVERCETANI*, item *pilulis de ammoniaco Quercetani*: Formula potest esse talis:

> ℞ *Mass. pilul. de ammoniaco Quercetani, vel*
> *Mass. pilul. Tartarearum Quercetani, gr. XV.*
> *Extracti Ellebori nigri gr. V.*

plus minùsve pro ut basis est vel fortis vel debillis, potest addi:

> *Extract. mart* ℈ß. *vel gr. XV.*
> *Pro stimulo Scammon. sulphurati gr. ij.*
> *vel Extract. Trochiscorum alhandal gr. j.*

In *scabie* agregium est hoc Extractum, imprimis si misceatur cum merc. dulci in tali foma: ℞. Extr. Elleb. nigri ℈ß. vel gr. XV.

> *Mercur. dulcis* ℈ß. *vel gr. XV & denique Extr. Trochisc. athandal. gr.* 1.

C. s. q Ess. fumariæ fiant pilulæ, quæ conveniunt in *scabie & Gonorrhæa malignâ*, uti & *incipiente morbo Gallico* in quo Elleborus niger cum mercurio dulci utramque facit paginam. In Nota dicit *AVCTOR*, quòd alij aquam anisi recipiant: Nam notum est, quòd aqua anisi sit appropriatum corrigens Ellebori albi, adeò ut *HIPPOCRATI* fuerit in usu, ut semper cum Elleboro nigro propinaret anisum tanquam proprium correctivum. Et quæ præparationes fiunt per aquas puras fiunt puriores & operantur mitius quàm quæ per menstrua acriora, qualia sunt sp vini, sp. anisi & similia. Nam acria potiùs intendunt malignitatem, quàm quòd illam corrigant, cùm illa ipsa consistat in sale vol. acri Quod dixi de aquis intelligendum de vino, in quod melius adhuc infunditur quàm in spirit. vini: sic optimè infunditur radix in vinum Neccarinum vel Mosatellinum (adhuc meliùs quàm sp. vini) quoniam fit elegantissimum infusum, quod propinatur à ʒj. ad ℥ß. FABER *lib.* 4. *Myrothec. Spagyr cap.* 17. habet oleum ELLEBORI NIGRI PURGANS præparatum ex radice siccâ per destillationem per descensum in quo dicit consistere curam Catharri perfectissimam. HILDANVS *Cent. Epist p.* 974 habet CRYSTALLOS ELLEBORI nigri purgantes ex DEODATO, quæ etiam vid. potest in FABRI MYROTHEC. SPAGYR. *lib.* 2. *c.* 5. de balsamo Ellebor. qui multùm commendatur ad prolongandam vitam vid. *PENOTVS*, *tract. de Micam. p* 485. qui illud valdè laudat & dicit expresè quendam decanum ex illius usu usque ad 186 ætatis annum vitam protraxisse, ut illi mortuo tale fuerit positum Epithaphium.

Hic jacet edentulus canus atque Decanus; *Rursus dentescit nigrescit & requiescit.*

Nam hoc certum est, quòd imprimis *PARACELSVS* multùm tribuat Elleboro albo ad *prolongandam vitam*. Præterea *DEODATVS*, *lib.* 3 *Paul. Hygiastici* habet BALSAMUM SENECTUTIS paratum ex decocto ellebori nigri certo modo præparato, vocatur m. Elleborus niger Thesaurus vitæ: Et quod extractũ Ellebori nigri prosit ad *prolongandam vitã* vid. in *BARTHOL. Cent.* 5. *obs.* 28. SYRUPI ELLEBORATI elegantissima & efficacissima sunt remedia. vid. *ZVVOELFERVS*, *Pharmacop. reg. p.* 32.

CCCCXXI. ELLEBORUS ALBUS.

Elleborus albus flore ſubviridi, *C. B.* 1. Ellebor alb. *Brunſf Trag. Fuchſ. Cord. hiſt. Lon. Cam. Cluſ. hiſt.* Helleborum album, *Matthiol. Lob. Caſt.* Veratrum album, *Cord. in D.* mas & fœmina, *Tab.* German. *Vveiſz Nieſzvvurtz.* Ellebore blanc.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Ob violentiam purgationis, quam per ſuperiora & inferiora exercet, uſum purgandi internum ſoli ferè Elleboro nigro linquit. Ingreditur tamen ſeu baſis vomitorium Conradinum. Extrinſecas ſternutationes movet, ſcabies, impetigines & ſerpigines mundificat & ſanat, Lethargicos excitat (naribus indita) menſes proritat (ſubdita.)

PRÆPARATA.

1. *Vomitivum Conradini.*

℞. Rad. Bryon.
Cyclamin. ā. ℥ij.
Helleb. alb ℥j.
Radices has probè mundatas, lotas & exſiccatas pulveriſa, affundeque ſpirit. vin. ad eminent. dig. 2. ſtent in MB. dein deſtilla per alemb. fæces exime & comminue, ſpiritum abſtractum reaffunde, ſtentque aliquamdiu vaſe clauſo. Poſtea filtra, & habebis verum vomitorium.

Vſus. Pennæ extremas plumas intinge, & immitte in hauſtum vini malvatici, eumque bibe & evomes. *Vid. Hartman. in Croll.*

2. *Vinum vomitorium.*

Fit vinum ex elleb. albo, ſi radicum illius craſſè contuſ. ℥ß. maceretur in ℔j. Vini Hiſpan. exponaturque Soli.

Vires. Eſt ſingulare Heurnij Experimentum pro movendo vomitu, cochleare unum: ad alvum verò ciendam detur cochl. ß. cum aliis laxantibus, adde vomit. Amat. Luſit..

ELEBORUS ALBUS qui eſt flore ſubatro, Uſitata ex eo tamen RADIX quæ violenter per *ſuperiora & inferiora purgat*: & propterea rarò adhibetur à modernis, utut *HIPPOCRATES*, & veteres nihil magis habuerint in uſu, quàm Elleboriſmum album, ut uſurparint. In omnibus vehementior & violentior eſt præ Elleboro nigro, poteſt tamen etiam præparari, ut purget tamen per inferiora, non ſimul per ſuperiora. Dicitur inſuper quòd radix Ellebori albi recens impoſita ventriculo ſoleat *vomitum ciere. Purgat* egregiè *phlegmata craſſa & ſuccos Melancholicos*: unde convenit in *Melancholia & Mania.* In *mania* ſanè vomitus ex elleboro albo eſt radix curandæ *maniæ vid. LIND. Coll. in Hartmanni praxin.* Et Doctor *MICHAEL* curavit hîc virginem Melancholicam per Eſſent. Ellebori albi quæ à dæmone obſeſſa putabatur. *Sternutatoria* ſolet ingredi, quæ reddit ſatis fortia: mitius eſt *HELMONTII*, quod fit ex ana ſacchari & rad. Ellebori nigri. vid. *p.* 298. in *tr. Tuſſis & aſthma.* quodque in *affectibus cerebri* commendatur à *RIVERIO*, *lib.* 3. *praxeos p.* 15. Quod attinet tempus collectionis Ellebori albi, debet colligi tempore verno ſole ingrediente, ſignum tauri vel ſub ortu ſolis, incremento lunæ in ſigno Leon. vel capricorni, vomitorium non inelegans daret, modò eſſet in uſu. *GESNERVS, Epiſt. p.*12 dicit, quòd dederit ſuæ ancillæ cochlearia duo vini malvatici, in quo, rad: hellebori albi cum aliis jam diù erant macerata. Unde illa poſt tres horas per vomitum plurimùm materiæ excrementitiæ rejecit, cùm perfrictione quadam extremorum quam ſenſit, aliàs ſatis tamen benè tulit, ut habet AUTOR. Hæc de uſu Ellebori albi. Nihilominùs eſt vehementiſſimum remedium quod ſæpius Tragica ſolet excitare ſymptomata, *KIRCHER.* in *Mundur. cap.* 23. *p.* 283. refert maniacum convulſum interiiſſe ex hauſtu decocti Ellebori albi: adeò Tragicum & generoſum ſimulque periculoſum eſt remedium Elleborus albus: & digna ſunt lectu quæ habet *MATTHIOLVS*, *in Comment. Dioſcorid.* quod Elleborus albus fuerit præſentaneum venenum quo illitæ ſagittæ incontinenti enecant beſtias: id quod ſe expertum eſſe dicit in Gallis gallinaceis quos tali ſagitta læſit, ubi ſtatim interempti ſunt, utut inferiùs illum ſine noxa aſſumpſerit: (multùm hic inclareſcit virtus quâ operantur venena) & dicunt Hiſpani non poſſe talia venena corrigi, niſi per ſuccum Cydoniorum vel per mala Cotonea aliquot devorata ab illis: quod propterea addo, quoniam ſub cortice horum ſingulare quid eſt contentum. Cùm ergo talis in Elleboro albo ſit malignitas propterea ſunt qui corrigunt h. m.

℞. Cort. Ellebori albi, nigrore raſione à rad. interiore ſeparato, huncce infundunt in taleolas diſſectum in ſuccum roſarum ter, ſemper iterum exſiccando, radicis hujus doſis eſt à ʒ. ʒiß. ad ʒij. infuſo vini albi exhibetur in doſi cochlear. i. quod per inferiora purgat. *FOREST. lib.* 18 *obſ.* 44. per Flor. Nymphea albæ proprium radicis hujus Ellebori albi eſſe dicit remedium & *THONERVS p.* 226 quòd caſtoreum ſit peculiare alexipharmacum contra Elleborum album ſi ℈ij. aſſumantur ejuſdem pulv. Vinum vomitivum HEURNII fuit expertum remedium in *aſthmate convulſivo & Catarrho ſuffocat vo*, modò iterum in uſum revocaretur. Nam in tali caſu mirè convenit tale vomitorium. CINGULUM *ex foliis Ellebori albi* applicatum abdomini & circa regionem renum eſt experimentum ſingulare in *hæmorrhagiâ uteri & ani* vid. *HARTMANNVS in praxi* ubi de hæmorrhagiis.

CCCCXXII. EPITHYMUM.

Ἐπίθυμον, *Dioſcorid.* Epithymum, *Matth. Lob. Caſt. Tab.* Caſſutha minor, *Dod.* C. B. 1. German *Tymſeid*, l'Epitheme, Goute ou teigne de thym.

OFFICIN. NAT.

Integra planta

Vires. Purgat blandè melancholicos & ſeroſos humores, calf. & ſicc. 3. Vſus præcip. in ſcabie, ulceribus, affectibus melancholicis, in hypochondriorum & lienis paſſionibus & obſtructionibus.

PRÆPARATA.

Syrupus de Epithimo. Vide Diſpenſat.

EPITHYMUM de quo ſuprà ubi de Cuſcuta, Cuſcuta ſcil. eſt ſuper Thyrmum creſcens. Hoc in loco per ſe eſt evacuans lene: Sic integra planta contuſa in infuſo adhibetur, & propterea eſt ordinarium ingrediens Nodulorum purgantium vino infundendorum ab ℥ß ad ʒvl. in *affectibus hypochondriacis, ſpleneticis & cutis ſcabioſis.* Tantùm præſcribitur pro leni laxante in infuſo. Nam non ſuſtinet coctionem, quia vis ejus decoctione avolat, & propterea quoque raro, vel planè non eſt præſcribendum in Syrupis & apozematibus quemadmodum rectè hoc monet *FORESTVS lib.*3. *obſ.* 32. In *inſania, Epilepticis & vertiginoſis affectibus* inprimis qui oriuntur per conſenſum *ſplenis & hypochondriorum* eſt expertum remedium.

CCCCXXIII. ESULA.

EVſula herba eſt Linariæ conformis, niſi quod hæc lacteo ſucco careat, quo illa gravida eſt, juxta verſum:

Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit.

Diverſa ejus ſunt genera, iiſdem qualitatibus prædita. Ex his eligere monent pineam, i. e. quæ foliis pinum æmulatur.

Dicitur Eſula vulgaris major, 5 *Trag.* Eſula minor Officinar. *Lob.* Eſula minor, *Dod.* Tithymalus cupreſſinus, 2. *Tab.* Tithymalus foliis pini, fortè Dioſcoridis Pityuſa, C. B. 1. Germ *Vvolffsmilch.* Herbe au laict.

N. Eligenda non nimis recens.

OFFICIN. NAT.

Cortex præcipuè radicis, hinc & folia, quibus addi poteſt & ſuccus, ſed rariſſimi uſus eſt.

Vires

Vires. Pituitam & serum validissimè, præcipuè per inferiora purgat, unde & Rusticorum Rhabarbarum Esula audit. Est autem acris, ignea & erodens, adeo ut impudentium mendicorum fraudi inserviat, qui ejus succo cutem sibimet exulcerant scabritiei specie.

Corrigitur ejus feritas Bdellio, Tragacantho, mucilagine Psyllij. Quinimò mitescit præparatione, i. e. triduana in aceto acerrimo ros. infusione ac exsiccatione. *Vide August.*

N. Quercetanus contentus est infusione 24. hor. in Pharm. Restit. Alij singulis diebus novum acetum affundunt. Nonnulli perficiunt eandem macerationem in decocto myrobalanor. cum modico cinamomi vel spicæ.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Esulæ minoris, Salæ.*

℞. Cortic. radicis (in principio veris, quando prodire incipit collect.) q. v. coque cum Vino albo generoso in diplomate: Exprime ac inspissa: Inspissatum liquorem solve iterum in aqua plantaginis, maceraque in MB. 3. vel 4. decanta, filtra, vel si opus, clarifica cum albumine ovi, & coagula.

Dosis à gr. xij. ad xx. vel plura.

2. *Aliud Extractum Esulæ, quod Rulandinum existimatur.*

℞. Rad. Esul. min. ut in officinis væneunt, q. v. coque lento igne cum aqua simpl. semper despumando, dum spumat aqua deinde cola & serva, aliamque superfunde, & coque collectam aquam, leniter coagula ad spissitudinem mellis, postea affunde spirit. vin. ad eminent. digit. j. & vase clauso in loco calido, aliquandiu asserva. Tandem abstrahe leniter spirit. vin. Et relinquetur Extractum.

Vires. Feliciter aquam intercutem pellit, &c.

Dosis à ℈j. ad ʒj. *Hartman. in Croll. Senn. in Inst. Tentzel.*

Vueckerus describit & Extract. Esulæ ex foliis siccis cum spirit. vin. factum, idque per vomitum ac alvum expurgans.

3. *Extractum Esulæ Quercetani.*

Exprime succum ex radice & foliis fæcibus remanentibus, affunde serum lactis (vel aquam lactis destillatam) digere per dies aliquot, dein exprime. Expressiones utrasque confusas digere in MB. ut defæcentur, ne quicquam amplius crassamenti deponant. Liquorem defæcatum lento MB. calore coagula ad consistentiam Extracti.

Dosis ad ʒß. in forma pilular. vel in liquore dissoluta.

4. *Aliter ejusdem Quercetani.*

℞. Esulæ viridis contus. q. v. destilla in vapor. baln. (non tamen comburatur) fæcibus affunde destillatam illam aquam, dirige ut extrahatur Tinctura. Tincturam decantatam separa ab aqua sua in MB: abstractam aquam reaffunde fæcibus prioribus, ex quibus parasti extractum, idque toties repetendo, donec non ampliùs tingatur: Vltimò exprime, expressionem prioribus Extractis adde.

N. 1. Si ex fæcibus utriusque præparationis (præcedentis atque hujus) combustis Sal cum sua propria aqua extractis, idque extracto proprio addideris ejus purgandi vim & efficaciam validiorem reddes.

N. 2. Ad hunc modum Extracta præparabis ex Thymelæa, Mezereo & reliquis omnibus Tithymali speciebus, & ex ipso quoque Elleboro nigro, si in loco eo habitaveris, ubi recens colligi potest.

5. *Pilulæ de Esula Fernelij. V. lib. 2.*

ESULA est species Tithymali. Nam omnia Tithymalorum genera succum dant lacteum, qui est laxans, sive *purgans* interno usu, & *causticus* externo. Dicitur & Tithymalus cupressinus item Tithymalus foliis pini. Folia habent formam ferè linariæ: & quemadmodum omnibus Tithymali speciebus esulæ solet imponi ita contra omnibus speciebus Esulæ nomen generaliter nomen Tithymali inditur. Violentum est medicamentum ejus RADIX, & præprimis CORTEX RADICIS PRÆPARATUS, in substantiâ rarissimè vel nunquam solet præscribi, tantùm in infuso per superiora & inferiora, nisi probè fuerit correcta evacuat: *Caustica* virtus descripta est ab *AUCTORE* & confirmata ab eodem usurpatur Esula internè in succis viscidis ex esu lactis in ventriculo coagulati ortis ac LINDANO fuit in usu quando nautæ Belgæ biberunt lac illique postmodùm cerevisiam dulcem super infuderunt atque ita tales humores cumularunt. Et *D. MICHAEL* puerulum cujusdã mercatoris desperatâ alvi obstructione laborantem curavit per Esulam, postquàm nihil perfecerat etiam fortissimis purgantibus: dedit nimirùm illi esulæ radicem pulverisatum & successit exoptatissima alvi apertio & æger fuit salvatus. Rarò in substantia adhibetur nisi in infuso per macerationem in aceto, uti habet *AUCTOR.* Vehemens remedium est & violentum, & Noxus ex usu radicis Esulæ describit *GABELCHOVERUS, Cent. 1. cap. 37.* Et vidit ex ejus usu in ordinato ardentem febrim excitatam & *SCHENCKUS lib. 3. observ. de Cachexia*, ubi similiter meminit febris ardentis ex usu Esulæ præpostero excitatæ. Dum ergò est maligna cautè & præparanda & corrigenda. Optima præparatio videtur quam habet *FREITAGIUS* si cortex cum succo vel Cydoniorum, aurantiorum aut Citri imbibatur, hinc sic adornatus infundatur. Aqu. Menthæ Cardui benedicti, vel absinthij vel aliis, quibus aliquid oleis tartari per deliquium vel sal. tartar. permistum sit & optimum evadet extractum purgans ex Esula. Dixi quòd sit planta lactea: hoc lac si colligatur & evaporetur leni calore in consistentiam debitam optimum dicitur purgans ex Esula & erit de hoc uberior dicendi occasio sub scammonio, quippe quod nihil aliud est quam tale lac inspissatum. *CONSERVA ex flor. & fol. Esulæ* purgans paratur cum saccharo.

CCCCXXIV. FRANGULA.

Alnus nigra baccifera, *C. B.* 1. frangula, *Matth. Dod.* Alnus nirga, *Lob. Cam.* Alnus baccifera, *Tab.* Arbor fœtida, *Lon. Trag.* Avornus; *Crescentio.* Germ. *Faulbaum. Zaffholtz.* Sureau, Suyer.

OFFICIN. NAT.

Cortex interior potissimùm radicis.

Vires. Purgat humores noxios omnes, maximè serum, tam per vomitum, quàm par secessum, idque sat violenter. Eapropter corrigi solet Cinam. Zinziber. sem. anis. fœnic. & sim. Extrinsecus coquitur cum butyro, ad scabiem & similes morbos. [Prima germina cocta in aqua calidè imposita ad Odontalgiam prosunt.]

Dosis ad ʒij.

N. Rusticis familiare exhibet purgans in hydrope & sim. morbis.

FRANGULA quæ aliàs dicitur ALNUS NIGRA BACCIFERA usurpatur tãtùm CORTEX INTERIOR RADICIS & præscribitur ita ℞. corticis interioris frangulæ ex radice. Duplicem enim habet corticem crassiorem & teneriorem, qui posterior tantùm adhibetur & *purgat serum humoresve aquosos*, copiosissimè & vehementissimè *per vomitum* imprimis, deinde etiam per *secessum*, *DOSIS* in substantia est ad ʒj. sed rarò, potiùs usurpatur in INFUSO unà cum aliis: Si recens est *vomitum movet*, & *simul purgat per alvum*; si siccatus *tantùm per alvum* solet *purgare*: In infuso DOSIS infima & summa est à ʒiij ad ʒvi. in substantia verò à ʒß. ad ʒiij Commendatur in *hydrope* à quibusdam & ne noceat ventriculo, solent addere aromata, quæ noxas ejus emendant.

CCCCXXV. GRATIOLA.

Gratiola, *Matthiol. Dod. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.* Limnesium, s. centauroides, *C. B. aliis* Gratia Dei, Germ. *vvild. Aurin.* Gratiole. Ital. Stancacavallo.

N. Veteribus ignota videtur, quamvis aliqui papaver spumeum Dioscorid. alij Eupatorium Mesue, alij Been album esse velint. Centauridam alij faciunt, nec malè, cum centaurij minoris species esse videatur, & inter spurias Centaurij minoris appellationes quoque Helleborine extet, quæ ob vires cum Gratiola eadem esse videtur.

Crescit in campestribus & pratis.

OFFICIN. NAT.

Folia.

Vires. Efficax remedium est in humoribus aquosis, lentis, biliosisque specificè evacuandis, quos vel ex remotissimis partibus trahit, atque tum per secessum, tum per vomitum expurgat. Hinc magnus ejus usus esse poterit in Hydrope,

Ictero

Ictero flavo, &c. Et quia amaritudine inſuper dotata eſt inſigni, fugat lumbricos, eorumque ſaburram expurgat.

Corrigitur Cinamom. ſem. aniſ. Glycyrrh. &c.

Doſis foliorum pulveriſatorum ʒj vel in infuſo ad ℥ij.

N. Matth. exhibet folior. *Num. x.*

PRÆPARATA.

1. Aqua.
2. Extractum, ſeu ſuccus inſpiſſatus Gratiolæ.
3. Conſerva.
4. Sal.

℞. Fol. Gratiolæ, (Maio vel Autum. collect.) exprime clarifica, & inſpiſſa.

Doſis à ℈j. ad ʒß.

GRATIOLA ſeu GRATIA DEI. Parva eſt planta foliis acutis: Hæc ipſa etiam inter purgantia refertur & non ſine ratione, ejus FOLIA inſignem habeant vim evacuandi quæcunque excrementa in corpore ſtabulantia: Specifica eſt contra *hydropem*, ſerum ac lympham à quibus tumores dicti ſeroſi & œdematoſi: *Purgat per inferiora & ſuperiora* & ita *vomitus movet* ſatis fortes. Specificè quoque exhibetur pro *lumbricis enecandis* & ex inteſtinis & ventriculo expellendis in ſubſtantia à ℈j. ad ℈ij. rarò ad ʒj. in infuſo à ʒj. ad ʒij. vel ʒiij. Inter *hydrogoga* ſic dicta eſt uſitatiſſima. Unde etiam ſuccus inſpiſſatus ſive EXTRACTUM quod vid. in *AUCTORE* unà cum doſi eſt uſitatum ſatis Cæterum uti reliqua purgantia, ita & Gratiola inimica eſt ſtomacho & ſolet inducere varia ſymptomata: Propterea pro correctione ſunt qui faciunt extractum cum ſpiritu vini, ſed meliùs & rectiùs facit qui extrahit cum vino Malvatico vel ſero lactis vel cum aqua agrimoniæ: vulgò etiam ſolet macerari in acet. & ex ſiccari hinc infundi in lac, denique ſiccari & in pulver. redigi: doſis hujus pulvis eſt à ℈j. ad ℈iiij. (NB. non crudi ſed ita præparati) Fit etiam ex foliis Gratiolæ c. 5. q. ſacchari CONSERVA quæ eſt *vomitiva* & dari poteſt ad ʒij. plus minus, prout plus vel minus additum eſt ſacchari: Nam ubi plus ſacchari eſt admiſtum augenda doſis: ubi minus imminuatur, quod quilibet facilè videt. Fieri adhuc poteſt ex Gratiola MAGISTERIUM per præcipitationem ſi ſcil. recipiatur aqua fontana, aculeatur per oleum tartari per deliquium & hinc aqua infundatur plantæ exſiccatæ & inciſæ: idque in loco calido ut fiat extractio quod ſi jam ſufficienter eſt imprægnata, hujus teſtis erit color, filtretur: filtrata aqua cum aqua ſolutionis aluminis calida præcipitetur: tandem decantetur aqua & ſic remanet magiſterium Gratiolæ: qui modus parandi magiſteria ex vegetabilibus quibuſcunque cum aqua aluminis per præcipitationem non eſt vulgaris, nec ubivis obvius adeoque probè notandus. Ad aqu *hydropicorum* uti dixi evacuandam commendatur Gratiola, cujus rei exemplum ſubminiſtrat *FREITAG. in aurora Medicorum* qui refert quendam hydropicum ex ſcorbuto cum pulv. hujus Gratiolæ curatum fuiſſe valida vomitione per vomitum evacuatione. Unde ſal ejus FIXUM Cinericium commendatur in *hydrope* utut virtute purgativa ſit ſpoliatum.

CCCCXXVI. HERMODACTYLUS.

Hermodactylus eſt vel
- Iris tuberoſa. *Hermodactylus verus, Matth & Tab.*
- Colchicum
  - pernicioſum. *Inuſitatum.*
  - non venenatum. *Hoc uſuale, & hujus loci.*
- Satyrium
- Cyclamen
  - *Hæc officinis ignota.*

Dicitur Colchicum radice ſiccata alba, C. B. 2. Colchicum album, *Cord. hiſt.* Hermodactylus legitimus, *Dod.* Hermodactyli non venenati Offic. *Lob.* Hermodact. Offic. *Cam. Lon.* Hermodact. albus *Serapioni.* Hermodact. Orientalis. *Cæſalpino.*

N. Matthiolus & Tabernæmontan. Hermodactylum in Officin. uſitatum eſſe volunt radicem Iridis illius tuberoſæ, à quibus diſſentiunt Dod. Lob. & alij.

OFFICIN. NAT.

Radix, quæ ad nos ex Syria affertur.

Reperitur Hermodactyli Radix alba, ruffa & nigra, ſed eligenda quæ foris & intus verè alba, gravis, compacta, quæ leni contuſione in pulverem farinæ triticeæ ſimilem facilè redigitur, ſapore ſuavi ac dulci.

Vires. Pituitam craſſam, lentam, alioſque humores viſcidos peculiariter è juncturis efficaciter trahit, ob id articulorum affectibus, chiragræ, podagræ, &c conducit.

Doſis à ℈ß. ad ʒß. in infuſione à ʒij. ad ℥ß.

PRÆPARATA.

Extractum.]

Pilula de Hermodactylo. Vide apud Auguſtanos.

Doſis à ℈j. ad ℈iiij.

HERMODACTYLUS qui hermodactylus verus rarò proſtat, ſed potiùs loco ejuſdem adhibetur *Colchicum verum ſive Colchicum album*: ſunt enim duæ colchicorum ſpecies, *malignum* unum, alterum *benignum*: & hoc eſt quod loco Hermodactyli veri jam eſt uſitatum in officinis: Diſcrepant tamen inter ſe Botanici quidnam propriè ſit recipiendum loco Hermodactyli veri: Sunt qui volunt ut recipiatur *Iris nodoſa*, ſed moderni recipiendam ſuadent radicem colchici veri ſive albi & benigni Radix hujus quæ eſt uſitata, ex locis Orientalibus adfertur. Eligendi modum, ne decipiamini ſubminiſtrat *AUCTOR*. Uſus ejuſdem eſt in *evacuandâ mucilagine craſſâ & acidâ*, uti etiam in *evacuandâ lymphâ acidâ* idque uti vocant Authores *ex remotioribus partibus.* Notum enim eſt quòd in regimine purgantium veteres diſtinxerunt corpus in 3. regiones 1. comprehendit ventriculum, inteſtina meſenterium, lienem, Epar, cor & pancreas. 2. Comprehendit vaſa majora. 3. Comprehendit minora, articulos, caput & juncturas articulorum. Dicunt ergò auctores quòd evacuet lympham acidam ex tertiâ corporis regione. Cæterùm cùm ex invento ſanguinis circulo hæc diſtinctio veterum ſit everſa atque exploſa, dicendum quòd purgātia ſint vel *mitiora*, vel *fortiora*, vel *fortiſſima*. 1. Mitiora ſunt quæ expurgant ſaltim primas vias, ventriculum & inteſtina. 2. fortiora ſunt quæ ad maſſam ſanguineam pertingunt & ex vaſis majoribus evacuant excrementa. 3. Validiſſima ſunt quæ cum Maſſ ſanguineâ totū corpus perreptant, & fermentativam ſuam vim lentè quidem operando in illo exſerunt & ad hanc claſſem pertinet etiam Hermodactylus, quoniam uti dixi tardè operando cum ſanguine circulatur & eundem expurgat. Propterea ergo quoniam ejuſmodi excrementa evacuat ex remotis partibus ſive locis, egregiè adeò convenit in *morbis articulorum & omnibus articulorum doloribus, dolore Iſchiatico* & ſimilibus in *paralyticis affectibus*, in *affectibus nervorum & tremoribus*, in genere in *affectibus articulorum*, ubi opus eſt evacuatione: Hincque Hermodactyli dicuntur ANIMA ARTICULORUM, ſicut Rhabarbarum ANIMA EPATIS, & aloe vocatur ANIMA STOMACHI. Alias ab AVICENNA vocantur *Theriaca doloris articulorum.* Moderni quoque Hermodactylorum peculiarem invenerunt uſum in cura *luis venereæ* & exinde cum ſucceſſu *potionibus hydragogis, ſive ſudoriferis, in lue venereâ* permiſcent hermodactylos, ut ſenſim ſenſimque acidam pituitam per alvum evacuent in lue venerea peccantem. Corrigi ſolet hermodactylus & impoſtoriè per aromata, commodè tamen permiſcetur cum re acri, ut ſcylla & ſucco raphani, ut ratione acrimoniæ ſalinæ horum & augmẽtetur vis purgativa & facilitetur operatio. Augmentatur; quoniam talia acria ſunt inſtar ſtimuli; facilitatur operatio, quoniam talia acria incidunt & reſolvunt phlegmata craſſa & acida, per hermodactylos expurganda. Doſis eſt à ℈j. ad ʒj Feliciùs tamen datur in infuſo à ʒij. ad ℥ß. liquor

℥ß. liquor infundendus satis conveniens est vinum generosum. Extrahi etiam potest cum aqua vel spir. anisi, Juniperi, cinnamoni & similibus. Inter PRÆPARATA prostant PILULÆ de *Hermodactylis*, quæ usitatæ sunt in *doloribus articulorum arthriticis & Paralyticis affectibus* similibusque aliis, in quibus usitatè præscribuntur. Nam & *PARACELSUS* habuit pulverem arthricum purgantem, qui pro basi agnovit rad. hermodactilorum uti & Turbith qui videatur in *HARTMANNI praxi Chimiatrica c.230. §. 17. & seqq.* Ex hoc pulvere *PARACELSI* enatum est famosum ELECTUARIUM MAROCOSTINUM, cujus auctor est *MINDERERUS* pro præservandâ & curandâ *arthritide*, cujus etiam basis sunt hermodactili. Videbitis quoque quòd omnium purgationum arthriticarum basis ordinario soleant esse hermodactyli, propter vim egregiam articulis dicatam. Ita POTERIO usitatum purgans in *affectibus articulorum* fuit Extractum Ellebori nigri mistum cum Extracto hermodactyli albi, & fuit elegans Extractum compositum pro *expurgandis & evacuandis arthriticis*.

I.

CCCCXXVII. JALAPPA.

Jalappa radix est exterius nigricans interius ruffescens, radici Mechoacæ similis.

N. Incognita fuit majoribus, & non nisi paucos ante annos ex India ad nos transportari cœpit. V. Horstij Problem.

Dicitur Gialappa, Chelopa, Celopa, Jalapium, vel Gelapo (à Massiliensibus) aliis Mechoacanna nigra, quòd Mechocannæ assimiletur, C. B. Bryonia, Mechoacanna nigricans, Num. 7. Bryonia Indica. Mecaoacan noir, ou Jalappe.

Vires. Expurgat validè humores noxios omnes, in primis autem serosos, idque citra molestiam.

Dosis à ℈ß. ad ʒß. in infusione à ʒiß. ad ʒij.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Ialappæ.*

Extrahe cum Spirit. Vin., s. a. decanta & abstrahe ad consistentiam.

Dosis à ℈ß. ad ℈j.

N. 1. *Extractum* hoc, quia resinosum est, in aqueo liquore dissolvi nequit.

2. *Magisterium.*

Extrahe cum Spirit. Vin. optimo, hinc affunde aquam, & præcipitatur.

Dosis ad gran. xviij. Huc refer Tinct.

N. 2. Vis purgatrix potissimùm in resina Ialapæ consistit, ideoque si Jalapam adhibere volueris, vel in substantiâ vel in Extracto aut magisterio utere, vino enim si infundatur, vires suas pro voto non communicat.

JALAPPA. Radix similis Mechoacannæ adfertur ad nos ex Indiâ Occidentali. Hujus cognitio est & proba, an sit genuina, si scil. igni vel carbonibus adhibeatur, solet flammam concipere. Sunt tamen qui dicunt, quòd non tantùm ex Indiâ Occidentali adferatur, sed etiam crescat in hortis Germaniæ & vocetur FLOS PERUVIANUS sive MEXICANUS teste *HOFERO* in *Hercule in Medico p.386. Expurgat* in genere, sicuti reliqua purgantia quæcunque invenit, imprimis *serosa & aquosa* excreméta, vel saltim excrementa sero & aquæ involuta. Dosis est à ℈ß. ad ℈j. ultrà quam adscẽdere vix licet, in adultis fortioribus tamẽ ad gr. XXIV adhibetur, infantibus datur, ad gr. VI. puero ad gr. XII. in adultis, ultrà ℈j. nõ datur satis enim fortiter purgat & refert *BARTHOLINUS Cent. 5. hist. 69.* quòd quidam qui ʒj. radicis Jalapæ usurpavit 60 habuerit sedes, adeò ut vitam agere voluerit expurgatione nimiâ, utut eadem dosis in alio nihil omninò profecerit, teste eodẽ *BARTHOLINO Cent. 3. p. 130. & 133* sed observetur differentia, quòd si sit recens, purgat valdè, & ultrà ℈j. non debeat assumi, quòd si verò resinosa & antiqua vis purgans est imminuta, & adsumi potest ultra ℈j. rarò tamen debet. In specie prodesse *Melancholicis & hypocondriacis* dicitur, & inter *hydragoga* non est excellentius remedium mechoacannâ. si verò admista bilis, non est excellentius Jalapâ: Nam Jalapa & mechoacanna in multis conveniunt. Sunt qui cum spir. vini ex radice Jalapæ extrahũt Tinctur. vel ESSENTIAM per reiteratam affusionem spir. vini super radicem Jalapæ, & hanc Essentiam quam aromatisant aliquot guttis olei destillati anisi vel corticum Citri, dicunt esse arcanum specificum contrà *luem veneream, podagram, hydropem* & alios ex serosâ colluvie provenientes affectus. Dum radix Jalapæ per spir. vini ita extrahitur, residuum post extractionem resinosæ partis non purgat, ut adeò radix sit exhausta vi suâ purgante: ex hoc fundamẽto cognoscitur, quòd ex illâ in aquâ infusâ nullam hæc vim exhauriat: propterea quia aqua est inconveniens menstruum pro extrahendis resinis, quæ volunt spirituosa, cùm ergò resina tantùm purget in Jalapa, inde per spir. vini debet extrahi: Et si vel lib. 1. infundatur per noctem in aquâ alterâ tantùm die poterit hauriri aqua absque omni laxatione. Verè ergo errant ij, qui rad. Jalapæ solent præscribere in nodulis in aqua, vel vinum infundendis. Nam uti dixi quæ sunt resinosa requirunt menstruum spirituosum, quæ mucilaginosa, vel quorum vis consistit in mucilagine vel principio salino requirunt menstruum aquosum & vinosum. Sic ex aloe quando volumus Extractum purgans, extrahimus cum aqua sicuti plantas, si volumus Extractum resinosum confortans, extrahimus resinam cum sp. vini & sic non purgat. Observetur ergo quòd semper in hoc passu requiratur legitimum menstruum aliàs nihil perficitur. Quando hoc modo extracta Jalapa per sp. vini & in Ess. redacta postmodùm methodo dicta sub Gratiolâ affundatur aqua simplex & cum aqua modicè aculeata & acidulata præcipitatur in fundum Gumi vel resina Jalapæ, quæ vocatur Magisterium vel resina Jalapæ, quæ in minori dosi adhibetur, quoniam est quasi nucleus ad gr. XV. ultrà quæ rarò ascendendum, & est specificum purgans in *hydrope*, gratius est infusum quando cum corticibus citri infunditur in sp. vini & sic fit egregium elixir citri purgans cujus cochlear j. ad ij. assumptum sine nausea evacuit. vid. *BARTHOLIN. Cent. 3. Epist. p. 133.* Ex hoc fundamento paratum fuit Elyxir purgans *D. MICHAELIS*, cui alia catholica purgantia fuerunt admista. Cæterùm observetur de purgantibus non tantùm, sed in genere de purgantibus resinosis & magisteriis purgantibus resinosis, quod scil. hujusmodi resinosa, quoniam sunt glutinosa, adhæreant intestinis & adhærendo hypercatharsin inducant, hæc ut præcaveatur notetur benè ut una extractis resinosis purgantibus aliquid misceatur salini à quo tanquam abstersivo impediatur adhæsio & vellicatio: quale salinum potest esse sal Tartar. Cremor Tartar. item Tartar. vitriolatus, sal digestivum hypochondriacum, arcanum duplicatum Mynsichti & Tartarus nitratus, ut res fiat clarior, formula potest esse talis.

℞. *Rad. Ialap. gr. XV.*
Cremor Tartar. vel Tartarus vitrioli ℈ß. vel ℈j.
Scamonij sulphurati gr. 1. pro stimulo.
ole. destill. anisi pro odore & sapore gutt. j. vel ij.
Misceatur, fiat pulv. Item in aliis purgantibus facilè adhærentibus.

℞. *Aloës Succotrina gr. XV.*
Magisterij vel Gummi Jalapæ gr. iij.
Arcani duplicati Mynsichti ℈ß.
Ess. citri gutt. 3. vel 4 M.
F. pulv. purg. Hæ & similes cautelæ observentur ne fiat error & infamia in praxi.

CCCCXXVIII.

CCCCXXVIII. MECHOACANNA.

Mechoacan, *Mon. Dod. Lon. Trag.* 1. & 2. *Tab. Ger.* Mechoaca Peruviana, *Lob. Ger* Rhabarbarum Indicum, *Cast.* Bryonia, Mechoacanna alba. C.B 6. *aliis* Rhabarb. album, *vveisz Rhabarb, Schmeckenicht.*

OFFICIN. NAT.

Radix ex provincia novæ Hispaniæ Mechoacan nomine ad nos allata.

Duplex habetur ratione loci: Prima ex Mechoaca Insula affertur, altera verò ex continente circa Nicaragua nata, quæ priore longè præstantior est. Eligatur recens, intus albicans, extus cortice cinereo vestita, minùs cariosa.

Vires. Pituitosos, aquosos, serososque humores ex toto corpore, ac in primis ex capite ac nervoso genere, pectoreque blandè ac sine molestia educit. Utilissimum itaque remedium est in Catarrhis, ac inde ortis affectibus, in Hydrope, in omnibus arthritidis speciebus, Lue Venerea, & sim. Quia tamen calida & sicca est, in calidis constitutionibus ejus usus ne sit continuus.

Dosis infantibus ℈j. præter propter, Adultis à ʒj. ad ʒij. in infusione ad ℥ß.

N. Conducit maximè infantibus in cruditate ventriculi, ac pectoris viscosa mucilagine expurganda.

PRÆPARATA.

1. *Extractum Mechoacannæ.*

Extractum, ut alia extracta parari potest cum spirit. vin. vel secundùm Quercetan. (*in Pharm. rest. c.25.*) cum aqu. aliqua Epatica, e.g. Endiviæ, succo Limoniorum vel Citriorum acidula reddita. Alii parant cum aceto. *Hartm. in pract.* verùm minus rectè, quippe vis purgatrix hac ratione obtunditur.

Dosis ad ʒj.

N. Nihil lucri in hoc Extracto præ pulvere habes, præterquam quod dissolvi in liquoribus possit.

2. *Extractum Mechoacannæ compositum.*

℞. Rad. Mechoac. el. non cariosæ ℥iij.
Turpeth. gummos. & alb. ℥j.
Zinziberis albi ʒij.
Polypod. querni ℥ß.

Incisis grosso modo, extrahe digerendo cum spirit. vin. opt. & aqu. Beton. (quæ ab Aloë est abstracta, si adsit) ana ℔ß. exprime fortissimè, fæcibus relictis, aliam affunde aquam Betonicæ, macera iterum ac exprime: expressis liquoribus adde

Mannæ puriss. ʒij.
Scammon. mund. ʒj.
Agitando misceantur, adde
Spir. vitrioli . g̃ v.
Ole Cinam. g̃ iij.

Redige ad consistentiam extracti.

Vires. Panchymagogon est, omnes humores noxios simul educens præcipuè autem serosos.

Dosis ℈j. plus minus. *Hart. in Croll.*

[Parantur etiam Morsuli de Mechoacanna]
[Fecula Mechoacæ]

MECHOACANNA. Hæc est radix alba in rotulas incisa & ad nos adportatur, dicitur RHABARBARUM ALBUM ad differentiam Rhabarbari lutei propter convenientiam quam habet cum hoc; ex provinciâ Hispaniæ novæ Mechoacanna dicta adfertur & ita à loco Natali denominatur: Quoad vires est *elegans purgans* quæ potenter & sine gravium symptomatum concursu blandè evacuat è corpore quæcunque heterogenea imprimis aquosa, serosa & pituitosa excrementa ex capite & partibus nervosis. In genere ad affectus serosos & phlegmaticos multùm convenit. Conducit etiam imprimis infantibus *vermibus* laborantibus, & quorum ventriculi & intestina sunt referta *copioso muco viscido, &c.* propinatur his à ℈ß. ad ℈j. idque eò melius potest fieri, quando cum pulv. Mechoacannæ fit panis martius, qui quoniam albus non prodit fraudem, & ab infantibus facilius adsumitur. In adultis potest dari à ℈j. ad ℈ij. vel etiam ad ʒj In formâ pulveris crudi tantùm præscribitur: Nam in infuso aquoso aut vinoso nihil omninò solet evacuare. Contrarium habemus in Agarico & sennâ quæ duo feliciùs operari solent in infuso. ELECTUARIUM *purgans* non inelegans ex Mechoacannâ potest fieri, si extrahatur cum vino Canariensi generoso, cui instillentur aliquot guttæ olei tartari per deliquium: vinum hoc per levem evaporationem insensibiliter evaporatum addendo saccharum donec syrupi consistentiam acquirat, habet vim evacuativam hoc modò, ratione salis tartari & *hydropicis* convenit. Plura qui cupit de virtutibus Mechoacannæ egregiis, videre potest GABELCHOV. *Cent.* 1. *obs.* 13. in *Scholio.* Alio modo potest fieri Electuarium compositum D. *MICHAEL.* in hac formula.

℞. *Epithymi. polypodii ana.* ℥j.
fol. sennæ s.s. ʒiß. *decoque in s.q.*
Aquæ simplicis ad lib. 1. *cui adde vini Cydoniorum lib.ß.* bulliant aliquantulùm hinc adde:
Santali albi, pulpæ Cydoniorum ana. ʒV.
pulv. Mechoacann. ʒiß. M. Fiat Electuarium purgans, non inelegans, cum melle vel saccharo: quod ratione Cydoniorum reliquorum malignitatem emendat. *Morsuli purgantes* possunt fieri. h. m.

℞. *Pulv. Mechoacannæ* ʒj. ʒij. ʒiij.
Diagridii ʒV.
Margarit. præparat.
Corall. præparat. ana ℈ij.
Smarag. præparat. ʒj.
Sacchari albissimi soluti in aqua Cinnamomi & rosarum ℥XVIij.
Ole. Cinnamomi Caryophyllorum ana. gutt. XII.

Misceantur, fiant Morsuli purgantes dosis ℥ß. ad ʒVI. FABER in *Myrothecio spagyr. lib.* 2. *c.* 28. habet *Quint. ESSENT.* ex *Mechoacanâ*, quam asserit egregium purgans quæcunque Mass. sanguineæ excrementa, eamque multis laudibus effert. EXTRACTUM *Mechoacannæ* compositum quod habet *AUCTOR* satis clarum est & elegantis compositionis, quæ notetur ut de aliis meliùs judicare queatis.

CCCCXXIX. MEZEREUM, LAUREOLA, S. DAPHNOIDES.

Frutex est Mezereum Officinarum, cujus baccæ Officin. Coccignidii, s. grana cnidia vocantur.

Dicitur Chamelæa, s Mezereon, *Trag.* Germanicum, *Lob.* Gamelæa Germanica, *Dod.* Daphnoïdes, *Fuchs. Cam. (Epit.)* flore purpureo, *Tab.* Laureola major, *Cast.* Thimelæa, *Cord. in D.* Daphnis altera, *Lon.* Laureola folio deciduo, flore purpureo, Officin. Laureola fœmina, C.B.2. Germ. *Kellershalss.* Laureole, Racine de Mezereon

N. Sunt qui Chamædaphnen Dioscoridis faciunt. At alii Dioscoridi ignotam fuisse volunt.

OFFICIN. NAT.

Cortex, folia & Grana.

Vires. Mezerei vis est ignea, acerrima, exulcerans, mordens, febres accendens, cordis principumque partium vires exsolvens, validissimè bilem, biliosasque serositates purgans. Corrigitur macerando hor. 24 in aceto [ut elleborus ac Esula] succo mali punici aut Cydonij, portulacæ, mucilagine semi. psyllii.

N. Alii corrigunt infundendo in vino, & iterum exsiccando. Alii triduanam macerationem in aceto requirunt, singulis diebus novum acetum affundendo, & tandem aqua benè eluendo.

Dosis *Fol. ac Cortic.* Mezerei optimè præparatorum & correctorum (sine correctione exulare debent,) est, gr. viij. ad xv. vel à gr. vj. ad xv.

N 1. *Rejiciuntur* fibræ, dum teritur.

N. 2. *Ob* malignitatem rarissimè in usum venit.

PRÆPARATA.

Pilulæ de Mezereo. Videsis apud Augustan.

N. Est & Mezereum Chamelæa Tricoccos, C.B.1. Chamelæa

melæa foliis magnis & tenuibus, *Mesue* Cham latif. vel alba, *Serapioni*. Chamelæa, *Matthiol. Dod. Cord. in D. Bellon. Lon. Clus.* Tricoccos, *Lob. Cast.* Mezereon Arabum, *Lob.* Triococcos, *Tab.* Chamelæa vera, *Cam.* Germ. *Seidelbast.* Verùm officinis nostratibus non adeo vulgare, quamvis sint qui pro Mezereo officinarum habeant.

MEZEREVM sive LAVREOLA. Planta est elegans primo vere producens flores, vocatur THYMELÆA, CHAMELÆA, MEZEREVM & LAVREOLA dicitur usitatè, hinc m. Thymelæa & Chamelæa. Flore est purpureo, fructu rubro. Hujus ipsius mezerei CORTEX imprimis *purgat*. *AVCTOR* dicit, quòd sit igneum, &c. vid. quoniam est *causticum* & abundat acerrimo sale vol. unde m. corrigunt nimiam virulentiam in infusione in acet. sic enim ab acido acet. corrigitur acrimonia salis vol. sunt qui corrigunt cum succo Cydoniorum vel acetosæ, ut impediatur impetuosa & effrenis virulentia: DOSIS sunt gr. VIII. ad XV. raro tamen usurpatur propter nimiam malignitatem: aliàs *copiosum evacuat serum & hydropicos* sursùm & deorsùm *purgat*: rarò tamen uti dixi, usurpatur propter virulentiam. Cæterùm utut interno usu sit rarum, externo tamen usu singulare præbet remedium RADIX mezerei in *affectibus oculorum*, si scil. dissecta in fibrulas aliquantisper in lixivio acri vel aqua in quâ nitrum solutum fuit, maceretur, sic enim fit, ut indita lobo auris prius perforato instar cujusdam fonticuli copiosissimum eliciat serum, & hoc modo *inflammationibus oculorum, doloribus oculorum, suffusioni, cæcitati & quàm plurimis oculorum affectibus* mirè confert & miranda præstat, sic enim instar fontanellæ feliciter & exoptatè conducit oculis & medicamentum fuit secretum D. *SCHLEGALII*: videbitis tamen ejus effectus adhuc observatos à *RIVERIO*, vel quicunque est auctor, in *Cent.4.obs.100.*

CCCCXXX. MYROBALANI.

Myrobalani fructus sunt ex numero prunorum exoticorum, veteribus Græcis incogniti, ab Arabibus primù inventi.

Suntque Myrobalani { Chebuli, Citrini, Bellyrici, Indi, Emblici. } *omnes sunt usuales.*

Myr. Chebuli dicuntur Quebolia & Quebuli, *Arab.* Mirobal. Cepula, *Mes. Clus.* Chepulæ, *Actuario, Matth. Garz. Lob* Chebuli, *Cord. h. Lon. Cast.* Chebulæ, *Tab. Ger.* Myrobal. maximi, oblongi, angulosi, C.B.1.

Citrini dicuntur Azafar, *Arab.* Myrob. lutei, *Actuar.* flavæ, *Garz. Lob.* flava, *Matth.* lutea, *Clus. in Cord.* Myrob. citrea mal. citrini. *Cord. hist. Lon. Lob. Cast. Ger.* flavæ citrinæ luteæ, *Tab.* Myrobal. citrin. *Bellon.* Myrob. teretes citrini, C.B.2.

Bellirici, Belleregi, Bellilegi, Bellegu, *Arab.* Myrob. belliricæ, *Matth. Cord. hist. Clus. in Cord. Garz. Lob. Tab. Ger.* bellirici, *Lon. Cast.* Myrob. rotundæ belliricæ, C.B.3.

Indi, Asuar. *Arab.* Myrob. nigra, *Actuar. Mes.* nigri, *Lob.* M. Inda & Damasonia & nigra, *Clus. in Croll.* Indicæ, *Lob. Tab. Ger.* s. nigræ *Garz.* Indi, *Cord. hist. Cast.* Myrob. nigræ octangulares, C.B 4.

Emblici, Embelgi, Emblegi, Ambegi. *Arab.* Myrob. de Seni, *Serapioni.* Senitica, *Avicennæ.* Myr. Empelica, *Matth.* Empelitica, s Emblica, *Clus. in Cord* Emblici, *Cord. hist. Lob. Lon. Cast.* Emblicæ, *Lob. Tab. Ger.* C.B 5.

Eligendi sunt carnosiores, crassiores, ponderosiores.

Vires. Myrobalani citrini seu flavi bili flavæ educendæ apti nati sunt Indi, s. nigr. bili atræ, chebuli pituitæ ac postea bili, Emblici ac Bellyrici, itidem pituitæ.

Dosis à ʒvj. ad ℥ ß.

OFFICIN. NAT.

[1. *Myrobalani conditi.*]
2. *Pilulæ de 5. generibus Myrobal.*
3. *Extractum Myrobalan.*

℞. Genus Myrob. quodcunque volueris, exemptis nucleis, tere partem carnosam subtiliss. Macera dies aliquot cum aqu. dein exprime & inspissa. *Sala.*

N. Alij adhibent succum pomorum redolentium, indeque conficiunt Extractum Myrobalanorum pomorum.

[*N. Emblicorum* Mel officinale est. *Vires.* Vid. *Disp. Aug.*]

MYROBALANVS. Myrobalani sunt fructus parvi & quasi species prunorum exoticorum: quorum 5. habet *AVCTOR* cum synonymis & eligendi modo. Myrobolani hujusmodi *evacuant* simulque etiam *adstringunt*: Vnde rarò sunt in usu, nisi in *Diarrhæis* & similibus fluxibus, ubi opus est evacuatione & abstersione simul tamen etiam adstrictione: Et in *Dysenteria* usitatè permiscentur cum Rhabarbaro. In *Diarrhæa & Dysenteria malignâ* convenit. *AVCTOR* noster 5. tantùm species recenset, est tamen adhuc 6. species, quæ in India instar condimenti solet adhiberi: remedium sunt *intestinorum* vel *Dysenteriâ* vel *Diarrhæâ* vel *Fluxu Epatico* laborantium & observetur quòd PVLPA eorum vel pars subtilior tantùm purget, CORTEX, v.s. pars crassior *adstringat*, Vnde in infuso tantùm solent purgare sine adstrictione. Infunduntur a. commodè pro solâ purgatione in sero lactis. Sin v. in substantiâ adhibentur aut etiam in forti coctione, tunc simul cum purgatione adstringunt: sin priùs pulv. aliquantisper torreantur, tunc assumpti solent *adstringere*, non purgare: adeò mutant vires pro varietate præparationum. Nam uti dixi, in iis quod est resinosum, est id, quo purgat, Cortex v. est saporis acris & *adstringit*. Vnde m. illud myrobalanorum genus feliciùs purgat, in quo gummosum sive resinosum hoc copiosius reperitur, ut in Myrobalanis Chebulinis, quæ ipsæ magis gummosæ sunt & magis purgativæ. Parari solent ex Myrobalanis SYRVPI, qui commendantur contrà *Dysenteriam*: Sic habemus SYRVPVM COMPOSITVM MYNSICHTI, cujus non ultimum ingrediens sunt Myrobalani.

CCCCXXXI. POLYPODIVM.

Polypodium { vulgare. *Hoc usuale.* minus. *Dod.2. Matth. 1. Tab. &c.* }

Dicitur πολυπόδιον, *Diosc.* Polypodium, *Brunsf. Trag. Matth. Fuchs. Cord. hist. Lon. Lob. Cast. Cam. Tab. Ger.* majus, *Dod.* C.B.1. Germ. *Engelsousz.* Du Polypode.

Reperitur in Fago, Corylo, in antiquis & cæduis saltibus, in ruderibus saxosis, præfertur tamen omnibus, quod in Quercu nascitur. Polypode de Chéne.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Educit bilem adustam & pituitam lentam. Hinc utilissimum in obstructionibus Mesenterii, Epatis ac Lienis, & inde naris passionibus hypochondrior. scorbuticis. Rarò autem solum datur, sed aliis purgantibus ferè admiscetur, & quia segniter purgat, plerumque in decoctis vel infusionibus, raro in aliis formulis adhibetur.

PRÆPARATA.

[Syrupus de Polypodio simpl. & compositus.
[Extractum.]

POLYPODIVM. Est planta filicularis quæ crescit circà radices arborum Quercus, abietis, fagi, Coryli. &c. Istud autem polypodium præprimis adhibetur & reperitur in officinis, quod crescit circà radicem quercus, & præscribitur à Practicis ita: ℞. Polypodii Quercini. In usu est RADIX, quæ est *splenetica*, & in *affectibus splenis* tàm ex illo ortis quàm eidem adscriptis valdè convenit, ejusdem enim est naturæ cum filipendula, filice, Sandaracha, &c. & præter vires splenéticas

ſpleneticas obtinet *vim purgantem* & *laxantem*. Vnde in *affectibus hypochondriacis* & *ſpleneticis*, nodulis & decoctis alterantibus & laxantibus infunditur ab ℥j. ad ℥ij. quoniam ℥j. vel ℥ij. ſufficiunt, ſi conjunguntur cum ſeminibus & aliis purgantibus appropriatis, uti habet *AVCTOR*: ſolum enim nunquam præſcribitur. Et quidem ut ex hujuſmodi purgantibus vis alterans & purgans meliùs poſſit extrahi & feliciùs, adduntur aliquot ʒæ vel cremoris tartar. vel ſal tartar. fixi vel alia corpora ſalina: hujuſmodi enim ſal acuit menſtruum, ut extrahantur virtutes talium ſimplicium eò convenientius.

CCCCXXXII. PSYLLIVM.

Ψύλλιον. Pſyllium C.B.
- Dioſcorid. ſc. Indicum crenatis foliis.
- Majus
  - ſupinum, 2. *Matth. Caſt. T.b. &c.*
  - erectum, *hoc uſuale ſolum.*
- Minus.

Dicitur Pſyllium, *Trag. Matthiol. Fuchſ. Cord. in D. & hiſt. Dod. Lob. Caſt. Ger.* 1. *Tab.* Germ. *Pſillienkraut.* Herbe aux puces.

Creſcit ſponte in Italia, lociſque nonnullis Germaniæ, ſolo gaudens aſpero. nobis non niſi in hortis colitur. Floret Julio & Auguſto.

OFFICIN. NAT.

Semen collectum Octobri.

Vires. Evacuat bilem flavam, mucilagineque ſuâ acrimoniam humorum obtundere aptum eſt. Hinc convenit maximopere in Dyſenteria & Corroſione inteſtinorum.

Doſis à ʒij. ad ʒvj. ſcil. ex his aqua convenienti extrahitur mucilago propinanda, ſed raro.

N. Semen pſyllij hoc peculiare præ cæteris purgantibus habet, quod qualitate refrigerandi ſit præditum, ſecus ac Meſue ſtatuit. Verum enim verò nec tamen extra reprehenſionem poſitum eſt, quam incurrit ratione virulentiæ ſuæ.

PRÆPARATA.

Electuarium de Pſyllio.
Doſis ad ℥j. plus, minus.

PSYLLIVM. Majus quidem quod nobis eſt Exoticum, in Italiâ creſcit & corticatim ad nos pervenit: Planta eſt glabra. Superius inter alterantia etiam habuimus de Pſyllio, ſed iſtud fuit MINVS quod communiter refertur inter alterantia: Vnde ejuſdem ſeminis mucilago ſolet adhiberi in affectibus faucium ardentibus anginâ, ardore & ſiccitate linguæ eſtque ejuſdem uſus cum mucilagine ſeminis Cydoniorum, niſi quòd magis conveniat in ambuſtis cum ſacchar. ſaturni. Camphora, ſucco cancrorum fluviatilium, &c. MAJVS ſolet *evacuare excrementa*, ſimulque habet vim *mitigandi humores eoſque obtundendi*, & convenire ſolet in *Dyſenteriâ* & *Diarrhæâ*, ut ſimul *abſtergat* & etiam *acrimoniam humorum temperet*, in infuſo à ʒiij. ad ʒVI. & ejus uſus eſt & quidem rarus, quando opus eſt laxatione alvi & attemperatione humorum.

R.

CCCCXXXIII. RHABARBARVM.

Ρᾶ καὶ ῥῆον, *Dioſcor. Arab.* Raved & Rhabarbarum, Romanis Raponticum, Rhabarbarum Officin. C.B. 1. Rhabarbarum, *Garz. Acoſt. Fragoſ. Lob.* 3. *Tab.* 1. *Ger.* Rhabarb. Americanum, *Monard.* Rhabarbarum ſeu Indicum, *Cord.* Rheum, ſ. Rha, *Dod.*

In China provenit, unde in Turciam, hinc Venetias defertur, & quidem vel navibus, quod citiùs corrumpitur, vel itinere terreſtri, quod durabilius.

Duplex venale proſtat: alterum dicitur Rhabarbarum de Levante, quod flavius & melius: alterum Moſcoviticum, quod obſcurè flavum & vilius eſt.

OFFICIN. NAT.

Radix.

Vires. Purgat benignè bilem flavam pituitamque viſcoſam ac tartaream in ventriculo, primaque regione ſtabulantem. Epati ſpecificè confert, adeo ut cor Epatis dicatur, curat Icterum, & quia vim quoque aſtrictoriam obtinet, in omnibus morbis diſſolutis, Dyſenteria, Diarrhæa præ aliis commendatur.

Corrigitur 3. p. Cinam. Schœnanthos, Santal. Citrin.

N 1. Partem tum purgantem, tum aſtringentem obtinere creditur, quarum prior facilius eximitur, poſterior difficiliùs. Hinc pro diverſa intentione diverſimodè quoque tractatur. Nonnulli levi toſtione vim purgantem minui, & aſtringentem augeri ſibi imaginantur, quod alij improbant, nec immeritò, etenim cùm vis purgans fixior ſit, quàm ut levi toſtione in auram evaneſcat, toſtio illa vix ſatisfaciet. Præſtat itaque ſi aſtrictoriam vim auctam velimus, rejectâ primâ decoctione, denuo id coquere, ac fortiſſimâ expreſſione exprimere.

N. 2. Radix Rhabarbati Monachorum (aliàs Lapathi domeſtici, hortenſis, ſativi,) eandem purgandi facultatem cum vero Rhabarbaro habere creditur modò in duplo uſurpetur. Hinc ſunt qui pro Rhapontico illud habent, ſed malè: Rhaponticum quippe verum & à Rhabarbaro Monachorum, & à vero Rhabarbaro diverſum, nonnunquam ad nos tranſportatur. VVeckerus.

Doſis Rhabarbari veri à ʒß. ad ʒß in infuſo ad ℥ß.

N. 3. Rhabarbarum ex omnibus catharcticis eſt uſitatiſſimum, ſine ullo periculi metu omni ætati, atque ideo etiam pueris & prægnantibus conveniens.

PRÆPARATA.

1. *Rhabarbarum conditum.*
Cujus doſis paulò major eſt crudo.

2. *Syrupus de Chicorio cum Rhabarb.* (in quo ſolum Rhabarbarum) V.D.

3. *Syrupus de Rhabarb. ſolutivus*, in quo part. æqu. Rhabarb. & fol. Sennæ.

4. *Syrupus Diaſereos*, in quo partes
- Rhabarb. 4.
- Cartham. 5.
- Agaric. trochiſc. 2.
- Fol. Sen. 1.

5. *Trochiſci de Rhabarb.* V.D.

6. *Pilulæ de Rhabarb.* Vid. D.

7. *Extractum Rhabarbari.*

℞. Rhabarb. el. q.v. extrahe ſ. a. digerendo cum aqua deſtill. Epatica (Endiv. Cichor. Agrimon.) affuſis aliquot guttulis ol. Tart. per d. decanta ac exprime, coagulaque ad formam Extracti.

Alii addunt quoque corrigentia, eaque ſimul extrahunt. Sic Quercet. ℞. Rhabarb. ℔ß. addit Cinam. ℥ß Santal. ʒj. extrahitque cum aqu. Endiv. ſucco Limonior. vel Citriorum acidula reddita. *Pharmacop. Reſt. c.* 25. Fit quoque Extractum per ſpirit. vin. *Vide VVeckerum.*

Doſis à ℈j ad ʒß. vel ʒj. Acui tamen poteſt Diagrid. præparat. Gummi gutt. Elater. &c.

N. Melius eſt extractum ſimpliciter ſine corrigentibus conficere, qui ſi opus ſit, pro intentione Medici oleum aliquod conveniens, è g. Macis, aniſi & ſim. admiſceri poteſt.

[8. *Tinctura Rhabarbari.*]

9 *Confectio Rhabarbari.*

RHABARBARVM: Optimum iſtud inter purgantia: radice flavâ adfertur ex Indiâ Orientali, imprimis ex regione Chinæ & ſimilibus, in quibus radix procreſcit magna, quæ inciditur in taleolos (eſt ſucculenta & dulcis ſaporis) qui præparantur & exſiccantur in umbrâ. Nam in ſale ſi exſiccaretur vis ejus purgans exhauriretur à calore ſalis unde exſiccantur in umbrâ & ad nos adportantur vel ex Oriente Chinâ vel ex ſeptentrione Moſcoviâ quod poſterius nullius eſt pretii, & id quod habemus ex Oriente, tantùm eſt uſitatum. Aliàs *duplex Rhabarbarum* habemus in officinis, VERVM & MONACHORVM. Verum eſt de quo jam agimus. Monachorum, quod interdum poteſt ſubſtitui, ita tamen ut ejus dupla doſis recipiatur, quia *evacuant leniter* & *adſtringendo*

stringendo viscera valdopere roberat, impraegnatum est sale acri alterativo & restitutivo Mass. sanguineae craseos, unde dicitur ANIMA EPATIS i.e. *cachexias* & similes affectus multùm *emendat*. Unde specificè commendatur in *malo hypochondriaco*, & ejus symptomatis, ubi mira praestat. *Benignè evacuat* corpus, & postea quam evacuavit, *roborat & adstringit*, & sola inter purgantia dicitur carere malignitate cum aloe. *Alterat* egregiè *Mass. sanguineam* & ejus *dyscrasiam* emendat. Hinc *partes heterogeneas praecipitando evacuat*. In *ictero* & similibus morbis à bile oriundis, quod dicitur, sive in quibus sal vol. urinosum est depravatum, & nimis oleosum, valdè convenit pro evacuatione. In *Ictero* specificè commendatur tanquam correctivum & etiam purgativum. Hinc etiam propter virtutem adstrictoriam commendatur, & conducit multùm in *Diarrhaeis* & *Dysenteriis*, in quibus purgat & simul etiam adstringit. Praescribi potest pro purgatione & pro alteratione, & propinari in *affectibus Cachecticis* cum passulis, medicamentis tartareis, martialibus & chalybeatis; In *fluxibus alvi*, ubi opus est adstrictione, praescribitur commodè cum Laudano opiato & similibus. Si misceatur cum Gummi guttae & resinâ Jalapae est specificum purgans *Hydropicorum*, dum etiam ex Massâ sanguineâ *serum evacuat ac expurgat*. In *haemorrhagiis* quibuscunque solet commendari propter virtutem adstrictivam: Plura qui cupit de virtutibus egregiis Rhabarbari, in roborando corpore & cujus continuato usu qui *hydropem* curavit & *vulnus* in *capite* periculosum, videre potest *SCHOLZIUM*, *Epist.* 15. Caeterùm vis purgans Rhabarbari consistit in spirituosis & volatilibus partibus, quae leni coctione vel tostione exhalant; unde praescribitur: ℞. Rhabarbari tosti, vel non tosti: (non tostum, quando volumus ut purget, tostum verò quando volumus ut tantùm adstringat) quando enim, uti dixi, torretur, vis purgans avolat & evanescit. Infuso Rhabarbaro in aquam appropriatam Cent. minoris, absynthii, &c. aculeatam cum oleo Tartari per deliquium vel sal. tartari vis purgans abit in aqu. & residuum in substantiâ tantùm adstringit Commodè etiam infunditur in serum lactis, quod infusum valdè convenit in *febribus intermittentibus*, *tertianis*, *biliosis* & *quartanis scorbuticis*, in quibus haec infusio est elegans & egregia. SYRUPUS de CICHORIO cum RHABARBARO solet permisceri cum infusis & decoctis purgantibus modicè, sive laxantibus alvum. In specie infantibus convenit recens natis, quos praeservat à superventu *Epilepsiae*, *evacuando meconium* ex eorum intestinis. EXTRACTUM *de Rhabarbaro* propinatur ad ℈j. potest etiam redigi in pilulas; extrahitur cum aqua alterante & cum oleo tartar. p. d. quod in *febribus tertianis* & *biliosis* mirè convenit: & quidem si debet adstringere solum adhibetur, si laxare, permiscetur cum passulis, robo passularum vel infuso passularum minorum: & commodè sane permiscetur passulis minoribus, quia conveniunt in *Cachexiâ sanguinis*; vid. ea quae dixi de passulis sub uvâ. Ex infusione fit MAGISTERIUM eodem modo atque dixi sub Gratiolâ, si scilicet infundatur aqua aluminis, quod magisterium non in elegantioris erit usus in purgatione, quàm ipsum Rhabarbarum per se usurpatum.

CCCCXXXIV. RICINUS.

Ricinus { Vulgaris. *Hujus loci.* / Americanus. *De hoc infra.*

Dicitur Κίκι, *Diosc. Plin.* Ricinus, *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Cord. Lon. Lob. Cast. Tab.* vulgaris, *Cam. C.B.*1. Catapucia major, *Frag.* Granum regium majus, *Mesue*, *& aliis* Palma Christi. *Arab.* Alkaroa & Kerva German. *Wunderbaum*. Palme de Christ.

Colitur in hortis, tùm ob raritatem, tum ob talpas, quae ejus praesentiam fugere dicuntur.

OFFICIN. NAT.

Semen seu *Nuclei*, cortice suo triquatro echinato exuti.

Vires. Potenter bilem & pituitam ἄνω καὶ κάτω pellit, *calf. sicc.*

Dosis. Nuclei N. xij. plus minus.

N. Rarissimi iidem usus est.

PRAEPARATA.

Oleum ex semine expressum, quod dicitur oleum de Kerva. V. D. N. Ole. hoc dicunt oleum ficus infernalis.

CCCCXXXV. RICINUS AMERICANUS.

Est & genus Ricini, quod ante annos aliquot ex America adferri coepit, vulgari paulò majus, cujus operimentum seu siliqua, quae semina continet, tuberculis asperis non est obsita, ut in vulgari, sed laevis & cinerei coloris: ipsum granum sive semen vulgari simile est, nigrum tamen, non maculosum, nucleumque continet solidum.

Nominatur Ricinus Americus, *Lob. Tab. Clus. in Monard.* Ricinus Americanus, C.B. 2. aliis Curcas. *Vulgò* Grana tiglia. Ubi tamen notandum Granadillam Monardi grana esse ab his diversa, & granati seminibus similia.

Vires. Valenter supernè ac infernè purgat.

Dosis. Nucleus unus excorticatus, vel solùm dimidium nuclei.

RICINUS. Cujus vulgò duae sunt species, MINOR, qui aliàs dicitur VULGARIS, & MAJOR sive AMERICANUS. Differentia cognitu est facilis, praeter magnitudinem, quâ gr. minoris sunt minora, majoris v. majora: minora non adeò eleganter sunt picta atque colorata quàm majora, & praetereà in vulgari sunt inclusa grana capsulis hirsutis, in Americano capsulis glabris. Usurpantur GRANA *rariùs* tantùm, propterea quoniam *nimis potenter, fortiter* ac *violenter evacuant* & cum impetu *sursum* atque *deorsum* quicquid inveniunt, *ejiciunt*. Dosis sunt tantùm in minori quidem nuclei 6. vel 8. in majori verò vix unum vel alterum potest assumi, propter nimiam virulentiam. Dixit tamen mihi quidam Empiricus quòd 1. granum Tigliae (ita etiam vocatur Ricinus Americanus) assumptum sit expertissimum remedium ad *vermes*, & dixit se illo aliquando *evacuasse vermem cucurbitalem* ingentis magnitudinis, & quod citò operetur utut non ita tutò. *BORELLUS*, *Cent.* 3. *obs.* 29. facilem ostendit purgationem cum ole. sem. ricini Americani, quod etiam vocat NUCLEUM PRIMUM MEDICAMENTALEM. Superiùs ubi egimus de alterantibus hûc relegavimus considerationem.

SAMBUCI.

Qui est vel VULGARIS vel HUMILIS *Humilis* est EBULUS, de quo heri nonnulla dixi, quòd in figura & virtutibus multùm soleat convenire cum Sambuco, adeò ut quae dicta sunt de Ebulo, similiter dici queant de Sambuco: utut magis universalis & catholica sit virtus Sambuci quàm Ebuli: unde elegantem tr. in quo multa reperiuntur curiosa, scripsit *BLOCHWIZIUS*, quem intitulavit Anatomiam Sambuci. Vulgaris reperitur triplicis generis, *cum baccis rubris*, *nigris*, *& albis*, sed sambucus, vulgaris baccis nigris hîc intelligitur, quòd sit in usu. Quod attinet vires de distinctis ejus partibus distinctè quoque erit loquendum. Et quidem 1. FLORES *Sambuci* se offerunt, qui inter *discutientia* externo usu & inter *diaphoretica* interno admodùm sunt decantata: Praetereà externo usu *emolliunt*, *resolvunt* ac *dolores sistunt*. Unde in cataplasmata etiam appropriatissima *arthritica* flores sambuci in lacte cocti, primatum ferè obtinent & multa praestant. In Erysipelate iidem flores in aqua cocti & decoctum applicatum est egregium remedium, & non metuendum

dum mulierum effatum non esse humectandam rosam. Iidem flores, sicuti tota sambucus est excellens remedium in *Erysipelate*, quod non habet par: & qui metuunt periculum ex humectatione ℞ pulverem flor. Sambuci & cum creta, saccharo saturni olibano & myrrha mistum inspergunt *Erysipelati* & est valdè conveniens. Vid. talem pulverem descriptum in MYNSICHT. Unde etiam intrinsecus DECOCTUM FLORUM. Sambuci pro *sudore ciendo* est elegans in Erysipelate: melius est, si fiat in sero lactis, estque magis appropriatum, quod idem decoctum non vulgariter etiam convenit in *Scorbuto* & præter *vim diaphoreticam* moderatam habet *vim laxandi*: Iidem flores exsiccant, & in sero lactis vaccini decocti, & mammis applicatum decoctum commendantur ad *augendum lac nutricibus*. Iidem flores circumligati capiti prosunt ad *cephalalgias*, *deliria* & *vigilias*, *somnum similiter moderatum* conciliant. Multi sunt usus externè pariter in *tumoribus discutiendis emolliendis & maturandis*, ac internè in *Erysipelate* & aliis affectibus: Non *purgant* nisi in sero lactis cocti, uti dixi, & tunc obtinent *vim moderate evacuativam*. DE BACCIS nihil dico, quoniam crudè non adhibentur, nisi ex illis paratum ROB, de quo inferius dicetur. Sequitur LIBER seu CORTEX INTERIOR. Nam duplicem habet corticem, exteriorem album, quo abraso reperitur interior ex flavo viridescens, & hic cortex est istud quod in Sambuco solet *purgare & evacuare serosos humores*, atque tales non tantùm in *hydrope* & in *scorbuto*; imò simplex serum quod sanguinis permistum *scabiem* producit. *FORESTUS*, *lib.* 19 *obs.* 37 refert, quòd hic cortex pro varietate collectionis nunc *sursum* nunc *deorsum* soleat *evacuare* & *purgare* quod etiam de asaro dixi; SUCCUS EXPRESSUS *ex hoc cortice* ad ℥j. vel ℥iß. in appropriato vehiculo solet *specificè evacuare hydropicos*, & in quibus abundat serũ & lympha. SYRUPI ex *eodem præparati* habent eandem *vim laxativam*. Externè easdem vires obtinet quas flores, specificus tamen est in *ambustionibus*, in quibus ex tali cortice egregia fiunt unguenta cõtra *ambustiones*, qualium compositiones aliquot vid. in *SENNERT. lib.* 5. *prax* ubi *de ambustis*. In sero lactis cum succo Ebuli sunt basis unguentorũ ad *ambustiones* destinatorũ. Unde quidam in *ambustis* commendant mucilaginem seminis Cydoniorum extractã cum aqua sambuci in qua aliquot gr. Camphoræ fuerunt dissoluta: In *ambustis* mira facit. TURIONES sive GEMMÆ *violenter purgant sursum & deorsum*, & à mulierculis ac famulis solent expeti in acetariis propter vim per superiora & inferiora purgantem; Observentur quoque de his, quæ de Cortice dixi, quod si decerpantur sursum, soleant evacuare per vomitum sive ciere vomitum; si deorsùm, per alvum: aliàs promiscuè decerptæ sursum & deorsum non sine impetu purgant. AURICULÆ JUDÆ, sive SPONGIÆ SAMBUCI, sequitur: Hæc spongia sambuci valdè convenit in *affectibus oculorum* uti dicit *AUCTOR*. Magis tamen appropriata est infusio spongiarum in *affectibus faucium*, *tumoribus gutturis & anginâ*, in quibus sunt appropriatissimum quoddam remedium. Macerantur in acet. & hoc acet. exhibetur in *gutturis tumore* ad gargarisandum: Hæ spongiæ sunt parvæ admodùm, sed tamen infusæ in liquorem mirum quantum intumescunt, & sic quasi per signaturam tumorem gutturis referre dicuntur. In aquam appropriatam infusæ mollescunt & tument & eadem aqua in *tumoribus gutturis*, intus forisque nondum satis laudatum est remedium Vid. de hoc *WORMIUS*, in *Musæo p.* 138. & in his *faucium affectibus* præsentissimum auxilium esse ab illis dicit *FREITAGIUS*, & omnes Auctores. In *Batracho* sive *ranula infantum* infunduntur in potum puerorum & sic vim habere dicuntur contra *Batrachum* Si infunduntur in potum puerorum laudat illas *GRULINGIUS*, contra *anginam puerorum*: dum dicit *AUCTOR*: sunt qui infundunt in vinum in *hydrop.* refert hoc *PAULI*, quod vino infusæ miro modo soleant pellere *hydropicorum aquas*. MEDULLA quæ in medio teneriorum surculorum ligno est inclausa sequitur; quæ incisa & deglutita mirè conducit in urina *cienda* & *expellendo sabulo*, & habere solet *vim nephritidem* & *ascitem curandi*: Sicut refert *ELPCHWIZ*, *in anatomia sambuci p.* 211. Fit ut SAMBUCUS reperiatur CRESCENS in SALICE VETERI, instar visci; & tali modo crescens expertum est *amuletum* contra *Epilepsiam*, quod nunquam satis decantare possunt auctores: Applicandi, gestandique modum docet optimè *HARTMAN*: *in praxi Chimiatr p.* 88. & hoc amuletum etiam valdopere commendat *BARTHOL. Cent.* 4. *obs.* 69 Ut paucos saltim allegem, qui meretur ut legatur & singulare itidem exemplum refert *Cent.* 3. *p.* 342. Rationem transplantatoriam virtutis amuleticæ in hoc Sambuco dat *TENZELIUS*, in *Medicina Diastatica p.* 179 *STARIZIUS*, in heroum thesauro p 29. valdè commendat eam sambucum, quæ in salice creverit, ex passeris Epileptici cadavere, quod an interdùm eveniat, profectò nescio. Sequuntur PRÆPARATA: AQUA *est diaphoretica* internè & externè adhibetur: unde in *febribus malignis* inservit pro vehiculo pulveribus Bezoardicis. SPIRITUS per fermentationem paratus est egregiè *diaphoreticus* & in *Erysipelate* multi usus. Ex baccis fit ROB seu SUCCUS EXPRESSUS & INSPISSATUS Hoc rob si extrahatur cum spir. flor. sambuci, fit egregia Ess. in *Erysipelate*; datur ad ʒj *movet sudorem* & *curat Erysipelas*: Notum aliàs est quod conveniat in *movendo sudore* si assumatur cum C. C & cum Ebore sine Igne in *Erysipelate capitiis* usurpari potest talis bolus.

℞. *Rob Sambuci* ʒj.
specifici cephalici vel cinnabaris antimonij vel antimonij diaphoretici ad ℈j. *Bezoardici jovialis gr.* 3. *vel* 4.
c. Syrupo Cardui benedicti.

Fiat bolus adspergendus spiritu flor. Sambuci Potest appropriari ad alia *Erysipelata*, & erit satis *diaphoreticus*, *potenterque movebit sudorem*. Hoc rob dilutum cum spir. vini & applicatum *locis ambustis* est expertum remedium quod valdoperè *combustionibus* medetur. EXTRACTUM sive Tinctur. est quæ fit cum spir. vini. Melius tamen est, si fiat cum spir. proprio sive cum spir. flor. sambuci: nam spir. vini est admodùm vulgaris: uti facit *QUERCETANUS*: Ergò spir. appropriatus florum est recipiendus. Hæc tinctura elegans est in *Erysipelate* & similibus. Ex baccis nigris exsiccatis contusis per infusionem cum spirit. vini, vel quod melius est cum spir. flor. sambuci, fit tinctur. BACCARUM SAMBUCI, quæ etiam vocatur tinctura GRANORUM ACTES, quæ est specificum remedium in *suffocatione uterina*, & in forma tincturæ ad Cochlear. j vel alterum potest assumi: in forma verò extracti à ℈j. ad ʒß. Unde facilè potest fieri ESS. UTERINA COMPOSITA ex Castoreo, asa fœtidâ, & similibus, quæ omnia dant Essent. compositam. Et sic etiam fieri possunt PILULÆ in *suffocatione uterina* usitatæ. Si recipiatur Extractum paratum ex essent. gr. actes & fiant pilulæ addito pulvere castorei. pulvere succini albi, pulv. Myrrhæ & aliquot gr. camphoræ & si præcavendus paroxysmus suffocationis uterinæ adduntur aliquot gr. Laudani opiati, non verò quando est curandus. oleum EX ARILLIS BACCARUM EXPRESSUM est egregium *vomitivum*, quoque valdè commendatur post *assumtionem philtrorum projiciendorum* per vomitum. Dosin habet *AUCTOR*: Præterea summè *anodynum* est & *pellit flatus*. Eadem vis vomitiva est in CONSERVA TURIONUM *Sambuci*, quæ eodem modo solet per vomitum purgare

gare TRAGEA Gr. ACTES, cujus præparationem habet *AUCTOR*, est excellens specificum in curâ *Dysenteriæ* uti videre est in omnibus auctoribus, qui de dysenteria scripserunt Præter præparationem, quam habet *AUCTOR*, magis appropriari potest si scil. isti pastæ, ubi tertiâ vice fuit pulverisata, addantur Sanguinis leporis recentis crudi ℥iv.

Pulveris Priapi Cervi ℥iß. & succi gr. Sambuci recentis q.s. fiat Massa & tertio in Clibano Coquatur, pulverisetur &c. vid. AUCTOR:

Hæc expertissima in *Dysenteria* & etiám deinde in *Pluritide*, Fuit aliquando quidam, qui *vermes multos* è corpore eduxit hoc medicamento: accepit ovum, cui incubuit gallina per 10 dies, hoc in urceolo calcinavit & in pulverem redegit, cum admistione pulveris corticum viridium & flavorum sambuci, affudit lac caprinum, deditque patienti loco potus: sicuti refert, *Hildesheim in spicilegio 2. p. 189.*

S.

CCCCXXXVI. SENNA.

SEnna C. B. Sené. { Alexandrina, s. foliis acutis. *Hæc præstantissima.* Italica, s. foliis obtusis. *Hæc priori substituitur.*

Prior inscribitur Senna Alexandrina, *Trag. Cam.* Orientalis, *Bellon. Lob. Tab. Ger. aliis* Ægyptiaca aut Syriaca.

Altera dicitur Senna, *Hermolao*, Sena *Matth. Fuchs. Dod. Cord. h. Lon. Lob. Cast.* Italica *Trag. Tab. Ger. Cam.* altera media dicta, *Bellon. aliis* nostras.

N. Veteribus Græcis indicta videtur, primùm à Serapione descripta.

OFFICIN. NAT.

Folia, tum quoque *folliculi*. sed raró.

N. Folia præscribuntur utplurimum s. st. i. e. sine stipitibus, à quibus eligendoque separantur.

Vires. Senna inter purgantia usitatissima est, adustos ac serosos humores, & hinc flavam bilem pituitamque ex Capite, Epate, Liene, continuatoque usu juncturis, sine noxa sat benignè educens. Excitat tamen nonnunquam tormina, id quod ex abundantia pituitæ vitreæ, seu mucilaginis acris evenire nonnulli volunt. Verùm rectiùs sentire videntur, qui id crudiori ac magis terrestri senæ particulæ, forti expressione prolectæ. adscribunt. Quia autem calida ac sicca (1.) corrigitur flor. viol. Borrag. Prun. & quo minùs ventriculo obesse possit additur Cinam. Galang. Zinzib. &c.

Exhiberi potest omni ætati, & vel ipsis prægnantibus.

Dosis in subst. à ʒi. ad ʒiß. in infus. à ʒiiß. ad ℥ß vel ad plures vices ℥i. ij.

N. Adhibetur & extrinsecus ad melancholiam capitis arcendam (in lotionibus capitis.

PRÆPARATA.

1. *Pulvis senæ Montag.* V.D.
2. *Syrupus folior. senæ* V. D.
3. *Syrupus de pomis Reg. Sab.* Vide Dispens.

N. Potest Syrupus senæ parari cum fructu, ut est in Pharm. Poterij phg. 122. Acui potest aliquot gutt. spiritus vitrioli aut Tartari.

4. Electuar. Diabelzeme, s. Sennatum Renod.
5. *Passulæ laxativæ* Vid. Disp.
6. *Extractum.*

℞. Fol Senæ Alexand. ℥i affunde aqu. simpl. ferventem (acuatam, si libet, aliquot guttis ol. Tart. per d.) ℥viij. Extrahe, exprimeque leniter, clarifica, inspissa ad consistentiam justam.

N. 1. *Alij* extrahunt macerando cum aqu. stillat. pomor. redol. *Beguin. Quercet* Alij cum aqu. Lupuli, Scolopen. Borrag. Fumar. addita portione alia Caryophyll. Zinzib. sem. fœnic. *August.*

Dosis à ℈ ß ad ʒi. ultra.

N. Extractionem ex eiisdem foliis secundò ne repetas: gravia nimirum tormina excitare solet.

7. Tinctura Sen. aut Rhabarb. ex communicatione S. Closs.

℞ Fol. Orient. vel Rhabarb. ℥ß Sal. nit. tantumdem reduc in pulv. qui accensus cum carbone ignito dedonet in crucibulo, cinerem solve in Acet. destill. aut spirit. vin. solutum filtra & evapora, solvatur denuo in aq. ros. filtreturque addendo ʒij rhei aut fol. Sen. in pulv. redact. digere per 4. aut 5. horas.

Dos. hujus tincturæ sint cochl. ij. in jusculo. Ita reliqua purgantia in Tinctura adducuntur.

SENNA. Quæ genuina officinalis debet esse ALEXANDRINA seu ORIENTALIS: ITALICA vulgò substituitur, sed non tantæ est efficaciæ ac usus, solet à quibusdam etiam haberi pro ejus succedaneo, in dupla quidem dosi colutea vesicaria, idque non sine experentia, qualis vid. in *Cent. 5. BARTH. hist. 40.* In usu sunt solùm FOLIA, FOLLICULI raró, imo nunquam Folia solent præscribi sine stipitibus, propterea, quoniam *adstringunt*, quæ vis adstrictoria est contraria laxativæ virtuti sennæ. Notum enim est, quòd sit unum ex usitatissimis purgantibus, quoniam est valdè moderata & sine graviorum symptomatum concursu, turbulentiâ, & effervescentiâ blandè solet elicere & purgare excrementa quæcunque ex corpore & massa sanguinea Blandè dico: Nec quemquam impediat, quod excitat interdum tormina nam hoc facit mucilago viscida interna, quæ adhærescendo intestinis tales cruciatus causátur. Propterea sine adjectione stimuli salini tartari nunquam est propinanda, utpote quæ talem mucilaginem incidút & excretionem promovent: & hoc observandum sive propinetur senna in substantia, sive infuso: talis mucilago in senna probari potest ex eo, si enim decoquatur per se decoctum, fit crassum & mucilaginosum, quod solum potum tormina excitat & nihil operatur: si verò addantur tartarea, fit decoctum *egregiè purgans* sine torminibus, quod de pulvere ipso etiam intelligendum. Ex hoc fundamento procedit infusum MANNAGETTÆ quod parat ex sennâ sale tart. & semine Coriandri, cujus descriptio prostat in *Pharmacopœa Augustana*. In infuso potiùs præscribitur senna quàm in decocto, quoniam virtute purgativa in coctione spoliatur. Unde *RULANDUS* utitur senna in vino infusa. vid. *Thesaurus p. 249.* non secus ac cum foliis asari hîc se res habet, Dosis in substantia est à ℈j. ad ʒß. in qua tamen rari est usus, nisi præscribatur pulvis sennæ MONTAGNANÆ, qui similiter factus est ex senna, Cremore tartari & aliis. Dosis est à ℈j. ad ʒß. in Infuso potest commodè propinari à ʒj. ad ʒiij modò legitimè infundatur cum sal. tartari vel crystalli tart. valdè sufficiens est dosis ad laxationem, imò integram purgationem v. g. potest esse talis infusio.

℞. Fol. Sennæ sine stipitibus ʒiij. vel. ℞. pulv. varietate circumstantiarum fol. Sennæ s. s. ʒij.
Rhabarbari electi ℈.
sal. tart. vel Crystallorum tart. à ʒß. ad ʒj.
Seminis anisi ℈j. Cinnamomi ℈ß.

Infunde in s. q. aqu. fumariæ, si est affectus Chronicus vel frigidus: si calidus, infunde in serum lactis vel simplex, vel serum lactis destill. quod infusum sennæ etiam est elegás in *Scorbuto*: vel in scorbuto fit infusio in aquá scorbuticam *DORNCRELII*: stent per noctem in loco calido manè coletur. Colaturæ adde:

Syrup. de Cichorio cum Rhabarbaro ʒvi.

præter propter: & quando specificare volumus pro *Scorbuto* spir. cochleariæ ℈j. pro *malo hypochondriaco* spir. sal. ammoniac. gr. X vel XII. M. D. S. pot. purg. Hic est modus optimus infundendi, & in affectibus, in quibus adhibetur senna; adhibetur m. Rhabarbarum. Commodum menstruum pro infuso sennæ & aliorum purgantium, quæ requirunt menstruum

menstruum aquosum, est succus pomorum redolentium, s. pomorum Borsdorffianorum, si acuatur aliquot guttis oleo tartari per deliquium, estque egregium infusum purgans in *malo hypochondriaco. In affectibus* ergò *melancholicis*, in *morbis chronicis*, 4 *tanâ*, *scorbuto*, in *affectibus mulierum* & similibus aliis convenit senna. Cæterùm ventriculo non parùm est adversa, & abundè sui solet generare nauseam: propterà dicit CARDANUS, se vidisse virginem vestalem s. monialem; quæ ex ℥j. decocti sennæ bibitâ veneni symptomata passa sit. Quidam cum senna præparant purgans polychreston h m. Ponunt ad aqu. Syrupum rosarum solutivum ad ℥ij. huic leniter calenti injiciunt sacchari rubri depurati & pulverisati ℥iß. quo soluto addunt cremorem tartar. ad ʒiij. Zingib. ʒj. seminis anisi ʒß. foliorum sennæ ℥iß. miscent cum spatulâ, removendo ab igne donec frigescat; hinc iterùm aliquid Syrupi solutivi injiciunt & miscent. Dosis est instar nucis juglandis, pro eleganti evacuativo. SYRUPUS *de pomis Regis Sabor* adhibetur in *affectibus melancholicis*. EXTRACTUM SENNÆ rarò prostat tinctur. satis est clara.

CCCCXXXVII. SOLDANELLA.

Κράμβη θαλασσία, *Dioscor.* Soldanella, *Dod. Lon. Lob. Tab.* Marina, *Ger.* Brassica marina, *Matthiol. Cord. Lon. Cam.* Soldan. maritima minor, C. B. 2. Germanicè *Meervinden.* De la Soldanelle.

Crescit in locis maritimis Italiæ, Galliæ, inferioris Germaniæ. Floret æstate.

OFFICIN. NAT.

Herba seu Folia ad nos ex Gallia allata.

Vires. Calfac. & sicc. 3 Aquam validè educit, adeoque confert in hydrope, scorbuto, &c. Corrigitur cum stomachicis Zinzib. Mac. Cinam. sem. anis. &c.

Dosis in substantiâ ʒß. ad ʒj.

PRÆPARATA.

Succus inspissatus.

SOLDANELLA. QUoniam in locis maritimis instar volvuli hinc inde serpens & flores habens instar volvuli, in Italia & Gallia solet ubertim provenire, unde & folia exsiccata ad nos adferuntur, & usurpantur in evacuanda aquâ *hydropicorum* ut & in *evacuando sero Scorbutico.* Certa ad *hydropicorum aquas* salubriter adhibetur Soldanella & caret malignitate quam velare alia purgantia nesciunt adeò ut ERASTUS eam nunquam in curatione hydropiseos omittendam asserat & quidem rectè adhibetur in *cura hydropis* sive sub forma pulveris sive succus propinetur Rhabarbaro juncta & reliquis hydragogis sic enim mirâ proprietate *hydropem evertit.* Dosis in substantia in forma pulveris est à ʒß. ad ʒj. Succus expressus propinatur ad ℥ß. in decocto præscribitur à Mj. ad Mjß.

CCCCXXXVIII. SPINA INFECTORIA.

RHamnus Catharcticus, C. B 6. Rhamnus solutivus, *Dod. Ger.* Rhamni alia species, *Trag.* Spina infectoria, *Matt. Bellon. Lob. Cast. Clus. hist. Tab.* Cervi spina, *Cord. hist.* Spina alba, *Lon.* German. *Wegdorn*, *Creutzbeer.* Du Rhamne catarctique.

Crescit juxta sepes in sylvis, aliisque locis incultis, amans scrobes & rivulos, familiarisque est tractui circa Rhenum. Floret Maio, fructus fert Autumno.

OFFICIN. NAT.

Baccæ, collectæ in fine Septembris, aut initio Octobris.

Vires. Purgant bilem, pituitam ac maximè serosos humores, unde usus præcip. in Cachexia, Hydrope, Arthritide.

Dosis Baccar. à N. xv. ad xx. vel aridæ baccæ teruntur, daturque pulvis à ʒj. ad ʒß in decoctione coquuntur baccæ Num 40. vel 60.

PRÆPARATA.

1. *Succus ex baccis expressus.*

2. *Syrupus de spina infectoria*, *s. Syrupus domesticus. Syr. de Spina Cervina* Fit ex succo ac melle [sub sole depurato] additis corrigentibus.

Dosis ℥j. ad ℥iß. V. D.

N. Ex baccis immaturis fit luteus color: ex maturis, viridis (Saffrgrun.)

3. *Extractum Rhamni & Tithymalorum omnium S. Class.*

Contundantur Rhamni baccæ, vel Tithymali cum toto, & inter pistandum irrorentur aceto rosar. succum exprime, clarifica, tortivæ hujus materiæ retrimentum calcina addito pari pondere Sal. nit. & extrahe salem cum Acet. destill. quem succo remisce, ad Extracti consistentiam redige, quod longè purius erit, si denuò solvatur in aq. ros. addaturque ʒß. ol. Sulphur. campanarii, filtretur & evaporetur ut prius.

Dosis gr. viij. in jusculo.

N. Sic quoque Cucumer agrestis, & Rad. Helleb. in extracta redigi possunt, affuso vino albo loco aceti, in quo rad. per horam unam aut alteram decoquantur.

SPINA INFECTORIA. Seu RHAMNUS, SPINA ALBA, RHAMNUS CATHARTICUS sive SOLUTIVUS sunt aliquot species Rhamnor. & eæ in officinis usitatæ; quæ culturâ provenit in hortis nostris & subministrat baccas rubras officinis quæ *purgant excrementa quæcunque*, *imprimis tamen eadem* copiosa sero involutâ exturbat: Unde convenire valdè dicitur in *affectibus cachecticis*, *Chronicis*, *hydrope*, *arthritide* & similibus, ubi abundat colluvies serosa; rarò præscribitur in substantia, sed ut plurimùm si non semper SYRUPUS *de spina infectoria* sive SYRUPUS de SPINA CERVINA. Præparationem habet *AUCTOR*, solus potest præscribi ad ℥jß. quoniam *eleganter purgat.* Quod dicitur ab *AUCTORE* de Rhamno intelligendum quoque est de Esulâ, Tithymalo & aliis purgantibus: Non incommodè parantur ita eorum EXTRACTA: cum in iis per acetum & nitrum corrigatur vis maligna purgativa: adeóque non est inelegans modus.

CCCCXXXIX. STAPHISAGRIA.

STaphisagria descripta est suprà Hujus loci semen est, quod purgat per vomitum, sed rarissimi usus est.

Dosis gr. 12. vel 15.

STAPHISAGRIA. De qua superius inter alterantia secundaria dixi, quod SEMINA quæ purgant sint rarissimi & nullius usus.

T.

CCCCXL. TURPETHUM.

Turpetum est C. B. {
1. Arabum, s. *Turbit officinarum.*
2. Indicum Turbit, *Garz. Acost. Trag. Dod.*
3. Garganicum, s. pseudo Turpetum, *Matth.*

1. Dicitur Turbith Mesue, *Matth.* Turbitum, s. turbit Arabum, *Cord. h.* 1. Alexandrinum, *Lob. Ger. Cast.* Thapsiæ radix, *Fuchs.* Turpetum *Tab.* Turbith blanc.

N. Hoc esse quod in officinis usitatum est, authores sunt *Clus. in Garz. Matth. & alij quamplurimi.*

2. Dicitur Turpetum repens foliis Alteæ, C. B.

N. Hoc esse verum officinarum Turbith defendit Garzias, & hoc Dodonæus, &c.

3. Nihil aliud est (teste Matthiolo,) quàm radix vel Thapsiæ, vel pityusæ ex Gargano Apuliæ monte allatæ, vel (teste Clusio in Garziam,) Scammoneæ Radix, loco veri Turbith venundata.

OFFICIN. NAT.

Cortex seu *Radix* à medulla lignosa sequestrata.

Vires. Calf. 3. crassos viscososque humores, sive pituitam fortiter & à remotioribus partibus, juncturisque elicit; unde

unde & diuturnis morbis maximè conducit. In primis proficuus ejus usus est in Arthritide, ventriculo pituita abundante, Lue venerea, Hydrope Elephantiasi, scabie, &c.

Quia ventriculo nauseam & vomitum procreare per se solet, corrigitur Zinzibere, Mastiche, Pipere, Cinam. Fœnicul. Dosis à ℈ij ad ℈iij. in infusione à ʒj ad ʒiij.

N. Infantibus ac gravidis dare caveto.

PRÆPARATA.

1. *Species Diaturbith, C. Rhab.* Vide Disp.
2. *Pulvis Stockstaldi dictus* V. D.
3. *Pilula ad Turbith. stomachica Mesue* V. D.
4. *Acetum de Turbith*, varij generis.

Vires. Commendatur in peste, fitque ex Turbith, tuta, myrrha, aloë, aliisque putredinem arcentibus in aceto infusis.

5. *Extractum.*

N. Quia Turbethum resinosum est, seu ut aiunt, gummosum, convenit cum spir. vin. Extractum ejus conficere.

Dosis hujus Extract. à gr. vj. ad x. & plura.

TURPETUM. Alio nomine dicitur TURBITH, quod qualis sit Radix, nondum convenit inter auctores, cùm nesciant unde sit, quoniam ex peregrinis locis solet afferri: quicquid sit, radix sive cortex à medulla lignosa separatus *fortiter* satis *educit crassam & viscidam materiam* eamque non tantùm ex primis viis, sed beneficio sanguinis Circuli ex aliis m. partibus *expurgat vitiosa excrementa*, & vulgò refertur inter PHLEGMAGOGA inter quæ talis dicitur esse ordo nimirum, quòd non extrahit agaricum, promovet Turpethum & quod turpethum non evacuat, ejicit colocynthis. Et hic est progressus majoris & minoris efficaciæ. Imprimis solet commisceri cum aliis: In *affectibus arthriticis* in quibus cum Hermodactylis constituit pulverem purgantem *PARACELSI* vid. *Hermodact.* In *morbis Chronicis & diuturnis* specificè convenit. Quæ habet *AUCTOR* satis sunt clara dosis est à ℈j. ad ʒß. rarò ad ʒj. In infuso ad ʒiij. parari a. debet infuso non cum liquore vinoso aut aquoso quoniam est aliquid Gummosi & & hinc non communicat virtutes purgativas tali menstruo vinoso vel aquoso sed cum menstruo sive liquore spirituoso. Deinde egregium est vel in substantia vel ESSENTIA vel EXTRACTUM Turpethi per spir. vini paratum, SPECIES DIATURBITH cum RHABARBARO dantur quoad summam dosin à ʒß. ad ʒj. Et quidem in minori dosi valdè conveniunt pueris *vermiculantibus* uti etiam adultis: Nam post mercurium nihil fortiùs exturbat vermiculos, quàm species Diaturbith. Unde specificum sunt medicamentum tàm adultis quàm infantibus, quibus dantur cum saccharo sub formâ morsulorum vel tabellarum, ut sic decepti *vermium ejaculationem* sustinere queant. *FABER lib. 2. Myrothec. spagyr. cap.* 24. habet V. ESS. Turbithi paratam cum spir. roris maialis elegantem quæ cit. loco videri potest.

CCCCXLI. TAMARINDI.

Tamarindus *Serapioni.* Tamarindi, *Matth. Bellon. Garz. Acost. Fragos. Lob. A. pin.* Tamarindi, dactyli Indi, *Mesue.* Tamarindus, i. e. Acacia Indica, *Cord. hist.* Tamarindi, *Cam. Epit.* Palmæ sylvest. fructus oxyphœnica, *Lon. Cast.* Siliqua Arabica, quæ Tamarindus, C. B. 3.

OFFICIN. NAT.

Dactyli acidi (sic dicti ab Arabico Tama, quod dactylus est: dicuntur & ὀξυφίνικα, palmulæ acidæ, non quòd fructus palmæ arboris sint. Arbor enim Tamarindifera instar Fraxini procera est.

Eligendi recentes, nigro rufescentes, teneri, multis villi intertexti, pingues, acidi, s. vinosi.

Vires. Refriger. & sicc. 2. humorum acrimoniam & fervorem reprimunt, bilem ac adustos humores blandè ducunt, siti succurrunt.

Dosis ab ℥ij ad ℥iiij. in Decocto. Alij ab ℥ß. ad ℥j.

N. Parum nutrimenti subministrant.

PRÆPARATA.

[Tamarindi Conditi interdum adportantur.

1. *Pulpa Tamarindor.* V. D.

Dosis ad ℥j. ad ℥ij.

Sunt qui paulò aliter hanc pulpam deputatam conficiunt. Extractum Essentiamve Tamarindorum vocant. ℞. Tamarind. q. v. coque in s. q. aquæ. Exprime, clarifica cum albumine ovi ac inspissa.

Dosis à ʒß. ad ʒj. & ultra.

N. Fit. & Tart. ex Tamarindis l. a. sed minimè purgat *Sala.*

2. Electuarium Diaphœnicum. Vide Disp.
3. El. de Tamar. cum foliis Sennæ Horstij.

TAMARINDI Qui revera sunt fructus quidam quasi prunacei: qui fructus vocantur m. DACTYLI ACIDI, sumuntur ex arbore procera & eorum pulpa cum quibusdam nucleis commista ad nos adportatur, saporis est subacidi & eligendi sunt fructus acidi vel certi saporis, qui sunt vinosi. Hi Tamarindi solent *evacuare humores biliosos* & leniter imminuere nimiam abundantiam salis vol. acris oleosi sive biliosi uno verbo solent *evacuare bilem* satis moderatè & temperatè. Præterea ratione saporis acidi inter alterantia commemorantur quatenùs *effervescentias sanguinis inhibent & præcipitant, moderatè salia in Mass. Sang. nimiam acrimoniam & fervorem humorum reprimunt, sitim compescunt & nimios ardores* ac *incalescentias corporis acore suavi inhibent.* Propterea DECOCTUM *Tamarindorum* est egregiū remediū instar potionis vel Iulebi in *febribus tertians*, & similibus: imò decoctum cōmodè potest propinari in *febribus malignis* in quibus necessum est ut alvus sit aperta, *alterant* enim *effervescentias febriles*, emendant & sensim ac blandè effervescentes humores evacuant. potest dissolvi PULPA *Tamarindorum* in Cerevisiâ pro blando laxativo simulque pro eo ut *sitim compescat*; Ipsi Tamarindi dantur in substantia ad ℥ij. Cæterum usitatius recipitur pulpa Tamarindorum & hæc potest commodè ad ℥j. vel ℥jß. propinari. Commendatur valdè dissoluta in potu ordinario vel in decocto hordei aut aliis liquoribus appropriatis qui fiunt instar Iuleborum quoniam liquores acescunt, & colorem rubicundum acquirunt, id quod etiam facit decoctum Tamarindorum. Possumus dissolvere pulpam Tamarindorum in sero lactis & colare in *febribus ardentibus & malignis*, ubi opus est alterantibus, sitim compescentibus & blandè ac moderatè evacuantibus: Possumus tunc recipere Tamarindorum ℥j. vel pulpæ Tamarindorum ʒvj. in seri sive lactis s. q. coquere, colare & deinde propinare in *febribus ardentibus*, *tertianis*, *malignis*, & multum laxativum est aliud, quod æquè tutò in his possimus propinare quàm decoctum Tamarind. dùm propterea *stomachum blandè constringit, & nauseam ejus ac inappetentiam corrigit, blandè effervenscentiam compescit & moderato coagulo ebullitionem sistit.* De tartaro Tamarindorum sero lactis infusorum vid. *BARTH. Cent.* 5. *hist. hist.* 21. quæ est lectu digna.

Absolvimus purgantia *primaria*, sequuntur nunc SECUNDARIA, ita dicta quoniam ex herbis generantur inter quæ primò se offert.

CLASSIS IV.

De purgantibus Secundariis.

A.

CCCCXLII. ALOE.

ALoë est succus sapore amarissimus, qui ex Arabia & Ægypto ad nos pellibus involutus deportatur. Genera ejus moderno tempore officinis in usu sunt 4. quæ tamen non nisi puritate & impuritate discrepant. Nam *Aloës crassamentum*, s. pars impurior arenosa, sordibus conspurcata, & idcircò nigricans, dicitur *Aloë caballina* : *pars purior*, colorem hepatis referens, *Hepatica* : adhuc *purior. succotrina* vocatur, quasi succo citrina; quòd pulvis ejus citrini coloris sit, vel succotrina ab Insula Socotra, ubi copiosè crescit : *pars purissima*, si adeò depurata ut transparens sit, *lucida* dicitur, quòd scil. radiis solaribus objecta pellucida instar vitri appareat.

Optima lucida est atque sine ulteriori præparatione in usum medicum accersiri apta. Lucidæ succedit Succotrina & Hepatica.

N. Caballina, Caballis seu Equis exhiberi debet, non hominibus.

Censetur Aloë bona, quæ pura, eximiè amara, subflava, difficilis solutu ac fractu. Hinc, quantò Aloë purior, amarior, flavior, tantò quoque melior est.. Nigra enim & fractu contumax, reprobanda, ceu adulterata.

Aloë C. B. est. { 1. vulgaris *Hujus loci.* 2. folio in oblongum aculeum abeunte.

1. Dicitur Aloë, *Trag. Matthiol. Fuchs. Dod. Cord. Lon. Lob. Cast, Garz. Clus. hist.* communis, *Cam.* Ex hac exprimitur succus, qui inspissatus Aloën hujus loci exhibet.

2. Est sempervivum illud folio mucronato, quod de tabulatis cænaculorum suspensum diutinè virescit, præsertim si luto radix circumligetur, & subinde irrigetur. Dicetur Aloë Americana.

Vires. Vim præter purgantem obtinet & exsiccantem (gr. 3.) calfacientemque (gr. 2. proritat hæmorrides & menses, roborat ventriculam, enecat expellit lumbricos, arcet putredinem, astringit, consolidat, extergit, adeoque vulneraria est insignis.

PRÆPARATA.

1. *Aloë depurata, sive lota.*

℞. Aloë q. v. pulris. solve in aquam quod arenosum subsidet, abjice : pinguissimum è contra & quod leve est, recipe.

N. 1. Sunt qui aquam Endiv. vel Cichor. Acetosæve adhibent. Alij ut augeatur vis purgatrix, decoctum purgans loco aquæ substituunt.

N. 2. Aloë constat parte resinosâ & aqueâ : illa purgationi inutilis est, hæc idonea. Eapropter, si aloën purgantem expetas, neglectâ resinosâ, aquam collige, in aqu. solubilem, eamque à fæcibus sequestratam.

2. *Balsamus, sive Extractum Aloës.*

℞. Aloës succotrin. q. v. extrahe rubedinem : s. a. cum spirit. vin rectif. decanta, filtra coagulaque ad consistentiam aloë debitam. *Pharmacop. August.*

Vires. Ex superioribus collige.

Dosis à ℈j. ad ʒß.

N. Aliam quoque extractionem, scil. cum Acet. destill. & aqu. rosat. Vide si libet in Pharm. August. sub extracto Cholagogo Andernaci.

3. *Aloë violata.*

℞. Aloës puriss. grossè contusæ ℔ 1. infusionis violarum (ex triplici infusione, *vide Syrup. violar.*) ℔iij. clarifica, digere, ut solvatur aloës, cola ac coagula leni calore ad consistentiam pilularem.

Dosis à ℈ß. ad ʒß. Sala de Essentiis.

4. *Aloë violata Tartarea.*

℞. Aloës violatæ ℔. 1. Crystal. Tart. ℔. ß. misce.

N. Sala vocat Aloëdarium Tartaro-violatum.
Dosis à ʒß. ad ʒ1.

5. *Aloë rosata.*

Fit eodem mado (quo Violata) cum succo Rosar. & ex eadem cum vino F. pilulæ *Vide Pharm. August.*

6. *Aloë rosata Hieronymi ab Aquapendente.*

℞. Aloës puræ pulveris. q. v. impasta cum succ. Rosar. Damasc. seu provincialium : exsicca leni calore æstivi solis, iterumque impasta, idque toties donec Aloë sedecim succi partes imbiberit, reservetur dein in massa pilulari pro usu.

Dosis ad ℈ß

7. *Eadem aliter.*

℞ Aloës puriss. ℔. 1. succ. Rosar. Damasc. ℔ß coagulentur ad ignem, idque repetatur bis vel ter, sic habetur Aloë rosata optima.

N. Corrigitur quoque cum spir. vitrioli. *Vide Scammonium.*

8. *Oleum Aloës purgans.*

Aloës epat. ℔ 1.
Mirrh. ℥ij.
Thuris ℥ß.

Destilla lento igne in cineribus ex cucurbita humili.

Umbilico illitum purgat & expellit lumbricos.

[Aloën succo Nicotianæ imprægnatam in usum trahunt.]

ALOE. Quæ uti notum est, est succus amarissimus ex planta ejusdem nominis expressus & inspissatus. Ejus quatuor in genere sunt species non nisi puritate & fœculentia discrepantes. CABALLINA est, quæ omnium maximè admistas habet quisquilias & heterogeneas particulas, dicitur ita, quia Caballis seu equis destinata & crassamentum ignobilius est. Hac purior est EPATICA. Hinc SUCCOTRINA ita dicta ab Insula Orientis Succotra, in qua copiosissimè crescit aloë. Denique si ita depuretur aloë, ut sit splendida, clara pellucida & rubentis coloris vocatur LUCIDA : quæ omnium optima est internè assumta hinc succotrina: In usu externo Emplastris & unguentis sufficit Epatica vel Caballina. Virtutes hujus lucidæ & succotrinæ quod atinet *moderatè evacuat & purgat* simul & quidem eo ipso, quo purgat & evacuat, solet excrementa alvi tingere flavendine : sicut pulverisata pulverem exhibet omninò flavescentem. Præter vim purgantem obtinet *vim adstringentem* & in majori dosi minùs purgat, quàm in minori Unde PILULÆ FRANCOFURTENSES, quas adeò magni faciunt, & nihil aliud sunt quàm aloë cum succo violarum insuccata ad 9. vel 11. assumptæ plùs purgant, quàm in maximâ dosi: quoniam in tali dosi vis purgans non potest se exserere propter vim adstrictoriam quæ purganti quasi præponderat. Aliàs est succus medius inter resinas & Gummata aloë, propterea facilè potest inhærere extremitati ani, vel intestino recto, ubi sunt venæ hæmorrhoidales, & continuâ sic irritatione *provocare fluxum hæmorrhoidum.* Unde ii, qui sunt dispositi ad hæmorrhoidum fluxum, ex assumtione frequenti aloëticorum eundem solent incurrere : quod observandum & cautè exhibenda aloë & non nimis excessivè iis, qui sunt sicci & minus succulenti; his enim non convenit, quoniam ab eadem potiùs læduntur : Mulieribus itidem gravidis non convenit quoniam solet *proritare menses & pellere fœtum* & quod dicitur de aloë dicitur de Elixyre proprietatis, cujus ingrediens primarium

primarium constituit aloe, iis qui ad fluxum hæmorroidum dispositi sunt cautelà porrigenda est aloe. Aliàs est elegans remedium in *affectibus ventriculi* cui specificè succurrit, & specificè convenit in *detergenda* ejus *mucilagine crassa & viscida.* & exinde in Hieris Galeni Picra & similibus, quorum omnium basis est aloë eadem convenit in *affectibus stomachi.* Hinc in pilulis de Hiera c. agarico in *detergendo ventriculo* & intestinis non melius habemus remedium. Iuxta hæc egregiè *resistit putredini* cuicunque adeò ut *MINDERERVS*, qui fusè de aloë agit in *aloëtario* uti etiam *FREITAG. in Auror Medic*, dicunt aloëm efficere, ut ii, qui crebrò eam usurpent, à quibuscunque insultibus securi sint, esseque quasi fel naturæ (est enim amarissima) quo noxia deterguntur & absterguntur Naturæ balsamum propterea vocant, quòd *conservat corpus à putredine*, in quo ipso non cedit Myrrhæ vel Myrrhatis medicamentis. *Vermium* specifica est antidotus, quos expellit specificè sive internè assumatur cùm aliis, sive externè applicetur instar unguenti. Observetur tamen quando dantur ejusmodi amara per os, ut dulcia per anum injiciantur ut possimus ab amaris vermes allicere cum iisdem, sicque ex intestinis elicere. Unde quando internè porrigitur aloë semper clyster cum melle vel potiùs lacte est injiciendus. Externè potest fieri tale unguentum.

℞. *Aloës Epaticæ* ℥.
Fellis Tauri insp. ßati ʒß.
oleum Diacolocynthid. Quercetani q. s.

Fiat unguẽtum aut linimentum, quod super partẽ vesicæ extendatur & umbilico applicetur, quod ipsum si adsunt vermes non facilè decidit, donec sint expulsi, quando verò nulli adsunt, non solet adhiberi: quod est docimasia præsentiæ vermium in hoc unguento. *Putredini resistit* uti dixi, & nihil in homine esse permittit, quod non pertinet ad ejusdem constitutionem vitalẽ. Et propterea in *vulneribus externis*, quæ in ulcera solent degenerare, magni est usus: sive decoquatur in vino cum aristolochia cum Nicotiana & Myrrha & adhibeatur pro *eluendis ulceribus sordidis*: sive misceatur cum unguentis appropriatis Mirrha, Thure & similibus. Nam ita *detergit sordes & putredinem*, inprimis si sint *vermes in ulceribus*, iis potenter resistit: Præterea propter *vim adstrictivam detergit & consolidat vulnera & cicatricem ad constrictionem* conducit: adeoque *vulneraria* est insignis: Inter PRÆPARATA, ALOE i. est DEPURATA seu LOTA: Cæterùm malè præscribitur aloë lota & depurata, propterea quoniam vis purgans consistit in parte mucilaginosa, quæ facilè per aquã separatur: vis v adstringens in parte resinosa aquæ reluctante; quando ergò lavatur aloë aufertur & furatur pars mucilaginosa purgans & relinquitur pars viscida adstringens & loco medicamenti purgantis adstrictivum acquiritur. Hoc ne fiat, aloë pura vel saltim superficialiter à sordibus depurata est assumenda nullo modò verò lota. Ut majorem vim purgantem acquirant ex aloë, sunt qui ℞ aqu. roris majalis destillatam hanc aquam acuunt cum aliquot guttis olei tartar. per deliquium solvunt, colant, & instar sapæ coagulant, cujus coagulo ℈j sufficiens est pro *purgando corpore* eleganter & fortiter. BALSAMUS sive EXTRACTUM quod habet *AVCTOR* est *adstrictorium & roborans*, non purgans: per spir. enim vini acquiritur pars resinosa, purgativæ contraria. Item quæ fuit imprægnata per succos plantarum. Nam non posse meliùs præparari putarunt aloëm, quàm per imprægnationem succorum, qui præparandi modus vulgo aloës INSUCCATIO dicitur sic v. g præparatur *cum succo rosarum* & appellatur ALOE ROSATA, uti fecit *HIERONIMVS ab* AQUAPENDENTE cum succo violarum & vocatur ALOE VIOLATA & ex hac pilulæ Francofortenses procedunt, quæ nihil aliud sunt, quàm aloë hoc modo succo violarum soluta & imprægnata. Aloë ne hæmorrhoidibus officiat solet solvi & impræguari cum succo verbasci, quod verbascum resistit, ne possit proritare hæmorrhoides: In Epate calido sive in quibus Mass. sanguineæ crasis est corrupta & sanguis nimis dilutus ac abundans sal. vol. in iis præparatur aloë per succum Cichorei, Endiviæ, Taraxaci & similibus plantis Epaticis, crasin sanguinis corrigentibus. In *impuritate sanguinis* insuccanda est cum succo fumariæ: sic enim eò magis fit appropriata. Reliquas præparationes vid. in *AVCTORE.*

E.

CCCCXLIII. ELATERIUM.

Ελατήριον, Eletarium succus est amarus, ex fructu cucumeris asinini expressus & inspissatus.

N. Omnium succor. hic maxime durabilis est, adeo ut ultra centum annos efficax manere credatur.

Cucumis asininus describitur Cucumis agrestis, *Brunsf. Cord. in D.* Cucumis sylvestris, *Trag. Matth. Fuchs Dod. Lon. Cast.* Cucumer Elaterij sylvestr. *Lob.* Cucum. asininus, *Tab. Ger.* Elaterium quod leve & candidum & igne instar pinguedinis accenditur, *Bellon.*

Eligatur Elaterium vetustum, summè amarum.

N. Elaterium à bimatu ad decennium colore candido utile, Dioscoridi: Æginetæ, quod anno antiquius non est, & quod virescit: Theophrasto optimum, quod vetustissimum.

Vires. Purgans est violentum humoris serosi: movet menses fœtumque interimit, unde rarus ejus usus, præcipuè cum nec malignitate careat.

PRÆPARATA.

1. *Elaterium depuratum.*
[Dosis à gran. ij. ad iv. vj.]
2. *Elat. correctum.*

N. Depurari potest, si in aqua solvatur ac filtretur, quod facili fieri potest negotio, siquidem utplurimum liquidum extat.

Corrigitur cum spir. vitrioli & olei, ut de Scammonio dictum.

[Syrupum ex Elaterio parat Poterius, ad colluviem serosam. Dos. ab ℥ß. ad ℥ßj.]

3 Fit etiam *Extractum* ex depurato succo per spirit. vin. ut & Fæcula ex succo cucumerum maturorum per subsidentiam, cujus vires vide in observat' *Henr. ab Heer.*

Dosis gr. j. ac ij.

[4 Oleum ex Elaterio cocto Sicyonium dicitur, nervorum affectibus, surditati, Bubonibus conveniens.]

ELATERIUM. Quod nihil aliud est nisi succus inspissatus ex fruct. cucumeris asinini expressus: quidam tamen etiam recipiunt radicem & succum exprimunt, inspissant & sub nomine Electuarij venditãt, quod perinde est. Est *violentum* sed tamen *potens remedium purgans hydropicos*, imprimis in *hydrope ascite* convenit, cum etiam teste experientia ex cavitate abdominis soleat evacuare serum vel lympham hydropicorum: aliàs in reliquis seri & lymphæ abundantiis usurpatur hoc Elaterium, nam *potenter & fortiter evacuat.* In *hydrope* tamen & *affectibus serosis* omnibus est præferendum. Quod attinet præparandi modum apud nostrates, in usu est, ut fiat Ess. ELATERII, cujus variæ sunt præparationes. Est elegans quã habet *MORELLVS, in Tr. de materia medica pag* 68. ex succo aloës convenientem in *hydrope* quocunque, in specie in *hydrope uteri* D. MICHAEL parat Ess. quam habuit expertissimam in *hydrope* ex radice, recipit radicem, incidit in taleolos hos in umbra exsiccatos extrahit cum sp. vin. & Ess. suam ita parat. Nam non tantùm succus ex fructu expressus est purgativus, sed etiã ex tota planta ac radice elicitus, utut ex fructibus sit omninò violẽtior illo, qui ex reliqua planta desumitur. Et quidẽ in Ess. D. MICHAEL ingredi solent confortantia & appropriata, inter quæ est ol. Cinamomi & similia EXTRACTUM cum sp. vini prostat in officinis & in summa dosi

doſi poteſt dari ad gr. xv. rarò tamen ſolùm præſcribitur, ſed permiſcetur ut plurimum cum aliis ſic permiſtum cum mercurio dulci eſt egregium *purgans in hydrope uteri* : redigi etiam poteſt in formam pilularum in *hydrope* aſſumendarum. Non facilè corrumpitur, ut *CARDANUS* aſſerat, durare poſſe ad 100. annos, dicatque quod quò vetuſtius ſit eò efficacius deprehendatur & melius. Mirum eſt quod dicit *BORELLUS*, & quod verum etiam eſt, quod *purget aquas ex cavitate abdominis*, & res eſt adhuc obſcura : tamen experientia confirmatum, quod poſt aſſumtum manè Elaterium *hydrope aſcite* laborantis abdomen admoto cingulo fuit repertum ſenſibiliter imminutum poſt meridiem. Et retulit mihi D. *MICHAEL*, ſe aliquando in aliquot gravidis quæ ob ſerum abundans in tunicis fœtum ambientibus, fœtus motiones animadvertere nequiverint, beneficio ſuæ Eſſentiæ Elaterii effeciſſe, ut denuò ſentirentur. *FREITAG.* imprimis Eſſ. vel EXTRACTO quæ fit cum ſp. vini nudi, præfert hanc compoſitionem non nudam : Nam in ſubſtantia rarò aut nunquam præſcribitur : Si ſcilicet cum ſpiritu vini extractum factum, vel parata Eſſ. permiſceretur cum ſucco Cydoniorum vel berberum vel pomorum dulcium, & hæc ad conſiſtentiam Electuarii coquerentur, vel potius optima dicitur præparatio, ſi Elaterium ſolvatur in ſucco violarum, Cydoniorum, pomorum, &c. per reſidentiam partis impurioris, poſtmodum inſpiſſetur : idque faciendum eſt ſpecificis ſuccis pro ſpecifica morborum varietate. Præter virtutem purgativam ſuccus Elaterii recens multum facit externo uſu *in tumoribus duris emolliendis* & *ſcirrhis diſcutiendis*, uti & *ſcrophulis* ac *ſtrumis emolliendis* : ſic externè ingreditur uſitatè unguenta & cataplaſmata ad *ſcirrhos lienis* & *infarctus deſtinata*, uti & ad *quoſcunque tumores duros* & difficulter denuò ſolubiles. Item in *ſcrophulis* ac *ſtrumis* eſt egregius ſuccus cucumeris aſinini, non minus etiam cataplaſma ex foliis cucumeris aſinini contuſis. De cujus efficacia in *ſcrophulis*. Vid. *RIVERIUS in obſervationibus communicatis*.

CCCCXLIV. EUPHORBIUM.

Ἐυφόρβιον, Euphorbium ſuccus eſt concretus acerrimus, ex ſauciata Libyca Ferula ejuſdem nominis extractus.

N. 1. Modum extrahendi docet Dioſcorid. Videatur Matth. Dod. Lob. Lon. Tab. Ger.

N. 2. Dodoneus Euphorbium (unde ſuccus ille extrahitur,) plantam eſſe perhibet. Dioſcorides arborem : contradictione haud difficili conciliatu. Sunt enim plantæ quæ temporis progreſſu, vel diligenti cultura arboreſcunt, cujus rei exemplum & in hac civitate præbuit arboreſcens Rutæ [& Buxi] frutex.

Genera Euphorbii ſunt duo.

1. Sarcocollæ modo pellucidum, flavum, piſi magnitudine in guttas æquales denſatum, modicè cavernoſum 2. In utriculis, quibus excipitur, in maſſam denſatur candicantem, aut vitri colore.

Doſis à gr. v. ad x.

N. Adulteratur admixtis Sarcocolla aut Gummi atque liquore Tithymali.

Eligendum eſt purum, tranſlucens, candidum aut flavum & acre, quod levi linguæ contactu os accenſum diu detinet. Annotinum, nimium per ætatem perfectionem ſuſcipere creditur, acrimonia cum tempore mitiore reddita. Recens improbandum ceu virium violentia ſuſpectum.

Vires. Inſignem quidem vim obtinet ſerum ac aquas ex toto corpore purgandi. Verum enim verò non ſine violentia ac moleſtia, quam præter ſubſtantiæ proprietatem malignam, & vi inflammandi (calidum eſt e. gr. 4.) exerit.

PRÆPARATA.

Correctum Euphorbium.

Correctio Euphorbii conſiſtit partim in partium acrium volatilium abolitione, partim in reſiduarum malignarum ac calidarum mitigatione, quod fit

1. ℞. Euphorb. purificati ab omnibus fœcibus, q. v. redige exigua fruſtula, ac inde pomo Citrio vel Limonio excavato, maſſaque panis obvoluto, coque in clibano : Euphorbium dein ſic præparatum (quod albiſſimum) vaſe vitreo ſerva. *Quercet. Pharm. Reſt.*

N. Auguſtana Pharmacopœa initio Euphorbium cum Ol. Amygdal. dulc q. ſ. inſtar collyrij terere ac maſſam dein pomo imponere jubet.

2. Correctio Euphorbij.

Solve Euphorbium in aceto roſato, cola & inſpiſſa, ablueque aqua Roſarum.

3. Correctio præſtantior.

℞. Euphorbium (præſtat quod prima correctione correctum, affunde ſuccum Limon. vel Granat. acid. depuratum, ad eminent. digit. 3. vel 4 ſolve digerendo in MB, filtra calidè ac coagula. *Querc. Ph. R.*

4. Correctio præſtantiſſima.

Solve Euphorbium cum phlegmate vitrioli, totali & integro ſuo ſpiritu impræg nato, vel cum aquis cytronior. pomorumve curtipendulorum, oleo Sulphuris per Campan. vel ſpiritu vitrioli acuatis, decanta vel filtra & coagula. *Querc. dict. loc.*

5. Extractum Euphorbii.

℞. Euphorb. opt. depurat. (ut ſuprà cum acet. roſar.) extrahe cum ſpirit. vin. decanta, coagula & denuo circula cum novo alcoole (per dies 8. 10.) dein ſeparato menſtruo coagula igne lento, addendo aliquod correctorium pro libitu; fiat mixtura.

Vires. Paralyſi, Arthritidi, Spaſmo, Hydropique conducit, pituitam nervis impactam expurgando ducit.

6. *Ol. Euphor. ſtillat.*

7. *Ol. Euphor. commune.*

℞. Euphor. ℥ß. Ol. Cheirin ℥v. vini generoſ. ℥v. coq. ad conſumptionem vini.

Præparata illa communiora, quæ Euphorbium ceu baſis ingreditur, ſunt

Hiera Logadij.

Pilulæ de Euphorbio, &c. V. lib. 3.

Sternutator. Colon.

EUPHORBIUM. Quod eſt ſuccus quidam ex ſauciata planta ejuſdem nominis exſtillans. Cæterum iſta planta, an ſit arbor, an frutex, an ferula, diſcrepant Auctores, quoniam non eſt adeò cognita. Quicquid ſit ex Aſia, ad nos adfertur Euphorbium, electionem & eligendi modum, videatis apud AUCTOREM. Succus eſt acris & *cauſticus*, & propterea, ut aliquantiſper imminuatur acrimonia, corrigitur per abſumtionem & exhalationem ſalis vol. acris. Vix uſurpatur, niſi quod prius anni unius ſuperat ætatem : nam ſic imminuitur acrimonia ejus *cauſtica*, & virulentia mitigatur. Annoſum eſt recipiendum tuto, recens verò reprobandum. *Validiſſimè expurgat pituitam* ac *ſerum*, & omnes partes tàm craſſas & viſcidas quàm tenues promiſcuè, eſtque malignum ſatis, quoniam bonum cum malo, & malum cum bono colliquefacit & expurgat, & propter virulentiam & violentiam, non tantùm ex maſſa ſanguinea, ſed ex toto corpore evacuat potenter. Hinc propter violentiam in *affectibus ſoporoſis*, *Apoplexia*, *Comate*, *Lethargo* & ſimilibus, uti etiam in *tremore* & *nervorum reſolutionibus* à quibuſdam ſolet adhiberi : ſed eſt validum remedium, & in ſubſtantia uti dicit AUCTOR vix ad gr IV. aſſumitur. Vidit tamen *FREITAG.* ejus uſum ſatis innoxiè frequentatum à ruſticis, qui pulverem ejus ad ℈j. pondus cum evidenti ſucceſſu adhibuerunt, cæteris medicamentis nihil proficientibus. Quando debet adhiberi, quod tamen rarò fit, eſt corrigendum, ut effrænis vis dometur : ſed correctiones communes in officinis ſunt vel ridiculæ vel caſtrationes per acetum, ſuccum citri & alios ſuccos acidos, qui omnes

quatenus figunt sal vol. Euphorbii non tam corrigunt, quàm castrant ejus virtutes, & quantum corrigunt, tantum auferunt de efficacia. Peruviani in correctione Euphorbii usurpare solent aut Euphorbium, quo utuntur ad noxas ab Euphorbio impressas tollendas & sanandas. Hoc cum destituamur, nihilominus tamen ipsi possumus substituere portulacam; monente *FREITAG.* ex eo, quod Ant-Euphorbium maximè æmuletur cum virtutibus portulacæ & cum ea conveniat: & propterea rectius cum succo portulacæ inspissato, quam cum re quacunque alia posset exhiberi aut corrigi. ALTENBURGENSES non inconcinnè præparant vel corrigunt h.m.

℞. *Euphorbii selecti* ℥iij. pulverisato adfundunt

Aqu. Cinamomi optimi ℥iv.

Detinent in patella vitrea ad calorem fornacis, tantisper donec arefactum sit, cui demum affundunt

succi granatorum acidorum ℥iv.

sp. vitrioli ℥ß.

& procedunt ut prius, tandem profundunt unà cum aqu. destillata Cydoniorum ad ℥iv. & priorem observant processum: resiccatum denique terunt affusa gutta unâ vel altera ol. amygdalarum dulcium. Inter PRÆPARATA prostat OL. EUPHORBII COMMUNE, cujus præparatio vid. apud AUCTOREM, & prodest in *affectibus frigidis nervorum* in specie in *catarrhis* & *lethargo*, uti etiam in *curanda atrophia*, & hæc omnia externo usu: confert etiam ad *generationem capillorum*, in casibus scilicet, ubi aliud nihil juvat. Præterea usu externo non est infrequens in Chirurgicis, dum specificè convenit cum *ulceribus cariosis*, cum *carie*, *exesione* & *corrosione ossium* conjunctis, in quibus pro *absumenda ossium carie* nihil est expertius & melius, si scilicet pulverisatum adspergatur cariei, exesioni & corrosioni ossium: Cum enim fieri soleat ab acido corrodente & absumente ossa, optimè inspergitur Euphorbium, cujus acrimonia à sal vol. dependens absumit acidum corrosivum in carie ossis, quo absumto etiam cessat caries. Inspergitur vel solum vel permistum cum rad. Iridis Florentinæ, vel cum Aristolochia rotunda, vel cum aliis similibus. De qua virtute Euphorbii *in carie ossium & ulceribus cariosis*, meretur quod vid. *HILDANUS Cent.* 4. *obs.* 21. & 96. & *Cent.* 2. *obs.* 92. uti etiam *RIVERIUS Cent.* 2. *obs.* 66. cum quibus conferatur *KESLERUS Cent.* 5. *Processum Process.* 442. In genere convenit si pulverisatum cum spiritu vini subigatur & applicetur *ossi carioso*: nam spiritus vini solus egregius est in carie temperanda & abigenda: Ergo cum hoc conjunctum Euphorbium in tali casu egregium erit remedium. Ulterius Euphorbium convenit in *punctura nervi*, si nimirum ineptâ venæ sectione, quod sæpe fit, pungatur nervus, quam puncturam multa magna & trastica sequuntur symptomata, in tali casu est egregium remedium: Unguentum SCULTETI *in armamentario Chirurgico obs.* 64. quod parat ex Euphorbii optimi ℈j. resinæ Terebinth. ℥ß. & ceræ parum miscet, extendit super linteum, & applicat calidè loco puncturæ nervi: quæ ipsa compositio jam ex *GALENI* Scholis est derivata: vid. *SENNERTUS lib.* 4 *Prax. cap. de vulneribus nervorum pag.* 171. id quod etiam observavit *HELIDAEUS PADUANUS in obs. pag.* 310. qui cuidam qui magnum dolorem brachii sentiebat ex Ven. sectione ob cæsum nervum jussit applicare Euphorbium, quo applicato cessavit dolor.

G.

CCCCXLV. GHITTA, IEMOU.

Gutta Gamandra, Gummi gotta, Gutta gemau, Cattagauma vel gemu, Gummi Peruvianum, f. de Peru, de Iemu, de Gemandra: aliis succus Cambici vel Cambrici.

Est succus concretus aut inspissatus (potius quàm Gummi.) Cujus autem plantæ Succus sit, nondum certò constat. Sunt enim qui ad Esulam, ad catapuciam majorem, ad flores Ricini Indi originem ejus referant, coloremque aliunde (e.g. ex Curcuma) conciliatum volunt: alii Euphorbii succum censent: aliis ex Scammonio & Tithymalo compositus est: nonnulli compositum ex Chelidoniæ majoris succo, Scammonio, & Croco suspicantur: alii ex succo corticis mediani Frangulæ. Nos præcipuè de Usu solliciti, eligere suademus purum, flavique coloris.

Adfertur ex Sinarum regione, primumque adferri cœpit ante annos 40.

Videatur Clus. lib. 4 *exot. cap.* 8. *succ.* 11.

N. Videtur esse Gummi contra podagram Monardi.

Vires. Expurgat per superiora & inferiora, præcipuè humores serosos & aquosos, tum quoque omnem saburram vitiosorum humorum ex toto corpore educit. Hinc usus ejus creber est in hydrope, Febri, scabie, pruritu & sim.

Dosis à gr. v. ad xiiij.

PRÆPARATA.

Etsi crudum quidem non citra commodum adhiberi queat, attamen cum nauseabundam possideat qualitatem, operæ pretium duxerunt hanc obtundere. Unde

1. *Gittha Iemu correctum per spiritum vitriol. aut Tart. Mindereri.*

♃. Ghitta Iemu q.v. dissolve cum spir. vitrioli: abstrahatur dein spir. vitriol. residuumque exsiccetur lentè, ne scil. nigrescat, sed colorem suum retineat.

N. Edulcora, si volueris, aqu. aliquoties abluendo.

N. 2. *Procedit* felicius correctio ad modum quem habes de Scammonio: vel Gummi Guttæ terna vice cum spir. vitrioli, aut aceti imbibe, tere & exsicca.

Dosis à gr. xv. ad xx.

2. *Extractum, sc. Magisterium.*

℞. Gitta Iemou pulv. ℥ij. spirit. vin. opt. ℥viii. fiat solutio, digerendo in MB. hor. aliquot (2. 3. 4.) decanta & filtra calidè, præcipita affundendo aqu. ros. (vel aliam aliquam,) abstrahe spirit. vin. & coagula lentè.

N. 1. *Melius* succedit processus.

R. Ghitta Gem. ℥ij. spirit. vin. opt. ℥v. ole. Tartari ℥1. digere, & solvetur in MB. brevi tempore.

N. 2. *Sunt* qui ℞. spirit. vin. Santali tincturâ imprægnatum.

3. *Magisterium G. G. S. Clossæi, sive Gammandra correcta.*

Imbibatur pulvis Ghittæ Iemou ol. Tart. deliquioso, ita ut liquescat instar pastæ, malaxetur diutissimè in mortario, terendo pistillo vitreo, donec colorem mutet, affunde spirit. vin. Tartarisatum, macera per 15. horas in tali calore, quî colliquando, solvendoque gummati non sit satis, decanta, malaxa ut prius, addito novo ol. Tartari, idque tertiâ vice reitera, tandem albescentem hanc materiam lava pluries aq. ros. & ex illa desiccata Tabellas aut trochiscos finge.

Vires. Leniter & absque vomitus provocatione operationes suas in plerisque absolvunt.

Integrum doctumque Tractatum de Ghitta Iemou conscripsit Clariss. Dn. D. Joan. Petrus Lotichius, Marpurgi Med. Professor publ. amicus meus singularis, ad quem Lectorem remitto.

GHITTA JEMOU. Seu GUMMI GOTTÆ uti vocatur vulgariter, de hoc ipso gummi vel succo; Nam in hoc sunt promiscui auctores; Optimum tractatum scripsit *CASTELLUS*, quem intitulavit de *Gutta Cambodia* vel *succo Cambodio*: modo vocatur succus, modo gummi, ut dixi, quoniam incertum est, quæ sit planta, ex qua eliciatur. Videtur tamen verisimile, quod sit succus vel lac coagulatum

gulatum ex planta lactifera, quales ſunt Eſula, Tithymalus & ſimiles, quod facilè apparet ex ſapore cauſtico, quo omnes ſucci ex plantis lactiferis ſunt impræg nati: Unde erit talis ſuccus ſeu tale lac inſpiſſatum, nec mirum, quod adeò ſit vehemens remedium, quod *cum impetu evacuat ſurſum & deorſum*, & *maſſam ſanguineam colliquefacit*, cum partibus inutilibus ejus utiles unà cum *ſeroſis humoribus evacuat*. Quoad doſin non poteſt adeò certa præſcribi, ſed uti rectè monet *FREITAG*, in uſu deprehenditur, quod modo remiſſiores, modo intenſiores habeat virtutes in diverſis partibus: propterea differentia certa. Præſcribitur adultis à gr. v. ad x. ad xv. utut raro: cum non ſine conturbatione corporis ſoleat operari. Præſtantiſſimam tamen operandi facultatem conciliari illi aiunt, ſi permiſceatur cum ſale fraxini, vel cum ſale abſynthii, & *ſpecificum purgans hydropicorum* habetur à multis, idque imprimis à *THONERO in obſ. pag.* 151. qui multum commendat in *hydrope*, & quidem imprimis uſitatum eſt in cura *hydropyſeos magiſterium* gummi gottæ, cujus præparationem habet AUCTOR: ſi ad aliquot grana ſtimuli loco aliis purgantibus in *cura hydropis* admiſceatur, uti etiam in *affectibus arthriticis*: in *affectibus articulorum* ſtimuli loco purgantibus appropriatis commodè adnectitur. Præparationem quod attinet, cum eadem imprimis inſtituatur per acidos ſuccos optimum eſt *THONERI* judicium *lib. 3. obſ. 3.* qui dicit, ſi conjectura eſt, quod in ventriculo & primis viis hæreat viſcoſus humor, qui ægrè medicamento purganti cedat, & per remedium averruncandus ſit, ſe non præparatum commendare cum ſpir. vitriol. propterea quia ſpir. vitriol. adimit vim vomitoriam & vomitum non tantâ violentiâ movet more aliorum vomitoriorum. Nunc adhibetur præparatum nunc non præparatum. Præparatum quando volumus ut ſolum purget per anum, ut caſtretur ejus vis vomitiva, non præparatum quando debet q.q. ciere vomitum.

M.

CCCCXLVI. MANNA.

Δροσόμελι & ἀερόμελι, *Galen.* Mel ex aëre, cui cœleſtis natura; *Plinio.* Men Siracoſt & Terniabin, *Arab.* Thereniabin & Trungibin, Terengibin, *Serapioni & Avicenna.* Manna purgatoria, *Matth* Droſomeli, *Cord. hiſt.*

Eſt ros ſive liquor ſuavis, qui ex aëre ſublucanis temporibus decidens arborum ramis & frondibus, hinc herbis, lapidibus & ſolo interdum invenitur inhærere, brevi tempore coaleſcens, grumoſus inſtar gummi apparet.

Manna itaque eſt { Liquida Thereniabin ſtrictè, *Bellon. lib. 2. obſ. c. 65.* | Durior { Maſtichina, Granata. } *Hæ officin.* }

Pro diverſitate regionum eſt Manna Orientalis, ſ. Syriaca; Perſica, Calabrica, Goritiana, Tridentina; Brianſonnenſis.

N. Meminit & Garzias Mannæ Granatæ inſtar ſeminis Coriandri, quæ nobis penitùs incognita, niſi intellectum velit graminis ſemen, Mannæ nomine veniens, de quo ſupra Claſſ. 1.

Ex his etſi Syriaca laudem omnibus præripiat, attamen noſtratibus in Officinis primas damus Calabrienſi, & præcipuè granatæ, i. e. quæ granulis minoribus conſtat. Vulgus Mannam foliorum vocat quòd ſcil. de arboribus colligatur. Hac inferior eſt maſtichina, i. e. quæ granis majoribus & maſtichi guttis prope æqualibus eſt. Dicunt mannam corporis, quòd de ramis colligatur, vel impetu ventorum in terram delabatur.

Eligenda candida, recens, anno non vetuſtior: ruffa enim & fuſca inveterata eſt. Adulteratur ſaccharo penidio, herbarum foliis circumvoluto. Sic quoque, quæ Sennæ folia granis ſuis amplectitur factitia eſt, C.B. Fit quoque Manna factitia ex amylo: Manna Scammonea ſemine aliquo, & radice lacticinia, *Chriſt. Acoſt. cap.* 8.

Vires. Temperata eſt ad caliditatem reclinans, guttur, aſperam arteriam, thoracemque leniens, alvum blandè movens, bilem ſeroſoſque humores educens.

Doſis infantibus à ʒij. ad ℥ß. adultis ab ℥iß. ad ℥iiß. & ℥iij.

N. Quia facilè bileſcit, in febribus; niſi frigida admiſta fuerint, non adeo conveniens cenſetur.

PRÆPARATA.

1. *Electuar. Diacaſſia cum Manna.* Vide Diſp.
2. *Electuar. Lenitivum de Manna.* Vide Diſp.
3. *Manna Tartariſata, ſ. Tabula de Manna.*

Fiunt ex manna ſoluta & purgata, quæ more communi in tabulas effunditur, ad Mannæ ℥j Cremor. Tartari ʒj.

[*Proſtat etiam Manna compoſita additione Ialapa.*]

4. *Manna liquida.*

℞ Mann. Calab. ℥ii.
Crem. Tartari ʒij.
Aq. deſtillat. pro libitu. ℥v.

Tartarum primò aquis optimè ſolvatur: hoc facto, lento igne manna; quæ omnia calidè per linteum trajicienda, & cum albumine ovi clarific. in modum ſyrup. Cui ad conciliandum gratum odorem aqua cinam. [Eſſentia citri] vel ſimile quid affundi poteſt.

Ex communicatione D. D. Iohan. Kierſer.

[Doſis ab ℥ ß. ad ℥ij. pueris, adultis ad ℥v. vel ℔ß.

5. *Spiritus Mannæ.*

℞ Mannæ el. q. v. deſtilla igne lento ex Cucurbita, & habebis ſpiritum inſipidum.

Vires. Sudoriferum inſigne eſt in febribus tùm peſtilentialibus, tùm communibus, ſudorem propellens admodum fœtidum.

Doſis ad cochlear 1.

Solvit itidem Sulphur, unde Tinctura Sulphuris, flava, Cl. Dn. D. Helvic. Dietericus, Medicus Electoris Brandeb. Princip. Dan. & Holſat. amicus meus integerrimus.

6. *Spiritus Mannæ alius.*

Diſſolvatur Manna rore Maiali, & tamdiu cohobetur donec ſublimetur in caput alembici inſtar nivis. Hic ſpiritus in fluidam naturam redactus fit ſolutivum Solis mineralis, ſepoſitâ omni vi corroſiva. *Beckerus in Hermete redivivo.*

7. *Syr. de Manna laxativus, Dn. D. Echoldi.*

℞ Polypod. q. ʒvj.
Rad. Ireos Flor. ℥ß
Paſſul. min. ping & inciſ. ℥ij.
Fl. Violar.
Borrag.
Bugloſſ. ana p. j.
Sen. ſ. ſt. ℥iß.
Cinam. ʒß
Aq. mulſ. ℔iij.

Coque omnia ſ. a. ad conſumpt. lib. 1. Coletur & exprimatur. In colatura diſſolve
Mann. calabr. ℥iij.
Sacchar. penid.
Cand. alb. an. ℥j.

Coq. ad conſiſt. ſyrupi, addendo in fine aq. Cinam. parum.

Doſis ab ℥j. ad ℥ij. & ultra.

MANNA. De qua Manna imprimis eruditum ac elegantem aureumque ferè librum ſcripſit *MAGNENUS* Profeſſor Ticinenſis. Præter hunc vid. poſſunt & alii imprimis *SENNERTUS libr. 3. prax. pag* 88. *CORTESIUS in Miſcellaneis Decad.* 8. *tr.* 5. qui ventilavit controverſiam, num uti noſtratibus, ita & veteribus cognita fuerit Manna; de qua Controverſia etiam egit *MONARDES lib.* 4 *Epiſt.* 41. & *lib.* 1. *pag.* 6. Quod attinet Mannam, revera nihil aliud eſt quàm ſuccus quarundam arborum tenuis vel earum tranſſudatio, quæ nocturno tempore permiſta cum rore, matutino tempore, ſuperventu caloris ſolis coagulatur & inſpiſſatur: adeò ut ſit quaſi ſuccus aut liquor vel granula compoſita ex ſucco viſcido & pingui plantarum quarundam permiſta cum rore matutino exſiccato & indurato in mannam. Experientia namque teſtatur, quod adhæreſcens quarundam

rundam & certarum arborum foliis & cortici reperiatur Manna, adeò ut etiam ex arbore vespertino tempore cortice leniter sauciato, matutino circa ulcusculum illa reperta fuerit: Confirmat hoc *BARTHOLINUS Cent.1. Epist.54.* qui ceu testis oculatus docet, quomodo in Calabria ex incisa arbore orno per transsudationem fiat & colligatur manna. Id quod etiam testatur *THONERUS Epist. 16.pag.315.* qui refert, quod in Styria in montibus qui scatent arboribus resiniferis & plantis pingui succo dotatis, singulis annis, sed æstate tantùm fervidiore etiam copiosè reperiatur adhærescens arborum foliis, quod ipsum propria confirmat experientiâ. Manna quoque in foliis Borraginis in hortis reperitur, de quo etiam videri potest *HOEFERUS in Hercule Medico.* Jam verò licet manna etiam reperiatur in ipso campo, lapidibus & similibus locis vicinis, non tamen putandum, qui sit ros coagulatus in lapidibus & similibus locis, sed ab arboribus descendat. Observetur hoc, ut colligatur ex plantis odoratis & homini salubribus Hodiè reliquis præfertur MANNA CALABRINA, quæ ex fraxino & orno copiosè in Calabria solet colligi: post hanc optima est LARIDEA, quæ ex Larice arbore colligitur teste *SYLVIO.* Differentias vid. apud AUCTOREM Quod attinet virtutes, notum, quod sit *elegans & temperatum laxativum*, quod sine impetu, & graviorum symptomatum concursu aliquoties evacuando *corpus blandè expurgat.* Proinde in promiscuo est usu tenellis pariter ac adultis & gravidis & non gravidis. Infantibus à ℨij. ad ℥ß. in jusculo vel pulte commodè propinatur: adultis ab ℥iß. ad ℥ij. commodè potest porrigi, & hæc omnium optimè convenit pro laxatione mulierum prægnantium, licet etiam febricula laborent vid. *FORESTUS lib 2. obs.28.de morbis mulierum.* Iuxta Mannam optimum purgans prægnantium est 206 *passularum* quod etiam sensim leniter ac moderatè eas laxat, si commisceatur cum cremore tartari vel sale, vel cum Crystallis tartar. majorem acquirit vim laxativam: Et huc pertinet MANNA TARTARISATA seu TABULÆ DE MANNA, quas habet AUCTOR. Manna etiam pro diversitate arboris, ex qua colligitur, nunc majorem nunc minorem vim purgandi habet. Est eligenda recens nam vetusta abit, quod dicunt, in bilem sive acquirit saporem nidorosum. AQUA DESTILLATA MANNÆ cum nitro est egregia aqua *purgans*, quæ quidem *purgat simul, tamen etiam sudorem movet.* De quo vid. *HOEFERUS Hercule Medico pag.305* Ros maïalis destillatus cum manna Calabrina, exhibere dicitur: *menstruum* quod *solvat gemmas* atque *metalla.* Præparationem aquæ destillatæ mannæ habet *HOEFERUS cit. loco*, quæ benè observanda. Unde sunt, qui parant cum spir. Mannæ Tinctur. ex sulphure, pro *affectibus pectoris* sive pro nimia acrimonia lymphæ lenienda & temperanda in gutture & aspera arteria, quæ Tinct. sulph. cum spiritu Mannæ in tali casu non erit inelegans. Ad præparata pertinet MANNA JULEBETA, quæ fit h.m.

℞. *Mannæ electæ & non adeò pinguis ℥iv.*
Aquæ pectoralis destillatæ ℥x.

dissolvatur ad aqu. & coletur: Colaturæ addatur cremor tartari ℥iß, bulliat in leni igne, usque ad consumptionem tertiæ partis, cui iterum alia ℥i. cremoris tart. est addenda, iterumque bulliat ad consumptionem alterius tertiæ partis, ita ut tota potio remaneat ad ℨviii. circiter quæ potest propinari frigida cum aquis appropriatis in quibuscunque affectibus pro laxativo alvi & abstersivo primarum viarum.

CCCCXLVII. OPOPANAX.

Opopanacum quid sit & quodnam optimum, vide supra: hoc loco illius purgandi facultatem describemus, quâ educit phlegma crassum & viscosum, non solùm è mesenterio s. regione prima, sed & idem allicit è partibus remotis & juncturis, adeoque mundificat cerebrum, nervos, pectus: tussi antiquæ confert: potum cum aceto hora una ante accessionem febrilem, arcet rigorem, maximè si idem opopanax cum succo apii ac oleo anethino spinæ illinatur.
Dosis à ℨß. ad ℨj.
Corrigitur spica & mastiche.

PRÆPARATA.

1. *Opopanax depuratus.* Fit solvendo (in acet.) colando & inspissando.
2. *Extractum.* Fit ut Euphorbii.
Dosis à ℈ß. ad ℈j.
3. *Pilulæ de Opopanace com.* Vide Disp.
Dosis ℨj.
4. *Oleum stillat. (ex alembico per cinerem.)*
Sagapœnum. Vide Class.2.

OPOPANAX. Superius egimus de Gummate ammoniaco, Galbano, Sagapeno & Opopanace inter alterantia secundaria: Observetur tamen hic, quod ista Gummata omnia præter *virtutem liquefactivam mucilaginum crassarum ac viscidarum* habeant qq *vim evacuativam & laxativam.* Et propter hanc vim, qua moderatè crassam ac viscidam materiam, quam inciderunt, evacuant, commodè purgantibus annumerantur, & eorum dosis in substantia solet esse ℨß. ad ℨj. Cæterum rarò ita præscribuntur, sed adduntur aliis pilulis pro incisivo & aperitivo: vel ex iis fiunt pilulæ cum aliis: sic habemus etiam pilulas de ammoniaco, de sagapeno, de opopanace, de Galbano, quæ pilulæ vel ipsa, uti dixi, gummata adduntur aliis pilulis pro adjuvanda operatione, incisione & attenuatione, & ita facilè fiunt,

℞. *Gummi sagapeni vel*
Gumm. ammoniac. & C. in aceto soluti ℈j.
aloës lucidæ ℈ß.
Scammonii rosat.gr.ij.

cum syrupo vel extracto appropriato v.g. cum Extr. absynthii fiant pilulæ. Vel etiam alio modo:

℞. *Mass.Pilul. de Hiera c. Agarico.*
Gummi Sagapeni in aceto soluti ana ℈ß.
Extract. Trochisc. alhandal gr.1.vel ij.

pro stimulo cum Ess. absynthii fiant pilulæ. Hoc & simili modo præscribuntur vel ipsæ pilulæ, v. gr. Mass. Pilul. de ammoniac. &c. addito stimulo vel Gummata itidem cum stimulo, & fiunt pilulæ usitatæ in praxi.

CCCCXLVIII. SCAMMONIUM.

Scammonium, Scammoneum, Scammonia, Scammonea. Est succus ex radice Scammoneæ, plantæ lacteo succo plenæ, extractus & inspissatus. Extrahitur autem vel radicem adhuc crescentem incidendo (*vid.Diosc.*) vel eandem (dubio procul cum foliis & caule,) prælo submittendo.

Scammonia planta est, { Syriaca, *hac hujus loci.* / Monspeliana, Valentina.

Dicitur Σκαμμωνία, *Diosc. Theophr.* Scammonia, *Matth. Lon.Cast.* Scammonea, *Cord.in D.* Antiochena, *Cam.* Scammonium, *Cord.hist.Doc.* Syriacum, *Lob.* Syriaca, C.B.1.

Optimum est quod ex Antiochia affertur, dein Armenium, Europæum omninò pravum est. Probatur quod nitidum, splendidum (instar gummi) rarum, citò liquescens, friabile, colore cùm frangitur, fulvo, non valde ponderosum, tactu linguæ lactescens, nec vehementer eam calefaciens (nimirum hoc Tithymali admisti argumentum est.) Quod ab his notis recedit, tantò pejus existit, quantò longiùs recesserit. improbantur glebæ ingentes, nigræ, graves, nimirum aut adulteratæ hæ sunt, aut succus ex tota planta expressus.
Dosis à gr.v. ad x. vel xij.
Vires. Expurgat valde humores biliosos, acres, serosos, adeoque,

adeoque creberrimi usus est, non modò per se, sed & cum aliis permistum.

N Cùm magnæ sit acrimoniæ, intensæque caliditatis & siccitatis, infensæ malignitatis, mordacis flatulentiæ, excessivæ attractionis, adeoque aptum natum quod intestina erodat, viscera, cor, epar, &c. conturbet, ventriculum flatibus mordacibus lacessat, vi suâ calfactoriâ ac exsiccatoriâ (quas 3 gr obtinet) inflammet, & consequenter febres producat, vi attractoriâ hypercatharses introducat, correctione opus habet: hanc alij aliter instituunt. Hine

PRÆPARATA.

♃. *Scammonium correctum per Cydonium, i.e. Diagridium.*

℞. Scammonium tritum, coque in malo Cydonio excavato pastâ circumdato, exemptum dein diagridium serva pro usu.

N. 1. *Hac* elaboratio est Gal. lib. 1. c. 1. de aliment. facult. ubi interna mali cotonei acetabula semini destinata excavat, eaque Scammonio replet ac coquit.

N. 2. *Antiquum* imbecillum est, ideoque flatulentum: bimum est optimum.

N. 3. *Dicitur* Diagridium, Diagrydium, Diacrydium.

2. *Scammonium defæcatum per succum Cytonior.*

Solve Scammonium (vel diagrydium) in succo calido Cytonior. Rosarumve pallidarum, aut Damascenarum s.a. decanta à fæcibus ac coagula.

N. 1. *Quercetanus* veram Scammonij præparationem fieri cum succo Limoniorum ait, cum quo procedit ut dictum. Vide Pharmacop. c. 15. Alij cum succo Citri.

N. 2. *Crollius* imbibit Diagridium puriss. succo clarificato Ros. pallidar. vel sylvestrium (fortè Damascenar. seu Provincialium) addit spir vitrioli guttam unam vel alteram, atque exsiccat calore solis vel retro fornacem, idque repetit multoties (10. vel 30)

Dosis à gr. vj. ad xij.

N. 3. *Brendelius* dissolvit Scamonium in aqu. destillata actu frigida. Sic subsidet picea quædam substantia, à qua decantat liquorem supernatantem: idque repetit, novam scil. aqu. affundendo, quoties aqua albicantem colorem contraxerit. Coagulat dein decantatas aquas leni calore ad siccitatem.

Dosis à gr. xij. &c. *Brendel. in Chym.*

3. *Extractum per spiritum Vini, Magisterium, s. Resina Scammonij. Pulvis Syrius.*

℞. Scammonii purissimi grossè triti ℥ij. spirit. vin. opt. ℥xij. (vel ad eminent. dig. 4.) Digerantur in MB. horâ unâ ac alterâ, sæpius agitando ut solvatur: dein filtra calidè per chartam, filtraturæ affunde aqu. frigidam Rosar. [vel aliam aliquam aquam,] & lactescet liquor. Abstracto spirit. vin. repone reliquum, & residebit Resina, quam (à supernatante lacteo liquore decantationis beneficio separatam,) ter quaterve aqua rosaceâ lava.

N. 1. *Si* Scammonium purum fuerit, vix pars tertia decedit. Sala de vegetab. Kes. 1. c. 90. Tentzel. in Exeg.

Dosis a ℈ß. ad gr. xv.

Fit quoque Extractum Scammonii per Acetum destill.

Dosis gr. 8. vel 12. *Hartm. in Croll.*

4. *Extractum Diagridii aromatisatum F.F.*

℞. Cinam.
Zinzib.
Caryophyll.
Macis.
Nucist.
Cardamom.
Cal. Arom.
Anis.
Cortic. Arant. ana ʒiß.

F. Extractum cum spirit. vin. ℔ß.

2. ℞. Diagrid ℥iij. Extrahe itidem cum spirit. vin s.a.

Utrumque Extractum conjunctim digere, spirit. vin. abstrahe ad consistentiam Extracti.

Dosis gr. xv. ad ℈j.

5. *Extractum Scammonii Glycyrrhizatum.*

Verum Scammonii correctivum est succus liquiritiæ. Infundatur radic. glycyrrh. bona quantitas in aq. per 24. horas, eaque infusio nova semper glycyrrh. additione ter repetatur, coctione levi præmissâ. In hoc decocto Scammon. pulverisatum resolvatur, filtretur, exhalet aqua sub finem lenissimo igne [ne aduratur] usquedum Extractum in fundo resideat. *Est S. Clossæi.*

6. *Elyxir Scammonii Crollianum, s. Pilulæ Scammonii.*

Ex Scammonio crebris imbibitionibus succi Rosar. (ut supra) impregnato, extrahe Tincturam s.a. digerendo cum spirit. vin. opt. [in quo sem. anis. fœnic. cinam. spica nardi macerata,] decanta & abstrahe spirit. vin. ad consistentiam duriusculam, vel quod melius, præcipita cum aqu. Rosar. & lava.

℞. Hujus extract. ℥j.
Succi Cytonior. depurati, ℥iiij.
Ros. Rub. depurat. ℥j.

M & coagula ad consistentiam pilul.

Dosis à gr. 10. ad 20.

7. *Alia correctio Hartmanni: Scammonium vitriolatum.*

℞. Scammon. minutiss. triti q v. imbibe cum pauxillo spir vitrioli, vel ol. Sulphuris p.c. adfundendo guttas aliquot. Ol. anis. vel fœnic. contere diligenter ut fiat massa instar picis viscida, quam serva.

Vires. Purgat leniter sine omni molestia.

Dosis à gr. xv. ad xxv. *Hartm. in Croll.*

N. 1. *Eodem* modo mitigatur & vehementia omnium succorum purgantium, Aloës, Elaterii, Gummi de Peru. Hartm. in Croll.

N. 2. *Quercetanus* in Pharmac. Restit. c. 15. Chymici, inquit, qui elegantes illas & singulares vitrioli proprietates occultè in eo delitescentes eruere norunt, haud verebuntur Scammoneam, Myrrham & ipsa etiam Gummi præparare & dissolvere cum phlegmate vitrioli toto suo spiritu impregnato. In hoc solo enim spiritu latet vera illorum simplicium præparatio, quæ cùm ex superante calefaciendi qualitate insignita sint, & hac viâ exquisitè & perfectè corriguntur.

N. 1. *Spiritus* vitrioli & Tartari comburunt Scammon. & in picem vertunt, ac proinde multum virtutis catharcticæ deperdunt. Satius igitur erit Scammon. resolvere in Tinctura ros. cum spiritu vitrioli paratâ, ut moris est, resolutumque ad Extracti consistentiam reducere.

8. *Scammonium Sulphuratum.*

℞. Scamm minutiss. triti, q.v. (e.gr. ℥j. vel ℥ij.) Extendatur supra chartam bibulam, detineaturque super carbonibus vivis Sulphure superinjecto fumantibus, donec Scammonium, (quod continuò movendum) liquescere incipiat vel albescat. Scammonium hac ratione optimè correctum exhiberi potest à gr. vj. ad vij.

9. *Scammonium rosatum.*

℞ Scammon. vel Diagrid. q. v. Extrahe cum spiritu Cytonior. s. a. decanta, filtra & inspissa ad consistentiam mellis. Dein adde Scammon. ad ℥j. succi Ros. Rub. recenter express. ℥ij. coagulentur simul ad siccitatem.

N. Si spiritum Cytoniorum, infusione Santali tinctum, loco Menstrui extractioni huic adhibueris, non modò Scammonium colore elegantius, sed & Epati minùs noxium acquires. Et hoc modo paratum Scammonium rosatum extat in officina Salzvvedeliana, jucunda suâ rubedine visum oblectans.

Dosis à gr. vj. ad xv.

10. *Infusum Scammonii, seu spiritus purgans.*

℞. Scammon. el. p. iiij. Succi Cydon. p. ij. mixta pone in locum calidum quotidie movendo, donec induretur. Tunc affunde spirit. vin Malvatici, q. s. stentque aliquamdiu in digestione. Et fit spiritus purgans, seu solutivus.

Vires. Purgat sine ullo fastidio ac molestia.

Dosis variat pro Scammonii ingredientis quantitate.

N. Hac infusio ad annum circiter servata, rejicit ad superficiem guttulas olei rubri, instar picis liquida, in quo ferocia seu malignitas scammonii residere judicatur. Tentzel. in Exeg.

11. *Diacydonium Lucidum Scammoneatum, seu laxativum.*

℞. Gelat. Diacydon. lucid ℔j. Extract. Diagrid. ℥vj. coque lento igne, (NB.) optimè miscendo, ad justam consistentiam.

Vel

℞. Scammon. ℥iv. extrahe Tincturam cum spirit. vin. postea fiat s.a. Cydoniatum ex succi Cydonior. ℔. iij. sacchar. ℔. j. Tincturam paulatim succo affunde, misce exactè ac effunde in scatulas.

Dosis à ʒj. ad ʒij & ʒiiß.

N. Nisi mixtio exactè fiat, fieri potest, ut diagrydium in uno loco parcius, in alio copiosius concrescat: inde purgatio justo lenior, hinc copiosior, adeoque hypercatharsis nonnunquam subsequitur.

12. *Gelatina Cydoniorum Laxativa cum Turbith.*

℞. Scammon. ℥ij.
Turbith. ʒiv.
Extrahe cum spirit. vin. postea

℞. Decoct. Cydon. ℔vß.
Sacchar. ℥xviii.
Coq. s. a. & F. Gelatina, cui sub finem affunde Tincturam Diagridii & Turbith, spatulaque agitentur, donec spirit. vin. evanescat. Tandem repone pro usu.

N. Communiora præparata, quæ diagridium ceu basis ingreditur, ipsemet Tyro observare poterit.

Præcipua ex his sunt


Confectio Anisi Laxativi.
Elect. Benedict. Laxativ.
De citro solutivum.
Diacydonites Laxativ.
El. Episcopi, s. Elescoph.
Confect. Hamech.
Indum majus.
Diaprunis solutivum.
Rosarum.
De succo Rosarum.
Zinziber Laxativum.
Pilulæ Aggregativæ majores.
Aureæ.
De Fumaria.
De Hermodactylis.
Extractum Catholicum, &c.

SCAMMONIUM Quod alio nomine etiam dicitur SCAMMONEA. De hoc observetur, quod sit succus in officinis prostans *valdoperè purgans*: uti & hoc: quod virtute differat multum à Scammonio Veterum: VETERUM namque SCAMMONIUM fuit succus ex radice benè maturâ collectus, benignior succo nostrate: adeò ut auctore *MESVE* & ejusdem affectis aliis ad ʒj. potuerit propinari absque ullo periculo, quod ipsum de nostro scammonio nullo modo potest dici, sed differt toto cœlo à Veterum, & satis est violentum: Estque nihil aliud quàm succus lacteus plantæ Esulæ vel Thythymali inspissatus & coagulatus: Notum enim est, quod omnes Esularum & Tethymalorum species fundant succum lacteum, qui succus lacteus inspissatus fit nigricans, & vocatur scammonium. Veterum scammonium proveniebat in Syria, de quo vid. *FALLOPIVS in Tr. de simplicibus purgantibus*, ubi egregia habet de Scammonio veterum & modernorum, quod veterum fuerit benignum, nostrum verò malignum & virulentum. Præter hoc quod nostras est distinctum à scammonio veterum, multas sustinet adulterationes, dum variæ quisquiliæ heterogeneæ partes & sordes illi permiscentur, adeò ut accurata depuratione ac præparatione opus sit, antequam in usum medicum adhibeatur: Nostras hoc est *purgans admodum generosum & validum*, quod cum impetu, & non sine violentia expurgat noxia ex corpore, & colliquefacit succos laudabiles in corpore, sicque expurgat tam sanos quàm ægros: & quidem *quoscunque humores evacuat*, imprimis tamen vehiculo tenui & seroso involutos. Exinde raro solum usurpatur propter virulentiam sed stimuli loco additur aliis purgantibus: Habemus enim duo, quæ instar stimuli addimus, Colocynthidem & Scammonium: Colocynthis additur vel sub forma Trochiscorum vel sub forma EXTRACTI. Scammonium verò in forma variâ pro varietate humorum expurgandorum: & sicut Colocynthis rarò per se propter virulentiam præscribitur, sed semper uti dixi stimuli loco additur: ita quoque Scammonium rarò per se, sed semper pro stimulo præscribitur: Reliquorum purgantium in dosi à gr. II. ad III. rarò ultra v. Per se si deberet assumi, præscribi posset à gr. x. ad XII. vel XV Indifferenter & indiscriminatim *expurgat*, quidquid invenit, adeoque *sanos & ægros evacuat*, aliisque medicamentis additum, loco stimuli solet eorum efficaciam augere & exaltare, sive addatur melanagogis sive phlegmagogis sive aliis, &c. In *febribus* imprimis solet ejus statui alexipharmacum Camphora, quæ virulentiam corrigit & malignitatem domat. Cum Hiera Galeni solâ dicitur appropriatum specificum pro expurgandis iis, qui laborant *morbo regio* vel *Ictero flavo*. Usurpatur vel in forma sicca vel humida: In sicca ceu pulvis vel pilulæ; in humida si subigatur cum aqua appropriata, ubi fit, ut instar lacti Scammonium albescat: v. g. si ℞. Scammonij gr. XII. vel XV. quibus affundatur aquæ vel rosarum vel cerasorum nigrorum ℥ß. benè agitantur in mortario vitreo cum vitreo pistillo, & sic fit liquor lacteus per filtrum transcolandus: id quod restat, denuò affusâ aquâ potest subigi, ut uti antea lactescat aqua: tale lac assumtum *evacuat & purgat sine torminibus* & sine graviorum symptomatum concursu: Alij ℞. resinam Scammonij vel ipsius Scammonij ℈ß. vel gr. XII. addunt Sacchari Candi ʒiij. quæ omnia permista benè pulverisant exactissimè: huic pulveri addunt succi citri ℥j. omnia benè miscent in mortario vel vitreo vel marmoreo vel lapideo, & fit liquor lacteus egregia mistura, quæ *suaviter purgat*: quæ & hoc habet beneficij, quando per succum citri simul corrigitur malignitas Scammonij, ut postmodum faciliùs & feliciùs purget. *ZAPATHA in clave Medicinæ* habet *TINCT.* elegantem purgantem seu aqua *RUBINEAM SOLUTIVAM*, qui ℞. Scammonij ℥j. & sp. vini lib. ß. Hæc duo invicem permittit, ut fiat digestio & extractio, filtrat & filtrato liquori addit sacchari s. q. in aqua appropriata soluti, & permiscet ita cum Ess. Scammonij, sicque acquirit colorem rubineum & perspicuum instar Julebi, spiritus vini non sit minus dephlegmatus. Eleganter laxans est, si detur in conveniente dosi. Denique ut elegantius fiat adsumtum Scammonium: Est enim ingratum propter amaritiem & nauseabundum saporem, sunt, qui ℞. gr. XII. permiscent cum sacchari candi ʒiij. subigunt cum mucilagine Tragacanthi facta aqua rosarum. q. s. & exinde faciunt orbiculos, quos illinunt ol. stillatitio ligni Rhodij, sicque fiunt ORBICULI eleganter LAXANTES. Sequuntur PRÆPARATA. Malignum est, uti dixi, Scammonium, & propterea neque gravidis, neque infantibus & pueris commodè propinatur: nihilominus ad modernos imprimis Belgas obtinuit, ut ad aliquot gr. ij. vel iij. cum liquore appropriato v. g. lacte pro eorum laxatione adhibeatur. Commodè hoc potest fieri, si prius sit præparatum, & in præparatione istâ correctum. Instituuntur autem correctiones variæ, & quorum I. est DIAGRYDIUM, factum cum succo Cydoniorum, quam præparationem habet AUCTOR: nec est adeò inelegans: fitque duplici modo, vel immittendo Scammonium in pomum cotoneum, vel solvendo illud in succo Cydoniorum, quas præparationes habet AUCTOR. *QUERCETANUS* parat cum succo Limonum ad hujus imitationem *PETRUS IOHANNES FABER in Myrath. Spagyr. lib. 2. c. 15.* Præparat V. Ess. seu extrahit EXTRACTUM SCAMMONII cum succo limonum per sp. vitrioli acuatum. Ista *BRENDELII* correctio, quam habet AUCTOR, est superficiaria tantum Scammonij depuratio à sordibus admistis, non verò vera correctio ac præparatio. MAGISTERIUM, quod habet AUCTOR per sp. vini, beneficio cujus fit magisterium Scammonij, vocatur aliàs pulvis *SYRIUS*, & quod dixi de reliquis resinis omnibus, de hac quoque est intelligendum & observandum, quod nunquam sit præscribendum solum, sed admisto stimulo salino, ne adhæreat intestinis. EXTRACTUM SCAMMONII *GLYCYRRHIZATUM* hoc habet beneficij, quod à Glycyrrhiza Scammonium corrigatur: Dixi enim superius, quod *temperet acrimoniam humorum & succorum* in nostro corpore. ergo & medicamentorum assumtorum acrimoniam infringet; dum ergo ita in Scammonio illa corrigitur, impeditur quo minus colliquefaciat & succos utiles in corpore, nec exulcerationem in intestinis nec dysenteriam inducet. SYRUPUS CITRI DIAGRYDIATUS fit hoc modo: ℞. scammonij sulphurati ℥j. & superfundunt succi citri depurati lib. ß. Stent in vitro benè obturato in

digestione

digeſtione per 3. dies ſæpius agitando & movendo in loco calido atque ultimo die per 12. Horas permittunt ſine agitatione, ut clareſcat, fitque clariſſima colaturâ, in qua diſſolvunt ſacchari ℥iij. Quæ coquuntur ad conſiſtentiam ſyrupi, cujus doſis eſt cochlear unum. Præparant quidam ex Scammonio medicamentum, quod vocant RUBINUM VEGETABILEM: ex Scammonio nimirum crudo eodem modo atque reſinam Scammonij, quam deſcribit AUCTOR, & præcipitant cum ſucco roſarum rubrarum provincialium; poſt præcipitationem reſinæ in fundum, moderatè ſeparatur ſuccus roſarum per inclinationem & denique cum TINCT. roſarum reſinæ ſuperinfuſæ colorabitur eadem reſina rubicundo colore elegantiſſimo: tandem exſiccatur, pulveriſatur & vocatur RUBINUS VEGETABILIS. VII. Præparatio quam habet AUCTOR cum ſp. vitrioli, eſtque SCAMMONIUM vitriolatum: non eſt vera præparatio, ſed potius Caſtratio, figunt enim talia acida nitrum acre in ſcammonio purgans, ſicque non corrigunt ſed caſtrant; id quod patet ex eo, quod ſcammonium vitriolatum poſſit propinari ad gr. xxv. quod nullo modo fit in crudo; Caſtrata ergo fuit ejus vis per ſp. vitrioli. Et hoc etiam verum eſt de alio modo quo fit MAGISTERIUM SCAMMONIATUM, quando ſcilicet ſcammonio pulveriſato affundunt ſpir. vitrioli rectificatum, ſolvunt, extrahunt, & extractum præcipitant cum oleo tartari & procedunt ut in magiſterio coralliorum, abluendo illud, cujus doſis eſt à ℈j. ad ℈iv. ſed apparet ex magna doſi, quod non ſit correctio, ſed potius caſtratio, adeò ut tales præparationes potius ſint irridendæ & ridiculæ quam amplectendæ. SCAMMONIUM SULPHUREUM fit per imbibitionem cum fumo ſulphureo: Fundamentum hujus præparationis eſt hoc, quod fumus ſulphureus accenſi imprægnat ſcammonium: jam verò cum fumus ſulphureus acidus & ſpiritus vitrioli ſint ejuſdem naturæ & ejuſdem eſſentiæ, patet quod ſit caſtratio, non vero genuina præparatio. Et hoc ſcammonium ſulphuratum generalius & potentius eſt quàm Diagrydium commodius loco ſtimuli adhibetur ſcammonium ſulphuratum quàm Diagrydium. Multi ſunt qui ſuccum roſarum & cydoniorum habent pro generalibus corrigentibus omnium purgantium, quod tamen magis valet de ſucco cydoniorum, utpote ſtomachico, quàm de ſucco roſarum, qui non adeò eſt cordialis & ſtomachicus Fit etiam ſal SCAMMONIATUM PURGANS ſcil. ℞. Scammonij lib. 1. & ſolvitur in ſpir. vini q. ſ. poſtmodum ℞. ſal commune, & ſolvitur in Aqua Fontana: ambæ ſolutiones permiſcentur invicem & evaporantur, ſenſim ſenſimque & in fundo reſidebit ſal quod ſine ſapore nauſeabundo purgat leniter, datur à ℈ß. ad ℈j. Eſtque nihil aliud quàm ſal commune imprægnatum ſcammonio. Denique pro correctione ſcammonij cum dixerim, quod ſuccus Cydoniorum ſit optimus, ſolet permiſceri cum Gelatina Cydoniorum & fieri Gelatina ſcammoniata laxativa; vocaturque DIACYDONIATUM LAXATIVUM: præparationes vid. in AUCTORE: Et quidem de gelatina Cydoniorum ſupra egimus ſub Cydoniis. Ad earum imitationem imprimis ad primæ præparationis, quæ fit cum ſucco Cydoniorum poteſt fieri cum ſucco ribium, berberum, rubi ideæ, & ſuccis aliis, Diaribium laxativum, Diaberberum laxativum & ſic porro. Ab AUCTORE deſcribitur Diacydoniorum laxativum.

Et hæc quoque de *Purgantibus Secundariis.* Cæterum ex hiſce ſufficere poſſent, *aloe* nimirum & *ſcammonium*, adeò ut cæteris facilè ſuperſedere poſſemus; *Unde ex omnibus purgantibus* 7. ſufficerent, *5. ex primariis* & *2. ex ſecundariis.* Ex primariis *Rhabarbarum, Helleb. Nig. Ialap. Colocynth. & Senna.* Ex ſecundariis *Aloe & Scammonium.* His ſi rectè utaris, citra incommodum ægros purgare cumque ſumma exiſtimatione finem nobis propoſitum aſſequi poterimus: *Quibus jam concludimus Regnum Vegetabile, & ad Animale* pergimus.



SCHRÖDERI DILUCIDATI ZOOLOGIA *SIVE* REGNUM ANIMALE.

ZOOLOGIA est pars Pharmacopœiæ, quæ Medicamenta ex Animalibus desumpta recenset.

N. Animalia puta, tam viva quam interempta (liceat hæc animalia appellare.) De utrisque commonere hîc expedit, eligenda esse, quæ extra dispositionem morbosam & hinc detrimentosam constituta sunt. Itaque si ex vivis expetis, provideas sana ea sint: sin ex interemptis, interempta illa adhibeas morte violentâ extrinsecus accedente. Etenim expetitur medicamentalis cujusque rei substantia, eaque ad medicationem apta, adeoque facultatibus morbosis destituta; salubribus è contra tincturis delibuta. Hæc imprimis pars rei spirituosa est, in naturali scil. dispositione constituta, facultatibusque peregrinis orba. Nimirum hæc, ut morte naturali paulatim senescens consumitur, curriculoque suo destinato perfuncta, in principia sua resolvitur: ita eadem ipsa, si flamma vitalis violenter extinguatur, superstes aliquamdiu manet, nec à corpore separatur, donec hujus dissolutione & ipsa dissolvatur. Et quidem talis ferè illa superstes supperit, qualis erat, dum flamma illa extinguebatur, i. e. salubribus, insalubribusve tincturis imbuta. Hinc itaque non raro miræ cadaverum facultates elucent, veluti præ reliquis est vis illa formatrix, non modò è cineribus vegetabilium suscitabilis (teste Sennerto, ex Quercetano & Polono, ut & ex Libavio, teste Cl. Horstio epistolâ ea de re ad me missâ, teste itidem Vigenario Gallo, in tractatu Gallico de Igne & Sale, pag. 261.) sed & in animalium quorundam cineribus demonstrabilis. Hujus rei historiam, cum Parisiis degerem, ceu verissimam mihi retulit Doctor Medicinæ Parisiensis, nomine Certain, vir vel ætatis ratione fide dignus, videlicet sibi in maceratione cineris cancrorum, tam perfectorum, quàm imperfectorum, in liquore natantium: Simili ratione in aqu. stillat. spermatis ranarum, sibi ranarum imagines quondam fuisse repræsentatas, testis est Vir Excellentissimus Joan. Daniel Horstius, in Academia Marpurgensi Medicinæ Professor publicus, Amicus meus integerrimus. Non minus & in perfectiorum animalium ossibus idem accidere, præter alios refert Robertus Flud de Fluctibus, Medicus Anglus, Scrutator naturæ sagacissimus. Et quæso quid causæ subesset, quod solum animalia mactata culinis expetantur, posthabitis quæ secus obierunt, nisi sit, quod illa balsamicâ, seu spirituali prædita sunt substantiâ, ad nutritionem requisitâ, hæc vel eâdem destituta sint, vel inquinatam & insalubrem possident? In Medicis difficultatibus non postrema est, quæ etiam doctissimos macerat, unde scil. facultates occultiores Medicamentorum fluant. Nimirum alii Formæ mixti eas acceptas referunt, alii Formæ separatæ relictæ vestigio: ne dicam de peculiari qualitatum primarum mixtione, quam alii ponunt. Verùm anne satius sit, difficultates has & similes hoc ipso, quod posui, fundamento dirimere, quàm Entia citra necessitatem multiplicare, cuilibet pro arbitrio do judicandum; nec enim quemquam cogo, sed saltem Philosophicâ libertate nixus modum suggero è difficultatibus emergendi, & quidem ejusmodi, quem (ne novitatis accuses) tota Stoïcorum schola olim docuit. Videsis Quercetan. libr. de Veritate Hermetic. medicin. cap. 10. Nec est quod hinc metuas simplicitati formarum hac ratione derogari. Simplices quidem sunt formæ, id fateor, sed & materiales, non ut communiter fingitur, simpliciter spirituales. Caveas autem ne huc spiritum divinum hominis retrahas: hic enim, ut sublimioris est originis, ita & altioris indaginis.

Quia Epistolæ Horstianæ mentionem feci, ejus verba subjungere placet, quæ sunt: Quod attinet suscitabilem vim formatricem, certè sæpeque D. Georgius Moltherus Med. Wezflar. retulit, non semel se urticam vidisse in aqua congelata. Mihi est sal Absynthii, cujus ope, vera loquor, totum absynthium tibi ponam ob oculos. *Hæc Horstius*, quibus & hoc subjicere volui, quod certâ quadam operatione Sal com. Absynthii volatile elevatum Alembici lateribus adhærendo plantam suam dilucidè repræsentet.

Classes Zoologiæ sunt quatuor.

1. Animalia terrestria exhibet, eaque perfectiora.
2. Aves recenset.
3. Pisces describit.
4. Insecta subjungit.

ABSOLUTA in præcedentibus PHYTOLOGIA, sive REGNO VEGETABILI, ordo nunc nos ducit ad ZOOLOGIAM, sive REGNUM ANIMALE. Ubi quæ habet AUCTOR in prolegomenis de *resuscitatione animalium ex cineribus* in genere, quod nimirum reperiatur animal in cineribus, sunt lectu dignissima, & prostant de illis multa exempla, quæ hinc inde videri possunt. Quod attinet ANIMALIA, quæ in *usum medicum* adhibentur, eligenda sunt ea, quæ adhuc sunt *viventia*, vel *violentâ morte interemta*; quæ enim spontè, vel morbo vel senio interierunt, sunt planè inepta, quoniam maxima eorum vis, quæ residet in sale vol. imprægnato spiritu vitali insito, quod propter senium, deficiens fermentum, & longum morbum exhaustum est, deficit & deest. Et propterea assumenda sunt vel animalia viventia, si sint minora, vel partes animalium violentâ morte interemptorum, si majora. Quod non tantùm in usu *Pharmaceutico* observatur, sed etiam in *culinari*, in qua rejiciuntur animalia inveterata & mortua, propterea quoniam vis eorum est exhausta & imminuta: id quod eò magis observandum in usu pharmaceutico & pro scopo, ut exinde præparentur medicamenta. *Compositionem* & *resolutionem* animalium SPAGYRICAM quod attinet, omnia quæcunque sint *animalia, imprægnata sunt copioso sale vol.* Hoc ipsum tamen, dum adhuc sunt in suo esse animalia, est *salsum*, seu est *acidum vol.* & sal *vol. urinosum*: quæ duo per fermentationem combinata, dant sal vol. salsum: Demonstrante sufficienter *TACHENIO* in *Hippocrate Chymico* & *Clave*, *&c.* Hoc sal salsum volatile, dum destillatur, mutat naturam; & sub ign. examine rigoroso sal vol. urinosum prodit, & adhæret lateribus alembici: sal verò acidum vol. arripit partem sal. vol. & cum illa conjunctum sub forma olei crassi fœtidi & turbulenti unâ abit & transit. Nam *oleum* tale non reperitur in iisdem, sed *fit* tandem *in* ignis examine. Quando ergo destillantur quæcunq; animalia, 1 prodit *phlegma* quoddam *urinosum* saporis amaricantis, quod ipsum non est purũ putum phlegma, quoniam

niam in deſtillatione ſtriatim tranſit per alembicum, cum alia phlegmata guttatim tranſeant: Eſtque itaque mediæ naturæ inter phlegma & ſpiritum. Paulò poſt ſub forma nebulæ prodit *ſal vol.* quod adhæret lateribus alembici, & *repræſentat formam ſui ſimplicis*, v. g. C. C. ſal vol. in C. C. forma, ſal vol. viperarum in forma viperarum adhærent alembici lateribus. Interea temporis quando exhalat ſal. vol. acidum arripit partem ſal. vol. urinoſi, & colliquefactum tranſit ſub forma *ol. Craſſi*, & Empyreumate contracto, fœtidi & turbulenti, quod nihil aliud eſt quam *ſalia concentrata*, dum ſal vol. urinoſum & acidum ſe uniunt, & quando pars avolavit, tranſeunt & extillant Id quod remanet in retorta. Poſt hæc principia deſtillata eſt *terra mortua* inanis, inſipida & omni virtute medica deſtituta, quæ ut plurimũ ſolet eſſe nigricans, forti tamen calcinatione, albeſcit. Dicitur *terra uſta* ſive calcinata, fitque v. gr. C. C. uſtum, vel oſſa humana uſta, ſive iſtud remanens poſt deſtillationem, quod utut uti dixi, nigricet, forti tamen calcinatione in igne fit albicans, & vocatur uſtum. In hac terra uſta non reperitur *ſal fixum*, ſicut in vegetabilibus: Notum enim eſt, quod *ex cineribus Vegetabilium* eliciatur ſal fixum urinoſum, quod quidem non eſt rationale ſed *artificiale*, & fit per ignis colliquationem. Contrarium eſt *in animalibus*, in quibus vix ac ne vix quidem unum vel aliud *granum ſalis fixi poteſt colligi* poſt deſtillationem, ſed quicquid eſt in animalibus, vel ſub forma ſalis & ol. tranſit, vel ſub forma calcis ſeu terræ inſipidæ remanet, quoniam *per fermentationem* & digeſtionem *omnia in animalibus ſunt volatilia* & nihil fixum *ſal vol.* animalium pro varietate animalium multum *variat*: Copioſius enim & penetrantius eſt in ſylveſtribus quàm in domeſticis: Deinde acrius & volatilius eſt in maribus quàm in fœmellis: Ulterius penetrantius & volatilius eſt in maribus non caſtratis quam in caſtratis, in quibus omninò eſt temperatum propter fermentationem non adeò acrem & fortem ex defectu fermenti teſticulorum, quod Maſſæ ſanguineæ in non caſtratis inſpiratur, atque ſanguinis fermentationem acriorem & celeriorem reddit. *Inſecta* imprimis conſtant ſubtili ſale ſalſo ſeu acido & urinoſo fortiter conjunctis, adeò ut juncta ſubminiſtrent ſpir. acrem vol. & penetrantem, qui reſpectu aliorum longè eſt volatilior ac penetrantior, ac in animalibus majoribus ſ. qualia inſecta ſunt *millepedes, lumbrici & formicæ*, quæ acriori & penetrantiore ſale vol. conſtant, & inprimis commendantur in affectibus articulorum ſcorbuticis. Quod attinet in genere has partes: *Spiritus* ſ. qui prodit primum phlegma ſpirituoſum pro ſe non uſurpatur, ſed unitur cum ſale vol. & vocatur *ſpiritus eſſentificatus*, v. gr. phlegma ſpirituoſum C. C. ſi miſceatur cum ſal vol. C. C. vocatur ſpiritus eſſentificatus C. C. & ſic porrò Spiritus hic Eſſentificatus egregiè *penetrat*, quodcunque acidum in corpore humano abſumit, temperat & corrigit: *Sanguinem coagulatum* & congrumatum diſſolvit, Sanguinis *ſtagnationem impedit*, ejuſque *motum* propter auctam fluiditatem *promovet*, *ſudorem* ac *urinam* potenter *ciet*, quaſcunque *obſtructiones* partium imprimis in capite ex ſanguine ſtagnante *reſerit* & reſolvit & quæ ſunt aliæ virtutes talium præparatorum. *Ol. deſtillata* ad aliquot guttas *interius* aſſumpta excedunt virtutes ſalium volatilium, dum revera ſunt ſalia volatilia concentrata, excedunt inquam ſal. vol. internò uſu, nihilominus propter inſuavitatem ſaporis & odoris *rarò internè uſurpantur*, utut præterea *excellentiſſima* ſint ſudorifera & malignitati reſiſtentia. *Externè* etiam propter odorem ingratum ex Empyreumate contracto uſurpantur *raro*, nihilominus ſi inungantur artubus *paralyſi* ac *Tremore* affectis, item qui laborant *paræſi*, non vulgarem præſtabunt uſum: Præterea in *bubonibus* & *carbunculis* peſtilentialibus maturandis & extrahendis ol. deſtillata ex animalibus ſunt egregia. Tumores duros *emolliunt*, eoſque emollitos, uti & alios imprimis ſanguineos tumores *diſcutiunt*, *reſolvunt* & attenuant, quo minus ſuppurari & in abſceſſum degenerare queant. Sequitur *terra mortua* poſt deſtillationem reſidua: Hæc ipſa utut omni virtute activa fuerit ſpoliata, tamen adhuc *habet virtutem adſtringendi* & exſiccandi, quaſcunque *humiditates imbibit*, & partes laxas *corroborat*. Nam ori admota adſtringit & ſalivam imbibit, ſicque in corpore apparenter corroborat: Præterea *acidum* in primis viis *imbibit*, id quod patet exinde: Si n. illi inſtilletur ſpir. acidus, illum, ut nihil acidi ſuperſit, abſumit & imbibit: Unde ſimili modo ſi reperit acidum præternaturale in ſtomacho, inteſtinis & primis viis, imbibunt illud tales terræ mortuæ, ut acrimoniam & corroſivitatem deperdant. Et propterea poſſumus adhibere, ubi eſt ſanguis coagulatus ex acido ſuperabundante, ut illud imbibant, & imbibito acido ſanguini ſuam fluiditatem reſtituant. Aliàs nullius ſunt uſus: Quod dixi de toto animali, hoc de omnibus ejus partibus intelligendum venit, de *pilis, oſſibus, lana, Corio, partibus interaneis, ſanguine &c.* dum omnia dant 1. phlegma ſeu ſpir. 2. ſal. vol. 3. oleum fœtidum & 4. relinquunt terram mortuam & exſuccam. In ſpecie 1. ſe offerunt ex ORDINE ANIMALIUM TERRESTRIUM *ſeu Claſſi* I.

CLASSIS I.

De Animalibus Terreſtribus perfectioribus.

I. AGNUS.

Αμνὸς, ἀρνὸς, *ein Lamb*, *Schaaf.* Un Agneau.

OFFICIN. NAT.

1. *Pulmones.* (cum recentes, tum ſiccati.) 2. *Fel.* 3. *Lana.* 4. *Oſſa incinerata.* 5. *Coagulum.*

VIRES.

1. *Pulmo* attritus, à calceamentis contractos, ab inflammationibus tuetur (*impoſitus.*) *Vide Ovis.*

2. *Fel*, ad morbum comitialem exhibetur.

3. *Lana* (*cum coro*) anginæ, aliiſque colli tumoribus leniendis ac molliendis confert (*impoſita.*)

4. *Oſſa incinerata*; conſolidationem vulnerum, etiam eorum, quæ difficilioris ſunt conſolidationis, conſolidant.

5. *Coagulum*; valet ad venena, ad Lac coagulatum, ad morſus venenatos (*cum acet. potum.*)

AGNUS. De hoc in uſum venit *pulmo*, qui uti & pulmo vulpis commendatur in *phthiſi* & affectibus pulmonum, inprimis *in vulneribus pulmonum*, quod an verum ſit, digladiantur inter ſe Auctores. Inſtar omnium vobis ſit *KIRCERUS* in *arte magnet. lib. 2 pag. 3. cap. 6.* qui tanquam pro aris & focis pugnat, quæ partes animalium proſint partibus in homine, quibus reſpondent, vel quod partes humanæ proſint partibus, cum quibus ſymbolizant, vel ſimilitudinem gerunt: adeò ut pulmo agni, vulpis & cervi conveniant in affectibus pulmonum: Hos tamen irridet *HELMONT.* &

alij, quod post mortem ejusmodi partes amittant hanc analogiam, appropriationem & symbolizationem. Quod jam dico de pulmone, valet etiam de aliis partibus, & semel pro semper hoc observandum: Egoque ipse his non multum tribuo. Dicit AUCTOR, quod OSSA *calcinata* vulnera, etiam quæ difficilioris sunt consolidationis, consolident, hoc non tantum de ossibus agni calcinatis, sed de omnibus aliis verum est, quoniam sunt instar terræ mortuæ, quæ absumit acidum, unde non mirum, si acidum absumat impediens consolidationem: & propterea hoc de omnibus ossibus dici potest: Sequitur LAC *coagulatum:* Mirum est, quod lac coagulatum agni, hædi, vaccinum & similia lacticinia *præstent in lacte coagulato assumpta*, dissolvendo: unde tale lac coagulatum animalium solent præscribere mulieribus pro solvendo lacte in mammis congrumato, & experientiam dicunt hoc ipsum confirmare, utut mihi, ut verum fatear, res videatur suspecta.

II. ALCES.

Ἄλκη, Alces, magna bestia, *Cæsari, Albert. Magn.* (cui & Equicervus) *Olao Magno, Mizald. Lev. Lemnio. Elend.* Le Eslant.

Animal est gregarium, bisulcum, ad cervi figuram accedens, quo tamen majus est, naturâ timidum, comitiali morbo obnoxium.

PRÆPARATA.

1. *Cornu.* 2. *Vngula*, ac 3. *Nervi.*

VIRES.

1. *Cornu*, cui plus tribuitur quàm Vngulæ.

2. *Vngula* specificâ virtute celebratur adversus Epilepsiam, tum præcavendam, tum curandam, idque usu tam interno, quàm externo.

Internè propinatur scops, & præparata subjuncta.

Externè includitur particula annulo, gestaturque digito, qui minimo proximus est, ut palmam respiciat: Inditur itidem pugno, applicatur pulsui, immittitur in aurem (sinistram,) suspenditur de collo, ut cutim attingat.

Dosis ℈ß & ultra ℈j.

N. 1. Dignoscitur odore, quem gratum suffitu exhibet.

N. 2. Referunt, non quodlibet hujus speciei animal malo Epileptico corripi, nec omnia eadem proprietate prædita esse, sed pro ætate, sexu, tempore, & ipsius etiam ungulæ ratione, plurimùm variare. Fœminæ ungulam hac facultate nequaquam pollere, sed maris solùm; nec pulli, sed adulti, idque eo tempore, quo in Venerem ferri incipit, (inter Festum assumptionis Mariæ & nativitatis ejusdem.) Plus etiam unguibus posterioribus, quam anterioribus tribuunt, & horum quidam pedi (quod vulgatius) dextro, alij sinistro. Sunt qui velint has ungulas ab animali adhuc vivente, dicto tempore præscindendas esse. *Andr. Bacc. lib. de Alce.*

3. *Nervi*, circumligantur membris spasmo obnoxiis.

PRÆPAR. Ex Cornu.

1. Præparari potest uti cornu Cervi, & uri.
2. Vaporari sicuti CC. philosophicè calcinatum.
3. Galreda exinde confici.
4. Spiritus.
5. Sal volatile.
6. Oleum.

PRÆPAR. Ex Ungulis.

1. Vngulæ præparatæ, *lege communi.*

Magisterium *fit l. c. aceto* (alii malunt spir. vitrioli,) *ac oleo Tartari.*

N. Magisterium hoc cineris colorem ferre refert.

3. Sunt qui *aquam* ex medulla cerebri destillatam, pro arcano Epileptico habent. *Vide in homine.*

4. Exhibere itidem poterit *Oleum Liquorem, ac Sal volatile*, l. com.

N. Cum in Finlandia degerem, præfectus institutioni *Generosissimi Gustavij* Horn, *Everhardi Filij*, qui jam Generalem Majorem in Suedico Exercitu agit celeberrimum, transfossam Alcen, Generosissimæ illius Matri viduæ à servis præsentatam vidi 17 palmos altam.

ALCE. Quale sit animal, non adeò incognitum est: In usu sunt 1. CORNUA & UNGULÆ. Notum de his est, quod ambo specificè commendentur in *Epilepsia, spasmo* ac *convulsionibus*, uti & contra *tremores. Cornua*, quæ non amplius sunt rara, *præparata* instar C. C. scil. sive præparentur *philosophicè*, sive sola *rasura* redigantur in pulverem, sive ignis beneficio ex iis eliciatur sal cum spiritu vol. seu *sal vol.* omnia sunt specifica remedia *contra Epilepsiam, tremores, spasmum*, contra *convulsiones* & similes affectus. *FABER* parat egregiam Q. E. *ant-Epilepticam* ex hoc cornu. Referunt ulterius de *ungula* idem, quod nempe sit expertissima in Epilepsia compescenda, id quod non tantum traditione veterum, sed experientia modernorum stat confirmatum. vid. *LEMNIUS* in Tr. *de occultis naturæ miraculis* pag. 124. uti etiam *SCHENCK obs. de Epilepsia.* Prodest non tantum *externè* appensa, aut annulo inclusa & in digito gestata, de quo vid. *SCHENCK.* sed etiam *internè* assumpta, si scilicet *rasura* mox propinetur cum aqua liliorum convallium, vel cum aqua Lavendulæ: *Præter hoc* etiam quod sic rasa specificum est remedium in Epilepsia, etiam *in vertigine* ac *Tremore* tam partium externarum quàm internarum, *palpitatione cordis:* Item in *suffocatione uterina* specificè commendatur, sive scops sive rasura sive præparata ungula propinetur. Cœterum de *Electione* controvertitur: dicunt eligendum esse ungulam maris, dum hiat in venerem, & quidem quod prosit ungula pedis posterioris dextri, propterea quod Epilepsiâ correptum animal soleat istâ ungulâ scalpere aurem, & inserere in eandem, sicque se curare: & est hæc eadem, quæ specificè commendatur ad Epilepsiam arcendam. Quod etiam dicit *Heinricus à BRAHE de medicamentis Epilepticis*, qui refert, se habere expertum, quod portiuncula in aurem immissa, & scalpendo mota Epilepticos resuscitârit. NERVUS *alcis* circumligatus membro spasmo correpto prodest: id quod non tantùm de hoc verum est; sed etiam de nervis ex hominibus & cervis. Imprimis ex hominibus morte violenta interemptis, circumligatis partibus spasmo affectis easdem restituunt. Inter PRÆPARATIONES est 1. *Ungula præparata*, quæ fit lege communi: deinde est *Magisterium.* De Magisteriis observetur, quod ex cornubus animalium, ossibus, ungulis & similibus partibus duris sint difficilis præparationis, propterea quoniam inest mucilago glutinosa seu gelatina, quæ impedit, quo minus possit solvi à menstruo, ut ergo fiat dissolutio, prius coquenda sunt in aqua, ut prodeat mucilago & quasi gelatina: Hinc facilè corrodi possunt per spiritum aceti seu acetum destillatum, vel spiritum salis vel aliud quoddam menstruum & sic soluta per ol Tartari per deliquium vel alium liquorem præcipitari in Magisterium. Hoc observetur, ne fiat error.

III. APER.

Aper { Mas, κάπρος. Verres sylvaticus, *Vuildschvvein, Eber.* Un sanglier.
Fœmina, sus fera, scropha sylv. *vvilde Sau.*
Porcellus sylvest. *Frischling.* }

Vescitur glandibus, nucibus faginis, castaneis, radicibus filicis, angel. & simil. Coit initio Hyemis, parit Vere.

OFFICIN.

OFFICIN. NAT.

1. *Adeps.* 2. *Dens.* 3. *Genitalia.* 4. *Fel.* 5. *Stercus* 6. *Urina.*

VIRES.

1. *Aper*, ut verri domestico cognatus est, ita & vires communes obtinet; sed fortiores. Hinc recipitur adeps ad unguentorum armarium, commendatur peculiariter ad laterum dolores leniendos, materiamque molliendam: rejectiones sanguinis sistit, (*in aceto vel vino potum*;) ad rupta & convulsa, (*ex aceto bibitur*,) luxatis (*cum aceto rosar.*) medetur. *Diosc.*

2. *Dens* specificè in pleuritide exhibetur: cynanchen (*cum Ol. Lini inunctus vel & exhibitus*) curat.
Dosis ʒj.

3. *Genitalia ac Testiculi* ad Veneris impotentiam ac prolificationem faciunt.

4. *Fel* strumas discutit.
[Urina & cerebrum apri, in vesica in fumo suspensa, in Linimentum coëunt tineæ utile.]

5. *Stercus* aridum (*potum*) rejectionem sanguinis sistere creditur, id quod etiam præstat extrinsecus admotum.

6. *Urina* comminuit specificè vesicæ calculos, eosque expellit.
[Lapis porcinus, ex apri vesicula fellea, Piedra de Puerco, Lusitanis, Ictericis commendatur.]

PRÆPARATA.

1. *Dens præparat.* leg. com.

2. Fieri etiam potest *Magisterium* ex dente, solvendo cum Acet. Destill. & præcipitando cum Spir. vitrioli, vel Ol. Tartari.

N. Dens apri mucilaginosus valdè est, ideoque congelascit nonnunquam in fundo præparatum. Hanc congelascentiam ut præcaveant, solent ignis aliquantulum exponere & urere.

3. Sunt & qui *aquam ex sanguine* cum plantis refrigerantibus & humectantibus destillatam in Atrophia magnifaciunt *Hartm. in pract.*

APER. Quæ habet AUCTOR, non declaro; nec opus est, saltim privato studio illa legantur. DENS *apri* specificè convenit in *pluritide*, & etiam in *anginis*, si *præparatus* propinetur à ℈ß. ad ʒj. Datur in pluritide in aqua flor. acaciæ, in decocto flor. papaveris Rhæados; vel in decocto cardui benedicti vel horum aquis destillatis. *Deinde* etiam convenit in angina & omnibus speciebus ejus, in qua specificè expertus est *VALLERIOLA lib. 2. obs.* 10 qui dat *rasuram* denti apri ad ʒj. cum oleo amygdalarum dulcium & saccharo cando, & dicit, quod hæc mistura, uti in pleuritide, ita & in Angina sit expertissimum remedium. Hæc rasura dentis apri commendatur permista decoctis antipleuriticis, quoniam in decoctis mista cum plantis appropriatis & decocta subministrat *Gelatinam*, quæ elicita nihil est aliud quàm sal vol. sub forma mucilaginis sese sistens & elicitum: Hæc ipsa ergo idem præstat in pluritide, quod dens in substantia assumtus: Quod de decocto C. C. & aliis semel pro semper sit dictum. Quodque talis *mucilago nil aliud sit quàm sal volatile*, patet ex eo, quod talia ossa, ubi elicita est Galetina, postmodum in destillatione vel nullum, vel parum dant sal vol. In angina, pleuritide & aliis inflammationibus partium cum febribus est expertus dens apri. TESTICULI sunt specifici in *sterilitate* mulierum, & paratur ex illis essentia, quæ non tam mulieribus in sterilitate convenit, quàm viris in *impotentia*. Magnates quidam utuntur *Essentia testiculorum* apri ad *promovendam venerem*, & commendantur aliàs ad stimulandam venerem. Aliàs quoque notum est, quod *sanguis Galli* valdè stimulet venerem. STERCUS singulare specificum est *in sanguine sistendo*: Potius tamen hoc intelligendum est de stercore suis, seu porci domestici, de quo inferius, ubi de sue, non de apro seu sue sylvestri. URINA apri valdè conducit *ad comminuendum calculum* vesicæ & renum. Quod dicit AUCTOR quod igne destillata conveniat in *Hectica*, intelligendum est de porcellis seu suillis & idem non tantum de porcellis sylvestribus, sed etiam de porcellis domesticis. Nam uti superius dixi, in virtute medica excedunt sylvestria domestica in virtute alendi excedunt castrata domestica non castrata.

IV. ASINUS

ONOΣ { Mas, *Esel*, Un Asne. / Fœmina, *Eselin*. Asnesse. / Pullus, *Poullin*. }

Animal est pigrum, melancholicum, vivax (*ad annos* 30.) mense 12. pariens.

OFFICIN. NAT.

1. *Ungula* 2. *Sanguis* 3. *Lac.* 4. *Urina* 5. *Stercus.* 6. *Adeps.* 7. *Pili.*

VIRES.

1. *Ungula* in morbo comitiali ungulæ alcis vicaria censetur: (*datur per mensem diebus continuis ad* ℥ß.) nonnullis & *Calvaria.*
Extrinsecus commendatur cinis ad discutiendas strumas & sanandos perniones (*cum oleo inunctus*) ad rimas cutis consolidandas, apostemata discutienda, pterygium oculorum tollendum (*cum lacte mulieris instillatus*), ad fœtum mortuum eliminandum, (*in suffitu*,) ad Epilepticas & Hystericas excitandas (*nidore.*)

2. *Sanguis* sudorem ciet, pone aures, s. ex aure extractus, linteo susceptus & interveniente lintei illius infusione assumptus, melancholici humoris ferociam dicitur mitigare, morbosque incantatione introductos arcere: sunt & qui eundem ad febrim quotidianam exhibent, Pulli asini sanguis icterum curat.

3. *Lac* nutrit, abstergit fortiter; hinc utile in Phthisi, in morbis ventriculi, renum abscessu, vesicæ lithiasi, arthriticis doloribus, laxat nimir. alvum abstergit, vias urinarias, ciet menses.
Extrinsecus adhibitum, stabilit gingivas, compescit dolores podagricos (*cum stercore cataplasmatum*) faciei que gratum conciliat pallorem (*illitum.*)
Exhibetur ab ℥iv ad x.

4. *Urina* medetur peculiariter morbis renum (*Dioscorides*) tum & scabiei, (*cænum urina ea imbutum imponitur.*) Verrucis & callis, membrorum atrophiæ & paralysi, podagricisque doloribus, &c.

V. gr.

℞. *Urinam pulli asinorum, ungulam asini incineratam, subige addendo axungiam asin. cum tantillo spica Indica ad odorem.*
Fac Unguentum.

5. *Adeps* Cicatrices concolores reddit.

6. *Stercus* sanguinem sistit, (*potum vel ustum, vel emplastri instar impositum, naribusve admotum.*)
[Syrupum quidam inde parant.]

7. *Pellis*, loco culcitræ imposita, infantum terrorem arcere dicitur.

ASINUS. De hoc dignum est observatu, quod inter omnia animalia pilosa hoc habeat privilegium, ut *careat pediculis*. UNGULA ejus solet ungulæ alcis esse vicaria in morbo comitiali, uti rectè dicit AUCTOR. SANGUIS *sudorem ciet*: Hic juxta aures extractus est specificus in *mania*, & in eadem curanda pro secreto habetur experto. *Modus propinandi & eliciendi* invenitur in *HARTMAN. prax Chymiatr.* ubi de *Mania*: Colligitur singulis venis temporibus, (diem & mensem vid in *Hartm. cit. loc.*) elicitur circa aurem, & excipitur linteo, quod infunditur potui, & ita haustus maniam curat. Id quod non tamen tantum

tum expertus est *HARTMANNUS*, sed *D. MICHAELIS* etiam in Aula Altenburgensi & in multis aliis locis, hoc ipso curavit multos Maniacos. Nam Sanguis infusus solet ciere sudorem & urinam, cujus sudoris beneficio eosdem curat: *Infunditur* autem imprimis in aqua anagallidis, vel Cyperici, vel decocto horum, & sic curat maniam; Idem potus commendatur ad morbos ab *incantatione* oriundos. *Fundamentum* curæ consistit in *Ideis*. Nam torporis & timoris Idea in asino contraria est ideæ furoris in maniaco, quam contrarietate suâ delet. Ex sanguine asinino *præparatur Essentia*, cujus præservare dicitur ab *Epilepsia*. SORDES *aurium* ex asino illinuntur temporibus, & *solet conciliare somnum*, suntque singulares in malignis febribus, sed non adeò frequenter usurpanda inunctio, ne nimis profundus excitetur somnus. *Lac asininum* potum potenter nutrit, & valdè commendatur *in phthisi & arthritis*, in quibus multum laudari solet: *laxat alvum* viserosa, cujus vis consistit in sale vol. temperato; *Urinas promovet*, simulque optimè nutrit, & proterea præfertur lacti bubulo in cura phthiseos seu atrophiæ: Nam ad phthisin & nephritidem seu calculum præ reliquis omnibus lacticiniis commendatur. Unde ad curam phthiseos & nephritidis ceu expertissimum commendatur, si stomachus ægri per cibos dulces ad 3. vel 4.5. dies probè fuerit dulcificatus, ad præcavendum coagulum, & die 4. vel 6. tempore matutino ℥xii. lactis asinini propinentur, additâ ℥j. sacchari candi, æger vero per 3. horas jejunet: tempore vespertino 2. l. 3 horis ante cœnam eadem dosis iteretur, sicque dicitur esse certissimum remedium ad phthisin & nephritidem continuato usu, modo interea temporis abstineat æger ab acidis cibis, aliàs potius augetur malum quàm immunitur. LOTIUM asini contra *fœtorem narium* commendatur per illas attractum. *Podagram* partim præservat, partim curat lac asinini. STERCUS asininum in Majo collectum imprimis convenit *in hæmorrhagia* narium, & sistendo sanguine quocunque in loco erumpente; Nam *sive* propinetur in substantia stercus ad ʒj. vel aliquot drachmas: *sive* ex infuso in aqua appropriata exprimatur succus & assumatur, *sive* etiam fiat syrupus, cujus sunt expertissima, contra quamcunque hæmorrhagiam quarumcunque partium. *Sic* ℞ quidam *stercoris asinini* ℥vi. *musci Quercini* ℥iij. miscent, & ad solem vel in loco quodam calido siccant, exindeque faciunt pulverem, qui per nares attractus subito illarum hæmorrhagias compescit, & quidem non solùm attrahitur per nares, sed etiam *suffitus* stercoris asinini expertus est in tali casu: in quacunque hæmorragia narium impedienda, item aliarum partium, in hæmorrhagia intestinorum, in specie in hæmorrhagia uteri nimia, seu nimio mensium fluxu it. nimio fluxu lochiorum expertum est, si ℞. aqu. *plantaginis* ℥j. *Syrupi Myrtini & succi stercoris asinini ana.* ʒß. misceantur. Hæc potio manè assumta, & per aliquot dies continuata, *expertum* est *remedium* contra quemcunque uteri fluxum tam album quam rubrum, præmissis tamen universalibus, teste *SOLENANDRO Cons.* 8. *sect.* 4. similes virtutes stercori asinino habet *stercus caninum*, si pulvis ejus propinetur, quod expertum fuit hic in muliere quadam ex nimio fluxu uteri ferè exanimata, aliis omnibus nihil juvantibus. RENES pulverisati arefacti, & cum melle misti, ac cum potu assumti *stranguriosis* efficaciter medentur. Ut crescant pili secretum habetur *lichen* asinnium, quod est caro dura circa genua asini crescens quæ tantum *faciat ad pilos*, ut sint, qui barbam fœmellis comparare volunt, si scilicet fricentur eâdem partes.

V. BOS.

Βοῦς, Bos. { Mas, Ταῦρος, Taurus, *Ochse*. Un Taureau. Fœmina, ἡ βοῦς. Vacca. *Kuhe*. Vache. Vitulus, *vide infrà*.

Animal est vulgo notissimum, vitam ad annos viginti producere aptum natum. Coit ferè medio Vere vel Autumno.

OFFICIN. NAT.

1. *Cornu*. 2. *Fel*. 3. *Iecur*. 4. *Splen*. 5. *Sanguis*. 6. *Medulla*. 7. *Sevum*. 8. *Axungia*. 9. *Vngula*. 10. *Vrina*. 11. *Stercus*. 12. *Lapilli*. 13. *Lac*, & *inde* 14. *Butyrum*, *ac* 15. *Caseus*. 16. *Priapus*. 17. *Ossa*.

VIRES.

1. *Cornu* rari usus est: vidi tamen scobem exhiberi contra Epilepsiam, adhibetur quoque in suffitu, ad aërem contagiosum corrigendum.

2. *Fel* bubulum, seu taurinum præstat ferè omnium quadrupedum fellibus: specificè aurium medetur susurro, ulceri ac dolori, (*mixtum cum lacte muliebri aut caprino, & cum cottone impositum*,) alvum movet (*in Clysteribus*,) [*& hæmorrhoïdes.*]

3. *Iecur*, rari usus est, ejusque loco vituli epar, pro hepate scilicet corroborando, in decoctis adhiberi ferè solet.

4. *Splen*, inservit potissimùm decoctioni ac extractioni pro arcenda splenis duritie, mensiumque suppressione. Sunt & qui extrinsecus spleni illinunt.

5. *Sanguis*, intrinsecus singularem opem fert dysentericis, mensium fluxui, & aliis hæmorrhagiis. Extrinsecus discutit & emollit tumores, maculas faciei extergit, (*illitus*) [verrucas tollit.]

6. *Medulla*, post cervinam & vitulinam proximum bonitatis locum habet: præter vires generales [*cum vino illita*,] trementia membra reficit, nervis induratis confert.

7. *Sevum seu Adeps*, præter vires generales, usurpatur specialiter ad mordicationem intestinorum, & tenesmum, ut & ad ulcera & rimas labiorum, podagricis & scirrhosis affectibus medetur.

N. Præfertur qui à Renibus colligitur.

8. *Axungia ex ungulis*, Klaven-*Schmaltz*, usitata vulgò est in molliendis tumoribus, leniendis doloribus, luxationeque articulorum.

9. *Vngulæ*, in cinerem combustæ copiam lactis præbent (*assumptæ*,) adhiberi item solent ad arcendum aërem malignum, (*in suffumigio*)

N. Vngularum suffitu fugantur mures.

10. *Vrina*, aurium dolores lenit, *si cum Myrrha instilletur*.

11. *Stercus Vaccinum*, refrigerat, siccatque moderatè, discutit, dolores insigniter mitigat. Hinc feliciter adhibetur adustionibus, inflammationibus, arthritidi, apum ac vesparum morsibus, suffitu reprimit uterum prolapsum. Hydropicis in forma Cataplasmatis imponitur (Ganglion curat.)

N. Plebeii febri ardente, vel colico dolore correptis in potu suspendunt, aut succum expressum felici cum successu propinant.

[Loco musci, siccatum sole, omni odore exutum, Aqua Rosarum, aliisque odoratis imprægnatum, pro Pulvere cyprio sumunt.]

12. *Lapillus*, ex ventriculo (Maio Mense,) vel & Lapillus è fellis vesica (Maio) exsectus medetur Icteritiæ, specificè comminuit ac consumit calculum, *si cum vino propinetur*: idem præstat, si vino, quod potui datur, quotidie imponatur, donec penitus consumptus sit. *Querc.*

Lapillus fellis in pulverem redactus errhinum exhibet egregium.

13. *Lac Vaccinum*, crassum est, nutrit bene, inflat, Renum & Vesicæ dolori convenit, diarrheæ, dysenteriæ, tenesmo, erosionique intestinorum succurit (*potum.*)

N. 1. *Nocet* Lac Spleneticis, Epaticis, Comitialibus, vertiginosis, Febricitantibus & Capite dolentibus, quod de lacte in genere notandum.

N. 2. *Lac* coagulatum cum camomilla, nasturt. aq. & bac. Junip. in lacte coctis, ad dolores scorbuticos mitigandos maximè prodest (catapl.)

[Aqua lactis destillata seri facultatibus pollet.]

[Lacte sublimato Tartari & Arabes delectantur, quod multum valet ad inebriandum.]

14. *Butyrum* [maiale] calfac. moderatè emollit, digerit, lenit, resolvit, laxat, oculorum hebetudini prodest (*inditum*,) &c.

15. *Caseus* recens mollis podagricorum dolores lenit,

Epatis

Epatis æstum mitigat, Exomphalo infantum succurrit (*impositus.*)

16. *Priapus* Tauri (*rubri*) dysentericis prodest (*tritus & exhibitus.*)

N. 1. *Mulieribus* fastidium Coitus parere creditur.

N. 2. *Vasa* spermatica cum didymo combusta, sanguinis hæmorrhagiam sistunt.

N. 3. *Hoc* Judæorum medicamen in circumcis. Forest. in Chirurg.

17. *Ossa*, ad corroboranda viscera, & ad arcendam Epilepsiam à nonnullis adhibentur.

[Ubera Vaccæ juvenculæ cocta, indurata, pulverisata, cum aliis lac provocantibus miscentur.]

PRÆPARATA.

1. *Aqua omnium florum, sive lætaminis dicta*; destillatur MB. vel ex Cinere, Verno seu Maiali tempore, ex stercore recenti vaccæ herbas depascentis: prodit & hinc oleum.

VIRES.

Refrigerat, discutit, adhibetur internè in dolore colico, nephritico, urina suppressa, febribus, &c.

Externè imponitur locis dolentibus, *ut suprà*. Commendatur & ad Ulcera cancrosa.

2. *Aqua sanguinis* fit [Maiali tempore] MB.

VIRES.

Summè mitigat podagram.

3. *Decoctum Splenis Bovis*, *v lib. 2.*

4. *Extractum Splenis, ut & Epatis, vide lib. 1.*

N. Crollius.

℞. *Splenem* bovis junioris castrati, scindit laminas tenues, macerat per aliquot dies noctesq; in spirit. vini cum myrrha essentificato, dein exsiccat in aëre, postea cum spirit. vin. s. a. Essentiam extrahit, abstrahit, majoris efficaciæ ergò addit aliquot guttulas Olei Angelicæ stillat.

VIRES.

Lienis obstructiones expedit, menses provocat.

Dosis ℈j. in aqua appropriata.

N. *In* clibano commodè exsiccari poterit.

5. *Oleum* ex butyro, vide *lib. 2.*

6. *Tinctura fellis Tauri.*

℞. Fella Taurorum sensim in sole exsiccata, cum spirit. vin.

VIRES.

Cosmeticum est insigne ad miraculum usque albedinem gratissimam concilians. Illinitur scil. linquiturque illita per triduum, quatriduumve, ita tamen, ne aëre libero sese exponant, pòst eluatur aliquoties aqu. flor. fabarum, nenuphar. polygonati & simil. *Hartm. in Croll.*

BOS. Cujus fœmina communi nomine vocatur VACCA. Bos uti multa subministrat culinaria ita non mediocria exhibet officinalia. Et quidem ut sequamur ordinem AUCTORIS. I. se offerunt CORNUA: Hæc quæ attinet, commendantur ad *impotentiam*, imprimis si in coitu bovis cum vacca abradatur aliquid, deturque impotenti: Secretum hæc rasura quorundam dicitur: & fuit probatum *secretum cujusdam Carnificis*, qui multos impotentes eâdem potentiæ restituit: Sicuti notum est, quod cerebrum passeris in coitu transfossi fuerit singulare secretum *Comitis à Pappenheim*, militis tam in marte quam venere bello strenui pro stimulanda & augenda venere. Cornua bovis itidem usurpantur ad *suffimigia in tempore infectionis*: sunt etiam qui putant, omnia omnium animalium cornua habere vim alexipharmacam; id quod utut verum sit de C. C. non tamen de omnibus affirmare possum. FEL *bubulum* præ reliquorum animalium felle est acrius, volatilius, penetrantius, propterea in *affectibus oculorum Ess.* vel aqua. *Destillata fellis* ad delendos *ungues, maculas, nebulas, &c.* prodest multum; & in iisdem bubulum communiter præscribitur aqua imprimis ex isto destillata. *Tinctura fellis* Tauri est singulare *cosmeticum*, propter alcali vol. in illa ex felle contrarium acido. *Fel tauri inspissatum* magni est usus in Clysteribus pro *stimulanda alvo*: si scil. ad ʒj. Clysteribus permisceatur, potenter stimulat alvum obstructam & duram: sicuti etiam *Emplastrum* vel unguentum ex aloë, felle vaccino, Myrrha & ol. Colocynthid. applicatum umbilico, valdè convenit *ad pellendos lumbricos* infantum & adultorum, simul quoque laxat. *Ulterius* sicuti fella omnia in genere, ita etiam bubulum non minoris usus est *in affectibus aurium*, in discutiendo *tinnitu*, in *surditate & hebetudine auditus*, ubi fel bovis vel aqua destillata artificiosè cum bombace indita auribus valdè commendatur: aqua tamen ad affectus aurium *magis est in usu* quàm fel ipsum. Sequitur jecur & splen: SPLEN bovis, uti notum est, valdè convenit in *affectibus lienis* contra ejus duritiem, inflationem, dolorem & tumorem: Unde solet ingredi *Essentias spleneticas compositas*, qualem fecit *D. MICHAEL*. Idem splen bovis commendatur valdè in *obstructione mensium* & inde orta *cachexia* virginum, in qua mira facit. In talibus casibus paratur *Essentia* vel *Extractum*, & *Essentia cum spiritu Melissæ* præparata egregia est *in obstructionibus* mensium: descriptiones aliquot habet AUCTOR. Essentia cum melissæ spiritu inter omnes est egregia, & potest commodè *misceri cum Essentia martis quida*, ut magis reddatur appropriata in talibus casibus, præprimis *ad* quoscunque partium internarum imprimis mesenterii *infarctus & obstructiones* referendas. Essentia splenis bovis etiam proinde usurpatur ad pellendos menses, & dicitur vulgò *Essentia ad menses. Præparandi modi* sunt varii, & videri possunt apud *HARTMAN. in Prax. Chymiatr.* ubi de mensibus obstructis. Apud *QUERCETANUM*, *PETRAEUM* & alios; Fuit secretum *PARACELSI* in morbis virginum & Epatis. Vulgo usurpatur *decoctum splenis bovis*, sed hoc non est durabile & facilè corrumpitur, propterea Essentia solet præscribi & præferri. Sunt qui dicunt, Essentia splenis bovis non minorem esse *Epatis Juvenci*; & commodè posse præscribi & substitui Essentiæ splenis bovis. *Lien* bovis si destillatur cum spiritu vini, commendari solet, quod prosit *ad* quasvis *stomachi debilitates*. SANGUIS est rari usus: nihilominus si quis ex gravibus vulneribus sentiat debilitatem membri, debet partem debilitatam immittere in sanguinem bovis vel canis calidum, & mirè *confortabuntur membra* ante ad motum inepta. MEDULLA *vitulina in affectibus nervorum* usus est frequentis, uti videri potest in AUCTORE. STERCUS *vaccinum* in frequenti est usu: *Externe* (1.) quidem in *ambustionibus*, quibus instar cataplasmatis applicatum valdoperè convenit, cum non tantùm combustioni succurrat; sed prætereа quoque inflammationem sedet, ne adeò facilè possit supervenire gangræna. Abdomini applicatum stercus bubulum, singulare est remedium in curanda *colica & dissipandis flatibus*. Applicatur etiam abdomini in hydrope; *Ascite*, pro imminuendo tumore & discutienda aqua, post stercus enim humanum stercus bubulum in tali casu est optimum. *POPPIUS in tr. de hydrope* dicit, si stercus bubulum destilletur cum rore majali, quod ex eo prodeat I. aqua, quæ applicata tumoribus aquosis & hydropicis, eos dicitur certò discutere, unde etiam usitatum est In *tumoribus* partium *ædematosis* applicatum stercus vaccinum valdoperè conducit. In *inflammationibus* partium nimiis & imminente *gangræna* applicatum stercus bubulum externè valdoperè inflammationes imminuit & gangrænam arcet. Ex hoc ipso stercore eodem modo atque ex stercore humano per digestionem & sublimationem repetitam potest præparari ZIBETHUM *occidentale*, sic

sic dictum à *PARACELSO*, quoniam suavem spirat odorem instar Zibethi. Destillatur aqua ex hoc stercore, quæ vocatur aqua *omnium florum*, quia bos innumeris floribus vescitur: Hæc aqua omnium florum est singulare *cosmeticum* applicatum *externè* pro delendis nævis & maculis in facie. Ulterius *internè* valde convenit *ad* pellendum *calculum* & *ciendam urinam*, propter sal vol. nitrosum, qui adscendit per alembicum; unde ad nephritidem & ciendam urinam valde commendatur à *POTERIO*. Refert etiam AUCTOR, quod plebeij in *Colico* dolore *succum* ex stercore expressum propinent, quod verum est, non solum in Colica, sed etiam in *pleuritide* præsentaneum remedium, & curat per sudorem certo experimento. Reperitur *in ventriculo* bovis non rarò LAPILLUS, & quidem interdum non exiguæ quantitatis, item reperitur talis *lapillus in felle* bovis, pulvis istius imprimis, qui est ex felle, valdè prodest contra *Icterum*, cui specificè medetur, & præmissis universalibus propinatus feliciter Ictericos curat. In *calculo* pellendo idem est egregius. *Venena pellere* dicitur eademque per sudorem propinatus discutere. *Epilepticos insultus* intrinsecus assumtus arcere dicitur: Dicit AUCTOR, quod pulvis hujus Lapidis *Errhinum* præbeat egregium: quod verum est, & magis fit conveniens adhuc, si cum succo Betæ illinatur naribus, mox enim sternutationem movere solet. Sequitur LAC. In genere omne lac tribus constat substantiis. 1. *Aquosa*, & dicitur *Serum Lactis*. 2. *Pinguis* & unctuosa, & vocatur *butyrum*. 3. *Crassa* viscida & terrestris, quæ vocatur *caseus*. De Lacte in genere notum est, quod sit elegantissimum alimentum medicamentosum, & quod in genere bonitas lactis æstimanda veniat, auctore *HELMONTIO*, non ex propriis qualitatibus, sed ex qualitatibus bestiæ, ejus sanitate, longævitate & salubritate: Nam quo longævius & salubrius est animal, eò convenientius est lac ad vitam longam. In genere notum est, quod *animalia, quò salubriores comedunt herbas, eò salubrius fiat lac.* Unde si herbis scorbuticis, quales sunt nasturtium, beccabunga, cochlearia, nummularia, &c. nutriantur bestiæ, lac ipsum, quod per se scorbuticis prodest, eò magis erit appropriatum pro cura scorbuti: *Item* si nutriantur cum herbis vulnerariis, in specie hedera terrestri, fit lac appropriatum pro cura phthiscos, & ulcerum partium internarum. *In usu* lactis *observetur*, quod debeat assumi *calidum*; quò citius enim post emulctionem bestiæ ex bestia hauriatur, eò est melius: quoniam potest facilè alterari ab aëre, ne ergo nimis alteretur, conveniens est, ut mox calidum bibatur. Hujusmodi *lactis alteratio* patet ex eo, 1. quod facilè acescat, 2. quod pauco, postquam emulctum est, interjecto tempore in verminosam convertatur progeniem, & copiosos exhibeat vermiculos, si lac tantillum aëri fuerit expositum. 3. Quod *lac* sit quasi *Magnes venenorum*, adeò ut tempore infectionis pestilentialis miasmatis lac contrahat vitium ex aëre, adeò ut quasi cœrulescat & livescat, qui livor est signum certum contracti vitij ex aëre, vid. *KIRCHERUS* in Scrut. Pestis. 4 Ulterius patet, quod corona serpentina sive *Lapis serpentinus*, qui modernorum est inventum, & de quo inferius, quando attraxit venena animalium in se per morsus illata, si injiciatur in lac, deponit in illo omne venenum, quod ex animalium vulneribus venenatis hausit, adeò ut extractus ex lacte nullum amplius possideat; Ne ergo corrumpatur, aut vitium contrahat lac, optimum est, ut bibatur calidum adhuc & simul atque fuit emulctum.

In genere *lac convenit* pro *nutriendis partibus*: adeoque in atrophia, in hectica & in tabe, uti etiam in similibus morbis est optimum alimentum medicamentosum, quoniam potenter nutrit. *Deinde* lac quoque convenit *in temperandâ* quacunque *humorum acrimoniâ*, ratione partis oleosæ pinguis & butyraceæ, uti etiam ratione salis vol. nitrosi: ratione harum virtutum specificè convenit *in Scorbuto*, adeò ut in illo curando nihil sit melius, imò divinum & præsentissimum est remedium. Et licet quibusdam morbis sit noxium lac, in scorbuto tamen est optimum. *Præterea* prodest in *hecticâ*, in qua peccans & ineptum acidum in partibus obortum delet: Conducit in *phthisi*, dum temperat acrimoniam humorum, ne corrodendo pulmones augeat malum. *In* omnibus *partium internarum exulcerationibus*, v. gr. in ulcera renum, hepatis & similibus prodest; Ratione enim partis serosæ & abstergit pus, & temperat acrimoniam humorum: ratione autem partis butyrosæ adjuvat consolidationem ulcerum. Ratione virtutis temperandi acrimoniam humorum mirè convenit in *affectibus urinariis* ex nimia seri acrimoniâ & corrosivitate v. gr. in mictu cruento, dysuria seu ardore urinæ, stranguria & similibus urinariis affectibus. In *Dysenteria* valdoperè convenit, quoniam temperat acidum, quod corrodit intestina: in qua dysenteria modo assumitur per os, modò sub forma clysteris injicitur per anum, utroque usu prodest, & quidem in dysenteria convenit istud lac, in quo aliquoties ferrum vel Chalybs ignitus fuit extinctus, & vocatur *lac chalybeatum*. *Externè* quoque *balnea* ex lacte solent usurpari, ubi est nimius squalor & nimia *exsiccatio partium* in tabe & atrophia: humectat enim leniter, & blandè partes aptas reddit ad recipiendam nutritionem. *Observetur* autem, quod in usu lactis debeant *vitari omnia acida*, ne possit induci coagulatio lactis: unde cum lacte permiscetur aliquid sacchari vel aliquid de sp. urinoso, v. g. sal. armoniac. vel simili, ne possit fieri coagulatio: Saccharum enim potenter impedit coagulationem; Et si injiciatur tantillum sacchari in lac, non potest præparari exinde vel butyrum vel caseus. *Pessima* namque omnium est *lactis corruptio*, *quando coagulatur*, sic enim inducit colica tormina, choleram, infarctus mesenterij, cochexiam & alia vitia. *Diæta lactis* & lacticiniorum, quando est instituenda, *fit hoc modo*: Jejuno stomacho assumitur bonus haustus lactis simplicis vel medicatæ; in scorbuto cum Essentia cochleariæ, in phthisi cum Essentia hederæ terrestris vel Essentia vulneraria: post haustum instituitur moderatus motus, & per 3. horas imperatur jejunium: post prandium tribus horis ante cœnam denuò assumitur eodem modo ac manè, & jejunium iterum imperatur, ut fiat distributio. Et hæc est methodus usurpandi lac in diæta ordinanda pro cura morborum, & in hac omninò exulare debent acida tam in potu, quàm victu & in aliis assumptis. Cæterum *nocet* lac iis, qui laborant *febribus* tam *continuis*, quàm *intermittentibus* quibuscunque & aliis acutis, propter facilem effervescentiam & alterationem, quoniam, uti dicunt, bilescit, auget effervescentiam, & facit acriorem & acerbiorem. Hoc autem intelligendum est de febribus intermittentibus & acutis vulgaribus: Nam *in febri* intermittenti *Scorbutica assumitur* bonus *haustus lactis* in die intercalari, vel etiam 7. vel 8. horis ante paroxysmum, & mirum prodest. Deinde in *affectibus capitis*, in cephalalgia, vertigine, epilepsia & similibus non est conveniens lactis usus, nam per se solet inducere dolorem capitis: Nihilominus si sit ex scorbuto, usitatissimè usurpatur internè haustum, vel externè fomenti loco capiti applicatum. *In affectibus stomachi* nausea, vomitu, diarrhæa & cholera est inconveniens lac; Nihilominus si ex irritatione stomachi propter acrimoniam salis scorbutici, in tali casu optimè conducit ac:

In

In corrigenda acrimonia & corrosivitate salis scorbutici est egregium. Ijs, qui laborant *tumoribus hepatis* vel *Lienis*, aut etiam *infarctibus mesenterij* non convenit lac, quoniam facilè corrumpitur, & nisi inveniat patulas vias, subsistit, & obstructiones auget, propterea prius aperiendæ viæ & istiusmodi obstructiones, reserandi meatus discutiendo tumores, antequam fiat progressus ad Diætam lacteam Hæc de usu interno: *Externè* notum est, quod sit egregium *anodynum*, quodque dolores sistat & compescat. Unde etiam externè flores sambuci cum lacte cocti subministrant egregium discutiens inflammationum, uti etiam ipsum lac incoctionis florum Sambuci erysipelata discutit. Hæc de lacte in genere: *Sequuntur nunc partes lactis*, inter quas 1. est SERUM seu aqua lactis: Hoc *fit vel* per se, dum per occultam fermentationem sensim sensimque acescit, & separatur pars butyracea & caseosa à reliqua substantia: *vel fit* adjectione tertij, instillatione 4. succi limonum, spiritus acidi, vel acido quocunque admisto, dum illa constringunt poros, ut illis constrictis fiat separatio & secessus casei ad fundum. *Ut citissimè fiat* serum lactis ℞. v. gr. libr. 1. lactis, hæc bulliat super ignem &, dum ita bullit, injiciatur alumen plumosum pulverisatum magnitudine avelanæ unius, & ex hoc lac coagulabitur in momento, & supernatabit *Serum*. De hoc sero observetur, quod sit *aqua impregnata sale vol. nitroso*, & quasi sal. vol. de natura armoniacali. Unde hoc serum lactis *habet vim laxandi*, moderatè alvum & abstergendi sordes in primis viis, & ratione substantiæ salinæ stimulat. Unde gravidis potest serum lactis propinari sine noxâ prælaxandâ alvo, quando est obstructa. Ratione salis nitrosi etiam *refrigerat* commodè, & effervescentiam massæ sanguineæ moderatè compescit; propterea solet propinari convenienter serum lactis *in febribus ardentibus*, uti etiam in specie in febribus *malignis*, sive solum, sive modicè acidulatum cum succo citri vel ribium & similibus. *Ulterius notetur*, quod utut lac noceat *hypochondriacis*, & quorum viscera non benè constituta, ijs tamen valde *proficuum* esse *serum lactis*, quod sale nitroso *temperat acidum* in primis viis, & *reserat infarctus* viscerum. Unde etiam in hypochondriaco malo, post usum pilularum laxativaque conveniens est usus haustus seri lactis, ut pilulæ dissolvantur, & earum operatio facilior succedat. Præterea serum lactis vel aqua *seri lactis* diligenter destillata, per balneum præbet egregium *menstruum pro infusione* medicamentorum alterantium & purgantium in scorbuto malo hypochondriaco & similibus affectibus. *Urinam pellit*, & si quid subest in primis viis quod abstergat, istud simul cum urina evacuat. In nimio *Epatis fervore*, in nimia *seri sanguinis acrimonia*, item tempore æstivo commodè assumitur matutino tempore bonus haustus seri lactis, cui simul misceantur vel diuretica vel purgantia vel aperientia, erit medicamentum eò magis conveniens. Si decoctum vel *Essentia Fumariæ sero lactis instilletur*, convenit *in purificatione sanguinis*, in scabie, in *ardore urinæ* & *sputo sanguinis* ab acrimonia humorum exedente vasculo ortis: unde etiam Ij, qui sunt pruriginosi, commendatum sibi habeant serum lactis, egregiè enim *temperat acidum pruriginosum*. Serum lactis cum succis antiscorbuticis haustum est egregium. Non tamen adeò *conveniens* est *serum lactis* senibus, sed potius *in* vegeta ætate aut *adolescentia* constitutis. Dixi quod serum lactis habeat in se sal vol. nitrosum. Unde *BARTHOLETUS* præparat ex sero lactis remedium, quod vocat *mannam S. nitrum seri lactis* vid. in *Encyclopæd.* pag. 400. Præparatio est hæc: destillatur in M. B. calore leni serum lactis, donec in fundo butyracea fœta subsideat, cui adhærebit, & quasi superinstrata erit salina quædam substantia subalbida, hanc curiosè separat, est enim, uti dicit, sal *ser Essentiale* assimilatum sali nitroso, cujus causa serum nitrosum dicitur, & huic tota abstergendi vis seri inest: Solvit hanc substantiam separatim in aqua appropriata & coagulat, opus repetit, donec seri cremorem habeat, sapore omninò mannam referentem. Suavis est saporis, cujus ℥j. largiùs operatur, quàm Mannæ vulgaris ℥ ij. dicitur que ab eodem manna Seri Sequitur

BUTYRUM. Quod est altera pars lactis pinguis & oleosa; ubi primò mirari subit *vim fermenti stomachici*, quod ex plantis succis gramine & fœno efficit substantiam pinguem & oleosam, quam nemo artificum ex illis elicere potest, quamque nemo in illis, quæsivisset: Hæc autem est vis fermenti stomachici, ut ita ex alimentis assumptis eliciat Q. Essentia. Prostat in officinis quibusdam *Diabutyrum purgativum*: (NB. Uti inter omnia lacticinia lac Majale est optimum, ita *Butyrum Majale* interno vel externo usu omnibus *palmam præripit*:) Quidam butyrum non salitum miscent cum cancris fluviatilibus contusis, hæc invicem exprimunt & ad absumtionem humiditatis inspissant, fitque *Butyrum Cancrorum*, quod *contra phthisin* est singulare remedium: Item contra *casum ab alto*: *Est* enim egregium vulnerarium ratione cancrorum, in specie in exulcerationibus renum & partium urinariarum & aliarum internarum, quibus potenter medetur. *Butyrum* ratione substantiæ pinguis & oleosæ *temperat* omnem *acrimoniam*, acidam vim salis, *acidum* imprimis *venenorum* mineralium, quales sunt fumi acidi metallici antimonij, mercurij & similium metallorum: propterea ij, qui in his laborant, debent manè assumere frustum panis illitum copioso butyro, ut temperetur acidum corrosivum fumorum ab unctuosa pinguedine butyri, quo minus possit inducere noxas corrodendo partes. CASEUS sequitur 3 pars lactis, qui meritò ex culinis debet exulare, cum *pessimè nutriat* partes: (de hujus nequitia seu malitia peculiarem scripsit Tr. *IOHANN. PETR. LOTICHIUS* elegantem satis.) Nam *interno* usu homines disponit ad infarctum viscerum, arthritidem & nephritidem: *Externè* verò caseus vetustus contra *podagram* valdè commendatur, si illinatur parti ex Podagra dolenti, idque jam ab experientia *GALENI* notum est, imprimis in podagra nodosa: Nam successu temporis caseus vetustus instar pomi putridi acquirit vim absorbendi & temperandi acidum, unde facile patet, quare compescat podagricum dolorem. *Ulterius Lac* in genere, quoniam est anodynum, convenit in doloribus scorbuticis oriundis à sale scorbutico: *In dolore* atrocissimo *abdominis* ex acido Clysteres ex lacte utramque faciunt paginam, *in arthritide* v. gr. Clyster ex lacte mirè convenit: *Externè in colica scorbutica*, cataplasma ex floribus sambuci & herba hyoscyami coctis in lacte mirè commendatur, si insternatur abdomini. *Fomenta* ex lacte in dolore partium scorbuticо mirè prosunt, & non satis possunt commendari.

PRIAPUS tauri sequitur, qui tam in pulv. ad ʒj. assumtus, quam decoctum ex rasura assumtum specificum est certum in *cura dysenteriæ*, uti etiam in cura *pleuritidis*, quos affectus certò curat, estque unum ex secretis antipleuriticis *HELMONTII*.

VI. BUBULUS.

Βούβαλις, Animal est bovi figurâ & naturâ simile, majus tamen & crudelius, colore nigrum. *Buffel.* Un bufle.

OFFICIN. NAT.

1. Cornua & Ungulæ. 2. Sevum. 3. Stercus, &c.

VIRES.

1. Cornua & Ungulæ *medentur spasmo* [annulus exinde factus gestatur digitis manus vel pedis.]
2. Sevi, Stercoris, &c. [in vulnerum tumoribus, sciatica.]

VIRES.

Ex descriptione bovis addiscere licet.
[Stercus sciaticæ tumorúmque duritiei conveniens putatur.]
[Coagulum pulli contra potum cicutæ.
[Urina ad dolores auriculares.]
[Vulva moschi odore siccata Unguentariis servit.]

PRÆPARATA.

Extractum Epatis bubuli fit eodem modo, quo Extractum Splenis bovis.
N. Præstantius habetur, si *Sal* proprium ex capite mortuo extractum admixtum fuerit.

VIRES.

Usus ejusdem est, cujus extractum splenis bovis, sed promptioris efficaciæ.
Dosis quoque eadem est. *Hartm. in Croll. Gluckr. in Beg.*

BUBULUS Animal est sylvestre: Hîc repetenda quæ dixi de differentia sylvestrium & domesticorum; adeò ut quæ dicta sunt de bove, intelligenda quoque veniant de Bubulo, in gradu tamen excellentiori, quoniam in usu medico sylvestria sunt domesticis meliora.

VII. BUFO.

Μῦοξος, Bufo. *Kroete, Taasche.* Un Crapaut. { palustris, qui minùs vulgatus. terrestris, qui vulgatior.
N. Maxima fovetur antipatheia inter Bufones & araneas, adeo ut si bufo subter araneam ponatur, cum impetu illum interempturum hæc descendat.

OFFICIN. NAT.

1. Ipsi bufones, & 2. Lapis bufonites. [3. sperma.]
1. Bufones siccantur in aëre, transfossi per caput, collumve; siccati asservantur pro usu.

VIRES.

Etsi animal sit deterrimum, venenosum ac abomnabile; attamen non effugit usum Medicum, eumque tum internum, tum externum.
Internè pulvere ejus hydropicorum aquas per urinam educi, desperatus quidam expertus est hydropicus, qui præter spem attentatæ necis sanitatem illo acquisivit. *Petraus in Nosolog. part. 1. disp. de Hydrope. Uvierus in observ. de Hydrope, ut & de prastig. dæmon. lib. 3.*
Dosis ℨß.
[*N.* Mallem ego minorem.]
Extrinsecus imponitur bufo, parte qua venter est, anthracibus (*in aceto parum maceratus,*) ad eliciendum sc. venenum *quod adeo feliciter præstat, ut attracto veneno intumescat.*] Ingreditur itidem amuleta aëri contagioso arcendo dicata: hæmorrhagiam narium certo experimento sistit (*si vel pone aures per se applicetur, vel pugno includatur, ut calescat, vel axillis subligetur, vel & collo appendatur.* Idem & cinis, s. pulvis præstare perhibetur *loco affecto inspersus. Renibus impositus* aquam intercutem per urinam pellere dicitur. *Umbilico alligatus*, fluxus hystericos retrahit, & inhibet. *Plantis pedum appositus* capitis cordisque morbis, phrenitidi, febribusque succurrere statuit.

2. Lapis Bufonites, Chelonites, Batrachites, Borax, *Krottestein.* Gemma est bullæ instar, altera parte cava, altera convexa, coloris ex fusco pallentis, aliquantum fusci interdum nigri, albi, [*qui melior*] viridis versicoloris.
N. Reperiuntur in agris: affirmant tamen alij eos in annosiorum, ac qui diu in arundinetis, inter rubos sentesque delituerint, bufonum capitibus generari: cui ut fidem adhibeam, dissuadet quorundam magnitudo.

VIRES.

Commendatur ad pestem & venena ceu remedium præstantissimum (*exhibitus:*) Imò sunt qui asserant, illum gestantes à venenis tutos esse, blandoque attritu inflationes à venenatis bestiis discutere, ac virus omne elicere. *Casp. Bauhin. de Lapide Bez. cap. 3.*
N. Præsente poculo venenato fertur hic lapis colorem mutare ac sudare.
[3. Sperma Tympaniticis applicatur.]

PRÆPARATA.
ex bufone.

1. *Amuleta* variarum descriptionum.
Cinis Bufonis (*Bufo combustus*) incontinentiam Urinæ ex lacerato vesicæ collo ortam sanat. de collo suspensus. Observ. Henr. ab Heer. 18.
2. *Pulvis* fit sola tritura, qua bufones optimè exsiccati in pulverem rediguntur.
N. Mallem equidem bufones incineratos.
3. *Sal* elici potest ex calcinatis bufonibus, pulverique illi in hydrope substitui.
Dosis ad gr. iij. &c.

4. *OLEUM.*

℞. Bufon. viv. N. iij. vel iv. per horam in Ol. Olivar. ℔. ij. coque, colatumque serva.

VIRES.

Maximè commendant in maculis faciei, morphæa, aliisque affectibus seu ulceribus inveteratis abstergendis, (signatura sua maculata bufo ad maculas prodesse judicatur,) singulis diebus illinitur semel. *Hartm. Parac. tom. 1. pag. 1091. b.*
N. Præferrem equidem ranas maculatas.
5. Ol. bufonum compositum.
℞. Ol. pedis vervec. q. v. bulliat cum Sulphur. pulverisato, usquedum rubicundum ol. evadat. Hoc facto separetur Sulphur ab ol. in quod adhuc calens immergantur & suffocentur bufones, post expressionem destillentur.
Vires Præstantissimum est in digerendis tumoribus & hydrope.
Ex communicat. Dn. D. Joh. Kieferi.
[Cabal, Animal Indicum, cujus ossis maxima vis in retinendo sanguine.]

BUFO animal est satis notum, uti ex *antipathia*, quam fovet *cum aranea*, satis cognita, contra quam se munit usu plantaginis: de quo plura sub plantagine sunt, qui volunt, quod lapis *BUTTLERI* præparetur ex araneis & bufonibus, quod tamen est ridiculum. Ipsi bufones irritati solent habere aliquod venenum, & modum intaxicandi cibos per sal veneno Bufonum infectum docet *DEODATUS in valetudinario pag.* 29. Huic *veneno bufonum medentur* cancri fluviatiles, saliva humana, C. C. terra sigillata, smaragdus & in specie flores vitis, cum his enim ingentem inimicitiam gerunt bufones, uti superius dixi, ubi de vite. Nihilominus. bufones *interno & externo* usu multum faciunt in medicina. Ut certiorem præstent effectum, *colligendi* sunt tempore balsamico *in julio*, ubi maximo æstu squalent agri. vid. *HELMONT.* de hac *in tumulo pestis, FABER & RICHERUS in scrutinio pestis. Usum* quod attinet *internum*, exsiccantur, pulverisantur ac propinantur internè pro *cienda urina*: sal nempe vol. bufonum est egregium diureticum: Unde & pulvis bufonum propinari solet iis, qui laborant *ascite*, per urinas enim expellit aquas, cujus experientia prima facta est casu: de quo vid. in *Cent. 1. Epist. HILDANI Epist. 69. pag.* 108 & hic pulvis bufonum fuit secretum *KYPERI* in cura hydropis

ascitis

ascitis, qui ℞. bufones exsiccat in umbra, abscindit capita, & exemit intestina, reliquum redegit in pulverem subtilissimum, de quo pulvere gr. x. vel xv. cum totidem sacchari patienti propinavit, & mirabilem exinde habuit effectum, dari potest tribus vel 4. vicibus, ita tamen, ut 3. vel 4. dies post assumtionem unâ vice intercedant, potens enim est remedium. *Sunt* qui ℞. bufones vivos, eosque extinguunt in spiritu vini, vel vino Malvatico, postea eximunt, in totos in retortam immittunt, & per gradus igne aperto pellunt sal vol. egregium sudoriferum & diureticum. *Spiritus* verò *vini* vel vinum, *quo extincti* fuère *bufones*, est expertissimum & *egregium alexipharmacum* internè haustum. *Externè* bufones mira præstant *in peste*, adeo ut utrumque pestis curatio & præservatio certò sit in bufonibus, unde non satis commendantur, & propterea pulverisatum commendat AUCTOR. Sic *Trochisci ex vermiculis*, quos suspensi bufones evomunt, unà cum pulvere bufonum certum sunt AMULETUM ad præservandum pro peste, de quo vid *HELMONT. in tr. tumulus pestis*, & *KIRCHERUS in scrutinio pestis*, ubi lectu dignissima inveniuntur de bufone. Integrum bufonem appēdi posse pro amuleto in peste, vid. *ZUUOELFER. in pharmacop. Reg.* pag. 140. Item *bubonibus* pestilentialibus optimè *applicantur* bufones, omne enim venenum certò extrahunt, & ita ægrum curant. *Præparandi modus* bufones, ac tales applicandi pro bubonibus videri potest *in HILDANI supra cit. loc.* OSSICULUM BRACHII bufonis applicatum *externè* curat *odontalgiam* experientiâ *HELMONTII* & *HEURNII*: Discrepant tamen, ex quo pede sit desumendum. Propinatum *internè* ossiculum brachij bufonis mira facit in *Epilepsia*. In Epilepsia infantum contracta ex terrore, & iracundia matris lactantis infantem, idem ossiculum brachij bufonis applicatum pulsui infantum, miracula præstat in sedanda eadem Epilepsia. Eodem modo applicatum pulsui, *intermittentem febrem* in virgine nobili aliquando fugavit. Bufo *extrinsecus appensus*, vel in scorbiculo cordis, vel admotus axillis, vel saltim detentus in manu, quamcunque *hæmorrhagiam*, sive sit narium, sive uteri mensium vel lochiorum &c. quam certissimè *sistit* & curat. *Imo* fit non rarò, ut in partu ex inepta tractatione obstetricis laceretur vesica puerperæ, ut non possit post partum continere urinam, & perpetuò madeat. In tali casu pulvis bufonum, vel exsiccatorum vel calcinatorum, in nodulo appensus circa scorbiculum cordis, certò impedit & curat hunc affectum, id quod monet per experientiam edoctus *HEER in obs.* & idem etiam experti sunt nuperrimè ANGLI: In cura *cancri exulcerati* multum faciunt bufones, sive solus, bufo calcinatus in olla, sive exsiccatus adspergatur cancro exulcerato, sive permisceatur prius pulvis exsiccati bufonis cum auripigmento & cum fuligine simul, & cum petita, saliva madida applicetur cancro exulcerato. *Dixi* quod ossiculum brachij bufonis curet odontalgiam, neque id mirum, nam *catholicum anodynum* latet in bufone: Descriptionem *olei bufonum* ad *scrophulas* ejusque usum vid. in *BOREEL. Cent. 4. obs. 38. p. m. 305.* Sic quidam præparare volunt oleum anodynum catholicum ex infusione bufonum in ol. communi. Alij elegantius parant oleum tale catholicum anodynum: Si scilicet bufones vivi extinguantur in aqua, in qua sal commune est dissolutum, colantur, postmodum instituunt coagulationem, ut hunc liquorem inspissent, & bufones calcinant cum sale, & fundunt cum calce, post fusionem solvenda est calx in aqua, ut abeant fæces, & hinc denuò cum oleo amygdalarum dulcium miscenda est: quod oleum inunctum tumoribus & doloribus quibuscunque eosdem mirabiliter lenit. *Fundamentum* hujus *virtutis* omnis bufonum subministrat *HELMONT*, dum deducit ex Idea pavoris & terroris, quam acquirit dum moritur, quæ Idea contraria est Ideæ archæi humani; qui fusius hæc cupit explicata, videre potest *HELMONT* & *ZUUOELFERUM*. LAPIS *bufonum* an revera sit ex bufone, res nondum est certa, utut sint, qui dicunt oriri illum ex bufonum capitibus. Quicquid sit in *peste* insignis efficaciæ illum esse dicit AUCTOR: ad *renum dolores* mitigandos & tollendos, ad *calculi generationem* prohibendam similiter celebratur hic *bufonites*, qui ipse etiam specificus dicitur ad *hydropem*, de quo videri potest in *HILDANI supra cit. loc.* Commendatur itidem admotus *externè ad tumores* & *inflationes* venenatas ab animalium puncturis vel morsicationibus illatas, quas crebro contactu discutere dicitur. *STARICIUS* quoque in heroum Thesauro pag. 29. dicit, quod lapis bufonum, ubi adsunt venena, tam intra quam extra hominem, lachrymans quasi guttas sudoris emittat, & mutet colorem.

VIII. CANIS.

Κύων, Kest { Mas. *Hund.* Un Chien.
Fœmina, *Hundin.* Chienne.
Catulus, *junger Hund.* }

OFFICIN. NAT.

1. Canis integer. 2. Caput. 3. Axungia. 4. Fel. 5. Sanguis. 6. Stercus 7. Urina. 8. Dens. 9. Pellis. 10. Pilus.

Vires. 1. *Integer*, scil. vivus catulus *ventri impositus*, dolores colicos mitigat. Paretica membra confortat [balneatio in decocto hoc collecta.]

2. *Caput*, s. *Calvaria* incinerata desiccat ulcera, curat vitia sedis, rhagades & testiculorum tumores.

Intrinf. icterum sanat.

[Cerebrum internè Maniacorum curâ celebratur.]

3. *Axungia* canina reliquis calidior est, adhibeturque internè in vulneribus & exulcerationibus abstergendis, consolidandis, adeoque & in Phthisi, & cruore ex casu dissolvendo.

Externè in podagricis, auriumque doloribus leniendis, lendibus capitis arcendis, auditu difficili reparando, scabie & pruritu corrigendo.

4. *Fel* catuli nigri, Epilepsiam mirè curat, *recens cum acet. potum, vel in pulvere exhibitum.*

Extrinf. abstergit maculas faciei, [*cum stercore Vitulino inunctum.*] Oculorum albugini medetur [*cum melle illitum.*]

5. *Sanguis* contra Veneficarum venenum commendatur, bibitque cum successu dicitur contra morsum rabiosæ Bestiæ ac Toxicum.

Lac infantibus Epilepticis præbetur.]

6. *Stercus* [*album Græcum Officinis*] siccat, abstergit, discutit, aperit, apostemata rumpit, exulcerationes abstergit, hinc utile est in Dysenteria [quin etiam in Epilepsia] dolore colico, & simil.

Extrinsecus medetur anginæ (*gutturi insufflatum*) ulceribus malignis (*inspersum*;) tumores duros emollit (*emplastr.*) aquas trahit hydropicas, (*ventri illitum*;) verrucas abigit (*cinis per se vel cum Ol. rosar. impositus.*)

N. Commendatur præ reliquis, quod julio fuit collectum ex cane ossibus nutrito, candidum, purum, minimè fœtens.

7. *Urina*, verrucas abigit, ulcera capitis manantia, furfuresque abstergit.

8. *Dentium cinis* (*cum melle vel butyro illitus mandibulis,*) infantium dentitionem facilitat: (*gargarismis inditus*) odontalgiam sedat.

9. *Pellis parata* manuum lenit pruritum, nervosque emollit contractos (*chirothecas.il. induta.*)

10. *Pilus* morsibus canis medetur (*impositus.*)

PRÆPARATA.

[Aqua ex catellis membra Podagrica demulcet, linteolis applicata.]

Balsamus è catulis compositus.

Fit ex integris catulis in vino albo suffocatis, coctisque cum herbis nervinis, oleis & resin. in balsam. quod membra contracta sanat, ischiadicos & arthriticos dolores compescit.

CANIS, de quo dicit AUCTOR, quod *vivus impoſitus* abdomini in *dolore colico* illum mitiget: quod verum eſſe non tantum confirmat *KONSÆUS in ſuis Epiſtolis*, ſed etiam in ſpecie idem confirmatum videtur in *BARTHOL. Cent. hyſtoricis*, ubi quædam de *tranſplantatione* morborum in beſtias, & dicit, quod non tantum colica tormina, ſed etiam *podagra* in canem transplantetur, ſi ſc. lambat locum affectum: *item odontalgia* in Catellum, ſi applicetur denti dolenti, vid. *BARTHOL. Cent. 3. obſ. 66. & Cent. 6. obſ. 53.* In *phthiſi* AXUNGIA canis omnibus aliis præfertur, illita pani, vel etiam ſi permiſceatur alimentis axungia canis. Alij aſſant canem, & pinguedinem deſtillatam in phthiſi propinant cum egregio ſucceſſu. Pulvis oſſis canis miſtus cum pulvere pyrio in ejus præparatione, impedit quo minus audiatur ſonitus; Vid. *STARICIUS in Herorum Theſauro p. 160. Stercus* eſt illa pars, quæ imprimis uſurpatur ex cane, dicitur in officinis ſemper ALBUM GRÆCUM, nunquam ſtercus. Hoc ut eo melius acquirat virtutes medicas, obſervetur, ut debite nutriatur cum oſſibus ſolis, cum nullo vel pauco potu: Sic enim fit, ut ſal vol. oſſium eò majorem acquirat virtutem in medicina. Hoc ſtercus *internè* multi eſt uſus in *Dyſenteria & Colica*; in quibus propinatum convenit: ſicut etiam antè dictum de aſino; quod ſit appropriatum ad compeſcendam hæmorrhagiam uteri. *Internè* in *Angina* propinatus pulvis ſicut etiam in aliis *faucium & partium internarum inflammationibus*, uti reliqua ſtercora eas per ſudorem curat. *Illitus* cum melle in angina *abſceſſum rumpit*, & parat viam ad puris excretionem: *Decoctum carminativum* egregium ex albo græco cum hordeo & vino Malvatico *FIENI* vid. in *HOEFERI Hercule M. p. 13. & 14. Ingreditur* internè non ineleganter *potiones vulnerarias*, qualis potio fit, ſi ℞. *Herbæ veronicæ, pyrolæ, ſaniculæ, Conſolidæ Saracenicæ, Nicotianæ ãa. m. viij. Albi Græci* ℔ß. & miſceantur pro decocto, quod non tantùm internè potum prodeſt in vulneribus ſeu potio vulneraria, ſed etiam *externè inſtar levamenti* ſive lotionis applicatur vulneribus, & illa citò tutò & jucundè ſanat. Pro his facultatibus exaltandis præprimis *colligendum eſt* ſtercus canis menſe *julio*, quando canicula ſcil. ſidus adſcendit. *MYNSICHT.* habet etiam, quomodo ſit colligendum pro cura anginæ in *armamentario Chymico pag.* 824 Plura qui cupit de miris ſtercoris Canini facultatibus ad curationem anginæ, dyſenteriæ ac vulnerum vid. *ZACUTUM LUSIT. Medic. Princip. cent. 1. cur. 86* cum non tantùm internè curat anginam, ſed etiam externè in cataplaſmatis & unguentis tam ad diſcuſsionem quàm maturationem abſceſſuum in angina deſtinatis: & nullum eſt cataplaſma aut unguentum in angina, quod non ingrediatur nidus hirundinis cum ſtercore canino. *Fundamentum* curæ conſiſtit in hoc, quod impragnatum eſt ſale nitroſo, quod eſt quaſi de natura ſalis armoniacalis. Hoc ipſum virtute inciſiva & penetrativa *diſſolvit tumorem*, acidum coagulans & inflammationes cauſans temperat & corrigit, & ſic *inflammationi medetur*, abſceſſumque diſcutiendo præcavet. CEREBRUM canis commendatur ad *maniam*. dum quidam maniacus curatus dicitur uſurpato in victu cerebro canis aſſato vel cocto: *alij* commendant cerebrum catulorum deſtillatum cum ſpiritu vitrioli in cura maniæ. Item *aqua deſtillata fellis* ex catulo canis in ſpiritu liliorum convallium luna decreſcente propinata ſpecificum dicitur in *Epilepſia.*

IX. CAPER, CAPRA.

Eſt { Caper maſculus, Τράγος, hircus, *ein Ziegenbock.* Un Bouc
Capra fœmina, αἴξ, Capella, *ein Geiſz.* Chevre. }

Animal eſt alacre, velox, ſuperbum, auditu acuto præditum, vorax, &c. obnoxium febribus, peſti & ſimil.

OFFICIN. NAT.

1. Cornu. 2. Sanguis. 4. Lien. 3. Medulla. 5. Sævum. 6. Lac. 7 Lapilli. 8. Stercus. 9. Vrina. 10. Veſicæ. 11. Omentum. 12. Pellis. 13. Fel.

Vires. 1. *Cornu, ut & pilis utimur* in ſuffumigiis, peſtis tempore, ut & ad Veternoſos & Epilepticos excitandos.

2. *Sanguis* hircinus habetur alexipharmacus, obſtruit, dyſentericis convenit, ſanguinem concretum reſolvit, (*ſiccatus & exhibitus,*) calculum atterit.

Extrinſecus tumores maturat.

N. Hircum mediocris ætatis [quadrimum] domi per menſem alunt, nihil aliud dando, præter plantas lithontripticas, hinc Æſtatis principio cum Sol in cancr. ingreſſus eſt, mactant, ſanguinemque arterioſum, abjectis partibus ichoroſis, concretum in furno ſiccant. Vide Diſp. Aug. & Norimb.

PRÆPARATA.

Ex ſanguine hircino non minus, ac ex aliis ſanguinis generibus fieri poſſunt, *Spiritus*, *Oleum* (*quod ſummè in calculo commendatur;*) *& Sal.* Attamen præ aliis famoſus eſt *Balſamus antipodagricus* ex ſanguine, qui ut modo fiendi, ita & viribus convenit cum balſamo è ſanguine cervino. *Vide ſuo loco.*

N. Sunt qui exinde Tincturam conficiunt, ad calculum, ſanguinemque coagulatum celeberrimam.

3. *Lien*: Lienem Capræ deligant per diem ſuper lienem infirmi, die ſequenti ad furnum, vel ſolem ſuſpendunt: quantum ibi exſiccabitur, tantum quoque lienem patientis diminui aiunt. *Theſaur. pauperum Petr. Hiſpan.*

4. *Medulla* hircina acrior eſt ac ſiccior reliquis, ideoque & efficacior.

5. *Sevum* hircinum validiſſimè diſcutit; podagricis auxiliatur, ſtranguriam tollit (*umbilico immiſſum*) hæmorrhoïdum dolores lenit (*ſuppoſitum;*) [dyſentericis proficuum.]

6. *Lac* Caprinum nutrit, abſtergit, febri hecticâ laborantibus & Phthiſicis, conſumptiſque ac emaciatis optimè convenit.

Serum ejus præſtat reliquis ſeris, aperit, abſtergit, incidit, laxat, hinc frequenti uſu ad infuſiones purgandæ Melancholiæ recipitur.

7 *Lapilli* in ventriculis & felle reperti commendantur, vi diaphoretica & reſolutiva.

8. *Stercus* calefacit, ſiccat, abſtergit, digerit, aperit, acriſque eſt facultatis.

Hinc *uſus* præcipui in duris tumoribus Lienis & aliarum partium, in parotidibus ac bubonibus, in ulceribus deſperatis conſolidandis (cum vino veteri expreſſum & appoſitum) hydrope, (*imponitur ventri*) coxendicum dolore: uſtum tenuioris eſt ſubſtantiæ, congruitque ad omnia vitia, quæ extergi volunt, ad alopecias, lichenes, &c.

Intrinſecus convenit Spleneticis, exhibetur itidem in Ictero, menſtruis retentis, & morbis ſimilibus.

9 *Vrina* (*hirci*) commendatur præ reliquis omnibus urinis ad calculi attritionem, urinæque expulſionem (*calidè ut ex hirco egeritur epota*

Hinc convenit & in Hydrope, &c. (*deſtillata.*)

10 *Veſica Vrinaria* exſiccata ac pulveriſata urinæ incontinentiam peculiariter curare dicitur.

Doſis ʒj. exhibita.

11. *Omentum* mitigat feroces & ebullientes ſpiritus (*calidè impoſitum*) hinc prodeſt in doloribus colicis, in Mania, &c. Præterea urinam obſtructam pellit, *ventri impoſitum.*

12. *Pellis* ſedat diarrhæam (*decoctum ejus bibitum*) ſiſtit Hæmorrhagias, præcipuè narium, (*Cinis pilorum inſpiſſus.*)

N. Hœdus eſt pullus caprinus, ſeu tenellus caper, infra menſes ſex conſtitutus, eapropter ut naturâ cum capris convenit, ita & viribus, quas tamen ratione juventutis teneriores & imbecilliores obtinet.

13. *Fel* febrim quotidianam curat, (cum pane an. & ovi albumine addito oleo laurino in cataplaſma redactum, & ventri impoſitum.) Petr. Hiſpan.

CAPER & CAPRA, Animalia satis cognita, & quidem 1. quod attinet CORNUA *capri*, usitatè illa adhibentur *in suffitibus* pro excitandis mulieribus *strangulatis*, sive paroxysmum Uterinæ suffocationis sustinentibus, item pro exsuscitandis *Epilepticis*. SANGUIS *hirci* est *specificum* *HELMONTII* in cura *pleuritidis*, sicut etiam sanguis hirci specificè convenit in *nephritide* & calculi dolore, quem potenter pellit & promovet, atterit tam calculum renum quam etiam vesicæ: Convenit *etiam* in *casu ab alto*, *vulneribus* & *contusionibus* internè & *sanguine congrumato*: *Modum colligendi* hunc sanguinem (Nam in officinis utplurimum est adulteratus) habemus in *HELMONTIO Tr. Pleura furens*: uti etiam in *RIVERII praxi in cap. de pleuritide*. Dum *destillatur* sanguis hirci, dat spiritum & ol. sicuti & aliorum animalium partes. *Oleum* ergo *sanguinis hirci in podagra*, *membris contractis* & dolentibus egregiè prodest. CARO *hœdina* prodest in *acuendo visu*. SÆVUM *hircinum* specificè usurpatur *in Clysteribus antidysentericis*, dum potenter exulcerationes intestinorum purificat & consolidat, imprimis si dissolvatur in decocto vulnerario, & pro Clystere injiciatur: *Cautelæ* tamen cujusdam hic sunt observandæ. Si illinatur sævum hircinum umbilico, stranguriam brevi sedat & curat, quod certum est. LAC *caprinum* pro usu medico omnibus lactis reliquis speciebus *præfertur*, imprimis *in cura scorbuti*, uti & *in cura podagræ*, imprimis si capra nutriatur herbis articularibus, podagræ curæ destinatis, tunc enim mirè commendatur si hauriatur methodo dicta. Lac capræ pastæ purgantibus, *purgat infantes* per nutricem, si lac propinetur nutrici, & nutrix præbeat mammam infanti: Nam fit, ut exinde infans blandè moderatè & simul tamen egregiè purgetur. Omnibus præstat lac capræ propter copiam seri & salis vol. quoniam spirituosum & agile est animal, & hinc purum dat lac, quod minus præ lactis reliquis speciebus in se continet, mate caseosæ: Nam in lacte, quò minùs est talis substantia caseosa, eò elegantius & efficacius est in cura morborum, quia *omnes noxæ à caseosa materia* proveniunt. URINA *hædi* est *specificum antinephriticum*, quod valdè urinam & calculum pellit, eundemque præservat. VESICA *urinaria* ad *urinæ incontinentiam* prodest certissimè. UNGULA *capræ* vel etiam vesica, imprimis hæc in olla concremata sive combusta & ex posca sumpta, medetur iis qui noctu stragula permingunt, si assumatur sub ingressum lecti, iis qui ex consuetudine aut incuria idem faciunt.

X. CAPRA ALPINA, seu RUPI-CAPRA.

DAma, *Gembsz.* Vne Chevre des Alpes, un Daim. { Mas. Fœmina.

Caprarum genus sylvestre est, magnitudine ac figura domesticis conforme, amans alpes; gaudens herbis alpinis è scabulo nascentibus, præcipuè doronici radice nigrâ.

OFFICIN. NAT.

1. *Sanguis.* 2. *Sevum* 3. *Iecur.* 4. *Fel.* 5. *Stercus* 6. *Lapis.*

1. *Sanguis* recens vertiginis est medela (*bibitus.*)

2. *Sevum* Phthisi exulcerationique pulmonum succurrit (*cum lacte assumptum.*)

3. *Iecur.* alvi fluxum sistit, (*pulvis assumptus.*) Ad Vertiginem etiam eo utuntur.]

4. *Fel.* oculorum nubeculæ, nyctalopiæque auxilio est.

5. *Stercus* calculum atterit & expellit.

6. *Lapis* [seu pila potiùs] in capsula supra ventriculum nonnullarum rupicaprarum [masculorum in primis, circa Autummi finem ex radicibus Doronici comestis] reperiri solet, (*ut Bezoar reperitur*,) magnitudine variante, & maxima ad juglandis magnitudine accendente colore nigro, odore dum frangitur gratissimo.

Hujus *Vires.* experientia docuit insignes ad febres malignas, venena, pestem, &m. Unde alii *Bezoar, Germanicum* vocant [quidam Ægagropilam.

Dosis gr. xv. ad xx. ad præcavendum gr. iv. vel v. *Casp. Bauh. de Lap. Bez. c. 13.*

CAPREOLA seu Rupicapra, est ista *species caprarum* Sylvestrium, quæ altissima montium ascendunt sine vertigine & sine ulla noxa. *Medicinalia* quæ subministrat, sunt quidem illa plurima, sed tamen rari usus. Cæterum *in ventriculo* harum *rupicaprarum reperitur lapis*, propter quem lapidem imprimis venantur, ut acquiri possit, & iste est *medicinalis*, vocaturque aliàs ÆGAGROPILA *reperitur in ventriculo* ipsius Damæ, sive sit prior, sive 2. 3. vel 4. nam notum est, quod bruta *ruminantia* soleant habere 4. *ventriculos* Hic lapis *colligitur* in stomacho *ex remanentiis alimentorum* non ritè digestorum, imprimis quando adest vel festuca vel frustulum ligni non digestibile, & circa hoc ceu basin coagulat se materia mucilaginosa & viscida, quæ tandem beneficio acidi fermenti & plantarum coagulatur in lapidem, *cujus signum* est istud, quod reperiuntur instar pellicularum conglobatatum, ita ut appareant similes ceparum pelliculis, & una super alteram appareat, sicuti in cepis conspicitur. vid. de hoc *BORELLUS Cent. 1. obs. 5. p. m. 10.* Quâ ratione generantur hi lapides, eâdem generantur lapides in capris Indiæ tam orientalis quam occidentalis dicti BEZOAR, de quibus paulò post, nimirum beneficio fermenti acidi volatilis est substantia mucilaginosa & residua in ventriculo. Et quidem omnes lapides qui reperiuntur in animalibus, in homine, in bobus &c. beneficio fermentis acidi coagulantur, & quidem etiam illi, qui fiunt in vesicula fellis, etiam ex acido exorbitante, quando se coagulat se in calculum beneficio alcali salini in bile. Hæ Pilæ seu lapides, notum est quod multi sunt usus in medicina. *Quæritur* ergo, *unde habeant suas virtutes?* ℞. Habent suas virtutes *ex duplici fonte*: *virtutem præcipitatem* & diaphoreticam *ex sale nitroso*: *virtutem* verò *alexipharmacam* vel specificam *à plantis*. quibus vescuntur, ex quarum residuo in ventriculis coagulantur isti lapilli. Unde etiam non omnes lapides, in quibuscunque animalibus reperti, statim sunt alexipharmaci & bezoardici, sed obtinent hanc virtutem ex plantis & alimentis, quibus vescuntur. Unde cum rupicapræ vescuntur *imprimis doronico*, & aliis alexipharmacis, lapides etiam sunt alexipharmaci & malignitati resistentes, imprimis cum hoc doronicum sit specificum contra vertiginem; & sic fit ex hoc etiam, ut & horum lapides habeant vim alexipharmacam & resistendi vertigini, quia ex doronici concremento nascuntur. Nam valdè resistunt vertigini virtute doronici, unde supra dixi, quod *funambuli* ascensuri funem, soleant se *præmunire doronico*, ne decidant, & risum spectatoribus moveant. Nam & ipsi Damæ ut sint securi à vertigine hoc doronico, se præmunire dicuntur, *Epilepsiæ* medetur. *Præcipitat* Massam sanguineam & partes præcipitatas *per sudorem expellit*: *Ægrè parturientibus* est singulare remedium, dum *fœtum* & *secundinas expellit*: Defunctæ *Principissæ Altenburgicæ* aliquoties in difficili partu fuit propinatus pulvis lapid. rupicapræ cum successu. *Differunt* lapides *magnitudine* imprimis: raro ratione virtutis præcipitatoriæ & ratione virtutis alexipharm. ex doronico, & ratione virtutis alexipharmacæ & sudoriferæ vocantur BEZOAR GERMANORUM: odorem habet jucundum, & pondere sunt leves. In *Dysenteria* ægayropita (nam ita vocantur lapides hi) est singulare remedium, cujus fluxum sanguineum coërcet. In *quartana* convenit, si præmissis universalibus propinetur ante paroxysmum,

absorbet

absorbet enim & præcipitat *acidum* sylvestre, quod dat efferve scentias, & subsequente sudore quartanam curat. In *Lypothymia & palpitatione cordis* ex malo hypochondriaco; uti & in *vertigine* per consensum cum hypochondriaco malo est egregium remedium in hoc rupicapræ lapide: & dum est alexipharmacus, prodest in affectibus, si sint *Epidemici*, v. g. ratione virtutis alexipharmacæ convenit præter dysenteriam simplicem etiam in Dysenteria Epidemica maligna, quæ sæpius populariter grassatur. De Ægagropilis scripsit egreg. tr. *VVELSCHIVS Medicus Augustanus*.

XI. CAPRI-CERVA ORIENTALIS, è qua Lapis Bezoar Orientalis.

Est Animal Persiæ ac Indiæ Orientalis, partim Cervo simile, partim Capræ: hinc fit, ut aliis Capricerva: V. gr. dicitur Capra Indica, *Amato*; Capra Montana, *Monardo*; Capra sylvestris, *Lacunæ*; Pazon, *Persis*.

OFFICIN. NAT.

Lapis Bezoar Orientalis, qui est lapis in dicto animali repertus (*ac potissimùm in prov ntriculo, hinc & in ventriculo aliisque cavitatibus internis*,) figurâ scil. variante, ovali, rotunda, sessili & intus cava (*meditullio paleam, pilos vel simile continente*) superficie lævi & splendente: substantia è laminis instar cæparum sese invicem incũbentibus compacta: variante item colore (plerumque atro virente, hinc dilutius virente, pallescente, cineritio, fulvescente, melleo, &c. odore nullo: variante magnitudine & pondere) plerisque scil. infra juglandis magnitudinem constitutis, nonnunquam & paulò majoribus.

N. Dantur & adulterati seu falsi, confecti sc. ex lapidum fragmentis & pice artificiosè coagmentatis: Item ex creta, cineribus testarum, sanguine sicco & lapidibus Bezoar minoribus pulverisatis, & cum liquore incorporatis: Item ex cinnabar. antimon. mercur. ignis artificio compactis, tinctis, &c. Qui sanè non modò citra utilitatem, sed & cum detrimento in usum accersuntur.

Notæ ergo bonitatis ab Authoribus passim notatæ sunt.

1. Forma renum aut ovi columbini exterius lævigati diversa, utpote quæ signum lapidis adulterati.
2. Structura laminis multis instar cæparum sese invicem incumbentibus, iisque singulis glabris, lævibus, splendore coruscantibus: quod tamen alij reprobant.
3. Cavitas (meditullium) expers rei heterogeneæ præter pulverem, quidam malunt inclusam paleam, festucam, granum & sim.
4. Pondus aliis levius, nonnullis gravius.
5. Commistio cum calce, i. e. si lapis humectatus, & calci vel muro affrictus, calcem colore viridi tingat, si lapis calce viva (cui admista aqua) inunctus, paulò post flavescat: si lapis chartæ creta oblitæ affrictus viridem inducat lineam, si pulvis cum calce viva mixtus colorem ex pallido virentem ferat (quod tamen non de omnibus verum esse potest.)
6. Friabilitas & dissolutio in aqu. quæ tamen itidem & falsi lap. propria esse non nequit.
7. Liquatio, i. e. si acus candens intrudi possit.
8. Disparitas fragmentorum cum gypso aut terra (in duritie scil.)
9. Experimentum.

Verum enim verò summa in dijudicatione lapidis cautio adhibenda est, neque absque notarum syndrome de bonitate quid certi statuere expedit. Præstantissimus tamen inter cæteros habetur Persicus [quoniam in Persia Contrayerva copiosè crescit, quam depascit capra]

Vires Corroborat, sudores ciet, alexipharmacus est, ideoque utilis in vertigine, Epilepsia Lipothymia, Palpitatione cordis, Ictero, Colica, Dysenteria, Vermicatione, Calculo, mensibus obstructis, partu difficili, melancholia. Præcipuè autem in peste febribusque malignis, venenis assumptis. Quin & extrinsecus adhiberi poterit in schropulis apertis, cancro ulcerato, & simil.

Dosis à gr. iij. ad xij.

XII. CAPRI-CERVA Occidentalis.

Est annimal Peruanum, Capricervo Orientali simile, cornibus tamen orbum, depascens herbas salutiferas.

Dicitur Vicunitas, seu Taraguas, Jos. à Costa.

OFFICIN. NAT.

Lapis Bezoar Occidentalis, qui est lapis locis iisdem animalis, ut de priori dictum, citra rem heterogeneam in cavitate media contentam, tunicatim concretus, Orientalibus utplurimùm major superficie scabra, colore cinericio, albo, nigro, obscureve virente, (qui optimus.)

N. Præstantiores habentur (uti & Orientales) ex animalibus montanis exempti.

Vires. Iisdem viribus celebris est cum Orientalibus, cujus tamen bonitati non parum cedit. Hinc utilis compertus est in affectibus cordis, venenis, febribus pestil. quartana (cujus symptomata mitigat) Melancholia, morbis diuturnis, Lumbricis, Epilepsia, & simil. Nec minus & extrinsecus convenit in vulneribus venenatis (*inspersus.*) *Monard.*

Dosis major quàm Orientalis, sc. gr. vi ad xx.

N. 1. Peculiare habet, quod alvum quoque nonnihil moveat.

N. 2. Affertur & Lapis Bezoar ex nova Hispania, sed Peruano aliquantulum vilior, & debilior.

CAPRACERVI ORIENTALIS & OCCIDENTALIS. Dicitur capracervi, quoniam similitudinem habet ferè partim cum cerva ratione figuræ, cum capra partim ratione magnitudinis & proprietatum. Hæ capræcervi tàm in India orientali in provincia ac vicinia Persiæ, quàm occidentali inveniuntur. Quæ reperiuntur in provincia Peru Indiæ occidentalis seu Americæ, imprimis sunt famosæ propter lapidem in eorum ventriculis, qui dicitur ratione virtutis alexipharmacæ Bezoar. *BEZOAR* enim est *vocabulum Persicum*, & significat id quod resistit venenis. Unde & hi ab Indis & Persis dicti sunt lapides Bezoar: ad horum imitationem & nos omnia remedia, quæ resistunt venenis potenter, *vocamus Bezoardica* v. g. *Tinctura Bezoardica D. MICHAEL*: *Essentia bezoard.* & sic porrò *pulvis bezoard.* &c. Non ratione lapidis Bezoar, quoniam horum nullum ingreditur, sed ob virtutem similem diaphoreticam & resistendi venenis. Lapis hic Bezoar *invenitur* in primo *ventriculo*, qui vocatur *Omasus*; utut interdum si sit major, etiam in reliquis ventriculis reperiatur. *Modus generandi* est idem atque superius dixi de rupicapris. Imprimis autem hic lapis *solet adhiberi* in usu alexipharmaco, *pro alexipharmaco* singulari, quatenus potenter resistit venenis, egregieque per *sudorem expellit*: quas virtutes alexipharmacas & sudoriferas, uti rectè dicit *VVORMIUS* in *Musæo*, habent saltim ejusmodi animalia, quæ depascunt herbas salubres, & *non datur Cervorum genus, in quo non reperiatur talis lapis*, qui *venditur* pro lapide Bezoar, cum tamen sint ex cervis & tantùm ex depascentia herbarum salubrium Bezoardici sive alexipharmaci fiunt: Et omnes lapides sunt & fiunt Bezoardici, quorum animalia vescuntur herbis alexipharmacis. Cæterum utut, uti dixi, valdè *commendatur* Bezoar in pellendis venenis, nihilominùs ejus *usus* est *rarus*, & ferè exoletus apud modernos, propterea quoniam valdopere *adulteratur*, adeò ut inter 100. lapides Bezoar apud nos vix unus reperiatur, qui sit genuinus, quod imprimis patet ex eo, quoniam lapides Bezoar apud nos in Germania sunt longè copiosiores & frequentiores atque in locis suis natalibus. 2. Longè viliori constant pretio apud nos, quam in loco natali ac Persia & India occidentali, in quibus rariores sunt & chariores quam apud nos. Unde patet, quod ad maximam partem sunt adulterati & falsificati: & hinc est, quod sæpius irrito usu sit præscriptus lapis Bezoar, adeò ut *GUARIVIONIVS* Medicus Italus in *Consil.* 216. dicat, se nunquam vidisse, quod lapis Bezoar aliquid laudatu dignum præstiterit. Imo *HILDANUS Cent. 6. obs.* 89. dicit, quod hic lapis frequenter usurpatur

uſurpatus maximè ſoleat nocere, & habet exemplum, quod ex impetuoſo lapidis Bezoar uſu fuerit, producta quartana *obſ.* 88. Artificium ergo conſiſtit in eo, ut *falſus à vero* poſſit cognoſci & *diſcerni*: Cæterum hoc eſt *difficultatis* maxima in cognitione & electione, id quod clarè deducit *HILDANUS Cent.* 4. *obſ.* 14. & utut modi apud AUCTOREM & alios ſint varij, non tamen poteſt verè cognoſci: *Unus* adhuc eſt præ aliis; quos habet AUCTOR, qui *genuinus* videtur: ſi ſcil. lapis Bezoar injiciatur in aquam ſimplicem, ita tamen, ut obſervetur pondus, antequam in aquam injiciatur, relinquatur in aqua per 6. vel 8. horarum ſpatium, & ſi poſtmodum exemptus & benè exſiccatus idem pondus habet, quod habuit antequam erat injectus, pro genuino eſt eligendus, ſin verò pondere eſt auctus, ab imbibitu ceu falſus eſt rejiciendus: *Verum* enim lapis *Bezoar.* ita *compacta eſt conſiſtentiæ*, ut non imbibere poſſit humorem nullumque pondus ex illo acquirere. Falſus verò non ita eſt compactus, & propter poroſitatem in pondere augetur. Longus aliàs eſt *ZACUTUS LUSIT.* in decantandis virtutibus lapidis Bezoar, *lib.* 1. *Med. Princip. hiſt.* 21. Obtinuit apud *Anglos* & omnes ferè modernos mos, ut vel *raro* vel nunquam *utamur lapide Bezoar.* 1. quoniam & nimis *pretioſus* & Magnatibus præſcribendus. 2. quoniam ſæpe eſt *adulteratus* 3. quoniam *in pauca* & parva admodum *doſi præſcribitur* ad gr v. vel vi. ubi nihil operatur, cum tamen ſit *præſcribendus ad gr. xv. vel* ℈*j.* Potius utimur Bezoardico minerali vel antimonio diaphoretico, vel etiam medicamentis ex C. C. paratis. *RULANDUS* etiam in tractatu *de morbo Hungarico* pag. 147. apertè teſtatur, quod C. C. nobilius ſit lapide Bezoar. Unde loco *lapidis Bezoar* exotici commodè *poteſt ſubſtitui calculus humanus*, qui eſt egregius in pellenda urina, eſt egregius in ciendo ſudore, & etiam in curanda peſte: id quod expertum fuit modernorum Anglorum experientia in ultima peſte Londinenſi. Plura qui cupit, poteſt videre *BAUHINUM* qui integrum ſcripſit Tr. de hoc lapide: item *PRIMEROSIUM de erroribus vulgi lib.* 2. *cap.* 36. *ZUUOELFER in Apendice ad animadverſiones pag.* 17. 65. *HORSTIUM in Diſpenſatorio pag.* 245. *GUIBERTUM in Medico officioſo tractatulo de peſte pag.* 511. & denique *UUORMIUM* in ſuo *Muſæo*, item *HILDANUM Cent.* 5. *obſ.* 29. *& cent.* 6. *obſ.* 89. Quoniam ergo minus tutus eſt uſus lapidis Bezoar, tam orientalis quàm occidentalis, propterea raro proſtant ex eo *præparata*, *in MYNSICHTI* tamen *armamentario Chymico pag* 29. videtur *Bezoar potabile*, per ſolutionem & extractionem Lapidis Bezoar, & pag. 34. *MYNSITHI* habet *Magiſterium Lap. Bezoar*; qui tamen habet Lapidem humanum, minerale Bezoardicum, antimonium diaphoreticum, vel C C. ſecurus eſt de Lapide Bezoar. Quæ dixi de Lapide Bezoar orientali, de occidentali quoque ſunt intelligenda: Nam de ſimilibus idem eſt judicium. Obſervatum tamen eſt, quod Lapis *Bezoar occidentalis in dupla doſi vix præſtet quàm orientalis* in ſimplici: ut ergo tales præſtet effectus lapis Bezoar occidentalis, quales præſtat Bezoar orientalis, in dupla doſi eſt præſcribendus. *Reperitur* etiam, uti antea dixi *in cervis* noſtratibus *lapis* non minoris efficaciæ quàm lapis Bezoar, aut ſi quædam eſt differentia, ſaltem eſt in herbis vel ratione plantarum, quibus veſcuntur, aliàs in virtute præcipitandi & ſudorem movendi idem eſt cum lapide Bezoar. Nam vis hæc conſiſtit in acido alcali ſ. ſalſo ſ. in ſale vol. ſalſo & alcali,

XIII. CAPREOLUS, CAPREA.

Δορκάς. Δόρξ. { Mas, Capreus, *Rehebock.* Chevreul. Fœmina, Caprea, *Rehegeiſz.*

Animal eſt corpore cervum referens, cornua exigua alens, cervinis ferè ſimilia, moribus timidum, lepidum, alacre, curſu velociſſimum, viſu æquè noctu ac interdiu pollens.

OFFICIN. NAT.

1. *Caro.* 2. *Coagulum.* 3. *Iecur.* 4. *Fel.* 5. *Lien.* 6. *Stercus.*

VIRES.

1. *Caro* in cibo convenit Diarrheæ & Dyſenteriæ.

2. *Coagulum* iiſdem affectibus convenit (*in vino potum.*)

3. *Iecur.* oculorum aciem reficere creditur, *comeſtum*, *potum*, *extuſque ſuffumigatum*, *inſtillatum*, *&c.* ſanguinis hæmorrhagiam, præcipuè narium ſiſtit (*cinis in ſufflatus.*)

4. *Fel* maculas faciei abſtergit (illitum) oculorum albugines & nubeculas, alioſque affectus curat (*cum melle inditum*) aurium tinnitus reprimit, (*cum ol. roſar. inſtillatum*) odontalgiam mitigat (*ſimili modo*)

5. *Stercus* Icterum ſolvit (*potum.*)

N. In reliquarum partium viribus cum capris convenit, fortiores tamen eaſdem obtinet.

CAPREOLUS & CAPREOLA SEU CAPREA. Cujus forma ſatis eſt cognita: de hoc non memini me aliquid legiſſe præſcriptum in ſpecie, virtutes, quas habet vel FEL vel STERCUS ſeu COAGULUM, quoniam conveniant cum ſtercoribus &c. aliorum animalium, non opus eſt, ut de hoc multa dicam.

XIV. CASTOR.

Κάστωρ, Fiber: animal eſt amphibium, aqua ac terra ambiens, vivens piſcibus & fructibus corticibuſque arborum. *Biber* Un Bèvre.

OFFICIN. NAT.

1. *Axungia* 2. *Teſticuli*, *qui Caſtorium vocantur.* 3. *Pellis.*

VIRES.

1. *Axungia* peculiariter nervoſo generi ac utero convenit adeoque morbo comitiali, membris reſolutis, convulſis, apoplexia, &c.

1. Καστόριον, Caſtorium, teſticuli Caſtoris. *Bevergheel.* Hi exciſi, beneque purgati in ſeſe exſiccantur, ſiccatique in loco umbroſo ſuſpenſi aſſervantur. Durant citra corruptionem ad ſeptennium.

N. Adulterantur per Gummi Ammoniacum, quod cum Caſtoris ſanguine Caſtorioque ſubactum in veſiculam conjicitur, exſiccaturque.

2. *Renes Caſtoris veſica induntur ac ſiccantur:* Fraudis autem hujus cognoſcendæ gratiâ notentur diſtinctionis notæ.

1. Teſticuli genuini ambo ex uno oriuntur principio.

2. Adulterini Teſticuli majores utplurimùm exiſtunt.

3. Genuini ſunt gravis & ingrati odoris, validi, acris, mordacis & amari ſaporis, ſubſtantiæ fragilis. Fugiendum porrò nigrum & rancidum caſtorium.

Vires. Calf. 3. ſicc. 2. attenuat, aperit, flatus diſcutit, nervos nervoſaſque partes, adeoque caput roborat, ſpir. animales torpidos excitat, venenis reſiſtit, ſternutationem ciet, anodynum eſt, menſes promovet. Hinc proficuum eſt in Lethargo, Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, vertigine, artuum tremore, defluxionibus ad articulos, ſtrangulatu uteri, dolore colico: idque uſu tum externo, tum interno. Inſuper tinnitus aurium ac difficultatem audiendi corrigit (auri inditum) *dentiumque dolori ſuccurrit.*

N. 1. In ſtrangulatu uteri variis modis adhibetur, admovetur naribus, ſubligatur axillis, inditur umbilico.

N. 2. Opij virulentiam corrigit [*unde Guainerio Opij Bezoar dicitur.*]

3. *Pellis* opem fert Podagricis & Paralyticis (*parata & induta.*)

PRÆPARATA.

1. *Oleum* Castorei infusum. *Vide Dispens. Aug. & Norimb.*
2. *Ol. stillat.*

℞. Castorei q.v. dissolve in aceto, aut macera in vino ejusve spiritu, hinc destilla l. igne per retortam vitream.

N. 1. Rectificatum aceto.

N. 2. Procedi itidem potest, ut in destillatione Olei Philosophici, lateres, sed ignitos axungiâ imbibendo & destillando.

3. *Electuarium Diacastorium*, *vide Dispens.*
4. *Extractum* fit l. c. cum spir. vin. rectificato.

N. Alij extrahunt cum Acet. destillat. quo rursum abstracto reiterant spirit. vin. Quercetanus adhibet aquam destillatam convenientem, v. gr. Melissæ, Calendulæ, Pœoniæ, aut similes Antiepilepticas & cephalicas, maceratque in B.M. (die 4. aut 5.) Pharmacop. Rest. cap. 25.

Dosis à gr. v. ad xii.

[Paratur etiam Essentia liquida, Tinctura.]

CASTOR, *Animal* uti notum *Amphibion*, quod partim in aquis degit, partim in terra vivit. Subministrat 1. AXUNGIAM, quæ est egregia in affectibus Cerebri & Uteri. *In affectibus cerebri*, paralysi, in tremore artuum & similibus *externè* inuncta. *Item* solet inungi abdomini *in suffocatione Uterina* curanda, uti etiam *in torminibus post partum* 2. Sequitur CASTOREUM. Vulgari de hoc *error* est, quod testiculi Castoris sint Castoreum, uti etiam habet AUCTOR, hoc tamen falsum est. Peculiare tamen est genus cujusdam succi, qui *colligitur* in Castore in certis *Folliculis* ad inguina sitis. Castor nempe propè testiculos habet folliculos hirsutos, cute insculptos, in quibus colligitur Castoreum. *Siti sunt* folliculi inter testiculos & inter membrum vel anum statim sub cute, ex quibus eodem modo colligitur ac Zibethum, de quo postmodum. Et quidem abundantius colligitur in maribus, parcius in fœmellis. Nam uti dixi, propè inguina Castor habet duos tumores magnitudine ovi anserini. Uterque tumor membranâ propriâ est conclusus, & inter hos folliculos eminet pudendum, quod tamen nullo meatu ad hos tumores pertingit vel pervenit, adeò ut nihil commercij habeat cum membro genitali vel cum testiculis. Hi tumores teguntur membrana, in cujus medio fissura est vel cavitas, ex qua liquor, *pinguedo* vel *oleosa* vel serosa colligitur, & transsudat vel arte vel per se, qui inspissatus dat Castoreum : Plura qui cupit de Castorei generatione videre potest *ALDROVANDUM* uti & *IONSTONIUM* in *historia animalium*, uti etiam *Cent.* 1. *Epist. BARTHOL.* pag. 9. & pag. 27. Unde facilè patet, quid habendum de *adulterationibus*, quas habet AUCTOR, ut neque ipsum sit verum, in quo testiculi sive etiam renes reperiantur. Proinde & gravis in hoc est AUCTORIS *error*: quando dicit, castoreum castoris esse testiculos. Hoc castoreum *odorem habet gravem* ac fœtidum, qui loquitur, quod imprægnatum sit sale vol. oleoso sed admodum acri, quod *acidum* effervescens in primis viis, præ primis ex pancreate ebulliens, præcipitat, compescit & edulcorat. Propter quas *virtutes flatus* intestinorum potenter discutit, & hinc etiam *Colica & suffocationi uterinæ* potenter medetur. Imò quodcunque acidum exorbitans in corpore humano absorbet & *præcipitat*. Notum præterea est, quod Castoreum valdè commendetur in *morbis uteri*, in specie, ubi opus expulsione per uterum, *menses*, *fœtumque mortuum* promovet, pellit secundinas, *retenta lochia expurgat* Castoreum, estque expertissimum : de Castoreo dixi sub asa fœtida, quod non omnes mulieres possint ferre fœtida, quod & de Castoreo tenendum, aliàs præstat *Essentia Castorei*, item, *Extractum Castorei* : præstat etiam *aqua hirundinum cum Castoreo*, *aqua vitæ mulierum cum Castoreo.* Hæc etiam medentur colicæ passioni ut & uterinæ suffocationi mulierum, uti dixi : aqua hirundinum cum Castoreo conducit, si Epilepsia sit conjuncta cum suffocatione uterina, vel in Epilepsia per consensum uteri. Non tamen in omnibus hoc adhibendum, cum uti superius dixi sub asa fœtida, non omnes possunt ferre graveolentia : in plurimis tamen ulterius *in affectibus nervorum & capitis* multi usus est castoreum, imprimis in affectibus *somnolentis & soporosis*, notum enim est, quod *corrigat virulentiam Opij*, & corrigat somnolentiam ab opio inductam solum Castoreum assumtum. Castoreum etiam *in Lethargo*, *Comate*, *Cataphora*, & similibus affectibus est expertum remedium, sive solum sive cum appropriatis purgantibus assumatur: Sic *TRALLIANUS Medicus* in cura Lethargi commendat Castoreum junctum cum scammonio propurgante : id quod moderni imitantur. Dum quidam senex 55. annorum, qui post frigus nimium in itinere perpessum in lethargum incidit periculosissimum, in quo multa adhibita sunt frustra, postmodum Medicus præscripsit etiam pro purgante medicamentum *FROLLIANI* h. m. ℞. *Castorei* ℈ij. *scammonij* ℈j. quæ miscuit cum oxymelite pro duabus dosibus, & sic optimè tandem curatus fuit Videri potest *BORELLUS Cent.* 1. *obs.* 52. ubi quædam de Castoreo ejusque facultatibus contra lethargum habet experimenta. Hinc etiam Castoreum in aceto solutum, & in spongia naribus applicatum lethargicos excitat, uti etiam refocillat, quæ est vaporibus narcoticis, ex carbonibus, cellis cerevisiariis, vinariis vel similibus somnolenti sunt : hos ipsos Castoreum cum aceto naribus applicatum resuscitat. Hinc etiam *Castoreum* ejusque *Extractum* solet præscribi *in Clysteribus*, *in affectibus* Apoplecticis & Epilepticis, ubi graviter stimulantes, revellentesque præscribuntur Clysteres. In Apoplexia & Epilepsia *Essentia Castorei* cum aqua Lil. convallium cum aqua. *Lavendulæ*, vel cum aqua. *Salviæ* & similibus factæ solent præscribi. In *tinnitu aurium* & similibus *affectibus aurium* Castoreum est egregium, sive bombaci involutum applicetur auribus, sive bombax humectetur Essentia Castorei, & auri indatur, idque eò melius, si cum *Essentia Castorei permisceatur Spiritus Formicarum terrestrium*, & bombax irroretur, & auribus indatur, & mirum est, quantum faciat in affectibus aurium, tinnitum arcet, & fortiter discutit. Nam *spiritus formicarum* per se est *specificus in aurium affectibus*. *Oleum Castorei* frequenti usu usurpatur in *paralysi*, & *Tremore* artuum inunctione externâ. Sicuti idem oleum in *amissa loquela* propter paralysin linguæ, linguæ instillatur non sine fructu & successu. In *suffocatione Uterina.* Extractum Castorei commodè permiscetur Clysteribus. *Oleum Castorei* ante paroxysmum febrilem inungitur *spinæ dorsi*, in specie *in quartana* ad imminuendum rigorem febrilem. *Essentia Castorei* internè in omnibus supradictis usibus convenit. Sic applicatur abdomini & umbilico in Colicâ & suffocatione uterina cum linteis. Castoreum propterea singulariter prodest *in expellendis variolis & exanthematibus* : variolas tam præservat, quàm curat Essentia Castorei, expellendo malignitatem, & per

Diaphoresin

Diaphoreſin diſcutiendo, & hanc Eſſentiam quilibet ſibi habeat commendatam. In *ZVVOELFER. Pharmacop. Reg.* pag. 67. proſtat *Eſſentia Caſtorei compoſita*, quam inter alia commendat *ad expellendas variolas & exanthemata.* Et b. D. *LANGIUS* habuit *Eſſentiam anodynam* ex Caſtoreo & aſa fœtida per ſpeciem vini tartariſatum factam, quæ præter virtutes uterinas ipſi in magno fuit uſu ad præſervandas pariter, & curandas variolas, & quidem magna experientiâ (Has duas conjungit, & egregiâ præſtant) cognitas habuit virtutes Eſſentiæ hujus in variolis curandis & dictis affectibus. Præterea Caſtoreum *corrigit Elleb. albi* malignitatem & virulentiam, uti videri poteſt in *THONERI Obſ. pag* 224. Supra dixi quod contra Epilepſiam ſit expertum, Miror interea, cum adeò ſit decantatum, *ZVVOELFERUM*, quod in *Pharmacopea Reg.* pag. 65. & 82. omnem uſum Caſtorei *in morbis uteri rejicit*, & dicit minimè eſſe conſultum, quod præſcribatur in affectibus mulierum, & hoc pacto contradicit omnibus medicis, cujus tamen aſſerti nullas video rationes. Ii, qui Caſtoreum ſecum geſtant in terra, facilè ſuffocantur & *ſubmerguntur*, quod utut mirum videatur, nihilominus experientiam adducit *BARTHOL. Cent.* 2 *hiſt.* 17. *obſ.* 10. ubi mira habet de Caſtorei vi in ſubmergendo ſub aquis.

XV. CATUS DOMESTICUS.

Αἴλυρος, Γαλεότης, Felis, Catus. { Domeſticus, *Katze, Hauſzkatze.* Un Chat. Sylveſtris, *vvilde Katze.*

Animal eſt libidinoſum, viſu acuto.

OFFICIN. NAT.

1. *Axungia.* 2. *Sanguis.* 3. *Caput.* 4. *Stercus.* 5. *Pellis.* 6 *Secundina.*

1. *Axungia* cati caſtrati, calfac. emoll. diſcut. mirificè articulorum affectibus prodeſt [colicis doloribus & uterinis.]

N. Præſtat axungia cati ſylveſtris.

2. *Sanguinis* gutt. 3. (*ex venula ſub cauda aperta cati maris*,) caducum penitus curant (*epota*) Schvvenckf. Quin & cati ſanguinem (*ex inciſa aure detractum* (herpeti cum ſucceſſu vidi inunctum.)

3. *Caput* cati nigri incineratum ad oculorum vitia, unguem, nubeculam, albuginem, &c. remedium præſtantiſſimum eſſe, ſi quotidie ter inſuffletur, ſcribit Mizald.

N. Venenum quod felibus adſcribitur, in ſolo capite ac cerebro ſtabulatur, non in reliquo corpore, utpote quod in cibum nonnullis venit.

4. *Stercus* (*cum ſinapi ana, ex aceto illitum*) alopecias curat, & podagricos juvat.

5. *Pellis* geſtatur ad calfaciendum ventriculum, articuloſque contractos.

6. *Secundinam* de collo ſuſpendunt ad oculorum affectus arcendos. Præferuntur autem cati primipari, ejuſque nigri.

CATTUS DOMESTICUS. Animal iracundum, & exinde in ira rabidum, venenoſum & virulentum: de qua virulentia & malignitate felium vid. *KIRCHERUS* in *Scrutinio peſtis* pag. 406. ubi habet exemplum de rabido feli interfecto, atque hoſpitibus in cœna appoſito, iiſque exinde in furorem & rabiem actis. Imò quod *halitus* etiam ſanorum ſit venenatus, & diſponat ad phthiſin, labem & atrophiam. Muio-Medici ſ. veterinarij ex felibus volunt præparare *Medicinam Catholicam* pro cura vaccarum, equorum, &c. h.m. Felem vivam coquunt in aqua, donec caro contabeſcat, & ab oſſibus ſecedat: decoctum refrigeratum infundunt beſtiis ægrotantibus, quâ hauſtâ aqua decoctionis Catti denuò curantur. AXUNGIA eſt imprimis in uſu Medico, in cujus tamen delectu præfertur axungia Catti ſylveſtris axungiæ Catti domeſtici. Et quidem appropriata imprimis eſt hæc axungia pro inunctione umbilici in *Epilepſia*, præter ea quæ habet AUCTOR. Refert namque *BRUNNERUS*, quod ex felis ſylveſtris fæmella inuncta axungia umbilico fœminæ Epilepſiam curet: Si ex fele ſylveſtri maſculo, ſanet Epilepſiam maſculi, adeò ut ſit *habendus delectus* in axungia *ratione ſexus.* Et hoc confirmat *SCHMUCK* in *Curationibus Magico-Magneticis* pag. 9. & dicit ſtrenuè res mira, axungiam felis, habitâ ſexus ratione, ſtatim inunctam umbilico Epileptici, ſi ſit ſanabilis; illam curare: ſin verò ſit lethalis, ſtatim Epilepticum interficere, quod an verum ſit, experiundum. Aliàs uti refert *HILDESHEIN*, *Spicil.* 7. *pag* 609. recipitur maſculus pro mare, & fœmella Catti pro fœminâ, iiſque *pro cura Epilepſiæ* tertiam caudæ partem abſcindunt, & ex illo erumpentes 3. *guttas ſanguinis* propinant ægro calidas in aqua flor. tiliæ, & dicunt, expertum eſſe remedium ad ſuſcitandos Epilepticos in paroxyſmo præparatum & propinatum. In *Eryſipelate* feli vel catto nigro auricula vulnerata, atque exinde extillans cruor parti Eryſipelaceæ inungitur, ſuperimpoſito linteo ſucco, illico Eryſipelas dicitur curare, aliàs Eryſipelas recedere ſolet, id quod teſtatur *LOTICHIUS obſ.* 97. In *atrophia* axungia felis inuncta eſt egregia, quoniam impedit, ne membra ulterius contabeſcant, d. adjuvat illorum nutritionem.

XVI. CATUS ZIBETHINUS.

Zibeth Katze. Une Civette.

Animal eſt peregrinum, ad noſtras oras tamen tranſportatum, à nonnullis oblectationis ergò ali cœpit.

OFFICIN. NAT.

Zibethum, (*Civeta, Zibetta*,) quod eſt ejus excrementum (*ſeu ſudor*,) inter teſticulos concretum, veſica involutum, ex qua inciſa Zibetum depromitur.

Vires. Calidum, & humidum eſt atque anodynum. Uſus crebri in dolore colico, (inungitur umbilico,) in dolore ventris infantum, in ſtrangulatu uteri applicatur vulvæ, vel cavernulæ umbilici.

CATTUS ZIBETHINUS. Animal peregrinum, de cujus ſtaturâ & figurâ videantur *rerum expoſitarum orientalium Scriptores.* Hoc multum expoſtulatur, imprimis propter liquorem præprimis juxta teſticulos ſitum, qui dicitur *ZIBETHUM*, quod ipſum itidem non eſt ex teſticulis beſtiæ, ſed *ſunt diſtincti teſticuli Zibethi à vaſculo Zibethico.* Nam *veſicula Zibethi* eſt membrana vel *folliculus membranaceus* cuti intus impactus, hiſpidus & hirſutus, in medio habens rimam, & *quidem ſita eſt* inter teſtes & penem in maribus, adeò ut ſicut Caſtoreum nullum habeat commercium cum membro & teſtibus. Intrinſecus carnoſa ac dura continet granula vel glandulas, ſubſtantiâ duriores ipſis teſtibus, per quas *glandulas tranſſudat* iſtius modi liquor, *ab iis elaboratus*, quem nos vocamus Zibethum, quod in cavitate folliculi ita elaboratum & rectificatum, per cochlear parvum vel per inſtrumentum etiam eximitur, & pro uſu ad nos transfertur. Plura qui cupit, videat *IONSTONIUM* in uberrima *hiſtoria animalium*, & *CASTELLUM* in Tract. de *Hyena odor fera* præteritis nundinis edito. Vbi habet ejuſdem anatomen & alia, quæ huc pertinent. Deinde plura videri poſſunt in *BARTHOL.* qui habet de magnitudine Zibethi ſtatura & figura *Cent.* 4. *hiſt.* 1. & *Cent.* 5. *hiſt.* 49 Zibethum hoc *internè* ſolet uſurpari pro *confortativo*, de quo multum adhuc digladiantur auctores, & irrident illos, qui pro tali ſcopo adhibent. Umbilico *inunctum* in dolore *Colico ſpecificum* ſingulare fuit *PARACELSI*, qui vel ſolum vel cum oleo nucis Moſchatæ inunxit. Mulierculæ, dum *ſuffocatione uterinâ* corripiuntur, Zibethum *inungunt vulvæ*, dicunt enim valdoperè delectare

vulvam odoriferis, & dicunt insuper, Zibethum si inungatur naribus, suffocationem inducere; sin verò inungatur vulvæ, eandem curare. *Zibetho* si inungantur indusia, omnes *fugantur pediculi*, sed unguentum pro tali usu nimis pretiosum.

XVII. CERVUS.

Ἔλαφος. { Mas. Cervus, *Hirsch*. Un Cerf. Fœm. Cerva, *Hin*, *Hinden*. Une Biche. Hinnulus.

Animal est vivacissimum (ad annos 100.) cursu velocissimum, cornua quotannis mense Aprili deponens, coit mense Augusto & Septembri, circa diem Ægidii: parturit mense octavo.

OFFICIN. NAT.

1. *Cornu*. 2. *Corium* 3. *Os de corde*. 4. *Genitale*. 5. *Testiculi*. 6. *Sanguis*. 7. *Lacryma*. 8. *Medulla*. 9. *Sevum*. 10. *Talus*, *s. Astragalus*. 11. *Lapis*.

VIRES.

I. *Cornu* crudum resistit putredini, malignitatem corrigit, sudorem ciet, balsamum humanum corroborat. Hinc usus eius proficuus in variolis, morbillis, febribus putridis & malignis, aliisque morbis, ubi sudore opus est. *Incoqui potest decoctis, macerari in infusionibus (quippe in substantia exhibitum, crudum ferè egeritur.)*

℞. Commendatur collectum intra festivitates Mariæ, i.e. inter 15. Augusti, & 8. Septembris.

PRÆPARATA.

Ex cornu.

1. *C.C. ustum*: *vid. lib. 2. cap* 43.

2. *C.C. præparatum*, fit ex usto quod cum aqua cordiali l.a. lævigatur.

Vires. Vi sua siccante putredini resistit, fluxus alvi sedat, vermes necat, sudores ciet, Medicinaque est infantibus familiarissima.

Dosis à ℈j. ad ʒj. & ultra.

3. *C. C. Philosophicè calcinatum*, *vide lib. 2. c.* 43. Sudores ciet, morbis malignis confert.

Dosis ad ʒß.

4. *Magisterium*: Cornua raspata solvuntur in acet. destill. præcipitantur per Ol tart. vel vitrioli, edulcoranturque ablutione cum aqua. Hinc siccata servantur.

N. 1. Alii solvunt cum spir. sal. nitr. quod dein rursus abstracto, Magisterium in fundo relictum edulcorant. In abstractione à spir. sal. nitr. cautione opus est, ne sc. accensio, quæ facilè accidere alias potest, damnum pariat. Cautiùs ergo procedunt, qui solutionii ℥iv. affundunt aqu. fontan. mensur. 1. ac filtrant, filtratumque si opus sit instillando Ol. tart. præcipitant,

N. 2. Alii solvunt cum aqu. tart. præcipitantque cum spirit. Vitrioli ac edulcorant.

N. 3. Magisterium præcipitatum cum Ol. tart. flavescit, è contra cum Ol. aliquo minerali, E.g. vitrioli evadit candidum.

5. *Galreda seu Gelatina*. *Vide lib. 2. cap.* 26.

6. *Liquor seu spiritus Vide lib. 2. cap.* 70 *&* 81.

[Liquorem C.C. succinatum Antiepilepticum pro infantibus habet Etmullerus in valetud. infant.]

7. *Oleum*. *Via lib. 2. c.* 70.

N. Veri olei C.C. descriptionem vide in Kesler.

8. *Sal volatile*. *Vid. lib* 2. *c.* 70.

Sunt qui Sal C.C. fixi ℥ij. cum spirit. vin. rectificati ℥j. dies aliquot (12.) digerunt, atque dein spirit. vin. ad medietatem abstrahunt, residuumque servant *titulo Tinctura Salis C. C.*

Dosis à gr. v. ad ℈ß.

Extractum C.C. fit superfundendo segmentis cornuum cervi aq. propriam & tincturam digestione menstrua extrahendo.

9. *Aqua è Typhis cervinis*. *Hirschkolben*.

℞. *Cornua* Cervi novella, sanguine adhuc succulenta, in frustula concide, destillaque in MB, aut VB, vel per se, vel cum pauco vino generoso, donec omnis liquor exstillarit.

Vires. Utilissima est in febribus ardentibus malignis.

Dosis cochlear ß. vel per se, vel cum appropriata aliqua aqua *Hartm. in pract. Senn. Inst.*

[E Typhis recentibus medulla aceto destillato extracta præstantissima in excessiva oris siccitate.

10. *Unguentum C.C. anodynum*, *vid. lib.* 2.

II. *Corium*. Ex corio fit cingulum, quo mulierculæ utuntur ad inguina stringenda, uterinasque affectiones compescendas.

[Cor confortativum cordis: ex præparatis præbent Aquam Cordis Cervi.]

Os cordis, *Hirsch Kreutzlein*, *est arteriarum in basi cordis concursus*, *qui cum ætate & imprimis turgescentia tempore durior fit*, *& in os degenerat*: peculiariter cordi convenit, idque à malignitate tuetur, custodit partum, & prægnantibus mirè conducit.

IV. *Genitale* (*Priapus*) diureticum est, Venerem stimulat (Pleuriticis) dysentericis, colicoque dolore correptis auxiliatur. Datur tum tritum, tum decocto incoctum, vel & aquam qua genitale ablutum est, exhibere convenit.

V. *Testiculi sicci è vino poti*, concubitum cum voluptate excitant. Schwenckfeld.

VI. *Sanguis inassatus sartagine*, dysenterias & cœliacor. profluvia sistit: est & efficax contra toxica; commendatur ad dolores coxendicis & lateris [*cum oleo decoctus*.]

PRÆPARATA.

Etsi ex sanguine cervino & hircino non minus ac ex sanguine humano elici queant, *Spiritus*, *Oleum*, *& simil.* In primis tamen in usum Medicum accersitur.

Balsamus Antipodagricus paratus ad modum qui habetur de sanguine humano.

℞. E dictis animalibus si interiora viscera, videlicet pulmones, cor, atque hepar particulatim dissecta unà cum sanguine macerentur, nobilior eorum essentia simul prolectatur.

Vires. In podagra maximi est solaminis (illitus,) insignis item ejus usus est in contracturis à quacunque causa subortis, quippe vi salis magnam resolvendi vim obtinet. Gluckr. in Beg.

[Spuntonus Sal volatile sanguinis Cervi, Caphuram sc. Cervi, Balsamum radicalem naturæ, arcanum in Medicina vocat: putrefacit cum spirit. vin. xv. dies hinc destillat, vase refrigerato collo retortæ adhærente separat.

Dosis gr. iv. ad gr. vi.]

VII. *Lacryma*, *s.* sordes quæ in oculorum angulis reperiuntur, velut cera indurata, odoris aliquantulum gravis, tandem fragrantis (*lapis vulgò dicitur*) siccant, adstringunt, corroborant, sudorem cient, ideoque adversus venena morbosque contagiosos quàm summè celebrantur, ut vel cum Lapide Bezoar viribus certare dicantur.

Quin imò (ut scribit ad me Cl. D.D. Horstius) prosunt lachrymæ quoque in difficultate partus, adeo ut earum vis nuper adhuc sit comperta in mortuo etiam fœtu expellendo.

Dosis gr. 3. 4. *vide Casp. Bauhin. lib. de lap. Bezoar. c.* 8 *&* 9.

℞. Lachrymarum harum aliquot frustula colore obscurè fusca, consistentiâ cereâ, pilis immixtis referta, dono liberali mihi impertita est Illustrissima Saxoniæ Principissa, Sopha Eleonora, Conjux Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Dn. Georgii Hessiæ Landgravii, &c.

VIII. *Medulla* ferè omnium laudatissima est, præstatque præ reliquis in ulceribus malignis, ut & in Tibiarum ulceribus. *Plin.*

IX. *Sevum* commendatur præ aliis in tumoribus molliendis, vulneribus astringendis: perniones persanat, dolores sedat.

PRÆPARATA.

Ol. stillat. sevi vel axungiæ fit l.c. *vid. lib. c.* 70.

Vires. Emollit, lenit, summum mitigativum est in podagra, semel ac iterum de die illitum.

X. *Talus*, *s. Astragalus* utilis est Dysentericis.

XI. *Lapis* in corde, ventriculo, vel intestinis nonnunquam repertus, cum Lapide Bezoar viribus suis convenire dicitur. *Crato Epist.* 160 *Encel. de lap. l.* 3. *c.* 49. *C. Bauh. de lap. Bez.* 11. In primis verò lapis è vulva erutus phylacterium esse fertur prægnanti, & perficere ut partum perferat.

N. 1. Optima omnia è cervo censentur, collecta ex cervo turgescente, quod fit circiter Ægidii Festum, initio Septembris.

N. 2. Cauda cervi venenata est.

CERVUS. *Totus* merito *alexipharmacus* dicitur, & omnia ex eodem parata easdem virtutes alexipharmacas & sudoriferas & obtinent, & potenter etiam obserunt. Unde *spiritus vol. ex* ejus *cornu* vel *sanguine*, vel ex *aliis partibus* destillatus cum sale *vol.* Usitatissimus est *in cura morborum malignorum*, non minus quàm in cura *Epilepsiæ*, in qua sp. C.C. vol. salinus,

salinus, potest esse succedaneum spiritus Cranij humani, qui ipse est specificus in Epilepsia. CORNU *eligendum* quod *maturum*, i. e. quod cervus sua sponte deposuit: *Differentia* est satis conspicua, nam quæ cervus sponte deponit intra duos dies fæmineos i. e. 15. Aprilis & 18. Septembris ea sunt ponderosiora, sunt interius magis compacta, magis dura & magis albicantia, quæ sunt signa, quod cornua fuerint sponte deposita, quæ ex cervis alio tempore interfectis desumuntur, vel alio tempore sunt deposita, non adeò sunt ponderosa, sunt magis porosa, & in medio lituras & vestigia sanguinis exhibent. Unde cornua *matura dant spiritum copiosiorem.* Dant sal vol. copiosius: & spiritus & sal hujusmodi dicuntur efficaciora ex aliis desumptis. Contrario modo sese habet cum C.C. *immaturo.* Etiam præter hæc colliguntur *tenella* C.C. quæ etiam vocantur TYPHÆ *Cervinæ*, item C. *Cervina novella*, quæ similiter usurpantur in usu medico. Hoc C.C. rarissimè usurpatur *crudum*, quoniam nimis est crudum & difficilis digestionis. Interdum tamen crudum pulverisatum potest propinari in affectibus, ubi acidum est præcipitandum & compescendum. *Præparatur* à C.C. pro usu alexipharmaco, sudorifero & expulsivo veneni, *nunc* sine igne *nunc* cum igne: id quod *cum igne præparatur*, est C.C. *ustum*, & est id, quod remanet post destillationem spiritus olei & sal vol. id quod *sine igne præparatur*, coquitur in aqua donec mollescat & fiat friabile aliquantisper, vel quando destillatur aqua ex plantis, tunc imponuntur frustula C.C. in alembicum, adeò ut adscendens aqua penetret partes impositas. Unde fit, ut exinde fiant molles & friabiles, & sic vocatur C.C. *sine igne s. philosophicè præparatum. Differentia* est in hoc, quod C.C. *ustum sit pura*, puta terra mortua, sive *calx* omni virtute activa privata, nulliusque usus, præter hoc quod *humiditatem absorbet, acidumque* in primis viis *compescit*: Contra C.C. *philosophicè* præparatum adhuc est *impregnatum spiritu salis vol. & ol.* Unde ratione harum partium *habet* adhuc *vires alexipharmacas* & ciendi sudorem: atque hoc verum esse patet ex eo, quod C.C. philosophicè præparatum, si indatur retortæ, præbet spiritum salis vol. & ol. utut non in tanta copia, ac si destilletur C.C. crudum. Sufficit modo aliquid partis spirituosæ remaneat. Unde meritò C.C. usto præfertur. Vid. HELMONT. in *script.* pag 373. Videri etiam potest HORSTIUS in *Dispensat.* pag. 239. Cornu cervi *ustum* nullum amplius *habet usum* in scopo Diaphoretico & alexipharmaco, utut (1.) mirè in *Diarrhæis* & laxitate intestinorum absorbeat humidum, & exsiccet potenter. (2.) *ubi* est *acidum abundans* in intestinis, potest propinari: nam & acidum potenter absorbet. (3.) *ubi* sunt *lumbrici* in intestinis, potest propinari C.C. ustum, quoniam illos pellit, præcipuè infantum, teste experientia: imprimis in usu tali convenit. C.C. *philosophicè præparatum convenit in morbis malignis* pro præcipitatione & expulsione sudorifera. Ex C.C. præparatur etiam *Gelatina*, & hæc eleganter dissolvitur in cerevisia *in morbis* & febribus *malignis* pro resistenda malignitate & expulsione: Nam ista Gelatina *est* nihil aliud quam *sal vol. concentratum* à mucilagine spermatica ad ʒß. vel ʒvi vel ℥j. in cerevisiæ dimidia mensura dissolvitur. Prostat vel *simplex*, vel acet. destillat. irrigata, vel succo citri *acidulata*, & ubi est ardor & effervescentia Massæ sanguineæ, nimia est magis conveniens. Dissolvitur in Julepis alexipharmacis Gelatina C.C. pro eodem usu. *aqua destillata ex tenellis* cornubus seu *typhis cervinis*, est egregia *contra palpitationem* cordis, est egregia pueris & infantibus *pro expellendis variolis & morbillis* etiam in adultis. In morbis malignis est egregium vehiculum pro reliquis medicamentis alexipharmacis: præparationem habet AUCTOR. De spir. & sale vol. quædam sunt dicta superius, quod sint egregia & specifica pro excitando sudore in malignis. Ex Gelatina paratur egregia *Essentia sive Extractum* cum spiritu Juniperi per fermentationem ex baccis præparato, & huic Essentiæ si addatur sal proprium vol. C.C. erit *Essentia* elegantissima *alexipharmaca*: sicuti etiam *spir. C.C. essentificatur*, sive cum sale vol. impægnatus addito modico Camphoræ ad eosdem usus, medicamentum est excellentissimum in febribus & morbis malignis: Hâc ratione possumus pervenire ad exaltationem *ol. pestilentialis* HEINESII, de quo superius, ubi de camphora. Rarum est, quod refert MOEBIUS Dissert. de *vomitoriis*, quod *sal vol. CC.* ritè exhibitum præter sudorem etiam soleat *vomitum ciere*, de quo nullus alius aliquid monet. CORIUM CC. dat cingulum pro mulieribus, cujus usum habet AUCTOR, præter ista ab auctore adscripta cingula ex corio, CC. lumbis applicatum certò *promovet partum*, teste SCHMUCK. in *scriptis* pag. 29. OS CORDIS CERVI nihil est aliud quàm indurata arteria ex corde emergens, quæ fit cartilaginea & ossea: & talis arteria non tantùm est in cervo, sed etiam in bobus, in quibus sæpius fuit reperta ossea. Imò testantibus Anatomicis in senioribus hominibus similia ossa in corde fuêre reperta. Hoc vulgo præ cæteris *dicatum* esse *cordi* putant, sunt tamen qui negant, sunt qui *affirmant*, id quod in medio relinquo. *Contra abortum* tanquam specificum *cum granis Kermes*, & cum convenienti vehiculo mirè solet commendari. Quidam dicunt, quod propinatum dosi debita os cordis Cervi puellæ lascivæ, si suspicio est imprægnationis: dicunt posse hoc pacto perveniri in certitudinem rei. PRIAPUS *cervi* est expertum remedium in *dysenteria & pleuritide*, sicuti dixi de priapo tauri seu bovis, & quæ valent de priapo tauri, ea κατ' ἐξοχὴν dici possunt in cura dysenteriæ & pleuritidis de hoc priapo cervi: *sive sub pulvere* ad ʒj. in aqua appropriata: in dysenteria in aqua plantaginis, &c. In pleuritide in aqua cardui benedicti & tussilaginis assumatur; *sive* recipiatur rasura hujus priapi, & coquatur, & *decoctum* exhibeatur ægro: Nam & hoc in dysenteria & pleuritide est expertum. Præterea ad *colicam* passionem & *uterinam suffocationem* egregiè convenit hic priapus, confirmante BARTHOL. *Cent.* 6. *hist.* 50. sed hæc conveniunt priapo cervi exsciso dum non hiat in venerem: Nam dum hiat in venerem est ineptus pro tali scopo. vid HELMONT tr. *Pleura furens*: econtra dum hiat in venerem, est egregium *stimulans* pulv. priapi cervi ad ʒj assumtus cum ovo sorbili & pauco vini generosi, & multum confert ad stimulandam, venerem, teste *SOLENANDRO sect.* 4. *conf.* 69 *Alii* pro stimulanda venere commendant *sanguinem ex cervo*, dum hiat in venerem transfosso collectum, cui sanguini adhuc calido admiscendus est *pulvis Tragacanth.* ℥j. *Nucis Moschatæ, Caryophyllorum & Cinnamomi ana* ℥ß. *Camphoræ Moschi & ambræ ana* ʒ. Hæc invicem in s.q. sanguinis adhuc calidi miscentur, ut *fiat Massa*, ex qua formantur globuli, qui exsiccati & in manu dextra detenti, potenter incitant in venerem. Idem priapus pulverisatus & cum vino *testibus inunctus* singulariter stimulat venerem teste *BARTHOLINO cit. loc.* Concubitum etiam voluptuosiorem excitat: Debet tamen esse sub tempore coitus abscissus cum testiculis, quando hiat in venerem, quod non habet AUCTOR: Nam alio tempore si fuerit factum, profectò parum adferet adjumenti. LACHRIMÆ quæ colliguntur circa oculorum angulos in cervo, fueruntque *sordes concretæ* circa angulos oculorum in Cervo, dicuntur *Lapis Bezoar Veterum*, quod tamen est falsum, nihilominus tamen quod sint egregium medicamentum, multo melius ipsa axungia, confirmat *ZACUT. LUSIT. lib.* 5. *Med. princip. hist.* 29. Reliqua

liqua quæ habet AUCTOR de pellendo fœtu mortuo videri possunt apud eundem. Sequitur ADEPS: *de hoc* est quod *observatum* fuit à Medico *D. NESTERO*, qui ℞. guttam adipis cervini, unam immittit in urinam periculosè decumbentis, unde hanc habebat observationem, si gutta subsidebat in urina, *desperationem*, si verò supernatabat, *salutem* futuram deprædicabat. In *intertrigine* uti & in *fissuris manuum & pedum* pinguedo cervi est expertissima, uti & *oleum sanguinis Cervi* commendatur in Podagra: & BURRHUS valdè commendabat pellem Cervinam contra Podagram, ac parari curabat vestem ex pelle Cervina Principi, nihilominus non credo, quod res successerit feliciter.

XVIII. COCHLEA.

Κοχλὸς, κοχλία, Limax *Schnecken*. Coquille de Limaçon.

Cochleæ { Testaceæ. / Nudæ (*sine testis.*) / Fluviatiles.

Præferuntur quæ in locis apricis & vinetis degunt, herbisque vivunt odoratis, collectæ ante ortum Solis. *Vide Forest.lib.* 16.58.

℞. Fluviatiles easdem quidem vires obtinent, sed rarioris usus sunt. Generantur ex terræ limo, vivunt rore, plantisque variis. Inimicantur coturnici ac ardeæ, quibus in prædam & cibum veniunt. Antipathicæ sunt maximè Lacertis ac Simiis: Nimirum, hæ cochlearum vel & testarum solarum præsentiam adeo formidant, ut sese contrahant, formidineque excrementa egerant.

OFFICIN. NAT.

1. *Cochlea integra.* 2. *Testa.* 3. *Pinguedo.* 4. *Mucus.*

VIRES.

1. *Cochleæ* refrigerant, incrassant, consolidant, leniunt, nervis conveniunt ac pulmonibus. Hinc usus præcipui internè ad tussim, phthisin, screationem sanguinolentam, aliosque pulmonum affectus; hinc ad Epatis calorem, & colicum dolorem.

Extrinsecus maturant ac rumpunt anthraces (*imposita tum sola, tum cum felle tauri,*) consolidant vulnera, præcipuè nervorum, ulcera sanant, (*in primis tibiar.*) inflammationes (*podagricas*) mitigant, ventrem hydropicor. hydrocelemque herniosorum detumescere faciunt (*cum testis trita & imposita*) hæmorrhagiam cohibent (*fronti applicata.*) Spuma ex cochleis sine aqua igni appositis fistulas domare dicitur.

3. *Testæ* tritæ exhibentur calculosis, rimas manuum siccant & consolidant.

Pinguedo (*in elixato brodio, ubi id refrixerit, supernatans,*) oculorum rubedini doloribusque medetur, defluxiones ad oculos intercipit (*fronti cum albo ovi imposita.*

4. *Mucus salivosus* (*quem compuncta cochlea reddunt,*) emplasticus est, ideoque glutinans, defluxionesque ad oculos intercipiens (*in anacollematis.*)

PRÆPARATA.

1. *Aqu. stillat.* è carne mense Maio vel Octob. per MB. prolecta convenire dicitur atrophiâ laborantibus. Epar nimium corroborare statuitur.

Extrinsecus faciem fucat.

2. *Cinis cochlear.* exsiccat, incrassat, cutis rimas ac scabriciem exsiccat. Synoviam, *das Glied-Vvasser*, sistit.

3. *Liquor Limacum.*

Rubri limaces concisi misceantur cum pari pondere Sal. communis, conjicianturque in manicam Hipp. ut in cella defluant in liquorem, quo dolentes partes podagricæ illinuntur, & verrucæ scalpello prius abrasæ facilè averruncantur.

S. Closs.

[Liquor Limacum ani procidentiam tollit.]

COCHLEA. Et quidem ea, quæ dicitur LIMAX; quæ est sine testa: Tales cochleæ, in genere quidem omnes cochleæ, valdè commendantur pro *hectica & phthisi*: habent enim in se sal vol. admodum temperatum, sicuti habetur in plantis refrigerantibus. Unde vel *præparatæ* ad esum vel *destillatæ*, imprimis si ante nutriantur cum sacchаro, egregium dicuntur remedium contra hecticam & contra atrophiam ex hectica ortam. Ita *Itali* cujusdam singulare *remedium* fuere, qui exhibuit hos limaces montanos h. m. præparatos. Per aliquot dies non pascebantur, sed tantùm saccharo & farina satiabantur 2. vel 3. diebus, postea in aqua & pauco aceto coquebantur leniter, postmodum vero jure optimo gallinæ vel arietis: Hac ratione præparati & propinati egregiè conveniunt in Hectica, humectant enim bonumque sanguinem generant, nec sunt difficilis adeò concoctionis. Sic *AMATUS LUSITANUS* Cent. 3. curâ 53. curavit quendam hecticum per cibum pullorum gallinarum, testudinibus nemoralibus saginatorum, unà cum potu lactis asinini. *RIVERIUS Cent.* 1. *obs.* 92. singulare refert exemplum de Hectica Marasmode desperata, curata tamen à rustico per decoctum Limacum rubrorum agrestium. *Podagram* & similes dolores ab acido abortos *curant* & sistunt, propterea quoniam sale vol. alcali occulto constant, quod simile est ranarum vel spermatis ranarum alcali occulto, ratione cujus absorbet acidum podagricum, & sic solamen doloribus affert. *Testudines Cochleaceæ* habent tempore hyberno OPERCULUM: hoc à cochleis detractum, benè ablutum & pulverisatum, per urinam curat hydropem, si singulis manè & vespertino tempore sumatur, in conveniente vehiculo quantum cultelli cuspis capit. Aqua *stillatitia* ex cochleis benè prius ablutis commendatur inter *Cosmetica* in vitiis cutis, manuum & faciei instar aquæ spermatis ranarum, quæ sit instar exemplaris, quoniam sale vol. occulto constat, de quo videatur *TACHENIUS in Hippocrate Chymico.* Pulvis *Lapillorum ex capitibus limacum* expressorum in vino exhibitus conferre solet in *stranguria.* Limaces vivi *appositi* prosunt *ad procidentiam ani*, in nimio *tumore* ac ardore *hæmorrhoidum*.

XIX. CUNICULUS.

Κόνικλος, *Kungle Kunglein.* Counil, ou Lapin.

Animalculum est leporini generis, timidum, fœcundum admodum & prolificum.

OFFICIN. NAT.

1. *Integer ustus.* 2. *Axungia.* 3. *Cerebrum.*

Vires. Cuniculus totus exustus medetur Anginæ, seu faucium inflammationibus *cum costo & folio illitus.*

2. *Axungia* articulis & nervis induratis utilis est.

3. *Cerebrum* venenis resistere creditur, alioquin leporino correspondens.

DE CUNICULO. Nihil habeo, quod dicere possum.

XX. ELEPHAS.

Ἐλέφας, Elephantus, *Elephant, Helffant.* Un Elephant.

Animal est rarissimum, vivacissimum, placidum ac docile.

OFFICIN. NAT.

Soli dentes, Ebur vulgò dicti.

VIRES.

Ebur refrigerat & siccat moderatè, adstringit, incidit, viscera roborat, albas mulierum fluxiones sistit. Ictero convenit, lumbricos fugat, diuturnis obstructionibus confert, stomachi dolores & imbecillitatem abigit. Epilepsiæ medetur,

tur, melancholiam arcet, putredini ac venenis resistit. Adhibetur ejus Limatura in infusionibus, quin & pulvis in substantia exhibetur.

Dosis ʒß.

PRÆPARATA.

1. *Ebur ustum* (*spodium vocant*,) *& ad differentiam spodii mineralis, spodium ex Ebore*.

2. *Trochisci de spodio, vide Dispensat.*

N. Sunt qui Ebur ad fœcunditatem commendant. Verùm cum sit animal paucæ prolis, tardè pariens, (biennium sc. gravidum,) potiùs ad sterilitatem fœtusque retentionem facere conjecturamur, quàm ad conceptionem promovendam.

ELEPHAS. Animal sat cognitum, cum hinc inde transportetur raritatis gratia. *Dentes Elephantis* dicuntur EBUR, qui ex maxillis prodeunt & foràs proeminent: interdum sunt *ingentis* satis *magnitudinis*, adeò ut in India orientali & in Regione Magni Mogol inveniantur tantæ magnitudinis, ut in utroque possit insidere homo sine gravatione & molestia Elephantis. *Ebur* hoc in medicina est *magni usus*, ac *præparatur* sive *sine* igne seu philosophicè sive *cum* igne, uti dixi de CC. Hoc modo philosophicè præparatum Ebur solet febriles *effervescentias* præcipitare in Massa sanguinea, & *compescit acidum* oberrans in corpore humano. Dumq; effervescentias febriles sistit, valdè commendatur *in febribus ardentibus*, item malignis propinatum cum antimonio diaphoretico. Ratione acidi quod compescit, commendari solet in *fluxu mulierum albo*, sicuti aliàs est remedium, quod valdè *convenit mulieribus*, imprimis commendatur in iis, quæ acido abundant, atque cum in iis *præcaveat abortum*, propinatur cum magisterio coralliorum, præparatio cum succo Citri valdè *roborare* dicitur *Epar*, sive convenire in massa sanguineæ deficiente crasi corrigenda: Unde tunc temporis & in tali casu solet misceri cum *Epatico rubro Dresdensium*, Et fit *pulvis Epaticus D. MICHAEL* ex Ebure sine igne cum pulvere Epatico rubro. *Alexipharmaca* illi vis non minus quam CC. tribui solet: Convenit in febribus malignis. Præterea in *lumbricis* solet propinari infantibus, ubi usus non est frustranei. In *suffocatione uterina* datum Ebur sine igne cum appropriatis est utile remedium, *dosis* est à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. *Ebur ustum* est calx sive terra mortua, omni virtute & efficacia activa spoliata. Unde *usus interni* etiam est *rarioris*. Vulgariter in officinis dicitur SPODIUM, ad differentiam spodii mineralis, *ex Ebore*: adhibetur *externè in collyriis, & in exsiccandis vulneribus*: Internè nullius est pretii.

XXI. EQUUS.

Ἵππος, Equus, Mas. Equa Fœmina. Pferd. Un Cheval.

OFFICIN. NAT.

1. *Sanguis*. 2. *Coagulum*. 3 *Lac*. 4. *Stercus*. 5. *Lichenes*. 6. *Testes*. 7. *Pinguedo jubarum*. 8. *Ungula*. 9. *Pili*. 10. *Saliva* 11. *Dens*. 12 *Lapis*.

Vires. 1. *Sanguis* (*malunt nonnulli equarum admissuram expertarum*) admiscetur septicis ac causticis.

2. *Coagulum* (*Hyppacen vocant*,) privatim cœliacis, Dysentericisque convenit.

3. *Lac* utile censetur Epilepticis, Phthisicis, Tussientibus, Asthmaticis.

4. *Stercus* extrinsecus sanguinis eruptiones cohibet (*tam crudum, quàm ustum*,) fœtum mortuum, ac secundinas expellit (*in suffitu*.)

Internè propinatur in dolore colico, ac strangulatu uteri, & similiter in fœtu mortuo, & secundinis expellendis.

N. Præstat ex equo avenâ nutrito, & non castrato.

5. *Lichenes* (*callosa excrementa in equorum cruribus nascentia*,) laudantur peculiariter ad uterinas suffocationes, (*suffitu subtus facto*,) ut & ad morbum comitialem, & calculum (*pulvis propinatus*.)

PRÆPARATA.

Extractum Lichenum fit ex lichenibus siccatis cum spiritu vini vel alio appropriato spiritu.

Dosis à gr. v. ad ℈ß.

N. Hartm. Menstruum parat ex aqua Meliss. & Vini ana ℔. iij. quæ per retortam ex cineribus destillat super Succini & Gagatis ℥ij. igne in fine forti, hinc aquam ab oleo separatam adhibet.

6. *Testes castrati* ad secundinas pellendas remedium præsentissimum (*pulverisati*.) Commendantur quoque in doloribus colicis.

7. *Pinguedo jubati colli, Kamschmaltz*, illinitur commodè articulis luxatis.

8. *Ungula*, fœtus mortuos suffitu exturbat, pediculosque fugat. [Antidysentericum præsentaneum frixa in butyro Ungula putatur.]

9. *Pili* sanguinis fluxum reprimunt.

10. *Saliva*, spuma oris triduo pota, tussim sanat, fervorem faucium contundit.

N. Aqua frigida ex ore equi non castrati in præterfluente potentis elapsa, & subitò vasculo collecta, prodest ad sterilitatem emendandam, (semel ac iterum pota.) Hartm. in pract.

11. *Dentes* primùm nascentes dentitionem facilitare dicuntur, (appensi.) Dentes dealbant, (cinis affricatus.)

12. *Lapis* (*Hippolithus*) in ventriculo aut intestinis equorum nonnullorum repertus, uti Lapidi Bezoar (Occidentali,) figurâ & lamineâ structurâ non absimilis est, ita & viribus eundem æmulari statuitur.

N. Historias lapidis hujusmodi, ovi magnitudine reperti, habet Jordanus tr. de peste, Phœnom. tr. 3. cap 9. Schvvenckfeldius in Teriotroph. vide & Bauh tr. de Lap. Bez cap. 25. His subjungi meretur lapis ejusdem ferè magnitudinis, quem nostro hoc tempore præbuit mortuus equus (ut audio Hispanic.) non procul ab urbe hac nostra Francofurtensi dissectus, quem apud Henr. Vvolrath. Comitem de Stolberg videre contigit. Cujus vires easdem cum Lap. Bez. occidentali experientia docuit.

EQUUS TERRESTRIS. Animal satis notum. Quod subministrat 1 quidem, ut sequamur AUCTOREM COAGULUM, quod *cæliacis* & *Dysentericis* medetur, uti habet AUCTOR. De hoc observetur, quod exinde quidam volunt conficere *singularem medicinam* ex pullis equorum in *Epilepsia*: Nimirum in lingua pulli recens editi reperitur caro rubicunda spitamæ longitudine, quæ est eximenda, antequam aerem hauriat pullus, aliàs devorat illam: Ex qua parte carnosa siccata & pulverisata præparant singularem medicinam pro Epilepticis, & quidem ex pullo mare pro masculo, ex pullo fæmina pro fæmella. LAC *equinum* præprimis commendatur in *phthisi* & *atrophia*. STERCUS *equinum* est medicina magni & *multi usus*: sic non tantùm in *in sanguine compescendo* adhibetur *internè & externè*. Internè succus ex stercore recenti expressus: *Externè* in *hæmorrhagiis*, si ex illo fiat Emplastrum cum acet. & applicetur parti, ubi affluit sanguis: alii volunt, ut stercus equinum siccetur, siccatum pulverisetur, & pulverisatum adspergatur sanguini effluenti: sic enim instar *pulver-sympathetici* sanguinem sistere dicunt, sed etiam præterea stercus equinum ad *Colicam* singulare est remedium, si ℞. stercus recens exprimatur succus, & propinetur in haustu vini vel cerevisiæ: estque medicina experta in Colica. Unde etiam sunt qui dicunt, quod ex hoc stercore sit paratus *syrupus divi Lutheri*, qui est singularis in Colica. Eodem modo præparatum est specificum in *pleuritide*, si mox in principio ejus adhibeatur, quam curat per sudorem citò tutò & jucundè, imprimis si sit *stercus equi maris non castrati*, id quod *præ aliis commendatur* in pleuritide: Nec vulgaris est usus in *angina* idem stercus, imprimis convenit stercus, si sit pastum animal avena: ab hoc ipso enim obtinet virtutem discussivam: In angina certè stercus equinum non cedit stercori hirundinum & canis. *Externè* valdè confert in discutienda *inflammatione faucium* vel partium

tium *oris* : per sudorem curat *anginam*. Vnde *usus* obtinuit, ut *in nodulis* pendatur in cerevisiam infantum, dum laborant *variolis*, propterea ne fauces affligantur à variolis, quod aliàs solet esse casus periculosissimus. In *stranguria* notum est remedium, quod subitò etiam externe contumacissimam curat. In *suffocatione uterina* vix habetur præsentaneum remedium quàm stercus equinum. Post stercus est SVDOR, qui quidem non solet adhiberi, nihilominus si potetur à muliere prægnante cum vino, *fœtum ejicere & abortum* producere solet. Equorum sudores *noctu lucent*, vid. *in* BORELLI *obs.Cent.*1.*obs.*3.*pag.*6. LICHENES sunt ingentes istæ verrucæ, quæ adnascuntur pedibus equorum, & quas interdum dejiciunt suâ sponte in stabulis. Hi lichenes multum commendantur in *suffocatione* uterina, sive *internè* assumantur sub forma pulveris, vel sub forma Essentiæ qualem Essentiam præparare docet ARGICOLA *Commentario in Poppium* : sive *externè* instar *suffitus* recipiatur in vulvam. Mirum enim est, quantum excitet mulieres : unde *pulvis præsentissimus in suffocatione uterina* est hic *PARACELSI* :

℞. *Verrucarum equorum* ℥j.
a'æ fœtidæ ʒß.
Vngulæ capræ ʒij.

Fiat pulvis, cujus ℈j. accendatur, & fiat suffitus per tubum ad uterum. De quo dicit *FONSECA lib.*1. *Consil.*31. nullam esse suffocatam, quæ ab illo non excitetur. Etiam pulvis & Essentia horum Lichenum valdoperè convenit in curanda suffocatione uterina. Aliqui Lichenis *rasuram* commendant ad quemcunque feræ morsum interno usu. Sequuntur TESTES *equini* per castrationem exempti. Hi testes pulverisati sunt expertissimum remedium *in pellendo fœtu*, & pellenda *secundina*, sive sit fœtus mortuus, sive vivus, mirabiliter namque promovet partum, promovet lochia & secundinas, & si quid in partu vel post partum remansit in utero, validissimè expurgat. Vnde in fœtu mortuo & secundina eliminanda experta est hæc *mistura*.

℞. *Testiculorum equi pulverisatorum* ʒj.
Borracis ʒß.
Croci ℈j.

c.s.q. *aqua liliorum alborum* fiat mistura, quæ propinata, est efficacissima. Plura qui cupit de virtute horum testiculorum in pellendo fœtu insigni, videre potest *HEINRICVM ab HEER in obss.*14. uti etiam *GESNERVM lib.*1. *Epistol.pag.*27. item *FONSECAM in Consult.*89. & denique *AVGENIVM*, cujus speciale fuit secretum *part.*1.*l.*7. *Epist.*8. Iidem testiculi multum similiter conducunt ad *Colicam* ʒß. ad ʒj. propinati cum semine anisi. *FONSECA* certè mirè etiam decantat hoc remedium in Colica in *Cons.*59. *lib.*1. sicuti etiam *secretum* fuisse dicitur ZVVOELFERI pulvis testiculorum equi in aqua liliorum alborum cum croco exhibitus Vnde pulvis testiculorum equi cum priapo tauri vel cervi erit specificus in Colica : cum priapus tauri & priapus cervi per se non sint ultimum remedium in eadem. VNGVLA equi est etiam officinalis medicina, contra *suffocationem uterinam*, & sunt qui exinde parant *extractum* pro usu interno. Res mira est, quam refert AVCTOR, certa tamen, quod soleæ equinæ, si fuerint ex ferro, quo alius fuit interfectus, equos, licet tardos, reddant celeres cursu; & frœnum seu capistrum ex eodem ferro eosdem equos, utut ferocientes, admodum placidos tamen ac tractabiles efficiat.

EQVVS MARINVS.

QVi vocatur HIPPOPOTAMVS, à modernis tantùm inventus. Ejus variæ qualitates & facultates vid. *in Museo VVORMII*, & ex hoc hippopotamo imprimis usitati sunt DENTES magni, quorum unus & utroque latere oris reperitur, eminet in maxillis, qui deorsum versus reflectitur, reliquis omnibus sursum vergentibus. Hic dens Hippopotami est *specifica* medicina contra quamcunque *hæmorrhagiam*, *internè* & *externè* assumtus ejusdem pulvis quod præter MINDERERVM *in medicina militari pag.*169. confirmat etiam experientia D. MICHAEL, qui pulv. horum dentium fæminam desperato fluxu *hæmorrhoidum* gravatam unicâ dosi hujus dentis ab eo liberavit. Præterea quoque contra *spasmum* experti sunt *annuli* tornati ex hoc dente, & applicati digitis vel manuum vel pedum earum partium quæ spasmo laborant. In *terrore* & post terrorem solent propinari dentes pulverisati, ne noceat terror. PRIAPVS Hippopotami *ejusque* imprimis *officulum* pellit *calculum*, & etiam promovet *partum* & secundinas. Pars penis anterior mollis pulverisata curat *stranguriam*. Plura qui cupit, vid. cit. locum ex *VVORMII Musæo*, uti & *BARTHOL. Cent.*2. *histor. anatom.*43. & *in Cent.*3. *Epistolarum ejus pag.*290.

XXII. ERINACEVS.

Ἐχῖνος, *ein Igel*, *Hochel*. Un Herisson. { caninus. suillus.

Animal est terrestre, echinatum, Hyeme in cavernis arborum occultatur, vescens muribus, juglandibus, malis, pyris, & simil.

OFFICIN. NAT.

1. *Echinus ipse.* 2. *Iecur.* 3. *Axungia.* 4. *Ventriculus.*

VIRES.

1. *Subvenit* (*coctus vel incineratus & potus*) involuntariè mingentibus, stomacho gratus est, alvumque & urinam movet. *Forest.lib.*21.*c.*15.
Extrinsecus illitus alopeciæ subvenit.
2. *Iecur* vel & corpus exsiccatum atque cum Oxymelite sumptum, renum vitiis auxilio est, medetur Cachexiæ, Hydropi, convulsionibus & Elephantiæ; viscerum fluxiones exsiccat. *Dioscor.*
3. *Axungia* felicissimè herniis medetur. *Hartm.*
4. *Ventriculi* tunicam interiorem commendant ad dolores colicos. (*assumpt.*)

ERINACEVS. Animal satis cognitum, imprimis ratione aculeorum in dorso, & *aculeos* hos pro lubitu potest erigere & deponere *beneficio musculi* protensi à capite usque ad caudam, immediatè sub cute, cui inhærent per cutem aculei, unde illos erigunt & deponunt; & talem Erinacei anatomen memini me legisse in COLVMBI *anatomia*. Pulvis Erinaceus calcinatus benè tostus & pulverisatus, est egregium remedium in *mictu involuntario*, sive in continentia urinæ, quando perminguntur stragula, sive id contingat dormientibus sive vigilantibus : In frequenti & experto etiam usu fuit contra mictum involuntarium D. MICHAEL. Item retulit D. MICHAELI quidam Medicus, quod per 20 annos fuerit affectus mictu involuntario, tandem tamen assumto pulvere Erinacei à ℈j. ad ʒj. curatus. Medicamentum elegans est, & valdoperè commendandum iis qui lectum permingunt. Est pulvis MONTAGNANÆ, qui fit h.m.

℞.Stomachi

℞. *Stomachi gallinæ* ℨß.
(imprimis quidem pulvis eorum *interioris tunica* carnosæ.)
agrimoniæ ℥j.
(quæ est specificum in tali casu, imprimis ejus semen.)
Erinacei combusti ℥iij.

Fiat pulv. dosis ad ℨj. cum vino vel jure. *Alia compositio* non minus experta est hæc:

℞. *Gutturis Galli tosti & triti:*
(laudatur valdè à SOLENANDRO & HARTMANNO: & quidem HOEFERUS dicit, quod conveniat, si sit incontinentia à partu difficili, quod probè notandum)
Cineris Erinacei ana. ℨj.
Medullæ lapidum (quâ quidam fuit curatus præter speciem à desperata mictione) ℨij.

M.D.S. dosis ℨj. similem ferè pulverem habet BARTHOLETUS in *Encyclopædia* pag.164. AXUNGIA Erinacei inungi solet regioni lumborum in *herniis*, pro retrahendis & continendis intestinis, *sive* sola *sive* mista cum axungia leporina, vel quod melius est, cum axungia ursina.

XXIII. HOMO.

Ἄνθρωπος, *Mensch.* Homme, masle & femelle. { Mas. Fœmina.

OFFICIN. NAT.

Sumuntur vel ex corpore vivente:

Ut sunt.

1. *Capilli.* 2. *Vngues.* 3. *Saliva.* 4. *Aurium sordes.* 5. *Sudor.* 6. *Lac.* 7. *Menses.* 8. *Secundina.* 9. *Vrina.* 10. *Stercus.* 11. *Semen.* 12. *Sanguis.* 13. *Calculi.* 14. *Lumbrici.* 15. *Pediculi.* 16. *Membrana caput fœtus cingens.*

Vel ex partibus corporis demortui, seu Cadaveris.

Tales sunt:

1. *Integrum Cadaver, s. Caro.* 2. *Cutis.* 3. *Pinguedo.* 4. *Ossa.* 5. *Cranium.* 6. *Vsnea Cranij.* 7. *Cerebrum.* 8. *Fel.* 9. *Cor.*

I. *Capilli* commendantur ad capillorum productionem (*liquor inde destillatus & cum melle illitus*) ad Lethargum aliosque affectus soporosos [cinis capiti inspersus,] ad Ictericiam (*pulvis propinatus*) ad membra luxata, (*cum adipe ovillo illitus cinis*) ad hæmorrhagiam vulnerum.

N. Sunt qui ad quartanam capillos patientis, cum aliis in corpore dispersis pilis permixtos ovo imponunt, duriter coquunt, & avibus deglutienda objiciunt, qua ratione quartanam curatum iri volunt.

PRÆPARATA.

Destillatum fit per se ex retorta igne arena non admodum valido.

II. *Vngues* cient vomitum (*intus assumpti, tum in pulv. tum in infus.*) aquas Hydropicor. educere dicuntur (*resecti à pedibus & manibus, atque umbilico alligati.*

N.1. Sunt cui ad curandam febrem segmenta è manibus & pedibus ovo includunt, avibusque devoranda objiciunt: alij eadem ceræ involvunt, matutinoque tempore ante Solis ortum ianuæ affigunt, alij dorso cancri vivi alligant, cancrumque fluenti committunt.

N.2. Ad recuperandas vires abscissos ungues & capillos cerasi radici incisæ imponunt, vulnusque fimo cooperiunt.

PRÆPARATA.

℞. Rasur. vel resegment. pulveris. ℨj. Vini generosi ℔.1. macera, donec in mucilaginem abierint. Hinc filtra & addita spirit.vin. ℥j. reserva.

Dosis à ℨj. ad ℨvj. vel ℥j.

[Inter Antiepileptica reponuntur, multumque ipsis attributum à Digb.]

III. *Saliva* jejuni hominis commendatur ad venenatos morsus serpentis, canis rabidi, ulcera, serpigines, & simil.

IV. *Aurium sordes* (*cerimen*) colica laborantibus præstantissimum perhibentur Remed. (*in potu si assumantur.*)

Extrinsecus medentur ictibus Scorpionum, conglutinant vulnera, fissuras & scissuras cutis.

V. *Sudor* usus proficui dicitur, contra scrophulas, si cum herba radiceque verbasci mixtus folio involvatur, inque cineribus calefactus imponatur.

VI. *Lac* refrigerat, lenit, maturat, oculorum rubedini subvenit.

[Phthisicis præ aliis conveniens.]

PRÆPARATA.

1. *Aqu. lactis vitriolata.*

℞. Lactis & vitrioli a. b. an. destilletur ut phlegma saltem prodeat, relictis acrioribus spiritibus.

Vires. Oculorum rubedini, aliisque inflammationibus mirè confert.

2. *Butyrum: Insigne est ophthalmicum,* [*& ad atrophiam puerulorum dorso inunctum*]

VII. *Sanguis menstruus,* (*Zenith juvenculæ*) exsiccatus commendatur intrinsecus ad calculum & Epilepsiam. Extrinsecus sopit dolores podagricos, (*cum adipe bovino inunctus.*) Conducere item dicitur in Peste, apostematibus, carbunculisque) *impositum linteum quod fuerit humectatum in aceto vel aqua rosar. menstruo illo sanguine impregnata.*) Erysipelata extinguit, pustulas faciei abstergit.

N.1. Commendatur qui prima vice erumpit.

N.2. Ad immodicum menstruorum fluxum cohibendum, sunt qui pannum menstruo sanguine imbutum certo tempore Cerasi radici in cortice apertæ indunt, incisuramque iterum operiunt.

VIII. *Secundina* (*vel hujus loco Vmbilicus infantis*) magni fit ad strumas gutturis tollendas (*calcinata & in aqua abrotani quotidie exhibita pondere* ℨß. *idque luna decrescente,*) ad Epilepsiam & philtra compescenda; ad molam & fœtum exterminandum, nec non ad animalia enecanda; etiam ea, quæ maleficio in homine extiterint. *Hartm. ad nævos maternos commendat, alij ad dolorem colicum* (*gestatam loco amuleti.*)

[*Destillant spiritum ex secundina Antiepilepticum pretiosum.*

IX. *Vrina* calf. exsiccat, resolvit, abstergit, discutit, mundificat, putredini resistit, ideoque usus est præcipui intrinsecus, in obstructione Epatis, Lienis, Vesicæ biliariæ, Pestis præservatione, Hydrope, Ictero. Quin & Mariti urina hausta partum difficilem facilitare dicitur.

Extrinsecus siccat scabiem, resolvit tumores, mundificat vulnera etiam venenata, arcet gangrænam, solvit alvum (*in clysmate*) abstergit furfures capitis (*cum Sal. nitr. mixta,*) compescit febriles insultus (*pulsui applicata,*) exulceratas aures sanat (*instillata pueri urina*) oculorum rubedini subvenit, (*instillata*) artuum tremorem tollit, [*lotione*] uvulæ tumorem discutit, (*gargaris.*) Lienis dolores sedat (*cum cinere cataplasmatisata.*) *Vide Hieronymum Reusnerum Synops. de remediis ab urina desumptis Tabernamont. Vvaser-Schatz,* de l'Urine.

PRÆPARATA.

1. *Spiritus volatilis, Sal volatile.*

℞. Urinam pueri [*ann.* 12.] Vinum bibentis, recentem destilla per alembic. in ferventi MB Hinc cohoba, super fæces prodibit spiritus urinæ cum suo phlegmate mixtus, quem si libet dephlegma, & habebis spiritum. Hinc si ex phiola eleves, nancisceris sal volatile candissimum.

Vires. Auxilij nobilissimi censetur in pellendis lapillis (potus cum conveniente liquore,) sed valde fœtet.

N.1. Celeberrimus est, ob tincturam cœruleam Smaragdi, cujus præparationi menstruum præbet (cum phlegmate.)

N.2. Libavius rectificat, imponitque podagricis, asthmaticis, calculosis, per syringam in vesicam immittit imprægnatum tamen antea essentiâ saxifragor. v.gr. Crystall. lap. Lync. & simil.

2. *Aliter spir. urin. igneus, seu Sal volatile.*

℞. Urin. pueri Vinum bibentis, q. s. (mens. 30.) evaporet leni admodum igne ad consistentiam usque Syrupi. Residuum

duum hoc reconde in phiola longissimi colli, & destilla aëre frigidiore, (*ut scil. in alembic. condensetur*,) in cinerib. vel arena, & prodibit spir. in alembic. instar nivis sese elevans, frigore coagulabilis, sed leni calore fusibilis. *Osvvald.*

N. 1. Hunc spiritum si purificato suo Sal. com. ex fæcibus scil. elixiviato con unxeris, cohobiisque aliquot volatilisaveris, menstruum habes insigne ad elicienda vitriola è metallis, & præcipuè è luna.

N. 2. Eundem spiritum (Sal. com.) solutionibus & coagulationibus purificatum, si aliquandiu (dies ac noct. 8.) in V.B. digeris, solvetur: Solutionem ergo si denuo cum spir. vin. rectificatiss. maceraveris (dies ac noct. 8. (menstrui particeps es solvendo aurum idonei.

3. *Spiritus urin. per putrefactionem.*

℞. Vrin. hominis juvenis [annor. 12.] vinum bibentis quantitatem magnam (mens. 30.) pone in fimum equinum vel MB, dies ac noct. 40. ad putrescendum. Hinc decanta à fæcibus ac destilla per alembic. [vel per vesicam,] ex arena, idque donec omnis humiditas destillando abstracta sit. Humiditatem hanc cohoba aliquoties, 3. à capite suo mortuo. Tandem destillatum in cucurbita oblongi colli, committe caloti, ut alembicus semper frigidus maneat. Sic ascendit Spiritus instar Crystalli, nulla comitatus humiditate. Crystallos rectifica solvendo in aqua pluviali destillata, & ex phiola, ut prius destillando, idque sexies, semper novam aquam pluv. stillatit. adhibendo. Hinc digere Crystallos in phiola Herm. cl. dies ac noct. 15. lento igne, donec in liquorem limpidissimum abeant.

N. 1. Sennertus ab urina dicto modo defæcata, destillando elicit saltem quartam aut sextam partem, eamque leni calore ex phiola oblongioris colli dicto modo sublimat. Vide Inst.

N. 2. Alii urinam putrefactam destillant ex cucurbita, cujus orificium obturant chartâ triplici oleo imbutâ, vel spongiâ similiter imbutâ, quâ spir. urin. igneus tantum transeat.

N. 3. Vrina quia facilè destillando ex æstuat, cautè ignem adhiberi oportet.

N. 4. Sunt qui fœtoris corrigendi gratiâ (qui tamen & dicto modo aliquatenus correctus) spirit. vini affundunt, eumque rursus lento calore abstrahunt, idque aliquoties novum semper spirit. vin. affundendo. Verùm Sal urinæ hac ratione correctum, non Sal urinæ simplex, sed Magisterium potius, i. e. Sal urinæ sale vini imprægnatum dici meretur. Vide de his destillationibus Hartm. in pract. & Croll. Sennert. in Instit. Gluckr. in Beguin l. 3. c. 2. Kess. l. c. 2.4. c. 14 Becker. in Spagyria Microcosmica, &c. Tentzel. in Exegesi.

Vires. Insigne anodynum est in doloribus (si cum liquore convemente affricetur.) Reserat quoque tartareas obstructiones Viscerum ac Mesenterij, unde magnus ejus usus esse poterit in Scorbuto, Hypochondria, Cachexia, Icteritia flava ac nigra: atterit calculum renum & vesicæ, doloresque inde ortos sopit, &c. Idem Sal si in Sp. vitrioli solutus, ac iterum in arena destillatus fuerit, liquor prodit in Epilepsia efficacissimus [& Mania.] Idem spiritus optimè purificatus (scil. aliquoties in aqua pluvia solvendo & destillando,) cumque spirit. vin. ana ytice unitus solvit aurum, unde aurum potabile.

4. *Spir urin Antiepilepticus*, ex urin. & vitriolo duplo digestis & destillatis. Vide *lib. 2. de vitriolo.*

N. Quercetanus de signat. Rer pluribus eundem describit, eademque opera elicit *MB.*

1. Phlegma Ophthalmicum (primùm egrediens.)
2. Antipodagricum acrius (2. destillans)
3. Per Retortam spiritum glacialem i. e coagulabilem, quem maximopere deprædicat ad reserendas obstructiones epatis Lienis, ad promovendas urinas & dissolvendum calculum, tum quoque ad extinguendas inflammationes & gangrænas.

Spir. urin. cum sal. volatili, nupti oleo Tartari per deliqu. cum Aq. lil. conval. subitò guttatim mixtis, & exiguo vitro angusti orificij vapor auri immissus egregium auriculare.]

5. *Magisterium urin. seu Microscomi.*]

℞. Urin. putrefactam (ut dictum,) & defæcatam, destill. igne ex MB, donec phlegma omne prodierit, tunc subsiste & rectifica spiritum ex phiola oblongi colli: sic acquires sal volatile, quod collige phlegmate rejecto. Residuum destilla ex arena, & ascendet ulterius sal volatile: Ex capite mort elixivia sal fixum, idque coagula ad siccitatem, atque cum triplo argillæ mixtum, inque globulos redactum (postquam globuli exsiccati fuerint,) destilla per retortam, (ut destillatur spir. sal. com.) Spiritui huic affunde stillatitium priorem illum urinæ spiritum, vel sal volatile, donec cesset strepitus. Hinc da ignem sublimationis in arena, & sublimabitur Sal urinæ elegantissimum, visuque jucundum.

Vires. Efficacius agit hoc sublimatum quàm præcedens, tartarumque totius corporis incidendo, per sudorem, urinam, imò vel per alvum expellendo. Plurimos inde ortos affectus curat, vel saltem levat qualis sunt Atrophia, &c. Præservat itidem à doloribus calculi (si singulis Mensibus ante novilunium assumatur.

Dosis gr. VII. VIII. IX. X. in liquore convenienti.

Vsus ejus quotidianus aliquamdiu continuari poterit.

6. *Oleum Ludi*, i. e. tartareæ materiæ quæ matulæ inhærescit, fit calcinando, per deliquium solvendo.

Vires. Insigne est ad resolvendum calculum.

Dosis ℈j.

X. *Stercus* (*carbon humanum Paracelso, aliis Sulph. Occidentale*,) emollit, maturat, anodynum est. Ea propter magni usus ad mitigandos dolores incantatione introductos (*impositum*) ad anthraces pestilentiales maturandos, ad phlegmonem, v.g. gutturis seu anginam curandam, (*siccatum, tritum, & cum melle illitum*,) ad inflammationem vulnerum arcendas. Quin & intrinsecus à nonnullis adhibetur, in Angina (*crematum & potui datum*,) in febribus ad paroxysmos profligandos, (*eodem modo propinatum. Dos.* ʒij.) in Epilepsia, *quam stercus primum Infantuli siccatum & pulverisatum, & ad complures dies exhibitum, radicitus evellere aiunt.*

PRÆPARATA.

1. *Aqua stillatitia* fit unâ & eâdem operâ cum oleo.

Vires. Mederi dicitur oculorum unguibus, reliquisque passionibus tunicæ adnatæ, (guttulæ una vel altera instillata,) faciei conciliare colorem, pilos producere, ulcera corrosiva & fistulas curare, cicatricesque manuum removere.

Internè prodesse aiunt comitialibus & hydropicis, lapidemque renum & vesicæ pellere, morsibusque canis rabidi, venenatorumque animalium subvenire.

2. *Oleum.*

℞. Stercor. juvenis non (pueri) q p exsiccetur in aëre vel furno lento igne postea per alembic. destilla, igne primùm lento, sic prodibit phlegma tandem cum aliis Spiritibus oleum. Vtrumque per MB rectificetur.

Poterius Andegav. parat hoc modò.

℞ Sterc. humanum quant magn. corrumpatur per se, ac convertatur in exigua quædam animalia, & hinc ferè in pulverem abeat. Stercus hoc ita præparatum destilla ex retorta, primò igne blando, mox validiori, sic prodibit oleum & aqua.

N. Graveolentia utriusque tollitur rectificationibus & cohobationibus repetitis.

Vires. Valet ad tineas capitis, erysipelas exulceratum, lichenes impetigines (illitum) podagricis doloribus subvenit, cancrum curat & mortificat.

Internè Icterum solvit. *Libav. lib. 2. Alchym. Poter. in Pharmac.*

3. Zibetta occidentalis nihil est aliud, quàm stercus mediante digestione ad suaveolentiam redactum, quâ Zibettam mentitur. Vid. Agricol.

XI. *Semen, s. Sperma*, non modò comperimus per se à nonnullis, ad Veneris scilicet ligaturam maleficam dissolvendam adhiberi, sed & Mumiam magneticam inde fieri, quâ amoris concilietur fervor. Quin & homunculum suum inde meditatur Paracelsus.

XII. *Sanguis* [*recens adhuc & calidè potus*,] conferre dicitur ad Epilepsiam, si scilicet potum motus excipiat vehementior, cursusque celerior ad sudoris usque proruptionem, hæmorrhagiam quamcumque sedat (*epotus recens vel incineratus*,

Quin & extrinsecus sanguinis eruptioni medetur, & præcipuè narium hæmorrhagiæ, (*cinis inditus, vel & recens fronti illitus, ut inibi exsiccetur.*

N. 1. Potio sanguinis summa cautione opus habet, quippe assumentibus non modò truculentiam inducit, sed & Epilepsiam quandoque generasse compertum est.

N. 2. Sanguis puerperiis sanat scabiem volaticam (recens cum secundina semel ac iterum illitus,) Hartm.

PRÆPARATA.

1. *Aqua destillata.* Fit eodem labore cum oleo.

Vires. Valet in Phthisicis & aridis (epota ad ℥j. vel membris affricta,) fistulis putrificandis & sanandis, ambustis refrigerandis.

N. Destillatur & aqua è sang. & lactis humani ā. commendaturque ad maculas cutis exstirpandas. Hartm.

2. *Oleum destillatum.*

℞. Sang. Iuvenum (verno extracti, quant. magn. Alcohol Vini 3. p. curcubitis probè munitis, digere in F.E. per dies ac noct. 40. dein destila per alambic. è cinere, & prodibit

dibit unà cum aqua oleum. Vtrumque rectifica, aqua per MB, oleum per retor. è cineribus aliquoties (9. 10.) destillando.

Vires. Maximè commendatur ad Epilepsiam radicitus tollendam (si singulis diebus per mensem integrum sumatur ℈ß. à Novilunio incipiendo, & postmodum singulis Noviluniis semel per annum ℈j.) ad paralysin, apoplexiam, pulmonem exulceratum, pleuresin. Beguin.

N. Destillatio Sangu. Human. non uniusmodi instituta reperitur.

Nimirum:

Destillant alij S.H. recentem adhuc & sine additione, tum quoque admixta aliquotâ parte spirit. vin. rectificati.

Alij S. H. non recentem, sed vel exsiccatum, vel digestum aliquandiu destillationi subjiciunt. Digestionem autem peragunt alij solius sanguinis (addito tantillo Sal. com.) alij sang. cum spir. vin. rectific. confusi.

Exhibet autem Anatomia Sanguinis 1. aquam, & 2. spiritum, i.e. aquam rectificatam. 3. oleum, i. e. Liquorem crassiorem. 4. Sal volatile 5. Sal fixum. Verum nos usitatiora damus.

3. *Oleum rectificatum.*

℞. Sanguinem Iuvenis sani, mense Majo venâ sectâ extractum, suscipe cucurbita, ut solùm 4. p. repleatur. Hinc clauso vase detineatur, in calore mediocri, ut sanguine intumescente tota cucurbita impleatur. Hinc F. destillatio, primumque exit aqua) non magnæ æstimationis, nisi quod amplius elaborata, nonnullis ad extrahendum Sal inserviat.) Reliquum pellatur in cineribus per retortam, juncturis optimè clausis: Destillatum refundatur super fæces, fiatque cohobatio vice nonâ, ut color subsequatur rubinus.

N. Attendere oportet in destillatione, ne nimio igne fæces comburas, inque carbonem redigas; ideoque tantum ad siccitatem destilles.

Vires. Maximarum habetur virium ad refocillandos egrotos. Libav. Syntagm.

4. *Balsamus Antipodagricus, s. Oleum Sang. Hum. alcalisatum. Fit eodem modo.*

℞. Sanguin. Hum. adhuc calentis, Mens. 1. putrefac per aliqu. (dies ac noct.) dein destilla ex arenâ per gradus, 1. lento igne, hinc 2. fortiori per retortam, & exibit ol. rubicundum & fœtens, sale volatili ad spondylia colli adhærescente, oleum rectifica per colchotar ex cucurbita igne arenæ, aliquoties à recenti colchotare destillando: demum solve in correcto hoc oleo sal & serva.

Vires. Mirandatum est virtutum in podagra, quotidie, bis, terve, sex diebus continuis inunctum; sistit dolores tumore simul & rubedine evanescente.

N. Similis energiæ est balsamus è sanguine hircino & cervino profectus, in quibus tamen & viscera, pulmones scilicet, cor & Epar addidisse expedit. Vide supra.

5. *Spiritus Antiepilepticus.*

℞. spir. S. H. dephlegmati & ter rectificati, ℔ ij. infusi fl. lavendul. [in vino] ℔. ij. M. & destilla per BM. ad medietatem, idque repete tertia vice dein adde spir. vin. rectific. ℥ij. & serva.

Vires. Valet ad curandam Apoplexiam, Paralysin, ut & ad Asthma, &c.

N. Habet & Beguinus insuper S. H. Qu. Ess. Biolychnium, Philtrum, Balsamum aquam sanitatis, Arcana duo. Verùm cùm prolixa sit horum descriptio, Authorque alias in omnium manibus versetur, illorum descriptione supersedeo.

6. *Mumia vitæ alexiteria.*

Est sanguis florentis & benè valentis hominis lento, calore exsiccatus, spiritu limonum & vitrioli spiritu impraegnatus, & in trochiscos cum pauca mirrha paratus.

Vires. Insignis est efficaciæ in curandis carbunculis.

Dosis ℈ß. *in aqua cinam. mane jejuno propinata P. I. Fab. in Chirurg. c.* 9.

7. *Arcanum sanguinis humani.*

P. I. Fabri, vide Myrothec. c. 8. Byllich. de natura Spagyr. n. 66.

XIII. *Calculus* Tartarum, s. calculum in omnibus partibus solvit, & expelli facit, ideoque omnibus obstructionibus subvenit.

Pulv. exhibitus. Dosis ℈j.

PRÆPARATA.

1. *Sal. Crystallinum.*

℞. Calcul. optimè calcinatum [ut durities lapidis emolliatur,] coque in aqu. & solvetur in aquam Citrinam. Hinc filtratura evaporata, manet Sal in fundo, quod si libet denuo calcina & in aqu. fervente solve, ut Sulphura impurum amittat, & coagula reponeque ad crystallisandum.

N. Calcinatio institui potest diversimodè: Alij calcinant cum Sal. nitr. 6. horis: Alij cum Sulph. & Sal. nitr. Alij cum duplo carbonum faginorum.

Sennertus calcinat calculum tritum igne circulari, hinc reverberij, & tandem cum carbonibus faginis [in fornace figulina. Inst. l. 5. p. 3. s. 3 c. 1.

2. *Oleum, s. Liquor*, fit si Sal in aëre humido solvatur.

Dosis gr. vi. ad x.

N. Sennertus calcinat cum Sal. nitr. hinc Sal com. cum spirit. vin. extrahit, & spirit. vin. separato, Sal reponit ad liquescendum.

3. *Essentia, s. Elyxir.*

℞. Sal calculi crystall. volatilisa cum spirit. vin. hinc abstrahe leni calore spirit. vin. & remanet essentia. *Sennert. d. l.*

Dosis a gr. v. ad x.

N. Si ita placuerit, calculum iisdem præparationibus cum aliis lapidibus subjicere poteris. Vide lib. 2.

XIV. *Lumbrici intestinorum*, ἕλμινθες στρογγύλαι, *Vvurm, Spuhvvurm.* Generantur ex cruditate instetinorum.

Vires. Sunt qui pulverisatos exhibent ad lumbricos expellendos.

XV. *Pediculi*, Pediculus, φθείρ, Σάθραξ, Peduncculus, *Lausz.*

Vires. Devorantur à rusticis contra icterum, simili modo ad Atrophiam nonnullis probantur. Vrinam cient foramini penis impositi.

XVI. *Membrana*, quæ caput nonnullorum fœtuum cingit, maximam vim habere dicitur adversus colicum dolorem.

EX CADAVERE, seu HOMINE MORTVO.

I. *Cadaver integrum Carove*, Officinis *Mumia* titulo venit. *Munce-Munmus.*

Hæc resolvit sanguinem coagulatum (assumpta ℈ij.) conferreque dicitur purgationi capitis, punctioni Lienis, tussi, inflamationi corporis, mensibus obstructis, aliisque affectibus uterinis, & sim.

Extrinsecus adhibetur vulneribus consolidandis.

N. Mumia communiter 4. denotat.

1. Mumiam Arabum, quæ est liquamen seu liquor concretus exsudans in sepulchro è cadaveribus Aloë, Myrrhâ, Balsamoque conditis.

2. Ægyptiorum, quæ est liquamen ex cadaveribus pissasphalto conditis. Nimirum, hoc condiebant cadavera vilioris sortis, adeoque & ipsamet cadavera nonnunquam eo modo condita prostant.

3. Pissasphaltum factitium, id est, mixtum pici bitumen, quod pro Mumia venditant.

4. Cadaver sub arena Solis æstu torrefactum. Fitque in Hammoniorum Regione, quæ est inter Cyrenarum Regionem & Alexandriam, ubi arenarum Syrtes ventorum turbine sublat. incautos viatores obruunt, unde horum cadavera à flagrante Solis æstu torrentur & exarescunt.

His 5. & Mumia recentiorum addi poterit, quæ fit: Eligatur cadaver hominis ruffi (quia in hoc sanguis habetur tenuior, adeoque & caro præstantior,) integrum, recens, sine macula, 24. aut circiter annorum, morte violenta (non morbo) interemptum, per diem & noctem luminarium radiis, sereno tamen tempore irradiatum. Hujus carnis musculosas frustulatim conscinde, & consperge pulvere Mirrhæ & tantillo saltem Aloës, postea imbibe macerando aliquot dies in spirit. vin. suspendatur per hor. 6. vel 10. ac iterum cum spirit. vin. imbibatur tandem in aëre sicciori, ocoque umbroso frusta suspensa siccescant, tunc assimilatur carni fumo duratæ, sine fœtore. Crollius.

N. Ex his jam recensetis Mumiarum generibus, etsi prioribus, si saltem è sanis corporibus haberi possint, suas laudes non derogem, præcipuè primo, quod tamen vix ad nos perferri credo: Attamen iis posteriora duo præferenda autumo, utpote in quibus metu sumus soluti, quem incutit Renodæus, Mumiam Officinarum nihil aliud esse perhibens, quàm expressum putredi cadaveris succum inspissatum, ideoque magno mortalium damno divendi.

PRÆPARATA.

Vulgaria quæ Mumia officinarum ingreditur passim occurrunt.

Suntque.

Pulvis ad casum. Athanasia magna. Balsam. Petri de Ebano. Unguentum Sympathetic. Emplastr. Apostol. nigrum. Cerat. pro herniosis. Laudan. Opiat. &c.
Insuper sunt minùs vulgaria.

1. *Tinctura. s. Extractum Mumiæ Quercetan.*

Fit ex Mumia vulgari, extrahendo cum spirit. vin. & Terebinth. an. iterumque menstr. separando ad mellis consistentiam. Querc. Spagyric.

Vires. Alexipharmaca est, putredinique summopere resistit. Commendatur itidem ad morbos pectoris, asthma, phthisin, &c.

N. Fæces remanentes admodum sunt anodynæ.

2. *Tinctura, s. Extr. Mumiæ Crollij.*

Fit ex Mumia recentiorum dicta cum spirit. vin. aut Sp. Sambuci.

N. Ex hac facit Crollius Theriacam d. Mumia, quæ ℞. Tinctur. Mum. ℔ß. Theriac. Androm. ℥iv. Ol. Olivar. Mumiati ℥ij. Sal. com. Parlar. & Corall. ana ʒij. Terræ sigillat. ℥j. Moschi ʒj. Dig. per mensem.

Vires. Commendatur ad quævis venena & contagia, subvenit pesti præcavendæ, ℈j. & curandæ, ʒ.1.v. vel ʒ1ß.

N. In assumptis venenis exhiberi potest cum Ol. Amygdal. dulc. ad Vomitum.

3. *Tinctura Alcalisata, s. Elixyr. Mumiæ.*

℞. Mumiæ, scil. carnis humanæ induratæ, tenuiter incisæ, affunde Sp. Terebinth. Vaseque Hermet. clauso per mensem ad putrescendum sepone. Expressioni vesicâ bubulâ exceptæ affundantur aliquot partes spirit. vin. rectific. Inde in alembico cæco super cucurbitam juncturis optimè munitis adaptentur, ita ut cucurbita in frigidam aquam posita, arena, prunæquæ circa alembico lenta calore officium faciant, cujus beneficio Liquor, s. Q. E. in forma perquam subtili cum spir. vin. per vesicam delabitur. Materia residua reverberanda, & in Sal. com. sublimatione redigenda, demùm cum Q. E. posteaquam illa à spirit. vin per MB. fuerit separata, circulationis medio unienda. Quibus peractis. Qu. Ess. Mumiæ cum Thæriaca & Mosco amplius digeri, & ita in forma Elyxirij reservari poterit. *Tentz. in Med. Diastat.*

Vires. Remedium est præsentaneum cùm ipsiusmet pestis, tum aliorum deleteriorum.

N. Circumfertur & Tinctura Mumiæ ex 4. suis Elementis à se invicem insperatis denuò conjunctis, quam qui voluerit, videre poterit apud Tentz. in Med. Diastat.

4 *Alia Tinctura, seu Arcanum carnis humanæ.*

1. Carni humanæ superfunditur spirit. vin. rectif. per dies ac noct. (4.) decantato spir. vin. irroratur eadem.

2. Spir. Sal communis, per vices ut magnam ejus quantitatem imbiberit, hinc exsicca, habes carnem condîtam summè proficuam.

3. Ex hac extrahe Tincturam cum Spiritu Vini, vi digestionis in summam fragrantiam redacto. Circulando defæca, ex fæcibus calcinatis sal extrahe, idquè depuratum Tincturæ admisce, & abstrahe. P. I. Fab. Myroth. cap. 11.

5. *Ol. Oliv. Mumiat.*

℞. Mum. ante paratam (induratam) scinde per minima, digereque cum Ol. Olivar. vase H. C. per mensem. Hinc transfunde in cucurbitam vitr. atque in MB. exhalet Mercurius, donec nullus exeat fœtor, & Mumia tota dissoluta sit, Solutionem digere aliquandiu per dies ac noct. 20. cum spirit. vin. postea eundem abstrahe, & remanet oleum rubicundum & odoriferum.

N. Quercetanus recipit recentem.

Vires. Omnes Balsami naturalis habet proprietates, venenatis & Pestilentibus affectibus conducit. Quercetan. Spagyr.

6. *Ol. exaltatum.*

Oleum hoc dicto modo paratum exaltari amplius potest si cum spir. vin. aliquandiu digeratur, spir. vin. iterum abstrahatur, idque aliquoties (3.4.) repetatur.

Vires. Tinctura seu oleum hoc Mumiæ exaltatum, tantâ dicitur pollere facultate vivifica, ut nulla sit particula, quam ipsa non penetret, nullum ulcus, nullave corruptio quam non curet, si ipsius exhibeas bis quotidie per aliquod tempus gr. 4. 5. cum decocto convenienti. Querc.

N. Libavius carnibus recentibus incisis addit parum Sal. communis & spir. Terebinth. macerat vas. claus. colat, & fœtorem aperto vase exhalare sinit, post destillat. per retortam, vel alembic. rectum additoque moscho, & spirit. vin. digerit.

7. *Aqua Divina.*

℞. Totum Cadaver cum Ossibus, Carnibus, Visceribus (perempti scil. morte violentâ:) secetur in frustula minutissima, probeque subigantur omnes corporis partes, ne quid maneat incommixtum. Hinc destillabis vice secundâ.

Vires. Sunt qui Aquam hanc Divinam maneticâ suâ virtute maximoperè prædicant.

Nimirum.

Guttulas aliquot Sanguinis (sc. 3. vel 9.) ex Ægro aliquo Extracti, miscent cum aliquota parte (ʒj.) dictæ aquæ, ignique aponũt: quod si sanguis & aqua invicem misceantur, intra breve temporis spatium (hor. 24.) sanitatem promittunt, sin incommixta manserint, brevi mortem subsequuturam autumant. In defectu sanguinis similiter procedunt cum excrementis, scil. urina, stercore, sudore, sanie & simil. Quæ tamen majori Dosi adhibent.

II. Cutis commendatur in difficili partu & affectibus hystericis (*si venter ea ligetur* in aridura & contractura articulor. (*si chirotheca inde facta induantur.*)

III. Pinguedo, roborat, discutit mulcet dolores, removet contracturas, cicatricum duritiem lenit, foveas post morbilos relictas explet.

PRÆPARATA.

Linimentum, misce axungiam cum spir. vitrioli, ex actione, & reactione relinquitur aliquod viridum.

Vires. Penetrans est, usumque habet in ariduris.

IV. Ossa humana, exsiccant, discutiunt, adstringunt, fluxus quoscunque sistunt, adeoque utilia sunt in Catarrho, fluxu mensium, Dysenteria, Lienteria. Insuper articulor. dolores compescunt.

N. 1. Vsitatum est recentioribus purgantibus [illegible] admisceri.

N. 2. Adhibentur & dentes à maxilla mortui evulsi, commendanturque ad morbos malificio introductos (in suffitu,) & ad corrosos dentes evellendos, (si sæpius illis tangantur.) Hartman. in pract.

PRÆPARATA.

1. *Pulvis, s. Cinis* fit. l. c. calcinando in fornace figulina.
2. *Ossa præparata* fiunt l. c. cum aqua conveniente lævigando.
3. *Magisterium* fieri item potest l. com.
4. *Oleum* fit destillatione per retortam. Vid. lib. 2.

Vires. Discutit, anodynum est, ideoque insigne antipodagricum.

V. Medulla ossium, commendatur summè ad contracturas membrorum, *zur Lahme der Glieder.*

VI. Cranium ad Capitis morbos conferre compertum est, & nominatim ad Epilepsiam, unde & varias passim compositiones Antiepilepticas ingreditur.

Laudatur autem præcipuè. Os triquertum temporum ceu peculiare Epilepsiæ specificum.

[Sunt qui Crania puerorum actibus puerilibus magis convenientia censent.]

PRÆPARATA.

1. *Cranium calcinatum* fit l. c. in fornace figulina.
2. *Cran. præparatum* fit à calcinato cum aqua antiepileptica v. g flor. Tiliæ lævigato.
3. *Magisterium Cranij* fit l. c. solvendo in spiritu aliquo acido: v. g. sp. vitrioli, & præcipitando.

Dosis

Dosis ad ℈j. vel ʒß.

4. *Magisterium compositum, seu spiritus Cranij essentificatus*, si liquori acido, oleo ac sali volatili, Sal quoque fixum ex capite mortuo extractum conjungatur, & postea simul per mensem philosoph. in cinere illa digerantur ac uniantur.

Vires. Antiepilepticum est, cujus vires vulgarium antiepilepticorum facultates longè superant. Brendel.

5. *Oleum* fit destillando crania contusa per Retortam. Exit liquor oleosus & Sal com. volatile.

N. Officinis hoc vulgare est incorrectum, præstaret tamen cum spir. vin. rectificasse.

Dosis à gr. IV. ad VI.

6. *Sal com. volatile* unâ operâ cum oleo acquiritur.

7. *Extractum, s. Tinctura Cranij.*

℞. Crania 2. vel 3. grossè contusa, digere dies ac noct. aliquot (14.) & cohoba cum spir. Iuniper vel Salviæ ad eminent. digit. 4. & 5. affuso, macera in phiola longi colli optimè clausa VB. dies ac noct. (12. 13. 14.) Hinc exprime per torculare perquam fortissimè, & exibit liquor rubicundus oleosus. Cola & abstrahe in VB. ad consistentiam sapæ.

Vires. Extractum hoc digestum & perfectè depuratum, tanquam thesaurum pretiosissimum adversus Epilepsiam diligenter asservare fas est.

Dosis ℈ß. ad ℈j. cum sua aqua propria destillat. *Quercetan. Pharmacop. resistit. cap. 26.*

8. *Extractum, seu Galreda Theophrasto.*

℞. Limatur. Cranij, digere cum spirit. vin. (salviato dies ac noct. 15.) dein destilla per retortam (præmissâque maceratione dies 15.) cohoba vice tertiâ: tandem destillatum circula, (dies 5. 6.) & spir. vin. MB. separato, Essentiam instar coaguli serva.

Dosis g. 5. 6. quotidie. *Quercetan. de Med. Spagyr. prap.*

VII. *Usnea cranij* (i.e. Muscus nascens in cranio interempti, aëri exposito,) astringit validè.

Ususque magni est in Hæmorrhagia quacunque, v. gr. narium (inditus.)

N. 1. Sunt qui Usneam in manibus retentam Hæmorrhagiam quamcunque incantamenti instar supprimere tradunt.

N. 2. Adnascitur & aliis Ossibus aëri expositis Usnea quædam, viliorem quidem reputant, verùm & huic magnam vim astingendi inesse, experientia docuit

Ingreditur Usnea Cranij compositionem unguenti Sympathetici, s. Magnetici. Vid. l. 2. c. 78.

VIII. *Ex cerebro fiunt.*

1. *Spiritus Cerebri humani: Aqua aurea dicta.*

℞. Cerbrum hominis juvenis (intra ann. 24.) sani, violentâ morte perempti, cum omnibus membranis, arteriis, venulis & nervis cum medulla spinali tota, conquassa, & affunde aquarum Cephalicarum (*fl. Tiliæ, Pæon. Beton. Ceras. nigr. Lavendul. Lil. Convall. in primis Diaphoretic. in acutis*) q. s. ad eminent. dig. 4. vel 5. relinquantur aliquamdiu, postea per cohobia destillentur. Ex fæcibus calcinatis elice Sal quem deinceps cum spiritu facto conjunge, & totum curiosè serva.

Vires. Antiepilepticum insigne reputatur.

Dosis à ℈j. ad ℈v. Hartman. in pract.

N. Ex cerebro Alcis insigne itidem Antiepilepticum simili ratione parari poterit.

2. *Oleum Cerebri.*

Substantiæ Cerebri admisce nonnihil sal. commun. ac destilla per retortam vitream ex arena.

Vires. Insigne quoque Antiepilepticum est, caputque summè confortat.

N. Tota ferè Cerebri substantia in oleo redigi poterit, hinc parum Salis expectandum.

3. *Aqua Antiepileptica.*

℞. Cerebri humani ℔. iij. Aq. Lil. Conval. Lavendul. primul. Ver. Vin. Ma vac. an. ℔ ij stent infusa dies 5. dein destillentur per MB.

IX. *Ex felle humano* fit Extractum cum spirit. vin. quod auri instillatum mirè surditati subvenit.

X. *Cor.* Epilepsiæ medetur) *siccatum & exhibitum.*

[Ex matrice Sal Volatile paratum memini pro fœcunditate.

Et hæc sunt, quæ de Medicamentis ex homine depromptis compendii ratio scribere permisit: ulteriorem farraginem qui cupit, passim apud Authores inveniet. Peculiarem quoque inde conscripsit Tractatum Clarissimus Dn. D. Daniel Becker, Professor & Physicus Regiomontanus, qui primùm in 12. postmodum superioribus annis in 4 sufficienter augmentatus prodiit.

Lacertus.

vid. Insectorum Classem.

HOMO. Sive mas sive fœmina. Ante omnia hic observandum, tam multa de homine esse dicenda, ut, si omnia annotare vellemus, in integrum discursus noster excresceret tractatum: propterea, ut rationem habeamus & methodi & AUCTORIS nostri, potiora & selectiora solum recensebimus, de reliquis verò, ne quid deficere videatur, lectorem remissum volumus ad *BECKERI Medicum microcosmicum*, ubi tractat eleganter & prolixè de homine, omniaque medicamenta, quæ ex illo vel spagyrico vel Galenico modo vel igne vel alio modo possunt præparari, accuratè explicat. *Partes humanæ*, quæ ex illo sive interfecto, sive vivo desumuntur, sunt 1. HALITUS, de quo notandum, quod ex illo possint fieri CRYSTALLI, qui multum commendatur à *BARTHOLET* in *dyspnæa*, per instrumentum vitreum, cujus forma videri potest in *tract. de Dyspnæa* pag. 391. Idem halitus imprimis hominis jejuni ad sistendam *Ophtalmiam*, & discutiendos oculorum inflammationes prodest, referente *DURRHO* in *Epist. ad Barthol.* imprimis in restituendis oculis. Item ad *clarificandos oculos* infantum; si nutrix jejuno manè masticet semen fœniculi, & post masticationem exhalet halitum in oculos infantis. CAPILLI *destillati* dant sal vol. & copiosum admodum *oleum*. Per microscopium enim notum est, quod sint concavi, quidam rotundi, quidam triangulati, vel alia forma prædita. Beneficio capillorum *solutorum in sp.* nitr. vult *GLAUBERUS* extrahere animam nitr. medicamentum ipsi singulare, uti videre est in *scriptis Chimicis*. *Oleum destillatum* per retortam ex capillis multum commendari solet ad *generandos capillos* in *alopecia*. *Pili pubis* sive maris sive mulieris sistunt *Hæmorrhagiam narium*, observante hoc *HENRICO AB HER obs.* 5. Notum etiam est, quod mulieres suffocatæ ex utero soleant *vellicari in pilis* pubis, ut citius & felicibus ad se redeant, vid. quædam in *HOEFERO*. UNGUES infusi in vinum vel potum cum vehementia cient *vomitum*, & *purgant* per secessum: Et *secretum* fuerunt *KNOEPHELII* Medici, castrense, qui propinavit pro vomitorio & purgante militibus ungues proprios infusos per noctem in vinum calidum Quam vim purgandi imprimis in sero hydropicorum dicuntur exserere, extrinsecus instar amuleti appensi umbilico, decisi à manibus & pedibus. Multæ etiam instituuntur *curationes Magico-Magneticæ* naturales per ungues, imprimis ad curandas *febres chronicas*, modum habet AUCTOR, qui videri potest, & certum est hoc, cum sciamus ex experientia, nupertimè tali modo febrem chronicam curatam fuisse: scilicet abscinduntur ungues manuum & pedum, alligantur dorso cancri viventis, & cancer istis unguibus oneratus, immittitur in flumen retrofaciem redeundo sine loquela, donec in domum facta fuerit reversio Instituuntur qq. *transplantatoriæ* pro viribus recuperandis per ungues. Sic in podagræ ℞. ungues pedis, atque immittuntur in foramen excavatum in quercum, & super foramen ponunt cuneum, ex

quo subitò fit, ut remittat dolor, ac desinat podagra. *Fundamentum* hujus rei videri potest in *MARCI-MARCI Philosophia veterum restituta.*

SALIVA jejuni hominis ad *morsum serpentis* commẽdatur, impraegnata enim est salso sal. vol. seu armoniacali, & propterea praeter virtutem, quam habet in resistendo morsibus animalium venatorum in quibus laudat *ZACUTUS LUSITANUS lib. 1. prax. hist.* 32. &c. etiam saliva ratione salis vol. salsi seu armoniacalis, habet singularẽ vim discutiendi & resolvendi *tumores*. Propterea est *cosmetica* saliva imprimis sani hominis, in *lichenibus, impetiginibus*, & *variolis* dissipandis & abstergendis. Unde etiam granũ hordei masticatum & saliva humectatum, si imponatur *hordeolo in oculo*, solet curare idem, ratione salivae maturantis, aperientis & discutientis. *Aurium Sordes*, quae speciali nomine vocantur CERUMEN, quod in potu assumptum est specificum remedium in *Colicâ*, quod certum est. Deinde est singulare *vulnerarium*: Fit etiam *balsamum vulnerarium* ex cerumine hoc, si coquatur cum oleo juglandium expresso, qui balsamus simplex valdè commendatur in cura vulnerum recentium. *AGRICOLA in Chirurgia prava* habet *unguentum*, quod praedicat efficacissimum, quo mirabilia brevi tempore in *inflammationibus*, *synoviis* & *suppurationibus* praestitit, compositio est haec:

> ℞ *Sal. vol. Sacch. saturn.* ʒij.
> *Ceruminis aurium* ʒij.
> *Olei avellanarum expressi q. s.*

Misce. Quod si debeat esse consistentiae crassioris super ignem inspissari potest. Idem cerumen aurium in *nervorum puncturis*, quae sunt periculosissimae propter inflammationem, tumorem, dolorem & gangraenam, est *Secretum HELMONTII* uti videri potest in *scriptis* pag 201. §. 24.

LAC HUMANUM est maximè appropriatum hominibus alimentum, & laudari solet in *phthisi*, imprimis quidem, si eger mamillae foeminae adhibeatur, ut ipsemet exsugat mammam: Refert namque *FORESTUS* in suis *observationibus*, quod aliquando juvenis quidam phithisi & tabe desperata laborans fuit curatus per lac humanum, dum necesse habuit, ut sibi conduceret nutricem, ex qua singulis matutinis & vespertinis horis exhauriret lac, unde factum est, ut non tantum fuit restitutus à tabe, sed etiam nutricem postmodum impraegnavit. Nam lac mulierum *armat in venerem*, ut eidem sine lassitudine & debilitate virium possimus operâ navare. Interdum tamen etiã fallit lac humanum in phthisi, ergò aliae sunt pensitandae *circumstantiae*: Ita mulier Cizensis tabida ex lacte nullum habuit usum in phthisi, sed postmodum pulmone vituli & ostreis fuit restituta. Ad somnum *extrinsecus* fit *epithema ex lacte* muliebri cum incoctione seminis papaveris, colatur, & instar fomenti vel etiam cataplasmatis applicatur. SANGUIS MENSTRUUS, qui à *PARACELSO* vocatur ZENITH *Iuvencularum*: Hic primus virginis impollutae multa in se habet arcana non semper revelanda. Ut autem pauca adducam, *externè* linteum à primo sanguine menstruo madidum & exsiccatum, hinc denuò humectatum & applicatum pedi podagrici, mirum quantum *lenit dolores podagrae*. Idem linteum, si applicetur parti Erysipelate affectae, in continenti *erysipelas* curat. In affectibus ab incantationibus & *veneficiis* oriundis multa praestat sanguis menstruus: Nam & ipse sanguis menstruus ad veneficia adhibetur, & sunt mulieres, quae pro *philtris* utuntur sanguine suo mẽstruo. Tale exemplũ videmus in *BORELLO Cent. 1. obs. 65.* de quodam, qui ex philtro facto ex sanguine mẽstruo cũ sanguine leporis in maniã incidit, & patrẽ occidit, cujus remediũ fuẽre Margaritae praeparatae. Hoc ipso *impenetrabilitatem ab armis* etiam sibi quidam volunt conciliare. In delendo *incendio* adhibetur, sed exinde mulierem, cujus est sanguis, non parùm cruciari, sunt qui asserunt: Plura studio reticeo.

SECUNDINA HUMANA sequitur. In eadem multa quoque latitant arcana, adeò ut Chymici quidam celeberrimi nostro tempore *Panaceam* exinde voluerint parare. Obiter observetur, quod non sit frustraneum, quod ferè omnia bruta mox à partu soleant absumere & comedere secundinam, quod ipsum naturae peculiari instinctu fieri, negari non potest, & hanc secundinam ab equis fuisse veterum hippomanes, qui hoc ipso multa praestiterunt in veneficiis & philtris, sunt, qui statuerunt. Quod attinet usum medicum secundinae, pulvis secundinae in retentis *secundinis pellendis*, in *foetu mortuo* ejiciendo & in *abortu* causando non habetur simile remedium: In *partu difficili* nil est praestantius. *In philtris* curandis spiritus secundinae vel pulvis secundinae mirabilia facit. Sic & sequens laudatur, Contra philtra:

> ℞ *rutae murar.*
> *hortens.*
> *secundin. praept.*
> *Theriacae, ãa.*

Tosta in cepa da patienti: vel bibat cum lacte muliebri: vel cum vino Caryoph. vel cum aqua magnanimitatis: quod secretissimum B. H. In *Epilepsia* imprimis ex utero multum praestat spiritus secundinae humanae. Ad *naevos maternos* singularis est secundina, & experta est, si mox infans illinatur cum secundina, quae prodiit cum infante, quod idem etiam facit, si sanguis, qui cum secundina prodit, illinatur, & abstergit mirificè maculam in tali casu illita secundina, vel sanguis cum secundina prodiens, uti dixi, est expertus. Obiter moneo, interdum in recens natis adsunt *excrescentiae* & *tuberculi*, in his curandis certum est secretum, si frater vel soror infantis sensimque mortui manu contegatur & abstergatur aliquoties, exinde fit, ut manu putredine corruptâ etiam dispareant tuberculi, cujus rei exemplum vivum vidi in quodam loco. Secundina & sanguis illiti in *scabie* etiam *volatica*, quae est pessima scabiei species, est expertum remedium, de quo vide in *AGRICOLAE Comment. in Poppium Cap. de taur. pag. 289 & praxi Chymiatr.* HARTMAN. ubi de scabie volatica. Aqua ex putrefacta secundina, si nimirum humectetur linteum eadem, & injiciatur in *incendium* mox *incendium*, *compescere dicitur*: *Modus praeparandi* legitimus *Spiritum* secundinae est hic: ℞. secundinam mulieris sanae, si potest esse primiparae, & quae filium enixa fuit, unà cum vasis & reliquis omnibus addimentis impone cucurbitae, cui applica subitò suum alembicum, & admove recipiens, & omnia benè perlutentur, ponantur in digestionem lenem, ut putrefiant, & sic fiat, ut interna fermentatione tota secundina convertatur & resolvatur in liquamen, ad annum autem dimidium ferè debent stare in digestione, quo facto fiat destill. in qua prodit spiritus volatilissimus prodigiosissimi & *rarissimi effectus in morbis mulierũ*, promovẽdo partu, ciendâ urinâ & mẽsibus & aliis accidentibus, *Dosis* est à Cochlear. 1. ad 2. Hoc *medicamento* fuit mulier restituta, quae per 6 annos nihil de menstruo fluxu viderat. Eodem spiritu ab *Epilepsia* curatus dicitur Rex Poloniae à suo medico aulico *KNOEPHELIO*. Hoc *observetur* etiam, quando putrefacienda & resolvenda in liquorem secundina,

na, fit eò facilius & felicius, si à secundina ista detrahatur prius cuticula, sic enim, uti dixi felicius procedit negotium.

URINA sequitur, de qua 1. *cruda* notum est, quo conveniat in *veneno viperarum* arcendo. Prostant namque observationes, quod ab urina ad aliquot ℥. assumta, nonnulli à viperarum morsibus fuerunt curati, teste *ZACUTO LUSITANO lib. 3. prax. admirand* & in specie *in obs. 96* Deinde per urinam solent fieri *curationes mag co-magneticæ* morborum, si scilicet lardum vel potius caro porcina coquatur ter in urina ægri, & caro ista incoctionis urinæ postmodum propinetur cani vel porco devoranda, sic enim fit, ut quam plurimi morbi curentur per transplantationem in animalia, quæ devorant carnem & urinam. Et *dolorem podagricum* non ita pridem hic loci curatum fuisse percepi. *Potus urinæ* propriæ laudatur in præservanda & curanda *peste* In cura *Icteri*, *hydropis*, *cachexiæ* & similium affectuum ex sanguinis crassi ortis, in specie quidem in *scirrhis lienis* multum valet *CONRADUS KHUNRATH* in *medulla destillatoria* eleganti eleganter tractat de effectibus variis urinæ in *medull. 1. tract. 4. Mariti urina* hausta à mulieribus parturientibus *partum facilitat*, quod verum est & muliercularum experientiâ notum est. *Clysteres* ex urina, imprimis pueri impolluti, sunt specifica cura *tympanitis*, in qua multa præstant tales Clysteres, seu sola applicetur, seu etiam incoquantur in urina plantæ carminantes, uti videri potest in *VALLERIOLA lib. 1. obs. 2.* vel etiam in *SENNERT. lib 3. praxeos Pag. 734.* In eadem Tympanitide in urina cocta semina Dauci, fœniculi, Cumini &c. & pota valdè conducunt. *Exulcerationes aurium* dicit AUTOR sanat, quod verũ est, in ulceribus aurium specificũ est *phlegma urinæ* in destilatione, quo prodit, si est debilius, aliquid de spiritu urinæ addendum. Inter *præparata* est præcipuum *spiritus urinæ*, qui imprimis duplici ratione paratur, *vel* ex urina putrefacta & fermentata, *vel* ex urina cruda ad crassitiem mellis inspissata: in utroque casu prodit spiritus vol. urinosus, valdoperè penetrans, & nihil est aliud, quam sal vol. salsum urinæ: De utraque præparatione vid. AUCTOR, & etiam *ZWOELFERUS in append. in animadvers pag. 71.* ubi destillata urina 1. prodit phlegma, 2. spiritus salinus vol. seu sal vol. urin acre. Nam & spiritus etiam salis armoniaci est revera spiritus urinæ. In capite mortuo post destillationem solet remanere ingens copia *salis fixi*, quod non est de natura urinosa, sed est instar sal. communis, unde in destillatione dat spiritum acidum instar sal. cõmunis quod aliàs nulla faciunt salia fixa, & propter hoc ipsum sal fixum nihil est aliud, nisi sal. commune esculentum, quod cum alimentis sumitur, quodque suâ antiquâ formâ partim cum urina, partim cum fœcibus alvi prodit: Unde obiter moneo, quòd ij, qui faciunt nitrum in locis, ubi exponitur stercus & urina hominum, ex terra tali sale imprægnata, necesse habent, ut resinent nitrum à sale fixo esculento, quod assumptum, cum stercore & urina denuò excernitur. quod in generatione ex nitri stercoribus adhuc est fixum, ideóque separandum, quoniam illud reddit impurum: Spiritus urinæ vol. seu sal vol. urinæ est *medicina* excellentissima, quæ *præcipitat* quodcunque *acidum* in corpore humano potenter *penetrat*: vasa & meatus *obstructos* potenter *reserat*, *urinam* & *calculum* fortiter pellit: *sudorem* potenter *ciet*: Catholica *febrium intermittentium* est *medicina* ante paroxysmum præmissis universalibus. In *scorbuto* est *specificum* remedium, imprimis si misceatur cum spiritu cochleariæ per fermentationem parato. In *malo hypochondriaco* est excellens. In *cachexia virginum* seu morbis virginum præmisso vomitivo est expertus. (In Hollandia nuperrimè 3. virgines fuêre curatæ hoc methodo) *dolores colicos* ex acido ortos externâ sui applicatione valde compescit. In *Epilepsia morbisque soporosis sive* naribus applicetur spiritus, quoniam est penetrantissimus, *sive* interiùs assumatur, potenter succurrit. Ex urina & vitriolo destillatur *spiritus* efficacissimus volatilis, *contra epilepsiam*, de quo aliquando, ubi de vitriol. cum spiritu vini destillatus mirè fit volatilis, & mirè penetrans *spiritus urinæ*, subtilissimus, si instilletur oleis destillatis, ea protinus *coagulat* in balsami consistentiam, id quod fit propter acidum in oleis destillatis superfluum, cum quo se coagulat spiritus urinosus vol. Sunt qui ℞. urinam, eamque inspissant in consistentiam mellagineam, huic addunt rosarum CC. & succin, & hæc conjuncta destillant per retortam in arena, proditque sic spiritus admodum urinosus, adherente lateribus recipientis sale copioso vol. ex his tribus substantiis concreto. *Præparationes* multæ videri possunt in AUCTORE, & necessum est, ut tegantur. In specie solent *spiritum urinæ* commendare in iis *morbis*, qui dicuntur tartarerei ex materia acida, crassa & viscida constantes. Unde etiam hic spiritus specificum est antiquartium, & dicitur propter ea *spiritus antiquartius D. MICHAELI*, dum à tali tartarea materia, uti audit *PARACELSO*, ortam *quartanam* curat. Spiritus urinæ à vitriol. mart. *cohobatus* fermentationis abolitæ tam stomachi quàm Massæ sanguineæ dicitur restaurator. STERCUS sequitur, quod vocatur à *PARACELSO* sulphur *occidentale*, idque non immeritò, dicit namque *GLAUBERUS* in suis *scriptis*, quod in stercore humano sit sulphur. omnino simili sulphuri communi minerali. Ut sequamur AUCTOREM. Stercus humanum in usu *externo* convenit valdè in *inflammationibus* quibuscunque, dolorem sistit, emollit ac discutit, & in specie *suppurationem* impedit. Stercus humanum recens impositum parti ex *podagra* dolenti valdè *imminuit dolorem*. Idem impositum *carbunculis* & *bubonibus pestilentialibus*, uti *compescit dolorem*, ita & *attrahit venenum* *suppurat* & ad maturationẽ cito perducit: quod hic probatum fuit in peste ante 30. annos grassante, uti mihi nuperrimè fuit narratum. Stercus humanum est singulare alexipharmacum in curâ *morsuum animalium venenatorum* ac *rabidorum* de qua virtute alexipharmaca vid. *ZACUTUS LUSITANUS lib. 3. prax. admir. obs 89.* in *MATTHIOL. lib. 2. comment. in Dioscoridem cap 73* in *RIVERIO* hinc inde in *observationibus communicatis & frequentatis*, in specie *dissertationem* meam pro licentia *de morsu viperæ*. Quidam in Itinerario refert, quod in India orientali reperiatur serpens, cujus morsus certò sit venenatus ut exinde homo sauciatus nisi intra 8. horarum spatium stercus proprium posit imponi, cum hoc illius veneni sit remedium moriatur. *Napellus* in suo loco natali est venenatus: unde si assumatur, homo intra 4 horas moriturus, nullo alio remedio *curari* potest, *quàm stercore humano*, quod vel recens vel aridum debet assumi in liquore. In *peste* curandâ & præservandâ singularium est virtutum stercus hamanum, ad magnitudinem avellanæ matutino tempore assumtum. Commendatur etiam ad *curationem* morborum *Magneto-Maneticam*, uti videri potest in *SCHMUCK Thesauro 1 p. 3. in proœmio*: nam ibi hujus rei habet exemplum *TENZELIUS* in *Medecina Diastatica p. 70. & 174* utitur stercore humano instar magnetis, pro elicienda mumia microcosmi spirituosa, beneficio cujus postmodum fiunt transplantationes morborum in plantas: Ex hoc stercore humano *PARACELSUS* vult parare AMBRAM *Occidentalem*, quæ à quibusdam vocatur *Zibethum occidentale*, dum stercus beneficio digestionis & fermentationis in balneo M. vel B. roris fit suaveolens instar ambræ vel Musci, quod ipsum etiam fit beneficio reiteratæ sublimationis: sic enim fit elegans *pulvis Cyprius* inspergendus capillis. In *veneficio* arcendo notum est, quod stercus

stercus humanum sit magni usu, si scilicet parti dolenti ex veneficio applicetur stercus humanum vel solum vel cũ alio, vel cũ asa fœtida: sic enim fit, ut illi, qui perpetravit veneficium, sapiant omnia stercus humanum & allium, adeò ut necessum habeat solvere veneficium: applicatur parti læsæ. *Aqua destillata* ex stercore humano valdè convenit in *inaffectibus oculorum*, imprimis quidem, si sit stercus humanum ejus, qui vescitur tantummodò pane, & bibit solummodò vinum. *Internè* eadem aqua ad *calculum*, *hydropem* & *Epilepsiam* conducit: imprimis curat *morsus canis rabidi*, si interius propinetur. *Paronychias* & *carbunculos* externo usu sanat. Zibethum occidentale vocatur stercus humanum auctore *PARACELSO*, qui tale ex illo vult præparare. Nihilominus *ROSENCRENZERUS* in *Astronom. inferior. p. 252.* dicit, quod *Zibethum* humanum *sit Pinguedo*, quæ reperitur circa testes maris, quæ si illinatur parti genitali mulieris, fœmina attrahat fœtum & præcaveatur abortus. De *semine* nihil dico, utut *PARACELSUS* exinde parare voluerit suum homuncionem. SANGUIS HUMANUS sequitur: de hoc observetur, quod debeat esse recens ex homine, imprimis violentâ morte interempto: imprimis ex homine, dum decolatur. In sanguine notum est, quod sit vis *sympathetica*, dum adspergitur pulveri sympathetico. *Item* si guttæ aliquot sanguinis exstillantis internè propinentur, cessat hæmorrhagia, & linteum madidum sanguine ex utero vel naribus &c. Si injiciatur in ignem, fit ut omnis sanguis cesset hemorrhagia, quod imprimis de sanguine ex utero effluente verum est. Sanguis humanus, si destillatur, prodit *spiritus salinus vol.* cum sal. suo vol. unitus, qui est solus alexipharmachum venenorum, *apoplexia* & *Epilepsia*, & omnibus aliis præfertur in his affectibus, *imprimis* quidem si misceatur spiritus salinus sanguinis humani cum spiritu vitrioli vel cum spiritu vitrioli cephalico, & fit mistura cœrulea vel potius viridis, expertissimi usu in Epilepsiâ. *Datur* contra Epilepsiam, imprimis tempore novilunij & tempore plenilunij, quoniam eo tempore præprimis solet effectari Epilepsia: *DECKERUS in cit. supra tract.* habet *oleum sanguinis* humani secretum, quod cum luna crescit ac descrecit. *BEGUINUS* in *Tyrocinio chimico* docet modum parandi Q. E. pro concilianda amicitia inter inimicos, *Balsamum antipestilentiale*, de quo habet AUCTOR, probè observandum.

Sanguinis humani Elyxire hydropicos bis curavit desperatos & conclamatos intra 3. dies, ℥ß. qualibet vice propinando per 3. vices. Borell. qui vid. Cent. 3. obs. 16. p. 290.

CORIUM humanum & exinde paratum cingulum magni est usus in *suffocatione* uterina arcenda, uti etiam in pellendo *fœtu mortuo*, item in *partu difficili*, de quo vid. *BARTHOL*, *in Cent. 3. hist. 87.* Ubi effectus & præparandi modum cingulum ex corio humano in suffocatione uterina habet, & præfert corium humanum corio cervi incoitus ardore professi, quod cingulum ex tali corio à multis solet commendari. MUMIA. Antiqua appellatione est nihil aliud, nisi corpus balsamo conditum & exsiccatum, quæ corpora apud veteres fuerunt vel Regum vel Principum in oriente. Nam quod apud nos in officinis præstat, est liquamen, quod effluit ex corporibus bitumine & asphalta conditis: hoc cum modo sit ex corporibus sanis, modò ægris, nullo modo potest habere vires mumiæ veræ orientalis Principum ac Regum. De quo vid. *STRUPPIUS* & *HORTIUS* in *Dispensatorio* pag. 332. Mumiæ ergo isti, quæ ex locis orientalibus adfertur, meritò præfertur artificialis, quam vocamus *Mumiam patibuli*, quæ præparatur ex corporibus strangulatis, quæ fumo suspensa siccantur, & cum aloë & Myrrha condiuntur: *Modum condiendi*, quem primus dedit *PARACELSUS* vid. in AUCTORE: *Differentiam* itidem ac *adulterationem*, nam certum est, quod *orientalis non deferatur ad nos* absque adulteratione. *Mumia verò* per se commendatur valdè in *affectibus capitis* frigidis, paralysi, Epilepsia & vertigine, in specie in *dissolvendo sanguine*, in dissolvendo sanguine congrumato & ad *consolidanda vulnera*, uti videre est in *WORMII Museo* pag. 31. Reliqua de mumia videnda sunt in *Auctore*. Præter mumiæ artificialis patibuli præparationem, sunt alij, qui ℞. frustula & cum aloë & myrrha inspergunt, imbibunt aliquoties cum spiritu salis, postea exsiccant frustula humida, deinde cum spiritu vini extrahunt *tincturam* seu *essentiam*. Vel quod melius est, cum spiritu Juneperi, & fit elegans tinctura Mumiæ. Ad *casum ab alto* & sanguinem congrumentum magni usus remedium ex mumia, vid. AUCTOR. AXUNGIA humana valdè conducit in *affectibus paralytici* & trementibus, relaxatione tendinum, *fibris contractis* & *induratis*, tendinumque; subitaneâ contractura ac induratione, quæ sequitur contracturam in paralysi & tremore, *permista* cum balsamo Peruviano & oleo lavendulæ, penetrat egregiè & emollit *Linimentum Auctoris* ex spiritu nitri est egregium in arituris, quoniam est valdè penetrans pulvis sp. vol. vid. *BARTHOL. Cent. 3. hist. 87.* *oleum pinguedinis* hujus, quod destillatur ab ossibus Microcosmi, valdè convenit in *Contracturis* & *tophis* podagricis aliisque similibus malis. OSSA HUMANA considerantur vel in genere vel in specie os cranij humani. Ossa humana in genere *præparantur* vel cum igne vel sine igne: *Cum* igne præparata vel parum vel nihil præstant: Potius *sine igne seu philosophicè* præparata adhibentur, & hæc dicuntur vim habere *laxativam*, Auctore *PARACELSO* & *CROLLIO*: Propterea *CROLLIUS* & *PARACELSUS* pro purgante miscere solent pulveribus purgantibus in *arthritide*, in qua per se à ℈i ad ʒß. possunt adhiberi. Nam commodissimè permiscentur pulveribus arthriticis. In *dysenteria* ossa humana cum aliis commendantur multum, in qua etiam prosunt singulariter. In *paralysi* & tremore artuum commendantur permista cum specifico cephalico & cinnabari antimonij, quos affectus per sudorem præmisso universali certò curant, & fuerunt *experimentum* D. *MICHAEL*. Formulam habuit hanc:

℞ *Ossium Microcosmi præparatorum* ℈j vel ʒß.
Cinnabaris antimonij ritè præparati gr. x. vel xv.

M. D. S. *Pulv.* diaphor. pr. s. dos. Qui pulvis est egregius in paralysi: Nam *cura paralyseos* consistit *in sudore* uno vel altero: *Unde* quando sudavit æger, statim melius sese habebit: In *paralysi ex colica* valdè commendatur hoc sudoriferum:

℞. *Aqu. enulæ Campanæ* ℥iß.
Cinnabaris antimon. irit.
Sp. tartar. ãa. ℈ß. vel gr. xv.
Aqu. Cinamomi destil. ʒj.

Misce pro dosi. Convenit in parœsi seu paralysi ex colica. Dicunt, quod si *costa* ex suspensis pulverisetur & assumatur, singulariter prosit in *Dysenteria*,

de

de quo vid. *STARICIUS* pag. 122. *Ossa* humana *destillata* dant *spiritum & sal vol.* quæ valde conveniunt in *affectibus articulorum* interno usu pro sudore. Beneficio ossis humani integri potest fieri *purgatio artificialis* tanta, quantam volumus: si 1. ℞. os ex pede vel brachio vel femore hominis violentâ morte interempti, & hoc exempta medullâ impletur cum stercore alicujus hominis, foramina obturantur cum cera, & sic in aquam calidam immittitur, hoc quamdiu jacet in aqua calidâ, tamdiu expurgatur iste, cujus stercus fuit inclusum, adeò ut sic aliquem usque ad mortem purgare possimus. Potest etiam fieri alio modo, ut quis omni nocte *lectum suum maculet*, sed est ludicrum. Ossibus similes sunt DENTES, qui ipsi ex homine imprimis violentâ morte interempto commendantur ad morbos per *veneficium*, si nimirum & illis fiat *suffitus*. Item in *impotentia*. Dens hominis longa tabe interfecti, si applicetur denti poroso & carioso, exinde fit, *ut* iste sponte *decidat*. Ex *ossibus destillatum oleum*, quod convenit in *Tophis & Gummatis Venereis* in specie: Hinc in *podagra* & affectibus aliis articulorum externo illita.

CRANIUM humanum eligendum est illud, quod ex homine violentâ morte interempto reperitur, vel ex patibulo vel ex rota, inprimis si ad aliquot annos sub dio vel cœlo jacuerit, ut cranium sit nitidum & purgatum ab omni sorde, hoc enim præfertur ei, quod ex cœmeteriis ex hominibus naturali morte mortuis desumitur, quod parum vel nihil effectuum eorum habet, qui tribuuntur illo. Hoc Cranium humanum tantùm *rasum* & internè sumptum est specificum *Epilepticum*. Sic novi hic rusticum, qui multos epilepticos juvenes & adultos feliciter hoc ipso curavit & præservavit ab epilepsiâ: In *pavore nocturno*, qui solet esse *prodomus epilepsiæ*, est expertissima rasura cranij humani: & instar baseos, in quam plurimis pulveribus Epilepticis præscribi solet; modo legitimum habeatur *Potus*, haustus *ex cranio* humano taliter collecto est expertum remedium *in scrophulis*, fuitque *secretum HARTMANNI*, & usu comprobatum à *D. MICHAELI*, qui fœminam scrophulis laborantem hausto potu ex cranio humano observavit liberatam. Milites putant, si quis ex cranio humano hauriat potum, fore, ut sit *immunis ab insultibus armorum*. Ex cranio humano fit *Gelatina sal & spiritus Volatilis*, quæ omnia sunt specifica in *affectibus capitis*, in Apoplexia, &c. in specie in Epilepsia. Inprimis ex cranio commendatur *os triquetrum*, quod fit ex concursu suturæ bifidæ seu sagittalis cum osse lambdoideo, præ reliquis *specificum in Epilepsia*. Eo modo, quo fit *Extractum Galredæ THEOPHRASTI* ex cranio, potest fieri cum CC. cum spiritu hyperici ad Lumbricos infantum. Unicornu verò uti & Ebur præparantur hoc modo cum spiritu Melissæ. *Sunt*, qui præparant *Essentiam cranij humani* hoc modo. ℞ Rasuræ cranij humani affundunt aceto destillato ad supereminentiam 3. digitorum, hoc relinquunt in digestione, deinde exprimunt & accipiunt Gelatinam: Gelatinæ inspissatæ affundunt spiritum vini, digerunt, inque fundo subsidet oleum coloris aurei, quod separandum est per inclinationem, & hoc est vera Essentia cranij humani, quæ ad *Epilepsiam* singulariter commendatur.

USNEA cranij humani seu muscus, qui crescit in craniis hominum violenta morte interemptorum aëri expositis. Hæc usnea est *multi usus*, notum namque est, quod quascunque *hæmorrhagias* quocunque in loco obortas sola applicatione soleat coërcere & curare in quacunque hæmorrhagia, quocunque in loco applicetur. Similiter crescit *in aliis ossibus muscus*, qui etiam ab Arabibus vocatur *Usneæ*, quæ non est adeò elegans & potens in talibus affectibus. Rationem ejus singularium virtutum sufficientem subministrat *HELMONT.* in *scriptis*, in specie in tractatu *de magia vulnerum curatione.* pag. 602. §. 44 & 45. Nam usnea cranij humani constituit basin *unguenti armarij*, quo ipso telis illito curantur vulnera inflicta ab ipsis. Descriptio, cujus primus *inventor* est *Paracelsus*, est hæc:

℞. *Usneæ Cranij humani* ℥ij.
Mumiæ veræ (in defectu hujus *mumiæ patibuli*) ℥ß.
Ole. Lini ℥j.
Ole. rosarum.
Boli armeni ana ℥j.

Misceatur, fiat unguentum. Sunt, qui non sine ratione & effectu addunt pinguedinem ursinam & aprinam: Usnea hæc commendatur ad *impenetrabilitatem* ab armis, ubi eam magnificat *Staricius* in heroum Thesauro pag. 98. Si fieret digestio usneæ cum Tinctura sulphuris vitrioli, sanè possent fieri miracula in compescendâ hæmorrhagia, & esset medicamentum stupendum. Loco usneæ excrescentis instar musci spontè ex craniis hominum violentâ morte interemptorum. *Sunt, qui faciunt vegetatum*: ℞. Muscum mense Aprili ex lapidibus campestribus, eumque leviter exsiccatum & pulverisatum, irrorant cum pauco vini Petri Simonis, ut fiat instar pultis crassioris: Hunc pultem cum cultro illinunt leviter cranio suspensi, & ita sensim permittunt, ut exsiccetur, & ponunt sub dio seu cœlo aperto, quoties verò pluvia imminet, toties ponunt in locum siccum, sicque conficiunt usneam, quæ non est inferior usneæ ex cranio spontè provenienti: de quo vid. *HILDANUS Cent. Epist.* 27. CEREBRUM, cujus spiritus descriptionem habet AUCTOR ex *HARTMANNO*, est certissimum specificum in *Apoplexia*, uti etiam in *Epilepsia*. Cerebrum humanum, cum destillatur, valdè prodest ad *deperditam memoriam*, auctore *BARTHOLETO*. Aliàs de substantia cerebri oleosa, deque oleo ejusdem pingui potest videri *BARRHUS* in *Epistolis ad Bartholinum* de cerebro Epist. pag. 15. ubi sunt singularia & lectu digna. FEL HUMANUM *destillatum* subministrat *aquam* insignem *ophthalmicam*, quæ maculas, suffusiones, ungues & pannos oculorum certò detergit & abstergit. Item ex felle humano inspissato cum spiritu vini, extracta *Essentia* mirifica est in curandâ *surditate* & tollendis affectibus aurium.

LEO.

EXhibet 1. Pinguedinem ad coitum proficuam, priapo inunctam.

2. Stercus, Antiepilepticum, ex quo etiam paratur Spiritus ad ℈ß. exhibendus, ingrediens Magnatibus familiarem compositionem.

3. Cruor exsiccatus in Vino haustus Epilepsiam tollit. Hujus tamen Spiritus & Sal Volatile efficaciora sunt.

XXIV. LEPUS.

Λαγώς, Hase. Le lievre.
Animalium est timidissimum ac fœcundissimum, quoquo tempore coiens.

OFFICIN. NAT.

1. Cinis Leporinus. 2. Caput. 3. Oculus. 4 Sanguis. 5. Pulmo. 6 Cerebrum 7. Cor. 8 Iecur. 9. Fel. 10. Renes. 11 Testiculi. 12. Uterus. 13 Coagulum. 14. Talus. 15. Axungia. 16. Stercus. 17. Pili.

1. *Cinis* fit ex Lepore integro combusto (præstat qui Verno tempore captus,) vel ex pelle tota, ad nigredinem cineremve colorem incinerata. Præstantissimum Medicamentum est in calculo.

Dosis ad ℈j. & ʒß. vel ʒj.

Alopeciis item & Pernionibus extrinsecus medetur.

N. Lautenberg. leporem non calcinat, sed animal decollat, ollæque inditum exsiccat in clibano, pulv. exhibet.

2. *Caput* Alopeciæ subvenit (*cinis cum melle inunctus*,) dentes dealbat (*cinis in dentifriciis*.)

3. *Oculi Leporini* Martio capti, valent ad partum difficilem, secundinas & molam propellendam (*siccati scilicet cum pipere sine ulla compressione, impositique vertici, ut pupilla verticem tangat*.)

4. *Sanguis illitus* cutis vitia in facie, uti lentigines vitiliginemque sanat: *assatus*. Dysenterias & Cœliacorum profluvia sistit, calculum comminuit.

5. *Pulmo* suspiriosos juvat, Epilepsiam curare dicitur (*muriá conditus, & quotidie cum Myrrha comestus per mensem*;) perniones sanat (*impositus*.)

6 *Cerebrum* gingivis infantum affrictum dentitionem facilitat, tremores artuum emendat (*inassatum & mansum*.)

[Dentes leporini infantibus ad faciliorem dentitionem appenduntur, ut gingivas illis fricent, sicuti Lupini.]

7. *Cor* dicitur itidem Epilepsiam curare (*simili modo quo pulmo adhibitus*,) dolores uterinos arcere (*pulvis assumptus*.) Quartanæ peculiariter mederi, (*in partes tres dissectum & præmissis universalibus initio trium Paroxysmorum, tertiá parte singulis vicibus propinatum*.)

8. *Iecur* fluxum sedat alvi, jecinorosisque opem fert.

9. *Fel*. Ophthalmicum & Otalgicum insigne exhibet.

10. *Renes & Testiculi* calculosis propinantur (*siccati*:) conceptum juvant (*à mensibus assumpti*:) mictionem involuntariam corrigunt.

11. *Testiculi* Urinæ incontinentiam tollunt, Vesicæ morbis subveniunt, ad conceptionem faciunt (*pulverisati & assumpti*.)

12. *Vterus* itidem conceptionem promovet (*siccatus & à mensibus propinatus*.)

13. *Coagulum* sanguinem concretum discutit. conceptionem promovet (*post menstruas purgationes vulvæ cum butyro impositum*,) potum verò partum enecat, Epilepsiam curat, &c.

N. Præstantissimum est quod eximitur antequam aliud quid, præter Lac maternum degustaverint.

14. *Officulum Tali, der Hasensprung*, commendatur ad arenulas, Colicam, Epilepsiam partusque enixionem (*pulverisatum & exhibitum*.)

N. Idem de Vertebris caudæ affirmant.

15. *Axungia* extrinsecus applicata, maximè si vetusta sit, tanta pollet attrahendi vi, ut vel spicula cuti infixa eliciat; insuper abscessus rumpit, dolori dentium medetur, (*ponè aures posita*)

16. *Stercus* calculosis prodesse dicitur (*cinis exhibitus*,) Dysenteriæ convenit (*potum*,) ambustis medetur (*impositum*.)

N. Vrina ad auditum gravem celebratur.]

17. *Pili* Linimentis sanguinem sistentibus miscentur.

[N. Pellis ejusdem cum axungia efficaciæ putatur, partibus dolentibus in arthritide & catarrhis imponitur.]

LEPVS. Animal congener homini satis cognitum: Exhibet 1. *Cinerem* ex lepore combusto, qui cinis eodem modo, ad quem vult AVCTOR, collectus & paratus valdè convenit in *pellendo calculo*, si interius assumatur, in quo valdè commendatur. OCVLI leporis, &c. *pellunt fœtum*, dicit AVCTOR: cujus rei experientiam primus manifestavit *HARTMANNVS*, & ceu certum ac expertum commendavit: Idem tamen videtur confirmatum à *MAIORE* in tract. *de inunctione verticis* §. 6. uti etiam in *RIVERIO lib.15. prax.* c.18. id quod mirandum, quod oculus leporis applicatus vertici pellat fœtum & secundinas. SANGVIS leporinus est singulare in curanda *Dysenteriâ* experimentum: sed *observetur*, necessum esse, ut sit sanguis leporis à Vertagis in fugam acti ac perterrefacti, subque terrore interfecti: Sanguis hic excipitur tunc linteo, exsiccatur & vino infunditur, quod vinum infusionis certò curat Dysenteriam: id quod fuit *secretum HELMONTII* in *scriptis* pag.381. ubi eleganter de hoc sanguine discurrit, & D. *MICHAEL* hoc ipsum propriâ experientiâ edoctus confirmavit: uti etiam laudatur à *SCMUCK* in *Thesauro* 2. *secret. med.* 10. modo legatur *HELMONT*. qui satis eleganter disserit, quod Idea pavoris sanguini in fuga impressa curet Dysenteriam. Imò ipse sanguis leporis extractus, exsiccatus & pulverisatus idem præstat ac linteum, si propinetur ad ℈j. in aqua appropriatâ, vid. *MINDERERVM* in Medicina castrens. p. 42. loco hujus *potest substitui sanguis agninus* si benè prius agitetur, & in terrore ac pavore interficiatur. Linteum sanguine leporino impregnatum applicatur quoque *Erysipelati* certo experimẽto *HELMONT*. uti videri potest in locis Practicis, in quibus est fidelissimus, utut in Theoria interdum vacillet. CEREBRUM leporinum, si *in difficili dentitione* illinatur gingivis, mirè dentes extrahit: sed *observetur*, esse fortè admodum remedium, & non nisi aliis extraneis & frustraneis adhibendum. In *quartana cor* leporis est certum *experimentum*, si in quatuor partes dissecetur, exsiccetur, & semper ante paroxysmum una pars pulverisata assumatur: vid. de hoc *SENNERTVS in praxi* pag.313. *de febribus*, & adhuc fuit confirmatum ab experientia: Sic D. *TOBIAS TORNERVS* multis hominibus propinavit hunc pulverem in quartanis, id quod vid. in *HORSTII obs. lib.*4. pag. 234. ubi in Epistolis Medicis, quas ad eum scribit, pulverem cordis leporis mirè in quartana laudat: Sed hoc non semper succedit, nisi prius in fugam actus lepus interficiatur, dum adhuc versatur in pavore, de illo, qui est ex improviso & casu interemptus, non semper prosper expectandus eventus. *Vterus Leporinus* commendatur valdè, si siccetur & propinetur in *hydrope uteri*. Deinde ad impediendam *sterilitatem* mulierum. Uterus leporinus est egregius, inprimis si fiat *Essentia ex matrice leporis*, & secundina mulieris fœcundæ, & propinetur internè, reddit mulieres steriles conceptioni idoneas. Quod dicitur de matrice leporina, valet de *coagulo leporis*, si propinetur mulieribus finito fluxu mensium, quod in *sterilitate* mirè etiam commendatur. *Loco* matricis *leporinæ matrix suilla vel cervina potest usurpari*. *Propinatur* leporina vel *pulverisata*, vel sub formâ *Essentiæ* vel saltem *assata* & comesta. Aliàs in *sterilitate* fuerunt *HARTMANNI secretum testiculi* cervæ, vel ex istis præparata *Essentia*. Officulum TALI Leporis commendatur in *inflatione stomachi* & in *Colicâ*. AXUNGIA leporina mirè convenit in *extrahendis spiculis*, frustis lignorum, globulis, aliisque partibus heterogeneis ex vulneribus, in quo usu egregia est axungia leporis. Deinde in *Herniosis* applicatur axungia leporina illita corio *spinæ dorsi*, vel sola vel mista cum axungia ursina, & sic adjuvat retentionem & repositionem intestinorum prolapsorum. In Enterocele, uti dico, seu hernia intestinali valde solet extrahere intestina & convenire. PILI dicit AVCTOR, linimentis *sanguinem sistentibus miscentur*. Hinc adeò fuit famosum *GALENI unguentum* ex aloë, Myrrha, Thure & pilis leporis combustis ana, quod in specie commendatur ad *hæmorrhagiam in arterio-tomia*, quæ aliàs difficulter potest sisti propter sanguinis impetuosum nimis affluxum.

XXV. LVPVS.

Λύκος, Lupus, *Vvolff*. Vn Loup.

Animal est audax, rapax, vorax, cani non absimile, unde & canis sylvestris nonnullis Venatoribus audit.

OFFICIN. NAT.

1. *Dentes*. 2. *Cor*. 3. *Hepar*. 4. *Intestina*. 5. *Axungia*. 6. *Ossa*. 7. *Stercus*. 8. *Pellis*.

VIRES.

1. *Dentes* argento inclusi infantulis familiares sunt; quibus gingivas scil. fricant, dentibusque erupturis patescere faciunt: alligati pavores eorum prohibent.

2. *Cor* comitialibus prodesse fertur (*tostum & tritum*.)

3. *Eyar* Epatis vitiis confert, ideoque & Hydropicis ac Emaciatis, nec-non & tussientibus (*siccatum & exhibitum*.)

4. *Intestina*

4. *Intestina*, in primis ad colicos dantur dolores, quos itidem arcere dicunt circumligata: hoc item fertur de corio.

Dosis Intestin. arefactor. & pulverisator. ʒj.

[Caro pulverisata comesta Epilepticis utilis experta, & salita appensa, in Hispania]

5. *Axungia* non vilioris virtutis est, quàm canina: calf. digerit, articularibus morbis medetur, oculorum lippitudini confert (*si eá fricentur.*)

6. *Ossa* ad morbum intercostalem, ut & ad ictus puncturasque valent.

7. *Stercus* Colicis confert, *exhibitum* (ʒj.) *vel brachiis, cruribusve alligatum vinculo, ut nonnulli volunt, confecto ex lana ovis à lupo laniata, vel ex corio cervi. Vid. Forest.*

8. *Pellis* lupi commendatur itidem ad dolores colicos mitigandos (*facta inde stragula, vel cingulo, cujus pili ventrem tangant.*

PRÆPARATA.

1. *Oleum* fit, si Lupus in Oleo decoquatur.
Vires. Podagricos dolores mitigat.
2. *Essentia Sanguinis Lupi*, efficax ad dissolvendum sanguinem coagulatum. *Hartman. in pract.*

LUPUS. Cujus *dentes*, uti notum est, argento inclusi dentur infantibus pro fricandis gingivis, ut *facilitetur eruptio dentium*, vid. AUCTOR. Ex *Epate* lupi fit *Electuarium Neapolitanum* ad curationem morbi Gallici, cujus *descriptionem* habet BARTHOLETUS in *Encyclopædia* pag. 167. Quod convenit post morbum Gallicum ad excitandam appetentiam & corroborandum ventriculum. *Epar* lupi ad ʒj in aqua appropriata propinatum commendatur in *Scirrho lienis*. INTESTINA lupi, uti etiam ejus STERCUS mirè conveniunt in curâ passionis *Colicæ*, universali auctorum consensu, *datur* stercus ad ʒj. vel etiam intestina ad ʒj. propinata Colicam mirificè sedant, de quo vid. *SENNERTUS lib. 3. prax. pag. 260.* uti & HARTMANNUS *in Praxi Chimiatrica* pag. 154. & hoc confirmat per experientiam *FORESTUS lib 21. obs. 15.* uti etiam AMATUS LUSITANUS *Cent. 3. Cura* 12. RIVERIUS *Cent. 1. obs. 58. & 86. Item obs. 2 communicata* ipsi à Bacheco. In specie tamen videatur PANAROLLUS *pent. 3. obs. 36.* quod stercus lupi ad quamcunque Colicam ex quacunque causa universaliter obortam mirè commendat, & dicit, se quosdam etiam desperatos Colicos hoc stercore curasse. Sunt, qui faciunt *ex intestinis lorum* seu *cingulum*, quo circumdant abdomen & lumbos *pro curâ Colicæ*. Sæpius fit, ut *in stercore* lupino reperiantur *ossicula*, quæ propter duritiem subterfugiunt concoctionem, hujusmodi ossicula *pulverisata*, præ stercore reliquis & cæteris, cum successu *in Colicâ* propinantur & commendantur. Dicunt quoque, si *stercus* lupi inferatur ovili, quod exinde admodum trepident oves. *Pellis lupi* ad dolorem *Colicum* multum commendatur ab auctoribus. Dicunt etiam, quod *pellis* lupi pro veste gestata procreet audacem animum, de quo vid. *BRUSSUS in operibus medicis Epist. 24. FABER* in *Myrothecio spagyr.* habet Q.E. Lupi, quam multum commendat externè in *ulceribus malignis*.

XXVI. LYNX.

Λύγξ, Lupus cervarius, *Lux, Thleger-Vvolff.* Le Lynx.

OFFICIN. NAT.

1. *Axungia.* 2. *Unguis.*

VIRES.

1. *Axungia* convenit articulis resolutis.
2. *Unguis* argento & auro includitur, gestaturque adversus morbum Comitialem & Spasmum (*loco amuleti.*)

N. Præfertur qui in dextro pede pro pollice est.

LYNX. Rarò vel nunquam præscribitur, propterea nihil habeo, quod de illo dicam, pergo ergo ad sequens.

XXVII. MOSCHIUS, SEU MOSCHI CAPREOLUS.

Dorcas Moschi, Gazella Indica. *Bisam-Thier.* La chevrette de Musc.

Est animal exoticum Capreæ non multùm absimile, vulgare in Regno Cathai, Pegu (Ditionis magno Cham subjectæ) & ut alii volunt in Ægypto aliisque locis: colit alpes, nardis victitat, aliisque herbis odoriferis.

N. Transvehi quidem cœpit in Italiam, verum citra emolumentum, nec enim Moschum exhibet, nec vitalis diu superstes est.

Moschus, Bisam. Du Musc.

Est excrementum seu sanies inclusa Vomicæ circa umbilicum, dum veneris œstro animal id percellitur, enatæ: videlicet Vomicam hanc dum dolet, ad lapides vel arborum truncos fricat, adeoque disrumpit, saniem inibi contentam effluere facit, lapidibusque adhærescere hinc calore Solis ulterius elaborata in moschum odoris suavissimi facessit.

N. Sunt qui ex Vomica abscissa, solique aliquantulum exposita Moschum colligunt, sed hic ut priore immaturior est, ita & bonitate vilior. Adulteratur variis modis, verùm cui syncerus & verus non incognitus est, eidem ex odore & sapore, quin & ex pondere fraudem deprehendere non erit difficile Nonnulli probant, an Moschus legitimus sit, hoc modo: Pondus libra examinatum in labellum humore perfusum immittunt, tum paulò post iterum æqua lance ponderant, quod si superferatur, sincerum & legitimum existimant: sin cedat, spurium & adulteratum.

Vires. Calfac. 2. sicc. attenuat, discutit, cordialis est, & alexipharmacus, hinc & cephalicus.

Usus præcipui in omnibus affectionibus cordis, palpitatione (potus ac illitus) Spiritus nimir. vitales fovet, suscitat, recreat: Hinc in affectionibus capitis ac nervorum à frigore & crassis humoribus oriundis, tum & in dolore colico [clysteribus etiam mixtus,] &c.

[Not. Moschus sanguinem commovet, adeoque iis qui hæmorrhagiæ narium, uteri, Hæmoptysi obnoxii sunt minùs familiaris esse debet.]

Externè detergit tenues oculorum albugines, & humidas defluxiones exsiccat, ad Venerem concitat, auditum imminutum restituit (auribus inditus cum cottone)

Dosis gr. iv v.

N. Uterum quia suavi suo odore allicit, mulieribus uteri ascensui obnoxiis minus commodè exhibetur, è contra majori cum utilitate pudendis ad retrahendum uterum illinitur.

PRÆPARATA.

2. *Spec. Diamosc. dulc.* } *Vide*
2. *amar.* } *Dispens.*

3. *Confectio Moschardina, s. Trochisci Moschardini, vid. l. 2.*
4. *Oleum Moschelinum*, Μοχελλον, *compositum. V. D.*

MOSCHUS seu MOSCHI CAPREOLUS. Moschus *est animal instar* cujusdam *Capræ*: de quo vulgò refertur, quod circa umbilicum gestet vomicam vel abscessum, qui certò tempore apertus promat liquorem pretiosum, quem dicimus *Moschum*: hæc est vulgaris & *communis traditio*. Mihi verò magis arridet plurimorum experientia magis conveniens, qui dicunt, esse *eandem materiam animalis Moschi & Zibethi*, & ex natura seu materia Zibethi deveniamus in cognitionem Moschi: adeò ut dicendum sit, sicut Zibethum non est ex Apostemate seu Vomica, ita nec Moschus. Quare *Moschus* similiter *habebit pelliculam* naturalem seu *folliculum*, *in quo colligatur* & contineatur *liquor Moschus*. Vid. *JONSTONUS hist.* *animalium cap. 7.* de Castore p. 127 & 225. *EICHTACHIUS tr. de Confect. Alkermes. cap. 13.* Unde *legitimus* est Moschus, qui *reperitur in receptaculo à natura destinata*: Præterea *totum animal est moschus* seu moschiferum: nempe non tantùm ex testiculis animalium horum potest colligi præstantissimum moschi genus, sed *animal* captum

fustibus

fustibus probè *contusum* & *interfectum*, ut in toto corpore sit sanguis suffusus, utut jam incipiat putrescere, omnis tamen sanguis suffusus *similem dat odorem moscho*, & hîc est *moschus adulteratus*, qui ad nos solet adferri pro legitimo, utut ille sit legitimus, qui ex folliculo ad umbilicum sito colligitur. Hîc *quæritur*, *unde* nam oriatur *odor* moschi? ad hoc dicunt oriri ex plantis suave-olentibus & odoriferis, quibus vescuntur animalia. Quæ de *adulteratione* & generatione dixi, probè observentur. Fit, ut *moschus* longo tempore *amittat odorem*, quem tamen *recuperat*, si irroretur cum urina pueri, vel si suspendatur in latrina humana: Et moschus *potest multiplicari* mistione ejus cum sanguine humano, ut spiret cum moscho sanguis odorem moschi. Unde *solet* interdum *adulterari Moschus cum sanguine columbino*, additis quibusdam aromatibus. Præter Moschum animalia, quæ rejiciunt *excrementa Moschi odorem spirantia*: *RHODIVS Cent.3. obs.206.* refert, quod reperiantur interdum recrementa quarundam *serpentum*, quæ & ipsi moschi odorem fundant. *BARTHOL. Cent.6 hist 52* habet elegantem historiam de odore Moschato recrementorum *piscis*, *Crocodili* & *hominis* & *h*[illegible].86. refert nonnulla de odore Moschato Vr[illegible] pilorum. Vulgò *commendatur Moschus*, quod sit egregium *Cardiacum*, quod valdoperè refocillet & restauret, quodque ejus odor conveniat *in arcenda peste*. De quo imprimis vid. *ZACVTVS LVSITANVS lib.1 Med. Princip. hist.10.* Uti etiam *TERENTIVS de rebus Indicis ac Mexicanis*, & similiter omnes ferè auctores consentiunt, quod Moschus egregiarum sit facultatum ac virtutum in malignis, imprimis in corroborando corde. Hic tamen non sine ratione *contradicit GVIBERIVS in Medico officioso* pag.212. qui tanquam pro aris & focis pugnat, quod nullo modo sit Cardiacum, & non conveniat in peste, cui & ipse subscribendum & assentiendum esse censeo. Notum etiam est, quod mulieres plurimæ non ferant Moschi odorem. Nam observetur, quod mulieribus, si sint Epilepticæ, cum suffocatione uterina graveolentia noceant, suaveolentia verò conducant: si contrario modo contrarium. Rarum est quod habet *RIVERIVS Cent.4. Obs.35.* de quodam, qui assumsit Moschum pro curatione quartanæ: Vnde post paroxysmum habuit *sudorem*, *Moschi odorem* referentem. Ex Moscho uti & Zibetho potest fieri *Essentia cum spiritu vini* non inelegans, de qua vid. *FABER in Myrothecio spagyr.* cap 26. lib.1.

XXVIII. MVLVS, MVLA.

Ἡμίονος, *Maul-Esel.* Un muler.

Animal est vivacissimum, genitum ex equa & asino, ideoque sterile.

OFFICIN. NAT.

1. *Vngula.* 2. *Vrina.* 3. *Stercus.* 4. *Cor.* 5. *Epar, &c.*

VIRES.

1. *Vngula* suffitu menses nimium fluentes sistit. *Cinis potus* steriles reddit: *illitus* alopeciæ subvenit.

2. *Vrina* cum luto suo pedum clavos curat.

3. *Stercus*, Mensium fluorem sistit, & Dysenteriæ opitulatur (*combustum, tusum, cribratum & potum,*) dolori Lienis subvenit.

4. *Cor, Epar, Renes, Vterus, Testes, Spuma oris*: singula hæc sterilitatem inferre dicuntur.

MVLVS. SANGVINEM muli sive mulæ potius quidam illinunt ad tollendas *verrucas*, & LICHENES muli in vino infusi, & vinum infusionis potum *ad Epilepsiam* commendantur. Vlterius SPVMA *oris* mulæ collecta, & in vino calido propinata, *asthmaticos curare* dicitur: VRINA cum luto suo pedum *clavos curat*, dicit AVCTOR. Imò hoc ipsum in pedum *podagra* seu articulari morbo mirè convenit.

XXIX. MVS.

Mῦs.
- Domesticus, Μῦχος, *Mausz.* Vn Rat, ou Souris.
- Araneus.
- Alpinus.
- Major, seu Glis.

Mus domesticus est animalculum notissimum, vitæ brevissimæ, salacitatis maximæ.

OFFICIN. NAT.

1. *Mus ipse.* 2. *Stercus.*

VIRES.

1. Mus vivus dissectus & impositus extrahit aculeos, spicula, sagittas, &c. curat ictus scorpionum, extrahit venenum. Cinis mictioni involuntariæ, seu nocturnæ medetur (*potus,*) alopeciæ succurrit [*illitus,*] tussi refractariæ medetur, (*cinis.*) *Vide Forest.*

2. *Stercus* movet alvum infantum (*exhibitum gr.3.4.5.6. vel subditum*) inservit clysteribus & glandibus, alopeciæ succurrit, furfuresque capitis abstergit [*illitum.*] Calculos renum & vesicæ atterit: Condylomata omnisque generis verrucas, ficus, mariscas & mora ani tollit. [*Cinis cum vino coctus & applicatus.*]

Mus araneus, μυγάλη, Sorex nonnullis, *Spitz-Mausz*, Chauve-Souris.

Vires. Affectibus sedis, peculiari experimento est [ustus & illitus cum axungia anserina.]

Mus Alpinus, Murmel-Thier, Murmentle. Marmotte.

Est Animal Alpium altissimarum incola, magnitudine cuniculos ferè superans, hyeme integra dormitans.

OFFICIN. NAT.

Solus adeps commendatur ad genus nervosum & articulos contractos, rigidos, &c.

Mus major, ἄσης, ὕραξ, Rattus, *Ratte, Ratze.*

N. Venenum in cauda gestare dicitur.

Vires. Stercora murium majorum 9. numero deglutita, mulierculis nonnullis singulare habentur experimentum, quo mensibus obstructis occurrere moliuntur. Plater.

MVS DOMESTICUS. STERCVS murium dicitur *album nigrum*, supra habuimus sub cane de albo græco: CINIS murium internè commendatur *ad mictionem involuntariam.* Unde etiam mures *elixi* in cibo & pro cibo dati infantibus, impediunt quò minus noctu stragula permingant. CAPITA muris *usta* seu calcinata, cum melle mista, & partibus glabris & calvis illita, solent curare *alopeciam Muscerda* seu stercus muris sive album nigrum convenit pro *laxanda alvo.* Unde notum est, quod sint *suppositoria* ex melle & stercore murium pro stimulanda alvo, quæ dicuntur *aucta*, quoniam valdè stimulant: stercus murium permiscetur etiam *clysteribus* pro stimulanda alvo & intestinis. 7. Stercora muris assumta potentius stimulant quàm clyster. Vnde elegans est *modus purgandi infantes*: sumitur unum vel alterum stercus sive Muscerda, & pulverisatur, propinatur cum pulmento infanti, leniter enim inde & eleganter purgantur.

MVS MONTANVS seu ALPINVS.

ADEPS muris montani mirè conducit *in pleuritide* externè illita, fuitque *secretum* PARACELSI pro sistendo ac compescendo dolore curandaque pleuritide. In MYNSICHTI *armamentario medico-chymico* habetur oleum sive *unguentum contra pleuritidem*, cujus fundamentum seu Basis est axungia muris alpini sive montani pag.188. PARACELSI

SI *unguentum* in omni pleuritide usitatum fuit hoc:
℞. *Pinguedinis muris montani* ℥j.
olei amygdalarum dulcium ℥ß.
olei Chamomill. rosarum ana. ℥j.
M. Fiat Unguentum.

XXX. OVIS.

Ovis, πρόβατον, { Mas, Aries, *Hammel*. Un agneau.
Ovis, *Schaaf*. } Vervex, i.e. Aries castratus.
Une Brebis. { Fœmina, Ovis.
Agnus, vide suprà.

Ovis animal est mansuetum, timidum, lupo inimicum.
N. Coitùs tempus est à Majo ad Augustum.

OFFICIN. NAT.

1. *Cerebrum.* 2. Fel. 3. Oesypus. 4. Lana succida. 5. Sevum. 6. Pulmones. 7. Omentum. 8. Stercus. 9. Urina. 10. Vesica. 11. Caput & Pedes. 12. Pediculi.

VIRES.

1. *Cerebrum* arietis prodesse aiunt in somno immoderato arcendo in morbis Epidemiis (*frixant cerebrum, cumque pinguedine in placentam redigunt, addendo Cinam. Nucist. & hinc exhibent. Conradin. de Morbis Ungar.*) Facilitat dentitionem (*illitum cum melle*)

2. *Fel* [*lanâ susceptum, infantumque umbilico impositum*] solvit alvum, carcinoma exteriùs sanat [*illitum*] auribus purulentis auxilio est [*instillatum cum lacte muliebri*]

3. *Oesypus* [succidarum lanarum pinguedo, vulgò Isopus humida dicta] conficitur hac ratione. [Sed non è scabiosis.]

Lanæ succidæ è collo, feminibus ac femoribus ovium macerantur aliquot horis [6.7.8.] in aqua ferventi, hinc fervefiunt iterum, agitanturque bacillo, donec totam pinguedinem in aquam deposuerint. Aqua hæc, semotis lanis magno impetu ligneâ rude agitatur, aut ex alio in aliud vas effunditur, ut spumescat, sic sordes spumæ inhærescentes separari poterunt. Reiteretur hæc depuratio, donec nihil spumæ amplius extet: collecta pinguedo lavetur aquâ purâ [*alij malunt marinam*] manibusque agitetur, donec candida evadat, nec aquam amplius inficiat, admotaque linguæ leviter tantum astringat. Et hæc omnia sub fervido Sole fieri convenit. *Matth. & Diosc.*

Vires. Emollit, resolvit, calefacit, dolores sedat, luxatis, contusis, & simil. convenit.

Lana succida, Ἔριον ἔσιον, *schmutzige Schaafs Wolle*: colligitur Æstate è collo feminibusque, eaque mollis, & sudore referta.

Vires. Calfacit, emollit, lenit, convenit optimè contusis, luxatis, cæsis, & simil. (cum aceto, oleo, vino imposita.) Cremata vim habet calfac. siccitatem acrem, & mordacem discutiendi: Ea propter confert humidis, mollibus tumoribus, ulceribus inveteratis, excrescentias cohibet, ulcera ad cicatrices perducit, fistulas auresque suppuratas sanat.

5. Sevum datum ex vino rubro sanguinem sistit, diarrhæam, dysenteriam, & tormina ventris curat (*in clysmate.*

6. *Pulmones* (ut & aliorum animalium carnosa viscera) capiti impositi dolores & æstum mitigant, ferocesque spiritus sopiunt.

Hinc usus præcipui in phrenitide, vigiliis, &c.

7. *Omentum* calidum colico medetur dolori (*impositum.*)

[N. Lactis deberet hîc fieri mentio, in ulceribus internis proficui, præsertim in dysentericis.

8. *Stercus* vim habet refrigerandi, exsiccandi, aperiendi, discutiendi

Hinc maximi usus in aurigine (*sumptum cum petroselino, &c.*)

Extrinsecus convenit in tumore splenis, in thymis, calvis, verruca, tumoribus cutaneis, &c. Maximi itidem solaminis est in ambustis (*pulverisatum & inspersum.*

9. *Urina* (nigræ vel rubræ ovis) sumpta, aquam intercutem abigit (*idem facit & destillata.*)

Dosis ℥v.vi.

10. *Vesica* (ut & capræ vesica,) cremata & exhibita, iis qui urinam inviti reddunt succurrit.)

11. *Caput & pedes* vervecis in aqua fluente optimè decocta, atrophiæ & contracturæ subveniunt, (*in balneo.*)

12. *Pediculi* mira præstare dicuntur in arthritide vaga curanda. Exhibiti N.9.

PRÆPARATA.

Emplastrum de pelle arietina.

In Herniis, & fracturis ossium usuale.

OVIS. Quod habet AUCTOR, de CEREBRO *arietis*, quod prosit in *arcendo somno* immoderato in morbis epidemiis vid. imprimis in *BURGGRAVIO de morbo ungarico cap.9. pag.52. Cerebrum* ovis sicuti etiam arietis commendatur illitum gingivis ad *facilitandam dentitionem.* Quæ habet AUCTOR, sunt satis clara, de FELLE, quod soleat in specie commendari ad cancrum exulceratum gangrænamque, si illinatur ad similitudinem linimenti vel unguenti. PULMONES & alia viscera carnosa *capiti prosunt*, dicit AUCTOR: In *phrenitide* ℞. *pulmo* vel ex ove vel agno vel vervece, & circumdatur sive applicatur capiti raso calidè, sicque mirè commendantur ab auctoribus: id quod etiam fit, si gallina nigra discindatur per medium dorsum, & calidè applicetur capiti, quemadmodum multum laudat *LINDANUS in Collegio super Hartmannum.* De CARNE *vervecina* nocte instar multarum lampynidarum *lucente.* vid. *Cent.1.obs.BORELLI obs.3 p.m.6.* OMENTUM adhuc calidum ex ove extractum & applicatum abdomini in *Colica & Dysenteria* certum est remedium, & comprobatum hoc habuit *AMATUS LUSITANUS in Curationibus.* STERCUS commendatur ab AUCTORE in *angina sive Ictero flavo*: Cœterum omnia stercora curant Icterum, in specie tamen stercus, Anserum juniorum. VESICA ovis & vesica capræ sunt specificum in *mictu involuntario.* Vesica ovis aut in defectu ejus vesica capræ exsiccatæ dantur ad ℈j. & valdè convenit in mictu involuntario, vid. *Prax. Chymiatr. HARTMANN. part.1. pag.252.* & quidem plurimis vesicis hæ vires sunt communes, ita præter vesicam ovillam & caprinam etiam convenit in mictu involuntario vesica suis, vesica apri, item vesica tauri.

XXXI. RANUNCULUS VIRIDIS.

RAnunculus calamites (à calamis in quibus degit,) Dryopetis *Laub Frosch.* Une grenoüille.
Est genus Ranarum terrestrium, reliquis minus, colore viridissimum, amans dumeta & loca aspera.

OFFICIN. NAT.

1. *Ipse Ranunculus.* 2. *Sanguis.*

VIRES.

1. *Ranunculus Sylvestris* convenit viribus cum rana aquatica, ejusque cinis vulneribus inspersus mirificè sanguinem cohibere dicitur. *Clariss. Dn. D. Arn. Weickhard. in Thesauro.*

2. *Sanguis* peculiariter pro Philtro commendatur.

RANUNCULUS VIRIDIS. Nam utut omnes ranæ sint officinales, præ cæteris tamen est *officinalis ranunculus viridis*, & inter reliquas *eligendæ*, quæ vivunt in aquis salubribus & limpidis, quæ verò in aquis degunt stagnantibus, palustribus & fracidis, ceu malignæ sunt rejiciendæ. Quæcunque rana *pulverisata internè* convenit in *sistendo sanguine.* Unde vel *appensa* solet interdum substitui bufoni in sistendo & compescendo sanguine. Item ranæ commendantur *externè* in *ulceribus malignis* & etiam *in cancro exulcerato.* Sunt qui præscribunt ranas bene pastas & *coctas* vel assatas *in hectica* vel *phthisi*: in quibus morbis singulares sunt Italis. *Aqua destillata* ex ranis, uti etiam pulvis ranarum convenit in *Ulceribus malignis*, inflammatis & aliis. Vid. *HOEFERUS in Hercule Medico pag.66.* Uti etiam in *scriptis HILDANI*;

sunt qui præcipiunt, ut ranunculus viridis totus *calcinetur*, & de pulv. quantum cultelli cuspide capi potest, in lacte muliebri propinetur infanti statim post partum, antequam lac vel alium cibum assumat, sic enim fieri dicunt, ut *præservetur* infans ab *epilepsia*. De ranis aquaticis habebimus, ubi de insectis.

XXXII. RHINOCEROS.

Ῥινοκερώς, *Rhinocer.* Le Rhinoceros.

Animal est magnitudine Taurum, forma aprum æmulans, cornu unicum in proboscide gerens, idque nigrum, fissile, cubitum longum, pyramidale, bubuli cornu forma sua repræsentans, solidum sine cavitate.

N. 1. Tale nimirum videre licet apud viros rerum variarum curiosos, Cornelium ac Joannem Petræos, Materialistas hujus loci celeberrimos.

N. 2. Et cornu alterum pusillum in dorso gerere dicitur, quod ejusdem cum priore coloris, itidem apud Petræos constat.

Vires. Commendatur ad venena, contagia, aliosque affectus sudore opus habentibus, ideoque loco unicornu in hujus defectu esse poterit.

Datur in scobe pulverisata ad ℈ß. vel ℈j.

[N. Oleum inter rara quibusdam habitum.]

RHINOCEROS. Animal ingens, taurum magnitudine æquans, nimis robustum, de quo vid. *rerum exoticarum scriptores*, qui omnes de hoc agunt. Commendatur ex hoc CORNU, quod gestat in extremitate narium: *Commendatur in morbis malignis* sive venenatis, & exinde in specie in *febribus malignis*: unde etiam *substitui solet* unicornu in iisdem, uti videri potest in ZACUTO LUSITANO *lib.* 4. *Medic. princip. Histor.* 51. *Dosis* est à ℈ß. ad ℈j. sunt qui faciunt exinde poculum elegans admodum, ex quo hauriunt vinum vel alium potum: *præservat* enim *à veneni potu*, & impedit, quo minus possit intoxicari. In *FABRI Myrothec. spagyr. lib.* 1. *cap.* 29. habetur Q. E. præparatio Rhinocerotis, uti etiam BARTHOLET. *de respiratione pag.* 416. qui habet aquam *destillatam* cornu Rhinocerotis: cum aliis aquis, cui ipse multum tribuit in morbis malignis.

XXXIII. SERPENS.

Ὄφις, *Schlang.* Le Serpent.

Animal est astutissimum, exuvias suas singulis annis bis exuens. Vere sc. & Autumno, Hyeme sub terra, & præcipuè sub radicibus arborum, [Betulæ, Coryli,] sopitum quiescens, homini infensissimum.

N. 1. Serpentis nomen generale est, multas serpentum species sub se comprehendens. Hujus autem loci vulgare serpentis genus intelligimus à Cæciliis, Viperis, &c. distinctum, quas damus infra.

N. 2. Præstant collecti initio Veris cum senectam deponunt, attamen non statim ab egressu è latebris hybernis.

OFFICIN. NAT.

1. *Integri combusti, Caro, Cor, Ossa.* 2. *Pinguedo.* 3. *Exuviæ.* 4. *Fel.*

VIRES.

1. *Integri combusti* (*pulvis serpentum.*) *scil. caro, ossa ac Epar*, vim habent alexiteriam, sudoriferam (non venenatam.)

Ususque præcipui sunt intrinsecus in omnibus morbis venenatis ac malignis, quales sunt pestis, febris petechialis, lepra & similes: Quinimò & phthisicos & lue Venerea laborantes, viperarum præcipuè usu juvari, ceu secretum venditat Cardanus. Si scil. caro cocta comedatur, jus bibatur, pinguedoque spinæ & juncturis illinatur. Nec est, quod usum serpentum internum adeo formides, exenteratam enim ac decoriatam carnem, abjectis tamen felle, cauda & interaneis, loco cibi assumere licet.

N. Caput abjicitur, quia maximè venenosum est, adeo ut dentibus solis vim suam malignam exerant. Cauda negligitur non quòd venenata sit, sed quia ex ossibus tantummodo constet. Vesica fellea rejicitur, quia proxima est lacuna materiæ venenatæ, quæ inde duobus montibus ad dentium vesicas, seu gingivas refertur, in quibus scil. spirituosior ac efficacior illa fit, adeo ut si quis dentibus viperæ etiam jam dudum interemptæ pungatur, veneno inficiatur, secus ac de felle constat, quo recenti canes moriuntur, siccato sine noxa vescuntur. Interanea non adhibemus ob stercora vel ova adhærentia; aliàs tamen his rejectis, sine noxa usui esse possunt.

N. 2. Si placuerit corda ac Epata seorsim servare, secundùm nonnullos Thesaurum Medicum obtines pretiosissimum. Verùm me hercle, si quicquam peculiare à carne & ossibus, quantum vires attinet, tibi inde persuasum habeas, falleris. Falleris itidem, si (quod communis fert opinio,) deglutitione pulveris serpentis, (vel & cordium recenter extractorum atque adhuc sese moventium) ab ictibus serpentum tutum te imagineris. Experto crede.

2. *Pinguedo* emollit strumas, oculorum rubedini & maculis medetur, visum acuit, podagricos dolores mitigat.

3. *Exuviæ* partum facilitare creduntur (*ventri vel lumbis alligata*,) odontalgiamque [in gargarismis] mitigare, impetigines curant (*pulverisata, vel incinerata, & imposita*;) alopeciis medentur, ac pilos nasci faciunt (*illita*.)

4. *Fel* ictibus serpentum impositum, venenositatem in se allicit, idem & de capite imposito affirmant.

[Iecur exsiccatum cum aqua cinamomi ad partus difficultatem propinatur.]

PRÆPARATA.

[Sal volatile (vertebrarum spinæ præcipuè) ad arthritidem vagam utile. Parari etiam potest oleum, sc. liquor.]

1. *Pulvis.*

Pulveres serpentum tot compositionum circumferuntur, ut Agyrta ferè quisque peculiare sibi quippiam imaginetur. At quid opus est compositione, nec enim corrigi serpentes exenterati opus habent, nec stimulari, sat est fortis eorum vis, sat tuta carnosa ac ossea substantia (Cor, Epar, Lingua, Caro, Ossa, utpote quæ minimè venenata) integer itidem si comburatur, venenatam exhalat naturam (mallem tamen caput rejecisse,) nihilominus tamen adscribam unum atque alterum.

Bezoarticum animale simplex.

1. ℞. Serpentem excoriatum, (rejectis interaneis, cauda ac capite) lava & exsicca, hinc pulverisa, unà cum spinæ vertebris, pulverem serva pro usu.

Dosis à ʒß. ad ʒj.

N. Exsiccatio vel per se in aëre peragi potest, vel in MB.

2. ℞. Serpentes vivos, non exenteratos aut excoriatos (conjice in ollam ac tege operculo, torreque ad ignem lentum, ut omnis pinguedo & humiditas consumatur (*absque combustione tamen*) postea redigantur in pulverem.

N. Præfero priorem, quippe metus ne venenosæ partes sufficienter exhalarint.

Ex hoc fit
Bezoarticum animale compositum.

℞. Pulv. serpentum ʒij. Rad. Valerian. Angel. Pimpin. Herb. Rutæ ana ʒj. M F. pulvis.

Dosis à ℈j. ad ℈ij. vel ultrà.

N. 1. Solus pulvis colubrinus valet adversus araneas vivas, & arsenicum, non verò ad pestem curandam, experimento Untzeri lib. de peste, pag. 195.

N. 2. Ex carne siccata extrahitur Tinctura per spirit. vin. aut quidem melius cùm spiritu Juniperi. Vide Quercetan. & Fab. Myrothec.

SERPENS. Qui utut vulgo dicatur, quod sit *venenatus*, nihilominus tamen *nisi sit iracundus* & furore percitus, *nullus serpens* vel vipera est venenosa. Ut taceam *reperiri* plures magnos *serpentes*, *qui non sunt venenati*, & nullo modo possunt ad iram promoveri, sed omninò sunt placidi. Exempla hinc inde prostant. *Colligendi* sunt tempore verno, statim postquam deposuêre exuvias, & è latebris fuerunt egressi. *Officinalia* quod attinet, *totus serpens* est alexipharmacus, unde est, quod *pulvis* eorum vocatur BEZOARDICUM ANIMALE: ejusque *spiritus sive sal vol.* sicut viperarum mirè conveniunt *in morbis malignis*, pulvis serpentum usurpatur, &c. Cæterum *observetur*, quod AUCTOR dicat integri *combusti*, qui modus præparandi est *rejiciendus*, quoniam in combustione vis egregia, quæ consistit in sale vol. & spiritu exhalat: *Potius exsiccandi* sunt serpentes, pulverisandi & pulvis cum spiritu vini camphorato irrigandus, ut exaltetur pulveris vis alexipharmaca.

lexipharmaca. *In febribus malignis*, *purpura*, in febribus *petechialibus*, *in peste*, & ubi eſt malignitatis ſuſpicio, datur à ℈j. ad ʒß. cietque ſudorem. Serpentes qq. uti etiam viperæ mirè conveniunt *in cura luis venereæ*, in quacunque forma *ſive* decoctum, *ſive* ſal vol. *ſive* Eſſentia aut aliud quid exhibeatur. Præterea ſerpentes mirè conveniunt in firmanda ſanitate & prolonganda vita. LOTICHIUS namque *obſ. pag.* 425 habet obſervationem ex comeſtione carnis ſerpentinæ vegetæ productæ ſenectutis. Ulterius valdopere proſunt *pro arcenda ſterilitate virorum*, ſi edantur viperæ vel ſerpentes. Sic Dux Bavariæ habuit gallos criſtatos, quos cibavit ſerpentibus, & uſurpavit pro cibo, ſicque factus fuit fœcundus. Dicunt, ſi ſerpentibus ſuſpenſis evellatur LINGUA, ſingulare eſſe experimentum, & ſi *carbunculis* peſtilentialibus imponitur *venenum*, ſoleat mirè ad ſe trahere. EXUVIÆ ſerpentum imprimis *ſunt officinales*, *& fiunt*, quando ſerpentibus certo tempore quaſi morbo affectis, & ſomno ſuppreſſis, ob impeditam exinde inſenſibilem tranſpirationem partes naturaliter acres intra cuticulam & cutim ſubſidentes corrodendo hæc ab invicem ſeparant, *in quibus* multa *latitant arcana*. Prius noto, quod ſpolia ſive *exuviæ ſerpentum* imprimis *ſunt*, quæ ſerpentes *ſponte exuunt*. Nam quæ aliàs detrahuntur, aliàs habent virtutes. 1. Certum eſt, quod *partum* mirabiliter *facilitent*, *ſive* inſtar *cinguli* circumdentur corpori, *ſive* etiam *fiat* ex iis *unguentum* ſeu Emplaſtrum. Sunt etiam, qui cum ſucco cancrorum fluviatilium & lumbricorum terreſtrium cum axungia vulpina & leporina, ac denique cum exuviis ſerpentum faciunt *unguentum*, quod applicant abdomini, & mirè exinde facilitari dicunt *partum*. De hac vi exuviarum in facilitando partu, qui plura cupit, vid. *KHUNRATH. in medulla deſtillatoria lib.* 1. *tr. V.* ubi etiam dictum reperitur unguentum. Et *SCHMUCK. Curat. magico magnet. pag.* 30. *Exuviæ* ſerpentum inſtar Cinguli applicatæ abdomini, dicuntur *curare hydropicos*, eoſque expurgare *per urinam*. Ulterius exuviæ mirè commendantur ab HORSTIO *in Diſpenſatorio ad alopeciam*, ut creſcant pili. Exuviæ ſerpentum *pulveriſatæ*, *mixtæ* cum pulvere cancrorum fluviatilium, mirè conveniunt in *vulneribus nervorum*, quod ſi quis fuerit diſſectus, inſperſus hoc pulvere, ſubitò *concreſcit* & conſolidatur, quod etiam de *tendinibus* & aliis verum eſt. Idem pulvis eſt expertus in *vulneribus oculorum*, quæ citò ſanat. Item ſi pulvis exuviarum inſpergatur in *vulnus recens*, intra triduum illud *curare* dicitur. *Decoctum* Exuviarum ſerpentum valdè commendatur *in cura morbi pedicularis*. Præter hæc etiam datur LAPIS SERPENTINUS, qui lapis ſerpentinus, de quo vid. *moderni* KIRCHERUS & alii, *eſt ſubſtantiæ lapideæ*, ſive potius *oſſeæ*, & reperitur *circa caput* ſerpentis in India orientali, qui hanc *habet virtutem*, *ut applicatus morſui venenato adhæreat* tamdiu, donec *attraxerit* omne *venenum*, poſtmodum ubi decidit, injicitur in lac, ut venenum hauſtum communicet lacti, poſtea exemtus rurſus applicatur morſui, & ſi aliquid adhuc veneni eſt reliquum, adhæret vulneri, ſin verò nihil reperit, ſponte decidit. Et curavit nuperrimè D. *TACHENIUS* canem quendam à vipera demorſum cum hoc lapide ſerpentino, quem veneno impregnatum injecit in lac, illudque ita intoxicavit, ut propinatum alteri cani fuerit veneni inſtar lethale. Pulvis uti dixi vocatur Bezoardicum-animale, & convenit in morbis malignis, in ſpecie in cutaneis lue venerea, &c. *In viperis* & ſerpentibus eſt *Coſmeticum*, quod habebimus, ubi agemus de viperis. *Præparationes* pulveris ſimplicis & compoſiti habet AUCTOR. *Obſervetur*, quod ubi aſſumto pulvere Bezoardico-animali ex ſerpentibus, altero die velimus purgare, *difficilius ſequatur purgatio*, quoniam pulvis Bezoardicus vegetabilis reſiſtit veneno & malignitati purgantium.

XXXIV. SUS.

Σis { Mas, Verres, Porcus, *Eber*; *Borch*, *Barch*, Truye; Porceau. Majalis, i.e. porcus caſtratus. Fœmina, Porca, ſcrofa, *Sau*. Porcellus, *Ferckel*. }

Animal eſt maximè pituitoſum & humidum, multis morbis obnoxium, quales raucedo, angina, ſtruma, febris, grando.

N. Non datur animal, quod homini quantum interiora attinet, ſimilius ſit ipſa ſue.

OFFICIN. NAT.

1. *Fel.* 2. *Pulmo.* 3. *Pinguedo.* 4. *Oſſa.* 5. *Talus.* 6. *Stercus.* 7. *Veſica.*

VIRES.

I. Fel ſuillum contra aurium ulcera, reliquaque omnia magno ſucceſſu adhiberi ſcribit Dioſc. pilor. proventum impedit (*cum lardo ſuillo ana, ac 3. p. parte aceti acerrimi & Ol. Amygd. ana digeſtum & illitum*) [exſiccatum ad ſuppoſitoria uſurpatur.]

2. *Pulmo* mirificè prodeſt impoſitus attritui à calceamentis contractio.

[Hepar & teſticuli porcelli pro arcano venereo habentur.]

3. *Pinguedo* (*Adeps abſolutè dictus*) calefacit minus, ideoque in unguenta refrigerantia infertur, inveteratos dolores lumborum & articulorum ſedat, *inuncta cum cinere ſtraminis fabacei aut calce.*

Lardum coctum & circumligatum oſſium fracturas feliciter conglutinat.

N. 1. Pinguedo quæ è ſue veteri fuerit, vel quæ ſale condita, calidior ac efficacior eſt illâ quæ tum è porcellis deſumpta, tum inſulſa fuerit. Sic & vetus axungia acrior eſt recenti.

N. 2. Sunt qui ſolâ axungiâ verris, vice Sympathetici unguenti utuntur.

4. *Oſſa*, aiunt oſſa de collo ſuſpenſa quartanâ laborantibus eſſe auxilio, fides ſit penes expertum.

5. *Talus* (*Aſtragalus*) commendatur ad fracturas oſſium, ut & ad colli capitiſque dolores (*uſtum & exhibitum*) [item ad dyſenteriam, & quamvis hæmorrhagiam.]

6. *Stercus* (*ſuccerda*) emollit, diſcutit, hinc prodeſt in prurigine, exanthematibus, clavis pedum, aliiſque tuberculis duris (*calidè impoſitum.*) Ictibus medetur animalium venenatorum (*cum aceto coctum.*) Hæmorrhagiam narium ſiſtit, [*in aqua tritum & illitum*] ſufficiet etiam odor.]

[Vulvæ in hæmorrhagia uteri calidè adhuc, linteo incluſum, appoſitum, expertum eſt remedium.]

7. *Veſica* juvat eos, qui inviti lotium reddunt, *cocta vel uſta & exhibita.*] Eadem præſtat pubi impoſita. Urinam ciere fertur. Plin.

[Lapis porcinus ſive Hyſtericus Malacenſis malignitati reſiſtere, & lapide Bezoar potior cenſetur, ab apoplexia & epilepſia præſervare, materiam calculi diſſolvere, & arthritidem curare. Imponitur aquæ, cereviſiæ & vino per horam, hinc bibitur. Ad choleram ex vino datur. Secundinas pellit, ad menſes movendos manu geſtatur. Prægnantibus non exhibendus, quia abortum facit.]

PRÆPARATA.

1. *Unguenta ex pinguedine fiunt varia.*

E. ggr.

Roſatum, pomatum, *quæ ſuis locis attigimus.*

2. *Aqua ad Atrophiam.*

Fit è ſanguine è fibris repurgato, atque cum herbis bechicis refrigerantibus & humectantibus in MB, deſtillato.

SUS vel PORCUS. Uti ratione conformationis partium tam internarum quàm externarum cum homine multum convenit, ita etiam SANGUIS & CARO *ad ſanguinem & carnem humanam* quam ximè

proximè *accedunt*. In usum medicum adsciscitur 1. FEL, quod prodest in *affectibus aurium & oculorum*, & certam convenientiam habent animalia, habito tamen delectu, quo unum altero vel plus vel minus in hoc affectu convenit. HEPAR ad *affectus epatis* solet usurpari: si scilicet admoveatur. De pulmonibus quæ habet AUCTOR, sunt legitima. ADEPS porcinus valdè convenit in emolliendis *tumoribus* & leniendis *doloribus*. In emolliendis tumoribus *solent ingredi cataplasmata* extrinsecus applicanda, ex eo quoniam minus est calidum. Adeps porci *bulliens* guttatim *super lauri foliis pro ectus*, & hoc oleo ambustus locus inunctus ille intra tres dies *curabitur*, quasi quodam incantamento, licet pars *ambusta* maximè fuerit quovisque modo. Vid. *BORELL. obs. Cent.1. obs.76. pag.81.* Deinde *dolorem lenit* ex incandescentia & *inflammatione* obortum. In *lardo vis* quædam *magnetica* residere dicitur, ratione cujus lardum commendatur *in* curandis *vulneribus* vel potius *verrucis*. Dicunt enim, si imponatur lardum vel potius corium lardi, verrucis, ut incalescat, & postmodum suspendatur in camino furni, vel in fimo equino sepeliatur, fieri, ut sicut exsiccatur in fumo, vel putrescit in fimo lardum, ita exsiccetur & putrescat verruca, sicque absumatur. In *angina cum inflammatione linguæ*, quando lingua est arida, combusta & exsucca, conducit lardum: Notum est, quod superius aliquoties commendatus fuerit succus semper vivi cum sale ammoniaco, pro gargarismate vel abstersivo linguæ, quod si non sufficiat hoc sedum, ita ut lingua sit quasi combusta, nigrefacta, arida atque exsiccata, in tali affectu commendatur præ cæteris frustum lardi, & imprimis *corium lardi* ad motum linguæ, & ad tempus relictum *linguæ impositum*: Sic enim fieri dicunt, ut durities linguæ emolliatur, & instar Corii detrahi possit materia exsiccata, esseque remedium sæpius probatum. Vid. *AGRICOLA in Chirurgia parva pag 804. & MINDERERUS* in medicina castrensi.*pag.209*. Contra *tussim nimiam* & vehementem ac imprimis nocturno tempore ingruentem, sunt qui commendant *hoc remedium*.

℞. *Capit. allii cap.3.*
axungiæ porcinæ q.s.

contundantur optimè, & *fiat unguentum*, quo *inungantur plantæ pedum* vesperi ad ignem cum itur dormitum: deinde inungatur aliquantulum *spina dorsi* in lecto: quod si per 3. dies factum fuerit, liberabitur æger ex vehementissima tussi noctu sive vesperi affligente. Similis illitio axungiæ Lucii piscis in tussi infantum commendatur. Dicit AUCTOR not. 2. sunt qui sola *axungia verris vice sympathetici unguenti* utantur, &c. *Modus est hic*: recipiunt telum, quo inflictum fuit vulnus, istudque immittunt cruentum adhuc in lardum vel pinguedinem porcinam, & ita ægrum in distans curari aiunt, ceu ab unguento armario: vid. *SCHMUCK. in Curationibus Magico-Magneticis* pag.45. STERCUS sequitur. Jam aliquoties dixi de stercore asinino, canino, &c. quod valdè conveniant in sistendis hæmorrhagiis quibuscunque. Cæterum hæc omnia stercora superantur à stercore sive fimo porcino, quod *in hæmorrhagiis quibuscunque*, in specie narium omnium *reliqua stercora* longo intervallo *post se relinquit*: *sive* ex stercore recenti exprimatur *succus*, & propinetur internè, aut applicetur fronti ac naribus internè: *sive* ex hoc succo cum saccharo fiat syrupus, internè assumendus: *sive* stercus aridum cum aqua appropriata teratur & subigatur, pro usu interno & externo: *sive* adhibeatur calidum stercus porcinum fronti & temporibus, (dum adhuc calet ex intestinis, adhibeatur:) vel etiam olfaciendum præbeatur ægro; *aut* fiat suffitus naribus excipiendus: *vel* etiam succum instar *turundæ* naribus immittatur: In quocunque usu *mirabilia præstat* stercus porcinum. Sic quidam:

℞. *Pulveris stercoris porcini exsiccati* ℥iij.

addunt *pulveris rosarum* ʒß. (pro corrigendo fœtore) hos pulveres *miscent cum succo plantaginis*, & in hoc intingunt bombacem naribus immittendam. *Melius* est, si loco succi plantaginis, misceatur *cum succo urticæ*, quippe qui magis est appropriatus, de quo vid. *RODERICUS à CASTRO lib.1. de morbis mulierum. RIVERIUS lib. 4. prax. cap. 8.* qualem usum & mirabilem ac insignem vim etiam deprædicat ZACUTUS LUSITANUS *lib. ult. praxeos*. VESICA juvat eos, qui inviti lotium reddunt, dicit AUCTOR: Hoc verum est non solùm de vesica, sed etiam VULVA est *specificum* certissimum *in incontinentia urinæ*, & hac ipsâ dicitur quidam curatus, qui à primo ortu hac laboraverat. Ex hac *vulva* quidam medicus præparat *specificum remedium ad partum*. Matrix porcæ in fumo exsiccata, & ad ʒß. exhibita, singulare dicitur *remedium in epilepsia*. Ex *porcellis* junioribus imprimis fit aqua *contra atrophiam*, si destillatur: Valdè prodest in *phthisi, tabe, hectica* & aliis ad atrophiam tendentibus morbis: & hæc aqua est melior illa, quam habet AUCTOR ex sanguine & herbis. Est etiam LAPIS *porci*, qui dicitur reperiri *in stomachis porcellorum* Indicorum: alii dicunt in *vesica* eorum *fellea*: Quicquid sit, multum *commendatur* hic lapis, & paratur exinde *Panacea in morbis acutis* malignis & pestilentialibus, in *affectibus mulierum, apoplexia, epilepsia*. In genere *contra* quoscunque *affectus difficiles curatu*: ita quidem, ut in aquâ vel cerevisiam injiciatur per unam vel alteram quadrantem horæ, & liquor bibatur, exinde enim dicunt habere singularem effectum. Cæterum meritò *irridet* hunc *TACHENIUS in Hippocrate Chymico*, & non tantùm esse inutilem, sed etiam ridiculum & utut magni æstimetur lapis, nisi in substantia exhibeatur, in tali casu nihil præstare. Propterea *BARBETTE Tr. de Peste pag.21.* dicit, quod constet esse lapidem ex vesicula fellea porcellorum, qui similis sit lapidi in vesicula fellea hominis reperto, & quoniam hic in vesicula humana non raro reperitur: propterea dicit illum posse *substitui* lapidi porcino majori cum fructu & successu.

XXXV. TALPA.

Ἀσπάλαξ, Σπάλαξ, Mus terrenus. *Maul-Wurff, Schar-Mausz, Molt-Wurff.* Une Taupe.

Animal est acutissimi auditus, hoc peculiare præ cæteris animalibus habens, quod non nisi sub terra vivere ac superstes esse possit.

OFFICIN. NAT.

1. *Talpa ipsa.* 2.*Cor.* 3.*Sanguis.*

VIRES.

1.Cinis confert lepris, strumis ac fistulis, (*illitus cum albumine ovi, aut melle*)

Intrinsecus cum cerevisia aut vino potus curat arthritidem vagam dictam (*die lauffende Waren, die lauffende Gicht,*) & scrophulas,

Dosis ℈ß. quotidie assumendus.

2.*Cor*, Herniam sanat, [*siccatum pulverisatum & exhibitum per dies 3.aut 4. scil. quotidie unum. Vertiginem tamen & palpitationem cordis inducere dicitur.*]

N. Præstat mense Maio collectum.

3.*Sanguis* recens illitus, capilli calvitiem decorat.

[Cruore charta imbuta, aquæ intincta gangrænosis membris conducit, mammillis præsertim.]

N. Vulgi opinio est, si quis talpam manu compresserit, ut moriatur, eum à febri eo ipso anno fore securum, quin & in Paroxysmo febrili manu retenta, insultus reprimere censetur.

[Talpæ oleo lini coctæ vapor noxius hinc naribus incendiariis etiam admisceri notavit Hofm.]

TALPA. Uſurpatur 1 ſub forma *calcis*, dum aduritur & calcinatur, in *lepra*, &c. uti habet AUCTOR. *Vinum* propterea *decoctionis* talpæ prodeſt iis ſingulariter, qui laborant *ſcrophulis* & *ſtrumis*. Obſervetur etiam, quod talpa calcinata ſingulariter proſit in *ulceribus cancroſis* & in ulceribus *ſcorbuticis*, cum etiam internè in ſcorbuto ſingulariter proſit: COR *Herniam ſanat*, dicit AUCTOR: fides ſit penes experientiam. SANGUIS talpæ præter id quod curat *alopeciam*, uti habet AUCTOR, peculiaris eſt in *gangræna & ſphacelo*, ſi papyro illinitus exſiccetur, poſtea aquæ appropriatæ intinctus ita applicetur. In *gangrænoſis mammillarum affectibus* præ cæteris conducunt DENTES ex talpis vivis exſciſſi: mirè etiam conveniunt in *dentium affectibus*; Unde etiam in *dentitione infantum* adhibiti mirè convenire dicuntur, uti etiam *in odontalgiis*. De manu in qua extincta fuit talpa, vid. AUCTOR: & præterea manus, in qua fuit extincta talpa, ſi applicetur cancro ſive exulcerato ſive non exulcerato, certò eum curare dicitur. Sicuti etiam eadem manus extinctionis talpæ applicata, *Eryſipelati*, eundem ſubitò ceſſare facit. SANGUIS & PELLIS talpæ applicata in *Paronychia* eſt *experimentum* certum *HELMONTII* contra Paronychiam.

XXXVI. TAXUS.

Μήλις, Melis, Taxus & Taxo, *Dachs*. La Martre, ou Taiſſon.

Duorum eſt generum: Caninum, quod pedes habet caninis ſimiles: & porcinum, quod pedibus ſues imitatur.

OFFICIN. NAT.

1. *Integer in ineratus*. 2. *Sanguis*. 3. *Adeps*.

VIRES.

1. *Taxus integer* incineratus cum ſucceſſu exhibetur pulmoniacis ſanguinem excreantibus.

2. *Sanguis* pulveriſatus lepræ convenire dicitur, deſtillatuſque peſti ſubvenire.

3. *Adeps* præcipuè Officinalis eſt, qui uti paulò craſſior, ita & paulò calidior ac efficacior eſt ſuillo. Renum doloribus auxiliatur, à calculo ſubortis (*inunctus vel in Clyſmate adhibitus*,) febrilem æſtum mitigat, contracturis ac imbecillitatibus artuum ſuccurrit, *cum adipe vulpis cativa ſylveſtris*.

TAXUS. De quo pauca ſunt, quæ ſolent præſcribi & proſtare in officinis. Tantummodo ADEPS adhibetur propter vim, quam habet aliquantiſper fortius penetrantem quàm alii adipes quicunque. Unde applicatur renibus in *nephritide* vel cum unguento Dialtheæ, quando volumus compeſcere dolorem vel cum oleo ſcorpionis ſimplici, quando volumus pellere urinam & calculum.

XXXVII. VIPERA.

Ε'χις, vel ἐχίδνα, (Fœmina, Arabicæ Alphe, Thirus, *Viper-Natter, Natter. Otter, Atter, Heck-Natter, Brand-Schlang*. Un Vipere.

Eſt ſpecies ſerpentis viviparæ, ſerpentibus communibus venenoſior, hyeme in ſcopulis ſopita deliteſcens, vel & terrâ obtecta.

N. 1. Viperæ nomen nonnullis generale audit, omnique ſerpentum generi imponitur. In ſpecie tamen hic ſumitur pro eo, quod Italis Maraſſi nomine venit, licet adhuc controvertatur, utrum Viperæ Italicæ cum viperis à majoribus ad Theriacam expetitis eædem ſint.

N. 2. Viperis ſolis peculiare eſſe volunt vivum fœtum parere, unde & Viperæ, quaſi Viviparæ dictæ ſunt: attamen & in ſerpente ſat magno, quem in Finlandia ſecui, fœtus vivos deprehendi.

N. 3. Non tota Vipera venenata ac lethifera eſt, ſed ſolum caput & fel, reliqua, ut caro, epar, oſſa veneno carent. Vide ſupra de Serpente.

Præſtant 1. Fœmellæ collectæ tempore Verno, poſtquam aliquamdiu à cavernis ſuis hybernis fuerint egreſſæ, victuque quadantenus refectæ.

2. Juvenculæ (non effœtæ, nec gravidæ,) quæ ablatis partibus auferendis, diu adhuc moventur, quæque degunt locis aridis & montanis.

Vires. Vide in ſerpentum deſcriptione.

NIMIRUM.

Vires ibidem recenſitas præ aliis ſerpentum generibus Viperæ excellenti gradu obtinent. Præter eas ſunt qui viperæ caput ad anginam notham commendant (*collo appenſum*.)

PRÆPARATA.

1. *Oleum ex Viperis*.

℞. Viperar. nigrar. ℔ iij. Ol. Seſamin. ſextarium j. ß in vaſe vitreato anguſti oris probè obturati, ne vapor inde exhalet, incoquantur, donec caro ab oſſibus decidat, dein cum refrixerint, reponantur. Andernacus.

N. Alii per deſcenſum eliciunt ex Viperis, ſc. capite, cauda, & corbatis.

Vires. Cutim extergit & impetigines, aliaque id genus vitia ſanat.

2. *Sal Theriacum, ſ. Theriacale, vide Diſpenſ. Auguſt. & ſi placet, Querc. in Pharm. Reſt. Aëtium & Galenum*.

3. *Trochiſci de Viperis, v. Diſp*.

N. 1. Sunt qui Theriacam de Cæcula (Cæcilia, Blindſchleich,) confecerunt, ſummoque cum ſucceſſu tempore peſtis ad ſudorem eliciendum ſemel ac iterum propinarunt. Geſn. de Serpent. Schwenckfeld. ex Platero.

N. 2. Fieri poteſt & vinum viperinum (i.e in quo Viperæ interfectæ ſunt, ad Elephantiaſin celebre (bibitum) Galen.

4. *Pulverem alium egregium reperies in Pharmac. Poterii*.

5. *Eſſentiam Viperarum in Myroth. Fabr*.

6. *Alcohol Viperarum deſcribit Burggr. in Biolychn*.

Sal Viperarum volatile, oleum, Spiritus & Sal fixum & fixatum.

Viperæ exſiccatæ, conciſæ ac leviter contuſæ unà cum Epate & Corde, indantur in retortam loricatam uſquedum impleatur, deſtilla in vas recip. amplum gradatim. Exhibet phlegma & Spiritus, hinc ſal volatile undique lateribus recipientis, colloque retort. adhærens, tandem oleum fœtidum & craſſum, quod chartâ ſeparandum. Exemptum verò ſal volatile purificetur in phiola ſatis longa cum amplo, ſi placet alembic. ſublimando per arenam moderato igne, ne aquoſitas aliqua ſalem ſequatur, quod aucto igne contingere ſolet, Salis hujus partes ſublimes reliquis ſunt odoris penetrantioris, idcirco in alembico optimè clauſo cuſtodiantur.

Medicamentum ſummè penetrans, putredinem arcens, in toto corpore obſtructiones reſerat, febres reſolvit omnes, & quartanas, ſi hora 1. vel altera ante paroxyſmum propinetur in liquore appropriato, qui acrimoniam ejus nonnihil obtundere, non tamen obſtruere valeat, utpote in emulſion. ſem. melon. vel amygdal. d. addita portiunculâ aquæ roſar. vel cinam. & ſacch alb.

Doſis g. 6 ad ℈ß.

Figitur eodem modo, quo ſal volatile microcoſmi, niſi quod loco Sp. proprii ex ſale fixo (qui paucus eſt in viperis, & ex capite mortuo elicitur) ſumitur Spir. Sal. com.

Vires. Sic fixatus medicamentum eſt immutabile totum corpus permeans, reſolvit enim excrementa quæcunque, eaque abſtergit inſtar ſaponis, ubicunque locorum adhæſerint non aſſimilata, ut facilè & commodè à materia repellantur: vel per ſudorem, inſenſibilem tranſpirationem, aut quod plerumque fieri ſolet per urinam, propterea in melancholia quacunque, podagra, renum calculo & veſicæ, obſtructionibus viſcerum omnibus ac putredine præſtantiſſimum eſt remedium. In deperditis viribus pertingit ad loca affecta, naturam confortat, adjuvat purgando ſe & reſolvendo excrementa naturæ contraria.

Doſis ℈ß. *ad* ℈j.

Eſſentia Viperarum.

℞. Jecinora & corda Viperarum N. 100. exſiccata & contuſa cum ſpirit. vin. rectif. dies ac noct. (3. vel 4.) digere, extrahe ſ. a. Junctis deſtillationibus adde (ad ℔j. Eſſentiæ) Salis volat. ℥j. fixi ℥ß. Digere ut optimè uniantur, adhuc die uno atque altero, & habebis ſummum quod à Viperis ſeparari poteſt medicamentum.

Nr. Usitatissima hæc medicamenta sunt in Italia, magno que cum successu & ægrorum applausu adhiberi dicuntur.

VIPERA. Serpens *inter omnes* præprimis quæ æstimatur *venerata. De venenis animalium* magna *lis est* inter auctores, *in quonam* illa *consistant*, quæ veteres habent de felle, dentibus, lingua, capite & cauda, hæc omnia sunt convictæ falsitatis, vid. *ZUUOELFERUS in animadvers. ad pharmacopæam regiam.* Moderni qui *HELMONTII* vestigia legunt, *ZUUOELFERUS, MARCUS MARCI, POTERIUS* & similes auctores alii *dicunt*, quod uti *venenositas* viperarum, ita quorumcunque animalium consistat tantùm *in Idea* quadam *furoris*, indignationis & excandescentiæ, unde fiat, ut tantùm morsus sint venenati, cum totius bestiæ partes post mortem sint alias salubres, & elegantissima offerant medicamenta: per morsum autem tantum per salivam Ideæ communicatæ & transplantatæ archeum inficiunt. Patet hoc ex omnibus animalium morsibus, quorum saliva est innoxia, si sint placida, simul ac vero furore & ira fuerint percita, fit venenum, id quod notum est de canibus, felibus, & similibus aliis. Imò *morsus hominis* placidi non est nocivus, simul verò furibundus, *iratus* & iracundia percitus alium momorderit, morsus non minus *est venenatus* quàm morsus viperæ, vel canis rabidi & aliorum animalium. In *SALMUTH. PANAROLLO* & *aliis*, qui scripserunt *observationes*, *prostant exempla mortis* obortæ *ex morsibus hominum* iracundorum, qualem observationem etiam habet *HILDANUS in observationibus medico Chirurgicis.* Ex his similibusve aliis observationibus concluserunt, quod venena animalium oriantur, tantùm ex affectibus perturbatione, ex ira, furore, incandescentia, odio & similibus aliis, qui affectus & ideæ animalium communicatæ similes suscitant tragœdias Vid. imprimis ZUUOELFERUS ubi de Theriaca, trochiscis viperarum, item de sale vol. viperarum agit. Cæterum *hanc sententiam* satis probabilem, aliquantisper videtur *labefactare observatio* ista accuratissima & elegantissima, quæ facta est Florentin. ex jussu Ducis Hetruriæ per D. REDI: qui etiam edidit de hoc tractatum Italico sermone conscriptum, in quo omnes experientias & observationes in viperis ex agro Neapolitano allatis, factas accuratè describit, & *dicit* se reperisse, *quod* quocunque modo tractentur *viperæ*, vel comedantur, vel alio modo assumantur, *nullo modo sint venenatæ*, sive ex vivente sive ex mortua saliva hauriatur internè, sive fuerit irata sive placida, &c. Cæterum *si infligatur vel tantillum vulnusculum, & illinatur* in illud vel tantillum *de liquore salivali, hoc ipso* dicit *esse venenatum* animal, & sic internecioni hominem & alia animalia tradere. Fecit experimentum in canibus, quos leviter sauciavit, & ex vipera viva desumsit salivam, quam instillavit, & mortui sunt. Gallinas vulneravit in pedibus, sicuti gallos in cristis, & fuit illis venenum, subitoque interierunt immissa saliva, aliaque plura fecit experimenta, sive liquor salivalis sit ex vipera viva sive mortua desumtus, sive ex irata sive placida idem præstabit. Adeò ut ex hoc inferat, quod *viperæ & ejusdem partes* omnes *assumtæ non habeant vim malignam* propter vim succorum in stomacho & primis viis compescentem venenum ejusmodi. Cæterum si extrinsecus fit tantillum vulnusculum, cui applicetur liquor salivalis viperæ, morbus fit lethalis: & propterea etiam morsus viperæ fit lethalis, propter vulnusculum cui instillatum sit tantillum salivæ. Ex hoc judicandum de veterum PSYLLIS, qui hauriebant omne venenum sine noxa, adeò ut illis dicatur esse naturale, quoniam non est lethale: Verum simul ac applicantur leviter in ore vulnerati, vulnus est lethale. Omnia propterea dicit *animalium venena intrinsecus sumta non sunt lethalia.* Imò dicit præterea, quod hoc ipso liquore salivali sive vivæ sive demortuæ viperæ possint intoxicari tela. Vid. talia in tractatu, quem inscripsit, *observationes circa viperam*, adeò ut si veræ sunt, repugnent sententiis Helmontianis & ejus asseclarum, & interno usu non sint venenata animalia omnia: cum autem sint venena in vulneribus dicendum, quod *solum liquor vulneri applicatus sit venenatus.* Aliàs *vipera per se est salutifera*, & ditata usibus pro morbis malignis & venenatis, quibus viperis in defectu earum possunt *substitui* alii quicunque serpentes, teste *ZUUOLFERO pag* 150. *pharmacop. Reg. penult. edit. Colligendæ* sunt imprimis viperæ it. serpentes verno tempore, quando exuvias deposuere, & denuò incipiunt vesci plantis vernalibus & tenellulis, tunc enim præ cæteris sunt in usu. Quod *virtutes* attinet, multum conveniunt in *morbis malignis* ac *venenatis quibuscunque*, tam in febribus malignis & pestilentialibus, quam in specie, quando jam usque eò res devenit, ut pulsus videatur deficere. Præterea in *lue venereâ* & gallica mirè conducunt viperæ: sic *decoctum viperarum* commendat *TACHENIUS* pro cura morbi gallici in *Hippocr. chymico p.*65. Et D. *MICHAEL* curavit aliquando quemdam gallicum cum suâ *Essentia viperana*, ita ut post curam cuticula de toto corpore potuerit detrahi eodem modo, quô deponunt viperæ exuvias. In *Elephantiasi* & *lepra* non efficaciora habentur & magis appropriata remedia quàm ex viperis. Nota namque est historia à GALENO commemorata de Elephantiasi desperata, vino, in quo extinctæ fuerunt viperæ, curata. Vid. *ZUUOELFERUS.* In *scabie* continua *maligna* nihil melius est interno usu viperis: valdè enim *Massam sanguineam renovant*, & vitale balsamum q. s. quoddam rejuvenescentiæ inducunt: Ulterius *in sterilitate mulierum* valdè conveniunt, uti etiam in fœcundis maritis: sic refert *HELIDÆUS PADUANUS in observationibus* rarissimam historiam de muliere leprosâ & sterili, quæ ex usu decocti viperarum liberata fuit à lepra & fœcunda facta, ut aliquoties postmodum pepererit. Esus carnis viperinæ mulieres reddit fœcundas sicuti etiam maritos. Unde quidam Principes solent pascere gallos carnibus viperarum, ex quarum esu sibi conciliant fœcundum matrimonium. Cæterum etiam *viperæ sunt* egregium *Cosmeticum interno usu*: propterea fœmellis Italis & Anglis in usu sunt vina viperina pro concilianda faciei elegantia & nitore. Vid. *FEBURE in Chymia* ubi de viperis. Præterea in *strumis* & *scrophulis* nihil est melius medicamentis viperinis interno & externo usu. Internè multum commendantur: Externè AXUNGIA, pinguedo vel oleum viperarum in magno foret usu. CORDA & EPATA viperarum sunt specificum *remedium* in curâ *dysenteriæ epidemicæ*, in quâ curandâ non habetur simile remedium. Sunt qui per *usum pulveris viperini* ac serpentini se volunt reddere *immunes à morsu viperarum* & serpentum, si quis sumserit pulverem: quod tamen non credo. Nihilominus satis est expertus *ZUUOELFERUS*, fallax tamē adhuc ejus videtur experientia. Aliàs *in morsu viperæ* venenato non datur melius *remedium ferro candente applicato* ut non urat, sed saltim calefaciat: *vel* expertum est remedium, si *applicatur bufo vel* aridus aqua appropriata humectatus, *vel* convenit vivus contusus & instar Cataplasmatis applicatus vid. *Dissertat. de morsu viperæ.* Frustraneus ergo earum est metus & muliebris, qui putant, quod caput, fel & cauda sint venenata: *Filum* rubrum setaceum, *cum quo strangulata fuit vipera* si circūdatur collo *anginâ laborantes*, eamdem *curare* dicitur propter ideā strāgulationis & suffocationis. Vid. *BARTHOLTUM* in Tr. *de angina puerorū*, tum in *Cent.* 4. *hist. anatom. hist* 73 Dixi, quod viperæ interno usu sint egregiū Cosmeticū pro conservando & conciliando faciei nitore.

tore. Unde *axungia* viperina cõvenit vetulis *pro delendis rugis faciei*. Tunc enim *vel* sola applicata, *vel* mista cum balsamo Peruviano est egregium medicamentum. Quod dixi de vipera in morbo gallico adhuc confirmat experientia D MICHAELIS, qui aliquando restituit gallicum beneficio viperarum, cui ita læsum pericranium, ut fermè decideret propter corrosionem factam à veneno gallico. Quod attinet *modum applicandi* viperas, in usu est iste varius: & quidem modum, *quo debent nutriri capones* & galli, describit eleganter ZVVöLFERVS *pag.* 215. *pharmacop, Reg.* qui idem auctor quoque p. 150. demonstrat & declarat, quomodo præparanda sint *vina viperina*. Deinde fiunt pulveres ex viperis, qui vocantur *Bezoardici animales*, *quorum* pulveris variæ hinc inde ap. auctores prostant *præparationes*. Optima est si viperæ recentes exenteratæ exsiccentur per fumum baccarum Juniperi: si scil. per baccas Juniperi fiat suffimentum & exsiccentur viperæ, quæ exsiccatæ possunt pulverisari, *pulveris sicci* ℞. *partes* 3. cui misce *flor. sulphuris & Myrrhæ pulveris āa part* 1. vel partem ß. & adspergatur postmodum aliquot guttis olei *Cinamomi* & *ligni Rhodij*, & erit egregius pulvis bezoardicus animalis. *Alij* ℞. *viperas* easque benè lotas in vino Malvatico miscent cum *sale prunella* seu nitro fixo, & siccant viperas in loco calido, ut redigi possint in pulverem, abstersо tamen prius sale prunellæ, huic pulveri addunt corda & epata propria pulverisata, similiter & irrorant spir. vini, sicque pro usu reponunt. Plures qui vult compositiones pulver. bezoardicorum viperarum vid. ZVVöLFERVM, qui perstringit *Trochiscos viperarum* tanquam maximè inutiles, quia sint tantum massa panis cum paucis viperarum reliquiis permista. Propterea à modernis in compositione Theriacali assumitur loco trochiscorum pulvis bezoardicus animalis. De sale *viper.* vid ZVVöLFER ubi de vipera. sal THERIACALE modernorum est sal vol. viperarum & serpentum, quod prodit ex iis per retortam igne aperto, cum quo sale simul prodit spiritus & oleum destillatum. Hoc sal vol. est *magni usus* & efficaciæ in *morbis malignis* & venenatis à gr. v. vel vi. ad ℈ß. vel solum vel addito grano Camphoræ in aqua-forti appropriata, ubi summa viget malignitas. Sunt qui volunt *figere* sal. viperarum *per acida*, sed parant exinde crudum sal armoniacal. *est*, *potius* sal vol. sub formâ salis vol. usurpandum, quam frustra fingendum per acidum. Nam omnis *fixatio* salium *volatilium per acida est potius destructio quam fixatio*, uti declaratum dedi in *Dissertatione* supra citata *de morsu viperæ*. *Essentia viperina* quam habet AVCTOR, ut & alia de sale vol. sunt satis clara & vera; & si rectè præparetur *Essentia* est egregia tinctura, & colorem habet omninò rubicundum. Sunt qui parant ex viperis medicamentum, quod vocant *astrum microcosmi*, ex serpentibus vel viperis: ℞. serpentes vel viperas recentes contusas, abstrahunt in balneo phlegma, quod denuò affundunt, & addunt dimidium spiritus vini, putrefaciunt in fimo vel balneo per 4. septimanas, sublimant postea, & adscendit astrum crystallinum, quod in calore se coagulat, in frigore verò se in oleum resolvit: remedium prædicatum contra *pestem*, *venena* & *morbum Gallicum*.

XXXVIII. VITULUS.

Μόχος, ἰταλός, Vaccæ proles. *Kalb.* Un Veau.

OFFICIN. NAT.

1. Medulla. 2. Stercus.

VIRES.

1. *Medulla vitulina* post cervinam locum primum bonitatis obtinet, vim habet indurata & scirrhosa corpora emolliendi, sive musculis, sive tendinibus ipsis durities acciderit. Quin pessi quoque inde confiunt, uterum emollientes.

2. *Stercus* Erysipelati convenit (*recens illitum.*)

PRÆPARATA.

Aqua destill. pectoralis: vid. l. 2.

VITULUS. Ex quo usurpatur tantum MEDULLA *ex ossibus*, quæ post cervinam est optima, & quidem inuncta temporibus *vigilias arcere*, & suavem somnum inducere solet. Postea uti reliquæ medullæ *emollit*, digerit & maturat abscessus.

XXXIX. UNICORNU.

Μονόκερως, Remena, Reem, & Reim, Hebr. Alcherchedom. Arab. Unicornis, *Einhorn.* Licorne.

Animal esse dicitur equo quoad corpus non dissimile, ungulis fissis, cornu in fronte gerens procerum.

N. Cujus regionis incola sit nondum certò constat. Ælianus, montes esse ait in intimis regionibus Indiæ Orient. asperrimos & feris refertos, ubi qua nos bestiæ domesticæ sunt, feras aiunt esse, ut oves, canes, capras, &c. In iis Monocerotem, quem vocant Cartazenon, numerant, eamque magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedere, jubaque præditum, pilis fulvis esse, &c. Nicolaus Venetus referente Andreâ Baccio, invеniri eam scribit in extremis Asiæ partibus, in Provincia appellata Macina. Narrat Marcus Paulus Venetus, in quadam Provincia Indiæ Occid. ea reperiri, Regnumque Basinæ Provinciam eam appellat. Verum Andreas Baccius illum Monocerotem nihil aliud esse autumat, quàm Rhinocerotem. Ludovicus Vartomanus in itinere suo Æthiopico veram Monocerotis speciem descripsisse videtur, cujus duo individua in Civitate Arabiæ Mecha sibi visa asserit, cratibus inclusa (quorum unum fuerit magnitudine equi 30. mensium: alterum magnitudine pulli equini unius anni, unum cornu media fronte gestantia, primum longitudine 3. cubitorum, alterum verò duorum: colore præditum balio, capite cervino, cervice non admodum procera, nec valdè crinita, cruribus macilentis, & tenuibus, unguibus caprinorum in modum fissis, &c. Et hæc animalia ab Æthiopiæ Rege ad Sultanum Mechæ Regem missa fuisse subjungit.

[Nostris temporibus res magis detecta est, quod scilicet sit dens Balenæ Islandis Narvhal dictæ, à cadaveribus quibus vesci solet, quæ ad Gronlandiam capitur. Vide VVormium, Tulpium, Bartolin.

OFFICIN. NAT.

Cornu, (Unicornu) quod ab Ebore distingui potest fibris, quas subtiliores exhibet, simul & solidius ac gravius ferè est, in cæteris ebur æmulatur.

Vires. Sudoriferum est, alexipharmacum ac cordiale. Hinc laudatur adversus venena, morbos contagiosos, &c. Proficuum quoque censetur in Epilepsia infantum.

Dosis à gr. iv. ad ℈ß. etiam integrum & ultra.

N Andreas Baccius, qui integrum de Unicornu tractum conscripsit, ejus fragmenta annulis includere jubet, digitisque circumferre, vel de collo, loco amuleti, suspendere, ut cutim tangat.

PRÆPARATA.

Sal volatile ad morbum caducum utile confici etiam potest, Liquor, Oleum, &c.

UNICORNU vel UNICORNIS. Quæ sunt *duplicia*, Unicornu *Terrestre fictitium*, & Unicornu *marinum verum*. De Unicornu *Veterum* quidnam & *an sit*, multum adhuc inter se digladiantur Auctores, quidam *negant*, quidam *affirmant*. Ego per me non credo, unquam fuisse tale animal quadrupes instar tauri &c. uti illud describunt, sed omnia sunt figmenta & loca Scripturæ sacræ sunt intelligenda de Rhinocerote Vid. DEVSING in Tr. de *Unicornu*, qui hæc dilucidè deducit: BARTHOL. in Tr. de *Unicornu*, affirmat dari adhuc Modernorum Unicornu verum seu *marinum est piscis*, cujus ex anteriore capitis parte seu fronte super os magnum fru-

stum osseum eminet, sæpius aliquot ulnarum longitudine, unde non tam *cornu* quàm *dens* putatur à modernis, cum quo dente mirè convenit structura & figura, & quemadmodum ossa Elephantis dentes, ita & hoc potius dici potest dens quàm cornu, est ergò fructus marinus, & oritur *ex Cetibus & Balnæis ingentibus, qui reperitur in insulis Gronlandiæ*, sive sponte deponatur, sive ex impetuoso incursu cum illo in saxa frangatur, & ibi copiosè reperitur, adque nos transportatur. Vid. *VVORMIVS* in *Musæo*, & *THULPIUS* in *observationibus*, qui habet figuram cornu piscis, & sceleton capitis. Vid. etiam *BARTHOLINUS hist. 4. hist. anatom. Cent. 4. it. Cent. 1. Epistol. Epist. 21. Cent. 2. Epist. Cent. 53* Hoc Unicornu *in multo est usu* in *morbis malignis*, in *peste, morbillis* & *variolis* & similibus aliis morbis malignis in magno & frequenti est talis. *Dosis* est à ℈ß. ad ℈j. vel ʒß. Propinatur non sine fructu, *præcipitat* egregiè ac *sudorem movet*, uti notum est apud omnes. Ex hoc Unicornu, sicuti ex aliis dentibus potest *præparari* per coctionem Gelatina, per destillationem sal vol. & *spiritus* & similia alia, quæ ex ossibus vel dentibus possunt præparari,

XL. URSUS.

Ἄρκτος, *Bar*. Ours.

Animal est crudele, catarrhosum, phlegmaticum, capite imbecillo, lumbis robustissimis, lascivum. Inimicatur equis, asinis, leonibus, dormit septimanas aliquot continuas.

OFFICIN. NAT.

1. *Pinguedo*. 2. *Fel*. 3. *Oculus*.

VIRES.

1. *Pinguedo* calfacit, resolvit, emollit, discutit, &c.

Usus præcipui in alopecia (*illita cum mure combusto*) medetur doloribus arthriticis, parotidibus, Ohrenklamm, (*axungia ejus & cera ana in Empl. redactâ*.) Ulcera crurum, tibiarumque sanat.

N. 1. In Hernia, s. Enterocele, uterique prolapsu, muliercularum vulgare remedium (dorso, s. ossi sacro illita.

N. 2. In usu externo pinguedinis hujus observare expedit, quod pilis albedinem conciliat.

2. *Fel*. commendatur intrinsecus ad morbum comitialem, ad asthma, & icterum.

Extrinsecus ad ulcera cancrosa ac serpentia (*illitum*,) ad odontalgiam, oculorum hebetudinem, &c.

N. In Finlandia, ubi ursorum datur copia, vulgatum rusticis est fel exsiccatum instar Panaceæ exhibere, sudoreque superveniente morbos quamplurimos fuisse solutos audivi.

3. *Oculus* dexter effossus exsiccatus & infantibus appensus, terrores quibus in somnis vexantur arcere dicitur.

Sunt qui aiunt, oculum ursi sinistro brachio alligatum, quartanam fugare.

URSUS. Animal satis cognitum, quod subministrat in officinas pinguedinem imprimis, seu AXUNGIAM, quæ cum cinere muris illita, ad *alopeciam* seu defectum crinium vel capillorum est egregium remedium. In *tumoribus discutiendis* & resolvendis multum commendatur. In *Hernia intestinali* egregiè convenit, si scil. pingnedo ursina inungatur regioni lumborum, circa spinam dorsi, post repositionem intestinorum in locum naturalem: Sic enim impedit, quò minus possint denuò excidere, & fuit *secretum D. SULZBERGERI* Patris. Unde etiam *SCHOLZIUS Consil.* 203. Herniosos inungit cum medulla cervina, ubi est ruptio, locum verò oppositum in dorso & lumbis cum pinguedine ursina admista anserina. Imò quando applicantur circa rupturam emplastra attrahentia, semper in regione dorsi applicatur pinguedo ursina. De hac pinguedine *observatum est*, quòd, *quando ursi* tempore hyberno *pinguescunt*, ipsa *augeatur* & crescat in capsula In *podagrico dolore* compescendo inungitur pinguedo ursina lota prius in aqua spermatis renarum. Ulterius pinguedinem ursi ingens esse *cosmeticum*, cuti illitum, sunt qui affirmant. FEL commendatur ad illos morbos, ad quos reliqua fella, & est quoddam sal vol. acre, quod convenit in iis morbis, ubi necessum est tale sal vol. acre. Non proinde mirum videri potest, quòd rustici eo feliciter in multis affectibus utuntur, egregiè enim penetrat, acidum absorbet, crassa incidit, & sic ad quamplurimos affectus conducit.

XLI. VULPES.

Ἀλώπηξ, *Fuchs*. Renard.

Est animal astutissimum, naturæ caninæ quodammodo particeps.

N. Vulpium genera tria in Succia ac Finlandia vulgaria comperi, nimirum præter vulgares dantur ibidem nigiæ & crucigeræ, lineâ scil. nigrâ secundùm longitudinem à capite ad caudam per dorsum decurrente.

OFFICIN. NAT.

1. *Pinguedo* 2. *Pulmo*. 3. *Iecur*. 4. *Fel*. 5. *Lien*. 6. *Pellis* 7. *Sanguis*, 8 *Integra Vulpes*. 9. *Stercus*.

VIRES.

1. *Pinguedo* auxilio est convulsionibus, contracturis, tremoribus, &c. (*illita*) aurium doloribus, vulneribus capitis & alopeciis.

[Lingua pro acuendo visu appenditur.]

2. *Pulmo* consolidat, abstergit, hinc valet ad vitia pulmonum & angustiam pectoris (*exsiccatus saltem, & combustus*.

3. *Iecur*, Hepaticis & Spleneticis confert, (*simili modo ut pulmo adhibitum*.)

4. *Fel*, Oculorum Pterigio succurit (*illitum*.)

5. *Lien*, Lienis duritiei ac tumori medetur, (*impositus*.)

6. *Pellis pilosa* membris refrigeratis ac articulis morbo infestatis feliciter imponitur.

7. *Sanguis* arefactus & tritus calculo Renum & Vesicæ medetur: idem feliciùs præstare perhibetur sanguis recens, *potus ad cyath. scil. vel abdomini, pubi inguinibus ac renibus illitus*.

8. *Vulpes integra*, *vel caro ejus combusta*, ad vitia pectoris commendatur.

Vulpes in aqua vel oleo optimè cocta, nervinis affectibus, ideoque contracturis ac doloribus articulorum medetur (*si locus affectus eo lavetur*.)

9. *Stercus* scabritiem cutis sanat (*cum aceto illitum*.)

PRÆPARATA.

1. *Ol. Vulpinum*, *vid. Dispens.*
2. *Loch de Pulmone Vulpis. Vide Dispens.*
3. *Pulmo præparatus*, *s. lotus & exsiccatus*.
[4. *Parari etiam potest extractum pulmonis*.

VULPES. PINGUEDO Vulpis multum in usu est contra *affectus nervorum*, & *tremores paralyticos affectus*: Unde *oleum vulpinum* per decoctionem factum, de quo vid. *dispensatoria*, itidem in affectibus nervorum valdè convenit: *Discutit* potenter, *anodynum* est, & in *atrophia* confert. In *contracturis & indurationibus nervorum ac tendinum* externo illitu convenit tam pinguedo, quàm ex vulpe paratum oleum vulpinum. PULMO mirè commendatur ad *affectus pulmonum*, in specie quidem ad *vulnera* & *ulcera* pulmonum. Ita curatus fuit quidam egregiè, cui pulmones ingenti globulo tormentario fuerunt transfossi, quique cum frequenti sanguinis exspuitione frusta carnosa pulmonum rejecit, per remedium ex pulmone vulpis recente ac cruento confectum, qui exemptus modo ex vulpe in aqua appropriata contra sputum sanguinis leviter coctus fuit; deinde concisus, ipsique fuit admista conserva *radicis*

cis symphiti, flores symphiti, amilum & imprimis sarcocolla purgata, lota & lacte mulierum nutrita: quo remedio fuit restitutus: Unde *Looch de vulpis pulmone* in *asthmate* & *Tussi* conducit: sicuti *totus vulpes* contra *phthisin* prodesse dicitur, si *caro* vel assata vel elixata comedatur. Ad *rumpendum calculum* vel in vesica vel ejus canali morantē SANGUIS vulpinus conducit, quo inungenda est regio vesicæ: rumpere illum dicunt calculum, uti etiam pellere adhuc in vesica stabulantem FEL sicuti reliqua fella *oculis convenit*. FABER in lib. 1 *Myrothec. Spagyr.* cap. 16. habet *Quint. Essent.* vulpeculæ, quam ceu expertam commendat ad *colica tormina*. LINGUA vulpina maximè commendatur mense Martio exscissa, quòd conducat *extrahendis* alienis *rebus ex vulneribus* inflictis: *sive* eruatur ex animali vivo, *sive* eruatur ex animali mortuo. *Macerand*a est usus tempore in vino Malvatico, & calidè imponenda, & à multis Chirurgis habetur pro secreto; interim tamen etiam de illa videri potest lib. 5. SCHENCK. *Obs. de vulner.* Aliàs in simili casu unguentum ex betonicâ cum pinguedine leporis est expertum: quæ eadem leporis PINGUEDO cum pulvere cancrorum fluviatilium non minùs est elegans pro *extrahendis* ex vulneribus *alienis rebus*.

CLASSIS II.

De Avibus.

XLII. ACCIPITER.

Ἱέραξ, *Hebich.* Un Oiseau de Proye, Eprévier ou Faucon.

Volucris est rapax, vorax & audax, visu forti prædita.

OFFICIN. NAT.

1. *Accipiter, integer* 2. *Adeps*, & 3. *Excrementa.*

1. Integer oculorum vitiis succurit, (*in oleo coctus, oculoque inunctus.*) Idem sentiendum & 2. *de Adipe*: super omnibus vitiis cutis medetur, (*oleum illud illitum.*).

3. *Excrementa* calefactoria vi adeo pollent, ut à Galeno ex foro Medico eliminentur: nihilominus tamen sunt qui oculorum vitiis arcendis adhibeant, alii ad partum promovendum, *exhibita*, *vel in suffitu adhibita.* Hippocrates & Plinius ad sterilitatem emendandam propinant.

ACCIPITER Ex quo tamen, sicuti ex reliquis omnibus ferè avibus, pauca admodum adhibentur in *officinis*. Sunt qui commendant EXCREMENTA accipitris ad *partum promovendum*, sicuti etiam ad retentas secundinas: ubi ℈j. hujus fimi accipitris propinatur: vel etiam sub *pessi* formâ ʒj. ejusdem fimi supponitur; utroque modo *secundinæ excretionem promovet.* Nonnulli commendant *ungues* accipitris in pulverem reductos *adversus dysenteriam* dicuntque hoc ipsum esse per experimentum cognitum. Cæterum de hoc parùm mihi constat. Hoc interim verum est, quod superius etiam monere volui, quòd partes istæ *ungulæ equinæ* quæ abscinduntur, quando nova imponenda est solea, *pulverisatæ* & exsiccatæ, adque j. assumtæ valdè *conveniant in dysenteria*, uti affirmat AGERIUS in Tr. *de dysenteria* p. 26. Et eadem *ungula frixa* cum butyro & assumpta fuit *secretum* HELMONTII in cura *Dysenteriæ*. *Observetur* autem quod non debeat sumi ex equo lasciviente, aliàs non magis est nociva quàm proficua. Vid HELMONT. in *scriptis*, qui in iis quæ habet in Practicis, meretur fidem maximam, testantibus omnibus, utut in Theoria interdum à vero abludat.

XLIII. ALAUDA.

Κόρυς, Alauda, Gassita, Galerita, *Lerch*, Aloüette.

Alauda { cristata, *hæc prævalet.* / non cristata.

OFFICIN. NAT.

1. *Cor*, *s. integra ales.* 2. *Sanguis.*

VIRES.

1. *Cor.* (*Alauda cristatæ*) femori aligatum arcere colicum dolorem aiunt: idem quoque de *Corde* recenti devorato perhibent, ut & de integra Alauda, *tosta vel una cum pennis incinerata, qua Dosi* ʒj. *seu cochl.* 1. *ad* 2. *per dies aliquot exhiberi poterit.*

2. *Sanguis recens* (ex aceto acri aut vino calido haustus, calculosis efficassimè subvenit.

ALAUDA. Magis est culinaris & alimentaris quàm officinalis. Ad *Colicam* nihilominus *commendantur* alaudæ, unde ii qui laborant colica, sibi illas commendatas habeant. De SANGUINE Alaudæ dicitur, quòd *calculum curet*: Et in HOEFERI *Hercule Medico* p. 172. habetur propria Auctoris experientia, qui ex esu alaudarum evitavit nephritidem, quatenus caro comesta pellit urinam & arenulas promovet: vid. AUCTOR. Unde ad calculum dispositis possumus commendare carnem alaudarum.

XLIV. ALCEDO.

Ἀλκυών, Halcyon, *Eisz-Vogel*, *Eisengart.*

Avis est speciosa, passere paulò amplior, rostro longo: colore tum cæruleo, tum viridi, tum purpureo, juxta glaciem, rivulorum degens.

OFFICIN. NAT.

Cor, quod siccatum & collo infantum appensum comitialem morbum arcere volunt.

XLV. ANAS.

Νῆττα, *Andt*, *Endt-Vogel*, *Endt.* Cane ou Canard.

Est { Domestica. / Sylvestris.

Culinaris potissimùm est, gignit crassos, melancolicos & superfluos humores.

OFFICIN. NAT.

1. *Anas viva.* 2. *Adeps.* 3. *Sanguis.* 4 *Fimus.*

VIRES.

1. *Viva* sedat Dolores colicos, *si ventri imponatur, parte deplumata.*

2. *Adeps* calf. humect. moll. diger. resolvit. Eapropter cõmuniter utimur in dolore interno & externo, scil. laterum, artuum, in nervorum frigida intemperie, &c.

N. Adeps hic primas præ reliquis habet, & præcipuè Anatis sylv.

3. *Sanguis.* alexipharmacus est, & hinc in antidota nonnunquam ascitur.

4. *Fimus* morsui venenatorum animalium imponitur.

ANAS. *Culinaris* & *officinalis* est: Et quidem *virtutes* officinales *acquirit* ex eo, *quòd vescatur ranis & bufonibus*. Vnde dicunt, quòd ad duritiem sive cocta sive assata, ut pulverisari possit, si pulvis inspergatur in lacum: exinde *innumeræ ranæ & bufones procreentur*: id quod etiam fieri dicunt in fimo, ubi putrescit, nimirum copiosi *bufones* & ranæ progenerantur *ex cadavere anatis* putrefacto. Ratione ranarum & bufonum SANGVIS ejus est *alexipharmacus* & ingreditur *antidotum* PARACELSI ex sanguine: quæ compositio videri potest in *CROLLII Basilica Chymica*, & quidem quò magis vescuntur bufonibus, eò magis fiunt alexipharmacæ & venenis resistentes, imprimis commendantur anates tales, quæ in sanguine proprio sive una in alterius sanguine suffocantur. *Quidam puriorem* & volatiliorem anatis *sanguinem parant destillatione*, & spiritum destillatum sal. vol. imprægnant, quem ad ℥iß. vel ℥ij. popinant pro medela *adversus venena*. *Calculum* itidem renum & vesicæ valdè *pellere dicitur*: de anate vivâ dicit *AVCTOR*, quod si *ventriculo imponatur* circa posteriora *deplumata*, *sedet colicam*, quod verum est: sed tamen sedato dolore & finitâ colicâ anas moritur. Et mirum est, quod *podices avium* in specie gallinarum *applicati anthracibus & bubonibus* pestilentialibus, item *morsibus* venenatis, adeò egregiè *conveniant* in extrahendo veneno & miasmate maligno & post applicationem moriantur: Id quod uti dixi facit, imprimis gallina denudata circa posteriora, extrahit potenter & postmodùm moritur.

XLVI. ANSER.

Χὴν, veter Ganza Gansz, l'Oye.

Anser { Domesticus. / Sylvestris, *hic in Officinis præfertur.* }

Anser itidem culinaris maximè est, alimentum præbens excrementitium & melancholicum.

OFFICIN. NAT.

1. *Pinguedo* 2. *Sanguis* 3. *Stercus.* 4. *Cuticula pedum.*

VIRES.

1. *Pinguedo* calore suillam superat, suæque subtilitatis ratione promptiùs penetrat ac resolvit, adeoque rectè per anum injicitur ad obtundendam erosionem in alvo corporis sitam, alopecias capillis explet, rimis labiorum medetur, tinnitui aurium succurit, (*auribus indita*,) spasmum nervosque rigidos sanat (*Pinguedo ex ansere farcito carne cati, aliisque nervinis herbis, & assato collecta*,) alvum laxat, præcipuè infantum, *umbilico inditum*, *ventrive impositum*.

2. *Sanguis* Alexipharmacus habetur.

Dosis ad ʒij.

[Exhibetur in melancholicis affectibus, cancro, &c. ad humoris malignitatem demulcendam.]

Externè pruritum tollit.

3. *Stercus* calfacit & siccat vehementer, incidit, aperit, menses, secundinam & urinas potenter movet.

Hinc maximi usus in morbo regio, scorbuto, Hydrope, *cum cochleari urinæ Capræ vel Vituli destillata*, *continuarique potest ejus usus in dies aliquot* (8) idem & tussi mederi perhibetur.

N. 1. Adeo calfacit ut & gramina, in quæ deciderit, urat, unde & à Galeno inutile judicatur.

N. 2. Præfertur viridiusculum in pratis tempore verno collectum, quod siccatum calore moderato & pulverisatum, à ʒß. ad ʒj. exhiberi poterit.

Alij in potu recens exhibent, cum liquore conveniente transfusum.

Dosis ʒj. vel ʒij.

[Stercus anseris masculi sagittas, & globulos extrahit.]

4. *Cuticula pedum* exsiccata & pulverisata ob astringendi vim commendatur in profluvio mensium sistendo.

Dosis ʒß.

Extrinsecus cum successu pernioni imponitur.

N. Sunt & qui Medicamentis Anti-ictericis admiscent.

ANSER. Dictus à veteribus *Ganza*. De hoc ansere se offert PINGUEDO, quæ est multi *usus* in medicina, est enim penetrantior & subtilior quàm pinguedo suilla: Unde externo usu in *affectibus nervorum paralyticis*, in *spasmo* nervisque rigidis ac *contractis* multi usus est pinguedo anserina. Item *fotus* vel *vapor ex pinguedine* anserina receptus *in Paralysi Scorbutica* VVestphalorum est *experimentum*, qui sæpius tali corripiuntur: Coquunt illam benè cum aqua, & fotum seu vaporem recipiunt cum membro paralytico ex scorbuto, penetrat enim potenter & ita tollit scorbuticam paralysin. *Ad purgandum corpus* quidam recipiunt *testam* nucis juglandis eamque implent cum *pinguedine anserina*, & tunc post paucas horas videbis corpus sufficienter expurgatum. Item internè *pinguedo* anserina assumpta cum pomo assato valdè convenit *in emolliendo alvo* nimis *obstructa*. Pinguedo anserina probè purgata *vicem unguenti armarij*, in curandis vulneribus subire potest: uti vult *SCHMVCK in Curat. magico magneticis* p. 434. id quod etiam superius de pinguedine suilla dictum fuit. *Pinguedo* anserina non lota inuncta pedibus & manibus &c. *contra frigoris inclementiam* partes istas *defendit*, uti vult *STARICIVS* in heroum thesauro p. 126. *BARTHOLETVS* in *sua Encyclopœdia* p. 265. habet egregium *linimentum* ex ansere *contra paralysin*, qualia linimenta hinc inde reperiuntur apud Practicos, ubi de paralysi, qui ℞. anserem, & exenteratum implent cum plantis nervinis, unguentis & medullis appropriatis, assant & pinguedinem quæ tempore assationis destillat ex ansere, colligunt, & istâ pinguedine ceu experto nervino utuntur ad inungenda membra paralytica cum successu, uti prostant exempla in *SENNERTI & RIVERII praxi*. STERCVS anserinum est salsum valdoperè seu multo armoniacali infertum, vel ex sale urinoso & acido compositum. Vndè penetrat & *multi est usus*. In specie *specificum* est *contra Icterum*, tam stercus anserum adultorum, quàm etiam anserculorum juniorum. Pulvis scil. stercoris ad ʒj. est *specificum anticterum BARTHOLETI*, uti testatur in *Encyclopœdia* p. 165. quod stercus erit eò efficacius, si anser prius fuerit pastus cum herba Chelidonij majoris anserinæ (ita dicta, quia illius esu valdè delectantur anseres.) Post Icterum, cui specificè convenit, valdoperè *prodest stercus* anserinum *scorbuto curando*, dum vel sub *formâ* pulveris, vel *decocti* usurpatur. Tali enim decocto scorbuticus ferè desperatus aliquando fuit curatus. *QVERCETAN.* in sua *pharmacopœa trageam* habet *stercorariam*, seu pulverem stercorarium quem inter alia etiam ingreditur stercus anserinũ. Hoc *stercus* anserinũ ulterius valdè *pellit per urinas*, aquas ut inde *in hydrope* pro diuretico commendetur: Nam omnia *stercora* imprimis tamen anserinum, *abundant sale vol. salso*, constante ex urinoso & acido volatilibus. Acidum volatile habet ex succo pancreatico, urinosum verò ex bile: Vnde potest sublimari sal vol. in forma sicca ex stercoribus animalium quod est elegans & magni usus in medicina. Reliqua quæ habet *AVCTOR* de stercore videantur. Ex stercore anserculorum recenti fit elegans *aqua ophthalmica Imperatoris Maximiliani*,

liani, si ℞. stercus anserum juniorum Mense Aprilis & Maji collectum, hoc recens destillatur & postmodum liquor destillatus instillatur in oculos, valdeque convenit in *affectibus oculorum* quamplurimis: Nimirum 1. *clarificat visum* ejusque aciem acuit. Deinde *suffusiones discutit*, 3. *lippitudinem* & *ophtalmiam sanat*, &c. uti videri potest ap. *LIPSIUM* in Tr. eleganti Germanico *de variolis*. Hæc aqua potest etiam specificari in specificis affectibus pro re nata, secundum intelligentiam Medici. LINGUA anserina *stranguriam* & difficultatem urinæ ex peculiari quadam proprietate curat, si siccetur & exhibeatur, sicuti eadem *recens comesta involuntariam mictionem* corrigere dicitur.

XLVII. ARDEA.

Ἐρῳδιὸς, *Reyer*, *Reigl*, le Heron.

OFFICIN. NAT.

Pinguedo, *s. Axungia*.

VIRES.

Pinguedinis hujus rarus usus est in Medicina, lenire tamen dicitur podagricos dolores, oculorumque nebulas discutere, & visum clarificare (*illita*.) Hinc & surdastris conferre (*indita auribus*.)

N. *Prostat nihilominus in gratiam piscatorum, qui inde faciunt quo pisces alliciant.*

Nimirum.

Pisces quia ardeam odio persequuntur, hujus odorem concurrunt, ardeam ceu hostem invasuri.

De ARDEA. Non memini me legisse, id circò nihil habeo quod addam.

XLVIII. CICONIA.

Πελαργὸς, *Storch*. Cigogne.

OEFICIN. NAT.

1. *Ciconia ipsa* 2. *Stercus* 3. *Ventriculus* 4. *Axungia* 5. *Fel*.

VIRES.

1. *Ciconia* vim habet alexipharmacam insignem, adeo ut contra omnis generis venena, & in primis contra pestem præstantissima censeatur, *comesta vel cinis ejus assumptus*, insuper nervosis & articularibus affectibus succurrit.

2. *Stercus* si ex aqua hauriatur, comitialibus aliisque morbis capitis prodesse credunt. *Crato*.

3. *Ventriculus* exsiccatus ac Pulverisatus pro maximo secreto habetur in venenis.

N. Alij solam tunicam interiorem malunt.

4. *Axungia* podagricis & tremulis articulis utiliter illinitur.

5. *Fel* ad oculorum vitia commendatur.

PRÆPARATA.

1. Aqua *Antiepileptica*.

Fit ex pullo Ciconiæ integro, i. e. deplumato, & exenterato, atque in frusta dissecto admixtis antiepilepticis aliis ex MB. destillando.

Ol. stillatitium, quod sat copiosum fundit.

3. *Sal. volatile, quod itidem copiosè in destillatione exhibet.*

4. *Arcanum Alexipharmacum de Ciconia. Vide lib. 2. c. 51.*

CICONIA. Quod dixi de anate, dici potest de Ciconia, ratione virtutis alexipharmacæ ex esu serpentum, ranarum bufonum, unde *tota est alexipharmaca*, & sicut cervus est inter animalia quadrupeda, ita ciconia est inter volucria ratione virtutis alexipharmacæ. Unde Ciconiæ SANGUIS multum commendatur in *morbis malignis*, & etiam ingreditur *antidotum de sanguine* PARACELSI, imò ferè est basis. *CROLLIUS* habet *Electuarium de Ciconia antipestilentiale*, quod inter alia ingreditur radix anthoræ, mumia, Bezoar cum Theriaca &c. quod laudat contra omnia venena. *Dosis* ejus est à ʒß. ad ℈ij. Unde etiam *BURGRAVIUS* in BIOLYCHNIO ex sanguine ciconiæ parari posse remedium contra omnia venena asseverat; Nam subministrat *sal vol. copiosum*, & *sal* CORDIS ciconiæ ac sal cordis pavonis *contra omnia venena* mirificè commendantur. Præterea Ciconia habet usum nō inelegantem in *podagra*: PELLIS, uti notum est, applicatur partibus ex *podagra dolentibus*. Item STERCUS Ciconiæ *externè* arcanum habetur in *podagra*, si pulverisatum illinatur cum axungia cervina vel axungia anatis, vel adipe suillo. *Internè* quoque in eadem *podagra* Ciconia *calcinata* commendatur à ℈ß. ad ℈j. Notum aliàs est, quod *stercus pavonis* sit certum experimentum in *Epilepsia*; sed *stercus ciconiæ* non minoris habetur efficaciæ in *epilepsia* curanda, in qua *vel* in substantia; *vel* in infuso assumitur; *vel* etiam pro stimulo appropriato clysteribus permiscetur. Fit etiam ex ciconia oleum per coctionem in oleo communi, quod oleum *ciconiæ* eundem habere dicitur usum in *paralysi* cum oleo viperino.

XLIX. COLUMBA.

Περιστερὰ, ῥὸς, *Daube*, Pigeon

Avis est admodum fœcunda calidissima, cerealibus vivens.

Columba est { Domestica. *Hausz Daub.* / Sylvestris, Turtur, *Turtel-Daub.* }

OFFICIN. NAT.

1. *Columba tota* 2. *Sanguis*. 3. *Tunica ventriculi* 4. *Fimus*

VIRES.

1. *Columba viva* per medium dissecta, capitique dum sanguine adhuc calet, imposita, feroces humores mitigat, melancholicam tristitiam discutit.

Hinc convenientissimum Medicamen est in Phrenitide, Cephalalgia, Melancholia, Podagra.

2. *Sanguis* tepens oculis instillatus dolorem, lippitudinemque sedat, suffusiones sanguinemque discutit, vulnera recentia cura: Peculiariter cruorem è membranis cerebri erumpentem cohibet, podagricum dolorem mitigat.

N. 1. Præfertur sanguis columbi maris, isque sub ala dextra elicitum (ob naturam ejus calidiorem.)

N. 2. Succus sanguinolentus ex pennarum calamis expressus, sanguini substitui aptus est, præferturque è pullis columbarum.

3. *Tunica ventriculi* exsiccata & pulverisata commendatur in Dysenteria.

4 *Fimus* vehementer excalefacit, (*ob nitrosam facultatem, quâ maximè pollet*,) ideoque urit, discutit, ruborem cutis sanguinem alliciendo excitat.

Hinc usus frequentis in Cataplasmatis & Emplastris rubificantibus. Sic tritus & cribratus, cumque semine naturstij impositus, facit ad affectus inveteratos.

Cujusmodi sunt:

Arthritides, Hemicrania, vertigo, Cephalæa, dolores inveterati in lateribus, scapulis, cervice ac lumbis, dolores colici, affectus apoplectici, lethargici, & simil.

Sic strumas, aliosque tumores discutit (*cum hordeacea farina & aceto mixtus & impositus*) alopeciæ succurrit (*illitus*) Colicis confert (*in Clysteribus*) defluxiones ad genua delabentes discutit, *cum sal. & oleum*.

Internè

Internè calculum atterit, & urinam pellit.
Dosis ℈j. ad ℈ij.

PRÆPARATA.

[Empl. de stercore columbino ad catarrhos capitis]

COLUMBA. Vbi observetur, quod I. habeat vim per medium *dissecta*, uti habet *AUCTOR*; & certum est; Unde hoc modo *applicata capiti* in *phrenitide*, medicamentum fuit apud superiores Practicos multum commendatum, utut à modernis non quidem rectè negligatur. Eadem eodem modo applicatur *plantis pedum in febribus malignis cum phrenitide*: & in talibus febribus malignis cum phrenitide magni adhuc facit *LINDANUS*. *FIMUS* columbinus, si quis alius est nitrosus, sale salso seu armoniacali egregiè refertus. Hinc ratione salis vol. acrioris externè inter *vesicatoria* & *caustica* communiter usurpatur: unde cum semine nasturtij & sinapi externè impositus eosdem præstat effectus, quos sal. vol. acre nasturtij & sinapi. Quibus usibus aliàs conferat, vid. apud *AUCTOREM*. Valdè quoque convenit in cura *hydropiseos*, *pellit* namque *urinam*: *Calcinatur*, & cum aqua simplici ex calcinata fit *lixivium*, quod intrinsecus haustum mirum quantum *expellat hydropicorum* aquas per urinam. Eodem lixivio si lavantur manus pedesque, ab omni frigore hæ partes ad tempus erunt immunes: & Chirothecæ ac tibialia linea hoc lixivio madefacta per 14. dies *præservant* manus & pedes *à frigore* hyberno: uti vult *Staricius* in heroum thesauro p. 116. Plura qui cupit de usibus stercoris columbini, vid. potest *Zacutum* Lusit. lib. 11. *Med. Princip. p.* 17. 117. *Externè* stercus colũbinum cum aliis applicatur *tumoribus ædematosis* ac serosis, potenter enim discutit, eosque insensibiliter disparere facit.

L. CORNIX.

Κορώνη, *Kraye*.
Vires Fimum in vino potum dysenteriam sanare tradit Kyranides.

LI. CORVUS.

Κόραξ, *Raab, Rappe*.

OFFICIN. NAT.

1. *Pulli* 2. *Cerebrum*. 3. *Pinguedo & Sanguis* 4. *Stercus*.

VIRES.

1. *Pulli Corvor*. incinerati commendantur ad comitialem morbum.
Dosis ʒj. singulis diebus 2. vel. 3. exbita.
Sic & cinis corvorum ad Podagram & Alphos commendatur.
2. *Cerebrum* commendatur. itidem ad Epilepsiam.
3. *Pinguedo ac Sanguis* capillos reddit nigros, id quod & de ovis affirmant.
4. *Stercus* Infantum tussim, doloremque dentium sedare aiunt (*de collo suspensum*.)
5. *Ova* sunt qui in Dysenteria exhibent. N. j. ij. *Gabelchover*.

CORVUS, PULLI corvorum, uti dicit *AUCTOR*, *incinerati* commendantur ad *morbum comitialem*, si scilicet pulli corvorum nigrorum ex nido calcinentur, specificum & probatum remedium dicuntur contra Epilepsiam, quæ exinde nunquam amplius redire dicitur: Item in pullis corvorum nigrorum recentibus, verno tempore ex nido exemptis antequam vestiantur plumis, ex ore exsumitur *caro*, quæ dicitur *epar pullorum* corvorum. Hæc Epata pullorum corvorum specificè dicuntur curare *Epilepsiam*. COR corvi gestatum arcere dicitur somnum, & putatur efficax remedium huic incommodo, nempe *nimiæ somnolentiæ*.

LII. COTURNIX.

Ὄρτυξ, *Vuachtel*. La Caille.
N. Comesta Coturnix noxia esse creditur spasmo obnoxis

OFFICIN. NAT.

Pinguedo, & 2. Excrementa.

VIRES.

1. *Pinguedo* oculis prodest maculas abstergendo.
2. *Excrementa* Coturnicum helleboro vescentium (*quod ipsis, ut quidam scribunt in alimentis cedit*,) singulari proprietate quadam conferre Epilepsiis quidam volunt.

COTURNIX DE EXCREMENTIS dicit *AUCTOR* non inconcinnè, quod, quoniam coturnix Elleboro vescitur, curent *Epilepsiam*: nam vescitur Elleboro tam albo quàm nigro absque tamen ullo effectu, qui videtur in homine: unde cum Elleborus sit specificum Epilepticorum purgans, non immeritò stercus coturnicũ pro specifico ant-epileptico agnoscitur. *HOEFERUS* in *Hercule Medico* p. 10 ceu singulare *ant-epilepticum* commendat OVA coturnicis, si exsiccata & *pulverisata* ʒß. adhibentur. Vnde alij dicunt, quòd CEREBRUM coturnicis cum unguento Myrtino admistum, & *faciei Epilepsia correpti inunctum* mirabile sit *auxilium* statim enim tunc resurgere ægrum asserunt.

LIII. CUCULUS.

Κόκκυξ, *Gucker, Guckeug, Kuckug*, Le Cocu.

OFFICIN. NAT.

1. *Cuculus* 2. *Ipse fimus*.

VIRES.

1. *Cuculus* ustus commendatur ad calculum, ventriculi dolorem & humiditatem. *Rondel*.
Datur & utiliter febricitantibus paroxysmi tempore: medetur Epilepticis, &c.
2. *Fimus* morsum canis rabidi curat, (*Potus*.)
[Pinguedo ad Calvitiem ex siccitate conducit.]

LIV. FICEDULA.

Συκαλίς, Ficedula, à ficuum esu sic dicta. Germ. *Schnepffe, Vuustling*.
Vires. In cibos visum acuere dicitur.

De EDICULO & FICEDULA nihil est quod dicam.

LV. GALLUS GALLINA.

Est { Mas, ἀλέκτωρ, Gallus, *Han*. Le Coq. Fœmina, ἀλεκτορίς, Gallina La Poule.

N. Gallus castratus Capo dici solet seu Capus.

OFFICIN. NAT.

1. *Gallina* (*seu Gallus*) *integra*. 2. *Cerebrum*. 3. *Tunica ventriculi* 4. *Testiculi* 5. *Fel*. 6. *Pinguedo* 7. *Guttur*. 8. *Stercus*. 9. *Ova*.

VIRES.

1. *Gallina* dissecta (præferunt nigram] sanguine adhuc calente

calente imponitur capiti in phrenitide, cephalalgia, &c. Morſibus itidem venenatorum animalium ſimili ratione mederi aiunt: anthracibus impoſita venenum elicit, nec prætereundum, quod ſanguinis eruptionem in vulneribus recentibus ſiſtat.

1. Viva Gallina (Gallus) circa anum deplumata è bubonibus venenum extrahit, (*impoſita.*)

PRÆPARATA.

1. *Gelu. ſ. decoctum Gelatinum Gallinæ (veteris.)* Fit ex carne Gallinæ in fruſta conciſæ, additiſque pedibus vituli, vervecis, aut carne bovina per ſe in diplomate horas aliquot (ſex, ſept.) vaſe clauſo cocta & expreſſa.

N. Addi poſſunt aromata & aquæ cordiales, prout libet.

Vires. Inſigne eſt nutritivum & corroborativum.

2. *Contuſum*, fit itidem ex carne Gallinacea, quæ coquitur donec caro ab oſſibus decidat; hinc contunditur unâ cum oſſibus, fit quæ expreſſio cum vino miſcenda, & pro libitu arotomatizanda.

N. Gallinarum caro melior eſt quã Gallorum, niſi ſint caſtrati, nigrarum verò quæ non pepererũt, melior eſt & levior.

3. *Ius Galli veteris*: Gallus antiquus (annot. 2. 3. 4.) fatigetur optimè, donec laſſitudine cadat: Hinc trucidetur, deplumetur, exenteretur, farciaturque medicamentis idoneis, coquaturque in aliquot menſuris aquæ, donec caro ab oſſibus ferè decidat: Hinc coletur.

Vires. Ius illud per ſe vim habet molliendi, & ob nitroſas partes quibus decrepitum illud animal præditum eſt, quæque fatigatione illâ exaltatæ ſunt, virtute pollet incidendi, abſtergendi, alvum ciendi, idque multò magis, ſi in eo Medicamenta ſimilium facultatum incoquantur. Hinc celeberrimum eſt in dolore colico (coctum cum purgantibus & diſcutientibus. In tuſſi tartaroque pulmonum (cum bechicis elixum, &c.

2. *Cerebrum* vim habet incraſſandi, fluxuſque compeſcendi.

E. g.

Fluxum alvi (*in vino ſumptum*) gingivis ad dentitionem à mulieribus illinitur.

3. *Tunica interior* ventriculi extracta, ſiccata (ad Solem,) & pulveriſata, ſingularem vim habet cùm aſtringendi & corroborandi ventriculum, adeoque vomitum, & fluxum alvi compeſcendi, tum & calculum comminuendi.

4. *Teſticuli* deperditas in morbis vires mirificè reſtituere dicuntur, ſemen prolificum ſuppeditant, & venereas vires roborant, *recenter uſurpati*,) febribus itidem medentur, (*aſſumpti.*)

5. *Fel* maculas cutis aufert (*illitum:*) oculis convenit.

6. *Pinguedo* Gallinarum & Caponum calfacit, humectat, emollit, lenit, mediaque inter anſerinam & ſuillam exiſtit, harumque acrimoniam obtundit, convenit labiorum rimis, aurium doloribus, oculorum puſtulis.

7. *Guttur Galli* uſtum & non conſumptum, ſed toſtum & exſiccatum, ſub noctem ante cœnam exhibitum, proprietate ſanat mictionem involuntariam nocturnam. *Solenand. ſect. 4. conſ. 11.*

8. *Stercus* omnia eadem præſtare aptum eſt, quæ columbinum, ſed inefficaciùs, privatim tamen colico & uterino dolori convenit. Valet itidem maximè ad icterum, calculum & urinæ ſuppreſſionem.

[Abſceſſus morbis lateralis diſrumpit.]

N. Præſtantius habetur id, quod in ſtercore album eſt.

Doſis ʒß. manè ac veſperi die ac noct. continuis 4. vel 5. exhibitum. *Querc. Pharm. reſt. c. 11.*

Extrinſecus exſiccat achores capitis, aliamque ſcabiem manantem (cinis inſperſus.)

Luteum ſtercoris conſolidat Veſicæ exulcerationem, *aſſatum in butyro recenti, vel oleo olivarum, atque conjectum in frigidam, ut ſordes ſecedant, & liquor olei ſupernatet, in ductum penis injiciendus. Hartm.*

9. *Ova* Medicinæ exhibent teſtas, membranulas, ovi albumen vitellumque.

Teſtæ vim habent Lithontripticam, tartareamque mucilaginem incidendi.

Membranulæ vim habent diaphoreticam intrinſecus & extrinſecus adhibitæ (*præputioque imponuntur infantum.*)

Albumen vim habet refrigerandi, adſtringendi, agglutinandi.

Vſuſque crebri eſt in oculor. rubedine, in conglutinatione vulnerum (cum bolo communi) in fracturis, &c. Inſervit & anacollematis.

[Albuminis pars illa quæ Galaza & Galatura dicitur, in oculorum doloribus & vulneribus Dei virtus ab aliquo dicta.]

N. Hippocrates exhibet febricitantibus albumina N. 3. aut 4 ad refrigerandum & egerendum.

Vitellum ovi vim habet anodynam maturandi, digerendi, laxandi, proinde uſus celeberrimi cliſteribus immiſceri, quin & cum ſalis tantillo mixtum infantum umblico (*in teſta juglandis*) imponi ſolet ad ciendam alvum.

[Lapillus Alectorius in ventriculo decrepti robur in thoro genuali conciliare putatur.]

PRÆPARATA.

Paratur inde oleum quod crebri uſus eſt in conſolidatione vulnerum, rimar. in maturatione tumorum, ad Hernias, &c. *Videatur Diſpenſ. Aug. & Noremb.*

N. Fit inde potus puerperis noſtratibus uſitatiſſimus, vulgò Seiff. dictus.

℞. Vitell. ovi N. 2. vel. 3. Aquæ Menſ. 1. Vini Menſ. ß. (plus minus) coquantur optimè pro potu.

[Oleum ex albumine articulare paratur]

GALLUS & GALLINA. De Gallo *diſſecto* uti habet *AVCTOR*, eadem dici poſſunt, quæ de columbâ Item Gallina *deplumata extrahit venenum* ex bubonibus & anthracibus peſtilentialibus, ſicuti & morſibus venenatis, quod certum eſt ab experientia confirmatum, & poſtmodum Gallina moritur. Obſervetur quòd ex Gallo vel gallis contuſis & decoctis in brodio fiat jus, quod vocatur *jus conſummatum* in *atrophia*, *hectica* & *phthiſi* magni uſu uti & iis, qui reconvaleſcunt ex morbis chronicis, quoniam ſcilicet ſufficiens eſt ad conſummandam ſanitatem. Huc etiam pertinet *jus Gallis veteris*, quod tamẽ valdè exagitatur *ab HELMONTIO*, & quidem non ſine cauſa. SANGVIS Galli valdè prodeſt ad *ſtimulandam venerem*, ſi ſcilicet ex hoc ſanguine deſtillatur *ſpiritus*. Vnde etiam ſpiritus paratus *ex ſanguine & teſticulis* gallinaceis, valdè commendatur *in ſtimulanda venere item* ſpiritus ex teſticulis & *ſanguine pavonis* ſeu *Gallo pavi*: ſi in his ſpiritibus diſſolvatur 1. vel alterum granum ambræ mirum evadit medicamentum ſtapynticum. TVNICA INTERIOR ventriculi eſt in magno uſu exſiccata & pulveriſata: Cujus *virtutes* deducit ex principio ſalino *RIVERIVS in praxi lib. 9. cap. 5.* quòd nimirum ſit valdè ſalina, & dicit quod valdè proſit & *conducat* in conterendo *calculo* & *arenis* comminuendis; *menſes ciet* potenter à ℈j ad ʒß. imprimis in aqua Cinamomi vel ſimili, ſi propinetur. Item Tunicæ interiores ventriculorum Gallinarum & Gallinaceorum ſunt ſpecificæ ad *mictionem involuntariam*: Vnde *BARTOLETVS* in *Encyclop. p. 164.* habet pulverem *ſpecificum* ad mictionem involuntariam, compoſitum ex pulvere Erinacei cum pulvere hujus interioris tunicæ ſtomachi Gallinarum. Huic pulveri DEODATVS in *Pantheo Hygiaſtico lib. 1. pag. 361.* addit ſimul criſtam Galli exſiccatam: nam hæc mictum involuntarium vel per ſe ſumpta, curat. Eadem tunica ventriculi interior valdè prodeſt *contra abortum* mulierum gravidarum, in ſpecie ſi metuendus ſit arbortus *ex nimio vomitu*: ſi à tali cauſa metus eſt abortus, pulvis ſeu pellicula interior ventriculi ſolet commendari. De virtutibus TESTICVLORVM ad *ſtimulandam venerem* videatur *AMATVS LVSITANVS* in *curationibus* & ex eo *SCHENCK Obſerv.* de rebus venereis, ubi habet hiſtoriam mariti teſticulis galli ſaginati & deinde mirè in venerẽ ſtimulati, ut & maritam & ancillas 2. ſubegerit. PINGVEDO Gallinæ eſt moderata & *temperata* præ cæteris omnibus, adeoque blandè & moderate *emollit, maturat*, & indurata *attenuat*: Hinc *cataplaſmata* & unguẽta pro tali uſu *ſolet ingredi*. Quod dixi de *Criſta* & tunica ventriculi interiore Galli & Gallinarum in mictione involuntariâ convenit magis GVTTVRI *Galli*. Hoc enim *toſtum* & tritum cum vino potum, ceu expertiſſimum commendatur contra *mictionem involuntariam*, quod primus docuit *SOLENANDER Sect. 4. Conſ. 11.* & auctore *HARTMANNO prax. Chimiatr pag. 250.* mictum involuntarium juvat tam diurnum quàm nocturnum: & idem convenit in mictione involuntaria, etiamſi illa ſit ex partu difficili quæ aliàs eſt malum difficillimum curatu: Auctore *HOEFERO* in *Hercule Medico pag. 343.* Aliàs in mictione involuntaria poſt partum difficilem ex laceratione veſicæ experimentum *ſpecificum eſt pulvis bufonis calcinati* collo appenſus, de quo *HEINRICVS ab HEER Obſerv. 14* &

expertum hoc est ab Anglis nuperrimè, quod verum sit STERCUS omnia ea præstat, quæ columbinum, sed non adeo est potens. *DEODATUS in Pantheo Hygeastico lib.1. pag.361.* & seqq. summum *arcanum* parari dicit ex albo seu gilvo stercore pullorum Gallinaceorum, cujus dosis sit à ʒß. quod ipsum etiam multum prodesse dicit *ad calculum*, idque uti dicit citatus auctor ob vim nitro-sulphuream. Fructus Gallinæ imprimis sunt OVA. De quibus ovis multa dicuntur superstitiosa, inter quæ quoque puto hoc esse, quod dicunt *ova die viridum*, Jeudi saint exclusa, & fota postmodum à Gallina, prodere gallinas, quæ singulis annis pennas mutent: Id quod propriâ experientiâ se expertum esse dicit *SCHMUCK in Curat. Mag. magnet.* Fides sit penes auctorem. Ova offerunt 1. Testas, 2. albumen, 3. vitellum. TESTÆ insignem habent vim atterendi & pellendi *calculum*, *ciendi urinam* & detergendi renes: quod faciunt testæ eæ, ex quibus pulli sunt exclusi, quæ reliquis sunt efficaciores. Vid. *BARTHOL. Cent.1. hist. p 271. Contenta* sequuntur *albumen & vitellum* quæ insignem habent vim nutritivam & restitutivam virium deperditarum, unde *in defectu virium ex nimio coitu* commendatur ovum recens, immissum in vinum Malvaticum, addito uno vel altero grano ambræ, quod ex tempore vires amissas restaurare dicitur. *Ovum ad duritiem coctum* & aceto impraegnatum est expertum remedium in *Diarrhœâ* compescenda: Contrà ovum *sorbile* quosdam *solet purgare*: cujus rei exemplum refert *HOFERUS* in *Hercule Medico*, quod quidam quandocunque voluit, sibi potuerit excitari diarrhœam. Unde commendatur in nimia alvi obstructione, quoniam laxat alvum. ALBUMEN est istud, *ex quo generatur* pullus. Sicuti *vitellum* est istud, *ex quo nutritur pullus*, quando adhuc est in ovo, & post exclusionem abdomini adhæret aliquid, de quo etiam per aliquot dies nutrimentum habeat, uti notum est iis, qui legerunt elegantissimè hac de re disserentem *HARVÆUM* Commendatur albumen ovi ad *inflammationes* quascunque, *imprimis oculorum*, in quibus agitatum usque quò liquescat, spumescat & in aquam abeat, magni est usus externè *in contusione* & inflammatione: pro arcenda superveniente inflammatione idem albumen similiter benè agitatum ut spumescat, & in liquorem abeat, convenit. VITELLUM ovi *vim habet* dolores sistivam & *anodynam & emollitivam*. Unde ratione utriusque *ingreditur clysteres* pro laxandâ alvo, & stimulandis intestinis: Hinc etiam in *alvi duritie infantum* adhibentur pro eorundem alvo stimulandâ cum aliquot granis vel guttis fellis tauri. Si coquantur ova ad duritiem & acubus longis perforentur, *exstillabit* in frigore *liquor* albus & limpidus, qui est egregium *Cosmeticum*, imprimis si aliquot grana Camphoræ in eodem solvantur, & postmodùm per alembicum destillentur. Multi commendant hunc *fucum* compositum.

℞. *Succi Agrestæ destillati partes duas.*
Liquoris Crystalli per deliquium part.1.
Ole. Ovorum albificati part.1.
Salis nitri parùm.

Miscentur & in usu dissolvuntur in aqua sigilli Salomonis. *Dealbare* dicitur *manus & faciem* instar nivis. Nam paratur ex vitellis ovorum ole. (de quo habebit *AUCTOR* ubi de oleis, uti & alii) quod valdè commendatur contrà *Herniam*, uti etiam ad *implendas foveas* relictas *ex variolis & morbillis*: Item ad *fissuras manuum* ac *pedum*, uti etiam *ani*: dolores enim sistit & *anodynum* est. Aliàs *variis modis fit oleum ex ovis per* expressionem, *per* destillationem *per* retortam, adjectione croci, &c. quæ tamen non sunt magni ponderis.

LVI. GRUS.

Γέρανος, Ein *Kran*, *Kranich*. La Gruë.
Vipio, i. e. pullus Gruum.

OFFICIN. NAT.

1. *Grus integer*. 2. *Pinguedo*. 3. *Fel*. 4. *Caput, Oculi, Ventriculus*. 5. *Medulla tibiæ*.

VIRES.

1. Avis hæc quia nervosa est, nervosis ac membranosis partibus peculiariter convenire statuitur.

Hinc usus ejus commendatur in doloribus colicis.

2. *Pinguedo* surditati auxilio est, (*auribus instillata*.) Lienis duritiem, aliosque tumores renitentes emollit (*cum aceto scyllitico subacta*,) rigori cervic. velocissimè succurrit.

N. Ejusdem naturæ esse dicitur cujus anserina pinguedo.

3. *Fel* oculis prodest.

4. *Caput, Oculi, Ventriculus*, pulverisata fistulis, cancris & varicosis ulceribus insperguntur.

5. *Medulla tibiæ* inservit unguento Ophthalmico inde parando.

LVII. HIRUNDO.

Χελιδών, χελιδόνη, *Schvvalb*, *Schvvalbin*, Arondelle.
- Domestica. *Hausz-Schvvalb.*
  - major cum macula rubra sub gutture.
  - minor sine illa macula.
- Sylvest.
  - Riparia, *Vvasser Schvvalb.*
  - Muraria, *Spir-Schvvalb.*

Domesticæ in ædibus nidificant.

Ripariæ in ripis aquarum inhabitant, unde & aquaticæ dicuntur.

Murariæ nidos suos muris templorum seu parietibus aut rupibus appendunt.

N. Prævalent Ripariæ.

OFFICIN. NAT.

1. *Integra*. 2. *Cor*. 3. *Sanguis*. 4. *Lapilli*. L. *Nidus*. 6. *Stercus*.

VIRES.

1. *Integra*, Epilepsiæ specificè subveniunt, oculorum hebetudini, lippitudini, (*cinis cum melle illitus*.) Anginæ ac Vvulæ inflammatæ medentur, (*comestæ vel assumptus earum cinis*.

2. *Cor*, Epilepsiæ itidem conferre, memoriamque roborare aiunt: alii contra quartanam devorant.

3. *Sanguinem* peculiariter oculis conferre volunt, præferunt autem sub ala dextra extractum

4 *Lapillus* in pullorum nonnullorum ventriculo, (rarò licèt) invenitur, Chelidonius dictus, grani lentis, vel pisi magnitudine. Hinc Epilepsiæ puerorum convenire volunt, *brachio alligatum, vel collo suspensum.*

N. Ferunt crescente luna hunc potissimùm inveniri, atque in pullo primogenito: alii mense Augusto circiter plenilunium eximunt.

5. *Nidus* auxilio anginæ est (*extrinsecus impositus*:) oculorum rubedini medetur, ictui viperino convenit, *impositus*.

6. *Stercus* calfacit impensè, discutit, acre est.

Usus præcipui in morsibus canis rabidi (*intrinsecus & extrinsecus*,) in doloribus colicis & nephriticis, (*propinatum*;) alvum irritat, (*subditum*.)

PRÆPARATA.

Aqua hirundinum fit usitatiùs ex Ripariis. *V. Dispens. Aug.*

HIRUNDO. Intelligitur hîc imprimis hirundo *domestica*, non verò hirundo *sylvestris*. Nihilominus tamen in genere quæcunque hirundines & earum nidi in casu necessitatis possunt usurpari. In genere *hirundo tota* valdè commendatur *ad Epilepsiam*, *sive* exsiccetur & sub formâ pulveris propinetur, *sive* instar amuleti extrinsecus appendatur. Hinc solet fieri aqua *hirundinum* in officinis, quæ huic morbo valdè est dicata: Alii addunt, ut *efficacius* reddant *remedium*, pulveri juniorum hirundinum ana Castorei, & ita bibunt, hocque tanquam expertum *in Epilepsiâ quacunque*, sed præterea quoque specifica est in *suffocatione uterina*, sive cum Epilepsia partium externarum sit conjuncta sive non. *Observetur* enim, quòd *convulsiones* Epilepticæ sint *duplicis generis* latè loquendo, *quædam* est convulsio *partium externarum*, & est in specie dicta Epilepsia, *quædam* est convulsio *partium internarum* mesenterii, intestinorum, stomachi,

chi, diaphragmatis & musculorum respirationi inservientium: Hæc à mulierculis nostratibus dicitur; magnus in corpore dolor, & talis est, quando propter calculum renum convelluntur intestina, & fit *dolor colicus*, propter convulsionem per consensum: item quando convellitur ventriculus, & fit *vomitus*, uti contingit in nephritide: Jam *suffocatio uterina est* similis *convulsio partium internarum* abdominis, & ex ista fit sensus globi, quem ignorantes putant esse uterum. Dum ergò suffocatio uterina est convulsio Epileptica, quæ etiam interdùm prorumpit ad partes externas, patet, quare hirundines conveniant in Epilepsia propriè sic dictâ, & etiam in suffocatione uterina, & quidem aqua *hirundinum cum castoreo*, quod castoreum, uti ex superioribus notum, per se est specificum in Epilepsia. Verùm cùm *præparatio vulgaris* aquæ hirundinum cum Castoreo sit valdè *rudis*, propterea doctiorem, docet ZVVOLFERVS in *animadversionibus ad pharmacop. August.* Edit. ultimæ, quæ est concinnior & elegantior. Eadem aqua multum *convenit in vertigine, apoplexia*, & similibus *capitis affectibus*. Item in *Colicâ & palpitatione cordis*, tàm interno quàm externo usu. In *angina*, de qua postmodum. *Lapillus* qui invenitur in nonnullorum ventriculis, & dicitur LAPIS CHELIDONIUS, magni est usus *in Epilepsia* & à quàm plurimis commendatur. Nihilominus *est* valdè *rarus*, & rarò invenitur, & propterea sunt multi, qui falsum illi substituunt, & ita defraudant patientes: verus certè *egregium* est *remedium in Epilepsia*, imprimis *puerorum*: de quâ illius virtute in Epilepsia puerorum vid. *BARTHOL. Cent.* 2. *Epist* p.436. NIDUS *Hirundinum* specificè solet commendari *ad anginam & inflammationem Tonsillarum*: In iisdem factum *cataplasma ex nido hirundinum* est expertissimum Chirurgis; *Compositio* est hæc: ℞. *Nidus* sicuti sub tectis est (si adsunt pulli est eò melius) *contunditur*, *coquitur & per setaceum trajicitur*, fitque cataplasma, quod applicatum externè circa regionem inflammationis Tonsillarum vel anginæ est expertum: *virtus* hujus pultis partim consistit in stercore, quod fuit in nido, partim consistit in terra limosa, ex qua nidus est constructus. Quod attinet STERCUS *hirundinum*, hoc est de natura salis salsi vol. Seu salis armoniacalis, potenter *penetrat*, *incidit*, attenuat & *obstructionem* ex sanguine restagnante, indeque ortam *inflammationem removet*: quia *sanguinem* jam *congrumatum resolvit* & dissolvit & sic inflammationem imminuit; quod si non potest tollere inflammationem, *juvat internam fermentationem* in sanguine, beneficio cujus sanguis sensim sensimque in pus abit, ut ita facilius *suppuretur*: ad quod etiam conducit *limus*, qui similiter quoque est salinus, & impedit ulteriorem sanguinis stagnationem, sed potius promovet motum sanguinis, quo promoto, impossibile est quod possit fieri inflammatio. *Hoc* cataplasma ex nido hirundinum *partim applicatur simpliciter*, additis tantum aliquot oleis, *partim admistis aliis* quibusdam specificis, ut fiat efficacius: Vid. *AMATUS LUSITANUS* in *praxi & observationibus*, qui quam plurimas anginas curavit hoc cataplasmate. Huc spectat *Cataplasma MYNSICHTI compositum in armamentario Chymico*, quod etiam conficitur ex nido hirund. & est egregium in angina. *Formula* talis simplicis cataplasmatis posset esse *talis*. ℞. *Nidos hirundinum integros No* 2. *affundatur s. q. aqu. simplicis contundantur*, *coquantur & per setaceum trajiciantur*: Trajectæ pulpæ *adde ole. Chamomill. liliorum alborum ana* ℥j *vitell. ovi No* 1. *Fiat* cataplasma applicandum extrinsecus.

Magis compositum cataplasma in inflammatione Tonsillarum & anginâ *est hoc*:

℞. *Nidi hirund. No.* 2.
Albi græci ℥j.
Rad. lil. alb.
Althea ana ℥j.
(quoniam emolliunt & suppurationem promovent.)
Ficuum pinguium No. 4.
Flor. Chamomill.
Melilot.
Malvæ ana Mj.
Ceparum ℥j. *vel* ℥vi.
(quæ ratione salis vol. penetrant egregiè, discutiunt & sic post discussionem, suppurationem promovent.)

Contusa coquantur in s. q aqu. prunellæ & semper vivi, trajiciantur per setaceum, pulpæ trajectæ *addatur pulvis hirundinum* vel *pulvis noctuæ combusta*: nam hic facit celerem ruptionem, uti postmodum audiemus. ℥ij. vel ℥iij.

Oleum lil. alborum q. s. pro confectione Cataplasmatis, quod applicatum faucibus, gutturi aut tonsillis inflammatis est egregium remedium. Ipse *pulvis* etiam hirundinum & in specie *stercus* earum mistum *cum melle*, & *illitum* internè in *angina* vel *inflammatione Tonsillarum* est egregium remedium, quod partim discutit, partim ubi jam facta est suppuratio, rupturam & apertionem abscessus promovet: sicuti idem illitum in *uvulæ inflammatione* egregiè conducit. *Stercus hirundinum* in angina, ut dixi, est celebre & loco nidi & hirundinum *potest* commodè *substitui*: & sicut in Gargarismatis pro discussione & suppuratione commodè additur album græcum; ita commodius longè potest addi stercus hirundinum, quod melius adhuc est in discutiendo & suppurando.

LVIII. MILVUS, MILVIUS.

Ἰκτῖνος, *Vvey, Vveyhe, Vvuvve, Ruttelvveyh, Hunerdieb.* Le Milan, ou Eprevier.

Animal est è genere Accipitrum acuti visus, articularibus morbis obnoxius.

Est { Major { niger, robustus: hic usitatior. / rufus propemodum, regalis dictus. } / Minor, rubeus, *Rother Vveyh.* }

OFFICIN. NAT.

1. *Milvus incineratus.* 2. *Caput.* 3. *Epar.* 4. *Sanguis.* 5. *Fel.* 6. *Stercus* 7. *Pinguedo.*

1. *Milvus* incineratus Podagræ, Epilepsiæque subvenire dicitur, (*exhibitus.*)
Dosis ℈ß. ad ℈j.
2. Idem *de capite* affirmant, ac *Epate incineratis.*
3. *Epar* insuper oculorum Medicamentis adhibetur.
4. *Sanguis* podagricos juvat, (*cum Urtica mixtus & impositus.*)
5. *Fel* Ocularijs additur.
6. *Stercus*, articulis cum successu imponitur.
7. *Pinguedo*, articulorum doloribus illinitur.

PRÆPARATA.

Sunt qui Milvum vivum in F. Eq. 40. dies macerandum sepeliunt, & ex vermibus, qui ex eo procreantur, unguentum ad dolores podagricos conficiunt. *Aldrovand.*

MILVUS. De hoc nihil est quod dicam, cum non memini me vidisse aliquando præscriptum.

LIX. MOTACILLA.

Passer aquaticus. *Bach-Steltze, Queck-Steltze.* { alba, κόλλυρος. / flava, minor. }

Avis est circa fluentes præcipuè degens, cauda tremula.

OFFICIN. NAT.

Ipsamet integra avis. Cujus vis mirè prædicatur in atterendo calculo, (*pulvis potus.*)

LX. NOCTUA.

Γλαὺξ, *Nacht-Eule*, *Stein-Eule*, *Kautz*. La chauve Souris.

OFFICIN. NAT.

1. *Caro.* 2 *Fel.* 3. *Pinguedo.*

VIRES.

1. *Caro* curat Paralyticos (*Plinio.*) Melancholicos, & sim. (*Rabb. Moys.*) Apostema Anginæ mirabiliter aperit & rumpit (*cinis noctuæ integræ, nec deplumatæ in guttur immissus.*)
2. *Fel*, ad maculas oculorum valet.
3. *Pinguedo*, aciem oculorum acuit.

NOCTUA. Ex noctua imprimis in usum venit *cinis* seu noctua calcinata: qui cinis cum melle mistus & faucibus illitus mirabiliter *Apostema in angina* & *tonsillis* inflammatis *maturat*, teste *HARTMANNO* in *prax. Chymiat. p.* 133. Idem cinis noctuæ faucibus per cannulam *inspiratus arcanum* est *ad* celerem *ruptionem* ipsius *anginæ*. Nam sæpe fit, ut apostema maturum non rumpatur, sed æger tandem suffocetur: in tali casu cinis noctuæ inflatus per cannulam est egregius.

LXI. OLOR.

Κύκνος, Cygnus, *Schwan*. Le Cygne.
Avis est ad genus anserinum formâ & victu, ideoque & facultatibus accedens.

OFFICIN. NAT.

1. Pulli. 2. Adeps. 3 Pellis.

VIRES.

1. *Pulli Cygn.* in oleo cocti, addictâ medullâ cervina, podagricis prosunt.
2. *Adeps* emoll. lenit, atten. adeoque utilis est hæmorrhoïd. vulvar. duritie: oculos purgat, cum vino lentigines cutis tollit.
3. *Pellis*, plumis tenerrimis obsita colicos juvat, & stomachi vitio laborantes.

LXII. PALUMBUS.

Φάψ, φάσσα, Palumbus, *Holtz-Daube*.
Convenit cum columba, exustæque plumæ Ictericos reficere, calculosis urinæque difficultatibus subvenire dicuntur.

LXIII. PARUS.

Αἰγίθαλος, Parix. *Meise.*
- Carbonarius major, *Kohl Meise*, *Spiegel Meise*.
- Caudatus, monticola. *Schwartz-Meise*, *Berg-Meise*.
- Cæruleus, moranus. *Meel-Meise*.
- Fuscus, Palustris, Cinereus, *Kohl-Meise*, *Aschmeise*.
- Ater, Caninus, Carbonarius minor. *Hunds Meise*
- Cristatus, *Strausz-Meise*, *Kotl-Meise*.

Et hic præfertur reliquis. Efficax prædicatur adversus renum calculos & colicos cruciatus (*in cibo vel cinere exhibitus.*)

OLOR.

PALUMBUS.

PARUS.

Omnes sunt in pauco usu.

LXIV. PASSER.

Passer { Vulgaris. *Sperling*.
Troglotites.

Zaunschlipfflein, Thurn-Konig, Schnee-Konig, Zaun-Konig, Nessel-Konig, Winter Konig, Mousz-Konig.

N. Sunt qui à Regulo distinguant, eoque paulò majorem esse velint, pennisque illis aureis, quas Regulus in capite alit, Passerem hunc destitui. Verùm cùm utriusque vires conveniant, alter alterius vices subire non nequit.

Vires. Passer troglotites maximoperè commendatur ad calculum atterendum & expellendum, sive integer evulsis pennis sale condîtus crudè devoretur, sive incineratus assumatur.

Passer vulgaris, quia avis salacissima est, commendatur ad venerem, comestus, præcipuè cerebella.

Stercoris grana aliquot exhibentur infantulis ad ciendam alvum.

[Imò & adultis subducit alvum, in primis collectum ex moro.]

[Passeris ossa pulverem Epilepticum in Hispania Regi commendatum ingrediuntur.]

PASSER. Et quidem non tantum passer *vulgaris* seu communis, sed in specie passer *Troglotites* 1. Quod attinet *passerem vulgarem* seu communem, de illo noto, quod sicut *est animal salacissimum*, ita *in stimulandâ venere* solet usurpari, in quo usu præ aliis *convenit* SANGUIS & CEREBRUM passeris, & quidem desumitur ex passere in actu venereo transfosso. Et hic sanguis & cerebrum passeris in coitu transfossi, fuit *secretum Comitis à Pappenheim*, non minus clari in exercitiis Martis quàm veneris. *Dicunt* quidem *quod passeres*, quoniam laborant Epilepsiâ, etiam homines *reddant epilepticos*, sed contrariatur experientia, ubi ex illorum esu nulla secuta est Epilepsia: sin v. Epilepsia ipsum supervenerit factum id potius est ex usu veneris nimio, concitato à cerebro passeris. Quod superius dixi de murium stercore in stimulanda alvo infantum, id etiam verum est de STERCORE *passerum*, quod pulverisatum & propinatum infantibus non minus egregiè eorum *alvum subducit*.

TROGLOTITES SEQUITUR:

QUi aliàs etiam vocatur *regulus* & specificè *commendatur* contra *affectus nephriticos* & *calculum*, in quo singulare & arcanum est remedium: si comedatur est præservativum calculi. Siquti etiam pulverisatus & pulvis in doloribus nephriticis assumtus mirè calculum ex renibus & vesica exturbat, & eorum motum promovet, de quo plura qui vult, videre potest *AMATUM LUSITANUM Cent.* 6. *Cur.* 93. Uti etiam *CHARLETON* in Tr. *de spiritu Gorgonico p.* 161. nec non *ZACUTUM LUSITANUM lib.* 2. *med. princip. hist.* 129. Valdè commendatur ab omnibus Præter virtutem promovendi calculum renum non minus commendatur *in promovenda urina suppressâ*, in qua eodem modo usurpatus valdè convenit, adeò ut quidam dicunt, quod urinæ suppressionem desperatam regulus hic calcinatus certo experimento promoveat, etiamsi abdomen insigniter jam intumuerit, & etiam à Calculo vesicæ oriatur. Propterea Corlicenses habent *Essentiam reguli* quæ est conveniens in tali casu. Vid. de hac vi contra Ischuriam *HOEFERUS in Hercule Medico* pag. 180.

LXVI. PAVO.

Ταὼς, Pavus, Avis Medica. *Psau*, *Pagelun*. Le Paon.
Avis est omnium reliquarum formosissima, vivacissima, (*30. annos vivere potest*,) unde & Balsamicâ vi vigorosa, adeo ut caro ejus sine corruptione per se diu servari queat.

OFFICIN. NAT.

1. *Integer*. 2. *Adeps*. 3. *Fel*. 4. *Stercus*. 5. *Pennæ*. 6. *Ova*.

VIRES.

1. Jus pavonis pleuriticis specificè fertur prodesse, præcipuè si sit pingue.
2. *Adeps* (cum succo rutæ & melle) colicos affectus optimè sanat.
3. *Fel*, oculorum hebetudini, fluxionibus, asperis item superciliis medetur.
4. *Stercus*, proprietate vertiginem & Epilepsiam sanat (*in dies multos exhibitum*;) nimirum exsiccatum & pulverisatum (ʒj.) maceratur per noctem in vino: Hinc trajectum per linteum exhibetur, continuando à novilunio usque ad plenilunium, aut amplius, si opus sit. *Crato miscet cum sacharo & exhibet*.
[Ex hoc Syrupus Antiepilepticus paratur.]
5. *Pennæ*, adhibentur in suffitu, adversus uteri ascensum, *Quercetan. in Pharm Rest*. [imponuntur etiam in Erysipelate & inflammationibus mammillarum.]
6. *Ova*, exhibentur ad curandam arthritidem vagam dictam.
[Ad affectus mammillarum utilia.]

PAVO. Ex quo imprimis in usu est STERCUS pavonis: Hoc ipsum *specificum* singulare est contra *Epilepsiam* & contra *vertiginem*, I. quidem in Epilepsia est specificum magno usu expertum, *sive pulveris* ejusdem propinetur ad ʒj. *sive* recipiatur stercus, *infundatur* in vinum, exprimatur & vinum hoc bibatur. *Alii*, & quidem quædam matrona sic sanavit quosdam Epilepticos. Accepit acet. flor. Tunicæ, & huic fæces Pavonis recentissimas infudit, postea per linteum trajicit, sicque 9. continuis diebus manè propinat. Vid. imprimis *HENRICUS à BRAHE de Medicamentis contra Epilepsiam*. Uti etiam *BORELLUS Cent. 3. obs. 15*. in genere ab omnibus commendatur stercus Pavonis: Commodè etiam propterea *additur Clysteribus* pro stimulo, in Epilepsiâ usitatis, quibus commodè additur ad ℥ß. vel ℥j. Egregiè stimulat, simulque specificè *prodest*. *si oriatur Epilepsia per consensum* partium inferiorum, si habeat nidum in pancreate, vel mesenterio, vel aliis inferioribus partibus. Hinc *in vertigine*, quæ cum Epilepsia magnam habet convenientiam, longè efficacius deprehenditur *stercus Pavonis*, in qua ceu *singulare experimentum* deprædicatur. *Usus est talis* ℞. *M. fimi Pavonis & affunditur vini s. q. colatur, & trajicitur per linteum, & hoc transcolatum ac divisum in 3. æquales partes, 3 vicibus ante paroxysmum vertiginis propinatur*, *ita ut subsequatur*, benè contecto ægro, *sudor*, fuit *experimentum Comitissæ à VValdeck*. Cæterum *observetur*, quòd etiam sit res melior, & eò melior sit effectus, si *stercus* Pavonis *maris* sumatur pro cura vertiginis in *mare*: stercus *fœmellæ* si sit curanda *fœmella*: Hoc est melius dico, sed tamen non est de necessitate. Ab omnibus commendatur stercus pavonis. Imprimis elegans est historia, quæ satis confirmat usum stercoris Pavonis, videri potest in *QUERCETANI diætet. Polyhist. sect. 2. tr. 1* Unde non est inepta *conjectura BARTOLETI*, quod si stercus adeò sit efficax in vertigine, *cerebrum* futurum sit longè *efficacius*: cum & ipse dicat, quod *caro* Pavonis comesta sit *optima*; iis imprimis qui laborant vertigine: simul tamen, uti rectè monet *AUCTOR*, danda à Novilunio ad Plenilunia: observetur enim, quod IN CURA AFFECTUUM CAPITIS Epilepsiæ, apoplexiæ, vertig. &c. semper sit INSPICIENDA LUNA, & danda Prophylactica ante Plenilunium & Novilunium. Propterea *cura vertiginis inchoanda est à novilunio* & finienda circa Plenilunium, vel si tardius absolvatur cura, una dosis est propinanda in novilunio & altera in plenilunio: superius namque observavi, quod magna sit vis Lunæ hac in parte, & nisi cautus est Medicus in curatione Epilepticorum, quod attinet motum Lunæ, plus officit quàm quod prosit. *Pennæ*, quas vocamus SPECULA *Pavonum*, sunt singulare experimentum in *inflammatione mammillarum* in fœmellis, præterea quæ habet *AUCTOR*: Hæc enim specula Pavonis incisa & in cerevisiâ vel aqua appropriatâ assumta intrinsecus propinuta sunt singulare specificum in tumore & inflammatione Erysipelacea mammillarum propter figuram, quâ dicuntur referre q. s. mammam: vid. *HARTMANN. in prax. Chymiatr. pag. 157*. Quæ habet *AUCTOR* de pennis in *uteri ascensu*, sunt certa.

LXVI. PERDIX.

Πέρδιξ, πέρδικα, *Rebhun*, *Feldhun*.
Avis est salacissima, vivacissima (ad annos 16.) vescens gemmis Coryli & betulæ, gramine & segete virente.

OFFICIN. NAT.

1. *Caro*. 2. *Medulla*. 3. *Sanguis*. 4. *Iecur*. 5 *Fel* 6. *Pennæ*.
1. *Caro* comesta semen atque lac auget, Venerem excitat.
1. *Medulla*, *ut & Cerebrum* propinatum, ictericos juvare dicitur.
3. *Fel*, ad affectus oculorum præfertur aliis.
4. *Sanguis*, oculis cruore suffusis & recentibus eorum vulneribus illinitur.
5. *Iecur*, siccatum ad ignem & pulverisatum, morbo regio resistit, singularisque fertur antidotus contra febrem, si aliquoties in aqua millefolii assumatur *Crato*.
6. *Pennæ*, inserviunt suffocationi uterinæ (*suffitus naribus admotus*,) doloribus colicis, aliisque mitigandis, discutiendis, (*fomentationis formula adhibitæ*,) & hinc cum mentha ac abrotano in forma sacculi infantibus familiare remedium existunt ad tormina ventris compescenda.

PERDIX. De hoc notum est, quòd mulieres soleant adhibere PENNAS perdicis *in ensas contra Epilepsiam*; aliàs non solent usurpari.

LXVII. PICA.

Κίσσα, *Aglaster*, *Egester oder Atzel*. La Pie.
Vires. Avis hæc maximè commendatur ad oculorum obscuritatem, ruborem, dolorem (comesta vel incinerata, oculisque indita, vel quocunque modo apposita.)
Convenit & maniacis, Epilepticis, Melancholicis, (*cinis exhibitus*.)

PRÆPARATA.

Aqua Picar. Antiepileptica. V. d. l. 2.

PICA Hæc assata, elixata atque *comesta* singulariter prodest iis, qui per maleficium sunt ligati & *ad venerem impotentes*. Item *cinis* picarum cum aqua fœniculi benè subactus, & *oculis* applicatus, mirabiliter in iis *confortandis* convenit.

LXVII. STRUTHIO.

Struthiocamelus, *Strausz*, l'Autruche.
Avis est maxima, exotica, facultate chylificâ celebris.
N. Duos videre mihi contigit Londini Angliæ, quibus facile fuit objectam Chirothecam coriaceam deglutire.

OFFICIN. NAT.

1. *Tunica Ventriculi.* 2. *Adeps.* 3. *Ova.*

VIRES.

1. *Tunica interior ventriculi*, ventriculum corroborat, calculosque dissolvit mirè.

2. *Adeps* nervosis partibus convenit, duritiem Lienis mollit, dolores nephriticos mitigat, (*inunctus.*)

[3. *Ova*, calculosis conducunt. Hinc Spiritus Salis cum Ovis Struthionis rectificatus usurpatur.

LXIX. TVRTVR.

Τρυγὼν, *Turtel Daub.* La Tourterelle.

OFFICIN. NAT.

1. *Integer Turtur.* 2. *Adeps.*

VIRES.

1. *Turtur* viribus cum columba convenit, peculiariter tamen commendatur in dysenteria, ac præcipuè in sistendo mensium profluvio, (sive cinis combusti turturis, sive exinde extractum exhibeatur.) Dosis gr 4. 6. sive turtur deplumatus & exenteratus insutâ in ventre mastiche ℥j. (aceto rosaceo, inter assandum asperso, butyri loco,) assetur, postmodumque in olla clausa exsiccetur, atque in pulverem convertatur, & cochl. j. singulis mane exhibeatur.

2. *Pinguedo* inter assandum collecta illinitur renibus, ventri, pectori, inguinibus, &c. *Vide Forest. lib.* 28. *observat.* 10.

N. Sunt è podagricis, qui sibi persuadent paroxysmos arceri, podagramque præcaveri, si in cubiculo turtures alant.

TURTUR. De hoc observetur, quod ex eo fiat *Specificum* singulare *contrà nimium fluxum mensium*: *Præparatur* quidem eodem modo, quem præscribit *AUCTOR*, & hoc expertum secretum debemus ante omnia *FORESTO*, uti videri potest in *SENNERT. lib.* 4 *Prax. cap de nimio mensium fluxu pag* 175. Et hunc pulverem Turturis, quem commendat simul *HARTMANNUS in Prax Chym.* ceu expertum à seipso in muliere nimio mensium fluxu laborante laudat *LINDANUS* in *Colleg super Hartmannum.* Dosis est à ʒß. ad j. in necessitate etiam. Ulterius, & quidem eodem modo præpar. quo præparavit *FORESTUS.*

VESPERTILIO.

HÆc *neglecta* est ab *AUCTORE*, nihilominus SANGUIS vespertilionis *illitus hypochondriis* mirabiliter convenit in compescendo dolore, *in morbo Ileo* vel miserere mei, uti videri potest in *JOELIS PRACTICI POMERANI prax. pag.* 175. qui ceu singulare commendat experimentum: Item *FORESTUS lib.* 21. *obs.* 23. Et quidem non tantùm illitus hypochondriis sedat dolorem Ilei, sed etiam si sanguis discerpti vespertilionis illinatur ventriculo, eundem sistere dicitur: aliàs, quod (obiter noto) senecta seu *EXUVIÆ serpentum* in oleo rosarum *decocta*, & ventriculo *applicata*, ceu singulare *in Ileo* commendatur remedium. Observetur interim hoc, quoniam in Ileo est dolor intolerabilis, unde si illito sanguine vespertilionis potest sedari, est eò melius remedium.

LXX. UPUPA.

Ἔποψ, *Wiedehopff.* La Huppe.

Avis est melancholica, spurcissima, victitans vermiculis in stercore repertis, Erucis, Scarabæis, &c.

OFFICIN. NAT.

Caro. 2. *Penna.*

VIRES.

1. *Caro* ejusque decoctum proprietate suâ colicos juvat, (*assumpta.*) *Avicen. Fen.* 16 *tr.* 4. *c.* 11.

2. *Penna*, dolores capitis demulcere dicuntur, (*imposita.*)

UPUPA. Non est magni usus neque etiam

LXXI. VULTUR.

Γύψ, *Geyer.* Le Vautour.

Avis est pollens facultatibus animalibus, ac præcipuè odoratu.

OFFICIN. NAT.

1. *Caro.* 2. *Pinguedo.* 3. *Cerebrum.* 4. *Fel.* 5. *Penna.* 6. *Fimus.*

VIRES.

1. *Caro* convenire judicatur affectibus capitis, Epilepsiæ, Hemicraniæ, & simil. Decoctum cutis vitia sanare perhibetur.

2. *Pinguedo* convenit nervis.

3. *Cerebrum* subvenit capitis imbecillitati, (*illitum vel naribus inditum.*)

4. *Fel*, Epilepsiam arcere dicitur, (*assumptum cum vino.*)

5. *Penna*, de pennis nugantur si pedibus subdantur, quod partum potenter promoveant.

6. *Fimus*, nidore partum excutit.

CLASSIS III.

De Pissibus.

LXXII. ANGVILLA.

Ἔγχελυς. *Aal.* Une Anguille.

OFFICIN. NAT.

1. *Pinguedo.* 2. *Caput.* 3 *Sanguis* 4. *Epar.* 5. *Exuviæ.*

1. *Pinguedo* vulneraria est, capillos generat, (*illita in alopecia*:) auditum restituit, (*instillata auri*;) hæmorrhoïdes mitigat.

2. *Caput* anguillæ verrucis cutis mederi aiunt, sc. si caput sanguinolentum adhuc, quo verrucæ tactæ sunt, terra cooperiatur, ut putrescat.

3. *Sanguis* adhuc tepidus colicos domare dolores dicitur, (*cum vino assumptus.*)

[4. *Epar* cum felle siccatum pulverisatum, exhibetur in difficultate partus in vino, magnitudine avellanæ.]

[5. *Exuviæ* circumligantur membris luxatis, Sale condîtæ, & fumo exsiccatæ ad procidentiam uteri usurpantur in suffumigio.]

N. Sunt qui dicunt vinum, in quo Anguillæ suffocatæ fuerint, abstemios reddere, bibitum.

PRÆPARATA.

Aqua destillata Phthisicis & hecticis utilis.

ANGUILLA. Ex anguilla notetur, quod JECUR anguillæ *cum* FELLE ejusdem sit singulare *specificum* idque expertissimum *in partu difficili*, in quo fuit *secretum* HELMON. uti videri potest in *scriptis* Tr. *Jus duum viratus* § 46 *p*.247. Juxta Epar anguillæ, quod obiter moneo, jecur seu *epar serpentis non minoris est usus*, sed ejusdem ferè efficaciæ cum Epate Anguillæ PINGUEDO anguillæ imprimis convenit *ad progenerandos capillos* illita capiti: Præterea quoque mista cum oleo momordicæ commendatur valdè in compescendo *dolore hæmorrhoidum*. PELLIS sive cutis anguillæ *secretum* est peculiare & mirabile in *prolapsu utero*, si scil. ex illa *fiat suffitus* in uterum, qui per naturam receptus secretum est singulare in prolapsu uteri corrigendo. D. *MICHAELIS sive* pellis anguillæ recentis recipiatur, *sive* pellis anguillæ salitæ: id quod etiam confirmat *SENNERTUS lib*.4. *prax.pag*.96. & 97. nimirum usum & effectum suffitus pellis anguillæ: Videri etiam potest *FERDINANDUS Hist*. *rec*. 39. Aliàs, quod notetur, in tali prolapsu uteri *suffitus* factus *ex ovo putrido* & corrupto, est *experimentum* melius: si scilicet ovum putridum & corruptum integrum imponatur carbonibus: sic enim fit, ut rumpatur cum impetu & crepitu, à quo perterrefacta ægra una cum odore gravi & exhalante curatur: nam terror per se in tali casu prodest. Cæterùm observetur me loqui jam secundum communem stylum: *nunquam* enim *fieri* potest talis *uteri prolapsus*, nisi fiat omnimoda ruptura fasciculorum uteri, sed id quod propendet, sunt tantùm alæ & nymphæ nimis laxatæ. Vid. *BARBETTI prax*. AUCTOR dicit, quod vinum, in qua viva perierit anguilla, homines *vinum* per vitæ spatium *abhorrere faciat*, & abstemios reddat: Hoc dicunt, sed experientia docuit, quod sit falsum; ne decipiamus vid. *SALMUTH*. *Cent*.3. *Hist*.12.

LXXIII. BARBO.

Τρίγλη, Barbo, *Barbe, Barine*. Un Barbeau.

Piscis est culinis satis laudabilis.

Officinis autem in usu non est, ova tamen rusticolis nonnullis assumuntur ad ciendum vomitum & alvum, quod sat violenter perficiunt.

LXXIV. BLATTA BIZANTIA.

Ὄνυξ, Unguis odoratus.

Testa seu tegumentum est Conchylii, odore castoreum æmulans.

N.1. Conchylium, (Conchyla Indica) est species Concharum oblongarum, quæ in lacubus nardifenis nascens, nardis vivit, unde & testa odorem castorei æmulum spirat.

N.2. Sunt qui conchylium & purpuram seu buccinam inter se confundunt, sed malè: illud enim est ex genere conchar. oblongarum hoc ex genere rotundarum.

Vires. Unguis odoratus interne laxat alvum, splenem mollit, vitiososque humores discutit.

Externè excitat suffitu fœminas strangulatu uteri oppressas, comitialesque. In reliquis idem præstare poterit, quod aliæ concharum testæ. *V. de Concha*.

N. Blattæ Dioscoridis sunt è genere vermium, nobisque incognitæ.

LXXV. CANCER.

Καρκῖνος, Κάμμαρος, Astacus, *Krebs*. L'Escreviße.

OFFICIN. NAT.

1. *Cancer integer*, i. e. *substantia edulis*. 2. *Oculi*. 3. *Putamen*.

VIRES.

1. Refrigerant Cancri, humectant, dolorem sedant, ferocientes spiritus figunt.

Hinc usus præcipui in æstu, ac dolore capitis ac renum, (*contusi ac cataplasmati*,) [*in oris ulceribus*] In Angina (*fit gargarismus ex succo cancrorum, imo & internè succus exhiberi poterit.*) In Antrophia (*exhibetur internè succus cum aqua, vel succo Chelidonii*) (*vel cum butyro coctus*:) *externè fieri potest Emplast. ex cancris ustis, epate vitulino, atque Ol. Olivar. laurinoque*. Tela ac spicula è corporibus extrahunt (*triti & impositi*,) *Valent & in igne persico ac ambustis*. [In doloribus scorbuticis, fistulis.]

2. *Oculi Cancri* (lapides Cancri) refrigerant, siccant, abstergunt, discutiunt, calculum atterunt, tartarum & sanguinem coagulatum resolvunt.

Hinc usus magni in Nephritide, Pleuritide, Asthmate, dolore Colico, &c. sive crudi, triticque assumantur, sive usti & præparati: inserviunt itidem dentibus abstergendis.

3. *Putamen* (testa) easdem cum oculis dictis vires obtinet. Insuper scabiem puerorum ex salsis humoribus sanat (*oleo rosaceo permixtum & illitum*,) febrium intermittentium paroxysmos arcet.

N. Præstat putamen novellum tenuius, quo induuntur, postquam crassius deposuerint annuatim.

PRÆPARATA.

1. Cinis cancrorum (*i. e. Cancri combusti*,) exsiccatorius est, proprietate pollet adversus morbum canis rabidi, (*assumptus cum radic. Gentian.*) Rimas pedum ac sedis verruculas & carcinomata cum melle lenit. Sunt & qui cancros combustos propinant in dysenteria.

N. Galenus hoc Medicamenti genus, quod ab Æschrione Empirico didicisse confitetur, maximopere ad morsum rabidi canis commendat, Æschrionemque cancros vivos in patella ærea ussisse ait, donec in lævorem facilè redigi poterant, idque per ortum canis, Sole transeunte in leone.

Dosis cochlear parvum ad dies 40. continuatum.

[Præferuntur Cancris nostratibus Granchès Hetruscis dicti.]

2. *Oculi cancri præparati*. F. l. c. lævigando, cum aqua v. gr. fœniculi.

3. *Mag. oculor. cancror. vid. lib*.2.

4. *Aqua cancror*. fit è cancris MB. vel Æschrione destillatis.

Vires. Urinam pellit, calculum atterit, sitim extinguit.

N. Quercetanus macerat cancros cum aqua sempervivi majoris per diem, hinc destillat, ter cohobando, adhibetque inflammationibus, combustis, carcinomatis quibus maximè prodesse ait, in primis si sale ex remanentia elixiviato imbuatur. Pharm. Restit. c. 7.

5. *Ole. seu Liquor Ocul. cancrorum* fit l. com. per deliq.

N. *Aliter*.

℞. Pulv. oc. cancror. ℥. v. olei tart. p. d. ℥ vi. dig. in F. Eq. (per dies 15.) hinc coagula & extrahe spirit. vin. Tandem abstrahe spirit. vin. & remanet oleum.

Dosis gr. 4. ad 6. *Hartm. in pract.*

[6. *Spiritus in vulneribus pectoris utilis*.]

CANCER. Imprimis duplex in usum venit: *Vulgaris*, qui ubique in nostris regionibus reperitur, & alterius speciei, qui est rotundus, & dicitur *astacus*, qui astacus rarus est apud nos, in locis autem maritimis reperitur, & *præferri solet* nostratibus oblongioribus. Quod attinet *usum*, notum est, quòd cancri sint egregium alimentum vel potius alimentum medicamentosum, quàm simplex alimentum, & optimè solent *conducere* iis, qui laborant *febri hectica*, & qui inclinant ad *phthisin*, aut vel *pulmonum*, vel *renum exulcerationes*, propterea quoniam *totus cancer*, quantus quantus est, *vulnerarius* est, & impraegnatus occulto sale vol. alcali vulnerario: vid. *scripta HELMONTII*, qui inter alia valdè commendat oculos cancri & lapillos: Quorum ratione conveniunt pro eliciendo acido excrementitio partium in hectica: item pro expugnandâ & expurgandâ acrimoniâ, sive fermento corruptivo acido ulcerum renum, & pulmonum in phthisi: Cùm ipsi etiam cancri obtineant egregiam *vim diureticam* ciendi urinam ac pellendi, ratione salis vol. alcali temperati

rati à pauco acido. In phthisi, tabe, atrophiâ, Hecticâ, & similibus affectibus cancri sunt insignis usus: Imprimis fit in talibus casibus & affectibus *Butyrum cancr.* de quo superiùs locutus sum sub Bove, & dedi ejus præparationem. *Extrinsecùs* magni usus sunt cancri, si scil. contundantur, & *vel* instar cataplasmatis applicentur, *vel* ex contusis succus instar fomenti admoveatur: Et ita *expressus* SUCCUS egregium præbet medicamentum in *Cephalalgiis febrium* ardentium & malignarum, imprimis, si simul adsit *metus delirii* aut *phrenitidis*. Sic enim *RULANDUS* in *Thesauro medico practico* habet egregium *frontale*, quod ipse semper felicissimo cum successu adhibuit, cujus hæc est *descriptio*:

℞. *Cancrorum fluviat. vivorum num.* 20.
acet. *rosacei.* ℥v.

Contundantur in mortario & fiat Epithema, similiter felici cum successu usurpatur in *phrenitide* & *insania* superveniente febres malignas: *addi potest* pro varietate circumstantiarum aliquid *de Laudano* Opiato, Emulsione papaveris, Camphora, &c. & tale *epithema compositum* potest fieri hoc modo:

℞. *Aqu. Spermatis ranarum* ℥viij.
Succi cancror. fluviat. ℥ij.
Croci. ʒj.
Opii aceto correcti ʒß.
Camphoræ ℈j.

Misceantur pro Epithemate, quod in phrenitide, febribus malignis ardentibus, item in Cephalalgia similium febrium est elegans expertum remedium. Item in doloribus & ardoribus renum, in *nephritide* & *calculo*, vix melius est remedium ipsis cancr. fluviatilibus contusis & applicatis. Prætereà quoque *externè*, quascunque *inflammationes sistunt* cancri & *succus* ex iis expressus; quoniam in omni inflammatione est acidum coagulans sanguinem, & efficiens, ut stagnet, & sic inflammationem inducat: hoc acidum, quia ob alcali subtile absorbent cancri fluviatiles & succus expressus, non potest non fieri, ut sublata causa, tollatur effectus. In *angina*, quòd sit expertissimum remedium *succus cancror.* fluv. cum succo sedi expressus, dixi sub sedo: de quo etiam videri potest hinc inde apud *AUCTORES*. In *ambustis* & combustionibus vix melius habetur *succo* cancror. fluv. recenter expresso: ex eodem fundamento, uti superiùs innui, in *ulceribus sordidis* & *fistulis* succus cancror. fluviatilium cum succo Nicotianæ infusus vel injectus est elegans remedium; de quo dixi sub Nicotiana. *Cancri fluviatiles*, quoniam sunt toti vulnerarii, propterea non immeritò *ingrediuntur potiones vulnerarias*, id quod primus docuit *POTERIUS* in *Pharm. spagyr. lib.* 1. *c.* 1. *sect.* 2. *pag.* 20 qui describit DECOCTUM VULNERARIUM, cujus miras virtutes non potest satis deprædicare, cujus hæc est compositio non inelegans:

℞. *Astacorum fluviat. num.* 20.
Aristolochiæ rotund. ℥ß.
Radicis symphyti majoris ℥ß.
Fol. Bugulæ, alchymillæ, saniculæ, agrimoniæ, Betonicæ ana Mj.

Bulliant in s. q. aqu. communis & vini fiatque decoctum, qui partim *extrinsecus* vulneribus applicatur cum plagulis in eo madefactis: partim verò *intrinsecus* hauritur ad ℥vi. bis in die 4. horis ante pastum, cui addatur ℥j *syrupi capillorum* vener quòd si sitis adsit totidem *syrupi limonum* addi potest. Extrinsecus, si ulcus sit cruentum, additur salis *communis* pugill. j. item *Myrrhæ* aliquando ℥ß. & alia pro ratione symptomatum vulnera supervenientium, *valdè istud commendat POTERIUS*, dum dicit mira est ejus vis etiam in vulneribus deploratis internè & externè: *In præscissis & dissectis nervis, tendinibus ac ossibus*, quæ sunt vulnera peritum requirentia Chirurgum, & propter meritò notandum hoc decoctum. Ex his cancris fluviat. fit per calcinationem *CINIS*, qui ceu expertus jam ab antiquis temporibus commendatur *contra morsum canis rabidi*, si assumatur cum radice gentianæ, & quidem jam *GALENUS* illum laudavit, & ad nostra tempora ejusdem salva perstitit laus: In cinere verò, cùm nihil ferè supersit de sale volat. sed sit instar terræ & calcis mortuæ, quoniam avolat in calcinatione, propterea calcinationi *præfertur pulverisatio*: *Modus* est talis.

℞. Cancros fluviatiles in plenilunio captos: quoniam *plenilunium est* LEGITIMUM TEMPUS COLLIGENDI cancros. (Nam observatum est, quòd crescente luna etiam contenta in cancris crescant, decrescente verò lunâ denuo & illa decrescant) ponantur in vase terreo non vitreato ad os furni, ut exsiccentur paulatim & non crementur: Exsiccatos cancros contunde in mortario lapideo, qui pulv. præter alios usu mirè *curat ulcera renum & vesicæ*, & præferendus est hic pulv. longè cineribus oculorum cancrorum, utpote qui sunt pura puta calx. *Cancri* ulteriùs conveniunt *in præcavendo abortu*? *sive* propinetur mulieri gravidæ succus cancrorum cum bono vino expressus; uti vult *HARTMAN. prax. Chymiatr. pag.* 282. *sive* cancr. fluv. cum jusculo pullorum contusi propinentur, uti vult *JOEL in praxi pag.* 289. *sive* ipse solùm pulv. uti jam dictum fuit præparatus. Hîc est *specificum POTERII* in præcavendo abortu, quoniam datur à ʒß. ad ʒj. Brodium, sive *jusculum decoctionis* cancrorum *alvum solvit* assumtum: item ad *scorpion.* & *viperarum morsum* è vino per se bibuntur cancri, cum crusta triti & plagæ impositi sive adhibiti auxiliantur morsui viperæ. *AUCTOR* præscribit modum destillandi aqua *ex cancr.* per B. M. vel cineres: Hæc aqua præter virtutes ab auctore descriptas est *mirabilis* in quibuscunque *inflammationibus sedandis*: adeò, ut nullo modo cedat aqua spermatis ranarum in usu externo. Præterea in *rabidorum canum morsibus* est expertum remedium, hæc aqua multùm commendatur à *POTERIO* in tali casu, & expertum à D. *Michaele*, si misceatur cum tinctura Bezoard. Multùm etiam in *vulneribus* & *ulceribus* partium internarum, in specie *pulmonum* & pectoris aqua hæc artificiosè destillata, & continuè sumta mirè conducit. LAPILLI cancrorum dicti communiter oculi cancrorum, sed falsò, multùm enim *differunt*, *ab oculis veris* nigris in capite repositis, cum in ventriculis potiùs cancrorum concrescunt. Nam de *oculis veris* nigris in *capite* repositis noto, quòd si quasi ʒß vel ℈ij illorum in pulverem redigat & assumat, habebit *pulverem* egregiè *purgantem*, auctore *DEODATO in Pantheo Hygiastico lib.* 1. *c.* 44. De *Lapillis* verò cancrorum alia est ratio: Nam hi *sunt nihil* aliud, nisi *mucus coagulatus* in ventriculis cancrorum, ex quo denuò resoluto fit *renovatio cancrorum*. Dum deponunt antiquam crustam & mense Majo ac Junio novam induunt, quæ generatur ex lapillis resolutis in liquorem lacteum: tunc enim temporis cancri ægrotant, quando in stomacho coagulati lapilli resolvuntur & mutantur in crustam: ut ita *materia crustæ* & *lapillorum* sit *una* eademque. Et quidem crusta recens est omninò mollis, nihilominùs tamen sensim sensimque salium internorum activitate concrescit & induratur: Dico salium activitate: Nam *constant oculi cancrorum*, *sale alcali copioso*, cum acido quodam subtili volatili: undè hæc duo se invicem amplectantur, ex labore naturæ coagulantur, & sensim sensimque indurantur. Qui plura cupit, videre potest *HELMONTII scripta*. Hi oculi cancrorum, in quibus prævalet sal vol. alcali occultum, quod temperatum est ab acido subtili interno usu *magnum habent effectum*, & quidem *propinantur*, *vel* cum vino *vel* cum aqua appropriatâ, cui addendum est tantillum aceti, licet enim corrodantur ab acido vel vini vel aceti, illud

illud tamen non nocet, sed juvat potiùs, ut similiter & fortiùs possint operari in corpore humano, testante *HELMONTIO & SYLVIO.* Undè facilè patet, quòd conducant *in* corrigendo *acido* stabulante in corpore. In *Soda colica*, *suffocatione uterinâ*, & similibus affectibus ab acido oriundis. Deindè palmam obtinent præ omnibus *medicamentis vulnerariis & ulcerariis*, quoniam arcent acidum in primis viis, ne ex ejus abundantia corrupta massa sanguinea augeatur corrosio in ulceribus & vulneribus. Sunt remedium expertissimum *in casu ab alto*, imprimis quando coagulatus est sanguis ab acido. Prætereà cum medicamentis in casu ab alto admiscenda sint vel purgantia vel diuretica, ut sanguis coagulatus dissolutus per convenientes vias evacuetur: in tali casu præscribuntur oculi cancrorum, quippe qui *præter vim vulnerariam habent* etiam *vim diureticam.* Illustre hujus rei *exemplum* refert *LINDANVS in collegio practico* de fabro quodam lignario, quem dicit decidisse ex summitate ædium in plateam, & fregisse costam, copiosumque sanguinem post lapsum exspuisse, curatum tamen à se fuisse per decoctum vulnerarium, additis solutis oculis cancrorum in aceto, inde sanguis congrumatus fuit evacuatus per urinam, & æger curatus cum omnium miraculo. Quoniam ergo dissolvunt sanguinem congrumatum *in pluritide* non ultimum sunt remedium, in qua imprimis peccat acidū coagulativum sanguinis *Cient* urinam & moderatè promovent, detergunt arenulas, & *calculum præservant* egregiè, dum absorbent acidum, arenulas & alia mucilaginosa in calculum coagulant In *Synovia articulorum*, internè usurpati, & externè inspersi multùm conducunt. In *febribus intermittentibus* quibuscunque conveniunt lapides cancrorum pulverisati & propinati, impediunt enim effervescentiam massæ sanguineæ & virtute præcipitatoriâ potenter sistunt: unde novi continuo usu *quartanam pulvere cancrorum* in dosi à ʒß. ad ʒj. *curatam*: quòd si videatur minùs debilis, optimè *vermiscetur cum sacharo saturni* & quidem imprimis, si affectus simul sit splen. Hinc pulvis cancrorum fluviatilium cum sale quodam fixo vegetabili & aqua appropriata intermittentes curat per sudorem. Usitatè etiam *pulver. dentifricios* in scorbuto *ingrediuntur*, sive usti sive aliter præparati: Nam acidum scorbuticum absorbent ac imbibunt, & inde gingivas ac dentes roborant & firmant: Volunt quidam parare *ex oculis cancrorum* sal vol. beneficio digestionis & cohobationis cum Spiritu vini, sed paucis feliciter cessit opus, sique possibile esset, certè remedium compararetur stupendarum virtutum. Videatur interim *FABER* in *Miroth. spagir. lib. 1. c. 21.* uti etiam *VVORMIVS in Museo.* Rarum est quod habet *PLATERVS obs. lib. 2. pag. 63.* quod in *lingua* humana repertus fuerit *calculus* similis oculis cancrorum. TESTÆ seu putamina imprimis *gela*, *sunt ejusdem naturæ & usus atque capilli*, quoniam habent eandem originem, & pulvis earum eundem habet usum atque lapillorum pulv. propterea *ANGLI habent pulverem ex gelis* cancrorum præcipitantem & expertissimum apud eosdem *in febribus. Aqua* QUERCETANI cum *aqua* semper vivi est elegantissima & *expertissima* in usu externo, & præferenda succo expresso: quæ observetur, nam multa sub eodem latitant arcana. *Liquor oculorum cancrorum* per deliquium, uti habet *AVCTOR* est egregius *in calculo & suppressione urinæ*: Renes abstergit, exturbat enim arenas & calculum, cietque potenter urinam. Item sunt qui præparant ex oculis cancrorum *Essentiam*, quæ *præparationes* sunt variæ; quidam cum aceto, *quidam* cum terebinthina & spiritu vini vid. *BOETIVS à BOOT de Gemmis cap 176. VVORMIVS in musæo pag. 60.* alij habent alias præparationes. *Q. E.* ex cancris fluviatil. vid. in *FABRO cit. loc.* Plura qui cupit vid. *Gammarologiam PHILIPPI IACOBI SACHS à LOEVVENHEIM*, elegans est tractatus, & notus iis, qui sunt curiosi, & frequenter visitant officinas librarias.

LXXVI. CARPIO, vel CARPO.

Κύπρινος, Carpus, Carpa, *Karp, Karpff.* Piscis est notus, limo & muco vivens.

OFFICIN. NAT.

1. *Fel.* 2. *Axungia.* 3. *Lapis triangularis* 4. *Lapilli oblongi.*

VIRES.

1. *Fel* oculor. hebetudini & nubeculæ subvenit.
2. *Axungia* nervorum affectibus calidis auxilio est.
3. *Lapillus Carpionis* (triangularis in capite repertus,) *Karpffen-Stein,*) colicis doloribus, calculosis, comitialibusque conferre statuitur.
4. *Lapilli duo* supra oculos existentes, itidem ad Epilepsiam commendantur.

CARPIO. Cujus *FEL* uti reliquorum piscium omnium, in specie Lucij picis in *affectibus oculorum* commendatur. & quidem *ubi affectus* oculorum detergendi, verb. grat. nubeculæ, ungues & pelliculæ adhuc *sunt in fieri*, nec adeò confirmati, *conveniunt fella piscium*, utpote temperata & non nimis acria: *ubi verò sunt confirmati*, verb. grat. ungues confirmati &c. Requiruntur *fella animalium terrestrium*, & quidem sylvestrium, imprimis quæ tam respectu fellium piscium, quàm animalium domesticorum sunt acriora & volatiliora & penetrantiora. Hoc observato de omnibus fellibus potest dari judicium. LAPILLUS carpionis, qui reperitur in illius capite valdoperè *convenit* in compescenda *hæmorrhagia*, uti etiam in curandâ *Epilepsia*, in qua à multis pro arcano habetur. Vid. *SCHNEIDERVS* in *tract. de osse cribriformi pag.* 323. & 324. Prodest in *calculo & ciendâ urina* Præter lapillum magnum in capite sunt 2. *parvi lapilli* supra oculos siti, qui præferuntur majori *in cura Epilepsiæ*, de quo vid. *FINCKIVS* in *medicina dogmatico-Hermetica* pag. 39.

LXXVII. CETUS, ET MANATI.

Κῆτος, Cete, *Vvallfisch.* La Balene.

Cete nomen generaliter pisces vastos vivi-paros denotat; specialiter tamen pro maxima eorundem specie sumitur, quæ ob vastam suam magnitudinem ac conformationem quadrupedes æmulatur.

OFFICIN. NAT.

Axungia, quæ medetur scabiei (*illita*)

N. Ex hoc animali sunt qui sperma Ceti Officinarum desumi volunt, sed malè: vid. lib. 3. c. 31.

Alij ambram ei acceptam referunt, sed itidem falsò.

Manati.

Cetorum generibus annumeratur Piscis *Manati* dictus, à pedibus binis anterioribus, quos solùm refert: nimirum hos manus Hispani vocant, unde & piscem marinam, ac si diceres manibus prædítum vocaverunt Belgæ ob similitudinem capitis, quo vaccam mentitur, Vaccam marinam (*See Kuh*, Le Manati, appellant. Vide Clusc. Aldrovend. Monard. Gomar.

OFFICIN. NAT.

Lapis *Manat.* seu de Manati, vulgò Lapis *Manatim*, est lapis, os, seu crustraceum ex capite ejus exemptum, idque variforme; nonnunquam enim dentes refert, unde & nonnullis *See-Kuh-Zahn*, i. e. dens Vaccæ marinæ audit: aliquando officula aurium mentiuntur, adeoque ossa oditus dicuntur.

PRÆPARATA.

1. Præparat. fit ex calcinato, s. cremato.

N. Præstat irrorare aliqua aqua conveniente, v. g. Fœniculi &c.

Vires. Summè commendatur ad calculos renum & vesicæ comminuendos, dolores nephriticos, ac colicos sedandos. *Dosis* ℈j. *& ultra.*

N. Sunt qui ad ʒj. ascendunt.

2. *Magist.* Fieri potest solvendo cum spiritu salis, vel sal. nitri, ac præcipitando cum aqua.

De CETE Nihil est in officinis.

LXXVII. CONCHA.

Κόγχη, *Muscheleen.* Conche en Coquille.

Est genus piscium capite destitutum, testis (quas eodem nomine conchas, vocant,) circumvallatum, sive duplex testa illa sit complicatilis, sive simplex.

Ex harum genere sunt & margaritiferæ, quas vide infra, & lib. 3. c. 7.

Varias sub se species complectitur, secundùm figuram coloremque utplurimùm nomina nactas, vel & peculiari nomine insignitas.

Sic sunt.

Conchæ longæ, Rhomboides, squamosæ, striatæ, echinatæ, corallinæ, leves, &c. Huc ostreæ, mater perlarum, blatta bizantia, Chamæ generum varior. &c. Umbilicus marinus, dentalium, entalium, purpura, conchylium.

N. 1. Crescit Concha ac decrescit cum incremento & decremento Lunæ.

N. 2. Inter aquatilia nullum animal esse perhibetur, quod majori desiderio teneatur vescendi carne humanâ, quàm hoc ipsum.

OFFICIN. NAT.

1. *Testæ*, 2. *Caro*. 3. *Margaritæ, de quibus lib.* 3.

VIRES.

1. Testæ conchar. vim habent exsiccandi, sudorem movendi abstergendi, &c.

Hinc usus earum internus præcipuè est in febribus, quibus interveniente sudore medentur.

Externè conveniunt in dentifriciis, abstersoriis, in mariscis & condylomatis ani reprimendis (*calx. applicata.*)

PRÆPARATA.

Adhibentur autem Conchæ, tum pulverisatæ solummodo, tum calcinatæ & pulverisatæ, vel & simul lege communi cum aqua card. bened. & sim. lævigando præparatæ.

N. Nostratibus hoc nomen sibi communiter vendicat genus conchar. oblongum, quod hisce in locis vulgariùs reliquis invenitur.

Ex horum testis fit famosum illud Antifebrile Crollianum.

Hoc modo:

Testis dictis affunde acet. stet per noctem: tunc extrahit mucorem, quo abraso, calcina testas ad albedinem usque, pulveremque serva.

Vires. Ciet sudorem sat largiter, adeoque instante paroxysmo (præcipuè tertiano,) exhibitus febres solvit, maximè si vice secunda vel tertia iteretur.

Dosis ℈iß *ad* ʒj.

N. Crollius exhibet in haustu cerevisiæ calidæ cum tantillo butyri.

2. Caro concharum, id est substantia edulis, culinaris potissimùm est, & in cibo quartanis convenire dicitur.

CONCHÆ *Sunt pisciculi minuti*, seu parvi vermi formes, qui habitant *in tastaceis domiciliis*, à quibus testes habent nomen, ut vocentur conchæ, & omnes pisces, qui habent tales testas, dicuntur conchæ, quarum *variæ* sunt *species* & varias habent differentias, quas recenset *AUCTOR* imprimis utuntur testæ, ex quibus paratur *specificum antifebrile* tertianarum, cujus *de criptionem*, quam primus *invenit* CROLLIUS, vid. in *AUCTORE. Observetur* autem de hoc specifico *CROLLII*, quòd semper *præmittenda* sint in cura intermittentium *universalia*, nam si incautè adhibeatur, facilè ex simplici potest parari duplex imò triplex, cujus multas habeo observationes, præprimis ab iis, qui nimis præproperè ruunt in praxin: & quidem uti ex his parat suum specificum *CROLLIUS* in *Basilica Chymica*: ita *ex conchis margaritiferis* Calcinatis parat *STROBELGERUS* suum *specificum* in tertianis ante paroxysmum assumendum, de quo vid. tract. *de curatione febrium.* CARO & omnes conchæ, ad quas etiam pertinent OSTREÆ, commendantur in *phthisi & hectica*, in *atrophiâ* & tabe, si oriatur ex stomacho & putrida in eodem corruptione, in qua optimæ sunt, & *LINDANUS* in *Collegio practico* refert, quòd per ostreas, conchas & testudines, utut hæ sint difficilioris aliquantulum digestionis, plures hæcticas curaverit. Aliàs testæ concharum multùæ *conveniunt cum cancris* & earundem lapillis, ejusdemque ferè sunt naturæ & in casu necessitatis commodè & non sine ratione possunt substitui.

LXXIX. DENTALIUM ET ENTALIUM.

Dentalium est conchula parva, oblonga, exteriùs asperula, intus lævissima, tubuli modo concava, alteraque parte rimam habens canini dentis instar acuminatam, unde & dentalium nominatur.

N. Non piscis, sed vermis oblongus, ac tenuis dentalij incola est; adnascitur saxis marinis, conchisve vetustis.

Entalium itidem testaceum quoddam est marinum, instar parvi cornu longiusculum rectum & cavum, foris striatum, intus læve, raró longitudinem digiti superans.

N. Videtur esse Dactylus Plinij.

Vires Utrumque etsi in Medicina hactenus parum, & non nisi in unguento Citrino usitatum sit, attamen cum aliis testar. generib. ad similes affectus adhiberi posse veresimile est.

DENTALIUM & ENTALIUM *Sunt species concharum*, de quibus, quæ in genere dicuntur de conchis, valent in specie, & qui habet lapillos cancrorum, non opus habet neque perlis, neque testis, neque Entalio, neque Dentalio.

LXXX. HALEC.

Μαινὶς, Halecus, Harengus, *Harig*, *Haring.*

Piscis est Marinus, Oceano Baltico, aliisque Germaniæ Oceanis familiaris.

OFFICIN. NAT.

1. *Vesicula.* (*Halecis anima dicta.*) 2. *Ipsum Halec*, & 3. *Muria.*

VIRES.

1. *Anima dicta*, N. ix. exhibitæ urinam ciere dicuntur.

2. *Integrum Halec* salitum imponitur plantis pedum ad humores à capite derivandos, æstumque febrilem domandum. Cinis exhibetur ad calculum atterendum, (*fit ut cancrorum.*)

3. *Muria*, (Garum est brodium, quo Halec vel alius piscis fuerit conditus. Inservit Clysterib. in coxendicum dolore & Hydrope, mundificat ulcera fœtida, Gangrænam cohibet, strumas dissipat, ad anginas valet (*cum melle illitus.*)

HALEC *Integer* halec salitus *plantis* pedum *applicatus in febribus ardentibus*, *refrigerat* potenter, & adhibetur pro impediendo imminente delirio. Disruptus per medium halec, & *inversè dorso applicatus*, ita ut caput sit in parte inferiore, cauda verò in parte superiore dicitur expertus *in febribus intermittentibus* MURIA halecum salina, quæ constat ex sale communi, quod ceu acidum absorpsit sal vol. ex halecibus; unde est quasi sal. ammoniacale, ex acido sal. cum sal. vol halecum, qua muria hæc non est amplius acida, sed salsa ex natura salis ammoniacalis. Hoc dissolutum confert & pro secreto habetur *in* resistenda *Gangræna* pro partibus *à frigore* læsis, si abluantur cum illâ. Item in *ulceribus cancrosis malignisque* valdè commendatur. PALMARIUS in tractu de *peste & morbis contagiosis c.* 18. *pag.* 470. tradit certissimâ experientiâ constare, quòd cum primi haleces non saliti à piscatoribus in copia in maritimos locos deferantur, subitò venenum pestilentiale

ſtilentiale evaneſcat, licet ignoretur cauſa.

LXXXI. HUSO ICHTHYOCOLLA.

Exoſſis, *Hauſen*. Le poiſſon dont on fait la colle.

Genus piſcis eſt è maximis (longit. 24. pedum, pondere nonnunquam ad ℔. 400.) Cartilagineum, oſſibus expers (exceptis quæ in capite ſunt, abſque ſquamis, &c.

Familiaris piſcis eſt Danubio, nimirum ex Mari in Danubium deſiderio aquarum dulcium aſcendit.

OEFICIN. NAT.

Exhibet Officinis *Ichthyocollam*, (*Arab. Alkanna, Hauſz-Blaſen*, quæ glutinis genus eſt, colore album, ex illius colore album, ex illius corio, inteſtinis, ventriculo, pennis & cauda confectum.

Idque hoc modo.

Partes dictæ in fruſtula tenuiſſima ſectæ macerantur in aqua calida q. ſ. hinc coquuntur lento igne ad conſiſtentiam pultis, malaxanturque antequam refrixerint in maſſam.

Vires. Siccat, explet, quadantenus mollit. [Adhibetur ad ſputum ſanguinis.]

Hinc Uſus ejus eſt in Emplaſtris glutinantibus.

N. Adhibetur & ad gelanda jura, [Galtey zu machen,] ex iiſdem addito Saccharo cand. excoquitur etiam tranſlucidum & flavum glutinum genus. (Friſchleim & Mundleim, appellatum,) quod in ore liquefactum ad chartas glutinandas adhibetur.

HUSO Cujus Gelatina per aquam extracta vocatur ICHTIOCOLLA, quæ quoniam habet vim conglutinativam & conſolidativam uſitatiſſimè ingreditur Emplaſtra & unguenta *ſarcotica* ſive carnem generantia. Propter hanc vim glutinativam & unitivam *GOEL* paravit ex Ichtiocolla *remedium ad ſputum ſanguinis*: item *NICOLAUS MYREPSA* facit exinde paſtillos ſive *trochiſcos* contra eandem *ſanguinis excretionem*.

LXXXII. LUCIUS.

Λάβραξ, aliis λύκος, Lupus, *Hecht*. Un Brochet.

N. Sunt qui Lucium ac Lupum confundunt, quod etſi nomine tenus concedi poſſit, cùm uterque piſcis ſit rapax, ut Lupus terreſtris, attamen reipſa diſtinguuntur.

Lupus ſiquidem veterum, marinus piſcis eſt figuraque à Lucio aliena.

OFFICIN. NAT.

1. *Fel*. 2. *Cor*. 3. *Mandibula* 4. *Oſſiculum cruciforme*. 5. *Axungia*. 6. *Ova*.

VIRES.

1. *Fel*, Febrim arcere volunt, *ſi aſſumatur*. N. 3.

Extrinſecus inſervit oculorum maculis, hebetudini, aliiſque eorum affectibus.

2. *Cor*, adverſus Febrium paroxyſmos devoratur.

N. Sunt qui Cor vivo Lucio exemptum devorare, luciumque corde orbum denuo in fluentem aquam conjicere jubeant.

3. *Mandibula* exſiccat, abſtergit. Hinc datur in pluritide ceu ſpecificum, itidem, ut & reliqua capitis oſſicula in calculo, fluore albo, mulierum partu difficili.

Extrinſecus ſiſtit (cinis) ſynoviam, vulnera inveterata mundificat, hæmorrhoïdes exſiccat.

4. *Oſſiculum cruciforme ex capite Lucij*, commendatur quibuſdam ad Epilepſiam (*aſſumptum*.)

N. Periapton ſingulare quibuſdam habetur adverſus incantamenta.

5. *Axungia* vulgare Medicamentum eſt, illiniturque plantis pedum & pectuſculis infantulorum, ad revellendos catarrhos & demulcendam tuſſim.

6. *Ova*, vomitum ac alvum ciere apta ſunt, unde & hujus gratia medicamenti loco à plebeis exhibentur.

PRÆPARATA.

Aqua fellis deſtillata oculis ſubvenit.

LUCIUS Cujus de FELLE eadem valent, quæ dixi de aliis piſcium fellibus. MANDIBULA Lucij piſcis egregiè conferunt in *pleuritide* & *angina*, in quibus ſunt ſpecificum pulveriſata & propinata: abſorbent enim acidum coagulans & efferveſcens in dictis affectibus. Unde *pulveres pleuriticos* compoſitos ſeu baſis *ingreditur Magiſterium* eſt nullius uſus, ſed propinādus potius eſt ſolus pulvis in aqua appropriata, verb. grat. Papaveris Rheados, acaciæ, flor. ſambuci &c. conveniunt *in Gonorrhæa* marium, ſicuti etiam ſpecificè in Gonorrhæa mulierum, quæ *fluor albus* audit. *Calculum* pellit, & *urinas promovet*, & efficaciter etiam renes detergit. *AXUNGIA* Lucij piſcis imprimis in uſu eſt in *tuſſi infantum*, illinitur pedibus tempore veſpertino, ut poſſint dormire ſine tuſſi & moleſtia: ſiſtit eorum *catarrhos*, ac tuſſim demulcet.

LXXXIII. MATER PERLARUM.

Nacra Perlarum ſeu Margaritarum. *Perlen Muter*. Mere des Perles.

Species eſt Concharum, à Margaritis nomen ducentium, quæ ibi frequentiùs quàm in reliquis inveniuntur.

Vires. Præter vires concharum communes (vide ſupra) ſunt qui vim cordialem huic attribuunt, verùm quo ſucceſſu, videant ipſimet.

Alij antifebrile ex eadem conficiunt, ad modum, quem ſupra ex conchis oblongis dedimus.

PRÆPARATA.

[In uſu eſt Mat. Perl. præp.]
[Magiſterium Matr. Perlarum.]

MATER PERLARUM. Quæ nihil *eſt* aliud niſi *concha*, *in qua* reperiuntur *Perlæ*, & eſt idem quod Perlæ. Obſervetur enim, quòd concha exſpuat ſalivam ſive *liquorem limpidum*, roſcidum & perſpicuum, qui, ſi intra ſpatiola carnis retineatur, & ibi ſenſim ſenſimque coaguletur. *abit in perlas*, *cujus* Perlæ ſenſim *augentur* per *pelliculas*: nam ſi hæc fuerit coagulata, accedente novo humore qui eam incruſtat, coagulatur denuò, & ſic in magnum excreſcunt perlæ. Quòd ſi hæc ſaliva exſpuatur extra concham, coagulatur & concreſcit in teſtam conchæ, quæ vocatur mater perlarum, quoniam eſt receptaculum conchæ, in quâ fiunt perlæ, eſt ergo *una* eademque *materia*: niſi quòd *Perlæ* ſint *magis depuratæ* atque defœcatæ *quàm Mater* perlarum, quæ impurior. Nam dum remanet materia in conchæ corpore, degenerat in perlas: ſi verò evomatur à concha, concreſcit & convertitur in teſtam; ſimile videmus in teſtudinibus & *cochleis omnibus*, qui *fiunt ex liquore* quaſi *ſalivali beſtiolæ*, qui utut liquidus perſentiſcatur, coagulatur tamen ex principiis ſalinis, & ſecundùm laborem naturæ: Nam omnes habent eaſdem facultates atque teſtæ cancrorum à ſal. vol. alcalicum pauco acido, quæ coagulando mutuò in talem ſubſtātiam concreſcunt: & quod dicitur de teſtudinibus, conchis & cochleis, de omnibus oſtrearum ſpeciebus verum eſt. Et hæc eſt natura perlarum, & ſicut ſe res habet cum oculis cancrorum, eodem modo ſe habet cum perlis, quæ *eandem* habent *naturam* cum conchis, ergò *eandem virtutem*, quam habent *perlæ*, habebit etiam *mater perlarum* & contra. Quod attinet *vires*, ſuperius dixi, quod *SROBELBERGERUS* ex ea præparat *ſpecificum in tertianis*: quod etiam parari poſſet ex perlis: unde rectè dicit *DEODATUS*.

Qualis erat mater, filia talis erit.

Internè habet *eaſdem* virtutes, *quas oculi cancrorum*. Præcipitat, urinam movet, & vulnerarium eſt:

utut pro tali scopo raro adhibeatur, propterea quoniam est nimis pretiosa. Audacter tamen dico, ad quos usus conveniunt Perlæ & mater Perlarum ad eosdē convenire oculos cancrorum: nam *vis cordialis* illis adscripta est *ridicula*. Plura qui cupit vid. potest *dissert.* elagantissimam D. *ROLFINKII de Perlis.*

LXXXIV. MUSTELA.

Σαῦρος, Gobius fluviatilis, Mustela fluv. Gesner. *Aalraup, Aalrup, Trusche, Quapp, Ruffolck*, Le Goujon.

OFFICIN. NAT.

1. *Epar.* 2. *Ventriculus* 3. *Spina.*

VIRES.

1. *Hepar.* in vitro suspensum calorique expositum, in liquorem liquescit flavum, admodum utilem oculorum hebetudini ac nubeculis
2. *Ventriculus* commendatur summè ad affectus uterinos, præcipuè autem fertur secundinas pellere, colicosque dolores abigere. (*potus.*)
3. *Spina* pulverisata caducum expugnare fertur.

MUSTELA PISCIS, Hæc est celebris propter EPAR, quod in vitro supensum in leni solis calore *abit in liquorē* oleaginosum, qui est *specificum* singulare *in deficiente visu* vel in debilitate visus: adeò ut difficulter reperiatur remedium, quòd huic liquori ex epate mustelæ piscis sit par. Singularissimum ejus & expertum usum demonstrat *FORESTUS lib.* 11. *obs.* 38 ubi refert visum, qui omninò fuit propter acres humores oculorum nervos occupantes depravatus, fuisse restitutum ex liquore hoc illito palpebris oculorum. Vid *FORESTUS lib.* 10. Multùm etiam commendatur ab *HARTMANNO in praxi Chymiatr. pag.* 95. Nam in frequenti & felici usu est apud Belgas, in specie in defectu visus & lucis oculorum. Loco hujus jecoris mustelæ piscis *possunt substitui* ejusdem *intestina*, si scil. simili modo per insolationem in calore solis convertuntur in liquorem oleoaginosum: & deinde etiam *intestina LAMPRETÆ* vid. *BORELLUS Cent.* 3. *obs.* 91. ubi habet experimentum quoddam horum liquorum ex mustelæ piscis & lampretæ intestinis, in affectibus oculorum. Ulteriùs *tota mustela* cocta & comesta exhiberi solet *contra caducum* sive Epilepsiam puerorum. SPINA mustelæ piscis pulverisata est specifica *contra pleuritidem*, & solet misceri cum pulveribus Pleuriticis non sine ratione.

LXXXV. OSTREA.

Ostra, *Oster Muscheln.* Des Huitres.

Sunt conchæ marinæ ex genere rotondarum.

Vires. Ostrea pestiferos bubones loco transferunt, & virus omne ad se trahunt: Sunt autem agglutinanda brachij parti, quà axillaris decurrit, videlicet si bubo in alis sit, sin verò inguen obsederit, lineamentis femoris quæ vena cruris describit *Hollerius.*

N. Testæ concharum vicariæ esse possunt.

OSTREA. Dixi superiùs, quòd cancris & ostreæ prosint in *phthisi & hectica*, ad quem usum imprimis solent convenire ostreæ: quæ rei exemplum habet *LINDANUS in collegio super Hartmanni praxin Chymatr.* qui refert curatam febrim hecticam ex ulcere pulmonum per copiosum ostrearum usum: si quis non possit commodè recipere ostreas, destillatur exinde aqua quæ *non minoris est usus* & efficaciæ in cura hecticæ. TESTÆ ostrearum optimè possunt substitui conchis margaritiferis in usu medico, & his conchis omnibus oculi cancrorum, uti dixi.

LXXXVI. PERCA.

Percus, perca, *Bersich.* Une perche.

Perca fluviat. ad differentiam Percæ marinæ, piscis ab hoc differens est.

OFFICIN. NAT.

Lapides in capite reperti, juxta spinæ dorsi initium: Hi viribus conveniunt cum reliquis lapidibus testaceis, adhibenturque in calculo atterendo, renibus abstergendis.

Extrinsecus in dentifriciis, vulneribus exsiccandis.

PERCA. Quæ est culinaris, sed *LAPIS in capite* repertus est officinalis: egregiè convenit in *calculo* pellendo à ℈i ad ʒß, propinatus est secretum remedium, renes detergit, *pellit urinam* & calculum. Præterea in *dolore pleuritico* non minus commendatur ac lapis Lucij piscis. Ab *EICHSTADIO* in tract. *de confect. alkermes*, hic lapis cum cardiacis adhibitus efficax habetur, quoniam signaturam quasi Cordis habeat: Intrinsecus quoque solet adhiberi unà cum pulveribus aliis.

LXXXVII. RANA AQVATICA.

Βάτραχος, Rana, *Frosch.* Une grenoüille. { aquatica, *hæc usualis.* terrestris. amphibia. }

Præfertur ex aquaticis, quæ in fluviis puris ac fontibus reperitur, eaque viridis.

Rubeta nimirum, & quæ in lacubus habitat, damnatur ceu perniciosa.

Terrestris itidem cedit aquaticis, imò quæ maculatæ ex his sunt, venenatæ habentur.

N. De Ranunculo viridi, vide Class. 1.

OFFICIN. NAT.

1. *Ipsa Rana* 2. *Cor.* 3. *Epar.* 4. *Fel.* 5. *Pinguedo.* 6. *Sperma Ranarum.*

VIRES.

1. *Dioscoridi Rana ipsa* contra omnium serpentium venena pro Antidoto sunt, si ex sale & oleo, vel butyro edantur, jusque earum itidem sorbeatur. Valent & adversus inveteratos tendinum rigores.

Inducit etiam vini fastidium, si vinum in quo viva rana viridis suffocata est, propinetur: Viva Anthraci pestilenti imposita, donec moriatur, venenum elicit. Viva integra alligatur ad causonum æstus: articulor. & junctarar. dolores mitigat, ignesque sacros restinguit, (*viva scil. vel contusa imposita.* Odontalgiam sedat,) *cocta & in gargarismo adhibita*

N. Si ventri torminoso adhibeatur, in ipsam vitium transire confestim fertur.

2. *Cor. Ranarum* (maximè fluviatilium) [Antiepilepticum febricitantium spinæ alligatum, febriles algores minuit. Sunt qui cordis regioni admoveant ad mitigandos causonum æstus & incendia. Mizald.

3. *Epar* exsiccatum & pulverisatum in febrium quartar. (& aliar.) accessione cum successu assumi aiunt. *Crato exhibet in aqu. millefolij.*

N. Epata ranar. viridium in paludibus degentium, ceu peculiare specificum ad Epilepsiam commendant.

Exhiberi jubent sub conjunctione Luminarium luna in cancr. existente. Petreus Nosolog.

4. *Fel*, peculiariter oculis convenit, quartanamque curare dicitur incineratum, & ad ʒß exhibitum.

5. *Pinguedo* auribus indita doloribus medetur.

6. *Sperma* ranarum (sperniola) *Froschleich*, refrigerat, constipat, incrassat, dolores mitigat, manuum scabiem curat, (*si mense Martio in eo laventur*;) paronychia & herpetes interficit, erysipelati & ambustis, aliisque inflammationibus succurit, (*impositum*) faciei ruborem curat, fluxui mensium & hæmorrhoidum medetur (vulvæ vel ano inditum)

N. Linteum hoc spermate aliquoties madefactum & siccatum pro usu servant. Alij idem sperma in fictili recondunt

dunt in terram, loco scil. aprico, quo in aqua cum tempore convertitur.

PRÆPARATA.

1. Cinis inspersus sanguinem profluentem (e. gr. vulnerum, nariumque) sistit. Uteri hæmorrhagias suffitu reprimit, alopeciis ex liquida pice illinitur.
Internè gonorrhœam cohibet (assumptus ʒj.)

2. *Aqua stillatitia è Ranis.*

Fit è Ranis vivis sub finem Martij, vel initio Aprilis captis, per alembicum.

Aqua stillat. ex spermate.

Fit per alembicum, è spermate collecto Martio.
N. Sal addere solent.
Vires. Ex præcedentibus patent; præter quas Vesicæ ab humorum acrimonia exulceratæ egregia medela est. Facit & ad repellendum & sistendum sanguinis profluvium & faciei ruborem, impetigines curat, erysipelati ac gangrænis succurrit.

4. *Oleum.*

Fit coquendo ranas cum oleo communi vel Rosac.

VIRES.

[Commendatur in vehentissimis articulorum doloribus.]
Paratur Unguentum ad atrophiam ex ranis butyro infarctis igne circuli.]

5. *Pulvis sperniolæ compositus.*

Vide lib. 2. in Pulveribus.
N. 1. Ubi ranæ, spermaque earundem, aut limaces, lumbrici, cancri, & similia animalia veniunt destillanda, includẽda esse linteolo mundo & in medio cucurbitæ suspendenda, ut velut per vaporem stillent, aliàs aquæ putoris erunt participes. In linteis autem remanebit pulvis animalium istorum opt. præparatus, cui majoris correctionis ergo spirit. vin. guttulas aliquot instillabis, & rursus exsiccabis, vel cum eodem spirit. vin. tincturam elicies.
N. 2. Fabricius de Gangr. pulv. laudat ad Vlcera maligna & inflammationes omnes compescendas.

6. *Emplastrum à ranis cum & sine mercurio Vigonis.*

RANA AQUATICA. De ranunculo viridi habuimus superiùs, uti ex additione patet. Hic intelligitur rana aquatica, & quidem illa quæ in fluviis puris ac fontibus reperitur. *Ranis vescuntur* in quibusdam locis imprimis earum coxis *in phthisi* & *hectica*, uti etiam in *atrophia* in quibus alimentum præbent conveniens. EPATA ranarum ceu singulare *specificum* commendantur *ad Epilepsiam*, sed observetur *præparatio*; quam, ut habeant usum in Epilepsia, vid. apud *HARTMAN. in prax. chymiatr p.* 66. Pertruccius sanè ranas & earum Epata commendat tanquam remedium, quod absque dubio sanet Epilepsiam item eandem præparationem Epatum ranarum habet *SENNERT. lib.* 1. *prax. c. de Epilepsia, pag.* 607. *SPERMA ranarum* imprimis est ex usu, estque liquor quidam limpidus & roscidus tempore verno super aquas natans inventus, qui est sperma sive potius collecta ova: nam si exponantur loco calido exinde generantur ranæ; *sunt ergò ova cortice mucilaginoso investita*, adstricta & collecta. Hoc ne corrumpatur trajicitur in loco frigido per saccum, & inspergitur aliquantulum aluminis, & sic postmodùm ponitur in sole, & ad longum tempus adservatur. Potest Præscribi ad multos usus externos I. est Expertum *remedium contra* quamcunque *inflammationem* cum linteis duplicatis adhibita: adeò ut *in cura Erysipelatis* nihil sit efficacius. Deinde quoscunque ardores & inflammationem potenter sistit & intensissimos *dolores*, imprimis quæ oriuntur ex acido, *sedat*; idque ratione copiosi salis vol. demonstrante *TACHENIO* per Enchirisin Mechanicam in *Hipp. chim.* quòd probabile est satis, & ego credo. Convenit ergò in compescendis doloribus ab acido oriundis. Unde applicata *articulis podagricis* tàm manuum quàm pedum *solamen adfert* egregiè. Testante *TACHENIO* & quam plurimis practicis, qui hujus rei habent experientiam mirè hanc aquam in qua pauxilum Camphoræ fuit dissolutum in arthriticis doloribus conferre Listerius *ipsemet compertum habeo.*

Egregium *est cosmeticum sperma* & *aqua destillata* abstergit sordes & maculas, & ab acido obortas detergit, si permisceatur cum tantillo Camphoræ. Imprimis in *gutta rosacea, rubore faciei* tantummodò *cum alumine præparato* sperma ranarum est egregium. *In Panaricio* sive verme sub digito, linteum madefactum *sanat in continenti* istius *dolorem*: quando quidem applicatur, intensissimos excitat dolores, subitò tamen postmodùm cessantes *Externè* sperma ranarum quascunque *hæmorrhagias* feliciter *sistit*, *sive* sit narium *sive* uteri in specie, *aut* hæmorrhoidum: Nam applicatum cum aceto rosaceo in spongia in nimio fluxu hæmorroidum, mensium, item lochiorum expertum est remedium: uti superius aliquoties dedi formulas. Quoad modum colligendi observetur, quòd COLLIGENDUM sit in PLENILUNIO, nã si *in novilunio* colligatur, sẽper *fœtet*, etiãsi vicies destillatur. Destillatur autẽ & fit aqua *spermatis ranarum* & hæc valet ad ea, ad quæ sperma Teste *TACHENIO*, modò legitimè & cautè per alembicum plumbeum destillatum, tunc enim salvol. & alcali ocultum secum rapit, & ad omnes affectus est utilis, ad quos ipsum sperma ratione ejusdem. *In dolore capitis* nimio instar Epithematis *applicatum* sperma ranarum est *egregium*, item in *inflammatione Epatis* nimiâ in specie, in inflammatione sive *ardore Epatis* est singulare aqua spermatis ranarum, *partum promovere, doloresque* ante partum cessantes denuò *excitare* mihi, ceu sæpiùs expertum, retulit hic mulier fide digna. Dixi etiam, quòd ad quascunque inflammationes sit summum remedium sperma ranarum. Unde elegans *Epithema* est *BARTHOLETI ad intemperiem Epatis calidam*, seu ad ejus nimiam inflammationem, quo multùm præstitit in *tractatu de respirat. p.* 492. *Compositio* est talis.

℞. *Aqæ hyoscyami*, *Nymphææ*, *plantaginis ana* ℥iß.
Spermatis ranarum ℥iij.
Sacch. saturn. Camphoræ in Spiritus vini dissoluti ana ℈j.
Salis prunellæ ʒß.

Misce pro Epithemate jecori applicando. Ad eandem rationẽ cum Epithematis pro aliis partibus appropriata possunt permisceri. Ex ranis fit *cinis*, qui cinis est expertus *in hæmorrhagia* quacunque: deinde confert etiam in curando *cancro exulcerato*, imprimis si scil. calcinetur, & calx seu cinis iste inspergatur cancro exulcerato, imprimis quidem si antea cancro exulcerato applicetur cancer vivus ligatis gelis donec moriatur, qui applicandus tamdiu, usque dum non ampliùs intereat, & quando non ampliùs moritur signum est quasi interfecti cancri, tunc inspergendus pulv. vel ex bufone calcinato, vel ex rana calcinata cum saccharo saturn. & similes pulveres alij: nam quando non ampliùs moritur cancer, indicium est cancrum morbum esse exanimatum *Pulv. sperniolæ compositum* habebimus ubi de pulveribus, Enchirisis quam habet auctor est notatu digna.

LXXXVIII. SEPIA.

Σηπία, *Blackfisch, Blackkitel. Seiche.*

OFFICIN. NAT.

1. *Os Sepiæ.* 2. *Humor acer.* 3. *Ova.*

VIRES.

1. *Os Sepiæ*, ζυπίον, exsiccat, abstergit, (*pulverisatum vel incineratum*,) maculis, nævis, scabiei humidæ medetur, oculis convenit, *cum melle cinis inditus*) gingivis tumidis subvenit (*in dentifriciis*) asthmaticis auxilio est, (*assumptus.*) Gonorrhœam sistit, calculos pellit, urinas movet (*pulvis assumpt.* ℈j. *Dosis.*)

2. *Humor ater.* (*Dinte*,) intra vesiculam in corpore repertus, alvum movere dicitur (*assumptus.*)

3. *Ova* renes & ureteres abstergunt, menses & urinam cient.

SEPIA Ex hac usurpatur imprimis OS, quòd valdè *exsiccat* & *abstergit* : imprimis *specificum* est *ad sistendum Gonorrhœam*, in qua nulli alio remedio cedit: dosis est à ℈j ad ʒß. Mirè prodest hic pulvis ossis sepiæ: *sive* sub *conserva rosarum ac formâ boli propinetur sive cum antimonio* diaphoretico & succino præparato sub *formâ pulveris compositi.* usurpetur. Experta sunt hujusmodi propinata in Gonorrhæa maligna virorum. Idem *os sepiæ calcinatum* commendatur ad *vitia gingivarum* : Unde ingreditur *pulveres dentifricios* cum aliis, vel cum melle sub forma *linimenti*, quòd si hoc irroretur cum succo cochleariæ vel spiritu ejus, fit *specificum* appropriatum *in scorbuto oris. In affectibus oculorum*, lippitudine, ophthalmia & similibus affectibus est *magni usus* pulv. ossis sepiæ in Collyriis, sive in formâ sicca sufflatus, sive cum unguento appropriato instar linimenti applicatus.

LXXIX. STURIO.

Ἀκιπέσηρ, Γαλαζίας, Gal. Aquipenser, Stora, *ein Stor, Stur, Sturlein.*

Piscis est dorso ac ventre echinatus, dulcesque salsasque aquas colens, magnitudinis proceræ.

VIRES.

Ossa Sturionis dicti piscis commendantur in Arthride vaga (*exhibita.*) *Forest. lib.* 20. *observ.* 12. *in Epistola D. D. de Brahe.*

Ut & in Colicis doloribus discutiendis.

XC. TESTUDO.

Χελώνη λιμναῖα : *Schildkrote.* Une Tortuë.

Animal est ἀμφίβιον, è genere Testaceorum, scutum testaceum in dorso gerens.

OFFICIN. NAT.

1. *Crura* 2. *Sanguis* 3. *Fel.*

VIRES.

1. *Crura* pro Periapto antipodagrico experientissimo adhibentur.

Videlicet.

Accipiatur Testudo masculina (cognoscitur inter cætera ex caudæ discrimine, & leni sub interiore testa incisura.) Ubi Luna maximè fuerit diminuta, priusquam cum sole conjungatur amputentur vivæ crura omnia, ea consuta in sacculos ex pelle hœdina angustos alligentur membris patientibus, ita ut dextrum crus testudinis dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro. Item anterius crus dexterum brachio dextro applicetur, sinistrum sinistro. *Solenand. sect.* 1. *consil. medic.* 20. *Schenk in observ. Idem refert Bapt. Porta ex Rhasi & Constantino, lib* 4. *Phytogn. cap.* 4.

2. *Sanguis* Testudinis marinæ & terrestris, in remediis internis pro antidoto datur ad ʒ j.

Sanguis Testudinis terrestris ad Hecticam imperatur (*recens & crudus ad* ʒij.)

3. *Fel*, Oculis confert.

[Hepar ad suffocationes uterinas in pesso utile.

[Ex testudine ad cancrum præsidium paratur.]

TESTUDO Ex hac testudine & quidem ex ejus CRUSTA paratur Periapte in *podagra*, cujus *præparationem* habet *AUCTOR* : aliique auctores, qui scripserunt de istâ : Paratur etiam *syrupus ex testudine*, qui commendatur non immeritò *hecticis* & *phthisicis* : imprimis si eorum affectus oriantur ex vitio culinæ communis stomachi. Tribuitur testudini certè *singularis vis contra phthisin.* Propterea habent aquam ex ostreis, testudinibus & cancris, quam commendant iis, qui laborant phthisi vel atrophiâ. Sunt etiam qui singulari artificio parant *magisterium ex testudinibus* pro tabidis.

XCI. THYMALLUS.

Φάγρος, Aschia, *Asche.* Le Thymalle.

OFFICIN. NAT.

Axungia.

VIRES.

Oculorum maculas, unguesque abstergit (Sole liquata, & melle permixta,) maculas cutis tollit, foveas post variolas relictas explet, (*illita.*)

THYMALLUS Qui aliàs *vocatur Aschia* & quidem usitatiùs apud Practicos. Ex hoc commendatur AXUNGIA *ad maculas oculorum* & ad eorum *ungues* abstergendos est egregia. Cæterùm pro reliquis commendatur *ad delendas cicatrices tam vulnerum quàm variolarum*, si scil. liquescat in sol. colorem album sive croceum habens, in sol. egregiè rubescit, & colorem instar rubini nanciscitur idque eò magis, si misceatur cum melle, & hinc assequitur egregiam vim abstersivam. Hæc ita parata axungia Aschiæ piscis valdè conducit in delendis cicatricibus vulnerum & variolarum, *inuncta vulneribus*, quando incipiunt coire labia, quæ *sine vestigiis* Cicatricum *consolidat*, & id eò magis, si permisceatur cum tantillo balsami Peruviani, quippe quòd per se prodest in tali casu. Unde in variolis, quando jam deciderunt crustæ, *illinitur* commodè, pro delendis *maculis* & replendis foveis, id quod fuit *secretum FORESTI* in curandis variolis. Loco pinguedinis aschiæ piscis potest *substitui pinguedo anguillarum*, & multò magis pinguedo *vel* axungia *serpentum*: ubi opus est majori abstersione *permiscetur cum melle*, ubi verò nuda saltim sine cicatrice consolidatione, permiscetur cum Balsamo Peruviano.

XCII. TINCA.

Σκόρπιος, Tencha, *Schleye.* Une Tenche.

Piscis est mucosus, excrementitius, amans aquas palustres, cœnosas, lutosas, vivens cœno, generatur tum ex traduce, tum sponte. Familiaritate lucio conjuncta est.

OFFICIN. NAT.

1. *Integer piscis.* 2. *Fel.* 3. *Lapillus.*

VIRES.

1. *Integer piscis* dissectus imponitur pulsibus manuum, pedumque plantis, ad mitigandum æstum febrilem vel ad divertendum venenum pestilentiale. Simili etiam modo adhiberi solet in dolore capitis ac articulor. Vivæ tincæ (*una post alteram*) umbilico ac epati impositæ, donec moriantur, Icterum curare dicuntur, luteum nimirum contrahunt colorem. Incineratam tincam, (præcipuè tegumentum) in fluore albo mulierum exhiberi vidi cum successu.

2. *Fel*, commendatur ad aurium affectus.

3. In capite gerit *Lapidem* ut Carpio, qui ad similes affectus exhiberi poterit, quo dictus Carpionis lapis.

TINCA Hæc ipsa imprimis *decantata* est *in curando Ictero*, extrinsecus scil. applicata; *applicandi ratio est diversa. Quidam* imponunt umbilico, donec moriatur, *alij* plantæ pedum: *alij* eadem applicant regioni splenis: *optimè* vero *applicatur regioni* Epatis: Dum enim sic regioni Epatis applicantur, & relinquuntur per noctem, matutino tempore in ea parte, ubi applicata fuit cuti, reperiuntur flavæ & tumidæ, & ita certò sanare Icterum inquiunt. Vid. *FONSECA lib.* 2. *cas.* 34. *b.*

34. b. D. MOEBIUS felicem hujus rei dicitur habuisse experientiam, præcipuè quando applicavit umbilico & jecori, alias non in usu est.

XCIII. TRUTTA.

Χρύσοφρυς, Aurata, Variolus, Variola Trutta, *Fohre, Forelle.* Vne Truite.
Piscis est culinis creberrimus & laudabilis.

OFFICIN. NAT.

Pinguedo. Hæc illinitur utiliter mariscis & ani fissuris.
[Maxillæ dentatæ è vivis trutis evulsæ ad Epilepsiam usurpantur.]
[Eædem utiles ad dolores menstruis advenientibus urgentes.]
Dos. ℈j.
[Lapilli etiam colliguntur viribus Carpionum lapidibus pares]

TRUTTA. Cujus PINGUEDO imprimis est in usu pro illinendis *fissuris* quarumcunque *partium*, imprimis *ani*. Quidam recipiunt DENTES truttæ, comburunt & præparant cum aqua petroselini *in calculo*: cujus *dosis* est à ʒj. ad ʒiij. in aqua alkakengi, dicuntque esse remedium in calculo probatum.

CLASSIS IV.

De Insectis.

XCIV. APES.

Μέλιττα, Apis, { Domestica, hujus loci. Sylvestris, fera. } *Immen, Bienen. Hummel.* Abeille.

Apis insectum est mellificans, vivens tum florum melligine, tum melle ex illa melligine confecto.

OFFICIN. NAT.

1. Apis. 2. Mel. 3. Cera. 4. Propolis.

I. Apes siccæ & contritæ & inunctis alopecias capillum restituunt.

II. Mel, eligendum est flavum, pellucidum, odore ac sapore jucundum, consistentiâ neque crassum, ac concretum, neque dilutum nimis, omni ex parte unitum seu continuum. Flavo succedit album, quod itidem, modò reliqua bonitatis signa ne defuerint, non contemnendum. Vitetur autem in mellis electione favus aranearum texturis refertus. Omnibus porro præfertur Mel Virgineum dictum, id est, quod novellæ apes conficiunt, colore ex flavo albicans.

Vires. Mel calidum ac siccum statuitur gr. 2. (albicans tamen minùs calidum censetur) nutrit, abstergit, aperit, pulmonibus convenit, urinam ciet, tussi medetur, putredini resistit.

Extrinsecus oculorum caliginem discutit, aliisque eorum affectibus succurrit.

Cautio.

1. Mel quia facilè bilescit, Epati calidioribusque corporibus non adeo proficuum est.
2. Mel crudum alvum inflat, tussim lacessit, fastidium creat.

N. Mel Galeno succus est roris cœlestis, ab Apibus collectus. Paracelso resinosum quid terræ est, in vegetabile genus virtute plantarum ac influentiarum cœlestium transplantatum, & hinc ab apibus collectum atque ulterius digestum. Vide Paracels. de Naturalibus.

Hinc variat quoque 1. pro varietate plantarum, qua ratione optimum censetur apum in rosetis, vel lilietis, &c. degentium 2. diversum quoque Mel existit pro diversitate influentiarum. Sic Mel præstantissimum habetur, quod anno sereno ac salubri, Vere ac Æstate confectum. Quercetano dicitur Ros vel Manna cœlestis, atque inde sua aceta Philosophica præparat.

PRÆPARATA.

I. Mel depuratum.

℞. Mellis, q.v. affunde aqu. portionem æqualem vel duplam, triplamve, si valdè impurum fuerit, vel si alienæ rei expers sit, sine additione, coque & despuma cochleari pertuso.

N.1. Quod si hac ratione non satis depuratum foret, clarificari poterit cum albuminibus ovorum singulis ad singulas libras adhibitis, vid. lib. 1. c. 14.

N.2. Conrad. Kunrath dictam mellis depurationem improbat, quippe quâ potiores ac meliores spiritus, quibus maximè impregnatum est, in auram evanescant. Itaque hanc substituit.

℞. Mel Virgineum nondum igni commissum, unà cum favis, inde Manicæ Hippocraticæ, suspendeque in loco tepido Solis, vel in hypocausto vaporibus aqueis, (ut Balneatorum balnea calefieri solent,) calefacto, ut perfluat Mel.

[Habent potionis genus, quo delectantur Poloni, Lithuani, Livonii, complures etiam Germani, Hydromel vocatum, ex Mellis p. 1. Aquæ p. viij. Prostat etiam in officinis compositum aromaticum, item Laxativum.]

II. Mel destillatum.

Unde

1. Aqu. Mellis, Spiritus atque Oleum.

℞. Mellis ℔. 1. adde Sal. com. vel silicum mundor. contusor. arenæve ℥iij. ℥vi. (*alii etiam addunt segmenta Ligni Iuniperini.*) Destilla per retortam gradatim, & exit aqu. alba, dein flava, cum oleo ut & Spiritus, quæ aliquoties rectificentur.

Alii eliciunt primò aquam in cucurbita ex MB. Remanenti in cucurbita melli addunt Arenam, vel silices calcinatos contusos, destillantque per retortam aquam flavam cum oleo. Hæc digerunt aliquoties, per dies ac noct. aliquot (5.6.) dein destillant, tandem oleum supernatans ab aqua separant. *Senn. Quercet. Med. destill.*

Alij

℞. Mel cum cera & favo, ponunt in fimum ad putrefactionem per mensem, fimumque sæpius (diebus ternis) mutant: Hinc destillant. 1. Exit aqua alba (faciei abstersioni dicata) 2. aqua flava. Osvvald.

N.1. Aquam hanc flavam esse menstruum Franc. Anton. sunt qui putent, sed malè.

N.2. Adduntur Arenæ, vel silices, vel vitrum, ut fervescentia, ad quam Mel maximè proclive est, præcaveatur, id quod alii meditantur sacculos parvos Arenâ refertos imponendo.

N.3. Sunt qui aquam primò elicitam super novum Mel fundunt & rectificant.

VIRES.

Utraque aqua, alba scil. & flava suffusiones & albugines oculorum sanat, capillis producendis confert. Inservit Tincturæ Corallorum extrahendæ.

Intrinsecus reserat obstructiones, pellit urinam, atterit calculum.

Oleum quod instar aquæ vitæ ardet, vires habet admirandas, præsertim si per dies aliquot circuletur cum spirit. vin. Etenim separato iterum illo spirit. vin. remanet oleum dulce & gratissimi saporis, vulneribus sclopetariis & phagedænicis ulceribus plurimùm conducens. Singulare quoque est ad podagricos dolores sedandos. Discutit maculas faciei cum oleo Camphoræ.

2. Oleum

2. *Oleum mellis compositum.*

℞. Mell. ℔. ij. vitrioli, calcinati, ℔.1. spirit. vin. rectif. ℔ ß. Tartar. ℔. 1. destilla per retortam, primò exstillat phlegma, dein spir. &c.

VIRES.

Lenit dolores podagricos, si locus affectus eo illinatur.

3. *Acetum mellis.*

℞. Mellis opt. p. 1. aqu. fluv. p. VIII. coque ad medietatem, postea suspende in eodem semen Erucæ in petia, atque repone in loco calido vel Sole, donec deferbuerint. Fit paulatim acetum acerrimum, quod destilletur.

Vires. Præter alios Usus solvit & silices, reliquosque lapides, etiam sine ulla præcedente calcinatione. Hartm. in Croll. Senn. Inst.

4. *Tinctura mellis.*

Tincturam mellis *Beguinus* extrahit ex melle crudo cum arenis impastato, eamque exhibet Phthisicis pro nutrimento.

5. *Qu. Essentia mellis.*

1. ℞. Mel cum favis, q.v. (℔ xv.) elice aquam per MB. quâ profectâ relinquatur adhuc remanens materia in MB. ferventi, per dies ac noct. (5)

2. Dein 2. affunde aqu. atque extrahe s.a. tincturam, eamque decantatam purifica optimè per digestionem ac subsidentiam. Tandem destilla Tincturam per MB. ad siccitatem (destillatum dicitur elementum aëris, essentia illa remanens ignis.)

3. Ex fæcibus incineratis (profecto prius oleo per descensum retortamve, si ita visum fuerit,) extrahe sal cum aqua communi, more solito, idque purifica optimè (dicitur elem. terræ.)

[Sal mellis in caruncul̄is, penis utile.]

4. Conjunge jam omnia atque destilla ex cinerib. per alembic. toties cohobando, donec omnia volatilia sint, ac alembic. transcenderint.

Sic habes Qu. E. Mellis.

Vires. Instar panaceæ esse poterit.

Dosis gr. iij. iv. v. &c. *Med. destill.*

6. *Elixyr Mellis.*

Clyssus.

℞. Mel per Manicam Hipp. depuratum. Elice aquam, oleum ac sal. comm. Sal elicitum potato per vices aqua sua, dein oleum donec omnia imbiberit & coagulum inde factum fuerit.

Vires. Easdem vires cum Qu. Ess. mellis possidet. *Med. destill.*

7. *Sunt & varia officinalia usualia*, quæ mel tum basin agnoscunt, ut Hydromelitum genera, tum asservationis medium, ut Syrupi quamplurimi, &c.

III. Cera, Κηρὸς, Arabic. Hahama, *Vvachs. Vvax. Vvas.* Medium quemadmodum tenet calfacientium, refrigerantium; humectantium, & desiccantium ita tamen, ut ad caliditatem inclinet, partium quadantenus crassarum & emplasticarum, ideoque digerit, maturat, &c.

N. Adeo usitata officinis est, ut vix emplastrum reperias, cujus non exhibeat consistentiam.

PRÆPARATA.

Ole. ceræ. Vide lib. 2. c. 70.

Vires. Diureticum est, daturque intrinsecus. Dos. iij. iv. v. gutt.

1. *Ole. ceræ boni odoris & coloris.*

Fit, si rectificetur super recentes ceræ particulas igne cinerum. Ex eo fit

2. *Balsamus vulnerarius.*

Per macerationem menstrualem florum hyperic. & rad. consolid. maior.

3. *Magisterium ceræ.*

Fit ex ea soluta in spirit. vin. filtrataque, ut remaneat in charta instar butyri, quod *edulcoratum atque ad ℨj. propinatum valet eximiè ad Dysenteriam.*

IV. Propolis, πρόπολις, Σμήνιον, Dioscor. Cera virginea, *Vorstosz, Stop-Vvachs, Bien-Hartz*, rudis est, & cerosa, crassaque materia, seu Gluten in alveorum foribus repertum.

Eligenda flava, odorata, Styracem vel Galbanum referens, in vehementi ariditate mellis, & mastichis in modum ductilis.

Vires. Calf. 2. aut princip. 3. leviter abstergit, attrahit, aculeos & omnia infixa corporibus extrahit, dura concoquit, dolores demulcet, ulcera desperata cicatrice obducit. In veteri tussi suffitu juvat.

APIS. Apes *siccatæ* contritæ expertæ sunt *in Alopecia*, cui medentur, si misceantur cum melle, & locis calvis inungantur pro generandis capillis, sive exsiccatæ sive calcinatæ propinentur. Cui usui etiam convenit aqu. *destillata* & præscribitur hæc & similes *ad capillorum generationem*. Apes dicuntur *sterilitatem* ad tempus *inducere*, *res* tamen adhuc est *dubiosa*. *Apes* in suo labore duas nobis *subministrant* substantias valdè proficuas *mel & ceram*. MEL rectè *vocatur* ab *HELMONTIO gloria roris*, in quo collecta sit V. Ess. plantarum: *est* autem nihil aliud nisi *succus* quidam *roscidus*, quem hinc inde exsugunt *ex floribus*, unâ cum *subtiliori &* volatiliori *roris substantia*: Hunc in ventriculo fermentant, & quando incipit fermentare, evomunt & in foveis cereis recondunt, ubi sensim sensimque deinde fermentando, tandem in perfectum mel abit: acquirit autem primum in ventriculis inchoamentum fermentationis, ubi postquam evomitus est, abit in mel, cujus *partes crassiores* in ambitu collectæ *constituunt ceram*, qui plura cupit de mellis & ceræ generatione vid. *Magnenum in* elegantissimo tractatu *de Manna.* Ubi quædam sunt valdè curiosa, & laude lectuque digna de vi apum mellificâ. *Est* itaque *succus* quidam musteus fermentativus, & facilè *fermentescibilis* & exinde *corruptibilis*. Unde est ut similem inchoet fermentationem in nobis: *adfusa aqua per fermentationem fit* exinde MULSUM sive liquor vinosus, habens vim inebriandi instar vini: & *inde* possumus *destillare spiritum* fortem & *ardentem* instar spiritus vini: sin verò *crudum mel* destillatur, acquiritur *spiritus acidus subtilis* valdè corrosivus, quia propter defectum fermentationis nondum ita exaltatæ sunt particulæ acidæ cum volatilibus. In melle est hoc mirabile, quòd *si* in magnum cadum *panis scalini tantillum injiciatur*, totus *abeat in* copiosissimas *formicas*: Uti videri potest in *CONRADI KHUNRATHS Medulla destillatoria tractatu de melle. Mel* est elegans substantia, in qua sunt principia salina valdè efficacia & valdè activa, propterea quoniam *utroque sale vol.* Urinoso & acido volatili *est impragnatum*; proptereà adeò facilè fermentat & effervescit: propterea quoque *abstergit* quascunque *sordes* & mucilagines tam internè in corpus assumtum, quàm externè *vulneribus & ulceribus applicatum*. Internè abstergit sordes, dixi; unde convenit *in ventriculo*, copiosâ crassâ ac viscida *pituita* nimis *onerato*, ubi potiones mellitæ conveniunt, quoniam liquefaciunt & abstergunt talem materiam viscidam: Item si reperiatur *in pulmonum bronchiis* & vasis, usitatissimè sunt potiones mellitæ, *Hydromelita* & *oxymelita* cum herbis pectoralibus, & fiunt hydromelita & oxymelita purgantia pro varietate circumstantiarum, ut possit per tussim ejici crassa materia, beneficio enim mellis potenter incidunt & attenuant humores in pectore stabulantes: Externo usu *usitatissimum est inter unguenta digestiva* Chirurgis dicta, item inter unguenta pro detergendis ulceribus & delendo fermento corruptivo.

Ita

Ita simplicia digestiva *fiunt* ex vitello ovi cum melle: *nunc* quidam permiscet crudum vitellum solum cum melle: *nunc* quidam unguentum faciunt ex vitello ovi ad duritiem cocto, cum ℥j. mellis, hæc subigunt, donec ad consistentiam mediam redigantur, & colorem rubicundum acquirant, & huic unguento multùm attribuunt, quòd omnia *vulnera* & *ulcera* tàm *recentia* quàm *antiqua*, & inveterata *phagadænica* & *maligna depuret*, adeò ut etiam à *gangræna præservat*: quidam addunt tartarum vini & ad consistentiam coquunt, & sic fit propter tartarum vini magis appropriatum in facultate abstersivâ. Vid. *HAFENREFFERUS de morbis externis lib.2. c.2. BORELLUS Cent.1. obs.96. Mel* solum *cum terebenthina permistum* elegans *est pro digestivo* contra fermentum corrosivum ulcerum: unde *quidam* practici *spiritum mellis cum spiritu terebinthinæ* ana permiscent & per retortam *destillant* igne arenæ & acquirunt potissimum abstersivum in ulceribus Cacoëtheis, &c. Et hanc vim obtinet ratione salium acidi & urinosi volat. *Senibus* imprimis *convenit mel*, quoniam ceu facilè fermentescibile deficientem fermentationem in M. sanguinea denuò restaurat. Propterea quoniam confert senibus, *nocet juvenibus*, quorum M. sanguinea facilè effervescentem ac ebullientem in fermentationes inordinatas cogit. Unde *solet disponere ad febres* & alios affectus: id quod vulgò dicitur, quòd facilè bilescat, propterea etiam *nocet hypochondriacis*, *scorbuticis*, mulieribus *suffocationi uterinæ obnoxiis* & aliis, in quibus sæpiùs murmurant intestina rugitus, effervescentias, tormina & similia symptomata alia excitat in intestinis, succos acidos fermentando: & id quod dicitur de saccharo, potest applicari ad ea, quæ dicuntur de melle. Mel *convenit senibus* & subjectis *pituitosis*, uti vocant, præ cæteris; Biliosis verò Melancholicis & pueris nocet. Plura qui cupit de usu & noxa mellis vid. *GABELCHOFERUM Cent.3. cur.34. in scholio*, uti etiam *ZACUTUM lib.2. med. princip. hist.62.* Inter partes *Mel dicatum est Thoraci* & pectori, & mirè *convenit in tussi*, *Astmate* & similibus affectibus, item *renibus*, quorum calculum & urinam pellit & turbat. De mellis virtutibus in affectibus pectoris vid. *ZACUT. lib.2. Med. princ. hist.2.*

AUCTOR dicit, quòd mel crudum alvum inflet, idque, uti dixi, propter vim fermentativam, & sic juvenilia corpora facilè *disponit ad Diarrhæas* & febres. Mel *variat pro varietate plantarum*, dicit auctor, quod verum est. Unde *optimum* est, quod *ex locis frugiferis* & fœcundis *colligitur*: hinc in quibusdam Tartariæ locis dicunt reperiri mel saporem dulcem & elegantem habens instar sacchari, collectum è cannis, è quibus veteres collegerunt saccharum. Inter PRÆPARATA sese offert *mel depuratum*: Cæterùm *depuratio* ista, quæ fit *cum aqua simplici*, quâ mellis spiritus copiosè exhalant volatiles, meritò venit *improbanda* cum cit. *CONRAD KHUNRATH. & ZUUOLFERO in Pharmacop reg. pag 24.* Ergo *altera præparatio* per Manicam Hippocratis *præferenda* priori. *In destillatione* mellis prodit 1. *phlegma* insipidum, 2. *Spiritus* acidus volatilis corrosivus 3. oleum *crassum*, præprimis acidum, non satis clarum: *observetur*, quod addantur arenæ, silices & similia alia, quoniam *mel in igne facilè ebullit*, & per alembicum adscendit; hoc ne fiat, adduntur arenæ, silices & similia, quæ impediunt ejus impetuosum motum & ebullitionem. *Phlegma* cum pauco Spiritu permistum commendatur *in affectibus oculorum*, in delendis *maculis*, *pannis* & *unguibus*, item in delendis *maculis & cicatricibus ex vulneribus oculorum relictis. Spiritus acidus* commendatur *contra calculum*, & ad *pellendam urinam*. Externè *hoc ipso spiritu* sunt, qui parare *volunt tincturam corallorum*, solvit enim corallia ac perlas sed an vera tinctura ex coralliis & perlis possit parari, vid. *Dissertatio de coralliis*, ol. *mellis*, multum etiam conducit, imprimis si cum Spiritu vini paretur tinctura quædam quæ commendatur internè *in curandâ phthisi*, & *ulcera pulmonum*, sicuti externè ulcera *maligna* & *phagadænica*, uti rectè habet auctor, *curat*. Habet *AUTOR* ol. *compositum* quòd lenit *dolorem podagricum*, & fuit *balsamum podagricum HARTMANNO in* magno *usu* in podagra. *Si* sal tartari vel aliud sal fixum *addatur* melli *mel* exinde instar sanguinis *rubescit*. MULSA sequitur: Mel *cum aqua simplici* conjunctum ponitur in fermentationem, & *fit* potus, quem vocamus mulsam, quæ valdè est usitata in regionibus septentrionalibus, Lithuania & Moscovia, ubi deest vinum, & abundat mel: dicitur liquor vinosus, qui uti vinum *habet vim inebriandi* fortissimam, ut quis vix dimidium mensuræ possit haurire: copiosus etiam elicitur Spiritus ardens instar Spiritus vini, cum ex crudo melle fiat saltim Spiritus acidus. Hujusmodi *mulsa* possunt fieri *medicata*, quando cum melle & aqua permiscentur plantæ pro affectibus pulmonum & pectoris, pectorales & pulmoniacæ, ut curetur morbus & simul sustentetur corpus beneficio hujus mulsi. Etiam *in officinis* prostat HYDROMEL usitatum in *affectibus pectoris*, dum plantæ pectorales decoquuntur in aqua & melle, convenit in affectibus pulmonum, & nunc *est simplex*, alterans in *tussi*, vel *consolidans* in *ulcere* pulmonum, vel *purgans* additis plantis alterantibus, consolidantibus & laxantibus, verb. grat. fol. sennæ: vel agarico. *Ex hoc melle potest fieri acetum* in continenti cum semine Erucæ, quod acetum reliqua superat aceta acredine, ratione salis vol. Erucæ: Nam sicuti ex generosis vinis generosa eliciuntur aceta, ita ex melle, quod valde generosa habet principia. *Usus* ejus *est in Chymicis* pro solvendis lapidibus, gemmis, perlis & aliis metallis. *V. Ess. mellis præscribit AUCTOR* satis clarè numer. 111. *observetur*, quando dicit Auctor: extrahitur nitrum cum aqua communi: quod hæc aqua cum mellis sale impregnata in frigido concrescat in Crystallos albos. AUCTOR dicit de quinta. *Ess mellis*, quòd possit esse *instar Panaceæ*, & hoc non est mirum, quoniam mel omnium florum est pretiosissima & subtilissima portio. Qui vult uberiorem modum parandi Spiritum mellis, mellierata & hydromelita & liquores vinosos, vid. DEODATI *Panth. Hygiast. l.2. c.19.* Ubi aliquot præscribit modos, potest etiam videri *CONRADUS KHUNRATHI in medulla destillatoria*, ubi de melle. Ex *melle* etiam potest extrahi sal, quod commendatur imprimis *ad* curandam *carunculam penis*, si cum cerâ viridi redigatur in formam unguenti, uti asserit *BARTOLETUS*, quod etiam credo. CERA est *crassior* & pinguior *pars mellis*, quæ disponitur in ordinem ab apibus, qui ordines dicuntur *favi*, & in his generatur mel. Hæc crassa & pinguis pars in se est *valdè glutinosa & oleosa*, nihilominus in destillatione *dat Spiritum acidum*. Cæterùm potiùs *crudum adhibetur* in usum medicum, quam præparatum longè, nisi quòd destilletur, oleum de quo oleo *Cera* vid. *AUCTOR*, quod est *egregium diureticum* interno usu, præterea quoque valdopere *penetrat*, *incidit* & reserat, & propterea in affectibus urinariis & renum est egregium, *in arenulis* renum *promovendis* & urina *ciendâ est expertum*, utut parciùs sit adhibendum, propter vim nimiam pellendi urinas. In *doloribus nephriticis* ejus 3. guttæ possunt assumi cum aqua petroselini, facta illinitione *externè cum oleo scorpionum*, *& philosophico* in loco dolente. Externè valdè commendatur in *emolliendis* quibuscunque serosis & sanguineis *tumoribus duris & scirrhis*: item in resolvendis *gummatis podagricis* ac *nodis*, *tophis* ac *gummatis venereis*: potenter enim resistit veneno corrosivo. *In scirrho* sive oriatur per se, sive ex accidenti, sive

malè curata inflammatione, ubi emollientia & mucilaginosa applicantur, curat sine metu cancri & exulcerationis. Solet à quibusdam alio modo quàm habet auctor parari oleum ceræ: *vid. etiam cit. ab AUCTORE locus.* ℞. Ceram flavam, infundunt per 3. septimanas in urinam humanam, quæ tamen singulis alternis diebus est permutanda, aliàs prodeunt omnia simul, facto hoc destillatur & prodit 1. aqua, postmodùm oleum ceræ. *Præparatio magisterii* est satis clara. *Propolis*, quæ usitatè vocatur *cera virginea*, est materia crassa, & usurpatur externè *in Emplastris & cataplasmatis*, in principio vulnerum applicandis, pro extrahendis alienis, & præcavendis sordibus supervenientibus. *Est* elegans *cicatrizans*, & incarnans, quod ulcera curata carne replet, & cicatrice obducit.

XCV. ARANEUS.

Ἀράχνης, Ἀράχνη, *Spinn.* Aragnée.

Insectum est venenatum, puncturis suis nocivum. Variorum est generum promiscuè usualium.

Est enim Araneus major, coloris scil. varii; vel minor, coloris nigri, &c. Distinguitur sexu, coitque Vere ac initio Æstatis, & aliquando Autumno & initio Hyemis, unde & eo temporis puncto magis noxius habetur. Vivit muscis, quibus capiendis retia sua pandit.

OFFICIN. NAT.

1. *Aranei.* 2. *Tela Araneor.* (*Aranea dicta.*)

VIRES.

1. *Araneus* febriles paroxysmos arcere dicitur, (*pulsibus metacarpii, temporibusve impositus*,) peculiariter tamen ad quartanam commendatur (*putamine avellanæ inclusus, colloque suspensus, vel lacerto appensus.*

2. *Tela*, constringit, conglutinat, ideoque vulneraria est, sanguinem cohibens, inflammationem præcavens. Ad arcendos febriles motus non solùm externè, sed & (*satis audacter*) internè à nonnullis adhibetur.

PRÆPARATA.

Oleum aranearum simplex & compositum fieri potest ex infusione, ut oleum scorpionum.

Vires. Ingreditur Emplastrum febrile.

ARANEUS. Qui multùm commendatur *ad curandas febres intermittentes* vario usu. Nam quidam vel *solum*, vel *cum aliis* applicant pulsibus metacarpi: *alii vivum includunt nuci*, & *appendunt* de collo, imprimis in quartanis, & dicunt, se esse expertos ejus usum. Fuit quidam rusticus, qui pulverisatos dedit araneos à ℈i. ad ʒß. felici cum successu *pro curandis febribus*. Qui internus usus an elegantior sit reliquis, in medio relinquo. Nam omnia talia *insecta abundant sal. vol.* urinoso & acri, undè internè sumta, ratione salis vol. urinosi, *pellunt urinam* & *arenas movent*. Ex his araneis, ceu basi, conficitur decantatum *emplastrum STROBELGERI contra quartanas.* De quo vid. *tract. de curatione febrium*, ubi habet egregias & singularissimas observationes quartanarum curatarum hoc Emplastro. *Descriptionem habet SCHRODERUS* in parte anteriore, sed ea *non* est in omnibus *legitima* ac genuina. TELÆ aranearum sunt commune mulierum *experimentum pro conglutinandis vulneribus recentibus*, quas cum micâ panis benè masticatâ *permiscent*, & eadem applicant. Ex araneis fit oleum *aranearum simplex* per infusionem aranearum, uti etiam oleum aranearum *compositum MINDERERI*, qui ejus descriptionem habet elegantem. Hoc oleum aranearum pro malaxandis Emplastris, & unguentis applicandis *anthracibus* & *bubonibus pestilentialibus*, aliisque *ulceribus malignis*, & *cacoëtheis adhibetur*. Ita usitatum similiter hoc oleum pro *inunctione pulsuum*, & *regionis cordis*, in febribus petechialibus & pestilentialibus *sive* solum *sive* permistum cum oleo *scorpionum composito MATTHIOLI* vel oleo succini, Camphoræ, Carbunculi & similibus, si inungatur regioni pulsus cordis, & aliis partibus, externo impetu expositis, erit expertum *in peste & febribus pestilentialibus.*

XCVI. ASELLI.

Ὄνισκος, Gal. Ὄνοι, Dioscor. Τίλοι, Plin. Procelliones millepodæ, multipedes, *Eselgen*, *Schaffelein.* Ancetons.

Nascuntur in locis humidis, cellis & similibus, sub lapidibus vasisque aqua repletis: ad tactum sese contrahunt aut rotundant.

Vires. Tenuium partium sunt, digerunt, extenuant, abstergunt, aperiunt. Hinc utilitatis peculiaris sunt in mucilagine tartarea resolvenda, calculoque ad mucilaginem reducendo, in obstructionibus viscerum aperiendis, adeoque in morbo regio, in dolore nephritico, difficultate urinæ, in colica, appetituque ob ventriculi mucilaginem imminuto, in asthmate, &c.

Extrinsecus commendatur pulvis ad affectus oculorum, ad aurium dolores & anginam (cum melle illitus.)

Vivus impositus phagedænam perimit.

Dosis à ℈j. ad ʒj. in pulvere cum vino vel aqua aliqua nephritica.

PRÆPARATA.

Alii lavant in vino ac exsiccant, iterumque lavant ac siccant, hinc pulverisant ac imbibunt in spiritu vitrioli.

Dosis gutt. IV. V. VI.

Alii contundunt cum vino, colant, & exhibent. Nonnulli macerant solùm in vino colantque.

N. 1. Non facilè ℈j. transcendo, nec usum continuo, nimiâ quippe resolvendi vi incommoda non parva inferre possunt.

N. 2. Vbi locus natalis saxosus, indicat ad calculum asellos facere. Ita indicante aptitudine & propensione sese contrahendi, ad convulsiones forsan non essent inutiles.

ASELLI. Qui usitatiùs vocantur *millepedes*, insecta vilissima, in medicina tamen utilissima: *In his* namque asellis magis quàm in reliquis omnibus *est copiosum sal vol. acre nitrosum*, quod participant ex muris, ex quibus hauriunt ex calce & lapidibus, & digestione volatilisatur, & in sal nitrosum potentissimum abit, est valdè *diureticum* & *specificum in calculo* tàm præcavendo quàm curando. Unde *MYNSICHT flores nitri* parat cum mille pedum pulv. ad ciendam urinam egregii usus. Unde notum est *experimentum LAURENBERGII & AUGENII* in cura calculi vesicæ, dum pulvis asellorum propinatus fuit in *decocto cicerum* rubrorum, quo calculus vesicæ, jam exscindendus, fuit dissolutus & excretus, vid. *SENNERTUS lib.* 3. *pag.* VIII. *cap.* 2. *de calculo vesicæ* pag. 884. ubi habet id, quod scribit Augenius. *Historiam habet LAURENBERGIUS* de calculo vesicæ, in quo refert se liberasse hoc aliquot calculo vesicæ laborantes. *Alio* tempore facta est similis experientia, *Romæ* monacho ab Augenio curato. *Item* in *Anglia* duabus mulieribus calculo afflictis cum fructu potus hic fuit propinatus, eo modo, quem habuit Sennertus loco dicto. Unde *infundunt in cerevisiam* fermentandam, & faciunt potum pro præservando calculo vesicæ. *LINDANUS* etiam *refert*, *se curâsse* aliquot eâ methodo, quam scripsit Sennertus cum pulv. millepedum, vel milleped. decocto cum ciceribus. *Porrò* ratione salis vol. urinosi potenter incidunt, penetrant & resolvunt, unde *in affectibus splenis & hypochondriis* sunt *magni usus.* Hinc in *asthmate* & *resolvenda mucilagine*, implente & infarciente pulmones non habetur potentius remedium, ratione salis vol. incidentis, quocunque modo præparentur & propinentur, propinati in mediocri dosi sunt expertissimi in asthmate, *sive* aselli cum aceto & vino propinantur ad aliquot gr. V. usque ad ℈j. *sive* in petia ligati infundantur vino, & hoc post

expressionem

expressionem hauriatur, ad infarctus pulmonum mirè conducit & egregiè convenit: *alii* faciunt *Electuarium ex millepedum* præparatis melle ex capsulâ permistis addito gummat. ammoniaco pro curando asthmate, & similibus pulmonum affectibus est expertissimum & potentissimum. Denique *aselli* interno usu *sunt* maximè *vulnerarii*, dum *ulcera* partium corporis *desperata interna curant*. *Angli* utuntur pro curandis *ulceribus malignis & phagedænicis*. Item *vulnera recentia & inveterata* solent interno usu curare aselli, cujus rei egregiam experientiam vid. in *RIVERII cent.4. obs.89.* ubi elegans est experimentum gravis ulceris aliquando curati per internum usum pulv. millepedum. Denique ex *signatura*, quòd semovent & contrahunt, multùm prosunt in arthritide *vaga & scorbutica* vid. *MOELLENBROEK. tr. de varis pag.133.* Conveniunt quoque in *convulsionibus & contracturis* partium internarum scorbuticorum & hypochondriacorum. Videantur imprimis ea, quæ habet *WILLIS in Pathologia cerebri, in tractat. de affectu hypochondriaco & suffocatione uterina*: ubi medicamenta ex asellis conveniunt.

XCVII. BOMBYX.

Bombyx. { Domesticus, *Hujus loci.* / Sylvestris.

Βόμβυξ, βομβύλιος, Vermis serificus, *Albert. Magn. Seiden-Wurm.*

Vermis est texturam sericeam texens, oriturque tùm sponte, tùm ex ovis

N. Miram subit metamorphosin. Ex ovis pusillis producitur animalculum Erucæ non absimile. Eruca hæc mororum, ulmi, educata foliis augescit in dies, donec tumiditate resplendeat: hinc indita thecæ, textura se cingit sericea usquedum moriatur. Postmodum reviviscit papilionis instar pennas producens, coituque interveniente triduano (è quo masculus statim moritur,) ova parit fœmina quamplurima, ac deficit.

OFFICIN. NAT.

1. *Bombyces integri.* 2. *Sericum, i. e. textura bombycina.* 3. *Folliculi sericei.*

VIRES.

1. *Bombyces* exsiccati & pulverisati inspergùntur vertici capitis, ad arcendam vertiginem & convulsionem.

2. *Bombycina textura*, est caliditate & frigiditate temperata (al. cal.1.) sicca 1. corroborat, spiritus vitales, animales & naturales reficit.

[*Not.* Fumus texturæ in suffocatione ab Vtero utilis.]

PRÆPARATA.

Vritur quandoque, quo siccior reddita lævigetur, quandoque decoctis admiscetur. Verùm præstat crudam & solummodo incisam adhibere.

Sunt & usualia, quorum compositionem subit, ut Confect. Alkerm. Diamosch. &c.

N. Infertur & in usum Medicum Sericum filum Kermesinum, id est Cocco seu granis Kermes tinctum, adhibeturque sanguini sistendo, vulneribusque obligandis, exsiccandis, consuendis. Quin & à Plebeis ad Erysipelas adhibetur (circumligatum.)

3. *Folliculi sericei* (Bombycia, *Seiden-Balglein,*) iisdem viribus cum textura præditi sunt.

N. Caveatur à folliculis alvi spurcitie fœdatis, vel in quibus adhuc Necydalus latitat mortuus, & vermibus exesus.

Bombyx Sylvestris est genus quoddam Erucarum viridium, simili metamorphosi, ut de Bombyce domestico dixi, mutabilium.

N. Hujus generis videre mihi contigit apud Celsissimum Principem Philippum Hassiæ Landgravium doctrinâ multifariâ, linguis exoticis, ut & Hebræâ, Astronomicisque observationibus propriis celeberrimum, qui papilionem variegatum lepidum visu ex Eruca viridi in capsula productum monstravit.

BOMBYX. *Rari* est *usus* in medicina, nisi quòd quidam bombyces *exsiccatos* adspergant capiti *pro arcenda vertigine & lethargo*, quod an verum sit, nescio. Præ aliis in usu est *filum sericum carmesinum*, sive cocco sive granis Kermes tinctum, de cujus usu *in Erysipelate & podagra*, dum eo ligatur articulus podagra afflictus, & habetur pro secreto: idem de simili usu vid. in *EICHSTADIO de confectione Alkermes.*

XCVIII. CANTHARIDES

Cantharis, *Gold-Wurmlein.* Cantharides. {
- Musca Hispanica, *Hujus loci.*
- Formicaria latior, *Goldkafer, Meisz-hauffen.*
- Prolixior, / brevior. } Cornuta, *gehœrnete Gold-Kafer*
- Amethystina violacea, *Veiel-Braum.*
- Miniata, *Friesen-Wurmle.*
- Viridis { longiuscula. / aurum lucens.
- Nigricans, *schwartz-Kafer.*
- Castanei coloris.
- Rotunda, *Oster-Kalblein.*

Dicitur Κανθαρίς, i. e. parvus Scarabæolus, *Spanische Mucke oder Fliege, Gold-Wurmlein.* Mouche Verde.

OFFICIN. NAT.

Producuntur ex genere quodam Vermiculorum Erucis non absimilium, qui nascuntur ex humore foliis fraxini, populi, ligustri, triticique inhærente.

Præstantiores censentur, quæ in frumento seu pratis inveniuntur, versicolores, & quæ luteas in alis transversas lineas habent, corpore oblongo, crassæ, recentes.

Perimuntur aceti acerrimi vapore, qui dum fervet, exhalat. Hinc siccantur & servantur per biennium

Vires. Calidæ sunt & siccæ sat validè, adeoque corrosivæ seu vesicatoriæ, diureticæ, emmenagogæ. Hinc usus creberrimi in vesicatoriis. Internus earum usus rarissimus est, quippe inter venena vulgò recensentur: vesicæ nimirum urinariæ adeo infensæ sunt, ut vel extrinsecus cuti alligatæ eam exulcerent. Sunt nihilominus audaculi, qui diureticis eas admiscent. Sunt & improba scorta, quæ fœtum tenellum iis perimunt & exturbant.

N. 1. Recentiores alas pedes & capita resecant, solo corpore servato.

N. 2. Galenus alas & pedes exhibet pro antidoto veneni proprii.

N. 3. Oleum Cantharidum & cantarellorum elicitur per spirit. vin. prodestque ad calculum.

CANTHARIDES. Et imprimis ejus species, quæ vocantur *Muscæ Hispanicæ*, seu *cantharides majores*: Nam *variæ* admodùm illarum *sunt species*. Præ omnibus remediis reliquis *urinam potentissimè* internè *cient*, ac *CROLLII* experientia docuit, quòd *corrodant* ac ulcerent *vesicam*, & indè *inducant mictum cruentum*, adeò ut non tantùm interno usu, sed etiam à quibusdam solent adhiberi externè instar vesicatorii, ut scilicet vesicas & mictum cruentum excitent: vid. *Cent.2. BORELLI obs. 58. p.158.* item *obs.98. p.192.* hoc faciunt, utut posteriùs non semper. Hæc vis ut corrigatur, ut tutiùs possint *interiùs* assumi, & non sequatur exulceratio, sed provocetur urina *in hydrope & affectibus aliis*, elegantissimè *præparantur cum aceto*, oleo l. vino acido, vid. *BARTHOLINUS Cent. 5 hist. 82.* Usus sunt egregii in *Gonorrhæa*, & pellendo *calculo* in *affectibus urinariis*; *Fundamentum* consistit in eo, ut vis sal. vol. caustici temperetur ab acido aceti vel vini, & abeat in salsum temperatum, non adeò corrosivum. *Effectus*, quos h. m. prostant, *vid. cit. loc.* *Externo* usu notum est, quòd adhibeantur *pro excitandis vesicis*. Basin namque semper constituunt in *Emplastris vesicatoriis*: Permiscentur scil. cum fermenti ℥j. vel ℥iß. ablatis alis & capitibus v. vel vj. canthar. additurus ℥ß. pulpæ ficuum, & sic fit Emplastrum vesicatorium. *Quidam* verò ℞. solas Cantharides à ʒiß. ad ʒij plùs minùs pro varietate circumstantiarum, permiscent cum

medulla panis secalini: irrorant cum aqua appropriatâ, & ita applicant pro excitandis vesicis, qui volunt potentius addunt simul *semen sinapi*. *Alii* recipiunt ficuum pinguium ab ℥ß. ad ℥j. pulv. cantharidum à ʒiß ad ʒij plùs minùs pro re nata, & ita applicant nuchæ pro excitanda vesica. *Observetur* enim quod rectè *HOEFERUS* urget, quòd vesicatoria non debeant applicari cum aceto, quoniam aceti acidum figit sal vol. causticum. Unde *quantum aceti* vel fermenti additur, in *tantum imminuitur vis cantharidum*, id quod notandum de *Sinapismis* cum adjectione aceti, vel cum semine sinapi, qui sic fiunt viliores, & eorum impeditur efficacia. Vid *Colleg. in Morellum*, *ubi de vesicatoriis*. Vid. *HOEFERUS in Hercule Med.* Sunt etiam, qui præparant *vesicatoria indolentia* ex cantharidibus, Myrrha, Mastiche & similibus, egregia certè & elegans compositio: Sunt qui *præparant Cantharides* cum sufficiente quantitate vini, & *internè* propinant *in arthritide*, quoniam nitrum urinosum volatile cantharidum acidum arthriticum præcipitat, & abit in salsum vol. insipidum, sicque per urinam eliminatur. Unde quidam *Empyricus* in Gallia *habuit pulverem* ex Cantharidibus in urinæ retentione desperata, hydrope & arthritide. Meretrices & scorta utuntur Cantharidibus pro *expellendo fœtu*, interdum tamen infausto cum successu: pulv. eorundem cantharidum sunt, qui *stimulare* volunt venerem internè adhibito, sed malè res cedere solet, dum præterea quod stimulant venerem etiam *mictum cruentum inducunt*. Item *SALMUTH habet historiam* de sene, qui juvenculam duxit, cui ut placeret, accepit medicamentum, cui adjunctæ fuêre Cantharides, exinde factum, ut altero die nuptiarum fuerit mortuus, pene rigido permanente post mortem: *Externè in usu venereo* si fiat oleum. *Cantharidum* per infusionem, & hoc inungatur penis vel testiculi: sic enim stimulare venerē, & promovere erectionem penis dicitur. Ita *vidit D. MICHAEL*, quòd quædam meretrix cuidam pro stimulandâ venere pulv. Cantharidum propinavit, ex quo pulvere fuit mortuus, quoniam fuit crudè & sine præparatione propinatus. Nisi observetur, quòd sint *præscribendæ abscissis alis & capitibus*, medicus risui se exponit Pharmacopæorum.

XCIX. CICADA.

Τέττιξ, *Heuschrecke*. Cigale.

Insectum est Gryllis simile, valde stridulum, rore vivens.

N. Unum hoc animal, ex iis quæ vivunt, est sine ore. Pro eo enim quiddam aculeatum habet, & hoc in pectore, quo rorem lambit. In Italia vulgaris notitiæ est, nostratibus incognita.

OFFICIN. NAT.

Cicada siccata.

Vires. Utimur cicadis siccis ad colicos affectus (cum paribus numero piperis granis, scil.iij.v.vij.

Alii assas edendas iis offerunt, quibus affecta vesica est. Cinis insigniter calculum conterit.

C. CICINDELA.

Λαμπυρὶς, Plin. Λαμπυρὶς πυγολαμπὶς, *Arist.* Lampyris alata, *Aldrovand.* Cantharis noctiluca, Nitedula, Nocticula, *Johannis Fliege.*

Insectum est pennatum, in tenebris ignis modo lucens.

Officinis ignotum est, nisi quod Cardanus vim anodynam ei tribuere videatur, lib. 9. subtilit. alii in calculo commendant.

N. Roder. Castrens. lib 4. meteor. microc. c.16. Cicindelæ, inquit, abscissis capitibus & alis, ad solem exponuntur ferventiss. donec pulverisari possint. Pulvis cum aqua dissolutionis Tragac. trochiscetur, addendo tantillum olei amygd. Trochisci exsiccati iterum pulverisentur, rursusque denuò formentur, idque quater. Valet in calculo (inunctionibus admiscent.)

Dos. ℈ij.

DE. CICADA & CICINDELA nihil est quod dicam.

CI. CIMEX.

Cimices { Lectularii, *hujus loci.* / Hortenses, s. Sylvestres.

Κόρεις, κλινικοὶ, *Diosc.* Cimices, *Matthiol.* *Wantzen*, *Wandlause.* *Bethwandelen.*

Verniculi sunt latiusculi, compressi, rubentes, fœtore abominabiles, morsibus quibus sanguinem nobis exsugunt, admodum molesti.

Vires. Utuntur recentiores quidam ad ciendam urinam vivis in penis organum immissis, (Dioscor. mortuos & tritos imponit,) ad fœtum & secundinam expellendam tritos (N.3.) & cum successu exhibitos vidi. Septenos cavis fabarum inclusos ante febrium accessiones devoratos quartanis auxilio esse Author est Dioscorid. Vulvarum examinationes olfactu abigit.

N. Sylvestres, qui ex herbis victum habent, lectulariis majores, colore viridi, æquè ac illi fœtidi, officinis adhuc incogniti sunt.

CIMEX. Cimices si immittantur in penem, valdoperè *proliciunt urinam* & titillando faciunt, ut retentio urinæ curetur. Notum est, quod habet auctor, quod vid. Cum successu adhibentur pro *expellendo fœtu & secundina*, aliàs non usurpantur in officinis.

CII. ERUCA.

Κάμπη, *Dioscor.* Bruchus, Eruca vulgaris, *Aldrov.* *Raupe.*

Insectum est vulgaris notitiæ, originem trahens vel ex stirpium excrementis, vel ex ovis papilionis. Species totidem ferè sunt, quot plantarum.

N. Similem Metamorphosin subit quam Bombyx, tandemque in Papilionem degenerat.

CIII. FORMICA.

Μύρμηξ, Formica, *Ameisz.* Une Fourmy. { Minor { rubens. / nigricans. } / Major, Equina, *Rosz-Ameisz.* }

Insectum est mirâ providentiâ dotatum, qua penu in annum sufficiens æstivis pleniluniis (noviluniis requiescit,) sedulò colligit, collectum si opus sit, siccat, siccata semina, ne regerminent, arrodit, adeoque durationi adaptata recondit. Congressæ hyberno tempore vermiculos pariunt, subinde in ova, & hinc verno tempore in formicas mutari aptos. Senium alatas facit, seb brevi superstites.

Præstantiores habentur, quæ sub arboribus resiniferis habitant, acidumque olent. Collectio præfertur luna decrescente, vel Novilunio.

OFFICIN. NAT.

1. *Formica*. 2. *Ova*. 3. *Acervus*.

VIRES.

1. *Formica* calfac. & siccant. Venerem proritant. Odor acidus mirè spiritus vitales reficit. Formicæ majores (Herculaneæ) psoram, lepram & lentiginem sanare dicuntur, (adjecto sale exiguo tritæ & illitæ.)

2. *Ova* ad aurium gravitatem faciunt, malas hirsutas pueris infricata corrigunt.

3. *Acervus*, (*Myrmecium*) calf. & siccat, nervosum genus roborat. Hinc usus celebris in paralysi, arthritide, hystericis affectibus, cachexia & simil. (*lotione adhibitus.*)

[*N.* Inveniuntur in acervis frusta odore Thuris, (Wald-Weyrauch, particulæ Resinæ ex abiete & Picea) in Norvegia, & Germania, & pro fumo adhibentur.]

PRÆPARATA.

1. *Oleum* ex infusione formicarum (præstant alatæ) in oleo comm. per dies ac noct. 40.

Vires.

Vires. Valet ad coitum.

2. *Aqu. stillat. Magnanimitatis dicta vid. lib. 2. c. 37.*

3. *Liquor* fit in clybano ad modũ, quo liquor lumbricorũ.

Vires. Insigne est ophthalmicum suffusioni oculor. auxilium.

FORMICÆ. Et quidem, quæ in usum medicum veniunt, sunt vel *majores* vel *minores.* Præ omnibus *eligendæ* sunt formicæ, quarum acervus percussus acidum spirat odorem, quæque alas acquirunt, & reperiuntur in & juxta arbores resinosas, item juxta Betulam: Hæ enim præ cæteris abundant spiritu salino subacido: *colligendæ* veniunt luna *crescente*, & quidem circa Solstitium æstivum die sereno, & tunc temporis captæ applicantur, tàm usu interno quàm etiam externo. Nam *ex iis* pro usu medico paratur 1. *spiritus sive* ex solis formicis prius fermentatis & putrefactis, *sive*, quod est usitatius, ex formicis destillatur, beneficio spiritus vini, qui compositus cum plantis specificis vocatur *aqua magnanimitatis LAURENBERGII*, de qua aqua præter ejus auctorem, videatur etiam *STARIZIUS* in heroum thesauro *p.* 86. Superiùs egimus de hac aqua ubi de Anacardio, & simul capiendi modum communicavimus. Alio modo *possunt capi* formicæ pro spiritu simplici destillato: Si in cucurbita sit impositum frustulum casei, & hæc cucurbita immittatur acervo formicarum; unde casei odore allectæ copiosè irruunt in cucurbitam, quarum si copiam pro spiritu stillando sufficientem acquisiveris, baculo exime caseum, & infunde spiritum vini ad supereminentiam 3. digitorum, & destilla aquam: destillatæ novas formicas adde, & iterum destilla, ut fiat sæpiùs cohobando spiritus efficacior. Valdè *convenit* pro *corroborando corpore* humano, & viribus attritis, internè quidem, in *affectibus capitis, apoplexiâ, vertigine, paralysi*, & in specie, in *morbis senum*, valdè commendatur in *catarrho suffocativo*, apoplexiâ & similibus præcavendis & curandis.Ittereà ad *stimulandam Venerem*, & exsuscitandos segnes maritos convenit; *Catharris* potenter resistit, dum lympham superabundantem per urinam educit. *Diureticus* enim valdoperè est spiritus. Quæ vires omnes in excellentiori gradu sunt in aqua magnanimitatis, quæ præ aliis egregiè succurrit *debilitati ingenii*, & lapsui memoriæ. Interiùs ad *sterilitatem* mulierum curandam usurpatur, si scil. sæpiùs adhibeatur. *Externè* spir. formicarum est egregius *in acuendo auditu*, uti & oleum *formicarum*; Unde *spiritus acovisticus MINDERERI*, item *spiritus* & oleũ *acouisticum MYNSICHTI* pro basi agnoscunt formicas: Unde egregia *mistura ad auditum* fit, si misceatur *spir. formicarum cum Essentia castorei*, & cum bombace auri indatur, vel etiam instilletur, auditum mirè promovet & roborat: spir & oleum formicarum & lumbricorum terrestrium aa. auribus etiam indunt cum bombace pro eodem usu. Præterea externo usu spir. formicarum, & spir. lumbr. terrestrium valdè convenit in *arthritide & affectibus articulorum*, vol. enim sal penetrans acidum arthriticum absorbet & corrigit. Id quod etiam verum est de *malo Ischiatico*, & similibus affectibus. In specie in arthritide non tantùm communi & fixa, sed etiam *vaga scorbutica* egregiè convenit, & multùm conducit. In *paralysi & tremore* artuum externè inungi solet spirit. lumbricorum terrestrium & formicarum: vel solus, vel mistus cum aqua Cephalica, seu spiritu Cephalico, ad extra: Hi spiritus inunguntur post frictionem lenem pro *restituendo sensu & motu.* In *dolore partium* ex lympha acri, seu in *Rheumatismo*, & defluxionibus acribus, in quibus occupat lympha partes, & interstitia musculorum, vel ipsos musculos. spir. hic inunctus *est egregius. Observetur* autem, quòd spir. formicarum, ut plurimùm, si non semper misceatur cum spir. lumbricorum terrestrium *Ex formicis*, præter modo dictos modos destillandi spiritum ex formicis, *per se potest destillari aqua & spiritus*, per balneum Maris, si nimirum destillantur, contusæ & putrefactæ dant insignem spirit. vol. & valdè penetrantem. OVA *formicarum* contusa, & *ex illis* paratum oleum multi usus est *ad gravitatem auditus*, quàm potenter & securè corrigit: *internè* non sunt in usu, nam ʒj. ovorum formicarum exhibita, *flatus* immodicos *progenerat. Instar Moschatæ olere solent*: unde cum pulvere Moschatæ possunt propinari lusus gratia ad generandos flatus. ACERVUS formicarum externo usu multùm conducit *in partibus* nervosis & musculosis *roborandis* egregia experientia. *Ingreditur balnea*: dum acervus incoquitur in aqua tepida, vel calida, & æger in sessu suo tali incocto, acervi formicarum utitur, est egregium *remedium in paralysi & arthritide tàm vaga, quàm fixa*, in *tremore* & similibus affectibus articulorum & nervorum. *Specificus est* hic acervus *in* curandâ *sterilitate mulierum*, in quâ non habet remedium par, sive nudè, sive cum formicis & ovis incoquatur, perinde est. In *malo Ischiatico & contractura artuum scorbutica* tale balneum est singulare: requirit enim scorbutus talia subtilia penetrantia. Inter præparata se offert oleum ex infusione *formicarum*, quod *stimulat* venerem si scil. inungatur eo penis, testis, & musculi penem erigentes: valdè enim convenit, si hæ partes omnes inunguntur. Item in *ulceribus phagedænicis serpentibus & malignis* suo illitu valdè convenit. De aqua magnanimitatis sufficienter est dictum. LIQUOR, uti habet auctor, parari potest tàm ex formicis, quàm ex earum ovis per digestionem in Clibano, uti de lumbricis, valdè convenit *in suffusione & affectibus* aliis *oculorum*: item aurium, *auditu gravi, tinnitu*, & similibus aurium morbis.

CIV. GRYLLUS.

Γρύλλος, { Domesticus.
Acheta. { Agrestis, arvensis.

Insectum est alatum è genere locustar. cicadis simile, focorum, terrarumve aridar. incola, stridulo suo cantu sedulum. Germanicè *Heimi hen*, *Heimlinge.*

Vires. Commendatur ad diæresin, (cinis exhibitus) ad visus imbecillitatem (succus expressus instillatus) tonsillas lenit (affricatus.)

CV. HIRUDO.

Βδέλλα, Sanguisuga. { Major, æquina. Minor. { subfusca. subviridis. nigra. variegata.

Insectum est palustre, instar Lumbrici oblongum, generantur ex putredine Germ *Sang-Igel.*

Majoribus præferuntur minores; utpote quæ minus nocivæ, & ex his, quæ lineis in dorso distinctæ, Majores novem equum sugendo interimere valent unde equinæ dictæ.

Usus Sanguinis exsuctioni inserviunt, adeoque cum cucurcubirulis conveniunt.

N. Antequam applicentur, servandæ sunt in aqua pura, ut probè purgentur, hinc loco applicationis sale nitri fricato, sanguineque vel argillâ inuncto applicandæ. Cum amovere vis, insperge parum salis aut cineris, aut lini combusti

HIRUDINES. Quæ non sunt *in usu*, nisi quòd *extrinsecùs* applicatæ soleant haurire sanguinem, adeoq; in quibusdam locis solent esse *vicariæ cucurbitularum*, & similium aliarum operationum Chirurgicarum. *Applicantur* vel *venis pedum* juxta suras, vel *temporibus in* nimiis, & Chronicis *Cephalalgiis*, vel *juxta podicem*, pro exsugendis *hæmorrhoidibus*, nimium tumentibus, vel etiam suppressis. vid. *BORELL. obs. cent. 1. ob. 63 p. 6.* In *inflãmatione uteri & vaginæ* uteri nimia aliquoties cũ felici successu fuerũt applicatæ hirudines *in extremitate vulvæ.* Vicariæ sunt, uti dico, scarificationum & cucurbitularum; *Modum* præparandi & *applicandi* habet *AUCTOR*, qui vid. Non enim decidunt, sed disrumpuntur relicto capite, & exindè oriuntur ulcera sordida, ergò *adspergendum aliquid salis*, & sic spontè decidunt. Quod, si fiat, ut applicatæ ano illum ingrediantur, metuenda sit exulceratio intestinorum, injiciatur *Clyster ex aqua salina*, tunc enim

iterum egrediuntur, quoniam non possunt ferre acredinem salis.

CVI. LACERTUS.

Σαῦρος, Σαύρα, Lacertus, Lacerto, *Egochs*, *Ader*, *Ethachs*, *Moll.* Le Lezard.

Insectum est quoad figuram notum, colore varians, bufonibus ac araneis inimicum.

N. Lacertus si dissectus fuerit, pars utraque movetur aliquandiu, & si concurrerint, coalescunt rursum. Sunt qui oculos, si effossi sint, renasci aiunt, id quod & de cauda si amputetur, Plinius affirmat. Degunt in cavernis terræ, ruderibus murorum, aliisque locis asperis: vescuntur Cicadis, Cochleis, Gryllis, Apibus.

Lacertus est { Terrestris, *de quo hic, & minus venenatus.* Aquatialis, *qui venenosus habetur, & rarioris.*

N. Commendatur præ reliquis genus lacerti viride & magnum. Verùm cùm in hisce regionibus minùs usitatum id sit, lacertum communem hîc describimus.

Vires. Elicit è corporibus spicula, vitra, &c. (*sectus, vel cum sale tusus & impositus, in primis verò caput,*) capillos renasci facit, (*cum adipe illita caro, vel cinis applicatus.*) Ictui scorpionum succurrit. Commendatur itidem ad herniam infantum, (*si decocto lacerti laventur,*) ad facilem evulsionem dentium, (*pulvis aquatici affricatus.*)

N. Sunt qui aiunt lacerti exsiccati pulverem gingivis illitum facere ut sine difficultate, sine dolore, atque sine instrumento dentes extrahi queant.

PRÆPARATA.

Oleum infusum.

Fit ex infusione Lacertorum vivorum N. vij. in commun. ℔ iß.

Vires. Commendatur ad faciei rubedinem emendandam (*illitum.*)

LACERTUS vel LACERTA. Animal satis ubique cognitum: Lacertæ *virides* imprimis solent usurpari: varios *usus* vid. in *AUCTORE*: Præ cœteris tamen *commendantur* lacertæ, si infundantur in oleum, quod oleum infusionis *lacertarum*, ceu singulare secretum commendatur *contra Hernias*. *Modum parandi* ex infusione lacertarum in communi antiquo cum inspersione Thuris, Myrrhæ, Mastichis, Sarcocollæ, & resinæ pini vid. *FONSECA lib. 2. Cons.* 36 ubi ceu singulare *secretum* commendat pro externâ inunctione in loco disruptionis *in Hernia*. Hoc oleû *ZUUOELFERUS* tanquam suum singulare secretum *commendat in pharmacopæia regia, Edit. ult. p.* 266 Ubi inquit, esse secretum pro Principibus, nec quidem vulgari revelandum, propter mirabilem virtutem. *Idem* ferè *dicitur* de oleo *formicarum*, si scil. liquor formicarum majuscularum omni manè inungatur, vel etiam interdum aliquid istius liquoris assumatur. In *affectibus dentium* in usu sunt lacertæ, si scil. pulveris lacertarum aquaticarum applicetur denti, *facilè* illum *evelli posse* dicunt. Imò si SANGUIS lacertæ in dentem cavum immittatur, *dentem spontè suâ decidere* volunt.

CVII. LOCUSTA.

Ἀκρὶς, Diosc. Κάρνωψ, πάρνωψ, *Henschreck.* La Langouste ou Sauterelle.

Insectum est ex pernicie quam infert, (herbas scil. & segetes mordendo, terramque tactu & saliva adurendo, nulli fermè regionis incognitum.) Generantur Æstate ineunte ex fœtura anni superioris, favo non absimili, scil. exin oriuntur vermiculi, speciem ovi gerentes, inclusi præ tenui terrâ ceu membranula, quia disjecta emergunt locustæ & evolant.

Sunt porro variæ, videlicet: sunt magnæ, parvæ, & minimæ, (pennis carentes,) sunt virides, flavæ, nigricantes, variæve, &c.

Vires. Odoris suffitu urinæ difficultates juvant, præsertim quæ fœminas malè habent. Dioscor. Sunt qui appensas collo quartanas sanare aiunt.

CVIII. LUMBRICI TERRENI.

Γῆς ἔντερα, *Dioscor.* Vermes terreni, Melloës *Paracelso*: *Regenvvurm, Erd. Vvurm, Pyren.* Vers de terre.

Insectum est vulgaris notitiæ ex terra generatum, tum sustentatum.

Præstant reliquis ii, quorum collum rubris annulis seu cingulis cingitur.

Vires. Sunt insigniter diuretici, diaphoretici, anodyni: discutiunt, emolliunt, obstructiones reserant, lac augent, vulnera, nervosque præcisos glutinant.

Usus præcipui sunt in apoplexia, spasmo (*ex signatura*) aliisque affectibus nervor. ac musculor. in ictero (*utroque,*) hydrope, vermiculatione infantum, dolore colico. In primis autem specificè prosunt in arthritide illa scorbutica, quam vagam appellant, (*die lauffende Gicht, die Vahren:*) addhiberi intus possunt & extus.

Intus exhibentur vel toti conquassati, recenterque, v. g. cum vino trajecti per linteum, vel siccati & pulverisati.

Extus applicantur vivi & mortui: vivi impositi, donec moriantur, prosunt panaritio: mortui in cataplasmatis ferè adhibentur. Odontalgiæ convenire dicitur cinis (cavitati dentium inditus.) Podagricos dolores leniunt (pulvis cum farina calidè impositus.)

PRÆPARATA.

1. *Aqua*, fit in MB.

N. Hydropicis maximè proficua est.

2. *Oleum coctum, vide Disp.*

N. Ex oleo hoc destillatur cum aqua raphani, Ol. quod urinam & sudores potenter pellit.

3. *Liquor*: fit in clibano.

Nimirum:

Lumbrici loti & per stupam purgati, induntur vitro angusti orificij. Hinc obturatur vitrum, massaque panis inclusum committitur (ut & reliqua massa) clibano, donec cum panibus eximatur. Post liquor filtratur & servatur pro usu interno & externo.

Dosis à ʒij ad ℥ß.

4. *Spiritus* præviâ putrefactione, ubi sal volatile, statim elevatur, vel sine putrefactione ex retorta igne aperto.]

5. *Pulvis*, fit ex lumbricis in furno exsiccatis.

LUMBRICI Et I. quidem lumbrici *terrestres*, quorum captio & *modus colligendi*, videri potest in scriptis *GLAUBERI & DRABIZIO de scorbuto*, in specie in sectione de arthritide vagâ scorbuticâ vespertino tempore post pluviam, tunc enim repunt copiosè super plantas: præ cœteris *commendantur* ii lumbrici, *qui* circa collum *habent annulos rubros*. In lumbricis multa *latent arcana* medica. Sic pro *cienda urina*, internè non habemus melius remedium ipsis lumbricis. *Ad* omnes *affectus ex acido volatili* ortos, tàm partium internarum, quàm externarum, seu artuum mirè conducit, ratione sal. vol. urinosi, quod absorbet & corrigit acidum earum. In ciendâ urina, *in scorbuto & arthritide vagâ scorbutica* non habetur melius remedium, si scil. spirit lumbricorum *internè* usurpatur, unde cum spiritu lumbricorum & spiritu C. C. præparata fuit *Ess. contra arthritidem vagam D. MICHAELIS*, qua ipsa fecit miracula in cura arthritidis vagæ. In *contracturis scorbuticis*, in *spasmo scorbutico*, singulares effectus præstant lumbrici, *sive internè* assumatur spiritus, *sive externè* contusi instar cataplasmatis: *vel* etiam lumbrici vivi applicentur loco dolenti, & lumbricis mortuis dolor cessat: *vel* inungatur spiritus lumbricorum terrestr. propè ignem mistus cum spiritu formicarum: *vel* ex lumbricis fiunt *balnea*, insessus, in quibus balneentur membra arthritide vagâ, vel contractura scorbuticâ affecta, quæ balnea valdè prosunt: vid. de virtute lumbricorum terrestr. in arthritide vaga & scorbuto *MOLLENBROECK de variis sive arthritide vagâ*, uti etiam *DRAUVIZIUS in Tract. de scorbuto, sed de arthrit. vaga*, in qua non habetur simile remedium.

SPIRITUS *lumbricorum* non *fit* per nudam destillationem,

stillationem; ut vulgò est in usu, sed potiùs lumbrici loti ponuntur in cucurbita clausa, ut nihil exhalare queat, quæ cucurbita ponitur in digestionem vel Mar. Baln vel calorem solis, ut putrescant & fermentent, quæ fermentatio interdum adeò est impetuosa, ut disrumpat vitra: peracta fermentatione deponunt terram in fundum, in superficie verò supernatant exuviæ, & in medio liquor est spirituosus, qui separatus & destillatus dat spiritum vol. urinosum. Quod *si exuviæ* cum terrâ insperguntur agro, ex his copiosi *generantur lumbrici*, sicuti *MOLLENBROCK* refert exemplum lumbricorum regeneratorum in vasculo solutione facta per spiritum nitr. Egregius est spiritus *diureticus* & *singularis in affectibus scorbuticis*, internè & externè. In curandâ *paralysi*, & *tremore in spasmo, convulsionibus*, & in aliis similibus affectibus externis, & pro fortificando eodem ut plurimùm *permiscetur* cum spiritu formicarum. DECOCTUM *lumbricorum* valdè commendatur, à *SENNERTO in lib. 3. prax. p.* 381. in *Dysenteria*, quòd etiam verum est, & ratio non est obscura. In *Ictero* pulv. lumbricorum terrestrium valdè convenit, sive solus adhibeatur, sive permistus cum aliis appropriatis: Nam *Diuretica in Ictero flavo valdè conveniunt*. Propterea convenientes sunt *in Ictero Pilulæ LOTICHII*; quarum hæc est *compositio*.

℞. *Pulv. lumbr. terrestr. præparatorum* ℈j.
Gummi guttæ laxativæ gr. IX.
Ol Succini.
Terebinthinæ destillatorum aa. gr. IV.

Cum syrupo byzantino fiant pilulæ. Idem *pulv. lumbricorum* cum sale tartari vel cum tartaro vitriolato mistus *est specificum* singulare. *It. decoctum* lumbr. terrestr. *cum Chelidonio majore* est appropriatum in eodem affectu, imprimis si addantur grana Juniperi, quæ vim diureticam lumbricorum magis promovent: sicuti etiam Lũbrici terrestres *decocti cum vegetabilibus* appropriatis, imprimis aperitivis valdoperè conveniunt in quàm plurimis morbis, propter vim penetrantem, reserantem & diureticam: & exinde *in morbis splenis* mirè conducunt. Nam notum, quòd in splenis affectibus medicamenta, quæ simul movent urinam, sint optima: Non minùs etiam convenit tale decoctum *in hydrope ascite*, quoniam per urinam ejicit aquam distendẽtem abdomen: In quâ ascite *decoctum* lumbricorum terrestr. *cum radice fœniculi & petroselini* solet commendari. Item omnia ex Lumbricis parata medicamenta in eodem hydrope conveniunt, quoniam cient potenter urinam. *In morbis arthriticis* non solùm *scorbuticis*, sed etiam in aliis internè haustus succus, & externè applicatum fomentum eorum decocto, vel succus applicatus, aut externè etiam spiritus est egregius. Quod enim dictum de spiritu formicarum valet de spiritu lumbricorum terrestr. quoniam subministrant spiritum penetrantissimum & volatilissimum salinum. In *Panaricio* lumbricus vivus impositus, vel instar cataplasmatis applicatus mirè sedat atrocem istum dolorem; uti testantur omnes auctores, in specie vero *SCHMUCK in Cur. Magic. Magnet.* Ulterius *pulv. lumbricorum* multùm convenit in *augendo lacte* mulierũ, si præparati lumbr. propinentur ad ʒj imprimis *cum lacte lunæ*, vel *cum semine fœniculi*, aut si fiat decoctum lumbricorum cum rad. fœniculi: id quod fuit *secretum HELIDÆI Paduani*, uti prostat *in observationibus pag.* 83. *In vulneribus & contusionibus nervorum* multùm conducunt Lumbrici. In *conquassationibus & contusionibus Ol.* Lumbr. terrestr. applicatum valdè commendatur. Unde *ad nervos penitus incisos* conducit pulv. lumbricorum lavatorum benè exsiccatorum cum aliquali portione Terebinthinæ mistus: quod diebus 20. super vulnus positus istud sanat & nervos denuò *unire faciat*. Idem faciunt ipsi *lumbrici soli*, si pulv. misceatur cum oleo proprio lumbricorum. *In quibus nervorum vulneribus & puncturis ol. lumbricorum* Terrestr. mistum *cum oleo destillato lavendulæ* est expertum à *BARBETTO*: & in genere omnibus medicamentis puncturis nervorum ac tendinum applicandis semper permiscendus est pulvis lumbric. terrestr. in specie si addatur parùm pulveris oculorum cancrorum, cum quo permistus pulvis lumbricorum terrestr. est appropriatus pro curatione vulnerum nervorum. Hinc *oleum Nervinum CARPI, FORESTI*, commendatur quod fit ex *flor. Hyperici* Mj.

Olei communis lib. VI.
Infunduntur, digeruntur & additur Terebinth. lib. j.
Lumbr. terrestr. pulverisatorum ℥iij.
& Croci parùm.

Medicamentum egregium *in vulneribus & puncturis nervorum*. Inter *præparata* est 1. aqua *lumbric. terrestrium*. Hæc aqua prodest in *hydrope*, cui tamen semper præferendus est *Spiritus* & quicunque dicuntur de aqua efficaciùs præstat *Spiritus*. Valdè convenit in *provocandis mensibus* & reserandis *obstructionibus uteri*. In *vulnerum affectibus* commodè permiscetur potionibus vulnerariis aquis lumbricor. terrestr. vel etiam *Spiritus* id quod sæpiùs fecit *POTERIUS*, uti videre est *in pharmacopœa*. *Oleum coctum* lumbricorum est illud, quod applicatur in affectibus Nervorum, huic tamen præferendus est *liquor lumbricorum* in Clibano vid. *AUCTOR*: Hic in omnibus *affectibus nervorum*, uti & liquor formicarum externo usu non solùm in *paralysi & tremore*, sed etiam in *vulneribus & contracturis scorbuticis*, in specie in sedando *dolore arthritico* cum aliquot granis Camphoræ est *egregius*. Si addantur alia appropriata, cum liquore formicarum per hanc compositionem efficacior redditur Spiritus lumbricorum terrestrium Sequuntur 2.

LUMBRICI INTESTINORUM. De his refert *AUCTOR*, quod soleant propinari internè *ad lũbricos enecandos*. Cæterùm *imposturam* detexit *TABERNÆMONTANUS*: Nam dant potius novos in intestinis lumbricos, quàm quod illos arceant. De quo superius, ubi de Santonico. Unde etiam Agyrtæ non priùs propinant suos pulveres vermes expellentes, quàm quando pulverem lumbricorum adhibuerunt.

CIX. MUSCA.

Musca, *Arist.* Μυῖα, *Fliege*. La Mouche.
Muscarum genera varia quidem sunt, usuale tamen solùm vulgare est.

OFFICIN. NAT.

Muscæ seu potiùs capita earum.
Vires. Alopeciis subveniunt.

PRÆPARATA.

1. *Aqua stillatitia*, fit per se vel cum melle.
Vires. Præterquàm quod capillorum proventum promovet, prædicatur quoque ad oculorum affectibus (*instillata.*)

MUSCA. Muscæ contritæ, & ex iis *liquor expressus* commendatur in *Alopecia & Calvitie* curandâ: sicuti etiam ex muscis *destillata aqua* commendatur valdè in *affectibus oculorum*.

PEDICULI

PEDICULI. Qui pediculi rarò usurpantur, nisi quòd interdum, soleant devorari à rusticis numero 9. contra *Icterum*, si in specie *vivi deglutiantur:* & quidem, quòd sint egregium experimentum in curando Ictero, confirmat *Zacutus Lusitanus lib. ult. prax. admir. c. 2. obs.* 7 hoc modo devorati, & habet etiam exemplum Icteri esu pediculorum curati: id quod de pediculis his valet de Cimicis. Quòd dicit auctor *urinam cient* peni intrusæ verum est. Unde etiam usitatè intruduntur orificio penis pro cienda urinâ antea suppressâ.

CX. RICINVS

Κρότων, κυνοαϛίςης, Reduvius, *Holtzbock, Hundvvurm.* Le Tiquet.

Animalculum est Lividum & fœdum, bobus, suibus, capris, ovibus, atque canibus infestissimum.

Vires. Ricini canini sanguis, Plinio teste, psilothrum est, & ignes sacros restinguit: admirandus quoque est ad impetigines contumaces & feras ac curatu difficiles, (illitus.) Amat. Lusitan. cur 10. cent. 7.

CXI. SALAMANDRA.

Σαλάμανδρα μόλγη, *Molch, Moll, Olm.* La Salamandre.

Animal est quadrupes ex lacertorum genere, nigrum, luteis maculis respersum, incola locorum frigidorum & humidorum, fonticulorumque limpidorum admodum amans, adeoque nonnullis in terrestrem & aquaticam distribuitur.

N. Venenatum est animal, unà cum morsu lacteam spumam virulentam conferens.

Vires. Salamandra erodit, exulcerat: incinerata medetur felicissimè scrophulis exulceratis (cinis inspersus.

N. Caveat à fumo venenato.

CXII. SCARABÆVS.

Κανθαρός, Cantharus.
- Cornutus, *Scorten. In usu.*
- Pillularius, *Roszkafer*, Escabort, foüille Merde, *Etiam hic Medicinalis.*
- Unctuosus, cantarellus. *Kadden, Schmaltzkafer, Meyvvurm. nec hic idoneus.*
- Rutilus.
  - major, *Mayenkafer, Ereutzkafer.*
  - minor *Brackkaferlein.*
- Bufonius viridis. *Krottenkafer. Hic venenatus.*
- Pistrinarius. *Meelkafer.*
- Cadaverum, *Aaskaferlein.*

Scarabæus cornutus, (bicornis, Lucanus, cervus, cervus volans, Scarabelaphus, *Cardan.* Græc. Κάραβος,) gignitúr partim ex lignis aridis, maximè quercus aut roboris, partim ex coitu. Reperitur Maio & Æstate in silvis.

OFFICIN. NAT.

Ipsi Scarabæi, & cornua.

Vires. Scarabæi commendantur ad dolores & contracturas nervorum (ex signatura, qua tacti immobiles & contracti redduntur) ad febrem quartanam (amuleti loco impositi.)

Cornua suspensa de collo infantum urinam cohibere dicuntur.

PRÆPARATA.

Ol. Ex infusionibus Scarabæi.

Vires. Dolorem aurium discutit (instillatum.)

Scarabæus pilularius, (pilularis, Solaris, stercorum, Κόπρεων, *Hipp. Pferd Kafer, Mist. kafer*, nomen id habet, quod è fimo (maximè equino ingentes pilas pedibus volutet, in quibus parvos vermiculos fœturæ semina recondere dicitur.

Vires. Commendatur maximoperè in procidentia oculi & ani, (pulvis aspersus, in hæmorrhoïdibus cæcis dolorificis leniendis, scil. in oleo lini ad consumptionem animaculi, & calidè positus cum bombace.

N. Pulveris conficiendi modus optimus est.

Mortificati in vitro clauso ad Solem benè exsiccentur, & F. Pulvis. *Hartm. in Pract.*

Scarabæus unctuosus (quod manibus impositus pingui subflavoque liquore inficiat (Maio & Junio juxta vias & passim in sylvis obrepit.

Vires. Cantharidum naturam imitatur, urinam pellit & sanguinem, canis rabidi morsum egregiè expugnat, varos dictos, i. e. Arthritidem vagam, Authore Vviero, curat, (exhibitus pulvis vel conditura.)

Extrinsecus expetitur à quibusdam ejus liquor ad vulnera. Adlitur & Emplastris in bubone & carbunculo pestilentiali, (ex signatura desumpto indicio:) permiscetur & antidotis, fitque inde Oleum ex infus. anim. vivorum in Ol. comm. quod loco olei scorpionum nonnulli adhibent.

SCARABÆI. In quibus sicut in omnibus hujusmodi Insectulis reperitur *abundans sal. vol. urinosum*, multùm præstant in usu medico, imprimis in *affectibus externis* membrorum ex lympha admodùm acri: propterea optimè succurrimus istis medicamentis, ex insectis paratis, quæ constant sale vol. urinoso, ut contrarium ita contrario emendetur. Quod dicitur de asellis lumbricis, formicis, &c. quòd abundent sale vol. urinoso, certissimum est de scarabæis, & omnibus eorum speciebus. In usu sunt imprimis *scarabæi* CORNUTI, item UNCTUOSI, qui dicuntur CANTHARELLI, qui in usu sunt apud Italos, in quamplurimis affectibus. Quod attinet *usum* scarabæorum, internè insigniter & potenter *cient urinam* adeoque in morbis, ubi opus ut promoveatur urina & serum *in affectibus nephriticis & arthriticis* mirè conveniunt, & quidem in arthritide externè & internè conveniunt: Internè cient urinam & per eandem educunt acidum arthriticum; unde fit, ut quando pellunt acidum arthriticum, oriatur stranguria propter acidum arthriticum, quod unà educitur. Deinde in *præservando calculo* multùm conducunt scarabæi quicunque, in specie unctuosi, qui, quando capiuntur mense Majo, *ejiciunt liquamen unctuosum*, quod mirè commendatur *ad præservandum calculum*, & præservandam *arthritidem.* Item ex scarabæis parata aqua *item* oleum *ex scarabæis* paratum, mirè convenit in *affectibus nervorum*, in specie *contracturis. & paralysi.* Quod oleum scarabæorum externè inunctum potest esse *succedaneum* oleum scorpionum in cienda urina & pellendo calculo. Aliàs convenit scorpionis & scarabæi cornuti conjuncti *contra convulsiones Epilepticos infantum*, item in mulieribus *in partu difficili.* oleum scarabæorum sicut oleum formicarum egregium est *in doloribus aurium*: Item *in defectu auditus*: Hoc *oleum pulsibus inunctum, dat febrim* artificialem, teste *HOEFERO in Herc. Med. p.* 30.

SCARABÆUS PILULARIS. Hic *decoctus in oleo lini*, dat oleum singularissimum & expertissimum *in dolore hæmorrhoidum cœcarum*, qui est valdè insanus & gravissimus. His hæmorrhoidibus dolentibus & tumentibus inunctum oleo lini, cui incocti fuére scarabæi pilulares, specificè & singulariter convenit: Quòd Principissa quædam in Italia pro singulari habuit secreto. Unde etiam omnes Practici hoc oleum commendant. vid. *BORELLUS in observationibus*, & *RIVERIUS in scriptis*, & quidem *BORELLUS Cent.* 1. *obs.* 63. *FONSECA lib.* 1. *Consiliorum*, commendat idem oleum, *Cons.* 27. *Loco hujus* ex scarabæis *potest usurpari* ol. violaceum ad ℥ij cui mixta est ℥j. asellorum contusorum, sed qui habent ol. scarabæorum pilularium, habent remedium magis expertum. CINIS scarabæorum pilularium, si inspergatur intestino recto, seu *ano prolapso*, impedit quo minus post factam repositionem possit denuò prolabi, & est expertum in tali casu remedium

Vel scarabæi etiam pilulares *bulliant*, *in ol.* Mastiches, & hoc ol. inungatur anis prolapsis, in specie sive procidentia ani contingat post hæmorrhoidum inflammationem, qui casus est satis periculosus. vid. *RIVERIUS obs. 27. morborum infrequentium.* SCARABÆUS UNCTUOSUS Qui est *succedaneus scorpionum*, & ol. scorpionum: unde in iisdem affectibus, in quibus & ol scorpion. usurpatur, LIQUOR, quem mense Majo captus ejicit, singularis est in *calculo* & *arthritide vaga*, *fixa* & *scorbutica* sive internè assumatur pulvis, sive artificio Chymico alia exinde præparentur. In arthritide vaga externo & interno usu solent adhiberi, uti & in *affectibus renum.*

CXIII. SCINCUS.

Σκίγκος, Scincus Marinus, Officinis.
Animal est aquatile, squamis luteis vestitum, cœsiâ à capite ad caudam decurrente lineâ insignitum, herbis odoriferis victitans.

OFFICIN. NAT.

1. *Integri exsiccati. 2. (rarò) pinguedo.*
Vires. Alexipharmacus est Scincus, Veneremque accendit. Pinguedo simili virtute pollet.
Dosis Drach. j. Matthiolus commendat Rostrum & pedes; eosque cum vino propinat, hinc & carnes laterum commendat.

OFFICIN. NAT.

Ingreditur antidota, & præcipuè Theriacam Andr. & Antidot. Matthioli.

SCINCUS MARINUS Pisciculorum vel *lacertarum genus* apud nos peregrinum, in Italia satis frequens: solet *stimulare* venerem sive integer comestus, sive renes usurpati, triti & cum vino poti, aut cum idoneâ conserva subacti & assumpti valdè venerem stimulant, & erectionem penis promovent. Cæterum *observetur*, quòd scinci, qui adhibentur ad stimul. venerem & *sint veri*, *rari sint*, & sint *terrestres*: Isti verò *qui per Venetias* ad nos adferuntur, & adhibentur in confectione theriacæ, sunt *aquatici* parùm aut nihil in stimulanda venere faciunt. Scinci *terrestres sunt species crocodili*, & stimulant venerem, quod de aquaticis minime verum est.

CXIV. SCORPIO.

Σκόρπιος, Scorpius, *Scorpion.* Le Scorpion.
Animal est formâ cancros æmulans, iis tamen minus.
Vires. Urinam cient calculo renum aut vesicæ impeditam, (vivi incinerati & exhibiti.)
Ictibus propriis subveniunt, (triti & impositi.)

PRÆPARATA.

1. *Oleum Scorpion. simplex*, infusione Scorpion. in Ol. Amygd. Amar. *vid. Disp. August.*
N. Sunt qui propinant in colicis & calculosis doloribus.
2. *Ol. Scorpion. compos. Mes.* quod recipit insuper Aristoloch. Gentian. Cyper. & rad. capp. *vid. Disp. August.*
Vires. Usitatissimus est in Renum doloribus, urinaque obstructa (illinitur dorso vel pubi,) medetur ictibus venenatorum animalium, febrium paroxysmos arcet, (pulsibus vel dorso inunctum) aurium dolores mulcet.

3. *Ol. Scorpionum magnum. Matth. vid. August.*

Vires. Majorum est virium quàm præcendentia. Ususque eximij in morbis contagiosis præservandis & curandis, in venenatis morsibus & simil. (inunctum cordi, arteriisque temporum, manuum, pedum,) dolores demulcet colicos & uteri, &c.

4. *Ol. scorpionum sanguineum.*

℞. Sem. hyperic. Unc. vi infunde in vino malvat. per dies ac noct. [3.] tum adde Therebinth. venet. Unc. iij. Ol. centum annor. [i.e. vutustiss.] Unc. vi. Croci opt. Drach. j. Flor. hyperic. M. iv.
Omnia tumulentur in arena in boccia benè clausa per triduum: deinde liquor in aliam bocciam fortiter exprimatur, liquor per inclinationem decantetur, usque ad apparitionem olei. Oleo apparente vas elevabis, in eo videbis ol. rubrum sanguinis instar. In hoc oleo reponantur pro unaquaque libra scorpiones N. L. in MB. cousque relinquantur, donec fiat perfecta fermentatio. Hinc per pannum exprimantur omnia, oleumque reservandum.
Vires. Summè nephriticos dolores lenit, extrinsecus applicatum.
N. Hoc est illud oleum nephrit. sanguineum magni Ducis, quod Pona describit, sed dosin non addit.
Ex communic. Dn. D. Ioh. Kieferi.

SCORPIO. De Quo dicendum, quòd *abundet copioso sale vol. acri*, uti reliqua insecta, unde interno usu *pulvis scorpionum* potenter *ciet urinam*, non minùs, quàm lumbrici & scarabæi; unde *promiscuè scorpiones & scarabæi* unctuosi *possunt* interno usu *adhiberi*, vid. *HOEFERUS in Herc. Med. p.* 110 urinam cient, deinde egregiè abstergunt & *promovent sabulum in renibus & vesica*, calculum pellunt, & remoratam ab eo urinam ejiciunt, rarò tamen internè usurpantur, sed potiùs *oleum infusionis* tàm *compositum*, quàm *simplex* usurpatur. Simplex inungitur *regioni renum* pro *pellendo calculo*, *regioni pubis* vel vesicæ pro *cienda urina* suppressa, sive solum, sive cum unguento dialthæ, sive cum cataplasmatis ex cæpis, sive ex parietaria, & similibus aliis remediis; si cum eorum oleo inungatur membrum virile habetur *arcanum in obstructione viarum urinariarum*, quoniam potenter elicit urinam. Oleum simplex scorpionum *in dolore aurium* planè est singulare: si scil. *ol. scorp.* ʒj. misceatur cum *oleo amygdalorum dulcium* ʒß. quæ incalescant, & una vel altera gutta instilletur auri dolenti vid. de hoc *SCHMUCK cur. 2. secreto medico* ii. In quo dolore aurium *conveniunt similiter aselli* contriti aut bulliti in oleo Nymphæeæ, vel præprimis violarum, in specie si sit dolor aurium ex inflammatione in quo tam oleum scorp. quàm asellorum est egregium: Deinde *ol. scorp. compositum* solet fieri, idque imprimis auctore *MATTIOLO*, quod commendatur in *affectibus malignis*, usu externo, *in peste* pro illitione pulsuum; in *bubonibus* pro malaxandis Emplastris & unguentis; in *morsibus venenatis* cum aliis remediis. De quâ virtute vid. *GABELCHOV, Cent 3. pag. 226.* Cum oleo citri, oleum Camphoræ mistum, oleo scorp. composito Matthioli dat *balsamum antipestilentiale*, quod applicatur pulsibus, temporibus, & aliis locis expositis aëri. In febribus malignis & Petechialibus eodem balsamo similiter solet fieri inunctio, aliàs *compositionem magis egregiam*, quàm Matthiol. vid. *ZUUOELFERI pharmacop. reg. p. 73. oleum scorp. sanguineum*, quod habet *AUCTOR*, est elegans, & inde probè observanda compositio, est egregium *in affectibus renum vesicæ*, & aliis. Aliàs *ANGELUS SALA* in tract. quem vocat *anatomen vegetab. p. 55.* parat *Ess. scorp. egregiam.*

CXV. TEREDO.

Τερηδών, *Holtz - wurm.* Ver appellé Teigne.

OFFICIN. NAT.

Caries, seu farina Teredinum.

Vires. Exsiccat, unde ulceribus humidis & fluidis feliciter inspergitur, & hoc eodem titulo mulierculis nostratibus admodum familiaris est in excoriationibus Infantum exsiccandis.

DE
TEREDINE.

nihil est quod dicam.

Et hæc de Animalibus Medicamentosis adduxisse sufficiat; Aggrediamur jam ea quæ ad Mineralogiam spectant.

SCHRÖDERI DILUCIDATI MINERALOGIA, *SIVE* REGNUM MINERALE.

CAPUT PRIMUM.

De Mineralogia in genere.

LIBRIS superioribus medicamentorum tractationes generaliores fuerunt cum subjunctis compositis, quæ non passa sunt speciali alicui certove nativo accenseri, qua ratione Pharmacopœia generalis dici posset: specialior sequitur, quâ nativa singula cum annexis præparatis perstringuntur.

Pharmacopœiæ specialis partes sunt, *Phytologia, & Zoologia, Macrocosmologia*. Tot enim numerantur Mundi universi regna: vegetabile, animale & scil. Macrocosmicum, eaque inter se summâ cognatione conjuncta.

N. Regna hæc vocat Hippocrates (*lib.* 1. *de Diata,*) tres concentuum harmonias, similitudine ex musicis desumptâ. Nimirum sunt instar trium semitonorum, perfectam & absolutam universitatis harmoniam constituentium. Basin Macrocosmus perhibet, qui reliquis duobus substernitur ceu fundamentum, sine quo ea nec concordare invicem, nec subsistere queunt. Regnum vegetabile refert tertiam in musicis dictam, videlicet ut latitudo hujus semitoni inter tertiam majorem & minorem circumscribitur: ita & in regno vegetabili latitudo deprehenditur, quâ alia ad naturam macrocosmicam propiùs accedunt, alia longiùs ab eodem recedunt. Latitudo hæc vegetabilium juxta Mosen triplici terminatur classe. Prima continet germen pumilum, sponte nascens (דשא. Secunda herbam seminificam (עשב.) Tertia plantam lignosam(עצ.) Regnum porro animale quintam & sextam exhibet. Hæ enim uti longius à basi recedunt, ambitumque integri toni continent: ita & regnum animale non modò longè à natura macrocosmi distat, sed & latitudine majori circumscribitur. Sunt nimirum in hoc regno animalia aquea (נפש היחחשים i. e. anima, seu spiraculum vivens aquarum.) Sunt & terrena (נפש היהוארץ, i. e. anima, seu spiraculum vivens terræ.) Est & Homo אדם ex Adama, i. e. terra & aqua exaltatis creatus, qui præterquam quod est cum reliquis animalibus חיה נפש, i. e anima vivens, inspiratum habet insuper נשמת סיים spiraculum vitarum, adeoque reliqua omnia antecellit.

Macrocosmologia est rerum macrocosmicarum enodatio.

Res macrocosmicas voco, quæcunque extra familiam vegetabilium & animalium collocantur, sive primariæ eæ sint, i. e. macrocosmi membra, sivè secundariæ, i. e. ex pe-rittomate macrocosmico productæ.

N. Constitutionem rerum macrocosmicarum generalem libro primo passim descripsimus, quò Lectorem remittimus.

In usurpatione generaliter hic pensitandæ veniunt vires, ut & modus utendi.

Vires. Mineralibus fortiores, ac magis radicales inesse quàm reliquis, ex eo convincitur, quod primæ origini sint propiora, idcirco & unitiora, & consequenter fortiora. Virtus enim unita fortior.

N 1. Fortitudo hæc secundùm latitudinem demetienda est, qua à primo illo principio distant Sunt enim è mineralibus, quæ vel ad naturam vegetabilium progressa sunt. Horum virtus ut magis est explicata & extensa, ita minus fortis. Sic sunt bitumina

Sunt econtra, quæ à natura universali haud ita longè recesserunt. Horum igitur virtus ut unitior, ita & fortior. Sic sunt Salia, Metalla & simil.

N. 2. Habent & vires mineralia superficiarias, quæ facilè in actum deducuntur, e. g. sal vires habet, quas exercet in substantia, internæ enim Salis communis vires non apparent, nisi sal sit inversum, e. gr. in spiritum redactum.

Modus *utendi* mineralibus, tam internus, quam externus esse potest.

N. Sunt qui usum internum mineralium & salinorum ex medicina deturbant. 1. Quia sint venenata. 2. Quia *διάθεσιν* pernitiosam post se relinquant.

℞. *Ad* 1. Non adhibentur quatenus venenata, sed quatenus saluti conferentia, sive hoc sit acquisitum veneni ablatione, sive correctione, &c. Constat nimirum rem, quò nobilior primitus fuit creata, eò deteriorem postmodum vi corruptionis evasisse: Corruptio autem quia accidentarium est, essentiam & radicem prorsus non abstulit, sed occultat ac detinet sub suo dominio. Exemplo sit serpens venenatus, qui sub veneno salutare circumfert antidotum: adde quod nec omnia quæ veneni accusantur, venena revera sint.

Ad 2. Non adhibentur quatenus acrimonia illa noxia est, sed quatenus reliquis mista intentioni Medici convenit, vel & quatenus mitigata est eadem & emendata: Sic ingreditur Theriacam chalcitis, sic allium culinam, &c.

Ad 3. Particulariter concluditur, & non nisi adversus ea, de quibus constat, quod perniciosam dispositionem introducant. In his autem constituendis uti iniquum esse duco limites transcendere: ita temerarium reputo, mineralibus vel solis, vel circa necessitatem velle inhærere.

Res macrocosmicæ seu minerales sunt tum primariæ, i. e. ad naturam Elementorum, seu macrocosmi membrorum propius accedentes, ut terræ & aquæ: tum secundariæ, i. e. perittomate macrocosmi prognatæ, ut Lapides, Metalla, Metallis finitima, seu semimetalla, metallica excrementa, Salia, Sulphura.

PERGENDUM nunc est ad REGNUM MINERALE, quod studio ad locum ultimum relegavimus, quoniam *est difficillimum omnium*, & non potest ritè intelligi, absque CHIMIÆ prægustu, utpote quæ est quasi *simia naturæ*, & nobis demonstrat, quæ natura facit in suis criptis subterraneis, adeò ut, quæ sit metallorum utilitas, facilè possit ex chymia cognosci. Utut *nonnulli* sint, qui rem de medicamentis ex metallis reddant dubiam, dum quidam eadem *ceu inutilia rejiciant metalla*, quidam commendant. Verùm *res* tota *consistit* in *præparatione* eorum *Chymica* legitima, in quâ operatione etiam *venena* crudelissima *abeunt in medicamenta* saluberrima, alexipharmaca & sudorifera, uti *videre est in antimonio*, quod nudum ac crudum propinatum homini est venenum, atque quamdiu vomitum & sedes movet, auctore *HELMONTIO*, non est viri boni remedium, quando verò figitur, ut ejus malignitas in sulphur volat. consistens corrigatur & temperetur, evadit alexipharmacum, per sudorem venenum expellens. Quod dictum de antimonio, verum quoque est de arsenico, quod fixatum non solùm externè ulcera maligna cacoëthea, putrida & corrosiva corrigit; sed prætereà quoque internè evadit alexiphar

alexipharmacum, elegansque sudoriferum, uti suo loco habebimus. Hæc omnia in progressu latiùs patebunt, & quia hæc controversia satis apud autores est agitata, pergimus potius ad

CAPUT SECUNDUM.

De Terris.

DE Terra incipimus, non quatenus Elementum audit simplex, soloque conceptu comprehensibile, sed quatenus microcosmico semine imprægnata est. Mortua enim rectè à Paracelso perhibetur, vivere autem Elemento invisibili, id est, vapore seu spiritu universali infuso: quippe hujus virtute, terra aliàs mortua vivificatur, sterilis fœcundatur, vegetatur, inque naturam variam, tùm mineralium, tùm vegetabilium, tùm animalium facessit. Ex mineralibus sunt, quæ terræ faciem adhuc quidem retinentes, à communi tamen terra quomodo recedunt, atque medicatum terrarum classes subeunt. Hæ pro diversitate matricum, colorum, proprietatum, regionum, vel aliarum etiam circumstantiarum, diversa nomina sortiuntur. Sic dicitur 1. Ratione soli natalis; Terra Lemnia, Turcica, Armena, Chia, Melitea, Strigensis, Brundusiaca, seu Bohemica, Labacensis, sive Vvetteravica. 2. Ratione proprietatum & colorum; Terra solaris, lunaris, venerea, martialis, saturnina: & 3. ratione signi impressi, Terra sigillata, &c. Nos, reliquis Terrarum speciebus omissis, Officinarum nostratium terras solummodò enodabimus.

N. *Dicitur Arabicè* Teri, *Græcè* Τέα vel Γῆ, *German.* *Erd.* Gallicè *Terre.*

Vires. Terram in genere frigidam communis statuit opinio, nixa Elementorum quadruplici combinatione, quippe quâ terra per frigiditatem ad aquam accedit, aqua per humiditatem ad aërem, aër per calorem ad ignem, ignis per siccitatem ad terram. Verum, licet hæc de Terra dici queant, quatenus ut Elementum simplex illa consideratur, id est, quatenus cum reliquis Elementis Elementorum generationem ingreditur; attamen quatenus nobis terra offertur, minimè talis censeri poterit, quippe (teste Hippocrate libro περὶ σαρκῶν, potius περὶ ἀρχῶν) multùm calidi (spiritus illius de quo supra) terræ inest; cujus vigore fœcunda ipsa redditur. Fœcunditas enim non nisi à principio spirituoso procedit: eoque calido, licèt in caliditate ea, maxima scilicet latitudo ac diversitas deprehendatur. Quoad qualitates reliquas adstringentis censetur naturæ, ac putredini resistentis.

PRÆPARATA.

Præparationes quibus Terræ subjici possunt, & inde Medicamenta producta sunt.

1. Purificatio seu Lotio: unde Terra lota.
2. Præparatio officinarum: unde præparata.
3. Pręcipitatio: unde Magisterium.
4. Destillatio, unde Spiritus, &c.

1. *De Lotione.*

Quia Terræ utplurimum sabulo ac calculis scatent, lavari communiter solent, id est, in aqua dissolvi, quâ solutione sabulosa ac lapidosa substantia, utpote quæ terra utili ponderosior est, subsidet. Hinc aquam terra turbidam decantant, exhalandoque exsiccant: verùm lotio hæc, meo quidem judicio, citra aliqualem, imò magnam virium jacturam fieri vix poterit. Nimirum pars quædam subtilis (quâ magna ex parte terræ perfusæ sunt) lotione illâ recedit: Volatilis itidem terræ pars (quâ impregnatæ terræ sunt) exhalando evanescit. In præparationibus itaque præstat terram crudam, non lotam recipere.

N. Non improbamus imbibitionem, s. imprægnationem, quâ terræ succo aliquo medicamentoso iteratis vicibus humectantur, rursum exsiccantur, atque ita viribus confortantur novis.

2. *Præparatio.*

Præparandi modus non est diversus à modo præparandi generali, cap. 76. Lævigantur nimirum terræ, subindeque irrorantur aquâ appropriatâ, v. g. Tormentillæ, rediguntur que in pulpam per se exsiccandam

3. *Præcipitatio:*

Unde

Magisterium.

Solvitur Terra in Spiritu aliquo acido, e. g. Spiritu Sal. com. vel simili, solutio decantatur, præcipitaturque cum oleo Tart. per del. vel cum aqua communi largiter effusa, præcipitatum edulcoratur aquâ fontanâ.

4. *Destillatio ac Sublimatio.*

Unde

1. *Spiritus simplex.*

℞. Terræ orbiculos formatos, ac destilla igne nudo ex Retorta. *Vide infra* de Terra sigillata.

2. *Spiritus cum vino.*

℞. Terræ (e. g. Strigensis, de minera antequam lavetur,) q. v. affunde aquam destillatam: inde Retortæ, ac destilla lentè, ut aliquantulum aperiatur corpus. Hinc superfunde spir. vin. digere & destilla.

3. *Spiritus Alcalisatus, seu Balsamus.*

℞. Terræ Strigensis [crudæ non lotæ,] q. v. affunde aquam tonitrualem, macera aliquot septimanas ad putrescendum. Hinc destilla per alembicum. Ex materia superstite extrahe Sal, idque destillato liquori junge, circula per mensem. Postea destilla iterum: Sic liquor secum rapiet Sal, nanciscerisque subtilem Balsamum.

Aliter.

℞. Terræ crudæ vel lotæ, e. g. lib. xx. &c. destilla per cucurbitam vitream loricatam ad latus inclinantem [vel per Retortam] calore sat forti gradatim adhibito. Primum exstillat, aqua, hinc Spiritus; Spiritibus animadversis augeatur ignis, & sublimabitur Sal: Conjunge salem hunc aquæ destillatæ, ac destilla denuo semel ac iterum, ut post destillatum liquorem Sal sublimetur: vel digere simul: sic Balsamum habes pretiosum. Conrad. *Kunrath in Medulla destillat.*

N. In copia terram destillare oportet, alias parum Salis nancisceris.

I. TERRÆ ARGILLACEÆ; SEU SIGILLATÆ.

Omnibus terrarum generibus laudem meritò præripit argilla, quæ à sigillo quo ferè notata venditur, sigillata dici solet, Arabicè Terimachtim. German. *Siegel. Erd.* Hanc varij generis Officinæ exhibent.

Sunt enim Terræ sigillatæ, 1. Turcicæ (Turcicis Characteribus insignitæ) quas pro Lemniis terris communiter venditant, cum veræ terræ Lemniæ Galeni minimè respondeant: Verum enim verò si sint qui Terram sigillatam in placentulis tinericei coloris Constantinopoli advectam, pro vera Terra Lemnia usurpare velint, utpote quæ inter modernas præstantissima sit, ipsis bellum propterea non indicam.

2. Est terra Melitea, sic dicta à Melita seu Maltha Insula, in qua eruitur, aliàs Terra sigillata Sancti Pauli.

3. Est & Officinalis terra sigillata Germanica, eaque duplex: una dicitur Strigensis, lutei coloris, quę in Scaptensula auri Suvenicensi reperitur, Officinis Terra sigillata Strigensis, à Striga Silesię Oppido, ubi præparari ac sigillari cœpit: dicitur & Medulla vel axungia solis, eo quòd Sulphure Solis imprægnata credatur: Altera Lignicensis vocatur; estque triplex, coloris scil. rubei, albi & cinerei. Hanc vocant axungiam Lunæ, quippe quæ Sulphure lunæ sit perfusa: Item Unicornu minerale, quòd viribus vero Unicornu respondeat.

N. Similiter & in reliquorum metallorum cuniculis inveniuntur terrę. Sic & in Vveteravia, haud longè à Labaco oppido, species quædam terræ datur, quę ad axungiam solis accedere videtur: Et Husana prope Marpurgum.

Delectus. Prestantissima omnium quę modernis in usu sunt, censetur Lemnia, rubri, hinc cinericij coloris, quę Constantinopoli ad nos pervenit. Huic succedere potest axungia Solis, in affectibus cordis, vel axungia Lunæ, in capitis & hepatis morbis: Ex Lunari autem antecellit ea, quę cinericij coloris est.

Nota Bonitatis in terris est, si linguæ adhæreant. 2. si saliva aut humore humectatę, in bullam sese elevent, vel in aquam conjectę bullas excitent.

Vires. Exsiccat, astringit, resistit putredini venenoque, resolvit, sanguinem dilatat, adeoque ciet sudorem. Usus præcipuè in peste, febribus malignis, Diarrhęa, Dysenteria, in morsibus animalium venenatorum. Extrinsecus in vulneribus malignis mundificandis, in ictu venenato.

N. 1. Terra

N. 1. Terra Labacensis Terræ sigillatæ vires æmulari videtur: sudores largiter movet, nec vi adstringendi reliquis cedit.

N. 2. De axungia Solis experientia comprobravit, 1. Quod cruda (qualis scil. ex minera eruitur) sæpissimè Epilepsiam curaverit. Quod in Philtris maximè profuerit.

Dosis à ʒß. ad ʒij.

PRÆPARATIONES ET PRÆPARATA TERRARUM ARGILLACEARUM, AC IMPRIMIS SIGILLATÆ.

1. *Terra sigillata præparata.*

N. 1. Ut plurimum terra sigillata sine præparatione vulgari in usum venit.

2. *Magisterium.*

℞. Solve in spirit. Sal. nit. præcipita ol. Tart. p. d. vel aqua comm. ita Magisterium sub colore terræ nativo nancisceris.

Dosis à ℈ß. ad ʒß. & ultra.

3. *Spiritus Terræ sigillatæ simplex.*

Destillatur terra, per se ex Retorta: Nimirum.

℞. Terræ Silesiacæ flavæ [optima est, quæ duobus monticulis insignitur] ℔. 1. frange in particulas duas, ac destilla per Retortam, igne nudo, hor. 6. vel plures [ad diem integrum,] in Receptaculum capax. Primum extillat Phlegma, dein Spiritus albicantes in parva quidem copia, sed grati acoris ac saporis.

N. Terra restans, ejusdem etiamnum figuræ extrahitur, sed quæ non amplius linguæ adhæret, nec saliva humectata in bullas exurgit.

Usus: Non opus habet rectificatione, sed in usum venit unà cum Phlegmate.

Dosis ℈ß. Vide Horstium in Problematibus.

4. *Spiritus Terræ sigillatæ cum Vino.*

Fit macerando Terram cum aqua & destillando. Hinc dirigendo eandem cum spirit. vin. atque destillando. Vide supra.

5. *Spiritus Terræ alkalisatus, seu balsamus Terræ.*

1. Fit si cum aqua maceretur ac destilletur, & postea cum sale suo alkalisetur. Vide supra.

2. Destillentur sine aqua, floresque forti calore propulsi, cum liquore destillato conjungantur.

Vires. Vires ex terræ viribus judicari poterunt, præter quas vim quoque habet arthriticos dolores summè mitigandi, malignitatem scabiei corrigendi, &c.

N. Solvit quoque aurum.

[Spiritu Nitri, salis, vel vitrioli impraegnatur etiam Terra sigillata, indeque liquores styptici, & alexipharmaci parantur.]

6. *Oleum Terræ Strigoniensis.*

℞. Terræ Strigoniens. ℔ 1. Affunde aq. pluvialem, destill. colloca in locum temperatè calidum per mensem vel amplius, & oleositas à corpore suâ sponte separabitur, & aquæ innatabit: aquam separa per infundibula, & oleositatem cum part. v 1. spirit. vin. destilla, & egredietur Oleum aurei coloris spiritui innatans. Materiam autem instar perlæ albam in fundo relictam exime, cum aq. pluviâ Salem, ut moris est, extrahe, hunc oleo redde, majorumque virium ergo circula, & ex retorta vitrea in Arena destilla.

Dosis gutt. vj. in vehic. convenient. in febribus malignis, variolis, calculo.

Q. E. terræ sigillatæ vide in Hodogetico Popp. pag. 120.

[Terebinthinæ oleum ex Terra sigillata extrahit liquorem rubicundum alexipharmacum.]

[Trochisci de terra sigillata.]

II. BOLUS.

Bolus terræ genus est, ex pallido rubrum, vaporibus martialibus imprimis impraegnatum.

Dicitur Medicis Bolus Armena, vel orientalis, eo quòd ex Armenia finitimisque locis, præcipuè advehatur. Præcipuè dico, ne excludam & alia loca, in quibus ea foditur, & ad nos transportatur, quibus nec Germania nostra caret, unde nobis Wittebergica usualis est.

Delectus. Præstat pura (non arenosa) quæ in lævorem calcis instar affuso humore, promptissimè solvitur ac commanducata butyri modo liquescere videtur. Reliquis tamen præstantior censetur, quæ ex Armenia vel locis finitimis asportatur.

Vires. Valde siccat, astringit, roborat. Hinc usus ejus saluberrimus est in fluxu sistendo, in humore inspissando, in putredine arcenda, veneno obtundendo, &c. quâ ratione convenit in Diarrhæa, Disenteria, fluxu menstruo, Catarrho, sputione sanguinis, Hæmorragia narium & vulnerum, &c. Externus ejus usus creber est in Cataplasmatis, pulveribus adstringentibus, &c.

PRÆPARATA.

1. Bolus Armena præparata fit modo generali.

N. Ut de Terra sigillata monuimus, cruda potius, quàm præparata terra Armena in usu est.

2. Magisterium fit ut Magisterium terræ sigillatæ.

[Antidotus ex Bolo.]

III. CRETA.

Creta, *Kreid*, de la Croye, *Chalk, Kreyt*, à Creta Insula sic dicta, ubi in copia invenitur (licet Dania, Gallia & aliæ regiones quamplurimæ eâ scateant) terræ species nobilissima est, durior & candida.

N. Renodæus triplicem hujus facit speciem, candidam, virescentem & nigricantem. Verum nobis non nisi candida in usu medico est, eoque rarissimo.

Vires. Siccat, abstergit, emplastica est.

Usus ejus internus nonnunquam in ardore Stomachi est, externus in vulneribus, ulceribus &c. siccandis.

IV. TERRA JAPPONICA.

Est & terræ genus exoticæ, colore purpureum, punctulis albis intertextum, ac si situm contraxisset, sapore austeriusculum, masticata liquescens, subdulcemque post se relinquens saporem; CATECHU vocant, seu TERRAM JAPPONICAM. *Hujus usum perhibent celebrem in exsiccandis catarrhis, capiteque roborando, si in ore detineatur.*

[In hernia varicosa, mictione involuntaria.]

Particulam *hujus* obtinui à Phamacopœo nostrate curiosissimo D. Mathia Bansa.

[Non rara nunc.]

V. MARGA.

Marga, est portio quædam pinguis & quasi medulla, in saxis nonnullis, dum franguntur reperta, unde & Medulla Saxorum dici solet. Germ. *Steinmarck*. La moüelle des Pierres.

Vires. Siccat, adstringit, consolidat, sarcotica est, tartarum sanguinemque coagulatum resolvit (intus exhibita.)

VI. OCHRA.

Ochra terræ species est durior, coloris flavi, seu lutei. Germ. *Ocherg-el.* De l'Ochre.

Vires. Sicat, adstringit, discutit, excrescentias reprimit.

Usus. Ejus rarissimus est, & non nisi externus, ac præcipuè in vibicibus & collisis, tum quoque tumoribus duris discutiendis (*Emplastr.*).

VII. RUBRICA.

Rubrica terræ species est lapidosa, rubea, &c. dicitur & rubrica fabrilis, quòd fabris lignariis crebrò inserviat in ducendis lineis: German. *Rothe, Kreyde, Retelstein.* De la Rubrique ou Croye rouge.

Vires. Siccat, astringit.

Usus ejus medicus est in sputo sang. & in Emplastris vulnerariis & siccantibus.

VIII. TRIPOLIS.

Tripolis terra est coloris Citrini intensi, speciesque videtur Ochræ.

Vires. Usus ejus in Pharmacopœia vel nullus, vel rarus est, nisi quod pro destillandis Spiritibus salinis salibus admisceatur, quo minùs ea fluant.

Nos convertimus. *Quia* sit *terra vulgaris*, notum est omnibus, & qualis sit substantia: nihilominùs nos non sumus solliciti de terra vulgari, sed de terra *medicata*, quæ obtinet vires in medicina utiles pro conservanda & restituenda sanitate, & dicitur TERRA MEDICATA. Unde *quæstio est, cujus naturæ* sint *terræ medicatæ, & unde* obtineant suas *vires?* cùm sufficienter constet, quòd non sint terræ simplices,

ſed compoſitæ quædam mineræ. Quæſtio ergò eſt, unde obtineant ſuas virtutes hæc corpora terrea mineralia. *Reſpon.* Si exactè conſideramus opera naturæ, & quid faciat Chymia, ſtatuendum eſt, quòd *terræ medicatæ* nihil *ſint* aliud, quàm *venæ quædam metallicæ*, partim *ſimplices*, partim *compoſitæ*, pro varietate locorum, & quidem *impuræ* ac immaturæ & imperfectæ. Dico *impuræ*, quòd multùm admiſtum habent quiſquiliarum; immaturæ & imperfectæ, quoniam nondum debitam acquiſiverunt conſiſtentiam & duritiem metalli. Præſuppono enim hîc, quòd *in generatione metallorum fiat progreſſus à volatilitate ad fixitatem*, cùm priùs ſint volatilia, & in igne diſſipabilia, fixa verò acquirunt vim reſiſtendi igni. METALLA ergò DIFFERUNT GRADU VOLATILITATIS & FIXITATIS: Et metallum, quò eſt fixius, eò eſt nobilius, quò volatilius, eò ignobilius. Dico ergò, quòd ſint venæ metallicæ impuræ, immaturæ & imperfectæ, quia non ſolùm de metallo participant. Talis vena metallica impura & immatura calcinatione humida in cavernis & Cryptis ſeu mineris aquæ abit in ſubſtantiam terream: Dico *calcinatione humidâ*: quæ fit per vapores aquoſos & calidos à locis vicinis, venis metallicis elevatos, qui vapores calidi & aquoſi acuti ſunt ſale terræ centrali, ſeu uti alij vocant, ſale *naturæ hermetico*: Tales vapores calidi, humidi, & ſalini mediocriter, dum inveniunt venam metallicam & immaturam, eandem rodunt, corrodunt, ſolvunt, & ita permeando in talem ſubſtantiam terream friabilem mutant. Exemplum præbent calcinatio cornuum philoſophica, ſeu ſine igne. Nam ſicut CC. vel oſſa humana calcinantur ſine igne philoſophicè per vapores aqueos, elevatos in alembicum, ſenſim ſenſimque penetrantes oſſa, ut fiant friabilia & conteribilia, ſimili modo & ratione fit calcinatio humida in terra dum vapores humidi aquei ſalini mediocriter corrodunt venam metallicam impuram, & ita in talem ſubſtantiam friabilem & terream commutant. Dixi, quòd vapores calidi & humidi ſint conjuncti cum ſale terræ centrali, ſeu ſale naturæ Hermetico. Nam præſuppono, quòd *in* regno ſubterraneo, ſeu *mineris terra ſit ſal univerſale ſubacidum volatile*, quod in generatione omnium metallorum eſt præſens, quodque in operationibus ſubterraneis ferè utramque ſolet facere paginam. Dicitur ergò ſal CENTRALE terra quoniam quaſi in centro terræ habitat, vel ſale Hermeticum *naturæ*, quoniam eſt naturæ quaſi architectus, dicitur *hermeticum*, ab Hermete Chymico incomparabili: apud *HELMONTIUM in paradoxis de fontibus Spadanis* vocatur ſal *acidum eſurinum ſulphuris embryonati*: Item ſal naturæ centrale quoque vocatur nitrum philoſophorum, ab aliis Philoſophis alio nomine inſignitur. Quando ergò ab igne ſubterraneo, ſit quodcunque ſit, elevantur humores tales, ſeu vapores aquoſi temperati ſale hocce, corroduntur tales venæ, & in corroſione iſtâ in ſubſtantiam terream transmutantur. Unde facilè poſſunt deduci *facultates terrarum* medicatarum, quarum *quædam* ſunt *communes* omnibus terris medicatis, *quædam propriæ* cuicunque ſpeciei. Facultates *communes* ſunt, quòd omnes potenter *exſiccant*, & humidum *abſorbent* ſeu abſumunt. 2. Omne *acidum* potenter *imbibunt*, ut amittat ſaporem acidum. 3. Omnes potenter *adſtringunt*, & quæ ſunt facultates aliæ: Hæ ſunt facultates communes quas obtinent ab illâ calcinatione. 2. Sunt facultates *propriæ* cuicunque ſpeciei terrarum, qualis verb. gr. eſt *facultas reſiſtendi ſcorbuto*, in terra ſcorbutica, facultas *reſiſtendi venenis* in terra ſigillata: Facultas *ciendi menſes* in terra martiali &c. Hæ facultates ſpecificæ *oriuntur* ex verâ, ſeu ex *proprietate metallorum*, dum vires metallicæ in iſtis terris adhuc primatum obtinent. *Quod* negotium hoc *ita ſeſe habeat*, & quòd fiat calcinatio humida venarùm metallicarum in terræ gremio, & talis in terram converſio, *demonſtrat effectus* terræ, & patet exinde: Quod ſi enim recipiatur terra ſigillata, & injiciatur in aquam, vel vinum, vel aliud quiddam, videtur levis oriri *efferveſcentia*, quod *proprium* eſt *rebus calcinatis*, & valdè exſiccatis v. g. ſi ℞. C.C. uſtum, ſimilem ferè habebimus efferveſcentiam: Unde à ſimilitudine effectus ad ſimilitudinem cauſæ venit argumentandum. *Participant omnes terræ medicatæ de metallis*, ut creta de ſaturno, & eſt quaſi ſaccharum metallicum ſaturnus ſeu naturale: Gipſus de ſtanno: rubrica de marte: Terræ ſolares participant de primo Ente ſolis, quod *primum Ens eſt quaſi ſeminarium quoddam* auri, ſeu rudimentum auri nondum perfectum: Et hæc ſunt prima Entia. Exſiccant ergo terræ med. & adſtringunt, quoniam ſunt fortiter calcinatæ terræ: acidum imbibunt, quoniam ingreditur acidum terras, & ſolvit, & ita ſolvendo acidum deperdit, ita quoque ſolent acquirere interius hauſta quodcunque acidum. Quas vires omnes habent à calcinatione forti. *Terra per ſe* & quatenus talis *non eſt in uſu*, *ſed* tantùm medicata & *metallica*, ſeu quæ à metallis vires ſuas aquiſivit. Conſiderabimus nunc *præparationes*. 1. Eſt LOTIO, quæ *eſt purificatio* terræ ab adhærentibus ſordibus & quiſquiliis craſſioribus, ſed hæc lotio *nullius eſt uſus*, quoniam aqua lavando abripit ſecum ſimul utiliores atque efficaciores partes terrarum metallicas, à ſale centrali per vapores calcinatas, uti rectè dicit auctor. Ergo loco ejus *ſubſtituitur* commodè IMBIBITIO ſeu imprægnatio terrarum, *dum irrigantur liquore appropriato*, qui liquor imprægnatur. Hæc irrigatio *aliquoties repetitur*, donec ſit ſaturata terra, ut nihil ampliùs poſſit imbibere. Sic ſi vellemus appropriatam reddere terram martialem pro ciendis menſibus, illam adſpergimus cum aqua artemiſiæ, vel cum aqua Sabinæ, item cum Eſſentia Sabinæ: ſi terram ſigillatam lunarem vellem magis appropriatam pro uſu cephalico reddere, irrigamus terram cum ſpiritu vel aqua liliorum convallium, vel cum aqua & ſpir. ſaliviæ. Et ſic lotioni meritò ſubſtituendum eſt imbibitio. Præparantur etiam MAGISTERIA ex terris, *hoc modo* ſolvuntur terræ in ſpiritu appropriato acido, & iſta ſolutio præcipitatur vel cum quodam alcali, vel cum aqua ſimplici, & id quod præcipitatur vocatur Magiſterium terræ. SOLUTIO fit *per ſpiritum acidum*, qualis eſt vel Spiritu ſal. nitr. vel vitriol. aut aliorum Spirituum verb. grat. viridis æris: Hi enim Spiritus acidi facilè ſolvunt terras, corrodendo illas. PRÆCIPITATIO fit *per alcalia*, oleum tartari per deliquium, vel aqua communi (*raró tamen*) *ratio* eſt, quoniam menſtrua acida reſolutis particulis acidis, quibus ſejungunt, ingrediuntur terreſtres corrodendo, quando ergò ſuperinſpergitur alcali quoddam ſal, etiam alcali ſeſe unit cum acido, & ſic unione iſtâ exturbantur particulæ terreſtres acido adhærentes, quæ pertubatæ & motæ gravitate in fundum ſecedunt. *Idem facit* aqua communis infuſa, quæ cum ſeſe unit proximè cum partibus acidis menſtrui, per unionem partes terreſtres ſeparantur & disjunguntur, quæ ſeparatæ non poſſunt ampliùs continere particulas terreſtres graviores, hinc iſtæ in fundum recedunt, & fit Magiſterium: DESTILLATIO terræ fit per retort. uti moris eſt, videatur *AUCTOR*. De hoc ſpiritu, qui prodit per deſtillationem ex terra multi multa promittunt. Dicunt enim, ſi ſpiritus deſtillatur *ex terra ſolari*, quòd exindè acquiratur *menſtruum pro ſolvendo auro*: Imò ſunt quidam, qui *ex* nuda terra noſtrate *vulgari* vernali tempore deſtillatione volunt elicere *menſtruum pro ſolvendis metallis*,

tallis, imprimis aurum apertiſſimum. Imò volunt exindè habere *menſtruum univerſale*, pro ſolvendis omnibus corporibus in tribus regnis reperibilibus. Deinde ſpiritus terræ *alcaliſatus*, id eſt, alcali fixo conjunctus ſpiritus, de quo vid. *AVCTOR*: valdoperè *commendatur ad* præparationem Tincturæ auri imprimis ex ejus minera, dicit namque *AGRICOLA in comment. in Poppium*, quòd in hoc ſpir. terræ alcaliſato caput mortuum liqueſcat tanquam cera, & poſtmodùm inſtar butyri ad fundum ſecedat. Idem *AGRICOLA cit. loco imprimis tract. de antimonio p. 277. refert de Philoſopho* Colonienſi, qui paravit ex terra vulgari ſpiritum, & ex hoc ſpiritu rurſus præparavit terram aliquam, ex qua varia poſtmodum & vegetabilia, & animalia fuerunt ſubnata, pro probanda PANSPERMIA, ſeu ſeminum congerie in terra vulgari & naturali. Hæc de terra in genere. Sequuntur terræ in ſpecie, inter quæ primam facio ex TERRA SOLARI, quæ eſt terra quædam, quæ *reperitur in minera auri*, id eſt, eo in loco, ubi ſolet generari aurũ. Quando minera ſolis perficitur in perfectum aurum fit ſol, ſed quando calcinatur, fit terra ſolis. Reperitur *in mineris Vngaricis*: ex quibus mineris Ungaricis D. *MICHAEL* à quodam amico accepit aliquando terram rubicundam, quæ in ſe continebat aurum immaturum, hanc ſolvit cum ſpiritu ſalis vel ſimplici, vel compoſito, facto ex ſpir. ſalis nitri & auri & poſtmodùm in ſolutione hac, cùm ſtetiſſet ad tempus, viſa ſunt natare auri folia, adeò ut aurum immaturum antea in ſolutione fuerit maturatum. Ex hac ſolutione *præparavit tincturam cordialem*, dum extractum vel ſolutionem in ſpir. ſalis factam filtravit, & menſtruum denuò abſtraxit, abſtracto menſtruo poſtmodùm cum ſpiritu cordiali ex remanentia extraxit tincturam eleganter rubicundam, quæ tinctura terræ *ſolaris*, propinata ad gutt. x. xv. vel xx. *eſt egregium refocillans & cordiale*: potenter *adſtringit* & *influxibus alvi*, uti etiam *ſanguinis* malignis & epidemicis eſt excellens *remedium*.

Poſt terram ſolarem, ſequitur.

Terra *martialis*, quæ eſt terra quæ *reperitur in minera martis*, ſeu ferri, dum minera martis abit in perfectum ferrum, fit ferrum; ſin verò immatura permaneat, crudaque corrodatur & calcinetur, fit terra martialis. *Subnigricans* eſt, & reperitur in fodinis ferri ubi creſcit ferrum, rubrica. *Explicat* valdoperè, & per ſe *pulveriſata* eadem quantitate, ordine & forma *in morbis* iis *ſolet præſcribi, in quibus*, aliàs *ferrum* & ejus Crocus ſolet uſurpari. Imò dicuntur: quod etiam credo, quòd terra martis in ſuo *effectu ſit mirabilior* & excellentior, *quàm præparata ex marte* ex eo, quòd mars ratione ſui Entis, ſeu principij ſeminalis in minera, ſit magis vincibilis, & ſic faciliùs ſubigi poſſit à natura, quàm quando in perfectum abiit ferrum. *Hæc tinctura ferri* experta eſt *pro ciendis menſibus*, *obſtructionibus* meatuum *reſerandis*, & in genere *in omnibus cachecticis & hypochrondriacis*, uti expertus eſt *PETRVS à CASTRO*, Medicus Italus non tantùm, ſed etiam in ſpecie, Zacutus *Luſitanus lib. 3. prax. Hiſt. 10. obſ. 3.*

In Regione *Norvegiæ* reperitur terra *ſubnigricans*, quæ vocatur ex effectu terra *SCORBVTICA*, quæ à ʒß. ad ʒj. aſſumta mira facit *in cura ſcorbuti*, utpotè quem ipſum beneficio ſudoris curat: uti videri poteſt in *PETRÆI Diſſertationibus Harmonicis*. Item in *VVORMII Muſæo*, *p. 16.* & etiam *BARTHOLIN. Cent. 1. Epiſtol. Epiſt. 89* Hæc terra ſcorbutica *apud nos eſt rarior*, & credo, quòd participet de marte utpotè qui ipſe etiam in ſcorbuto eſt egregij uſus, adeoque ipſi *poteſt ſubſtitui* noſtras *terra martialis imbibita*, cum ſucco autem ſpiritu Cochleariæ: *Vel* poteſt ſubſtitui *Bolus* benè depuratus, eodem ſucco vel ſpir. *impragnatus*. Inter terras ab *AVCTORE* deſcriptas ponitur etiam terra *SIGILLATA*, quibus impreſſum eſt ſigillum. Hoc autem ſigillum eſt varium. Primò ſeſe offert.

TERRA LEMNIA, quæ *ex* Inſula *Lemno adfertur*, & à *Galeni temporibus* eſt valdè *decantata*, quæ etiam tempore fuit *inſignata ſigillo capræ*, quoniam Inſula Lemnus dicata fuit Dianæ, cujus ſignum fuit Capra. Hæc terra lemnia *rarioris apud nos eſt nota*, propterea quòd Turcæ cognoſcentes virtutes terræ lemniæ eandem valdè cuſtodiant: adeò ut *ſaltim Magnates terræ lemniæ fiant participes*, vid. *KIRCHERVS* in *Mundo ſubterraneo*, *tom. 1. p. 338.* ubi habet ſimul modum, quo eruitur terra lemnia in Inſula Lemno. *AMATVS* quidam *LVSITANVS*. *Cent. 1. Cur. 92.* vult, quòd *bolus Armenus* officinarum *ſit vera terra lemnia Galeni*: Cæterum in hoc ipſo *errat*, uti demonſtrat contrarium *CALCEOLARIVS in Muſæo p. 111.* & *VVORMIVS in Muſæo pag. 11.* Hæc terra lemnia, quoniam apud nos eſt rarioris notæ, propterea in uſu illi noſtras *ſubſtituitur terra ſigillata Sileſiaca*. Aliàs hæc terra lemnia valdè commendata fuit pro *reſiſtendo venenis*, ad quem uſum etiam hodiernum apud Turcas ſolet adhiberi.

II.

TERRA MELITENSIS, quæ *ex Inſula Melita* ſeu Maltha *adfertur*, & *ſignata eſt ſigillo D. PAVLI*, ex unâ parte, ex alterâ autem parte *ſigillo crucis*: eſt *alba*, & facilè *friabilis* reperitur in Cryptis Inſulæ Melitæ, & dicitur, quod habeat virtutem alexipharmacam ex eo, quod D. Paulus, cum hybernaret in Inſula Melita, in illo ſpecu ſolitus fuerit verſari, & exinde vim alexipharmacam illi conciliaverit. Terra eſt albiſſima, & *ſolent exindè fieri vaſa*, tabellæ & alia utenſilia artificioſa. Præter hanc terram reperiuntur *in* hac *Inſula Melita lapilli*, qui vocantur linguæ, ſeu *OCVLI SERPENTVM*, propter ſimilitudinem oculi, ſunt *coloris lutei*, uti oculi ſerpentum, *LINGVÆ* verò ſunt *fuſcæ*, & *cinereiceæ*, & ubertim reperiuntur in tota Inſula, & dicunt, quòd Paulus omnibus ſerpentibus in Melita abſtulerit venenum, quoniam *non datur ſerpens in illa venenatus*, & exindè talem vim alexipharmacam terræ tribuerit: Et certum eſt, quòd terra, oculi & linguæ ſic dictæ, *habeant virtutem morſus venenatos* non tantùm *præſervãdi*, ſed & *curandi*, & in multis morbis, in quibus ſuſpecta eſt venenoſitas, conveniant: uſurpantur *oculi inſtar amuleti* in annulis, ita quidem, ut dum portantur in annullo, tangant cutem: *Lingua appenditur collo* & brachio inſtar amuleti, *terra imbibitur liquore* appropriato & aſſumitur *contra venena*, ubi beneficio ſudoris malignitatem expellit Vid. *OLAVS VVORMIVS in Muſeo*, & *BARTHOL. Cent. 1. Ep. 53. item Cent. 6. Hiſt. 1.* Sequitur.

TERRA SILESIACA, iſtæ ſcil. terræ Sileſiacæ quæ adferuntur ex Sileſia, ſuntque in *duplici differentia*: quædam ſcil. ſunt *Strigenſes*, quædam ſunt *Lignicenſes*. STRIGENSIS ab oppido Striga nomen habet, & *vocatur axungia* auri, quoniam *oritur ex minera auri immatura*, & in hac terra adhuc aliquid de primo Ente auri eſt reconditum: altera verò LIGNICENSIS *dicitur axungia lunæ* & *eſt ex minera lunæ*, impregnata adhuc primo ente lunæ, ſcil. argenti, & ubique inveniuntur tales terræ medicæ, quæ, ſi ſignentur ſigillo, vocantur terræ ſigillatæ. Hæ terræ ſigillatæ *cum aliis terris conveniunt* in genere, quòd exſiccent, adſtringant, & acidum abſorbent, in ſpecie verò valdè *conveniunt in reſiſtendo malignitati*, & *curandis venenis*. In ſpecie terra *Strigenſis* ſolis convenit *in malignitate occupante M. S. Terra Lignicenſis* in *malignitate*, *quæ affligit caput*,

&

& hoc ex eo, quòd aurum sanguini & cordi, luna verò capiti est dicata. Hinc etiam in morbis & *febribus malignis*, in *Petechiis*, *variolis* & *morbillis*, non tantùm commodè usurpantur terræ sigillatæ Strigensis & Lignicensis: sed præterea quoque in *dysenteria*, *diarrhæa*, & febribus epidemicis malignis optimè conveniunt: item, in *morsibus venenatorum animalium*, & aliis suspectis malignitatis: In *hæmorrhagiis malignis internè* assumitur quoque, utpotè in quibus non securus est usus Epithematum externorum, quoniam repellunt malignitatem: In tali ergò casu sunt expertæ. Refert *SCHUUENCKFELDIUS in lib. de Silesia*, quòd terra sigillata Strigensis, si *mox post philtrum* assumtum assumatur, illud *per vomitum* rejicere faciat, *tempore* verò *interjecto*, per corpus malignitate dispersa, *per sudorem* illam *expellat* & curet. Et *exemplum refert AGRICOLA in Poppium de auro p.* 40. de quodam Croato, qui virtute terræ solis sigillatæ admodùm prolongavit vitã. ita ut ad 136. annos excreverit. *Extrinsecùs* terra sigillata valdè convenit in *ulceribus malignis*, *cancrosis* & similibus purificandis & etiam consolidandis. Inter PRÆPARATA. est 3. loco secundum Authorem SPIRITUS *terræ sigillatæ simplex*, qui commendatur valdoperè ab *HORSTIO Patre in curâ febrium malignarum*, quod debeat misceri Julepis, quoniam egregiè resistat malignitati, vid. in *Problem. pag.* 11. oleum quod habet per retort. destillatum, valdè prodest *in peste*, & *morbis venenatis*, item in *morsu canis rabidi*, in *dysenteria maligna* & contagiosa. *Balsamum* cordiale, seu *naturale confortat*, & etiam *vires reficit*. Ex terrâ sigillatâ paratur etiam LIQVOR STYPTICUS, qui à *BARTOLETO* vocatur aurum *potabile*, ex terra sigillata *tract. de respiratione*, *p.* 685. Item *PRÆVOTIUS de Medicamentis p.* 41. *Modus parandi* est hic: Imbibitur scil. terra sigillata cum spir. nitri vel cum spir. vitrioli ita ut restet terra sigillata pultis sub forma: Hæc puls in loco frigido, vel etiam calido exsiccatur denuò, ita ut fortiter concrescat. Hinc deindè in lapide porphyrite, vel mortario marmoreo conteritur, & pulverisatur minutissimè, immittitur in vesicam fundo perforato, vel in patella, ponitur in locum frigidum, ità ut à frigore loci resolvatur in liquorem, quem liquorem postmodùm miscent cum aliqua parte spir. cerasorum nigrorum, & digerunt, donec exactissimè uniantur, (spir. cerasorum nigrorum temperat aciditatem nimiam stypticam) *Alij facilius procedunt*, dum affundunt spir. nitri vel vitrioli, & quando benè fuerunt adunita, abstrahunt phlegma, phlegmate abstracto, remanentiam pulverisant, & iterum affundunt spiritum, hocque tertia vice repetunt, semper abstrahendo phlegma: materiam siccam pulverisatam in vitro lato ponunt in cella, vel alio loco frigido, ut resolvatur p. d. in liquorem: qui liquor vocatur stypticus singulare est remedium, & *arcanum in febribus malignis*, *ubi vomitus*, *diarrhææ*, *dysenteriæ*, *hæmorrhagiæ*, aliique similes fluxus sunt nimis excedentes. *RHUMELIUS in Antidotario pag.* 114. docet modum parandi ex terra sigillata *Essentiam* seu *Extract. auri* ℞. scil. terram sigillat. Strigensem pinguem, eamque destillat per retort. ut acquirat spir. & cùm nihil ampliùs adscendit, urget ignem fortius, donec sese aliquid in collo retort. sublimet, sublimatum hoc solvit cum sp. suo proprio, quem rectificat, cum phlegmate postmodùm extrahit sal ex capite mortuo relicto, & hoc ipso sale potest calcis auri seu mineræ auri extrahi Essentia, vel etiam sal sæpiùs sublimatur per se, & *in omnibus morbis ad gr.* ij adhibetur. Vulgaris est *usus terr. sigill.* vel sola, vel cum aliis mista *in dosi* à ℈j. ad ʒß. præter propter, ubi opus est sudore, adstrictione, & ubi est evacuandum acidum ex primis viis: Convenit in nimia alvi fluiditate. Nam absorbendo acidum fluxum sistit. Pergo ad

BOLUM, qui *est* vel COMMUNIS, vel bolus ARMENUS. In genere bolus *est terra pallidè rubicunda*, & *participat de marte* seu de minera martis seu ferro: unde dat solutionem quasi viridem, qualem dat ferrum quando solvitur in quodam acido. Bolus *Armenus dicitur*, quoniam in Armeniæ regione effoditur. Modum *fodiendi* & etiam *colligendi* subministrat *UUORMIUS in Musæo. Rarus est apud nos*, nihilominùs interdum ab Imperatore Turcarum mittitur Germanorum Imperatori tanquam donum, & nisi ita in Germaniam adferretur, planè illo carerent officinæ, quoniam ipsis *Turcis est singularis in morbis venenatis.* Interim tamen in Hungaria reperitur BOLUS TOCCAVIENSIS, ita dictus à regione, qui *non inferior* est *in virtutibus Bolo Armeno*, sed eidem *similis*, adeò ut easdem *obtineat virtutes*, partim in adstringendo, partim in resistendo, catarrhis, partim etiam in movendo sudore, & arcendâ malignitate. Nam *bolus* præ aliis mineralibus, præter vim adstringendi, ratione martis *obtinet* quoque *virtutem præcipitandi*. Unde *in catarrhis* valdè commendatur: *abstergit* enim salsos humores, *phthisin* quoque *arcet*. Bolus Armena destillata *dat phlegma* quoddam acidum, quod reverà est ab humido salino vapore, qui corrosit mineram ferri in terram hanc, quæ vocatur bolus: quòd si hoc phlegma ter à Bolo pulverisata, minutissimè in balneo abstrahatur, convertitur bolus in oleum *pingue*. Hoc oleum ex lenissimo igne siccari, & *in pulverem redigi potest*, *ad prohibendum sanguinem*, undecunque prorumpentem aptissimum, item ad *conglutinanda vulnera*, in quibus est singularis: Bolus in *sputo sanguinis* est egregius, *mistus* imprimis cum conserva rosarum, & addito uno vel altero gr. laudani opiati. *Externè* Bolus solet adhiberi *pro adstrictione vasorum* sanguifluorum in hæmorrhagiis. *In hæmorrhagia narium* commendatur, si pulverisatus imbibatur aceto, & *instar cataplasmatis* nudè *applicatur* fronti, valdè convenit in hæmorrhagiis etiam desperatis. Reliqua de bolo facilè possunt legi apud auctores.

Sequitur CRETA, quæ ratione suæ nativitatis *participat de saturno*, & est minera saturni immatura confecta per corrosionem ab humido & vaporibus aquosis salinis. *Dicitur ab Insula Creta* seu Candia, in quâ copiosè reperitur, utut in aliis quoque regionibus ferè quibuscunq; inveniatur: *in succo acido imbibendo*, & adstringendo cum reliquis convenit: Præ cæteris solet commendari Creta ad ʒj. assumta in vino vel lacte caprino, *ad interimendos vermes*: Item utuntur ad impediendum, ne altiùs adscendant. In *ardore stomachi*, seu soda cretæ pulvis est valdè usitatus, sive assumatur cum aqua portulacæ, cum quâ valdè convenit in soda, præcipitat enim acidum, sive fiant *morsuli* ex cretâ, quales vid. in *MYNSICHTI armamentario Chymico contra sodam.*

MARGA, (quæ aliàs etiam dicitur LAC lunæ) vocatur à quibusdam *agaricum minerale*, propter consistentiam, quam habet similem cum agarico vegetabili D. JOH. DANIEL MAJOR imprimis scripsit *de lacte lunæ* lectu dignissimum tractatum, ubi demonstrat, quòd *marga nihil sit* aliud, *quàm exhalationes metallicæ*, quæ *unita circa saxum*, abeant in talem substantiam tenuem & friabilem, quam nos vocamus lac lunæ à colore: Est *multi usus* & non tantùm internè in *soda* & *ructu nidoroso* convenit, item in *dysenteria*, sed in specie etiam valdè convenit in *augendo lacte* nutricum, pro quo scopo *permiscetur* cum *Crystallis* præparatis, additis appropriatis. *Sic potest fieri pulvis* ex lactis lunæ & Crystall. præpar. aa. ʒj. seminis Nigellæ & cardui benedicti aa. ʒß & olei destillati fœniculi gutt. v. vel vj. Misc. fiat pulvis, bis de die à ʒß. ad ʒij.

à

à nutricibus assumendus pro augmentando lacte. Sunt etiam, qui commendant margam in *passione nephriticâ*, item in passione *Colicâ*, id quod etiam verum arbitror. Plures virtutes Margæ, seu lactis lunæ *extrinsecùs* imprimis *in* purificandis *ulceribus sordidis*, & *conglutinandis vulneribus*, in *inducendâ cicatrice*, & in specie *pulv. Balsamicum pro inspergendis ulceribus malignis*, imprimis tibiarum, vid. apud D. JOH. DANIEL MAJOR, *in tract. citat.*

OCHRA est *species terræ imprægnatæ marte*. Rarò solet adhiberi nisi *externè*, ubi opus est adstrictione *in emplastris & cataplasmatis* adstringentibus & conglutinantibus: *urinam provocare* sunt, qui *volunt*. Est etiam terra quædam, quam vidi in Anglia, quæ vocatur HYBERNICA, *ex Insulâ Hyberniæ*, est terra *subnigricans levis*, & *raræ texturæ*. Valdè usurpatur ab Anglis post casum ab alto *ad* resolvendum *sanguinem congrumatum*.

Quibusdam in locis etiam usitate est Terra ILFANA *ex insula Ilfa*, propè Livoniam in mari mediterraneo, & solet commendari *in febribus malignis*, mista cum succo limonum: Item in *vermibus puerorum* destruendis, in compescendis *cruciatibus abdominis* mira præstat: in morbis convulsivis & *convulsionibus*, quibus non rarò tentantur graviter pueri.

Terra est quæ vocatur CIMOLICA *ab* Insulâ *Cimolo*, *una ex Cycladibus*, & præter facultates communes in aceto dissoluta valdè *digerit*: *Parotides & alia tubercula discutit*; *ambustis* illita mox dolorem sedat & *curat*: nitr. & acet. destill. mista *tumores pedum*, tollit; item *testium* discutit *tumores*, si ceræ Cypriæ permisceatur. Illitu externo immodicos *sudores tollit*, quo externo usu etiam *ulcera capitis removet*. Est etiam terra quæ vocatur TERRA ADAMASCENA sive ADAMEA, dicuntque *reperiri in agro Damascenio* in Assyria, *est terra subrubea*, *ex quâ* fabricatum fuisse dicunt *Adamum*, & vocant Adameam. Hæc terra *instar amuleti* accommodata *arcere* dicitur *quævis incommoda* obvenientia. Imprimis vid. de hac terra Damascena NIERENBERGIUS *in tr. de natura rerum cap. 17. p. 465.*

Habuimus hactenus terras medicatas. Nunc sequitur terra VULGARIS, quæ non destituta est usu in medicina: Nam ut nihil dicam de terra philosophica, parata ex aqua pluviali, quæ instar Magnetis solet attrahere aquam & spiritum in aëre, uti videri potest in TAKII *Crysogonia p. 56.* sed in specie *odor* nitrosus *recentis terræ* valdè *compescit fervorem spirituum*, & valdè confortat, ita ut talis *odor ad longævitatem* corpus nostrum disponat vid. *BACO de VERULAMIO tr. hist. vitæ & mortis*, p. 104. & 105. ubi inter alia dicit; novi virum nobilem longævum, qui statim à somno apponi curavit sub naribus recentem terram globum, & hoc quotidiè facit, ut attraheret ejus odorem nitrosum: & alia lectu digna.

CAPUT III.

De Aquis.

Aquæ nativæ, quæ usui Pharmaceutico inserviunt, tum simpliciores sunt, tum minerales.

Præparationes utrumque sunt: 1. Purificatio. 2. Destillatio. 3. Inspissatio. Hinc aquæ depuratæ, & destillatæ & salia.

1. *Purificatio.*

Scatent nonnunquam aquæ crassis & heterogeneis fæcibus, unde depuratione opus habent. Modi depurationis hujus sunt 1. Filtratio per chartam bibulam. 2. Digestio, qua partes crassiores ad fundum secedunt.

2. *Destillatio.*

Destillatio aquarum in genere, pro variante volatilitate, fixitateve eliciendi liquoris erit instituenda in VB. MB. cinere, tum quoque in arena: convenientiora autem hîc sunt destillatoria vitrea.

3. *Inspissatio.*

Inspissatio partem fixiorem reddit conspicuam, quæ si salinæ naturæ fuerit, elixivari potest.

Vires. Aqua quatenus, seu liquor est, summè humida censetur, frigida remissè. Verùm, quatenus aliis rebus immixtis vehiculum præbet, eatenus pro harum diversitate variis qualitatibus prædita judicatur.

AQUÆ SIMPLICIORES.

Aquæ simpliciores sunt aqua 1. fontana, 2. putealis, 3. fluvialis, 4. palustris, 5. pluvialis, 6. nivea. Ex his usitatior fontana & pluvialis, quibus quoque 7. ros maialis addi poterit.

Aqua fontana est omnium purissima & usitatissima. Purissima est, quia per terram ceu colatorium colatur. Usitatissima est quia ad omnia recipitur ad quæ aqua sine peculiari mentione alterius, e. g. pluviæ, &c. recipi jubetur.

N. Præfertur inter fontanas quæ fluit ab Oriente ad Occidentem, quæ decurrit à montanis locis altioribus, itemque Visu, Gustu & Olfactu, pura, clara, tenuis, levis, ac sincera deprehenditur, ut & quæ citò incalescit, & citò refrigeratur; quæ Hyeme calidior, Æstate frigidior. Aquam hanc injecto pane tosto corrigere, ægrotisque, loco potus sat grati concedere nostrates consueverunt, vulgo Brodovvasser. *De l'eau dans laquelle ont trempe du pain.*

2. *Putealis* fontanâ vilior & crudior ut plurimum habetur, eo quòd ponderosior plerumque sit ac linguam magis feriens (*ein hart Vvasser.*) Vne Eau pesante ou rude au goust. Verùm si ex vivis scaturiat scaturiginibus, reliquisque bonitatis signis abundet, illius vices subire haud inepta est.

3. *Fluvialis*, quòd radiis Solaribus exposita fuit, magis habetur digesta quidem, quàm putealis: Verumtamen in usurpatione ejus non erit inutile spectare unde originem trahat, quóque perlabatur.

4. *Palustris* pessima omnium censetur, adeoque è Medicina eliminanda.

5. *Pluvialis*, est aqua levis, linguamque minus feriens (*ist ein vveich Vvasser.*) Une Eau leregere & plus douce au goust: fontanæ vicaria; utimur eâ utplurimum destillatâ. Sunt qui præferunt imbres à Meridie advolantes, vel ab Oriente, utpote quas radiis Solaribus magis imprægnatas & digestas arbitrantur.

6. *Nivea*, pluviali affinis est, magisque penetrans, adeoque & ad sudorem movendum non inefficax, quas vires naturæ salinæ acceptas refert, quâ præ reliquis abundat, vi frigoris condensata.

N. 1. Præfertur collecta circa solstitium Hybernum, & Æquinoctium Martij.

N. 2. Odontalgiam pertinacissimam aquâ niveâ fuisse domitam, vide Zacut. lib. 1. Hist. med. observ. 46. De usu vid. ibi, dub. 41.

7. *Ros*, reliquas omnes subtilitate, adeoque & penetratione antecellit: Constans liquore volatiliori, saleque acriori: præfertur Maialis.

[Hic Ros Maio, & Junij principio, colligendus, ante solis ortum, lunâ crescente, quando pluvia per aliquot dies non decidit non linteis, sed instrumentis vitreis.]

[*Vires.* Vim habet laxandi, resistit ictibus animalium venenatorum, collectus ab herbis ophthalmicis oculorum affectibus convenit.]

PRÆPARATA EX RORE.

[1. *Spiritus roris Maialis.*]

℞. Ror. Mai. q. v. pone per aliquot dies in digestione, hinc destilla, ascendens primò striæ, i.e. spiritus, hinc aqua.

[2. *Sal volatile fixum.*]

(Menstruum pro auri & corallorum tinctura extrahenda ex Manna & Rore parare nonnulli satagunt.)

PRÆPARATA EX AQVIS

Aquæ fontanæ plerumque crudæ in usum accersuntur, Meteoricæ autem plerumque destillatæ. Præter has sunt

qui & Essentiam seu Spiritum alcalisatum inde parant, idque mediante destillatione & salificatione.

Destillatio.

℞. Aquæ pluvial. vel niveæ bonam quantitatem, destilla ex cucurbita vitrea leni MB. calore, ut solummodo pars spirituosa colligatur, hinc subsiste. Alii, ut eò feliciùs pars spirituosior à reliqua sequestretur, præmittere solent digestionem, seu putrefactionem (per mensem 1. aut 2.) in vase Herm. clauso, qua fit ut non modò fæces subsideant, sed & liquor quodammodo ad sequestrationem disponatur.

Hinc paratur.

Spiritus alcalisatus, seu Essentia.

℞. Spiritum jam elaboratum, adde Sal comm. circula simul, vase Herm. clauso, per mensem destill.

Salificatio.

℞. Aquæ quantitatem maximam (mensur. 20. 30.) exhalet aliquantulum (si opus sit, interpositâ filtratione,) hinc reponatur, evaporetque ad siccitatem: sic nancisceris fæces salsedine imprægnatas. Elixivia crebris solutionibus, habebis sal purum.

N. 1. Sunt qui fæces calcinant, sed metuo ne quid pereat. Continet enim & Sal volatile.

N. 2. Sunt & qui Sal volatile ex spiritu sibi spondent, sed successu mihi irrito.

N. 3. Terra illa residua ex evaporatione, si per retortam pellatur, oleum quoque supernatans exhibet, sed parum.

[*Spiritus salis aquæ fontanæ spiritui salis armoniaci affinis, & aurum in calcem vertere dicitur, quod intelligendum de fontibus quorum aqua de sale armoniaco participat.*]

Tartarum Philosophicum S. Closs.

Ros vel aq. pluvia levi artificio reducitur in Terram subalbam, si scil. matracium rore semiplenum H. S. immergatur in Aq. Thermalem calentem, vel retrò clibanum aut in hypocausti ergastulo digerantur longo temporis intervallo, sic enim de die in diem vi ignis lenti atque continui generantur Atomi splendentes, qui ad fundum vasis agglomerantur, & à cœrulea aqu. supernante separari debent.

Spiritus aq. pluvialis acidus & ardens Ioh. Fabri.

Imbibe hanc Terram decimâ parte alterius aquæ pluvialis, digere dum spissescat, idque septies reitera, habebis materiam pinguem & ad syrupi consist. accedentem, è qua igne ciner. primo spiritum acidum, deinde igne arenæ spiritum igneum propelles. Utrumque rectifica & super caput mortuum sive gummi restans pluries cohoba, intercedente semper digestione: quod supererit calcina igne reverberij ad albedinem, & ex calce hac Sal naturæ extrahe. Jam liquores illos sali fixo reaffunde, digere, congela in MB. tandem sublima in salem crystalinum, quem in matracio H. S. furnoque secreto in terram fixam rubentemque figere non dubitabis.

Hanc pro Panacea universali habent plures Philosophi.

Aquæ minerales.

Sub aquis mineralibus comprehendimus acidulas & thermas, quæ nihil aliud sunt, quàm aquæ mineralibus essentiis in terræ abysso imprægnatæ.

Duo ergo & his insunt, Mineralis sc. substantia ceu pars potior, & Phlegmaticus liquor, seu aqua, substantiæ illi Minerali vehiculum prebens.

Mineralis illa essentia nihil esse videtur aliud, quàm Spiritus mundi in terræ gremio conceptus, inibi pro varietate matricis vel locorum in hanc vel illam naturam mineralem, prout illa à natura naturante naturata fuerit, transplantatus, aqueoque liquori ceu vehiculo commixtus.

Estque substantia hæc mineralis varij generis, metallina, salina, bituminosa, terrestris, &c. tum ratione volatilitatis, fixior, volatilior, &c.

Vires: Vires aquarum mineralium, pro diversitate commixtorum mineralium decernendæ, in quibus tamen, cùm impossibile sit in accuratam, & penitiorem earum devenire mixtionem, experientiæ potiores partes dandæ sunt.

ET quidem *quæ* usurpantur *in Medicina*: considerabimus tamen simul etiam usum illarum culinarem. *Species* aquarum *sunt variæ*, pro varietate locorum natalium: Nam *aquæ* semper *aliquid adportant ex locis*, *per quæ fluunt*, quod imprimis sunt particulæ salinæ, quibus gaudent ista loca & harum ratione virtute alterandi in corpore humano pollent. Aliàs notum, quòd aqua *quâ aqua non nutriat corpus*, *sed* appetatur saltim, ut *sit loco vehiculi alimentis*, quò eò meliùs possit trajici per minimos intestinorum poros, & hic usus est, quare potulenta & aquosa assumantur. Ergo etiam aqua ut talis pro tali usu non debet esse medicata, & *quò est purior*, eò est *convenientior* pro conservando corpore: Cæterùm cum rarò aut nunquam detur aqua pura simplex, sed omnes habeant particulas heterogeneas alterantes corpus admistas, modò plus, modò minùs pro varietate locorum & originum: idcircò considerabimus 1. AQUAM FONTANAM, quæ uti *omnium est purissima*, ita omnium est usitatissima: *Origo ejus* est *ex Oceano*, dum beneficio pressionis *transcolatur per meatus*, cryptas & poros terræ, ubi tandem alicubi erumpit: Transcolatione enim ista *per poros terræ* fit, ut *aqua* aliàs *salsa*, uti est in mari, *deponat* suam *acredinem*: cujus rei *experientia* est, si in certos locos, vel cretaceos, vel arenosos infundatur aqua salsa, fit, ut acredinem reliquam ab aqua marina amittat, & transeat pura & insipida, deposita salina acrimonia vid. *KIRCHER.* & *BACO.* Cæterùm utut deponat talem acrimoniam & virtutem, *novas* tamen adhuc in terræ visceribus *à succis variis* mineralibus, metallicis, aliisque alias *acquirit vires* exoticas, unde etiam una alterâ est salubrior. Præ omnibus aquis *saluberrima* est ea, *quæ effluit ex fontibus*, ex suâ origine *inter lapides & saxa*, quoniam in talibus locis est purissima, & nullis particulis hæterogeneis, & inimicis referta, sordibusque terrestribus inquinata. 2. Salubris est ea, *quæ est clara* & pura, quia intermista perspicuitatem non parùm turbant. Quò enim clarior est, eò est purior, quò purior, eò salubrior. 3. Salubris est aqua *quæ non exposita est malis nocivis*: sunt enim interdum *venti*, qui non rarò, uti alterant aquas, ita imprimunt vires suas aquis, quod & in aliis rebus faciunt. Hinc elegantes aquæ præ reliquis, quæ iisdem non sunt expositæ. Unde & in genere omnes istæ aquæ, si pro potu sint adhibendæ, *corrigendæ priùs sunt*, uti rectè monet *AUCTOR*, *pane tosto* priùs injecto: quoniam omnes quæ haustæ interius laxant fibras intestinorum & ventriculi, quâ laxatione partes fiunt flaccidæ & amittunt tonum suum, ut antiqua expellere nequeant, nec continere possint recens assumta: jam verò panis tostus adstringit, & sic resarcit tonum fibrarum laxatarum, eumque restaurat: id quod fit eò magis & meliùs, *si* scil. *fricetur* panis *nuce Moschatâ*, qualis *potus* etiam commodè *in dyarrhæa & dysenteria* potest propinari.

Aquæ fontanæ affinis est AQUA PUTEALIS, quæ ex puteis profundis hauritur: *cujus variæ* & multæ *sunt differentiæ*, ejusque *bonitas* & malignitas *dependet ab eo quatenus* scil. *scaturigo viva est in* illo *puteo*, aqua est melior & convenientior, vel quatenus *ab aliis locis fluit*, & derivatur, præprimis, si sit motus lentus, ubi periculum est, ne *sordibus imprægnetur*, & particulis alterantibus & fermentativis.

AQUA FLUVIALIS non solet esse adeò usitata, quoniam *fluxu* suo *continuo terrestres partes imbibit*, & secum permiscet: unde *magis est crassa ac turbulenta*, ac fœculenta in magnis fluminibus, quàm in Minoribus & reliquis aquis propter partes quas abripit ex ripis, eoque rarò usurpatur vel in medicina, vel in culina.

AQUA PALUSTRIS *est* omnium *pessima*, quæ

quæ stagnat in loco quodam, quoniam multa recipit, & nihil amittit: recipit multa ex nivibus liquefactis: recipit multa, dum derivantur ex torrentibus, ex variis locis, ex montibus, ex pluvia & nive, hæc omnia quoniam recipiunt, & nihil amittunt, non possunt esse puræ aquæ in paludibus. Accedit quod sol. calor tempore verno & æstivo sublimet partes subtiliores, hinc fit ut reliquæ remanentes sint impuræ & insalubres, & usui interno ineptæ. Præter aquas culinares scaturientes ex terris dantur etiam *medicinales* acidulæ & Thermæ, seu aquæ calidæ & acidæ.

ACIDULÆ *oriuntur*, quando *aqua*, quæ translocatur per cryptas & meatus subterraneos, *impregnatur acido* Hermetico, seu sale subacido vol. Esurino, sive Centrali, quæ aqua tali spiritu acido impregnata, quando *fluit per venas metallicas*, imprimis per venas *ferreas*, nondum maturas, fit ut spiritus salinus subacidus in aqua ista *corrodat* venam ferream immaturam, quod dum fit, aqua acida *impregnatur atomis martialibus solutis*: idque nunc magis, nunc minùs, pro varietate aquæ nunc magis, nunc minùs impregnatæ spir. acido volat. vel etiam prout ipsa minera nunc magis est dives ferri nunc minus. *Hæc aqua* effluens *est sapore acido subaustero*, & saporem acidum habet *à sale* acido *Centrali*, facultatem subausteram adstringentem habet ex *venâ ferri*, quàm rodunt aquæ, quæ vena ferri rosa dat saporem subacidum & subadstringentem: sal quod impregnet aqua, *habet originem ex spiritus sulphureis incensis*, & liquefactis in terra, qui spiritus, quando prodeunt, aquas impregnant, ut ita metalla & venas immaturas solvat. Hæc est nativitas & natura acidularum, quàm non tantùm videmus egregiè *confirmatam ab HELMONTIO in paradoxis*, sed etiam in Scriptore Gallico, qui vocatur ROCHAS, qui propriâ *experientia confirmat*, qui dum vidit aquam acidulam, & postmodùm, factâ foveâ, ad ejus originem pervenit, reperit, quòd profluens aqua salina subacida, quæ in transitu suo penetret per venam ferri aut cupri, & lambat, illam corrodat & exsorbeat, & sic sub exortu aquam medicatam præstet vid. *ROCHAS*. Et hinc judicandum est de VIRTUTIBUS acidularum, in quibus morbis conveniant: Nam *ratione spiritus* subtilis *acidi* fit, ut *habeant virtutem incisivam*, *resolutivam*, *penetrativam*, & singulariter *diureticam*. *Ratione* verò adjunctæ venæ metallicæ *ferri vel cupri* fit ut, *salia sylvestria* in corpore interno hinc inde oberrantia, imprimis acida austera, aut alio modo corpori nociva accurrant ad istam venam eandem aggrediantur, se uniant, adhæreant, & beneficio alvi *per inferiora prodeant*. Unde qui *utuntur acidulis habent excretiones subnigras*, propterea quoniam vena ferri, quæ sub formâ aquæ hauriebatur, separatur in corpore, & jungitur cum acidis corporis humoribus, iisque sylvestribus, & ita fæces tingit colore nigro. Id quòd patet, quando utimur *medicamentis martialibus*, sive sit Crocus, sive tinctura, sive aliud quoddam ex marte paratum remedium, semper *faciunt fæces alvi nigras*: Hoc cùm similiter fiat post usum acidularum in excrementis alvi, patet quòd fit ex particulis metallicis ferreis aut cupri cum salibus corporis sylvestribus unitis, præcipitatis & ita per alvum excretis. Vnde non mirum, si *conveniunt acidulæ in cachexiis*, *scorbuto*, *malo hypochondriaco*, & similibus morbis aliis, quoniam ratione venæ metallicæ absorbent salia sylvestria, imprimis salia acida primas vias occupantia, quæ salia in istis morbis sunt primarij auctores. Hinc *ratione partis aquosæ* acidulæ potæ *abstergunt* blandè, & *reserant meatus*, & venas obstructas, dumque simul *præcipitant* ex M. sanguineâ seperata excrementa heterogenea, & *sub forma urinæ* eadem per meatus patefactos *ejiciunt*. Rectè enim monent auctores, quòd *acidulæ non sint per sudorem dissipandæ* & evocandæ, *sed* per mictum, ut fiat effluxus illarum *per vias urinarias*. In VSV acidularum *solet fieri progressus à parva dosi ad* mediam, tandem ad *maximam*; ita, ut si primâ die 1. vitrum hauriatur, altero 2. sint assumenda, 3. tria & sic porro, usque eò, donec ventriculus nihil ampliùs capere possit: postmodùm ubi in summâ dosi ad aliquot dies fuerit perstitum sensim sensimque iterum est descendendum dum in potu, itá ut si summa dosis fuerint vitra 10. altero die sumantur 9 hinc 8. & sic usque ad minimam. Nam ii qui mox in principio in maxima dosi incipiunt, in ea longè persistunt, & in eadem desinunt, id non fit sine noxa gravi. Ulteriùs non sunt *usurpandæ* acidulæ, nisi benè *præmissis universalibus*, imprimis iis, quæ primas vias expurgant, ut his impedimentis remotis eò felicius & melius possint exserere suas virtutes acidulæ. *Plura* qui cupit de legitimo acidularum usu, *vid. Dissert. D. LANGII*, quæ est satis copiosa, & satis eleganter conscripta. Unum adhuc *moneo* de acidulis, quòd quando in vitro collecta ad tempus *steterint*, *soleat descendere* in fundum *terra subnigra* vel subfusca, *quæ terra* nihil *est* aliud nisi *vena ferrea* & metallica, in aquæ salinæ transitu *corrosa*. Nam dum aqua salina superingreditur venam ferri, quando potest, eandem solvit: hinc fit, ut solutâ venâ salsedo aquæ imminuatur, & ita salia ista corrodentia se jungant cum vena ferri, ac fiat pulv. exindè subnigricans vel subfuscus, qui in fundo vitri subsidet. Ex hoc videmus, quòd *frustranea* fit *transportatio acidularum*, scil. quando ex loco natali transmittuntur, in alium pro usu. Nam dum transmittuntur, sensim decidit, pulvis seu spiritus salini se uniunt cum vena metallica, & ita decidunt ad fundum, & aqua superstes insipida persistit, quæ privata est omni virtute. Ergò acidulæ sunt *usurpandæ in loco*, ubi oriuntur: nam si transmittuntur sunt nullius aut pauci usus.

2. Aqua medica naturalis sunt THERMÆ, quæ *sunt aquæ calidæ*. Harum Thermarum origo *adscribitur* sæpius calori vel igni cuidam *subterraneo*, à quo *incalescentia*: *Virtus* medica *à salibus* & *partibus metallicis* iis in visceribus terræ permiscetur. Cæterùm cùm ignis SUBTERRANEUS sit *valde dubius*, modò non omninò falsus, *rectius* sentiunt ii, qui statuunt, quòd Thermarum calor oriatur per *modum effervescentiæ*, talis quæ fit ex effusione aquæ calci vivæ: vel sicuti fit, quando affunditur aqua salina cuidam metallo, imprimis ferri, exindè enim fit effervescentia, ita simili regione in visceribus terræ fiunt effervescentiæ aquarum *beneficio* talis *effusionis*: si scilic. calcinatæ *mineræ* metallicæ *à calore*, qui est copiosus *in terra*, & oritur *ex effervescentia salium mutua*. Hæc ergò, si attingatur ab aquâ salinâ præterfluente, fit ut tali sale impregnata occurrendo tali mineræ calcinatæ excitet talem effervescentiam, sicut fit ex effusione aquæ calci vivæ: Et quidem non semper necessum est in specie, ut occurrat aqua talis mineræ calcinatæ, sufficit si talis minera, cui concurrens sal in igne effervescentiam excitatur, ex quâ fit calor & effervescentia Thermarum. *Experientiam subministrat* modo citatus *ROCHAS*, qui in montibus Alpinis Helvetiæ invenit fontem calidum seu Thermas, fecitque progressum fodiendo ad ejus originem, in quibus invenit, quod in principio sit aqua subsalsa moderatissimè acida, quæ sine calore sit frigida: Cæterùm, ubi in progressu reperta fuit vena metallica valdè sulphurea factum, ut aqua occurrente venæ metallicæ sulphureæ fixatæ effervescentia & ebullitio fuerit excitata: luculento testimonio,

quòd non fiant Thermæ per ignem subterraneum, sed ex aqua salina occurrente venæ metallicæ in specie sulphureæ. VIRTUTES quas obtinent *Thermæ*, cùm tantùm usurpentur externè in balneando, internè verò raro vel nunquam, omnes *habent à partibus mineræ* corrosis & absorptis ex aqua salina, imprimis partes salinæ aquæ obtinent virtutes, quas habent Thermæ, ut *externè* fotu refocillent & *restituant tonum partium* nimis laxatum, quòd mirificè *conveniant in affectibus nervorum*, *paralysi*, *Hemiplegia*, *tremore*, item *doloribus chronicis & periodicis*, uti etiam *affectibus cutaneis*, *scabie contumaci & maligna*, *impetiginibus & lentiginibus*, *serpiginibus* & similibus aliis cutaneis vitiis; *Podagricis* conveniens est Thermarum usus, uti etiam aliis qui laborant *articulorum quorumcunque affectibus*. *Intrinsecus usus* Thermarum est *periculosus*, quoniam ut plurimùm Thermæ solent secum vehere certum sabulum, aut certas partes terrestres corrosas, quæ transfluxu Thermarum tandem coguntur in tophaceam materiam; quæ copiosè reperitur in alveis, per quas fluunt Thermæ, periculum ergò est, ne similis materia tophacea coaguletur & uniatur in corpore, & ita infarctum vasorum, meatuum ac viscerum inducat: Hoc ne fiat, omninò prohibetur usus Thermarum internus. Ulteriùs *non sunt usurpandæ* Thermæ, nisi *præmissis universalibus*, & optimum est, ut si usurpandæ in morbis chronicis, *prius* usurpentur *acidulæ*, & *post* acidulas ingrediuntur *Thermas*, aut si non utantur acidulis, præmittenda sunt universalia, & primas vias expurgantia. *In sterilitate mulierum* usus Thermarum non est inconveniens, imprimis si sint nimis humidæ, & uterus earum instar spongiæ semper sit refertus sordibus, aquosumque nimis habeant semen, & minùs spirituosum, & sic uterus minùs dispositus sit pro conceptione: Dum ergò isti humores eliciuntur per Thermas & liquor spermaticus fit spirituosior, optimè sic succurritur sterilitati. Dixi quòd præmittenda sint *universalia* ante usum Thermarum: quòd *nisi* fiat, *oriuntur febres* continuæ contumacissimæ, aut etiam intermittentes ex inepto Thermarum usu: PLURA qui vult de Thermis, vid. *Tract. D. LANGII de Thermis Carolinis*, qui est elegans & valdè accuratus. Hæ fuerunt aquæ ex terrâ profluentes: *Sequuntur* nunc *aquæ ex aëre*, inter quas 1. est AQUA PLUVIALIS, quæ aqua pluvialis pro varietate temporum anni *multum variat*: Nam ea quæ decidit mense *Martio*, & tempore vernali, *impregnata est* copiosis *virtutibus seminalibus plantarum*, & aliarum rerum terrestrium: Prætereà quoque acuata est *copioso sale vol. exhalante* & prodeunte ex rebus terrestribus, & imprimis *ex vegetabilibus* propter vim progerminativam, ratione hujus salis & virtutis seminalis fit, ut *aqua pluvialis non putrescat*, modò adservetur in loco frigido, benè verò *potest adigi ad fermentationem* propter principia activa & fermentativa, propterea quando fermentatur & destillatur, *dat menstruum elegans* pro extrahendis virtutibus vegetabilium: Sunt propterea qui *ex hac aqua pluviali martiali* & vernali volunt præparare *menstruum universale*, inter quos imprimis est *BURRHUS*, qui non solùm menstruum universale, sed etiam *lapidem philosophicum* voluit præparare, ex eo quod sit impregnata influxu astrali & fœta spiritu mundi universali: Cæterùm successus non respondit, sed accepit loco menstrui universalis *menstruum salsum*, quò tamen solvere potuit solem sive aurum. Ratione istius virtutis solutivæ, & partium salinarum *est abstersivum*, & habet saponariam virtutem; Unde *in morbis externis & cutaneis* à nonnullis solet adhiberi & commendari Alii loco menstrui universalis volunt præparare *medicinam universalem ex aqua pluviali*, inter quos est D. Dienheim qui scripsit *tract. de aqua pluv.* uti videri de tali medicina potest in *ROSENCREUZERI Astron. inferiorum, pag. 405*. Ad aquam pluvialem pertinet

AQUA TONITRUALIS, quæ nunquam dicunt, quòd redeat ad temperiem naturalem seu frigidam, sed *spir. maneat subtepida*, quasi contraxisset empyreuma. In usu medico *habet virtutes noxias*, & externo usu dicunt, quòd in capite *producat pediculos*. Modum ex pluvia parandi sal vid. ap. *RHUMELIUM in Antidotario Chym. pag. 145*. Cujus salis volat. pluviæ non inelegantis, facit mentionem *PAULI in digressione de febribus malignis, pag. 55*. Sequitur

NIX sive aqua NIVIS *impregnata est copioso* sale, quòd quidam putant, quòd sit sal nitrosum, cùm tamen contrarium multi Medici demonstrent, qui *ex nive* possunt parare sulphur, & etiam *quoddam* oleum, uti videri potest *BARTHOLIN. de nivis usu Medico, & in Epist. Cent. 3. Epist. pag. 626.* ubi excellens Chymicus scribit, se mirari nonnullos statuere, quod in nive sit sal nitrosum, cùm nihil nisi aliquod sal tertii generis cum sulphure & oleo exinde possit destillari. Ratione salis istius singularis, quod obtinet nix, *vim possidet purgandi*, & etiam *urinam ciendi*. Unde sunt qui ℥j. de aqua nivis assumendam præscribunt pro purganda alvo, & *SMETIUS in Miscellaneis* commendat *usum aquæ nivis in febribus ardentibus* apparente concoctione. *FABER in suis scriptis* vocat nivem *alimentum hybernum*, quo utatur natura ad res suas conservandas: & *istud* sal, quod *ex aqua nivis* impregnat terram non est minima *causa fertilitatis* succedentis: Unde *ex nive* sunt qui eliciunt sal istud præstantissimum, quo *loco menstrui universalis*, uti volunt. Quod valet de nive, valet verè etiam de GLACIE, in quâ est sal quod imprimis cum frigore solet coagulare aquam. *Dux Mantuanus* superioribus annis dicitur habuisse pulverem quendam secretum, quo *pulvere aquas* subitò etiam in mediâ æstate *in glaciem commutare potuit*. Sequitur

ROS: De eo in genere notum: quòd *reliquis* omnibus *aquis subtilior* sit & penetrantior: rationem hujus subministrat auctor, quoniam *constet ex liquore volatili salino* acri penetrante, quodque reliquo *præferendus* sit *Majalis*. Hic ros Majalis seu in principio Maji, seu in fine, seu in principio Julii colligatur perinde est, ratione salis vol. *habetur* à multis *pro menstruo*, *pro solvendo auro*: unde *aurum potabile* cum eo præparare quidam volunt. *Colligi debet* luna crescente, tempore sereno, ante ortum solis per linteum expressum imprimis super triticum, qui præ aliis præfertur ad usum medicum, linteum illo impregnatum exprimitur in vitrum, & denuò expanditur. Ros Majalis *solet solvere alvum*, ratione salis stimulantis: Hinc est commune rusticorum purgans, *venenatorum* etiam *animalium vim hebetat*. sal istud acre & vol. in rore majali à MAZETTA vocatur sal nitrosum vol. quod sal roris Majalis multùm commendatur tanquam *arcanum in Epilepsia*, vid. *RHUMEL. in antidot. Chymico, pag. 145*. Præter vires, quas habet in genere ros Majalis, etiam *destillatus dat spiritum*, qui tamen potiùs est phlegma salinum, quod est egregium *menstruum* pro extrahendis *Essentiis* vegetabilium, & præfertur nonnunquam spiritui vini, cujus caliditas & inflammabile sulphur, multis est suspectum: cùm spiritus roris Majalis ratione salis nitrosi egregiè penetret & extrahat: Undè etiam *vires herbarum solet secum auferre*: Nam qui in plantis ophthalmicis euphragia & fœniculo reperitur, & colligitur, egregius habetur ophthalmicus: Rosæ collectæ, dum impregnatæ sunt rore Majali, habent elegãtiorem vim purgantem, quàm siccæ, propter sal stimulans roris Majalis. Dixi quòd aqua roris Majalis, vel etiam spiritus sit egregium menstruum pro extrahendis vegetabilium virtutibus in tinctura vel Essentia, estque eò melius, si fiat menstruum *cum rore Majali & mannâ*, sic enim fit quoque, ut præbeat *menstruum pro tinctura*

ctura corallorum, pro quo scopo habetur ceu secretum; Sunt qui volunt parare ex rore Majali Medicinam universalem, alii lapidis universalis philosophici Mysterium, sed res est altioris indaginis.

CAPUT QUARTUM.

De lapidibus in genere.

Lapides sunt corpora terrea, dura, inductilia, vi lapidifica ex materia lapidescente, id est, viscosa, terrestri seu tartarea, coagulata.

N. Generantur lapides ex peritomate salino terrestri, quod in nutritione rerum redundat, viquæ suâ lapidificâ in duritiem lapideam coagulatur.

Suntque vel pretiosiores, vel minùs pretiosi: Illi gemmæ nomen adsciscunt, præcipuè si diaphanæ fuerint; hi nomen lapidis retinent.

PRÆPARATA.

Præparationes seu operationes, quibus lapides in usum Medicum veniunt, præcipuè sunt 1. Pulverisatio & præparatio in specie sic dicta. 2. Calcinatio, cui subjunguntur 3. Solutio, Coagulatio, & Purificatio, seu Edulcoratio. 4. Liquatio seu Diluvium. 5 Destillatio seu Volatilisatio. His accedit interdum 6. Syrupisatio.

N. Integrum & insignem tractatum de lapidibus conscripsit Nobiliss. Anselmus Boëthius de Boodt, Medicus Rudolphi Secundi, quem in describendis lapidibus potissimum sum secutus. Præter hunc inservit Conradus Kunrath, qui medullâ suâ destillatoriâ, integrum ferè tractatum scripsit de Lapidibus pretiosis ac minus pretiosis, utrorumque præparationibus ac facultatibus, part. 1. tr. 10.

I. Pulverisatio & præparatio.

Pulverisatio lapidum commodissima fit primùm triturâ, quam dein suscipit lævigatio. Præparatio fit, si inter lævigandum aqua conveniens stillatitia aspergatur, inque pulpam massa redigatur, in umbra exsiccandam.

II. Calcinatio.

Calcinatio, cui lapides subjiciuntur, vel ministra est, vel principalis. Ministra est, quâ lapides ad principalem illam suscipiendam disponuntur; diciturque strictè loquendo calcinatio. Principalis est, quâ lapides propius in usum Medicum veniunt, & dicitur solutio potius quam calcinatio, adjunctamque habet coagulationem cum annexa edulcoratione.

Calcinatio, quâ lapides ad solutionem disponuntur, perficitur vel ignitione tum simplici, tum restinctoriâ, vel corrosione, eâque aut cum Sale com. aut cum Sulphure, &c.

Ignitio simplex fit, si lapis vi ignis nudi, tum liberi, tum reverberio inclusi comburatur, donec in calcem redigi queat. Exemplo sit calcinatio illa vulgaris lapidum calcinariorum, unde calx viva murariis expetita.

Ignitio restinctoria, quando lapis ignitus in liquore aqueo extinguitur, idque vicibus repetitis, donec in calcem redigatur.

N. Est & alius modus calcinandi: Nimirum pulverisati miscentur cum duplo carbonum pulverisatorum (præstant fagini) inque fornace figulina per dies 24. cruci bulo coopercula to cremantur.

Corrosio 1. cum Sal. nit. Lapis grossè (saltem) ad minimum contusus, miscetur cum Sal. nitri portione æquali, duplo, plus minus, ignique committitur fortissimo, ut Sal nit. fundatur & concremetur.

N. Peragitur & hoc modo: Nitrum funditur primùm, hinc fuso superinjicitur paulatim lapis calcinandus pulverisatus.

Corrosio 2. cum Sulphure: Lapis cum Sulphuris duplo, triplo, ter, quater pluriesve in cruci bulo aperto ad Sulphuris exhalationem uritur.

N. Præstat Sulphur vivum, vel flores Sulphuris adhibere.

De calcinationibus hîc notandum in genere.

1. Si quidem calcinationes id finis præ se ferunt, ut lapides fiant solubiles, parum interest, utrum uno pluribusve calcinationum modis finem dictum consequaris. Si perficiunt calcinationem alii uno calcinationis genere (v. gr. Basilius ignitione solâ Corallia calcinat: alii duobus (sic calcinat Crollius gemmas, &c.) 1. Cum Sulphure 2. Cum Sal. nit. *Kunrath* è contra: 1. cum Sale nit. 2. Cum Sulpure: alii præmittunt quoque calcinationem ignitionis, & præcipuè restinctoriam.

2. Si quid indissolutum remanserit, denuo calcinandum est, idque vicibus toties repetitis, donec tota substantia, rejectis fæcibus, sit dissoluta.

III. Solutio.

Solutio Lapidum tam pretiosorum, quàm vulgarium variis potest administrari menstruis, quibus lapides utplurimum calcinati injiciuntur, locoque tepido reponuntur, ac subinde s.a. id est, tot es repetitis novi menstrui affusionibus & decupelationibus, donec opus fuerit, & nihil amplius solvatur.

Menstrua idonea solutioni videsis in solutione Coralliorum, præcipua tamen sunt Acet. destill. vulgare, ac imprimis alcalisatum, terebinthinatum, Acet. destill. mell. Spiritus vitrioli, Sal. nitri, Ol. Sulphur. per C. &c.

Coagulatio.

Coagulatio solutorum lapidum fieri potest, vel menstrui abstractione, vel solutionis præcipitatione.

Abstrahitur menstruum, tum evaporando, tum destillando.

Præcipitatio fit instillatione Sal. com. fusi, Ol. Tart. p. d. &c.

Edulcoratio fit iteratis solutionibus*, ac coagulationibus, vel ablutionibus.

N. Purificatio, quò sæpius iteratur, eò sal præstantius ac purius evadit.

IV. Liquatio.

Liquatio seu dissolutio per deliquium fit, quando Sal lapidum in vitrea marmoreave patina, vel simili, in locum humidum exponitur, ut in liquorem dissolvatur.

V. Volatilisatio.

Volatilisatio fit, si salia sæpe solvantur coagulenturque, atque tandem cum spirit. vin. (vel aqu. dest. appropriata, seu quod melius, cum Spirit herbæ appropriatæ) per dies ac noctes 14. in fimo equino digerantur, multotiesque per cucurbitam humilem vel retortam destillentur, quippe post quamlibet putrefactionem aliquid Salis cum menstruo ascendit.

N. 1. Destillatum hoc constans ex Menstruo ac Essentia lapidis (id est, ex sale lapidis volatilisato) dicitur Elixyr: verum si menstruum calore (leni) abstractum fuerit, remanet Essentia in fundo.

N. 2. Præstat Vini essentiam cum salis liquore conjunctam sine separatione asservare, quippe utraque sese mutuò perficiunt, adeoque vis salis resolutiva, qua calculum seu Tart. resolvit, Essentiæ illius vinosæ viribus exaltatur, quin & Vini Spiritus fit magis penetrativus, & ad calculi resolutionem operativus.

VI. Syrupisatio.

Syrupisatio fieri potest, si solutionem (factam cum succo assumptioni internæ idoneo, v. gr. succo citr. berber.) cum sacchāro in syrupum redegeris, affusâ, si libet, aquâ stillat. conveniente.

Operationibus hisce fiunt ex Gemmis,

1. *Gemmæ præparatæ.*

Præparantur modo dicto, lævigando, subindeque irrorando, cum aqu. cordiali (rosarum, buglossæ, & sim.)

2. *Sal.*

Gemmæ calcinatæ solvuntur interveniente digestione in Acet. destill. vulgari (vel terebinthinato) solutiones filtrantur: hinc abstrahitur menstruum, salque relictum purificatur eluendo cum aqua destillata. Croll.

N. 1. Sunt qui malunt Acet. destill. à sexta parte cineris herbæ Kali ternis cohobiis destillatum. Nimirum hoc subdulce, nec adeo mordax est. Hartm. in Croll.

N. 2. Calcinatio hîc fit, vel sola ignitione, scilicet ustione; vel corrosione. Placet hîc modum Crollii inserere, qui est

Gemmæ lævigatæ cum Tart. (flor. Sulphur.) ter quaterve comburuntur, idque igne rotæ cruci buloque operculato: ultimò tegitur totum crubibulum carbonibus. Calx gemmarum lotione à Sulphure repurgata miscetur cum Sal. nit. ana, & calcinatur denuò in tigillo clauso igne rotæ, ut fluant Tandem abluitur optimè Sal nit. calxque gemmarum exsiccatur. Sic parata est ad solutionem.

N. 3. Si quid indissolutum manserit, id nova calcinatione comburendum & solvendum, idque toties, donec tota ferè gemmarum substantia dissoluta sit.

3. *Magisterium.*

Præcipita solutionem dictam cum Ol. Tart. p.d. vel Spir. Vitrioli.

N. Fiunt quoque Magisteria gemmarum, solvendo eas in spiritu Sal. nit. vel Salis Naturæ, & præcipitando cum Ol. Tart. Vid. Quercet. in Pharmacop. rest. cap. 24. & 26.

4. *Oleum gemmarum, seu liquor.*

Sal Gemmarum optimè solutionibus ac coagulationibus purificatum reponitur in cellam supra marmoream tabulam, ut liquescat:

N. Felicius fit mensibus Julio & Augusto. Croll.

5. *Tinctura seu Essentia: Sal gemmarum exaltatum.*

Liquori sive Oleo (Magisteriove) gemmarum affunditur spirit. vin. alcalisatus. F. Extractio s.a. separatur solutio, abstrahiturque menstruum ad formam usque crassiorem: Hartm. *Quercet. in Pharmacop. rest. c.* 24.

Oleum per destillationem: Essentia elaboratior.

A liquore gemmarum evoca spirit. vin. cumque recentis spirit. vin. atque Acet. destill. terebinthinati ana, destilla denuò per retortam: post evocatum menstruum prodeunt sales in forma Olei. *Hartmann. in Croll. sect. de liquoribus gemmarum.*

7. *Extractum Gemmarum, Crystalli & lapidum S. Closs.*

℞. Pulv. impalpabilem cujuscunque gemmæ, lapid. aut crystalli, tere cum tantundem Sal. mar. decrepit. & reverbera vase tecto in furno figuli per 24. horas, materiam resolve in aq. font. calidâ, agita aquam fortiter, & quod solutum erit, affunde per inclinationem in vas aliud vitreatum, ita vicissim procede aliam aqu. calidam affundendo & decantando, donec calx in fundo restet insolubilis, quæ novæ remixtioni & reverberationi erit submittenda. Decantatas s. a. aquas residere permitte, & separa à limo subsistente, in illas projice guttatim oleum Tart. ut lactescant, filtra per chartam, crassamentum illi adhærens separa, & limo superiori permisce, idemque de novo age præcipitando, colando, dum nullum amplius limum dederit. Omnes has viscosas substantias in unum junctas per ablutiones plures à salsedine vindica, iisque Acet. destill. affunde, digere donec dulcescat Acet. destill. abstrahe ad siccitatem, restabit sal griseum, è quo Tincturam trahes cum spirit. vin. opt. eoque revocato per destillationem apparebit Sapa sive Syrupus Lapid. aut gemmæ dissolutæ ulterius in Essentiam (si velis) provehendus.

8. *Syrupus.*

Fit dicto modo ex solutione & Saccharo. Vide Syr. Corall.

Et hæc de Lapidibus in genere, sequuntur jam Gemmæ.

Lapides in genere *sunt* vel *pretiosi*, qui vocantur GEMMÆ, vel *minus pretiosi*, Quod attinet omnes lapides in genere, Chymici statuunt pro vero, quòd *lapidum materia* seu generatio fiat *ex aqua salina* seu salsa, quæ à *principio salino* quò est imprægnata *coagulatur*, & concrescit in consistentiam salis duram. Id quod *perspicuum est in gemmis*, quæ uti repræsentant naturalem glaciem, ita etiam monstrant, quod ab aqua simplici per principium salinum fuerint concretæ & coagulatæ. *Lapides reliqui*, quorum aqua *ex qua* coagulantur, non est *adeò pura* nec defœcata, sed particulis heterogeneis terrestribus imprægnata, unde etiam non sunt adeò perspicui, sunt consistentiæ crassioris, & etiam sunt magis ponderosi. Et quidem, quòd gemmæ & lapides ex principio aquoso salino coagulativo certò coagulentur, *docet* HELMONT. *in tract. mistionis figmentum*, ubi monstrat, quòd omnes lapides, vitra & gemmæ artificialiter possint reduci in aquam simplicem elementarem. Id quod *demonstrant* etiam *concretiones lapidum in specubus* subterraneis, in quibus ex montibus destillat aqua per rimas & fissuras petræ, quæ aqua coagulatur in lapidem, qui vocatur lapis aquam stillans, & talis est consistentiæ, quasi sit fabrefactus ex silice. Et quæ sunt alia experimenta confirmantia, quòd lapides fiant ex aqua &c. vid. *CONRADUS CONRADI in medulla destillator. lib.* 1. *tract.* 10. Quod attinet in genere PRÆPARATIONEM *lapidum*, illi CALCINANTUR vel igne actuali solo, vel, quod sæpiùs fit, adjectione sulphuris aut nitri eum in finem, ut aperiantur per calcinationem, *quo* postmodùm eò *melius per menstrua possint solvi*, tam exactè enim clausi sunt pori lapidum, ut menstrua etiam acutissima vix possint eadem penetrare sine præcedente calcinatione, qua per ignis vim compescitur nitrum quòd coagulet lapidem per liquefactionem, & dum ita aperiuntur pori, penetrant menstrua solutiva. *Calcinatos* ita lapides ut plurimùm *extinguunt in vino vel aceto*, dum adhuc sunt igniti, ut meliùs penetrent liquores salsi: Quando lapides calcinati sunt, sequitur SOLUTIO *per menstruum* solutivum; quod *est varium* pro varietate lapidum solvendorum, nunc est spiritus viridis æris, nunc spir. nitri nunc vitrioli philosophicus, nunc spiritus salis rectificatus, &c. Molles lapides, quales sunt *perlæ & corallia* (quæ tamen *malè inter lapides referuntur*) possunt solvi *cum succo* citri, berberum & limonum, &c. quando calcinati & *soluti* sunt lapides, tunc *vel præcipitantur in Magisteria*, beneficio spirituum acidorum, vel beneficio salium alcalium, aut postmodùm *ulterius exaltantur*, quatenùs quidam volunt ex iis elicere tincturam imprimis ex gemmis *beneficio menstrui appropriati*, abstracto menstruo corrosivo: *vel alii volunt* hoc modo præparatas gemmas *ulterius volatilisare*, beneficio digestionis in fimo equino, vel beneficio digestionis in balneo vaporis, vel etiam alio modo, verùm volatilisatio & extractio illorum nullius est pretii. Cæterùm ex auctore notum est multùm fieri *Syrupum corallorum* & lapidum, dum soluti cum sacharo rediguntur in consistentiam syrupi, *descriptiones* satis claras *habet* Auctor, sicuti etiam modum calcinationis, solutionis per menstrua, & liquationes lapidum: Ut non opus habeam multa ulteriùs disserendi: Potiùs quæstionem propono & ventilo, *quidnam de usu lapidum interno sit habendum?* Et quidem primò certum est, quòd lapides tàm propriè sic *dicti* ut gemmæ, quàm in genere, qui sunt ex regno minerali, non verò, qui ex animali, pro interno usu *parùm aut nihil efficiunt*, seu crudi usurpentur, aut etiam sub forma pulverum: *Durities* enim eorum *resistit*, quò minùs à menstruis corporis nostri operantibus possint dissolvi, sed *sub forma* pulveris, quà fuerunt assumti, *denuò excernuntur* per alvum, tàm de lapidibus, quàm gemmis hoc verum est. Prætereà, dum *pulverisantur*, fit istud imprimis *levigatione* super porphyritem, vel etiam *trituratione* in mortario lapideo: Cæterùm *in his pulverisandi modis*, simul propter duritiem lapidum vel gemmarum abraditur aliquid de Porphyrite, vel de mortario, tàm in trituratione, quàm etiam in levigatione, adeò, ut *non sint sinceri & puri pulveres* gemmarum vel lapidum, sed permisti cum particulis heterogeneis, quæ, si ad quid valerent. Aliàs gemmæ, non saltim impediunt eorum vires, sed etiam gravant ventriculum. Sin verò præparationes alias respicias, *quando scilicet calcinantur lapides*, & solvuntur *per menstrua* corrosiva, ubi *abeunt in calces* adeò duras, & quibus salia acria & corrosiva menstrui adhærent, ut nullo

nullo modo possint separari ab illis. Unde acidi & sub forma calcis ingesti, sine ulla alteratione per alvum excernuntur. Non enim promoventur ulteriùs, aut si etiam promoverentur in massam sanguineam, ibidem sine efficacia instar arenularum fluctuarent. Omninò ergò *sentiendum hìc* est *cum* iis auctoribus, in specie cum *HELMONTIO*, qui dicunt, quòd *lapides & gemmæ ideò operentur*, quatenùs *instar amuletorum* usurpentur, & quatenùs extrinsecùs appensi *per diffusionem radiosam* operentur, & excitent spiritus insitos vel influentes, partim ut eò fortiùs operentur, & potentiùs in resistendo morbis. Et quidem hoc imprimis & in specie verum est de *gemmis*, qui operantur beneficio sulphuris metallici, *à quo principio metallico colorem & tincturam habent* instar amuletorum adhibita Nam, uti dixi, quòd aqua salina coagulata abeat in crystallos puros, si pura sit, sin verò transeat per loca metallica, in quibus residet Ens primum metallorum, sub forma liquida existens, aqua salina idem absorbet, secum abducit & coagulat primum Ens metallicum, & ab hoc gemmæ suam habent tincturam & colorem, & virtutem radiosam ac amuleticam, ut ex sulphure metallico. Sic v. gr. *Crystallus & adamas* nullum habent colorem, quoniam *nullo sulphure* metallico sunt *impragnati*. *Rutilantes* verò gemmæ, ut Carbunculi, rubini, granati obtinent suam tincturam ex principio solis vel auri, adeò ut in his gemmis tinctur. sit tinctur. sol. seu sulphur. sol. *Sapphirus* habet tinctur. & colorem ex luna qui solet in se fovere colorem cœruleum. *Smaragdus & Chrysolitus*, qui habent colorem viridem, obtinent illum *à sulphure antimonii seu cupri*, quod in se sulphur. fovet viride. *Topasius & Hyacinthus* subrubicundum colorem obtinent *ex minera* & principio martis sive *ferri*, quòd habet colorem flavescentem & rubescentem, & sic porrò de omnibus gemmis, quæ habent suos colores ex principio metallico. Vide hoc in *KESLERO. Cent. 5. Process. 2. 85. p. 355.* ubi monstrat *modum præparandi gemmas artificiales*, & ubi occasione præparationis gemmarum artificialis, postmodùm colligit colorem ex principio metallico gemmarum naturalium. De usu gemmarum. *Quæ de lapidibus in genere* dicta vera sunt, *etiam valent de gemmis.* Nam pulverisatio & levigatio illarum in mortario lapideo, vel super porphyritem est eadem; deinde interiùs assumtæ sunt indomabiles à fermentis salinis corporis instar vitrorum. Sequuntur tincturæ. Multi sunt operosi in extrahenda tinctura gemmarum, quoniam obtinent talem tincturam à sulphure metallorum primigenio, in quibus tincturis metallicis magna est vis in corpora nostra. Cæterùm *in gemmis* omnibus *paucissima est* tinctura, & si quæ inest, eadem tamen ita fortiter coaluit cum principio salino coagulante gemmas, adeò ut *impossibile* sit *elicere integram*: Unde omnes tincturæ *gemmarum*, quæ adhuc prostant, *sunt nudæ solutiones* gemmarum, nudæ *colorationes menstruorum, non* verò genuinæ extractiones, non *genuinæ* tincturæ gemmarum. Ut propterea in hac parte esse debeat Chymiater, ne à pseudo-Chymicis decipiatur, & saltim solutio pro tinctura gemmarum obtrudatur: sed de hoc negotio multa prostant apud auctores. *Sunt qui* tincturam gemmarum volunt elicere *cum* sale armoniaco, sublimando gemmas, post earum solutionem ex eo, quod sal armoniacum, teste *BASILIO VALENTINO*, sit *appropriatum pro volatilisatione sulphuris metallici*, & eo ipso, quòd tinctura gemmarum proveniat à tinctura sulphuris metallici specifici, beneficio ejus extrahere illarum tincturarum contendunt. Cæterùm hoc *est ridiculum*: Nam licet sint calcinatæ gemmæ sal tamen armoniacum non potest aliquid extrahere: ita ut hoc ipsum, utut magni æstimetur, sit ludicrum. *Multi* promittunt extrahere tincturam gemmarum *cum spiritu* urinæ subtili, sed hi ipsi *hallucinantur*, quoniam spir. urinæ se colorat pro varietate salium, quibus affunditur. Unde pro varietate menstruorum, quibus solvuntur gemmæ, varias *mentiuntur colores* & tinctura gemmarum. Alias præparationes sophisticas lubens omitto, quæ videri possunt apud Auctorem. Plura qui cupit de præparandis gemmarum tincturis, Extractis, Magisteriis, &c. vid. *FABRUM in Myrothecio spagyr. lit. V.* Ubi operosus est in Tincturis & essentiis gemmarum: item, *CONRAD. CONRADI, in Medulla destillatoria, Tr. de gemmis*, uti etiam *BOETIUM. tr. de gemmis & lapidibus.* Et qui sunt alii auctores, qui de hac materia multa satis crudè & crassè scripserunt. Hoc consideratu dignum adhuc est, quòd quàm plurimæ *gemmæ, si in corpore impuro* minimè sano gestantur, *mutent colorem*, & multæ fiant pallidæ, vel alium obscurum nanciscantur colorem, quòd non tantùm verum est de coralliis, sed de quàm plurimis gemmis: *videtur fieri ex exhalatione quadam maligna obducente gemmas, vel ex quodam occulto consensu* spiritus insiti cum sulphure metallico gemmarum, ita ut his in statu naturali constitutis, in eodem se invicem conservent: simul ac verò patiuntur spir. insiti eclipsin, simul spir. metallicus deperdat suum nitorem, & fiat obscurus ac turbidus, teste *BOOTIO, de gemmis, p. 188.* Vera ergo est ea sententia, quòd gemmæ *interius assumtæ*, parùm aut *nihil præstent*, sed saltim *extrinsecus* in annulis gestatæ per radiosam operationem *exserant virtutes* in spir. insitum. Unde quæ dicturus sum de Gemmarum virtutibus, ex relatione aliorum afferam potiùs, quàm quòd fidem iis adhibeam.

AMETHYSTUS.

Hic gestatus *ebrietatem arcere* dicitur, item *malas cogitationes* prohibere, & etiam *felix ingenium, vigilantiam & industriam* afferre creditur.

ADAMAS.

De Adamante est *quæstio, an* intrinsecus *assumptus inducat dysenteriam.* Id quod *multi putant*, vid. *SENNERTUS in paralypom. p. 130.* Cæterùm huic *contrarium* est, quod dicit *VVORMIUS* IN MUSEO, quòd pulverisatus assumtus dysenteriam *curet* potiùs, quàm quòd inducat. Unde *si* non *exactissimè* est pulverisatus, ita ut sit acutus & pungat intestina, inducit dysenteriam; sin verò *minutissimè est pulverisatus* & levigatus curat dysenteriam, quoniam absorbet acidum. *SPIGELIUS lib. 3. de semitertiana c. 13.* dicit, quod, &c. ratione cujus etiam *Dæmonem fugare* dicitur, uti videre est in Wormii Muséo: *Docimasiam fidelitatis uxoris* volunt quidam habere ex adamante, dicuntque, si Adamas capiti mulieris dormientis ac insciæ imponatur, si fidelis sit, illam in somno in amplexus viri ruere, quod videre est in *STOECKERI praxi aurea*, & utut à quamplurimis pro vero habeatur, nihilominùs multi sunt, qui pro fabuloso agnoscunt.

CAPUT V.

De Gemmis.

I. CHRYSOLITUS.

Chrysolithos (*veterum*,) Topasius *Gemmariorum modernorum*) est gemma aurei coloris. Germ. *Chrysolith.* La pierre Chrysolite.

Duo ipsius sunt genera, Orientalis & Europæus, ille ut colore, ita duritie Europæum superat: hic enim instar Crystalli mollis est, & cum aureo colore vel multum, vel parum nigricat.

Inveniuntur in Bohemia passim.

Vires. Naturæ solaris ex signatura judicatur. Proinde creditur

tur timores nocturnos & melancholiam minuere, intellectum confortare, molestisque in somnis adversari (sinistro scilicet brachio alligatus, aut collo suspensus, auroque inclusus) alii commendant ejus assumptionem ad morbum comitialem, & pestem.

CHRYSOLITHUS. Hujus color satis monstrat, quòd *impragnatus* sit sulphure auri: Unde internè solet dari, ut instar auri vel solis sit fomentum facultatis vitalis. Unde *à fascinationibus* tueri dicitur. CARDANUS refert Chrysolithi 15.gr. *auxilio esse* præsenti *Melancholicis*, sequentium 8. dierum spatio desperatum melancholicum ejus pulvere liberasse.

II. GRANATUS.

GRanatus est Gemma pellucida, ex flavedine rubens, ignis instar, miniique nativi vel factitii colorem ferè referens. Germ. *Granat*, Pierre de Grenat.

℞. Sunt diversa genera Gemmarum quæ colorem ignis æmulantur, adeoque sub Carbunculis (quo nomine à Carbonibus sumpto, Gemmas illas in genere vocant,) comprehenduntur, v. g. Granatus, Hyacinthus, Rubinus, &c. Hinc sunt, qui Granatum faciunt Rubinum colore obscuriore, expositus enim luci aut soli, carbonis imaginem ostendit dilucidius, quam ipsemet Rubinus.

Sunt granati alii (vel aliæ) Orientales, alii Occidentales. Orientales, ut meliores ita & pretiosiores, proinde provinciam officinalem solis Occidentalibus linquunt. Hi sunt tum Hispanici, tum Bohemici, tum Silesiaci. E quibus Bohemici reliquos antecellunt.

Vires. Exsiccant, corroborant, medentur cordis palpitationi, melancholiæ resistunt & veneno, spuitionem sanguinis sistunt, Tartarum in corpore resolvunt, collo suspensi iisdem virtutibus vulgò celebrantur.

PRÆPARATA.

Granatus praparat. Fit l.com.
2. *Magisterium.*

Igniuntur Granati, & in Spir. Sal. com. aliquoties extinguuntur, donec solvantur. Soluti oleo Tartari in lactis cremorem coagulantur, atque aqua calidâ dulcorati postmodum usui adhibentur.

N. 1. Fieri quoque inde possunt & aliæ præparatorum formulæ ad modum generaliter datum.

N. 2. Sulphur granatorum Bohemicorum describit Agric. tomo. 2 pag. 261.

GRANATUS. Uti etiam *rubinus* & *carbunculus sunt* natura *congeneres* gemmæ, *participant* enim omnes *de* sulphure auri, id quod monstrat color rubineus, qui adeò firmiter adhæret, ut vix ac ne vix quidem possit ab iis separari: Unde *frustra* laborant ii, qui tincturam *Granati* parare volunt beneficio sublimationis cum sale armoniaco, nam sulphur auri fixum adeò est conjunctum, ut non possit separari. *Quæstio* aliàs est *an Bohemici*, seu Occidentales Granati sint *prestantissimi*, *an* verò *Indici* seu Orientales? ℞. *Bohemici* sunt præstantiores Indicis seu Orientalibus, propterea, quoniam Orientales Granati vi fortis ignis liquescunt, & instar vitri coagulantur: *Bohemici* econtrà *ignem fortissimum sustinent*, à quo neque colorem, neque pondus mutant, sed solidi ex ipsis flammis emergunt. Granati miri prædicantur *effectus* in *affectibus cordis*, in *palpitatione Lypothymia* & *venenis*: idque propter sulphur auri, quò, uti dixi, est impregnatus. Unde tinctura *Granati* interno usu, multùm quidem pro *viribus roborandis* commendatur: *F.i.h.m.* Calcinant Granatos, solvunt in spiritu nitri spiritum abstrahunt, calcem relictum edulcorant: postea reverberant, & sic recipit pulv. colorem antiquum, quem cum spiritu vini extrahere volunt in tincturam. Cæterum satis est, *sophistice* & similes aliæ, modò legantur apud AUCTOREM, utut valdè commendetur *in cura dysenteriæ*, cujus rei fides sit penes auctores.

III. HYACINTHUS.

HYacinthus est Gemma pellucida, ex flavedine rubens, ignisque flammas imitans. Germ. *Hyacinth.* Pierre de Hiacynthe.

Sunt alii (vel aliæ) Orientales, alii Europæi. Hi inveniuntur ad Iseram fluvium, in confinibus Silesiæ & Bohemiæ, suntque Orientalibus ignobiliores. Quoad colorem, referunt alii colorem minii nativi, aut sanguinis admodum biliosi: & hi sunt præstantissimi: alii rubedine Croci flavescunt, alii exactè ostendunt succini colorem, & hi viliores: alii albi pellucidi succini colorem referunt, & hi omnium vilissimi habentur.

Vires. Vim habet cor corroborandi, & à peste tuendi: Singulare quoque est specificum contra spasmum & contracturas. Amuletum quoque antipestiferum habetur collo appensus, aut annulo inclusus. Quercetan. in Pharm. Rest. cap. 16. B. de B.

PRÆPARATA.

1. *Hiacynthus praparat.*
2. *Sal & Magisterium.*

N. Hartm. in Pract. Calcinat cum æq. parte Sulphur. vivi (mineræ adhuc conjuncti, non in magdaleones redacti,) in cruci bulo forti, cum operculo tecto, (non lutato) igne circulari: 1. lento, 2. fortiori, tandem 3. fortissimo, donec Sulphur omne exhalet, nec amplius Sulphuris odorem spiret. Hinc eluit optimè, & denuò cum ana Sal. nit. calcinat igne circulari, donec in massam abeat in igne metalli instar rubescentem. Hinc injicitur in aquam calidam, eluiturque optimè donec non ampliùs Sal nit. sapiat. Hinc pulveri affundit Acet. destill. terebinthinatum, solvitque s. a. donec hyacinthi sint soluti, relictis exiguis fæcibus in fundo. Solutionem filtratam exhalare permittit ad siccitatem, pulveremque optimè edulcoratum exhibet (Sal. hyacinthi) aut cum Oleo Tatt. præcipitat. (Magisterium.)

Dosis ℈ß. *vel* ℈j.

[Jaspis, præsertim qui undique rubicundus, in hæmorrhagia multum valere putatur, appensus; calculum frangere assumptus (Claudin. Empir. ration.) partum accelerare femoribus alligatus. B. de Boodt.

HYACINTHUS. Pectori admovetur in *abigendis venenis*: Unde prostant in officinis conserva, quam vocant *confectio de hyacintho*, multi usus *contra febres malignas*, *cordisque affectus*; Pulvis hujus gemmæ, vel etiam exinde paratum MAGISTERIUM commendatur etiam *in* quibuscunque *convulsionibus*, *spasmo*, & contra convulsiones. Affecto corde, hæc gemma gestata *colorem mutare* dicitur. Vid. GESNERUS *lib.* 1. *Epist. p.* 4. sal & magisterium quod habet AUCTOR, vid. apud eund. quoniam illorum descriptiones sunt satis claræ.

JASPIS.

EST *multi usus*, imprimis *in* compescenda *hæmorrhagia narium*, pro quo usu *eligenda est* ista Jaspis, quæ hinc inde *sanguineis maculis* est rubicunda, non verò multis albis aut obscuris est respersa, vid. *Cent.* 3. *obs.* 2. HILDANI. Externè ergo adhibita Jaspis hæmorrhagias narium potenter sistit, si in ejus corpore sint rubicundæ venulæ viridibus intermistis: Hæc Jaspis si *includatur argento*, *exaltari dicunt ejus vires* in hæmorrhagiis: Et quidem *gestanda est in ea manu*, *ex cujus latere nasi* sanguis effluit. Hoc enim modo aliquando fuit sublata desperata hæmorrhagia, quæ à tribus celeberrimis Medicis non potuit curari, videatur SCHMUCK *in cur. Magic. Magn. pag.* 16. & BOOTIUS *de gemmis lib.* 2. *cap.* 102. Præter virtutem contrà hæmorrhagiam narium etiam non minoris est virtutis, *in nimio mensium fluxu*, uti etiam *contra abortum* mulierum; *fæmori alligata*, *fœtum pellere* creditur. Præ cæteris tamen sanguinem præsentissimè sistit, uti dicitur TENZELIUS in suo *de re metallica* tractatu.

IV. LAPIS NEPHRITICUS.

Lapis Nephriticus eſt lapis opacus, variegatus, ex colore viridi, aliiſque permiſtus. Germ. *Griesſtein.* La pierre Nephretique.

Rarò hic Lapis in ſe duos colores habet, ſemperque viriditatem refert, alius ſcil. viriditatem ex albedine, alius viriditatem ſubflavam, interdum ſubcœruleam, plerumque ex viridi, albo, flavo, cœruleo, nigroque colore mixtio eſt. Poliri exactè non poteſt, ſemper enim ipſius ſuperficies pinguis apparet, quaſi Oleo inuncta eſſet.

Adfertur ex nova Hiſpania. In nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, & in Bohemia reperitur. Tantâ invenitur mole, ut pocula inde ferri poſſint. Quin imo fruſtum hic Francofurti conſpicere licuit, ultra libras 50. pendens.

Vires. Commendatur adverſus nephritidis aut ſtomachi dolores: ſed ejus præcipua laus eſt ad nephriticos dolores, calculumque, & arenulas expellendas. Medetur his affectibus brachio vel coxendici alligatus, aut de collo ſuſpenſus. Cujus rei gratia armillas inde factas geſtare ſolent, Sole Virginem ingrediente inſculpunt ſignum Virginis.

PRÆPARATA.

1. Magiſterium. D. à g. iv. ad ℈j.
2. Liquor. à g. vj. ad xxv.

LAPIS NEPHRITICUS. Qui *adfertur ex Indiis*, *coloris viridantis* vel nigrioris, qui *ſemper apparet* in ſuperficie *pinguis* & oleoſus, habet hoc nominis à virtute Lithontriptica, & ratione virtutis pellendi & atterendi calculum, *in* quo *calculo* tam *internè*, quàm *externè* uſurpatur, ſeu collo, ſeu brachio, ſeu Coxendici appendatur: & quidem *argento incluſus*, & brachio circumdatus inſtar amuleti *majoris efficaciæ* eſſe putatur: Præter vim calculum pellendi & atterendi, multùm quoque convenit in *doloribus colli*, *ſuppreſſione urinæ*, *dolore capitis* vehementiori, aliiſque etiam in *Catarrhis* & deſtillationibus. Internè ſub forma Magiſterij mirabiliter commendatur, ſi aſſumatur contra calculum & ſuppreſſionem urinæ. Præparatur MAGISTERIUM loco menſtrui cum ſpir. ſalis & *eſt* quaſi *baſis magiſterij nephritici D. MICHAEL*, quò ſæpiùs uſus eſt in pellendo calculo cum ſucceſſu. *Plura* qui cupit vid. *VVORMIUM in Muſeo*, & in ſpecie *BARTHOLIN. patrem*, qui ſcripſit *tract.* de hoc *lapide nephritico.*

V. RUBINUS.

Rubinus eſt Gemma diaphana, rutilans (rubenſque) exigua portiuncula eſt cœrulei coloris ac limam reſpuens. Græcè ἄνθραξ. Arabicè Iacut. Latinè Carbunculus, κατ᾽ ἐξοχήν. Germ. *Rubin.* le Rubis.

N. Rubedo ipſius eſt inſtar ſanguinis, laccæ indicæ, aut coloris coccei, *Kermſine.* Couleur d'Eſcarlatte.

Nobiliores Rubini in Inſula Zeilan naſcuntur: alij, qui minores, in Cotia, Calecut, Cambaia, & Biſnagar. Optimi in flumine in Pegu. Exploratur bonitas ore & linguâ. Nam frigidiores & duriores, meliores reputantur. Naſcuntur in lapidea matrice roſei coloris, primumque candicant, deinde paulatim matureſcentes ruborem contrahunt. Hinc albi immaturi. Naſcuntur plerumque in eadem fodina, ubi Saphiri reperiuntur.

Vires. Tradunt rubinum geſtatum, vel ebibitum venenis reſiſtere, ac à peſte præſervare, triſtitiam arcere, libidinem coërcere, malas cogitationes, & terrentia ſomnia avertere, animum exhilarare, corpus incolume conſervare, ac ſi homini infortunia inſtent, ea mutatione coloris in obſcuriorem ſignificare, iiſque præteritis iterum priſtinum colorem recuperare.

PRÆPARATA.

Rubinus præparatur more communi.
[in febribus utilis.]
[Tincturâ Rubini fœtum pelli Kozar. refut. Doſ. ʒij. vel ℥ß. in aqua Helen. vel Rub.]

RUBINUS. Uti ſæpiùs dixi Granati, Rubini & Carbunculi eſt eadem ratio, omnes enim imprægnati ſunt ſulphure ſolari, eorum generationem eleganter deſcribit auctor: *In febribus malignis*, & venenatis morbis efficax *remedium* putatur Rubinus. Unde ceu *principale ingrediens* eſt *in electuar. de Gemmis*, quòd à multis magni fit in morbis malignis venenatis, in peſtilentialibus v. *Eſſ. Rubini* commendat *FABER in Myrothecio ſpagyr.* quam tamen non puto eſſe magni ponderis. *Externo* uſu Rubinus *arcet melancholicas imaginationes*, & *inſomnia* turbulenta, ſi inſtar amuleti applicetur cordi, vel inſtar armillæ appendatur collo. De *mutatione coloris* vid. *AUCTOR*, & illud quidem *latius* diductum *in BOOTIO lib. 4. c. 14. p. 146.*

VI. SAPPHIRUS.

Sapphirus eſt Gemma cœruleo colore, pellucida & diaphana. German. *Sapphir*, le Sapphir.

Sunt aliquæ colore cœruleo albidæ, aliæ cœruleo saturo: hæ mares, illæ fœmellæ appellantur: aliæ omni colore carent, albæque vocantur.

Orientales inveniuntur in Calecut. Cananor, Biſnagar, Zeilan, & præſtantiſſimæ in regno Pegu.

Occidentales, variis in locis reperiuntur. Confinia Bohemiæ, & Sileſiæ ſatis præſtantes ferunt. Præſtantiores tamen ſunt Orientales.

N. Color in igne facilè auffertur.

Vires. Eſt frigida & ſicca, aſtringens, conſolidans, alexipharmaca, cordialis, ophthalmica. Proinde oculorum humiditates exſiccat, inflammationem arcet & extinguit (in collyriis adhibita, aut butyro loto excepta, palpebriſque oblinita ſuperioribus,) valet ad omnia alvi profluvia, dyſenteriam, fluxum hepaticum, hæmorrhoïdum, ſanguiniſque rejectiones (aſſumpta cum aqua plantag. tormentill. &c.) Vlcera interna & vulnera ſanat, cor corroborat, & lætificat, peſti [Anthracibus impoſitus venenum à corde arcere dicitur,] omnique veneno, febribuſque malignis adverſatur: cardiacos ac melancholicos affectus quoſvis lenit, tollitque (intus exhibita.) Integra ſapphirus fronti adhibita hæmorrhagiam ſiſtit, ac inflammationibus applicata, eas extinguit. In orbiculum redacta niſi magnitudine ac perpolita oculis impoſita, pulveres, culices, & quicquid in oculum deciderit, aufert, oculos à variolis & morbillis tutatur, &c.

PRÆPARATA.

1. Sapphirus præp. fit modo comm. lævigando cum aqua cordiali.
2. Sal.
3. Liquor ſeu oleum.

N. 1. ℞ Sapphirum duplo pondere Sulphuri commixtum, calcina, calcem aquâ ſtillatitiâ ſæpius ablue, rurſuſque exſicca. Poſtea ſpiritu Vini perfunde ac macera, tum rurſus exſicca, quodque in fundo remanet, iterum calcina, deſtillaque toties, donec in Vino liqueſcat nivis inſtar, tandem abſtrahe, & provenit ſal, quod in loco humido in liquorem ſolvitur. Boët. de B.

N. 2. Alij ſolvunt Sapphiri pollinem in Acet. deſtill. & ſucco limonum, ſolutionemque cum alio cordiali exhibent mixtam.

Eſſentia, ſeu Tinctura.

Calcinatur Sapphirus bis, ac poſtea oleo vitrioli ſolvitur. abſtracto dein oleo vitrioli cum ſpirit. Vin. Eſſentia extrahitur. B. de B.

SAPPHIRUS. Cujus *cœruleus color* dependet ex ſulphure veneris utpote quod ſulphur eſt à primo Ente lunæ, cùm mutaretur in metallum, & ab aquâ ſalinâ eſt conglutinatum. Nam omnes gemmæ conveniunt in radice, differunt in ſulphure. Excellens eſt *remedium in morbis peſtilentialibus*, ſi cum ſapphiro inducatur *circulus* aliquoties *circa carbunculum* peſtilentialem: inducto hoc circulo locus brevi poſt nigreſcit, & poſtmodum carbunculus excidit, & dicunt, quòd quò ſæpiùs ducatur circa carbunculum, eò majores acquirat vires, *ut* facilius *excidat antrax*, abſente licet ſapphiro. *De hoc ſapphiri magnetiſmo* vid. *MARCUS MARCI in Philoſophia*

phia veterum restituta. Ophthalmicus præterea *est* sapphirus; Unde multus solet esse ejus usus in *variolis* & *morbillis*, ac oculorum affectibus. In variolis ne incurrant oculi læsionem. Unde circumducitur circulus cum sapphiro, circa palpebras & bulbum oculorum, ne lædantur. Commendatur etiam *ad roborandum* & restituendum *visum*. Prodesse etiam dicitur *terroribus melancholicis*, uti etiam ratione principij *lunæ in morbis capitis*, in specie comitialibus, *epilepsia*, & *convulsionibus*. Si *pulvisculum* aliquod *in oculum incidat*, dicit auctor, quòd conveniat, si circulus cum sapphiro ducatur, cæterùm tutius applicantur Pellæ hoc modo, uti vult author; LIQUOREM & sal sapphiri, de quibus vid. auctor commendat *CLAUDIUS DEODATUS in cordis affectibus* omnibus, in quibus miraculosa faciat, refert cit. auctor: sic præparatur MAGISTERIUM ex sapphiro; post duplicem calcinationem factam, solvitur sapphirus in sp. nitri cum acet. dest. & solutum præcipitatur cum oleo tartari prima solutio fit viridis, subsequentes simul albæ, ratio diversitatis consistit in sulphure lunæ, quo impraegnatus est sapphirus, quod in primâ solutione sese exhibet in colore viridi, in reliquis solutionibus non ampliùs est præsens, unde in albicante sese exhibet. Sycophantæ & agyrtæ habent oleum *purpureum* seu *viride* elegans, quod dicunt esse oleum *sapphiri* verum: sed est *impostura*, estque nihil aliud, quàm oleum ex Terebinthina & Chamomilla destillatum: oleum hoc habet auctor in loco, ubi de Chamomilla.

VII. SARDIUS LAPIS.

SArda, Sardius Lapis est Gemma semiperspicua, loturæ carnis, seu carni sanguinolentæ similis, unde & Carneolus, vel corruptè Corneolus vocatur. Germ. *Carneol.* La Carneole.

Non omnes uniusmodi inveniuntur coloris, alij enim sunt rubri, alij exigua sanguinis rubedine tincti, alij subflavescentes ex rubedine.

Laudatissimus Carneolus in Sardinia invenitur, hinc in Epyro, & Ægypto, sed Babilonius cæteris præfertur, Indici & Arabici etiam non contemnendi, ut nec Europæi. Nam in Bohæmia, Silesia, aliisque regionibus præstantes inveniuntur.

Vires. Pulvis ad omnem sanguinis fluxum propinatur. Gestatus fertur animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præstare, fascinationes prohibere ac corpus contra venena quævis tueri. In primis autem sanguinem undecunque fluentem peculiari proprietate sistere, ventrique alligatus partum conservare.

PRÆPARATA.

Sardius præparatur modo communi.

VIII. SMARAGDUS.

SMaragdus est Gemma pellucida & diaphana, grato suo virore pulcherrima, omnium gemmarum fragillima. *Arabicè* Zamarut, nonnullis Prasinus. Germ. *Smaragd.* de l'Emeraude.

Sunt alij Orientales, alij Occidentales.

Orientales, uti sunt virore amœnissimi, ita & præstantissimi.

Occidentales sunt, tum Peruviani, tum Europæi. Hi reperiuntur in Cypro, Britannia, aliisque in locis sed reliquis sunt ignobiliores.

Vires. Omnem alvi sanguinisque fluxum, & præcipuè dysenteriam ebibitus sistit, nec refert utrum à mordaci humore, an à veneno ortum ea habuerit: venenatis item morsibus, pesti, febribus pestilentibus medetur.

Dosis gran. 6. 8. 10.

Inter amuleta præcipuè commendatur ad Epilepsiam, partum accelerat (alligatus coxæ) eundem retinet (impositus ventri.) Hæmorragiam sistit (ore conditus) dysenterias omnes, ac hæmorrhoidum fluxum, indubitatò compescit, (ventri adhibitus, teste Guainerio.) Timores ac Terriculamenta arcere fugareque, ac hæmitthritheam febrem tollere creditur, è collo pendulus, &c.

N. Frangi Smar. in coitu quandoque experimento comprehensum dicunt. Card.

PRÆPARATA.

1. *Smaragd. præparat.*
2. *Sal & Tinctura Smaragdi.*

Smaragdus pulverisatur, ac per linteum trajicitur; hinc superfunditur Spirit. Urinæ, qui aliquid phlegmatis adjunctum habet, ut colorem extrahat; spiritu dein iterum destillatione abstracto, in fundo remanet Extractum (sal) griseum, è quo tandem (citra edulcorationem) vi spirit. vin. extrahitur color seu Tinctura summè viridis: abstrahe igitur ad aliqualem consistentiam & serva.

Dosis gran. 10.

B. de B Harm. in Practic. de Dysent. Tentzel. in Exegesi sua, Finck. in Enchirid.

Vires. Dysenteriæ & fluxibus alvi quibuscumque mirificè prodest, nec minus utilis est in cordis & capitis affectibus. Palpitatione, Melancholia, Paraphrinitide, Syncope, &c.

N. 1. Urina quicquid potest vi sui salis facit: hinc non errabis, si aquam stillatitiam convenientem Sal. com. urinæ acuatam loco menstrui adhibueris. In primis quoque, quia Urina simpliciter destillata, nisi sale suo acuata sit, laborem irritum facilè reddere potest.

N. 2. Tinctura hæc nihil aliud esse videtur, quàm Elixyr, constans partim ex Smaragdi substantia, partim quoque ex sale Urinæ, dictæ substantiæ commixto.

SMARAGDUS. Cujus *viriditas* dependet *ex principio* Martis solo intuitu visum & oculos recreare dicitur, & quidé *quò viridior, eò utilior* ad quoscunque affectus censetur: in *dysenteria, epilepsia, hemiplexia, & terrore infantum* valdoperè commendatur: Imprimis in dysenteria sive sit simplex, sive quæ subsequitur inter dum Philtrum: vid. de hoc *ZACUT. LUSITAN. lib.* 1. *de Medic. princ. p.* 22 Item in *DEODATI PANTHEO Hygiast. p.* 124. qui in dysenteria & epilepsia mirè commendat smaragdum: Unde in quibusdam locis usitatus est *syrupus desmaragdo*, qui fit, si solvatur smaragdus in spir. nitri abstrahitur postmodùm menstruum, & cum aqua rosar. & saccharo fit syrupus, qui laudatur *ad dysenteriam, contra spasmum* singulare remedium esse dicitur: item ad *timores* ac *terriculamenta nocturna* arcenda valdè potens habetur: in terrore nocturno mirabilia facere creditur: In specie in terrore nocturno infantum sæpius epilepsiæ prodromo, in quo usitatissimus fuit *D. MICHAELI* non sine successu. In *pulsu intercepto, viribusque reficiendis* naturalibus non datur præstantius remedium. *Theriaca smaragdi*, cujus descriptionem habet *ZACUTUS LUSIT.* fuit ejusdem *secretum in epilepsia* conjuncta cum febribus malignis: & quidem *virtutes* has in cura epilepsiæ & dysenteriæ *habet ratione* sulphuris martis qui mars potens est in sistenda epilepsia, & in disenteria. Tincturam *smaragdi*, quam habet *AUCTOR*, est ingens *impostura*, *paratur hoc modo:* Smaragdus pulverisatur in mortario ferreo & superinfundunt spirit. urinæ. Impostura consistit in hoc, quod quando in mortario ferreo, vel lapideo pulverisatur lapis vel gemma, propter duritiem aliquid pulveris ex mortario ferreo secum abducit per frequentem tusionem, qui pulvis martis mistus cum pulvere smaragdi, per spiritum urinæ facilè extrahitur in colorem cœruleum aut viridem, & *est tantum solutio* superficialis particularum martis & smaragdi, *non vera* Tinctura smaragdi. Hoc *patet exinde*, si scil. silices eodem modo pulverisantur, & extrahantur cum spiritu urinæ eandem dant Tincturam quam dedit smaragdus ita pulverisatus. Nam spiritus urinæ super ferrum fusus, inducit similem colorem viridem. Est ergò ingens impostura hæc præparatio.

TURCOIS.

ORientalis verus si gestetur, *præservat* ab omni periculoso *casu ab alto*: quod si verò casus homini immineat periculosus, contingit, ut ipse lapis frangatur & rumpatur, quasi ruinam patiatur: id quod non

non tantùm propriâ experientiâ confirmat *BOOTIUS de Gemmis*, sed etiam *SMHUCK in Cur. Magico-Magnet. p.* 17. ubi simul affirmat, quod Turcois in manu gestatus, *quoties* Schmuck præternaturaliter *malè affectus* fuerit, toties *aliquot maculas* Turcois iste *contraxerit*. Unde Turcis in usu est Turcoide ornare pedes equorum, item soleas equinas, eo fine, ne periculosè cadant, sed sint præservati à casu.

CAPUT SEXTUM.

De Corallis.

LApidibus pretiosis subiungimus Corrallia & Margaritas, utpote quæ non modò substantiâ & viribus, sed præparationibus, & inde resultantibus præparatis, Gemmis adsimilantur.

Corallium est frutex sub aqua marina generatus, Græcè κοράλλιον & λιθόδενδρον. Arabicè Baffad, Mergen, seu Morgian, Besd. Latinè Corrallium, Corallum, German. *Coral.*

N. Corrallia generari ex succo lapidescente certum est: utrum autem succus ille per se in fruticem lapideum prorumpat, vel an priùs ligneam suscipiat figuram, subindeque in lapideam vergat, vel denique an plantam (emortuam) sub marina aqua repertam penetret, transmutet, adeoque hujus figuram retineat, dubium. Dubitandi occasionem præbet, quod frutices Coralliorum dentur, qui ex parte ligni adhuc referunt substantiam, partim Coralliorum. Nos posthabitis ejus farinæ dubitationibus, qualis præter hanc & illa est, quam habent de fructibus Coralliorum granulatis, quos alij negant, alij perhibent: Item de induratione, quam alij fieri statuunt simul ac Corallij frutex extra aquas esse incipit, alij etiam in ipsa aqua Corallia indurari volunt: utpote quas scire parum est emolumenti, ignorare parum detrimenti, pergimus ad ea, quorum Medici interest, differentias scilicet, vires & præparationes.

Differentiæ.

Corallij variæ sunt species ratione colorum differentiæ: aliud enim rubrum est, aliud nigrum, viride, subflavum, cinereum, fuscum aliove mixto colore ornatum. Cæteris omnibus præfertur rubrum minij nativi colore, quod masculi nomen obtinet; & hoc recipiendum quoties simpliciter corallium præscribitur sine coloris mentione. Pallescens fœminæ nomen habet. Huic succedit corallium album: deinde nigrum (Antipathes olim dictum.) Nam quod alio colore est, neque in usum adhibetur, neque pro corallio vulgò habetur.

Rubrum, in India & Siene, teste Plinio reperitur: nunc in Mari Tyrrheno & Siculo passim invenitur, Neapolimque adfertur, ubi politur. Hoc antequam rubescat, & quodammodo maturum fiat, videtur variis coloribus tingi. Nigrum reperitur in Gallicia Hispaniæ. Album reperitur rarò, solidumque est, & cavitatibus caret, quibus signis distinguitur à specie quadam, Hispanis *Polo* dicta, quæ in Catalonia ab iis qui corallium rubrum quærunt, inventa pro corallium albo pretio viliori divenditur. Caret hoc cortice, crescitque in fundo maris non in saxis, ut rubrum corallium.

Vires. Corallium omne exsiccat, refrigerat, adstringit. Cor præcipuè, deinde ventriculum & jecur roborat, sanguinem purificat, ac proinde pesti, venenis, febribusque malignis adversatur, hilarem hominem efficit (nigrum tamen Corallium homines melancholicos reddere perhibetur,) sistit fluxus quoscunque alvi, uteri, penis, Gonorrhæam, Epilepsiam infantum præcavet, (si recens nato ante omnem cibum in lacte materno gran. 10. exhibeatur.) Extrinsecus commendatur ad ulcera, quæ carne explet; ac cicatrices, quas extenuat; ad oculos, quorum etiam lacrymas sistit, visumque recreat in collyriis.

Dosis à ℈j. ad ʒj.

Rutilantia Corallia ex communicatione Paracelsi amuletum exhibent celebre contra terriculamenta, fascinationes, incantationes, venena, Epilepsiam, Melancholiam, Dæmonum insultus, fulmina. Album appensum, ut pectus contingat, hæmorragiam sistit mulierum, & fluxum album.

PRÆPARATA.

Operationes, quibus Corallia elaborantur, sunt 1. *Præparatio.* 2. *Calcinatio.* 3. *Solutio.* 4. *Coagulatio.* 5. *Liquatio.* 6. *Sublimatio.*

I. Præparatio.

Præparatio nihil à regula communi diversum habet.

II. Calcinatio.

Calcinatio Coralliorum est vel ignitionis vel corrosionis.

Calcinatio ignitionis est tum mitior, tum violentior, tum restrictoria.

Calcinatio mitior.

Fit igne reverberij, dando tamen calorem secundi gradus, ne tinctura seu color ipsorum ignis violentiâ exhalet. *Querc. de preparat. Medic. Spagyric.*

Ignitio violentior.

℞. Corall. integror. q. v. calcina igne reverberij primùm lento ut saltem viva flamma corallia in furno reverberij posita superficietenus lambat. Corallia hoc modo, primo gradu albescentia, tamdiu igne gradatim aucto fatiganda sunt, donec ex albedine in flavedinem, ex flavedine in rubedinem summam reducantur, corpore toto reddito spongioso ac levi, id quod plerumque biduo vel triduo absolvitur.

Sic Corallia facta sunt habilia ad deponendam in spirit. vin. tincturam. *Harm. in Crol. Sen. instit.*

N. Si Sal Coralliorum propriè sic dictum desideras, vehementi ustione eadem in cinerem redige, moreque solito lixivium inde faciendo, salem elixiviando extrahe.

Calcinatio ignitionis extinctoriæ.

℞. Corall. grossè trit. candescant in igne, extinguanturque multoties in Acet. destill. ut solvantur. Filtra dein, abstraheque destill. & consequenter sal coralliorum per deliq. resolutibile. *Med. destill. part.* 1.

Calcinatio Corrosionis. 1. *Cum Sal. nit.*

℞. Corall. tritor. atque Sal. nit. ana: crema, ut duodecim horis fusa, liquoris modo fluant: vel combure ad consumptionem Sal. nitri, deinde duas horas candentia in igne consistant. *Less.* 1. *cap.* 8.

Aliter.

℞. Corall. subtiliter trit. ac Sal. nit. ana. M. injice per vices in retortam tubulatam candefactam cum Excipulo apposito. Tubulum ab injectione statim obtura, & cùm penitus materia injecta fuerit, continuo igne hor. 18. corallia probè calcina.

Hæc adscribitur Hartmanno, unde Tincturam fecisse dicitur.

2. *Cum Sulphure.*

℞. Corall. trit. p. iij. Sulphur. p. 1. (alij an.) calcina igne circulari per hor. 2. Postea ignita adhuc infunde in Acet. destill. (ad coral. ʒj. Acet. destill. ℔. 1.) vas mox operculo claudendo. Hinc digere per dies 14. abstrahe, &c. *Sennert. Instit.*

3. *Cum Pumice.*

℞. Corrallia grossè contusa, F. cum pumice usto S.S.S. cementaque in vase clauso, igne reverberij, spatio dier. noct. 3. Quo opere finito pumex, relicto corpore albo, coralliorum tincturam imbibisse creditur. *Gans de Corall. verùm impugnat idipsum Tentzel. in exesi, p. m.* 512.

III. Solutio.

Liquores, quorum beneficio corallia solvi possunt, varij occurrunt. Præcipui tamen sunt Acet. destill. commune &

& radicatum: succus berber. melon. citri, ros maialis (spiritus ejusdem cum suo Sal. com. acuatus,) liquor betulæ, spiritus mellis, (panis, terebinthinæ, ligni guaiaci, buxi, juniperi, quercus, summitatum alni, sorbi sylvestris, spir. Sal. com. spir. vitrioli, spir. Tart. ut & spirit. vin. iisdem acuatus, spir. coralliot. ardens, Phlegma saturni optimum, &c.

Quinimò corallia cum Sulphure calcinata simplex solvit aqua.

Modus solvendi nihil peculiare habet: Nimirum corallia in liquoris s. q. solvuntur s. a. donec penitus ferè soluta sint.

Purificatio & Edulcoratio salis & Magisterij fit plerumque aqua destill. vel si placet, adhibere poteris rorem maialem è tritico collectum & destillatum, aut aquam aliquam cordialem: *Coagulantur* dein vel liquoris abstractione (tum destillatoriâ, tum evaporatoriâ) vel præcipitatione.

Præcipitatio perficitur instillatione Ol. Tart. p. d. spir. vitrioli, vel aquæ destillatæ, vel Ol. Sulphur. p.c.

Reliqua operationes ex sequentibus facilè innotescent.

PRÆPARATA.

I. *Corallia præparata.*

Fiunt cum aqua cordiali (rosarum) s. a.

N. In usu sunt præparata rubra ac alba.

II. *Pulvis Coralliorum vitriolatus.*

♃. Corall. rub. præp. ℥ij. Ponantur in cucurb. affundendo aq. rof. ℥vi. spiritum vitrioli ℥ij. Statim ebullient & elevabuntur in bullas, quibus cessantibus reponatur vas in MB. per horas aliquot, effundatur aq. per inclinationem, quæ erit insipida, in fundo reperies calcem albam cum acore astrictorio, sed acrimoniâ carentem.

III. *Sal. Coralliorum.*

Fit ex rubr. corall. 1. Usitatiùs per Acet. destill. ut moris: vide suprà.

2. Per succum berber. & limon, *Quercetan. in Pharmacop. rest.*

N. Nonnulli ℞. Succi limonum expressi & depurati. ℔ij. liquoris betulæ mense Aprili collectæ ℔viij coquunt ad casum ℔vij. cui denuò addendo succi Limon. ℔. 1. destillant aliquoties rectificando. In hoc solvunt corallia, perlas & simil. solutionemque propinant. Hartmann. in Croll. de perlis.

3. Per spiritum seu liquorem acidum Guaiaci. Sic purgat optimè sanguinem in lue venerea. *Hartman. in Pract.*

4. Per spiritum vitrioli.

5. Per spiritum Sal. communis.

N. 1. Solutiones cum spir. vitrioli aut Sal. communis factas si citra menstrui separationem in usum vocare volueris, circula aliquandiù, & magnam acrimoniæ partem amittent, præcipuè si quoque spirit. vini affuderis.

Vires. Ex superioribus repete.

Dosis gran. 6. ad 20.

N. 2. Paracelsus calcinat primò corallia leviter in reverberio cum Sal. nit. ana: hinc solvit digerendo cum spirit. vin Postea spirit vin. abstrahit, salque relictum per deliquium solvit, idque vocat Magisterium, lib. 6. archid.

IV. *Sal. dulce Coralliorum.*

Calcinentur per biduum in furno figuli ad albedinem summam, solvantur in Acet. destill. sequenti loco tepido per octiduum. Rubescet solutio, menstruum abstrahe lento igne ad siccitatem usque: sal hoc resolve pluries in Rore maiali, filtra & coagula, tandem siccatissimum & albissimum salem detine per 3. septim. in cineribus calidis, ut majorem acredinis suæ partem deponat.

N. Acet. destill. pro hac solutione bis aut ter cohobandum est super herbam Kali: ita minus fit mordax, & tamen non minus corallorum, ut & perlarum solutivum.

V. *Magisterium.*

1. *Magisterium Officinarum.*

Instilletur solutionem corall. (cum Acet. destil. factam) Ol. Tart. per d. præcipitatus pulvis, edulcoretur aqua destillatâ.

N. Alij præcipitant cum spir. vitrioli.

Vires. Ut Magisterium à sale non differt substantiâ: ita nec viribus, nec dosi.

2. *Magisterium butyraceum.*

Solve corallia in spiritu magico (id est, spiritu roris maialis, vel quod idem, in Acet. destill.) præcipita cum Ol. Sulphur. per C. præcipitatum edulcora ac digere aliquamdiu spirit. vini, quo iterum abstracto habes magisterium in ore instar butyri liquescens,

Huc referri potest & Galreda Coralliorum. ℞. Corall. præparat. & sal ammoniacum. Fiat destillatio ex Arena, sic ascendit Sal, remanebitque in fundo massa instar Galredæ.

3. *Magisterium plumaceum.*

Solve s. a. corall. in spiritu non de phlegmato, destillato ex Sal. com. & Ol. ana ℔ij. formatis sc. cum argillæ ℔ij. vel iij. in globulos, videlicet vel per vices injiciendo corallia in spiritum, vel è contra corrallis spiritum eumdem per vices superfundendo: decanta solutionem, filtra (affundendo, ut eo commodius filtrari possit, aquam destillatam rosatam, si placet:) præcipita cum Ol. Sulphur. p. C. vel spirit. vitrioli, edulcora aqua cordiali & exsicca.

N. 1 Cùm corallia velut ascendere desinunt, menstruum debilitari incipit, subsiste igitur & inspissa aliquantulum.

N. 2. Menstruum superius si tandem igne fortissimo fatigaveris ascendit materia salina rubescens.

Aliter.

Solve s. a. corall. in spir. Sal. nit. filtraque (affundendo aqu. pluv. destillatam,) hinc præcipita cum Ol. Sulphur. p. C. edulcora & exsicca.

N. Hoc modo in magisteria præstantia redigi possunt & perlæ, ossa, cornua (e. gr. CC.) ungulæ, nec non crustacea.

En Candide Chimiæ cultor, insignes plumaceorum magisteriorum processus gratis tecum communico, magni aliàs emptos, quos cum plurimis aliis ex communicatione obtinui Viri solertissimi D. Joannis Salz-vvedelij, Pharmacopœi apud Meno-Francofurtenses celeberrimi.

N. Querc. solvit. in spirit. salis Naturæ. Pharm. rest. cap. 24.

VI. *Oleum seu liquor corallorum.*

N. Oleum Corallorum propriè oleum non est, sed liquor vel per deliquium factus, vel per destillationem prolectus; de priori hic agimus, de posteriori paulò post, in spiritu.

Fit liquor ex sale.

℞. Sal corallorum, repone ut liquescat per deliquium.

N. 1. Liquescit feliciùs mensibus Julio & Augusto.

N. 2. Liquescit promptiùs si solutio aliquandiù (per dies 14.) digeratur (ut rubescat) ac dein (Acet. destil. abstracto) optimè dulcorata, defæcata & purgata fuerit (solutionibus ac coagulationibus iteratis, ut moris) imò si ulterius cum spirit. vini circuletur. Verùm hoc Oleum appellandum est potius Essentia, de qua vide Conrad. *Kunraht* in Medull. destill. p. 1. pag 215.

N. 3. Alij ℞. Corall. trit. ℔ij. Lapid prunell. ℔ß vel ℔. 1. calcinant fundendo per hor 3. materiam illam tritam ponunt in cellam ad liquescendum.

Dosis gran. v.

Vires. Præter vires corallorum supra descriptas confert & in calculo.

Dosis à gran. 4. ad 15.

N. Vide & solutionem Corallorum cap. 15. in Bezoard. Solis compos.

VII. *Essentia seu Tinctura Corallorum.*

℞. Salem Corallorum (purificatum optimè per iteratas solutiones ac coagulationes, vel magist.) volatilisa nimirum cum spiritu vin. digerendo, ac destillando (vide volatisationem lapidum in genere.) Postea abstrahe leni MB. calore spirit. vin. ac remanet Essentia corallorum, quam si placet ex arena per retortam propelle.

Vide Quercetan. in Pharmac. restit. cap. 24.

N. 1. Nihil interest utrum sal receperis per Acet. destill. factum, vel per spirit. Sal. com. vel per spir. phlogiston acet. destill.

N. 2. Spirit. vini felicius essentiam corallorum secum per alembicum transferret, si addideris aliquid camphoræ, e. g. ad spirit. vini mensur. 1. camphor. ℥ß.

N. 3. Conrad. *Kunraht* solvit & digerit 1. cum Acet. destill. quo iterum abstracto solvit & digerit 2. cum aqua pluv. destillata (MB.) recentissima, 3. cum spir. Vini.

Vires. Ut præparatio Tincturarum operosior est, quam salis ac magisterij, ita & virtus earumdem fortior.

Dosis, guttæ aliquot: à vj. ad xv. & ultra.

2. *Tinctura*

2. *Tinctura Basilij.*

℞. Salis corall. (per spir. Sal. com.) edulcoratissimi ℥viij. Sulphur. ℥ß. mixta leniter comburantur, donec Sulphur consumptum sit: Postea contere tantillum camphoræ cum corallis, idque accenso igne absumes, hinc edulcora & extrahe tincturam s. a. cum spirit. vin. abstrahe spirit. vin. ad consistentiam Olei.

N. Maniaci & Melancholici hac Tincturâ curati sunt. D.D. Gans.

3. *Tinctura Quercetani.*

Extrahe Tincturam s. a. ex coralliis calcinatis (e.g. ignitione mitiori,) digerendo vase Hermetic. cl. cum menstruo cœlesti, destillato scil. cum proprio suo saccharo (id est, cum rore maiali, qui cum melle aëreo destillatus,) ad eminentiam digitor. 8. affuso. Menstruo demum abstracto, remanet Tinctura in fundo. *Quercet. lib. de præpar. Med. Spagyr.*

4. *Aliter.*

℞. Magister. Corall. extrahe cum Sulphure bezoardico ex re vegetabili pro lecto (id est cum spirit. vin. rectificatissimo) in vase Hermetic. cl. ad ignem cinerum. Postea separa & in perfectam Tincturam dequoque. *Quercet. Pharmacop. cap. 24.*

5. *Tinctura Hartman.*

℞. Sal corall. (per Acet. destill.) purificatissimum, imprægna Acet. destill. tantisper donec nihil istius spiritus amplius retinere velit. Sal ita impraegnatum digeratur (diebus 10.) in MB. Postea destilletur per Ret. Reverberio clauso vel Balneo sicco; ita tamen, ut priùs Phlegma inutile evaporet: Postea prodeuntes spiritus albicantes seorsim capaci Recipiente excipiantur, continuando destillationem, donec omnes spiritus cum oleo rubro instar sanguinis prodierint: separetur spiritus [qui ardens instar spirit. vin.] per Retortam ab oleo rubro, quod in Retorta manebit. Hoc menstruum [spiritus scilicet hic partim ab Acet. destill. partim à coralliis productus) extrahit ex recentibus corallis impositis tincturam rubicundissimam, quæ si rursus ab hoc spiritu per destillationem liberata, & tandem cum spirit. vin., vel alia aliqua aqua cordiali appropriata digesta, perque cohobia volatilis facta fuerit, elegantissima evadit coralliorum Tinctura, suavissimi saporis, fragrantissimique odoris.

N. Impraegnatio illa fit hoc modo.

℞. *Sal.* Corall. ℔. 1. Acet. destil. opt. ℥ij. destilla leniter, ut exstillet solum Phlegma insipidum: secundâ vice affunde Acet. destil. ℥iij. iterumque destilla, atque ita perge singulis vicibus Acet. destil. ℥j. plus affundendo, donec tam acre Acet. destill. inde prodierit, perinde ac affusum fuerit. Hartm. in Croll.

6. *Tinctura Hartmanni, 2.*

℞. Corall. calcina (ignitione violentiori,) q. p. injice in spirit. vin. vel in alcohol spiritus roris maialis, ac paulò post extrahitur tinctura, fæcibus (sine ulla virtute) in fundo remanentibus: Tinctura hæc aliquantulum coagulata fit rubicundissima, cum quadam dulcedine.

Vires. Est tantarum virium, ut post ejus usum aliquoties repetitum impossibile sit, ullam impuritatem in sanguine totius corporis superstitem esse posse. Exhibetur in vehiculis convenientibus, à gut. 3. ad 10.

N. Hæc sanè tinctura medico commendatissima esse debet, ob stupendas ejus vires, ut quæ cum spiritibus hominum magnam convenientiam habeat. Hartm. in Croll.

7. *Alia Tinctura per acetum Coralliorum.*

℞. Corall. contus. ℔ij. eliciatur per retortam acetum, id est, liquor acidulus, quo profecto urantur corallia vehementer, donec reddantur albissima: exempta dein redigantur in pulverem, ex quo s. a. cum aceto illo, digestione leni, extrahe T. donec Acet. destill. nihil amplius solvere valeat, universisque corallis dissolutis, nihil præter terram inutilem remaneat. Decantatos liquores destilla in arena ad siccitatem, ut separetur phlegma: Dein recipiente mutato, fac ut igne auctiori spiritus sublimis per alembicum propellatur, qui diligenter colligendus. Tandem relictum pulverem album spiritu vitrioli penitus solve, eundem spiritum vitrioli igne forti abstrahe; corallia relicta fortissimo igne ure, donec colorem ferè nativum recipiant. His affusus proprius ipsorum spiritus tincturam prolicere dicitur.

N. Acet. ex corall. ℔ij. dest. vix solutioni dictæ sufficiet.

8. *Tinctura per spiritum coralliorum ardentem.*

℞. Corall. trit. q. v. extrahe tincturam s. a. digerendo cum spiritu corall. ardente. (vide infra,) abstrahe menstruum, atque extra denuò cum spirit. vin. *Gans.*

9. *Alia per spiritum seu aquam mellis.*

℞. Corall. cum Sal. nit calcin. extrahe s. a. cum spiritu mellis, [vide de melle,] decanta & abstrahe in MB. donec in fundo spissus relinquatur succus: huic edulcorato extrahe Tincturam cum spirit. vin. & habes Tincturam coralliorum veram. *Hartman. in Croll.*

Dosis à gran. 4. ad 10. vel 12.

10. *Alia per Aquam Temperatam.*

℞ Sal. corall. (per spiritum vitrioli) extrahe s. a. cum aqua temperata, ex spirit. vini & spirit. vitrioli (vide lib. 4. in Vino,) decanta, filtra & abstrahe.

11. *Alia per Phlegma saturni.*

℞. Corallia calcinata, superfunde Phlegma saturni, cum spiritu acuto saturni, digerantur vase cl. & rubescet menstruum: abstrahe in VB affundeque spirit. Vin. digereque denuò, ac pelle per retortam: sic exstillabit essentia corallorum rubicunda: abstrahe spirit. vin. ad consistentiam. *Ioh. Agricola.*

Vires. Insigne est cordiale, balsamumque nativum summè exaltat, ususque præcipui est in terrore infantum, Epilepsia, & simil;

Dosis gran. 3. 4. 5.

N. Eodem modo possunt solvi corallia cruda, sed tardiùs.

12. *Tinctura corallorum Holsatica.*

1. Fiat tale Menstruum: ℞. Tartari crud. pulveris. ℔iv. phlegm. vitrioli (spir. suo volatili adhuc gravidi) ℔iij vitrioli ung. ℔. 1. stent in digestione per dies ac noctes (3.) Dein destilla ex alembico per gradus igne aperto, donec nihil amplius exeat. rectifica optimè.

2. ℞. Corall. subtiliss. pulveris. q. v. Superfunde præcedens menstruum, misceque diligenter. Stent in digestione, sic rubescet saturatò. Filtra & abstrahe ad siccitatem in arena, & remanet pulvis rubens. Ex hoc extrahe Tincturam per aquam temperat.

N. 1. In præparatione aquæ temperatæ unio iteratis sæpius rectificationibus pergenda est.

N. 2. In præparatione menstrui prioris verum Tartari Sulphur alembico adhærescere solet.

N. 3. Ex Colcothare, elegans Tartarus nitratus crystallinus parari potest.

Hæc habe Lector ex communicatione viri celeberrimi D. D. Langelots, Chymiatri in aula illustris. Holsatiæ dignissimi, cui Tinctura hæc familiarissima est, adhibetque in omnibus affectibus ab impuritate sanguinis ortis.

13. *Per oleum citri.*

His jam addi poterit Tinctura per oleum citri, quod è corallis rubris, crudis etiam tincturam elicit. Huic si dempto oleo vehiculum aliud præbere poteris, tincturam corallorum non contemnendam habebis.

14. *Tinctura Corallorum S. Closs.*

Resolve corallos in s. q. ole. Sal. com. solutionem filtra & abstrahe oleum forti igne, ita ut spiritus omnes separentur à calce cui affundes Acet. destill. ex quercubus novellis mense Martio detruncatis, ad extrahendam Tincturam, quæ erit coloris hyacentini, evoca menstruum & remanebit pulvis subtilis, cui superfundes spirit. vin. circulatum, digere, decanta, fæces separa à tincto spirit. vin. quem iterum digeres, ut novas fæces (si adsint) deponat ad fundum, tandem filtra spirit. vin.

ad medias abstrahe. Parum habebis, sed magnarum virium adversus Contracturas.

Dosis ʒß per se.

N. 1. Potest etiam parari Tinctura modo Glauberiano cum sale Tartari instar Tincturæ Silicum.

N. 2. Fit etiam sublimando corallos cum sale armoniaco & tincturam extrahendo cum spirit. vin. ut est in Myroth. Ioh. Fabri Adde Rolfincij tinctur. pag. 227. cum sp. lign. Sancti aut Coryl.

VIII. Flores.

Flores coralliorum parantur ad modum, quo perlarum flores parari dicemus.

N. Fieri quoque possunt flores coralliorum sublimatione cum sale armoniac. instituta.

IX. Spiritus seu oleum.

1. *Spiritus corallorum ardens*; suprà in quinta Tinctura Hartmanni descriptus est, videturque compositum quid esse ex aceto & corallis, ardereque ratione spiritus aceti vinosi.

2. Oleum Itidem d. l. descriptum est.

3. *Spiritus Corallatus, Spiritus terra Corallatus.*

Fit ad modum quo perlatus spiritus cum terra sigillata *Vide ibidem.*

4. *Oleum Corallorum succinatum.*

℞. Corall. rubr. pulverisat. ℔. 1. succin. ℔. ß. M. destilla per retortam, vel cucurbitam, sic succinum Tincturam corall. per alembic. attrahet, in forma coloris sanguinei. In fundo vasis residet pulvis corallorum colore albus.

Vires. Oleum illud valet in Epilepsia & Apoplexia.

Dosis gutt. 4. ad 8.

N. Huic similis est modus quo Corallia sale subdulci salita pinguedineque aromaticâ saginata, destillationi subjiciuntur, atque ita tincturam suam dictis comitibus committunt, cum iisdem per Retortam pelli aptam.

X. Syrupus Corallorum.

℞. Corall. rubr. grosè contus. q. v. solve in succo Berberorum vel Limonum optimè depurato, corallis ad eminentiam digitorum, 3. 4. 5. superfuso Hinc.

℞. Succi illius Essentiâ corallinâ imprægnati part. ij. Sacchar. cand. (vel commun.) part. 1. coque ad consistentiam.

N. 1. Colorem dilutiorem si expetas affusâ aqua destillatâ conveniente pro libitu conciliare poteris.

N. 2. Poterit similiter fieri solutio cum liquoribus acidis destillatis, Juniperi scil. aut Guaiaci.

N. 3. Quercetanus monet solutionem instituere, 1. in vitro subere vel cera Hispanicâ occluso, ne Essentia Corallina separetur 2. In VB.

N. 4. Si quid restiterit nondum solutum, huic recens succus affunditur, donec penitus solutum fuerit.

N. 5. Similiter fieri possunt & Syrupi margaritarum & lapidum pretiosorum.

N. 6. Artificium Quercetani ad concinnandum hunc Syrupum nullum est aliud, quam evaporatio lenissima in MB. tepido solutorum corallorum in succo berb. adjectis ℥vi. sacch. ad libras singulas solutionis, ita ut spatio horarum 12. non exhalet ultra spissitudinem thaleri aut macrocollonis densioris, aliàs certo certiùs soluta corallia à menstruo separabuntur.

Syrupus Corallorum compositus D. Sam. Cl. & D. de Mayerne.

℞. Corall. rubr. subtil. in marm. lævigat. ℥iv.
Succi limon. depurat. ℥xii.
Aceti quercin. ℥vi.
Digerantur in B per octiduum, quotidie vas bis vel ter agitando, deinde filtrentur per chartam.
♃ solutionis colatæ ℥x.
Succi berber. depurat. ℥v.
Tinctur. rosar. ℥iv.
Sacch. alb ℔ß
M. & mediante coctura blanda in vase argenteo, F. Syrupus, cui inter coquendum infundatur Nodulus continens.
Santal. citrin. ʒij.
Ligni aloës ʒ1.
Ambr. gris. gr. xv.
Mosch. gr. vi.
Dosis cochl. 1. mane ac vesperi longè à pastibus.

Vires. Ex viribus Coralliorum suprà allatis & succo Berberorum vires censendæ sunt. Laudatur valde in Diarrhæa, Dysenteria, fluxu hepatico, ad restaurationem facultatum naturalium, &c.

XI. Specie Diacorall.
XII. Throchisci Diacorall.
XIII. Troch. de Corall. Nicolai.

DE Coralliis notum quòd *sint fructus marini*, seu quòd adferantur ad nos ex mari. Copiosus est eorum *proventus in mari Tyrrheno* seu *mediterraneo*, propè Hetruriam seu in illa parte, ubi alluit Italiam. *Maxima* est illorum *copia in mari rubro*, in cujus fundo integræ quasi sylvæ coralliorum reperiuntur. Et quidem notum est, quòd Corallia *crescant sub mari*, *instar arbusculorum* ex pusillo principio & in ramulos, & in arbores sæpè mentiuntur. Cùm autem illarum durities sit lapidea, *quæstio* est *an sint lapides*, *an* verò fructus quidam marinus, seu *frutices*? Qui scrutati sunt, exactiùs illarum naturam, experti sunt, quòd *generentur ex succo lacteo* albescente, & quasi mucilaginoso, *qui* per mediam Coralliorum cavitatem sensim sensimque propulsus *abit in talem fruticem*: adeò ut corallia sint succus albicans & mucilaginosus, qui circa ramusculorum extremitates transsudat, & ex isto in quoddam corpus corallinum producitur: adeò ut non tantùm ex ramis lapidum coralliorum progerminent frutices coralliorum, sed etiam guttæ, quæ ceciderunt super caput humanum seu calvariam ex tali succo lacteo, qui ex arbore decidit in capite mortuo etiam concrescunt in corallia. Hic *succus est mollis*, *tenuis* & glutinosus, ex quo *teneriores corralli aliquantisper sunt molles*, & facilè flexiles, *dum* verò *adolescunt*, & in mari diutius morantur, eandem *lapideam induunt duritiem*. Id quod *similiter fit*, *si* coralli licet *teneriores* evellantur ex mari & *aëri exponantur*; simul ac enim ab aëre fuit exhausta humiditas aquosa, indurescunt corallia, & in lapideum fruticem abeunt. *Succus* ergo, ex quo generantur corallia, reverà est *succus salinus*, sicut succi aquosi isti, ex quibus generantur lapides. Nihilominùs tamen, cum representent in suâ figurâ fruticem, & cùm etiam arbor, ex quâ erumpunt, sicut frutex in principio sit tenerior, *aliquid vegetabilis subesse*, non immeritò *putatur*: propterea etiam non ineptè *vocantur lapides marini arborescentes*: Item *Lythodendron*. PLURA qui cupit de eorum generatione, adeat *TENZELIUM in Exegesi Chymiatrica*, *ubi de tinctura corall. pag.* 693. *GANSIUM in tract. de corall.* qui præteritis nundinis de novo excusus prodiit. Item brevem quidem, elegantem tamen *DEUSINGIUM in vindiciis fœtus extra uterum geniti*, *sect.* 8. uti etiam *KIRCHERUM in mundo subterraneo* de coralliis, ubi omnia sufficienter diducit, imprimis ea quæ de succo lacteo dicta sunt: Item *dissertationem meam de tinctura corallorum*. In triplici *sunt* differentia, *rubra*, *nigra* & *alba*, inter quæ *rubra* meritò *præferuntur* Corallis aliis vid. auctor: Cæterùm observandum est, quod *gestata* in corpore sub formâ armillæ *pro varietate* sanitatis & ægritudinis *subjecti mutent suam tincturam & colorem*, uti videre est in mulieribus, non rectè constitutis in genere, & tempore menstruationis apparent corallia in brachiis pallida & maculis fœdata, id quod fit propter exhalationes morbosas, adhærentes coralliis & eorum nitorem deturbantes: quæ corallia *pallida* reddita, quando debent denuò suum habere *primogeneum colorem* illum *acquirunt*,

quirunt, *vel* per pulverem corticum nucis juglandis, *vel* uriam pueri, *vel* in vapore latrinæ, hæc enim nativum ruborem tribuunt coralliis. Corallia alia *sunt* vel *matura*, vel *immatura*, *quæ* tamen ipsa sunt *rara*: nihilominus *alba videntur repræsentare* cruditatem quandam ac *immaturitatem* in coralliis. Quoad *usum internũ* observetur quod corallia *habeant vim præcipitandi* effervescentias nimias, & *absorbendi* acidum quodcunque oberrans. Id quod etiam Mechanica Chymica demonstrat, dum coralliis affusum acet. vel alius quicunque spiritus acidus eadem promptè cum magna ebullitione & effervescentia solvit, præcipitat, & in solutione ista omnem amittat acrimoniam acidam & corrosivitatem. Unde si in corpore humano oberrat acidum excrementitium, imprimis fomes mali hypochondriaci, dum in primis viis stabulat, sal istud promptè arripit, quod corallia solvit & amittit acrimoniam. Præcipitant ergo corallia, & acidum quodcunque absorbent. Prætereà observata sunt corallia *adstringere*; propterea non tantùm *hæmorrhagias*, si imprimis sint à nimia sanguinis acrimonia scorbutica, *sistunt*, sed præterea quoque *in dysenteria* multùm commendantur quoniam acidum dysentericum exulcerans absorbent, & in se recipiunt: *si* tamen sint *quædam obstructiones*, verb. gr. mensium ex abundante acido, ibi *per accidens oritur apertio*, dum absorbent acidum, causam obstructionum: de quo plura vid. ubi de marte. Aliàs *vim* singularem *habent* coralli *rutilantes purificandi sanguinem*, pro quo usu valdè expetitur tinctur. coralliorum, quæ tamen est rara avis, utut multum expetatur. Præter id quod purificet sanguinem, & auferat sordes, & præter vim in dysenteria & hæmorrhagiis, etiam *in Gonorrhæa* multum conducunt, & quidem *rubra in* Gonorrhæa *virorum*, *alba in* Gonorrhæa *muliebri*, *seu fluxu albo*: dicit *AUCTOR*, quòd *epilepsiam infantum* curent, si misceantur aceto destill. Hunc usum multùm *commendat ARNOLDUS DE VILLA NOVA, & CAMILLUS LEONARDUS*; & dicunt, quòd per vitam totam infantes reddant immunes ab epilepsia.

Externo usu appensa corallia exhibent egregium *amuletum contra Dæmonem*, item contra *fascinationes* & incantationes, id quod *confirmat* etiam sua experientia *HELMONTIUS in tract. in jaculatorum modus intrandi*, ubi inter alia habet corallum rubrum, & ejusdem tinctur. multum solaminis attulisse in tali casu. Item alibi refert, armillam applicatam ex coralliis semper disruptam fuisse in obsesso à dæmone, propterea quoniam Diabolus non possit ferre corallia; Unde etiam contra *veneficia*, & contra *ligationes maritorum à GANSIO* valdoperè *commendantur* corallia, quia in *tract.* suo *de coralliis* contra veneficia huncce commendat pulverem.

℞. *Coralliorum rubrorum.*
Corall. alborum.
dentium hominis mortui contusorum.
aa. ℈j.
herbæ & seminis antirrhini ℈ij
Misceantur, *fiat pulvis.*

Huic pulveri *subjicit* hanc *potionem* in veneficiis expertam.

℞. *Corall.* ℥iii.
Visci quercin.
hyperici aa. ℥iv.
styrac. calam.
ladani aa. ℨiß.
urinæ destill. lib. ij.

Decoquantur clauso vase per diem & noctem, & destillentur. Prætereà corallia extrinsecus appesa sunt amuletum *contra terriculamenta* & contra *imaginationes nocturnas*, contra quæ *CLAUDIUS DEODATUS habet amuletum* ex coralliis quòd ita habet:

℞. *Corall. rubrorum,*
Lapidis Malechitis ana ℥ß.
cum succo Chelidonij & mucilagine tragacanthi fiat amuletum. Fulmina dicit auctor, quod *arceant* Coralli, id quod *laudat* imprimis *Staricius* per experientiam expertus *pag* 30. quod in agris hinc inde dispersa corallia, vim fulminis avertant & arceant. Inter PRÆPARATA. ex Corallis sunt varia & multa. Observetur quod in *Calcinatione ignitionis*, *rubra corallia omnia* igne *fiant alba*, deinde quod Corallia ita calcinata *in igne* forti & aperto, *augeantur in suo pondere*, id quod fit propter spiritum acidum subtilē una cum igne elevatum & ex lignis & carbonibus, qui adherendo Corallis, quoniam acidum facilè ingreditur illa, non tantùm ea reddit ponderosiora, sed etiam se insinuando eorum poris colorem mutat & nitorem obscurat & obfuscat: Nihilominus facilè *possunt denuò acquirere suum colorem* rubicundum, & ex coralliis his, amisso licet ita nitore & rubore, potest tamen fieri tinctur. per menstruum vitriolicum, uti monstrat *TACHENIUS in Hippocrate Chymico*. Hujus occasione auctor facit mentionem sal. *coralliorum* sed rectè sentiunt cum *ZUUOELFERO*, qui *negant dari* verum sal coralliorum: & istud *quòd habet AUCTOR* per lixivium *est nugatorium*, & nusquàm procedit processus. *Salia* reliqua, uti dictũ, sunt *nihil* aliud *quàm solutiones* (Coagulatæ & inspissatæ, & habent formam salium menstruis, cum quibus facta fuit solutio.) Ipsa enim *coralliorum corpora* dura *non dant* sal. neque *lixiviale* neque *aliud*, sed solùm sunt solutiones Coralliorum. De calcinatione sive solutione Coralliorum observetur, quod in *acido qualicunque* sive vegetabili sive minerali facilè *solvuntur* Corallia & quidem quo acrius est, eò majores ebullitiones & effervescentias excitat & turbas; præprimis, quando est minerale, tunc majores turbæ & effervescentiæ excitantur; unde non ineptè collegerunt nonnulli, esse *abundans alcali in coralliis*: Et quidem *inter* menstrua *vegetabilia*, sunt *succi acidi omnes*, acetosæ, berberum, citri acetum & similia, item spiritus acidi volatiles ex lignis destillati, quales sunt spiritus ligni quercini Guajaci, Sassafras &c. *Inter* acida *mineralia* sunt *spiritus acidi* vol. nitrum, sal, vitriolum, viridis æris, sulphur, & sic porro, quodcunq; enim acidum facilè solvit corallia. *Calcinantur cum* nitro, unde si spiritus acidus nitri per ignem accenditur, aggreditur corallia & illa in pulverem solvit. Calcinatio *cum pumice* est impostoria & *nugatoria*, quæ vid. in *TENZELII loco ab auctore citato.* Hic ubi fit mentio calcinationis *cum* sulphure observetur, quod quidam parent medicinam, quàm vocant *cremorem corallorum* hoc modo: recipiunt scil. corallia, eademque calcinant cum sulphure, coquunt in vino, & hinc infundunt amplam & latam patellam, sicque ponunt in cellam frigidam, atque sic sensim sensimque supernatare incipit substantia quædam similis cremori lactis, quæ substantia vocatur cremor coralliorum, quæ sensim sensimque aufertur à liquore, exsiccatur, & tandem pulverisatur. Inter præparata interius pro præcipitatione & adstrictione *assumantur* corallia *præparata* sive *calcinata*: vis enim cordialis Antepiletica non potest expectari à præparatis quia nimis cruda, & vis quæ est in tinctura non potest elici, quod vero illi adscribitur, quoniam difficulter vel nunquam dicitur, de vera tinctura intelligendum. sal Coralliorũ nihil valet, sed est solutio coralliorum inspissata, uti dixi nã quando solutiones inspissantur, acquirunt talē formam salinam; MAGISTERIUM sequitur. De hoc

hoc observetur, quòd quæcunque coralliorum Magisteria *nihil valeant*: *fit* enim Magisterium, quando corallia quocunque acido menstruo soluta, præcipitantur postmodum, vel injecto alcali, vel infuso spiritu alcalico, in pulverem: Hic pulv. deinde vocatur Magisterium: Dico hoc magisterium nihil valet, propterea, quoniam semper acrimonia acida menstrui eidem adhæret, & nullo modo potest separari. Unde aliquando *observatum fuit*, quod *post nimium usum* coralliorum *Magisterii* fuit repertus *ventriculus corrosus*, propter acrimoniam acidam menstrui. quale exemplum videre licet in *HOFFMANNO de medicamentis chymicis pag.* 352. itaque quoniam sunt saturata corallia à menstruo acido, in corpore nostro, nullo modo possunt præcipitare & absorbere acidum, & sic ita assumpta, sicut fuerunt assumpta, denuò egerunt, nullo usu, nullo fructu. Ergò Magisteriis his longè *præferenda* sunt corallia nudè *præparata*; Quòd dictum de Magisteriis, idem valet de sale coralliorum: Nam sive coaguletur solutio in sal, sive præcipitetur in pulv. perinde est, utrumque enim horum est saturatum acido: & quòd dicunt quòd *liquores* coralliorum & perlarum sint *Cordiales*, sunt *nugæ*. *Magisteria* deinde ab auctore dicuntur esse *duplicia*, *simplicia* & *plumacea*, quæ etiam dicuntur *resolubilia*, & dicunt, quòd licet sint adeò dura & cruda corallia instar plumæ, tamen fiant levia, & instar salis resolvantur in ligna: sed *unum valet idem quòd alterum*, nisi quòd unum sit gratius acceptu atque alterum. *Præparationes* videantur apud auctorem; Et quidem pro præparatione *plumacei* sive resolubilis optimum *menstruum* est *sp. viridis æris*, cujus vis in solutione coralliorum parum imminuitur, ut quando abstrahitur, denuò possunt illo solvi corallia: quòd non æque in aliis procedit, vid. *ZUUOELFERUS* hinc inde *in scriptis*, quid spir. hujus in solutione corallorum & *Magisterii plumacei* præparatione fuit primus *Auctor*: Dicuntur etiam magisteria *butyracea*, quoniam instar butyri in lingua liquescunt: Facit quoque mentionem auctor *Magisterii* coralliorum per solutionem *cum spiritu vitrioli* philosophico: sed observetur, quod benè debeat esse rectificatus, aliàs enim propter particulas antimoniales, ex mercurio vitæ aut butyro antimonii residuas, Magisterium possit excitare vomitum. Oleum sive LIQUOR corallorum nihil aliud *est* nisi sal *corall. resolutum* in loco humido, & *nihil valet*, quoniam corallia imbibunt acidum, unde sicut fuerunt assumptæ ejiciuntur foras, neque adstringunt neque præcipitant, neque acidum absorbent. Prætereà volunt etiam auctores elicere tincturam *corall.* cujus tot sunt descriptiones, quot capita Chymicorum adeò ut 300. fuerunt numeratæ à quodam auctore, & *quilibet vult habere arcanum in præparanda tinctura Corall.* quarum tamen una tantùm quantum altera valet. Nam observetur, quod tinctura corall. sit *paucissima in coralliis rubris*: Iste enim *color rubicundus*, qui residet *in sulphure solis*, quoniam creduntur participare de natura auri, ratione cujus virtutis solaris ipsis tribuitur vis corroborandi corpus nostrum, tribuitur vis depurandi M. sanguineam, tribuitur vis resistendi malignitati, Epilepsiæ & sic porrò. Hoc sulphur auri, ex quo *est* tinctura coralliorum est paucissimum & *difficillimæ acquisitionis*, adeò ut in 100. tincturis corall. vix reperiatur una quæ sit cujusdam pretii, & omnes erunt *vel nudæ solutiones* coralliorum rubicundæ, *vel* potius tinctura *menstruorum*, quibus cum parata est tinctura: *menstrua* enim cum semper sint salina, aut de salium prosapia, *beneficio digestionis & miscella* mutuæ cum materia soluta, multivarias subministrant solutiones, & *accipiunt colorationes*: id quod *patet* exinde, quòd quàm plurimi Processus Tinct. Coralliorum eliciendi ex rubris procedunt ex coralliis albis, ex quibus impossibile est, ut eliciatur Tinctura rubicunda, adeò ut possit facilè hinc detegi impostura, id quòd sufficienter videri potest declaratum in *Dissertatione mea*, quàm voco *examen tincturæ corall.* In genere præparationes omnes *collimant eò, ut* primò *solvantur* corallia, *ex solutis* postmodùm abstracto menstruo cum convenienti liquore *extrahatur* tinctura adeò ut solutio præcedanea coralliorum, fit tantùm præparatio, ut faciliùs subministrent tincturam subsequenti extrahenti liquori. Δοκιμασία sive *proba* vera *coralliorum* tinctura est eà, *ut* scilicet *non possit* amplius *præcipitari* sive separari ex menstruo, cum quo fuit extracta. *Talem* egregiam tincturam *vidi Londini apud* Pharmacopæum regium. *Le Febvre*, qui præparavit tincturam corallior. cum sale vol. tartari, adeò ut solutionem coralliorum postmodùm extraxerit per spiritum salis tartari vol. cum quo spiritu extracta corallorum tinct. *per retortam potuit destillari*, quæ certè tinct. est elegantissima & in præparatione & in efficacia: Coloris erat subobscuri & subrubicundi saporis penetrantissimi, & in quàm plurimis morbis melancholiis, maniis, Epilepticis, uterinis, palpitationibus cordis, scorbuto & similibus affectibus elegans medicamentum, conspirante egregiè virtute menstruali volatili cum sulphure vol. tinct. Cæterùm cùm sit rara avis, nihilominus sunt *elegantiores solutiones*, quæ *substitui* loco tincturæ *possunt*; *qualem subministrat PETRUS JOH. FABER in scriptis*, ubi parare docet sulphur coralliorum beneficio sublimationis cum sale ammoniaco: pulverisata scil. corallia rubra permiscet cum sale ammoniaco similiter pulverisato, & postmodùm in cineribus cum igne in cucurbita instituitur sublimatio, hâc fit ut sal ammoniacum secum abripiat vol. & rubicundas coralliorum particulas, adeò ut in alembicum adscendant flores rubicundi, qui sunt sal ammoniac. conjunctum cum particulis volatilioribus & subtilioribus coralliorum, hi flores postmodùm solvuntur in aqua & fit sic pulv. coralliorum ex sale ammoniaco, qui pulvis coralliorum tum est inflammabilis instar sulphuris, & ex hoc beneficio spiritus vini bene rectificati potest fieri elegans tinct. *Processus vid. in mea dissertatione.* Non inelegans tinct. quæ fit quando solvuntur Corallia *cum succo citri* depurato, qui solvit tantum ex coralliis subtiliores & elegantiores partes, relictis crassioribus & terrestrioribus in fundo: Facta solutione decantatur id quòd solutum est & inspissatur, in mellaginem sive consistentiam mellis: hinc extrahitur cum spiritu vini tinct. corall. vel *cum spiritu* quodam *appropriato*, uti fecit *D. Michael* verb. grat. in tinct. *corall. antiscorbutica* fuit *sp. cochleariæ*: In tinct. corall. *contra luem veneream* fuit *spirit. ligni Sassafras*; in *affectibus cordis*, Lypothymia, palpitatione, menstruum appropriatum *fuit spiritus sanguinis* cervi, &c. quibus mediantibus ex mellagine istâ post solutionem cum succo Citri inspissatam extrahebat tincturam, fuerunt multi usus & effectus in specie, quæ fit cum spiritu cochleariæ in scorbuto fuit elegans medicamentum D. Michalis: quæ fit cum spiritu sanguinis Cervi, fuit elegans in affectibus cordis, Melancholia & scorbuto. Quidam præparant tincturam Corallorum *cum spiritu panis*, ita tamen, ut benè rectificatus & ab omni phlegmate & empyreumate sit legitimè separatus. In descriptione spirit. vin. quam vocat auctor, Hartmanni est descriptio spir. ardentis Coralliorum: Observetur autem, quod *duplex* hauriatur SPIRITUS *ex Coralliis*, 1. quidem si Corallia nuda includantur retortæ, & destillantur igne aperto, quidam exinde prodit liquor seu spiritus corallorum acidus, qui vocatur etiam *acet. coralliorum*, & est *legitimus spir. acidus*, qui ex corall. elicitur: modum habet auctor in tinctura VII. Alius est, qui vocatur *spir. ardens Corall.* qui fit, quando soluta

soluta per acet. destill. denuo inspissantur; hæc per acet. destil. solutio destillatur per retortam, dat spirit. vol. ardentem instar spir. vini, & hunc spiritum dicunt esse spir. ardentem coralliorum, quod tamen est falsissimum: Nam nihil *est* aliud quàm *spiritus vini regeneratus ex aceto destil.* Dixi autem superiùs, quòd acetum fiat quando sal acidum vini figit spiritus salinos volatiles: Est ergo spir. vini in aceto adhuc integer, dum ex solutione Coralliorum ob acet. acidum adhæret Coralliis. Unde spiritus vini, qui antea in acet. fuit fixatus, fit sui juris per ignem & prodit per retort denuò. Idque etiam verùm est de saturno, unde postmodum non opus erit repetitione. Tinctura *Holsatica* non est inconveniens, sed est præparatio præ aliis *satis commoda*. Cæterum observetur, quod in præparatione hujus tincturæ, Enchirisis consistat in hoc, quòd scil. menstruum non sit abstrahendum ad omnimodam siccitatem, sed tantùm ad mellaginem, aliàs enim non procedit processus. Pharmacopæus *Londinensis simili modo*, sed elegantiori *præparat tincturam* Corall. qui solvit 1. Corallia in spir. parato ex tartaro & vitriolo, sicut habemus in hac tinctura Holsaticâ, factâ solutione, abstrahitur spir. in consistentiam mellagineam; Huic extracto mellagineo affunditur spirit. veneris vol. seu spiritus viridis æris volatilis, qui valdè egregiam tincturam Corall. ferè in momento extrahit: Hanc extractionem denuò ad consistentiam mellaginis abstrahit, & tandem cum spir. vini benè rectificato remanentiam extrahit in veram tincturam. Et quid non inelegans est, & *præfertur* merito hic *spir. veneris vol. seu spir. viridis æris aliis menstruis* propter summam salium volat. copiam, quâ fit, ut cum aliis menstruis, quæ non possunt fieri tinctur. nihilominùs fieri poterit beneficio spir. veneris vol. adeò ut *singularia lateant in hoc spir.* non nisi intelligentibus cognita: Modus parandi *tincturam per oleum Citri est* tantum *colorati olei*, nullo verò modo vera tinctura. Facit etiam mentionem *sublimationis* auctor *cum* sale armoniaco in præparatione XIV. quidam præparant cum sale armoniaco: quidam sublimant *flor. Corall.* sublimando Corallia cum sulphure & exinde fiunt flores sulphuris subrubicundi, qui aliàs sunt flavi; denique *appellantur etiam flores Coralliorum*, quando *in præcipitatione* Magisteriorum, in liquorem, in quo facta est præcipitatio, immittuntur baculi lignei, & mittuntur simul in locum frigidum: Fit enim, ut baculis ligneis sensim sensimque adhærescat corpusculum Coralliorum solutorum in forma floccorum nivis, & hi ipsi postmodum vocantur flores coralliorum. Oleum Coralliorum non est inelegans, utut *parum de coralliis participet*. *Syrupus* coralliorum qui est solutionis coralliorum cum saccharo in syrupum redacto, est egregius *in sistenda diarrhæa*, in sistenda *dysenteria* & similibus: loco succi berberum vel limonum potest etiam fieri solutio cum succo acetosellæ, cum quo erit convenientior in febribus malignis & ardentibus, in quibus acetosella egregia est: *quidam* volunt præparare *cum succo tormentillæ*, & fit convenientior in dysenteriis, in quibus per se multi est usus. *Adstringit* enim hic syrupus, & blandè *præcipitat*, & inde *effervescentiam* M. sanguineæ *corrigit*. *Syrupus compositus*, quem author habet, satis est egregius, & artificiosè præparatus.

CAPUT VII.

De Margaritis.

Margaritæ, Perlæ (Uniones, si magnæ sint) sunt Lapides rotundi, in conchis nonnullis ex perittomate eodem quo testæ generantur, producti. Arab. Lulu. Germ. *Perlen.* Marguerites, Perles.

Duplices censentur, Orientales & Occidentales: Illæ splendidiores sunt, adeoque cæteris præferuntur, & præsertim Persicæ. Hæ lactescunt, minusque sunt splendidæ. Inveniuntur etiam in Europæ locis multis, ut in Scotia, Silesia, Bohemia, Frisia, locisque maritimis aliis, sed vilioris eæ sunt notæ. Majores itidem & quæ perforatæ sunt, censentur minoribus, & non perforatis maturiores & præstantiores.

Vires. Cordiale præbent nobilissimum, quo balsamus vitæ oppressus viresque exsolutæ insigniter recreantur ac confortantur, proinde venenis, pesti & putredini resistunt, animum exhilarant. Et hujus rei gratiâ in tantum ascenderunt honorem, ut vel agonisantium extrema recreatio communiter inde expetatur.

PRÆPARATA.

Perlarum præparationes iisdem fiunt operationibus, quibus corallia; calcinatione autem ignitionis haud indigent. Supervacanea igitur illarum extinctio in aqua vitæ ardentissima, quam vult Quercetanus in Pharmac. rest. cap. 26.

Solutio Perlarum iisdem perfici potest liquoribus, quibus coralliorum.

Purificatio quoque & Edulcoratio nihil à coralliorum purificatione peculiare habent.

Præcipitatio iisdem cedit liquoribus, quibus coralliorum præcipitatio.

Hinc

I. Præparata Perlæ.

Præparantur more vulgari, super porphyrio lapide lævigando, subindeque aqu. cordialem (verbi gratia, rosarum, melissæ, & simil.) aspergendo.

II. Sal Perlarum.

Fit, ut in corallis dictum: Solvendo perlas, vel (quod usitatius) in aceto, vel in succo Berber. & Limon. &c. solutionem filtratam ad remanentiam salis inspissando, inspissatamque ablutione, ut dictum, vel in solutione iterata purificando ac dulcorando.

N. 1. Non opus habent triturâ, quippe vel integra atque citra digestionem Acet. destill. obediunt.

N. 2. Solutionem in succo Limonum ac Betulæ destill. vide de Corallis.

N. 3. Fit quoque Sal Perlarum, in quovis liquore dissolubile, beneficio succi citrei mali, digestione depurati. Nimirum perlæ lotæ, & si placet contusæ, in eodem illo succo ad eminentiam 4 digitorum affuso, digestione interveniente solvuntur, solutioni affunditur ros maialis destillatus, vel aqua Melissæ, decantaturque solutio: hinc affunditur novus succus citri depuratus, digeritur, affunditurque iterum ros destill. vel aqua Meliss. atque decantatur, &c. Et hic labor toties repetitur, donec perlæ penè totæ solutæ sint, relictis perpaucis fæcibus. Demum solutio lento igne inspissatur, ad remanentiam pulveris.

Dosis à gran. 6. ad ℈ß. Ex aqua roris maialis cum manna destillata, vel ex aqua Cinam. cum aqua ros. &c. Hartm. in practic.

N. Paracelsus, Sali perlarum, ut & reliquis inde paratis, maximas vires attribuit. Processus, inquit, harum, etsi simplices, tamen crede experto, mirifica operatio ipsarum (perlarum) est. Non tamen fit per artem hæc virtutum actio, sed in natura ipsarum est, quæ in grossa substantia occultatur, & non potest operari sicut mortuum corpus, sed resolutione factâ, vivificatur corpus ejus. Ita lib. 6. archid.

Huic finitimum est.

Sal sive Magisterium Perlarum Riverii.

℞. Perlar. subtiliss. tritar. q. v. impasta cum succo citri, vel aurant. & relinque aliquamdiu. Postea solve cum Acet. destill. s. a. donec perlæ ex toto ferè fuerint solutæ. Collectum acetum misce cum tertia parte aquæ fluvialis, destilla in arena igne primùm lento, dein fortiori. Destillatum reaffunde capiti mortuo restitanti, & denuo solve, postea filtra, evaporaque admodum lentè, & rases erit perlarum Magisterium.

Vires. Præter vires supra allatas summum est præservativum Arthritidis.

Dosis ℈j. ad summum.

III. Magisterium Perlarum.

1. *Commune* fit solvendo cum Acet. destill. & præcipitando cum Ol. Tart.

2. *Butyraceum* eodem modo fieri potest, quo Magister. butyraceum corallorum.

3. *Plumaceorum* præparatio itidem ex corallis repetenda. Confer Rolfinc.Chym.pag.347.

Vires. Vires ex viribus perlarum descriptis facilè colligi possunt.

Dosis à gran.6.ad 15.

IV. Oleum seu liquor Perlarum.

Fit per deliquium: modum ex superioribus repete.

Essentia, Tinctura, Arcanum Perlarum.

℞. Perlas q.v. solve cum Acet. destill. & para sal: Sal ita paratum iteratis in Acet. destill. solutionib, ac coagulationibus (rejectis semper fæcibus.) Purifica, donec nullæ amplius fæces ab ultimis solutionibus restiterint, atque adeo ipsę perlæ ab omni immunditie liberatæ sint. Hinc solve cum aqu. pluviali, vel rore maiali, destillandoque abstrahe humiditatem, idque toties repete, donec interveniente destillatione perlæ sint edulcoratæ (id quod ostendit aquæ postremò destillatæ dulcedo.) Hoc sal ita defæcatum, digere vase clauso in MB. (per dies ac noct. 8.vel 10.) cum spirit. vini rectificatiss. ad eminentiam 3. digit. affuso. Sic Perlæ cum tempore Essentiam suam instar olei spissi ad superficiem spirit.vini remittent, quam cautè separa, novumque spiritum vini affundendo, laborem repete, quoties visum fuerit. Convertitur enim totum ferè sal, relictis paucissimis fœculis, in Essentiam. Hanc de novo cum spiritu vini aliquandiu circula, postea leni destillatione MB. spiritum vini separa & serva.

N. Eadem perlarum Essentia cum spiritu vini per Retortam, vel per MB. seu reverberatorium siccum, institutis cohobiis tandem omnis transit.

Vires. De usu constat ex viribus margaritarum, fortissimarum autem virium est propter summam subtilitatem.

Dosis à gran.6. ad 14. Hartman.in Croll.

Arcanum per spiritum Guaiaci.

℞. Perlar. subtiliss. trit q.v. extrahe s.a. tincturam rubicundissimam cum spiritu Guaiaci rectificato, residem pulverem calcina leniter, atque extrahe iterum bis aut ter cum novo spiritu Guaiaci. Postremò calcina fortiùs, atque iterum extrahe. Extracta coagula in MB. ad apparentiam cuticulæ versicoloris, quippe quæ signum est, abstracto phlegmate, solum arcanum seu Essentiam perlarum cum spiritu Guaiaci, in forma coagulata restare.

N.1. Hæc Essentia ac spiritus vix à se invicem separari poterunt.

N.2. Eadem Essentia seu Arcanum perlarum cum aqua melissæ, & similibus q.s. subitò solvitur, inque rubentem pellucidum colorem vertitur saporis elegantis.

Vires. Optimè sanguinem mundificat, magnarumque virium est in lue venera.

Dosis à gutt.6. ad 14.Hartman. in Croll.

Alia Tinctura.

℞. Perlar. ℥ß. spir. Sal.com. q.s. solve s.a. decanta: abstrahe, ut fiat pulticula, quam elue aqua destillat. Circula cum spirit. vin. septimanas 6. tandem spiritum vini abstrahe leni MB. calore. *Libav.in Syntagmate.*

V. Flores Perlarum.

Solvuntur perlæ cum Aceto destill. solutio digeritur aliquandiu (per mensem) dein abstrahitur Acet. destill. & tandem fortiori igne elevantur flores. *Libav. in Syntagm. lib.2. cap.25.*

N 1. Sublimari possunt quoque Margaritæ & Corallia beneficio* salis armoniaci.

N.2. Flores perlarum per solutionem in sublimatu saturni describit Hartman.in Croll.pag.474.

VI. Spiritus perlatus, seu Spiritus terræ perlatus.

℞. Sal.vel Magisterii perlarum ℥vi. Terræ sigillatæ ℔j. M. ac imbibe cum s.q. olei perlarum, & fac globulos, quos exsiccatos destilla per retortam, uti destillatur spirit. Sal.communis, Rectifica & serva pro usu.

Vires. Summum est secretum in Podagra.

N. Eodem modo fieri potest & spiritus Corallatus.

DE margaritis sive de perlis ubi de matre Perlarũ dixi, quòd nimirum sint fructus concharum, seu certi cujusdam cõcreti liquores, qui reperiuntur in conchis uti cochleæ, quæ uti animalcula similia alia abundãt liquore roscido & mucilaginoso, *quæ* ex liquore roscido præparant suas testas, & ex eodem liquore in suo corpore coagulant sensim sensimque pelliculas, unde *testa* hujusmodi *concha vocatur mater perlarum, & globuli*, qui *in ipsa* concha reperiuntur, vocantur PERLÆ. *Generantur* perlæ *ex minutissimo principio per continuam, pellicularum successionem*: quem modum eleganter exprimit *HELMONT. tract.de febr. cap.8.§.7.* Coagulantur *instar lapidum* subterraneorum beneficio salis insiti, à quo coagulantur, & abeunt in figuram rotundam, hinc sensim sensimque alius liquor succedit coagulatus, adeò ut per successivam coagulationem pellicularum augeantur perlæ. Modum quo fiant etiam perlæ in conchis, ex quorum corpore ejiciuntur per vomitum in testam: vid. ap. *ROLFINCK in dissert. de margaritis seu perlis*, ubi demonstrat, quòd *idem* sit *testa*, seu mater perlarum *cum perlis ipsis*, & quod habeat eundem effectum; deinde, quòd crescant pelliculatim in conchis, & per vomitum ejiciantur in testam, quando sunt maturæ, uti & experiuntur. Vid. etiam *HORSTIUS in Dispensatorio pag 247.* cum quo etiam conferatur *BOETIUS DE BOOT in tract. de gemmis & lapidibus*; *Sunt* quidem, *qui putant*, quòd *mater* perlarum *non sit eadem cum perlis*, sed longè vilior, nihilominus sunt ejusdem naturæ, ejusdemque efficaciæ. De VIRTUTIBUS perlarum notum est, quòd adscribatur ipsis magna *vis cordialis*, sed ignoratur, quod proferatur: Ut legitimè procedamus, quod dixi de corallis, idem dicendum de perlis, *absorbent* acidum in corpore nostro, *præcipitant* & *adstringunt* atque *affectus*, atque effervescentias (*omne quippè acidum solvit perla & dulcescit*) *ab acido* inductas blandè restringunt & *compescunt* crudè assumtæ, adeò ut illis crudis optimè possit substitui pulv. oculorum cancrorum. Ast ii qui norunt perlas redigere in *liquorem primordialem*, seu in liquorem aquosum, & similem isti ex quo fuerunt concretæ perlæ, habebunt medicamentum *arcanum pro multis morbis*, non tantùm pro retardanda senectute, sed contrà *atrophiam & Hecticam*, habebunt singulare refectivum & *restaurativum microcosmi*, in summa habebunt remedium elegantissimum, & magnarum virium, & quæ dicuntur de lacte perlarum, de isto possunt dici verius: verum quipe lac liquor iste est primordialis; quod non dici potest de perlis, uti in officinis prostant, sed idem præstant, quòd oculi cancrorum in pulveris forma assumti, vid. *HELMONT. & FABER.* Sequuntur PRÆPARATA, quæ eadem ferè cum coralliis. In genere notum est, quòd quæcunque *menstrua acida*, corallia & perlas *tantùm solvant*, nihil autem ex iis separent. Sunt qui volunt parare sal *ex perlis*, sed eodem insulso conatu, atque ex corallis: Unde etiam tales *liquores* perlarum qui fiunt, uti habet auctor, quando solvuntur perlæ, *sunt ridiculi*, & non habent vim cordialem, neque vim præcipitatoriam obtinent, quia saturatæ sunt menstruo acido. Conducunt in phthisi & atrophia, dicit Auctor, sed hoc intelligendum tantùm de eorum lacte seu liquore primogenio, non de crudis perlis, & præparationes cum acidis quibuscunque parùm aut nihil omninò valent, nihil omninò legantur in auctore, ut habeat quis copiam rerum. MAGISTERIUM perlarum *insulsè assumitur* ab Hecticis & phthisicis. Nam sicut assumtum fuit, ita denuò rejicitur. *MYNSICHT in armamentar. p.39.* remedium habet, quod vocat *Margaritas Trochiscatas*, ex Magisterio margaritarum cum spiritu roris Majalis, ubi ego reciperem spir. roris Majalis, & linquerem Magisterium, quia longè efficacior est, uti & omnes margaritæ. Qui tamen vult habere *medicamentum ex perlis*, & in forma liquida, sibi commendatum

mendatum habeat modum, quem vocat auctor, *arcanum per spir. guajaci*, vel solvantur perlæ in acet. destill. solutum coaguletur denuò, & in depuratam consistentiam redigatur. Postmodùm cum spir. vini benè de phlegmate solutio coagulata extrahatur, & pro usu asservetur: loco spiritus vini potest etiam assumi spir. appropriatus, uti dixi de tinctur. corall. & erit medicamentum ex perlis non contemnendum.

CAPUT VIII.

De Lapidibus minùs pretiosis: qui sunt,

I. ÆTITES.

Ætites Lapis est veluti prægnans cum quatitur, alio in utero sonante: hujus genera pro diversitate superficiei (scabræ scil. vel lævis,) colorum, tum materiæ inibi contentæ, constituuntur quatuor.

1. Est exterius scabrum, colore vario, plerumque nigricante: continet in se lapidem Collimum dictum.

2. Cinerei coloris est, ac in se argillam vel margam continet.

3. Terram in se concludit.

4. Præter hos addit Plinius Taphusium nomine, qui nostratibus incognitus.

N. 1. Dicitur lapis Aquilæ, quòd in aquilæ nido reperiatur, ad promovendum partum ab aquila eò deportatus. Germ. Adlerstein, Klapperstein. Pierre d'Aigle.

N. 2. Primus Orientalis est, raroque pruni magnitudinem superat.

Secundus & tertius etiam in Germania juxta Svveinfurtum reperiuntur, pugnique magnitudinem sæpe æquant.

Vires. Partum promovet, si feminibus alligetur; sin brachio, eundem retinet: observare autem expedit, statim à partu esse removendum, ne & uterum ad se trahat.

ÆTITES. Adlerstein, quoniam dicunt tantùm *reperiri in nido* aquilarum, estque lapis, qui leniter conquassando *percussus sonitum edit*, quoniam quasi prægnans est alio lapillo, quem continet instar nuclei: Interdum lapis est, interdum terra, & in quo est lapis, est propriè *Ætites*, qui in se reconditam habet terram, qui dicitur GEODIS. Iste qui continet alium lapidem, certo tempore eundem *lapidem excludit tanquam per partum*, & denuò de novo *impraegnatur*: quod affirmatur à quibusdam. Sunt etiam ætites, qui spirant odorem instar violarum, & vocantur LAPIDES VIOLACEI. Præter ætitem geodem est etiam HYDROTITES, qui in se continet aquam. *Quæstio est, an* reperiantur *tantùm in nidis* aquilarum? Dicunt enim, inferri ab aquilis in nidos, ut eò faciliùs excludant pullos. Nam sæpè inveniuntur & *reperiuntur in fluminibus* propè ripis, *agris, montibus saxorum commissuris*, ex quibus commodè postmodùm deferri ab aquilis in nidos possunt. Hic ætites præ aliis eorum *est expertissimus* in negotio *partus muliebris*. Nam si *alligatur brachio* ætites *præcavet abortum*, & impedit partum, sin verò alligetur *fæmori*, subitò dictum factum *promovet* partum, sed subitò atque fœtus fuit exclusus, necessum est ut removeatur, alias periculum est, ne subsequatur uterus, vid. VVORMIUS *in Museo ex valeriola lib.* 1. *obs.* 10. cujus exemplum est clarum in hoc negotio. Idem *pulvis interne* datus promovet partum, item *pellit lochia. Lac* mulierum *augere* dicitur, si cum vino aut brodio propinetur, vel etiam tantùm intrà mammas suspendatur. Hæc de ætite propriè sic dicto: Ætites, *Geodis*, & imprimis terra in eo contenta *iisdem* ferè *pollet virtutibus, atque terra sigillata*: Unde *in morbis* pestilentialibus & *malignis* commendatur, & etiam *dysenterias* curat. *Eadem* terra lapidis geodes cum acet. subacta *mammis* applicata optima est *pro constringendis* iisdem, & pulv. medullæ ætitis Geodis, seu terra Geodis impositus Gossypio, & applicatus ita *membris à frigore læsis*, felici experimento fecit LAUREMBERGIUS in *Tract. de ætite*: *Plura* qui cupit, vid. LAUREMBERGIUM, qui integrum tract. scripsit de ætite: uti etiam BAUSCHIUM, VVORMIUM, & alios.

II. ALABASTRITES.

Alabastrites, Ἀλαβαστρίτης. Alabastrum, Onyx, lapis candidus notissimusque est: Germanicè. *Alabasterstein.* Albastre.

Species statui potest Marmoris, verùm accuratè pensitatus, ipso mollior est, proinde Marmor incoctum & imperfectum, si ita vis, appellare poteris. Hic si ita mollis sit ut cultro scindi possit, gypsum rectiùs dixeris, & est id lapidis, è quo varia torno finguntur vasa.

Usus rarioris Officinalis est, nec ingreditur usualia, nisi solum unguentum alabastrinum.

Vires. Combustus resinâ aut pice exceptus duritiés discutit, stomachi dolores cum cerato levat, gingivas comprimit. Dioscorid.

ALABASTRITES. Id est lapis Alabastri qui *est* quasi *imperfectum marmor*, quòd rarò usurpatur, nisi quod prostet in officinis *unguentum alabastrinum ad* concitandum *somnum*, & sedandum *dolorem capitis* in febribus. Alabastrum *ustum*, sive calcinatum easdem *obtinet vires quas Gypsum*. Unde alabastrum ustum ad ℥j. datum, *dysenteriæ* certo experimento mederi dicitur.

III. AMIANTHUS.

Amianthus (ἄσβεστος) alumen plumosum, est lapis alumini scissili non absimilis, adeo ut nonnulli inter se confundantur, Germanic. *Federvveisz, Steinflahes, Schiefervveisz.* Alum de plume (quippe sunt, qui tales ex eo conficere norunt,) quòd elychia ex eodem fiant incombustilia.

Differt ab alumine scissili, quòd hoc combustile sit, saporisque adstringentis, illud non item.

Vires. Veneficiis resistere creditur omnibus, præcipuè tamen veneficarum. Præterea abstergit, scabiem sanat; si cum aqua vitæ & saccharo solvatur, mixturæ quæ ejus exigua portio quotidie mane detur, album fluxum mulieris mox iri sanatum aiunt.

PRÆPARATA.

Præparata Officinalia quæ amianthus ingrediatur, præter unguentum citrium, nulla sunt. Commendant tamen nonnulli supra modum Linimentum ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum, quod vide lib. 2. [addunt etiam quidam unguentis nervinis.]

AMIANTHUS sive ASBESTUS. Non est alumen plumosum, uti vult auctor. sed *est distincta species lapidis ab alumine plumoso*: nam alumen plumosum adstringit, & non pungit, hic contra lapis amiantes pungit, & non adstringit: Ex hoc lapide præparantur *ellychnia incombustibilia*: nam *illæsa est ab* omnibus *flammis* ignis, adeo ut viderim Mediolani *ex filis amianti paratum marsupium*, in quod Septala Canonicus Mediolanensis aurum & argentum recondit, & carbonibus post imposito marsupio, sol. & lun. liquefaciebat in igne, sine læsione marsupii. Unde *apud veteres* paratæ fuerunt *vestes ex filis amianti. Quibus* vestimentis *induti* erant olim Reges, & alii Magnates, *quando cremabantur*, ut cineres potuerint colligi. *Modus præparandi* & texendi amiantum est *incognitus*: *Novit* tamen istum SEPTALA Canonicus Mediolanensis. Habet VVORMIUS *in Museo modum* præparandi amiantum, sed is *non* videtur *genuinus*: Contra *fluxum mulierum* sunt qui commendant, uti habet auctor, si scilicet fiat inunctio amianti. PRÆPARATA sunt *rara*, nisi quod BOETIUS *à* BOOT. Balsamum habet & linimentum ad tineam puerorum, uti etiam

etiam ad ulcera tibiarum, quod in magno est pretio. Vid. Author. *ALDROVANDUS in Muséo Med. pag.664. lib 4. habet unguentum* ex amianto, quo inunctæ *manus tuta* igne tractari posse dicit: *Præparatur h. m.* ℞. pulv. amianti, calcis vivæ exsiccatæ, albuminis ovorum, succini, altheæ, Hyoscyami, & seminis psillii ana, omnia permiscet in formam linimenti, quo inungendæ manus.

IV. LAPIS ARMENUS.

Lapis armenus est lapis maculis viridibus, cœruleis & subnigris relucens, sicut lapis lazuli punctis aureis, adeoque non differunt inter se, nisi solâ maturitate, uterque enim in unis iisdemque scaptensulis reperitur. Lazuli tamen lapis ceu maturior, crebrius invenitur in fodinis aureis: armenus in argenteis.

Dicitur lapis armenus seu armenius, λίθ☉ ἀρμένιος, quòd olim ex Armenia solum ad nos translatus sit, hodie tamen & in Germania producitur, verbi gratia, in Comitatu Tyrolensi, sub nomine Melochites. Dicitur Arabicè Hager seu Hagiar, Germ. *Armenierstein Bergblau*. La pierre d'Armenie.

N. Præfertur colorato cœruleus.

Vires. Desiccat mediocriter, extergit cum levicula acrimonia & levissima adstrictione. Internè propinatus purgat sine noxa humorem Melancholicum, ἄνω καὶ κάτω. Verum si multoties (12. aliis 50.) lotus fuerit, purgat solum per inferiora. Hinc conducit in Mania, Melancholia, Epilepsia & similib.

Dosis in substantia ℈j. *ad* ℈iv. *Extrinsecus miscetur Medicamentis ocularibus, uti & Psilothris palpebrarum.*

PRÆPARATA.

1. *Lapis* creberrimè *lotus*, quem præparatum vocant.
2. *Pilulæ* d.l. armeno, *vide Disp.*
3. *Magisterium* fit l. commun. Lapis calcinatur per fl. Sulphur. hinc solvitur calcinatus in aceto fortissimo alkalisato aut mellito. *Querc. pharm. restit.*

N. Mallem equidem lotum adhibere lapidem, vel solutionem cum spiritu vin. perficere, quippe vis purgatrix aciditate infringi apta est.

LAPIS ARMENUS. Qui lapis *est cœruleus inspersus*, hinc inde *maculis viridibus*, valdè *congener lapidi LaZuli*, & non videntur inter se differre, nisi quòd lapis Lazuli sit quasi maturus & perfectus magis, hic imperfectus & immaturus: adeò ut lapis Armenus perficiatur ex luna immatura conjuncta adhuc cum venere sive cupro, *ex quibus duobus* metallis etiam *obtinent suas virtutes* lapis Armenus, & lapis Lazuli. Lapis *Armenus* etiam sæpiùs *solet reperiri in mineris*, ubi invenitur aut luna aut venus & ex his duobus participant imprimis lapides dicti vim operandi imprimis de venere. Dicitur lapis *Armenus, quia* olim allatus fuit *ex Armenia*, utut *hodiè* etiam *in Germania* reperiatur. Habet VIM *purgativam* egregiam, ex eo quòd participat de venere quæ, uti notum est, purgat *per superiora & inferiora potenter*, uti videmus in vitriolo veneris quod non ritè præparatum per superiora & inferiora purgat. Hinc in *Melancholia*, eaque tàm per consensum, quàm propriè sic dicta, item, in *mania* & aliis similibus affectibus egregium est remedium, purgat per superiora & inferiora: *sin verò lavetur* parum in aqua appropriata *purgat saltim per inferiora*. In *Epilepsia convenit*, quoniam participat de luna quæ dicata est capiti & affectibus capitis: *BOOTIUS in tr. de gemmis & lapidibus* in purgando capite, & morbis melancholicis lapidem armenum *præfert Elleboro*: Hinc in officinis prostant *pilulæ de lapide armeno*, quæ utroque modo tàm sursùm quàm deorsùm solent purgare. *GUAINERIUS* in affectibus capitis & melancholicis lapidem armenum *exhibet in formâ pulveris*, cujus usu se nunquam deceptum affirmat. Recepit *nempe*

Lapid. Armen. ℈ij.
croci. gr.x.
Macis ℈j.

sumatur in aqua saccharata q. s. idque si adhuc est crudus & nondum lavatus. Quòd si non est *crudus*, potest propinari ad ʒj. *Ratio operationis est hæc*, quoniam participat de luna quæ est dicata capiti & cerebro, imprimis & venus quæ solet purgare & sedes movere.

V. LAPIS CALCARIUS.

Lapis Calcarius, est lapis ille griseus, ex quo violentiâ ignis conficitur calx muraria, Germanicè *Kalckstein*. Pierre à faire la Chaulx.

Officinalis non est, nisi in PRÆPARATIS, quæ sunt.

1. *Calx viva.* Græcè ἄσβεστος. Arabicè Herach, Nure, Nura.

Vires. Est ignea, mordax, adurens, cumque progressu temporis crustam gignens.

2. *Calx lota* (è qua sal optimè s. a. elixiviatum.) Exsiccat sine mordacitate, adeoque valet ad contumacia ulcera (verbi gratiâ, venerea) uti & ad ambusta & alia, quæ non facilè curationem admittunt.

3. *Lixivium*, quod conducit ad vulnera putrida eluenda. [Ex hoc fit aqua Chirurgorum pretiosa ad ulcera venerea, serpigines, gangrænæ resistens.] Quin imò ex eodem fit aqua ophthalmica insignis, quam vide lib. 2.

[Cremor calcis vivæ decoctæ cancri exulcerati labia corrupta aufert.]

[Balsamus ad ambusta ex calce decocta Ol. simpl. rosar. ovorum.]

4. *Spiritus.* ℞. calcis vivæ q.v. læviga minutissimè, imbibeque cum spiritu vini alcalisato, (qui ab omni Phlegmate purus sit, aliàs incassum laboratur,) quantum scilicet imbibere illa potest, (non ad eminentiam) abstrahe spiritum vini leniss. MB. calore, cum cohobiis (8. vel 10. repetitis) sic fortificatur vis ignea calcis vivæ.

℞. Hujus calcis vivæ levigatæ, ℥x.
Sal. Tartari puriss. ℥j.
Capiti mortui Tart. probè priùs igniti ℥ɪɪ.

Misc. ac destilla ex Retorta lutata infra medietatem repleta, in excipula duo, quorum unum (in quo sit parum spirit. vin. rectificatiss.) destinatum sit suscipiendo spiritui, adeoque capacius; alterum (quod vacuum) exstillanti phlegmati.

Excipulum prius connexum sit cum canali ex alterius illius excipuli collo deducto: posterius sit collocatum, ut phlegma rectà delabi possit. Accenso igne stillat primùm phlegma, quod delabitur in excipulum vacuum; dein auctiori igne prodit spiritus albicans, qui per canalem in alterum illud excipulum ad spirit. vin. rectà tendit, eique sese commiscet, ut separari ab invicem difficulter possint.

Rectifica aliquoties, & separa leniss. calore spirit. vini in phiola, vel accende spiritum vini, qui afflagrabit remanente spiritu calc. viv. in fundo.

N. 1. Nisi calx viva initio cum spirit. vini, ad modum dictum fuerit impregnata, adeoque exaltata, incassum laborabitur, quippe defluit in excipulum minus, vique phlegmatis commixti nullius evadit valoris.

N. 2. Spir. primò flavus est, verùm leniter in ciner. rectificatus clarescit.

Vires. Summum est arcanum in atterendo, radicitusque pellendo calculo, cujuscunque speciei, aut loci. Confert & Podagricis. Pulmon. nocet.

In usu Pharmacopœtico solvit Crystallos, oculos cancrorum, lapidesque durissimos. Kesl. lib. 1. c. 80. spiritus minerales volatiles figit. Basil. in rep. L P.

N. Alii miscent calcem vivam cum bismutho, ac destillant ex retorta in receptaculum capaciss. aliquot (sex) mensuris igne adimpletum.

5. *Hinc spiritus calcis vivæ alcalisatus.*

℞. Sal calcis vivæ, solve in spiritu calcis vivæ, ac forma globulos cum argilla, vel misce cum pulvere laterum, destillaque per retortam.

LAPIS CALCARIUS. *Ex quo* beneficio ignis fortiter calcinando præparatur CALX VIVA De hoc lapide calcario, & imprimis de calce viva, (nam lapis per se non adhibetur) & ejus effervescentia, oriundâ ex acido & alcali mutuo in se invicem agentibus idem quomodo ex calce fiat lixivium, quòd rodendo arenas, abeat in vitrum,

&

& quomodo eadem ſeparanda, cauſæ hujus aperto ſcrutinio videntur declaratæ in *TACHENII Hippocrate Chymico*, ubi ex hac ſimplici mechanica multa in natura occulta demonſtrat. Quod attinet calcem vivam, *lapis calcarius nullius eſt uſus, niſi poſt uſtionem*, in qua occulta exſuſcitata ſunt ſalia alcalia & acida, quæ affuſa aqua ſimplici in ſe agunt: ſalia enim non agunt niſi diſſoluta, & dant efferveſcentiam. *Calx* nuda *non extincta* non habet uſum officinalem, *niſi* quòd interdùm ſoleat adhiberi *tanquàm causticum*, quòd corrodendo inducat eſcharam in Fontanellis, quoniam verò aliud habemus, merito illius uſus negligitur. CALX LOTA *fit* ita; affunditur calci vivæ aqua ſimplex, & poſt factam efferveſcentiam decantatur aqua & nova affunditur, tamdiu donec remaneat caput mortuum ſine omni acrimonia & corroſivitate. Hæc calx lota magnum *habet uſum in* morbis externis, imprimis *in ulceribus quibuſcunque*. *Solet* enim in iis ceu ſitibundum *abſorbere acidum* ulceroſum ſive corruptivum ulceris, ejuſque progreſſum impedire, & ita curare etiam progreſſu ulcera. Deinde *exſiccat potenter*, & aſſumit humiditatem ſuperfluam, ſicq; carnis regeneratione & *cicatriſationem promovet*. Calx lota *refrigerare dicitur* externè applicata, ex eo quoniam inflammationis, excandeſcentiæ ut plurimum oriuntur ab acido tanquam cauſa, hoc autem abſorbet, ut inde non mirum videri queat, ſi ſublata cauſa ceſſet effectus. *Inſperſa* hæc calx lota ulceribus antiquis malignis *dyſepuloticis & cacoëtheis* iis potenter *medetur*. Præ cæteris ex calce lota *fiunt unguenta, linimenta & emplaſtra*, eorumque compoſitiones videri poſſunt in omnibus Diſpenſatoriis, ſimplex *balſamus ad combuſtiones* multum commendatus eſt: *ſic* ℞. calcem vivam recentem, quam projice in aquam ut 4. vel 5. digitos aqua emineat, & ubi efferbuerit, affunde oleum roſarum, & ſubito gelaſcet in modum butyri, multi uſus ad combuſtiones, & ad vulnera præſtantiſſimum: *vel* ſumitur tantùm calx viva benè lota, permiſcetur cum oleo appropriato in mortario plumbeo, in conſiſtentiam unguenti, & fit egregium unguentum ad ambuſtiones. Dico in mortario plumbeo, quoniam in agitatione & miſtione abraduntur particulæ à mortario; jam vero ſaturnus *eſt egregius in ambuſtionibus*: & ſic unguentum ſimplex acquirit majores vires reſiſtendi ambuſtionibus. Hinc inde proſtant compoſitiones. Recipitur etiam contra alia ulcera lixivium, ſeu iſta aqua in quâ calx fuit extincta, vocatur communiter aqua CALCIS VIVÆ. *Ex hoc* lixivio poteſt præparari ſal *corrodens*, utile ad cauteria, utut hoc veſicatorium eſſe neget *ZUVOLFERUS*, licet falsè. Aqua calcis vivæ vocatur communiter aqua *pretioſa*, vel aqua *benedicta Chirurgorum*, propterea quod in Chirurgia tota tam in tumoribus quàm ulceribus quibuſcunque *mira præſtat*. Nam in *ulceribus Gallicis*, in ulceribus *antiquis corrodentibus*, in *ambuſtionibus* miro cum fructu adhibetur: *Inflammationes* tàm per ſe, quàm ſi ipſi addatur ſaccharum ſaturni *arcet*: Calorem diſſipat & dolorem demulcet: *Gangrenæ reſiſtit*, eamque mirabiliter ſanat, quod verum eſt. *In Herpetibus* & *ſerpiginibus* tàm *ulceratis* quàm *non ulceratis*, eſt magnum remedium, *arcanum HARTMANNI*, à quibuſdam etiam *ad* cancros commendatur: Et hos affectus *præſtat beneficio ſalis acidi moderati & alcali abundantis*, quæ hauſit ex calce vivâ, hæc duo ſalia tranſmutantur invicem in ſalſum, quod tamen adhuc ſapit alcali, unde in affectibus ab acido oriundis egregium eſt: quos omnes effectus præſtat *melius*, jucundiùs & tutiùs, *ſi miſceatur cum ſaccharo ſaturni quod* eſt columna Chirurgorum, quoniam reſiſtit acido, *qui* enim Chirurgus *ſcit compeſcere acidum in ulceribus, multa ſcit*, inflammationem ſic aufert, ut poſtmodùm feliciùs ſequatur ſanatio & conſolidatio: Hæc aqua eſt egregia *contra ſcabiem*, ſi *ſola* adhibeatur in ſcabie ſimplici ſi verò permiſceatur *cum* mercur. dulci fit appropriata *in ſcabie contumaci*, exulcerata, maligna & Gallica, & fit *convenientior*, *ſi* calx viva *extinguatur in aqua appropriata*, ſi ad ulcera vel vulnera in aqua vulneraria ſi in compeſcenda Gangræna in aqua pomorum Borsdorffianorum, &c. In talibus affectibus externis in aqua calcis vivæ tepida *humectatur linteum, applicatur*, & *ſæpius* ſæpiùſque *renovatur*, & ſic egregios producit effectus. In ſummitate talis aquæ cum qua extinguitur calx viva, ſupernatare ſolet ſubſtantia ſubpinguis, & dicitur CREMOR *Calcis vivæ*, qui colligitur *in ſuperficie* ejus, & *inſpergitur* labiis ulceris cancroſi, ſeu *labiis cancri exulcerati*, & ſic pars corrupta cancroſa abſumitur, remanente ſanâ. *Si in decocto raparum* colato extinguatur calx viva, eſt excellentiſſimum remedium *contra ambuſtiones*. *Si* aqua *calcis* vivæ *addatur* aliquod oleum ſubitò *ambo coagulantur* in butyrum, ex eo, quoniam alcali calcis vivæ arripit acidum olei, & mutuo congreſſu ſe uniunt & abeunt in talem ſubſtantiam butyraceam. Unde *permiſta* aqua calcis vivæ *cum oleo lini* erit expertum *remedium in ambuſtionibus*. Hæc fuit aqua ſimplex calcis vivæ: præterea fiunt aquæ *calcis vivæ compoſitæ*, pro varietate ſcoporum variantes. Sic verbi gratia fit aqua calcis vivæ contra gangrænam appropriata, quæ multùm commendatur imprimis à Chirurgis Gallis, qui multùm hac ipſa aqua præſtant in gangræna, Arcanum hujus aquæ elegantis conſiſtit in hoc, ut *permiſceatur mercurius ſublimatus cum aqua calcis vivæ*, eaque pro varietate circumſtantiarum plùs vel minùs, ut nunc reddatur acrior nunc mitior, prout volumus eandem magis corrodentem, ſive aſſumatur mercurius ſublimatus, ſeu dulcis perinde eſt, permittùntur ut bulliant ſenſim, filtrantur & eſt *aqua phagadænica* appropriata *in Gangræna*. Præterea commodè *huic aquæ admiſcentur* aliquot. ℥æ. Spiritus vini benè dephlegmati: Nam ſpir. vini additus, aquam appropriatam in gangræna reddit magis penetrantem, 2. ſpir. vini tanquam ſulphureus temperat blandè nimiam & exceſſivam acrimoniam ſalium, tàm calcis vivæ, quàm mercurii ſublimati, & ſic tutiùs uſurpatur talis aqua *in gangræna*, quæ etiam jam *occupat partes nervoſas*; Magni præterea eſt *uſus in vulneribus ſclopetorum*, ubi ſimul os eſt fractum, ubi ingens incaleſcentia & nimius dolor, modo in principio *addatur ſuccus* XII. *cancrorum fluviat.* qui contundantur vivi, & adſpergantur pauco phlegmate aluminis, & addatur hic ſuccus iſti aquæ, ſicque erit magis appropriata in vulneribus talibus ſclopetarum. *Proportio ingredientium* eſt hæc:

℞. *Aqua Pluvialis vel communis* ℔.xx. indantur in vas ſtanneum, & addantur. lib. IV. *calcis vivæ*, hæc permittantur ut extinguantur lente, hoc facto quando ebullitio ceſſavit, addendæ ſunt ℥ij. *arſenici pulveriſati* & ℥j. *Maſtiches* electi & pulveriſati. Hæc omnia benè ſunt agitanda cum ſpatula lignea, & relinquenda, donec pulv. calcis ſe in fundum præcipitet tunc decantanda eſt. Aqua ſupernatans clara, cui addatur mercurii *ſublimati pulveriſati* ℨij. *ſpiritus vini* benè dephlegmati ℨiv. *ſpiritus nitri* ℨij. miſceantur & reſerventur, pro uſu. Hæc eſt aqua iſta valdè pretioſa & arcana habita à Chirurgis, nihilominus à perito Chirurgo cum ſit magis compoſita quàm prima, uſurpanda. Quòd ſi hæc poſterior ſit nimis adhuc corroſiva, ulterius *poteſt temperari* additione vel ſpiritus vini, vel phlegmatis vitrioli vel phlegmatis nitri aluminis, & vid. vel BARBETTE *in Chirurgia vel le Febure*. Cum hac aqua fit etiam aqua *ophthalmica*,

mica, de qua superius, ubi habebimus aquas compositas. Calx viva si *cum aceto extinguatur*, & ter lavetur, ac *cum oleo rosarum* ad linimenti formam redigatur, è vestigio *solet curare ambusta*, absque vestigio cicatricis, nec bullas elevari permittit. Quidam recipiunt pro unguento ad combustiones *albuminis ovorum* N. 2. *Tutiæ Alexandrinæ*, *Calcis vivæ lotæ* ana ℥ij. *ceræ* recentis ℥j. Misceantur cum s.q. olei *rosacei*, quod est egregium *unguentum in ambustis*. Habet præterea etiam alium usum calx viva: à *ZUINGERO* enim Calx viva *extincta* probè commendatur *in Clysteribus Dysentericorum*. Item in usu Chymico *solet* aqua calcis vivæ recens *destruere salia volatilia*, eaque *in terram* transmutare, quæ transmutatæ multum in recessu habet. Propterea etiam calx viva à quibusdam solet adhiberi *ad fixationem salium* volatilium, quod ipsum tamen rejicit ZWOLFERUS *in Animadvers. pag.* 276. Contra *dolorem crurum* est *pediluvium*, si calci vivæ affundatur aqua fontana recens, & relinquatur ita per aliquot dies, postmodum immittuntur in illam pedes, & subitò sedare dolorem dicitur. Pertinent huc THERMÆ ARTIFICIALES, quas primus docuit *ZUOLFERUS in Mantissa Hermetica pag.* 401. Dum cum calce viva miscet sulphur superaddito interdum etiam nitro & huic misturæ affundit aquam calidam, sic enim fit, ut calx viva effervescendo cum aqua, solvat sulphur & nitrum, ejusque virtutes eliciat, & ita easdem acquirit virtutes, quas Thermæ obtinent naturales sulphureæ, pro omnibus iis affectibus, ad quos adhibentur Thermæ naturales, quæ Thermæ artificiales multum in recessu habent, & qui sciunt modum parandi, possunt etiam facilè judicare, ad quos usus adhiberi queant. *Modus est* elegans nec unquam *inventus* nisi in *ZUOLFERO*. Dixi quod aqua Calcis vivæ misceatur cum Saccharo saturni. Proportio est hæc: ℞. *Calcis vivæ* quantum vis, cui super infunde *rorem majalem*, & donec efferbuerint relinque, deinde per linteum cola: Colaturæ ℞. mensur. 1. *Sachar.* saturni ℨß. vel ejus loco mercurii *dulcis*, lava ulcera antiqua hac aqua, tepida & madefacta linteola super impone, sanat ulcera, & fuit *secretum D. Cunzii in ulceribus antiquis*. Ulteriùs calx viva *habet vim antinephriticam* pellendi & alterandi calculum; Sic D. *SULZBERGERUS* Parens habuit tincturam *antinephriticam*, quæ fuit facta *hoc modo*. ℞. *calcis vivæ* partes 4. tartari *crudi* partem 1. vel 2. coquantur in olla cum aqua *fontana*, posteà filtrantur & coagulantur, & postmodùm elicitur cum spir. vini. Hæc tinctura in *calculo* & *morbis Tartareis* insigniter prodest. Si loco spir. vini simplicis sumatur spirit. nephriticus compositus, utique tinctura erit eò potentior. *Spiritus calcis vivæ* est non-Ens: Nam si hoc modo velit aliquis præparare spir. calcis vivæ, nunquam acquiret, quòd verum est.

VI. LAPIS CALAMINARIS.

Cadmia lapidosa, cadmia metalli expers, est lapis fossilis, subflavus, non admodum durus, luteum dum accenditur, fumum eructans, German. *Galmey*, *Galmeystein*. La Cadmie pierreuse.

Reperitur sæpius in metallorum fodinis.

Vires. Siccat leniter, extergit, adstringit, ulcera carne replet, cicatricem inducit. Adhibetur solùm externè, creberrimoque usu infantum excoriationibus exsiccationis ergò inspergitur.

N. Utuntur ea & ærarii ad conficiendum aurichalcum, cuprum enim pallere facit.

PRÆPARATA.

1. *Lap. Calamin. præparatus.*
2. *Emplastr. è lapide calaminari, vulgò Zeltenpflaster. August.*
3. *Empl. Griseum de lapide calaminari. August.* [*differt à superiori, quòd etiam Myrrham & Camphoram contineat.*]
4. *Magisterium lapid. Calaminar. S. Closs.*

Solvitur in part. x. sublimatus Sal. com. deinde præcipitatur pulvis rubens cum Ol. Tart. more vulgari, & dulcoratur sæpius aquâ calidâ.

Evacuat per vomitum & secessum, mitiùs quàm antimonium præparatum.

[*Oleum lapid. Calamin.*]

LAPIS CALAMINARIS. Qui aliàs vocatur *Cadmia lapidosa*, *est subrubicundus & subflavus*: unde à *GLAUBERO* non immeritò dicitur, quòd *habeat in se sulphur aureum*. *Usus* externus ejus est Chirurgicus, quoniam *in vulneribus* consolidandis & carne replendis valdè conducit, *sive* sub formâ pulveris inspergatur, *sive* unguentis admisceatur. In excoriatione *infantum*, inspergitur non sine successu. Hinc *Emplastrum de lapide calaminari* est egregium in suprà dictis casibus, malaxatum cum oleo. Nicotianæ. AUCTOR etiam docet modum parandi *magisterium purgans* ex lapide calaminari, quòd videatur, quoniam sulphure solari dotatus est lapis calaminaris, propterea creditur à *GLAUBERO*, quòd possit conducere ad *fixationem mercurii*. A mechanicis *adhibetur* lapis calaminaris *pro parando aurichalco* ex cupro, scilicet ℞. veneris s. cupri puri partes 100. & lapidis calaminaris partes 30. hæc omnia liquant, forti igne funduntur & coëant; & sic fit aurichalcum, quòd naturam veneris tantùm retinet. Beneficio lapidis calaminaris *GLAUBERUS concentrat spir. Minerales*, imprimis quidem spir. salis. Nam si pulvis lapidis calaminaris inspergatur spir. salis, & exsiccetur, lapidis pulvis congelatur in duritiem lapideam, qui lapis per retortam destillatus reddit spir. salis concentratum, id est rectificatissimum sine omni phlegmate, & propterea acidissimum, qui spir. multùm *confert*, Autore *GLAUBERO*, in *Hydrope*, quoniam fortiter pellit per urinam. PRÆPARATIO lapidis calaminaris *fit*, quando extinguitur incensus, vel in acet. vel aquâ pluviali, vel in alia quâdam aqua appropriata. Quando auctor præparare docet ex lapide calaminari *magisterium purgans*, habet illud vim suam purgantem ex immaturo metallo auri. Nam *omnia metalla immatura fortiter purgant* tam *per superiora*, quàm *per inferiora*. Unde & lapis calaminaris talem vim obtinet, quæ vis est in lucem protracta beneficio spir. salis.

CALCULUS HUMANUS.

QUI à quibusdam *vocatur*. LUDUS HUMANUS, à *PARACELSO* vocatur proprio vocabulo DUELECH, quoniam è spiritu urinoso urinæ & acido est concretus & coagulatus: *Commendatur ad resolutionem calculi* in renibus & vesica, si scilicet artificio Chymico *reducatur* in suum *primum Ens* & oleum *quod* oleum calculi humani parare *noverunt PARACELSUS & HELMONT*. quod oleum resolvit & in liquorem, & mucilaginem reducit lapides coagulatos in renibus & vesica: sed *præparatio est occulta*, & sunt qui non sine ratione putant eandem fieri *per liquorem alcahest*. Ad ejus imitationem sunt multi, qui volunt parare oleum calculi humani, *calcinando* illum, sed operam & oleum perdunt, quoniam nullam planè vim nephriticam & calculi resolutivam exinde acquirunt, sunt qui dicunt, quòd *calculus* humanus, *qui primum prodeat* ex homine nephritico, assumatur pulverisatus, per totam vitam *præservet à calculo*, quod tamen falsum arbitror. *Solvitur* hic calculus humanus *in spirit.* salis & exsiccatur, postmodum in loco frigido resolvitur in liquorem, qui LIQUOR ad gutt. x. xv. xx. propinatus commendatur in pellendo, alterando & resolvendo calculo. Hoc modo etiam ex aliis lapidibus fiunt

ligno

liquores nephritici, uti vocantur: Sic ex oculis cancrorum, lapide Judaico, Lazuli, lincis, spongiæ, aquilæ seu ætite, glaciei &c. quantum vis, horum pulv. solvuntur in oleo vel spir. salis & quod solutum est, abjectâ remanentiâ sordidâ, coagulatur in leni calore ut inspissetur, materia inspissata denuò pulverisanda est & resolvenda in cella, iterum coagulanda, & cum humectatione acet. destillat. pulverisanda, donec non ampliùs se coagulare permittat, qui liquor dictus liquor nephriticus, pellit calculum per urinam & ceu *magnum secretum* in eodem commendatur: quidam non tam operosè præparant, sed quando semel fuit solutus, recipiunt pro liquore nephretico: Potest etiam addi calculus humanus, ut magis fiat appropriatus. Præterea *calculus humanus est* revera lapis *Bezoardicus Microcosmi*, quoniam non minùs *resistit malignitati*, nec minùs convenit in *febribus malignis* & pestilentialibus, quàm lapis Bezoar orientalis, imò in ipsa *peste præfertur* etiam *lapidi Bezoar orientali*, uti videri potest in *BONTII Commentario in Garziam ab Horto. TULPIO lib. 3. observ. c. 4.* Denique etiam *BARBETTE de peste p. 21.* Præterea calculus humanus satis *est* egregium *arcanum in curandis philtris assumtis*, præmissis universalibus imprimis vomitorio, quæ observatio elegans prostrat in observat. *HEINRICI ab HEER; Obs. 13.*

LAPIS CERAUNIUS, [der Donnerteil.]

SOmnum provocare dicitur; item *Herniam* curare, & ab ea præservare, testante non tantum *BOOTIO de gemmis & lapidibus*, p. 481. & ex eo *WORM. in Museo*, sed etiam *BORELLO Cent. 6. Observat. 86.* Præterea Ceraunius lapis est in singulare *experimentum in cura Icteri* flavi, item in cura *hydropiseos*: id quod præstat imprimis, si misceatur pulv. Ceraunij præparatus cum pulv. exuviarum serpentum. Fit enim sic pulvis compositus arcanissimus in Hydrope & Ictero flavo.

VII. CRYSTALLUS.

CRystallus lapis transparens est, aquam in glaciem congelatam omnino referens. Dicitur Crystallus, κρύος, id est, gelu, & στέλλω, idest contraho, Germ. *Crystall.* Du Crystal.

[N. Calcedarius, crystallum, in cujus medio liquor fluctuans, habuit. Vide Mus. Veron.]

N. Gemmam, si vocare libet, licet, modò omnium molissimam dixeris, vel à similitudine coloris, qua gemmas colorata crystallus refert, Pseudo-gemmam, verbi gratia, pseudo-beryllum, pseudo-topasium, pseudo saphirum, pseudo smaragdum, quæ veris gemmis molliores sunt. Sic & Iris vocata gemma à colore, quem fronti applicata exhibet, Crystalli species est.

Invenitur in variis locis, etiam in Germania, Bohemia, Ungaria, Cypro & Lusitania, & nonnunquam in agris.

Delectus.

Quanquam coloratæ minimè negligendæ sint, ac præcipuè pseudo adamas, quæ aliis nobilior; attamen in præparationibus Chymicis recipitur Crystallus propriè sic dicta, quæ eligenda est purissima, pellucidissima, ac eximiè intensa.

Vires. Facultatis est adstrictoriæ, adeoque confert dysenteriæ, diarrheæ, cæliacæ, choleræ, fluxu uterino: præbet lactis abundantiam, atterit calculum totius corporis, hinc prodest & podagricis.

Si pulveris ℈ij. vel ʒj. pondere cum oleo amygdal. dulcium exhibeatur, curat eos, qui mercurium hauserunt. Boët de *Boodt*, Matthiol. vid. Heer.

N. Sunt qui Crystallum radiis solaribus objiciunt hisque concentratis cutem inurunt, loco cauterij.

PRÆPARATA.

1. *Præparata in specie sic dicta.*

Fit leg. commun.

2. *Sal Crystallorum.*

Chrystallus calcinata solvitur in Acet. destill. vulgari Terebinthinato s. a. solutio filtratur, abstrahiturque ad siccitatem. Materia remanens, Sal Crystallorum purificatur ut moris.

N. 1. Alij calcinant Crystallos primo cum *venere*, dein cum Sal. nitri. Alij è contra, priorem calcinationem cum Sal. com. peragunt, posteriorem cum Sulphure. Alij alterutrâ saltem calcinatione Crystallum solubilem reddunt (exempli gr. Quercetanus & Boëtius de *Boodt* cum Tartaro.) Quidam præmittunt ignitionem, vel simplicem, vel restinctoriam. Quæ diversitas neminem moveat, modò Crystallus solubilis fiat. Vide Notas de Calcinatione Lapidum in genere.

[Calcinari etiam dicitur Crystallus peculiari aqu. Fort. & mollescere instar pultis, recuperare duritiem immersione in acetum.]

N. 2. Calcinatio vera Crystalli extat in Nuisement de l'Esprit de l'univers, p. 140. Ex hac calce elicitur Sal nephriticum per ebullitionem in aq. urtic. major. fortificata suo proprio sale, & ℥ij. spiritus Salis marini; colore virid.

N. 3. Si Salis hujus usum sine mora expetieris. ℞. Crystallos grosse contus. candefac ac extingue in aqua Raphani, Ononid. Petroselin. & simil. acuata spir. vitrioli vel ole. Sulphur. idque multoties (decies) repetatur: filtraturæ, si libet, adde sacchari q. pl. ac hac habes aqua ononidis, & simil. Crystallisatum. Boëtius de *Boodt*.

N. 4. Alij loco Acet. destill. adhibent aquam destillatam Urticæ minoris, Boëtius de *Boodt*.

N. 5. Neque confertim, neque continuò Sal Crystall. exhibere licet, præsertim ubi natura languidior extiterit. Hartman. in Croll.

Dosis salis à gran 6. ad 16.

Huc pertinet Crystallus.

Crystallisatus, ℞ salis crystall.
nitri ā q. v.

f. solutio in aceto destill. hinc evaporatio ad Medietatem, & crystallisatio loco frigido.

Vires. In febribus ardentibus & intermittentibus exhiberi potest, vel solus ad grana aliquot, vel mixtus arcano duplicato.

3. *Magisterium Crystalli.*

Solutioni (cum aqua urtic. factæ, &c.) instilla Sal. comm. fusi aliquid, & præcipitabitur, decanta, elue, exsicca.

4. *Oleum liquor Crystallorum.*

Solvitur Sal Crystallorum per deliquium, ut moris. *Sennert. Institut. libr. 5. part. 3. s. 3. cap. Medull. destillat.*

Dosis gran. xv. ad xx.

5. *Elixir. Crystalli.*

Fit volatilisatione Salis Crystallorum. Nimirum

℞. Salis Crystall. optimè [iteratis solutionibus ac coagulationibus] purificati, q. v. digere in fimo equino, vel ejus vicario MB, cum spirit. vin. vel cum aqua urticæ [vel potius cum spirit. vin. supra urticam destillato,] per dies ac noct. 14. Dein destilla per cucurbitam humilem, retortamve: sic menstruum secum aliquid Sal. transferet, remanenti materiæ affunde recens menstruum, idque toties, donec Sal ferè totum ascenderit. Serva pro usu.

Boëtius de *Boodt*, Beguin.

6. *Essentia Crystalli.*

Destilla Elixyr Crystalli, & abstrahe menstruum lento MB. calore, ad consistentiam mellis, vel si placet inspissa.

N. Keslerus Elixyr Crystallorum paret hoc modo.

1. *Crytallos* calcinat ignitione restinctoriâ in Acet. destill.
2. *Calcem* hanc comburit cum Sal. nit. horis duodecim.
3. *Hujus Massæ* ℥iv. affundit Acet. destill. ℥x. digerit per dies ac noctes. 2. vel 3. in MB. abstrahit ad siccitatem Acet. destill. remanentiam resolvit per deliquium, oleumque rubrum seorsim colligit. (neglecto albo, quod à Sal. nit.) rubrum illud digerit per diem ac noctem cum vino, facesque subsidentes rejicit, Claram solutionem cum liquore, e. g. cum vino exhibet, idque quotidie ter Kesler. lib. 3. cent. 44.

7. *Cremor*

7. Cremor Crystalli.

℞. Crystall. in Alcool redacti, Sal Tart. defœcati ana ℥ij. calcinentur in furno Anem. vel in fornace figulina, in testâ vitreatâ cum operculo foramine pervio, donec vasa figuli perfecta sint, postea in aq. Urtic. minor. projiciantur & omnia solventur in aquam lucidissimam viridis coloris: si quid pulveris in mundo maneat, abjiciatur, liquori verò prædicto immitte parum Sal. comm. fusi pulverisati, ubi pulvis fundum petet.

Hujus edulcorati dosis à ℈ß. ad ℈j. vel solitariè (vel cum cremore Tart. in hydrope & calculo commendatur. Habuit S. Cl. ex commun. D. Greg. Hortij fel. memor.

[Poterius liquoris sive olei multiplicabilis (Sulphuris) meminit per Alcool Crystalli, unciâ mensis spatio unciam producente.]

[Fulminaris lapis, s. Ceraunia, cunei pyramidalis plerumque figura, unde Donnerkeil vel securis, Donneraxt, &c, Hanc mulierculæ in defluxionibus in genas, mammillas, &c. affricant: In Hydrope & Ictero etiam proficuus dicitur.]

Glossopetra seu lingua serpentina Melitensis, Schlangen oder Natrzung, cortice splendido subcinereo (qui nigricante melior) minutim ad latera serrata, Terræ sigillatæ vel Bol; Armenæ virtute pollens æstimatur, ad venenatos animalium ictus & morsus, venenaque arcenda, epilepsiam, lumbricos, variolas & morbillos malignos assumpta, dystociam manu detenta, difficilem dentitionem appensa. Oculi lutei serpentum Glossopetræ connascuntur, viribusque æquales putantur. Inveniri etiam in ericeto Luneburgensi dicunt pyramidales glossopetras.]

CRYSTALLUS. Est *gemma* quasi quædam *ignobilis*: revera est *simplissima* aqua à salino principio interno *coagulata*, cujus elegans *figura hexagona & octogona* quando fit coagulatio sive unitio in minera oritur *ex* interno *principio salino*: quia omnia *salia suam determinatam habent figuram*, unde & iis rebus, quas coagulant, eandem figuram imprimunt, eademque, nisi impediantur, insigniunt. Sic verb. gratiâ, sal semper concresit in forma octogona; nitrum semper concresit in forma conica rotunda vitriolum in cubica, & sic porrò: ita interno principio constant, cùm adspirent in formam octogonam seu octoëdriam coagulati crystalli, & sub hac forma sese sistant. Quod attinet VIRTUTES crystallorum, valde conveniunt imprimis *in affectibus ab acido* ortis, ubi effervescentias ab acido obortas præcipitant. Est enim crystallus gemma mollis, quæ à levi acido potest quodammodo solvi: unde quod est acidum p. n. in corpore nostro effervescentias causans removet. In nimia *acrimonia salium* egregia præstitit. Unde *specificum* est crystallus *in cholera* morbo, teste *LANGIO* non tantum *lib 3. Epist. 1.* sed etiam propria. *HENRICUS ab HEER* confirmat *in observationibus Obs. 1. p. 25.* Præterea crystallus *auget lac*, imprimis si misceatur cum lacte lunæ *sistit vomitum æruginosum*, quem vocant seu viridescentem, quoniam in tali vomitu ut plurimum peccat acidum ex pancreate vitiosum. Præterea *fluxum* uterinum *album* compescit: *FREITAG. in aurora Medicorum secretum antidotum* & digestivum vocat *bilis æruginosæ*, i.e. acidi Pancreatis cum bile permisti, quòd facilè apapparet iis, qui sciunt quid sit æruginosa bilis. Expertum quoque *est remedium contra Mercur. sublimatum*, interius assumtum, quando acrimonia corrosiva Mercur. sublimati corrodendo stomachum dat cardialgiam, lipothymiam, intensissima tormina, & similia symptomata: observatum enim est, quòd crystalli acidum absorbeant, & tormina cessent, teste *VALERIOLA lib. 1. obs. 7.* qui quendam ex mercur. sublimato inconsideratè sumto præter externa *curavit* hoc pulvere:

℞. *Crystall. mont. purissimorum.* ℥j.
Theriacæ electæ. ℈ij.
Butyri recentis. ℥j.
Decocti hordei, q. s. Misceantur pro aliquot dosibus.

Aliàs in eodem casu *etiam convenit* oleum tartari per deliquium, quoniam ceu alcali fixum præcipitat acidum Mercur. sublimati, & acidum promptè se jungit cum alcali, & Mercur. regeneratur derelictus ab acido, fitque tertium salsum in ventriculo sine noxa ulla, sicque cessant tormina. *Sub lingua* detentus crystallus *ad sitim* compescendam prædicatur: uti etiam *tergo applicatus*, ex adverso mammillarum *lac imminuere dicitur.* Aliàs ʒj. crystalli pulverisata mista cum oleo amygdalarum dulcium adhibetur cōtra Mercurij sublimati virulentiam. Si crystallus appendatur collo, ceu *amuletum contra vertiginem* commendatur. In *cancro oris infantum* pulv. crystallorum valdè laudatur uti etiam *in putredine Gingivarum,* & *in dealbandis dentibus* adultorum, imprimis si fiat *pulv. compositus*, ex *pulv. crystallorum* part. 1. & ß & huic addantur 3. partes *piperis pulverisati*: hic pulv. in putredine gingivarum, & dealbandis dentibus est egregius. Inter PRÆPARATA præparatur in specie sal *crystallorum*, sed *est* tantùm *solutio* coagulata; Nam *gemmæ non dant* sal. commendatur nihilominùs in affectibus calidis, in *inflammatione Epatis, siti, ardore faucium*, uti etiam in *anginâ*. Quando dicit auctor, quòd loco acet. destill quidam addant aquam destillatam urticæ minoris, & hoc modo præparant SYRUPUM *crystallorum*, in quâ quò sæpiùs, eò meliùs extinguunt crystallos calcinatos sive ignitos, & cum s. q. sacchari coquunt in consistentiam syrupi, qui est *egregius in* exturbando *calculo, pellenda urinâ*, arenulis, in *stranguria* & similibus affectibus urinariis. Hoc sal crystallorum, si in loco frigido fluit, exinde acquiritur LIQUOR crystallorum, *ad affectus nephriticos* egregius: qui liquor præterea valdè commendatur *in albo fluxu* mulierum: item *in cœliaco fluxu. Alij* parant alio modo liquorem crystallorum, dum ℞ Crystallorum pulverisatorum ℥j. admiscent huic salis armoniaci ℥iij. sublimant invicem sexies, abluunt & in loco frigido per deliquium fluere sinunt, qui liquor etiam *ad nutricum lac augendum* commendatur. Quòd si exhibeatur cum oleo amygdalarum dulcium *in disenteria* & fluxu mulierum *albo* singularis creditur.

VIII. HÆMATITES.

Λίθ@ αἱματίτης. Lapis est, vel terra duriuscula, sanguinem colore æmulans. Arabicè Scedenigi. Germanicè *Blutstein*, la pierre Hematite, ou Sanguine.

N. 1. Lapis Hamatites nostratibus officinis usitatus, differt à veterum hæmatite.

N. 2. Interdum niger est, interdum ferri colorem habet.

Reperitur Lapis Hæmatites Officinarum in variis Germaniæ locis. Sæpè inter rubricas & ferri fodinas, quales propè Joachimicam vallem Bohemiæ, item circa Breslam: aliquando ex Ostracite nascitur, ut propè Hildesheimium contingit. Excoquitur in ferrum lapis hic, adeoque ferri materia existit. Fit etiam hæmatites ex magnete usto.

Optimus habetur friabilis. saturato colore niger, qui per se durus est & æqualis, nulla sorde admista, aut septo intermedio habetque cinnabari similem colorem, sed saturatiorem; loci natalis ratione, Hispanicus præstat.

Vires. Refrigerat, exsiccat, adstringit; glutinat, adeoque convenit ulceribus oculorum & pulmonum, oculis lachrymantibus sanguinis expuitioni medetur, profluvia, v. gr. hæmorrhagiam uteri, alvi. &c compescit.

Datur pollen internè à ℈j. ad ℈iv. Externè modis variis adhiberi potest.

PRÆPARATA.

Hæmatites præparatus fit leg. c. cum aqua adstringente, verbi gratiâ Plantaginis vel Tormentillæ.

N. 1. Hæmatites per retortam exhibet spir. odore ac sapore spiritum vitrioli æmulantem.

N. 2. Hæmat. cum sal. ammoniac, sublimatus pulverem præbet insigniter diaphoreticum, coloris aurei, valde jucundum. [Aroph. Paraselsi, quasi aroma Philosophorum.]

N. 3. Pollen cum aqua diaphoretica maximo cum fructu podagricis exhibetur.

Ex com

Ex communicatione Clariss. Dn. D. Langelots.
[Tinctura etiam parari potest ex Hæmat. cum sp. salis comp. vel sp. nitr. reclus. per spir. Vini.]

HÆMATITES. *Coloris est sanguinei*, qui est lapis quidem compositus, *participans de minera martis & etiam de minera saturni* quod participet de marte patet ex eo, quoniam *reperitur in ferrifodinis*: deinde quòd solet in quibusdam locis elegans ex illo parari ferrum per fusionem: imò quòd *interdum instar magnetis ferrum trahat*; In specie potest probari, quoniam artificio Chimico ex Saccharo saturni & vitriolo martis potest præparari *hæmatites artificialis*, simillimus hæmatitidi naturali, qui easdem habet propietates & eosdem effectus, atque etiam eodem modo potest præparari, sublimari &c. sicut hæmatites naturalis. *Nomen* obtinet *à colore* rubicundo partim, partim à virtute in sistendis hæmorrhagiis, *ubi est egregius*, ex quocunque loco *effluat sanguis*: sive ex naribus sive ex partibus muliebribus, sive alio ex loco, per anum in Dysenteria, hæmorrhoidibus &c. Sic ad pulmoniacam & *hæmoptoicam passionem* commendatur *à VVORMIO*, & virtutes ejus in *sputo cruento* laudat *ZACUTUS LUSITANUS lib. 2. hist.* 105 vid. præ cæteris *BAUSCHIUS in tr. de hæmatitide*, qui copiosa experimenta hinc inde colligit, quibus demonstrat ejus vim in omnibus sanguinis excretionibus tam naturalibus, narium &c. quàm præternaturalibus in phtisi; in Ulceribus renum & vesicæ, uti etiam in aliarum partium internarum ulceribus & affectibus, qui sat prolixus est in iisdem declarandis. PRÆPARATIONES hæmatitidis *sunt variæ*, præ cæteris tamen solet præparari *cum sale ammoniaco* sic enim *dat flores* rubicundos, si scilicet pars 1. lapidis hæmatitidis cum partibus ij. Sal. ammoniac. sublimentur, sublimatum solvitur in aqua & præcipitatur cum oleo tartari i.e. caput mortuum, sive id, quod restitit post sublimationem, solvitur, similiter in aqua filtratur, coagulatur aqua forti, & extrahitur cum spir. vin. *Isti* flores cum sale ammoniaco sublimati *sunt egregij in febribus intermittentibus*, quas per sudorem potenter tollunt: Ingens *vis stomachica* illis *attribuitur* in rectificando & confortando stomacho &c. Item, iidem flores valdè conveniunt *in scorbuto*, uti etiam solent commendari & quidem experientia certa in *Plica Polonica*, dum quidam Medicus Polonus multa in illa præstitit iisdem. Quidam *rudè* tantùm *pulverisant* minutissimè lapidem Hæmatitidem, quod dicunt *redigere in alcohol*, hoc alcohol adspergitur aliquot guttis olei destillati Moschati, vel aliquot guttis extracti croci orientalis, & sic lentè exsiccatur, estque hoc præparatus lapis hæmatites medicina non contemnenda. Dixi, quòd in hæmatitide sit mars, & ratione hujus martis multi certò sibi persuadet, quòd *in corpore hæmatitidis* seu in croco sit sulphur *quoddam* solis seu auri, saporis subdulcis, quòd est *immaturum*, nec debitè fixatum: quod si sulphur hoc possit redigi in oleum, sunt qui dicunt, quod possit solvere aurum, sicq; sibi unire inseparabiliter aurum & ita fieri quædam trajectiones & *transmutationes metallorum* non inutiles: *Quidam volunt præparare* hoc sulphur ex hæmatitide, *beneficio lixivij ex* sale tartari & calce viva, quæ tamen debent esse priùs humectata leviter cum spiritu vini, hujus lixivij beneficio dicunt posse sensim sensimque extrahi sulphur ex hæmatitide, & posse redigi in oleum destillabile per alembicum. Propter has virtutes metallicas tanti fit hæmatites à multis, ut *Panaceam exinde* præparare contendant: Sic fuit *Hamburgi* quidam, qui cum stupore adstantium talem Panaceam ægroto porrexit: Manu *detentus* vel fronti applicatus certum *experimentum ad hæmorrhagiam narium* creditur esse, id quod confirmat etiam Gabelchoferus. Potest solvi cum spir. salis item cum spir. nitri acuato cum spir. salis, nam spir. salis solus non solvit hæmatitidem, quoniam est naturæ solaris, jam verò substantiæ solares non possunt solvi per spir. nitri nisi semper admistum sit aliquid de spir. salis *Præparationes* qui vult elegantiores ex hæmatitide tinctura, *fl. res magisterium*, oleū &c. vid. *BAUSCHIUM*, qui ex omnibus auctoribus eadem sufficienter congessit, cujus Tractatus annis abhinc 4. fuit editus. *POLEMANNUM in tract. de sulphur. Philosophico*, in quo habet modum sublimandi cum sale ammoniaco & alia præparanda, & præter hos *ZUUOELFERUM* in ultima Edit. *Mentica Hermeticæ pag.* 338. ubi monstrat modos parandi elegantia medicamenta, imprimis *aroph Paraselsi* ex silice aut hæmatitide cum sale armoniaco item *anodynum* quoddam *metallicum* ex lapide hæmatitide; Præterea sulphur *anodinum* martis quod potest esse quasi sulphur. anodynum vitrioli veneris adeò laudati apud Auctores.

IX. LAPIS JUDAICUS.

Lapis Iudaicus olivæ specie, subrotundus, tener & friabilis est, striis secundum longitudinem discurrentibus & æquidistantibus, ac si arte (torno) factæ essent: colore est albo & subcinereo.

Reperitur in Judæa, unde Ἰουδαικὸς dicitur, hinc & in Silesia.

Dicitur Aëtio Lapis Syriacus, aliis Penicites, Tecolithos; Arabicè Haber alieudi, & agitat aliheud. Germ. *Iudenstein.* La pierre Iudaique.

Aliqui sexum distinguunt, minoresque fœminas vocatas, ad vesicæ lapidem commendant; majores masculos, inter quos aliqui sunt longiores minimi digiti quantitate, ad renum lapidem expellendum.

Vires. Medetur difficultati urinæ, calculos vesicæ, præcipueque renum rumpit (tritus exhibitus.)

PRÆPARATA.

1. *Præparatus fit lege*
2. *Sal. &c.*
3. *Magisterium.*

Calcina cum Sulphure, solveque in Acet. destill. mellito; vel spirit. Sal. com. hinc abstrahe, habes sal, vel præcipita cum Ol. tartari, habes magisterium, edulcorando.

Dosis gran. aliquot. Quercetan. P. restitut. cap. 26.

4. *Oleum fit liquor*: fit per deliquium.

N. Oleum lapid. Judaici, Lyncis, &c. per deliquium reperies in Cista med. p. 112.

LAPIS JUDAICUS. Ita *dictus* à loco natali *Judæa*, in qua reperitur. Synonyma, & reliqua videantur in Auctore. Ingrediens est quoddam liquorum nephriticorum: item *prodest in calculo* vesicæ & renum, in *difficultate urinæ* &c. in quo casu imprimis conducunt *salia e us & liquor.* Observetur enim, quòd liquores hujusmodi, si priùs præparentur cum menstruo appropriato acido, faciliùs exserant suas virtutes antinephriticas. Unde lapides nephritici soluti in spir. salis, coagulati, & denique in liquorem per deliquium resoluti facilè operantur & vires suas exserunt. Quæ dicta sunt de lapide Judaico dici possunt de *Lapide* LINCIS: Nam horum ferè eadem est ratio.

X. LAPIS LAZULI.

Lapis Lazuli. est lapis opacus, Sapphiri colore, aut florum Ciani, aureis punctulis aut flammulis exornatus, Armenio durior.

Dicitur Λίθ☉ κυανὸς, Lapis cœruleus. Arabicè Hager; Azul.

N. Ex hoc fit color ille cyaneus, quem ultramarinum vocant: asurum verò ex lapide Armenio, vel cyano Germanico faciunt.

Genere tantùm duo sunt fixus, idest, colorem in igne non mutans qui ferè ex Oriente affertur; & non fixus, qui in germania reperitur, ac vulgò *Lasurstein*, la pierre d'Azur, vocatur: unde color dictus *Lazurblau.*

Vires. Viribus convenit cum lapide Armenio, sed imbecilliùs eas exercet. Purgandi facultate præditus est, præcipuè contra

tra Melancholicos omnes affectus, quartanam, apoplexiam, morbum comitialem, lienis vitia, aliosque complures à melancholico succo originem ducentes.

Dosis ʒj. in polline subtilissimo.

N. Pro amuleto etiam de collo gestatur, ut puerorum terriculamenta arceat, oculorum aciem roboret, syncopen & prægnantium abortum præcaveat. Verum partu appropinquante, ne fœtum retineat, aufferendus est. Boëtius de *Boodt.*

PRÆPARATA.

1. *Lapis* multoties (in aqua) *lotus*, quem præparatum dicunt. Lavatur autem ut acrimonia, visque exurendi loturâ auferatur.

2. *Magister.*

Fit cum sp Sal. com. melius cum aquaforti.

N. Quercetanus in Ph. R. calcinat cum Sulphure, & solvit cum Acet. destill. Vini optimi; hinc præcipitat cum Ol. Tart. Dosis ℈j. &c.

3 *Elixyr.*

Calcinatur Lapis Lazuli in fornace laterum, deinde Aq. vitæ solvitur calcinatus.

Fiorovantus hac solutione multos morbos & febres malignas se curasse scribit, & ulcera etiam pessima in optimum statum ad miraculum usque redegisse.

4. *Oleum seu liquor*, qui illitus dolores podagricos, inflammationesque levat.

5. *Essentia, s. Extractum.*

℞. Lapid. Lazuli q. pl. igniatur 6. vel. 7 extinguaturque in spiritu vin. tandem in pulverem redigatur, & cum aqua melissæ ipsius recrementa terrea eluantur, redigantur in pulverem tenuissimum, & cum spirit. vini digerantur in calore septim 3. vel 4. dein abstrahatur spirit. vini, & remanentiam serva.

Dosis à ℈ß ad ℈j. Hartm. in pract. Crystalli purgantes Lap. Lazuli.

Calcinetur forti igne donec albescat, teratur in marmore, bulliat in s. q. Acet. destill. per v. aut vi. horas. Decantatum Acet. destill injiciatur in vas fictile non vitreatum, strictique orificij, 5. aut 6. unciarum capax, os testæ cærâ occludatur, reponatur in cella, & transsudabit lanugo crystallina intra paucos dies, vasique testaceo adhærebit, hanc collige, aliam expecta, &c.

[Tinctura per fl. sal. armoniac. & alcohol Vini Hispanici.]

Dosis ℈j. ad ʒß

[Lapis Lipis novi orbis, aqua stillatitiâ maceratus cœruleam reddit.

Vires. Mundificat oris ulcera. Zac. Lus. Pr. admir.]

LAPIS LAZULI. De quo dixi, quòd magnam habeat convenientiam cum lapide armeno, *participat enim uterque de cupro*, indeque vitriolaceam sapiunt naturam, & exinde etiam in *locis vitriolatis solent reperiri*, atque virtutes suas maximè à venere & vitriolo derivant. Præter venus tamen & vitriolum ceu primaria ingredientia *participant de luna. Armenus* quidem *solum de luna. Lapis Lazuli* verò simul quoque *de sole* seu auro, id quod loquuntur punctula & striæ in corpus per superficiem dispersæ: adeò, ut *nonnulli* ex lapide Lazuli, per mercurium vivum *aurum extrahere nitantur*: sed hoc valet tantùm de lapide Lazuli, qui participat de sole. *Quod* etiam *participet de luna* uti armenus, *multa loquuntur.* 1. est *color* cœruleus seu ultramarinus, qui exinde paratur, qui similiter etiam residet in argento, quod *argentum*, quoad externam faciem videtur tantum album nihilominus tinctura verè *est sapphirina*, & eleganter cœrulea, ita ut *color ultramarinus, qui paratur ex lapide Lazuli, etiam* possit parari *ex argento* seu luna. Præterea *virtutes Cephalicæ*, quibus succurrit capitis affectibus, *confirmant*, quæ dicuntur de luna. Cæterùm luna quæ est in lapide Lazuli, *non est adeò fixa* & perfecta, sed est vicina adhuc suo enti seminali: Unde etiam lapis Lazuli propter admistam venerem & vitriolicam materiam *solet ciere vomitum*, & solet *purgare* per inferiora. Est aliàs lapis Lazuli *duplex, orientalis & occidentalis. Orientalis est fixior*, magisque subsistit in ignis tortura, & exinde ejus principia metallica, in specie lunæ, sunt aliquantisper perfectiora & maturiora, propterà color ultramarinus est constantissimus & non facilè alterabilis. Contrarium videmus in *occidentali*, qui est *mollior*, & non adeò fixus, & cujus luna non est adeò matura, nec adeò perfecta, & *plùs participat de venere* quàm orientalis, propterea etiam occidentalis color cœruleus *cum tempore viridentem acquirit*, quòd signum est superabundantis veneris quæ præponderat principia lunæ & se manifestat, quando fit solutio in spir. salis vel simili acido seu acetoso spiritu, saporem enim acquirit perfectè vitriolaceum instar vitriolum ex venere: adeò ut ex his sufficienter constent principia lapidis Lazuli & armeni, qualia sunt venus, vitriolum, luna & in lapide Lazuli aurum aliquantulum. Quoad VIRES convenit cum armeno, imprimis ratione virtutis vitrioli vel veneris *solet purgare* tàm per superiora quàm inferiora, quo etiam inclinat principium lunæ quoniam luna in Chrystallos albos reducta similiter solet fortiter per inferiora purgare: Imprimis tamen commendatur *contra affectus melancolicos, manias* & similia Melancholica deliria, etiam *contra quartanas*, & contra *Epilepsiam per consensum* inferiorum partium usurpatur: Dosis est ad ʒj. in qua dosi multùm commendatur à quibusdam, uti videri potest in *VVORMII Museo. In mania* certe ejusdem tinctura *magna est laudis*, utut difficillimæ præparationis, quoniam difficulter admodùm potest solvi, sunt etiam, qui exinde præparant *Magisterium*, quòd tamen itidem est difficillimæ præparationis, propterea, quoniam solet semper retinere saporem æruginosum & vitriolaceum ex principio veneris quod abundat in hoc lapide. *Præparari solent* ejus tincturæ *cum* variis *menstruis.* Acida non conveniunt propter saporem æruginosum & vitriolaceum, quem retinent. Ergo *alij* recipiunt spir. urinæ; *alij* spir. salis armoniaci vol; *alij* spir vini &c. Solent procedere hoc modo. ℞. flor. salis armoniaci seu sal. vol. sal. armoniaci vel flor. sal. armoniac. in destillatione spir. salis armoniaci adscendentis, & alcohol vini Hispanici, sive spir. vini Hispanici subtilissimè dephlegmati ana partes equales miscentur & digeruntur simul: hunc liquorem tanquam menstruum superfundunt lapidi Lazuli subtiliter trito, atque tunc statim extrahet tincturam im modico calore, cœruleam quidem, cujus dosis est ℈ß. ad gr. xv. *in delirio & affectibus Melancholicis.* Ex hac tinctura parant MAGISTERIUM lapidis Lazuli hoc modo. Huic scil. tincturæ tantùm affundunt spir. vitrioli donec non amplius effervescat, & tinctura mutata sit in aquam viridem; Hanc supermodicum calorem pone ut sp. & aquositas exhalet, pulveris verò Magisterialis in fundo resideat. *Hoc* medicamento nempe Magisterio auctor ejusdem *delirantem ex philtro* per 3. menses quinquies repetitâ hujus medicamenti exhibitione *curavit.* Dosis est ℈j. In calore fluit hoc Magisterium instar ceræ, in frigore verò instar butyri concrescit. *BARTOLETUS in Tract. de Respirat. facit* mentionem tincturæ *Lapidis Lazuli* à se præparatæ coloris cœlestini [himmel-blau] & odoris violacei, quam multum deprædicat, *& miscet cũ confectione alkermes*, cujus aliàs ordinarium est ingrediens Lapis Lazuli hic: Exinde dicit, quòd ℈j. hujus medicamenti plùs operetur *in corde cerebroque roborando* & exhilarando, quàm ʒj. vulgaris, pag. 418. sicuti postmodùm p. 430. dicit se præparasse FLORES *ex lapide Lazuli violacei odoris*, quæ medicamenta egregia, tamen sunt suppressa ab eorũ auctore. *Difficulter potest solvi lapis Lazuli à menstruo*, aut si solvatur, solutio tamen est partim nauseabunda, partim ingrata propter saporem violaceum. *Conveniens* magis *est* sal armoniacum quod licet non solvat radicaliter lapidem Lazuli, nihilominus

minus cum eo junctus & sublimatus, sublimatione ista sulphur *suum prodit*, ex quo tinctura postmodùm parari potest. Dixi, quòd lapis Lazuli participet de luna adhuc immatura proxima suo primo enti, unde *sunt*, *qui volunt præparare lunam ex lapide Lazuli*; uti videri potest in *BOOTIO*, *tr. de gemmis & lapidibus*, qui beneficio mercurii hoc tentat; nihilominus etiam alio modo fieri potest, quæ ipsa tamen separatio lunæ non est adeò congrua in medicina, propterea quoniam luna adhuc immatura primo suo enti est permista, quæ tamen mistura arsenicalis optimè potest corrigi per spiritum urinæ. Quod si ergo spir. urinæ seu spir. salis armoniaci vol. perinde est, solummodo affundatur & digeratur, remanet in fundo materia, quam non bene potest solvere *spirit. salis armoniaci*. Sin verò idem *spiritus salis armoniaci cum spirit. vini* benè *junctus* affundatur, *facit solutionem lapidis Lazuli* eleganter viridescentem, quæque hinc inde lateribus vitri aut alembici adhærere solet, quæ tinctura inter alios usus *contra quartanam* multùm commendatur. Inter PRÆPARATA *officinalia* est *lapis* multoties *lotus*, quæ lotio in eum usum adhibetur, quoniam, uti dixi, sub lapide armeno, ejus beneficio effera purgandi vis in lapide Lazuli tollitur, & benigna operatio relinquitur: quam *virtutem purgandi ustio* seu calcinatio lapidis *omninò a fert*, virtutem ècontra *cerebri & cordis confortativam* eadem ustio *promovet*. *Ratio* est, quoniam beneficio ustionis separantur partes vitriolaceæ volatiles quæ sunt auctores purgationis: deinde eàdem ustione separantur partes crudæ Lunæ arsenicales, quæ impediunt principii lunaris effectum in confortando microcosmo, quæ ceu lethiferæ & malignæ potiùs nocerent. *Magisterium* quod habet auctor, saporem adhuc habet nauseabundum, difficulter immutabilem commendari tamen solet *contra maniam*. De oleo seu *liquore*, quem habet auctor, vult Fierovanta, quòd *somnum* & requiem *conciliare* debeat, & si idem capiti & ventriculo inungatur, *visum* mirum in modum corroborare.

XI. LAPIS LYNCIS.

Lapis Lyncis, Belemnites, ἀπὸ τῦ βελέμνυ, à sagitta, cujus effigiem refert, [seu dactylus Idæus, à figura dactyli, & Ida monte Cretæ Insulæ, ubi invenitur,] est lapis teres, pyramidalis, sub variis coloribus repertus. Germ. *Albschosz*, *Schostein*, *Luchsstein*, *Zappenstein*, (si niger sit.) La pierre de Lynx.

Inveniuntur albi, nigri, cinerei, pellucidi vini falerni instar. Et hic forsan est quem veteres LYNCURIUM appellarunt, quem succini speciem fecerunt, ob colorem, quo succinum refert, quemque ex urina Lyncis, simul ac ea excernitur, coagulari nonnulli fabulantur.

N. Vetus hic lapis graveolet, & ne ustus quidem odorem deponit.

Reperiuntur multis in locis Germaniæ, in Borussa, Pomerania, Episcopatu Hildesiensi, Helvetia, Ducatu Wirtembergensi, (Goppingæ.)

Vires. Adhibetur ad calculos frangendos, non aliter quàm lapis Judaicus. [In febribus intermittentibus utilis. Dos. ʒß. vel ℈ij cum aceto.] Curat vulnera. Putatur etiam ad pleuritidem (quia mucronem habet,) valere.

N. Putant lapidem hunc potum contra Ephialtis suppressiones, noctisque ludibria valere, ac fascinationibus succurrere.

LAPIS LYNCIS. Est lapis non adeò magnus apud nos *rarus*, & putatur esse lapis, quem veteres vocarunt LYNCURIUM: res tamen adhuc est dubia. Quicquid sit *in usu lithontriptico* commendatur, unde ingredi solet liquores nephriticos, & etiam solet esse *ingrediens magisterii nephritici D. MICHAEL.* reliquos usus habet auctor, qui videantur apud eundem. *Angli* hodiè habent certum lapidem, quem vocant.

LAPIDEM CARMINATIVUM.

Cujus hæc est *vis*, ut *calefactus & impositus umbilico*, omnes *flatus* in colica flatulenta mirificè sedet & *expellat*. Unde ratione virtutis hujus expellendi flatus vocatur lapis carminativus. Infallibilis *est* ejus *experientia*; non tantùm *apud Anglos*, sed etiam jam apud *Belgas*. Videtur habere *convenientiam cum lapide Serpentino*, qui calefactus, & umbilico impositus in *affectibus colicis* & uterinis egregiè convenit.

XII. MAGNES.

Magnes est lapis, qui ferrum vel alium magnetem ad se trahit, ac plagas mundi ostendit. Græcè λίϑος μαγνῆτις. L. Heracleus, ἡράκλειος. Lat. Herculeus, sideritis, scilicet magnetis. German. *Magnetstein*. La pierre d'Aimant.

Reperitur circa ferri fodinas in diversis locis Germaniæ, Norvegiæ, Sueciæ, Italiæ.

Delectus.

Vegetior plerumque cæteris esse solet, qui ferri colorem habet.

Vires. Vires habet hæmatitis, teste Galeno, adeoque adstringit, sanguinemque sistit (ustus) crassos & melancholicos humores educit, sed usus est rarioris.

PRÆPARATA.

Unguentum Magneticum, seu *Sympaticum*, vide lib. 2.

N. 1. Sunt qui ex magnete usto & cera Emplastrum conficiunt, idque summè ad podagricos dolores leniendos commendant.

N. 2. Corroboratio magnetis institui potest, si cum calce viva igne mediocri cementetur, ac postmodùm in solutione vel oleo martis extinguatur.

MAGNES. Ejus vis & qualis, sit notum est: Plura qui cupit, vid. *WORMIUM*, & integrum *Tractatum KIRCHERI*, quem vocat *artem Magneticam*, ubi memorabilia & lectu digna reperiuntur. Usum quod attinet, VIRTUTES ejus partim sunt veræ, partim falsæ: Virtutes falsæ sunt hæ, quod soleat misceri in emplastris, & postmodùm internè propinari Limatura ferri, qua assumta emplastrum ex Magnete applicant rupturæ in Herniis: Dicunt enim quòd magnes attrahat ferrum ad rupturam, & simulac ferrum ad partem ruptam attrahatur, fiat consolidatio, & multa alia fiunt emplastra magnetica. Cæterùm ratio & experientia satis apertè demonstrat, quòd *magnes in pulverem redactus*, quoniam mutat polos, omnem *vim attractivam* omninò *amittat*, & exindè omnis *vis magnetica in emplastro attractivo*, sperata sit *ridicula* & inanis. Aliàs non rejicio omninò usum magnetis in emplastris magneticis. Nam *magnes est de natura ferri*, unde etiam reperitur in ferri fodinis, & potest ex eo elici ferrum. Unde quoque *eosdem usus quos crocus* martis adstringens *potest* calcinatus magnes *præstare*, quod verò eidem pulverisata tribuitur vis attractrix, falsum est & ridiculum. Dicit auctor: habet *communes virtutes cum hæmatite*, quod verum est ratione principii martis. Unde ad eosdem usus, ad quos adhibetur ferrum, potest adhiberi hæmatites & magnes, sed quòd dicunt de virtute magnetica nego. Unde *frustranea* sunt omnes laboriosæ *præparationes*, quas habet *FABER lib.* III. c.20. *Myroth. Spagyr.* ubi habet *V. Ess.* sive medicamentum magneticum *in sistendo fluxu* quocunque mirabile: sicuti pulvis magneticus internè commodè potest adhiberi contra hæmorrhagias instar croci martis. Prostat etiam *emplastrum magneticum ANGELI SALÆ*, quod non confundendum est cum istis, de

de quibus loquimur, utpotè quòd non ingreditur magnes, sed fit ex arsenico, sulphure & nitro, uti alibi habebimus: ut non putetur, quòd statim in isto emplastro sit magnes. Est aliàs *emplastrum*, quod valdè commendatur à quibusdam *ad* restituendum *prolapsum uterum*, seu prolapsum sinum pudoris, nam *uterus nunquam prolabitur*. Cujus hæc est compositio:

℞. *lib.j. Lapid. Magnetis.*
lib.ij. Calcis vivæ.

Subigantur & præparentur cum acet. destill. affunde spir. vini, qui rubescit, quam affusionem repete, quamdiu Tinct. appareat, evaporetur tandem, & remanet liquor, quem cum pinguedine ursina redige in emplastri consistentiam, & dorso in regione ossis sacri applica, & mox attrahet uterum, quam compositionem habet *ROSENCHEUZER in astronomiâ Inferiorum pag.*80. Nihilominùs credo, quòd plus operetur pinguedo ursina, quàm magnes in hoc emplastro. Præterea *externè instar amuleti* non est contemnendus magnes: Nam *ex collo gestatus* magnes *spasmum sanare*, & dolores nervorum compescere, *manuque detentus partum accelerare* perhibetur. Idem lapis per amuletum *præservat* mulieres *à suffocatione uterina*, teste *BORELLO, Cent.*3. *obs.*36. & *dementiam ex utero* eo ventriculo alligato curatam refert idem *Cent.*3.*obs.*80.

Est lapis quem vocant:

LAPIDEM MALACHITEM.

ALiàs lapidem *Pavonium*. Hic est singulare arcanum *in abscessu ventriculi*, & in *rumpenda* ejusdem *vomica*, cujus pulvis ad ʒj. datus pus ex vomicâ ventriculi per vomitum & alvum certò exturbat, uti monstrat *BARTHOLETUS Tract. de respirat. lib.*5. *p.*561. Nam hic lapis *vim habet purgandi instar antimonii* & simul tamen *ventriculum roborare dicitur*: Ex malachite & corallis *parat RHUMELIUS in suo antidotario amuletum* contra imaginationem tempore pestis. Et *SCHMUCK in Curationibus Magico-Magneticis pag.*31. vult, quòd Malachites applicatus *umbilico infantem in utero* mirificè *corroboret*, sed applicatus *fœmori* mirabiliter *fœtum extrahat*.

XIII. MARMOR ET OPHITES.

MArmor lapis est insigniter durus, ac ad splendorem suscipiendum, si poliatur, ita aptus, ut statuæ vel columnæ egregiè nitentes inde sculpi possint. Græcè Μάρμαρος (à splendore) Germ. *Marmelstein*, du Marbre.

Genera multa sunt, cum nec certa illis figura, nec color certus sit. Alia sunt alba, v.gr. Alabastrites. Alia rubra, alia nigra, ut Lydius Lapis. Alia variis coloribus, ut Porphyrites, Ophites, de quo hic.

Ophites est marmor instar porphyritis durissimus, colore viridi saturato, dilutis ejusdem coloris maculis quasi aspersus. Græcè ὀφίτης, Latinè Serpentinus, Germ. *Serpentinstein* La Serpentine.

*N.*1. Boëtius de Boodt, cinereum quoque constituit Ophitem, eumque durissimum, tum & nigriusculis maculis aut punctulis variegatum, & hunc mollitie alabastrina.

*N.*2. Veteres Ophitæ genera fecerunt, 1. Nigricans durum. 2. Cinerum punctis distinctum. 3. Lineis quibusdam candidis interstinctum, candidum, molle. Hinc apparet veterum Ophiten à nostrate esse diversum.

Foditur noster in locis variis Italiæ, & Germaniæ, v. gr. in Misnia: quod tamen ob mollitiem, rectiùs Alabastris censetur, diciturque Zeblicium.

Vires. Veterum Ophitæ omnes alligati contra capitis dolores, & serpentum ictus (ex signatura) prosunt, teste Dioscoride. Qui lineas habent, Letargo & capitis doloribus auxiliari dicuntur, arcereque pestem petechialem (ex signatura:) Galeno lithontripticus est intrò assumptus.

N. Ophitæ nostrati multa vulgus tribuit, videlicet poculum inde factum, si venenum susceperit, id sudore prodere. Conducere colicæ, pleuritidi, torminibus, ac ventriculo refrigerato, doloribus podagricis, nephriticis, si calfactus ophites loco affecto applicetur. Opitulari quartanis, tertianis, phthisicis, hepaticis, si poculum quotidiano usui destinetur.

[*Lapis Phosphorus, sive Luciferus Bononiensis, spongia & retinaculum Solis & Lunæ, mistura chalcanti & antimonii, Psilothrum præbet.*]

[*Melachites sive Pavonius infantibus pro extinguendo æstu febrili exhibetur ad gran. iij. vel iv.*]

[*Myoxolithos, Bufonius lapis. Batrachites, Krœtenstein describitur infrà lib.*5.*cap.*7.]

MARMOR. Et ejus species OPHITES. Marmoris *varia sunt genera*; Marmor *album* vocatur *alabastrites*; *rubrum Porphyrites*, & sic porrò. *Ophites est Serpentinus*, de quo superiùs: quæ habet auctor videantur. Aliàs marmor valdè *commendatur* à quibusdam *contra gangrænam*, si scil. calcinetur instar calcis, & ex eodem postmodùm affusâ aquâ fiat *lixivium*, cum aquâ instar aquæ calcis vivæ: & etiam postmodùm ex ipsa calce marmoris fiat unguentum, quæ duo multæ & unigenæ famæ sunt in arcenda gangræna.

XIV. OSTIOCOLLA.

OStiocolla lapis est albo cinereove colore, ossisque figuram æmulans. Dicitur lapis Ossifragus, Lat. Sabulosus, Ostrites, Osteolithus, Holosteus, Morocthus Matthiolo, German. *Beinbruch*, *Bruchstein*, *Beinvvell*, *Vvuallstein*, *Sandstein*. *Steinbein*. La pierre Ostiocolle.

Nascitur Darmstatino in agro in Palatinatu, locis arenosis (*an der Bergstrasz*, au Chemin dit prés la Montagne) item in Saxonia, in Silesia, &c. crescit per arenam formâ Coralli.

Vires. Celebratur ad ossa citò glutinanda, quippe materiam callo idoneam citissimè suppeditat, adeoque glutinationem maturat. Adhiberi potest internè à ʒj. ad ʒiß. & externè in catapl. Emplastris, &c.

PRÆPARATA.

Ostiocolla præparat. lævigando cum aqua geranii. Cremor Vveinlini prodest hypochondriacis.

OSTEOCOLLA. Est lapis albus *admodùm durus*, quoniam *nullum menstruum ferè solvere potest* perfectè osteocollam. Locus natalis, &c. vid. apud Autorem. *Dicitur osteocolla*, quoniam *conglutinat fracturas ossium*, in quibus *internè assumtus* mirificè operatur promovendo calli generationem, & mediante hujus ossium fractorum unionem, uti videri potest in *VVORMIO*. Præterea tamen etiam potest videri *HILDANI Cent.*1. *obs.*91. & *Cent.*3. *obs.*90. *Internè* scilicet assumtus sub forma pulveris *cum cinnamomo & saccharo*, vel utilius accipitur internè sub forma pulveris *cum vehiculo* decoctionis vincæ pervincæ. In hunc usum *præparari* & levigari *solet* hic lapis cum aquâ appropriatâ, vel cum aquâ symphyti, vel cum aquâ Geranii, Robertiani. Videri etiam potest *SCHENCKIUS lib.V. obs. de fracturis*, ubi similiter virtutes hujus lapidis multùm commendat, quòd cito, tutò & jucundè in vulneribus callum generet, & ossa fracta consolidet. Nihilominùs *usus* ejus internus non sit *nimius*; observatum enim est, quòd *callum nimis magnum faciat*, qui postmodùm emollientibus & discutientibus sit imminuendus, cujus rei *exemplum* vid. in *HILDANO cit.loc.* Præterea hoc lapide Osteocollæ fuit curatus *nauta* Venetiis, *qui* cecidit ex summitate antennæ in navim, & *fregit* aliquot *costas*: quem ipsum solo *usu* lapidis *Osteocollæ*, ejusque magisterii *curavit* Venetiis D. *TACHENIUS*, qui ipse similiter ex hoc lapide vult præparare *medicamentum catholicum febrifugum* universale contra quascunque febres intermittentes. *Magisterium* osteocollæ, ceu *specificum ad calculum* commendat *ROSENCREUZERUS in Astronomia Inferiorum, cap. de auro p.*250.

XV. PUMEX.

PUmex lapis eſt eroſus, poroſus, ſpongioſus, exiguiſque cavernulis, ſeu foraminibus plenus. Græcè Κισηρις, Arabicè Tanech. German. *Bymſtein*. Pierre ponce.

Invenitur ad Confluentiam Germaniæ.

Probantur qui candore minimoque pondere, ut & qui quàm maximè ſpongioſi, aridique ſunt, trituque faciles, nec arenoſi in fricando, &c.

Vires. Refrigerat, ſiccat, extenuat, ulcera leviter purgat, cicatrices explet, & emendat Farina adhibetur ſæpe medicamentis oculorum, & verendorum. Immiſcetur item dentifriciis & ſternutatoriis.

PRÆPARATA.

Pumex uſtus.

Uruntur trinâ uſtione, ita ut torreantur carbone puro, ac toties vino reſtinguantur albo. Lavantur deinde & ſiccati conduntur quam minimè uliginoſo loco.

N. Quidam tertiâ uſtione refrigeratos potius quàm reſtinctos terere malunt ex vino. Boëtius de Boodt.

PUMEX. Lapis ſatis cognitus, quoniam etiam *in Germania ſolet provenire*. Uſus ejus externus Chirurgicus ſatis notus eſt & cognitus, dum *pulvis vulneribus inſpergitur*. Præterea egregium præbet *dentifricium*, ſi ſcilicet extinguatur in lacte, imprimis ſi ſimul addantur ſilices igniti. Similiter *ignitus & contuſus contra ſtrumas* exhibitus, multum etiam ſolet commendari, imprimis ſi attendatur motus lunæ legitimus, quoniam *medicamenta contra ſtrumas debent propinari in luna decremento. Potatores* ſumunt pulverem pumicis in certamine bibendi, quòd ipſum tamen potiùs eſt ſuperſtitioſum, quàm verum remedium, quaſi pumex debeat abſorbere potum, fides tamen ſit penes experientiam. *Vritur pumex*, ſeu calcinatur: Et ſunt qui *beneficio pumicis*, uſti volunt præparare *Tinct. ex gemmis*, *corallis*, & ſimilibus aliis lapidibus: Cæterùm *eſt* hic proceſſus *ſophiſticus*, uti rectè demonſtrat *LAVRENBERGIVS contra Salam p.9.§.13*. qui videatur. Aliàs pumex calcinatus affuſo acet. deſtill. prodit Tincturam viridem, ſignum, quòd lapis hic pumicis participet de venere:

XVI. LAPIS SPECULARIS.

LApis ſpecularis eſt lapis foſſilis, inſtar cryſtalli pellucidus, ac in bracteas tenuiſſimas ſciſſilis Dicitur communiter Salenites, aliis alumen Scaiolæ, quibuſdam Glacies Mariæ, *Fraven Eiſz*.

Invenitur in Moſcovia, copioſe item in Hiſpania, in Saxonia, Thuringia, Marchia, Miſnia, &c. Etſi autem utplurimùm candidus fit, attamen reperitur & variis coloribus, melleus ſeil niger, fuſcus.

N. Veterum Selenitem (aphroſelenitem) quia noctu lucebat, à noſtrate diverſum eſſe, nemo non intelligit.

Vſus eſt rarioris, nec adhibetur facilè, niſi ad mulierum faciem dealbandam, & rugas depellendas. Quidam tamen commendant in Epilepſia [& provocando partu.]

PRÆPARATA.

Calx & Liquor.

Comburitur igne in pulverem candidiſſimum, qui per deliquium oleum ſeu liquorem præbet. Vide Talcum.

LAPIS SPECULARIS. De hoc dicit auctor *uſus eſt rarioris*, &c. Prætereà tamen quoque adhibetur à mulieribus *in partu difficili*, in quo ipſo ſuccurrere prægnantibus creditur.

XVII. SILEX.

SIlex duriſſimum genus ſaxi eſt, vel marmore durius, extrinſecus læve. German. *Kieſzling, Kieſelſtein*. Un Caillou

Differentiæ ejus plurimæ ſunt.

Nam alii liquabiles ſunt, & plerunque foris albi & pellucidi. Germ. *Fluſz ſteine, vveiſſe Kieſzlign, Bachſteine*.

Aliqui prorſus diaphani ſunt.

Aliqui ita duri, ut ex iis ignis excutiatur, inde & Pyrites dicuntur. Germ. *Feverſtein*.

Aliqui prorſus opaci ſunt.

N. Qui molliores ſunt marmore, non ſilices, ſed lapides ſimpliciter appellantur.

Vres. Silicum communium uſus internus eſſe poteſt, ad tartaream mucilaginem incidendam, calculum reſolvendum, ac proinde ad obſtructiones reſerandas. Extrinſecus frequenti uſu in dentifriciis adhibentur.

Pyritis vim poſſidet calefaciendi, ſiccandi, diſcutiendi, digerendi, adeoque Emplaſtris digerentibus admiſcetur.

PRÆPARATA.

1. Sal fit leg. comm. calcinatum ſolvendo in acet.

Doſis gran.6. ad 10; vel 20.

N.1. Calcinatio fit eodem modo, quo Cryſtallos calcinari diximus.

N.2. *Si ex tempore adhibere volueris, reſtingue ſilices ignitos in vino generoſo, aut aceto, idque toties, donec planè in pulverem fuerint redacti, ac exhibe vinum*. Hartm. in pract. Medull. deſtill.

N.3. Querc. ſolvit cum Acet. deſtill.

2. *Oleum* fit per deliq. (*mellis*.) *Ph.R.*

Doſis ℈j. *Medull. deſtillat.*

3. *Cremor ſilicum, & cryſtalli* paratur etiam facillimè ex liquore Silicum deſcripto in parte ſecunda furnorum Glauberi, p.136. ſi ſcilicet liquor ille diutiùs in cella ſervetur, tandem Galredam quandam demittit ad fundum, oleo Tart. ſupernatante, quod tam diu evacuandum erit à dictâ Gelatinâ, quamdiu aliquid liquoris ſurſum feretur, deinde edulcorandum eſt.

Cremor hic de facili in quovis vehiculo diſſolvitur, S. Cloſſæi experientia, add. Spir. aperit. Penotti.

SILEX. Adhibetur à Sycophantis ceu *corpus pro præparandis Gemmis artificialibus*. Modum ſuppeditat *KESLERVS redivivus, cent.5. proceſſu 285*. USUS ſilicum eſt, ut ſcilicet *calcinati* extinguantur in vino, quod *vinum extinctionis* ſilicum egregia dicitur medicina *in retentione urinæ & calculo*. Nam beneficio ignitionis reſolvitur eorum internum ſal, quod extractum & reſolutum ab aqua vel vino, vinum ita imprægnat, cujus ſignum eſt, quòd ſilices copioſâ & ſæpiùs repetitâ extinctione tandem fiunt friabiles & facilè pulveriſabiles: aliàs ſilices *ſunt* adeò *ſiccæ naturæ*, ut nulla vi ac nulla ratione, etiamſi in retorta igni fortiſſimo ſubjiciantur, *nullum liquorem*, ne guttam quidem *prodant*, ſive calcinati ſive crudi adhuc: *ſin verò permiſceantur* cum aliis, qui aliquem humorem prodere apti nati ſunt, *tunc* ſimul *eorum* ſal calcinatione *protrahitur*, & à liquore ſolvitur, qui liquor eſt Lithrontriptica virtute dotatus: propterea *ingrediuntur* ſilices, tinctur. ſolarem nephriticam *AMMELVNGII*, quæ fit ex antimonio nitro tartaro & ſilicibus, deſtillando igne aperto, per retortam tubulatam. Variæ naturæ ſunt ſilices, & *de variis* ſubinde *participant* primis entibus ſive tinctura *metallicis*. Quidam nempe eleganter *flaveſcentes* dicuntur *naturæ ſolaris*, & ſolent reperiri juxta aurifodinas: unde etiam ſunt, qui *cum his* ſilicibus ſolaribus ſolent præparare tincturam tartari quæ *egregiæ* eſt *virtutis ad* pellendam *urinam*. Alii ſilices imprimis *obſcuriores* & duriores *creduntur participare de marte* & reperiuntur juxta mineras ferri. *GLAVBERVS* ex iſtis ſilicibus *ſolaribus voluit extrahere aurum*, aut ſaltim ex iiſdem tincturam quandam *auream*, quæ etiam debuiſſet ſolvere mercurium. Silices pulveriſati, aut etiam in majuſcula fruſtula contriti cum ana ſalis tartari funduntur in crucibulo, & effuſi abeunt in vitrum, quod

vitrum in loco humido sponte resolvitur in liquorem, qui liquor, dictus LIQUOR *silicum*, externè est *egregium cosmeticum* pro abstergendis crassioribus sordibus manuum & faciei, dico crassioribus: Internè *datur* à ℈j. ad ʒß. pro *pellendo calculo & eliciendâ urinâ*. *Ex ho* liquore vel potiùs ex vitro pulverisato cum spir. vini *extrahitur* tinctura tartari quæ magis est diuretica quàm vulgaris tartari tinctura. Ad hujus imitationem quidam volunt parare tinctur. *silicum antimoniatam*. ℞. nempe antimonij. ℥iv. silicum calcinatorum ℥ij. sal. tartari ℥x. miscent, fundunt simul in crucibulo, refrigerari permittunt, pulverisant, & cum spiritu vini extrahunt tinctur. Aliàs *de liquore silicum mira* videri possunt *in scriptis Glauberianis in specie, lib.2. furnorum, cap.85.* Ubi miram vim hujus lapidis silicum prædicat in deducendis metallis ad frutescendum, præparationem habet in cap 79. & præparationem tinctur. in cap.80. Et *beneficio liquoris* silicum ex solaribus silicibus *vult elicere ex auro tinctur.* auri quæ debeat esse *succedanea* quasi cujusdam *auri potabilis*. Ad similem ferè modum oleum *silicum* cum nitro factum *describit TACKIUS in Chrysogonia pag 54. & 55.* quod *coagulat vinum* in momento, & alia quædam subsint sub hoc liquore, quæ videri possunt loc. cit. *HARTMANNUS in prax Chymiatrica pag.* 28. ceu egregium diureticum commendat vinum, in quo silices sæpiùs sint extincti. *CREMOR* silicum & *liquor* silicum videantur in auctore.

XVIII. LAPIS SPONGIÆ.

Lapis Spongiæ est lapis prorsus friabilis, in spongiis concretus, colore candido vel griseo.

Dicitur Cysteolithos (ab usu,) Lapis Cappadox quorundam. German. *Schwamstein*. Pierre dèponge.

Vires. Extenuat absque insigni caliditate, ad calculos renum vesicæque frangendos utilis est. Valet etiam ad strumas discutiendas, si nempe omni mane fiat haustus propriæ urinæ, & postea in ultima lunæ quadra singulis diebus sumatur in vino, cum Sal. communi Tartari & sal gemmæ. Vide Gluckrath. Idem præstat spongia combusta.

PRÆPARATA.

1. *Sal.*

Calcinatur cum Sulphure calcinatione levi, Solvitur in Acet. destill. vel spiritu Sal. com. Item ignitus toties in Acet. destill. extinguitur, donec in calcem resolvatur.

[Stellaris lapis, Astroites, invenitur in Gotlandia, Tyrolensi etiam Comitatu. Antiloimicus putatur, & vermes necare exhibitus infantibus, ad gran. iv.]

LAPIS SPONGIÆ. *Est lapis porosus*, instar spongiæ, & inde nomen quoque obtinet: *Laudatur* una cum aliis lapidibus *in affectibus nephriticis & ad peragendam calculi curam.* Item, *pulverisatus* hic lapis solet commendari *ad curandas strumas:* imprimis si pulvis lapidis spongiæ misceatur cum panacea Holsteiniensium sive *arcano duplicato MYNSICHTI*: aliàs vid. in auctore contra strumas sal ex solutione in acet. & subsequente coagulatione.

XIX. TALCUM.

Talcum Officinis lapis est, speculari lapidi similis, magis tamen tenuis, squammosus, viridiusculus, igni resistens ac fixus. Dicitur à nonnullis Stella Terræ. Germ. *Talchk.* Du Talc.

N 1. Invenitur & Talcum rubrum ac nigrum (Parac. in Chronic. Carinthiæ,) verùm Officinis minùs id usitatum est

[*Dicunt solare, lunare, venereum pro coloris diversitate.*]

Electio.

Optimum censetur, quod Venetiis ad nos transportatur, Moscoviticum tamen æquè bonum est, probatur autem præcipuè viridiusculum.

Vires ac Usus: Potissimus ejus usus est externus & cosmeticus, adhiberi tamen nequit, nisi vinculo suo liberatum, præparatum, ac in liquorem redactum sit.

PRÆPARATIONES.

In præparationibus Talci præcipua est Calcinatio, reliquæ enim operationes, qualis est destillatio & liquatio, per se notæ sunt.

Calcinatio igitur tum est sicca, tum humida.

Calcinatio sicca.

1. Contunditur in pollinem tenuissimum pistillo ferreo, postea forti ollæ committitur, operculo addito, imponiturque furno vitriariorum, figulorum vel calcariorum (*in einem Zalckofen*, dans un four où on fait la Chaulx) ubi maximæ flammæ sunt. Post triduum aut quatriduum eximitur, & si in calcem redactum sit, servatur, sin minus, repetitur labor, donec perfectè calx dealbuerit.

2. ℞. Talc. opt. q. v. contunde in mortario candenti: [sic meliùs teritur Talcum,] donec nullum amplius splendorem referat: pulverem trajice per cribrum setaceum, ac cum carbonum Tiliæ ana, Misc. calcinaque in fornace figulina per dies ac noct. 2. vel 3.

3. ℞. Talc. subtilissimè pulver. ℔j. Sulphuris per Sal. com. calcinat. ana. F.S.S.S. ac cementa in crucibulo clauso, dimidio die, ut crucibulum candeat. Dein exime ac edulcora. Loco Sulph. prodest Tart. per Sal. petr. calcin.

4. ℞. Talc. opt. in laminas tenues redacti, q. v. candefac ac extingue aliquoties (duodecies vel pluries) in oleo tartari, donec fiat candidum instar nivis. Edulcora aqua pluviali, & exsicca. Hinc impasta cum albumine ovi, ac forma globulos, quos in calce viva reconditos, atque crucibulo clauso impositos calcina per dies ac noct. 3. in fornace figulina vel vitriaria, & fiet Talcum instar Crystallorum; exime.

5. ℞. Talc. opt. part. 1. Sal. p. ij. Misc. & calcina per quatriduum, postea tere & ablue, pulverem exsiccatum panno involutum obducito luto crasso, ac sepeli in Tart. crudo, calcinaque per dies ac noct. 15. tere ac solve in aqua vitæ, solutum coagula.

6. Calcinatur cum metallis; nimirum injice Talcum argento, orichalco, vel cupro, ad ignem fuso horam dimidiam (hor. aliquot)

Calcinatio humida.

℞. Talc. Venetian. opt. scinde cultello in particulas subtilissimas, digere in sole ferventissimo, vel fimo equino per mensem, cum Acet. destill. acerrimo Vini Hispanici, quotidie aliquid Acet. destill. superaddendo, donec acetum fiat q. mucilaginosum.

Hinc

PRÆPARATA.

1. *Ole. Talci destillatum, Cosmeticum Hartmanni.*

℞. Talcum calcinatione humida, (cum aceto,) in mucilaginem redactum, destilla per retortam lutatam igne nudo, in excip. capaciss. Primò prodit Acet. destill. postea oleum album. Hæc separa.

N. Alii Talci pollinem cum cochleis ollæ immittunt, ut Talcum devorent, ubi devoraverint, cum testis tusas vitro imponunt: ac ab iis aquam exstillant, pro mulierum mangonio.

Vires. Aceto possunt manus ablui, ole. verò fieri inunctiones.

N. Aiunt, si primo facies fuerit diligenter ab omnibus sordibus purgata, succum integrum mensem durare posse. Hartman. in Croll.

2. *Oleum Camphoræ Talcatum.*

℞. Talc. crud. (præstat calcinat.) optimè pulverisati part. 1. ole. Camphorat. p. ij. digere ut albescat oleum. *Vide de oleo Camphoræ.*

3. Liquor Talci, sive oleum per deliquium.

℞. Talc. optimè calcinatum (calcinatione 1.2. vel aliâ.) F. Extractio cum Acet. destill. filtra & coagula. Edulcora ac repone postea ad liquescendum in cella.

N. Alii progrediuntur ulteriùs, atque oleum cum spirit. vini circulant, abstrahuntque aliquot cohobiis.

Liquor Talci S. Closs.

1. Talcum in pollinem terendum est, id quod fit 4. modis, vel enim Talcum exfoliatum calculis fluviatilibus integris permiscetur, sacculo oblongo includitur, & ministerio duorum horum successivis vicibus agitatur fortiter, vel lapidi pumicis continuè affricatur, pulvisque decidens colligitur, qui tamen minùs sincerus est, vel in mortario calentissimo contunditur. Ego illud longè faciliùs, beneficio limæ levigatoriæ (une lime douce) aurifabrorum in scobem attero, cujus ℔ß. confundo cum ℔.1. Sal. Tart. ac in furno venti per hor. XII. calcino, calcinatum repono in cellâ, quod liquescit separo à non liquescente; calcem hanc siccatam denuò calcino in tigillo igne vehementissimo cum part. 4. Sal nit. Ita Talcum colliquabitur in massam albam pellucidam, quæ in cellâ reposita defluit in liquorem glutinosum.

Vires. Lentigines & maculas faciei exest, cutem dealbat: verùm non diu relinquendus est liquor, sed aqu. florum fabarum, nenuph. &c. abluenda facies est, ne Epidermidem arrodat.

Alius liquor atque Magisterium Talci.

℞. Talci grossè triti (subtilis pulvis separatur) q. v. infunde in Acet. destill. per dies ac noct. (3.4.) Hinc superjiciatur plumbo fuso, calcineturque ad friabilitatem. Hoc solvatur in Acet. destill. Solutioque abstrahatur. Solvatur iterum aliquoties in aq. destillata, purificeturque à fæcibus. Tandem præcipita cum spirit. vitrioli, edulcora & exsicca.

N. 1. Solutum ante præcipitationem per deliq. solvi potest, unde liquor.

N. 2. Calcinari itidem potest super aliis metallis, v.g. luna, aër, &c.

Ex communicatione amici cujusdam Hamburgensis.

Cremor Talci.

Pulverisetur uno è modis 4. supradictis, affunde Acet. destill. bis, terve bull. lento igne in patinâ vitreâ: spuma pinguis supernatans colligatur cum cochl. despumatorio, dum dabitur: Acet. destill. cremori mixtum evaporet, cremor a. resolvatur in phlegmate. Sal. com. vel pomatæ alicui permisceatur.

Inservit dealbandæ faciei. Ex comm. S. Closs.

4. *Tinctura Talci.*

℞. Talc. optimè pulverisat. q. v. digere cum spir. vitrioli Philosophico, in fimo equino mens. 3. 4. sic solvetur Talcum, protrudetque ad superficiem nonnihil instar pinguedinis.

Huic affunde spirit. vini, digere ac abstrahe cum repetitis cohobiis, & transibit tandem per alembicum.

Alia.

℞. Talc. calcinat. extrahe cum spir. Sal. com. viridi, decanta, abstrahe, ac cohoba aliquoties, sic ascendit tandem & Tinctura, transitque alembicum sub colore rubicundo.

Vires. Præservativum est efficax in peste, quotidie sumptum. Dosis gran. vj.

N. Præstat hîc rubrum Talcum sumpsisse, si haberi possit.

Tincturam Talci rubri vide in Agric. pag. 787. tom. secundi.

Alia.

℞. Talc. q. v. affunde Spir. Vitriol. abstrahe aliquoties. M. cum Sulphur. reverbera Extr. tincturam. d.

[Sulphur Talci, quod habet solare extractum, egregium ad gravissimos morbos putatur remedium.]

TALCUM. *Est substantia* quoque *lapidea* quædam *ex multis* quasi *squamulis composita*, *coloris* ferè argentei, *varii* tamen, & pro varietate sulphuris metallici, interdum est *rubicundum*, interdum *album*, & quidem id, quod est *rubicundum*, solent commendare, quòd sit de natura auri, & *contineat* in se *aliquid auri*. Unde ex Talco rubicundo sunt, qui *facere volunt medicinam ad tingendum & figendum* mercurium ad tingendum, ut sit coloris rubicundi, ad figendum, ut sit fixus instar metalli colore aureo, quod confirmat ulteriùs, si *Talcum* solvatur in aqua regia, tunc enim *subministrat solutionem rubicundam*, quoniam aqua regia tanquam menstruum appropriatum solis. Talcum ipsum dimittit intactum extractâ tincturâ auri. *Modi* PRÆPARANDI sunt *varii*: imprimis tamen magnum laborem requirit ejus CALCINATIO, de qua multi adhuc *dubitant*, *an possit* perfectè *calcinari*, quoniam ad longissimum tempus in igne fortissimo detentum non mutat substantiam, & nullum vestigium subministrat suæ calcinationis, aut suæ alterationis: sic *LAURENBERGIUS contra salam*, §. 16. *præparat* Talcum, *sublimando* cum sale armoniaco sublimatum solvit in aqua vulgari, & præcipitat cum oleo tartari quod præcipitatum affuso aceto protinus liquescere dicunt. *Alii* calcinare contendunt *cum sale tartari. Alii cum sale fixo nitri*: Alii verò alio modo. Imprimis solet impensè desiderari à fœmellis oleum Talci liquidum, sive oleum TALCI *pingue verum*, quoniam sciunt, quòd sit elegantissimum *cosmeticum* ad detergendas sordes, faciem dealbandam & nitidam eandem reddendam. *Negant* nihilominus *multi dari* posse oleum Talci verum, utut adulteratum vel cum vel sine camphorâ aut aliis additis non negandum sit. Oleum ex Talco est pretiosum, modò non omninò sit impossibile. *In defectu olei Talci*, sunt, qui inter pretiosa cosmetica *hoc commendant*: scilicet cochleas nigri coloris pascunt Talco, ex quibus cochleis hoc modo pastis per deliquium destillat aquam mirandi usus & singulare cosmeticum: *Præparationes* quàm *plurimæ olei* Talci prostant in auctore, & tot sunt, quot capita, nihilominus una tantùm valet atque altera, & *nullius sunt momenti*: vid. *WORMIUS in Museo*, *pag.* 57. de Talco, ubi habet modum ex Talco præparandi oleum. *Plura* qui cupit de liquore sive oleo Talci vero an detur? vid. *LAURENBERGIUM contra Salam*, §. 16. SALA *negat*, cui se opponit *LAURENBERGIUS*, & *affirmat* contra Salam quòd detur. Negat etiam *SENNERTUS*, *lib. V.* de oleis. Nam non negandus est liquor Talci, quando paratur cum salibus, quæ resoluta in humorem secum rapiunt partes Talci: sed hoc non est vera & nativa pinguedo seu oleum Talci. Quæstio saltim est, an detur verum oleum Talci sine his? quod à multis valdè commendatur inter cosmetica, utut à nullo possideatur.

XX. UNICORNU FOSSILE.

Unicornu fossile. Cornu fossile. Ebur fossile. Lapis Ceratites, est lapis colore & lævore cornu referens, interdum etiam formâ ipsâ, *gegraben Einhorn, gegraben Elffenbein*, de l'Unicornu fossile.

N. Sæpius tam crassum ac magnum reperitur, ut à nullo unquam animali produci potuerit. Substantia lapidea semper vel dura, vel mollis est. Exterius ut plurimum dura, intrinsecus plerumque mollis, alba, lævis, friabilis, compacta, absque poris, linguæ firmiter adhærens, odore nonnunquam grato. Cortex exterior interdum flavescit, cinereus, albus & subniger est.

Invenitur in variis locis Germaniæ, prope Elbingerodam Oppidum Comitatus Stolbergensis, prope Heidelbergam,

bergam. Hildeshimium. Item in Moravia, Silesia, Saxonia, Hassia, multisque locis aliis.

Materia hujus creditur Marga, aqua subterranea lapidescente irrigata & fluida reddita, quæ pro diversitate matricum, in quas fluit, vel & pro diversitate rerum, quibus sese insinuat, scil. lignorum vetustorum, cornuum, ossium subterraneorum, varias quoque suscipit figuras & odores.

Vires. Non omnia habent eandem facultatem, aut æquè validam, sed differunt pro diversitate originis, reique commixtæ. Ut plurimum exsiccant, adstringunt, proindeque sistunt alvi profluvia, gonorrhœam, menstrua alba, hæmorrhagiam narium, hæmorrhoides. Quod si insuper odor medullis accedat gratus, cordi imprimis grata sunt, idque roborant, Epilepsiam arcent. Quæ cum rebus aliis sunt commixtæ medullæ, pro earum facultatibus naturæ mixtæ censentur. Extrinsecus ulcera ad cicatrices perducunt, oculorum lacrymas sistunt (in Collyriis.)

N. Frustum hujus generis Cornu non longè Marpugo Hassiæ è terra erutum oblatum mihi est, haud ita pridem, brachium crassitie æquans, ebori simillimum, nisi quod corticem arboris extrorsum figura referret & poro mediano destitutum esset. Huc referenda ossa Scharsfeldica.

UNICORNU FOSSILE. Ante omnia notandum, ne fiat confusio, quòd *duæ* sint *species unicornu fossilis, spurium & verum*. Unicornu fossile, 1. exactè *repræsentat ossa* animalium: deinde admodum *leve est* porosum & friabile, quodque *linguæ* admotum fortiter *adhæret*, & ab eadem non potest facilè avelli. Uno verbo repræsentat exactè ossa animalium philosophicè, fortiter tamen calcinata, & hæc sunt unicornu fossile spurium; *sunt* enim *nihil* aliud, *nisi animalium ossa in terra* sepulta, in eadem tamen beneficio exhalationis calidæ & humidæ sensim sensimque *calcinata*. Unicornu fossile *verum* ita dicitur; quoniam *habet* similiter perfectam *formam* unicornu marini, seu *dentis elephantis* aut eboris. Imò *repræsentat* hoc unicornu fossile *aliorum animalium partes*, modò dentes ingentes, modò ossa fracta &c. *Quæstio* ergò est *unde oriantur*? Sunt 1. qui *volunt esse animalium partes* in terra *petrificatas*. Sunt 2. qui dicunt, quòd sit ex vegetabilium numero, nihilque aliud nisi *radices arborum in terra petrificatæ*: Optimè sentiunt in 3. classe, qui statuunt, quod sit *substantia quædam mineralis*, & quidem duplex, una substantia est perfectè dura, & aliquando dura instar eboris: altera substantia in prioris cavitate contenta est friabilis, sicca, adhærens linguæ instar margæ cujusdam. Ambæ hæ duæ substantiæ sunt de natura minerali, & *reverà* nihil aliud, quàm *marga quædam saxatilis, friabilis & levis*, intra cujus rimas defluxit aqua quædam salino principio lapidescente impregnata, quæ intra rimas margæ fuit consolidata & indurata, & inde in lapidem transmutata, quæ substantia lapidosa pro varietate pororum & meatuum ipsius margæ varias repræsentat figuras, & varia animalium exhibet membra: nunc dentes magnos, qui dicuntur esse dentes Gigantum, nunc manum, nunc brachium: sed hoc unicornu verùm fossile non confundendum est cum ossibus animalium. Nam ut plurimùm referunt partes animalium, quæ tamen casu ita fiunt. Refert enim *KIRCHERUS in mundo subterraneo* de gemmis & lapidibus, quòd dentur mineræ & cryptæ propè Falernam, in quibus reperiantur talia ossa repræsentantia manus, capita, brachia &c. quæ omnia sunt opera naturæ à succo lapidescente inter meatus margæ conglaciata. vid. Kircherus: quæ enim habet, magnam affundere possunt lucem iis, quæ dicta sunt. USUM quòd attinet, *duplex* ex duplici substantia emergit: Nam substantia *friabilis easdem habet facultates*, *quas* habent *ossa calcinata*, ebur ustum, C. C. ustum, vel etiam quas vires habet terra sigillata: nempe absorbet acidum, absorbet humiditatem, adstringit, & qui sunt affectus alij. Cæterùm *pars cætera dura*, & quasi lapidea rasa & assumpta egregiè *præcipitat & effervescentiam febrilem compescere creditur*. Potiùs tamen usurpatur substantia friabilis, quàm dura: Nam ista instar terræ sigillatæ etiam adhibetur in morbis malignis pro sudorifero & expulsivo in variolis & morbillis, febribus petechialibus & similibus. *In usu* solum *est friabile & porosum*, durum & *lapidosum* non debet adhiberi, quoniam est *nimis durum*, nisi priùs aliquantisper fuerit præparatum, & quasi philosophicè calcinatum. Ferè easdem habet vires unicornu fossile, quas terra sigillata.

CAPUT IX.

DE METALLIS.

Et primum de Auro.

Metalla sunt corpora dura, ductilia, ex succo salino, sive Mercurio vi sui sulphuris in terra coagulato.

N. Libro primo diximus, res secundarias ex perittomate rerum primariarũ fieri. Perittoma ergo macrocosmicũ veniens in matricẽ, sive locũ metallificũ idest metallorum generationi aptum, si ibid. substiterit, suscitatur spiritus seu ignis illius perittomatis, subindeque vi matricis metallinæ in naturam metalli facessit. Duobus ergo ut omnia, ita & metalla constant; humiditate scil. quæ mercurius dicitur; & spiritu, seu igne, qui Sulphur. Duo hæc in sale fundata sunt vitriolato, id est, in naturam talem transmutato, qualem natura ad generanda metalla proximè requirit. Hoc Sal alteratur ulteriùs paulatim, nec enim statim metallum evadit perfectum. Quare, cum in natura constitutum sit, ut partes diversæ invicem misceantur, atque insuper mixtio & maturatio fiant successivè, particulis scil. nonnullis citiùs ad maturitatem pervenientibus, aliis tardiùs, aliis crudis aliquantulum manentibus; & in hac metallorum generatione varietatem quandam esse necessum est, qua particulæ aliæ maturiores, aliæ minus maturæ. Maturiores ergo partes id esse suspicor, quod Philosophi sub titulo seminis metallini eliciunt. Licet enim in Metallis partes adeo compactæ & unitæ sint, ut difficulter invicem separari queant, unde fateri convenit, plerasque laborationes maximè vulgares, non separatorias, sed solùm præparatorias seu exaltatorias esse, id est, quibus metalla citra separationem puri ab impuro, solum alterantur, ut eo melius à calore nostro superari, inque actum deduci queant: attamen separationem illam contra multorum experientias hinc inde annotatas, impossibilem statuere, pertinacium potius est, quàm virorum cordatorum. Quin imò non modo cuidam ex amicis meis, sed & mihi sors favit, ut oleum, rubicundissimum aquæ supernatans ex auro eliceremus.

De viribus Metallorum in genere nihil addo, nisi quod tantæ inibi à majoribus deprehensæ sint, ut principalioribus macrocosmi stellis, macrocosmique membris principalioribus & dicarint, & nomina communia imposuerint, uti patet partim ex sequentibus, partim ex libr. 1. cap. 9.

Metalla non ineptè in classes tres collocantur, idque tam secundùm conformitatem disparitatemve duritiei, quàm secundum convenientiam præparationum.

Prima continet Metalla nobiliora, aurum & argentum.
Secunda ignobiliora duriora, ferrum & cuprum.
Tertia, ignobiliora molliora, plumbum & stannum.

Præparationes Metallorum sunt.

1. Purgatio.
2. Calcinatio. 1. Immersiva 2. Vaporosa ac Illinitionis 3. Amalgamatoria 4. Cementatoria. 5. Reverberatoria.
3. Volatilisatio: unde metallum volatilisatum, id est, in spiritualem naturam redactum.
4. Extractio, vel potius maturatio, s. exaltatio: unde Tincturæ.
5. Sublimatio: unde Flores.
6. Salificatio: unde Sal.
7. Mercurificatio: unde mercurius.

HIC præsuppono ante omnia, quod metalla in genere in terræ visceribus generentur *ex substantia salina* in forma liquida: adeoque sub forma succorum *per debitam fermentationem generantur*, quâ fermentatione peractâ, abeunt in corpora dura: Fermentatio oritur ex principio seminali salino. *Habent* enim *metalla seminum salinum*, à quo principio suc-

ci

ci subterranei metallici fermẽtationis beneficio abeũt in metalli consistentiam. Et quidem principium habent universale salino sulphureum, ex quo generantur. *Differunt metalla pro varietate succorum, & quò magis* per fermentationem *possunt maturari* & purificari, *eò* emergit metallum *nobilius.* Quando est benè maturatũ, emergit fixum, quod subsistit in ign. & non potest consumi, sin minùs, emergit metallum non fixum & consumabile in igne quoque facilè potest in eo destrui: Unde quo purius, maturius & fixius est metallum, eo est nobilius, quo impurius, immaturius & minùs perfectum, eo est minùs fixum & ignobilius. Unde patet *graduatio metallorum* quod sol sive *aurum* sit omnium *perfectissimum*, quoniam est fixissimum, diutissimè in igne subsistit: Econtra reliqua omnia sunt impura & imperfecta, quoniam facilè liquantur. *Proxima* quidem à sole *habetur* luna quod diu perdurat in igne nihilominùs tamen non ita diu atque aurum sed *successu temporis* etiam sui *patitur jacturam* mars contra & reliqua facilè patiuntur alterationem & mutationem, in igne in scorias abeunt & corroduntur. sol & luna omnibus sunt perfectissima, primario quidem sol, secundario luna. Reliqua sunt *imperfectiora* & immatura, quæ *in duplici* sunt *differentia*, dura mollia: *Mollia* sunt, quæ funduntur cito in igne, liquabiles sunt, & non possunt igniri, constant mercurio humido aquosiore minusque fixo & sulphure fusibili ac facilè adustibili. Econtra metalla imperfecta *dura* sunt ea, quæ difficillimè funduntur, ècontra vero facilè igniuntur, & constant ex sulphure copiossimo igniente & figente mercurio accedente simul acido quodam sale hæc invicem colligente. Nam ut *Chymiatrici* meliùs explicant sua sensa, *dixerunt constare ex* triplici principio mercurio sulphure & sale non quod sint ista vulgaria corpora, quæ hoc nomine vulgo veniunt, sed per mercurium *intelligant humiditatem radicalem* metalli, quæ abũdat maximè in plumbo vel etiã in stanno. *Per sulphur* intelligũt *substantiam acido-pinguem*, imprimis tamen acidam, quo constant copiosissimè metalla, adeo ut aurum & ipsum tali acidi copioso gaudeat. Per sal intelligunt *substantiam fixiorem* ferè *de natura alcalium* ligans sulphur, & concurrens cum reliquis in substantiam metallicam. Prætereà noto quod *in omnibus metallis abundans* reperiatur sal *acidum sulphureum*, idque primo nobile, deinde ignobile. Ut à sensibilibus ordiar; *In marte* tàm *copiosum* est acidum, ut in aëre humido resolutus suum proprium corpus corrodat in rubiginem, quæ *rubigo* à Chymicis *vocatur crocus* martis. *In venere* similiter *abundat acidum*: Nam mercurius per humiditatem internum acidum resolventem, sponte excrescit viride æs seu crocus viridis subtilis factus per proprium acidum corrosivum. *In saturno copiosum est acidum*, id quod probat imprimis purificatio auri & argenti cum plumbo in capella, quæcunque enim metalla mista cum auro & argento cum plumbo si fundantur, hic arripit reliqua omnia, excepto auri & argenti quæ duo subsident in fundo, reliqua arripit plumbum hæc est probatio auri & argenti. *Fundamentum* consistit in eo, quod saturno copioso abundans acido cupit saturari: cæterùm, cum sint inepta & nimis compacta corpora auri & argenti aggreditur metalla ignobiliora vener. ferri & stann. ceu magis terestria, ea corrodit & corrosa absorbet, quibus absorptis aur. & argent. in fundo teste probatoriæ relinquit intacta. *In stanno* similiter *copiosum est acidum*, id quod probat calcinatio & fusio in igne cum cupro quoniam tunc exhalat flammam sulphuream, hoc sulphur si non separetur à jovialibus mendicamentis, habet vim catharticam per superiora & inferiora propter præsentiã acidi. Imo ipse aurũ *copioso constat acido*, id quod probatur, quod si in aurum liquatum & in igne fusum immittatur bacillus ferreus, & extrahatur ferrum, apparebit corrosum, & in rubiginem transmutatum non secus ac si in sulphur commune fusum fuisset injectum, in quo sulphure acidum corrodit, ut inde facilè pateat, unde talis corrosio in sole sive auro nempe ab acido. Constant ergo metalla copioso sulphure acido, quod observetur quoniam inferiùs mentionem illius injiciemus. Unde etiam *metalla* omnia legitimè *resoluta*, *solent habere acetositatem* quandam seu acredinem subdulcem, quæ ratione ingeniti salis acidi ipsis convenit, uti rectè loquitur. *HAUPTMANNUS in scripto collisivo, p.* 87. acidum namque metallicum temperatur à reliquis principiis componentibus, ne exserat suam acetositatem fortem, sed potiùs temperetur in subdulcem acrimoniam, & acetositatem perdat. Dixi, quod metalla oriantur ex una eademque radice adeóque non nisi gradu & perfectione differant. Ex his facilè patet *quid habendum sit de* TRANSMUTATIONE *metallorum*, an per maturationem & per fixationem possit fieri aurum ex alio metallo? Et videtur *affirmativè* esse subscribendum, utut *difficilis admodum* & occultus sit *modus* & ratio. Si enim omnia metalla ex una radice sunt, tantùm in fixitate differunt metalla, certè possunt perfici, volatilia si figantur, & quæ immatura, possunt fieri matura, quæ imperfecta perfecta: Ipsa luna *si figitur evadit aurum album*, cui si superindatur Tinctura auri, erit perfectum aurum: È contra *aurum*, *si detrahatur*, quod interdum fit, *color* fulvus, *remanet corpus* album fixum *instar* lunæ fixæ seu lunæ corneæ. Hinc etiam est, quod omnia *ignobiliora metalla semper participant aliquid de nobilioribus*: si in ferro sal quidam & aliquod sulphur solare inest, in cup. inest primum ens argenti: In plumbo semper reperitur aliquid lunæ & quidem aliquot grana, si calcinetur plumbum ita ut ens metallicum aurum aliquantum remanet in argento sicuti in stanno adhuc est ens aliquod auri quod arguit *convenientiam metallorum* & vicinitatem, & quod si invicem metalla perfecta & imperfecta respiciant, & quod imperfecta sint metalla imperfectè dura. Nam *in terra impeditur eorum perfectio*, & remanent imperfecta, ut antimonium quod non est metallum, sed tantùm inest sulphur auri sive substantia auri. Unde beneficio ejusdem non tantùm purificatur aurum, sed etiam aliquo modo augeri potest: Ex hoc fit ut *nunquam generentur separata*, sed semper reperiantur metella aliquot invicem unita & mista, ita ut ubi sunt aurifodinæ, ibi semper reperitur stannum vel aliud metallum, ubi fodinæ argenti, ibi cuprum reperitur propter cognationem metallorum, & sic porrò ita ut *possibilis sit metallorum transmutatio utut difficilis*. Ex hoc patet, quid habendum sit de mysterio LAPIDIS PHILOSOPHICI. An detur tale remedium, ut ita dicam, quòd imperfectum aurum sive metallum non tantùm, sed etiam ipsum mercurium permutare valeat in perfectum aurum? Stante hypothesi, quòd metalla non differant nisi gradu fixitatis & mollitiei, maturitatis & immaturitatis &c. facilè potest judicari, quòd si habeatur perfectiùs seminium metallicum, quòd beneficio ejusdem metalla immatura possint maturari &c. Nam *lapis Philosophicus* est tantùm *medicina ad metalla* aperienda, *eorumque imperfectionem* morbosam *corrigendam*, & eadem ad perfectionis sanitatem diducenda. *Falsum* enim est, quod debeat lapis Philosophorum *etiam ad conservandum corpus* adhiberi: Et rectè dicit *HELMONT*, quòd *possessores hujus lapidis non sint longævi*, quod & inductione exemplorum probari posset. Unde etiam *PARACELSUS anno* 45. ætatis *est mortuus*. Antiqui Philosophi, qui magnifecerũt Harmoniam microcosmi cum macrocosmo mutuam, considerantes 7. *planetas* principales, & considerantes 7. *metalla*, quibus annumerarunt hodie mercurium, eadem *ad*

corpus humanum, ejusque partes principaliores, iisdem nominibus insigniendo, *applicant*, unde fit ut eo nomine, quo sunt insignita metalla, & septem Planetæ, etiam sint insignitæ partes corporis humani, & sicut *metalla habent convenientiam cum plantis*, quæ planetis certis attribuuntur: ita hæc ipsa convenientiam habent cum partibus principalioribus corporis nostri, tales enim *partes corporis* humani *principaliores dicuntur planetæ microcosmi*, ut aurum macrocosmi habet correspondentiam cum sole sive auro, & cum corde; luna cum argent. metallo & cerebro, & sic porrò. Unde etiam *metalla* interdum *signo*, *quibus* insigniuntur *Planetæ*, *solent* vulgò *nominari*. Quæstio jam est de metallorum EFFICACIA, *an* scilicet aliquam *in corpus* nostrum *habeant efficaciam*. Quæstio potest intelligi partim de metallis crudis tantùm in pulverem redactis, partim de præparatis, & in certam medicamenti consistentiam redactis. Quod attinet priùs ac *cruda*, de his nullus dubitat & certum est, quòd *nullam activitatem exserant* in nostra corpora, sunt enim nimis dura, & tantùm pulveris instar, aut arenarum, sicut fuerunt ingesta, denuò prodeunt. Nullam dico exserunt activitatem in corpus: exinde tamen non sequitur, quòd assumta nullam habeant utilitatem, scilicet quatenus passivè sese habeant ad salia corrosiva sive acida nostri corporis, quæ salia aggrediendo metalla amittunt acrimoniam, eadem solvendo: & ita *metalla pulverisata passivè sunt utilia.* Passivè ergò conveniunt, *quatenus* patiuntur, ut eadem *sal corrosivum* acidum in primis viis, & spir. acidi corrosivi *aggrediantur.* Sic verb. gratia mars *crudus vel pulverisatus* licet assumatur, nihil juvat sive commodum corpori affert, nec ullam vim exseret, & frustra quasi erit *assumtus*, nihilominùs tamen *utilis* est *in iis morbis*, in quibus *acidum* est *in primis viis*, quatenus tunc mars passivè se habet, ut à salibus acidis præternaturalibus corrodatur, quâ corrosione acrimoniam suam perdunt, & adhærescentes cum marte exitum quærunt. Quod dictum de marte, valet de Saturno, imò valet de medicamentis ex Saturn. Sic quando Saturn. & remedia ex plumbo dicuntur quarta columna Chirurgiæ, quatenus applicatæ curant ulcera cancrosa & similia, illud non fit activè, quatenus exserunt suam activitatem, sed passivè, quatenus Saturn. est corrosibilis, & attrahit ad se salia acida, quæ dulcescunt: ut mars & reliqua vi adstrictoria polleant, quæ internè conveniunt. Hæc ergò ratio est, quòd *nullum est activum ex metallis*, quatenus activitatem exserat, *sed passivum*: Salia acrimoniam amittunt, & fiunt blanda, subdulcia, & sic fit medicina, ulcerum, & singulare medicamentum: utut mars præ reliquis vi adstrictoria conveniat: reliqua, cùm nullam habent activitatem, ita cruda assumta, & certum sit, quòd *in intimis metallorum* sint *varia inclusa*, *quæ habent activitatem*, sed quoniam latent *sub duro cortice*, & priùs sunt *producendi*, propterea VARIÆ institutæ sunt PRÆPARATIONES, quarum beneficio internæ virtutes extractæ & protractæ fuêre in lucem & apricum: inter quas *ea est excellens*, *quando* fiunt *potabilia*, id est, quando rediguntur in consistentiam liquidam, ut sub formâ liquidâ possint assumi: Et quidem non sufficit, ut sint potabilia, & sub formâ liquidâ assumi queant, sed *ita debent esse potabilia*, *ut non* ampliùs *possint reduci* in antiquam consistentiam metallicam, simul itaque enim metallicum medicamentum denuò potest reduci in antiquum suum corpus durum & metallicum, *non est perfecta potabilis medicina* ex metallo *sed est solum solutio corporis* homogenei in partes homogeneas: Si ita resolvuntur, ut tota compages resolvatur, & vinculum mistionis omninò dissolvatur, ut non ampliùs possit reduci, est verè potabile, & stupendos edit effectus. Redactis ita in liquorem, & factis potabilibus metallis, quâ ratione extrahantur virtutes in apricum: *Quæstio* est, quomodo *operentur*, *an per* CONTACTUM CORPORALEM, *an per* VIRTUTEM *irradiantem & SPIRITUALEM*? Priùs non potest dici, alia assumerentur potiùs in substantia majuscula: Et imprimis cur operarentur sub minutissima dosi? exinde ex modernorum hypothesi *conclusum* fuit, *quòd operentur per virtutem* irradiantem, quâ dirigant archæum, excitent, & certas ac amicabiles Ideas exsuscitent, si eædem fuerint labefactatæ, ut operetur ad conservandam aut restituendam sanitatem in corpore humano ad earum ductum. Et quidem *hæc* vis radiativa metallorum *consistit in eorum sulphure* seu pinguedine sulphurea metallorum, *à quo* metallorum sulphure dependet *color* metallorum: sic à sulphure auri dependet color, rubicundus, à sulphure argenti color sapphrinus à sulphure martis qui est naturæ solaris, dependet rubeus, à sulphure cupri qui est naturæ solaris, dependet color rubicundus: vis ergò irradiativa *metallorum* egredi dicitur à sulphure quod sulphur *dicitur* sulphur metallorum *benedictum* à modernis, propter benedictas & stupendas virtutes quas possidet, legitimè præparatum, sive sub forma potabili, sive sub forma pulveris. Inter sulphura metallica *primatum obtinere dicitur* ex modernorum experientia sulphur veneris quod ex vitriolo veneris elicitur, & *vocatur* ab HELMONTIO *primum Ens veneris* cui dixi succedaneum sulphur Hæmatitidis sub hæmatitide. Operantur ergò metalla legitimè præparata sub forma radiativa, sive sub forma tinctur. seu liquida, sive sub forma pulv. præparata præstent. Et quidem *pro* tali præparatione & *extractione sulphur. metallici benedicti* non est sufficiens nuda solutio per menstrua vulgaria corrosiva, sed *sublimior requiritur præparatio.* Omnes *vulgares sunt corrosiones superficiales* corporis totius in partes minutissimas, *unde* etiam facilè *possunt reduci* ita corrosa metalla: *reductio fit per salia alcalia*, inter quæ primatum obtinet sal tartari & hinc Borrax venetus, his metalla corrosa, vel quocunque modo à menstruo acido corrosivo palliativè potabilia, reducuntur *in crucibulo fusa. Fundamentum* consistit in eo, quando omnis solutio & corrosio per menstrua acida fit, conjungantur partes metallicæ cum acidis partibus menstrui corrosivi, quando ergò salia alcalia, qualia sunt sal tartari, Borrax venetus, sal volat. fuliginis, sal carbonum arripiunt partes acidas menstrui corrosivas, & se conjungunt, exinde fit, ut conjunctione acidorum cum alcalibus particulæ metallicæ dimittantur, quæ post solutionem à compedibus corrosivi acidi levi fusione in antiquum corpus metallicum confluunt. MERCURIFICATIO. Multi magno conatu magnoque ingenio volunt extrahere *mercurios vivos ex metallis*, quos vocant *mercurios corporum.* Et quidem *multi affirmant* dari tales mercurios, *multi negant*; Cæterùm *non est* omninò *negandum*, quòd dentur, quoniam experientia hoc confirmat. Et quidem *proba*, quòd mercurij tales non sint mercurij vulgares vivi, sed ex metallis est hæc, quòd talis *mercurius corporis dissolvat aurum in manu*, sive quando habeo mercurium talem in cavo manus, & immitto in illum frustum auri, subitò sic fit incalescentia & effervescentia auri crudi cum mercur. ut impossibile sit ampliùs detinere illud in manu interim tamen perfectè & radicaliter solvit aurum. Deinde *talis Mercurius* metallicus medicina *nullam producit salivationem*, sicut facit Mercurius vulgaris vivus, sed sine omni salivatione operatur in corpore nostro.

Quod

Quòd dentur tales Mercurij metallici, *testatur experientiâ*. Sic *D. MICHAELIS* apud Generalem Arnheim *vidit Mercurium vivum auri*, cujus fuit hæc *nota*, quòd in loco obscuro & tempore nocturno scintillulas igneas visus fuit emittere agitatus & motus. *Mercurius ex argento* non est adeò *rarus*, sed omnes fatentur, quod proximè possit fieri ex argento uti dixit mihi Dn. *BOYLE*, quòd sæpiùs illum alios præparare docuerit. Mercur. Stann. & plumb. etiam *facilis est præparatu*, & dixit mihi expertus quidam Chymicus, se casu incidisse in mercurium plumb. scilicet quidam solvit aliquando plumb. in spiritu nitri, & spiritum nitri postmodùm abstraxit, hinc remanserunt crystalli in fundo, qui crystalli agitati cum spatula ferrea, & ita repositi, tempore quodam interjecto granula Mercurij vivi dederunt adhærentia spatulæ ferreæ resuscitata ex plumbo. *Medium quibus fit Mercurius* metallicus, *sunt salia alcalia fixa* imprimis sal tartari & hinc sal armoniac. ratione salis urinæ exinde *vocantur salia resuscitativa* quoniam suscitant Mercurium vivum ex corpore metallico, inter quæ *dixi eminere* sal tartari quod *dicitur à TACHENIO sal privilegiatum*, quoniam potentius extrahit Mercurium. Hinc succedit spiritus urinæ & cum eo præparatum sal armoniacum item spiritus fuliginis & ejus sal vol. & quæ sunt alia. Cæterùm, utut possit præparari ex metallis Mercurius vivus, *quæstio* tamen *est*, *an præexistat in metallis tanquam pars* componens, *an* verò *beneficio operationis* artificialis ipsum metallum *fuerit transmutatum* in Mercurium vivum, quasi per novam transmutationem & generationem. *Prius*, quòd Mercurius sit tanquam pars componens corporis metallici, *affirmant ij*, qui dicunt inveniri mercurium in omnibus metallis. *Posterius dicunt ij*, qui statuunt non posse inveniri in omnibus metallis & per Mercurium intelligunt humiditatem primogeneam, & dicunt, quòd sit magis artificialis quam naturalis, factus ex transmutatione metalli in talem mercurium vivum.

AURUM.

Aurum metallorum cunctorum est nobilissimum, solidissimum: colore fulvum, compactum ex principiis summè digestis, adeoque fixis.

Dicitur Chymicis 1. Sol, quia soli tum macrocosmico, seu cœlesti, tum microcosmico, id est, cordi sympatheticè respondere crediturì, unde & solis signo notari suevit. Germ. Gold. Or.

2. *Rex Metallorum*, quòd principatum inter metalla sibi vindicet.

Præstantissimum censetur Arabicum, hinc Ungaricum, tandem Rhenanum.

Vires. Balsami seu calidi nativi, cordisque summum corroborans est, unde & in omnibus morbis in quibus vires reficiendæ sunt, cum successu exhiberi poterit. Mundificat insuper sanguinem, noxiorum scil. humorum discussione ac diaphoresi.

N. Crudum aurum foliatum veteres multis commiscuere compositionibus. Verum, mehercle, cui bono, præterquam quod oculos pascat, non video; solidior enim & compactior ejus substantia est, quàm ut calido nostro resolvi, inque actum deduci queat. Nec sufficit, quod nonnulli mutua cordis ac auri effluvia sympathica statuant, atque easpropter aurum foliatum exhibent. Etenim præterquam quod eadem facillitate id destrui possit, qua citra rationes asseritur, applicari posset extrinsecus majori in copia, atque dubio procul majori cum utilitate, minoreque vel nullo cum dispendio.

PRÆPARATIONES.

I. PURGATIO.

Purgatio Solis fit, vel à sordibus superficietenus adhærentibus, vel à metallis imperfectioribus commixtis.

Purgationi à sordibus sufficit lotio ex aqua, præcipuè quæ Tartaro vel Sal. com. imprægnata est, vel ex aqua forti minus spirituosa, id est, aquosiori.

Purgatio ab imperfectis Metallis fit:

1. Per calcinationem immersivam.

Solvitur aurum in aqua regia, quæ solum aurum solvat relictis reliquis intactis: hinc depletur solutio, præcipitaturque; calx illa denuo fusa purum exhibebit aurum.

2. *Per fusionem. 1. cum antimonio*: Fiat regulus solaris, modo quem habes de regulis in antimonio: regulum hunc Solarem crucibulo impositum; colloca in anemium, adde ignem carbonum circularem, (suppressionis quoque si vis) adhibe, si opus, follem, donec totum antimonium effumarit, & non nisi aurum penitus purificatum remanserit. Vocant *vor dem Balge beglasen* de l'Or purifié par fusion avec de l'Antimoine: si purgatur aurum ab omnibus metallis.

2. *Cum saturnus* fit ad eundem modum, quo argentum purgare docemus capite sequenti.

2. Per cementationem.

℞. aurum laminatum. F. in olla cementatoria S. S. S. cum cemento vulgari vel regali: committe igni gradatim horis aliquot, ut metalla imperfecta comburantur.

Cementum vulgare.

℞. Farin. laterum ℥viii.
Sal. com. præparat. ℥iv.
Sal. Nit. Ærugin. ana ℥ß. M.

Cementum Regale, quod soli auro paret.

℞. Farin. later. ℥iij.
Sal. Gemmæ, Sal. com. præparat. ā ℥I.
Misch. humectando Vrina.

Cementum optimum.

℞. Auri p. I. antimonij p. ij. fundantur simul, hinc fac lamellas tenuissimas instar papyri. Deinde per horas 40. vel 50. igne forti cementa, stratificando scil. cum cemento mixto ex farina later. Sal. com. colchotare, virid. æris & sal. armoniaci; irroraque cum Acet. destill. forti sic perit cuprum. Beguin.

Cementum aliud.

℞. Alumin. plumos ℥j.
Sal. com. calcinat. ℥j.
Sal. Nit. ℥ß.
Alum. crud. ℥iß.
Terr. vitrioli ℥ß.
Cum acet. destill. F. pasta, cui involvatur aurum laminatum.

Primum stratum fieri poterit ex Sal. Com. calcinat. & farin. later. cui aurum priori cemento involutum imponatur. Tandem ultimò finiri poterit stratum cemento priori: cementetur gradatim primò igne lento hor. tres plus minus, dein auge ignem, ut crucibulum candescat hor. 4.

N. Hac ratione probari possunt floreni, quippe qui integri manent evanescentibus metallis imperfectioribus.

II. CALCINATIO.

Calcinatio auri est 1. Immersiva. 2. Vaporosa. 3. Amalgatoria. 4. Cementatoria. 5. Reverberatoria.

Calcinatio immersiva.

Calcinationis immersivæ actus duo sunt: Solutio & Coagulatio, seu Præcipitatio.

Solutio fit per aquam Regiam per oleum antimonij glaciale per spiritum Nit. bezoardicum, per aquas fortes Sal. Nit. vel Sal. com. acuatas, per spir. Sal. com. alcalis. per oleum saturni, Liquorem seu Balsamum Sal. com. spir. alcalisatum Acet. destill. per spirit. vini alcalisat. per spiritum bolarem salis gemmæ, sal. ammoniaci spiritum vitrioli volatilem, Tartari, sanguinis, urinæ, calcis vivæ, mellis, antimonij, mercurij, minerarum auri, veneris, martis, saturni, roris Maialis & simil.

Coagulatio fit, vel humiditatis discussione, vel soluti auri repercussione seu præcipitatione.

Præcipitatur aurū instillatione olei Tart. per deliq. injectione

 cinerum

cinerum clavellator. vel salium ex vegetalibus elixiviatorum.

Præcipitatur itidem solutio Solis per mercurium injectum.

Præcipitatio fit etiam cum soluto sale armoniaco, spiritu urinæ dissolutio cum menstruo aqueo insipido vix est possibilis. Potest tamen acrimonia spiritus Sal. com. solventis aliquo modo occultari. Sic multi asserunt ole. Sal. com. ferè insipidum evadere, si lateres candentes sæpius in eo extinguantur, & postmodum destilletur spiritus dulcescens, in quo postea Solem solvunt. Alij Balsamo Sal. com. dulci utuntur quod fit ex Sal. com. per vices XII. spiritu Acet. destill. imprægnato, deinde destillato: flores Sal. com collo retortæ adhærentes solvuntur in cella in oleũ auri solutivum.

Hinc.

Aurum Sclopetans seu fulminans.
κεραυνόχρυσος.

℞. Auri laminati & in frusta incisi q. v. solve digerendo in aqua regia (ex aqua forti ℔.1. Sal. armoniac. ℥iv.) solutioni infunde guttatim bonam quantitatem olei Tart. p. d. (vel è contra solutionem auri infunde in bonam quantitatem olei Tart. p. d.) donec solutio clara & alba evadat, sic præcipitabitur aurum instar limi: sole omni ex parte præcipitato, elue salsedines aqua communi, calcemque solis calore hypocausti lænissimo exsicca, vel sponte suâ exsiccari permitte; sic paratum est aurum fulminans.

N. Aurum hoc fulminans cautè tractes, ne flammam scil. concipiens detrimentum inferat, concipit enim promptissimè, ac deorsum vergens, quicquid substratum, non sine adstantium periculo, in frustilla disjicit. Lævigaturus itaque memento singulis vicibus parum sumas, non ferro, sed ligno agitand. vel spiritu Sal. com. aut Sulphuris guttatim affuso, vim φλογίσην ac fulminantem adimas. Figitur quoque vis fulminatoria si calx illa in acet. destillat. l. ign. per horas aliquot (24.) continuata agitatione coquatur.

Vires. Sunt qui hujus gran. ij vel iv. ad sudores ciendos exhibent.

Hinc & Diaphoreticum.

℞. Calcis auri (spirit. vin. malvat. aliquoties irroratæ, atque iterum exsiccatæ ℥j.
Croc. ℈j.
Ambr. Grys. & mosch. or. ana gran. VI.
Misc. & serva.

Vires. Cum vino malvatico, vel alio liquore exhibitum, multos affectus domare dicitur, præsertim ex obstructione ortos: cordiale quoque insigne est, at hystericis minùs utile, ob moschum & ambram.

2. *Calcinatio vaporosa.*

Fit similiter vaporibus ex liquore aliquo corrodente (uti dictum,) elevatis. *Paracelsus lib. 5. de morte rer. natur. hanc habet, crocumque acquisitum vitriolum salis appellat.*

℞. Aurum lamin. suspende super Vrinam pueri mixtam cum uvarum pressarum exuviis) *mit Vvueintrester*,) in Aludele sat amplo firmiterque clauso. Hinc pone in exuvias uvarum calidas per dies ac noct (14.) & adhærescet laminis crocus pede leporino abstergendus.

3. *Calcinatio amalgamatoria.*

℞. Auri laminat. p. 1. mercurij crudi puri p. VI. circiter. F. ããã, nimirum aurum laminatum [& si vis ignitum,] cum mercurio ab igne calefacto, ut fumare incipiat, misce misturam in aqua infunde, ut mistura ea undique ferè similis evadat.

Hinc tere cum duplo Sulphuris continuoque ad ignem lentum agitando calcina, donec mercurius & Sulphur sine liquefactione ac concretione exhalarint, calxque solis colore calendulæ remanserit. Sic calcinatur à Basilio ad conficiendam Tincturam. Vide infra, & conjunge Basil. Chym. Milij tr. 2.

N. 1. Feliciùs procedet calcinatio si (ante combustionem cum Sulphur.) idem mercurius cum auro toties amalgamatus, & ab eodem per retortam abstractus fuerit, donec sese invicem amplius amplecti recusent. Vide Hartmann. in practic. de Dysent.

N. 2. Beguinus separat mercurium superfluum per corium, post separationem miscet restantem massam cum duplo Sal. com. decrepitati, reverberatque sine fusione solis in crucibulo lutato, & non nisi parvo foramine aperto. Solem ita calcinatum (& edulcoratum,) amalgamati denuo cum mercurio. massam trajectione in corio restantem miscet cum duplo Sulphuris vivi, superfunditque spirit. vin. optimum, unà cum Sulphure efflagrandum, sic relinquitur sol spongiosus valdeque attenuatus.

4. *Calcinatio cementatoria.*

1. Fit quando aurum, vel cum Sulphure, vel Sal. com. quopiam stratificatim mixtus, in igne reverberij adhibito caloris moderamine, ne aurum fluat, subtilissimè pulveratur. *Sala de auro.*

2. *Cum C. C. usto.*

℞. Auri limat. q. v. tere diligentissimè cum C. C. usto, dein reverbera [quod in furno figulino quoque fieri potest] donec colorem acquirat incarnatum.

Vires. Medicina est viribus suis efficacissima, dosis proportione C. C. (quæ recipitur ferè octupla) est, quæ grana auri 3. 4. &c. contineat. Finck in Enchir.

Aliter cum C. C. crudo.

℞. Auri laminat. & C. C. in similes, laminas redactum. F. S. S. S. colloceturque clausa lutataque pyxide in igne calcinationis gradatim, tandemque horis 4. auge ignem, ut pyxis incandescat: hinc exime, atque itera calcinationem novo adhibito C. C. donec aurum reddatur friabile. (fit vice tertia.) Tandem aurum hoc calcinatum denuo cum C. C. usta tere ac reverbera igne mediocri, ut colorem acquirat laterum. Sic optimum habes Solis pulverem.

N. Expedit fundum pyxidis arena vel alum. plumoso tegere, ac stratum eodem claudere, Joh. Agric. de Sol.

5. *Calcinatio reverberatoria.*

Reverberari Sol dicitur, quando in pulverem purpureum, seu summè bruneum, subtilem ac lævem, redigitur, id quod fit per se ignitione solâ, vel etiam flores Sulphuris, calci, auri admiscendo & comburendo.

N. Supplere reverberationis vices possunt iteratæ auri calcinationes, sive illæ per amalgma, sive per aquam factæ fuerint.

III. VOLATILISATIO.

Unde aurum spiritualisatum.

Volatilisationem voco solis per alembicum destillationem qua aurum velut in spiritualem naturam redigitur, idque fit beneficio volatilis alicujus, ejusque debiti vehiculi, seu menstrui; nimirum hoc ipsum à sole soluto toties cohobatur, donec secum in liquida forma eundem Solem evehat. Vehiculum autem commodum præbet, 1. aqu. reg. 2. ole. antimonij glaciale [vide paulò post] 3. spiritum nit. Bezoardici, [vide aurum potabile per spiritum sal. nitri Bezoardic.] 4. spirit. sal. com. rectificat.

N. Loco sal. communis haud sine commodo substitui poterit spiritum ex sale alicujus vegetablis, v. gr. Cardui benedicti.

IV. EXTRACTIO.

Vnde aurum potabile, Tinctura auri.

N. Tincturas plerasque Solis, solutiones & exaltationes potius esse quàm extractiones non diffiteor; attamen quia vulgariter Tincturæ nomine efferuntur & nobis visum fuit idem retinere. Aurum itaque potabile communiter dicitur aurum in liquorem redactum, internoque usui idoneum, de quo loqui videtur Hippocrates l. 1. de Diæta, text. 47. Qui aurum inquit, ad opus adhibent, tundunt, lavant, blando igne liquant (neque enim vehementi coit,) quod ubi elaboraverunt ad omnia utuntur. Scias tamen & extractiones genuinas non esse impossibiles. Nimirum & amici cujusdam mei, & propriâ meâ experientiâ didici, quod ex Sole oleum rubicundissimum aquæ supernatans extrahi possit. Id quod hic repeto, ne de certitudine dubites.

1. *Aurum Potabile per spirit. vin. sale urinæ acuatum.*

℞. Calcem auri aqua regia factam, reverberatione in summam porositatem & brunitatem redactam,] affunde spirit. vini microscomic. digere l. calore per mensem vase H. clauso,

clauso, donec sanguinis instar rubicunda tinctura evadat. Hinc decanta, & affunde novum menstruum, idque toties repete, quoties opus. Solutiones collectæ per octo & duodecim dies digerantur. Hinc lenissimo calore menstruum [in similes usus reservandum,] in MB. separetur. Sic remanet tinctura in fundo forma olei rubicundissimi, in quolibet liquore solubilis, quæ vicem auri potabilis supplere potest.

Eandem solutionem si loco MB. in arena per cucurbitam, vel retortam destilles, tandem auri tinctura simul per alembicum transit, rubicunda instar sanguinis, relictâ in fundo terrâ acidâ nigrâ spongiosâ. Tincturâ à menstruo suo in MB. saltem tepido liberata ulteriùs exaltari potest, si aliquoties in spirit. vin. solvatur, ac spiritus idem per destillationem à tinctura abstrahatur.

Dosis à gran. iij. ad vij. imò vel ultra. Hartm. in Croll. & in Pract. Senn. Inst. Kesl. 1. Cent. 2. Gluck. in Beguin. libr. 3. cap. 2.

N. Sala, Scheunemanus & alij loco salis volatilis urinæ, salem naturæ recipiunt, i. e. Macrocosmi Elementorumve spiritum in terra ceu Macrocosmi Generatorio [ut inibi in fœtuum terrestrium nutrimentum facessat;] in corpoream substantiam transplantatum. Hinc arte spagyricâ summè depuratum, animatione exaltatum, vocant mercurium Philosophorum.

Consule Hartman. in Croll. pag 399. Salam de auro potabili. Tentzel. in Exeg. pag. (mihi 491. Sheunemani Hydromantiam, &c.

Aliter cum spirit. vin. acuato per Sal com. vel per sal gemmæ

Alij spirit. vin. acuunt vel sale volatili, seu floribus Sal. com. aut sal. gemmæ vel Crystallis salis ducibus, vel spiritu salis armoniaci, aut Sal. nit. atque ut dictum, cum hoc spirit. vin. acuato, ex calce auri summè brunna & porosa; Tincturam digerendo extrahunt: abstracto menstruo remanet tinctura in fundo, quam circulando fixare licet.

Usus.

℞. Hujus Tinctur. ʒj. aqu. theriac. ℥j. M. pro sudorifero aliquot dies continuando.

Dosis ℈j. Vide Quercetan. in libr. de Medicam. Spagyric. præparat. Salam. de auro potabili Kesler. lib. 3. c. 31.

3. *Aliter cum spirit. vin. alcalisato aur. vitæ Quercet.*

Primò calcina Solem laminatum per cementat [cum Sal. nit.] & reverbera. Secundo, cementa per Sacchar. saturni, super hac mixtura accende aliquoties spirit. vin. alcalisatum. Relictam materiam circula (per dies ac noct. 14.) cum spir. vin. alcalisat. abstrahe, & affundendo novum spirit. vini alcalisat. iterum circula & abstrahe, idque repete donec tota auri substantia per alembicum efferatur. Separato menstruo manebit aurum vitæ præstantissimum in fundo. *Quercetan. Sala.*

4. *Aliud per Ol. antimonij glaciale sive Butyrum antimonij.*

℞. Calcin. Sol. reverberat. conjunge cum Ol. antimonij glaciali rectificato, digerendoque per mensem extrahe tincturam rubicundam: quod si illud oleum vicissim, seu secunda vice destilletur, aurum elevatur in spirit. vin. subtile, & hoc est aurum potabile.

Vires. Validè per diaphoresim movet.

Dosis gutt. 3. 4. vel 5.

N Oleum antimonij, quod primâ hac destillatione ab auro prodit, purgat leniter, solvitque omnes obstructiones, & multa alia præstat. Hartm. in Croll. p. 226.

5. *Aliud per Ol. antimonij Saccharatum, Basilij Magisterium Solis.*

℞. Auri volatilisat. affunde oleum antimonij Saccharatum, cum tantillo spirit. Sal. com. & extrahetur tinctura, relicto corpore auri intacto. *Basil. in Triumph.*

6. *Aliud per spirit. Sal. nit. Bezoardicum.*

℞. Auri foliat. ac calcinat. solve in spiritu Sal. nit. Bezoardico rubicundo, abstraheque menstruum calore lenissimo (ne spiritus nimium prodeant,) per alembicum vel phiolam oblongioris colli, usque ad pelliculam seu oleositatem. Hinc recens rubicundum menstruum affunde, solve, abstrahe, similiter procedendo tertiâ vel quartâ vice. Tandem hæc ipsa solutio auri ex retorta igne fortiori destillatur, ut & spiritus prodeant, quos affunde iterum cohobando, donec ipsum aurum rubicundum instar rubini appareat.

7. *Aliud aurum potabile per oleum saturni.*

℞. Calc. auri per aqu. regiam vel mercur. &c. circula per aliquot dies cum Ol. saturni flavo; sic compagem auri in liquorem solutam videbis.

Vires & dosis. Usus ejus est contra venena non contemnendus, imò sæpè visum est, gut. iv. viij. in vino exhibitis, etiam eos, qui existimabantur morti proximi, refocillatos fuisse. Multum etiam præstat in Caduco, Apoplexia, Paralysi, & cæteris morbis capitis. Hartman. in Croll. pag. 474. Kesler. libr. 4. num. 57.

8. *Aliud per spiritum Sal. communis.*

℞. Calcis auri (solutionem Solis in aqu. reg. Basilij præcipit. cum mercurio) q. v. affunde spirit. Sal. com. rectificat. digerendo extrahe tincturam, corpore auri albo remanente in fundo, (quod est reducibile in lunam fixam) tincturam exalta cum spirit. vin. circulando, totiesque cohobando, donec cum spirit. vin. per alembicum deducatur. *Kesler. lib. 4. c. 71.*

9. *Aliud per ol. Sulphur.*

℞. Calcis auri q. v. affunde ol. Sulphur. p. c. ad eminentiam digit. 7. abstrahe cohobando aliquoties, donec aurum solvatur. Soluto tandem auro affunde spirit. vin. rectificatiss. ad emin. dig. 4. oleo Sulphuris non separato. Digere per septim. (6.) Hinc abstrahe per alembicum spiritum vini, idque reitera, donec aurum per alembicum elevetur. Hoc facto abstrahatur lenissimè spirit. vin. ut maneat in fundo liquor rubicundus.

N. 1. Post tertiam vel quartam cohobationem separandum est phlegma, novumque etiam affunde.

N. 2. Reiteratio cum spirit. vin. opus est septimanarum aliquot (10.)

Hinc fit.

Aurum Diaphoreticum compositum Poppi.

℞. Calcis auri (à qua Ol. Sal. com. abstractum) ℥j. Ol. mercur. ij. (ex cinnab. nativo) ℥ij Ol. martis (ex scoriis ferri) ℥j. Superaffunde Sulphur vini, aliquoties id abstrahendo, & remanet pulvis paulatim igne calcinandus & figendus.

Prodest in contracturis. Dos. g. viij. Popp. in Thesaur.

10. *Aliud per Essentiam Sal. communis.*

℞. Auri optimè calcinat. per amalgma, &c. affunde Q. E. seu Oleum (Balsamum) sal. com. ac extrahe (solve) s. a. Decantatis extractionibus, (solutionibus) affunde spirit. vin. opt. rectificat. sic spirit. vin. animam Solis ad se trahet, relictâ Essentiâ sal. com. in fundo, quam separa; Tincturam auri in MB. à spirit. vin. libera. *Sala de auro potabili.*

11. *Aliud per spir. Mannæ.*

℞. Calc. auri fulminantem, redige in flores per peculiare aliquod instrumentum argenteum deauratum: Ex floribus extrahe tinctur. cum spiritu mannæ, abstrahe ad consistentiam pro libitu.

Vires. Sudorem, eumque fœdissimum pellit, felicissimè morborum quorumcunque malignorum & venenatorum seminarium secum vehens. Cl. Helv. *Dieterich.*

Dosis guttæ aliquot.

12. *Aurum potabile cum spir. Sal. communis Tartari.*

F. amalgma ℥j. cum ℥vi. mercur. more vulg. superfluum mercurium per corium exprime, globulum restantem tere cum ana sal. com. fusi, fac evaporare mercurium mediocri igne salem ablue aq. calidâ, calcem tere fortiter cum ℥iij. cinnabaris communis, pone in tegulâ fulminatoriâ (*eine Treibscherben,*) un Creuset nommé foudroyant, coopertâ cum foramine, cementa per 3. horas ad totalem usque cinnabaris evaporationem, idque cementationis opus 5. aut 6. cum pari quantitate novi cinnabaris reitera, donec scil. aurum in spongiam rubicundam attollatur. 2. Extrahatur tinctura per seq. Menstruum: ♃ spiritus sal. com. tartari parati, ut indicabitur cap. de Tartaro vini, part. 1. spirit. vin. part. XII. Destilla simul ex cucurb. Hunc spirit. vini Tartarisatum affunde calci sive floribus auri sublimatis, & tingetur rubro colore, abstrahe spirit. vin. remanebit pulvis coccineus, cujus vires innumeræ.

N. Si calcem spongiosam aliquoties sublimaveris cum part. 8. sal. armoniaci donec sandaracino colore elevetur, & postea ab admixtione salis armoniaci vindicaveris, felicius & citius extractio fit Tincturæ. Ex commun. S. Closs.

13. *Aurum potabile Franc. Antonij.*

Aurum purgetur (bis) per antimonium. Hinc calcinetur cum mercurio, & Sulphur. Extraheque cum Sulphur. saturni.

N. Licet & vice secundâ cum sal. com. marino fuso, ac tertiâ cum sal. com. Tartari calcinare.

Dosis g. 7. 8. &c.

N. Hoc est genuinum illud adeò decantatum aurum potabile Londinense, cujus descriptionem mihi servare constitueram. Verùm cum à diversis locis, quin etiam ex aula quadam illustrissima transmitteretur, ut communicaretur, nolui hac in re expectationem frustrari.

14. *Aliud Quercetan. auri vitæ dictum.*

Ex calce auri lævissima & spongiosâ, elice Tincturam digerendo in MB. per Acetum destillatum, Tincturam hanc exalta circulando cum spirit. vin.

Vires. Ad innumerabiles morbos ferè incredibilis videtur virtutis. Quercetan. in Sclopet. Et ex hoc Sala in auro potab.

Aliud Laudanum mercuriale Bayeri.

℞. Aurum per Sulphur. & mercurium optimè calcinat. ℥ß. Olei mercurialis ℥v. (forsan ol. saturni) Digerantur calore ciner. in phiola H. C. dies ac noct. octo, sic extrahitur tinctura auri rubicunda, hanc (relicto albo corpore (in phiola H. C. digerendo coagula (in Athanore) in lapidem rubrum, quem super porphyretico humido solve, rejectisque fæcibus denuò coagula: tertiò eandem operam repete.

Dosis gran. 2. ad 5.

16. *Aliud Bellichij.*

1. Calcina cum aqua regia ac præcipita.
2. Reverbera cum flor. Sulph. & mercurij, ut evadat pulvis instar boli armen.
3. Solve cum spirit. vin. rectificatiss. digerendo ac cohobando multoties (20.) & ultra: dein coagula abstrahendo.
4. Solve in spirit. sal. com. digere dies aliquod (3.) hinc abstrahe. *Billich. in Exerc. th. 102.*

17. *Tinctura solis.*

♃ auri fulminantis probè edulcor. part. 1. spiritus vitrioli volatilis part. IV. (sunt qui Oleum vitrioli causticum, in quo salis proprij pars 3. resoluta sit, adhibent: sed tale menstruum naturæ nostræ inimicum est.] Digerantur in B. tepenti per 40. dies. Tinctum spiritum rubicundissimum & clarum separa per inclinationem abstrahe ad siccitatem, affunde spirit. vini è vino Hispanico factum & Tartarisatum, & in calore lenissimo fiat Extractio instar Rubini, tinctos spiritus destilla & ad aliquam consistentiam redige, vel pulveris formam, quem etiam à sapore spirit. vin. poteris eluere aqu. still. vel dissolvere in quocumque liquore appropriato.

N. Si desit spiritus vitrioli volatilis, tunc ejus loco seq. Menstruum excellentissimum substitue.

℞ Sal. communis ℔. j. sal. nit. ℥vi. destilla s. a.

♃. hujus aq. fortis part. iij. spirit. vin. tantumdem, infunde spirit. vini in magnâ cucurb. quam statim occludes alembic. suo: ebulliunt enim illico commixti spiritus & flavescunt, deinde durante ebullione rubedinem acquirunt, tandem eadem cessante menstruum subviride evadit, quod quidem nihil peculiare possidet, nisi quod illius acredo facili negotio ab auro soluto elevatur, id quod adhibitis aliis aq. reg. fieri non potest.

Est communis. S. Closs.

18. *Tinctura Fratris Basilij.*

℞. Auri per amalgma calcinat. p. 1. solve digerendo aqua regali armoniacata, (vide in sal. nit. aquam regalem Basilij,) vel in aqua regali salina, (id est, sal. com. acuatâ) p. iij. hinc depleatur solutio, restantique aurum calci denuo aqua illa solvens affundatur, &c. donec penitus soluta calx sit: Solutiones digere in MB. ut subsideant fæces, quas separa. Solutionem defecatam digere iterum in MB. per dies ac noct. (9.) Hinc abstrahe aquam regalem ad oleitatem, abstractam aquam affunde vicissim, imprægnaque calcem cohobationibus tantisper repetitis, donec liquor ferè insipidus exstillarit. Tum affunde novam aquam regalem, imprægnaque denuo, ut dictum, in arena. idque tantisper donec aurum per alembicum penitus transportatum sit. [N. *cum singulis destillationibus ignis est augendus.*] Tandem abstrahe per MB. ad oleitatem, reponaturque ad Crystallisandum s. a.

Hinc.

℞. Crystall. auri p. 1. mercurij vivi purg. p. iij. agitato optimè, sic apparebunt colores, subsidebitque amalgma: Exhalet mercurius & restat pulvis Solis purpureus acet. destill. solubilis: qui tingit subitò instar sanguinis.

Ex hoc pulvere extrahe s. a. tincturam rubicundam cum spirit. vini, qui cum spirit sal. com. mixtus dulcificatus sit, (vide spirit. sal. comm. dulcem ac aquam temperatam Basil. in spirit. vini,) donec menstruum ulteriùs non tingatur, & corpus album reliquum sit.

N. 1. Menstruum nisi cautè & ritè præparatum sit, pro tincturâ rubicundâ extrahit viridem, vel alterius alicujus coloris.

N. 2. Corpus illud album in extractione tincturæ residuum, inservit sali & mercurio conficiendo, de quibus infra, videatur Tholdij Alographia, usti ex testamento Basilij monachi prolixè elaborationes hasce describit.

19. *Paulò secus ex manuscripto testamento Basilij.*

1. Purga aurum per antimonium.
2. Calcina, i. e. solve purgatum aurum in aqua regali, coagulaque.
3. Volatilisa cum spir. sal. com. acuato per spirit. draconis. (sal armoniac.) vide supra.
4. Præcipita cum Ol. Tart. vel quod melius, per abstractionem lentam.
5. Reverbera cum flor. Tart. vide supra.
6. Extrahe Tart. solis per spirit. vin. igneum, & spir. sal. com. vide aquam temperatam in spirit. vin.
7. Digere extractum Sulph. & solve denuò in mercurium Philosophorum vel in aqua regali dicta.
8. Volatilisa cum spirit. vin.

N. Basil. reper. lapid. Phil. volatilisat aurum per spir. sal. communis hinc conjungit extractum Sulph. cum spir. vitrioli rubeo (corrosivo) per digestionem cum spirit. vin. dulcificato, solvit & digerit aliquandiu; tandem cohobat, donec nihil in destillatorio residui remaneat. Sic acquiritur liquor solaris, seu aurum potabile maximarum virium.

20. *Unicornu Solare, seu Manna Solaris.*

℞. Calcem Solis optimè reverberatam, imbibe aliquoties menstruo solari, id est, affunde aliquantulum solaris menstrui ad eminent. dimidij digiti) vasque H. clauso digere l. ign. ut siccescat.

Hinc iterum affunde, ac digere, totiesque repete, ut Sol in pulverem subrubeum transmutetur.

Dosis à gran. 1. ad 5.

N. 1. Menstruum solare destillatur per cornutam ex minera, repetiti aliquoties destillationibus. Mynsicht.

N. 2. Felicius forsan processeris, si Menstruum hoc sale suo alcalisaveris calcem cum alcalisato hoc menstruo circulaveris admodum, quos alias tincturas nomine mannas fieri diximus.

Hic non possum non monere, quod nonnulli tincturam Solis beneficio oleorum aromaticorum sibi imaginentur. Nimirum calcem Solis optimæ elaboratam impastant cum oleo, e. gr. Caryophyllor. Cinanomi, camphoræ vitrioli, &c. hinc spirit. vin. restificatissimum affundunt, atque intercedente digestione tincturam extrahunt.

Verùm meherele, loco tincturæ Solis, aromaticorum oleorum tincturam nanciscuntur, quæ spirit. vin rectificatissimo, ceu suo simili (accedit enim ad naturam oleagineam) admixta acquiritur.

[Impostores tales Tincturas plerumque vendunt rubri coloris, nil de auri solutione participantes, quod quale impositum, reperitur.]

V. SUBLIMATIO.

Unde Flores Solis.

℞. Auri optimè calcinati) per spirit. sal. com.) part. 1. sali armoniaci depurat. p. VII. Misc. & sublima. Sic vel elevabuntur flores solis, quos eluendo ab armoniaco libera.

Dosis gran. 6. ad 9.

Fiat peculiare instrumentum argenteum aut cupreum (pyxidis,

xydis inſtar complicatilis) conſtans ex duabus partibus, ſuperiori ac inferiori, ut aperiri poſſit. Inſtrumentum hoc in latere tubulum habeat, per quem ſclopetans injici poſſit (paulatim id fieri neceſſum eſt,) tubulum ſtatim obturando. Sic elevabitur aurum, fornique ſuperiori adhæreſcet.

VI. SALIFICATIO.

Vnde 1. *Sal. auri.*

℞. Auri p. 1. mercurij purificat. q. v. vel p. VI. F. amalgma abſtrahaturque mercurius per retortam. Hinc F. iterum amalgma ex relicta ſcil. ſolis calce & abſtracto mercurio, idque repetatur toties, donec aurum aſſumere mercurium amplius nolit. Tunc affunde acet. deſtill. optimum (vel & ſpiritum ſal. com. acuatum,) digereque l. igne, decanta ac abſtrahe menſtruum ad ſiccitatem, & remanebit ſal. com. Solis.

N. 1. Cum relicto auro eodem modo procedere potes, amalgamando nimirum ac abſtrahendo, donec totum aurum in ſal. com. convertatur. *Keſler.* l. 1. c. 4.

N. 2. Alij idem meditantur ex auro per aquam regalem calcinato, ac per menſem reverberato.

2. *Aliter.*

℞. Auri foliat. vel quod melius calcinati ℥ß. ſal. com. ſal. nit. alumnis, ana ℨ. Miſc ac impone phiolæ cera Hiſpanica obturatæ, digereque calore arenæ, ſic ſolvetur aurum. Hinc affundendo aquam calidam præcipitabitur aurum in forma pulveris purpurei (maximè ſi oleum Tart. inſtilletur.) Pulveri optimè edulcorato affunde ſpirit. vin. rectificatiſſ. ſtentque aliquamdiu (menſes aliquot, vaſe clauſo,) ut ſpirit. vin. ſale ſolis imprægnetur. Hinc decantetur ſpirit. vin. & abſtrahatur, efflagretve. Sic relinquitur ſal. albiſſ. in fundo.

Vires. Inſigne eſt Diaphoreticum.

Doſis gran. 2. 3. 4.

3. *Sal ſolis Baſilianum.*

℞. Corpus illud album, in extractione tincturæ auri Baſilianæ reſiduum, reverbera leniter per mediam horam, ut aliquo modo corporale fiat. Hinc affunde aquam mellis, corroſivam digere, extraheque ſal. ſ. a. (labor eſt dierum 10. circiter.) Aquam mellis ſale ſolis imprægnatam ſubjice deſtillationi MB. ut abſtrahatur. Sal ſolis reſiduum edulcora, aliquoties aqu. comm. deſtillatam affundendo, atque deſtillationibus repetitis abſtrahendo; tandem cum ſpirit. vin. clarifica.

Doſis gra. 2. 3. 4. &c.

N. In hac extractione ſalis remanet materia utilis pro mercurio ſolis conficiendo.

SOL, *ſive* AURUM. *Metallum nobiliſſimum*, quoniam eſt *ſolidiſſimum*, & diutiſſimè perſiſtit in igne. Notatur ſigno ſolis & *reſpondet cordi* in microcoſmo. Inter omnes conſtat, quòd aurum valdè *commendetur in roborando* & confortando *corpore* humano, adeò ut totum corpus humanum ſuo quaſi radio roboret, & exinde reſiſtat morbis & ſimul ſit *cardiacum. Quæſtio* tamen eſt, *an in ſubſtantia* aliquid VALEAT AURUM, quando aurum foliatum vel limatura frequenter *permiſcetur cum pulvere, cum ſyrupis*; Sed *falſum* hoc eſt, nam ſine omni activitate ſine omni paſſivitate excernitur: addunt quidam *in deſtillatione aquarum* pretioſarum, addunt *juſculis conſummatis*, ſed ſimili *uſu inſano*, quoniam quamdiu manet in corpore nullam poteſt exſerere efficaciam. Sunt alij, qui *applicant aurum pulſibus*, & expectant ab illo confortationem corporis, ſed ſimiliter *decipiuntur.* Nam ſi vel centum annos relinquerent in pulſibus, aurum, nullum tamen, modo hoc *pacto perciperent* exinde confortationem. Deinde ſolet aurum etiam *candefieri & extingui in aqua* appropriata ex aqua extinctionis aurum non tantùm commendatur in *Ictero flavo*, ſed etiam ceu expertum remedium in confortando & *reſiſtendo malignitati*: In hac præparatione eſt aliquid, utut etiam multi negent hoc modo aliquid ex auro per aquam extrahi poſſe: non tamen negandum eſt, id quod patet ex eo, quoniam *quo ſæpius extinguitur, eò magis de pondere amittit* metallum. Aliàs ſi aqua extinctionis ſolis evaporetur aliquantiſper magna ex parte remanet flava & aurea: *Si* ad ſiccitatem *evaporetur, remanet* in fundo *calx albicans*, quæ facilè poteſt reduci fuſione in aurum fuſcum: ita ut talis aqua extinctionis auri non ſit *rejicienda*: vid. *LOCCATELLI in theatro arcan. arcano V. pag.* 36. uti etiam *BURRHUS in epiſtolis ad Bartholinum ſcriptis*, præteritis nundinis editis pag. 34. Auctor laudat *aurum apyrum*, quod *eſt aurum perfectum ex fodinis extractum*, quod nullum ignis examen percepit; & hoc aurum apyrum *odorem ſuaveolentem* de ſe *ſpirat* & ſingulare præbet *cordiale*: vid. *HAUTMANNUS in ſcripto colliſivo, p.* 86. hocque aurum à multis *commendatur* pro uſu medico: Cæterùm *non ſemper tuto*, quoniam in ejus minera reperitur ſemper aliquid de excrementis veneris & lunæ, & ſic redditur malignum & venenatum; Si verò haberi poſſit apyron purum non dubito, quod ex eodem poſſit parari elegans medicina, quoniam in igne partes primo enti auri viciniores & volatiliores exhalant, ex quibus omninò poſſit fieri elegans aurum potabile. Sunt, qui dicunt, quòd aurum habeat *vim purgandi* ſed ſi hoc facit, facit tantùm *per accidens.* Aurum corpus eſt compactiſſimum & ſolidiſſimum, exinde impedit ignis vim: per menſtrua corroſiva, notum eſt, quod deſtruatur, ſed ſemper denuò poteſt in ſuum corpus reduci propterea dicunt Chymici excellentiſſimi, quod *facil us ſit, conſtruere aurum quàm deſtruere*; & propter hoc ipſum ſive firmiſſimam hanc unionem *vocatum* fuit aurum à veteribus *fortitudo fortitudinis fortiſſima.* Et ex hac ipſa difficultate deſtruendi aurum dum ſemper ferè poteſt reduci per ſalia fixa, patet, quid habendum ſit de *præparationibus vulgaribus auri*, quod *ſint* tantùm *ſuperficiales* corporis integri in minutiſſimas particulas ſeparationes, *non vero radicales* ejuſdem *ſolutiones*: Nam in ſumma AURI PERFECTA vera & legitma PRÆPARATIO conſiſtit in SOLUTIONE RADICALI, ſed hoc opus hic labor: hæc diſſolutio procuranda eſt *ſine corroſivis*, aliàs foret venenum, uti rectè inquit POTERIUS. Patet ergo, quid habendum ſit de vulgari Calcinatione, SOLUTIONE & tinctura, quod ſcil. ſint ſimplices ſolutiones, parvi aut nullius uſus in medicina, à nullo diſſolvitur radicaliter, & nullus etiam habet verum aurum potabile. *Aurum nunquam poteſt diſſolvi* per menſtrua acida corroſiva, *niſi* ſemper aliquid *adſit de* ſale, ſive de ſpir. ſalis. Unde etiam aqua fortis ex nitro & vitriolo parata, quæ omnia reliqua metalla ſolvit, *aurum non aggreditur*, niſi acuetur per ſal commune vel per ſal armoniacum & ſic fit aqua regia ita dicta, quoniam ſolvere poteſt Regem Metallicum, nempe aurum, *ſp.* nitri utut rectificatiſſimus *ſolvit omnia metalla, non vero aurum*, ſi conjungatur cum ſp. ſal. fit egregium menſtruum proſolvendo auro. Unde iſte *Spiritus* nitri, qui in præparatione Bezoardici mineralis abſtrahitur ex antimon. &c. *compoſitus* eſt elegans menſtruum pro *ſolvendo auro*, à *BOYLE vocatur menſtruum peracutum*, cujus beneficio aliquando aurum adeò extraxi, ut corpus album inſtar lunæ fixæ remanſerit. *Spir. ſalis rectificatiſſimus* etiam ſolvere poteſt aurum, ſed omnes ſunt corroſivi. Nam ſublimiores Philoſophi & Chymici habent *menſtruum inſipidum*, quibus ſolvunt aurum, quod *an poſſit dari*, *negant quidam*, ſed *fruſtra* negant, quoniã *teſtatur experientia.* Cum *ſpir. roris maja is* item cum *ſp: nivis* ſunt qui peragunt auri ſolutionem, idque ſingulari artificio. FUSIONIS *cum* antimonio *fundamentum* eſt, quia antimon. ſulph. ſolare in ſe habet, quod cum ſale ſe conjungit, quando funduntur, ipſique antiquum nitorẽ reſtituit, atque fuſione hac reliqua metalla ſcoriis adhærent CÆMENTATIO fit, quando fit ſtratũ ſuper ſtratũ & ſic calcinatur aur. ſtratũ ſuper ſtratũ eſt, quãdo primo ponitur ſtratũ pulveris in crucib. deinde injicitur

injicitur minera auri, & denuò pulv. denuò aur. & sic fit strat. supr. strat sicq; calcinatur, & fit solutio auri, & hæc est cæmẽtatio, pulv. dicitur *pulv. cæmentatorius. Cõpositiones* talium pulverum habet AUCTOR. Menstrua pro solvendo auro & solutiones sunt hic enumeratæ. Inter *menstrua* salina *dissolventia*, præter ea quæ habet auctor, *est saccharum*, in quo est spiritus, qui potest solvere aurum. Deinde etiam potest solvi aurũ cum *melle* & spir. mellis, ex qua solutione postmodum cum aqua vitis destillata potest fieri aqua vel Aurum potabile non tamen perfectè potabile. Ad Calcem pertinet *Aur. fulminans*, qui est pulvis ex auro præparatus, qui si mediocri calore accendatur, edit fragorem instar pulvis pyrij: *præparationem vid. in auctore. Observanda* autem sunt quædam *enchiriſes* in ejus præparatione. Nam observetur *tempus* factæ *saturationis*, sive qu. cessant ebullitiones, sin. nimis iniiciatur de oleo tartari, cessat vis fulminandi, & omninò perit. *Caute* deinde in igne *tractandum* est, ne testa ignis concipiat, & ingenti fragore omnia disiiciat, & deorsum quidem, cum pulvis pyrius tendat sursum ratione levitatis ignis. *Loco* salis tartari scilicet olei Tartari p.d. potest recipi sal *ex sarmentis* vitium calcinatis: *item alia salia alcalia*. Item si auro huic fulminanti ex superiori parte admoveatur ignis, ita ut ignis sit super pulverem modo non contingat, non fulminabit nec accendetur, sin verò inferius, fulminabit & accendetur. De auro fulminante est *quæstio, in quo consistat vis fulminandi?* dirimit litem *VVILLIS de fermentatione*, ubi de auro fulminante: Item *TACKENIUS in Hippocrate Chymico*, qui vocat aliàs *Ceranno Chrysõn*: virtutes *consistunt in eodem, ac in pulvere pyrio*, mutata sunt tantùm ingredientia. In pulvere pyrio consistit vis fragrans in nitro & sulphure cum carbonibus tiliaceis permistis, dum concurrendo cum sale fixo carbonum tiliæ, & effervescendo talem dant impetum. Idem fit in auro fulminante, in hoc habemus sulphur auri, quod est copiosum 2. habemus nitrum perfectum, dum solutum est aurum in Aqua regia ex spir. Sal. nit. parata, hic spir. Sal. nit. injectione Ol. Tart. acquirit corpus pristinum, & in perfectum abit Sal nitrum Hæc duo congrediendo invicem in auro fulminante eosdem exserunt effectus, vid. TACKENIUS. Potest etiam fieri ferrum *fulminans*, sed aliâ methodo, item saturnus *fulminans*, sed alia præparatione, & certum est, quod in præparatione Sacharri: saturni interdum repertus fuerit saturnus fulminans instar auri, qui omnia discussit & dissipavit. *Vis fulminandi potest demi* auro, ut non fulminet, *si addatur spir. acidus*, sp. Sulphuris, sal vitrioli, aut acetum destill. his enim injectis facilè amittit vim fulminandi, quoniam ab his figitur Sal nitrum, ut non adeò fortiter possit congredi cum Sulph. Solis Hoc fit, si auri fulminantis partes $\frac{2}{1}$, & flor. Sulph. partes $\frac{1}{2}$ calcinentur simul in crucibulo, sp. n. Sulph. acidus se in fusione exserens impedit, ne fulminet, atque tales præstet affectus. Si in aceto destillato coquatur aurũ fulminans, etiam obtinet virtutem sedandi fulminationem. Aurum fulminans *medicina* est egregia *carminativa*, quæ potenter discutit flatus, & in specie tamen *puerorum*, quin imò etiam in *adultorum* flatulentiis dissipandis est magni usus: *Si benè edulcoretur*. Aurum fulminans, *acquirit vim diaphoreticam* & malignitati resistentem. *Si non* benè edulcoretur, ob acrimoniam salinam *vim purgantem* & laxantem obtinebit. Observetur hoc, quod dicit auctor, ex aqua forti, sale armoniaco vid Nam si Aqua regia fit ex aqua communi, non fit Aur. fulm. sin vero acuetur cum sale armoniaco tunc fit Aurum fulminans. AMALGAMA est conjunctio mercurii cum metallis, & qn. conjungitur mercurius cum Auro, fit *calcinatio auri Amalgamatoria*, fitque liquor instar butyri in crucibulo, & sic aur. in minutissima redigitur. Pulvis pyrius sursum omnia discutit, contrarium videmus in Auro fulminante. Ratio est hæc, quoniam pulvis pyrius est facilè inflammabilis, & dum ignis concipit beneficio ignis, quod semper propter levitatem adscendit, sursum vergit: econtra Aurum fulminans non est inflammabile, sed emittit solùm fumum, & deorsum tantùm fertur propter gravitatem auri, & deorsum omnia disjicit. Fit C.C. SOLARE, si fiat stratũ supr. stratũ ponendo laminam C.C. deinde Aurũ, denuò C.C., & iterum Aurum, & sic porrò, donec sit plenum crucibulum. Hinc immittitur in furnum figulinum, & calcinatur tamdiu, donec appareat color purpureus: Nam sal C. C. vol. salsum sensim sensimque Aur. solvit, & in pulverem deducit. Ac inde à Sole acquirit colorem purpureum, & hoc vocatur C.C. solare, vel etiam C. C. cum Auro calcinatum: est *egregium* remedium *in morbis malignis* & pestilentialibus, & ubi opus est expulsione, obtinet vim cordialem ratione Auri, expulsivam ratione salis vol. C.C. medicina est egregia etiam in affectibus malignissimis: Tantum valet sal *vol. C.C.* ut etiam *possit solvere Aur.*, imprimis beneficio accedentis ignis, VOLATILISATIO est res *magni pretii*, & multum habet in recessu, & non est impossibile sursum elevare metalla per alembicum aut retortam cum legitimo menstruo. Menstruum Auri est peracutum, sive *spir.* nitri *Bezoardicus* ex butyro antimonii ex sp. nitri & salis, de quo supra. Hoc menstruum singulariter solvit non solùm Aurum, ut possit extrahi tinctura; sed præterea quoque idem secum *abripit, ut in alembico* & collo retortæ *in forma Crystallorum* rubicundorum Aurũ *concrescat* cum menstruo Aliàs docet *ZVVOLFERVS in Mantissia Hermetica p.331.* destillare *spiritum ex auro nativo* s. apyro pro *auri* ipsius *solutione* per destillationem igne forti per retortam, quo solvere Aurum & volatilisare seu in salem volat. transferre intendit. Ad volatilisationem pertinet quodammodo SVBLIMATIO auri, cujus procedendi *modus* & compositio est hæc: ℞. auri benè depurati & reguli antimonii ana partes æquales, sublima cum sale armoniaco bis vel ter, semper sublimatam materiam fœcibus adiiciendo; Tandem pulverem sub dulcifica seu cava in aqua vulgari, est pulvis sub rubeus, cujus dosis sunt gr. ij vel iij. in vino: *movet* egregiè *sudorem*. Volatilisationi auri vicina est EXTRACTIO in Aurum potabile, de quo Auro potabili multæ sunt concertationes, quoniam *non nudæ solutiones pro auro potabili habendæ*, quia per salia alcalia sunt reducibiles, *sed* potius *talis* requiritur Auri solutio, *ut tota compositio* mistionis *sit resoluta*, & Aurũ perfectè in sua principia sit redactum. Norman, *præscribit PARACELSUS*, qui dicit, quod in Auro potabili parando primus gradus sit, ut Aurum fiat volatile, ut non amplius possit reduci, hoc facto postmodum cum sp. vini facilè potest elici vera tinctura Auri, vix enim sine spir. vini verum Aurum potabile præparari potest; uti hoc non tantùm *HAUPTMANNVS in scripto collisivo*, sed in specie AVCTOR *tractatus de consanguinitate Aur sacchari & vini* sufficienter confirmat. Aurum potabile s. tinctura Solis quod attinet primo ratione coloris, de hoc observetur, quod *veræ auri Tinct.* s. aurum potabile, sint *intensè rubicundæ*, ratio apparet in eo, quoniam *Aurum* licet intensè flavum, nihilominus per microscopium artificiosè factum apparet *rubicundissimum & scarlatinum*, qualis color etiam postmodum in Tinctura reperitur. *In parando Auro potabili prima cura debet esse in vero menstruo*, quo solvendum & volatilisandum est aurum: Vbi ante omnia notetur quorundam *phantasia*, qui voluerunt parare Aurum potabile *per excrementa aurium*, alii per *fimum columbinum*, alii per ignem *fatuum captum* & sic porro, uti recenset *AGRICOLA in Poppium in tr. de Auro* relinquo hæc: Et quidem *pro vero Auro potabili* parando imprimis solent desiderari

rari *menstrua* talia, quæ *sine corrosivitate* & sine acrimonia salina aurum non tam solvunt violenter, quam blandè liquefaciunt, & ejusdem corpus penetrando, ejusdem compagem exactè solvunt. *Talis* menstrui *facit mentionem* AGRICOLA *c.l. p.22.* & dicit se vidisse menstruum insipidum solutivum Aur. nullo modo corrosivum, quod Aurum in colorem rubicundissimum digerendo solvit, quo abstracto vitrum q. s. lamellis aureis obductum apparuit. Et *MEIERUS in Scripto Chymico p 385. de Americanis* refert, quod *per menstruum* quoddam insipidum Aurum ita *molle facere possint*, ut *instar ceræ* digitis tractare, & ei lacunas imprimere queant, Gemmasque ita inserere obfirmatis undique labris & oris, & quidem quod hoc menstruum non possit esse ex corrosivis, patet ex eo, quoniam aliàs non posset tractari Aurum cum digitis. *D. MICHAEL vidit* armillam ex hujusmodi Auri hoc modo præparatam *LAURENBERGIUS contra Salam aphor. V.* similiter *affirmat* se vidisse talem aquam insipidam, in quâ Aur. sine omni corrosivitate liquescat instar glaciei in aqua calida. Chymicus ArchiEpiscopi Lovicensis *habet* aquâ colore albicante, sapore parum ad vitriolicam acrimoniam inclinante, in hac aqua Aur spatio 6. horarum instar sanguinis rubescit, & Aurum exactè resolvitur: hujus aquæ Sole imprægnatæ *in omnibus fere morbis* aliquid *dat* ægris cum felici admodum successu. Quod si abstrahatur menstruum hoc, remanebit in fundo liquor, crassus & quasi Oleosus, saporis subdulcis, & in igne non coagulabilis. Non reiiciendus videtur modus *BARTHOLETI lib. V. de respirat. cap. 3. p. 413.* *qui parat Aurũ potabile cum menstruo* insipido *ex Lapide Lazuli*, in quo, uti superius dixi, est primum Ens Auri, quique hoc novit per menstruum extrahere & separare, habebit medicamentum non contemnendum. Quæ habet AUCTOR de *Ol. Auri rubicundo* vid. ap. eundem. *ZUOLFER. in Mantissa Hermet. p. 331* similiter *destillat. ex Marcasita Auri liquamen* ferè insipidum, quo ipso similiter Aurum solvere & potabile reddere intendit. Inter *præparationes* id est, quæ fit cum *spiritu vini salis urinæ* acuato. *Menstruum est elegans*, & multum habet in recessu, quod utut multi, negent, defendit tn. optimè *HAUPTMANNUS contra DETHARDINGK in Scripto collisivo p. 72. & pag. 104.* præparatio quomodo procedendum sit cum hoc spiritu videri potest in Auctore. Si *Aurum suo colore* & *veste exuitur*, ita ut substantia omninò pallida vel alba remaneat, fixa tamen in igne, *vocatur luna fixa. Luna* fixa *datur tam ex argento quam Auro*. Ex argento si arte usque eò figatur, ut ignis instar Aur. sustineat: Deinde ex Auro, si Auri detrahatur vestis s. Tinctura flava s. rubicunda vid. *HAUPTMANNUS in Scripto collisivo p. 17. & 80.* luna fixa Tinctura spoliata eandem *potest recuperare*, si fundatur cum antimonio vel cum marte tunc enim rursus splendorem acquirit, *ratio:* quoniam in marte & antimonio est sulphur solare quoddam immaturum, & volatile, quod scilicet cum luna fixa per se uniendo figitur, & exinde luna fixa attrahendo sulphur vol. mart. vel Antim. abit denuò in perfectum Aurum. Sunt non pauci, qui Tinct. Sol. seu *Aurum potabile* parare intendunt *per spir. roris Majalis*, & illi attribuunt magnas & multas virtutes, præparandi *modus est talis*.

℞. Mineram solarem Ungaricam in silice repertam, in crucibulo prius ignitam, & in spir. vini extinctam, quod aliquoties repetatur, pulverisa & sequens menstruum affunde. ℞. Roris majalis ex tritico collecti quantumvis, stent in digestione vel putrefactione in fimo equino per 4. septimanas, filtretur & destill per MB. phlegma in fundo remanens est liquor salinus rubicundus, qui per retortam pellitur igne aperto: Hinc adscendit 1. Spiritus, seorsim colligendus. 2 oleum & sal vol. prior spir. subtilis extrahit Tincturam, Aur. Ol. v. acre & sal volatile corpus solis corrodit & solvit, quod probè observandum, ne sal & oleum cum spir. misceantur, aliàs enim aquiritur non extractio, sed solutio: spir. hic in Tinctura Auri iterum abstrahatur remanente Ess. liquida, cujus dosis sunt guttæ VI. ad X. Potest etiam parari *Aurum potabile per spir. nivis*, idque ex tempore, tempore hyberno in Museo, quod aurum potabile magnarum prædicatur virtutum: *vid.* de hoc *BARTHOLIN. Cent. 3. Epist. p. 256.* & hoc ad eum scribit *D. LANGELOT*, Archiater Gottorpiensis, *BECKERUS in Medico microcosmico p. 67. Edition. Londinens. in 12. vel sub nomine Panac. solar. p. 97. præscribit modum* parandi aurum potabile non inelegantem, & qui habet aliquid in recessu, *descriptionem vid. in cit. Auctore.* Et certè si accipiatur terra solaris Ungarica, de qua in præcedentibus locuti sumus, credo, quod melius adhuc procederet operatio: *Cum Spir. Mannæ.* In Manna certum est quod latitet spir. extrahens, beneficio cujus etiam extrahi potest *Tinctura Corallorum*, & ita etiam *ex croco, auro*, vel calce auri *rubicunda* potest extrahi *Tinctura*, vel sicut Auctor dicit, ex auro fulminante, quod *si addideris* huic *spir. roris* majalis sereno cœlo collecti, legitimè præparatum *erit* menstruum eò *magis* præsentaneum & eò magis *efficax*. Autor num. XIII. habet *Tincturam Auri Antonii*, quæ aliàs etiam vocatur, *aurum potabile Londinense*, quo ipso magni effectus sunt præstiti, & proptereà in magno habitum fuit pretio: *Auctoris descriptio est* satis *cruda*, quoniam *nondum* perfectè est *cognita* descriptio *Antonii*: aliam habet satis elegantem *SALA in Chrysologia Part. 2. pag. 223* Mentionem facit auctor *Tincturæ auri beneficio olei aromaticorum* præparatæ: Inter hos est *MYNSICHT*; qui *habet* Tinctur. auri *cum Ol.* destillato *cinnamomi*, quæ an sit vera, dubitatur. *D. GANSLANDT*, Medicus Dresdensis habet similiter auri tincturam *cum Ol. cinnamomi* magnarum virtutum, in quo aurum beneficio salis dissolutum erat radicaliter, vid. etiam *ZUOLFERUS in Mantiss. Hermet.* Ubi præscribit modum parandi crocum Sol. *beneficio salis gemmæ*, *communis*, nitri, &c. præparatio est non inelegans, & multum habet in recessu. Occasione Ol. destillatorum aromaticorum *ZUOLFERUS in Mantiss. Hermet p. 36.* habet *balsamum Sol.* cum Oleis destillatis factum similiter instar balsami Sulph. Ad sublimationem etiam referuntur *flores & Sulph. auri ex auro fulminante*, Sulph. fit *h. m.* ℞ auri fulminantis quantum vis, huic affunditur spir. vini ab omni phlegmate depuratus, imponitur campanæ vitreæ, uti fieri solet in destillatione Ol. Sulph. & sic spiritus vini accenditur, unde aur. fulminans, quòd aliàs inferiora petit, adscendet sursum, & simul auri Sulphur elevabitur, quod ex campana electum *egregium est sudoriferum & alexipharmacum. Ex eodem* auro fulminante per retor. tubulatam similiter fiunt *flores*, si sc. in retortam tubulatam bene calefactam in Cupella iniiciuntur 2. grana auri fulminantis: sic enim in retorta calefacta aurũ fulminans fulminabit, & alevantur flores, qui colliguntur in recipiente amplo præposito, idque repetitur tamdiu, donec sufficiens florum quantitas fuerit collecta, qui possunt per se usurpari, aut extrahi cum spir. lapidis calaminaris, cujus modum parandi habet *BLAUBERUS in scriptis* (semper sunt sumenda 2. grana auri fulminantis, non plura.) Hinc inde *plura* prostant *aur. potabilia*: cæterum ut plurimum *sunt falsa*, aut certè *nudæ solutiones*. Unum adhuc moneo, *si Tinctura* auri fuerint *factæ per spir. salinos corrosivos*, per spir. salis, sal. nit. aut similem & interius assumptæ, omnia *excrementa* alvina *nigerrimo colore tincta* postmodum reperiuntur, facta scilicet calcis auri præcipitatione & à menstruis intestinis separatione.

VII. MERCURIFICATIO.

℞. Materiam in confectione Salis Solis Basiliani residuam, affunde spirit. Tartari, digere per mensem, ac destilla à scoriis ferri per retortam (vitream) in receptaculum aquæ frigidæ aliquotâ parte adimpletum, & habebis mercurium Solis.

Tholdius in Halographia, ex Testamento Basilii Monachi.

Mercurius Solis Paracelsi.

Paracelsus generaliter hunc modum præscribit, quo singula Metalla in mercurium vivum redigi possint.

Nimirum:

1. Calcinat Metallum fumigando, i. e. per fuliginem mercurii. *V. de libr. 1. cap. 14.*

2. Calcem Metalli amalgamat, cum mercurio digerit, abstrahitque.

3. Abstractum mercurium iterum cum calce eadem amalgamat, digerit & abstrahit toties, scil, iterando, donec calx metalli supra candelam instar ceræ liquari possit. Hinc digerendo calcem illam in mercurium convertit. *Vide lib. de resuscitatione rerum naturalium, ut & lib. 6. Archidox.* ubi tempus amalgamandi observare monet, quo Planetæ cœlestes correspondentes conjunguntur. *De quo legi potest libri hujus primi cap. 22.* [*In methodo conficiendi Mercurium ex metallis Penotus plus opinionis, quàm veritatis se comperisse scribit.*]

[Vitriolum auri, sive Leonem viridem, omni auro potabili præstantiorem, parandi modum habet Spontonus. Usus illius ad arthritidem & lepram commendatur: Vid. centur. medicam. Conechidnologiæ annexam.]

MERCURIFICATIO. De hac dixi, quod *multi dubitent, an detur verus* mercurius metallicus seu corporis: nihilominus *non est dubitandum*; siquidem experientia hoc testatur & Generalissimus *ARNHEIM* habet talem mercurium Solarem, cujus δοκιμασία fuit, uti dixi, quod noctu agitatus scintillulas igneas reddiderit, & de se sparserit. Hic si posset haberi, certum est, quod plura præstet in transmutatione metallorum, quàm mercurius vulgaris, imprimis quidem *in lue Gallica præsentissimum est remedium*, quia sine salivationis noxa jucundè & tutò peragit peragenda: cum alias mercurius sit alexipharmacum luis venereæ. *Pater TREMELLIUS Medicus Comitis Montecuculi retulit D. HERBENIO*, quod viderit oculis propriis instrumentum, cujus beneficio ex auro Ungarico mercurius *currens ferè in momento*, & instanti fuit præparatus. Inventorem dicunt fuisse græcum; quod si instrumentum hoc nimis violenter & nimio motu tractetur, exinde ita incalescere Mercurium currentem, ut statim reverteretur & redigatur in pulverem. *EDUARDUS KELLÆRUS Scotus*, egregius Chimicus *fecit* foramen in aurū leniter fusum, in quod foramen inclusit pulverem album, & massam hanc simul in vase fictili adaptavit, & circumfuso spir. vini igni admovit, ex calefactâ mole ferè omne aurū fuit conversum in mercurium *vivum*. Quæsitum fuit exinde, qualis nam pulvis fuerit injectus. *PENOTUS* putavit fuisse Mercuriale medicamentum, quoniam unica & sola res sit in mundo, quæ firmitatem auri igni etiam validissime resistentem domare posset, quæ res nihil aliud sit, quam pulv. ex Crystallino sublimato in aqua regia soluto, addito sale tartari quod est restitutor vitæ congelati Mercurii. Vid. *LIBAVIUS in Syntagmate de transmutationibus lib. 7. c. 14.*

CAPUT X.

De Argento.

Argentum Metallum est nobilius, candidum, Auro imperfectius.

Dicitur Chymicis Luna vel Cerebrum, eo quòd in Macrocosmo Lunæ, in Microcosmo cerebro sympathicum sit. Germ. *Silber.* Argent, *Silver.*

Vires. Capitis corroborans perhibetur specificum, spiritusque animales confortare, unde & in omnibus capitis affectibus peculiaris efficaciæ censetur, quales inprimis Epilepsia, Apoplexia, & simil.

PURGATIO à sordibus superficiariis.

Coquatur, laveturque cum aqua, in qua solutum Tart. ac Sal com.

I. PURGATIO ab alienis Metallis.

1. *Per calcinationem immersivam.*

Solve argentum per aqu. fort. quæ solummodo solvat argentum, relictis Metallis intactis.

2. *Per fusionem cum saturno.*

Immittetur plumbum in crucibulum ignitum, ut liquescat, quo liquefacto, superiniice argentum, continuando ignem, donec cum plumbo metalla illa imperfecta vi ignis, partim in fumum abeant, partim quoque scoriarum nomine secernantur, relicto argento in fundo.

N. 1. Ignis sat fortis requiritur, unde è re erit furnum anemium adhibere.

N. 2. Saturnus hac purgatione in spumam cum argenti recrementis concretus, dicitur Lithargyrus, de quo infra [Helchysma idem ferè sonat ac recrementum argenti plumbeum.]

3. *Per nitrum.*

Fluat argentum ad ignem, hinc superiniiciatur per vices Sal nit. & purgabitur argentum.

II. CALCINATIO.

1. *Immersiva.*

Solve argentum laminat. in liquore aliquo corrosivo, coagula inspissando vel præcipitando, ac edulcora. Præcipitatur autem argentum solutum per muriam salsam, aquam salsam, vel per particulam æris injectam.

N. Liquor ille corrosivus, vel est aqua regalis (vide in Sal. nit.) vel spirit. Sal. nir. vel his finitimus humor, (ut patebit infra in tincturis, seu argento potabili,) recipitur autem in quantitate tripla, quadrupla, sextupla, &c.

N. 2. Argentum hac ratione solutum, si more solito ad crystallisandum reponatur, concrescit in Crystallos, quos vitriolum lunæ vocant.

2. *Calcinatio Amalgamatoria.*

℞. Argent. pur. ac mercur. ana, F. amalgma, admisce 4p. Sal. com. vol vitrioli. Exhalet mercurius ad ignem, residuum eluatur.

Calcinatoria, Cementatoria.

Fit per Tart. vitriolat. per sal gemm. per mercur. per Sal. com. & simil.

N. Calcinatio hæc fieri debet sine fusione.

E. gr.

℞. Argenti lamin. p. 1. mercur. sublimati, p. ij. Misc. exhaletque mercur. ad ignem, & remanet argentum instar resinæ. *Senn. Instit.*

Sic cementatur quoque cum duplo sal. gemm. vel cum quadruplo Sal. com. hor. 4. 5. 6. 7. 8.

Aliter.

℞. Argent. limat. p. 1. fl. Sulphur. p. ij. sal. com. p. ß. Misc. sublimaque septies, ut flores sulphuris sublimari solent, sublimatum restanti materiæ semper addendo, ultimâ vice sublimatum abiice, restantemque materiam aquâ elue.

Calcinatio argenti cementatoria fit etiam ut suprà dictum est de auro potabili cum spiritu sal. Tart.

Calcinatio

Calcinatio Reverberatoria.

Quia argentum facilius igni ac calcinationi paret, quam aurum, ulterius operosâ reverberatione opus non habet: nihilominus tamen cui ita viſum fuerit, amplius argentum calcinatum elaborare poterit; denuo illum cum ſulph. vel cum ſal. comm. (ſal. gemm.) vel ſimul cum ſulphure & ſal. gemm. vel cum ſal. com. & ſal. armoniaco, &c. aliquoties pro lubitu cementando, ac dein ablutionibus à ſalſedine liberando.

E. gr.

℞. Calc. argent. (per aqu. fort.) ℥j. ſal. com. ℥ij. ſal. armoniaci ʒij. Miſce & reverbera per dies 8.

III. SOLUTIO ET EXTRACTIO, *argenteæ potabiles & Tincturæ.*

N. Luna ut mollior eſt Sole, ita facilius quoque in potabilem formam reduci poteſt, adeò ut ſi optimè calcinata fuerit, ſoli ſpirit. vini, optimè tamen rectificato obediat. Quia tamen labor iſte, aliquo modo laborioſus ac diuturnus eſt loco ſpirit. vini ſimplicis, idem ille ſpirit. vini acuatus, vel aliud aliquod menſtruum recipi ſolet, ut patebit in ſingulis.

1. *Luna potabilis per ſpirit. vini ſimplicem.*

℞. Argentum calcinat. (cum ſpirit. vini in quo aliquid ſalis armoniaci ſit ſolutum) extrahe cum ſpirit. vini cohobando aliquoties.

Doſis gran. 3. vel 6. Glückrath.

Aliter.

℞. Argenti calcinat. (per aquam regalem, ſeu liquorem corroſivum deſtillatum eſt Minii p. 1. ſalis armoniaci p. ij. extrahe cum ſpirit. vini optimè rectificato. *Keſler. 1. cap. 1.*

2. *Luna potabilis per ſpirit. vini ſale urinæ acuatum & ſimil.*

℞. Argentum calcinat. (per ſpirit. ſal. nit. cum cohobiis, vel per mercurium,) extrahe per ſpirit. vini rectificatum acuatum, ſale urinæ volatili, i. e. per ſpirit. vini microcoſmicum,) filtra & coagula. *Vide de auro Keſler. 1. cap. 7. Sennert. Inſtitut. Beguin.*

Aliter.

℞. Argent. calcinat. (ſcilicet miſcendo cum fl. ſulph. p. ij. Sal. com. p. 1. & ſublimando ſepties (*vide ſupra cementat.*) p. 1. ſpirit. vin. opt. p. iij. ſal. com. Vrin. volat. p. quart. digerantur in vaſe benè clauſo per dies aliquot.

Hanc deſtilla per retortam vitream aliquoties (8. 9. aut tantiſper) donec materia aſcendat cœrulei coloris. Sin minus hæc ſucceſſerint, calcinetur denuò argentum pluries; & procedatur ut dictum.

Doſis gran. 5. 6. 7. &c.

N. Eodem modo fieri quoque poteſt luna potabilis per ſpirit. vini acuatum ſale Naturæ, de quo in auro.

3. *Alia argenti per ſpirit. vini Tartariſatum.*

℞. Calcem argenti reverberatam, (cum fl. ſulphur.) affunde ſpirit. vini opt. Tartariſatum, abſtrahe cum ſeptem cohobiis, ſic ſolvetur argentum, circula per menſem in MB. & habebis liquorem cœruleum. *Keſl. lib. 4. c. 44.*

4. *Alia per ſpirit. vini vitriolatum.*

℞. Argent. calcinat. q. v. extrahe ſ. a. tincturam cœruleam cum ſpirit. vini vitriolato (*vide Vinum*) decanta ac abſtrahe.

N. Præſtat reliquis in Epilepſia.

5. *Tinctura lunæ Baſiliana.*

Habeatur in promptu

1. Sal commun. cum ana calcis vivæ calcinatum, *vide calcinat.* Virid. æris.
2. Ad manus ſit calx lunæ.
3. Paretur aqua fort. ex vitrioli & ſal. nit. ana.

Ergo

℞. Calcem argenti, miſce cum ſal. com. calcinato, cum calce viv. & inde phiolæ vitreæ, affunde aquam fortem, eamque abſtrahe deſtillando, cohobaque vice tertiâ, ultimâ vice ignem augendo, ut materia in vitro fundatur. Sic argentum nanciſceris pellucidum, ex quo cum aceto deſtillat. fortiſſ. extrahatur ſ. a. tinctura ſub colore ultramarino.

N. Remanebit corpus argenti in extractione hac reſiduum, quod ſali lunæ conficiendo reſervetur.

Videatur Tholdius in Halographia, ex Teſtamento Baſilii.

N. Plures modos tincturas lunæ conficiendi, ad imitationem modernorum, qui in ſolis tincturis deſcripti ſunt, ipſemet Lector colligere poterit.

E. gr.

Tincturæ cum ſpirit. vini acuato ſal. com. naturæ, &c.

Eſſentia argenti, uti lapidum & cryſtalli extracta Cloſſeana ſunt, parari poteſt. *Vid. c. 4.*

Luna potabilis S. Cloſſ.

Luna potabilis fiet ſi primò lunam laminatam pluries cum ſulph. calcinaveris, & inde per affuſionem aqu. communis vitriolum elicueris; quod reſolvendum erit in ſpiritu compoſito ex ſal. com. ſal. nit. & ſpirit. vini præſcripto Art. de Tinctura ſolis, fæces ſegregando per digeſtionem, tincturam cœruleam cogendo in pulverem, è quo demùm per ſpirit. vini vera eſſentia exurgit adverſus Epilepſiam optima.

Ex communic. S. Cloſſ. Alio modo.

Primò amalgma, &c. pars una argenti cum part. 8. mercurii, exprimaturque per corium: ſecundò globulus reſtans teratur cum quadruplo ſalis com. decrepitati, & prunis ardentibus calcinetur per horas 4. in pyxide cementatoria: ſi quid non probè calcinatum ſuperſit, cementetur iterum addito novo ſal. com. & calx à ſal. com. per ablutiones liberetur. Tertiò ſublimetur hujus calcis ℥j. cum ℥iv. ſalis armoniaci, idque 5. repetatur. 4. liquore acido potabili primùm (acetum deſtillatum) dein ſulphureo, vegetabili (ſpirit. vini) extrahatur Tinctura, quæ ad ſiccitatem reducta ſal dabit in cella diffluens in Oleum, quod itidem ſpatio 10. dierum fixari poterit in Medicinam morbis cerebri ſpecificè dicatam.

Ex communicat. ejuſdem.

LUNA S. ARGENTUM. *Planetarum* terreſtrium *ſecundus* reſpondens cum ſecundo inter cœleſtes: *Proximus* eſt *poſt* aurum & ratione nobilitatis & ratione fixitatis. Nobilior eſt, quoniam eſt fixior & maturior reliquis metallis excepto auro magnam *habet cōvenientiam cum* auro, adeò ut etiam argentum rectè dicatur aurum *imperfectum*, cui tantùm fixitas & Tinct. deſit: Nam modo argentum fixetur ita, ut reſiſtat igni inſtar auri, tunc facilè ipſi anima aur. vel tinctura *poſſit communicari vel per Antimon.*, quoniam eſt in his Sulph. Sol. immaturum, quod tamen in Luna fixa facilè maturatur vid. *HAUPTMANN. in Scripto Colliſiv. p. 139.* Unde etiam *in argento ſemper reperitur aliquid auri*, & ſi tota deflagret in fundo aliquot grana auri perfecti reperiuntur. Eſt ergo magna inter hæc duo convenientia. Argentum *reſpondet capiti*, & medicamenta lunaria, *in apoplexia, epilepſia, maniis, vertigine* & ſimilibus aliis capitis affectibus imprimis ſunt in uſu. *Præparationes* argenti *ſunt variæ*: CALCINATIO IMMERSIVA ſive ſolutio; ſolutiones argenti *fiunt* imprimis per aquam fort. quæ eſt ſpirit. mineralis acris deſtillatus ex vitriolo & nitro & eſt appropriatum menſtruum pro Lun. ſolvenda. *Spir. ſal. nitr.* ipſe benè rectificatus & concentratus eſt ſufficiens pro ſolutione argenti quando fit PURGATIO per fuſionem cum plumbo, auctor ſufficienter præſcribit modum præparandi quomodo ſc. purgetur à reliquis metallis. Nam ſaturnus, uti dixi, ratione aciditatis corrodit metalla reliqua, eaq; abſorbet relicta luna pura & intacta, & in hoc conſiſtit *fundamentum* to-

tius *artis probatoriæ*. Quando solvitur Lun. *per sp. nitri* solutio concrescit in crystallos uti habet auctor. Hi *crystali Lunares* in fonticulis excitandis *loco cauterij* feliciter & cum successu usurpantur. Item iidem crystalli Lunares fortem *habent vim purgandi*, saporis sunt amarissimi, sicut reliqua ex Lun. parata remedia; Tales crystalli bene exsiccati interius assumti purgant vehementer *in affectibus capitis* à gr. ij. vi. & x. pro varietate præparationis, & dicuntur luna *purgans*. Conveniunt *in Hydrope Ascite* purganda, eliciunt enim potenter phlegma & serum copiosum, & his ipsis Anglus Hydropicus fuit curatus aliquando vid. de his *GLAUBERUS in Scriptis*: Qui quomodo præparentur crystalli, & ex iis sublimentur *flores* sufficienter describit *TACKIUS in Chrysogonia p.* 37. Singularem habet *præparationem crystallorum viridium ex Lun.* beneficio nitri, facti ex calce viva & sale communi, est singularis & non vulgaris benè observanda. Sunt crystalli virides. Nam licet *Lun. habeat colorem* albicantem extrinseca in facie, interim tamen est perfectè coëruleum & colorem habet *sapphirinum*. Unde *ex Lun.* fit color pretiosus *ultramarinus*, uti Lapis Lazuli & Armenus suppeditant talem colorem utpote primo Ente Lun. impr̃ægnati: Unde Tinct. Lun. sicut sunt coloris intensi coërulei & sapphirini, ita & perfectum colorem coeruleum intrinsecus habet sepultum Lun. CALCINATIO CÆMENTATORIA per tartar. vitriolat: scil Lun. cum tartaro vitriolato cœmentatur, & fit exinde vitriol. *Lunare*, quod vitriolum lunæ destillatum per retor. dat spiritum vitrioli, qui tamen ferè nihil de luna participat. Ista præparatio, quam habet autor, nimirum *calcinatio* cæmentatoria *cum floribus sulphuris observetur*: Quoad modum adhibendi sulphur attendendum est: si enim solito plus additum sit, fit Lun. male & magis calcinata quam debet & combusta qs præparatio aliàs est elegans: Tutissimus est modus addidisse sulphuris flores Lun. & leviter simul calcinasse. Fit ex his aqua Lunæ, huic aquæ Lunæ ita præparatæ *affundenda est aqua Cephalica* vel *simplex vel composita* v. g. In debilitate memoriæ affundenda aqua sophorum Crollij, vel aqua simplex memoriam confortans. In Epilepsia aqua cerebri humani vel liliorum convallium convenit: in mania aqua hyperici vel Anagallidis &c. Hæc aqua *Lunæ miri* dicitur *effectus* & mirè prædicatur. Fuit etiam *vir* magnæ æstimationis, qui *beneficio aquæ Lunaris se pristino memoriæ vigori restituit*, cum anteà ferè tota amissa fuerit. *Postea edulcorari potest* cum Syrupis appropriatis v. g. per Syrupũ flor. betonicæ, tunicæ &c. Dosis variat pro varietate ætatis: v. g. Si abstracta est aqu. minor erit dosis adhibenda, si vero vel iterum affusa, vel copiosior affusa, tunc major propinetur dosis. Inter præparationes Lun. non secus ac aurum sunt eæ præprimis extractiones & fit POTABILIS. Lun. Dixi quod tinctur. omnes sint Sapphirinæ, in quo tamen non est *docimasia* seu probatio *vera tincturæ* Lunaris sed *si non amplius possit reduci*, & in suum antiquum corpus affusione salium alcalium redigi: nam *si* etiam ex *capite mortuo nova tinctura potest educi* Lun. etiam est *signum* non factam fuisse *solutionem radicalem*. *Præparationes* sunt variæ apud auctorem, una tamen est melior altera. Sunt qui faciunt *Tinct. Lun. secretam ad Epilepsiam*. Si scil. igni forti extrahatur liquor ex sale armoniaco & calce viva ana, vel ex parte una salis armoniaci & partibus duabus calcis vivæ, qui liquor calci Lun. per aquam fort. solutæ vel calcinatæ affusus extrahit tincturam omninò coeruleam: quæ Tinct. postmodum abstracto menstruo per spir. vini rectificatum in perfectam Tinct. Lunarem denuò exaltatur. Deinde non inelegans est *Tinct. Lun NEUDORFFERI*, quæ est hæc. Lun. solutio in aqua forti præcipitatur cum sale & laminis veneris: pulv. præcipitatus cum ana Sulph. calcinatur, sublimatur cum sale armoniaco depurato: sublimato sequens menstruũ affunditur. ℞. ol. Tart. per deliquium q. s. additur ana salis armoniaci, destill. leniter in cineribus, & prodit menstruum cum sale vol. hoc menstruum mistum cum ana spir. vini, & benè unitum, extrahit Tinct. viridiusculam ex Lun. menstruum ad consistentiam mellis abstrahitur, post affunditur aqu. vulgaris, & quartâ destillatione eliciuntur salia menstrui, & remanet Lasurium Lun. in fundo, ex quo affuso spir. vini extrahitur Tinct. Lun. Cujus *dosis* sunt *gutt. x. ad xx.* ter in die manè, post pastum, & vesperi in affectibus capitis; *Est elegans præparatio, utut non sit vera Tinct.* Dixi superius de Lun. purgante quæ aliàs etiam vocatur *Lun. hydragoga*, præterea quæ de illa dixi de Hydrope, etiam pro purgante in affectibus capitis conducit à gr. iij. ad 6. *observetur* autem quod *lun. debeat esse exactè depurata ab* omni adjectâ. *Ven.* aliàs enim nisi benè esset depurata Lun. Ven. periculum esset, ne ratione vitrioli Ven. crystalli non sint purgativi, sed vomitivi: *Propinatur commodè in pilulis* cum extracto hydragogo: Misceri etiam potest cum conserva florum Persicorum, vel cum Rob. Sambuci in forma boli: In Tinct. *Neudorfferi* dictum fuit, quod debeat Lun. in aqua fort. soluta præcipitari cum laminis Ven. Observetur hic *præcipitationis varius processus*. Nam si solvatur Lun. in aqua fort. & immittantur laminæ Ven. vel cupri, apparebit quod aquafort. aggrediatur cuprum & dimittat ex se Lun. ita ut Lun. sub forma pulv. albi in fundum præcipitetur. Aqu. fort. verò solvit Ven. & atomis Venereis se imprægnat: quod si vero huic aqu. fort. solutiones Ven. immittas bacillum ferreum, tunc mox apparebit, quod aqua fortis aggrediatur ferrum, & cuprum solutum iterum instar Lun. ad fundum præcipitatur, & interea aqua fort. solvit ferrum, Quod si huic ferri solutioni infundas Zincum vel aliud corpus metallicum terrestrius, tunc mox aqua fortis arripiet hoc corpus, & ferrum præcipitabitur in fundum sub forma pulv. & ita porro. *Cum quo subjecto metallico talia menstrua habent majorem convenientiam, illud solent aggredi & alterum relinquere. Convenientia* consistit *in textura mechanica* menstrui solventis & subjecti solvendi; quatenus scil. convenientiam habent pori subjecti solvendi cum liquore solvente: sic ut crassum saltim dem exemplum, aquafort. solvit Lun. nullo vero modo ceram: quoniam nimirum est differentia inter poros Lun. oblongos & ceræ rotundos: unde aquafort. non ingreditur ceram. Hæc magnum habet usum in Chymia & solutionibus Chymicis, & sæpius occurrunt. *Quidam* compendiosius *parant Tinct. Lun. Miscent* scil. *Limaturam lun.* puræ & benè defæcatæ *cum sal vol. urinæ*, per mensem reponunt benè tectam, & sic sal. urinæ vol. corrodit Lun. in colorem Lasureũ sal urinæ sublima, & remanebit in fundo Calx Lunæ cærulea, quam cum spir. vini in tinctura posse extrahi affirmant; Quæ Tinct. *Maniam & alios cerebri affectus* curat. tinctur. *Basiliana extrahenda est cum spir. vini acuato* cum quodam sal. uti dicit auctor: spir. vini aliàs potest acuari cum sal. Tart. vol. cum sal. vol. urinæ vel C. C. aut cranij humani it. cum sale vol. sanguinis humani, ut convenientior fiat Tinct. in affectibus Capitis subitaneis, Apoplexia Epilepsia, & similibus Nam *spir. vini simplex non extrahit Tinct. nisi sit acuatus*. Habetur etiam *magisterium* Lun. cujus præparatio videri potest in *Chymia ROLFINCKII* quod magisterium vulgò vocatur das narren-pulver, quoniam *Comes VValderanus* Danus eo suum satellitem mania affectum curavit.

IV. SALIFICATIO.

Argentum in salem vitriolatum quomodo convertatur, ex jam dictis innotuit. Dabimus igitur modum salificandi Basilianum, quem ex testamento ejus manuscripto

verbotenus cum plurimis aliis transtulit Tholdius in sua Halographia.

Nimirum.

℞. Corpus illud lunæ in extractione tincturæ Basilianæ residuum, affunde aqu. mellis corrosivam s. a. abstrahæ & edulcora, ut dictum in Sale Solis.

N. Supererit materia, ex qua extrahi potest mercurius.

Vires. Conducibile est morbis capitis, & imprimis Epilepsiæ, Hydropicam aquam exsiccat.

Dosis gran. 4. 5.

[Chyrurgi loco lapidis Corrosivi sæpè sale lunæ caustico utuntur tanquam minus doloroso, citiusque escharam faciente, [subflavam.] Modus conficiendi Molinetti traditur ab Hofman. ℞. lun. capellatæ ℥ii. Aqu. fort. ℥vi. Minutitissimè in scobem redactam solve, pone in vase vitreo ign. arenæ ubi luna soluta, auge paulatim ignẽ, & lapidẽ lunæ instar lanæ habebis, qui per gradus perficitur ad aqu. fort. consumptionem.]

Spiritus lunaris S. Clossæi.

Prima opera fit in parando vitriolo lunæ; quod fit per Sulph. instar vitrioli veneris: verum ad minus calcinationibus 20. iteratis indiget. Longè faciliori ac meliori methodo extrahitur è limatura lunæ subtilissima beneficio aq. lilii convall. ℥iij. fortificatæ cum ℥j. spiritus vitrioli veneris (vel cum aceto destillato) tenendo per mensem in digestione cinerum, sic spiritus venereus impregnabitur Tinctura lunæ ex cyano subvirescente, qua seposita alium spiritum vitrioli venerei substitue, totiesq; extrahe, donec tota ferè luna soluta sit, tandem solutiones evapora ad cuticulã usque, collige crystallos, è quibus siccatis per retortam more solito primò phlegma & spiritum veneris pelles, quæ seorsim servanda, deinde auctiori ign. spiritum lunæ, & ultimò oleum.

Spiritum hunc Lunarem Idiopathica Epilepsia ἐγκότομον esse, expertus est author qui supra.

[*MERCVRIFICATIO videatur apud Spontonum Mercurius hic cum luna amalgamatus celebratur in Cephalalgia, lue Venerea vertigine.*

Dosis gran. x. ad ℈j.]

SALIFICATIO. Est non Ens, non enim dantur salia ex argento & aliis metallis, sed sunt nudæ solutiones & coagulationes cum menstruis salinis. Denique *mercur. corporis argent.* Adhuc est quæstio, an detur verus mercurius argenti? Utut certò affirmant, qui volunt parare merc. metallicum, quod *ex nullo promptius* & facilius eliciatur, *quàm ex argento.* Quidam ex tempore volunt conficere mercurium argenti beneficio salis tartar. & salis armoniaci. Præparationes videri possunt in *FABRI Tract. de Sapientiâ universali:* fit ex soluto argento cum aqu. fort. beneficio olei tartari, salis armoniaci & spir. vini, & sic tandem volunt elicere mercurium.

CAPUT XI.

De Ferro.

CLassis secunda, Metalla ignobiliora duriora continet, Ferrum scil. & cuprum.

Præparationes præcipuæ.

1. Purgatio. 2. Calcinatio 3. Sublimatio 4. Destillatio 5. Extractio. 6. Salificatio. 7. Liquatio.

FERRUM.

Ferrum Metallum est ignobilius, constans ex Mercurio & Sulphure minus liquabili, crudiori: seu si mavis ex Sulphure, ac Sale, quæ partibus terreis crudioribus immixta sunt.

Vires. Diversis ferrum dotatum est viribus: adstringendi se & aperiendi. Vis aperitiva in volatiliori potissimùm residet parte, ac proinde in sale: vis adstrictoria in fixiori, adeoque in terra latitat. De his, qui ulterius erudiri cupit, adeat problem. Horst. Decad. 7. q. 2.

PURGATIO mart. à sordibus superficiariis.

Purgatur martis limatura à sordibus, quibus forsan scatet, tum ventilando, tum abluendo aqua communi.

I. Purgatio martis Gradatoria: unde Chalybs.

℞ Martis in lamellas vel virgulas (digiti majoris crassitudine) redacti, p. 1. Carbonum salicis, vel fagi pulvere. Rasur. cornu bovis, ã. p. stratifica, ac in vase clauso igni committe furni anemij fortissimo, hor. 4. aut. 6.

N. Chalybs igitur nihil aliud est quam ferrum optimè purgatum, ideoque loco Ferri Chalybem præstat recipere.

II. CALCINATIO: unde Crocus.

1. Calcinatio Reverberatoria; unde Crocus mart. obstructivus.

Limaturam martis igne fortiss. eo usque reverbera, donec in Crocum elevetur leviss. & rubicundissimum.

N. 1. Sal commune vim habet reverberationem hanc accelerandi: Hinc sunt, qui citioris reverberationis gratiâ limaturam initio aliquoties urinâ puerorum, vel aquâ salsâ, acetóve) conspergunt, iterum exsiccant, & postmodum reverberationi subjiciunt. Sic reverberatione unius atque alterius diei mars in florem surgit rubicundissimum, qui quotidie (ne vi iginis pereat vel nigrescat, & colligatur. Hartmann. in pract. Gluckr. in Beguin.

N. 2. Si qua pars nondum satis reverberata sit; elaborationemque separare velis; affunde aquam, agita, atque antequam penitus subsideat, igne leviore scil. & magis elaborato croco turbidam, in aliud vas effunde, parte graviore, quæ subsidet, in priori vase relicta. Abstractâ vel decantatâ dein aquâ, habes Crocum leviorem, crudioribus suis ac gravioribus portionibus spoliatum.

Alij ℞. Limat. ferri ℔. ij. Sal. com. decrepit. ℔. iij. (vel ana) mixta reverberant per diem. Hinc ferrum iterum edulcoratum subtilissimè lævigant, denuoque reverberant (dies octo vel decem) donec eleverur Crocus subtilissimus, quem quotidiè auferunt, atque aqua plantaginis præparant.

Vires. Obstuctivus hic Crocus est, ac siccativus; confert in Dysenteria, Lienteria, Gonorrhæa & similibus.

Externus ejus Usus est in exsiccandis ulceribus & vulneribus. Quercetan. in Pharmacop. restitut. Senert. in Institut.

Dosis à ℈ß. *ad* ℈j.

N. Adhærescit & Crocus martis baculis ferreis furni destillat.

2. Calcinatio fusoria: unde Crocus martis aperitivus.

Laminis ferri seu Chalybis ignitis adeo ut scintillent optimè admove magdaleones Sulphuris: sic liquescit ferrum instar ceræ, deciditque granulatim in frigidam suppositam, teratur subtilissimè & servetur pro usu. [Dicitur quibusdam Crocus mart. niger.]

Vires. Virtutem habet reserandi, aperiendi & attenuandi. Querc. in Pharmac. rest. Beguin.

N. Maximus requiritur calor, ideoque præstat officinam fabrilem adire.

3. Calcinatio Cementatoria: unde vitriolum martis.

Lamin. (Limatur.) ferri cementa cum Sulph. pulv. igne paulatim adhibito per horam, ita Sulphure accenso calcinatur ferrum: Materiam exemptam ac tritam calcina iterum per se, (non secus ac calcinatur antimonium in præparatione vitri,) ut Sulphur penitus efflagret, diligenter movendo, donec ferro adhærere incipiat.

℞. ferri hujus calcinati ac triti ℔. 1. Surphur. ℥ß. Misc. exactè, ac Calcina iterum per hor. 4. Dein tere iterum, ac adde tantundem Sulph. idque repete quinquies vel pluries. *Croll.*

Ex hac ferri calce fit vitriolum martis.

2. Aliter.

℞. ferrum laminatum, cementa cum Sulphure & Tartariana, Crocum laminis adhærentem absterge. *parac. lib. de morte rer. natur.*

4. Calcinatio Immersiva.

Solutio martis fit in quolibet liquore corrosivo, etiam minori acrimonia prædito. Ut aqua fortis vulgtris spir. vitrioli,

trioli, Sal. nitri, & Sal. communis, Sulphuris, aluminis, salis armoniaci. Coagulatio fit, vel inspissatione, vel præcipitatione, sed rarò.

E. gr. per aquam fort.

℞. Limatur. ferri ℥j. affunde sensim aquam fortem ℥viii. digere per noctem, & abstrahe aquam fortem in arena. Sic relinquitur Crocus rubicundissimus, per deliquium solubilis.

Per spiritum Sulphuris.

℞. ferri laminat. vel limat. vel croc. martis aperit. cum Sulphure præparat. (affunde guttatim oleum Sulphuris simplex vel aqua mixtum, solutioni affunde aquam calidam; filtra) coagula aliquantulum, ac repone ad crystallisandum s. a. Crystallos purifica solvendo ac coagulando. *Harmant. in pract. Beguin. Gluckrath. & Kesler. lib. 1. cap. 13. Tentzel. in Exeges. loco de oleo Sulphur.*

N. 1. Similiter fiunt & Crystalli martis cum spir. Sal. com. p. 1. & acet. destillat. p. 3.

N. 2. Eodem modo fiunt & Crystalli martis cum spiritu vitrioli. Et hi dicuntur Salæ.

Magisterium Chalybis vitriolatum.

NIMIRUM.

℞. ferrum purgatum, solve in spiritu vitrioli rectificatiss. coagula. Sic habes Magisterium Chalybis vitriolatum in forma vitrioli viridiusc. *Sala in Tartarolog.*

5. Calcinatio Vaporosa.

Laminas ferri supra aqu. fort. in cucurbita clausa suspende, cucurbitamque in arenam calidam colloca, sic vi vaporum adhærescet paulatim laminis crocus pede leporino abstergendus.

N. Labore repetito major copia croci colligi poterit. Sennert. Inst. Hartm. in disp. Chymiatr.

6. Calcinatio Illinitionis.

℞. Laminas ferri, illine oleo vitrioli, vel Sulphuris, vel limaturam ferri eodem liquore consperge, & repone in cellam. Postea ablue aqua, & subsidebit crocus, qui parum ad rubedinem solummodò calcinandus.

N. Quercetanus infundit spirit. Sulphuris, ac spirit. vini ana in cochlear ferreum: omnia bullire sinit ad ignem lentum usque ad consumptionem: Hinc reponit per aliquot dies, pulveremque croceum abstergit, qui facilè liquescit. Hunc verum Epatis restaurativum appellat, cumque in Tragea hepatica ceu basin recipit. Vide Pharm. cap. 26.

Vires. Utilissimus est hic Crocus in Cachexia, insigneque est aperitivum.

Dosis gran. 3. 4.

Eodem modo fieri quoque potest Crocus martis beneficio spirit. aluminis, salis armoniaci, Sal. nit. *Paracelf. lib. de mort. rer. natur.* Verum hic Crocus non nisi extrinsecus adhibendus est.

Aliter.

℞. aqu. fort. (ex vitriol. calcinat. & Sal. com. ana cum argilla destillatæ,) infunde in cochlear ferreum, ut evaporet. Sic statim relinquitur crocus tenerrimus, qui abradendus, & in vitro (quia facilè liquescit,) reservandus est. *Gluckr.*

III. VOLATILISATIO AC DESTILLATIO

Unde 1. Aqua martis.

℞. Limatur. martis, expone aëri humido in cella aliquandiu (septimanas aliquot, hinc destilla, vel ex humili Aludele, vel ex Retorta. Sic nancisceris aquam martis sal redolentem, sed paucam.

N. 1. Destillatio hæc feliciùs procedit, lunâ crescente, & circa plenilunium.

N. 2. Post abstractionem reponi denuò potest, ut solvatur, denuoque destilletur ut prius.

2. Spirit. martis.

℞. Mineram martis destilla per retortam; liquorem destillatum reaffunde, digere ac iterum destilla.

3. Oleum Martiale album.

℞. martis q. v. solve in spiritu sal. com. solutio destilletur per retortam, sic spiritus prodit essentia martis impraegnatus, sapore subdulcis.

Vires. Aperit obstructiones præsertim Epatis, Lienis, venarumve mesaraicarum ac uteri.

Dosis gran. aliquot.

4. Oleum martiale rubrum.

℞. Solutio martis præcedens impraegnetur cum crem. Tartari, destilletur igne fortissimo, ex cucurbita vitrea humili, varios intus videbis colores instar caudæ pavonis, (exstillatque primò liquor: igne dein fortiori oleum grave cum Crystallis, quos per del. solve & junge prioribus.

Vires. Leviter adstringit & roborat. Hinc in Dysenteria & fluxibus alvi aliisque maximi commodi existit Clariss. Dn. D. Helvicus Dietericus, Archiater Sereniss. Elect. Brandeburg.

Dosis gran. 3. 4. *& ultra.*

5. Oleum Martis Sulphureum.

℞. Mannæ martis (Tincturæ) circula cum spirit. vini rectificatis. & supernatabit oleum, destilla per alembicum, ut transeat & oleum.

N. Fragrantissimum hoc oleum perhibetur ac pingue.

Vires. Maximas vires habere censetur in obstructione ac debilitate Lienis, &c. D. D. Paulus Kesler.

6. Ol. martis. præstans.

℞. Croc. martis per Reverb. Spir. vitrioli philos. q. s. Digere, extrahe aliquoties recenti spiritu rubedinem. Spiritus tinctos junctos abstrahe ad mellaginem. Hanc extrahe cum spirit. vini, sal verò cum aquas comm. Spiritus tinctos abstrahe ad oleaginositatem, cui sal purificatum per digestionem.

Vires. Summum est obstructivum.

Dosis gran. 4. 5. &c.

Clariss. D. D. I. C. Fauf.

7. Vitrioli martis destillatio.

Destillatio vitrioli ex marte confecti nihil peculiare è destillatione vitrioli vulgaris habet, iisdem enim modis perficitur, omnesque Medicamentorum formas, quas, ex eodem illo vulgari vitriolo descripsimus, exhibet, felicioris tamen est operationis in morbis ad martis affinitatem accedentibus.

IV. EXTRACTIO.

Unde Tinctura.

℞. Limatur. ferri ℔ ß. candefiat, & extinguatur aliquoties in vini malvatic. ℔. iv. sic essentia martis vitriolata communicatur malvatico.

Dosis ab ʒß. ad ℥ij. in jusculo, vel haustu aquæ cichorij. Hartm. in pract.

[*Sumitur etiam succus pomorum Borsdorffens. pro extract.*]

Aliter.

℞. mart. limat. acet. destillat. ana ℔. 1. coque in sartagine ferrea l. ign. semper agitando donec acet. destillat. consumptum sit (quo sæpiùs, eò melius,) infunde postea in vino malvatico ℔. 4. 5. 6. digere, quotidie aliquoties agitando (per dies ac noct. 14.) postea depleto & adhibeto.

Vires. Prodest ad omnes affectus Splenis, item ad menstrua, tum provocanda, tum inordinata corrigenda.

Dosis ʒß. ad ℥ij.

N. Potest aromatisari Caryophyll. & simil. Finck.

2. Tinctura

2. Tinctura ex marte crudo.

℞. Limat. martis, extrahe rubedinem cum aceto destillato acerrimo, s. a. decanta, & abstrahe. Dein extrahe cum spirit. vini. Quo tandem iterum abstracto, relinquitur Tinctura seu Essentia martis in fundo.

Dosis ad ℈j. vide Senn. Inst.

Aliter.

℞. Limat. Chalib. q. pl. irroretur aceto destillato aliquoties & exsiccetur. Hinc extrahe cum spirit. vini Tartar. J. C. F.

3. Alia ex Croco martis Quercetani.

℞. Croc. martis (per aqu. fort. facti,) extrahe Tincturam digerendo cum spirit. vini vulgari; donec rubescat, decanta à fæcibus, & abstrahe ad oleositatem.

Dosis: Præmissis universalibus, propinantur mane ac vesperi. gutt. 9. vel. 10. in decocto juniperi. Hartm. in pract. loco de Hæmorrhag. & de Hydrope.

4. Alia ex Croco martis.

Sic & ex croco martis per reverb. fit Tinctura cum spirit. vini, cujus eadem Dosis.

5. Alia quæ Basilij est.

℞. Limat. ferri. solve in sp. vitrioli rubr. p. 1. aqu. fontan. p. ij. filtra calidè & crystallisa s. a. Crystallos exsicca sub tegula continuò agitando, habebisque crocum purpureum: affunde acet. destilla. & extrahe s. a. Hinc abstrahe in MB. acet. destillat. ac elue aquam font. aliquoties abstrahendo. *Tholdius.*

N. 1. Eodem modo ex vitriolo martis ad summam rubedinem reverberato extrahitur Tinctura seu Sulph. beneficio acet. destillat s. a. Quæ abstractio acet. destillat. in forma pulvisculi rubicundissimi asservanda.

N. 2. Ex remanente terra extrahitur Sal. com. per aquam mellis corrosivam.

6. Alia ex Scoriis cæruleis.

℞. Scorias ferri cærul. vitrescentes, pulverisa (alij calcinant priùs hor. 24.) extraheque tincturam rubram digerendo cum aceto destillato acerrimo, filtra & abstrahe, restantem Tincturam edulcora aliquoties aqu. pluvial. Tinctura hæc liquescit sponte in cella.

N. Efficaciorem habebis Medicinam si per spirit. vini Tincturæ solutionem ac extractionem denuo iteraveris.

Vires. Longè efficacior est, quàm Crocus vulgaris reverberatione factus. Vim habet sistendi omnes fluxus, sive sint Menstrua, sive Gonorrhœa, Dysenteria, Diarrhœa, Hæmorrhagia, &c.

7. Alia ex floribus Croci martis.

℞. Crocum martis (per reverb.) sublima cum sale armoniaco, ex floribus edulcoratis extrahe Tincturam cum spir. vini; abstracto iterum spirit. vini, relinquitur Essentia in fundo.

N. Dicitur præcipitare mercurium. Kesler. lib. 3. 71.

8. Alia ex calce martis.

℞. Ferri Limat. à quo sal. armoniac. sexies vel pluries sublimatum sit, extrahe cum spir. vini, decanta & abstrahe aliquoties cohobando.

N. Pulvis ille ante extractionem in liquorem resolvi potest, qui aqua clotus etiam intrinsecus exhibetur.

9. Alia.

℞. Croc. martis probè calcinat. q. v. irrora cum spir. vitrioli digereque in Arena calida, donec spir. vitrioli exsiccatus fuerit: hinc tere super marmore, affusaque aqua fontana macera in Arena calida per dies (3.) postea filtra per chartam: filtraturam inspissa, & extrahe cum spir. vini Tincturam.

Ex communicatione Affinis mei dilecti Iacobi *Holtzapffel*, Pharmacopœi nostratis laboriosissimi.

10. Alia Tinctura: Manna martis.

℞. Limat. q. v. extrahe cum spiritu ferri alcalisato, filtra & abstrahe: sic habes Tincturam martis.

11. Basium martis & veneris, seu Tinctura extemporanea S. Closs.

Compara tibi vitriolum ex viridi æris (*distillierten Grunspan,*) Verdet distillé; pelle per retortam igne Arenæ quidquid phlegmatis & spiritu volatilioris exire poterit. Hoc affunde super limaturam ferri in vase strictiori. Intra quadrantem horæ absque adjuvamine igne sanguine martis venus imprægnabitur, abstrahe phlegma, atque fusibili croco spirit. vini superfunde, denuoque extrahe.

12. Sal saccarinum & Tinctura flava martis ejusdem.

♃ Croci Martis parati cum Sulph. q. v. Affunde aq. restantem post præcipitationem butyri antimonij, quam Spiritum vitrioli Philosophicum vocant, unà cum phlegmate (si hic desit cape spiritum Sal. com. vitriolati diureticum, ut cap. de sal. com. indicabitur) sine extrahere in arena tincturam flavam cum fætore quodam Sulphureo, qui mox evanescit. Hanc coagula post filtrationem in sale Com. Saccharo dulcius, & majoris virtutis gratiâ spirit. vini circula.

Vires. Hepar roborat, unde hydropicis, iisque qui diffluentia in tibiis ulcera patiuntur prodest, menses superfluos & hæmorrhoïdes siccat, disentericos juvat, sumpta cum ther. rec. lienem deobstruit.

Dosis sal. (℈ß.) cum ol. nuc. mosch. Tinct. gutt. vij. in vino aq. linariæ.

13. Tinctura rubra martis

Laminas ferri subtiles stratifica cum pumice, & reverbera per 24. horas. Rubescet pumex, è quo cum aceto destillatò tincturam poteris elicere, & in sal rubrum coagulare.

Ad Calcinationem reverberatoriam pertinet seq.

Limaturam ferri calcina absq; nullâ præparatione aut commixtione ignis reverberij, donec ex rubedine summâ in calcem albam transierit.

Dosis ʒß. in vino albo Frater D. Rondelij hoc medio ab Ischuriâ curatus est, Ex communic. S. Closs.

Tinctura alia & inde Magisterium martis albissimum.

Limat. martis igne fortiss. eousque reverberetur, donec elevetur in crocum leviss. & rubicundiss. Irroretur cum Sp. aceti atque siccetur. Repetendo hoc (4. Dein tantum affundatur Sp. aceti q. s. ad extractionem. Digeratur usquedum colore rubicundo tingatur, sæpius verò agitetur. Extractio lento calore redigatur ad mellaginem, quæ soluta aq. pluv. destillata & filtrata præcipitetur cum Sp. Vitrioli. Sic habebis magisterium albissimum, quod probè edulcorandum.

Vires ex ipsa descriptione cuivis patebunt, prodest in morbis quamplurimis hypochondriacis, hepaticis, &c.

Ex commun. Cl. D. Ioëlis Langelot.

MARS seu FERRUM. Habuimus Sol. & Lun. sequuntur nunc Martis & veneris metalla, quæ suam *duritiem & deficientem liquabilitatem* obtinent *à copioso sale acido*, quo constant, sicuti etiam ab eodem sale acido coagulante obtinent duritiem, ut nõ possint tractari & facilè solvi in igne. Iam de mart. *in marte est copiosum sal acidum, minimum Mercurij, Sulph. modicum, cum sufficiente quantitate terræ crassæ indigestæ ac immaturæ.* Sulph. istud martiale habet solarem naturam & omninò *est solare.* Unde *pro tingenda* Lun. fixa pro maturandis & tingendis *metallis* imperfectis *recipitur* mars, ut beneficio Sulphuris Solaris istiusmodi subjectis concilietur Tinct. Sol. *martis vicinus* admodum est CHALYBS, & differunt mars & chalybs in eo quod *chalybs sit magis maturus* & præparatus, cum sit durior & purior:

Fit ex ferro chalybs *artificialiter*; si scilicet fiat stratũ supra stratũ cũ salibus alcalibus: aut cum carbonibus, qui sunt impraegnati sal. alcalibus, scil. cum carbonibus fagi, sal. Tart. rasura cornu tauri & similibus: *Fundamentum consistit* in eo, quod mars abundat copioso acido non sufficienter saturato: quod si ergo stratificetur cum sal. alcalibus fixis, aut cum rasura cornu tauri, quae *rasura copioso constat* sal. vol. hinc fit, ut sal. alcalia, sive sint volatilia, sive fixa, sese uniant & conjungant cum acido mart. & marti majorem duritiem & firmiorem elaborationem concilient, & ita mutetur mars in chalybem. Si *fiat pasta* ex calce viva & Ol. olivarum, & in hac pasta involvatur ferrum, & ponatur sub carbonibus, usque dum ignis totaliter accedatur postmodum extrahatur ferrum, & separetur à pasta, & *mars* adeò *erit mollefactus instar Lunae*: Econtra maximè *induratur mars*, si destill. aqu. lumbricis terrestribus & ex radice raphani, quae duae aqu. destillatae miscendae sunt in anatica sive aequali proportione, & in aqu. extinguendum est ferrum ignitum: Hinc enim fit, ut sal. volatilia, quae impraegnant hanc aqu. se insinuent in martem, candescentem & sic acidum maximè saturatum duritiem mart. conciliet. Hinc *fabri ferrarij* saepius *ferrum candens admovent cornubus animalium, ut*, dum beneficio igniti mart. liquescunt cornua sal. vol. eorum se insinuet in mart. candentem, & saturetur ejus acidum, *fiatque* materia *durior* quàm aliàs ferrum. *Est* ergo *differentia* tantùm *accidentalis inter ferrum & chalybem*, cum utrumque sit familiae ferreae: magis defoecatum depuratum & durius atque exinde etiam stabilius est corpus chalybs quam ferrum. *Difficillimae* est solutionis sive *liquationis* ferrum s. mars, propter sal & abundantiam copiosae terrestrae & defectum Sulph. fusibilis, quod Sulph. cum abundet in saturno & Jove, fit ut facilius possint fundi ejusmodi subjecta. VIRTUTES mart. sunt *diversae* nunc *adstringit*, nunc *aperit & resolvit*: Hanc diversam operationem vulgò *volunt oriri* autores, *ex eo*, quod particulae mart. *subtiliores* habeant *vim aperiendi, terrestriores* crassiores, & fixiores econtra habeant virtutem *adstrigendi*; sed haec solutio *non est sufficiens*: *Potius dicendum* ex rei veritate, *quod mars semper* per se & ex se *adstringat*, sive crudus sive praeparatus, sive sub forma liquida, sive sub forma consistente; linguae admotus sẽper aliquo modo adstringit. Mars aperit tantùm *per acidens, quatenus* mars assumtus in corpus reperiens in eodem *salia acida* sylvestria & facilè coagulativa, à quibus solet induci obstructiones & indurationes, excrementorum eorumque coagulationes, ejusmodi enim sal *absorbet* &c. Promptè enim illa accurrunt mart. assumtum, & eundem solvunt, & mars illa salia corrosiva absorbet, absorptaq; secũ per alvũ educit: *Evacuatis sic* acidis *sal. coagulativis* & obstructivis per accidens *sequitur apertio*: remota enim causa removetur effectus, & ita per accidens deobstruuntur pori & reserantur. Hinc dicunt veteres, quod mars *prosit incorrigendo*, digerendo & praeparando *humore melancholico* (qui humor melancholicus modernis, uti notum est ex Pathologicis, nihil est aliud quàm succus acidus) quod sit optimum *digestivũ melancholiae* quod sit, uti vocat ZACUTUS LUSITANUS, *Alexipharmacum mali hypochondriaci*, item *panacea cachexiarũ*; quat. absorbet melancholiam: nam ista est succus acidus, uti dixi. Absorbendo ergo acidum, quod dissolvere conatur mars, corrigit illius corrosivitatem & acrimoniam, sicque digerit melancholiam, & ita affectus ex hoc acido oriundos corrigit, id quod in malo hypocondriaco, scorbuto & similibus verum est, & fundamentum quoque est praeparationum medicamentorum martialium. Unde quando dicitur, quod referet obstructiones lienis, jecoris vesiculae felleae &c. Conducit in morbis melancholicis & est frequentissimi usus, item *ingreditur pulveres cachecticos*, & quasi eorum basis est, in Cachexia tam simplici quàm cachexia virginum usitatos: quatenus mars absorbet acidum sylvestre coagulativum, quo absorpto sequitur medela. Semper ergo quacunque ratione praeparatus mars per se adstringit, per accidens vero absorbendo acidum aperit: Et quoniam *solutiones mart.* sunt *semper nigrae*, hinc *qui assumunt medicamenta martialia, excernunt foeces nigras*, quoniam in corpore humano solutus mars nigredinem suam imprimit foecibus. Hinc est, quod *aqua in qua extingunt* fabri ferrarij *ferrum* ignitum, sit tanti *usus* & usurpetur *in Diarrhais & Dysenteriis* pro adstrictione & usurpetur *in schirro lienis & malo hypochondriaco* pro apertione. Nam per se aqua particulis martialibus impraegnata adstringit, per accidens vero absorbet acidum scirrhosum. Hinc etiam est quod dicitur *canes ferrariorum carere splene*, non quod omninò deficiat iis splen, sed quod sit admodum parvus, quoniam, dum canes bibunt aquam ferrariorum, assumunt simul particulas martiales, quae impediunt inflationem & tumorem lienis, quoniam absorbent acidum coagulativum, quod dat scirrhos & lienis inflationes. Multi ulterius recipiunt aquam *cotis, qua defluxit ex cote*, dum acuatur instrumentum ferreum, & in hac aqua cotis aliquoties extingunt chalybem ignitum, quae postmodum aqua *est medicina pauperum, in morbis* ferè omnibus *chronicis* v.g. in *malo hypochondriaco, scorbuto, mensibus suppressis, alvi obstructione, scirrho*, in *ictero flavo & nigro in cachexia* & omnibus his similibus affectibus: Cum in omnibus his morbis vires mirificas obtineat ferrum: Nam in genere *in iis affectibus* qui dicunt oriri *ab humore Melancholico*, *Martialia* medicamenta sunt *danda* quae absorbeant acidum illud, & ejus acrimoniam corrigant & temperent. Quod attinet usum medicamentorum martialium *assumitur* in *substantia* LIMATURA martis. Hoc utut posit fieri *in iis* commodè, *quorum fermentum* ventriculi est *praeternaturaliter acidum*, ut solvere posit ferrum, vel quibus succus pancreaticus est nimis acidus, & in quorum intestinis est acidum corrosivum: *In subjectis* tamen *tenerioribus non potest* comodè propinari, quoniam periculum est, *ne ferrum* in fundo ventriculi subsideat, & exinde *vim vitriolicam* ac vomitivam *acquirat*. Aliàs *Itali* non rarò *praescribunt ferrum in substantia, in cachexiis virginum*, quorum tamen *abusum* satis *perstringit* PANAROLLUS PENTECOSTE V. Obs 32. Ratione martis operantur acidulae, quibus superius ubi de aquis sufficienter dictum, & omnis vis derivanda est ex marte partim soluto, partim ex spir. acido salis esurini sulphuris embrionati, ut *HELMONTIO* audit. Inter PRAEPARATA martis 1. est *CROCUS* qui nihil est aliud quam *rubigo*; nihilominus talis pulvis, *quoniam est coloris* subrubicundi & subflavi, *dicitur Crocus* à Chymicis, acuti pulvis ex auro puro flavescens dicitur crocus. Vulgo *dividitur in obstructivum* sive adstrictivum & *aperitivum*: Caeterum rectè dicit *TACKENIUS*, quod *omnis crocus* sit *pro adstrictione* per se, per accidens pro apertione. Vid. *circa finem ferè Hippocratis Chymici*, ubi sufficienter hoc explicat. Quicquid sit, videamus praeparationes: OBSRUCTIVUS s. adstrictivus *praeparatur* ex *marte per calcinationem* in igne forti, uti moris est, in quâ calcinatione abit in pulverem subrubicundum, qui dicitur crocus martis obstructivus. Ubi hoc notabile est, quod mars *in calcinatione augeatur in pondere*, cum acidum ex carbonibus se insinuet in mart., & inde augmentatio ponderis accedit. Aliàs *promptius possit fieri* crocus martis, si recipiantur ferramenta furnorum Chymicorum, ubi per tempus longum laboratum, quibus adhaeret pulvis rubicans, qui cum pede leporino abstersus est verus crocus martis, quoniam paratus est diuturna praeparatione in furno chymico. Usus

ejus est, ubi opus adstrictione, *in* quibuscumque *fluxibus tam sanguinis quam aliorum excrementorum* in *Dysenteria*, *Diarrhœa* & similibus, item in *hæmorragiis omnibus*. *Ingredi* quoque solet in *pulverem stypticum Crollij*: it. in *Emplastra vulneraria & styptica* Chirurgorum & *Oppodeldoch Paracelsi* ingreditur. *In ulceribus siccandis* & emendanda eorum corrosivitate, in ulceribus etiam *curandis* admodum est conveniens, quia acidum aggreditur & absorbet, & sic vis ulceris valdè impeditur: Post calcinationem reverberatoriam, unde crocus mart. obstructivus, sequitur APERITIVUS pulvis rubicundus ex marte, qui pollet virtute obstructiones reserandi, & acidarum obstructionum auctorem corrigendi & absorbendi. *Modi sunt varij*, sed ex supra dictis facilè potest colligi, quinam sint optimi: Cum enim crocus mart. sit aperitivus, quoniam absorbet acidum, quando itaque jam semel est saturatus ab acido, non amplius illud absorbere potest, hinc patet, quod crocus mart. aperitivus *non sit præparandus cum nimis forti acido*. Nam in quantum acidum abundat, & in præparatione ejus accedit, in tantum impeditur vis aperitiva, quoniam dum acido prius impraegnatus est, non potest illud absorbere in corpore humano: Unde paucissimo acido præparandus est mars, quoniam tunc plus potest absorbere in corpore, aliàs *martem quæcumque acida facilè solvunt*, sive sint fortia mineralia, sive debilia vegetabilia: Econtra *lixivialia nullo modo* solvunt, aut parum vel nihil attingunt eundem. Hoc præsupposito ceu fundamento, modum in specie videbimus præparandi. Ubi *primò* potest præparari crocus mart. aperitivus per solam *affusionem aquæ simplicis*. Nam si limatura mart. subtiliter trita diebus Canicularibus irroretur aqua, communi, & exponatur radiis solaribus, intra paucos dies eadem limatura mart. vertitur in crocum, & ingens excitatur effervescentia: *Modus quo modo transferatur* in crocum mart. per aquæ simplicis affusionem *est hic*: Dixi superius, quod in mart. sit copiosum acidum, hoc ergo acidum insinuante sese aqua, accedente tepore aurum solutum & excitatum, aggreditur proprium corpus, istudq; solvit & corrodit in talem crocum, qui *est maximè aperitivus*, quoniam nihil externi acidi accessit, aut eundem saturavit: *Vid.* de hoc *Pharmacopœa POTERII cap 17. Quidam aquam* simplicem *acuunt cum sale absinthij fixo*, & huic affundunt in loco tepido limaturam mart. atque sic acquirunt crocum mart. aperitivum, uti videre possumus. *Ex Quercetano*, *Mylium cap. 2. D. MICHAEL præparavit Crocum* mart. aperitivum *ex lixivio*, quod paravit *ex cinerib. herbarum* dictarum *aperitivarum*, calcinatis herbis affudit aquam simplicem, quâ elixiviavit sal fixum ex cineribus: hoc lixivium affudit limaturæ mart. & redegit in crocum mart. aperitivum, qui *fuit egregius*: accedunt enim salia alcalia quæ contrariantur acido, & in corrosione mart. in crocum sese conjungunt cum acido mart. Unde *mars ita assumtus virtute propriâ*, imò etiam *salium adjunctorum* alcalium quamcumque aciditatem præternaturalem *absorbet* & in se derivat. Hic crocus mart. aperitivus *D. MICHAELIS* fuit basis *pulveris cachectici*, cujus est compositio:

℞. *Croci mart. hujus aperitivi* ℥ij.
Cinnamomi acutissimi ℥ß.
Radicis ari præparatæ ʒiij.
Sacchari parum.

Misc. fiat pulv. Cachecticus, cujus dosis à ℈ß ad ʒj. qui est *elegans anticachecticum* sive in *cachexiis*, & maximè potens in malo *hypochondriaco*, tempore matutino in jusculo, est elegans digestivum in *Scorbuto* & similibus, *laxat alvum*, quod ipsum maximum est beneficium in malo hypochondriaco. *Præparatur* etiam non inconvenienter *crocus* mart. *aperitivus*, si *succo chicorij* irroretur limatura mart. & mars ita irroratus exponatur radiis solaribus, sic enim facilè abit in crocum aperitivum. Vid. de hoc *PANAROLLUS Pentecost. 5. Obs. 32.* Ubi adhuc sunt quædam cautelæ notatu satis dignæ in præparatione & usu Martial. Præparationes in auctore, & quidem *illa* quæ *num. 11.* reperitur, *est* omnium *pessima*: *fundamentum* consistit in eo: dum Sulph. admovetur ferro ignito, inflammatur Sulph. & Sulphuris spir. acidus corrodit mart.; qui mars à Sulphure acido corrosus, utut assumatur in corpus, quoniam ab acido Sulph. jam est saturatus, nihil potest efficere; sed onerat ventriculum, dum in eodem residet: Quod vero à nullo acido possit aggredi, patet ex eo, quoniam *si affūdatur aqua fort. non solvitur ab illa*: quod *observetur*, nam à multis practicis videmus h. m. præscriptum, ne incidamus in eandem caveam. Num. 3. habet auctor *cementatoriam calcinationem*, unde fit vitriolum mart., dum mars & Sulph. miscentur simul &c. *Enchirisis* hîc notanda *duplex*, prima ratione mart. & Sulph. sit duplex proportio in mart. & Sulph: Sulphuris sint partes 2. & martis pars 1. & sic invicem calcinentur. Deinde dicit auctor diligenter move; Hoc nihil est, nam non locum habet mistura in calcinatione, quoniam Sulph. subitò avolat & exhalat. Processus satis est clarus apud Auctorem. Ex hoc modo præparato marte fit VITRIOLUM mart. *Modus* est, si hoc modo calcinato mart. affunditur aqua simplex, quæ fit exinde viridis, filtratur & sensim sensimque coquitur ad apparentiam cuticulæ, & sic repositâ aquâ in locum frigidum concrescit aqua in crystallos virides, qui sunt reverà vitriolum mart. Aliàs est vitriolum quod vocatur *hermaphroditicum*, quoniam participat de mare & fœmina de mart. & venere, quod vitriolum Hermaphroditicum valdè commendatur *ad affectus uterinos*: *cujus* hæc est *compositio*:

℞. *Mineræ Cup.* lib. iij. dico mineræ Cup.
Mart. communis lib. j.
Vitrioli vulgaris ℥xiij

Pulverisatis minutissimè affunditur aliquid aquæ communis, stent per diem & noctem & aqua colorabitur; aquam coloratam effunde, recentem affunde, idque tamdiu, donec non amplius tingatur, quam evapora ad cuticulam, & concrescet (anschiessen concrescere significat, quod observetur in lectione auctorum Germanicorum) vitriolum optimum ad uterinos affectus, cujus dosis est gr. 1. cum aliis vel vel etiam cum solo saccharo, in vehiculo appropriato, cujus *usus aliquamdiu est continuandus*. *Aliter dicit auctor*, mart. &c. cement &c, Modus parandi regulum ex mart. pertinet ad hunc modum. Fit *regulus* mart. ex tartari antimon. Sulph. ana ℥ij & limaturæ mart. ℥iv. vel aliâ proportione: fit ex tart. nitro & antimon. ana. ℥ij. & limaturæ mart. ℥iiß. Hæc invicem funduntur, & effusa in conum fusorium præcipitant regulum. *Modus iv. nihil valet*, quoniam acido saturatur mars est hic *alius modus* præparandi Vitriol. Martis *sub nomine magisterij*: solvitur mars in spir. vitrioli & in frigore concrescit in crystallos virides &c. *Observetur* hic quod *sp. Vitr.* in aqua communi *sit bene dilutus*: observatum enim est, quod sp. Vitr. fortiter rectificatus affusus mart. non potuit corrodere eundem: econtra dilutus cum sufficiente phlegmate vel aqua communi subito mart. corrodit & dissolvit. *Ratio est hæc*, quoniam particulæ salinæ sunt adeò unitæ, ut non possint una post alteram in poros mart. se insinuare; sin vero sint dilutæ facilè possunt poros intrare & corrodere mart. *RIVERIUS* præparaturus Vitr. mart. *loco phlegm. assumit spir. vini*, nimirum oleum seu spiritum Vitr. quod perinde est, part. 1. spir. vini partes ij. Infundit in lebetem vel

catinum ferreum, & subsidebit vel adhærebit lateribus Vitr. mart., quod exsiccatum & pulverisatum adservat. *Crocus mart. Sacharinus* (mod. VI. In auctore) est *pessimæ præparationis*, uti superius monui. Vitr. mart. per se interius assumtum est vomitivum & fortes ciet vomitiones. Pertinent huc quædam *aliæ præparationes*. Sic ex mart. aliquando fit *Tart. martialis*, quæ præparatio *non* est *inelegans*, & *fit*, quando in solutionem Tart. infunditur limatura mart. Sic enim Tartari acidum sensim sensimque solvit mart., & secum absorbet acidum; postmodum filtratur & evaporatur, quando concrescit in crystallos Tart., recenter imprægnatur marte, & sic evadit Tart. mart., *egregius in morbis chronicis*. Sic fiunt noduli vel *infusa mart. cum* Tartaro: Nempe *cum herbis appropriatis* miscetur limatura ferri cum crystallis Tart. vel Tart. crudo, & fit nodulus: Huic affunditur vel aqua communis simplex vel vinum, vel cerevisia tenuis, relinquitur in loco calido, ubi vinum corrodit & solvit mart. & sic fit potus mart. medicatus sive infusum Tartareo martiale egregium in *morbis chronicis*: Dixi de Vitriol. Hermaphroditico: ex hoc destill. sp. dictus *sp. Vitr.* HERMAPHRODITICUS. *Alio modo* tamen *etiam præparatur* hic spiritus, *nempe* si assumatur Vitr. mart. & Vitr. Vener. & hæc anatica sive æquali proportione mista, destill. igne aperto, uti moris est; Hic sp. aliquoties *cohobatus* à *D. MICHAELI* dicitur, *spirare odorem Moschi*. Nam hoc est certum, quod etiam *metalla habent suavem* & elegantem *odorem*: sicuti non tantum *HAUPTMANNUS in Scripto collisivo*, mineræ aur. similiter suaveolentem odorem attribuit, sed præterea quoque aliquando quidem laboravit quædam in saturno, quem in præparatione admovendo cum catino igni fortè vero fuit ab opere revocatus, postmodum redux factus suum visitavit saturnum & aperto instrumento *odorem suavissimum* in saturno *invenit*: Ita ut *etiam metallis* sint *sui odores*. *Crocus mart. aperitivus* ut *melius operetur*, debet misceri *cum pulv. Lumbricorum* terrestrium, non incommodè sic enim eleganter operari inquit *FREITAGIUS*. Potest etiam fieri *Crocus mart. coloris violacei*, per solutionem sc. mart. cum Urina, in qua Urina soluta sint sal commune & sal armoniacum: post affusionem subsequitur reverberatio s. calcinatio, & fit crocus mart. violaceus, uti eumdem præscribit *MYLIUS in Basilica c.2 Illinitionis modus* cum aqua forti & sic porro *est pessimus*. Post calcinationem sequitur VOLATILISATIO, & DESTILLATIO Mart. Videatur in AUCTORE aqua *martialis*, nescio an verum sit. Potius aliam aquam *martialem* simplicem ex mart. *elicere* singularem & sine ign. *docet BURRHUS in litteris ad Bartholinum p.* 47. irrorat mart. aqua communi, & digerendo in fimo equino fit ebullitio in cucurbita & effervescentia, in qua exhalat ex mart. liquor roridus aquosus, qui vocatur aqua martialis, cui multum attribuitur *in affectibus oculorum* vid. locus citatus. Observetur hîc, quoniam de volatilisatione agimus, quod *limatura* mart. permista *cum sale armoniaco det* elegantes *flores* sublimatione, qui flores non erunt inelegantes *in* nonnullis *morbis cachecticis & chronicis*. Præparationem habet AUCTOR. Sequitur EXTRACTUM, quando extrahitur mars, vel fiunt Tincturæ ratione coloris, sive Essentiæ ratione extractionis. Modi sunt *varij*, tot ferè quod capita. 1. *Extinguitur limatura martis candefacta cum vino*, & sic *fit vinum* egregium *martiale* multis virtutibus pollens *in morbis chronicis*, qui plura de eo cupit vid. potest *PANAROLLUM c. loco. Alij* nudum *vinum infundunt* in limaturam martis, & ponunt in locum calidum, sicque *fit d. vinum anticacheticum & antihypochondriacum*. Quo minus acidus liquor est, cum quo extrahitur mars, eò melior præparatio. *In genere omnes* Tincturæ vel extracta *fiunt* quando solvitur ferrum, solutum inspissatur, & inspissatum extrahitur cum spirit. vini in tincturam rubram s. Ess. rubineam, & est tinctura martis, & ferè omnes solent esse aperitivæ. *Menstrua* sunt *varia*, ipsi etiam succi vegetabilium: si scil. limaturæ martis affundatur *succus Borsdorffianorum* pro malo hypochondriaco, vel *succus cydoniorum* pro affectibus stomachi, vel *succus acetosæ*: it. *decoctum Tamarindorum* & similes alij succi sub acidi vegetabilium, hi enim promptè solvunt martem quando ad tempus stetit in loco calido, transcolatur, colatura inspissatur in crassitiem mellis, mellaginem extrahe cum sp. vini, & habebis Ess. vel tincturam martis quæ tinctura utut habet saporem subadstringentem uti omnes aliæ ex marte, nihilominus tamen sunt simul *insigniter aperitivæ*: Præparationes similes vid. *in ROLFINCK. Chymia. Potest fieri tinctura martis beneficio musti*, si affundatur & procedatur jam dicto modo: Ubi venit monendum, quod *mustum affusum mart. non solet fermentare*: rationem facilè norunt ij, quibus cognita est doctrina fermentationis: Nam cum oriatur fermentatio ex conflictu salis acidi & urinosi, in quo aliæ simul particulæ coercentur in motum & effervescentiam: jam verò in affuso musto super martem, particulæ musti acidi aggrediuntur martem, & eundem corrodunt, non verò aggrediuntur partes alcalicas sive urinosas, exinde fit, ut mustum affusum mart. non fermentet, sed nudè tantùm extrahat: Obiter hæc: Quæ locutus sum de vinis martialibus, vid. *in SALA de marte*, qui habet *vinum martiale compositum* non inelegans ex vino, succo cydoniorum, limaturâ martis & herbis appropriatis *p.m.*203. Unum adhuc moneo; superius habuimus de vitriolo martis & etiam spir. vitrioli, veneris. De *sp.* vitriol. mart. *&* de *sp.* vitriol. veneris obiter moneo, quod non sint simplices sp. vitrioli acidi, sed simul etiam *participent multum de substantia ferri, & cupri*, utpote quorum tenues & subtiles particulas secum arctè junctas simul exportant & evehunt. Id *quod patet* non tantùm *in sp. Viridis æris*, qui aliàs dicitur venus, qui legitimè destillatus prodit colore viridescente, propter admistum cuprum, sed etiam *ulterius* patet ex eo, si solvas Chalybem in sp. salis & destilles, videbis sp. istum non tantùm prodire colore nigro & rubro, ratione Chalybis sed ista tinctura in sp. quoque permanebit: Imo per alcali, quodcunque etiam sit pulvis subtilissimus sive subtilissimus Chal. crocus potest præcipitari. Aut si hujusmodi sp. per alembicum pellas, in fundo pulverem planè aureum habebis: Quidni ergo idem fiet cum sp. Sulph. s. vitrioli cum hujusmodi spir. vitrioli s. ipsius vitrioli vis vomitoria exinde oriatur: Nam *levis quædam inter sp. & vitrioli & Sulph. est differentia*. Redeo ad tincturas. *Elegantissima* si quæ alia *est tinctura quam habet ZUVOLFERUS*: *tinct. Vitr. mart aperitiva Zuvolferi dicta*, quæ præparatur ex vitriolo mart. & ex terra foliata tartari: de hac Terra foliata Tart. & Tinct. sufficienter locutus sum, ubi de Tart. Dicitur *Terra foliata tartari*, quoniam instar foliorum argenti apparet: aliàs etiam vocatur sal *Essentiale vini*. Mista hæc invicem ambo pulverisata, subitò se invicem aggrediuntur, & posita in locum frigidum in liquorem rubicundissimum abeunt: Hic liquor filtratus, & cum sp. vini extractus dat tinct. elegantissimam rubicundam, valde convenientem in quàm plurimis morbis. Hæc tinctura & præparatio ejus videri potest in *ROLFINCKII Chymiâ*, præprimis *in dissert. de Chal.* & venere, quæ dissertationes sunt elegantes & lectu dignæ. HÆ TINCTURÆ omnes sunt aperitivæ possunt tamen etiam fieri ADSTRICTIVÆ, & quidem optima *præparatio* est, quando *schoria Chal.* extrahuntur *cum* aceto destillato, extractum inspissatum postmodum

modum cum spir. vini dat Tincturam adstrictivam. *ZWOLFERUS in Mantissa Hermetica p.337.* habet elegantem *Tinct. Chal. anticachecticam* cum spirit. veneris sc. cum sp. viridis æris, quæ est Tinctura non inelegans. Ista præparatio *ex scoriis reguli* cum aceto destillato est in auctore. Num.V. superius, ubi de silicibus, mentionem feci menstrui vel *liquoris silicum* ex sale alcali & silicibus: Beneficio hujus liquoris silicum potest fieri *Tinct. Sulph. viridi. ceris Chal. vel* veneris h.m.℞ vitrioli martis vel veneris, teratur & affundatur liquor silicum *GLAUBERI*, coquantur mutuò & forti igne fluant, misturam hanc pone in cellam, adde aliquid aquæ, ut fiat instar pultis, postmodum huic pulti inspissato superfunde sp vini optimum, digere in M.B. per 8. vel 10 dies, & extrahe Tincturam. Nam quod in liquore de silicibus est, se præcipitabit in fundum, filtra Tinct. & exalta; saporis est haud ingrati & *magnarum virium*, participans de sulphure Chal anodyno. sunt qui simili ferè ratione recipiunt liquorem scilicet alcali nitri *fixum dissolutum* in liquorem, quem infundunt virid. æris Chal, ex quo extrahunt Tincturam. Hujus guttæ x. vel xx mira *in malo hypochondriaco* faciunt, etiam absque extractione cum sp. vini: *habet vim laxandi*, & est omnis saporis ac odoris expers.

V. SUBLIMATIO.

Hinc

1. *Flores ex marte crudo.*

Sublima limaturam ferri cum sale armoniaco (vide in sale armoniaco) & elevatur quoque portio ferri, hæc à sale armoniaco elota habere vim sclopetantem, æquè ac aurum fulminans dicitur, sed erroneè.

2. *Flores martis ex crystallis.*

℞. Cristall. martis (cum aqua fort. nitrosa fact.) sublima cum sale armoniaco, & habebis flores rubicundos, quos edulcora. *Kesl.lib.1.cap.63.*

Vires. Vim maximam habent in lienis & mesenterii obstructione.

VI. SALIFICATIO.

Sal martis duplicis videtur esse sortis, subdulce scilicet & Vitriolatum.

1. *Sal. martis subdulce.*

℞ Limatur. ferri, irrora acet. destillat. optimè, ut pasta inde fiat, quæ siccescat: siccatam tere ac irrora iterum, &c. idque repete multoties. Tandem effunde phlegma aceti, coque bulliendo & filtra; humiditate in MB. abstractâ, digere cum spirit. vini, Crystallosque serva pro usu.

Vires. Vim habent incidendi & aperiendi obstructiones etiam contumaces viscerum & uteri. Vide in Epistol. Gregor. Horstii observationibus annexis lib.1.

[*Ex hoc sale pilulæ Spadanæ constant.*]
[*Hoc sale aqua soluto acidulæ parantur.*]
[*Hoc sale martis Reverius multùm effecit.*]

2. Idem Sal assequi poteris vi aquæ simplicis, loco aceti destillati ac phlegmatis ejusdem adhibitæ, sed quantitate minimâ.

N. Suecicum ferrum sale abundantissimum est, ideoque reliquis in salis hujus confectione præferendum.

2. *Aliter.*

℞. Calcem seu croc. martis (per aquam regalem factum) extrahe Sal cum aqua, filtra, coagula; ac repone ad crystallisandum, vel inspissa prorsus. Salem Vitriolicum, quem nactus fueris, solve denuo aliquoties, & coagula: sic habebis Sal martis subdulce.

N. Filtratio siquidem fieri nequit, quin charta vi corrodente corrodatur, dilui potest solutio aquâ fontanâ, quo minus acris & filtraturæ aptior evadat.

3. *Aliter, Sal Basilianum.*

℞. Materiam in Tincturæ præparatione residuam (*e.gr. in Tinctura Basilii,*) affunde aquam mellis corrosivam, ac extrahe Sal com. s. a. Hinc abstrahe aquam mellis, edulcoraque cum aqua fontan. per destillationem iteratam abstracta. Tandem clarifica cum spiritu vini *Thold. in Halograph.*

Dosis gran. 6.7.8. &c.

3. *Vitriolum martis ex cementato.*

℞. Calc. martis (cementatam cum Sulphure, ut suprà;) extrahe Sal com. ut moris per aquam calidam, filtra & crystallisa s.a. *Croll.*

5. *Vitriolum martis ex soluto marte.*

R. Limat. martis; solve in oleo Vitrioli rubr. p.1. aquæ font. p. ij. filtra calidè, & crystallisa s. a. *Tholdius.*

N. Simili modo & per alios liquores acres crystalli martis exhiberi possunt, de quibus in Crocorum præparationibus, quippe nihil aliud sunt quàm ipsemet Crocus, quem ipsum vel solâ exsiccatione ad ignem referunt.

Sal martis purgans.

℞. Salis armoniaci, Limat. martis p. æq. misce leniter terendo in marmore, inde cucurbitæ fictili & sublima primò lento igne dein fortiori, sensim per gradus ignis augendo. Tandem refrigescere sine, fractoque vase, partem superiorem albam reserva novæ sublimationi cum recenti limatura martis peragendæ: Partem mediam croceam similiter serva (sunt flores martis diaphoretici.) Denique partem quæ in fundo remansit (caput mortuum) exime, & modo vulgari Sal com. extrahe, idque solvendo & coagulando purifica, clausoque vitro reserva.

Vires. Vim obtinet purgandi.

Dosis ℈ß ad ℈j. in cochl.1. aut 2. Syrupi violarum laxativi, &c.

N. Quando Sal com. prædictum in syrupo violarum solvitur, necessum est ut bene agitetur, donec Syrupus totus spuma evadat, quæ stet per noctem, ut clarescat iterum. Tunc additur pro libitu aliquid clareti laxativi.

Ex commun. amici Hamburg.

VII. LIQUATIO.

Mars per se minimè liquescit, verùm si in crocum (calcinatione humidâ,) redigatur, aliquo modo liquabilis evadit; unde Liquor seu Balsamus, medicamentum in vulneribus aptissimum.

SUBLIMATIO. De floribus cum sale armoniaco parandis supra dictum. Quoniam superius dixi de *Chal. quod fulminet* sicut aurum: hic quæri potest de eo, *an detur?* Et certum est, quod *omninò* detur: modo *observentur enchirises* in præparatione: Nam nisi exactissime observetur *punctum saturationis* in præcipitatione, omnis spes fulminandi cessat: *Quidam præparant* solvendo Chal. in Aqua Regia, solutum cum Oleo Tartar. p. d. præcipitant, ac præcipitatum scilicet calcem Chal. exsiccant, & hunc volunt esse Chal. fulminantem. *Quæstio* nunc est *unde* oriatur *vis fulminandi?* auctores meritò *deducunt* hanc vim *ex Sulphure solari*, quo Chal. gaudet: quod monstrat Sulphur. in pulvere pyrio cum nitro concurrens, uti dat fragorem, ita hic cum salibus admistis ex aqua regal. dat strepitum & fulminationem. *Alii præparant* Chalyb. fulminantem si Chalyb. solvatur in aqua fort. & postmodum præcipitetur cum Oleo Tartar. p. d. sed observandæ sunt hæ enchirises, ne ex nimia ebullitione, quam aquam fort. super Chalyb. fusa causatur; spes tua fallatur & spirit. fulminantes & effrenes in auras evanescant: *Alii tertio* modo hoc modo *præparant*: ℞. limaturam Chalyb. per crebras ablutiones repurgatam, quam irrorant cum Oleo Tart. p.d. terunt iterumque imbibunt, quem laborem toties repetunt, donec in pulverem redeat Chalyb.: Hunc pulverem acet. destillat. impraegnant,

prægnant, denuò exſiccant, mox hunc pulverem in aquam fort. injiciunt: Unde in bullas attolletur & effervescet; Cum totum ſic ſolutum erit, deſtillando abſtrahe menſtruum, & calcem in laminas ferreas vel patinas diſtribue, & reverbera horis 24. qui crocus concepto igne tonare ſolet, ſi rectè paraſti? vid. de hoc *Author.* in Tr. de vitriol. Hic habentur flores ex Marte parati per ſublimationem cum ſale armoniaco: Ex his floribus *Sulph. anodyn.* martis extractionem docet *ZUOLFERUS in Mantiſſa Hermetica p.* 338. ſal *Mart. ſub dulce*: ſunt nonnulli qui *negant dari* genuinum ſal Mart., d. *fruſtra*: *Quidam* ut præparent ſal Mart., ſolvunt Vitr. Mart. in aqua, quod præcipitant Ol. Tart., præcipitatum volunt eſſe ſal Mart., quod habet vim purgandi, ſed revera eſt crocus Mart. ex Vitr. præcipitatus & eſt nugatoria præparatio. Ex Mart. præparantur PILULÆ SPADANÆ propter egregium uſum ſatis laudatæ, dicuntur Spadanæ, quoniam acidularum Spadanarum virtutes æmulantur & ſequuntur; principale earum ingrediens ſal Mart. & ſal armoniac. ſuperius fuit facta mentio *reguli Mart.* ex hoc volunt nonnulli parare mercurium martis VIVUM, quem *tantùm auri* poſſidere dicunt, *quantum* quis *mercurii* hujus habeat, ex eo, quod in hoc mercurio lateat ſpir. Sol. qui aptus natus ſit exaltare Lun. in Sol. *modum parandi hujuſmodi* mercurium qui tamen non videtur genuinus, *vid.* in *AGRICOLÆ Comment. in Poppium*, ubi de marte. De uſu martialium adhuc noto, quod *poſt uſurpationem martialium* rectè monente SENNERTO, ſemper ἐκκοπρωτικὰ & *lubricitantia* ſint *adminiſtranda*, ne particulæ Mart. adhæreant nimis plicis ventriculi & inteſtinorum, & ſic corpori non leves poſſint inferre turbas.

CAPUT XII.

De Cupro.

CUprum, alterum Metallum, ex ignobilioribus duriuſculis eſt, conſtans ſecundùm Theophraſtum ex Sulphure purpureo, Sale rubro, ac mercurio citrino.

Dicitur venus, quòd cum Venere Cœleſti in Macrocoſmo, cumque generativis partibus in Microcoſmo ſympathiam obtineat: dicitur & Æs, German. *Kupffer.* Cuivre.

Flore æris veniunt granula à panibus æreis, quando affuſâ aquâ refrigerantur proſilentia, plerunque etiam viride æris.

Vires. Præterquam quod partes generativas peculiariter confortare creditur, variis abundare facultatibus æſtimatur, adeo ut ſint qui dicere non vereantur, nullum metallorum ſalubriorem ſpirare auram quàm Cuprum. Et hinc majoribus, ac præcipuè Hippocrati præter reliqua frequentiſſimo in uſu fuit. Nos relicto Cupro crudo, præparationes libabimus, quæ ſunt.

I. PURIFICATIO.

Purificatur à ſordibus ſuperficiariis ſi imponatur hor. 7. 8. 9. &c. in aqua vitrioli mixta cum aceto deſtillato.

II. CALCINATIO.

Unde Crocus.

1. *Reverberatoria.*

Fit more communi, limaturam ſcil. cremando.

N. Laminæ veneris reverberantur calore fornacis figulinâ in æs uſtum, quod facili contritione in calcem reducitur. Beguin.

2. *Immerſiva.*

Solutio fit in liquore acri.

E. gr.

Aqu. fort. ſpirit. Sulphuris, ſpirit. vitrioli, & ſimil.

Sic:

Diſſolve venerem in aqu. fort. ac præcipita per aquam tepidam infuſam, vel per particulam martis, lunæve injectam. *Beguin.*

3. *Vaporoſa: unde Ærugo, ſeu Viride æris.*

Suſpendantur laminæ veneris, ut vapori Vini & racemorum objectæ ſint: ſic adhæreſcet Crocus pede leporino abſtergendus.

4. *Illinitionis.*

Illine laminas æris liquore acido ſeu acri.

N. 1. Quinimò ſola aqua ſimplex, tantillo Sal. com. vel ſal. armoniaco imprægnata æruginem extrahit.

N. 2. Paracelſus ſolvit ſalia (Sal com. Sal. nit. & ſimil.) in veſica, atque ſolutum liquorem laminis illinit. Libr. de mort. rer. natural.

5. *Cementatoria.*

Fit cum ſal. com. & Tart. &c.

R. Laminas veneris, F. ſtratum ſupra ſtratum cum ſal com. præparat. calcina paulatim leviter igniendo. Poſtea ignitas in aquam injice, atque à nigredine benè elue, iterumque F. ſtratum ſupra ſtratum calcina, ac elue ut priùs. Tandem coque ac repone, ut ſubſideat crocus, quem edulcora aqua.

Vires. Inſervit Chirurgiæ, ingreditur Emplaſtrum Oppodeldoch. Gluckr.

N. Eodem modo cementatur quoque cum Sulphure, hor. 3. vel 4. inque æs uſtum reducitur Officinarum [hoc æs uſtum aqua pluries lotum fit præſtantiſſimum ad ulcera putrida] calcinatur iitidem & limatura veneris cum Tart. ſimili modo quo mar. ad exhibendum Vitriolum calcinare docuimus.

III. DESTILLATIO.

Deſtillationibus iiſdem veneris ſubjici poteſt, quibus mars: Unde & aquam, Spiritum, Olea, Mannam, &c. exhibere aptum natum eſt, inprimis tamen deſtillationi ſubiicitur Vitriol. veneris, cuius ſpiritus adeo famoſus eſt, ut peculiari nomine Acetoſus eſurinus à Paracelſo nuncupetur: Vireſque quæ ſpiritui Vitrioli vulgaris adſcribuntur, huic efficaciùs competunt.

1. *Spiritus & Oleum Vitrioli veneris S. Cloſſ.*

Fiat Vitriolum veneris methodo Crolliana. Hujus ℔. XII. in retortam conii ciuntur & igne moderato deſtillatur phlegma omne, id quod horis circiter 6. perficitur; Cohobeturque deſtillationibus ad minimum ſuper Colcothar proprium, ut mediante hac fermentatione ſpiritus volatiliores ſecedant promptius, tùm demum augeatur ignis per gradus per 5. dies continuos, minimumque corp. fixi in retorta remaneat. Spiritus albos à rubiis ſepara atque ſeorſim rectifica.

Vires. Spiritus veneris ſummum eſt adverſus Epilepſiam Sympathicam [inprimis ex utero] remedium, præmiſsâ purgatione cum floribus rubris antimonii. Doſ. à gutt. 8. ad X. in juſculo acidis ſuccis exaſperato, aliàs vomitum excitabit.

2. *Spiritus aurei coloris.*

Fit ex capite mortuo, cui ſuperfunditur vel ſpir. veneris exſtillatus, vel ſpirit. vini Tartariſatus, digerendo donec Tincturam extraxerit, evoca menſtruum, reliquum pelle per retortam egredietur aureus Spiritus.

IV. EXTRACTIO.

1. *Tinctura Baſiliana.*

℞. Virid. æris q. v. ſolve in bona quantitate aceti deſtillati filtra. Hinc abſtrahe ad ſiccitatem (aliàs cryſtalliſabitur) nanciſcerisque viride æris purificatiſſimum, extrahe ſ. a. Tincturam Smaragdinam cum ſucco ex racemis immaturis expreſſo, donec nihil amplius coloris exhibeat.

N. Remanet corpus, quod reſervetur ad ſalis veneris confectionem. Tholdius.

2. *Alia,*

2. Alia, ſeu flores æris.

℞. Ærug. q.v. extrahe cum aceto deſtillato, decanta & abſtrahe ad ſiccitatem, edulcora optimè aquâ calidâ.

Vires. Mundificativum ſummum eſt in vulneribus, unde & Emplaſtrum Oppodeldoch ingredi ſolet. VVurtzius in Chirurgia.

N. Simili modo fit & vitriolum veneris per Cryſtalliſationem.

3. Alia, Balſamus veneris dicta.

℞. Lamin. veneris, affunde ſpiritum Terebinthin. digere, & colorabitur colore viridi.

Vſus ejus eſt in Chirurgia.

4. Alia.

℞ Limat. vel lamin veneris ℔. iij. vel iv. irrora acet. deſtillat. ſiccescat lentè, idque repete multoties. Hinc affunde aquam calidam, decanta ac filtra per chartam, (& remanebit in charta terra flava alii uſui reſervanda.) Filtraturam coagula l.ign. ad mellis conſiſtentiam.

℞. Hujus Tincturæ quantitatem ſatis magnam, inde cucurbitæ, atque alembico leviter impoſito, da ignem lenem, & quando ferveſcere incipit, tolle alembicum moveque bacillo, ut reſideat, idque repete, donec amplius non ferveſcat. Hinc firma & annecte firmiter alembicum, (luto, & ſimil.) deſtillaque ex arena in recept. capaciſ. igne gradatim adhibito: ſic prodibit primò ſpiritus albus acidus paulatim flaveſcens, & rubeſcens cum nebula: urge, donec nihil amplius aſcendat, (eſt opus unius diei.) Deſtillatum rectifica in cucurbita oblongi colli ad ſiccitatem, igne moderato, ne quid flavi & rubei aſcendat. Ex reſtante materia extrahe ſ. a. Tincturam cum ſpirit. vini rectificato. Hanc deſtilla, & quia aſcendit quoque Tinctura, cohoba donec figatur: hinc coagula ad conſiſt. mellis.

N. Ex materia ſeu terra illa remanenti, ulterius calcinata, extrahi poteſt Sal comm.

Vires. Tinctur. præſtantiſſimum medicamentum eſt in Epilepſia, aliiſque morbis plurimis, cum liquore convenienti exhibitum.

Alia Manna dicta.

Manna ſimili modo parari poteſt ex Minera veneris, &c. Sicut Manna martis, ex minera martis.

Quinta eſſentia veneris.

Caput mortuum poſt expulſionem ſpiritus albi & rubei olei reſiduum, expone aëri pluvioſo, ut humeſcat (aliàs parum ſalis obtinebis) perfundatur phlegmate ſuo, elicia-tur ſal ut moris eſt, cujus pars una confundatur cum part. duabus ſpir. & olei veneris, ſtent in digeſtione per 14. dies, Tingatur colore rubeo.

Vires. Hæc Tinctura leviſſimo igne continuo fixata & coagulata, eſt ſummum arcanum ad morbos cerebri, ſang. depurandum, febreſque omnes contin. & intermitt. S. Cloſſ.

V. SALIFICATIO.

1. Sal.

Sal veneris Vitriolatum ex virid. æris lixiviari poteſt beneficio aceti deſtillati, nimirum aceto deſtillato aliquantulum abſtracto, reſiduum frigori exponitur, ſic congelantur Cryſtalli.

2. Aliter, ſecundùm Thold. ex Baſil.

R. Reſiduam materiam, ex qua Tinctura baſiliana extracta eſt, exſicca, & affunde aquam mellis, ut extrahatur ſal, abſtrahe tandem aquam mellis, & digere cum ſpiritu vini.

Vires. Sal veneris calfacit intenſiùs quàm reliqua Metallorum ſalia, corroborat ventriculum, cruditateſque inibi emendat, proinde flatibus, aliiſque affectibus inde oriundis, v.gr. colico & ſimil. medetur; uterum frigidum calfacit, ejus ſuffocationem ſanat, menſtrua promovet, renum quoque morbis ſuccurrit.

Doſis gran. 3. ad 8.

3. Aliter.

Calcina limaturam veneris cum ſulphure (eodem ſcil. modo, quo ſuprà ferrum calcinare docuimus,) hinc elixivia ſal coquendo cum aqua fontana: aquâ hac evaporatâ relinquitur ſal, ſeu Vitriolum veneris.

Vires. Inſervire poterit loco Vitrioli, ac proinde eadem inde Medicamenta parari poſſunt quæ in Vitriolo dedimus.

VI. SVBLIMATIO.

Sulphur veneris.

Vitriolum vel virid. æris cum ſale armoniaco edulcor. V. infra.

Flores veneris.

Fac lixivium ex ℔ ii. calcis vivæ, & ℔ i. ſal armoniac. hoc coagula in ſalem, quem M. cum part. iij. boli communis, & ſpiritus albos educ inſtar aqu. fort. ign. per gradus aucto. Rectificentur.

℞ Hujus menſtrui part. iv. limat. veneris (aut quod melius) Virid. Ær. part. i. pone inter ciner. vaſe obturato; ſolvetur metallum inſenſibiliter, affunde aliud tantiſper, donec fæces nigræ & leves tantum ſuperſint, aq. ſolventem abſtrahe, quod remanſerit urge igne aperto in cucurb. ita elevabitur metallum in flores ſubſidio reſolubiles in Balſamum viride.

Vires. Uſus ejus eſt in Ulceribus cacoëthicis, ſi verò eoſdem à ſpiritibus ſalis armoniaci vindicaris, tunc securè & abſque morſu Vulnera & ulcera quævis exſiccant, Exemplaſtris, & Vnguentis permixti.

Ex commun. ejuſdem S. Cloſſæi. Oleum Virid. Æris cauſticum ejuſdem.

℞ Virid. Æris part. 1. Sal. nitr. part ij. ponantur in catillo, incendantur carbone donec deflagrarint: quod remanet ſolvatur in cellâ per deliquium, vel in veſicâ ſuillâ diligenter clauſâ in aqu. demerſâ. Valet ad puſtulas venereas & verrucas abſumendas.

VENUS S. CUPRUM. Quod alterum eſt ex ignobilioribus & durioribus metallis: hoc ipſum cuprum *impragnatum eſt copioſo* admodum *Sulphure rubeſcente, pauco* a. *ſale* & *pauco Mercurio*: Unde quoniam minus obtinet ſal. & magis portionum terreſtrium, propterea poteſt commodè miſceri cum argento & Auro, ſine eo, ut impediat horum metallorum fuſibilitatem: Contrarium fit in Mart. & reliquis metallis, quæ non poſſunt miſceri cum Auro & argento quæ etiam eorum impediunt liquefactionem, ſolutionem & ductilitatem: *Cuprum* per ſe eſt ſubſtantiæ lunaris magnam habens *convenientiam cum* luna. Unde *interiora* veneris *ſunt coloris Sapphirini* ſcilicet cœrulei, non minus quàm interiora lunæ: nihilominus tamen etiam *Sulph. ejus* eſt quodammodo *naturæ ſolaris* propterea facilè conciliari poſſunt hæc *duo* Philoſophorum *Chymicorum effata* 1. quod venus alba, cui ſit ademptum Sulph. rubeum, ſit nihil aliud quàm argentum; Idque propter convenientiam cum luna 2. dicunt, quod venus, lunam fixam, non ſecus atque antimonium, rurſus colore rubro auri tingat. Primum aſſertum verum eſt ratione convenientiæ in compoſitione Metallicâ cum luna. Secundum ratione convenientiæ Sulph. veneris cum Sulph. Sol. Ex hac vener. cum lapide Calaminari fit ORICHALCUM, cujus m. compoſitionem dedi ſuperius. *Inter hæc principia* vener. componentia ſal & mercurius *æqualia ſunt in quantitate*, *ſuperat Sulphur*, quod eſt impurum, major tamen ejus pars fixa eſt, & ob id naturæ Solaris, imò eſt magis fixa, & copioſius Sulph. ineſt quàm in Marte, & propterea citius ignitur & funditur, quàm ferrum. Magnifiunt à nonnullis medicamenta ex Vitriolo, utpote *ex* quo ipſo Vitriolo etiam Sulphur PHILOSOPHORUM *benedictum* parare docet *POLEMANNVS* in *Tr.* eleganti Germanico *ad ſulphur Philoſophorum* ſcilicet hoc *ſulph. Vener. eſt* iſtud, quod *HELMONTIVS* vocat ignem *Vener.*, & ex hoc Sulphur. paratum oleum, *Ol. ignis Veneris* dictum. Eſt iſtud Sulphur, quod virtute

radiativa potest placare quoscunque furores & excandescentias archæi, ipsique conciliare Ideam placabilem: vid. hinc inde in *Tr. de herbis Gemmis & Lapidibus* it. *in Tr. Buttlen. Ex omnibus metallis* parari potest *Sulph. benedictum*, cæterum citius ac *promptius ex Vener.* vid. POLEMANNUS qui satis est elegans, ut ut multa promittat, quæ non potest præstare, & sic est deceptor. Ex hoc Sulph. Vener. ceu fundamento oriuntur *curationes cum pulv. sympathetico*, parando ex Vitr. Vener., in hoc est *fundamentum*, quod caput mortuum vitrioli injectum sellæ *sistat excretiones sanguineas* & purulentas Dysentericorum, de quibus suo loco fusius. Venus ita *dicitur propter convenientiam*, quam dicitur habere *cum Venere planeta*: unde ejusdem insignitur signo, & exinde *dicata est Ven.* imprimis *renibus*, *utero & partibus genitalibus*, quæ attribuuntur. Ven. planetæ. Quoad *usum Ven. crudam* quocunque modo paratam *interius sumere* est religio, propterea quoniam admistam habet malignitatem arsenicalem, ratione cujus *vomitus movet* enormes, & *dejectiones*, *gravia* ac deteriora *infert symptomata*. Cæterum si sit *legitimè præparatum* cuprum, imprimis si sit eductum foràs Sulph. verum fixum, tunc verum est istud, quod dicit auctor, nullum metallum elegantiorem spirare auram quàm cuprum. Si sit legitimè præparatum, *dat optimam medicinam*, imprimis si tollatur Sulph. volatile & producatur *Sulph. fixum*, *in quo est benedicta ista medicina*.

PURIFICATIO. Dicit auctor, &c. Quidam volunt purificare Ven., si scil. Ven. *in lixivio Calcis vivæ extinguatur* post ignitionem Cupr. cum sale. *It.* per extinctionem ejus *in* aceto cum sale & Tart. *acuato*. CALCINATIO. Sicuti *quicunque pulv.* ex Mart. sunt rubicundi & vocantur crocus Mart. ita quæcunque *ex Ven. flavescentes & rubescentes vocantur* CROCUS. Ven. si sint *virides* vocantur VIRIDE ÆS. Observetur ÆS USTUM, nam sæpius ejus fit mentio, ubi de Cataplasmatis, & *est* nihil aliud quàm *cuprum calcinatum*. *Quæcunque* acria & *acida solvunt Ven.* solutio ipsa est viridis, ut ut interius ipsum cuprum sit coloris cœrulei & sapphirini: Vnde m. *vera* ac genuinæ *Ven. Tinct. colorem habere debent* similiter *cœruleum*. It. Vitr. Ven. quacunque ratione factum est egregiè cœruleum & smaragdinum qs: sed communes solutiones Ven. cum spiritibus acidis sunt tantùm virides. *Injectio Mart. præcipitat cupr. sub colore albo*, non quod tota Ven. Tinct. sit extracta; sed quod Ven. semper adhæreant particulæ menstrui corrosivi, quæ obfuscant colorem cœruleum. Cæterum *potest reduci*, si scilicet talis pulv. cum Tart scilicet Borrace fundatur in crucibulo, tunc enim perfectum acquirit colorem cupri. Et hæc est reductio calcinatio vaporosa: Vnde viride æs. Quando vapores acidi & corrosivi lambunt Ven. suspensam in alto, corroditur sensim sensimque Ven., & dicitur: *Calcinatio vaporosa*, quoniam *fit* tantùm *per vapores menstrui* corrosivi elevatos: Crocus *fit* omninò viridis & quidem vocatus *viride æs s. rubigo. Alio modo fit* viride æs *apud* GALLOS, quod apud nos in officinis est usitatum, ex laminis Ven. & vinaceis sive reliquiis istis remanentibus post expressionem succi ex uvis, fit viride æs, si fiat stratum supr. stratum cum laminis Ven. & his vinaceis. Huic stratum supr. stratum alumin. superfunditur aqua & Vrin. humana parumque aceti, permittuntur hoc modo ad tempus in loco calido, & tandem eximuntur, & ita laminæ omnes à volatili vinaceorum aciditate sunt corrosæ, ut totæ laminæ in talem abierint colorem viridem & croceam vocatam æruginem scilicet viride æs. *Vberiorem* qui cupit *descriptionem* hujus viridis æris & quomodo præparatur in Gallia *vid.* ZVVOLFERI *Apologiam contra Tachenum p.203.* Solutio hæc & præparatio est planè singularis, quoniam uti dico *ex vinaceis* potest destillari *sp. acidus vol.* uti *demonstrat* KESLERUS *in processibus Modum destillandi sp.* acido Sulphureum ex vinaceis, ut *sp. vinaceorum* partim participet de sale Tart. vol. partim de sp. vini: unde *sp. planè est singularis*. Et hic sp. in vinaceis adhuc residens solvit corpora substrata s. addita, non per solutionem violentam & corrosivam, d. per solutionem amicabilem naturæ & fermentativam: id quod etiam fit in solutione cupri in viride æs. Aliàs etiam *alio modo paratur viride æs*: scil. si immergantur laminæ Ven. in aqua, in qua soluta fuerunt Tart. & sal commune; *item* si immergantur laminæ Ven. acet. radicato, vel sp. vitrioli, & suspendantur in aëre, sic enim similiter efflorescit sensim sensimque ærugo scil. viride æs: *Item* cæmentatæ laminæ Ven. sive calcinatæ stratum supr. stratum (hoc enim est cœmentare) cum Sulph. & sal. (hic enim est *pulv. cœmentatorius*) & postmodum expositæ aëri acido ante absorpto similiter dant viride æs. *Fundamentum* consistit in eo: dum enim per cæmentationem calcinentur invicem, spir. sulphuris acidus adhæret Ven. & illam corrodit in talem crocum viridem. *Ex orichalco similiter* potest fieri *viride æs*, sed est lividius, non adeò pulchre viride, aliquantisper nigrescit, & non suavem adeo habet colorem. Omnes hæ viridis æris præparationes & solutiones facili negotio *possunt reduci in Ven.*, scil. si solvatur viride æs in aqua simplici, solutio præcipitetur cum sale tartari, & sic præcipitatur pulv. albus, qui facili negotio in crucibulo fusus abit in venerem. Hæcque est *reductio*, *quando metallum in substantiam pristinam reducitur*. Auctor hic cœmentationem habet c. sale & Sulph. NB. ad præparationem V. in auctore. Laminæ Ven. fermentatæ si exponantur aëri, uti dictum superius, efflorescit viride æs, si v. ex auctoris manuductione præcipitentur, subsidet crocus rubicundus. Sequitur DESTILLATIO: Inter destillationes i.e. SP. VIRIDIS ÆRIS, qui *duplici* paratur *ratione vel enim* Virid. æris permiscetur cum ana arenæ, & sic destillatur per retortam igne aperto, vel arenæ forti, & sic prodit sp. vol. viridis elegans, *secundus modus* est, ut scil. viride æs solvatur aliquoties in aceto, solutio filtretur, & exhalet ad pelliculam, ut in loco frigido concrescant crystalli; horum crystallorum para tantùm quantum vis: Porro hic crystalli per retortam destillati dant sp. vol. acidum qui sp. primâ destillatione, si rectè fueris operatus, sæpius prodit viridiusculus: *est sp.* acidus vol. *magnarum virium* & in medicina, & in parandis medicamentis Chymicis. Vid. ROLFINCKIUS tam *in Tr. de Ven. & martis* quàm m. *in Chymia*: & imprimis ZVVOLFERUS *in Mantissa Hermetica*, ubi *hunc sp. qs.* aliquem *liquorem alcahest vult obtrudere*, credat qui vult. Hic sp. hoc *habet singulare* in solvendis perlis, corallis & aliis subjectis, ut *post solutionem* denuò *possit abstrahi in antiquâ ferè aciditate*, adeò ut sæpius sufficit pro tali solutione, cum econtra *alia menstrua* acida corrodendo subjecta denuò abstracta suam *amittunt acredinem*. Et quidem ZVVOLFERUS vult, quod omninò sine amissione virium operetur, quod tamen impossibile est, semper n. de acido adhæret aliquid subjecto corroso. Sp. hic qui per se *est egregius in* incidenda quacunque *mucilagine*, in secernenda *quacunque viscididate* scil. in ventriculo scil in pectore scil. in pulmonibus stabuletur: si in pulmonibus, valdè convenit in aqua Hyssopi à gutt. x. ad xv. *in Lethargo* in aqua Epileptica, aqua lil. convallium, florum Tiliæ, salviæ, &c. aqua Epileptica composita, in eadem dosi. Ex hoc v. æ. paratur m. *sp.* acidus *compositus cum Gummi ammoniaco*, & dicitur l. sp. viridis æris cum gummi vel spir. Gummi ammoniaci cum v. æ. ℞. Viridis ær. pars iß. & Gummi ammoniaci. p. i. Misceantur invicem, & destillentur per retortam ign. arenæ, & prodit sp. acidus admodum vol. unà cum oleo quodam crasso & fœtido, quæ rectificatione separantur, & fit fortiter penetrans, adservetur pro usu, & est *D. MICHAELIS spiritus asthmaticus*.

ticus. Hic sp. *mirus* est *in affectibus pulmonum*, quales sunt *asthma* ex mucilagine crassa, *Tussis* ex materia crassa & viscida; *in catharris*, quos vocant suffocativos: Nam reverà tales catarrhi suffocativi sunt suffocationes sanguinis in vasis pulmonum majoribus, & similibus affectibus pulmonum. It. mirabilis est *in affectibus stomachi*, quando est oneratus copiosa, crassa & viscida pituita ac mucilagine. Hanc potenter incidit & volatili aciditate fermentum stomachi labefactatum eleganter restituit: *Miscetur* in affectibus pectoris *cum elexir pectorali D. MICHAELIS*: In affectibus stomachi cum *Elixir stomachali ejusdem*, in defectu horum compositorum alia substituuntur, quod facilè erit iis, qui cognitionem habent simplicium. *Alio modo fit spir. vir. ær.* scil. Ven. compositus cum sulph. recipitur Sulph. communis scilicet crudi p. 1. & v. æ. part. ij permiscentur & destillantur per retortam, & prodit sp. Sulph. acidus; acidior & fixior quàm iste, qui modò præparatus, rectificandus denuò, & tunc facilè accedit ad vires superioris, ut ut non sit adeò volatilis, sed sit acidior. *Ex his tribus simul fit sp.* iste *decantatus asthmaticus* dictus, *D. MICHAELIS & LANGELOT*, quem multi habent pro secreto: ingredientia sunt eadem, saltim variant proportione vid. sub Gummi Ammon. Recipiuntur virid. ær. ℥iv. Gummi ammoniac. ℥ij. & denique Sulph. vivi flavi vel inflammabilis ℥iß. M. destillantur per arenam calidam in recipientem & rectificantur, sed observetur in destillatione exactum ignis regimen, adscendendo per gradus; nisi n. hoc observatur, non tantùm frangit vitrum, d. integrum furnum. Multi est usus in affectibus pectoris & pulmonum. Plura qui vult de virtute virid. ær. Vid. *ZUVOLFERUM in Apologia contra Tachenium p. 205.* Nam *TACHENIUS* habet hunc sp. pro acet. destillat *ZUVOLFERUS* autem monstrat parandi modum & differentiam ab aceto. Hic facit mentionem AUCTOR *sp. vitrioli Ven.* Paratur vitriolum Ven. eo modo quo paratur vitriolum martis. Nam *præparationes ferri & Ven. sunt ferè eadem*: Cæmentantur laminæ Ven. cum Sulph. uti martis, & fit Vitr. elixiviando c. aqua simplici, uti præparationem sub martis suppeditavi. Ex hoc Vitr. quod est colore cœruleo; econtra ex marte est viride. Destillatur per retortam sp. Vitr. Ven. acidus, qui participat de particulis metallicis Ven., uti monui. Sp. Vitr. Ven. commendatur *in affectibus ventriculi*, in *anorexia*, ubi apperitus est dejectus, & *apepsia* ubi coctio est abolita: In apepsia est egregius, adeò ut dicat *PARACELSUS*, & ex eo *FABER*, quod beneficio hujus possit ventriculus ita roborari, ut acquirat vires Struthio cameli in digerendo ferro, quæ verba quidem sapiunt hyperbolen: interim tamen certum est, quod tam in anorexia quàm apepsia sit egregius. Post destillationem sp. Vitr. Ven. id quod remanet in fundo, est *crocus Ven. adstringens*: sicuti cap. mort. ex destillatione sp. Vitr. martis, si legitimè destilletur forti igne, est crocus martis astringens, uti videri est in *ZUVOLFERI Mantissa Hermet. p. 343.* EXTRACTIONES sequuntur: Unde prodeunt *Tinct. Ven.* 1. pæparatur ex v. æ. vid. in AUCTORE præparatio, quæ satis est clara & elegans. Ad extractionem pertinet quoque BALSAMUS Ven. Nam observetur, quod viride æs sit *egregium* simplex *in Vlcer. bus malignis & cacoëtheis*: item in ulceribus *corrosivis & Gangrænosis*. Viride enim æs scilicet cuprum in v. æ. nondum est saturatum volatili acido aceti scilicet vinaceorum, sed tantùm est apertum aliquantisper. Unde Ven. in ulceribus abundantem & putrefacientem aciditatem absorbet, & ita putredinem & corrosivitatem ulcerum potenter cohibet. Unde est basis Unguenti dicti *unguentum Ægyptiacum in ulceribus Cacoetheis aliisque periculosioribus*, præparationem ejus *vid. in Dispensatoriis. Balsami* quos habet auctor tam 1. quàm 2. quorum m. præparationes sunt satis claræ, sunt *egregii in mundificandis Vlceribus cacoëtheis*, quæ aliàs facilè possunt consolidari, d. hic Balsamus, quem præscribit auctor, non est inelegans pro tali cura. Ad tincturam m. pertinet hæc *Tinct. cœrulea ex Ven.* elegantissima, quando scil. virid. æs: extrahitur cum sp. Urinæ, sic enim exsurgit tinctura cephalica cœrulea valdè elegans; sp. Vitriol. vol. vel *sp. v. æ. in Cephalalgiis* partim ex cerebro partim etiam ex stomacho obortis *præsentissima est medicina.* Ad *Elixir Vterinum Crollii*, cujus præparatio est elegans & medicamentum magni usus *in affectibus Vteri, loco spir. Vitr. simplicis*, commodè assumitur *spir. Vitr. veneris*, quoniam, uti superius dixi Ven. est dicata utero & partibus genitalibus. Aliàs *Tinct. Ven. vera* commendantur valdè *ad affectus capitis* non minus quàm lunæ ex eo, quod Ven. & Lun. sint naturæ ferè congeneres, & Ven. est luna immatura, cujus tamen Ven. Sulph. solare quasi, ut ut immaturum, commodè potest usurpari in affectibus capitis. Sal *Ven. Vitriolatum* est revera Vitr. Ven., nam variis modis fiunt Vitr. Ven.: *Vid.* de hoc *POTERIUS in Pharmacop. p. 499.* it. *MYLIUS lib. 3. Basil. Chymic. part. 3. pag. 280.* SUBLIMATIO non procedit & est tantùm impostura, dum ipse AUCTOR fuit deceptus. Superius dixi de *Ven. alba*, quod scilicet Ven. alba sit, ex qua rubedo est extracta, ut Ven. sit quasi Lun. quædam, ut ut non adeo matura. *Vid. MAZOTTE in Philosophia Triplici p. 128.* Ubi habet processum, quomodo extrahenda sit rubedo ex Ven., quâ extractâ, possit transmutari in Lun. Nam *extractio Ven.* consistit *in rubedinis ademtione*, quâ facta facilè potest fieri Lun. vera. De mercurio *Ven.* multi sunt qui dubitant, interim non dubitandum, quoniam *sunt qui viderunt*, licet non omnes: *MYLIUS* admodum hunc *commendat in cura luis Ven.* adeò ut nihil sit elegantius, ut ut dubitem an *Mylius* unquam viderit talem mercurium. *D. MICHAELIS vidit* mercurium Ven. apud mercatorem, quem accepit à monacho quodam, & dixit hunc mercurium fuisse egregium *Diaphoreticum* & elegans *antipestilentiale*. Sunt qui præparant *Mercur. veneris Diaphoreticum* additione Mercur. sublimati, h. m. ℞. limat. veneris ℥j, Mercur. sublimati ℥ij, pulverisata misce, inde cucurbitæ angustæ in Mar. Baln. & procede sensim cum igne, donec liquescant ut cera, deinde fracto vitro exime, & materiam frigefactam pulverisa, & superfunde sp. Sulph. aut Vitr. in retortam minorem, in arena per diem naturalem sive per 24. horas digere, & tandem sp. Vitrioli vel Sulphuris abstrahe ad siccitatem: materia restitans aqua cordiali est edulcoranda: Hæc dicitur *superare vires Bezoardici Mineralis* in iis, qui laborant febri malignâ, *dosis* sunt gr. iij. Habuimus hactenus multa de Vitr. martis & Ven. propterea faciemus saltum ad vitriolum in Cap. XXVI.

CAPUT XXVI.

De Vitriolo.

VItriolum est Sal minerale metallis proximum, ac præcipuè Cupro, &c. Græcè χάλκανθον, Arabicè Calcantum, Calcant, Alcalcadis. Latinè, Atramentum sutorium, Vitriolum. German. *Bitriol*, *Kupfferwasser*. Du Vitriol. Eau Vitriolée.

Varia sunt ejus genera, pro natura mineræ, quam in se continent, differentia. Præcipua autem, quorum hoc tempore est existimatio, sunt 1. Cœruleum, Sapphyri instar compactum, ut Saccharum candum, tactu siccum, Hungaricum vocant, vel Cyprium, [Gallicum ex agro Lugdunensi cœruleum Poterius commendat.) 2. Subviridi, herbacei coloris, magis granulatum, grumosumque instar Sal. Com. paulùm unctuosum, manuique tangentis adhærens, quale Goslariense, Suecicum, &c. 3. Album, in formam parvulorum panum effictum, tactu siccum.

Ex his itaque generibus (nisi peculiariter monitus sis secundinam elige, & ex hoc, quod plus de venere quàm de marte participat, nimirum quod cultro affricatum rubeo colore inficit: cavendo tamen Vitriolum minutum subcœruleum, pallidulum & aquosum, manusque tangentis madefaciens, quod passim venale prostat.

Vires. Vitrioli usus tantopere fructuosus existit, ut Paracelso (in naturalibus) ac Phædroni tertia pars Medicinæ habeatur, imò totam officinam in eo latitare perhibet Quercetanus in Tetrad. Galeno calfacit, siccat, adstringit vehementer, constipat, vomitum ciet, lumbricos fugat. Extrinsecus Errhinum exhibet naribus inditum.

PRÆPARATA.

Sunt.

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Destillatio 4. Sublimatio. 5. Præcipitatio. 6. Salificatio. 7. Extractio.

I. PURIFICATIO.

Purificatur vitriolum fæcibus, tum superficiariis, tum exactiùs inhærentibus: Illud fit solâ solutione, filtratione ac crystallisatione: Hoc interveniente insuper digestione.

Hinc.

1. *Vitriolum album vomitivum.*

Solve vitriolum album in aqua, filtra, & evapora, donec quasi crusta supernatans appareat, postea ponas in locum frigidum, & concrescent crystalli, quos posthabitis fæcibus, quæ subsident, exime: aquam iterum evaporare sines, reponesque ut antea. Hic labor penitus tertiò reiteretur, coagulando scil. & dissolvendo, ultimò ter eodem modo procedatur cum aqua rosarum. Crystalli tandem supra calorem lenem exsiccati redigantur in pulverem album.

Vires. Est lene vomitivum, operaturque feliciter in febribus, affectibus ventriculi, catarrhis, lumbricis, peste, & epilepsia, &c.

Dosis à ℈j. ad ʒj. in Vino, Iusculo, vel alio liquore.

N. 1. Aqua centaurij vim ejus emeticam maximè promovet. Croll. Beguin.

N. 2. Quatuor sunt vitriola vomitiva apud Chymicos, seu Gillæ. Primum fit ex vitriolo cæruleo dissoluto & præcipitato cum Ol. Tart. Separato Sulph. filtratur solutio & cogitur in Crystallos. Hæc Gilla est omnium vehementissima & acris valdè. Altera fit ex vitriolo albo, modo jam dicto, quæ ad tantam malitiam non accedit. 3. est Vitriolum veneris aut martis paratum ad mentem Crollij, illi inest dulcedo styptica, præsertim si bis aut ter in phlegmate alumen resolvatur, & rursus coaguletur: huic minor violentia inest. 4. Gilla est omnium innocentissima, puerulis vomitu indigentibus dicata, quæ fit ex capite mortuo Vitrioli, post exstillationem spirituum & olei, diciturque Sal Vitrioli, vide infra. Omnia hæc Vitriola infra quadrantem horæ vomitum excitant.

2. *Vitriolum Hemetice-purgans.*

℞. Vitrioli Romani (vel cujusvis alius ex tribus illis supra commemoratis,) q. v. pulverisetur in loco calido, radiisve solaribus in pulverem album, exsicca. Postea solve in aqua centaur. min. filtra & in loco frigido ad crystallisandum repone: Crystallos exsiccatos (servato tamen colore cœruleo) serva in vitro probè occluso.

Vires. Purgat per vomitum, & secessum, eximium existens in febribus pestilentibus Medicamentum.

Dosis à gr. 20 ad 30. & plur. in liquore vel aqua appropriata. Sala de Vitriol. Gluckrat in Beguin.

Purgatio defæcatoria.

Solve Vitriolum in aqua vel rore majali (filtrato, vel quod melius, destill.) solutum cola, colatum colloca in digestionem (per mensem) sic ad superficiem & fundum rejiciet fæces, quas separa. Iterum ponatur in digestionem tamdiu, donec nullas fæces ampliùs rejiciat.

Inservit multis præparationibus Coagulum vitrioli S. Closs.

℞ Salis vitrioli in aq. soluti, filtratique, Tart. calcinati itidem in aqua resoluti part. æq. Conjunge ambas solutiones & coagula in hac.

Vires. Desiccatum purgans præbet, non ita vomitivum.

Dos. à ℈ß. ad ℈ij. & ʒj. in febribus Intermitt. & ad educendam Melancholiam.

Sal Vitrioli nitratum S. Closs.

℞. Vitriol. & Sal. nit. perpurgati an. ℔j. M. colloca in ollâ igne sustinente, operculo suo munita, inter prunas ardentes per 7. aut 8. horas. Quod restat materiæ bulliat in aq. communi ad dissolutionem usque, filtretur, evaporet ad cuticulam, tum in frigido crystallos expecta vomitorios, quorum.

Dosis erit à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in Cachexia, hydrope, calculo, suffocatione matricis, mensium retardatione.

[Purificatur etiam Vitriolum ita: Vitriolum solvitur aqua calida, dum adhuc calet injicitur sal comm. Mj. ita præcipitatur impuritas, hinc filtr. evapor. ad tertias & crystallisatur.

II. CALCINATIO

1. *Vitrioli calcinatio aperta, unde Colchotar.*

℞. Vitriolum, calcina, i. e. coque & combure in vase terreo, donec omni humiditate privatum rubescat.

N. Vitriolum Calcinatione hac ultra dimidiam partem pondere imminuitur.

[*N.* Immiscetur Theriaca, adstringit, sistit hæmorrhagias.]

2. *Calcinatio vitrioli clausa.*

Vitriolum crebris solutionibus & coagulationibus optimè depuratum, lenique colore exsiccatum, pone in Matracium firmum sigillo Herm. munitum: Matracium hoc in cineribus calidis colloca, qui solis æstivicalorem non superent: stet ita donec per flavedinem in rubedinem instar sanguinis convertatur. Labor est 20. dierum & noct. circiter. *Beguin.*

N. Vitriolum rarâ stratificatione sternendum est, ne stratum illud crassitie cultelli in dorso densius sit (nicht dicker als ein Messerruck dicke,) plura ergò Matracia, nisi incassum laborare volueris, habere expedit.

Inservit variis præparationibus.

III. DESTILLATIO.

Unde,

Destillata aquosiora.

1 *Ros Vitrioli.*

℞. Vitriolum crudum, elice rorem calore MB. ferventis, cucurbita non adeo alta adhibita.

Vires. Valet ad ardentes capitis dolores, mitigat sanguinem adustum, corroborat viscera. Sala.

Dosis ʒij. continuatim ad aliquot dies.

[Scorbuticis oris ulceribus proficuus.]

2. *Aqua Vitrioli secunda.*

Post exstillationem roris transfer cucurbitam cum restante Vitriolo ad arenam, & destilla quoad destillari potest.

Vires. Conducit ad purgandos renes, lenit corrosiones internas, urinam & sudorem provitat. Inflammationem plagarum corrodentium aliquantulum calefacta sedat, lenit & mitigat dolorem, & ad consolidationem confert; (infusâ guttâ unâ ac altera Ol. Tart. ut mordacior fiat,) scabiem siccam mundificat, & carnem solidiorem efficit. Sala.

3. *Phlegma Vitrioli acidum.*

℞. Vitriol. cærul. q. v. destilla ex cineribus per alembicum, cohobaque aliquoties, (7.) supra cap. mort. ultimâ vice fortius urgendo.

N. Aqua illa suavem acquirit odorem, si post ultimam destillationem aliquandiu calore moderato circuletur.

Vires. Est arcanum ad capitis dolorem & epilepsiam. Hartm. in Croll. [convenit apthis]

[Phelgma insipidum ophtalmiæ conveniens.

4. *Spiritus*

4. *Spiritus Vitrioli volatilis.*

℞. Vitrioli defæcat. & exsiccati q. v. destillat gradatim per retortam igne nudo, ut simul post phlegma subsequantur Spir. quantum fieri potest omnes. Liquori egresso adde part. ij. aquæ pluvialis destillat. & in MB. nova destillatio instituatur: tunc subtilissimus Spir. Vitrioli cum aqua elevatur, relicto acidissimo oleo in fundo.

N. 1. Si volupe sit Spiritum Vitrioli volatilem purum obtineri, aufer Excipulum dum instrumenta adhuc calent, statimque in BM. aquæ ferventis, probè adaptato alembico & recipiente parvo, cautè colloca. Videbis statim volatilem Spir. in Excipulum transire, quem seorsim collectum diligenter serva Ex 6 vel 8 ℔. Vitrioli ℥iij. ad summum ℥ß. acquiri potest.

N. 2. Hæc est illa volatilitas Vitr. quam Theophrastus partim, præcipuè autem part 3. ad morb. ament. tr. 2. commendat ad Epilepsiæ curationem. Hartm. in Croll.

Vires Spir. illæ aquæ pluvialis immixtus summè penetrans est, in febri Ungarica, aliisque ardentibus febribus efficacissimè operari solet.

[Si vitrioli sal defæcatum, Spiritus de salis natura participat.

Alij destillationem hanc ex cucurbita loricata perficiunt, octies plus minus cohobando.

Alij ad nonum usque alembicum fortissimo igne pellunt: scil. alembico altero exactè imposito, ut in sublimatione flor. antimonij fieri solet, qua ratione penetrantissimus elicitur Spirit. vitrioli ad fugandam epilepsiam prestantissimus. *Hartm. in Croll Sennert. in Institut. Tentzel.*

Alij addunt vitriol. optimè purificato vini spiritum, ut fiat pasta; eliciuntque per retortam 1. spirit. vini 2. vitrioli phelgma. 3. vitrioli Spiritum. Tandem separant vini spiritum in MB. à vitriol. phlegmate, & vitriol. Spiritum per ciner. dephlegmant; vel phlegma cum spiritu ab oleo fixiori per arenam proliciunt: postea in cineribus dephlegmant. *Senn. Inst. Tentzel. vide & seq.*

5. *Spiritus volatilis vitrioli.*

Solutum vitriolum in aq. pura coque in lebete ferreo 2. aut 3. horas, adjecta ℥j. aut alterâ limat. martis ad libras singulas soluti vitrioli. Remove ab igne, & ochrea limaturæ sese implicabit post refrigerationem: id ter repete cum nova limat. singulis vicibus ter ochream separando. Crystallos verò vitrioli restantes impone retor. lutatæ, dando ignem per gradus, usquedum vapores albi recipiens oppleant: tunc cessa, phlegma à spiritu acidulo per rectificationem in MB. separa & serva. Sed parum habetur hac viâ. Quare Glauberum sequor secundâ parte furnorum, pag. 95. verùm cùm vasa illius, sive terrea, sive ferrea, sint porosa, neque per ea tota spirituum & olei quantitas exhauriatur, ego post absolutam impetuosi phlegm. & spirituum alborum destillationem subsistere soleo post 12. horas, & quod Colchotari superest conjicio in retortam vitream optimo luto instructam, admotoque eodem Recipiente phlegma & spiritus 1. exceptos continente, hoc opus destillationis redintegro, aperto igne cum carbone terræ subtus & supra administrato, idque per 8. dies ad minus continuo, imò si ad XII. dies extendi posset, melius foret, præsertim si vitriolum optimæ notæ fuerit, quale est Ungaricum; tunc enim, (nec ferè priùs,) spiritibus suis volatilibus, ac dulcedine sua totaliter privatur. Tandem separatio spir. Volatilis ab Oleo dulci instituatur, ut vult Glauberus in secunda parte, p. 10.

Vires. Spiritus volatilis ibidem videre est. Olei dulcis virtutes plures quoque sunt: Iecur & lienem egregiè deobstruit, valet in febribus ardentibus, dosi majore quæ ad ℈j. extenditur (propter dulcedinem) in haustu cerevis. figit quoque mercurium in pulv. album firmè fixum.

N. 1. Si ritè operatus fueris, tunc ex ℔. xij. vitriol. Hungar. ℔ v. olei nancisceris.

N. 2. Sal Vitrioli ex hoc capite mortuo beneficio phlegmatis elicitum pro vero ac genuino habendum est, reliqua salia, quæ post triduanam destillationem emunguntur, nil aliud sunt quàm Vitriolum resolutum, nondum satis spiritibus acidis orbum ac privatum. Potest tamen inde haberi Sal syncerum, si caput mortuum ad albedinem reverberetur, & postea more communi extrahatur.

N. 3. Habes aliam Spiritus volatilis methodum in Helmontio, sub titulo Ignis veneris, unde Diaphor. Parac. paratur.

6. *Spiritus Vitrioli vulgari modo destillatus.*

℞. Vitrioli ad rubedinem calcinati, (vel ex destillatione roris & aquæ secundæ residui) ℔ vi. vel q. v. destilla igne nudo ex retorta benè lutata, in Recipiens capacissimum, commissuris exactè clausis, adhibitoque igne gradatim. Post tres ferè horas phlegma stillare incipit, quod tandem, paulatim aucto igne circiter horas 6. vel 7. Spir. albi nebulosique subsequentur. His apparentibus continuandus erit ignis, paulatimque augendus, donec nulli amplius Spir. egrediantur, quod cognosces, si Receptaculum pellucidum appareat. Spiritum dephlegma in MB. donec guttæ acidæ exstillare incipiant, postea rectifica eundem per retortam vitream in cinere, sic exibit Spir. clarus, in retorta verò manet oleum rubicundum ex aëre.

N. Si citra jacturam aliquam spirituum (in calcinatione fortè evanescentium) ut & citra corrosivi olei admixtionem (quo aliàs vix Spir. planè liberari poterit,) destillationem experas, procedere monet Dn. D. Brendelius (in Chymia sua, ubi & rationibus id inculcare conatur, modo qui sequitur.

℞. Vitrioli opt. crud q. v. (℔. XII.) inde retortæ, Excipulo capacissimo firmiter connexe,) ita tamen ut foramen in commissura relictum sit, spiritibus volatilibus ac impetuosis exitum concedens, (destilla ut moris, lentè, donec impetuosi illi Spir. fuerint egressi,) id quod cognosces, si collum refrigescat,) dein obtura firmiter foramen illud, ac auge ignem, pelleque hor. 12. (non ultra, aliàs Spiritum inquinabis oleo corrosivo graviori.) Hinc dephlegma ac rectifica, & habes Spiritum Vitrioli optimum.

N. Spiritus in calcinatione evanescentes, vix ac ne vix operæ dicto modo adhibitæ æquivalent. Ideoque nisi Spiritum quoque volatilem experas, vulgaris modus satisfacere potest. In quo nota tamen ne nimium initio calcines, nec nimium ignem in destillatione urgeas. Etenim ut in omni ferè destillatione, ita in hac paulatim crassius, &c. propellitur.

Alij addunt Salis nit. aliquid, sed destillatum hoc potius aqu. fort. quam spir. Vitrioli nomen meretur.

Vires. Spir. Vitrioli est diureticus, diaphoreticus, incidens, attenuans, putredini resistens, &c. Hinc utilis in febribus ardentibus, obstruct. Epatis, Lienis, & Mensenterij, appetitu prostrato, &c. Quinimò cum liquore vel vino mistus lenit Odontalgiam (gingivis impositus) prodest & ejus illitus in tinea capitis, aliisque generibus scabiei & pruritus; cum aqua chelidon. mixtus.

Dosis à g. 2 ad ℈ß. vel ad ℈j. in liquore, vel adhibetur in potibus quant. suff. ad aciditatem gratam.

7. *Sipiritus Vitrioli dulcis, seu oleum Vitrioli dulce.*

℞. Vitrioli benè calcin. ℔ iij superfunde acetum destillat. ut benè supernatet, digere decantaque, & affunde novum accetum destillat idque quinquies vel sexies, semper per dies aliquot digerendo. Aceta illa impraegnata destilla, donec Spiritum Vitrioli terigerit destillandi ordo. Tunc inde in retortam adjectis sabuli puri manipulis duobus, & liquor Vitrioli emanans, dulcem referet saporem *Tentzel. Kester. 3. cent. 27.*

Vires. Prodest in calculo, tartareis morbis, catarthis, &c.

Dosis ℈j. in liquore conveniente.

8. *Aliter.*

℞. Spirit. Vitrioli vulgar. (rectificati,) ℔ 1.
Cap. mort. Vitrioli (ex quo sal sit extractum) ℥iv.

Destilla per retortam vitream in arena in receptac. satis capaci: sic prodit Spir. subdulcis, & quem, si dulciorem cupias, circula cum spirit. vini per dies 4. aut 5. dein abstrahe spirit. vini, sic habes Spiritum Vitrioli dulcem.

N. Dulcescit etiam sola circulatione cum suo phlegmate, vel si aliquoties à scoriis martis (semper novas scorias sumendo,) destilletur.

19. *Spiritus Vitrioli Philosophicus, vulgò Cohob. antimonij.*

℞. Aqu., qua mercur. vitæ edulcoratus est, evaporet. leniter MB. donec aparere incipiat liquor flavus & acidus. Liquor hic est Spir. Vitrioli philosophicus, qui per retortam à terrestri materia rectificari potest.

Vires. Potioris est virtutis, quàm qui vulgari modo conficitur. Medetur Febribus, Luem veneream mitigat, Lienem & Mesaraicas solvit, ventriculum debilitatum, & à phlegmate crasso infarctum confortat. In Melancholia hypochondriaca, Epilepsia, omnibusque affectibus capitis mirè prodest. Extrahuntur & ejus ministerio Tincturæ mineralium, corallia & perlæ dissolvuntur (Idem acuatus Spiritu Sal. com. solvit aurum.)

Dosis gr. 3. 4. ac 8. in haustulo vini vel liquore convenienti Hartman. in Croll. Kesl lib. 1. cap. 26.

10. *Spiritus Vitrioli Tartarisatus, aliàs. Liquor Dianæ.*

℞. Vitrioli Ungarici ad albed. calcin. p. ij.
Tart. ad nigred. calcin p. 1.
Pulverisata invicem misce, & spirit. vini paulisper conspersa, destilla per cucurbitam (alembico imposito) forti igne, cohobaque deinde rectifica liquorem egressum in arena, seorsim capiendo, & vini spiritum & liquorem reliquum.

Vires. Egregias vires exhibet ad sudandum in omnibus internis obstructionibus, in sanguine grumoso, contra scabiem, ad mundificandam & lævigandam cutim.

Dosis à ℈j. ad ʒß. cum brodio, aut cum pauxillo vini Hispanici. Daturque per 3. auroras continuas, si libet. Tontzel.

11. *Spiritus vel aqua aperiens Penoti.*

℞. Vitrioli Ung. ad rub. calc. ℔iv.
Silicum è fluviis collect. & optim. calcin. ℔. j.
Tart. ad albed. calcin. ℔. 1.
Mixta, inque tenuissimum pulverem tusa liquescant in cella aliquantum in liquorem, quem destilla ex arena per alembicum, cohobaque ter, destillatum liquorem singulis vicibus capit. mort. in pulverem redacto affundendo. Extremò per retortam igne aperto pelle, sic initio lento igne primùm phlegma exstillat, postea verò spir. acidus auctiori igne elicitur. Ex capite mort. calcinato Sal com. extrahe, & cum eo (ablato prius phlegmate per B.) spir. acidum digere. Tandem cum argilla in pastillos redige, atque ex retorta igne nudo, gradibus tamen observatis, spir. alcalisatum provoca.

Vires. Usus ejus insignis est in obstruct. Epatis, Lienis, Mesenterij

Dosis à ℈j. ad ℈ij. vel iij. in vino vel alio liquore convenienti. Hartman. in pract. loc. de obstruct. Epat. Sennert. Institut.

N. Dicitur Antihydropicum Muffetti, summeque celebratur in Hydrope, cujus fomitem per alvum ac urinam, spiritus etiam nondum alcalisatus educit. Datur cochlear unum jejunantibus singulis vel alternis horis aquæ appropriatæ injectum. Hornig. in Cista med. Ep. 122.

12. *Spiritus Vitrioli mellisatus.*

℞. Vitrioli Sole albificati ℔. ij. mellis cum favo ℔. 1. Misc. exactè ac destilla, ut moris.

Vires. Lenit dolores Podagricos: si adsit inflammatio, misceatur aceto, aliàs cum vino. Med. dest.

13. *Spiritus Vitrioli diaphoreticus.*

℞. Spir. vitrioli vulg. ℥vi. Sal. com. Tartt. C. C. ust. ā. ʒij. M. in mortario vitreo, digerantur aliquantulum: dein destilla ex retort. in recip. capaciss. donec omnis humiditas exstillarit, destillato liquori adde spirit. vin. an. reservaque in vase benè obturato.

Vires. Purificat sanguinem, abigitque scabiem ac pruritum, aperit obstructiones, sudorem provocat in peste, venenis, hydrope, icteritia, & contracturis, &c.

Dosis à ℈j. ad ʒß. continuari potest usus ad libitum sine periculo. Sala in Anat. Vitrioli.

SPIRITUS VITRIOLI ANTIEPILEPTICUS.

14. *Spiritus Vitrioli Antiepilepticus puerorum, Hartmanni.*

℞. Vitrioli Ungaric. depuratiss. ℔. iv. adde urinæ puerorum sanorum recenter collect. ℔. iv. 1. Digere vase clauso aliquandiu in MB, postea ex eodem vase destilla ad siccitatem duplex phlegma, quorum primum insigne est paregoricum ad dolores podagricos, aliosque suaviter demulcendos, alterum est insigne opthalmicum, ad quævis oculorum vitia utilissimum, cap. mort. pulverisat. ex retorta valida terrea, igne nudo, sed tamen ab initio valde lentè in excipulum capax urge, prodeuntibus confestim spiritibus, liquor promanat pretiosissimus sulphurei odoris & austeriusculi saporis, qui per retortam semel atque iterum rectificatur atque reservatur.

Vires. Omnem puerorum Epilepsiam radicitus tollit.

Nimirum.

℞. ℈j aqu. radic. Pœon. & flor. Til. an. ʒj. M. de hac mixtione exhibe in paroxysmo (priùs membris contractis & revulsis reductis,) cochl. ß. & paulò post recollectis sensibus denuo aliquid exhibe, atque ita etiam tertiò id repete, non omissis interea quæ cerebrum confortant, sc. magist. perlar. corall. cranij humani, & simil. *Hartman. in Croll. Sennert. in Instit.*

N. Fit quoque oleum efficax contra Epilepsiam.

Si Sal Urinæ in Sp. Vitrioli dissolutum, per arenam destilletur.

15. *Spiritus antiepilepticus Basilij.*

℞. Virid. æris, q. v. superfuso aceto destillato calido extrahe, & decanta: Liquorem per alembicum abstrahe, reliquum in aqua pluviali solve, filtra, coagula ad tertiæ partis remanentiam: repone in loco frigido ad crystallisandum, Crystallos toties collige, quoties aqua ulteriùs coagulata & reposita illos dabit.

℞. Hos Crystallos destilla ex retorta fortiter, & prodibit aqua subviridis, quando incipit subnigra apparere, cessa, aquamque illam subviridem dein per retortam destilla, & exstillabit clarissima.

Usus ejus non modò in Epilepsia, sed & in calculo valde nobilis perhibetur.

Dosis ℈j. in aqua appropriata Pœon. Fœnic. &c. Tentzel. in Exges. 1.

16. *Spiritus Vitrioli antiepilepticus Quercetani.*

Spiritus Vitrioli viridis dictus, in Tetrade.

1. ℞. Vitriolum: destilla ut habeas seorsim phlegma à spiritu, idque in quantitate sufficienti.

In phlegmate macerentur (in MB. per dies 4. vel 5.) semina Hyperic & Pœon. flor. Lil. Convall. Tiliæ, Calend. Rorismar. Hyperic. Rosar. aliquid Ebor. C. C. Cranij humani, visci querni pro libitu, fiatque expressio quæ destilletur, destillato eo imbue vitrioli recent. ℔. 1. vel ij. destillaque in MB. ac cohoba quater vel quinquies: tandem adjice spiritum vitrioli servatum, destillaque ex cucurbita per serpentinas in MB. fervente.

Si benè operatus fuerit (inquit Quercet.) solus spiritus cum virore elicietur penetrantissimus.

Dosis gutt. 15. vel 16.

Spiritus Vitrioli antiepilepticus Paracelsi.

℞. Vitriolum Ungaric. vel Roman. elice phlegma, cohobaque toties super caput mortuum, donec eo penitus imbuatur. Tunc admisce spirit. vini opt. rectific. digere per diem unum ac alterum vase clauso, hinc destilla, igne nudo gradatim aucto, donec spiritus prodierint omnes: Exstillato Liquori (à fæci segregato) adde 4. p. aquæ theriac. camphoratæ, denuoque bis vel ter destilla.

Vires. Exhibetur in paroxysmo, & ante paroxysmum.

Dosis ℈ß. cum liquore convenienti.

Vide Querc. in Tetr.

18. *Spiritus Vitrioli Antiepilepticus compositus.*

Videatur l. 2. c. 52. Elyx. Crollij.

19. *Spiritus Vitrioli coagulatus.*

℞. Terram sigillatam Strigens. affunde Sp. vitrioli, stent in loco calido, ubi refrixerint, simul coagulabuntur, inque calido iterum solventur, &c. Hunc spiritum coagulatum, si placet, inde retortæ vitreæ, & destilla ex arena: prodibit liquor minùs acidus quàm spir. vitrioli: cohoba vice tertia, & nil nisi phlegma exstillabit, adeoque spir. vitrioli in retorta manebit conjunctus cum terra sigillata, qui in loco humido iterum liquescit.

N. Alij spiritum vitrioli cum Sale com. proprio digerunt, & hac ratione coagulationem conantur.

20. *Aliter*

20. *Aliter cum Cryſtall. Sal. nitr.*

℞. Sal. nit. Cryſtall. phlegm. vitrioli, an ℥vi. ſolve, ac filtra, abſtraheque deſtillando ad ſiccitatem: affunde abſtractum hoc phlegma cap. mort. adjungendo Sp. vitrioli ℔. ß abſtraheque in arena, tum phlegma, tum ſpiritum nitri in forma vaporum rubicundorum egredientem, donec rubedo ceſſet; poſtea repone deſtillatorium cum reſtante Spir. vitrioli, loco frigido & coagulabitur.

N. Quia Sal nit. & vitriolum nexu non adeo amicabili uniuntur, hujus uſum nulli ſuadeo.

DE OLEIS.

Olea hic aqueos, non pingues liquores denotant, adeoque à ſpiritibus niſi craſſitie differunt.

Sunt.

1. *Oleum dulce.*

℞. Vitriolum purificatum, ſolve in oleo Tart. p. d. ac abſtrahe. Materiam relictam ſolve cum ſpir. Sal. com. atque redige in maſſam cum cremore Tart. (vel cum Saccharo cando, aliove Sacchari genere. Hinc pellatur per retortam.

Vires. Diaphoreticum eſt inſigne, pollerque vi leniter adſtringendi.

Doſis à gut. 1. ad 3.

N. 1. Parum Olei ſuppeditat.

N. 2. Metallis ſeu crudis, ſeu in calcem redactis eadem ratione per ſpiritum Sal. com. ac cremorem Tart. Olea elici poſſunt. Ex commun. Experient. Dn. D. Dieterici

2. *Oleum Vitrioli rubicundum.*

℞. Vitriol. ad flaved. calcin. p. 1.
Silic. groſsè contuſor p. ij.
Spirit. vini q. ſ. ut f. pultis inſtar.

Deſtilla per retortam, ſic rubicundum oleum prodit. *Gluckrath.*

Uſus ejus potius eſt in Metallurgia, quàm in Medecina. Poterit tamen & intrinſecus exhiberi vide ſupra Spirit. Penoti.

3. *Aliud rubicundum.*

℞. Colchotar. part. iv.
Vini alb. generoſ. p. ij.

Fac ebullire ad ſiccitatem uſque, poſtea tere, & ex retort. igne aperto deſtilla primò phlegma, poſtea applica receptac. capaciſſ. ac juncturis benè munitis propelle forti igne ole. inſtar ſanguinis rubicundiſſimum. *Gluckr.*

4. *Aliter.*

Vitriol. calc. deſtilla cum Lytargyr. & prodit oleum vitrioli rubicundum, quod Podagricis prodeſt.

5. *Aliud ex Terra Vitrioli.*

℞. Fæces ſeu Terram ſubflavam Vitrioli ſiccatam (*vide infra*,) deſtilla per retortam igne reverberij oleum dabit rubicundum penetrantiſſimum.

Vires. Doſis gutt, 6. ad 10, ad pleroſque affectus capitis perutile eſt.

N. Guttæ 15. 21. (annotantibus quibuſdam) vomitus expediunt. Tentzel.

6. *Aliud oleum ex Sulphure Vitrioli.*

℞. Sulph. Vitrioli (dulc.) miſce cum dimidia parte Sal. Tart. Deſtilla per retortam, ignemque ultimò adde ſuppreſſionis, & prodibit. oleum rubrum.

N. 1. Huic oleo ſi inſtillaris acet. deſtillat. præcipitabitur pulvis ſpadicei coloris, quem edulcora aqua frigida, hinc ſicca & ſerva.

N. 2. Præſtantius erit, ſi flores ex Sulph. Vitrioli elevatos receperis.

Vires. Prodeſt, ſed efficaciùs, in iiſdem affectibus, in quibus Sulph. Vitrioli. Vide ſuo loco.

Ex hoc Præcipitato fit Eſſentia, ſeu Tinctura.

IV. SUBLIMATIO.

Unde

1. *Flores ex Terra Vitrioli, Subſtantia cuprea Vitrioli.*

℞. Terræ vitrioli nigræ (ex qua Sal. com. extractum,) vel Terræ vitrioli ochreæ q. v. miſce cum ſale armoniaco part. æq. Sublima initio igne lento, dein majori donec nullum amplius fumum aſcendere videas. Sublimato affunde aquam com. collocaque in MB tepido hor. 24. unde ſubtilis pulvis in fundo ſubſidet, iteratis ablutionibus edulcorandus.

N. 1. Hic pulvis igni fuſionis ſubjectus comburitur partim, partim in bonum cuprum funditur. Vide Baſil. in repet. Lap. Ph. p. 153.

N. 2. Eodem modo & Terra Vitrioli martis tractatur, unde ſulph. combuſtile martis, Keſl. l. 1. c. 44. Eodem modo fit ex venere. Ita ex ſuph. vitrioli fit narcot. Mannagetteæ.

Virtus ſubſtantiæ hujus cupreæ eſt mundare plagas putridas, incarnare & cicatrices inducere. Sala de vitriol.

2. *Flores ex Sulphure Vitrioli.*

℞. Sulph. vitrioli (dulce) ſublima ſine additamento ex ſublimatorio humili paulatim id injiciendo, alembico ſcil. ablato, & rurſus repoſito.

3. *Flores ex vitriolo crudo.*

Fiunt eodem modo cum ſale armoniaco.

V. PRÆCIPITATIO.

Unde.

1. *Terra Vitrioli ochrea.*

℞. Vitrioli pur. q. v. in aqua font. ſtetque aliquandiu ſic vel ſponte ſua ſubſidebit Terra vitrioli inſtar ochreæ.

[Terra vitrioli dulcis in excoriatis utilis.]

2. *Sulph. Vitrioli dulce.*

℞. Vitrioli puri q. v. ſolve in aqua calida ſolutioni affunde guttatim oleum Tart. (alij lixivium ex cinerib. clavell.) & præcipitabitur Sulph vitrioli, quod edulcoratum exſicca.

Vires. Confert affectibus pulmonum, mundificat plagas putridas, cicatriceſque inducit. Hartm. in Croll. Sala in vitriol. Tentzel. Keſler. 4. c. 69 3. c. 10.

[Loco vitrioli ſumi poteſt vitriol. martis, quod ſolutum & præcipitatum ſal viride dabit ad vermes ſingulare.

3. *Sulph. Vitrioli purgans.*

℞. vitrioli opt. q. v. affunde phlegma vitrioli, vel aqua deſtillat. ad eminent digit. 4. ſtent in degeſtione, & ſubſidebit Terra: filtra, in filtraturam inſtilla oleum Tart. p. d. & præcipitabitur ſulph. vitrioli: decanta Liquorem, & edulcora ſulph. aqua tepida, atque exſicca. *Keſl.*

Doſis à g. 5. ad 10.

Eodem modo fit & ſulph. vitrioli martis purgans, illud ſic ſolvendo in phlegmate vitrioli, defæcando & præcipitando cum Ol. Tart. *Keſl. 1. c. 38.*

4. *Sulph. Vitrioli fixum, ſeu martiale.*

℞. Limatur. ferri puriſſ. ſine omni pulvere, p. 1.
Vitrioli Ungaric. cærul. aut vitrioli veneris, p. ij.

Trita miſce & imbibe indendo in vitrum cum aceto deſtillato, ut ſupernatet digit. 2. Coque & coagula ad ſiccitatem ign. arenæ: in fine ad candeſcentiam uſque urgeatur. Huic pulveri affunde aliud acetum deſtillatum ad eminent. 4. digit. ac extrahe colorem ſ. a. In hoc tincto aceto deſtillato deliteſcit ſulph. vitrioli combuſtibile (quod evaporatione & dulcoratione experiri poteris.) Inſtilla oleum Tart. p. d. ſic ſulph. vitrioli illicò præcipitabitur & figetur, Edulcora aqua com. *Hartman. in Croll. Tentzel.*

Ex hoc ſulphur. vitrioli fiunt Anodyna, Laudani nomine inſignita.

Præcipitabitur & pulvis ſpadicei coloris, ſi oleo ex ſulph. vitrioli dulci deſtillato acetum deſtillatum inſtillaris. *Vide oleum ex Sulph. Vitrioli.*

VI. SALIFICATIO.

Unde

Sal. Vitrioli.

Vitriolum Ungar. cærul. in crucibulo calcina, donec in pulverem obſcurè purpureum abeat. Huic ita calcinato affunde aquam com. ſenſim agitando, ut in fundo conglomeretur, donec aqua (quæ calida evadit, ac ſi calci vivæ ſuperfuſa fuiſſet,) refrigeſcat. Stent ita 24. hor. poſtea filtra per chartam, fiatque exhalatio ſuper ignem lentum donec ſal in fundo reperiatur ſiccum, & coloris quodammodo incarnati. Hoc pulveriſando in albedinem vertitur.

Idem sal potest extrahi ex capite mortuo vitrioli in destillat. spir. residuo.

N. 1. Si vitriol. calcinatum non fuerit nigro purpureum, sed tantum instar Boli Armeni, nihil extrahet præter vitriol. ejusdem coloris, ut fuit antea [nec habebis Sal album: Nimiâ è contra calcinatione omnibus acidis spoliatum, spiritibus non multùm salis, quod vomitum conciter, dabit.]

N. 2. Terra residua (corpus exanime vulgò) maximæ est virtutis in Diarrhæa & Dysenteria.

Vires. Sala vomitorium hoc ad Cœlum usque evehit, in Epilepsia, aliisque cerebri Sympromatibus ex corruptis & acribus è ventriculo sursum vaporibus ortis. Item in Pleuresi, Febribus pestilentialibus, Lipothymia à repletione humorum corruptorum, & effervescentia bilis circa orificium ventriculi, in Epate, Liene, & Renibus obstructis.

Idem Sal naribus inspiratum sternutationem egregiè ciet, citra vim cerebrum serosis suis excrementis expediens.

Dosis à ℈ß. ad ℈ ß. vel ℈ij.

Sala in Tern. Emetolog. Querc. in Tetrad. & in Pharm. rest. cap. de vomitivis. Senn. Inst. Beguin.

N. Sal Vitrioli ex solo capite mortuo ex quo flores Sulph. elevati sunt à ℈ß. ad ℈ij. exhibitus (in aqua fœnic. vel vino,) conciliat facillimè vomitum, interdum & sedes, & sudores. Hartman. in Croll.

VII. EXTRACTIO.

Unde

TINCTURÆ, *seu* ESSENTIÆ SIMPLICES, & EXTRACTA.

1. *Extractum Vitrioli Narcoticum anodynum.*

℞. Vitrioli pulverisat. ac lento calore ad albedinem usque exsiccat. ℔ß. affunde spirit. vini opt. rectificati ℥xxx. [N. *Nulla humiditas præter spirit. vini accedat, vasque sit siccissimum, alioquin incassum laborabis.*] Sepelito in fimum equinum per mensem. Decanta postea à fæcibus absque perturbatione, & destilla in Mar. Baln. ad residentiam usque liquoris flavi oleo destillato non absimilis. Tunc cessa, & quod prolectum est, serva. Liquorem restitantem benè occlusum quoque in usum repone, qui pretiosum Extractum est.

Vires. Extracti illius usus est narcoticus & anodynus, potentiâ opio cedit, sine periculo tamen reprimit & coagulat vapores subtiles venenosos, Epilepsiam causantes, idque specificè.

Dosis à gut. 6. ad 8. & 12. cum Liquore conven. Sala in vitriolo.

2. *Essentia Sulph. Vitrioli.*

℞. Pelverem spadicei coloris (*vide oleum ex Sulph. Vitrioli*) digere cum spirit. vini in loco calido (vase clauso) per dies ac noct. 8. sic dulcissima Essentia Sulph. vitrioli tandem supernatabit in forma olei, quam à spirit. vini separa per tritorium, & serva.

Vires. Hæc dulcissima Sulph. Vitrioli Essentia æquipollet viribus suis Tincturæ antimonii, & mirabiles effectus facit in aqua Melissæ, noxios humores totius corporis expellit per insensilem transpirationem, venerem stimulat, uterum roborat, ejusque motus inordinatos sistit, & in utroque sexu prolificam vim seminis ad liberorum generationem operatur. In aqua Petroselini idem benè præstat: sed insuper Hydropem curat.

[*Ad hæmopt. diarrhæas, dysenteriam, uteri hæmorrhagiam, fluxum album æquè commendatur.*]

Usus autem istius Essentiæ aliquamdiu continuandus est.

Dosis g. 1. *usque ad* 4. *Hartman. in pract. loco de Lepra. Tentzel. de Sulph. Vitrioli. Kesler.* 4. *c.* 69.

3. *Alia Tinctura, Manna Vitrioli dicta.*

℞. Vitrioli purificati q. v. extrahe Tincturam, digerendo cum spiritu Vitrioli subtilissimo Essentificato, i. e. proprio Sale alcolisato, filtra, coagula, & habebis Mannam, seu Tincturam vitrioli flavam.

N. Hanc Tincturam, si cum spirit. vini circulaveris, oleum supernatabit, quod per alembicum destillatum, ac iterum cum spirit. vini circulatum, fragrantissimum evadit.

Vires. Nec minores vires habet, nec minorem laudem meretur quàm Essentia Sulph præcedens.

4. *Tinctura.*

℞. Vitrioli viridiusc. quant. satis magnam, educ phlegma ac spiritum per ciner. cum educto Liquore, ex capite mortuo extrahe s. a. (etiam in loco frigido, sæpè tamen commovendo,) Tincturam viridiusculam, quam cautè decantatam destilla ad mellis consistentiam, atque aëri frig. ut in Crystallos concrescat, expone.

N. Si menstruum ad extractionem requisitum deficiat, destillatione id abstrahe ad extractionem continuandam.

℞. Crystall. proximè præcedentium ℔.iij. vel iv. &c. circula cum spirit. vini opt. rectific. vase H. C. Deinde destilla per alembicum ex ign. arenæ, hinc cohoba, insuper affundendo spiritum vitrioli, destillaque per retortam gradatim per dies 4. ut exstillet post spir. & oleum rubicundum, spirit. vini abstrahe in Mar. Baln. spiritum vitrioli in cinere, & restat oleum seu Tinctura rubicundissima.

Vires. Admirandarum est virium adversus omnes ægritudines in crassiore materia sedem habentes. Querc. in Tetrad.

5. *Tinctura Magisteriata, seu Magisterium Vitrioli.*

℞. Tincturam præcedentem, conjunge cum proprio suo spiritu Vitrioli, (qui inde abstractus,) digere aliquamdiu, sic dulcescet. *Quercet.*

Vires. Remedium est nunquam satis laudandum, idque præcipuè, si aurum philosophicè solutum adjectum fuerit: prodest enim adversus Epilepsias, astralesque omnes affectus, Apoplexiam, Paralysin, Vertiginem, Maniam, Ecstasin, Syncopen, Cachexiam, Hydropem, Calculum.

Dosis gut. una ac altera. Quercet. in Tetrad.

6. *Eadem Tinctura, aliter.*

℞. Sal vitriolicum (ex capite mortuo illo reverberato extractum ac) opt. depuratum affunde spiritum Vitrioli (in præparatione Tincturæ reservatum,) ad eminent. 2. digit. digere ac destilla, hinc novum spiritum affunde, digere, destilla, idque repete donec pars volatilis superet fixam, secum evehat, atque Sal com. fixum volatiliset. Hoc Sal com. Vitrioli sublim. imbibe ac incorpora cum oleo seu Tinctura illa, digereque in Athanore per gradus, ut uniantur, & per colores ad purpureum tandem deveniant. Est opus aliquot mensium.

Vires. Est Elyxir seu Medicina universalis, summè penetrans ac fixa, ad curationem deploratissimorum morborum sufficiens.

Dosis gut. 1. *ac altera. Quercetan. in Tetrad.*

Mediante hoc Vitrioli lapide reducitur aurum in suam primam substantiam, unde tandem exsurgit Medicina universalissima. Vide ibidem in Tetrad.

7. *Magisterium Vitrioli.*

℞. Vitrioli opt. q. v. destilletur more usitato spirit. cum oleo per retortam, simul rectificetur. Cum phlegmate (vel aqua destillat.) Sal com. ex capite mortuo extrahatur, phlegma destillando à Sal. com. separetur, cum aliquot cohobiis & digestionibus.

Hinc

℞. Sal com. p. ij. spir. vel oleum Vitrioli p. 1. Ponantur in phiala in Mar. Baln. ut aquositas exhalet, idque tantisper repete, donec Sal tantum olei imbiberit, quanti ponderis primò fuit. Hinc in phiala hermeticè clausa per dies 8. digeratur, tandemque in ciner. collocetur per dies ac noct. 14. ad coagulandum. *Sennert. Institut.*

8. *Magisterium ex Tinctura & Spiritu Vitrioli.*

℞. Vitriolum in se calcinatum, extrahe tincturam affundendo acet. destillat. optimum; acet. destillat. tinctum decanta, destillaque ad siccitatem, & manebit in fundo pulvis rubicundus, quem pone in retort. adhibito receptaculo grandi, dando ignem per grad. decentes, egredietur spir. flavus, postea rubicundus: continuetur ignis eodem gradu donec appareant spir. albi, tunc cessandum. His spiritibus imbue Terr. in retorta restitantem, (potiùs sal com. ex Terr.) digerendo, imbuendo, donec spir. & anima proprio corpori restituantur. Hæc tandem in vase H. clauso digere per dies ac noctes, quadragint. donec figantur.

9. *Tinctura Vitrioli Cyprii, sive Magisterium veneris.*

1. Digeratur vitro clauso per duos menses ign. gradatim aucto, donec varii colores appareant, postea flavedo supremaque rubedo, hac enim viâ viriditatem Leonis custodies, & ad exteriora vertes. 2. Tincturam ab hoc Leone cum spirit. vini

vini extrahe. 3. Divide eam in partes secundas. Una desiccetur & sanguis restans in forma pulv. figatur per gradus in Terram rubram. 4 Partem alteram Tincturæ liquidæ putrefac per 3. hebdom. abstrahe per cohobationem cum reliquo spirit. vini tincto eundem processum servando. 5. Liquorem remanentem urge per retortam donec Oleum benedictum exeat, quod aliquoties rectifica. 6. cape Terræ superioris fixatæ p.ij. Ol benedict. Vitrioli part. 1. sigilla vas H. S. digere in cineribus, donec animam suam corpus receperit coagularitque, tunc novum Ol. suffunde, coagula ut prius per 10. dies: Tandem fige ad quartum usque gradum Vulcani, & per 3. dies in fluore detine. Habebis Lapidem rubrum, fixum absque fumo, tingentemque summam medicinam.

Ex commun. S.Closs.

VITRIOLUM Hoc Vitrioli *habet appellationem à vitro*, quoniam Vitriol. Mart. & Ven. est perspicuum quasi vitrum: & quidem in specie solutiones & *concretiones Crystallinæ ex Mart. & Ven. dicuntur Vitr. propriè*: nihilominus tamen etiam *abusivè* & impropriè *aliorum metallorum* solutiones & denuò factæ coagulationes dicuntur Vitr. Saccharum saturni dicitur Vitriol. saturni, sic Vitr. auri, Vitr. Lun. & similes coagulationes, sed uti dixi abusivè. Hoc Vitr. tam Mart. quàm Ven. *magni fit*, & sunt qui *ex Vitr.* propriè sic dicto, volunt parare *lapidem Philosophorum*: quoniam per considerationem literarum Vitr. caballisticam eruunt hunc versum:

Visitabis Interiora Terræ Rectificando Invenies Optatum Lapidem Veram Medicinam.

Sed hæc est hypothesis scilicet compositio Chymiatri cujusdam otiosi, ut ut multi adhuc laborent in Vitr., & dicunt esse in eo Lap. Philosophicum. Quicquid sit scrutabimur nos natales vitriol. VITRIOLUM reverà nihil *est* aliud nisi *solutio mineræ Ven. ac Mart. facta per sp. acidum Sulphureum*, *qui corrodendo mineram* Ven. vel Mart., *cum eadem coagulatur*, & *ita concrescit in corpus* unum, quod nos vocamus vitriolum; Unde pro varietate mineræ corrosæ Vitr. vel Mart. vel Ven. *vitriol. est viride vitr. Ven.* est *cæruleum*. Paucis *probabo* hanc sententiam 1. *ex mechanica* artificiali, qua possumus producere verum ac genuinum Vitr., eodem modo atque reperitur in terræ visceribus vel mineris Vitrioli præparando ex mineræ vel Mart. vel Ven., quando scilicet calcinatur Sulph. cum Ven. vel Mart., faciendo stratum supra stratum, sic enim Calcinatione istâ Sulph. inflammatum prodit sp. suum acidum; Unde sp. acidus Sulph. corrodit adjectum Mart. vel adjectam Ven. Factâ hâc calcinatione, materiam calcinatam infunde in aquam simplicem, & solutio fit viridis: Hanc aquam impraegnatam filtra, filtratam aquam ad pelliculam exhalare permitte, & in loco frigido concrescant crystalli, qui sunt elegantissimum vitr., & quidem si ex minera Mart. vitriolum viride, si ex Ven. cæruleum. Hoc vitr. artificiale adeò est simile naturali scilicet nativo, ut ovum ovo non sit similius. Deinde *ex hoc vitriol. artificiali possunt præparari* calcinando, destillando, &c. *omnia ea medicamenta quæ ex vitriolo nativo* possint haberi: ita ut hæc enchirisis sufficienter probet materiam Vitrioli & quomodo fiat in mineris terræ: id quod etiam *comprobat resolutio* vitriol. nativi *mechanica*; Nam si destilletur Vitriol. nativum, acquiritur spiritus acidus, qui est revera ejusdem naturæ atque spiritus Sulphuris acidus communis, & cap.mort. quod remanet, est nihil aliud, quàm minera metallica vel Mart. vel Ven. corrosa: quoniam beneficio fusionis possumus acquirere novum metallum, sive sit Mart. sive Ven.: ita ut cap. mort. partim convertatur in metallum, partim resistet sub forma terræ. Vitriolum *nativum* duplici sub formâ *invenitur*, vel sub *forma vitr.* reperitur in mineris, *vel* invenitur *in quodam lapide Sulphureo* PYRITES dicto, ex quo, prægressâ calcinatione, solvendo extrahitur Vitriol. Et hi sunt duo modi cognoscendi & percipiendi Vitriol. nativum. Natales Vitriol. quod attinet, istud, quod *sub forma vitriol.* invenitur, *in minera fit*, quando à quocunque *igne subterraneo* Sulphur. accenditur in mineris terræ, cujus Sulphuris accensi spirit. acidus & corrosivus corrodit mineram Mart. vel veneris, & concrescunt hæc invicem, corrodens & corrosum in substantiam Vitriol. Istud v. Vitriol., *quod paratur ex pyrite, fit h.m.* Lapis *Pyrites participat de marte & venere*, & simul m. participat *de sulph.*; Unde, ut præparetur ex his Vitriol., contunduntur, calcinantur, & calcinati ita aëri exponuntur, & dum ita expositi sunt, in illis sensim sensimque efflorescit in aëre vitriolum. *Fundamentum præparationis* consistit in hoc: dixi quod lapis pyrites participet de marte vel venere & Sulph.: quando ergo in magnis fornacibus igne actuali calcinatur hic lapis, Sulph. contentum in eo solvitur & accenditur, & prodit suum sp. acidum, qui sp. acidus in calcinatione ignis actuali aggreditur sibi adjunctum metallum, sive sit mars, sive Venus, & istud corrodit; quando itaque à calcinatione præparatum metallum in lapide exponitur aëri, sensim sensimque humiditas aëris se insinuat, cum acido Sulphuris, quod corrodit mineram, se conjungit, hoc resolvit, & ita sensim sensimque foràs in Vitr. efflorescit, quod affusione aquæ solutione & coagulatione in Vitriolum permutatur: Est adeo clara hæc mechanica, adeò ut in calcinatione lapidis effluat Sulph liquefactum sub formâ aquæ scilicet Sulphuris nativi, non verò accendatur; Rectè ergo dicunt auctores, quod Vitriol. constet ex aqua scilicet phlegmate sp. Sulph. acido, & parte mineræ vel martis vel Ven. corrosæ. Quod ipsum pluribus eleganter diductum videri potest in *ANGELO SALA tr. de vitriol.* In *KIRCHERI Mundo subterraneo Tom.1. cap. de vitriol.* Item in *KRUGNERO* venere chimia tr. de Ven. & Mart.: & denique in *HELMONTIO in ejusdem paradoxis & Fonticus Spadanis*, quæ merentur ut legantur, imprimis in hoc puncto de Vitriol. & ejus natura. Hoc modo, uti dixi, ex pyrite paratur *vitr. Goslariense*, quod satis est notum. Adhuc unum est *notabile circa vitr.: Propè Cassellam* in Hassia, *reperiuntur lapides parvi*, grysei magnitudine ovi columbini. Hi in veniuntur in argillâ f. Terra limosâ, & vocantur *ova Philosophorum* (quæ autem non sunt confundenda cum instrumento Chymico ita dicto) hæc ova philosophorum exponuntur aëri, quo facto in aëre ita tempore verno & autumnali efflorescit *ex iis copiosum vitriolum*: scilicet quod tempore æstivo & hyberno attraxerunt, in vere & autumno efflorescit: Hoc Vitr. aqu. communi elicitur & abstergitur, & lapides denuò exponuntur, & semper novum excrescit vitriolum similiter aqu. communi abluendum, adeò ut tantum dent Vitr., ut paratum ex illis pondus eorum exsuperet. Cæterum si *hi lapides injecti retortæ* destillantur, ex iis *effluit* per Retortam *copiosum Sulph.* inflammabile; cap. mort. quod restitat est sub fuscum scilicet rubicundum & durum, nullumque amplius Vitriolum dat aëri expositum: *Fundamentum* hujus rei est hoc. In his lapidibus latet Sulph. & Martis minera, quam Sulph. solutum in aëre corrodit: quando autem ex illo destillatur, non amplius illam potest corrodere & Vitr. producere. Vitriol. *ex multis locis adportatur*, præ reliquis *commendatur Cyprium*, quod copiosum dat Venerem & *participat de ven.* sicut m. Vitr. *Romanum* ex agro Romano, quo in vicinia, ubi foditur, oriuntur acidulæ, *constat ven.* Vitr. *Germanicum* scilicet nostras parum Ven. continet, d. melius *participat de Mart.* Ex Vitr., quæ participant de Ven., facilè *potest separari ven.*, modo solvatur Vitr. in aqua communi, & dum maximè effervescit aqua solutionis Vitr, intruduntur bacilli ferrei, sic n. præcipitabitur Ven. ad fundum, quoniam acidum in Vitr. aggreditur Mart., & relinquit Ven., & ita possumus *probare quantum sit cupri in Vitr* Præter Vitriol.

viride & cœruleum ex Mart. & Ven. datur album, quod fit quando foràs prorumpit *ex minera* ven. vel Martis, quando *nondum est maturum*. Sunt qui volunt, quod tale *vitriol.album* etiam *participet de* saturno quod valdè est probabile. Adfertur m. ad nos Vitr. *ex Hungaria*, quod *præfertur omnibus* reliquis propter ditissimas *mineras* auri & Ven., quæ reperiuntur in Hungaria. Quoad ELECTIONEM Vitriol. ad operationes chymicas *præfertur* smaragdino sive *virescenti album, in defectu utriusque* Vitr. *cœruleum* scilicet sapphirinum commodè adhibetur. Quod attinet USUM, & effectum distincta remedia distinctos habent usus, ut in genere nihil de Vitr. possit dici: sufficit quod *dixit PARACELSUS*, quod sit *quarta columna pharmacopœæ*, adeò ut quarta istius pars possit repleri medicamentis ex Vitr. paratis. Inter PRÆPARATIONES 1. est PURIFICATIO. Purificatur vero *vel nudè, si solvatur in Aqua*, & tempore æstivo exponatur sol. vel tempore hyberno scil. hyemali fornaci, sic n. in leni calore sponte in fundum secedunt fœces, & solutio clarificata post filtrationem, facilè denuò in Vitriol. coagulari potest. *Elegantius purificatur*, si solvatur in Aqua Vitr., & huic solutioni aliquid salis communis iniiciatur, sic n.impuritates ad fundum præcipitantur. Per purificationem præparatur *vitriolum album vomitivum*, dum album fit aliquoties facta solutione, filtratione & concretione scilicet coagulatione. *Est violentum* remedium, quod rectè à *POTERIO c.10. p 459 in pharmacop.* vocatur *purgans rusticorum*, in Pleuritide alias paratur remedium ex Vitr. albo, à ℈j. ad ʒß. ad ʒj. ad summum: variè operatur nunc, per vomitum, nunc per sedes: *varia* alias *sunt Vitr. alba*, quæ videantur in *AUCTORIS annot. ad vitr.album vomitivum*, quæ sunt satis clara. Quidam commendant hoc vitriol. vomitivum in cura paroxismi apoplectici, d. est nimis violentum. Sequitur aliud *vitr. emeticum purgans*, in auctore, cujus præparatio est nuda depuratio, quod tamen in desuetudinem abiit propter nimiam violentiam & vehementiam, quam per superiora & inferiora exserit purgando. *Virtus vomitiva oritur ex minera* martis l. veneris, nam hæc metalla in mineris suis corrosa obtinent vim vomitivam. Idque probo: quoniam pulvis, qui per oleum Tart. præcipitatur ex solutione vitrioli in aqua simplici, & nihil aliud est, quàm corpus Vitr. metallicum præcipitatum & separatum à sp. corrosivo Sulph., habet vim talem vomitivam, & ratione hujus partis metallicæ Vitr. purgat, superstes verò liquor non purgat. Unde vitrioli martis *vel veneris nudæ solutiones* copiosum *movent vomitum* si propinentur: *Alii præparant* vitriolum vomitivum *elegantius*, d. tamen non correcta est ejus virulentia sicut auctor deprædicat: scilicet dissolvunt Vitr. album in aqua forti, ebullire sinunt, postmodum recipiunt nitrum, quod dissolvunt in aqua forti, quam solutionem guttatim Vitr. dissoluto inspergunt, & sic omnis impuritas fundum petit, clarum filtrant, filtratum evaporant ad medietatem, donec lactescat, qui lactescens liquor intra horæ spatium in crystallos vomitivos abit. Dixi quod præcipitetur ex solutione vitr. pulv. purgans cum Ol. Tart. p.d. & quod sit pars metallica, & aqua ex vitrioli nudâ depuratione, purget vehementer Quod si beneficio filtri separetur pulv. materia supernatans & ipse liquor in frigore concrescit in crystallos, qui crystalli vocantur. *Tart. vitriolatus*, quoniam spir. acidi se conjungunt cum Tart. & sic habetur Tart vitriolatus. CALCINATIO sequitur, quæ *fit vel simpliciter* in vase ferreo super carbonibus, &c. Et quando ita est calcinatum vitr. vocatur COLCOTAR. sive calcinetur igne aperto, sive alio quocunque modo, tamen vocatur Colcotar. Præparationes proponit auctor. Ad hanc Calcinationem vitr. pertinet etiam præparatio PULV. SYMPATHETICI, qui nihil est aliud quàm vitr. ven. in diebus canicularibus calcinatum ad albedinem vel incipientem flavedinem: Nam vitr. quodcunque v g.ven. cum sit coeruleum instar Lunæ, si exponatur calori, primò albescit, hinc flavescit, denique rubescit, & ultimo omninò ad obscuritatem prunalem vergit, pro varietate graduum ignis. Quandò ergo in diebus canicularibus vitr. ven. exponitur radiis solaribus, & calcinatur ad flavedinem, revera est *pulvis sympatheticus pro cura Dysenteriæ*, pro cura *ulcerum vesicæ cum mictu sanguinis*, pro cura *hæmoptyseos* & similibus affectibus satis celebris. *Vid.* præparationes in auctoribus, qui de hoc scripserunt, imprimis in *POPPIO*: Item in Tract. *DYGBÆI de Sympathia*: *RATTRAY de pulv. sympathetico & unguento armario*, ubi multa, quæ scripserunt alii, sunt in unum congesta. *Fundamentum curæ* consistit *in* sulphure vitrioli imprimis in sulphure veneris.Unde si non habeatur verum ac genuinum vitr. veneris, optimum est, si præparetur artificiale, & fiat pulv. sympatheticus. Nam mars non est adeò aptus atque venus, quoniam sulphur ejus non est adeò perfectum atque Sulph in ven. *MARCUS MARCI in Philosophia veterum restituta sectione de Magnetismo Vitr.*, refert singularem Vitr.: calcinationem in colorem aureum, quam forte tutiorem esse dicit pro pulvere sympathetico quàm vulgarem. Vid. *locus citat.* qui est lectu dignus: Et quidem casu in illam incidit quidam monachus; *Observetur enchirisis* in calcinatione in vase clauso, cujus crassitudo debet tantum adæquare cultri tergum, &c. Post Calcinationem sese offert DESTILLATIO: In qua destillatione si vulgari modo peragetur, 1. prodit *phlegma* insipidum quod vocatur *Ros vel aqua vitr.* 2. Post hoc phlegma prodit *liquor aquosus* subacidus. 3. Prodit *spir. acidus* sub formâ nebularum, quæ nebulæ coagulantur tandem in liquorem fortiter acidum *spir. vitr.* dictum 4. Vbi nebulæ subsiderunt, igne rigoroso prodit *liquor crassior subrubeus*, qui vocatur oleum *vitr. corrosivum*, hoc peracto nihil amplius prodit, & est labor 4. vel 5. dierum & noctium, id quod remanet in retorta, dicitur caput mortuum Vitr. scilicet *colcotar*: Hoc Colcotar solutum dat post filtrationem & coagulationem sal quoddam, quod vocatur sal vitr., & post hanc elixivationem cap mort. seu Colcotaris remanet adhuc substantia quædam nigricans, quæ vocatur terra vitrioli dulcis. De his hac vice. Quod attinet 1. SPIRITUM VITRIOLI: quando recipiuntur ex recipiente omnia, quæ in eo sunt coacervata, beneficio lenis caloris fit separatio phlegmatis à spiritu, postea sequitur spir. acidus, post spir. acidum in fundo concretum, residet oleum vitrioli per retortam pellendum, hac observata enchirisi, ut capella circa retortam sit vacua arena. *Spir. vitrioli & Ol. si stent ad* aliquod *tempus*, colorem albicantem mutant in rubicundum, & *fiunt coloris fusci & rubri. Ratio mutationis* coloris est; quoniam spir. acidus vitr. dum destillatur, secum simul surripit & arripit quasdam particulas ex minera mart. antea corrosa, quod minera mart. sensim sensimque præcipitatur sponte in spiritum & Ol. vitr., & ista præcipitatione colore sub rubeo obscuro tingit spir. & etiam Ol. Idem fieri dixi nuperrimè in acidulis, quod nempe, si ad tempus steterint, soleant deponere terram rubicundam & aliquantisper obscuram, quoniam minera ferri sensim sensimque præcipitatur, & colorem antiquum repetit. Cæterum *si vitr. reiteratis vicibus* solvendo & coagulando probè *depuretur*, ut deponat crassiores mineræ metallicæ partes, *elicitur* exinde *spiritus & Ol. vitr. album* per retort. *quod* ipsum etiam post rectificationem semper hunc *colorem reservat. Sp.vitr.& Ol.* vitr. sunt una eademque res, *differunt* tantummodo *in eo*, quod spir. vitr. est mistus copiosiore phlegmate, sive aqua *Ol.* vero vitr. est magis concentratum *pauciore permistum phlegmate*: *Probo*: Si enim fortiter & accurate

rate rectificetur spir. vitr., ita ut lenissimo igne omne phlegma evocetur, tunc remanet spir. ejusdem acrimoniæ ac consistentiæ, atque est Ol. vitr. sin v. Ol. vitr. corrosivo infundas aquam simplicem destillatam, & destillatam rectificando sicut spir. vitr., tunc Ol. vitr. sub forma spir. habebis: *Est tamen spir. vitr.* propriè sic dictus aliquantisper *volatilior*, *quàm Ol*, sicuti econtra est aliquantisper fixus, & propterea hic sp. vitr. sub forma nebulæ prodit, econtra *Ol. vitr.* sub formâ liquoris crassi subnigri solet destillari, quam *crassitiem & obscurum colorem obtinet à particulis mineræ* metallicæ una abrasis, & per retort. transportatis: ab his ergo habet crassitiem & colorem obscurum. *Retulit* mihi egregius quidam *Chymicus*, se aliquando laborasse in vitr., & post longam destillationem spir. vitr. super caput mortuum, tandem rectificasse eundem, & acquisivisse *spir. odoris violacei*, id quod in mentem revocat *arcanum KNOPHELII*, quod vocatur *Aqua mineralis vitriolata*, ambram redolens. Cujus hæc est compositio:

℞. *Vitrioli Ungaric* lib.I.
Salis armoniaci; er sal sublimati ℥iv.

Omnia probè mista vitroque indita, cohoba in balneum, destilla humiditatem lento igne, & aqua hæc ultra modum fragrantem reddit odorem, cohoba sæpius à capite mortuo: Item pergit auctor, nempe *KNOPHELIUS*, ex proprio vitr. *Tinct. odoris instar rosæ* elici potest; sed vitr. necesse est ut sit defæcatissimum: Id quod confirmant ea, quæ superius aliquoties monui, quod etiam mineræ metallicæ in suis matricibus habeant odorem suaveolentem & confortantem; utut hic sub tegmine crassioris corporis sit contentus, & sub adjunctorum concrementorum cortice sepultus; qui ergo novit clausa tegmina aperire & eorum odorem arcanum potest elicere & in lucem protrahere, felix est salutandus. Solet aqua vel *phlegma vitriol.* apud AUCTOREM, ingredi *Epithemata cephalica*, ubi opus est refrigeratione. *Plegma* Vitriol. acidum *tertio loco* apud auctorem reperibile usurpatur *ad extrahendas Tincturas vegetabilium*: Cæterum observetur, quod hoc phlegma acidum Vitr. debeat aliquoties *esse rectificatum*, aliàs non adeò commodè fieri possunt cum illo Tincturæ. Hoc phlegma vitrioli acidum præterea valde *commendatur in scorbuto oris*, ac in putredine gingivarum. *BARTOLETUS in Tr. suo de respir. lib. V. cap. V. p* 431. facit mentionem *spir. vitrioli lunaris* ex lunæ scilicet Magisterio, plurimæ cohobationis beneficio abstractus, qui valdè prosit *in affectibus capitis*. Dixi supra, quod tantùm verum & propriè dictum Vitriolum participet de marte vel Ven. beneficio hujus spir. *BARTOLETUS* intendit *sal vol. ex gemmis* separare. Hinc etiam *HAUPTMANNUS* dicit, *in scripto suo serio p.65.* quod sp. vitrioli lunaris *prodeat cæruleus*, quodque det oleum Ultramarini coloris. Dixi etiam quod Vitr. constet ex spir. acido sulphuris cum minera martis seu ferri. Cæterum *HORSTIUS in suo judicio de Chirurgiâ infusoria p.86. facit mentionem vitr.* ex Ven. *per spir.* nitri parati, quod Vitr. destillatum dat fumum rubentem, qui fumus solet esse proprius nitrum, quando præparatur. Cæterum *præparatio* vitr. veneris cum spir. sal. nitr. *non adeò est facilis*; Licet enim nitr. affundatur vel mars vel venus, non solet facilè abire in vitriolum, sed ferè semper instar fœcum in fundo vasis hæret: necesse ergo est, ut concurrant *quadam enchirises* in ejus præparatione. Spir. Ol. phlegma & omnia simul progrediuntur in unum recipiens: Solent autem ab invicem separari & rectificari: Hanc *rectificationem & separationem* sp. ab Ol. & phlegmate non vult approbare, sed *reiicit ZUUOLFERUS in Mantissa Hermetica p.336. &* 390. Ultimæ editionis, ex eo, quoniam cum plegmate vitrioli dum separatur, simul adscendat sp. vitr. vol. Sulphureus, quo ablato, reliquus vitr. sp. maximâ virtutum suarum portione defraudetur: Ergo distinguendi sunt *spir. vitr. alius est volatilis alius fixus*, spir. *fixus* est, qui *in officinis* reperitur sæpius adulteratus. Cæterum spir. vitr. *vol. est medicina* non nisi *adepto* Chymico *paranda*: Sp. ergo vitrioli acidus & fixus, ut aliquid de VIRTUTIBUS moneam, competit valdoperè *in* compescenda *sanguinis effervescentia*: Unde dicitur REFRIGERARE, convenit valdopere *in* contemperando *sale vol. Oleoso* & eodem præcipitando, quod veteres vocarunt digerere & CORRIGERE BILEM. *Pellit urinam & calculum movet*. Unde commodè permiscetur Julepis *in febribus ardentibus* & sic dictis *biliosis*: sicuti econtra *in febribus malignis* Julepis *spir. nitr.* commodè permiscetur. In *appetitu prostrato* datus cum sp. menthæ est egregius. *Cum melle rosato* mistus ad subtilem aciditatem egregium præbet *linimentum in scorbuto oris*, putredine Gingivarum, exulceratione oris scorbuticâ, uti etiam in *Vlceribus oris Gallicis*. Valdopere movet appetitum eumque acuit. Cæterum quod dicit Auctor, quod conveniat in obstructionibus viscerum, mesenterii, Epatis & lienis falsum est, quoniam *potius coagulat quàm aperit*, id quod non sine ratione reiicit *FRACASSATUS in suis Epistolis* de quo suo loco. Spir. vitrioli, si affundatur super martem vel super venerem dilutus sufficiente quantitate aquæ simplicis, corrodit hæc metalla & cum iisdem regeneratur in perfectum vitriolum nativum, quod destillatum per retortam eadem dat medicamenta atque ipsum vitriolum nativum: Cum hoc spir. vitriol. & ole. tartari p.d. fit *Tart. vitriolatus* egregium *digestivum*: cum spir. vitriol. & crystallis Tart. adjuncta tinctura santali fit pulv. *hepaticus rubeus*, egregii usus *in* compescendo *æstu massæ sanguineæ* tam à colore æstivo, quàm à bile, & nimia vini generosi ingurgitatione *vid.* hujus descriptio in *ROLFINCKII Chymia*. Egregii est usus in Chymia spir. vitriol., præbet *menstruum* pro solutione *Corallorum & Perlarum*, uti etiam pro præcipitandis *Magisteriis*, & qui sunt alii ejusdem usus. Hæc de spir. Vitr. vulgari seu fixo. Cæterum quod attinet SPIR. vitriol. VOLATILEM, ille altioris est indaginis, uti etiam altioris efficaciæ: AUCTOR subministrat *præparationes*; sed ut in genere moneam spir. vitr. vol. *est iste, qui destillatus per alembicum sub formâ striarum prodit*: quæ *striæ* uti sunt *propriæ* spir. vini & reliquis *spiritibus volatilibus* vegetabilium *inflammabilibus*, qui sine dubio sunt maximè volatiles, ita spir. vitr. vol. iisdem striis in alembico se manifestat? Vnde etiam spir. vitr. vulgaris dum difficulter per cucurbitam humilem destillatur, sed potius per retortam sp. econtra volatilis ex cucurbita per alembicum facilè ascendit, & per rostrum descendit: Deinde spir. vitr. communis olfactus parum nares ferit; ast vol. *penetrantissimus* est, & altè intrat nares, instar spiritus quidam vol. *præparatio ejus est difficilis*, & in secretis admodum habetur à Chymicis sublimioribus, utut maximus in eo resideat & latitet thesaurus: ex eo, quoniam *in eo* residet *perfecta epilepsiæ & apoplexiæ curatio*, & *PARACELSUS in Scriptis* mirè *laudat* spir. vitr. vol. in cura epilepsiæ, id quod vulgares Chymici & nugivenduli applicant ad vulgarem spiritum vitr. sed falsum est. Hic spir. vol. nunc cum phlegmate nunc ante phlegma prodit, adeò penetrans est & vol. præparationes aliquot videantur in auctore, quæ satis clarè sunt descriptæ, utut non adeò magni ponderis, poterunt tamen perlegi & apud alios auctores elegantiores indagari. Cæterum spir. vitr. *vulgaris commodè potest volatilisari beneficio spir vini*: Si enim recipiatur spiritus Vitr. communis & spiritus vini benè rectificati ana, digerantur invicem ad aliquod tempus, per retortam postmodum aliquoties cohobentur, interjecta semper digestione,

digestione, fit tandem, ut hi duo spiritus se invicem uniant, se mutuò temperent, & spiritus vini spiritum vitr. fixum eleganter volatiliset. Ad cujus imitationem D. *MICHAEL*. Præparat *spiritum vitr. cephalicum & spiritum vitr. epilepticum*, qui recipit spir. vini cum herbis cephalicis digestum & ab iisdem abstractum, hunc affundit vitr. martis ad albedinem calcinato adeò ut spiritu sit impraegnatum vitr. hoc: SPIR. CEPHALICUS vol. postmodum destillatur per retort. blando igne, ut tantùm spir. prodeant, & sic post rectificationem habetur spir. *penetrantissimus* & maximè volatilis magni usus *in affectibus capitis* contumacioribus, quales sunt *Hemicrania, Paralysis, apoplexiâ* & in similibus affectibus, SPIRITUS VITRIOLI EPILEPTICUS D. *MICHAELIS præparatur* si recipiatur spir vini digestus cum speciebus Epilepticis, & postmodum abstractus; Hic spir. Epilepticus vol. vini affunditur vitr. regenerato, (quid hoc sit jam sequetur) & benè impraegnatur vitr. hoc spiritu, postmodum eodem modo destillatur per retort., prodit spiritus vitriol. Epilepticus volat. & admodum penetrans, magni usus *in Epilepsia* curanda: Nam beneficio spirit. vini fixitas spirit. vitrioli volatilisatur: qui tamen spiritus non sunt adeò penetrantes uti spir. vitrioli volatilis. Dixi quod spir. vini digestus cum speciebus vel Cephalicis vel Epilepticis & abstractus; debeat affundi *vitriolo regenerato*: Ubi observetur, quod, quando spiritus vitr. fuit destillatus, cap. mort. in retorta remanens ex eâ sit recipiendum & exponendum aëri libero, in specie radiis solaribus & lunaribus, ita tamen ut non tangatur à pluviis; sit in loco tecto expositum radiis astrorum: Hinc ita exposito *cap. mort. vitr.*, fit ut *ex aëre denuò impraegnetur*, & novo spiritu vitr. *repleatur*, adeò ut postmodum ex hoc vitr. regenerato in retorta indito de novo possit destillari spir. sicut antea, qui spir. vocatur *spir. vitr. regenerati*. Hoc cap. mort. denuò potest exponi aëri, idque aliquoties in quo semper successivè impraegnatur: sed *observetur*, quod non omni tempore *attrahat* vitr. caput mortuum, sed *tantum tempore verno* in Martio, Aprili & Majo, & mensibus *autumnalibus* Septembri, Octobri, Novembri attrahit, intermediis v. mensibus æstivis & hybernis nihil attrahit, sed potius aliquid amittit: *Exponendum* est per aliquot annos, sive *per longum tempus*, quò longius eò melius, eò exactius & potentius impraegnatur. Id quod non tantùm fit *in* capite mortuo vitrioli, d. it. obtinet in alumine & nitro, quæ terra, spiritu per ignem exhausto, deinde aëri exposita, solet de novo impraegnari & efflorescere l. nitrum novum, vel vitr. novum, adeò multa sunt in aëre sensibus occulta, quæ tamen per effectus se produnt. Spir. vitr. *regeneratus non est planè ejusdem naturæ cum* spir. vitr. *primitus destillato* à vitr. ipso, sed potius habet naturam differentem ab eadem, ut sit *quasi natura intermedia* inter spir. nitri & spir. vitrioli. Hinc etiam spir. vitrioli regeneratus in vitro adservatus coagulat interdum corpora crystallina circa fundum vitri, ut propterea *ZWOLFERUS in Mantissa pag.* 3;6. & 343. fateatur, ignotum esse quale sal attrahat cap. mort. vitrioli ab aëre. *Spiritum vitrioli vol.* sunt qui volunt præparare *ex spir. vitrioli* communi seu *vulgari* admodum rectificato, *injectione salium fixorum*, vel injectione corporum terrestrium copiosum acidum absorbentium, ut inter salia est sal tartari fixum, inter Terrestria C. C. ustum, oculi cancrorum ut scil. alliciant spir. vitr. acidum fixum, ut dimittat spir. vitr. vol. vinculis & compedibus sp vitr. fixi antea ligatum: Unde injectis hisce subitò admovent alembicum, aliàs spiritus vitr vol. avolat: sed est *processus dubius*, utut auctor fide dignus *VERBEZIUS contra Castellum* asserat: potest fieri experimentum. *Sp. Vitrioli* PHILOSOPHICUS Num. IX. uti notum est, præparatur ex aqua, cum qua edulcoretur butyrum antimonii in mercurio vitæ. *Male appellatur spir. vitr* quoniam nihil de vitr. participat, sed est spir. salis rectificatus: *Oritur à butyro* antimonii & mercurio *sublimato*: in quâ sublimatione mercurii, utut conjungatur vitr., nitr. & sal nihil tamen adscendit præter sal, quod in destillatione antimonii prodit sub forma sp., qui dilutus per aquam repetita destillatione vocatur spir. vitr. Philosophicus, & *revera est sp. salis*. Est egregium *stomachicum*, imprimis cum sp. vol. junctus: propterea est *ingrediens Elixir stomachalis D. MICHAELIS*. Cæterum *est* probè *rectificandus*, quoniam semper adhærent particulæ arsenicales seu Mercurii vitæ, quæ assumtæ facilè possunt excitare vomitum. Num. 10. Sequitur *Spiritus vitr.* TARTARISATUS qui etiam vocatur *manna vitr. Epileptica*: præparationem vid. id AUCTORE. Num. 11. Sequitur SPIRITUS vitr. vel aqua APERIENS PENOTI: *Præparatio* satis clarè describitur ab auctore, sed est admodum molesta & *tædiosa*. Spiritus est valdè penetrans & *valdè subtilis* & commendatur *in morbis chronicis & obstructionibus* ex infarctu viscerum oriundis, in *corrigendo acido* corrupto & vitioso nostri corporis, quoniam est sp. acidus volatilis. Valdè *commendatur* ab *HARTMANNO in Hydrope*, si misceatur cum essentia vincetoxici, cujus egregium usum expertus est. *D. MICHAEL*, qui semper eandem misturam felici cum successu adhibuit in hydrope. Quidam in præparatione ingredientibus addunt aliquid Terræ solis & in destillatione spir. jucundissimos acquirit colores: imò utilius etiam esset, si *loco silicum communium* recipiantur silices qui reperiuntur *circa auri fodinas*, quoniam hi impraegnati sunt aliquo modo primo Ente Solari. *Ex cap. mort.* calcinato, uti dicit AUCTOR, extrahitur sal: Extractio ex se patet. Hoc sal est egregium *digestivum in febribus intermittentibus*, in *malo hypochondriaco*, *scorbuto* & similibus affectibus chronicis. *Spir. vitr.* ANT-EPILEPTICI sunt variarum compositionum, uti videre est in AUCTORE: Nihilominus *omnibus præferendus* est *spir. vitr. volatilis*, qui tamen est rarissima avis. Quicquid sit, videbimus tamen præparationes. *Prima* est valde *elegans & phlegma* aquosum, in principio prodiens, *est* singulare *Ophthalmicum*. Quod constat ex phlegmate hoc Vitr & sale subtili urinæ, in *Catarrhis, suffusionibus, nebulis, albuginibus, ungue*, est multi usus, ubi opus est attenuatione, incisione, resolutione & detersione. Hunc spiritum TYCHO DE BRAHE dicitur habuisse *in arcanis* & hoc ipso. *D. MICHAEL* aliquot fere desperatos Epilepticos restituit. *Spir. vitr. Epilept. BASILII* est nihil aliud nisi spir. v. æris, uti patet ex descriptione. Num. 16. Multi jactitare volunt præparationem SP. VITR. VIRIDIS, qui vocatur à Chymiatris, leo virid. cujus uti *præparatio* est *in arcanis*, ita paucissimi illum possident; unde adulteratum substituunt: vidi tamen quod spir. vitr. Epilepticus permistus cum spir. sanguinis humani talem acquirat colorem viridem, qui nihil est aliud quàm liquor stypticus, ut sub Terra sigillata monui: Multi intendunt sine alterius additione *coagulare spir. vitr.*, & certum est, quod abeat in pulv., & se coaguletur, qui pulv. est multi usus tam in Chymia quam in medicina: sed *res est difficilis*: Unde coagulatur cum aliis, *cum salibus* tam volatilibus quàm fixis: cum vol. v. gr. sal vol. urinæ, sanguinis humani, C. C. cum fixis v. gr. cum alcali nitri sal. tartari fixo. Præ aliis fiunt sp. coagulati v g. SPIR. VITRIOL. COAGULATUS per crystallos nitr. h. m.

℞. *Crystall. nitr. optimorum* ℥iv.
Spir. vitr. & ole. vitr. ana ℥ij.

Misce, indantur cucurbitæ, & permittantur ut evaporent, donec aut fumum amittant, vel appareat in superiori

superiori parte pellicula, in loco frigido coagulentur in pulv. seu duritiem lapideam, quæ asservetur pro usu: est *egregium febrifugum* & quod potenter *refrigerat*. Huc pertinet sal MIRABILE *GLAUBERI*, de quo in scriptis multæ reperiuntur verborum ampullæ, quemadmodum idem etiam magni facit hic *Dr. SULTZBERGERUS*. *Paratur* ex ipso spir. Vitr., iniicitur sal commune spirit. Vitr. & destillatur per alembicum vel retortam vitream, & prodit ita loco spir. Vitriol spirit. salis perfectus & genuinus, & remanet in fundo sal album crystallinum, saporis non inelegantis, quod vocatur à *Glaubero* sal mirabile, multique *usus* habetur *in alchimia pro* extrahendis *metallis* iisdem meliorandis: item pro *eliciendis Tinct.*, & etiam multum ab eodem commendatur in *Medicina*. Quicquid sit, non sit nimis credulus, qui *Glauberum* legit; est sal tertium compositum ex sale communi & spirit. vitrioli. *Hujus vestigia* videmus jam *in AGRICOLÆ Comment. in Poppium pag.* 330. 339. qui dicit oleum vitrioli corrosivum super sal mitescit, si rectificetur, adeò ut intra corpus sumi possit, & hoc ipsum est quod etiam dicit *Glauberus*. Habuimus hactenus spirit. vitrioli utilitates: jam observetur quod *spiritus vitrioli sit contrarius pulmonibus* & juratus hostis *phthisicorum* & *Hecticorum*; itemque iis qui inclinant ad phthisin sit *nocivus* propter acrimoniam 1. quâ lædit vesiculas spongiosas pulmonum 2. propter acetositatem, à quo acido facilè corroduntur 3. propter vim adstrictoriam, à qua pori pulmonum constringuntur, ut non sufficiens ventilationi attrahi queat aër. Certè in phthisi, Asthmate & aliis morbis pulmonum est nocivus. Unde & *acidularum usus nocivus* est, adeò ut quidam *phthisici* per usum acidularum *reversi sint Hydropici*, imò *nonnulli* planè *interierunt*. Mirabile habet *D. LANGIUS in Colleg. super Fabrum*, quod quidam *ex nimio spirit. vitrioli usu* pro appetitu excitando, 4. guttas singulis diebus sumendo, amiserit *testiculos*, ut sensim sensimque fuerint *imminuti* instar pisorum facti, cum aliàs habuerint magnitudinem naturalem; qui ubi intermisisset illum, & cibis euchymis fuisset nutritus, acquisiverint naturalem proportionem, adeò ut nimiè usurpatus inimicus veneri & *novis maritis* sit *fugiendus* ejusdem usus. Oleum vitrioli DULCE. Multi parare volunt oleum vitrioli dulce, & multa de eo dicuntur, sed *impossibile* est ut *per se* sit dulce, semper addendum est aliquid, quod vel hebescat, vel temperet aciditatem, aliàs impossibile est, ut præparetur Ol. vitrioli dulce. SALIFICATIO vitrioli: Dixi *ex* capite mortuo post destillationem soluto in aqua simplici, elixiviari sal, sed *ob eveur encheiresis* in elixiviatione salis, observetur in destillatione spirit. Vitrioli igni reginen: Nam *si* igne forti urgeatur Ol. ex Vitr., adeò ut *cap. mort. sit nigrum, nihil salis* poteris elicere *ex eodem*, sin moderatiori igne urgeatur, & remaneat prunei vel coloris purpurei elixiviari potest ex eodem sal vomitivum: *Hoc* sal nihil *est* aliud nisi *Vitriolum* quoddam *depuratum* observante hoc *ZUUOLFERO in animadvers. in Pharmacop. August. p.* 409. *in Mantissa p.* 336. ubi sufficienter demonstrat, id quod elixiviatur, non esse sal fixum sed tantum Vitr., & cum magnâ vehementia ciet vomitus. Cæterum *non sine noxâ est hoc sal vomitivum*: Nam si adhæret plicis ventriculi, fit, ut sensim sensimque regeneretur, forsan ex aëre inspirato, & in perfectum abeat Vitr, videatur tonus ventriculi depravatus, vapores æruginosi persentiscantur, incipiat irritare ventriculum ad vomitum, tonum prosternat, & hebescat apperitum, & continuum fœtorem in ore excitet; adeò ut *relligio sit cordato medico propinare tale* sal pro vomitivo: utut *ANGELUS SALA, MOEBIUS* & alii ceu optimum vomitivum *adhibeant*, item *LANGIUS & FABER* in paroxysmo Apoplectico præscribunt, sed non sine periculo & nocumento: Ut taceam sal vitrioli specificâ virtute *nocere pulmonibus*, & valdoperè stringere pectus. Unde usum internum minus tutum habet; inest enim aliquid horribile ex venere, quod ventriculum præcipitare & periculosum vomitum inducere potest, quodque pulmonibus nocet: *Potius* admitterem ejus usum externum in *ulceribus cacoetheis* in *sinubus & fistulis* purgandis item in *ulceribus malignis* commodè permiscetur cum Emplastris & Unguentis, & applicatur membro affecto, ubi præsenti est remedio. *Compendiosius præparatur* non ex cap. mort., sed ex Vitr. si solvas Vitr. cum aqua in patella ferrea, & immittas laminam ferream & bene agites, sic enim adhærebit maxima pars metallica martis, sal v. Vitr. remanebit in aqua, quam filtra & coagula & habebis etiam sal vomitivum. Terra ista Vitr. sale suo adhuc imprægnata, vel etiam ipsum Vitr. ad albedinem calcinatum & pulverisatum egregium & valdè expertum præbet *pulv. sternutatorium*: & si pulveri ejus admisceantur aliquot vegetabilia suaveolentia erit egregius pulv sternutatorius. Istud *caput Vitr. mortuum* ex quo elixiviatum est sal fixum, *vocatur terra Vitr.* DULCIS, estque nihil aliud quàm crocus metallorum obstructivus vel adstrictivus: Est scilicet pars mineræ metallicæ residua post separationem spir. Sulphurei, à cujus corrosione transmutatum fuit metallum in Vitriolum, separato ergo spiritu remanet minera à spir. corrosa, & vocatur crocus martis vel veneris obstructivus: Unde commodè *usurpatur* hæc terra Vitr. dulcis *interius* in *Dysenteria* & *Diarrhœa* Præterea externè *ingreditur balsama vulneraria*: imprægnata enim adhuc est hæc terra Sulphure metallico, à quo dependet etiam pulvis sympatheticus: Unde unguentis aut Ol. hyperici permista, est egregium *consolidans*, & *in vulneribus exulceratis* purificandis adhibetur: ingreditur *Emplastrum stypticum Crollii & Emplastrum Opodeldoch PARACELSI*: & *Dr. LANGIUS* habuit *Balsamum vulnerarium* ex hac ter. Vitrioli dulci, &c. magnarum virium cap. mort scilicet ter. Vitrioli si imponatur matulæ & deponantur fœces alvinæ in illam, est egregium experimentum *in Dysenteria* & fuit *secretum KNOPHELII*: Hæc ter. Vitr. dulcis & insipida, uti dixi, adhuc *habet in se Sulph.* aliquod metallicum; unde etiam aqu. fort. extrahitur tinctura viridis Sulphur est sulphur *quoddam venereo Lun.* sicuti postmodum ex remanentia, post Tinct. elicitam, affusâ aqua Regia, elicitur Tinct. rubicunda, quæ Tinct. participat de Sulph martiali solari Ex cap. mort. Vitr. adhuc præparandum venit SULPHUR VITRIOLI per solutionem Vitr., & quidem quod vocatur Sulph. vitrioli *dulce anodynum*: Dicitur Sulph., quoniam est verè Sulph. metallicum volatile & inflammabile: Dicitur *dulce*, quoniam debet habere saporem dulcem instar sacchari: denique dicitur *anodynum*, quoniam debet habere vim anodynam dolores & furorem archæi sedativam: auctor ejus est *PARACELSUS*, quem secutus est *HELMONT.*, qui vocat ignem veneris: *Sulph Vitr. anodynum est difficilis præparationis*, utut sit magnum arcanum. Omnes AUCTORIS *præparationes* sunt nihil aliud, nisi terra vel nudæ partes mineræ metallicæ Vitr., quæ habetur loco Sulph. In Num. 2. Id quod vocat auctor Sulph. vitrioli dulce est ter. Vitr. Unde loco virtutis narcoticæ interdum solet excitare vomitus Omnes ferè præparationes in auctore sunt tantùm partes Vitr. metallicæ corrosæ à spiritu Vitrioli. *Sulph. Vitr. fixum martiale* ex *HARTMANNO*, potius est genuinus mars scil. crocus quidam martis, non v. genuinum Sulph. Vitr.; videri tamen potest *HARTMANNUS Tr. de Opio*, ubi de Sulph. hoc Vitr. habet egregium discursum. Auctor habet flores ex Vitr. Terr. qui sublimantur ex Terr. benè dulcificatâ cum ana salis armoniaci: si rectè

rectè operatus fueris, flores erunt *flavescentes* vel subrubicundi: Hi flores cum sale armoniaco sublimati habent aliquid in recessu, & à Nob. *BOYLE* in magno pretio habentur, uti patet ex ejus scriptis: *In affectibus stomachi* magnarum sunt virtutum: Habent enim in se vim quandam tenuem soporiferam & alia quædam, unde facilè qui potest ad altiora progredi: Vtut adhuc adsint particulæ quædam metallicæ: Nam si eliciantur & eluantur cum aqua communi hi flores; & fundantur cum sale tartari, abeunt in metallum, utut paucum, maxima quippe pars deflagravit: habent aliquid in recessu Ex sulphure vitrioli dulci parat *HELMONT.* oleum sulphuris vitrioli *dulcis*, quod vocat ignem veneris: sed uti dixi, qui non habet sulphur vitrioli verum, non potest parare oleum. Imò ex hoc Sulph. paratur Essentia l. *Extractum Vitrioli narcoticum.* Vnum adhuc moneo: *Tinct. Sulphur. Vitrioli*, quæ paratur ex Terr. Vitr. dulci, quam habet *SENNERTUS in Institutionibus* fit h.m. solvitur Ter. Vitr. dulcis cum sp. salis, solutum, & filtratum abstrahitur, remanens materia in fundo extrahitur cum sp. vini in tincturam egregiè rubentem, quæ dicitur Tinct. Sulph. Vitr. utut non sit vera Tinct. est egregium remedium *in hæmorrhagia* quacunque compescenda, tam narium quàm aliarum partium, sive interius à guttis X. ad XX. assumatur, sive externè cum aliis applicetur, aut in naribus indatur cum linteolo, facilè sic hæmorrhagiam narium sistit: d. observetur, imprimis, ut caput mortuum sit benè elutum ab omni sale & omninò insipidum, nisi n. hoc fiat, solet interdum excitare vomitus.

CAPUT XXIV.

De Alumine.

ALuminis genera usitatoria Officinæ quinque nobis exhibent. 1. Rupeum (Gallis *Alum de Roche.*) 2. Plumeum seu plumosum; videatur Amiantus. 3. Scissile, (quod glebarum instar est, & plumosum oblongum vocatur.) 4. Zuccarinum, sive Saccharinum (ex alumine rupeo, albumine ovorum, & aqua rosacea.) 5. Alumen catinum.

Verùm ut in omnibus locis ubi Aluminis simpliciter mentio fit, ita & in his nostris præparationibus, rupeum recipere fas est: quod nihil aliud scilicet est, quam salsugo terræ mineralis naturæ saturninæ, constans ex spiritu acido ac sale terrestri caustico.

Triplicis autem id originis est; vel enim 1. per se in venis suis invenitur, vel 2. ex aquis mineralibus excoquitur, vel 3. ex terra & lapidibus, aliisve mineralibus extrahitur.

Dicitur autem Rupeum, quia ex Rupe seu saxis confici solet. Item Glaciale, quia glaciei conforme est, Græcè *συπτηρία*. Arabicè Sceb; seu Seb. Germ. *Alaun.* Alum.

N. 1. Mentio apud Dioscorid. fit quoque Aluminis rotundi & liquidi: verùm cùm nostratibus minimè ea usitata sint, omisimus: nec audiendi sunt, qui liquidum Alumen faciunt materiam aluminis rupei. Vide Matthiol.

[Alumen Mexicanum coctum præter vim adstringendi, ulcera ab excrescente carne mundificat, ac coccinea pigmenta adhibetur.]

N. Alumen catinum, propriè aluminis genus non est, sed Sal ex cineribus lignorum quorundam extractum, optimeque reverberatum. Germanicè Vveid, Asche: des cendres de Saulz.

Huc referri potest & Alumen facum, quod paratur è facibus vini ustis & albefactis.

N. 3. Modum alumen rupeum conficiendi, si quis scire cupit, consulat Matthiol. Libav. in Alchym. &c.

Vires. Exsiccat, adstringit, incrassat, &c.

Vsus. aluminis crudi præcipuus externus est, (quamvis ab Empiricis & internè pro febrifugo, imò universali exhiberi soleat, ac inprimis in angina & columella laxata, putredine gingivarum, tumoribus pedum œdematosis, &c.

N. Sunt qui in dysenteria alumen exhibent.

PRÆPARATIONES & PRÆPARATA.

1. Crystallisatio, seu Purificatio. 2. Calcinatio, seu Ustio. 3. Salificatio. 4. Destillatio. 5. Subtilisatio.

I. PURIFICATIO, seu CRYSTALLISATIO.

Aluminis purificatio fit more vulgari, scilicet solvendo in aqua pluv. calida, evaporandoque, donec cuticula in superficie appareat, hinc reponitur ad crystallisandum.

N. 1. Hanc purificationem si bis terve repetiveris, mitescit acerbitas aluminis.

N. 2. Libavius solvit in urina proceditque dicto modo: verum qui hâc ratione alumen purum nancisci sperat, fallitur, quippe sal urinæ alumini sese immiscuit.

II. CALCINATIO, seu USTIO.

Ustio aluminis quoque tonsoribus notissima est.

Nimirum.

Alumen coquitur ad ignem, ut phlegma & spir. exhalent, terraque mollis porosa remaneat.

N. Hæc terra idem est cum capite mortuo ex destillatione spir. residuo.

Vires. Usitatissimum est Alumen ustum in vulnerum excrescentiis carnosis consumendis, in putredine arcenda, &c.

III. SALIFICATIO.

℞. Alumen ustum (vel caput mortuum aluminis) coque in aqua, traiice per chartam, filtratura evaporet, & habebis sal fixum aluminis.

IV. DESTILLATIO.

Vnde.

1. *Phlegma ac Spiritus.*

℞. Aluminis puri q. v. destilla per retortam in arena ac elicies initio l. ign phlegma.

Igne postea fortiori, spir. prodibit albissimus.

[*Spiritus aluminis Sulphureus volatilis & acidus, inhibet febrium intermittentium accessus per sudorem & fermentationis inhibitionem.*]

[*Alumen vitriolo præditum styptico spiritum vitrioli coagulare putatur.*]

2. *Spir. dulcis aluminis.*

℞. Spir. aluminis, rectifica aliquoties cum spirit. vini & dulcis atque jucundus evadet.

Vires. Usus ejus internus diureticus est, pellit calculum, obstructiones l ienis aperit, æstus in febribus compescit.

Externus ejus usus admodum proficuus est, in vitiis oris, inflammationibus nimirum [etiam oculorum] Aphthis, & sim. curandis.

Dosis g. 4. *vel* 5. *in vino vel alio liquore conveniente.*

Phlegma adhibetur ad vulnera mundificanda, adstringenda, in primis ad gingivas, &c.

3. *Magisterium, seu spiritus aluminis Magisteriatus.*

℞. Aluminis puri q. v. impone in vitrum, asperge aquam, & repone ut dissolvatur.

Liquorem filtratura depuratum destilla in cineribus, ex cucurbita humili ad siccitatem: solve denuò modo quo dictum, in liquorem, & destilla Eousque solutionem & destillationem repete, donec tota aluminis substantia per alembicum transcenderit.

Vsus. Stipticum est nobile, vix cedit Essentiæ ferri, boli, sperniolæ, &c.

4. *Saccharum aluminis.*

℞. Aluminis purificati q. v. destilla ut eliciatur phlegma, quod affunde iterum cap. mort. & postquam hor. 24. steterint, denuo abstrahe, idque vicibus aliquot (5. vel 6.) tandem phlegmate reservato solve caput mortuum per d. Liquor digeratur per dies (12.) coaguleturque in arena ad siccitatem: sic præparatur Saccharum aluminis.

Vires. Celebratur in pectoris morbis, præsertim ex mine-

rarum

ratum,halitu contractis, qualibus Metallurgi frequenter affliguntur. Odontalgiam sedat, gingivæ impositum.

Dosis à gr. 5. ad 8.

[*Parant ex a'umine Mannam, primum Ens aluminis quod dicunt, victoriosumque Hectica remedium.*]

V. EXTRACTIO.

Vnde

Extractum Aluminis, alias Magisterium.

℞ Aluminis crudi ℔. (VI.) coquatur in fictili amplo, ut evaporet phlegma, tandem calcina ut penitus candescat. Hinc injiciatur in aceto destillato alumen illud candens. Sic extrahet acetum destillatum Essentiam seu Magisterium, residente terrâ albâ [quæ aquâ ferventi abluenda & servanda.] acetum destillatum illud imprægnatum filtra, & abstrahe in Mar. Baln. ad mellis consistentiam. Tunc exponatur frigido ad crystallisandum. Crystallos exime & sicca.

N. Cristalli tingi possunt rob sambuci pro libitu.

Vires. Sudorem movent, conveniuntque in scorbuto (singulis septimanis semel ac iterum pro sudore exhibiti.) In febrib. tertianis [ante paroxysmum aliquot vicibus iteratò assumpti.]

Dosis à gr. 8. ad 10.

Ex communicatione Amici Hamburg.

[*Alumen laccatum Epaticum, & ad Hamorrhagias proficuum parant*]

[*Balsamum Aluminis æquè ac Bals. Nitri parare licebit, sed non æquè coloratum.*]

HABUIMVS. Hactenus de vitriolo: nunc propter cognationem materiæ de alumine, sunt enim valdè inter se *congeneris naturæ*. Quid sit alumen, notum est sufficienter. Et quidem sicut Vitr. ex spir. Sulph. & metallo certo habet suam originem; ita alumen *ex eodem Sulph. spiritu & petroso quodam corpore per sp. Sulph. solubili in salinam & pellucidam consistentiam coalescit:* Ideoque *in* igne *nihil quam* alumen *constantius* atque fixius est: *Calcinatione* n. in bullas inflatum *in calcem* quasi quandam vel cinerem *redigitur.* Vnde m. spirit. acidus, qui ab eo per ignem excernitur destillando, *substitui potest spirit. Vitriol. spirit.* nimirum alum. *Vitriol.*, & *sulphuris, unus* idemque *est spiritus*: saltim quod idem Sulphur. spirit. nunc corrodit metalla, unde oriuntur Vitriola, nunc v. corrodit corpora saxea, antea leviter in Ter. calcinata (quod tamen non semper in Terr. contingit) & tunc concrescunt in alumen. Nam ipsum alumen *interdum reperitur nativum*, ut possit ex Terr. effodi: *Interdum* verò *latet* adhuc *in* sua *matrice* saxea, *ex qua* ignis beneficio *coquendo*, sicut Vitr. ex pyrite, *elicitur*, Vnde idem *pyrites sæpè* & *Vitr. aluminis materia est.* Ratio enim substantiæ metallicæ in Vitriol. ratione lapideæ in alumen vertitur, dum ab halitu ardentis Terræ, l. ardentis in Terr. penetralibus Sulph. corroditur. Quod si v. adhuc lateat in matrice saxea, tunc *ab artificibus saxum* istud vel pyrites coquitur, & *calcinatur*: Calcinatione istâ Sulph. inflammatum prodit suum spirit. acidum, qui spirit. acidus adjunctum corpus petrosum corrodit: Calcinatus ita pyrites aluminosus exponitur aëri & superfunditur copiosa aqua, quæ aqua solvit & imbibit partes sulph. acidas petram corrodentes, & ita in crystallos aluminosos concrescere facit. Et hic est *modus, quo fit* alumen RVPEVM, quod aliàs m vocatur alumen ROCHAS. *Plura* qui cupit vid. *KIRCHERI mundi subterr. Tom. I. cap. de alumin.* Id quod *confirfirmat* alia *mechanica aluminis compositio.* Nam si imbibatur Creta sulphur. spirit. acido, vel m. spirit. Vitr. acido usque eò, donec nihil amplius imbibere possit, & creta h.m. imprægnata solvatur in aqua simplici, tunc in loco frigido exposita hæc solutio, concrescit in perfectos crystallos aluminis Vbi Creta locum obtinet corporis petrosi, & spirit. Sulph. vel vitrioli est corrodens. Vnde est, quod *ubi* multum aluminis generatur, *ibi* quoque *vitriol.* & *Sulph.* plerumque reperiantur: quoniam Sulph. est efficiens, quod pro diversitate matricum, nunc Vitr. nunc alumen generat: unde sæpius fit, ut ex eadem vena & alumen & Vitr. excoquatur. Jam v. sicut pro variis metallis varia m. Vitr. per sp. Sulph. conficiuntur: ita *pro diversitate lapidum* scil. saxorum *diversæ* m. *aluminis species*, colore aliisque proprietatibus differentes. Verum quoniam post destillationem sp. corpora saxea non adeò facilè possunt fundi, aut reduci in integrum, sicut corpora metallica reliqua in Vitriolis, propterea variæ aluminum species *nondum exploratæ* sunt: Plures n. sunt aluminum varietates, quæ varietates num veræ species, an v. potius variæ mixturæ aut concrementa vocari debeant, res adhuc dubia est. Nam 1. alumen *ROCHAS* seu alumen *Rupeum*, quod modò dixi, *ignotum fuit veteribus*, ex eo, quoniam ipsis fuit ignota ars calcinandi, fundendi & extrahendi alumen ex matrice; Hoc alumen rupeum aliàs dicitur in specie FACTITIVM, it. GLACIALE, quoniam quasi formam & figuram glaciei refert 11. est alumen PLVMEVM sc. plumosum, quod fere cognatum est Lapidi amianthi: Vnde confunditur à quam plurimis *Lapis amianthicum alumine plumoso*, nihilominus *differunt* in eo (1.) quod alumen plumosum sicuti reliqua omnia alumina, fortiter adstringat; *Amianthus* v. *non adstringit*, d. tantùm linguam pungit. (2.) quod Amianthus *omni igni resistat*, & ab illo non possit lædi, uti monui superius: Contrarium fit in alumine plumoso, quod diuturnis expositum flammis, tandem patitur labem. *Veteribus nota* tantum *fuere* alumina *nativa*, quæ nativa ipsis fuerunt partim fluida scil. *liquida*, partim concreta, quæ *veterum aluminum varietates*, *jam* ferè sunt *incognitæ*, aut saltim non probè intellectæ: *Differentiæ* videantur apud AVCTOREM. Alumen CATINVM est saltim sal fixum *ex herba Kali*, adeoque minus rectè refertur inter aluminum species. Aluminis Ter scil. *matrix* semel exhausta, si in cumulos subdiales scil. soli expositos congeratur, *alumine novo imprægnatur*, quod rursus post aliquot annos elicitur, id quod supra de Vitr regenerato dictum fuit. Alumen, uti notum, est egregium adstrictivum, quod *potenter adstringit*, & fibras coarctat & contrahit: Sive sit crudum, sive ustum seu calcinatum: *Vis* adstrictoria *dependet ex Textura particularum* aluminis mechanica, secundum quam talem obtinet figuram & compositionem, ut contrahat ac adstringat facilè fibras: Id quod probant omnes Terræ medicatæ: Ter. sigillata bolus armenus, &c. Quæ Terræ ratione spirit. acidi imprægnantis similem gustum adstringentem ac stypticum repræsentant. Externè usus ejus est *præcipuus* aluminis crudi scilicet dum permiscetur lotionibus ulcerariis pro adjuvandâ eorum consolidatione & incarnatione. It. ejus usus est in *restituendis virginibus corruptis*, scilicet In sophisticatione virginum, quæ uti solent balneis aluminosis, id quod similiter fit *in puerperis*, post puerperii tempus, quæ ejusmodi balnea instituunt, ut gratiores fiant maritis, uti videri potest in *RODERICO à CASTRO de morbis mulierum*, qui habet modos adstringendi membrum in mulieribus. In gargarismatis *in uvula* nimis flaccida & *laxata*: Item in principio *anginæ* & similibus. *In fonticulis excitandis* usurpatur alumen ustum cum felici successu, quod etiã suum usum habet *in laxitate* & flacciditate *gingivarum*: item in *scorbuto oris* ac dentium. Vnde est quoque ingrediens Tincturæ laccæ decantatissimæ contra scorbutum oris. Pro usu externo etiam valdè *commendatur* à *FELICI VVURZ* uti etiam ab *AGRICOLA* in *Atrophia* & *Aridura* membri postpartium nervosarum vulnera. In tali atrophia vel aridura valdè commendatur. TERR. ALVM. DVLCIS, quæ præparatur h.m. alumen & sal fusum ana fundantur denuò in tigillo & crucibulo ad lapidem sive ad consistentiam lapideam, affunde postmodum aquam fontanam, & sal se resolvet, Terrâ aluminis ad fundum subsistente: Cum hac Terra paratur *unguentũ ad ariduras in Chirurgiâ parva*

p. 317. ℞. *Ol. pinguedinis humanæ vel ursinæ*, ex pinguedine cum cinere sarmentorum vitis destillati ℥iv. *Ol. laterum* ℥iß, destillentur una per retortam, destillato Ol. adde *Terr. Alum. dulcis* ℥iij. Misceantur, & est arcanum unguentum contra ariduras membrorum post vulnera, tunc debent inungi membra aridura correpta, quando prius fuerunt fota decocto epatis, pulmonum &c. vid. *AGRICOLA loco dicto p. 315. WURZIUS* affundit huic Terr. Alum. dulcis aqua vitæ ad eminentiam 2. digitorum, & ita ad usum reservat hanc Terr. ad omnes atrophias & ariduras, commodè mistam cum unguentis & linimentis convenientibus: *Ex Alumine* docet *ANGELUS SALA* in suis *scriptis Chymiatricis* præparare *suppositoria* satis elegantia, quæ possunt intrudi, extrahi, & sæpius usurpari, egregie stimulant alvum illumque provocant. Dicit AUCTOR, quod Alumen ab Empyricis soleat adhiberi ceu FEBRIFUGUM &c. *Vid.* de hoc *ANGELUM SALAM in scriptis Chymiatricis pag. 664.* uti etiam *RHUMELIUM in Iatro-Chymico pag.* 409. Præparatio Alum. pro medicamēto antifebrili est talis ℞. *Alum. crudi* lib. 1. Indantur ollæ, & more solito calcinentur satis calcinata & candentia adhuc præcipitentur cum aceto destillato menstruum per chartam bibulam filtretur, & humiditas sive phlegma per alembicum abstrahatur ad bonam quantitatem, residuum in alembico concrescit in crystallos egregiè splendentes, quos, si lubet colore rubro inficere succo baccarum sambuci, id fieri potest, horum *dosis* est à ℈j ad ℈ij in aqua Cardui benedicti vel alia appropriata horis duabus ante paroxysmum idque tribus vicibus fiat, & sudor, si fieri potest, proliciatur. *Fœces* autem post Crystallisationem restitantes & albicantes, aqua fontana bis vel ter abluuntur, & *ad purificanda vulnera* reservantur. *Aliam* aluminis præparationem febrifugam *describit POTERIUS lib. 2 pharmacop. cap. 9.* Est etiam *Alum. tinctum* colore rubro, cujus præparatio extat in *ROLFINCKII Chymiâ*: quod Alum. tinctū præbet etiā egregium *febrifugum*. Parant quidam *Tartar. antifebrilem* ex Crystallis Tartar. cum Alumine, quem similiter valdè commendant. Inter præparationes est 1. PURIFICATIO sive lotio, quæ fit per aquam simplicem, uti habet *AUCTOR*: Cæterum est præparatio sive purificatio superficiaria: nam *Al. adjunctam habent* aliquam *pinguedinem* excrementitiam, non nisi injectione Urinæ per præcipitationem eliciendam & separandam, id quod etiam fit, si Alumini adhæreat Vitriol. Nam in Alum. excoctione, si conjunctum est Vitriol. infunditur Massæ solutæ Urina, & vitriolum ad fundum secedit.

CALCINATIO: Alum uritur, & sic bullas agit copiosas, & phlegma & spiritus foras exhalant; qui spiritus commode per retortam in recipientem seorsim possunt colligi. Cæterum quod superius dixi, quod spiritus Aluminis sit idem cum spiritu Vitriol. & Sulphuris, quod etiam ita sese habet, nihilominus tamen non levis *differentia inter spiritus Sulph. Vitriol. & alum.* deprehenditur, ratione fere omnium proprietatum, quæ differentiæ dependent, ex alteratione, quam recipit spiritus Sulph. acidus *ex subjecto patiente quod corrodit*: mutatur etiam exinde in substantiam patientis spiritus Sulph. ejusque textura mechanica, ut postmodum per destillationem denuò separatus non parum appareat immutatus: id quod *probo* alio *experimento*. Fiat enim cum spiritu Sulph. infusum super terram Vitriol. Martis, uti superius monui, deinde cum eodem spirit. Sulph. imbibatur quædam Terra sigillata vel alia, ut concrescat in corpus quasi Aluminosum, destilletur postmodum hoc corpus Aluminosum, & etiam Vitriol. & spiritus ex his duobus subjectis denuò evocati erunt valdè distincti, utut antea unus idemque fuerint spiritus Sulph. idque propter alterationem, quam receperunt in subjecto, quod corroserunt. *Alum. ustum in excrescentiis*, potest adhiberi: *in labiis* vulnerum *callosis* in usu est Alum. ustum & in similibus affectibus. In destillatione prodit phlegma, deinde etiam Spiritus PHLEGMA ALUM. est egregium *adstrictivum*; propterea quidam Chirurgi omnes fascias intingunt in phlegma. Alum. vel etiam aquæ solutionis Alum. & has fascias exsiccatas postmodum applicant membris in volvendis, quibus mire postmodum sistuntur Hæmorragiæ vulnerum. SPIRITUS ALUM. *acidus* per se valdè prodest ad *dealbandos dentes*, utut in pauca acquiratur quantitate: Unde si aliquot guttæ medicamentis contra scorbutum oris instillentur, mire proderunt. Parant etiam quidam OL. ALUM. dum scil. recipiunt Alum. crudum, & silicum pulverisatorum ana, pellunt per retort. Unde 1. prodit phlegma, postea Oleum, quod separandum à est phlegmate, & hujus Olei usus est externus. Observetur quod habet AUCTOR de saccharo Alum. quod sit præparatio aliqualis non vero exacta Legitimam dulcedinis Alum. descriptionem *POTERIUS in Pharmacop. pag. 2. cap. 9* Describitur item DULCEDO hæc Alum. sive SACCHARUM ALUM. à *DARIOTTI In cista aureâ sui thesauri cap. 24. pag. 245.* Hoc saccharum Alum. sive hæc dulcedo Alum. saccharina est *specificum in Dysenteria*, & postmodum impedit etiam febrim hecticam. Cujus *febris hecticæ* primarium corrigens & *primaria cura* consistit *in* hac *dulcidine Aluminis Fundamentum curæ* consistit in hoc, quod febris hectica consistat in subtili aciditate partium solidarum, quæ aciditas, effervescens in istis partibus, inducit calorem lenem & blandum, præternaturalem tamen, sensim sensimque depascentem nutrimentum partium, & easdem ad ariduram deducentem: adhibetur ergo pro cura dulcedo aluminis Saccharina, quæ uti in Dysenteria promptissimè absorbet acidum intestina exulcerans & corrodens: ita etiam in hecticâ promptè arripit & imbibit istud subtile acidum, quo obsidentur partes hecticæ, quo acido correcto & abluto: vel spontè postmodum hectica cessat. MAGISTERIUM est ferè ejusdem descriptionis atque illa quam superius dedi febrifugo.

CAPUT XXV.

De Sale Ammoniaco.

Sal armoniacum nativum à majoribus descriptum, sub arenis Libicis concrescebat. Verùm nostratibus non nisi artificiale cognitum est. Quod nihil aliud est, quàm sal amarum factitium compositum, salv. olatile, coctum ex arena, sale fuliginis, Sal com. vel gemma, & simul. *Vide si placet modos conficiendi apud Libav. in Alchym. & hinc apud Untzer. in tr. de Sale.*

[*Parant etiam ex urina sanorum p. v. salis communis p. j. fuliginis part dimid. coctis & sublimatis.*

Dicitur & Sal armoniacum, Sal solare, Aquila cœlestis, alba mercurialis fuligo sal mercur. Philosophorum, Lapis Adir, Audix. Anacab. Alacab. Aliocab. Allocaph. Alcob. Alsol. Alfatid. Alinziadir. Alistiles. Alumonodig. Amizadir. Anoxadic. Azanec. Butrum. Hisazium. Lizandram. Mysatis. Nestudar. Nusiadal. Nysec. Obac. Raal. Salmiax. Tursies. German. *Salmiax.* Sal ammoniac

[Dicitur Etiam sal mirabile, & clavis metallorum, quæ fluere facit.]

Eligatur candidum ac purum, vel nisi satis nitidum fuerit, purificari potest. Præstantius habetur sal armoniacum Venetianum ac Antuerpianum, & quibus tamen posterius priori cedit.

Vires. Internè vim habet diaphoreticam præcipuè in febribus, maximè in febri quartana: resistit putredini, &c.

Dosis ad ℈ß.

Externè adhibetur in Gangrænæ carne putrida adsumenda, in Angina curanda (in Gargarismis.) Quinimò Barbitonsores aquam suam ceruleam inde conficiunt in vener. vase ad albuginem oculorum tollendam.

Nimirum

Nimirum.

Sale armoniaco in pelvi aenea aquam affundunt, additoque modico calc. vivae simul optimè agitant. *Vide lib. 2. c. 49.*

PRAEPARATIONES.

1. Purificatio, unde sal armoniac. crystallisatum. 2. Calcinatio. 3. Sublimatio, unde Flores 4. Destilatio 5. Liquatio.

I. CRYSTALLISATIO.

Sal armoniacum crystallisatum nihil aliud est, quàm sal armoniacum modo vulgari purificatum, i. e. in aqua solutum, & post evaporationem aliquotam crystallisatum, ideoque usus ejus cum priori idem est.

II. SUBLIMATIO.

Flores.

℞. salis armoniac. trit. Limaturae chalyb. ā. q. v. mixta diligenter ex cucurbita in Arena sublima: sic relictis in fundo faecibus ascendit sal armoniacum purum aliquotâ portiunculâ Martis impraegnatum.

℞. Salis armoniac. hujus, Sal. Com. fusi ā. M. sublimaque denuo, sublimationem de novo septies repete, semper caput mortuum rejiciendo, & parem Sal. Com. fusi quantitatem singulis vicibus admiscendo.

Nonnulli contenti sunt posterioribus saltem sublimationibus (sc. cum. sal. com. citra martis peractis) sale armoniac. depurasse. Verùm quia martis vim aperitivam sal armoniac. insigniter acuit, operae praecium erit nec priorem illam sublimationem intermittere.

Vires. Flores hi ut operosiores, ita & effectu praestantiores censentur, quàm sal armoniac. solâ crystallisatione purificatum, ideoque felicius illorum loco adhiberi possunt in quartana. Tollunt quoque perfectè cruditates ventriculi, si in vino absynthiaco vel decocto sassafras per aliquot dies continuos propinentur, sudorque à sumpto Medicamento procuretur.

Dosis g. 3. vel 4. imò ad ℈ß. & ultra. Sennert. in Institut. Hartman. in practica, loco de crudit. ventriculi. Tentzel. in Exeg.

N. Si cum limatura martis fiat sublimatio, tunc atroditur mars à sale parumque admodum sese sublimat: si verò cum batiturâ ferri non trita, tunc ferè sal omne ascendit colore ex flavo rubescente.

III. CALCINATIO: & FIXATIO.

Figitur cum calce viva, si anaticè (vel calce viva 1.) cum eadem mixtum igne fortissimo subitò adhibito, addito quoque folle fundatur, postmodumque aquâ eluatur.

Usus ejus praecipuus est pro liquore inde conficiendo.

IV. DESTILLATIO.

Unde

Spiritus salis armoniaci.

℞. Salis armoniaci p. 1. cinerum p. IV. M. atque destilla ex Arena per alembicum sic prodit Sp. salis armoniac. quem rectifica è cucurbita altiori.

2. *Aliter.*

Solve sal armoniacum in aqua calida; eaque potato lateres ignitos, ut aquam illam sale armoniaco impraegnatam penitus imbibant. Hinc destilla per retortam igne arenae, vel igne aperto.

3. *Aliter*

℞. Sal. armonici sublimati q. v. asperge spirit. vini rectificat. ut humectetur, hinc digere vase clauso in MB ut resolvatur. Solutiones decanta, è cucurbita oblonga in MB. destilla ad dimidium: aquam destillatam rursus affunde & destilla: tandem igne auctiore omnes spiritus per alembicum propelle & rectifica.

Vires. est Diaphoreticus, incisivus, diureticus.

Dosis gr. 3.

Joh. Renan. Chymiotech. lib. 1.

℞. salis armoniaci q. v. misce cum argilla, aut haematite, ac exinde fac globulos, destillaque per retort. ut moris est. *Clar. Dn. Hevic. Dieterich.*

Vires. Hic armoniaci spiritus affusus solutionibus Metallicis cum aqu. fort. factis, indeque alembic. abstractus secum alias corrosivas aquas transportat. Itemque quartanae & obstructionibus felicissimo cum successu exhiberi poterit solvit itidem calculum.

Dosis à gr. 3. ad 6. vel 10.

Extrinsecus anaticè cum spirit. vin. mixtus & plumaceio loco dolenti podagrico aliquoties illitus, dolores ad miraculum restinguit, praecipuè si in eo tantillum Camphorae fuerit solutum. Sennert. Institut. Hartman. prax. loc. de Arthrit. Tentzel.

Spirtus salis armoniaci urinosus.

In sale armoniaco duplex Spiritus repetibilis est, scilicet Spiritus Urinae & Sal. Com Ille facilè elicitur, vel additis cineribus anaticâ proportione, aut calcis vivae, Sal. Nit. fixo, sale Tart. Modum vide. pag. 159 secundae partis Glauberi. Quem verò describit idem author pag. 158. cum Lapide Calamin. is non ita feliciter cessit, fortè propter impuritatem Calaminae, est enim una alterâ longè melior. Spiritus aureus ejusdem naturae cum sal. com. sic prolicitur.

Spiritus acidus salis armoniaci S. Closs.

Solve salis armoniaci in aqua com. ita ut aliquid in solutum restitet, hâc solutione imbibe folia plura chartae Emporeticae in globulos sive pilas molles conformatae, quas in cucurb. conjice, & ex arena vel reverberio clauso propelle spiritum coloris aurei summè acidum, qui per rectificationem albescet.

Vires. Spiritus hic est penetrans admodum & subtilis à comixtione salis volatilis urin. unde summè Diaphoreticus est & colicam sedat.

Dosis gutt. 6. 8.

N. 1. Cave ne vehementiori igne charta comburatur, aliàs denigrabitur spiritus exstillans, cum putore ustionis, sit ergo ignis gradualis.

2. Cave ne mercurij spiritum addas, ut facit Querc. in Tetrade, titulo de Panacea mercurij, sic enim prodit una cum Spiritu salium fuligo quaedam mercurialis, à qua (si detur hic Spiritus intra corpus) gula constringitur cum signis instantis Convulsionis: post absolutam autem destillationem si detur igne sublimationis, tunc combustâ papyro nansciseeris mercurium dulcem.

Spiritus alius fugaciss. salis armoniaci.

℞. Calc. viv. q. v. inde Cucurbitae in MB. impositae. Hinc affunde sal armoniacum in aqua dissolutum, idque paulatim & per vices, alembicum semper reaptando. Quando omne superfusum fuerit, Receptaculo & Juncturis probè munitis destilla lentissimo igne. Sic prodit quidam Spiritus aliquali phlegmate dilutus, sed qui unicâ rectificatione dein fugacissimus redditur.

Usus ejus in variis morbis: Utimur tamen praecipuè in morbis capitis, Epilepsia, Apoplexia, gravitate auditus, &c. In morbis uteri: retentione mensium, difficultate conceptionis, singulari quodam instrumento eum applicando, cui si vola manus calens amovetur, statim operatur. Joël. Langel. Instrumentum illud est vitrum strictioris orificij, quod intruditur in vulvam.

Dosis à ℈ß. ad ℈j.]

Utuntur quidam spiritu salis armoniaci anisato, caryophyllato.

Item crystallis è spiritu salis armoniaci.

V. LIQUATIO.

Unde

Liquor seu oleum salis armoniaci per deliquium.

℞. Salis armoniacis purif. q. v. impone albuminibus ovorum coctorum, ac repone ut solvetur deliquium. *Kesler 1. cap. 19.*

SAL AMMONIACUM. Quod *veteres* habuerunt *nativum*, nos verò tantùm *habemus* idem

 artificiale

artificiale sive *factitium*. *Veterum* sal armoniacum jam *ignotum*, repertum fuit in desertis Lybiæ in Africa sub arenis, imprimis circa templum jovis Hammonis de quo *CVRTIVS*. Unde veteribus vocatum fuit Sal Ammoniac. à jove Hammone vocatum fuit SAL ARENACEUM, quoniam sub arenis repertum fuit, vocatum fuit SAL CYRENEUM à regione, quæ etiam appellata fuit regio Cyrenias.: Vid. *VVORMIVS in Museo*, & *KIRCHERVS in mundo subterraneo*; & alij scriptores: Nostras Sal Ammoniac. est tantùm *factitium*, quod scil. per coctu ram *elicitur*. ex Sale communi & Urina, quibus additur adhuc tantillum fuliginis furni sive camini: Conficiendi *modum habet AVCTOR* ex *LIBAVIO* & *VNZERO*. Coquuntur mista invicem, qua Coctura fit, ut Salis communis acidum arripiat sal vol. Urin. & etiam sal vol. fuliginis, & hæc Salia in mutuo consortio juncta, post cocturam sufficienter refrigerato vase, concrescunt in tale Sal candicans, quod vocatur propter similitudinem cum veterum Sale Ammoniac. nativo, etiam Sal Ammoniac. Inter SYNONYMA auctori 1. est, quod vocatur Sal Armoniac. AQUILA COELESTIS: ratio appellationis est hæc: quia beneficio Salis Ammoniaci facilè possunt res sublimari, & ab Ammoniac. instar aquilæ in altum evehi. Hinc imprimis usurpatur Sal Ammoniac. pro sublimandis Sulphuribus fixis metallicis sive metallorum. Arcanum imprimis consistit in debita proportione miscendi Sal Ammoniac. cum metallo præparato. Hinc *BASILIVS VALENTINVS* eleganter ita loquitur de Sale Ammoniac. in tr. german. Salmiac. (sal ammoniacum præcipuum est omnium metallorum menstruum, unde ab antiquis avi pennati & volanti comparatur, qui ad montium verticem omnium metallorum nec non mineralium colorem & tincturam asportat.) Hyperboreas sive ad summam volatilitatem. Hinc est, quod superius dixi, quod beneficio Salis Ammonic. sublimentur corallia, & ex iis eliciantur flores rubicundi, item beneficio salis Ammoniac. uti superius monui, parantur flores eleganter rubentes ex hæmatitide. Item *ZVVÖLFERVS in Mantissa pag.* 324. dicit, quod Sal Ammoniac. solvat Aurum & sublimet secum in alembicum & *pag.* 339. habet egregiam præparationem Sulph. Mart. anodyni cum Sale Ammoniac. per sublimationem parati: Quoad *vires internas* Salis Ammoniac. est egregium *febrifugū*, in specie *in febri quartana*, quæ perfecta cura cōsistit in Sale Ammoniac. egregiū est sal Ammoniac. in *quibuscunq; intermittentibus* die intermissionis datū, *præmissis universalibus* vel ante paroxysmū rarò quenquā fallet: *Dosis* potest esse ad ℨß. Deinde Sal Ammoniac. frequenter usurpatur *internè in morbis chronicis*, *Cachexiis*, *malo hypochondriaco* & in *infarctu viscerum*. *Externè* Sal Ammoniac. egregium est in gargarismatis *in Vlceribus faucium*, in *laxitate Vvulæ*, in specie si Sal. Ammoniac. misceatur cum jusculis avenaceis egregium est remedium ad præservandam *inflammationem tonsillarum*, Deinde externè etiam Sal Ammoniac. est singularis usus *ad refrigerandam aquam* tempore æstivo: si enim recipiatur nitrum, solvatur in Aqua & injiciatur in eandem sal Ammoniac. pulverisatum, & celeri manu agitetur, magna refrigeratio orietur in aqua, & erit frigidissima; Unde tunc temporis potus potest commodè in ea refrigerari. Modus Anglis usitatus est: Cæterum non diu durat ista refrigeratio, si tamen de novo injiciatur Sal Ammoniac. & agitetur denuò, iterum evadet frigidissima. SUBLIMATIO in flores est res facilis: *vel enim solum* Sal Ammoniac. solutum in aqua simplici sublimatur in flores, quam volatilitatem habet à sale vol. Urin. & fuliginis. *Præparatio AVCTORIS* prima est *cum sale fuso*: *observetur* autem, quod hæc sublimatio cum sale fuso salem ammoniacum reddat acrem nimis: propterea *præferrem* salem armoniacum *per se* sublimatum. *Quidam* miscent *cum limatura Martis* & sublimant, quæ sublimatio non est inelegans, quoniam simul in sublime rapiuntur partes substiliores Sulphureæ Mart. & evadunt *flores egregij in morbis chronicis* & *in febribus intermittentibus*; Effectus horum florum videantur apud Auctorem. CALCINATIO & FIXATIO. Hæ duæ præparationes sunt *frustraneæ*. Nō enim possunt perfectè fieri sine frustratione & de pauperatione Salis volatilis. SPIRITUS est nihil aliud quā spiritus Urin. quàm separatū sal. vol Vrin. & *est sp. Salis Ammoniac. spir. Vrin. depuratus*: Facilè potest elici *cum additione alcalium*, quæ se conjungunt cum acido Salis communis: Facta enim hac injectione, facilè sal vol. Urin. se extricat ex compedibus, & sub formâ naturali prodit spir. vol. Imprimis id quod injicitur, sunt alcalia quæcunque fixa, nam acida non conveniunt, quoniam hæc potius detinent salia volatil. dum se cum illis conjungunt: Quando adjiciuntur alcalia fixa, acidum cum illis se conjungit, & volatile dimittit, quod tantùm sub forma spir. urinosi per alembicum adscendit: adduntur nunc cineres, nunc Sal Tart. nunc cineres clavellati, nunc lapis calaminaris, nunc calx viva, nunc adjiciuntur alia pro re nata, quæ omnia imbibunt acidum, quo imbibito, vel sponte emanat spiritus, & remanet acidum. *Potest* m. *parari* spirit. ex Sal Ammoniac. *sine*, si scil. Sal Ammoniac. perfondatur cum Ol Tart. p. d. seu cum soluto Sale Tart. sic enim fit, ut acidū Sal. Ammoniac. aripiat Ol. Tartar p. d. quod si fuerit ingressum, vel sponte exhalare facit Sal volatil. vel spir. volatilem. *Quidam* etiam *addunt* sali Ammoniaco *minium* sive saturn. calcinatum pro conficiendo eodem spiritu. Hic spirit. Salis Ammoniaci ad eadem utilis est, ad quæ superius commendavi. *Spir. Vrin.* tàm internè quàm externè quodcunque *acidum* & morbos ab acido obortos *emendat* ac corrigit. *Febrifugum est catholicum*, quod certum est, unde κατ' ἐξοχὴν vocatur *spir. antiquartius*, quoniam curat febrim quartanam. Ab aliis vocatur *spirit. Antihypochondriacus*, quo etiam etiam in malo est egregius. A *RHVMELIO* vocatur *Panacea anti-tartarea* quod scil in morbis omnibus Tartareis à *PARACELSO* ita dictis sit egregius Vnde valdè *convenit* spir. salis armoniaci *in Apoplexia*, *Epilepsia*, *Lethargo* & affectibus capitis similibus, *internè* usurpatur ad ℨß, & *externe* etiam naribus admotus propter fragrantem & penetrantem subtilitatem valdoperè commendatur. In morbis mulierum *suffocatione Vterina*, *ciendis mensibus*, *Lochiis retentis* similibus est alius egregius: Externè in *doloribus podagricis* vix habetur simile remedium, imprimis si conjungatur *cum Camphorâ*, & sic fit *sp. salis ammoniaci camphoratus* secretus qui est in podagra, si externè partibus dolentibus applicetur. *Quidam* conjungunt spir. salis armoniaci volatilem *cum terra foliata Tart.* recipiendo spir. sal. ammoniaci ℥iij, terra fol. Tart ℥ß. Hæc enim se facilè uniunt, & in liquorem abeunt, quæ mistura felicissimè usupari potest *in scorbuto* & *malo hypochondriaco*. Beneficio conjunctionis horum salium possumus facere quædam egregia in Chymia & alchymia: Et certum est, quod Dn. *DYGBI* beneficio salis ammoniaci cum Tart. fol. juncti *præparavit Elixyr proprietatis*, istudque per alembicum destillavit. Si spir. salis ammoniaci *affundatur limatura mart.* & ponatur in lenem digestionem, postmodum v. leviter destilletur, prodit *spir. sine sapore urinoso* & *nauseabundo*. Limatura v. hoc sale impraegnata in loco frigido sive cella liquescet liquorem egregiè rubicundum, magnarum virium *in morbis chronicis*, quoniam melior est omnibus reliquis Tinct. martialibus. Quodsi præparetur spirit. salis ammoniaci additione salis cujusdam fixi, tunc post præparationem *spir. cap. mort. potest solvi in aqua calida*, filtrari & coagulari in sal., quod Sal est egregium *digestivum*,

digestivum, præmittendum purgantibus *in morbis chronicis* & similibus aliis affectibus. Præter hunc spir. sive sal volat. salis ammoniaci, qui est genuinus Urinæ partus, etiam potest destillari ex sale ammoniaco SPIRITUS ACIDUS, qui est filius salis communis ac salis fuliginis. *Modum destillandi* quendam *habet* AUCTOR, *alium* invenimus & quidem elegantiorem *in ZVVöLFERO*, in ejusdem *appendice animadversionum in Pharmacop.* August. ubi destill. spir. acidum ex sale ammoniaco, adjiciendo frumentum tritici, qui est quasi phlegmaticus quidam salis communis, quoniam non est valdè acidus & valdè corrosivus.

CAPUT XIII.

De Plumbo.

AD tertiam progredimur Metallorum Classem, quæ Metalla ignobilia minus dura continet, Plumbum scil. ac Stannum.

Præparationes sunt.

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Sublimatio 4. Destillatio. 5. Extractio, quibus addi possunt Mercurificatio, Salificatio & Liquatio.

Plumbum Metallum est vilissimum, constans ex Sulphure indigesto, sale aluminoso ac mercurio, naturam antimonialem æmulante.

Dicitur Saturnus, quia tum macrocosmico, tùm microcosmico Saturno, id est, lieni consecratum statuitur Græcè Μόλυϐδος, Germanicè *Bley*, du Plomb.

[Est veluti sapo ad abstergendas auri sordes argenti & gemmarum.

Vires. Refrigerat, adstringit, incrassat, &c. libidinem reprimit, ulcera carnibus implet, cicatrices obducit, excrescentiisque liberat, ulceribus cheroniis, quæ vocant, malignis cancrosis & putredinosis, tùm per se, tùm quibusdam aliis permistum convenit.

I. PURGATIO.

Fundatur saturnus, dumque fluit, injice aliquid ceræ vel axungiæ aurigarum (*Vvagensf hmier*) du vieil oing, ut efflagret, hinc effunde in aquam (calidam)

II. CALCINATIO.

1. Incineratoria.

Funditur plumbum, auctoque igne ut olla candeat continuâ agitatione reducitur in cinerem, seu calcem ciniream.

2. Reverberatoria.

Vnde Minium Officinarum.

Calx illa saturni continuâ agitatione reverberatur ulterius ut rubescat.

N. In reverberatione cave ne iterum fluat, alioquin in plumbum de novo convertetur.

3. Cementatoria.

Vnde Plumbum ustum Offic.

Fiat stratum super stratum ex saturni bracteis & Sulphure pulverisato utaturque hac ratione saturni, postustionem sæpius abluatur & resiccetur. Et hoc est plumbum ustum Officinarum, quod lavari potest, ut Cadmia. *Dioscorid.*

4. Immersiva.

Etsi saturnus beneficio cujuslibet liquoris acidi calcinari possit, quales sunt aqu. regalis, spirit. sal. communis, Sal nitri, Vitrioli, acet. destillat. in Officinis contenti, rarissimè reliquis utimur.

Vnde.

1. Saccharum sive Sal Saturni.

℞. Calcis saturni, vel minij, q. v. affunde acet. destillat. stent aliquandiu, extrahaturque s. a. decantatos liquores filtra, humiditatemque abstrahendo coagula: sic habes sal saturni, quod iteratis solutionibus ac coagulationibus; (primò in aceto destillato, dein quoque in aqua,) purificari, & tandem ad crystallisandum reponi poterit rejectis in operatione fæcibus.

N. Quidam à sale illo saturni acet. destillat. aliquoties (3.) cohobando abstrahunt, hinc affundunt spirit. vini, cohobantque itidem vicibus tribus.

N. 2. Simili modo & ex saturno granulato sal elici potest, quod præstat priori.

N. 3. Si acetum destillatum acuaveris spiritu Vitrioli, vel Sal. nitri, faciliùs negotium perficietur.

N. 4. Sal saturni crystallisatum si in cellam reposueris, liquescet paulatim, atque hac ratione oleum saturni per deliquium acquiri potest.

N. 5. Fit ex hoc sale & Balsamus saturni, quem vide in Lythargyrio.

Aliter.

℞ Laminas aliquot saturni tenuissimas, suspende partim in cucurbita supra acet. destillat. partim quoque ipsi acet. destillat. immerge. Hinc destilla cum cohobiis: destillatum hoc cum eo, quod in fundo remansit filtra, addendoque cerussam, quæ laminis adhæret, digere aliquandiu: tandem lenissimo calore abstrahe aliquotam acet destillat. partem, residuumque repone ad crystallisandum s. a. crystallos collectos purifica solvendo, & coagulando *Kesler. libr. 1. cap. 17.*

2. Magisterium saturni.

Solutioni saturni instilla olei Tart. p. 1. & præcipitabitur.

Vires. Saccharum & Magisterium (utriusque enim eadem ratio est,) intra corpus sumptum, frigiditate suâ libidinem extinguit.

Dosis gran. 4. 5. 6.

Extrinsecus arcet libidinem, si umbilicus & priapus eo inungantur. (N. Si vicissim mederi velis, utere Balneo Laconico, & inunge umbilico oleum nucis moschatæ destillatum.) Mira quoque præstat in ulceribus corrosivis, malignis, cancrosis, impetiginibus, ambustis ac inflammationibus. Dissolvit tumores duros & scirrhosos, applicatur commodè contusionibus, confertque inflammationibus rubedinique oculorum, in aqua rosarum & euphrasiæ, vel ciliis quoque impositum. Croll. Beg. Senn. in Inst.

N. Sal. saturni cum sal. nitr. in Chrystallos concrescit astmaticis proficuos: vide cap. 23. sub titulo sal. nitri saturnisati.

3. Aliud Magisterium saturni, Lac saturni dictum.

℞. Solve laminas saturni in spiritu Vitrioli rectificat. (vel aqu. fort. ex sal. nit & alum. ana) decanta: solutioni affunde Spirit. Vini rectificat. vel aquam salsam (i e. aquam in qua sal solutum) & præcipitabitur saturnus instar nivis, præcipitatum edulcora & exsicca.

4. Liquor lacteus saturni ad ulcera, S. Closs.

Imbibe ℥j. salis saturni cum ℈j Ol. Sulph campanarij, stet per aliquot dies in frigido, iterumque eadem quantitate olei irroretur, & sulphurari permittatur in phiala, quam reple ℥iv. aqu. comm. & agita ut lactescat.

Vires. Hoc liquore lacteo imbuantur pittacia sive splenia dupl. & applicentur bis aut ter in die calidè super ulcera dysepulotica, citoque cicatrice obducentur.

5. Calcinatio Vaporosa: unde Cerusa, Bleyvveisz.

Suspendantur lamellæ saturni supra acetum ut vapores ab aceto elevati circumeant. Sic adhæresceet paulatim Cerussa, quam derade, &c.

N. Sublimationem in Mercurificatione videre licet.

[Unguentum de Cerussa usuale.]

[Oleum

[Oleum cerussæ quidam parant ex macerata cerussa aceto forti, per retortam.]

[Cerussa lutea paratur per venerem.]

III. DESTILLATIO.

Unde.

1. Spirit. saturni ardens.
2. Oleum flavum.
3. Oleum rubrum.

℞. Sacchar. saturni (vel potius oleum saturni per deliquium destilla per retortam vitream lutatam in excipul. capaciss. juncturis bene clausis, igne gradatim adhibito, donec rubræ guttæ cadant, nihilque amplius exstillet.

N. Destillatus hic liquor quatuor diversa menstrua exhibere aptus est. Spiritum scil. ardentem, oleum flavum, phlegma, & oleum rubrum: quorum separatio fit per retortam vitream in MB. vel cinere, receptaculis scil. pro diversitate liquoris exstillantis mutatis.

Cognoscitur autem diversitas liquoris, quia spiritus ardens prodit sine ullis venulis in collo retortæ apparentibus, oleum flavum, cum venulis obliquis, ceu vinum ardens: Phlegma cum venulis rectis: relinquitur oleum rubicundum in fundo: phlegma separatur ab oleo flavo, seorsimque suscipiendum est.

Vires. Spiritus sodorificus est, hinc prodest in peste, Melancholia Hypoch. Febribus ardentibus, Lue Venerea, & simil.

Dosis gutt. 2. 3. *Tentzel.*

N. 1. Venereum appetitum infringit.

N. 2. Oleum flavum per dies aliquot digestum rubescit.

N. 3. Cum spiritu & phlegmate solvuntur & præcipitantur perlæ ad tincturam inde conficiendam. Vide tincturam Perlarum.

Cum oleo flavescente fit solutio auri: vide de auro.

Oleum rubicundum mundificat ac sanat vulnera, si illinantur.

Caput mortuum mundificat itidem vulnera.

Vide Beguin libr. 2. cap. 4. Hartman. in Croll. Sennert. Institut. Kesler. lib. 4. cap. 4. 57.

Oleum saturni balsamicum.

℞. Balsamum saturni Terebinthinatum, destilla per retortam, igne nudo gradatim adhibito. Primò stillat spirit. Terebinthinæ, tandem oleum saturni Balsamicum, suscipe seorsim.

Vires. Maximarum est virium in cancrosis, æsthiomenis & cæteris malignis ulceribus.

IV. SUBLIMATIO.

Unde.

Sal saturni volatile.

℞. Min saturni q.v. solve in aceto destillato solve quoque sal fixum in aqua Com, utraq; confunde. Sic extemplò præcipitatur pulvis albiss. qui probè edulcorandus & exsiccandus.

N. Hoc sal laminæ ferreæ ardenti impositum liquescit instar ceræ, neque effumat.

Ex communicatione Cl. D. Ioëlis Langelot.

V. EXTRACTIO.

Unde

1. *Sulphur saturni, seu oleum supernatans.*

℞. Mannam saturni, circula aliquandiu cum spirit. vini rectificatiss. abstrahe spirit. vini gradatim: sic ascendet tandem & oleum saturni supernatans.

N. Si oleum hoc cum spirit. vini denuò circules, tandem fragrantissimo imbuetur odore.

Vires. Maximarum est virium in affectibus pulmonum, phthisi, &c. Dn. D. Paulus Kesler.

2. *Tinctura.*

Crystall. saturni cum aceto destillato fact. extrahe cum oleo juniperi, ac rubescet oleum, abstrahe, si placet, & serva, vel digere cum spirit. vini, iterumque abstrahe.

N. Remanet materia post extractionem sali extrahendo idonea.

3. *Alia.*

℞. Crystall. saturn. (cum aceto destillato factor. & edulcorator.) q. v. extrahe. spirit. vini, filtra, digerendo defæca,) subsident enim fæces, abstrahe tandem spirit. vini, & remanet Tinctura in fundo rubra. *Kesler. lib.* 4 *c.* 70.

Dosis gut. 2. 3.

4. *Alia Tinctura saturni elaboratior.*

℞. Sal. saturni crystallisat. q. v. affunde aqua pluvial. sæpius (8.) destillatam, solveque quoad poteris, & decanta. Decantatos liquores destilla in MB. ad siccitatem. Hinc affunde spiritum mellis, circula per mensem, ac destilla cum cohobiis multoties repetitis. Tandem abstrahe mellis spiritum, remanentique Essentiæ adde Sal com. ex capite mortuo saturni extractum, & cum spirit. vini Tartarisato, per mensem unum ac alterum circula. Hinc spirit. vini abstrahe remanebitque Magisterium seu Tinctura saturni rubicundissima

N. Hic inserere placet quæ Etzlerus de saturn habet in Isagoge sua: Ex plumbo, *inquit*, conficiuntur medicamenta facientia ad longævitatem: Calcinetur plumbum per vapidi attractionem, & per menstruum debitum extrahatur tinctura. Hæc postmodum abstracto menstruo per debitam calcinationem & circulationem convertitur in lapidem rubicundum pellucidum.

Usus. Præstantissima est Medicina in Mania, Melancholia, Quartana, Phthisi: Lienem aperit, in melancholia Hypochondriaca optimè conveniens est.

5. *Alia Tinctura, Manna saturni dicta.*

℞. saturni laminat. q. v. extrahe Tincturam cum spiritu saturni essentificato, filtra & abstrahe.

6. *Cremor saturni S. Closs. & inde Tinctura.*

℞ Acet. destillat. partes x. spirit. sal. communis part. ij. mineræ saturni in alcool redact. part. 1. Digere per octiduum in cineribus vel plus, donec dulcescat acetum destillatum, solutum filtra, & inter exhalandum sæpius cochleari vitreo sublevа cuticulam seu cremorem glaciatum nivis instar splendentem, dum ejus suffic. quantit. habeas, reliquum crystallizetur, & ad alios usus servetur.

7. *Lapis & Tinctura.*

Cremorem hunc indito vasi fixatorio H. S. capellâ cinerea, igne primo leviss. per 40. dies cavendo ne fluat materia (ut in sale saturni vulgari accidit inevitabiliter) quibus elapsis proba super laminam candentem, an fluat cum fumo; si sic, continua ignem in eodem gradu, donec fumare desinat, & citrinari incipiat, tùm ignem auge dum crocescat, auge fortiùs ad rubedinem usque totalem pulveris. è quo Tinctura cum spirit. vini non difficulter postea habetur.

Vires. Valet ad morbos saturninos.

8. *Tinctura facilior.*

℞ minij saturni part. v. silicum calcinat. part. ij. terantur diutissimè, fluant, in tigillo igne per gradus adhibito, donec in lapidem Rubini æmulum colliquescat, qui tritus Tincturam suam in spirit. vini Tartarisatum deponit. Ex comm. S. Closs.

N. Hoc Rubino saturni vel sequenti vitro saturni videtur intelligendus Glauberus prima parte furnorum, p. 80. ubi calcem politam saturni miscet cum sal. com. Tartari, & inde destillat. Spiritum gradatorium & liquorem viridem deliquium ex capite mortuo excipit. Vel fiat Rubinus ex calce saturni sive minio, ut est in pag. 151 secundæ partis Glauber.

9. *Tinctura ex Vitro saturni.*

Saturnus vi expressivâ igne follium super testâ probatoriâ redigitur in gummi flavum coloris arantij, transparens, fusile, non vaporans in igne, estque aqua illa viscosa mineralis, quam Rhodianus ait omnium metallorum colores, odores & sapores ad se trahere, cum conservatione facultatis vegetativæ (videsis Beguinum tit. de spiritu ardente saturni) quod sic fit, Spiritus metallorum: Misce calcem cujuscunque volueris metalli cum hoc Gummate Mariæ, mixturam artefusoriâ redige in Encauston sive Smaltum opacum, quod in pulver. redactum facile Tincturam suam aceto destillato communicat, scil. lun. & Iupit. subflavum colorem, saturnus ex luteo virescentem, venus prasinum, mars sanguineum, aurum hyacinthinum impertitur. Solvente verò abstracto, restitans inde gummi mittitur in retortam exstillaturque fumus albus, opacus

opacus, tactu frigidus, quod tandem in Oleum abit naturæ vegetativæ, *Basil. Vigenerus.*

V. MERCVRIFICATIO.

Vnde

1. *mercurius Saturni.*

℞. Sal saturni, q. v. ole. sal. armoniac p. d. ad emin. 2. digit. digere in ciner. per dies ac noct. 14. Dein destilla, & tandem auctiori ign. sublima. Flores tere optimè cum aceto destillato. Saleq; com. ac habebis mercurium currentem saturni. *Kester. lib. 1. cap. 29.*

2. *Aliter.*

℞. Calc. saturni (per aquam fort. ex vitriolo & Sal. nit.) optimè edulcorat. Crystall. Sal. nitri purificat. ana, sublima per cucurbitam tubulatam, flores tere cum aceto.

N. Antequam affundatur aqua fortis, digerenda est limatura saturni per dies ac noct. (14.) cum lixivio ex sale ammoniaco, sal. com. Tart. & calc. viva in aqua vel aceto destillato quo lixivio dein evaporato, saturnus terendus est supra Porphyr. Kester. lib 4 cap. 82.

3. *Aliter.*

Fiat lixivium ex ciner. clavel. ℔. i. ciner. sarment. vitis ℔. iv. calcis vivæ ℔. i. silic. ust. ℔. ij. cum aceto destillato In hoc lixivio solve saturni limat. Et quando lixivium lactescit, injice Borrac. 3. p. (scil. respectu saturni injecti) ut solvatur: dein destilla gradatim, exstillabit tandem in receptaculum mercurius currens.

4. *Aliter.*

♃. aqu. sal. ammoniaci sublimati, & in cella resoluti ℥ij. ol. Tart. spit, sal. nitr. ana ℥ ß. M. digere per biduum in lapidem.

♃. hujus lapidis pulveris. ℥j. laminarum saturni ℥ij. laminæ solvantur in ℥iv. spiritus Sal. nitr. solutio projiciatur super lapidem, putrefiat per mensem aut ultra, abstrahatur spiritus usque ad liquorem cum cohobio terno, tandem detur ignis sublimatorius ut calx saturni ascendat, quam digere cum spirit. vini fortificato sale ammoniaco & sale Tart. per diem naturalem agita inter digitos, & calx. ad vitam excitabitur.

SALIFICATIO.

Sal saturni verum.

℞. Materiam, quæ remansit post extractionem cum oleo juniperi peractam, sicca optimè, ut oleositas penitus consumatur: extrahe sal cum aceto destillato (sic extrahitur sal com quod ante extractionem impediebatur, quo minus resolvi poterat abstrahe acetum destillatum ac repone ad crystallisandum, crystallos clarifica abstrahendo spir. vini & serva. *Basilius in Test. & hinc Thoeldius.*

Vires. Refrigerat vehementer & exsiccat, proinde semen extinguit.

Dosis g. 4.

Extrinsecus medetur oculorum rubedini, ulceribusque totius corporis.

N. Si Oleum seu Liquorem expetas, per deliquium id ex sale habere poteris.

SATURNUS s. PLUMBUM. Pertractavimus hactenus, occasione marte & venere, vitriolū, aluminen, & sal. ammoniacum. Recurrimus ad plumbum s. Saturn. Plumbum ergo alio nomine *vocatur saturn.* ex eo, quoniam dicitur *respondere & saturno macrocosmi, & satur.* miscrocosmi s. *spleni*, & *medicamenta saturnina* præ reliquis dicata sunt *spleni*. Quod attinet compositionem plumbi spagiricam, *in plumbo plurimum* est *Mercurij crudi* & non fixi sed valdè volatilis, *Sulphuris minus, salis fusilis v minimum*, indeque inter omnia metalla *Satur.* est omnium *vilissimus*, Ob mollitiem suam ratione Mercurij, & tenuem coagulationem principiorum funditur cum omni alio metallo, seu *liquescit cum omni alio metallo*; quæ omnia metalla, præter aurum & argentum, ratione sui Mercurij acidi absorbet in se, & quasi corrodit. Hoc ex fundamento instituitur in cupella beneficio Satur. purificatio auri & argenti *Non potest facile calcinari*, quoniam Sulph. ejus c. Mercurio pertinaciter est conjunctum, quod nō fit in jove s. stanno ubi Sulph. citius aufugit, & calcem relinquit. Ob spiritus terrestres acres cogit & *coagulat Mercur vivum*; si scilicet plumbo fuso & leniter denuò coagulato in foveam factam immittatur. Mercur. vivus in vase, tunc Mercur. dicto citius, coagulatur in massam duram. *Differt* Satur. à *Jove munditie*: *aliàs* valde inter se *conveniunt*: Nam Iup. magis est mundus, econtra Satur. est immundus. Deinde differunt *difficultate calcinationis*, quæ in Satur. major est quàm in Jove: Et denique *propter copiam* majorem *Sulphuris* constantis: Nam in Jov. copiosum luxuriat Sulph. secus atq; fit in Saturno. *Ad naturam satur.* propè *accedit* antimoniū magis terrestre, fœtidum, arsenicale & rapax. Vnde etiam dicitur ab auctore Lupus: de quo suo loco. Vnde etiam corpus antimonij minerale licet tamen Sulphure metallico Saturnino constare dicitur, propter convenientiam quam habet cum Saturno. Facilè funditur plumbum, quia Sulph. non fixo hydrargyroque abundat. Sulph. enim *fusile & Mercurius volatilis causa* sunt *fusionis* Saturni absque ignitione: Nam reliqua non funduntur nisi igniantur. *Nullum* est *metallum*, quod *minus salis* in se contineat quàm Satur. *In suâ radice Satur.* alit convenientiam *cum luna*. Hinc enim est, quod *in Satur.* in testa probatoria *semper* reperiatur *aliquid* lunæ perfectæ, adeò ut in se adhuc contineat primum Ens lunæ. Imò dicunt, si fiat talis calcinatio Saturni in radiis solis beneficio vitri lenticularis, quod loco granulorum lunæ semper remaneant aliquot granula auri, quod scilicet beneficio radiorum solarium luna ista transmutata sit in perfectum Aur. Cæterum plumbum non solum crudum & perfectum d. m. ejus MINERA vocatur in usum medicum. Minera hæc Satur. eligēda est in *vere vel* canicularibus scil. diebus etiam *sole in leone existente* & luna plena, vel paulo ante est *effodienda*; sic enim præ cæteris, possidere dicitur virtutes nobiliores. Mirabile est in plumbo, cur *vas plumbeum in quo aqua salsa coquitur non liquescat*, uti etiam hoc miratur HÖFERVS in *Herc. Med. p.* 398. uti Luneburgi conspicitur. Plumbum ipsum quoque *in pondere augetur*, si *subdio* cōservetur, ut pluviam & aërem suscipere queat, & si matrice sua seu terræ cavernis destituatur. Quod attinet usum Satur. de illo erit dicendum in specie inter præparata: Hoc saltim moneo, quoad usum externum Satur. quod rectè illum vocavit PARACELSVS *columnam Chirurgiæ*, ex eo quoniam in morbis externis *in ulceribus*, *in tumoribus*, in *Cosmeticis*, in *inflammationibus & ardoribus* & similibus ferè omnibus externarum partium affectibus sit singulare *remedium satur.* Nam ratione suæ compositionis naturalis promptè *absorbet* quodcunque *acidum* etiam subtile, adeò ut istud acidum attractum à Satur. dulcescat uti habebimus de saccharo Satur. Vnde cum tales affectus cutanei, in specie ulcera maligna, inveterata, cācrosa & cacoethea, &c. oriantur ab acido, Saturnus in eorum cura erit admodū proficuus, quoniam absorbet eorum fermentum corruptivum acidum.

PVRGATIO: Hæc quam habet AVCTOR potest aliquantisper tolerari: *elegantior est* ea, quando funditur plumbum in acetabulo sive crucibulo, & sic fusum per quadrantem horæ relinquitur, hinc injicitur parum salis ammoniaci, agitatur paulisper cum spatula ferreâ, donec sal ammoniacum in auras abierit, tunc impuritates supernatantes abjicies, & habebis plumbum sive Satur. instar argentum purum sive album. Hic depurandi modus similiter quoque obtinet in purificando stanno sive jove. Etiam *alio modo* fit depuratio Saturni à fœculentia sive Sulphureitate denigrante, idque *compositione amalgamatis* Satur. cum quartâ parte mercurij: amalgama hoc pistatur in marmore, & misceatur cum ana salis gem. & sal communis, & pistantur donec sal evadat nigrum tum cum aceto forti albo lava salsedinem, iterum pista cum sale, & lava salsedinem cum aceto, idq; toties repete: donec nihil appareat nigredinis: pulverisa

verisa iterum & misce cum ana salis dicti, & fac ebullire in aqua, totaq; exibit nigredo: tum cum aqua ebulliente sæpe separa ab eo salsedinem, & plumbum album instar lunæ evadet. Post purgationem sequitur CALCINATIO, quæ est INCINERATORIA, quando plumbum fusum & agitatum abit in cinerem vid. AUCTOR. Hinc sequitur REVERBERATORIA, quando funditur & agitatur plumbum, ita ut abeat in pulverem cinnabarinum, qui pulvis cinnabarinus vocatur MINIUM; est autem nihil aliud, nisi saturnus calcinatus & agitatus, donec rubescat; (quo diutius agitatur eò rubicundiorem acquirit colorem) *Notabile* est hoc de minio, utut sit rubicundum: nihilominus si misceatur *cum* sale ammoniaco quod exinde *in igne amittat* omnem *rubedinem*; Deinde de plumbo & hoc *notabile*, quod in ista calcinatione Satur. in minium, *Minium* calcinatum *excedat in pondere Satur.* ex cujus calcinatione parabatur, idque propterea, quoniam particulæ acidæ ex carbonibus exhalantes cum igne penetrante plumbum, in calcinatione ista, ipsi adhærent, & ita ejus pondus augent. CEMENTATORIA, quando scil. calcinatio fit beneficio s. s. sti cum Sulphure, uti habet AUCTOR: sic enim fit, ut Sulph. accensum beneficio spiritus acidi corrodat plumbum: & hoc est *plumbum ustum officinarum.* Ad Calcinationem Satur. etiam pertinet *Granulatio Saturni*, quo etiam pertinet Granulatio Jovis: scil. fuso Satur. vel Jov. sal immisceatur, ita ut particulatim injiciatur, & sedulò agitetur, subigaturq; cum spatula: loco salis etiã mistura ex sale & alumine sumi potest. Cum in minima discessit mistura agitatione ista, refrigeratâ massâ, sal aqua affusâ solvitur & eluitur, restitante postmodum metallo, sub granularum forma Ex Minio cum pulv. silicum fundendo forti igne præparatur VITRUM SATURNI *Smaragdinũ*, seu viride item fit vitrum Satur. rubeum ex Satur. fuso super calce vivâ, posteaq; in vase fictili fortiter super ignẽ calcinato. CALCINATIO IMMERSIVA est, quãdo Satur. solvitur beneficio menstrui cujusdã acidi jã observetur acidũ, quodcunq; sit, facillimè aggredi impura & imperfecta metalla, in specie Jov. & Satur adeò ut *quibuscunq; acidis fiat solutio* Satur. imprimis solet expeti aciditas volatilis aceti, ut corpori magis amica, & ita acet. soluto Satur. fit dulce: & quoniam *acetum infusionis* Satur. dulcescit suaviter, propterea remedium, quod exinde paratur, quoniam & ipsum est saporis subdulcis, inde SACCHARUM sive sal SATURNI vocatur, non quod revera sit sal Satur. sed est tantùm solutus & denuò coagulatus. Modum. habet AUCTOR, qui videri potest &c. potest etiam Lithargyrium addi: Et quidem *fit* solutio *in aceto*, filtratur & abstrahitur in pulverem album: quod si sæpius solvatur & coaguletur in loco frigido, abit in crystallos. Abstractio sacchari: In præparatione hac communiter dicitur, quod debeat abstrahi ad siccitatem fortem: Hoc autem non valet: si enim h. m. abstrahatur, & deinde ignis fortiter augeatur, pulv. Satur. *dicitur fulminare* instar auri fulminantis. *Potest etiam parari* saccharum Satur. *cum nitro & aceto destil.* ex Satur. quod saccharum Satur. valdè commendatur à *KRÜGNERO in putredine oris: cap. 2. vero chimico* Simili ratione atq; fit saccharũ Satur. Fiunt *Christalli Satur. ex minera Satur* sc. solvitur minera Saturni per acetum destillat. cum spiritu nitri acuatum, soluto, filtrato, & leviter evaporato in loco frigido concrescit in crystallos, qui crystalli præferuntur iis, qui parantur ex Satur. jam fuso & calcinato, *laxant* leniter, & *aperiunt* egregiè. *In malo hypochondriaco*, in *Mania* & similibus affectibus hi crystalli sunt valdè *utiles*, & proficui: adeò ut etiam desparatos in tali casu curent. Aliàs ipsum *saccharum Satur.* quod attinet, est medicamentum *polychreston* & multi usus. Nam utut corrosio fiat plumbi beneficio Acet. in saccharum Satur. non tamen est saturatum ab acido: Vnde *interno* usu *quodcunque acidum* vitiosum hoc saccharum Satur. *absorbet*, & ob id *in malo hypochõdriaco*, in specie *in melancholia hypochondriacâ*, est singulare remedium: Novi scil. aliquot curatos à melancholia hypochondriaca beneficio sacchari Satur. *in affectibus splenis* ab acido vitioso ortis *vix* habetur *simile* remedium, & est revera medicamentum Saturni metallici, conducens Saturno microcosmi. In *scorbuto* internè quoque egregiè prodest: Effervescentias & *phlogoses* corporis *subitaneas* ex vitioso acido intestinis effervescente ortos, saccharum Satur. assumtum promptè *compescit. Multi verentur usum* hujus sacchari Satur. *internum* ex eo, quoniam *inducit sterilitatem*, & maritos *reddit impotentes.* Cæterum hoc est *falsum*, cum nulla prostent sufficientia experimenta, quæ hoc persuadeant. Saccharum Satur. in *Colica* est egregium remedium, imprimis si sit *à bile*, quam vocant *æruginosam*, de qua notum est, quod ibi abundet acidum. In *Erysipelate scorbutico* cum vitio splenis pronato singulare experimẽtum est saccharum Satur. Quidam aliquando laborabat Erysipelate splenetico, quod aliis nullis cessit remediis, nisi sali s. sacharo Satur. assumpto, ex cujus usu interno omninò nigricans ex corpore fuit facta excretio, cum reconvalescẽtia ægri Præterea sal. s. saccharum Satur. à quibusdam multum *commendatur ad curã pestis*, ex eo, quoniã scilicet malignæ influentiæ Saturni pestem inducunt; Vnde etiã medicamenta saturnina eandem curant: maximi certè fit à multis in peste curandâ: ut etiam *in* quibusdam *febribus ardentibus & malignis*, multum commendatur ex eo, quod mirificè sanguinem edulcorat: *In quartana* cum splene affecto conjunctum saccharum Satur cum oculis cancrorum est expertum remedium, præmissis universalibus, si ante paroxysmum propinetur: *Præsentissimum* dicitur *cordiale* sal Satur. si misceatur cum pulverib. Bezoardicis, & ita usurpetur: Ex saccharo Satur. & Vitriol. Vener. vel mart. depuratissimo, mistis insimul, affusione spir. vini fit Tinctura illa admirabilis quam vocant TINCTVRAM ANTIPHTHISICAM, valdè adstringit, & ingens habetur secretum *in consolidandis pulmonibus exulceratis*, & in consolidandis aliarum partium exulcerationibus. *Externè* saccharum Satur. valdè convenit *in quacunq; inflammatione* aut ardore cujuscunque partis, dum mirificè omnes inflammationes, *ardores* & ipsa *Erysipelata sistit*, indeq; valdè refrigerare dicitur Satur. Vnde *in inflammatione oculorum* saccharum Satur. mistum cum aqua rosarum, plantaginis, Euphrasiæ &c. applicatum, valdè inflammationes compescit. Unde etiam *in variolis* ad præservandos oculos eodem modo adhibetur, in quo casu optimo consilio unum alterumve granum Camphoræ additur: similiter externè *ambustiones curat*, sicut omnia reliqua ex plumbo parata remedia. In cancro in *Vlceribus* quibuscunq; *malignis* & *rebellantibus* &c. item cum imflammatione conjunctis saccharum Satur. est optimum; In *inflammationibus* & *excoriationibus* partiũ, & similibus affectibus aliis, valdè convenit Satur. & saccharum Satur. Vnde etiã tot sunt unguenta & Emplastra in Officinis. Vt *emplastrum album Camphoratum*, unguentum *de Cerussâ*, unguentum *de Minio* &c. quorum omnium basis est Satur. & etiã inter alia saccharum Satur. Et quidem pro tali externo usu saccharum Satur, dissolvitur in aqua appropriata: alij v. sal s. sacchar. Saturni reponunt in locum frigidum, ut liquescat & abeat in liquorem, qui liquor vocatur *Ol Satur.* per deliquium. Quod Ol. ad omnia ea modo dicta valdè est proficuum. Externè ulterius: Satur. est elegans *cosmeticum*; Vnde *in pustulis faciei*, in *gutta rosacea*, item in *scabie* & similibus affectibus aliis summum est cosmeticum saccharum Satur MAGISTERIA Satur. nihil aliud sunt nisi solutiones Saturni, præcipitatæ cum Ol. Tart possunt tamen etiam præcipitari cum spiritu Vitrioli & sunt eiusdem usus cum saccharo Satur. & ipse ego præferrem saccharum satur. quoniam cum duplici sale constent, non sunt adeò proficua. CALCINATIO VAPOROSA dat CERUSSAM. Dixi superius, quod Calcinatione vaporo-

sa

ſa ex laminis veneris oriatur ærugo ſive viride æs, ita etiam hoc loco calcinatio vaporoſa ex laminis Satur. dum ſc. acetum corrodit lamellas Saturni, dat pulverem album, quem vocant Ceruſſam. *Præparatio* Ceruſſæ pro uſu medico *fit cum* aceto vulgari modo in loco calido. Cæterum pro uſu alchymiſtico ceruſſa fit convenienter *cum* aceto, in quo ſolutum ſit ſal ammoniacum, ſic enim pulcherrima & ſubtiliſſima habetur ceruſſa. *Quidam* recipiunt laminas Saturni, quas *immergunt ſpiritu vitrioli acri*, & ſuſpendunt in aëre, donec ceruſſa ſenſim ſenſimque effloreſcat. *Ceruſſa* vulgari modo cum aceti vapore parata, eſt nihil aliud niſi *ſaccharum Satur.* Unde *ad eoſdem uſus* poteſt adhiberi, ad quos imprimis externè adhibetur ſaccharum Satur. Cæterum antequam externè adhibeatur, *depuranda eſt* benè, & abluenda cum aqua calida ſimplici. Nam niſi hoc fiat, ceruſſa hæc, quam mulieres exoptant ad faciem dealbandam, dentes earum reddit nigros, corroſos, & inducit fœtorem oris: quod aliquantiſper poteſt præcaveri, ſi benè abluatur, & *moderate uſurpetur.* Sequitur

DESTILLATIO, quando ſcilicet ſaccharum Satur. deſtillatur per retor. Cæterum hic *obſervetur*, quod ſuperius, ubi de Coralliis monui, quod ſcilicet eorum & Satur. *deſtillatio* ſit *impoſtura*, & quod SPIRITUS ARDENS & OL flavum & rubrum ſint *fœtus aceti*, cum quod paratum fuit ſaccharum Satur. Dixi enim in aceto eſſe incluſum ſpiritum vini: quod ſi ergo in ſolutione Satur. partes acidæ obſtinate adhæreat Satur. ex iſta adhæſione harum partium, in deſtillatione volatiliores fiunt ſui juris, & leni igne prodeunt. Unde dico, quo hic *Spiritus Satur.* nihil ſit aliud, quàm *ſpirit. vini regeneratus*, & *Ol.* ſit *acidum concentratum*, & nihil de Saturno obtineat virium. Unde omnes facultates, quas adſcribunt huic ſpiritui vel Ol. Satur. ſunt nugationes & nullas alias obtinent, niſi quas habet ſpiritus vini. Habet Auctor. *num.* 4. deſtillationem, quæ eſt *impoſtoria*, cum ſpir Terebinthinæ, *nihil* enim aliud prodit *niſi ſpiritus Terebinthinæ* & Ol. Terebinthinæ; de Satur. nihil omninò per retort. tranſit: id *quod patet*, ſi caput mortuum ex deſtillatione Ol. & ſpiritus ardentis miſceatur cum alcali reſuſcitativo v. g. ſal Tart. vel cum borrace, vel alio alcali fixo, fundatur in crucibulo, in antiquum enim denuò abit plumbum. Occaſione hujus deſtillationis obſervetur non inelegans *modus deſtillandi* BUTYRUM Satur. ſi ſcilicet recipiatur minera Satur. (debet eſſe minera Satur. volat. nam mineræ Freibergenſium non valent.) hæc minera Satur. miſceatur cum ana Mercurij ſublimati verbi gratia ana lib. iß, deſtillatur per retort. ſicuti fit in deſtillatione butyri antimonij, & ſic acquiritur butyrum Saturni: Hoc rectificetur more conſueto Uti etiã cinnabaris eſt rectificanda, quæ ſimul adhæret collo retortæ. In hac deſtillatione ſimul habetur Mercurius vivus: ſed eſt tantùm Mercurius vulgaris reſuſcitatus ex Mercurio ſublimato. Cæterum ſi hoc butyrum Satur. rectificatum affundatur ſuper novam mineram Satur. & denuò deſtilletur per retort. ſic habetur tandem perfectus vivus Mercur. Saturni, qui eſt reverà *Mercur. corporis Satur.* Ex hoc butyro Satur. poteſt fieri BEZOARDICUM SATURNINUM eadem ratione atque fit ex butyro antimonij Bezoardicum minerale. Quod Bezoardicum Saturninum imprimis eſt *mirabile in peſte*, ex eo, quoniam peſtis eſt morbus Saturninus, & etiam per fixa & Saturnina remedia optimè curatur. Prodeſt in *Pleuritide*, *ſcorbuto* & *malo hypochondriaco*, *melancholia hæpochondriaca.* Ex hoc butyro Satur. eodem modo atque ex butyro antimonij, poteſt præcipitari *pulv. albus inſtar* Mercur. vitæ; qui pulv. etiam habet *virtutem laxativam* convenientem in purgandis morbis melancholicis & ſpleneticis. Hoc butyrum Satur. ſi affundatur ſuper ſaccharum Satur. unaque deſtillentur, dant oleum *rubicundum* admodum *dulce*, egregij uſus externi, *in ulceribus corroſivis* & depaſcentibus. Hæc quæ jam dixi de Saturno, etiam ſunt intelligenda de minera Jov. eodem enim modo poteſt præparari butyrum Jovis, Bezoardicum Joviale, & pulv. albus, ſicuti de minera Satur. Hæcque medicamenta, ex Jove hoc modo præparata, erunt convenientia *in purificando ſanguine, morbis uterinis, morbis hyſtericis* & ſimilibus aliis. Obſervetur ſemel pro ſemper, quod TINCTURÆ SATURNI nihil valeant, ſed *ſint* tantummodò *colorationes menſtruorum*; & nihil de Satur. participant. Prior eſt cum ſpirit. vini, altera cum ſpiritu Juniperi; ubi facilè ſpiritus hi fiunt rubicundi. Eodem modo; quo fit Tinct. antimonij cum ſpiritu Juniperino, nonnulli faciunt cum ſpiritu vel Ol. Terebinthinæ, & hanc *Tinct. Satur. Terebinthinatam* valdoperè commendant in *Gonorrhæa*, imprimis ſi addantur grana aliquot Camphoræ. Hoc certum eſt, quod ſpiritus Terebinthinæ affuſus ſacch. Satur. ſe cum eodem uniat, & invicem rubeſcant, ſed rubedo non eſt Satur. ſed tantùm ex unitione ſpiritus Terebinthinæ cum ſacch. Satur. Unde etiam deſtillando nudus prodit ſpiritus Terebinthinæ reſtitante Saturno in fundo. De ſale Satur. ſ. ſacch. Satur. ſupra dixi, quod poſitum in cella, liqueſcat in *liquorem*, qui liquor convenienter poteſt miſceri cum aqua calcis vivæ pro uſu externo in quàmplurimis affectibus. Unde ex hoc liquore & beneficio hujus. Liquoris fit *butyrum Satur.* linimentum magni momenti in morbis externis: ſi ſcil Jupiter calx viva, & ſimul Satur. in aceto deſtillato ſolutus Hæc duo invicem miſceantur cum Ol. appropriato, & agitando abeunt in conſiſtentiam butyri & unguenti, valdè convenientis in morbis externis ſuperius dictis. Imò vel ſolum *ſacch. Saturni* miſtũ cum *Ol roſarum dat unguentum* elegans *in ambuſtionibus.* MERCURIFICATIO. ſ. reſuſcitatio Mercurij vivi ex Satur. cujus magna dicitur eſſe *convenientia cum Mercurio vulgari*, & dicitur eſſe tantùm Mercur. vivus perfectus & coagulatus. *Modos* varios varij tentant: ſcil. affunditur aqua regalis mineræ Satur & digeritur per aliquot dies, & ſic tandem ſenſim ſenſimque acquiritur Mercur. vivus: Hic Mercur. vivus cum auro miſtus & digeſtus, ſe promptè cum eodem unit, & tandem cum Mercurio auri per retortam deſtillatur, ex quo Mercur. cum auro conjuncto egregius præcipitatus fieri poteſt. *Alij tentant* negotium mercurificationis optimè ſalium reſuſcitativorum beneficio, ſcil. ſal Tart. & ſal. ammoniac. uti etiam beneficio calcis vivæ. His enim miſtus Satur. præparatur: ponitur in cella in digeſtionem & diſtillatur. Alij ita prodire dicunt perfectum Mercurium. Sequitur.

CAPUT XIV.

De Stanno.

STannum eſt Metallum molle, album, ſplendens cum livore quodam, conſtans ex mercurio puriore (in genere ignobiliorum,) molliore, fugacioreque quàm Metalla duriora, fixiore verò quam plumbum, & Sulphure albo minus maturo.

Dicitur Hermeticis Iupiter, quòd Iovi macrocoſmico ſympathicè conveniat, & proinde Iovi microcoſmico, id eſt, Epati: nonnullis, plumbum album. Germ. *Zin. Vuiſzbley*, Etain, Plomb Blanc.

Vires. Præterquam quod Epati convenit, uteri morbis peculiariter quoque dicatur.

I. PURGATIO.

Funditur ad ignem, atque inter fundendum ſuperinjicitur aliquid ſevi, ceræ, vel mellis, ut comburatur. Hinc affunde in aquam calidam.

N. Purgari quoque poteſt per ſublimationem Vide infrà.

JUPITER ſ. STANNUM. Eſt alterum ex metallis mollioribus & ignobilioribus; *Nobilius* tamen *ipſo* Saturno ſ. plumbo. *Conſtat ex Mecurio puriore* quam

quam est mercur. plumbi, molliore tamen & fugaciore quam est Mercur. in metallis duris, stabiliore tamen & magis excocto quam in saturno, deinde constat etiam *Sulphure acri*, sed minus maturo, quod Sulph. primâ fronte sub cœruleum apparet, in successu tamen tincturam citrinam & rubinum purum gerit, idque ex eo, quoniam est *aliquid in jove de primo Ente auri*, adeò ut in jove semper aliquid reperiatur auri, sicuti in Satur. aliquid lunæ. Hinc etiam sunt quidam, qui volunt, quod jupiter sit *qs. medium quid inter Lun. & inter Satur.* Indeque vocatur à quibusdam *plumbum album*, & quod qs. certâ proportione, in matrice participet de utrisque, adeò ut quicquid lividi subest id Satur. acceptum ferendum; quicquid verò puri scilicet splendoris, Lunæ attribuendum: *Differt* autem in hoc à Saturno jupiter, quod Satur. facilè potest separari à metallis reliquis: jupiter non item: Unde etiam jupiter *dicitur reliquorum metallorum Diabolus*, utpote à quibus difficillimè potest separari. Sulph. valdè abundat & superbit in jove, uti apparet in ejusdem medicamentis, in Bezoardico joviali, in sudorifero magno *FABRI*, & in Antihectico *POTERII*: Hoc enim habet colorem subcœruleum ex jove Sulph. cœruleo, quoniam adhuc est immaturum, & propter volatilitatem solet excitare vomitus: unde quando debet esse sudoriferum & præcipitans. Sunt qui *ex herba Genista* volunt parare jovem adeò quidem, ut in Calcinatione Genistæ repertum sit perfectum stannum: de quo vid. *ROSENCREUZERUS* & superius quæ dixi de Genista. Sequitur PURGATIO & quidem illa, quam habet AUCTOR satis est clara. *Alius est modus* purgandi vasa stannea, si recipiatur sal commune, sal ammoniac. & sal Gemmæ item alumen Rochæ. Misceantur cum aceto albo, in quo bullienda sunt stannea vasa, & extergenda cum panno linteo, sic enim fiunt elegantia instar argentea CALCINATIO. Observetur hîc, quod ob convenientiam Satur. & jovis eodem modo tractentur, & eadem fere medicamenta ex utrisque præparentur. *Ex Jove* eodem modo potest fieri MINIUM atque ex Satur. GRANULATIO potest fieri sicuti dixi de Satur. *Immersionis* Corroditur etiam cum aceto destillato, & fit saccharum vel sal Satur., uti habet AUCTOR. Cœterum notandum est, ut *benè sit calcinatum* & reverberatum aliàs non potest fieri saccharreum scilicet sal jovis 1. id quod optimè observat *ZUUOLFERUS in Mantissa Hermetica p.346*. Possunt etiam ex jove parari FLORES beneficio nitri, idque in specie per retortam tubulatam, qui flores optimi sunt ad præparanda remedia reliqua ex Jove. Sal hoc Jovis valdè convenit *in hectica*, uti etiam sacch. Saturn. sal hoc jovis item elegantissimum est remedium *in affectibus uteri*, in specie in *suffocatione uterina* dicta. Nam Jup. & ex eo parata remedia præ reliquis omnib. metallis conducunt in Uteri affectibus sal hoc vel *internè* in suffocatione Uterina adhibetur, vel *externè* in loco frigido *resolutum inungitur umbilico* in eadem suffocatione: uti etiam hinc *in Colicâ*, & flatulentis intestinorum morbis. Eâdem ferè ratione, atque dictum de minera Saturn. possunt Jov. parari *crystall.* jovis ex minera. MINERA vocatur germanicè: ex his beneficio aceti destillati fiunt crystalli, blandè & suaviter laxantes, dicati imprimis mulieribus, ubi opus est Laxatione. Dixi quod sal Jov. conveniat valdè in Hectica. Unde hac occasione loquendum est de ANTIHECTICO *POTERII*, quod nihil *est* aliud quam regulus antimonii & Jov. compositus cum triplo nitri perfectè fixatus: Hoc antihecticum Poterii convenit *in morbis Uterinis*, quibuscunque *febribus ardentibus* & malignis: Valdè etiam convenit in *purpura mulierum*, in quo morbo etiam egregium est remedium *Bezoardicum Joviale*, cujus præparationem habebimus, ubi de Mercur. In *nimiâ hæmorrhagiâ uteri* sive post partum, seu tempore partus antihecticum & Bezoardicum Joviale sunt egregia remedia. *FABER* præparat remedium diaphoreticum, quod vocat *sudoriferum magnum* ex Jov., regulo antimonii & Satur. est egregium remedium, & mirificè prodest, ubi opus est *purificatione sanguinis* per sudorem, singulare est & in eo multa adhuc latitant arcana.

Ex Jov. similiter possunt parare *butyrum* Jov., Bezoardicum, *pulvis laxans*, & *Oleum dulce*, uti ex Saturno, simili modo uti antea dictum sub Satur. quæ imprimis conveniunt *in sanguinis impuritate*, *morbis uterinis*, *hysterica passione*, *&c. paranda vero sunt ex minera*.

II. CALCINATIO.

1. *Incinerationis*, &

2. *Reverberationis*.

Fiunt eodem modo, quo in saturno calcinare docuimus.

3. *Immersionis*.

Fit itidem immergendo liquoribus acidis ac corrosivis, ut in saturno: usitatissimè tamen per acetum destillatum.

Unde

1. *Sal jovis*.

Vide Saccharum seu sal saturni, ad cujus modum ut parari & crystallisari ita & cum spirit. vini exaltari poterit.

N.1. Nisi jupiter optimè fuerit reverberatus, nihil effeceris.

N.2. Simili modo & ex floribus sal. conficere licet.

Vires. Præstantissimum ac præsentissimum est remedium in uteri suffocationibus, quas ad miraculum compescit tam intrinsecus quàm extrinsecus adhibitum. Commendatur itidem extrinsecus ad omnia ulcera fœtida, fistulas, cancrum, & alia æstiomena.

Dosis gran.ij. iij.iiij. &c. repetitis vicibus.

2. *Magisterium*.

Fit quoque simili modo per præcipitationem. *V. Mynſ. Armam.*

N. Paravi quondam Magisterium jovis, solvendo scilicet reverberatum in aceto destillato præcipitandoque per spiritum vitrioli: verum cùm alia vice idem ex calce jovis à Stannariis empta meditarer, nihil effeci. Præcipitatio autem subsecuta est instillando urinam.

Vires. Eædem sunt cum priori.

4. *Calcinatio Vaporosa*.

Similiter quoque ut in saturno dictum, peragi potest.

III. DESTILLATIO.

Destillationi quoque eidem obedit cum saturno, unde Lectorem eò remittimus.

Hinc

1. *Jov. Diaphoreticus Beguini*.

℞. Jov. optimè limati vel calcinati ℥ii. mercurii sublimati ℥iv. Misc. & destilla per retortam, ex arena vel igne nudo gradatim adhibito, idque in excipulum aquæ semiplenum, & præcipitabitur pulvis, quem lava, exsicca, & serva.

[In febribus, pleuritide, hystericis affectibus utilis.]

N.1. Cùm incipit destillare, ignem suppressum adhibe, ut calor sit moderatus.

N.2. Pulveris hujus origo potiùs mercurio adscribenda quàm jovi. Sunt tamen qui statuunt pulv. hunc nil esse aliud quàm partem puriorem jovis per spiritus salinos & vitriolatos calcinatam, solutam atque exstillantem, cùm per fusionem habeat in Regulum jovis, ut ille in Regulum antimonii redibat. Hinc Antihecticum Poterii.

[Quod paratur ex antimonii & jovis partibus æqualibus, agitatione

agitatione in ſcorias redactis, & cum nitri triplo in crucibulo detonatione, famoſum, ſed expectationi ſæpè inſufficiens.]

*N.*3. Aqua reſidua ſpiritu Vitrioli philoſophico imprægnata, deſtillationi ſubjici poterit, ut inde habeatur ſpiritus Vitrioli philoſophicus, modo ſupra in ſpiritu Vitrioli deſcripto.

*N.*4. Si poſt exſtillatum butyrum Jovialem ignem ſuppreſſionis per gradus dederis, tunc in collum retortæ ſublimabuntur flores argentei.

Doſis gr.4.5.6. Beg.

[*Bezoardicum joviale, vid.cap.ſeq.*]

2. *Sulphur jovis, ſeu oleum ſupernatans.*

Elici poteſt ex Manna jovis : modum vide in ſaturno.

N. Eadem ratione quoque fragrans reddi poterit.

3. *Gummi joviale ſublimatum, & Oleum S. Cloſſ.*

℞. Limat. jovi ℥ij. mercurii ſublimati. ℥vi. M. manu celeri. pone in retorta collo peramplo inſtructa, pelle per arenam ſpiritum ſemper fumoſum, poſtea butyrum, indeque mercurius vivus in copia exibit, tandem adhibito ſuppreſſionis igne, elevabitur tota jovis ſubſtantia, gummatis griſei ac præduri ſpecie, paucis admodum fæcibus rubris in fundo ſubſidentibus. Hoc gummi ſtatim pulveriſandum eſt, aliàs ſub dio humeſcit, deinde ſuper tabula martis ſtanno obductâ collocandum in vinaria, ubi colliqueſcet in oleum flavum.

4 *Sulphur jovis.*

Id quod remanet non colliquatum ſuper laminâ martis, M. cum fæcibus ſuperioribus, affunde acetum deſtillatum, digere per quatriduum, abſtracto aceto deſtillato reperies Sulphur rubrum jovis inſtar Minii.

5. *Sal jovis.*

Reſolve hoc Sulph. in aq. communi, vel per ſe in humido liqueſcat, filtra, coagula, ſolve, iterum erit coloris Smaragdini cum quadam dulcedine.

Vires. Oleum numeratur in ſolventia metallorum. Sulph. & ſal externis tantùm uſibus inſerviunt, ſpiritus verò jovis (quem ideò ſemper famoſum vocavi, quòd in nullo vaſe abſque effumatione ſenſibili poſſit contineri, Gangrænas ſolo attactu curat.

6. *Cryſtalli jovis ejuſdem.*

℞. Superioris ſpiritus fumantis ex jove inſtar aquæ claræ proliciti quantum videbitur, affunde per vices parum ſpirit. vini tincturâ ſalis Tartari imprægnati elevabuntur bullæ cum ſtrepitu & fumo, perge inſtillando, donec ceſſet, tumultuatio, pone vas inter calidos cineres, & fiet coagulatum nigrum picis inſtar, da ignem ſublimationis, & ſurgent Cryſtalli albi fuſiles velut cera.

Aliqui Ulcera ſcrophuloſa cancroſaque curant inurendo profundam eſcharam, quâ ſublatâ, balſamo Sulphuris ad cicatricem perducuntur.

[Cryſtalli ex minera jovis. Hujus ℞. ℔j. cum p.æq. ſpir. vitrioli rectif. digere in Mar.Baln. hinc affunde aquam, filtra dum calent, humiditate aliquali abſtractâ concreſcent cryſtalli. Doſ. ℈ j. ad ij. internè in hydrope, & affectibus ſcorbuticis, fiſtulis deſperatis externè cum melle Roſato, ex Hoſm.]

CALCINATIONE VAPOROSA ex Jov. *fit ceruſſa* non ſecus ac ex ſaturno, fitque vel per vaporem aceti, vel immergendo laminas Jov. in Spiritum Vitr. Sequitur DESTILLATIO ubi eſt *Diaphoreticum BEGVINI, eſtque* nihil aliud niſi *butyrum Jovis*, uti habet AVCTOR, & ſimili modo fit *ſudoriferum magnum FABRI.* Hoc ipſum deſtillatum butyrum Jov. præcipitatur convenienter cum ſpiritu nitri, & figitur inelegans *Bezoardicum Joviale*, & convenit *in febribus ardentibus & morbis malignis* vid. *ZVVOLFERVS in Mantiſſ. Hermet. pag.345. FABER* etiam vult uſurpare remedia Jovialia ad *affectus cerebri*, ex eo, quoniam jupiter æmulatur proprietates lunæ, quoniam mercurius Jov. & etiam ejus Sulph., puritatem ſaltim ſi non fixitatem habet eandem cum Sulph. & mercur. lunæ. Vnde ratione hujus fundamenti convenit æque in affectibus cerebri atque ipſa Luna.

Sal iſtud Jovis, de quo ſuperius dixi, ſi reſolvatur in cella vel in loco frigido in liquorem, iſte LIQVOR Jove eodem modo eſt *coſmeticum*, & convenit in uſu Chirurgico atque liquor ex ſale Satur. imprimis maculas facilè pellit, & in *tinea capitis à quibuſdam* habetur pro ſecreto. *Cryſtalli Jov.* ſequuntur vid. AVCTOR. *Alias modus* & quidem convenientior parandi cryſtallos Jov. eſt hic *ex minera*: ℞. mineræ Jov. pulveriſatæ lib.i. affunde ſpiritum vitrioli rectificatum ſeptiês, digere aliquandiu in Mar.Baln.poſtea affunde aquæ communis lib.ij. mixta bene invicem filtra, dum adhuc calent, & ſic concreſcent cryſtalli, edulcorandi cum aqua & pulveriſandi: *doſis* eſt gr.i. ad ij. in *hydrope*, *affectibus ſcorbuticis* item in *fiſtulis deſperatis internè* & etiam cum melle roſato *externè*: valdè proſunt in *affectibus uterinis* & *hydropicorum aquas* leniter per alvum exturbant.

IV. SVBLIMATIO.

℞. Calc. jovis (e.g. per aquam fortem) ſublima per ollas cucurbitæ tabulatæ impoſitas, ad modum quo flores antimonii parantur. Nimirum calx illa per vices injicitur, tubulique foramen ab injectione obturatur.

*N.*1. Parum intereſt, an calcem vel limaturam jovis receperis.

*N.*2. Flores hi nihil aliud ſunt, quàm jupiter depuratus.

V. EXTRACTIO.

Vnde

Tinctura Baſiliana.

℞. Laminas jovis, cementa cum pumice (terna calcinatione reſtinctoria in Vino,) calcinato, ſubtiliſſimeque pulveriſato, in crucibulo benè lutato & clauſo, per dies ac noct. (5.) per gradus ignis. Deinde derade pulverem de laminis, eique extrahe ſcilicet a.Tincturam cum aceto deſtillato. Poſtmodum abſtrahe acetum deſtillatum, & habes Tincturam jovis. *Tholdius.*

SVBLIMATIO: Hæc nullo modo h.m. poteſt inſtitui, ſed potius *per retort. tubulatam*, & qui cupit uberiorem florum Jov.deſcriptionem, *vid.* poſt *KESLERVM in proceſſ. Cent.1. artic. 22.* Vti etiam *MYLYVM in Baſilica lib.3.part.1. cap.2.* Quod ſuperius dixi de Satur.quod Satur. valeat *coagulare* mercurium, valet de Jov. eadem enchiriſi: & ex hoc Mercurio coagulato per ſpiritum vini vult *POTERIVS* parare remedium diaphoreticum, vid. *Pharmacop. c.18.* tinctura BASILIANA. Alii faciunt Qu. Eſſentiam Jov. extrahunt nempe calcem Jov. aceto, quod denuò abſtrahunt, calcem edulcoratam cum ſpiritu vini circulant, digerunt, *& tandem filtrant.*

VI. SALIFICATIO.

Vnde

Sal verum.

℞. Reſiduum, ex quo beneficio acet. deſtillat. Tinctura prior Baſil. extracta eſt, affunde aquam mellis, ſtentque per aliquot dies ac noct. Sic elicitur Sal, quod abſtracta poſtmodum aquâ mellis, fit conſpicuum. *Tholdius.*

Vires. Conducit ad Epilepſiam, Melancholiam, Vertiginem: Catarrhos exſiccat, præcipuè qui ad oculos deſtillant.

Doſis ad ℈j. vel ℈ j.

VII. MERCVRIFICATIO.

Miſſa eſt mihi deſcriptio mercurii jovis Mompelio pro certiſſimâ, quam in Cent.1. Keſleri, artic.22. poſtmodum reperi, ideoque eam non adſcripſi. Si quid mercuriis metallicis tribuendum eſt, hæc certè non erit momenti minimi, cum in ea Sulph. impurum comburatur cum Sal. nit. deinde pars

mercurialis ascendat per sublimationem, quæ tandem putrefactione & ebullitione in mercurium currentem reducitur. S.Closs.

SALIFICATIO: Præparatio est satis clara in AUCTORE. Quidam *alio modo* parant sal Jov. liquefactum Jovem reponunt in pixidem ligneam, & probè agitant, donec pulv. exiguus appareat, reliquum similiter fundunt, & agitant, & pulverem solvunt in aceto destillato: Hunc abstrahunt, & in fundo relictum sal edulcorant, abusivè sic dictum sal, proficuum tamen *in hysterica passione.*

CAPUT XV.

De Mercurio.

Metallis subjungimus Mineralia Metallis finitima, quæ si Semi-Metalla appellare libet, non magni refert. Suntque mercurius, cinnaberis, antimonium.

Mercurius nihil aliud est, quam liquor mineralis, seu metallicus volatilis, metallis, & præ aliis auri avidè adhærescens.

Dicitur Argentum vivum Hydrargiros, Arabicè Zaibar, vel Zibach. Barbarè Azock, Azoth. Germ. *Queckfilber.* Argent vif.

Est nativus (*de quo hic*) & artificialis, è metallis extractus, qui & Mercurius corporum dicitur.

Nativus Virgineus etsi nonnunquam per se ipsâ naturâ operatrice separatus inveniatur: plerumque tamen ex terra minerali, quam cinnabarim vocant, vi ignis evocatur. Vide mercurium ex plantis apud Borel.c.3.

Delectus.

Mercurius non æquè bonus omnis existit, sed variat, tùm ratione matricis, seu loci natalis, tùm ratione inquinamentorum, quibus nonnunquam per se in terrâ conspurcatus est, nonnunquam & à malevolis adulteratus venditur.

Natali loco censetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro vel argento, & hinc præfertur Hispanicus & Ungaricus.

Inquinamentorum ratione prævalet, qui minùs scatet commixtione arsenicali, antimoniali, saturninâ, cadmiosâ, quibus nonnunquam in terræ cuniculis venenosus redditur, hinc & qui minus falsariâ artificis manu adulteratus est: adulterare enim eum adeò exactè norunt (plumbi scil & antimonii beneficio, Bismuthique commixtione,) ut quoque simul per corium transire æquè ea queant, adeoque difficile sit fucum cognoscere. Ea propter ne quà incautus decipiaris, non è re erit hæc bonitatis signa observare.

1. Mercurius censetur bonus, qui per retortam propulsus nihil recrementi relinquit.

2. Qui in cochleari argenteo evaporationi super prunis expositus maculam cochleari relinquit flavam, aut albicantem; non nigram aut fuscam.

Vires. Internè mundificat sanguinem ab inquinamento, præcipuè venereo: Fugit lumbricos, difficilem promovet partum, &c. Externè inunctus, sanat scabiem omnis generis, fugat pediculos, resolvit duros tumores. De collo suspensus, præservat à peste, & (ut nonnulli volunt,) ab incantatione, fascinationeque. Imò quoad ejus præparata: nulla res in Officinis est, si antimonium excipias, ex qua major medicamentorum supellex elici possit, quàm ex mercurio. Suppeditat enim purgantia, sudorifera, mundificantia vulnera, acrimoniam (præcipuè in Gonorrhœa,) lenientia, ut patebit in formis medicamentorum inde paratis.

Usus mercurii crudi internus & externus est. Intrinsecus tamen rarius adhibetur, extrinsecus sæpiùs. Modus applicandi intrinsecus in pilulis, e. g. Barbarossæ. Quinimò cum certo quodam succo pulverisari ac exhiberi potest.

N. Si mercurium (sive crudum, sive præparatum,) exhibere intrinsecus volueris, convenientius in pilulis exhibetur, quàm in alia aliqua medicamenti forma, ne dentes scil. quibus noxius est, tangat.

Usus externus est in unguentis (in quibus penitus disparet,) in Emplastris (quæ in scabie (complicaturis saltem articulorum adhibentur. Sed cave ne nimium adhibeas. Etenim cum salivatione oris putredinem inducit, loco quocunque applicatus, id quod de præcipitato similiter observatum est.

[Coquunt quidam mercurium vivum & aquam Hermeticam vocant, scabiei convenientem.]

Præparationes mercurii sunt.

1. Purgatio. 2. Calcinatio & Præcipitatio. 3. Sublimatio. 4. Destillatio. 5. Extractio. 6. Liquatio. 7. Salificatio.

I. *PURGATIO.*

Purgatur mercurius. 1. *Expressione* per corium, qua fæcibus crassis in corio remanentibus mercurius transit.

N. Et metalla si benè admixta sint, simul transeunt.

2. *Lotione.*

Lavetur autem vel per acetum simpliciter, aut cum Sal. comm. mixtum, vel per lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium saponariorum, sæpius nimirum cum his agitando, & vicissim à sordibus eluendo.

Quinimò purgatur quoque agitatione forti cum spirit. vini in vitro obturato, separatur enim nigredo ad latera,

3. *Destillatione.*

Nimirum destillatur in arena per retortam igne sat forti, idque per se, id est sine additione, vel addito sale Tartari, calce viva, & simil. Optimè verò purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac postmodùm per retortam, à corpore admixto separando.

N. 1. Sequestrari quoque potest mercurius purissimus per reductionem ex mercurio sublimato.

N. 2. Purgationes quò sæpius iteraveris, eo puriorem mercurium colliges.

N. 3. Optima purgatio fit à metallis perfectis aliquoties cohobando.

II. *CALCINATIO & PRÆCIPITATIO.*

Calcinatio mercurii communiter præcipitatio dici solet, voce tamen minùs accuratâ & minùs strictâ, quippe quæ solam secessionem ad fundum sonat: nihilominus tamen hanc sequar, calcinationemque Præcipitationis voce exprimam, adeoque mercurius calcinatus nomine Præcipitati veniet, qui vel sine Metallis, vel cum Metallis.

Et itaque sine Metallis.

1. *Præcipitatio mercurii per se.*

℞. Merc. puriss. ℥ij. vel q.v. injice in phialam (peculiariter in hunc usum factam, infernè scil. latam, supernè compressam, intus rostro angustissimi orificii in ventrem usque producto.) ut tantummodo fundus operiatur: phialæ exactè ad æquilibrium in arenam collocatæ (ut Merc. æquali crassitie ubique fundum tegat,) subdatur, ignis primò lentus, pòst fortior, donec mercurium in pulverem rubicundissimum instar cinnabaris conversus sit: hunc ablue aquis cordialibus, vel spirit. vini.

N. Labor est multorum dierum (30.(

Vires. Sudores valde movet, luem veneream sexies vel septies exhibitus eradicat, Febres omnes tollit, Lumbricos eliminat.

Dosis à g. iv. ad vj.

N. 1. Vtplurimum vomitum quoque movet sat violentum.

2. Præstantior erit præcipitatus, si fiat cum octava p. solis, vel lunæ.

Sennert. Instit. Hartman. in Croll. Tentzel. Beguin.

3. Potest quoque præcipitari eadem ratione & amalgama solis & lunæ, de quibus Crollius. Præcipitavi aliquando, *inquit*, amalgamata solis & lunæ seorsim per duos annos, & quamvis pulverem rubicundum nanciscerer, tamen nondum erat debitè fixus, nec ad usum Medicum commodè exhiberi poterat, sine ulteriori præparatione. Hæc Crollius.

Verum meherclè, quia præcipitatus per se exhibetur, quid vetet, quo minus præcipitatus hic solaris, lunarisve exhiberi possit, non video.

2. *Mercurii præcipitatio per silices.*

℞. Merc. puri ℥ij. aut ad summum iij.
Silicum magnitud. fabar ℔. ij

Detine in igne arenæ (aliquoties circumvolvendo, ac Mercur. lateribus adhærentem detrudendo,) donec Mercur.

plane

planè fuerit præcipitatus & silicibus adhæreſcat: Hinc Mercur. à silicibus concuſſione ſepara ac ſerva.

Viribus ac Doſi convenit præcedenti.

Hartman.in Croll.Keſter.lib.1.centur.50.

3. *Merc. fixatus, Panacæa.*

℞. mercurii viv. purg. ℥iij. Sulph. citrin. ℥ij. ſalis armoniaci ℥iß. Miſce exactè, donec nihil mercurii appareat. Poſtea ſublima, ſublimatum ſemper de novo cum fæcibus tritum ſublima iterum, tandem auge ignem, ut candeſcat: Id quod in fundo remanet fixum, medicina eſt ſecretiſſima.

Vires. Omnes humores noxios exſiccat, perque diaphoreſin expellit.

Doſis ℈ß. ℈j.ʒß.

4. *Mercurius præcipitatus per oleum Sulph.*

℞. Mercurii purgat. ℔.1.ß. affunde oleum Sulph. per camp. ℔.1. digere per dies (2.) in arena, ac deſtilla poſtea per retortam vitream, cum cohobiis tribus. Quarta vice, ſi libet, aliquid recentis olei Sulph. affunde, ignemque in fine auge, ut retorta incandeſcat: ſic maſſam habes albam, quam poſtquam aqua calida abluta fuerit, tere, inque phiala ſaltem goſſypio obturatâ, igni arenæ vehementiſſimo per dies ac noctes (octo) committe, ut ſi quid vivi ſuperſit mercurii, ſublimetur. Hunc denique mercurium fixum trinâ deſuper ſpirit. vini incenſione ulteriori correctum ſerva.

N. Eodem modo poterit quoque mercurius præcipitari cum ſpir. vitrioli.

Vires. Purgat omnes vitioſos humores, reſolvit catarrhos, contra infirmitates ex humorum putredine remedium eſt, quo in morbis deploratis vix experiri licet præſentius: Hinc utile eſt in Hydrope, Podagra, Lue Venerea, Venenis, Peſte, Febribus, Ulceribus malignis, Scabie.

Doſis à gr.3. ad 6.

Croll. Sennert. in Inſtitut. Beguin. Untzer. de mercurio.

5. *Merc. præcipit. per oleum vitrioli rubic.*

℞. Mercurii purific. q. v. digere cum oleo vitrioli rubicundo, donec ſub forma liquida penitus Merc. lateat: abſtrahe oleum per retortam in arena, & reſtabit præcipitans in fundo.

N. Ex hoc fit vitrum Mercurii, quod vide infra.

Diſput. Chymico-Med. Hartman. 7. th.127 Baſil.

6. *Mercur. præcipit. per ſpir. Sal. nit. Mercurius Corallatus.*

℞. Mercur. purific. ſpirit Sal. nitri optimè rectific. ana ℥iv. digere, ut ſolvatur penitus Mercur. Hinc abſtrahe ſpir. Sal. nitr. (in arena per phialam longi colli,) Mercurio relicto trito affunde denuo tantundem novi ſpirit. Sal. nitr. ac abſtrahe, idque vel tertia vice, videbis in fundo Mercurium corallatum elegantem, quem ign. l. paululum igniendo calcina.

Dulcis eſt, & ſine corroſiva facultate.

Uſus idem eſt, qui Corallini, & quidem felicior. Croll. Hartm. in Croll.

7. *Mercur. præcipitatus per aquam ovorum.*

℞. Mercur. purific. q.v. affunde aquam deſtillatam ex ovis ad duritiem coctis, & præcipitabitur in pulverem. Huic pulveri affunde ſæpius aquam eandem, deſtillatam ſcilicet à putaminibus ovorum calcinatis, cohobaque igne cinerum, donec Mercur. ſit converſus in pulverem rubrum & dulcem.

N. Paracelſus vocat Balſamum.

Vires. Curat ulcera colli veſicæ, etiam quæ æſtimantur incurabilia, ſanat vulnera & ulcera externa. Untzer.

8. *Præcipitatus per tincturam Smiridis, Præcipitatus miraculoſus dictus.*

Calcina Smiridem igne violentiſſimo donec vireſcat, & lateribus crucibuli adhæreſcat, (aliquot horarum ſpatio fiet.) Extrahe dein Tincturam per acetum deſtillatum vel ſpirit. vini opt. decanta & abſtrahe ad oleoſitatem.

℞. Hujus Tincturæ ℥j. Mercurii ℥iv. confunde, & præcipitabitur Mercur. in momento: Mercurium hunc l. igne in crucibulo candefac per horam, poſtea edulcora.

Vires. Purgat leniter ἄνω καὶ κάτω.

Doſis gran.3.4.

N. Mercurius hic purgat tantummodò per inferiora, ſi horis duabus igniatur, ſi verò horis quinque vel ſex, evadit fixus ac diaphoreticus.

2. *Aptior erit Smiris ad Tincturam eliciendam, ſi aliquoties in aqua antea extinguatur.*

Beg. Glutkr. Keſl. lib.3.c.42.

De ſolutione in aqua forti communi.

9. *Præcipitatus communis.*

℞. Merc. puriſſ. p.1. aqu. fort. p.ij. ſolve ac præcipita, affundendo ſcilicet aquam ſalſam, vel abſtrahendo aqu. fort. per deſtillationem cum cohobiis tribus. Præcipitatum edulcora iteratis ablutionibus, vel reverbera, ut à ſpiritibus aqu. fort. liberetur.

Vires. Purgat per inferiora & ſuperiora.

Doſis à g.6. ad 12.

Beg. Hartm. in pract.

10. *Præcipitatus albus S. Cloſſ. Vomitivo-Catharcticus.*

Solve ℥ij. ſal. ammoniaci in ℔ß aq. font. & in eam proiice mercurii ſublimati in pulv. redacti ℥ij. Stent in loco calido, & intra bihorium fiet diſſolutio integra mercurii ſublimati, cui guttatim ſuperfundes ole. Tart. deliquioſi ℥j. aqua evadet lactea, ſine ſubſidere, aquam decanta à pulvere albiſſimo, quem phlegmate mellis bis aut ter elues, aut aq. communi calente dulcorabis.

Doſis ℈ß *g. xij. cum* ʒij *Confect. Hamech, in Siphylide, elephantiaſi, tineâ, ſcrophulis, decantatâ aquâ laventur loci ſcabioſi, & Eryſipelata præſertim venerea, ſic citò curantur.*

11. *Præcipitatus dulcis.*

Miſcetur mercurius crudus cum an. præcipitati rubri, ſuperfuſo ſpir. vin. ex arte dulcificati, & in calore arenæ detinentur per 20. dies, ſic enim ſeſe mutuò coagulant & miteſcunt.

CORRECTIO *ſeu* RECTIFICATIO PRÆCIPITATI.

1. Diſſolve præcipitat. bulliendo acet. deſtillat. acri per hor. 6.&c. (ut totus diſſolvatur,) diſſolutioni ſuperfunde ſpirit. vini vel ole. Tart. & præcipitabitur denuo, ablue igitur & ſicca.

Doſis g.4.5.6. Untzer.

2. Digere præcipitat. per diem cum ſpiritu vitrioli, hinc abſtrahe igne forti, (alii cohobant aliquoties,) ſuper mercurium affunde ſpirit vini ad eminent. digit.1. digere per dies (2.) decantaque, alium ſpirit. vini denuo affunde, idque tertiâ vice repete. *Sennert. Inſtit.*

Vires. Purgat per inferiora.

N. Alii abſtrahunt ſpirit. vini & cohobant aliquoties

3. Imbibe præcipitatum communem, [flavum vel album aquâ roſarum aliquoties ablutum,] cum ſpirit. vini opt. ac camphora ana, viciſſimque ſpirit. vini l. igne evoca.

Vires. Purgat per inferiora, præcipuè materiam febrilem. Utilis quoque eſt in Peſte morbiſque Epidemicis.

N Ante Paroxyſmum cum Theriaca exhibetur.

Doſis à gr.3. ad 6. Hartm in Croll.

4. Vis vomitiva Præcipitatorum mercuriorum infringitur etiam, ſi in ſpiritu fluminis ſolvantur, reverberentur, leniter, & per aq. ovorum ſæpius cohobatam figantur.

12. *Mercurius præcipitatus incarnatus.*

R. Mercurii ℥j. ſolve in aqua forti ℥ij. ſolutioni adde aquæ calidæ ℥iij. ac infunde poſtea urinam ſani hominis recentem, & præcipitabitur mercurius incarnatus aquâ eluendus. *Hartm. in Croll.*

Vires. Solum per ſeceſſum movet.

Doſis à gran. vj. ad x.

13. *Merc. Præcipitatus luteus.*

Fit, ſi loco urinæ, ſolutioni priori inſtillaveris oleum Tart p.d. ſic præcipitabitur Merc. luteus, quem ſimiliter lotione edulcora. *Hartm. in Croll.*

Vires. Vires & Doſin eandem cum priori obtinet.

14. *Alius mercurius præcipitatus Vitriolatus fixus, dulcificatus.*

℞. Mercurii purific. ſolve in aqua forti (ex vitriol ℔ ij. & Sal. Nit. p.1.) abſtrahe & cohoba vice tertiâ: Hinc affunde ſpiritum vitrioli, rectifica, deſtillaque cohobando (6.) poſtea

postea affunde spirit. vini, cohobaque itidem aliquoties (decies) præcipitatum edulcora aquis cordialibus ac serva. *Kesler. lib. 1. c. 2.*

15. *Præcipitatio Mercurij egregia.*

Fac aquam fortem ex Sal. Nit. ℔ ij. vitriol. ℔. 1. alumini non calcinat. ℥x. Sal. Com ℥vi. In hac vel communi aqu. fort. solve Merc. purgat. quantum aqu. fort. solvere potis est (alioquin non libenter fit præcipitatio,) solutioni affunde aquam fontan. frig. ℥ij. iij. stent aliquot horas extra ignem, ut præcipitetur Merc. pòst affunde multùm aquæ frigid. atque repone ad subsidendum, præcipitatum edulcora iteratâ ablutione, ac digere in vitro lati orificii, sive alembic. l. ign. ad siccitatem. Exsiccato huic præcipitato affunde denuo acet. destillat. acerr. p. iv. digere in Mar. Baln. per diem unum ac alterum in cucurb. probè obturata, tandemque ut ante in vitro lati orificii exsicca. *Hartm. in Croll. Sennert. Institut.*

Dosis gran 1 ad v. vel vj.

De Præcipitatis cum metallis.

1. *Præcipitatus solaris.*

℞. 1. Auri puri in limat. vel lam. redacti ℥ß. solve in aqua forti ex Sal. Com. (sine sale ammoniaco) facta.

R. 2. Vitriol. antimonii hiacynth. ℥ß. solve in aqua forti.

R. 3. Merc. purgat ℥iij. solve similiter in aqua forti.

Solutiones omnes confunde, abstraheque aquam per alembicum: hinc novam aqu. reg. affunde, sæpiusque identidem evoca, idque tantisper, donec præcipitatus in ignita ferrea lamina nullum penitus fumum de se emittat. Postea præcipitatum totum calcina sub tegula, ut spir. aqu. reg. omnes dissipentur. Tandem ab eodem spirit. vini sexies destilla, atque denuo Merc. sub tegula lentè igniendo calcina.

Vires. Summum est remedium mundificativum sanguinis ac totius corporis in lue venerea. Magnum quoque fert solamen in Hydrope, pellit aquam per urinam, exsiccat fontem. Prodest quoque in caduco, colica quartana: ulceribus malignis ac cancrosis subvenit, & simil. Harm. in Croll.

2. *Præcipitatus solaris regulinus, seu diaphoreticus.*

R. 1. Regul. antimon. ʒj. solv. in aqu. fort. vel aqu. reg.

Confunde & abstrahe ad siccitatem in arena. Hinc edulcora aquâ, & spiritum mercur. aliquoties (7) desuper cohoba subinde novum spiritum affundendo. Tandem edulcora denuo, ac spirit. vini ternâ vice inde destilla, ad siccitatem pulveris flavi.

Vires. Præstantissimum est sudorificum in omnibus morbis, qui diaphoresin requirunt.

Dosis gran. 3. 4.

N. Ut regulus eo feliciùs solvatur, imbibe aliquoties ejus pulverem aqu. reg. hinc solve.

3. *Hercules Bovii.*

Huic finitimus est Hercules (potius aurum vitæ,) Bovii, qui nihil est aliud quàm Merc. præcipitatus solaris cum vitro antimonii conjunctus.

Nimirum.

R. Aur. purific. ℥j. Merc purific. ℥iv. utrumque solvi seorsim in aqu. reg. Solutionem utramque confusam destillat (igne graduali, & in fine aucto) per retortam: præcipitatum quod in fundo remansit, ut & sublimatum, quod parietibus, vel collo retortæ adhæret, solvit iterum in aqua regal. nova, & destillat, idque repetit tantisper, donec tota materia in præcipitatum convertatur. Postea calcinat supra ferrum ignitum ad figendos spiritus corrosivos, & denique edulcorat.

Vires. Ex mente Bovii omnibus aliis catarcticorum speciebus antecellit: Estque domitor vermium, Luis venereæ, Petechiarum, Pestis, Quartanæ, & aliorum incurabilium morborum.

Dosis à gr. 3. ad 6. vel 8. cum Saccharo rosato, & in ovo vel brodio, vel in pilulis, imprimis si conjungatur cum Scammonio, & humectetur aqua vitæ, quæ desuper comburatur. Tentzel, sect. 3 panchymag. Mercurials.

4. *Aurum vitæ Hartman.*

1 R. Auri purgat. ℥ß. solve in aqu. regal. ℥ij. servando solutionem in calido.

2. R. Mercurii crud. purific. ℥vi. solve in aqu. fort. commun. ℔. 1. utramque solutionem mixtam (qua mixtione apparebunt omnia nigerrima,) ex arena per alembicum l. ign. gradatim aucto, destilla donec quæ in fundo rubescant, cucurbita tandem subtus candeat: Exemptum dein pulverem sub capsula in catillo, subinde cum ferreo baculo calcina, donec spir. ab aqu. fort. probè evanuerint: Ablue postea aquâ dulci omnem salsedinem, & extremò spirit. vin. correctum ab eodem sæpius per cohobia destilla.

Usus ejus egregius est in Peste, ut & aliis morbis quamplurimis.

N. Fit aqu. regal, ad hoc opus.

℞. Aqu. fortis ex vitriol. Sal. Nit. & alumin. ana factæ ℥iv. sal. ammoniaci ℥j. Misc. & destilla per alembic. ex arena.

5. *Aurum vitæ S. Closs.*

Fac amalgama ex Regulo martis stellato & Merc. lava hunc pluries, & exprime per pannum: secundò fac aliud amalgama ex auro, & superfluum Merc. itidem exprime: tertiò ambo amalgamata commisce, ita ut sint Reguli martis & auri ana ℥ß. mercurii ℥ij. aut circiter; quarto superfunde Ol. vitrioli, digere dum colorem ruberrimum acquisierit, quintò Tincturam inde extrahe cum spirit. vini extractam, circula per mensem, tandemque rectifica.

Vires. Purgat suaviter, & sudores copiosos movet.

Dos. à gr. 8. ad ℈ß. *gr. 12.*

6. *Aurum vitæ aliud.*

R. Mercurii purific. ℥v. auri puriss. laminat. ℥ß. F. amalgama, quod abluatur acet. donec omnis nigredo ablata sit.

Postea impone in retortam, & affunde aquam fortem (ex vitriol. p. ij. & Sal. Nit. p. 1.) digereque (in cineribus vel arena,) ut solvatur, mercurius, & aurum in fundo sub forma pulveris remaneat: dein destilla augendo in fine ignem, ut fundus retortæ incandescat, omnesque spiritus corrosivi prodeant. Vasis refrigeratis, tere materiam, abstractamque aquam fortem iterum affundendo cohoba, & invenies in fundo pulverem rubicundum, quem collige, abiiciendo quod ad latera retortæ fortè fuerit sublimatum. Hinc candefac laminam ferream, cui optimè candescenti, insperge pulverem illum Mercurialem, non modò ut optimè exsiccetur, sed & ut id quod volatile restat, evaporet. Hinc aufer & reserva in vase clauso.

Vires. Purgat per secessum lentè sine omni etiam vomitu, nisi scilicet ventriculus impuritatibus refertus sit. Summum arcanum est in Hydrope, Lue Gallica & omnibus cutaneis affectibus, atque defluxionibus, ut & ubi corpus scatet pituitosis humiditatibus.

Dosis à gr. 3. ad 8. cum Terebinth. pauxillo, aut extracto aliquo. Hartman. in pract. pag. 12. Confer Sennert. in Institut.

7. *Præcipitatus viridis, seu venereus.*

℞. Mercurii purificat. ℥iv. solve in aqu. fort. commun. in eadem aqu. fort. solve & veneris ℥ß. conjunge solutiones ac abstrahe in arena, urgendo in fine ignem, ut maxima pars spirituum tollatur. Præcipitatum exsicca ac digere cum aceto destillato, in Mar. Baln. per dies ac noct. ultimò fac bullire, ut purissima pars Mercurii in aceto destillato solvatur. Hinc decanta & abstrahe atque sicca sine lotione.

Vires. Est specificum in Gonorrhœa virulenta, quam nimiam tollit, insufficientem promovet, ideoque singulis diebus continuandus ejus usus est, donec omnis fluxus sedatus sit.

Dosis à gr. ij. ad viij. Hartman. in Croll.

N. Signum boni præcipitati est, si aurum fortiter cum eodem fricatum, non dealbetur, ut solet ex contractu Mercurii.

Huc

8. *Vitrum Mercurii lunare.*

℞. Mercurii præcipit. (per oleum vitrioli rubic.) ℥ij. lunæ calcinat. & sal. ammoniac. ana ℥j. Misc. & sublima. Sic ascendit sal ammoniac. relictis in fundo Mercurio & lunâ instar auri purissimi; inde crucibulo, & da ignem fusionis, ut in vitrum simul abeant. *Vide Disput. Chym. Med. Hartman. q. th. 127.*

9. *Vitrum ex mercurio vitæ, sive Succinum antimonii.*

℞. Mercurium vitæ, abstrahe per retortam partes minùs fixas, reliquum fundatur igne forti in vitrum, quod transparens

xens opacum, vel si diutius in igne contineatur, hyacinthinum evadit.

N. 1. Dicitur aliis succinum antimonii, quia nihil aliud esse videtur quàm vitrum antimonii, non Mercurii.

2. *Si abstractio partium minùs fixarum fortius urgeatur, exstillat vicissim liquor instar butyri antimonialis.*

III. SUBLIMATIO.

1. *Mercurius sublimatus Officinarum.*

℞. Merc. in aqu. fort. solut. Vitrioli exsiccat. Sal. Com. decrepit. ana. Misc. axactè & sublima ex cucurbita humili. *Gluckrath. in Beguin.*

2. *Aliter optimus pro Merc. dulci conficiendo.*

℞. Merc. purific. Vitriol. rubific. Sal. Com. decrepit. ana ℔. 1. Sal Nit. ℥ ix. Misc. exactè aspergendo modicum acet. destillat. sublimaque ut dictum.

Iam denuò:

℞. Merc. sublimat. illius ℔. 1. Sal. Com. decrepit. ℥ xii. Vitriol. rubificat. ℥ iv. M & sublima.

Iterum,

℞. Merc. sublimati illius ℔ 1. Sal. Com. decrept. ℥ xii. M & sublima.

N. Puriorem mercurium sublimatum si desideras, reitera adhuc sublimationem, sed sine additione. Reg. Untzer.

3. *Sublimatus Regulinus.*

℞. Merc. purificat.
Regul. antimonii ana ℔ ß.
Vitrioli rubific ʒ iv.
Sal Com. fus. ℥ vi.

Misc. & sublima ex sublimatorio vitreo, desuper defundendo aqu. fort. sublimatum misce cum capite mort. ac sublima denuò, idque vice tertiâ.

Vires. Inservire commodè potest mercurio dulci, aliisque medicamentis, ex merc. sublimato præparandis.

4. *Merc. dulcis vulgaris: Draco Mitigatus.*

℞. Merc. sublimati ℥ viii. mercur. crud. purific. ℥ vi. misc. exactè in mortario lapideo, vel super porphyrite, donec mercurius vivus amplius conspici nequeat. Hinc sublima calore arenæ in Phiala, leniter saltem obturata, & sublimabitur totus ferè mercurius, adhærescetque lateribus Phialæ, remanentibus in fundo fæcibus, quas unà cum nigricante materia collo phialæ adhhærente reiice. Hinc sublima denuò, idque vice tertiâ, reiectis semper fæcibus, ut dictum.

N. 1. Si purum insipidumque secundâ sublimatione obtinueris, acquiesce, multa enim sublimatione infringitur vis purgatrix.

N. 2. Alii addunt quoque Colchotar.

N. 3. Optimum mercur. dulcem conficies ex mercur. sublimato regulino, & mercurio antimonii.

Hartmann. in Croll.

Vires. Omnes humores noxios sine perturbatione blandè expurgat, unde vel infantibus exhiberi poterit.

Dosis: Dari quidem potest ad ℈ ß. Verum ut eo citius operationes suas perficiat, ne diu in corpore delitescat, acui solet purgantibus aliis fortioribus, e. gr. Diagrid. Trochisc. Alhand. & simil. Daturque cum iisdem à gran. 8. ad 15. & plus.

Hartmann. in Croll. Sennert. in Inst. Tentzel.

5. *Alius.*

℞. Mercurii in Spir. Vitrioli soluti & edulcorati.
Mercurii crudi ana.
Sublima aliquoties. ut dulcis fiat.

Vires. Lentè purgat per inferiora.

Dosis à gr. 6. ad 12.

N. 1. Eodem modo dulcescit & mercurius præcipitatus luteus, si per se sublimetur, dulcificatusque leniter alvum movet.

Dosis gr. 8.

2. De usu: Ex omnibus hisce mercuriis dulcibus potest parari aqua utilissima ad inflammationem, fistulas & ulcera maligna, non tantùm detergenda, sed etiam cicatrisanda, præcipuè in Lue venerea; valet etiam ad scabiem sine noxa penitus curandam.

Nimirum.

Proiicitur calx viva recens in aquam bullientem, relinquiturque aliquamdiu, hinc filtratur, in filtraturæ ℔ 1. dissolvitur bulliendo mercurii dulcis q. s. coletur & solvatur. Fallopius vocat aquam aluminis. *Hartm. in Croll.*

6. *Sublimatum dulce Talcosum S. Closs.*

Fit si M. cum Sal. Nit. irrorando guttulis aliquot ole. Sal. Com. hæc tria constituunt Axungiam Talcosam fluentem.

Vires. Suaviter purgat absque vomitu, deobstruit & refrigerat, estque securum febrium intermittentium solamen.

Lanugo perlata, sive Merc. argent. ex inventione S. Closs.

1. Facta est aqua regal. ex ana Sal. Com. ex Sal. Nit. triplo boli communis, ad modum aqu. fort. 2. in ℔. 1. hujus spiritus solutæ fuere merc. crudi ℥ x. & abstractâ aqu. regal. ad duas tertias, collecti fuêre crystalli, probeque edulcati 3. perfusi sunt iidem spirit. vini Tartarisato, ad 3. digit. supereminentiam, sicque per mensem in putrefactione Mar. Baln. stetête 4. materia in retorta conjectâ, eductoque spirit. vini pars quædam merc. sublimabatur igne auctiori, pars in rubrum abibat Præcipitatum 5. ambobus iterum confusis acet. destillat. affundebatur, & post digestionem unius diei ac filtrationem calidam, tota materia soluta in floccos argenteos gossypio perlato fulgentique similes fuit conversa, inclarescente menstruo 6. hos flores cochleari vitreo detraxi & in chartâ bibulâ quadrupl. exsiccavi, ita enim splendorem non amittunt. 7. cum alio aceto destillato super restitantem materiam conjecto novos flores collegi, idque ter quaterve repetii.

Vires. Ex Untzero repetendæ, qui longè operosiorem nobis methodum aliam reliquit in Anat. mercurii, p. 255. Ubi enim illic per grana & scrupulos abraduntur flores, hic per uncias & libras congeruntur.

Dosis eorum est gran. vj. in forma pilul. cum pauxillo Extracti liquir. Educit absque violentia humores vitiosos in febre quotid. scabie, Lepra.

8. *Mercurius sublimatus rubeus non corrosivus, Arcanum Crollianum.*

℞. Mercurii optimè purgati ℔. 1.
Sal. Nit. optimè purificat.
Vitrioli ad rubedin calcin. ana. ℔. ij.

Pulverisentur & misceantur optimè, subinde irrorando, & incorporando cum aceto destillato acerrimo, donec disparcat penitus mercurius. Hinc sublima ex arena, in cucurbita lutata, cum capitello, & exit primùm phlegma, dein auctiori igne viginti quatuor horas continuato. sublimabitur, sublimatum proximè à materia rubeum, paulò altius flavum, cum Sal. Nit. ℔. 1. & aluminis leniter calcinati ℔. 1. misce impastaque cum phlegmate aceti, sublimaque denuo ut prius (horis duodecim,) & ascendit iterum sublimatum rubicundum ac flavum, collige singula seorsim, rubicundum elue aquis cordialibus, ac ab eo efflagrare sine spirit. vini; flavum calcina igne mediocri, ut rubescat, hinc elue similiter ac corrige cum spirit. vini desuper accenso.

N. Fæces nigricantes cum mercurio in capitellum ascendentes, abiiciantur in singulis sublimationibus.

Vires. Purgat per inferiora præcipuè, magnumque secretum in Hydrope, morbo Gallico, Podagra, scabie, Ulceribus, Cancro, &c. Crollius.

9. *Modus compendiosior, Laudanum Mercuriale, sive Metallicum.*

℞. Salis extracti ex capite mortuo, aqu fortis (ex vitriol. & Sal. Nit. ana fact.) ℥ vi.
Merc. purific. ℥ ij.
Sal. Nit. purific. ʒ ij.

Pulverisa ac misce optimè impastando cum aceto, sublimaque, ut dictum: sic ascendit pars quædam alba, quædam lutea, quædam crocea, quædam rubicundissima: collige croceam ac rubicundam, abjectis cæteris, sublimaque denuo per se ex arena igne sat forti, ac omnia rubescent: hinc elue ac corrige spirit. vini supra accendendo.

Vires. Easdem habet cum præcedenti. Hartman. in Croll.

10. *Manna Mercurii, seu Mercurius dulcis solaris.*

℞. Mercurii dulcis vulgaris, q.v. tantisper sublimationibus iteratis eleva, donec in fixos abierit Crystallos, postmodum in liquorem solvito.

℞. Hujus part. iij. auri calcin. p.1. Misc. ac digere per mensem, cohoba donec in cucurbita instar ceræ fluat.

Vires. Ad summum Medicinæ gradum mercurius ita redactus est, & in Epilepsia, & morbis Venereis admirandæ virtutis. Tentz.

N. Egomet mercurium dulcem ter sublimatum miscui quondam cum luna foliata; sublimationem adhuc quartâ vice iteravi, quibus peractis sublimationibus restantem materiam igni subjeci fusorio, ut si quid lunæ restaret colligerem: verum sine commodo, quippe luna cum mercurio penitus fuit sublimata; vis autem illius sublimati sudorifera potius fuit, quàm dejectoria.

11. *Arcanum corallinum correctum*, S. *Closs.*

℞. Vitrioli Sal. comm. ana ℔. ij. aluminis calcinati & mercurii ana ℔ 1. Omnibus arte mixtis detur ignis sublimationis in fine benè fortis, quod rubescit sublimatum collige, benè edulcora, tere, & digere in acet. destillato ad 4. digitorum extantiam per 2. aut 3. dies: evacua per inclinationem, aliud affunde, digere, donec nihil amplius solvatur: tandem evapora, remanebit pulvis luteus, quem lavabis sæpius aq. calidâ.

Dos. mitificatæ hujus Aquilæ est à gr. v. ad ℈ß. cum Panchymag. Felicius adhuc operabitur, si ejus gr. viij. cum auri sclopet. & croci martis ana gr. iij. in cons. florum borrag. aut pil de aloë lota exhibeantur.

Ad mercurium sublimatum pertinet quoque.

12. *Cinnabaris Officinarum artificialis.*

℞. Sulphuris commun. ℥iij. vel iv. Huic liquefacto infunde mercurii vivi ℔. 1. spatulâ ligneâ benè agitando incorpora, donec mercurius à Sulphure planè consumptus videatur. Hinc Massam refrigeratam tere super marmore, atque sublima ex sublimatorio lutato, igne primo leni, dein auctiori, &c. Primò ascendit fumus citrinus, paulatim rubescens. Quando itaque fumus nigro-rubeus ascendere incipit, urge igne violentissimo horas quatuor vel quinque, & sublimabitur cinnabaris, adhærescetque lateribus, quem exime, rejectis fæcibus in fundo & capitello.

Paracelsus in Chirurg. lib. 1. manual. pag 702. Brendel.

Aliter.

℞. Sulphur. ℥iij. mercurii ℥iv. M. ac Sulphur. aliquantulum efflagrare sine, ut pulvis remaneat niger; hinc sublima semel ac iterum, ut cinnabarim nanciscaris rubeum.

13. *Panacæa mercurii purgans.*

℞. Mercurii vitæ p ij.
Mercurii vivi in destill. butyri antimonii proveniens page 1.
Sublima ut mercurium dulcem.
Dosis à gr. v. ad viij.

N. Mercur. vitæ ad hoc opus fit ex mercur. p. ij. antimonii optimi vel reguli p. 1. destillatur & præcipitatur aqu. com. ut moris, & de supra flagret aliquoties Spir. Junip.

Cl. D.D. Joh. C. Faus.

IV. DESTILLATIO.

1. *Oleum antimonii Mercuriale, seu Butyrum antimonii: Liquor gummosus.*

℞. Antimonii puriss. mercur. sublimati ana Misc. exactè in mortario lapideo, & destillentur per retortam vitream ex arena ign. primò mediocri: sic liquor, seu butyrum antimonii instar glaciei egreditur, qui si concrescat in collo, ne id obstruat, admove cautè carbonem ut liquescat. Finitâ destillatione liquoris, auge ignem, daque ignem suppressionis (id est, supra arenam,) & sublimabitur cinnabaris antimonii, (de quo vide suo loco, in sublimatione antimonii:) Liquorem egressum rectifica per retortam vitream.

N. 1. Præstat hoc oleum Cinnabari suâ ante rectificationem impregnare. Nimirum, Cinnabarim tritam adde dicto oleo, stentque in digestione (hor. 24.) vitro clauso in cinere: sic fiet unitio, hinc rectifica per retortam.

N. 2. Felicior procedit destillatio igne aperto, sed sensim & successivè aucto. Item si retortam cum materia ante destillationem in cellam per triduum reposueris.

3. Alii ℞. Reguli & mercurii sublimati ana, singula seorsim trita miscent, & ut concretionem in collo præcaveant, ad liquescendum in cella reponunt, Liquoremque deinde destillant.

N. 4. Beguinus eodem modo ex mercur. sublimati p. ij. jovis limat. p. 2. ole. elicit, unde pulvis fit præcipitatus, quem vocat jovem diaphoreticum: vide in jove.

Vires. Usus hujus Olei glacialis per se est externus solùm, in gangræna & sphacelo, in quibus si pars mortua illinitione hujus Olei circumlinatur, non serpit ulterius putredo, sectioque feliciùs peragitur. Simili ratione carbunculus pestilentialis oleo hoc circumlitus paulatim emoriendo excutitur, adeoque aptus redditur, qui postmodùm Emplastris aliis obediat. Usitatum itidem corrosivum Chirurgis existit.

Ex hoc oleo fit & MERCURIUS VITÆ, ET BEZOARDICUM MINERALE.

I.

Mercurius vitæ.

Oleo præcedenti, sive Butyro antimonii infunde aquam, ac statim pulvis albus præcipitabitur, qui abluatur donec nullam amplius acrimoniam sapiat, deinde exsiccetur.

N. 1. Candidior ac purior erit, si ad destillationem Butyri, loco antimonii crudi, regulum ejus receperis. 2. Si per retortam illud rectificaveris.

N. 2. Appellatur & Pulvis Angelicus, Pulvis Algoreth, Aquila alba.

Vires. Totius corporis, & præcipuè primæ regionis humores noxios per secessum ac vomitum expurgat, Ususque insignis est in Peste, Capitis morbis, Lue venereâ, Ulceribus malignis, Febribus, Arthritide: Hydrope, ubi & ut plurimùm sine vomitu operatur.

Dosis à gran. ij. ad iv. Macerare quoque licet gr. ij. ad iv. in haustu vini, eumque filtratum exhibere.

Sunt qui infusionem Mercurii vitæ in promptu habent.

Nimirum.

℞. Mercurii vitæ ℈iß.
Vini generos. ℥xviii.
Dosis ℥j.

N. 1. Vis purgatrix hujus mercurii, ut & vitri antimonii nunquam exhauritur.

N. 2. Triduanum ejus usum sæpe procidentiam ani periculosam excitasse compertum est, cavendus itaque nimius ejus usus.

Croll. Senn. in Instit. Beguin. (qui ℞. antimon. p. 1. Merc. p. ij.) Sala in Ternar. Emet. Kesl 1. c. 26. Tentzel.

Quia autem hic mercurius vitæ sat violenter operationes suas, ac imprimis per vomitum perficere solet, solliciti fuere medici de hac violentia certis modis corrigenda, deque vi ejus vomitoria mitiganda.

Hinc

1. *Mercurius vitæ correctus.*

℞. Mercurium vitæ in phiala, ign. arenæ solve, donec rubere inceperit, postmodum spirit. vin. superiùs ab eo abstrahe.

Vires. Purgat sat commodè per alvum, impuritatesque quascunque educit.

Dosis g. 4 5. 6.

2. *Mercurius vitæ Catharcticus.*

1. Mer. vitæ cum Sal. comm. aliquoties diutiusque teratur, & salsedo postea per aquam commun. abluatur; sic solam vim per secessum purgandi obtinet. *Hartm. Senn. Tentzel. Agricola.*

2. Sal. nit. ad ignem fuso adde mercurium vitæ, sensim iniiciendo & agitando; post refrigerationem, mercurium in fundo instar Reguli invenies, quem absolvunt.

Unde

Unde.

3. *Laxativum minerale.*

Fit, si Sal. nit. fusi ad ignem ℥ij. Mercurii vitæ ℥ß. circiter, vel ℥j. paulatim injeceris: & postea omnem salsedinem aquâ ablueris Pulveri huic exsiccato denuo adde Sal. commun. duplum & tere diligenter in marmore per horas duodecim. Tum rursum aquâ dulci elue.

Dosis à g.6.ad 12.

N. Iniice primò ʒ 1. atque cooperi statim, donec fumus cesset, post perge iniiciendo ʒj &c.

N.2. Habetur egregius mercurius vitæ solaris per inferiora purgans in Anatomiâ mercurii Untzeri, qui fit ex Oleo mercurii & Spir.Sal.nit. super calcem auri affuso, donec Tincturam attrahat, quod postmodum cum sale ammoniaco aut oleo Tart. præcipitatur.

II.

Bezoardicum minerale.

1. *Antimon. Diaphoreticum Crollii, seu Bezoardicum Minerale simplex, seu officinarum.*

℞. Butyr. antimonii rectificat. e. g. ℥iv. affunde guttatim spir. Sal. nit rectific. ℥iv. (alii aqu. fort.) abstrahe deinde spir. Sal. nit. iterumque affunde spir Sal. nit. novi ℥j. idque tertiâ vice repetatur. Præcipitatus hic postea teratur, abluatur, & igniatur.

N. Crollius butyrum hoc facit ex antimonii p.3.& Merc. sublimati (nempe parati per vitriolum & Sal.com.) p.1. sed sufficit proportio anatica.

Vires. Magnum est Alexiterium, saluberrimumque remedium Bezoardicum, quod sudores provocando magnos effectus monstrat in omnibus pestilentialibus & venenatis affectionibus.

Dosis à gr.6.ad 12. vel ultra.

Quercet.in Pharmacop.restit. Croll. Sennert. Institut. Kesler.1. c.70. Hartm.in pract.ut & in Croll.

De Controversia: Utrum Medicamenta ex butyro antimonii facta sint Mercurialia, an antimonialia, legat qui velit *Tentzelium in Exeg. titul. de Bezoard. Salam in Ternar. Bezoard.*

Probabilius videtur, naturæ id esse antimonialis.

2. *Bezoardicum solare compositum.*

℞. Bezoard. mineral.solar.℥j.
Sal.Rut.
Guaiac.ana ʒij.
Solut.Corall.ru r ℥.ß.
Misc.optimè per horam in mortario vitreo.

Hinc adde subinde.

Spir. Sulphur.ʒß.
Tinctur.s.extract.Croc.or.ʒ ß.
Ol. Caryophyll.
Succin.
Cinnamom.ana℈j.
Lap.Bezoar.℈ß vel ℈i.si placet.
Stent in cinere tepido, clauso vitro, per dies ac noct.3.

N.1. Bezoardicum minerale solare ad datam compositionem fit,

1.R.Butyr. antimonii ℔.ß.cinnabar. factit. præparat. (vel cinnabar. antimon.) ℥j. F. solutio in Phiala oblongi colli, ign. arenæ mediocri (ut leniter bulliat,) sic rubescet Solutio. Hanc præcipita affundendo aquæ calidæ ℔. aliquot: & præcipitabitur pulvis albus, quem decantato sensim liquore flavescente, edulcora optimè in aqua abluendo, tandem exsicca blando calore solis, vel hypocausti.

2.R. Auri Ungar. laminat. ʒ j. solve penitus in ℥ij. aqu. regal. destillatæ ex aqu. fort. cum Sal. com. quart.p.) Hinc abstrahe aqu. regal. cohobaque vicibus 4. Dein solve denuò: Solutionem funde super pulveris prioris ℥ij. digere hor. vigint. postea abstrahe sensim, cohobaque vice tertia. Tandem auge ignem ut spir. regal. prorsus evanescant. Postmodùm affunde spirit.vini, eumque aliquoties iterum abstrahe: sic paratur Bezoard.miner.solare.

N.2. Solutio Corallorum fit,

℞. Sal.ammoniaci purificati, (id est sublimati, 1. à tantundem Sal. com. decrepitati, 2. sine Sal. com per se,) Corall. rubr. pulv. ana ℥ß. Misc. & sublima denuo: sic relinquitur in fundo sublimatorii Calx Corallorum, quam pone supra tabula vitrea ad liquescendum. Residuum quod in solutione superetit, denuò cum sale ammoniaco purificato submitte sublimationi & solutioni, donec tota Corallorum substantia sit soluta.

N.3. Tinctura Croci fit cum spirit.vini, qui iterum abstrahitur ad consistentiam mellis.

Vires. Sudores validè ciet, adeoque confert in Apoplexia, Paralysi, Arthritide, Podagra, Tremore artuum.

Dosis à gr.ad 8.

Ex communicatione Affinis mei colendi, Dn. JOHANNIS GRASERI, Chymici industri & Pharmacopœi hujus Reipl. meritissimi, qui & hoc inter Chymica sua extare voluit.

3. *Bezoardicum Solare verum.*

℞. Butyri antimonii ℔ ß. solve affundendo sensim spir.Sal. nitri.

℞. Auri fin. ℥ß.solve in aqu. regal.

Utramque hanc solutionem claram confunde, abstraheque menstruum gradatim, abstractum iterum affunde, cui adde spir.Sal. nitri nov. ℥j. abstrahe, idque repete aliquoties.

Calx hæc dulcoranda & ignienda est.

Vires. Vires hujus Bezoardici summis Crollius effert laudibus in Lue venerea, Peste, Podagra, Hydrope, Febribus, obstruct. Lienis.

Dosis à gr.3.ad 8.

N. Hoc Bezoardicum licet suis haud careat viribus, attamen ob corporeitatem, quam aurum adhuc obtinet, præstantius censetur quod sequitur. Videlicet.

4. *Bezoardicum Solare verum.*

Fit eodem ferè modo.

Nimirum.

Si loco auri illius corporei substituatur aurum in spiritualem substantiam exaltatus: *de qua exaltatione vide in solis Volatilisatione, vel Tinctura sol.*

Nempe:

℞.1. Auri illius spiritualis ℥ß. solve in aqu.regal.

2. Solve in eadem butyri antimonii rectific. ℥iv. (vel ut alii vj.) utramque solutionem confunde, abstrahe menstruum per retortam, destillationibus sæpè repetitis: Postea per calcinationem sub tegula, (*unter einen Muffel, under a covered crucible, onder eengedecktesmelt kroes,*) reduc in pulverem violaceum, si lenis, vel in purpureum, sin intensior calcinatio instituatur.

Vires. Vires easdem obtinet, quas prius, sed efficaciores.

N.1 Hartman.in Croll.Sennert.in Institut.

℞. Aurum (per Spir.nitri bezoardicum,) spirituale redditum, junge cum butyro antimonii, in Spir. nitri vel aqu. regal.soluto, repetitis destillationibus uniuntur ac figentur: abstrahe tandem, & habebis interveniente calcinatione Bezoardicum solare purpurei coloris magnarum virium.

Dosis eadem quæ priorum, à gran.2. ad 10.

N.2. Tentzelius solutionem illam auri oleiformem edulcorat, superfundendo & abstrahendo aliquoties acetum forte. Postea extrahit Tincturam, Menstruo Basilii affuso, digerendo per mensem, &c.

Hinc.

℞. Tincturæ hujus à menstruo separatæ p.1. Butyr. antimonii in Sp. nitri solut. p.vj. vel viij. Miscet ac unit cohobando, ultimò calcinat.

5. *Bezoardicum Lunare 1.*

℞. Butyri antimonii in Sp.nitri solut. ℥iv.
Tinctur. lunæ viridiusculæ ℥ß.
Junge ac destillando aliquoties ad siccitatem fige.

Vires. Bezoardicum hoc viridiusculum utilissimum est ad capitis affectus, præsertim ad Erysipelas capitis muliercularum.

Dosis à g.6.ad 12.

Tinctura lunæ fit.

Lunam solvendo in aqu. fort. hanc rursus abstrahendo, & Tincturam per spirit.vini extrahendo. *Vide suo loco.*

6. Bezoard. Lunare 2.

R. Extracti Cœrulei lunæ, (ex luna cum Sulph. calcinata per spir. urinæ extracti) soluti in aqua forti p. 1.

Butyri antimonii, itidem in aqua forti soluti p. x.

Junge ac destillando vel circulando uni.

Habes Bezoardicum Lunare ejusdem, vel etiam majoris virtutis.

7. Bezoardicum Lunare 3.

℞. Extracti seu Tincturæ lunæ, (mediante acet. destillat. extractæ ex luna in aqua fort. soluta, & instillatione ol. Tart. p. d. præcipitata.

Et Butyr. antimonii, *procede ut suprà.*

8. Bezoard. Lunare 4.

Præstantissimum fit Bezoardicum lunare, si luna cum Sp. Sal. nit. in vitriolum redacta, & cum butyro antimonii s. a. in pulverem fuerit fixata.

9. Bezoardicum venereum.

Ex squama æris elicitur Tinctura cum butyro antimonii rectificato, dein figitur per spiritum Sal. nit. ut in prioribus dictum.

10. Bezoardicum martiale.

Ex croco martis per reverberationem extrahe cum butyro antimonii Tincturam, dein fige per Spirit. Sal. nit. more usitato.

Vires. Est specificum in omnibus fluxionibus ventris, præsertim ab Epate originem capientibus.

Schrœnemann. in Hydromant.

11. Bezoard. Ioviale.

℞. Reguli antimonii sine marte facti ℥iij. huic fuso (in crucibulo,) adde Jovis Anglici puriss. similiter fusi, ad ℥j. ut fiat de novo Regulus, postea lævigа, & admisce diligenter mercurii sublimati ℥v. Destilla ex retorta, Butyrumque inde destillatum cum spiritu Sal. nit. ternis destillationibus fige, postea calcina, ignitumque in spirit. vini extingue, & exsicca, fit pulvis gryseus.

Vires. Pontentissime movet sudores, insuper ad obstructiones Epatis Polychreston non contemnendum est.

Dosis à g. 2. ad 6. vel 8.

12. Bezoard. Saturninum.

Cum Butyro antimonii non rectificat. extrahe Tincturam ex vitro saturn. atque cum spiritu Sal. nit. dicto modo fige.

Vires. Prodest in affectibus Lienis.

Dosis ad g. 6.

N. Vitrum saturni fieri potest ex minio & silicibus.

13. Bezoard. Mercuriale.

Fit eodem modo quo Bezoardicum Saturni, ex vitro scil. mercurii vitæ & butyro antimonii.

De omnibus hisce Bezoardicis legi potest Hartm. in Croll. Tentz. in Exeg.

Nos ad destillata revertimur, inter quæ sequitur.

2. Spir. seu oleum mercurii album diaphoreticum.

℞. Mercurii sublimati tenuiter pulverisati p. 1. Argillæ rubr. p. iij. Misc. & fac cum aqua communi globulos in umbra exsiccandos destilla dein ex retorta vitrea per Arenam igne suppressionis (gradatim tamen) horis duabus adhibito, prodit elegans spir. quem serva.

N. Si quid mercurii sublimetur, cum recenti argilla misce, & procede ut antea.

Vires. Diaphoreticus est. Dos. gr. 1. 2. 3. vide spiritum sequentem.

Rhenan. Chymotech. lib. 1.

3. Spir. seu ole. mercurii rubrum.

℞. Mercurii sublimati tenuiter pulverisati, Limatur. martis ana. Misc. ac resolve per deliquium in oleum flavum, quod diligenter collige. Residuo (quod non solutum) affunde aquam comm. ac extrahe Sal. Sal purificatum & coagulatum denuò oleo junge, fietque aurei vel crocei coloris. Destilla in arena ex cucurbita humili per alembicum brevis rostri: primò exibit phlegma, quod seorsim colligatur, auctiori deinde igne ascendit rubedo, quæ partim in excipulum (quod mutatum sit,) destillabit, partim in alembico & rostro, butyri instar adhærescet: Urge ignem, donec nihil amplius ascendat, tunc cessa.

Phlegma destillatum unà cum rubedine ad spondilia cucurbitæ elevata, redde capiti suo mortuo, reiteraque destillationem per alembicum eundem, vix incalescente alembico (imo vel à vaporibus,) liquescet rubedo in alembico hærens, exstillabitque rubicundissime in Excipulum: postquam rubedo hæc exstillaverit, mutato Excipulo suscipe phlegma subsequens, ac postea rubedinem reliquam igne auctiori, ut antè collige, idque repete tot vicibus, quot opus fuerit.

Vires. Utriusque hujus spiritus magnus est usus, inprimis verò rubei: expediunt per sudorem quodcunque in corpore noxium fuerit, aliisque Medicamentis difficulter cedit. In Lue Gallica pustulæ hujus usu sponte cadunt. tubercula minuuntur, dolores sopiuntur, ulcera fœtida manantia exsiccantur & consolidantur.

Dosis gr. 1. 2. &c. in aqua Theriacali, mistura simpl. spir. Guiaci, Decocto, & simil.

Hartm. in pract.

4. Ole. Mercurii diaphoreticum dulce.

℞. Mercurii sublimati q. v. solve in aceto destillato, digere ac abstrahe acetum destillatum ad siccitatem, residuum in retorta digere cum spiritu vini rectificatiss. donec fiat crassus liquor Hinc destilla ex Arena igne forti, & prodibit liquor instar lactis. Lacteum hunc liquorem reaffunde materiæ in fundo relictæ, destillaque denuò. Sic exstillat oleum album ac fragrans sine corrosione. *Kesl. lib. 3. c. 30. lib. 4. cap. 35. vide etiam Liquores Mercurii.*

N. Alii contenti sunt solâ digestione ac destillatione cum spirit. vini peracta. Kesl. lib. 2 cap. 29. lib. 4. c. 14.

Vires. Curat ulcera maligna, cancrosa, præsertim Renum & vesicæ.

Usus tam internus, quàm externus est.

5. Oleum fragrans, Astrum dictum.

℞. Mercurii septies sublimati, totiesque per calcem vivam revivificati, q. v. solve in spir. Sal. nitri calore mediocri: dein abstrahe spir. Sal. nitri, edulcora optimè coquendo in aceto destillato, ut corrosivus sapor eluatur: postmodum abstrahe quoque acetum destillatum & denuo elue, affundendo aquam pluviam stillatitiam, hinc exsicca, & digere aliquamdiu cum spirit. vini rectificatiss. ana. Postea pelle simul per retortam igne initio leni, dein fortiori: corpus residuum serva pro conficiendo inde sale: Exstillato verò deme spiritum vini in Mar. Baln. Et remanebit in fundo mercurii fragrantissimum, quod est astrum mercurii. *Basilius.*

Vires. Diaphoreticum est & peculiare curativum Luis venereæ: easdemque vires obtinet, quas Sal mercurii ex corpore residuo paratum, vide infra.

6. Aliud Oleum mercurii diaphoreticum fragrans.

℞. Mercurii sublimati p. 1. salis ammoniaci fixi (in liquorem p. d. redacti & mundificati,) p. iij. solve p. d. Liquore imbuatur charta bibula: Charta sic perfusa matracio vitreo includatur cum suo alembico & recipiente: destillando liquorem mercurialem ign. arenæ elice. Hinc si rectificaveris, dulcissimum, odorisque fragrantissimi ac gratissimi, moschum redolentis, nancisceris oleum.

Vires. Aptissimum est in sudoribus ciendis.

Quercetan. in Tetrad. In descriptione Panaceæ antimonialis.

7. Oleum Mercurii Saccharatum, Spiritusque.

℞. Mercurii sublimati p. j. Sacchar. p. iij. Misc. optimè ac destilla per retortam vitream luto obductam in receptac. capax. Primò accende paulatim carbones supra retortam, ut calescat: hinc accende & infra, ac continua ignem lentum dies 2. aut 3. Quod exstillabit committe destillationi Mar. Baln. Exibit spir. mercurii subacidus, oleo Sacchari remanente in fundo.

N. Lentè procedas memento, ne operam ac oleum perdas. Saccharum enim æstu nimio irritatum, vi sibi exitum quærere solet.

Usus. In Ulceribus Vesicæ, aut aliis Affectibus ex morbo Gallico relictis, magni est solatii.

Dosis:

Dosis: spiritus exhibitus gut. 3. 4.

V. EXTRACTIO,

Unde

1. Sulphur seu Tinctura Mercurii, Aquila cœlestis.

℞. Mercurii sublimati (cum Sal. com. & vitriolo elevat.) q.v. affunde acetum destillatum, stent per septimanas aliquor, ut extrahatur flavedo s. a. Decantatos liquores destilla ad siccitatem, & habebis pulverem rubeum, qui verum mercurii Sulphur.

Vires. Paracelsus maxima huic attribuit præconia, in curanda Podagra, Epilepsia, morbo Gallico, &c. Quorum radicem per sudorem expellit.

Dosis g. 3. 4.

2. Alia.

℞. Vitri mercurii (quod succinum antimonii vocatur,) extrahe cum aceto destillato, decanta & abstrahe.

Vires. Sudorem movet.

Dosis g. 2. 3.

N. Uti vitrum illud non est nisi vitrum antimonii: Ita Extractio hæc non nisi antimonii censenda erit. Vide Bittich.

3. Oleum mercurii antimonialis Tinctura.

℞. Mercurii ex antimonio facti part. 1. ole. vitrioli rub. rectificatiss. p. IV. abstrahe leniter, ut spir. cum mercurio maneant, dein auge ignem, & sublimabitur aliquota mercurii pars. Sublimatum redde mercurio in fundo, tantumdemque novi olei vitrioli adde abstraheque & sublima, idque vice tertiâ; tandem tere, & affunde triplum spirit. vini rectificatiss. circula, sic fiet separatio, & mercurius in oleum abibit supernatans. Hinc separa oleum idque circula per diem ac noctem cum aceto destillato acerrimo. Sic oleum recipiet ponderositatem, fundumque petet, & quod noxium in mercurio erat, aceto destillato immixtum maneat.

Vires. Basilius maximis encomiis oleum hoc celebrat, vimque ei attribuit corroborandi Cerebrum, curandi Apoplexiam, imò loco Panaceæ habet.

VI. LIQVATIO.

1. Unde Liquor.

℞. Mercurii sublimati q. v. digere in phiala vitrea calore mediocri, per dies (40.) hinc solve per deliquium.

Vires. Curat Ulcera ac Vulnera maligna instillatus.

Alius liquor Mercurii præcipitati.

℞. Mercurii per aquam fortem præcipitati q. v. affunde spirit. vini opt. digere, & cùm acer factus fuerit decanta. Hinc affunde alium, donec acrimonia sublata, & calx attenuata sit. Tunc affunde acetum destillatum, digere, decanta, affunde novum acetum destillatum, idque toties, donec totus pulvis in aceto destillato abierit. abstrahe acetum destillatum, pulveremque repone in cellam ad liquescendum cum aqua Chelidoniæ.

N. Quod si acet. destillat. calci huic insufficiens fuerit, denuò calcina.

3 Alius.

℞. Mercurii sublimati q. v. solve in aqua fort. (ex Sal. Nit. p. ij. & sal. ammoniac p. 1. destillata,) digere vase clauso, postea destilla: residuum tere, rursusque aquam affunde, idque tantisper reitera, donec omne sublimatum in fundo fixum remaneat. Fixum hoc sublimatum per hor. unam ac alteram leviter reverbera, dein tere, digere cum spirit. vini, abstraheque cohobando, donec in olei formam abeat. *Vnizer.*

Vires. Confert Podagricis, lue venereâ infectis, Cancro, Fistulis, & omnibus ulceribus sordidis, putridis atque inveteratis, sive intrinsecus, sive extrinsecus adhibeatur.

N. Sic quoque figitur per acetum destillat. fixumque per spiritum vini dicto modo in mucosam pinguedinem abit: quæ si ex arena gradatim destilletur igne fortissimo, lacteum humorem sudat, digere hunc ac destilla, accipiesque oleum candidum & suave.

Vires. Usus ejus tum internus est ad Renes exulceratos, atque calculum, tum externus ad ulcera.

4. Alius, oleum mercurii diaphoreticum dulce.

Mercurii sublimati puriss. q. v. tere & solve p d super tabulis ferreis stanno obductis. Liquori affundatur spirit. vini, fiat destillatio cohobiis toties repetitis, donec spirit. vini acescere incipiat. Tandem abstrahe leniter spiritum vini, manebitque in fundo oleum mercurii dulce. *Hartman. in pract.*

Dosis à g. 2. *ad* 6.

N. Alii pellunt igne fortiori ex arena, nanciscunturque lacteum liquorem, qui rectificatus per retortam evadit fragrantissimus sine corrosione. Vide suprà in destillatis.

5. Liquor mercurii Iovialis.

℞. Mercurii crudi, Jovis ana ℥ij. Fr. amalgama. Huic adde mercurii aliquoties sublimati ℥iv. Trita solvantur per deliq. Liquorem digere cum spirit. vini per mensem. Postea abstrahe vini spiritum igne lenissimo in Mar. Baln. sine oleum simul ascendat F. cohobatio quater vel quinquies. Ultimò remanebit in fundo ole. mercurii Joviale.

Vires. Potest adhiberi intrinsecus & extrinsecus.

Dosis à g. 2. *ad* 6.

6. Liquor Mercurii sublimati.

Sublima mercur. sublimati ℥j. cum ana sal. ammoniaci, adde spirit. vini ad eminentiam 3. digitorum, digere simul per 6. dies & per retortam pelle. Post spirit. vini egredietur Oleum, quod in frigido coagulabitur in massam albam, quæ in cellâ posita resolvetur in liquorem solem dissolventem, eumque in volatilitatem adducentem.

Ex S. Closs.

VII. SALIFICATIO.

℞. Corpus ex præparatione olei mercurii fragrantis residuum (*vide supra*) affunde idem illud oleum fragrans, digereturque & extrahetur sal mercurii. Extractioni decantatæ affunde spirit. vini quantitatem bonam, demùm abstrahe spirit. vini in cinere, & ascendet post spirit. vini & ole. mercurii, relicto sale in fundo.

Vires. Summum est & efficacissimum arcanum in exstirpanda Lue venerea, etiam radicata & inveterata, sanguinem mundificat, adeoque omnis generis ulceribus sine & cum malignitate conjunctis medetur, scabiei confert, impetigines sanat.

Dosis ℈ 1. *ad* 2. *vel* 3.

MERCURIUS S. MERCURIUS. Est *liquor mineralis, albicans, homogeneus, indivisibilis:* Dicitur mercurius, quia ratione mobilitatis *respondere videtur mercurio cœlesti.* ARGENTUM VIVUM etiam dicitur: argentum quidem, quia instar lunæ albus, vivum v. quia summè volatilis. In genere notetur, quod alius sit mercurii VULGI, alius CORPORUM, alius PHILOSOPHORUM. Mercur. vulgi est argentum vivum. Mercur. corporum est, qui elicitur ex corporibus metallorum, dicitur etiam *Mercur. resuscitatus it. metallicus.* Cæterum Mercur. Philosophorum, qui debet esse materia menstrui Philosophici; item materia veri lapidis Philosophorum, nullo modo participat de Mercurio vulgi, nec desumi debet ex regno vegetabili, nec ex regno animali, sed in specie ex regno minerali, & quidem ex principio metallico seu primo Ente metallico elaborari debet, non v. ex metallis perfectis. Observetur hoc: Quod attinet *Mercurium vulgi est iste nativus.* Et quidem *variatione eruitur. Vel enim* in propriis suis mineris reperitur vivus & fluidus, & vocatur MERCURIUS VIRGINEUS, quoniam adhuc est virgo, neque per ign. fuit defloratus: Observetur hoc, quod tales mineræ Mercurii vivi sint copiosæ in *Carinthia,* & fossores qui laborant in his mineris, quando ad 4. menses laborarunt, incidunt in tremores artuum, in paralysin, & quæ attingunt inargentant, quoniam spiritus Mercuriales eorum corpora occuparunt: Nihilominus dentibus sunt firmis nullo modo vacillantibus aut gingivis denudatis, aut exulceratis, id quod aliàs fit in iis qui externè utuntur inunctionibus Mercurialibus. Præterea *potest præparari*

Mercur. vivus *ex Cinnabari nativa*, quæ Cinnabaris reperitur copiosè in solis fodinis & Lun. fodinis Hungariæ, & quidem in terra *Hungarica* dicta: ex hac *elicitur Mercur. copiosus*; imprimis si adjectione salium alcalium destillatur per retort. sic enim prodit Mercur. vivus vulgi: Nam hæc terra constat ex fumis Sulphuris conjunctis cum Mercur. vivo, quæ duo coaluerunt in Cinnabarim. Ex hac terra ergo, adjectione salium alcalium, per destillationem similiter elicitur Mercurius. Mercur. vivus est liquor metallicus, utut sint qui dicunt quod Mercur. magnam *habeat convenientiam cum Lun.*, quidam v. *cum Satur.* Cum Lun. adeò, ut ipse Mercurius sit verum argentum, modò sit fixatus: quidam v. *Mercur.* vocant *plumbū coagulatum* propter cognationem, quam putant subesse inter Mercur. & Satur. Præter alias appellationes, quas habet Mercur., vocatur etiam *servus fugitivus Chymicorum*, ex eo, quoniam ex se nullo modo est coërcibilis, adeò ut *nullo modo* possit fixari, ut ign. fortius sustineat examen. Unde fit, ut quando eundem apprimè fixum nobis persuademus, multum de ipsius possessione gloriantes, nobis insalutatis in auras aufugiat. Sic erat *BARTOLUS* Astrologus magnæ famæ, qui Mercur. ad tamen elevavit fixitatem, ut jam in eo esset, quo modo convenienti illum includeret vasculo, sed nescio quo moratus, fortissimo subdito igne inopinato ipso mœstus Mercurium evadere vidit. Hinc *arduum est Mercur. reddere fixum.* Ubi observetur *distinctio inter Mercur. coagulatum & inter Mercur. fixatum* Coagulatus est, qui non amplius apparet in forma fluida, sed qs. in corpus durum metallicum est redactus, & hoc est factu facile, & potest obtineri per halitum Saturni & Jov. alius est mercurius *fixus*, qui instar metalli subsistit in igne, ut non avolet, sed ignis torturam patienter perferat. In hanc fixationem omni studio allaborarunt longo tempore spagirici, frustraneo tamen, quantum hucusque apparuit, conamine. Optima eorum est opinio, quoad fixationem Mercur., quod scilicet si fieri debeat *fixatio Mercur.*, non debeat fieri alio modo, quàm *beneficio Sulphuris* cujusdam *fixi metallici*, quod facilè sese unit cum Mercur., & ipsi volatili suam fixitatem tribuit, & ita figit: Et posito, eò etiam redigi Mercur., ut ad aliquot horas patiatur fortiorem ignis torturam, nihilominus tamen facillimè denuò resuscitari potest Mercur. vivus corporum cum alcalibus, sive sint cineres clavellati, sive sal tartari, vel alia fixa, sive limatura martis, &c. Mercur enim quando debet mutare formam, non fit nisi ab acido, à quo aliquantisper ligatus, subitò attactu alcalium acidum absorbentium denuò reviviscit, & dicitur MERCUR. REVIVIFICATUS, qui in usu medico *præfertur* aliis Mercuriis vivis, propterea, quoniam beneficio coagulationis & subsecutæ revivificationis omnes impuritates sunt sublatæ, & omnia adjuncta arsenicalia sunt separata, adeo ut talis mercurius revivificatus *optimè* adhiberi possit *pro usu medico.* Mira est *amicitia auri & mercurii*, metallorum contrariissimorum tamen. Nam sicut sol scil. aurum est fixissimum & durissimum, ita Mercur. econtra est volatilissimus & mollissimus, nihilominus tamen se promptè uniunt, ut vel *levissimo contactu Mercur. se* promptissimè *insinuet in substantiam* auri, cum eoque se unit, adeò ut Solis fulgor in albedinem convertatur. Hinc est, quod ii, qui gerunt in marsupio Mercur. vivum, si retineant in manu nummum aureum, ille evadit argenteus. Item si geras Mercur. in manu altera, & nummum aureum habeas in manu altera, vel etiam in ore, brevi post apparebit nummus aureus omnino inargentatus, sic penetrativus est atque subtilis. Hoc modo possumus aliquantisper *corrigere damna* illata per Mercur *in inunctionibus Mercurialibus* in lue venereâ: Cum enim *Mercurius* sit *inimicissimus nervis*, propterea ij, qui tali inunctione utuntur, laborant sæpius nervorum gravioribus affectibus, à residentibus particulis Mercurialibus in corpore. Optimè tamen corriguntur cum auro. Unde *ZACUTUS LUSITANUS* habet *Unguentum ex auro*, cujus illitione Mercur. ex toto corpore extrahit, quia Mercur. promptè accurrit ad Sol., & sic elicitur vel abstergitur. *RIVERIUS* habet observationem Cephalalgiæ contumacissimæ post curationem luis venereæ Mercurialem, quod *cephalalgia* fuit oborta ex remanentiis Mercurij: quæ fuit optimè *curata beneficio nummi aurei in ore* detenti: Cum hoc enim fuit extractus Mercur. in capite restitans, & subitò postmodum sedata fuit cephalalgia, *medicamenta Mercurialia* pro usu interno propterea *non debent assumi cochlearibus metallicis*, in specie in cochlearibus aureis vel argenteis, propterea quoniam Mercur. assumendus, velut lambendo, eorum superficiei adhæret: Cum omnibus enim *metallis se misce*, & etiam *metalla corrodit*; Exinde etiam est *amalgamatoria Calcinatio metallorum cum Mercurio*: Cochlearia lignea debent adhiberi pro assumendo Mercurio. Virtutes Mercur. variant pro varietate præparationum, de quo postmodum. *Proba Mercur.* ejusdem puritatis & ejusdem naturæ est si tantillum de illo immittatur in cochleare argenteum, & permittatur, ut evaporet super ignem; quod si relinquatur in cochleari particula nigricans participat de Satur., & est adulteratus, & certè nocivus, si remaneat flava, participat de Sole, si alba participat de luna. Mercurius commodè in suis vasculis conclusus tegatur cum oriza, sicut camphora additis granis piperis vel lini conservatur. Quod attinet USUM, dixi quod *variet* pro varietate præparationum: Nihilominus tamen propriè commendatur ceu proprium ALEXIPHARMACUM LUIS VENEREÆ, quæ confirmata & inveterata vix alio modo poterit curari, nisi per medicamenta Mercurialia, scilicet internè assumta sub formâ pulverum, sive externè admota sub forma unguentorum aut suffituum. In qua curâ luis venereæ externè inunctus *Mercur. solet exsuscitare* copiosum *fluxum salivæ*, & vocatur SALIVATIO. Quæ salivatio continuanda est tamdiu, donec venenum venereum omnino salivando scil. per salivam sit expulsum: *Modus* hic per salivationem curandi luem veneream est *usitatus Gallis. Interdum* loco salivationis solent subsequi in lue Ven. *copiosæ dejectiones* alvi; ubi interdum observatum fuit, quod dejectiones alvi fuerunt nigræ instar atramenti. *Raro insensibiliter* operatur Mercur., ita ut neque per alvum scilicet per dejectiones, neque per salivationes curet, utut *HORSTIUS lib.* 14 *obs.* prope finem *habeat observationem* operationis Mercurii insensibilis. Sed necessum est, ut pro talibus inunctionibus *sit* benè *depuratus* & purificatus. Et quando est purificatus, *misceatur cum axungia* porcina, donec occultetur. Hoc unguento composito *inunguntur articulationes* genuum & cubitorum, idque aliquoties in loco tepido, *donec succedat salivatio*, si hæc minus prodeat, fit inunctio spinæ dorsi secundum longitudinem; alii non ineptè inungunt plantas pedum; sic enim totum corpus perreptat Mercur. & tandem salivando miros exserit effectus. Morbus Gallicus aliàs etiam dicitur *scabies Gallica.* Nam Mercur. quoque *convenit in vitiis cutis, scabie, elephantiasi, lepra* & similibus affectibus. Unde notum est, quod etiam nunc usurpentur pro scabiei curatione CINGULA MERCURIALIA, quorum cingulorum usus satis est proficuus, *si* 1. *Præmissa* sint convenienter *universalia.* 2. *Si M. sanguinea* sit benè *depurata.* 3 *Si* cum applicatione horum semper *internè usurpentur* lenia *Diaphoretica*, & 4. *Si* æger *versetur in loco calido*, & subinde *se moveat.* His conditionibus observatis, facilè potest usurpare quilibet cingulum mercuriale vid. *BARTHOLINUS Cent.* 3. *hist.* 79. Loco hujus cinguli in usu sunt *unguenta Mercurialia*, qualia unguenta etiam solent *in tinea* adhiberi.

Et

Et hæc, occasione Luis Ven., quoniam est ejus appropriatum alexipharmacum, & præter hoc aliud non habet. Sed bene sit præparatus Mercurius pro quocunque usu, imprimis externo, aliàs *inducit* varias NOXAS, *casum dentium & capillorum*, *tremorem*, *paralysin*, *contracturas* & similes alias noxas ex perverso Mercurii vitiosi usu posse oriri certum est. Mercur. propter suam agilitatem, subtilitatem, & penetrantiam valde etiam *commendatur* externè *in* emolliendis *tumoribus duris*, imprimis in tumoribus & *nodis Gallicis*, uti etiam in *scirrhis* & aliis tumoribus duris, in quibus aliquantisper coagulatus applicandus. Unde *Unguentum* VIGONIS *de ranis cum Mercur.* est adeò expertum remedium. Hinc etiam est, quod in *Gangliis* & *nodis* applicari soleat lamina plumbea Mercurio vivo illita, & ita citò tutò & jucundè illa curantur. Adhibetur *in* nodulis ac *sacculis* cordialibus pro *præservanda peste*, quod utut suspectum videatur *GUIBERTO in Medico officioso*, *tractatulo de peste*, nihilominus tali usu externo est valde proficuus. *Pro præservandis viris à fascinationibus & ligationibus*, uti dedi talem formulam superius, ubi de antirrhino. *In* affectione *Iliacâ* item in *contumacissimis obstructionibus* experti est usus Mercurius: *Si* scilicet Mercur. *vivus assumatur* & deglutiatur; mobilitate enim suâ contumacissimas reserat obstructiones. *Notabilis est historia*, quam de simili cura per literas transmisit *D. MICHAELI D. ERBENIUS*, *Archiater Regis* POLONIÆ, qui refert de quâdam contumacissima alvi obstructione laborante, cui aliis medicamentis irritis omnibus, propinavit lib. iij. argenti vivi, & his nihil operantibus, illum imposuit currui, & veloci motu agitavit: cumque reversus domum de nocte somnum habuerit quietum, manè lectum stercore maculatum, & argento vivo inargentatum reperit. Mercur. namque *vivus tutissime internè assumitur*, quoniam citissimè penetrat, unde in Iliaca passione assumitur, vel in substantia, vel in globulis cereis in forma pilularum, & hic est *modus RIVERII*. Certum sanè est remedium in tali casu, de quo jam *HELMONT.* facit mentionem *tr. de flatibus*. Mercur. præterea *juratus est hostis vermium* quorumcunque, sive sint *pediculi*, sive *majores*, sive alii, omnes hos *externo usu* certissimè *curat* Mercur. Vel solus etiam Mercur. *in marsupio gestatus* pediculos quoscunque abigit; ingreditur inde *unguenta* quædam, imprimis *de Nicotiana*, & inungitur locis, ubi tales sunt hospites, qui attactu Mercur. aufugiunt. Hinc *interno* etiam *usu* certissimè *curat Lumbricos*, & ubi alia irrita sunt, aliquot gr. Mercur. dulcis data, quoscunque lumbricos expellunt & exturbant. Hoc etiam fit per aquam HERMETICAM AUGENII, quæ est ex aquis appropriatis, *flor. persic. portulacæ*, *graminis* ana lib. I. *affuso Mercur.* ad ℥iv. agitatur in loco calido, & post agitationem, ut fiat pura, filtratur & propinatur, sicque omnes lumbricos certissimè expellit. Est secretum *AUGENII* hæc aqua quam reflexionem super hanc habeat *HELMONT.*, & quid velit elicere de activitate metallorum radiativa, *vid. tract. herbis, verbis & lapidibus magna vis*, *mox in principio*. Sunt qui *ex sanguine* humano volunt præparare *mercur. vivum*. Et hujus rei experimentum producit *KERNERUS*. Cæterum observetur *impostura*: Nam utut in Aur. fabrorum sanguine hoc verum sit, quoniam hi ipsi, cum sæpius versentur cum Mercurio inde aurandis vasis, inspirando hauriunt fumos Mercuriales, qui collecti dant Mercur. vivum, ut exinde possit ex sanguine extrahi, non tamen in aliis subjectis simile quid sperandum, & nullo modo Mercur. vivus ex omnium sanguine elicitur. In usu vermium dicit „ AUCTOR: *quin imò cum certo quodam succo* „ *pulverisatus exhiberi potest*, &c. Auctor autem illum reticet, est enim *saccharum iste succus*: Unde si misceatur benè cum saccharo Mercur., & in mortario lapideo vel ligneo moveatur & uniatur, possumus „ illum assumere internè optimè in vermibus. Ulterius dicit AUCTOR: *difficilem promovet partum*, &c.: sic sunt, qui difficulter parturientibus propinant Mercur., vel aquam *Hermeticam* AUGENII, vid. Auctor. Est & *cautio notatu digna*, quando, dicit AUCTOR, *quod si Mercurium intrinsecus exhibere volueris*, &c.: Ratio est, quoniam Mercurius extrinsecus adhibitus nocet dentibus, eosque nigros, vacillantes & corrosos reddit; Hinc est, quod istæ mulieres, quæ in juventute usæ sunt *fucis* Mercurialibus; (optimum enim est cosmeticum) *in senectute* sint *edentulæ*, aut habeant *halitum fœtidum* propter putredinem inductam gingivis & earum dentibus. 2. Licet Mercuriales fuci ad tempus faciem faciunt albam, nihilominus *Faciunt* etiam *subitò apparere rugas* & juvenculæ per aliquod tempus usæ fucis Mercurialibus fiunt ante senectutem vetulæ. Valdè *nocivus est mercur. nostratibus propter scorbutum*, cujus est hostis juratus; Hinc iis, qui obnoxii sunt scorbuto, cautissimè sunt propinanda Mercurialia: Cùm enim per se Mercur. sit infestus gingivis, & etiam in scorbuto dentes sunt corrosi, propterea facilè cum Mercur. malum exasperaretur. Unde *in nostris regionibus* non solum inusitatum; sed etiam *periculosum est*, *curare luem veneream per mercur.*, propter metum scorbuti. Et quidem tam promptus est Mercur. ad salivationem, ut iis, qui habent gangrænam in pede, applicatus, facilè excitet ptyalismum, utut in minima dosi & remotissimo loco fuerit applicatus; Id quod *observetur in* curandis *ulceribus scorbuticis*, ne applicetur cum noxâ. Quod attinet Mercur. PRÆPARATIONES & ex eo elicita medicamenta, observetur, quod rectè dicat *HELMONT.*, quod Mercur. nunquam ullâ ratione sit divisibilis, adeò ut sit impossibile, per artem & naturam, ut inde sal aut sulphur trahatur. Et exinde rectè *HELMONT.* vocat non-Entia & imposturas pseudo Chymicorum, & plane *mercur. ol. sal vitriol. aqu. & similia* reiicit, quoniam hæc *sunt imposturæ*: Nam licet Mercur propter adjuncta salia vel alia simplicia suscipiat larvas varii generis, nihilominus tamen non sunt, nisi oculorum imposturæ. Quippe semper ex iisdem Mercur. denuò vivus potest resuscitari, uti rectè loquitur *HELMONT.*, quod 3. Chymicorum principia non sint de morborum exercitu. Ut schema exhibeam omnium præparationum Mercurialium, observetur, quod *omnia ex Mercur. præparata medicamenta sint tantum* MAGISTERIA, sive adjectis salinis particulis pulveres: nulla olea, spiritus vel Essentiæ, &c. Magisteria autem hæc sunt *vel in forma fluida*, *vel in forma siccâ*: Illa, nempe fluida, ab his siccis demum originem suam habent. *Sicca sunt vel præcipitata*, *vel sublimata*: *Præcipitata fiunt* vel 1. per se vi ignis: vel 2. *per spir.* salinos, abstrahendo, vel specialiter cum Ol. Tartari, vel alio alcali fixo in aqua soluto, præcipitando. Et hæc *præcipitata* rursus sunt *vel simplicia vel* cum aliis metallis *composita*. Hæc de præcipitatis. *Sublimata* sunt *vel cum Sulph. vel cum* aliis *salibus*: cum Sulph. dant Cinnabarim, cum salibus v. pro variis accidentibus variè denominantur. Hæc est quasi SCIAGRAPHIA *omnium præparatorum mercurialium*. Alias in genere in Mercurii usu similibus cauti, quoniam *est vomitivus* Mercur. & subinde graves & periculosas corpori *infert* noxas, de quib noxis *vid. HOFFMANNUS de medicamentis Chymicis p. 56. AMMELUNGIUS de Chymia c. 6. pag. 226 FERNELIUS lib. 2. de Curat. morbi Gallici c. 1. & UNZERUS* in *ejusdem tr. de Mercurio*. Alias, quod obiter noto, Ammelung. cit. loco c 6. demonstrat, quod Mercurii *inunctio & cingulum* Mercuriale jam *veteribus* in cura scabiei fuit *usitatum*. Inter præparata 1. est PURGATIO, scil. Mercurii *expressione*

per

per corium, deinde lavatur cum aceto, sale, &c. vid. AUCTOR: Cæterum omnium *optima* depuratio *est destillatio*, quando sc. Mercur. permiscetur cum salibus, sale communi, sale Tart. calce vivâ & similibus aliis, hisque mistus destillatur per retortam sic enim prodit vivus omnium optimus purificatus. *Quidam* idem non ineptè præstant *cum spir. vini*, uti habet AUCTOR: Quidam miscent *cum terra sigillata*, & destillant per retor., non incommodè. Cæterum *optima* est purificatio Mercur, *si fit* amalgama ex eadem cum metallis, & postmodum hoc amalgama per retort. destillatur revivificatur enim sic mercur.. qui potest tuto adhiberi internè Inter præparationes referuntur CALCINATIO & PRÆCIPITATIO; sed, uti rectè monet AUCTOR, non est vera præcipitatio, vid. Auctor: Observetur nihilominus, quod Mercur. in pulv. redactus, vocetur *præcipitatus*, sive cum scil. sine menstruo: item vocatur *Turbith. minerale*, ad differentiam Turbith vegetabilis, quoniam sicut Turbith vegetabile est purgans, ita & hic. PRÆCIPITATIO peragitur, vel quando *per se* præcipitatur, uti habet AUCTOR. Singulare est, quod ign. solâ digestione lenta Mercur. reducatur in pulv. rubicundum, de quo vid. *ZVVOLFER. in Mantiss. pag. 321. & 323.* vid. etiam *TACHENII Hippocrates Chymicus ubi de Mercur.* qui non inania de eodem refert, & quidem h.m. vel per se præcipitatur solus, vel *auro & argento animatus*. Vid. AUCTOR. Item *per silices*: Hæc præcipitatio cum silicibus *est subitanea*, imprimis quidem si possint haberi silices, qui participant de auro, quales interdum inveniuntur, & se produnt colore flavescente & rubescente; Hîc facile præcipitatur mercurius, quoniam se cum iis ratione principii solaris promptissimè jungit. Præcipitatur etiam Mercur. *per salia acida*, inter quæ est ole. sulphuris Ol. vitrioli, spiritus nitri, &c. affundendo aliquoties & abstrahendo, & sic in fundo Mercur. remanet sub forma pulveris: *ex Ol* sulphuris quidem remanet pulvis *albus*, *ex Ol. vitrioli* remanet *flavus*, *ex spir.* sal nitr remanet pulvis *rubeus*, qui pulv. cum spir. vini digeruntur, &c. uti habet AUCTOR. Hæc præcipitata cum salibus *vim habent purgandi*, nunc *sursum* nunc *deorsum*, prout magis volatilia vel fixa: Quo enim sunt volatiliora, eò magis vomitus cient, quo magis erunt fixata, eò promptius per inferiora purgant. *Præcipitatus cum spiritu nitri est* colore rubeo & propterea vocatur à quibusdam mercurius *corallinus* vel etiam *arcanum corallinum*, sed hoc fit tantummodo ex imitatione Paracelsi. *PARACELSI* autem ARCANUM CORALLINUM, quod est Mercur. certo modo fixatus, est singulare remedium *arcanum ad curandam podagram.* Cæterum utut h.m. habeat colorem rubeum, non tamen est arcanum Paracelsi corallinum, differunt toto cœlo. A *PARACELSO* etiam vocatur *Mercur. Hæmatinus*, à colore sanguineo, it. AQUILA HÆMATINA: Hinc ortus est error ille in præparatione mercurii, dum quidam cum spir. nitr. in rubedinem præcipitatum, putarunt esse eandem rubedinem cum Paracelsi: cum econtra mercurius hæmatinus Paracelsi *cum aqua ovorum fiat* Balsamus *dulcissimus*: Hic v. est corrosivus, quoniam corrosivitas menstrui nunquam elui potest ex præparatis. Quicquid sit vocatur arcanum Corallinum, & hoc præparatur h.m. permiscetur cum spir vini & spir. vini aliquoties deflagratur, ut fiat aliquantisper fixior: Hic potest adhiberi *internè* pro leni purgante: item *externè* commodissimè permiscetur cum unguentis *contra scabiem*, ita valet egregiè in quibuscunque *Vlceribus fœtidis & malignis*. Nam *in mercurio* est *arcanum contra Vlcera maligna & fœtidissima*: sicuti etiam mercurius dulcis est egregium remedium. Sequitur mercurii *præcipitatio cum aqua albuminis ovorum num 7.* Hæc etiam fit tantùm ad imitationem Paracelsi: Nam hic habuit præcipitationem mercurii & ferè fixationem cum aqua album: ovorum, sed occultavit modum, & hunc substituerunt impostores. Observetur autem ne hic propinetur interius: Nam est *vomitivus* & valdè *malignus*. Num. 8. *præcipitatus per tincturam Smiridis*: Fundamentum consistit in hoc, quoniam Smiris fertur participare multum de marte, & hâc ratione aptus natus est elicere tincturam ex metallis. Et etiam ratione martis est aptus ad coagulandum vel figendum aliquantisper Mercur. Interim ita præparatus *non caret malignitate*. Præparationes hæ & similes possunt videri apud AUCTOREM & alios: Et quod sit adhuc volatilis Mercur. patet, si immittatur in igne Mercur. revivificatus avolat, pulv. v. residuus est à Smiride, qui tq. fixus ignis vim sustinet. Num 9. Sequitur *præcipitatus communis*, qui *beneficio* aquæ fortis fit, quando affunditur & abstrahitur, & sic acquirit colorem rubeum Hic internè non commodè potest usurpari, sed tantùm *externè* in *Vlceribus Gallicis*, *callosis & malignis*, & est *usitatissimus Chirurgis Italis* in Ulceribus malignis, Gallicis, & similibus aliis. Præcipitata quæ jam dixi sunt maligna & venenata, propterea sequuntur jam in Auctore *præcipitati* CORRECTIONES. Num. 13. Est *præcipitatus luteus*, quem præcipitatum luteum insigniter extollit *FINCKIUS*, *in Ictero* cum oleo Tart. vel sp. urinæ propter vim ingentem. Nihilominus *tutius* est uti *Rhabarbaro* vel aloë, &c. Quam Mercuriis præcipitatis, quoniam sunt maligni per se, & menstrua corrosiva adhærent. Eodem modo *potest fieri præcipitatus vulgaris*, si loco Mercur. præcipitati ℞. sublimatus vulgi, solvatur in aqua communi & solutum præcipitetur, per Ol. oleum p. d. Observetur hic modus solvendi & cum sale fixo præcipitandi, quoniam quædam magna habent in recessu, & qui hoc non sciunt, non possunt intelligere *BOYLEUM de coloribus & TACKENIUM in Hipp Chymico.* Post præcipitatos simplices sequuntur COMPOSITI CUM METALLIS, inter quos qui vocatur *præcipitatus solaris*, item *Aur. vitæ*: imprimis est cum sole s. auro: Nam hoc optimè *corrigit malitiam Mercurii* & novam conciliat naturam, præterea Mercurio virtutem diaphoreticam conciliat, & exinde *aur. vitæ* meritò *præfertur* internè *præcipitato solis* & quidē præcipitatus solis *in scabie contumacissima* affectus præstat egregios. Num. 2. *Regulinus*: descriptio, quæ habetur in AUCTORE, est *manca*: Observetur enim, quod pro tertio ingrediente *addendæ* sint ℥iv. *Mercurii vivi*; qui solvendæ simul cum aqua forti, & tres hæ solutiones conjungendæ & præcipitandæ, uti vult AUCTOR: Commendatur in *lue venerea* circa finem, si conjungatur cum extracto fumariæ vel cum extracto lignorum. *Hercules BOVII*: Bovius fuit Medicus Italus, qui magnifecit hunc Herculem, quo ipso etiam desperatos morbos curavit: Sunt qui commendant in febrib. *Petechialib.* internè & adhuc hodiè in Italia magni fit. *KEGLERUS* habet *Aur. vitæ*, quod vid. in *Script. de Aur. vitæ & præcipit*: quo ipso sese binâ vice à philtro liberavit, dum propinato hoc aur. vitæ denuò illud rejecit vomitu. ANTIQUARTIUM RIVERIANUM nihil est aliud quam aur. vitæ, movet sedes, vomitus & elicit sudores, per certam tamen enchirisin *præparatur ex aur. Mercur. & argento Præcipitatus viridis scil. venereus.* Num. VII. Hic est specificus *in Gonorrhœa virulenta*, quam omnib. aliis irritis, citò tutò & jucundè curat, & fuit expertiss. *D. MICHAELI & D. HARTMANNO*: Dicitur venereus, quoniam venus eundem ingreditur. *Observetur* & hoc *in ejus usu*, quod malum in principio exasperetur, nihilominus est salutare, quoniam cum impetu pellit malignitatem restitantem, & spontè postmodum cessat: adeò ut non sit, ut Tyro expavescat, quando tale quid videt. *Exhibetur* commodè *cum extracto Catholico ANDARNACI*, vel cum *panchymagogo CROLLII* cum oleo Camphoræ sub forma pilularum. Num. 8. *Vitrum Mercurii lunare*: Sed observetur, quod sit *impostura*: nam non est vitrum Mercur.,

Mercur. quoniam in fusione avolat Mercur. luna v. fusa abit in vitrum, adeò ut nihil sit aliud quam *vitrum lunare*, & nihil participet de Mercurio, qui, uti dixi, avolavit. In Chymicis reperitur Mercur. præparatus, qui vocatur *Turbith. mi erale*, de quo jam ante dixi, & præprimis videri potest *in MINDERERI armamentario Chymico* Sequitur SUBLIMATUS. Et quidem 1. se offert COMMUNIS *s. officinarum*. Mercurius sublimatus quocunque modo præparatus, nihil *est* aliud nisi *mercur. qui se conjunxit cum salibus corrosivis* admistis, & beneficio ignis fortioris secum sublimavit. Adeò utut etiam salia sint fixa, & Mercur. volatilis, nihilominus acida salia fortiter aggrediuntur Mercurium, & cum eodem se uniunt, unde quando fortior accidit ignis, volatilis Mercur. nititur avolare, unitus a. arctius cum salibus, illa secum in sublime trahit. Et quidem, ut Mercur. sublimatus fiat cum vitriolo, sale communi & nitro nihilominus *nihil* secum in sublimatione *assumit*, quam sal commune: uti *demonstrat TACHENIUS in Hippocrate Chimico*: absurdum quidem adhuc multis videtur. Est hic palliatus Mercur. quoniam denuò *potest reviviscі*, si scil. solvatur in v. communi in sartagine ferrea: Sic enim ferro inhæret acidum sal, & Mercur. sponte in fundo reperitur. *Exsuscitari etiam potest* cum fermento panis, uti docet *ZUUÖLFERUS, p. 10 in Apolog. contra Tackenium*. Ex Mercurio vulgari sublimatio fit *Mercur.* SUBLIMATUS DULCIS, si sublimatus communis s. vulgaris permisceatur cum ana Mercur. vulgari, & invicem similiter sublimentur: Dicitur *dulcis*, quoniam liberatur ab omni corrosivitate: utut enim sit corrosivus propter sal commune & spiritum salinum: nihilominus quando accedit Mercur. novus, fit ut salia corrosiva dispergantur & distrahantur, & sic deponat acrimoniam, & fiat insipidum medicamentum. Hic Mercur. dulcis est *egregium* remedium in *cura morbi Gallici, Scabiei & lepra*. Datur internè *sub forma pilularum in extracto ellebori nigri*, vel extracto *Panchymagogo CROLLII*, purgat potenter, & datur à ℈ß. ad gr. xv. vel ℈j. cum legitimâ dosi aliarum purgantium: stimulat egregiè. Hinc & non immeritò vocatur *Panchymagogum Mercuriale*, quoniam uti dixi, stimulat fortiter: *Ternâ vice est sublimandus*, ut vis venenata avolat: Merc sublimati & vivi beneficio hujus sublimationis separetur. Nisi enim hoc fiat, est nocivus propter admistum arsenicum. Sub formâ pilulari adhibetur, ne adhærescendo dentibus inducat cariem aut vacillationem. Hic Mercur. dulcis non adeò *commode adhibetur* in corporibus biliosis, sicuti *in phlegmaticis & sanguineis*. Observatum enim fuit, quod quidam Medicus cuidam Canonico propinavit in quartana Mercur. dulcem, in continente ejus vires fuerunt exhaustæ, & canonicus ad ultima redactus: propterea quoniam erat biliosus, & constitutione juvenilis: *Observetur* ergo, *quibus propinetur* Mercur. dulcis. Si *misceatur* cum Mercurio dulci *mercur. vitæ*, qui est propago antimonij, *fit purgans*, & deperit vim suam vomitivam. Mercur. vitæ purus cum Mercur. dulci corrigitur super porphyritem, & fit *egregium remedium in affectibus chronicis* non eradicalibus. Si ℞. Mercur. sublimat ℥vi, & foliorum lunæ ℥ij, & sublimantur invicem &c. postmodum cum Aqua rosarum abluuntur, & fit *sublimatus dulcis lunaris*, suaviter purgat per inferiora, & convenit *in affectibus capitis, Apoplexia, Epilepsia &c.* datur à gr. vi. ad gr. xi. *Mercur. dulcis* aliquantisper sublimatus, ut exhalet venenum vol. arsenicale seu metallicum, adhuc semel sublimetur per scorias mart. sic enim optimum habebis sublimatum dulcem *In hydrope ascite, in hydrope uteri* est egregium remedium Mercur. dulcis, *cum extracto elaterij* fiunt pilulæ tales:

℞. Extracti Elaterij,
Mercur. dulcis ana gr. xv.
Extracti absynthij: ℈ß.
Trochisc. alhandal gr. ij. vel iij.
c. Ess. absinthij.

Fiant pilulæ egregiæ in hydrope, uteri, ascite & aliis. *Eodem modo* possunt fieri pilulæ cum *Extracto Catholico ANDERNACI*, vel cum extr *cto panchymagogo CROLII. Enchrises*, quas habet AUCTOR in præparatione hujus Mercurij, videre licet apud eundem. Hîc habet AUCTOR præparationem aqu. *calcis vivæ cum Mercur. dulci*, de qua superius, ubi de lapide calcario; quæ est egregia in Ulceribus malignis & cacoëtheis, in specie in gangræna: Quod si adsit calor, ardor & inflammatio, convenit optimè permistum cum sacch. Saturni, quod corrigit inflammationem: quod si nimis acris, admisceatur spiritus vini, qui temperat acrimoniam eorum. LAUDANA *Mercurialia* videantur in AUCTORE satis clarè descripta, ad Mercur. sublimatum pertinet CINNABARIS *officinarum* artificialis de Mercur. Cinnabaris *fit*, quando sulph. mercur. benè trita, mista & subacta, invicem sublimantur in altum: & utut sulph. commune sit flavum & Mercur. albus, nihilominus sublimata, dant Cinnab. intensè rubentem: *Fundamentum* hujus rei est, quod in Sulph. sit copiosum acidum, quando ergo invicem miscentur, in igne ponuntur, aciditas in sulphure sensim sensimque in igne arripit mercur. & hæc duo ita unita adscendunt in altum, & sic dant Cinnabarim. Ex hoc etiam fundamento fit CINNAB RIS antimonij, quoniam Mercur. similiter in destillatione butyri antimonij revivificatus, se conjungit cum sulphure antimonij, & se mutuò sublimant in Cinnabarim, quam vocamus cinnabarim Antim. Et quod sit revera Cinnabaris Antim. artificialis, non nativa, ubi sc Sulph. commune reperiens in loco aliquo Mercur vivum, calorem sub terraneo permiscentur, & sublimantur in nativam, & hac ratione sulph. & Mercur. invicem concrescunt, & mutantur in Cinnabarim: ubi *eadem est ratio*, sive sit arficialis, seu Antim. sive naturalis seu nativa: Interea tamen *vulgi* s. artificialis *non adeò commodè usurpatur* internè, quoniam Sulph. & Mercur. admistam habent malignitatem: propterea utimur *Cinnabari* antimonij: quoniam *est ex Sulphure Antim.* quod sapit naturam solarem, inque hoc est verus *magnes Epilepsiæ*, uti habebimus suo loco, si rectificetur Cinnabaris, & denuò redigatur in Mercur. vivum, erit Mercur. optimè rectificatus, & purificatus, ut ex eo possit fieri ARBOR PHILOSOPHICA, quæ imprimis admistione Antim. fert. poma aurea, qualem arborem habuit *VVENDELINUS*. Pervenimus usque ad Mercur. destillatum, quando sc. beneficio Mercur. sublimati additione Antim. elicitur liquor crassus, qui ratione consistentiæ dicitur butyrum: adhibetur in hunc usum *Mercur. sublimatus*, qui, quoniam sæpius est adulteratus; PROBA ejus est: terendus est minutissimè, & adspergendus Ol. Tart p. d. atque, si legitimus est, color emergit vel flavus vel rubicundus: Sin v. alium colorem acquirat, est adulteratus: Si nigrescit, est illegitimus & adulteratus, & quidem *niger color* est *signum* admisti *arsenici* ab imposteribus, quoniam est admodum vilis pretij, ille autem prætiosus ut majus acquirant lucrũ. Ex hoc mercur. sumblimato fit Mercur. dulcis, uti dixi, elegans purgans, quod vocatur à quibusdam Panchymagogum minerale, quoniam catholicum est evacuans. De hoc patet, si cum aliis v. g. sub forma pilularum assumatur, ferociens vis purgandi evanescit, & sudorem movet in somno elegantem, si tamen sedes moveat, eleganter & blandè per inferiora purgat. Quodsi permisceatur in anatica proportione Mercur. sublimatus cum Antim. vel duplum Mercur. sublimati, destilletur per retort. acquiritur liquor

liquor acris & crassus, dictus BUTYRUM antimonij; vocatur etiam oleum antimonij GLACIALE; item *spuma duorum Draconum* venenatorum, quoniam sunt qs. duo dracones, qui misti exspuunt hunc liquorem: *Præparationem* subministrat AUCTOR hic in Mercurio, quia putat esse de Mercur. sed falsus est. Nam butyrum antimonij nihil aliud *est* nisi antimonium *à spiritu sal. mercurij sublimati corrosum*; dum enim examen ignis sustinet, spiritu salini acidi aggrediuntur antimonium, & corrodunt, & solvunt in butyrum: Mercur. autem se adjungit sulphiri antimonij & sub formâ cinnabaris adhæret: Hoc est totum tam butyri antimonij simplicis quam compositi negotium Et quidem quod fœtus Antim. solius sit butyrum, *ex eo patet*, quod *ex Antim. puro* permisto *cum* sale seu *spir. salis* potest destill. *butyrum* tale *sine* Mercurio, quale fit cum Mercurio, & *deinde* etiam *Mercur. vitæ* præcipitatus ex butyro Antim. hocce denuò potest fundi in regulum antimonialem, quod impossibile est ex Mercurio: Revera ergo est butyrum Antimon. liquor compositus ex partibus antim. per spiritum salinum Mercurij sublimati corrosis: Cinnabaris est nihil aliud, nisi compositum ex Sulph. antimonij, quod se conjungit cum Mercur. sublimato revivificatio. *Enchirises* in destill. butyri Antimon observandas habet AUCTOR. Hoc butyrum, quod egressum fuit, *rectificandum* aliquoties, ut mitescat ejus ferocia, & rectificatione aliquantisper figatur. Præparatur *butyrum* nunc ex antimon. substantia simplici, nunc ex regulo antimon. id quod *ex regulo est melius* atque tutius eo, quod ex substantia, quoniam scoriæ antimon. partesque volatiles minerales fundendo in regulum separantur, & ita fixius ac tutius dant remedium ac butyrum. *Potest byturum* antimon. *parari ex antimon. Diaphoretico*, *ex vitro* antimon. addito Mercur. sublimato, *sed non* dant *cinnabarim*, ex eo, quoniam fusione in regulum, & calcinatione in antim. diaphoreticum, Sulph. antimonij exhalavit omninò: Unde impossibile est, ut concrescat cum antim. in cinnabarim. *Cum hoc butyro*, si admisceas aurum *&* argentum, & rectè procedas, poteris hæc duo metalla fixa, unà *per alembicum destill.* & sublimare. Eodem modo atque ex antim. potest fieri *liquor butyrosus ex Saturno & Iove* &c. Quod attinet usum liquoris antim. corrosivi, *est* iste fortiter *corrosivus*, non tantum ratione antim. sed ratione etiam spir. salinorum ex Mercur. sublimato cum antim. conjuncto. Hi enim *spiritus salini acidi concentrati sunt in butyro antim.* & tantùm ipsius *corrosivitas* consistit *in his*: propter hos Mercur. sublimatus est corrosivus, per se non habet corrosivitatem, sicuti etiam *vivus non est nocivus*, *atque venenatus*, cœterum ubi sublimatur, & conjungitur cum spiritibus salis corrosivis, illam acquirit vim nocivam, ratione cujus habetur pro veneno. Est ergo butyrum antimon. corrosivum propter salem, & adhibetur *pro excitandis fonticulis* h. m. ℞. Calamus scriptorius, cujus portiuncula applicatur cuti, & illius cavitas impletur butyro antimon. commodeque & convenienter deligatur: sic enim fit, ut sensim sensimque subjectam cutim corrodat butyrum antimon. & in fonticulum transmutet: qui lege artis est tractandus. *In gangræna* vel potius in *sphacelo* est egregius usus; si in sphacelo pars sit emortua, *illiniuntur confinia* partis sanæ cum confinibus partis mortuæ *cum butyro antimonij*, aut fit circulus, & sic hujus beneficio *pars mortua secedet* à parte sanâ & spontè decidet. Vid rationes in *AGRICOLA in Poppium*. *Est* egregium *causticum potentiale* butyrum antimon. cujus guttæ aliquot impositæ *abscessibus maturatis illos aperiunt*, & fit exitus materiæ contentæ. Item si *applicantur aliquot guttæ bubonibus*, & in specie *carbunculis pestilentialibus*, si illinatur butyrum antimon. cum sit *quasi particularis sphacelus*, sponte *excidit* & separatur *pars mortua* à sana. Item impedit, quominus venenum pestilentiale possit regredi ad interiora, sed potius retinet, ut possit eò melius tractari carbunculus: in his carbunculis singularis *secreti ratio habetur*. Si ℞ ias hoc butyrum, & infundas in istud aquam simplicem, præcipitatur ad fundum pulvis albus, qui vocatur MERCUR VITÆ: idque propterea quoniam erroneè putarunt quidam, quod pulvis hic sit fœtus Mercurij & quod non fiat ex antimon. *Ratio præcipitationis* est: quoniam butyrum antimon. constat ex particulis Antimon. per spiritum acidum salinum corrosis: Unde si instilles aquam, particulæ salinæ se promptè uniunt cum phlegmate. (Id quod omnia salina faciunt) & istâ unione cum aqua dimittunt ex suis compedibus ligatas particulas antimoniales, quæ cum à partibus menstrui corrosivi acidis non amplius contineantur, gravitate sua ad fundum secedunt. Hic pulv. diligenter est edulcorandus & abluendus ab omni acrimonia spiritus salini acidi, & per filtrum separandus: liquor, qui per filtrum transit, rectificatus dat SPIRITUM VITRIOLI PHILOSOPHICUM, uti superius monui. Cæterum hic Mercur. vitæ pulv. dictus ALGORETHI, natione Itali, qui in frequenti usu habuit, *est egregium vomitivum*: *sive* propinentur *in substantia* ad gr. ij. vel iii, *sive in infuso* in vino vel aqua appropriata ad gr. v. vel. vi. Unde convenit in omnibus affectibus, ubi opus est vomitione & purgatione per inferiora. Et rectè dicit AUCTOR quod vis Mercurij vitæ non exhauriatur: ex eo, quod *adhibitus in infuso*, & denuò exsiccatus *centies potest infundi*, eadem efficacia & vomendi virtute: propterea quoniam *Mercur vitæ*, quod de omnibus Antimonialibus verum, *semper ex aëre aliquid* ad se *attrahit*; ratione cujus attractionis ex aëre vis vomitiva non imminuitur, sed persistit integra. *Probo hoc* ex antimonio diaphoretico. Hoc antimon. diaphoreticum sudorem movet, si verò ad tempus steterit in aëre vel cubiculo, non benè clausum, successu temporis ex diaphoretico fit catharticum, quod cum impetu per superiora & inferiora solet purgare: ex eo, quoniam Antim. diaphoreticum ex aëre attrahendo recuperavit suas virtutes catharticas. Ergo dico ratione hujus attractionis ex aëre medicamenta antimonialia sunt inexhaustæ virtutis in purgando & vomitum ciendo Vomitivum est egregium *Mercurius vitæ*. Sed observetur, quod *si propinetur Hydropico*, *non purgat per superiora sed per inferiora tantum*, *ratio* est, quoniam salsa aqua *hydropicorum corrigit Mercur. vitæ*, eumque *figit*, & vim ejusdem vomitivam, remanente purgante per inferiora, tollit. Nam *sal commune optimum corrigens est Mercurij vitæ*, adeò, uti etiam habebit postmodum AUCTOR, ut si ad aliquod tempus teratur, Mercur. vitæ benè cum sale communi, exinde ex vomitivo evadat blandum purgans per inferiora; Cum enim aqua hydropicorum salsa, ratione istius salsedinis corrigit *Mercur. vitæ*, ut tantùm purget per inferiora. Dico quod sal commune optimè corrigat Mercur. vitæ: Unde patet, quod dixi, si misceatur *cum Mercurio dulci*, teratur levigetur in marmore s. super porphyritem, & benè misceatur, non sit amplius vomitivus, sed tantùm purgans per inferioria, & *est egregium purgans*, nempe *in morbis chronicis*, *Melancholia & aliis* contumacioribus. *Ratio est*, quoniam sal, quod adhuc est in Mercur. dulci, & hoc ex Mercur. sublimato, corrigit Mercur. vitæ, quo correcto, & aliquantisper fixato, vis vomitiva perit, restitante virtute cathartica, per inferiora. *Commendatur* Mercur. vitæ, ubi opus est vita, *in principio febrium* intermittentium, in quibus *vel in infuso*, *vel in substantia* adhibitus, est egregium purgans, sed observetur de Mercurio vitæ, & omnibus medicamentis Antimonialibus, quod *tutius* adhibeantur *in infusa*, quàm in substantia: *Ratio*, quoniam in substantia: si propinentur sine permistione

medicamen

medicamentorum, possunt facilè adhærere plicis ventriculi, vel muco intestinorum, quo fiat alteratio ex penetrante aëre quod si hoc fiat, irritationes *horrendæ superveniunt* vomitiones continuæ & miserandæ *hypercatharses*. Hoc ne fiat, commodè dantur in infuso, in quo beneficio filtrationis in substantia remanet, virtute per filtrum tantùm transeunte. Quidam vocant hunc etiam pulverem, *rosam vitæ mineralem ANGELI SALÆ*, quæ nihil est aliud, quàm *Mercurius vitæ tinctus cum santalo*. Hic Mercur. vitæ præterea est egregius *in facilitando partu difficili*, ubi aliis medicamentis irritis, res videtur desperata, tunc propinatur Mercur. vitæ, ut oriatur vomitus, & ita cum impetu excludatur fœtus. *Vid.* de hoc *BILLICHIUS in observat. & paradoxis Chymicis*, ubi sunt egregia de Mercurio vitæ, iis, qui intelligere volunt naturam Mercur. vitæ, maximè legenda. *Rosa mineralis ANGELI SALÆ fit h. m.* Spiritus vini santalisatus coagulatur, & adduntur Caryophyllorum, Moschi & ambræ ana gr. iij ad summum, & hoc miscetur cum Mercurio vitæ, & ita fit rosa mineralis. Quod si fiat, ut opus sit vomitorio, quod tamen non possit deglutiri ob resolutionem gulæ, in apoplexia circa paroxismum in quo vomitus utramque faciunt paginam, *unum vel alterum granum* Mercurij vitæ *impositum linguæ*, lenem & jucundum *provocare vomitum* per experientiam est confirmatum; quatenus statim per salivam vis vomitoria tribuitur stomacho. *Appellatio* Mercurij vitæ *est* deducta *ex PARACELSO*: Cæterum Mercur. vitæ hic vulgaris *non est idẽ cũ Mercurio vitæ Paracelsi*. Nam *hic paracelsi*, scilicet *paratus est ex Mercurio vivo* per menstrũ fixum in Diaphoresin, vel lenem alvi solutionem fixato, & probè per aquam ovorum edulcorato. Quando destillatur butyrum Antim vel etiam quando præcipitatur Mercur. vitæ, simul solet progredi *Mercur. revificatus* ex sublimato Antimonio addito: Hic oriundus ex butyro, si leniter evaporetur in igne, *solet post se relinquere aliquot granula auri*, quæ granula Solis Mercur. ex Antimon ad se attraxit, quoniam, uti habemus, in Antimonio latet primum Ens Sol. Quod si fiat *Mercur. vitæ præcipitando butyrum reguli Antimonij martialis*, tunc Mercur. vitæ minore cum vehementiâ *purgat*, & *vim vomitivam* omnem *ferè amittit*: propterea, quoniam non tantùm vis Antim. cathartica fusione in regulum est imminuta; sed etiam quoniam eadem ipsa beneficio additionis martis ejusque Sulphuris fixio est correcta. Cæterum dixi, quod vis Mercurij vitæ sit violenta, & quod non sine impetu operetur, & exserat quæ suarum sunt partium: Propterea addit AUCTOR correctionem & monstrat quomodo corrigendus sit Mercur. vitæ: CORRECTIONES sunt variæ 1. Corrigit terendo ad longum tempus *cum sale communi*, sic enim uti dixi, vis ejusdem vomitoria perit. Item si in præcipitando Mercurio vitæ loco aquæ communis guttatim *instilles Ol. Sulph. p. d.* præcipitabitur pulv. Mercur. vitæ tantum purgans per inferiora sine vomitu. *Item* Mercur. vitæ optimè edulcoratus. *Si per mensem* in arenâ vel cineribus lento igne incalescat & *digeratur*, figitur, ut sine nauseâ purget. *Corrigitur* etiam Mercur. vitæ, ex manuductione auctoris, per sal nitr. ut h. m. amittat laxativam vim; sed *observetur*, quò major est sal nitr. quantitas, eò magis fixatur Mercur. adeò ut *si triplum vel quatruplum* assumatur sal nitr. tandem ex Mercur. vitæ *acquiritur* pulvis fixus *diaphoreticus*, qui reverâ nihil aliud est quàm antimonium diaphoreticum. Nam nitri figit omnium Antimonialia, & fixatione transmutat in diaphoretica, *sive* assumatur *crudum* & fusione cum Antim eadem figit: *sive* assumatur *spiritus nitri*, & affusus abstractione & cohobatione Antim. corrigit. Ita etiam *Mercur vitæ catharticus* fusus cum nitro, in crucibulo figitur, & corrigitur, plus minus, quo plus vel minus nitrum assumitur, & sic *quo plus* requitur nitrum, & quò diutiùs cum eo funditur, *eò magis* evadit *diaphoreticus* & fixus, *quo minus* requiritur nitrum, & quo breviori tempore fluit, *eò* minus fixum accipitur & *citius purgans*. Quod semel pro semper de Antim. dictum volo. Multi *corrigunt* imbibendo *cum spir. vini*, quando enim quinquies vel sexsies imbibitur, & digeritur, exinde oritur fixatio, ut solum purget per inferiora: *dosis* est à gr. IV. ad V prout magis & minus est fixus. Sequuntur nunc BEZOARDICA MINERALIA, ita dicta propter vim alexipharmacam, quoniam instar lapidis Bezoar venenis resistunt, malignitatemque per sudorem eliciunt, & quidem propter rationem Bezoardici mineralis vid. AUCTOR Præparationem etiam mineralis *in Collegio D. HORNII* invenimus, qui & simplex & compositum monstravit, ut non opus sit prolixitate. Præcipitavit cum spiritu nitri butyrum Antim, (semper tamen, aliquid spir. nitr. affundendi) & terra abstractione & subsequente postmodum ignitione atque cum spir vini deflagratione fixavit. *Magnum est alexiterium* dicit AUCTOR, idque non immeritò, quoniam ipsi potius deferendus præcipitatus Bezoardicus quàm lapidi Bezoar, ex eo quoniam lapis Bezoar sine adulteratione ad nos vix transfertur. Hoc Bezoardicum minerale *fuit in frequenti usu Neapoli*, *grassante peste* ante annos 12. vel 13. Bezoardicum non minus quàm antimonium Diaphoreticum frequentis est *usus in peste* & aliis *febribus malignis*, *petechialibus*, *variolis & morbillis*, *Lue venerea & impuritatibus sanguinis* aliis, per sudorem eliciendis *ROSENCREUZERUS*, *in Astronomia inferiorum p.* 40. refert, se *curasse hydropicum* propinato *Bezoardico* minerali simplici, in aqua Ulmariæ, cardui benedicti & cinnamomi, & ex usu hujus remedij propinati araneas 6. vivas cum urina ex se reddidit hydropicus Ex hoc Bezoardico simplici fiunt reliqua COMPOSITA CUM aliis METALLIS: Sic est 1. *Bezoardicum* solare s. antimonium cum auro compositum cujus *variæ* sunt *præparationes vid.* AUCTOR. *Optima est Crolliana*, quàm etiam habet Autor, ubi *observetur*, quod aurum pro præparatione Bezoardici solis *debeat esse optimè depuratus*, & ab omni alio metallo minus nobili separatus Nam si aurum participet adhuc de venere, Bezoardicum solare non erit perfectè diaphoreticum, sed ratione veneris admistæ erit potius vomitorium. Solvendum, dicit Auctor, est aurum in aqua regali &c Cæterum observetur, quod spiritus nitri, qui abstrahitur à Butyro antimonij postquam butyrum antimonij cum aqu. regal. post solutionem Sol. fuit conjunctum: iste spiritus nitr. vocetur *spiritus nitr. Bezoardicu* ex se *potest solvere Aur* adeò ut imposterum non opus sit solutione Aur. in aqua regali, sed sufficit, si solvatur in spiritu nitr. Bezoardico, qui solvens Aur. simul. præcipitat butyrum antimonij, & ternâ cohobatione fixatur, & per ignitionem fit pulvis fixus diaphoreticus *semper addendum nitr. novum* ut fortius fixetur. Deinde eximuntur crystalli, & initiantur: crystallis enim his ignitis, spiritus nitr. corrosivi avolant & evanescunt in auras: id quod apparet, quando ignitur pulvis Bezoardicus, ubi exhalant copiosi fumi, qui sunt spiritus corrosivi ex nitr. residui. Deinde etiam *melius fixatur* pulv. Bezoardicus: miscetur *cum spiritu vini*, benè agitando in mortario, & illum postmodum *deflagrando*. Hâc ratione figitur melius, & evadit Diaphoreticus. *Omnia* Bezoardica *cum spir. vin. deflagrari* certò *debent*. In præparatione, quàm habet AUCTOR, etiam adhibetur sublimatio Corallorum: Et quidem sublimantur corallia beneficio salis ammonici, & in hac sublimatione coralliorum, simul adscendunt flores coralliorum una cum sale ammoniaco, & sal. ammon. relicta corallia veluti calcinat in sale, quod sal in cella positum solvitur in liquorem: quam solutionem quidam inter arcana referunt, &

& laborant omnes lapides ita dissolvere 4. *Præparatio Bezoardici* Solaris venit *beneficio volatilisationis* Sol. Est *egregia* præparatio: Nam Aur. redditur per crebram rectificationem & abstractionem ferè volatile, sublimatur enim Sol quodammodo in spiritu nitr. Hoc modo præparatum Bezoardicum Sol. *est egregium remedium in Epilepsia puerorum*, imprimis si eadem oriatur à morbillis & variolis ante eruptionem, *tollit* enim simul Epilepsiam & *expellit variolas: quem usum* similiter quando resistendum Epilepsiæ, & expellendæ variolæ *præstat Cinnabaris* antimonij legitimè præparata, quæ cum sit basis specifici cephalici *D. MICHAELIS*: propter hoc *specificum cephalicum* commodè propinatur *in principio variolarum & morbillorum. Bezoardicum Lunare* est illud, quod præparatur *cum Tinctura Lunæ*. Cæterum necesse, est, ut habeatur *Luna benè depurata* & cupellata, pulv. Satur. purificata. Nam ea, quæ non est cupellata, sed adhuc participat de venere, uti habet saporem vitriolaceum; ita etiam adhuc obtinet vim vomitoriam. Hoc Bezoard. Lun. imprimis convenit *in morbis malignis*, qui caput affligunt, & dolorem ac similia symptomata inducunt: sed necesse est, ut sit benè præparatum. Ergo, ut simus securi, loco Bezoard. Lun. *potest misceri cum Bezoardico simplici magisterium* Lun. ad pulv. contra maniam de quo superius. In *Lue Gallica, Gonorrhæa virulenta*, in *renum & partium genitalium exulcerationibus* Bezoardicum Lunare non est contemnendum: aliquot *præparationes* Bezoard. Lun. habet AUCTOR quæ videantur. Sequitur *Bezoardicum martis*: Hoc *fit* beneficio butyri Antim. extractâ ex croco martis Tinct. Nam si *Butyrum* antimonij stilletur guttatim super crocum mart. *in momento elicit Tinct.* quoniã solvit mart. & non necesse est, ut in specie Bezoardicum mart. paretur ex croco mart. per reverberationem parato, sed *sufficit quicunque crocus*. Hoc Bezoardicum martiale est egregium in *cura Hydropiseos*, beneficio cujus aliquot Hydropici fuerunt curati. Commẽdatur itidem in *fluxibus ventris*, imprimis epidemicis, quales sunt *Dysenteriæ & Diarrhææ epidemicæ* malignæ resistit malignitati & simul compescit fluxus. *Alio modo* potest fieri Bezoardicum mart. si scil. clavi equini ferri, injiciãtur in crucibulum, ut benè excandescant, his clavis candefactis superinjicitur Antim. pulverisatum, & ita funduntur simul, & materia extracta tota erit scoria: has scorias compositas ex antimonio & mart. subactas, misce cum duplo mercurij sublimati, & sic destill. per retortam butyrum Antim. martiale figitur more consueto cum spir. nitr. Hincque cum spir. Vini deflagratur, & fit Diaphoreticum *singulare antifebrile & anticachecticum*. Postmodum caput mortuum, quod remanet post destillationem butyri, solvitur in aqua communi, depuratur per residentiam, & filtratur, & *liquor* qui filtrum transiit acidulus, *inservit loco acidularum artificialium*, & si evaporetur in loco frigido, concrescit in crystallos. Post Bezoardicum martiale sequitur: *Bezoardicum Ioviale*, factum ex regulo Antimonij Iovis destillato cum Mercur sublimato, & deinde præcipitato cum spiritu nitr. Hoc Bezoardicum Joviale est egregium remedium, quod *etiam potest parari* ex solo Jove, destillando Jov. cum Mercur. sublimato: *Potest etiam parari* Bezoardicum Joviale, ex solis Antimon. & Jove simul mistis, non antea facto regulo ex iis. Nam *ex Iove* possunt fieri *egregia remedia* dicta *Epactica*, ut superius monui de antihectico *POTERII* & sudorifero magno *FABRI* &c. Convenit valdè *in affectibus* mulierum *Uterinis*, in specie in *purpura mulierum* alba, convenit præterea in *epilepsia ab utero* & similibus: convenit etiam iis, qui sæpe laborant *hæmorrhagiâ narium*, ex qua metuenda vel cachexia & hydrops ad gr. VI. & VIII. & *repetendum aliquoties*. *In febri hectica* commodè *potest substitui antihectico POTERII*, cum quo easdem obtinet virtutes, ut inferiores. *In suffocatione Uterina* multa præstat, propinatum cum aliis: Mulieribus morbis mammillarum laborantibus, imprimis *induratione mammillarum*, in tali casu Bezoardicum Joviale est egregium: etiam potest propinari tuto *prægnantibus*. Item Bezoardicum Joviale *secum rapit Mercur. vivum*, si quis est dispersus per corpus, adeò ut exinde excrementa alvi appareant alba, quoniam Bezoardicum Joviale attraxit secum mercurium & per fœces expurgavit. *Bezoardicum Mercuriale*: Credo quod hoc non possit rectè confici; Est enim de Mercurio vitæ: jam v. notum quod Mercur. vitæ sit purum putum antimon. Unde *nihil peculiare habebit* præ Bezoardico minerali simplici. Sunt qui parare volunt HEPTASTRUM, idque ex omnibus 7. metallis, uti videre est in *POPPIO tract. de Antim.* Cæterum non opus est tali remedio. Sufficiunt namque simplicia. Dixi quod ex Mercurio non possit destillari Ol. vel aqu. vel spiritus &c. id quod adhuc confirmo: Licet enim sint, qui forti igne per continuatas aliquot retortas volunt destillare aquam quandam *ex Mercurio*, nihilominus potius est *impostura*, quam aqu. destillata vera & potest fieri ex aëre circumstante. Præparatio talis videri potest in *AGRICOLÆ Chirurgia parva p.* 146. Item in *ZUVÖLFERO in ejusdem Mantissa*, ubi prostant figuræ, quomodo instituenda destillatio: adeò ut *ZUVÖLFERUS* hanc aquam *esse alcahestinam* & solvere metalla dicat; sapit tamen hyperbolem. Vocatur butyrum in Chymia secretum vid. *BOYLE in Chymista Sceptico*. Quicquid sit, est falsum, & non vera aqu. Mercur. sed potest esse ex aere, ut dixit circumstante. Aliquot præparationes olei mercurij habentur in AUCTORE. Sed certum, non esse vera Olea, sed corrosivum tantùm quid Mercurij sublimati, aut liquores summè acres: *Mercur. per se non dat liquorem*, cum salibus a. permistus pro varietate illorum varias induit larvas. Ne ergo quis decipiatur. Nam non datur vacuum in rerum natura, quoniam omnia sunt plena deceptoribus *Num. I.* Processus nihil aliud est, quàm *spiritus* quidam *salinus*. *Num. II. Ol. rubeum est tantum solutio martis* cum Mercur. sublimato, & tamen ab autore vocatur Ol. rubrum, & sic porro: ad *Num. IV.* De hoc vid. *POTERIUS in Pharmacop. p.* 478. Et *est* tantùm *resolutio Mercurij sublimati*, non v. perfectum Mercurij oleum, & quidem adhuc sine digestione per aliquot menses commodè hoc Ol. fieri potest. Alias omnia hæc Ol. Mercurij *in genere conveniunt* valdè in *Ulceribus inveteratis dysepuloticis & cancrosis*, & etiam *in iis*, quæ volunt vergere *ad gangrænam*: *usu externo* conveniunt *non v. interno*, quanta quanta enim sunt, tantùm solutiones Mercur. sublimati sunt. *Num. 6.* est præparatio *Ol. Mercur. Diaphoretici fragrantis*: *fit* cum sale ammoniaco fixo: sal ammonicum *ita figitur*: scil. cum calce vivâ sal ammoniacum eluitur, iterum coagulatur, edulcoratur, & dicitur sal ammoniacum fixum, in cella solvitur in liquorem, & adhibetur ad fixationem & præparationem Mercurij dulcis. Hic *processus* etiam est *falsus*: Nam impossibile est, ut sal amoniacum cum calce viva figatur, demonstrante *ZUVÖLFERO in animadversionibus ad pharmacop. reg.* Deinde Mercur. sublimatus non potest figi cum sale ammoniaco hoc modo fixo, licet vel centies sublimetur, uti videri potest in *UNZERO de Mercurio lib.* 2. *cap.* 6. Num. VII. habetur oleum: *Mercurij saccharatum*: revera hoc Ol. non procedit de Mercurio, sed *est* tantùm *Ol. à spiritu acido* sacchari & salibus corrosivis: Necesse, ut cautè & lẽto igne destilletur, ne saccharum ebulliat. Alij *alio modo* præparant Ol. hoc: scil. ℞. Mercur. sublimati, sacchari & limaturæ ferri ana, atque destillant mutuò. Hanc præparationem *habet LOCATELLI in Theatro Secretorum p.* 122. Ratione hujus Ol. Mercur. saccharati mentio

mentio facienda est *Ol. Magnetici* seu *antidoti Lysopyreti D. KÖSTERI* præparatur ita. Mercurij dulcis purissimi & crystallini, sacchari candi albissimi ana ℥iij. destilletur per retortam vitream, & Ol. exstillans rectificetur, & optimè in vitro servetur, quo recentius est Ol. eò erit melius. Jovis hujus Ol. rectificati ʒß. aloes cum aqua endiviæ præparatæ ʒß. conservæ bryoniæ ʒii. misce & usui serva. Hoc facto, quotiescunque volueris, Jov. conservæ buglossæ ʒj cui admisce prædictæ misturæ gr. x. pro primâ dosi, pro secunda gr. xx. tertia gr. xxv. exhibe corpore optime purgato, & ab omnibus obstructionibus liberato, ipso die, quo paroxysmus invadere solet. 6. horas ante jejuno stomacho, obambulet, si vires ferant, sin minus, lecto se committat, & tota die à cibis se abstineat, uti etiam à potu: & omninò variè operatur, nunc per urinam, nunc per vomitum, nunc per alvum: si lubet poterit patiens propinata dosi medicamenti; assumere haustum bonum vini absinthiaci, quo sapor medicamenti ex faucibus eluatur. Medicamentum est non inconveniens, sed quod parum aut nihil participat de Mercurio.

CAPUT XVI.

De Cinnabari.

CInnabaris duorum generum Officinis in usu est, factitia scilicet & nativa sive mineralis. Factitiam descripsimus in sublimatione Mercurij. Nativa, est terra mineralis lapidescens, rubicunda, constat ex Sulph. & Mercurio vivo cum terrestri materia instar lapidis compactis Germ. *Zinobir*. Un mineral croissant en Libie, plus rouge que vermillon.

N. Dioscoridi dicitur Minium, quippe ex Minio Mercurium vivum elici affirmat. Nec obstat, quod contrarium verbotenus dicat, nimirum suam Cinnabarim à Minio diversissimam esse. Etenim quid Dioscoridis Cinnabaris fuerit, nondum certò constat. Sunt enim qui sanguinem Draconis intelligunt, alii Minium Officinarum ex plumbo factum.

Reperitur in diversis Europæ locis, in Ungaria, Germaniæque locis variis, prope Alsheimium Palatinatus, &c. Modusque Mercurium inde eliciendi, vel rusticis non ignotus est Ollam cinnabari implent, eamque ollæ alteri, interpositâ pertusâ laminâ ferreâ, ore converso imponunt, lutoque circumlito vi ignis circularis mercurium vivum ex olla superiori in inferiorem defluere faciunt, ad modum quo destillatio per descensum dicta perficitur.

Eligenda quæ gravida Mercurio & Sulph. præstantioribus, adeoque Vngarica, utpote quæ naturæ solaris.

Vires. Usus ejus internus, præterquam quod Antiepilepticis (pulv. Cratonis nonnunquam permixta deprehenditur,) quod sciam nullus est. Extrinsecus autem adhiberi potest ad sanandam Luem veneream, scabiemque aliam in suffimentis, &c.

[*Cinnabaris Armen. basis est specifici & Cephalici D. Michaelis.*]

PRÆPARATA.

Præcipitatus Diaphoreticus Hartmanni.

1. Cinnabaris solvatur in sua principia.

2. Principia illa purificata denuo conjungantur, reducanturque in pulverem.

Processum Hartmannus satis prolixum exhibet, in fine Commentariorum in Croll.

Hunc brevioribus sic habe.

Solve sensim Cinnabarim (Ungaricam,) in magna quantitate Spir. Sal, Com. supra sal. gemmæ ana ign. fortissimo cohobati: (coloris hic erit rubicundissimi.) Solutionem à Sulphure combustili supernatante, ut & fæcibus resistentibus separatam destilla ex cucurbita in arena, & exstillabit menstruum, principiis Cinnabaris in cucurbita relictis, quæ hac operatione apta reddita separationi. Abstracto igitur menstruo, igneque aucto, Mercurius Albissimus ascendens lateribus cucurbitæ adherescet, manentibus in fundo Sulph. & Sal. com. Collige Mercurium dictum seorsim, purificaque quàm optimè. videlicet.

1. Solvetur Mercurius ebulliendo in acet. destillat. hinc solutio à fæcibus suis decupellata committatur destillationi, ut acet. destillat. abstrahatur.

2. Procede eâdem ratione cum Mercurio remanente, adhibeque loco acet. destillat. pluviam vel rorem maialem stillatit. idque 3. vel 4. donec. nimirum mercurius planè albissimus remanserit. Hunc digere cum spirit. vini rectificatiss. per mensem.

Interea separa reliqua principia, Sulph. & Sal. com.) & clarifica. Nimirum Sal. com. elixivietur, s. a. affusâ aqua pluvia destillatit. calidâ depuratumque digeratur cum spirit. vini, tandem spirit vini ad apparentiam cuticulæ supernatantantis abstracto signatur coagulari.

Sulph. itidem aliquoties cum aqua stillatit. calida, lotum & exsicatum, simili modo cum spirit. vini digere, eundemque postea abstrahe.

Posteaquam itaque Mercurius in spirit. vini sufficienter fuerit digestus & solutus (rubescit enim totum illud compositum eleganter,) destilla ex retorta in Excip. capaciss. ign. aren. gradatim adhibito, eliceque primò spirit. vini, hinc urge, & prodibit spir. Mercurij (hinc inde sese extendens & sublimans instar Crystalli.) Peractâ destillatione relinque per hor. viginti quatuor. Sic solvetur spir. Mercurij Crystallisatus in spirit. vini. Separato tandem spirit. vini in MB, remanet Spir. Mercurij in fundo cinericij coloris.

Habitis his principiis, ad conjunctionem progredere.

Solve Cinnab. Ungaric. ℥vi. Spir. Sal. Com. cum sal. gemmæ acuato ut suprà, sequestratisque fæcibus solutionem decantatam destilla ad oleositatem: hinc affunde recentem spiritum, vicissimque destilla, idque fac 5. vel 6. vicibus. Postea digere in MB. per dies ac noct. (14.) Tandem abstrahe ign. l. Aren. donec spir. albicantes prodire inceperint, tunc mutato Excip. cape eos simul cum aqua, urgeque ignem usque ad ignitionem vasis, aquam hanc serva. In hujus aquæ ℥vi. solve Sal Com. suprafacti ℥ij. ac circula aliquandiu in MB. Postea imprægna Sulph. ℥ß aqua illa, in qua Sal. com. solutum, idque per vices (semper affundendo ℥iß.) donec Sal. Com ℥j. cum Sulphure fuerit copulata (ex pondere id cognoscere licet, ac ex ambobus factus sit viscosus quidam liquor. Hujus ℥ß. adde ij℥. spir. Mercurii supra præparati, inque Phiala H. cl. digere in Athanore, prudenter adhibitis ign. gradibus, donec omnia in pulverem rubicundum fuerint versa, id fiet mensibus tribus vel quatuor. Pulverem hunc corrige cum spirit. vin & serva

Vires. Est Medicina universalis, in quolibet morbo exhiberi idonea, balsamum internum ad expellendum intro hospitantem hostem, vel per sudores mirificè adiuvans.

Dosis. g. 1. vel 2.

CINNABARIS. Quid sit Cinnabarim nativa, est notum ex artitificiali. *Duplicem namque habemus Cinnabarin* nativam & factitiam Cinnabaris. *Factitia fit 1. sublimando* sulphur. cum mercurio vulgi. 2. *Fit* factitia sublimando sulphur. antimonij cum mercurio vulgi in destillatione butyri antimonij, de quo modo locuti sumus. Sublimata hæc duo, sulphur. & mercurius forti igne, & urgente flamma, abeunt in corpus rubrum, quod vocamus Cinnabarim, & licet non habeat constitutiva principia rubra, nihilominus mutua connexione & cohæsione, quam imitatur figura & textura particularum, talem recipit vim refringendi radios solares, ut ex nigro colore fiat rubicundus. Conexio ista consistit in eo, quoniam mercurius se conjungit cum acidis. Nam salia *alcalia nihil operantur in Mercur. sed reducunt potius*, id quod similiter verùm est de reliquis metallis, quæ alterantur ab acidis, reducuntur ab alcalibus Hæc obiter. Quando ergo mercurius arripitur ab acido sulphuris, fit ut ratione acidi mercur. adhæreat sulphuri, & invicem conjuncta sublimentur in altum. Hæc Cinn. artificialis, quæ perfectè similis est nativæ, monstrat nobis quid sit NATIVA; scil. *est* nihil aliud nisi *Sulph. mistum cum Mercurio in visceribus terræ, cui simul conjuncta est portio terrestris impura.* Hæc omnia beneficio ignis subterranei, quocunque modo oriatur, convenienter mutantur in substantiam istam cinnabarinam. Sicut sulphur. & mercur. beneficio ignis. Chymici concrescunt in cinnabarim artificialem. Et quidem pro *varietate Sulph.* in Terræ visceribus contenti, *varias* Cinnabar. *optima* est quæ reperitur *auri fodinis Hungaricis*: Nam Sulph. istud est quodammodo naturæ solis, adeoque nobilissimam dat Cinn. ignobiliorem v. quod est in aliis mineris. *Ex Cinnabari nativa* solet elicit mercurius vivus: *Modum* præparandi

habet AUCTOR: ut etiam *ZVVÖLFERUS* alium habet *in Mantissa p. 359. Optimum* est, ut misceatur cinnabaris vel *cum limitura ferri, vel* cum salibus *alcalibus*, vel cum aliis similibus, & sic exponatur igni, & destillatur in igne sic enim REUIVIFICATUR Mercur. ex Cinn. id quod tam de Cinnabari nativa quàm etiam arficiali verum est Nam si Antimonij addideris alcalia fixa, subitò revivificatur mercurius ex Cinnabari antimonij. Sunt qui parant Cinnabarim *coeruleam*, quæ fit ex Sulph. partibus 2. Mercur. part. 3. & sal. ammoniac. part. 1. miscentur, sublimantur, & in alembico residebit Cinnabaris coerulea. De eâ quædam non inelegantia habet *GREIFFIUS in Tract. intitulato, Theriaci cœlestis*: qui *habet* cinnabarim factitiam solarem *ex amalgmate mercurij cum Sole & Sulph.* quam Cinnabarim valdè commendat in *peste*, plura de eo vid. in ejus Auctore. Cinnabarim parare vult etiam *ex calce viva & mercur. HORSTIUS in judicio super Chirurgiam infusoriam p. 97.* Quod attinet ELECTIONEM Cinnabaris, *artificialis* meritò *præfertur* nativæ, ex eo, quoniam nativa scatet adhuc fumis metallinis arsenicalibus & Mercurialibus, qui ejus usum reddunt suspectum: Ergo recipitur Cinnab. antimonij, quæ participat de Sulphure auri nihilominus ut *Cinnab. nativa depuretur*, quo usui medico inservire possit, prociditur *h. m.* ♃ Cinnab. optimè pulverisatæ quantum vis, coque cum aqua in tigillo vitreato, ut fumus metallicus separetur, quem cave, coctio hæc sæpius repetenda, & deinde subtilissima pars supernatans separanda accuratissimè à scoriis reliquis: Hanc serva, & inde in vas argenteum vel argento obductum, affunde spiritum vini & vigesies accende. *In Cinnabari multa* latitant *arcana*. Unde à *CRATONE* dicitur *Magnes epilepsiæ* propter specificam virtutem epilepsiam arcendi; prodest etiam contra *contracturas*, item contra *dolores articulorum*. Confert præterea *iis*, qui semper *cum Mercurio agere* necesse habent. Cæterum nunquam *exhibeatur* cruda, sed semper *præparata*. Et quidem Cinnab. legitimè depurata, etsi ventriculi digestioni minimè pareat, neque in corporis nostri œconomiam possit recipi, tamen assumta, quandiu hæret in stomacho, *archæum nostrum* alterando *variè* mireque *afficit*, & Antimonij Sulphuri *vim* singularem *diaphoreticam* acceptam refert, argentum autem vivum compedibus Sulphuris vinculis, atque à turbis istis gravioribus liberatum, vel quas salibus corrosivis irretitum ciere solet, jam planè immune factum, illustres illas *dotes retinet*, *quibus contagiosis* Epidemicisque *morbis singulari* virtute *resistit*. Ab utroque Sulph. nimirum Antimonij & Mercurij *vim anodynam* & specificam veneni Epileptici domatricem *acquirit. Ex Cinnab. Ungarica* ritè depurata *HARTMANNUS* confecit *Panaceam*, quam vocat *astrum* Mercur. solvitur *scil. Cinnab.* s. minera Cinnab. in spiritu nitr. abstracto à sal. gemmæ, postmodum præcipitatur, atque ita habetur nobile reremedium: *quidam* hoc astrum *præparant cum auro*, sed si Cinnab. sit Ungarica, non opus est additione auri. Nam istud habet in se Sulph. solare. Quod astrum *confert*, mirificè in *apoplexia* & *epilepsia* ferè desperatâ, in quibus vel sola Cinnab. antimonij est egregia. Tandem maximè prosunt medicamenta ex Cinnab. autimon. *in variolis & morbillis*, *febribus Pethechialibus*, *morbo Ungarico* & *Gallico*, uti etiam *in arthritide* sanguinemque miricè purificant. Ex Cinnab. potest fieri Tinctura, si scil. mineræ Cinnab. Ungaricæ pulverisatæ affundatur spiritus Terebinthinæ, stent in leni calore & Sulph. extrahatur, quod *supernatat*, huic affundatur spir. vini qui extrahit Tinct. abstrahendam ad oleositatem; dosis gutt. IX. vel X. in *variis morbis*, in specie in *phthisi*.

CAPUT XVII.

De Antimonio.

ANTIMONIUM est corpus minerale, naturæ Metallinæ finitimum.

Constat 1. ex Sulphure minerali, partim purissimo, naturæ solaris, eoque in rubedine fundato; partim combustibili (instar alterius sulphuris.)

2. Ex Copioso Mercurio metallico indigesto, fuliginoso (coagulto tamen, magisque cocto, quàm est Hydrargyrum,) participante de natura saturnina.

Et 3. ex substantia quadam terrestri & salina perpauca.

N. Quod in Officinis prostat, liquefactione ex minera est fusum, inque formas pyramidales utplurimum effusum. Minera quoque etsi interdum prostet venalis, attamen rara est.

Dicitur Hebraice Zaddah. Græcè στίμμι, στίβι. Arabicè Aitinad, sed Antimad. Latinè Stibium, Antimonium. Germ. *Spieszglas*, *Ranspieszglas*. Antimoine. Ænigmatinè Lupus, quòd scil. omnia metalla præter Solem assumat. Proteus, quòd omnes colores Vulcani beneficio induat. Radix metallorum quòd omnibus metallis q. adjaceat, vel quòd à nonnullis minera statuatur metallorum. Saturnus Philosophorum, à devorando, tum quòd Saturni, id est, Plumbi naturam redoleat, tùm quoque quòd lapidem Philosophorum inde parare somnient. Magnesia saturni, eadem ratione.

Delectus.

Variis in Regionibus eruitur antimonium Nostraque Germania ejus ubertatem passim præbet. Maximè tamen laudatur Ungaricum & Transsylvanum, utpote quod Sulphure puriori dotatum, aurique minera imbutum est, Striis id splendidioribus & longioribus, obscuraque rubedine, (quæ bonitatem ejus arguit ob Sulphuri abundantiam,) reperitur Huius nimirum meminit Paracelsus sub titulo rubentis Leonis, & Basilius Monachus in Curru triomphal. sub Orientalis nomine. Et hoc maximè ad Medicamentorum eleborationes eligendum est.

Artifices insuper variis modis bonitatem Antimonij explorant. Quidam chartæ luteo colore in Pharmacopolis tinctæ, denteque apri rite lævigatæ id affricant, certitudinisque notam, rubram lituram, inductione illa post se relictam statuunt: Alij fortissimo aceti Spiritu drachmas aliquot benè pulverisati Antimonij imbibunt, inque lamella ferrea vel figulina ad lentum ignem, ne antimonium fluat, evaporare sinunt: quod si post evaporationem pulvis Antimonij rubeus relinquatur, ulterius de ejus certitudine non dubitant. *Vide Basilic. Antimonij Philippi Moltheri, qui se Hammerum vocat.*

Vires. De viribus Antimonij audiamus Quercetan. in tetrad. cap. 3. In Antimonio, *inquit*, sunt sexcentæ proprietates, variæ ac præstantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, id genus alia, ut nunquam satis laudari queat hoc Medicamentum. Crudo adhibuerunt Veteres vim adstringendi, exsiccandi, meatus corporis obstruendi, excrescentias carnis absumendi, cicatrices obducendi oculorum ulcera & sordes mundificandi, unde & ad Collyria imprimis commendatur. Sunt & qui ad Epilepsiam arcendam exhibent, etiam in ipso paroxysmo. Unde pulv. niger Uvaldecc.

PRÆPARATA.

Præparationes quibus antimonium subjicitur sunt. 1. Calcinatio. 2. Sublimatio. 3. Destillatio. 4. Liquatio. 5. Extractio. 6. Infusio. 7. Salificatio. 8. Mercurificatio.

Calcinatio est tum sicca, tum humida.

CALCINATIO SICCA,

Unde.

1. Vitra, 2. Croci, 3. Diaphoretica, 4. Reguli.

I. VITRA ANTIMONII.

1. *Vitrum Antimonij Hyacinthynum.*

℞. Antimonio pulver. calcinetur in vase figulino amplo ac lato non vitreato, continuò scil. materiam rudiculâ movendo

do, ne concrescat: quod si id præter spem evenerit, denuo pulverisare oportet. Deducendus est hic labor, ignisque augendus, vel in tantum, ut vas paulatim igniatur, materiaque cinereum seu griseum acquirat colorem, nec fumum, (à quo diligenter cavendum,) amplius emittat.

N. Ex hac calce fit diaphoreticum laudabile ac singulare pestis præservativum, si ulterius in crucibulo igniatur, ut ex albescente colore fiat pulvis ad flavedinem inclinans.

Dosis gr. 3. infusa in vino, datur cum succo calendulæ.

Calx illa in crucibulo benè & satis fusa, (quod immisso stylo ferreo experiri licet,) effundatur in tabulam lapideam, vel pulvim æneam, ut in vitrum abeat. Vitrum si adhuc nigrum ac opacum fuerit reiteranda est fusio, donec pellucidum ac hyacinthinum colorem nanscicatur, in qua fusione aliquid Antimonij crudi Mathiolus admiscet. Sed vereor ne pulluciditatem depravet. *Vide Basilium in curru triumphali Antimonij.*

N. 1. Calcinationem maturandi gratiâ licet Sal. Com. dimidium (vel ana) addere, id quod post absolutam calcinationem aquâ fervente, & dein aceto destillato insuper affuso abluendum.

2. Fusionem ut promoveas, Borracem addere potes, nempe ad ℔. 1. Borrac. ℥ß. nec est quod in periculum metuas: Et enim posthabito, quod Borrax exhalet, constat quod Borrax sine noxa intrat ʒß. exhibeatur.

3. Tempus vitrificandi eligunt nonulli, quo Sol & Luna in aquar. vel pisc. (signis aqueis) existunt.

4. Accenseri potest vitrificationi & illa operatio, qua antimon. levi operâ ignis, vitri formam, licèt absque perspicuitate induit, antimonio scil. in cruci liquato intinguntur ferrei baculi, decutiturque quicquid adhæserit, atque hac ratione totum antimonium extrahitur. Extractum & contusum denuò liquatur extrahiturque ut antè, idque toties, donec antimonium optimè pulverisatum rubicundo-purpureum colorem acquirat.

Dosis & usus cum simplici vitro communis est.

Rectiùs tamen spiritu sulphuris, vitrioli vel proprio aceto aliquoties cohobatum, ut evanescente purpureo colore, albicans evaserit, exhibetur. Valde enim ejus vis emitica hac correctione emendatur, ut solam per alvum deturbandi vim postea obtineat. Verum febrium curativum.

Dosis g. 3. ad 5. in aqua centaur. min. vel simili. Morth.

2. *Vitrum ex Minera.*

℞. Mineræ Antimonij opt. Sal. Nit. puriss. ana, calcinentur in vitrum. *Basil.*

3. *Vitrum Antimonij flavum.*

Fit ex Regulo. *Vide suo loco.*

4. *Vitrum Antimonij rubeum.*

NB. Si vitrum Antimonij miscueris cum sulph. citrino, ac fuderis in vitrum, hoc ipsum rubescit. Alij fundunt cum arsenico, sed præstat ab hoc abstinuisse.

5. *Vitrum album.*

℞. Antimonij p. 1. Borracis p. ij. vel iv. funde aliquamdiu, sic assumit primò colorem citrinum, postea album. Effunde ut in vitrum abeat. *Basil.*

Vires. Vitrum Antimonij humores crassos, viscidosque ejicit, in ventriculo viciniisque locis superfluos, idque per vomitum ac per alvum. Resistit quoque venenis in peste, præcipuè si cum aceto propinetur, quippe hac ratione & sudorem ciet: utile quoque est in febribus putridis ac malignis, Hydrope, &c.

Usus & dosis: *Datur à g̃. 2. ad 4. infusione à g̃. 3. ad. 6. vide de hac infusione infra.*

6. *Vitrum antimonij nigrum extemporaneum S. Closs.*

℞. Mineræ antimonij ℥ij. Liquescat in acet. tum injice per cochlearia aliquid de mixtura ex sal. com. decrepit. Sal. Nit. & cap. mart. aqu. fort. communis composita, ana ʒij. absumptis pulver. affundatur antimon. in pulvim aut mortarium calens. Habebis vitrum nigrum purificandis metallis aptiss. Si saturni ℥ß. addatur, repurgabit auri instar reguli antimon.

7. *Vitrum Antimonij Diaphoreticum.*

Vitrum antimonij Diaphoreticum evadit, si pulverisatum sæpè maceratur, cum aceto destillato sæpe fundatur. *Libav. lib. 2. Alch. tract. 1. c. 23.*

8. *Vitrum Regulinum.*

Calcina Regulum pulverisatum, continuò agitando, ne fundatur, donec fumus cesset: hinc funde, & effunde. Sic in vitrum evadet elegantissimum.

N. Si Com. Salem addideris, citrinescit vitrum.

Hujus dosis major. exhiberi potest quam præcedentium.

9. *Vitrum Antimonij Solare, aurum transparens.*

℞. Auri puriss. ℥ß. antimonij Vngar. ℥viii. Funde ad ignem, ac effunde (cavendo ne in Regulum abeat,) mixturam pulverisatam calcina per se (ut calcinatur antimonium in præparat. vitri,) donec non amplius fumiget. Deinde funde fortiss. ign. effundeque in pulvim, ut abeat in vitrum transparens rubicundum.

N. Invenies in fundo crucibuli aurum dimidiâ parte diminutum. Hartm. in Croll. Kesler. 3. c. 30.

Ex hoc fit infusio cum spirit. vini, quam Tincturam vocant.

10. *Aliud ex Regulo.*

℞. Auri opt. ℥ß. Reguli ℥viii. Fundantur, pulverisentur ac calcinentur sine fusione, donec fumus cesset. Dein liquescant ign. fortiss. effundanturque ut vitrescant.

N. Huic calcinationi finitima est calcinatio Antimonij crudi, cum C. C. usto. Nimirum lævigantur simul optimè antimonium & C. C. ustum proportione anaticâ. Hinc comittuntur igni, ut calcinentur.

Vires. Sudores prolicit.

Dosis gr. 3. ad 5. vel. 6.

Quoniam Vitra antimonij violentius utplurimum operationes suas perficere, adeoque corpus anxiè affligere solent, diversæ institutæ sunt correctiones, quibus violentia ea aliquo modo infringi mitigarique ideoque.

2. *Corrigitur vitrum Antimonij.*

Correct. 1.

℞. Vitrum antimonij, teratur subtiliter, aliquotiesque affundatur acet. destillat. atque iterum exsiccetur. Hinc fit Electuarium Antimoniale, seu pillulæ Antimoniales Crollij. *Vide lib. 2.*

Correct. 2.

℞. Vitrum antimonij digeratur aliquamdiu in spir. sal. com. extractioni decantatæ affunde aqua commun. ac residebit pulvis sine violentia vomitum ac secessum ciens.

Dosis gr. 2. 3. ad 6. Clariss. Dn. D. Petrus de Spina.

Correct. 3.

℞ Vitri antimonij q. v. solve in oleo Tart. per deliq. solutioni instilla spir. vitrioli ac concrescent illico Crystalli exsiccandi.

Dosis gr. 3. 4.

Correct. 4.

Vitrum antimonij purgans.

℞. Vitri antimonij pulv. ℥i. spir. vel olei vitrioli, (vel Sulphur. per camph.) ℥j. Misc. exactè ac exsicca lento igne. Repetatur id septies vel ultra, semper spir. vitrioli ℥j. admiscendo.

N. 1. Præstantior fit hic pulvis, si in extracto Mastich. (ex Mastich. & spir. vini) per dies 3. maceretur, ac spir. vini postmodum desuper accendatur, penitusque exhalet. Pulvis residuus l. ign. cinerum in patella vitrea (horis 12.) exsiccetur.

Vires. Purgat per inferiora.

Dosis à gr. 3. ad 5.

N. 2. Si pulveris huius ʒiij. vel pulveris prioris non macerati ʒij. in Electuario Antimonii Crolliano, vitro ibidem substituantur, præstantius id ipsum vadet.

N. 3. Fiunt & inde Pilulæ Antimoniales ad febres. Hartmannus. Vide lib. 2.

Correct. 5.

5. Fit per separationem sulphuris arsenicalis. *Vide in infusione aqu. bened. Brendelij.*

Correct.

Correct. 6.

Spir. vitrioli purgans.

℞. Vitri antimonij pulv. q. v. affund. spir. vitrioli non rectific. ad eminent. duorum digitorum. Digerantur, aliquamdiu calore leni, sic fit extractio nigro-punicea.

Vires. Purgat per inferiora.

Dosis gutt. 6. 7. 8. 9. 10.

Hartman. in Croll.

N. 1. Eodem modo corrigi potest per spir. sulph. vel acet. proprium.

N. 2. Ex Tinctura illa nigro-punicea (sc. per spir. vitrioli extractâ) paratur Tart. album vitriolatum purgans, quippe virtute antimoniali impraegnatum, affundendo ei duplum olei sulph. coagulumque siccando.

II. CROCI *Metallorum.*

1. *Crocus Metallorum vulgaris.*

℞. Antimonij Electi, sal. nitr. puri an sigillatim trita atque exactè mixta inflammentur in crucibulo, vel mortario æneo, remanebit materia ob colorem hepati haud dissimilem, hepar antimonij dicta. Hæc edulcorata aqua calida, dicitur Crocus Metallorum.

N. 1. Si aquæ, in qua hepar antimonij edulcoratum, acetum instillaris, præcipitem dabis Crocum subtiliorem, seu ut aliis placet, sulph auratum.

N. 2. Inflammatio (quam & detonationem vocant) fieri commodiùs poterit, si materiam paulatim ac per vices injeceris, primaque vice vel carbone vivo, vel ferro ignito materiam incenderis.

N. 3. Ex aqua edulcorationibus illis impraegnata si aliquantulum evaporaverit, Crystallos, sal. nitr. vel lapidem Prunellæ antimonialem colligere potes, cujus usus idem qui lapidis Prunellæ dicti, Exhibet itidem insigne causticum.

N 4. Sunt qui sal nitr. Tart. ac antimon. inclusa crucibulo comburunt, relicto solo foramine: combusta conjiciunt in aquam calidam, ut impraegnetur. Hinc decantant atque inspeiso aceto præcipitant. Sic crocum Metallorum nanciscuntur subtile magis fixum, quem ulteriùs in spirit. vini. macerant.

2. *Crocus Metallorum Rulandi.*

Crocus Metallorum Rulandi quisnam sit, & quomodo conficiatur, variè agitatur. 1. Quercetanus ferè in opinione est, Crocum illud Rulandi non esse diversum à Croco Metallorum vulgari: Hartmannus ab hoc non nisi levi discrimine distat, quod in præparatione situm est: nempe Sali nit. fluenti & igne remoto, sine imflammatione admiscet antimon. spatulâ ferrâ continuò agitando, donec omnia probè sint mixta, quæ tandem accendit.

N. Si qua inflammatio acciderit, subsiste, justam sal. nit. refrigerationem expectans.

2. *Tenzelius in sua Exegesi ex Libavio hunc prafert, quem & Mylius in Basilica Chymic. pro sincero habet.*

℞. Antimonii, sal. com. sal. nit. ā.

Minutissimè seorsim trita indantur catino luto probè munito foramine tamen parvulo, in media summitate, spirituum arsenicalium exhalandorum gratiâ relicto: inque furnum anemium collocentur, igne follium si lubet, adhibito, donec omnia sufficienter fluant, tandium continuando quãdiu fumus per foramen prorumpere non desinit. Quandò verò desinit, ignem probè ad 4. p. horæ adauge, dein exime ubi antimonium forma vitri cinnabarini in fundo à salibus supereminentibus instar Reguli à scoriis sequestratum sese malleo facilè detruncandum atque terendum dabit. *Vid. Hartman. disp. Chymiatrico-Medico.*

N. Ejusdem cum superiori est usus, nisi quo deorsim colluvíem vitiosorum humorum deturbare potissimùm solet.

3. *Brendelius* Vitium Antimonii pro Croco Metallorum Rulandi venditat.

4 Alii Regulum, quippe qui nonquam vel sponte suâ in præparatione vitri antimonii in globulos parvo abit. Vtut sit: quolibet horum haud citra magnam utilitatem in usum Medicum vocari aptum est.

Vires, Vtriusque Croci idem esse poterit usus. Nimitum in doloribus capitis ab impuritate ventriculi (quâ non rarò concitantur,) Epilepsiæ, pleuritide, Melancholia Hypochond. Febribus tum continuis (ac præcipuè Vngarica dict,) tum intermittentibus. In peste. præservatione ab Arthritide, coagulatione sanguinis, &c. In quibus omnibus cum convenienti aqua exhibitus purgat per vomitum, ac nunnunquam per secessum.

Vsus præterea eius insignis est in Clysterib. Nimirum 3ß vel 3i. eb illire finitur in aqua convenienti vel vino: Colatura admiscetur brodio vel decocto simplicium mollientium, optimumque Medicamentum in colica exhibet.

Dosis interna est à g. 3. ad ℈ß. *Ego vix 6. gr. transcendo.*

Crocus antimonij Regulatus.

Fluat regulus antimonii cum pari pondere sal. nit. fusaque materia remotis scoriis in lateribus eluatur à nitrosa salsedine, postea exsiccetur, & cum effusione spirit. vini aliquoties humectetur & decantetur. Ex commun. Gregor. Horstii.

Vires. Longè minus per vomitum, magis verò per alvum movet ad g. x. cum Zibebis laxat. tribus exhibetur, vel cum diagrid. correcto per fumum sulph. & mercurio dulci.

III. DIAPHORETICA.

1. *Antimonium Diaphoreticum vulgare.*

Antimonii opt. sal. nit. pur. ā Exactè mixta calcinentur detonatione (ut in Croco Metallorum vulg. dictum est) terna, seu donec amplius detonationem recuset (post singulas detonationes materiam edulcorare oportet, edulcoratamque & siccatam denuo cum sal. nit. ana misce.) Tandem antimonium diaphoreticum candidissimum exsicca pro usu.

N. aqua illa edulcoratoria si evaporet, reddit Lapid. Prunellæ antimonialem, de quo in sal. nit.

Modus compendiosior.

℞. 1. antimon. crud. sal. nit. puri an. Immitte in crucibulo, cui aliud crucibulum inversum in fundo perforatum imponatur, luto inferiori crucibulo annexum: ignem da circulatem, quo materia accensa paulatim calcinetur, fumumque per foramen expiret; ignem per horam continua, quâ præterlapsâ, materiam pulverisatam aqua calida edulcora.

2. ℞. Materiæ huius edulcoratæ part. ii. sal. nit. puri p. 1. vel ana impone crucibulis, ut in priori operatione.

N. Sic antimonium diaphoreticum præparavi aliquoties sine ulla molestia sudorem movens.

Alii sal. non abluunt, sed massam tritam cum pondere æquali sal. nit. ut antè miscent: Alii addunt Tart. vel sulph. 4. p. miscent.

Basilius circulat insuper hoc antimonium diaphoreticum cum spir. vini, quem dein desuper incendit, &c. dein reverberat, atque pulverem restitantem per deliq. resolvit.

Vires Antimonium hoc diaphoreticum resistit corruptioni, mundificat sanguinem, conducit adversus omnes obstructiones, licèt inveteratas, Hepatis, Lienis, Mesenterii, aliarumque partium internarum: adversus retentionem mensium, cachexiam virginum, suffoc. hyster. Hydropem, Melanchol. hypochondriacam, Luem veneream, ulcera tam interna, quàm externa, Scabiem: præsertim confert & in febrib., malignis, Exanthematibus & variolis. rumpit interna apostemata, verum non subitò, sed paulatim operationes suas exerit.

Dosis à gr. 10. *ad* 25.

2. *Flores antimonij fixi, seu diaphoreticum.*

Fit si antimonium diaphoreticum præcedens in aqua horis aliquot coquatur, decoctumque filtretur, si præcipitabitur nempe pulvis subtilissimus ad fundum (maximè si acet. destil. insperseris) virtute priorem superans.

N. Hic pulvis Basilio Valentino in curru suo triumph. dicitur Flores antimonii fixi, seu pulvis albus antimonii quem commendat ad interiora apostemata, ut & in Lue venerea, in qua cum spiritu Guaiaci exhiberi poterit.

Præterea in iisdem affectibus, quibus convenit pracedens diaphoreticum, pulvis hic majori cum utilitate exhiberi aptus est.

Dosis gr. 15. *quam dosin vel quinquies Valentinus singulis diebus exhibet.*

3. *Antimonium Diaphoreticum Tartarisatum.*

℞. Antimonii Diaphoret. vulgare, Sal. Tart. ℥iii. M. fluant in tigillo hor. 4. dein tere ac dissolve per deliq.

Hinc.

℞. Olei huius ℥ii. spir. vitrioli ℥i. instilla guttatim & præcipitabitur pulverem quem sicca & serva.

Dosis à gr. 5. *ad* 10.

IV. REGVLI

IV. REGULI.

1. *Regulus Antimonij simplex.*

1.

℞. Sal. nit. ac Tart. ana, calcinentur seu fluant in crucibulo vi ignis.

℞. Materiæ hujus calcinatæ, ac Antimonii ana, misce ac committe iterum in crucibulo igni fortissimo, quo instar aquæ fluant.

Funde postea in calicem fusorium vel mortarium æneum sevo illitum, idque movendo, Reguli separationem & subsidentiam promove. Omnibus refrigeratis Regulum à scoriis separa.

2.

℞. Antimonii elect ℔ ij. Tart. alb. iv. Fundatur antimon. & postea adjiciantur paulatim Tart. ℔ iß. circiter, linquantur in fluxu per tempus. Dein fac Regulum, separaque Scorias. Regulum purifica, iterum fundendo, & dum fluit, reliquium Tart. addendo.

℞. Calcem Antimonii cineream per se factam, (vide in præparatione vitri antimonij) fluat ad ignem hor. integrâ, deinde moveatur ab igne, & reponatur ut refrigescat. Agiteturque refrigescendo, ut Regulus deorsum vergat ad fundum secedens.

N. 1. Alii admiscendo carbones pulverisatos majorem Reguli quantitatem sibi pollicentur.

N. 2. Ex Scoriis fit sulph. auratum; vide suo loco.

N. 3. Regulus quomodo fixetur, vide de floribus antimonij, vel in destillatione Spir. Reguli.

N. 4. Tempus fusioni optimum censetur Luna crescente, præsertim Sole in Leone constituto, atque insuper sereno cœlo. Experientia enim docuit tunc temporis majoris felicitate Stellæ fusionem succedere.

2. *Regulus martialis.*

℞. Martis ℥ ix. circiter, appone igni donec incipiat liquescere. Huic adde de Antimonii ℥ viii. auge ignem ut fluant, Post injice sal. nit. M. ß & cum cessavarit strepitus, funde in vaginam fusoriam, *Gieszponckel*, vel in mortarium, sic Mars & Regulus simul uniti in fundo coalescent.

Fit & si in secunda fluxione, Martis limaturam vel frusta inieceris.

N. 1. Regulus hic si aliquoties fundatur (in quibus fusionibus semper aliquid sal. nit. vel & Tart. injiciendum,) & à scoriis separetur, tandem stellam contrahit solis radiantis instar, imò vel multis stellis, ac si terra aquis circũdata esset, Regulum, signatum vidi. [Hinc Regulus stellatus dicitur.]

N. 2. Plures regulum præparandi modos habet Sennert. in Institut. lib. 5. p. 1. c. 3. c. 19.

N. 3. Ex Scoriis fieri potest vitrum. Sala.

N. 4. Si Regulum in Spiritu salis gemmæ solveris, solutionemque aliquoties maceraveris ac destillaveris, tandemq; inspissaveris, optimum habebis catharcticum ἄνω καὶ κάτω, blandè noxia expellens.

Dosis gran. 2. 3.

Tentzel. de Spiritu salis gemmæ.

Videsis etiam Tincturam ex Regulo martis & veneris.

3. *Regulus Jovialis.*

Fieri potest, si regulum sine marte factum, denuo ad ignem fuderis, duranteque fusione jovem adjeceris.

4. *Regulus solaris.*

℞. Auri part. 1. antimon. p. iv. vel vi fundantur & effundantur ut moris in Regulum à scoriis separandum. Scorias adjecto antimonio crudo, funde iterum superinjiciendo cùm fluxerint parum de scobe ferri ac affundendo denuo, Regulus subsideat. Sic potes vice tertia procedere, vel donec nihil amplius Reguli appareat.

N. Similiter fit & Regulus Lunaris.

5. *Diaphoreticum Regulinum, seu Cerusa martialis, & exinde Cerusa Antimonialis diaphoreta.*

℞. Reguli p. 1. sal. nit. Crystall. p. iii. (alii an.) fluant super carbones per hor. dein edulcora, separando Reguli grumos, qui in fundo colliguntur. Pulvis l. igne exsiccatus dicitur Cerusa Antimonialis. Hunc pulverem si denuò cum Sal. nit. calcinaveris, vel sine fusione ad citrinum colorem reverberaveris, planè fit diaphoreticus, diciturque cerusa diaphoretica.

Vires. Cerusa intrinsecus maxima cum utilitate assumi potest in curatione ulcerum inveteratorum, scabierum, aut pustularum pertinacium, continuis 3. 4. aut pluribus septimanis, quotidie sc. assumendo. Diversimodè operari consuevit. Nam in quibusdam duobus vel tribus primis diebis nauseam aliquam producere solet cum, crebra exspuitione, reliquo tempore insensibiliter operatur: Aliis alvum laxat moderatè, aliis sudorem ciet, aliis prorsus insensibiliter, & non nisi in fine tandem manifestas operationes edit. Extrinsecus desiccat, stringitque moderate, abstergit & aperit.

Dosis intro ℈ß. *ad* ʒß. 4. *aut* 5 *hor. ante prandium.*

Cerussa Antimonij diaphoretica citra nauseam easdem operationes, & quidem majori cum fructu operatur.

Dosis eadem. Vide Salam in Anat. Antimonii.

6. *Cerussa Antimonij solaris.*

℞. Regul. Antimonij ℥j auri purg. ʒj. Sal. nit. ℥iij. calcinentur in crucibulo sine fusione. Sic Regulus abit. in pulverem citrinum, sol verò pondere imminutus invenietur. Pulverem edulcoratum, si libet, denuò calcina.

Vires. Sudorem ciet.

N. Curiositas humana adinvenit quoque calcinationem per calorem Solis cœlestis, quem Magicam appellant.

Nimirum.

Concentrentur radii Solares in antimonio pulveris. beneficio speculi incensorij, sic brevi tempore fumus ex antimonio ascendet, Antimoniumque album evadet.

N. 1. Pondus Antimonij post calcinationem auctum potius, quàm imminutum deprehenditur.

N. 2. Flores Antimonij hac ratione faciliùs calcinantur, quam antimonium crudum.

CALCINATIO HUMIDA,

Unde.

PRÆCIPITATA.

1. *Antimonium Rubeum fixum.*

℞. Antimonij elect. q. v. affunde aqu. regal. stent aliquandiu in digestione, donec calx in fundo alba appareat. Postea abstrahe aquam regul. per destillationem vel decantationem,) vel & affundendo aquam præcipita, calceque elue aqua tepida, donec spir. aqu. regul. non amplius sentiantur. Pulverem siccatum reverbera in crucibulo clauso hor. 6. (dies 3. *Basil.*) fietque rubeus.

N. Reverberatio hæc minori molestia in fornace figulina absolvi poterit.

Vires. Felicissimè purgat æquè deorsum quàm sursum, idque non tam naturâ suâ quàm humoris biliosi circa ventriculum stabulantis, quinimò in nonnullis per diaphoresin operatur.

Dosis g. 2. 3. 4. *& plura.*

Basilius decantat solutionem aqu. fort. decantatam destillat ad siccitatem pulveris, cui affundit aquam pluviam: digeritque ut fiat extractio rubicunda: hanc iterum filtratam destillat ad siccitatem: Ex pulvere rubeo remanente extrahit cum acet. destillato tincturam rubicundam, abjectis fæcibus albis, acetum destillatum iterum abstrahit, pulveremque relictum reverberat per dies 3. postremò extrahit tincturam cum spiritum vini fæcibus itidem rejectis, tandem abstrahit spirit. vini ad siccitatem.

Vires Summarum est virium in resolvendo cruore coagulato, in rumpendis Apostematibus, in curanda Lue venerea, Basil.

1. *Præcipitatum vitrum.*

Solvatur vitrum Antimonii in aqua regali seu in aqua fort. vel in oleo Sulph. aut in spir. sal. com. dein menstrui abstractione fiat præcipitatio.

N. 1. Ex præcipitato illo antimonij antequam reverberetur, extrahi possunt Sulph. & mercurius antimonii, de quibus suis locis. Sala de mercurii.

N. 2. Si Antimonio grosse contuso affuderis aqu. regal. & reposueris aliquandiu, extrahetur Sulph. Antimonij partim supernatans, partim frustula Antimonii obducens. Hoc sulph. in lixivio Tart. solvitur, si inibi decoquatur.

3. *Præcipitatum antimonii diaphoreticum.*

℞. Croc. Metall. ℥ii. impone destillatorio vitreo oblongi colli, quod calenti aqua immergatur, hinc affunde sensim spir. Sal. nitr. ℥xii. moveque sæpius ne fundo adhæreat. Conserva id calidum, donec spir. sal. nit non amplius laboret, & antimonium redactum sit in pulverem album. Dein vase exactè clauso, digere in MB. septiman. 4. aut 5. ac tandem separa spir. sal. nit in arena pulveremque spatula lignea agitando exsicca ad ignem, donec nullus amplius fumus exhalet. Hinc ablue & relue aquis cordialib.

Dosis à g. 4. ad 12. Sala de antimonio.

4. *Præcipitatus Regulus martis.*

℞. Flor. Regul. martis (cum sale ammoniaco sublimat. & edulcorato,) solve in aqua regali (ex sal. nit. & sale ammoniaco destillat.) digere, ac tandem per iteratas cohobationes præcipita. Præcipitatum ablue & reverbera ut spir. aqu. regal. separentur, continuò spatula ferrea agitando, donec acquirat colorem flavum. *Quercet.*

II. SUBLIMATIO.

Unde.

FLORES & CINNABARIS.

1. *Flores antimonij crudi, vel minera antimonialis.*

℞. Antimonialis crudi triti q. v. pone in cucurbitam fictilem, quæ in arena ponatur satis profundè. Cucurbitæ adapta alembicum cæcum vel rostratum cum excipulo, aut mavis, connecte ollas aliquot (num. iii. vi. vel plures) sese invicem excipiente: Igne gradatim admove, ne sit nimium fortis, nec debilis nimis. Si funditur Antimonium, nec sublimatur; sin verò debilior, non ascendunt flores. Si rectè aquam rexeris, colliges triplices flores, albos, flavos & rubros *Sen. Instit.* Phlegma antimonii in appositum excipulum colligi poterit.

N. 1. Felicius ac compendiosius proceditur.

Primò si cucurbita tubulū seu canalem in latere habeat, per quem antimonium tritum paulatim per vices (singulis horis parum,) in cucurbitam (in gradatim ignitam) injiciatur. Liquescit enim statim sal ammoniac. abitq; ferè penitus in flores.

Secundò, si cucurbita obliquè fornaci imponatur, ut tubulus perpendiculariter ascendat.

Tertiò, si in anemio sublimatio instituatur, ac Antimonii ℥ii. Arenæ ℥iii. admisceantur. Alii admiscent carbones contusos, eliciuntque Suplh. remanente in fundo materia cœrulea in qua Mercurius Antimonii.

Quartò, alembici vertex foraminulo sit pervius. Et hoc benè notandum est, nisi fine frustrari velis.

N. 2. Parari possunt & flores Antimonii per retortam binis rostris, ante scil. & retro connexam, quorum rostrorum antico apponitur excipulum amplum, per posticum autem inflatur ventus vapores seu flores ab antimonio elevatos in excipulum deducens. Kesl. 1. cent. 31.

N. 3. Non è re foret, si excipulum foramen haberet canalemve, quo acidum phlegma in aliud excipulum suppositum deflueret. Quinimò excipulum nisi pervium fuerit foramine flatibus egressuris idoneo, in cassum laborabitur.

2. *Flores Reguli.*

Ex Regulo eodem modo quo ex antimonio crudo flores elevari poterunt.

3. *Flores cum additamento, seu compositi.*

Ex antimonio crudo, regulo & vitro.

℞. Antimonij, salis ammoniac. an. misceantur exactè & sublimentur per Arenam.

N. Sufficit alembicus sine ollis: elevanturque flores rubei, qui aqua calida edulcorati albescunt.

Vires. Vomitum movent, mitius tamen quam simplices flores.

Dosis g. 4. ad. 6.

N. 1. Restituit horum florum usus Maniacos, Melancholicos, Quartanarios, vide Epist tract. 1. observ. Horstii annexas.

N. 2. Si Mercurij dulcis gr. 12. gr. 2. horum flor. addideris, fortiterque simul contriveris, ferè sine vomitu per secessum serosa & bibliosa educunt.

N. 3. Eodem modo fiunt & flores ex Reguli, & sal. ammoniaco æqual. partib. Basil.

N. 4. Quod in summitate cucurbitæ invenitur, adde fæcibus in fundo relictis, additoque pauxillo sal. ammoniac. sublimationem repete, habebis flores flavos.

4. *Aliter. Sulph. Antimonij secundùm Basilium.*

℞. Anotimonij opt. ℔. 1. salis ammoniaci ℥iv. sublima: sublimato admisce antimoniij ℥v. sublima iterum: hinc edulcora, & habebis Suph. combustile. *Basil. in Cur. Tr. pag. 217.*

N. Sunt qui loco salis ammoniaci ℞. sal com.

5. *Flores antimonii vitriolati.*

℞. Florum antimonii rubeor. ℥. iv. Flor. Sulph. (sublimatorum ad perfectam albedinem ℥ij. Colchotar. ℥xii. mista sublimentur ter, & habebis flores rubicundissimos. *Quercetan. in Tedrad.*

N. Basilius non addit Sulph.

6. *Flores Reguli spiritu martis ac veneris impregnati.*

♃. Reguli stellat. atque sale ammoniaco (à mart. ter sublimat.) an. sublima bis terve, hinc edulcora & exsicca, tandem denuò à colchotare tertiò eleva.

Vires. Purgant blandè, conferunt ad omnes febres intermittentes.

Dosis aliquot. gr. Querc. in Tetr.

N. Flores hi cum sale ammoniaco sublimati, & nondum ab eodem edulcorati, resolvuntur in liquorem magnarum virium in vulneribus. Basil.

De usu florum antimonii in genere notare expedit, quod sc. quoniam violentos vomitus ferè proritant, optima correctione opus habeant, sine qua non facile ac tutum erit, eos in usum medicum vocari.

Sunt nihilominus qui exhibent g. 2. 3. 4.

Sit igitur

Correctio florum Antimonii.

♃. Flor. Antimonij alb. ℥j. Sal. Com. Tart. spir. acet. destillat. impregnati, ℥iß. Liquescant vi ignis in massam rubram. Affunde massæ huic tritæ spirit. vini (aqu. vitæ,) aromatisatum, additis Salis vel Magisterii Perlarum ac Corallor. an. ʒii. Digerantur calore cinerum per dies ac noct. 2. postea abstrahatur spiritus vini ad siccitatem, remanebit in fundo antimonium optimè depuratum, servetur in vitro clauso, quia in aëre resolvetur.

Vires. Opitulantur morbis ab atrabile oriundis, per alvum, per superiora: per insensibilem transpirationem noxia copiosè expurgantes.

Sal. Com. Tartari acet. destillat. impregnatur hoc modo.

♃. Sal. Tart. (frequenti solutione ac coagulatione summè depuratum,) solve in aceto destillato. Hinc abstrahe humiditatem lento igne, novumque acetum destillatum affundendendo, iterum solve ac abstrahe. Operationes solutionis ac abstractionis repetendo, donec acetum destillatum exstillet aciditate sua non amplius spoliatum (quod octava vel nona imbibitione ac destillatione fiet.) Exsiccetur postmodum; sic habes Sal. Tart. impregnatum.

N. Hujus usus quoque est in Magisterio purgante.

Spiritus vinis aromatisatus, seu aqua vitæ aromatisata.

℞. Galang.
Galliæ mosch.
Caryophyllor.
cinnamom.
Macer an. ℥ß.
Croc. ʒiij.

Ex mediocriter tritis fit extractio cum spirit. vini optimè rectificato, donec amplius non tingatur. Tinctura decantata est spiritus vini aromatisatus.

Vide de his Crollium.

Correct. 2.

Circulentur per mensem cum spiritus vini mellito, sic omnem deponunt violentiam, retinebuntque solam dejiciendi facultatem.

Dosis à g. 5. ad 7. vel ad summum 10.

Spiritus vini mellitus.

Spiritus vini affundatur melli, stet aliquandiu, postea distilletur: In fine augeatur ignis, ut spir. quoque mellis transeat & jungatur spirit. vini.

Correct. 3.

Exponantur flores in scutella vitrea, charta supernè duntaxat tecta, mediocri calori (fornacis) per mensem unum ac alterum, quotidiè bis (ne non agitati nigrescant) agitando: Flores manent quidem rubei, sed tamen bene porosi & leves, Sulphure fœtido ad papyrum elevato.

Vires.

Vires. Movent ſedes duntaxat ſine vomitu ſatis benignè.
Doſis à g. 5. ad 8. vel 10

Correct. 4.

Mitiores etiam fiunt, ſi aliquandiu cum Sal. Com. conterantur, & poſtea iterum aqua dulci dulcorentur.

7. *Flores Antimonii, diaphoretici.*

℞. Flores antimonii, irriga oleo ſulphuris, & calcina in crucibulo clauſo ign. carbonum.
Sala in ana. Antimonij ſect. 3.

N. Alij affundunt ſpir. vitrioli, quo iterum abſtracto edulcorant ac calcinant, ut materia igniatur.

8 *Flores fixi.*
Flores Cheiri Paracelſo.

℞. Flores Antimonii, fige ſublimationibus toties iteratis, donec nihil ampliùs ſublimetur.

N. 1. Flores relicti in fundo materiæ, denuo in ſingulis ſublimationibus ſemper admiſcendi ſunt.

N. 2. Hi Flores in cella per deliquium in oleo ſolvuntur, quod aqua deſtillata quinquies eluendum.

Fixantur flores hoc modo.

Formetur pila rotunda terrea cum foramine, per illud immitte calcem vivam, & reple ad medias, poſtea immitte quoque nodulum floribus antimonij albis repletum, tum circumcirca novam calcem vivam agglomera, ad plenitudinem uſque globuli integram: tum oſtiolum luto obducito, globulumque in furno lateritio ad reverberandum collocato, & per biduum urito.

Vires. Flores fixi clementiùs purgant, & ſudores copioſos movent.
Doſ. gr. 8. ℈ß *Ex S. Cloſſ.*

9 *Cinnabaris Antimon.*

Fit ſi poſt butyri Antimonialis deſtillationem aquæ fortis & ſuppreſſionis quoque (i. e. ſuper Arenam) horis aliquot detur. Quippe cinnabaris Antimonii hac ratione collo retortæ adhæreſcit, quam collectam ſublimatione una ac altera purificare poteris.

N 1. Si deſideras potiùs cinnabarim, quam butyrum antimonij, da ſtatim ignem fortem.

N. 2. Ex hac paratur pulvis diaphoreticus, in epilepſia & vertigine præſtantiſſimum. Vide lib. 2.

III. DESTILLATIO.
Unde.

ACETA, OLEA, SPIRITUS, &c.

1. *Acetum Antimonij.*

R. Mineram antimonij, tere ac elice acetum per retortam, proiectum fundum ſuper mineram novam, digere per dies (23.) hinc deſtilla iterum per retortam, idque repete, donec quantitatem cupitam acquiſiveris.

N. Parum acet. fundit, adeoque labor ſat tædioſus eſt.

Aliter.

℞. Miner. antimonii lævigat. affunde aqu. pluvial. deſtillat. ad eminent. digit. aliquot, digere vaſe H. cl. in fimo equino, donec incipiant fermentari ac ſpumam ejicere: Dein abſtrahe aquam, augendo ignem in fine, redde capiti ſuo mortuo, & reaffuſa aqua, quæ abſtracta erit, fiat cohobatio toties reiteranda, donec prodeat liquor acidus inſtar, aceti.

Vires. Inſervit Tincturæ Antimonij extrahendæ, refrigerat efficaciter ſanguinem, in febri præcipuè maligna & Ungarica, ſi cum Lap. Prunellæ & aqua deſtillata conveniente miſceatur: curat inflammationem ex pulvere nitrario ortam cum ſaccharo ſaturni.

N. 1. Acetum hoc antimonij melius evadet, ſi pulveriſatæ novæ mineræ antimonii id affuderis ad emin. dig. 3. circulaveriſque (per dies 12.) ſic tingetur rubro colore, magiſque aceſcet, tum effunde & abſtrahe per MB. ſic acetum antimonii exibit clarum, rubedinem poſt ſe relinquet in fundo V. Baſil. p. 223.

N. 2. Acuari poteſt hoc acetum ſuomet Sale.

Nimirum.

℞ Aceti Antimonii ℥iv. Salis antimonii ℥i. ſolve ac deſtilla per cineres.

Dici poterit acetum deſtillatum antimonii alkaliſatum, ſive radicatum.

N. Felicius forſan proceſſeris, ſi ſal antimonii in acet. ſolveris, atque ex argilla & ſolutione hac maſſam, & exinde globulos formaveris, eoſque per retortam, ut ſpir. Sal. Com. ſolet, diſtillaveris Baſ. pag. 222.

Aliud.

Acetum antimonii in maiori copiâ obtinebis, ſi ſuper cratem ferream mineram antimonii fruſtulatim imponas, ſuperſtructo Aludle cum pluribus ollis perviis & alembic. ſubminiſtrando carbones in aliâ areâ focariâ accenſos, ne acetum à carbonum vaporibus inquinetur. Ex S. Cloſſ.

N. Cum hoc aceto antimoniali parari poſſunt flores fixi, ſive antimonium diaphoreticum, de quo Poppus in Hodoget. pag. 145. & ſequentibus.

2. *Oleum antimonii per ſe.*

℞. Antimonij quantitatem ſatis magnam, pone in putrefactionem, dein educ aquam, quam viciſſim effundendo, putrefactionem, ac poſtea deſtillationem reitera, idque toties donec exurgat tandem oleum, ſeu liquor oleagineus.

N. Nanciſceris potius acetum quàm liquorem oleagineum.
Vires. Diſſolvens eſt egregium. Poter. in Pharmacopœia.

Aliter.

℞. Miner. antimonii, q. v. miſce cum arena, pelle per retortam.

4. *Oleum antimonii Saccharatum.*

R. antimonii ℔. ß. Sacchar. cand. ℥ij. M. opt. & deſtillentur per retortam in arena F. oleum.

Beguinus.

℞. Antimonii, ſacchari cand. ana ℥iv. aluminis uſt ℥j.
Utile eſt ad externos & internos morbos.

N. Ex hoc oleo fiunt Pillulæ febriles ad Quartanam, quas vide lib. 2.

5. *Oleum antimonij Saccharatum Sennerti.*

℞. Antimonii ℔. ij Sulph. ℥iij. M. pone in ignem circularem, ut liqueſcant, atque ita ignem per hor. 4. vel 5. continua: dein auge ignem, ut Sulph. accendatur & exhalet; hinc pulveriſa antimonium, affundeque acet. deſtillatum digeranturque per dies ac noct. 8. dein deſtillentur, donec guttæ rubræ aſcendere incipiant, tunc muta recipiens.

℞. Antimonij relicti in fundo ℔. i. ſacchar. cand. ℥iv. ſpir. vini opt ℥ix. Deſtilla per retortam (in receptaculum, in quo ſit oleum, quod primò exſtillarit,) ign. forti, donec nihil olei vel vaporis amplius appareat. ſpirit. vini in MB. abſtrahe ad remanentiam quartæ partis.
Vid. Sennert. Inſtitut.

N. 1. Melius fit hoc oleum, ſi digeratur aliquamdiu cum ſpir. vini novo, fæcibuſque per colaturam ſeparatis à colatura, ſpir. vin. per deſtill. abſtrahatur.

N. 2. In eliciendo oleo ſaccharato lentè procedere memineris, ne nimia ebullitione fine optato fruſtreris.

N. 3. Si cum aqua vitæ aliqua, vel aqua roſarum, in qua moſchus vel ambra ſoluta ſit, addita aqua cinam. digeratur, atque liquor cohobiis cohobetur, movet alvum ſine vomitu ac moleſtia, utileque Medicamentum exhibet in Hydrope.
Doſis g. 3. *ad.* 6.

6. *Oleum antimonij Saccharatum Quercetani.*
Antidotus Panaretos.

℞ Miner. antimonij ad albed. calcinatæ ℔. ß ſacchar. cand. in formam ſyrupi cum circulato minore (ſpirit. vini opt.) tranſmutati ℔. 1. Miſc. Digerantur per dies ac noct. (4. vel 5.) VB dein per gradus igne deſtillentur.

Elicitur primò circulatum minus, ſecundò liquor albus, tertiò flavus, quartò rubicundiſſimus, inſtar ſanguinis, dulciſque Balſamus; collige ſingula ſeorſim, vel ſepara ab invicem.

Vires. Liquor albus opitulatur cancroſis ulceribus & externis morbis.

Liquor flavus idoneus eſt vacuationi per alvum & vomitum.

Liquor rubicundus ternis aut quaternis cohobationis rectificatus & ablutus aqua cordiali, admirandas præſtat curationes in Lepra, Morphæa, Apoplexia, Epilepſia, Peſte, in aquis appropriatis exhibitus.
Doſis à gr. 3. ad 6. Quercetan. in Tetr.

N. Eodem modo ex Croc. Metall. & Sacchar. ana cum ſpirit. vini digeſtis ole. præparari poteſt.
Doſis gr. 4. 5. 6. 7.

7. *Oleum antimonii Saccharatum Fauſij.*

℞. Croc. metallor. pulveriſ.
Sacchar. cand. an. ℥ix. vel Sacchar. ℥vi.
Spir. vitrioli rectific ℥ij.
Vini ℥ß.

Digere per dies ac noct. (8.) poſtea deſtilla in retortam per gradus. Aufer phlegma in MB. lento igne.

N. Eodem modo extrahitur oleum ex Sulph. antimonij aurato, prodit liquor craſſus, qui extrahendus aliquoties affuſo rec. ſpirit. vini quo ruſus ad mellaginem ſeparato, ea demum per retortam pellenda in oleum.
Doſis à gr. 8. ad ℈ß. *in morbis fluidis. Cl. DD. Ioh. C. Fauſ.*

8. *Oleum antimonij Saccharatum Baſilij.*

℞. Vitr. antimon. lævigat. affunde agreſtam, digere aliquot per dies, dein (abſtracta agreſta ad ſiccitatem,) admiſce

sacchari cand. æquali pond. cum modico aceti, destilla per retortam gradatim, tandem igne fortiss. prodibit oleum rubicundum, cum spirit. vini exaltandum.

Vires. Prodest adversus Epilepsiam.

Dosis gut. aliquot. Basilius in curr. triumph.

9. *Oleum seu Liquor antimonii mellitus.*

℞. Antimonii crud. pulv. ℔j. Mell. opt. ℔.iij. Bulliant simul, moveanturque spatula, usquedum substantia aquosa mellis evaporaverit, & remanserit materia quædam nigra instar picis, quæ digitis friari queat. Hanc destilla per retortam igne nudo gradatim, in excip. amplum, hor. 24. & prodibit liquor impraegnatus facultatibus antimonii, cum aliquot floribus à liquore separandis.

Vires. Liquor iste est corrosivus & penetrans, summopere mundificativus, præsertim in ulceribus; absumit enim excrescentias, &c. Adversus gangrænas præstantissimum quoque existit remedium. Uti eo possumus aut solo, aut commixto melli rosato, unguentis, pulveribus, aqu. &c. Sala de antimonio.

Liquor hic aceti Philosophici vices supplere poterit, in præparatione Tincturæ Antimoni ζωήφιλ@ dicta.

10. *Aliud Magist. antimonii.*

℞. Antimonii opt. ℔.ß. aluminis ust. ℥iv. Bol. Arm. Sal. Com. an. ℔ ß. omnia seorsim trita misceantur, destillenturque igne nudo. Sic prodibit primò phlegma, secundò spir. albicans: tertiò spir. rubescens. Si quid collo adhæreat glaciei instar, admove cautè ferrum candens, ut solvatur. Rectifica per retortam. In rectificato hoc oleo solve aurum foliatum: Solutioni postmodùm affundes spirit. vini, circulabisque septies circiter, & subsidebunt fæces, à quibus decanta spirit. vini, cui si affuderis aquam destillatam, præcipitabitur pulvis albus, edulcorandus & reservandus. Dicitur Magisterium Antimonii.

Vires. Purgat suaviter per vomitum.

Dosis g. 3. Kess. 1. c. 68.

N. 1. Pulvis ille correctus cum Spiritu Sal. Com. evadit sudorificus: vide infra Tincturam ex Regulo martis, n. 13.

N. 2. Magisterium hoc antimonii Kesleri nil est aliud quàm mercurius vitæ ex butyro. Ita Hartmannus in Croll. parat ex floribus albis & ole. Sal. Com. & Glaub. in secunda parte, pag. 93. aliud concinnat ex Sal. Com. & vitriolo. Hi omnes modi in unum recidunt certo experimento.

11. *Oleum Antimonii glaciale, ex Antimonio & Mercurio Sublimato.*

Vide in destillat. Antimonii.

12. *Aliud Oleum Antimonii glaciale, seu Butyrum Antimonii, & exinde Antidotus πολύχρηστ@ Antimonii.*

℞. Reguli martis destillat. ℔.1. mercurii sublimati ℔iß. M. exactè, destilla per retortam (*vide in destillatione mercurii.*) Oleum glaciale destillatum rectifica una ac altera destillatione, fæces semper reiiciendo. Hinc affunde Spiritum hydromelitis vinosi, cohobaque, ut tandem crebris istis cohobationibus oleum illud dulcescat. Tandem abstrahe spiritum vini ad consistentiam olei.

Vires. Oleum hoc exquisitissimum, ac pretiosissimum est Remedium, multis curandis ægritudinibus, iisque gravissimis aptissimum. Quin & domitor est febrium tertianarum, quotidianarum, ac in primis quartanarum. Blandè enim vomitum multis concitat, aliis alvi solutionem citra vomitum: eamque vim habet, ut radices & seminaria mali prorsus eruncet & evellat.

N. Spir. hydromelitis vinosi separatus, si vitriolica aciditate (Spir. vitrioli) impraegnetur, summum est diaphoreticum, & longè ab aliis vulgaribus aliud.

Dosis cochl. ß. vel 1. per se vel in liquore conveniente. Querc. in Tetr.

13. *Aliud Oleum Antimonii Crystallinum ex floribus.*

℞. Flores antimonii, aqu. fortis, (ex vitriolo ad flaved. calcinato, & Sal. Com an. ℔. iii. argillæ ℔ v. vel vi.) dephlegmate ā. M. & destilla in Mar. Baln. sic tantùm prodit phlegma, Spiritusque cum floribus coëunt. Affunde novam aquam fortem atque denuo evoca, idque repete, donec flores nihil spirituum amplius retinere queant. Tunc destilla per retortam primò excipiendo seorsim humiditatem aqueam, dein mutato Excipulo oleum albicans, ac ponderosum, instar butyri antimonii, relicto capite mortuo inutili.

Vires. Idem ferè est cum butyro Antimonii: Inservit solutioni solis, & est basis præcipitati purgantis, ut & vomitorii. Hartm. in Croll. pag. 224. Sennert. Instit. lib. 5. p. 3. s. 3. cap. 17.

Nimirum.

Rectificatur oleum hoc per Retortam, hinc duplex inde paratur præcipitatum, alterum ἄνω καὶ κάτω, alterum κάτω solùm purgans: prius fit oleum id instillando in aqua pluv. destill pulveremque ab acrimonia sua lotionis beneficio liberando: posterius fit oleum id cum an. ol. Tart. p. d. mixtum (per dies 2.) reponendo, & hinc similiter flores edulcorando.

Dosis à gr. 1. ad 4.

14. *Oleum Antimonii compositum ad Vulnera.*

℞. Antimonii, Sulphur. an. p. ij. salis ammoniaci vel salis urinæ p. 1. calcis vivæ p. iv. destilla ign. forti cum tribus cohobiis, quod sublimatum erit, semper cap. mort. reddendo.

Vires. Mundificat optimè vulnera inveterata. Basil.

15. *Aliud Oleum.*

Fit ejusdem qualitatis oleum, si antimonium cum spir. Sal. Com. imbiberis, ac postea destillaveris. *Tantzelius.*

16. *Aliud Balsamus Antimonii.*

℞. Antimonii ℔ ij. Sal. Tart. ℔ß. Sal. Nit. ℥iv. Fluant crucibulo forti, effundanturque in tabulam lapideam.

℞. Massam hanc & calc. viv. ℥iij. misce & affunde spiritum terebinth. ad eminent. 4. digit. Digere vase clauso per dies ac noct. aliquot: sic spir. Terebinth. rubro colore tingetur. Postea adde silices contusos ad spissitudinem aliquam, destillaque per retortam.

NB. Ubi guttæ flavæ apparere incipiunt, muta receptaculum, & auge ignem, atque exstillabit oleum rubrum. *Sennert.*

Vires. Magnarum est virium in diuturnis ulceribus.

N. Vide etiam Balsamum Antimonii Reguli. In Tincturis ex Regulo.

17. *Balsamus Vulnerarius Basil.*

℞. Antimonii opt ℔. 1. Salis Communis vel sal. gemmæ ℔ ß. Argil. ℔. vi. M. & destilla ign. forti per retortam, & prodibit tandem oleum, quod dephlegma ad remanentiam pulveris rubei, hunc solve per deliq.

Vires. Summarum est virium, & arcanum summum in vulneribus inveteratis. Basil. in C. Triumph. Vide etiam Balsamum Reguli in Tincturis.

N. 1. Keslerus.

℞. Antimonii, sal. gemmæ (vel Sal. Com.) ana. aluminis ust ℔ ß. destillaque sine argilla.

Alii.

℞. Solum antimon. & sal. gemmæ (sine alumine & argilla) vel Sal. Nit. *Vide Basil. in repetit. lapid.*

Alii.

℞. Antimonii part. ij. Sal. Com. p. j. Bol. armen. p. ij.

N. 2. Processus est plurium (3.) dierum, instituendaque est destillatio per gradus.

N. 3. Oleum hoc præcipitari potest cum aqua. Præcipitatum elotum exhibetur à gr. 3. ad 6.

18. *Spir. ex Regulo.*

1. Figatur Regulus, (quod fieri potest multoties iteratis sublimationibus, sive in ovo Philosophico id fiat, sive in cucurbita, quotidie scil. id quod sublimatum est ad fundum detrudendo.)

2. Regulus fixus ponatur aliquamdiu (mens. 6.) in cellam, ut solvatur, oleum illud filtra & coagulata ad spissitudinem. Hinc repone ad liquescendum, filtra iterum, coagula ac solve iterum, ac cum triplo Tripolæ mixtum destilla per retortam. Sic primò prodit Spir. albus, dein rubeus: rectifica.

Vires.

Vires. In febribus omnibus intermittentibus, ut & in quartana virium est summarum, mundificat sanguinem per diaphoresin, atterit calculum Renum & Vesicæ, materiam Podagricam discutit, dolores vel extrinsecus applicatum lenit.

Dosis à gr. 3. ad 5.

19. *Aqua Antiepileptica ex Croco Metall. Quercet.*

℞. Croc. Metall. misce cum crusta panis pulverisata, ac elice aquam per cornutam ad ignem satis magnum.

Vires. Hanc pluris facit Quercetanus in Epilepsia; quàm reliquas suas Antiepilepticas omnes è vegetabilium familia desumptas.

Ego huic labori dies ac noct. 3. integras frustra impendi: primò exivit phlegma, secundò Spir. nebulosi prodierunt, tertiò striæ, seu oleum rubicundum, omnia autem in parva quantitate.

20. *Aqua Stimmi Sulphura. Clyssus alias.*

℞. Antimon. elect. Sal. Nit. pur. Sulph. pur. à (℔. 1.) propellantur per retortam, in ventris capacitate superiori tabulatam, in receptaculum amplum ac capaciss. rostro firmiter annexum, in quo infusa sit aliquota aquæ pars: Iniice materiam sensim per vices, tabulumque propediem obtura, videbis materiam injectam paulò post incendi, receptaculumque nebulosis vaporibus repleri, quibus sensim aquæ illi commixtis receptaculum pellucidum redditur, quo apparente, iniice iterum, &c. aquam spiritibus destillatis impraegnatam filtra, vel si placeat, & adustionem sapiat, à phlegmate in Mar. Baln. libera. Glauberus ℞. antimon. ℔j nitri ℔iij. Sulph. ℥iij.

Vires. Crassam Tartareamque mucilaginem ubicunque locorum delitescat in corpore, attenuat, ac per emunctoria convenientia expurgat, per alvum scilicet, per urinam, per sudorem, per salivationem. Unde utilissimum Medicamentum audit in obstr. Epatis, Lienis, Mesenterii, Uteri, in affectu Hypochondriaco, Colico, & simil. præsertim si cum Crystallis mart. acuetur. Miscetur cum aqua font. vel alio liquore convenienti, ad gratam aciditatem, bibiturque pro libitu.

21. *Aqua Stimmi Tartarea.*

Fit eodem modo ex antimonio Tart. & Sal. Com an. quibus si aliquid Sulphuris admiscetur, meliùs destillatio procedit.

Vires. Prodest itidem in obstructionibus, maximè autem expellit per sudorem materiam in habitu corporis delitescentem.

N. 1. In utriusque aquæ destillatione colligi possunt flores, qui à Sulphure per sublimationem liberati in usum venire quoque possunt.

N. 2. Ex capite mortuo fit antimonium diaphoreticum, si semel ac iterum cum Sal. nit. ana calcinetur & dulcoretur, vel ex eodem Sulph. auratum extrahi potest, si cum lixivio forti coquatur. Vide Sulphur Antimonii.

22. *Spiritus antimonii compositus S. Closs.*

℞. Sulphuris antimonialis (Closs. an. vid. infra) part. 1. colchotaris vitriolisati part. 2. Metter aut quater aceto perfunde destillando cum cohobio. Tandem ultima vice repone pulveres in amphoram terream tabulatam (vitrea enim disrumperentur) cum Recip. amplo, urge ignem in reverberio clauso spatio tridui integri, ut fieri solet in destillando oleo vitrioli, & spiritum ab oleo separa atque rectifica.

Vires. Inservit utrumque figendo mercurio & cinnabari.

IV. LIQVATIO.

Liquor seu Balsamus ex scoriis Reguli.

℞. Scorias Reguli (sive simplicis, sive compositi,) expone aëri humido, sic solventur propter Salia Tart. & Sal nit. admista.

Vires. In Chirurgia usus est insignis, præsertim in fistulis & ulceribus fœtidis.

2. *Liquor ex Sale vitri Antimonii.*

Fit si id albumine ovi ad duritiem cocti, vel Raphano, vel Bryonia excavata in cella resolvatur.

Vires. Liquor hic assumptus intrinsecùs Quartanam, Podagricas, & defluxiones, & Paroxysmos efficaciter compescit: In Chirurgia vulnera, fistulas, absque mordacitate tamen, à putredine conservat & sanat.

Dosis ℈ß. *ad* ℈j.

V. EXTRACTIO.

Unde:

SULPHURA & TINCTURÆ.

SULPHURA sunt Extracta crassiora.
TINCTURÆ sunt Extracta magis elaborata.

DE SULPHURIBUS.

Sulphura hæc extrahuntur plurimùm cum lixivio forti, vel & cum aceto destillato, *Bas. p. 218.*

Lixivium forte ad Extract.

1. ℞. Sal. Tart. calc. viv. & Sal. com. ust. ana. F. lixivium filtratione clarificandum.
2. ℞. Ciner. clavell. calc. viv. & ciner. comm. F. lixiv.
3. ℞. Calc. viv. ℔. aqu. ℔. xv. F. lixiv.

1. *Sulph. ex Minera Antimonii, vel antimonio crudo.*

℞. Mineræ antimonii ℔ iij. v. &c. vel in defectu mineræ.

℞. Antimon. crud. tere minutiss. & superfunde lixiv. forte (ex calce viva & aqua) digere per dies ac noctes 6. vel 7. ut fiat Extractio: Extractionem filtra, & leniter bulliendo reduc in pulverem rubeum. *Hartman. in pract. Kesler. 2. c. 18.*

N. Si experiri volueris, an aliquid Sulph. supersit in materia, transfunde nonnihil extractionis in vas aliud, instillaque acetum, sic præcipitabitur Sulphur ad fundum.

Vires. Inservit extrahendæ tincturæ, purgat itidem supra & infra.

Dosis g. 2. 3. 4. 5.

2. *Aliter.*

R. Antimonii pulver. q. s. coque in lixivio forti, præcipitaque aqu. pluviali (impraegnata acet. destillat.) hinc edulcorata.

Vires. Tutiùs agit per vomitum quàm crocus Metallorum.

Dosis gr. 3. 4. 5. *Beguin. & Quercetan.*

Nix Diaphoretica antimonii S. Closs.

♃. Sulph. antimonii hujus descript. vel Sulph. aurati diaphoret. ℥j. Ol. vitrioli ℥ij. M. retorta, fiet massa nigra ut pix, fermentetur per noctem, postea per reverberatorium exibit aqua acidula, & in fundo manebit pulvis albissimus excellens Diaphoreticum, valet etiam ad vermes, cum pomata verò sequenti fit inde Cosmeticum præstans hoc modo.

♃. Axung. porci ℔. j. sevi vervec. circa renes collect. ℔. ij.
Ireos flor. ℥iv.
Garyoph.
Coriandr.
Benzoin.
Styrac. calam.
Calam. aromat. an. ℨij.
Florum lavend. quart. v i.
Bull. cum rasur. pomorum curtipendul. cum pellic. ℔. j.
Aq. rosr. rosr. ℔. iij. in MB. per horas xii. in vase vitreo.

Colentur in vas vitreatum, ubi refrixerint, aqua & fæces diligenter amoveantur, cum calore miti iterum liquescat, effundatur in mortarium calens, ubi tamdiu agitetur, donec in Pomatam albam, levem & boni odoris (addito moscho) abierit, cujus singulis unciis immiscebis antimonii Cosmetici ℨij.

3. *Sulph. ex antimonio calcinato.*

♃. antimonii, Tart. ana. mixta liquescant ad ignem, postea effunde in ollam plenam aqua calida, stentque per diem, dein decanta ac præcipita Sulph. instillatione aceti, vel sola coctione adhibita.

N. 1. Alii fundunt solum antimonium, idque fusum effundunt dicto modo in acetum destillatum acerrimum, vel Spiritum Sal. nit. acuatum. Hinc decantant, præcipitatumque pulverem colligunt.

N. 2. Nisi me felicior fueris, nihil efficies, cum nihil sit quod Sulph. antimonii foras attrahat.

Alii.

℞. Mart. p.1. fundunt, fusoque iniiciunt antimonii p.11. atque dicto modo affundunt in aceto destillato.

4. *Aliter.*

℞. Antimonii p.ij. scor. mart. (*Hammerschlag*,) Sulph. an. p.1. M. & iniice sensim super Sal. nit. & Tart. ad ign. fluentia, hinc fluant simul optimè, dein extrahe Sulph. coquendo in lixivio forti, præcipitaque instillatione acet. destillat.

Vires. Purgat per alvum.

Dosis gr. 4.5.6.7.8.

5. *Sulph. ex Croco Metallorum.*

Fit eodem modo: Hepar scil. antimonii coquatur in lixivio forti, vel sola aqua, (ut in edulcoratione Croci Metallor.)

6. *Aliter.*

℞. Antimonii & Tart. pulverisatorum ana ℔.iij. cæmententur per 4. aut 5. horas, vase probè incandescente, quod tandem proiicies in mensur.2. aceti, & per horam unam aut alteram ebullire sines, cola acet. & coagula in pulverem.

Ex S. Closs.

7. *Sulph. ex scoriis Reguli: Sulph. auratum Antimonii.*

℞. Scorias à Regulo separatas, easque coque in lixivium, traiiceque per chartam: colaturæ insperge acet. & præcipitabitur Sulph. auratum antimonii, quod decantato lixivio edulcorandum.

Vires. Movet vomitum, ac interdum secessum.

Dosis g.vj.

8. *Sulph. ex Regulo Antimonii joviali.*

Fiat Hepar ex Regulo joviali & Sal. nit. Hoc Hepar sine ablutione coque in lixivio forti, ut abstrahatur Sulph. decanta & præcipita instillatione acet. destillat.

Quercet. in Tetrad.

9. *Aliud.*

1.℞. Antimon. crud. per aqu. regal. præcipitatum & edulcoratum, coque bulliendo in lixivio Tart. decantaquoque, lixivium tinctum evaporet, sic remanebit in fundo Sulphur antimonii cum Sal. Tart. sublimabitur Sulph. antimonii purum. *Sala de antimonio.*

10. *Sulph. ex Cinnabari Antimonii, Sulphur Antimonii verum.*

♃ Cinnabaris antimonii pulverisat. coquatur ebulliendo in lixivio fortissimo (ex cineribus clavell. & calc. viv. ana. vel ex Sal. Tart. & Sal. calc. vivæ,) per hor. 3. vel 4. Decantetur lixivium à mercur. vivo, qui currit in fundo, filtreturque: hinc reponatur, ut Sulph. subsideat coloris rubei, quod à lixivio separatum edulcoretur sæpius aqua communi calida; dein leni calore exsiccetur, & habes Sulph. antimonii genuinum.

Hinc paratur Panacæa Sulph. Antimonii veri.

1.℞. Sulph. jam descript.
Regul. antimonii an. ℥j.
Ole. Sulph. per C. vel ole. vitrioli rectificatiss. ℥iij.

Digere per aliquot dies (8.) in loco calido, deinde destilla ex arena per retortam vitream, ter ad minimum cohobando; urge postremò igne quarti gradus hor.12. & erit totaliter fixum, quod exime, & cum aqu. rosar. lava & exsicca.

N. Præstat materiam retorta fracta exemptam sub tegula hor. 5.6. reverberare.

2.℞. Hujus pulver. ℥j.
Mag. vel Sal. Coral. ℥ij. M. exactè.

Vires. Est instar panacææ: habet nimirum in se vim diaphoreticam ac sanguinem mundificandi, ideoque quibuslibet morbis per sudorem sanabilibus inservire potest, præcipuè Lui venereæ, fœditatique cutis. Repetenda est Dosis sæpius in quibuslibet morbis, præsertim verò in Epidemiis, & malignitatem aliquam secum vehentibus.

Dosis à gr. 10. *ad* 15. & 20.

Hartman. in Croll. in pract. Agricola de antimon.

DE TINCTURIS.

De Tincturis antimonii notare in genere expedit, quod monente Basilio, acet. destillat. in priori extractione adhibitum spir. purgantes figat (ita ut per urinam, sudores & ptyalismum duntaxat operentur, etiamsi postmodùm per spirit. vini extrahantur,) & contra spirit. vini vim in eadem dejectoriam augeat. *Basil.*

Tinctura antimonii nihil aliud est, quàm portio aliqua antimonii idoneo menstruo soluta & exaltata, eaque potissimum sub colore rubeo.

Absolvitur Tincturæ præparatio plerumque duabus operationibus: Extractione scil. & Exaltatione. Hæc ferè non nisi spirit. vini perficitur, illa potissimùm acetum destillatum, quod plerumque acuitur aliquo spir. acido.

1. *Tinctura ex antimonio crudo.*

℞.1. Antimonii pulv. extrahe Tincturam rubicundam s.a. cum spir. vitrioli Philosoph. digerendo in cineribus, hinc decanta, decantatas Tincturas confunde, abstraheque spir. vitriol. in Mar. Baln. l. igne donec guttæ flavescant.

2. Tincturæ in fundo remanenti affunde vini spiritum rectificatum, extraheque spirit. vini ign. Mar. Baln. donec itidem guttæ flavescant. Tunc mutato recipiente, igne fortiori propelle Tincturam.

Vires. Balsamum mirum est, quo uti possumus ad vulnera curanda, tam interna, quàm externa: movet sudorem, nonnunquam etiam secessum & vomitum: emendat Symptomata veneni, Lepræ. Faber Monsp.

Alii pro menstruo utuutur aqu. fort. ex Vitriol. virid. Æris & alumin. plumoso.

2. *Alia, Balsamus vitæ Basilii.*

℞. Antimonii crud. q.v. extrahe Tincturam rubic. cum aceto destillato radicato, digerendo per mensem, filtraturam digere iterum per mensem, & nigrescet. Abstrahe acet. destillat. ad siccitatem, edulcora & circula cum spirit. vini opt. ad eminent. 3. vel 4. Digit. per mensem unum ac alterum, vase clauso: decanta dein & destilla ex ciner. & prodibit Spir. Vini imprægnatus Tinctura antimonii: circula per dies ac noct. 10. circiter, & subsidebit Tinctura, quam per Tritorium à spirit. vini separa.

N. Candefac primùm antimonium: hinc iniice in aceto destillato.

Vires. Summarum est virium, mundificat sanguinem, curat Morphæam, scabiem, exhilarat spiritus.

3. *Aliter.*

℞. Antimonii crudi q.v. extrahe Tincturam rubic. cum aceto antimonii, digerendo aliquamdiu, decanta, abstraheque acetum & pelle Tincturam per alembicum ex arena.

Vires. Summè prodest in Morphæa, L.V. &c. Basil.

4. *Alia, Manna antimonii dicta.*

℞. Antimonii pulveris. extrahe Tincturam cum Spiritu antimonii essentificato: filtra ac abstrahe. Hinc digere cum spirit. vini, ac abstrahe.

Spir. antimonii essentificatus præparetur ex Magnesia, acuaturque nativo suo sale.

Integrum equidem adscripsissem Processum: verùm cum id forsan Dn. D. Paulo Kesler, cui illum acceptum fero; ingratum foret, descriptionem, quam dedi, eamque vel Tyroni Chymiæ satis perspicuam, æqui bonique consule.

Ex Antimon. calcinatio.

5. *Tinctura ex vitro Antimonii, Magisterium Antimonii Salæ: ole. vitri Antimonii Basil.*

℞. Vitr. Antimonii ℥ß. lævigato affunde acetum destillatum acerrimum, vel acuatum spiritu Sal. com. (aliàs incassum laboraveris,) ad eminent. 2. aut 3. digit. digere in arenæ calore, qui manu absque adustione tolerari possit per dies ac noct. 30. circiter, quotidie semel aut bis agitando, &c. Tinctum liquorem decanta & abstrahe acetum destillatum ad coagulationem usque subfuscam & acrem (ad siccitatem pulveris

pulveris, *Baſilius.*) Hæc expoſita aëri diſſolvitur in liquorem, qui vitreo vaſe probè obturato ſervetur, ne liqueſcat & evaporet. *Sala. Theolb. in Halograph.pag.*196.

Huic affunde ſpirit.vini, ac extrahe iterum, decanta à fæcibus, tandemque ſpirit.vini abſtrahe. Dicitur Alexiterium antimoniale, *Baſilio in Curr. Triumph.* qui pulverem ante ſpirit.vini affuſionem edulcorat aquæ deſtillatæ iteratis abſtractionibus.

N. Hæc Tinctura quandoquidem difficulter retineri queat, quin liqueſcat, paratur exinde Bezoardicum, quod

℞. Spir. hujus antimonialis, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſati ℥ij. C.C. uſt.præparat.℥j. M. exactè & exſicca lentè.

Vires. Utrumque conducit ad obſtructiones omnes inveteratas Hepatis, Lienis, Pulmonum, &c. Item adverſus menſium retentionem, Leucophlegmatiam virginum, Icteritiam utramque, Hydropem, Phthiſin, Aſthma, Pleureſim, Cachexiam, Melanch. Hypochondriacam, itemque ad ulcera, tam externa, quam interna, Scabies quaſcunque & prurigines, Luem ven. Febres peſtilentiales continuas, putridas, &c. Morbillos, variolas: noxia expurgat per ſudorem, urinam, ſalivationem: uſus ejus continuari poteſt. Baſil. Tentzel.

Doſis tinctura à g. 3. ad 9. in vino malvat. vel alio liquore. Bezoardici à g 4.ad 12.&c.

Acetum ad hoc opus idoneum huc refer ex deſtillatione acet. Eodem modo eadem Tinctura parari poteſt, ſi loco acet.deſtillati ſumatur aqu. fort. ex vitriol. Sal. nit. calc viv. ana ℔ ij. ſal.ammoniac. ℥iv. acet. deſtillat. ℔.iij. quæ digeſta deſtillantur per retortam, ut aqu.fort. deſtillari ſolet. Liquor rectificatur ab æquali pondere Sal.com. *Keſl.1.c.30.*

N. Pulvis ille ante effuſionem ſpirit. vini albumini ovorum coctorum impoſitus, in liquorem convertitur, vulneribus recentibus & inveteratis malignisque ſanandis utiliſſimus. Baſilius.

6. *Alia Tinctura antimonii vitri, ex minera facti.*

Extrahe primò cum aceto proprio, decanta ac abſtrahe.

Extrahe ſecundò cum ſpirit.vini opt.decanta (rejectis fæcibus,) ac circula.

N. Si Tincturam hanc per menſem unum ac alterum circulatam deſtillaveris, conſequeris oleum ſeu Eſſentiam Antimonii omnium ferè morborum Panacæam, ex qua lapis ignis.

Doſis à gutt.8. Baſil.

7. *Alia ex vitro antimonii ſolari.*

℞. Vitri antimonii Solaris q.v. affunde ſpirit.vini rectificatiſſ. ad eminent. digitorum 4.digere in vaſe clauſo, & extrahetur Tinctura rubicundiſſima, quam ſerva, & adhibe ſine abſtractione.

Vires. Movet ſudorem citra vomitum, nauſeam, mundificat ſanguinem ab omnibus impuritatibus & fæculentiis tartareis. Salem microcoſmicum reſolutum (ex quo hydrops) coagulat, & phlegmata noxia ex corpore exterminat, Podagricos juvat, præſertim ſi cum arcano Filicis fuerit propinata. Dolores artuum ex Lue Ven. tollit, ut & ipſam luem veneream cum decoctis convenientibus, curat ulcera: In Peſte & aliis morbis Epidemiis magnum exhibet ſolamen.

Doſis à ℈ij. ad ℈vi.vel plures.

N.1. Poſt extractionem, quæ per dies ac noct. fieri ferè poteſt, remanentia denuò fundi poteſt in corpus Solare album. Hartm.in Croll.Keſl.2.c.30.

N.2. Quandoquidem vis dejectoria acet. deſtillat. vi refrænatur, non abs re foret, primò hanc Tincturam cum aceto deſtillato (ut in præcedenti præparatione) extraxiſſe.

8. *Alia ex vitro Antimonii ſolari.*

℞. Vitri antimonii part.ij. auri per antimonium purgat. p.1. fundantur ſimul, dein extrahatur Tinctura cum aceto deſtillato, radicato, quo iterum abſtracto, circuletur Tinctura cum ſpirit. vini per dies ac noct. (8.) abſtrahe viciſſim ſpirit.vini, ac ſi placet auctiori ign. Tincturam per retortam propelle depreſſiorem, eamque ſeorſim collige.

Vires. Medicina Diaphoretica eſt longè excellentiſſima. Purgat etiam ſatis promptè, ſi Baſilio credamus, addito Extr. Rhabarb. Hart.Tentzel.

9. *Tinctura ex Croco Metallorum Bickeri.*

℞. Croc. Metall. q. v. extrahe Tincturam ſ.a. cum aceto deſtillato acerrimo, decanta tinctos liquores, & abſtrahe acetum deſtillatum ad ſpiſſitudinem mellis.

Vires. Purgat & movet ſudorem vehementer.

Doſis à gr.6.ad 12.

N. Ex remanente Antimonio, ex quo Tinctura ſcil. prolecta, fit Sal Antimonii dulce (vide ſuo loco.) Hoc Tincturæ admixtum, efficaciorem eam reddit. Bicker in Epiſt. Clariſſ. Horſt.vide hujus obſerv. l.1.ſ.1.

10. *Alia.*

℞. Hepar antimonii (i.e. Crocum Metallorum à Sal.nit. ſuo nondum edulcoratum) calcina per horas aliquot, (12.) & evadit pulvis albus, dein expone in cella, ut in liquorem abeat. Ex hoc liquore extrahe Tincturam cum ſpirit. vini opt.rectificat. decanta & abſtrahe.

N. Sal nit. partim ſponte in cella coagulatur, partim quoque in extractione ſubſidebit, ubicunque ergo ſepara.

Vires. Vires & Doſis eadem cum præcedenti.

N. Tinctura hæc eſt Viri Experientiſſimi ac benè de Rep. Chymica meriti, Dn. Auguſt. Vveis, Pharmacopœi apud Vvormatienſes ſpectatiſſimi.

11. *Alia S. Cloſſæi, quam vocat Oleum antimonii febrifugum & Antipleuriticum.*

♃. Reguli antimonii per ſpeculum ardens incinerati q. v. Superfundatur ſpiritus vitrioli ad exſtantiam unius digiti, digere per biduum, ſolutionem inclina, alium ſpiritum vitrioli affunde, evacua omnes ſolutiones, M. & ex ciner. phlegma extrahe, reſtabit Ol. liquidum, quod in ſpirit.vini diſſolves, alteraque vice extrahes.

Doſis gr.4.

12. *Tinctura ex antimonio Tartariſato.*

℞. Antimonii crud. Tart. ana miſce & calcina in anemio, donec Tart. penitus combuſtum ſit, elue dein Tart. aqua calidâ, ac extrahe ex antimon. remanente Tincturam cum ſpirit. vini: abſtrahe ſpirit. vini, & remanet Tinctura antimonii in fundo. *Baſil.*

N. Spirit. vini abſtractus cum Tinctura non poteſt iterum miſceri, ſed ſupernatat ſemper.

13. *Rubinus antimonii mercurialis.*

℞. Antimonii elect. Tart. ana fundantur ſimul.

Dein.

℞. Hujus maſſæ ℥ij. (potiùs Reguli) mercurii opt. purgat.℥j. olei vitrioli ℥ij. M. diligenter, digeranturque l. calore, donec ſicceſcant. Dein extrahe ſ. a. Tincturam rubicundiſſimam cum ſpirit. vini: decanta & abſtrahe ſpirit. vini ad conſiſtentiam mellis, ſic habebis materiam, quæ frigori expoſita indureſcit in lapidem inſtar rubini. *Clodius.*

14. *Tinctura ex Regulo martis aut antimonio. Antidotus Pantagogos.*

℞. Calcem Reguli martis aut antimonii, ſolve digerendo per aliquot dies cum ſpiritu ſalis gemmæ, tandemque deſtilla igne fortiſſ. & prodit oleum craſſum, cui rectificato affunde ſpirit.vini opt. circula, deſtilla cum cohobiis tribus, ſemper fæces reiiciendo. Tandem liquor ſervetur accuratiſſime.

Vires. Repurgat ſanguinem, appetitum excitat, viſcera corroborat, eradicat cachexiam, melanchol. hypochondr. Icterum, hydropem, idque leniter purgando.

Doſis gutt.aliquot, 2.3.&c. Quercet. in Tetrad.

Poteſt etiam in præcipitatum, & calcem albam, rubram, imò etiam flavam redigi.

Cujus Doſis gr.3.4.

15. *Alia, Balſamus Reguli, & exinde Tinctura.*

℞. Regul. pulver. q.v. digere in Mar.Baln. cum ſpiritu Terebinth. & rubeſcet, decanta, abſtraheque affundendo aqua (*vide Baſil. Sulph.*) dein ſolve in ſpirit. vini, digere & abſtrahe.

Vires. Optimum eſt remedium in affectibus pulmonum, phthiſi, aſthmate, tuſſi, ſi frequenter adhibeatur.

Doſis g.3.4.

16. *Tinctura ex antimonio calcinato cum lap. prunellæ.*

℞. Lap. prunell. ad poroſitatem uſque per Sulph. depurati, Antimonii an. M. & committe igni reverberario per dies (5.)

ut

ut crucibulum semper sit ignitum. Ex antimonio hoc edulcorato extrahe Tincturam s. a. per acetum destillat. hinc decanta, & abstrahe acet. destillat. Tincturam remanentem exalta, ut moris, per spirit. vini *Kester.*

Vires. Purgat per secessum (potiùs per sudorem.)

Dosis g. 2. 3. 4.

N. Terra extractione cum aceto destillato residua, si dulcoretur, sistit omnes alvi fluxus.

Dosis g. 8. 10.

17. *Tinctura ex antimonio rubeo fixo.*

℞. Antimonii rubei fixi (*vide in calcin.*) q. v. extrahe Tincturam rub. digerendo cum aceto destillato decanta & abstrahe ad siccitatem. Postea extrahe cum spirit. vini, similiter procedendo uti cum aceto.

N. Basilius reverberat materiam antequam secundam extractionem, spirit. vini scil. aggrediatur.

Vires. Summarum est virium in resolvendo cruore, in rumpendis apostematibus, in curanda Lue Ven. &c.

Dosis g. 3. 4. Basil. in Curr. Triumph. Baco de antimon. qui vel pro Panacæa ferè venditat.

18. *Tinctura è floribus Antimonii, Lilium Paracelsi.*

℞. Antimonii, salis ammoniaci, ana, propellantur per retortam, ut nil nisi fæces remaneant. Ex floribus his optimè edulcoratis, & in reverberatorio aliquamdiu vase clauso per colores ad rubedinem reverberatis, extrahe Tincturam s. a. cum spirit. vini rectific. eamque rursus tandem abstrahe ad consistentiam olei.

Vires. Medicamentum est restaurativum totius corporis, solâ humorum correctione agens, mundificat corpus hominis supra omnia arcana: utile insuper in obstructionibus Epatis, Hydrope, Morphæa, Lepra, in morbis Lienis, uti Scorbuto, & simil. movet menses, & si Basilio credamus, purgat leniter per alvum, cum extr. Rhabarb. ac Tinctura Coralliorum.

Dosis g. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Paracels. lib. 2. magnæ Chirurg. Basil. in curru triumphali vocat Elixyr Antimonii. Hartmann. in disput. Chymico-Medic. 7. thes. 129. Querc. Poter. Sala in Anat. antimon. qui quoque flores rubeos obscuros cum arena sublimatos æquè efficaces censet, ut & flores reverberatione ad eundem colorem redactos.

19. *Aliter, Arcanum Antimonii Basil.*

℞. Flores illos edulcoratos (etiam nondum reverberatos) affunde spir. vitrioli rectific. circula, donec benè uniantur: dein propelle simul, ac affunde spirit. vini circulaque subsidentibus fæcibus separatis, Tincturam adhuc semel rectifica.

Vires. Confortat ventriculum noxios humores consumendo, appetitum excitat, tollit melanch. hypochondr. suffocationem uteri, colicam & simil.

Dosis g. 1. ac alterà. Basil.

20. *Aliter.*

Elixyr solare antimonii, alias Electrum, seu Lil. Parac.

℞. Reguli antimonii (ex mercurio vitæ cum pari pondere Tart. & ana. Sal. Nit. per detonationem facti) partem 1. auri purgati tantundem, fluant simul & pulverentur, adde salis ammoniaci quadruplum pondus, sublima toties donec Astrum antimonii ascenderit, in fundo autem terra fatua & inutilis remanserit, elue salsedinem salis ammoniaci, & restantes in fundo aurum & mercurii flores pone in Ovum Hermeticum in capella fixatoria, da ignem talem, ut in fluorem non adducantur, sed ex flavis citrini, tandem verò ex citrinis castanei coloris fiant. Hisce fixatis floribus affunditur acetum destillatum Alkalis. & postmodùm spirit. vini ad extrahendam Tincturam, uti latiùs traditur Artic. de Tincturis antimonii, & in Antidoto ζωόφιλος Querc.

Vires. Summa Medicina perhibetur esse in Ictero nigro, podagra, hydrope.

Dosis instar grani coriandri bis in die ad curationem in Syrupis: ad praservationem semel in mense.

21. *Alia Basil.*

℞. Flor. Antimonii rub. q. v. extrahe digerendo cum spirit. vini, ac abstrahe.

Vires. Purgat leniter, tollit febres tertianas & quartanas.

Dosis gr. j. vel ij.

22. *Alia ex floribus.*

Antidotus ζωόφιλος Quercetan.

℞. Flores Antimonii, (nimirum qui ex Antimonio Ungarico per se ad albedin. calcinato, cum sale ammoniaco sublimati sint & edulcorati,) q. v. extrahe cum acet. destillat. Philosophico. Tincturam rubic. s. a. tempore sat longo. Decantatos liquores tinctos destilla ad siccitatem. Ex pulvere edulcorato extrahe iterum Tincturam pellucidam cum aqua vitæ Coralliorum (spir. Corall. inflammab.) tandemque propelle fortissimo igne per retortam oleum rubrum cum ipsa aqua vitæ, reserva citra separationem.

Vires. Est verum vitæ Balsamum nunquam satis laudandum. Exhibetur cum appropriatis, in Epilepsia, Apoplexia, Paralysi, Pestiferis morbis, Lepra, Morphæa, mundificat totum sanguinem.

Dosis guttæ aliquot. Quercet. in Tetr. acet. destillat. Philosophicum pro hoc opere vide de acet. destillato.

23. *Tinctura ex floribus antimonii vitriolatis.*

Antidotus Lysipyretos.

℞. Flor. antimon. vitriollator. rubicundiss. extrahe cum spir. vitrioli veneris, deinde cum vero saturni æthereo spir.

Vires. Vera est Antidotus contra febres omnis generis, uti & pestiferas.

Dosis gutt. 4. 5. in liquore convenienti. Quercet. in Tetr.

24. *Tinctura ex floribus Reguli, antidotus πολυχρῆστος.*

℞. Flores Reguli rub. q. v. reverbera vase clauso vitreo per dies ac noctes 3. 4. continuos. Deinde extrahe tincturam s. a. cum aceto destillato radicato. Decantatos liquores libera à suo menstruo per destillationem. Postea nova fiat extractio cum spirit. vini. Tandem denuò spirit. vini ad siccitatem usque abstrahatur.

Vires. Totam sanguinis massam emundat, Morphæam, Lepram, Scrophulas, Luem Ven. persanat: instaurat & auget nativum calorem, visciditates ventriculi absumit, ac corpus omnibus excrementis expedit. Colicis est aptissima medicina, nec non præfocationibus matricis, si Reguli martis loco, Regulus jovis ad parandos flores substituatur. Quercet in Tetrad.

25. *Alia ex floribus Reguli martis præcipitati.*

Antidotus Isochrysos.

℞. Præcipitatos fl. Reguli martis ad flaved. reverberatos, extrahe Tincturam cum aceto destillato Philosophorum s. a. relictis quibusdam fæcibus albis in fundo. Menstruo per cineres separato remanebit in fundo pulvis levissimus rubei coloris, quem reverbera hor. 2. aut 3. Dein affunde spir. Junip. digere. Sic ferè pulvis convertetur in Tincturam rubicundissimam.

Vires. Admirandarum virtutum est, adeoque ipsi auro potabili æquiparanda. Apostemata interna omnia aperit atque curat, sanguinem concretum dissolvit, corruptumque purificat: ad Lepram, Scrophulas, L. Ven. Pestem, infinitosque alios morbos magnum remedium exhibet.

Dosis gutt. 6. 7. 8. 9. 10. Quercetan. in Tetrad.

26. *Tinctura ex Ol. Antimonii Saccharato.*

℞. Olei illius q. v. affunde acet. destillatum ad eminent. 3. aut 4. digitor. digere, ac tandem abstrahe, sic relinquitur Tinctura in fundo rubicundissima. *Gluckrabt.*

N. Kester. 2. c. 4. extrahit cum spirit. vini, eumque vicissim abstrahit.

Vires. Purgat per inferiora.

Dosis g. 3.

27. *Tinctura ex Sulph. antimonii.*

℞. Sulph. ex antimoni. crud. (primi modi) q. v. extrahe s. a. cum spirit. vini non usque adeo forti. (Alcohol non extrahit.) Decanta & destilla cohobationibus septies repetitis per alembicum. Tandem propelle per retortam vitream ex arena addito quoque igne suppressionis, ac prodibit in forma rubicundissima oleum antimonii dulce: abstrahe spirit. vini per Mar. Baln. ac remanet in fundo Tinctura.

Vires.

Vires. Confortativum est summum, movet sudorem, præservat à Podagra.

Dos. g. 1. ad 4. Hartm. in Pract.

N. Operatio hæc, quia expertis non successit; aliud eligere menstruum suadeo, vel acuere acet. destillato addito spir. Sal. nit. aut vitrioli, & simil.

28. *Alter.*

℞. Sulphur. ex antimonio (secundi modi,) q. v. extrahe s. a. cum spir. Sal. comm. quo iterum abstracto, digere cum spirit. vini, cumque denuò vicissim abstrahe.

Vires. Sudorem ciendo contracturam artuum, imprimis ex colica causatam, feliciter curat.

Dosis gr. iij.

29. *Tinctura ex Sulphure Antimonii Aurato.*

Extrahe cum spirit. vini, decanta & abstrahe ad consistentiam mellis.

Vires. Sudorem provocat, purgatque imprimis per alvum absque molestia, non primo, sed tertio demùm die.

Dosis g. 4.

30. *Tinctura ex Sulph. Reguli jovialis, Antidotus Soterios Querc.*

Ex Sulphure dicto edulcorato extrahe tincturam s. a. cum vitriolica hydromelitis aciditate, alkalisata, scilicet proprio Sale (i. e. cum acet. destillat. ex melle acet. & dein acuato cum suo Sale,) abstrahe menstruum, & circula ad aliquot dies cum flagrante Juniperi spir. Deinceps per retortam crebris cohobationibus destillabis, & spir. Juniperi separabis, ut restet in fundo Destillatorii liquor suavissimus.

Vires. Omnium affectuum Pulmonum æquè salutaris Medicina, ac Balsamus utilis in Phthisi, Dyspnœa, Asthmate, Pleuresi, Peripneumonia, &c. In summa saluberrima est Medicina, quamplurimis, gravissimisque morbis profligandis apta.

Dosis à gutt. 3. ad 6. vel plures. Querc. in Tetr.

31. *Tinctura mercurii Antimonii cum auro, Antidotus* διόπημπτ(ος).

℞. Auri per antimonium purgat. p. I. mercurii antimonii p. VI. F. amalgama. Ex hoc amalgamate abluto & purgato extrahe Tincturam pellucidissimam instar rubini s. a. variis cohobationibus cum circulato minore Paracelsi eam exercebis, circulatumque postea separabis, ut Tinctura restet sola.

Vires. Pretiosissimum est donum Dei adversus Pestem, Lepram, Morphæam, & id genus alios morbos gravissimos.

Dosis gutt. 3. 4. 5. ex theriacali. Quercet. in Tetrad.

32. *Tinctura ex vitriol. seu Crystallis Antimonii.*

℞. Vitriol, seu Crystallos antimonii viridiusculos, superfundo aquam frigidam copiosam, & præcipitabitur pulvis albus, qui reverberatione evadit citrinus ac dein rubeus. Ex hoc extrahe s. a. Tincturam rubicundam cum aceto destillato: Hoc iterum abstracto, reiteratur solutio cum spirit. vini, quem quoque vicissim tandem abstrahe. *Thold. in Halograph.*

33. *Tinctura magisteriata, Lapis ignis Basilii.*

℞. Tincturæ Antimonii, (ex vitro quod è minera factum,) ℔. ij. Sal. antimonii ℥ij. Misce ac fac coire circulando cum spirit. vini, per mensem ad minimum, dein abstrahe in Mar. Baln. spirit. vini ad siccitatem, & postea fortissimo igne elice per retortam oleum rubicundum, oleum hoc rectifica iterum Mar. Baln. ut quarta pars exhalet.

℞. Hujus olei rectificati.

Mercurii antimonialis præcipitati (scil. per spir. vitrioli martis,) an.

Digere in vase H. clauso aliquamdiu, sic solvetur primùm præcipitatum, dein unientur omnia, & exhibebunt pulverem rubeum fixum, & fusilem.

Vires. Tinctura hæc æquipollet viribus auri Basil. in C. Triumph.

N. Mercurii præparationem habes infra.

VI. INFUSIO.

1. *Infusio antimonii crudi.*

℞. Antimonii crudi lævigati ℥ß. aquæ destil. vel Vini ℥iij. IV. macerentur per noctem, colenturque.

Vires. Colatura illa purgat supra & infra. Poter. in Pharmac.

2. *Infusio Vitri Antimonii, Speyvvasser.* Eau vomitive.

℞. Vitr. antimonii ʒj. vel ʒij. vini generos. ℔. iij. vel IV. vitro benè firmiterque cooperculato aliquamdiu insolantur, donec nempe liquor citrinum colorem induat, postea filtretur liquor, & vicissim in vitro benè clauso asservetur.

Vires. Datur ad vomitiones ciendas magno cum fructu, præsertim in iis morbis, qui non aliter quàm vomitionibus curari possunt & volunt, quales sunt tusses, pleuritides, anginæ, anorexiæ, ructus, atque infiniti alii in prima regione ventri hospitantes. Vide & in Vitro antimonii.

Dosis à ℈j. ad ℈v. Hartm. in Croll.

N. Sunt qui frustum vitri antimonii, pondere ʒij. ad ℥ß. sine pulverisatione in Cerevisiæ vel Vini haustu aliquot horas, prout scil. operationem magis vel minus efficacem expetunt, macerant, decantatumque liquorem propinant.

N. Admirandum est in infusione Vitri Antimonii non exhauriri ejus vim emeticam, sed penè in infinitum id posse infundi, ut nihil planè virium, vel admodum pauxillum decedat. Quinimò, quod idem, si quà imbecillius redditum sit, novâ fusione pristinas vires recuperet. Vide Straussii Pulv. Sympathet.

3. *Alia infusione vitri antimonii, quam pro aqua Benedicta Rulandi habet Brendelius.*

℞. Vitr. antimonii per se sine addit. facti,) ʒj.

Vini generos. vel Malvat. ℔. 1. ad summum ℔iß.

Macerentur in loco non admodum calido, donec cutim contrahat vinum. (Hæc cutis nihil aliud est, quàm residua portio Sulph. arsenicalis, à qua oritur illa vehemens vomitio, relicta à calcinatione antimonii,) cute ea per filtrum ab infusione separatâ & abjectâ, longè mitius quàm antehac operationes suas exercet, ea aqua benedicta. *Brendel. in Chymia.*

4. *Infusio Croci Metallorum. Aqua benedicta Querc.*

℞. Croc. Metall. Ungar. ℥j.

Aquæ Card. bened. ℔. ij. vel iij.

Cinam. ℥ß.

Macera per biduum aut triduum, dein transcola & serva usui.

Dosis ℥ß. aut amplius.

5. *Aqua benedicta Rulandi.*

Rulandus aquam suam benedictam ita describit: Crocus noster Metallorum maceratur per diem, vel urgente necessitate ebulliat à lentis magnitudine ad pisi quantitatem in aqua vel Vino. vel Cerevisia, vel aqua mulsa, vel denique in liquore morbo conveniente, de quo capitur post infusionem ab ℥ß. ad ℥ij. colatum deinceps bibitur frigidè vel calidè.

Verùm quis ille Crocus Metallorum Rulandinus sit, ambigitur, *de quo vide in Croc. Metall.*

Sit ut sit, sufficere tibi potest illa Quercetani, vel si mavis

℞. Croc. Metall. (sive vulgaris ille sit, sive Hartmanni) gran. iij. ad ℈ß.

Vini generos. vel Vini malv. Hydromel. vel Cerevis. vel convenientis liquoris ab ℥ß. ad ℥ij.

Macerentur, & necessitate urgente, Ebulliant, colenturque per chartam. Nota *VValæi* observ.

Vires. Aquæ benedictæ utriusque usus proficuus est in dolore capitis ab impuritate ventriculi, sæpè enim is accidere solet, in Epilepsia, pleuritide, Melanch Hypochondriaca, Febribus, Peste, Arthritide, coagulatione sanguinis, &c. In quibus omnibus cum liquore appropriato exhibeatur.

Usus præterea ejus insignis est in Clysteribus.

Nimirum.

ʒß. ad ʒj. ebullit in aqua convenienti vel Vino, colatur, admiscetur juri vel decocto simplicium mollientium. Optimum Medicamentum est in Colica. Vide *Riverium.*

Huc

6. *Aqua Ophthalmica ex Croco Metall. vide lib. 1.*

7. *Syrupus vomitivus. V.lib.2.c.64.*
8. *Vinum Hippocraticum purgativum. V lib.2.c.84.*
9. *Oxysaccharum Vomitivum. V.lib.2.c.84.*
10. *Spiritus vitæ aureus Rulandi.*

N. De hoc spir. variæ Medicorum opiniones: Quercetanus è familia Metallica desumptum illum existimat, in Pharmac. rest. c.17. Alii nihil aliud esse opinantur quàm infusum Trochiscorum Alhandal, quod vide in Colocynth. Tentzelius Spiritum Vitæ aureum à rubro diversum facit, aureum constituens Infusum Troch Alhandal: Rubeum verò ex terra sancta (Antimonii) paratum autumat.

VII. SALIFICATIO.

1. Sal antimonii.

℞. Antimonii ex quo Tinctura prolecta est, (sive ex Croco metalli, sive ex vitro,) calcinetur in fornace figulina per dies 4. donec in cinerem penitus vertatur. Ex venere hoc extrahe Sal cum aceto destillato, decantaq; Hinc abstrahe acetũ destillatum & clarifica solutione ac coagulatione, ut moris, iteratâ.

*N.*1. Nisi antimonii primâ vice probè calcinatum fuerit, adhuc semel calcinari poterit.

*N.*2. Eadem calcinatio absolvi potest, si cum Sulph. ana misceatur & comburatur, donec Sulphur penitus efflagrarit.

*N.*3. Quinimò acetum Antimonii super antimonium fusum Sal subdulce elicit.

Vires. Æquipollet viribus Salis ex auro, mundificat sanguinem, expurgat corpus ab omnibus impuritatibus, curat Luem Ven. prodest in Podagra, rumpit Apostemata, fugat Febres, extrinsecus mundificat ulcera maligna.

Dosis gr.4. Thold. in Halogr. vide etiam observ. Horst. lib.1. in Epist.

2. Aliter.

℞. Reguli pulv. q v. præcipita per se in sublimatorio, semper quod sublimatum est, materiæ quæ in fundo est, reddendo. Regulos ita in pulverem rubeum conversus ponatur in cellam ad liquescendum: liquorem dephlegma aliquantulum, ac repone ad crystallisandum; Crystallos purifica.

N. Hi Crystalli cum triplo tripolæ per retortam destillati, exhibent primò spiritum album, dein rubrum, quem rectifica in MB.vel VB.

Vires. Prodest hic spir. in febribus, præcipuè quartana, atterit calculum vesicæ, promovet urinam, præservat à Podagra, extrinsecus illitus mundificat ulcera maligna. Basil.

3. Aliter.

℞. Spir. vitrioli rectificatiss. funde super mineram Antimonii, stent in digestione septimanas aliquot (6.) sic solvetur antimonium in massam rubram teterrimi fœtoris. Hanc inde retortæ, pelleque igne nudo in receptaculum sat amplum, (uti in destillatione spir.vitrioli,) sic prodibit primùm oleum vitriol. hinc spir.antimonii rubeo colore. Receptaculum tandem vesicâ probe occlusum repone in cellam per dies (15.) sic concrescent Crystalli rubicundi, quos exime & sicca.

*N.*1. Aquam residuam rectifica, & habebis spiritum Vitrioli ut ante.

*N.*2. Ex Crystallis his fieri potest spir. ut ex Sale communi.

Vires. Crystalli hi obstructiones reserant à viscosa ac tartarea mucilagine subortas, purgantque per alvum. Hinc usus præcipui in affectu hypochondriaco, tertiana, pleuresi, & simil.

Dosis gr 4.5. Agricola.

VIII. MERCURIFICATIO.

Mercurii antimonii.

℞ Sal. urinæ volat. sal.ammoniaci, Sal. Tart. ana ℥j.M. & affunde acetum destillatum acerrimum, digere vase H. cl. per mensem, dein destilla in cinere ad siccitatem: Siccis his salibus adde Tripolæ triplum, eliceque spiritum per retortam igne forti.

℞. Ergo Regul. lævigat. ℥viii. affunde spiritum hunc destillatum, digere horas 3.dein abstrahe l. ign.phlegma, restantique materiæ admisce quadruplum limatur. Mart. destillaque igne fortissimo ex retorta in excipulum aquâ semiplenum, ac videbis mercurium in fundo currentem. *Basil.in curru Triumph.*

Ex hoc fit oleum seu Butyrum antimonii, *de quo in mercurio.*

N. Alium modum exhibet Basilius in repet.Lap. Phil.

Nimirum:

℞. Antimonii macerat. aliquamdiu in Spir. Sulph. imprægnato sale ammoniaco. Hinc sublimat, sublimatumque in sartagine ferrea agitat ad acquirendum mercurium.

Alius modus.

℞. Aqu. Pluviæ destillatæ cum sale ammoniaco, affunde antimonio crudo pulverisato, digere per dies (8.) Hinc decanta & evaporare sinito, habebisque pulverem albicantem dulcem, qui ad ignem fusus saturnum exhibet nobilissimum, nihilque aliud est quàm mercurius antimonii, *de quo Ioh. Agricola.*

ANTIMONIUM. Est simplex, quo non datur aliud par in tota medicina, siquidem *ex illo tot parantur medicamenta, qualia ex nullo alio* simplici possunt haberi; & ratione formarum variarum varias habet virtutes, nunc *purgat*, nunc *vomitum movet*, nunc *confortat*, adeò ut *solo antimon. pharmacopœa possit repleri*, & post Mercur. non habeatur simile Antimon. *Corpus minerale est naturæ metallicæ simile*, unde rectè dicitur esse *semimetallum*. Est corpus minerale, quoniam in se continet *Sulph.minerale* copiosum, quod quidem est *simile Sulph. communi*, junctum tamen cum Sulph. auri, ad cujus naturam inclinat. *Mercurius* omnis est metallicus, quoniam accedit *ad naturam saturni*. Propterea rectè dicitur: à *POPPIO Tractat. de antimonio, antimon. naturæ Hermaphroditicæ*, quoniam Mercur. plumbo sit similis. Sulph. Antimonii Sulphuri communi, dico quod sit simile Sulph.cõmuni: Nam ex eo elicitur Sulph., quod simile est Sulph.cõmuni in omnibus qualitatibus & proprietatibus, odore, sapore, inflammabilitate, &c.nisi quod non tantam habet ac Sulph. commune flavedinem, sed aliquantisper est flavum: Sulph. hoc extrahitur ex Antim. dicit *TACHENIUS* in *Hippocrate Chymico*, item *BOYLE in Chymista Sceptico. Sulph.* hoc in Antimon. *est* omninò *de natura auri*, ex eo quoniam aurum *cum eo fusum*, & Sulph. ac Tinctura suâ spoliatum, ac planè album, denuò *in colorem* fulgidum & *rubeum* tingit, id quod nulla alia faciunt metalla: Mercurius ejus, uti dixi, est naturæ saturninæ: propterea sunt non pauci, qui exaltare *volunt* antimon. *& regulum Antimonii in saturn. transferre.* Et certe corpus ejus est quasi semiplumbeum & semisaturninum, adeò est ipsi vicinum. Inter SYNONYMA primum occupat locum, quando vocatur LUPUS, ex eo, quoniam instar lupi devorat omnia reliqua metalla, præter Aurum: Nam Sulph. Antim. copiosum, non saturatum proprio corpore alio, ex ign.violentia reclusum, in se *metalla devorat*. Et hoc *rapacius est saturn.* ex eo, quoniam saturnus absorbet reliqua metalla, excepto tamen & Sole luna; Antim. verò solum Aurum in cupella relinquit: & propterea vocatur lupus, nam absorbet aurum, quoniam Sulph. ejus est de natura solari. Unde etiam à quibusdam vocatur Antim. Sol *Leprosus*, seu imperfectus, quoniam *in illo* sit *Ens primum solare*. Imo non pauci volunt *per antimon. ex metallis imperfectis* extrahere *perfectum*, uti videri potest *in Scriptis GLAUBERI. PROTEUS* etiam vocatur, quoniam *omnes colores beneficio Antimonii* acquiruntur; id quod patet ex floribus, sive per se, scilicet cum sale ammoniaco sublimantur flores albi, rubri, flavi, & qui sunt alii. SATURNUS PHILOSOPHORUM vocatur *abusivè*: Nam *verus* saturnus Philosophorum *est materia* mysterii Philosophici scilicet *lapidis*; Cæterum Antim. non sufficiens est, ut sit materia lapidis Philosophici, propter cruditatem & deficientem fixitatem. Quoad DELECTUM; Antim. est omnium *optimum*, quod eruitur *ex auri fodinis* scilicet locis vicinioribus fodinis auri: propterea *præfertur* aliis antimonium *Ungaricum* & *Transsylvanicum*, quoniam hæ regiones abundant nimis

Auro:

Auro: Nam hoc magis ditatum eſt Sulphure ſolari, puriore, in quo conſiſtunt Cinnab. nativæ virtutes confortativæ & ant-Epilepticæ. *Eleganter ſit ſtriatum*, & quidem ſtriæ debent eſſe *coloris argentei*; & iiſdem ſtriis debent eſſe intermiſta *puncta rubra*, quæ notant abundantiam Sulph. ſolaris, ſicuti ſtriæ argenteæ abundantem Mercur. & abundantiam reguli. Iſtud eſt *reiiciendum*, cujus *ſubfuſcis ſtriis* intertexta ſunt *puncta nigra*, quoniam parum habet Sulph., & nullum ſubminiſtrat regulum. Quoad præparationem medicamentorum antimonialium *influxus ſiderum* & tempus *conſtellationis*, uti in præparatione aliorum metallorum, ita in ſpecie in Antim. *obſervanda* ſunt: Hinc medicamenta optimo cum ſucceſſu parantur ex Antimonio: ſol. & lun. exiſtente in aquario & piſcib. Id quod *non eſſe falſum*, *patet* ex eo, quoniam *vitrum* Antim. *debet fundi tempore ſereno*, aëre placido abſque pluvia, ventis & turbulentia; tali enim tempore oritur perſpicuum & pellucidum: ſi *obſcuro tempore* flatulento, &c. ſimile vitrum vel centies fundas, *ſemper* erit *obſcurum* & opacum. Vlterius ſi fundas *regulum tempore ſereno*, *habebit* in ſuperficie planâ figuram *ſtellæ*, ſin v. tempore opaco, obſcuro aut nebuloſo fundas regulum, ne veſtigium quidem illius ſtellæ apparebit. In ſublimatione & rectificatione cinnabaris Antimon., *ſi tempus* ſit *ſerenum* & vitrum ſit clarum & perſpicuum, *Cinnabaris elegantiſſimi acquiritur coloris*: Cæterum ſi tempus ſit obſcurum, vitrum craſſum, & non benè pellucidum, cinnabaris erit obſcurioris coloris. In ſpecie uti dixi *ſunt* medicamenta ex Antimon. *paranda* per fuſionem *ſole exiſtente in aquar.& piſc.* Vt ſunt regulus, Antimon. diaphoreticum, vitrum & ſimilia. Certè multum præſtat obſervare tempus in præparatione medicamentorum Antimonialium. Quoad VIRES Antimonii *variant* ſimiliter eædem *pro varietate præparationis*: Nam dixi, quod omnis generis remedia poſſint præparari ex eo. In genere tamen rectè dicit AVCTOR, quod antimonium idem præſtet in corpore, quod in metallis, ut in ſole, eundem nempe purificando. Nam ſicuti dixi, quod ſol valdè *immundus* & ſua tinctura ſpoliatus, fuſus *cum Antim.* denuò purificetur: item quod aliis metallis conſpurcatus, & adulteratus, ab illis denuò in fuſione cum Antimon. liberetur: Ita etiam *homo impurus* & ſordibus digeſtionum inquinatus, *optimè purificatur ab antimon.* omneſque ejuſdem ſordes abſterguntur., uti hoc eleganter declarat *BASILIVS VALENTINVS* in curru triumphal. antimon. & *SVCHTENIVS de Antimonio*: Plura qui cupit etiam vid. *THOLDIVM in Commentar. ad Suchtenium*, & quamplurimos alios Auctores: item *TOPPIVM de antim.* adeò ut in genere nihil dicam de ejus virtutibus, ſed in ſpecie in ſingulis medicamentis eaſdem admonebo. *Antimon. CRVDVM* & per ſe nullam habet efficaciam: Vnde crudus Antim. pulv. *poteſt aſſumi, infundi*, aut decoqui, *ſine ullo nocumento*: Nihilominus ſunt, qui *decoctis ſudoriferis in lue gallica* addunt Antim. crudum in nodulo ligatum, uti etiam mercuriū vivum, & putant ita decoctis iſtis ſudoriferis ex lignis aliquam accidere vim & efficaciam ab mercurio & Antimon. Quod an verum ſit neſcio. Simul enim ac Antim. experitur ignem eo ipſo incipit fieri, vel vomitivum vel catharticum, pro varietate præparationum. Sic *ZVVOLFERVS*, uti etiam *BORELLVS* habent tale decoctum in lue venereâ ex rad. Sarſaparillæ ℥vi. & Antim. pulveriſati ſcilicet nodulo incluſi ℥ij. coqu. l.a. & ſic propinant ægro: addunt etiam Mercur. vivum; ſed an habeat aliquam exinde vim, incertum eſt. Nam aliàs Antimon. crudum nullam ſolet exſerere vim. Antimon. etiam *eſt odoriferum*: uti teſtatur *D. MICHAEL* ex relatione *D. FINCKII*. Nam hic *FINCKIVS*, qui ſcripſit *Enchiridium dogmatico-Hermeticum*, præparavit flores Antim. elegantes moſchum ſpirantes, exhibuitque in mania felici cum ſucceſſu, quoniam ſunt vomitivi. Inter *præparationes* Antimon. (1.) ſeſe offert CALCINATIO, dum Antimon. calcinatur & in calcem redigitur. Hæc calcinatio quidem 1. procedit igne *communi*, quo Antimon. benè calcinatur. *Modus* eſt hic: in patellam latam ſternitur Antimonii pulvis, & immittitur igni carbonum, donec incipiat effumare Antimon., ubi *obſervetur enchiriſis*: quando incipit effumare, *agitandum* eſt cum rudiculâ ferreâ: hoc *ſi non fiat*, *concreſcit* in globulos: ſin v. agitetur, in pulverem gryſeum calcinatur: Hinc inſpergitur novum antimon., & hic iterum eſt enchiriſis, quod, quando novum inſpergitur, non opus ſit ulteriori agitatione, nec metuenda concretio in globulos. In omnibus calcinationibus *vitetur fumus* Antimon. quoniam hic nihil eſt aliud, niſi ejus Sulph. acidum reſolutum, ex ſe corroſivum & ſordibus arſenicalibus inquinatum: Quod ſi enim hoc inſpiretur, periculum eſt, *ne fiat phthiſis*, *aridura*, & *exulceratio pulmonum*, ex ejus corroſione. Unde optimum *eſt præſervativum butyrum*, quod temperat acrimoniam fumi Sulphurei, & oblinendo impedit corroſivitatem. Unde panis butyro illitus aſſumendus, quando inſtituitur præparatio. Id quod non tantùm de Antimonio & Mercurio; ſed *de omnibus metallis* ſpiritus corroſivos exſpirantibus *obſervandum* eſt: Calcinatum h.m. Antimon. funditur, & fuſum effunditur in patellam, & ita concreſcit in loco frigido in VITRUM perfectum, uti habet AUCTOR, quod etiam poteſt præparari ex Antimonio crudo, ex minera, ex regulo & aliis. Et quidem *calcinatio* antimonii. pro parando vitro, tamdiu *continuanda* eſt, *donec* ferro ignito impoſitum, *nullum* amplius *volatilitatis ſignum* edat, neque ferrum inficiendo, neque fumum vel odorem de ſe ſpirando: vel ſi ardentibus carbonibus impoſitum, nullum amplius fumum de ſe emittat. *Addunt quidam borracem* uti habet AUCTOR, pro faciliori vitrificatione. Et quidem Antimon. per ſe dat *vitrum Hyacinthinum*: ſi fundatur regulus cum Borrace, habebitur, uti habet Auctor, vitrum Antim. *flavum*, *rubeum*: & album vitrum Antimon. habet Auctor, qui vid. Quod *ſi* poſtmodum Antim. *calcinatum fundas* ut exinde per fuſionem pares vitrum, in tali fuſione *tege crucibulum cum orbe radicis bryoniæ*, magnitudinis taleri, vel quantæ eſt crucibulum, & radix *omne venenum antimonii* ad ſe *attrahat*, & ſi radix nigrum colorem acquirit, deſiſte, quod *arcanum dicitur PARACELSI.* Quod attinet USUM VITRI *antim.* per ſe *non eſt dandum in ſubſtantia*, propter violentiſſimam operationem, quâ *ſurſum & deorſum* mira violentia *purgat.* Dico non danda eſſe in ſubſtantia medicamenta Antimonialia, quoniam dant Hypercatharſes, adhærendo plicis ventriculi. Potius *in infuſione adhibenda*, uti habebimus de infuſis, unde dant varia vomitiva. Quando AUCTOR dicit *reſiſtit quoque venenis in peſte*, *obſervetur*, de uſu vomitoriorum in peſte & aliorum malignorum cum exanthematibus in genere, quod imprimis antimonialia *ſub initium ſtatim*, & ante eruptionem bubonum ſeu carbunculorum *debeant adminiſtrari*, ſic enim fit, ut exhauſto veneno per vomitum, bubones ac tumores non erumpant, atque ita æger protinus affectu liberatur: ſi jam effloreſcant carbunculi & bubones, periculum eſt, ne per vomitorium retrahatur venenum, & æger in diſcrimen vitæ reducatur: *ſi nihilominus opus ſit* in peſte *vomitus eruptis jam* bubonibus & carbunculis, his tumoribus *emplaſtra applicantur* fortiter *attractiva*: ut *Emplaſtrum Magneticum arſenicale* ANGELI SALÆ (quod non eſſe ex magnete ſupra ſub magnete demonſtravi) & ita applicato hoc emplaſtro, tutius poteſt propinari vomitorium. *Elegans vomitorium ex vitro colorato* paratur *h.m.* (adſcribitur *BECKERO*) ℞. *vitri Antimonii pellucidi* ℥ij. *ſpir.* nitri lib. 1. ſtent in infuſo in retorta vitrea per diem & noctem, poſtmodum

dum destillentur in arena, ad siccitatem, & habebis liquorem album, in cujus fundo remanet qs butyrum, quod præcipitatum cum aqua calida, & siccatum benè, erit magisterium album, cujus *dosis* gr.ij. vel iij. Hic enim *spiritus salis acidus* figit & *corrigit virulentiam vitri antimonii*. Dico quod in genere Antimonialia vomitiva & cathartica sint violenta. Unde „ *rectè* dicit *HELMONT.* certo modo, quod *mercur.* „ *& Antim. quamdiu movent vomitus, non sint boni* „ *viri remedia*. Hinc de usu purgantium antimonia- „ torum benè observanda sunt ea, quæ habet *RAI-* „ *CUS de Podagra p.46.* dum inquit: cautiones hæ „ etiam atque etiam observandæ sunt; nempe ut „ ventriculus sit vegetus, robur solidum, nullum „ principale viscus læsum, neque vena secta, aut pau- „ lò post secanda sit, & quas præterea circumstantias „ jubet observare *HIPPOCRATES*, *in Veratro* „ *sect 4 aphor. 13. & seqq.* Tandem ne propinentur „ illa antimonialia purgantia statim post usum spiritus „ vitrioli aut aciditatis Sulphuris. Hi quippe spir. „ (præsertim aceta mineralia) omnium purgantium „ vim inhibent, ita ut purgantium antimoniatorum „ postridiè haustorum vim inde imminutam eviden- „ tissimè senserim. De vitro Antimonii hoc moneo, „ *pergit idem*, quod non sit vera medicina: in vitrifi- „ catione namque Antim. terreum minerale magis „ commiscetur, forma metallica v. quæ non debuit „ separari, sed à centro ad superficiem educi, in fu- „ mum abit. Relinquitur ergo in vitro antimon. τὸ „ minerale venenatum, postquam forma metallica, in „ quâ inhæret ignis vivus purgans, exspiravit. Reii- „ cienda ergo est horum opinio, qui vitrum antimo- „ nii tam audacter exhibent, utut latibulum possint „ quærere in scyphis ex vitro à *RULANDO* & „ *QUERCETANO* fusis. Nam ut hac occasione moneam, *RULANDUS* habuit CALICEM chymicum *purgantem*, cujus *præparatio hac* fuit: Formando poculum ex stipite ligni Juniperini vel alius, ad capacitatem sufficientem, v. g. ℥æ j. quod intus picatur cum liquidâ pice, cui liquefactæ tenuissimi pulv. vitri antimonii ʒß. vel plus immixtum sit, in poculum medicum prius calefactum infundendo, & per totam capacitatem interiorem vasculi æqualiter distribuendo, ut mistura antimonii nullibi appareat. In hoc poculum infunde vinum, vel merum, vel aqua mistum, aut alios liquores, qui ex antimonii vitro eliciant vim purgantem, linquendo per noctem, si frigidè, vel saltim per quadrantem horæ, si liquor semel ebullitus, in calicem infusus fuerit, sic in infinitos usus calix ille sufficiet, nec nisi post longas digestiones deficiet, novâ tamen picatione virtutem recuperabit. N.B. Vinum vinosaque quæcunque, item hydromel, & aquas destillatas spirituosas *facilè imbibere* vim medicatam poculi, &c. quo verò *minus spirituosa*, ut aquam simplicem, cerevisiam, aliasque aquas communiter destillatas; aut vino mistas, semper *fervertes esse adhibendas*, & deinde pro ratione temporis & morbi, in infusione relinquendas. *Similem ferè præparationem* etiam habet *GLAUBERUS in Scriptis*. Præterea *ex vitro* possunt fieri *GLOBULI*, qui perpetuis *pro suppositoriis* inserviunt. Nam quidam conficiunt ex vitro vel regulo parvum globulum perforatum, eumque filo alligant, & altè in rectum intestinum pro glande immittunt, sic enim proritatur alvus, & globulus abstersus, vel pro mille vicibus sufficiet: Dicitur fuisse *secretum castrense KNOPHELII*, *vel* integros *globulos* ex regulo aut vitro *deglutiendos* præscribunt, & asserunt horum potentiorem esse usum, quam pulverum, & tantum alterare formaliter & spiritualiter. *Alii faciunt Gemmam ex vitro Antimonii*, eamque solido ex auro annulo ita includunt, ut ab utraque parte emineat: vel plures gemmas per circulum auri infigunt; vel etiam ex vitro purgantem annulum vel aliam massam conficiunt. Hæc quando usurpari debent, *per noctem* vino vel aquæ *immittantur*, *& manè liquor potandus exhibeatur*. Pro usu talium annulorum vitrum antimonii *debet fundi luna plena*, & cum Borrace in formam excretâ. Prostant præterea etiam VITRA COMPOSITA cum aliis metallis, ubi AUCTOR habet 1. *vitrum antimonii solare* scil. cum auro. Cæterum observetur, quod hoc *non sit transparens*, uti falso ipsi attribuitur, tantum vitrum ex antimonio est perspicuum, partes v. solares hinc inde dispersæ opacitatem potius inducunt. Hîc habet auctor elegantem *præparationem cum C. C. usti* & calcinati & Vitri antimon. ana, levigentur, &c. Vid. Auctor: ita est: est elegans præparatio & probè notanda: tunc enim sal volat. C.C. calcinat Antimon. Simili ratione potest etiam fieri *solare* uti superius monui. de auro, faciendo stratum supra stratum cum taleolis C.C. & bracteis solis. Hoc occulto nomine vocatur *antimon. cum fructibus calvariæ præparatum*, à POPPIO, valdè commendatur à quam plurimis in specie à *BARTOLETO in Dyspnæa lib.V. c.4.* Egregium etiam esse dicitur *sudoriferum*. Unde præterea quoque in *dysenteria epidemica* & similibus morbis hocce vitrum antimon. cum C.C. præparatum & ustum feliciter usurpatur. Sequuntur CORRECTIONES *Vitri antimonii*, propter nimiam enim violentiam non licet tutò tale interius assumere in substantia: in infuso similiter commodè *corrigitur per acida*. Hæc enim uti purgantium in genere, ita in specie antimonii vim catharticam sopiunt & imminuunt, acet. destillat. spiritus sal. imprimis est egregius. *Per* ole. tartari p.d. est correctio 3. Hæc nihil est aliud nisi Tart. *vitriolatus antimoniatus*. Nam hic cum Ol. Tartari conjunctus est pulv. ex vitro antimonii, eritque ita revera Tartarus vitriolatus antimoniatus. *Melior* est *præparatio*, quâ vitrum corrigitur pulverisatum *irrorando* aliquoties *cum spiritu vitrioli vel Sulph.* Sic enim corrigitur virulentia à volatili antimonii Sulphure oriunda. *Vitrum antimon. purgans* AUCTORIS vid. in correctione quarta: *Observetur* si vitrum hoc solvatur in spiritu vitrioli, & abstrahatur vel præcipitetur, fit exinde pulv. per inferiora tantùm purgans, & *hydropi* potenter resistens, & est *Tart. vitrioli antimonialis*, scil. *catharticum antimoniale Tart. purgans*, uti quidam volunt. Correctio 6. *spiritus vitrioli purgans*. Addatur hoc, quod post digestionem & abstractionem à phlegmate per retortam, etiam remanentia alba & sicca solvenda p.d. in loco frigido, & sic acquiritur *Ol. purgans per inferiora & per Urinam*. *Dosis* est ad 2 guttas. Nam, ut hoc obiter moneam, multi nituntur præparare *ex antimon. medicamentum tantùm purgans per inferiora*: *Difficile* enim est *paratu*, si enim vel leviter purget antimon., subitò movetur vomitus. Iam v. certum est, quod *antimon. purget etiam ea omnia*, *quæ ab aliis* medicamentis *purgantibus* relicta *fuere intacta*, & ob id in affectibus contumacissimis chronicis non datur melius purgans quàm antimon. Cæterum quoniam non semper necesse est, ut vomitu materia peccans reiiciatur, nec omnes eandem ferre possunt, ex eo, ut præparetur antimon. purgans per inferiora, præparatio est difficilis. *Fundamentum* totius *rei* consistit in hoc: Uti Sulph. antimon. volat. vel, uti alii volunt, & quidem non inconvenienter, principium salinum volat. antim. excitat tales turbas: Unde hoc Sulph. vol. antimonii si fixetur per nitrum, fit medicamentum perfectè diaphoreticum, uti apparet in antimonio diaphoretico, in Bezoardico minerali, in sudorifero magno Fabri. Unde si minus fixetur, erit tantùm purgans per inferiora, si adhuc minus fixetur, tunc purgat & simul etiam vomitum movet. Consistunt ergo hæ præparationes in majori vel minore fixitate aut volatilitate. Sequitur CROCUS METALLICUS, qui est *fusio antim. cum ana nitri*, ejusque subsequens edulcoratio & filtratio. In aqua solutionis concrescit, uti in lapide prunellæ, nitr. *antimonium* scil. nitr. antimon. Dicitur

crocus propter colorem flavum. Nam pulv. metallici flavi dicuntur Croci. De hoc notum est, quod sit *egregium purgans*, & quod inserviat infusus vomitoriis. Istud nitrum *antimoniatum* verò, quod concrescit in aqua in loco frigido, in qua fuit edulcoratus Crocus, habet vim *moderate laxandi*: Præterea quoque egregiè compescit effervescentiam Massæ sanguineæ, adeoque dicitur *refrigerare*. Hic *modus communis* præparandi crocum metallorum. *Quidam* ℞. *Tart.*, nitri & antimonii ana, & ita calcinant in crucibulo, sicque acquirunt crocum metallorum fixum, & elegans vomitivorum Catharticum. *MYNSICHT in Armamentario* similiter crocum metallorum *cum sale absinthii fixat*, & exinde parat *crocum metallorum absinthiacum*, cujus præparationem & usum vid. in auctore, qui tutius in usum medicum recipi potest. *BARTOLETUS tract. de respiratione p.329.* aliquid *singulare habet*: scil. commendat tanquam *secretum* in melancholia stibii crocum sublimatione paratum, moschi odorem referentem, qui in Tartari spir. radicaliter solutus ℈j. quantitate sine vomitu purgat. Nam & crocus metallorum *vulgaris*, si maceretur *cum* acet. destillat. non aplius adeò violenter per vomitum, *sed tantum per secessum purgat. Crocus metallorum RULANDI* de hoc magna est quæstio, quomodo rectè præparetur? Et multi dubitant, an sit habenda vera præparatio, & etiam certum est, quod ea, quam habet AUCTOR, sit falsa. Quicquid sit, hic *quem* hîc *describit* AUCTOR, *est mitior* reliquis crocis, & quosdam solummodo per inferiora purgat. *FREITAGIUS in Aurora Medicorum p.619. aliam fovet, opinionem* de croco metallorum Rulandi: scilicet ex hoc croco fecit *RULANDUS aquam benedictam*, quâ mira præstitit, & inde auctores fuerunt curiosi in expiscatione croci Rulandini Hinc *FREITAGIUS putat*, quod crocus metallorum sit aqua, *in quâ bullivit crocus* metallorum *vulgaris*, quæ filtrata *seponet* sponte *pulv.*, *qui* edulcoratus *sit crocus Rulandinus*, ex quo fuit ejus aqua benedicta. Usurpantur croci pro infusis vomitoriis. Quodsi *ex croco* metallorum per ternam *cum* nitri calcinationem fiat *Diaphoreticum*, & in furno Athanore, quem descriptum vid. in *SENNERTI Institut.* figatur, vel reverberetur per 5. dies, fit *Bezoardicum metallicum*, ad colorem calendulæ vel boli armeni accedens. *Dosis* est à 20. ad 30. grana. Nam dixi, quod antimon., quo magis fixetur, fit diaphoreticum; si minus, catharticum; si leviter vomitivum. *LOCCATELLI in Theatro arcanorum p.161.* elegantem *parat crocum* metallorum, scilicet crocum metallorum cum Nitro vulgari modo paratum sine edulcoratione pulverisatum *permiscet cum spir. vini*, & hunc deflagrare permittit, idque tribus vicibus repetit, & ita eum non parum corrigit. *Dosis* à gr.10. vel 12. ad 15 vel 20. In substantia operatur vulgari modo. Sequitur ANTIMON. DIAPHORETICUM: De quo notum est, quod sit antimon. cum triplo sal nitr. calcinatum, benè edulcoratum, per filtrum separatur aqua, quæ concrescit in nitr., & vocatur *nitr. antimoniatum nec opus* est *terna ista detonatione*, uti vult AUCTOR, sed una sufficit, si cum triplo salis nitri detonetur. Est *sudoriferum* ejus usus, & exinde valdè convenit *in febribus malignis*, item ubi opus est sudore, ut in pleuritide & Erysipelate. Et quidem hoc antimon. diaphoreticum, si fiat *ex regulo antimonii*, est longè perfectius & *nobilius* eo, quod fit ex antimon. crudo. Nam hoc præterea habet commodi, quod illud, quod fit *ex antimon. crudo*, successu temporis propter attractionem *ex aëre denuò fit vomitivum*: quod v. fit ex regulo, non adeò facile alteratur. Præterea *convenit* hoc antimon. diaphoreticum *in morbis chronicis* ab acido oriundis, nam præcipitat egregiè effervescentias ab acido obortas: pro quâ acidorum correctione commodè *permiscetur cum oculis cancrorum*: convenit præterea *in sanguine congrumato*, item in *casu ab alto*: permiscetur pulv. & salibus digestivis *ante purgationem*, & qui sunt alii usus: Certè usitatissimum est hoc tempore: Quod si aquæ, cum quâ edulcoratum fuit antimon. diaphoreticum, inspergatur acet. destillat. præcipitabitur ad fundum pulv. albus, qui pulv. dicitur *magisterium antimon. diaphoretici*, & idem præstat in minori dosi, quod præstat ipsum antim. diaphoreticum. *Quidam præparant* antimon. diaphoreticum *ita*: recipiunt antimonii part.1. nitri verò partes 8. & procedunt communi modo: cujus antimon. diaphoretici *dosis* erit à gr.VI. ad VIII. quoniam nimis fortiter est fixatum. Notum est *in præparatione* hujus antimon. diaphoretici, quod, quando iniicitur mistura antimon. & nitr. in crucibulum, fiat strepitus, & cum magna flamma copiosus erumpat fumus: Hic *fumus nihil* aliud est *nisi spiritus nitr. acidus erumpens cum Sulph. antimon volatiliori*, dum intera nitr. fixum aggreditur antimonii corpus, sicque cum ejus Sulphure acido unit, & istâ unione, ac perdurante per horam integram calcinatione ac fusione, abeunt mutuò in corpus fixum de natura alcalium Nam antimon. diaphoreticum *est quasi quoddam alcali. Ne* ergo *fiat perditio spiritus salis nitri* avolantis, *quidam præparant* antimon. diaphoreticum *in retorta tubulata*, ita quidem, ut admoveant altero retortæ tubulo vas recipiens, & benè cum luto muniant: Hinc quando retorta bene candefacta, iniiciunt pulv. salis nitri & antimon. per parvum tubulum, eumque obturant, sicque spiritus nitri, qui aliàs avolat, pellitur in vacuum vas recipiens: Antimon. v. fixum remanet in retortæ fundo, & ita lucrum sine damno potest parari. *Sal. nitr.*, quod *per edulcorationem* separatur ab antimon. diaphoretico, *denuò potest misceri cum novo antimon.*, & cum eo præparari novum antimon. diaphoreticum, *sed observetur*, quod quando tunc temporis iniicitur mistura in crucibulum candens, quod tunc *nullus* fiat *strepitus*, *& nulla* erumpat *flamma* propter defectum spiritus nitri, cum ipsum nitr. fixum figat tantum antimonii Sulph. volatile, istudque mutet ex cathartico in diaphoreticum. Nitrum istud *antimoniatum*, uti vocant, est egregium *remedium in febribus ardentibus* & *malignis*, imprimis si assumatur sine præcipitatione. Nam egregiè præcipitat effervescentiam Massæ sanguineæ, & præterea ratione particularum antimonialium admistarum fixarum, *disponit* corpus *ad lenem diaphoresin*: Usurpatur etiam *loco* stimuli vel etiam *digestivi cum* pulveribus *purgantibus*. Nam hujus nitr. antimon. ʒj. commode permiscetur *clysteribus in febribus ardentibus* & similibus *pro stimulo*. Item antimon. diaphoreticum ejusque nitr. fixum, commendatur in *morbis mulierum*, in specie *in deficientibus mensibus* permistum cum aqu. & Syrupo artemisiæ composito. In *ulceribus* & *scabie* etiam convenit antimonium diaphoreticum imprimis cum C.C. paratum, uti habuimus. Imprimis quidem *sunt talia* blanda & lenia diaphoretica *in scabie*, imprimis capitis, quando applicantur emplastra & unguenta, *continuanda*, & quidem imprimis *mista cum oculis cancrorum*: convenit in *affectibus cutaneis*, *ulceribus* & *vulneribus*, & omnibus casibus ab acido oriundis. *Infantibus* commodè datur *in variolis*, quoniam sine sapore iisdem cum pulticula potest propinari. Cum aqua febrifuga *in febribus* ante paroxysmum propinatur. Sic fuit hic *medicus quidam*, qui beneficio Antimon. diaphoretici, præmissis universalibus, *omnes intermittentes curavit*, & propterea vocavit *pulv. suum febrifugum. Quidam* ℞ misturam antimon. diaphoretici cum nitro *sine edulcoratione*, *& iniiciunt potionibus* refrigerantibus *febri malignâ* laborantium: Immittitur scilicet in mensuram semis potus ʒß. vel ʒvi. Et hoc est *secretum* RUDBECKII Sueci, qui non solet edulcorare, sed tantummodo fortius calcinare,

& diutius in igne fusionis relinquere. Omnia ex nitro figunt antimon. sive spiritus, sive ipsum nitr. spiritus in Bezoardico minerali: sal nitr. ipsum in diaphoretico, & sic porro. Deinde præparatur etiam REGULUS ANTIMON., qui *fit* tam ex minera, quam ex Antim. fuso, quam ex aliis ex antim. desumtis. *Communiter* recipitur ana Tart., nitri & antimon., mista iniiciuntur in crucibulum candens, detonatione cessante, funduntur in conum fusorium, &c. Regulus hic antimon. nihil *est* aliud, quam *purior & metallo vicinior antimon. pars.* Nam dum salia, imprimis nitr. ac Tart. in fusione abundans absorbent antimon. Sulph. acidum ac volatile, tunc Mercurius antim. cum reliquis partibus arctius se unit, & ita in fundo sub forma metallica & quasi Saturni subsidet, & talis purior substantia dicitur regulus. Nam *præcipitatur* hic regulus *ratione salium*, quatenus in igne combusta abeunt in alcalia fixa, quæ alcalia fixa se uti carbones, promptè uniunt cum acido antimonii Sulphure, istudque secum retinent, & ita metallicæ Mercuriales partes secedunt. *Observetur* hic, quod *quo diutius* relinquitur mistura *in crucibulo*, *eò minus* acquiratur *reguli*, quò v. promptius effunditur, eò major reguli accipitur copia. *Ratio*, quonia salia ista fixa, successu temporis totum absorbent antimon., utpote subjectum valdè Sulphureum, & sic absumpto Sulph. postmodum etiam Mercurium secum uniunt, ita ut totum antimon. abeat tandem in scorias. Pars in fundo subsidens dicitur regulus, & superior *pars in summitate* consistens dicitur *scoria*, *Loco Tart. vel salis nitr.* potest etiam sumi in præparatione reguli antimon. *pulv. carbonum*, quoniam *in carbonibus* est *alcali fixum*, quod se unit cum Sulph. antimon., & ita præcipitat regulum. Sed quoniam istud alcali in carbonibus est saturatum quodammodo Sulph. proprii corporis, (obiter enim noto, quod *ex carbonibus*, possit præparari Sulph. acidum *inflammabile*) propterea non adeò promptè nec adeo copiosè absorbent antimon. Sulph., & hinc fit, ut *per pulverem carbonum copiosior* acquiratur antimon. *regulus*. Ex hac ratione etiam *quidam admiscent cum nitr. & Tart. pulverem carbonum*, & præparant regulum Antimon. idque propterea, ne scilicet salia, nitr. & Tart., nimis promptè arripiant Sulph. antimonii, sed arripiant simul Sulph. carbonum, quo ita major acquiratur reguli copia. Sunt qui præparant *regulum antimon. cum pice*, cujus pinguedo in calcinatione abit in alcali fixum, absorbens acidum antimon. Sulph., sed hæc *præparatio est secreta & periculosa*, propter incendium. Quodsi *in superiore* reguli *parte* appareat stella tempore sereno, vocatur STELLATUS: quæ stella est signum perfectioris reguli. Hic regulus antimon. inservit pro parando exinde antimon. diaphoretico perfectiore, inservit ut fiant Globuli, de quibus superius locuti sumus, inservit etiam pro butyro Antimonii. Cæterum SCORIÆ quæ supernatant, *solvuntur* in Aqua simplici, ut ex iis, instillato subtili *acido*, verbi gratia Acet. destill. *præcipitetur* SULPHUR Antim. AURATUM, vel quidam crocus, *duplex* quidem: prima præcipitatione præcipitatur Sulph. antimonii auratum *catharticum*: secunda v. præcipitatione præcipitatur Sulph. antimonii auratum *diaphoreticum* seu sudoriferum: Præterea aqua ista seu *solutio scoriarum* reguli antimon. singulare est *arcanum* & expertissimum in *provocandis mensibus si* scilicet *fiat suffitus* per infundibulum in vulvam ex his scoriis: Fit iste *h. m.* solutio ista scoriarum reguli antimonii affunditur, ad aliquot 3. vel 4. cochlearia silicibus vel lateribus ignitis, & fumus, qui exinde exhalat, percipitur cum infundibulo, cujus infundibuli angustior pars immittitur vulvæ, & ita fumus iste transit uterum, & provocat menses: remedium dicitur expertissimum etiam *in desperatis casibus*. Vid. de hoc *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr. p. 222 & 226. it. CORBEUS de morbis mulierum* & in genere *omnes Auctores* hunc commendant suffitum in desperatissima mensium suppressione: *Eadem* solutio scoriarum reguli antimonii *est secreta* in casibus chirurgicis, in specie quidem *in Ulceribus desperatis & cacoëtheis*. Huic enim solutioni si immergatur pars gravi ulcere affecta, etiamsi jam ad gangrænam vergat, & singulis diebus hora 1. in eadem detinendo corrosivum depuretur, tunc extrahitur materia crassa & viscida, quæ ligno abstergenda ex parte ulcerata, & ulcus vel locus exulceratus unguento est deligandus. Nam salia hæc alcalia imbibunt acidum Ulceris corrosivum, quod, uti dixi, sub formâ istius spumæ & crassæ ac viscidæ materiæ apparet. *Eadem solutio* scoriarum reguli antimonii inservit pro lotione manuum *in scabie & in similibus manuum affectibus*. REGULUS antimonii MARTIALIS qui fit imprimis cum antim. & cum clavis ferreis. Hic regulus antimon. martialis cum Mercur. sublimato dat egregium butyrum, de quo suprà. Fiunt ergo *reguli compositi* cum aliis metallis, uti apparet ex hoc regulo antimon. martiali. Cæterum *ut rectè fiat regulus antimon. martialis*, *observetur* enchirisis: Antimon. promptè funditur, mars v. tardè. Ut ergo rectè procedatur, prius iniiciantur clavi ferrei in crucibulum, ut benè igniantur; his benè ignitis, tunc demum affundatur mistura cum antimonio, & sic fit regulus antimon. mart. vid. AUCTOR: REGULUS jovis fit cum antimon. & jove, uti apparet in præparatione antihectici Poterii. REGULUS SOLIS est elegans, & pro magno habetur secreto, *superat* enim virtute suâ *omnia lignorum decocta*, & omnes potiones magistrales interno usu: propterea conveniunt valdè *in lue gallica* medicamenta ex regulo Solari præparata. Sicuti fit regulus antim. Solaris, *eodem modo depuratur aur. per antim.* Nam aur. impurum purificatur per antimon. fundendo cum antimon. in regulum: Hic enim regulus ex aur. & antim. constat: depurato Sole beneficio antimonii, ut fiat *separatio antim. ab auro* recipiatur regulus compositus, & fundatur, in fusione vero crucibulo applicetur foliis, & flatus hujus abit antim., aurum verò residet: & hæc est depuratio auri omnium optima. *Antimonium diaphoreticum ex regulo*: De hoc possunt dici omnia ea, quæ de antimon. diaphoretico vulgari, utut in auctiore gradu. CERUSSA antimon. de hac antimonii cerussa *observatum* fuit aliquando, quod *instar mercur. moverit salivam*: Est rarum hoc & observatu dignum: alias Mercur. soli hoc proprium, sub finem de regulis habet Auctor *modum calcinandi antim. per* ignem cælestem scilicet *radios solares*, scilicet concentratos *cum speculo ustorio*, & antimonium calcinantes sensim sensimque, res mira: Nam antim. dum ita calcinatur per radios solares, copiosum reddit fumum in auras, nihilominus *quando calcinatum* fuit *apparet gravius*, quàm fuit ante calcinationem, utut in calcinatione copiosum emittat fumum. *Magnificat* h. m. calcinatum *BARTOLETUS de respiratione lib. 4. c. 3.* & vocat antim. diaphoreticum solari calcinatione paratum: Dicitur quoque ab eodem Bezoardicum suspiciendæ facultatis, & etiam longè *plura tribuit* illi *quam vulgari* antimon. diaphoretico, quoniam scilicet singulares hauserit vires per communionem cum radiis solaribus. Sequuntur PRÆCIPITATA. Quod superiùs monui de præcipitatione ex Mercurio, idem dici potest de antim., quod scilicet *præcipitatio* non sit vera, sed solummodo *calcinatio humida*, quâ scilicet antim. affuso liquore corrodente calcinatur, & ita in pulv. abit vid. AUCTOR. Non ergo est præcipitatio; Nam præcipitatio fit, &c. Idque cum hic non fiat, patet quod tantum sit calcinatio humida. *Præparationes* satis sunt claræ apud AUCTOREM in aqua regal. ole. sulphur. spiritu sal. vel similibus menstruis corrosivis, possumus corrodere antim. in pulv., qui

pulv.

pulv. eſt purgans, & propter aciditatem menſtrui non adeo vehemens, uti antim. crudum, aut in igne præparatum. Num. 3. habet auctor *præcipitatum antimon. diaphoreticum*: quod nihil aliud *eſt* niſi *Bezoardicum minerale*, fixatum in crocum metallorum, beneficio ſpir. nitri: jam *perinde eſt*, *ſive aſſumatur mercurius vitæ*; *ſive crocus* metallorum cum ſpiritu nitri digerendo & abſtrahendo, deinde eundem figendo, adeò ut Bezoardicum minerale & hoc præcipitatum diaphoreticum unum pro altero convenienter ſubſtitui poſſit. Sequuntur SUBLIMATIONES antimonii, & quidem quando idem ſublimatur in formâ ſicca & vocantur FLORES antimonii. Si enim aliquid in altum adſcendit *ſub forma humida*, vocatur *deſtillatio*: ſi in altum adſcendit inſtar fuliginis & adhæret *in formâ ſicca*, vocantur *flores*: *Præparationes* florum ſunt *variæ* tam ex crudo antimonio, quàm ex vitro, regulo, & omnibus artificialiter ex eo paratis. In genere conſtant flores antimon. ex parte ſulphureâ permiſta cum parte antimonii minerali ſeu mercuriali, concrementum terreſtre & ſalinum Antim. in fundo ſub formâ cinerum remanet. *Primus modus* eſt, quando antim. crudum *per ſe* ſublimatur, impoſito alembico. *Obſervetur* hic, quod in hoc præparandi modo obſervandum ſit *exactiſſimum ignis regimen*: Niſi enim hoc obſervetur, antim. in fundo liquatur & funditur, nullaſque dat flores: & quidem ſi exacte legitimum obſervetur ignis regimen, *triplices* poſſunt haberi *flores* ALBI, FLAVI & RUBRI, *Rubri* ſunt *ſalubriores*, quoniam ſunt fixiores, & ultimo igne adſcendunt, *albi* ſunt *periculoſiores*, quoniam ſunt volatiliores & primo igne ſublimantur; *flavi* ſunt *intermedii*. *Optima* eſt *enchiriſis* quam habet Auctor *per cucurbitam tubulatam*. Si enim talis habeatur, & ſucceſſivè in hanc calefactam iniiciatur antim. crudum, vel regulus, vel flores, &c. acquiruntur meliores flores ſine tam ſtricto ignis regimine, & ſic *ferè totum antim. in flores abit. IV. Modus* eſt *elegantiſſimus* vid. AUCTOR, qui dicit, &c. Id quod obſervetur, propterea quoniam cum floribus ſolet adſcendere liquor ſubacidus *acetum antimonii* dictus: Hic ut exhalet neceſſum eſt: niſi enim hoc fiat, fruſtrabit negotium, & vitrum diſpellet: id quod etiam neceſſum eſt, ut fiat in ſublimatione florum Sulph., uti notatum à *D. HORNIO*. Deinde dicit *quod poſſint præparari per retortam binis roſtris ſeu tubulis armatam, &c.* Modus eſt hic. Retorta, quæ ex utroque latere habet canalem & longum tubulum in furno quodam clauditur, ita ut ex utraque furni parte emineat tubulus, uni tubulo apponitur recipiens altum, alteri tubulo applicatur follis, & ipſi retortæ ineſt antimon., quod ipſum ab igne fuſum & calcinatum, *beneficio flatus per follem immiſſi*, copioſiſſimos dat flores; qui ſeſe affigunt in recipiente, quoniam beneficio flatus ex folle, adiguntur in recipiens, uti ibi ſub formâ florum adhæreant: Neceſſum etiam eſt, ut *foraminulum ſit in recipiente*, ut exeant flatus per follem immiſſi. Simili ferè enchiriſi *ZUUOLFERUS in Mantiſſ. Hermet.* vult parare flores ex jove, beneficio follis adigentis flores ex fuſo Jove in recipiens: vid. cit. locus. *Elegantiorem modum* parandi flores *habet FINCKIUS in Enchiridio dogmatico-Hermetico*, quando eoſdem ſublimat ad latus, quos flores valdoperè commendat *in cura maniæ & affectibus melancholicis. GLAUBERUS in Scriptis* ſingularem *habet furnum*, *cujus beneficio* in quam plurimos alembicos ſibi invicem impoſitos copioſos *colligit flores*, qui *alembici* ſibi invicem *ſuper impoſiti* vocatur ALUDEL: ſemper ſunt perforati: Modus eſt hic: Habet vas quoddam ferreum cum tubulo inſtructum, cui aliquot ollas vel alembicos ferreos imponit, quo ſint plures, eò eſt melius. In hoc vas candefactum iniicitur antimon. pulveriſatum, vel regulus, vel aliud quid ex Antim. paratum, quod in vaſe candente ſubitò elevatur in flores, qui copioſè adhærent iſtis alembicis *optimus* omnium videtur 3. *modus* AUCTORIS, quando fit *ſublimatio cum ſale ammoniaco*, quando ℞. Antimon. crudum cum ana ſalis ammoniaci: *hoc* certè eſt aquila alba, quæ eleganter *ſublimat* Antimon., & quidem, ſi legitimè ſit operatum, in flores rubros, albos & flavos, ex quibus, modo legitimus conſtet modus, paratur Tinct. *Antimon. ſicca*: ſi ſcilicet legitimè fuerint præparati, tunc *rubri flores*, à reliquis ſeparati, & per edulcorationem à ſale amoniaco adjuncto *liberati*, *conſtituunt* iſtam Tinct. Antimon. ſiccam leniter diaphoreticam, & fortiter ſanguinis purificativam, in quàm plurimis affectibus ſummè proficuam: Cæterum *requiruntur* aliquot *enchiriſes pro eadem* acquirendâ. Habet AUCTOR in Not 2. ad hanc præparationem ſi addatur, &c. ex purgante, &c. *Obſervetur*, quod hoc etiam procedat de Mercur. vitæ, quod benè *contritus cum Mercur. dulci*, *amittat vim purgantem per ſuperiora*: id quod *de omnibus* pulveribus *antimonialibus verum* eſt, ſi ſint vomitivi. *Modo* ſæpius *cum ſale communi* terantur, *vel* modo *ſubigantur cum Mercur. dulci*, evadunt cathartici per inferiora, depoſita virulentia cum violentia vomitiva: quoniam ſal in Mercur. dulci figit Sulph. vomitivum antimonialium & virulentiam corrigit: Id quod de omnibus vomitivis antimon. de crocis, & omnibus præparatis veriſſimum eſt. *Ex vitro antimon.* per ſe etiam poſſunt ſublimari *flores albi & rubri*; ſed iſti ſimiliter vaſis ſibi invicem ſuper impoſitis non leviter fiunt. Hi ipſi flores *ad purgandum* multo ſunt *promptiores* cœteris, cum optimè purgent & cum minore dolore. *Præparatio quarta* eſt *clara* cum ſale ammoniaco. *Flores antim. vitriolati* ſublimantur cum flor. Sulph. & capite mortuo vitriol. vel colcotare. Hos flores vitriolatos ſæpe *præſcribit QUERCETANUS in febribus*, potiſſimum quidem in *quartana*. Commendantur etiam hoc loco *flores Sulph. ſublimati cum regulo antim. martiali ſtellato*. Nam hi participant ſimul de antim. Mart. & Sulphure: ſublimandi modus eſt vulgaris. His floribus antimonii vitriolatis *BASILIUS VALENTINUS non addit Sulph.* ſed ſolos flores antim. cum colcotare ſublimat: Hos *flores* ita ſublimatos *extrahit cum ſpiritu vini*, fœces remanentes ſeparat, & ſpiritum vini *ad ſiccitatem per* balneum *deſtillat.*; & hi ſunt *flores* eleganter *correcti*: vel ſpiritum extractione imprægnatum decanta ac deſtilla, & remanebit Ol. *Flores reguli cum* ſale ammoniaco: præparatio eſt clara in auctore. In hac præparatione ſalis ammoniaci adhuc ſemel uſurpari poteſt, ſi ſ. abluatur, & denuò coaguletur. Quod ſi flores parentur *igne lento*, *in majori copia* acquiruntur *flores* & hi m. *elegantiores*. Cæterum rectè monet AUCTOR, quod *flores* antimonii *omnes ſint violenter vomitivi*, quoniã volatiliſando crudum, volatiliſſimæ & ſubtiliſſimæ antimonii crudi partes liberantur ex compedibus partium terreſtrium, & inde ita fortiter operantur & violenter: ſimul ac enim ignis beneficio ſublimantur ſubtiliores & volatiliores antim. partes, rapitur totum antim. corpus in flores admodum valatiles. Quod autem antimonii corpus in *flores* ſublimetur, patet ex eo, quod facilè poſſunt reduci. *Reducuntur* autem facilè *per* ſal Tart. & quidẽ *in regulum antimonialem*. Propter hanc vim violentam, qua cum impetu & ſedes movent, & per ſuperiora purgant flores antimonii, neceſſum eſt, ut ſi debeant adhiberi internè, aliquantiſper corrigantur: aliquot CORRIGENDI *modos* præſcribit AUCTOR: *beneficio ſalis Tart. & ſpir. vini*. Et quidem *primus modus* utut ſit laborioſus, eſt tamen *elegans* pro ſcopo, & acquiruntur flores placidè & blandè operantes. Obſervetur differentia florum ratione malignitatis, quod ſcilicet *albi plurem habeant malignitatem arſenicalem & Mercurialem: Citrini* v. & flores *rubri plus* participant *de Sulphure antimonii volatili*: Unde etiam iſti adhuc ſunt maligniores ipſis floribus rubeis & citrinis: *Brevius &*

compendioſius

compendiosius *possunt corrigi*: si scil. antimonium calcinetur, sublimetur, & à floribus *aliquoties spiritus vini abstrahatur*, qui ultimâ vice cum iis probè permistus, efflagrare permittatur, sic enim à gr.x.ad xx.*per inferiora* purgât, nô nisi in valdè dispositis vomitû ciet. Quod si præterea acetum destillatum aliquoties *abstrahatur*, fiunt hi flores *diaphoretici*; Correctio II. est *cum spiritu vini mellito*: Hic optimè corrigit purgantia, & propterea FINCKIUS cum spirit. vini mellito solet corrigere suos flores, quos uti dixi, egregio effectu usurpat in Maniacis. Correctio IV. fit, si *conteratur cum sale communi*, & loco hujus cum Mercurio sublimato. Num.8. Habentur *flores Cheiri* PARACELSI, cæterum *quo modo sint parandi*, *res* est adhuc *dubia*, quoniam nulli facilè detexit sua arcana Paracelsus. *Habent colorem* similem *Cheiri* vegetabilis, & propterea Paracelsus vocavit flores Cheiri Antimoniales. *Præparatio* est adhuc *obscura*: Observetur enim flores Paracelsi esse fixos, moventes diaphoresin, & egregie purificantes sanguineam massam. Quando *solvuntur* hi flores *in cella* in Ol., vocatur à Paracelso *Ol. dulce pro fistulis*, quoniam fit expertum & egregium remedium pro fistulis purificandis. *Descriptio* ab AUCTORE est communis sed *non est genuina*, cum purgent per inferiora. *Rotulæ purgantes* fiunt *ex floribus antim.*, dum affunditur vinum generosum, & ad tempus digeruntur, & postmodum ex vino additione sacchari rotulæ purgantes formantur. *LOCCATELLI in Theatro arcanorum arcano 29. p. 157* præparat *flores antimon. purgantes per inferiora*, abstrahendo à floribus communi modo præparatis spir. salis duplex pondus 4. vicibus postmodum ab edulcoratis spiritum vini tribus vicibus deflagrat, & ita habet flores per inferiora tantum purgantes: Cum floribus rubris sublimatis convenit, ratione sublimationis Cinnab. antimonii, de quo superius ubi de præparatione butyri antimonii. Constat nempe ex Sulph. antimonii cum Mercur. vulgi conjuncto, revivificato ex sublimatione in destillatione butyri. Et quidem dum Sulph. se sublimat, simul sublimantur quædam particulæ antimoniales, quæ particulæ, dum in fusione rursus abeunt in antim. verum antiquum, imposuisse dicuntur quibusdam, ut crederent, quod tota cinnabaris sit antim., non v. simul Sulph. Cæterum in reductione istâ, dum antim. Sulphura deflagrantur, prodeunt & pereunt, & partes antimoniales in fundo reducuntur in antim. *In præparatione cinnab. antimonii* necessum est, ut *collum retortæ sit satis amplum*, si habere velis cinnabarim copiosam: Nam si non est amplum, non facilè adhæret; aut si adhæret, retortam distringit, & sic Sulph. antimon., quod in flores abit, per rimulas exhalat. Hæc cinnab. antimon. *est basis pulv. Cephalici D. HARTMANNI*, uti etiam *specifici Cephalici D. MICHAELIS*, qui præter alios usus, imprimis *commendatissimus* est *in insultibus epilepticis*, quos mirificè sistit: Et hôc curavit D. MICHAEL *in Aula Altemburgica* Principissæ quandam virginem desperata epilepsiâ laborantem. Qui *copiosiorem* desiderant *cinnabarim*, observent in destillatione butyri antim., ut 1. vel mox *satis fortem* subministrent ign. 2. ut *duplum* recipiant *Mercurii sublimati* ad 1. antimonii partem. 3. *Ne mistura* ante destillationem *exponatur aeri* humido, alias enim liquescit in butyrum, & non abit in cinnab. *Diaphoreticum* est hæc cinnabaris: Cæterum tribus & 4. *vicibus* sublimando benè est *purificanda*, antequam interius sumatur. In quâ sublimatione *observentur enchirises*, (& ratione regiminis ignis & ratione instrumenti) ne comburatur: Si enim comburatur, nec acquirat Scarletinum colorem, sed rubescentem, & qs. nigrescat, inepta est pro usu medico interno. Sequitur DESTILLATIO antim. Modos aliquot habet AUCTOR. 1. Est *minera*, vel crudi antimon. ex retorta per lenem ign. & liquoris acris, ACETUM antimonii dicti, subministrat parum, idque saporis non admodum acidi. *Minera* antim. *plus dat* aceti destillat. quam si recipiatur antimonium jam fusum, quoniam istud aceti in fusione maximam partem exhalavit. E contra *fusum antimon. plures* subministrat *flores*, quàm minera. Quidam recipiunt istud acetum, quod semel ex minera destillavit, & novæ affundunt mineræ, sicque denuò destillant, & copiosius prodire dicunt acet. *Quidam* non inconvenienter *parant* hoc acet. *mineram ignitam* aliquoties in aqua *extinguendo*, sic enim promptissimè solvitur istud stagma acidum imminera, ut copiosius & citius postmodum solutum per retortam prodeat. *Dicitur* aliàs etiam aqua *antimon. vitriolata* hoc aceto. Beneficio hujus aceti *quidam magna promittunt*, & sunt qui putant, ex eo parari posse *menstruum universale* f. ignè mineralem, quod tamen *falsum est*. *Quidam jubent rorem Majalem* vel aquam tonitrualem primum candentem *mineræ* antim. levigatæ *affundere*, & digerere per aliquot dies in fimo equino, *& sic* exinde volunt *parare menstruum*, cujus hoc sit proprium, ut optimè propriam antim. solvat substantiam. Aliàs *in febribus malignis* hoc acet. non est incongruum *remedium*. Vires hujus aceti satis sunt descriptæ in AUCTORE. OLEI *antimonii saccharati* plures sunt modi: quando permiscetur antim. cum saccharo & destillatur mutuò. *Fundamentum* destillationis consistit in eo, quod additum saccharum solum destillatum det spir. acidum instar acet. quando ergo permiscetur cum antimon. *spiritus sacchari acidus* aggreditur *antimon. solvit*, & solvendo secum jungit, & sub forma ole. Spiritus sacchari corrodens & antimon. corrosum prodeunt, quod vocant oleum antimonii saccharatum. *Variæ* hujus olei *sunt præparationes*. Imprimis solet esse commendata quæ Num.5. habetur sub titulo *Ol. saccharatum antim.* SENNERTI. Nam ex hoc Ol. Sennertus facit *pilulas contra quartanam*: Item Ol. ex ana sacchari & antimonii destillatum commendatur à quibusdam in morbo caduco. Uti etiam in affectibus cerebri. *Quidam destillant antimon. cum pane*, & valde commendant in *epilepsia*: egreditur quidem inde spiritus, & Ol. ex pane acidum cum antimonio imprægnatum, in parvâ tamen quantitate: aliàs si rectè *hæc* instituitur præparatio seu destillatio, *aliquid habet in recessu*, quoniam *multum præstat in* eliciendis tinctur. *metallorum* AGRICOLA destill. *Ol. antim. saccharatum ex Sulph. antimon. veri* ex cinnabari ejusdem separati & sacchari candi ana, addit aliquantulum acet. destillat. & post digestionem per retort. destillat liquorem, ex quo per spiritum vini extrahit Tinct. &c. abstracto postmodum spir. vini ad mellaginem, destilletur ex retort. Ol. cujus gutt. 8. purgant: *Eadem est ratio cum melle*: Nam in destillatione prodiens spiritus acidus corrodit Antim., & ita corrosum secum rapit. Sunt hæc Ol. tantùm liquores corrosivi ex acidis particulis imprægnatis antimon. crudo: sed tamen non sunt usitata. Num.x. *Magisterium* Antim. quod vocant: Est qs. modus destillandi butyrum antimonii, & magisterium istud antimon. nihil *est* aliud quàm *Mercur. vitæ*; qui legit processum facilè hoc persentiscet. *Ol. antim. glaciale sc. butyrum antimonii*: Ex regulo antimonii stellato cum Mercurio sublimato factum butyrum antim, vid. AUCTOR: Est modus destillandi uti dico, Ol. antim. glaciale seu butyrum antimonii. Unde quoniam superius locuti sumus de butyro antimonii, non est ut jam multa dicam. *Post destillationem* antim., si capiti mortuo affundatur spir. vini, & fiat extractio, & per retort. tam destilletur, prodit 1. Spiritus vini. 2. Liquor flavus, & 3. Liquor rubicundus, quem valde commendant in *colica* & *morbis Tartareis*. *Ol. crystallinum* cum aqu. fort. est valdè corrosivum. Num.XIV habetur *compositum antimonii Ol. ad vulnera*: Cum hic loquamur de Ol. antimonii ad vulnera: Observetur, *modus* POLEMANNI *parandi balsamum Sulphuris*: scil. loco Sulphuris communis sumit

Sulph.

Sulph. auratum Antimonij, hoc ſolvit ac extrahit cum ſpiritu Terebinthinæ, & facit balſamum Sulph. Antimon. quod præfertur balſamo Sulph. communi in morbis externis curandis. Num. xx eſt aqua *ſtimmi Sulphurea ſ. clyſſus*: vox clyſſi nihil aliud innuit, quàm ſpiritum mineralem compoſitum: ſic *fit* clyſſus quando permiſcetur Antim. nitr. & Sulph. item Antim. Tart. & nitr. item quidam permiſcent Antim. Tart. & nitr. & ſilices, & deſtillant invicem *per retort. tubulatam*, applicando ſcil. alteri tubulo receptaculum, per ſuperiorem anguſtiorem tubulum ſenſim ſenſimque cochleatim injiciendo pulveriſatam materiam in retort benè ignitam, ſic enim cum impetu ſpir. irruunt *in recipiens*, in quo propterea *ſit aliquid aquæ communis*, ut citius ſe uniant & figantur: ſimul quoque, imprimis ſi Antim. addatur: collo receptaculi adhærere ſolent flores ſubrubicundi & pallidi, liquores qui deſtill. ſunt *aciduli* elegantes, qui deſtillati rectificandi, & pro uſu ſervandi, vocantur aqua ſtimmi ſ. ſtibii: & quidem ut eò citius ſpiritus impetuoſi figantur in receptaculo, propterea convenienter *applicatur recipienti linteum aqu. frigidâ* madidum, ſic etiam ſpiritus promptè coagulantur. Valdè *conveniunt* hæ acidulæ in julebis, in *febribus ardentibus*, item in *inflammationibus & infarctibus viſcerum*, quos reſerant: *Diureticæ ſunt*, & Vrinam potenter movent. In genere ſolent *hi Clyſſi* vocari ſpiritus pro acidulis artificialibus, adeò ut liquores potulenti impraegnati his Clyſſis *ſoleant ſubſtitui* à quibuſdam *loco acidularum naturalium*, & ob id vocantur ACIDULÆ ARTIFICIALES *Parandi ratio* horum clyſſorum *variat* pro varietate Auctorum. 2. Habet Auctor noſter, uti apparet, modos, & in illis in enchiriſin parandi *ex cap. mort. antim. diaphoreticum.* Et quidem nonnulli nolunt recipere ana Sulph. nitr. & antimon. propterea quoniam propter abundantiam Sulphuris nitr. non poteſt rectè deflagrari, uti rectè monet GLAVBERVS. *Præſtat* ergo *aſſumere hanc proportionem.* ℞. Antim. lib. i. nitri lib. 2. Sulph. ℥iij. & procede uti dictum. Obiter hic moneo, quod ſimili ratione *ex Sulph. & ſal. nitr.* poteſt deſtillari ſpiritus in recipiens, in quo ſit aliquantulum ſpiritus vini, & ſic acquiritur ſpiritus elegantiſſimus *carminativus*. Quidam nitr. Antimon. & Sulph. ana admiſcent ſimul terram ſigillatam ſive bolum optimum, & ita poſſunt deſtillare per retortam ſimplicem ſine tubulis, ſed optimè loricatam, imprimis ſi prius irrorentur phlegmate vitrioli, & in recipiente ſit lib. j. roris majalis, vel aquæ deſtillatæ compoſitæ appropriatæ. Eodem modo parat GLAVBERVS *ſpir. antim. Tartariſatum*, ex Antim. præparati part. 3. & Tart. crudi part. XII. vel XV. coquit in aqua ad ſolutionem Tartari & antim. ſolutionem decantatam exhalat, & pulv. deſtill. per ſuum furnum 2. dum (cui poteſt ſubſtitui retorta tubulata) in ſpiritum, cum quo ſimul etiam prodit oleum. Hic ſpiritus *cum cereviſia vel vino* ante fermentationem conjunctus *dat elegantem potionem.* Talis Clyſſus eſt etiam *Tinct.* AMMELVNGII *contra calculum*, quæ tamen eſt Urinoſa potiùs quam acida. LIQVATIO. Scoriæ reguli per ſe diffluunt in aëre humido, & *liquor* filtratione depuratus erit egregius *in Chirurgia*, uti habet AVTOR. SVLPHURA &c. vid. auctor. Vti notum eſt, *copioſſimum* reperitur *ſulph. in antim.* & quidem ſimillimum ſulph. communi, quod ipſum tamen pro varietate additorum varios induit colores. *Eliciendi modus Sulph.* ex antim. imprimis *fit per ſalia alcalia* & ex iis parata lixivia: *ratio*, quoniam ſalia hæc alcalia ſe promptè uniunt cum Sulph. Antim. quod in ſuo receſſu eſt acidum: cum hoc ſe promptè uniunt, & iſtud ita extrahunt. Lixivium uti & eliciendi modum habet auctor, qui vid. ſalia affunduntur antim. vel crudo, vel præparato & cum iis eliciuntur Sulph. quæ extracta depurata & præcipitata cum acido ſubtili dant Sulph. Præparationes vid. in auctore. In ſecundo modo: *beneficio hujuſmodi ſulph. antimon.* conjuncti cum Sulph. communi & nitr. quidam volunt *tranſmutare Lunam in aurum*, uti videri poteſt in SCHMVCKIO *Theſauro 2. ſecreto Chymico* 12. Num. 3. Hîc ſal Tart. alcali fixum in calcinatione arripit Sulph. Antim. unde poſtquam elixiviatur vel aquæ affuſione ſal. Tart. impregnatur ſulphur. Antimon. ſolvitur in aqua, ex qua ſolutione beneficio acidi præcipitatur Sulph. quoniam acidum ſe conjungit cum ſale alcali Tartari. Pertinet huc Tartar. *Tartariſatus antim.* recipiunt *ſc.* ſcoriæ reguli antimon. parati ex ſal. nitr. & antim. ana, ſolvuntur in aqua ſimplici, & filtrantur, ex aqua filtrata beneficio ſolutionis cryſtallorum Tart. præcipitatur Sulph. & hoc Sulph. præcipitatum beneficio filtri ſeparatur: aqua relicta ſale fixo Tart. & nitr. item cryſtallis Tart. ſolutis impregnata, poſt lenem evaporationem coagulatur in cryſtallos, qui vocantur Tartariſatus antimon. qui *convenit in febribus intermittentibus*, præmiſſis imprimis univerſalibus Elegans *modus ſublimandi ſulph.* antimonij eſt hic: ſed benè obſervandæ ſunt enchiriſes: ſcil. ♃ Cinnabaris Antimon. & ſal. ammoniaci per ſublimationem depurat. ana ℥iv. Hæc benè levigentur in marmore per 3. horas ſimul minutiſſimè, quò longius eò melius, hæc invicem induntur cucurbitæ ſublimatoriæ; Obſervetur ſimul hoc, ut non plus ingeratur materiæ, quam modo dictum; vas ſublimatorium immittitur arenæ, & leni, ſed æquali, ignis gradu per duos dies & noctes leniſſimè digeruntur & ſublimantur, ſic enim Sulph. coloris aurantiorum lateribus ſublimatorij adhærebit, quod Sulph. *internè* aſſumptum *in quam plurimis morbis* egregiè convenit, inſenſibiliter operando, edulcoratur aliquoties aqua pluviali deſtillatâ, pro eluendâ acrimonia ſalis ammoniaci: *Sin ignis regimen negligatur*, & paulò fortius intendatur, ſimul *ſublimatur malignitas* antimonialis, fortiter vomitiva & cathartica. Obſerventur ergo enchiriſes. Ex ſcoriis reguli *primum proveniens* crocus ſ. Sulph. auratum antim. eſt *quaſi crocus metallorum* vomitivo-catharticus: quod verò *ſecundo* procedit, etiam dicitur crocus & eſt verè *diaphoreticum*: Ipſum *lixivium* ſolutionis ſcoriarum reguli Antim. prodeſt *in Vlceribus malignis* uti ſuperius dictum. *Sulph. Antim.* ſive *ex cinnabari antim. verum fit*, quando ſcil cinnabaris antim. bullit *in lixivio* fortiſſimo, vid. AVCTOR. Sic enim præcipitatur in fundum lixivii mercurius vivus, & Sulph in cinnabari cum Mercurio antea conjunctum, cum lixivio decantari poteſt. *Fundamentum ſeparationis* Sulph. antim. à Mercur. conſiſtit in hoc, quoniam Sulph. antim. & Mercurius Sulphuri ſe conjungit ratione acidi, quod apprehendit Mercurium vivum, ſimulque præcipitat. Quodſi jam affundatur lixium forte, tunc hoc, ex alcalibus conſtans, conjungit ſe promptè cum Sulph. antim. in cinnabari, ex qua conjunctione extruditur Mercurius vivus, & præcipitatur ad fundum. Lixivium forte v. Sulph. Antimon. impregnatum & tinctum, vel exhalando, vel ſubſidendo dat Sulph. antim. verum, vel idem cum aceto ſimplici aut acetum deſtillatum *poteſt præcipitari*: Quod ſi præcipitetur cum aceto, cadit in fundum *Sulph. inflammabile.* Hoc Sulph. ſi *digeratur* cum ſpiritu vini, & *deſtilletur* per retortam, *prodit* 1. menſtruum, nempe ſpir. vini, 2 prodit *ſanguis Oleoſus dulciſſimus*, qui optimum eſt medicamentum in quamplurimis affectibus, *in depurando ſanguine* &c. Vid. POPPIVS *tr. de Antimonio p. 45.* Paratur ex hoc Sulph. *panacea Sulph. antim.* quæ mirè *prodeſt in Maſſa* ſanguinea *depuranda* cum leni diaphoreſi, imprimis cum antim. per ſe totum corpus mirificè purificet, uti ſuperius dixi, quod uti aurum, ita & corpus humanum à ſordibus liberet. In *epilepſia* mira facit hæc panacea: item in

in *dysenteria maligna*: Mercurius hic ex cinnabari revivificatus, est depuratissimus, & propterea commodè potest usurpari in corpore humano; Item commodè assumitur pro paranda *arbore Hermeticâ*. Sequuntur *Tinctura* Quid sit Tinctura, optimè loquitur AVCTOR, qui videatur: De *verâ* & legitima *antimonij tinctura* refertur, quod scil. ejus ℥ß. *Lunæ* ℥xx. debeat *tingere in aurum*, quia Sulph. Antim. dicitur esse de natura auri. *Præparationes* tincturarum antim. sunt quam *plurimæ*, & tot, quot capita: AVCTOR noster habet modos XXXII. Bræviter eos percurram. Monendum prius, quod etiam *possint extrahi* tincturæ ex antimonio elegantes *beneficio spiritus viridis æris*, qui modus valdè commendatur *à ZVVÖLFFERO.* Hæc etiam aliquo modo laxat, & præterea sanguinem purificat, quod proprium est omnibus tincturis antimonij. *Alius* paravit tinct. antimonij *affundendo mineræ antim. spirum vitrioli philosophicum*, quem aliquoties cohobavit, & ita postmodum elegantes crystallos acquisivit, ex remanentia postmodum tinct. extraxit. *Modus est hic*: Mineræ antimonii lib. ii. pulverisatis superfundit spiritum vitrioli philosophicum ad eminentiam 3. digitorum, & in 14. diebus & noctibus solvetur in viscositatem rubicundam, reiteratque donec omnis rubedo extracta. Extractum destillat ad mellaginem, quæ mellago cochlear argenteum inaurare dicitur. Hanc mellaginem extrahe cum spiritu vini, & est elegans Tinct. vel abstrahe spiritum vini destillando, & aucto igne prodibit oleum antimon. rubeum. Caput mortuum calcinetur, & cum aceto destillato extrahatur, sal purificetur, & cum Ol. prædicto digeratur, & aliquoties distilletur, donec omnia transeant, qui est liquor magnæ commendationis. *VVILLIS in Tract. de fermentatione p. 59. vel 60.* habet modum parandi Tinct. antimonii *cum Ol. Terebinthinæ*, vel. Ol. Lini Quoad *vires Tincturarum* antimon. vid. AVCTOR: alias tincturæ antimonij veræ admirandas virtutes multum *deprædicat SVCHTENIVS p. 196. & 308. in Tract. de antimonio.* Num. 3. qui fit *ex antimon. crudo cum aceto antim.* Hæc tinctur. antim. ut legitimè procedat, præprimis attendenda enchirisis, quam descripsit *THOLDIVS Comment. in Suchtenium de antim. p. 339.* & hinc vocatur ab *HILDESHEIM p. 435 de affectibus cerebri* hoc Ol. antim. melle dulcius, & in transitu per alembicum miros & aspectu suaves colores repræsentare dicitur. *Quidam* parant Tinct. antim. *cum liquore silicum GLAVBERI*, de quo superius subsilice. Mistus liquor silicum cum antim. crudo fluat in igne, effundatur vel irroretur postmodum per spiritum vini, & ita fiat extractio. Observetur, quod *sæpius* in ejusmodi Tinct. quæ fiunt cum salibus alcalibus, *Tinct.* fit *solius spir. vini* affusi, non antim. Nam spir. vini infusus super salia alcalia, promptè se tingit colore rubro, quem habet solummodo ex digestione, non v. ex antimonio. *Tinct. antim. Tartarisata.* Loco hujus assumi possunt scoriæ reguli Antimonij, affundendo spiritum vini, & ita fit Tinct. antimonij Tartarisata. *PARACELSVS* habet præparationem antimonij, & quidem certum *modum flores* ejus *fixandi*, quibus fixatis extrahit Tinct. quam vocat *Tinct. Lilij.* De hac est concertatio inter Auctores, quoniam *est occulta*, uti quamplurima Paracelsi arcana. Duas præparationes habet AUCTOR, & varij variè præparare nituntur; nihilominus *omnes hallucinantur*, quoniam non est clarum, quomodum præparavit *PARACELSVS*: vid. vires ejus apud auctorem. Ferè omnes in hoc *conveniunt*, quod sit paranda Tinct. *ex antim. per se sublimato* & cum seipso in colorem rubeum digesto, sed hoc opus hic labor, & hinc postmodum cum spiritu vini Tinct. extrahunt. Ex Num. XXVI. Sulph. antimon. non benè se conjungunt cum spir. vini & ferè semper sunt addenda aliis: Observetur hæc enchirisis: Tinct. sub Num. XXVIII. non potui parare unquam, & sunt hæ tantùm ab auctore exscriptæ, nunquam probatæ. INFUSA. Infunditur antim. *vel* crudum, *vel* quod in igne præparationem accepit. Antim. *crudum nihil operatur*, utut sint, qui adhibeant in decoctis antivenereis. Econtra *usitatissimè infunditur vitrum antimonij* in vinum generosum, & dat egregium *vomitivū*, & ex hoc infuso vitri fit *syrupus vomitivus*, vel etiam *oxysaccharum vomitivum* ANGELI SALÆ, quæ infusa *antimonialia* longè *mitius* & efficacius *purgant per vomitum*, *quam* omnia *vegetabilia* vomitiva, & quidem *non attendenda* est *quantitas antimonij* infundendi, *sed* tantùm *liquoris*; nam antimonij vis, in diffusione radiorum consistens, est infinita, e. gr. ℈j. antim. eodem modo impraegnat cantharum vini, quam ℥j. vini, & si ex utroque summatur ℥ß, eodem modo purgabit: Antimonij enim vis diffusiva est indeterminenata & 2. quando semel fuit infusum antim. & exsiccatur, postmodum *sæpius potest infundi*. Talia *infusa* vomitiva ex Antimonio, sive sint ex crudo, sive ex vitro *usurpantur internè & externè*: internè pro ciendo *vomitu* & purgandâ *alvo*. Externè usurpantur talia infusa *in clysteribus* in pertinacissimis *alvi obstructionibus, passione iliacâ* & *colicâ* contumacissima. Qualem clysterem aliquoties, ℥j. vel ℥iß. talis infusi antimoniati admisti, adhibitum fuisse, non sine insigni fructu, observavit *RIVERIVS*. Ulterius *externo* usu convenit *in affectibus oculorum*, si vitrum vel crocus metallorum infunditur in aqua euphrasiæ, fœniculi, cyani & calcatrippa. In oculorum affectibus magna facit: in *ophthalmiis, suffusionibus, cataractis*, in *ungue* oculorum & ferè in omnibus oculorum vitiis: vid. *Thesaurus RVLANDI*, ubi omnia occulorum & visus vitia recenset curata cum aqua *sua benedicta*. Magis conveniens aqua *ophthalmica* est ea, quæ fit *ex capite mortuo butyri antimonij*, si scil. pulverisatum extrahatur cum aqua Eufrasiæ, ex hoc enim præter vim antimonialem, simul salis subdulcis aliquid extrahitur, quod valdè convenit in oculorum affectibus: Quod dictum est de vitro & croco, etiam potest intelligi de *Mercurio vitæ*, qui est fœtus antimonij, & *æque potest infundi* atque illa. Et, uti superius dixi, quod *BILLICHIVS in Paradoxis & Observantionibus Chymicis* commendat Mercur. vitæ in partu difficili pro vomitivo, quando omnia reliquia sunt irrita, ita etiam *infusum croci metallorum*, *vel ipsius Mercurij vitæ* infusum *in* facilitando *partu* sunt egregia. SALIFICATIO. Sunt qui volunt ex antimon. parare sal. Cæterum paucissimum inest *salis* in antimonio, & propterea etiam *parum aut nihil* ex eo *potest elici*, seu extrahi. Salificationes, quæ præscribuntur ab auctoribus, nihil *sunt* aliud nisi *corrosiones antimon. per menstrua* acida aut per Aceta, *& ita* corrosi postmodum cum menstruo salino *coagulationes*. Non ergo sunt *vera salia*, sed saltim corrosiones salinæ, composita coagulata: verum sal nondum apparuit in mundo. MERCURIFICATIO. In nullo minerali sunt occupati magis spagirici pro parando Mercurio, quam in Antimonio, propter summos usus, quos sperant in negotio transmutationis argenti in aurum. Item ex hac crassa materia, promittunt remedium contra luem Gallicam. Et quidem in hoc omnes conveniunt, quod *Mercurius Antimonij vivus non possit elici, nisi per salia resuscitativa*, quæ sunt salia alcalia, tam fixa, quam volatilia, & *præferunt hunc Mercurium antimonij*, *vulgari*, in lue Gallicâ. Absolutis metallis, & iis quæ ad eorum naturam accedunt, sequuntur.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Recrementis Metallicis Naturalibus.

METallinorum corporum enodationem excipit anatomia Recrementorum Metallicorum.

Duplicis hæc ſunt ſortis; Naturalia, & artificialia.

Naturalia voco, quæ Naturâ operatrice, dum in gremio terræ Metalla generabantur, ex materia ad generationem eorum inidonea, extiterunt.

Talia ſunt:

Cobaltum, Chalcitis, Miſy, Sory & Marcaſita, ſeu Biſmuthum.

RECREMENTA METALLICA. Tam NATURALIA, quæ in metallifodinis in generatione metallorum ſeſe ſiſtunt, & quaſi per accidens producuntur, quam ARTIFICIALIA, quæ 1. in fuſione, liquatione aut depuratione eorum ſolent fieri & provinere, ſeu potius ſeparari. Dicuntur recrementa ſ. *corpora* talia, *quæ non ſunt perfecta metalla, & tamen participant de natura & materia metallicâ, & in generatione metallorum* quaſi *ſegregantur* fermentando à reliquis metallis perfectioribus: vid. de fermentatione in generatione metallorum MAJOR *de Lacte Lunæ*. Et inter naturalia recrementa I. eſt.

I. COBALTUM.

COBaltum, cadmia nativa, foſſilis, metallica, eſt minerale terreum, colore ferè nigrum, æris vel argenti particeps. Germanicè *Kobold, Muckenpulver*, quia muſcæ ejus guſtu perimuntur: de la Cadmie Native.

Foditur copioſè haud procul Goſlariâ.

Vires. Vi cauſticâ & erodendi pollet tantâ, ut foſſorum manus & pedes exulceret adeoque inter Venena recenſetur, quippe intus hauſtum animalia quæque perimit.

COBALTUM. Hoc *Cobaltum* in ſe ipſo *eſt cauſticum*, propter copioſum Sulph. quo abundat, præterea *eſt volatile valde*, & non parum *admiſtum habet arſenici* corroſivi: Unde etiam non immeritò *inter venena* mineralia præſentanea *refertur*, cum omne quod vivit, reperiat necem in Cobalto, *Muſcæ* tactu & guſtu ejus *interimuntur*. Eſt etiam muſcans pulvis. Item intus hauſtum, ſi cui placet, in doſi exceſſiva certo quæcunque animata ſolet interimere, uti dicit AUCTOR. Cæterum *ex Cobalto*, uti dixi, *fit color cœruleus*, qui præter alia monſtrat, quod *participet de natura cupri ſ. argenti*: Cum enim hæc duo inter ſe conſpirent in radice, ambo dant colorem valdè cœruleum, Laſurinum & Sapphirinum, quoniam impprægnatum eſt Cobaltum copioſo Sulph. Veneris & primo Ente Lunæ, ſed primum Ens Lunare nondum eſt fixum, ſed crudum immaturum nec ritè exaltatum. Unde *nonnulli* beneficio artis *maturare & in perfectam Lunam* tranſmutare *volunt*, & ita maturam Lunam ex cobalto cum lucro producere. Imprimis *SCHMUCK Theſauro 1. Secreto Chymico 12. docet modum*, quo ex Cobalto cum Cinnab. nativa *pari* poſsit *Mercur. qui* cum Luna fuſus, & ipſe *abeat in Luna. Fundamentum* artificij conſiſtit in hoc, quod ſcilicet Mercur. vivus, qui eſt Cinnab. cum ſoleat ſeſe conjungere cum omnibus metallis, conjunctione cum cobalto attrahit immaturum volatile ens Lunæ, & ſecum jungit. Hic Mercur. primo Ente Lunari imprægnatus, quando poſtmodum funditur cum Luna, primum Ens Lunare perficitur & maturatur ab adjunctâ Lun. perfecta, & in veram Lun. abit, Mercurius verò reliquus avolat in igne. Quoniam Cobaltum participat de Lun. quæ præeſt cerebro, propterea quidam volunt exinde parare *medicamentum contra epilepſiam*, ſed neceſſum eſt, ut cautè procedatur, ne loco confortativi cephalici, acquiratur venenum narcoticum. *Venenum Cobalti conſiſtit* imprimis *in volatilitate arſenicali*, quæ adhæret in generatione metallorum, quando volunt produci ad maturitatem. *UNZERUS de ſale cap. 26. habet modum, quo* Cobaltum cum ſale & nitro omni *venenata* ſua *qualitate poſſit exui*; ſi ſcilicet cum hoc Cobalto ſal. nitr. & argillâ fiant ſ. formentur globuli, qui candeſcant in igne, & aqua affuſa poſtmodum denuò ſeparentur. Nam ita ſal & nitrum figunt in ignis examine volatilitatem arſenicalem Cobalti, quod fixatum, exuit venenoſitatem; & hoc modo ipſum arſenicum figi poteſt.

II. CHALCITIS.

CHalcitis eſt minerale ſimile æri, friabile, nec lapidoſum, Sory tenuius, Miſy verò craſſius, tractu temporis ex Sory factum.

III.

MIſy eſt minerale colore aurum imitans, aureiſque ſcintillis dum frangitur ſplendens, natum ſuper chalcitim & ex chalciti, non ſecus ac ærugo naſcitur ſuper æs, & ex ære.

N. Miſy eſt efflorescentia chalcitis.

IV.

SOry eſt minerale lapidoſius, & vehementius compactum, c aſſiſſimum, friatum ſcintillas Miſeos emittens.

N. Chalcitis, Miſy & Sory & mineralia ſunt inter ſe origine & viribus conjunctiſſima. Nimirum, ex Sory fit Chalcitis, ex hac Miſy: videatur Mathiolus in Dioſcoridem, qui inter recentiores primus quid illa ſint, demonſtravit. Verùm adhuc dum Officinis noſtratibus in uſum non veniunt, qui Chalcitis loco Colchotar Theriacæ immiſcent, cùm tamen genuinum Miſy, adeoque & genuinam Chalcitin, monente eodem Mathiolo, Ducatus Brunſvicenſis ſuppeditet.

Vires. Adurant & eſcharas efficiunt, attamen & nonnihil quoque adſtringunt. Differunt tamen inter ſe tenuitate & craſſitie: Sory partium eſt craſſarum, & proin minùs penetrat: Chalcitis tenuiorum, Miſy tenuiſſimarum.

[*Chalcitis uſta mitior evadit, ingreditur Ceratum Diapalma, Diachalciteos Galeni dictum.*]

CHALCITIS, MISY & SORY. Poſt cobaltum ſunt inter recrementa metallica naturalia hæc tria, quæ revera *pertinent ad genera vitriolorum*, & propterea commodè *poſſunt vocari Vitriol. immatura*, cruda & impura. Unde quoque vulgari idiomate vocantur. *Atrament.* in ſua natura. Nam revera inter ipſa vitriol. non poſſunt referri, Vitriolum enim eſt corpus ſali forme, quod non poteſt dici de Chalciti, de Miſy & Sory: quoniam nec pellucent, nec tota etiam in aqua liquantur. His tribus à quibuſdam etiam additur MELANTERIA, quæ *cognata eſt naturæ*, cum his Vitriolaceis ſubjectis. Et quidem *quod ſint de natura Vitriolacea*, patet ex eo, quod ex Sory, Melanteria & Chalcitide *poſſit* quoque *excoqui Vitriolum* teſte *AGRICOLA*, *in* ſuo *de foſſilibus* opere. Item *ex Melanteria* nigra apud Juliacenſe *Vitriol. conficitur*. Aliàs *inter ſe differunt non valdoperè*, quoniam ſæpius *unum fit ex altero*, uti rectè habet AUCTOR in nota ad hunc locum. Ex Sory fit Chalcitis ex Chalcitide fit Miſy ſimilis ſuâ ſponte ſuper Vitriol. aëri expoſitum excreſcit, & tandem ſucceſſu temporis in Sory abit. Eſtque *Miſy Chalchanti* quædam *efflorescentia*, eique circumquaque lanuginis modo adhærens. Aliàs qui plura cupit de his vid. apud *CANEPARIUM* in *Tract.* conſummato *de atramentis*, idque occaſione Thæriacæ; quoniam Chalcitis conſtituit ejus ingrediens. Miſy cum ſit efflorescentia chalcanti ac vitrioli, non aſſumitur in uſum medicum, ſed mechanicis pro tingendis lanis inſervit: *Sory* eſt, craſsius omnium & fixius.

Sed quoniam adhuc *lis est*, *an* nos *habeamus* veram veterum *Chalcitidem*, propterea quidam *loco Chalcitidis* miscent Theriacæ, *Colcothar Vitriol.* depuratum & elixiviatum benè; *Rari* aliàs *usus* sunt in officinis.

V. MARCASITA, seu BISMUTHUM.

MArcasita est περίττωμα Metallicum, in generatione Metalli ex portione aliqua ad generationem Metalli inepta productum, inque corpus minerale albicans, durum ac fragile mutatum. Germanicè *Vuiszmuth, Marcasith*: de la Marcasite, ou Bismuth.

N. Differt à Cachymia, quòd illa ex parte magis volatiliori constet, quæ primò scilicet, dum Metalla generabantur, sequestrata fuit, hæc ex portione magis fixa, atque ultimò segregata.

Vires. Recremento saturni respondent.

Usus rarissimus, & non nisi externus.

PRÆPARATIONES ET PRÆPARATA

I. CALCINATIO.

Magisterium Marcasitæ.

℞. Marcasitæ pulveris. q. v. solve in aquam fort. (ex Sal. nitri. & Sal. Com. à afaɛt præcipita cum sp ritu vini, præcipitatum edulcora & exsicca. *Beguinus.*

Vires. Confert ad cutis vitia, lychenes scil. impetigines, scabiem manuum, & simil.

II. DESTILLATIO ET SUBLIMATIO.

Unde.

Oleum sive Liquor, Sal & Flores Marcasitarum.

℞. Marcasitæ crudæ, qualis ex fodina eruitur, q. v. (e. gr. ℔. x.) pulverisa, maceraque cum vino albo generoso q. s. per dies ac noctes (3.) hinc deple, atque novum vinum affundendo, iterum macera, toties id repetendo, donec mens. 20 affuderis: Decantationes omnes tandem affunde Marcasitis ac destilla ad siccitatem, hinc obtura rostrum alembici, daque ignem fortiorem, & sublimabuntur Flores argentei.

(*N.* Liquor fit, si flores argenteos per deliquium in cella solveris.

Destillatum porrò lento calore coque, vel si spiritum appetis, Destilla ad remanentiam mensuræ 1. reponeque aliquamdiu. Hinc coque iterum ad medietatem circiter, reponeque ad crystallisandum.

N. Crystallisationem promovere potes imponendo stramina.

Vires. Utrumque & oleum, & sal magnarum sunt virium in ulceribus cancrosis, fistulis, aliisque affectibus malignis. Paracels. l. de 5. essentia metallorum.

Aqua Marcasitæ.

℞. Miner. Magnesiæ, i.e. Bismuthi crudi ignem non experti, q. v. destilla per retortam, & nancisceris aquam albam, quam vel tertiâ vice rectificatam serva.

Vires. Perhibetur extrahere animam auri, relicto corpore albo. Revivificare item dicitur herbam quamcunque aridam, si radice ei imposita maceretur. Quinimò si cum aqua destillata herbæ cujuscunque confundatur, atque cum modico salis ejusdem herbæ maceretur herbæ ejusdem apparere aiunt. Eadem aqua cum proprio sale (ex capite mortuo alcalisata dicitur aurum ad miraculum usque resolvere. Fides sit penes expertum.

N. Aqua marcasitæ clauso vase asservata, novilunio dicitur augeri, plenilunio è contrà imminui. Andr. Orthelius in Lumine suo Chymico.

III. EXTRACTIO.

Unde

Extractum Marcasitæ aureæ. S. Closs.

℞. Marcas. auri (leucophæa obscuris punctis trajecta optima censetur, pulverisetur & imponatur testæ vitreatæ, calcinetur vi ignis, hinc & inde materiam rudiculâ ferreâ agitando donec non fumiget amplius, & Sulphur ejus impurum omninò combustum sit, si tum per incerniculum agatur, & inde tinctura per acetum destill. alkalisatum proliciatur. Evaporato menstruo restabit materia mellita

Vires. Cum mica panis subigitur, formanturque pilulæ ad pisi magnitudinem. Detur unica pilula pondere gr. vj. ad repurgandum corpus in febribus intermittentibus.

2. Extractum aliud valde nobile.

Eadem Marcasita præparata, uti dictum, M. cum part. XII. cremor tartar. Bull. in cacabo ferreo cum magna quantitate aq. communis, dum tingatur aqua, quæ postea filtranda & evaporanda est ad consistentiam sapæ, & cum spirit. vini denuò circulanda in Essentiam.

Vires. Serum purgat potentissimè, hydropicos ad miraculum juvat.

S. Closs.

N. 1. Infusio simplex ʒj. Marcasit. in ℥v. vini albi adhuc fortiùs hydropicos evacuat instar antimonij.

N. 2. Si ex floribus Marcasit. vel ex vitro ejusdem concinnatis ad normam florum vitri antimonij fit extractio, res feliciùs erit successura.

[*Zinethum, seu Marcasita pallida. Zinck.*]

[Mercurij particeps putatur venerem in colorem flavum tingere.]

Præp.

Flores in collyris adhibentur in Ophthalmia, in papillarum fissuris, inguinumque excoriationibus.]

MARCASITA seu BISMUTHUM. Quod etiam est *excrementum metallicum* natum *in generatione metalli & instar scoriarum* secretum ab iisdem. Et quidem sunt, qui *in Marcasita* s. bismutho etiam *Lunam latere* dicunt, vel primum quoddam Ens Lunare, utut *quidam tantum de Saturno immaturo*, participare bismuthum dicant &: Et quidem *GLAUBERUS in Scriptis*, nititur ex bismutho *præparare Lunam. Est* aliàs *vox* Marcasitæ *generalis*: Et in genere innuit glebas metallicas metallis affines, modo tanquam imperfectum mistum perfectis, s. nondum in perfecta metalla redactas: Sic facit *ZUVöLFERUS* mentionem *Marcasitæ solaris*, ex qua item Zvvölfferus parare intendit *menstruum* fere *insipidum* pro solutione auri vide. *Mantissa p.* 330 Nostrates vocant. In specie hic bismuthum vocatur Marcasita. Ex qua *SCHOTTUS* in *Technica curiosa lib.* 11. *c.* 19. vult parare aquam mirabilem, per quam *plantas emortuas vult resuscitare*, & quidem ut jam aridæ & exsiccatæ, si semel in aqua immerguntur paratam destillationem ex bismutho, quod quasi incipiant iterum efflorescere & juvenescere vid. quoque AUCTOR de hac aqua. Internè non *est in usu* bismuthum, sed tantum *externè*, & quidem primum locum habet *inter Cosmetica*: Unde MAGISTERIUM *Marcasitæ*, quod Auctor describit ex *BEGUINO*, vocatur *Cosmeticum CLAVII*, qui primus fuit auctor, *permiscetur cum aquis* cosmeticis, vel etiam *cum unguentis* cosmeticis, v. g. cum aqua fabarum &c. etiam cum pomada & ita potest cum eadem abstergi facies: Sic D. *MICHAEL* cum aquis *cosmeticis permiscebat* & pro abstergendis faciei sordibus, & albedine eidem conciliandâ hic sæpius distribuebat in *hac porportione* ℞. *magisterij* ℥j. & aqu. *fabarum* ℥ij vel ℥iii. Est optimum, eorum quæ hodiernũ haberi possunt inter cosmetica. Oleum s. LIQUOR, sal, &c. quando destillatur Marcasita per retort. prodit 1. liquor deinde sal & flores adhærent collo retortæ, qui si solvantur in cella, abeunt in liquorem, qui usu tantum externo & chirurgico adhibetur. Aliàs *rara* sunt, quæ ex Marcasita adhibentur *in usum medicum* vel etiam alchymisticum: Num. 2. EXTRACTUM *purgans*: Evacuat serum hydropicorum, & istud copiosè

sè educit: Id quod etiam fit ex radice Lunæ; superius enim monui, quod ex Luna fiant crystalli purgantes hydropicos: simili modo fit extractum ex bismutho, quod educit serum potenter, & per inferiora purgat. *Infusum* cum vino est tantùm purgans. Fieri possunt FLORES & VITRUM ex Marcasita, imprimis ad modum vitri antimonij qui infusi in liquorem *solent purgare instar infusi antimoniati.* Sequuntur RECREMENTA METALLICA ARTIFICIALIA, quæ scilicet infusione aut liquatione metallorum solent subnasci. Inter quæ est.

CAPUT XIX.

De Recrementis Metallorum artificialibus.

Recrementa Metallorum artificialia voco, quæ separantur à Metallis, dum in fornace funduntur, & purgantur.

Suntque:

1. Cadmia 2. Diphryges. 3. Lithargyrium. 4. Molybdæna, s. Plumbago. 5. Tutia, s. Pompholyx & Spodium.

I.

CADMIA.

Cadmia { Nativa { metallica, *v. Cobaltum.* / metalli expers, *v. Lapis calaminaris.* } / Factitia, *de qua hic.* }

Cadmia factitia est corpus densum, ex fuligine æris, dum in fornace conficitur concretum, adhærens lateribus, cameri sque fornacum, vel & in partem infimam delabens.

Dicitur Καδμεία, Arabicè Climia, vel Chlimia.

Triplicis id fit generis, nominibus à re, quam repræsentare videtur, sumptis.

Botritem appellant, quæ uvæ speciem refert: Ostracitem, quæ testis similis est: Placitem quæ crustis.

Botritis reperitur in fornacis parte media: Ostracitis in infima: Placitis in editiore.

N. 1. Sunt qui Capnitem & Calamitem addunt.

Capnitem, quæ in ipso fornacum ore reperitur, tenuissima, exusta & nimiâ tenuitate simili favillæ. Verùm hæc à Pompholyge vix vel parum differe videtur.

Calamitem vocant, figurâ Calami, quam à pertica ferrea acquirit. Nimirum decutitur hæc à ferreis perticis, quibus Cadmia, dum æs fusum iis agitatur, adhærescit.

N. 2. Quin & Cadmia paratur ex Pyrite Lapide in fornace usto.

Optima est Botritis, densa modicè gravis, & in lævitatem magis inclinans, racemosa facie, quæ fracta cinerulenta est. *Diosc.*

Vires. Leniter desiccat, abstergit, ulceribus humidis & putrescentibus confert, eademque ad cicatricem ducit. Adhibetur autem Botritis & Placitis imprimis in affectibus oculorum, reliquæ in ulceribus aliis.

PRÆPARATA

1. Tutia (potiùs Cadmia) præparata Officinarum.

Igniatur & extinguatur Cadmia in aqua rosarum, idque ternâ vice, hinc lavetur ut Pompholyx.

2. *Collyrium album Galen. v. Dispens.*

N. Præstat in Colyrio hoc, ut & in aliis loco Cadmiæ adhibere Pompholygem seu Tutiam. Nec audiendi sunt, qui Cadmiam & Tutiam confundunt, Tutiamque faciunt, quæ Tutiæ minus legitimæ, rectiùs autem Cadmiæ species est.

3. *Unguentum de Tutia Nicolai, V. D.*

4. *Emplastrum de lapide calaminari V. D.*

II.

DIPHRYGES.

Diphryges est genus recrementi metallici, quod subsidet dum æs in fornace fusum aqua frigida perfunditur.

Vires. Mistam habet facultatem, continet enim in se quiddam & mediocriter astringens & mediocriter acre: quamobrem ulcerum rebellium optimum medicamentum est.

Usus in officina est rarissimi.

CADMIA FACTITIA. Quæ nihil *est* aliud nisi *fuligo æris*, quæ infusione metalli fornacibus adhæret, vid. AUCTOR. Et quidem *pro varietate formarum*, secundum quas concrescit hæc fuligo, varias *sortitur appellationes*, quæ videantur apud auctorem. Hæc *Cadmia factitia* usum imprimis habet *externum* Chirurgicum, quoniam valdè convenit *in Ulceribus* iisque *inveteratis*, in Ulceribus *cacoëtheis & fluentibus* s. manantibus, His enim *inspersus pulv.* cadmiæ multum solet conferre in exsiccando & absumendo fermento corruptivo Ulcerum: Unde etiam postmodum incarnationem & cicatrisationem promovet per consensum: Hæc *si præparetur* per ignitionẽ, & extinxionẽ *vocatur* in Officinis TUTIA *præparata*, potius vocanda Cadmia præpar, at quoniam *Tutia differt ab hac.* Valde convenit *in affectibus oculorum*: sive sub *forma* pulv. insufflatur per canalem in *Ophthalmus*, aut *ulcere* vel *pure* sub cornea laborantibus; sive fiat exinde *unguentum*, quod dicitur *collyrium album GALENI* item *unguentum de Tutia*, quod in officinis prostat, quæ sunt *usitata* in affectibus oculorum, qui non incommodè permiscetur unum alterumve granum camphoræ aut croci &c.

III.

LITARGYRIUM.

Lithargyros, Lithargyrium Officinis, spumosum excrementum est, è purificatione argenti, quæ per plumbum fit residuum.

Duo ejus genera communiter statuuntur, videlicet Lithargyrium argenteum, quod coloris albi; & aureum, quod flavi coloris existit. Verùm non nisi coctione differunt, aureumque magis coctum est, quàm argenteum. German. *Gleet.* Litarge.

N. Nihil aliud est, quàm saturn.

Vires. Siccat & refrigerat moderatissimè, adstringit reprimit, occludit, cava explet, extergit, sarcoticum est.

PRÆPARATIONES.

Præparationes easdem cum saturno, pro re nata tamen suscipit. Unde Medicamenta quoque eadem suppeditat, quorum tamen præcipua sunt.

1. Sal Lithargyrij, Alumen saturni Paracelso

Paratur beneficio aceti destillati non secus ac Saturni: decantatur solutio, filtratur ac inspissatur.

Vires. Ex præcedentibus collige, & si libet respice ad sal saturni. Internè exhiberi quoque poterit in diarrhæis, dysenteriis, reliquisque morbis resolutis. Intestina læsa ac ulcerata sanat ac consolidat sanguinem æstuantem refrigerat.

Dosis ℨß. cum Theriaca vel alio Electuario sudorifico sive anodino.

Magisterium.

Præcipitetur solutio cum oleo tartari.

3. Oleum Lithargyrii rubrum.

℞. Sal. Lithargyr. S. com. decrepitat. ã M. ac destilla per retortam.

Vires. Curat vulnera oculorum, caput mortuum nigrum inspergitur vulneribus.

4. *Extractio seu Tinctura Lithargyrii Terebinthinata, aliàs Balsamus.*

Lithargyrii Terebinthinatus.

♃ Sal. Lithargyr ℥ij. spir. Terebinth. ℥iv. macera in cineribus calidis, & rubescet.

Vires. Mirarum existit virtutum in Chirurgia, convenit ulceribus inveteratis, ut & tumoribus, curat vulnera, eadem ab accidentibus præservat, præcipuè si addatur Camphoræ ʒß. succurrit itidem fistulis, cancro, morphæis & aliis.

5. *Balsamus, seu unguentum.*

℞. Acetum Sale Lithargyrii impregnatum, misce cum oleo (præstat in mortario plumbeo) sic coagulatur in linimentum.

Vires. Confert inflammationibus, ambustis, podagræque calidæ, & simil. [Mammillis affectis, alsatis, Sautes Brust, Sælblen.]

N. Eodem modo fit & Balsamus Saturni, ex aceto sale saturni impregnato, & oleo olivarum.

6. *Liquor.*

℞. Sal vel Magisterium Lithargyrij, solve per deliquium.

LITHARGYRIUM. *Lithargyrium* nihil *est* aliud nisi *plumbum beneficio cujus* per fusionem *depuratum fuit aurum Lun.* Dixi enim superius, quod depurentur aurum Lun. à reliquis metallis, si fundantur cum Saturno, qui absorbet reliqua omnia metalla viliora, & sub formâ scoriarum absumit, aurum & Lun. v. resident pura ac nitida: ab his Saturnus imprægnatus & transmutatus dicitur Lithargyrum: cujus genera sunt duo: AUREUM & ARGENTEUM. *Differunt* quippe *coctione* & puritate, aureum est purius, & à depurato auro desumitur, argenteum impurum, & à Luna desumitur. Germanis vocatur. Cum Saturno convenit, & est, uti dixi, Saturnus s. plumbum quod adhibitum fuit in auro & Lun. depuratione. Ergo etiam *eosdem* habebit *usus* medicos, *quos* Saturn. imò ferè *eadem medicamenta* possunt exinde parari, quæ ex Saturno. Beneficio aceti destill fit sal *Lithargyri* quod à Satur. vocatur *saccharũ Satur.* & cum hoc omninò unum idemque est. Unde etiam tam interno quam externo usu potest adhiberi; *internè in affectibus splenis, malo hypochondriaco, dysenteria* ac *diarrhæa. Externè* in *cosmeticis, erysipelate, vulneribus* & *ardoribus* partium *ambustis*, &c. vid. quæ dixi de saccharo Satur. ea enim omnia hic applicari possunt. MAGISTERIUM quod fit, si solvatur hoc in acet. & præcipitetur cum Ol. Tart. imprimis solet adhiberi pro usu externo. Alias fit magisterium per solutionẽ Lythargirij in acet. destill. factam, quæ præcipitatur *cum spiritu Vitrioli* & hoc potest adhiberi pro usu *interno*, quod valdoperè *refrigerare* dicitur, & insigniter prodesse *in peste*, est subacidi saporis. *Extractum* s. Tinct. Lithargyrij Therebinthinata est nihil aliud, nisi balsamum Lithargyrii Terebinthinatum: Sicuti balsamum Satur. Terebinthinatum *fit immiscendo* sal Satur. ita etiam sal *lithargyri* permiscetur *cum Therebinthina*: Est egregium in Chirurgicis casibus; In purificandis *Vlceribus* nimis *dolorosis, & cum inflammatione* conjunctis. In *vulneribus* imprimis cum camphorâ, uti rectè habet *AUCTOR*. Ex hoc balsamo potest fieri *Tinctura* cum spiritu vini. vid. quæ de Saturno. Aliàs potest ex Lithargyrio fieri *unguentum* egregium multi usus in morbis externis, quod fit *hoc modo*: Jovis, Lithargyrij triti ℥j. affuso aceto fortissimo ad mensuram 1. coque ad consumptionem medietatis, filtra per manicam Hippocratis vel etiam saltim per filtrum commune & serva. Postmodum Jovis aqu. rosarum ʒß. aluminis, Ol. Tart. p. d. āā ℥j. Borracis ʒß. Coque hæc invicem cum priori solutione, & cola, usum habet externum in *lentigine serpigine, impetigine &c.*

IV.

MOLIBDÆNA, SEU PLUMBAGO.

Molybdæna s. Plumbago duplex Dioscoridi est: nativa & factitia.

Illa nihil aliud esse videtur, quàm lapis, s. Minera plumbi, seu potius Minera plumbi & argenti simul.

Factitia est species Lithargyrij, videlicet est illud recrementum, quod in argenti, aurique purificatione cum plumbo, minerave plumbi instituta, fornacis solio concretum & perustum adhærescit.

Vires. Similem Lithargyrio vim possidet, ad frigidum paululum recedens, sed nec abstergentis facultatis est particeps.

N. Vtraque celerrimè funduntur.

PLUMBAGO. Quæ est *Minera impura plumbi*, si est *nativa*: sin v. est *factitia*, nihil est aliud nisi *plumbum calcinatum*, in fusione metallorum, de quâ superius locuti sumus, quod adhæret fundo furni in quo facta est depuratio, unde revera est *eadem plumbago cum Lithargyrio*, nisi quod sit magis calcinata, & exinde eadem remedia & usus dabit, quos Lithargyrium.

V.

TUTIA, seu POMPHOLYX, & SPODIUM.

Pompholyx est favilla tenuissima & volatilis, quæ dum æs in fornacibus perficitur, supernæ earum parti adhærescit. Arabicè Tutia, Latinè Bulla, Offic. Nil, vel nihili album. German. *Vveisz nicht, Angen nicht.* Tuthie blanche.

N. Coit ibidem in glomusculos vellerum similes, contactaque farinæ modò dispergitur. Eodem modo & Cadmia vi ignis violenti in favillam seu tutiam redigi potest. Vide Diosc.

Spodium est favilla eadem ob gravitatem in pavimentum decidens. Græcè σπόδιον, & σποδὸς. Latinè spodium Græcorum Offic. Nil vel nihili gryseum Germ. *Grau nicht.* Tuthie grise.

N. Dicitur Spodium Grecorum ad differentiam Spodij Arabum, quod nihil aliud esse ait Avicenna lib. 2. canon. tractar. 2. c. 617. quàm radicem alcannæ combustam, cujus vires refrigerent & exsiccent, stipticæ sint & confortent cor, conferant tremori cordis & syncopi ex cholera subortæ, &c. Hoc igitur cùm nobis desit Officinæ nostrates Ebur ustum ejus loco vendunt, ceu viribus similibus præditum.

Vires. Pompholyx Medicamentorum prope omnium, quæ citra morsum deficcant (si lota fuerit,) præstantissimum est, quamobrem ad ulcera cancrosa idonea existit, ut & ad alia omnia maligna. Inditur Collyriis, quæ ad oculorum imponuntur fluxiones, quæque bullas seu pustulas in eis natas curant.

Spodium Græcorum uti specie à Pompholyge non differt, ita & viribus inter se conveniunt.

N. Legitima hæc Pompholyx ac Spodium rarò in Officinis nostratibus extant, unde ejus loco Cadmia uti solent: verùm operæ pretium est de legitimis comparandis esse sollicitum.

PRÆPARATA.

1. *Tutia lota.*

℞. Pompholygis q. v. inde linteolo modicè rarò agitaque in limpida, ut tenuior ac utilior tutiæ pars aquæ immisceatur, & nil in linteolo remaneat, præterquam quod inutile est. Hinc residere permittitur, ac aqua decantatur.

2. Vnguentum nihili ad oculos. *V. Aug.*
3. Aliud ad oculos *V. Aug.*
4. Diampompholygeos Nicolai, nihil dictum.

De

De Tutia.

N. Hic recipienda Cadmia.

TUTIA s. POMPHOLYX & SPODIUM. *Pompholyx est tenuissima favilla* & quidem in fusione æris superiori fornacum parti *adhærens. Arabibus* dicitur *Tutia vera.* In officinis vocatur *Nil vel* NIHIL : *Spodium* GRÆCORUM est *eadem* res *atque Tutia* s. pompholyx, nisi quod sit *gravior* & propter gravitatem non adhæreat superiori fornacum parti, sed in Terram decidat. Dicitur spodium Græcorum. Nam *spodium ARABUM* nihil aliud *est* nisi *Ebur ustum* nostras, ut saltim Ebur nostras est spodium Arabum, sunt tamen etiam qui putant quod *spodium Arabum* verum *sit* TABAZIR, seu succus lacteus expressus ex arundine *seu saccharum.* Pompholyx habet *usum externum* in Chirurgiâ, & quæ dici possunt de cadmia factitia, valent de Pompholyge : valdè convenit imprimis *in affectibus oculorum*; unde usurpatur *in collyriis* tam humidis quàm siccis : Item in *unguentis*: nihilque habetur melius in officinis ad oculorum affectus quam hæc Tutia. Item *unguentum diapompholygos* est egregium *in scabie*, in *pustulis cutaneis*, item in vitiis & *lacrymis oculorum*, in *lippitudine* & *ophthalmia* &c.

Missis jam metallis pergimus ad
SALIA.

CAPUT XX.

De Salibus in genere.

Salia nihil aliud esse quàm corpora mineralia aqua solubilia ac denuò in salinam crystallinamque formam coagulabilia, libro primo dictum est : hoc loco ulteriorem eorum enodationem aggredientes, quatenus ea medicam provinciam subeunt, referemus.

Salia quæ medico usui inserviunt, adeoque præparatis inde parandis materiam suppeditare apta sunt, triplicis quidem sunt generis, pro triplici scil. mundi regno, minerali, vegetabili, animali; attamen hoc loco primariò non nisi de minerabilibus agere convenit, iisque nativis solis, ad quorum normam tamen & artificialia, sive mineralibus, sive vegetabilibus, sive animalibus, elixiviata illa fuerint, facilè dirigi poterunt.

De horum Salium origine sic sentio : Macrocosmus non minus ac reliqua duo mundi regna suâ sustentatur, vivitque nutritione. In hac redundat perittoma salinum, respondens salsuginosis excrementis, in animalium urina, sudore, catarrho, & simil. deprehensis. Dictum perittoma macrocosmicum salinum, in globo hoc inferiore congregatum, variam pro varietate matricum induit speciem, non secus ac excrementum illud salinum in animalibus differens evadit.

Hinc.

Sal. { Commune, Gemmæ, Nitri, Alumen, Ammoniacum, Vitriolum.

Quibus & arsenicum addere licet, quod tamen inter Salia & Sulphura ambigit.

Eligenda sunt Salia hæc in genere loco natali celebriora, tum puriora, nitidiora, & si natura ferat, crystallina.

PRÆPARATIONES.

Præpationes, quibus Salia subjiciuntur, sunt 1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Destillatio. 4. Sublimatio 5. Fixatio. 6. Liquatio.

I. PURIFICATIO.

Salia, quia plerumque heterogeneis scatent, minusque syncera existunt, depurari opus habent. Depurationis hujus modus pro varietate salium varius quoque institui potest. Potissima tamen ratio salium purificandorum consistit in solutione soluti filtratione, filtrati exaltatione, adeoque salis concretione, vel crystallisatione.

Solvuntur Salia non nisi in liquore aqueo (non sulphureo aut pingui; & proin nec in spirit. vini rectificatiss.) Liquor hic, nisi specialis accesserit admonitio, adhibetur vulgariter aqua fontana, in qua sal quodlibet maximè si tepefiat, dissolvitur, dissolutum per chartam trajicitur, ut fæcibus in charta relictis syncerum transeat : Hoc postmodum, humiditate ad siccitatem usque abstractâ, condensatur, vel s. a. cum aliquota liquoris portione crystallisatur.

II. CALCINATIO.

Calcinantur Salia per ignitionem, idque vel sine, vel cum fusione : & interdum accedente subindè materia servili, de quibus speciatim in singulis.


III. DESTILLATIO.

Salium Destillatio, quia utplurimum spiritu fixiori gravida sunt, per retortam peragitur, eamque vel simplicem, vel tubulatam; vitream, vel terram; idque igne tum arenæ, tum nudo, pro fixitate scil. majore vel minore liquoris eliciendi adhibito.

Per retortam tubulatam destillatio hoc modo peragitur.

Ad manus habere docet retortam terream fortem, quæ in superiore ventris sui medietate tubulum habeat foramine pervium, quo materia per vices injici, quodque post injectam materiam obturari firmiter possit. retortam hanc (si lubet loricatam) luto in fornace destillatoria obfirma, ut tubulus emineat, fumariis tamen uno ac altero relictis. Hinc rostro apone receptaculum capacissimum (quia spirit. cum impetu irruentes amplum requiritur spatium,) juncturis firmiter luto firmatis. Luto lente exsiccato accende primò lentum ignem, hinc fortiorem, ut retorta incandescat. Tum injice materiam paulatim per tubulum, foramenque vel luto, vel bacillo stuppâ humidâ circumdato obtura, donec spirit. illi impetuosi coagulati (aquæ in receptaculo immixti) sint, receptaculumque clarescat. Hinc iterum injice, obturaque ut dictum. Et sic paratur Clyssus.

Vide de his figuram appositam.



N. 1. Commodum erit aliquotam aquæ partem receptaculo infundere, cui scilicet impetuosi illi spir. immisceri, adeoque condensari possint.

N. 2. Salia simpliciora citra fluxum seu fusionem destillari volunt, quare ne inter destillandam vi caloris fundantur, duplum, triplum, &c. vel arenæ, vel farinæ, laterum, vel argillæ siccæ, humidæve commisceri solet, quorum beneficio fusio illa præcaveatur.

IV. SUBLIMATIO.

Sublimatio non nisi Sali ammoniaco peculiariter ac præcipuè competit, ut & arsenico. Flores enim Salis communis uno & eodem destillationis actu acquiruntur.

V. FIXATIO.

Fixantur Salia diversimodè, de quo speciatim suis locis.

VI. LIQVATIO.

Liquari possunt Salia, si vel aëri humido exponantur, vel liquore aqueo aspergantur.

Formæ Medicamentorum, seu

PRÆPARATA.

Salina sunt.

1. Crystalli seu Sal purificatum.

N. Crystalli salis, si simpliciter præscribantur, nihil aliud denotant, quàm sal crystallisatione purificatum, sic conficiuntur Crystalli salis nitr. &c.

Excipe Crystallos salis comm. dulces de quibus in cap. sequenti.

2. Sal calcinatum.
3. Destillatum, unde { Phlegma. Spiritus. Oleum.
4. Sublimatum Flores.
5. Fixatum.
6. Liquor Balsamus.

Ex quibus habuimus Vitriolum, alumen, sal ammoniacum. Restat sal commune & nitrum. In genere quod attinet salia, notum est, quod omnia *tria regna subministrent* sua *salia*: regnum *vegetabile salia volatilia & fixa. Animale solum salia volatilia*, quia in animalibus nulla sunt fixa. Regnum *minerale* subministrat imprimis salia, quæ *propriissimè sic dicta salia* sunt, quæque in prima sua origine & natura sunt *acida*: Et hæc salia imprimis *oriuntur ex radice salis universalis*, quod aliàs vocatur sal TERRÆ CENTRALE, *& participant* omnes *ejusdem* vires, nihilominus pro varietate concretionum naturalium suas *specificas* sortiuntur *differentias*. Vnde omnia salia cum universali certam habent cognationem ratione centri s. orignis, quod est ex universalis naturæ Sale. Et quidem *salia mineralia* quò magis sapiunt originem nativam. *Sunt* magis *naturalia*, cum è contra *vegetabilia* salia *sapiant artem*. Aliàs in genere qui non inelegantem vult discursum & scrutinium salium vid. *ZVVÖLFFERUM in Appendice ad animadversiones in Pharmacop. August.* & postmodum *TACHENIUM*, qui elegantissimè salia pertractavit in *Hippocrate Chymico*. Plura habebimus de salibus in parte anteriore. In genere hoc singulare est, quod sal *habeat* magnam *convenientiam cum* aqua & liquoribus aquosis, & succulentis, & *in illa liquescat* facilè. Unde diffluit in aere humido, & promptissimè dissolvitur in aqua; & quidem *insinuat sese in poros aquæ diversissimè*; Ita si solvas in aqua communi, sal cōmune quantum possit dissolvi, & huic aquæ injicias adhuc sal petræ, tunc magna etiam pars salis petræ dissolvitur, donec sit saturata aqua si adhuc injicias de Vitriol. & etiam post Vitriol. de alumine, certa portio de vitriolo & alumine solvitur, prout pororum sufficit quantitas, ut absorbeant salia. Est experimentum hoc GASSENDI. Jam quò majorem convenientiam habent Salia cum aqua, eò majorem *inimicitiam* gerunt cum oleo & sulphuribus; ut propterea *nullum Sal possit solvi in spiritu vini*, si sit rectificatus. Unde & ipsum *saccharum*, quod est naturæ salinæ, *non potest solvi in spiritu vini*, nisi habeat copiosum phlegma, nullo modo, si spiritus vini sit benè dephlegmatus. Omnia *Salia subministrant* SPIRITUM ACIDUM, plus minus varium pro varietate Salium. *Quæstio* est *unde* sit, cum talia Salia indantur retort. sicca, v. gr. Sal commune & nitrum, & quod prodeat spiritus aquosus & humidus. *Resp.* Istam humiditatem *habent ex aëre* ambiente, & qui est tam in cavo retortæ, quam in ipso recipiente. Nam *vitrum habet poros copiosissimos*, per quos aer transit vitra, & quæ in iisdem contenta sunt, alterat. Unde etiam atomi salini pro ign. torturam à se invicem discerptæ, segregatæ & dispersæ, dum cum impetu ruunt in recipiens, se uniunt cum atomis aquosis in recipiente, ex qua unione fit liquor, quem nos vocamus spiritum sal. vel spir. nitri &c. Et quidem cum *salia* soleant fluere in aqua, & sub tali forma, *dum fluunt* & liquescunt, *nullas* ex se *dimittunt particulas, ut fiat spiritus*. Hoc ut præcaveamus, propterea solemus *permiscere* in destillatione *corpora terrestria*, bolum, & argillam, lutum calcinatum &c. ut impediatur fluor, s. ne fluant & liquescant, sed potius ut dimittant suas particulas salinas, seu salia sine fluiditate: Id quod *non necessum* habemus *in destillatione spiritus Vitriol. & aluminis*. Nam Vitriol. habet adhuc permistas particulas metallicas, alumen partes saxosas. *Destillantur* spir. salium *per retort.* vulgarem, vel per retort. tubulatam: Figuram habet AVCTOR, sed est minus concinna.

CAPUT XXI.

De Sale communi.

Sal commune nihil aliud est quàm salsugo aquæ salsæ, (marinæ scil. vel fontanæ) quæ salsugo humiditatis aqueæ evaporatione inspissata remanet.

Dicitur Basilio Monacho, nobilissimum ac optimum aroma. Græcè ἅλς. Arabicè Melich, Melha. Germanicè Saltz, *Kuchen Saltz*. Sel, sel de Cuisine.

Duplex Salis hujus genus occurrit, marinum scil. & fontanum, utriusque diversæ sunt species.

Primas autem Sal marinum sibi vindicat, ac præcipuè Hispanicum, in cujus tandem defectus satius est sal fontanum, quod ad manus est, in præparationibus nostris recipere, quàm aliud Salis genus cum sumptu acquirere.

Inter fontana tamen maxima quoque diversitas est, reliquisque laudem præripere videntur Hallense ac Luneburgense, quibus tamen haud multùm cedit quod in Patria mea Ussleniæ Vvestphalorum paratur.

Vires. Calefacit, exsiccat, abstergit, dissolvit, purgat, adstringit leniter, consumit superfluitates, penetrat digerit aperit, incidit, Venerem stimulat, putredini, venenisque resistit.

Hinc convenit internè in cruditatibus ventriculi, appetitu prostrato, obstructionibus alvi & urinæ, colicis doloribus, &c.

Externè, in ulceribus putridis ac serpentibus mundificandis, in tumoribus simplicibus & pestilentialibus discutiendis, ignicombustionum ἐμπυρεύματι extrahendo, in pruritu & scabie exsiccanda, in suggillationibus, sanguineque extravasato resolvendo ac discutiendo, in dolore dentium, colico, cephalico, arthritico, & simil. mitigando, in oculorum pterygio absumendo.

N. Ad salis hujus communis naturam accedunt salia artificialia, ex vegetabilibus ac animalibus incineratis scil. elicita, unde & iisdem ferè præparationibus subjici queunt.

PRÆPARATIONES.

Præcipuæ sunt.

1. Purificatio. 2. Calcinatio. 3. Destilatio. 4. Sublimatio.

I. PURIFICATIO.

Purificatio salis comm. fit modo vulgari, solvendo in aqua, ac crystallisando.

N. Si solutio hæc ac crystallisatio aliquoties aliquo modo repetatur, tandem sal com. dulcescit.

II. CALCINATIO.

1. *Decrepitatoria.*

Sal calore irritatum crepitare solet. Quare ne crepitando vas

vas deſtillatorium diſrumpat, operæ pretium erit idem decrepitare, i.e. ad ignem calcinare, donec amplius non crepet.

2. *Fuſoria.*

Funditur ſal in crucibulo, ſine aliquo artificio, igne ſaltem ſatis forti adhibito.

Aliter cum calce viva.

℞. Sal. Com. calce viva an. miſce ac in anemio calcina igne violento, ut concreſcat. Hinc extrahe Sal cum aqua communi, ac coagula.

Vires. Baſilius Sal Com. hac ratione cum calce viva ter calcinatum (ſingulis vicibus cum nova calce viva anaticè mixtum) adhibet in Tinctura lunæ conficienda. Vide de luna.

III. DESTILLATIO.

Deſtillatio Salis exhibet acidam aquam, phlegma, ſal volatile, & ſpiritum.

Nimirum:

℞. Sal Com. deſtilla per ſe ex retorta, primò prodibit aqua acida, ſeu vitriolata; ſecundò phlegma, cum quo ſal quoque armoniacus, ſeu volatilis ſublimatur. Ceſſa à deſtillat. ac repone caput mort. in loco humido ad attrahendam aquam (vel aliquota aquæ parte irriga;) dein deſtilla rurſum, ſic exibit ſpir. acidus. Hoc repete toties, donec totum Sal Com. in ſpiritum converſum ſit, quem in M B. rectifica.

1. *Spiritus Salis, ſive oleum Sal. Com. vulgare.*

℞. Salis communis ℔ ii. impaſta vel malaxa cum argillæ figulinæ, bolive armen. ℔. iij. ad v. & ultrà, inde forma orbiculos, quos ad duritiem exſiccatos, impone retortæ terreæ luto obductæ, vix ad medietatem implendæ: jungatur Recip. ſatis capax, & ſervatis ignis gradibus, donec phlegma egreſſum ſit, ultimò pelle forti igne continuando eundem, donec ſpir. albi prodierint: ſpiritum hunc rectifica, phlegma vel in Mar. Baln. abſtrahendo, vel ſi mavis evaporando.

N. 1. Si terram ſigillatam loco argillæ ſumpſeris, præſtantiorem elicies ſpiritum: Quinimò ſal cum triplo arenæ vel farinæ laterum, vice argillæ miſceri poteſt.

N. 2. Quandoquidem in prima deſtillatione Salis portio minima in ſpiritum reſolvitur, nonnulli caput mortuum in aqua communi coquunt, & Sal Com. inde extractum, ut priùs deſtillant.

Alii ſal extractum cum ſpiritu illo priori miſcent, aliquamdiu digerunt, & deinde cum bolo & ſim. deſtillando, totam ſalis ſubſtantiam in ſpiritum tranſire faciunt. *Croll. Senn. in inſt. lib. 5. part. 3 c. 5. Beguin. Agricola*

N. 3. Impaſtatur Sal ne fluat, quippe ſi fluxerit, vix ſpir. aſcend...

N. 4. Alii.

℞. Aluminis uſt. part. ij. Sal. Com. p. iij. deſtillantque: verùm ſpiritum ſal. com. purum hac ratione acquiri non videtur veriſimile, imò in examine conſtat, ejuſmodi ſpir. vim ſuam ab alumine potiùs obtinere, quàm à Sal. Com.

Vires. Diureticus eſt & Lithontripticus, tartareamque mucilaginem potenter reſolvit, unde utiliter adhiberi ſolet in obſtructionibus Epatis, Lienis, &c. in Hydrope, Ictero. Extinguit ſitim mirabiliter, abſumit corrodendo & ſine dolore quicquid in vulneribus aut affectionibus aliis putredine corruptum eſt.

Mixtum cum oleo Terebinth. Cera, Camomil. Verbaſci, & ſim. dolores podagricos ſedat, tophos diſcutit, &c. Sanat quoque membrorum contracturam ac ariduram.

N. Ad eundem modum eliciuntur & ſpir. ex ſalibus artificialibus vegetabilium, quorum vires licèt ex plantis ſuis aliquo modo conjecturari poſſint, (e. gr. ex ſale abſynthii elicitur ſpir. ſtomachicus, &c.) Attamen ſpir. vegetabilium in genere omnes ſunt acidi, inſtar ſpir. Sal. Com. incidunt, reſolvunt, &c.

2. *Spir. Salis compoſitus.*

℞. Sal. Nitr puriſſ. & Sal. Com. decrepit. (vel fuſi) ana M. cum dupla vel tripla quantitate (alii quadrupla,) argillæ ſiccæ, & exinde more ſolito igne nudo ſpiritum provoca.

℞. Hujus ſpir. ℔ 1. Sal. Com. fuſi ℥ v. digere aliquamdiu, ut nimirum Sal Com. adjectum ſolvi poſſit, & protinus per retortam deſtilla. Augebis hac ratione ſpiritum, & fortiorem reddes; quem eodem planè modo cum novo Sal. Com. fuſo, eadem quantitate ſumpto, pro libitu toties augebis, quoties placuerit. Abſtrahe ab hoc ſpiritu phlegma, & deinceps eundem rectifica per retortam. *Vntzer. Agricola.*

Vires. Maximarum eſt virium in Hydrope, intrinſecus & extrinſecus adhibitus, confert itidem in fiſtuloſis vulneribus.

[*Spiritum Salis roſatum, vid. ſuprà Spiritum regium.*]

3. *Spiritus Sal. Com. viridis.*

℞. Fragmenta laterum, indantur ollæ, ignianturque in fornace calcaria; ollæ huic alia ſuperpoſita ſit olla, ſale aliquatenus adimpleta; quod ubi vi caloris liquefactum fuerit, pertunde fundum ollæ ſuperioris, ut ſal fuſum in ignita defluat laterum fragmenta, cumque iiſdem miſceatur. Ex his igitur deſtilletur ſpirit. per retortam, ut moris, *Sennert. inſtit.*

N. Idem perfici poteſt, ſi ſale in cella liquefacto fragmenta laterum ignita imbuantur.

4. *Spiritus Sal. com. corallatus.*

℞. Sal. comm. ℔. iij. vel iv.
Corallor. tenuiſſ. tritor. ℔. 1. M. lævigando ſuper porphyr. poſtea igne deſtilla vehementiſſimo in excipulum capaciſſ. & ſpiritum ſalis accipies unà cum ſpiritu coraliorum

N. Addere potes & ſabulum, ut fuſio impediatur.

Vires. In affectibus cordis, palpitatione ſcil. & ſim. maximarum eſt virium.

Doſis ℈ß.

5. *Spiritus Salis dulcis.*

℞. Spir. Sal. Com. optimè dephlegmati, ſpirit. vini opt. ana. M. deſtillentur ter vel quater, ſic unientur inſeparabiliter & dulceſcent.

[*N.* 1. Dulcis dicitur, quia mitior, rodente aciditate hebetatâ à ſpirit. vini.]

N. 2. Eandem dulcedinem conſequi poteris, ſi vel ſpirit. vini, vel ole. Tartari, vel fæces vini ab initio deſtillationis cum Sal. com. commiſcueris.

N. 3. Exuitur quoque ſpir. Sal com. vi corrodente, ac velut matureſcit, dulceſcitve, ſi dephlegmatus vaſe firmiſſimè clauſo trimeſtri ſpatio in cineribus continuò atque æquali calore tepentibus (qualis eſt ſolis æſtivus) digeratur.

Vires. Egregium præſervativum eſt in peſte, arcet enim omnem putredinem; Ventriculum cum viſceribus reliquis in optima conſervat diſpoſitione.

Solvit corallia, &c. quin imò & ſolis tincturam extrahit. *Vide aquam temperatam Baſilij in ſpirit vini lib. 4 claſſ. 2.*

Uſus. Cum ſaccharo candido in formam Electuarii miſceri, ſinguliſque diebus jejuno ventriculo aſſumi poterit. Hartm. in pract. loc. de peſt. Senn. in hiſt. Tentz. Gluckrath, &c.

6. *Aliter.*

℞. Sal fuſum, ſolve in aqua pluvia deſtillata, filtra, inſpiſſa, ac repone ad cryſtalliſandum: Cryſtallos hos exemptos, vicibuſque aliquot (10.) uti dictum, ſolutos & cryſtalliſatos, (ſic dulceſcent) imbibe cum ſpirit. vini, formaque globulos cum argilla, deſtillaque ut moris eſt.

Vires. Præter virtutes jam deſcriptas, inſigne exhibet menſtruum ex rob ferè omnibus tincturas extrahere idoneum: Inſuper Herniam carnoſam conſumit, ſi quotidie ter illinatur, maneque ac veſperi ejus gutt. ſex aſſumantur. Agricola.

7. *Spir. Sal. com. dulcis compoſitus.*

℞. Spir. Sal. com. compoſiti ac Alcohol Vini ana. M. ac uni circulando, cohobandoque.

Vires. Adeo reſiſtit ſiti, ut Hydropici uſu illius aliquamdiu à ſiti liberi reddantur: prodeſt etiam Ictericis, Lumbricos potenter expellit, extrinſecus lenit podogram, ſi cautè illinatur, imò quicquid de Ol. ſpiritu ve Sal. Com. apud Paracelſum, aliosque modernos Authores legitur, idipſum huic potiſſimùm adſcribendum eſt.

Doſis g. 6. ad ℈ß *in vino vel alio Liquore. Hartman. in Croll. Tentzel. Vntzer.*

8. *Spiritus Sal. Com. vitriolati diureticus.*

Fit ex leviter calcinati vitrioli & Sal. Com. tosti partibus æqualibus cum bolo vel Terra figulinâ globulis confectis (meo damno expertus vitriolum his non sufficere ad cohibendum fluxum, fixitatemque materiæ) more verò communi spiritus evocatur, qui postea per rectificationem à phlegmate liberatur.

Dosis gutt. vj. matutino tempore cum brodio decoctionis petrosel. Ex communicatione G. Horstij habuit S. Closs.

9. *Spiritus Essentialis.*

℞. Salis Hallensis ad albedinem calcinati (qui hâc in operâ reliquis præfertur) ℥ij. Imbibatur ole. Sal. Com. mar. vel montan. ad consistentiam pultis liquidioris, fiat clauso vase digestio, quousque spiritus cum Sale Comm. calcinato unitus siccatusque sit: affunde alium imbibendo, desiccandoque toties, dum sal ulteriorem proprii sui spiritus incorporationem recuset, & ex colore aureo, odoreque suavi dignoscas, destillationis tempus instare, quam si per retortam instituas, exibunt fumi albissimi, qui in aquam convertuntur, & rectificatione opus habent.

Vires. Dicitur ex auro tincturam absque corp. dilaceratione allicere. Est insuper remedium sistendis in momento vomitibus dicatum & certum, idque indifferenter, & in omnibus morbis.

Dosis gutt. 3. in Syrupo, jusculo, vel vino.
Ex commun. S. Clossai.

10. *Spiritus Salis Com. dulcis solem solvens.*

Extinguantur fragmenta laterum 5. aut 6. vicibus in oleo Sal. Com. postea destillentur, prodibit spiritus subacidus, qui in volâ solis folia & margaritas solvere creditur. 2. Flos Salis, sive crystalli Sal. Com. dulces collo retort. post destillationem affixi, longoque tempore cum spiritu vini digesti idem efficiunt. 3. Solus spiritus sal. com. vi circulationis diutinæ caudam suam devorat, id est, acedinem suam innato suo balsamo dulcificat. 4. Idem cum spir. ardente saturni mixtus aliud menstruum dulce præbet solis solutivum. 5. Ex spiritu Roris Maialis & sole calcinato fit alia aqua solutiva, dulcificata longâ digestionum & irrorationum serie, quæ solem in liquorem volatilem potabilemque evehit.

Ex Communicatione ejusdem.

11. *Crystalli Sal. Com. dulc. seu spiritus Sal. Com. coagulatus.*

F. retorta terrea, ampla & fortis, quæ in superiore ventris capacitate fistulam habeat, in medium retortæ corpus ponè desinentem. Huic retortæ impone Sal commun. vel quod melius, Hispan. seu marini ℔.iij. vel iv. Receptaculumque adapta capacissimum, cui si libet aquam infundere licet; adde ignem per gradus, donec Sal Com. fluat, tùm per fistulam guttula una vel altera aquæ frigidæ immittatur, ut (fistulæ orificio statim obstructo,) in retort. spirituum copia mediante humiditate elevetur, inque receptaculum propellatur. Continua hoc ipsum, donec Sal Com. in spir. ferè sit redactum. Dephlegmetur dein destillatum, evaporetque humiditas; reliquum exponatur ad crystallisandum s. a. sic chrystalli colligi possunt Sacchari dulcedinem referentes, solubilesque per deliquium.

Vires. Sudorificum est, Hydropicorumque sitim non minus ac spir. ille salis dulcis compositus arcet, quippe nihil aliud est, quàm spir. Salis coagulatus, unde quoque essentialem humiditatem, quæ multùm in Hydropicis exhauritur, maximoperè adjuvat, ventriculumque ac viscera reliqua confortat, malignitatem in peste pestilentialibusque febribus potenter discutit.

Dosis gr. 5. 6. 7. ad 10.

N. 1. Si ad Sal. Com. exsiccat. ℔. j. addideris carbonum pulverisat. ℔ ij. optimeque miscueris, ex ℔. j. Sal. com. accipies Spiritus ℔ ß. Hartman. in Croll. Kesl. 4. cent. 79. Agricol.

N. 2. Chrystalli hi cum auro impraegnati nobilissimum exhibent confortativum. Fitque si Chrystallorum p. 6. cum auro foliat. p. 1. aliquot horas in crucibulo sub tegula reverberantur. Agricolas.

N. 3. Keslerus docet & follem adhibere, cujus rei gratiâ retortam habere duplicem tubulum oportet: alterum frigidæ immittendæ, alterum folli intromittendo inservientem.

12. *Flores Sal. Com.*

Quemadmodum in succini destillatione flores salis volatilis titulo elevantur, parietibusque ac collo retorta adhærescunt, ita & destillatione spir. oleive salis tandem ignis vehementiâ flores ascendunt, quos collige.

Usus horum varius est, ad crassum plegma incidendum, corruptosque humores à putredine vindicandos.

N. 1. Sunt qui cum saleamoniaco sublimant, verùm decipiuntur, si flores salis simpliciter inde sibi imaginantur.

N. 2. Fiunt etiam flores Salis, si in rectificatione spir. olei Salis id quod residuum fuerit, fortiori igne sublimes.

N. 3. Si destillatio facta sit cum alumine, caput mortuum aëri aliquamdiu expositum, ac iterum destillationi subjectum, plus olei ac florum suppeditabit; potest hoc aliquoties repeti.

13. *Alius spiritus, seu oleum Sal. Com. unde Chrystalli dulces.*

℞. Sal. Com. marini crebris solutionibus (in aqua pluviali vel fontis destillata) filtrationibus & coagulationibus optimè purificati, ℔. vi. adjice dissolventis vitriolati & mellislui ex vegetabili & animali parati (id est, aceti ex melle facti,) q. s. præmissa digestione destilla gradatim ac cautè, ex retorta terrea vel vitrea, luto probè munita in receptaculum capacissimum. Sic elicies Sp. aqueos sulphureos ac vitriolatos, dulces acidosque, qui firmissimè sali reconditi inhærent (gradatim ac cautè destillatio hæc peragenda est. Oportet enim ut vas incandescat, purpureo tamen non claro colore, ne scil. sal com. fluat, & in hoc gradu immorari decet per dies ac noctes 8.) post Sp. nebulosos (in quibus primùm ens metallorum resolutum est,) exhaustos, tandem ad collum recipientis sublimabitur terra foliata instar nivis albissima, vel etiam flava (qui mercur. aut sulphur philosophorum nuncupatur.) Spiritum destillatum, ut & terram conjunge, abstraheque phlegma solummodò insipidum VB. calore lentiss. reliquum repone ad crystallisandum s. a. Et hoc repete, donec nulli amplius crystalli concrescant, & id quod exstillat aciditatem sapiat. Tunc ab opere desistendum, & in fundo cucurbitæ quærendum verum Sal. Com. oleum vitriolatum.

Vires. Crystalli hi, etsi sapore dulces, admirandæ tamen sunt virtutis, adeo ut vel per se seorsim, vel cum oleo suo debita proportione permixti, verum sint Solis menstruum dissolvens, quod proprietates ejus ob virtutes vitales, vegetantesque locupletat & exacuit.

14. *Oleum Sal. Com. rubrum.*

℞. Sal. fusum aceto sufficienter impraegnatum, misce cum silicibus grossè contusis & destilla ex retorta per Aren. prodibit primò Sp. flavus, postea oleum rubrum.

N. Impraegnatio illa fit ut moris,

Nimirum:

Sal. Com. fuso superfunde Acet destill & abstrahe per Aren. iterum superfunde novum Acet. destill. & rursum abstrahe, hoc toties repetendo, donec materia optimè sit putrefacta & nigra.

VI. EXTRACTIO.

Unde

℞. Salis calcinati q. v. solve in aqua still. & coagula, idque repete tantisper, donec Sal purum sine fæcibus dulce reddatur.

Hinc.

℞. Hujus p. ij. aluminis usti part. 1. destilla igne nudo paulatim, donec spir. omnes propulsi sint: spir. hunc rectifica vicibus aliquot (4.) Dein ex capite mortuo Sal cum aqua destillata elicito, idque optimè solutionibus ac coagulationibus purificatum calcina in phiala ad rubedinem, (fit spatio mensis.) Huic demum superfunde spir. priorem, digere, & elicies Tincturam rubicundam, quæ nec recusat per retortam propelli.

Vires. Sudorificum ac diureticum est insigne, tartareas mucilagines incidit, putredini omnigenæ resistit, corroborat itaque Balsamum nativum, adeoque usus præcipui est in peste

ste, febribus, hydrope, calculo (atterit nimirum,) obstructione Eparis, Lienis, &c. Quinimò & sanguinem mundificat, unde maximè prodest in cutis pruritu, doloribus arthriticis, & simil.

Dosis à ℈j. ad ʒj.

SAL COMMUNE. quod ipsum *est vel fossile nativum*, vel FACTITIUM per coctionem. Quod attinet Sal *fossile*, vocatur istud in specie SAL GEMMÆ de quo cap. sequente. sal *commune*, seu factitium *fit coctione* vel *ex aqua marina* vel *fontibus salsis*: Ubi imprimis notum est, quod in confectione salis communis ex fontibus salsis *soleat aliquid inijci de felle bubulo*, *Ratio*, quoniam sic facilius granulatur, & abit in majora granula, quoniam fel bubulum constat sale volat. alcali s. Urinoso subtili, hoc se jungit cum acido salis communis, & sic concrescit in talia granula. *Quidam* loco fellis bubuli injiciunt *aliquid sanguinis bubuli*, ex eadem ratione, ob idem Sal volat. alcali s. Urinosum. Sal *ex aqua marina*, pro varietate locorum *vario modo præparatur*. *In Galliæ provinciis* faciunt propè littus maris foveas, quas replet æstus marinus, & quando exsiccantur à sole, solet in fundo residere copiosum sal. *In Sicilia* conficiunt Sal ex aqua marina, idque super injectione aquæ dulcis. Vid modus in *BARTHOLIN. Cent.1 Epist.54 In aliis* regionibus *alius* solet esse modus. *Primum sal est* istud, quod est *marinum*: hoc enim *ad usum medicum & alchymisticum est optimum*. Hinc spagyri quando volunt *hieroglyphice* scilicet tecto nomine innuere Sal marinum, solent illud vocare, aromata optima quibus nemo potest carere. *Ex hoc* optimus fit SPIRITUS, egregiè *Lithontripticus*, & quidem valdè commendat *HELMONT.* contra Lithiasin, in *tract. Lithiasis* inscripto: Et sunt, qui putant, quod Sal *marinum magis participet de Sale centrali*, sitque magis excoctum à calore radiorum solarium. Spiritus Salis mirè solet in multis *commendari*, *in peste* & in pluribus aliis affectibus. Et propterea etiam *conficiunt* quidam *Elixir proprietatis cum spiritu Sal.* loco spiritus Vitriol. vel Sulph., sive quod idem est, loco spiritus Vitrioli Philosophici: Est etiam hic nihil aliud, nisi spiritus Salis rectificatus, uti superius monui Sal externo usu magnam *habet vim carminativam* & discussivam: Unde notum est, quod fiant *sacculi ex sale tosto* cum semine milii, qui imponuntur ventriculo *in dolore colico*. In dolore capitis *scorbutico* & similibus impositi syncipiti multum conducunt. Spiritus Salis est egregiè *diureticus*, *confortat stomachum*, omnia Salia volatil. *Urinosa* seu alcalia corporis nostri *præcipitat* & temperat, unde *refrigerare dicitur*. In *hydrope pro sopiendâ siti* spiritus comm. est optimus, si cum potulentis permisceatur. Nam præterea, quod sitim sedat, Urinam ciet, & ita aqua hydropicorum per diuresin elicit. Quando Sal calcinatur, aliquantisper crepitare sentitur, & dicitur hoc inde *Sal decrepitatum*. *Oritur* autem *crepitatio* hæc ex particulis aquosis, flatuosis, restitantibus in sale communi. Et quidem *sal commune*, *rarò adhibetur* in usum medicum & alchymisticum, *nisi* sit decrepitatum. Quando diutius persistit in igne, *funditur*, & in liquorem abit, *destillatur* per se per retortam vulg., vel per retortam tubulatam, unde prodit spirit. salis. In destillatione *additur terra figulina*: & quidem postmodum spiritus Salis *potest concentrari*, sive à phlegmate denuò separari, ut acquiratur spiritus Salis acidissimus. *Modus est* hic si scilicet in spiritum Salis iniiciatur Lapis Calaminaris, qui imbibit omnem spiritum salinum, & relinquit phlegma. Hic ita imprægnatus, destillatur per retortam fortissimo igne, & ita prodit spiritus Salis rectificatissimus, & ab omni phlegmate separatus, qui dicitur *spiritus salis concentratus* à *GLAUBERO*. Hoc modo concentratus *commendatur* à Glaubero *in solvendis metallis*, imprimis aurum sine additione Spiritus Salis *habet odorem* ferè *Sulphureum*, hinc prodit interdum etiam aliquid de Sulphure seu Sulphureum in destillatione spiritus Salis. Si solvatur *lapis nephriticus* in *spir. salis*, & ita fiat liquor, erit egregius *liquor in calculo*: dedi superius descriptionem liquorum nephriticorum, ubi de calce viva. Spirit. Salis concentratus solvit aurum: & hoc privilegium habet præ reliquis omnibus, quod *nullo modo possit solvi aurum per menstrua* corrosiva, *nisi participent de sale* communi, quo posito promptè solvitur aurum: Et quidem non solum solvit aurum spiritus Salis rectificatus, sed etiam simul *secum per retortam vehit*; vid. *ZUUOLFFER. in Mantiss. Hermet. p.322.* superius de Vitriol. suppeditavi modum parandi spirit. Salis & etiam præparationem Salis mirabilis *GLAUBERI*: scilicet quando in spiritum Vitriol. iniicitur sal commune, & destillatur, sicque prodit spiritus salis & in fundo remanet Sal mirabile Vid. quæ dixi superius de Vitriolo. *Potest destillari* Spiritus salis *beneficio follis* ex retort., eodem modo, quo dixi, destillari Acet. Antimonii. *RUMELIUS in Scriptis pag.171. habet spiritum succinatum*, seu spir. Salis cum Sale volatil. succini permistum, qui est egregiè diureticus, cum *sale volatil. succini sit diureticorum apex. Spiritus salis* DULCIS. *Multi nituntur* parare spir. Salis dulcem per se, sine adjectione tertii *per diuturnas digestiones*. Cæterum res est *frustranea*: Ergo loco ejusdem *fit* spiritus Salis dulcis, *addendo spirit. vini rectificatissimum*; longa enim digestione & repetita destillatione spiritus vini sese jungit cum spiritu Salis, & temperat acrimoniam, ut fiat blandus & suavis gustu. Necesse autem est, ut spiritus vini *sit fortissimus*. Quidam *compendiosius* parare volunt spiritum Salis dulcem h.m. sali communi, addunt spiritum vini, hæc cum argilla miscent, & unâ vice destillant spirit. salis dulcem: Cæterum *cohobatio est melior. Potest* interdum loco spiritus vini, *recipi spiritus appropriatus* v gr. spiritus Theriacalis, & fit spiritus Salis dulcis, egregium pestilentiale. Hunc spiritum Sal. dulcem vocant, quidam aquam *temperatam BASILII VALENTINI*, & nituntur ex croco auri cum eodem elicere Tincturam. *Promptius quidam parant* spiritum Salis *dulcem*, scilicet in spiritu vini infundunt prius radicem liquiritiæ, & hunc infundunt spiritui Salis, sic enim tantùm ternâ destillatione opus esse dicunt, donec spiritus Salis dulcescat. In destillatione spirit. solent se quoque sublimare FLORES *salis*, sed in minutissima quantitate, & parum sub iis est. Revera Sal nihil habet quàm spir. acidum.

CAPUT XXII.

De Sale fossili, seu Sale Gemmæ & Indo.

SAl Gemmæ salis communis genus est, quod in fodinis lapidum frangitur; speciеque Crystallorum splendens eruitur, unde gemmeum à gemmis, ob colorem nuncupatur, dicitur aliàs Sal fossile. Germ. *Steinsaltz*.

Vires. Hoc etsi easdem vires cum sale communi obtineat, substituique eidem queat, rarioris tamen usus est in praxi Medica; crebrioris in Chymica, ubi in solutionibus Metallorum Sali communi antecellit. Commendatur tamen peculiariter Foresti experientiâ ad stercora dura eliquanda, adeoque ad colica tormina arcenda intus & extus: l.21.5.

PRÆPARATIONES.

Omnes præparationes subire aptum est, quas Sal Com. attamen præcipua quæ ex illo in usum veniunt,

Sunt

1. *Spiritus salis gemmæ: spiritus salis gemmæ fusibilis mercurialis.*

Fit eodem modo, quo spir. Sal. Com. Nimirum sal gemmæ miscetur cum triplo argillæ vel sabuli, &c. destillaturque per retortam igne nudo.

2. *Balsamus Salis gemmæ, seu Liquor.*

℞. Salis gemmæ ℔.ij. fluat ad ignem, & postea solvatur in aqua pluv. destill. Filtretur coaguleturque. Has operationes liquefactionis scilicet solutionis, filtrationis & coagulationis tantisper repete, donec sal gemmæ ad summam subtilitatem fuerit perductum, quod inde cognoscitur, quando ejus particula ad candelam admota statim liquescit.

Vires. Arcanum summum est in rupturis, intus & extus adhibitum.

Intra corpus dantur quotidie guttæ aliquot (3.4.5.) cum Extract consolidæ.

Extus fiat illitus. Hartm. in pract.

N. Mentio quoque apud Veteres fit Salis Indi, de quo ambigitur quid propriè sit. Sunt nimirum qui contendunt non Salis esse genus, sed Saccharum, salis nomine insignitum (ob similitudinem quam cum sale habeat.) Verùm enim verò rectius sentire videntur, qui id peculiare genus salis fossilis faciunt, e usque loco, cùm rarò, vel nunquam in nostras regionrs transportetur, sal gemmeum recipiunt: E.g. in Pilulis de Lapide Lazuli, & simil.

SAL FOSSILE S. GEMMÆ (SAL GEMMÆ.) Est quod *foditur ex terra*, imprimis *in* POLONIA *reperitur* tale sal fossile; *ejusdem* ferè est *naturæ cum sale communi*. Res interim mira est, quod sal gemmæ Polonicum *in fodinis sit leve*, *aëri* v. expositum *gravescat*, adeò ut massa, quam unus homo potuit portare in fodina, per aliquot dies aëri exposita, vix à 5. viris possit auferri. Id quod *valet tantùm de sale gemmæ Polonico*: istud sal gemmæ, quod reperitur *in fodinis Calabriæ*, de quo *BARTHOLINUS Cent.*1. *Ep.*54 *est molle* & fluidum, ut variæ illi possint imprimi figuræ, *aëri v. expositum* valdè *induratur*, sal gemmæ eandem *habet vim diureticam*, quam sal commune: Unde si fiat mistura ex sale communi beneficio salis gemmæ & sal. volat. succini cum aqua aut vino, erit *potus* admodum *diureticus*, quique fortiter pellit calculum & arenas renum & vesicæ. Aliàs *rari usus est in medicina*, *nisi* quod valdè conveniat *in* incidendâ *mucilagine crassa* & viscida *intestinorum Clysteribus additur* ad ℨj. *in Colica* pituitosa; In tali mucilagine incidenda & abstergenda sal gemmæ est præsentaneum remedium. Unde in *alvo obstructa* clyster ex decocto vel jusculo cum sale gemmæ acuatus est omnium optimus: Loco stimuli in clysteribus solet præscribi ad ℨj. *Ad stercora dura* & fortiter coagulata dissolvenda in alvo contumacissima prodest sal gemmæ, si *suppositoria adspergantur* cum sale gemmæ, valdopere hoc acuuntur ut potentissimè stimulent. Ex sale gemmæ eodem modo potest præparari *spiritus* ac ex sale communi. BALSAMUM *sal gemmæ*: Hujus descriptionem habet AUCTOR: valdè ab *HARTMANNO* in Cura Herniæ *commendatur*, scilicet interius assumatur, scilicet externe applicetur loco rupturæ vid. *HARTMANNUS in Praxi Chymiatr.* de Hernia. *ZUVOLFERUS in Mantiss. Hermet.* habet *Ol. scilicet spir. salis gemmæ martialem* ex martio cum sale gemmæ per destillationem paratum, est remedium non inconveniens p.340. Apud veteres fit sæpe mentio SALIS INDI. *Quæstio* est, apud modernos *quid sit*? Et valde inter se digladiantur: probabilissima est opinio eorum, qui dicunt, quod sit *species salis fossilis* veteribus nota, nobis ignota.

CAPUT XXIII.

De Sale Nitro.

SAl Nitrum est sal Sulphureum, seu φλόγιςον, salso amarum, ex terra pingui excoctum.

N. Etsi præter Nitrum antiquorum, quod planè nobis incognitum est, triplex dari possit: Nimirum 1. Quod ex terra attrahitur. 2. Quod muris lapideis adhæresicit. Et 3. quod scopulis seu rupibus adnascitur: Attamen Officinis nostris non nisi unicum usitatum est. Primum videlicet, idque excoquitur ex terris desertis ac pinguibus, sive pinguedo illa terræ Archæo sit immissa, sive aliunde introducta. Introducitur enim e.g. urinis atque excrementis animalium ac columbarum.

[*N.* Nitrum loci natalis ratione sæpè multum de natura salis ammoniaci participat]

[*Nitrum nativum Alexandrinum rosei coloris est, ejusdem Neapolitanum, fluvescens Puteolanum.*]

Chymicis dicitur Cerberus Chymicus, sal infernalis, sal Sulphuris, Hermes, Baurach, Alkali, sal Anderonæ, Anatron, Cabalatar, &c. Basilio, Serpens terrenus. Germ. *Salpeter, Salniter.* Salpetre, Sel de Nitre.

Eligendum nitrum est crystallinum, purum. Tantò autem purius censetur, quantò minus salis communis particeps fuerit: participationem hanc experiri licet φλογώσει.

Nimirum.

Mitte sal nitr. in carbonem ignitum: si omne avolaverit, purum judicatur, & è contra: sin aliquid remanserit, quantum remansit, tantum de sale communi participare æstimatur.

Vires. De Nitri qualitatibus primis haud parum controvertitur: Sunt enim qui calidum, sunt & qui frigidum id æstimant.

Cæteras Nitri vires quod attinet, vim habet putredini resistendi, sitim ac æstum compescendi: Tartaream saburram incidendi, coagulatos sanguinis grumos resolvendi, dolores mitigandi, (*id quod præcipuè lapidi Prunellæ adscribitur.*)

Hinc.

Usus ejus tam internus, quàm externus vulgatissimus est.

Internè solvitur in potulentis ac præcipuè in aqua fontan. (ℨj. *vel* ʒß. *in mensur.*1.) *exhibeturque in febribus ardentibus putridis, præcipuè in febri illa Ungarica dicta, in pleuresi, peripneumonia, in calculo renum & vesicæ, in obstructionibus hepatis ac mesaraï.*

N. Ubi alvus nimis laxa fuerit, vel ventriculus debilis, ejus usus non ita proficuus erit.

Externè communissimus ejus usus est in inflammatione faucium & anginæ (ubi in gargarismis solvi solet:) in topicis anodynis ac refrigerantibus, ubi præcipuè solvitur in liquore appropriato, & imponitur cum linteo: in combustionibus, ubi simili modo applicatur.

Dosis eadem quæ lapidis Prunellæ.

[*N.* Nil magis arsenico contrarium est quàm Nitrum]

PRÆPARATIONES.

Præcipuæ sunt.

1. Purificatio 2. Calcinatio ac Fixatio. 3. Destillatio. 4. Extractio.

PURIFICATIO.

Unde

Nitrum crystallisatum, seu crystalli nitri.

Nitrum crystallisatum quando simpliciter præscribitur, nihil aliud inteligi solet, quàm Nitrum sine calcinatione, solâ solut one ac crystallisatione purificatum. Solvitur autem in aqua communi, crystallisaturque s.a. ut moris.

Depuratio

Depuratio Salis nitr.

Præter eam, quæ à Keslero art. 61. centur. 1. describitur, fit quoque si ℔. xv. sal. nitr. in mensur. una aqu. comm. solvas in cacabo æneo super ignem lignorum per dimidiam horam: si probè solutum est, remove ab igne, & sensim per vices instilla ℥iv. aut circiter aceti, tege cacabum pluribus linteis, & sine concrescere in diem alteram.

Ex S.Closs.

II. CALCINATIO.

Unde

10. *Lapis prunellæ, Nitrum tabulatum seu præparatum, fixum, anodynum, seu Crystallum minerale.*

℞. Sal.com.puri q.v. fundatur in crucibulo, super iniice aliquid Sulph. puri (melius est flor. Sulph.) quod ubi deflagraverit, iterum aliquid sulphur. immitte, idque repete, donec super sal. nit. ℥j. injeceris ʒß. ad ʒj. & sal nit. planè purum fiat, tum effunde; & hic est lapis prunellæ vulgaris.

Nitrum hoc modo præparatum, si quas impuritates contraxit, purificari potest solutione & crystallisatione, ut suprà dictum.

N. Præstat aquam rosarum pro solvente adhibere.

Vires. Vires ac Dosis eadem quæ Nitri, imò quæ supra de Nitro dicta sunt, de lapide hoc prunellæ potissimùm intelligi debent.

N. Dosis Hartman. in practic. miscet hujus sal.nit. præparati ℥j. cum mensur. 1. Liquoris, seu aquæ pro potu febricitantium. Ego vix ℈v. transcendo, nimirum aliquantulum debilitat ventriculum, unde & alvi fluxus concitare nonnunquam solet, alias à ʒß ad ʒj. propinari sine noxa potest, præcipuè autem cum SacchARO, quo amator mitigatur, vide Sennert. Institut. Beguin. lib.2.cap.11. Quercetan. in Pharmacop.restit.& Alexiac. &c.

2. *Nitrum fixum aliud.*

℞. Sal.nit. pur. ℔.iij.iv. calcis vivæ ℔.iv. M. & crementa hor. 5. vel 6. dein extrahe sal nit. affundendo aquam calidam, filtrando, & filtraturam inspissando.

N. Prima Crystallisatio sal.nit. optima censenda est, continet enim nitrum purius & magis inflammabile, secunda quæ fit per evaporationem ejusdem aquæ usque ad medias, minùs syncera est, & sal.comm. fixi particeps.

[Hofm. Nitr. fusum iniicit aquæ bullienti, hinc coagulat, repetendo id quinquies, donec Nit. fiat insipidum; laudat ad sedandum archeum indignatum, urinam provocandam.

Idem Antihecticum febrifugum & lithontripticum ex Nitro commendat sequens. ℞. Crystall. Nit. ℥iv. funde in crucibulo, adde flor. sulphur. ʒj. Iterum deflagrent, quo finito adde sal ammon. ʒß. Denuò deflagrent, hinc affunde in mortarium stanneum.

Dos. ℈ß. ℈j. ʒß. ʒj.]

3. *Aliter.*

℞. Sal. nit. q. v. affunde Spiritum urinæ, destillaque sensim, tandem adde aquam auctiorem ut fluat. Labores hos repete aliquoties, (5.) ad minimum,) semper novum Spiritum affundendo.

N.1. Alii pro Spiritu urinæ substituunt spiritum sulphur.

N.2. Nonnulli Nitrum lævigatum impastant cum albumine ovi, exsiccantque ad ignem, tandem augent ignem ut Nitrum fluat: hinc effundunt.

Vires. Metalla reddit malleabilia.

4. *Crystallum minerale saccharatum.*

Fit, si Crystallo minerali in aqua rosarum soluto sacchari ana misceatur; idque fit propterea, ne scil. urinosus sapor molestiam pariat. *Fel.Vvurtzius. 4.Chirurg.c.4.pro arcano habet in hæmorrhagia vulnerum.*

5. *Nitrum perlatum.*

℞. ℔. Sal. nit. acet. destillat. solut. part.iij. vel iv. sal. perlar. itidem in acet. destillat. solut. p.ij. vel ana, conjunge, coagulaque evaporando, ac repone in frigido loco ad crystallisandum.

Usus. Egregium est cordiale & mitigat simul æstum febrilem.

6. *Nitrum corallatum.*

Fit eodem modo, ex sale scilicet corallorum, & sal. nit.an.

Vires. Usus idem est cum priori in febribus & virium restauratione.

7. *Nitrum saturnisatum.*

Fit eodem modo, nimirum ex Sacchаro saturni & sal.nit. puro, seu lapide prunellæ.

Vires. Confert asthmaticis [Cardialgiâ, & ventriculi fervore affectis.]

Dosis gr.6.vel 7. in aqua aliqua convenienti.

N Si cuipiam lubet nitrum vel lapidem prunellæ tingere, solvat tincturam rosarum, violarum, santali, fl. Tunicæ, & sim. in appropriata aqua, in qua nitrum sit solutum, reponaturque ad crystallisationem: Eodem modo & Saccharatum crystallinum tingi potest.

Crystalli Sal.nit. sive Draco fortificatus.

Digere nitrum depuratissimum in spiritu sal. nit. ut illius solvat quantum poterit: abstrahe, egredietur phlegma, alium spiritum suffunde, digere, destilla, donec tam acer exeat, ut affusus sit, tum satis Draconem imprægnasti: liquorem in retort. residem pone in cella ut lapillescat, hos lapillos in aqu. solve, & denuò in Crystallos coge.

Ex commun. S.Closs.

Vires. Tart. materias expellunt hi crystalli, sudores, sedes & Urinas movent. Dosis ℈j. in aqu.appropr.

[Crystalli Nitri acido dulcis, spir. Nitr. cum spirit. vini per Mar.Baln. destillato in fundo remanentes calorem febrilem extinguunt potui injecti.]

Terra foliata sal. nit. S.Closs.

Candefac sal. nit. in crucibul. & per vices iniice carbonem vivum, ut sal nit. inardescat: continua donec flagrare desinat, quod restitat solvatur in acet. destillat. filtretur, coaguletur, idque ter cum novo acet. destillat. repetatur. Tandem solvatur in spirit. vini, qui postmodùm destilletur. In fundo erit Terra Talcosa nitri fusilis instar ceræ.

Vires. Obstructum Mesenterium & lienem liberat, suaviterque repurgat, extractis Rhabarb. & senæ commodè additur ad virtutes eorum augendas.

Dosis ʒß. in decoctione radic.aperitivarum.

[*Nitrum Antimoniatum.*]

[Commendatur in febribus ardentibus, pro stimulo purgantium, & clysterum etiam inservit.]

Nitrum vitriolatum, seu sal Ducis Holsatiæ. Panacæa duplicata: Arcanum duplicatum.

Nihil est aliud quàm sal ex capite mortuo aqua fortis (ex sal.nit. & vitriol. an) extractum, crebrisque solutionibus & coagulationibus ita depuratum, ut candidissimum existat. Hoc subtilissimè pulverisatum, & cucurbitæ lutatæ impositum, calcinatur ita ut liquefiat. Melioris liquefactionis ergo aliquota pars sal.nitr. additur.

N.1. Laborem hunc interdum 2. & 3. vice repetere convenit.

N.2. Si vice tertia resolutio iteranda sit, expetit prius materiam solutione ac coagulatione à fæcibus depurare.

N.3. Alii liquefactionis ergo ℞. Lap. prunellæ p.1. ad sal. illius p.2.

Communicata mihi fuit hac descriptio diversis è locis; & præ aliis ex illustr. aula Holsatia Gottorp. unde & nomen illis in locis obtinuit.

Vires. De viribus ita ad me Cl. DD. Joel Langelot scribit: Mille experimentis salis hujus efficaciam Aula nostra comprobavit in Melancholicis affectibus, febribus quibuscunque continuis & intermittentibus, calculo, scorbuto, &c. Quin & somnum conciliasse, præsertim in Melancholicis, non semel notavimus.

Dos. à ℈j. ad ℈ij. Constitit Illustriss. nostro descriptio quingentis imperialibus libras aliquotquot annis absumimus. Mynsichtus hic accepit, qui illud sub nomine Arcani duplicati venditat.

[*Nitrum vitriolatum compendiosiori modo elaboratur ita ex Hofm.* ℞. *nitri Part. iij. vel jv. vitrioli Vngaric. part.* 1. *funde in crucibulo, sensim fl. Sulphuris adiiciendo: demùm solve, filtra, & iterum coagula. Convenit in febribus intermittentibus horâ ante paroxysmum vel in paroxysmo, iterum in mensium obstructionibus, cum calce jovis.*]

Ad salis illius part. 7. *Calcis auri ritè præparatæ p.* 1. *addimus.*

Sal cachecticum Chalybeatum.

℞. Sal. com. illius puri, (ex capite mortuo aquæ fortis) p.ij.

Sal. prunellæ p.1.

1. Fluat sal prunellæ in crucibulo, hinc superiniice animam martis (sive illa liquida sit, sive in forma pulveris) sic rubescet. Si satis impregnatum ac rubeum videatur, conterendo admisce sal illud capitis mortui, fiatque pulvis subtilissimus. Hunc inde cucurbitæ vitreæ, da ignem arenæ gradatim, tandemque fluat instar aquæ (quo diutius, eo melius.) Denique fracto vitro exime lapidem rubicundum.

Vires ac Vsus. Summè conducit (ut & sal Holsatiæ) in appetitu prostrato, cachexia, febribus, nephritide, catarrhis, scorbuto, lue gall. contractura, paralysi, & ubicunque sanguinis emundatione opus est. Somnum inducit & alia præstat quamplurima, idque utplurimum insensibili transpiratione, nonnunquam sudore sine molestia, aliis blandum movet vomitum, sed ratò, aliis leniter alvum ciet.

Dos. à g. 6. ad ℈j. in liquore appropr. Ex comm. Amici Hamburg.

III. SVBLIMATIO.

Vnde

Flores Sal. nit.

℞. Sal. nit. sal. com. an. ℔.1. fluant. Hinc superiniice carbones ignitos ac superimpone fictile inversum ritè adaptabile. Sic exsurgunt flores in fictile superius panno madido obducendum. Candidos illos flores pennula absterge & serva.

Vires. Efficax est medicina in febri tertiana, aliisque æstibus. Ioh. Langel.

N. 1. Butyrum candidum purgativum ex liquore sal. nit. & salis vitriol. vide in Myrothec. Fabri, p. 330.

N. 2. Arcanum sal. nit. per calcinat. 3. dierum cum Tart. & solutionem cum spirit. vini additis spiritibus cinamomi, &c. Vide in Deodato, p. 177. 178.

IV. DESTILLATIO.

Vnde

1. Spiritus Nitri.

Spir. sal. nit. eodem modo rectissimè paratur, quo spir. sal. com. nimirum sal com. cum triplo aut quadruplo boli, argillæve siccæ, cumvel sine formatione globulorum miscetur, perque retortam destillatur.

N. Loco argillæ recipi potest arena.

2. Modus alius.

℞. Retortam in superiore ventris capacitate tubulatam (præstat habere ferream,) pone in fornacem ut tubulus emineat receptaculo adaptato capacissimo exactè retortæ annexo. Hinc candefac retortam ac iniice sal. com per vices, tubulumque statim obtura. Sic spir. in receptaculum irruet, ac subsidebit.

N. 1. Subsidentia hæc feliciùs ac celeriùs fiet, si receptaculo aqu. infundatur, vel linteum frigida humectatum imponatur.

2. *Si quis flores in destillatione elevatos seorsim colligere velit, habere creditur, quo mercurium figere possit.*

[*Spiritus sal. Nit. dulcis in Pleuritide, Peripneumonia, Paraphrenitide utilis.*]

Vide & Crystallos sal. com. dulces.

Vires. Reprimit ac sedat effervescentiam spir. salis microcosmici, discutiendo ac resolvendo malignos, crudos, nitrosos, tartareosque vapores: viscera reserat, calorem p.n. infringit, movet insuper & sudorem, unde usus ejus insignis in colica, pleuresi, prunella, febribus aliis, præcipuè malignis.

Dosis ℈j. ad ℈ij. &c.

Usus ejus tùm internus, tùm externus esse potest, v.g. in gargarismis & simil. In colica miscetur cum an. spirit. vini, ut fiat mixtura ℈ij. ad ℥j. quæ in haustu aquæ fontanæ exhibetur: Illini quoque potest umbilico cum oleo Nucistæ ac tantillo Zibettæ.

3. Alius modus Kesleri.

℞. Aluminis usti & sal. nit. ana. M. ac destilla per retortam 1. *Cent.* 56.

4. Alius ejusdem cum sulph.

℞. Sal. nit. puri q.pl. impone retortæ tubulatæ, cum receptaculo capaciss. aliquota parte aquæ adimpleto, da ignem ut fluat sal nit. postea fluenti superiniice per tubulum parum sulph. puri, claudeque orificium, & hanc injectionem sulph repete, donec sal nit. consumptum sit: sic prodibit liquor, seu spir sal. nit. instar butyri antimonii spiritum hunc sal. nit. dephlegma ac rectifica, &c. Materia in retorta relicta suppeditat sal nit. fixum.

5. Spiritus nitri Bezoardici.

Est spir. sal. nit. in præparatione Bezoardici mineralis butyro affusus, ac iterum destillatione in arena abstractus.

N. Hic si celeriter urgeatur, exstillat rubicundus, commodumque menstruum præbet aurum solvendo ac volatilisando. Vide de auro.

6. Aqua caustica, seu aquæ fortes.

Aquarum fortium, ut & regiarum (quas dicunt) magna passim est varietas. Fiunt pro diversitate scoporum è salibus mineralibus ad scopum facientibus vitriol. sal. nit. sal. ammoniaci sal. com. & simil. Nos brevitatis studio unica ac altera descriptione contenti remittimus tyrones ad Authores fusè de his tractantes, ut sunt *Begum. l.* 1 *cap.* 3. *Sennert. Inst. lib.* 5. *part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 6. *Libav. l.* 2. *Alchym. tract.* 2. *c.* 27. *&c.*

7. Aqua fortis communis.

℞ Vitrioli exsiccati ℔.ij.
Sal. nit. ℔ j.
Tere simul & misce.

Destilla per retortam loricatam, igne aperto per gradus: est operatio hor. 12.

N. Geber. Lib. Invent. cap. ultimo, addit & ℔.ß. alumin. destillatque: in destillata hac aqu. fort. solvit ℔.ß. sal. ammoniac. ad aqu. regal. acquirendam.

Vires. Solvit lunam & venerem.

8. Aqua Regia, Stygia Chrysulca Basilii.

℞ Sal. nit. part. ij.
Salis ammoniaci part. ij.
Silic. contus. p. iij circiter.

Destilla per retortam ignitam tubulatam, *Vide in antimon. destillationem aqua slimm. venereæ.*

Vires. Solvit aurum, eumque per alembic. secum transportat. Basil. in Clavib. Tentzel.

N. Usitatissimus facillimusque modus destillandi modernis est per cacabum seu ollam ferream, cui ceu alembico terreum imponunt capitellum cum rostro, destillantque igne aperto in receptaculum capacissimum.

9. Eadem aqua regalis alio modo destillata.

℞. Sal. nit. per se q.v. & cum tribus partibus silicum contusorum misce, destillaque igne libero per retortam. Sic habes aquam nitri: postea habeas cineres quibus per aquam calidam extractum sit sal, ut omnis acredo lixivii auferatur: hos cineres misce cum sale ammoniaco, sit autem sal. ammoniac. tantum quantum antea erat sal. nit. destillaque igne libero per retortam, sic habebis aquam regalem.

N. Si

N. Si velis rursum ex P. vel cineribus per alembicationem destillare, fit clarior & lucidior. Tentzel.

IV. EXTRACTIO.

Unde

Tinctura nitri.

Tinctura sal. nit. ad eundem fieri potest modum, quo sal. com.

Vires. Insigne est corroborativum diaphoreticum.

[Balsamus spiritûs Nit. cum oleo comm. Rosarum, vel Hypericonis, in phiola calore forti paratur, ad ulcera utilis]

NITRUM SCILICET SAL NITRI. Observetur hîc ante omnia *differentia*, quæ *est* inter *nitr. verum* & inter sal *petræ nostras*, quod aliàs etiam, sed falsò, dicitur nitr. Nam *nitr. verum* uti antiquis fuit notissimum, ita *nobis* ferè est *incognitum.* Et quidem quantum ex veterum scriptis colligitur, *fuit* sal quoddam *nativum*, *saporis amaricantis*, facultatis detersivæ, *in igne* non exiliens, sicuti sal commune, sed *in bullas excrescens*, sicuti alumen & forsan fixum atque fusibile. *Colligebatur partim* è vallibus siccitate *efflorescens*, *partim* v. calore solis *excoquebatur ex lacubus* & nitrariis, sive lacubus arte factis, quales erant crebri *prope Nylum in Ægypto*, cujus aquæ admodum sunt nitrosæ. Et quidem *verum* ac *genuinum* sal nitr. veteres imprimis petebant *ex Ægypto*, & *post* Ægyptiacum postmodum *Macedonicum* sal nitr., quod vocabant alumen *Galasterium*, fuit in usu: Ob id moderni falsò vocant sal petræ sal nitr. Rectè enim BALLONIUS *in Observat. lib.2. c.71. in Europa veri sal. nitr. ne micam* existere asserit, in Ægypto v. rem esse vulgatissimam propter Nylum, quæ aquæ sunt admodum nitrosæ, permigravit enim BALLONIUS Ægyptum. Unde ratione *nitr.* refert Ballonius, quod *calcinatum* copiosos *relinquat cineres*, *sal petræ* verò nostràs *nullos* omninò. A nitro suam appellationem habet APHRONITRUM, alio nomine dictum FLOS NITRI quod ejusdem ferè est consistentiæ sicut ipsum nitrum, sed *est tantum spuma nitri* acrior, seu istud tenuissimum nitr., quod in Nitrariis in summa superficie solet concrescere. Sal. nitr. ergo vero *succedanea esse possunt* ista *salia*, quæ sunt *amara lubricantia* & abstersiva, qualia sunt sal faginum, sal quernum, item borrax Venetus & similia, idque in defectu veri nitri, quo nos destituimur. *Apud nos* aliud *est nitr. salsum* amarum *ex terra pingui* excoctum, quod nos vocamus genuino vocabulo sal PETRÆ, quoniam sæpius videmus hoc sal efflorescere *in petris ac lapidibus murorum antiquorum*: ex quibus sub formâ lanuginis *efflorescit*, vel in forma striarum concrescendo adhæret: Dicitur sal petræ genuino vocabulo, promiscuè *abusivè* & communiter vocatur sal nitr., non vero confundendum cum sal. veterum. Hoc ergo *sal petræ* (quod imposterum vocabo sal nitr. nostras) *est* quoddam *sal sulphureum*, ex eo, quod sit certo modo inflammabile. Nam licet in catino vel crucibulo fundatur, *fusum pondere non diminuitur*, *inque igne perstat.* Nihilominus tamen, *si sulph.* ipsi *iniiciatur*, subitam *emittit flammam*, & ex eodem deflagrat: nitr v. non corripitur in ign. flamma, exceptis impuritatibus, quæ deflagrant, quibus deflagratis, sal nitr. elegantissimum remanet: *Sin v.* nitro in crucibulo *pruna iniiciatur*, subitò *flammam concipit*, & spumans quasi ignibus reluctans, subitò in auras dispergitur. *Origo* hujus salis petræ *est triplex.* 1. Quidem *coquendo* extrahitur *ex terrâ pingui*, ex terra humectata ab urinis animalium, & fœcundata à stercoribus animalium. Et hac terra pingui excoquitur postmodum, & quasi elixiviatur sal nitr. sal enim volat. Urinosum in stercoribus animalium cum copioso sulphure impregnatum, sensim sensimque à sale acido terræ, de natura salis centralis, subigitur, alteratur & immutatur, donec hæc duo salia tandem concrescant in sal unum tertium, quod dicitur sal comm. petræ scilicet nitri nostras. *Hæc terra*, per coctionem sal. nitr. exhausto, *aeri rursus exposita*, denuo impregnatur; & *post quinquennium rursus excoquitur.* 2. Habemus sal petræ *ex efflorescentiâ & adhæsione lapidibus ac muris.* Nam in muris istis antiquis ab exhalatione spiritus scilicet salis acidi ex Terra, sal calcis vitæ, cum qua incrustantur muri, sensim sensimque solvitur, alteratur & subigitur. Et cum sal calcis vivæ participet alcali, scilicet sit alcalicum, spiritus acidus exhalans cum isto se conjungit, & ambo se uniunt ac efflorescunt in sale petræ. Hinc POTERIUS *in Pharmacop. lib.1. c.7.* rectè inquit, quod nitrum sponte erumpens, & quod citra artificis operam habetur, de natura salis ammoniaci participet. 3 Denique est sal *petræ*, *quod scopulis* & rupibus *sponte exhalando adhærescit* & efflorescit: *rarius* est reliquis & non adeò vulgati usus. De nitro compositione observatu digna sunt, quæ habet UNZERUS *tr. de sale ex* QUERCETANO: quod nempe nitrum in se *contineat duas partes* volatiles, primam *sulphuream*, & alteram *mercurialem* acidam, & *duplex* etiam sal *fixum* & *volatile*: Hoc vel Sulphureum flammam concipiens, vel Mercuriale acidum. Nitrum vel sal petræ *in magnâ æstimatione* semper fuit *alchymistis*, utpote cum non pauci sint, qui *ex* nitro volunt præparare *menstruum universale*, quo non obscurè inclinat GLAUBERUS. *Alii* putant in nitro residere *materiam lapidis philosophici*: *Alii alia* in nitro quærunt, & sanè in usu medico magni est pretii: Inter SYNONYMA, quæ habentur apud auctorem, vocatur *serpens terrenus*: item à quibusdam sal *hermaphroditicum*, quoniam participat de sal. volat. & fixo, de natura salina & Sulphurea & acida. Sunt quidam qui *ex* vitriolo etiam *præparare* volunt nitrum: ♃. scilicet vitriolum pulverisatum, quod solvunt in spir. vini, parato ex vino vel Tartaro seu fœcibus vini; destillata in cineribus lento igne ad dimidium, & ultro in loco frigido concrescit in crystallos vel strias oblongas virides, has ablue cum aqua, & cum igne extrahe virorem: Hinc albescant instar nitri purificati, & ejusdem quoque erunt efficaciæ: PROBA nitrum, an sit bonum & purum, instituitur, uti habet AUCTOR, *deflagratione.* Nam si totum nitrum super ignem deflagretur; est signum bonitatis & puritatis in nitro: Sin v. aliquid salis albi & caustici remaneat post inflammationem, est signum impuritatis, nec nitrum est benè refinatum. Hoc sal *quod remanet*, vocatur communi vocabulo & *est sal commune*, quod cum urinis & stercoribus animalium permistum, postmodum in generatione nitri, nitro fuit permistum. Nam sal *commune est invincibile à nostro corpore*, unde uti fuit assumtum cum excrementis reiicitur. Dum ergo excrementa reiiciuntur in terram, quid mirum, quod puritatem nitr. perturbet & remaneat in nitro, &c. Et necesse est, ut *separetur* hoc sal heterogeneum à nitro, quando debet adhiberi in usum medicum vel alchymisticum. Quod attinet QUALITATES nitri, ex se benè purificatum *usu interno* adhibetur commodè *ad* compescendam *effervescentiam febrilem*, imprimis *in febribus malignis* & in specie *in morbo Ungarico* dissolvitur in potu, & ita hauritur. Nitr. purificatum urinam *ciet* blandè, renesque detergit. In *pleuritide* & *peripneumonia* nitr. ipsum depuratum potui injectum valdè commendatur. *Carminativum* est egregium, quod flatus intestinorum potenter discutit: Unde est *basis Diaspolitici* GALENI: quod commendatur

commendatur ceu *expertissimum* à *BARTOLETO* in *malo hypochondriaco* valdè flatulento. Internè solet commodè assumi *post vulnera Sclopetorum*, item post *combustiones artuum*, &c. *Externè* est egregium *in tumoribus faucium*, in specie in *inflammatione* faucium & *anginâ* permiscetur cum gargarismatis, atque ita applicatur. In *calculo* mirè commendatur nitr. interno usu, & præservando & etiam expellendo. Inter *præparationes* est 1. PURIFICATIO per modum solutionis filtrationis & coagulationis. Depuratio nitr. *vario* instituitur *modo*: Modi vid. in AUCTORE. *Alii exactius* purificant nitr., quando ℞. v. gr. nitr. purificati lib.1., solvunt in aqua calidâ communi, cui addunt salis ammoniaci ʒi. Sic enim nitr. præcipitatur. Hoc in loco frigido coagulatur in crystallos, & ita Sulph. fœtidum ac excrementitium nitrosum separatur; Nam sunt, qui *valdè laborant, ut ex nitro separent partem Sulphuream*; dicunt enim, si separetur nitr. à parte Sulphurea, quod exinde quoque ejusdem corrosivitas sit ablata, & ita mutaretur in crystallos salinos volatiles dulces, qui magni sunt pretii in medicina. Sequitur CALCINATIO, quando calcinatur nitr. cum Sulphure, unde fit *lapis prunellæ*, scilicet nitr. fixum it. anodynum minerale. Lapis prunellæ *dicitur pp. virtutes*, quas habet *in prunella* in *inflammatione* ac ardore *faucium*. Vocatur *nitr. fixum*, quoniam nitr. deflagrando cum Sulphure parte ejusdem volatili, quæ in calcinatione avolavit, destituitur. Dicitur *anodynum minerale*, quoniam uti observatum fuit, ita calcinatum habeat *vim somnum inducendi*, item *compescendi dolores* partium internarum: præparatio satis est clara in auctore. *Usus* hujus Salis prunellæ est *idem cum commun. purificato*: Unde in effervescentiis in febribus, in specie malignis compescendis & præcipitandis est egregium pro siti mitiganda, it. pro inflammatione faucium in angina, &c. utut *soleat* aliquantisper *laxare stomachum* & *inducere nauseam*, & quæ dicuntur de nitr. simpliciter, dicuntur de nitr. fixo κατ' ἐξοχὴν. Alias nitr. cum Sulph. ita purificatum & calcinatum semper *amittit aliquid virium*, idque eo magis, quò plus scilicet sæpius cum Sulph. hoc modo deflagratur. Hic lapis prunellæ *per se est albus*, *saporis Urinosi*, *possumus* tamen *ipsi addere Tincturam*, vel rosarum, violarum, vel Tunicæ, vel Santali, &c. quæ permiscentur cum aquis certis, in quibus aquis solvitur lapis prunellæ, & post lenem coagulationem denuò coagulatur, & lapis prunellæ cum istis Tincturis coagulando concrescit; Et sic saporem, colorem & virtutes Tincturarum participat lapis prunellæ, *cum istis tincturis coagulando concrescit*; Quod dixi de lapide prunellæ, *idem fieri potest cum tartaro vitriolato*, ut hoc in transitu moneam, qui similiter cum tincturis misceri & coagulari potest. Hæc est communis præparatio, quam diximus, & ita funditur nitr. in tabulas vel rotulas: Coloris est albi, si misceatur hoc sal petræ *cum spiritibus diureticis* vel cum Aceto diuretico vel digestio super plantas diureticas, *solet fortiter pellere Urinas. Melior* & elegantior *est præparatio* lapidis prunellæ *D. ERBENII*: scilicet fundit nitr. in crucibulo, fusum h. m. nitr. iniicit in aquam bullientem, & denuò inpissat ac coagulat: hunc laborem quinquies repetit, donec spiritus corrosivi ex nitr. omnes evacuerint, & nitr. tandem omninò insipidum sit factum. (Est elegantior præparatio quam cum Sulphure.) Et hic lapis prunellæ Erbenianus ab eodem *dicitur Magnes*, omnes calores in corpore præternaturaliter exortos extrahens, & indignatum *archæum coërcens*, *urinamque* retentam ad miraculum usque *promovens*. Est elegans præparatio & merito magnifacienda. *Alio modo* nitr. figitur *cum calce vivâ*, uti habet AUCTOR. *Præparatio* 3. *cum spir.* urinæ non est inelegans, quoniam valdè convenit *in affectibus calculosis*, & ubi opus est diuresi, Urinam quippe ciet, & calculo præcavendo & propellendo confert, & ratione ejus volatilitatis à spiritu Urin. in usu alchymistico laudatur, *nitr. saccharatum*: quando lapis prunellæ subigitur cum saccharo, & *saccharum prunellæ* vocatur à *BARTOLETO*, à *WURZIO in Chirurgia* mirè commendatur contra *febrim, quæ insequitur vulnera* sclopetarum, item contra *febres quæ superveniunt vulneribus*, *Nitrum saturnisatum*, quoniam participat de lapide prunellæ & de saccharo Satur. erit *singulare in peste*, in *febribus malignis*, & in *inflammationibus hypochondriorũ*, & qui sunt alii affectus. Hinc *BARTOLETI Tart. nitratus*, sequitur: *scil.* Bartoletus spir. nitr. instillat Ol. Tart. per d., sicuti alias fit in Tartaro Vitriolato, & quidem ana; affundendo guttatim Ol. Tart. Nam magna in spiritum nitr. Ol. Tartari copia non infundenda, quoniam facilè excitatur effervescentia: Continuetur infusio olei Tart. usque ad punctum saturationis, vel usque dum cessat effervescentia, & sic in fundo subsidebit Tart. nitratus per filtrum à superstante liquore separandus. Hic Tart. nitratus est singulare digestivum *in febribus* tam *intermittentibus*, quam *continuis*, multum confert *in morbis chronicis* & *cachecticis*: item in *malo hypochondriaco* singulare erit remedium: Hæc quæ dixi, habet *BARTOLETUS lib. v. c. 1. in tract. de difficili respiratione p.* 44. Pertinet huc *ZWOLFERI modus in Mantissa p.* 406. *insuccandi nitr.* dum Nitr. scilicet cum succis acetocellæ, rosarum, vel etiam cum succis purgantibus solvit, insuccat, & essentificat, & ita nitr. acquirit virtutem simplicium. *Modus* videatur in AUCTORE. *Tinctura foliata nitrosa* est egregia, & multa habet in recessu, imprimis convenit in *morbis chronicis* & *scorbuto*: Descriptionem habet AUCTOR: certè est præparatio, quæ multa sub se habet, imprimis observandæ sunt omnes enchirises. *Arcanum duplicatum MYNSICHTI nitr. Vitriolatum. Est* hoc nihil aliud quam *nitr. extractum ex cap. mort.* aqu. fort. aqua fortis enim paratur ex nitr. & Vitriolo, quæ invicem mista destillantur per retortam & prodit spiritus qui est aqu. fortis caput mortuum calcinatum in olla & cum aqua communi elixiviatum dat nitr. album, quod vocatur nitr. Vitriolatum. Vocatur à Mynsichto arcanum duplicatum, ab aliis *vocatur Panacea Holsteinensium*, quoniam in Holsatia est inventum, & ejus usus frequentissimus. *Promptius paratur*, quando nitro alcalizato affunditur spiritus vitrioli usque ad saturationem, & pulv. in fundo separatur à liquore superstante per filtrum, & est arcanum duplicatum. Modus saltim consuetus est ex cap. mort. aquæ fortis. Hoc arcanum duplicatum est elegantissimum *in omnibus febribus intermittentibus*, tam loco digestivi, in die intermissionis, quàm hora 1. ante paroxysmum propinatum: In *quartanis*, in febribus intermittentibus quibuscunque imprimis *si subsit metus scorbuti*, & sit *febris scorbutica*, ubi vix habetur simile remedium, sive solum *propinetur ad* ℈j, vel *cum* hoc permisceatur *oculorum cancrorum præparat.* ℈ß. qui pulv. aliquoties reiteratus nunquam fallet. Nam pulv. cancrorum per se est singularis medicina in scorbuto, uti etiam in malo hypochondriaco; Multum confert *in calculo*, blandè enim solet movere Urin., & turbare sabulum ex renibus: item *conciliat somnum* ratione nitr. fixi. Et rectè dicitur, quod *soleat purgare*, unde habetur purgans nitrosum. *Febrifugum specificum* dicitur, propter virtutes singulares in intermittentibus, quarum materiam febrilem pellit per Urinam. Insigniter confert in *mensibus & obstructis* & *suffocatione Uterina*, ac in quam plurimis uterinis morbis, in quibus commendatur à *LANGIO in Collegio Pathologico*: Item ad præservandam *Epilepsiam* & *Apoplexiam* est singulare, & loco digestivi præmittitur medicamentis purgantibus.

bus. Tanquam arcanum hoc recommendatum esse debet, quoniam est singulare in quàm plurimis morbis. *Sal cachecticum* est *arcanum duplicatum*; auctum tamen per crocum martis vid. AUCTOR. Sequitur SUBLIMATIO s. FLORES nitr. per sublimationem parati: Hoc utut non sit vera sublimatio s. volatilisatio, nihilominus eleganter nitr. purificatur, vid. AUCTOR. *MYNSICHT in Armamentario Chymico p. 16. parat flores* nitr. per transsudationem per ollam, dum solutum nitr. per aqu. committit loco frigido, & nitr. instar lanuginis adhæret ollæ, quam lanuginem vocat flores nitr. Pertinet huc VOLATILISATIO *ZVVöLFFERI in Pharmacop. regia p.* 240. beneficio continuæ deliquescentiæ vel reiterati deliquii in aere humido: Nam sic sensim sensimque volatilisatur ab aere, ut possit nitrum destillari per alembicum. Sed res est altioris indaginis, & non est nitr. purum sed simul cum sale aëris permistum, quod quidam non vult. *ZVVOLFFERVS*: multa habet de hoc cit. loco: *non tamen omnia credenda, quæ dicit ZVVOLFFERVS.* Destillandum est nitr. cum arena vel argilla mistum destilletur verò per retort. ubi prodit SPIRITUS. ignitus, fulgidus & flammeus, qui colligitur in liquorem: *Destillatio fiat per retort. ampli colli*, aliàs repercussi spiritus se figunt in capite mortuo proprio. *Quidam volunt separare spiritum* nitr. *flammeum à spiritu albo*: Dicunt enim quod flammeus prosit ad medicinam, spiritus v. albus propter corrosivitatem, ad usum alchymisticum sit usurpandus. Modum docet *AGRICOLA in Poppium beneficio* cujusdam *instrumenti*, dum uni retortæ apponunt recipientes duos, unum super alterum; qui tamen abeant in unum canalem, sic enim fit, ut spiritus flammeus s. volatilis superiorem ingrediatur recipientem, cum è contra albi s. graviores subeant inferius receptaculum: Quod *si* etiam spiritum nitr. *totum rubrum* s. flavum *habere velis*, debes injicere *in collum retortæ aliquid camphoræ*, & sic coagulatur in colorem flavum vel rubrum: enchirisis notetur, quod scil. *receptaculum* sit *immergendum aqu. frigidæ*, vel linteo madefacto involvendum, ut facilius subsideant spiritus. Hic spiritus nitr. est *egregius in effervescentiâ febrili* quarumcunque febrium, imprimis malignarum compescenda. Deinde singulare est *carminativum*; unde tam in *tympanide* quàm *colica flatulenta* mirificè commendatur. Cæterum virtutes tam diureticæ, quàm carminativæ & antiscorbuticæ uti & antifebriles multum intenduntur, si *permisceatur cum spir. vini*, qui ana digesti, & aliquoties cohobati per destillationem, sese uniunt, & *abeunt in spiritum nitr. dulcem*, qui aliàs vocatur κατ' ἐξοχὴν *spiritus carminativus* item *spiritus anti Colicus*, obtinet enim singularem vim in *colica flatulenta* & similibus *affectibus flatuosis*. Quod *si spiritus vini* prius *sit abstractus à speciebus carminativis*, ut sunt chamomilla Romana, flores Sambuci, Zedoaria, Corticibus aurantiorum, Mentha, fœniculum & similia, & postmodum *uniatur cum spiritu nitr.* erit elegans *carminativum*, & magis præsentaneum ac expertum remedium Spiritus nitr. dulcis singulare est *arcanum in pleuritide, angina*, & similibus *febribus ardentibus*, cum inflammatione partium internarum conjunctis. Nam has febres curat citò, tutò & jucundè, beneficio sudoris, vel etiam per diuresin: permiscetur vel cum Julebis in febribus ardentibus, vel cum potionibus hinc inde cochleatim assumendis. Quod si spir. vini abstrahatur à plantis antipleuriticis, & conjungatur cum spiritu nitr. fit *spiritus antipleuriticus D. MICHAEL*, qui est specificus *in pleuritide & angina*. In febribus malignis spir. nitr. dulcis est egregius. Cæterum observetur, quod spir. nitr. & spir. vini, *nisi caute tractentur mutuò inflammentur*, solvantur, & vasa disjiciant, eumque ingenti strepitu disrumpant. Et imprimis de hac mistura quomodo tractanda *vid. DRAVVIZIVS tract. de Scorbut pag.* 339. ubi simul quædam egregia de hac mistura habet. *Extemporanea medicina in colica* potest fieri h m.

℞. *Spir. vini* ℥j.
Spir. nitr. ʒß. permisceantur cum
Aqua appropriatâ v. g.
Aqua Mentha ℥j. & edulcorentur cum
Syrupo fœniculi. ad ʒß.

& est potiuncula *pro una dosi in* passione *colicâ* & affectibus flatulentis. Si permisceatur sp. nitri *cum sp. Theriacali camphorato*, erit egregius *in peste*, & *febribus malignis Sp. nitri BEZOARDICVS* est iste sp. nitri, qui affunditur butyro antimonij. sic enim fit præcipitatio butyri in Bezoardicum minerale, & à pulv. præcipitato abstrahitur spir nitr. cum sp. Vitr. philosophico, qui conjunctis dant sp nitr. Bezoardicum. Hic sp. Sal nitr. Bezoardicus est singulare *menstruum pro solvendo auro* & aliis metallis, & certum est, quod adeò possit cum hoc extrahi aurum, ut instar Lunæ Corneæ s. albæ remaneat in fundo. Sequuntur aquæ fortes s. *caustica*, quarum basis est sp. nitr. quæ omnes præparantur ex Sal. Nitr. ceu basi, *addito Vitriol. fit aqu. fortis*, si addatur *Sal commune cum sale ammoniaco, fit aqua regalis*, aqu. fort. *solvit* omnia *metalla præter aurum*, aqu. regalis autem aurum solvit, regem metallorum & reliqua metalla. *Modi destillandi* sunt *varii*, uti habet AUCTOR: Cum Vitriol. revera a. hæc aqua fort. cum vitriol. est sp. Sal. Nitr. fortificatus & rectificatus, *nihil* enim *de vitr. prodit*, quod bene observetur, quod quidem multi negant, verum tamen est. Quod si misturæ huic addatur vel sal commune vel sal ammoniacum prodit aqua regalis *Sp. nitri solus* rectificatus *solvit* Lunam instar aqu. fort. Unde sp. nitri etiam *separat Lun. à Sole*, sic si permista sunt Sol & Luna, & affundatur misturæ sp. Sal. nit. solvit hic Lun. & aurum linquit intactum, ut ita à se invicem possint separari, quod benè observetur aqu. regalis ex sale ammoniac. Cæterum observetur, ne fiat ruptio vitrorum, aqu. *stygia* item *Chrysulea* vid. *ZVVOLFFERVS in append. Pharmacop. Reg.* item *AGRICOLA in Poppium.* De sale ammoniaco tutissimè fit aqua regalis, si in spir. Sal. Nitr. lib. 1. solvantur ℥ix. sal. gemmæ ad summum & mutuò per alembicum destillantur sic enim fit fortis aqua regalis. Progredimur ad MINERALIA SULPHUREA, inter quæ primum locum obtinet.

CAPUT XXVII.

De Arsenico.

REstant è mineralibus secundariis mineralia sulphurea ac inflammabilia.

Hæc fiunt ex perittomate macrocosmico Pingui respondente in Phytologia Oleis, Resinis, Gummatis: in Zoologia pinguedini axungiæque abundanti, excrementisve pinguedinem referentibus v. gr. aurium.

Suntque.

1. Arsenicum, 2. Sulphur, 3. Ambra, 4. Succinum, 5. Sperma Ceti, 6. Alphaltum, 7. Naphtha, 8. Petroleum, 9. Carbo Petræ, 10. Gagares.

Arsenicum.

Arsenicum, fuligo sive succus est mineralis, pinguis, inflammabilis.

Dicitur & Auripigmentum. Græcè Ἀρσενικὸν, ἀρρενικὸν. Arabicè Harnet, & Zarnich. Germ. *wveisz Rattenpulver Huttenrauch*. De l'Arsenic, ou poudre auxRats.

Genera eius tria recensentur, album videlicet (Arsenicum in specie sic dictum, seu arsenicum Crystallinum,) Citrinum seu Flavum, (Resigallum, Auripigmentum, tertiò Rubeum, Sandaracha.

Ex his album in Medicina usitatissimum est, fulvum rarò, rubrum rarissimè. Eligatur album Crystallinum, ponderosum, durum, purum, ad lacteum colorem tendens.

N Arsenicum Crystallinum factitium est, fitque sublimando ex auripigmenti scobe & sale anaticè mixtis. Auripigmentum & Sandaracha nativa sunt, nec differunt, nisi quod Sandaracha auripigmento si magis in terris excocta.

Vires. Inter Venena loco haud ultimo Arsenicum recensetur, nec immeritò, quippe præter summam acrimoniam, tantâ quoque malignitate vitæ nostræ Balsamo infectum est, ut non modò intus assumptum, sed & extrinsecus adhibitum horrenda Symptomata introducat.

Qualia sunt.

Convulsiones manuum ac pedum stupiditates, sudores frigidi, palpitationes, deliquia cordis, vomitiones, corrosiones ac tormina, sitis, æstus, &c. Exempla videsis apud Salam in Ternar. Bezoard. cap. 17. apud Schenck, & alios.

Verùm enim verò nec facultatibus caret utilibus, quas intrisecus in curanda peste reliquisque venenatis affectibus, ut & in scabie maligna, cancrosa, &c. conferre potis est, modò qua decet ratione præparetur.

Extrinsecus adhibetur ad partem quamvis pilis denudandam, nonnunquam & cauteriis, amuletisque admiscetur.

Auripigmenti, & Sandarachæ Vires eædem ferè sunt, nisi quod in Arsenico paulùm sint mitigatiores, idque ad sal in præparatione accedens.

N. Sandaracha Arabum est Gummi Iuniperi.

PRÆPARAT.

Præparationis scopus eò dirigendus est, ut acrimonia mitigata dulcescat, auraque maligna & volatilis separetur. Huic scopo media destinata reperimus, sublimationem, fixationem, & liquationem.

SUBLIMATIO.

Unde.

1. *Arsenicum dulce.*

℞. Arsenic. crystall. q. v. sublima per se, deinde in aceto opt. horar. 2. spatio decoque (sic enim sua nigredine & farina quadam levi atque corrosiva spoliatur.) Postea cum squama æris (*Kupfferschlag*, des écailles d'Airain,) iterum sublima [quæ venenum illius crassius atque nigrius retinebit.] Tandem bis ac ter cum Sale commun. præparato sublima, postea perfectè dulcoretur.

N. Illius perfectio ex eo cognoscetur, quando Metallis injectum, candorem illis conciliat & indit perfectissimum, qui remanet etiam in iis, postquam ignita fuerint: Cum tamen arsenicum crudum eadem nigrefaciat, atque fumo quodam infesto, quem oculus & olfactus non sine noxa, & incommodo sentire possunt, contaminet & inficiat.

Vires. Tantum abest quod assumentibus noceat, ut quoque benignè & sine ulla perturbatione ea venena expurget, quæ aliis Cathარticis nullatenus cedunt.

Usus Dari potest illius sublimati substantia in infusione ad pondus 5.6.7.8. granorum. Querc. in Alexicat.

Potest & deliquium in oleo redigi ulceribus utile.

Aliter.

2. *Rubinus Arsenici diaphoreticus.*

℞. Arsenicum q. v. sublima bis vel ter in arena, semperque separa pulverem subtilissimum, qui in cucurbita instar farinæ volatilis adhæret, est enim arsenicum venenum, partem Crystallinam misce exactè cum flor. Sulphur. ana, & sublima.

Vires. Est specificum in affectibus pulmonum ex crassis catarrhis. Datur quoque ad sudorem ciendum, in morbis malignis & venenatis.

Extrinsecus si adhibeatur, curat omnia ulcera maligna curatu difficilia.

Dosis à gr. 5. ad 8.

N. Arsenicum hac ratione præparatum ad ℈j. secundum Tentzelium exhiberi potest. Tentzel. in Exeg. Querc.

Eodem modo potest parari & rubinus ex auripigmento æquali dosi, & ad similes affectus adhibendus.

Arsenicum sublimatum.

℞. Arsenic. sal. com. tost. colchotar. limatur. martis an. M. sublimaque dando ignem per gradus: quod sublimatum est, tum novis speciebus misce, ut prius sublima, idque repete. Basil.

FIXATIO seu CALCINATIO.

Unde

1. *Arsenicum fixum, & exinde oleum.*

℞. Arsenic. Crystall. (vel arsenic. illius sublimati,) Sal. Nitr. purific. an. (alij) ℞. arsenic. part. j. Sal. Nit. part. ij. Alij. arsenic. Sal. Nit. Tart. an.) M. ac injice per vices in crucibulum, versaque spatula (cavendo fumum,) donec cesset ebullitio. Postquam cuncta injeceris, da ignem fortiss. per hor. 4. 6. (alij) diem integrum Tandem edulcora, Sal. Nit. calida aqua separando remanebit in fundo pulvis albissimus arsenici fixi Basil.

N. 1. Felicius hæc calcinatio procedit inter duo crucibula luto connexa, cum spiraculo ad fumi egressum.

N. 2. Mullerus tertia vice calcinationem illam cum Nit. ana repetit, pulverem singulis vicibus aqua dulcorando.

Vires. Inservit Oleo per deliquium præparando ad vulnera, ut & arsenico fixo sudorifero.

Eodem modo potes procedere cum Realgari argenti, Cadmia, & simil.

℞. Pulveris arsenici fixi, q. v. imbibatur ole. Tart. p. d. aliquoties, (ter.) Denique dissolve materiam in aqua vitæ, ut extrahatur & separetur totus Sal, & restabit pulv. alb. & fixus, quem separa.

Vires. Sudorem movet, datur cum Theriaca.

Dosis gr. 3. 4. 5. Mullerus in miraculis Chymicis. Querc. in Spag.

3. *Regulus Arsenici & Arsenicum S. Closs.*

♃ hujus vel illius ℥viii. Sal. Nit. & Tart. simul detonatorum per accensum carbonem ℥vi. limat. martis ℥iv. pulv. carbonum ℥j. M. fundantur in crucibulo, & regulus concutiendo ad fundum depellatur, qui purior quàm ille antimonij.

N. Ex hoc Regulo in flores sublimato per putrefactionem cum salibus resuscitantibus & acet. destillat. fieri volunt mercurium arsenic. corporalem. Fides sit penes Experientiam.

LIQUATIO.

1. *Oleum Arsenici Anodynum, Butyrum Arsenici, Liquor Arsenici.*

℞. Pulveris arsenici fixi, q. v. dissolvatur in cella per deliqu.

Vires. Conducit venenatis ulceribus, in Lue Venerea, Cancro, Serpigine, ani fistulis, morsu canis rabidi.

Usus. Olei arsenici illius (vel pulveris,) tantum in aqua plantag. vel persic. solvitur, ut mixtura ipsa gustu linguæ tolerari possit. Aqua illa lavetur vulnus, seu ulcus.

N. Basilius in rep L. Ph. addit Sal Tartari, & liquescendum exponit.

2. *Aliter.*

℞. Butyri arsenici ℥j.
Ole. Mirrh ℥ij. Misc.

N. 1. Paracelsus l. de mort. rer. nat. hane arsenic. fusionem cum Sal. Nit. liquefactionemque subsequentem in cella,

Mortificatio

mortificationem vocat, atque arsenic. Realgaria, &c. simili modo mortificari posse perhibet.

N. 2. Quercet in spagyr. præparatione, præparationes arsenic. datas ænygmaticè describit, quas enucleavi in Querc. Redivivo.

DESTILLATIO.

Spiritus & butyrum arsenicum.

Fit ex parte una arsenici & mercurii sublimati part. ij. destillatis per retortam, ut fieri solet in parando butyro antimoniali; primò egreditur spiritus substiliss. semper fumans, & sub finem liquor crassus, qui in aq. communi præcipitatur, vel in suo liquamine servatur.

Vires. Spiritus dicitur martem solvere radicaliter, tincturisque ingressum præbere in corpora metallica. Butyrum verò est Septicum violentum Cancrorum ulceratorum eradicativum: debet autem ei par quantitas opij ad sensum doloris obtundendum permisceri, & ex filo carpto circum circa admoveri cum defensivis convenientibus.

Ex S. Closseo.

ARSENICUM. Quod revera *est sulphur minerale volatile* & sublimatione exaltatum. Rectè vocatur arsenicum ab auctore fuligo quædam mineralis pinguis & inflammabilis. Nam revera est sulphur summè volatile, propter volatilitatem *valdè corrosivum* & valdè *venenosum*. Ejusdem *differentiæ* sunt 3. 1. ARSENICUM ALBUM *in specie* sic dictum 2. Arsenicum *citrinum*, quod etiam vocatur AURIPIGMENTUM. *Rubeum*, *quod* etiam vocatur SANDARACHA. *Auripigmentum & sandaracha sunt nativa*, simul vero permiscentur cum sale communi & sublimantur prodit *arsenicum album*, crystallinum, quod *est artificiale*. Venenum est præsentaneum, si arsenicum interius assumatur. Unde licet commendetur à quibusdam *loco amuleti in peste*, nihilominus hic *usus non est tutus*, sed valdè periculosus. Interim tamen *usurpatur* arsenicum *in asthmate*, tam *in substantia*, permistum cum aliis, quàm *in formâ suffitus*, qui ab asthmaticis hauriatur: Hos imitatur auctor morborum infrequentium *RIVERII Obs.* 2. *morborum infreq.* ubi etiam refert *phthisicum* quendam desperatum per suffitum trochiscorum ex auripigmento factum, quem horrenda quidem subsecuta sunt symptomata, nihilominus per reiteratum usum *restitutum*. Quidam medicus *D. MYRTHINUS* habuit pulverem *asthmaticum*, cui in substantia permiscuit, tantillum arsenici & valdè commendat in asthmate: res est periculosa, utut veteres in gravissimo asthmate ad ʒß. adhibuerunt. Vid *LANGII Epist.* Dixit quod quoddam arsenicum vocetur Sandaracha, unde *observetur distinctio* inter sandaracham Græcorum & inter sandaracham Arabum: *Sandaracha* GRÆCORUM est arsenicum rubrum. *Sandaracha* ARABUM est Gummi Juniperinum, quod benè observetur, ne fiat confusio, & loco gummi Juniperini assumatur arsenicum. *Usu* tamen *externo* arsenicum est *benedicta Medicina*, & quidem in usu Chirurgico: nihil enim est, quod *vulnera venenata & cacoëthea*, item *ulcera maligna*, *corrosiva & cancrosa* melius curet quàm arsenicum. Item in *fistulis*, *lupis* & similibus Chirurgorum torturis mira facit arsenicum. Sic notum est, quod *magnes arsenicalis ANGELI SALÆ*, qui est basis emplastri attractivi, in bubonibus & carbunculis pestilentialibus: *præparatur* enim ex anima arsenici, Sulphuris & antimonij. Item notum est ex *HARTMANNO* & epistolis *SCHLIZERI*, quod *pulvis benedictus ad cancrum* curandum præparatur ex arsenico, radice ari & similibus, qui satis est tutus, modo ad præscriptionē auctoris adhibeatur, tutissimè adhibetur arsenicum modò *rectè sit præparatū* seu *fixatum*: nam FIXATIO *est vera arsenici correctio*. Iste pulvis benedictus in canc. paratur. Ex arsenici & radicis ari præparatæ ana partibus æqualibus, quibus admiscetur fuliginis furni parum, & sic fit pulvis expertus contra cancrum exulceratum. Dicit AUCTOR, *arsenicum dulce* perfectè *cognoscitur* ex eo &c. Ita est: nam hinc etiam quidam *ex Ven.* volunt parare Lunam *beneficio arsenici dulcis*: Et certè negari non potest, quod in Vener. semper aliquid detur de Lun. Hic SUBLIMATUR arsenicum in colorem album, nihilominus potest etiam sublimari in *flores rubicundos* s. flores rubineo-cœruleos, si permisceatur cum limatura mart. & antimonij ãã, sic enim in flores rubineos sublimabitur. *Inter purgantia refertur arsenicum dulce*, quod *in cancro* purgando, uti & in *Ulceribus malignis* & apostematibus purgandis solet adhiberi: Nihilominus cautione opus est. Optima est præparatio arsenic. fixati, cum Sal. nitr. figitur autem non secundum manuductionem auctoris, quoniam est laboriosa nimis: sed *figitur arsenicum addendo triplum Sal.* nit. subiguntur & miscentur, ut ita invicem unâ vice possint calcinari: & ita arsenicum figitur. In hac fixatione *observetur*, ne Chymicus hauriat *fumum*, quoniam est malignus & valdè venenatus: funduntur in crucibulo & figuntur. *Alij* ♃. Tartari & calcis vivæ duplum, addunt arsenico, & ita in crucibulo hoc figunt: *modus* est etiam *non inelegans*. Hoc ipsum arsenicum h. m. fixatum sæpe abluendo cum aqua calida, in loco frigido spontè *resolvitur in liquorem*, qui vocatur oleum *arsenici anodynum s. butyrum* arsenici anodynum. Hoc arsenicum fixum valde convenit, & est remedium præsentaneum, imprimis *in cura cancrorum* sive sub formâ sicca adhibeatur, s. sub forma liquidâ, scilicet arsenicum fixum seu Ol. arsenici anodynum dissolvitur in aqua appropriata, cum qua postmodum eluitur Ulcus. Quod si pulvis arsenici fixi imbibatur Ol. Tartar. p. d. habetur *arsenicum fixum sudoriferum*, quod valdè commendatur *in cura philtrorum*, quorum malignitatem per sudorem promptè & tutò expellit.

CAPUT XXVIII.

De Sulphure.

SUlphur est Resina, sive pinguedo terræ Chalcantosa aciditate gravida.

Dicitur Arabicè Cibur vel Chybur, Crybrit, Rabric, Albusao: Chymicis, Akiboth. Ahusal. An Anerit. Anerick. Alnerick. Kibrith Kaprili, Lamare, Tisasum, Tin, Usifur. Græcè Θεῖον. Germ. *Schwefel* Soufre.

Sulpur, tum nativum, tum factitium Officinis in usu est.

Nativum ex terra effoditur, purum, solidum interdum scissile, venitque nomine Sulphuris vivi, seu ἄπυρον, i. e. ignem non experti. Huc spectant striæ nativæ aurifodin.

[Sulpur Solare Americanum ex Peruviana provincia pellucidum mittitur.]

Factitium vel ex vivo sulphure impuriori, pyritive vi ignis educitur, vel ex aquis sulphureis excoquitur.

Sulphur caballinum, quod in Officinis dicitur, fæces sunt è coctione sulphuris vivi impurioris relictæ & in urceos admixtis nonnunquam squamis mart. transfusæ.

N. 1. Adhærescunt quoque interdum q. striæ Sulphureæ camino, ubi vitriolum ex sua vena coquitur, quæ nihil aliud sunt, Sulphuris flores ex Vitriolo dum excoquitur, elevati. Horum copiam exhibet Suecia sat magnam.

N. 2. Exhibet Chymia & Artificialia Sulphuris genera ex antimonio, cinnabari, &c. Hæc quidem longè reliquis præstant, verùm quia rara & chara sunt, rarissimè Chymicis præparationibus vulgaribus subjici solent.

Delectus.

Eligatur Sulphur purissimum colore virescens, facilè inflammabile; luculenter ardens, fumumque magis cœruleum exhalans.

Vires. Calidum & siccum est pectori dicatum; aperit, incidit; putredini, veneno, venenatorumque animalium morsibus resistit, provocat sudorem, &c. Hinc conducit in [catarrhis] Phthisi, Tussi, Asthmate, Peste, pestilentialibusque febribus [colica, mensium obstructione.] Extrinsecus discutit tumores duros, sanat lichenes duros, pruritum, &c. Fumus epilept. excitat & hyst.

PRÆPARATIONES.

1. Sublimatio. 2. Præcipitatio. 3. Destillatio. 4. Infusio & Extractio. 5. Liquatio.

I. *SUBLIMATIO.*

Unde.

Flores Sulphuris.

Flores sulphuris nihil aliud sunt quàm sulphur à terrestribus excrementis per sublimationem purificatum.

N. Nonnunquam tamen & aliis impraegnantur.

Sublimatio Sulphuris fit in arena calore mediocri gradatim adhibito, ex cucurbita terrea, cui alembic. vitreus sine luto imponitur, ut auferri sc. ac post exemptos flores iterum reponi possit.

N. 1. Orificium cucurbitæ interea temporis, quo flores eximuntur, probè tegatur, ne aëris irruptione sulphur, (quod facilè accidit) incendatur. Cujus rei gratiâ non abs re foret duos in promptu habere alembicos, quorum alter alterius vicem sine mora subire possit.

N. 2. Alembicus ante impositionem ad ignem calescat, quippe secus facilè dissiliet.

N. 3. Rostro alembic. recipiens apponi potest, ad liquorem acidum, qui primò egreditur excipiendum: liquore egresso rostrum chartâ obturare licet.

1. *Flores Sulphur. simplices.*

℞. Sulphur. grossè (si libet) contusi q. v. impone cucurbitæ terreæ, vel vice una, per vices, ac paulatim. Sublimaque in arena, ut dictum, igne moderato. Primò exit aciditas, quàm Excipulo excipe ac serva (de qua infra, secundò sublimantur flores flavi, &c

N. 1. Alij admiscent sulphuris ℔. 1. farinæ laterum ℔ ß. Alij à terra sigillata sublimationem instituunt, vel à bolo.

N. 2. Si sulphur fortuitò accenderetur, farina vel cinere injecto extingui flamma poterit.

N. 3. Cavendum ne aqua nimium incendatur, adeoque non excedat calorem, qui alembico manum imponere permittit.

Flores Sulphur. vitriolati.

℞. Sulphur. flaviss. ℔ 1. Sal Com. tusi & vitrioli calcinati an. ℔ ß. pulverisentur & misceantur. F. Sublimatio, ut dictum, dando initio ignem lentum, post aliquot horas (3. vel 4.) phlegma incipiet stillare, & durabit per horas 4. vel 5.

N. 1. Ignis augendus est sensim magnis carbonibus, ut tandem Catinus, in quo arena continetur rubeat.

N. 2. Calor si sit nimis excessivus, non flavo, sed nigro colore sulphur ascendit.

N. 3. Alij.

℞ Sulphuris Vitrioli calcinati, sal. com. ana, quæ ponderum diversitas neminem turbet, modò ignem ritè adhibeat. Additamenta enim quo pauciora fuerint, eo ign. sufficit mitior.

Quercetanus non nisi colchotar. anaticè addit, omisso Sal. Ni.

N. 4 Flores cum novo additamento vitrioli & sal. com. ut antè sublimari possunt, idque vel vice tertia, quippe quo sæpius flores elevantur, eo plus tenuitatis acquirunt, purioresque evadunt, non tamen sine imminutione quantitatis.

Vires. Resistunt putredini, cient sudorem, exsiccant, &c. Hinc prosunt in peste pestillentialibusq; febribus, sive curãdi, sive præservandi gratiâ adhibere libeat. Exhibentur quoque utiliter catarrhosis, pulmoniacis, tussientibus, & simil.

Dosis robusto ℈j. juveni ʒß. in præservatione autem non excedimus ℈ß. Exhibemusque commodè cum extracto Enulæ campanæ.

SULPHUR s. SULPHUR. Κατ' ἐξοχὴν sic dictum. *Sulp.* aliàs *commune.* Quod ergo attinet sulphur, rectè dicit AUCTOR, quod sit *resina terrea* &c. *In Sulphure* enim duplicem *habemus substantiam*: Unam *pinguem*, Oleosam, facilè inflammabilem. 2. Habemus substantiam *acidam corrosivam*, & facilè in liquorem coagulabilem. Hanc constitutionem Sulph. *nobis* monstrat *Mechanica* Chymica: Notum enim est *quod facilè inflammetur* Sulph. & simul atque flammam concipit sp. acidus nares ferit qui est nocivus pulmonibus, & corrodendo eosdem subtiliter homines disponit ad phthisin. Deinde hanc constitutionem sulph. nobis monstrat *compositio* sulph. *artificialis*, sic sc. ℞. ole. s. spir. vitriol. Ol. potius propter rectificationem) quod est acidum, & accipiamus Oleosum Terebinthinæ, quod est pingue & Ol. & hæc duo invicem misceamus & sublimemus, ex his acquirimus Sulph. simillimum Sulph. communi, naturali s. minerali. Uti de hac *enchirisi* videri potest *BOYLE in Chymista sceptico p.* 133. Hæc ergo sunt principia constitutiva Sulphuris, pars nimirum pinguis & oleosa s. terra bituminosa, cum parte acida. Et quidem ex hoc patet, quod dixi superius, quod qn. incendatur in Terræ cavernis Sulph. corrodendo mineras martis vel veneris, sp. acidus Sulph. producat vitriolum, vel corrodendo substantias saxeas producat alumen. Nam pars inflammabilis dispergitur, & pars acida obvia subjecta, suæ activitati proportionata, acrimonia sua corrodit, & in regno minerali in varias substantias transmutat, Sulph. juxta autorem *est duplex*, vel nativum vel factitium. NATIVUM ex Terra effoditur, aut reperitur in propriis mineris & vocatur Sulph. vulgare s. Sulphur ἄπυρον, quod *nondum expertum est ignis torturam.* FACTITIUM Sulph. *est*, quod *ex pyrite* s. gleba Terrea Sulphurea, concremando aut liquescendo, educitur. Pertinet huc Sulphur, quod *in Suecia ex minera vitrioli*, qn. forti igne comburitur, *effluit* & liquescendo emanat. *Vel* etiam ex autore *ex aquis Sulphureis excoquitur.* Notabile est, quod habet *HAUPTMANNUS de Thermi VVolckensteinensibus p.* 9. de aqua *limpida* ex petra stillante, quæ in aëre *in Sulph. perfectum abeat.* Deinde est Sulph. CABALLINUM, quod nihil *est* aliud qm. *crudior* & fœculentior Sulph. *pars*, ita vocatur, quoniam scabiem equorum sanare solet. Quoad DELECTUM Sulph. ad usum medicum vel chymicum, necessum est, ut semper *sumatur* Sulph *purissimum.* Purissimum a. est istud, quod revocatur s. revivificatur *ex cinnabari factitia*: Quod si n. isti addas alcali Tart. vel solvas in lixivio forti, mercur. secedit, & Sulph. purum & ab omnibus sordibus defœcatum ac depuratum remanet, estque purissimum *Loco hujus* potest assumi *illud*, quod ex vitriolo, dum excoquitur, ex venâ solet destill. & emanere: Hoc non est satis purum & defœcatum. Sin v. non habeamus hæc Sulph. necesse est, ut purificentur: PURIFICATIONES sunt *variæ. Optima* est ea, quæ fit *per* aquam *calcis vivæ*: Hæc enim omnes sordes absorbet, & secum abluendo aufert: Uti hoc non sine ratione asserit *ZUVOLFFERUS in Mantissa p.* 397. *&* 401 *Solet* etiam *purificari* Sulph. si coquatur *in urina*, & spuma supernatans removeatur: Hinc in aceto infundatur, denuoque remotione spumæ coquatur, & deinde Sulphur siccetur. Denique solet m. præparari & depurari sulph. *per ceram.* Hac enim per ceram præparatione fœtor Sulph. non nihil corrigitur, & inducitur qualitas longè aptior ad medecinam. Hæc sunt Sulph. potissimum usitata. Solet tamen etiam interdum *ex* INDIA afferri *Sulph. nativum instar succini* depuratissimum,

tiſſimum, & elegantiſsimi coloris, ſed *eſt rarum. Pars iſta pinguis* in Sulph. dicitur quod ſit *affinis naturæ aur.*: Ob id etiam quidam ex floribus Sulph.&Tart.parant liquorem, qui omnem monetam argenteam aureo colore inveſtiat. Quod USUM Sulph. attinet, rectè dicit autor, quod *pectori* ſit *dicatum* &c. ob id etiam vulgò *ſolet vocari Sulph. balſamum pulmonum*, ob egregias virtutes conſervandi pulmones & delendi quæcunque pulmonum vitia. Cæterum obſervatur; quod *tunc* temporis verum balſamum pulmonum mereatur vocari, *qn. pinguedo balſamica ſeparata eſt à parte acida* corroſiva, tunc n. certè Oleoſa & balſamica pinguedo defendit pulmones contra omnes inſultus aëris externi, & præſervat illos à multis malis: Deinde exulcerationem pulmonum ſ. *phthiſin*, lympham *acrem* l. acidam, unde tuſſes & alia vitia, potenter *temperat* & inhibet. Et qui norunt ſeparare Sulph partem pinguem ab acida, habent balſamū pulmoniacum & phthiſeos præſervativum. Cæterum cum hoc ſit difficile, & non omnibus contingat adire Corinthum, ut non ſit impoſsibile, propterea autores parant *balſamum Sulph.* cum Ol. terebinthinæ, aut Ol. lini; ab his enim Ol. in ſpecie terebinthinæ, temperatur occultum accidum Sulph. ut pinguedo balſamica promptius & efficacius operari poſsit. Et hoc eſt *fundamentum præparationis* balſami Sulph. de quo poſtmodum. Quod attinet Sulph. uſum, *per ſe* egrgiè *reſiſtit putredini*, ita ut ob id non tantum *externo* uſu in *ulceribus malignis* ac *putridis*, in Ulceribus *cacoëtheis* & ſimilibus, item in *abſceſſibus putridis* ſit egregium, ſed præterea qq. *internè* ſolet commendari contra *peſtem*, & valdè in eadem præſervanda ac curanda commendantur medicamenta Sulph. Præterea Sulph. *provocare ſolet* valdoperè *menſes, fœtum mortuum* ac *ſecundinas*, & exinde *uſus Sulph. gravidis* ac mulieribus debite ſolet eſſe *ſuſpectus*. Adhæc Sulph. eſt egregium *antidotum contra mercurium vivum*, quocunque modo internè vel externè corpori applicatum. In *Colicâ* valdoperè convenit Sulph. ſi ʒß ejuſdem propinetur: valdè non abſorbet & temperat acidum, quoniam pinguedo balſamica à proprio acido nondum eſt ſaturata, ſi aſſumatur in certâ quantitate internè *ſolet producere ſudorem*, & reſiſtere malignitati morborum & febrium. Quoad uſum externum convenit præterea, quæ de Ulceribus dixi, in *impetigine*, *Herpete*, item in *ſcabie. Nec eſt periculum*, quòd vulgò metuitur, quod ab uſu Sulph. externo affectus iſti *repellantur*, & inducantur aſthmata & febres. Eſt metus fruſtaneus, modò *præmiſſis univerſalibus maſſa* ſanguinea *ſit depurata*, ſic non tutiſsimè propinentur Sulph. imprimis ſi *ſub uſu externo* Sulph. *interius aſſumantur* lenia diaphoretica & maſſam ſanguineam purificantia, inter quæ *viperata* & *antimoniata* cæteris palmam præripiunt; quod de omnibus morbis externis intellectum volo. Singulare refert *KIRCHERUS in mundo ſubterraneo lib. 9 cap. 1. ſect. 3.* quod Sulph. interius *aſſumtum*, abdita quadam vi ita alteretur, ut *excrementa* eorum, qui eo *frequentius* utuntur, *Moſchi odorem referre* dicantur. Uſurpatur a. Sulph. interius vel *ſub forma pulv.* qui modus eſt uſitatiſsimus, vel ſolent m. interdum fieri *decocta* & infuſa ex Sulph. Sic *POTERIUS in Pharmacopæa ſpagyrica ſect. 1.* refert, quod *Sulph. in* ſimplici aqu. *coctum* præſtantiſsimum ſit medicamentum: interius ſumptum *epar refrigerat* & *febres juvat*: Externè v. ſolet *ſanare ſcabiem* & *eryſipelata*, & tollere *ruborem faciei*, Nam, ut obiter moneam, Sulph. *refertur inter coſmetica* vel quæ faciei nitorem conciliant: Sive infundatur in aqu. frigidam Sulph. ſive decoquatur perinde eſt, utroque non modo ſolet egregiè conferre. Præterea notatu dignum eſt, quod refert *POTERIUS*, quod *Sulph. ſublimatum* in doliis vini ad ſ. quod infuſum, *vinum reddat mirabile* ad diverſa morborum genera: imprimis *adverſus mercuriales morbos*, ſi qui caſu, vel arte, mercurij fumum recipiant, vel mercuriali inunctione peruncti ſint. In ſimile vinum pro potu ordinario bibant, ſicuti in pulmoniacis, aſthmaticis, ſcabiè infectis, & lue venerea contaminatis mirificè confert. Inter *præparationes* Sulph. eſt 1. Quando SUBLIMATUR, ſive *per ſe*, ſive *cum aliis*. Sublimantur qn. inditur cucurbitæ Terreæ cum tubulo ad latus, & ſuper imponuntur alembici, vel Terrei, vel vitrei, quorum ſuperior debet eſſe perforatus parum, ut ſpir. acidus, qui ſimul ſolet ſublimari, habeat exitum; Fit ex arena igne forti ſubjecto. Vel cucurbita poteſt imponi in ignem apertum, & per tubulum amplum in illum injici Sulphur: Sic n. qn. ign. attingit, Sulph. ſubitò ſublimatur in altum. Hæc *ſublimatio* in *flores eſt* nihil aliud, niſi *depuratio* quædam *ſuperficiaria* Sulph. Nam *ſubſtantia* ipſius *tota aſcendit in* FLORES, & recrementa permanent in fundo. Sunt ergo tantum Sulph. depuratum flores Sulphu. Deinde flores hi ſunt conſtantiæ farinaceæ, & permiſcentur aptiſsimè cum ſimplicibus, & cum iis varias conſtituunt formulas, *encheiriſes* ſunt deſcriptæ *in* AUCTORE. Hi flores Sulph. SIMPLICES, & meritò *præferuntur iis*, qui parantur *cum additione*. Hic ſequitur modus parandi flores Sulph. vitriolaceos, qui cum colchotare vitriol. ſublimantur, vel qui ſublimantur cum ſale communi. Cæterum *cum vitriol. ſublimati ſunt* valdè *corroſivi*, adeoque plus nocent quàm proſunt, imprimis in pulmonum affectibus, cum vitriolum ſit nocentiſsimum pulmonibus. Erunt ergo valdoperè nocivi, niſi vitriol. ſit omni aciditate ſpoliatum ſive *niſi terra vitrioli ſit perfectè dulcis*, aliàs ſemper aliquam habebunt acredinem. Et quidem *flores Sulp. qui* parantur *cum vitriolo martis l. virideſcunt*: hinc *flaveſcunt*, 3. *albeſcunt*, dum ſemper aliquid de metallo ſublimatur. Quod dixi de vitriolo, valet de *ſale communi*, cum quo ſublimantur *flores* Sulph *æque enim corroſivos* ſubminiſtrat flores atque vitriolum. *Quoad uſum florum* Sulph. quæ dixi de Sulph. communi, poſſunt qq. dici de floribus Sulph. vid. AUTOR. In *catharro*, præter ea quæ ſuperius dixi, flores Sulph. eſt egregium, quoniam abſumit & *exſiccat lympham* catarrhi materiam, imprimis ſi *miſceatur cum ſuccino* aut m. *benzoë*. Hæc enim eſt anima pulmonum, uti ſuperius monui In his ergo catarrhis flor. doſis eſt à ʒß ad ʒj. rarò ad ʒiß adſcendimus. Dicit auctor: permiſcentur commodè cum extracto Enulæ campanæ &c. ſic *cum extracto Enulæ* campanæ ex *Sulph. & ſacchari* poſſunt fieri *morſuli*: cum extracto Enulæ campanæ ex Sulph & ſaccharo poſſunt fieri *rotulæ* & aliæ formulæ.

III. FLORES SULPHUR. GEMMATI, ſeu MYRRHATI.

℞. Flor. Sulphur compoſit. ut antè ℔ß.
Colchotar. ℥vi.
Sal. Com. fuſi ℥v.
Mirrh. Alexandr.
Thur. an ℥iij.
Aloës ſuccotr. ℥iv.
Maſtich ℥iij.
Croc. ℥ß.

Omnia trita ſimul atque benè mixta ſublima l. igne, poſt horas aliquot, exime flores, rurſus alembicum impone, ignem continuando per hor aliquot (12.)

N. 1. Alij ℞ mox initio Sulphur. pulv. ℔ 1. vitrioli calc. ſal. gemm. ana ℥v. Aloës, Thur. Myrrh. ana ℥iij. Floreſque cum novis ſpeciebus 2. vel 3. vicibus ſublimant. Sennert. Inſtit. Paracelſ. volum 1. p. 1046.

N. 1. Felicius procedunt, qui floribus Sulphuris jam factis ſpecies ſolummodo admiſcent. Vix enim quicquam citra combuſtionem ex gummatibus cum unà Sulphure aſcendet.

N. 3. Imponenda eſt materia per vices; ſi enim nimium impoſueris, cumburitur materia, ſufficitque 3. vel 4. digitorum craſſitie ſingulis vicibus impoſuiſſe.

Vires. Efficaciores sunt quàm simplices, tum exsiccando, tum putredini resistendo.

4. *Flores Sulphur. Saccharati.*

℞. Fl. Sulphur. misc. atque sublima cum saccharo candido.

Vires. Majus auxilium conferunt ad asthma, aliasque affectiones pulmonum, quàm vulgares. Quercet. in Pharmac. rest.

5. *Flores Sulphur. albi.*

℞. Sal. nit. purificat. q. v. liquescat in crucibulo, postea injice per vices sulph. pulveris. (*ut in Lapidis prunellæ præparatione*) idque tamdiu, donec Sal. Nit. in ipso igne coaguletur. Ignem postea auge, operculatoque crucibulo etiam ignem supra accende, idque continua horis duabus.

℞. Ergo hujus sal. nit fixi, p. I.
Sulph. elect. p. ij.
Misce optimè & sublima ign. arenæ.

Vires. Lacti Sulphuris, viribus ac potestate æquivalent. Sennert. Inst. Tentzel.

6. *Flores Sulphur. Corallati.*

℞. Corall. ℔. I. Fl. Sulphur. ℥iv. tere minutissimè & misce, sublimaque ut dictum, aquam profluentem seorsim primò collige, dein flores.

N. Sulphur sic secum trahere dicitur subtilissimam Coralliorum substantiam.

Vires. Habentur præstantiores quàm vulgaris Sulphuris flores, & si ex his Balsamus fiat sulphuris, optimus pulmonum Balsamus perhibetur.

7. *Flores Sulphur. benzoinati.*

Fiunt duobus modis, vel sublevando alembic. omni hora interea dum sublimantur flores sulphur. & in cucurb. ʒj. pulv. Bezoini projiciendo, vel collocando flores jam factos in patinam terream vitream, in cujus medio scutella terrea promineat, cui inditur ferrum incensum igne, moxque injiciuntur particulæ benzoini, contegitur patella, ut fumus flores reverberet, sicque iteratur ferri accensio, & benzoini projectio, donec sit satis: quo facto teruntur flores sulph. cum floribus benzoini exaggeratis, servanturque tanquam odoris judicundi, majorumque virium.

II. PRÆCIPITATIO.

Unde

Lac Sulphuris.

Lac Sulphuris, Magisterium Sulph. est, seu præcipitatum.
N. Aliis dicitur cremor sulphuris, aliis Butyrum.

Paratur autem I.

℞. l. sulphuris, p I.
Salis Tartari, p. iij.
Pone in vitro oris capaciss. (sive in olla fictili) in arena collocato, affunde aqu. ad eminent. sex digitorum, ita tamen, ut quarta pars vitri sit vacua: hinc bulliant, ut sulphur solvatur, (quod 5. vel 6. horis fiet,) spatulâ ligneâ continuò agitando, donec ferè omne Sulphur solutum sit, liquorque rubeus appareat. Hinc filtra calidè per chartam Emporeticam, ac effunde confestim vinum austeriusculum (alij acet. destillat.) lentè, celeri tamen lapsu, tandiu donec colorem lacteum acquirat, qui ad fundum paulatim secedit, nomine lactis: Lac hoc ad fundum præcipitatum, affuso liquore collige, ablue aqua & exsicca, vel si placet antequam planè exsiccetur, misceatur, cum aqua cinnam. vel alia appropriata, ut fiat instar pultis lactis, &c.

N. Si aqua bulliendo evanescat, affundatur alia, sed fervida.

2. *Modus compendiosior.*

℞ Sulph. & sal. Tart. liquescant in crucibulo per d. simul liquefactis affunde aliquid aquæ calidæ, mox effunde in patinam aqua calidâ plenam, & statim filtrentur, affundaturque paulatim vinum: sic totus liquor albescet, atque lac ad fundum præcipitabitur.

N. Quercetanus dissolvit flores sulph. in oleo Tart. dissolutionique affundit acetum præcipitatque, &c.

Vires. Balsamum est pulmonum ac velut ignis consumens & exsiccans. Exhibetur igitur inutiliter his qui molestantur Catarrhis, fluxu Capitis, Asthmate, Phthisi, Tussi, Colica, &c. Promovet expectorationem, intercipit defluxiones ad articulos, ventositates ventriculi ac intestinorum præcavet ac discutit.

Dosis. Tantum pulveris miscetur, ut vehiculum albicante colore tingatur, daturque mane & vesperi coch. I. Vehiculum sit appropriatus liquor, aquæ scil. Cinnamomi, Melissæ, spiritus &c.

N. Quercetanus exhibet ʒj. pro cathartico.

3. *Lac Sulphur. S. Cloß.*

Coque in cacabo ferreo calc. viv. part. ij. sulph. pulver. part. I. cum maxima quantitate aq. donec partes 3. aq. sint consumptæ, ruboremque contraxerit instar sang. ex sulphure dissoluto, coletur calidè per manicam, refrigerari permittatur, denique præcipitetur urina calente, & decantato lixivio Lac 10. aut 12. aq. calidâ dulcoretur.

Vires. Eædem quæ lactis Crolliani, verum quia interdum fallit, parumve præcipitatur, hic modus infallibilis adinveniendus fuit.

III. DESTILLATIO.

Unde

I. *Spiritus sulph. S. Clossei.*

Eligatur sulphur Leodiense coloris virescentis minoris tubi sive magnitudinis (Galli vocant, du soufre vert à petit canon) tale enim per se luculenter ardet, locetur per magdaleones in scutellâ intus & extus vitreata, accendatur ad candelam, ut guttulæ liquati sulphur. ardentes alios magdaleones incendant, huic scutellæ Campana ex arte appendatur, ita ut verticem illius flamma non attingat, nec etiam nimium distet, (gignitur enim hoc oleum ex reverberio flammæ subvolantis, contra aliorum opinionem) aliàs flores acidos habebis, perge in substituendis scutellis, donec satis spir. campanarij habeas. Ex ℔. I. sulphur. nancisceris spir. ℥j.

Spiritus s. Oleum sulphuris, per C.

Habendum est vas vitreum latum paropsidis vel patinæ instar, è cujus medio surgat meta, (tripus vel aliud aliquid metæ vices supplens) supra metam concha vel crucibulum statuatur sulphure repletum. Desuper campana suspendatur vitrea, eâ distantiâ ne flamma illam attingat: sic fumus ex sulphure accenso ascendens in campana condensabitur, condensatusque ex campanæ oris in suppositam patinam decidet.

N. I. Si conclave fuerit clausum, locusque ac tempus humidum, major olei quantitas colligitur [hinc & major hyeme.]

N. 2. Utile est campanam initio madefacere.

Alius modus.

Idem Oleum per retortam tubulatam destillari potest.

Nimirum.

Retorta tubulata, vel quæ in postica parte tubulum habeat, in fornace collocetur, eique recipiens aquæ mensura adimpletum, ut in Clisso, sine luto adaptetur. Postea ubi incaluit Retorta, frustula sulphuris partitis vicibus injiciantur, & post singula frustula injecta tubulus claudatur: spiritus postea seu Oleum in MB. ab aqua separetur & rectificetur.

N. Si prorsus aërem denegaveris, sine frustraberis, id quod mihi accidisse sciat, qui lactescentem liquorem loco spiritus obtinui, omnis aciditatis expertum.

Vires. Spiritus sulphur, ut ferè nihil aliud est, quàm spiritus Vitrioli, ita & easdem cùm ipso vires obtinet. Insuper est & contra Pestē, Asthma, &c. utilissimeque extrinsecus adhibetur in procidentia ani, si illius pauxillum cum aqua, v. gr. plantaginis misceatur & spongiâ hoc liquore madefactâ locus affectus tangitur.

Vide Sennert. Instit. Beguin. Gluckrath. Tenzel.

N. Ex residuis fæcibus si in copia collectæ fuerint, sal elixiviari poterit.

3. *Spiritus*

3. Spiritus Campanarius facillimus S. Closs.

℞. Sulph. viridis vel alterius pulveris. ℥iv. spir. sal. nitr. vel spir. ex Sal. Com. & Vitriol. compositi (vide suprà cap. 21.) ad supereminentiam 4. digitorum transversorum, destilla ex retorta in ciner. subtus & supra positis ad ultimam usque guttulam. Cohobetur 6. aut 7. (quo plus, eo melius.) Reperies in retorta ultra ℥ij. spiritus ejusdem amaroris, naturæ, facultatisque cum Campanario, viribus spir. nitrati haud imminutis.

N. Etsi ad siccitatem videatur secretum fuisse menstruum, nihilominus sulphuri inhæret sal causticum, quod dio expositum in spiritum Sulphuris resolvetur, novo quotidie succrescente, nec à Campanario ullatenus differente.

4. Aqua acida, seu aciditas, vel Phlegma Sulphuris.

Aqua acida sulphuris appellari potest liquor ille acidus, qui in sublimatione florum, ignitio (parcè tamen exstillat.

Vires. easdem cum spiritu præcedente obtinet, verùm quia minus efficax, rarò in usum venit.

5. Aqua seu Ens Balsami Sulphuris.

℞. Aquam acidam, quæ exstillavit in sublimatione flor. sulph. vitriol. tor. rectifica & conjunge in MB. bullienti, cum aqua acida, quæ exstillavit in sublimat. flor. Sulphur. resinatorum.

N. Hæc aqua (quæ lactei coloris) seorsim colligenda est, ne misceatur cum oleo sub nigro, quod subsequi solet.

Usus idem qui florum, in peste, febribus, colica, obstructionibus ac aliis affectibus pulmonum. *Croll.*

6. Ol. Sulph. Balsaminum.

Balsamo sulphuris sal tostum adde atque per retortam destilla. *Sennert. Inst.*

7. Ol. Sulphur. Linatum.

℞. Sulphur. citr. (℔. 1.) maceretur & solvatur in Ol. Lini (℔. 1. ß.) & fiet massa concreti sanguinis instar Refrigerata materia destilletur per Retortam, & prodibit Oleum rubicundissimum.

N. Alii addunt Vitrioli calcinat. ℔. ij. Mil.

Vires. Prodest ad ulcera ac bubones pestillentiales maturandos.

8. Ol. Sulphuris aureum.

℞. Sulphur. aliquoties liquefact. & in aqua effusi ℔ 1. pumic. ℔. ß. misc. ut fiat massa, ac destilla lento igne (*N. ne des ignem inferius, sed supra & ad latus*,) sub fine auge ignem, & exstillat oleum instar auri

Vires. Exhibetur utilissimè in Cachexiis obstructionibusque viscerum, præservat à peste. Clar. D. D. Iohan. Titelman. P. Profess. Marpurg.

9. Ol. Sulphuris rubeum.

℞. Sulphur. ℔. 1. calc. viv. ℔. ij. per retortam pelle.

Vires. Itidem maximæ est utilitatis in bubonibus pestilentialibus maturandis.

10. Oleum Sulphur. verum S. Closs.

Resolve ℥ij sulphur. tusi in ℔. ß. spiritus thereb. clari, id quod fiet intra tres dies super cineres, solutionem rubentem decanta, alium affunde, digere separa per inclinationem, fæces (quæ erunt perpaucæ) abjice. Tincturas destilla igni Arenæ lentissimo ex magna retorta, donec ferè omnem spir. tereb. recuperaveris. Guttulis autem rubris apparentibus mutetur recipiens, & ignis paulatim augeatur, egreditur Oleum coccineum cum fœtore intolerabili, qualis est latrinarum, ultimò retorta ferè incandescente, spissum & obscurè nigricans. Hoc rectifica & separa à spiritu therebinth. superstite. Oleum autem vase clauso digere per mensem in MB. ubi fœtorem deponet, evadetque verus Pulmonum balsamus.

Vires. Est egregium Vulnerarium intrò sumptum, curat ulcera interna, resistit suffocationi matricis, pesti colicæ, catharris fluentibus: asthmati, empyemati, urinam provocat. Dosis gut. 3. in syr. conven. vel ovi vitello.

IV. INFUSIO.

Unde.

1. Balsamus Sulphureus Therebinthinatus, seu Rubinus Sulphuris.

℞. Fl. Sulphuris vitriolat. ℥iij. spirit. Therebinthin. ℥vi. vel vii. Digerantur in vase vitreo, donec solvatur Sulphur & spiritus Terebintinæ rubicundus reddatur. Hinc decanta ac serva.

N. Quod si hunc Balsamum à suo solvente, seu spiritu separe volueris, affunde aquam & destilla: sic spiritus una cum aqua exstillabit, relicto Balsamo in fundo.

Vires. Excellentissimam Medicinam præbet contra Phthisin, quippe valet ad ulcera pulmonum consolidanda, præservat à peste, aliisque morbis contagiosis: inservit quoque Tincturæ sulphuris. Vide infra.

Dosis à gr. 4. ad 7. scil. si à suo solvente separatus sit, vel ad g. 20. cum suo solvente. Quercet. in Pharm. restit. Hartman. in Pract. Sennert. Institut. Beg. &c.

2. Balsamus sulphuris compositus, Balsamus vitæ.

℞. Flor. Sulph. ℔. 1. Myrrh. ℥iij. Aloës succotr. ℥ij. croc. ʒij. pulverisa ac digere cum spir. Terebinth. ad eminent digit. 2. affuso, decanta.

Vires. Efficaciùs operatur quàm simplex.

2. Balsamus sulphuris ad externa, qui Rulando adscribitur.

℞. Fl. sulphur. vel sulphur. puri ℥j.
Ol. rapar. express. vel nucum ℔ ß.
Vini generosi ℥ij.

Macerentur per dies 8. igne lento, aliquoties agitando. Postea coquantur lentè ad vini consumptionem. Tandem cola & serva usui.

Vires. In variis morbis à Rulando Balsamus his adhibitus est. Vide ejus 11. Cent. 92.

N. Balsamum Rulandi aliter describit Untzerus tract. de Tart. Vide & Balsamum Sulphuris Vitriolatum in Angel. Sala tract. de vitriolo.

4. Tinctura sulphuris,

Postquam à Balsamo spir. Therebinth. separatus fuerit (*modum separandi habes in Balsamo*) affunde spirit. vini, & extrahe spirit. vini in MB, & habebis Tincturam; digere, atque à fæcibus subsidentibus decanta.

Vires. Præstantiores effectus habet quàm balsamus.

Dosis gutt. 3. 4. &c.

N. Extrahit quoque ex sulphure crudo tincturam citrinam spir. vini optimè rectificatus.

5. Tinctura sulphuris S. Closs.

Infer in candens tigillum per cochlearia mixturam ex sal. nit. sulphur. pulver. ℥iv. comburantur igne forti, donec strepitus cesset, & in massam rubram mixtura detonata compingatur, cui in pulv. redactæ spiritus Vini Tartarisatus affundatur, extrahaturque Tinctura.

Vires. In peste, febribus, scorbuto, obstructionibus hepatis, pulmonumque morbis utilis.

Dosis gutt. 8.

6. Alia Tinctura.

Fac Capitellum ex Sal. Nit. in aqu. soluto, in cujus ℔. vi. bulliat per 24. horas sulphur. pulv. ℔. j. filtretur liquor rubeus, & præcipitetur cum aceto, in quo decoctum fuerit caput mortuum ex vitriolo. Infunde residebit pulvis scarlatinus, è quo tinctura, modo superius tradito, vel spiritum thereb. extrahenda venit.

Ex S. Closs.

7. Crystalli ex Tinctura.

Postquam per spiritum Terebinth. & spirit. vini tinctura fuerit prolecta, ut dicitur artic. 4. pag. 166. abstrahendus est spirit. vini, dum restitet tantùm pars tertia illius, quæ in cellâ collocatur, ubi nascuntur crystalli, in quibus

resides

residet. Q Essentia sulphuris : dissolvantur iterum in alio spirit. vini, & denuò coagulentur, quò magis ac magis ab odore gravi immunes reddantur.

Dosis g. 4. in liquore appropr. tabellis, electuar.

8. *Sal Sulphuris.*

Vel fit ex capite mortuo spiritus Campanarij, de quo vide Kesterum artic. 54. Centur. 1. vel ex carbone nigro levi & & foliato Sulphure post exstillationem Olei veri (vide praecedentem pag.) residuo : hoc igne miti reverberandum est ad albedinem.

Vterque modus parum Sal. prabet, sed efficax adversus verminationem remedium.

9. *Essentia Sulphuris.*

℞. Miner. Sulphuris q. v. affunde aqu. fort. (ex vitriol. & Sal. nit.) solve quoad poteris. Hinc extrahe solutum ad siccitatem, edulcoratumque reverbera ad rubedinem saturatam. Hinc extrahe Tincturam cum spirit. vini digereque donec Ess. sulphuris à spirit. vini separetur instar olei, fundumque petat.

Vires. Magnarum est virium ad arcendam putredinem.

Dosis gutt. 6.

N. In hac Sulphuris Essentia si Myrrha, Aloës, aromatave infundantur atque Tinctura *MB.* extrahatur, dicitur Balsamus mortuorum.

Balsil. in repet. Lap. Ph.

V. LIQVATIO.

Sublimatur Sulphur. in sublimatorio sat alto igne forti, sublimatum expone liquationi in cella aliquandiu. *Basil. d. l.*

FLORES SULPH. GUMMATI. Observetur quod haec *sublimatio* sit *frustranea, ratio*, quoniam solum modo sulph. contritum sublimatur, mirrha, aloe, thus &c. Solent comburi in fundo, & acquirere empyreuma & propterea *nihil horum sublimatur* cum sulph. *Potius* ergo cum floribus sulph. *permiscendi* sunt isti pulv. thuris, mirrhae &c. quam sublimandi, promptè non permiscentur, ut non opus sit sublimatione Qiod jam dixi de tertia praeparatione, intelligendum de IV. sc. de *floribus sulph. saccharatis*, quoniam *saccharum* non sublimatur, sed *comburitur* propter ignem fortem, & foetidum sulphuri dat odorem V praeparatio dat *flores sulphuris albos* cum nitro. *Possunt* tamen etiam *fieri* flores Sulph. albi, si sublimentur cum ana aluminis. Caeterum flores sulph. *albicum nitro* autoris in aëre frigido *abeunt in liquorem* : (notanter dico cum nitro autoris, in aliis n. non procedit) qui liquor specificè *in Erysipelate* extrinsecus prodest, & m. in reliquis *cutaneis affectibus* Vid. Praeparatio VI. *Flores Sulphur. corallinati* : Hi possunt conferre ; cum n. permisceantur coralia cum sulph. substiliter trita, acidum sulph. ingreditur corallia, & dum sublimatur sulph. simul in sublimè rapiuntur partes corralliorum volat. & sic fiunt flores Sulph. corallinati. Praeparatio. VII. *Sulph. Bezoënati* : quod dixi de praeparatione III. & IV. convenienter qq. dicitur de Floribus Benzoënatis : Nam *Benzoë* naturae est resinosae & facilè *comburitur* : propterea frustra adjicitur Benzoe, cum uti dixi, comburatur, & empyreumaticum odorem relinquat: *potius cum Benzoë permiscentur* flores sulph. Sequitur PRAECIPITATIO sulph. Et qn. sulph. praecipitatur, vocatur LAC sulph. quoniā liquor, dum *fit pracipitatio*, fit albicans & lactescit. *Pracipitatur qn. sulph. solvitur* cū alcali. Nā *alcalia* imprimis sal tartari fixum promptè *solvunt sulph.* Post solutionem in lixivio forti praecipitatur cum acido, hinc latescit, & in fundo subsidet pulvis albus, qui per filtrum separatus, dicitur Lac sulph. *Modi* aliquot vid. in AUCTORE. Caeterum observetur, quod sulph. *crudum praferendum* sit *lacti* sulph. ex eo, quoniam *lac* sulph. *est* tantum *calx.* sulph. *iners*, ex eo, quoniam *talia*, tam sal lixiviale alcali solvens, quam sal acidum praecipitans fortiter *adharent sulph.* & *reddunt* lac sulph. quodammodo *acre* & corrosivum, adeò ut potius noceat, quàm prosit in pulmonum affectibus uti rectè urget hinc inde *ZVVOLFFERVS in Mantissa pag. imprimis* 400. Solet imprimis loco alcali in solutione sulphur. assumi sal tartari fixum, aut ex eo paratum lixivium, aut calx viva, sive calcinentur in crucibulo invicem, s. ex iis fiat lixivium, in quo solvatur sulph. *Vicina est* praeparationi lactis sulph. *praparatio* ista, qua elicitur *ex sulphure Ol.* rubicundum. ℞. sulphuris lib. ij. & Tart. rubicundi lib. iij. quae in olla probè perlutata ponuntur in ignem circuli per 24. horas : ollam prunis probe obtectam per 8. horas permitte, tunc refrigerata pulverisa, super funde acetum destillatum & extrahe tincturam rubram, acet. destillat. per decantationem aufer, vel m. per lenem destill. abstrahe, & remanebit Ol. rubrum. Est praeparatio similis lacti sulph. & adhibendum hoc Ol. tantum usu externo, internè nihil valet. *Quidam* ℞. flores sulph. eosque bene imbibunt cum sp. salis, ut fiat mistura, postea destillant per retortam, & prodit liquor lacteus, secretum *in peste & hydrope.* Sequitur DESTILLATIO, quā destill. liberatur pars sulph. acida à parte ejusdem Oleosa, & ista pars acida seorsim sensim collecta in liquorem, vocatur SP. SULPH. qui sp. Sulph. valde est *cognatus sal terr. centrali*, utpote qui proximus est ab ejusdem origine. *Modi* praeparandi sunt *varii*, idque ex eo, quoniam parum admodum aciditatis ex eo potest acquiri : Nam *pinguedo praponderat acido*, & quoniam non est saturata à proprio acido, propterea obscurioris est notae Communiter tamen *fit per campanam*, & vocatur sp. Sulph. per campanam, qn. inflammatur Sulph. ita ut ardeat, & super flammam interjecto spacio applicetur vas amplum, quod dicitur campana : admovetur hoc ita, ut vapores exhalantes ex Sulph. incenso impingant in vitream campanam, & sensim sensimque concrescant in guttas, quae decidunt in subjectum vas, & abeunt in sp. sulph. acidum. Hic est communis processus, & solet sulph. hoc modo destillari : *Fundamentum destillationis* est hoc, quoniam non potest acquiri sp. acidus nisi separetur pars acida à parte pingui & oleosa : Caeterum *modus cognitus* hactenus *non est*, *nisi fiat per combustionem*, quâ absumuntur partes pingues & liberantur partes acidae. Jam v. cum non possit inflammari sulph. nisi in aere libero, propterea non potest destillari per retort. sed fit separatio in aere libero, ac sp. acidi colliguntur in campana. Caeterum cum in parvâ quantitate acquiratur sp. Unde *observanda sunt enchirises* in praeparatione hujus sp. necessariae. Imprimis necesse est, ut antea *campana* aliquot guttis aquae *humectetur*, ut promptè se uniat pars acida cum parte āquosa, & abeat in sp. acidum. Convenit qq. si *perficiatur* haec destill. *tempore humido* ac aere pluvioso ; sic n. se promptius uniunt partes acidae cum partibus humidis, & copiosiorem dant spiritum, cum aliàs aere sereno difflarentur. *Est hic sp.* sulph. acidus *ejusdem natura cum sp. vitrioli*, sive veneris sive martis, quoniam omnes sunt ex una minera, dum spir. sulph. acidus corrodit mineram martis vel veneris, uti monui seperius, ubi de sp. vitrioli *Alium modum destill.* sp. Sulph. hunc per retort. tubulatam vid. in AUTORE. Hic sp. Sulph uti ejusdem naturae, ita qq. ejusdem est efficaciae atque sp. vitrioli communis, uti superius indigitavi. Caeterum hic sp. Sulph. acidus tandem potest *redigi in sal per evaporationem* phlegmatis artificiosam, & subsequentem coagulationem acidi in frigido, & hoc sal *aluminosi* dicitur esse *saporis* : hoc ipsum tamen postmodum ex aere libero attrahendo phlegma abit denuò in spir. *Quidam solent parare sp. Sulph.* acidum *sese multiplicativum*, qui scil. per menstruum spatium quarta sui parte semper accrescit, modum praeparandi subministrat *POTERIVS in Pharmacopaea*

macopæa spagirica cap. XI. ubi de sulph. in quo parat ol. multiplicativum: In fundo crucibuli pro lib. 1. Sulph. injiciantur ℥ij crystallorum calcinatorum, & destill. per campanam ordinario modo: sic n. fit liquor multiplicativus, cui, *si quartam partem singulis mensib. demimus, nequaquam* tunc altero mense *decrevisse experieris*, idque beneficio crystallorum calcinatorum: Chrystalli pro hoc usu calcinantur: si igniti, in aqua frigida extinguantur, quod bis & ter reiterandum, donec abeant in pulv. & h. m. præparatus sp. multiplicativus, quæ ℥j intra mensem aliam dabit ℥. beneficio sp. acidi Sulph. œnopolæ solent *conservare vina*, ne fiant pendula. Et quidem hic ipse *sp. Sulph. acidus*, qn. ita sub formâ fuliginis injicitur vino, *vocatur* ab *HELMONT. Gas Sulphureum*, quoniam non est sp. acidus, sed constat ex parte Sulph. oleosâ. Hoc Gas monstrat nobis apertè, quod singulari *polleat vi in arcenda putredine* in corpore humano, ex eo, quoniam vinum præservat, quod aliàs facilè corrumpitur. Hinc non sine causa *KNOPHELIUS in tr. de curatione febrium epidemicarum, habet modum conbinandi* hoc Gas Sulph. acidum *cum potu* ægrotantium in febribus malignis, cum sit sigulare remedium in cura earumdem: vid. autor: Et *beneficio hujus* liquoris quidam medicus *in peste* ultima Londinensi multas *egregias perfecit curas* Item potum h. m. imprægnatum miris modis *commendat HELMONT.* in curanda *Tussi* ac *asthmate*, similibusque pectoris affectibus. *Oleo Sulph. linatum fit*, qn. Sulph. cum ole. destill. per retort. prodit n sic oleum rubicundissimum & est instar Massæ sanguineæ, destill. in igne arenæ, d. magno cum periculo, quoniam omnia interdum dissipantur: fuit *KNOPHELII secretum*; qui pro excellenti balsamo vulnerario usus fuit oleo Sulph. Et observetur quod *præparatio suscepta* fuerit hic ab egregio Chymico, sed *frustraneo* cum *successu* & spes eum fefellit de hoc oleo Pertinet huc *liquor Sulph.* quorundam *secretus*, qui fit *ex pulv. flor. sulph.* à quibus *sp. vini* quater cohobatus sit: Hinc imprægnatur remanentia pulv. florum sulphuris cum oleo Juniperino, ex quibus destillatione paratur liquor lacteus, multis in secretis habetur hic rectificatus probè ab aloe, myrra, theriaca & croco, adhibetur postmodum tam pro usu interno quam externo in quamplurimis morbis. Sequitur INFUSIO: qua præparatur balsamum Sulphuris. A quibusdam rubicundum solet BALSAMUM *Sulph.* fieri, qn. flores sulph. coquuntur cum Ol. terebinthinæ: præparationem habet AUTOR. Fit n. exinde liquor rubicundus. Hoc balsamum sulphuris est egregia *medicina in phthisi* in qua convenientissimè jungitur cum antimonio diaphoretico, saccharo saturni, & balsamo Peruviano, exque his fiunt convenientes *pilulæ antiphthisicæ*, quæ in pulmonibus collectum *pus per urinam evacuant. Est* enim balsamum sulph. præterea egregium *diureticum* sive affundatur balsamum sulph. terebinthinatum, sive sp. sulph. terebinthinatus. Hæc non duo singularium sunt facultatum *in calculo renum & vesicæ*. Præterea in quibuscunque partium internarum *vulneribus ac ulceribus* excellens est remedium balsamum sulph. ut jam taceam abscessus externos, ulcera quæcunque, m. *bubones & carbunculos superatos*, quos omnes balsamus sulph. egregiè purificando abscessus & ulcera, & consolidationem promovendo procurat. *Quidam addunt camphoram*, & sic fit balsamum sulph. terebinthinatum camphoratum egregium balsamum. POLEMANNUS *tract. de sulph. philosoph.* loco sulph. communis in præparatione balsami sulph. *assumit* sulph. *auratum antimonij*, quod habetur ex præcipitatione scoriarum reguli, & usitato modo ex hoc sulphure parat balsamum. Nihilominus tamen *usus* balsami sulph. *debet esse moderatus*: Nam uti curat phthisin, ita ex *immoderato usu*, quidam *Hecticam*, vel m. *phthisin* incidit. Unde corporibus succulentis s. *pituitosis convenientius est* balsamum sulph. quàm nimis siccis aut cholericis & melancholicis. In vulneribus egregium est medicamentum: *mistum cum balsamo Peruviano* excellens suppeditat *balsamum vulnerarium: emplastrum stypticum CROLLII* convenienter *malaxatur cum balsamo sulph.* externè. *D. KORNERUS* præparat *balsamum sulph. compositum* per destill. cum croco, aloe myrrha Ol. Juniperino terebinthinæ &c. de quo integrum scripsit tractatum: Inter alia mirè *commendat in* curanda *peste*. Sic novi ex vicinia rusticum qui se à *Dysenteria Epidemica* balsamo sulph. communi, sæpius & copiosius assumto, curavit. *Paratur* m. à quibusdam *balsamum sulphuris cum Ol. anisi* loco ol. terebinthinæ, & est magis appropriatum pro pectore, cum ol. anisi fit egregium pulmoniacum. *Balsamum sulph. RULANDINUM fit* cum Ol. raparũ, quidã volunt cum Ol. expresso ex semine papaveris: Quicquid sit, utroq; modo, præter usus superius dictos, in quibuscunque ulceribus & abscessibus est egregium in *panaricio* s. verme sub ungue. *Tinctur. sulph.* est egregia pectoralis, & valde convenit in morbis pectoris. *Modus parandi* est facilis, facile patet totum negotium *sal sulph.* fit ex capite mortuo sp. campanarij: Cæterum *est* carum & *rarum* utut sint, qui volunt valdè laudare *in asthmate*: it. asserere quod *possit solvere aurum* ESSENTIÆ sulph. præparatio est satis clara in Autore. Pergo ad *corpora bituminosa*, in specie ad.

CAPUT XXIX.

De Bitumine ac Ambra Grysea.

Bituminis nomen generaliter denotat quodcunque minerale pingue Unde & diversas sub se species comprehendit. Ambram scil. Succinum, Sperma ceti, tum quoque Bitumen in specie sic dictum, Naphtham & Petroleum, Carbonem petræ & Gagaten. De quibus sigillatim brevibus.

De Ambaro.

Ambarum, Ambra, sive Ambara generaliter duo bituminis genera denotat, quorum unum Ambræ nomen communiter retinet, & ad differentiam alterius, Ambra grysea dicitur. Alterum, Succini nomen assumpsit, de quo loco sequenti.

N. 1. Est & Ambra nigra de qua maxima est Authorum inter se dissensio. Sunt enim qui veræ ambræ nativæ speciem faciunt, quæ reliquis sit imbecillior. Alij factitiam statuunt ex moscho, Zibetta, ligno aloe, styrace & ladano. Alij Gagatem, sub titulo ambræ nigræ vendunt. Alij succinum colore ad nigrum vergens.

N. 2. Est & ambra subalbida, i. e. Sperma ceti.

Ambra Officinarum bituminis quoddam genus est, ex fontibus ac alveis maris ad littus eructatum. Germ. *vvolriechend Amber.* Ambre odorant.

Optima censetur Grysea (seu coloris cinerei) à sordibus purgata, odorata, levis, quaque acu perfossa succum pinguem residat. Improbatur nigra, candida valdè, utpote dubio procul adulterata.

Factitia facilis cognitu est, odore scil (quo res, ex quibus confecta est, prodit) tum quoque colore (quo plerumque nigra est,) adde quod aqua imposita citius mollescat, quam nativa. Vide Hermandez.

Vires. Calefacit, siccat, resolvit, cor, cerebrumque roborat, spiritus vitales ac animales sulphurea sua ac suavi exhalatione suscitat reficitque: Unde haud rarus illius usus est in globulis illis fragrantibus ad infectum aerem corrigendum, spiritusque ab infectione tutandos; formatis quos globulos inde Poma Ambræ vulgus appellat, de quibus lib. 2

PRÆPARATA.

1. *Essentia Ambræ.*

℞. Ambr. grys. p. 1. Ol. amygd. d. p. ij. impasta, ac digere per dies aliquot, postea exprime: Expressioni affunde spirit. vini rectificatiss. digere ac destilla per arenam Sic elevabitur cum spirit. vini Essentia quoque Ambræ, relicto oleo amygdal. in fundo. Abstrahe igitur spirit. vini leni calore, ad consistentiam olei.

Dosis gut. pauca.

2. Species Diambræ, *vide in D.*

3. Poma Ambræ, *vide lib. 2. c. 75.*

4. *Ambra Essentificata.*

℞. Ambræ grys. opt part. VIII.
Mosch. odoratiss. p. I.
Sacchar. albiss. p. ß.

Omnia pulverisata cum Spiritu Rosarum ardente terantur optimè diutiùs, sæpius aliquid de spiritu rosarum affundendo, attemperando, & rursum reponendo, utque siccescat. Hinc rursus ut priùs teratur, & servetur.

Vires. Omnium viscerum confortativum maximum est, in primis vim procreandi promovet. Dosis instar pisi minoris in Vino vel alio liquore. Hartman. in pract. & in Croll.

N. Flores Ambræ habet Keslerus sub nomine glebæ bituminosæ.

AMBRAM GRYSEAM. Hæc utut sit elegantissimum & efficacissimum simplex, nihilominus *ignota* est *istius origo*. Hoc certum est, quod *piscetur ex mari*, & sicuti succinum eiiciatur ad littora maris Porussici, ita ambra similiter colligitur ex mari *in Indiâ Orientali & Africâ*. Scilicet ex mari in Bengala, in Peguit. in Monzambico, atque Cabo verde, in Insula Madagascar & Sumatra. Origo est ignota, utut moderni *Angli invenerint*, quod *in Balena* reperiatur *intestinis*, sicuti sperma ceti, quod vocamus, in illius capite, quod tamen experientia ulterius comprobabit. PROBA ejusdem, quoniam sæpius adulteratur, & factitia substituitur loco nativæ, est varia, præprimis tamen *quoniam ex acu perforata prodit pinguedo*: tunc n. est genuina: *Alii probant hoc modo: si* pauxillum decerpatur ab ambra, & hinc in manu calida bene agitetur & *malaxetur*, ut ipsa *fiat mollis* & liquida, sicut cera, est genuina & vera, sin v. non benè cohæreat, d. à se invicem secedat, non est ambra vera. Quod USUM attinet, notum est, quod sit egregium *confortativum spirituum* animalium, & exinde totius hominis, unde valdè convenit *in* corroboranda *memoria* & refocillandis *senibus*: præterea lenem *vim habet inebriativam*, d. valdè moderatam, & exinde m. qs. vim *exhilarantem*: ut jam nihil dicam de odoris suavitate, ut non modò viros d. m. mulieres afficiat. Ambra *non nocet fœminis*, si *internè* assumatur, sunt *quædam*, quæ *perferunt nec moschum nec ambram*, *quædam* v. & ambram & moschum *benè*, *quædam* perferunt *odorata* & *abhorrent fœtida* & contra, aut si vel maximè abhorreant ambram aut medicamenta exinde composita, nihilominus *si possit propinari* mulieri, ut non feriat nares, maximos exinde *acquiret usus in* confortando *fœtu*, pellendis *lochiis & secundinis*, & qui sunt similes alii. Quod attinet *præparationem*, ambra, utut sit valdè spirituosa & maximè penetrans, nihilominus solet ex eâ præparari ESSENTIA 1. Quidem ut facilius operetur. 2. Quoniam ambra sæpius cum aliis permiscetur, quæ in præparatione Essentiæ omnia secedunt, & 3. Quoniam ambra non benè potest pulverisari, sed multum adhæret mortario, propterea solet præparari in Essentia, utut non pauci sint, qui etiam *ambram adhibere volunt* sub formâ siccâ *cum duplo sacchari permiscendo*, pulverisando & agitando prius in mortario, sic enim fit pulv. valdè conveniens, & senib. familiaris. *Ess. præparationem* quod attinet, *ambra non solvitur in aquosis*, sed tantum *in Oleosis*, quia est genus bituminis, & Oleaginosæ naturæ. Jam v. omnia MENSTRUA SOLVENTIA DEBENT ESSE HOMOGENEA CUM RESOLVENDIS, quod debet esse catholica nota. Contrarium videmus in *Moscho*, quia est humidioris naturæ quam ambra, unde *humidis* & liquidis facilè *permiscetur*. Ergo *in confectione Pomambræ*, *ambra* seorsim est *subigenda cum Ol. amygdalarum dulcium* it. Moschatus etiam seorsum. Quod attinet Essentiam ambræ, *spirit. vini tartarisatus solvit* totam *ambram*, modo legitimè procedatur: It. *Essentia citri* per spirit vini ex cortice per cohobationem parata solvit ambram ferè totam, in colorem egregium aureum, & tandem consistentiam quasi butyraceam acquirit. Aliàs etiam præparatur Essentia *cum spirit. rosarum*, quæ Essentia etiam non est inelegans. Præter usus supra dictos *Ambra est stomachicum*, quod in quibuscunque stomachi vitiis *nausea*, *ructibus*, *vomitu*, &c. mirè conducit.

CAPUT XXX.

De Succino.

Succinum nihil aliud est, quàm succus bituminosus, seu Resina terræ & arborum vetustarum optimè digesta, exinde in mare traducta, atque ibidem præcipuè concreta.

N. Dum bituminosa illa substantia adhuc liquida est, varia sese involvere solent, ut muscæ, formicæ, &c.

Dicitur Arabicè Ambra citrina, Electrum, Crysolectrum, Carabe, Glessum.

Paracelso, *Agstein, Bernstein, Gentar*: Ambre jaune.

Delectus.

Succini genera etsi plura vulgo numerantur, album scilicet flavum, & nigrum; attamen non nisi duo Officinis nostris eo nomine veniunt, album scilicet & flavum seu citrinum: nigrum enim non datur, nisi particulis ad nigredinem aliqualem inclinantibus id nominis imponere velis. Utrumque quamvis laudibus suis haud destitutum sit: attamen præstat album, utpote magis digestum. Eligendum id ipsum candidum, syncerum, suavè fragrans. Huic succedit flavum, & quod præstat pellucidum, quodque præ aliis attritu suavem halat odorem; nigrius enim (quod nonnulli succinum nigrum, alii ambram nigram faciunt,) vilius est. Flavum ad albedinem reduci potest hoc modo.

℞. Succin. flav. e. g. ℔ 1. pone in cucurb. terream validam, superadde salis marini (si eo careas,) salis gemmæ, aut salis commun. opt. ℔. ij. superfunde aquæ pluvial. scilicet q. ad dissolvendum salem: quo soluto, insuper affunde recentem aqua fluvial. ebulliant superimposito alembico cæco (ne aqua subitò exhalare possit, non tamen firmiter cucurbitæ agglutinato:) per dies ac noct. 14. vel donec coctione illa album evadat.

N. Ne aqua deficiat, identidem alia fervens superadiicienda erit. Hartm. in Croll.

Vires. Calfacit, exsiccat, roborat, adstringit leniter, capiti ac utero inprimis dicatum est. Hinc adhibetur utiliter in Catarrhis, Epilepsia, Apoplexia, Lethargo, Vertigine, suffocatione ac Inflatione matricis, profluvio sanguinis ac seminis, quod ad naturalem statum reducit: In fluore albo mulierum. Cæterùm globuli è succino ad oculorum defluxiones miro successu auxiliari dicuntur, annexi occipitio. Iidem etiam collo gestati præpediunt, ne destillationes in guttur ferantur. Baptist. Port. Matthiolus.

Usus. Præcipuè albi, tam internus, quàm externus esse potest. Internè exhibetur ad ʒj. usque.

N. Alii commendant pro amuleto in peste, si eo pulsus sæpe fricentur.

PRÆPARATIONES.

1. Præparatio. 2. Solutio ſeu Præcipitatio. 3. Deſtillatio.

I. PRÆPARATIO.

Unde

Succinum præparatum.

Præparatio ſuccini vulgari modo fit, cum aqua appropriata lævigando.

N. Quercetanus in Ph. reſt. c.26. miſcet Succ. pulv. cum ſpirit. vini, hunc deſuper accendit, continuò agitando, & hoc 4. repetit, tandem humiditatem igne ſeparat, reſiduum ſuccinum pulveriſat, & ſervat.

Vires. Eædem quæ ſupra.

II. SOLUTIO & PRÆCIPITATIO.

Unde

Magiſterium, Extractum, Tinctura.

℞. Succini pulveriſ. q.v. affunde ſpirit.vini rectificatiſſ. ſolve, decanta, abſtrahe in Mar. Baln. vel præcipita cum aqua font. & remanebit in fundo Magiſterium.

N.1. Paracelſus.

℞. Carab. q.v. affundit circulatum, digerit in cineribus per dies ac noct. (6.) Hinc abſtrahit ac cohobat, idque toties donec in fundo ole. appareat. *lib. 5. Arch d.p.81.*

N.2. Dici quoque poteſt Tinctura ſi in forma liquidiuſcula adhuc obſervetur.

Vires. Magiſterium hoc, ut nihil aliud eſt, quàm pars purior ac reſinoſa, à craſſioribus ſolâ ſolutione ſeparata, ita eaſdem cum ſuccino, efficaciores tamen operationes obtinet [in omnibus affectibus capitis, Colicâ, calculo.]

[*Doſis à gutt. vij. ad* ℈ß.]

Aliter.

℞. Succinum pulveriſatum & parum toſtum, affunde acet. deſtillat. ac extrahe. Extractum præcipita cum ſpir. vitrioli.

Vires. Sudorificum eſt ac diureticum.

Magiſterium Succini dulce fixum.

℞. Succini alb. pulveriſat. ſubtiliſſ. q.v. affunde acet. deſtillat. ad eminent. 4. digit. ebulliant in arena aliquot dies (ſi evaporet, affunde novum) ut rubeſcat acet. deſtillat. Hoc filtra & abſtrahe, ſic manet magiſterium in fundo. Hoc ſolve in aqua (roſarum) filtra & abſtrahe, idque vice tertia, tandem præcipita cum ſpirit. vitrioli vel ſucco citri.

Vires. Sudoriferum eſt inſigne, admodumque conveniens in morbillis, pleureſi, confortat cor, &c.

Doſis à g.6. ad 12.

N. Ita etiam paratur Magiſter. C.C.

III. DESTILLATIO.

Deſtillatio exhibet oleum, Phlegma, ſpiritum ac Sal: perficiturque vel ſine liquore, vel cum liquore affuſo, per cujus virtutem ſcilicet aliquantulum digeratur ac ſolvatur.

N. Oleum non aſcendit, quamdiu aqueum adfuerit vehiculum, ideoque ſi oleum expetatur, ſine aqua deſtillatio peragi poteſt.

E. gr.

℞. Succini groſsè triti, q.v.e.g. ℔.ij. vel ℔.iij. (poſſunt & ſilices contuſi addi,) deſtilla per retortam vitream, terreamve igne gradato & cautè adhibito: Exſtillabit primò phlegma, poſtea oleum ſubtilius, tandem craſſius, ſalque volatile parietibus adhæreſcit. Hæc ſingula, ſi libet, ſeorſim ſuſcipe.

N.1. Alii digerunt primò ſuccinum cum aqua (ſic Crollius cum aqua roſacea) hinc deſtillant. Verùm, ut dixi, oleum non aſcendit, priuſquam humiditas aquea conſumpta fuerit, protrahitur itaque nimium labor citra utilitatem, quæ ſit alicujus momenti.

N.2. Alii ſuccinum optimè terunt, ut ſit inſtar farinæ, hanc miſcent cum cinere optimè elixiviato, deſtillantque igne adeo leni, ut intra momenta 20. vix guttula decidat. Sic eliciunt oleum album penetrantiſſimum, quod ſeorſim colligunt, mutato, cùm flavum apparere inceperit, recipiente.

Hactenus olea ac ſpiritum confuſim deſtillando adeptus es: itaque deſtillatione ſeu rectificatione ulterius ea ſeparare ac rectificare poteris.

℞. Oleum omne vel ſingula ſeorſim, infunde in cucurbitam, cum ſ.q. aquæ, addendo nonnihil Sal. Com. ac deſtilla per Mar. Baln. vel per veſicam.

N.1. Alii affundunt oleo rectificando acet. deſtill. digerunt & deſtillant.

N.2. Si oleum illud craſſius una cum aceto ſuper caput mortuum reſtitans rectificetur, oleum exſtillat primò inſtar aquæ limpidiſſimum, quod ſubſequitur, ſubflavo colore præditum eſt.

Hinc extant

PRÆPARATA

Officinalia.

1. Succinum præparatum fit ex albo, l.a. cum aqua.
2. Magiſterium ſeu præcipitatum, *vide ſuprà Præcipitatio.*
3. Phlegma. *In deſtillatione collectum* (ſed raro.)
4. Oleum ſuccini albi.
   1. Rectificatum.
   2. Non rectificatum ſeu fœtidum.

   Oleum ſuccini citrini.

   [*Doſ. à gutt. iv. ad viij.* ℈ß. *qui ad* ℈j. *imò* ℈ij. *exhibere audent, temerarii audiunt.*]
5. Balſamus fit ex ſuccini 1. Magiſterio ſeu Extracto duriuſculo. 2. Oleo, & 3. ſal. com. quæ excipiuntur Oleo nuciſtæ expr. præparato.
6. Pilulæ de ſuccino, v.l 2.
7. Trochiſci de carabe. Aug.
8. Cryſtalli ruſi, & ſal volatile album ſuccini deſcrib. à Keſl. centur.3.artic.12.

SUCCINUM. Quid ſit per ſe notum eſt: Et quidem ubi notum eſt, quid ſit, ita *ignotum* eſt *unde ſit, & cujus natura*, dum nondum ſumus certi de illius natalibus. *Quidam putant, quod ſit minerale, quidam*, quod ſit *vegetabile.* Et qui dicunt, quod ſit vegetabile, habent pro *reſina* ſcilicet lacryma *arborum*, quæ *circa illarum radices* transſudet, & per ſubterraneos meatus beneficio aquarum in mare apportetur: id quod probare ſatagunt exinde, quoniam ex ſuccino ferè eadem præparari poſſunt, quæ ex Terebinthina. Qui aſſerunt ſuccinum minerale, dicunt *quod ſit bitumen* ſcilicet oleum terræ *quod per canales* & aquæ ductus *ſubterraneos injiciatur in mare*, in quo fluctuans ejiciatur ad littora Poruſſiæ, nec alibi reperitur, niſi in Poruſſia: Quæ poſterior *opinio* videtur *probabilior* priori. Et quidem *quando eſt recens*: quando ex minera ejicitur in mare, *eſt liquidum* & *valde fluidum*, *idque patet* ex eo, *quoniam* non rarò ſunt *fruſtula, in quib. paleæ*, particulæ lignorum, muſcæ, veſpæ, ſalamandræ, &c. *reperiuntur.* Hæc pervenerunt ad ſuccinum, quando fluidum fuit, quæ ipſius viſciditate & induratione facile irretita concamerata & concluſa fuerunt. Poſtmodum v. *quando pervenerunt ad mare, aqua ſalſa maris illud coagulat* in ſubſtantiam duram, & hæc repetitur in officinis. Succini *duo* ſunt *genera* FLAVUM & ALBUM. *Quæſtio eſt*, quodnam in uſum medicum ſit *eligendum*, an flavum an v. album? *Album* communiter *præfertur*, quod tamen *falſum* eſt ex eo, quoniam

quoniam *color albus* in succino *non est nativus*, sed est tantum adventitius: Et quidem *advenit* succino, *qn. fluctuanti liquido sese intermiscet salsedo aqua marina*, quæ salsedo impregnans succinum, tandem isti colorem albicantem attribuit; idque *patet ex enchirisi* AUCTORIS, qui docet modum, quo beneficio coctionis & digestionis *in aqua salsa* cui injectum fuit sal commune, succinum *flavum potest converti in* succinum *album*: Et eadem est ferè ratio cum succino atque cum cerâ: Nam hæc liquefacta & affusa copiosa aqua salina exposita radiis solis albescit: idem fit cum succino, quod simili ratione ex flavescente colore adjecta aqua marinâ salsa mutatur in albescentem. Id quod præterea *confirmat* DORINGIUS *de balsamis*, ubi multa habet egregia de succino, qui inquit, quod fallantur ii, qui succino albo præ fulvo majorem dignitatem attribuunt, quoniam flavum à maris salsedine in lacteum facilè converti possit, cum & artificialiter eò deducatur. Id quod m. communis *experientia docet*. Nam *VVIGANDUS de succino p. 26. refert*, se observasse *globulos* succini *flavos ætate* pallescere & *albescere*, ut appareat flavum colorem esse succino quasi proprium. Unde m. *BOOTIUS* dicit, quod *flavum* succinum sit *calidius* succino *albo*, ex eo, quoniam album non tantum salis volatilis neque olei in se contineat. Frustraneum ergo est, quod in electione succini pro usu medico communiter præfertur album flavo. Nam potius *flavum loco albi est eligendum*. Quod attinet VIRES *succini*, multæ & *egregiæ* valdè latitant in succino, unde illud in quam plurimis morbis erit conveniens internè & externè, & egregiè satisfaciet spei medici & ægroti. *In affectibus capitis* miraculum præstat succinum: In *Apoplexia*, *Epilepsia*, *Lethargo* & *vertigine* & in specie *catharris*, quorum genuina MEDELA consistit IN SUCCINO; *sive* succinum assumatur in substantia, *sive*, quod melius est, ejusdem sal vol. assumatur ad gr. v. vi. usque ad ℈ß. admistis pulv. aliisque appropriatis; quod *sal vol.* præ cæteris *in Epilepsia infantum mirificè commendatur*. Hinc etiam LIQUOR CC. SUCCINATUS in omnibus supra dictis affectib. est *mirabilis*: *Fit* ex spirit. CC., sale vol. CC. & sale vol. succini: Hæc tria invicem mista, digesta & destill., dant expertissimum liquorem *in Epilepsiâ* infantum, & hinc etiam *in catarrhis*, & quibuscunque morbis catarrhalibus: Pro his usib. etiam commodè *externè suffitus* instar applicatur succinum: qui suffitus imprimis sunt experti *in catarrhis capitis*, in *prolapsu uvulæ*, in *principio tumoris* ac inflammationis *tonsillarum* ex catarrho, in specie in *Coryza*, item in *dolor. b. faucium* ex catarrhis, & similib. affectib. catarrhalib., suffitus succini reliquis omnibus est præferendus. Pro iisdem *capitis affectib.* etiam est egregium *Ol. succini destill.*, imprimis vertici inunctum; Hâc enim ratione imminentem *præcavet epilepsiam & apoplexiam*, præcavet *paralyses*, removet *catarrhos*, & in *hemicraniâ* & *cephalalgiis senum* pertinaciorib. mirificum se præstat. Unde etiam emplastra cephalica pro cephalalgia, vertigine & Apoplexia senum curanda malaxantur cum oleo succini destillat., aut interdum etiam cum eo ipso irrigantur. Quod *si gravitas odoris* quenquam *offendat*, commode *miscetur* cum Ol. destill. succini *balsamum Peruvianum*, & fit Ol. gratius & acceptius, non tamen minorum virium, cum & balsamum Peruvianum in hoc passu sit egregium. Ulterius succinum valdè *prodest in affectibus nephriticis*, ubi opus est, ut pellatur calculus, in specie ejus *sal vol.* quod *egregium* est *diureticum*, & potenter urinam movet. Unde m. succinum præparatum commodè in *suppressione Urinæ*, in *strangu-ria*, in *sabulo* & arenulis renum, & similibus affectibus præscribitur: In specie sal vol. promovet Urinam. In *Gonorrhœa* tam virorum quam mulierum, quæ vocatur *fluxus albus*, succinum est egregium & singulare *specificum*, si in substantia assumatur: hoc ipso n. quàm plurimi fuerunt curati. Commodè cum terebinthina ex succino fiunt *pilulæ*, quæ *in Gonorrhœa* sunt *egregiæ*: quibus si addatur mercurius dulcis, erunt pilulæ expertæ in Gonorrhæa virulentâ scilicet Gallica. *Item* potest fieri *pulv. appropriatus in Gonorrhœa* virorum ex succino præparato, ex ossibus sæpiæ præparatis, & denique ex antimonio diaphoretico ana, qui pulv. datus à ℈j. ad ʒß. est expertus in Gonorrhæa. *In Gonorrhœa muliebri* commodè permiscetur *cum lapide Osticollæ*, atque ita iisdem propinatur. Nam succinum *est* singulare *uterinum*, quòd. mulieribus multa præstat beneficia. Notum namque est, quod succinum egregiè *promovet partum*, *imprimis* convenit ejus *sal vol.* vel m. *Ol. destillat.* in partu difficili singularia efficit. In *pellendo fœtu & secundinis* sal vol. succini, aut ejus Ol tantum ad aliquot guttas propinatum expertum habet effectum. In *suffocatione Uterina* mulierum est præsentaneum sal vol. succini, si ad ℈ß. internè assumatur vel si tantùm Ol. una alterave gutta in aqua castorei & hirundinum propinetur. Commode in hoc affectu potest usurpari internè sal vol. succini: externè commodè inungitur scrobiculo cordis & abdominis ole. succini ad tollendam suffocationem uterinam. Non rari sunt affectus, utut valdè ignoti, *convulsiones partium internarum*, quas magnum in corpore colorem vocant mulierculæ, nostrates; quando scilicet mesenterium, intestina & alia convelluntur, & usu venit *talis* convulsio partium internarum *in suffocatione uterina* confirmata, in *malo hypochondriaco* & *scorbuto* confirmatis, *in talibus* convulsionibus succinum & *medicamenta ex succino*, imprimis sal vol. *internè* & Ol. destill. Umbilico & abdomini *externè* applicata *præstat mirifica* auxilia. *Adstringit* præterea leniter, & simul *sanguinem congrumatum dissolvit*: propterea *in casu ab alto* solet commode præscribi, *si sit metus* effusi *sanguinis* & *congrumati*: Imprimis *si* sit casus *in caput*, tunc enim medicamenta ex cherefolio & betonica propinata cum medicamentis ex succino sunt egregia, quoniam simul caput respiciunt, & sanguinem congrumatum dissolvunt, & cum adstringet succinum, fluxum sanguinis sistit. Unde *in vomitu sanguinis*, item sputo sanguinis succinum cum aliis propinatum erit egregium: cum fluxum inhibeat & sanguinem congrumatum resolvat. Hinc *Trochisci de Carabe* in officinis sunt experti in sputo sanguinis & læsione vasorum internorum: præterea adhibetur succinum *in peste*, quam plurimi autores commodè in pestifero malo præscribunt. Ut taceam, quod habet HELMONT. *in tr. de Peste* de Chirurgo in pestis curationibus celebri, qui sese præservavit, affricando succinum 7. pulsib. planetarum, idque quotidie semel, quâ fricatione ad pulsus præservatus fuit. *Sunt a. 7. pulsus planetarum* duo temporum, duo carporum, duo tali, & scrobiculi cordis. Uno verbo ut utar, Ol. succini rectificati internæ vires sunt admirandæ. Ut propterea *balsamum Europæum vocetur*, & veri loco balsami haberi possit, & quicquid virium Petroleo tribuitur, huic multò magis tribui debet, uti rectè loquitur *BOOTIUS de Gemmis*. Unde à quibusdam *Ol. sacratum* vocatur, propter singulares vires in propellendis morbis. Sequuntur *præparata* è succino: 1. quando succinum PRÆPARATUR. Cæterum *observetur* quod hoc

hoc succinum, ut eò magis approprietur affectibus, *debeat* semper *præparari cum aqu. vel Essentia appropria'a*. Sic v. gr. qn. experitur contra catarrhos, subigendum & levigandum est succinum cum Essentia catarrhali ex ligno sassafras & spiritu serpilli, & sic fit *succinum catarrhale D. MICHAEL*. Sin expetatur contra epilepsiam, commodè præparatur succinum cum spirit. liliorum convallium, vel cum spirit. flor. Tiliæ. In apoplexia cum spirit. cerasorum nigrorum, sicque magis erit appropriatum ad tales vel tales affectus, & sic de cæteris. Sequitur SOLUTIO & PRÆCIPITATIO, &c. Ubi in genere observetur, quod in aqua calida non *resolvatur* succinum, uti resinæ vel lacrymæ arborum, sed *in Ol. ardente* liquatur solum, & totum se solvi patitur, & unionem cum Ol. suscipit, idque ex quadam naturæ cognatione, quia succinum est quasi pinguedo Terræ. Et quidem 1. MAGISTERIUM, quando extrahitur succinum cum spirit. vini rectificato, &c. Ita est: *Spiritus* enim *debet esse rectificatissimus pro extractione tincturæ vel Essentiæ ex succino*: Si enim tantillum adsit phlegmatis, non facilè extrahitur Essentia vel tinctura. Quod si hanc solutionem scilicet extractionem velis præcipitare, necesse est, ut spirit. vini abstrahatur ad medietatem, & tunc *affusa aquâ simplici* facilè *præcipitatur* Magisterium succini ex Essentia vel tinctura. Quod *si* recipiatur *spirit. vini* circulatus vel digestus *cum spirit. urinæ*. Tunc tinctur. Succini *eò melius*, elegantius & promptius extrahitur. Essentia hæc succini *ad eosdem usus pollet ad quos succinum* & ejus sal vol. Et quidem, ut evidentius operetur, *permiscetur* cum Essentia catarrhali in catarrhis; cum Elixir Uterino Crollii, ut conveniat in suffocatione uterina, & sic porro. Sequitur DESTILL. Succinum retortæ vitreæ inditum, & ex arena destill. *dat* 1. *Phlegma* purum. 2. Prodit liquor acidulus paucus, qui vocatur *spirit. succini*. 3. Sequitur *Ol.* primò quidem subtilius & albicantius, deinde v. crassius & obscurius. 4. Dum prodit Ol., collo retortæ ac lateribus receptaculi adhæret *sal vol.* succini *in forma striarum. Infundo* v. retortæ *remanet* 5. *crassamentum* quod est *nigrum* instar picis, & repræsentat quoddam colophonium. Hæc *invicem* à se *sunt separanda*: phlegma & spir. acidus ab Ol. per tritorium: sal verò vol. ab his omnibus separatur beneficio reiteratæ sublimationis in phiola, vel cucurbita altâ & sublimi. *Quidam* succino destill. *addunt rasuram cranii humani, & putant*, se acquirere Ol. *efficacius* contra *apoplexiam & epilepsiam*, cum Ol. succini suturis capitis illitum, valdè conveniat in catarrhis & affectibus soporosis, præsertim in epilepsia: *Ol. succini* est graveolens: Unde *quidam solent rectificare super sal tartari fixum*. Quâ rectificatione triplex acquiritur Ol., 1. album & perspicuum, 2. rubescens & 3. impurius & nigrum. *Alii promptius* destillando rectificant succinum, dum scilicet Ol. destill. ex succino per retortam *in arena*, in recipiente v. habent aquam communem, ut eò citius resolvatur, deinde Ol. permistum aquæ transfundunt in retortam vitream, & per balneum destill. & rectificant: Et ita unicâ destill. & rectificatione habetur Ol. purissimum & fragrantissimum. *Alii recipiunt Ol. fœtidum*, miscent *cum* aqua in vase capaci, *discutiunt* benè & conquassant invicem: Ol. ab aqua separatum rursus cum aliâ aqua simili modo agitatur & conquassatur, idque ter pluriesve donec jucundum acquirat saporem. *Ex aqua istâ*, cum qua purificatum est Ol. succini, *potest sublimando acquiri* aliquod *sal volatile*, quod in Ol. antea erat. De hujus olei virtutibus dictum sufficienter. Cum hoc Ol. præterea & floribus sulphuris fit elegans *balsamum sulphuris succina um*, quod *ad omnia ea* prodest, *ad quæ vel Ol.* succini simplex, *vel balsamum Sulphur.* commune. Sed tamen in gradu longè excellentiore. *Crassamentum nigrum* instar colophonii, quod remanet post destill. Ol., *vel* etiam *Ol. succini nigrum* ac impurum *magni* sunt *usus in ulceribus serpentibus*, item in *Gangræna* & similibus. *Pilulæ de succino* CRATONIS valde commendantur *in affectibus senum, vertigine, Lethargo* & similibus: Non valdè purgant, sed tantum alterant, *possunt* tamen *acui cum* grano uno vel altero *scammonii*, item gr. uno vel altero *Trochiscorum alhandal*.

CAPUT XXXI.

De Spermate Ceti.

Est & aliud genus Bituminis, quod Sperma Ceti Officinæ vocant, alii Ambram subalbidam, alii florem maris, seu salis veterum interpretantur. Germ. *Walroth*.

N. Colligitur in mari, cui ceu spuma supernatat. Cujus autem originis sit, nondum inter se Authores conveniunt. Sunt enim qui esse semen volunt à Balæna seu Ceto emissum, sed malè, invenitur enim in locis, ubi balenæ nunquam deprehensæ sunt. Sunt ergo alii qui florem salis, à Veteribus descriptum, nominant, adeoque spumosum quid salis marini perhibent. Verùm & hi hallucinantur, primùm quod cum veterum flore salis, qui ruber & liquidus describitur, minimè conveniat. Secundùm, quòd sit citra vim abstersoriam & salsam, quam spuma salis utique referret. Verisimilius ergo videtur, uti in reliquis Regnis duobus, vegetabilium scilicet & animalium, excrementa suppetunt pinguia: ita & in Reno Macrocosmico. Et hujus speciem esse pinguedinem hanc furfurosam, productam vel exhalatione terræ sulphureæ, mari communicatæ, vel ex sulphureis particulis marino sali immixtis, quæ agitatione fluctuum congregatæ, & in pinguedinem coactæ sunt.

[*N.* Colligunt tamen hoc tempore non tantum ex mari, verùm etiam ex capite balænæ Orca maximam copiam, lixivio peculiari dealbant, quo & vetustate corruptum restituere satagunt.

Eligatur candidum, pingue, recens, non rancidum, &c.

Vires. Humectat, resolvit, anodynum est, proin vulgaris usus in coagulati sanguinis resolutione à casu, vel similiter contracti. In torminibus colicis sedandis, ut & in torminibus ventris infantum mitigandis. In tussi, tartaroque pulmonum demulcendo.

Dosis à ℈j. *ad* ʒj. *vel* ʒj.

Extrinsecus sunt qui cicatricibus exanthematum illinunt, ut carne eas repleant.

SPERMA CETI. Qiod vulgo refertur inter genera bituminum. Nam revera nondum cognitum fuit autori, & *ante paucos annos* sperma ceti *quid sit innotuit*. vid. BARTHOLIN. *Cent.* 4. *histor hist.* 24. *pag.* 276. *item cent.* 3. *epist. pag.* 291. qui refert, unà cum reliquis modernis, quod sperma Ceti recipiatur *ex capitibus cujusdam speciei cetorum*, qui ceti copiosè reperiantur *circa GRONLANDIAM*. Et vidi literas, ex Haffnia Pharmacopæo Curioso transmissas, in quibus tota natura & origo spermatis Ceti continebatur: Quod nimirum copiosè colligitur ex capite Ceti, & quidem quod in capitibus piscium istorum cetaceorum copiosè reperiatur, ita ut *integra dolia ex uno capite hauriantur hæc materia* ex se sit pinguis, & quasi rancescens, *præparatur* autem *ut fiat alba* & crystallina *h. m.* Materia ista, quam sperma Ceti vocant, si adhæreat isti aliquid pinguedinis oleaginosæ, transcolatur per pannum setaceum, ut alterum oleaginosum spermatis Ceti recrementum separetur: sin v. nulla talis pinguedo adhæreat, non opus est, ut hoc fiat. Portionem trajectam per pannum

num secaceum resolvunt in Lixivio forti & acri, facto ex cineribus clavellatis, calce vivâ & similibus bene saturato: Unde miscela hæc, probè agitata, sensim sensimque lactescit & spumescit, quâ spumâ separata, depuratur sperma Ceti, quod denuò separatum à lixivio forti in aëre solo; non a. in sole, exsiccatur, & ita est nostrum Usuale sperma Ceti. *Hac est vera* ac genuina *spermatis Ceti* ORIGO, quæ nunquam ap. autores est descripta. Quod attinet VIRES, sperma Ceti est egregium *remedium*, imprimis *in* resolvendo *sanguine congrumato*: Unde in *pleuritide*, *Peripneumonia*, in *casu ab alto* & similibus est elegans medicina. Et propter hanc vim dissolvendi sanguinis grumati etiam valdoperè convenit in dissolvendo sanguine ex contusione congrumato. Item valdè convenit *in inflammationibus* partium sistendis, quarum coagulatum sanguinem dissolvit sperma Ceti, &c. In *Tumoribus* & *inflammationibus mammillarum* est egregium sperma ceti, applicatum: in quem usum habetur in *MYNSICHT Emplastrum de spermate Ceti*, quod est *egregium* in hujusmodi mammillarum affectibus, it. in curandis inflammationibus, in quibus est singulare. *Torminibus infantum*, it. in torminibus *Colicis adultorum* mitigandis, valdè convenit dissolutum, in aqua appropriata. Præ cœteris tamen *in affectibus pectoris est* ex usu, in specie *in catarrhis suffocativis*, *qui* revera nihil *sunt* aliud nisi *sanguinis coagulationes & stagnationes* circa præcordia, & in vasis pulmonum majoribus, qn. sanguis ab acido præternaturali, quodcunque sit, coagulatus stagnat, ex quâ sanguinis stagnatione oriuntur postmodum tales angustiæ: *defluxiones* materiæ serosæ, *sunt nugationes* vid. *Colleg. Pathol. thes.* 28. In tali casu est expertissimum sperma Ceti, si *præmissa venæ sectione subitanea propinetur* (si adsit sanguinis copia vid. coll. Patholog.) ℥ß. *spirit. Ceti* dissoluti in aqua *Hyssopi* cum Syrupo de Hyssopo vel Nicotiana (vel cum aqua asthmatia Rudolphi) & fit potiuncula pro unâ vice in catarrho suffocativo assumenda, quam mirè commendat *CRATO de catarrho suffocativo*, item *RANCHINUS de affectibus puerorum catarrhalibus & pectoris anxietatibus*.

CAPUT XXXII.

De Asphalto, Naphtha, Petrolæo, acoleo Terræ.

Asphaltos. { Vera, de qua hic. Substititia, Asphaltos Officinarum, *de qua lib.* 4. *Pissaphaltum.*

Ἄσφαλτος, Ἄσφαλτον, est Bitumen, (sevum, resina,) Macrocosmi, picis instar durum, &c. Supernatare primùm aquis conspicitur, seu lacubus, hinc ad littora propulsum concrescit, densatur, tenacissimumque redditur.

Præfertur reliquis Judaicum Bitumen, quod mortui maris (ἀσφαλτίτες propterea dicti,) genitura, German. *Iudenpech*, Bitume ou limon glueux de Iudée.

Ejus verò probatio est, ut purpuræ modo splendeat (scil. in nigrore) sitque ponderosum, & validum odorem vibret; nigrum autem & sordidum vitiosum est.

N 1. Quia rarissimum est, nostratibus ejus loco Pissaphaltos in usu est, quam vide lib. 4.

N. 2. Oleum illius destillatur ut succini.

Naphtha est colamen bituminis Babylonii, consistentiâ liquidum, ignis rapacissimum.

N. Nec & hæc nostratibus usitata, sed loco ejus Petrolæum usurpare solent.

Petroleum, Oleum Petræ, *Steinelœ*, du Petrole, ou huile de pierres. Est liquamen (axungia Macrosmi,) pingue, liquidum, è petris & saxis effluens.

Vires. Calfacit & siccat, tenuium partium est, digerit, & resolvit, cerebro ac nervoso generi confert.

N. 1. Petroleum in Italiæ regione Mutinensi stillat candidum & ruffum. In Sicilia fontibus innatat. Apud Mejanum pagum in tractu Parmensi album est. Babylonicum autem in suo fonte flagrare dicitur, secus Italicum.

N. 2. Rectificatio Petrolei fit in Capella vacua: ita habebis limpidissimum spir. & in fundo retortæ vernicem, seu Colophoniam nigram, solidandis vulneribus aptissimam, Spiritus autem pernionibus ulceratis confert, nervosque illitu cum spirit. vini roborat.

Oleum terræ oleum est pellucido rubicundum, odoris fortis petroleum æmulantis, sed gratioris.

Ante paucos annos nobis innotuit ex India Orient. asportatum, ubi ex monte quodam effluere dicitur.

Vires. Arthritidi vagæ maximo est solamini inunctum.

ASPHALUS. Est *materia pinguis*, quæ eruitur *ex terra*. Nullum usum habet in medicina, nisi *externe* interdum *in Unguentis*. Præterea *solet addi balsamo apoplectico* pro tinctur. nigra eidem concilianda, aliàs nullius est usus.

PETROLEUM.

Est *materia bituminosa* & pinguis, quæ *ex petris* & saxis sensim sensimque effluit. Hoc petroleum *in affectibus nervorum*, *paralyticis* ac *spasmodicis* egregie conducit, *sive* solum, *sive* cum oleo succini junctum sit, in affectibus nervorum frigidis mirè convenit, quas certò curat. Prodest qq. certissimè si *assumantur* in vino guttæ x. ad xv. in *mensium obstructionibus*, quas certo experimento aperit: idque *eò magis*, *si* silex ignitus supponatur vulvæ, & *suffitus* ex guttis aliquot hujus olei *excipiatur*. Quod si *inungatur etiam* simul *regio pubis*, est eò melius.

OL. TERRÆ.

Est Ol. ferè *de natura Petrolei* odoris tamen gratioris: Est simplex *noviter* demum *inventum*. AUCTOR valdè commendat *in arthritide vagâ*, quod etiam verum est. Præterea etiam valdè conducit in *relaxatione ligamentorum* circa articulos, vel inarticulationes ossium. Fit scilicet non rarò, ut laxa fiant ligamenta circa articulos ossium, ut ossa non amplius possint in articulationibus contineri, idque ex nimiâ humectatione, sive fiat à copia synoviæ, sive à copia lymphæ, vel alius materiæ crassioris scilicet pituitosæ, quæ ligamenta laxa dant & laxationes spontaneas: Uti *hoc* non rarò *evenit in malo Ischiatico*. In tali casu præmissis universalibus purgantibus & sudoriferis, applicanda sunt externè ligamenta confortantia, & humores nimis laxantes absumentia. In quo casu hoc *Emplastrum* valdè commendatur à *BARBETTE anatomia practica c.v.p.* 31.

℞. *Emplastri styptici Crollij* ℥j.
Ol. Terræ.
Ol. Philosophorum ana ʒj.

M. f. *Emplastrum* extendendum supra alutam, & applicandum loco affecto. Idem affectus contingit non rarò nervis & tendinibus, ut iidem ab affluxu humoris aquosi aut pituitosi laxentur aut flaccidi fiant, unde *partis & sensus & motus perit*. In tali casu præmissis universalibus convenit valdoperè hoc *linimentum*.

℞. *Axungiæ humanæ,*
axungiæ anserinæ ana ʒj.
Ol. Terræ ʒiij.

M. fiat

M. fiat *Linimentum.* Hoc ipſo fricanda eſt pars affecta manè & veſperi, & poſtmodum applicandum *Emplaſtrum ſtypticum* CROLLII, *de Ladano*, vel *Emplaſtrum diachylon cum Gummis.*

CAPUT XXXIII.

De Carbone Petræ & Gagate.

CArbo Petræ, carbo foſſilis (*Steinkohlen*, Charbons de pierre: Bituminis terreni genus eſt foſſile, lapideum, friabile, nigrum.

Dicitur Carbo, quòd nonnullis, præcipuè Anglis, ut & nonnullis Germaniæ locis fomitem ignis præbeat. Aliis terra ampelitis audit, aſt malè.

De Uſu ejus Medico nihil adhuc, quod addam, habet; nullus tamen dubitat, quin oleum inde elici poſſit ad maturanda ulcera, emolliendoſque tumores aptiſſimum.

Gagates eſt genus terræ nigræ, lapideæ cruſtoſæ, adeo bitumine prægnans, ut bitumen redoleat, & accenſum picis ferè modo flagret, nigerrimumque emittat fumum.

Dicitur Gagates à Gaga Fluvio Ciliciæ, in cujus faucibus olim ſolùm inveniebatur. Hodierno autem tempore & in Germania frequenter eruitur. Differt à carbonibus foſſilibus quòd hi nec flammam emittant, niſi follibus excitentur, nec bituminis odorem ſpirent. Gagates verò igni admotus flagrat, odoremque butiminis exhibet.

N. Sunt qui ſuccinum nigrum vocant, cùm ſuccinum revera non ſit, quippe cruſtoſus gagates eſt, ſuccinum læve. Alii Piſſaſphaltum, ſed malè, quippe hoc factitium quid eſt. Vide lib. 4.

Vires. Emollit, diſcutit, Colicum morbum ſanare creditur, ſi in pollinem redactus ſeptem diebus continuis ad ʒj. uſque propinetur. Aëtius flagrantem in vino extinguit, idque cardiacis propinat.

PRÆPARATA.

Oleum in cinere ex retorta vitrea paratur ad modum olei ſuccini, ſed igne paululum vehementiori. Oleum hoc, ſi libet, poterit rectificari, additâ aquâ ſimplici.

Vires. Commendatur pro Epilepticis, Maniacis, Paralyticis, Spaſmicis, Tetanicis, Arthriticis ab utero ſuffocatis, naribus illitum.

CARBO PETRÆ. *Eſt terra quædam bituminoſa in meatibus ſubterraneis, aliquantiſper combuſta, & exinde in ſpeciem carbonis transmutata.* In medicina *nondum eſt uſitatus* carbo petræ, nihilominus non ſine ratione ſuſpicatur AUCTOR, quod *exinde* deſtillari poſſit *Ol.* conveniens, *in morbis externis* Chirurgicis, ſi permiſceatur cum arena.

GAGATES.

EST *materia terrea nigra & pinguis*, convocatur à quibuſdam SUCCINUM FOSSILE. *Naſcitur* ſub terra ex materia bituminoſa & impura, quæ congelatur à calore & concreſcit in lapidem. Rectè videtur *referri poſſe ad carbones terreſtres*, quia eſt quaſi ſpecies quædam. Videtur tamen *BOOTIO* in *hiſtoria Gemmarum*, eſſe *quaſi ſuccinum quoddam* notum & valdè aduſtum ac induratum, quoniam paleas attrahat ad inſtar ſuccini calefacti, & materia Gagatis ſimilis videatur fœcibus, quæ ex deſtill. ſuccini in Ol. remaneat in retorta. Hæc enim materia remanens, ſi diutius omni deſtill. Ol. privetur *aſſertur*, ſplendet picis inſtar, ac tandem refrigerata in Gagatem permutata videtur. *Rari eſt uſus interni:* Refertur tamen à *BOOTIO*, quod pulv. Gagatis à virgine aſſumtus *virginitatis notas per urinam exhibeat certas.* qui vult poteſt conſulere experientiam. *Ol.* quod deſtill. ex Gagate Petroleo ferè eſt ſimile, *calidius* tamen, quodque ad *affectus nervorum frigidos*, in ſpecie ad *podagram*, omneſque *frigidas fluxiones* valdè commendatur.

TERRA CATECHU *ſ. Japonica.*

DE hâc terra quid ſit, auctor ignorat; nihilominus non *eſt* aliquid nativum, ſed *factitium* in Indiis, *ex Glycyrrhiza Maſtiche* & ſimilibus. Autor commendat ad *exſiccandos catarrhos*, qui facilè ipſi poteſt largiri, nam maſticata hæc ita dicta terr. copioſum in ore ſolet producere ſputum.

DISCUSSIS

DISCVSSIS AC ENVCLEATIS Omnibus difficultatibus quæ ad Phytologiam, Zoologiam, nec non Mineralogiam attinebant, progressum nunc facimus ad compositionem practicam Medicamentorum, idque juxta peritissimorum Scroderi & Morelli methodum.

MICHAEL

MICHAEL ETTMÜLLERUS DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORUM SIVE COMMENTARIUS In SCHODERUM & MORELLI

Methodum præscribendi formulas, &c.

PER simplicia curare & simplicissimum est & in medecinæ primordiis potissimum consuetum. Quia verò hæc simplicia cruda, vel in substantia solida, assumi non facile possunt, orta hinc est MEDICAMENTI PRÆPARATIO, quæ maximam partem, si non omnis in pulverisatione vel decoctione seu infusione consistebat. Tractu verò temporis, ubi unicum simplex omnibus indicationibus non satisfacere observarent, tentarunt per additionem alterius, hunc vel defectum, vel non satis, ob mentis nostræ caliginem, exploratam virtutem supplére, tum etiam ut ægroti medicamenta, aliâs nauseabunda, facilius assumerent, de grata quoque eorum forma cogitarunt, hacque ratione MEDICAMENTA COMPOSITA introduxerunt; in quorum compositione ut omnia rite fierent, & debita forma proveniret, debitam proportionem observarunt, sicque compositionem medicamentorum incertam quasi artem seu METHODUM PRÆSCRIBENDI FORMULAS redegerunt; de qua arte seu methodo jam nobis hîc sermo erit.

Ante omnia observetur, quod in Genere *de omni Formula præscribenda notanda* & attendenda sint *duo*; 1. USUS. 2. ORNATUS.

Quod attinet hæc *primarium est Usus*, nimirum ut Medicamentum præscriptum suum debitum habeat effectum & usum:

Posterius, *ornatus* nempè; *est secundarium:* ut scilicet sit securus, & Medicum ornet & Pharmacopæorum operam sublevet, nevè illorum satis nasutulorum, risui exponat se, suamque ipse ignorantiam prodat: Postmodum observetur, quod in præscribenda formula considerandum sit *ulterius* MATERIALE & 2. FORMALE. *Materialia*, Formularum, nihil aliud *sunt* nisi *Ingredientia* & *Formula* est *Modus* eadem *præscribendi:* sive materialia sint ex regno Minerali, Animali aut Vegetabili, &c. Hæc materialia sequuntur. Formalia, seu Modus, quo materialia præscribuntur. Hic considerandа Tria: 1. *Ingredientium*, ORDO, ut justo invicem ponantur ordine, ne ponantur modo radices, modo flores confuse, sed *debito ordine unum post alterum debet collocari* & misceri. Observetur hic iste Ordo, quo solent dispensari & recipi unum post alterum, ne hæreant pharmacopolæ. *Uti solent dispensari, ita debent præscribi*, uti loquitur etiam Autor noster Morellus.

2. MODUS in Formulis præscribendis *considerandus est*, quando materialibus, id est, ingredientibus simplicibus *certa adduntur Epitheta:* sic v. gr. quando præscribuntur Amigdalæ dulces, præscribo ℞. *Amigdal. dulc. Ambrosinarum: Myrrha* non nudæ, sed *electæ*: quando præscribo Pineas. ℞. *Pinear. recentium:* quando præscribo species compos. ℞. *Specier. recent. dispensatarum:* quando præscribo ex mineralibus v. gr. ex Mercurio s. Antimonio ita ℞. *Antimonii ritè præparat. Mercurii vitæ ritè præparat:* & sic porrò. Hic est modus præscribendi, qui observetur partim ad securitatem, partim ad elegantiam, partim ad celeriorem operationem celerioremque effectum.

3. Observanda in Formularum formali, PROPORTIO.

PORTIO. *Ingredientium*, quæ consistit in eo, ut *habeatur* imprimis debita *proportio & ratio baseos*, cum iis, quæ vel dirigunt basin, vel juvant, vel etiam alio modo eandem respiciunt. Hoc ut cognoscatur, *quatuor solent considerari in Ingredientibus in unaquaque formula*, quæ quatuor justa proportione sunt collocanda. Et sunt 1. *Basis*, 2. *Juvantia & Corrigentia*. 3. *Dirigentia*, 4. *Conservantia*.

1. Quoad BASIN: *est* ista istud ingrediens, sive sit simplex sive compositum, *quod* imprimis *satisfacit Indicato*: ut quando præscribitur pulv. compositus purgans, medicamentum purgans est basis, quod satisfacit scopo purgationis, sive sit simplex, sive compositum ex pluribus purgantibus consertum. Et quidem hæc *Basis est vel simplex*, vel *composita*. *Simplex*, *si* satisfaciat *uni Indicato*. *Composita*, *quæ* satisfacit *duobus vel pluribus Indicatis*; sive sint simplicia, sive composita in se v. gratia. Quando est temperandum acidum in M. S. hic præscribuntur in pulv. pro temperando acido, Ocul. Cancrorum pro basi, quod est medicamentum simplex in basi: vel cum Ocul. Cancrorum CC. ustum, vel Corallia; & sic est basis in se simplex, quia satisfacit uno Indicato, ut ut ingredientia sint composita.

Basis duplex est, quando v. gr. est temperandum acidum in Pleuritide: Hic habemus duplex Indicatum, effervescentiam compescendam & acidum temperandum: Huic satisfaciunt partim simplicia, ut rasura dentis Apri; partim composita, quale est pulvis Augustanorum compositus.

2. Post basin consequuntur Juvantia & corrigentia. Quoad CORRIGENTIA. *Optimum* est, ut basis habeatur legitimè dispensata & correcta, *ut non opus sit addere corrigentia*: quoniam basi malignæ addita *Corrigentia* nihil aliud faciunt, nisi ut *noxam tantum emendant*, quam inducit, basis maligna, *non* vero ut *præcaveant*. Unde *ridiculum* est, *quando Purgantibus* non recte correctis *adduntur Aromata pro Correctione*: *Legitima* namque *correctio* medicamentorum consistit in eo, *ut sint præparata legitimè*, antequam interius assumantur, qua correctione malignitas sit remota, quo facto, non opus est corrigentibus. JUVANTIA *adduntur*, quando præscribendum est medicamentum tardum & hebes in operando, ut illud juvent seu stimulent, *quo effectus acceleretur*. Sic v. gr. Purgantia communia & usitata tardè operantur, propterea pro stimulo additur vel Scammoneum, vel Colocynthis. Sic in Pillulis purgantibus, quarum basis est Extractum quoddam, adduntur grana aliquot Scammonii vel Trochiscorum alhand, ut celerius & fortius operentur. Hæc sunt Juvantia, & hebetem vim baseos stimulantia & celeriorem operationem addentia seu conciliantia.

3. Sunt DIRIGENTIA i. e. *assumenda Medicamenta*, *quæ* per experientiam cognita, quod *respiciant partem affectam*, quod *si* basis illam *non* respiciat, *adduntur alia*, *quæ* basin eo *dirigant*: ut quando v. gr. imprimis evacuandi sint articuli in affectibus podagricis, additur Hermodactylus: quod si habere non possit, necessum est ut recipiantur alia Vel Jalappa, addatur pro dirigente chamædris vel chamæpytis, vel aliæ plantæ articulares, ut beneficio eorum medicamentum Purgans dirigatur ad locum affectum: Sic quando aperiendus est Lien, non recipienda medicamenta nudè veluti penetrantia, sed addenda penetrantia vel Aquis, vel essentiis ex plantis spleneticis.

4. CONSERVANTIA addenda quæ *formam certam addunt ingredientibus*, sivè sit liquida, sivè sicca. Et quidem quando præscribi debet, Medicamentum sub forma potionis, sumuntur Aquæ Spiritus, essentiæ quando debent præscribi medicamenta sub forma Boli, sumuntur Conservæ: qui Morsuli conservantis loco est sacharum, &c. Hæc quatuor consideranda in omnibus ingredientibns & ex his resultans proportio, ut legitimo modo præscribatur remedium.

Denique ipsius *Formulæ ratio* circa finem præscriptionis *habenda*, ut semper præscribatur Formulæ: Fiat. l. a. Emulsio: Fiat. l. a. Decoctum: F. l. a. pulvis. Det. sign. &c. sicut solent præscribi. Hoc semper in fine vel in medio interdum Formularum, quando sunt composita, solet ordinari & locari.

Observanda ulterius in omnibus Ingredientibus est Dosis; & quidem *tam* dosis *Ingredientium*, *quam* dosis ipsius *formulæ*:

I. *Observandum* est an Formula sit præscribenda *pro una an* pro *multiplici dosi*. Et quidem in una dosi observandum ne plus vel minus præscribatur quam medicamentum est valens. Sic quando præscribo pulverem in quatruplâ dosi, solet præscribi, fiat pulvis, dividatur in quatuor part. æqual. D. & Sign. *Observetur* autem hic *ut* præscribantur ingredientia, ut *in qualibet dosi sit sufficiens* & debita *quantitas*, quo satisfiat Indicato, *In Liquidis* & hoc *observetur*, *pro quot dosibus* debeant adhiberi, ut singulis vicibus respondeat dosis pro effectu.

Dosis ingredientium *pro una vice* non semper una eademque sed *variat*, ex triplici puncto: 1. *ratione ætatis*, 2. *ratione virium*, 3. ratione *affectuum*, quando est cronicus & acutus.

1. RATIONE ÆTATIS variat dosis, & *quando in Dispensatoriis allegatur dosis*. Semper ista est *intelligenda de homine adulto* ab anno 25. ad 40. Quod si ejusmodi doses sint applicandæ *pueris vel senibus* (qui sunt bis pueri,) dantur vel *dimidiæ doses*, *vel quarta pars* præscribitur. Sic quando adulto præscribitur ℈j Antimon. diaphor puero 7. annor. dantur gr. vij. l. viij. Puero 12. annor. ℈ß. l. gr. xij. Sic etiam seni, si sit quinquagenarius, gr. xv. si sit sexagenarius ℈ß. Item si adulto Spiritus Salis Armoniaci gr. xxv. dederis. puero annor. 5. dabis v. puero 10. annor. xij. gtl. xv. puero 15. annor. xviij. gr. Seni 50. ann. gr. xx. Sexag. gr. xv. Ita varianda est dosis pro varietate ætatum.

2. RATIONE VIRIUM: Nam qui *valentes* sunt & firmi, *majorem possunt sustinere dosin* quam infirmi. Ita quando cuidam robur est firmum, possunt propinari gr. xx. Elixir. Proprietatit. Econtra languidi non possunt ultra 10. perferre.

3. AFFECTUS est considerandus, qui est vel *chronicus* vel *Acutus*. CHRONICI affectus omnino non permittunt, ut *majoribus dosibus* corrigantur, quoniam *exasperantur* & difficilius curantur: Econtra ACUTI; *in quibus* omnia sunt periculi plena, in principio & incremento, *dum vires* adhuc *suppetunt*, *majoribus dosibus frangendus affectus* acutus & hebetandus, quod ex eo est rationabile quod affectus *chronici tardè* & lentè *progrediuntur*, & non est periculum in morâ. Econtra *Acuti* affectus *celeriter curandi*, quia in his Occasio est præceps, necesse est, ut majoribus remediis & dosibus aggrediantur in principio & incremento.

Quoad PURGANTIA, in iis imprimis *observanda strictissima dosis*, *propter noxas*, quas solent nimia inferre. Et quidem *doses adscriptæ* semper sunt *intelligendæ de adultis*, & *limitandæ pro ratione ætatis & virium* ægrorum, utut unum purgans pulvis sæpè in hoc parum, in hoc nihil in alio vero excessivè operetur, quæ diversitas dependet à diversitate constitutionis ventriculorum seu illorum fermenti. Vnde in his *maximè judiciosus sit Medicus in cognoscenda natura ægrorum*. Ita ut si æger sit *robusto stomacho*, & abundet fermentum Salinum: item

item si sit affectus Melancholiâ, vel Scorbuto, Malo Hypochondriaco, *in quibus* affectibus *abundat acidum*: In his *major dosis non nocet*, quoniam vis purgantis infringitur ab acido stomachi fermento. Econtra quando est stomachus ægri sanguinei & phlegmatici, *in quibus fermentum* acido Salinum est *hebes*, in iis *danda lenissima*, *& dimidia* purgantium vel minutissima *dosis* sufficit. Imprimis *in purgationibus tutius est deficere quam excedere*, quoniam defectus non adeo nocet quam excessus: & si vel 4. vel 5. post assumptum purgans æger deponat, sufficit: *non enim excreta copia, sunt æstimanda*, sed si qualia oportet exeant, & facilè ferat æger. HIPPOCRATES *Sect.* 2. *Aphor.* 23. id quod cognoscitur, ex eo, si fiat cum Euphoria ægri: si fiat cum debilitate virium est abundans purgatio. Hæc in genere sufficiant. In Specie quod attinet Formulas omnium simplicissima & tamen usitatissima est. PULVIS.

MOREL. CAPUT VII.

De Pulvere cum Commentar. gerardi Blasii.

PULVERUM usus admodum necessarius, tum ut medicamenta solida vel integra in usum commodiùs venire possint, tum, ut aliis remediorum formis faciliùs misceantur, quod autem in genere Latini *pulverem* appellant, Arabes trifariam nuncupant: *Suffuf*, pulverem quemlibet crassum: *alkool*, tenuissimum: *sief*, quorumdam Trochiscorum attritionem, quæ fit in cote, cum aqua idonea ad affectus oculorum.

Est autem *pulvis vel officinalis*, A *vel magistralis*: de quo nobis sermo.

Hic est internus, *vel* extenus.

INTERNUS *purgans, corroborans aut alterans* existit.

PULVIS PURGANS *quid sit*, quæve *ejus differentia*, ex superioribus petendum. B

COMPONITUR ratione QUALITATIS, ex simplicibus *catharticis*, ferè suavioribus, additis propriis correctivis, C. proportione sæpius jam dicta. Quoad QUANTITATEM, ad ℥j. ℥j℥. ad summum præscribitur, D. & nota, *saccharum* aliquando, pro delicatioribus, adjungi sed dosi parca, vel pondere pari, eoque definito.

USUS: quoad MODUM, cum jusculo vel alio liquore convenienti sumitur, quod ad QUANTITATEM, doses catharticorum supputandæ E.

TEMPUS, mane cum custodia.

FORMULA. 4. *&c. fiat pulvis, de quo, &c.*

UTILITAS ad purgandum.

A *Qui ferè species apellari consuevit, & in diversis locis diversus est.*

B *Sic enim cholagogus, hydragogus, &c. habentur.*

C *Correctiva hac quia molem pulveris valde augent, præstat eorumdem alia admiscere ad aliquot guttas.*

D *Ubi in plures doses destinantur, alias enim sæpè pro una dosi præscribitur.*

E *Et sic tota quantitas in tot doses dividenda, nisi in unam dosin tantùm præscriptus fuerit pulvis.*

℞ Fol. Senn. Elect ℨvi.
Cremor. Tartari. ℨiii.
Scammon. ℨii.
Semin. anis. cinam. caryoph. ann. ℈ii.
M. F. *pulvis subtilis purgans.*

VEL.

℞ Spec. diaturb. cum Rhab. ℈ii.
Cremor. Tartar. ℈i.
Scammon. gr. vi.
M. F. *pulvis purgans* cum jusculo sumendus.

VEL.

℞ Rad. Jalap. ℈ʒ.
Cremor. Tartar. ℈iiʒ.
Diagridii gr. vi.
Macis gr. 14. ut à loco hujus ol. anis. gutt. ii.
M. F. *pulvis purgans.*

PULVIS ROBORANS licet ad varias partes corroborandas præscribi possit, pro medentis scopo, tamen ferè ventriculo confirmando dicatur, vocaturque vulgo *digestivus*, vel cordi, & *cordiacus* dicitur, aut alexiterius: licebit & ad alios usus, hepar roborandum, Intestina, &c.

COMPONITUR *digestivus In genere ex rebus stomachicis*, coctionem Iuvantibus, flatus discutientibus, adstringentibus. *In specie* vero *coriandrum præparatum* ad ℥j. basis est, adduntur que flatus discutientia, ut *anisum*, ad ℥ʒ. ℨvi. Corroborantia deinde stomachica, simplicia, composita, ad ℨii. ad summum, cum *Sacchar. rosat. tabulat. q. s.*

℞ Semin. anis. fœnicul. carvi ann. ℨj.
Coriandri, cinnamom. ann. ℨiʒ.
Cortic. arant. ℈ii.
Sach. albiss. ad pondus omnium.
M. F. *pulvis digestivus*, cujus sumat ℨii. post singulos pastus.

CARDIACUS vel etiam alias partes roborans, componitur ex simplicibus & compositis *Pulveribus* Idoneis ac specificis, ad ℥iʒ. ℨ vi. ℥i. prout usus debet esse longus, ita tamen ut cardiaca prætiosiora minore quantitate, sub quadrupla, subsextupla, ingrediantur, & : i. vel soli præscribuntur, vel ad gratiam *sacchar. rosat. Tabulat.* triplum aut quadruplum adjungitur.

℞ Flor. rof. rubr. rorismar. ann. ℨii.
Lavendul. ℨi.
Sem. angel. cortic. citri, cinnam.
Caryophill. macis, ann. ℨʒ.
Croci ℈i. moschi gr. ii.
Specier. diambr. dia-mosch. dulc. ann. ℈i.
M. F. *pulvis Cardiacus.*

VEL.

℞ Lap. Bezoard. orient. vel unicornu gr. vi.
Magister. perlar. gr. xii.
Croci oriental. gr. v.
M. F. *pulv. cordialis.*

VEL *hepaticus.*

℞ Santal. omnium ann. ℥ʒ.
Spodii præparat. rasur. Eboris an. ℨiii.
Semin. ammon. cubeb. an. ℨi.
M. F. *pulvis hepaticus.*

USUS ET FORMULA DIGESTIV. quidam. ℞ *&c. f. pulvis*, de quo sumat cochleare unum, post singulos; nihil superedendo, vel bibendo.

CARDIACI vero vel *alterius roborantis*, ut *hepatici*, &c. ℞ *fiat pulvis* de quo sumat ℨi. ℨii. cum aqua, Jusculo, vel liquore Idoneo, idque manè jejuno ventriculo, vel alias urgente necessitate, maximè si fuerit alexiterius.

UTILITAS, expressa, ad robur partium principum, & aliarum etiamnum, ventriculi, intestinorum, constantque ferè ex calidis, tamen eodem roborandi fine ex frigidis apropriatis comparari poterunt, sive pertinet ALTERANS VARIO MODO Inqualitatibus primis, secundis, pro scopo ex rebus Idoneis ut qui passim præscribitur ad obstructiones ex *chalybe*, additis aperientibus ad ℥iʒ. ℥ii. cum Sacchari portione pari, de quo mane cochleare unum, superbibendo parum vini aut liquoris Idonei, assumitur. Sic ad calculum & arenulas ex lithontripticis, ad ℥i. ℥iʒ. & Saccharo q. s. de quo ℨi. ℨiʒ. cum liquore diuretico, sic ad partum & menses, ad astringendum, sanguinis dejectiones per alvum, uterum, vesicam: ad fluxus omnes, & alterandum vario modo, ubi humiditas adjuncta fuerit, hæc *de pulvere interno.*

VEL *ad obstructionem.*

℞ Rubigin. ferr. rore mayal. præparat. ℥i.
Fæcul. rad. aron. ℨiʒ.
Ambr. grif. vel spec. cordial. ℨʒ.
Corall. præparat. ℨii.
Succin. præparat. cinnamom. an. ℈iv.
Sacchar. q. s. M. F. *pulv.* cujus sumatur ℨi. aut. ii. per dies aliquot *cum vino.*

VEL *ad arenulas.*

℞ Semin. alth. lythosper. hyperic. asparrag. an. ℨʒ.
Rad. glycirr. cort. rad. ononid. an. ℈i.
Lap. cancror. sang. hirci præp. an. ℈ii.
Succin. alb. præp. ℈i.
Pulverisata tenuissimè misceantur ejus ℨi. cum vino sumatur.

VEL *ad partum difficilem.*

℞ Boracis ℨʒ.
Croci, succini alb. an. ℈ʒ.
M. F. *pulvis.*

VEL.

℞ Troch. de myrh. ℥j.
Croci gr. v. cinnam. ℥j.
M. F. *pulvis*.

VEL *ad mensium supressionem*.

℞ Troch. de myrrh. ℨii.
Dauci cretici pulv. asari, sabin. an. ℨi.
Castor. ℈ii.
M. F. *Pulvis*.

VEL *ad mensium fluxum nimium*.

℞ Thuris, mastich. nuc. cupress. rad Bistort. an. ℈ii.
M. F. *pulvis*.

EXTERNUS Pulvis etiamnum aliquando præscribitur.
Estque *Medicus* vel *Chirurgus*.

MEDICUS roborans ferè est, qualis etiam ferè tantùm cerebro confortando exsiccandoque destinatur, ex rebus idoneis, radic. fol. &c. cephalicis ad ℥ii. præscriptis, addito sæpè pulvere *violacco cyprio*, ad ℥ i. ℥ iβ. plus minùs ferè autem sumuntur *Rad.* ℥i. *Sem.* ℨvi. *Flor.* ℨiii. aromat. ℨii.

USUS & FORMULA. ℞ *fiat. pulv. paulo crassior, quo exiccetur caput manè, quod usitatissimum post lotiones ipsius.*

UTILITAS ad cerebrum corroborandum, pituitosum exsiccandum absumendas humiditates ipsius capitis pilorum excrementitias.

CHIRURGICUS varius ferè, à chirurgo tantum præscribendus, *ad ulcera detergenda, explenda, glutinanda, ad vulnera, hæmorragiam, &c.* quorum dosis & quantitas præscribendi pro usus necessitate est.

℞ Ol. sæpiæ, Sach. cand. Tutiæ pulver. an. ℈i.
Vitriol. ℈j. M. F. *pulv.* ad unguem.

℞ Rad. Ireos florent. ℨiβ.
Cyperi rot. acori an. ℨ ii.
Lign. santal. citr. ℨ j.
Rhody. ℨi.
Spec. diambr. ℨ iii.
Troch. gall. moschat. ℈i.
Mosch. ℈j.
Ambr. gr. xii.
M. F. *pulvis*.

SCHROD. CAPUT LXXVII.

De Pulveribus & Speciebus.

PUlveres ac Species fiunt triturâ lævigationeve, quarum apparatum nonnunquam exsiccatio; calcinatioque sunt antegressæ.

N. 1. *Res si subtilioris volatiliorisque fuerint substantiæ, trituram minus fortem expetunt.*

N. 2. *Res pulverisandæ, etiamsi commisceri debeant, si sint diversæ duritiei, seorsim terantur.*

N. 3. *Quia virtutes pulverum facilè evanescunt, præstat quorum pulverisatio sine mora perfici potest, nisi crebrioris sint usus, integra asservare.*

Pulveres sunt tùm simplices, tùm compositi.

Simplices magis usuales sunt.

Pulvis Agarici,
Asari.
Aurantiorum cort.
Caryophyllorum.
Cinnamomi.
Croci.
Cubebarum.
Concharum febrilis, *v. lib. 5.*
Glyzyrrhizæ.
Hellebori albi.
Jalappæ.
Lumbricorum.
Mechoacannæ.
Rhabarbari.
Santalorum cunctorum.
Senæ.
Pulveris Serpentum, *vide lib. 4.*
Tormentillæ.
Ventriculi gallinarum
Zingiberis.

Pulveres compositi prostant sub titulo.
Pulverum vel specierum.
Sunt usuales pulveres alterantes.

Pulvis contra Abortum, *August.*
Adstringens Galen. A.
Alexiterius Sal. *infrà* N. 1.
Anonymus contra Phthisin, A.
Bezoardicus Nicol. A.
N B. Alium habet Renodæus.
Bezoart. sine pretiosis, 2.
cum pretiosis, 3.
Electuarii de bolo, A.
Cachecticus Quercetani, 4.
Cæsaris griseus, A.
rubeus, A.
contra calculum, A.
ad casum, A.
Cathæreticus pro ossib.
S. Closs. 5.
de Cineribus, Avicen. A.
de Cypero, 6.
Cypheos, A.
ad Dentifricia, A.
Dentifricius, 7.
Alius S. Closs.
contra defluxiones, 8.
Dysentericus, 9.
Epilepticus Marchionis cum & sine Unicornu, A.
Antepilepticus de secundina, 10.
Antepil. diaphoreticus, 11.
Epilepticus, 12.
pro Epithemate cordis, A.
Epatis, A.
Febrilis, 13.
Fortis Tragea fortis, 14.
Grossus. Tragea grossa, seu species incisæ, 15.
Haly, A.
Hepaticus, Tragea hepatica
Quercet. 16.
Hystericus Tragea hysterica.
Quercet. 17.
Hysteric. A.
Antinephriticus, Tragea Antineph.
Quercet. 18.
Partum provocans, A.
Helidei de Paduanis, A.
Rubeus pannonicus, A.
Saxonicus, A.
Sperniolæ compos. 19.
Stomachicus, Quercet. 20.
Ad strumas, A,
Trithemii, 21.
Violarum odoratus, A. C.
Pro ulceribus gutturis, A.
Species Diamar. cum ambra & moscho, A.
Diambr. sine ambra & moscho, A.
Dianisi, A.
Dianthon, A.
Contra Apoplexiam, A.
Aromaticæ caryophyllatæ, cum & sine ambra & moscho, A.
Aromaticæ rosat. cum & sine ambra & moscho, A.
Diacalamenthes, A.
Cephalicæ, 22.
Diacinnamomi, A.
Diacoralli, A.
Confectionis cordialis, A.
Contra pestem Fred. Imp. A.
Cordiales cum & sine ambra & moscho, A.
Diacubebarum, 29.
Diacurcuma, sc. Diacrocu, A.
Diagalanga, A.
De Gemmis calidæ, cum & sine ambra & moscho, A.
De Gemmis frigidæ, A.
Ducis, s. Electuarii ducis, A.
de Hyacintho, A.
Diahyssopu, A.
Imperatoris, A.
Diaireos Salomon. A.
simpl. A.
usitatæ, ibid.
Justini, s. Electuarii Justini, A.
Dialacca, A.
Lætificantes Galen. cum & sine ambra & moscho, A.
Lætificantes Rhasis, A.
Liberantes, confectionis liberant. A.
Species Lithontribon, A.
Diamargariton calidæ, Avic. A.
Diamargariton frigidæ, Nic. A.
Diamoschu amaræ, A.
dulcis, cum & sine ambra & mosch. A.
Diapenidion, A.
Diatrion pipereon, 1. & 2. A.
Diapleres archonticon, cum & sine moscho, A.
Diapæonias, cum & sine ambra & moscho, Cord.

Diaprassiu Nicolai, A.
Electuarii resumptivi, A.
Diarrhodon. abbatis, cum & sine moscho, A.
Rosatæ novellæ, A.
Diaspoliticon, A.
Diatrion Santalon, A.
Diathamaron, cum & sine moscho, A.
Diatragacanthi calidæ, A.
frigidæ; A.
Ad Vermes, confectio ad vermes, A.
Diaxylo-aloës, cum & sine ambra & moscho, A.
Diazingiberis, A.
Huc Sal Philosophorum, 24.
Sacerdotale, 25.

Purgantes pulveres.

Pulvis Artheticus Paracelsi, *vide infrà* 1.
Cholagogus Quercetani, 2.
Pulvis Cornachini, 3.
Laxativus, Tragea laxativa, C.
Melanagogus Quercetani, 4.
Nasalis, ad nasalia, A.
Panchymagogus Quercetani, 5.
Passavanticus, 6.
Phlemagogus Querc. c. 7.
Salæ, 8.
Senæ præparat. Montagn. A.
Solutivus de tribus, A.
Magistralis Stocxstaldi, A.
Sternutatorius, A.
Sternut. Rulandi, 9.
Baumanni, 10.
Ad suppositoria communia, A.
acutiora, A.
sicca.
Tartari præparat. A.
ad vermes.
Species benedictæ laxativæ, id est Electuarii benedict. laxativ.
Diacarthamu, id est, Electuarii Diacarth. A.
Caryocostini, i. e. Electuar. A.
Episcopi, s. Elescoph. A.
de succo rosarum, id est, electuar.
Diaturbith cum Rhabarbaro.

PULVERES ALTERANTES.

1. *Pulvis Alexiterius specificus Ang. Salæ.*

℞ pulv. viperini ʒij.
Extr. Bezoardici pretiosi,
Magisterii margarit. an. ʒß.
Ol. sem. Angel. destil. ℈ß.
Cinnam gut. VI.
M. in mortario vitreo.
Dosis ℈j. *ad* ℈ß. *cum vehic. appropriatis singulis quadris Lunæ iis qui veneno infecti sunt danda est* ʒj.

Extractum Bezoardicum sic fit.

℞ Ligni Aloës resinos.
Granor. Kerm.
Santal. alb. odorif.
Cass. ligneæ.
Zedoar.
Croci opt.
Scœnanth.
Rad. carlin.
Vincetox.
Doron.
Angel.
Fol. Dictamn. Cret.
Scord. Cret. an. ʒij.
Spirit. Vin. q. s. F. extractum s. a. cui adde Magisterii lapid. pretiosorum cum Sal nitr. calcinat. ʒij.

2. *Pulvis Bezoardicus sine pretiosis*, F. F.

℞. Bol. armen. ver. cum aqu. scabios. præparat.
Terr. sigillat. Silesiac.
Rad. Diptam. alb.
Tormentill. ana ʒ VI.
Angelic.
Gentian.
Petasit.
Zedoar.
C. C. ust. præparat.
Oss. de c. c.
Rasur. Ebor.
Cort. citr.
Corall. rubr. præp. ā. ʒß.
M. F. Pulvis subtilissimus.

Dosis ad ʒj.

2. *Pulvis Bezoardicus cum pretiosis.*

℞. Pulv. modo præscripti, ℥ I.
Margar. præparat. gran. XVI.
Hiacynth. præparat.
Rubin. præparat.
Granat. præparat.
L. Bezoar or. ā. gr. V. III.
Fol. argent.
Aur. ana num. I.
F. Pulvis subtilissimus.
Vires. *Cordialis ac diaphoreticus insignis est, ususque præcipui in morbis malignis.*

Dosis à ℈j. *ad* ℈ij.

4. *Pulvis Cachecticus Quercetani.*

℞. Limatur. chalyb. in tenuissimum alcohol. per Aquam simplicem redactæ, vel cum Sulph. calcinatæ, ℥ I.
Fæc. rad. Ari ʒiß.
Ambr. gris. ʒß.
Essent. corall. (Magist.)
Margarit.
Cinnamom. ana ℈IV.
Sacchari, q. s. ut fiat pulvis gustui gratus.
Vires. *Est summum Remedium ad cachexias, tam virginum, mulierum, quam virorum, juvenum ac senum.*
Dosis cochlear s. mane continuand. ad dies aliquot.

5. *Pulvis Cathareticus pro ossibus S. Closs.*

℞ rad. irid.
aristol. rot.
euphorb. an. ℥ß.
Sabin. sicc.
Alumin. ust.
Mercurii præcipitati ana ʒj.
Ceruss.
Myrrh. an. ʒij.
Ol. garyoph. ℈j. M.
F. Pulvis quo aspergatur os cariosum carne denudat. & aq. Alumin. priùs ablutum.

6. *Pulvis de Cypero odoriferus.*

℞. Rad. Ireos flor. ℥iß.
Cyperi rot.
Acor. ā. ʒij.
Lign. Santal. citr. ʒß.
Rhodii, ʒi. ℈ii.
Spec. Diambr. ʒii.
Troch. Gall. moschat. ℈j.
Mosch. ℈ß.
Ambr. gran. XII.
F. Pulvis.
Vires. *Pulvis est odoriferus, confortans spiritus vitales & animales.*

7. *Pulvis Dentifricius.*

℞. Silic. fluviatil. calcin. ℥iii.
Lap. pumic. præparat. ℥ß.
Rad. Ireos fl. ʒii.
Ol. stillat. ros. ℈ß. (vel ex lign. rhod.
F. Pulvis subtilissimus.
Vires. *Exterget dentes, fœtorem oris emendat.*
N. 1. *Alium vide apud August.*
N. 2. *Dentrificii pulveres fiunt potissimùm ex pulverisatis corallis, calcinatis ossibus, cornibus, lapidibus, crustaceis, radicibus ireos, crustâ panis tostâ, salibus ustis, cineribus, & simil.*

Alius S. Closs.

℞ Farin. laterum rubrorum ℥ß.
Imbibatur per vices spiritu Sulph.
pari quantitate, & fiet pulv. cui addes Tart vini abl. ʒij.
Panis ad nigredinem usti ʒij. M.
F. Pulvis, quo dentes nigrore aut virore infecti confricentur, & vino calente abluantur.

8. *Pulvis contra defluxiones*, F. F.

Fluszpulver, Kothlauffpulver.
℞. Mastich. alb.
Succin. in fragm.
Summ. Sabin.
Rut.
Oliban.
Sem. cannab. ana ℥IV.

Stœchad. citr. M. ij.
M. F. pulvis grossus.

9. Pulvis Dysentericus Crollii.

℞. Succin
Sang. dracon.
Lap. Hæmatit.
Corall. rubr.
Sem. portulac.
Plantag.
Anthor.
Rad. Tormentill.
Terræ sigillat. ā. ℥ij.
Balaustior. ℥i.
Nucist. num. iv.
Cinamom. ℥ß.
Croc. Martis adstring.
Talc. calcinat.
Matr. perlar. calc. ā. ℥i.
Lapides lævigentur, reliquisque minutissimè tritis addantur.
Vires *Valet in omnibus profluviis alvi, menstruorum, narium, &c.*

Dosis ʒj. ad ʒiß. vel ʒij.

10. Pulvis antiepilepticus de secundina.

℞. Secundin. puelli primogeniti exsiccat. ℥ß.
Cranii maris calcinat. ℥i.
Pulv. pullorum corvi, ℥ij.
Coagul. lepor. ʒi.
Rasur. c. c. ʒij.
Castor. ʒß.
Succin. albiss. ʒij.
visc. quern. luna decresc. collecti, ʒß.
Granor. & rad. Pœon. ante novilunium collect. ā. ʒß.
Ambr. gris.
Moschi ana ℈ß.
Spec. Dianth.
Diapleres archont.
Lætific. Galen.
Margarit. præparat.
Corall. præparat. an. ℈j.
F. Pulvis subtilissimus.

11. Alius Antiepilepticus Diaphoreticus.

℞. Cinnabar. antimon. purificat.
Magist. Corallor.
perlar.
cran. human. an.
F. Pulvis subtilissimus.
Dosis à gran. 10. ad 16. bis in septimana exhiberi potest. Hartman. in Pract. Sennert. Instit.

12. Pulvis Epilepticus D. Arn. Vveickardi.

℞. Rad. pœon. decrescent. luna collect. ℥j.
Sem. Pœon. mar. excort. ℥ß.
Ung. alcis ʒiij.
Succin. alb.
C. C. ust. præp. an. ʒij.
Margar. præp.
Corallor. rub. præp. ana ℥j.
Stercor. pavon. ℈iv.
Lap. Bezoar. or. ʒj.
Unicorn. veri ℈ij.
Limatur. auri ungar. ʒj.
Croc. ℈j.
Manus Chr. perlar. ℥ß.
F. Pulvis subtilissimus addendo Ol. still. macis ℈ß.

Dosis à Ɛß. ad ʒß.

13. Pulvis febrilis.

℞. Rad. Diptamn.
Petasit.
Zedoar.
Fol. scord. ana ℥ij.
Sem. Card. bened.
C. C. ust præparat. ā. ℥i.
Antimon. diaphoret. ʒiij.
F. Pulvis subtilissimus.
Vires. *Est contra omnis generis febres, quas per diaphoresin expellit.*

Dosis ʒj. Grunlingius.

14. Tragea fortis. Species fortes.

℞. Piper. nigr. ℥ij.
Zingib. ℥i.
Croc. or. ʒi.
Caryophyll.
Galang. ā. ʒij.
F. Pulvis.
Vires, *Usus esse potest in aromatisandis cibis.*

15. Tragea grossa. Species grossæ.

℞. Glycyrrhiz. ℥ß.
Cinamom. ac. ʒv.
Zingib. alb.
Calam. arom. ā. ʒiij.
Galang.
Zedoar. ā. ʒij.
Nucist.
Caryophyll.
Macis.
Cubebar. ā. ℈j.
Confect. anis.
Fœnic.
Carv.
Coriand. ā. ʒvi.
Aromata incidantur grosso modo, confectionesque admisceantur.
Vires. *Confortat ventriculum, adeoque digestionem juvat*

16. Tragea Hepatica Quercetani.

℞. Corall. rubr. præparat.
Spod.
Spec. Diatragac. ā. ʒij.
Fl. Hepatic.
Sem. acetos.
Portulac. ā. ʒj.
Croc. Martis optimè præparati, ʒiiß (cum aqua simpl. vel cum Sulph.) Croc. Martis ex Ol. Sulph. parat. ℈ij. (vide lib. 3.) Sacchar. rosat. pro libitu.

F. Pulvis.

Vires. *Pulvis est admirabilis, contra omnes obstructiones, imbecillitates, ac intemperies hepatis, cui pristinum robur reparat, singularis porrò adversus omnes fluxus hepaticos, cachexias, hydropises, icterum, &c.*

17. Tragea Hysterica Quercet.

℞. Cass. ligneæ.
Calam. aromat.
Sem. agni casti.
Pastinac.
Rutæ.
Pœon.
Anis.
Fœnic.
Cardamom.
Macis.
Cinamom.
Caryophyllor. ā. ʒi.
Fæc. Bryon. ʒiß.
Sacchari anthosati ad pondus omnium.
M. F. Pulvis.
Vires. *Prodest albo mulierum fluori, & uteri suffocationi.*

Dosis ʒiß.

18. Tragea Antinephritica Quercetani.

℞. Tunicæ interior. ventriculi Gallinæ.
Stercoris albi Gallin. ā. ℥ß.
Pulveris pelliculæ interioris, quæ in putaminibus ovorum reperitur, ʒiiß.
Herniariæ.
Cinnamomi, ā. ℈iv.
Nucleor. mespillor. ʒij.
Sem. Fœnicul.
Anis. ā. ʒj.
F. Pulvis subtilissimus.
Vires. *Effectus pulveris hujus efficacissimi sunt in atterendo, & expellendo calculo. Valet itidem ad colicam passionem.*

Dosis à ʒß. ad ʒj.

19. Pulvis Sperniola compositus Crollii.

℞. Myrrh. el.
Thur. masc. ā. ℥ij.
Croci trit. ʒß.
Camphor. ʒiij.
Tere omnia, & misce.
Pulverem hunc imbibe aqua stillat. sperniolæ, id est, spermatis ranarum, vigesies vel trigesies, ita tamen, ut semper priùs sponte exsiccetur.
Hinc serva ad usum.
N. *Sperniola colligenda est mense Martio, triduum circiter ante novilunium (si non fœtet) destillandaque* M. B.
Vires. *Summum est remedium in Hæmorrhagia è narribus, gutture,*

gutture, utero, quia frigiditate suâ coagulat sanguinem. Confert quoque, si solvatur cum aceto, & Erysipelati, doloribusve podagricis calidis applicetur. Hæmorrhagiam quoque vulnerum impositione sistit, Paronicham necat, &c.

Dosis gran. 4. 5. 6. 7. 8.

N. *Si hæmorrhagia è sanguinis corruptione originem traxerit, non malum sanè remedium, quippè putredinem arcet. In uterinis verò affectibus, ob myrrham, ac crocum aliud adhibere mallem.*

20. Pulvis Stomachicus Quercetani, s. Brickmanni.

℞. Rad. Ari præparat. ℥ij.
Acori vulg.
Pimpinell. ā. ℥i.
Ocul. cancr. ℥ß.
Cinamom. ℥iij.
Sal. Absynth.
Juniper. ā. ʒj
Sacchari rosati q. s.
F. Pulvis.

Vires. *Exhibetur non tantum ad ventriculum corroborandum, cui propriè convenit, sed etiam ad capitis affectus, hemicraniam, vertiginem, melancholiam hypochondriacam, cachexiam, ad calculum ac febrem quartanam; habet enim facultatem deoppilandi, tartarum resolvendi, &c.*

Dosis ʒß. ad ℈ij.

Præparatio radicis Aronis fit macerando, cum vino albo, horis 12. hinc decantatur vinum, novumque affunditur, denuoque antea maceratur, quâ maceratione acrimonia extrahitur. Hinc radix lentè siccanda.

21. Pulvis Trithemii.

℞. Calam. arom.
Gentian.
Cymin.
Siler. montan.
Anisi.
Carvi.
Levist.
Petroselin.
Spic. nard. ā. ℥ß.
Zinzib. albi.
Chamæpyt.
Fol. sen. el.
Cryst. Tart. ā. ʒvi.
Macis.
Cubeb. an. ʒij.
Caryoph. ʒvii.
M. F. Pulvis subtilissimus.

Vires. *Sunt qui hujus laudes summè commendant, ad memoriam confortandam. Videlicet post purgationem convenientem. ℞. hujus pulveris ʒj. Aqua magnanimitatis gut. xij. & vini nonnihil, sumuntque mane & vesperi per totum mensem; altero mense mane solum; tertio bis vel ter singulis septimanis, idque mane; quarto mense bis qualibet sept. & postea ad dies vitæ singulis mensibus semel, crescente Luna. Sed crapulam vitare monent, ebrietatemque.*

22. Species Cephalica, FF.

℞. Cinamom. ℥ij.
Rad. pœon.
Sem. pœon. ex.
Citr. exc. ana ʒx. ℈ij.
Zinzib.
Cubebar.
Cariophyllor.
Macis ana ʒv. ℈ij.
Spec. cordial.
arom. garyoph. ā ℈viij.
diamosch. dulc.
Spec. diambr. ana ʒiß. gran. vi.
Nucist. num. ij.
F. pulvis.

Vires. *Calefacit caput, exsiccat catarrhos, spiritus, animales & vitales purificat, corroborat, adeoque balsamo nativo insigniter confert.*

Dosis ʒß. ad ℈ij vel ʒj.

20. Species Diacubebarum.

℞. Santal. trium ana ℥ß.
Spod præparat.
Ras. Ebor. ana ʒiij.
Sem. Amomi.
Cubebar. ana ℥i.
F. Pulvis.

Vires. *Aperit & confortat Epar.*

24. Sal. Philosophorum.

℞. Sal. com. fusi.
Sal. gem. ana ʒi.
Galang.
Macis.
Cubebar. ana ℈j.
F. Pulvis.

Vires. *Juvat concoctionem ventriculi, cruditatesque consumit.*

Dosis gran. 4. mane jejuno stomacho.

25. Sal Sacerdotale.

R. Sal. commun. torref. ℥iij.
Piper. ℥j.
Cinamom. ℥ß.
Zedoar.
Zinzib. ana ʒß.
Sem. cumin.
carv. ana ʒi.
F. Pulvis subtilissimus.

Vires. *Dolori capitis medetur, ventriculum calefacit, cruditatesque & flatus consumit, concoctionem juvat, colicum dolorem profligat.*

Dosis gran. viij. ad xv. &c.

Idem aliter.

℞. Sal. commun. ℥j.
Cinamom.
Cumin. ana ʒiij.
Zinzib.
Amom.
Siler. mont.
Piper.
Satureiæ.
Hyssop.
Origan.
Puleg. ana ʒi.
F. Pulvis subtilissimus.

Vires. *Easdem cum priori obtinet.*

N. *Dicitur Sal Sacerdotale, quia Sacerdotibus olim (tempore Eliæ) ad dolorem capitis & oculorum caliginem in usu fuisse statuitur.*

PULVERES PURGANTES.

1. Pulvis Artheticus Paracelsi.

℞. Hermodactyl.
Turbeth. opt.
Diagryd.
Fol. Senn. el.
Rasur. cran. vel ossium human.
Sacchari, ana.

Vires. *Purgat securè & blandè omnes defluxiones podagricas.*

Dosis ʒß. ℈ij. ex aqua Ivæ arthetica, fragariæ, &c.

2. Pulvis Cholagogus Querc.

℞. Rhabarb. elect. ℥iij.
Fl. Violard. ʒij.
Rosar. pallid.
Hyperic. ā ʒi.
Spec. Diatrion. santal.
Mastiches.
Cinamomi ā. ℈ß.
Diagryd. ℈j.
Sacchar. violar. ℥ß.
M. F. Pulvis.

Dosis ʒß.

3. Pulvis Cornachini.

Fit ex mixtione diagrydii, Tartari, & Antimon. diaphoretici cum cremore Tart. commistorum, proportione invicem pro re nata variante, verbi gratia, Diagryd. Sulph. gran. vii. viii. vel ℈ß. & diaph. gran. v. vii. vii. &c. Crem. Tart. ℈j.

Vires. *Tantum pulveri huic attribuit Author, ut peculiarem de eo conscripserit librum, commendatque ad omnes ferè morbos, qui purgatione opus habent.*

4. Pulvis Melanagogus Querc.

℞. Flor. Sen. ℥i.
Sem. anis.
Fœnic. ā. ʒi.
Cinamom. ℈ij.
Cryst. Tart. ʒvi.
Sacchari ℥iß. M.

Dosis à ʒj. ad ʒij.

5. Pulvis Panchymagogus Querc.

℞. Crystall. Tart. ℥i.
Senæ el. ʒx.
Hermodactyl.
Turbith. ā. ℥ß.
Rhabarbari.

Agaric.

Agaric. troch. ana ℥iij.
Scammon. præparat. ʒij.
Macis.
Cinnamomi.
Galang. ana ℥iß.
Sacchari violati, ad pondus omnium.
Dosis ʒj.

6. Pulvis Passavanticus.

℞. Flor. Borrag.
violar. ana. ℈ij.
Zinziber.
Spic. nard. ana. ʒj.
Glycyrrhiz.
Sem. anis. ā. ʒij.
Diagryd. ʒiij.
Rhabarb. el. ʒvi.
Turbith. gumm. ℥i.
Senæ ℥ij.
M. F. Pulvis.
Vires. *Purgat. omnes humores noxios maximè bilem.*

7. Pulvis Phlegmagogus Quercetani.

℞. Spec. Diacartham. ʒij.
Agaric. Trochisc. ʒß.
Turbeth.
Hermodactyl. ana. ʒj. M.
Dosis ʒj.

8. Pulvis Phlegmagogus Sala.

℞. Chryst. Tart.
Hermodactyl. mund. ā. ℥i.
Turbith. albi ʒvi.
Resin. Scammon. ʒij.
Ole. Caryophyll. cum saccharo mist ℈ß. M.
Vires. *Purgat serosos ac phlegmaticos humores, sine molestia.*
Dosis ʒß. *ad* ʒj.

9. Pulvis Sternutatorius Martini Rulandi.

℞. Sem. Nigell.
Hellebor. alb. ana. ℈j.
Majoran.
Rorismar.
Salviæ, ana. ʒß.
Mosc. gran. ij M.
Caput roborat, pituitam elicit

℞. Fl. Anthos.
Lavendul.
Sal.
Betonic.
Fol. Majoran. ā. ℈j.
Macis.
Glycyrrhiz.
Ellebor. alb. præp. an. ℈j.
Tabac. opt. ℥i.
Omnibus pulverisatis & probè mixtis adde
Ole. Stil. anis.
Caryophyll.
Macis.
Majoran. ana. gr. iv. M.

11. Alius Johan. Nicolai Baumani M. D.

℞. Fol. Tabac. Indic. ʒi. ℈j.
Rad. Ireos flor. ʒiß.
Lap. pumic.
Moschi gran. ij.
F. Pulvis.
N. *Moscus omittendus erit, si mulieri adhiberi debeat.*

Sequar enim quæ habet MORELLUS. Autor triplicem denominationem habet, ex quibus observetur. SIEFF *in affectibus oculorum usitatus & destinatus: Pulvis* alias *est vel* officinalis vel magistralis, MAGISTRALIS est, qui *præscribitur à Medico*: OFFICINALIS est, qui *reperitur in Officinis*, & in hoc differt à magistrali. Sic pulvis Officinalis sunt, *Species Galangæ*: item *pulvis contra casum*. Magistralis est, qui præscribitur à Medico pro usu necessario. v. gr. In Febre ex variis simplicibus febrifugis: sicuti pulvis Officinalis est pulvis à Medico præscriptus, qui semper est in Officinis. In genere omnis *pulvis* vel est *Internus* vel *externus*.

Internus est vel { *Purgans.* / *Alterans.* }

PURGANS ex simplicibus *Catharticis* ex Scammonio, ex aliis tàm *ex regno Vegetabili quam minerali* desumtis *constat*.

Quoad quantitatem ingredientium omnis *pulvis*, quia difficilioris assumptionis & deglutionis est: *præscribitur à* ℈i. *ad* ʒß. raro ultrà.

Et quidem quod de omnibus medicamentis intelligendum &, semper à Medico considerandum est, ut *in præscriptione* Formularum *attendat & gratiam saporis & odoris*, ut admisceantur talia, quæ obtundunt saporem nauseabundum, qualia sunt imprimis Sacharum in siccis: in humidis Sirupi: ratione odoris in specie sunt succulenta ol. destillata inter sicca: in humidis Aquæ bene olentes in specie Aqua *Cinnamomi* solet præscribi. Quod attinet Pulveres purgantes, debet desumi *dosis* communis, *ex dosi purgantis debita* ceu Basi, cui addendus *stimulus*, qui *est* vel *salinus* 1. Scammoniatus; Vel ex Colocynthide. 3. Interdum *additur Saccharum* interdum *ommittitur*: additur in delicatulis ratione saporis, qui non ita attendendus, ubi non opus est.

Ulterius Pulveres *purgantes non inelegantes adsperguntur* cum aliquot guttis *ol. dest.* anisi, vel Nucis moschatæ quoniam sunt grata ventriculo 2. *quoniam* sunt *Carminativa*, & pellunt flatus, præsentissimè sunt in omnibus purgationibus. Sic quando debet præscribi *pulvis simplicissimus* & *purgans*, debet fieri h. m.

℞. *Pulv. Jalap.* ℈j.
Crem. tart. ℈ß.
misc. f. pulv. laxans pro l. dos. adde
ol. dest. Anisi gt. ij.

In hoc Observetur Basis, quæ est pulvis *Ialapæ*, & quidem *dosis ordinaria* & conveniens pro adulto *est* ℈j. in puero sit. ℈ß. & sic porrò. In delicatulis adhuc addatur Sacharum, vel oleosacharum anisi, vel cinnamomi, idque saporis gratia: Huic basi additur cremor. tart. ℈ß. tanquam stimulus, hoc enim ratione. Salinæ virtutis stimulat, & stimulando medicamenti purgantis operationem accelerat, dum intestina irritat. 2. Quoniam radix. Jalappæ resinositate sua solet adhærere intestinis cremor tartari etiam est corrigens, & ita non solum vim Jalappæ ignavam stimulat, sed & corrigit, ne det Hypercatharses. Conservans est ipsa forma pulveris. Id quod dat gratum Odorem vel saporem, est ol. grati odoris & saporis, vel sacharum quod simul noxas ex flatibus impetit. Utut Cremor tartari per se dat gratum saporem huic pulveri.

Si velis habere *pulverem purgantem ex Basi composita*, præscribendus est ita, ut omnia Ingredientia simul sumta unam constituant, dosin. h. m.

℞. *Radic. Mechoacan. albis.* ℈ß.
Rhabab. elect.
Aloe succotrin. aa. gr. v.
Scam. sulphurat. gr. iij.
Crem. tartari gr. vj.
misc. f. l. a. Pulvis.

Irrigandus aliquot gutt. ol. destill. cariophillorum, si expurgandum caput; Si pectus, ol. anisi. Hic est Pulvis purgans cujus basis est composita ex quatuor.

Dabo ex *Mineralibus* purgantem pulverem, *si* scilicet sit *purgandus*, *qui laborat Lue venrea seu scabie maligna*, tunc propinarem talem pulverem.

℞. *Radic. Ialapp.*
Mercurii dulc. ana. ℈ß.
Mercucii vitæ. gr. ij.
Trochisc. Alhand. gr. j.
Eleosach cinnam. ℈ß.
misc. F. l. a. Pulvis. purg.

NB *Mercurii vitæ. summa dosis sunt gr. iv. Optime terendus*

terendus est hic pulvis *in præparatione*, ut vis vomitiva Mercurii vitæ corrigatur à Sale Mercurii dulcis, & sic evadat catharticum, quod probè notandum: præterea *assumendus* est hic pulvis *in cochleari ligneo*, nam Mercurius metallicis adhæret.

Adhuc unus potest præscribi *Pulvis catholicus purgans*.

℞. *Rhabarb. elect.*
Aloes succotrin.
Ialapp.
Scammon. rosat. ana. gr. v.
tartar. vitriol. gr. vj. vel ℈ß.
Pulv. cinam. morf. elect. gr. iij.
misc. F. l. a. Pulvis purg. pr. I. dos.

NB *Sin vero pluribus dosibus* præscribatur, ita ordinari potest. F. l. a. pulvis in dos, tripla l. 4pla, &c. D. S.

Tempus manè cum custodia. Id est, ut assumatur jejuno stomacho, & instituatur post assumtionem jejunium ad aliquot horas.

Sequitur PULVIS ROBORANS s. ALTERANS. Inter pulveres alterantes *sunt præcipitantes*, effervescentiam sanguinis compescentes, acidum absorbentes, menses provocantes, sive stomachici, sive alii pro varietate Scopi & intentione medici.

PULVIS DIGESTIVUS *in duplici* accipitur.

sensu. 1. Ex sensu *Veterum*, ubi pulvis digestivus *est* pulvis *dicatus stomacho*, pro adjuvandâ digestione & concoctione alimentorum in stomacho. 2. Ex sensu *modernorum* pulvis digestivus est iste, qui *præmittitur purgantibus* instar præparativi, quod debet præparare humores excrementitios purgandos, ut ritè post modum à medicamento purgante evacuari possint: *item* est iste, *qui præscribitur* in febribus intermitenttibus *die intermissionis* pro corrigendâ M. S. & præcipitandis humoribus effervescentibus. Præparata enim sic massâ sanguinea, facile postmodum adhiberi possunt, alia medicamenta.

Veterum pulvis digestivus s. stomachicus *conficitur* ex seminibus carminativis: it. ex aromatibus & similibus: *Ratio est* hæc: quoniam talis pulvis digestivus Veterum stomachicus *præscribitur* semper, ut assumatur ejus ʒß. vel ʒj. *post pastum*, ut simplicia, calida & sicca adjuvent concoctionem in Senibus l. Cachecticis. *quoniam* in talibus *exhalant* copiosi *vapores* ex stomacho *in caput*, ex quibus oriuntur catarrhi: *t* 2. virtute carminativâ *dissipent flatus* & vapores, ne possint ferire caput, &c. Intentio hæc veterum est probanda, utut explicatio sit pessima. Sed *propterea præscribitur* talis pulvis, in malo Hypochondriaco, &c. *quoniam* eorum *succus fermentativus non est ritè volatilis*, d. nimis acidus & fixus; vel quoniam est obrutus à copiosâ materiâ crassa & viscida *propterea dantur* pulveres vol. digestivi, *ut* beneficio Salis vol. aromatici *acidum* instomacho fixum *temperent*, & volatilisent blandè. Item nimiam aciditatem alimentorum in cachecticis & Hypochondriacis subjectis temperent, & corrigant & ita chylum in salsum volatilem liquorem producere adjuvent. Propterea præscribuntur tales pulveres digestivi ex aromatibus oleosis.

Exemplum talis pulveris digestivi veterum sit hoc.

℞. *Seminis Coriandri præparati* ʒß.
Seminis anisi, fœniculi. ana. ʒij.
Nucis Moschatæ, Galangæ ana. ʒj.
Cinnamomi morsu electi ℈j.
Sacchari ad pondus omnium, vel Sacchari dimidium, vel etiam quartam partem
Misceantur f. l. a. Pulvis.

D. S. Pulvis Digestivus post cibum. Dosis pro una vice ʒß. vel ʒj.

Hic est pulvis Digestivus veterum. *Moderni* dicunt pulverem digestivum, quem præmittunt infebribus intermittentibus purgationi, die intercalari, l. aliis in M. S. vitiis. Et quidem *pulveres digestivi Modernorum sunt salini* & desumpti ex Salibus, tam vegetabilium quam mineralium.

Si *pulvis digestivus Scorbuticus* præmittendus purganti in Scorbuto, sit hic:

℞. *Arcani duplicati, Mynsichti* ʒß.
Oculorum Cancr. præparatorum. ʒj.
Salis Absinthii ℈ß.

Misceatur. Fiat lege artis Pulvis digestivus scorbuticus. dividatur in 2. partes æquales.

Scopus est, *corrigere acrimoniam Salis scorbutici*, ut postmodum possit eo melius evacuari, aliàs dat tormina, & corrosiones. *Potest etiam adhiberi* loco digestivi *in febri tertiana*: Item in *quartana*. *In febri* quoque,

Scorbutica est satis elegans pulvis digestivus. In tertiana intermittente propinandus est hic die ante paroxysmum.

℞. *tart. Vitriol.*
Cremoris tart.
Salis Cichorii ana. ℈j.

Misceantur invicem. Dividantur in 2. partes æquales.

E. Digestiv. Pulv. pro l. dos. post divisionem.

Hujusmodi pulvis digestivus modernorum præmittitur purgantibus die intermittente, manè, horis 3bus ante pastum vesperi post pastum mane in jusculo. A meridie in vehiculo frigido.

CARDIACUS est iste, qui *crasin M S. corrigit*. Proponam exemplum: loco hujus pulveris alexipharmaci in febri maligna prò una dosi, qui beneficio sudoris debet expurgare malignitatem.

℞. *Antimonii Diaphoret.* gr. xv.
C. C. sine Igne *præparati* ℈ß.
Camphoræ gr. 1. M.

F. Pulv. cordial.

Loco Camphoræ, iis, qui nauseant illam, possunt sumi.

Sal. vol. viperarum vel *CC.* gg. ij. vel iij.

Pulvis Magistralis Compositus Alexipharmacus contra fumos metallicos Chymicis l. Aurifabris, &c. propinandus; potest esse talis, quem nuperrimè cuidam Metalli fossori præscripsi h. m.

℞. *Pulveris rad. Zedoar.* ℈ß.
Antimonii diaphoret. ℈ij.
Antihectici Poterii,
Bezoardici Mineralis.
terr. Sigillatæ.
CC. sive Igne ana. ℈j.
Camphoræ gr. vij.
eleosacchari Anisi ʒj. M. F. pulvis.

A. laxipharmicus.

Basis est Zedoaria. Dosis ℈ß. pro unâ vice.

Huc pertinent pulveres CACHECTICI: in Cachexiis, affectione Hypochondriorum, morbis virgineis & mensibus suppressis. *Dicuntur* pulveres *cachectici quorum* omnium *Basis est Mars*: in specie crocus Martis aperitivus.

Sit ergo talis pulvis Cachecticus.

℞. *Croci Martis, aperitivi cum Salibus.* ℈ß.
Salis digestivi Hypochondr. (quod ex cap. mort. vitriol. elixiviatur.) ʒ1ʒ.
Cinnamomi morsu electi.
Costi aromatici veri.
Nucis Moschatæ ana. ℈j.
Croci ℈ß.

Cum Saccharo l. sine saccharo M. F. l. à Pulvis aperiens. hepat. & splen.

Cujus dosis potest esse ℈ß. vel ʒij.

Et hoc modo possunt specificari pulveres ad omnes alios casus.

Videamus qq. quæ habet SCHRODERUS DE PULVERIBUS.

Observetur quod his pulveribus *pompæ gratie soleant addi folia* auri, & lunæ & tunc vocantur digestivi, scorbutici,

& sic porro. Nam aurum & gemmæ adduntur sine effectu tantùm propter pompam.

In Officinis nonnunquam prostant pulveres compositi SPECIES dicti: ut *Species Diagalangæ*, *Diamoschi*, quæ semper denominantur à basi: Diagalangæ, ubi Galanga est basis. Præterea etiam dantur Species ex seminibus oleosis: *Species diatragacanti frigidi & calidi*. Jam quia hæ sunt rancidæ, qui RANCOR *est congeries copiosissimorum vermiculorum* inutiles ferè sunt, & si præscribendæ, præscribuntur ita, ℞. *Specier. Diatrag. recent. dispensat.*

Et quidem *pulveres* præscribendi *non sunt nimis terendi* quando *ex Aromatibus*: propterea quoniam in tritura nimia *partes volatiles* & Salinæ spirituosæ *exhalant*: adeoque *præscribendi grosso modo.*

PULVIS ASARI est vomitivus.

Inter Pulveres purgantes etiam referendi pulveres vomitivi, qui tamen sunt rarioris usus: quoniam potius in forma humida assumitur Asarum ad ʒß. pulvis Mercur. vitæ: pulv. Croci metallorum pro varietate subjectorum.

PULVIS compositus CONTRA ABORTUM.

Vide *in dispensatorio* AUGUSTAN. uti constat ex Autore.

AUTHOR enim semper innuit *Pharmacopœam Augustanam*, cujus corrector fuit ZUVOELFFERUS. Pulvis hic si misceatur cum ebor. s. Igne, cum coralliis præparatis, cum magisterio coralliorum cum succo citri facto: item cum osse cordis cervi in jusculo vel vino Rhenano, facta illinitione externè in gravidis cum ol. Comitissæ vel ol. cydoniorum.

PULVIS ANONYMI CONTRA PHTYSIN.

qui *putatur fuisse* HALII. Hic pulvis Halii solet præscribi contra Phtisin à Lympha nimis acri: it. *in tussi* ex eadem causa, in *asperitate faucium* & similibus, partim per se partim in electuariis & rotulis. Contra dictos affectus, sit tamen recens præparatus nec rancidus.

PULVEREM BEZOARDICUM.

tot prostant compositiones, quot capita.

Num. IV. PULVIS CACHECTICUS QUERCET.

Est egregius, & ejus usus est in *chylosi & sanguificatione imminuta.* Cæterum *basis* est martis *limatura* cum sulphure *calcinata* nihil tamen valet, & potius, *præferenda* est *cruda* limatura *vel cum præpar. Salibus.*

Vicinus pulveri Cachectico Quercetani est pulvis Cachecticus D. BEZÆ, cujus hæc est compositio.

℞. *Cremoris tart.* ℥ß.
tart, vitriolati ʒiß.
Croci Ferri aperitivi.
Flor. sulphur, ana. ʒj.
Rha barbari electi ℈ij.
Magisterii Coralli ʒß.
Limaturæ ferri præparatæ, ʒj.
Succini albi præparati.
Faculæ ari (potius radic. ari præparati:) ana ℈iß.
MACIS, *Cinnamomi. Nucistæ* ana ʒj.
Sacchari rosati tabulati ℥iij.
Ambræ gryseæ. gr. ij.
Seminis aquilegiæ, *Nasturtii*, *violarum*, *Cochleariæ* ana ℈ß.

Misceantur, F. l. a. pulvis Cachecticus.

In Usu pulverum Cachecticorum *observetur*, quod nunquam sint *sumendi* prius sine *præmisso purgante*, ac leniter evacuante primas vias. Hoc facto X. XI. XII. diebus pulveres cachectici continuato usu adhibentur, singulis vicibus tantùm, *quantum duobus cultelli cuspidibus capere* possumus. Ex usu horum excrementa sunt nigra propter ferrū. *Pulvis Quercetani cachecticus* valde convenit in *Melancholicis affectibus*. Item: In *Cachexia Virginum*, atque in *affectione Hypochondriaca.* Potest addi Ebur sine Ignelitem Salia fixa aperitiva: Sal. fixum absinthii, Sal. Artemisiæ, & sic porro.

PULVIS AD CASUM AUGUST.

Vid. in Dispensatoriis. *In casu ab alto*, *in* dissolvendo sanguine *congrumato*, ad sudorem movendum & sanguinem congrumatum per sudorem expellendum. Potest dari in Aceto & Aqua chærefolii, cum decocto cancrorum fluviatilium, sive essentia vulneraria. Et sic porrò.

No. VI. PULVIS DE CYPRO ODORIFERUS.

I. Usurpatur externè, ut illo *inspergantur vestimenta*, & *capilli*. Vocatur pulvis.

VII. PULVIS DENTIFRICIUS.

Descriptus est in Auctore & Augustanis. Inter omnes pulveres dentifricios AUTORIS *est elegans*, licet simplex. *Basis* est silex calcinatus, pumex est adjuvans. ol. destillatum additur ratione odoris.

PULVIS EPILAPTICUS MARCHIONIS *cum & sine Unicornu.* A.

De hoc notum est, quod *propinetur infantibus in metu epilepsiæ*: cum medicamentis alexipharmacis, ante eruptionem variolarum & morbillorum, ut succurratur Epilepsiæ, quæ sæpè solet adesse, cum *Cinnabari* Antimonii vel *Specifico Cephalico D. Michaelis*, aliisque propulsivis & Anti-Epilepticis.

PULVIS ANT-EPILEPTICUS DE SECUNDINA.

Hic *est egregius*, cum notum sit quod *secundina* sit *specificum* singulare *in quam plurimis affectibus*, in specie, in *Epilepsiâ*. Quod *si* contingat mulieribus, ut *ex secundina*, & *lochiis retentis* oriantur horrenda symptomata, præcipue *Epilepsia*; *In tali casu* hic pulvis valde erit *conveniens*, præprimis cum reliqua ingredientia Castoreum, &c. simul respondeant. *Moschus & Ambra possunt omitti*, si forsam mulieribus sint adversa. Potest propinari in aqua liliorum Convall. in Aqua. Secundinæ, In Aqua Hirundinum cum Castoreo. In omni Epilepsia convenit, inprimis tamen, si sit ab utero.

Numero. XI. PULVIS ANT-EPILEPTICUS DIAPHORET.

Specificum Cephal. est D. HARTMANNI, ad cujus imitationem etiam factus est *pulvis Cephalicus* D. MICHAELIS. Cinnabaris antimonii est *basis*, quæ à CRATONE vocant *Magnes Epilepsiæ*, *Convenit* hic pulvis in *contracturis artuum*, *apoplexiâ*. In *principio variolarum & morbillorum.* Magisteria adsunt quæ nihil omnino valent, uti suo loco habebimus. *Loco horum* ergo rectè substituuntur *præparata*, & *loco Magisterii* Cranii humani, rasura vel Sal volat. commodè potest substitui. *Admiscetur* etiam *commode Sal vol. succini*, quod egregium cephalicum. Ego ad hujus imitationem in epilepsiâ scorbuticâ pulverem ferè similem nuperrime præscripsi cum successu, præmisso prius clystere, quoniam erant convulsiones mesenterii & intestinorum.

(Magn. in corpore dolor dict.)

℞. *Cinnab. Antimonii ritè præparati.* gr. xv.
Sal. vol. Succini. ʒß.
Laudani Opiati. gr. ij.
Camphoræ gr. j.

Misceantur. F. L. artis pulvis.

Cardiac. & cæphalicus.

(Non n. volunt interdum patientes, ut fiat mentio epilepsiæ) Hoc propinato semper ante paroxysmum, qui singulo triduo recurere debebat, iste

impe

impediebatur, & æger perfectè curabatur. Ad imitationem hujus possunt certè multi pulveres adhuc præparari, modo observetur *basis*, quæ est cinnab. in quâ multa latitant arcana.

Numero XII. PULVIS EPILEPTICUS A. VVEICKARDI.

Hic est farrago promiscua ingredientium, nec est adeo elegans, nihilominus tamen potest tolerari.

Numero XIII. PULVIS FEBRILIS.

Commodè *propinatur* à ℈i. ad ʒiß. vel ℈ij. *ante paroxysmum* febrium intermittentium. Præterea *in febribus malignis* convenit, tanquam diaphoreticū ratione C. C. & antimonij diaphoretici. Cæterum hîc est C. C. ustum, cujus ratione pulvis hic potest tolerari, si adsit diarrhæa Symptomatica, quoniam C. C. ustum adstringit; Ubi autem hæc non præsto est, non habet usum C. C. ustum quoniam est spoliatum suo spiritu & omni Sal. volatili, à quo dependet vis diaphoretica, potius *assumendum* est *C. C. philosophice calcinatum*. Commode etiam potest propinari in *pleuritide*, *præmissâ venæsectione*, si opus est, à ʒı. ad quam per sudorem curat inspecie quoniam ingrediens quoque est semen cardui benedicti. &c.

Numero XIV. TRAGEA FORTIS.

Nihil est aliud, quam pulvis grosso modo paratus, & quidem Tragea hæc *constat ex aromatibus*, quæ, uti superius monui, non debent valde comminui, propter volatilitatem salis, & est quasi pulvis digestivus stomachicus, Quæ *Tragea fortis usurpatur post pastum*, *& propinatur cachecticis*, vel etiam *senibus*, *hypochondriacis*, & iis, *qui apepsiâ & anorexia laborant*, sunt *afflicti*.

Numero XV. TRAGEA GROSSA f. *Species grossa*. Ejusdem est usus, qui similiter constat ex aromatibus, &c. similibus carminantibus, *estque pulvis stomachicus digestivus*.

Numero XVI. PULVIS EPATICUS f. TRAGEA EPATICA QUERCETANI.

In hoc pulvere *Basis* est crocus Martis aperitivus (qui etiam est basis pulverum anticachecticorum) jam v. Quoniam *veteres cachexiam ab Epatis sanguificatione læsa derivarunt*, vocarunt *pulveres Epaticos*. *Moderni* dicunt & conveniunt in temperando acido abundante, tam in stomacho & primis viis, quam in massâ sanguinea & epate,

Numero XVII. TRAGEA HYSTERICA QUERCETANI.

In *uterina suffocatione* egregia, *habet* etiam in se *aromata carminantia*, quæ acidum convulsivum temperant. Cum præterea notum sit, quod omnia *anticolica & quæ in stranguria* conveniunt, *Stomachica*, item *carminantia conveniant in suffocatione uterina*, quod potest dare occasionem ulterius inquirendi in naturam suffocationis uterinæ, ignorantibus. Præterea convenit Tragea Hysterica *in fluore mulierum*, cum fons & nidus istius sit in stomacho, quem confortat, & radix mali in utero, hinc est additio seminis agni casti, &c. quod in absumendo, semine laudatur, ergo utrique scopo erit conveniens tragea hæc. Alius est *pulvis Hystericus* officinis usitatus *in Dispensatorio ZVVOELFFERI & AVGVST.* qui datur mulieribus suffocatione uterinâ correptis.

Num XVIII. *TRAGEA ANTINEPHRITICA QVERCETANI.*

Qui est pulvis elegans, *basis*, est desumta ex gallinarum tunica ventriculi, &c. Unde hic pulvis erit conveniens *in retentione urinæ*, præterea convenit *in præservando calculo*, ne scilicet generetur sabulum aut arenulæ: præter hæc etiam ratione stercoris gallinarum convenit *in colica passione*, cum certum sit, quod *omnia stercora curent colicam*, in primis tamen Album græcum & galinaceum album. Ingreditur etiam *Herniaria*, quæ utut sit specificum in Hernia, præterea tamen *quoque est* egregium *diureticum*, & sicuti reliqua omnia vulneraria urinam pellit.

In dispensatoriis ulterius habetur *PULVIS PARTUM PROMOVENS*: Idem *PULVIS HELIDÆI PADUANI* partum promovens, propter boracem qui ingreditur hos pulveres, qui *borax Venetus* de materia alcalium, *partum* per se & *secundinas pellit*. *Hypposorchides* in iis habentur, qui sunt testiculi equi de quibus notum est, quod specificè *in pellendo fœtu prosint*. Compositiones vid. in *ZVVOELFERO*. Est simplex admodum hujus pulveris *compositio elegans* tamen, & egregium præstat usum. Non enim opus est compositionibus magnis magistralibus: sed contra qui notitiam habent virium simplicium, paucissimis possunt egregia præstare & efficere; quod etiam arcanum fuit Helidæi Baduani.

PULVIS RUBEUS PANNONICUS vid. A.

Valde convenit *in morbis mulierum*, in *Febribus malignis*, in specie *in Febre Ungarica*. dos. à ʒß. ad ʒj & quoniam non solum movet sudorem, sed ingredientia simul quodammodo adstringunt, propterea egregiè convenit in *diarrhæa epidemica maligna*: item in *dysenteria epidemica*. In curandis Pueris *Variolis & Morbillis* laborantibus, semper danda adstringentia leniter mixtis appropriatis, cum *diarrhœa superveniens variolas & morbillos siti lethalis*. Commodè propinatur cum Syrupo limonum, vel aqua borraginis aut acetosæ.

PULVIS SAXONICUS.

Cujus Compositio etiam est in Dispensatoriis ex nudis simplicibus vegetabilibus, fuit in Usu in Saxonia superioribus seculis grassante Peste & aliis morbis Epidemicis malignis.

No. XIX. PULVIS SPERNIOLÆ COMPOSITUS CROLLII.

Compositionem vide in AUTORE. Hic pulvis dicitur *Sperniolæ ratione Spermatis ranarum* Summum est remedium in *Hæmorrhagia quacunque*. *internè & externè* quæcunque etiam sit Hæmorrhagia. Internè v. g. vel sub *forma pulveris* propinatur vel sub *forma potionis*. Sub forma pulveris h. m.

℞. *Boli Armeni*
Sangv. Draconis ana. ℈ß.
Sperniolæ Croll. gr. vj.
Laudan. Opiat. gr. j.
misc. f. l. a. Pulvis. adstring.

In hæmorrhagia Uteri, narium, pectoris & aliarum partium. Item sub forma potionis h. m

℞. *Aqua bursæ pastor.*
Plantag.
Portulac. ana. ʒß.
Sperniol. Croll. gr. viij.
Laud. opiat. gr. ij.
Syrup. Portulac. ʒiij.
misc. F. l. a. Mistura. Adstringens. pro ij. vel iij. dosibus.

Hæc internè Externè vero valdè commendatur ab HORSTIO *in omnibus Hæmorrhagiis*, quo *in Observationibus* adhibuit hunc pulver. sepius: imprimis videatur. *lib. IX. observat. obs* 2. qui in Hæmorrhagiis narium externè applicavit temporibus ac fronti compositum hoc sperniolæ, in aqua Spermatis ranarum dissolutum instar Epithematis, singulis horis repetendo. In iisdem Hæmorrhagiis & effervescentia sanguinis nimia applicatur *regione epatis* dissolutum in aqua appropriata *pro compescenda effervescentia* sanguinis, & orta inde Hæmorrhagia. *In Hæmorrhagia Uteri mensium* vel *lochiorum* nimia dissolutum in aqua plantaginis vel portulacæ, addito aliquantulo Acetti rosacei,

cei, cum spongia regione pubis vel Vulvæ applicatur, & ita Hæmorrhagia compescitur. In *aneurismate*, id est in sectione arteriæ loco venæ, usus Sperniolæ Crollii etiam est valdè conveniens: si scilicet aneurismatis *tumori pulsatili applicatur* dissolutum in Aqua conveniente. In *Ambustione* partium externarum hæc Sperniola Crolli est egregium remedium. In *Erysipelate* applicata cum Aqua sambuci est egregium remedium. *In dolore podagrico* dissolutum in Aqua Spermatis ranarum & applicatum parti dolenti valdè convenit. In *Paronychia* applicatum digitis, dolorem subito sedat. Dico quod in *Erysipelate* cum decocto myrrhæ camphoræ & croci sit egregium. Hoc si non sit in promptu, commodè *potest substitui* albumen Ovi bene dissolutum cum camphora permistum, & cum lixivio cinerum fagi loco Erysipelate affecto: *Vel* denique in Erysipelate est *sumendum*.

℞. *Gum. Olibani Myrrh.* ana ℥ß. *Camphor.* ʒij. *Croc.* ʒß. *Aceti* ℥vj. *Vini.* ℔j.

Coquantur in vase clauso, in decocto postmodum humectentur lintea quæ applicentur eresypelati: idque in defectu Sperniolæ, Dixi quod *in Hæmorrhagia Uteri* externe sit applicandum: Nam *interne non convenit*, quoniam myrrha & crocus cient menses & Lochia, quod probè observandum. *Loco* hujus *Sperniolæ* eleganter potest propinari Tinct. sulphuris vitrioli, cujus descriptionem & præparationem dedi in Capite de vitriolo.

Numero XX. Pulvis Stomachicus Quercet sive Birckman.

Qui est *conveniens* tunc temporis, quando ventriculus oneratus copiosa *crassa* ac *viscida pituita*. *Basis* est radix Ari præp. quæ egregiè abstergit ventriculum, & propterea vocatur etiam radix abstergens uti monui superius sub Aro. *Compositio est elegans*, convenit in *Anorexia* & *Apepsia*. Item in *vertigine* per Consensum ventriculi oborta, in juvenibus obvia. Rectè etiam *in malo hypochondriaco* commendatur, ut & in *cachexia*. Commodè permiscetur cum hoc pulvere, pulvis rubeus Epaticus. h. m.

℞. *Pulv. Stomachic. Quercet.* ʒij.
Epatic. rub. ʒß.
M. F. l. a. Pulvis stomach.
dividatur in 4. part. æqual.
assumendus duabus horis ante pastum.

Pulveres Contra Strumas.

Prostant in *Augustan.* pulvis contra Strumas Villanovani multum *commendatur in Strumis gutturis* dos. à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj. assumendus singulis matutinis horis, jejuno stomacho, ut absumat materiam glutinosam, glandulas gutturis infarcientem: ubi est suspicio *Scyrrhorum in glandulis mesenterii* est egregius. In specie autem ad strumas usurpatur, non neglectis externis.

Numero XXI. Pulvis Trithemii.

Qui à multis multum *commendatur ad confortandam memoriam.* Modum assumendi *cum Aqua magnanimitatis* subministrat Autor Convenit imprimis *Senibus*, quoniam *vertigini* resistit senibus familiari, & *Apoplexiam* præservat. In Affectibus Capitis & stomachi erit egregius, imprimis si sint Senes, vel affectibus Catharralibus obnoxii.

Post Pulveres sequuntur.

Species.

Ubi Observetur quod *pulveres compositi ex aromatibus vocantur Species*; sicuti *pulveres grossi* vocantur *Tragea*: pulveres *subtiles* vocantur *pulveres* in specie sic dicti.

I. Species Diambræ c. *Ambra & Moscho.*

Compositiones vide in *Pharmacop.* *Augustan.* Species Diambræ valdè conveniunt *in corroborandâ memoriâ* ac *spiritibus animalibus & vitalibus.* Unde solent hæ ipsæ species ingredi Morsulos & rotulas refectivas. Constant ex aromatibus, & quidem Species Diambræ cum Ambra & Mosco destinatæ sunt viris: sine illis usurpantur tantum pro mulieribus.

Species Dianisi. A.

Prosunt in *stomachi inflationibus* & copiosis *ructibus*: Item convenientes sunt in *Malo hypochondriaco* ex stomacho oborto, & in genere *ubicunque opus* est *carminatione* vel flatuum discussione.

Species Diacurcumæ seu Diacrocu.

Conveniunt valdè in *Ictero*, item ubi suspicio est *obstructionis* vel *Lienis* l. *Epatis*. Unde etiam in *Cachexiis* convenienter permiscentur cum medicamentis Martialibus. Item cum pulv. Rhabarbari in Ictero flavo vel nigro. In iis *ingenere* affectibus; quos veteres *sanguificationis læsæ* ex vitio Epatis, Moderni sanguinis Crasi turbatæ attribuunt.

Species Diagalangæ.

Conveniunt in *affectibus stomachi*, & possunt usurpari in affectibus stomachi *loco digestivi.* pulveris.

Species Diaireos *tam simplices quam Compositæ.*

Conveniunt in *affectibus Pectoris*, in *Tussi*, *asperitate faucium & Gulæ*, in *raucedine* & similibus pectoris affectibus *permiscentur* cum magisterio vel floribus Benzoes, item cum flor. sulphuris. Loco harum specierum possunt etiam commodè fieri pulveres pectorales, quibus tamen permisceatur Iris Florentina, quæ est Basis.

Species Lætificantes Galeni.

Solent dari *post affectus melancholicos*, *Melancholiam hypochondriacam & Uterinam*: Constant ex aromatibus, quæ mobiles & vegetos reddunt spiritus. Unde etiam dicuntur Lætificantes.

Species Lithon-tribon.

Dicuntur ita ob vim, quam habere putantur pellendi calculum. Cæterum est insulsa ac *miseranda compositio*, & vix est miserabilior & insulsior in omnibus *Dispensatoriis*. Paucissima enim Antinephritica adsunt.

Species Diatrion Pipereon.

Harum *duæ compositiones* in *Pharmacopœa Augustana* prostant. Conveniunt *in affectibus Stomachi* in specie *in cruditate acida* Camplicatâ cum copioso muco crasso ac viscido. *Permiscentur* cum rad. ari præparata, epatico rubeo, Cremore tart. & similibus, pro præcavandâ & absumenda cruditate acidâ. Compositio potest esse talis.

℞. *Spec. Diatr. Piper. Cremor. tart.* ana ʒiß.
Rad. Ari præparati. Epat. Rubei. ana ʒß.
Misceantur. F. L. a. Pulvis. stomach.
Dividatur in VII. vel VIII. partes æquales.
Possunt *irrorari* aliquot guttis *ol. destillati anisi*: vel *misceri* cum *oleo sacchara anisi*, hujus assumendo ʒß.

Species Pro Electuario Resumptivo.

Compositio videatur *in August. Pharmacop.* Conveniunt in *Hectica*, *Tabe*, *Atrophia* & similibus affectibus, vel cum saccharo & fiunt morsuli, vel cum melle, electuarium l. tantum sub formâ pulveris præscribuntur. Cæterum *debent semper esse recenter dispensata*, propter admista semina, quæ facilè corrompuntur. In *catarrhis* nimis *salsis* à lymphâ salsa obortis, in *raucedine* ab eadem causâ obortâ, conveniunt.

Species Diarhodon. Abbat. cum & sine Moscho, & Rosat. Novell.

Prostant descriptiones in *Pharmacopæa Augustana.*

Et quidem solent præscribi *post febres acutas in declinatione*, ad firmandam sanguinis crasin & misturam. Prescribuntur etiam *post purgationes* pro corrigendo sanguine in purgatione nimis perturbato.

Species

SPECIES DIATRION SANTALON.

Vid in *Dispensat. Augustan.* Conferunt *in incalescentia epatis.* Item in *febribus*, quas vocant *biliosas.* in febribus *tertianis*, in febribus *continuis*, *permiscentur* cum *conservis* acidulis, ut fiant exinde, electuaria. Permiscentur etiam commodè, cum *Ebore sine Igne.* Item cum pulvere *Epatico rubeo* in febribus tertianis. Item *in morbis post* potum nimium, uti etiam *ante potum*, ne nimis generosum vinum possit nocere visceribus.

SPECIES DIATRAGANTHÆ.

tam frigidæ quam calidæ.

Prostant in officinis, & adhiberi possunt in *Tussi*, *Raucedine*, & *asperitate faucium.* Cum Saccharo fiunt exinde *rotulæ*, quæ sensim sensimque liquescunt in ore, ut corrigatur asperitas faucium.

Post Pulveres Alterantes sequuntur Pulveres Purgantes. Inter quos est. I.

PULVIS ARTHETICUS PARACELSI.

Cujus compositio habetur in AUTORE. Datur a. ℨß. ad ℨj. ad præservandam *Arthritidem.* Nam *Hermodactyli* dicuntur *anima articulorum*; quæ sunt *basis.* Ex hoc pulvere natum est *Electuarium, cariocostinum*, s. *Marocostinum*, quod etiam singularis est usus in præservandâ & curandâ *podagra.* *Non addendum* est *tantum sacchari*, quantum Autor adscribit, d. saltem paululum pro gratiâ saporis. Item *addendum est ol. nucis moschatæ*, vel cinnamomi, quo minus noceat stomacho & intestinis. Ossa humana ingrediuntur etiam huncce pulverem. Nam *Ossa humana* ad ℨß. adhibita, uti superius monui, *solent interdum* alvum *laxare.*

II. PULVIS CHOLAGOGUS QUERCETANI.

Datur ad ℨß. & valdè convenit *in evacuanda bile*, vel humoribus ad bilis naturam accedentibus: Pro stimulo *potest addi* tart. Cremor. vel Epar. Rub. vel tart. vitriolat. in formâ pulveris. *Potest* etiam *misceri* cum conservâ florum Cichorei, ut fiat instar Boli.

III. Est PULVIS CORNACHINI.

Qui *est singularis*, quoniam ingreditur Antimoniũ diaphoreticũ. Observetur, quod *vis purgans* oriatur *ex diagridio*, *Antimonio.* Diaph. & cremor tart. ceu digestiva adduntur. Antimonium. Diaph. ceu digerens & præparans acidum, cremor tart. ceu corrigens mucilaginem crassam & viscidam intestinis adhærentem, & vias obstruentem. Ut proindè *meritò commendatur.* propter duos scopos.

IV. PULVIS MELANAGOGUS QUERCETANI.

Qui *convenit cum pulvere. Sennæ laxativo* MONTAGNANÆ. *Basis* est Senna, & est egregius in *affectibus Melancholicis.* In *Melancholia hypochondriaca.* In *Cachexia* & similibus affectibus. Convenienter potest præscribi pro ratione sachari additi nunc in majori, nunc minori dosi. *Non* enim laudandum est, quod *tantum* ingreditur *sachari*; quo enim minus additur Sachari, eo minori in dosi est præscribendus.

PULVIS SENNÆ LAXATIVUS. MONTAGNANÆ.

Potest præscribi à ℈j. ad ℨß. Constat etiam ex Cremore tart. Coriandro, Senna, &c. Ex Pulvere Sennæ natum est INFUSUM elegans LAXATIVUM MANNAGETTÆ, compositio prostat *in Pharmacop. regia* ZUVOEFF, *p. m.* 20. Datur ab ℥j. ad ℥iß. usitatum est valdopere Augustæ vindelicorum & viennæ pro laxando alvo. Ad ejus normam commode possunt præscribi infusa laxativa Sennæ elegantia & nitida.

PANCHYMAGOGON QUERCETANI.

Itadictum, quod omnes evacuet humores excrementitios. Hic pulvis panchimagogus prostat in officinis, & est infrequenti usu, *ubi opus est purgatione prophylactica* s. præservatoriâ, tempore vernali & autumnali.

PULVIS PASSAVANTICUS.

Qui sequitur est inusitatus: Alias in moderatâ alvi solutione, vel solum *diagrydium sufficit.* Sive in præservandis sive curandis morbis, ad gr. VI. vel VIII. verbi gratia.

℞. *Diagrydii* gr. VIII.
Cremoris tart. ℈ß. vel ℈j.
F. pulvis Pro dosi. I.

PULVIS SPECIERUM DIATURBIT CUM RHA-BARBARO.

Hæ species valdè conveniunt *in expurgandis lumbricis*, tam infantum, quam adultorum: in exturbandis *ranis* & *bufonibus*, quæ generantur in ventriculis rusticorum ex potu aquæ infectæ. Talæ *exemplum* notatû dignum habet HORSTIUS *lib. IX. obs.* 29. ubi quidam rusticus ex usu hujus ad ℈IV. ejecit Bufonem per sedem, hujus seminum hauserat ex lacu turbido. Dosis est a ℈j. ad ℈ij. Ad lumbricos exturbandos specificè prodest: Aliàs etiam infantibus convenit *ad* extergendam *mucilaginem copiosam* intestinis adhærentem.

Ad pulveres etiam pertinet.

PULVIS PECTORALIS BALSAMICUS D. ROLFINCKII, ÆSCULAPII JENENSIS.

℞. *Balsami sulph.* cum oleo fœniculi
parati ℨiij.
Sachari Candi albi lib. j.

Misceantur super Ignem addantur ol. anisi ℈ij. intercorporentur omnia. Dosis gr. XV. ad ℈j. Hic, utut, Balsamus sulph. sit liquidus, nihilominus reperit corpus in sacharo, & abit in *oleo-saccharum*, quæ nihil *sunt* aliud nisi *pulveres saturati* ab oleis, & qualia oleo sachara *convenienter* adduntur *loco sachari simplicis*, ratione olei.

Quidam commendant hunc pulverem purgantem, tanquam *pulverem purgantem absque torminibus* IV. vel V. vicibus. Compositio est hæc:

℞. *Rad. Galapæ.* ℈ß. vel gr. XV.
Nitr. purissimi. gr. VI.

Misceantur, Fiat Pulvis, Qui leniter & sine molestiâ purgat.

Pulveribus & speciebus affinia sunt.

PRÆPARATA.

Quæ nihil sunt aliud, nisi *pulveres* sub marmore *per tritionem comminuti.* *Catalogum* horum præparatorum ex regno minerali, ut & *modum præparandi* habet AUTOR. Affunditur in præparatione Aqua appropriata pro scopo: Sic v. gratia in præparatione Tutiæ pro oculis, assumitur aqua Euphrasiæ. In præparatione cinnab. pro capite, Spiritus lill. convall. In præparatione cranii humani affunditur Aqua florum tiliæ, seu cerasorum nigrorum. Præparata hæc longè *sunt præferenda Magisteriis*, quoniam nudè tantùm prosunt simplicia, dum præparantur, ut ideo, qui sciunt virtutes simplicium, etiam præparatorum usum non ignorent. Autor agit de præparatis in cap. Antecedenti.

Dum adhuc sumus in Pulveribus, ad illos etiam pertinentes.

CINERES s. CALCES & CALCINATA.

Consideranda, de quibus AUTOR.

SCRODER. CAPUT XLIII.

De Calcibus ſeu Calcinatis.

CAlcinationem ſex fieri modis diximus lib. 1. Ex his duo, non niſi ignem requirunt, reliqui aliud aliquid (Aquâ potentialem vocant) inſuper expetunt, cujus beneficio calcinatio peragatur.

Mineralium calcinationes dabimus ſigillatim lib. 3.

Vegetabilia, v. g. *herba, radices, ligna, cortices, aliaque* φλόγιςά igne comburuntur luculento, donec in cinerem fuerint redacta.

N. *Simili modo incinerari poſſunt & capita mortua ex deſtillationibus reſidua, ſi ſuper lamina ferrea, vel in fictili comburantur.*

Animalia, horumque *partes molliores* comburuntur ut plurimum in fictilibus clauſis & lutatis, ad nigredinem uſque. Sic aves comburuntur cum pennis, lepus cum pelle, &c.

Cornua, triplici exponuntur calcinationi: Vſtioni, vaporationi & corroſioni, quam præcipitationem quidam vocant.

Uſtione comburuntur cornua, donec per nigredinem albida facta ſint. Idque plerumque in fornace figulina fieri ſolet. Hinc cornua uſta dicta.

Vaporoſæ calcinationis modus hic eſt: Cornua ſuſpenduntur ponunturve in capitello, parteve ſuperiore Veſicæ, quæ aliquotâ liquoris portione adimpleta ſit: hinc ſubtus accenditur ignis, ut vapor vi caloris elevatus, cornua penetrando friabilia paulatim candidaque reddat.

N. *Opus hoc eſt ferè per dies 3. diciturq; philoſophicè calcinari.* [*Citiùs, intrà 4. vel 5. horas, coquendo cornua, cum aqua ſale aliquo alkali plantarum impragnata, eluendo ſalſedinem nova coctione. Hofm*]

Liquor adhiberi poterit vel aqua ſimplex, deſtillatave appropriata, vel ſuccus decoctumve medicæ intentioni reſpondens. Liquorem autem ne quà penitus exhalet, recentem ſubinde affundere oportet.

Corroſiva calcinatio fit affuſis liquoribus acidis, v. gr. aceto, Spiritu Sal. nitr. Vitrioli, & ſim. quibus ſcil. oſſa vel cornua groſsè contuſa, raſave ſolvuntur, corroduntur, poſtmodumque in calcem (quam magiſterium vocant) præcipitantur. Vide cap. 6. 7.

N. *Simili modo calcinantur & cruſtacea.*

Modus porro calcinationis ut diverſus eſt, ita calcinata diverſorum ſunt nominum. Hinc calces, cineres, croci, ſalia uſta.

Sic ſunt:

—— Calx Solis, *vide libr.* 3.
Lunæ, *vide lib.* 3.

Cineres, plurimi, è quibus tamen officinis 4. uſitatiores, adeoque κατ' ἐξοχὴν 4. Cineres dicti.

Abſynthii.
Fabarum è ſtramine.
Geniſtæ.
Sarmentorum Juniperi.

Crocus mettallorum. } *v. d.*
Martis aperitivus. } *libr.*
adſtrictivus. } 3.
Veneris.

Vſti, ſeu combuſti cancri
Cuculus.
Corvorum pulli.
Erinaceus.
Hyrundo.
Lepus.
Paſſer troglotides.
Serpens.
Cornu cervi uſtum.
Alcis.
Ungula equi uſta.

Calcinatio in genere *fit* vel Igne ACTUALI, vel IGNE POTENTIALI.

Quæ fit Igne ACTUALI, eſt *quando flamma* carbonum vel lignorum *res comburit*. Quæ fit Igne *potentiali, quando humoribus & vaporibus* tantum res ſolvuntur, & quaſi in pulveres colori formes rediguntur verbi gratia: *Talis eſt*, quando calcinantur Metalla per Mercurium in amalgamatione. *Talis eſt*, quando ſolvitur cornu cervi in ſpiritu Nitri. *Talis* calcinatio potentialis eſt, quando quaſi calcinatur CC. per vaporem appropriatum, poſitum in alembico, ut ille ex cucurbita elevatus C. C. permeet. Et *hæc poſterior* quæ fit per vaporem appropriatum Aquarum dicitur *vaporoſa calcinatio*: *Alias* etiam dicitur *Philoſophica* & hinc CC. philoſophicè aut ſine Igne calcinatum. Quod attinet Res quæ calcinantur *Igne Actuali*, eæ imprimis ſunt ex *regno* Minerali. Et hâc ratione fit Crocus Martis adſtrictivus: item lapides cryſtalli, &c. calcinati, item ſilex calcinatus, igniendo hæc in flamma Ignis, & extinguendo in aqua Poſtmodum *hac calcinatio* actuali Igne *etiam competit* Vegetabilibus *&* Animalibus, & dicitur Incineratio *quando Igne* actuali omnia, tam animalia quam vegetabilia, *rediguntur in cinere*. Et ſic, ut *ex vegetabilibus* tunc temporis acquirimus Cineres; ita *ex vegetabilibus* fiunt Usta, *Differentia* eſt quoniam, *quando Igne* actuali *calcinantur vegetabilia, acquiritur ſal fixum, Aqua* appropriata elixiviandum & ſeparandum ab Terrâ mortuâ & inerti. *In animalibus* verò quando calcinantur, *nullum activum principium remanet*, d. *omne* Sal. & oleum *avolat* in auras, adeò ut cineres ſeu uſta ſint nudæ terræ mortuæ, omni activitate poſitivâ deſtitutæ, ſic C. C. uſtum; Ebur uſtum ſunt calces & terræ mortuæ, ſine omni ſalis remanentia & activitate; Nam omnia in animalibus ſunt volatilia; & in calcinatione avolant. Sic quando deſtillamus C. C. & elicimus Spiritum Sal. volatile & ol. remanentia cornua ſunt mortam, quæ calcinantur, ut fiant alba, & inſtar terræ mortuæ ac inanis.

Sequuntur ergò poſt calcinationem Igne actuali *calcinationes Igne* Potentiali. Inter quas primum locum obtinet, Calcinatio Vaporosa beneficio vaporis aquei, *qua* OSSA & partes animalium, quibus hæc calcinatio vaporoſa eſt propria, *fiunt friabiles* & pulveriſabiles. Longè hæc *præferenda eſt calcinationi Igne actuali*, ex eo, quoniam aqua tranſiens & friabiles reddens partes animalium, utut deprædetur de Sal. vol. aliquid, & ſemper, non tamen omne aufert, ſed verbi gratia, in C. C. & oſſibus tertiam ad minimum partem relinquit, Id quod *probo hoc modo*. Si C. C. & oſſa humana vaporibus calcinata per retortam conſueto more deſtillantur, adhuc acquiretur ſpiritus, ol. & Sal. vol. ex iiſdem, utut non adeo copioſum, atque ex his cornubus crudis: cum econtra ex iiſdem Igne actuali calcinatis nihil activi principii acquiri poſſit. *Calcinatio* ergo hæc *vaporoſa* meritò reliquis præferenda, & *propria eſt*, uti dixi, *animalium partibus duris*.

Liquor, qui adhibetur, *poteſt eſſe Aqua* ſimplex deſtillata vel aliâ appropriata. Et rectè dicit Autor quod vapor, vi caloris elevatus cornua penetrando friabilia paulatim candidaque reddat. Sic verbi gratia: Calcinatio CC. ſine Igne fit cum Aqua quadam compoſitâ alexiteria. Cranii humani cum aquâ cephalicâ. Lil. convall. ceraſ. nigror. Coronæ CC. quæ eſt pars magis efficax calcinatur ſimiliter cum Aqua ant-Epilepticâ, ſi debent uſurpari contra Epilepſiam puerorum & ſic porro.

Sunt equidem, qui etiam *CC. & alia oſſa* animalium minutiſſimè *raſpata* & minutiſſimè trita *adhibent cruda* in uſum medicum, & certum eſt, quod *præferenda* ſint *calcinatis quibuſcunque*, ſive Igne actuali, ſive calcinatione vaporoſâ, & potentiali. Cæterum *requirimus ſtomachum validum*, qui ſolverè & digerere poſſit eadem; aliâs in debili ſtomacho inſtar cinerum & farinarum fluctuant, atque ſine omni uſu egeruntur ſicut fuerunt aſſumpta: Hæc eſt CALCINATIO PHILOSOPHICA.

Huc pertinet, quando non raro *in locis ſubterraneis reperiuntur oſſa varia* variorum animalium, quæ & ipſa reperiuntur friabilia, & linguæ adnota ipſi adhærent, & *in genere* omnes *habent proprietates quas* habent *oſſa philoſophicè calcinata*. Hæc reverâ *à naturâ ſunt calcinata* philoſophicè *cur*

vapores

vapores calidos & humidos elevatos ex locis subterraneis à quibus sensim sensimque calcinantur, & friabilia redduntur.

Nam eadem est ratio, sive ejusmodi ossa sint posita in alembico, & sensim per vapores aqueos friabilia reddantur sivè sint posita in locis subterraneis, & ab humoribus vel vaporibus elevatis ita præparentur. Et *hæc ossa* h. m. præparata in Terræ visceribus reperta vulgò *venditantur pro* UNICORNU FOSSILI; d. falsò, vid. quæ dixi, de *Unicornu fossili*.

Ad calcinationem potentialem refertur etiam CALCINATIO CORROSIVA quando *beneficio* MENSTRUORUM acutorum, & corrosivorum acidorum, corroduntur subjecta, quâ ratione postmodum fiant Magisteria. LIQUORES CORROSIVI sunt varii: *Varia* enim *subjecta varia* etiam postulant *menstrua*, cum non omne menstruum possit solvere quodlibet subjectum. Nam propter hanc differentiam adeo sudant Chymici. ut inveniant MENSTRUUM UNIVERSALE seu *liquorem* ALCAEST, id est, tale Menstruum, quod *solvat omnia subjecta*, ex tribus regnis indiscriminatim & quidem non superficialiter in partes integrantes, sed *radicaliter* & in suum liquorem seminalem. Et hic est verus liquor Alcahest. Cæterum, cum hic sit *rara avis*, necesse est, ut simus contenti menstruis particularibus, quæ sunt varia; pro varietate, subjectorum solvendorum. AUTOR recenset *menstrua simplicia*, quibus addendus est *Spiritus viridis æris*: *Composita* sunt Aqua fortis aqua Regia, &c. it. ex Spir. Salis & Solis. Prout varii sunt effectus *calcinatorum* ex eorum varietate, *varia* etiam habent *nomina*, quæ calcinantur Igne actuali, *ex animalibus* dicuntur USTA. s. calcinata, quæ *ex vegetabilibus* CINERES, quæ calcinantur *ex minerabilibus Igne* actuali, & induunt colorem flavum, dicuntur CROCI, &c. Quando debent incinerari vegetabilia, tunc conveniens est, ut adhibeatur *singularis furnus* à GLAUBERO inventus; qui habetur; *in ejus Scriptis*, dictus. In hunc furnum Glauberianum induntur vegetabilia, incenduntur & ita incinerantur. Habet enim hoc beneficii, ut præter Sal in cineribus per canalem oblongam ex Vegetabilibus Spiritus acquiratur, qui in Igne aperto avolat. Est *modus singularis & probè observandus*. Sic D. MICHAEL aliquando ex absinthio acquisivit sal fixum, & spiritum per hunc furnum qui spiritus fuit egregius admodum Salinus urinos. & diversæ naturæ à spiritu alias absinthii sulphureo. Alias *ex vegetabilibus nullus* exlicitur *spiritus, nisi prægressa fermentatione*.

Sunt qui *calcinant ciconias* & *corvos*, & calces istas commendant egregiè *contra Epilepsiam*.

Calcinationi vaporosæ vicina est Præparatio, quando coctione elicitur ex ossibus animalium.

GELATINA.

SCRODER. CAPUT LXII.

De Gelatinis.

Gelatina est succus inspissatus, purior, clariusculus, cum saccharo in scatulas effusus & congelatus. Et hinc gelatina dicitur.

Parantur è fructibus nonnullis succulentis, tum è cornibus ac ossibus tenerioribus.

E fructibus.

♃. Fructus, Exprime succum, expressum coque & clarifica (cum albumine ovi;) hinc addito. Saccharo inspissa sensim & effunde in scatulas.

Aliter.

♃. Fructus, coque in aqua, decoctionem citra expressionem decanta, vel filtra, saccharumque addendo inspissa.

E cornubus à e ossibus tenuiroribus fit sine saccharo.

♃. Rasur. cornuum ossiumve (vel eadem infragmenta minutiora redacta) coque vel digere aliquandiu in aqua (communi, stillatitiave appropriata;) hinc coque & filtra calidè, coagulaque.

N. *Quod si ossa & cornua nimis dura sint, acuari aqua poterit liquore alique accido. v. gr. spirit. Vitrioli. acet destillat. & simil.*

Exemplo sit.

Gelatina ossium de corde Cervi.

♃. Rasur. ossium cord. cervi ℥iij. coque in aqua & vini albi ana. ℔ß. per horas 6. aut ad medias, deinde colentur, in colatura dissolve. sacchar. optimi ℥vi. agittentur simul cum succi Limonum ℥ij. aqu. rosar. ℥i. dein recoquantur ad medias, addendo sub finem Ambr. griseæ seorsim in aqu. rosar. infus. ℈ß. Tinctur. cinnam. in vino fact. ℨi. colentur & refrigerentur.

Sic sunt.

Gelatina cranii humani cornu cervi cytoniorum, Eboris, pomorum, pyrorum, ribium, ungulæ alcis.

N. j. his immicentur nonnunquam pulveres, vel extracta, & simul. unde gelatinæ compositæ, tùm alterantes, tum purgantes. v. gr. gelatina, cytoniorum purgans.

N. ij. sunt qui gelatinas cytoniorum marmelatas vocant, easque, tum simplices, tum aromatisatas pro usu domestico parant varii coloris.

GELATINA, Quæ ipsa cum *eliciatur per coctionem in Aqua appropriata*, tamdiu continuatur, donec separetur Gelatina, quæ separanda ac *coagulanda in loco trigido*. Ossa quæ remanent sunt friabilia, & quasi philosophicè calcinata, sicuti præparationem Gelatinæ ex ossibus habet AUTOR cap. *LXII.*

Quod attinet cineres Vegetabilium, ex his fiunt imprimis. LIXIVIA.

Quæ solent commendari *in pellendo calculo & urin.* Et quidem 4. *recensentur ab AUTORE*, cinis absinthii, cinis stipitum Fabarum. (rectius ita vocantur) cinis Genistæ, & cinis sarmentotum Juniperi. Hi sunt *cineres* imprimis *in officinis citati. Ex his fiunt lixivia in Hydrope* pro evacuandâ aquâ præscribuntur hoc modo:

℞. *Cineres stipitum Fabarum.*
Genistæ.
Sarmentorum vitis.
Stercoris columbini calcinati aa.
℥iij. cum
Aqua fiat Lixivium. diuretic.

De hâc *misceatur cum vino, & potetur*, singulis *horis matutinis* ℥iij. vel ℥iv. pro provocanda urin. Hydropicorum, *Interdum* saporis gratia hisce lixiviis *additur aliquantulum sacbari*, quando nolumus miscere cum vino, aut syrupus appropriatus.

CINIS SARMENTORUM JUNIPERI.

§ Commendatur *contra calculum* & *Hydropem*: utut Cinis *ex fimo Columbino* ipsi *præferatur in Hydrope*, non verò in calculo. Simile lixivium adhibetur *externè in tumoribus partium ædematosis* post morbum acutum, &c. Nam lintea humectata ex hoc lixivio *applicata pedibus* sub ingressum lecti, tumorem sensim d. feliciter discutiunt.

Inter Cineres animalium sunt

CINERES CANCRORUM.

Qui jam à GALENI temporibus commendantur singulariter contra *morsum canis rabidi*

CINERES ERINACEI.

Conferunt specificè in *Incontinentia urinæ*.

CINERES HIRUNDINUM.

Ingrediuntur cataplasmata *contra anginam & affectus faucium*.

In genere de *calcinatione Ossium* & eorum ustione observo hoc: si calcinentur *in vase clauso*, tunc *acquirunt colorem nigrum*, si *in vase aperto*, colorem *album* sicuti est communiter præparatorum ossium.

Dixi jam, quòd calcinatione incinerentur vegetabilia, & quod ex cineribus eliciatur Sal. jam ergò considerabimus hac occasione.

CAPUT

CAPUT LXXIX.

De Salibus Præparatis.

SAlia tùm nativa in Officinis extant, tùm artificialia: de nativis alibi, de artificialibus hîc loci agere fas est.

Artificialia salia, vel sunt simplicia, vel composita, seu mixta.

Simplicia (propriè sic dicta) totuplicia sunt, quotuplices res naturales; quippe res nulla est, quæ salis prorsus expers sit, imò constitutio rerum naturalium primitus ex sale dependet.

Medium, quo salia eliciuntur, liquor quilibet aqueus est, in quo salia ut solvuntur, ita & eidem sese immiscent. Quia tamen res naturales pleræque validè compactæ sunt, præmissumque requirunt apparatum, quo compedes, quibus sal impeditum est, aperiantur: pro diversitate compactionis, diversi quoque apparatus inventi sunt.

Creberrima tamen præ reliquis est incineratio, quia partes mixtæ disgregantur, salque fixum in cinere remanente aptum redditur in aqua liquescere, muriamque constituere, maximè si maceratio, transcolatioque repetita intervenerit.

E. gr.

℞. Cinerem (absinthii à carbonibus aceto destillato purificatum,) coque cum aqua in lixivium, vel transcola aquam fervidam aliquoties; sic impraegnabitur Sal, nomenque sortietur lixivii. Hoc purifica filtrando, inspissaque lentâ evaporatione, aut crystallisatione.

N. 1. *Salia hac ratione calcinata, quia lixivium sapiunt, nec satis albicant, calcinentur, id est, comburantur, fundanturve communiter ad ignem, ut albedinem acquirant. Verum potior videtur ratio albificandi per iteratas solutiones, filtrationes ac inspissationes, hac tamen admonitione, in majori dosi hac salia esse exhibenda: Saporem lixiviosum quod attinet, optimè is abolетur, si cineres cum Sulph. ana circiter mixti, accenso Sulph. calcinentur, atque hinc elixiviationi submittantur.*

N. 2. *Salia hac fundunt spiritum penetrantissimum, si ad modum, quo Sal commune, destillentur.*

Salia volatilia, essentialia nonnullis dicta, nihil aliud esse videntur, quàm portio salis aliquantulum elaborata humori nutritivo immixta, necdum substantiæ crassæ insinuata.

Modus fiendi ex plantis.

℞. Plantam convenientem coque cum magna quantitate aquæ, hinc exprime succum, eumque optimè purificatum inspissa aliquantulum, reponeque ad crystallisandum s. a.

N. *Si succum purificatum recenti herba affunderis, interveniente digestione, coctione ac expressione, ut priùs, majorem salis copiam nancisceris.*

Exhibent itidem ligna, ossa, cornua, sanguis, &c. salia volatilia, sed non nisi interveniente destillatione, qua parietibus vasorum destillatoriorum ea adharescunt. Vide in oleis destillatis.

Salia impropriè sic dicta parantur ex lapidibus, metallis cornibus, ossibus, crustaceis, quæ beneficio acidi cujusdam spiritus solvũtur (communiter recipitur, acet. destil. vide Magisterium) filtrantur, & evaporatione in pulverem rediguntur, quem sal vocant.

Hunc salem abluunt aliquoties, ne acidum sapiat, & servant pro usu, vel edulcoratum in liquorem per deliquium in cella resolvunt. Vide liquor.

Salia simplicia usitatiora.

Sal Absynthi fixum
Essentiale.
Acetosellæ.
Agrimoniæ.
Aluminis, Saccharum aluminis.
Angelicæ
Artemisiæ.
Borraginis.
Cancrorum.
Cardui benedicti fixum,
Essentiale.
Centaurii minoris.
Cerefolii.
Camæmeli.
Cichorei.
Cinamomi
C. c. volatile.
Cranii humani, volatile.
Euphragiæ.
Fabarum è stramine & corticibus.
Fœniculi.
Fragariæ.
Fraxini è ligno.
Fumariæ,
Genistæ.
Guajaci volatile.
Hederæ terrestris.
Hyperici.
Hyssopi.
Juniperi è baccis.
ex ligno.
Lavendulæ.
Majoranæ.
Matricariæ.
Melissæ.
Menthæ.
Nitri crystallini, fixi.
Lapis prunellæ.
Ononidis.
Persicariæ.
Pimpinellæ.
Plantaginis.
Rutæ.
Salviæ.
Sanguinis humani.
Scordii.
Succini volatile.
Tamarisci.
Tartari.
Vitrioli vomitivum.
Urinæ.
Urticæ.
Zedoariæ.

Salia impropriè sic dicta rectiùs calces diceres: usitatiora sunt

Sal Jovis.
Saturni.
Corallorum.
Perlarum, &c.

Salia composita.

1. Sal Alcali.

℞. calc. viv. ℔. I.
Ciner. Isatidis, ℔. ß.
Tart. Sal. nit. ana ℥i.
Coque in aqua ut fiat lixivium, filtra ac inspissa ad siccitatem.

N. 1. *Tæophrastus ℞. Cineres clavell. calc. viv. & cineres fabarum, extrahit lixivium, coagulatque.*

N. 2. *Venetiani ℞. calc. viva ℔. I. cineris fagi, vel quercus ℔ij. Fellis vitri, vitrioli calcinati, Tart. ā ℥ij. Fac. lixivium, atque exinde Sal.*

N. 3. *Alkali æquivocationem vide lib. I.*

Usus hujus salis solus Chymicus est, inservitque separationi Solis à Venere, si influxu injiciatur. 2. Facit ad fluxionem Lunæ facilitandam.

2. Sal Alembrot.

℞. Sal. com. præparat. Salis gemmæ Salis alkali, ā. ℥ I. F. lixivium cum succi menthæ ac cariophyllat. ana ℥ij. aquæ fontan. ℔. ij. Filtra & coagula.

N. 1. *Dicitur & Sal Ellebrot, Sal Taberi, Sal Alkitran.*

N. 2. *Est & Sal Alembrot nativum, quod in Cypro, ex certa terra in monte Olympo extrahitur, formamque & colorem sanguinis concreti habet, sed nostratibus incognitum.*

3. Sal. Anatron.

℞. Calcis viv. ℔ IV.
Alumin. ℔. ij.
Vitriol. ℔. ij.
Salis commun. ℔. iij.
F. Lixivium cum vino albo digere per dies aliquot (9.)

Postea

℞. Stitiar. salis petræ ℔. x. affunde lixivii tantum, ut operiatur sal in aheno. Misce benè ac solve, coque ad medias, cola ac repone ad concrescendum.

Vires. *Metallici hoc sale utuntur ad purgationem, fusionemque Metallorum.*

Sumitur & Anatron, 1. pro felle vitri, id est, spuma materia, ex qua vitrum fit, cinerum, arena, &c. exhibent in hydrope ascite à ʒß. ad ℈ij. ut & in calculo. 2. pro terra Sarracenica, cujus sunt species nigra, rubra, & cærulea. 3. pro excrescentia alba ac lapidea, qua in petris crescit, in modum usnea alba, à quibusdam Sal nitrum vocata. Vide Unzer. de Sale.

4. Borrax.

℞. Sal. ammoniac.
Nitri.
Tartari calcinat.
G. Arabic.
Sal. cõmun. ā. ʒj.
Mastic.
Alumin. ro. ā. ʒß.
Pulverisatis affunde Urinam, filtra ac coque, donec materia in salem concrescat.

N. *Alii conficiunt ex Sal. nit. & urina puerorum invicem commixtis & coagulatis. Alii Borracem nostratem ex peculiari lapide (Borracis nomine,) coque calcinato extrahi volunt, monente*

Tholdio

Tholdio in Halographia.

Vires. In medico usu facit ad menstrua, ac partum provocandum, fœtum mortuum pellendum, veneremque stimulandam.

QUÆ constituunt ingrediens quoddam pulverum. In genere observetur, quod Salia præparata in officinis usitata sunt illa vel ARTIFICIALIA vel NATIVA. *Artificilia* sunt vel SIMPLICIA vel COMPOSITA: *Simplicia* sunt vel VOLATILIA vel FIXA.

Salia *Volatilia* EX ANIMALIBUS *habentur facillimè*: Unde destillata per retort. Igne aperto, subitò producunt Sal, vol. quod de partibus, animalium, stercore sudore, urin. &c. verum & cognitum. *Ex* MINERALIBUS volunt *quidam* præparare Sal. *vol*, sed *frustaneo ausu* cum vix acquiratur sal volans fixum, nedum volatile. VEGETABILIA *sunt* adhuc *in medio*, & sunt, qui magno nisu volunt præparare sal. *vol*. ex vegetabilibus, utut *modus nondum sit cognitus. Quod insit* in vegetabilibus, *testatur sapor acris* penetrans, & punctivus, uti testantur plantæ scorbuticæ, qui reverâ nihil est aliud, nisi eorum sal vol. Et quidem scio, quod *ex pane* quidam destillavit *spiritum cum Sal. vol.* Jam verò panis est ex farinâ vegetabilium. Ita novi, qui *infundendo in spiritum vini*, rectificatum *grana piperis* contusa, longa digestione *acquisivit Sal vol. ex pipere* in spiritum vini. Item qui legitimè sciunt destillare *absinthium*, cum spiritu possunt acquirere *Sal vol.* absinthii *amarissimi & penetrantissimi saporis.* Sicuti MATTHÆUS aliquando *acquisivit* hîc spiritum absinthii cum Salia vol. in formâ siccâ. Adeo ut *non* sit *impossibile habere sal vol. ex vegetabilibus*, utut *enchirises* non parum sint *occultæ*. Quando calcinantur vegetabilia, & rediguntur in cineres, remanent Salia *fixa*, id est talia Salia, quæ igne fortissimo calcinata non mutant naturam, sed semper fixa permanent. Nam *volatile est* quod *ex igne avolat. Fixum, quod* in Igne *persistit.*

Quæstio est, *an Salia* Vegetabilium *fixa inexistant plantis, an* verò demum *ex iis fiant in Igne* Tortura. Id quod *dubium* sufficienter declaravit *TACHENIUS* in *Hypocrat. Chymico* & *HELMONTIUS in scriptis*, qui demonstrant sufficienter quod Salia hæc *non inexistant* plantis, *sed fiant sub ignis regimine*, *ex coliquatione* & unione acidi & urinosi vol. in planta. Quando enim in Igne comburitur planta, Salia se mutuo aggrediuntur, liquescunt, cohærent, & recedente Ignis flamma fixantur in Salia fixa, tertiæ naturæ à primâ origine. HELMONT. dicit, quod fiunt ex coliquatione sulphur. plantæ cum Sal. vol. quod perinde est, ac si dicat cum TACHENIO, quod fiant ex acido plantæ cum Sal. volat. urinoso, nam sulphureum plantæ principium est acidum, & omnia sulphura acidum in se continent; OMNIA *enim* ACIDA *sunt* SULPHUREA.

Cineres hi *dant lixivium*, *quod* per filtrum separatum a partibus terrestrioribus, per exhalationem *in fundo relinquunt sal fixum.* Hæc *salia fixa in principio sunt minus pura*, interdum & obscura, ad quasi nigricantiâ.

Purifica tur autem vario modo. *Modus optimus est*, qui fit *per* crebras *solutiones in aqua simplici*, & repetitas *coagulationes.*

Quidam ex Chymicis *volunt sal purificare incendendo sulphur cum cineribus*, &c. Cæterum hæc purificatio *est Sophistica.* Nam hæc Salia fixa plantarum sunt de natura alcalium fixorum, quando itaque inflammantur ex sulphure elabens pars oleosa pinguis & spiritus acidus aggrediuntur sal fixum alcalisatum plantæ, & ita se uniunt, & *non fit Sal alcali*, *sed sal salsum tertium*, compositum ex acido sulphuris & sale alcali plantæ.

Obiter noto, quod *ex varietate*, *calcinationis salia fixa nunc sint salsa nunc alcalia. Salsa* sunt *si cautè* comburantur & *leni Igne*: Sin verò *fortius* calcinentur, & *ultimo igne* comburantur, *abeunt in lixivialia* & pure alcalia, quoniam aciduin omnino invertitur, & forti colliquatione cum alcali abit in auras. Et quidem *ex salibus salsis* adhuc *potest destillari Spiritus* subtilis acris per retort. sicut fit ex sal. communi *Ex salibus* è contra perfectè *lixivialibus nullus* talis potest acquiri, quod notandum.

Calcinatio cum sulphure est nulla uti dixi & talia salia non amplius sunt simplicia sed salsa & tertiæ naturæ.

Hæc fuerunt salia fixa & volatilia plantarum. Cæterum cum *rara* sit *avis sal volat. solum* ex plantis, propterea *Moderni præparant sal vol. compositum vegetabilium beneficio Spiritus vini* salis armoniaci, & ol. destillat. ex plantis, & vocant *SALIA VOLATILIA OLEOSA*, vel *spiritus salinos vol. oleosos.* Superius enim monui, quod ol. dest. *vegetabilium nihil* sint aliud, *si sal vol. concentratum.* Huc ergo respexerunt Autores, & *voluerunt* denuo *separare*, & in sal vol. sublimare: quoniam vero *non processit.* propterea adjunxerunt sal vin. spirit. Et salis armon. ut spir. vin. dissolvat ol. destillatum & spiritus salis armoniac aggreditur acidum oleosum. Hæc tria invicem mixta sublimant in unum tertium sal vol. oleosum. *Modi sunt* 3. *Nunc* ℞. spir. vin, & spir. salis armoniaci, & affundunt ol. destilato. & sic crebra cohobatione acquirunt spir. sal vol. ol. *Alii* ℞. ol. dest. plantarum, & his affundunt spir. salis armoniaci & vin. spirit. & facta unione longaque digestione invicem sublimant, *Alii affundunt* spir. vini ol. dest. vel etiam subjectis oleosis. v. gr. Aromatis & ita facta extractione per digestionem & unionem oleittum spirit. vini, hunc spiritum vini conjungunt postmodum cum spirit. salis armoniaci, & subsequente cohobatione & digestione acquirunt spir. sal vol. oleosum.

Sunt adhuc salia quæ vocantur SALIA ESSENTIALIA *vegetabilium* quorum præparandi *modum docet* ANGELUS SALA *in tartarologia* & etiam ROLFINCK *in sua Chymia*, Vocantur etiam SALIA SUCCULENTA, quoniam præparantur ex succis plantarum expressis, l. etiam ex plantis in s. q. aquæ coctis, & postmodum expressis. Hunc *succum expressum* benè purificatum sensim *inspissant* super Ignem & postmodum loco frigido *exponunt* in quo *concrescit in crystallos*, qui vocantur salia Essentialia: Revera autem nihil *sunt* aliud nisi *tartarus plantarum* sicuti enim tartarus ex uvarum succo expresso & fermentato in loco frigido concrescit: Ita succi plantarum dant talem tartarum in loco frigido post fermentationem. Revera ergo nihil sunt aliud nisi tartarus utut vocantur salia Essentialia. *Elegantior est modus* ZUVOELFER. parandi sal essentiale vini, ex spir. vini, spir. aceti & sale tartari fixo, quæ jungit per modum terræ foliatæ in crystallos elegantes, cujus præparatio habet aliquid in recessu, & videri potest in ZUVOELFER. *Apologia contra Tachenium.*

Cum ex omnibus plantis eliciantur salia fixa, *Quæstio est*, *an inter salia fixa*, quæ fiunt per ignis torturam, *sit differentia*. v. gr. an Sal Absinth. fixum differat â sale Arthemis. fixo? Quidam *affirmant*, quidam *negant*. Ego credo quod sit *parva differentia* inter fixa vegetabilium; sicuti, inter volatilia animalium. Nam hæc omnia, uti sunt ejusdem ferè naturæ, uti sal vol. CC. viperarum, & sal. vol. urinæ, ita sal artemisiæ, salviæ, Absinthii, &c. fixa non multum differunt.

Ex salibus fixis salsis, non verò perfecte alcalisatis, mistis cum bolo, *potest destillari spiritus*, In genere. *Omnia salia fixa* vegetabilium vim *habent diureticam*: vim habent *sudorificam*: vim habent *incidendi, attenuandi*, *crassam ac viscidam mucilaginem* in ventriculo, Intestinis, & abdominis meatibus stabulantem; præterea, omnia *acidum* in corpore nostro *præcipitant* & concentrant ceu alcalia. *An habeant virtutes specificas* ex plantis *nescio an verum* sit de salibus ex plantis communi modo paratis? Præmittantur crebrò hæc *salia loco digestivorum* ante purgantia, item in *Febribus intermittentibus*, die intermissionis, aut etiam ante paroxysmum pro sudore & curatione febris.

Tale digestivum potest fieri hoc modo.

℞. *Tartari vitriolat.* ℈ij.
Sal. Absinth.
Cent. minor.
Cichor. ana. ℈ij.
M. dividat. in part. iv. æqu. pro. iv. dos. die Intermissionis in Febribus intermittentibus vel etiam ante purgationem.

Quando volumus habere sal *diureticum* præscribimus hoc modo.

℞. *Sal. stipit. Fabar.*
tartari an. ℥ß.
vol succin. ℈j. quod est egregie diureticum.
M. F. Sal diuretic. divid. in 5. p. æqual.

In *Calculo*, *Nephritide*, *Hydrope* & similibus affectibus.

Hæc sunt salia simplicia artificialia sequuntur.

SALIA COMPOSITA ARTIFICIALIA.

V. gr. *tartarus vitriolat.* *Panacæa Holsteinens.* &c. item talia salia composita artificialia *eliciuntur* ex cap. mort. spir. aperitivorum. Ex cap. mort. spirit. aperitivi Penoti, ex cap. mort. spirit. salis armoniaci, & sunt hæc salia fixa *digestivà in cachexiis*, in *Febribus* ante purgationes, &c. in similibus casibus.

Sunt quidam qui parant sal quoddam *purgans* hoc modo.

℞. *Pulv. senn.* ℥ß.
Turbith. ʒij.
Rhabarb.
Hermodact. an. ʒj.
Agaric. trochis. ℈jv.
Sal. tartar. cryst all. ℥ij.
Cinamom.
Macis.
Galang. an. ℈ij.
Sachar. Cand. albis. ℥i. ʒvj.
Salis com.
Aceti rosac. an. ℔ß.
Aquæ Absinth.
rosar. an. ℥jv.

M. digerantur in MB. per noctem, & colentur,

Ex colatura per exhalationem & evaporationem *fiat sal purgans*: quod a. gr. iij. s. v. ad viij. vel etiam ad plura, a. gr. v. ad viij. pro stimulo permiscetur aliis. Sic per se potest dari ad ℈ß. & gr. xv.

Inter artificialia Composita AUTORIS est

1. SAL ALCALI.

In specie sic dictum, quod non habet usum in Medicina: *adhibetur* tamen *in laboribus Metallicis*, in separatione metallorum à se invicem.

2. SAL ALEMBROTT.

Quod tantum est in usu Alchymistico *pro calcinandis* aut *cementandis metallis*, *præparatio* vid. in AUTORE. Facit quoque Autor mentionem salis alembrott nativi, sed est rara avis, & non in usu.

3. SAL ANATRON.

Quod similiter in usu medico non valet, sed tantum in Alchymistico, *in metallis purificandis & separandis*.

4. BORAX.

Qui vel *nativus* vel *factitius*. NATIVUS *in India Orientali reperitur*, & adfertur exinde in Belgium: ARTIFICIALIS est, qui *describitur ab* AUTORE *est sal compositum*, valde urinosum de natura alcalium. *In usu* ALCHYMISTICO adjicitur *metallis* quoniam *promovet* eorum *fluxum in igne*, ut citius fluant, atque si sola fuissent injecta; quæ in fundo reperiuntur. *In usu* MEDICO prodest *in* promovendo *partu difficili*, *in pellendis secundinis* Hinc est *basis* pulveris partum promovendis Officinarũ: item Helidei Paduani de quibus supra locuti sumus. Præterea *ciet menses*, eosque potenter promovet. Sunt qui valde commendant *pro stimulanda Venere*: unde pro tali usu assumuntur aliquot grana in Ovo sorbili. *Si borax calcinetur* instar Ossis *tunc adstringit* & contrarias acquirit facultates, & convenit *ad sistendos menses* ac *inhibendam Gonorrhæam*.

Sic pulvis partum promovens & menses ciens potest esse talis.

℞. *Castorei.*
Flor. sulphur, an. ʒß.
Myrrh. gr. vj.
Borrac. ℈ß.
Cinnamom.
Zedoar. an. gr. jv.
misc. F. pulv. partum promovens. divid. in ij p. æqual.

In mensibus promovendis, partu & secundinis, promovendis, &c.

Dixi superius quod calcinatione Ignis actualis fiant ex Ossibus Animalium usta, ex vegetabilibus & plantis fiant cineres, &c. Cæterum dixi quoque, quod calcinatione potentiali s. corrosiva fiant *Magisteria*: quæ quoniam etiam ingrediuntur pulveres, propterea habebimus nunc Autoris.

SCRODER. CAPUT LXVII.

De Magisteriis.

Magisterii nomen etsi æquivocum sit, uti libr. 1. dictum: attamen communiter usurpatur pro pulvere ut plurimum candido, per præcipitationem è certis quibusdam rebus præparato. Res illæ tum è mineralibus sunt, ut terræ & lapides, tum è vegetabilibus, ut Herbæ, &c. tum ex animalibus; ut ossa, cornua, crustacea.

Modus fiendi.

℞. Materiam, ex qua Magisterium parare constitutum est, tere aut comminue grossè, hinc affunde liquorem convenientem, acidum vel similem, ut solvatur, vel extrahatur; solutio præcipitatur (affuso liquore vel materiâ cujus vi solventis vis obtundatur, (præcipitatus pulvis abluatur, si opus sit aqua communi, hinc exsiccetur lentè.

Sic fiunt.
Magisteria.

1. *E Mineralibus.*

Tritis affunditur solvens, solviturque s. a. solutio præcipitatur, eluitur & siccatur.

N. 1. *Liquor solvens vulgariter adhibetur acetum destillatum tum per se, tum acuatum per Sp. Sal. nit. vel similes spiritus minerales, sc. Vitrioli, Sal. com. &c. vel peculiaris destillatur solutioni aptus liquor, de quo suis locis.*

N. 2. *Præcipitatio fit communiter oleo Tart. p. d. nonnunquam spiritu Vitrioli: illo modo grisea aliquatenus evadunt præcipitata, hoc albescunt magis.*

N. 3. *Quæ consistentiæ sunt durioris, ut lapides, antè calcinari volunt. Vide specialius libr. 3.*

2. *E Vegetabilibus.*

1. Tritis grossè vel incisis affunde lixivium forte ex Sal. Com. Tart. & aqua pluviali paratum: extrahatur, decantetur ac præcipitetur affundendo aquam aluminis (in qua alumen solutum) exsicca lentè.

N. 1. *Præstat adhibere herbas mediocriter siccas.*

N. 2. *Sic nobis in usu sunt tam ex alterantibus, quam purgantibus v. gr. Magisterium Rhabarbari, cujus dosis* ʒß.

2. Sulphureis, i. e. quæ oleosâ parte scatent, extrahitur Tinctura beneficio spirit. vini rectificatiss. præcipitaturque affusâ aq. com. vel aqua aluminis.

N. 1. *Sic fit Magist. Resinarum, Succini, Corticum resinosorum, e. gr. cinam. Turbeth. Ghalap. &c.*

N. 2. *Extractis cat. non immeritò annumerari poterunt.*

3. *Ex Animalibus.*

Ossa, Cornua, Crustacea seu Testacea exhibent sua magisteria modo, qui de lapidibus traditur. Videlicet beneficio ceti destillati vel spiritus alicujus mineralis acidi & acris.

Usitatoria sunt.

Magister.
- Concharum.
- Corallorum rub.
- alb.
- Cornu cervi.
- Cranii humani.
- Chrystallorum.
- Dentis apri.
- Granator.
- Hyacinth.
- Lap. Judaici.
- Magnetis.
- Mandibularum lucii.
- Matris Perlarum.
- Oculorum cancri.
- Ovorum struthii.
- Percarum lapillorũ.
- Perlarum.
- Rubinor.
- Saphiror.
- Smaragdorum.
- Terræ sigillatæ.
- Tuthiæ.
- Vitri Venetiani.
- Ungulæ alcis.

Sic & Mag. Jalappæ.
- Scammonii.
- Succhi.
- Turpethi.

MAGISTERII *vox multas habet significationes* in Alchimia: sic datur *Magisterium magni lapidis. Q. Essent.* quoque *vocantur Magisteria. Hoc loco vocatur Magisterium, pulvis* cujusdam simplicis, vel compositi ex pluribus simplicibus, *facta* corrosione aut *solutione* in quodam menstruo solvente, *&* facta subsequente *præcipitatione separatus* v. gr. ut vulgare dem *exemplum*: Si recipiantur corallia; & solvantur in quocunque liquore acido, solutum filtretur, & præcipitetur injectione cujusdam alcali v. gr. ol. tartari per deliq. vel injectione lixivii: Tunc enim corallia à menstruo soluta præcipitantur in fundum & pulv. dicitur Magisterium, quod Magisterium, separatur per filtrum à liquore supernatante, & postmodum crebrioribus ablutionibus in aqua communi edulcoratur, & tandem exsiccatur.

Hæc sunt *Magisteria*, quæ *fiunt* ex rebus, ex omnibus tribus regnis desumtis, *ex minerali, animali & vegetabili.*

MENSTRUA quibus solvuntur simplicia sunt varia, *pro solvendis mineralibus* nunc habetur aqua fort. nunc aqu. regia, nunc spiritus nitri & similia, *Pro animalibus.* Spiritus vitrioli, acetum destillatum benè: spir. virid. æris, & sic porrò. *Herbæ pro menstruo* & exinde parando Magisterio *habent lixivium*, factum ex sale tartari, in hoc aliquandiu infusa herba leniter exsiccatur, & præcipitatur injectione Ossis pulverisat. hôc namque injecto, fit Magisterium plantarum, quod per filtrum separatur. *Modum parandi* Magisteria vegetabilia *habet*, ZUVÔLFER. in *Mantissa* & ROLFINCK in *Chymia.* Nam *non ex omnibus vegetabilibus fiunt* Magisteria, sed ex oleosis & fortiter olentibus Majorana, rore marino, Petroselino, salvia & similibus aliis vegetabilibus. Sin vero vegetabilia sint *resinosa*, qualia sunt Jalappa, Aloë & similia parantur Magisteria *per spiritum vini*, qui extrahit resinam; tanquam menstruum sulphureum ex subjecto similiter sulphureo, & extractione facta cum spiritu vini *præcipitatur cum aqua simplici*: Hoc enim pacto spiritus vini albescit, & in fundo subsidet Magisterium resinosú. MODUS vid. apud AUTOREM Magisteriorum animaliũm ac vegetabilium *præcipitatione loco alcali adhiberur spiritus sulphur.* acidus, spiritus vitrioli & Magisteria *fiunt nitidiora* & elegantiora quam quæ fiunt per salia alcalia.

Modernorum inventum sunt MAGISTERIA RESOLUBILIA ita dicta, quoniam *in quocunque liquore solvuntur, præparantur cum spiritu viridis æris*, qui postquam resolvit simplex solvendum, *præcipitatur* cum sp. vitriol. & dat tale *Magisterium Butyraceum plumosum vel resolubile.* Vel etiam *potest abstrahi* spiritus viridis æris, & sic infundo residebit Magisterium sine præcipitatione, quod postmodum *edulcorandum; Spiritus* vero viridis æris abstractus, *denuo potest usurpari* pro pluribus aliis solutionibus, quoniam parum, aut nihil de ejus viribus solutivis perit. Secus fit in omnibus aliis *Menstruis*, quæ *patiuntur jacturam, quoties aliquid solvunt.*

Cum spiritu vini parantur etiam *Magisteria Aromatum.* Aromata infunduntur in spiritum vini: spiritus vini per filtrum separatur, præcipitatur cum aqua communi & ita dant Magisterium aromata, quod ipsum post ea est irrigandum Oleo suo destillato: Verbi gratia; Magisterium ex Mace potest impregnari oleo destillato macis, & erit Magisterium efficax ex Aromate.

QUÆSTIO jam est. *An* non Magisteria ista, imprimis animalium & mineralium *sint cujusdam efficacia*: *& Num* nudè *præparata* super cotè *sint præferenda. Negativa prioris* omnino est *statuenda*, & ℈j. *præparati* nudè v. g. CC. longè est *præferendum integra* ʒ*a* ejusdem *Magisterii*, utut Magisteria sint admodum prætiosa, propter jacturam menstrui & liquoris præcipitantis: *Ratio* est quoniam *pulveribus semper adhærent* menstrua *corrosiva*, uti etiam liquores cum quibus præcipitatur; adeo ut nunquam, etiamsi centies repetatur edulcoratio, possint salia acida à pulvere Magisterii separari.

Hinc fit, ut semper *Magisterium, post edulcorationem* sit *ponderosius ipso crudo* simplici ante corrosioné Verbi gratia: si recipiat ℥iv. CC. præparando exindè Magisterium & ego postmodum ponderem Magisterium, Magisterium tunc aliquot drachmarum pondere excedet ℥iv. quos ante assumpsi, idque propter. salia tam menstrui solventis, quam liquoris præcipitantis, Magisterio pertinacissimè adhærentia. Jam verò cum *Magisteria* hoc modo præparata nihil aliud *sint*, quam *calces* compositæ cũ salibus talibus, qualia non potest absumere liquor vol. corrosivus vel menstruum ventriculi, propterea licet vel centum libras assumas magisteriorum, sine omni tamen efficacia excernuntur, sicut fuerunt assumpta. Ratio est, quoniam *ante dissoluta non possunt amplius dissolvi* à menstruo solutîvo ventriculi. 3. *In præparatione magisteriorum simplicium* à menstruo omnino invertuntur, & *aliam acquirunt naturam.* Verbi gratia, si consideremus magisterium CC. magisterium coralliorum, magisterium Perlarum, & in genere omnia mineralium magisteria, tunc videbimus in præparatione, quod ex effervescentia menstrui acidi ingens excitetur ebullitio,

litio, & impetuosâ effervescentia: eaque fit propterea, quod menstruum acidum concurrit cum particulis alcalibus ac sale volatili simplicis solvendis. Ex quo concursu menstrui cum simplici fit pulvis salsus, aut potius calx quædam remanet insipida. Et ex concursu salium in omni liquore perfecte solutorum, conjungunt se fortiter acidum cum parte volatili simplicis, & abeunt in 3ium salsum indigestibile ac indissolubile in corpore humano, aut si solvantur, neque tamen præcipitat, neque aliquid aliud operatur propter combinationem menstrui cum simplici.

Idque verum est, inprimis de magisteriis ex regno minerali & animali præparatis; Nam *ex vegetabilibus* imprimis *resinosis possunt tolerari.* Illis potius *præferenda* sunt nudè præparata, sic dens apri præparatus potest in pleuritide præferri magisterio dentis apri. Cranium humanum nudè præparatum potest in epilepsiâ præferri magisterio Cranii humani & sic porrò uti hoc *demonstrat* GLAUBERUS *in scriptis*, & ZVVOELFFERUS *in Appendice in animadvers. ad Pharmacop. August.*

Post Magisteria etiam ingrediuntur pulveres Farinæ & Fœculæ: sequitur ergo.

SCRODER. CAPUT LIX.

De Feculis.

Feculæ ex radicibus nonnullis, iisque viridibus eliciuntur, rarissimè ex foliis.

Modus fiendi.

℞. Rad. (v.g. ari,) q.v. lotam vel rasam conquassa optimè in mortario, affundendo aquam subinde, ut fiat pulpa liquidiuscula, hanc fortiter exprime, expressionem liquidam repone, ut subsideat fecula. Feculam subsidentem exsicca. Sic sunt.

Fecula Ari.
Bryoniæ.
Iridis nostrat.
Liliorum albor.
Pœoniæ.
Raphani marini.
Scyllæ.
Serpentariæ.

N *Scylla operationem habet peculiarem. Vide lib. 4.*
Ononidis radix cocta in s.q aqua (hor. 3.4.) si decoctum illud clarificatum prius & aliquantulum inspissatum reponatur, Tart. itidem ad fundum mittit.

Quæ ipsæ Fœculæ *sunt* adhuc *deteriores ipsis Magisteriis.* Omnis enim fœcula est parva *fæx inutilis, & nullius usus.* MODUM *parandi* habet AUTOR: scilicet radix v. g. Ari aut Bryoniæ contunditur cum aquâ communi, & exprimitur succus, hic in calore leni inspissatur, & qui in fundo conspicitur pulvis albus vocatur fœcula. Hinc *facilè patet*, quod residuum istud nihil sit aliud nisi terra mortua, quoniam salia volatilia, particulæ volatiles & spirituosæ in inspissatione & exsiccatione succi evanuerunt. Id quod in fœcula Bryoniæ imprimis verum est. Nam hæc purgat, & quando inspissata est in fœculam nihil operatur: propterea quoniam partes volatiles activæ facilè exhalant, & terra mortua residet in fundo. Est ergo fœcula nullius usus, utut à multis Medicis præscribatur.

SCRODER. CAPUT LX.

De Floribus.

Flores in Chymia sunt subtiliores corporis partes, per sublimationem à crassioribus particulis, sub forma sicca separatæ.

Modus: ut singulis ferè diversus est, ita & in singulis describi postulat.

Usitatiores sunt

Flores Antimonii.
Cinnabaris Antimonii.
Flores Arsenici, auri pigmentum sublimatum.
Benzoin.
Mercurii varii, hoc est, Mercurii dulcis.
Salis *
Sulphuris varii.

Hi *sunt* nihil aliud nisi *sublimata in formâ siccâ*, Nam in operationibus Chymicis, quando aliquid sublimatur, *in forma humida dicitur* DESTILLATUM. *Si in forma sicca*, dicitur in specie. FLOS. Sunt ergo flores *partes subtiliores*, quæ igne lento separantur â crassioribus & terrestrioribus, & sublimantur. MODUS in singulis subjectis *variat*, & aliò modo fiunt flores Benzoës, alio flores sulphuris, alio alii. *Interdum sublimantur* flores *per se*, uti videre est in floribus Antimonii vel sulphuris, *interdum cum additione* salium uti mercurius sublimatur cum sale communi: Hæmatides, cum sale armoniaci & sic porrò.

Absolvimus pulveres, quæque ad eos pertinent. Simplicissima post pulverum formula est.

CAPUT VII.

Morelli cum commentar. Basii. De Emulsione.

Emulsio medicamentum alterans Juniorum Inventum est, à demulcendis affectibus, vel certè potiùs, quia lacti similis, aut quod lactea Illa substantia affusione liquoris, lactis Instar, eliciatur, nuncupatum.

Est autem, *Emulsio medicamentum forma liquidum, potulentum ex medulla fructuum, & seminum quorumdam, contusa, affuso liquore Idoneo, Instar lactis Emulsum,* (unde nomen,) *ad alterandum vario modo in rem præsentem comparatum.*

In COMPOSITIONE tria considerantur *materia*, ex qua contusa lac istud elicitur. *liquor*, cum quo Emulgetur, *dissolvenda* inea. MATERIA ex qua ratione QUALITATIS, sunt *tum* FRUCTUS, *amygdalæ*, nempe *dulces* excoriatæ, *tum* SEMINA; 4 nempe *frigida maiora*, ex quibus vulgò passim Emulsiones usitatè parantur.

His adduntur etiam aliquando alia, tum FRUCTUS, *nuclei* nempe *pineorum*, In affectibus Thoracis, & ubi cum humectatione restaurandum, ut in hecticis, *tum* SEMINA, ut passim *papaveris albi, lactucæ, portulacæ*, ubi somnus conciliandus, vel magis refrigerandum, aut tenues humores fervidi Incrassandi, & eorum acrimonia simul demulcenda.

Ratione QUANTITATIS, In genere, tum *fructus*, *tum semina* ad ℥j. ℥iij. præscribuntur. In specie verò, fructuum sint ℥i3. ℥ij. *semin.* ℥i. ℥i3. LIQUOR ad lacteam Illam substantiam Emulgendam, ratione QUALITATIS, est *aqua simplex*, vel, usitatè, *hordei decoctum*, maximè ubi detergendum, vel *ptisana, aut decoctum radicis liquiritiæ*, ubi leniendum magis. vel *decoctum aliarum rerum Iucundarum*, facientium ad scopum.

Ratione QUALITATIS, pro quaque dosi ℥iij. ℥iiij. sufficiunt: unde cùm Emulsiones In tres doses ferè tantum usitatè præscribantur, (plures enim diu sine labe non asservantur,) liquoris ℥ix. vel ℔. erunt præscribenda. A.

DISSOLVENDA, ratione QUALITATIS, aliquando *Sacchar. solum* vel quod passim receptum, *Syrupus*, aliquis Idoneus sapore gratissimus, qui humectet, leniat aut refrigeret, ut passim, *Syrupus violaceus*, *capillor Veneris.* B. aliquando & ad gratiam majorem, & delicias, iis præterea aqua rosarum additur, qui *manum Christi perlatam* aliquando dissolvunt non male faciunt.

quod

quod ad QUANTITATEM, *dulcorantium*, ℥i. ℥ij. ad summum pro dosi sufficiet, *aquarosarum*, pro tota Emulsione, ℥i. ℥ij *manus Christi*, pro quavis dosi, ʒj

In USU tria consideranda: *modus, quantum, & quando*.

Quod ad MODUM, sumitur vel per se, forma potus G, vel etiam sæpè ipsius præscribuntur ℥iij. ℥iij. cum decocto aut Iusculo pulli alterato sumendæ.

Quod ad QUANTITATEM, dosis ex jam dictis elucescit.

Quod ad TEMPUS seu horam, mane & vesperi assumitur quod si præscribatur ad somnum conciliandum, hora somni: D.

FORMULA PRÆSCR. ℞ &c. *contundantur In mortario marmoreo, affundendo sensim, &c In colatura dissolve, &c. f. Emulsio pro 3. vel 4. dosibus utatur ut dictum.*

VTILITAS. non tantùm Emulsio præscribitur læniendis & demulcendis affectibus pectoris, pulmonum, calidis & siccis maximè, renum ardori, vesicæ, urinæ acrimoniæ, fervori, gonorrhææ, &c. ut passim volunt, sed & ad alios usus, ad sitim, ad quemvis æstum in morbis calidis quibusvis contemperandum, proinde in febribus continuis utilissima ad leniendam simul siccitatem, Istorum morborum comitem, unde & in hecticis usitatè, ad somnum conciliandum, summatim, ad leniendum, refrigerandum, humectandum.

A. *Poterit tamen & Emulsio ad* ℔i ʒ. ℔. ij. *aut adhiberi, siquidem ager continuò eâ uti non detrectet, & caliditas aëris non inhibeat.*

B. *benè hæc notandum, quæ miscentur, non debere habere, alienum colorem, ne albedinem amittat liquor, vel saporem nec dulcedinem.*

C *Et hic usus ordinarius est.*

D. *Licet tamen & in hunc finem de die ea uti.*

℞ Amigdal. dulc. ex cort. ℥j.
semin. papaver. alb. ʒii.
℞. frigid. maior. ãã. ʒj.
Aq. hord. ℔. i. f. *Emulsio*.
Qua edulcoretur, syrupo. rosar. q. s. ad gratiam.

Vel

℞. Semin. 4. frigid. mai. ãã. ʒj.
Nucl. persic. ceras. ãã. ℈ij.
Aqu. fragar. ℥xx.
Sach. Cand. ℥j. *f. Emulsio*.

EMULSIO.

HÆc satis *concinnè* ab Autore nostro MORELLO *est descripta*: Desidero tantum, quod *nimis sit largus in dosibus* tam ingredientium quam ipsius emulsionis, uti monstrabo postmodum Et quidem ex nomine facile patet quod *Emulsio sit Medicamentum habens consistentiam & formam lactis*. Simul quoque quantum fieri potest, debet æmulari gratiam lactis in sapore, Undè rarissimè vel *nunquam res tetræ & nauseavundæ* sunt *miscendæ*. MATERIA, ex qua fit emulsio, *sunt Semina*, item *fructus* quasi seminales. Nuclei verbi gratia pinearum & pistaceorum. Et quidem non omnia semina, nec quælibet, sed quæ *habent in se succum* quendam *cum liquore* quodam appropriato facilè friabilem ac *dissolubilem*, i. e. quæ habent in se liquorem aqueum. Nam *oleosa sunt inconvenientia*, ut semen anisi, non aptum natum est pro Emulsione. Item necesse est, ut *sint semina alba*. His seminibus affunditur liquor & aqua vel decoctum appropriatum. v. g. decoctum Hordei, tam simplex quam compositum, &c. & contusione ac agitatione in mortario lapideo, tandem abeunt in liquorem. lacteum per colationem depurandum, id quod remanet in colatorio sunt cortices seminum, *Hæc* est simplicissima *formula Emulsionis*, cui interdum adduntur appropriata, pro ratione saporis vel scopi, propter quem præscribitur Emulsio. PROPORTIO seminis ad liquorem est talis, ut ad ʒj vel ʒiv. seminum assumantur ℥j. liquoris, adeo ut ʒß. seminum det ℥iv. liquoris, & ℥j seminum ʒ viij. vel aceti. Emulsionis *Prodigus* hic *nimis est Autor*. Hoc ut pateat, Emulsio *rarò solet præscribi ultra 3 doses* propterea quoniam semina ex quibus fiunt Emulsiones, sunt oleosa & si in majore nimis copiâ præscribantur, fit ut Emulsiones *acescant*, & corrumpantur; & ita fiant inutiles. Propter oleositatem seminum *facilè* emulsiones *rancescunt*, idest abeunt in copiosam vermiculorum progeniem, atque tunc saporem nauseabundum & tetrum obtinent, ac plus nocent quam prosunt. 3. Emulsiones *tonum ventriculi faciunt laxum*, & propterea in minori dosi, nec magis unâ vice solet præscribi, quam pro 3 bus dosibus. *Pro dosi* supputandum est ℥iß. aut ℥ij vel ℥iij. Præterea alio modo *etiam præscribuntur cochlea.tim* assumendæ singulis horarum vel etiam semihorarum spatiis 3. vel 4 Cochlearia: ad horas 8. ℥v. vel ʒj. pro tribus dosibus, vel etiam pro quatuor ad summum ℥ix.

Dissolvitur in his liquoribus lacteis, *pro gratia saporis* aut *saccharum vel* quidam *syrupus* appropriatus. AUTOR commendat syrupum violarum aut capillorum veneris, d. male Nam emulsio debet esse coloris lactei, hi vero syrupi sunt coloris nigricantis & obscuri. Potius syrupus de Nymphea, syrupus papaveris, si enim rectè sint præparati, sunt coloris albi, possunt præscribi in Emulsionibus. *Aliquando* in illis solvuntur *manus Christi perlatæ* pro gratiâ saporis q. s. *Aliquando* adduntur *pulveres albi* Emulsiones pro scopo à Medico destinato, utiles & convenientes. Usus emulsionum est varius pro varietate seminum aut ingredientium, ex quibus fiunt, vel fieri possunt. Præscribuntur Emulsiones *pro demulcendâ acrimoniâ humorum*. Item pro demulcendâ *siti*, pro temperando *æstu*, quæ itidem oriuntur ex acrimoniâ humorum. In tali casu simplicissima sit Emulsionis formula hoc modo:

℞. *Amygdal. dulcium Ambros.* ℥ij.
Seminum 4. frigid. major. ana. ʒj. c. s. q.
Decocti hordei simplicis.
F. l. a. Emulsio refriger. edulcoretur cum s. q.
manus Christi perlar.

Hæc potest assumi pro tribus vicibus vel singulis horis 2. vel 3. vel 4. cochlearia.

Emulsio *magis composita* cum pulveribus additis fit verbi gratia hæc *expulsiva in variolis*, quæ satis est usitata.

℞. *Sem. Aquileg.*
Napi ana ʒiij.
(quod si adsit vel jectigatio corporis, vel Agrypnia uti fit in primis diebus ante eruptionem variolarum, additur commodè *Seminis papaveris albi* ʒiß.)
c. s. q. aqua *Ulmariæ*.
Galegæ.
Aquilegiæ. an.
F. L. A. Emulsio. diaphor. & in variolis pulv. adde.
C. C. igne.
antimon. *diaph.* an. ʒß.
Bezoar. Mineral. simpl. gr. XII.
Edulcoretur cum s. q. rotularum Manus Christi Perlat.

Datur pro tribus dosibus, ℥iij. pro dosi vel horis singulis 3. vel 4. cochlearia assumenda.

Hæ formulæ sunt Emulsionis tam simplicis quam compositæ. SCHRODERUS noster habet.

SCHRODER. CAPUT LIV.

De Emulsionibus.

EMulsio, ab emulgendo sic dicta, est medicamentum liquidum lac colore æmulans, ex medulla fructuum, seminumve lactescentium, interveniente liquore appropriato prolectum.

Exhibent lacteum humorem amygdalæ, sem. 4. frig. major. semi. papaver. (alb.) portulac. lactuc. card. mariæ, card. benedicti, cannabis, violar. bombacis, Napi, Aquileg. Citri, & nuclei pœon. pineæ, pistacia, persicarum nuclei.

Lacteæ substantiæ eliciendæ satisfacere poterit liquor aqueus quicunque, veruntamen quia intrinsecus emulsiones ferè sumuntur, gratos adhibere liquores fas erit. Tales sunt aquæ stillatitiæ, aqua fontana (cum panis frustulo decocta) decoctum hordei, glycyrrhizæ, cicerum, C.C. passulatum, jujubarum, & simil.

Quantitas liquoris varia est, modo major, modo minor, prout crassior, vel dilutior emulsio expetitur. Communiter autem sumitur triplum, quadruplum ad decuplum, & ultra.

Modus fiendi.

℞. Lactescentia, quæ adhibere animus est (excorticata si excorticari possint, ut amygd. sem. frig. maj.) pista in mortario (præstat lapideo) subinde nonnihil liquoris (ne attritu pinguescant) instillando, hinc affunde liquoris medietatem circiter, exprime per linteum. Residuum [quia substantia lactescens vix tota vice unâ emulgetur,) contunde denuò, ac emulge cum reliquo liquore.

Usus. *Per se propinari poterit, vel & aliis exhibendis inservire, ut sunt potissimum pulveres cordiales minerales, vel his similia magisteria, &c.*

N. 1. *Quod si ingrata foret, dulcorari poterit Saccharo, vel rotulis; exempli gratia, manus Christi, julapio violar. rosar. vel siml.*

N. 2. *Cave acida commisceas, quippe his substantia lactescens ad subsidendum prompta est.*

Quia emulsiones ex medicaminibus sunt, quæ facilè corrumpuntur, ex tempore ad præscriptum parari solent.

Sic fit

Lac, id est, Emulsio amygdalarum dulcium.

℞. Amygd. dulc. excorticar. ℔ß. decoct. hordei mensur. 1. F. emulsio.

Emulsio nephrocatharctica.

℞. Sem. violar. purpur. ℥ß. vel ʒvi. cum aqua Veronic. F. emulsio.

Emulsio ad acrimoniam.

℞. Amygd. infus. in aqua rosar. ℥ii Sem. melon. papav. alb. ā. ʒj. hordei mundi diutissimè cocti ℥iii. F. emulsio in aqua hord. ℔ß. adde Julep. ros. ℥ii.

Emulsio expulsiva.

℞. Sem. Aquileg.
Napi an. ʒii.
Aqu. fumar. galeg. aqueleg. āā. ℥iȝ. f. Emulsio.

Vires *Valet ad morbillos & exanthemata expellenda.*

N. *Addi possunt prolibitu Iuleb. violat. ℥ȝ. ut & pulver. apropriat. v. g. C. C. oculi cancri, &c.*

Emulsio refrigerans.

♃ Decoct. C. C. usti, vel si alvus adstricta sit 2. CC. raspat. ℔. 1. sem. 4. frig. mai. āā. ʒiii. papaver. alb. ʒ1. f. Emulsio.

Vires *commoda est Infebrib. præcipue Epidemicis.*

N. *In plureticis affectibus soleo admiscere aquam papaver. errat. semenq; cannabis seminibus frigidis immiscere.*

Amygdalæ Dulces. Ex his fiunt Emulsiones, quando opus est vel *roboratione*, vel *nutritione*, aut *in refectione* ægri adduntur, *nuclei pistaceorum* & *pinearum*, quoniam sunt nutritivi, & conveniunt in *Hecticâ*, in *Phthysi*, *Febri cum Tussi* & affectibus pectoris.

Semina 4. Frigida Majora præscribuntur usitate in *temperando ardore* corporis, & commodè *permiscentur* cum semine papaveris albi, ut leniter sopiatur dolor: ut in pleuritidie, vel quando opus est leni somno in agrypniâ, virium prostratione & jectigatione corporis.

SEMEN PORTULACÆ & LACTUCÆ etiam refrigerant.

SEMEN CARDUI MARIÆ, & Cardui BENEDICTI Præscribuntur *in Emulsionibus antipleuriticis*, & simul adduntur pulveres appropriati antipleuritici.

SEMEN CANNABIS: Ex hoc fit elegans emulsio *in Gonorrhæa*, item in *furore uterino* mulierum. potest addi antimonium Diaph. Os Sepiæ præparat: Succinum præparat, & erit Emulsio admodum elegans in Gonorrhæâ.

SEMEN VIOLARUM. Valde convenit, ubi est *suppressio urin.* item in *affectibus nephriticis*, pellit enim urinam, & simul *solet* per inferius guttur *laxare* ad ℥ß. pro 2. vel 3bus. dosibus præscribitur.

SEMEN NAPI, AQUILEGIÆ, CITRI. Præscribuntur in *Emulsionibus alexipharmacis*, in *febribus malignis*, in *variolis* & *morbillis*, in febribus *petechialibus*: Sed observetur quod *Semen Citri* sit *amariusculum*, & propterea non in æquali *dosi* præscribitur cum aliis seminibus, sed *in minori*, ne gratia saporis pereat.

NUCLEI PÆONIÆ. Ex his fiunt Emulsiones, *quando metus* est *Epilepsiæ* in puerorum variolis, propterea commodè cum seminibus expellentibus permiscetur semen Pæoniæ. & sic fit *Emulsio Anti-epileptica expulsiva*, & dissolvitur, in eâ, unâ cum aliis pulveribus, pulvis Marchionis, qui est coloris albi.

NUCLEI PERSICORUM. Ex his fit *Emulsio Anti-Nephritica* urinam ciens, & calculum leniter movens. Propterea etiam aliqualem *vim habent, somnum inducendi* nuclei Persicorum.

Semina hæc *assumuntur* in Emulsiones vel *excorticata* vel *non excorticata* Excorticata, quando opus solum nutritione, vel acrimonia humorum correctione non excorticata, ubi opus est abstersione, quoniam *cortices seminum habent vim abstergendi*, ubi opus est, ut provocatur urina, v. gr. Amigdalæ dulces excorticatæ nutriunt solum non excorticatæ abstergunt vias tam intestinorum, quam in specie vias urinarias.

LIQUORES, cum quibus fiunt Emulsiones, sunt *varii*, pro varietate scopi, aquæ appropriatæ stillatitiæ v. gr. in morbis malignis præscribitur aqua Borrag. Galeg. Ulmariæ: Ut confortemus, aqua Cinammomi, Melissæ, lilior. convall. c. vino ubi ulteriori opus & confortatione addantur aqua carbuncul. aliquod drachmæ aqua cerasar. nigr. aqua rosarum. In dysenteria conveniens est Decoctum priapi cervi vel ceti: In Dysuria s. acrimonia urinæ, decoctum Malvæ. In Emulsionibus Antipleuriticis conveniens est decoctum radicis Glyzyrrhicæ, quoniam dulcis est saporis curat asperitatem faucium, & expectorationem promovet. In Emulsionibus viis urinariis destinatis v. gr. semin. violarum conveniens est decoctum cicerum rubrorum pro abstergenda mucilagine & promovenda urina. In affectibus malignis fiunt Emulsiones cum decocto hordei cum CC. quod vim habet expulsivam vel sudoriferam. Emulsio Nephro cathartica dicitur ita, quoniam vim habet ciendi urinam, & laxandi per alvum.

Fiunt etiam & *alii Liquores lactei*, qui & ipsi *propter similitudinem* Coloris & consistentiæ vocantur *Emulsiones*: quo pertinent imprimis EMULSIONES PURGANTES: Superius enim dixi, quod *ex semine Carthami* possit fieri Emulsio purgans: præterea ex *scammonio sulphurat.* vel *diagridio solo* possunt fieri Emulsiones laxativæ: Quæ fit ex Scammonio, est usitata SYLVIO *in Belgio* & ROLFINCKIO *Jenæ*. Modus est hic ℞. Scam. sulphurat: ℈j. superfundatur succi citrorum, aut in ejus defectu aquæ Cichor. Sylvestris Cochl. ß. vel cochl. j. agitentur probè invicem in mortario lapideo, & statim liquor lactescet instar lactis candidissimi, per 2. l. 3. horas postmodum decantetur, ut fœx remaneat in fundo. Exhiberi potest in haustu decocti hordei l. in alio quocunque liquore: *Fœces istæ* remanentes *sunt* nihil aliud quam *particulæ scammoniatæ* nondum dissolutæ, propterea iis convenienter novus liquor affunditur, & nova Emulsio ex iis paretur.

Nec absimilis est huic, *Emulsio cathartica* TIMÆI, quæ est hæc.

℞. *Sem. Melon. excorticat.* ℈j.
Resin. Ialap. gr. vii. l. ix.
contundantur & misceantur in mortar. marmor. sensim affundend.
aqua *rosar. optim.* ℥j. add.
aqua *Cinnamom.* ʒij.
Rotular. Man. Christ. perlat. ʒß.
Spir. rosar. gt. jv. misc. pro j. dos.
M. f. Emul. laxans.

Pertinet

Pertinet huc etiam *Emulsio* TEREBINTHINÆ, quæ valde est usitata in affectibus renum & urinariis: item in Ulceribus renum: in morbis vesicæ & similibus aliis affectibus. Fit scilicet.

℞. *Terebinth. venet.* ʒ ſ. *cyprin.* ℥ß. (sic n. præscribitur)
Vitell. Ovi. numero j.
Mell. ʒij.
agitant. in mort. marmor, & fiunt instar lactis, cui addit.
aqú. *Parietar.*
aqu. *Flor. Fabar* an. ℥jß. misc. pro hauſt. j. l. ij.

in Calculo renum & supra dictis partium Urinariarum affectibus. *Potest* etiam *addi* pro varietate scopi.

Syrup. acetoſ. Citr. ℥j.
Rhabarb. pulverisat. ʒij.
pro ij. l. iij. dosibus.

ubi opus est laxatione. Vel *ubi dolor* est gravativus loco sirup. acetoſ. Citri & Rhabarbari potest addi. *Sirupus de Papaver.* vel etiam aliquot gran. *Landan. Opiat.*

Hæc de Emulsionibus pro Usu interno. Interdum etiam fit, ut parentur *Emulsiones pro Usu externo*; pro Epithematis fronti & Capiti applicandis, in nimiis vigiliis, doloribus capitis item deliriis & similibus aliis affectibus, in quibus *fiunt Emulsiones tenues* admodum *ac fluidæ*, cum linteis duplicatis applicandæ. Dico tenues ac fluidæ, ita ut pro ʒj. Seminum, ℥ij. vel plures assumantur liquoris. *Talis* Emulsio externè instar Eipthematis applicanda in vigiliis nimiis, & inde orto delirio, *est* hæc.

℞. *Sem. Papav. alb.* ʒij.
aqu. *semperviv. major.*
Spermat. ranar.
Solan.
Nymphææ an. ℥j.
F. l. a. Emulsio. capilotator. aplicand. add.
Camphor g. jv. M.

singulis horis repetatur in supra dictis affectibus.

Ex Semine Nucleorum Persicorum fit Emulsio pro Usu externo, tanquam Epithema applicandum *in dolore capitis*, quoniam Semina Persicorum vim habent demulcendi dolorem.

Simplex ferè instar Emulsionum Formula sunt.

MORELLI CAPUT V.

Cum commentar. Blasii.

DE PILULIS.

LATINIS à parvæ pilæ similitudine dictæ, græcis, ex eo quod non dilutæ, sed integræ devorentur, *καταπότιος*, deglutio, *catapotia*, apelletur. MEDICAMENTI *est forma solida, globuli effigie sphœrica, ex pulveribus, aliquando & gummatibus, succis, liquore glutinoso exceptis, efformata, ad purgandum maximè, vel etiam aliquando ad alterandum, vel corroborandum comparata.*

In præsentia clarioris explicationis gratia *triplices* statui possunt, *purgantes, usuales, dicta alterantes.*

Pilulæ purgantes.

Etsi pilulæ propriè loquendo sint catharticæ, quia tamen in varios usus comparari possunt, & quia quæ purgant, faciunt id vel efficaciter, vel debiliter, ac corroborando potiùs, has *usuales* cum vulgo, illas *purgantes* appellamus: quæ à medico rarius præscribuntur, cum officinalibus harum loco uti soleant: tamen earum conficiendi ratio postea patebit.

Sunt autem vel *officinales* vel magistrales.

OFFICINALES, A, vel sunt, *usitatiores* vel non.

Vsitatiores sunt, *aurea, aloë phangina, agregat. sine quibus, agarica, cochia, livis majores, hermodact. Inda, fætida majores.*

Minus usitatæ; Sunt *de Rhab. assajereth, Eupatorio Imperiales, ruffi, de hiera, Arthritica, de 5. myrobal. masticin. de aloë, sagapen. sarcocoll. ante cibum, stomach. de fumaria, lapide lazuli.*

MAGISTRALES quod ad COMPOSITIONEM conficiuntur.

Vel ex pulvere Idoneo, liquore etiam Idoneo erupto.

PVLVIS est ratione QVALITATIS tum cathartaicum simplex, ita tamen ut *aloë* (quæ basis omnium B pilularum est) semper ingrediatur, tum corrigens idoneum atque dirigens, ut in opiata purgante.

NOTA lachrymas, gummi, ut *ammoniac. apopanax* addi posse

Quod ad QVANTITATEM, C pulveris ℥j. sufficiet, raro ℥iß. quia quando quidem dosis pilularum sit ʒi. in viii. vices purgando, atque in semestre sufficeret. hujus verò pulveris duæ partes sint veluti purgantes, una corrigentium.

LIQVOR excipiens ratione QVALITATIS potest esse *Sapa, Succus* idoneus. *mucilago*, sæpius *mel* decoctum despumatumque, D passim verò & usitatè syrupus aliquis idoneus. E.

Quod ad quantitatem dicitur q. s.

A nec harum certus est numerus, pro diversitate enim regionum varietas hic summa, poterunt & hic pharmacopeæ consuli.

B Licet plurimas pilulas ingrediatur non tamen omnes, adeoque ne quidem basis omnium potest dici.

C Accommodare hic se debet medicus Frequentiæ usurpationis, & temporis diuturnitati.

D Elixir aliquod, quale prop. Paracelsi.

E Sæpius liquor nullus excipiens desideratur cum maximè aloës, aut simili glutinosi, sufficiens copia adest, & in tali statu, ut cohæreat materia, gutta una aut altera aquæ simplicis sufficit.

♃ Gutt. gamb. aut magistr. ejus ℈ß.
mercur. dulc. ℈i.
Diagrid. gr. v,
Cum. ammoniac. in aceto solut. q. s. *f. pill. v.*

VEL quod erit efficacissimum extractorum more decoquantur purgantia, præscribunturque ad ℥iv. vi. cum suis corrigentibus, in liquore vel succo idoneo more apozematis: facta deinde forti expressione & colatura, in hujus unciis. vi. vii. viii. dissolve in balneo Mariæ, aloës succotrinæ ʒvi. ℥i. pro diutino usu, deinde coagula ad mellis consistentiam, addatur postea pulvis idoneus corroborans, ad ʒii. *scammoneum*, si scopus ferat, quando quidem non decoquitur, ad ʒi. ʒii. ʒiii.

♃ Turbith. gummoſ. fol. senn. ãã ℥ii.
Rhab. elect. rad. mechoac. ãã ℥i.
Sem. aniſ. ℥i.
Cinnamom. elect. ʒiii.
Tartat. optim ℥ß.
Decocq. in ſ. q. aqu. hordei ad medietatem in olla clausâ, facta dein expressione forti, in colaturâ dissolve.
Alo ës succotrin. elect. ℥j.
F. levis inspissatio, leni calore, addendo sub finem coctionis, specie diamarg. frigidi. ʒij. diagrid. ʒß.
F. massa pilularis.
Præter dictas pilulas præscribendi modos, & varii alii usitatiſſ. v. gratia.

1. ♃ Maſſ. pilul. cochiar. aurear. ãã ʒ. diagrid. gr. iv. aq. fumar. q. ſ. F. pillular vi.
2. ♃ extract. pill. aurear. aggreg. ãã ℈ß. m. F. pill. v.
3. ♃ extract. mechoacan Rhabarb. ãã ℈ß m. F pill. v.
4. ♃ Extract. mechoacan spec. diatur b cum Rhab. ãã. ℈ß. m. f. pill. v.
5. ♃ Extract mechoacan. ℈ß. maſſ. pill. aur ʒß. m. f. pill. v.

USVS OFFICINALIVM: quod admodum devorantur.

Quod ad *quantitatem* validiores. a ℈j. pueris ad ʒj. viris & adultis: ut sunt, *aurea, cochia, fætid. majores, arthritica, Inda, de lapide lazuli. de hermodactylis.*

Mediocres a ℈ii. ad ℈iv. *aggregativa, sine quibus, de agarico, de aloë, de succo myrobal. de fumaria.*

Leviores a ʒi. ad ʒii. de *Rhabarb. assaëreth, alcophang. ante cibum, masticina, de Eupat. rufi, hiera.*

Sin verò more usualium usurpentur, ℈i. ʒß. sufficiet duabus horis ante cibum, prandium & cœnam.

Quod ad TEMPUS mane ut alia cathartica.

MAGISTRALIUM USUS. quod ad MODUM & TEMPUS Idem.

ad *quantitatem*, vide opiatam purgantem.

FORMULA PRÆSCRIBENDI OFFICINALES. A ♃ *&c. i. e. massæ pillularum talium &c.* diagridii *gr* iv. v. in biliosis & frigidis stimuli loco, ut & aliquando Trochisc. alhandali. *gr.* iv. v. propituitosis, castorei etiamnum gr. v In affectibus capitis frigidis, *cum aqua tali, formentur pilulæ* vi. vii. viii. *quæ de aqua tali, sumantur summo mane vel etiam post mediam noctem*, (si a cerebro debeant trahere.) *cum custodia, levi cœna præcedente, vel hora somni*, si pro capite, ut cum benigno levioris cænæ, halitu vis cathartica ad cerebrum feratur.

MAGISTRA

MAGISTRALES ♃ *&c. cum &c. f. massa pilularium, qua oleo amigdalarum dulcium vel anisi, &c. oblita, aluta obvolvatur, reponaturque in pixide idonea, capiat de hac massa, &c. formentur, &c.*

UTILITAS insignis in purgando ab habitu corporis & tertia regione est, hæc forma tunc eligenda maximè; quia diutius moratur vis purgans in ventriculo, nec confestim prolabitur in intestina, hinc per illam moram uberrimè effunditur in peripheriam cum fructu.

USUS autem earum præcipuè in pituitosis, minus in biliosis, B hyemis etiam tempore potius quam æstatis, valent etiam in obstructionibus expediendis ob rationem dictam, præsertim si ammoniacum etiam habeant, atque tum utiliter iusculi parum superbibitur.

A. *Adusum præsentem non autem ut in officina conserventur.*

B *Non scio an hoc praxis medica concedat cum æque biliosis quam aliis videantur convenire.*

PILULÆ.

QUOD has attinet, *dicuntur ita propter similitudinem cum pilis* parvis; Omnibus nota est Medicamenti forma, estque nullus ferè Empyricus, qui non habeat suas Pilulas: Sic D. VVILDEGANS, D. GLAS. D. H. habet suas Pillulas. *Dividuntur* pilulæ in 3. differentias: in PURGANTES; USUALES; & in ALTERANTES.

Quod attinet Pilulas *Purgantes*, rectè eas *dividit Autor* MORELLUS, in OFFICINALES & MAGISTRALES.

Officinales semper prostant in Officinis & præscribuntur tantum: Magistrales sunt quæ ex præscripto Medici ut parentur præscribuntur. de his ordine.

PILULÆ OFFICINALES.

Sunt factæ *ex pulveribus purgantibus* mistis *cum* aliis pulveribus *appropriatis*, qui vel dirigunt, vel juvant vel stimulant, vel corrigunt &c. Pulveres hi *excipiuntur* postmodum *vel melle vel succo quodam inspissato*, & ita invicem compinguntur in massam magnam pipularum, ex qua quantum volumus ex præscripto decerpimus.

Quando volumus præscribere has pilulas ægris nostris, necessum est. ut *sciamus dosin*, an sint præscribendæ ad ʒj. an ad ℈j. id *quod subministrat lectio Autorum*, qui habent descriptiones pilularum, vel etiam qui illos præscribunt. Hic noto, quod *non sit imitanda Veterum consuetudo*, qui quando voluerunt purgare, xv. & *plures expectarunt sedes*: propterea *præscripserunt pilulas ad* ʒj. *vel ad* ʒij. id quod fuit Salutare, si verum est. Sed maxime nauseosum fuit ægro ejusque Corpori, totique corpori fuit nocivum. *Moderni* quando præscribunt pilulas officinales præscribunt illas *ad* gr. xv. *vel* ℈j. & *addunt* convenientem *stimulum*, & etiam *aliquod* extractum, vel succum quendam dirigentem vel juvantem, vel alio modo morbo *appropriatum* v. gr.

Talis sit *formula pilularum Stomachalium, Quando volo ventriculum à copiosa saburra, mucilaginis viscidæ, & Intestina ab eadem mucilagine pituitosa purgare, tales præscribo pilulas.*

℞. *Mass. Pil. de Hier. c. agaric.* ℈j. (vel etiam gr. xv.) nam sunt satis fortes.
Extract. absinth. ℈ß. l. gr. vij.
(Est egregium stomachicum quod facit liquescere mucilaginem viscidam)
Extract. Trochisc. alband. gr. i.
(Est stimulus quoniam volo expurgare mucilaginem)
Essent. Menth. q. s.
quæ etiam est stomachicum
F. l. a. Pilulæ.

quæ possunt aspergi, *odoris gratia*, aliquod gt. ol. dest. Macis, aut pulv. Cinamomi & præscribi F. l. a. pilulæ, ad spergantur &c. *pro gratia oculorum* fiunt inauratæ vel inargentatæ, & præscribuntur. F. l. a. Pilulæ, inaurentur. D. S. &c. *Interdum præscribitur certa quantitas* pilularum ita ut ferè pro unaquaque pilula supputetur gr. j. vel pro 36. pilulis gr. 36. ita ut cum in superiori dosi habuerimus gr. 28. præscribuntur pilulæ 28.

Et quidem *certus* & determinatus *numerus* præscribitur quando præscribuntur pilulæ in pluribus dosibus ut sciant ægri, quantum sufficiat pro una dosi.

Aliud Exemplum præscribendi pilulas officinales. *Volo præscribere pilulas mulieri* Mensium obstructione, & ob id suffocatione Uterina laborante: hic præscribo pilulas officinales singulis 14. diebus repetendas h. m.

℞. *Mass. Pilul. Aggregativar.* ʒ.
Castor. ʒß.
Myrrh. gr. xv.
Extr. trochisc. alhand. gr. vii. c. s. q.
Essent. splen. bovis ad mens.
F. l a. pilul. numero 120. dos. 10.

D. S. Pillulæ inaurandæ vel adspergendæ pulv. succini vel possunt adspergi cum pulv. Cinamomi (quæ sunt Uterina) vel irrorandæ ol. Sabinæ aliquot guttis, quod fortiter menses ciet.

Hic observetur proportio. Basis est Mass. Pilul. Aggregativarum ʒj. jam dixi, quod ℈j. *sit dosis* harum pilularum pro una vice, ut inde ℈jv. essent assumendæ. Cæterum sunt *talia subjecta leniter purganda propter Symptomata* gravia concurrentia: propterea non integrum scrupulum, sed tantum gr. xv. huic basi tanquam dirigens additur Castoreum in proportione dupla: additur Myrrha, quæ etiam est egregium in his affectibus, sed quoniam est fortior castoreo, propterea adhibetur duplum Castorei ad Mass. Pilul. & duplum Myrrhæ ad castoreum. Stimulus sunt Extractum trochiscor. alhand. gr. viij. deberent quidem esse jv. ut responderent basi: Sed ratio, cur posuerim vij. est, quoniam Mass. Pilul. non vehementer purgat.

Purgare volo Senem, 60. annorum, vertiginosum, qui mitius tractandus: imo *Senes raro vel nunquam sunt purgandi.* Huic ergo præscribo has pilulas.

℞. *Mass. Pilul. de succin. Crat.* gr. xv. (In his nihil purgat nisi aloe & possunt assumi hæ pilulæ sine forti purgatione)
Extract. l. succ. Charefol. ℈ß.
(Specifici & appropriati in vertigine)
Succin præparat. gr. vj.
(specifici in Vertigine & apoplexia Senum)
Scam. rosat. gr. j. vel gr. jß. c. s. q.
ol. destill. Succin.
F. l. a. Pilulæ purgat. cæphal. numero 35.

Hæc est methodus & ratio præscribendi pilulas officinales.

Unum adhuc moneo. *Pilulæ melius præscribuntur* iis, qui sunt *naturæ humidioris*, quales vocantur *Sanguinei & phlegmatici*, quam iis, dicti Melancholici & Cholerici qui sunt *sicciores naturæ.* Nam his posterioribus magis *conveniunt liquida* purgantia, sub forma potionum propinata. Et quidem *melius conducunt pilulæ tempore autumnali & vernali*, quam tempore hyemali & æstivo: Item convenientes sunt pilulæ *in evacuando ventriculo, & intestinis*, quam *ubi opus* est *evacuare integram massam* sanguineam: in hoc enim passu *melius* propinantur *in forma liquida*: item felicius conveniunt *juvenibus succulentis*, quam hominibus ætate confectis.

Videantur quoque quæ habet de Pilulis SCRODERUS.

CAPUT LXXIII. SCHROD.

De Pilulis.

Pilulæ fieri possunt 1. ex rebus quibuscumque siccis. beneficio viscidi ac glutinosi alicujus liquoris (Syrupi, Mucilaginis, Succi aliquantulum inspissati, Extracti, & simil.) incorporatis.

2. Ex solis succis extractisve inspissatis.

N. 1. *Salia liquationi fermentationique apta sunt, idcirco si qua admiscenda, in minima dosi admisceri volunt.*

N. 2. *Extracta vel succi inspissati rediguntur* commodiùs *in pilulas, si addatur nonnihil pulveris appropriati, quàm si solâ inspissatione incrassentur.*

N. 3. *Potest & olei guttula una ac altera instillari.*

Modus fiendi.

℞. Medicamenta convenientia (pulveres) atque cum liquore viscido conveniente, contunde quam optimè in mortario, ut exactè cuncta misceantur ac cohæreant.

N. *Pilulæ etsi de omnis generis medicamentis parari possint, variores tamen sunt alterantes, crebriores purgantes.*

Sunt.

Pilulæ alterantes usitatiores.

Pilulæ de Bdellio, *August.*
Bechicæ, *Cord.*
Pilulæ Bechicæ albæ / nigræ } *conveniunt cum Trochiscis, à quibus sola forma differunt.*
de Castoreo, A.
de Cynoglossa, A. C.

Renod.

Diaphoreticæ, *vide infrà*, N. 1.
Diureticæ, 2.
Antepilepticæ, 3.
Febriles, 4.
Narcoticæ Plateri, 5.
de Styrace S. Closs. 6.
contra Tussim, 7.

Pilulæ purgantes.

Pilulæ de Agarico Mesue, A. C. R.
Aggregativæ majores Mesuæ, s. Polychrestæ, A. C. R.
Aggregativæ minores Mesue, A.
Alephanginæ, s. aromaticæ, Pilulæ Solis Mes. A. C.
Alphanginæ Valerii Cordi.
de Aloë lota, A. & C.
rosata, *A.*
& Mastiche, A. C.
de Ammoniaco, Querc. *infrà* 1.
Arabicæ Nicolai, A. C.
Arthriticæ, s. artheticæ, A. C.
Arthriticæ Scheffer. 2.
Assaieret Avincennæ, A. C. R.
Aureæ Nicolai, A. C. R.

N. *Alias Pilulas hujus nominis conscripsit Marsilius Ficinus, quas & Magicas vocat, de quibus vide Vvecker.*

Pilulæ Benedictæ, A. C. 3.
Cholagogæ, Querc. *v.* 4.
Ante cibum.

N. *Pilularum, quas ante cibum appellant, variæ occurrunt descriptiones. Sunt enim qui omnibus pilulis stomacchicis id nominis imponunt: Renodæus stomachicas Galeni ita communiter appellari ait. Vveckerus diversas exhibet descriptiones pilularum ante cibum, tum & pilularum ante & post cibum dictarum.*

Cochiæ.
Pilulæ de Colocynthide Damasceni, A. C.

Dicuntur & hoc nomine Pilulæ de Nitro Tralliani.

De Esula Fernelii, *v.* 5.
de Eupatorio majores Mesue, A. C. R.

N. *Potius Pilulæ de Rhabarbaro dicendæ sunt.*

de Euphorbio Mesue, A. C.
de Euphorb. Quercetani, 6.
Febriles, 7. 8.
Febrifugæ Scheffer, 9.
Fœtidæ Mesue, A. C. R.
de Fumaria Avicennæ, A. C. R.
Gummosæ, 10.
de Hermodactylis, A. C. R.
de Hiera picra, A. C.
Hieræ simpl. A. C.
de Hiera cum Agarico, A. C.
composita, A. C.
Hydroticæ, A.

Hydropicæ Bontii, 11.
Iliacæ Rhasis, 12.
Imperiales, C. A.

N. *Renodæus alias exhibet, quas & Catholicas indigitat.*

Indæ Haly, A. C.
de Lapide armeno, C.
Lazuli Mesue, A. C. R.
de Ladano, 13.
Lucis majores Mes. A. C.
minores Cord.
Marocostinæ Mindeteri, 14.
Mastichinæ Conciliatoris, A. C. R.
Matricales Schefferi, 15.
de Mechoacanna, Renod.
de Mezereo Damasceni, A. C.
de quinque generibus Myrobalanorum, Tralliani, A. C.
de Nitro, s. Diacolocynthidos. A. R.
Octomeræ, s. de octo rebus, Nicolai. A. C.
De Opopanace Mesue, A. C.
Panchymagogæ Quercet. 16.
Pestilentiales Avicennæ, sc. communes, A. R.

N. *Cordo dicuntur pestilentiales, Ruffi, seu de tribus.*

Pestilentiales compositæ, 17.
Antipodagricæ, 18.
Polychrestæ S. Closs. 19.
de Rhabarbaro Mesue, A. C.
de Sagapeno, s. Serapino, Mesue A. C.
de Sagap. Quercetani, 20.
de Sarcocola Mesue, A. C.
Sine cura D. Vveberi Alœphanginis ferè æquales facultate, vid. D. Aug.
Sine quibus Nicolai, C. R.
Stomachicæ Alkindi, A. C.
Stomachic. Mesue, C.
de Succino, 21
Tartareæ melanagogæ, Querc. 22.
Tartareæ Bontii, 23.
Tartareæ meæ descriptionis, 24.

ALTERANTES.

1. *Pilulæ Diaphoreticæ S. Clossæi.*

♃ cinnabar. Antimonij. rectificat. ℈j.
Præservativi ex croco myrrh. & Aloë ʒß.
Crystall. Sulph. ℈j.
Ol. Guaiac. q. s. ad corporationem.
F. pil. duæ, exhibeantur superbibendo cochl. 1. acidi Guaiac. mixti cum tribus partibus vini albi.

2. *Pilulæ Diureticæ S. Closs.*

♃ Tereb. Vener.
Vitrioli albi ana part. æq. M. in mortario marmor. terendo diutissimè, usquedum simul incorporentur, quod difficultate non caret. *Dos. est à* ʒj. *ad* ʒij. *Tereb. Vitriolo addita vim ejus vomitivam refranat, & diureticam conciliat.*

3. *Pilulæ Anti-Epilepticæ S. Clossæi.*

℞. Præcipitati solaris per se in matracio Ign. frebrili continuo parati ʒj.
Cinnabar. mineralis ℈iv.
Ol. Antimon. febrifugi (ut dicetur cap. de Mercur.) gutt. xx.
Extracti castor. per Spirit. Vin. evaporando facti.
Succin. ana ʒj.
de pœon. mari cum Spirit. Vin. fact.
Pœon. fœmin.
Bryon. ana ʒiß.
Fol. Helleb. nigr. subtiliss. triturat. ℈ij.
F. pulvis & cum succo porri massa pilularum, cui admiscæ Ol. Angelic. sativ.
Spiritus Vitrioli ana gutt. x.

Usus: Cape ante paroxysmos aut post quadram lunæ pill. duas ℈j. *ponderantes, sumendo postea jusculum carnium acido Vitrioli conditum.*

4. *Pilulæ febriles.*

℞. Extr. card. bened. ʒß.
centaur. min. ℈j.
c. c. ust. præparat.
sal. absynth. ā. ℈ß.
Cum Syrupo de card. benedict. F. num. 20.
Usus: *Exhibeantur ante paroxysmum, expecteturque Sudor.*

5. *Pilulæ Narcotica Plateri.*

℞. Opii puriss. ʒ i.
Infunde aquam vitæ ℥ ß. dissolv. lento calore, eodemque exsicca.
Deinde aliâ affusâ aqua vitæ mollescat, additis ol. cinam. gran. 2.

Postea

℞. Cinam.
Sacchar. cand. ℥ i.
Piper. ʒ i.
Sem. coriandr. ℈ ij.
Croci ʒ ß.
Subtilissimè pulverisatis adde opium dissolutum, sensim opio pulveres miscendo.
Postea cum syr. de papaver. redigantur in massam pilularem addendo moschi ℈ ß.
Massa hæc diu in mortario agitetur, & ne exsiccetur, Ol. de Been parum subigatur. Servetur in loco humido.
Vires. *Dolores sopiunt, somnum conciliant.*

Dosis gran. 5. 6. Sennert. in Instit.

6. *Pilulæ de Styrace, sive laudanum Pectorale.*

℞ Styrac. calamit. ʒ ij.
Laudan.
Olib.
Myrrh. an. ʒ j.
Succi glycyrrh. ʒ i ß.
Ambr. gris. ℈ j.
Extract. Opii per acetum desill. parati ʒ j.
Croci cum Spirit Vin. facti ℈ iiij.
M. cum.
Syr. de cort. citrin. ʒ ij.
F. Massa pilul.
Dosis gran. x. Sistit pertinacissimam tussim & catarrhum ferinum. Prægnantibus non sine abortus discrimine tussientibus multoties cum successu dedit S. Clossæus Archiater apud Metenses.

7. *Pilulæ ad tussim.*

℞. Succ. Glycyrrhiz.
Thur. ana ʒ j.
Myrrh.
Croc.
Opii ana ℈ j.
Cum Syr. pap. errat. q. s.
F. Massa.
Vires. *Catarrhos subtiles & salsos à capite ad pectus incrassant, ebullitiones humorum sistunt, tussimque sedant.*

Dosis à gran. vij. ad ℈ ß.
Purgantes:

1. *Pilulæ de Ammoniaco Quercetani.*

℞. Aloës cum aqua Endiviæ solutæ & purificatæ, ℥ iv.
Gumm. ammoniac. in aceto scyllit. soluti & colati.
Myrrhæ in Vino igne MB. dissoluti, & dum calet adhuc transcolati, ā. ℥ ß.
Mastichis.
Spec. Diatr. Santal. ā. ʒ ß.
Croc. ℈ ij.
Sal. Fraxini vel Absynth. ℈ iv.
Cum Syrupo de stœchade, vel de succ. rosarum.
F. Massa Pilularum.
Vires. *Purgant insigniter tartarum, omnemque feculentam corporis materiam, magnoperè conferunt adversus omnes defluxiones, cachexias, oppilationes lienis, ejusdemque duritiem & scyrrhum, febres quartanas inveteratas: præstantissimæ sunt ad homines corpulentos evacuandos.*

Dosis à ℈ ß. ad ℈ j. ad laxationem alvi, alias ascendi poterit ulterius.

2. *Pilulæ Arthritica Guillelmi Ernesti Scheffer Medici Francofurtensis.*

℞. Resin. Jalap. ʒ ß.
Essent. Rhabarb. ℈ j.
Aristoloch. rot. ℈ iv.
Gentian.
Tartar. vitriolat. an. ℈ j.
Diagrid. rosar. ℈ iv.
Mag. Chalyb. ℈ j.
M. F. cum Essent. Fol. senn. Pilulæ numero xxx. pro ʒ j. & deaurentur.

Hæ pilulæ apprimè conveniunt in catarrhosis defluxionibus, imprimis iis quæ ad artus decumbunt, pituitam & serosos humores blandè educunt, & viscera obstructionibus liberant.
Dosis v. vj. vij. vel ix.
Acuuntur interdum Troch. Alhandal, Mag. Gutt. gemm &c.

3. *Pilulæ Benedictæ.*

℞. Aloës rosat. ℔ ß.
Gumm. ammoniac. in guttis, s. purissimi, ℥ ij.
Succ. Card. benedict. inspissat. ℥ j.
M. cum vino albo, vel aqua card. benedict. rectificatâ.
F. Massa.
N. *Aloë succotrina purissima subtilissimè teritur, succus rosarum incarnatarum ad pultis consistentiam permiscetur, siccatur, teritur.*
Usus ante & post pastum, imò ejus initio ac fine.

Dosis gran. xv. ℈ j. &c.

4. *Pilulæ Cholagogæ de Centaurio Quercetani.*

℞. Succor. optimè depuratorum.
Centauri minor.
Rosar. pallidar.
Eupator. Mesue.
Rad. oxylapathi, ā. ℥ iv.
Quibus adde aloës præparat. (ad modum Quercet. vide libr. 4.) ℥ vi.
Digerantur MB. hor. duodecim, ut fiat perfecta dissolutio, & mixtio, dein omnia coagulentur ad mellis consistentiam.
Cui adde
Pulv. Rhabarb. ℥ i.
Xyloaloës.
Myrrhæ ā. ʒ ij.
Croci.
Cinamom. ā. ʒ ß.
Spec. Diatr. santal.
Trochis. Diarrhod. ā. ʒ i.
M. F. Massa.
Vires. *Prosunt in omnibus febribus biliosis, arcuato morbo, & cachexia. Jecoris itidem, cæterarumque partium nutritioni dicatarum obstructionibus mirificè auxiliantur.*

Dosis à ʒ ß. ad ʒ j.

5. *Pilulæ de Esula Fernelii.*

℞. Cortic. rad. Esulæ minor ceratæ hor. 20. in aceto & succo portulacæ ʒ ij.
Grana Ricini expurgata & torrefacta numero XL.
Mirobalanor. citrinor. ʒ i ß.
Chamædryos.
Chamæpityos.
Spicæ nardi.
Cinamomi ana ℈ ij.
Omnia tenuissimè trita excipiantur Tragacanth. aqu. rosar. solut. ℥ i.
F. Massa.
N. *Esula non sit recens, sed saltem ante menses octo collecta.*
Vires. *Valde turbant, sed sunt efficaces in corporibus robustis.*
N. *Minùs exsiccabuntur, sed & minùs efficaces erunt si excipiantur syrupo rosarum solutivo, non mucilagine Tragacanthi,*

Dosis à ℈ j. ad ℈ i ß. &c.

6. *Pilulæ de Euphorbio, Quercetan.*

℞. Euphorb. præparat. (ad modum Quercetan. vide libr. 4.) ℥ i.
Spic. nardi.
Mastiches, ā. ʒ vi.
Opopanac.
Sagapeni præparat.
Bdell. ana ℥ ß.
Agaric. troch.
Troch. alhandal, ā. ʒ iij.
Syrupi violati aciduli q. s.
F. Massa.
Vires. *Mirabiles sunt contra omnis generis febres chronicas, intermittentes, atque quartanas, necnon contra omnes cachexias, hydropisin & colicos dolores.*
Dosis à ℈ j. ad ℈ ij.
N. *Habet Quercetanus & pilulas pestilentiales de Euphorbio.*

7. Pilulæ

7. *Pilulæ febriles, s. antimoniales ad febres, Hartmanni.*

℞. Vitri antimonii (justo tempore, si fieri potest, & diligentissimè) præparati, prætereaque cum spiritu Vitrioli albificati & tenuissimè pulverisat. ℥ß.
Sacchar. Candi ℥iij.
Farin. tritic. ℥iv.
Croc. elect. ℈j.

Coque cum aqua communi l. Ign. ad consistentiam pultis: cavendum tamen studiosè, ne in fine massa aduratur, sed ferè panis formam habeat. Asservantur in integritate sua quadriennium: Postea tandem scabritiem contrahunt, minùs deinde utiles.

Vires. *Mirificè febriles mineras, aliaque symptomata exhauriunt. Exhibentur ante paroxysmi insultum, cùm vestigia horroris gliscunt.*

Dosis à ℈ß. in pueris, ad ʒj. in adultis fortioribus.

8. *Pilulæ febriles ad quartanam, Sennerti.*

℞. Ol. antimon. ii saccharati ℥j.
Aloës succotr. ℥ß.
Ambr. gris. ʒij.
Croc. ʒiiß. (vel essent. croc. ʒi.)
F. Massa pilularum.

Vires. *Purgant per inferiora; nonnunquam per sudorem.*

Dosis ℈ß. ante paroxysmum, cum conserva v. g. rosarum, &c.

N. *Dicitur Laudanum mercuriale.*

9. *Pilulæ febrifugæ D. D. Schefferi.*

℞. Sp. hier. picr.
Resin. Jalap. an. ʒij.
Fecul. Aron.
Essent. Rhabarb.
Lig. Colubr.
Gentian.
Centaur. min.
Rosar. rub.
Diagryd. rosat.
Tartar. vitriolat. an. ℈j.
Ol. citr. g. vi.
M. F. cum essent. Fol. Sen. pilulæ num. xxx. pro ʒj.

In omnibus febribus intermittentibus admodum utiles sunt, & in ventriculi compressionibus, ejusque cruditatibus à bile & pituita ortis. Vermes quoque expellunt.

Dosis iij. iv. v. vj. vij.

[*Pilulæ Glassii Archiatri Gothani, quæ cum Angelicis certare putantur, ex Aloë succotrina aqua simpl. extracta & depurata, inque M B. vaporoso coagulata, & succo Violarum sæpius nutrita, adjectâ inter extrahendum æri non præparati, vel scyllæ particula, & cum Elixyr proprietatis, vel essent. absinth. alkalisata, constant sec. Hofm. Dos. 5. 7. 9. ante vel post cœnam formatæ instar Angelicar.*]

Celebrantur in ventriculi cruditatibus, affectibus Hypochondriacis, & pro præservatione ab arthritide.

10. *Pilulæ gummosæ S. Closs.*

℞. Gumm. ammon.
Galban. in aceto scyllit. liquat. & per linteum traject.
ā. ʒiij
aloës in vesicâ.
myrrh. ana ʒij.
mastich.
croci Orient. an. ℈ij.
turbith
agar. trochisc. an. ℈iv.
trochisc. alhand. ʒj.
scammon. præpar. in spirit. vini ʒiß.
balsam. Peruv. tepidi ʒiii.
M. omnia simul, & adde mercur. cum auro præcipit ʒij.
F. Massa pilul. in aluta ol. amygdal. dulc. involvenda: coquenda sunt lento Igne aceto paulatim evaporato (spatulâ semper agitando) materia in massam reducatur.

Dosis cap. ij. aut iij. instar baccarum juniperi horâ primâ ante cœnam, & in ingressu lecti.

Vires. *Dupliciter agunt in morbis quartanariis, hydrope, cachexiâ, chlorosi, menstruis provocandis, ictero utroque; primo per vim suam attenuantem & emoll. materiam præparant Catharcticis expellendam; secundò humores liquatos fluxilesque redditos blandè expurgant.*

11. *Pilulæ Hydropicæ Bontii Medici apud Hollandos quondam celeberrimi.*

℞. Aloës opt. ʒiiß.
Gumm. gut. gam. subtiliter pulver. & cum malvatico dissoluti & lævigati, ʒiß.
Diagrid. eodem modo parat. ʒj.
Gumm. ammoniac. ʒiß.
Tart. Vitriol. lat. ʒß.
Cum syrup. ros. sol.
F. Massa.

N. *Hæ sunt illæ pilulæ, ex quibus unà cum Tartareis, infra descriptis, Bontius Principis Auriaci Medicus maximam sibi famam acquisivit.*

Vires. *Educunt aquas potenter.*

Dosis ℈ß. ad ℈j.

[*Pilulæ Hystericæ Gregorii Horstii, quas Autor libri II. fini apposuit, & huc referri dignas duxit, in editionibus prioribus sunt hæ.*]

℞. Aloës succotr. ʒiij.
Myrrh. opt. ℈j.
Extr. cal. ar.
Card. bened. an. ℈ß.
Croc. g. iii.
Rad. Gentian.
Aristol. long.
Dictamn. an. g. V.
Cum Rob. sambuc. f. Massa.

Vires. *In impuritate uteri, & mensium obstructione à crassis & pituosis humoribus proveniente, cum successu exhibentur.*

Dosis ʒß. per dies aliquot continuando.

12. *Pilulæ Iliacæ Rhasis.*

℞. Colocynthid.
Segapen. ana ʒvi.
Diagrid. ʒij.
Cum succo porri.
F. Massa.

N. *Alii omisso succo porri, solvunt sagapenum in vino, eoque reliqua suscipiunt.*

Vires. *Solvunt passionem iliacam ac colicam, cephalalgicis hemicranicis salubres sunt. Verum cum judicio usurpanda.*

Dantur à ℈ß. ad ʒß.

13. *Pilulæ de Laudano.*

℞. Laudan. ℥ß.
Mastich. ʒj.
Calefiant in mortario, & dissolutis adde.
Troch. Alhand. ʒiij.
El. de succ. rosar. ℥ß.
Cum Syr. ros. sol. q. s.
F. Massa.

Vires. *Subducunt alvum, mucilaginemque Tartaream emolliunt & expurgant, ususque sunt insignis in dolore Colico.*

Dosis à ℈j. ad ʒj.

Greg. Horst. obs. part. 1. lib. 4. obs. 11.

14. *Pilulæ Marocostinæ Mindereri.*

℞. Mari veri.
Croc. orient. ana ʒj.
Agar. trochisc.
Cost. veri indici.
Myrrh. elect. ā. ʒiß.
Ammoniac. thym. ʒiij.
Rhabarb. el. ʒvi.
Lign. Aloës ʒß.
Aloës succotrin &c.

1. Solvatur ammon. in aceto scyllit.
2. Diluatur myrrha lævigata, in aceto rutac.
3. Diluatur aloë lævigata in Saccharo rosar. ℥vi. defæcetur, coleturque.

Hinc mistis his tribus, affunde succ. limon. aut citri, ℥iv. addeque agaricum cum succis apii, fœnic. & absynth. in pulticulam subactum, accedente modicâ irroratione aqua cinamoni, ut & Rhabarbarum simili modo cum succis cichor. Pimpinellæ ac fumariæ subactum.

His ita mixtis terantur crocus, costus & lignum aloës, diluanturque cum aq. rosar. frag. & succ. citr. ana.

Tandem confunde utrumque & affunde.
Aq. Lupul.
Borrag.
betonic. ā. ℥iv.
Card. bened.
Agrimon.
Iv. Arthetic.

Centaur. min.
Rorismarin.
Cerasf. nigr. ā. ℥ iv.
Digerantur in MB per dies ac noct. 3. dein decantetur, filtretur & abstrahatur in MB. postmodum inspissetur ad consistentiam pilularum.
Ex fæcibus residuis fiat de novo Extractio cum extillata illa & abstracta Aqua s. a. exprimatur leviter, coletur, & inspissetur pro pilulis.
Vires. *Mucilaginem tartaream in ventriculo, mensenterio, liene, epate collectam incidunt, paulatim educunt, viscera eadem, ut & caput simul roborant, adeoque morbis quamplurimis inde ortum trahentibus succurrunt. Vide & pilulas Tartareas Querc.*
Dosis à ℈ß. ad ℈j. Extracti prioris; posterius enim dosi exhiberi potest majori.

15. *Pilulæ matricales DD. Schefferi.*

℞. Sp. hier. picr. ℥ß.
Extr. Asar.
Gentian.
Aristoloch.
Helen.
Myrrh.
Dictam. alb.
Rub. Tinct.
Croc. an. ʒß.
M. F. pil. cum Syr. Artemis. instar. pisorum.
Menses cient & puerperia promovent, uterum ab impuritatibus liberant.

16. *Pilulæ Panchimagogæ Quercetani.*

℞. Aloës optimè præparat. [modo Quercetan. vide libr. 4.] ℔ß. affunde succum violarum optimè per digestionem depuratum, atque ad mellis consistentiam inspissatum, expone calori solis vel simili, singulis diebus rudicula lignea agitando, sic exactè paucis diebus commiscebuntur. Mixtioni suo tempore (prout habere recenter poteris,) adde
Succorum (optimè per digestionem depuratorum, & ad mellis consistentiam inspissatorum,) sc.
Florum primulæ veris.
Persicæ arboris.
Rosar. pallidar.
Cichorii.
Buglossi.
Hyperic. ana ℥ iv.
His cum Aloë perfectè mixtis (erit Massa, ℔. ij.) adde
Extract. Sennæ.
Agaric.
Rhabarb. ā. ℥ ij.
Cinamomi.
Pulv. fœnic.
Anis. ana ʒ i.
Spec. Diatr. santal. ℈ iv.
F. Massa.
[*Pilulæ Papales Italis dictæ, conveniunt cum Imperialibus: Usurpantur à cœna vel ante, numero 3. 4. 5. 6. 7. 8. ad X. & ultra quotidie, vel alternis diebus, continuando dies aliquot summam dosin, hinc quotidie descendendo formantur pondere granorum 2. paulove majores.*]

17. *Pestilentiales composita.*

℞. Aloës epatic. puriss. ℥ j.
Croc.
Myrrh. an. ʒ j.
Zedoar.
Gentian. an. ℈ j.
Rhabarb. el. ʒ ij.
Agaric. alb. ʒ j.
Theriac. Andr. nucis Jugland. quantit.
Species pulverisentur seorsim, dein misc. in mortario. Ex Massa f. Pilulæ instar pisorum.
Vires. *Memoriam roborant, visum acuunt, omnia membra confortant, tormina ventris sedant, alvum laxant, cruditates tollunt, putredinem, pestilentialesque morbos arcent. Quin & sudorem cient, adeoque Panaceæ instar nonnullis habentur.*
Prophylaxeos causâ Pil. N. I. singulis diebus: Curationis verò viij. vel x. cum aq. conven. agerque benè tectus sudet.
N. *Sunt qui Pilulas Jesu vocant, secretasque sic habent.*

18. *Pilulæ antipodagricæ Doringii.*

℞. Pulv. Chamæpith.
Chamædr. ver. an. ʒ ii.
Centaur. min.
Rad. aristoloch. rot.
Rhapont. ver.
Gentian.
Sem. hyperic.
Cran. human. præpar.
an. ʒ iß.
Rad. Cichor.
Santal. rub. an. ʒ i.
Incorporentur cum s. q. succi Chamæpith. addendo nonnihil terebinth. cypr. pro meliore unione, f. pil. pro lubitu.
Usus: assumantur per 30. dies singulo trimestri pondere ʒß. Horst. observ. lib. 3. observ. 3. pag. 158.

19. *Pilulæ Polychrestæ S. Closs.*

℞. Extract. aloës cum cichor. præpar. ℈ iv.
Colocynth. per aquam fumar. parat.
Resin. scammon. subtil. pulverisat. an. ℈ ij.
Croci Angl. pulver.
Salis Tart.
Myrrh. troglod.
Flor. Sulph. Benzoinat. ana ℈ j.
F. Massa s. a.
Dosis ℈ j. jejuno stomacho mane sumenda, aut tribus post cœnam horis. Omnis generis humores purgant.

20. *Pilulæ de Sagapeno Quercetan.*

℞. Sagapen. gummos. depurat. ʒ vi.
Ammoniac. depurat. ʒ iij.
Extract. trochisc. Alhand. ℥ i.
Diagryd. ℥ß.
Salis gemm. ʒ iß.
Cum syrupo violato acidulo & tincto, f. Massa, ex qua conficiantur pilulæ in pisi vel ciceris formam.
Vires. *Admirandi sunt effectus in febribus quartanis, dissolvunt nimirum faces gummosas, & tenaciter corpori nostro adhærentes.*
Dosis, unica pilula initio paroxysmi, continuando aliquot dies. Sed usu mearum præcedat præparatio, v. gr. cum decoctis præparantibus melanagogis, & similibus.

21. *Pilulæ de Succino Cratonis.*

℞. Pulv. Succin.
Mastich. ā. ℥ß.
Aloës ʒ. x.
Agaric. ʒ iij.
Aristoloch. rot. veræ ʒ i.
Cum Syrup. de Betonic. q. s.
F. Massa.
Vires. *Alvum leniter solvunt, caput roborant, adeoque à catarrhis præservant. Præscribit Author bis in mense, sumereque jubet post primum somnum.*
Dosis ℈ j. Crato.

22. *Pilulæ Tartareæ, seu Melanagogæ, Quercetani.*

℞. Crystal. vel cremor. Tart. ℥ iij.
Polypod. quern. ℥ ij.
Passul. corinthiac. ℥ iß.
Myrobalan. omnium ana ℥ß.
Flor. Bugloss.
Borragin.
Nymph. ana p. I.
Coquantur in s. q. aquarum fumariæ & scolopendriæ ad medietatis consumptionem. Hinc
℞. Decocti hujus depurati ac clarificati ℔. ij.
Succi pomorum redolentium depurat. ℔. I.
Adde
Folliculorum senæ mundat. ʒ iij.
Turbith.
Rad. hellebor. nigr. veri, ā. ʒ iß.
Macis.
Myrrh. el. ā. ℥ j.
Caryophyll.
Cinamom.
Epithym. ā. ℥ß.
Macerentur & digerantur ad ignem MB. (dies 4.) vase vitreo clauso, dein dum materia adhuc fervet, fiat expressio, vel per setaceum trajectio, cui adde aloës depurat. ℥ iij. omnia sufficienter coagulentur ad ignem lentum: addendo sub finem dum ferè refrigerata erit materia.
Spec. Diarrhod. Abb.
Lætific. Gal.
Troch. Dialac. ā. ʒ i.
Sal. Absynth.
Fraxin. ā. ʒ ij.
Essent. (tinctor.) croc, ℈ ii.

Ol.

Ol. anis. aliquot guttul.
Reducantur in bonam pilularum consistentiam.

N. *His pilulis adjicit interdum Essentias Aloës, & Scammon. Essent. (Extract.) Rhabarb. ā. ℥iß. Essent. (Extr.) Sen. ℥j. & Essent. (Extract.) Trochisc. Alhand. ℥ß. plus minus, vocatque polychrestas.*

Vires. *Admiranda illarum virtus* (inquit Quercet.) *nunquam satis laudari potest, purgant utramque bilem, omnes humores crassos, tartareos, salsos & mucilaginosos radicitùs eliciunt, vel è partibus etiam profundissimis: succurrunt diversis maniacis & melancholicis affectibus, febribus quartanis opitulantur, & conducunt adversus psoram, cancrum, lepram, & luem veneream, eo quòd purificent totam massam sanguinis à variis corruptionibus, diversorum effectuum effectricibus causis. Sumi possunt mane ac vesperi post cœnam parciorem, & ante somnum.*

Dosis ℈j. vel ℈iß. ad summum.

23. Pilulæ Tartareæ Bontii.

℞. Aloës succotr. el. ʒiij.
Gumm. Ammoniac. (cum aceto styll.) depur. ℥iß.
Tart. Vitriolat. ℈iß.
F. s. a. Massa.

Vires. *Prioribus substitui possunt, maximi enim sunt levaminis in morbis Tartareis, quales sunt affectus hypochondriacus, obstructio lienis, mesenterii, &c. Incidunt enim tartaream mucilaginem, imprimis quæ in prima ventris regione collecta est, eamque per dejectionem expurgant.*

Dosis à ℈j. ad ʒ1. mane vel ante cœnam

N. 1. *Tantæ sunt apud Hollandos æstimationis, ut piaculum habeant communes eas reddere.*

Duplicis autem circunferuntur ibidem sortis.

1. *Parantur uti jam dedimus.*

2. *Recipiunt extractum rhabarbari, paratum ex rhabarb. Elect. ʒʒ. & corrigentibus, spec. diamarg. frigid. & diarrhod. abbat. an. ʒ1. In succo citri per noctem maceratis, in quorum colatura dissolvuntur species superiores, fitque s. a. Mass. & sic respiciunt magis Epar, regionemque secundam bile levant.*

N. 2. *Eædem illæ priores pilulæ addito styracis ℈1. nostratibus in usu sunt, ex ordinatione D.D. Petri de Spina, Medici ut celeberrimi, ita deterrimi.*

24. Pilulæ Tartareæ meæ descriptionis.

♃ Aloës Lucidæ frag. id est cum succo fragorum in succata. ℥1. resin. ammoniac. ʒ1113. Sal. martis sub dulc. Essent. croci orient., an. ʒ1. Magister. Tartar. purg. in aqua buglossa aliquoties soluti & coagulat. ʒ11. extract. gentian. ʒ1ß. cum Tinctura.
Tartar. f. Massa.

Vires. *Saburram tartaream, & mucilaginosam ex infimo ventre imprimis aducit lienem, uterum, & Epar infarctu liberat, morbosque inde prognatos felicissimè curat.*

Dosis ℈ß. vesperi ante cœnam assumpta, quippe die subsequenti leniter dejectiones aliquot causantur.

N. *Constitueram pilulas has, utpote quarum operationes optatas multoties expertus sum, mihi soli reservare: ac vincit candor & amor in proximum, cujus saluti non prodesse vetat conscientia.*

N. *Desideratas forsan, amice lector, in numero pilularum, angelicas vulgò dictas, quas clariss. D. D. Hartman. beyero. p. m. officinæ nostræ acceptas referunt has libentissimè inservissem, nisi cautum esset illa propalare ea propter excusatum me habeas, certoque tibi persuadeas descriptiones multorum ingredientium, quas pro angelicis venditari videris, non esse genuinas, ipsa enim duobus solis nituntur vegetabilibus, suntque extractum propriè dictum, extracto impropriè dicto commixtum, &c.*

N. *Pilulæ Vucibelii in frequenti usu sunt mosellæ rhenique accolis, nec non nostratibus laudem merentur ob* accuratam compositionem, & efficaciamin asthmata cruditatibus ventriculi, affectu hypochondriaco, cachexia, &c. constant ex radicibus aperitivis, herbis hepaticis, & spleneticis, fructibus gummi diversis, rhabarbaro, agarico, aloë, sacharo, infusionibus, sive extractionibus repetitis, labore ferè æquali illi, quem Zuvelferus in Emendatione pilul. Tartaræar. quercætan. Impendit.

QUONIAM adsunt quædam enchireses notandæ. Inter pilulas officinales sunt.

PILULÆ *purgantes* DE AGARICO.

Hæ pilulæ conveniunt valdè *in affectibus pectoris & pulmonum*, quando pulmones infarcti sunt copiosa mucilagine viscida & crassa: In Tussi, Astmate, & similibus: Cum dixerim superius de Agarico, quod sit appropriatum purgans in affectibus Pectoris.

PILULÆ AGGREGATIVÆ MAJORES & MINORES.

Hæ pilulæ, præscribuntur tanquam catholicum seu universale purgans quoscunque humores.

PILULÆ ALOE-PHANGINÆ.

Istæ constant ex speciebus purè aromaticis, his tamen additur stimulus, unum vel alterum granum Scammonii sulphurati, & propterea præscribuntur. ℞. Mass. Pilul. Aloephang. cum scammon. s. diagrydio, & ℞. Mass. Pilul. Aloephang. s. scammonio quæ sæpius præscribuntur. Quæ sunt sinè scammonio, valdè conveniunt *in affectibus ventriculi & intestinorum*, cum constent ex aromatibus. *Imprimis* si sint læsæ hæ partes *ex frigore externo*, *ex potu crudo*, non ritè fermentato: item si sint obsessæ materia viscida, imprimis pituitosa acida, unde oriuntur dolores & tormina, in tali casu sunt optimæ: quando oritur *Colica* à pituita tali, optimæ & *instar secreti habendum* in hac forma.

℞. *Mass. Pilul. aloephang. sin scam.* ℈j.
Laudan. Opiat. gr. ij.
c. s. q. *Essent. Cortic. Aurant.* F. l. a. Pillulæ.
Dolor. sedât.

subitò *leniunt dolores*, & intra 4. horas leniter purgant per inferiora.

Similes sunt *pilulæ*, ex hoc fundamento factæ, *contra Arthritidem* RHUMELII, de quibus aliquando memini, quod vocitentur *veni amice surge & ambula* descriptio est hæc

℞. *Mass. Pilul. aloephang.* ℥ii.
Laud. Opiat. ʒß.
M. F. pilulæ, dividant. in jv. part. æqual.

Hic obiter noto, quod ʒß. *Laudani opiati* præscribatur pro 4. dosibus, quoniam *singularem habuit RHUMELIUS præparationem*: pro varietate enim præparationum nunc præscribitur ad ij. iij. jv. nunc ad x. gran. quod probe notandum.

Præterea *sunt singulares* hæ pilulæ aloephanginæ, quas magni æstimo, si singulis mensibus ℈j. vel ʒß. assumatur *ad præservandos oculos*: observetur dosis ingredientium: prosunt *in suffusionibus*, in *imbecillitate visus*, in *suffusione notha*, & similibus aliis affectibus oculorum. Præter hæc valdè conveniunt hæ pilulæ *ad præservandam ebrietatem*, ubi necesse est, ut benè potemus. Referente SALMUTH *in Obs. Medicarum Cent.* 3. *obs.* 44. Sic" enim dicit de his: Quidam respuebat amygdalas" amaras, & aliquot pilulas de his deglutiebat," undè manè, nequicquam molestiæ ex potu per-" cipiebat. Uocantur etiam *pilulæ aromaticæ*: Et observatum fuit, quod soleant *stimulare* Venerem, adeo ut post earum usum erectio membri fuerit secuta strenua.

PILULÆ DE MASTICHE.

Valdè conveniunt *in affectibus capitis* aliisque in specie, *in dolore capitis per consensum uteri* valdè commendantur à FORESTO *Descriptio* est in *Dispens. August.* valdoperè quoque in *cruditate stomachi* sunt egregiæ; Cum Mastiche sit appropriatum stomachicum.

PILULÆ DE AMMONIACO QUERCETANI.

Hæ pilulæ *sunt egregiæ*, & valdè *commendantur in affectibus chronicis*, quos veteres dicunt oriri ex obstructione Mesenterii & lienis. Verbi gratia; Conveniunt in *malo Hypocondriaco*, in *Scorbuto*, in *Cachexia*, *Quartana*, *Podagra*, & similibus; quam podagram imprimis præservare dicuntur. *Dosis* est à ℈ß. ad ℈j. valdè conveniunt, & quoniam non sunt nimis purgantes, propriè *addendus* conveniens *stimulus* ex Scammonio, aut Trochiscis alhandal, imo ex ambobus simul.

PILULÆ ARTHETICÆ.

Ita dicuntur propterea, quoniam *in principio* insultus *paroxysmi podagrici* solent convenienter præscribi: item singulis 4. anni partibus pro præservandâ arthritide. *Concinniores* sunt *pilulæ arthritici* SCHEFERRI, quas *habet* Autor SCHROEDERUS, quæ valdè commendantur in tali usu. Præter arthritidem commendantur in *Paralysi*, in *Tumore* & similibus articulorum affectibus.

PILULÆ AUREÆ NICOLAI.

Hæ sunt *satis fortes*, & solent præscribi *in affectibus stomachi & capitis* invicem consentientium. In quo usu etiam pilulæ cochiæ solent præscribi. Imo *sæpius* fit, ut pilulæ *aureæ* & pilulæ *cochiæ* præscribuntur *simul* in talibus morbis, inprimis capitis contumacioribus.

Num. III. PILULÆ BENEDICTÆ.

Hæ sunt quasi pilulæ Usuales, & *valdè convenientes. Præservant* enim corpus à quibuscunque *affectibus putridis*, quoniam aloë est basis. Quæ est balsamum præservativum ab omni putredine ac corruptione. Huic additur tanquam stimulus ammoniacum, cujus usus est satis cognitus in tono viscerum conservando, & obstructionibus præcavendis. His accedit succus carduibenedicti, qui non minus est elegans præservativum. Possunt singulis octo diebus V. vel VI. vel VIII. assumi, ut bis vel ter deponatur, & ita corpus in vigore conservetur.

Num. IV. PILULÆ CHOLAGOGÆ QUERCETANI.

In *febribus biliosis*, in specie *tertianis* conveniunt, sunt tamen rari usus, utut à Quercetano tanquam catholicum purgans soleant præscribi, & in affectibus tam chronicis quam acutis usurpari.

PILULÆ DE EUPATORIO MESICA.

Hæ *magis corroborant* & confortant, *quam* quod *purgent*, unde *stimuli* paulò fortiores sunt *admiscendi*.

Pilul. de Euphorbio Quercetani.

Hæ sunt *crudiores*, quam ut tutò possint usurpari.

Num. VII. Pilul. Febriles.

Ex vitro antimonii præparato sunt paratæ. Et credo, quo propter vitrum antimonii conducant in febribus, cum certum sit, quod dicit Poterius, quod febrium *chronicarum* appropriatum *purgans* sit antimonium. Item erunt convenientes in *affectibus melancholicis*, in *melancholia hypocondriaca*, in *mania*, cum affectuum *melancholicorum* appropriatum *purgans* sit antimonium.

Num. VIII. Pilul. Febriles contra Quartanam Sennerti

Quarum basis non est inelegans. vid. Autorem.

Pilulæ Foetidæ Mesuæ.

Ita vocantur *ratione odoris*, quoniam constant ex Castoreo, ex Asa fœtida & similibus, *conducunt Mulieribus* uterinæ suffocationi obnoxiis, quibus commode præscribuntur. Item conveniunt *ubi menses* sunt *remorati* pro iis ciendis, quoniam ingredientia simul sunt emmenagoga.

Num. IX. pilul. de Fumaria Avicennæ.

Sunt pilulæ catholicæ, & valdè conducunt *in affectibus melancholicis*, in *scabie*; conducunt ubi opus est *purificatione sanguinis*, imprimis in *affectibus cutaneis*.

Num. X. Pilul. Gummosæ.

Compositio est elegans, & quæ valde convenit *in quamplurimis morbis*. In specie quidem ratione gummi ammoniaci & galbani insigniter prosunt, *in affectibus intestinorum*, è mucilagine vel pituita acida ortis: unde in *colicis torminibus* ex eadem mucilagine vel pituita acida oriundis insigniter conducunt. Deinde valde conveniunt in *affectibus stomachi* in *Apepsia & bradipepsia*, quos affectus corrigunt: In affectibus *chronicis*, 4tana *cachexia menstruorum vitiis* & similibus insigniter conducunt: sicuti facile patet ex examine ingredientium & quæ postmodum de earum virtutibus subjicit Autor. Nam *Gummi*; uti notum est, *conveniunt specifice in evacuanda pituita* crassa ac viscida. Unde etiam *pilulæ de sagapeno Quercetani* in hoc ipso insigniter conveniunt.

MASS. PILULL. De Hermodactylis.

Harum *descriptio* prostat *in Dispensatoriis* Augustanorum, Cordi & Renodæi: nam hoc significant literæ A.C.R. Conducunt *in affectibus* articulorum *Arthriticis*: Item in *tumoribus pedum & manuum ædematosis*: qui sæpè subsequuntur morbis chronicis & diuturnis.

Mass. Pilul. De Hiera Picra.

Ex aloe. myrrha, scammonio, & similibus vide *Dispensat.* Aug. Hæ conveniunt imprimis *in expurgandis primis viis*, uti etiam in *expurgando pectore*. Id quod imprimis præstat massa pil. de Hiera c. agarico, quæ sufficere potest ad pilulas catholicas, præprimis *in affectibus abdominis & pectoris* & variis modis *potest specificari* cum extract. absynth. & sic fit appropriata pro affectibus ventriculi & intestinorum: cum Gummi Ammoniaco appropriatur in affectibus splenis, mesenterii & epatis; cum extracto quodam pectorali specificatur ad affectus pectoris. Sed possunt esse pilulæ Hypochondriacæ hoc modo.

℞. *Mass. Pilul. de hier. c. agaric.* gr. xv. raro ad ℈j. præscribuntur.)

Cum Ammoniac. acet. scyllitic. solut. ℈ß. *Extract. Martis gr. v. Trochisc. alhand.* gr. j. c. s. q. *Essent. Fumar. F. l.* à pilul pro dos. j. aper & purg.

Evacuant bilem mucilaginem viscidam & si milia alia excrementa.

MASS. PILULL. HYDROTICARUM.

Ex tempore possunt fieri pilulæ. hydroticæ, quæ serum & aquam expurgant, ex extracto Elaterii, colocynthidis, Gummi de Peru. s. Gummi Gottæ, & similibus, quæ satis potenter avacuant serum & aquas per inferius guttur Compositio v. gr. potest esse talis.

℞. *Extract. Elater.* ℈ß. *Magist. Gum. d. Peru* gr. vj. *Extract. Trochisc. alhand.* gr. ij. c. s. Succ. Absinth. inspissat. F. pilulæ. purg. quæ conveniunt in hydrope & similibus affectibus.

Num XI. Pilulæ Hydropicæ Bontii.

Quæ *sunt egregiæ*, & quarum *basis* est gummi Gottæ, *adjuvans* est aloe: *stimulans* diagrydium & digerentia & præparantia sunt Gummi Ammoniacum & tart vitriol. lat. Vide descriptionem in Autore, quæ est elegans, & valdè conveniunt in hydrope, singulis septimanis semel sunt reiterandæ.

Pilulæ Indæ Haly.

Rari sunt *usus*, nihilominus tamen in *scabie & tumoribus melancholicis* conveniunt, uti etiam *in 4tana*. Observetur hic simul, quod superius dixi quod nimirum pilulæ in affectibus melancholicis non nnt adeò convenientes, quoniam non ita solent operare, ut in reliquis subjectis. Cæterum *corrigitur hic defectus quando post pilulas hauritur haustus seri lactis*, hora una vel altera interjecta. Sic enim facilius dissolvuntur pilulæ, & distribuuntur in corpus, & felicius ac promptius purgantur melancholici.

Num. XIII. Pilulæ de Ladano.

Compositio est satis simplex nihilominus tamen potenter operantur, conveniunt *in* quibuscunque *affectibus intestinorum* tartareis, & ab acido viscido oriundis. Item *ubi caput dolet* per consensum ventriculi: Item valdè conveniunt in *Colica*: *Basis* sunt Trochisci alhandal. Ladanum vero & Mastiche sunt dirigentia & præparantia excrementa, Electuarium de succo rosarum est corrigens virulantiam Trochiscorum alhandal.

Pilulæ

Pilulæ lucis maiores et minores.

Dicuntur ita, *quoniam* sunt in usu, quando volumus purgare *in affectibus oculorum*: potest addi stimulum ex extracto fœniculi aut etiam ol. dest. Sunt tamen qui rejiciunt has pilulas, & mitiores exoptant faciendo ex extracto cephalico cum ol. fœniculi.

N.XIV. Pilulæ Marocostinæ Mindereri.

De his pilulis integrum *tractatum conscripsit*; quem vocat *Aloedarium* ubi ingredientia sunt examinata, vires exploratæ & invicem colatæ. Conveniunt *in præservando corpore* à quibuscunque morbis imminentibus. In quibuscunque morbis purgandis *instar purgantis catholicis*, usurpari possunt. *dosis* est à ℈ß. ad ℈j. sæpius *possunt* præscribi & *determinari* ad varias partes, & *varios affectus*, additione extractorum specificorum, vires videantur in Minderero & Autore satis prolixè descriptæ.

Pilulæ Mastichinæ.

In *affectibus ventriculi* & *capitis* à frigida causa obortis conveniunt hæ pilulæ, *in dolore capitis ex consensu uteri*, præsertim si menses sint obstructi. uti hoc usum valde deprædicat Forestus *lib. 9. obs. 51.* dicit enim qui sæpe iis utuntur, præservantur à doloribus stomachi. capitis & uteri: conferunt *tristibus & melancholicis, uteri vitia certò corrigunt*. Mastiche enim est simplex in quamplurimis stomachi & uteri affectibus egregium.

Num. XV. PILULÆ MATRICALES SCÆFFERI.

Prosunt in *affectibus uteri & corporis ex mensium vitiis* abortis. Facilè enim *menses* & *lochia* s. puerperium *promovent*: uti patet iis, qui ingredientia examinant, & cognitas habent vires simplicium.

Num. XVI. PILULÆ PANCHYMAGOGÆ QUERCETANI.

Dicuntur ita, quoniam ex veterum hypothesi omnes humores indiscriminatim evacuant. *Compositio* vid. in AUTORE: sunt lenes & non adeò potentes, *satis* tamen *tutæ*, & valdè *conveniunt*, ubi opus est *catholica purgatione* præservationis gratia tempore verno aut autumnali præscribenda: pro basi *ad* ℈j. *sumi possunt*, stimulo convenienti addito.

PILULÆ PESTILENTIALES tam COMPOSITÆ quam RUFFI.

Eadem ferè habent ingredientia quam Elixir proprietatis, *Aloen* scilicet *Myrrham* & *Crocum*: convenire dicuntur in præservanda *Peste*, quod vix credendum est: Nam *Pestis* non ejusmodi amaris & alcalibus, sed *acidis vult præservari*. Interim *loco pilularum usualium* possunt usurpari, ita ut singulis septimanis vel 14. diebus assumatur dosis, quoniam una tantum aut 2. vel 3bus vicibus evacuant. Prætereà conveniunt mulieribus *pro stimulandis & mensibus & lochiis*, ratione Myrrhæ & Croci, quæ simplicia hoc in passu satis sunt convenientia.

Num. XVIII. PILULÆ PESTILENTIALES COMPOSITÆ.

Describit AUTOR. Cæterum melius ad alios affectus quam ipsam Pestem conveniunt: & ad omnes, quos ipsis AUTOR affectus tribuit, conducunt, non vero ad Pestem.

Num. XIX. PILULÆ ANTIPODAGRICÆ DOERINGII,

Non *sunt* purgantes, *sed alterantes* tantum, nihilominus tamen iisdem Doringius *se præservavit à Podagra*: vid. Horstius in loco ab Autore citato, ubi est, *Epistola Dôringii ad Horstium*, in qua testatur, quomodo se illis à Podagra præservavit.

Pilul. de Rhabarbaro.

Conveniunt *in affectibus biliosis*, febribus *tertianis* & similibus.

Pilul. de Sagapeno.

Conveniunt in 4*tana*, *malo hypochondriaco* & similibus. In quartana ante paroxismum propinantur, necesse autem est, ut *præmissa sint conven. e. t a digestiva*. imprimis *martialia*.

Pilul. sine quibus esse nolo. Nicolai.

Præscribuntur pilulæ sine quibus. Sunt *rari usus*: nihilominus tamen pro purgatione catholica interdum præscribuntur.

N.XX. Pilul. de succino Crationis.

Describuntur ab Autore, conveniunt valdè in *affectibus catharralibus*, & ubi opus est purgatione seri. Vocantur etiam *pilulæ catharrales*, quoniam in affectibus catharralibus, *in defluxionibus ad oculos, nares & fauces* sunt egregiæ.

N.XXI. Pilul. tartareæ Quercetani.

Dicuntur *tartareæ*, quoniam adjuvans est cremor tartari. Valdè conveniunt *in affectibus melancholicis, Scorbuto, malo hypocondriaco*, in *quartana*, in genere in *omnibus affectibus chronicis*. In specie in scorbuto valdè commendantur. Sic in affectione hypochondriaca, cachexia & aliis affectibus chronicis potest præscribi talis formula.

℞. *Mass. Pilul. tartarear. Quercet.* ℈I.
Extract. marits apertiv. ℈ß. l. gr. xij.
(cum succo pomorum bostorffian.)
trochisc. alhand. gr. jß.
s. q. *Tinctur. antimonii* F. l. a. pilulæ. aperient. & purg.

Interdum præscribuntur simul loco baseos Mass. Pilul. de ammoniaco & Mass. Pilul. tart. Quercet. hoc modo,

♃ *Mass. Pilul. de ammoniac.*
tartar. Quercet. an. ℈ß. &c.

In scorbuto possunt fieri cum spiritu cochleariæ, vel possunt irrorari cum ol. cochleariæ destil. utut hoc fit rarius. Nam *extracta* herbarum *scorbuticarum non dantur*, propter sal volatile.

Num. XXII. Pilul. tartareæ Bontii.

Compositio est simplex sed *valde elegans*, & non minus potens quam tartarea Quercetani. Dicuntur ita. quoniam tartarus est stimulans: leniter & suaviter purgans. Nam *observetur in purgatione* scorbuticorum, hypocondriacorum, melancholicorum, & affectione hysterica laborantium, quod nullo modo ferant fortiora purgantia, id quod etiam intelligendum est de aliis *affectibus chronicis*: nec una vice multum, sed *multis vicibus parum est evacuandum, nam materia est valde cruda*. & longam requirit moram ad coctionem. Potius singulis 14. diebus. vel singulis mensibus semel talis lenis instituenda evacuatio, quæ fit per epicrasin, & quidem si una vice bis vel ter purgentur ægri sufficit: Nam propter concurrentia symptomata & tormina ventris nimia nullo modo possunt ferre purgantia vehementiora. Propterea tales pilulæ sunt cæteris præferendæ; Id quod etiam intellectum volo de hystericis: vidi enim aliquot mulieres, quæ afflictæ scorbuto, propinatis pilulis paulisper fortioribus, inciderunt in graves hystericas passiones. Quod benè observetur, quoniam est magni momenti in praxi.

Hæ sunt pilulæ purgantes ab Autore descriptæ. His adhuc addendi sunt quidam modi. Scilicet sunt, qui *pilulas saporis gratia incrustant sacharo*. Modus est hic. Sacharum solvitur in aqua conveniente admiscetur amylum ut fiat pasta mollis. Hac ipsa pasta obducuntur pilulæ, & Aeri exponuntur, vel leni calore exsiccantur. *Vel.* ℞. ad ℔ß. sachari album. ovor. num. j. gum. Arabaci optimi in albumine dissoluti ℥j. subigantur, & hisce pilulæ obducantur.

Noto 2. quod *pilulis cephalicis* ferè semper sit *addendum succinum*, sicuti pilulis *stomachicis* ferè semper addenda venit *Mastiche*.

Medicus quidam Pictaviensis pro summo secreto morborum

morborum præservativo habuit pilulas factas ex extracto comarum Absinthii cum agarico.

Pilulæ catholicæ D. MÜLTERI Archiatri Electoris Brandeburgici pie defuncti, fuerunt hæ.

℞. *Extract. Ellebor. nigr.*
panchym. Croll. ana ℈j.
Aloes ℈jß.
Tartari vitriolat. cryståll. ℈ij.
Mercur. vitæ. ℈j.
dulcis. ℈i.

Cum Elix. Propr. Paracelſ. q. ſ. F. Maſſa doſ. gr x.xv. ad ℈ß. ad ſummum.

Singularis eſt deſcriptio ſicuti & Compoſitio PILULARUM MERCURIALIUM D. LEONHARD. BAUSCHII Conſiderentur omnia benè.

℞. Aqu. *vol. & fixæ* (i. e. *mercurii vivi*) ℥jj injiciatur in ferventiſſimum lixivium ad labrum benè agitetur, ſcopula exempta diligentiſſimè ſuper marmor ſolidum cum ſucco limonum aut aurantiorum eouſque teratur, donec fixa agnoſcatur. adde.

Phlegmagog. & Cholagog. benigniſſimi ſ. philochori ſimplicis ℥j.
(id eſt.) *foliorum Sennæ*)
Phlegmag. arborei præparat. ℥iß.
(i. e. *agarici* trochiſcat.)
Hydragog. vegetabilis fortiſſimi ℈j.
(i. e. *Elaterii.*)
Extract. Melanagog. vegetab. primarii ℈ij.
(i. e. *Ellebor.* nigri.)
Aureæ radic. Chinenſis aut Ormuzenſ. ℥iß.
(*Rhabarbari.*)
Lunariæ Ægyptiacæ. ℈j.
(*Folior. Sennæ.*)
Lachrym. rubeæ arbor. Ægyptiac. aut arabic.
(id eſt *Myrrhæ*)
Reſinæ Meliſſinæ cryſtallinæ ſecundum artem extract. an. ℥ß.
(*Therebinth. Cypricæ.*)
Radic. lacteæ & cauſticæ. gr. XIII.
(*Eſulæ.*)
Cortic. interioris *Zeilanæ* arboris acutæ ℈j.
(*Cinnamon.*)
Ligni Aromatici *Indici* Socotrinæ. gr. xiij.
(i. e. *Xyloaloes.*)
ſulphuris nativi fragrantis ardentis. gr. iij.
(*ambræ.*)
Excrementi famoſi odoriferi. gr. viij. (*moſchi.*)
Diagrydii. ℈ß. *Antophyllorum.* ℈j. *Spirit.*
Guajac. vitrioli an. ℈ß. *Folior. auri. puriſſimi* n. vj.

F. l. a. Maſſ. Pilull. cum reſina meliſſinæ cryſtallinæ, cui aliquot. gutt. ol. ſulphuris adduntur, aut ol. cariophillorum ad uſum ſervetur.

PILULÆ AD MORBOS DEPLORATOS RIVERII.

℞. *Maſſ. Pilul. Ruffi.* ℥j. *antimonii diaphoretic. Gum. Guajaci* an ℥ß. c. ſ. q. Balſam. Peruvian. F. Maſſa. doſis ℈j. per 30. dies.

Si alvum ſolvere volueris, adde unicuique doſi ſcammon. gr. ij.

BARTHOLETTUS in Tr. de reſpiratione lib. 5. *cap.* 8 etiam deſcribit eleganter.

PILULAS CATHOLICAS.

Ex extract. Ellebori glyzyrrhizatæ, ex mercurio dulci philoſophicè ritè præpar. id eſt bene ſublimato, & ex extracto Colocynthidis cum ol. nuc. moſchat. præparato. vid. in elegantiſſimis ſcriptis, quæ digna ſunt, quæ à quolibet legantur.

Habuimus hactenus *pilulas, officinales*, & etiam ſuppeditavi modum præſcribendi. Nunc ſequitur. 2dus modus præſcribendi pilulas, quæ dicuntur.

PILULÆ MAGISTRALES.

eſtque. quando præſcribit Medicus extracta purgantia in ſufficienti doſi, iiſque pro re nata addit vel ſtimulantia, vel dirigentia, & ita ex iis parat, pilulas.

Exemplum ſit tale in affectibus bilioſis.

℞. *Extract. Rhabarb.* ℈i. *Epatic. rub. l. Crem. tartar.* gr. vj *Scam. ſulphurat.* gr. ij. l. iij.
(plus minus pro conſtitutione ægri.)
c. ſ. q. Eſſent. *Centaur. minor. vel* Abſynth F. l. a. pilulæ. colagog.

Ulterius proſtant in officinis extracta compoſita, ex quibus ordinariò præſcribuntur pilulæ magiſtrales à Medico. Sic proſtat *extractum catholicum purgans* ANDERNACI. *extractum panchymagogon* CROLLII. & ſimilia. Ferè nulla eſt officina, in qua non habeatur extractum quoddam catholicum.

Pro uſu in genere poſſunt fieri tales pilulæ.

℞. *Extract. panchym. Croll.* ℈j. hæc integra doſis.

Vel ℞. *Extract. panchym. Croll. catholic. Andernac.* an. ℈ß. *volo purgare* caput & ventriculum.
Maſtichis.
Succin. præparati an. gr. jv. l. v.
Extract. trochiſc. alband. gr. j.

Cum Tinct. tart. antim. F. l. a. pilulæ. purgant. pr. 1. doſ.

Item ſunt alia ſpecialia extracta. v. gr. pro purgantis humoribus melancholicis in mania poſſunt fieri tales pilulæ.

℞. *Extract. Ellebor. nigr.* ℈j.
Martis aperitiv. gr. vii. l. ß.
Succi Fumar. inſpiſſat. gr. v.
Scamm. roſat. gr. j. vel ij.
cum Eſſent. Fumar. compoſit. F. l. a pilulæ. purg.

Hoc modo præſcribuntur pilulæ ex extractis.

Et quidem hæ *pilulæ ex extractis* præparatæ commendantur inſigniter, & *præferuntur iis quæ* fiunt *ex Maſſ. Pilul. ratio eſt hæc. In Maſſ. Pilull.* ex veterum methodo præſcriptis, *purgantia* omnia *inexiſtunt cruda*, & quarum malignitas non eſt correcta.

E contra *in his extractis* purgantibus per extractionem, digeſtionem & præparationem purgantium *cruditas* & malignitas *infringitur* & temperatur, & ita corrigitur. Unde etiam non talia tormina & ſymptomata ſequuntur pilulas ex extractis paratas qualia ſolent ſequi eas, quæ fiunt ex Maſſ. Pilul. officinalium.

2. *Extracta* purgantia imprimis *per ſpir. vini parantur* cum omnia ſint reſinoſa: Nam *ſpir. vini* tantum *reſinas extrahit* ex purgantibus: *Si reſina* iſta denuo in ſtomacho præcipitetur & *adhæreat* vel ejus vel inteſtinorum *parietibus*, poteſt dare *Hypercatharſes* aliave gravia mala, uti hoc rectè attendit ZUUOELFFERUS *in pharmacopæa regia p.* 85. Hoc ergo ne fiat, propterea hora j. vel altera *poſt hauſtum* pilularum purgantium ex extractis, vel purgantis reſinoſi ex extractis, *commode* dabitur *juſculum ſalitum*, vel etiam juſculum *avenaceum*, item juſculum *piſorum*, quoniam hæc abſtergunt: *vel* aſſumitur cum juſculo quocunque aliquantulum *crem. tart.* quoniam hæc, uti dixi, abſtergunt inteſtina, in ſpecie tart. & ſtimulant, ut promptius poſtmodum fiat ægri purgatio i. e. cacatio. Hæ ſunt pilulæ quæ præſcribuntur ex extractis. Jam neceſſum eſt, ut conſideremus doctrinam extractorum, & quidem AUTORIS.

SCHRODER.

SCHRODERI CAPUT LVII.

De Extractis, ac 1. de Menstruis.

EXtractorum campus latissimus est; fieri nimirum possunt ex *mineralibus, vegetabilibus ac animalibus.*

Liquor, cujus beneficio extracta fiunt [Menstruum vulgò dici solet] varius occurrit. Spiritus vini, spiritus juniperi, spiritus Mannæ, mellis, spiritus Terebinthinæ, Vinum, Hydromel, serum lactis, ros maialis, uti & hujus spiritus, acetum destillatum, aqua stillatitia (sive ex aqua fontana pluvialive, sive ex vegetabili uno, aut pluribus, & simil. elicita illa sit.) Nec enim quivis humor cuivis extractioni convenit, sed certus certæ, sulphureus sulphureæ, salinus salinæ, &c.

Inter alia autem menstrua famosissima sunt 1. spirit. vini. 2. aqua vitæ Tart. Quercetani. 3. aqua temperata Basilii 4. Acetum Philosophicum Quercetani. 5. Menstruum universale, aqua cœlica Lullii dicta, de quibus paucis disserere placet.

1. Spiritus Vini.

Spiritus vini menstruum adeo famosum est, ut quoque catholicum nonnullis dicatur. Adhiberi solet ubi simpliciter menstrui mentio facta fuerit. Verum enim verò, num in extractione purgantium commodè adhibeatur, non immeritò dubitatur? Ansam dubitandi præbet natura illius sulphurea, quæ parti salinæ extrahendæ, qualis purgatrix facultas inhæret, minus commoda est: Rationi huic adstipulatur experientia, quâ constat, vim purgatricem, quam Spirit. vin. intactam reliquit, postmodum alii paruisse menstruo. Eapropter cùm farrago sat copiosa menstruorum suppetat, quæ non modò minus sunt laboriosa ac minus pretiosa, sed & purgantibus qualitatibus extrahendis commodiora, satius erit loco Spirit. vin. laboriosi ac pretiosi aliud quoddam menstruum eligere, e. gr. aquam destillatam convenientem.

Adhibetur Spirit. vin. tùm simplex, tum acuatus, *vide lib. 4.*

N. *Sunt qui Spirit. vin. crebris destillationibus per serpentinas, id est, serpentales canales destillatum, & in substantiam pinguem redactum, circulatum majus Paracelsi esse volunt, sed malè.*

2. Aqua vitæ Tartarisata Quercetani.

Quercetanus inter Medicos Hermeticos haud postremus, peculiaria prædicat menstrua, quæ tamen sibimet reservavit. Inter hæc sunt aqua vitæ tartarisata ac acetum philosophicum. De aqua vitæ Tartarisata in *Pharmac. restit. cap. 26 Hactenus*, inquit, *haud dubiè animadvertisti in variis ejusmodi purgantibus Extractis, Varia quoque menstrua & dissolventia, apta tamen & congrua à nobis usurpari, & quorum magni & egregii effectus abundè satis patebunt. Sed verus & peritus Chymicus, qui ingeniosa quadam arte & industria sciverit præparare aquam vitæ tartarisatam, hujusque perfectam cognitionem adeptus fuerit, is poterit inde eruere dissolvens quoddam, sive menstruum generale, quo extrahet Essentias omnium rerum purgantium, radicum, foliorum, herbarum, seminum, fructuum, & florum: is inquam verè gloriari poterit, de summo & elegantissimo naturæ mysterio, de quo non licet plura addere, ne justam Doctorum iram & reprehensionem incurram, &c.* Hæc Quercetanus de sua aqua vitæ tartarisata cujus præparationem nullibi expressè tradidit, nisi intellectam velis aquam vitæ ex hydromelite tartarisato prolectam, de qua in Pharmacop. cap. de Hydromel. hæc habet: *Ex commemorato malvatico vino nostro artificiali* (i. e. hydromelite) *extrahitur præstantissima aqua vitæ, vino longè accommodatior ad eliciendas rerum essentias.* Sit ut sit, parum cedere videtur, nisi prorsus eadem sit (ut multi opinantur,) ea scil. quam dabimus *lib. 4. Cl. 2. de vino.*

3. Aqua temperata Basilii.

Occurrit itidem de menstruo hoc Basiliano varietas non parva. In hoc tamen conveniunt omnes, quod ex Spirit. vin. originem trahit, quem alii acuunt sale communi, alii sale sarmentorum, alii spiritu salis, de quibus pleniùs lib. 4 de Vino.

4. Acetum Philosophicum Quercetani.

Aceti sui Philosophici crebrò meminit Quercetanus, eique primas inter aceta tribuit. Verum adeo ænigmaticas illius reliquit descriptiones, ut mentem genuinam vix assequi liceat. *Acetum Philosophicum*, inquit (in tetrad. de antidot. *ἐνφιλ.*) *ex acido liquore roris seu mannæ cœlestis, cum eadem met minera per digestiones, & fermentationes Philosophicas fit & præparatur*: & paulò post, *Componimus & conficimus*, inquit (*acetum Philosoph*) *ex mixtione & convenienti proportione, fermentatione ac unione aërea aciditatis animalis, & mercurialis acoris aquei, cum vegetabili terrestri.* Hæ sunt descriptiones è Quercetano relictæ, quarum obscuritas diversas peperit interpretationes, adeoque diversas aceti illius præparationes. Libavio fit ex rore martio & manna: aliis fit ex mellis & salis liquefacti aa. ℔. 1. aceti destillati ℔. ij. quæ digesta simul destillantur cum rectificatione aliquoties reiterata. Modum utrumque etsi non penitus rejiciam, attamen neuter mentem Authoris satis explicasse videtur. Nimirum secundùm hunc acetum Philosophicum fieri colligitur ex aceto hydromelitis vinosi, & sale tart. vel proprio sale. Etenim mel, quid aliud est, quàm ros seu manna cœlestis, industria apum [unde & animale audit] congestum? Hinc ipsemet Quercetanus, rejectis aliis acetis, verbi gratia è vino & simil. utpote quæ ad solutionem & extractionem rerum metallicarum inidonea sint, præfert aceta hydromelitum vinosorum, scilicet quæ cum manna cœlesti naturam animalem percurrerunt, & præter vegetabilem induerunt. *Vide tetrad. pag. mihi 406.* Idem Querect. *in Pharmacop. restit.* ubi in descriptione theriacæ de melle agit, Mel produci & elaborari ait ab apibus, quæ solummodo pascuntur mannâ cœlesti, & ex floribus odoriferis suavissimis, & delicatissimis succis alimentum exsugunt.

Per terrestre vegetabile Vini tartarum intelligi ex eo liquet, quod vinum omnium vegetabilium nobilissimum facit, adeoque *κατ' ἐξοχὴν* vegetabile vocari ait.

5. Menstruum Universale.

De Menstruo universali satius esse duco tacuisse, quàm aliquid incerti tradidisse: Veruntamen non possum quin moneam, posthabitis rebus particularibus, ad subjectum universale esse aspirandum, idque quærendum, non quale pedibus calcatur, sed quatenus Vestis ea est nitidissima, id est, tartarea veste involuta.

Modus parandi Extracta.

℞. Materiæ, ex qua Extractum parare libet, q. v. para ad infusionem grossè pulverisando, scilicet incidendo, radendo, & simil. hinc affunde menstruum (e. gr. Spirit. vin.) ut superemineat digit. (2. 3. 4.) repone in teporem (MB. cineris, fimi, &c.) Extraheque. s. a. Tâdem depletiones omnes confunde & abstrahe l. Igne. (e. g. M B.) ad consistentiam debitam.

N. 1. *Extracta cum menstruis nondum abstractis, confusa, Tinctura dicuntur.*

N. 2. *Crebriora fiant hujusce Extracta ex purgantibus, rariora ex alterantibus, quippe horum succi loco ac titulo Extractorum, essentiarumve ferè asservari solent.*

Sic parantur Extracta.

EX MINERALIBUS, modo jam descripto, uti patet *lib. 3.*

N. *Extracta mineralium pleraque Tincturæ nomen retinent, de quibus infra.*

EX VEGETABILIBUS, scil. 1. *ex herbis.* 2. *floribus.* 3. *seminibus.* 4. *fructibus.* 5. *radicibus.* 6. *lignis & corticibus.* 7. *aromatibus, hinc* 8. *ex resinis.* 9. *ex gummatis.*

I. Herbarum Extracta sunt rara, quippe (uti dictum,) succi eorum loco prostant, Fieri tamen possunt.

1 Modo generaliter dato, ex herbis scil. siccis.

2. Ex succis inspissatis (si subtiliora Extracta expetis, cum aqua sua propria dephlegmata (spiritu) quod Extr. dein filtrandum, & ad consistentiam redigendum.

3. Quercetanus ℞, Herbas virides, conquassat, elicitque aquâ leniter destillando vapor. baln. Fæcibus omnino siccis, (nihil tamen adustionis redolentibus,) & in pulverē grossum redactis, affundit aquam illam destillatam, extrahitque. s. a.

II. Florum Extracta in specie sic dicta, rara itidem sunt, Succi econtra expressi inspissatique (qui communiter Extractorum ac Essentiarum nomine veniunt) crebriores, de quibus in succis agitur.

Extracta prioris generis fiunt.

℞. Flores vel gemmas (e. gr. hypericonis) incide ac affunde Spirit. vin. rectific. ut undique madefiant, macera (per dies 8.) dein exprime. Expressionem purifica per digestionem ac subsidentiam (non cum albumine ovi, quod in omnibus tincturis, in quibus aliquid resinæ latitat, benè notandum.) Partem puriorem à fæcibus decanta, Spirit. vini destillando abstrahe, remanentemque tincturam coagula ac serva. Sic paratum usuale est Extractum, seu Essentia Croci, quæ nonnunquam Tincturæ titulo venit.

N. *Fieri itidem possunt cum aquis propriis, vel alienis, convenientibus tamen, præcipuè si acidulæ ea fuerint redditæ guttulis aliquot spiritus Tartari, vel Vitrioli.*

III. Seminum Extracta eodem cum reliquis parantur modo, beneficio Spirit. vin.

IV Fructuum Extracta [propriè sic dicta] rariora itidem sunt, crebriores succi inspissati, qui veniunt nomine saparum, rob, mellium & succorum. Fieri nihilominus quoque possunt ex fructibus siccatis per Spirit. vin. vel quod melius, cum sua propria Aqua vitæ (spiritu) quæ postmodum abstrahitur relicto Extracto in consistentia mellis. *Quercetanus in Pharmacop. rest.* Sic fiunt Extractum baccar. juniperi, baccar. lauri. Vide & Tincturas.

V. Radicum Extracta usualia pleraque sunt succi: sufficit enim si succulentæ eæ sunt, faciliorisque expressionis (non mucilaginosæ) solummodo coquere exprimere ac inspissare: Nihilominus tamen parari quoque possunt extracta subtiliora; nimirum.

1. Ex radicibus minùs succulentis, modo generaliter dato cum Spirit. vin. parantur.

N. *Quercetanus in Extractis bezoardicis parandis adhibet spiritum juniperi, abstractamque aquam (inspissatione) reservat pro usu itidem bezoardico.*

Sic fiunt extracta Angelic. Aristoloch. Enulæ, Gentian. (cujus succus magis usualis est) Imperatoriæ, Pœoniæ, Tormentillæ, Zedoariæ.

2. Ex radicibus succulentis ac mucilaginosis. fit 1. Succus inspissatus: hinc ex succo seu mucilagine inspissata, s.a. cum Spirit. vin. extractum confice. Sic paratur Extractum Symphyti.

Huc referre licet & succos, qui digestione rubicundiores evaserunt, ideoque sanguinis titulum nacti sunt, vel Mumiæ.

℞. Radicem succulentam quamcunque vis, purifica optimè, contunde ac exprime succum; hinc phiola digere calore MB. donec in rubeum convertantur colorem. Materiâ in rubedinem conversâ, omnique hypostasi sive crassamento ab ea separato, separetur liquor, qui colore albo inde destillabitur, extracto in fundo remanente sub forma sapæ rubicundæ. *Quercetanus in Pharmac. restitut. c. 26.* Sic fit Extractum ex radice Hyoscyami, cujus usus est in anodyni cujusdam & laudani cōpositione. Sic paratur & Extractum Esulæ.

N. *Ex radice Symphyti & Sartyrii simili ferè modo Extracta sanguinea seu sanguines eliciuntur. Nimirum pulpa illarum cum pane ac vino vel Sp. vini digerantur, desiccentur ac inspissentur. Vtrumenim verò non Extracta, sed succi scilicet propriè dicendi sunt. Vide suis locis lib. 4.*

VI. Lignorum & Corticum lignosorum Extracta, duplicis generis ferè acquiri possunt, Viscosum scil. ac Resinosum.

Viscosum, quia naturæ est aqueæ, nihil aliud est quàm succus inspissatus, ea propter & menstruo paret aqueo, coctioneque interveniente facillimè elicitur.

Resinosum (resina, gummi alias) sulphureo felicius obedit menstruo, in quo excellit Spirit. vin. quem aquæ admiscere fas est.

Modus eliciendi extracta resinosa, seu Gummata.

℞. Rasur. ligni (v. g. Guaiaci) q.v. (℔. 7. 8.) affunde Spirit. Vin. optimum, (ex vino, fæcibus vini, vel hydromelite vinoso,) digere vitro clauso VB. dies (12. 15.) & rubescet; deinde exprime fortissimè, ut egrediatur quoque liquor spissus rubicundus & oleaginosus. Hinc fiat abstractio, donec materia in fundo maneat in consistentia mellis, bulliendoque bullas emittat, non secus ac mel ipsum. Tunc calentem materiam effunde in aquam frigidam, & coagulabitur instar aloës, aut gummi rubei. *Quercetan. Pharmacop. restit. c. 26.*

N. 2. *In conficiendis hujusce generis extractis, non incongruè loco Spirit. vin. adhibere quoque licet hydromel quoddam vinosum, aut aquas stillat. convenientes, v. gr. ulmariæ, cardui benedicti, fumariæ, & similium, quas tamen acidulas reddere oportet cum succo Limonum aut simili. Quinimò & sola fontana, interveniente sufficienti coctione, resinosum extractum elicere potis est.*

N. 2. *Idem Extractum cum spirit. vin. rectificatiss. allectum, præcipitatur nonnunquam affusione aquæ, diciturque Magisterium, ut Magisterium Cinamomi, Ialappæ, &c.*

Extracta Viscosa.

Rasuram ligni q. v. coque cum aquæ quant. sufficiente, hinc exprime, clarifica & inspissa q. s.

VII. Aromatum Extracta, ut eo promptius obediant, Spirit. vin. nonnihil addere convenit, v. gr. ℞. Caryophyllor. grossè contus. ℥ij. aqua still. ℥xii. Spirit. Vin. ℥iv. macera vase clauso. Dein exprime, clarifica per digestionem, abstrahe aliquantulum in M.B. (ob spiritum qui primùm exstillat) reliquum in evaporatione sine ad consistentiam debitam. Eodem modo fieri possunt & Extracta ex aliis aromatibus, v. gr. ex calamo aromatico, cardamomo, cubebis, cinamomo, &c.

VIII. Resinarum extractio non nisi depuratio est, qua Resinæ in Spirit. vin. rectificatissimo solvuntur, colantur, ac demum abstracto Spirit. vin. inspissantur, vel affusâ aquâ, quâ sulphurea Spirit. vin. natura diluitur ac debilitatur, præcipitantur. Et hæc nonnunquam titulo Magisterii veniunt, aut Resinæ, e. g. Resina vel magisterium scammonii, & simil.

IX. Gummatum. Extracta sunt portiones gummatum, tum viscosæ, tum resinosæ, ab invicem scilicet separatæ. Convenit igitur hæc separatio iis solum, quæ parte viscosâ ac mucilaginosâ simul constant, ut ferulacea; fitque ℞. Gummi aliquod ferulaceum, solve lento calore [præstat in cucurbita cæco alembico occlusa, vel vase simili,] solutum ac depuratum, repone aliquot diebus, & subsidebit pars resinosa. Hinc decantetur liquor turbidus à resinosa parte subsidente (clarificeturque si opus) depurando cum albumine ovi, vel per linteum colando, ut clarus evadat: dehinc inspissetur lenissimo calore VB. Sic habes viscum, i.e. Extractum viscosum.

Resinosa illa subsidentia lento quoque calore exsiccata exhibet resinam, i.e. resinosum Extractum.

N. *Extrahit quoque Resinam Spirit. vin. rectificatissimus.*

In ANIMALIUM familia Extracta suppeditare possunt partes carnosæ, quæque his assimilatæ membranosæ, v. gr. Matrix. Hinc stercora, fella, ossa, cornua.

Ex carnibus, carnosisque partibus fieri possunt Extracta, si lotæ exsiccentur, atque cum Spirit. vin. vel simili appropriato spiritu extrahantur, postmodumque ad consistentiam debitam inspissentur.

N. 1. *Præstat, si primùm antequam exsiccentur, in Spirit. vin. myrrhâ essentificato aliquot diebus macerentur. Vide Extractum splenis bovis, libr. 5. Item Extractum mumiæ humanæ, libr. 5.*

N. 2. *Quercetan. Pharmacop rest. cap. 26. inspissat decocta, additque appropriata (vide suprà in decoctis,) atque ita Extracta carnosa parat.*

Ex stercoribus animalium, si qua Extracta parare animus sit, per Spirit. vin. id optimè perficies, quippe hic fœtorem corrigit.

Ex fellibus. ℞. Fella exsiccata, extrahe cum Spirit. vini: *vide in bove lib. 5.*

Ex ossibus. ℞. Ossa (v. gr. 2. vel 3. crania recentia) tere crasso modo, affundeque aquam vitæ) juniperi seu salviæ,) ut (dig. 4. 5.) supernatet: digere vase accuratissimè clauso, (per dies 12.) post coletur & exprimatur fortissimè. Sic liquor exibit rubicundus instar sanguinis, qui oleosus & resinosus erit. Iterum affundatur fæcibus novum menstruum, digerendo, (per dies 4. vel 5.) cola & exprime. Expressos liquores destilla in alembico, donec remaneat Extractum in forma Sapæ. *Quercet.*

N. *Digeri & depurari poterit.*

E cornibus Extracta cornuum fiunt è teneris (cervorum) cornibus, vel è cornibus etiam induratis, sed adhuc recentibus, mediante itidem aqu. vitæ appropriatâ, quæ acidula priùs reddita sit cum liquore Sulph. acidulo *Quercetan. Pharmacop. restit. cap. 26.*

N. *Extracta in Syrupos rediguntur, addendo post clarificationem Syrup. pomor. redolent. vel rosar. pallidar. vel Cinamom. In pulverem verò per frequentem cohobationem cum aqua propria & lentam exsiccationem.*

EXTRACTA usitatiora ALTERANTIA.

1. *Alterantia simplicia.*

Absynthii.
Acori.
Agallochi, s. Ligni Aloës.
Angelicæ, rad.
Aristoloch. rot rad.
Card. benedict.
Caryophyllor.
Castorei.
Centaur. min.
Chalybis.
Chelidonii major.
Croci.
Cubebar.
Dictamn. s. Fraxinellæ.
Enulæ c.
Galangæ.
Gentianæ.
Guaiac.
Imperator rad.
Ireos Flor.
Liquiritiæ.
Melissæ.
Menthæ.
Majoranæ.
Myrrh.
Papav. errat.
Petasitid.
Pœon.
Rutæ.
Sabinæ.
Satyrii rad.
Scabiosæ.
Scordii.
Scorzoneræ.
Symphyt.
Tormentill.
Valerian.
Zedoar.
Zinziber.

2. *Alterantia composita.*

Extr. Laudanum opiatum, cum & sine Moscho & Ambra. *Vide lib. 4.*
Bezoardicum Querc. N. 1.
Chalybeatum 2.
Hystericum 3.
Matricale S. Closs. 4.
Pestilentiale. 5. 6.
Pulmonum 7.
Satyrii compos. 8.
Theriacæ. 9.
Theriaca benedicta. 10.
Theriaca cœlestis. 11.

Uterinum

Uterinum Mynsichti. 12.

1. *Extractum Bezoardicum Quercetani, pro Laudano suo.*

℞. Rad. Angelic.
Zedoar.
Galang.
Tormentill.
Cort. citri.
Lign. Aloës.
Santal. rubr.
citrin. ā. ℥j.
Gran. Alkerm.
Dictamn.
Spic. nard.
Caryophyll.
Nuc. moscha..
Macis.
Cinamom.
Been. alb.
rubr. ā. ℥iß.
Camphor. ʒj.
F. extractio cum aqua vitæ Iuniperina.
Vires *Eximiarum est virium in arcendo Veneno, morbisque contagiosis, quales pestis, febres malignæ.*

2. *Extractum Chalybeatum magnum.*

℞. Limat. Chalyb. præp. ℥iij.
Rad. Ireos fl. ʒj.
Bugloss. sylv.
Cyclamin.
Eryng.
Bryon.
Zinzib. an ʒß.
Fol. Ceterach.
Ling cervin.
Betonic.
Rut.
Chamædr.
Chamæpit.
Agrimon
Calamen. ā. g. xv
Spic. indic.
Croc. or. an. g. v.
Cort. fraxin.
Rad. Capp.
Fag.
Salic.
Cost. dulc. an. ℈j.
Visc. quern. ʒj.
Cinamom. ʒß.
Sem. Ameos.
Cardamom.
Cumin. acet. macer.
Coriandr.
Agni cast.
Melanth.
Petroselin.
Portulac. an ʒß.
Siler. mont.
Galang.
Caryophyll.
Macis.
Xylaloës.
Zedoar.
Doronic.
Gentian. an. gr. xv.
Incisa & contusa grosso modo infundantur in s. q. Spirit. vin. & f. s. a. Extractum.
Vires. *Magnas vires obtinet in aperiendis obstructionibus, præsertim lienis, Epatis, uteri ac Mesenterii, adeoque morbis inde natis subvenit.*

3. *Extractum hystericum.*

℞. Succi Sabin.
Centaur. min.
Matricar.
Arthemis.
Fol. Meliss.
Flor. Calendul. ā. Mß.
Rad. Angelic.
Filicis.
Aristoloch. rot. ā. ʒß.
F. Extractio cum aqua Melis. ac Sabinæ addendo Sal. Tart. tantillum. Tinctura inspissetur.
℞. Hujus Extracti ʒii.
Extract. Myrh. ʒj.
Croc. ʒß.
Castor. ℈ß.
Borrac. ʒij.
Fecul. Bryon. ʒiiß.
F. Massa.
Vires: *Menses obstructos reserat, uterinasque passiones discutit.*
Dosis à ℈ß. ad ℈iß.

M. *Aqua illa abstracta itidem magnas suppetias ferre potis est in iisdem affectibus.*

4. *Extractum Matricale S. Clossæi.*

♃ extracti lienis bovis.
Puleg. regal. &
Croci cum Spirit. vin. parati. ā. ℥ij.
Myrrh. in aq. rut. murar. cum spiritu
Vitriol. acido dissolut. ℥iij.
Extract. cort. ar^a nt. & citri ℥iij.
Fecul. bryon. ʒß.
Camphor. sublimatæ cum Spirit. vin. præmissâ digestione ejusdemque abstractione in ciner. Igne. ℈j. M.
Vires. *Hujus portio ad pisi magnitudinem dissolvatur in aqua aliqua hysterica, & exhibeatur.*

5. *Extractum pestilentiale.*

℞. Rad. Angelic.
Olsnitii.
Imperator.
Zedoar.
Vincetoxic. ā. ℥ʒ.
Tormentill.
Gentian.
Petasit.
Succis.
Pimpinell. ā. ℥j.
Sem. Levistic ʒiij.
Angelic.
Meliss. ā. ʒij.
Sem. Citr. ʒj.
Gran. Juniper. Mij.
Gl. Veronic.
Fo Meliss.
Arthemis.
Scord.
Galeg.
Scabios.
Card. bened. ā. Mß.
Fl. Hyperic. M. i.
F. Extractum cum Spirit. vin. & inspissetur.
Vires. *Maximarum est virtutum in arcendo aëre pestilentiali, eodemque morbo & similibus malignis affectibus curandis & præcavendis. Sudorem movet.*
Dosis à ℈j. ad ℈ij. &c.

6. *Extractum pestilentiale Tychonis de Brahe.*

1. ℞. Theriac. Androm. veter. ℔. I. extrahe Tincturam cum Spirit. vin. rectificatiss. ad superemin. palmæ affuso, Vase bene clauso. Effusiones filtra & abstrahe. l. igne, ad consistentiam mellis.

2. Fiant flores Sulph. simplices ter per se, & quartò ex Aloë, Myrrha & Croco, semel leniter elevati.
℞. Horum ℥iv.
Ol. Juniper. è bacc. recti^{ss}c. ad eminent. digit. 4.
N. *Potest etiam addi olei succini rectificati pars quarta, sit melius.*
Stent in digestione tepidâ, & imprægnabitur oleum tincturâ Sulph. rubicundâ: effunde, ac si libet filtra. Itaque
℞. Extract. Theriac. part. XII.
Bals. illius Sulph. part. I.
Addendo si libet nonnihil Extract. rad. Angelic. Mag. Succin. alb. & Sal. Absinth. ut & aliquantulum de Spiritu illo theriacali abstracto: digerantur (per dies 8.) Hinc fiat separatio ad consistentiam mellis.
Summum est curativum pestis. Dosis gr. viij. x. xij. &c. In aqua appropriata statim ab initio morbi assumpta, ut sudorem cieat. Præservationis vice assumi poterunt quotidiè manè g. ij. vel iij.
N. *Potest ulterius exaltari per additionem Tincturæ Corallorum, Saphyr. Hyacinth. & Margarit.*
Quinimò ut universalius inde medicamen exurgat, acui potest tantillo florum regulis antimonialis per diuturnam reverberationem rubificatorum. Vide lilium Theophr.
Descriptionem hanc Rudolpho Imperatori submisse communicavit Tycho Brahe.
Ex communicatione D. Joh. Vvaltheri Held.

7. *Extractum Pulmonum.*

℞. Pulmon. Vulpis, incide in frusta minutissima, ac adde
Herb. Veronic.
Hyssop.
Scabios. ana Mß.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ʒj.
Coque in phiala capaci benè occlusa in MB. ferventi horas 7. vel 8. donec pulmones in liquorem redacti fuerint. Hinc cola, colaturamque inspissa, addendo Sacahari q. libet, ad consistentiam extracti.
Vires. *Imbecillitati ac affectibus pulmonum confert.*
N. 1. *Eodem modo fieri quoque possunt Extracta Epatis, Splenis, & similium, ex Decoctis supra è Quercetano allatis.*
N. 2. *Præstat modus quem supra generaliter dedimus.*

8. Extractum Satyrii compositum.

℞. Extract. Satyr. simpl. ℔ ß.
Sl. margarit. ʒß.
Ol. nucist. still.
Anis.
Cinnamom. an. ℥ß.

Vires. *Impotentibus succurrit. Dosis gutt. aliquot, ad 20.*

N. *Extract. simpl. v. lib. 4.*

9. Extractum Theriacæ, seu Essentia.

Theriaca simplex & alcalisata.

℞. Theriac. Androm. opt. extrahe s. a. tincturam cum aqu. vitæ, iuniperina, vel aq. ex typhis cervinis, vel simili aqu. bezoardica sive Theriacali. Decantatas tincturas destilla ad remanentiam Essentiæ Theriacæ in consistentiam mellis, quam serva pro usu, titulo Extracti theriacæ simplicis, vel adde sal ex incinerata remanentia elixiviatum, sub nomine Extracti, s. Essentiæ alcalisatæ.

N. *De hoc Theriacæ & similibus Extractis, duo quæ moneam, habeo.*

Primum suggerit ingredientium diversitas: quâ vix credibile est, singulorum Essentias æque uni soli menstruo parere. Nec est quod aggerant, fermentando cuncta in unam naturam coaluisse: Dubium enim haud leve, utrum fermentando natura rerum adeo immutari possit, ut quæ antea menstruum Tartareum prorsus respuebant, factâ fermentatione idipsum amicè amplectantur.

Secundum, quod monere duxi, ipsamet præbet fermentatio, quippe quæ potissimùm rerum fermentabilium partem in Q. E. exaltat, id est, volalisat, spiritualem ac volatilem reddit. Exemplo sint Vinum, Cerevisia, succi fructuum fermentati, & similia. Ea propter cum Tinctura destillationi submittatur, qua volatilior pars abstrahitur, quis infringet Extractum in fundo destillatorii remanens, potissima sua parte esse exutum.

Ut has difficultates evitent, sunt qui species seorsim menstruis idoneis extrahunt, itaque Extracta postmodum conjungunt. Verum enim verò, nec hi ad metam, ad quam collimant, pertingere videntur. Etenim compositionem Thiriacæ subeunt non pauca naturæ aromaticæ, subtilioris, tenuioris, volatilioris, &c. Quæ facultates ad Theriacæ constitutionem non minùs necessaria sunt, quam reliquæ in substantia minus volatili residentes. Idcirco, cum volatiles illi spiritus à fixioribus in inspissatione separentur, operationem Theriacæ integram in Extracto hoc quis sibi spondebit? Adde quod hac ratione nonnullorum ingredientium ferocia, quæ alias fermentando in Theriaca cicuratur, indomita maneat, imò vires suas exercere aptior evadat. Præstat itaque Theriacam in sua propria substantia adhibere, quam laboriosâ hac extractione operam perdere. Id quod de aliis quoque, exempli gratiâ pilularum quarundam Extractis censendum.

Verum enimverò, non simpliciter Theriacæ Extracta improbata velim, præcipuè si spirituosiores seu oleosiores partes interveniente præcipitatione sint reservatæ. Quâ in re non possum, quin industriam commendem Chymici solertissimi Friderici Greiffen Pharmacopœi apud Tubingenses celeberrimi, Amici mei honorandi, qui imperfectionem præparationum harumdem perpendens, perfectiorem, non ita pridem in Decade sua nobilissimorum medicamentorum, juris publici fecit, unde

10. Theriaca benedicta Quercetani aucta & correcta.

1. Solvenda.

℞. Troch. scyllit. Quercetan. ℥vi de Viper. Venetian.
Ess. (extr. opii cum aceto destillato. fact. ana ℥iij.
Suc. Glycyrr. in aqu. still. solut. & inspiss. ℥iß.
Ess. croci (cum Spirit. vin.) ℥j.
Myrrh. in aceto destillato sol. & inspiss.
Oliban. in gran. ā. ʒvi.
Gran. styrac. cal. in Spirit. vin. sol. & express.
Gum. Arab. albiss.
Sandarac. in gran.
Sagapen. in gran.
Succ. Acac. in aceto destillato sol. & insp.
Hypocist. in aceto destillato s. & insp. ana ℥ß.
Asphalt. el.
Galban.
Mastich.
Opopanac. [singul. in gran.] ana ʒij.
Essent. Castor. ʒ. i.

2. Extrahenda aromata.

Piper. long. ʒiii.
Cinnam. ac. ℥iß.
Acori, s. calam.
Cass. lign. Veræ.
Cost. Ver.
Pip. albi.
nigri.
Schœnanth.
Spic. indic.
Stœcad. arab.
Zedoar.
Zingib. alb. ā. ʒvi
Cardam. min.
Carpobals. veri.
Cubebar.
Polii.
Galang.
Caryophyllor. macer.
Spic. celtic. ā. ℥ß.
Lign. Aloës ʒij.

Extrahenda reliqua.

Mirobalan. Chebul. ʒvi.
Bacchar. juniper. ℥ß.
Laur. ʒij.
Fl. Rosar. rubr. ℥iß.
Hyperic.
Centaur. min. ana ʒii.
Herb. Card. bened.
Scord. cret. ā. ℥iß.
Calamenth. mont.
Dictamn. cret.
Marrub. ā. ʒ. vi.
Abrotani.
Chamædr.
Chamæpit.
Orig. cret.
Polii Cret.
Rorismar.
Salv. min.
Scabios. ā. ℥ß.
Majoran.
Mari.
Lign. Asphalt.
Santal.
Agaric.
Rad. irid. Flor. ā. ℥iß.
Angelic.
Pentaphyll.
Rhabarb.
Tormentil. ā. ʒvi.
Aristoloch. rot.
Asar.
Cyper. rotund.
Diptamn. alb.
Enulæ camp.
Gentian.
Imperator.
Meu.
Pimpinell.
Phu Pontic.
Serpentar.
Succis.
Valerian.
Vincetoxic. an. ℥ß.
Aristoloch. long.
Cruciat. ana ʒij.
Sem. Buniad. seu Napi agrest. ℥iß.
Petrosel. Maced. ℥. vi.
Ammeos.
Ammomi racemos.
Anis. torrefact.
Citri.
Fœnic. Cret. Hyperic.
Sesel. seu Siler. mont.
Thaspi seu Nasturt. alb. ana ℥ß.
Dauci cretic. ʒij.

3. Pulverisanda.

Confect. serpentum juniperinæ Quercet. ℥iij.
Terr. sigillat ʒvi.
Lemn.
C. C. usti ā. ℥ß.

4. Liquida.

Balsam. Indici.
Ol. Nucis moschat. expr. ā. ℥iß.
Caryophyllor. ʒj.
Succin. camphorat. ʒiß.
Spirit. vitriol. ℥ß.

1. F. Extractio seorsim medietatis aromatum & reliquorum extrahendorum, singulorum sc. 1. cum Spirit. vin. rectific. cum aqua still. pluviali. Essentiam cum Spirit. vin. extractam præcipita cum Extractione in aqua still. Hinc abstrahe in MB. ac collige seorsim spiritum theriacalem primò egredientem, seorsim etiam aquam theriacalem subsequentem ad consistent. mellis: residuam medietatem in [pu]lverem redige.

2. Ex remanentia incinerata elixivia Sal com. cum aqua pluviali.

3. In spir. theriacali solve sandarac. Olib. Mastich. storac. omnesque Essentias non satis liquidas eo dilue.

4. Cum aqua theriac. in pulverem redige Trochisc. de scyllis & Vip. solve in eodem succum Glycyrrhizæ, G. Arabic. & Sal. com. proprium.

5. In spir. Terebinth. ʒvi. solve Asphaltum.

6. Reliqua omnia, ut Ess. Opii & Hypocist. Acac. Myrrh. Sagapen.

Sagapen. Galban. & opopanac. solve in aceto destillato.

7. Omnes extractiones, solutiones, pulveres, Balsama, olea, expr. destill. spiritus & Sal com. s. a. commisce quam optimè, & redige in massam pilularem. Hinc

II. Theriaca Cœlestis.

℞. Theriac. benedict. prior. ℔iß.

Extrahe cum sp. Theriacali, effunde & abstrahe ad consistent. mellis. Abstractum spir. (essentiâ seorsim asservata) reaffunde remanentiæ priori, extrahe denuo, & decanta. Remanentiæ affunde Spirit. vin. rectific. ac extrahe residuam essentiam ejus, decanta iterum, & confunde cum priori. Residuam remanentiam in aqua theriacali, & tandem in aceto destillato spiritu Salis balsamici (Sal. nit.) fortificato extrahe. Et his ultimis Extractionib. priores præcipita, & ad consist. mellis coagula, tandem permisce

Magist. corallor.
Perlar. ā. ℥j.
Hyacinthi.
Rubin.
Smaragd. ā. ʒvi.
Bezoart. Animal.
Mineral.
Sal. corallor.
Perlar. ā. ʒß.
Bezoal. Oriental.
Terr. sigillat.
Unicorn. veri.
Oss. de C.C. ā. ʒiij.
Ambr. gris. ʒij.

Inspissa in vase duplici ad formam Extract. vel massæ pilularis.

Vires. *Vires Quercetanus huic attribuit admirabiles in Venenis & contagiis arcendis; in exagitatione spirituum humorumque sedanda, in catharris, dolorib. & vigiliis mitigandis. In balsamo nativo corroborando, putredine præservanda, &c.*

N. *Rationem utriusque hujus compositionis videsis decade superiùs allegatâ.*

[*Loco salis Margaritarum, quod pretium compositionis auget, & non Ens Hofm. appellat, præstat alia Bezoartica addere sive extracta sint, sive olea, aut salia, &c.*

12. Extractum uterinum Mynsichti.

℞. Bacc. Sambuci.
Ebuli, ana ℥iv
Rad. Pæon. debitè collect.
Arthemis. rub.
Dictamn. alb.
Bryon. ana ℥ß.
Visc. querc.
Summ. ammeos.
Herb. Puleg.
Meliss.
Cass. lign.
Croc. or.
Castor. veri. ana ℥ß.

Extrahe cum Spirit. vin. eumque separa ad remanentiam extracti. Postea adde

Sang. porcæ in clibano exsiccat. & cum aqua hysteric. præpar. ℥ß.
Bezoart. Jovial.
Mag. Jovis Anglic.
Matr. perlar.
Corallor.
Ol. antophyllor.
Angelic.
Succin. alb.
Arantior. ana ʒi.

Denuo misce & f. Extractum pro usu.

Vires. *Medicina est saluberrima in affectibus uterinis etiam deploratissimis: Dosis* ℈j. *ad* ʒß. *tribus aut 4. diluculis continuis in aq. aliqua convenienti.*

EXTRACTA PURGANTIA.

Extracta purgantia simplicia, ut & quæ sub nomine alicujus simplicis veneunt, *vide lib. 4.*

Purgantia composita.

Extractum
Benedictum, *vide infrà* N. 1.
Diacarthamum, s. Cnicopharmacum *Aug.*
Catholicum, A.
F.F. *vide infra* 2.
Sennerti, 3.
Arnoldi Vueckhardi, 4.
Cholagogum Querc. A.
Holagogum Andenarci, A.
Melampodii, s. Ellebori nigri Mindereri, A.
Melanagogum Querc. A.
Panchymagogum Crollii, 5. 6.
Hartmanni, 7.
Augustanorum.
Phlegmagogum Querc. *A.*
Pilularum Aggregativ. *A.*
Aurear. *A.*
Cochiar. *A.*
Fœtid. maj.
Lucis major. *A.*

1. Extractum benedictum.

℞. Fol. Sen. el.
Rhabarb. ā. ℥ij.
Agaric. ℥j.
F. Extractum.

Vires. *Purgat biliosos ac mucilaginosos humores.*

Dosis à ℈ß. *ad* ʒi.

2. Extractum Catholicum Francofurtense.

℞. Aloës succotrin. ℥j.
Turbith. el. ℥ß.
Colocynth. ʒvi.
Agaric. Albiss.
Diagryd.
Rad. Ellebor. ā. ℥ß.
Spec. Diarrhod. Abbat. ℥j.
Macis.
Stœchad. ar.
Galang.
Cardamom.
Zedoar.
Caryophyll.
Cinnamom.
Fl. Anth.
Lign. Aloës.
Visc. querc. ana ʒß.
Ambr. gris. ℈j.

Infunde omnia in Spirit. vin. per dies (8.) exceptis speciebus Diarrhod. & Ambra, fiatque Extractum, cui adde Extractum specierum Diarrh. itidem per Spirit. vin. factum & Ambram.

Vires. *Omnes humores blandè purgat. Dosis à* ℈j. *ad* ℈ij.

3. Extractum Catholicum Sennerti.

1. ℞. Diagrid.
Trochisc. Alh.
Gumm. de Peru, ana ℥ß.
Aloës. ℥j.
F. Extractum cum Spirit. vin. seorsim.

Itidem f. Extractum.

2. ℞. Turbith el.
Rad. elleb. nigr. ā. ℥ß.
Rharbarb. ℥j.
Spec Diarrhod. Abb.
Aromat. rosat. ʒij.

Utrumque Extractum conjungatur ad massam pilularem constituendam.

Dosis à ℈j. *ad* ℈ij.

N. *Felicius forsan procederetur, si Resina Diagrydii, Magister. Gummi de Peru, Extract. Aloës per se fierent, ut lib. 4. docebimus, atque Trochisci Alhandali cum reliquis infunderentur.*

4. Extractum Catholicum, D. D. Arnoldi Vueickhardi.

℞. Aloës succotr. ℔ß.
Rhabarb. opt. ℥v.
Fol. Senn. s. st. ℥iv.
Rad. Mechoac. ℥ii.
Colocynth.
Turpethi el. ℥iiß.
Esul. præparat. ℥ß.
Gener. 5. mirobalan. ā. ʒiii.
Cinnamom.
Zinzib.
Macis.
Galang.
Zedoar.
Caryophyllor.
Cardamom.
Cort. citr.
Schænanth. ā. ʒj.
Spec. Diambr. ʒij.
Diarrh. abb. ʒiij.

F. Extractio s. a. cum Spirit. vin. & aqu. fœnic. exprimatur & inspissetur.

Dosis ad ʒß. vel ℈ij.

3. Extractum Panchymagogum Crollii, I.

℞. Spec. Diarrhod. Abbat.
Diambr. ana ℥j.

Extrahatur Tinctura cum Spiritu vin. s. a. vitrum crebrò movendo.

Deinde

℞. Pulp. colocynth. ʒvii.
Turpeth. gummos. ʒv.
Agaric. opt.
Rad. Elleb. nigr. veri ana ℥j.
Scammon. Elect. ʒvi.
Fol. Sen. ℥iv.
Rhabarb. el. ʒiii.

Elater. ℈ii.
Sem. Ebul. trit. ℥iij.
Hermodact. ʒiij.
Incidenda incidantur, terenda terantur; affunde Tincturam illam specierum, extrahaturque Tinctura s. a. decantatas extractiones inspissa leni calore MB. ad consistentiam mellis; postmodum adde
Ol. Cinnam.
Caryophyllor.
Nucist. ana gutt. x.
Sal. perlar.
Corall. ana ʒij.
Salem è fæcibus superioribus calcinatis extractum.
Rasur. cranii humani. [vel oss. calcinat.] ℥ß.
F. massa.

Vires *non datur melius catholicum, quod minori molestia omnes humores noxios expurgat.*

Dosis a ℈1. ad ℈11. *& vino malvatico, vel alio generoso, jusculo, vel aliis catapotiis agragativis admixtis, datur & in forma pilulari.*

6. *Extractum panchymagogum Crollii.* 2.
℞. Pulp. colocinth. ʒv. agarici, scammon. el āā. ℥ß.
Hellebor. nigr. spec. diarrhod. albat. aloës.
Succotr. āā. ℥1. Extrahe s. a. cum
Spirit. vin. eumque Iterum abstrahe: Et quia in extractione sæpe virtus purgatrix solet debilitari, Ideo quidam solent ad unam partem extractorum addere crudorum purgantium partem alteram, adde Ergo superioribus, antequam extractum in fundo remanens plane inspissetur,
Trochisc. alhand. ℥vi. dyagryd. præparat.
Agaric. Troch. āā. ℥ß. aloës Epatic. ℥1.
Pulverisata redigantur in massam Justæ consistentiæ. dos. agr. 20. ad 25. & 30. & ultra.
N. *Aliud vide in pharmacop. augustana.*

7. *Extractum panchymagogum Hartmanici.*
℞. fol. senn. s. stib. ℥ij. rhabarb. el. ℥1ß.
Rad. hellebor. nigr. ℥1. Turbeth. alb. gummos.
Polypod. quern. Trochiscor. alhand. agaric.
Trochisc. āā. ℥ß. medull. sem. cartham.
Myrrh. rubr. el. āā. ʒiij. spu. aromat.
Garyoph. de ambr. āā. ʒ1. cortic. citr. ℥1.
Concisa & contusa extrahantur simul omnia.
Cum spiritu vini & aqua cinamom. āā. ℔. 1ß.
F. Expressio. Fæces denuò extrahantur cum sola aqua cinam. Tonniori, percietur postea. Extracto adde extract. aloës cum aqua Betonica, vel veronic. facti. ℥iij.
F. mistio, & Inspissatio ad justam consistentiam, addendo ol. garyophyllor. gt. 10.

Dosis à ℈ß. ad ℈1ß. *Hertman. In croll. alias insuper descriptiones videre poteris dicto libro.*

Cap. LVII.
DE EXTRACTIS.

EXTRACTUM omne communiter *fit*, quando affunditur liquor aliquis cuidam simplici, qui liquor impraegnatur virtutibus simplicis; liquor impraegnatus decantatur, & leni igne inspissatur ad consistentiam mellis, & hoc est extractum. Dabo *exemplum.*

Accipio radicem Jalappæ pinguem & resinosam, (sic n. præscribitur) affundo Vini spirit. bene rectificatum, hic extrahit & elicit Tincturam & Essentiam resinosam ex radice Jalappæ, & sic est Essentia s. Tinctura Jalappæ in forma liquida. Hanc decanto à radicibus extractis, & vini. spirit. leniter per alembicum destillo, & abstraho, & in fundo residebit crassamentum quoddam melleum ratione consistentiæ, quod vocatur Extractum.

Cæterum ut ulterius progrediar, observetur, quod sit *distinctio* inter *Solutionem & extractionem.*

Nam licet SOLUTIO in genere *dicatur de solutione & extractione*, nihilominus, est differentia. v. gr. *solvo Corallia* in aceto dest. Hic enim tota Corallia quanta quanta sunt in minutissimas particulas rediguntur & dissolvuntur. Econtra solvo *Opium* v. gr. cum aceto dest. non solvo, *sed extraho*, quoniam scilicet aceto dest. eliciuntur ex Opio tantum partes quædam subtiliores & puriores, relictis crassioribus & impurioribus in fundo, & ita non datur solutio Opii, sed tantum certarum ejusdem particularum extractio.

Quæ EXTRACTIO ita considerata, *est* nihil aliud *nisi separatio certarum quarundam particularum* ex quodam toto, relictis aliis partibus minus congruis.

Et quidem, si adhuc sit in forma *liquida*, vocatur ESSENTIA: *si* sit *coloratum*, vocatur TINCTURA *si inspissatum* ad crassitiem, abstracto menstruo, vocatur EXTRACTUM.

Nam superius dixi de magisteriis quod non omne corpus solvatur à quolibet menstruo, quoniam *requiritur certa proportio inter* MENSTRUUM solvens *& subjectum* solvendum, quæ proportio *consistit in convenientia* particularum menstrui solventis ad poros subjecti solvendi: Item in certa convenientia particularum subjecti solvendi cum poris liquoris menstrualis solventis. Nisi enim talis esset proportio, neque menstruum posset aggredi subjectum, neque subjectum posset adhærere poris menstrui.

Quod dictum de Magisteriis & eorum menstruis, valet de Extractis & eorum menstruis. Sic *unumquodque corpus* ex omnibus tribus regnis *certum requirit menstruum pro sui solutione.* Sic v. gr. Vegetabilia *resinosa*, qualia sunt imprimis purgantia, item plantæ aromaticæ & suaveolentes, requirunt menstruum ipsis homogeneum, *Spiritum vini*, qui est salso sulphureo vol. Alia vegetabilia mucilaginosa aut *viscosa* requirunt *menstruum aquosum.* v. gr. rorem maialem; aquam tonitrualem, item aquam simplicem destillatam. *Alia* requirunt *menstruum* aqueum *acido salinum*, uti est aqua acida, aqua aceto impraegnata, & sic porro. *Menstruum ergo & subjectum* solvendum *debent esse homogenea*, & quidem subjectum sulphureum & resinosum solvitur à spiritu vini, similiter sulphureo. Non resinosum à menstruo aqueo. alia subjecta alia postulant menstrua. Unde tanta est menstruorum tam mineralium quam vegetabilium necessitas; tam simplicium quam compositorum diversitas. *In Metallis* nullum est menstruum quod omnia solvat, *sed quodlibet suum peculiare habet.* Sic extrahitur Tinctura auri cum spiritu volat. microcosmico, s. urinæ, Tinctura lunæ cum alio, & sic singula metella singula requirunt menstrua peculiaria & appropriata. 2. Noto de menstruo, quod tantum in se recipiat in extractione, quantum in se continere potest; propterea *requiritur certa proportio in quantitate menstrui ad rem extrahendam.* v. gr. si ego manip j. herbarum vellem affundere ℔j. liquoris pro extractione, esset nimium, & liquor non sufficienter impraegnaretur. Econtra vero, si ego vellem 10. manip. affundere ℥iij. liquoris, esset parum, propterea quoniam non reciperent in se omnes simplicis virtutes, ex eo, quoniam *si semel* sint ejus *pori repleti* tunc *non potest amplius recipere*, licet vel centies addas nova simplicia. Et hoc præstat normam, ad quam præscribenda sint decocta & infusa: nimirum valdè *errant* ij, *qui parum liquoris multis affundunt simplicibus*, putantes fore, *ut* decoctum vel infusum *fiat efficatius*, Superius dixi de *Menstruo universali*, quod multi laborent in eodem parando: sed hoc opus hic labor.

Spiritus vini tartarisatus (vid quæ de tartaro) optimè extrahit purgantia. & optimum est menstruum pro extrahendis purgantibus.

Spiritus vini cum Spirit. salis mistus, & sic fit *Spiritus salis dulcis, vocatur* à quibusdam *aqua temperata*, & egregium acquirit odorem, estque optimum quoque menstruum.

Similiter elegans *Menstruum* potest parari *ex Spirit. nitri & vini Spirit.* convenienter per digestionem & cohobationem unitis.

Alii alia habent menstrua: Multi multa garriunt de *aceto philosophorum*, & nesciunt quid sit, QUERCETANUS loco illius *substituit spiritum mellis*, uti videri potest in AUTORE hoc loco, ubi de menstruis.

Spiritus vini acuatus *cum sal. vol. urinæ* egregium quoque

quoque præbet menstruum, similiter tam pro Vegetabilibus, quam pro mineralibus & animalibus.

KNÔFELIUS singulare habet *Menstruum ex acet. dest. & nitrum paratum.* Scilicet destillando spiritum nitri, in recipiente habet certam quantitatem aceti dest. & in hanc pellit. spirit. nitri, rectificat postmodum spiritus una, & ita egregium ac singulare acquirit menstruum.

Quidam faciunt *menstruum compositum* miræ laudis. ℞. Spirit. roris majalis, huic addunt ana Spir. vini, optimè rectificati, & cum Spirit. urinæ hæc mutuo uniunt, digerendo & cohobando, & beneficio hujus possunt multa & varia extrahi.

HOFMANNUS in tract. *de Medicamentorum Chymicor. usu & abusu. pag.67.* facit mentionem, quod *beneficio* certi cujusdam *instrumenti aer, ventus & radii solares capi* & converti *possint*, pro menstruo quodam dissolvente omnia metalla in vola manus, quod esset singulare. Hoc certum est, quod *quidam ex aëre parant spiritum*, quem vocant spiritum aëris in forma humida, per certum instrumentum, & hic spiritus aëris in se est insipidus, & multa admiranda præstat. Sic BORRICHIUS egregius *Chymicus Danus* cum hoc spiritu aëris insipido solvit corallia, & ex iis elegantem elicit Tincturam: in fundo verò subsidet sal Coralliorum in forma cubica, uti videri potest in BARTOLINO hinc inde, imprimis in *lib.3. Epistolar.* Nam & hoc certum est, quod multi non sine ratione laborent in præparandis *Menstruis insipidis*: illa enim quæ habent saporem notabilem participant omnia de natura salina. Unde non potest non fieri, quia Menstrua talia salina in extractione & digestione non parum alterent naturam rei extrahendæ, & ita immutantur vires & virtutes medicamenti extracti, idquod facile percipient ij. qui norunt virtutes & facultates salium in alterantibus sublunaribus. Unde *requiruntur menstrua insipida*, ne possint alterare simplicia, sed ut sine intemeratis viribus, sine alteratione acquirant medicamenta simplicium.

Item *Quidam* faciunt egregium *menstruum ex fœcibus vini*, sed certa enchiresi destillant per vesicam rectificando tamdiu per vesicam, quamdiu sub forma spiritus prodit, & ne concipiat empireuma, addunt aliquid aquæ, & ita fit egregium menstruum pro extrahendis vegetabilibus. Plura qui cupit de menstruis, vid. VVILLISIUM in tract. *de fermentatione*, ubi hinc inde sunt egregia de menstruorum varietate & efficacia.

Dum loquor de Extractis, necessum est, ut quædam dicamus de valde necessaria doctrina Solutionis & præcipitationis propter egregium usum quem habet partim in Chymia, partim in Pharmaceuticis operationibus: utut inspectio ocularis hic requiratur, alias est nuda theoria, quæ absque illa est non-Ens. Dixi quod *Extractio* sit *Solutionis quædam species*: ita quidem, ut *omnis extractio sit solutio*, sed non contra omnis solutio sit extractio: Differentiam dixi superius. In genere autem Solutio omnis fit beneficio certi cujusdam liquoris, qui *liquor solvens* MENSTRUUM *dicitur*. Hoc ipsum menstruum pro varietate subjectorum & pro scopo artificis valdoperè *variat*, cum dixerim superius, quod unum quodque subjectum menstruum requirat homogeneum pro extractione. *Menstrua* hæc sunt vel *generis sublimioris*: quo pertinet I. MENSTRUUM Universale. 2. MENSTRUA occulta INSIPIDA & similia. Vel sunt tantummodo *Communia*, in usu communi apud Chymiatros hactenus usurpata & satis cognita. MODUS Solutionis & extractionis *consistit in eo*, quod scilicet particulæ minimæ componentes menstruum, sese insinuunt in partes objecti solvendi aut extrahendi istâ insinuatione subjectum istud penetrant, atque sensim sensimque particulas quasdam penetratione ista à toto separant, absorbent & secum exportant. Unde necesse est, ut certa sit convenientia & harmonia certa inter particulas menstrui solvendis & inter poros subjecti solvendi pro penetratione mutua; Deinde necesse etiam est ex opposito, ut certa sit convenientia & harmonia certa inter particulas objecti soluti aut extracti & inter poros menstrui pro receptione, ut scilicet menstruum recipiat rem solutam.

Vulgari me declarabo *exemplo. Sachaharum solvitur* promptè *in aqua simplici* vel vino *nunquam* vero, licet 100 continuetur annos solutio, *in spiritu vini: ratio* quoniam sacharum est naturæ salinæ, cum, uti suo loco dixi, sit tartarus inspissatus. Jam verò ea quæ sunt naturæ salinæ, facile se uniunt cum aquosis, nullo vero modo cum sulphureis oleosis, idque propter convenientiam mutuam in eorum textura ac structura, atque sic particulæ aquæ vel vini in poros Sachari se insinuant & pori sachari particulas aqueas & vinosas absorbent & in se recipiunt. Idque tamdiu, donec vel totum sacharum sit solutum, vel menstruum aquosum aut vinosum adeò sit imprægnatum, ut porulos ejus nihil amplius ex sacharo soluto subire queat. Spiritus vini è contra, utut longè sit subtilior, penetrantior & volatilior, si sit rectè rectificatus, nunquam exsolvet sacharum, propter dissimilitudinem, quæ est inter texturam spiritus vini & sachari, propter quam spiritus vini, licet, possit penetrare sacharum, ineptus tamen est, ut vel absorbeat quasdam ejus particulas, vel easdem in se recipiat, id quod tamen facile fit à spiritu vini si modo diluatur a. s. q. aquæ, sic enim postmodum, ratione adjecti phlegmatis, facillimè sacharum solvet.

In legitima ergo *solutione* & extractione *maxima habenda est ratio Menstruorum.* Et quidem ut procedam specialius.

In Genere AQUA merito à VVILLISIO *Tract. de fermentatione* vocatur *magnum naturæ menstruum*, quoniam cum hoc ipso magnæ & mirandæ fiunt solutiones, idque imprimis si stimuletur & exaltetur à motu ab igne ipsi impresso, qui vocatur Calor. Aqua ergo hæc simplex imprimis *convenit pro solvendis* aut extrahendis *salibus*. Nihil enim est quod se facilius uniat cum ea quam sunt salina & aquosa: adeo ut notum sit, quod salia aëri exposita, sæpè insensibiles portiones aqueas imbibant, ut fluida liquescant. Deinde aqua convenienter adhibetur *pro solvendis & extrahendis vegetabilibus* quibuscumque *modo non* sint *resinosa*. Cum enim resinæ sunt de natura oleosorum & sulphureorum propterea non possunt se unire cum aquosis.

Unde *familiarissimus aqua est usus ad decocta & infusa*, & paranda *extracta mucilaginosa*, propterea quoniam aqua penetrat, vegetabilia quamplurima, & penetratione ista solvit & extrahit.

Adhibetur etiam *ad* paranda *extracta* mucilaginosa *ex radicibus* v. gr. Altheæ & symphiti & similibus mucilaginosis. Nam has mucilagines alia Menstrua præter aquas non attingunt. Commodè infunduntur vegetabilia in aqua, quorum unum tamen solvit promptius reliquis.

Imprimis convenit aqua pro extractione & solutione vegetabilium, *si acuetur per sal tartari sive* illud sit simplex *lixiviale*, *sivè* ejus *remor* &c. sic enim conveniens admodum præbet Menstruum pro vegetabilibus, tam alterantibus quam purgantibus non resinosis, quod observetur pro parandis decoctis, infusis extractis similibus.

Ulterius

Ulterius *aqua* simplex usurpatur *pro extractione Animalium*, imprimis accedente coctura. *Hinc* enim fiunt omnia *juscula* animalium & partium animalium. Hinc fiunt *gelatinæ* ex cornubus & ossibus beneficio coctionis in aqua. Hinc fit *calcinatio philosophica*, s. sine igne, cornuum & ossium quando aqua ossa & cornua in supremitate Alembici posita penetrat, solvit, & friabilia reddit.

In regno minerali *parvam aut nullam jurisdictionem habet aqua pro solvendis mineralibus*, tam in genere, quam in specie sic dictis, quoniam eorum compages est nimis dura & fortiter conclusa, ut aqua non possit penetrare aut eadem subire. Quod si *debeat aliquid extrahere* & solvere ex mineralibus, quod tamen parum erit, necesse est, ut alterum *magnum solvens ignis*, uti *vocatur* à VVILLISIO *præcedat*. Sic calcinantur, si igni Silices, crystalli, Lapis calcarius & similia injiciantur, & ignita in aqua extinguantur, ut beneficio ignis in modum excitatis particulis, ista mista componentibus, & sic soluta aliquantisper eorum textura, aqua melius penetrare, & aliquas particulas absorbere & auferre queat. Hoc etiam fit in metallis: sic notum est, quod aurum *igniatur* & extinguatur in aqua pro usu medico sic notum est, quod quidam idem tentant de luna eodem successu. Et licet aqua affusa mart. videatur eundem corrodere in crocum, hoc ipsum tamen non fit ratione & beneficio aquæ, sed beneficio acidi in ipso marta latitantis & abundantis, qui acor per aquam affusam aliquantisper solutus. (Nam salia nisi solvantur non agunt) incipit agere in proprium corpus metallicum istudque solvit in crocum. Est ergo aqua simpliciter tantum adjumentum externum, non verò menstruum. *Sin* verò *aqua acuetur* benè *salibus* fixis lixivialibus, & fiat *lixivium forte*, tunc aliquam jurisdictionem obtinet *pro solutione sulphurum metallicorum* ex compage crassioris corporis *separatorum*.

Notum namque est ex superioribus, quod *tali lixivio* forti *eliciatur sulphur ex antimonio*, notum est quod tali lixivio forti *solvatur* similiter *sulphur commune*, uti notum est iis, qui legerunt præparationem lactis sulphuris, & similia subjecta alia sulphurea metallica. Cæterum hoc non habet ex sua natura, sed beneficio salium alcalium fixorum, quibus impraegnata est aqua, *ratio cur salia* lixivialia *possunt solvere sulphura metallica*, declaratur à POLEMANNO *tract. de sulphure philosophorum*, quoniam dicit, quod salia fixa sint corpora artificialia facta in calcinatione corporum, ex sale volat. & acido s. sulphure corporum, quæ duo invicem, sub ignis tortura liquescendo, abeunt in tale sal tertium s. fixum alcalicum. Uti monui de salibus in genere. Et propter hanc affinitatem, qua salia fixa fiunt ab acido sulphureo, possunt solvere sulphura metallica. vid. Citat. POLEMANNUM in citato parvo, eleganti tamen & lectu digno, tractatu.

Post sal. menstruum valdè usitatum est SPIRITUS VINI *sive* sit *simplex* tantummodo rectificatus, *sive* sit *acuatus* à sal. tartari & vocatur *Spiritus vini tartarisatus*. Hic spiritus vini, ceu subjectum naturæ oleosæ s. sulphureo spirituosæ, aptus natus *est solvere subjecta resinosa*, & ex iis extrahere tincturas sulphureas & oleosas.

Propterea *resinæ & radices resinosæ* in specie vegetabilium *purgantium* commodissimè *extrahuntur per spiritum vini*, ceu menstruum solutivum. Dabo *exemplum: Radix Jalappæ* est talis radix resinosa, quæ si infundetur in aquam vel vinum, nullo modo infusa hæc purgant, quoniam vis purgans consistit in parte resinosa, quæ cum sit pinguis & sulphurea, *non permittit se solvere è subjecto aquoso* vel vinoso. Econtra, si infundatur *in spiritu vini*, dicto citius in leni calore *extrahit tinct.* rubicundam ex radice Jalappæ, ita quidem, ut omnem virtutem purgantem extrahat ex radice, & radix, quæ remanet post extractionem Tincturæ vel Essentiæ, omni virtute laxativâ s. purgativâ est spoliata. Ista Tinct. verè per spiritum vini extracta, *affusione aquæ* simplicis *præcipitatur in Magisterium*, quod est perfecta resina Jalappæ, ita ut spiritus vini, uti dixi, solvat tantum subjecta sulphurea ac resinosa. Propterea etiam *adhibetur* spiritus vini *pro extrahendis* ac solvendis *aromatibus*, aut *plantis aromaticis*, iis scilicet, quæ suaviter olent, ac spirant, & saporem subtilem ac penetrantem obtinent, quales sunt omnes Cephalicæ, & quamplurimæ tantum non omnes uterinæ. Horum enim simplicium vis cum consistat in sal. vol. oleoso, & ita quasi in subjecto sulphureo & urinoso: propterea commodum menstruum est spiritus vini pro eorum Essentiis aut Extractis parandis.

Quod dico de spiritu vini, *dictum* quoque *volo de spiritibus Vegetabilium ardentibus*, de spiritu Juniperi, &c. Item quæ dicta sunt de aqua, intelligenda etiam sunt de vino, hydromelite, sero lactis, Rore Majali & similibus, utut in quibusdam sit differentia, in genere tamen conveniunt pro extractione vegetabilium. *Spiritus vini* etiam *extrahit ex animalibus* quibuscumque. Sic ex Mumiâ per spiritum vini *extrahitur* Essentia Mumiæ, utut rarò adhibeatur pro talibus operationibus spiritus vini. *In mineralia nullum jus habet Spiritus vini*, *nisi* antea per aliud menstruum fuerint *corrosa & soluta*, & ita præparata, ut à spiritu vini postmodum possint extrahi, in quandam Tinct. Rubram, v. gr. in Tincturis metallorum; item Tinct. antimonii tandem recipitur spiritus vini. Hic ipse tamen prius postulat, ut tale subjectum ab aliis menstruis prius sit corrosum, ut intrare possit. Pro quo usu *spiritus vini interdum acuatur* cum sale vol. urin. & tunc vocant *spiritum vini Microcosmicum*, uti fit inprimis in Tincturis solis.

Sequuntur MENSTRUA ACIDA.

Inter quæ *quædam* sunt *debiliora*, *quædam fortiora*.

Inter Menstrua acida debiliora *debilissimum est acetum*, *acetum* dest. &c. quod *acetum est aciditas volatilis*, & non adeò fortiter penetrans, utut longè fortius solvat quam aqua simplex. Sic beneficio aceti partes Osseæ, metalla, Corallia, Oculi Cancrorum, & similia subjecta dura possunt solvi.

Imò etiam si *in spiritu* aceti aut acet. dest. *calcinata extinguantur mineralia*, satis profundè solet penetrare, eaque *interdum* in *saliformia corpora* transmutare, ut sunt salia Corallorum, Perlarum & similia.

Aceto vulgari *potentior est Spiritus Viridis æris*, ex ejus crystallis per acetum destillatus. Hic ipse *menstruum* est singulare, & operationes, excellentiores exserit, inprimis *in solvendis metallis durioribus*, martis & veneris, *&* rebus s. subjectis his *cognatis*, & in pluribus aliis, etiam exaltat vires aceti simplicis, imprimis in eo, quod conveniens sit Menstruum pro parandis Magisteriis ex durioribus animalium partibus. 2. pro solutione Metallorum duriorum. Hinc etiam habet hoc *singulare*, quod *post factam solutionem aque possit acidus abstrahi* uti superius sæpius monui, quod nullum aliud facit menstruum.

Menstrua acida *fortiora* ac generosiora *sunt* ea, *quæ* fiunt *ex sal. bus Mineralium*, v. gr. sale communi,

ex

ex vitriolo, ex nitro, sale gem. &c. hisque vel simplicibus, vel aqu. reg. aut aqu. fort. mistis. Hæc ipsa Menstrua acida fortiora & generosa, ab aliis rebus intacta *solvunt metallorum ac mineralium corpora dura*. Nihilominus tamen etiam *habendus est delectus in* mineralium solventium menstruorum acidorum *præparatione* pro solutione mineralium.

In præparatione assumitur nitrum & vitriolum, *& fit aqua pro* solvendis omnibus *metallis*, *excepto auro* si acuatur *cum sal. s.* principio salino, sive sal. communi, sive sale armoniaci, fit menstruum appropriatum, quod *solvit aurum*, non vero lunam. Sunt qui faciunt talia Menstrua composita pro metallis ex vitriolo & tartaro invicem destillando, quæ menstrua magni æstimantur à quibusdam: alia taceo, quoniam satis erunt clara ex lectione Chymicorum, imprimis eorum, quæ habet Vuillis *in Tract. de aqua & igne* item de *Fermentatione*.

Adhuc loquendum de *spiritu Therebetinæ* S. Ol. rectificato Terebenthinæ. Hoc ipsum, ceu naturæ sulphureo oleosæ, vim habet non contemnendam in extrahendis & solvendis sulphuribus mineralium tam sulphure communi, cum quo coit in balsamosulphuris, quam etiam in sulphur. antimonii, quod ipsum similiter potest extrahere vel solvere. Jam in genere *inter ol. vegetabilium* destillata *&* inter *sulphura mineralium* talis est *amica convenientia*, ut se mutuo ingrediantur, vel se mutuo blandè ac placidè solvant.

Contraria Solutioni videtur Præcipitatio: Nam sicut *solutio est absorptio* & imbibitio objecti solvendi, facta *à menstruo* solvente. Ita *Præcipitatio est separatio* particularum solutarum objecti soluti *ex menstruo* solvente. Et quoniam ista separatione partes separatæ imprimis *cum impetu ad fundum* secedunt, propterea vocatur Præcipitatio, & quidem *Præcipitatio totalis*.

Sin vero partes solutæ non separantur ad fundum, sed tantummodo *aliquantisper extruduntur è porulis menstrui* solventis. cujus signum est, quando liquor antea perspicuus, fit opacus, vel coloratus, tunc vocatur *præcipitatio particularis*. Dabo *exemplum*: In solutione Perlarum s. Coralliorum cum aceto dest. ex affusione vel spiritus vitrioli, vel ol. tartari p.d. præcipitantur Perlæ s. Corallia ad fundum, & est perfecta s. totalis præcipitatio. Verum si fit solutio superius dictæ radicis Jalappæ in spiritu vini, & affundatur aliquantulum aquæ simplicis, non vero sufficiens ejus quantitas, tunc liquor rubicundus & perspicuus subitò pallescet & albescet, fitque opacus, quoniam fit præcipitatio aliqualis; non vero perfecta s. totalis, sed tantummodo partialis. *Fundamentum* omnis *præcipitationis* consistit *in duobus*. Nam præcipitatio fit, *vel* quoniam *pori* menstrui sunt *nimis angusti*, aut propter repletionem, aut propter constrictionem, ut non possunt amplius continere particulas corporis soluti: vel 2. modo fit, præcipitatio *propter gravitatem particularum* solutarum, quas non potest amplius in se continere liquor. De singulis dabo *exempla*: Nam scilicet v. gr. quædam sunt Essentiæ vegetabilium, quæ in loco calido sunt eleganter perspicuæ, tenues ac coloratæ: sin vero exponantur frigido, fiunt turbidæ, crassæ & opacæ, propterea quoniam calor attenuerat poros menstrui, ut perfectè in se absorpserat particulas soluti corporis: In frigore verò subit adstrictio pororum, quibus adstrictis, particulæ solutæ aliquantisper extruduntur., & sic fit præcipitatio partialis. Aliud *exemplum quoad repletionem* pororum si solutioni veneris in spiritu nitri factæ injiciatur lamina Martis, tunc præcipitabuntur particulæ venereæ ad fundum, propterea quoniam Spiritus nitri dissolvens laminam martis injectam, imbibit particulas ferri corrosas, quæ particulæ ferri corrosæ replent poros spiritus nitri, & ita ista repletione extrudunt particulas veneris metallicas.

Propter gravitatem præcipitationis dabo *exemplum*, si lacti injiciatur acetum, tunc ex subita coagulatione ad fundum secedit pars caseosa: ratio, quoniam acetum sese conjungit cum particulis caseosis, & facit ut se invicem amplectentur, quo amplexu unitæ fiunt graviores ut non amplius possint contineri in liquore antiquo s. in lacte.

Hæc In Genere de *Præcipitatione*. In Specie: *Solutio* facta *per* aquam aut menstruum aquosum *rarò præcipitatur*, *nisi sponte* fiat *separatio* per exhalationem menstrui aquosi.

Solutiones factæ *per vini spirit.* aut *oleosa* præcipitantur, aut inprimis *per* injecta *aquosa*: uniunt enim se prompte particulæ aquosæ cum Spiritu vini, ut ex ista impletione pororum Spiritus Vini particulæ solutæ præcipitentur, sive totaliter, sive partialiter.

Multi *addunt aquam*, vel acetum, vel succum citri, vel aliquem *liquorem* certum *acidum*, *ut promptius procedat* talis præcipitatio solutionum per spiritum Vini factarum, & fiunt præcipitata resinosa.

Possunt præterea *solutiones per vini spirit.* factæ *præcipitari per Spiritum urinosum*: spiritum urinæ, sp. salis armoniaci, quoniam partes aquosæ horum spirituum se uniunt cum spiritu vini, & sic fit præcipitatio Essentiæ.

Ea quæ sunt *soluta per alcalia*, uti dixi de lixiviis, *præcipitantur per acida*, & *contra* omnia quæ sunt soluta per acida, præcipitantur per alcalia, sive sint volatilia, sive fixa. v. gr. Esto solutio Perlarum ex quocunque liquore acido, sive vegetabili, sive minerali ex vitriolo huic solutioni si instillas quæcunque salia fixa, vel in aëre dissolutum ol. tartari, sive instilles spiritum urinæ, sive spiritum sanguinis humani, tunc promptè præcipitabitur solutio facta per acida: Econtra si per lixivium forte extraho sulphur. antimonii, vel solvo commune sulphur in tali lixivio forti, tunc aspersione cujuscunque acidi, prompte sulphur, extractum & solutum præcipitatur ad fundum. Et quidem tales *præcipitationes* factæ *ex acido* v. gr. Citri, &c. *cum* ol. tartari similibus *alcalicis* semper *fiunt cum affervescentia*: quoniam ista salia arctissimo amplexu sese uniunt, & ista unione fit extrusio particularum solutarum cum tali effervescentia.

Porrò istæ *solutiones* factæ *per acida debilia præcipitantur per acida fortiora*: sic v. gr. solutio Oculor. cancror. facta cum succo Citri, cum aceto, &c. præcipitabitur promptè per spiritum vitrioli vel ol. sulphuris destillatum per campanam. Singularis est *Antipathia*, quam *habet sal. commune cum nitro*; omnia enim quæ sunt soluta à nitro, præcipitantur à sale. Sic v. gratiâ, si solvas lun. in spirit. nitri rectificato, vel etiam in aqu. fort. quæ est spirit. nitri rectificatus, uti superius monui, tunc in solutione si injicias sal. commune vel spiritum salis, confestim præcipitabitur ad fundum luna. Idem è contra facit nitr. sali: Sic v. gr. Butyrum antimonii, quod est solutio antimonii cum spiritu salis, præcipitabitur infuso spiritu nitri in Bezoarticum minerale: sicque in similibus. Et *nihilominus* tamen hoc *singulare* est, *quod spiritus nitri*, si debeat solvere aurum, necesse est, ut *fortificetur à sale communi*, *ut fiat aqu. reg.* alias hic spiritus nitri nequaquam potest solvere aurum: & spiritus nitri ita fortificatus cum spir. salis, ut solvat aurum, ineptus postmodum evadit ad solvendum

dum lunam, idque propter permistum salis, quod præcipitat lunam solutam, cum tamen spiritus nitri, antequam permisceatur cum sale, optimè solvat lunam. Plura qui cupit, videat Rolfincium & Vvillisium.

In specie, quoad

EXTRACTA.

Extracta vel Essentiæ *fiunt per spiritum vini*, interdum loco ejusdem assumitur *spiritus proprius*: vel quando volumus parare Essentiam aut Extractum, florum lilior. convall. verbi gratia, tunc commodè affunditur spiritus proprius. Hic est communissimus modus. *Alii* faciunt extracta *ex succis inspissatis*, verbi gratia, ex succo seu robsambuci inspissato *per spiritum* florum Sambuci fit egregia Essentia, quæ inspissata; fit extractum magni usus in *erysipelate*. Sic ex succo inspissato per coctionem elicito ex strobilis pini, per spiritum strobilorum, proprium fit elegans *Essentia pini antiscorbutica*, uti monui de abiete. Et sic fiunt hodiernæ Essentiæ per spiritum proprium, quæ sunt cæteris efficaciores & fortiores.

AUTOR *habet modos* sufficientes, quibus fiunt Extracta, quæ videantur.

Ex lignis & corticibus fiunt duplicia Extracta quædam *resinosa*, quædam *viscosa* seu mucilaginosa. Viscosa sunt naturæ aqueæ, & eliciuntur vel cum aqua simplici, vel cum aqua cum aceto acidulata: Extracta verò resinosa fiunt cum spiritu vini. Ita ex uno subjecto possunt fieri duo Extracta: *Modi* descripti sunt in AUTORE.

Et sic per spiritum vini fiunt Essentiæ lignorum; Nam *Essentiæ sunt tantum Extracta liquida*, & *Extracta* sunt *Essentiæ inspissatæ*. Sic fit *Essentia lignorum* ex ligno Guajaco, sassafras, Rhodio & similibus, per spiritum fumariæ, quæ Essentia lignorum est egregia *sudorifera*, conveniens in *catarrhis*, in specie in *Lue vener.* in *scabie* & similibus affectibus: Et post extractionem Essentiæ *ex* lignis residuis seu *capite mortuo* adhuc commodè *potest destillari*, *spiritus* acidulus. Gummata & mucilagines extrahuntur cum aqua vel cum aceto.

Extracta usitatiora alterantia ab AUTORE descripta omnia sunt cognita ex simplicibus. Pertinet huc.

EXTRACTUM LAUDANI OPIATI; ubi de Opio vid.

EXTRACTUM CHALYBEATUM.

Observetur, quod *vegetabilia* optimè possint *seorsim extrahi*, & *conjungi* per Vini Spiritum de Limatura martis decantatum. Sed *potius* requiritur, ut assumatur *Tinctura* martis aperitiva, & *conjungatur cum reliquis*, ut abeat in Extractum Chalybeatum.

EXTRACTUM HYSTERICUM.

Observetur, quod *Menstruum sit aqua Melissæ* cum sale tartari *acuata* ut non tantum partes aquosæ, sed etiam spirituosæ & succolentæ extrahantur.

De EXTRACTO THERIACALI. N. IX. descripto ab Autore, rectè monet AUTOR, quod propter varietatem ingredientium spiritus vini affusus non possit ex omnibus extrahere virtutes, sed vix ex dimidia parte, reliquis relictis intactis, propterea *convenientius Theriaca cruda assumitur præ ejus extracto*. Quæ habet de fermentatione AUTOR, merentur quæ legantur: & propter varietatem ingredientium est.

N. X. THERIACA BENEDICTA QUERCETANI, quæ ita est dispensata, ut diversa ingredientia extrahantur à variis menstruis, &c.

Hæc de Extractis alterantibus, sequuntur.

EXTRACTA PURGANTIA.

De quibus moneo, quod *meliora* sint *quam crudæ pilulæ*: Inter quæ est *Extractum catholicum* ANDERNACI & *Extractum panchymagogum* CROLLII. Hæc ex radicibus vegetabilium per Spir. Vin. parata propinantur ad ℈j. additur conveniens stimulus, & sic possunt propinari, pro pilulis. Usus Extractorum est ut 1. ex iisfiant pilulæ pro scopo laxativo s. purgante. 2. *Usus* est, ut dissolvantur in liquoribus appropriatis, & ingrediantur potiones, ingrediantur misturas.

Habuimus hactenus *pilulas purgantes*: Dixi autem superius, quod præter pilulas has dentur etiam *usuales & alterantes*, pro varietate scopi confectæ: jam de pilulis usualibus.

MORELLI EXCERPT. EX CAPIT. V.

Cum commentar. Blasii.

DE PILULIS.

PILULÆ USUALES.

PURGANT quidem, sed sensim admodum & potius corroborantes, quarum usus quando quidem frequens in hebdomada est, isque sine custodia, *usuales* dicuntur.

Quod ad COMPOSITIONEM, ex *aloë succotrino*, ut basi fiunt ad ℥ß. ʒvi. additis levioribus purgantibus, *Rhab. agaric.* ad ʒi. ʒii. & corroborantibus simplicibus, ut *cinamomo*, *garyophilis*, *mastiche*, compositis *Elect.* ad ʒi. ʒii. cum syrup. *absynth.* &c. q. s.

NOTA, *ammoniacum* solutum passim utiliter addi in obstructionibus, ad ʒi. ʒii. ut & *myrrham*. Item in formula utiliter præscribi, *aloëm succo absynthii nutritam*. Item *Rhab. liquore idoneo, donec mollescat irroratum.*

USUS quod ad MODUM, ut suprà.

Quod ad QUANTITATEM & TEMPUS de massa præscripta sumitur ʒß. ex qua formantur pilulæ quatuor quarum duas sumat manè, duas aliàs duabus horis ante cænam, bis vel ter in hebdomadæ diebus quibus abstinebit ab opiata corroborante, si fuerit præscripta, alias sine hac admonitione: passim enim, ut & suprà unà præscribuntur. A.

Hæc autem FORMULA. ♃. *cum, &c. fiat massa pilular. de qua, &c.*

UTILITAS summa corporibus valdè cachocymicis, pituitosis maximè, quibus ventriculus scatet perenni phlegmatis illuvie, unde manat in universum varia morborum series: valde enim corroborant ventriculum, coctionem Juvant, si quidem excrementitium in eo expurgant, nec sinunt noxia ulla accumulari: hinc utilissimè in omnibus affectibus inde oriundis, mesenterii, capitis, hepatis, articulorum. &c.

A hoc in nostris non obtinet, qui solis pilulis ejusmodi contenti ab opiata abstinent.

♃ Aloës lucid. ʒiii.
Fol. senn. Rhabarb. Turbith. an. ʒi.
Cinnam. caryophill. an. ℈i.
Gumm. ammon. Tartar. vitriolat. an. ʒß.
F. pulv. qui syrup. rosar. sol. s. q. excipiatur.
Ut f. *Massa* de cujus ʒi. f. pill. IX.

VEL

♃ Aloës succotrin. ʒß.
Rhabarb. Elect. ʒiß.
Cinam. Mastich. an. ʒß.
Syrup. ros. solut. q. s.
Ut F. *Massa*.

SUNT eæ, quæ *præscribuntur in quantitate paulo majore* pro usibus sæpius repetendis, ita ut singulis septimanis, vel singulis 14. diebus, vel singulis mensibus talium pilularum usualium usus repetatur

tur. Et quidem imprimis à *subjectis cachecticis*, & in quibus ex vitio stomachi solent subnasci *sordes excrementitiæ*, quæ cùm soleant esse *fomes* morborum *chronicorum*, propterea solent præscribi tales pilulæ, ut sublatis istis excrementis corpus conservetur in statu sano & florido. V. gr. tales sunt, qui *torminibus colicis* obnoxii, qui laborant *cachexia, malo hypochondriaco*. Pertinent huc *senes*, qui non raro laborant *Apepsia & bradippepsia* item in quibus metus est imminentis *Apoplexiæ*, & similium affectuum. In his affectibus præcavendis vel saltem suffiaminandis, egregiæ sunt pilulæ, usuales dictæ.

Modum compositionis habet AUTOR.

Nihilominus, ut magis pateat componendi & usurpandi ratio, imprimis sunt elegantes *pilulæ usuales* BARTHOLETTI, quæ instar formulæ præ aliis esse possunt, quasque describit in *Encyclopedia*, & *præscribit in* latitudine sanitatis s. *statu convalescentiæ*, ubi quidem non valdopere quis ægrotat, interim tamen propter viscus aliquot læsum facile labi potest in morbum. Pilulæ tales usuales sunt hæ.

℞. *Aloës lot.* ℥j.
Myrrh. elect. ʒj.
Mastich. ʒß.
Croci. ʒß.
Rosarum. ʒj.
Santal. rubr. ℥ij.

c. s. q. aquæ Endiviæ forment. in form. cicerum pilulæ, usurpandæ omni tempore quando necessitas postulat. De his dicit Autor BARTHOLETUS, quod hic qui illis utatur, non videbit in corpore suo infirmitatem, de qua non sit facile curabilis. Item quod istæ pilulæ *præservent* hominem *à Pestilentia*, item præservent eundem, si versetur *in locis pituitosis* & corruptis. Imprimis quidem pro *stomacho mundificando*, & intestinis à superfluitatibus corruptis, suaviter laxando, conducunt; præservant itidem à *doloribus Arthriticis*: item valent contra *Catharros*, tam antiquos quam recentes; *pectus* ibidem *mundificant*, (ratione Croci & Myrrhæ) & *dolorem costarum* removent, unde & *Asthmaticis* conveniunt.

Sumuntur plurimum ʒ. una vice inhaustu vini. Hæ sunt pilulæ, quæ conveniunt omnis sexus & generis personis: & possunt præscribi iis, qui dicuntur cachectici.

In Nota dicit AUTOR: additur Ammoniacum in cachexiis & malo hypochondriaco, idque non sine ratione, utpote cum vis Ammoniaci sit experta in talibus affectibus.

Sit ergo formula pilularum usualium, iis qui laborant morbo hypochondriaco, item suffocatione uterina atque scorbuto, ita præscribenda.

℞. *Gum. Ammoniac. acet. scyllitic. solut.* ℥j.
Aloës succotr. ℥ß.
Myrrh. ʒij.
Extract. Elleb. nigr. ʒj.
Mastic.
Croc. an. ℈ij.

cum s. q. Essent. Fumar. F. pil. instar pisorum. quarum dos. n. vj. l. viij.

Tales pilulæ in *malo hypochondriaco*, item in iis *qui inclinant ad Hydropem*, vel similes *aff ctus chronicos* possunt assumi singulis septimanis, sine evacuatione notabili, ita tamen ut simul *respiciatur ad motum Lunæ*, uno aut altero die *ante novilunium & plenilunium*, tunc enim temporis *mo bi* contumaciores in senibus utplurimum *solent evigilare*. Tempus assumendi quidam præscribunt *ante cœnam*: sed hoc *nihil est*, potius *assumendæ* sunt *tempore matutino*, post horam haustus vini generosi assumendus, & postmodum id tempus imperandum jejunium. Valdopere *conveniunt*, hæ pilulæ in *stomachi affectibus*; nam sicut notum est, quod Elixir Proprietatis solent ingredi ista tria, Crocus. Aloë & Myrrha, & adhiberi pro stomacho roborando, unde. *Elixir Proprietatis loco possunt assumi* hæ pilulæ, vel loco pilularum Elixir Proprietatis pro lubitu. Imò non tantum iis, qui sunt in latitudine valetudinis: sed etiam *in morbis chronicis* præscribuntur, tales pilulæ, ut sub cursum curationis singulis 7. vel 14. diebus adhibeantur. Et in tali casu solent præscribi magis purgantes & laxantes, ut scilicet ea excrementa, quæ ab aliis medicamentis sunt præparata & cocta, possint beneficio harum absque nausea educi, id quod docebit lectio Practicorum.

Hæ sunt pilulæ usuales, sequuntur.

MORELLI EXCERPT. EX CAPIT. V.

Cum commentar. Blasii.

DE PILULIS.

PILULÆ CORROBORANTES ET ALTERANTES.

LICET omnes Pilulæ purgantes propriè esse debeant, tamen ad alios scopos hac forma solida medicamenta solent & possunt componi, ad roborandum & alterandum vario modo in primis, secundis, tertiis qualitatibus, ubi medicamentum si volumus diutius hærere vel morari, nec transire subitò, ut vis medica agat efficaciùs in parte in qua est, vel propter eandem moram diffundi etiam liberalius possit ad alias consentientes, & distribui per occultos & patentes meatus.

Hæ autem vel ore continentur, *neque deglutiuntur, vel* devorantur.

ORE CONTINENTUR *pilulæ bechicæ* à sphærica forma, (vel etiam lupinari, unde & has ad Trochiscos passim referunt,) & vi insigni in sedanda Tussi, sic dictæ, ut & ab utendi modo *hipoglottides*, vulgo *sublinguales*: A. quod sub lingua vel suprà potiùs contineantur, donec sensim hoc pacto liquescant, tussi & affectibus asperæ arteriæ, & pectoris diccatæ.

A *Hæ tamen & ad alios usus usurpantur, quam tussim sedandam, maximè alexi pharmacorum loco, quale injuste fieri solet.*

COMPONUNTUR autem *ex pulvere* Thoracicorum lenientium, *ut succo liquiritiæ, Gummi tragacanti, arabici, amylo, sacchar. sem. papaveris albi, &c.* ad ℥iʒ. ℥1. pro usus necessitate & longitudine.

A Excipitur autem iste pulvis sufficiente quantitate *mucilag. gumm. Tragacanthæ, extracta in aqua rosarum*, vel *cydoniorum*, &c. vel etiam cum syrupo pectorali.

USUS & FORMULA ♃ *&c. cum mucilag. &c. fiat massa, ex qua formentur pilulæ hypoglottides*, quarum unam passim & sæpius contineat sublingua, donec liquescat, & sensim deglutiatur.

UTILITAS ut dictum est ad sedandam tussim, leniendam asperæ arteriæ & faucium, asperitatem, vocis raucedinem, & expectorationem difficilem. B.

Huc possunt referri *trochisc. lupinares*, ad fluxiones sistendas ore continendi.

A *Quandoque & confectiones, opiata, olea adsumuntur, uti in antipestilentialibus & similibus.* B *imò & ad cordis roborationem, venenique expulsionem.*

I. ♃ Gum. arab. Tragacanth. an. ℥ß.
Succ. glycirrh. ℥1.
Sapæ q. s. m. f. *pillulæ.*

II. ♃. Sacchar. rosar. ℥ij.
Cand. ℥1.
Amyl. ʒii.
Spec. diacinnam. dianis. diaireos. an. ℈j.
Macis ℈ß.
Cum mucilag. Tragacanth. in aqua miliss. extracta, f. *pillul. hypoglott.*

Exemplum aliud vide ubi de Trochiscis.

DEGLUTIUNTUR autem pillulæ roborantes, vel vario modo alterantes, utiliter in affectibus ventriculi à cruditate

ditate flatuum, & partium consentientium, capitis maximè, oculorum, ac vicinarum, hepatis, &c. ex roborantibus idoneis, in affectibus capitis idiopathicis idoneæ, ob moram quam trahunt in ventriculo, maximè si post cibum sumantur.

Tales etiam sunt hypnoticæ officinales, *pillulæ de cynoglossa*, qualis & passim præscribuntur ad fluxiones sistendas, simul & absorbendas, somnum etiam conciliandum: huc & *laudanum* jam receptissimum referri potest, *ad gran* II. ad summum præscribendum, præscribuntur etiam ad fluxum alvi ex corroborantibus & adstringentibus, ante, & cum cibo sumendæ, ad hepatis atoniam, gonorrhæam, renum, & vesicæ ulcera, ad calculum, uteri varios affectus, &c.

COMPONUNTUR autem A ex *pulvere* idoneo, faciente ad scopum & intentiones, quas suggerent affectus propositi, eoque ad ℥ß. ʒv. ʒvI. præscripto, qui excipiatur syrupo convenienti.

USUS quod ad QUANTITATEM ex massa. ʒj. formantur pilulæ vI. quarum duæ semel, bis, in die assumuntur.

Quod ad TEMPUS, manè, vesperi ante, post, cum cibo, ut suprà dictum in condito.

Quod ad MODUM devorantur, & si ad partium inferiorum, hepatis, viscerum, renum, vesicæ, uteri affectus præscribantur, utiliter parum liquoris idonei appropriati superbibitur, quò ad istas partes vis medica citiùs perferatur cum fructu.

UTILITAS supra satis fuit explicata.

A *Si non ex extracto quodam, uti in pilulis ex laudano opiato, vel ex massâ pillularum officinali, qualis est de cynoglossa.*

♃ Laudan. opiat. gr. II.
  F. pill. II. *Somnifera.*

♃ Troch. de Eupator.
  Rhabarb. an. ʒII.
  Syrup. de 5. radice q. s.
  F. *pill. parvæ deobstruentes.*

♃ Troch. de myrrh. ℈j.
  Castor. ℈ʒ. diagrid. gr. vI.
  Aloës elect. ʒß.
  Syrup. de artemis. q. s.
  F. *pill. parvæ histerica.*

♃ Pill. de Bdellio ℈j.
  Troch. de carabe, corall. ust. an. ℈j.
  Cum syrup. myrtin. F. *pill. astringentes.*

♃ Terræ sigill. bol. armen. in aqu. rosl. lot. an. ℈ij.
  Corall. lapit. hæmatit. an. ℈j.
  Mastich. ʒß.
  Pulverisata excipiantur syrup. è rosis sicc. aut myrtill. q. s.

F. Massa ex qua ante somnum & manè ante cibum ʒI. exhibetur, ad sanguinis fluxum qualemcumque sistendum.

HÆ pilulæ corroborantes & alterantes rectè dicuntur à MORELLO, quod partim contineantur in ore, partim deglutiantur.

Pilulæ *qua continentur in Ore*, dicuntur BECHICÆ, ex eo, quoniam *conducunt in tussi*, *asperitate & raucedine faucium*, & similibus faucium affectibus à Lympha nimis acri obortis, præscribuntur secundum AUTOREM ex rebus, quæ vim habent demulcendi acrimoniam lymphæ, & temperandi raucedinem, qua temperata, cessabit tussis. *Prostant in Officinis* tales pilulæ bechicæ, quæ sunt officinales: quod si lubuerit præscribere *Magistrales*, tunc possunt præscribi in tali formula.

℞. *Succ. liquit. in aqua apropr. solut. & inspissat.* ʒiij.
  Benzoes.
  Rad. Ireos. flor. an. ʒß.
  Sem. Papav. albi. ʒj.

c. s. q. *Mucilag. tragacanth.* in aqua. *Asthmatic. dissolut.* F. l. a.

Pilulæ Hypoglottides, s. sublinguales.

Harum enim pilularum *semper aliquot ponuntur sub lingua*, ut sensim sensimque liquescant, & liquefactæ per fauces cum lympha dilabantur, ut lymphæ acrimoniam, & inde ortos faucium affectus leniant, temperent, & demulceant. Nihilominus hæ pilulæ *non amplius in* frequenti sunt *usu*. Præter has etiam præscribuntur aliæ pilulæ deglutiendæ, pro varietate scopi variæ. Cæterum ut plurimum sunt purgantes.

Usitatè solent *alterantes* præscribi *ex Laudano Opiato*, in quibus usus ejus est necessarius; *potest* tamen etiam *permisceri aliis* ingredientibus, pro scopi ratione.

Sic præscribuntur tales *pilulæ in Febri ardente maligna*, cum Agrypnia & jectigatione conjuncta.

℞. *Extract. Theriacal.* gr. vj. l. viij.
  Laudan. Opiat. gr. jß. l. ij. (pro varietate præparationis.)

Cum *Spirit. Theriac. camphorat.* F. l. a. pilul. hora somni sumend. pro una dos.

Extractum Theriacale præscribitur in parva dosi propterea, quoniam in Theriaca jam est Opium, & insuper etiam additur Opium.

Similes his sunt PILULÆ DE CYNOGLOSSA, in officinis usitata, tam *in Catharris crassis* quam *tenuibus* & nocturno tempore affligentibus, quæ sunt similiter *Narcoticæ & Hypnoticæ*, ex narcoticis tamen vel nihil correctis, & propterea *in desuetudinem* apud nos *abierunt*. *Rectius Laudanum Opiatum* permiscetur cum succino, Myrrha, & aliis pro Catharris destinatis. Nihilominus tamen *solent* hæ pilulæ *præscribi* hoc tempore *in Belgio* & ad gr. viij. l. x. assumuntur.

BENEDICTUS FAVENTINUS habet pilulas in Catharris, quas videmus descriptas in *Augustianis Basis* sunt pilulæ de Cynoglossa, quibus additur aliquid Croci & Myrrhæ, & credo, quod iis potuerit multa præstare: Observentur ergò probè.

LINDANUS *solet usurpare has* pillulas in *phtisi* cum Catharris salsis & acribus conjuncta: Item in aliis *affectibus catharralibus*, *Tussi*, *asperitate faucium*, & sæpe suffocationis metum nocturno tempore inducentibus. *Compositio* est hæc.

℞. *Mass. Pillul. de Cynogloss.* ʒj.
  Laud. Opiat. gr. iij.
  Succ. Glyzyrrh. in aqua. Hyssop. solut. & inspissat. ʒij. F. pilul. magnit. pisorum.

Sumuntur *sub introitum in lectum* num. ij. usque ad 4. Has pilulas valde commendat in affectibus catharralibus, & dicit, quod soleat *ex eorum usu induci stranguria*, certo experimento, quod expurgent lympham acrem ex sanguine, quæ præcipitata ad vias urinarias acrimoniâ suâ concitet istam stranguriam.

Fiunt etiam tales *pilulæ* pro aliis scopis alterantes, præsertim *ex succis inspissatis* quarundam plantarum. Hic ergo necessum est ut consideremus.

SCRODER. CAPUT LXXXII.

De Succis.

SUcci ex vegetabilibus potissimum depromuntur, raro ex animalibus. E vegetabilibus puta non omnibus.

Inidonea enim sunt, 1. nuclei, semina, & reliqua oleosa, qualia sunt amygdalæ, pistacia, semina lini, de quibus egimus in oleis expressis.

2. Minus apta sunt aridiora, ut fruges, nisi decocta harum succos appellare libuerit.

Modus fiendi.

℞. Vegetabilia succulenta (minus succulenta macerari, insolari, elixari ve antea volunt aquam) conquassa & exprime, hinc clarifica (cum albumine ovi, filtrationeque vel digestione, quod melius,) si opus est Igne l. inspissa, atque, ne empyreuma contrahat, continuò agita: sic fiunt succi.

1. *Ex floribus.* ℞. Flores virides, imple alembicum premendo,

mendo, collocenturque ad digerendum, s. putrescendum in MB. satis profundè, donec in mucilaginem abiisse videantur: Hinc exprime succum, clarifica c. alb. ovi, & inspissa lentè ad consistentiam mellis; sic fiunt succi (Essentiæ dictæ) borag. bugloss. pœon. verbasc. violar. & simil.

N. 1. *Si flores minus succulenti fuerint, affundatur parum aquæ: sic fit extractum, s. succus inspissat. flor. tunicæ, calendulæ, Keyri, Cyani, rorismar. rhœad. salv. & simil.*

N. 2. *Præstant flores primum erumpentes.*

N. 3. *Expressum succum si recentibus floribus affuderis, majorem succi copiam colliges.*

II. Ex fructibus. ℞. Succulentos, exprime, vel coque antea; hinc exprime, trajiceque per setaceum, liquidioresque ad mellis consistentiam inspissa.

N. *Succi è fructibus alio ferè nomine gaudent, mellis, scil. si dulce sapiant, ut mel juniperinum, passularum, & simil. alias Roob, Sapa, ut roob de berberis, de ribib.*

III. Ex radicibus & lignis, interveniente coctione (in aqua,) & expressione succi eliciuntur, adsciscuntque nomen Extractorum, vide supra cap. 57.

Succi officinales, tùm liquidi prostant, tùm inspissati.

Liquidi qui per se conservantur pauci sunt, quippe præter succos acidulos & fermentatos illos potulentos (qualis vinum, vinum pomorum, pyrorum, & simil.) nulli ad tempus durabiles sunt: hinc fit ut addito saccharo, melleve, in syrupum coquantur: vide de Syrupis c. 48.

Quin imò vel ipsis succis acidulis nonnihil sacchari ferè additur, cujus vi tùm parum fermentantur, tùm ab injuria corruptionis conservantur.

N. *Dantur & succi è vegetabilibus tùm per se ruptis, tùm incisis sponte stillantes (lacrymas vocare expedit.) Verùm hi partim nativis accensentur, partim non usuales sunt.*

Talis est succus betulæ, qui in Suecia & Finlandia, mensibus Martio & Aprili collectus & fermentatus, muliercülis nobilibus potus suppetit, succus juglandis arboris, liquor scil. qui in quercuum stipitibus coacervatur, lacrymæ vitis amputatæ. Huc opium & simil. Succi Officinales liquidi, qui & Vina dicuntur, sunt

Succus Berberum.
Citri
Cytoniorum
Granatorum acidorum
Limonum
Myrtillorum
Ribium
Rubi Idæi.

N. *Succi recentes tot ex tempore parari queunt, quot vegetabilia viridia succulenta exhibentur. Verum quia gramineum sapiunt saporem, minus in usum veniunt, licet sapor ille saccharro corrigi queat.*

Succi inspissati.

Succus Absynthii communis.
Acaciæ nostratis.
N. *Verus Officinis habetur inter nativa.*
Agrimoniæ
Aloë
Cardui benedicti
Chermes granorum
Centaurii minoris
Cichorii
Cydoniorum.
Enulæ.
Fumariæ
Gentianæ
Glycyrrhizæ
Gratiolæ
Hyperici
Hyoscyami
Ireos nostratis cæruleæ
Liquiritiæ
Mercurialis
Myrtyllorum Germanicorum
Heidelbeersaft
Nicotianæ
Papaveris domestici
erratici
Plantaginis
Portulacæ.
Rosarum incarnatarum
rubrarum
Scrophulariæ
Solatri.

Huc pertinent.

Rob de Berberis simplex.
de Ribib.

Mel Ebulinum, Sambucinum, Juniperinum, Passularum } Consistentiam Electuarii fere obtinent.

Et quidem succis *ex vegetabilibus* expressis. Nam rectè monet AUTOR, quod succi ex mineralibus non possunt exprimi, propter ineptitudinem eorum, sicuti succi ex Animalibus propter facilem corruptionem non possunt adservari. Nec omnia subjecta ex vegetabilibus sunt apta, ut subministrent succos, quæ enim sunt *pinguia & oleosa, non dant succos*; quoniam ratione olei fiunt acres, rancescunt, & vermium progeniem producunt.

Propterea *vegetabilia* solent exprimi, & *dant succos*, vel sine coctione vel cum coctione. *Sine coctione*, ubi sunt succolenta. *Cum coctione*, ubi necesse est, ut adjuventur quasi decoquendo, cum alias sint inepta, ut subministrent suos humores, s. humiditates.

MODOS ex FLORIBUS habet AUTOR qui monet rectè, quod *dicantur* florum *Essentiæ abusivè* ab ANGELO SALA *in Anatomia Essentiarum Vegetabilium. Possunt* tamen hoc modo vocari Essentiæ, *si scilicet per Spiritum proprium* in Essentiam *extrahatur* vegetabile, & huic Essentiæ extractæ postmodum addatur succus inspissatus, & dissolvatur in illa tantum, quantum potest; sic enim fit Essentia potentior. V. gr. tale Extractum fit ex Absinthio, si fiat Essentia cum spiritu proprio, & in Essentia dissolvatur succi inspissati tantum, quantum potest Essentia imbibere, quæ postmodum filtretur, & sic est Essentia efficacior longè, quàm Essentia communis Absinthii.

Ex FRUCTIBUS *succolentis* exprimuntur succi sed ne corrumpantur *solent* leviter *inspissari*: Et quidem *si sint dulces, vocantur* MELLA, uti est mel Juniperinum, mel passularum, uti habet Autor SCHROEDERUS: *si ingratiores*, vocantur ROB. Dixi quod succi, ne corrumpantur inspissentur, sed rectè monent Autores elegantiores in hoc negotio, quod debeant considerare Pharmacopæi, quomodo Oenopolæ sua vina conservent, ne corrumpantur in doliis: Putant nimirum, quod sicut *beneficio fumi sulphurei* ænopoli vina à corruptione præservent, ita etiam posse Pharmacopæos modo legitimè, operentur, *conservare succos* ad longum tempus sine corruptione. Occasionem subministrat HELMONT, qui in quibusdam locis, obscurè tamen, *modum* conservandi succos cum sulphure *innuit*.

Inter succos inspissatos est etiam.

SUCCUS ACACIÆ *nostratis*.

De quo dixi, quod conveniat in *Dysenteria & fluctibus alvei* similibus.

SUCCUS CYDONIORUM.

Valdè commendatur in *Dysenteria*, *vomitu*, item *ructibus*, & *Nausea*, & similibus affectibus.

SUCCUS ENULÆ.

Convenit in *affectibus pectoris*, in *purificando sanguine*, item *in scabie*.

SUCCUS MERCURIALIS.

Non solet usurpari nisi *in pessariis* fœminis præscriptis. Nam solet valdoperè *purificare uterum*, & *elicere sordes* ac mucilagines eundem conspurcantes.

SUCCUS NICOTIANÆ.

Ex hoc solent fieri *pilulæ contra dolorem dentium*, alias non solet usurpari, propter nimiam & generosam vim catharticam & vomitivam.

USUS *succorum* est partim quidem ut ex iis fiant certæ pilulæ, quibus largiantur corpus; partim

solent usurpari, ut dissolvantur in liquoribus appropriatis, & ita fiant ex iis potiones.

Inter alias formulas nobis adhuc considerandus est *Bolus*, *Electuarium*, *Conditum* & similes. Cæterùm quoniam in his præscribendis necessum est, ut habeatur notitia Conservarum, propterea de conservis, ceu basi Boli, Electuarii, conditi, &c. est agendum. Et quidem agit AUTOR.

SCRODER. CAPUT XLVIII.

De Conservis.

RES conservisandæ (conservandæ) ut plurimum flores sunt, raro herbæ, rarius radices, rarissimè caro fructuum.

Modus.

℞. Quod conservisare volueris, conquassa (mortario præcipuè lapideo pistilloque ligneo) atque inter quassandum admisce Saccharum.

Proportio Sacchari variat. In rebus humidioribus ac mucilaginosis conservisandis, recipitur duplum: in siccioribus, ad triplum usque ascenditur, additurque nonnihil aquæ stillatitiæ.

Flores & herbas recentes conservisare oportet, attamen si nimiâ humiditate scatent, in umbra exsiccari aliquantulum expetunt.

N. 1. *Sunt qui ex floribus ac saccharo stratum supra stratum faciunt, solique idipsum exponunt. Alii julepum conficiunt, eumque admiscendo conservisationem absolvunt.*

N. 2. *Poteris itidem, si volueris, flores vel herbas conservisandas in minutissimas antea incidere partes, hinc addito Saccharo conservisare, uti dictum.*

Radices prius coquendæ sunt, dein conquassandæ, vel & per setaceum trajiciendæ, hinc conservisandæ.

Caro *fructuum* omnino per setaceum trajici expetit.

Conserva usitatiores sunt.

Conserv. Absynthii romani è summitatibus.
Acaciæ flor.
Acetosæ fol.
Acetosellæ fol.
Anthos, id est, flor. rorismar.
Betonic. fl.
Borragin. fl.
Buglossæ. fl.
Calendular. fl.
Cardui bened. summ.
Cichorii ex fl.
Citri pulpæ s. medullæ [& florum.]
Cochleariæ fol.
Consolidæ major. flor.
Euphragiæ summit.
Fumariæ summit.
Galegæ summ.
Genistæ flor.
Hed.r. terr. comp. Aug.
Lavendulæ fl.
Liliorum alb. fl.
Liliorum convall.
Majoranæ summit.
Malv. fl.
Meliss. fl.
Menthæ.
Nympheæ alb. fl.
Papav. errat. fl.
Portulacæ fol.
Pœoniæ fl.
Persicorum fl.
Primulæ veris fl.
Prunellæ fl.
Pulegii summit.
Rosarum albar.
rubrarum, recens & antiq. Vitriolata.
Carinarum, s. Sylvestr.
Salviæ fl.
Sambuci fl.
Scabiosæ.
Scordii.
Tiliæ fl.
Tunicæ fl.
I. e. caryophill. hort.
Tussilaginis fl.
Veronicæ summ.
Violarum martiarum.

CONSERVÆ ferè nihil aliud *sunt nisi flores vegetabilium contusa cum saccharo*, & ita in consistentiam paulo crassiorem redactæ, inventæ, ut flores conserventur in suo vigore, & ne exsiccatæ vires perdant. *Utplurimum flores*, *raro* tamen etiam *partes* plantarum solent in conservas redigi, rara est, v. gratia.

CONSERVA CITRI.

Ex pulpa, *& Sacchar*o quæ est elegans gustu, & propinatur in *Febribus malignis* post sudorem prolectum *pro viribus* refocillandis. Rarum est quod

RADICE SYMPHITI CONSERVA

è fiat: quæ solet præscribi in *vulneribus*, in *Hernia*, & similibus affectibus.

MODUS est, ut flores concisæ contundantur in mortario cum sacharo. Cæterum *mortarium non debet esse* stanneum, aut æneum, sed *lapideum*, & mistura fieri cum pistillo ligneo aut lapideo, propterea ne ramenta se permisceant cum conserva, & vim malignam ac vomitivam ipsi concilient.

PROPORTIO variat ratione sachari, dicit AUTOR, plerumque tamen solet respici ad proportionem duplam, ita ut partes duæ sachari recipiant, ad partem unam specierum in conservam redigendarum.

Conservæ, quæ prostant *in officinis*, sunt IN AUTORE descriptæ.

Sunt qui parant hoc modo.

Conservam CORTICUM CITRI.

℞. *Cortic. Citri sine carne* ad ℥ij.
Contunduntur in mortario marmoreo & additur.

Sachar. ℔ß.

Coquuntur lento Igne ad perfectionem, donec proveniant ad consistentiam debitam.

Ex his conservis fiunt imprimis Boli & Electuaria, condita & similia. MORELLUS agit.

MORELLI CAPUT I. SECT. II.

LIBR. I.

De bolo cum comment. gerard. Blasii.

BOLUS *est forma medicamenti, mellis fere consistentia, paulo crassiore, ad purgandum, vel alterandum comparata: & quod sit frustum medicamenti, quantum ferè bucca capere potest, inde nomen habetur.*

Est autem bolus triplex, *purgans* scilicet *& alterans*, atque *corroborans*.

BOLUS PURGANS.

BOLUS *purgans* quid sit & quænam ipsius *differentia* expurgandorum, humorum varietate desumendum, ex superioribus in apozemate enarratis satis patet.

IN COMPOSITIONE ejus, *materia ex qua* maximè perpendenda, in qua consideratur *qualitas* & *quantitas*.

Quod ad QUALITATEM MATERIÆ, in genere componitur ex catharticis, simplicibus & compositis, & sacharo A.

Quod ad QUANTITATEM, bolus ʒvi. in genere, aut ℥j. non debet excedere.

In *specie* verò, quod ad *materiam*, componitur bolus purgans.

1. VEL ex *cassia* sola, quæ ferè basis boli est, (aut *pulpa* etiam *Tamarindorum*, in biliosis maximè) licet præstat ex cassia, & alio purgante simul, opiata scilicet aut Electuario solido, componere, ut stimuletur nempè vis ipsius purgans,

gans, quæ leniens ferè tantùm est, ne diutiùs aliàs in intestinis moram trahens ipsa afficiat, & tunc quod ad *quantitatem cassiæ* ℥ß. ʒvi. *opiatæ*. Vero vel tabellæ purgantis ʒi. ʒij. plùs minùs præscribentur, examinando nempè dosis cautione, quam supra notavimus, ut sive 2. 3. misceantur cum cassia, dosis tandem completa habeatur.

A *Ita tamen ut semper aliquid adsit, quod per se consistentiam sufficientem habeat, vel alia cohærere faciat, ut sunt opiata, syrupi, &c.*

♃ Cass. recent. extract. ℥j.
Cremor. tartari ʒj.
Cum saccharo *F. Bolus.*

♃ Cass. recent. extract. ℥ß.
El. diacarth. diaph. an. ʒij. *M. f. Bolus.*

NOTA usu esse receptissimum, in renum & vesicæ affectibus B, bolum ex jam dicta *cassia* ut basi præscribere ad ʒvi. cui addantur ʒij. *Therebint. lota in aqua viol. aut simil. cum pulv. liquirit.* & *sacchari* sufficient. quantitate in quem finem etiam sæpius sola *Therebintina* præscribitur, ut infrà, addito nonnumquam Rhabarb. ℈j.

VEL ex *opiata purgante* officinali, quæ vel sola præscribitur, dosi à quantitate, quam suprà in potione dedimus & infra definiemus: *vel una ipsi additur tabella vel elect. solidum purgans*, hac dosi, ut ista simul juncta dosin compleram conficiant, hac vero proportione, ut opiata paulò plus præscribas.

NOTA, aliquando his duobus junctis, vel opiatæ soli, addi *pulverem purgantem*, cumque aut simplicem, ut *Rhab. mechoat.* &c. à ℈ß. ad ʒß. aut compositum, ut *diaturbith.* à ℈ß. ad ℈j. prout cætera majore quantitate fuerint præscripta: vel etiam aliquando non purgantem, sed vel digerentem, corrigentem, corroborantem, ad ℈ß.

B *Seminisve excretione indecenti ac immodica.*

♃ Elect. lenitiv. diacathol. ää. ʒij.
Spec. diaturb. cum Rheo. cremor. tartar. ää. ℈ß.
Sacchari q. s. *M. f. Bolus.*

♃ Elect. linitiv. diacathol. an. ʒiij.
Sacchar. q. s. *F. Bolus.*

VEL *ex tabella* seu *electuar. solido*, eoque *aut* solo, dosi suprà in potione & infra dicenda, cum syrupo, & saccharo, *aut* addita aliquando opiata, vel pulvere purgante, ut jam dictum.

♃ Elect. de succo rosarum tabellat. ℥ß.
Sacchar. & syrup. ros. sol. an. q. s. *F. Bolus.*

VEL quod rarum, ex *solo pulvere purgantium*, simplicium, & compositorum, syrupo, & saccharo excepto, sed ratio minus accepta.

♃ Diagrid. gr. xv.
Crem. Tartar. ʒj.
Cum syrup. ros. sol. & sacch. an. q. s. *F. Bolus.*

VEL (quod boli purgantis nomen vix meretur, & in affectibus renum, vesicæ maximè usurpatur,) *ea Terebinth.* lota *aqua viol.* &c. ad ʒij. vel ʒiij. cum *pulver. liquirit.* ℈j.

USUS quod ad MODUM, devorando quidem seu deglutiendo assumitur, quod commode fiet, ex cochleari, cum syrupo.

QUANTITAS suprà definita.

TEMPUS exhibendi mane est.

FORMULA PRÆSCRIBENDI, ubi quidem cassia assumitur, ♃. *Medulla cassiæ recenter extracta*, (& aliquando additur, in vapore de coct. alicujus, V GR. *hordei liquir. malv.* pro renibus,) *vel pulpa, vel floris cassiæ*, &c. *cum saccharo fiat bolus.*

Si ex opiata. ♃. &c *cum saccharo f. bolus.*

Ubi autem bolum sicciora constituunt ut Tabell. & pulver. copiosi, ita ut boli forma cohærere posse non videantur, dicitur. ♃. &c. *humectentur cum tali syrupo, & cum saccharo in boli formam reducantur, quem sumat, &c.*

Ubi vero bolus ex Therebinth. ♃. *Therebinth. lota, &c. f. boli, qui nebulis involvantur, & ex cochleari cum syrupo idoneo, ut capill. vener. violar. &c. devorentur, mane iij. iiij. horis ante prandium, idque usitatè per triduum.*

UTILITAS eadem quæ potionis existit, ubi nempè vitium in inferiore regione, aut partibus vicinis existit privatim verò bolus ex cassia in affectibus renum, vesicæ, usurpantur & in aliis affectibus, in quibus læviter agendum, ac leniendum ferè tantùm.

BOLUS ROBORANS.

Hic quod ad COMPOSITIONEM, ratione QUALITATIS, comparatur.

VEl ex *conservis* officinalibus & *pulvere*, qui vel electuarii alicujus officinalis, vel alius aromaticus, ut *cinam.* omnis cum *saccharo.*

NOTA aliquando una cum conservis dictis *confectiones cardiacas* assumit, ut *alkermes*, de *hyacintho.*

♃ Conserv. rosar. borag. violar. an. ℈iv.
Confect. de alkermes. ℈ij. Theriac. ℈j.
Cornu servi præparat. ℈ß. *M. f. Bolus.*

VEL ex *confectione* officinali sola corroborante, potest tamen & *pulvis* quandoque ipsi addi.

♃ Confect. hyacinth. Elect. de ovo an. ℈j.
Margarit. præparat. ℈ß. *M. f. bolus.*

Quod ad QUANTITATEM, quantitas dosis, & proportio *primi modi* hæc est. ut *conservarum* sint. ʒiij. ℥ß. *pulveris* ℈i. *confectionis*, si admittatur, ℈j. ʒß

Secundi verò *modi*, *confectio* nempè præscribitur ad ʒj. ʒiß.

USUS quod ad TEMPUS, solet quidem præscribi postridie medicamenti purgantis, duabus horis ante prandium ut passim, vel etiam aliàs horâ commodâ, ad roborandum simpliciter, nulla purgatione prægressa.

Quod ad MODUM, devorando ex cochleari, si volueris, cum syrupo, superbibendo parum vini diluti, vel liquoris alterius pro scopo.

FORMULA PRÆSCRIBENDI. ♃. *&c. cum saccharo f. bolus quem sumat, &c.*

UTILITAS ex titulo satis patet, vide potionem cardiacam, usitatè autem & passim post præscripta medicamenta purgantia usurpantur, ad confortandum tam ventriculum, tum partim afflictus, & à medicamentis, & à morborum vi, tum etiam ad corroborandum simpliciter, nulla præcedente catharsi, quotiescumque vires quacumque de causa debiles & fatiscentes illud suadent.

BOLUS ALTERANS.

COMPONITUR hic ratione QUALITATIS ex conserva officinali aut opiata, solis, aut cum pulvere, oleis, similibusque miscendis mixtis.

QUANTITATE ea adsumptis, quam cujus vis dosis permittit.

USUS idem qui roborantis ordinarii, quidam manè, quidam vesperi adhibentur, prout res exegerit.

UTILITAS quæ sit vox satis quoque indicat, alterat omnibus modis, primis, secundis, adeoque varia efficit, quæ purgationem non spectant, ut sunt mensium, urinæve motiones, sudoris provocationes, fluxus sedationes, &c.

♃. Philon. rom. ℈j.
Laud. opiat. gr. ii.
Ol. fœnicul. gt. ii.
Syrup. papaver. Rhead. ʒj.
M. f. bolus hypnoticus.

♃. Conf. ros. rubr. ʒiij.
Troch. de terra sigill. carrabe an. ℥ß.
Syrup. myrtin. ʒj.
M. f. bolus adstringens.

♃. Conf. ros. rubr. ʒij.
Spec. diamarg. frig.
Sal. prunell. an. ℈j.
Syrup. viol. q. s.
M. f. bolus refrigerans.

SCHRODERI CAPUT XLII.

De Bolis.

Boli in officinis pro usu nulli extant, sed ex præscriptione usui extemporaneo parantur, idque vel miscendo solum, vel inspissando, &c.

Fiunt ex electuariis, pulpis, conservis, pulveribus in consistentiam minùs fluidam deglutibilemque redactis.

N. *Cavendum ne sapore ingrato abominabilis evadat.*

Exempla.

I.

℞. Rhabarb. pulveris. ʒj.
Conserv. Rosar. rec. ℥ß.
Cum Syr. rosar. sol. F. Bolus.

II.

℞. Elect. lenitiv. de manna ℥ß.
diaphœnic.
diacatholic. ã. ʒij.
Cum saccharo alb. F. Bolus pro vice una.
N. *Addi potest & pulvis conveniens.*
Vires. *Purgat humorem serosum ac biliosum.*

III.

℞. Conserv. rosar. antiq. ʒij.
Laudan. opiat. gran. iiß.
F. Bolus.
Confert in fluxu alvi & sim. dolorem sedat, somnum inducit.

IV.

IV.

℞. Cassiæ rec. extract. ʒj.
Sem. anis. ℈j.
Cum oleo amygdal. dulc. rec.
F. Bolus in nephritide.

V.

℞. Prunor. damasc. num. x.
Sebesten. num. VII.
Passul. enucl. ℥ß.
Coquantur cum aqua, colenturque fortiter. Hinc adde.
Pul. cass. ℥ij. coquantur denuo ad spissitudinem mellis.
Tum adde
Pulv. sen ʒiij.
Cum Sacchar. F Bolus pro 2. vel 3. vicibus, &c.

Et rectè dicit, quod non prostant in officinis parati, sed *omnes sunt Magistrales*. Aliàs observetur, simul quod Boli *nostro tempore non sint adeo usitati*, quam apud veteres.

Veteres præscripserunt *ad aliquod ℥ias*, cum *Moderni* propter delicatulos ægros vix ultra ʒj. *aut* ʒij. soleant ascendere.

Bolus est medicamentum instar pulpæ quod *præscribitur una vice*, & dicitur *bolus*, quoniam est tantæ magnitudinis, quanta bucca potest excipi.

Bolus *est* vel *Alterans* vel *Purgans*:

BOLUS ALTERANS.

Fit ex conserva appropriata cui, ceu basi, seu quod dat consistentiam formulæ, admiscentur pulveres appropriati, ita tamen ut ʒj. istius *conservæ* præscribatur ordinario ℈j. *pulveris*, & postmodum cum syrupo appropriato redigitur ad consistentiam boli. Nam quæ habet AUTOR de Bolis sunt exoleta.

Hoc modo cum conserva præscribuntur Boli alterantes v. gr. Bolus *adstringens in Diarrhæa*.

℞. *Conserv. flor. rosar. antiquar.* ʒj.
Terr. sigillat. vitriolatæ s. spir. vitrioli. irrorat. ℈j.
Laudan. Opiat. gr. j. l. ij.
cum s. q. *Syrup. Myrtillor.* F. l. a. Bolus.
D. S.

Item Bolus *pro corroboratione* post nimium *sudorem* in Febri maligna prolectum posset præscribi hoc modo.

℞. *Conserv. pulp. Citr.* ʒiß.
Confect. Alcherm. ℈j.
Hepatic. rubei. ℈ß. (ut coagulet denuo M. s.)
c. s. q. *Cyrup. Acetos. Citr.* F. Bolus.
Corrobor. pri. dos.

Interdum solet *Theriaca in forma Boli* hoc modo præscribi, in talibus casibus, ubi opus est Theriaca.

℞. *Theriac. Venet.* ʒj. subigitur cum
Syrup. v. gr. *Acetos. Citr.* q. s. F. Bolus.
Corrobor. adstring.

Et hoc modo commodè possunt præscribi Boli alterantes vel roborantes pro varietate scopi. AUTOR vult ad ℥ias aliquot, sed non est in usu; nos una vice à ʒij pondere præscribimus.

Ita pro infantibus parvis solent fieri *boli expellentes vermes* seu lumbricos h. m.

℞. *Conserv. flor. Persicor.* ʒß.
Mercurii dulces. gr. vj.
Specier. Diaturbith. c. rhabarb. gr. iij.
c. s. q. *Syrup. flor. Persicor.* F. Bolus.

Corranum pro dos. jam raro præscribunt pro duabus.

Post Bolum alterantem est etiam

BOLUS PURGANS.

Qui ex veterum modo variis modis fuit præscriptus. Secundum Modernos & nostrates solet præscribi *è conserva* officinali permista *cum pulvere purgante*. Dico secundum Modernos & nostrates: Nam *Itali & Galli dant* Bolos purgantes *à* ℥j. *ad* ℥iß. *ex Cassia* extracta recenter: item *ex Electuariis*, officinalibus & similibus, sicut idem innuit AUTOR. Cæterum utut hic modus apud Italos & Gallos sit usitatus, nondum tamen sese probavit nostratibus, sed tantum fiunt boli ex conserva appropriata cum pulvere, sive simplici, sive composito, usuali purgante in dosi dicta ut in ea queat assumi. *Pulpa Tamarindorum* quæ purgat & subacida gratique est saporis, & non cum nausea assumitur, *loco conservæ catholicæ potest inservire. Pro delicatulis* Bolus purgans sit hic.

℞. *Conserv. pulp. Tamarind.* ʒj.
Pulv. catholici purgant. ℈j.
Scam. rosat. gr. ij. F. Bolus.
c. s. q. *Syrup. de rubr. Ideo.*
Purg. pri. dg.

Alia formula, quam ingreditur pulvis purgans compositus, *in scorbuto* v. g.

℞. *Conserv. folior, Cochl.* ʒj.
Pulv. radic. Jalap. ℈ß.
Elleb. nigr. præp. gr. v.
Extract. Trochisc. alhand. gr. j.
c. s. q. *Syrup. Scelotyrb. Forest.* F. Bolus.
Purg. In Scorbut.
adspergat. aliquot guttis spirit. *Cochlear.*

Alia formula Boli purgantis *in affectibus oculorum* sit talis.

℞. *Conserv. flor. Euphras.* ʒj.
Pulv. catholic. purgant. gr. xv.
Scam. sulphurat. gr. ij.
c. q. s. *Syrup. Fœnicul.* F. l. a. Bolus.
Pulvis. ophtalmic.
irroretur aliquot. gutt. ol. destil. *Fœnicul.*

Bolus purgans *in Tertiana intermittente* ex pulpa Tamarindorum non inelegans potest esse talis.

℞. *Pulv. Tamarind.* ʒij.
Rhabarb. pulverisat. ℈j. Vel.
Pulv. Cholagog. Quercet. ℈j. & sic porro.
Scam. rosat. gr. iij.
c. s. q. *Syrup. Acetosellæ.* F. Bolus.

Ad Bolos etiam pertinet, quando EX THEREBINTINA, uti rectè habet MORELLUS, *fit Bolus*, idque imprimis *in affectibus Renum & vesicæ*, in affectibus Nephriticis, utpote in quibus terebinthina utramque facit paginam. Sic. v. gr. in *exulceratione Renum*, quæ est satis contumax, usitata, & periculosa, potest fieri talis Bolus.

℞. *Terebinth. Venet.* vel *Cypric.* ʒij.
Trochisc. Alkkeng. ʒß.
c. s. q. *Sachar.* propter saporem F. Bolus. Nephritic.

Irroretur aliquot guttul. *Balsam, sulphuris terebinthinat.* seu *Juniperat.*

AUTOR vult, ut præscribatur Terebinthina lota, sed *lotione ista magna vis Terebinthinæ perit.* Vel etiam *ex sola Terebinthina cum sacharo* permista in mortario potest fieri talis *Bolus* in affectibus Nephriticis, *in affectibus renum & vesicæ*, cui tamen etiam alia addi possunt pro scopo.

Bolus *contra* affectus ab acrimonia urinæ, *exulcerationem vesicæ, mictum cruentum* & similes sit talis.

℞. *Terebinth. Venet.* ʒj.
Oculor. cancror. præparator. ℈ß.
c. s. q. *Syrup. de Symphit. Fernel.* Bolus.
Sedans dolorem Nephritic.
Irroretur cum *ol. destil. Cortic. aurant.*

Contra stranguriam Dysuriam & similes urinarios affectus. Vel. Bolo diuretic.

Habuimus hactenus de bolo ex conservis cum pulveribus & Syrupis appropriatis parato. Huic Bolo affinis valde est compositio.

SCHRODER.

SCHRODER. CAPUT LI.

De Electuariis & Mixturis.

Electuaria sunt, vel molliora, (consistentiâ confectionum opiatarum) vel solidiora in tabulis. Priora sunt hujus loci.

Modus parandi varius est, adeoque potius exemplis quàm regulis demonstrabilis.

Electuaria vulgaria (confectiones opiatæ communiter appellatæ, fiunt è pulveribus minutissimis, melle despumato calente, (rarò saccharo syrupisato) susceptis, quibus solubilia si admiscenda ea sint, scorsim dissoluta subinde affunduntur, postmodumque ad fermentationem loco tepido reponuntur.

Reliqua fiunt sola ferè mixturâ, scil. pulverum, electuariorum usualium, conditorum (in frustula dissectorum) conservarum, extractorum, seu essentiarum, & simil. quæ suscipiuntur liquore, maximeque syrupis q. s. ad consistentiam. Et hæc dicuntur vulgò *mixturæ.*

N. *Adduntur & interdum pauca guttulæ oleorum stillatitiorum, vel spirituum Vitrioli, Sal. communisve.*

Sunt Electuaria, tum alterantia, tum purgantia.

Electuaria alterantia usitatiora sunt.

Electuarium.
- Diacorum August.
- Pseudo, acori, *vide infrà* N. 1.
- Alexipharmacum 2.
- De Ciconia 3.
- Alkermes, s. confectio Alkermes.
- De Allio 4.
- Anacardinum, s. confectio Anacardina, s. confectio sapientum. A.
- Antidotus Mathioli, A.
- Archigenis, A.
- Athanasia magna, A.
- Aureum Alexandrinum, A.
- Camphoratum, 5.
- Chalybeatum, A.
- Chalybeatum Horatii Angeni, 6. Arcularii 7.
- Corroborans specificum Croll. 8.
- Cordial. 9.
- De Croco, 10.
- Diaphoreticum Plateri, 11.
- Diacodium, A.
- Diureticum Montag. A.
- De Ferri scoriis, A.
- Hystericum 12.
- de baccis lauri Rhasis, A.
- Micleta Nicolai, A.
- Mithridatum, A. C.
- Orvietanum, 13.
- Nucum, 14.
- Diaolibanum, C.
- de Ovo.
- Papæ s. Guidonis contra pestem, A.
- Philonium Mesuæ, A.
  - persicum Mes. A.
  - majus s. Romanum Nicol.
  - A. Tharsense Galeni, A.
  - contra phthisin, 15.
- Podagricum S. Closs. 16.
- Regum, 17.
- Requies Nicolai cum saccharo, A.
- Resumptivum Fernelii C.
- Diasatyrium, A.
- Scorbuticum, 18.
- Diascordium Fracastor. A.
- Theriaca Andromachi, A.
  - Diatessaron, A.
  - Communis, A.
- Triphera magna, A.
  - minor, A.
  - Saracenica, A.
- El. vitæ Arnold. de V. N.

N. *Quia species aromatica ad electuaria, cum melle vel saccharo conficienda, ordinata olim fuerunt, & harum pleraque Electuarii nomine communiter adhuc veniunt, quas vide infrà; Præstaret tamen species ab Electuariis distinguere.*

Electuaria lenientia usitatoria sunt.

Electuar.
- Diacassia cum manna, A.
- Diacatholicum, Antidotus Catholica Nicolai, A.
- Diaprunis simpl. A.
  - solutivum, Diadamascenum. A.
- Hiera picra Galeni; s. simplex. A.
- Lenitivum Florenzolæ, A. de Manna, A.
- Thriphera Persica Damasceni; A.

Electuar. Purgantia usitatiora. Electuar.

- Diasarum Fernelii; *vide infrà* 1.
- Antimoniale, 2.
- Benedicta laxativa Nicol. A.
- Diabalzemer. s. Electi Sennatum. *A. Renod.*
- Diacartham s. Diacnici, A.
- Carycostinum, C.
- Catharcticum Imperiale, Nicol. C.
- de Citro solutivum, A. C.
- Diacydonites, s. Diacydonium laxativum, A.
- N. *Ad Gelatinas referri potest.*
- Episcopi, s. Elescoph. A.
- Hamech. s. confectio Hamech. major, A.
- Hiera composita, A.
  - Logadii, A.
  - Pacchii, Archigenis, Ruffi, s.
  - Diacolocynthidos, A.
- Indum majus,
- Diaphœnicum Mesuæ, A.
  - Fernelii, A.
- de Psyllo, Montagn. A.
- Rosarum Mesuæ, A.
- de Succo rosarum Nicol. A.
- N. *Usitatius est in tabulis.*
- Diasebesten. Montagn. A.
- Diasenna Nicolai, A.
  - de Tamarindis. 3.
  - Huc Passulæ laxativæ, A. C.

ELECT. ALTERANTIA.

1. Elect. Pseudoacori stomachicum.

℞. Rad. Pseudoacor. à cortice exteriore mundat. ℔. i. minutissimè incisæ & conquassatæ infundantur in Vini rubr. per dies ac noct. (3.4.) Hinc coque ad consumptionem vini; mollitiemque radicum.

Postmodum adde mellis depurat. ℔ij. vel iiß. iterum parum coctis addantur Zinzib. optimi minutim incis. ℥iij. vel 4. misceantur optimè l. Ign. ad consistentiam; hinc remove ab Igne, & immisce.

- Pulv. Cinamom. acer. unc. ß.
- Piper. long. ʒij.
- Galang.
- Nucist.
- Macis.
- Cubebar.
- Cardamom. ana ʒiß.
- Gran. paradis.
- Piper. nigr. ana ʒ. 1. plus minus.
- F. Elect.

N. *Alii admiscent amygdal. dulc. & pineas excort.*

Vires. *Confortat stomachum & caput frigidum, excrementa incidendo, exsiccando, &c.*

Dosis ad magnitud. avellanæ vel juglandis, mane ac vesperi.

2. Electuarium Alexipharmacum, Cl. Da. D. Petri de Sp. F. F.

℞. Rad. Diptamn.
- Caryophyllat.
- Cyper. rot. ā. ℥iß.
- Asari ʒvi.
- Ireos flor. ʒiij.
- Fol. Rut.
- Fl. Rosar. rubr. ā. ℥iß.
- Diptamn. cret. ʒiij.
  - Spic. indic. ℥iß.
- Cinamom.
- Croc. or. ā. ℥i.
- Baccar. Junip.
  - Laur. ā ʒvi.
- Mastich. ℥ß.
- Agar. tr.
- Myrr. el. ā. ʒij.
- Bol. arm. præp.
- Spec. liberant. ā. ʒvi.

Contundantur subtilissimè, & cribrentur. Postea.

℞. Nucl. Jugland. ℥iij.

Fic. pingu. ℥ix.
Conquassentur simul, additoque modico vini trajiciantur per cribrum ad pultis consistentiam. Deinde
Sacchar. opt. ℔iiß. ℥iij.
Dyssolve cum aquæ q. s. Ign. lento.
Postea adde
Mellis despumat. ℔iij.
Coque ad aquæ consumptionem.
Deinde adde
Pulticulam illam ficuum & nucum.
Theriac. Andr. ℥ix.
Conserv. rof. rubr. ℔iß.
Succ. Absynt. inspiss. ℥iß.
Miice optimè cum spatula lignea, dein removeantur ab igne, & agitentur continuò, donec refrixerint: postea adde pulveres, misceanturque perfectissimè, in fine adde
Ambræ gris. drach. 1.
Mosch. ℈j.
F. Electuar.
Vires. *Usus ejus creberrimus fuit in sævissima illa nupera peste, in qua tam præservando, quàm curando profuisse compertum est.*

3. *Electuar. Alexipharmacum de Ciconia. Arcanum Alexipharmacum.*

℞. 1. Recentem ciconiæ sanguinem, destilla per M B. remanentem in cucurbita sanguinem exsicca & pulverisa. Hinc
2. Extrahe Sal ex ventriculo ciconiæ incinerato, beneficio aquæ illius ex sanguine destillatæ, idque pulverisatæ illi sanguinis remanentiæ admisce.
Hisce 3. addantur in vitro satis capaci.
Succin. alb. el. ℥. 1.
Corall. rubr.
Baccar. matur. uvæ inversæ.
Essent. Mumiæ.
Rad. Anthor. ā. ʒiß.
Lap. Bez. or. *drach.iij.*
Theriac. opt. *unc.*iß.
Hoc cum oleo pini (ex nucl. express.) incorpora, deinceps tantum olei superaddendo, ut digitos 3. vel 4. latos emineat. Tandem insoletur aliquamdiu orificio vasis diligenter obstructo, quo enim vetustius eo melius.
Vires. *Efficacissimum est contra omnia metallica, animalia & vegetabilia venena, quæ tum vomitu, tum secessu, tum sudore expellit.*
Dosis unc. ß. cum haustu aquæ, vini, vel lactis tepidi. Croll.
N. *Loco Sal. com. ex ventriculi cinere extracti mallem ipsas tunicas pulverisatas admiscere.*

4. *Electuarium s. mixtura de Allio.*

℞. Digitor. allii, num. IV.
Frixis & contusis cum melle & mithridatii *drach.* iiß. adde.
Sperm ceti.
Granor. Juniper. ana ℈j.
Castorei ℈ij.
Pulv. parietar. ℈j.
Oxymell. schillit. q. s. F. Elect.
Vires. *Insignium virium est contra colicam.*

5. *Electuarium Camphoratum Kegleri.*

℞. Rad. Diptamn. alb.
Tormentill. ā. *drach.* ij.
Zinz. alb. *unc.*ij. (rectius ℥ß.)
Sacchar. cand. *unc.* ij.
Margarit. præparat. *unc.*ß.
Nuc. vomic.
Os de c. c. ā. *drach.*ij.
Camphor. *unc.* 1.
Teriac. Andr. *unc.* IV.
Sacchari alb. in aq. acetos. solut. q. s. F. electuarium.
Vires. *Alexipharmacum ac sudoriferum est, maximique usus in morbis malignis.*

Dosis drach. j. ad ij. &c. Paulò aliter.

℞. Rad. Diptamn.
Tormentill.
Zedoar. ana *unc.* ß.
Zinzib. *drach.* ij.
Herb. card. benedict. *unc.* ß.
Turb. alb. & gumm.
Nuc. vomic. ā. *unc.* ß.
Rhabarb.
Os. de c. c.
Oc. cancror. ā. *drach.* 1.
Camphor. *unc.* 1.
Sacchar. cand. *unc.* 1.
Theriac. Androm. *unc.* VI.
M. F. Electuarium.

6. *Electuarium Chalybeatum Horatii Augenii.*

℞. Piper.
Zinzib. ana. *unc.*ß.
Cardamom.
Caryophyllor.
Doronic. *aut* Angelic.
Croci ana *drach.*ij.
Thamarisci *unc.* ß.
Sem. Basilic.
Anis. ana *drach.* ß.
Limatur chalyb.
℔. ß.
Mellis despumat. ℔iij.
F. Electuarium.
Vires. *Confert in intemperie frigida mulierum.*

7. *Aliud Elect. Chalybis Arculatiis*

℞. Scorb. Chalyb. ℥iij.
Succ. recent. pomorum Borsdorff. putrific. ℥VI.
Macera 24. hor. effunde per inclinationem. Succus novus affundatur, tribus vicibus id repetatur, Succi tandem inspissentur ad formam Electuarii.
Dosis à ʒij. *ad* ℥ß.

8. *Electuarium corroborans specificum, s. Medicamentum specificum omnium septem membrorum principalium. Crollii.*

℞. Ol. succini ter vel quater (per aquam Majoranæ vel simil.) rectificati *drach.*ij.
Spirit. vitrioli veri.
Salis cranii human. (vel magisterii) ana *unc.* ß.
Tincturæ croc. or.
Granor. alkerm. ana ʒij.
Sal. margarit.
Corallor. ana ℥j.
Ol. Cinamom.
Macer. ana. ʒß.
Lact. Sulphuris ℥j.
Extr. Spodii ℥iß.
Antimon. diaphoret. ℥ß.
Magist. Tart. ℥j. i. e. Tartari vitriolati.
Tinctur. croc. martis.
Extr. chelidon.
Rhabarb. ana ℥ß.
Liquor. cryst all.
calcul. microcosmic. ana ℥j.
Cum extracta & inspissata Theriacæ essentia, melle Juniperino, conserva rosarum, addendo pro libitu saccharum rosaceum. F. Electuarium, addita Moschi & Ambræ, ana drachma 1.
N. *Propter ventriculi sympathiam cum reliquis membris addantur spirit. vitrioli veneris drach.ij. atque Ol. Nucist. stillat. drach. ß.*
Dosis à gran. 5. 6. 7. usque ad 20. &c.

9. *Electuarium seu mixtura cordialis.*

℞. Conserv. rosor. *unc.* viij.
Borrag.
Bugloss. ā *unc.*iij.
Violar, *unc.* ij.
Nymph. *unc.* iß.
Confect. Alkerm. *unc.* ß.
Pulp. citr. condit. *unc.* iij.
Fl. citr. condit. *unc.* ij.
Spec. Diarrhod. Abb. ʒij.
Margarit. præparat. ʒij.
Corallor. utrorumque præpar. ana ʒiij.
Lign. Aloës pulv. ℈IV.
Ambr. gris. ʒVI.
Fol. auri *num.* X.
Cum syrupo acetos. citri q. s. F. mixtura.
Vires. *Spiritus vitales Balsamumque naturæ corroborat.*
Dosis ad magnitudinem avellanæ.

10. *Electuar. de Croco.*

℞. Croc. or. ʒ. 1.
Rad. Zedoar.
Tormentill.
Nuc. vomic. ā. *drach.*ij.
Camphor. ℈j.
Sem. Eruc.
Rad. Diptamn. alb.
Angelic. ā. *drach.*ij.
Petasit. *drach.* iij.

Theriac.

Theriac. Venet. vet. ℥ vi.
Mithridati, *unc.* vi.
F. Electuarium.
Vires. *Alexipharmacum est Keglerìano nihil vel parum cedens.*

11. Electuarium diaphoreticum Plateri.

℞. Syrup. de papav. alb. ʒ vi.
Rob sambuc.
Ebul. ana ℥ j.
Spir. Juniper. ʒ. vi.
M. in electuarium.
Vires. *Somnum conciliat, dolores sopit atque sudorem ciet, adeoque convenit in hydrope. Vide* Hechstett. lib. 1. observ. dec. 3. cas. 1.

12. Electuarium hystericum seu laudatum facile.

♃ Fragment. lapid. pretiosorum.
Saphir.
Hyacinth.
Topas.
Smaragd. ana ʒ j.
Corall. alb. &
rubr.
Margar. præpar. ā. ℈. iv.
Rad. Galang.
Rhabarb. an. ʒ iij.
Gumm. arab.
Opopan.
Galban.
Thur.
Mastich. an. ℥ ij.
Bdell.
Sarcocoll. an. ℈ ij.
Euphorb. ℥ ß.
Camphor. ʒ iß.
Sem. Coriandr.
Fœnic.
Cardamom.
Salis communis.
Opii Thebaic. ā. ℥ ß.
Cinam. ℥ ij.
Spiritus thereb. ℥ j.
Mell. despumat. ℔ ß.
Spirit. Vin. &
Aq. Imperial. an. q. s.
F. Laudanum s. a. instar Opiatæ.
Dosis iv. gran. superhabendo parum vini, & os frequenter exscr. colluendo ad præcavendum faucium & gutturis ardorem propter euphorb.
Suffocatis ab utero, hemicranicis, convulsis à causa frigida magno solatio est.

13. Electuarium Orvietanum.

♃. Rad. carlin. seu chamæleont. alb.
Tormentill.
Pistoloch.
Aristol. rot.
Scorzon. Hisp.
Calam. arom.
Angelic.
Imperator.
Anthor.
Sem. Santon. &
Fol. ejus.
Dictamn. alb.
Bol. arm.
Terr. sigillat. an. ℥ j.
Theriac. veter. ℥ iij.
Mell. hispan. cocti pondus triplum.
F. Electuar.
Vires & dosis eadem quæ Theriacæ Androm.

14. Electuar. Nucum.

℞. Nuc. Jugland. num. xx.
Ficuum ping. num. xv.
Rut. unc. 1.
Sal. commun. ℈ ß.
Mellis unc. ij.
M. F. Electuarium.
Vires. *Alexipharmacum est.*

15. Electuarium contra Phthisin.

℞. Conserv. Rosar. vet. ℥ ij.

Loch de pulm. vulp.
Papav.
Pin. ana ℥ ß.
Sem. 4. frig. maj. excort.
Lactuc.
Cydonior. an. ℈ j.
Amygd. dulc.
Pineas.
Pistac. ana ℥ ß.
Mastich.
Terr. sigillat.
Bol. armen. ana ℥ ß.
Gum. Arab.
Amyl. ana ℈ j.
Spec. Diatragac. fr. ʒ iß.
Diaphenic. ʒ ß.
Sem. Papav. alb.
Portulac. ana ℈ j.
Pulmon. vulpis exsicc. ʒ ß.
Canc. fluviatil. ust.
Trochisc. de Carab.
Tragacanth. ana ℈ j.
Cum Syrupo de papav. & glycyrrh.
F. Mixtura.
Vires: *Acrimoniam mitigat, tenuitatem incrassat.*

16. Electuarium podagricum S. Clossei.

♃. Resin. scammon.
Jalap. an. ℥ j.
Hermodact. ℥ vi.
Sagapen.
Sem. Anis.
Fœnic.
Carvi.
Millii solis.
Garyophyll.
Mar.
Costi arab.
Zinzib.
Mastich. ā. ℈ ß.
Liquetur sagap. in aceto stillat. coletur per setaceum, commiscendo pulv. præscriptos, & in mortario marmoreo adjiciendo per pupillos sacch. pulverisatum, & irrorando aq. ivæ Arthrit. F. Electuar. ut Opiata, addendo essentiæ anis. gutt. 2.
Dosis à ʒ ij. ad ℥ ß. ad præcautionem doloris arthritici singulis mensibus in occasu lunæ.

17. Electuar. Regum.

℞. Pinear. *unc.* iß.
Rosar. rubr. *drach.* ij.
Amygd. dulc. *unc.* ß.
Santal. citrin. ℈ ii.
Ambr. gris. ℈ ß.
Moschi *gran.* iij.
Sacchari albiss. in aqua rosar. fragrantiss. solut. ℔. 1.
Vires. *Refrigerat, exsiccat, nutrit, corroborat, &c.*

Electuar. Scorbuticum.

℞. Cons. cochlear. ℥ iiß.
Chamædr.
Meliss.
Rosar. incarnat.
Acetos. citri ā. ʒ vi.
Condit. calam. arom.
Zinzib.
Rad. Pimpinell.
Cort. citri ā. ʒ iij.
Extr. Absynth.
Iuniper.
Sem. Sinap.
Eruc. ā. ʒ ii.
Cardamom.
Cinamom. ā. ℥ j.
Tart. vitriolati ʒ iß.
Ol. Anis. ℈ j.
Cinam. ℈ ß.
Cum Syr. de Cinam. & de cochlear. an. q. s.
F. Mixtura.
Vires. *Reserat obstructiones mensenterii, lienisque tenorem corroborat, ideoque in scorbutico affectu virium est insignium.*

Dosis magnitudine juglandis parva mane jejuno stomacho assumpta.

ELECTUARIA PURGANTIA.

1. *Diasarum Fernelii.*

℞. Syrup. ment.
violar. ana *unc* VIII.
Coquantur in mellis crassitiem, sub finem subducto igne insperge Radicis peponis arefactæ.
Seminum raphani & urticæ maceratorum in aqua rosarum, arefactorum & tritorum ana *unc.* I.
Rad. asar. contritæ & cretæ ℥ij.
Cinamom.
Sem. fœnic. ā. *drach.* iij.
Confice in Electuarium liquidum.
Vires. *Omnis generis humores circa ventriculum & præcordia exuberantes, vomitione educit, non continuato, sed ex intervallis facto impetu: seni atque prægnanti tutum ac facile.*
Dosis drach. iij. *vel unc.* ß. *ex aqua hordei, vel ex mulsa.*

2. *Electuarium antimoniale Crollii.*

℞ Vitri antimon. correct. per acet. distill. *vid. lib.* 3.
Theriac. Androm. ā. *unc.* ij.
Nuc. moschat.
Mastich.
Cort. arant.
Corall. rubr. præp. ā. *drach* ij.
Caryophyllor.
Sem. Fœnic.
Coriandr. præp. ā. *unc.* ij.
Pulverisentur optimè & commisceantur. F. Massa pilularum, cum miva cydoniorum, q. s.
Vires. *Purgat minori violentiâ, quam vitrum, ac imprimis per secessum.*
Dosis debiliori, pilula una magnitudine pisi, fortiori duæ.

3. *Electuarium de Tamarindis.*
D D. Georg. Horst.

℞. Fol. Sen. s. s. ℥v.
Cinamom. opt. ʒvi.
Sem. fœnicul. ʒj.
Vini malvat. opt. ℔iij
Semel ebulliant, postea in loco calido per diem ac noctem digerantur vase clauso. F. deinde colatura cum expressione, qua extrahatur pulpæ passul. minor. & major. an. ℥iv. ʒ. extractæ massæ persetaceum adde pulpæ Tamarindorum Elect. diaprun. s. lenitiv. ana ℥iij.
Cremor. Tartar. ʒIIO.
Ol. nucis mosch. still. ℈j.
Anis. ℈ß.
M. f. Electuarium.
Vires. *Purgat leniter serosos biliosque humores.*

Dosis ʒj. *circiter.*

ELECTUARII.

Electuarium *est quasi bolus quidam grandior*, scil. compositus, & Hoc ipsum Electuarium est quædam compositio crassior, mollior tamen, in forma crassioris mellis, pro aliquot dosibus confecta. Et quidem sunt vel MAGITRALIA, ex tempore à Medico præscripta, vel OFFICINALIA, quæ in Officinis prostant, & præparata tantum ad aliquot doses præscribuntur. De Officinalibus Observetur, quod sint vel ALTERANTIA, vel PURGANTIA. *Alterantia* pro variis scopis præparantur. *Purgantia* evacuationis & laxationis gratia instituuntur.

Porro Electuaria sunt Molliora & duriora *Molliora in specie dicuntur* ELECTUARIA : *Duriora* vocantur TABELLÆ sc. MORSULI : differentia tantum est in consistentia.

Officinalia ab AUTORE & Antiquis præscripta *Solet* ordinario *ingredi Opium* crudum sine ulla præparatione, quod *Opium*, uti ex his apparet, etiam *Veteribus in frequenti* fuit *usu*, propter hunc ingressum Opii etiam vocata sunt Electuaria OPIATA, uti etiam à MORELLO vocantur. Apud Modernos propter similitudinem consistentiæ & præparationis, quam habent cum Opiatis reliqua Electuaria sine Opio confecta, abolevit & inusitatum jam est nomen Opiati, & retentum jam est nomen Electuarii.

MODUS *parandi* Electuaria Officinalia est, ut ingredientia pulverisata c. s. q. mellis permisceantur, probè agitentur, invicem subigantur, & ita tandem subacta benè in loco tepido, *vel ad fermentationem seponantur, vel* saltem ita *permista* postmodum *dispensentur.* Nam Compositiones magnæ, uti Theriacales, melle exceptæ ponuntur in locum tepidum, ut fermentent. Reliqua Electuaria sive fermentatione tantum permista dispensantur.

Et quidem hæc sunt Electuaria Officinalia. Hæc Electuaria Officinalia ex Modernorum præscripto præter pulveres solent ingredi Conservæ, Confectiones, Conditurae, Essentiæ Extracta, idque, uti dico, ex Modernorum præscripto : Nam *Veteres ex nudo melle & pulveribus* conficiebant suà Electuaria & hæc est compositio.

Quod ergo attinet in Specie Electuaria, & ut ab Officialibus initium faciam.

Inter illa est.

I. ELECTUARIUM DIACORON MESUÆ. vid. Aug.

Valde usitatum est *in affectibus stomachi*, imprimis in affectibus stomachi & Intestinorum *flatulentis* : Item in *digestione deficiente* sive vitiata, sive imminuta similibusve aliis stomachi affectibus.

II. ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM.

Quod describit SCHRODERUS. Hoc est ingens compositio, & quasi compositio quædam Theriacalis, nihilominus tamen *non est inelegans. Basin* ejus constituunt Nuces juglandes, Zingiber & Theriaca Andromachi, uti apparebit ex descriptione. His reliqua adduntur, partim ut vires intendantur, partim emendant, ut fiat Electuarium alexipharmacum.

Obiter moneo, quod *Electuaria alterantia*, in Officinis quæ prostant, *rarò* soleant præscribi *in substantia*, uti Theriaca : sed potius dissoluta in potionibus aut misturis; si in substantia, quod tamen rarò fit, ferè semper sub forma boli.

III. ELECTUARIUM DE CICONIA ALEXIPHARMACUM.

Dixi enim superius ubi de Ciconia, quod exinde fiat *Electuarium ex sanguinibus à* CROLLIO & PARACELSO valde commendatum in morbis malignis & similibus. Huic ferè simile est Electuarium alexipharmacum de Ciconia, cujus *basis est sanguis Ciconiæ* certo modo præparatus, cui adduntur reliqua pro meliori effectu, eodemque exaltando, & loco mellis pro consistentia fit Electuarium cum ol. Pini expresso, quod singulare est in hoc passu.

Pertinet huc, ratione convenientiæ;

THERIACA ANTIMONIATA ROLFINKII, cujus hæc est Compositio.

℞. *Theriac. optim.* ℥ß.
Bezoartic. mineral.
Antimonii diaphoret. ana ʒij.
C. C. philos. præp.
Magist. Corallor.
Perlar.
Ocul. cancror.
Lact. sulphuris.
Flor. sulphur, ter. sublimat. ana ʒj ℈ij.
Extract. Opii c. Spirit. Vin. vel *succ. limonum.*
Lilior. convall.
Acori ver.
Citri.
Spirit. CC. sal. vol. impragn.
vitrioli.

ol. Cort.

ol. Corn. Cerv.
lign. sanct. an. ℥ij.
Camphor. ℨj.
Balsam. sulphuris.
Tinct. Corallior.
Lunæ.
Elix. Propriet. Paracels. an. ℨij.
Myrrh. elect.
Radic. Angelic.
Zedoar.
Baccar. lauri.
Rob. Sambuc. & *Vini* q. s. ad in corporationem.
F. Electuar. dos. ad ℈ß.
Huc etiam pertinet.

CONFECTIO ALCHERMES.

Dicta ita, quoniam *basis sunt linteamina rubeo colore tincta*, qui color rubeus est ex granis Chermes. Utut quidam *loco eorum* linteaminum solent assumere *grana Chermes* natura & rubicunda. De his granis expertum est à Modernis, quod *illorum rubedo* consistat *in minutissimis vermiculis*, qui sub maturationis tempore generantur, unde postmodum Tinctura rubicunda provenit, uti potest videri apud Botanicos, imprimis *in Theatro Botanico* BAUHINI *Cap. 1. de Ramno infectoria.*

PARATUR Confectio Alchermes vel *cum Moscho* & Ambra, vel *sine* illis. Cum moscho & Ambra pro Viris, sine illis pro mulieribus, quibus talia ingredientia solent esse infesta & nociva propter metum suffocationis uterinæ. Hæc Confectio *commendatur* valdè in quamplurimis affectibus, uti videri potest in tract. EICHSTACHII Medici Dantiscani *de Confectione Alchermes.* Imprimis *summum* commendatur *Cordiale*, quodque valdè conducit in *roborandis Viribus*, & *refocillandis spiritibus* Animalibus, in *Melancholicis affectibus* in *tristitia* & *mærore:* usitatè præscribitur *in Febribus malignis*, ubi est virium imbecillitas, solet etiam tuto & utiliter propinari *loco conservativi:* In *Lypothimicis* reficiendis insigniter commendatur. *Dosis* est à ℈j. ad ℨj. *Raro* præscribitur in *substantia*, si assumenda hæc Confectio, sed *potius* vel *permiscetur* Electuariis, vel quod usitatius est, dissolvitur in potiunculis aut misturis & ita propinatur.

Exemplum potiunculæ, quam ingreditur Confectio Alchermes, sit hæc confortativa in Febribus malignis.

℞. *Aqua Cord. Hercul. Saxon.*
Cinnam. borrag.
libor. Cenvall. c. V. an. ℨß.
Essent. Melissæ. ℨj.
Confect. Alcherm. ℨj. l. ℨiß.
Syrup. rub. Idæi. ℨiij. misc. f. Potio.

Corrobor. pro plurib. dos. pro dosibus tribus. Benè hîc consideranda proportio.

Cæterum his *laudibus* Confectionis Alchermes multum *detrahunt moderni*, à quibus non paucis ceu compositio inepta & ridicula solet perstringi. Uti videri potest in GUIBERTI *Medico officioso pag.* 529. *Compositio* vid. in *Pharmacop. Aug.* ubi habetur correcta à ZUVÖLFERO. Hoc tempore confectio Alchermes *solet præparari Monspeiii*, propterea quoniam in agro Monspeliensi copiosa crescit Rhamnus infectoria.

IV. ELECTUARIUM DE ALLIO.

Cujus *basis* sunt *capita alii*, qui vocantur ab AUTHORE digiti Allii. Si examinentur ingredientia, apparebit facilè, quod dicit AUTOR, quod sit excellens *contra Colicam* imò contra *Nephretices affectus*, quos præservat ratione allii, & curat sabulum eliminando. Præterea conveniens erit *in suffocatione uterina*, quoniam salia volatilia ingredientium allii, Castorei & Juniperi, egregiè præcipitant acidum in suffocatione uterina peccans, quale & præstat sperma ceti.

ELECTUARIUM s. CONFECTIO ANACARDINA *vid. in Aug.*

Hæc *ex basi Anacardio* ita *denominata* est, *commendatur ad memoriam* corroborandam, imprimis in Senibus, & ad perficiendas operationes mentis. Cæterum observetur, quod propter ingredientia nimis calida & volatilia sit *cautè usurpand.* hæc Confectio: alias eas qui laborant defectu memoriæ *reddit fatuos.* Idem *inducit interdum febriculam.* Conveniens ergo dosis est propinanda & hæc convenienti subjecto.

ANTIDOTUS MATTHIOLI.

Est compositio magistralis, cujus *descriptio* prostrat *in Augustanis.* Valde usitata *in Peste* tam præservationis, quam curationis gratia. *Præservationis gratia* permiscetur *cum cochleari aceti*, & ita hauritur, *sive* sit acetum simplex, *sive* florum Tunicæ, *sive* acet Zedoariæ *sive* alia aceta Bezoartica. *In curatione* permiscetur cum aqua Theriacali & cum spiritu Theriacali Camphorato, & ita hauritur, expectato sudore. Per se in potu in tanta *dosi* usurpatur, quanta cultelli cuspide, capi potest. Compositio vid. in *August.* vel etiam in aliis Pharmacopæis.

V. ELECTUARIUM CAMPHORATUM KEGLERII.

Insignis usus est *in morbis malignis.* Ejus tamen *duplex compositio*, quam habet AUTOR habetur pro non adeò genuina: Propterea *alii hanc* magis legitimam *existimant.*

℞. *Unicorn. ver.* ℨj.
Radic. Tormentill.
Dictamur alb.
Nuc. Vomicæ.
Oss. de Cord. Cer. an. ℨij.
Radic. Pimpinell.
Valerian.
Baccar. laur.
Sem. Erucæ.
Croc. Oriental. an. ℨiß.
Zingib. ℥ij.
Camphor.
Sachar. Cand. Penidiat. an. ℥j.
ol. Juniper. ℨij.
Theriaca Andromach. ℥ij. ℨij. ℈ij.
misc. F. Elect.

Basis est Zingiber & Camphora *Compositio admodum* est *elegans.* Ratione Camphoræ & Zingiberis convenit in malignis, ut per sudorem expellatur malignitas.

VI. ELECTUARIUM CHALYBEATUM.

Tam *Augustan.* quam *Arcular.* loco VII. & *Augenii* loco VI. Convenit ratione Chalybis *in Cachexia & morbis chronicis*, in *Malo hypochondriaco*, & aliis mulierum & Virorum affectibus chronicis. *Simplicissima* compositio *est* ARCULARII loc. VII. Nihilominus *elegantissima* & forte efficacissima: fit ex Chalybe cum succo pomorum Borsdoffianorum; AUGENII est *magis Composita* & fortè *minus efficax.* Convenit *in morbis chronicis*, ubi Medicamenta Chalybeata & aperientia conveniunt.

VIII. ELECTUARIUM CORROBORANS SPECIFICUM CROLLII.

Usitatum pro *juvandis viribus*, & iisdem roborandis, tam in juvenibus, quam Senibus.

ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI RHASIS.

Vide in Aug. Hoc non usurpatur amplius in substantia, sed *tantum in Clysteribus* carminantibus & flatus discutientibus pro adultis ad ℥j. vel ℥iß.

Nam egregiè *flatus dispellit*, & eosdem discutit, & in Clysteribus *in Colica, suffocatione uterina & torminibus Ventris* solet præ aliis convenire.

MITHRIDATIUM.

Nota est compositio Mithridatii & Theriacæ. Mithridatium quod attinet *nomen* obtinet à MITHRIDATE Rege Ponti quæ compositio *fuit facta ex Nucibus* juglandibus, *ficubus* pinguibus & *foliis rutæ*. Hæc constituerunt Mithridatium, quo se præservavit Rex Ponti Mithridates contra omnia venena, etiam clanculum illi propinata: Ab hac compositione simplicissima facta est illa laboriosissima officinarum. Magnam Mithridatium *habet convenientiam cum Theriaca*, nisi quod ingredientia sint penetrantiora & calidiora. Ergo necessum est, ut *in ejus usu simus cautiores* quam in usu Theriacæ aliàs in *peste* & *Febribus malignis* solet usurpare; imprimis *in affectibus stomachi* & Intestinorum, *Diarrhæa, Vomitu, Cholera*, & *Dysenteria* similibusque morbis Mithridatium & Theriaca conveniunt. Præscribitur commodè *in forma boli* ad ʒj. Interdum *permiscetur* cum quibusdam Conservis in formam Electuarii: interdum *dissolvitur* in liquoribus appropriatis, ut fiat potus aut Mistura.

XIII. ELECTUARIUM ORPHIETANUM.

Ab *Orphieto* urbe Italiæ ita *nomen* obtinuit, quoniam ibidem in magno est usu contra *Pestem* & *Febres malignas*, adeo ut ibidem Theriacæ Andromachi, si non præfertur, tamen æquiparatur.

XIV. ELECTUARIUM NUCUM.

Eadem habet *ingredientia quæ Theriaca* simplex, Juglandes, ficum, & rutam: & etiam inter Alexipharmaca refertur.

ELECTUARIUM DE OVO.

Ita *dictum quoniam ingrediuntur ova* dura, & quoniam compingitur in formam ovorum deauratorum. Commendatur similiter *in morbis malignis* & *pestilentialibus*.

Cæterum ut hoc obiter moneam, hujusmodi Electuaria, cum constent ex farragine multorum simplicium ingredientium, sæpius sibi invicem contrariorum. 2. Cum ingredientia sint sæpè aromata volatili sale admodum imprægnata. 3. Cum hæc Electuaria excipiantur melle, succo admodum fermentativo.

Propter has tres rationes *simus cauti in propinandis his* Electuariis *in morbis* malignis cum febribus malignis, *ubi sunt effervescentiæ, deliria*, incandescentia & phlogoses corporis: Ne ergo hujusmodi Symptomata & effervescentiæ immoderato horum usu intendantur, sunt qui suadent, quod *nunquam* debeant usurpari *sine acido*. Ulterius habetur in iis Opium, quod agnoscitur pro eorum basi, de qua vid. *Methodus medendi* VVALÆI. Ergo *non propinanda* sunt iis, *quibus nocere possunt Opiata*, & talibus casibus, ubi nocet Opium, in gravidis & morbis, ubi periculosus est ejus usus, in subjectis debilitatis. Legantur quæ de Opio dixi. Istud quod dixi *de acido*, probè est *observandum*, quoniam acidum effervescentiam compescit, & Opium corrigit, quod non omittendum est, si Medicus velit consulere suis ægris.

PHILONIUM PERSICUM, ROMANUM, MESUÆ.

Hæc omnia Philonia pro *basi* agnoscunt capita & semina *Papaveris*, & à Veteribus fuerunt usurpata, ubi nos laudanum Opiatum: *ad eosdem* etiam *usus* confert *ad quos laudanum Opiatum*: Philonium *Persicum*, cujus *dosis* est ad ʒj. reliquis *præfertur*, & adhibitum fuit à Veteribus *in Vigiliis nimiis* in *doloribus* partium, imprimis *Capitis*, item in *Deliriis* & similibus. Præterea internè propinatur in *Hæmorrhagiis* quarumcumque partium, in quibus seu ad ultimum asylum confugiunt ad philonium. *Exemplum* curatæ Hæmorrhagiæ à Philonio persico vid. in VALERIOLÆ. *lib.* 4. *Obser.* 6. Et quidem Philonium *Persicum tantum* est *in usu*.

XV. ELECTUARIUM CONTRA PHTHYSIN.

Omnia ejus *ingredientia* huc *collimant ut temperent* & demulceant *acrimoniam* seri & lymphæ, ne noceat Pulmonibus, & ejus acrimonia Salina intendat aut adjuvet corrosione Pulmonum.

XVI. ELECTARIUM SCORBUTICUM.

Est *elegans*, & valde *conveniens* in scorbuto; *potest* tamen adhuc *intendi*, si vel addatur Electuarium Chalybeatum *Arcularii*: vel Crocus Martis aperitivus, aut Extractum aliquod aperitivum. Hoc Electuarium *usurpatur* magnitudine nucis juglandis quo tempore semper *adspergendum* aliquot guttis *Spirit. Cochleariæ*, ut potentius operetur; *Compositio* est elegans Antiscorbutica quæ vid. in AUTORE.

ELECTUARIUM DIASATYRION.

Ad *ciendam venerem* usurpatur, & *descriptio* prostat in *Augustan*. Pertinet huc.

ELECTUARIUM AD COITUM *Comitis* à VVALLENSTEIN.

Cujus hæc fuit compositio.

℞. *Sem. Erucæ.*
Vrticæ.
Saturej. an. ʒj.
Cerebr. Columbar.
Passer.
Priap. Tauri.
Cervi. ʒij.
Stincor. marinor. ʒiß.
Ambr. Gryseæ. ʒj.
Mosch. ℈j.
Confect. Alcherm. ʒx.
Mellis despumat. q.s. F. Electuarium.

Cujus *dosis* mane & Vesperi quantitas nucis juglandis.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM FRACASTOREI.

Consistit ex alexipharmacis adstringentibus atque propterea magni usus est in *Febribus malignis* & *pestilentialibus*, imprimis *cum fluxionibus* humorum quorumcunque conjunctis, & commodè potest propinari in iis locis & conditionibus, ubi Theriaca & Mithridatium non sinè periculo aut sinè metu noxe potest propinari *dosis* est ad ʒj. Commodè propinatur in Febribus malignis cum Dysenteriis, Diarrhæis, cum Hæmorrhagiis, & similibus Symptomatibus combinatis. Et ego in nuperrima Dysenteria epidemica maligna grassante, felicem ejus usum sæpius *expertus sum*. Pueris & mulieribus, *quibus Theriaca est nociva*, datur, *vel in substantia* sub forma boli, *vel dissolvitur* in potu, vel aliis appropriatis permiscetur; in Febribus additur potius succo citri, vel aliis appropriatis, & sic pellit sudorem, & per sudorem malignitatem, & adstringendo sistit fluxus, quod non nocet, quoniam jam malignitas per sudorem est expulsa. Alias *maximè afficit*, præpostera *fluxus sedatio*, *quando malignitas adhuc inhæret corpori*, unde oriuntur deliria, & postmodum mors. Unde scio quod nuperrimè quidam ex tali immatura adstrinctione alvi inciderit in Febrem ardentem lethalem. *Diascordium* ergo hoc *sit instar regulæ Curandi* omnes *fluxiones*.

Sequuntur Theriacæ inter quas

THERIACA ANDROMACHI s. VENETA.

Palmam obtinet. *De basi* huius Theriacæ valdè *discrepant* AUTORES, & meretur hic ut legatur ZVVÔLFERUS,

Zvvolferus, & ea quæ habet de Theriaca Andromachi, ubi ostendit spem vanam collocari sæpius in hac ipsa, imprimis quæ habet de Trochiscis viperinis quod à multis absque ratione pro basi habeantur: ab aliis Calcitis, ab aliis Opium habetur pro basi, quicquid sit multi & egregii est *usus* in affectibus *stomachi* & *Intestinorum*, ita etiam, ubi opus est, ut cieatur *Sudor* simpliciter, convenit Theriaca, *tantas* tamen *vires* quas adscribunt Veteres *nullo modo obtinet*, & hic antimonium *diaphoreticum* & *Bezoarticum* similiaque *propinantur* longè *utilius*, & minus incommodi est metuendum. Unde rectè Major *de Chirurgia infusoria* dixit, quod *Theriaca illegitimo usu* fac esset *in Venenum*. In *principio* & *Incremento Febrium* malignarum, in quibus est ingens sanguinis effervescentia, longè *tutius* potest propinari *Diascordium* Fracastorii propter vim constrictivam, & sanguinis effervescentiam sedativam.

Sunt quædam Ingredientia in Theriaca, quæ nunc temporis non possunt haberi, & inde *succedanea substituuntur*. Sic loco Opobalsami veri hodierna luce, quoniam non habetur verum Opobalsamum, substituitur ol. Cinamomi. Loco Trochiscorum Viperarum, cùm à Zvvolfero nugationis hæc compositio sit evicta, & Noribergensibus substituitur pulvis Viperarum legitimè præparatus. *Differentia* est *inter* Theriacam *Veterem* & *recentem*. In Theriaca recenti Opium non est ita correctum ac in Veteri. Unde *quando opus est Opio præscribitur recens* Theriaca, *quando* verò *Alexipharmacum* postulamus, præscribimus Theriacam *veterem* & quidem *in majori dosi*; Unde etiam Theriara *recens* est *utilis ad omnes usus* illos, *ad quos* solet alias commendari *Opium*.

De Theriaca observetur propè, quod *non sit propinanda die critico*, quoniam ratione Opii naturæ cursum impedit, propter eandem rationem *nunquam* convenienter *in gravidis* ac *infantibus* præscribi potest. Præmissis universalibus *convenit* Theriaca *in quartana*: nam ratione Opii expellit miasmata febrilia, & ideam delet morbosam. In genere Theriaca *nocet biliosis*, qui ex usu ejus inciderunt in Hecticam, tertianam, aut etiam ex obortis interdum febribus in mortem ipsam. Magis è contra *convenit pituitosis* & phlegmaticis, quorum morbos corrigit, & iis potenter auxiliatur. In *affectibus ventriculi* & *intestinorum* à Causa frigida & mucilagine acida obortis convenit Theriaca, uti est impetuosus motus ventriculi, in *Cholera* & *Vomitu*. In *amissa loquela* cum Theriaca si fricetur lingua & palatum, imprimis si adspergatur cum spiritu Cerasorum nigrorum, cum ol. destillato Anisi & similibus, expertum est remedium in amissa loquela. *Externè*, si inungatur Ventriculo, *sistit Vomitus* & *Choleram*: si illinatur umbilico sistit *tormina*, *Diarrhœas* & *hypercatharses*, quod facit Theriaca, si assumatur interius ad ʒß. vel ʒj. ita enim usurpata quamcumque Hypercatharsin certo experimento sistit.

Theriaca Diatessaron.

Quoniam constat 4. Ingredientibus dicta *describitur* in *Aug.* Hæc Theriaca *tantum valet*, quantum Theriaca & Mithridatium, modo observetur ut cum acido propinetur, præ ipsa quoque confert Theriaca & Mithridatio, modo habeatur respectus ad circumstantias supra dictas, & cum acido propinetur.

Post Electuaria alterantia Officinalia sequuntur.

Purgantia Officinalia

De his Electuariis purgantibus noto, quod *apud nos non* sint *amplius in usu*, quoniam sæpius sunt *nauseabunda*, & etiam necessum est, ut præscribantur ad ℥j. vel ℥ij. adeo ut non sine horrore possint assumi, sed *tantum Clysteribus* permisceantur, & quidem pro stimulo, ut ut *apud Gallos & Italos adhuc* sint *usitata*. Nos vero, si volumus aliquid tale præscribere, præscribimus Bolum purgantem, qui in minore dosi potest assumi. In potionibus nunquam aut rarissimè præscribuntur.

Electuarium Hieræ Picræ Galeni.

Dissolvitur *in Clysteribus*, *ubi opus est stimulo* paulo *fortiori*, ut in *Apoplexia* & *Epilepsia*, uti etiam.

Electuar. Hieræ Picræ C. Agarico.

Satis *stimulat*, & ad ℥j. vel ℥iß. ubi forti opus est stimulo *in Apoplexia* & *Epilepsia* solet ingredi *Clysteres*.

Ttyphera Persica.

Adhibeatur *in Clysteribus* ad ℥j. in *Febribus Petechialibus*, *Pestilentialibus*, *Deliriis*, &c.

Electuar. Benedictæ Laxativæ.

Est usitatum ingrediens *pro Clysteribus*, Acidum Intestinorum detergentibus ad ℥j. Adhibetur in *Colica*, *avi obstructione*, *fœcibus induratis* & similibus aliis.

Electuarium Diacarthami.

Præscribitur in *Clysteribus*, ubi opus est stimulo, & quidem, ubi opus est, ut evacuetur pituita crassa ac viscida Intestinorum. In Clysteribus potest adhiberi ad ℥iß. sicuti in substantia tantum ad ʒvj.

Confectio Hamech.

Fuit in usu Veteribus *in affectibus melancholicis* purgandis, in *Melancholia hypochondriaca*, *Mania*, in *Scabie*, *Lue venerea* & similibus affectibus: *apud nos non* est *in usu*, utut aliàs Itali cum nausea propinent ægris.

Electuarium Hiera Compositæ.

Ingreditur *Clysteres* stimulantes, & quidem ubi opus est, ut fortiter è remotioribus partibus evacuetur, in *Paralysi*, *Tremore* & similibus affectibus. Item propter Castoreum, quod ingreditur, est egregium *in affectibus cephalicis*, in *Apoplexia Epilepsia*, *Lethargo* & *Cephalalgiis*, item in *suffocatione uterina*, *Mensibus suppressis*, & dissimilibus mulierum affectibus.

Ad Electuaria laxativa pertinent etiam.

Passulæ Laxativæ.

Quæ possunt internè commodè assumi. Harum aliquot *compositiones* dedi, ubi de Passulis.

Pertinet huc Purgans Mindereri, cujus gr. j. solet eleganter purgare.

℞. *Succ. recent. express. Elleb. nigr.* ℥iß,
Cucurbit. Asinina ℥ij.
Violar. ℥j.
Julor. Sambuc. ℥iij.
Radic. Bryon. ℥ß.

Mista & filtrata indantur cucurbitæ cum alembico & parvo recipiente, digerantur in fimo equino per 6. septimanas, sic enim humiditas destillatur sponte, quam massæ remanenti affunde, solve & filtra, adde.

Vin. malvatici. ℥ij.
ol. Macis ℈ß.

Evapora ad consistentiam massæ, cujus dosis gr. j. cum conveniente vehiculo 6. vel 8. movebit sedes. Opiata habuimus, s. medicamenta quæ ingrediuntur Opiata, quæ vocantur ab hodiernis Electuaria: & quidem vidimus Electuaria Officinalia: restat ut consideremus quomodo præparantur ELECTUARIA MAGISTRALIA, id est, quomodo debeant præscribi immediate à Medico: id quod docet MORELLUS.

MORELLI CAPUT II. SECT. II.

LIBR. I.

De Opiata cum comment. Gerard. Blasii.

VETERES medicamenta, quæ opium aut alia narcotica in sui compositionem admittebant, proprio vocabulo jure *Opiata* vocabant, hodie abusive medicamenta quæ etiam sine opio comparantur, ad roborandum, alterandum purgandum, opiatas vocant impropriè, idque solùm propter consistentiam qua Efformantur, Theriacæ, & aliis ejusmodi opiatis similem.

Vocant aliàs rectius *Electuaria*, quod cùm hodie, usu recepto, sit duplex, solidum, quod aliàs *Tabellam* seu *Tabellas* vocant, & molle, hoc aliàs opiatam nuncupant, utrumque græci *antidotum*, licet hoc nomen ad purgationem non extendatur, ut opiatæ nostræ appellatio.

Est autem OPIATA *medicamentum consistentia syrupo crassiore, & difficulter fluida, (Theriacæ vera opiatæ simili,) ex rebus variis, melle aut syrupo exceptis, in usum diuturniorem, ad purgandum, alterandum, roborandum, comparatum.*

Hinc duplex existit: *Purgans*, & *alterans*, seu *roborans*.

OPIATA PURGANS.

Quid sit & ipsius *differentia* ex apozemate, & potione purgante repetendum.

Duplex in præsentia recensenda, *magistralis*, & *officinalis*.

MAGISTRALIS quid sit, vide in syrupo purgante.

Hæc quod ad COMPOSITIONEM, comparatur.

VEL ex *pulveribus* solis, exceptis solo melle vel syrupo, aut utroque simul.

Pulveres autem quoad qualitatem passim usitatè desumuntur ex *catholicis* simplicibus, (aliquando, & si sint in usu ex speciebus electuariorum purgantium) cum suis corrigentibus idoneis, simplicibus, compositis, ut & digerentibus.

Quod ad QUANTITATEM, pulveres ejusmodi purgantes debent præscribi pro numero dosium & usus, in quem opiatam purgantem exoptas, ut si pro VI. vicibus opiatam exoptes, seu doses purgantes in substantia præscribas, additis correctivis. Quod ad quantitatem verò excipientis, *mellis* vel *syrupi*, vulgo malè q.s. præscribunt, ut notatum in syrupo purgante: ut ibidem dictum, horum quantitas definienda proportio autem ad pulverem debet esse tripla vel quadrupla, eaque expresse est definienda, ut sit certus de dosi *nota obiter*, quod ubi *Cassia*, & alia quæ habent consistentiam mellis, admittantur, pro melle excipiente habere.

℞ Aloës succotr. lucid. ℔ß.
Cinnamom. ligni aloës, rad. asari, spic. nardi, Indic. croci, Mastich. ā ā. ʒ II. mellis despumati triplum. f. *l. a. opiata*.

VEL cum hodiè rarò ex pulveribus solis præscribantur, usitatè jam conficiuntur ex *opiatis* officinalibus purgantibus, addita simul *cassia*, ubi levius agendum est, vel etiam simul addito Electuar. solido purgante officinali, ut &, si volueris, pulvere simplici cathartico cum correctivis jam sæpiùs dictis, quæ omnia syrupo idoneo excipienda, hæc autem eorum *proportio opiatæ* ℥j. habeat *pulveris* a. ʒ I. ad ʒ II. ferè autem opiatarum ejusmodi ℥ IV. præscribuntur syrup. dosis relinquitur indefinita, paucus enim requiritur.

℞. Elect. lenitiv. ℥j.
Cass. rec. extract. ℥ß.
Diacathol. ʒ II.
Turbith. optim. ʒ II.
Syrup. rosf. laxativ. q.s. F. *opiata*.

VEL expurgantibus simplicibus mollioribus solis, ut *cassia*, *manna*, *pulpa prunorum*, *passul. sebesten.* additis correctivis, cùm tantùm lenire volueris, vel insuper purgare magis, additis pulveribus purgantibus simplicibus, proportione jam dicta.

℞. Mannæ granul. ℥ I.
Cassiæ ℥ß. M. f. *opiata*.

VEL

℞. Pulp. cass. ℥ II.
Tamarind. mann. gran. ana ℥ I.
Fol. senn. tenuiss. pulv. ℥ß.
Cremor. Tartar. ʒ II.
Syrup. rosar. sol. q.s. M. f. *opiata*.

VEL ex simplicibus illis lenientibus, opiatis officinalibus, pulveribus purgantibus, cum syrup. proportione jam dicta.

℞. Tamarind. ℥ I.
Elect. diaprun. sal. ℥iß.
Rhabarb. Elect. cremor. tartar. ana. ʒß.
Diagrid. ℈j.
Syrup. ros. solut. q.s. M. *f. opiata*.

OFFICINALES usitatiores sunt A.

Catholicon.	*Diaprun. solut.*
Diacassia.	*Elect. de psyll.*
Diaprunum simplex.	*Diaphan.*
Diasenna	*Benedicta laxat.*
Electuar. lenitiv.	*Confect. hamech.*
Hierapicra.	

Minus usitatæ.

Elect. mesuai.	*Inaum minus.*
Triphera persica.	*Hiera Pacchii.*

A Quæ nam in his aut illis officinis usualia maximè sint, ex dispensatoriis specialibus, Amstelodamensi, Hagiensi, Coloniensi, Hafniensi, Londinensi, Parisiensi, Lugdunensi, &c. Petendum ubi & eadem parandi methodus traditur.

USUS utriusque ad MODUM, vel per se sumitur forma boli, vel liquore idoneo forma potionis quam supra unde.

Quod ad TEMPUS, manè, morè catharticorum.

Quod ad QUANTITATEM, seu dosim res sic se habet, in officinalibus Enarratis. B.

DOSIS.	Infima.	Media.	Summa.
Diasebesten.	ʒ VI.	℥iß.	℥ II.
Diapr. simplex.	℥ I.	℥ Iß.	℥ II.
Diapr. solutivum.	℥ß.	ʒ VI.	℥ I.
Elect. ros. mesuai.	℥ß.	ʒ VI.	℥ I.
Elect. de psyllio.	℥ß.	ʒ VI.	℥ I.
Diacatholicum.	ʒ VI.	ʒ X.	℥ II.
Triphera persica.	℥ I.	℥ Iß.	℥ II.
Diaphanibum.	ʒ II.	ʒiiiß	ʒ VI.
Indum minus.	ʒ II.	ʒiij.	ʒ v. ℈ij.
Hiera picra vel hiera pacchii.	ʒ II. ℈ II.	ʒ VII.	ʒ VII.
Benedict. laxat.	℈ IIII.	ʒiiʒ.	℥ß ℈ß. vel ʒ VI.

B. *Non est necesse, strictè adeò ad doses hasce attendere, sufficerit, pro varietate subjectorum, intra ℥ I. consistere, maximè iisque validioris operationis ingredientia habent.*

MAGISTRALIS quod ad MODUM & TEMPUS utendi, ut officinalis.

Quantitas magistralium in genere eadem quæ officinalium, in specie verò non potest definiri, nisi supputatis dosibus catharticis, ut diximus aliàs, perpenso deinde totius opiatæ purgantis pondere, tota enim tandem moles ipsius in tot partes, quot sunt doses catharticæ dividenda.

FORMULA PRÆSCRIBENDI, *recip. &c. cum syrup. aut mellis s. q.* quæ tamen definienda, ut sis certus de dosi, tripla nempe vel quadrupla, *fiat opiata, de qua sumat. &c. per se informa boli, vel diluas cum jusculo, decocto, vel quovis liquore, idque singulis quindecim diebus, præmisso clystere pridie.*

UTILITAS eadem quæ syrupi purgantis, & ut hic æstatis tempore, sic illa hyemis magis exoptatur, fructus autem præcipuus est, ut collectos in nobis vitiosos humores sensim, per certa temporis intervalla, repurgemus, neque cacochymiam eo usque ea crescere patiamur, ut jam morbum parere possit: utilissima idcircò in naturis cacochymicis, & quæ mala complexione viscerum multos excrementitios humores solent acervare, unde morborum propago, quæ hac arte præcavetur.

Cæterùm cùm alia sit leniens, alia purgans electivè, illa utendum maximè in affectibus renum, vesicæ, Thoracis usitatè, & ad aliam movendam etiam in hepatis ardoribus, constatque ferè ex *pulpa cassia, tamarindorum, prunorum, sebest. manna*, & pulveribus alterantibus idoneis: notandum insuper hac forma medicamenti utendum maximè in iis, quibus æstuat hepar C, quod pilularum usu magis incandescit. D.

C *quæ hic de ardore hepatis habentur, sanguinis, omniumque aliarum partium caliditati excedenti tribuenda.*

D *incalescentia hac non adeò formula imputari debet, quam ingredientibus, sic enim & potiones tale quid efficere valent, ex vehementioribus constantes.*

OPIATA ROBORANS ET ALTERANS

Præter opiatas lenientes & purgantes præscribuntur etiam aliæ recenter in rem præsentem à medico, non ad corroborandum solum modo, & vires instaurandas confirmandasque

que, quas hoc nomine *roborantes* appellamus, ut supra dictum est, in corroborante potione, sed & ad alterandum alio modo inprimis, secundis, tertiisque qualitatibus.

Consideranda in COMPOSITIONE duo maximè: *materia*, & *informans*.

MATERIA ratione QUALITATIS, vel *humidior*, vel *siccior* est

Humidior, conserva officinalis, ex qua ut basi opiata roborans componitur. Huic aliquando additur, pro scopo, *conditura* etiam officinalis, eaque radicum, caulium, fructuum corticum. Item, & si scopus ferat, *confectiones* dictæ, ut confectio *alkermes*, de *hyacintho*, item *Theriaca*, *Mithridatium*, &c.

Siccior, quæ perpetuo ingreditur cum conserva, est pulvis *corroborans*, isque vel *simplex* aromatum, & rerum corroborando idonearum, vel *compositus*, electuariorum corroborantium, ut *aromatici rosati*, &c.

Ratione verò QUANTITATIS quando quidem totius opiata roborantis anolis ℥vi. vii. viii. non debet excedere E, jam dictorum hæc ferè est proportio, ut, *conservarum*, sint ℥iv. *conditurarum*, si admittantur, ℥iß. ℥ii. *confectionum*, si admittantur, ʒii. iii. ʒß. pulverem vero ad jam dicta hæc proportio, ut illorum ℥i. *pulverem* habeat ʒi. ʒiß. ʒii. ad summum, prout eorum qualitas efficacior, aut opiata plus minùs fuerit efficax, vel prout pulvis rarus aut pretiosus existit.

INFORMANS ratione QUALITATIS, *syrupus* est officinalis idoneus, vel *syrupus* conservationis conditurae alicujus appropriatus.

Quod ad QUANTITATEM, non exprimitur F, tamen cùm, vel supra dictum fuit inopiata purgante, debeat esse triplus aut quadruplus ad pulverem, definiri facilè poterit.

Obiter ADVERTENDUM ubi materia recensita universim præscribitur, hunc ordinem observari, & 1. *conserv*. 2. *conditur*. 3. *confect*. 4. *pulveres*. 5. demum *syrupus* præscribatur. Item passim *ambram*, *moschum* addi ad gran. aliquot.

VSUS quod ad MODUM, forma boli assumitur, idque si lubeat, & scopus ferat, superbibendo momentum vel vini puri, aut diluti, vel alterius liquoris pro intentione, quò nihil hæreat in faucibus aut æsophago, & deducatur in ventriculum.

Quod ad QUANTIATEM, dosis ʒii. iii. ʒß. plùs minùs, prout à pulverum qualitate & quantitate, ut & confectionis, opiata validiores existit, aliàs peculiariter præscribitur, *de opiata ad magnitudinem avellanæ aut castaneæ*, pro ipsius facultate, capiatur G.

Quod ad tempus. per horam aut duas ante prandium passim præscribitur, si ventriculus aut alia viscera interiora sint roboranda, igne diebus alternis, quibus à pilulis usualibus abstinebit, ut passim: hæc enim duo pilulæ usuales & opiatæ corroborantes, in corporibus, valdè cacochymis, aut visceribus admodum intemperatis, alternatim utilissimè imperantur; poterit & ante cœnam bis in die usurpari, ubi confortatione majore opus erit. In affectibus cephalicis post prandium, aut cœnam inutiliter non assumentur: sic enim cum ciborum ἀναθυμιάσει vis seu spiritus medicamentorum unà facillimè elevatur: quòd si non corroborans, sed simpliciter alterans, vel vacuans per urinas, aut uterum, vel ad obstructiones aut aliàs intentiones, præscribatur, jejuno stomacho, quò vis ipsius non obtundatur, ante cibum longè utilius præscribetur H.

FORMULA PRÆSCRIBENDI. ℞. *&c. cum syrupo, &c. fiat opiata, de qua sumat. &c. hoc est*, ʒii. ʒiii. *vel ad magnitudinem avellanæ aut castaneæ* I. *per horam ante prandium, &c. superbiben o momentum, &c.*

VTILITAS summa est ad robur partibus debilibus affectis restituendum conservandumque, & ubi diutina corroboratione opus est in morbis prolixis & chronicis, in quibus unà pilulæ usuales præscribuntur, horum alternus usus Imperatur. Fiunt & ad alterandum vario modo, ut diximus, varias, partes, diversos affectus, à dissimilibus humoribus, in primis, secundis, tertiis, qualitatibus. Item ubi vacuandum sive purgandum, expediendæ obstructiones, menses movendi, calculi conterendi, excludendi, eliminandi, &c.

E *Vbi nempè opiata vera non ingrediuntur, sic vim non adscendimus ultra* ℥i. *aut* ii.

F *Sed solum in fine formulæ additur: misce cum syrupi q. s.*

G *In veris opiatis cautè procedendum, & accuratè cujusvis ingredientis dosis consideranda, ut pro ea conditi dosis limitetur.*

H *Quæ opiata sunt vera, somni tempore ferè usurpantur.*

I *Nisi opiatis simpliciter constiterit; sic enim eorum habenda summa ratio.*

℞ Conserv. absynth. ℥i.
Beton. roris. marin. ãã ʒß.
Rad. condit. Helenii, acori ãã ʒii.
Spec. diambr. aromat. ros. ãã ℈iv.
Syrup. de menth. q. s. *M. f. opiata roborans.*

V E L.

℞ Conserv. meliss. anthol. flor. borrag. bugloss. ãã ʒi.
Confect. de alchermes, Theriaca, ãã ʒi.
Spec. diambr. diamosch. dulc. ãã ℈ii.
Syrup. de succo citri q. s. *f. opiata roborans cephalica.*

℞ Conserv. absynth. ℥i.
Menth. ℥i.
Sem. card. bened. ʒß.
Pellic. intern. stomachi gallin. ʒi.
Syrup. Beton. q. s. *f. conditum stomachic.*

℞ Conserv. cochlear. pulp. Tamarind. ãã ℥iij. *antiscorbuticum.*
Syrup. scelotyrb. limon. ãã. q. s. *f. conditum.*

℞ Conserv. rosar. rubr. ℥iii.
Theriac. mitrid. ãã. ʒiß
Trochi de terra sigill. ʒi.
Syrup. myrtill. de ros. sicc. ãã q. s.
F. conditum ad alvi fluxum.

℞ Philon. rom. ℈iii. laudan. opiat. gr. iii.
Syrup. papav. rhead. ʒß.
F. Cond. hypnotic. In iii. *dosis.*

DE OPIATIS ELECTUARIIS.

In Genere duo moneo, 1. præscribuntur Electuaria pro multis dosibus, ut possit ad tempus continuari eorum usus. Hinc facile patet, quod *non rectè præscribantur in morbis acutis* potius in morbis chronicis, ubi tardius procedit natura. Nam in acutis, ubi inter est naturæ motus, non solent præscribi. 2. moneo, quod Electuaria sint *duplicia* vel purgantia, vel alterantia.

Alterantia dicuntur in genere cuicunque scopo inserviant, cuicunque ætati & conditioni præscribantur.

Purgantia ita dicuntur, quæ lentè ac sensim & quasi per epicrasin, uti vocant, evacuare debent: quæ purgatio cum debeat fieri sensim, & nihilominus non pro una vice præscribuntur opiata, propterea *observetur* accurate *dosis ingredientium* in præscribendis opiatis purgantibus. Si v. gr. si sit præscribendum Electuarium purgans pro io. duobus, accuratè supputanda sunt ingredientia, ne vel deficiamus vel excedamus in dosi.

Cæterum cum Electuaria purgantia ex modernorum præscripto constent ex certis pulveribus, qui permiscentur cum aliis alterantibus, & periculum sit ut in ista mistura inæqualiter dispergatur pulvis, ne in uno loco sit plus de pulv. purgante, in altero minus, adeo ut una vice assumatur medicamentum alterans, pro purgante &c. & sic nihil perficiatur. Propterea ferè *in desuetudinem abierunt Electuaria purgantia magistralia*, & apud nos in usu solent esse pilulæ usuales, quæ sufficienti numero præscribuntur, ne talis defraudatio sit metuenda.

Nihilominus cum ægri delicatuli requirant sæpius Electuaria, de his solliciti simus necessum est. Et quidem. 1.

ELECTUARIA ALTERANTIA.

s. roborantia, uti vocantur ab AUTORE, *ad varios scopos* præscribuntur: Sic v. gr. præmissis universalibus *præscribuntur* ad alterandam massam sanguineam *cachecticis*: *Senibus* præmissis universalibus ad curandam vel præservandam Apoplexiam. Præmissis universalibus præscribuntur *in Scirrho* Epatis vel Lienis & horum *obstructione*, vel infarctu, ad aperiendam obstructionem, & discutiendam inflationem.

Sic præmissis universalibus præscribuntur *mulieribus mensibus obstructis laborantibus*, ut corrigantur sensim M. Sæ & uteri vitia, à quibus dependent obstructiones, &c.

INGREDIENTIA *sicut multa* & varia, descripta sufficienter à MORELLO, in quo descriptio satis est elegans & accurata. Nihilominus tamen ex Modernorum præscripto sunt *immutandæ doses*: sic v. gr. sit præscribendum Electuarium una vice ad 5. vel 6. doses, rarò ad plures tunc observetur, quod semper *basis* soleat esse *conserva*, ita ut conservæ ℥ß. respondeat ex addendis de conditis quidem ʒij. de confectionibus respondeat ʒß. conservæ, ʒß. ad ʒj. loco confectionum interdum etiam assumuntur Opiata officinalia v. gr. Theriaca. Porro ℥ß. Conservæ respondeant ex pulveribus ℈ij. ad ʒj. respondeant porro conservæ ℥ß. spirit. scil. Essent. liquid. ℈ß. Interdum ad sperguntur convenienti

nienti ol. idque vel guttatim, vel q. s. eligendum. Omnia hæc mista excipiuntur cum Syrupo in s.q. & ita fit Electuarium.

Observetur hæc PROPORTIO *ingredientium*: Nam proportio ab AUTORE non ita observatur, sicuti præscribit magnam dosin conservarum, & imminuit dosin aliarum ingredientium. Et quidem sub se invicem præscribuntur ingredientia, sicuti proportionem exhibui. Primo loco ponuntur conservæ, hinc condita, postmodum confectiones s. Electuaria officinalia, porro pulveres, tandem Ess. s. spiritus cum oleis & syrupis.

Patet ex his, quod præcipua ingredientia sint conservæ confectiones, condita, syrupi & omnia hæc copiosissimo constent sacharo, *sacharum* vero quam *plurimis subjectis* sit *nocivum* & contrarium. Propterea *talia Opiata non debent præscribi* iis, *qui* sunt *affecti malo hypochondriaco*; non debent præscribi iis qui laborant *scorbuto*; propterea, quoniam talia subjecta ex usu sachari in multa gravia incurrunt symptomata propter effervescentiam, quam facit sacharum concurrens cum acido vitioso stomachi, in talibus subjectis, uti monui, superius ubi de sacharo. Neque possunt præscribi talia Electuaria *mulieribus suffocatione uterina* laborantibus aut saltem obnoxiis, quoniam tunc temporis dulcia talia non possunt ferri à mulieribus, & ego novi, quæ solam non potuerunt aquam subdulcem, imò ne passulam assumere, sine eo, ut non inciderint suffocationem uterinâm in unde talia nocent iis, qui non possunt perferre sacharum & dulcia, ut adeò probè sit dispiciendum, cuinam præscribat Medicus. Et loco horum *potius insistendum pulveribus* alterantibus ad multas doses præscriptis. Id quod *observetur in pulveribus*, quod *non semper* præscribantur *ad unam dosin*, quippe qui *sunt succedaneum* optimum *Opiatorum*.

Observetur etiam quod *ad multas doses* præscribantur *Opiata*, & tamen ad magnitudinem juglandis Castaneæ *sumantur in die ter* tempore matutino, jejuno stomacho, hora 1. ante prandium hora 1. ante cœnam, aut post cœnam sub introitum lecti, & sic ter de die, idque in affectibus chronicis, aut iis, qui convaluere ex morbis chronicis.

Post assumptionem istius Electuarii conveniens est, si *hauriatur* parvus *potus vini*, vel aliquot cochlearia jusculi assumantur, ut eluatur ex faucibus, & promptius dissolvatur in stomacho, & subigetur ab eodem, feliciusque promoveatur. Res ut pateat *dabo exemplum*.

Ponam *Senem decrepitum* conqueri de debilitate ventriculi, & dolore compressivo stomachi post assumptum cibum. 2. Eundem conqueri, quod laboret ructibus acidis, inflatione stomachi & murmure intestinorum, adeo ut mane surgens etiam laboret vertigine, nec erectus stare possit, nisi adsit vertigo, metuat propterea Apoplexiam & Epilepsiam, accedente simul Cataracta & suffusione notha. Huic ego præscriberem tale Opiatum præmissis tamē Universalibus, quod semper observandum est.

℞. *Conserv. Menth.*
Flor. Anthos.
Euphras.
lavendul. an. ℥j.
Nuc. moschati, in India condit.
Zingib. in India condit. an. ʒvj.
Confect. Alcherm. ʒiiß.
Anacard. ʒiß.
Pulv, Sem. Anis.
Fœnicul.
Cardam.
Cubebar. an. ʒj.
Specier. Diatr. Piper.
Cinamom. mors. elect. Galang.
Nuc. moschat. an. ʒß.
Succin. præparat. ʒij.
Essent. Meliss.
Spirit. Ceras. nigr. an. ʒß.
ol. Nuc. moschat. dest. gt. xv.
Syrup. conservativi. rad. Helen.
F. l. a. Electuarium.

Dosis mane jejuno stomacho, hora j. ante prandium, & sub introitum lecti quantitas nucis juglandis, 3. in die.

Scopus est succurrere stomacho, Capiti ratione vertiginis & imminentis Apoplexiæ, cujus prodromus solet esse Vertigo, & Oculis in incipiente Cataracta & suffusione notha. Unde Conservæ partim sunt stomachicæ, ut Conserva Menthæ, partim Cephalicæ, ut Conserva Anthos; partim Ophtalmicæ Euphrasiæ, &c. Proportio ℥j. Conserv. respondent ʒiij. Conditorum, & sic porro ℥ß. Conservarum respondet ʒiß. Confectionum, &c.

Dabo *Virginem Cachexia laborantem*, adeo ut etiam menses sint suppressi, cum accedentibus non raro passionibus & torminibus quasi colicis. Huic sit Electuarium ita præscriptum.

℞. *Conserv. Flor. Anth.*
Calendul.
Meliss.
Salviæ. an. ʒvj.
Zingib. in India condit. ℥ß.
Cortic. Citr. Conditor.
Aurant. Condit. an. ʒj.
Pulv. Castor.
Asæ fœtid. an. ʒj.
Succin. præparati.
Borac. ana ℈ij.
Cinamom.
Zedoar.
Galang. an. ʒß.
Specier. Diasabinæ Mynsicht. ʒj.
Sal. volat. succin.
C C. an. ℈j.
ol. destill. sabinæ. ℈ß.
c. q. s. *Syrup. de Hyssopo.* F. l. a. Electuarium.

Nota *sal. volat. solent raro ingredi Electuaria*, propterea quoniam facile avolant; sed *loco eorum* assumuntur *Essentiæ vel spiritus*.

Dabo adhuc unum *exemplum* Electuarii assumendi semper *post sudorem* prolectum *in Febribus* malignis & Pestilentialibus, *pro corroborandis viribus*, & pro restituenda certa consistentia Mass. Sang. à sudore nimio nimis dissolutæ. Hic attendenda est malignitas, & conservanda massæ sanguineæ consistentia.

℞. *Conserv. Acetos.*
Acetosell. an. ℥ß.
Pulp. Citr. ℥j.
Theriac. ʒij.
Diascord. Fracastor. ʒiß.
Specier. Diatr. Santal.
Ebor. s. Igne.
Antimonii Diapheretic. an. ʒj.
Syrup. Acetos. Citr. q. s. F. l. a. Electuar.
adspergat. cum. *Tinct. flor. Aquileg.* ad gratam & subtilem aciditatem.

Ingredientia partim sunt *Alexipharmaca*, ut Theriaca, Diascordium Fracastor. Antimonium diaphor. *partim* quidem *aciditate subtili* congulando Mass. Sang. eidem naturalem consistentiam restituunt, ut sunt Conserva, Diascordium Fracastorii, Syrupus acedositatis Citri *quædam* modicè *præcipitant*, ut Species Diatrion Santalorum, Ebur sine Igne. Tincturæ Aquilegiæ adspersa, *partim expellit malignitatem*, *partim* ratione acoris massam sanguineam *coagulat*. Potuissem Species & Ebur ad ʒij. & Antimonium diaphoreticum ad ʒß. sumere ne nimis fieret diaphoreticum: item potuissem addere Ambram in substantia, vel Essentiam.

ſentiam. Ambræ pro Virium corroboratione.

Hoc modo præſcribuntur Opiata alterantia ſcil. roborantia pro varietate ſcoporum varia.

ELECTUARIA PURGANTIA.

Raro hoc tempore ſolent præſcribi, ſed *utimur pilulis* uſualibus. Nihilominus cum poſtulentur ab ægris interdum Electuaria, propterea vario modo præſcripſerunt Veteres. *Itali & Galli utuntur Electuariis* officinalibus, propter quos etiam AUTOR appoſuit doſin. Sin vero ex noſtro modo præſcribantur Electuaria purgantia, fiunt iſta ex præſcripto noſtro ſimul additis Conſervis, pulveribus purgantibus. Inprimis *loco Conſervæ* aſſumitur *pulpa Tamarindorum*, vel in delicatulis pulpa Paſſularum, quæ eſt elegantis guſtus, & ſuaviter laxat.

Sit *formula Opiati purgantis* pro 4. doſibus talis.

℞. *Conſerv. Menth.* ℥j. (ne noceat ſtomacho.)
Pulp. Tamarind.
Rob. Paſſular. ana ℥ß.

(quando volo, *ut purgar. debeat* blandè *ſine torminibus* & motu magno, *adderem Theriacam*, quia vis Opii ſiſteret effrenem purgandi vim, vel adderem Diaſcortium Fracaſtorii, vel potius Theriacam, ſi non volo hoc, per ſe in reliquis addendis.)

Pulv. Cathol. purgant. ℈j.
Rhabarb. Elect.
Mechoacann. alb. ʒß.
Crem. tartari. ʒj. vel.
Tartar. vitriolat. ʒß.

(propter gravitatem enim guſtus & nauſeabundum ſaporem non poſſumus tantum præſcribere de tart. vitriolato, quantum de Cremore tartari.)

Cinamom.
Macis.
Galang. an. ℈j.

c. ſ. q. *Syrup. Cichor. ſ. rhabarb.* vel.
Syrup. *de Pomis Reg. Sapor.* F. l. a. Electuar. purg. pr. IV. doſib.

Baſin conſtituunt *purgantia*, pulveres Cathol. &c. rhabarb. elect. Mechoacanna cum pulpa Tamarindorum & rob. Paſſularum. Cremor. tartari ſeu tartar. vitriolat. eſt *Digeſtivum. Corrigentia* ſunt Conſerva Miſturæ, Cinamomum, Galanga Macis, (*adjuvans* eſt Syrupus de Cichorio c. rhabarbaro, uti etiam *Conſervans*) ne noceant pulveres, aut ſi noceant, ut poſſint nocumenta reſarcire.

Dabo *aliam formulam*: Ponam *Infantem* delicatulum 4. annorum *laborare vermibus* Huic ego præſcriberem Opiatum pro 4. doſibus. h, m,

℞. *Conſerv. Flor. Perſicor.*
Scord. ana. ʒiij. propter gratiam ſaporis.
Nuc. jugland. Conditor. ʒj. vel ʒiß.
Specier. diaturb. c. rhabarb. ʒß. vel ℈ij.
Mercurii dulc. gr. XV.

amara, alias vermibus inimica, non poſſunt addi, propterea quoniam, uti præſuppono; infans eſt delicatulus.

Pulv. Sem. Santonic.
Corn. Cerv. uſt. an. ʒß.

c. ſ. q. *Syrup. Flor. Perſicor.* F. l. a. Electuarium.

Baſin hujus conſtituunt ſpecies diaturbith cum rhabarbaro ad ℈ij. *doſis* in adultis eſt à ʒß. ad ℈ij. in infantibus ad 4. doſes ſufficiunt.

Moneo hic 1. *aſſumendum* eſſe hoc Electuarium *in Cochleari ligneo*, propter Mercurium, qui aliis adhæret.

2. *Eluendum eſt os infantis poſt uſum*, quoniam Mercurius eſt inimicus dentibus & gingivis, quibus ſolet inducere cariem & exulcerationem ut atomi Mercur. tales, ſi quæ reſtitant, eluantur & abſtergantur.

Interdum etiam Electuariis purgantibus commodè ſolent permiſceri Extracta purgantia. Ut ergo pateat modus. Ponam me velle præſcribere purgationem *laboranti febri tertiana intermittente.* Quoniam verò æger ſit delicatulus, nec adſuetus purgantibus fortioribus, propterea per epicraſin tribus vicibus purgandus, idque ſemper die intermiſſionis. Præſcriberem ergo talem formulam.

℞. *Conſerv. Flor. Cichor.* ℥j.
Pulp. Tamarindor. ℥ß.

(eſt acida & ſuavis ſaporis, & bene permiſcetur aliis purgantibus, ut obtundat eorum acrimoniam, ſed non eſt integra *doſis*, poteſt enim ferè dari *ad* ℥j.)

Pulv. Catholic. purgant. gr. XV.
Extract. Cholagog. Quercet. ℈j.
Panchymag. Croll. gr. XV.
Scam. roſat. gr. iij.

c. ſ. q. *Syrup. acetoſit. Citri.* pro gratia ſaporis.
F. l. a. Electuar. Tinct. Flor. Bellid aliquot gt.

Potuiſſem add. cremor. tart. ʒß. pro digeſtivo, ſed præſuppono jam præceſſiſſe digeſtivum.

Hic eſt Modus præſcribendi Opiata hodierno die apud nos. Nam Electuaria officinalia ex modo Veterum & Italorum non ſolent amplius præſcribi.

Hic mentio ſæpè facta eſt Conditorum & Confectionum, quod ſoleant ingredi Electuaria, propterea data occaſione conſiderabimus in SCHRODERO.

MORELLI CAP. DE CONDITIS.

MORELLI CAP. IV. SECT. II.

LIB. I.

De Conditis cum commentar. Gerardi Blaſii.

IUNIORUM inventum eſt, à ſimilitudine cum floribus in conſervam ſacchari beneficio conditis, ſic nuncupatum.

Eſt autem *medicamentum ſuave, forma medium inter opiatas & pulveres, ex variis roborantibus, ad partium principum robur, & virium inſtaurationem confectum unde & reſtaurans ab effectu appellatur.*

Quod ad COMPOSITIONEM, illud comparatur, ratione QUALITATIS ex *conſervis* ut baſi, quibus additur aliquando *confect. cardiaca*, ſemper verò *pulvis cardiacus*, & ſaccharum.

Quod ad CONSERVAS, ratione QUALITATIS, eliguntur corroborantes & cardiacæ, eæque ſuaves, tum & ſimul radic. & fructuum variæ conditutæ, quæ pro uno æſtimantur, ratione QUANTITATIS, ℥IV. ſufficient.

CONFECTIO ſi aſſumatur, cardiaca ratione QUALITATIS, unde de *alkermes* maximè, quia grata, ratione QUANTITATIS, à. ʒI. ad ʒII.

PULVIS ratione QUALITATIS, etiam cardiacus, corroborans, iſque VEL ſimplex, *perla fragmenta* prætioſa, &c. VEL compoſitus electuariorum, quibus pro ditioribus *ambra* annumeratur.

Quod ad QUANTITATEM, pro quavis conſervæ ℥I. pulveris ſint ʒI. ℈IV. ad ſummum.

SACCHARUM *album*, vel *roſat. Tabulat.* ſeligitur, idque duplum, triplum, ad iſta omnia, vel q. ſ. Imperatur.

His omnibus *auri folia* etiam numero VI. addentur, ad ornatum magis quàm fructum. A.

USUS quod ad MODUM, per ſe, vel dilutum uſurpatur liquore idoneo, aqua ſimplici, alia quavis, julepo, vino, juſculo.

Quod ad QUANTITATEM, ad cochleare. 1. 1ß. 2.

Quod ad TEMPUS, si pro facultate animali roboranda, hora somni vel post cibum, pro naturali, ante, cum post cibum.

FORMULA. ℞. &c. fiat mixtura vel conditum, auto non necesse est, nisi in coopertum, quo utatur ad cochleare i. &c.

UTILITAS, ad robur partium principum conservandum, virium jacturam in morbis resarciendam, unde conditi usus analepticus, naturæ à viribus consulens potius, quam morbo, cujus tamen habenda est ratio: hinc & condita fiunt calefacientia, refrigerantia, adstringentia, & frequens eorum usus in melancholiâ hypochondriacâ, palpitatione, phtisi, ventriculi & hepatis imbecillitate, &c.

℞. Conserv. meliss. anthos. fl. borragin. bugloss. āā. ℥ 1.
Confect. de Alcherm. ʒ 1.
Corall. rubr. margarit. præp. āā. ℈ 1.
Pulv. Elect. diambr. diamosch. dulc. āā. ʒ 1.
Sachar. q. s. f. *conditum*, quo utatur ad cochleare.

SCRODER. CAPUT XLVI.

De Conditis.

Conditorum constitutionem absolvunt res condiendæ, ac liquor condiens, quibus pro lubitu aromatizans accedit.

Res condiri aptæ sunt, *radices, cortices, caules, fructus, nuces & flores aliquot.*

Duo in rebus condiendis præcipuè consideranda occurrunt.

1. Quia res condienda vi liquoris intus ac extus perfundi postulat, mollem illam esse nec nimis crassam oportet.

2. Quia esui condita præcipuè destinantur, haud ingrata ac gustui abominabilia ea sint, fas est. Hinc si durior & amarior res condienda fuerit, maceratur antea in aqua frigida per dies (5.6.7.8. pro re nata) singulis diebus aquam deplendo, recentemque dando, vel coquatur insuper donec mollescat, amarorque quodammodo extrahatur. Cave autem ne nimiâ extractione solum cadaver condiendum relinquatur. His adde, si crassior, major, solidior res condienda foret, secandam eam esse, pro exigentia, secundum longitudinem, latitudinem, tessulatim, &c.

N. 1. *Loco aqua nonnumquam lixivio macerare expedit, hinc aqua simplici dulcorare.*

N. 2. *Quod si libuerit condita aromatizare, aromata condiendis infigi poterunt.*

Liquor, quo res condiuntur est Saccharum clarificatum & syrupisatum, id est, in aqueo liquore dissolutum, & ad syrupi consistentiam inspissatum; nonnunquam mel depuratum, aliquando muria.

Sic condiuntur.

I. Radices.

℞. Radices benè purgatas (integras si teneræ fuerint, vel sectas, si crassiores) exemptis si opus sit lignosis partibus, redige ad mollitiem, & si opus sit, ad saporem gratiorem, ut docui, hinc sicca & cum Sacchari ana (circiter,) tantilloque decocti proprii, vel aquæ, coque ad consumptionem humiditatis, consistentiamque Syrupi.

II. Cortices.

Cortices nihil à radicibus peculiare habent.

III. Caules.

℞. Caules (à pellicula exteriori purgatos) reduc ad mollitiem, hinc coque cum ana Sacchari in decocto solum ad consistentiam.

IV. Fructus.

℞. Fructus molliores (e. g. cerasa, baccas, ribes, berberes, mala persica, & simil.) affunde Sacchari Syrupisati vel mellis part. dimidiam, coque ad consumptionem humiditatis, alias situm contrahit.

Duriores, ut poma citria, cydonia, & simil. priùs ad mollitiem redigendi sunt, amariores ad saporem gratiorem. Limonia & olivæ muriæ imponuntur.

V. Nuces.

℞. Nuces virides, perfora stylo, macera per dies (9.10.) in aquæ frigidæ ℔. ij. hinc coque ut mollescant; siccatas aromatisa, configendo cinnamomo aut caryophyllis, cumque sacchari ana ac aquæ q. s. coque,

VI. Flores.

Flores condiuntur affusione Sacchari syrupisati. Sunt autem pauci qui hac ratione integri condiuntur, scilicet flores citri, arantiorum, & interdum rosarum. Ex reliquis fiunt potiùs conservæ. Capparum flores sale; genistæ sale & aceto condiuntur.

N. *Sunt qui flores albumine ovi conquassato illitos sacchara pulverisato aspergunt, solis calori exponunt, floresque hac ratione integros coloratosque conservant.*

Condita officinalia usitatoria sunt.

Condita Aurantia poma integra ac in partes dissecta.
Aurantiorum flores.
cortic.
Berberes (sine arillis præstant.)
Borragin. rad.
Calami aromat. radic.
Cassia.
Cerasa amara.
Cichor. rad.
Citria poma integra:
in taleolis.
Citria maxima cum Carne.
Citrinat.
Citria sicca, *truckener Citrinat.*
Citri cortices, *eingemachte Citron-Schalen.*
flores.
Consolid. maj. rad.
Corna.
Cydonia, *eingemachte Quittin.*
Cynosbati baccæ, *eingemachte Hanbutten.*
Enulæ rad.
Eryngii rad.
Lactucæ Hisp. caules sicci, *truckene Lattuc.*
Mala armeniaca præcocia, *ein gemachte Mællelen, oder Mammelucken.*
Mespila integra.
Myrobalani Belliric.
Chebulæ, Citrinæ, Emblicæ } *afferuntur condita ex India.*
Nuces Indicæ, scilicet moschatæ, cum involucris, *gantze Muscatnousz mit Schelffen.*
Nuces moschatæ, scilicet sine involucris, *eingemachte Muscatnousz ohne Schelffen.*
Nuces Juglandes.
Persicæ.
Pimpinellæ rad.
Piper nigr. in racemis ex India affertur.
Pruna sylvestria, *eingemachte Schlehen.*
Pruna citrina, *eingemachte Spelling.*
Pyra muscatella, *eingemachte Zucker.*

Bierlein, oder Muscateller Bieren.

Rhabarbarum.
Ribes.
Satyrii rad.
Salv. Cretic. bacc.
Scorzoneræ rad.

Sorba, *eingemachte Speyerling.*

Zedoariæ rad.
Zingibel Chinense.
commune.

Sunt & quæ condiuntur aceto, sale, & simil. ut

Modus condiendi est.

1. Consperge cum sale ac comprime, ut sal in exsudante humiditate liquescat.

N. *Si res condienda minus succulenta fuerit, affundi poterit modicum aquæ.*

2. Affunde aceto, stentque ut penetret, vel si nimium liquoris sit, exhalet aliquantulum.

Sic prostant

Condit. Cappares.
Citri flores cum aceto.
Cucumeres.
Fœniculi summit.
Oculi genistæ.
Limonia poma.
Olivæ.
Portulacæ summitates.

CONDITA

CONDITA.

Quæ nihil aliud *sunt* nisi *partes vegetabilium cum saccharo* in liquida forma *conditæ*. Et quidem sacharum clarificatum, seu ad consistentiam Syrupi coctum affunditur vegetabilibus condiendis & ita fit Conditura *Modum* vid. in SCHRODER.

Sic prostat in Officinis.

RADIX CICHORII CONDITA.

Quæ convenit egregiè *in affectibus Biliosis*, in corrigenda *sanguinis discrasia*, in *affectibus chronicis*, &c.

RADIX CALAMI AROMATICI CONDITA.

Est egregium *Stomachicum*.

In quibusdam Officinis, non in omnibus, reperitur etiam.

Radix CONSOLIDÆ MAJORIS *condita*.

Quæ conducit eis, qui sunt *vulnerati*, qui laborant *Hernia*, & similibus affectibus.

Radix ENULÆ *condita*.

Prodest in *affectibus stomachi & Pectoris*.

Radix ERINGII *Condita*.

Convenit in Electuariis stapinticis scil. *Venerem conciliantibus*: id quod etiam intelligendum est de

Radice SATYRION *condita*.

quæ similiter *ad Venerem* torpidos stimulat maritos.

Radix ZINGIBERIS IN CHINA *condita sc. in* INDIA.

Ita enim præscribitur, est egregia in *affectibus Capitis & stomachi*, in quibus abundantia est flatulentiarum & effumationum.

Cortices eodem modo condiuntur atque radices, imprimis cortices Aurantiorum & Citri.

CORTICES AURANTIORUM *conditi*.

Conducunt *stomacho*, & *stranguriæ* similibusque affectibus medentur.

CORTICES CITRI *conditi*.

Conveniunt in præservandis *contagiis malignis* & in Electuariis in morbis malignis præscribuntur.

Caules etiam condiuntur, sed pauci sunt talium conditorum. Imprimis.

LACTUCÆ CAULES.

Condiuntur, & ferè ad eosdem usus præscribuntur, ad quos radix Cichorei condita.

Fructus qui condiuntur, sunt vel *duriores* s. solidiores, vel *molliores*.

Molliores, ut Fructus Berberum, Ribium, Cerasorum conditorum & similia coquuntur scilicet sed additione sachari, & præscribuntur in Electuariis ad temperandos æstus febriles quoniam sunt subacidi. Sin fructus sint Solidiores, coquuntur cum sacharo adjecto s. q. aquæ, & sic condiuntur. Sic sunt

FRUCTUS CYDONIORUM *conditi*.

Qui conducunt in *stomachi vitiis*, *vomitu*, *Nausea*, *Ructibus*, *Colica*, *Diarrhæa*, & *Cholera*.

POMA CITRIA *condita*.

In affectibus *malignis* curandis, in *Cardialgia* & *affectibus Stomachi flatulentis*.

PYRA MOSCHATELLINA *condita*.

Pro delicatulis pro purgatione nimirum. ℞. excavatum leviter pirum moschatellinum, & locus excavatus impletur quibusdam granis pulveris purgantis, & propinatur pro purgatione.

NUCES JUGLANDES *conditæ*.

Ratione aromatum solent conferre *in affectibus stomachi & Capitis*: item in stimulanda *Venere*.

NUCES MOSCHATÆ præscribuntur in India CONDITÆ.

Valdè conveniunt in *stomachi*, *Intestinorum* & *Capitis affectibus*, in *vertigine* & *Scotomia* & similibus: item in *Apepsia Senum*, in *Dysenteriis* & *Diarrhæis*, quoniam blandè adstringunt.

Hæc dicto modo condiuntur cum sacharo. *Sunt etiam quæ condiuntur cum sale & aceto*. Sic sunt.

CAPPARES *conditi*.

Conducunt in *affectibus splenis*, adeò ut comesti crebrius valde conveniant in *infarctione* & *inflatione splenis*: item in *dejectu appetitu* quam acuunt, præterea quoque blandè solent stimulare & *ciere urinam*.

CUCUMERES *conditi*.

Omnibus notus est fructus.

OCULI GENISTÆ *conditi*.

Ad eosdem usus conferunt, ad quos Cappares conditi, in *affectibus splenis*, item in *stimulanda urina*.

OLIVÆ *conditæ*.

Sunt egregium *Diureticum*, & impediunt ferè, ut Ebrietas non adeo celeriter occupet bibentes.

Post. Condituras sequuntur:

SCRODER. CAPUT XLVII.

De Confectionibus Saccharatis.

Confectiones Saccharatæ, id est:

Res Saccharo obductæ, sunt 1. Saccharatæ sive Saccharaceæ, simpliciter ita dictæ. 2. Confectiones Saccharo cando seu candisato incrustatæ. His 3. subjungere licet Sacchara succis florum certorum sub colore eorundem impregnata. Sacchara insuccata non immeritò vocaveris.

Modus conficiendi confectiones Saccharatas.

℞. Rem conficiendam, inde pelvi cupreæ (*Confect Kessel*) saccharumque syrupisatum paulatim instillando, continuo supra calorem versa, ut humidit te absumptâ Saccharum rei conficiendæ adhæreat, ac tandem instar crustæ eandem obducat.

Res, quæ hoc modo conficiuntur, *sunt semina*, *nuclei excorticati*, *aromata*, *radices*, *cortices*, *ut & flores ac summitates*, *sed rarò*.

N. 1. *Semina, si opus sit, præparantur prius macerando aceto, ut semen Coriandri.*

N. 2. *Si amariora conficienda fuerint, corrigi volunt antea, ad modum quem in conditis docuimus.*

Res quâ confectiones confiunt est Saccharum Canariense, Saccharum candisatum.

Plerumque primum amylo res conficiendæ obducuntur, hinc Saccharum superducitur. Unde publicis generis confectiones prostare solent; finæ scil. ex mero saccharo; & minus finæ ex amylo & saccharo, uti dictum, præparatæ.

Modus conficiendi confectiones saccharo candisato incrustatas non differt ferè à modo condiendi, nisi solâ brodii condientis saccharati consistentiâ, nimirum hoc si crassius fuerit, saccharum in crystallos concrescit, resque injectas q. crusta obducit.

Confectiones usitatiores Saccharatæ sunt:

Confectio Amygdalarum dulcium, *ouberzogen Souße Mandeln.*
Amygd. amarar.
Anisi, *ouberzogen Anis Samen.*
Laxativi, *Purgier Anis Zucker.*
Calami aromatici, *ouberzogen Calmus.*
Cardamomi minoris, *Cardamomen Confect.*
Carvi, id est seminis, *ouberzogen Koummel.*
Caryophyllorum, *ouberzogen Negel.*
Cichorei rad. *ouberzogen Cichorenvv.*
Cinæ Santonici, sem. lumbricorum, *ouberzogen Vvurmsamen.*
Cinnamomi, *Zimmet Confect. ouberzogen Zimmet.*
Coryandri, *ouberzogen Coriander.*
magni, *mit grosser Crispatur.*
Corporis sine anima, s. confectio.
Moschardina, moschata, *Bisem Z.*
Cubebarum, *ouberzogen Cubeben.*

 Dauci

Dauci communis, *ouberzogen vvild Mœhrensamen.*
Erucæ semin.
Fœniculi.
Lavendulæ florum.
Macis.
Majoranæ sem.
Pimpinellæ rad.
Pinearum.
[Habetur etiam Rhabarbari.]
Zedoariæ.
Zingiberis.

Confectiones candisata, scilicet Saccharo cando incrustata.

Confectio Acori, *Candisirten Calmus.*
Aurantior.cort.
Caryophyllorum.
Cinnamomi.
Citronata, i. e. cort. citri major.
Citri cort. i. e. minor.
Macis.
Nucis moschat.
Zingiberis.
Huc

Sacchara insuccata.

Saccharum rosaceum,
violaceum, &c.

CONFECTIONES SACHARATÆ.

Quæ etiam solent præscribi in Electuariis & Morsulis.

MODUM conficiendi habet AUCTOR, id est, quomodo quid obducendum sit sacharo candi. scilic. *Res conficiendæ* immittuntur in vas appropriatum super Ignem, adjicitur sacharum, & vid. AUTOR.

Vegetabilibus est *propria* talis *præparatio*. Sic habemus Semen *Anisi* confectum, *Coriandrum*, *Cubebas*, pro Capite & contra Vertiginem *Semen Dauci* pro cienda urina, & aliis affectibus urinariis: Semen *Fœniculi*, *Carvi Cardamomi*, &c. Confectionem seminis Carvi in flatibus ventriculi & intestinorum, in Cardialgia & inflatione stomachi. Semen *Santonicum* convenit infantibus vermiculantibus sacharum *rosaceum & violaceum*. Sacharum rosaceum fit, quando sacharum pulverisatum impregnatur succo violarum: ita etiam fit sacharum violaceum, & tunc vocatur. Saccarum violaceum rosaceum.

CONDITA MAGISTRALIA.

Quæ ex tempore à Medico præscribuntur in usum ægrorum & commodum. Hoc *conditum nihil*, aut *minus differt ab Electuario* Magistrali sed est ejusdem naturæ, & eadem ingredientia habet, sicuti eadem est compositio, nisi quod tantum consistentia ejus sit crassior paulo, & paulo solidior, & non est adeo fluida & mollis, sicut solet esse Electuarii. Ita ut rectè dicatur, quod sit *Medicamentum formæ mediæ* inter Electuarium & pulveres. Cum *eadem* hujus sint INGREDIENTIA atque Electuarii, *consistentiam* acquirit *à sacharo*: quod admisceri solet loco syrupi, qui in Electuariis præscribitur, vel additur sacharum pro consistentia dulciori & crassiori.

USUS idem est cum Electuariorum usu alterantium vel corroborantium: Imprimis tamen *pro corroborando* stomacho, viscerum, & regionum particularium solent præscribi. Pro varietate scoporum *assumuntur variè*: pro stomacho corroborando manè post sudorem; pro viribus conciliandis & massæ sanguineæ consistentia debita restauranda assumuntur, quando sudor est abstersus, & sic ratione circumstantiarum tempus assumendi variat.

Cum dixerim, quod conditorum eadem sit ratio atque Electuariorum, facile patet, quomodo debeat ad illorum normam conditum præscribi. Sit v. gr. Conditi *corroborantis stomachum exemplum*, h. m.

℞. *Conserv. Menth.*
Flor. Helenii. an.℥j.
Zinzib. in India condit. ʒß.
Confect. Alcherm. ʒj. quoniam est prætiosa.
Pulv. stomachic. Birckmanni.
Sem. Anis.
Fœnicul. an.ʒj.
Specier. Diatr. Piper.
Cinamom.
Galang. an. ℈j.
c. s. q. *Sachari & Syrup. conservativ. radicis Helenii.*
F. l. a. conditum in consistentia debita.
Stomach. corrobor. p. pulverib. dos.

Dosis est eadem quæ Electuariorum, nisi quod propter sacharum admistum soleat augeri, & sumi interdum cochl. j. plus minus pro scopo.

Dixi superius in principio Electuariorum quod aliud dicatur solidum, aliud liquidum scil. molle. Electuaria liquida habuimus, sequuntur. *Electuaria solida* quæ alias vocantur.

MORELLI LIBRI PRIMI SECTIO III.

De Formis Medicamentorum solidis.

CAPUT I.

De Pasta Regia, Morsellis.

RECENTIORUM etiam inventum est *medicamentum illud, quod consistentia pineolato simile, ex variis simul subactis instar pastæ*, (unde nomen) & *sacharo soluto liquore idoneo tabulatoque exc ptis. Conficitur in bolos* (unde *morselli* appellatio,) *qui sensim exsiccati conservantur ad usum, auro aliquando obducti*: dicitur autem *Pasta regia*, ob eximias vires in affectibus pectoris, pulmonum, & corporibus extenuatis.

Quod ad COMPOSITIONEM, bifariam sit.

VEL sine pulpa animalium, ut jam dicetur, ex *Fructibus*, *Semin bechicis & Sacharo*.

FRUCTUS autem isti ferè sunt *Amygdalæ* excorticatæ, lotæ, maceratæ, contusæ, *Linei*, *Pistachiæ*, etiam lota aqua idonea, quæ ad ℥iiij. præscribuntur.

SEMINA ratione QUALITATIS sunt quatuor *Frigida majora* usitata, incisa, contusa, quibus, ubi somnus conciliandus, & *semin. papav. alb. lactucæ*, adduntur. Ratione QUANTITATIS, ℥ij. ℥iiß. præscribantur.

SACCHARUM seligitur album, solutum liquore idoneo: quòd ad QUANTITATEM, dicitur q. s. ferè tamen debet esse duplum.

ß VEL fit ista pasta analeptica ex carne *Testudinum nemoralium* lota, cocta in aqua hordei, capite & cauda ablatis, hinc postea vocatur *Testudinatum*: aut Carne *Cancrorum fluviatilium*, *Caponis*, *Perdicis*, solis, vel simul additis *fructibus* dictis, *seminibus*, *pulveribus* etiam in Condito dictis, & faccharo soluto in aqua rosarum, hac dosi & proportione. *Carnis*, ℥iij. ℥iv. *Fructuum*, ℥ iij. *Semin.* ℥j.℥iß. *Pulverum* verò ʒj. respondeat dictorum ℥j. minore tamen quantitate pretiosiores. *Sacchari* autem dicitur q.s. Additur aliquando *Ambra*, *mosc*. parca dosi, ad gr. aliquot, & auro etiam aliàs pasta obducitur.

USUS MODUS per se, vel ex jusculis.

QUANTITAS *continua*, seu *dosis* ad ℥ß. ℥j. Morsellus, numer. j. ij. *Discreta*, sæpiùs cum cibo, inter pastas.

TEMPUS expressum.

* FORMULA. ℞. &c' fiat confectio in morsellis, additur aliquando: instar pineolati. Utatur.

UTILITAS. *Pasta non analeptica* utilis in affectibus pulmonum, pectoris variis, ad incrassandum, leniendum, detergendum, expectorandum, &c. *Analeptica* verò in iisdem in extenuatis, & debilibus: nutrit, exsiccat, fluxiones incrassat.

♃. Sem.papav.alb. ℥ß.
Amygd. dulc. Pinear.mund. ana ʒiij.

Sem

Sem. 4. frig. major. excort. an. ʒj.
Lactuc. ℈ij.
Cum aqua Tussilag. F. Emulsio, adde
Sacchari alb. ℔ß.
Spec. Diatrag. frig. ʒiß.
M. f. *pasta Regia vel Morselli.*
R. Pulp. Capon. elix. Perdic. an. ℥ß.
Nucl. pini, Pistac. in vino Malvat. macerat. an. ℥ß.
Amygd. dulcium. ℥j.
Cinam. Caryoph. Nuc. mosch. an. ʒiß.
Sach. fini q. s. F. *pasta vel Morselli.*
R. Pulpæ caponis vel gallinæ coctæ diligenter & contusæ. ℥iß.
Semin. Melon. aut Cucurbit. excort & contus. ℥ß.
Sach. in aq. Rof. solut & parum cocti q. s.
F. *Morselli.*

MORELLI CAP. II.

De Pandaleone.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

ARABUM, & juniorum inventum, medicamentum est pectori & pulmoni dicatum, materiâ suave, fine cum eclegmate omninò conveniens, forma tantùm differens, qua consentit cum tabellis, à quibus tamen in hoc differt, quod illæ in figuram certam effingantur, hoc verò ubi saccharum ritè coctum est, permixtis ingredientibus infunditur pyxidi, & ibi solidescere permittitur, ac usus tempore frustum aliquod cultro, cochleari, demittitur, &c.

Est igitur *medicamentum solidum, tabularum more, pyxide instar placentæ conceptum, ex pulveribus, conservis bechicis, & sacchar o soluto tabulatoque, confectum*; ad eosdem usus, in quos *eclegma*, institutum.

COMPOSITIO bifariam fit.

VEL ex *Pulveribus bechicis*, simplicibus, compositis, solis, mixtis, & *Saccharo* liquore idoneo soluto, cocto, hac dosi & proportione, ut sint pulver. ℥ß. plùs minùs, sacchari soluti ℥iv. vel q. s.

VEL ex *Fructibus*, *Seminibus*, thoracis, *Pulveribus* electuariorum, *saccharo soluto*, hac proportione, ut *fructuum* ℥ij. *sem.* ℥j. *pulveris* ʒiij. *sacchari* q. s. sumatur.

NOTA, *conservas* aliquando addi, ad ʒiij. ℥ß.

USUS MODUS, ore continetur, ut sensim eliquetur, & instar looch sensim deglutiatur, utaturque frequentiùs.

QUANTITAS, de hoc cum cochleari vel cultro frustum modicum desumitur.

TEMPUS idem quod eclegmatum.

FORMULA. ℞. *&c. fiat Pandaleon in pyxide idonea: de quo, &c.*

UTILITAS eadem quæ eclegmatum, à quibus forma tantùm differunt, & quod ferè hæc constent ex jucundissimis.

R. Spec. Diatrag. frig. ʒij.
Diaireos. simpl. ʒj.
Sach. cand. penidiati in aq. Rof. sol. ana q. s.
F. *Pandaleon.*
R. Sach. albiss. ℥ij.
Candi. Penid. an. ℥j.
Coq. simul in aq. Hysop. adde
Nucl. Pini, mundat. exsicc.
Pistac. recent. an. ℥j.
Rad. Ireos ʒj. M. f. *Pandaleon.*

CAP. III.

De massa Panis, & pineolato.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

MARCIPANIS vel MASSA PANIS junioribus confectio gratissima, polytropha, macilentis, pulmonum affectibus, pro bellariis conveniens. COMPONITUR ex *Amygdal. excortic.* ℥iij. *Pistachior. mundat.* ℥j. *Contusis in mortario marmoreo cum parum aq. rof. addita Sacchar. albiss.* ℔ß. *fiat pasta, hinc placentulæ, coquendæ leviter in furno ad colorem flavescentem & duritiem mediocrem.* Alia jucunda addi possunt ad gratiam, ut *cinamomum.*

Pineolatum in eundem finem fit, & æquis partibus *Pineorum & Sacchari* soluti, ex quibus fiunt morselli, addito *Moscho* ad gratiam, si volueris. Hæc autem ferè solent à medico imperari, non præscribi.

MORELL. CAP. IV.

De Tabellis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

QUod *Electuarium solidum* vocant, aliàs TABELLA, dicitur à plana forma, & quia saccharum, ex quo fiunt, coctum & tabulatum, complanatumque scinditur in varias figuras, quadratam, &c. hinc *Tessellæ*, & *Lozenga* vulgo pharmacopæis, aut quia fieri solent in manus Christi formam rotundam, hinc & *Rotulæ*, & *Orbiculi*, à rotunditate etiam figuræ, appellantur.

Medicamentum solidum est, è Pulvere maximè, & Saccharo soluto, coctoque suprà syrupi consistentiam, atque tabulato, confectum ad alterandum vel purgandum comparatum.

Hinc tabellæ duplices: *Purgantes*, & *Alterantes.*

A *Imo manus Christi seu Saccharum perlatum.*

Tabellæ purgantes.

Definitio & differentiæ ut suprà. Sunt autem duplices. *Officinales*, & *Magistrales*, de quibus hic potissimum.

Magistrales.

Quod ad COMPOSITIONEM, fiunt ex *Pulveribus*, & *saccharo* soluto in liquore idoneo, coctoque suprà syrupi consistentiam, aliquando & *Tabellæ* purgantes, vel *species* electuariorum purgantium, adduntur.

Pulvis ratione QUALITATIS *vel* est *purgans*; simplex, *vel alterans*, corrigens nempe idoneus, aroma, aut species electuarii alicujus.

Quod ad QUANTITATEM, ut dictum suprà in opiata purgante, doses catharticorum maximè supputandæ. Quicquid sit, quandoquidem tota massa tabellarum ℥iv. vel vj. non debet excedere, sat fuerit *pulv.* ℥j. *sacchari* soluti triplum, quadruplum, præscribere, licet vulgò, sed malè, non definiant.

USUS. Quod ad MODUM, vel per se sumitur, vel diluta idoneo liquore, vide potiones.

Quod ad DOSIN, vide opiatam purgantem.

Quod ad TEMPUS, manè, ut alia purgantia.

FORMULA. ℞. *&c. cum sacchari soluti in liquore idoneo, &c. fiant tabellæ pondere* ℥iij. ℥ß. *capiat, &c.*

Sed plerumque loco magistralium solent præscribi OFFICINALES tabellæ purgantes, B eodem *modo dosi*, ac *tempore* sumendæ.

UTILITAS eadem quæ opiatæ; ad purgandum sc.

B. *Quæ quales sint, ex dispensatoriis petere licet.*

R. Fol. Senn. mund. ℥ß.
Sem. Anisi, Fœnic. an. ʒß.
Rhab. el. ʒij. Spec.
Diatrion. Santal. ℈j.
Pulverisentur & cum. ℥iij. Sachari in aq. fumar. sol. excipiantur.
F. *Tabellæ* ʒiij. aut iv. pondere pro dosi.
R. Spec. Diasenn. Montag.
Pulveris rad. Mechoac. an. ʒj.
Scammon. gr. xv.
Cinnam ℈j.
Sach. in aq. card. bened. solut. ℥iß.
F. Tabellæ pondere ʒ ij. quarum duæ sumantur pro dosi.
R. Resin. Scammon. gr. xij.
Jalap. gr. vj.
Ol. anis. gr. ij.
Sach. sol. q. s. F. *purgantes.*
Tabellæ duæ.
R. Rhab. elect. Sem. Santon. an. ʒß.
Rad. Corallin. C. C. præp. an. ℈j.
Merc. dulc. gr. xxv.
Sach. Sol. q. s. F. *Tabellæ ad vermes.*

Tabellæ roborantes.

Quid sint, & differentias, vide in potione cardiaca.

Quod ad COMPOSITIONEM ex *pulvere roborante* vario, simplici aromatum, & rerum idonearum, aut composito electuarii officinalis, & saccharo soluto in liquore idoneo, ut massa ℥vj. non excedat, hac dosi & *proportione* singulorum, ut, *Pulveris* sit una pars. *Sacchari* vj. vel viij. x. prout tabellas validiores, vel debiliores volumus, aut pulveres grati, ingrati, efficaces, plùs minùs existunt; licet saccari passim q. s. dicatur, pulverum dosis tantùm exprimatur, ad ʒv. ʒvj. ferè.

NOTA, pulveribus hisce aliquando utiliter addi *Confectionem*, ut *Alxermes*, ad ʒij. ex qua sola etiamnum Monspelli tabellas jucundissimas conficiunt, item & aliquando *Conservas* idoneas, ad ʒ iij.

Ad roborantes referri possunt, quæ sine medicamentis cardiacis, ex variis rebus ad Alterandum, C pro scopo comparantur, eodem modo pulverisatis, & Saccharo exceptis: eadem

eadem dosi; licèt possint & majore; sacchaꝛo triplo tantummodò præscripto, cujus generis in officinis quam plurimæ, ad varios medici scopos ac intentiones, prostant.

USUS. Quod ad MODUM, per se maximè usurpantur, vel solutæ liquore idoneo.

Quod ad QUANTITATEM, à ʒj. ad ʒiij. pro ingredientium energia.

Quod ad TEMPUS, roborantes sumuntur tribus horis ante prandium, vel etiam cænam, idque postridie purgationis, si præcesserit, vel si pilulæ usuales fuerint præscriptæ, alternatim sumendæ diebus alternis, vel aliàs, ubi simpliciter roborandum est, quovis tempore poterunt usurpari, alterantes utiliter vacuo stomacho.

USUS OFFICINALIUM. Quod ad MODUM & TEMPUS idem, tùm & QUANTITATEM.

FORMULA PRÆSCRIBENDI. *℞. &c. cum sacchari soluti in &c. q. s. fiant tabellæ ponderis ʒj. ʒiij. quarum unam capiat, &c.*

UTILITATEM roborantis, vide supra in opiata confortante, ut & alterantis ibidem: quæ obiter etiam passim ad defluxiones in pectus sistendas præscribuntur, ex adstringentibus & incrassantibus, quarum etiam una quod ad usum præscribitur sæpiùs in ore continenda.

C. *Per alterationem omnis operatio intelligi potest quæ sine purgatione vera ut refrigeratio, &c. sudoris, menssium, &c. provocatio, &c.*

R. Spec. Diambr. Diamosch. dulc. ana ʒiß.
Sach. in aq. Beton. solut. ℥iij.
F. *Rotulæ roborantes.*

R. Corall. rubr. ʒiij. Perlar. ʒiß.
Fol. auri num. vj.
Sachar. arbiss. in aq. Rof. & Lavend. solut. ℥iv.
F. *Tabellæ*, sub finem mixtionis addendo
Conf. de Alcherm. ℈ij.

R. Spec. Diarrhod. abb. Diaireos, Diatrion. Santal. Diatrag. frig. an. ʒj.
Trochisc. de Eupator. de Rhabarb. ana ʒß.
Sach. alb. in aq. Endiv. sol. ℥iij.
F. *Tabellæ aperitivæ.*

R. Crist. Tart. ℥iß.
Fœcul. brion. ʒij.
Ol. Citri gr. iij.
Sach. col. q. s.
F. *Tabellæ deobstruentes.*

R. Pulmon. Vulpis præp. ʒij.
Succi liquirit. ʒiß.
Sem. anis. fœnic. an. ʒj.
Sach. col. q. s.
F. *Tabellæ pectorales.*

SCHRODER. CAPUT LXIX.

De Morsellis, & Rotulis.

Morselli, (Morsuli, Tabulæ,) ex omnibus Medicamentorum generibus fieri possunt, quæ non respuunt cum saccharo soluto commisceri, inque placentas indurari. Talia sunt pulveres, Semina (minutiora) condita, Conservæ, Olea, Extracta: Inprimis tamen ad morsellorum compositionem cooptantur pulveres, de quibus tamen notandum, quod non opus sit æquè subtiles eos recipi, ac in rotulis.

Modus fiendi.

℞. Sacchari q. s. solve in liquore debito super ignem: hinc coque ad consistentiam, ut frigefactam induretur (probare id poteris tantillo in orbiculum stanneum vel lapidem effuso:) Hinc immisce sensim pulveres, optimè agita, effundeque dum adhuc calore liquidum est, supra tabulam cupream lapideamve, ut refrigescat & induretur, demum scinde in tabulas.

N. 1. *In purgantibus loco sacchari recipi potest Manna, cujus proportio uti & sacchari pro Medici voluntate adhibetur: ut plurimum recipitur sacchari sextuplum, octuplum, &c. prout res immiscendæ fortiores vel ingratiores fuerint, e. gr. ad Extracta & Olea destillata major sacchari quantitas expetitur.*

N. 2. *Nuclei ac semina emulsioni apti, si ad morsellorum constitutionem concurrant, pro libitu in emulsionem redigi poterunt, quo saccharum dissolvatur.*

N. 3. *Condita duplici modo morsellos subeunt. 1. Conquassata. 2. In frustula incisa.*

N. 4. *Olea destillata si occurrerint in fine, ea instillare oportet, vel paratis morsellis illinere. Idem judicium sit de Moscho ac ambra, quæ in aqua rosar. dissolvuntur, atque paratis tabulis illinuntur.*

Usitatiores sunt alterantes.

Morsuli
Bezoardici è pulv. bezoardic.
Cephalici è speciebus cephal.
è succo & corticibus citri, s. de citro, *vide infrà. N. 1.*
è Confectione Alchermes.
Imperatoris, è spec. Imper.
Pectorales, 2.
Postpastum, A.
Saccharum rosatum tabulatum.
Saponea, A.
ad Vermes, A.
Zinziberis cocti, A.

Purgantes usitatiores.

Morsuli
Diacarthami, A.
Diaphœnic. A.
Diaturbith. cum rhabarb. è speciebus.
de Diagrydio, s. laxativi è Cremore Tartari, *vide infrà 3.*
de Manna Tartarisat. *vide libr. 4.*
de Mechoaca, 4.
è succo rosarum.

1. Moselli de Citro.

℞. Carn. citr.
Cort. citr. condit. concis. ā. ℥j.
Ol. citr. gran. xij.
Succ. citri puriss. q. s.
Sacchar. in aqu. citr. sol. ℥xvi.
F. s. a. Morsuli.
Sunt Cordiales, ut citrum.
N. *Fiunt & simplices è succo, corticibus & sacchari.*

2. Morsuli pectorales.

℞. Pinear. rec. in aqua rosar. parat. ℥ß.
Amygd. d. excort. ʒv.
Sem. Melon. rec.
Cucum.
Cucurb. ā. ʒij.
Spec. Diarrhod. Abb. ℈iv.
Mag. perlar. ℈j.
Sacchar. alb. in aqua rosar. & scabios. sol. ℥xvi.
F. s. a. Morsuli.
Sunt nutritivi, refrigerantes, acrimoniam mitigantes, adeoque conveniunt in hectica.

3. Morsuli de Diagryd. s. laxat.

℞. Crem. Tart. ʒiij.
Resin scammon. ℥ß.
Sacchar. in aqua rosar. sol. ℔. 1.
F. Morselli.
Purgant bilem.
Dosis adulto ℥ß.

4. Morsuli de Mechoaca, F. F.

℞. Conserv. violar. ℥j.
Spec. Diatragac. fr. ʒiß.
Turbith. gum.
Mechoac. alb. ana ℥ß.
Diagryd. præpar. ʒij.
Ol. cinam. still. gran. vi.
anis. gran. iv.
Sacchar. in aqua fœnic. sol. ℥xiv. F. s. a. confectio in morsul.
Purgant bilem ac phlegma
Dosis ab ℥ß. ad ℥j.
Vide part. 1. lib. 4. observat. Cl. Gregor. Horstii.

De Rotulis.

Rotularum parandarum modus idem est, nisi quod Rotulæ, quia formulas Morsulis minores expetunt, medicamenta requirant, quæ rotularum formationem non impediant. Pulveres itaque subtiles esse oportet, dosique minori.

Proportio sacchari vulgatissima est octupla, decupla, plus minus. In purgantibus vero quadrupla.

sacch. } In oleis stillatitiis major.
pulv. }
scil. sacchar. ℈j. ol. gran. iv. &c.

N. *Fiunt & rotulæ è succo & saccharo, si scil. hoc in illo solutum ad consistentiam justam coquatur & rotuletur. Veruntamen notatu hic dignum, Rotulas, quæ ex succis acidulis fiunt, verbi gr. è succo citri non admittere coctionem, sed sola parari mixtione. Videlicet, ℞. Sacchari pulverisat. ℔. 1. calescat ad ignem lentum, hinc affunde succi, v. gr. Berber. ℥iij. misce & effunde in rotulas.*

Rotulæ

Rotulæ usitatiores sunt.

Rotulæ de Berber.
Manus Christi simpl.
perlat.
Diatragacant.
Sulphuris pectoral.
Laxativæ infantiles.

1. *Rotulæ pectorales.*

℞. Sacch. albiss. ℥i.
Florum Sulph. benzoinat. (ut cap. de Sulph. dicitur) ʒij.
Ambr.gris.gr vi.
Mosch. Orient. gr.ij.
Ol.fœnic. gut.iij.
Gumm. tragac. in aq. scabios. infus. q.s. F. massa.

1. *Rotulæ infantiles laxativæ.*

℞. Cranii human. præpar. ʒij.
Mercurii per sextam sublimationem dulcificat.
Rad. Jalap. an.ʒj.
Margar. præpar. ℈ij.
Ol.cinnam.gutt.vi.
Sacch.in aq. scord. solut.℥iiij.
F. Rotulæ.
Vermes necant, & inde genitam Epilepsiam arcent.

Quinimò ex singulis pulveribus & speciebus, tam alterantibus, quàm purgantibus, addito sacharo in conveniente aqua soluto, Rotulæ pro rei exigentia fieri possunt.

TABELLÆ s. MORSULI.

Recentiores vocant Mursulos *veteres* & Schrôderus Tabellas. Dicuntur Tabellæ, quoniam species s. pulveres excipiuntur s. q. sachari soluti, & postquam coctione inspissatio fuerit facta, tunc ratione figuræ quadratæ, in quam scinduntur, ducuntur Tabullæ item Morsuli. Vel etiam quoniam res vel species sacharo exceptæ & inspissatæ, rediguntur in formam parvam rotundam, tunc vocantur alio nomine.

ROTULÆ & ORBICULI.

Differentia est tantum *in figura* externa, *ingredientia* & componendi *modus* est idem, utut in levioribus quibusdam differant rotulæ à Tabulis s. morsulis.

Quod attinet hos pro scopo Medici fiunt vel alterantes vel purgantes.

ALTERANTES conficiuntur ceu ex Essentialibus ingredientibus ex pulveribus, qui excipiuntur s. q. sachari soluti, benè invicem permiscentur, & super Ignem inspissantur, hinc effunduntur in patellam quandam planam, & ibidem scinduntur in particulas quadratas magnitudinis variæ. PROPORTIO SACHARI ad pulveres in Morsulis & Tabulis alterantibus, raro aut numquam præscribitur, sed tantùm quantum sufficit innuitur. Nihilominus tamen *sachari quadruplum aut sextuplum solet præscribi.*

Compositio Magistralis talium Morsulorum sit v. gr. hæc: Præscribo Morsulos *seni singulis* manè assumendos, *contra vertiginem & pro confortando Capite* respiciendo simul stomachum in senibus imbecillem h. m.

℞. *Succin. præpart.* ʒij.
Benzoes. ʒj.
Cardamom.
Cubebar. an.ʒiß(basis)
Cinamom.
Galang. an.ʒß.
Zingiber. ʒj.
Specier. Diatr. piper. ℈iv.

pulverisata grosso modo, nam non necesse est ut ita exactè pulverisentur.
c. s. q. *Sachar. in aqua lilior. convall. dissolut.*
F. l. a. Morsul. s. Tabellæ. caput corrob.

Cæterum *præter pulveres* etiam *alia ingredientia* permiscentur, quæ in Electuariis præscripta fuerunt: Sic conservæ usitate adduntur, item condita, uti etiam confectiones officinales appropriatæ. Interim tamen, quoniam tabellæ sunt in consistentia duriore, non vero molliore & fluida, sicuti Electuaria, propterea *horum molliorum*, nempe conservarum, conditorum, &c. *dosis imminuuntur*, & non in tanta dosi præscribuntur, atque solet fieri in Electuariis, sed ʒij. Conservarum & conditorum commodè potest respondere ʒj. pulverum in genere: specialibus in consistentia variant præscriptiones, prout varia ingrediuntur.

Sic dabo *exemplum Morsulorum* præservativorum *a Dysenteria*. Præscribi possunt tales.

℞. *Conserv. rosar. antiquæ.*
Menth. an.ʒvj.
Radic. Helen. condit.
Nuc. Moschat. condit. an.ʒij.
Extract. radic. Tormentil.
Terræ sigillat.
Boli Armeni.
Oss. human. calcinat.
Croc. Martis adstringent. an.ʒj.
Corn. Cerv. calcinat.
Crystall. calcinat. an.℈ij.
Sachar. Saturni. ℈j.

c.q. S. *Sachar. in aqua Plantag. dissolut.*
F.l.a.Morsuli præservativ. In dysenteria qui adspergantur.

Balsam sulphuris Terebinth.

Pulverum ʒj. ferè respondet ʒij. conservarum, alias præscribendi ratio ferè eadem est, quæ in Electuariis.

Dabo *exemplum Morsulorum* præscribendorum *contra Catharros.* Compositio sit hæc.

℞. *Conser. flor. Anth.*
Betoonic.
Calendul. an.ʒij.
Succin. præparati. ʒiij.
Myrrh. electæ ʒß.
Benzois.
Thuris. an. ℈ß.

c.s.q. *Sachar. in aqua serpill. dissolut. spirituosa.*
F.l.a. Morsuli irrorand. cum
ol. dest. succin.

Denique etiam præscribuntur *interdum sine conservis, ex crudis confectionibus* officinalibus, Morsuli. h. m.

Morsuli *præservativi in peste* pro ditioribus.

℞. *C C. s. Igne.*
Antimonii diaphoretic.
Pulv. folior. scord.
Card. bened. an.ʒij.
Terræ sigillat. ʒj.
Theriac. Andromach. ℥ß.
Confect. Alcherm. ʒj.

M.c.s.q. *Sachar. in aqua præservativ. dissolut.*
F. l. a. Morsuli irrorand. *ol. Pestilent. Heinisii.*
D. S.

Et hoc modo præparantur Morsuli alterantes: Morsulis alterantibus vicinæ & cognatæ sunt.

ROTULÆ ALTERANTES.

Hac tantum differentia, quod præscribuntur imprimis ex pulveribus, ex extractis, interdum etiam ex solis oleis: raro vero *crassiora ingredientia solent ingredi*: & sicuti *tota* Morsulorum *præscriptio* cum ingredientibus, & cum excipiente sacharo *non solet excedere* ℥vj. *l.* ℥viij. ita ut ingredientia constituant ℥ij. vel iij. reliquum vero quantum constituat sacharum. Ita econtra *in Rotulis tota compositio ultra* ℥ij. *vel* ℥iiß. *vel* ℥iij. *non solet præscribi*, ita ut tantum pulveres constituant ℥ß. vel ʒvj. reliquum vero sacharum, quo excipiuntur.

Sic v. gr. tales *Rotulæ* aut orbiculi *contra Catharros salsos*, fauces & pectus infestantes possunt præscribi tales.

℞. *Sem. Papav. alb.*
Thur. an. ʒj.
Benzoes ℈ij.
Gum. Arabic. ʒj.
c. s. q. Sachar. in *emulsion sem. iv. frigid.* dissolut. F. l. a. rotulæ. aspergend. *ol. destill. anisi.*

Sic possunt etiam fieri *Rotulæ contra Phtisin.* h. m.

℞. *Radic. Irid. Florent.* ʒij.
Antihect. Poter. ʒj.
Bonzoas.
Thuris.
Mastich. an. ʒß.
c. s. q. *Sachar. in Essent. Benzoes dissolut.*
(sed hæc est nimis prætiosa.)
vel in *succo* aut *decocto liquiritiæ.* F. l. a. Rotulæ.
adspergantur Balsam. Peruvian. aut sulphuris anisato.
D. S.

Interdum fiunt Rotulæ, uti dixi, *ex extractis & oleis*, præscribendi *modus* est talis.

Præscribo *Rotulas contra tussim* h. m.

℞. *Succ. Liquirit. in aqua Hyssop. solut. & inspissat.*
Extract. Helen. āā. ʒj.
Flor. sulphuris ℈ij.
Benzoes. ℈j.
Extract. Croc. Orient. ℈ß.
Balsam. Peruvian.
sulphuris.
ol. dest. Anis. an. gt. xv.
c. s. q. *sachar. in aqua Fœnicul. & Hyssop. dissolut.* F. l. a. Rotulæ. D. S. ut supra.

Hæ sunt Rotulæ & Morsuli alterantes; sequuntur.

ROTULÆ & MORSULI PURGANTES.

Quæ *ex iisdem* fiunt *ingredientibus atque alterantes nisi* quod *addantur* medicamenta *purgantia* & quidem purgantia sunt supputanda secundum doses, & propter hanc dosium rationem etiam præscribenda est quantitas, sachari, item qua quantitate præscribendi sunt morsuli & determinanda est quantitas & Rotulæ & Morsuli uniuscujusque, alias periculum, est ne fiat noxa.

Dabo *exemplum morsulorum purgantium* si haberem virginem delicatulam, laborantem Apepsia & Anorexia *in morbo virgineo*, præscriberem tabellas vel Morsulos digestivo purgantes h. m.

℞. *Conserv. Menth.*
Meliss. an. ʒij.
Agaric. Trochisc. ʒj.
Pul. radic. Jalap.
Specier. Diaturb. c. rhabarb. ℈iß. l. ʒß.
Croc. Martis uperitiv. ʒiij.
Tartar. vitriolat. ʒiß.
Cinamom.
Nuc. moschat.
Antophylar. an. ʒiß.
Sem. Anisi. ℈ij.
M. c. s. q. *Sachar.* ℥v. in aqua Hyssop. dissolut. F. l. a. Morsul. quantitatis ʒß.
D. S. Dabo aliud *exemplum* cujusdam *Cachectici*, singulis septimanis una vice purgandi: Huic præscribo tales morsulos, utut uti possem pilulis usualib. h. m.

℞. *Conserv. flor. Cichor.*
Conserv. flor. Fumar.
Radic. Helen. condit. ana ʒij.
Croc. Mart. aperitiv. ʒiß.
Pulv. catholic. purgant. ℈ij.
Rhabarb. relect. ʒß.
Scam. rosat. ℈j.
Tartar. vitriol. ʒß.
Macis.
Galan.
Zingib. an. ℈j.
M. cum *Sachar.* ℥iv. in aqua fumar. dissolut. F. l. a. Morsuli purg. pro I. dos. pondere ʒiij.

Hi sunt Morsuli purgantes; dabo etiam *exemplum Rotularum* vel orbiculorum *purgantium* h. m.

℞. *Pulv. Senn. Montagnan.* ʒiij.
Cathol. purgant. ʒß.
Croc. Martis aperitiv.
Tartar. vitriolat. an. ℈ij.
Specier. Dianisi.
Diatrion. Piper. an. ℈j.
c. s. q. Sachar. F. l. a.

Orbiculi quorum dos. x. xij. xv. prout magni vel parvi.

Et hic sunt Morsuli & Rotulæ, quæ ceu Magistrales à Medico præscribuntur.

Prostant tamen etiam in Officinis *Morsuli & Rotulæ* OFFICINALES, quæ semper in iisdem prostant, de quibus vid. SCHRÔDER. ubi rectè innuit, quod *omnia* ea possint *in Morsulos & Rotulas redigi, quæ sacchara possunt misceri.* Unde *etiam* quædam *acida* cum sacharo permiscibilia, ut pulpa citri, &c. permiscentur in Morsulis & Rotulis.

Deinde rectè dicit SCHRÔDERUS; quod *differentia inter Morsulos & Rotulas* in hoc consistat, quod pulveres pro Morsulis sufficiat grossè pulverisari, pulveres vero pro Rotulis subtilissimè sint pulverisandi. *Sacharum* cum quo excipiuntur; *dissolvitur in aqua* appropriata: potest etiam dissolvi in *decocto* appropriato: potest dissolvi in *emulsione* appropriata: uti etiam *in succis* appropriatis. v. gr. in succo Citri, in succo Berberum, item in succo Ribium, & sic fiunt Morsuli & Rotulæ subacidæ elegantis saporis, & istæ Rotulæ; quæ fiunt cum Sacharo dissoluto in succo Ribium, sunt præter gratiam saporis, etiam elegantis coloris. Commodè *etiam* cum Morsulis *permiscentur Amygdalæ* dulces, item *nuces pinearum & pistaceorum*, discinduntur minutim, & ita adduntur pro confortatione & nutritione, imprimis in Morsulis & Rotulis *analepticis.* Post præparationem possunt illini oleis, aut adspergi spiritibus & essentiis appropriatis.

POTERIUS in sua *Pharmacopæa* habet *Rotulas Martiales anticachecticas*, paratas ex Croco Martis aperitivo cum Sacharo. Ad horum imitationem variæ possunt fieri & præparari. *Modus* fiendi vid. in AUTORE.

Morsuli ALTERANTES in Officinis usitati sunt.

MORSULI DE SUCCO ET CORTICIBUS CITRI.

Quos describit AUTOR. Hi valdè conveniunt *in Peste*, cui resistunt, & in qua sunt confortativa. His *possunt addi* simul *flores Citri* conditi item *ol. Citri* rite destillatum. Nam sic erunt præstantiores. Et *oleum* istud valdè confert in *Peste.*

MORSULI PECTORALES.

Quos etiam describit SCHRÔDERUS. Conveniunt in *Tussi* ex lympha acri, in *raucedine & asperitate* faucium: item conveniunt in curandis *Analepticis & Phthysis.*

MORSULI POST PASTUM.

Quos describunt A. & alia dispensatoria: post pastum conveniunt, ut assumantur *pro promovenda coctione*, & etiam *pro sistendis ructibus.*

SACHARUM ROSATUM TABULATUM.

Prodest, ut dissolvatur in aliis ingredientibus: ratione tamen rosarum *Cor & Ventriculum roborat*, & *appetitum* excitare dicitur.

Hi

Hi sunt Morsuli alterantes in Officinis sequuntur.

Morsuli PURGANTES. De his ulterius dico, quod sint periculosi propter inæqualem mysturam: unde rarò præscribuntur, potius boli vel pilulæ pro iis adhibentur: interdum tamen coactus Medicus aliquid tentare potest.

MORSULI LAXATIVI.

Loco III. ab AUTORE descripti, *sunt elegantes* ex Cremor. tartar. & resina scammonei. dos. est. ℨß. tantum laxant possunt ergo dari ad ℨvj.

MORSULI DE MECHOAGANNA.

Similiter conveniunt in *expurgando phlegmate* pituoso & crassis humoribus *in Ventriculo* ac Intestinis stabulantibus. Supputanda est dosis ingredientium purgantium, & tunc facilè patebit, quantum sit de illis præscribendum.

Pertinent huc *Morsuli* satis famosi *Comitis* à PAPPENHEIM, qui valdè commendantur *ad stimulandam Venerem*, qui sunt tales.

℞. *Sem. Herniar.*
Urtic.
Anis.
Fœnicul.
Pastinac. an. ℨß.
Farinæ cicerum albor. ℥ß.
Nucleor. Pinear.
Amigd. dulc. an. ℨij.
Extract. Stinc. marin.
Cinamom.
Galang.
Cariophyll.
Cardamom.
Croc.
Piper. an. ℨiß.
Mosch. Alexandr.
Ambr. gryseæ.
Trochisc. Gall. Moschat. an. ℨj.
Diasatyrion. ℨiß.
Sachar. alb. in aqua rosar. dissolut. ℔ij.
F. l. a. Morsul. dos. ℥j.
D. S. ut supra.

Post Morsulos Officinales sequuntur *Rotulæ* OFFICINALES.

Modus parandi extat in AUTORE: Sic fiunt Rotulæ cum succo ribium, Citri, Berberum.

ROTULÆ MANUS CHRISTI *simplices & perlatæ.*

Serviunt tantum *pro edulcoratione* Juleporum aut potionum Perlatarum: à quibusdam etiam solet permisceri inter pulveres pro conciliando *gratia saporis.*

ROTULÆ DIATRAGAGANTHI.

Commendantur contra *Tussim*, sed necessum est, ut recentes sint præparatæ.

ROTULÆ SULPHURIS PECTORALES.

Quas describit AUTOR, sunt egregiè in *Peste* etiam *in affectibus Pectoris*: possunt eædem subigi cum Extracto Angelicæ, ol. destillato Angelicæ, & Zedoariæ, & ita fiunt *rotulæ, pectorales-antepestilentiales.*

ROTULÆ INFANTILES LAXATIVÆ.

Ab AUTORE descriptæ, sunt *elegantes*. Nam radix Jalapæ & Mercurii dulcis expellunt vermes, & quoniam cum Vermibus sæpe conjuncta est Epilepsia, additur cranium humanum, quod ab illa liberat, accedunt Margaritæ præparatæ, quibus tamen optimè alia substituuntur, quæ præcipitant & acorem auferunt.

Conditis & Electuariis admodum affinia sunt & ferè eadem.

PASTAREGIA, PINEOLATA & MASSA PANIS.

Pasta Regia quam vocant pineolatam (vocat Autor Morsulos) *est* nihil aliud nisi *Electuarium quoddam* confectum *ex pulpa animalium*, aut ex seminibus benè nutrientibus ex Amygdalis, Pineis, Pistaceis, & similibus. Hæc enim inter se invicem bene mista, & sacharo excepta, dant massam, quam vocamus Pastam regiam: vocatur etiam alias *Pasta Analeptica.*

Ex Carnibus vero Animalium usitatè sumuntur Carnes cancrorum fluviatilium: item interdum carnes Caponum & Perdicum, his additur interdum Electuarium resumptivum officinale, aut species pro Electuario resumptivo.

Usus horum est *in emaciatis*, quoniam semina, item Amygdalæ, Pineæ Pistaceæ benè nutriunt: Conveniunt etiam *in Hecticis*, item *in Phtysicis* & similibus aliis affectibus.

Exemplum talis pastæ regiæ, jam verò non amplius usitatæ, rarius enim præscribuntur, sit tale.

℞. *Amygdal. dulc. ambros.* ℥ß.
Nucleor. Pistac.
Pinear. an. ℨij.
Sem. Papav. alb. ℨiij.
Carn. ♋. *fluviatil.* ℥j.
Sem. 4. frigid. major. ana ℨß.
c. s. q. *Sachar. in decoct. liquirit.* solut.
F. l. a. Pasta seu Elect. corrobor. D. S.
dos. ℨß. ℥j. vel ℥iß. pro ratione circumstantiarum.

Vicina est, pastæ regiæ *Massa Panis*, & Pineolatum.

Massa Panis, *fit ex amygdalis* dulcibus excorticatis *& ex sacharo*. Amygdalæ dulces excorticatæ & contusæ permiscentur cum sacharo, adduntur interdum Pistaceæ pro gratia saporis. Et sicuti ex Amygdalis & sacharo massa vocatur massa Panis: ita *ex pineis & sacharo* massa vocatur *Pineolatum*. Tali pani martio interdum admiscentur quædam appropriata pro fallendis Infantibus, sed necesse est, ut sint talia vel coloris albi, vel insipida, vel saporis non nauseabundi. Hac ratione solent fieri *panis martii purgantes* pro infantibus, imprimis cum radice Mechoacannæ, quæ est alba, & ferè insipida, & Medicamentum benè & blandum, valde conveniens in abstergendis Intestinis infantulorum.

Compositio *panis martii pro infantibus* potest esse talis.

℞. *Amygdal. dulc.* ℥j.
Radic. Mechoacan. pulverisat. ℨß. l. ℈ij.
c. q. s. Sachar. in aqua rosar. dissolut.
F. l. a. Placentulæ seu panis martius purg. pro duabus dosibus.

In ditioribus potest *loco sachari communis* sumi *sacharum rosatum* tabulatum, vel manus Christi perlatæ, quoniam hæ sunt gratioris saporis non tantum, sed etiam gratioris pretii: adspergi potest pul. Cinamomi, Anisi, &c. ad inhibenda tormina Infantum pro renata. Sed rari sunt usus, nisi in tali casu, ubi volumus purgare infantulos nimis delicatos.

Pergendum est, & quidem secundum ductum MORELLI, ad.

MORELLI CAPUT III.

De potione.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

POTIO *medicamenti forma est liquida ex rebus facientibus ad scopum, laxativis, cardiacis, aut aliis dissolutis A. In liquore idoneo, conflata, sed in unicam dosin praescribenda, sumendaque forma potus, (hinc nomen,) ad purgandum, vel roborandum, aut alterandum, quovis alio modo B. comparata.* Unde potio hodie *triplex* existit: purgans, cardiaca, seu roborans, & alterans alio modo.

Potio Purgans.

POTIO CATHARTICA, generis nomine, potio saepiùs simpliciter dicitur, ut hujus appellatio absolutè pro purgante usu recepta ferè habeatur. Quidam nuperrimè *Dosin* nuncupabant, quod non nisi unica vice, nec pluribus continuò, nisi interjecto aliquot dierum, & temporis intervallo, privato jure esset propinandi.

Est autem forma remedii liquida, ex medicamento laxante, decocto, vel infuso, aut cum alio liquore dissoluto, & syrupo, C *passim conflata, unica vice exhibenda, certum humorem vel plures, vi cathartica, electivè per alvum ducens.*

Hinc potionis catharticae *differentia* constitui possunt pro humorum purgandorum vario discrimine, ut *Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, Hydragoga*, vel ex his *mixta* existat.

In COMPOSITIONE ejus *duo* maximè perpendenda, *Liquor* idoneus ex quo, & *Dissolvenda* in eo D.

LIQUOR dissolvendis potionis catharticae medicamentis idoneus, E.

Ratione QUANTITATIS, praescribitur *in genere.* VEL *Decoctum* aliquod. VEL *infusio*, seu *Infusum.* VEL *Vtrumque*, decoctum & infusum simul. VEL *liquor alius*, ad scopum Medici & intentionem faciens, F.

In specie verò *Decoctum*, quod pro potione purgante conflanda usitatè praescribitur, triplex est, *Purgans*, & *Alterans*, vel *Vtrumque simul.*

α DECOCTUM PURGANS, usitatè componitur praescripta sola *Senna*, pro liquore potionis melanagogae, & phlegmagogae, ad ℥ß. ʒ.iv. ℥j. (prout purgare consilium, aut alterius cathartici officinalis, Electuarii puta, vel Syrupi purgantis plùs minùs, in liquore jam colato dissolvere propositum,) additis correctivis propriis, ut *Aniso, Garyophyllo*, ad ʒj. vel etiam insuper floribus cordialibus, *Borrag. Buglosis.* vel *Violar.* ad P. j. Et hujusmodi decoctum Monspelii usitate etiam *Decoctum purgans* simpliciter appellant, audiuntque ipso absolute, quando catharticum aliquod, *Diacarthamum.* V.G. cum decocto purgante praescribitur exhibendum. G.

Posset conflari etiamnum hujusmodi decoctum, praescriptis aliis catharticis, quantitate qua sufficerent in unam dosin, pro specie humorum diversis, additis propriis correctivis, ut *Carthamo, Turpeto, Hermodactylis*, pro phlegmagoga potione; *Polypodio, Epithymo, Senna*, pro melanagoga, sed illud minùs usitatum: cum praeterea liquorem *senna* catharticum possit suppeditare, qui ipsorum naturae, & indicationibus variis respondent. Caeterum necessariò aliquando, & utiliter praescribuntur hujusmodi decocta purgantia, quando Electuario officinali purgante caremus, proprio, seu quod humori purgando soli approprietur, quod in potione phlegmagoga, & melanagoga passim accidit: cùm enim nullum sit electuarium merè phlegmagogum, si tale tamen exoptet, & exigat indicatio, decoctum praescribas ex *Senna* ut basi, addito *Carthamo*, & si agendum valentiùs, aut trahendum à remotis, *Turpeto, Hermodactylis*, quarta parte doseos Apozematis purgantis, additis correctivis. Sic quia nullum in officinis efficax melanagogum: (*Diasenna* enim debilis) vel tutum, *Confectio* namque *Hamech major* periculosa dosi, effectu purgandi anceps admodum, ideò rariùs usitata: *minor* verò ad melancholiam ita decantata, bili potiùs competit; nam obiter neque sennam admittit praecipuum melanagogum, & tota compositio melanagogum eorumque benigniorum, partes decem habet tantummodo, cholagogum verò, hoc est *Scammonei* partes seu doses summas 48. ita ut cholagoga partibus tribus superent melanagoga, tunc ob has causas, ubi Purganda melancholia sola, rectè praescribemus decoctum ex *Senna, Epithymo, Polipodio, Fumaria, &c.* Haec de decocto purgante.

β DECOCTUM ALTERANS, usu hodiè passim receptum, *duplex* rectè statui potest; *Officinale*, seu *Vsuale*, quod ubique apud pharmacopoeos sine Medici praescriptione prostat, paraturque. H. Aliud quod in rem praesentem recenter praescribitur, quod *Magistrale*, si vis, appelles.

Officinale triplex *est*; Decoctum *commune medicinae*, Decoctum *florum*, & *fructuum cordialium*, & Decoctum *pectorale.*

I. *Decoctum*, seu *decoctio communis medecinae* (quod ea communiter I ad medicinas, seu potiones purgantes conficiendas usurpetur, omni parti & humori conveniens, sic dicta) obiter componitur ex *Hordei* P.j. *Prunor. dulc.* par.iiij.vj. *Passular. Liquir. rasa, parùm contusa* an.℥ß. *Anis. Foenicul.* (hiemis tempore) *Quatuor sem. frig. major.* (aestatis) an.ʒij. *Trium. flor. cord.* an.P.j. fiat decoctio.

Caeterùm, sic particulatim non solet usitatè praescribi à Medico, quia passim prostat, L sed simpliciter in formula connotari solet, M quod etiam audiendum est de decocto florum, & fructuum, & in decoctione pectorali.

Hujus autem decocti *Vsus* triplex est, inservit enim *vel* dissolvendis purgantibus simplicibus, sed maximè compositis, Electuariis, Syrupis, pro potionibus, quod receptissimum, *vel* infundendis simplicibus catharticis, *vel* decoquendis denique in eundem scopum.

II. *Decoctum florum, & fructuum cordialium* fit ex *Liquiritia rasa*, &c. *Tamarind.* an. ʒij. *Passul. mundat.* ℥ß. *Jujub. Sebest. Prunor. dulcium* ana par.4. *Flor. borrag. bug oss.* an. P.j. &c. F. decoctio.

In Italia, apud quos in usu frequentissimum a, hoc ipsum passim reddere solent catharticum, addita *sennâ* ad ℥ß.ʒvj. & usurpare ad potiones purgantes, dissolvendis aliis medicamentis biliosis, pectori, renibusque maximè dicatum.

III. *Decoctum*, seu *Decoctio pectoralis* Mesuaei, affectibus pectoris privatim mancipata; constat ex *Hordei integri.* P.j. *Liquirit. Passular.* an.℥ß. *Capill. Veneris.* M.j. *Hyssopi sicci* M. ß *Caricar. ping. Jujubar. Sebest.* an. par.iij. vel numero vj. Fiat decoctio.

Hujus *Vsus* praecipuus in affectibus pectoris frigidis, dissolvendis puta medicamentis, quae pituitam expurgant, vel iisdem infundis, decoquendisque.

Aliquando purgans ipsum efficitur, addita *senna* ut dictum, in decoctione cordiali.

Magistrale, seu decoctum alterans, quod in rem praesentem à Medico recenter praescribitur, neque prostat apud Pharmacopoeos, O componitur ex variis partibus stirpium, praescribendis hac dosi, ut quartam partem Apozematis alterantis adimpleant: (ut enim hoc in quatuor doses, ita potio in unam tantùm instituitur:) licèt ob molestiam dispensationis saepiùs possis non omnes plantarum partes dictas in Apozemate, simul congerere; sed aliquas tantùm pro lubitu, & privatim folior. duorum, trium an. P.j. aliquando praescribere.

Caeterùm decocti hujusmodi praescriptio, cùm ad partes saepiùs indifferenter se habeat, ipsis approprietur, aut si humori vacuando non sit omninò consentaneum, hâc ratione ipsi respondeat: unde seligi debent ad ejusmodi decocta, simplicia, quae proprietate partes laborantes afficient, ut ad ipsas Catharticum manu veluti ducatur, dirigaturque, aut humorem purgandum privata indole respiciant, hinc enim demùm medicamenti purgantis propinati fructus uberrimus efflorescit.

Hujus autem *Vsus* maximè est, catharticis idoneis decoquendis, vel infundendis, aut etiam dissolvendis, aliquando.

Nonnunquam pro decocto alterante, in eundem finem, usurpatur *jusculum pulli*, alterati foliis *Endivia, Acetosa, Capill. vener. Borrag.* &c. Cujus *Vsus* maximè est in calidis affectibus, & aestatis tempore praecipue, catharticis dissolvendis.

δ DECOCTUM ALTERANS & PURGANS frequentissimè imperatur, ob rationes jam dictas, idque bifariam

VEL praescriptâ solâ *Senna*, decoctâque cum decocto communi officinae suprà dicto, aut P decocto magistrali, pro potione melancholiam aut pituitam educente, quod usitatissimum hodiè est.

VEL etiam aliis aliquando catharticis decoctis cum iisdem, ut jam dictum est in decocto purgante, quod etiam receptum.

Hujus autem *Vsus* idem est, qui superiorum, ad infundenda nempe, decoquenda, dissolvenda cathartica.

Quod ad INFUSIONEM, per eam hoc loco audio *catharticorum macerationem, factam in liquore idoneo, quo vis ipsorum à terrena mole soluta, tincturarum more, trajiciatur in liquorem, qui ipsa vi impragnatus infusum, ac etiam Dilutum appellatur.*

In illa duo considerantur, *Infundenda Cathartica*, & *Liquor*, in quo macerantur.

ι INFUNDENDA, ratione QUALITATIS, possunt esse omnia cathartica, ut *Senna Agaric.* &c. (Mannam excipe, Aloën & Colocynthida ob amarorem:) *cassiam* enim Parisiis jam etiam quidam infundunt.

Ratione verò QUANTITATIS, si ipsorum infusio sola debeat purgare, absque alio cathartico simplici, vel composito, in colatura, aut expressione dissolvendo, dosi majore præscribenda, quàm si dentur in substantia, proportione scilicet dupla, si validiora, aut tripla, si leviora, additis correctivis in proportione subquadrupla in validioribus, in levioribus subsextuplâ.

LIQUOR, ratione QUALITATIS, VEL *simplex* est, ut *Aqua communis*; quæ segniter rerum facultatem elicit, *Aqua destillata quadam*, in affectibus calidis maximè, *Serum lactis*, in melancholicis, *Jusculum carnis*, *Aqua vitæ*; quæ eximia facultate attrahendi rerum vim, seu dissolvendi spiritus, & substantiam rerum energeticam, ac in se infundendi, omnes alios liquores superat: ideò utiliter usurpanda in affectibus frigidis, & infusionibus ad pituitam, & melancholiam naturalem. *Vinum album* huic proximè succedit, vim rerum, quas infuderis, totam ebibens, affectibus frigidis idoneum, in ejus & aquæ partibus æqualibus infusione factâ. Vel aliàs Humor idoneus. VEL *compositus*, decoctum aliquod, ex superioribus nempè.

Ratione verò QUANTITATIS, hæc non definitur, relinquitur arbitrio pharmacopœi, præscribitur à Medico q. s. vel *sufficiente quantitate*.

Licèt autem *in genere* sic se habeat catharticorum infusio, & omnium, ut dictum, legitimè fieri possit, in purgationis usum, & majore cum emolumento, quàm cùm decoquuntur, ut dictum in Apozemate: tamen *in specie* hodie ferè invaluit, Quod tantum infusionis genera usurpare pro liquore potionis catharticæ, quæ usitatissima, & passim præscribi solita.

Infusum (nempe) VEL *Rhabarbari solius* ad ʒj. ʒiß. addito pro correctivo *cinamomo*, vel *spica* in frigidis ad gr. vj. ℈ß. vel in calidis santalo citrino ad ℈ß. pro liquore potionis chologogæ ut receptissimum, aut etiam phlegmagogæ.

VEL *infusum Rhabarbari* ad ʒj ʒiß. addito *Agarico recenter trochiscato*, ad ℈ij. cum corrigentibus, pro potione phlegmagoga, aut ubi pituita bili admixta.

Fit autem infusio passim in *Aquis Endiviæ*, *Cichorii*, ut in biliosis, *Plantag.* ubi fluxus alvi. Potest & in decocto alterante, aut etiam purgante, vel aliquo superiorum, R vel alio idoneo liquore.

ι DECOCTIO & INFUSIO *simul*, passim etiam usitatissima, dum præscribitur, *in alicujus decocti superioris purgantis, & alterantis q. s. infundatur aliquod catharticum cum suis correctivis*, in quem usum ferè tantùm, ex recepto more, admittuntur *Agaricus*, & *Rhabarbarum*: sic usu receptissimum, decoctum *sennæ*, & infusionem *Rhabarbari* solius, aut *Agarici* simul præscribere, prout ferunt indicationes, pro potione phlegmagoga, melanagoga, aut bilem adustam vacuante. S

κ LIQUOR etiam ALIUS quilibet, qui satisfaciat intento Medici, aliquando assumitur, pro potione purgatoria, dissolvendisque catharticis, dum præscripto horum aliquo, *diachartamo.* v. g. ad ℥ß. ʒvj. imperatur, *cum aqua tali, jusculo, &c. dissolvatur & fiat potio*, hoc autem usitatum maximè est, ubi aliquando, (ut in casu præcipiti per urgentiam affectus, per temporis brevitatem, vel otium, aut alia incommoda,) non licet decocta, vel infusa parare.

Seligitur autem *Aqua destillata quadam*, affectam partem, & humorem evacuandum, respiciens *Jusculum*, (sic passim *Manna* cum jusculo carnium præscribitur sumenda, simplici, aut alterato cum foliis refrigerantibus, pro biliosis: *Vinum* aliquando *album*, cum quo passim *Mechoacanna*, & *Radix Ialappa* (quæ nuper venit in usum ad eadem, ad quæ mechoaca:) *Serum lactis Hydromel.* &c. sed res præscripto triplici superiori modo T usitatius V peragitur.

X QUANTITATEM, dosis ejus varia existit, pro ratione ætatum maximè: *pueris* enim ℥ij. sufficiunt: *adultis* ℥iij. *grandibus*, iiij. v. ad summum, quòd, cùm majorem quantitatem catharticorum postulent, ut purgentur, nisi ipso copiosiore humore diluas, potiones nimis inspissentur, & fiant ingratiores.

DISSOLVENDA in liquore præscripto.

Ratione QUALITATIS, sunt VEL *Purgantia*, quando scilicet liquor potionis vel nihil, vel non satis catharticus exstiterit, quod cùm passim accidat, ferè semper cathartica dissolvuntur. VEL *Alterantia*, dulcorantia scilicet saporis dulcioris, & gratioris causâ, perpetuò dissolvenda.

PURGANTIA DISSOLVENDA sunt *Vel* Simplicia, *Vel* Composita.

Simplicia sunt *Vel* mollia, *Manna*, & *Cassia*, quæ usitatissima in biliosis leviter purgandis, & leniendis affectibus pectoris, & renum. VEL dura aut sicca, forma pulveris scilicet ut passim *Pulvis Rhabarb.* in hæmoptoë, dysenteria, & quovis alvi diluvio, &c. *Mechoac.* pro pituitosis & serosis humoribus usitatissimè, *Radicis Ialapæ*, quæ jam recenter in usum venit in locum mechoacannæ.

Composita sunt VEL Officinalia, VEL Magistralia.

Officinalia sunt VEL *Syrupi*, ut *Syrupus Rosar. solutiv.* de *Cichoreo compositus cum rheo*, de *Fumar. compos.* de *Pomis regis Sabor.* *Mel rosat colatum.* &c.

VEL *Electuaria*, quæ vel *mollia*, Opiatæ scilicet vel *solida*, Tabellæ aliàs.

Opiatæ conveniunt *vel* Humoribus omnibus, *Catholicum*: vel singulis ut Pituitæ, *Diaphœnicum Indum minus. Benedicta laxativa*, *Hierapicra*, Bili, *Diaprun. simplex*, *Diacassia*, *Triphera persica*, *Diaprun. solutiv. Elect. rosat. Mesuæ. Elect. de psyllio*; Pituitæ & Bili simul, *Diaphœnicum. Indum minus*; Melancholiæ, *Catholicum*, *Diasenna solutiva*, *Confectio hamech minor*; Serosis humoribus, *Benedicta laxativa*.

Elect. solida respiciunt *Vel* Bilem, ut *Elect. de succo rosar.* Pituitam, *Diachartam. Elect. de citro solutivum*; Bilem & pituitam, *Elect. de citro solutivum, Diachartamum.*

Vel *pulvis aliquis* in officinis extans, ut *Diaturbith* pro pituitosis, & serosis. Z

Magistralia, à Medico præscribi solita, in usum præsentem, sunt *Infusio Rhabarb.* semper, pro biliosis maximè, dum usitatè & frequentissimè præscribitur: *Dissolvatur infusio* ʒj. ʒiß. *Rhabarb. electi, facta in aquis Endiv. Cichor.* vel *expressionis Rhabarb. facta in aquis iisdem* ʒ. j. ʒiß. vel *Rhabarb. Infusi* ʒj. ʒiß. idem enim sunt.

ALTERANTIA, seu DULCORANTIA perpetuò, præter jam dicta, (*manna* tamen sæpè sola cum jusculo, *diachartamum* etiam; *Rhabarb.* & *Mechoachanna*, cum vino albo, præscribuntur sumenda) & usitate sunt *Syrupi*.

Hi autem ratione QUALITATIS, VEL *Alterantes tantùm* usurpantur, si decoctum, vel infusio satis purgans extiterit, aut etiam, si satis purgantium in decocto colato, vel infusione expressa fuerit dissolutum, iique partem affectam, & humorem respicientes, unde fructus purgationis uberrimus. VEL *Purgantes simul*, quando contrà se res habet, talis autem receptissimus in omni ferè potione, *Rosar. solutivus.*

Ratione vero QUANTITATIS, dosis purgantium dissolvendorum *in genere* quidem erit major, vel minor, prout decoctum, vel infusio, vel utrumque simul, aut nihil, vel magis aut minùs purgans extiterit. Cathartica enim hac quantitate dissolvenda, ut cum simplicibus purgantibus, (si fuerint decocta vel infusa) unam dosin integram, legitimamque constituant: quod facile est ex simplicium, & compositorum purgantium dosibus cognitis colligere, v. g. dosis *senna* in decocto, ut sola mediocriter purget, est ℥j. ℥iß. *Rhabarb.* in infusione, ut etiam mediocriter purget, ʒiß. ℥ß. Jam si decoctum præscribas ex *senna* ℥ß. in quo infusa fuerit deinde *Rhabarbari* ʒj. pro pituitoso purgando; quandoquidem *sennæ* decoctæ ℥ß. est tantùm una tertia doseos integræ, id est ℥iß. qua purgat demum mediocriter, *Rhabarb.* verò infusi ʒj. est etiam tantùm $\frac{1}{3}$ doseos ejusdem Rhabarbari integræ, fit, ut simul hæc juncta conficiant tantum $\frac{7}{12}$ quæ nondum sunt dosis integra mediocris; de sunt enim adhuc $\frac{5}{12}$ doseos perfectæ; ad quam complendam, tantundem dissolvendum erit electuarii idonei, v. g. *Diachartami*; cujus dosis cùm sit ʒvj. si ab ipsis $\frac{5}{12}$ mutueris, hoc est ʒii. ß. habebis dosin, quâ legitime solvitur, ut cum aliis potio mediocriter corpus evacuet, in omnibus etiam mediocriter se habens. Atque hac ratione dosis dissolvendorum examinanda, ut omnia exactè, tutò, non fortuitò, periculosè peragantur.

In specie verò, quando liquor potionis nihil, vel leviter purgans extiterit, solvi poterit Monspelii, in corpore mediocriter se habente, *Manna* ad ℥ij. ℥iij. *Cassia*, parca dosi solvenda, & non nisi summa exigente indicatione (ut sæpè in affectibus renum, & pectoris leniendis) eo quòd potiones admodùm inspisset, & ingratas reddat, si sua dosi legitima dissolvenda, ideò ipsius sat erit ʒiij. ℥iiij. & ut quantitas diminuta compensetur, addendo fortiora electuar. ad ʒiij. ℥ß. unde & obiter, ut potionibus sit acceptior, potiùs infundenda, ut jam Parisiis. *Rhabarbarum* in substantia si dissolvatur, ad dysenteriam, alvi fluxum, &c. id fit à ℈j. ad ʒß. ʒj. pulvis enim purgans ʒj. multum non excedet, potio enim aliàs crassior inde & ingratior evadet. *Mechoaca* ad ʒj. ʒiß. *Radix jalap*, ad ʒj. ℈iij. *Syrupus rosar. solutivus* recens, ad ℥iij. ℥iiij. vetus enim vix solvitur. *Alii* ad purgandum rarò soli usurpantur dissolvunturque, ut neque *rosar. solutiv.* nisi aliquando in delicatioribus, & qui facile purgantur; vel etiam aliquando, ubi decoctum valde purgans existit. *Electuaria* officinarum *opiatæ* forma, si leviora, ut *Diaprun. simpl. Diacass. Tripher. persica*, *Diasebest*, *Catholicum.* (licet rarissime,) ad ℥j. majore enim copia incrassant: Si validiora ut *Diaprun. solutiv. Elect. de psyll. Indum minus, Diaphœnic. Benedict. laxativ.* à ʒij. ad ʒvj. Quæ itidem forma *Tabellarum*, ut *Diachartam. De citro solutiv. De succo rosar.* à ʒiij. ad ʒvj. ad summum, pro robustioribus. *Infusionis Rhabarb.* dosis suprà expressa.

Dulcorantes syrupi ubi *Alterantes*, (licet usitate tantùm purgantes dissolvantur,) ad ℥j. ℥iß. ubi *Purgantes* similiter ad ℥j. ℥iß. ad summum, nisi solis ipsis solutis velis purgare, quod rariùs fit.

USUS & FORMULA PRÆSCRIBENDI. Formula varia existit pro liquoris varietate.

I. Si liquor ex decocto superiorum aliquo constiterit, præscribitur. ♃. *&c.* (id est *materiam dictam*) *fiat decoctio in liquoris idonei s. q. ad* ℥iij. vel ℥iiij. vel sine hac expressione, *fiat decoctio in &c. q. s. cape de colatura* ℥iii. ℥iiii. (utrumque enim usitatissimum) *in quibus dissolve, &c. fiat potio, quam sumat cras manè, cum custodia, levi cœnâ præcedente.* Quòd si nolueris decocti formulam ad longum præscribere, (ut fuerit definitis laxantibus, & præpositis, præscribere decocti verbi gratia. *Endiv. Agrimon. Capillor. veneris* q. s. fiat potio, &c.

II. Si ex decocto officinali. ♃. *&c.* (*dissolvenda*) *cùm decocti talis q. s. fiat potio*, &c. aut inverso ordine. ♃. *&c.* (id est *decocti talis* ℥iii.) *in quibus dissolve, &c. fiat potio.* Hoc idem etiam usurpatur passim, cum decocto purgante communi officinarum.

III. Si ex infusione. ♃. *&c.* (id est, infundenda,) *fiat infusio in liquoris dicti, q. s.* (suprà cineres calidos, per horas 12. vel per noctem, si lubeat, vel sine ac temporis notatione,) *expressione factâ, dissolve, &c. fiat potio.* Aliàs breviùs præscribitur. ♃. *expressionem* ʒi. ʒiß. *Rhabarbari, factam in aqua idonea, in quâ dissolve, &c. fiat potio.*

Notandum etiam, ubi infunditur *Mechoaca*, & radix *Jalap*, præscribi speciatim, *in vino albo infundatur, exhibeaturque manè cum custodia* (sine facta expressione) *ad* ʒi. ʒiß.

IV. Si ex decocto & infuso. ♃. *&c.* (id est, necessaria decoquenda,) *fiat decoctio in liquoris idonei q. s. in colatura sufficienti quantitate infunde, &c.* (id est, suprà dicta in infusione,) *expressione factâ dissolve, &c. fiat potio*, quæ ratio hodiè usitatissima.

V. Si absque his, cum alio liquore potio præscribatur. ♃. *&c.* catharticum dissolvendum v. gr. *diacarthami* ʒvi. *cum talis liquoris s. q. fiat potio.*

VTILITAS. Potio talis *in genere* quidem utilis, ubi adest purgandi indicatio, & humores morbifici, vel ante coctionem minuendi, (*minorare*, & medicamentum *minoratium* vocant,) vel jam cocti, præparatique ad evacuationem, corpore libero ac meabili eradicandi, aut aliàs excludendi, sine hoc apparatu; quod cùm triplici medicamenti formâ soleat fieri, potione, bolo, pilulis, (pulvis enim & tabellæ purgantes, ut & syrupi non nisi liquore solutâ, formâ potionis, in usum commodè veniunt,) potio *in specie* præferenda: Ubi *humores, ratione situs*, in primâ regione maximè stabulantur, & illic citra ullam corporis perturbationem educendi, neque trahendi à longinquis. Hac enim forma liquida, quandoquidem vis purgatrix, cum liquorem in alvum illicò prolapsa, eam cum ipso confestim permeat, egrediturque, non potest vis purgatrix in ventriculo, & alvo, per exiguam moram; spiritum suum catharticum copiosiùs, vel altiùs in remotiora diffundere, (licet ab ipsis etiam, per consecutionem, quædam evacuatio consequatur,) nisi validiora medicamenta decoquas, vel dissolvas, ac majore copiâ, quod ita tutò minimè perficitur, quo in casu pilulæ ideò meliores, quibus diutiùs cunctantibus, vis eorum tandem, etiam in habitum diffunditur. Ergò potio in affecto ventriculo, partibus vicinis, pancreate, mesenterio, liene, hepate, &c. utilissima.

Ratione verò *speciei* humorum evacuandorum, forma potionis, (ut etiam boli,) meliùs convenit temperamento, naturis, affectibus biliosis, quàm pilularum solida forma: quia ad humectandum, leniendum, refrigerandum etiam (qualia postulat ista constitutio calida, & sicca) sorbilia, & actu liquida aptiora, nisi ventriculi summa adsit imbecillitas, tunc enim solidioribus utendum. Utilissima etiam melancholiæ purgãdæ, quòd hic humor siccitate squalidus, madore etiam actuali velit perfundi, vitæ simul, per quas evacuandus, lubricari, omnia laxari, humectari. Pituitosis etiam utilis, nisi ventriculus admodum infirmus, & modò pituita in regione prima, vel etiam secunda reperiatur: ubi enim in tertia consistit, & partibus remotis, vix frugifera, nisi ex validioribus, & copiosis catharticis, à quibus periculum.

Confert etiam, præsentibus obstructionibus à dictis humoribus, æstatis tempore, ut hyeme pilulæ.

Potio corroborans.

POTIO CORROBORANS, quæ aliquando & *Julep*, & *Potus*, alias etiam *Potio Cardiaca* appellatur, *est forma remedii liquida, ex confectione, vel pulvere cardiaco, ac syrupo, dissolutis in liquore idoneo*, Z *ad partium principum robur confirmandum, vires infirmas instaurandas, & proprios cordis affectus.*

In COMPOSITIONE ejus duo consideranda, *Liquor idoneus*, ex quo. & *Dissolvenda* in eo.

LIQUOR Ratione QUALITATIS, Præscribitur.

VEL *Aqua stillatitia cardiaca* sola, *Borraginis*, &c.

VEL *Aqua destillata, & Succus simul*, quod usitatissimum; rarissimè enim solus Succus, ut & rarò, & inusitate, Decocta vel Infusa assumuntur.

Ratione QUANTITATIS dosis eadem, quæ potionis purgantis, & julepi, ℥iij. vel ℥iiij. existit, licet æstate, vigente calore per febres, & calidos affectus, major ipsius quantitas possit præscribi.

DISSOLVENDUM Ratione QUALITATIS perpetuò *Syrupus est cardiacus* idoneus. Præter hunc dissolvuntur etiam semper.

α VEL *Confectio cardiaca sola*, ut passim, & usitatissimè, *Confectio alkermes, de hyacintho*, &c. vide julepum.

β VEL *Pulvis cardiacus solus*, isque *Vel* simplex, ut *Rasura cornu cervini; Corallium, Bolus, armena, Terra, sigillata, Perla, Fragmenta pretiosa, Unicornu, Lapis bezoar, &c.* pro urgentia & varietate affectuum, ac indicationum seligenda. *Vel* compositus, pulvis scil. electuarii alicujus officinalis, (ut *diamargar. frigidi*, &c.) passim usitatissimus, & præscribi solitus. A.

γ VEL *Confectio, & Pulvis simul.*

Ratione QUANTITATIS, præscribitur *Syrupus* ad ℥j. ℥iß. *Confectio cardiaca* à ʒß. ad ʒj. ʒiß. *Pulvis cardiacus* à ℈j. ad ℈ij. vel ʒj. Quòd si tamen rarior fuerit, & pretiosior, ℈j. non excedat, sic fermè à ℈ß. ad ℈j. *Fragmenta* etiam *Pretiosa, & unicornu*, à gr. v. ad ℈ß. *Lapis bezoar*, ad gr. iv. vj. *Confectio, & pulvis simul*, ita præscribuntur, ut dictam dosin compleant, modo hujus, illiusve, pro lubitu, majorem quantitatem assumendo, vel partes æquales.

USUS est in unam dosin, urgente necessitate, quacunque diei hora, vel morbi tempore.

Hæc autem FORMULA PRÆSCRIPTIONIS: Recip. *&c.* (id est liquorem) *in quo dissolve, &c. fiat potio, vel potus, quem sumat tali hora.*

Adverte, quia quædam dissolvuntur in potione cardiaca, posse formula jam dicta præscribi, vel sine hac expressione dissolutionis, usitatissimè omnia ingredientia præscribi, addi tantùm *; fiat potio.*

UTILITAS insignis est ad proprios cordis affectus varios, syncopen, palpitationem, ubi robur ipsi afferendum, à quocumque morborum maximè malignorum impetu debili, vires ejusdem, ac partium principum, & totius, præsentes fovendæ, deperditæ instaurandæ, debiles confirmandæ, & reponendi exhausti spiritus.

Potio Alterans.

POTIONEM ALTERANTEM appello *formam medicamenti liquidam quamlibet, quæ neque purgandis humoribus noxiis, neque confirmandis viribus afflictis, dicata ad alterandum vario modo, aut etiam vacuandum, sine purgante tamen*, (ut ad calculum renum excludendum, B, &c.) *in unam vicem ac dosin, ore sumenda præscribitur.*

COMPOSITIO ipsius eadem quæ corroborantis est, ex *Liquore scil.* ad scopum idoneo, Aquâ destillatâ solâ, vel addito ipsi Succo, aliquando Decocto, Pulvere & syrupo ad intentionem: quæ omnia præscribuntur dosi, & formula potionis corroborantis, ut ex uno alterove exemplo sequenti patebit.

Potio somnifera, vires à vigiliis exhaustas instaurans, ac roborans.

♃ *Aq. Papav. rhead. vel Nenuphar. & Lactuc.* an. ℥ij. *Syrup. Papav. albi* ℥j. *Syrup. Violac.* ℥ß. *Conf. alkerm.* ʒß. fiat potio, *quam sumat hora somni.*

Potio ad lumbricos, quæ simul cardiaca.

♃ *Aq. Portulac. Gram.* an. ℥j. *Conf. de hyacinth.* ʒß. *Pulver. lumbr. terrest. siccator.* ℈j. *Corallina, & Rasur. cornu cervi*, an. ℈ß. *Syrup. de limonib.* ℥j. *fiat potus.*

Potio ad partum promovendum.

♃ *Vini Hippocr. ex infusione cinam. & dictamni cum vino albo facta*, ℥iv. vel v. *aq. Cinamom.* ℥ß. *Confect. alkerm.* ʒi. *croci* ℥ß. *C. Syrup. de arte mis.* ℥i. *f. Potus.*

A *Hæc dissolutio semper non habet locum, cum sæpè potio ex solis liquidis, simplici, aut commixtis constet.*

B *Imo & adv arios usus alios, ut partum facilitandum, menses movendos, &c. ut mox patebit.*

C *Non semper syrupus additur, sed sæpè simpliciter usurpatur.*

D *Non semper dissolutio hæc necessaria est, ut ex mox addendis constabit.*

E *Imò sæpè per se hauriendus.*

F *In prioribus dissolutio non semper necessaria cum per se satis sæpè operentur; in ultimo v. semper ea requiritur.*

G *Imò decocti hujus si tantum usurpetur, quantum pro dosi sufficit, benè satis operabitur, adeò ut quævis apozematum purgantium dosis meritò pro Potione habeatur.*

H *Ne autem hæc duo confundantur, possunt Cathartica, v. gr. Senna cum modo dictis, in liquore ut aq. com. aut hordei, ad convenientem pro adsumptione quantitatem coctione deducere, quale quid etiam author in mox seq. innuit.*

H *Potest tale quid fieri in pharmacop. Monspelliensibus altisve: saltem in nostris non reperiuntur ejusmodi decocta. Possent tamen in promptu esse, siquidem Medicis ita placeret.*

I *Ubi*

I *Ubi usus sic obtinet.*
L *Apud nostros minimè habetur, ut diximus.*
M *Sic ut scribatur.* R. *Decocti communis medecinæ ℥iij. vel iv. adde, &c.*
N *Apud nostros nec hoc in usu est.*
O *Et in nostris locis semper adhibetur.*
P *Quod apud nostros obtinet.*
Q *Neutiquam apud practicus nostros, qui promiscuè Cathartica commoda cum correctivis in aq. borag. aut simili infundunt.*
R *Sed hæc apud nostros non ita obtinent.*
S *Frequentioris usus præscriptio ea, quæ infundi cathartica per noctem jubet, manè leviter ebulliri, & hinc coloraturam per se aut cum aliis usurpari.*
T *Intelligi author Decoctum, Infusum, & decoctum atque infusum simul.*
V *Quid hâc de re sit, satis dictum.*
X *Atque hæc de Qualitate liquoris, ad Medicamenta dissolvenda (adde: per se purgandum) requisiti, sufficiant, Quod spectat.*
Y *Seu species purgans.*
Z *De his omnibus advertendum, ne potio inspissetur nimis, quam primum à pharmacopœo parata est ex modò dictis, præsertim pulvere, aut in se pulveres continente, qualia opiata, ab ægroto debere adsumi, nec per noctem, aut aliquot horas detineri, sic enim quod erat antè liquidum, pultaceum ferè evadit.*
& *Quandoque & ex liquoribus solis, paucioribus pluribus, pro rei exigentiâ.*
A. *Magisteria ex cardiacis parata, Sacharum perlatum, &c.*
B. *Menses movendos, sudorem aut urinam ciendam, fœtum propellendum.*
C. *Potio ad sanguinis fluxum.*

α R. Fol. Sen. à stipit. mund. ʒß.
Sem. anisi ʒj.
Caryophill. ℈j.
Fol. Agrimon. Fumar. an. M ß.
Rad. Liquirit. ras. Passular. mund. an. ʒiii.
Coq. in s. q. aquæ Hordei ad ℥iv.
Colentur forti expressione.
F. Potio.
Cui Elect. Diacarth. ℥ß. addi potest.

β R. Decocti præscripti ℥iv.
in iis dissolve Elect. Diaphœn. ʒii.
Syr. Rosar. sol. ℥j.
M. f. Potio.

γ R. Rad. Cichor. ℥ii.
Enul. Petrosel. Fœnic. an. ℥ß.
Herb. Card. bened. Cichor. Meliss.
Fumar. Acetos.
Summit. Lupuli an. M. j.
Absinth. Roman. M. ß.
Flor. Cichor. p. ij.
Coq. omnia in s. q. aq. comm. pro Apozem. In cujus ℥iv. dissolve.
Elect. Diaphœn. ʒvi.
Syr. Ros. Sol. ℥j.
M. f. Potio.

R. Specierum dictarum pro decocto communi aut Magist. q. s. adde
Fol. Senn. ℥iiß.
Sem. Anis. Fœnic. an. ʒiß.
F. Decoct. in s. q. aq. comm. ad ℔iß.
Colaturæ dentur ℥iv. pro dosi.

VEL

R. Specier. dict. pro Decocto comm. aut Magist. q. s. adde.
Fol. Senn. ℥ii.
Rhabarb. Agaric. an. ʒii.
Tamarind. ℥iii.
Semin. Anisi. Fœnic. an. ʒiß.
Coq. in s. q. Aq. Com. ad ℔iß.
Colaturæ ℥iv. dentur pro dosi, cum Syr. Ros. solut. ʒi.

δ R. Fol. Senn. à stipit. mund. ℥ß.
Sem. anis. ʒi.
Agar. rec. trochisc. ʒiß.
Infunde per noctem in Decocti Beton. & vini albi part. æq. Manè, factâ expressione, Colaturæ q. s. ad dosin, adde
Spec. Diacarth. ℈j.
Syr. ros. sol. cum Senn. ʒi.
M. f. Potio.

R. Rhab. ʒii. Agarici. ℈iv.
Cinnamom. ℈ß.
Infundantur per noctem in Aq. Card. Bened. q. s. seu ℥iii.
Manè in Colaturâ dissolve
Elect. Diaprun. sol. ʒij.
M. f. Potio.

R. Rad. Mechoacan. aut Jalap. ʒii.
Infunde in Vini albi q. s.
Dosis ejus ʒi.

ζ R. Rad. Polypod. Liquir. an. ʒiii.
Herb. Fumar. Agrimon. an. M. ß.
Flor. Borag. Buglos. an. P. j.
Fol. Senn. ʒii.
Tamarind. ℥ß.
Sem. Anisi. ʒi.
Coq. in s. q. Aq. com. ad ℥iv.
In Colat. Infunde
Rhabarb. Agar. trochisc. an. ℈ii.
Spicæ nardi. Cinnam. an. ʒii.
Manè in expressione forti dissolve
Elect. Diacathol. ʒii.
Syr. Ros. sol. ℥ß.
M. f. Haustus.

η R. Conf. Hamech. aut Elect. Diacathol. ℥i.
Aq. Fumar. ℥iv. *M. f. Potio.*

VEL.

R. Elect. Diacath. ʒvi.
Aq. Cichor. *M. f. Haustus.*

VEL.

R. Spec. Diaturb. cum rheo, ʒi.
Cristall. Tartari ℈i.
Aq. Cichor. ℥iv.
M. f. Potio.

α R. Aq. Meliss. Card. bened. an. ℥iß.
Syr. condit. citri ℥i.
Conf. d'Alcherm. ʒj.
M. f. Potio.

β R. Aq. Meliss. ℥ii. porphylact. ℥ß.
Magist. Coral. ℈i.
Lapid. Bezoard. gr. v.
Syr. Limon. ℥i. *Misce.*

γ R. Aq. Rosar. ℥ii. Boragin. ℥i.
Cinnam. ℥ß.
Conf. d'Alcherm. ʒi.
Margarit. præpar. Corall. præpar. an. ℈ß.
Manus Christi perlat. ʒvi.
M. f. Potio.

SCRODER. CAPUT LXXIV.

De Potionibus.

POtulentorum genera in Praxi usitatiora diximus esse Apozemata seu Decocta, Aquas, Emulsiones, Infusiones, Potionesque alias. De prioribus aliàs dictum, de posteriori hic loci agendum.

Est Potio, de qua hic agimus, liquor, in quo alia Medicamenta crassiora diluta sunt, & præcipuè purgantia: Quin & solæ infusiones nonnunquam sufficiunt.

Modus ergo parandi, sola ferè mixtio est, quam si res diluenda seu dissolvenda, viscosa, & tenax fuerit, in mortario absolvere convenit.

Liquor adhiberi potest varius, usitatiùs tamen recipiuntur Decoctiones, Infusiones, & maximè Aquæ destillatæ.

Res dissolvendæ sunt Syrupi, Electuaria, Extracta, Manna, pulveres, & similia.

Exemplo sint

1. *Potio purgans.*

℞. Extr. Fol. sen. ʒß.
Rhabarb. ℈ß.
Cnicopharm. ʒß.
Syr. Diaser. ℥ß.
Rosal. solut. ʒv.
Aq. Cinam. ʒi. (ad saporem, &c.)
Fl. Acac. ℥i.
M. F. Potio pro una vice.
Vires. *Educit humores biliosos & pituitosos.*

2. *Alia.*

℞. Flor. sen. ʒiiß.
Epithym. ʒij.
Rhabarb. el. ʒiß.
Spic. celt. ℈j.
Infundantur in decoctione pectorali, q. s. per noctem.
In colatura dissolve
Syrup. rosat. sol. ℥iß.
Confect. Hamech. ℥ß.
F. Potio.
Purgat humorem melancholicum.

3. Potio

3. Potio sudorifera.

℞. Diascord. Fracastor. ℈iij.
Aq. Sal. nit. Sulph. ʒij.
Mell. grand. Juniper. ℈i.
Extr. card. bened. ℈ß.
Aq. card. bened. ʒii.
M. F. Potus.

Vires. *Sudorem movet, viriumque insignium est in febribus malignis.*

4. Alia sudorifera.

℞. Liquor. Lumbric. ʒiii.
Theriac. Andromach. ʒj.
Spir. Tart. ℈i.
Aq. cinam. ʒi.
Mixtur. simpl. ℈i.
Aq. Veronic. ℥iß.
M. F. Potus.

Vires. *Admirandarum virium est in arthritide vaga, si semel ac iterum repetatur.*

5. Potio Vulneraria.

℞. Herb. Sanicul.
Veronic.
Pyrol. an. Mij.
Consol. Sarac.
Trichoman. ana Mi.
Flor. Borrag.
Bugloss, ana p. 1.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ʒii.
Cinnam. ʒiii.
Jujub. N. vi.
Dactyl. N. iii.
Bulliant in s. q. aq. hord. s. a.

Vires. *Convenit in vulneribus præcipuè pectoris, ubi & expectoratio necessaria est. Sumantur de die ℥iij. cum ℈ij. oculi cancri. Glandorp.*

N. *Plures vide apud Quercetan. & alios.*

6. Alia potio Vulneratia.

℞. Herb. Vinc. pervinc.
Millefol.
Betonic.
Alchimill. ana M. 1.
Rad. Zedoar. ʒii.
Vincetoxic. ʒi.
Nuc. vomic. ʒii.
Macis ʒß.
Nucist. ʒ1.
Galang. ʒii.

Coq. in aq. & vini ana mens. s. ad casum digitor. 2. transversorum. Colaturæ exhibeantur ʒiv. manè, ac totidem post meridiem.

N. *Formulas plures habes in Quercetan. Rediv. tom. 2. pag. 853. & alibi.*

POTIONES.

Quæ cum soleant interdum constare ex pluribus ingredientibus inter se invicem mistis, propterea alio nomine *etiam vocari solent* MISTURÆ communiter & in hoc non discrepant Moderni ab Autore. utut AUTOR satis sit prolixus, uti in progressu monebo.

In Genere tales POTIONES *sunt* vel *Alterantes*, vel *purgantes*. Quoad.

ALTERANTES.

Intelligendus omnis à potionibus effectus, qui non est purgans, sivè sit sudoriferus sivè stomachalis sive Diureticus, &c. AUTOR dividit in alterantes & Corroborantes, mihi perinde est modo non purgent. In compositione *attendendus* est *liquor*, 1. qui dat corpus potioni, 2. *dissolvenda* in liquore. LIQUOR *est multiplex. usitatissima* est aqua quædam destillata, una vel plures, sive simplex sive aqua quædam destillata composita. Interdum etiam loco aquæ cujusdam destillatæ assumitur *decoctum aliquod* simplex, vel etiam aliquantisper compositum. Loco decocti *interdum* assumitur *infusum quoddam* appropriatum in conveniente quantitate, quod conciliat corpus ipsi potionis. Tales potiones *usurpantur pro aliquot vicibus*, v. gr. si præscribantur pro 4. vicibus, tunc postulat Medicus & jubet, ut 4. vicibus assumitur, ut dividatur in 4. partes æquales, & 4. etiam vicibus hauriatur. Vel *alio modo* fit præscriptio ad aliquod doses non autem ad 4. v. gr. assumuntur.

Sed Modernis hoc in usu est, ut singulis horis aliquot cochlearia assumantur, uti superius etiam monui, ubi de emulsionibus.

Præscribuntur Potiones ad ℥iij. ℥iv. vel ℥vj. sive pro 3. 4. 6. dosibus: sive cochleatim assumendæ.

In Liquoribus *dissolvuntur appropriata*, quæ sunt vel aquæ appropriatæ *spirituosæ*, (Hæc n. quoniam sunt nimis penetrantes, *corpus non possunt substituere*, propterea quoque, quoniam in minori quantitate sunt præscribendæ) deinde *Essentiæ* vel *Spiritus* Vegetabilium: adduntur etiam spiritus animalium Essentificati, id est suo sale violat. acuati: dissolvuntur etiam non raro *confectiones*, item *Electuaria* quædam officinalia appropriata. Ulterius sæpius etiam *adduntur pulveres* affectui & scopo à Medico intento appropriati: item salia *violatilia* appropriata: sic etiam *Tincturæ* ex Vegetabilibus: item *succi* dissolvuntur in iisdem: & denique pro gratia saporis sæpe solet addi in fine *Syrupus* quidam appropriatus.

Ratio PROPORTIONIS inter hæc solet esse talis, ut Liquoris, sive sit aqua, sive Infusum, sive decoctum, ℥j. respondeat aquæ cujusdam minus spirituosæ ℥ß. aquæ vero cujusdam spirituosæ compositæ, ʒj. ad ʒij. Spiritus verò vel Essentiæ respondeat isti ℥j. ʒj, præter propter. Electuarii cujusdam officinalis, si ingrediatur ℥j. respondeat ʒj. vel ℈ij. Confectionis cujusdam confortantis ℥j. respondeant ℈ij. ad ʒß. Pulveres respondeant ℥j. pulv. ℈j. ad ʒß. sal. volat. respondeat ℥j. ℈ß. vel gr. xv. Tincturæ Vegetabilium respondet. ℥j. ʒß. Succi ℥j. liquoris respondeant ʒij. Qui denique additur edulcorationis gratia Syrupus, hujus hæc est ratio, ut ℥j. respondeant ʒij. vel ʒiij. interdum ℥ß. rarò solemus progredi ad majorem siruporum quantitatem, sicuti Veteribus fuit in usu, propterea ne sacharrum inducat noxam, ut sæpius monui.

Præscribam e. gr. potiunculam in *Diarrhœa* quam etiam hactenus feliciter præscripsi. Possit esse Compositio talis.

℞. *Aqu. Torment.* ℥iij.
Elect. Diascord. Fracast. ʒij.
Extract. Torment. ʒj.
Antimonii diaphoret. ʒi.
Syrup. Cydonior. ℥ß. l. ʒvj.

M. F. Potio, pro 3. vicibus partitis sumend.
Vel misc. F. Potio adstring. agitand. cujus singulis horis assumuntur Cochl. ij. l. iij.

Propterea, ne crassior pars pulv. in fundo resideat. Prodest *in Diarrhœa maligna*, & contagiosa, quæ debeat & sistere alvum, ratione aquæ Tormentillæ, Extracti Tormentillæ, & Syrupi Cydoniorum, & expellere malignitatem per sudorem, ratione Diascordii Fracastorii & Antimonii diaphoretici.

Sit præscribenda *potio* vel mistura Vetulæ *contra Apoplexiam* præservans, tunc præscribi posset h. m.

℞. Aq. flor. Tiliæ.
Lavendul.
primulæ Veris ana ℥j.
apoplect. Usitat.
spir. ceras. nigr. ana ʒiß.
Essent. primul. veris ʒiij.

Syr.

Syr. flor. Tunicæ. ℥j. ad ℥iß.
Sal. volat. succin. ʒß.
M. F. l. a. Potio corrobor. caput.
cujus dosis sunt 2. l. 3. Cochlearia singulis horis assumenda.

Hæc potio studio debet esse generosa, fortis & penetrans quoniam *spirituosa in Apoplexia utramque faciunt paginam* & omnia in ingredientia respiciunt Caput.

Dabo *exemplum potionis* valdè expertæ D. SYLVIO *in* quacunque *Hæmorrhagia*, utut videatur simplex compositum.

℞. *Aqu. Plantaginis.* ℥ij.
Cinnamomi. ʒvj.
Aceti. Rosacei. ʒß.
Corall. rubror. præparat. ʒß.
Boli Armenæ. ℈j.
Sanguinis Draconis. ℈ß.
Laudani opiati. gr. ij.
Syrupi myrtini ʒvj. ad ℥j.
M. F. Pot. adstring. agitanda.

Observetur hoc benè, ut digito, *antequam hauriatur, probè agitetur*, quoniam pulveres ratione ponderositatis subsident in fundo.

Sæpè expertus est hanc SYLVIUS, & ego usus sum *felici cum successu* hâc ipse, miratusque ipsius efficaciam *in Hæmorrhagiis* quibuscunque. Observetur hic *proportio*: sunt ℥ij. aquæ Plantaginis, his respondent aquæ Cinnamomi ceu minus spirituosæ ʒvj. ℥j. ʒiij. Aceti ceu spirituosi magis ʒij. Adest pulverum ʒj. ut ℥j. ita respondent ʒß. Laudani opiati gr. ij. pro unaquæque ℥. gr. j. Syrupi Myrtini si præscribantur ʒvj. respondent ℥j. ʒiij. Si ℥j. respondent ℥j. ʒß. de Syrupo. De hâc potiunculâ singulis horis 2. vel 3. cochlearia sunt assumenda. Quodsi adsit suspicio sanguinis congrumati in corpore, verbi gratiâ. Si sit vomitus sanguinis, ita ut præter indicationem sistendi sanguinem, adsit suspicio sanguinis congrumati in stomacho, & necesse sit, ut dissolvatur, adduntur commode oculi cancri vel Antimonium Diaphoret. Hæc enim dissolvunt congrumatum, eumque fluxilem faciunt.

Dabo adhæc *aliud exemplum potionis*, quoniam sunt satis usitatæ potiones in modernorum praxi. *Scorbutico* v. gr. præscriberem talem.

℞. *Aqu. Cardui benedicti.*
Florum Sambuci. ana ℥iß.
Antiscorbuticæ. ℥j.
Spec. Cochleariæ.
Salis. Ammoniaci volatilis ana ʒij.
Arcani duplicati Mynsichti.
Oculorum Cancr. præparat.
Eboris s. ign. ana. ℈ij.
Syrupi Sceletyrbici Forest. ℥j.

M. Fiat Potio pro 4. vel 6. dosibus assumenda, quando determinandæ sunt doses, vel assumenda singulis horis cochlearia 2. vel 3. Quoad proportionem ℥iv. aquarum respondent ʒiv. Spirituum, pro ʒj. ʒß. ùnius cujusque. Deinde ad sunt ℈vi. pulverum, ut pro ℥j. sint à ℈j. ad ʒß. pulverum. Additur de Syrupo ad ʒiv. tantùm ℥j. Et ʒj. aquarum respondent ʒij. propterea, quoniam potio præscribitur Scorbutico cui sacharum & sacharata solent esse noviva.

Ex his jam facilè patebit, quomodo sint præscribendæ potiones alterantes, quarum basis seu corpus sit decoctum: Ita etiam præscribuntur potiones cum Infusis, in quibus sicut etiam in potionibus cum decoctis postmodum dissolvi possunt appropriata alia.

De Infusis & de coctis cum alio loco sit agendum, hæc jam transeant. Subinde usu venit, ut pulveres non misceantur cum potionibus, sed ut pulveres ad unam vel alteram dosim præscribimus, postmodum simul *præscribimus* etiam *potiunculam*, ita ut debeant inservire *pro vehiculo* istius *pulveris*. V. gr. Si præscripsissem pulverem quendam sudoriferum in febri malignâ pro duabus v. gr. vicibus, tunc simul adderem potiunculam pro isto pulvere. Verbi gratia; Pro vehiculo præscriberem talem:

℞. *Aquæ Galegæ.*
Scorzone. an. ℥j.
Cordialis Herculis Saxoniæ ʒß.
Syrupi acetositatis citri ʒiij.
Pot. pro pulver. vehicul.

Hoc est potio Alterans: sequitur altera vice etiam.

POTIO PURGANS.

In hac potione purgante præscribendâ & describendâ AUTOR satis est prolixius. Utut eundem raro soleant imitari moderni pro talibus decoctis & infusis pro purgantibus rarò solent uti, inprimis decoctis: sed si describenda *potiuncula purgans* à Medico, præscribitur *ex aquis appropriatis in quibus* dissolvitur aliquod *extractum purgans*. in dosi legitimâ, nullo habito respectu ad proportionem liquoris cum extracto dissolvendo, uti in alterantibus, additis quibusdam appropriatis, & syrupo quodam pro saporis gratia.

Vel etiam II. Istis Aquis appropriatis *adduntur pulveres* quidam appropriati *purgantes*, utut sit *rarus* hic *modus*, & minus usitatus.

Vel III. Si volumus infundere, facimus potionem purgantem usitatam ex foliis Sennæ, *infundendo* ʒiij. ad ℥ß. *fol. Sennæ in liquorem* appropriatum *addendo pro stimulo. sal.* tart. vel crystallos cart. *Nisi* enim *adduntur tartarea*, *infusum* est *mucilaginosum* quod adhærescendo intestinis, *dat tormina* & cruciatus, vid. quæ de senna superius, & ita permittimus indigestione per noctem, postmodum filtramus & colamus, &c. *Vel* loco foliorum Sennæ solemus infundere Rhabarbari & fol. Sennæ ana ʒiß. vel ʒij, aut Rhabarbari ʒj. & fol. sennæ ʒij. pro varietate circumstantiarum. Et hi sunt tres modi præscribendi potiones purgantes apud nos usitati. Ut dem *Exempla* de singulis.

Sit purganda mulier, quæ *affectione Hypochondriaca scorbutica & quasi Hysterica* sit afflicta, hinc præscriberem potionem talem purgantem, tantum pro unâ vice. Nam *rarò pro pluribus* præscribuntur.

℞. *Aq. fumar.* ℥j.
extr. melanagog. Quercet. vel *hellebor. nigr.* ℈j.
cremor. tartari. gr. xv.
Aq. cinamom. ratione odoris.
Syr. de pomis Regis Sapor. ʒiij.
M. F. Potio purg. pr. 1. dos.

N. extractum hic in legitima dosi est præscribendum, & nunquam potest dari ultra ℈j.

Potiuncula *purgans cui insit pulvis* posset esse hæc. Sit v. gr. purgandus incipiens declinare in Hydropem, cui sit *evacuandum serum*:

℞. *Aq. centaur. minor.* vel
hyssopi ℥j.
cinamomi ʒij.
additur hæc purgantibus propter gratiam saporis & odoris.
pulv. rad. Ialap. gr. xv.
magister. gummi de Peru seu]
gumm. guttæ gr. vj.
Syr. de cichor. cum rhabarb. ʒiij.
M. F. Potio.
Purgans pro 1. dos. agitand.

Cæterum potio *purgans ex infusione sennæ* potest præscribi talis.

℞. *fol. senn. s. s.* ʒiij, raro præscribitur ℥ß.
sal. tartari vel si hujus sapor nimis urinosus serpuantur.

Cremor. tartari ℈j. ad ʒß.
Semin. anisi pro gratia odoris & saporis.
Infundantur in s. q. aq. fumariæ, stent in loco calido per noctem, mane recipe colat. adde
aq. cinamom. ʒij.
Tinctur. Antimonii gr. xv. vel ℈j. pro adjuvanda purgatione & purificatione sanguinis.
Syr. de pomis Regis Sapor. ʒß.
M. F. Potio purg. pro 1. dos. potest. etiam in sola colatura, dissolvi Syrupus reliquis non additis.

Interdum *pro purgatione pectorali* solet in talibus liquoribus appropriatis dissolvi. *Electuarium de Carthamo*, idque ab ℥ß. ad ʒvi, quoniam superius jam aliquoties monui, quod Carthamum sit dicatum pectori, verbi gratiâ, in Tussi & Asthmate potest dissolvi in aqua Marrubii: Hyssopi, Fœniculi, aut simili aliâ appropriatâ. Nam *reliqua Electuaria ut dissolvantur, impedit magna dosis*, in qua sunt præscribenda, & consuetudo ægrotantium, qui respuunt potiones magnas. Serum lactis.

Si prostat in Officinis Essentia, purgans composita, quæ paratur ex simplicibus purgantibus extractis cum spiritu vini, commodè potest præscribi à Medico talis Essentia à ʒiß. ad ʒij. & quidem hoc modo.
℞. *Ess. purgant.* ʒij. pro dos.
Assumitur in cochleari jusculi vel alio modo.

Vel *permiscetur essentia ad* ʒij. *cum Syrupi rosarum solutivi*, ℥ß. ad ʒvj. quoniam facile solet permisceri cum hoc syrupo, & hic solet obtundere gustum acrem essentiæ, præscribitur tunc hoc modo:
℞. *Syrupi Rosar. solutivi* ʒvj.
Essentia purgantis ʒij.
M. f. Syrup. purg. pro 1. dos.

Non possunt permisceri Essentiæ purgantes *cum decoctis, neque cum infusis*, propterea, quoniam sunt resinosæ, quod si ergo permisceantur cum aquosis, acquirunt colorem nauseabundum, ut nihil dicam de sapore.

De potionibus purgantibus, quæ habet AUTOR, legantur: utut raro præscribantur: Nihilominus si exigatur talis ab ægro. Medicus, necesse est, ut habeat cognitionem præscribendi illam.

Ad potiones purgantes pertinent POTIONES VOMITIVÆ.

IDEOQUE VOMITOR. REMEDIA EXAMINABIMUS.

MORELLI CAPUT V.

De Vomitoriis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

HUMORES excrementitii, sive naturales copiosi, sive p. n. quacumque demum quantitate, cum sanguine in venis permixti, aut extra venas ubicunque stabulantes, cacochymiæ A ideam constituunt, & evacuationem, quo maximè vergunt, per conferentia loca postulant, & volunt evacuari, sive purgationem particularem spectes, sive universalem, urina, sudore, transpiratione insensili, alvo, vomitu, celebrandam.

Licet autem medicamenta, quæ id præstant, in genere *purgantia* dici possint, in specie tamen talia censentur, quæ per alvum, & vomitum excrementa corporis educunt, & quæ per inferiora, absolutè adhuc generis nomine, per excellentiam *cathartica* dicta, & eorum operatio, *purgatio*: quæ per superiora verò movent, vomitoria.

Est autem *Vomitorium* b non tam forma medicamenti liquida c, quàm facultatis vocabulum, ab ipsa operatione nomen habens: utrumque tamen usitatè significat, medicamentum nempe motum illum, seu excretionem per superiora concitans, & formam ipsam, qua præscribitur, de qua hic agere propositum.

VOMITORIUM itaque est *remedii forma ferè D, liquida, ex medicamento emetico simplici, decocto, vel infuso, aut dissoluto, E comparata, noxia quæque ventriculi, redundantiam cibi, humores excrementitios aliarum etiam partium vicinarum, vi & impetu per os evacuans, derivans, atque revellens.*

Ab effectu hinc *triplex* statui potest. *Vacuatorium, Revulsorium, & Derivatorium.* F A modo verò operandi, Aliud *levius* existit, cathartico emollienti, malactico, & eccoprotico, analogum, quantitate ferè sua operans; Aliud *mediocre*, qualitate magis, Aliud *validum*, catharticis propriè dictis respondens, vi specifica, & interna, motum istum per superiora concitans.

Est etiam Vomitorium aliud *simplex*, aliud *magis compositum*.

SIMPLICIUS constat ex *Aqua simplici* aut *hordiaca tepida*, affatim ad cyathum seu poculum unum hausta, *Jusculo carnium pingui* aut *Hydromellite* largiter etiam sumpto, *Potu quovis copioso*, subito & confesto, *Hydrelao ad* ℥viij. x. *Oleo communi, ad* ℥viij. vj. tepidè, *Butyro liquato calidè.*

Quibus & aliis similibus vomitoriis levissimis, impropriè admodum talibus, utimur maximè, ubi, quæ hac viâ sunt excernenda, sive assumta, sive diversa impuritatum, & vitiosorum humorum genera, in ventriculo continentur: suntque ita in procinctu ad excretionem, ut vel minimâ datâ occasione, facilè, sine negotio, vel perturbatione, possint extrudi, sive natura id moliminis non aggrediatur, sive sponte quidem insurgat ad ipsa excutienda, sed vel minùs celeriter, vel minùs sufficienter, tunc levioribus hisce excretrici, si quiescat, occasionem motus, & veluti principium damus: aut si imperfectiùs moveat, conatum ipsius faciliorem reddimus, quod etiam sæpiùs, nullo exhibito vomitorio procuramus digito in gulam altiùs immisso, pennâ oleo intincta, & gulæ immissa. Sed hæc, quæ quantitate tantum sua, & humiditate tepida, aut pinguedine excretricem movent, minùs proficua, ubi excernenda per vomitum vel non sunt in ventriculo, sed in vicinis, aut remotioribus etiam partibus concepta, vel si sint in ipso, altiùs tunicis impacta hærent, vel minùs præparata, non nisi majore labore, & conatu eliminari possunt; tunc enim utiliùs venitur ad Composita.

In COMPOSITO vomitorio duo perpendenda: *Materia*, ex qua, & *Dissolvenda*.

MATERIA hîc duplex *Liquida*, & *Solida*, seu *Coacta*.

MATERIA LIQUIDA, (seu LIQUOR,) quâ vomitorium definimus, quæque ferè tantùm usitata, est VEL *vomitoria*, vel *non vomitoria*.

MATERIA VOMITORIA seu LIQUOR EMETICUS, ferè triplex est, *Decoctum, Infusum, liquor alius*.

α Quod ad DECOCTUM VOMITORIUM, g in eo duo considerantur, *Materia*, ex qua fiat emeticum, & *Liquor*, in quo decoquatur.

Materia ex qua, ratione QUALITATIS, sunt *Vomitoriorum simplicium*, eorumque mediocrium, (valida enim rariùs ad decoctum assumuntur) variæ *partes*: *Radic. Cortic. Fol.* aliquando, *Semin. Flor.* quorum 2. 3. simul, præscribenda.

Ratione verò QUANTITATIS, vomitoria ista mediocria potionum pondere ferè præscribuntur, ut summatim ad ℥j. ʒij. ʒiij. ad summum ingrediantur, & privatim, si jam dicenda aliis addantur, unum, duo, vel usurpentur sola, hac dosi ferè præscribas:
α *Radix asari*, ad ʒj. ʒij. ʒiij.
Cortex median. jugland. ad ʒj. vel ʒij.
Radix pepon. sicc. ad ʒij. ℥ß.
Flor. genist. ʒij. ʒiij. vel pugillos totidem. Pro LIQUORE, quo ista decoquantur, ratione QUALITATIS, assumes commodissimè *Aquam simplicem*, vel, ubi simul humores vitiosi à ventriculo detergendi, *Aquam hordei* utiliter, maximè ubi sicci, acres, calidi. *Hydromel*, ubi crassi, lenti, frigidi, attenuandi, incidendi, detergendi. *Oxymel aquosum*, in utroque casu. *Jusculum pingue & leniens*, ubi temperanda acrimonia, sive humorum, sive assumptorum venenorum, sive etiam vomitoriorum actium. *Hydrelæum*; quæ ideò maximè convenient, quòd etiam vulgò recensentur inter vomitoria benigna.

Ratione QUANTITATIS, relinquitur Pharmacopæi arbitrio, tamen ex suprà dictis in Apozemate & potione, poteris definire, modò observes, quandoquidem pro vomitorio liquoris debentur ℥viij. ferè, etiam dupla quantitate vomitoria illa mediocria esse præscribenda.

β INFUSUM VOMITIVUM, h ratione QUALITATIS infundendorum, paratur maximè ex vomitoriis illis validioribus, quæ rectiùs sola infunduntur, quam dentur in substantia, vel etiam decoquantur. Illa duo maximè agendi vehementia nobilissima, *Helleborus albus*, majoribus, *Antimonium*, neotericis celeberrimum. Et licet ad illud negotium assumi rite possint mediocria, *Asarum, Raphanus, Radix peponis sicca, Cortex medianus Iuglandis*; tamen quia ab ipsis in substantia datis, aut decoctis nullum discrimen fere, ideò tantùm decoquenda præscribuntur. His verò validioribus infusio omninò bene convenit, vi spirituali tantùm communicata, nulla verò substantiæ portione relicta, quæ purgationem diuturniorem faciat, aut excretricem diutiùs lacessat.

Igitur duo maxime inserviunt comparando infusio, *Helleborus*

borus albus, olim longe nobilissimus, non solùm in contumacibus affectibus & desperatis, sed & levioribus, hodie vix dum in illis, & non nisi prudente cautela usurpandus, quâ duce ad ʒß. ʒj. ʒiß. ad summum poteris, in jusculo maxime, infundere, additis cardiacis ad ℈j. Hujus veluti succedaneum pomum excavatum *radice Hellebori albi* repletum, coctum, illa exempta comestum, ut & *radix raphani*; eadem transfixa, cocta, esta.

In Hellebori locum, (quod & hodie passim usurpatur) rectiùs *Antimonium* admittas, illo exulante: neque horrorem incutiat, quòd hactenus ab inexpertis fuerit rejectum, cùm illo longe tutiùs, sine ullo omninò suffocationis, convulsionis, aut symptomatum ingentium periculo, suam operationem producat. In illum finem alii ipsum crudum usurpant, alii vitrum ejusdem varium infundunt, alii regulum. Præstabit in istum finem, istam Antimonii præparationem eligere, quam vocant *Crocum metallorum*: quandoquidè sic paratum sulphur quoddam fœtidum exuit, quod aliàs sæpius causa graviorum symptomatum. In istum finem. ℞ *Antimon. sic praeparat. i.* ℈j. ʒß. *infunde in vini albi* ℥iij. ℥iv. *supra cineres calidos, trajiciatur liquor per chartam emporeticam, Detur.* Ex eodem fit, *Aqua illa benedicta*, vulgo *spey VVassel L.* Loco croci dicti *vitrum quod vis*, M infundere poteris ad ℈j. in liquore idoneo.

Quod ad QUANTITATEM infundendorum, jam expressa pro his validioribus definita fuit. Si alia mediocria volueritis usurpare, præscribi poterunt *Radix asar.* à ʒiß. ad ʒiij. ℥ß. *Radic. pepon. sicc.* à ʒj. ad ʒiij. *Semen. urtic.* à ʒj. ad ℥ß. *Cortex jugland.* ad ʒiij. ℥ß.

Sed jam dicto Antimonio præstabit uti.

Quod ad LIQUOREM DESTILLATUM, rariùs à Medico præscribitur, si excipias, à vulgo in usum medicum translatum, *Acetum destillatum*, operandi effectu violentissimum, caute usurpandum, & in robustissimis. Præscribitur autem bifariam. VEL enim solùm ex Alembico plumbeo liquor ipsius destillatur. VEL, ut Monspelii mulierculis usitatum, panis albus, è furno recenter extractus, conscinditur, in ℔ij. iij. aceti infunditur, fiat destillatio. Liquoris hujus, ut & superioris, ℥iii. ℥iv. in febribus maxime intermittentibus, diuturnis, ante & in ipso paroxysmo, exhibentur. *Hactenus de liquore vomitivo.*

γ LIQUOR NON VOMITIVUS etiam passim assumitur, sine ullius vomitorii facta in ipso decoctione, vel infusione, in quo postea vel juvantia vomitum, atque præparantia tantùm pro leviore vomitorio vel pulvis emetici alicujus simplicis, statim, julepi instar, dissolvuntur.

Qualis autem sit, vide suprà in qualitate liquoris, pro decocto vomitorio.

Ratione verò QUANTITATIS, ad ℥viii. vel x. recte præscribitur.

δ *Hactenus de materia vomitoriorum liquida*, ex qua ut diximus, hodie usitate tantum ipsa formantur, quâque ideò vomitorium suprà definivimus, ut quæ esset forma exhibendi magis recepta. Possunt quidem & FORMA NON FLUIDA exhiberi, Pulveris nempe, vel Boli, Emetico aliquo pulverisato, cum conserva incorporato, sic certe sæpius recentiores *Antimonii vitrum, Crocum metallorum*, *Mercurium vitæ*, usurpant, quod idem fieri poterit cum aliis vomitoriis, quæ agunt majore quantitate, ut *Asaro, Radice pepon.* &c. si hellebor. album excipias, a quo in substantia exhibendo abstinendum, infusione vis ipsius cathartica elicienda.

Forma liquida videtur commodior: quòd humiditate ventriculus perfundatur, laxetur, minore vi excernenda isto motu ad exteriora excutiantur, & faciliùs, quòd simul omnia diluantur, nec ita adhærere possint, quod aliàs sæpius fit. Item, quòd ventriculus repleatur, & sic faciliùs excernat. Aliàs enim inanior, toto fundo ad os superum adduci debet, & inverti, ad eorum excussionem.

Quicquid sit, etsi formam istam solidiorem volueritis usurpare id facietis pulvere sequente, sumpto vel per se ex cochleari, cum pauco liquore, vel mixto cum conservæ idoneæ ʒii. ʒiii. formâ Boli: sic autem præscribentur hactenus quidem usitata. *Radix asari* à ʒj. ad ℈iv. *Radix pepon. sicc.* à ℈ii. ad ʒi. *Semen. urtic.* à ʒß. ad ʒj. *Semen. raphan.* à ʒiii. ad ℥ß. *Cortex jugland.* ad ʒj.

Sin autem recentioribus usitata, ex minerabilibus vomitoria, assumas. *Antimonii vitrum* ad gr. vj. viij. x. præscribes pro robustis. *Crocum metallorum* ad gr. vj. viij. *Sal. vitriol.* ad ℈j. ʒß. *Vitriolum Roman.* vel *album praeparatum*, à ℈ß. ad ℈j.

DISSOLVENDA *Vel* nulla usurpantur, ubi propositum agere admodum levissime, & occasionem tantùm motus excretici dare, ut suprà: item ubi liquor sat vomitorius fuerit, sed maximè, si excernenda ad evacuationem illam per superiora sint præparata, sin contrà res se habeat, alia dissolvuntur in liquore jam dicto, quæ statui possunt duplicia, *vomitoria, & non vomitoria.*

NON VOMITORIA in decocto vomitivo sæpius & usitatiùs usurpanda, ut & in liquore non vomitivo, ratione QUALITATIS, triplicem finem maximè respiciunt; excretricis impulsionem, excernendi humoris præparationem, & correctionem symptomatum, quæ ab eo, aut vomitorio evenire possent.

ALIA enim oleoginosa, pinguia, quæ ventriculum subvertẽdo, excretrici licet irritatæ, difficulter tamen agenti, occasionẽ dant, ideò ferè tantùm usurpantur in levibus vomitoriis, ubi ventriculus facile est vomiturus, aliàs minùs prosunt; utilia etiam ad humorum, vel assumptorum, & venenorum acrimoniam compescendam; talia sunt *Oleum commune, Olem sem. lini, Butyrum.*

ALIA, usurpantur ad frangendam vim succorum biliosorum, mordacium, ut *Acetum, Oxymel simplex, Syrupus acetosus.*

ALIA, (qui etiam præcipuus dissolvendorum scopus,) humoris excernendi præparationem respiciunt; suntque VEL detergentia, ubi humores vitiosi eluendi à ventriculo, vel quando lenti, viscidi, pertinaciter adhærentes, qualis passim pituita; Talia sunt *Oxymel simplex, Oxymel scylliticum, Saccharum, Mel*: VEL incidentia, & attenuantia humores crassos, *Oxymel simplex, Syrupus acetosus.*

Notate obiter, malè quosdam *Oxymel, & Syrupum acetosum* recensere inter vomitoria, contra experientiam, cùm acetum, (odoratum, sive sumptum,) à quo præcipua ipsorum vis, adstringere videamus, sanguinis eruptiones ab isto sibi, alvi fluxus, vomitus, ita ut forsan ipsorum sit usus ad humores præparandos, quò faciliùs sine labore possint excerni.

Ratione QUANTITATIS, ab ℥j. ad ℥iß. præscribuntur. Cæterum ista in vomitorio ex infusione, vel liquore alio destillato, non dissolvuntur, cùm ante illorum exhibitionem præparatio ferè præcedere soleat, tum etiam, quòd liquor ille aceti isti scopo satisfaciat, tamen neque errabis, si dissolvas.

VOMITORIA verò usurpanda (ubi liquor nullo modo est vomitorius) sunt aliquot ex suprà dictis, dosi etiam ibidem relata.

In USU tria consideranda, *Modus, Quantum, Quando.*

Quod ad MODUM, ut vomitoria usitatè, & commodiùs *Liquida* usurpantur, sic & tepidò sumi debent: nauseam enim sic faciliùs concitant, & excretricem ad expulsionem molestant: quod si forma *Boli* exhibeantur, sumenda erunt, ut & ipsi solent. Sed commodum erit, post dimidiam horam, vel integram elapsam, liquorem aliquem tepidum exhibere, ad ejectionem faciliorem, N.

Quod ad QVANTITATEM, seu DOSIN: *Simplex* vomitorium ad ℔j. ritè sumi potest, ab adultis & grandioribus: sic enim venriculi excretrix gravatur magis. *Compositum* ex decocto, idque mediocre, ad ℥viii. x. Dosis *infusi (liquoris etiam vomitivi)* & ubi dantur in *substantia*, suprà expressa: quantitas etiam *liquoris non vomitorii*, ad ℥viii. ℥x.

Quod ad HORAM EXHIBENDI, in morbis chronicis manè, jejuno ventriculo, purgantium aliorum instar, rite poterunt assumi, maximè, si humores nauseam facientes sint tenuiores: sic enim facilis sequitur vomitio; si contrà lenti, crassi, viscidi, post cibum sumptum erit expeditius, & cum minore labore; in morbis periodicis, febribus intermittentibus maximè, hora paroxysmi, O quandoquidem & naturam videamus passim tunc temporis hac via evacuationem moliri: quàvis autem hora sumuntur, noxiâ quàvis re, (ut veneno,) assumpta.

* Hæc autem erit FORMULA PRÆBENDI.

I. Si ex Decocto ℞. &c. *fiat decoctio in &c. q. s. cape de colatura, &c. fiat vomitorium, quod sumat tepiuè, tali hora, & si paulò post non rejecerit, vomat, digito in fauces immisso*: *si quædam volueris dissolvere, addes, cape de colatura, &c. in quibus dissolve, &c.*

II. Si ex infuso ℞. &c. *fiat infusio in &c. colentur omnia, & filtrentur per chartam emporeticam*; quandoquidem enim ex validioribus constat ferè infusum, si sola colatura esses contentus, metus esset, ne quid crassioris substantiæ una effunderetur, quæ postea ventriculi tunicis diutiùs adhærens, ad vomitum diuturniorem, & molestum ipsum concitaret,) *fiat vomitorium, &c.*

III. Si ex Liquore destillato. ℞. *Liquoris, talis &c. sumat, & paulò post vomat.*

IV. Si ex liquore non vomitorio. ℞. *&c. in quibus dissolve, &c. fiat vomitorium.*

V. Si forma solidiore, & pulveris quidem, ℞. *&c. sumat ex cochleari, cum liquore idoneo*: Boli verò. ℞. *pulver. &c. misce cum Conserva tali, fiat bolus, quem sumat, & paulo post vomat.*

UTILITAS. Vomitus, sive vomitoria olim apud antiquos, tum ad προφυλαξιν, & morbos præcavendos, tum ad θεραπείαν fuére usitatissima; in more siquidem majoribus fuit, sanitatis tuendæ gratia singulis, mensibus vomere, ut passim apud *Hippocratem*; unde & ob hanc consuetudinem vomitoria vehementiora facilè ferebant.

Hodie fere tantùm ad θεραπείαν & minùs frequentes sunt, qui ad morbum præservationem in statu sano usurpent, nisi intemperantiæ admodum dediti, neque etiam ævo nostro in morbis ipsis passim indifferenter usurpantur, sed contumacibus ferè & chronicis.

Vomitorii autem *in genere* utilitas alia est *Particularis*, ventriculum respiciens, alia *Universalis*, regionem publicam, aut partem

partem aliquam regionis alicujus, humorem peccantem ipsarum evacuans aut derivans, vel si aliunde in ipsas altiùs influat, revellens, conferente ad illum motum naturæ, & humoris inclinatione, seu vergentia partium, seu locorum, in quibus restagnat, aut in quas illabitur, & viarum, per quas fieri debet illa derivatio ac revulsio, cum illis & ventriculo proximitate, & vicinia, aut continuitate, & communione, meatibus patentibus, & omnibus naturaliter dispositis. Ita ut vomitorium in genere remedium sit vacuans, seu catharticum, tum particulare ventriculi, tum universale, derivans, atque revellens.

Vacuat autem *in specie*, 1. quidem *ventriculum*, ab omnibus humoribus excrementitiis, biliosis, pituitosis, maximè tenuibus, crassis, viscidis, vitio proprio congestis, vel è toto corpore, capite visceribus, venis, P eò delatis, quos sinceros ex ipso fonte, sivè in ventriculi capacitate innundent, sive tunicis illius impacti, excludit: hinc affectibus ventriculi idiopathicis confert, præsertim appetentiæ languenti, nauseæ, vomitui crebro, ventriculi doloribus, cardialgiæ, &c. unde & per consequens prodest aliarum partium morbis, per συμπάθειαν, quam illæ habent cum ventriculo, contractis: exhausta enim ipsa scaturigine, unde manabant, statim evanescunt. Hinc *Galenus* dicebat pericranio opitulari, epilepsiæ, vertigini, suffusioni etiamnum, omnibusque aliis capitis affectibus, per consensum ventriculi genitis, translato illuc humore morbifico, vel vapore tantùm expirante ab illuvie. Ventriculum etiam statim, & commodè hac via ab assumptis expurgat, nimio nempe, vel pravo cibo, potu, crapula, cruditate, veneno.

Vacuat *deinde*, ex *Galeno*, & *primam* Q *regionem* à varia impuritate, & ipsam illuviem, ex cavis R hepatis, liene, pancreate, mesenterio, venis, S mesaraicis, atque vicinis aliis ventriculo partibus sinceram expurgat, & ut ipse notavit, quam aliud vehemens catharticum sæpiùs non potuerat exturbare, excludit, qua ratione morbi istarum partium ad miraculum contumaces fuêre sanati: in ventriculum enim ex iis locis viæ breves, & expeditæ, hinc & istarum partium affectibus variis confert, non tantùm idiopathicis, cachexiæ, ictero, hydropi, lienis & hepatis obstructionibus, febribus intermittentibus, quæ ibidem habent suum fomitem, &c. Sed etiam prodest, ut dicebamus, ventriculo, aliarum partium morbis ex consensu jam dictarum oriundis, quarum impuritates causæ antecedentes istorum affectuum sympathicorum, hac via, & *Galeno*, commodissimè evacuantur.

Postremo ex eodem *Galeno* lib. 1. de Febribus, *secundam* etiam *regionem* expurgat, & *tertiam*, sed per consecutionem quandam, nisi utaris validioribus, ut veteres olim suo Helleborismo, quo etiam ex partibus remotissimis excrementitios succos in ventriculum alliciebant, eadem ratione, qua cathartica valida videmus attrahere. Unde quandoquidem non est tutum uti validioribus ad vacuandum, ratione istarum regionum revellens censetur remedium.

Revellit etiam humorum impetum in varias partes, sive fluxionis origo sit ventriculus, sive partes prima regione contentæ, & vitiosos succos, eas illabentes, ad ventriculum revocat, unde extrudit per vomitum. Unde ut suprà, affectibus capitis per sympatiam confert, alvi fluxionibus, Ischiadico & articulorum dolori. Ita ut Galenus concludat vomitum esse omnium purgationum saluberrimum, modo facilè fiat, & moderatè: quæ autem in eo provocando sint observandæ cautelæ, vide apud *Hypp*. In aphorismis.

A Hoc nomine saltem venire solent vitia quantitatis in Bile, Melancoliâ, Pituitâ & Sero, reliquorum humorum excrementitiorum simile vitium nomine singulari non venit.

B Aliàs Emeticum dictum.

C Cum & solida vomitum movere notemus.

D Benè ferè addit, sæpissimè enim pulveres, boli, tabella similiaque usurpantur.

E Vel etiam, ut diximus, formâ pulveris, &c. adhibito, ut etiam in mox seq. habet author.

F De hac triplici differentiâ videantur, quæ hic habentur, ubi de vomitorii utilitate.

G Quod etiam sæpè solitariè usurpatur, sine ullo addito dissolvendo.

H Quod itidem sæpius solitariè in usum ducitur, nullo dissolvendo admixto.

I Seu Croci metallorum.

L à Rulando descripta.

M Antimonii.

N Hâc de re inter alia videri possunt quæ habemus in Medicinâ nostrâ.

O Hoc est, horâ unâ aut alterâ ante paroxysmum vomitorium exhibendum, sed in tali casu semper ex lenioribus paratur.

P Maxime arteriis.

Q Hæc etiam ventriculum comprehendit, quem tamen hic author excludit.

R Intellige totum parenchyma potius.

S Adde & arterias.

α ℞. Rad. Raphan. ℥ij. Asari. ℥j.
Flor. genist. sicc. P. ß.
Agarici ℈j.
F. Decoct. in Oxymell. ad ℥v.

VEL

℞. Rad. Asar. Beton. an. ℥j.
Herb. Hysop. M. ß.
Flor. Aneth. Genist. an. M. j.
Semin. Raphan. ℥j. Rapi. ℥ß.
Coq. in s. q. Aquæ hordei ad tertias. Colaturæ ℞. ℥iij.
Oxymell. simpl. ℥iß. M.

β ℞. Croci metallor. ℈ß.
Infunde in vini albi ℥iij. supra cineres calidos.
Trajiciatur liquor per chartam Emporeticam, & exhibeatur.

VEL

℞. Cort. median. jugland. ℥ij.
Vini alb. ℥iv.
Marcerentur per noctem, manè colatura facta detur, per se, vel cum Oxymell. simpl. ℥j.

γ ℞. Aq. hord. ℔ß.
Syrup. acetos. vel Oxymell. ℥iij. M.

δ ℞. Radic. Asari ℥ij.
Flor. genist. sicc. P. ß.
Sem. Raphan. Urtic. an. ℥ß. M.
f. Pulvis, qui diluatur aqua hordei, & usurpetur.

℞. Croci metall. g. v.
Sachar. ℥j. M. f. Pulv.

℞. Croci metall. g. vj. viij. vel x.
Conserv. Rosar. ℥iij.
Sachar. q. s. M. f. Bolus.

POTIONES VOMITIVÆ.

Quæ satis frequenter & imprimis sub formâ vini solent præscribi. Cæterum cum experientia docuerit practicos, quod omnia *vomitoria vegetabilium* longè *difficilioris* sint *operationis*, & magis excrucient ægros, quam vomitoria mineralium ex Antimonio petita, & quoniam experti sunt practici, quod Antimonium longè *felicius* exhauriat excrementa *per vomitum* ipsis vegetabilibus, propterea percommodè *solent præscribi* tales potiones vomitivæ *ex infusis Antimonialibus*. In hunc finem solet prostare in officinis *Syrupus emeticus*, seu uti alias vocatur *Sacharum emeticum ANGELI SALÆ*, factum ex infusione vitri Antimonii cum aceto & edulcoratum cum sacharo. Commode potest præscribi à ℥iij. ad ℥ß. in robustioribus etiam potest præscribi ad ℥vi, utut raro: In delicatioribus raro solet transcendere dosin ℥iiß.

Hic Syrupus emeticus dissolvitur in liquore appropriato, & propinatur. verbi gratiâ. *In mucilagine crassa & viscida ventriculi*, inanem vomendi conatum excitante, præscribi potest talis potiuncula, quæ incidit mucilaginem crassam & viscidam, & liquefacit, liquefactam etiam per vomitum evacuat hoc modo.

℞. *Aq. hyssop.* ℥j.
oxymell. scyll.
Syr. emetic. A. Salæ. d. ℥ß. vel oxymell. scyllit. ℥ß.
Syr. emetic. A Salæ. ℥iij.
Spir. gumm. ammon. cum virid. æris destill. ℥ß.
M. F. Potio. Emetic. pr. dos.

Hic spir. gummi ammoniaci ex se inservit pro attenuatione, incisione & liquefactione pituitæ crassæ & viscidæ, quod facit etiam adjecta aqua Hyssopi; Syrupus Emeticus facit vomitum. Talia ingredientia omittuntur, ubi non est pituita viscida, verbi gratia in biliosis, ubi non licet tale quid propinare.

Alio

Alio modo potiones vomitivæ solent præscribi *ex infusis Antimoniatis in vino factis*, in quibus præscribendis observetur, non tam quantitas purgantium Antimonialium infundendorum, quam potius *mensuranda est quantitas liquoris*, in quem debet fieri talis infusio; quoniam *Antimonii virtutes* sunt *indeterminatæ*, & gr. v. vel vj. vomitivi Antimonialis tam possunt impræegnare ℥iv. liquoris, quam impræegnant ℥j. Unde *quo copiosior* est *liquor, eo* etiam *fortior* postmodum erit *evacuatio*, quo paucior est liquor, eò minor solet esse vomitus. Id quod rectè observat VVALÆUS in *methodo medendi*, quæ meretur ut videatur.

Cæterum *exempli loco* possit esse vomitivum Antimoniale tale.

℞. *Mercurii vit*. gr. VI. vel
Croci metallorum communis gr. VI. vel
absinthiaci gr. V. vel VII.

Infundantur *in vini Rhenani* ℥j. ad summum ℥iß. stent in loco calido per noctem, manè filtretur benè per chartam bibulam duplicatam.

F. Vin. Emet. pro dos.

Dico *filtretur bene per chartam* bibulam duplicatam, ne aliquid de substantiâ Antimoniana transeat, quod adhæsu suo in intestinis soleat inducere tormina hypercatharses & diarrhœas. Observetur & hoc, *quo minus fixus* est *pulvis Antimonialis*, *eo minus* præscribendum *liquoris*, quo fixior, eò major potest præscribi liquoris quantitas.

Vel etiam potest usitate præscribi in officinas *potio vomitiva* hoc modo:

℞. *Vini emetici ex infusione croci metallorum*. ʒvi. vel ℥j.
F. Vin. Emet. pro dos.

Solent etiam fieri *decocta & infusa vomitiva ex atriplice*, sed quoniam hoc minus est usitatum, propterea transeat. Solent etiam fieri *ex pulvere Ellebori albi*, idque ex veterum scilicet HIPPOCRATIS imitatione, qui sæpius usus fuit vomitoriis ex Elleboro albo, qui adhuc etiam apud quosdam modernos solet esse in usu, in cura *maniæ*; in quâ curandâ generosiora & vehementiora vomitoria primatum obtinent. Cæterum, quoniam rarò usurpantur, & non ab omnibus, propterea etiam eadem misso facio.

Non rarò quoque permiscentur Tinct. appropriatæ ex vegetabilibus, item succi appropriati vegetabilium in liquoribus, dissolvantur, Tinct. ʒß. ad ʒj. liquoris, & succorum ʒij. ad ℥j. liquoris.

Habuimus potiones & modum easdem præscribendi, in quorum ingredientibus non ultimum constituunt aquæ destillatæ. Hac ergò vice considerabimus in SCHRODERO.

SCRODER. CAPUT XXXVIII.

De Aquis destillatis.

AQuæ in Officinis diversimodè paratæ prostant, simul ac diversæ naturæ, aquæ scil. i. e. ad naturam aqueam accedentes, vel spirituosæ, i. e. spirituum naturam referentes.

Modus parandi vel destillatio est, vel infusio, decoctiove, vel commixtio.

N. *Modum destillandi vide lib*. 1.

Destillatio aquarum pro diversitate materiarum diversimodè peragitur, idque non modò ratione caloris diversi, verum etiam ratione instrumentorum variantium.

In regno MACROCOSMICO aquæ ferè singulæ peculiares destillandi modos obtinent, ideoque specialiter describendæ erunt *lib*. 3.

In R. VEGETABILI distillantur aquæ ex *herbis, floribus fructibus, radicibus, lignis, & aromatibus*.

Ex herbis & floribus.

1. ℞. *Herb. Flores* vel q. v. incide minutim, conquassave ac affunde aquam (ne empyreuma contrahat) destillaque per MB.

N. 1. *Ex herbis floribusve virentibus tenuioribus (quorum vis facilè evanescit) ut & frigidioribus, destillantur aquæ per* MB. *Ex aromaticis autem ut & calidioribus, quorum vis non ita volatilis, profundiusque inhæret, commodius per vesicam eliciuntur*.

N. 2. *Herbæ odor quo facilius exspirat, eo tepidiore* MB. *utendum* [*vel* MB.]

N. 3. *Si nobiliores expetis aquas, affunde destillatam super materiam novam ac destilla denuo*.

N. 4. *Non abs re fuerit præmittere macerationem diei unius ac alterius, vel & fermentationem, addito, si libet, tantillo Salis communis, vel fæcum cerevisiæ, præcipuè, si olea expetantur*.

N. 5. *Si colorem nativum spiritibus & aquis destillatis conciliare volueris, impone eos in alembic. ut transeat aqua extillans: Verum enim vero, minus durabilis aqua illa futura est*.

2. ℞. Succum ex herbis expressis ac destilla.

II. *Ex herbis siccis*. ℞. Herbam quamcumque vis, incide & affusâ aquâ calidâ macera aliquamdiu; hinc destilla.

N. *Ex herbis calidis & odoratis melioris notæ aquæ & olea destillantur, si sicca de[s]tillatione eliciantur*.

III. *Ex fructibus*. ℞. Fructus maturos. E. g. poma, scinde minutim, vel conquassa ac destilla per MB.

N. *Ex mollioribus exprimi potest succus ac destillari*.

IV. *Ex seminibus*. ℞. semina grossè contusa, macera cum aqua, hinc destilla per Vesic.

V. *Ex radicibus*. ℞. Radic. conquassa, marcera cum aqua ac destilla per Vesic.

N. *Raræ sunt aquæ ex solis radicibus destillatæ*.

VI. *Ex lignis*. Ex lignis quæ eliciuntur, spirituosæ imprimis sunt, ideoque ad spiritus referendæ. Videri quoque possunt earum destillationes in oleis destillatis.

VII. *Ex Aromatibus*. ℞. Aromata grossè contusa, macera cum menstruo idoneo per aliquot dies (4. 5. 6.) dein destillentur per vesicam. Sic stillat aqua & oleum. Hæc separa, & si opus, rectifica. *Vide de oleis stillat. quia uno & eodem actu aqua & olea ex aromatibus proliciuntur*.

N. 1. *Menstruum in singulis dabitur*.

N. 2. *Aquæ hæ spirituosæ sunt*.

In Regno ANIMALI eliciuntur aquæ 1. ex *animalibus integris* molliusculis, mucilaginosisque. 2. ex *partibus molliusculis*, v. g. Cerebro spinalive medulla. 3. *E sanguine*. 4. *E novellis cornibus*. 5. E *stercore*.

1. Ex *Animalibus integris* mucilaginosis: ℞. Animalia (lota si placuerit) scinde minutissimè, conquassave, hinc destilla ex MB. vel VB. affusa, si placuerit, aqua convenienti: Sic paratur aqua lumbricorum, cochlearum, ut & spermatis ranarum.

2. Ex *Medulla Cerebri*, paratur eodem modo, addita aqua cephalica, v. g. tiliæ, pœoniæ, &c.

3. *Sanguinis* destillatio etsi itidem è MB. perfici queat: præfertur tamen quæ fit igne nudo ex cucurbit. fictili. *Vide de oleis c. 70. & spiritib. c. 81.*

[N. *aqua lactis*.]

4. E *Cornibus* quomodo liquor stillet, vide de oleis. E *novellis cornibus*, e. g. cervorum fit aqua per Retortam vel Cucurbitam humilem è MB. aut VB. affuso pauco Vino, vel & sine additione. Vide *lib*. 5. de Cervo.

5. E *Stercore*, fit itidem per MB. vel cineres, proditque primùm aqua, hinc oleum.

Sunt itaque

Aquæ officinarum Simplices ac Phlegmaticæ.

Aqua Abrotani.
Absynthii.
Acaciæ flor.
Acetosæ.
Acetosellæ.
Adianti.
Agrimoniæ.
Albuminis ovorum.
Alchimillæ.
Alkekengi ex baccis.
Altheæ.
Alsines.
Anethi.
Angelicæ.
Auguriæ.
Anisi.
Apii.
Aquilegiæ.
Artemisiæ.
Asparagorum.

Aurantiorum ex florib. dicitur aqua Naphæ, Namphæ, &c.
Aurant. ex corticib.
Auriculæ muris.
Bardanæ simpl.
Basilici.
Betonicæ.
Betulæ succi.
Bistortæ.
Borraginis ex flor.
ex toto.
Buglossæ ex flor.
ex tot.
Bursæ pastoris.
Calamentæ.
Calami Officinarum.
Calcatrippæ.
Calendulæ.
Capillorum Veneris.
Caprifolii flor.
Cardiacæ.
Cardui Benedicti.
Mariæ.
Carvi.
Caryophillatæ.
Centauri minoris.
Centumnodiæ.
Cerasorum nigr.
Chærefolii.
Chamæmeli.
Chamæpityos.
Cheyri fl.
Chelidonii major.
Ch. minoris.
Cichor. è tot. vel floribus, etiam albis.
Cinnamom. communis.
Citri excortic.
Cochleariæ.
Consolidæ med.
Coriandri.
Crassulæ.
Cucurbitæ.
Cuscutæ.
Cyani fl.
Cydoniorum.
Cymini.
Ebuli è flor.
Endiviæ.
Enulæ.
Equiseti.
Eupatorii Avicen.
Euphragiæ.
Fabarum fl.
Feniculi.
Florum omnium, lætamini.
Fragariæ, Tunicæ.
Fragorum.
Fumariæ.
Galegæ.
Genistæ.
Graminis ex rad.
Geraniri.
Gratiolæ.
Hederæ terr.
Hepaticæ nob.
H. Stellatæ.
Herniariæ.
Hyoscyami.
Hyperitici.
Hyssop.
Imperatoriæ.
Lactucæ.
Lapati acuti.
Lavendulæ.
Lenticulæ palustris.
Levistici.
Ligustri fl.
Lilior. alborum.
Convall.
Linariæ.
Lumbricorum.
Lupulorum.
Majoranæ.
Malvæ.
Matricariæ.
Meliloti.
Melissæ.
Mellis.
Mentæ crispæ.
Mentast.
Mercurialis.
Millefolii.
Morsus Diabol.
Nasturtii aquatici.
Nicotianæ.
Nuc. Moschat.
Nucum Jugland. immatur.
Nummulariæ.
Nymphææ alb.
Origani.
Ononidis.
Pœoniæ.
Papaveris erratici.
Parietariæ.
Pentaphylli.
Persicariæ maculosæ.
Persicorum florum.
Petasiditis ex toto.
Petroselini.
Pimpinellæ.
Plantaginis.
Pluvialis.
Pomorum Sylvestrium.
Portulacæ.
Prassii.
Primulæ veris.
Prunellæ.
Pulmonariæ maculosæ.
Pulegii.
Pyrolæ.
Querc. fol.
Raphani Rust.
Vulgaris.
Rorellæ.
Roris maialis.
Roris marini.
Rosarum pallid.
rubear.
Roris marini.
Rubi idæi ex bacc.
Rutæ.
Sabinæ.
Salviæ.
Sambuc. flor.
Saniculæ.
Satureiæ.
Satyrii.
Saxifragiæ alb.
Scabiosæ.
Scolopendrii.
Scordii.
Scorzoneræ.
Scrophulariæ.
Sempervivi.
Senecionis.
Serpilli.
Sigilli Salom.
Siliginis fl.
Solatri.
Spermatis ranarum.
Tanaceti.
Taraxaci.
Thymi.
Tiliæ flor.
Tormentillæ.
Trifolii.
Trinitatis.
Tunicæ flor.
Tussilaginis.
Valerianæ.
Verbasci.
Verbenæ.
Veronicæ.
Violarum ex fl.
ex toto.
Virgæ aureæ.
Ulmariæ.
Vitium lacrymæ.
Urticæ.
Zedoariæ.

Aquæ fortiores cum Vino, atque aqua composita.

Aqua Anhaltima *infrà* No. 1.
Anisi cum Vino adusto.
cum Malvatico.
Antidotalis, (Alexipharmaca Mathioli Aug.)
Aperitiva. 2.
Appolectica *Crollii*. 3.
Apoplect. Sennerti. 4.

Arthritica.

N. *Non possum, quin in limine aquarum compositarum Pharmacopœia tyronem erroris commonefaciam, quem in nonullarum destillatione comperio. Videlicet admisceri destillandis ejusce farina materias, quarum vis contumacior est, quam ut destillationis opere elevari cum cæteris queat. Tales sunt Gemma, Margarita, Corallia, ossa, cornua, aurum, &c. Eapropter si qua talia occurrerint, ne frustra sumptus impendant, præstat eadem destillato admiscere, sive sub formula præparatorum id fiat, sive, quod melius, sub forma Magisterii; sive, quod adhuc aptius, sub forma liquoris.*

1. *Aqua Anhaltina.*

℞. Terebinth. el. ℔. ß.
Thur. masc. ℥j.
Lign. Aloës pulv. ʒiij.
Gran. Mastich.
Garyophyll. (aliis fl. anthos.)
Nucist.
Cubeb. aliis Galang.
Cinnamom. ā. ʒvj.
Croc. or. integr. ʒiiß.
Sem. Fœnic.
Bacc. Laur. ā. ℥ß.
Pulverisata infundantur in Spirit. Vini ℔. v. digerantur per dies (6.) additis Moschi in petia ligati g. xv. Hinc destillentur lentissimo MB. quod clarum est separetur à turbido.

N. *Præstat Moschum rostro alembici imponere.*

Vires: *Calf. sicc. discutit, stomachum, cor & reliqua viscera corroborat. Hinc efficax est in animi deliquiis. Extrinsecus crebrius ejus usus est: confert in catarrhis atque doloribus à causa frigida subortis, in Arthritide quam Vagam vocant, in Paralysi, Epilepsia, Apoplexia, Vertigine, Tremore, Lethargo, &c. sc. membrum affectum ea benè fricetur.*

2. *Aqua Aperitiva.*

℞. Rad. Eryng.
Scorzoner.
Filic.
Centaur. maj.
Brus. ā. ℥ß.
Fœnic.
Cort. Cappar.
Tamarisc.
Fraxin. ā. ʒiij.
Citri odorat. ʒiiß.
Sem. Vitic.
Card. bened.
Cichor. an. ℥ß.
Endiv.
Scariol.
Nasturt.
Citr. an. ʒij.
Herb. Polytrich.
Adianth.
Ceterach.
Cuscut.
Scolopendr.
Betonic.
Endiv. an. Miß.
Sum. Thym.
Epithym.
Lupul.
Flor. Hyperic.
Genist.
Borrag.
Meliss. an. Mj.
Passular. min. ℥j.
Infundantur in aqua Lupul.
Scolopendr.
Card. bened.
Veronic. an. ℔j.
Vin. Rhenan. ℔iiß.
Additis Cinnam. ʒiß.
Spec. Dialacc. ℥ß.
Stent in loco calido per dies ac noct. (2.) probè clausa, postea destillentur in MB. Igne lento.

Vires. *Maximarum est virium in reserandis obstructionibus totius corporis; maximè vero Lienis, Epatis & Mesenterii, adeoque commendabilis in affectu hypochondriaco, aliisque affectibus affinibus. Dosis cochl. 1.*

3. *Aqua apoplectica Crellii.*

℞. Fl. Lil. Convall.
Tiliæ.
Pœoniæ.
Primul. veris.
Majoran.
Lavendul.
Salviæ.
Betonic.
Rorismar.
Cerasor. nigror. & dulcium luna crescente decerptorum q. p.

Tritis omnibus & mixtis (vel seorsim flores, seorsim cerasa destillentur) adde farinæ sinapi ℔ß. vel ij. affusaque aqua commun. q. s. fermententur ac destillentur in MB. Spiritu elicito adde Elixyr. Epilept. Croll. [spirituum vitrioli, Veneris Hofmannus addendum suadet; quòd Elixyr aquam ingratam reddat, an. circula aliquamdiu.

N. *Ad fermentationem promovendam in aqua illa communi tantillum lupuli ac fermenti coqui potest, vel & fermentum addere licet sine coctione.*

Dos. cochl. s.

4. *Aqua Apoplectica Sennerti.*

℞. Fl. lil. convall. q. v. infunde in Vini optimi Mens. ij. per dies (14.) postea destilletur ac serva, destillato infunde postmodum.
Fl. Lavend. recent. q. placet.
Cubebar.
Cinnamom.
Nuc. Mosch.
Macis.
Galang. ā. ℥ß.

Vise.

Visc. quern.
Rad. Pœon. ā. ℥vj.
Stent in maceratione vase clauso per dies (14.) Hinc destilla.
N. *Possunt & flores tiliæ addi.*

5. *Aqua Asthmatica F.F.*

Lussivvasser. Eau pour les Asthmatiques, ou ceux qui respirent avec difficulté. *Asthmatick-Vvater, or breat-helpingvvater. Locht of Asemvvater.*

℞. Rad. Enul. Camp.
Ungul. Caball. ā. ℥ß.
Gentian. ʒiij.
Garyophyllat.
Zinzib. alb. ā. ʒij. ℈j.
Baccar. Laur.
Juniper. ā. ʒij. ℈j.
Cinnamom. acert.
Cardamom. ā. ʒij.
Fol. salv.
Majoran.
Hyssop.
Marrub. ā. Mß.
Rad. Irid Flor.
Polypod. q.
Liquirit.
Jujub.
Sebest.
Uvar. passul. min.
Dactyl.
Pinear.
Amigd. d. ā. ʒiii.
Squill. præp.
Sem urtic. rom.
Fœnic.
Ocym. ā. ʒiij. ℈j.
Fic. ping. ℥j.
Mellis despumat. ℥iß.
Vini Malvat. ℔iiij.
Spir. Vini. ℔iij.
Stent simul in infusione per dies aliquot (8.) dein distillentur per alembicum, addantur Sacchari ℥xviij.
N. 1. *Alii addunt & pulmonem Vulpis.*
N. 2. *Sunt qui spiritum Vini omittunt, atque solum Vinum Malvaticum, pondere sic. ℔iij. recipiunt.*
N. 3 *Destillato addunt Moschi gr. vij, (vel in destillatione Moscus rostro Alembici imponitur.)*
Vires. *Aqua hac, licet vi tituli pulmonibus solis dicata videatur, ut pote quibus specificè opitulatur, crassam ac tartaream mucilaginem attenuando, asperitatem leniendo, respirationem facilitando, &c. nihilominus tamen nec insignibus caret viribus, quibus insuper debili ventriculo subvenire potis est, cruditates ejus emendando, frigiditatem corrigendo, &c.*
Dosis prout spirituosa fuerit à cochl. ß. ad 1.
(*Odontalgia etiam medetur in ore detenta.*)

6. *Aqua Bezoardica.*

℞. Rad. carlin. exsiccat. ℔j.
Vincetox. ℔ß.
Summit. hyperic. exsiccat.
absynth. an. ʒvj. M. F.
pulvis.
cujus ℞. ℥xij.
aq. font. ℔iiij.
Spirit. Vini rectific. ℔ß.
M. & destilla per vesicam ad medias, diss. in sing. ℔. salis Tart. Vitriolati ℈ij. donec acescat.
Dos pro præservat. cohl. j. pro curatione iiij. aut v. reiterando semel, post horas V. sudando desuper usquedum meliorationem præsentiat.

7. *Aqua Carbunculi (vulgò Imperatoris Maximiliani.)*

℞. Flor. Rorismar. s. Anthos.
Lilior. convall.
Violar.
Borrag. ā. ℥vj.
Herb. Majoran.
Salv. min.
Lavendul.
Endiv.
Spic. ā. ℥j.
Nucis moscat.
Zinzib.
Macis.
Gariophyll.
Cinnamom.
Cardamom.
Gran. Parad.
Cubebar.
Galang.
Visc. querc.
Avellanar.
Sem. Pœon.
Ras. c. c, ā. ℥j.
Incidantur & infundantur in Vini Malvat.
Aqu. Lavend.
Spic.
Rosar.
Fragor. ā. ℔iij.
Vini alb. generos.
Postea adde
Auri foliat.
Margarit.
Oss. de c. c.
Lap. percar. ā. ℥ß.
Moschi. q. v.
F. s. a. destillatio in M B.
Vites. *Usus hujus aquæ spirituosæ internus frequens est in aquis cordialibus ac cephalicis: miram enim vim habet spiritus vitales, animales ac naturales suscitandi, calfaciendi, viscera omnia ac præcipuè nervosum genus corroborandi; extrinsecus ibidem usus ejus creber est in Epithematibus cordialibus ac pulsuum, in Catarrhis frigidioribus, Paralyticis membris, cephalalgia.*

8. *Aqua ad desiccandos Catarrhos, Fluszvvasser.* Eau pour desecher les Reumes, ou Catarrhes. *Catarrh-vvater to dry up Rheums. Vvater begen Sincxingen.*

℞. Serpilli q. v. inde cucurb. & affunde fini malvat. quantum ad cooperiendam herbam suff. relinque in cellâ per 3. septim. deinde destilla leniter, & in hac aqua macera ligni Sassafr. torno attriti ℥j.
Dos cochl. jß.

Aqua Carminativa seu de Chamomilla composita, Grimmenvvasser. Eau contre les Trenchées ou douleurs de ventre excitées des vents. *Compounded Chamomil-vvater against vvind & collik. Camille-vvater tegen vvint en colickpiin.*

℞. Flor. Chamomill. Rom. M. xxx. Incidantur & contundantur, infundanturque per horas 24. in
Aq. Chamomil. ℔ x. (alii xv.)
Vini generosi ℔vj.
Hinc exprime fortissimè, in colatura iterum infundantur hor. 24. alii flores Chamomil. com. (M. xxiv.) exprimantur, colentur. In colatura macera.
Fl. Chamomil. M. xij.
Flaved. cort. aurant. ℥iß.
Herb. Absynth. pont. M. ij.
Centaur. min.
Puleg.
Origan. ā. Miiß.
Sem. Aneth. ℥iij.
Anis.
Fœnic. ā. ℥iß.
Carv.
Cumin.
Card. bened.
Mariæ ā. ℥ß.
Bacc. Juniperi.
Lauri ā. ℥ß.
Stent hor. 24. tunc MB. lento destilla.
Vires. *Magnarum est virium in morbis à flatibus subortis, e. gr. passione colica, inflatione ventriculi, & sim. Præterquam enim quod flatus discutit, vim quoque obtinet paregoricam.*
[*Qui flores chamomillæ (etiam nostrates) in Vino generoso infundet per 3. vel 4. dies & noct. toties repetitâ infusione non opus habebit.*]

10. *Aqua Cephalica aromatica.*

℞. Nuc. moschat. ℥j.
Galang.
Calam. aromat. ana ℥ß.
Macis.
Garyophyllor.
Cinnamom. ana ℥j.
Flor. Lavend. Miß.
Vini Rhenani mensur. ij. stent in infusione, postea destillentur.
Vires. *Non capiti solùm, sed & ventriculo maximopere convenit, imbecillitati eorum succurrendo, cruditates inde ortas corrigendo, & discutiendo.* Sennert. in institut.

11. *Aqua Cephalica F.F. vel Epileptica. Schvvindelvvasser.* Eau contre les maladies du Cerveau, ou contre le mal Caduc ou mal de saint Jean. *Headvvater, & against Fallingsikues. Vvater boort hooft, en tengen de vallende sickte.*

℞. Flor. lilior. convall. ℔ß.

Pœon.

Pœon.
Lavendul.
Betonic. ā. ℔j.
Til.
Primul. Veris ana ℥ij.
Herb. Botryos cum flor. Mj.
Rad. Pœon. ℥iiß.
Aristoloch. ℥iß.
Diptamn. alb. ℥j.
Sem. Pœon. ℥iiß.
Cubebar. ℥j.
Piper. nigr. ℥ß.
Visc. quern. ℥j. ʒij.
Corill. ʒiij.
Macerentur in Vini malvat. Mensur. 2. per septiman. 3.
Deinde destillentur in MB.

N. 1. *Duplici modo aqua hac in officinis nostris parata prostat. 1. uti jam descripta est. 2. cum castorei ℥ß. quod vel simplici infusione vel repetitâ destillatione aquam cephalicam cum castoreo dictam constituit.*

N. 2. *Quoniam aqua hujus ingredientia eodem tempore recentia haberi nequeunt, ne exsiccando quid virium pereat, singula prout collecta fuerunt, infunduntur, seorsim destillantur, destillatumque loco menstrui reliquis affunditur.*

Vires. *Non immerito Apoplecticam nominaveris, utpote cui morbo præcipuè consecrata est. Succurrere tamen apta est reliquis capitis affectibus, catarrhorum flatuumque nequitiâ introductis. Quales sunt vertigo, Gravedo capitis, Epilepsia.*

12. *Aqua communitatis ophthalmica.*

℞. Herb. Euphrag. Miij.
Chelidon.
Fœnic.
Verben.
Siler. mont. ana Mij.
Rut.
Melisſ. ana Mj.
Caryophyllor.
Macis.
Piper. long. ana ℥ß.
Macerentur per noctem in aqua rosar. alb. Vini alb. ana.
Destilla l. aqua in MB.
Vires. *Acuit visum, sordes oculorum detergit, maculas aufert, ulcera sanat, &c. scil. instillata.*

Aqua communitatis paulò aliter.

℞. Sum. Euphrag. Mij.
Chelidon.
Verben.
Betonic.
Chamæpit.
Aneth.
Hormin.
Anagall. flor. rub. ā. Mj.
Sem. Ameos. ʒß.
Rad. Caryophyllat. ℥j.
Fl. Anthos, Mß.
Piper long. ʒij.
Macerentur in vini albi q. s. per diem integrum & destillentur.
Vires. *Easdem obtinet cum priori.*

13. *Aqua cordialis Herculis Saxonia calida.*

℞. Corr. citri.
Fol. Melisſ.
Ocym.
Vincetoxic.
Fl. Caryophyll.
Rosmar.
Saturejæ.
Sum. Diptamn.
Scord.
Petrosel.
Fœnic. ana Mj.
Infundantur in s. q. Vini odorati, aut malvatici, per dies (3.) postea destillentur: in destillato iterum infundantur.
Caryophyllor.
Macis.
Nucist.
Lign. Aloës. ana ʒij.
Destillentur denuo.
N. *Addi possunt grana aliquot Moschi & Ambra.*
Dosis à ʒij. ad ℥ß. &c.

14. *Aqua Cordialis ejusdem frigida.*

Succ. Borrag.
Buglosſ.
Melisſ.
Acetoſ.
Oxylapath.
Trinitat.
Bistort.
Cyan. cærul.
Calendul.
Limon.
Citr. ana ℔.1.
Acet. lib. 1. (alii lib. ß. alii lib. 1. ß.) Sem. citr.
Portulac.
Flor. Nymph. alb.
Violar.
Rosar. ā. ℥ 1.
Terr. sigillat. strig.
Bol. armen. or.
Terr. Lemn. ana ʒiij.
Spec. Diatr. Santal. ʒij. (alii omittunt.)
Camphor. ʒj.
Infundantur species in succis, macerenturque per dies (3.) Hinc destillentur per alembicum vitreum in MB.
Dosis ℥i. ad ℥iij. &c.

14. *Aqua cordialis restaurans P. de Sapina.*

℞. Corn. Cerv. mollis & tenelli in taleolas sect. ℔ij.
Succ. carnis vitulin. & caponis in duplici vase s.a. extract. ℔j.
Succ. pomor. redolent. ℔j.
Buglosſ.
Acetosell.
Trifol. acetoſ.
Vini optim. an. ℔ß.
Lign. Santal. citrin.
Rhod. an. ʒvi.
Cinnamom. ℥j.
Lign. aloës. ℈ij.
Digerantur omnia per dies ac noct. 2. dein destillentur in MB.
℞. Hujus aq. ℔iiij.
Succ. citr. recent. q. s. ad gratam acciditatem. Deinde adde
Flor. caryophyll. rub. p. iiij.
Bortag.
Buglosſ.
Violar. an. p. ii.
Rosſ. rub. p. iii.
Extrahatur Tinctura, cui adde
Confect. Alkerm. ʒiii.
De Hyacynth. ʒiß.
Magist. margarit.
Corall. rub. ā. ʒi.
Digerantur, & serventur pro usu.
Vires. *Spiritus vitales languidos mirificè reficit, adeoque convenit in syncope, palpitatione aliisque affectibus cordis. Dos. cochl. s. vel integrum.*
[*Correctionem dat Hofmannus.*]

16. *Aqua Cosmetica.*

℞. Cerusſ. alb. ℔.i.
Succ. limon. ʒi.
Limac. ℥iii.
Album. oui N. xv.
Camphor.
Borrag. ā. ʒiß.
Myrrh ℥ii.
Thur.
Mastich. ā. ℥ß.
Infundantur hor. 24.
Aqu. Til. ℔iii.
Sambuc. ℔iß.
postea destillentur.
Vires. *Cutem dealbat, lenemque reddit.*

17. *Aqua Cosmetica pretiosa.*

℞. Lil. alb. ʒvj.
Ireos fl.
Fabar.
Cicer.
Lupinor. an. ℥ß.
Fl. fabar. recent. Mß.
Tragacanth.
Cerusſ. alb.
Sacchar. alb. an. ℥ß.
Medull. panis alb. in lacte madefactæ ℥j.

Oliban.
Gumm. arab. ā. ʒiii.
Borrac.
Alum. plumos. ā. ʒii.
Album. ovi ℥i.
Camphor. ʒiß.
In s. q. aquæ Rosar. & flor. Fabar. an. infundantur per dies & noct. 3. Deinde destillentur.

18. *Aqua Cosmetica sive myrrhata S. Clossai.*

℞. lactis caprill. rec. mulcti ℔.iv.
album ovorum n.xii.
aq. nenuph. &
ros. albar. an.℔j.
Succi sempervi. major. ℔iß.
vini Hispan. ℔.3.
F. destillatio in MB. de qua cape ℔ij.
Myrr. opt. subtil. pulver. ℥ii.
Digere per 24. horas, & F. iterum destillatio per MB. non omnino ad siccitatem pro ordinariâ ablutione. Quod si facies eruganda sit, aut epidermidis asperitas tollenda, tunc
℞. aq. myrrh. præscript. ℔ß.
Sacch. cand. ℥ii.
Borrac. ʒi.
Alum. usti ʒj. M. abluantur facies.

19. *Aqua Damascena odorifera.*

℞. Ireos Fl.
Caryophyll.
Cubebar.
Cinnamom. acerr.
Gran. Paradis.
Calam. arom. ā. ℥i.
Majoran.
Thym.
Fol. laur.
Fl. Anthos.
Rosar. rubr. ana Mj.
Lavendul. ʒiii.
Vini optimi Mens. 3. Macerentur ac destillentur: Destillato liquori addantur.
Moschi ℈ß.
Zibeth. g. vi. M.
Vires. *Calfacit, siccat, incidit, discutit, cor ac caput imprimis roborat.*

20. *Aqua Diuretica ex nucleis F.F. seu Liquor diureticus.*

Kernvvasser. Eau, ou liqueur Diuretique, ou pour faire rendre l'urine.
℞. Flor. Sambuc. siccatt. ℥vi.
Amygd. amar. ℥v.
Nucl. persic. ℥xii.
Cerasor. ℥iii.
Incisa ac grossè contusa macera in Vini malvat. mens. iiß. hinc destilla in MB.
Vires. *Insignium virium in atterendo calculo, abstergendis ureticibus, urinaque cienda.*
Dosis coch. j.

21. *Aqua antidysenterica.*

℞. Nucistæ.
Sem. plantag.
Sanguinar.
Burs. pastor.
Sanguisorb. an. ℥ß.
Gallar. ʒ.vi.
Cydonior. exsiccat. ℥i.
Mespillor. exsicc.
Sorbor. exsiccat. ā. ℥ß.
Boli.
Terr. sigillat. ā. ℥i.
Flor. Balaust. Mj.
Rad. Acor. ℥ß.
Fruct. Acac. exsic. ℥i.
Panis tosti cum crusta Miii.
Infunde in Aq. plantag.
Tormentill.
Burs. pastor. an. q s.
Stent in infusione per dies ac noct. (8.) postea destilla ex MB.
Vires. *Convenientissima est in alvi uterique fluore, adeoque in dysenteria, diarrhæa, &c.*
Dosis coch. 1. vel 2.

22. *Aqua Diuretica S. Closs.*

℞. Vini alb. in quo rad. v. diureticæ & ering. prius lotæ & contusæ, fuerint maceratæ, ℔ii.
terebinth.
mellis opt. an. ℥iii.
succi raphan. &
malv. an. quart. 1. M. & infundantur omnia simul per dies 4. adde lumbricorum terræ nodulo inclusorum & filo suspensorum ℥v. deinde destillentur in MB.
℞ aquæ hujus destillat. ℥ii.
Spiritus Sal. com. succinati, id est, per octiduum cum sale volatili succini proportione sub tripla digesti, ℈ß.
M. F. dosis. Urinam & calculum potenter promovet. Ex communicatione S. Clossai.

23. *Aqua Febrifuga.*

℞. Rad. Scorzoner.
Pentaphyll.
Tormentill.
Dictamn. ana ʒvi.
Sem. citr. excort.
Card. bened.
Mariæ.
Acetos. ana ℥ß.
Santalor. omn. ana ʒj.
Galeg. Mj.
Fl. cordial. ana Mß.
Ras. c. c. ℥ß.
Contusis affundantur
Aqu. Tormentill.
Cichor.
Card. bened.
Mariæ.
Pap. errat. ā. q. s.
Macerentur in vitro clauso per dies (3.)
postea adde.
Pomor. citri contus. N.vi.
Succ. Endiv.
Acetos.
Card. bened.
Plantag. an. ℔.1.
Borrag.
Scord. an. ℔.ß.
Destillentur in MB.
Vires. *Convenit in febribus præcipuè malignis: malignitatem quippe discutit, putredini resistit.*
Dosis ℥j. *vel* ℥ij. iij.
[Succus senecionis febrium fervori extinguendo apprimè conveniens addi potest.]

24. *Aqua ad gutturis affectus. (Hals aqua.)*

Eau pour les maladies du Gosier. *Troat, vvater: Vvater voor de krop of kele.*
℞. Fol. piri sylvestr.
apii.
sanic.
periclym.
scord.
quinquefol.
aristol. rot. an. Mii.
herb. perfoliat. totius Miiii.
cerevis. acescentis (*Saverbier*) de la Bierre, ou Cervoise aigre. Mens. iiii.
Fermententur simul per 3. hebdom. tum adde.
albi græci ℥iii. destilla per vesicam.
Dentur cochl. iij. bibenda in ardoribus gutturis uvulaque inflammatione, deinde os frequenter eâdem colluat, & lintea hac aqua perfusa collo obvolvat.

25. *Aqua Antihectica.*

℞. Herb. Hyssop.
Hed terr.
Rorell.
Centaur. min.
Adianth.
Scabios.
Cichor.
Pimpinell.
Quinquefol.
Acetos.
Epatic.
Pulmonar.
Fl. Borrag.
Bugloss.

Papav.

Papav. rhæad.
Rosar. an. p.ii.
Sem. 4. frig. maj. an. ℥ii.
Rad. Cichor.
Enul. ā. ℥. ß.
Pimpinell. ℥i.
Cancr. fluviatil. contus. N. xxv.
M. & cum lacte caprino infunde ac destilla ex MB.
Vires : *Hecticâ laborantibus mirè prodest, acrimoniam sanguinis obtundendo, adeoque nutritionem emendando.*
Dosis, Cochl. 3. aut 4. assumpta mane, ac post meridiem totidem.

26. *Alia aqua antihectica.*

℞. Herb. Pimpinell.
Epatic. stell.
Millefol.
Agrimon.
Veronic.
Nasturt. aq. ā. M. i.
Sem. 4. frig. maj. an. ℥ß.
Flor. Borrag.
Bugloss.
Cichor.
Rosar. an. p. j.
Rad. Cichor.
Enul.
Pimpinell. ā. ℥vi.
Cancr. fluviatil. N. xiii.
Limac. N. xvi.
Sanguin. de vitulo nigr. ℔i.
Pulmonis vitulin. ℔ß.
Aq. Epatic. ℔i.
Lact. caprin. q. s.
F. Infusio & destillatio ex MB.
Vires *ac usus conveniunt cum priori.*
[Sanguis porci castrati, vitulini loco sumi potest.]

27. *Aqua Hysterica Crollii.*

℞. Rad. Diptamn.
Sem. Dauci ana ℥j.
Cinnamom. acer.
Cass. lign.
Meliss. ana ℈ij.
Croc. or. ℈j.
Castor. rec. ℈iß.
Ex omnibus mixtis F. pulvis, cui affundantur aquæ Rutæ ℔. ii. ß. stent dies (4.) in infusione. Hinc destilla in MB.
Convenit utero pravis humoribus molestato. Discutit, suffocationi succurrit.

28. *Aqua hysterica Matthæi Martini.*

Fol. Meliss. odor. M. vi.
Betonic.
Puleg. an. Miß.
Calaminth.
Arthemis.
Basilic.
Chamædr.
Hyssop. ā. M. ß.
Matricar. p. i.
Rad. Pœon.
Eryng.
Meu.
Angelic. dom.
Sylvestr. an. ℥ß.
Sem. Carv.
Siler. mont.
Coriandr. pp. an. ℥ij.
Galang.
Zedoar. an. ℈iiii.
Rhapontic. ℥iiß.
Comminutis affunde vini generosi & actu calidi ℔iij. stent in infusione hor. ix. ad cineres calidos. Postea ubi parum ebullierint in vase cooperto, destillentur in vase vitreo, & quæ primò exibit aqua servetur.
Vires. *In affectibus melancholiam redolentibus mirè efficax est. Dosis cochl. s. vel 1.*
Matthæus Mart. de Morb. Mesent.

29. *Aqua Imperialis correcta.*

℞. Cort. citr. sicc. & aurant.
Nuc. Mosch.
Zinzib.
Garyoph.
Cinnam. tenuis, ā ℥ii.
Ros. rubr. ante biduum collectar. ℔ß.
Rad. cyper.
Ireos florent.
Analag.
Acor. veri &
Zedoar. an. ℥j.
Bacc. Juniper. ℥ij.
Fol. laur.
Hyssop.
Meliss.
Salv.
Thym.
Sem. ocym. &
Majoran. an. ℥iß.
Flor. lavend.
Anth.
Calend.
Tunic. &
Sambuc. ā. ℔ij.
Incisa & contusa obvolvantur strato rosarum, infundanturque per octiduum in æquis partibus aq. ros. & vini generosi ad supereminentiam trium digitorum in cucurb. vitreâ super cineres calid. deinde destillentur Igne lentissimo per dies X. integros continuato, apponendo rostro alembic.
Mosch. opt. in nodulo ligat. ℈i. vel q. v.
Vires. *Medetur Cephalalgiæ, melancholiæ, paralysi, imbecillitati ventriculi, corrigit animam fœtentem, fœminas fæcundas reddit, partum accelerat, morbis Epidemicis adversatur, quod etiam facit (sed potentius) acetum magmati residuo superfusum, ejusque tincturâ impragnatum.*

30. *Aqua Lavendulæ composita.*

℞. Nucist.
Cubebar.
Zinzib.
Cinnamom. opt.
Galang.
Calam. ar.
Macis.
Caryophyll.
Visc. quern. an. ℥iß.
Rad. Pœon.
Eruc. ā. ℥iß.
Flor. Til.
Pœon.
Anthos.
Salv. ana Mß.
Lavendul.
Lil. convall. ana M xxiv.
Vini optimi q. s. F. infusio & destillatio in MB.
Vires. *Calfacit, exsiccat, cephalica est & arthritica, intrinsecus & extrinsecus adhiberi apta.*

31. *Aqua Magnanimitatis.*

℞. Formic. (præstant majores, acidulum odorem exhibentes) Mij.
Spirit. Vini Mensur. 1. vel q. s.
Digere vase clauso donec putrefactione in liquorem abierint. Hinc destilla per MB. aromatizaque tantillo cinnamomi.
Vires. *Calefacit intensè, incidit. Usus ejus præcipuus est in atrophia, sive intrinsecus, sive extrinsecus adhibere velis.*
[Magis efficax reddetur reiteratâ formicarum infusione, & destillatione.]
N. 1. *Si species anacard. infuderis, insigne conficies extractum, ad memoriam roborandam.*
N. 2. *Sunt, qui animositatem ejus potu excitari volunt, unde & nomen accepit; fides sit penes expertum. De collectione sunt qui monent, præferendas esse formicas, quæ plenilunio cum ovis simul colliguntur, hasque ad plenilunium usque subsequens digerere jubent.*
N. 3. *Nonnulli. ℞. lib. ij. aquæ magnanimitatis descriptæ addunt*
Confect. Anacard ℥ii.
Castor. recent. ℥i.
Fl. Bugloss.
Anthos ana Mj.
Cinnamon. opt. ℥j.
Digeruntque per aliquot dies, hinc destillant.

Alia aqua magnanimitatis descriptio.

℞. Formicar. major. (Majo vel Junio collect.) q. v.

Spir. Vini rectificat. ad eminent. digit. iii.
Digestis adde
Fl. Anthos.
Rof. rubr.
Bugloff.
Meliff.
Majoran. ana Mi.
Castorei el. ℥ii.
Spec. Diamosch. dulc. ℥ß.
Confect. Anacard. ℥i.
Aq. Bugloff.
Betonic.
Tiliæ, ana ℔.i.

Tritis terendis misce ac per mensem digerantur, deinde destillentur in MB & cum proprio sale restificentur.

Vires. *Cordialis est & cephalica præ priori, magnarumque virium ad memoriam roborandam.*

32. Aqua Nephretica.

℞. Rad. Enul. Camp.
Ononid.
Pimpinell.
Raphan. ana ℥i.
Petrosel.
Levistic. ana ʒvii.
Fol. Levistic.
Petroselin. an. Mi.
Saxif. c. toto ℥ii.
Nucl. persic. N.xxx.
Fl. Genist.
Meliff.
Anthos, ana M.ß.
Sambuc. Mi.
Bac. Junip.
Myrtill.
Hallicacab.
Sem. anif. an. ℥ii.

Incidantur & infundantur in Vini alb. ℔.xii. per dies (8.) dein destillentur.

Vires. *Diuretica ac lithontriptica est. Dosis cochl. 1.*

33. Aqua Philosophorum.

℞. Flor. Sambuc. rec. lib. iij.
Herb. Lactuc.
Portulac.
Solan. c. toto, ana ℔.i.
Hyoscyami alb.
Fl. Papav. errat.
domestic. ana lib. ß.
Rosar.
Violar. ana ℥iv.
Suc. Sempervív. ℔.iii.
Plantag.
Acetos. ana ℔.ii.
Endiv. ℔.i.

Omnia recentia contusa & incisa stent in infusione in cella frigida per dies (10.) postea destilla in MB. vel cinere ad siccitatem sexies reiterando, semperque destillatum affundendo super novas herbas, omissis siccis, tandemque rectifica, rectificato adde sal ex fæcibus extractum, depuratumque, sepeli in terram frigidissimam per mensem.

Vires. *Omnibus morbis calidis convenit, &c.*

34. *Aqua Pectoralis Clariss. D. D. Lud. von. Hornigh.*

℞. Hepar. Vitul. N.i.
Pulmon. Vulp. N.i.
Herb. Pulmonar.
Hepat. stellat.
Salviæ.
Rutæ.
Hyssop. ana Mi.
Rad. Enul. c.
Gladiol. ana ℥ß.
Sem. Anis.
Cary.
Fœnic. ā ℥ß.
Fl. Borrag.
Bugloff. ana ʒij.
Infundantur per hor. 24. in
Vini veteris gener. mens. ij.
Aq. Scabiof.
Card. benedict. ā ℥iv.
Hyssopp. ℥ii.
Dein destilla in MB.

Vires. *Confortat Pulmones ac Epar, crassam mucilaginem attenuat, expectorat, flatus discutit, obstructiones reserat, &c.*

35. Aqua Pectoralis F. F.

℞. Fol. Scabiof.
Veronic. ana Mij.
Capill. Vener.
Salv.
Hyssop.
Marrub.
Epatic. ana M.j.
Fl. Borrag.
Bugloff.
Violar. ā Mß.
Rad. Enul.
Ireos fl.
Petrosel.
Liquirit. ā. ℥ß.
Sem. Anis.
Fœnic.
Urtic.
Cinnamom. el.
Croc. or. an. ʒß.
Incis. & contusa digerantur in
Aq. Scabiof.
Veronic. ana ℔.i.
Hyssop. ℔.ß.
Vini alb. ℔iii.

Digerantur per dies (2.) destill. per MB. adde Sacchari cand. q. s.

Vires. *Easdem cum priori obtinet.*

36. Aqua Picarum composita.

℞. Sem. Pœon.
Rad. Pœon.
Pyrethri, ana ℥i.
Aristoloch. l. ʒiii.
Visc. quern. ℥ß.
Castorei Ar.
Fl. Stœchad. ana ʒi.
Lil. convall. ℈iß.
Paralys.
Pœon. ana ʒvi.
Lavendul.
Rorismar. ana ʒv.
Salv.
Majoran.
Betonic.
Hyssop. ana ℥ß.
Cinnamom.
Caryophyllor.
Cardamom.
Nucist.
Cubebar. ana ʒiß.

Singulis grosso modo contusis & incisis infundantur.
in Aq. Lil. convall. ℔.iii.
Flor. Tiliæ ℔.i.ß.
Primul. Veris ℔.i.

Deinde adde pullos picarum N.xii. qui pennis majusculis abjectis conquassentur & addantur infusioni prædictæ: post macerationem F. destillatio in MB.

N. *Sunt qui picas in aqua liliorum lib. iß. ad consumptionem medietatis antea coquunt, infusionique postmodum addunt. Verum quia coctione illâ volatilis pars prorsus evanescit, quid postmodum elevetur non video.*

[*Præstantiorem modum dat Hofmannus: Ex pullis destillatione peractâ in retorta vitrea igne luculento elicit Spiritum cum sale volatili & oleo fœtido, hinc rectificat & aqua destillata addit.*]

Vires. *Cephalica & antiepileptita insignis est. Dosis cochl. 1. vel 2.*

37. Aqua Salviæ composita F. F.

℞. Salv.
Majoran.
Thym.
Lavendul.
Epithym.
Beton. ana Mi.
Nucist.
Cinamm. ana ℥ß.
Rad. irid.
Cyper. rot.
Calam. ar. ana ℥i.
Storac. cal.
Benz. ana ℥iß.

Infunde

Infunde in ℔.IV. Spirit. Vini rec. per dies (4) dein destilla per MB.

Vires. *Calefacit & siccat. Cephalica & arthritica est penetrantissima, usui conveniens, tum internè, quàm externè.*

[*Hofm. putat meliorem fieri, si destillatio super sale Tartari fiat, demùm oleum rectificatum Styracis & Benzoini addantur, quantum imbibere valeat.*]

38. *Aqua antiscorbutica P. de Spina.*

℞. Rad. raphan. sylv. ℔ß.
Scorzoner.
Cichor. ana ℥iii.
Polypod. q. ℥. VI.
Enul. ʒ. VI.
Cort. tamarisc.
Cappar. ana ℥iß.
Citri ℥ß.
Ras. lign. rhod.
Sassafr. ana ʒIV.
Herb. menth.
Meliss.
Chamædr.
Veronic. ana Mi.
Sem. Fœnicul.
Anis.
Nasturt ana ℥ß.
Flor. Cordial. ana ʒii.
Troch. de cappar. ʒVI.
Croc. ℈i.
Digerantur per dies 3. in
Vini alb. generos. ℔iii.
Seris lactis caprin. depurat. ℔. ii.
Aq. Cuscur.
Acetosell.
Cardui bened. ana ℥v.
Postea adde
Succi cochlear.
Becabung.
Acetosell.
Fumar. ana ℥IX.
destillentur ex MB.

39. *Aqua Antispasmica S. Clossai.*

♃ Vitrioli Ungar. ℥IV.
Succin. flav. per triduum in aceto destillat. infusi ℥i.
Vini malvat. ℔iß.
F. digestio vase clauso per octiduum in BM. mox destillatio in ciner. ferè ad siccitatem, vitando Empyreuma.
℞. hujus liquoris destill. ℥IX.
Aq. still. post fermentationem Ceras. nigror.
Lilii convall.
Flor. tiliæ arbor. &
Pœon. ana ℥iii.
Rad. utriusque valerian. ℥ß.
Sem. pœon.
Bacc. Juniper. rec. matur. ana ʒiij.
Pullorum hirund. exenterat. n. 3.
Corvi &
Picarum detractis plum
exenter. ana n. I.
Castor. opt. ʒß.
Caphur. gr. XV. F. omnium destillatio in MB. bulliente.
℞. de liquore stillato quart. I.
Aq. Claretæ cum ambrâ & moscho ℥iß. M.
Sumat cochl. I. aut 2. incipiente parox. absque morâ.

40. *Aqua Splenetica. F. F.*

℞. Rad. Filic. ℥ii.
Polypod.
Apii. ana ℥iß.
Aristol. rot.
Levistic.
Acor. aq. (pseudoac.)
Cal. arom. ana ℥i.
Cort. Cappar.
Tamarisc.
Lign. fraxini.
Rhabarb. elect. ana ℥ß.
Sem. Levistic.
Carv.
Anis.
Cymin. ana ʒii.
Sum. Absynth.
Fumar.
Cuscut.
Fl. Agrimon.
Fol. Ceterach.
Scolopendr. ā. Miß.
vini generos. ℔. VIII. stent in digestione (per dies 2.)
Hinc destillentur per MB.
Vires. *Lienem roborat, aperit, urinam promovet, &c.*

41. *Aqua Contra Terrorem.*

Schreckwasser. Water againſt afright. Schrick water.

℞. Flor. Lil. convall. Miß. (vel plur.)
Superfunde Vini albi generos. Mensuras 3. stent simul in loco frigido per dies (14.) postea destilla per MB.
Destillato iterum adde
Cinnamom. ℥iß.
Cubebar. ℥ß.
Caryophyll. ʒiii.
Macis.
Galang.
Zing.
Zedoar.
Croc. or. ana ʒii.
M. Stent bene obturata aliquandiu. Hinc adde.
Flor. Lavendul. recent. Mj.
Spic. nostrat. Mß.
Stent iterum aliquot dies.
Hinc destilla in MB. Ex fæcibus extrahe Sal, destillatoque adde.

N. *Sunt qui destillatum ante Salis admixtionem super ocul. cancror. praparat. ℥j. destillant. Verum ut supra monui, rectius destillato admiscentur.*

Vires. *Convenit gravidis terrorem passis, præcavet abortum, fœtumque confortat.*

42. *Aqua Theriacalis s. contra Pestem.*

℞. Succi Galeg.
Acetos.
Scord.
Citr. ana ℔. I.
Theriac. opt. ℥ii.
Mista digerantur aliquandiu, postea destillentur. *Dosis cochl. j. ad ij. &c.*

43. *Aqua Theriacalis Croll. s. spiritus Theriacalis camphoratus.*

℞. Theriac. Andromach. ℥v.
Myrrh. rubr. ℥iiß.
Croc. orient. ℥ß.
Camphor. ʒii.
Mixtis superfunde Spirit. Vini rectificat. x. stent in loco tepido, cucurbitâ, imposito alembico, bene clausâ per dies (24.) Hinc destilla in MB. à lentissimo calore gradatim ascendendo. Sic Spiritus prodit elegans, quem reaffunde materiæ in cucurbita, digere, atque denuò destilla, idque vice tertiâ.

N. *Sunt qui Camphoram in alembico ponunt: alii contra, Camphoram omittunt, Spiritumque Theriacalem simplicem vocant.*

Vires. *Egregius usus est in Peste; ciet sudorem, resistitque veneno. Sennert. in Institut. Hartm. in Croll. Finck. in Enchirid, &c. Dosis* ʒI.

44. *Aqua de Tribus. Mixtura de tribus. Mixtura simplex. Diaphoreticum in peracutis.*

℞. Spirit. Tartari rectif. ℥iii.
Vitrioli ℥i.
Aq. Theriacal. camphorat. ℥v. M.
Vires. *Ciet sudorem, resistit putredini, magnarumque virium censetur in febribus malignis (ut & aliis quæ mali moris non sunt.*
Dosis ʒj. plus minus.
[*Vid. Descript. Spirit. Theriac. ad hoc apptam, ap. Hofm.*]

45. *Aqua Tristantis.*

℞. Nuc. Mosch. ℔. I.
Macer.
Zinzib.
Granor. paradis.
Caryophyll. ana ℥iß.
Rhabar. opt. ℥j.
Castor.
Spicæ nard. ā ℥ß.

Ol. laurini ℥ii.

M. & fac ut aromata maneant integra, infunde Vini optimi ℔.xiv. maceraque in vitro clauso septiman. 4. Dein cola, speciesque omnes contunde ad pulmenti formam, addanturque postea liquori colato, iterum stent per dies 3. sæpius agitando: Denique distilla in MB.

Vires. *Cephalica & uterina est, crassos flatus discutit.*

46. *Aqua vitæ Mulierum. Vveiber.*

Aqua Vitæ. Eau de vie pour les femmes. *Vuomens Aqua vita. Aqua vita voor der Vrouven.*

℞. Cinammon. acerr.
Nucist.
Macis.
Zinzib.
Garyophyllor.
Gran. Paradis.
Cubebar.
Cardamom. ā. ℥ii. (alii ℥iß.
Piper. long. ℥j. (alii rectius ℥ß.
Galang. ℥ſ. (alii rectius ℥j.
Zedoar. ℥j. (alii omittunt.

Pulverisentur singula seorsim, permisceanturque. Hinc adde

Fol. Salv. min.
Menth. crisp.
Fœnic. ana Mj. (alii Melissæ, & melius.

Affunde Vini generosi Mens. iii. maceraque vase clauso per dies (14.) postea destilla in MB. vel vesica stanno oblita.

Vires. *Uterum corroborat, suffocationes ejus compescit, flatus discutit, idque adeo feliciter, ut generosis ac nobilibus mulieribus Palatinatus, instar Panaceæ in morbis uterinis habeatur. Corroborat insuper ac calfacit ventriculum, caput, ac reliqua viscera. Exsiccat catarrhos.*

Dosis à cochl. ß. ad 1. &c.

Medull. destillatoria D. D. Vveickard, in Thes. Pharmac.

47. *Aqua vitæ mulierum camphorata s. Spiritus matricalis camphoratus.*

℞. 1. Dictas species priores, affunde Spir. Vin. digerantur & destillentur.
2. ℞. Camphor.
Ol. amygdal. d. ana ℔ 1.

M. optime, digerantur in MB. (vel Cinerib. per dies ac noct. (14.) ut camphora totaliter cum oleo conjungatur.

Hinc superfunde præfatum spiritum, rursumque per dies ac noct. aliquot digere. Sic Spiritus extrahit essentiam camphoræ.

Tandem leni calore MB. destilla usque ad sublimationem Camphoræ.

N. *In rostro poni possunt grana Kermes, quæ ruborem destillato concilient.*

Dosis gut. XX. *ad* XXX.

48. *Aqua Virtutum.*

℞. Cinnamom. el.
Gran. Paradisi ana ℥i.
Nucist.
Caryophyll.
Zinzib. ana ℥ß.
Macis.
Galang. ā. ʒii.
Salv. ℥vi.
Vini Rhenani lib. vi.

Incisa & contusa infundantur per dies 24. F. destillatio.

Vires. *Easdem obtinet cum præcedenti.*

49. *Aqua vomitiva Plateri.*

℞. Nuc. jugland. virid.
Rad. raphan. ana part. ij.
Acet. Vini part. iij.

Conquassatis nucibus & raphano, F. digestio leni calore, dies (5. vel 6.) postea destilla ex MB.

Dosis ab ℥ſ. ad ℥iij.

N. *Nonnulli fortiorem reddunt addendo nonnihil aquæ benedictæ.*

50. *Aqua Saturnina, sive Æsculapij vomitoria.*

Destilla acetum fortissimum per alembicum plumbeum magnum abjiciendo quartam partem aceti primo exstillantis tanquam nimis debile, reliquum excipe ad siccitatem ferè totalem, cavendo tamen ne ab aceti mellagine tetrum acquirat odorem.

Dulce est gustui, datur ad ℥j. ij. & ultra in febribus intermit. pro Vomitorio & contra Epilepsiam phlegmaticam à Ventriculo suscitatam.

[*Inut. e aceti phlegma Hofm. vocat.*]

Et quidem rectè statim ab AUTORE in principio *dividuntur* aquæ destillatæ *in* AQUAS SIMPLICITER sic DICTAS & in SPIRITUOSAS (quæ aliquid participant de natura spiritus volatilis facilè inflammabilis, qualis est v. gr. spiritus vini.

Modi destillandi variant: In genere tamen *destillantur* vel *per balneum* vel *per vesicam*, subdito igne carbonario. Rarum est, & verè secretum, quod refert BARTHOLINUS *Cent. 3. Epist. p. 434.* de virgine satis doctâ & eruditâ in Chymia, quæ potuit *destillare aquas* quovis anni tempore, valdè efficaces, *sine aqua*, *sine Igne*, *sine glacie*, & *sine nive*. *Modus* tantum virgini illi fuit cognitus & *secretus*. Dixi sine nive & glacie; quoniam uti habebimus, suo loco cum nive & glacie potest rectificari spiritus vini.

MODUS DESTILLANDI pro varietate materiarum *variat*: Et quidem in genere 1. destillantur VEGETABILIA, vel *cum additione vini*; vel *sine additione*.

Quæ destillantur *cum additione* vini, in iis simul abstrahitur pars vini spirituosa una cum partibus volatilibus plantæ, & tales sunt aquæ plantarum, destillatæ spirituosæ: v. gr. *sic* destillantur flores liliorum convallium, *sic* destillatur Cinamomum; *sic* destillantur quamplurimæ aquæ compositæ Apoplecticæ & Epilepticæ, affundendo vinum, digerendo paulisper, & postmodum destillando tales acquiruntur *aquæ spirituosæ*.

Quæ vero destillantur aquæ *sine additione* vini sunt *pura* & simpliciter sic dictæ aquæ, quæ nunc magis, nunc minus deprehenduntur efficaces pro varietate naturæ ingredientium.

QUÆSTIO est *an in aquis destillatis sit quædam efficacia*. Nam *quidam* admodum *commendant aquas* destillatas easque *præferunt decoctis* vegetabilium. Ex quorum numero est AMELUNGIUS in *suo tract. Apologetico de Chymia. Cap. 1. pag. 119.* ubi etiam ZUVINGERUS *in Examine principiorum Chymicor. p. 94. & p. 116.*

In contrariam partem, quod scilicet *nihil valeant* aquæ destillatæ Vegetabilium inclinat HELMONT, qui hinc inde, in specie *in tract. de Febribus Cap.* 8. §. 1. contumeliosè aquas destillatas vocat sudores plantarum, easque omni efficacia ac energia agendi destitutas vult: Quo etiam *inclinat* CONRINGIUS in tract. eleganti *de Medicamentis Hermeticis Cap. 20. p. 262.* qui parum illis virium inesse dicit, imò *omnes ejusdem esse potentiæ* & naturæ audacter asserit.

Medium tenuere beati. Unde *rectè* fecit ZUVOELFERUS *in Animadversionibus*: Item LAVRENBERGIUS in *scriptis contra Schrôderum*, atque etiam *in Paralypomenis*, qui non sine ratione *inter plantas distinguunt*, & diversam earum pensitantes naturam, *alias* efficaciores alias minus efficaces pronunciant: Sic eæ *plantæ*, & earum vegetabilium partes, quæ sunt *nimis terrestres* ac nimis fixiores ac minus volatiles, earum plantarum *aqua destillata* utique *sunt pura*, puta *phlegmata*, omni agendi potentia destituta, ex his sunt imprimis omnia ea, quæ dicuntur *adstringentia*, ex quibus aquam *adstringentem prolicere velle*, esset præparare nivem nigram, cum partes aquosæ, quæ adscendunt per alembicum, omnino contrariantur partibus terrestribus fixis adstringentibus. Unde qui ex plantagine ex tormentilla

&

& similibus volunt destillare aquam adstringentem, valdè hallucinantur.

Huc pertinent omnia *Splenetica* propriè sic dicta, *Filix*, *Ceterach*, *Scolopendria*, *Polypodium* & similia terrestria & minus volatilia & spirituosa, uti vel gustu patet. *Ex his destillata aqua* vel cum vel sine vino *parum aut nihil de crasi* ac efficacia simplicium secum *transportant*, adeo, ut nulla vis ex his cum aqua destillata prodeat.

Sed alia ratio est in herbis quæ habent partes volatiliores quales sunt. 1. Omnes *plantæ aromaticæ*, ad quas pertinent eæ, quæ habent saporem acrem & penetrantem; deinde quæ habent odorem fortiter nares ferientem: *Ex his* enim, quin *destillatur aqua efficax*, ac instructa volatilioribus salibus ac spirituosis solummodo plantarum particulis, nullum est dubium. Sic v. gr. *Absinthium*, *Mentha*, *Salvia*, *Serpillum*, *Rosæ*, & similes plantæ, in specie omnes aromaticæ & nervinæ, rectè destillatæ dant aquas satis efficaces, ut quod loquitur odor & sapor penetrans qui in aquis destillatis adhuc est superstes. Et quidem eo efficaciores erunt aquæ destillatæ, si *colligantur plantæ tempore matutino rore adhuc madidæ*, qui ros, ceu appropriatum menstruum, extrahit subtiliores partes medicas plantarum, easque una secum per alembicum transportat. Quod si postmodum hujusmodi aquæ semel destillatæ *rectificantur super novas species*, aqua erit eò efficacior & potentior in operando, quo sæpius instituta fuerit talis super novas species rectificatio.

Post has plantas aromaticas & spirituosas pĕsitandæ sunt *aquæ ex vulnerariis destillatæ*, uti *etiamex plantis refrigerantibus paratæ*: v. gr. ex refrigerantibus, ex Lactuca ex Endivia, quo pertinent etiam aqua Spermatis ranarum. Ex vulnerariis aqua Pyrolæ, *Alchimillæ*, Saniculæ, si prostant & similes: Ex his inquam rectè & *legitime destillatis* etiam nullum est dubium, quin *particulæ* earum *salino volatiles non paucæ* ab eorum occulto alcali volatili *simul eleventur*, & aquam destillatam imprægnenr. *Monstrat* hoc TACHENIUS imprimis enchirisi mechanicâ in *Hippocrate Chymico*, ubi dicit quod Essentia plantarum vulnerariarum & refrigerantium destillatæ soleant præcipitare Mercurium ex solutione ejus in aceto dest. ex eo, quoniam occultum alcali, conjungendo se cum acido menstrui, præcipitat Mercurium ex sua solutione.

Ulterius, qui satis abundanter hanc rem vult declaratam, de modo destillandi, & de virtutibus plantarum destill. vid. ZVVÔELFER. *in animadvers. edit. ultima*, ubi eleganter & sufficienter docet modum destillandi aquam, tam ex vegetabilibus, quam etiam ex animalibus.

Ut pergamus: Ex herbis & floribus viridibus dicit AUTOR *destillatur aqua per MB.* MODUM etiam proponens, dicit affundatur aqua, &c. Atque in hoc satis sunt liberales Pharmacopæi, ut plus aquarum acquirant. Cæterum hoc certum est, *quo minus affunditur aqua*, *eò minor* acquiritur *quantitas* aquæ destillatæ, *efficacior tamen* erit illâ, ubi copiosa aqua fuit adspersa. *Melius* autem est, *si* plantæ sint *succulentæ*, & *sine aqua addita destillentur* ex balneo vel vesica, probè conclusa lento igne (in hoc consistit artificium) ne contrahant empyreuma, & ne nimium partis phlegmaticæ inutilis transeat, licet acquiratur minor quantitas aquæ.

DELECTUM *plantarum* destillandarum vel in Mariæ balneo vel in vesicâ habet AUTOR in Nota ad hunc modum destillandi.

Herbis aromaticis, item iis, quæ solent dare in destillatione cum suâ aqua simul ol. v. gr. absinthium, salviâ &c. Hic commodè *possumus addere pauxillum salis communis*, *vel fæcum cerevisiæ* recentium, & ponere aliquot dies in digestionem, sic enim fit, ut quando destillantur, *subministrent efficaciorem aquæ*, & simul prodant *oppositis ol.* Cum sal. Commune & fæces Cerevisiæ attenuent, penetrent, incidant, & resolvant subtiliores plantarum partes. Uti dico, *si* plantæ sint satis *succulentæ*, non est affundenda aqua aut si affundenda, affundatur aqua propria jam ante destillata, sin *minus succulentæ possunt irrorari c. s. q. aquæ* melior tamen est aqua propria. Hæc autem irroratio fit propterea, ne contrahant empyreuma.

Cæterum modernorum industria solet huic malo prævenire, dum *modum* habent *destillandi aquam*, ita, *ut vesica non immediatè imponatur igni*, sed potius imponant hanc vesicam in vas quoddam, vel aqua, vel sabulo humido repletum, quod ipsum vas immediatè igni exponitur.

Modum destillandi hoc modo *cum* vase *aqua* repleto *docet* ZVVOELFERUS, & etiam subministrat SCHENCK in ultima editione. Modum *cum arena* hoc modo destillandi monstrat LEFEBURE *Tr. de Chymia.*

Artificium consistit in eo, ut vis ignis fortis, vel in aqua, vel arena, lento calore & tepido fotu sensim sensimque sublimet volatiles, salinas & spirituosas, simul tamen etiam efficaciores vegetabilium partes. *Vesica* ista, per quam fit aquarum destillatio, *debet esse obducta stanno interius*, propterea, quoniam alias particulæ vegetabilium salinæ acriores abradunt nonnihil, licet per se insensitivæ ex cupro, quod postmodum abrasum & cum aquâ permistum ejusdem vires vel alterat, vel non parum imminuit, exemplum hujus rei elegans subministrat TACHENIUS in *Hyppocrate Chymico* cum aqua rosarum, quæ destillata per tale vas cupreum, postmodum infusione sp. salis antimoniaci præcipitat pulverem viridiusculum, qui fusione abit in perfectum cuprum. *Neque* etiam *obducta debet esse plumbo*, quoniam similiter partes vegetabilium salinæ acriores transitu suo possunt abradere particulas saturni, eas pertinaciter secum Unitas continere, & postmodum interno usu adhibitæ tormina, dysenterias & alia mala inducere itaque pro *usu interno non ita* sunt *destillandæ* aquæ. Sin v. expetuntur pro applicatione externâ *in morbis externis* v. gr. in erysipelate, in Inflammationibus, item omnes aquæ Cosmeticæ, & omnes tales aquæ, quæ *pro usu externo* expetuntur *possunt* commodè *destillari per vesicam plumbo obductam.*

Cum notum sit, quod plumbum sit quarta columna Chirurgiæ, & quod particulæ plumbeæ conveniunt tam in cosmeticis, dissolutæ in aqua convenienti, quam omnibus aliis externis affectibus in Ulcerum doctrinâ & Chirurgicâ vulnerum curatione: quia aliàs aquis vulnerariis in applicatione plerumque permiscetur pro majori efficaciâ sacharum saturni, quâ permistione non indigent aquæ destillatæ per vasa plumbea si plumbo obducta.

In specie pro usu interno *optimè destillantur* plantæ *per vasa vitrea* vel vitro obducta, monente hoc ipsum POTERIO.

Ad plantas volatiles pertinent etiam *antiscorbuticæ*, quæ non confundendæ cum spleneticis fixis, à veteribus pro spleneticis habitis, utut etiam dicantur spleneticæ.

Quando expetitur ol. additur sal commune sic enim & copiosior, aqua & ol. acquiritur.

Sic si anisum in aqua salina maceretur, dat & aquam & oleum copiosum.

Aromata

Aromata uti plantæ *destillantur cum vino*, & sic fiunt aquæ aromatum spirituosæ: vel affunditur spiritus vini, & sic acquiritur spiritus aromatum vinosus.

E REGNO ANIMALI destillantur vel *animalia integra*, vel *eorum partes*.

Quæstio est inter Modernos, *an aqua fortiter destillata ex Carnibus animalium benè nutrientibus acquirat facultatem & vim nutriendi ægros, quibus ob imbecillitatem stomachi, non potest concedi durior victus*. Sunt qui *affirmant*: Cæterum *verior est Negativa*: nec obstat, quod quidem coctione in iusculis possint partes animalium nutritiæ ac roborantes elici: Nam hæ ipsæ partes sunt fixiores, quam ut possint destillari per alembicum, & dare aquam destillatam. De quo vid. SENNERTUS *in fine de decoctis*, & alii Auctores, qui ferè omnes hoc negant. Unde enim *aquæ animalium parvæ* vel nullius sunt *efficaciæ nisi* excipere velimus *insecta*, copioso sal. vol. imprægnata: Ratione cujus v. gr. aqua formicarum, aqua Cochlearum, aqua spermatis ranarum, &c. non possunt rejici.

Ex CEREBRO *humano* imprimis solet destillari *aqua non inelegans* ad affectus *Capitis*, in quibus habetur specifica. *Modus* destillandi vid. in HARTMANNI *praxi Chymiatr. Elegantior* est *modus*, si cerebrum in balneo per longam digestionem omninò *convertatur in liquorem*, qui destillatus postmodum totus sub formâ aquæ transit, per alembicum: Et hæc aqua cerebro hominis morte violentâ interempti, h. m. destillata *ad apoplecticos & epilecticos insultus* est expertissima.

Ex CORNUBUS *non* potest destillari aqu. *d. spiritus*. Novella verò Cervorum cornua, quæ *Typhæ* vocantur, eæ teneriusculæ & molliores *subministrant aquam* satis elegantem *in morbis malignis*, in *variolis & morbilis*, in *syncopticis affectibus*, & similibus aliis.

Ex STERCORIBUS quæ destillantur aquæ, inprimis pro usu externo *inter Cosmetica & ophtalmica* solent expeti, uti monui de stercore Anserino, humano, Columbino & Vaccarum, ex quo distillatur aqua omnium florum.

Ex POMIS BORSDORFFIANIS *putridis* superius monui sub pomo, quod *destilletur aqua* conveniens *contra gangrænam sphacelum ulcera maligna & phagedænica*.

Ex Cancris FLUVIATILIBUS vivis contusis cum sempervivo & sale ammoniaco permistis, conveniens destillatur aqua pro affectibus faucium; *Angina*, pro *Inflammatione faucium*, pro *morbo Ungarico*: pro affectu, quem vocant, *prunellam*.

Istam aquam dixi parari *ex typhis Cervorum* singularis & *in nimiâ purgatione post partum*, in *nimio lochiorum fluxu*, in quo permista cum osse de corde Cervi pulverisato habetur specifica.

Quæstio est, *an possint destillari AQUÆ PURGANTES?* Quidam *affirmant* quidam *negant*. universaliter negari non potest. Nam *aqua Ellebori nigri* per alembicum secum rapit sal vol. plantæ & *vim obtinet purgantem*: Item *aqua ex floribus Iridis nostratis* cæruleæ destillata similiter *purgat*. Deinde sunt m. *aquæ purgantes compositæ* quæ videri possunt in ZUUOELFFERI *pharmac. p. reg. p. 406.* ubi & alia huc spectantia non incongrua videri possunt.

AQUÆ OFFICINALES SIMPLICES & phlegmata facilè possunt judicari ex viribus simplicium.

(Aqua flor. aurantiorum vocatur *aqua nymphæ* quod observetur.)

Sequuntur aquæ fortiores, & quæ c. vino destillantur & vocantur spirituosæ, & tales solent esse inprimis COMPOSITÆ.

I. est AQUA ANHALTINA quam ingreditur terebinthina, & quæ propter eandem nauseabundum aliquantisper habet saporem: nihilominus tamen commendatur *in* quamplurimis *affectibus Uterinis & Capitis apoplecticis & vertiginosis*, &c. *Externè* contra *Paralysin & arthritidem vagam*. Penetrantissima est hæc aqua interno & externo usu, idque propter terebinthinam. *Rectè* ante hanc aquam monet AUTOR, quod *non admiscenda* sint talia ingredientia *perlæ* v. gr. *corallia*, &c. quæ nullam dant aquæ efficaciam, quales sunt aquæ quamplurimæ MYNSICHTI, adeò ut meritò rigorosum ZUUOELFFERI examen postularunt.

II. AQUA APERITIVA.

Meretur nomen in affectibus iis, in quibus sunt obstructiones *in Cachecticis*, *Scorbuticis*, *Ictericis*, &c. Sed examinanti ingredientia innotescet, quod *multa* sunt *admista quæ nullam aquæ* subministrant *efficaciam*, ut polytrichon, Ceterach: adianthum, &c. uti jam antea monui, quod facilè potest intelligi, modo pensitentur vires ingredientium.

III. AQUA APOPLECTICA KOLREUTERI.

Elegans est in *affectibus Capitis*, & ingredientibus aliis spirituosis non incongruè permiscetur. Cæterum *pro usu virorum* præparatur *cum Ambra & Moscho*, pro usu *mulierum sinè* Ambra & Moscho.

AQUA ASTHMATICA.

Est elegans & convenit in affectibus pectoris in *Tussi Asthmate* & similibus: vid. AUCTOR quæ habet de ejusdem efficaciâ.

AQUA CARBUNCULI.

Est aqua ex aromatibus destillata cum affusione vini Maluatici: valde internè convenit in *affectibus cordis* ita dictis & *capitis* v. gr. *in imbecillitate virium*, in *lipothymia* & *syncope* in *palpitatione cordis* & *vertigine it. Epilepsia* tam interne quam externè: Externè naribus & pulsibus applicatur: internè permiscetur c. aliis, & datur haurienda ægro, Virtutes videantur in AUCTORE.

VIII. AQUA AD EXSICCANDOS CATHARROS.

Est *aqua serpilli*, elegans propter lignum sassafras infundendum. Prolicitur hinc *tinct. sassafras Mynsichti*, quoniam *sassafras* est *appropriatum Catarrhorum alexipharmacum*.

IX. AQUA CARMINATIVA.

Non est inelegans: superius ubi de aurantiis, dedi *aquam Carminativam* MANNAGETTA quæ similiter est satis efficax.

AQUA CINNAMOMI cum VINO: CYDONIATA BORRAGINATA.

Aq. cinamomi cum Vino Malvatico valdè convenit in *affectibus stomachi*, in *syncope*, *lipothymia*, in *defectu spirituum animalium*, in *suffocatione uterina*, in *partu difficili* & similibus affectibus, ubi opus est corroboratione.

Loco vini *interdum* Cinamomum infunditur *in succum Cydoniorum* & vocatur *aqua Cinnamomi Cydoniata* quæ valdè convenit in *affectibus stomachi*, *Vomitu*, *Nausea*, *cholera*, *diarrhæa* & similibus affectibus stomachi. ubi adstrictione & confortatione ejus opus est, In *anorexia*, *apepsia* similibusque est egregia cum aqua & spiritu Mannæ permista.

Cinnamomum *interdum* permiscetur *cum succo florum Borraginis*, & elicita aqua dicitur aqua Cinnamomi borraginata, quæ ad omnia illa prodest, ad quæ aqua Cinnamoni c. vino *dosis* est à cochl. j. ad ij.

XIII. & XIV. AQUA CORDIALIS HERCULIS SAXONIÆ.

Valdè

Valdè convenit in *affectibus malignis* & pestilentialibus, ubi opus est spirituum confortatione & virium refocillationi: propinatur ad ℥j. cum aliis interdum ℥iß. pro indigentia affectus.

Cæterum aqua Herculis Saxoniæ frigidâ loco XIV. descripta est ridicula, quod ingrediuntur illam terra sigillata, terra lemnia. Bolus Armena, quæ nihil communicant aquæ, uti monui.

XVI. AQUA COSMETICA.

Cum prioris est *ridicula* propterea, quoniam basin constituit cerussa alba, quæ nihil communicat liquori ingrediuntur etiam Borrax, alumen saccharum, &c. quæ ejusdem sunt farinæ. *Melius permiscetur* Borrax & alumen, uti fit in XVIII. Sic enim quandam possunt habere efficaciam.

XXI. AQUA ANTIDYSENTERIA.

Easdem habet notas, quæ nihil præstant aquæ, uti patet examinanti ingredientia.

AQUA S. BALSAMUS EMBRYONUM.

Vid. in pharmacop. reg. ZVVÔELFER: Ita dicitur, quoniam usurpatur à prægnantibus *ad confortandum fœtum*, & præcavendum *abortum*: internè sumitur singulis manè cochlear I. Externè *applicatur* cum crusta s. frustulo panis *umbelico* mulieris gravidæ, pro fœtu corroborando, & abortu præcavendo. In nimio *gravidarum Vomitu*, item in Pica, in *Nausea*, adhibetur externè *stomacho* cum crusta panis.

AQUA EPILEPTICA LANGII.

Describitur in A. & valdè est usitata apud nos in *affectibus Epilepticis* aliisque *Cephalicis*.

XXIV. AQUA AD GUTTURIS AFFECTUS.

Melius convenit *decoctum* quam destillatum. Unde si loco hujus aquæ destillatæ recipiantur ingredientia, & fiat decoctum, in quo dissolvatur Mel rosaceum & album græcum, longè est convenientius quam totum hoc destillatum.

XXV. AQUA ANTIHECTICA.

Ad Hecticam valdè commendatur in *aqua ex sanguine porcellorum* vel *vitulorum* vel *cancris* fluviatilibus destillata. Item aqua pulmonum vituli c. succo plantarum pectoralium destillata similiter in *phthisi* & *Hectica* magnifieri solet.

AQUA HIRUNDINUM C. CASTOREO.

Valdè usurpatur in *affectibus mulierum hystericis*, item in *affectibus hypochondriacis convulsivis* & aliorum epilepticorum spiritibus tam quando interna viscera, quam quando externa membra convelluntur: *descriptio* vid. in A.

XXVIII. AQUA HYSTERICA MARTINI.

Commendatur non tantum in *hysterica passione*; d. m. in *affectibus melancholicis* & *hypochondriacis*, inquibus sæpius partes internæ Mesenterium, diaphragma, &c. convelluntur, per medicamenta epileptica curantur præmisso vomitorio. De quibus Convulsionibus optimè agit VVILTIS in *pathologia Cerebri*, vocant has convulsiones mulliercul. magn. In corpor. dolor. & in eo medic. prudentiores meli. videntur.

XXXI. AQUA MAGNANIMITATIS.

Basis *formicarum* est fabricata, cum notum sit, quod ipsæ formicæ sunt valdè egregiæ. Unde in quam plurimis affectibus, in *prostratione Virium*, in *armanais ad Venerem viris* convenit. Conducit hæc *aqua in atrophia*, sive *internè* assumatur, sive *externè* fricentur illâ partes: cum etiam spiritus solus internè, & externè soleat contra atrophiam commendari. Et sicuti spiritus *formicarum* internè conducit in *doloribus* partium s. artuum *vagis*, uti etiam in articulorum *fixis*, ita etiam in iisdem convenit hæc aqua magnanimitatis. Præterea valdè convenit in *affectibus capitis*, in *deficiente memoria* & imbecillitate functionum animalium, in *impotentiá* virorum, &c. *Dosis* est cochlear dimidium ad summum cochlear j. pro summo refectivo spirituum animalium.

Imperator *Maximilianus*, qui valdè *deditus fuit* venationi damarum in rupibus Tyrolensibus, quoties se venationi accinxit, Usus fuit hâc aquâ ceu secreto pro *refectione spirituum* & *contra vertiginem*: Ceu certum quoque habetur in *malo auditu*, *surditate* & *aurium tinnitu*. Quando hæc aqua destillatur, inter destillationem simul ascendit *oleositas*, quæ est separanda, & sensim sensimque reservanda, cum sit excellens ad *nebulas oculorum* discutiendas; & attenuandas illita: Item habetur secreta in malo *auditu*, si guttulæ quædem exceptæ bombace indantur auribus.

AQUA PHILOSOPHORUM.

Ad omnes convenit morbos. Quasi vero.

XXXVII. AQUA PICARUM.

Est egregia in *Epilepsiâ* & *Apoplexia* & similibus *affectibus convulsivis*: in quo usu etiam convenit loco XXXVII. descripta.

AQUÆ SALVIÆ COMPOSITA.

uti facilè patet examinanti ingredientia.

AQUA CONTRA TERROREM.

est aqua spirituosa aromatica cum Vino præparata. Commendatur *in terrore* imprimis in *gravidis*, quas disponit terror ad abortum, confortat fœtum, convenit in *senibus terriculosis* & meticulosis.

AQUA THERIACALIS CAMPHORATA.

Valdè appropriata est in *morbis malignis* & pestilentialibus, promovet *sudorem*, & ratione camphoræ malignitatem expellit unde in quamplurimis affectibus malignis in *purpura mulierum* &c. est convenitissimum remedium. *Basis* est MISTURA DE TRIBUS scil. simplex: loco XXXIV. descripta, quæ fere idem est cum Tinct. Bezoardicâ. *Differt* tamen *ratione Coloris*, aliàs ingredientia & componendi modus ferè est idem. Hæc Mistura simplex datur *diaphoretica in peracut.* à ʒß. ad ʒj. prolicit *sudorem*, compescit *effervescentias*, perturbatam *sanguinis crasin* rectificat, & si quæ subest *malignitas* eam potenter per sudorem expellit: in *quam plurimis morbis* commendatur; ac generale est sudoriferum; permeat enim totum corpus, & quicquid maligni offendit, eliminat. PARACELSUS commendat ad *Epilepsiam*, sed tamen hoc noto, ut *loco* spiritus vitrioli *vulgaris* sumatur, *spiritus vitrioli volatilis*. Hinc etiam præter Epilepsiam convenit in *Apoplexiâ* & affectibus *catharrhalibus*. In *pleuritide* & *febribus ardentibus* cum inflammatione partium internarum conjunctis, ut in Erysipelate, egregia est hæc mistura; In *ardentibus* febribus tam præservandis quam curandis *in principio* non sine successu adhibetur: dico in principio: Nam *in progressu*, ubi jam caput occupatur, & ægri incipiunt delirare, usus illius *non est tutus*, propter spiritus volatiles: Adhæc convenit in *Affectibus Hypochondriacis* & *scorbuticis*, ubi opus est, ut proliciatur sudor: inquibus affectibus, ut in *Melancholia hypochondriaca* valdopere commendatur: Sed necessum est, ut *spiritus tartari sit optime rectificatus*; non sit phlegmaticus, sed omnibus locis benè clausis destilatus. Spiritus vitrioli sit volatilis, quantum fieri potest: Propinatur in aqua appropriata ʒß, vel instillantur gutt. 40. vel 50. in haustum vini vel Cerevisiæ. TINCT. BEZOARDICA nostra fit ex tribus hisce, sed *differt* in proportione, & tinct. rubea conciliatur ipsi cum santalo rubeo, & commodè potest mistura simplex *substitui* tinct. Bezoardicæ.

AQUA VITÆ MULIERUM.

Convenit in *affectibus* mulierum, inprimis *gravidarum* in *imbecillitate virium* &c.

Sequuntur aquæ reliquæ usui externo dicatæ in sequenti.

SCHRODER. CAP. XXXIX.

De Aquis Reliquis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

PRæter aquas destillatas sunt & aliæ officinales, ex destillatis sc. simplici vel fontana, & accedente rerum aliarum incoctione, infusione, admixtione resultantes.

Modus parandi nihil discrepat à modo decoctionis, infusionisve aliàs tradito.

Usitatiores hujus formulæ sunt.
Aqua Ophthalmica F.F. 1.
Ophthalm. Bruni 2.
Ophth. Quercet. 3.
Aqua ad suffusionem expertissima. 4.
Sapphirea 5.
Viridis. Collyr. Virid. 6.
Perlarum 7.
Lac virginis. 8.
Caustica. 9.
Antipodagrica Quercetani. 10.
Antipodagrica I. Raici. 11.

1. *Aqua Ophthalmica F. F.*

℞. Vitrioli alb. ℨij.
Baccar. Laur. excort. ℨiij.
Aqu. rosar. alb.
fœnic. ana ℔i.

Bulliant l. Igne in cucurbita vitrea ad consumptionem medietatis, hinc adde Camphoræ ℨiii. M. Filtra per chartam.

Huic similis aqua ophthalmica, quam Autor editionibus prioribus affixit sub finem libri II. quæ huc referri potest.

℞. Aq. a. Rof. alb.
Lil. al.
Fœnicul. ā. ℥x.
Bacc. lauri contrit. ℨii.
Vitrioli alb. ℨiß.
Camphoræ ℈ii.

Bulliant in diplomate, & stent per noctem bene clausa, mane colentur & serv. pro usu.

2. *Aqua Ophthalm. Bruni. Collyrium Bruni.*

℞. Vini albi.
Aq. Rosar. alb. ana ℥iß.
Aloës Hepatic. subtiliter pulv. ℨj.
F. Collyrium.

Vires. *Commendatur ad palpebrarum scabiem pruriginosam.*

3. *Aqua Ophthalmica Quercetani.*

℞. Croc. metall. ℨi. vel ℨij.
Infunde in aqua Euphrag. fœnic. aut simil. ℥v. vel vi.

Vires. *Virtutis miræ est contra amblyopiam, amaurosin, & suffusionem.*

4. *Aqua ad suffusionem expertissima.*

℞. Aquar. euphras.
Fœnic.
Verben. ana ℥iii.
Succorum chelid.
Rut. ana ℥ii.
Piper. long. ℈ii.
Nuc. mosch. ℨi.
Caryoph. ℨß.
Croci ℈i.
Florum rorism. aliquantulum contrit. Mß.
Sarcocoll.
Aloës hepat. ana ℨiii.
Fellis perdicum ℥j.
Incisis tritisque singulis adde
Sacch. albiss. ℥ii.
Mell. rosat. ℨvi.

Ponantur in alembico vitreo, destillentur in MB. Igne lento.

℞ Hujus aquæ ℥i.
Spiritus Tart. rectificat. ℨj.

De hac aqua instilletur in oculum laborantem bis aut ter in die.

[*In caligine oculorum etiam apud senes præstantissima comperta, etsi Hofmann. scire aveat, unde tanta rei effectus. Fellis perdicum loco sumi potest vervecinum.*]

5. *Aqua Saphirea ad oculos.*

℞. Lixivii calcis vivæ cum aqua fontana facti, & filtrati q. v.
In hoc solve sal. ammoniac. parum.

Id ubi exactè solutum fuerit, aquam hanc in æneam pelvim conjice per noctem, & Saphiri acquiret colorem, &c. estque diaphana in vitro seposita.

Vires. *Ad omnia fere oculorum vitia, imò ad ulcera quavis mundanda utilissima; cancrum, ambustionem, aliaque multa vitia sanare perhibetur. Oculis aliquot guttæ tantum imponuntur, prout scil. multum parumve salis ærisve continuerit. Efficax item est ad pelles oculorum auferendas. Potest dilui aqua still. fœniculi, euphrag &c.*

N. *Est usitatissima Agyrtis.*

6. *Aqua Viridis. Collyrium viride.*

℞. Ærug. æris ℨii.
Auripigment. citrini ℨj.
Aq. rof. alb.
Plantag.
Vini alb. ana ℥iii.
M. Bulliant simul, maneatque liquor super materiam.

Vires. *Utilis est in Pterygio, si oculo instilletur.*

Loco hujus ob Auripigmentum suspectum, ℞. Aqua Rosar. plantag. Vin. an. ℥iii. quibus adde Tuthiæ præparat. ℨii. Myrrh. pulv. ℨß. incoct. ad tertias: usu comprobatam in omnibus oculorum affectibus ad miraculum parat Hofm. sub finem coctionis in nodulo suspendendo colaturâ sine expressione factâ, viridis æris ℈j. Camphor. gr. vij.

Huc pertinent Aquæ Cordiales, Krafftwasser.

Cordial waters, Hertsteckrende wateren. Quæ si lac colore æmulentur, lac, emulsiove dicuntur, fiuntque ex aquis stillatitiis, pulveribus, aliisque cordialibus.

7. *Aqua perlarum in Officina usualis.*

℞. Aq. Rosar.
Borrag.
Bugloss. ana ℥iv.
Manus Christi perlar. ℥j.
Sacchar. cand. ℥ß.

Alia.

℞. Aqu. acetos.
Borrag.
Bugloss.
Rosar. ana ℥iv.
Manus Christi perlat. ℥iii.
Margarit. præparat. ℨß.
Syrup. Granat. ℥j. M.

Vires. *Vulgo notissima sunt, utpote ad quas in extremis, tanquam ad ultimum levamen confugitur, cochl. subinde propinando.*

Hujus quoque loci sunt & alii liquores Aquei, ut

8. *Lac Virginis.*

℞. Aqu. solan.
nymph.
lactuc.
Acet. ℥ij.
Dissolvantur in his
Lithargyr. argent. ℥j.
Cerus. candid. ℨiij.
Camphor. ℈j.

Stent aliquot horis dum resederint quæ crassa sunt, tum transcolentur per filtrum aut cribrum setaceum.

Usus magnus lactis hujus est, non solùm in decorandis Virginibus, acquirendoque nitore faciei, sed & in scabie emendanda, sanguineque sistendo: tum ad passam frontem, i. e. passarum more rugatam, explanandam exporrigendamque.

N. *Aliud vide apud August.*

9. *Aqua caustica, F.F.*

℞. Spirit. Vini rectific. ℥iii.

Pulv.

Pulv. Caryophyll. ℥j.
Zinzib.
Cinnamom. ana ʒß. ℈ß.
Pulv. Cerusſ. ʒiß.
Alum. ust. ʒß.
Mercurii præcipitati ʒiß.
Misceantur optimè & serventur in vase optimè clauso.
Vires. *Mundificat vulnera inveterata, excrescentias exedit.*

Alia.

℞. Mercur. ceruſ. ana ʒß.
Alum. ust. vitrioli alb. ā. ʒii.
Aqu. ro ar. ℥iiiiß.
Fontanæ ℥iv. M.

10. *Aqua antipodagrica Quercetani.*

℞. Aq. fortan. (potius pluvial.) in qua aliquoties extincta Venus & Mars.
Adde vitrum antimonii ac mercurii dulc.
Vires. *Resolvit tartarum, dolores sopit. Vid. Querc. Rediv. tom. 3. pag. 263.*

11. *Aqua Antipodagrica Joh. Raici.*

℞. Aq. terimachtim utriusque (i. e. aq. levistic. à bolo & Terra sigill. destillatæ) ℔. 1.
Laudan Mercuriali. (i. e. Mercur. præcipitati potius Mercur. dulcis, acet. fortissim. an. macerati) ℥iii.
Alhadid. (i. e. aquæ ferri) ℔ii.
Calcinationis lapidis de Alcochol. (i. e. Croci metallorum) ʒj.
M. *Lossel in Podagra.*

N. 1. *Aqua alhadid. fit limaturam in aqua macerando, postmodum ut nonnulli volunt, per vesicam abstrahendo. Verum enim verò melius foret, ut ex ipsiusmet Raici ore in memoriam mihi revoco, Limaturam aëri humido exponere, atque instante plenilunio ex cucurbita humili seu Urinali aquam destillare, iterumque aëri reponere, ac destillare. Quæ aqua redolet naturam salis * itaque in quantitate minori adhiberi potest.*

N. 2. *Aqua podagr. Rulandi forsan ab his non multum est diversa.*

[*Suspectæ aquæ hæ Mercuriales, generique nervoso noxiæ videntur.*]

I. AQUA OPHTHALMICA.

Ex. vitriolo, quæ valde convenit in *affectibus oculorum* v. gr. in *albugine*, *nebula* & similibus: Convenienter instillatur oculis, in quibuscumque *Ophthalmiis*. Cæterum observetur *modus usurpandi* aquas ophthalmicas: qu. enim rectè debent applicari, æger cubet in dorso & gutt. j. vel ij. immittat oculis apertis, in majorem oculi canthum, & clausis palpebris oculum hinc inde vertat: sic n. gutta, plus prodest, quam 100. ægro stante aut cum bombace applicatæ: Et hæc applicatio reiteranda est singulis tribus horis pro ratione affectus.

AQUA OPHTHALMICA QUERCETANI.

Aqua est, quæ fit *ex croco metallorum*: loco hujus sunt, qui rectius substituendum putant Mercurium vitæ, vel vitrum antimonii. Quicquid sit, omnes hæ aquæ infusionis antimonialium valdè conveniunt in omnibus affectibus oculorum.

Sunt qui commendant hanc *aquam Ophthalmicam*,
℞. *Aqua fœniculi &*
Euphrasiæ q. s. infundunt
rad. Imperatoriæ concisam, & ponunt in locum calidum, & colunt, colaturæ huic addunt grana quædam camphoræ, & quædam grana sacchari saturni, est *aqua egregia in* quamplurimis *oculorum affectibus*.

Pertinet huc *aqua ophthalmica Quercetani* alia cujus hæc est descriptio.
℞. *urin. pueri* ℔ß.
vitrioli ℥iv.
Tutiæ ʒij.
succi Chelidonii ℔ij.
Stent in digestione per aliquot dies, postmodum destillantur pro usu externo.

V. AQUA SAPPHIRINA AD OCULOS.

dicitur *sapphirina*, *propter colorem* sapphirinum, quem habet infusione in pelvim æneum.

In hac aqua paranda, s. loco aquæ fontanæ sumatur aqua ophthalmica appropriata, erit aqua præstantior, inprimis *in cancris oculorum* in *ulceribus oculorum* valdè convenit: *applicatur* per se vel si est nimis acris, diluitur in aqua appropriata, & ita applicatur. Ad *nebulas*, ad *ungues* & similes affectus est *incomparabilis hæc aqua*.

Affinis est huic alia aqua *Chirurgica*, quæ valdè etiam decantatur, cujus hæc est compositio.

℞. calc. viv. ℔j. vel ℔ij. affunde mensuras V. aquæ appropriatæ ferventis, in colaturæ mensurâ j. dissolve Mercurii dulcis ʒij. & reserva ad usum. Nam nulla sunt *ulcera oculorum*, uti etiam *aliarum* partium quæ non *funditus curet*, etiam antiquissima, licet summo æstuent ardore: experimentum *etiam est* contra *scabiem* quamcunque.

VIII. LAC VIRGINIS.

Dicitur Lac virginis, *propter colorem* album instar lactis, quem habet ex præcipitatione plumbi, & quoniam frequenter usurpant virgines pro cosmetico, propterea ita vocatur. *Cum hac* aquâ benè agitatâ *sese virgines* sub introitum lecti *lavant*, manè quando evigilant, abstergunt faciem, cum sero lactis, & sic acquirunt faciem albam nitidam & elegantem: In *rubore faciei*, in *Lentiginibus* & *serpiginibus*, in *asperitate cutis*: item in *scabie*, & quidem ratione plumbi & Camphoræ quæ duo quoniam absorbent subtile acidum, affectuum cutaneorum auctorem, adeò conveniens est hæc aqua.

Pertinent huc *aquæ Mercuriales*, qualis est aqua FREITAGII *ad scabiem*.
℞. *Mercurii Crudi.*
aq. fortis an. ℥j. M. ad Ignem, & adde.
Aqu. plantaginis ℔ij. filtra & Misc.

Convenit in *scabie*, *Verrucis* & *excrescentiis gallicis*, in *pustulis* & *ficubus gallicis*, in *ulceribus* & *Fissuris Veneris*, &c.

Habuimus aquas, easque occasione potionum, quarum sunt ingrediens: sequitur nunc.

SCHRODER. CAP. LXXXI.
De Spiritibus.
Cum commentar. Gerard. Blasii.

Spiritus ut diversi sunt volatilitate ac fixitate, ita & diverso caloris gradu, diversisque destillatoriis destillantur. Fixiores scilicet Retortâ, igneque fortiori, arenæ scilicet, vel nudo. Volatiliores alembic. atque igne blandiori, scil. VB. MB. vel cinerum.

Fieri possunt spiritus ex *mineralibus*, *vegetabilibus ac animalibus*.

Spiritus MINERALES singuli ferè peculiares sibi vendicant modos, quos vide suis locis.

N. *Qua ratione sine vasis destillatoriis spiritus minerales destillari queant, libr. 1. cap. 20. declaravimus. Conscripsit & de eodem peculiarem quendam Tractatulum Iohan. Glauberus, titulo Furni Philosophici.*

Spiritus VEGETABILES eliciuntur naturæ *volatilioris*, è foliis, floribus, fructibus, seminibus, aromatibus: *fixioris*, è lignis, corticibus, viscis.

Modus eliciendi spiritus volatiliores non discrepat à destillatione aquarum stillatitiarum, quippe inter has & spiritus hoc solùm discriminis intercedit, quod aquæ dictæ maximam partem phlegmatis contineant, spiritus minorem, unde & rectificando spiritus ab aquis sequestrantur.

N. 1. *Res fermentatæ siquidem promptius ac copiosius spiritum halant, si res destillanda fermentari apta fuerit, fermentationem præmittere suadeo, quippequâ præter dictam faciliorem exhalationem, spiritus in quintam Essentiam exaltantur: persuasum autem tibi habeto, fermentationem felicius in vasis ligneis, v. gr. quernis procedere, quàm in vasis aliis.*

N. 2. *Fiunt quoque spiritus quorundam vegetabilium cum vino, ut spiritus liliorum convallium, &c. Verùm cùm pars maxima Spir. Vin. deb atur, præstat hujusce generis cognominare Spir. Vin. cum adjectione dati vegetabilis, v. gr. Vin. Spiritum liliatum, vel aquam vitæ liliatam.*

I. Sic fiunt ex herbis & floribus.

℞. Herbas aut flores recenter (tempore sicco collectos) contunde atque in vas terreum vitreatum, vel dolium quernum, (præstant enim ad fermentationem vasa lignea,) intermisso sale comprime, clausoque vase in cellam repone (per mensem unum vel plures,) donec fermentando acidiusculum

acidiusculum ac vinosum acquirant odorem. Hinc destilla per vesicam (aut MB.) usque ad siccitatem, destillatum affunde, si libet, parti destillandæ residuæ, ac destilla denuo. Tandem rectifica.

Aliter.

Exprime succum, eumque cum contusis herbis recentibus mixtum ad fermentandum colloca.

N. 1. *Si minus succulenta res fuerint, aquâ fervente irrorari ac perfundi volunt.*

2. *Fermentatio promovetur adjectâ aliquâ portione Sal. com. (quæ & putrefactionem præcavet.) Tart. factum cerevisiæ, vini, fermenti dissoluti (in aqua) vel sacchari.*

3. *Poterit & ex fermentatis succus exprimi, atque cum novis herbis denuo fermentari: sic copiosior exstillat spiritus.*

II. Ex fructibus & baccis succulentis.

℞. Succum expressum, eumque clauso vase debitè defervere sine, ac destilla: sic fiunt spiritus pomorum, pirorum, mespillorum, cytoniorum, &c.

III. Ex fructibus & baccis minùs succulentis.

℞. Fructus vel baccas, conquassa ac affunde aquam ferventem, vel ebullire parum permitte, hinc colloca, vase clauso in fermentationem, addendo si placet, nonnihil fæcum vini vel cerevisiæ, & simil. sic fiunt spiritus baccar. & juniperi.

IV. Ex fructibus carnosis (i. e.) qui pulpam exprimendo præbent.)

℞. Expressam carnosam substantiam, v. gr. cerasorum nigrorum (exemptis nucleis,) repone per dies (14.) ad fermentandum cum Sal. com.&c.destilla: sic fiunt spiritus, seu Quintæ Essentiæ baccarum sambuci, & fragorum.

N. *Licet initio, si ita visum fuerit, aliquid aquæ ferventis addere.*

V. E. seminibus calidioribus aqua cum oleo ascendit, quæ rectificando exhibet spiritum, præcipuè si fermentatio fuerit præmissa. Vide suprà de Oleis.

N. 1. *Spiritus hi aquarum nomine ut plurimum veniunt.*

N. 2. *Si loco aquæ vinum in maceratione adhibueris, spiritum itidem nancisceris, sed compositum ex Spirit. Vin. seminisque dati spiritu: præstat itaque hunc ad differentiam spiritus simplicis, scil. cum aqua destillati, appellare spiritum compositum, seu Spirit. Vin. cum adjectione destillati seminis (e. gr. anisatum, vel aquam vitæ anisatam, vide suprà.)*

VI. E frumentis parari possunt Quintæ essentiæ, si in Cerevisiam reducta ea fuerint; qua ratione magnam spirituum copiam exhibent.

VII. Ex aromatibus spiritus quomodo eliciantur, vide cap. 38.

VIII. E lignis prodit unâ cum oleo per destillationem liquor acidulus, (vide supra cap. 70.) qui rectificatus spiritum refert.

N. *Rectificatio fieri potest super colchotare aut sale marino, vel cineribus propriis: sic exit primò phlegma insipidum, hinc spiritus acidus seorsim colligendus.*

EX ANIMALIUM familia exhibent spiritus cornua, ossa, sanguis, urinæ.

Cornua, ossa. ungulæ, fundunt spiritum acidulum mediante destillatione (vide de oleis:) hunc rectifica in MB.

Sanguinis itidem spiritus beneficio destillationis elicitur, (vide in oleis & aquis,) estque liquor ab oleo separatus & denuò rectificatus.

N. *Coronidis loco addo, si oleum aliquod stillatitium cum Spirit. Vin. rectificatissimo digeratur, oleum illud à spiritu absorberi, ut sub forma spiritus deliteat. Spiritus minerales usitatiores,*

Corallorum
Mercurii
Salis ammoniaci
communis
gemmæ
nitri
Saturni
Succini
Sulphuris
Tartari
Vitrioli.

Huc aquæ spirituosæ compositæ, aq. fort. aq. reg. Sal. nit. Sulphurea. V. lib. 3.

Spiritus vegetabiles.

Spiritus Absinthii.
Acaciæ florum.
Acori.
Aceti vini
Alkekengi
Angelicæ:
Anisi, id est, aqua cum vino destillati.
Cardui benedicti.
Centaurii minoris.
Cerasorum nigrorum.
Citri.
Cochleariæ.
Cornu Cervi.
Cranii human.
Cydoniorum.
Ebuli, ex granis.
Filicis
Fœniculi
Fragorum
Guaiaci
Juniperi
Liliorum convallium
Mannæ
Melissæ
Nasturtii aquatici
Rorismarini
Rosarum
Sabinæ
Salviæ
Sambuci
Thymi
Tiliæ flor.
Veronicæ
Vini.

N. *Compositi spiritus fermè sub titulo aquarum recensentur, ut spiritus theriacalis, id est, aqua theriacalis, &c.*

N. 2. *Spiritus oleaceos quære sub Oleis, ut spiritum Terebinthinæ, & similia.*

Huc

1. Spiritus Antapoplecticus S. Closs.

♃ Spir. sang. cervini ℔ß.
Infusionis florum lavend. in aq. pæon. fact ℥ iv.

M. & destilla ad medias per MB. spiritui exstillato adde infusionis novæ florum lavend. eandem quantit. destilla denuò, idque tertium repete, tandem adde huic sublim. Spirit. Vin. rectificat. ℥ ii.

Dosis à gutt. vj. ad xij. & xx. in jusculo aut aq. appropr. Juvat Paralyticos, Apoplecticos, Pleuriticos, Asthmaticos, omnes eos quorum pectus sanie aut pure occupatur, anacatharsin enim promovet egregiè.

2. Spiritus Nephriticus.

♃. Ovum struthionis, pulver. affunde sublim. Sal. com. & in digestione relinque, donec probè soluta appareat corticum ovorum substantia, atque tum per chartam filtretur, serveturque.

Vires. *Est ὑπόρρητον nulli ferè secundum à Cæsareis Medicis S. Clossæo communicatum.*

Dosis gutt. vj. viij. ex vino opt. vel aq. florum fabar. florum acac. malv. veron. addito syr. dialth. Fernel. Insigniter aperit, incidit & commovet arenulas, calculum, urinam, nonnunquam etiam menses & sedes, atque etiam serum in hydropicis.

N. *Fit & insignis spiritus nephriticus urinæ spiritum à Vitriolo destillando. Vid. I. Agricol. in Popp. p. 1. pag. 585. Losselium in Scrutinio Remim. Confer cum Querc. in Querc. Rediv. tom. 3. pag. 704.*

[*Huc etiam refer Spiritum regium, quem invenies apud Hofmann. in clav. Schrod. ex Spir. sali rectif. ℥ iij. Spir. Ros. ℥ ix. ex cucurbit. vitr. rostro alembici imponendo ambræ ʒ ß. moschi ℈ j. in petia, in quo insigne cordis & cerebri habet confortans.*]

Qui spiritus permiscentur potionibus non rarò pro scopo à Medico prædestinato.

Spiritus est liquor quidam volatilis insigniter penetrans. Usus namque obtinuit, ut in tota philosophiâ & Medicinâ id, quod est valdè volatile, penetrans & statui volatilitatis proximum, vocetur spiritus. Cum enim istæ partes in pharmacopæa sint volatiliores & subtiliores quam aquæ, propterea aptius vocabulum imponere nequiverunt quam spiritus. Ex quo patet, propriè SPIRITUS vegetabilium per fermentationem elictos; qui vero sunt *fixioris naturæ*, & per retort. Igne fortiori destillantur *ex mineralibus & animalibus*

animalibus, qui que post phlegmata denuo solent adscendere, sunt *impropriè dicti spiritus* utut etiam communiter hoc nomine appellari soleant. Unde cum diversæ sint naturæ spiritus, etiam diversimodè solent destillari & quidem.

I. *Omnes* SPIRITUS EX REGNO MINERALI, omnes acidi, cum sint fixioris naturæ, & nihil aliud quam salia acida resoluta aut dissoluta v.gr. spiritus salis, *sunt partes sal. acida resoluta* & dissolutæ: spiritus nitri sunt partes nitri acidæ resolutæ & dissolutæ: Cum in quam sint fixiores partes, & salia acida resoluta & dissoluta, propterea *solent destillari ex* retorta terrea, vel vitreâ accuratè lutatâ destillatur *igne intensissimo* & fortissimo: ubi prodit I. *phlegma*, deinde *sequuntur spiritus acidi*, pro varietate mineralium destinctâ, varii coloris & saporis.

In destillatione hâc quædam observandæ enchirises I. quod dixi, recipienda est retorta terrea vel vitrea optimè lutata. Nam sunt, qui *rejiciunt terreas*, & preferunt illis vitreas benè lutatas propterea quoniam alias *spiritus* acidi in retort. terreâ *aggrediunt partes* fixiores terrestres *terræ*, easque sensim sensimque solvendo, cum iisdem se figunt, iisdemque pertinaciter adhærent, ita ut spiritus destillatus non sit adeò generosus quàm in retorta vitrea, quoniam vitrum non attrahit spiritus corrosivos, nec hi illud aggrediuntur.

Deinde quo *amplioris colli est retorta eò melior est*, quoniam aliàs spiritus in retort. angustioris colli conclusi. cum non possint invenire exitum, quoniam cum impetu solent propelli, propterea ii, qui restitant, circulantur in retort. & subeunt denuò suum cap. mort. & cum eo figuntur, ut ita minus spiritus possit acquiri.

III. *Enchirisis* est, ne post peractam destillationem longè expectemus in amovendis vasculis & receptaculis, donec spiritus permisti cum phlegmate omnes exactè frigefacti sint d. potius *quanto citius fieri potest amoveatur recipiens à retort.* propterea *ne spiritus* vaporosi adscendentes denuò *intrent suum* cap. mort. ipsi adhæreant, & in eodem se denuò figant, & ita loco spiritus penetrantis remaneat tantùm in recipiente phlegma, quoddam spirituosum.

Et hic est *communis modus* destillandi *spiritus* Mineralium: *Modi* magis *occulti* & artificiales, quos monstrat GLAUBERUS, dum destillat spiritus minerales Igne aperto in vase candente ferreo videantur *in tr. de furnis philosophicis*, ubi quædam sunt lectu & notatu digna, quæ instruũt Chymiæ solertẽ Medicũ.

Post *Spiritus Minerales* sequuntur II. SPIRITUS VEGETABILES, & cum jam ipsa Vegetabilia sint distinctæ naturæ, & etiam vegetabilium partes heterogeneæ sint diversarum constitutionum, propterea etiam *diversimodè eliciendi sunt spiritus ex regno vegetabili*: Et quidem ex FOLIIS, FLORIBUS, & FRUCTIBUS, & qui his cognatæ sunt naturæ, *eliciuntur spiritus per fermentationem*, dum flores, folia fructus &c. contusa, & si opus est, s. q. aqua irrorata, ponuntur in locum tepidum, ut ibidem sensim sensimque fermentent, donec incipiant acidum spirare: Hæc enim est norma sufficientis fermentationis, ita ut *subito atque percipitur acor subtilis* odoratu, *destillantur* vegetabilia fermentata, quoniam *alias loco spiritus* acquiritur acetum.

Rebus his *fermentandis*, ut facilius fermententur, *solent apponi* quædam *fermenta*: Ita sunt qui admiscent *fæces vini* recentis: quidam admiscent *fermentum spiritu vini iroratum*: quidam admiscent *saccharum* loco fermenti, cum quo, ceu succo valdè fermentativo optimè promovent successum fermentationis. *Fœces vini* liquidæ non sine magnâ acceleratione fermentationis adjiciuntur, & maximè *congruæ* sunt *huic usui*. Quidam addunt *Mel* pro adjuvandâ fermentatione, quidam aliis utuntur fermentis; Hic est *communis modus* parandi SPIRITUS ex vegetabilibus *Cum succis* vegetabilium expressis *eodem modo succedit*: Nam si succi fermentantur instar vini, & sic adservantur pro vinaceis: Sic est *pomaceum*, paratum ex succo, pomorum expresso, per fermentationem; sic habemus *pyraceum*, paratum ex succo pyrorum expresso per fermentationem, sicut fit propriè vinum ex succo Uvarum per fermentationem; Hi succi destillati dant SPIRITUS.

Et quidam hæc fermentatio vegetabilium *facilè succedit*, *si* res fermentandæ *includantur in vasculum* factum *ex ligno Quercino*, propterea quoniam lignum quercinum ratione salis sui nitrosi, aut uti alii volunt ratione salis vitriolici saporem ac odorem inspirat massæ fermentandæ eam impregnat, ac ita efficit, ut facilior ac promptior fermentatio succedat.

Quando fermentatio est peracta, & incipiunt fermentata spirare acorem includuntur vel balneo maris in cucurbitâ vel vesica vel alio vasi appropriato, modo observetur Ignis regimen, & datur SPIRITUS, qui descendit per alembicum sub forma striarum, quæ *striæ sunt signum appropriatum SPIRITUUM*, quod si cessent striæ incipiunt apparere guttæ, & apparentibus guttis, incipit apparere phlegma post spiritum.

Qui E. cupiunt spiritus sinceros, accuratè observent ignis regimen, ne guttæ cum striis descendant, & quando incipiunt apparere guttæ, amoveant recipiens s. cucurbitam, qui *spiritus possunt rectificari semel vel bis*, prout generosiorem expostulamus spiritum.

Quidam ut spiritus ex *succis* vegetabilium copiosiores destillentur. ipsis *expressis addunt* aliquid Vin. Spirit. cum bonâ *fermenti quantitate*: sic enim citius & copiosius adscendere dicuntur spiritus.

Quidam vegetabilibus fermentandis addunt urin. quæ fermentationem facilitat, & florum qq. *colores cum* aqua eorum *per alembicum* transportare dicitur.

MARCUS MARCI, *menstruum* ex sale tartari cum sale ammoniace parato spiritus vegetabilium cephalicos e.gr. Lavendulæ, lilior. convallium &c. singulari artificio *præparat*. & etiam vegetabilia multum exaltat in vigore: De quo vid. *SACHS.* in *Ampelographâ p. 647.*

QUÆSTIO est, an etiam herbæ antiscorbuticæ commodè possint fermentari, ut exindè habeatur spiritus inflammabilis s. volatilis? Sunt qui *affirmant*, sunt qui *negant*. Ii qui negant: quando fermentantur plantæ antiscorbuticæ, tunc per fermentationem recluditur vinculum mistionis, & *solent exhalare* copiosè *salia volatilia* earum in quibus tamen optima earum virtus ac energia antiscorbutica residet, Id *quod* satis *loquitur experientia*. Nam antiscorbuticæ plantæ, cum fermentantur, earum odor ad aliquot ædes potest percipi, propter, copiosa salia volatilia turmatim exhalantia: & præterea qui hoc asserunt, *solent præparare spiritus* ex vegetabilibus antiscorbuticis, *affundendo spiritum vini benè rectificatum* plantis antiscorbuticis, eumque sæpius cohobant à recentibus speciebus, donec Vini Spiritus copiosè & fortiter sit impregnatus salibus volatilibus istorum simplicium antiscorbuticorum. Sic quidam præparant spiritum cochleariæ, spiritum Nasturtii &c. qui spiritus non sunt inefficaces nec segnes in operando, Unde *hoc* ipso *modo* beneficio Vini Spiritus *ex aliis* vegetabilibus spirituosis solent parari spiritus: sic si affundatur modo spiritus vini flor. lilior. convallium atque aliquoties cohobetur, tunc evadit spiritus lil. convall. subtilissimus. Cæterum non est tam spiritus genuinus, quam spiritus vinis particulis vegetabilis impregnatus: sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Alii contradicunt priori opinioni quoad antiscorbutica, & dicunt, si detur aqua v. gr. Cochleariæ ex succo ejus expresso in succo *post destillationem* aquæ inspissato percipitur *adhuc præsentia* copiosi salis ejusdem fixioris, aut certò talis, quod implicatum aliarum partium connexarum vinculo non potuit sese extricare. Ne ergo hujus salis cochleariæ appropriati faciamus jacturam, propterea *optimum* est *fermentando recludere mistum* & volatilisare ea, quæ paulò sunt fixiora ut ita perfectus totus habeatur spiritus. Nam istud quod aliàs exhalat, utut fortiter feriat nares, paucum tamen est, & admodum parvum, quoniam aqua *destillata* à crudis antiscorbuticis, quæ est phlegma impraegnata istis particulis adeò facilè exhalantibus, est *admodum debilis*, & non valdè potens. Ita ut non magna sit jactura partium volatilium in fermentatione exhalantium.

Et hanc *posteriorem* opinionem ego qq. *veriorem arbitror*, quod scilicet plantæ antiscorbuticæ non inconcinnè possint subjici fermentationi. Sin verò quendam tædeat fermentationis labor potest accipere *spiritum antiscorbuticum appropriatum*, eumque *affundere* recentibus *spiritibus*, & aliquoties cohobare, sic enim efficacissimum & penetrantissimum acquiret spiritum.

EX SEMINIBUS inprimis frumentaceis *fermentatis* similiter elicitur spiritus vinosus, communis dictus qui dicitur unguentum. meretricum.

Ex LIGNIS *non* potest parari *talis* spiritus, utut sint, qui volunt, quod etiam *ex ligno sassafras* possit fieri *fermentando* spiritus qui modus tamen non est adeò vulgatus.

Communi modo lignum juniperinum, quercinum, sassafras, guajacum, buxus &c. induntur in retort. *destillantur igne aperto*, & prodit 1. *phlegma* aquosum 2. *spiritus acidulus* per rectificationem à phlegmate separandus; Nam istud quod aliàs sub formâ fumi in combustione lignorum adscendit, & instar *fuliginis corpus* adhæret camino, in hoc *copia magna sal. vol. & olei* penetrantis hæret, uti dixi ubi de fuligine: ita hoc ipsum ex ligno Retortæ incluso acquirimus in recipiēte sub formâ spiritus acidi. volatilis.

Quod attinet NATURAS spirituum:

De MINERALIBUS dixi, quod *sint salia acida* resoluta & dissoluta. Cæterùm VEGETABILIUM spiritus per fermentationem parati, sunt *natura salinæ volatilis oleosa* s. sulphuræ, quod *probo*: Si recipiantur ea vegetabilia, quæ *nudâ destillatione* dant aquam *cum ol.* hæc ipsa vegetabilia *fermentata*, post fermentationem dant *spiritum & phlegma*, nullum tamen aut admodum paucum ol. Ratio est: quoniam fermentando partes oleosæ, quæ anteà concentrabantur nudo igne in oleum, beneficio fermentationis volatilisantur & subtilisantur, ita ut loco olei crassioris degenerent in spiritus volatiles inflammabiles. Hæc enchirisis satis est clara: Ita ut tales spiritus volatiles ardentes, constent primariò ex sale vol. temperato tamen à sulphure subtili subacido, quæ duo invicem juncta, diluuntur à parte aquosa in formam liquidam: Unde quo magis dephlegmaveris s. rectificaveris hos spiritus sive quo magis separaveris hanc partem aquosam, eò volatiliores, eò penetransiores, eò etiam inflammabiliores eosdem reddes.

Quarum *spirituum legitime rectificatorum signum* est, quod 1. Cochlear *effusum* manu elevata, antequam terram attingat, omnino in tenues auras *evanescat*. vid. quæ dixi de spiritu vini.

Rectificatio aliquoties non reiteranda, *Quidam unica* rectificatione possunt *penetrantissimum* efficere spiritum *ex vesica*, destillando eundem per canales ferreos in altum, ad longitudinem erectos, quibus super imponitur alembicus: nam tales canales facilè possunt transcendere spiritus, relicto phlegmate à calore propulsi. vid. FEBURE in sua *Chymia* qui exhibet schema talium canalium, & vidi ego in Laboratorio Regio Londinensi.

Quod adhuc *insit subtile acidum* talibus *spiritibus vegetabilium inflammabilibus patet* ex eo, quod si spir. urin. per fermentationem paratus benè rectificatus injiciatur spiritui tali, benè rectificato, iste *spiritus urinosus coagulat spiritus vegetabiles* in consistentiam crassam & quasi butyraceam, ex eo, quoniam partes salinæ volatiles s. partes alcalisatæ spiritus urin. aggrediuntur istas subacidas particulas spirituum vegetabilium, & ita cum istis se conjungunt & coagulant in talis crassioris consistentiæ corpus.

Hi sunt spiritus vegetabilium per fermentationem parati.

Cæterùm spiritus subacidi, qui destillantur *ex lignis* per retort. igne aperto, hi *sunt natura composita*: Constant scilicet ex partibus acidis & ex partibus volatilibus spirituosis sulphureis, quæ *possunt separari* infusione super corallia. Nam corallia imbibunt acidum, quod vult eadem resolvere, istud secum figunt ac retinent: Unde facili igne in rectificatione adscendit spiritus sulphureus volatilis, instar cujusdam spiritus vini. remanente parte acidulâ cum coralliis in fundo, & ita duplex natura istius spiritus est qs. divisa & separata.

III. *Ex Regno ANIMALI* similiter elicitur spiritus, destillando vel animalia integra, vel earum partes *per retort. ign. aperto.* Dum ita destillantur animalia 1. *prodit phlegma* spirituosum, 2. *sal. vol. copiosum*, in formâ nebulæ, quod fortiter adhæret lateribus recipientis. 3. sequitur *ol. crassum* & fœtidum, utut penetrantissimum, magnarum Virium pro medicinæ usu externo, uti etiam excellentissimum sudoriferum, modo quis sine nauseâ ejus possit aliquot gutas haurire. caput mort. *in retort. remanens* est calx nuda & terrea, omni virtute ac agendi potentiâ destituta; coloris est nigri: quod cap. mort. ulterius in igne aperto calcinatum evadit album quale est v. gr. CC. ustum.

ISTA tria destillata beneficio *rectificationis* sunt *separanda*: 1. quidem *per filtrum* s. trittorium, ut vocant, separatur phlegma spirituosum ab ol. quod semper supernatat: Unde qu. per filtri orificium transit phlegma spirituosum, ol. separatim potest abstergi. Phlegma spirituosum separatum est sal. vol. vel solum sub forma sal. vol. sicci: vel conjungendum, cum phlegmate spirituoso, ut habeatur spiritus vol. sic fit spiritus CC. vol. sic fit spiritus sanguinis humani vol. &c. *Phlegma spirituosum constat* ex subtili *acido volatili* temperato à *particulis salinis* volatilibus. ol. destillatum constat ex copiosis salibus volatilibus, beneficio pinguedinis cujusdam acidæ concentratis, Ipsum sal. *vol.* primo constat *ex sale* vol. *urinoso* s. alcali quodam volatili, cui tamen intimè admistum est subtilissimum quoddam *volatile acidum* sed parum (NB. Omnes partes animalium dant eadem egredientia, etiam pili &c.) Plura qui cupit quoad præparationes, vid. AUCTOREM.

Omnes spiritus minerales in specie habuimus in superioribus, adhuc noto de spiritu salis ammoniaci, quod vocetur à quibusdam *spiritus antiquartarius*, ex eo, quod singulare sit specificum in curâ quartanarum, & non tantum in hac febri intermittente; de usu in genere legitimo *omnium febrium* intermittentium certissimum est *eradicativum*, quod nunquam fallet, *præmissis universalibus*, si propinetur ante paroxysmum.

In genere *spiritus mineralium acidi*, quodcunque *volatile urinosum sal.* s. bilem in corpore nostro & massa sanguinea *temperant*, figunt præcipitant, *effervescen*

effervescentias immodicas massæ sanguineæ *sistunt*, & hinc per accidens refrigerare dicuntur: *spiritus ferocientes* & nimis volatiles moderatè *figunt* & coercent, *appetitum* deperditum leniter *revocant*, & qui alii sunt effectus speciales, de quibus superius sufficienter dictum.

Spiritus v. *vegetabiles* in genere *augent spiritus animales temperant* blandè quodcunque *acidum*, temperant etiam *acrimoniam* nimiam *bilis* s. sal. vol. urinosi. *Flatus discutiunt stomacho* prosunt, *affectibus* capitis *frigidis*, quos vocant, *conducunt*, & qui alii speciales uniuscujusque sunt usus.

Spiritus animalium ratione copiosi sal. vol. *sunt sudoriferi*, dissolvunt *massam sanguineam* congrumatam aut etiam coagulatam, eandemque *fundunt*, quoscunque *meatus* penetrabilitate sua *penetrant* atque reserant, *obstructiones* feliciter *resolvunt*, *urinam promovent*, &c.

SPIRITUS ANGELICÆ.

Commendatur valde contra *Colicam*, & elegantem admodum habet saporem.

SPIRITUS CARDUI BENEDICTI.

Est valde *causticus*: Commodè permiscetur *cum spiritu* nitri observatâ proportione, & aliquoties cohobantur, & sic *fit spiritus nitri dulcis antipleuriticus*.

SPIRITUS LIGNI GUJACI.

In usu est contra *Epilepsiam*, contra *morbum Gallicum* & similes.

SPIRITUS JUNIPERINUS.

Convenit in *Colica* & imprimis in *Calculo*.

SPIRITUS LILIORUM CONVALLIUM.

Contra *Epilepsiam* convenit, item contra *imbecillitatem memoriæ*. Cum hoc spiritu quidam faciunt elegans *sudoriferum*. h. m.

℞. *Spiritus lil. convall.* ℔ß.
Sal. vol. CC. ʒij.

Indantur phiolæ altæ alembico super imposito destillantur *dosis* ℈ß *ad* ℈j. in syrupo acetositatis citri, egregium est sudoriferum, cui si addatur camphora, erit eo melius, & eò penetrantius.

SPIRITUS MELISSÆ.

Est corroborativus *Cephalicus*, & insigniter *Uterinus*, ubi etiam SPIRITUS RORISMARINI.

Pertinet huc SPIRITUS ANODYNUS, quem quidam. h. m. parant:

℞. *Spirit. Vini optimi* ℥iv.
OPII spiritus vini solut. ʒii.
Croci.
Styracis liquid. an. ʒß.
ol. spicæ destillati ℈j.
Castorei ℈ß.

M. digerantur & vel filtrata vel destillata serventur ad usum. Sequuntur nunc *SPIRITUS COMPOSITI*:

Ille, qui vult parare tales spiritus beneficio affusionis spiritus vini, sit exempli loco *spiritus anticolicus DRAVVIZII*, cujus hæc est compositio.

℞. *Rad. angelicæ.*
levistici an. ℥ij.
Calami aromatici ℥ß.
Herb. Menthæ m. iij.
Flori Chamomill. Rom. m. IX.
Centaur. minor. m. iij.
Sambuc. m. ij.
Cortic. aurantior. ℥iiß.
Zedoariæ ℥iß.
Galangæ ℥ß.
Seminis fœniculi.
anisi.
Carvi aa. ℥j.
Baccarum Lauri. ℥ij.
Cinamomi ℥iij. vel 2.
Castorei ℥j.

M. digerentur c. Spirit. Vini & destillentur.

Post spiritus etiam ingredi solent potiones s. misturas tincturæ Sequitur E.

SCRODER. CAPUT LXXXV.

De Tincturis.

Tincturæ, tùm liquidioris, tùm solidioris consistentiæ in usu sunt.

Liquidioris consistentiæ Tincturæ nihil aliud sunt, quàm extractiones sine abstracto menstruo.

Solidioris consistentiæ Tincturæ sunt pulveres sine combustione ex liquidioribus tincturis abstracto menstruo residui. Et hoc juris sola mineralia sibi vendicare videntur.

Modus fiendi est is, quem de Extractis dedimus. Conveniunt nimirum Tincturæ cum Extractis in plurimis, adeoque non rarò confunduntur, quam confusionem ut in aliis, ita & hocce in loco removere, non absque commodo foret. Hinc sunt Tincturæ.

1. Ex fructibus.

℞. Rob, affunde Vin. Spirit. ac extrahe.

Vel ℞. Baccas seu fructus exsiccatos, affunde aquam convenientem stillatitiam, ac extrahe, &c.

N *Si Tinctura lentè inspissetur, Extractum dicitur Quercet. P.R. cap. 26. Sic fiunt Tincturæ cerasorum, baccarum sambuci, ebuli, & simil.*

℞. Flores siccos, infunde in aqua appropriata, (propria) vel fontana tepida, additis guttulis aliquot spirit. vitrioli, vel Sulphuris.

Famosiores Tincturæ sunt E Mineralibus.

Tincturæ auri
Lunæ
Mercurii
Martis
Saturni
Veneris
Antimonii
Vitrioli.
} *Vide libro tertio.*

Sulphuris
Sapphiri.
Smaragdi.

E Marinis.

Tinctura Corallorum.
Succini.

Ex vegetabilibus, & maximè ex floribus.

Tinctura Alkekengi è baccis.
Essentia croci, vid. lib. 4.
Cerasorum nigrorum.
Fragorum.
Hypericonis, vide c. 57.
Flor. Bellidis.
Papav. Rheados.
Pœoniæ.
Rosarum.
Violarum.
Jalappæ.
Rhabarbari.
Roris Solis.
Granorum Sambuci.
Ebuli.
Tartari.

Ex animalibus.

Tinctura fellis tauri: vide libr. 5.

[*1. Tynctura anodyna D. Ioan. Dan. Horstii.*]

[℞. Salis Tart. salis ammoniaci. ana q. v. sublim. quinquies.

℞. Hujus sublimati pulv. ʒj. Opii ℈ß. g. ij. Benzoin. ℈j. Castor. g. iij. Croc. ℈ß. Spir. Vini ℔ß. diger. per horas 48. filtr.]

2. Tinctura Parac. diaphoretica, correcta à S. Closs.

℞. Zedoar.
Angelic.

Calam.

Calam.arom.
Galang.
Macis.
Zinzib.
Cinam.
Gran.parad.
Piper.nigr.
Caryoph.
Sassafr.
Sarsæpar.
Ulmar. an. ℥j.
Aloës.
Mastich.
Myrrh.
Thur.
Camph. an. ℥ß.
Mosch. ℈j. infunde in Spiritu vini & Aq. rof. moschat. an. q. s. ut supereminant digitos 4. Adde ad maturandam putrefactionem.
Cancrorum Sulph. per camp. ℥ß.
Salis juniperi ʒij.
Stent in loco calido per 14. dies.
Dos. ℈j. in forma qualibet. Eliquat glaciata, resinosa diffundit, fuliginosa efflat, balsamicâ suâ vi putredinem arcet, & soporiferis morbis auxiliatur.

[3 *Tinctura Beozartica D. Ioan. Michaëlis.*]

[Hæc ferè ex omnibus radicibus, herbis, floribus & seminibus Alexipharmacis, baccis herbæ Paris; cortic. citri, Costo, Gran. Chermes, Agallocho, Croco, & camphora paratur, infundendo, Spiritum Juniperi & Sambuci & destillato Spiritum Theriacalem addendo, necnon spirit. Tartar. & Vitrioli, tingitur Santalo rubro.
Dosis ad guttis x. ad xx. xxx. xl. vitriolata datur ubi æstus major in febribus malignis:
quæ cum Spiritu Salis Tartari volatilis parata, ubi malignitas major.]
[Præter vim alexipharmacam etiam commendatur in atonia viscerum, cachexia, melancholia hypocondriaca, imò & in Epilepsia]

4. *Tinctura Catheretica S. Closs. Arch. Mediomatricum.*

℞. Scammon. ℥j.
Turbith.
Agar.
Hermodact.
Rhabarb. an. ʒiij.
Pulverisata indantur lagenæ vitreæ addendo.
Spiritu vitriol. per 40. dies circulati, ut acrimoniam deponat (vel ejus loco aq. cinnam. alb. r. ex stillat. ℔ß.
Infundantur per 8. dies in ciner. & agitentur bis aut ter singulis diebus, tinctus spiritus aureo colore depleatur, serveturque. Ejus cochl. j. M. cum ℥ß. syr. rof. pallid. viol. aut limon. acefacti cum spiritu vitrioli.
Benignè admodum corpus à saburra phlegmaticâ aut serosa vindicat & repurgat.

In genere Tinct. *nomen habet à colore*, quo tingitur Menstruum in extractione & præparatione. Unde in genere quæcunque Essentiæ vel *quæcunque extractiones, si* in operatione suavem & jucundum *acquirunt colorem*, in primis rubeum *possunt vocari TINCTURÆ.*

In specie vero, veræ hoc Tempore Tincturæ nomine veniunt vel *extractiones* liquidæ *mineralium*, vel etiam extractiones *florum* vegetabilium *coloris rubicundi*. Sæpius confunduntur Tincturæ & Essentiæ, quoniam est idem parandi modus, nihilominus, nil refert, modo scimus quid cuique subsit. Et quidem in primis *in tincturis metallicis* non raro est *magna sophisticatio*, qui scilicet colores non tam sunt ex re extractâ, quam potius *ex menstruo*, quod *digestione* longâ super subjectum, non raro *solet mutare colorem*, aliumque induere. Cum in primis omnia ferè menstrua, in primis *salina*, diuturnâ coctione & digestione soleat fieri rubea.

Secundum AUCTOREM ex Rob v. gr. sambuci c. spiritu vini fit tinct. quæ potius est Essentia. Quod si loco Vini Spiritus accipiatur spiritus flor. Sambuci per fermentationem, & beneficio hujus spiritus *ex Rob sambuci fiat Essentia*, erit expertissimum remedium *in Erysipilate* pro expulsione. *Nobilius erit, si hic spiritus* per fermentationem baccarum sambuci affundatur floribus sambuci, & *cohobetur*, qui spiritus postmodum Rob affundatur, & *ita fiat* extractio Essentiæ.

Ex saturno & marte, fit elegans *Tinct. antiphthisica, antidysenterica*, & *in* genere ubicunque opus est validâ *adstrictione* & *consolidatione. Modus* est, ut solutio saturni in aceto (de quâ supra sub saturno) affundatur vitriolo martis leniter calcinato, sic enim mox emergit tinct. ruberrima, quæ vel simpliciter usurpanda vel cum Vini Spiritu exaltanda in quamplurimis affectibus cum sanguinis excretione, exulceratione &c. multum proficua, etiam à multis in secretis habita.

E floribus fiunt veræ *Tinctura*. Ubi observetur, quod omnes flores, sive sint cœrulei, sive rubei, *a spiritu acido* affuso acquirunt *colorem* intense *rubeum*, adeò ut tinct. florum Cyani non minus sint rubeæ, quam tincturæ florum Bellidis & pœoniæ. Omnia acida hoc faciunt. Econtra his tincturis rubeis, *si affundantur* salia *alkalia fixa*, soluta in aqua, hæc tincturæ rubræ *mutabuntur* in colorem *viridem*; Sin verò his tincturis rubeis cum acido paratis affundatur sal *vol.* aut spiritus sal vol. v. gr. sal. armoniaci, tum egregium *cœruleum & purpureum colorem* acquirunt. De quo vid. potest BOYLE in elegantissimo *tr. de coloribus.*

Modus est, ut floribus affundatur aqua, vel simplex, vel appropriata acidulata cum spiritu, vel vitrioli, vel salis, sic enim qs. in momento elicitur tinct.

Quidam loco aquosi liquoris affundunt *phlegma vitrioli* felici cum successu, cum phlegma vitrioli non sit medicina contemnenda, & *adduntur* hæ tincturæ *potionibus* & *Julepis*, item præscribuntur *instillandæ cerevisiæ* ad aliquot guttas pro potu communi: sic *v. gr.* pro expulsione *in variolis*, commodè instillatur tinct. expulsiva in mensuram semis 50. guttæ, parata ex floribus aquilegiæ, fumariæ & scabiosæ c. spiritu vitrioli regenerato. In *nimio æstu* massæ sanguineæ tempore æstivo commodè *instillatur* potui tinct. *ebatica*, uti vocant parata ex floribus Bellidis, Cichorii, papaveris Rhæados & Epaticæ nobilis c. spiritu vitrioli martis.

Ubi opus est *provocatione urinæ*, potest instillari potui vel Julepis *Tinct. Nephritica* parata ex floribus Calcatrippæ, Cyani, & Restæbovis beneficio spiritus salis. Hæ Tincturæ commodè etiam possunt usurpari *post nimium potum* liquorum spirituosorum aut generosorum.

Interdum *ex tempore fiunt* Tincturæ loco Julepoporum. *quando* scil. folia florum sicca ad sitim compescendam præscribuntur irroranda *cum spiritu vitrioli* vel *sulphuris*, & affunditur liquoris q. s. sic enim ex tempore fiet Tinct. instar Julepi, haurienda imprimis, si *edulcoretur* cùm syrupo appropriato, formulam dedi, ubi de papavere rhœados.

Item *Tinct. laxativâ* & modicè refrigerans *extempore potest fieri* ex floribus Rosarum, si infundantur in serum lactis, & addatur s. q. pulpæ Tamarindorum. Hæc enim cum sit acidula, facit, ut facilitetur & feliciter succedat extractio Tincturæ florum in serolactis. Est elegans potus *in scorbuto & febribus malignis*: item in febribus *continuis*.

Habuimus quædam de spiritibus & Tincturis: affinia his ipsis sunt Elixivia.

SCHROD.

SCRODER. CAPUT LII.

De Elixyriis.

Elixyr in officinis est liquor spirituosus, facultatibus præcellentibus, mediante infusione impraegnatus. Hinc convenit ut plurimum cum Tincturis liquidis.

Modum parandi singula ferè suum obtinent.

Vsitatiora sunt:

Elixyr Alliatum. N. 1.
Citri 2.
Camphora 3.
Hystericum & Antiepilepticum S. Coloss. 4.
Epilepticum Ant. Freyen. 5.
Crolli. 6.
Cratonis. 7.
Iuniperinum, vid. lib. 4.
Pestilentiale. 8.
Nephriticum. 9.
Elixyr Proprietatis. 10.
Syncopticum. 11.
Vterinum Croll. 12.
Vitæ Mathiol. August.
majus Quercet. 13.
minus Querc. 14.

1. Elixyr. alliatum.

℞. Allior. expurgat. N. xx.
Contundantur, alembic. imponantur: affunde Spir. Vini rectif. ad 4. digit. eminent. destilla ex MB. per cohobias semper nova alia addendo, in ultima destillatione adde Camphoræ in petia ligatæ, collo alembici appensæ ℥. 1. destilla ut prius, habebis præstantissimum Elixyr alliatum,
Vires. *Magni præservativi locum habet in peste, quovis mane coclear unum, vel per se, vel cum aq. still. Card. bened. aut Veronic. assumptum.*
Vide Deodatum in path.

2. Elixyr Citri.

℞. Cortic. citr. recent. ab albicante medulla separatur. ℔iij.
Spirit. vini non rectif. ℔xij.
Macerentur aliquandiu, postea destillentur per vesicam cum refrigeratorio, donec phlegma stillare incipiat.
Huic spiritui, cum pauxillo croci tincto, adde
Succ. citri purific. ℔iß.
Habebis Elixyr. citri.
N. *Sennertus addit quoque aquam rosarum* ℔iß. *in qua soluta Sacchar. cand. unc. x.*
Vires. *Elegans est cordiale & antidotum contra pestem, & aëris contagia.*
Dosis cochl. 1. singulis auroris, jeiuno ventriculo, nisi Epatis calidior temperies, vel capitis imbecillitas prohibeat, eo enim casu, satiato ventriculo melius confert. Tentzel in exegesi.

3. Elixyr. Camphoræ, s. Spirit. vin. Camphoratus, aquam pestilentialis Hartmanni,

℞. Spirit. Vini opt. ℔i.
Camphor. [select.] tempore æstivo] ʒvii. ℈i. [Hyemali] ʒx. ℈ij. M. incisa prius camphora; & statim solvetur sine igne l. appende in nodulo croc. or. ℈ß. fiet spirit. vini. aurei coloris. Serva in vitro benè clauso.
Vires. *Vtilissimus est in peste, tam præservando, quam curando.*
N. *Poterit itidem adhuc semel destillari. Hartman. in pract. loc. de peste.*

4. Elixyr hystericum & antiepilepticum.

℞. Rad. pœon.
acor. ver.
visc. querc. ana ℥j.
sem. pœon. ℥ß.
santal. rubr. ʒii.
flor. nymph. alb.
Lavend.
Ros. rubr.
papav. errat. ā. Mß.
camph. ℈ii.
extracti opii puriss. ʒii.
castor. per Spirit. vini ʒi.
spiritus sang. human. vel cervini ℥xii.
Vitrioli volatilis ℥i
Igne menstruo digerantur in diplomate, coletur liquor per chartam, servetur que.
Dos. junioribus à gutt. vj. ad ℈ß. adultis ad ℈j. in vino, jusculis, aq. stillat. tam in paroxysmo quam diebus aliquot ante Novilunium. Idem Elixyr valet adversus hemicraniam, Cephalæam, vertiginem, per aliquot dies continuos sumptum, purgato tamen antea corpore.

5. Elixyr Epilepticum D. D. Freyen.

℞. Spirit. Corall.
Tart. ā. ℥iß. ʒii.
Sal. com. cran. human. volat. sang.
human. volat.
succin. volatil. ā. ℈j.
M. stent in digestione per dies (14.) servetur in vitro benè clauso.
Dosis guttula aliquot.

6. Elixyr Epilepticum Crellii,

Vitriolum ad flavedinem calcinatum imbibe Spirit. Vin. ut f. massa.
℞. Hujus massæ ℔iß.
Rasur. cranii human.
Visc. Quercin.
Ungul. alcis.
Granor. Pœon. ā. *unc.* 1.
Omnia scindantur & tundantur, postea mixta destillentur per Retortam gradatim.
Hujus egressi liquoris ℔. 1. rectificetur in MB. supra.
Castorei.
Spec. Diamosc. dulc. ana ℥ß.
Anacardin. [fruct.] ʒvi.
Postea adde Spiritus ℔iv.
Sal. Pœon. drach. 1.
Liquor. salis perlar.
Liquor. salis corall. ā. ʒi.
Ol. anis.
Succin. ana ℈ij.
M. & digere in MB. per mensem.
Dosis cochl. s. vel integrum in aqua pœon. & simili, continuando dies [9.]

7. Elixyr antiepilepticum Cratonis.

℞. Ciner. cornic. ex nido extract. Turtur.
Cran. human. calc. ana ℥ij.
Gran. Tiliæ autumno collect. ℥ii.
Stercor. leonin. ℥ß.
Affunde Spirit. vin. ad eminent. digit. 3. extrahe s. a. ex fæcibus calcinatis è lixivia sal, addeque extractionibus. Postea adde vini malvatici tantundem [cum Spirit. vini] & sacchar. candi unc. iv.
Dosis cochl. s. ad 1.

8. Elixyr pestilentiale.

℞. 1. Flor. Sulph. ℥iii.
Ol. Juniper. [ana bacc.] rectificat. ℥. viii.
Succin. rectific. ℥ii.
Digerantur ut fiat solutio florum.
℞. Theriacæ Androm. ℔. 1. 2.
F Extractio cum Spirit. vini optimo.
abstrahe spirit. vini.
3. ℞. Rad. Enul. c.
Angelic.
Baccar. Junip. ā. unc. iii.
Extrahatur Tinctura cum eodem spiritu, abstrahaturque iterum spiritus vini. Misce jam extractum hoc cum extracto Theriacæ, ac affunde olea illa essentificata, prius tamen filtrata, circula omnia simul lentissimo calore.
Vires. *Secretum est, quod in peste & morbis epidemicis ad miraculum operari solet, tam præservando quàm per sudorem contagium expellendo.*
Dosis, in præservatione guttula aliquot, in curatione à ℈j. ad ℈ij. in vino, aceto rosaceo, aqua scordii, vel aliquo liquore appropriato. Croll.

9. Elixyr Nephriticum.

℞. Baccar. myrtilior.

Heder.
Alkekeng.
Juniper. ana ℈ii.
Herb. Adianthi.
Veronic.
Rusc.ana p. 1.
Rad.Cyper.
Pimpinell.
Ononid. ana ʒß.
Succ.Limon.ʒij.
Fl. Genist.
Bugloss.
Sem Melon.
Cucurbit. ana ʒj.
Nucl.avellanar.c.pellib.N.iv.
Spiritus vini rectific.q s.
F. infusio in cella subterranea.
Vires. *Prodest nephriticis,ac calculosis, calculum atterendo & expellendo.*
Dos.coch. s. vel 1.

10. *Elixyr.proprietatis.*

Elixyr hoc desumptum est ex Paracelso Archidox. lib.8. num.6.ubi omisso menstruo (origine ut loquitur) ℞. Myrrh. Aloëpat. Croc. ana: circulat in arena lenissimo calore per menses duos, dein elicit oleum per alembicmu idque cum anatico pondere circulati [vide de extractis] per mensem.circulat. Menstruum illud omissum varias opiniones peperit, unde & diversi processus, inter quos tamen usitatissimus est hic Crollianus.

℞. Myrrh. Alexandr.
Aloës Epatic.
Croc Orient.vel Ungar. ā.℥iv.
Pulverisata humecta Spirit. vini alcoholisato; hinc affunde Ol.Sulph.p.c. ad emin. digit. 2. 3. extraheque tincturam ac decanta. Relictæ materiæ affunde Spirit. vini,& ulterius extrahe,decantaque. Tandem quæ restant fæces,destillationi summitte destillatumque prioribus adde.
N. *Elixyr hoc,si aliquamdiu digestioni commiseris, gratius fit sapore,atque efficacius operatione.*
Vires. *Partium est tenuium, calefacit & exsiccat, à putredine conservat, sudorem ciet, proficuus ejus usus est in morbis malignis, hypochondriacis, uterinis, stomachi cruditate, atque inde appetitu imminuto. Extrinsecus mundificat valde vulnera sordida.*
Dosis à gutt.viiij.ad xij. & plures.Croll.

[*Vid. Hofm. clav. de hoc & aliis Elix.*]

11. *Elixyr Syncopticum S.Cl.*

℞. Aq. florum trium cordial.
Calend.
Lilii convall.
Roris solis an.℥iv.
Succi limon. depurat.℔. 1.
Aq.ros.quart. tres.
Meliss. ℈ß.
Florum tunic. ℥iij.
M.in matracio magno, & inde in nodulis Antidoti Orvietanæ [cap.51.descript.] ʒß.
Confect.de hyacinth.
Alkerm.
Diambr.an.ʒij.
Croci Oriental.ʒvi.
Camph.ʒß.
Cotr.citr.cond.raspat.℔ß.
Sacch cand. in aceto ros.solut.℥iv.
Omnia in matracio sigillentur luto tenaci, stent. in ventre equino per 15. dies, deinde in MB. destillentur admiscendo sub finem ℈iv.pulv. diambr.
Hoc remedium mira præstat adversus febres syncopales, apoplexiam morbosque subitaneos.Dos.cochl.ij.paulò ante pastum, sed præmissis generalioribus ad plethoram vacuandam.

12. *Elixyr Vterinum.*

℞. Castor.℔ß.
Cr[illegible].unc.ij.
Extrahe tincturas sc. cujusque seorsim cum Spirit. vini, abstrahe ad remanentiam extractorum, quibus mixtis adde.
Extr.artemis. ℥vi.
Sal.matr.perlar.℥i.
Ol.stillat.Angelic.
Anis.
succin.ā. ʒii.
Digerantur mixta omnia per dies 8.
Dosis hujus Elixyris ℈j.vel ℈ij. ingruente paroxysmo qualicunque hysterico, tunc illico sanantur, provocato sudore. Quod si singulis mensibus appetentibus menstruis æquali dosi usitantur, non revertetur morbus Croll.

13. *Elyxir vitæ majus Quercetan.*

℞.Rad. Zedoar.
Angelic.
Gentian.
Valerian.
Tormentill.
Scorzoner.
Galang.
Lign Aloës.
Santal.citr. ā. ℥iij.
Fol. Meliss.
Menth.rubr.
Mojoran.Basilic.
Hyssop.
Thym.
Fol. Chamæpit.
Chamædr. ā.Mß.
Gran.Laur.
Juniper.
Cort.Limon.
Arantior. sicc.
Sem. Pœon.
Sesel.
Aneth.
Fœnic.
Anis.
Citri.
Card.bened.ā.℥ij.
Caryophyllor.
Cinnamom.
Macis.
Zingib.
Cubebar.
Carbamom.
Piper. long.
rot.
Spic.nard. ā.℥ij.
Benzoini.
Myrrh.
Oliban.
Succin.
Mastich. ā. ʒvi.
Fl Rorismar.
Salv.
Pœon.
Stœchad.
Calendul.
Lavendul.
Hyperic.
Centaur.min.
Betonic.
Lil.convall.
Tiliæ ana p.ij
Cichor.
Rosar.rubr.
Bugloss.ā.p.1.
Mellis optimi
Sacchar.alb.ana .℈ 1.
Aquæ vitæ optimè rectificatæ ℈x.
Digerantur s.a.per dies[8 10.]vase Hermet.clauso.Hinc f. expressio quæ destilletur [ponendo in rostrum mosch. ʒß.ambr.gris.croc ana ʒj.] igne initio gradus 1 & exstillabit aqua clara, quam collige seorsim: dein ange aquam ad gr.2.& prodibunt spiritus nebulosi. Tandem Ignem adhibe fortiorem, ut exstillet oleum, & maneat in fundo materia sicca,nec tamen perfectè arida, ne empyreuma exstillatum sapiat.Ex hac residua materia extrahe tincturam s.a. cum aqua illa priori clarissima, & effunde. Demum misce tres illos liquores, ac destilla denuò per gradus ut prius, singulis seorsim susceptis Ex materia in utraque destillatione residua, postquam incinerata fuerit,elice Sal.com.beneficio aquæ illius claris primò exstillatæ eamque aquam sale imbutam misce cum spiritu & oleo,ac circula.
Vires. *Hujus Elixyris ineffabiles sunt virtutes ad curandas & præcavendas Vertigines,Epilepsias,Apoplexias,Paralyses, Manias Melancholias,Asthmata,Syncopes,Lypothymias stomachi, & aliarum partium debilitates,cachexias,hystericas passione, & alia id genus summa & deploranda symptomata.*
Dosis,guttula aliquot in aqua vel decocto conveniente.
N. *Hic Quercetaui processus non sine causa à Chimiatro celeberrimo, Friderico Greiffen correctus est, quam correctionem Quercetano Redivivo inservi.*

14. *Elexir vitæ minus ejusdem Quercet.*

℞. Rad.Gentian.
Centaur. min. ā. ℥iii.
Galang.
Cinnamom.
Macis.
Caryophyllor.ā.℥ſ.
Flor.Salv.

Rorismar.

Rorismar. ā. p. ij,
Vini almi generos. ℔. vj.
Macerentur in MB per dies ac noctes [8.] dein exprimantur fortiter. Expressio destilletur per alembicum in cinere ad siccitatem. Residuæ materiæ extrahe tincturam cum aqua illa destillata s.a. Postmodum incinera materias relictas, & elice sal cum aqua card. benedict. vel simili [vel & fontana :] sal inspissatum & purificatum adde tincturæ superiori & circula.

Vires. *Specificum est remedium ad omnes cachexias stomachi, capitisque imbecillitates.*

Dosis cochlear. 4. pars.

Uti vocant, medicamenti genuit admodum vicinum Essentiis. Nam *Elixyr* nihil aliud *est* nisi *essentia composita*, adeò ut in quamplurimis inter se conveniant: Si enim ex uno vel pluribus simplicibus cum Vini Spirit. per digestionem fiat extractio liquida, tunc vocatur Essentia: Ubi vero ex pluribus talibus simplicibus beneficio Spirit. Vini, vel simplicis, vel cum quodam alio liquore compositi, extrahatur Essentia, & præterea in istâ Essentiâ liquida dissolvantur non nulla ad augmentandas vires medicamenti, sunt etiam ad modificandam ejusdem consistentiam, saporem, &c. pro varietate scopi, hinc vocatur Elixyr.

Vox est origine, ni fallor, *Persica* cujus derivationem ministrat D. LANGIUS in *dissertatione de Elixyr proprietatis.*

Quod ergò attinet *modum præscribendi* & propinandi hujusmodi Elixyria aut m. Essentias: hæ Essentiæ & Elixyria *præscribuntur* interdum, sicut dixi, *in potionibus* sivè misturis, interdum verò & ferè sæpius quidem tantum præscribuntur *aliquot drachmæ*, & præscribuntur, ut assumuntur *in* commodo *vehiculo guttatim*. Sic v.gr. præscribuntur ℥ij. Elixyr proprietatis, signando majen elixir, & hujus Elixyris postmodum recipiuntur gutt. 15. ad summum 20. in convenienti vehiculo; tempore matutino in vehiculo calido, vespertivo verò in frigido, pro varietate circumstantiarum & ægri.

Tales Essentiæ ac Elixyria ex variis vegetabilibus possunt præparari. Ita AUCTOR habet.

I. ELIXYR ALLIATUM.

Paratum ex capitibus alliorum abstrahendo per alembicum: quod ipsum *constat* ex duobus egregiis antipestilentialibus *ex Camphora* & ex *allio*: Unde *multum valet* in curandâ *Peste* per sudorem, quem destillatum hoc allii cum Camphora potenter pellit.

Cæterum in *usu præservatorio*, ubi vult AUCTOR, *non multum* conducet, propterea quoniam experientia loquitur, quod talia volatilia & calidiora, nunquam soleant præservare à Peste, sed potius, ubi talia præservationis loco fuerint adhibita, tunc in ipsis Peste correptis soleant subsequi graviâ & periculosissima deliria: Ergo *in præservatione Pestis* & pestilentialium morborum *acida utramque* faciunt paginam. Unde etiam in præservatione Pestis huic *Elixyri debet addi s. q.* aceti vel ana, vel duplum, & ita ceu acet. Bezoardicum pestis præservativum potest assumi.

Præter has vires antipestiferas multum etiam convenit in *calculo præservando*, inprimis si originem ducat ex acido coagulante, convenit etiam *in* pellendis *lumbricis* & *vermibus* tam in intestinis, quam in aliis locis stabulantibus.

Hoc Elixyr *paratur per destillationem*: Observetur enim, quod *quando virtus* medicamento in extractionibus destilando *potest transcendere alembicum*, tunc præter digestionem nudam m. *fiet destilatio*; *sin* verò periculum sit, ne *magna* Essentiæ *pars*, aut melius ejusdem Extractum *remaneat in fundo*, tunc per nudam *extractionem* & digestionem sine destilatione parantur Essentiæ & Elixyria: jam verò notum est, quod ex alio partes volatiles Extractæ, facilè ascendant per alembicum.

II. ELIXYR CITRI.

Quod est egregium confortativum in *imbecillitate virium*. *Melior* est ejus *præparatio*, Spirit. Vin. semel à corticibus abstractus denuò novis corticibus affundatur, denuò digerantur, & post filtrationem cum succo citri miscentur: Est egregium remedium, quodque *in febribus maligni*, & in summa imbecillitate virium potenter ægros *restaurat*; Conducit valdopere *stomacho*, cujus tonum laxatum corrigit, ejusque *apepsiam* emendat. In *Colica* similiter valdè convenit, quoniam potenter flatus discutit, & in genere quæ dicta sunt superius de Citro, possunt dici de hoc Elixyre. *Dosis* est cochlear ß. pro varietate præparationum.

Ad hunc Elixyris Citri modum m. à quibusdam solet præparari ELIXYR MENTHÆ. *Fit* scilicet hoc per spiritum ex Mentha paratum; qui postmodum herbâ Menthæ exsiccatâ denuò recenti affunditur: sic enim in digestione viridem; acquirit colorem post separationem per filtrum parumper edulcoratur pro gratia saporis, & fit elegans medicamentum stomachicum, in primis si addatur aliquantulum spiritus vitrioli philosophici: dico aliquantulum, ut scilicet parum aut nullo modo percipiatur ejusdem sapor. Paratur m. à D. MICHAEL: ELIXYR STOMACHALE aliud, ex simplicibus medicamentis aromatibus stomachicis, cum spiritu Menthæ acidulato cum spiritu vitrioli philosophico, & postmodum dissolvitur in eadem Extractum stomachale, seu succi expressi & inspissati ex simplicibus stomachicis, & aromatibus, in tantum quantum capere potest Essentia.

His Elixyriis commodè *potest addi Oppium*, & similia Opiata, ad conciliandam virtutem anodynam, sedativam dolorum & spirituum. Sic præparavit D. MICHAEL *Elixyr diureticum anodynum* quod prolicit urinam, & dolorem compescit. Sic habemus *Essentiam anodynam*, in qua speciebus per spiritum Theriacalem extractis additur Opium, & habetur egregium Elixyr in *Malignis*, in *Agrypnia* & similibus opio indigentibus.

III. ELIXYR CAMPHORÆ s. Spirit. vin. CAMPHORATUS HARTMANNI. Hic est egregium remedium in *quamplurimis affectibus*. Convenit in *morbis malignis* & pestilentialibus, ratione Camphoræ, potenter movendo sudorem.

Quod si loco, spiritus vini simplicis recipiatur spiritus Theriacalis, & combinetur hic cum Camphorâ, esset remedium eò potentius & efficacius. In *præservatione* commodè permiscetur *cum liquore acido*, & assumuntur *guttæ* iv. in *curatione* xx. ut potenter moveat sudorem.

Præter hoc, quod movet sudorem in interno usu, etiam in *gangrena* & *sphacelo* partium externarum, sive assumatur internè, sive externè cum linteis duplicatis admoveatur pro fotu, facilè etiam partes emortuas resuscitat, & modo sit à causa externa gangrænam tutò solet amovere.

Præterea his spiritus vel solus, vel mistus sal. ammoniaco, s. spir. sal. ammon. vol. valdè convenit in *doloribus articulorum arthriticis*, si scilicet admoveatur cum linteis calidis, *discutit* enim *tumorem*. & unà omnem *dissolvit dolorem*.

VI. ELIXYR EPILEPTICUM CROLLII est elegans & potens *in curâ Epilepsiæ*, Cæterum *præparatio* non adeò commoda, propterea *melius est*, *si* recipiatur spiritus vitriol. vol. uti illum

illum exhibet AUCTOR vel uti superius præparationem suppeditavi, & misceatur cum spiritu sanguinis humani, aut m. cum spiritu Cranii humani, quæ mistura tunc acquirit colorem viridem, & valdè convenit in curâ Epilepsiæ cujuscunque.

VIII. ELIXYR PESTILENTIALE CROLLII.

Quod similiter in magno solet esse usu *in* curandis pestilentialibus & similibus *morbis contagiosis*. Pro præservatione *datur* à ℈j. ad ℈ij.

Si ol. Camphoræ, aut m. ol. Citri addatur, *erit* eò *præstantius*. Elegans *Elixyr pestilentiale* tam curativum quam præservativum describit BARTHOLINUS *Cent.* 2. *Epist. medicinal. Epist.* 44. ex compositione D.D. JOELIS LANGELOTTI.

x. Sequitur decantatum istud

ELIXYR PROPRIETATIS,

uti vocant, de quo elegantissimam scripsit *disputationem* B. D. LANGIUS. Quoad ingredientia nulla est controversia, cum ex Myrrhâ, aloë, & Croco idem parari nullum sit dubium: Cæterum *quoad menstruum*, cum quo parari debeat hoc Elixyr, ingens est contrarietas & *difficultas*. Auctorem agnoscit PARACELSUM, qui idem valdoperè *commendat* ad *quamplurimos usus* destinatum: Cæterum hic PARACELSUS *paravit* hoc Elixyr *cum* suo *Circulato majore* seu cum suo menstruo universali s. alcahest, uti hoc sufficienter innuit in suis scriptis hinc inde HELMONT. adeò ut nullum sit dubium, quin propter radicalem solutionem ingredientium Elixyr Paracelsi longè præferendum sit Elixyr nostro communi.

Sunt quidem nonnulli, qui volunt, quod *Vin. Spirit. terebinthinatus* genuinum fuerit *Paracelsi menstruum*: Unde m. multi beneficio hujus spiritus parant Elixyr proprietatis, nihilominus valdè *errant*, quoniam multum abest à liquore alcahest.

Loco ergo perfectioris Elixyris proprietatis paracelsi, *aliam præparationem* subministrat HELMONT. ex iisdem ingredientibus, circulando ad aliquod tempus in vase capaci, igne admodum temperato, donec appareat liquor oleosus, quo apparente affunditur aqua Cinamoni, & adhuc digeruntur per mensem, & sic fit destillatio. Parum quidem subministrat hæc præparatio, cum ℥ij. ingredientium vix 50. vel 60. subministrent guttas, nihilominus tamen egregium est refectivum, & *cui Helmontius multa tribuit*, & præterea, *ceu succedaneum PARACELSI* substituit.

Præparatio est *difficilis*: Nam totum *artificium* consistit *in regimine ignis*, nisi enim hoc exactissimè observaveris frustra laborabis, & ubi vel leviter excesseris in gradu, vitrum diffringitur, & omnia contenta pereunt.

Per mensem j. vel ij. in arenâ & cucurbitâ ampla benè sigillatâ igne leni digeruntur species, donec ferè, in picem confluant, & liquor oleosus in lateribus vasis se conspiciendum præbeat, & quidem, ut rectè spiritus possint circulari, vase amplo opus est. Satis nota erit descriptio ex HELMONT. *Dosis* est à gutt. j. ad ij. vel iij. & plus faciunt quam nostratis guttæ xx.

Vulgari modo paratur hoc Elixyr proprietatis, *cum Spirit. Vin. sulphurato* sive cum Spirit. vin. qui impræegnatus est cum ol. sulph. per campanam ad subtilem admodum aciditatem. Loco hujus sunt qui admiscent spiritum vitrioli: aliqui spiritum salis, nitri, & sic porrò; d. parum interest.

Aliquot hujus Elixyris tam simplicis, quam compositi *descriptiones* vid. in ROLFINCKII *Chymiâ* & in aliis scriptoribus.

Hoc Elixyr proprietatis commune valdè *convenit* in corrigendo *stomacho*, uti notum est ubi hic scilicet oneratus est copioso muco, imprimis acido, quem potenter abstergit & digerit, egregie calfacit corpus & exsiccat; Unde iis, *qui corpus* habent *humidum convenientius* est, quam iis qui habent siccum: à *putredine* quacunque *præservat*: imò *lumbricos* ex putredine funesta ortos tàm *præservat* quàm *enecat*. In *retentione secundinæ* post partum, ne eadem putrescat, est egregium remedium, præservat putredinem & pellit secundinam ratione croci & Myrrhæ. Unde etiam *mulieribus* valdè convenit *in certis casibus*: non vero gravidis propter dictas rationes. In *affectibus pectoris* valdè convenit: Nam in *pleuritide & peripneumoniâ* suppuratâ impedit, quo minus degenerare possit in phthisin, purificando & consolidando ulcera pulmonum, si sumatur cum decocto vulnerario, inprimis hederæ terrestris, cujus felicem usum imprimis expertus sum. Convenit in *Tussi* à mucilagine crassâ, si hæret in brochiis pulmonum, & expectorationem promovet; In *vertigine* & *imbecillitate visus* ortis ex stomacho, hoc Elixyr est egregium. In *Vlceribus & vulneribus* partium *internarum & externarum* valdè convenit hoc Elixyr. Unde etiam à quibusdam *externo usu* applicatur *ambustis* & combustis ab igne, ubi æstum & calorem mitigare dicitur. Imò externo usu in ulceribus & vulneribus sordidis & putridis *instillatur* aut c. unguentis applicatur. *Dosis* hujus Elixyris solius, sunt guttæ 15. ad summum XX.

In præparatione hujus Elixyris, ut fiat elegantius, observandæ quædam *enchirises*, optima est ea, si singulæ species *singulatim extrahantur* per menstruum & postmodum singulatim extracta misceantur, & per circulationem c. Spiritus vin. vel menstruo appropriato, benè digerantur: sic enim singulæ species singulatim extractæ & inspissatæ si permistæ extrahantur cum spiritu Cochleariæ, impræegnato cum spiritu aperitivo Penoti, fit egregium *Elixyr antiscorbuticum*. Quod si postuletur *Elixyr proprietatis* LAXANS tunc *aloe extrahenda est cum aqua* non verò cum Spirit. vin. & sic inspissanda: propterea quoniam beneficio aquæ ex aloë *elicitur mucilago* ejusdem *purgans*, per Spirit. vin. verò ex aloë tamen extrahitur resina adstringens. Pro varietate ergò scopi variè extrahitur aloë: vid. quæ de aloë superius. Alii pro laxativo ingredientibus solent addere Rhabarbarum: Et sic fit Elixyr Proprietatis laxans valdè conveniens *in tenellis*. Elegans etiam est *præparatio* KNOEPHELII, qui recipit Crocum & Myrrham, & hæc pulverisata insuit nodulo lineo, quem suspendit in cucurbitâ, in cujus fundo est aloë c. menstruo extrahente, & hanc cucurbitam benè clausam, imprimis super impositâ aliâ parvâ cucurbitâ, ponit in digestionem ...., sic enim, dum beneficio circulationis spiritus menstrui in vase incipiunt sese insinuare in nodulum, & impræegnare species in nodulo, eas extrahunt, & denuò è nodulo guttatim decidunt, sicque sensim sensimque essentiam elegantem & admodum potentem extrahunt, quo negotio ad longum tempus peracto, Spiritus vini est abstrahendus, donec remaneat Essentia in fundo, instar mellis tenuioris, quæ est egregia medicina: spiritus verò vini hic abstractus totus est volatilis & mirè Balsamicus.

Sunt qui volunt præparare Elixyr *proprietatis sine amaritudine* h. m.

℞. *Myrrhæ alexandrinæ &*

Aloës

Aloës succo trinæ ana ℥iv.
Croci orientalis ℥iij.

Has species invicem probè mistas indunt vitro, & irrorant Spirit. Vini, donec benè sint humidæ: Hinc affundunt Spirit. Vini, non rectificatum ad supereminentiam 4. digitorum, hinc digerunt ad aliquot dies debili calore, & postmodum affunditur ol. sulphur. per campanam tantum, quantum fuit Spirit. Vini, digerantur aliquot dies, hinc decantetur clarum à residentiâ, & hinc abstrahatur Spirit. Vini, qui ubi omnis fuerit abstractus, singulatim capiendum est phlegma grati saporis & odoris, donec incipiat acescere. Huic phlegmati reaffundatur Spirit. Vini abstractus, ponantur in digestionem aliquantulum, hinc filtrentur, & sic habetur Elixyr sine amaritudine: *dosis* guttæ 8. vel 10. in aqua appropriatâ, movet sudorem.

XII. ELIXYR UTERINUM CROLLII.

Ab AUTORE describitur: Hoc Elixyr examinanti ingredientia facilè patebit, quod conveniat in *affectibus hystericis*, inprimis in *suffocatione hystericâ*, quam cito sanat. Deinde in *mensibus* remoratis aut *lochiis obstructis*: valde enim istud est pellens in his ipsis excretionibus, & convenit in omnibus morbis has insequentibus.

Interdum etiam potionibus aut Misturis adduntur.

LIQUORES.

SCHRODER CAP. LXVI.

De Liquoribus.

Liquores hic voco humores per deliquium, aut similiter pararos.

N. *In his excellunt salia resoluta, quæ Balsami, vel interdum olei nomen, licèt minus accuratè, sibi vendicarunt.*

Resolvuntur salia per deliquium, si aëri humido exponantur, vel & humore aqueo imbibantur: reliqua quia peculiarem modum obtinent, quo in liquorem redigantur, specialiter suis locis innotescent.

Liquores usitatiores sunt.

Liquor Salis ammoniaci.
  Arsenici.
  Corallorum.
  Crystallorum.
Salis gemmæ.
Lapidis Judaici.
Ludi, s. calculi humani.
Oculorum cancri.
Perlarum.
Saturni.
Talci.
Tartari, i. e. oleum Tart.
Huc Liquor Lumbricorum.
  Myrrhæ.

Commendatur itidem maximopere Liquor Lithontripticus compositus.

℞. Ocul. cancr.
Lapid. Judaic.
  Lyncur.
Spongiæ.
Ætit. ana q.v.
Pulverisatis affunde Spiritum Salis ad digit. 3. stent in solutione per dies aliquot, hinc depleatur solutio, restitansque materia novo spiritu salis affuso denuo solutioni submittatur, donec tota ferè soluta sit. Solutiones confusas coagula evaporando vel abstrahendo. Coagulatum tritum solve per deliquium: liquorem hunc coagula iterum, ac solve; idque repete donec coagulationem ulteriorem admittere nolit.

Vires. *Maximarum censetur virium in calculo resolvendo.*

Dosis gutta 4. 5. &c. indies propinata. Vide Medull. dest. part. 1. tract. 10.

Liquor ad ulcera.

℞. Calc. viv.
Sal. ammoniac. ana.
Læviga simul, & funde ad follem fusione maturata, ut confluat aqua quam effunde. Massæ huic tritæ adde sal. Tart. tantundem ac fuit alterius, reponeque in cellam ad liquescendum.

Vires. *Sanat impetigines, ulcera fistulosa, aliaque maligna & inveterata mundificat, & ad sanationem disponit, proin confert in cancro, serpigine, lue venereâ, & simil.*

[*Looch, vide supra Eclegma.*]

Medicamenta formæ liquidæ, qui nihil aliud *sunt*, quam *humiditates per deliquium adeptæ* vel acquisitæ qu. scil. pulveres salini vel similes exponuntur aëri frigido & humido, verbi gr. cellæ, tunc hi instar salis liquescunt in liquorem, quali ratione dixi de terra sigillatâ, quâ præparetur *liquor stypticus* PRÆVOTII. Solent etiam à quibusdam vocari hi liquores *ol. p.d.* quo nomine specialiter venit ol. tart. p.d. seu sal fixum: in liquorem dissolvuntur in loco frigido & humido; *Liquores Corallorum Perlarum, oculorum cancrorum*, &c. sunt *unius* ejusdemque naturæ & Essentiæ: Nam solvuntur in aceto & denuò coagulantur, & coagulata in loco frigido resolvuntur in liquorem. *Unus valet* tantum *quantum* valet *alter*, & tantum valet liquor oculorum cancrorum, quantum valet liquor perlarum. Conveniunt in usu præcipitationis; item *in sanguine congrumato* dissolvendo: Unde conducunt in *effervescentia* massæ sanguineæ, in *casu ab alto*, & similibus LIQUOR CORALLIORUM imprimis valdè convenit pro compescendâ *efforvescentiâ violarum & promovet* earum *expulsionem*, pro quo usu hujus liquoris coralliorum guttæ XX. ad XXX. propinantur infantibus in liquore appropriato, vel etiam instillatur scil. q. hujus liquoris in potum infantum in principio violarum, sedat effervescentiam, uti dixi, & etiam expellit.

LIQUOR CRYSTALLORUM.

Commendatur in Calculo & morbis *nephriticis* & urinariis.

LIQUOR SATURNI.

Est *Saccharum* Saturni *resolutum* scil. ol. saturni. Convenit inprimis ad usus *externos*, tam *ulcera inflammata* vel inflammationes ulcerum, quam in usum *cosmeticum pro tollendis nævis & maculis*.

OLEUM TALCI.

De hoc dixi, quod *nondum verum* sit *repertum*. Recipiunt enim *Talcum*, solvunt, inspissant, & per d. fit hoc ol. quod *substitui potest* ol. Talci vero in usu cosmetico externo.

LIQUOR MYRRHATUS.

Fit *ex Myrrha*, ovo elixato, exempto vitello, *indita*, sic enim liquescit in ol. in cella. Est egregium *cosmeticum* contra *rugas seniles*, item quod *implet foveas* post variolas & morbillos.

LIQUOR ARSENICI.

Commendatur in cancris & *exulceratione*, inprimis

mis *mammarum*, in quâ ipsâ tamen cautè, necesse est, ut applicetur: in quo casu ipsi à quibusdam *præfertur liquor calc. vivæ* qui liquor alias vocatur *liquor ad ulcera*, & describitur ab AUTORE. *Hic* liquor ad ulcera egregiè convenit contra *Serpigines* & contra *Lichenes:* Potest prius ante fusionem in cella elici spiritus salis ammonici volatilis, qui cum calce viva paratus admodum est elegans. Ex cap.mort. postmodum potest extrahi sal, quod liquescit in cellâ in liquorem.

OLEUM LITHONTRIPTICUM.

Hujus aliquot præparationes dedi superius, ubi de lapidibus non pretiosis. Præ aliis elegans & non minus *efficax fit* ol. lithontripticum *ex calce* viva *cum spiritu salis*; sic enim fit liquor p. d. Si nimirum liquefacta & coagulata in crucibulo Igne forti, ponatur in cellam: ibidem enim dissolvitur in liquorem magnæ laudis in *calculo* vid. AUTOR: præparat: quæ satis est clara. De cæteris legantur ea quæ habet AUTOR.

Hi liquores, inprimis Perlarum Corallorum & oculorum cancrorum permiscentur cum potionibus pro usu suo destinatis, vel solent præscribi, ut permisceantur cum potu.

Huc pertinet LIQUOR LUMBRICORUM.

Ex lumbricis longâ digestione in liquorem *resolutis: tota* enim *substantia* lumbricorum in liquorem *dissolvitur*, solis *relictis pellibus* vacuis, qui liquor destillatus dat egregium spiritum vid. lumbric. *Pelles* verò istæ, *si dejiciantur* in locum fæcundum, in hortum vel pratum, in copiosissimos *abeunt lumbricos*.

Potionibus & Misturis vicini admodum sunt.

JULEPI.

MORELLI CAPUT II.

De Julepo.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

MEdicamentum dicatum alterationi, veteribus Græcis ignotum, Arabum inventum est, ex eo, quòd è delicatis & suavibus ferè fiebat, aut sacchàro saltem, nomen adeptum, voce *Julep*, *vel Juleb*, apud Persas potionem dulcem significante. Juniores Græci, Arabum imitatione, Ιελάπιον, alii verò Ἰολάβιον nuncuparunt, quæ nomina apud Medicos hodie adhuc usitata, etsi res ipsa jam absoleta.

Duplex autem reperitur apud authores, alius *veterum* appellandus, alius verò *recentiorum*.

Julepus *Veterum*, à nostro tota facie diversis, syrupus est, sed simplex, ex succo, aqua destillata, infusione hordei, decocto unius rei tantùm propriè, & saccharo, constans, utendi tempore etiam plerunque conficiendus, qualis olim usitatissimus *Julep rosatus*, aliàs dictus *Alexandrinus*, & *regius*, ad sitim, & æstum elegantissimus.

Julepus verò *Recentiorum*, qui hodie passim præscribitur, veterum quidem nomen retinuit, non formam, & vocatur passim *Julepus*, *vel Julep*, licèt qui nuperrimis annis scripserunt, *Syrupum*, & *Serapium* nuncuparint; quemadmodum & hodiè adhuc sæpius Itali: quòd fortè Juleporum basis syrupus Monspelii *Julepum* jam appellant.

Est autem JULEPUS, medicamentum fluidum instar aquæ, ex liquore idoneo, & syrupo, (*vel saccharo aliquando*, a) *simul ex tempore, sine coctione, paratum, in tres aut quatuor doses* b, *ad humores coquendos, vel alterandum quovis modo, aut roborandum* c, *comparatum.*

Hinc *duplex* statui potest hoc medicamentum alterans. *Vel* enim humores præparat ad κατάστασιν, seu coquit *d*, veterum Græcorum προποτισμὸς, purgationum universalium potio veluti præcursoria, qui *Coquens* ideo rectè appellatur, *Vel* extra ullum purgandi scopum, aut consilium alterat humores, spiritus, corporis partes alias, quo pertinet *Roborans, Cardiacus*.

In COMPOSITIONE ejus duo perpendenda, *Liquor* idoneus, ex quo, & *Dissolvenda* in ipso.

In LIQUORE *duo* attenduntur *Qualitas* & *Quantitas*.

α Ratione QUALITATIS, VEL præscribitur *sola Aqua stillatitia*, affectum, & affectam partem respiciens, quod usu frequentissimum pro julepo humores præparante, hyemis tempore maximè, herbarum defectu, tum etiam alterante alio quovis modo, atque roborante.

β VEL *Aqua destillata*, & *succus simul*, quod passim usitatissimum pro julepo cardiaco, & roborante.

γ VEL *Decoctum potionum simplicium*, dosi ferè media Apozematis, & eadem ratione præscribendum, quod in humorum coctione, aut alteratione, sæpiùs faciendum.

Ratione verò QUANTITATIS, pro qualibet dosi liquoris præscribendæ ℥ iij. ℥iv. ac proinde cùm julepus in tres doses passim, aut etiam quatuor imperetur, quantitas totius liquoris pro julepo erit ℥ viij. vel xij. si pro *tribus* dosibus; xij. xvj. si pro *quatuor*: e habito interim ad ætatem & corporis magnitudinem respectu: magnis enim corporibus ℥ iv. vix sufficient, nisi liquor virtute aut sapore efficax extiterit. f

Advertendum, quod ubi aquæ destillatæ, & succus simul præscribuntur, eorum modò unum imperari, modò ut unum alterum unciis duabus, tribus, quatuorve superet. Obiter tamen *notandum*, ubi *Succi acidiores* ingrediuntur, sat esse, si pro julepo trium dosium, ℥ii. vel ℥iii. eorum præscripseris.

DISSOLVENDA in liquore jam dicto sunt.

Ratione QUALITATIS VEL *Saccharum solum*, quod rarius, VEL, quod usu ferè tantùm receptum, *Syrupus* idoneus, partem affectam, & affectum respiciens. g

Præter horum dulcorantium aliquod, perpetuò in omni julepo dissolvendum, etiam aliquando dissolvuntur.

In Julepe quidem *humores præparante*, si ipsum ex decocto præscripseris, instar apozematum, eadem quæ in Apozemate alterante dissolvenda, suprà diximus, quandoquidem ejusmodi julep veluti minus Apozema est. h

In cardiaco verò julepo, & *roborante.* i

δ VEL *Confectio cardiaca* dissolvenda præscribitur, eaque sola, ut *Confectio Alkermes*, & *de Hyacintho*, maximè ubi roborandum, alvi diluvio præsente, in variolis etiam, & vermibus. Poterit & *Theriaca* in statu contagioso.

ε VEL *Pulvis cardiacus solus*, isque aut *simplex*, & hic rursum vel aromaticus, *ut Santalorum*, vel non aromaticus, ut passim in variolis. *Rasura cornu cervi, Eboris, Corallorum, Perlarum, Unicornu*, *Lapidis bezoardici*, ut & in malignis humoribus, in lumbricis etiamnum, ut & *Corallina* in iisdem, &c. Aut *Compositus*, Electuarii alicujus officinalis, ut *Diamargariti frigidi*, &c. prout ferunt indicationes.

η VEL *Confectio*, & *pulvis simul*; sed quia ratione hac julepus cardiacus ex eiisdem, ex quibs potio corroborans, conficitur, illius loco sæpiùs solet præscribi ejusmodi potus in unam dosin, & pro usus necessitate reiterari; utrum vis tamen feceris, non peccabis.

Præscribitur etiamnum hodiè frequentissimè dissolvendus *Vitrioli spiritu* l, in magno præsertim humorum, & partium incendio restinguendo, contagionis etiam, aut putredinis labe arcenda, contemperandave. Poterit & utiliter permisceri, ubi humores crassi erunt attenuandi, sive calidi, sive frigidi, aut aperiendæ obstructiones.

Ratione verò QUANTITATIS, pro una quidem dosi usitatè præscribuntur.

Dulcorantia ab ℥i. ad ℥iß. ad summum.

Succi depurati, vel *liquores*, in julepo ex decocto conflato, siquidem validiores, ut sunt acidi, ad ℥ß. sin contrà, ad ℥j.

Confectionis à ℈i. ad ℈ii. ad summum.

Pulveres à ℈i. ad ℈ i. ad summum, si tamen rariores, parciore dosi, ut *Lapis bezoar.* ad gr. iv. vj. *Unicornu* ad ℈ß. Perlæ à ℈ß. ad ℈j. pro ditioribus.

Ex iis erit facilè, quantitatem dissolvendorum pro julepo 3. aut 4. dosium colligere: & quia Confectiones, ac Pulveres cardiaci unum æstimantur, si unâ præscribantur, non erit arduum, eorum dosin simul junctorum limitare.

Spiritus verò *Vitrioli* n, si vocetur in usum, dosis hac ratione præscribetur legitimè ipsius nempè *p. s. ad gratam aciditatem conciliandam*, (quæ scilicet linguam non feriat acriùs aut stuporem dentibus conciliet) imperando.

USUS & FORMULA PRÆSCRIBENDI. ℞. &c. (id est liquorem, & dissolvenda idonea,) *fiat Julepus pro* 3. *aut* 4. *dosibus matutinis* o, (potest & circa vesperam assumi, & pro unica dosi aliquando præscribi, in cardiaco maxime. p)

2. Quod si julepus ex decocto extiterit, ratio præscribendi eadem, quæ Apozematis q.

3. Si præter Liquorem & Syrupos idoneos, (ex quibus solis simpliciùs, & usitatius Alterans Julepus, & præparans

rans componitur,) pulverem roborantem simplicem, vel compositum admiscere consilium fuerit, gratia Aromatizationis, præscribetur, *Fiat julepus qui talis pulveris* ℈j.℈iß. *aromatizetur pro* 3. 4. *dosibus.*

4. Infantulorum Julepi præscribuntur *ex cochleari, bis, ter in die assumendi.*

UTILITAS. Julepi fructus uberrimus, & celebris hodie usus est. 1. Ubi *praeparatio ad κα ἀρτι* prævia desideratur; hac enim forma duplici humorum concoctio ferè perficitur, Julepo, vel Apozemate: & ut hoc Vere potissimùm, ac Automno in istum finem præscribitur, ita Julepus concoquens Hyemis tempore, maximè simplicium, aut virentium defectu, aut siccarum, vel minore colligendi opportunitate, loco Apozematis, in eundem scopum usurpatur: vel etiam ubi per temporis angustias, aut urgentiam affectus, Apozema, aut aliud alterans majoris operis, non licet apparare, tunc ad extemporaneam aquarum destillatarum, & syruporum miscellam, & confectionem confugitur, pauperum inopiæ simul consulendo: ita ut Julepus concoquens Apozematis alterantis sit veluti succedaneum. Licèt verò hac ratione morbis citò occuratur, tutò, atque jucundè, non tamen id fit eadem efficaciâ, vires enim Apozemati longè vegetiores. r

2. Ubi quovis alio, quàm purgationis consecuturæ consilio, animus est *alterare* tum *corpus*, tum *humores*, tum *spiritus*; extinguere præsertim fervorem ipsorum quemvis, atque motum indebitum compescere, aut malignitatem refrænare. Sic passim ad calidas intemperies maximè, quibus privato jure ferè consecratur, febres ardentes quasvis, sitim leniendam, cor corroborandum, & arcendam quamvis labem malitiæ, hæmorrhagiam sistendam, vigilias exuperantes tollendas.

A Nonnunquam & aliis, ut mox constabit.
B Rarissimum hoc in tam paucas doses Julapium præscribi, ferè ad ℔ii. *quandoque ad iii. paratur.*
C Vix ad alios usus Julapia usurpantur, quam ad æstum internum refringendum, permixtis quandoque, licet rarius, roborantibus, & maximè Cardiacis. Hoc tamen cum fit, haud ita julapium, quam quidem Mixtura *appellari consuevit.*
D Coctio hac non alia hic est, quam humorum refrigeratio.
E Quod si diuturnior ejus ac frequentior usus, tota quantitas augeri debet, quod facere facillimum & dictis.
F Infantibus tantum quantum adsumere possunt & volunt.
G Ferè, ut diximus, sanguinem, & hinc etiam alios humores refrigerans. Sub syrupo & Rob comprehendi constat.
H Imò in quo ab Apozemate differat, non video; adeoque hoc meliore jure eo etiam reducendum æstimo.
I Qui tamen Practicis nostris Mixtura, ferè rarissimè Iulepus dicitur.
L Spiritus itidem nitri, salis, sulphuris per campanam.
M Pratiosa hac præstat partitè, & in cujusvis Dosi speciatim exhibere, formâ pulveris, boli, haustus, imò sine fructu hac ita liquori addimus, tum quod sumptuosa nimis, tu etiam quod non ita misceri queant.
N Et quæ eò spectant.
O Imò pro potu ordinario sæpius usurpatur, die noctèque.
P Hoc cum fit, non amplius julepus, sed potio dicitur, de quâ mox agetur.
Q Et hinc est, quòd etiam medicamentum tale verius Apozema, quam julapium vocari docuimus.
R Non crediderim illud universaliter verum esse, & sæpius Mixturus decoctis multò esse præstantiores censeo, Semper itaque medicamentorum conditio attendenda. Sæpè vix aliud quam aquam simplicem parum coloratam ægrotanti exhibemus decocta talia offerentes.

α R. Aquæ still. Cichor.
Card. bened. an. l. ℔ß.
Syrup. de Succo Limon.
Granat. acid. Viol. an. ℥j.
Spir. Vitrioli q. s. ad gratam aciditatem.

M. F. Julap.

β R. Succi Pomor. redol. Limon.
Borag. an. ℥j.
granator. ℥ß.
Aq. Card. bened. Endiv. an. ℔ß.
Theriac. opt. ʒii.
Corn. Cervi crudi. ʒiß.
Spec. liberant. ℥ß. *Misce.*

γ R. Rad. Acetos. Bugloss.
Torment. an. ℥j.
Flor. Endiv. Cichor. Acetos.
Pimpin. an. Mj.
Sem. 4. frig. maj. an. ℥ß.
Tamarind. ℥j.
Coq. in aq. Card. bened. ad ℔i.
In Colatura dissolve
Syr. de Limon. Acetos. an. ℥iß. *Misce.*
Quod si Cardiacum volumus addimus unicuique dosi
Confect. de Hyacinth. ʒj.
Lapid. Bezoard. or. gr. iii. *Misce.*

δ ℞. Aquæ Bugloss. Rosar.
Flor. arant. an. ℥j.
Syrup. de pomis, Limon. an. ℥ß.
Confect. de Alcherm. ʒj.
Aq. Cinnamom. ʒii. *Misce.*

ε R. Syrup. de meliss. Borag. an. ℥iii.
Aq. Card. bened. Scabios.
Meliss. an. ℔ß.
Corall. præp. Margar. Rasur. Eboris,
Cornu Cervi. an. ℈j. *Misce.*

R. Spec. Diamarg. frig.
Lætific. Gal. an. ℈ij.
Aq. Scabios. Borag. Acetos. an. ℔ß.
Cinnamomi. ℈j.
Syrup. de Succo Limon.
Rob. de berb. an. ℥j.
Spirit. Vitrioli parum. *Misce.*

R. Aquæ Rosar. ℔j.
Borag. ℔ß.
Cinnam ℥j.
Perfect. de Alcherm. ʒj.
Margar. præpat. Corall. præpar. an. ℈ß.
Manus Christ. perlat. ʒj. *Misce.*

SCHRODER. CAP. LXIV.

De Iulebis & Moretis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

JUlebi (Julepi) in Praxi usitatissimum potionis genus constituunt, quod ob saporem gratum, pro potu ordinario ægris præscribi ut plurimum solet.

Parati autem in Officina nulli extant, sed ex tempore parantur.

N. *Julepi violaceus & rosaceus* [*ut & gemmatus*] *Officinarum, Syrupi ferè consistentiam obtinent.*

Parantur ex liquore potulento, in quo Syrupi, saccharumve dissolvuntur, additis, prout visum fuerit, & aliis in liquore illo dissolvi aptis, qualia succi, spiritus & simil.

N. *Syrupi vices & Conserva supplere potest; accedente colaturâ.*

Liquor ille potulentus adhibetur varius: Aqua destillatitia, fontana, (correcta pane tosto) decoctum verbi gratia C.C. Glycyrrhizæ, Hordei & simil.

Proportio Liquoris ℔. I.
Syrupi ℥i. ℥ii. vel prout palato placuerit.

Acidiusculi, adeoque gratiores non rarò reddi solent, spiritu Vitrioli ad saporem grarum usque instillato.

Exemplo sint.

1. R. Decoct. C.C. usti, id est, in quo c.c. (v. gr. ℥i. vel ii.) sit coctum ℔. I.
Syrup. papav. err. ℥j.
Corallor.
Succ. Berberor. ana ℥ß.
M. F. Juleb.
Confert in febribus aliisque sanguinis ebullitionibus quas vigiliæ, alvique fluxus comitantur.

2. ℞. Aqu. fontan. pane correct. ℥x.
Juleb. Rosar. ℥iß.
Syr. cinam. ℥ß.
Aqu. Rosar. ℥iv.
Spirit. Vitrioli, q. s. ad gratum saporem, videlicet ℈ß. vel ʒß.
F. Juleb.
Vires. *Refrigerat, roborat, potusque gratus est ægrotis.*

3. ℞. Aqu. hordei, id est, decoct. ℔iß.
Conserv. rosar. ℥iii.
Conquassetur conserva, tantillum subinde decocti affundendo, hinc coletur, & si placuerit, filtretur.

N. 1. *Acida si decocto C C.* (*inprimis è crudo c.c.*) *instillâris, turbidum id redditur,*

N. 2. *Poterit itidem Santalo rubro aromatizati, santali scil.* ℥ß. *simul conquassando.*

Hujus quoque loci est Moretus nostratibus dictus, potionis genus ex aromaticis aliisve confortantibus commixtum,

commixtum, addito ad gratum saporem saccharro vel syrupo.

N. *Moretus dicitur à moris seu diamoro ingrediente. Estque mulierculis nostratibus potionis genus usitatissimum, quo veram impraegnationem confortari, falsam exturbari, persuasum sibi habent.*

1. Moretus usualis pro ditioribus.

℞. Diamor. c. saccar. ℥ii.
Juleb. Rosar.
Aqu. cinamom. ā. ℥j
Spec. Diamb. ʒ.
Trag. Stomach. ℥iß.
Vini optimi ℔. I. M.
Bibatur mane bonus haustus, idque diebus continuis 5.

2. Moretus pro pauperibus.

℞. Diamor. c. sacchar. ℥ii.
Juleb. rosar. ℥i.
Trag. comm. ℥iß.
Vini ℔. I. M.

3. Moretus absque speciebus.

℞. Diamor. c. sacchar. ℥ii.
Julep. rosar. ℥iß.
Aqu. cinamom. ℥i.
Vini generosi ℔. I. M.
N. *Species quæ adduntur post infusionem colando iterum separantur.*

Nodulus pro puerperis.

℞. Croc. integr. g. VI.
Galang.
Macis ana ℈j.
Antophyllor. N. IV.
Cardamom. ℈j.
Baccar. laur. decort. N. VI.
Dentur mixta.

Potionis forma admodum usitata ægris in *febribus ardentibus malignis*, utpote in quibus *loco potus* ordinarii solet præscribi. Cum enim in locis meridionalibus potus ordinarius sit *vinum* in septentrionalibus *cerevisiâ*, *uterque* verò in malignis morbis sit *fermentativus* & augeat effervescentias, 2. sit *gravis stomacho*, ut non facilè possit concoqui, & stomachi insuper vis debilitata, propterea loco potus ordinarii, præscribi Julepus, adhæc, ut *sitim* compescat, *effervescentiam* sedet, & blandè *refrigeret*; Est itaque Julepus genus potionis, quod præscribi solet pro aliquot dosibus, ut non scil. *raró* mensuretur *dosis certa*, sed ad ℔j. ad ℔iß. præscribuntur, ut exinde hauriat æger quantum placet. Unde quoniam debet propinari ægris, ut exinde mutentur, propterea nihil admiscendum est, quod sit ingratum gustui, sed *ex gravioribus* & suavioribus *debet componi*.

Consideranda E. duo. I. *liquor* ceu *basis* constituens Julepum: & II. ea, *quæ dissolvuntur* in liquore.

LIQUOR.

Ex quo componitur Julepus, ordinariò est, vel aqua, nunc simplices vel plures destillatæ: nunc *decoctum*, vel alterans usitatum, vel decoctum hordei, l. simplex, l. cum C.C. &c. Præscribitur hic liquor, habitâ ratione subjecti, in genere ad ℥VIII. j. iß, & postmodum *saporis* & *coloris gratiâ* ordinario *adduntur*.

I. Quidem *succi* & *Syrupi*, nunc conjunctim; nunc verò separatim: ita ut ad ℥iij. vel ℥IV. Julepi, ℥j. vel ℥iß. Succorum & Syruporum respondeat.

Deinde additur ratione coloris *Tinct. officinalis* usitata, ita ut ad ℔j. Julepi ʒij. vel ad summum ʒiij. istius Tinct. admisceantur.

III. In fine præscribi solet *Spiritus acidus mineralis*, sive sit sal, sive nitrum, sine vitrioli dosi indeterminatâ, sed additur tantum q. s. pro *grato acore* vel sapore, plus minus, prout jam dissoluta ingredientia fuerunt vel magis vel minus acida: Et hi spiritus *interdum* sumuntur *absolutè acidi*, *interdum* præscribuntur cum Spirit. Vini *dulcificati*, qui modus posterior præferendus priori, quoniam non excedunt tales spiritus *dulces*, sed *sunt temperati hique* adduntur propter majorem alterationem.

Ut rem declarem per *exemplum* sit verbi gratia præscribendus *Julepus in Febre ardente* simplici: h. m.

℞. *Decocti hordei* simplicis l. m.
alterantis usitati, quodcunque libuerit, ℔j.
Succi berberum.
Ribium ana ℥ß.
Syrup. de succo citri ℥j.
Tinct. rosarum.
Violarum ana ʒj.
Spiritus vitrioli q. s. pro grato acore.
M. Julep. refrig. pro plumb. dos.

Aliud *exemplum* Juleporum præscribendorum *in Febri malignâ*, in quâ corpus est disponendum ad lenem sudorem vel diaphoresin, & etiam interna malignitas appropriatis compescenda. v. gr.

℞. *Decoct. hordei cum C.C.* vel cum radiscorzon. ℔j. plus minus prout velis.
Succi citri recenter express. ℥ij.
Syrupi de succo borraginis, citri ana ʒvj.
Tinct. flor. aquileg. ʒij.
Spiritus nitri dulcis q. s. pro grato sapore.
M. Fiat Iulepus corrobor. & Diaphor. purg. plur. dosib. id est cochleat. sumendo.

Quodsi verò pro basi agnosco quas destillatas, tunc ejus baseos par est ratio, quam decocti, quod basin constituit Julepi. V. gr. præscriberem *Julepum refrigerantem* dictum *in paroxysmo Febrium intermittentium* h. m.

℞. *Aqua Endiviæ.*
Acetosæ.
Cichorii ana ℥IV.
Succi berberum.
Cydoniarum.
Syrupi acetosæ.
acetosellæ ana ℥ß.
Tinct. flor. papaveris Rhœados.
Rosarum.
Violarum ana ʒj.
Spiritus vitrioli philosophici vel
Salis parum.

M. pro Julepo, qui hauriendus est, quando corpus est in summo ardore & æstu, ut deinde facilius erumpat sudor. Nam hoc certum est, quod *difficilè* admodum sit *provocare sudorem in intermittentibus*: quare modo propinetur talis Julepus in paroxysmo, & sudor largus expectetur: Et propter hunc usum solet etiam præscribi talis Julepus: præterea cum propter effervescentiam massæ sanguineæ *adsint angustiæ* in præcordiis, *imbecillitas* virium, *jectigatio* &c. hæc omnia symptomata *solemus præcavere* per Julepum. Nam *ratione aciditatis* iisdem resistit.

Hic est *modus consuetus* parandi Julepos: nihilominus solet ab hoc fieri recessus verbi gratiâ, solent fieri *Julepi ex conservis* dissolutis in liquore appropriato, & post filtrationem acidulari parum & sic fieri Iulepi. *Modus* est *non elegans*, neque etiam infrequens, sic v. gr. *in febribus ardentibus cum affectibus capitis* conjunctis, posset fieri talis Julepus.

℞. *Conser*

℞. *Conservæ acetosæ.*
flor. betonicæ.
Tunicæ.
Nymphea.
ana ℥ß. ʒvi. ad ℥j.
dissolvantur in s. q. aqua: *Endiviæ* & *Galegæ*, vel in
s. q. *Decocti hordei.* C.C.
agitentur probè cum pistillo, vel stent ad aliquot horas in loco calido, donec dissolutæ sint Conservæ, filtrato addatur spiritus vitrioli q. s. pro grato sapore.

M. F. Julep. refrig. & corrobor. pro plurib. dosib.

Adhuc alio modo *extempore* fiunt Julepi *ex floribus siccis*, irroratis cum spiritu appropriato, & infusis in liquorem vel potum appropriatum, & sic etiam subitò emerget Tinct. quæ post filtrationem syrupo appropriato conjuncta, dat Julepum non in elegantem. Sic v. gr. *in febri ardente cum inflammatione hepatis* vel pulmonum conjunctâ, posset præscribi talis Julepus extempore per infusionem florum:

℞. *florum papav. Rhœad.* p.ij.
Rosarum.
Violarum ana p.j.
irrorentur parum *c. spiritu vitrioli* I.cum ol. sulphuris affundatur *decocti hordei* vel
alterantis usitati ℔j.
Stent in loco tepido per horam, postea filtretur, & addatur.
Syrupis papaveris errat.
de succo ribium ana ʒvj.

M. F. Julep. refriger. pro plur. dosib.

Ea quæ habet author MORELLUS de admiscendis confectis pulveribus & similibus, non amplius sunt in usu, quoniam Julepos faciunt ingratos.

Inter dissolvenda referendum etiam est *Rob.Sambuc*, quod non incommodè ad aliquot ʒas potest dissolvi in liquore appropriato, & additis convenientibus fieri Julepus, valde conveniens *in febribus conjunctis cum Erysypelate.*

Interdum, ubi scopus est simul servare alvum apertam, non inconveniens est, dissolvere *pulpam Tamarindorum in* liquore appropriato, quoniam est acida blandè *refrigerat* & *effervescentias compescit*, & præterea, uti notum est: *alvum laxam* servat. Vel *loco liquoris* adsumitur *decoctum Tamarindorum* acidulum, in quo decocto minus de acidis postmodum dissolvendum est, quoniam ipsum per se est subacidum.

Dissolvuntur etiam in Julepis interdum

GELATINÆ,

vel ex C C. vel ex cranio humano, vel ex similibus aliis paratæ, quæ dissolutæ super ignem *misceantur* cum *Julepis*, & sine sapore; odore, & sine omni nausea possint hauriri.

Porro ad liquorem, quæ constituit Julepum, etiam pertinet SERUM LACTIS, quod non rarò solet præscribi *pro corpore Iulepi*, tam *in febribus ardentibus malignis*, quam in specie in febribus *Scorbuticis*, in quibus serum lactis per se est appropriatum: in specie si solvantur in hoc appropriata scorbuto resistentia.

Ut adhuc unum alterumque subministrem exemplum sit v. gr. *Iulepus in Scorbuto*, qui alvum debet simul servare apertam:

℞. *Seri lactis depurati* ℔j.
Decocti Tamarindorum ℔ß.

(qui per se valdè conveniunt in scorbutico, & post Citrum sunt optimi.)
Succi citri recentis ℥iß. (ne nimis fiat acidus.
Syrupi scelotyrbici Foresti ℥iij.
M. pro Julepo corrob. In scorbut.

Exemplum Julepi *in pleuritide*, in qua plura & pulmo est obsessus inflammatione Erysipelaceâ, & quasi Erysipelate interno, formula potest esse talis.

℞. *Decocti flor. papav. Rhœad.* ℥viij.
Syrupi papav. simplic.
rhœad. an. ℥ß.
Succi Violarum. ℥j. (propter facilem exspuitionem.)
Rob. sambuci ʒij.
Spiritus nitri dulcis q. s. (qui est appropriatus in pleuritide & omni Erysipelate interno) pro grato sapore.

M. F. Julep. refrig. in plurib.

Ex citro & pomis citri *optimi* possint fieri *Julepi*, *in febribus ardentibus malignis*, si poma Citrea, nimirum pulpa & cortex flavus, exemptis seminibus, coquantur in aqua appropriatâ, post decoctionem recipiatur colatura, cui addatur Syrupi acetositatis citri q. s. habita ratione decocti, & misceantur aliquot ʒæ Elixyris Citri, pro gratiâ saporis, & majori efficaciâ.

Hi sunt *modi præscribendi* Julepos *extempore* pro usu ægrorum: Prostant tamen nonnunquam *in officinis* quidam Julepi extempore, qui vocantur JULEPUS VIOLACEUS, ROSACEUS & SAMBUCINUS, qui *sunt aquæ simplicium* s. q. Sacchari *edulcoratæ*, & usurpantur tales Julepi in officinis prostantes *loco edulcorationis* aliarum potionum: Utplurimum E. Julepi extempore solent præscribi.

In Iulepis pectoralibus, v. gr. in pleuritide & peripneumoniâ, ubi opus est, ut materia rejiciatur per os subformâ Tussis & sputi, ibi in Julepis expectorantibus *basis est decoctum* radicis *Glycyrrhizæ*, vel decoctum radicis Glycyrrhizæ, cum hordeo & similia, & in his postmodum, additis addendis, *potest dissolvi spir. nitri dulcis*, *qui* egregiè incidit maturam crassam, & adjuvat expectorationem.

Ubi Julepi præscribendi *in febribus*, *ubi* adest *diarrhæa*, loco syruporum & similium dissolvitur commodè *succus Cydoniorum*, Syrupus Cydoniorum, uti in *Gelatina C.C.* quæ est egregia *in Diarrhæa maligna* Epidemica; potest etiam dissolvi *Syrupus Corallior.* QUERCETANI, item *Syrupus de Symphyto* FERNELII, inprimis ubi adest metus ingruentis dysenteriæ: item Syrupus Myrtinus, quoniam tales adstringunt.

Ea quæ habet SCHRÖDERUS præter Julepos de MORETIS quæ sunt *potiones compositæ* pro *basi* agnoscentes *rob diamorum* cum vel sine saccharo paratum, aut ipsi rob species aromaticæ solent addi apud nos sunt exoleta, & tantum in usu sunt in Dem Reiche.

Moderni Medici non sine singulari ratione *Iulepis suis solent addere Vini Spirit.* aut alium, liquorem appropriatum unà cum spiritu acido minerali, quoniam certum est, quod talis *Vini Spirit.* egregiè *soleat compescere sitim*, atque etiam *in nimia inflammatione* conjunctus cum spiritu acido præferendus sit ipsi spiritui acido simplici: Unde b. D. LANGIUS in usu habuit talem Julepum.

℞. aq. *Fontanæ vel* aquæ cujusdam *appropriatæ* ℥x.
Vini Spirit. ℥j.
Rob Sambuci ʒij.
Spiritus nitri parum. M. pro Julepo in ardentibus tam simplicibus quam in malignis.

Dixi superius, quod non raro soleant per misceri *Iulepis*

SCHRODER. CAP. LXII.

De Gelatinis.

Gelatina est succus inspissatus, purior, clariusculus, cum saccharo in scatulas effusus & congelatus. Et hinc Gelatina dicitur.

Parantur è fructibus nonnullis succulentis, tum è cornibus ac ossibus tenerioribus.

E Fructibus.

℞. Fructus, exprime succum, expressum coque & clarifica (cum albumine ovi,) hinc addito saccharo inspissa sensim & effunde in scatulas.

Aliter.

℞. Fructus, quoque in aqua, decoctionem citra expressionem decanta vel filtra, saccharumque addendo inspissa.

E Cornibus & osibus tenuioribus fit sine Saccharo.

℞. Rasur. cornuum ossiumve (vel eadem in fragmenta minutiora redacta,) coque vel digere aliquandiu in aqua (communi, stillatitiave appropriata;) hinc coque & filtra calidè, coagulaque.

N. *Quod si ossa & cornua nimis dura sint, acuari aqua poterit liquore æliquo acido, verbi gratia spirit. vitrioli, acet. destillat. & simil.*

Exemplo sit.

Gelatina ossium de corde cervi.

℞ Rasur. ossium cordis cervi iij.
Coq. in aqua & vin. alb. ana ℔ß.
Per horas sex aut octo ad medias,
Deinde colentur in colaturâ diss.
Sacch. optim ℥vi. agitentur simul cum.
Succi limonum ℥ij.
Aqu. rof. ℥j.
Dein recoquantur ad medias addendo sub finem.
Ambr. griseæ seorsim in aqua rof. Infus. ℈ß.
Tincturæ cinnam. in vino fact. ℈1. colentur & refrigerentur.

Sic sunt.

Gelatina Citoniorum.
Pomorum.
Pyrorum.
Ribium.
Cornu cervi.
Cranii humani.

N. 1. *His immiscentur nonnunquam pulveres, vel extracta, & simil. unde gelatina composita, tùm alterantes, tum purgantes, verbi gratia, gelatina cytoniorum purgans, vid. lib. 4.*

N. 2. *Sunt qui gelatinas cytoniorum, marmelatas vocant, easque tum simplices, tum aromatizatas prò usu domestico parant, varii caloris.*

GELATINÆ.

Quæ non tantùm *Iulepis*, d.m. non infrequenter *potionibus* solent admisceri: Imò in usu solet esse quibusdam, ut dissolvant ægris in *potu ordinario* Gelatinas pro suis operationibus, ad quas conferunt.

Gelatina ipsa est *succus inspissatus* & coagulatus quasi dicere velimus, quod sit succus à gelu coagulatus & inspissatus cui succo coagulando in vegetabilibus *additur* communiter *saccharum*; *in animalibus* verò gelatinæ *ipsâ coctione* sine saccharo solent parari.

Quod attinet I. GELATINAS EX FRUCTIBUS paratas, exprimitur succus, coquitur, clarificatur, edulcoratur, cum saccharo, & in scatulas effunditur.

Tali modo prostat in officinis.

GELATINA CYDONIORUM.

quæ convenit *in affectibus intestinorum & stomachi.* Item Gelatina Cydoniorum, si *post pastum* usurpetur, conveniens est *ad* roborandum *stomachum*, & *impediendas phlogoses*, quæ solent interdum suboriri & faciem rubificare.

GELATINA POMORUM,

quæ convenit pro dissolutione inpotu appropriato in affectibus *Melancholicis*.

GELATINA PYRORUM.

adstringit, non secus atque Gelatina Cydoniorum, & propterea in affectibus ventriculi & intestinorum non est incongrua. Hæc sunt Gelatinæ Vegetabilium.

Quod attinet *Gelatinas* ANIMALIUM: istæ *parantur ex cornubus & ossibus*, qui scil. rasura cornium & ossium coquitur in aqua satis diu, colaturâ uti patet, refrigeratâ in loco frigido, Gelatina solet in summitate liquoris natare: & sic coagulantur *Gelatinæ*, quales prostant in officiis *ex C.C.* quæ nunc prostat *simpliciter talis*, nunc etiam est *acidulata*, quando scilicet liquor vel in decoctione, vel post filtrationem imprægnatur s.q. spiritus vitriol. Hinc n. Gelatina acquirit saporem acidulum, & est gelatina C.C. acida.

Item *interdum* liquori post filtrationem *additur succus berberum* vel *ribium*, vel etiam *Tinct. santalorum*, & sic Gelatina coagulata apparebit rubra, & dissecta in frustula, imposita in scatulam ligneam transparebit instar Rubini. Hæ *gelatinæ ex animalibus* nihil *sunt* aliud, nisi partium animalium, *salia volatilia concentrata ab humiditate roscidâ* & alimentitiâ cornuum & ossium. Hæc enim dum coctione diuturnâ eliciuntur, sibi invicem adhærent, & à frigore liquor glutinosus ac viscidus scilicet viscosus alimentitius sensim sensimque inspissatur, & ita in gelatinam coagulatur. Gelatina C.C. præscribi solet, *vel* ut *dissolvatur* ad aliquot ʒas *in potionibus* & misturis, *vel* ut dissolvatur à ʒvj. ad ℥j. *in decocto* appropriato pro Julepo, *vel* præscribitur *sola* in officinis ab ℥ß. ad ʒvi. ℥ß. ut postmodum ab adstantibus ægro liquefacta in calore vel igne immittatur in potum ordinarium: sic enim sine sapore, odore & colore imprægnat potum, ut sine omni nauseâ possit assumi. *Conducit* hoc modo, *in morbis malignis*, ubi opus est expulsione & blandâ corporis ad diaphoresin dispositione. Præterea valdè convenit hæc Gelatina in *diarrhæa* & *dysenteria Epidemicâ* malignâ in potu dissoluta, inprimis in diarrhæâ Epidemicâ, in quâ valde conducit.

Post Gelatinam C. C. solet etiam prostare in officinis.

GELATINA CRANII HUMANI,

eodem modo præparata atque Gelatina C.C. Hæc valde convenit *in Febribus malignis cum convulsionibus Epilepticis*, aut ipsa *Epilepsiâ* conjunctis, quales sunt *variolæ*, in principio ante eruptionem. Convenit m. in aliis *capitis affectibus*. In specie in *dysenteriâ* prodest, utpote in quâ *rasura cranii* hominis violentâ morte interemti singulare est *experimentum ad* sistendum *fluxum dysentericum.*

In quibusdam officinis solet prostare.

GELATINA EBORIS,

quæ convenit ubi opus est *corroboratione*, & sanguinis craseos naturalis restitutione. Item dissolvitur in potu ordinario mulierum *fluxu albo* laborantium. Ubi m. dissolvitur in potu eorum, qui laborant *fluxu* sanguinis *epatico.*

Formula Julepi quem ingreditur Gelatina sit talis v. gr. *Iulepus* est præscribendus *in febri maligna cum convulsionibus.*

℞. *Decoct.*

℞. *Decoct. rad. scorzoner.* ℥viij.
in quibus dissolv. *Gelatinæ Cranii humani* ℥ß. vel ʒvi.
Tinct. flor. pœoniæ ʒij. vel
flor. pœoniæ &
aquilegiæ aa. ʒj.
Spir. vitrioli philosophi : l. quod melius.
vitrioli volatilis s. cephalici parum
M. pro Julepo.

Ad potiones, Misturas & Julepos proximè accedunt apozemata.

MORELLI LIBER PRIMUS.

SECTIO I.

De Medicamentis Liquidis.

CAPUT I.

De Apozemate.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

QUòd Latini *Decocta*, Græci vocant *Apozemata*, ab ἀποζέννυι, quod est decoquo, fervefacio, propriè deducta.

Nihil autem est aliud APOZEMA, *quàm medicamenti forma liquida, ex liquore, qui vires variarum stirpium a ebiberit,* b *conflata, sacchairo, vel melle condita, clarificata, & aromatizata,* c *in quatuor aut quinque doses,* d *ad alterandum vel purgandum comparata.*

Apozema *duplex* est, aliud *Veterum*, jam obsoletum, aliud *Recentiorum*, operosioris laboris, quod persequimur, quodque ab effectu *duplex* potissimum statuimus, Alterans, & Purgans.

Apozema alterans.

APOZEMA seu DECOCTUM ALTERANS appello *quod alia quavis, quàm purgandi per cathartica vi, perfusum est, tum corpus, tum contenta, humores maximè, vario modo immutans.*

Corpus autem *vel* alterat tantùm in qualitatibus, & hoc *Alterans* propriè vocatur in genere, ac prout ex simplicibus, proprietate quadam varias partes spectantibus, conficitur, *cephalicum, hepaticum*, &c. in specie dici meretur.

Vel etiam usitatè, studio futuræ purgationis prosperæ, corpus obstructionibus impeditum reserat, unde *Aperiens* nuncupatur.

Humores etiam alterat in primis & secundis Qualitatibus, idque *vel* sine consilio purgandi, & hoc simpliciter *Alterans, calefaciens* puta, &c. dicitur, *vel* quia secutura est purgatio, ut humores catharticis fiant obedientiores, & hoc in genere *Coquens* appellatur, in specie verò pro varia humorum idea, *pituitam concoquens*, &c.

Cæterùm ad Apozema revocabis varia decocta, quibus utimur passim ad menses provocandos, urinas, sudores, &c. qualia sunt hydrotica inferiùs recensenda.

Quicquid sit, quia ista methodum medendi magis spectant, in Apozemate Alterante tria consideranda. *Compositio, Usus*, seu *forma præscribendi, Utilitas.*

In COMPOSITIONE sex maximè, accuratius, methodicè, consideranda.

1. *Materia*, ex qua vis medicatrix elici debet.
2. *Liquor*, in quem traducenda, trajiciendaque materia.
3. *Decoctio* ipsa & *decoctum.*
4. *Dissolvenda* in ipso.
5. *Clarificatio* ejusdem;
6. *Aromatizatio.*

In MATERIA tria consideranda, *Qualitas, Quantitas*; ac *Præscribendi ratio*, seu *Ordo.*

Quod ad QUALITATEM, materia ex qua fiunt, præscribunturque, sunt *Radices, Cortices, Ligna, Folia, Semina, Fructus, Flores, Aromata.* e

Quod ad QUANTITATEM seu *dosin*, f pro Apozemate præscribuntur.

Radices ad ℥iv. vel vj. ad summum.
Cortices (si assumantur) ad ℥i. ℥ii. ad summum.
Ligna (si præscribantur,) eadem dosi.
Folia ad M. viii. vel x. ad summum.
Semina ad ℥j. vel ℥i. ß. rarò ℥ii.

Fructus, vel sunt *minores*, ut passulæ, & præscribuntur bifariam, pondere ad ℥i. vel ii vel numero, eoque pari, quod vulgò efferunt, ad paria 4. 6. 10. 20. Vel sunt *majores*, & hi numero tantùm, eoque pari vel impari, si maximi, ut poma incisa numero duo, tria, &c. pari verò, si paulò minores, ut caricarum pinguium paria decem.

Flores ad P. iv. vel vi.

Aromata præstat in aromatizatione, quàm decoctione, præscribere, si tamen opus est, in purgantibus g à ʒii. ad ℥ß. ad summum.

h Quod ad ORDINEM PRÆSCRIBENDI, ut hæc à pharmacopæo decoqui, sic etiam præscribi debent à Medico: videlicet 1. radices, (*cortices* deinde, & *ligna* i si veniant in usum:) 2. *folia*, 3. *semina* 4. *fructus*, 5. *flores, & cum iis aromata.*

In LIQUORE, in quo materia ista decoquenda, duo considerantur *Qualitas* & *Quantitas.*

Quod ad ipsius QUALITATEM eligitur is pro intentione Medici: l passim autem in omnibus Apozematibus. *Aqua fontana* præscribitur, *putealis, optima quæque*: sæpe autem, & usitate etiamnum *Aqua hordei*, quod aliàs *D. coctum hordei* appellatur, ubi refrigerandum & detergendum, ut in biliosis: *Hydro-mel tenue*, maximè ubi attenuandum, & incidendum, detergendum, calefaciendum, in pituitosis: m *Serum lactis*, in melancholicis; *Aqua chalibeata* aliquando, in obstructionibus viscerum: in quibus præscribitur etiamnum sæpiùs à Practicis, *Fiat decoctio in aqua & vini partibus æqualibus*; sed præstat vinum tantummodò in fine præscribere.

QUANTITAS liquoris non definitur, præscribitur à Medico *quantum satis*, vel *sufficiens quantitas.*

DOCOCTIO & DECOCTUM. Materiâ Apozematis enumeratâ, ac dispositâ præscribitur, *Fiat decoctum* (in liquore scilicet jam dicto. *n*) Illud autem vulgò imperatur simpliciter, neque definitur ad quam liquoris consumptionem: tamen etiam aliquando usitatè solet exprimi, *Fiat decoctio ad* lbiß. *o* utrumvis feceris, non errabis. Decoctione absoluta *p* (unde decocti nomen) præscribitur. *Capiatur de colatura* lbiß. *vel quartaria sex. q* Apozema enim in quatuor doses instituitur, & hoc modo singulis dosibus ℥iv. ß. contingunt; sin autem volueris in quinque doses, ℥xx. imperentur, nec plures, cùm aliàs ante finitum usum corrumpatur Apozema, vel trahat situm. *r*

DISSOLVENDA in ipso decocto, tum ad conservationem, tum ad gratiam saporis, tum ad vires ipsi conciliandas, considerantur itidem ratione *Qualitatis & Quantitatis.*

Ratione QUALITATIS *dissolvuntur.*

α VEL *Syrupus tantùm*, isque idoneus, affectum & affectam partem respiciens, & ferè semper: quia & edulcorat Apozema, & simul vim communicat, qua imbutus est; unde & hac ratione resarcitur virium defectus ipsius Apozematis, ab incuria pharmacopœi minùs seduli aliquando, aut avari malitia oboriundus.

β VEL *Saccharum tantùm*, in affectibus quibusvis, humoribus, naturis, calidis, frigidis.

γ VEL *Syrupus & Saccharum simul.*

δ VEL etiam *Mel* aliquando in omnibus affectibus frigidis, capitis & pectoris maximè; ut & hyeme, ac illud vel *simplex*, vel medicatum, *rosatum, colatum* putà, *anthosatum*, in affectibus capitis à copiosa illuvie pituitosi humoris, &c.

Præter ista dulcorantia, quorum unum vel duo perpetuò & semper in omni Apozemate dissolvenda, aliquando etiam utilissimè, ad majorem vim conciliandam, & efficaciam, dissolvuntur.

ι VEL *Succi depurati Herbarum variarum*, in varios fines, à varietate indicantium; sic passim *Succus fumariæ, lupulorum* in melancholicis, *borraginis, buglossæ* in iisdem, & biliosis, ut & *acetosæ, mercurialis* in Uteri affectibus variis, suppressione mensium, &c. *aut Fructuum*, fermè acidorum, & in calidis affectibus ferè, ut *limonum* in biliosis *pomorum redolentium* in melancholicis, *granatorum* etiam in biliosis, & ubi urinæ movendæ.

η VEL *Liquores alii*, ut 1. *Acetum*, in calidis & biliosis ad æstum potenter extinguendum, in obstructionibus, vel etiam frigidis ad aperiendum, humores crassos incidendos & attenuandos: quia tamen utero molestum, abstinendum in muliere. 2. *Vinum* in frigidis affectibus, & naturis, humoribus crassis, lentis, obstructionibus, & ubi vis medica altiùs ad partes dissitas ducenda. 3. *Aqua vitæ* aliquando, eodem consilio, quo vinum.

Notandum verò, quòd ubi Succi dissolvuntur, aut alii Liquores, ex dulcorantibus supra dictis Saccharum solùm ferè præscribi, rarò Syrupos.

Ratione QUANTITATIS, dissolvuntur, *s* Dulcorantia quidem ad ℥iv. vel ℥vj. ad summum: sic enim cuique dosi Apozematis

Apozematis ℥j. vel ʒiß. continget, quæ ratio communis dosium est.

Ubi autem *Syrupus* & *Saccharum* simul præscribuntur, usitate definitur *Syrupi* dosis *t* ad ℥iii. *Sacchari* verò dicitur q. s. quod tamen facile est definire. *u*

Succi vel *Liquores validiores*, ut *Acetum*, *Aqua vitæ* ad ℥j. vel ℥ii. ad summum, aliàs possunt dissolvi dosi dulcorantium *x*

CLARIFICATIO & AROMATIZATIO, imperantur deinde, *y* præscribiturque: *Fiat Apozema clarificatum, & aromatizatum, pro quatuor dosibus. z*

De *Clarificatione* vide postea. &

In *Aromatizatione* consideranda *Qualitas* & *Quantitas*.

Ratione QUALITATIS, VEL fit cum *Aromate aliquo simplici*: in refrigerante quidem Apozemate cum *Santalo citrino, rubro, &c.* in calefaciente verò passim cum *Cinamomo*; (poteris & ubi movendi menses,) in affectibus autem pectoris frigidis usitate cum *pulvere Ireos Florent.* VEL fit cum *pulvere Elect. alicujus officinarum*, a in calidis quidem affectibus passim cum *pulvere Electuarii trium Santalorum*, in frigidis verò usitatè cum *Aromatico rosato*.

Ratione QUANTITATIS, dosis aromatizantis est ab ℥j. ad ℥ij. si cum simplici aromate fiat; si enim cum pulvere electuarii alicujus, ℥j. vel ℥iß. sufficiet. *b*

USUS & FORMULA PRÆSCRIPTIONIS. Recipe &c. (i. e. *materiam dictam*) *fiat decoctio in liquoris suprà dicti q. s. vel sufficiente quantitate, cape de colatura, &c. in quibus dissolve, &c. fiat Apozema clarificatum & aromatizatum &c. pro iiij. c dosibus matutinis, vel etiam vespertinis, tribus horis ante cibum.* d

UTILITAS. Hæc medicamenti forma liquida *in genere* frugifera, ubi alterandi humores, vel affectus p. enim altiùs delitescunt; fluida enim vis altiùs se insinuat ad eorum radices, & penetrat ad dissita viribus integrioribus; *vel* etiam, ubi corpus aut affectus siccitate squallidus, madore simul vult perfundi: *vel* quando humores crassiores, sicciores ut in obstructionibus melancholicorum, hos enim humiditas diluit, cum fructu, & majore dein effectu propinati medicamenti.

In specie verò alterans Apozema inservit maximè, 1. *Præparationi ad purgationem* facilem felicemque, quæ in duobus, humorum & corporis apparatu, consistit: præscribuntur enim tum ad *humorum coctionem*, *seu præparationem* eorundem in primis, & secundis qualitatibus, frigidos calefaciendo, crassos attenuando, incidendoque, lentos & viscidos detergendo, fervidos attemperando, incrassando tenuiores, quò medicamento cathartico trahenti, naturæque expellenti, faciliùs cedant, eliminenturque: tum etiam ad *corporis præparationem*, aperiendo obstructiones, ipsum meabile reddendo, & ὁδὸν, quò inoffenso cursu feratur humor, hinc demum κάθαρσις felicissima cum fructu, & ægrotantis εὐφορία.

2. *Alterationi* etiam *corporis & humorum* extra consilium ullius purgationis: ubi partes in pristinam temperiem revocandæ vario modo: sed calefaciendo, refrigerando maximè, humores etiam, bilis fervida præcipuè, contemperanda, vel alii humores quavis ratione, juleporum loco, alterandi.

4. *Obstructionibus expediendis*, si ab humore crasso adusto fuerint, aliàs si à frigido, Apozema esto catharticum.

3. *Urinis movendis*, ciendisque, detergendis etiam renibus, & expurgandis arenulis.

5. *Mensibus provocandis*, licèt etiam huic negotio hodie ferè purgantia admisceantur.

Notandum *tamen hodie ferè usu invaluisse apud recentiores Practicos, omne Apozema alterans & purgans simul præscribere, ut jam dicetur, & in alterantis locum julepum aut juscula ferè successisse, usitatissimè tamen. Alterans simplicieter vocatur in usum in febribus continuis, intemperiebus partium calidis, & humorum fervore, item in urinis ciendis, æstu renum, & quarumvis partium extinguendo, reliquiis causarum morbificarum absumendis, & in declinatione febrium per urinas fit usitatissimè.*

Cæterum præscribuntur Apozemata vere maximè & autumno, adde & æstate, cùm per illa tempora anni herbæ virescant, sintque ad manus: possunt & per hyemem, ex siccis stirpium partibus majore efficacia, si adfuerint, aliàs syrupis & julepis erit utendum, quæ vicem gerent Apozematum, debiliore licet ἐνεργείᾳ.

Apozema purgans.

APOZEMA PURGANS, usu hodie receptissimum, neque olim Mesuæo intactum, dicitur, *quod humores præparans, coctos e simul una & eadem opera, partitis vicibus, (quatuor scilicet vel quinque) f sensim, per ἐπίκρασιν, educit, catharticorum propriè dictorum vi, affectibus chronicis, à multis humoribus, aut contumacibus, maximè conveniens.*

Hoc autem, pro varia humorum indole, h *Phlegmagogum* aliud est, *Melanagogum*, *Cholagogum*, *Hydragogum*.

In eo tria quoque perpendenda. *Compositio, Usus, Utilitas.*

In ejus COMPOSITIONE duo maximè consideranda: *Materia*, ex qua decoctum fiat catharticum, & *Dissolvenda* in ipso.

MATERIA, sunt *Cathartica simplicia*, cum suis correlctivis, pro humorum ideâ varia, unà cum materia, vedecocto Apozematis alterantis decocta, aut in hoc simul infusa.

In illis autem tria consideranda. *Qualitas*, *Quantitas*, & *Præscribendi, decoquendique series*, ac ordo.

Ratione QUALITATIS, simplicia cathartica, quæ usitatè tantùm decoquuntur, sunt *Senna*, *Polypodium*, *Carthamus*, *Turbith*, *Hermodactyli*, *Agaricus*, *Epithymus*, *Helleborus* i, *Esula*, *Semen ebuli. l* Quæ verò usitatiùs infundi debent, vel leviter admodum decoqui, *Rhabarbarum*, *Myrobalani*, *Tamarindini*, *Cassia* aliquando. *m*

Ratione QUANTITATIS ista dosi præscribenda, quæ in 4. aut 5. sufficiet. *In genere autem*, quia inter decoquendum virtus cathartica, vel solet evanescere, vel non extrahi sufficienter, unumquodque purgans simplex, pro quavis dosi constituenda, debet præscribi in decocto, copiâ multò majore, proportione scilicet ad dosin, qua datur in substantia, dupla in validioribus, tripla vel quadrupla in mediocribus, sextupla etiam & octupla in levioribus, ita tamen ut leviorum duæ sunt partes, *n* validiorum una tantùm, vel etiam quarta pars. & in omni ferè Apozemate purgante hæc tria *Senna*, *Polypodium*, *Chartamus*, pro basi, præscribantur majori quantitate, reliqua vero pro humoris specie addantur, sed dosi minore ab ℥j. ad ℥iß. ad summum: consultis interim humoris natura, ejusdem vitio in 1. & 2. qualitate, quantitate demum, corporis etiam temperamento, constitutione, ad purgationem consuetudine, aut ἰδιοσυγκρασίᾳ regionis conditione, cœli statu, anni tempore, sexu, ætate, & aliis legitimam κάθαρσιν limitantibus, & quæ ipsam facilem, aut difficilem futuram ostendunt, cathartica proinde leviora, validiora, majore, minoreve dosi esse exhibenda.

In specie igitur in omni ferè Apozemate, illa tria pro basi (purgantia enim Apozemata pituitæ, & melancholiæ, serosisve humoribus ferè debentur, ut bili etiamnum aliquando, cui senna maximè convenit) sic solent apud Monspelienses usitate præscribi. *o*

Foliorum Senn orientalis mundatorum.

Medullæ *seminis Carthami* contusi.

Polypodii quercini recentis ana ℥ii. ℥iiß. ℥iii. pro basi, ita tamen; ut modò hujus illiusve quantitatem majorem possis præscribere, prout hunc, vel illum humorem magis purgare consilium.

Quòd si *Pituita* veniat evacuanda, huic basi insuper hæc solent adscribi.

Turbith gummosi & electi ℥ß. ʒvj.

Hermodactylorum ℥ß. ʒvj.

Agarici recenter trochiscati, in nodulo ligari, ℥ß. ʒv.

Rhabarbari (aliquando) in nodulo positi, vel seorsim infusi ℥ß. ʒvj.

Licet Turbith non sit addendum, vel Hermodactyli, nisi ubi validiùs agere propositum, & à longinquis trahendus humor: aliàs enim postrema duo sufficere poterunt.

Quod si *Melancholia* educenda, (detracto ex basi dicta, si volueris, carthamo, aucta reliquorum dosi) addantur.

Epithymi cretici ʒvj. ℥j.

Radicis Veratri nigri, vel, *ramentorum Hellebori nigri* ʒii. ℥ß. (sed rariùs, tantùm in melancholia contumaci.)

Sæpiùs verò *Agaricum*, & *Rhabarb.* melanagogis permiscent: quod fortè eorum obstructiones pertinaces, à viscidis mucilaginosis humoribus foveantur.

Quod si etiam *Bilis* leniter purganda, *Sennæ* (ad fuligines adustas expurgandas) pro basi tantùm præscriptæ, adscribes.

Tamarindor. ℥iß. ℥ii.

Rhabarb. elect. &c. ut suprà ℥ß. ʒvj.

Corticis myrobanalorum citrinarum, *oleo amygdalarum dulcium confricatarum* ℥ß.

Tamen myrobalanos præstabit tantùm infundere, ne majorem adstrictionem, præter scopum, Apozemati concilient.

Quod si ducendæ *Aquæ*, serosique humores exhauriendi, basi dictæ adjunges.

Rad. Ireos nostr. in taleolos dissecta. ℥j.

Corticis mediana Sambuci vel *Ebuli* ʒii. ʒiii.

Fol. Soldanellæ Mj.

Hermodactylorum ℥ß.

Rad. Mechoac. seorsim infusa ℥ß.

Esulæ, (ubi agendum fortiùs) *aceto macerata* ʒj.

Permisceantur & phlegmagoga suprà dicta.

Iis carthaticis sua corrigentia addenda, *p* ut dictum suprà, horum autem dosis à ʒii. ad ℥ß.

Quod ad ORDINEM PRÆSCRIBENDI, (& decoquendi)

quendi) Catharitica, in Apozematis formula, collocantur passim post fructus ante flores. Aromata etiam seu correctiva statim post purgantia: *Polypedium* autem, quia initio semper decoquitur, ideò & initiò præscribi inter radices potest.

DISSOLVENDA. Colato decocto, vel dissolvuntur tantùm dulcorantia, suprà in Apozemate alterante enumerata, dosi dicta ibidem, quando nempe decoctum Apozematis purgantis sat fuerit catharticum: sincontrà levius extiterit, in decocto colato dissolvantur insuper alia *Cathartica*.

Hæc ratione QUALITATIS sunt.

VEL *Syrupi purgantes*, idque semper, si nullum dulcorans dissolveris, ut *Rosarum solutivus* in biliosis & serosis humoribus, ut & recepto more in omnibus: de *Cichoreo compositus*, *Diacnicu* in biliosis, de *Fumaria* in iisdem, & melancholicis.

Vel *Succus rosarum pallidarum.* recenter expressus, aut infusio earundem completa (quod usitatissimum veris tempore, in purgationibus illis prophylacticis biliosorum maximè, & eorum, qui serosis humoribus scatent,) sed tum præscribendum, *addatur sacchari* q.s. Et hæc præscribuntur in colatura statim dissolvenda.

VEL *Electuaria officinarum*, quæ vel *Opiata*, ut passim in pituitosis, *Diaphœnicum*, quod & biliosis, ideoque tertianis nothis utile: in biliosis, *Diaprunum simplex*, & *solutivum*, *Elect. de psyllio* cùm extat, *Manna* aliquando in melancholicis, *Confectio Hamech*, sed cautè *Electuarium lenitivum*, seu *diasenna solutiva*. Vel *Tabellæ*, ut in pituitosis, *Elect. de Carthamo*: in biliosis *Elect. de Succo rosarum*: in biliosis & pituitosis, ut & in melancholicis, *Elect. de citro solutivum*.

Et hæc præscribuntur dissolvenda in ultima dosi tantùm, usus tempore, idque demum si Apozema non satis fuerit purgans: his enim aliàs abstinendum.

Ratione verò QUANTITATIS,

Syrupi ad ℥iv, ℥vj. sumuntur. *Q.*

Succus, vel *infusio rosarum* ad ℥iv.

Opiatæ, & *oabelæ* ℥ij. ℥iij. prout ipsæ, & decoctum valida fuerint.

* USUS & FORMULA PRÆSCRIPTIONIS eadem est, quæ Apozematis alterantis; *R* hoc tantùm differt, *S* quod dicitur, ℞. *&c. fiat Apozema clarificatum.* (vel, ubi volumus agat validiùs, non clarificatum,) *& aromatizatum*, *&c. pro quatuor dosibus matutinis, in quarum ultima dissolve electuarinm aliquod*, *T* (quando adest eradicandi consilium, vel quando Apozema non satis expurgaverit) *fiat potio. V*

Item differt, si ante usum Apozematis minorativum, X non fuerit exhibitum, dicitur in formula, *pro quatuor dosibus matutinis, in quarum prima & ultima dissolve* electuarii talis, *&c. fiat potio. Y*

UTILITAS. Apozemata hodierna ut plurimùm purgantia simul, & alterantia: sic enim sensim humores præparantur, & quia una vice eradicari toti non poterant, educuntur hac ratione per partes, sensim, per ἐπίκρασιν, sine violentia. Remedium felicissimum in morbis chronicis & diuturnis, ab humoribus pituitosis, melancholicis, copiosis, contumacibus, altéque inhærentibus ortis. In calidis verò morbis, ab humoribus fervidis, minùs conveniunt, & si aliquando urgeat indicatio, Z præscribenda ex levioribus cholagogis, ut quando materia multa: pauca namque non indiget evacuatione partita, sed simplici alteratione, quam dein una vice facile exturbes è corpore. Censentur etiam utilissima in morborum declinatione, ad subducendas eorum reliquias, & in prophylaxi, ad eos præcavendos.

Cæterùm ferè receptum est, ante usum ejusmodi Apozematum, medicamentum minorans, seu minuens, formâ potionis, boli, pilularum, præscribere, deinde humores hac ratione, sensim purgando, ad eradicationem apparare. &

ANNOTATIONES.

I. CIRCA MATERIAM hoc imprimis observandum, quosdam varietatem illam & numerum diversarum partium A. *damnare in decoctis conflandis, sed quia illud hodie receptum apud Practicos elegantes, licet ad formulæ quandam pompam esse videatur, decocta ejusmodi longa, ut vocant, seu apozemata ex Rad. Fol. Sem. Fruct. Flor. simul præscribenda. Hoc unum improbandum, ubi quatuor, quinque Foliorum genera, indicationum varietati sufficere possunt, plura si coacerves, &, ut expleas latitudinem doseos, seminum in Apozemate, octo vel duodecim diversorum*, an. ʒ.j. *præscribas, si duorum, trium*, an ʒß. *sufficiet: illud enim est decoctum in molem theriacalem extruere, pharmacopœis tædium & molestiam dispensatione parere, omissionis occasionem præbere, Medicum proinde spe, ægrotantem medicamenti fructu, cum sanitatis dispendio, privare.*

2. *Quod ad* QUANTITATEM, *seu* DOSIN *ingredientium alterans Apozema, dubii admodum authores, nec quid certi statuunt, quod imiteris cum fructu: lex præscripta stata est, usu apud Monspelienses, & utilitate apud ægrotos confirmata, neque cuiquam dosis major videatur, aut ab ipsa abhorreat: vim enim medicatricem efficacem, vegetamque parcæ & illiberalis manus non dederit, affectibus expugnandis idoneam: si enim Apozema efficax volueris, & fœcundum virtute simplicium, quandoquidem essentia copiosa non habetur, nisi è multa copia, majore quantitate præscribas; quid namque virium à libra semis materiæ pro quatuor dosibus Apozematis speres? cùm præterea sæpius pharmacopœi minus industrii vitio vel injuria, coctionis brevitate, aut præpostera ejusdem festinatione, (ut vincula quibus coërcita rerum facultas solvi non potuerint,) non eliquetur, eliciaturque sufficienter, vel eadem virtus coctionis nimietate, aut caloris & ignis urgentia, vasis etiam demum, quo vulgò decoctiones celebrari malè solent, apertione expiret, exhaletque, defectum illum, jacturam hanc, ratione hac, compensabis legitimè, decocta efficacissima, & simplicium virtutibus uberrimè prægnantia comparando, non aquea, & quæ medicum, ægrotumve frustentur suo voto.* Ergò in genere *dosi præfinita præscribantur, vix majore, paulò minore, si simplicia arida & sicca, quia efficacissima, si qualitatis acutæ, & natura ac viribus excellentia sapore amaro, acriore, si ingrata si decoctum velis quantitate paucum, sin item debilius & contrà.*

Speciatim *verò notandum* B *circa* radices, *apud quosdam Practicos quæ vocantur* aperientes, *cum provocantibus sudorem, ut in variolis, aliquando permisceri, [forte quo attenuentur humores, & felicius, faciliusve in vaporem, sudoremque resolventur,] quod certè faciendum dosi minore, ad* ℥ij. *vel* ℥iij. *ad summum: aliàs humores attenuatos ducent ad vias urinæ, sudores minuentis, quo scopo Arabes, & hodierni, ipsas permiscent lentium decocto, ad variolas: Quæ etiam valde amara, tantùm ad* ʒvj. ℥j. *ut* gentiana, bryonia, enula, *& si siccæ, ad* ℥ß. ʒvj. *præscribuntur.*

Sic & folia amara *minore, nisi dosi decoctum velis efficax admodùm, quod exoptandum; unde & passim amarissima simul videas in obstructionibus frigidis conjuncta*, centaurium minus, absynth. an. M.ij. iij. iiij.

Fructus *verò* vel *ad alterandum tantùm præscribuntur, refrigerandum puta*, pruna acida, poma *calefaciendum*, passulæ, caricæ, *ad par x. xij.* ubi *verò alvus mollienda, detergendum, purgandum*, passulæ, ficus, pruna dulcia, dactyli *ad paria xx. plus minùs præscribantur: in affectibus verò pectoris & pulmonum, calidis & frigidis, passim largiore manu* passulæ, jujubæ, sebesten, pruna dulcia, &c. *ad paria nim.* 30. 40. 50. *præscribuntur; tamen vide, ne decoctum crassius, & viscidius, ac colatu difficilius inde evadat unde ubi caricæ pingues ingrediuntur, dosi semper minore, ad paria* 4. 8. *præscribuntur.*

Circa fructus, *si minores, ut* uvæ corinthiacæ, *aut si partes quasdam eorum detrahimus, aliquas tantùm in usum vocantes, (ut cum* Dactylis à fibris mundati *præscribuntur,) tunc non numero, vel paribus, sed pondere usitatè præscribuntur, si integri, numero:* Tamarindi *solo pondere*, Passulæ *sive integræ, sive mundatæ, numero & pondere.*

Quod ad QUANTITATEM CATHARRICORUM *in purgante Apozemate, ut illius ratio ineatur securè, notandum in genere, vim catharticam in decoctis, vulgari via non haberi copiosam, nisi majore copia præscribantur, evanescere puta, vel non elici sufficienter, ob rationes supra recensitas; quibus & hanc adde, cathartica in liquore Apozematis decoqui demum, simplicium alterantium substantia tenuiore jam imprægnata spissiore, ac sæpius viscida: vim ideò minus uberem elici posse in liquorem, quòd hic alterantium substantia imbibitus, hanc respuat, & quia crassior factus, altè se, aut facile insinuare non possit in materiæ commissæ partes, & essentiam purgatricem in decoctum resolvere; hoc enim tenuitatis opus.*

Ergo dosi majore præscribenda, hac ferè proportione, ut eorum quæ in substantia dosi semper minore exhibentur, ubi in infusione præscripseris, majorem præscribas, duplam putà ad eam, quâ in substantia, in decoctis verò maximam, (ob rationes allatas,] & illam quidem duplam, ubi vehementia, [*ut* Turbith. Hermod. Veratrum, &c.] *triplam, ubi mediocria,* [*ut* Agaric. &c.] *ubi leviora, quadruplam,* [*ut* Senna, Polypod. Cartham. Epit. Tamarind.] *ex authorum consensu, reique veritate præscribas.* Ex *hoc fundamento, quandoquidem Apozema quod vis purgans in* 4. *fere doses præscribitur, cathartica ea quantitate assumenda, quæ sufficiant in illas: hoc est quatuor eorum doses quâ solent in substantia dari, in decoctione erunt assumendæ, ut semper illa tria,* senna, polypod. cartham. *ex recepto more, veluti pro basi constituas.*

Vacuandum v. g. *phelgma* 4. *vicibus continuis, si* Sennæ ℥j. ℥jß. Polypod. *tantundem*, Carthami *etiamnum addideris quartum insuper*, Agaricum *puta, ad* ℥ß. ʒvj. *habebis intentum. Quòd si præter* Agaricum, *alia phlegmagoga etiam exoptes*, Turbith. *v. g*, Hermodactylos, *tunc horum, vel illorum dosis erit minuenda. qui minor saltem validiorum præscribenda.*

Atque

Atque hæc ratio universalis erit tuta ubique locorum, sine discrimine, minorem tamen poteris præscribere, consideratione sexus, ætatis temporis, &c.

Monspelienses multò majorem, ex recepto more, passim præscribunt, ut suprà in compositione vidimus, ita ut leviora in decoctis, contra communem illum consensum, assumant proportione passim sextuplâ, vel octuplâ; vehementiora etiam (turbith) *quadruplâ. Licet autem id secure fiat Monspelii, adhibitis interim circumscriptionibus necessariis; tamen id ubique locorum non est persequendum, neque ita dosis indiscriminatim præscribenda, standum potiùs à communi sensu suprà dicto, vel singulorum doses exploranda in substantia, ex quibus, analogia descripta, singulorum doses in decoctis investigabis facillimè.*

Nota obiter, licèt ex hac proportionis regula Tamarindi *coqui deberent ad ℥viij. proportione quadrupla, quia in substantia dantur ad ℥ij. tamen vix in decocto transcendi dosin, qua dantur in substantia, quia viscidi decoctum lentum admodum reddunt, ac viscidum, colatu ac clarificatu difficillimum: item, licet* Myrobal. *vix purgent, nunquam dosi majore esse præscribendas, sed minore, ad summum ad ℥ß. ʒvj. quia decoctum adstringentius præter consilium redderent, leviter etiam ideò decoquenda, in Apozemate verè cathartico, infundenda potius, consilio etiam ipsius Mesuæi & rectè, contra quod vulgò fieri solet.*

Cæterum materia Apozematis utriusque non promiscuè. ORDINE *quovis, in formula præscribenda, sed* CERTO, *secundùm naturam decoquendorum, & ordinem, quem pharmacopœi, ex præscripto artis, in parandis decoctionibus observant, ut 1. radic. 2. folia, &c. reliqua deinceps seriatim, ut suprà definitum, decoquant. Licet verò ita sit, tamen* Radix Liquiritiæ, *quia in ordine florum, ob substantiæ tenuitatem, decoquitur, hinc & in eorum serie sæpius præscribitur, etsi passim etiam in ordine radicum;* Ligna odorata, Cortices aromatici, Cinamomum, *quia ultimò decoqui debent, ob spiritum resolubilem facilè, postremo etiam, inter vel ante flores præscribenda. Seminum series post folia. Tamen quatuor sem. frig. majora* melonum *&* cucurbitæ *maximè, etiam passim, & sæpius ante flores præscribuntur;* Cicera *verò* rubra *semper ante, vel inter flores præscribuntur:* Hordeum *autem rariùs in seminum, passim & ferè semper in ordine florum, cùm tamen imprimis decoquendum. Semina mucilaginosa, ut* altheæ malvæ, &c. *sæpiùs ante flores, rectè sumuntur, ne diuturniore coctione decoctum spissius, & turbidum efficiant.*

Cathartica *diximus ante flores præscribenda, tamen* Polypodium quercinum *quia ita decoquitur, ideò & usitate inter radices præscribi poterit.* Epithymum *verò passim inter flores, & sæpius etiam eorum pondere, (pugillo nempe,) præscribitur.* Corrigentia *statim post purgantia locanda.*

Circa LIQUOREM *notandum, vinum in Apozematis sæpius adsumi cum fructu, in affectibus frigidis, obstructionibus, ubi crassi humores attenuandi, vel ubi vis medica ducenda altius est, malè verò fieri decoctionem in ejus, & aqua partibus æqualibus, si enim vel levissimo calore, imò tepore, spiritum vini, seu aquam vitæ, (à quo tota illius ἐνέργεια, & acumen, & sine quo vinum aqua sine vita est,) confestim in ejus destillatione ascendere videamus, & elevari in ejus elixatione cum vase aperto, igne urgente, quid aliud speres, quàm ejus exhalationem omnimodam? unde potiùs demùm ad finem affundendum vinum.*

Notandum, radices *quidem* aperientes *passim aceto marcevari, optimo quidem consilio; malè verò, qui deinceps acetum addunt, vel vinum quo infusæ fuerint effundunt, radices solas jam effœtas sine virtute coquunt: commeavit namque in ipsum virtus, quam hac ratione profundis: quandoquidem acidi quivis liquores, rerum vim & essentiam omnium potentissime eliciunt, ut videre est in extractis. Liquor ergo non est effundendus: inservit enim pro dissolvendis.*

Notandum itidem, TERMINUM DECOCTIONIS *ambiguè definiri. In genere simplicia hac lege videntur decoquenda, ut vim omnem ponant in liquorem: quod in specie alii mutatione coloris, & faciei alteratione definiunt, ut dura mollescant, alia contabescant. Galenus ad tertias, aliàs ad medias, Mesuæus recentioresque varii, ferè ad medias.*

Ut elucescat veritas medicamentorum facultas & natura consideranda. Quorum virtus facilè resolvitur, breviore tempore coquenda, & ad tertia fere, vel etiam quarta consumptionem, ne simplicium vis tenuis evanescat. Quorum virtus difficulter exhalat, ad tertias. Quæ medio modo, ad medias, & quod respondet, quæ aquæ quadruplum obtinent ad tertiæ consumptionem, quæ octuplum, decuplum, ad tertias, quæ sextuplum, ad medias, unde & hoc obiter notandum, simplicia substantiæ solidæ, densæ, duræ, ut Radices, ligna inodora, Cortices, decoqui velle liquoris octuplo: quæ raræ, tenuis, mollis, subtilis ut Flores, Aromata, Cathartica, quadruplo: media inter has substantiæ, ut Folia, Semina, Fructus, sextupl.

DE CLARIFICATIONE *Nota, si decoctum velimus fortius, non esse clarificandum. Malé etiam eos facere, qui denuò coquunt, & cum albumine ovi clarificant: quia vis ipsius & essentia perit. Hoc igitur statuendum videtur, ipsum in Balneo Mariæ ponendum, vel in olla bene clausa & obturata; super cineres calidos, sic vis ipsius conservatur, faces ac residentia, quæ aliàs citissime ipsum ad putredinem disponunt, subsidunt, ac in fundo colliguntur, liquor autem tennis in superiore parte, clarus, acsi clarificatus esset, conservatur.*

Circa FORMULAM PRÆSCRIPTIONIS *hæc levissima etiam notanda. Concepta nempe verba, in præscribendis formulis, & ingredientibus, esse accuratè asservanda ab artifice, ne irridearis, aut videaris minus peritus: hæc autem sequentia sic solent usitate præscribi.* Recip. Radic. *commun. vel aperitiv. vel diuretic. per noctem in vino albo, (pro obstructionibus frigidis, &c. quibus acetum nocet,) vel aceto maceratum.* Liquiritiæ *recentis, rasæ, & parum, contusæ.* Corticis *radic.* capparum. Corticis *mediani* fraxim. Corticis *mediani* Tamarisci: *qui tres cortices simul semper, in obstructionibus, & affectibus melancholicis, præscribuntur apud Monspelienses.* Folior. Borrag. Buglos. dentis leonis, acetos. cichor. Endiv. *cum radicib. vel cum toto.* Summit. *fumar. lupul. malv. hyssop. absinth. pontici, vel comarum ejusdem.* Hordei *Integri, ubi magis detergendum & aperiendum* hordei *mundi, ubi leniendum, & in affectibus pectoris.* Seminis *melon. & cucurb. mundat. vel medullæ semin. melon. & cucurbitæ.* Cicerum *rubrorum.* Baccarum *Juniperi,* pomorum *curtipend. mundat. & incisor. num. 2. 3. &c.* Passularum *mundatar. purgatar. enucleat. ab acinis mundat.* Dactylor. *à fibris mundatorum.* Carycarum *pinguium,* prunorum *dulcium.* Nucleorum *pini lotorum.* Fiat *decoctio in aqua hordei perfectè cocti.*

A *Seu potius variorum vegetabilium, quandoque & ex regno animantium desumptorum.*

B *Per decoctionem scil. cum, vel sine maceratione.*

C *Conditurum hanc, Clarificationem, & Aromatisationem non semper in eo locum habere, sequentia ostendent. Quin sæpius Syrupos, Liquores alios, Electuaria, Pulveres, Succos, similiaque addi.*

D *Nec hoc observatur, sæpè in multò plures paratur.*

E *Hæc quidem ferè adsumuntur, ut initio etiam diximus, at non rarò & alia, maximè ab animalibus petita, imo &, licet rarissime, ex Regno minerali desumpta. In genere hic notasse sufficerit decoquenda debere posse vim suam, quam expetit Medicus, in liquorem qui ad coctionem adhibetur, transfundere.*

F *Omnia quæ hic de Quantitate ingredientium proponuntur, aliquo modo obtinent, cum in quatuor aut quinque doses decoctum paratur. Ita tamen ut unumquodque horum exceptis floribus & fructibus separatim spectetur, omnia enim dicta dosi adsumere qui vellet vel Balneum pararet. Alias ubi in plures conficiendum, & Medicamentorum horum quantitas augenda. Quamvis non necesse judicemus hæc exactè adeò observari, quin potius videndum ut vis decocto sufficiens accedat.*

G *Non agimus hic de decoctis purgantibus.*

H *Ex* Mineralibus *&* Animalibus *quæ desumuntur ita debent moderari, ut pro numero dosium Apozematis, & doses eorundem ordinario in haustu aut alias usurpari solitæ multiplicentur.*

I *Imo quæcumque ex mineralibus aut animalibus.*

L *Talis in genere sit, qui dissipabilis adeò non est, hinc spiritus vini minimè conducit.*

M *Conveniens & hic* Vinum *est, de quo vide annotationes sequentes.*

N *Et quidem in vase aperto, cum vires expetimus in crassiore fundatas, in clauso, cum in subtili hærentes, in alembico cùm utrasque.*

O *Aut plures.*

P *Ubi nec non expressum ad quam quantitatem decoctio institui debeat.*

Q *Hæc praxi non conveniunt, pro usûs enim diuturnitate ea varianda; sic enim quandoque ad ℔ii. iii. & plures, parantur, licet ferè ad ℔iß. aut ℔ii.*

R *Non semper hæc locum habent. Medicamentorum itaque hic habeatur consideratio, usus diversitatis, aëris temperiei.*

S *In decocto ordinario, quod nempè ex mente authoris pro iv. aut v. dosibus ad ℔iß. paratur.*

T *Pro toto nempè* Decocto *ad ℔iß. aut ℥ xx. parato.*

V *Hic tamen gustui ægrotantis plurimum debemus.*

X *Ex his facile erit colligere, si quidem in plures doses præscribatur, qua ratione & in his proportionaliter debeamus ascendere.*

Y *Ubi placuerit, non enim semper fit, imò rarius.*

Z *Aut etiam pluribus. Rarum tamen & dosium numerum specificare.*

& *In additis annotationibus.*

A *Aut specie officinali.*

B *Et hæc itidem quantitate augenda, ubi in plures, doses quam iv. aut v. apozema ordinatur.*

C *Aut pluribus.*

D *Hæc omnia ferè omittimus in præscriptione & ægrotanti aut adstantibus solùm commendamus, contenti hoc solo, F apozema.*

apozema,& ubi volumus,addito, clarificatum.

E h. e. ad expurgationem aptos, satisque, non tamen nimis, fluxiles.

F Sæpius itidem pluribus,non enim & hic certus numerus dosium attenditur. Minus tamen frequenter ulterius hic adscendimus,quam in alterante.

G Utile tamen & in aliis casibus, ut mox patebit.

H Ex vulgatâ sententiâ, quâ massam sanguineam præter serum & sanguinem moderatum, ex bile,melancholia,& pituitâ constare docetur,

I Niger.

L Rad. ireos, Cortex med.sambuci.

M Ex his tamen, & quæ alia sunt ejus generis, frequentissimi usus sunt Senna, Turbith, Rhabarb. Agaricus, Hermodactyli, Tamarindi, Carthamus, Polypodium.

N In quovis decocto.

O Videantur huic Capiti subjunctæ annotationes.

P Quæ descripta habes in systemate materiæ medicæ huic methodo subnexo.

Q Hoc in lenioribus potest permitti, at validiores ut Diacnicu, de Cichoreo cum Rheo,pro ℔ i ß Decocti sufficiunt ad ℥ iv. maximè in hominum debilioribus, & continuato magis usu.

R Ubi nempè simplex decoctio sufficit, nec aliquid additur.

S Id nempe, ubi decocto admiscentur Cathartica, sive nulla incocta fuerint, sive non sufficientia.

T Vel Syrupus purgans,aut aliud simile.

V Frequentius toti liquori miscentur hæc purgativa.

X Digestivum sive præparativum; vide mox infra.

Y Præstat,ut modò diximus totum apozema, reddere per addita purgativum magis.

Z Quod sæpissime usu venire praxis docet, ut in Tertianariis similibusque.

& Apud nostros minime hoc receptum, Apozemate Cathartico-alterante contenti sunt ad lenem ejusmodi eductionem, validioris operationis pharmacum sæpius intermiscentes.

A Hoc est ingredientium diversorum.

B Hic quæ speciatim adferuntur, modò sufficiunt pro decocto, ut in foliis,modò aliarum additione augeri confortarique debent,ut in Radicibus dictis,fructibus,&c.

* ℞. Rad. Alt.Symphit. maj. Liquirit.ras.an.℥j.
Fol. Agrimon. Tussilag. Scabios. Capill. ven. an. M.j.
Sem. 4. Frig.major.an.℥j.
Anisi ʒj. Passul.mund.℥j.
Flor. 3. cordial. Papav. rhead. Rosar. rubr. an. P.ij.
F. Decoct.in s.q. Aquæ comm. aut hordei ad ℔ ß.
In Colaturâ dissolve unum aut plura ex his sequentibus.
α Syrup. de Tussilag.
β Sachari candi.
γ Syr. d'Liquir.& Sach. candj. an.
δ Mellis rosat. ℥ij.
ε Succi depur. Agrimoniæ. ℥ij.
η Aquæ vitæ pector.℥.iij,
F. Apozema pectorale, aromatiz. pulv. rad. Ireos Flor. ʒiß. dentur ejus ℥iv. pro dosi, matutino tempore.

* ℞.Radic. Cichor. ℥.ij.
Enulæ, Petroselin. Fœnic.an ℥ß.
Herb.Card,bened. Cichor. Meliss.
Fumar. Acetos. Absinth. Rom.
Summit.Lupuli.an.Mj.
Flor.Cichor.P.ij.
Fol.Senn.mund ℥ij.
Rhabarb.Agaric..an.ʒij.
Tamarind. ℥iij.
Semin.Anisi Fœnic.an. ʒiß.
Coquantur omnia l.a.in aquæ comm. q.s.ad ℔iß.
Colentur pro apozemate,de quo sumantur manè ℥iij.vel iv.pro dosi.

Vel.

℞. Radic.Cichor. Polypod.querc.an.℥.j.
Asparr,Fœnic.an.℥ß.
Cort.Radic.Cappar. Tamarisci, an. ʒij.
Sem.4.frig maj.Card.bened.
Anis.Fœnic.an. ʒij.
Tamarind.ʒj.
Coq.in decocto hordej. ad ℔iß.
Colaturæ infunde per noctem.
Fol.Senn.mund.ʒj.
Rhabarb.el ℥iij.
Agarici,ʒj.
Cinamomi, Macis ad ℈j.
manè factâ forti expressione,adde
Syr.de Cich.cum Rheo ℥iiß.
F. Apozema pro v.aut vj. dosibus,matutino tempore sumendis.

MORELLI CAPUT IX.

De Hordeato.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

QUOD nos hodie à materia HORDEATUM, Veteres, à modo parandi hordeum, *Ptisanam vocabant, qui cibus erat ex hordeo pinsendo ab exteriore cortice mundato*(πτισσω enim, pinso, decortico,) *& aqua confectus*, vulgo *Cremor hordei*: nostra autem ptisana potus est.

Etsi autem vix præscribatur, COMPONITUR tamen VEL crassiore modo, ex cocto hordeo mundato,quod unà cum jusculo exhibetur,addito saccharo ad lubitum: sed sanis tantùm tale convenit. VEL,quod revera hordeatum, ex hordei mundati ℥ij.decoquantur,igne lento, in aqua limpidissima, quæ fervefacta abjiciatur,nova addatur, coquatur per 4.vel,5. horas igne blando; hordeum deinde colo trajiciatur,colato sacchari ℥j.℥iß.℥ij. addantur, parum deinde rursum coquatur.

USUS. Olim cibus erat febrientium,hodiè datur ferè circa horam somni, & tunc si vigiliæ urgeant, additur simul parum emulsionis,cum *papav.albo* præperatæ.

UTILITAS summa in febribus, in quibus medicamentum alimentosum, refrigerans, detergens, multum nutrit, euchymum, humectat, pectoris affectibus & hecticis optimum.

MORELLI CAP. X.

De lacte & sero lactis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

LAC etiam sæpissimè venit præscribendum, in phtisicis & dysenteria maximè, idque cum cautela, tum in lactis specie, tùm in modo ipso exhibendi. *Asininum* laudatur maxime in hecticis, quia restituat genuinam humiditatem, sitque εὔπεπτον. *Bubulum* pinguissimum, butyrosum magis. *Ovillum* caseosum. *Caprinum* medium,extenuatis utile.

Quod ad USUM, DOSIN & MODUM PRÆSCRIBENDI, hic est. ℞. *Lactis asinini*, (ubi vis refrigerare,detergere; ubi verò magis nutrire, lactis caprini,) ℥iiij. *Sacchar. vel mellis,*) ne corrumpatur aut acescet,) ʒj.idque pro prima dosi, pro secunda augendo ℥j. ad ℥v,donec veneris ad ad ℥xvel xij.deinde retrogradiendo ad primam quantitatem redeundo; sumatur autem 4. horis ante cibum, & ab ipso assumto neque dormiat,neque corpus agitet validius. Nunquam autem nisi corpore repurgato usus ipsius ineundus.

UTILITAS Hecticis maximè dicatur, impinguat, citò reficit: in usu ipsius cavendum à corporibus impuris, quia in ventriculo frigido acescit, in calido æstuante nidorem inducit, unde capitis dolor; hinc nec febrientibus, nec hypochondriis inflatis utile: in dysenteria etiam valde proficuum, tùm ad leniendum,detergendum simul, & ulcus solidandum, maximè si chalybeatum cum terræ sigillatæ ℈j. ad scutellam exhibueris, mane & vesperi, 4. horis ante ullum cibum. *Hæc de lacte. Sequitur.*

SERUM LACTIS. Non est alimentosum, sed medicamentosum: vacuat serosos humores & adustos, liberaliùs sumtum, refrigerat, febrientibus utile, hepatis, renum ardori, per æstatis decursum: in melancholia utilissimum, & affectibus ab ipsa profectis,lepra, scabie, &c. maximè, si fumaria in eo fuerit macerata.

Hic autem USUS & FORMULA PRÆSCRIBENDI. ℞. *Serum Lactis*, coletur, deinde bulliat, (tùm quia flatulentum, tùm ut quicquid inest casei subsideat,) tunc in eo per noctem maceretur,in lib.1.sc ejus, *Fumariæ*, Mj. *Cichor.* Mj. colato adde *Sacchar.* ℥j.℥iß. secundo autem die huic dosi ℥ij. addendæ,donec veneris ad lib. 3. deinde serie præpostera sensim ad lib.1. redeundo. Alias lib. 1. sufficit singulis diebus assumenda per mensem, infundendo eandem *fumariam*, addendo in colatura sacchar. ℥j. & efficaciter in melancholicis, *succi pomorum redolentium* tantundem; alias etiam ad febres & ardores simpliciter usurpatur, acetosa in ipsius ℥viij.maceratâ, & aliis refrigerantibus, idque mane hora v.vel vj.quatuor nempe horis ante cibum.

MORELL.

MORELLI CAP. XI.

De Hydromellite,

Cum commentar. Gerard. Blasii.

POTUS MELLITUS est, Veteribus celeberrimus, *Melicratum*, alias *Mulsa* dictus, hodie etiam usitatissimus in abstemiis, aut quibus nocet vinum.

Est autem deplex; *Vulgare & Medicatum*, (sive simplex, sive compositum.)

VULGARE duplex est, *Aquosum* seu *Dilutius* & *Vinosum*.

Aquosum componitur quidem apud Mesuæum, ex *mellis* unâ parte, *aquæ* 8. hodie dilutius ex aquæ 10. vel 12. partibus. Coquitur, usque dum non spumescat ampliùs, ad quartæ sc. vel quintæ partis consumtionem, colatur, servatur, conditur etiamnum ad gratiam, si voluerit assumens, *Cinamomo* pauco ℥ij.iij.ʒß.&c.

Vinosum est meracius, sic dictum quod vini generosi saporem, & calidam vim æmuletur sitque veluti nectar malvaticum. Fit autem ex *mellis* parte unâ, *aquæ* partibus iiij. alii viij. (perinde tamen, quandoquidem coqui debet, usque dum ovum crudum innatet,) recondo in vase, præsertim vitreo, occludatur, insoletur, vel in calido teneatur per mensem aut 14. dies. Tale ferè Anglorum *meteglin*, nisi quòd postea fermentum in nodulo ligatum suspendant in vase, ad ℥ij. v. g. & addant aromata ad ʒß. ℈ij. pro quantitate mellis jam definita, hoc est ab ℔j.

USUS & UTILITAS. Pro potu ordinario præscribitur, in affectibus frigidis & pituitosis præsertim, & ubi vini abstinentia juvat, vel usus noxius, ut in paralysi: vel ubi vires eximias, & in frigidis humoribus alterandis potentes, corroborando calori nativo quærimus, mirè conservat à putredine. Ut autem frigidis & senibus eximiè confert, sic noxius in febrientibus, biliosis & calidis; quia citò bilescit & amarescit, quemadmodum coctione nimia & vetustate licet experiri, unde cruditates & flatus incredibiles progignit. Est etiam *Hippocr.* diureticum, arenulas mirè detergens & expurgans.

Vinosum ista elegantiùs præstat, & instar malvatici potenter coquit humores frigidos, expectorat, roborat stomachum, discutit flatus, & cruditates coquit, quemadmodum vulgare apud *Galenum*, ἀνακαθαίρειν mirè promovet, efficax in Asthmaticis.

MEDICATUM componitur facilè ex *Hydromellite* simplici cui incoquantur simplicia sicca: partem cui destinatur respicientia, & ea quia pro potu suaviora. Decoquantur autem postquam despumatum fuerit: sint v. G. *herbarum* Miiij. coque in colatura, infundantur per 2. 3. horas *aromatum* ʒß. ℨvj.

UTILITAS efficacissima, & specifica vis, præter suprà dicta, in morbis tollendis frigidis inveteratis, ut paralysi; &c.

℞. Mell. opt. lib. j.
Aq. fluvial. lib. v.
Coquantur donec ovum crudum innatet, vel ad tertiæ partis consumptionem, spumam accuratè inter coquendam abjiciendo, postea coletur, & servetur pro Hydromellite aquoso, quòd vinosum redditur, si per mensem in vitro clauso ad solem ponatur.

℞. Mell. opt. ℔ß.
Aq. puræ. ℔vj.
Despumentur, postea adde
Herb. Salv. Beton.
Hysop. Puleg. an. Mß.
coq. pene ad tertias,
in Colatura ebulliant
Cinnam. opt. ʒiß.
Trium piper. an. ℈ß.
Gran. Parad. Cardam an. ℈j.
F. Hydromel clarum, pro paralytico.

MORELL. CAP. XII.

De Hydrosaccharo & Ptisana.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

HYDROSACCHARUM *potus suavior est & delicatior quam hydromel, & in quibus hydromellitis usum ob calorem formidamus, ad eadem ferè efficax, & abstemiis maxime conveniens.*

FIT ex *aqua fontana*, quæ fervore repurgata fuerit, partibus 12. & *sacchari albi* parte unâ, plus minus.

Poteris aromatizare *cinamomo*, vel *santalis* in febribus, ad ℨiij. ʒß. UTATUR pro potu.

PTISANA veterum cibus fuit, qui hodiè vocatur *Hordeatum*. *Nostra potus est, tum sanis tum febrientibus, & ubi æstus præsens aut imminens, neque locus vino idoneus.*

FIT autem variè pro sumentium libitu.

VEL enim simpliciter ex *hordeo integro*, & *aqua fontana* fit, ut illius pars una sit, hujus partes 10. 15. meliùs 20. ut passim in officinis: coque ad consumtionem ℔v. & usque hordeum immutescat, malè Nicolaus ad consumtionem ℔xv. nisi id pro cibo) & ejusmodi decoctum vulgò in officinis vocatur *Aqua hordei*, vel *decoctum hordei*. Vel *liquiritia*, *Passulæ*, *Gramen*, *Radix acetosæ*. & alia pro lub tu ægrotantis simul decoquuntur, parcâ manu: sed vix hodie à Medico præscribitur.

VTILITAS. Humectat, refrigerat, detergit, alimentum præbet paucissimum, biliosis & sanguineis accommodatissimum hinc & febricitantibus, affectibus calidis hepatis, ventriculi, renum.

℞. Hord. integr. sel. & à paleis liberat. ℥j.
Passul. corinth. ℥ij.
Semin. Anisi. ʒß.
Infund. in Aq. puræ lib. ij. per horas 10.
Post coq. in olla munda vitreata, tecta ad hordei crepaturam.
Circa finem decoctionis adde
Cinamomi acuti in partes confracti ʒiß.
Colatum servetur usui, pro pectorali.

MORELLI CAP. VI.

De vinis medicatis.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

VINUM medicatum, ut in usu fuit etiamnum apud Veteres: quemadmodum viderd licet apud Dioscoridem; ita hodie frequentissimum, maximè apud Septentrionales, & delicatos plurimos passim, qui ab alterantibus; & purgantibus decoctis, syrupis, infusionibus, potionibus vulgaribus, abhorrentes, ob injucunditatem, avidiùs ejusmodi vina, simplicium eorundem virtutibus imbuta, amplexantur, nec sine fructu, qui inde uberrimus emergit: tum quòd vinum vires medicatas rerum bibat penitissimè, ac eliciat, tum quòd easdem, spiritu suo tenuissimo ducente, altè trajiciat in profundissimos quosque recessus. Adde quod, cùm Vino absynthite plerique, probante gustu, familiariter utantur, ut & Hippocratico dicto, occultis sub horum sapore variis purgantibus falli possint ad purgationem difficiliores, ut non depræhendant.

Est autem VINUM MEDICATUM, *quod vires variorum a medicamentorum simplicium, in se infusorum, ebiberit, ad purgandum, vel alterandum comparatum.*

Hinc *duplex* statui potest in rem præsentem: aliud *Purgans*, aliud *Alterans*.

COMPONITUR autem utrumque *in genere*, VEL ex *Musto*, quale vindemiarum tempore tantùm, ideò & majore copia, parandum est, ad usum diuturnum scil. quem requirunt chronici affectus.

Hac autem ratione conficitur. *Medicamenta sicca mundata crassiusculè contundantur, &, sacculo lineo rariori inclusa, indantur in dolium, (majus, minus, pro vini parandi quantitate majore, minore, & usu brevi, diuturno,) musto recenti plenum; ita ut medio musto innatet, bulliant simul, ac fermententur per aliquot dies: mustum ubi decrevit, novum subinde affundendum, ubi verò deferbuerit, macerentur omnia vase clauso, per 15, 20. dies: vinum sic defæcatum transvasetur, (ne longiore maceratione ingredientia corruptelam, situm, ingratum quid, ac noxium trahant, idque vitium vino concilient,) ac in usum reconde.*

VEL ex *Vino jam defæcato ac reposito*, quale quovis tempore parabitur; ideò & minore, si lubeat, quantitate conficiendum, pro usus necessitate hoc modo. *Medicamenta sicca, mundata, contundantur crassiusculè, conjiciantur in vas vitreum, (majus, minus, pro usu, & quantitate quam exoptas] affundendo vini albi optimi, vel alterius generosi, triplum, quadruplum, sextuplum, octuplum, [vel etiam plus, prout illius dosin largam, parcam, usum diuturnum, vel brevem esse volueris:] omnia vase obsignato marcerentur per 8. 12. 15. 20. dies, [si major copia paretur, aliàs per 3. 4. si minor & maximè si usum proximum desideres,] coletur deinde & transvasatum reponatur ad usum. Vel [ad odorem, & saporem gratissimum, delitias,] transcoletur sæpiùs per manicam Hippocratis; [si minor paretur quantitas, aliàs præstabit jam dicenda in illud*

transcolatum

transcolatum immittere, (*dulcoretur, & aromatizetur, cum sacchar. q.s. sic* fiet, quò claretam, vel claretum, vel vinum Hippocr. purgans, aut alterans possis appellare, maximè si aromata sat copiosa simul infuderis.

In specie, verò, quia quædam in utroque observanda, speciatim etiam de utroque agemus, exorsi à purgante.

Vinum medicatum purgans.

VINUM MEDICATUM PURGANS dicitur, *quod variorum B simplicium purgantium infusorum vi imbutum est, ad unum vel plures humores vacuandos comparatum.*

Est autem illud ratione *Compositionis*, VEL *simplex*, ex uno tantùm simplici cathartico constans, additis tamen propriis correctivis, VEL *Compositum*, quod vel ex pluribus purgantibus, solis tantùm cum suis correctivis, est concinnatum, *vel* cui infusa sunt simul alia alterantia, partem, humoremve respicientia.

Ratione verò *Qualitatis* ipsorum purgantium, & humorum vacuandorum, aliud est *catholicum*, *C &c.*

Denique VEL *sine dulcoratione, & aromatizatione*, ex jam dictis solis constatur, & *Vinum Medicatum Purgans simpliciter* dicitur, VEL insuper *sacchara conditur*, *& aromatizatur cum cinamomo*, colaturque sæpius per manicam Hippocratis, & *Clareta*, vel *Claretum*, ac *vinum Hippocraticum purgans* appellatur: (absolutè enim sonat vinum illud, quod ad delicias.)

In COMPOSITIONE ejus *tria* examinanda, *Vinum*, ex quo. *Infundenda* in eo, & *Dissolvenda* aliquando.

VINUM ratione QUALITATIS,

VEL *nondum defæcatum* est, ac *recens*, quòd aliàs *Mustum*, appellatur: quod ad hoc opus laudatur maximè: quandoquidem hujus beneficio, ac fervore color meliùs occultatur, & sapor alienus infundendorum: VEL *vinum jam defæcatum*, & jam in usum repositum, rubrum, vel album.

Ratione verò QUANTITATIS, hanc *in genere* quidem sic limitabunt usus, dosis, & infundenda: ut si usus diuturnus esse debeat, vel brevis dosis major, vel minor, largiùs vinum, parciusve, sit assumendnm: ut habito simul respectu ad infundenda sit octuplum, sextuplum, quadruplum, triplum; qui namque dodecuplum affundunt, & plus etiamnum, id faciunt forsan in gratiam bibulorum: præstabit semper pro vino purgante quantitatem minorem adhibere, ut dosis ipsius minor existat, & acceptior.

Speciatim verò, cathartica infundenda, & vini dosis futura major minorve, vini quantitatem sic accuratè definiunt. Vinum purgans præscribendum v.g. in 12. dies continuos, vel alternos usurpandum, (ex levioribus ad humores morbificos sensim expurgandos,) præscribantur catharticorum doses in infusione 12. addantur corrigentia propria, & si opus fuerit, alterantia etiam idonea; horum omnium quantitas posteà supputetur, sintque v.g. eorum ℥viij. jam si vini futuram dosin velis esse ℥iß. ℥ij. circiter ipsum triplum præscribas, etsi deinceps pro libitu, eadem via, eadem ratione procedendum, ubi vinum paratur verè catharticum, ex purgantibus levioribus, & facilioribus, 4. 5. 6. vicibus assumendum, per debita intervalla, more syruporum magistralium.

INFUNDENDA ratione QUALITATIS, sunt VEL *Cathartica sola, cum suis correctivis*, (inter quæ *Cinnamomum* maxime admittitur, ob aromatis gratiam & saporem: tum etiam *Calamus officinarum* aromaticus, ob odorem jucundissimum, unum, plura seligenda maxime, quæ non sint alieni omninò, & ingrati saporis, qualia sunt *Senna, Polypod. Epithym. Hellebor. niger*, (pro melancholicis maxime,) *Cartham. Turbith. Hermodact.* (pro pituitosis) *Scammon. Cassia, Manna* aliquando, (pro biliosis delicatis, licet raro.) *Mechoac. Sem. ebuli*, (pro serosis humoribus expurgandis) ex quibus ad humores quosvis purgandos vina commode parari poterunt, iisque solis, vel pro humorum & indicationum complicatione, mixtis.

VEL etiam *simul cum iis* infunduntur *Alterantia* varia sicca; *Ligna, Radic. Cortic. Fol. Sem Flor. Aromata*, pauciora, plura simul, quæ humorem, partem, respiciunt, quò ipsi vina reddantur magis appropriata: passim autem Germani, quibus placet: *Absynthium* admiscent.

Ratione QUANTITATIS (sive sit unum tantum simplex purgans; sive plura simul,) eam definiet numerus dosium, in quas vinum parare consuetum est: v. c. *vinum sennatum* desideratur in 20. doses. *senna* autem dosis in infusione rectè facta ʒß. ʒvj. ergo ipsius ℥x. xv. erunt præscribendæ, & addenda correctiva, proportione suprà dicta.

Si Vinum ex *pulveribus*, levioribus, fortioribus, *purgantibus*, simul & *alterantibus*, etiam præparetur, hæc proportio fere observanda. *Catharticorum leviorum*, pro basi sc. sit pars una. *Catharticorum validiorum* subquadruplum, ut vulgò, [licet etiam subtriplum, subduplum adderes, perinde esset. modò dosin vini rectè definias.] *Correctiva* subquadrupla proportione ad cathartica; vel etiam sub tripla, ubi validiora. *Alterantia* subdupla ad cathartica, neque obstabit si subtripla [ubi efficaciora, radices siccæ, semin, aromata maximè,] addendo

vertendo obiter, folia sicca manipulis, unciis & drachmis præscribi, ut & flores pugillis, unciis etiam, drachmisque.

DISSOLVENDA ratione QUALITATIS, si aliquando, sapor, vel odor, delicatiorum palato minùs arrideat,] *De sunt Saccharum*, & aromata aliquot, præsertim *Cinamomum*, quæ vel in vinum conjiciuntur, [si copiosius,] vel [si contrà paucius,] in manicam Hippocratis, & vinum sæpiùs super ipsa colatur. fitque hippocraticum purgans.

Ratione verò QUANTITATIS, pro ℔j. vini cathartici, *Sacchari* sint ℥iij. vel ℥iv. *Cinamom.* ʒij. quemadmodum etiam Apozemata, Julepi, & vinum Hippocraticum vulgò fieri solent, & aromatizari.

IN USU duo maximè consideranda, *Quantum* & *Quando*.

Quod ad QUANTITATEM, seu propinandi vini *dosin*, hæc universim non una est, sed diversa admodum, quam, cum quacunque tandem quantitate catharticorum, vel vini, vinum composueris, ex arte hac ratione sic investigabis, ac legitimè definies.

Vinum medicatum, cùm transvasatur, vel colatur, mensures, & ex mensura pondus collige, vel alia ratione id facias: sint ipsius v.g. lib. iij. hoc autem factum fuerit purgans ad melancholiam, cum *senna* ℥iv. *polypod.* ℥ij. *epithym. & hellebor. nigr.* an. ℥iß. additis correctivis ad ℥j. ℥iß. Hæc omnia infusa, quandoquidem doses purgantes xvij. quæ in xvij. vices sufficiunt, si vinum in totidem diviseris, habebis inventum sine errore, eritque dosis ipsius ℥ij. si purgandum unâ vice fortiùs, sin eodem uti consilium est ad purgandum per ἐπικρασιν, per aliquot dies, dosis dimidia sufficiet.

Quod ad TEMPUS, quandoquidem vinum medicatum affectibus chronicis, & contumacibus, frigidis maximè, destinatur, (quales ab humore mucilaginoso. & fæculento plurimi inveterascunt,] quorum causas non confestim, sed non nisi paulatim exscindas, usus ipsius erit diuturnior, ad plures dies, [hyemis tempore præsertim,] 10. 15. 20. continuos vel etiam alternos tantùm, instar pilularum usualium, sic manè, vel duabus horis ante prandium poterit propinari; quòd si non instituatur, in purgationem hujusmodi, quæ fit per ἐπικρασιν, sed ad evacuationem una vice validiùs, usus erit qui aliorum eradicantium, manè, præsente purgandi indicatione: aut si syrupi magistralis loco præscribatur, usus ipsius idem erit, semel vel bis in mense, mane aliorum catharticorum more.

FORMULA autem PRÆSCRIBENDI ex componendi ratione satis elucescit.

UTILITAS: quod ad utilitatem. *in genere* quidem, si verè spicias simplicia quæ infundantur ad prolectandas vires, quas vinum in se copiose resolvit, elicit ac effundit, sive attendas trajectionem earundem in penitissima quæque corporis, spiritu tenuissimo ducente: vel consideres ipsius cum naturæ genio familiaritatem, ob quam ab ea amicissime excipitur: aut advertas indolis propriæ symbolum, quo substantia sua aërea cognatum est partium solidarum humido, calori, ac spiritui. propter quod in ipsa sine negotio facessit, iis unitur intime, & simul cum ipso vis rerum energetica quam maceratione biberit altissime, in continentia, contenta ducitur, fructus certe vini medicati non potest esse nisi uberrimus: ita ut sive sit purgandum, & secernenda illuvies, humoribus, spiritibus, partibus solidis confusa, sive sit alterandum vario modo, reliquiæ impuritatum acerbarum absumendæ, pristinus vigor restituendus appropriatis, ac partium robur confirmandum, licet autem tanta sint vini medicati beneficia, tamen non ita passim apud quasvis gentes, & regiones in usu, neque quosvis anni tempore; frequentiùs enim ab iis usurpatur, qui solum algidum inhabitant, per hyemen maxime, vere, & autumno, ut *speciatim* vinum purgans sit utilissimum, in affectibus chronicis, frigidiore anni tempore: delicatis passim, ad pallidos colores præscribitur, ad asthma, obstructiones viscerum pertinaces, & diuturnas, paralyticis etiamnum; licet vinum iis interdicatur, cujus certe loco ænomel excellentiùs existit: in ventriculi affectibus, à crudis frigidisque humoribus, vinum absynchites purgans eximium.

Alterans vinum medicatum.

VINI ALTERANTIS ambitu continentur vina variis facultatibus imbuta, *quæ tum partes quasdam proprietate respiciunt, humorum morbificorum reliquias in iis atterunt, & delent vestigia morborum, & simul specificè corroborant*, [qualia ex simplicibus, *vinum salvitatum*, affectibus cerebri frigidis, *enulatum, hyssopi*, pectoris *absynthites*, ventriculo familiare,] tum *quæ vacuant, sine cathartico tamen*. [ut vina diuretica, sudorifica, quæ ad calculum, menses movendos præscribuntur:] tum *etiam, quæ vires partium principum excitant, fovent, confirmant*, qualia quæ ex aromatibus, ad corroborandum, conficiuntur.

Est autem, ut purgans, ratione *Compositionis*, vel *Simplex*, vel *Compositum*.

Ratione *Operationis*, vel *Alterans* in primis, secundis tertiis qualitatibus corpus, humores, spiritus, vel *Corroborans*.

Insuper, vel *sine dulcoratione*, *& aromatizatione* conficitur,

& simpliciter *vinum medicatum alterans*, vel *una iis conditur, trajiciturque sæpiùs per manicam Hippocraticam*, ut suprà, & *Clareta* vel *vinum Hippocratic.* dicitur, licet tale, ut suprà, quod ad delitias.

COMPOSITIO eadem, quæ vini purgantis est. VEL enim cum *musto*, (quando usus debet esse longus, in affectibus chronicis contumacibus alterandis,) ex uno simplici medicamento sicco; vel pluribus, affectum, humorem, & partem proprietate respicientibus, VEL cũ *vino* jam reposito.

Quæ autem *proportio* esse debeat *musti vini*, & *ingredientium siccorum*, suprà in vino purgante, declaratum; addas tamen obiter, quia vina alterantia majore dosi propinari possunt, ac debent, vinum etiam majore quantitate, decuplâ, undecuplâque posse affundi.

Quantitatem verò *vini*, & *ingredientium* definiet dosis futura major, minor, usus brevitas, longitudo, simplicium etiam qualitas debilior, efficacior, qualem vim aromata profundunt.

Ejusmodi vina si trajiciantur per manicam Hippocr. & dulcorentur, diximus suprà appellari *Claretum*. E

Huc etiam pertinet, quod aliàs *Hippocraticum* simpliciter appellant, quod est corroborans, ex variis aromatibus, odore, & sapore gratioribus, *Cinamom. Zingib. Granis Paradis. Cardamom. Piper.* infusis ad ℥j. in vini rubri ℔j. per horas aliquot, colatis denique per manicam, addendo *sacchari* q. s. vel ℥ij.℥iij. passim vero fit simpliciùs, & usitatiùs ex solo *Cinamomo*.

Cæterùm, si loco sacchari vinum medicatum *melle* condiatur; non erit inutile; imò frugiferum in affectibus frigidis, quibus vinum meracum nocentius aliquando est, ut in Paralysi, &c. melle eximiè operante, vocarique poterit *œnomel*, seu *mulsum*, aut *vinum mulsum*, quale etiam olim veteres usurpabant ex mellis parte 1. & vini 2. 3. additis aromatibus, si opus, proportione subdupla, subquadrupla, subquintupla.

USUS *Quando*, & *Quantum* continebit.

Quod ad TEMPUS exhiberi poterit singulis vel alternis diebus, vel etiam longiore temporis interstitio, prout morbus requiret, per horam 1. 2. 3. ante prandium.

Quod ad QUANTITATEM, dosis ipsius pro quantitate, & qualitate ingredientium, ac vini proportione, varia existit: ubi enim ex paucioribus & minùs efficacibus rebus infusis, ac vino copioso, sextuplo, decuplo fit, eò major semper dosis exhiberi poterit, & contrà. In genere verò, ab ℥j. ad ℥iv.

FORMULA autem PRÆSCRIBENDI patet ex superioribus.

UTILITAS etiam ex superioribus elucescit. Efficacissimè operatur in reliquiis morborum alterandis, discutiendis, absumendis, partibus per affectus chronicos languidis confirmandis, corroborandisque, sudoribus etiam urinis, mensibus, movendis, & nullus ferè affectus, modò chronicus, frigidus, qui abeo fructum non percipiat.

A Imò sæpè unum tantum aut duo adsumuntur.
B Quandoque unius aut duorum, ut mox patebit.
C Aliud phlegmagogum, aliud hydragogum.
D Nota hæc non habere locum in Vino amaro quando absinthiacum est, sic enim ingrata magis potio redderetur.
E Potest & tale Claretum parari, siquidem Vino per saccharum dulcificato, & per manicam transmisso admisceatur extractum liquidum Aromatum convenientium in Spiritu vini factum. Sic enim ex tempore præparari potest.

℞. Fol. Senn. mund. ℥j.
Rhabarb. el. ʒij.
Agar. opt. ʒiij.
Cinnam. el. ʒiß.
Infundantur in vini albi q. s. stent loco calido per horas xij. dein coletur per Manicam Hipp. aliquoties & postea addatur per Sach. alb. ℔ß. beneque misceatur.

℞. Fol. Senn. el. ℥j.
Herb. Absinth. Mj.
Card. bened. Hyssop. an. Mß.
Flor. Cordial. an. P. j.
Cinnam. Zingib. an. ʒj.
Infundantur in Vini albi q. s. &c.

℞. Fol. Senn. el. ℥ix.
Polypod. querc. ℥ij.
Cortic. Tamarisc. ʒvj.
Herb. absinth. Card. bened. an. Mij.
Caryophill. ℥ß.
Galang. ʒij.
Calam. aromat. ʒj.
grosso modo concisis & contusis affundantur ℔xx. musti, stent infusione per dies 15. aut 20. postea transvasetur & usurpetur.

℞. Rad. Pœon. ℥iij.
Ireos, Enulæ camp. an. ℥ß.
Herb. Salv. Majoran.
Chamomill. an. ʒij.
Sem. Pœon. ʒiij. Fœnic. ʒj.
Concisa & contusa grosso modo infundantur in Vini albi q. s. stent in infusione per dies aliquot, Coletur & usurpetur ad Epilepsiam.

℞. Cinnam. elect. ʒiß.
Zingib. ʒß.
Caryophill. Galang. an. ʒj.
Macis, Nuc. Mosch. an. ℈j.
Granor. Parad. Cardam.
Coriand. an. ℈j.
Anisi. ℈ß. Sachar. ℔ij.
Vini mens. ij. f. s. a. vinum Hippocrat.

MORELLI CAP. XIII.

De Diœta.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

NOMINE diœtæ audimus non tàm regimen sex rerum non naturalium, quam decocta varia ex sudorificis usualibus hodiernis comparata, per quorum usum quandoquidem exacta vivendi ratio & accurata sobriè observanda hinc & Ipsa diæta fuere apellata, unde nominis origo.

Est enim DIÆTA, quam audimus *decoctum ex uno sudorificorum quatuor A. usitatorum, vel pluribus, B in liquore idoneo factum ad alterandum simpliciter, vel vacuandum insensibiliter, per sudores, comparatum.*

Hinc Diæta ejusmodi *duplex* rectè statui potest: *Alterans*, vel *Vacuans*.

Alterans Diæta.

Licet quatuor illa hydrotica vulgaria, sudori proliciendo tantum videantur esse dicata; tamen & præscribuntur sæpiùs cum magno fructu, in pluribus affectibus sine sudore efficacissimè. Hinc & DIÆTAM ALTERANTEM appello.

In COMPOSITIONE ejus tria consideranda, *Materia*, ex qua, *Liquor* & *Dissolvenda*.

MATERIA Ratione QUALITATIS. *In genere* duplex est. 1. *Sudorificum* aliquod ex vulgaribus, *Guajacum, China, Sassaphras, Salsaparilla*, 2. *Alterantia* varia, Radic. Cortices, Fructus, Fol. Semin. Flores, affectum, humorem peccantem, aut partem laborantem respicientia.

In specie verò variè seligitur ista materia, pro varietate partium maximè, quibus inhærent expugnandi affectus. In partium enim quarumvis affectibus pituitosis, inveteratis, potenter alterandis, expugnandisque, assumitur *Guajacum, China, Salsaparilla*, sola vel mixta, unà cum alterantibus jam dictis idoneis. In affectibus verò pectoris, asthmate, phtisi, tabe, &c. (in quibus etiam passim hodie usitatè & ferè tantùm diæta ejusmodi alterans præscribitur, & *decoctum pectorale* passim etiam appellatur) seligitur sumiturque *China* sola, vel aliquando etiam cum ipsi additur, *Salsap.* aut *lignum Sassaphr.* unà cum alterantibus thoracicis idoneis.

Ita ut ex dictis Diæta alterans *duplex* statui possit 1. *Non pectoralis*, variatum partium affectibus pituitosis insensibiliter absumendis. & 2. *Pectoralis*, decoctum nempe ex *China*, (aliquando & addita *Salsapar.*) fructibus & seminibus pectoralibus comparatum, qualis hodie ferè tantùm præscribitur.

Ratione QUANTITATIS, *Sudorifica* illa, IN DIÆTA NON PECTORALI, sola vel mixta, præscribuntur ad ℥vj. plus minùs; habita ratione temporis, ætatis, regionis, &c. *Alterantia* verò, omnia simul vel ipsorum quædam, dosi media Apozematis.

IN DIÆTA autem PECTORALI, cujus basis *China* est, *hæc* si sola (ut passim) ad ℥j. præscribitur, si una addantur reliqua dicta, horum ʒij. ʒiij. ipsius [sc. chinæ] ʒvj. præscribuntur. *Alterantia* verò, fructus pectorales semin. & si aliquando in phthisi caro cancrorum, & testudinis abluta præscribatur, id fit ad ℥j. ℥ij.

LIQUOR ratione QUALITATIS. IN DIÆTA ALTERANTE NON PECTORALI est *Aqua communis*; vel *Liquor alius* idoneus, dictus in Apozemate, *Hydromel* maxime. quandoquidem decoctum ejusmodi frigidos affectus & humores respiciat. IN PECTORALI verò etiam *Aqua simplex*, vel *decoctum hordei* sumitur, hac tamen cautela, quòd hoc liquore China infundatur, per horas aliquot, deinde hæc in ventre pulli vel gallinæ exenterati concludatur, unà cum fructibus & semin. pectoralibus: coquantur deinde in liquore dicto, ad putrileginem usque.

Ratione verò QUANTITATIS, lib. 10. 12. vel q. s. ad perfectam coctionem requiruntur.

DISSOLVENDA. Ratione QUALITATIS, In NON PECTORALI aliquando *Syrupus*, vel *Saccharum*, præscribitur dissolvendum, ut in Apozemate alterante.

In PECTORALI passim *Sacchar. rosat.* præscribitur: potest & *Syrupus* idoneus.

Ratione QUANTITATIS, ista pro quaque dosi ad ℥j. ℥iß. dissolvuntur.

In VSV tria consideranda: *Modus*, *Quantitas*, *Tempus*.

Vtroque quod ad *Modum*, bibendo quidem sed sine sudore usurpatur.

Quod *ad Quantitatem continuam*, seu dosin, ℥iiii. vi. sufficiunt. Quod ad *discretam*, per 10. 15. dies usurpando.

Quod ad *Tempus*, manè sumi debent,

Hæc autem FORMVLA PRÆSCRIBENDI.

In decocto quidem non pectorali ℞. &c. *fiat decoctum, servetur in vase vitreo. pro 4. aut 5. dosibus matutinis, quo corpore prius purgato utatur per 10. 15. dies, observato victu sobrio & exsiccante, ac pro potu utatur decocto secundario, vel Bocheto.*

In pectorali verò. ℞. [*chinam vel alia*] *infunde in aqua, &c. ponantur deinde in ventre pulli, una cum fructuum, &c. coquantur deinde ad putrilaginem, addendo sub finem decoctionis, folior. &c.* [*præparantia,*] *exprimantur omnia, colentur, in colatura lib. i. dissolve, &c. pro duabus dosibus, mane calidè continendo se in lecto per horas 2. 3. sine sudore, & continuando per dies 15. 20. 30. corpus autem prius cum manna repurgandum, ut & singulis 15. diebus: & interim vivendum sobrie, ac pro potu, decocto china utendum vel hydromellite.*

VTILITAS insignis omninò est in omnibus diuturnis affectibus, ubi consilium est, humorum illuviem, chronicorum eiusmodi affectuum fomitem, attenuare, resolvere, & insensibiliter vacuare, absumere, vias simul & ductus, per quos digeri debent, rarefacere, aut præparare etiam potenter ad purgationem: neque tamen in iis licet uti tutò sudore, ut in asthmate & phthisi maximè, in qua ferè hodie tantùm diæta eiusmodi alterans præscribitur, in quibus affectibus purgantia noxia sunt, ut & sudorifica, neque tamen humores istorum affectuum fomites. in thorace stabulantes, alia fere ratione vix licet absumere, aut evacuare.

Vacuans, Diæta.

DIÆTA VACUANS, qualis hodie fere tantùm præscribitur, *auditur hic, quæ causas morbificas per sudores exhaurit, evacuant.*

Est autem *duplex*: alia *Sudorifica tantùm*, alia verò *simul Cathartica.*

SVDORIFICA tantum, hodie propriè *Diæta* appellatur, estque, ut iam dixi, *quæ sensibiliter causas antecedentes, vel conjunctas morborum, per sudores evacuat.*

In COMPOSITIONE eius duo perpendenda, *Materia*, ex qua comparatur eiusmodi decoctum, & *Liquor*, in quo ipsa decoquitur.

MATERIA EX QVA, ratione QVALITATIS, est vel Sudorifica, vel Alterans etiam simul, aliquando.

Quod ad SVDORIFICA, componitur VEL ex *Guajaco & cortice ejusdem* solo, sola *China*, rariùs ex sola *salsaparilla*, vix unquam ex solo *sassaphras*.

VEL ex *Guajaco* ut basi, cum aliorum modò uno, modò duobus admixtis, ob varias Medici intentiones, vel maxime, quò Guaiaci fervor, & nimia caliditas obtundatur, cum eodem sudandi fructu.

VEL ex *China* ut basi, & *Salsaparilla*, aut *Ligno Sassaphras*: ubi minus consilium est calefacere exiccare tamen non minùs potenter, & absumere vitiosas humiditates.

Quod ad ALTERANTIA utilissime cum jam dictis; ad finem decoctionis, etiam aliquando decoquuntur, adduntúrque varia simplicia alterantia, quæ partem affectam proprietate respiciunt & humorem, unde sudorificum eximium evadit: vel tantùm adduntur hoc fine sæpiùs: ut Guajaci caliditas & siccitas obtundatur, ne hepar incalescat, C ad hoc autem seliguntur radic. fol. semin. fructus, flores, plura, pauciora.

Quod ad QVANTITATEM, SVDORIFICA solà præscripta, vel mixta, pro quaque dosi ad ℥j. ℥iß. sufficiunt, ita sit, quandoquidem decoctum hydroticum in 4. tantùm doses præscribi debeat, ℥iij. ℥vj. sint præscribendæ, quæ dosis potest minui, augeri, pro ratione temperamenti, ætatis, virium, temporis anni, constitutionis morbi, regionis, &c.

ALTERANTIA verò ubi assumuntur, dosi dimidia Apozematum, & quoad ordinem, post sudorifica præscribenda. Ad hoc passim in decocto guajacino *liquirit. passulatum* an. ℥j. ℥iß. usurpantur.

LIQVOR, ratione QVALITATIS, passim *aqua fontana*, usurpanda præscribitur, D

Quod ad QVANTITATEM, licet ex artis præcepto aqua in decoctione radicum, lignorum, debeat esse octupla; tamen quia in infusione hydroticum illius multum absumitur, debet esse dodecupla, h.e. pro ℔j. & tunc obiter decoquendum ad medias, quæ ratio usitatissima. Potest & ℔iß. præscribi, & tunc ad tertias consumendum.

VSVS. Quod ad QVANTITATEM, de eiusmodi decocto sudorifico ℥viii. bibuntur.

Quod ad MODUM, calidè, tegendo corpus plùs solitò, multis vestibus ac stragulis.

Quod ad TEMPUS. mane, rariùs & circa vesperam repetitur, in robustis, valde pituitosis & copiosis excrementis refertis.

FORMVLA PRÆSCRIBENDI exemplo Guaiaci. ℞. *Rasura ligni sancti ℥iv. cortic. ejusdem ℥ij. infundantur in ℔vi. vel ix. aqua fontanæ, per 24. horas seu diem naturalem, supra cineres tepidos vel calidos, vase clauso accurate. Decoquantur deinde igne lento, prunis luculentis, sine fumo, donec redeant ad medias, refrigerentur, colentur postea per manicam Hippocratis,* [& ubi decoctum validiùs expetitur, exprimantur leniter,] *dulcoretur decoctum sacchari ℥iii. iv. aromatizeturque cinamom: ʒiß. ʒii.* [dulcoratio tamen & aromatizatio possunt omitti in minùs delicatis,] *reponatur ad usum in ampulla vitrea. Capiat de hoc decocto ℥viii. calide mane, tegendo corpus plùs solito, sudando ad placitum.*

NOTA quòd ubi alterantia cum sudorificis præscribuntur, imperetur in formula, sub finem coctions adde talia, &c.

℞. *R. si. e tiam decocti supertoris,* [ubi scilicet null'a alia simplicia addita,] *adde si volueris sudorifici alicujus recentis ℥i. infunde in aqua fontana lib. xii. per horas 8. vel 12. decoquantur ad tertia partis, vel quarta tantum consumtionem: cola per manicam Hippocratis, aromatiza & dulcora cum sacchar. q. s. cinnamom. ʒiß. ʒii. fiat decoctum secundarium, seu bochetum pro potu ordinario.*

Observa hanc victus rationem per 15. 20. 30. dies, [nisi vires labascant, tunc enim triduum licebit intermittere,] quo tempore utatur assis potiùs, quàm elixis, aviculis montanis & campestribus, cinamomo, garyoph. &c. transfixis, gallinis, caponibus, pane biscocto, anisato, passulis, amygdalis torrefactis, & in ultima mensa coriandro, aniso saccharato, &c. Vtatur Secundario decocto expresso, colato, aromatizato cum sacchar. & cinam. q. s. pro potu ordinario, quòd si alvus fuerit adstrictior, injiciatur Clyster communis, vel, quod optimum, singulis vi. viii. diebus reiterentur Pilulæ, potio, aut alia purgantia præscripta, [ut crassior materia scilicet quæ assumptis partibus restagnare solet in alvo, deturbetur] quo die abstineat à decocto sudorifico.

Vt autem ante diætæ usum purgari debent, sic & duodecimo, vel undecimo quoque die.

Solent etiam in diætis præscribi *sacculi* duo ex cephalicis digerentibus, calidissime capiti [detonso priùs capillitio] applicandi, per horæ quadrantem, donec sudor erumpat è facie statim ab hausto sudorifico, ad sudorem promovendum, & post detersum etiam sudorem, in affectibus capitis maxime, ad digerendum magis absumendumve, quibus sublatis caput munitur stupis cannabinis calefactis, & suffitu communi suffitis.

VTILITAS eximia & amplissima, non solùm in affectibus externis, sed & internis, contumacibus maxime, quorum causæ altiùs egere radices, qui nec purgantibus vulgatis, aut alterantibus exscindi potuerint, ita ut egeant, his medicamentis, quæ subtilitate partium, & attenuatione maxima illum fomitem resolvant insensibiliter, aut per sudores manifeste dissipent, ac discutiant reliquias vitiosorum humorum: sic ad fluxiones capitis inveteratas, catharros diuturnos, cachexiam, hydropem, ad alios ejusmodi affectus ab humoribus pituitosis copiosisve, in lue venerea; &c. *Hæc de diæta sudorifica.*

DIÆTA SVDORIFICO CATHARTICA est decoctum, in diætis jam dictis sudores movens, & per alvum simul evacuans. Medicorum recentium maxime inventum est, & ante paucos annos vix usitatum, neque tamen sine spe fructus uberrimi excogitatum: cùm hujus ope humorum partibus tenuioribus resolutis per sudores, reliquiæ crassiores, quæ aliàs solent pertinaciter restagnare in alvo & aliis partibus, hac ratione simul utiliter eradicantur: neque est quod diversos & contrarios motus conclament: calor enim nativus instrumentum facultatis excretricis, unà cum facultate expultrice indifferenter se habet ad omnem motum sitúmve, & qua data porta, vellicante, vel trahente medicamento, ad rei morbificæ expulsionem insurgit, experientia confirmante. Hinc & *nomen & definitio* elucescit.

In COMPOSITIONE duo maximè: *Materia* ex qua, & *Liquor* considerantur.

Quod ad MATERIAM, ratione QUALITATIS assumitur *decoctum* superius, constans ut dictum ex solis sudorificis, vel etiam simul aliquando ex simplicibus alterantibus additis, unde sudorifici appellatio.

Huic ut fiat simul *catharticum*, adduntur quæ dicta sunt in Apozemate purgante, purgantia, basin constituentia; *Senna, Cartham, Polypodium*, tum etiam alia cathartica, humorem pituitosum maxime respicientia, *Turbith. Hermodact. Rhabarb. Agaricus*, pauciora, plura, pro scopo, una cum suis correctivis.

Quod ad QUANTITATEM, Sudorifica & Alterantia vide supra. Purgantia verò dosi ferè Apozematis purgantis præscribenda, paulò tamen [quarta nempe parte] minore, quòd vires non ferant copiosas eiusmodi per habitum & alvum purgationes.

LIQVORIS *Qualitatem, Quantitatem* & vide suprà.

USUS. Quod ad QUANTITATEM, ℥iv. vel v.

Quod ad TEMPUS, manè, idque per quatriduum ferè, initio ejusmodi diætarum, reliquis enim diebus sequentibus, detractis laxantibus, diæta simpliciter sudorifera usurpatur.

Et quod ad FORMULAM, hæc est ℞. &c. (id est dicta suprà, sive decoctum sudorificum) *sub finem decoctionis adde purgantia jam dicta, vel unà simul cum alterantibus colentur, &c.* vide suprà. Finito hoc decocto purgante, & 4. dosibus matutinis absoluto, utatur eodem deinde, detractis laxantibus, per dies 10. 15. 20. &c.

VTILITAS. Diæta ejusmodi apud recentiores hodiè usitatissima, in corporibus admodum cacochymis & robustis simul, quæ duplicem illam evacuationem postulant, ad humorum morbificorum partes crassiores tenuioresque simul, una & eadem opera, evacuandum. Vtilissima autem maximè omnium est, & usitatissima in lue venerea curanda.

ANIMADVERSIONES.

Notandum 1. *CIRCA SVDORIFICA in formulis speciatim dici de* ligno Gujacino ℞. *Rasura ligni sancti resinosi* : de ligno Sassaphras. ℞. *ligni Sassaphras recentis cum suo cortice minutim & frustulatim incisi, aut assulatim dissecti* : de rad. Chinæ. ℞. *Rad. China ponderosa non exesa aut cariosa, in taleolas dissecta, &c.* de radic. Salsaparillæ. ℞. *rad. Salsaparilla in taleolas incisa & dissecta, cum suis capillamentis.*

Notandum, 2. *Decoctum China in cineribus calidis, vel loco calido esse asservandum, aliàs, acescere; Decoctum ligni Sassaphras amittere, diutius asservatum, odoris gratiam.*

MORELL. CAPUT XIII.

De Bocheto.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

BOCHETVM *potus est diætarum jam dictarum, utilissimus aliàs in affectibus, in quibus vinum tutò non porrigitur, vel ubi exsiccare sensim, aut humorum illuviem absumere consilium.*

α COMPONITVR autem breviter in diætis, ex residentia præscripti decocti sudorifici, (modò nulla alterantia vel purgantia simul fuerint incocta: uti suprà declaratum in formulâ diætæ sudorificæ: aliàs enim recens parandum & præscribendum,) addita aliquando insuper ℥j. ℥ij. ejusdem vel alterius simplicis hydrotici, infundantur omnia per horas 12. in aquæ ℔xiij. ut suprà, coquantur ad quartæ vel tertiæ partis consumptionem, exprimantur colenturque per manicam Hippocr. additur Sacchar. ℔ß. ℔j. vel ad placitum, Cinamom. ʒiij. ℥ß. fiat decoctum secundarium, seu Bochetum, servetur in ampulla vitrea pro potu ordinario.

β VEL paratur aliàs in rem præsentem, (sive quod nulla diæta præcedens fuerit præscripta, ex cujus residentia fieri possit, sive quod illa ex sudorificis alterantibus & simul purgantibus constiterit, quorum vis pro potu ejusmodi ordinario non desideratur,) ex aliquo vel pluribus sudorificis, ad ℥ij. ℥iiß. eodem modo ut suprà dictum, præscriptis, fiat Bochetum, quo utatur, ut dictum.

VSVS, FORMVLA & VTILITAS jam satis declarata.

A *Sunt hæc, ut post constabit, Guaiacum, Salsaparilla, China & Sassaphras.*
B *Solis, aut aliis alterantibus, aut purgantibus pro rei exigentiâ, additis,*
C *Vel potius Sanguis ipse, imò fauces nimis adurantur.*
D *Potest tamen commodè quævis alia usurpari etiam hordei.*

℞. Rasur. lign. Guajaci ℥iv.
Cortic. eiusdem. ℥i.
Infundantur ut artis est in Aq. comm. ℔iv.
Deinde coq. ad mediæ partis consumptionem, sub finem decoctionis addendo.
Herb. capill. vener. Cichor. Boragin.
Card. bened. an. Mj.
Sem. Melon. ʒii.
Passular. Glycer. an. ʒiii.
Coletur per manicam Hipp. & servetur usui.

℞. Rasur. Lign. Guaiaci. Sassafr.
Radic. Salsaparill. an. ℥iß.
Infund. in Aq. com. lib. iv. postea decoque ad medias, sub finem decoctionis adde
Fol. Sennæ el. ℥iß.
Sem. Cartham. ℥i.
Turbith. gum. Hermodact. an. ʒiii.
Semin. Anis. Passular. an. ʒii.
Colatura servetur.

α ℞. Resident. decocti sudorifici superius præscripti q. est. addé ligni guaiac. recent. ℥ii.
Infunde in aq. comm. ℔ii. Supra cineres calidos per horas x.
coq. ad quartæ partis consumptionem.
Colaturæ adde Sacchari q. s.
Cinnam. ℥ii. f. Bochetum.

β ℞. Rad. Chinæ in taleol. dissect. ℥ii.
Infunde in aq. com. ℔ii. per Horas xii.
Coq. ad quartæ partis consumpt.
Colaturæ adde
Sach. & Cinnam. q. s. ad gratum saporem. f. Bochetum.

SCRODER. CAP. LXIII.

De Infusionibus.

INfusionis (infusi) nomen potionibus potissimùm imponi, iisque purgantibus, lib. 1. diximus, harum rationem hîc loci exhibemus.

Liquorem exhibent aquæ stillatitiæ [tum & fontanæ,] serum, mulsum, hydromel vinosum, vinum, & simil.

Materia infusioni apta, etsi & ex mineralibus & animalibus sumi queat, tamen huius loci imprimis sunt vegetabilia, & maximè purgantia cum corrigentibus.

Modus parandi.

Recipiuntur res medicamentales, præparatæ ad infusionem, incidendo, contundendo, limando, &c prout in decoctorum doctrina traditum, immerguntur liquori, quantitate & qualitate intentioni medicæ respondenti, reponunturque, si extractio maturanda, loco calido, [in cineres, vel iuxta fornacem.] Hinc decantetur liquor, exprimaturve pro usu.

Proportio liquoris præscribitur ferè q. s. id est, ut materia cooperiatur, liquorque supereemineat digitos versus. 1. 2. 3. &c.

Exempla sint

1. *Infusio Cholephlegmagoga.*

℞. Agaric. elect. ʒiß.
Rhabarb. opt. ℈ii.
Zinzib. ℈ß.
Spic. Nard. gran. v.
Sal. gemm. gran. iii.
Pulverisentur grossè & infundantur per noctem in
Aq. Eupator.
Cichor. ā. ℥iß.
Hinc calefiant & colentur cum expressione. F. Potus.
Vires. *Purgat bilem & phlegma.*

N. *Sal gemma additur ad facilitandam extractionem : cujus rei gratiâ & sal Tart. addi poterit.*

Hujus generis sunt Vina medicata [ut & Cerevisia medicata,] tùm alterantia, tum purgantia, v. g.

2. *Vinum Arthriticum.*

℞. Fol. chamædr.
Chamæpit.
Sum. Salv. ana ℔iß.
Flor. primul. ver.
Anth.
Lil. convall. ana ℔ß.
Ras. lign. Guaiac. ℥viii.
Visci quern. ℔ß.
Rad. Chin. ℥iii.
Caryophyllat. ℥iv.
Vini musti mensur. xxxx.
Ponantur ad fervescentiam, ut deferveant.

3. *Vinum Medicatum Cephalico-Spleneticum.*

℞. Rad. Caryophyllat. ℥iiß.
Cichor. ℥iß.
Enul. ℥i.
Herb. Ceterach.
Veronic. c. fl.
Card. bened. c. floribus.
Epatic. stellat. c. flor.
Summit. Centaur. min. ana Miß.
Cort. Arant. sicc. ℥ß. ʒij.

Incidantur

Incidantur herbæ, contundanturque grossè radices & cortices, infundanturque in vini mensur. viij.

Vires. *Catarrhis insigniter opitulatur, caputque, epar & lienem corroborat.*

4. *Vinum Matricale.*

℞. Herb. Meliss.
Puleg.
Capill. Veneris.
Salv.
Calamenth.
Artemis. ana M.ß.
Fl. Schœnanth. ℥ß.
Calendul.
Cheir. ana p.ij.
Nucist.
Macer.
Cubebar.
Cardamom.
Granor. Paradis.
Zedoar. ana ʒj.
Vini generosi mensur. iv. addendo saccharum pro libitu.

5. *Vinum purgans.*

℞. Fol. Sen. Al. s. st. (sine stipitib.) ʒx.
Follicul. sen. ʒiß.
Epithym. ʒvi.
Sem. cartham. conqu. ℥ß.
Gialapp. ʒiij.
Cort. Helleb. nigr. ʒß.
Cinamom. ʒj.
Galang. ʒß.
Zingib. ℈ß.
Cort. Citr. ʒij.
Vini mensur. 1.

Vires. *Purgat humorem Melancholicum & serosum. Dosis ℥iij. iiij.*

N. *Plura Exempla aliunde petere licet, vel ex decoctis, vel aquis destillatis compositis huc accersere. Nimirum species dictorum Medicamentorum non minus & hic adhiberi poterunt.*

6. *Vinum Sanctum.*

℞. Vini alb. opt. ℔.xv.
Lign. Guaiac.
Sars. Parill. an. ℥iiß.
Fol. sen. s. st. ℥iij.
Polypod q. ℥ij.
Conquassata infundantur, digerantur que hor. 24.

Vires. *Valet ad morbos frigidos, paralyticos, cacochymicos, & maximè luem Veneream inveteratam. Singulis diebus mane ℥viij, & sero ante ingressum lecti tantundem patiens capiat. Exerceatur valide, nec opus ut semper domi in claustro maneat. Philipp. Mull. in mirac.*

Huc pertinent Vina Hippocratica seu Clareta, v. gr.

7. *Claretum laxativum.*

℞. Cinamom.
Galang.
Caryophyllor.
Macis.
Zinzib. ā. ʒj.
Turbith. alb. ʒvi.
Fol. sen. el. ℥j.
Mechoacan. ʒiij.
Sacchar. ℥iij.
Vini generosi ℥xvi.
Aqu. fontan. ℥viii.
Cremor. Tart. ʒij.

Stent in infusione per noctem, dein colentur per Manicam Hippocraticam.

Vires. *Purgat humores melancholicos & pituitosos, Dosis ℥iij, vel iiij.*

8. *Claretum purgatorium, scil. Vinum Hippocraticum antimoniale.*

℞. Vitri antimon. subtiliss. pulveris. ʒj. ℈ij. Vini alb. opt. ℥viiß.

Digerantur vase vitreo benè clauso, in MB. per dies ac noct. (6.) dein cola, colaturæque adde

Sacchar. albiss. pulverissat. ʒiij. vel ℥ß.

Aromatizetur cum opt. aqua cinam. & servetur. Dosis ʒij.

Vires. *Satis leniter suaviterque operationem suam infrà & suprà exercet. Sala.*

SCHRODER. CAP. XLIX.

De Decoctis.

Decocta fieri possunt ex rebus omnibus, quæ pronæ sunt vires elixatione brodio suo communicare, adeoque ex *mineralibus, vegetabilibus, & animalibus.*

E Mineralibus non respuunt decoctionem Terræ crudæ calcinatæve, Lapides calcinati, Metalla calcinata, Antimonium crudum & calcinatum, Mercurius crudus, cinnabaris, lithargyrium, Sulphur. Nimirum aquæ etiam simplici incocta vires quasdam impertiunt, maximè tamen si adhibitus fuerit liquor facultate penetrante gravidus, qualis Vinum, Acetum, Aquæve stillatitiæ. Quin & Metalla ignobiliora, potissimum si calcinata ea fuerint, verbi gratia minium, cerusa, limatura ferri calcinata, & sim. decoctioni apta sunt. Decoquuntur autem hæc omnia in pulveres redacta.

Ex *Animalibus* decoctioni parent partes carnosæ, membranosæ, cornua tùm cruda raspata, tùm calcinata, & simil.

Verum enimverò, hic loci de Decoctis potissimum agemus potulentis, in praxi usitatioribus, quæ Apozemata communiter dicunt. Hæc parantur in primis è *vegetabilibus:* videlicet à *radicibus, corticibus, herbis, floribus, baccis, fructibus, lignis.* Superadditis tamen nonnunquam (sed rarò) nonnullis è mineralibus aut animalibus.

Liquor, in quo res eæ communiter elixantur, est aqua fontana, (hæc adhibenda quoties alius alicujus mentio nulla fuerit facta,) aqua pluvia, aqua destillata, (sed non adeò commodè ob spirituosæ portionis exhalationem, nisi coctio in diplomate instituatur,) serum lactis, hydromel. Vinum.

N. *Hoc præstat in fine coctionis superinfundere.*

Quantitas liquoris ad res coquendas varia sumi solet, prout scil. res longiorem vel breviorem coctionem expetierint. Duriores siquidem ac solidiores ut diutius sunt coquendæ, ita majorem liquoris quantitatem requirunt, quippe coctione liquor paulatim exhalat. Sumitur autem e. gr. proportio quadrupla, sextupla, decupla, duodecupla, &c. Respondent enim Man. 1. ℥ß. ʒv. vel ʒvi. pugillo ʒij. vel ʒiij.

Modus parandi absolvitur.

1. Præparatione ad decoctionem.
2. Decoctione.
3. Clarificatione.

1. Præparatio fit incidendo, contundendo, radendo, limando, &c.

2. Decoctio fit vulgariter. 1. Igne nudo. 2. Vase aperto æneo stanno obducto. 3. Ordine observato s. a. Est autem coquere s. a. materias coquendas non simul & semel injicere, sed diversis vicibus, prius posterius, prout naturæ volatilioris, fixioris, mollioris, durioris, solidioris res fuerint. Nimirum si cornua, ligna, cortices, radices, folia, semina, aromata ac flores decoctioni destinantur, primum cornua, ligna, cortices & radices aliquandiu coquenda sunt, hinc folia ac semina superinjicienda, tandem quoque sub finem decoctionis, aromata & flores; utpote quorum vis facilè in auram evanescit.

N. *Res duriores macerantur prius aliquandiu.*

3. Depuratio fit vulgariter albumine ovi, cùm quo decoctum expressum, vel saltem colatum ebullit, quod dein per colum trajicitur. Vide lib. 1. c 14. Clarificata.

Usurpatio: Quia saporis minus grati ferè sunt decocta, gratia conciliatur Sacchara Syrupove addito ad singulas doses ℥j. plus minus, pro palato ægroti. Quinimò & aromaticus sapor superaddi ferè solet, nonnihil ex aromatibus commiscendo.

Sunt decocta celebriora.

Decoctum
Alterans, *vide infrà*, N. 1.
Antimoniale. 2.
Aperitivum majus. A.
——— cum Rhabarb. A.
minus, s. lenitivum
minus A.
Capillorum Veneris, A.
Carminativum Clysmaticum,
Cord.
Clysterum emollientium,

Cord.
Commune ad dissolvenda solutiva,
Cord. Renod.
Commune Medicinale cum & sine sena. A.
Epaticum, 3.
Epatis vituli, 4.
Epithymi, A.
Florum & fructuum, A.
Fumariæ.
Hystericum, 5.
Majale, 6.
Pectorale simplex & compositum, A.
Purgans Quercetan. 7.
Splenis bovis, 8.
Senæ, v. A.

1. Decoctum alterans.

℞. Santal. rubr. ℥ß. (alii) ʒvi. Succ. citri recent. ℥iß. (alii ℥j.) Sacchar. clarificat. ℥j.
Aq. fontan. puriss. ℔iij.
Stent in maceratione per noctem, mane coquantur ad ℔iiß. colentur, ac serventur pro usu.
N. *Alii addunt & Spir. Vitrioli* ʒj.

Aliter.

℞. Santal. rubr. ℥ß.
Sem. citr. ʒß.
Fl. Rosar. rubr. p. iß.
Sacchar. candi. ℥j.
Spir. Vitrioli ʒß.
Aqu. fontan. ℔iij.
Digerantur per noctem, hinc decoquantur ad ℔iiß.
Colaturæ adde
Rob. ribium.
Succ. citri.
Sacchar. depurat. ā. ℥j.
Vires. *Refrigerat, cor viresque confortat.*

2. Decoctum antimoniale Cl. D. D. Lud. ab Hornig.

℞. Rad. sassafr. ℥j.
Lign. visc. Querc.
Lentisc. ʒvi.
Fol. Beton. Mj.
Parata pro decoctione coq. in aq. pluvialis limpidæ Mensur. iv. bulliant per quartam partem horæ, postea inde antimon. crudi ℥j. in petia ligati, & porro bulliant, donec mensura una & dimidia sit consumpta.
Vires. *Catarrhis medetur, scabiemque curat, impuritates tum per insensilem transpirationem, tum per alvum educens.*

Usus: Mane haustus calidè assumitur.

3. Decoctum Epaticum.

℞. Rad. Aristoloch. rot. ℥j.
Rhabarb. opt. ℥ß.
Chamæleon. nigr. ʒij.
Rad. Petrosel.
Cichor. ā. ʒvi.
Cardopat. ʒij.
Herb. Endiv.
Scabios.
Betonic.
Acetos. ā. Mß.
Sem. Fœnic. ℥j.
F. Decoctio in aqu. font. ℔. vi. ad consumpt. tertiæ partis.

4. Decoctum Epatis Vituli.

℞. Epar. vitul. in frusta incisi.
Santal. rubr.
Cinnamom. ana ℥ß.
Spic. nardi.
Rosar. rubr. ana p. i.
Conserv. flor cichor. ℥j.
Trochisc. Rhabarb.
Eupator. ana ʒvi.
Coque in phiala capaci benè occlusa calore balnei ferventis horas 7. vel 8. donec hepar totum ferè in liquorem redactum sit, quem ad perfectionem decoque, addendo, si velis, saccharum.
Vires. *Conducit in omnibus Epatis affectibus, & imbecillitatibus; in fluxu præsertim hepatico & hydropisi.*
Dosis ℥iij. iiij. *mane ac vesperi.*

Quercet. in Pharmacop. Rest. cap. 26.
N. *Eodem modo fieri quoque possunt decocta Pulmonum non solum Vulpis, sed & Vituli & Agni, addendo pectoralia.*

5. Decoctum Hystericum.

℞. Herb. puleg.
Artemis.
Abrotan.
Matricar.
Meliss.
Verben.
Serpill. ana Mj.
Rad. Pimpinell.
Baccar. Lauri, ana ʒij.
Castor. ʒj.
Sabin. ʒij.
M. & lege artis F. decoctum.
Vires. *Ciet menses, uterumque roborat.*

6. Decoctum Majale.

℞. Herb. Fumar. Mj.
Summ. Lupul.
Cichor.
Agrimon.
Asplen.
Absynth. pont. ā. Mß.
Rad. Polypod. ℥ß.
Glycyrrhiz. ʒß.
Fol. Sen. ℥iij.
Sem. Anis. ʒij.
Omnia quæ haberi possunt recentia, misce cum reliquis, ac coque in seri lactis ℔. iv. ad tertias.
Colaturæ adhuc calidæ infunde per noctem.
Rhabarb. el. ʒij.
Spic. indic. gran. viii.
Schænanth. ℈ß.
Ebulliant semel ac iterum, hinc colentur.
Vires. *Sanguinem purificat.*
Dosis ℥iv.

7. Decoctum purgans pro delicatis. Quercetan.

℞. Follicul. sen. s. st. ʒvi.
Aq. pomorum redolentium aut fragorum q. s. pro una vice.
Macera vase clauso per horas 24. addendo parum succi Limonum, hinc ebulliant, fortiterque exprimantur, adde
Succi pomorum redolentium recentis ʒiß.
Sacchari candi si libet, q. s.
Clarifica cum albumine ovi, ac aromatiza cum aqua cinamomi.
Vires. *Leniter purgat sine fastidio.*
[*Decoctum laxativum in editionibus prioribus fini libri II. annexum huc ponendum ex præscript. D. Petri de Spina.*]
℞. Rad. sassæ parill.
Alth.
Borrag. ana ℥ß.
Glycyrrhiz ℥iß.
Diger. horis 24. in ℔iv. aq. ferventis. Dein coquantur ad ℔. iij.
Postea adde
Rad. Polypod. ℥ß.
Epithym. ʒij.
Fol. Sen. el. ℥ß.
Agaric. troch. ʒiß.
Mechoacan. opt. ʒij.
Flor. Borrag.
Bugloss.
Violar. an. p. i.
Tamarind. ʒvi.
Passular. min. ℥ß.
Dactyl. recent. N. iv.
Sem. Cartham. contus. ʒij.
Anis.
Fœnicul. an. ℥ß.
Caryophyll.
Zinzib. an. ℈j.
Coque adhuc parum s. a. dein exprimantur & colentur pro potu.
Vires. *Blandè movet alvum, acresque humores obtundit, adeoque convenit quàm maximè in doloribus colicis.*
Dosis ℥iv. *mane, & si libet post meridiem.*

8. Decoctum splenis bovis.

℞. Splenem bovis in frusta incisum.
Cinnamom. grossè contus. ℥j.

Caryophyllor.

Caryophyllor. ℥ß.
Croc. ℥ij.
Vini alb. seu malvatic. q. s.
Inde in vitrum capax, quod benè clausum in MB. ferventissimo, hor. 24. ebulliat, donec splen in particulas minutissimas coctus & consumptus fuerit, magnaque juris exquisitissimè cocti, & fragrantissimi copia restet.
Vires. *Specificum est ad duritiem & obstructionem lienis & mensium suppressionem.*
Dosis ℥iiij. *continuando per quatuor aut quinque dies, cùm menses fluere soliti sunt. Quercetan. in Pharmac. Restit.*
N. *Potest itidem redigi in formam extracti, vide infrà.*
Plures decoctorum formulas qui expetit, adeat Quercetanum in Pharmacop. Restit. Vueckerum, Poterium, & simil.

SCHRODER. CAP. XXIX.

De Lacte, & sero Lactis.

LAc est sanguis vi mammarum pro foetus nutrimento elaboratior redditus. Ex variis lactis generibus prae reliquis inserviunt medicinæ.
Lac asininum, (quod tamen nostratibus minus usitatum.)
Caprinum.
Humanum.
Ovillum.
Vaccinum.
Optimum est ex animali sano non nimis pingui; ætatis mediæ, recens mulctum, colore candidum, quod ungui instillatum cogitur.
Vires. *Refrigerat, humectat, mollit, paregoricum est, acrimoniam mitigat. Hinc usus insignis in dysenteria (clysmatisatum) in phtisi, &c. Extrinsecus in oculorum destillationibus, capitis dolore (excellit cremor.)*
N. *Lac etsi optimè nutriat, tamen non omnibus æquè commodum est. Nocet enim in visceris intemperie & febri, quia facilè corrumpitur, malumque adaugere aptum est. Capiti itidem & nervoso generi minus convenit.*
Praeparata ex lacte, Butyrum, scil. Lac coagulatum, Serum & Caseus, inter nativa meritò recensentur.
Vires. *Butyrum convenit; ut consistentiâ, ita & viribus generalibus, cum axungiis.*
Lac coagulatum vim habet refrigerantem ac anodynam.
Caseus in medicina rarissimi est usus. Recentem imponunt nonnulli Epati ad æstum febrilem comprimendum; vetustum, sunt qui commendant ad resolvendos tophos podagricos.
Serum lactis, seu Aqua lactis fit duplici modo, per se & per admistionem rei separationem juvantis. Per se secernitur caseosa substantia à serosa, si lac (non nimis recens) calori exponatur. Admiscentur, quæ separationem juvant, coagulum v. gr. vituli, agni, &c. liquor acidulus, herba acidula, v. gr. acetum. Spir. Vitr. acetosa.
N. *Sunt qui serum cum petroselino factum poscam Italicam appellant.*
Vires. *Calfacit & siccat, abstergit, alvum subducit, urinam ciet. Hinc usus crebri in Infusionibus purgantibus, abstergentibus, &c. Extrinsecus extergit scabiem, datur per se ab* ℥ij. *ad* ℔j.
N. *Integrum tractatum; de facili medicina per seri & lactis usum, conscripsit Ioannes Costaus.*

SCHRODER. CAP. XXXVIII.

De Acetis.

ACeta, quæ in Officinis prostant, vel mera sunt, vel qualitatibus medicamentalibus aliunde impraegnata.
De meris, horumque præparationibus agetur peculiariter lib. 4, cl. 2.
Aceta qualitatibus aliunde impraegnata (præter pauca alia, de quibus d. l.) fiunt ex aceto vini optimo, ac vegetabilibus, suntque vel insolata, sive infusa saltem, vel quoque, quæ paucissima tamen sunt, destillata.
Modus fiendi: ℞. Materiam insolandam puram atque exiccatam, præpara ad infusionem, (*ut fit in decoctionibus, incidendo scilicet, quæ incidenda sunt, contundendo, quæ contundenda, &c.*) Hinc imple lagenam vel vitrum, ac affunde acetum vini acerr. donec ad lagenæ cervicem pertingat: Orificio bene clauso colloca in locum tepidum, vel temperatum, & acetum viribus rerum infusarum impraegnabitur.
N. *Vegetabilia aliquantulum arefacta recipere oportet, ne squalore suo acetum corrumpant.*

Modus *destillandi* non discrepat à destillatione aceti simplicis, de qua l. 4. class. 2.
Aceta Officinalia simplicia fiunt per solam insolationem: suntque usitoria.
Acetum Anthosatum ex inf. florum anthos.
Calendulatum ex floribus.
Caryophillatum ex flor.
Cort. citr.
Fragor. è fructib.
Lavendul. è flor.
Lil. convall.
Menthæ, ex foliis.
Papav. rhæad. è fl.
Rosat. ex flor.
Rub. Idæi è fructibus.
Rutac. è fol.
Sambucci ex florib.
Scordii, è fol.
Scilliticum, è rad.
Violar. purpur. è flor.

Aceta composita sunt.

Acetum Alexicacum, scil. Destillatum alexic F. F. *vide infra* No. 1.
Bezoardicum.
Prophylacticum F.F. 3.
Rutaceum F.F. 4.
Theriacale August.

1. *Acetum agrestinum solutivum Cl. D.D. S. Clossai Archiatri apud Metenses celeberrimi.*

℞. Succi agrestæ sive omphacii depurati ℥ij.
fol. Sen. Oriental. ʒij.
sem. anis. contus. ℈j.
rad. mechoac. in tenues lamellas dissectæ, (non autem pulveris, aliàs infusum evaderet viscidum) ʒß.
garyoph. integr. n. ij.
Macerentur in Lagena loco frigido, & de isto aceto agrestino permisce cochl. ij. aut iij. in jusculis condimenti loco, in quibus priùs dissoluta sit ʒß. cremor. Tart. Adultis detur dosis superior integra.

Hujus remedii assiduo usu hemitritaum & morbos Chronicos, quamvis longâ patientiâ edomari, probatum est.

2. *Acetum Alexicacum seu Destillatum alexic. F. F. id est Francofurtensa.*

℞. Rad. Tormentill.
Zedoar.
Bistort. ā. ℥ß.
Angelic.
Imperator.
Hirundinar. ā ℥iß.
Pimpinell.
Dictam. alb.
Aristoloch. rot. veræ. ā ℥ij.
Herb. Card. bened.
Galeg.
Scord. ā. Miß.
Sed. Maj.
Endiv. ā Mij.
El. Calendul. Miß.
Rosar. rub.
Nymph.
Borrag.
Tunic.
Sambuc. ā Mij.
Poma citria recentia minimeque putrida N. viij.
Incisis incidendis, ac contusis contundendis affunde aceti acerr. ℔. X. stent in infusione per dies (3.) postea destillentur per alembicum vitreum.

3. *Acetum Bezoardicum F. F. Cl. Dn. D. de Spina.*

℞. Rad. Enul. camp. ℥ij.
Angelic.
Ostrut.
Valerian.
Vincetoxic.
Chelidon.
Pimpinellæ ā ʒvj.
Gentian.
Dictamn. alb.
Aristoloch. rot.
Tormentill.
Scabios.

Succis.

Succis.
Petasit.
Zedoar. ā ℥ß.
Bacc. Iun. Miiij.
Myrrh. elect. ℥ß.
Fol. Rut.
Chelidon. maj.
Scord.
Chamædr.
Card. ben. ā. Mij.

Incidantur & contundantur ut est moris, dein affunde.

Aceti vini acer. ℔. viii.
Spir. Vini ℔iii.
Theriac. Androm. ℥ii.
Spir. Tartari ℥ß.
Camphor. ʒii.
Digerantur per dies aliquot (14) dein exprimantur, filtrenturque per chartam.

4. *Acetum confortans S. Closs. Pulsessig.*

℞. Fol. rut. Miii.
fumar. Mi.
Baccar. Juniper. ℥ii.
Garyophyll.
Macis.
Nucis mosch.
Testicul castor. ā ℥ß.
Contusis affunde acet. ros. ℔iii.
Insola per aliquot dies, vel macera retrò fornacem.
Vires. *Gravidis, puerperis, & ab utero syncopizantibus prodest, odorando, tempora fricando, & pulsui utrique ex linteis eo madentibus alligando. In febribus malignis commodè additur camph.* ʒj.

5. *Acetum Prophylacticum F. F. Cl. Dn. D. Arnoldi VVeickard.*

℞. Rad. Angelic.
Zedoar.
Levistic.
Pimpinell. germanæ.
Rut. ā Mi.
Turbithel. ʒii.
Cort. citr. recen. ʒiii.
Baccar. Juniper. benè matur. ℥iß.
Laur. ℥j.
Incisa & contusa, ut moris, macerentur cum acet. acer. Mens. ij, postea destilletur per alembic. vitreum. Servetur pro usu.
Vires. *Insignes vires bezoardicas aceta hac recensita obtinent, quibus non modò contagiosos morbos præcavere, sed & sudorem, urinamve expellere pollent.*

4. *Acetum rutaceum F. F.*

℞. Fol. Rut.
Scord.
Card. benedict.
Tanacet. ā Mi.
Bacc. Juniper.
Rad. Angelica. ā. ℥ii.
Zedoar.
Cort. citr. ā ℥ß.
Incidantur minutim, ac infundantur in aceti optimi ℔vj.
Viribus *convenit cum prioribus.*

INFUSA ET DECOCTA.

Quæ nihil aliud *sunt nisi liquida quædam medicamenti forma præscripta à* Medico, nunc in unâ, nunc in pluribus dosibus ut scilicet hauriantur ab ægro ad suos usus & effectum destinatum. Græcis dicitur.

Decoctum APOZEMA, quo nomine etiam venit apud modernos Medicos Latinos, & quidem sæpius utuntur nomine *Apozematis* quam decocti.

In omni decocto & infuso duo consideranda

I. SIMPLICIA.

ex quibus haurienda venit vis medicamentosa.

II. Considerandus est LIQUOR scilicet menstruum, *cui implantanda* & communicanda est ista simplicium *virtus*. Unde *in his* duobus *duplex* ad se invicem respicienda est *proportio* & harmonia:

1. Quidem ratione qualitatis.
2. Ratione quantitatis.

Ratione QUALITATIS quidem, cum in infusis & decoctis *liquor* scil. Menstruum sit inprimis *naturæ aquosæ* aut hæc natura aquosa certè in eodem præpolleat & præponderet; Propterea *talia* ipsi liquori aquoso aut menstruo sunt *infundenda*, aut in eodem decoquenda *quæ possunt* suas *virtutes communicare* liquori aquoso. Quare subitò *rejiciuntur* omnes radices aut reliquarum plantarum *partes resinosæ* quoniam uti de extractis monui, resinosæ eliciuntur tantummodo per spirituosa volatilia seu Menstrua sulphurea, nullo verò modo ab aquoso; quoniam inter oleosa (*ex oleo n. & sulphure* fit tertium *Resina*) & sulphurea seu resinosa ad aquam nulla est proportio commistionis. Talia E. infundenda aut decoquenda sunt tantummodo, quæ possunt communicare suas virtutes cum liquore aquoso. Et licet non raro fiant etiam infusiones & decoctiones in vino, adeoque videatur, quod in vino, cum insit pars spirituosa, possint etiam infundi resinosa & pinguia. Nihilominus tamen quoniam *Vini Spirit. ante* sui *separationem* est *in vino dispersus* & copiosa aqua aut phlegmate dilutus propterea fit, ut omnino *vinum menstrui aquosi rationem* adhuc *obtineat*. Hæc est prima *proportio* ingredientium & menstrui *ratione qualitatis.*

Altera est *ratione QUANTITATIS*: omne namque *recipiens recipit ad modum receptivitatis suæ, sive* tantum recipit particularum medicamentosarum ex rebus infusis vel incoctis quantum potest continere *in suis porulis*. His ergo porulis repletis, nihil amplius potest recipere, licet vel centies novam instituat aut infusionem aut decoctionem.

Hinc *culpanda* venit eorum methodus, qui centum & *plura* sæpius *ingredientia* ad libras aliquot liquoris præscribunt. Cum nulla hîc sit proportio, *faciunt* tantummodo *medicamentum* pretiosum & minus fructuosum: *pretiosum*; propter copiam ingredientium: *Minus fructuosum* quoniam liquoris parcitas & paucitas non potest sufficienter absorbere & imbibere particulas rerum infusarum medicamentosas.

His in genere prælibatis: quoad INGREDIENTIA. 1. *ingrediuntur* decocta & *infusa* primariò VEGETABILIA, hac tamen *differentiâ* quod ea vegetabilia, quorum vis consistit in sal vol. facilè exhalante, uti sunt *antiscorbutica*, non ferunt coctionem quoniam coquendo magna eorum virtus exhalat, sed *tantum* præscribuntur *ad infusionem*, ut in loco tepido macerata sine sui exhalatione blandè deponant virtutes medicamentosas, in menstruum. Hisce accensendæ etiam aliæ, odore penetrante & volatili præditæ *plantæ aromaticæ dictæ*, ubi etiam *ipsa* in specie sic appellata *aromata*, qualia omnia *difficulter* admodum *ferunt decoctionem*, propter partes spirituosas volatiles, leni in Igne dissipabiles, d. potius pro sola tantummodo infusione præscribuntur: aut *si* sint *decoquenda* cum aliis, aut propter intendendas virtutes medicamenti, aut propter gratiam saporis vel odoris, præscribuntur tantum *in fine* decoctionis *injicienda*, qu. coctio jam ferè est absoluta: aut certè in decoctionem adhuc calidam, & modo ab Igne remotam infunduntur:

Quod *ipsum* similiter *intelligendum* venit *de aromatis purgantibus*, quorum virtus coctione dispergitur & perit: qualia sunt inprimis Epithymum, item senna, quæ levi coctione egregium purgans; longiore verò coctione difficile & mucilaginosum torminans producit decoctum.

Hæc E. & similia commodius infunduntur quàm decoquuntur,

decoquuntur, cum in decoctione castretur potius quam augeatur eorum vis, ut nihil jam dicam, *quædam simplicia*, prout infunduntur vel decoquuntur, *virtutes* suas *immutare*, uti monui de asaro, quod infusione in aquam dat medicamentum vomitivo-catharticum: decoctione verò dat medicamentum de oppilativo-diureticum: id quod similiter in aliis usu venire observabit is qui diligens est simplicium scrutator.

Hæc sunt quæ commodius infunduntur. Cæterum ista *vegetabilia*, *quorum vis* consistit *fortius annexá concretioni* & mistioni materiali, vel quæ fortius adhæret ipsi composito, qualia sunt verbi gratia ligna, cortices, item *planta* quæ vocantur in specie *splenetica*, uti etiam quamplurimæ *vulneraria* &c. In hisce *commodius* est, ut *decoquantur*, quoniam & maceratione aquæ & penetratione Ignis elicitur foras id, quod ad usum medicum ipsis à natura est inditum.

Hæc sunt vegetabilia, de quibus sufficienter monui, quod vel coctione vel infusione, prodant suas virtutes.

Post vegetabilia *solent* non raro etiam *decoqui* ANIMALIA eorumque partes, uti notum est, quod dentur *decocta C.C.* item huc pertinent etiam *juscula consummata* & similia, de quibus suo loco: Item *decoctum splenis bovis* in Cachexiâ & verâ mensium suppressione laudatur: Quo etiam pertinet *decoctum Epatis vitulini*: item decoctum Epatis *suilli*, quæ commendari solent iis, qui laborant fluxu sanguineo Epatico: qualia animalia nunc sola, nunc cum aliis vegetabilibus infunduntur.

De MINERALIBUS.

Magis urget negotium; *an* scilicet ex iisdem *virtus* medicamentosa *decoctione* in aqua vel vino commodè *possit elici*? Nihilominus tamen *pro nobis* non tantum stat LOCCATELLI sed in specie elegans hac in parte est POTERIUS *in pharmacop. spagyrica lib.* 1 *cap.* 1. 2. & reliquis capitibus se invicem subsequentibus: cum notum sit, quod FERRUM commodè *possit infundi*, nunc in *aquam* simplicem, nunc *in vinum*, & vel nudè infundi, vel etiam coqui contra morbos Cachecticos chronicos & malum Hypochondriacum, &c. in quibus, uti notum est, vinum ferratum est elegans: inprimis vero Mars vino infusus commendatur in talibus casibus, cum subtilis vini aciditas solvat subtiliorem Martis crocum, & exinde virtutes contra morbos chronicos elegantes eliciat. Hac ratione fiunt VINA ANTICACHETICA ex mineralibus una cum Cinamomo & Caryophyllis vino infusis. Præterea huc etiam pertinet, quando Chalybs ignitus extinguitur in aqua simplici, & fit aqua CHALYBEATA vel aqua *ferrariorum*, quæ aqua extinctionis ferri est conveniens potus spleneticis & similibus morbis cachecticis, afflictis: Hinc etiam dicunt, quod *canes* fabrorum *ferrariorum careant splene*, *aut* certè *habeant* admodum *imminutum*, ex eo, quod bibant aquam ferrariorum, *quæ aqua* hoc *augmentum* præter naturale *splenis* præveniat & *præcaveat*.

Talis Chalybs vel *ferrum* Ignitum vel *in aqua*, vel lacte *extinctum* commodum præbet liquorem tàm *pro potu dysentericorum*, quam *etiam* pro infusione *instar clismatis* in iisdem.

Post ferrum AURUM *candefactum* & *in aqua* simplici *extinctum* expertum est remedium POTERII contra *Icterum flavum*: refert enim de hoc ipso dum dicit: Novi virum Ictero laborantem, qui cum hac aquâ extinctionis auri perfectè curatus est. Et quidem hoc aurum in aqua extinctum suo ratiocinio comprobat BURRHUS in *Epistolis ad Bartholinum* d. restituendis oculorum humoribus scriptis.

De ANTIMONIO.

Superius dixi, quod à modernis permisceantur *decoctis* & infusis *antimoneis* cum lignis sudoriferis, id quod similiter etiam cum MERCURIO fieri solet: Quod infusum vel decoctum Mercurii vivi benè à Mercurio vivo separatum, non tantum constituit *aquam emeticam* ANDENII ad expellendos *lumbricos infantum* certum experimentum: d. præterea qq. idem Mercurius decoquitur & infunditur *in* istiusmodi *decoctis* & infusis *antimoneis*, sicuti ipsum Antimonium.

SULPHURIS.

Decoctum valdoperè *commendatur* à POTERIO, si nempe decoquatur sulphur. in aqua vel in vinum fuerit infusum. *In aqua pro* remedio alexipyreto scil. *febrifugo*, quod scil. febres pellat, *Epatis ardores* compescat, & etiam quod *Erysipelati* & *scabiei* interno usu *medeatur*: *Externo* vero usu idem decoctum sulphuris vel infusum quamcunque *inflammationem* sistat, Erysipelati succurrat, *scabiem* sanet, ac *rubores faciei* tollat.

STANNUM.

calcinatum & vino *infusum*, mirum *dat medicamentum* contra *affectus uterinos*.

PLUMBUM.

calcinatum aceto *infusum* cuicunque *inflammationi* cito succurrit, & oculorum *ophthalmiæ medetur*.

Ut jam nihil dicam l. d. Mercurio sublimato vel de *vitriolo* & similibus quæ *mineralia salibus constantia* facilè liquescunt & *dissolvuntur in* menstruis *aquosis*, idque propter conjunctionem cum salibus, cum salia omnia, uti notum est, intimè ament aquosa.

Decocta & infusa in specie *sunt* vel ALTERANTIA, vel PURGANTIA, vel *utrique scopo* satisfaciunt simul.

Decoctum purgans nihil *habet* singulare præ alterante, nisi *quod* ex acta *requiratur supputatio dosium* purgantium ingredientium, quæ cum sint vegetabilia talia *infundenda* vel decoquenda sunt, quæ virtutes suas possunt communicare menstruo aquoso sive *quæ non* sunt *resinosa*.

Ex hoc fundamento facilè patebit, quod Turbith Jalapa, item Hermodactyli Gummi guttæ, scammoniata & similia *resinosa*, non nisi *frustra infunduntur* cum aliis purgantibus, quoniam hæc & alia sine effectu, ceu resinosa, permiscentur reliquis.

Et certè *is*, *qui novit* legitimè *infundere* vel decoquere *Sennam*, Rhabarbarum & Helleborum, *vix opus habet reliquis*, ut taceam *decocta purgantia* propter nauseosum saporem & propter horrendum gustum, nunc *non esse amplius in usu*, adeò atque fuerunt tempore majorum: *aut* si adhuc præscribitur infusum aut decoctum tale ex Senna *pro una saltem dosi* præscribitur.

Quod E. attinet ingredientia, eorum PROPORTIO & ORDO solet observari *talis*: ut 1. quidem ponatur radices, hinc foliâ, utut ab aliis promiscuè, modo folia primo loco, modo radices præscribatur, & nullâ hâc in re certa præscribi queat lex, postea flores, hinc semina, quo etiam pertinent fructus & aromata: ad radices etiam pertinent cortices & ligna: sicut

sicut hæc ipsa sunt satis clara in auctore MORELLO, ad quem Lectorem remitto. Proportio etiam est clara, nempe ℥j. radicum commodè respondent Mij. foliorum: corticum & lignorum ℥ß. florum p.j. vel ij. seminum ʒij. fructuum minorum paria 2. vel 4. fructuum majorum vel 1. vel 2. uti videri potest in AUCTORE, qui satis est fusus in docendo quomodo parari debeat decoctum vel infusum.

Denique adduntur *aromata*, partim *ut corrigant* ingredientia purgantia, quæ commodè ponuntur post radices & folia, partim *ut concilietur gratia* saporis & odoris.

Quod attinet *animalium partes* si sint *duriores*, radicibus & foliis permiscentur & *immiscentur*: sin verò sint *molliores*, *postmodum adduntur*.

Sed hæc docet usus & lectio auctorum, impossibile enim est, omnia inculcare.

Ut dem aliquot *exempla*: sit *decoctum antidysentericum* tale

℞. *Rad. Tormentill.*
Symphyt. major. aa. ℥i.
Folior. plantaginis.
herb. Tormentill.
Folior. quercus.
hederæ terrestris. an. Mj.
Rasuræ priapi Cervi ℥ß.
Flor. rosar. rubrar.
balaustior. aa. p.ij.
Sem. Sumach.
Myrtillor. aa. ʒiij. (p.℥ß. ʒiß.)
decoquantur in s. q. aqua ferrarior. colaturam ℞. adde.
Syrup. Coralllior. Quercetan.
de Symphyt. Fernelii an.℥iij.
M. F. adstring. In dysenter.

Observatur proportio: Foliorum M j. respondet ℥ß. radicum, & ℥ij. radic. ℥ß. priapi cervi: florum p.IV. ℥ij. radicum: Seminum sunt ʒvj. pro ℥ß. ʒiß. Observetur præterea, quod *qu. variæ* vel multæ vegetabilium *partes infunduntur* aut decoquuntur, singulæ *in minori describantur dosi*, ut cumulus ingredientium coacervetur.

Item si præscribendæ tales partes, quod reliqua omittantur, reliqua in majori præscribantur dosi. *Plantæ* & radices quæ sunt *mucilaginosæ* & viscidæ, ut radix altheæ, symphyti majoris & similes, non commodè & benè possunt infundi aut decoqui, quoniam mucilagines *decocta reddunt ingrata & nauseabunda*.

Quod quantitatem purgantium infundendorum & decoquendorum *pro dosi* satis est prolixus AUCTOR:

Ne E. excedamus aut insulsè præscribamus, benè legendum hoc caput, de infusis & decoctis purgantibus in auctore.

Cautelæ, quas habet AUCTOR in appendice, legantur & observentur, quoniam sunt *summè necessariæ* & summè *elegantes*: Circa finem etiam habet exemplum, ubi ordo ingredientium satis est elegans; adeò ut, quæ sunt satis clara, non opus sit, multis exponere.

Ulterius dabo *exemplum* infusi cujusdam purgantis *in Ictero flavo*:

℞. *herb. anserinæ.*
Chelidonii majoris.
Cochleariæ aa. M.i.
Rad. armoraciæ ℥j.
Chelidonii majoris
Curcumæ aa. ʒij.
Fol. sennæ s st. ʒvj. (duæ doses rarò ℥j.)
Rad. Rhabarb. elect. ℥ß.
Elleb. nigr. præpar. ℥j.
Flor. lavendul.
aquileg.
anserinæ aa. p.j. vel ij.
(perinde est, pugilli enim non multum faciunt:)
Sem. napi
aquilegiæ aa. ʒij.
Lumbricor. terrestr. ℥j. (specific. in Ictero.)
Cinnamomi.
Galangæ aa. ʒj.
Passular. minor. (pro sapore) ℥j.

Coquantur in s. q. aquæ ferratæ, quæ est egregia in Ictero flavo propter Martem, vel aliâ quacunque aqu. colaturam ℞. adde
Syrup. de Cichor. c. Rhabarb.
M. D. S. *pomis reg. sapor.* aa. ℥ij.
Et F. potio purg. In Ictero pro plur. dosib.

Passulæ sunt in majori dosi, ut corrigatur sapor deter & nauseabundus.

Possunt etiam infundi hæ species, & quando volumus, ut infundantur, præscribimus ita:

Infundantur in s. q. aquæ stent in loco calido per noctem, manè filtrentur, colaturam ℞. adde &c. d. s. &c. Nam in his est magna admodum convenientia.

Hæc sunt ingredientia decoctorum.

Adhuc unum noto, quoad ingredientia, quod cum sæpius liquoris scilicet menstrui aquosi virtus extractiva *sit* nimis *languida*, propterea non raro *soleat* ipsi *addi stimulus* pro facilitanda extractione: Inter quæ sunt inprimis sulphura verbi gratia. *Cremor. tart. Crystallus tart. sal. tart.* &c. sicut jam hoc ipsum superius monui, ubi de senna, quod nunquam infundenda sit sine stimulo; Imo alia *interdum* adduntur stimulantia pro varietate circumstantiarum: adsperguntur *spiritu tart. tinct. tart.* quæ est salina, ut facilior fiat extractio: additur *tartarus vitriolatus* vel aliud *sal fixum* tam simplex quam compositum, &c.

Quoad *menstruum* infusionis, de hoc superius notavi, quod quoad quantitatem & qualitatem debeat habere harmoniam ad rem infundendam vel decoquendam.

Quoad qualitatem est *multiplex*, pro varietate scopi à Medico intenti. Usitatissima est *aqua fontana* pura & nitida. In morbis tamen Cachecticis uti superius dixi, chronicis scorbuto, &c. usitato assumitur *aqua ferrata* fit extinctionis ferri, quæ etiam opus est, ubi est laxatus stomachus & intestina, Mars enim, uti superius monui, & ex Tackenio indigitavi, nunc adstringit, nunc aperit: per se adstringit contrahendo fibras; aperit absorbendo acidum. Interdum accipitur *aqua hordei* pro infusione sive decoctum hordei.

Pertinet E. hîc.

MORELLI CAPUT DE HORDEATO item DE PTISANA.

EST, scil. jam apud nos nihil aliud HORDEATUM & PTISANA quàm *decoctum hordei* in aqua simplici, donec hordeum intumescat vel incipiat crepare. Unde quidam præscribunt.

℞. Decocti hordei ad crepaturam.

Et hoc decoctum hordei apud modernos vocatur ptisana: Nam apud veteres ptisana erat aliud quid: nempe *ptisanæ Veterum est Modernorum cremor hordei*, pulpa quædam mollior & fluida, ex hordeo pisto & decocto profecta. Unde dicunt, quod

quod alimenta in ventriculo coquantur & mutentur in cremorem ptisanæ similem. Hæc est veterum ptisana. Modernorum verò hordeatum scilicet, *Modernorum ptisana*, est tantùm *decoctum hordei*, donec intumescat vel donec crepet. vid. *cap. de hordeato* vel *cap. de ptisana*.

Huic decocto hordei, quod uti superius monui; est *basis Inleporum* in morbis & febribus malignis, non raro *infunduntur alterantia* aut *purgantia* vegetabilia suo scopo destinata, inprimis ubi opus est ut temperetur effervescentiâ à nimiâ acrimoniâ humorum inducta. Hocce enim quoniam *maximè est temperatum* & quasi oleosum & mucilaginosum propterea *temperat acrimoniam* nimiam *salium*, & ex eorum acrimoniâ ortam *effervescentiam* compescit. Ubi E. opus est temperatione tali præscribitur usitatè Item decoctum hordei *habet vim* leniter detersivam & *abstersivam*, unde ubi opus est detersione primarum viarum, item pectoris *in Empyemate, pleuritide & peripneumoniâ* à similibus, convenienter pro liquore accipitur decoctum hordei.

Porro dicit AUCTOR Hydromel, &c.

HYdromel *potus* est quidam paratus *ex aqu. & melle*. HYDROMEL hoc est duplex: nunc AQUOSUM, nunc VINOSUM: differentiam satis describit MORELLUS, qui videatur: Et quidem tam aquosum quam vinosum commodè recipitur *pro infusione* aut decoctione: in *affectibus pectoris, Tussi, Asthmate* ac *raucedine faucium*: quoniam mel omnem istam acrimoniam ac aciditatem lymphæ solet corrigere & temperare; prætereà etiam ad *phlegmata crassa*, viscida & tenacia incidenda, attenuanda & resolvenda, sive *in pituosis curandis* quales sunt *senes*, & etiam non raro *mulieres*. In talibus commodè pro menstruo infusionis aut decoctionis assumitur ipsum. Nam mel per se & hydromel in *Asthmate & Tussi*, uti m. in *ventriculo*, uti vocant, *frigido* à mucilagine crassâ, tenaci ac viscidâ infarcto & impleto valdè est elegans *remedium*. In *morbis* frigidis *senum* quales sunt *tremores paralysis* artuum, item in *arthriticis* affectionibus senum, commodè prodest hydromel pro menstruo, in genere in iis, *ubi est coctio læsa*, & vinum non commodè potest præscribi. Nam propter certas rationes & circumstantias, commodè *præscribitur* hydromel, sive vinosum, sivè aquosum, tam *pro potu* ordinario, quam *pro menstruo* infusionum aut decoctionum. *Habeatur* tamen *ratio* etiam *subjectorum*: Nam junioribus calidioribus biliosis, item iis, quibus nocent dulcia, uti sunt scorbutici, Hystericæ & similes, vel non, vel raro præscribatur tale hydromel.

Vicinum est hydromeliti

MULSUM

Potus usitatus *in regionibus septentrionalibus*, ubi est defectus Vini & abundantiâ mellis, in iis etiam solet fieri tale mulsum *ex melle permisto cum aqua & fermentato*: sic enim fit per fermentationem liquor vinosus, qui non minus inebriat quam perfectum Vinum imo non raro fortius: *adduntur interdum aromata* convenientia, ut fiat aquis gratius & potentius.

Potus est *Livonis, Lituanis* & etiam *Moscovitis* usitatus, quibus deest vinum, è contra mel in sylvis & arboretis copiosum reperitur.

Interdum E. in tali mulso decoquuntur simplicia pro suo scopo conveniente ac debito.

SERUM LACTIS.

Est *conveniens* liquor *pro infusione* simplicium, quoniam notum, quod serum lactis per se non parum habeat virtutis medicamentosæ ratione inprimis sal vol. temperati, egregium est remedium in multis affectibus, uti superius monui de lacte. Et cum serum lactis *per se* sit egregium *antiscorbuticum*, & conveniat ad modum, tam *in scorbuto* quam *Febri cum scorbuto* conjunctâ, propterea possunt fieri *decocta & infusa* in serolactis *in Malo hypochondriaco, scorbuto* & similibus morbis. *Convenientissimè* infunduntur in serum lactis *plantæ antiscorbuticæ*, ex eo, quoniam serum lactis *temperat, saporem acrem* & quibusdam adversum plantarum antiscorbuticarum. Præter id quod temperat saporem acrem etiam *adjuvat, ut* plantæ antiscorbuticæ *blandius operentur*: Solent enim interdum ratione sal. vol. acris inducere phlogoses & effervescentias in corpore: Has prævenit serum lactis, temperando salia acria & sale vol. temperato modicè refrigerando.

Quidam etiam pro menstruo recipiunt.

AQUAM RORIS MAJALIS.

Destillatam, quæ est egregium menstruum pro extrahendis vegetabilium & animalium virtutibus, uti patet ex supra dictis.

Quidam recipiunt

AQUAM TONITRUALEM,

Et plurimas huic vires adscribunt, vid. quæ superius dixi de aquis, ubi dedi quasdam descriptiones.

In juvenibus biliosis & in *morbis calidis*, uti potus fieri lactis est conveniens, ita etiam in talibus *infusa* & *decocta*, tam alterantia quam purgantia, commodè *possunt cum sero lactis fieri*.

Cæterum *ut efficaciora sint infusa* vel decocta, solet non rarò fieri, ut *species* infundendæ vel decoquendæ *adspergantur cum* Essentia aut spiritu aut liquore *appropriato*. Sic verbi gratia, in infuso purgante antiscorbutico commodè adsperguntur ingredientia cum quodam spiritu antiscorbutico verbi gratia cochleariæ, armoraciæ &c. In infuso anticachectico commodè infundenda adspergimus cum spiritu aperitivo Penoti: it. cum Essentia Martis liquidâ: (loquor de infusis, in decoctis n. perit spiritus, dum exhalat.) Item cum spiritu tartari, in quibus aperitivis infusis & decoctis commodè solet præscribi, partim ut acuetur menstruum, partim ut virtutes medicamentosæ communicentur liquori.

Ad menstrua pertinent

SUCCI HERBARUM.

Sunt enim, qui recipiunt succos recenter expressos, per subsidentiam & repetitam colationem depuratos, iisque *infundunt simplicia* vegetabilia, vel alterantia, vel purgantia. Ita verbi gratia, succo Cochleariæ depurato & sero lactis misto ana commodè infunduntur simplicia, quæ in morbis chronicis usurpantur & communiter aperitiva appellantur. In genere tamen unum nota quoad quantitatem ingredientium, quod *quo pauciora* habeantur *ingredientia, eò utilius* & melius sit *decoctum aut infusum*: quoniam ingredientium nimius *cumulus* infusum aut decoctum *reddit crassum*, spissum & hinc ingrat ū2. reddunt *saporis nauseosi* ægris & deterioris,

cum plura ingredientia plures etiam habeant sapores differentes. Denique non potest non fieri, quin *multa ingredientia* multas & non rarò *diversas habeant virtutes* sibi non rarò repugnantes, & exinde effervescentias & subitaneas alterationes periculosas in corpore inducentes, propterea quoniam ingredientia contrariæ virtutis sunt præscripta.

Dabo adhuc aliquot *exempla* de sero lactis *purgante* v. gr. *in scorbuto*.

℞. Seri lactis caprini depurati ℥vj.
& postmodum subjiciuntur ingredientia; vel præmittuntur ingredientia & liquor postponitur: Sequar tamen in hoc communem methodum.

℞. *Folior Sennæ s. st.* ʒiij.
Epithymi ʒj.
Thymi ℈j.
Seminis anisi ℈j. (pro correctione Sennæ)
Zingiberis ℈ß.
Cremoris tartari ℈j. vel ʒß.

(Hic ultimo loco ponitur, stimulus sc. acuativum liquoris.) Infunde in *seri lactis caprini* ℥iv. vel VI. stent in Infuso per noctem in loco calido, manè filtrentur: Colaturam ℞, & adde, &c. vel stent in infuso per noctem, manè bulliant bis vel ter: Colentur & adde.

Syrupi rosarum solutiv. ℥j.
M. D. S. &c.

Infusum *alterans in scorbuto* ex sero lactis:

℞. *Herbæ Nasturtii aquatici,*
cochleariæ.
anagallidis aquaticæ ana Mij.
Sedi minoris.
Comarum absinthii ana Mj.

Concisa & contusa infundantur in q. s. Seri lactis, stent in loco calido, post filtrentur scil. colentur: Colaturam Recipe & adde.

Aquæ Cinnamomi v. gr. ℥j. l. ℥ß.
olei Macis destillati ℈ß.
M. datur pro potu.

Optimus modus parandi infusa scorbutica ex sero lactis est iste *quem habet* HORSTIUS *lib. VII. obs. obs. 26.* quod fit ex succo permisto infuso seri lactis: Modus est hic.

℞. *Nummulariæ.*
Nasturtii aquatici.
Anagallidis aquaticæ.
Cochleariæ ana Mij.
Comarum absinthii viridis.
Rutæ.
Sedi minoris ana Mß.

incidantur & conterantur in mortario lapideo, per pannum lineum trajiciatur succus, qui invase vitreo conservetur, ℞. herbas, ex quibus succus expressus est, coque in sero lactis caprino depurato, leniter per pannum lineum exprimatur post expressionem huic adde succum priorem, misceantur & aromatisentur: Fiat potio, cujus dosis sint ℥iij. ℥v. ℥VIII. ad summum.

Quia versamur adhuc in infusis & decoctis, & habuimus tam ingredientia quam etiam menstrua s. liquores, quibus infundi possunt, propterea etiam annectendum erit, quod huc pertinet, scil. quando fiunt *Infusa in succum pomorum borsdorffianorum*, quæ sunt conveniens potus in *malo hypochondriaco*, in *melancholiâ hypochondriacâ* & similibus morbis ab humore Melancholico ortis. Nam *hic succus* pomorum borsdorffianorum *habet vim* quandam *aromaticam* in se ratione cujus valdè conducit instar potus ad corroborandum & restaurandum: præterea *per alvum laxando* & abstergendo, simulque *acidum* in corpore humano *abundans corrigendo* & emendando; Et propter has virtutes est specificum conveniens melancholicis. Hinc etiam fit Extractum Martis cum succo pomorum borsdorffianorum, elegans in morbis chronicis & contumacioribus, uti superius de Marte monitum fuit.

Post hujusmodi succos etiam usitatum ingrediens infusorum & decoctorum est Vinum: pertinet E. huc Morelli.

CAPUT.

DE

VINIS MEDICATIS de SUCCIS & LIQUORIBUS.

Vina medicata scil. infusiones in vinum possunt fieri *duplici ratione*: Vel enim infunduntur vegetabilia & alia *in mustum*: Vel infunduntur *in vinum* jam *perfectum*, utroque modo fiunt vina medicata.

Quod dictum de vino, etiam intelligendum est in nostris regionibus septentrionalibus de *Cerevisia*: *Eodem* namque *modo atque vinum fit* medicatum, eodem quoque modo cerevisiæ medicatæ fieri possunt.

Dico quod *Vinum* usurpetur inprimis *pro infusis*, *non* vero pro *decoctis*, ratio est, quoniam in decoctione inprimis parum diuturniore ex vino evanescunt ejusdem partes spirituosæ, & exhauriuntur ejusdem spiritus, remanente tantummodo latice aquoso subacido & qs. tartareo: Propter hanc rationem commodius est Vinum pro infuso quam pro decocto. Quodsi verò *vinum* decocto sit *addendum*, vel pro augmentandâ ejusdem virtute, vel pro conciliandâ eidem saporis gratiâ, tunc vel *admiscetur* vinum decocto *in fine* decoctionis, *vel* quod melius est., insisti debet *modo Zvvælferiano*, qui in decoquendis subjectis volatilibus & spirituosis cum vino, recipit omnes spiritus & una cum menstruo, easque conjunctim includit cucurbitæ cum suo alembico rostrato munitæ, in digestionem ponit in B. M. & instituit sic coctionem: Sic enim fit, ut partes volatiles & spirituosæ in decoctione elevantur in alembicum, ibique coagulatæ in guttulas, per ejusdem rostrum decidant, quem liquorem destillatum in coctione prolectum decocti colaturæ depuratæ denuò addit, & ita decoctum efficacius & gratius acquirit. vid. modus hinc inde *in animadversionibus in pharmacop. August.* inditus, qui est elegans, & meritò observandus à nostris pharmacopeis negligentibus.

Revertor ad *vina medicata*: Quando volumus facere vina Medicata, aut etiam cerevisias medicatas, *fiunt* illæ ex musto aut cerevisiâ nondum defœcata. Recipitur vasculum musto plenum, infunduntur simplicia, quorum virtutibus volumus imprægnare vinum, partim eadem incisa injiciuntur, partim in nodulo laxiore inclusa in mustum suspenduntur, ut ita beneficio fermentationis ipsorum simplicium mistionis vinculo soluto, eorum virtutes medicinales imprægnent vinum, & cum eodem se intimè & arctissimè uniant, uti notum est in vino absinthite, in vino cochleariæ & aliis vinis medicatis, tam simplicibus quam compositis, qui legitimè parata, hoc modo fieri debent. Quod *si vero volumus* parare *cerevisiam medicatam* convenientissimum est, ut una cum lupulo recipiantur plantæ medicamentales, eæque lupulo commistæ unà coquantur, & ita postmodum istud decoctum, per fermentationem dum fit cerevisia, habebit simul ingredientium virtutes medicinales, sicut communis cerevisia in se complectitur virtutes lupuli.

lupuli. Quod si adhuc *fortiorem volumus* parare cerevisiam medicatam, tunc præter talem decoctionem etiam tunc temporis, quando jam cerevisia incipit fermentare in cadis majoribus, vel qu. jam cerevisia inclusa est suis vasis, possumus tunc temporis infundere adhuc vel simpliciter, vel nodulo ligatas species medicinales, dum fermentatur cerevisia, ut ita generosior & efficacior fiat cerevisia medicata.

Tales potus medicati sunt convenientissimi *pro usu quotidiano* & ordinario *in morbis chronicis*, in morbis *contumacioribus* & similibus. Sic vinum *absinthies* & *cerevisia absinthiaca* conveniunt *in scorbuto, Cachexiis, malo hypochondriaco* & similibus affectibus, quorum radix solet esse in stomacho, & primis viis: & observatum, vinum & cerevisiam absinthiacam simul blandum & suavem inducere somnum.

Cerevisia RORISMARINATA

Convenit *mulieribus* in earum affectibus,

Vinum FLORUM ACACIÆ;

Valdè convenit in *purificandâ* & depuranda *Massâ sanguinea*.

Vinum COCHLEARIÆ

Convenit iis, qui laborabant *Scorbuto*, aut affectibus propiùs ad scorbutum accedentibus, quales sunt *hypochondriaci*.

Cerevisia SCOLOPENDRIATA

conducit in *morbis chronicis*, spleni vulgo attributis, *4tana, Ictero nigro, hypocondriaco affectu* & similibus aliis.

In hoc ipso negotio omnes reliquas nationes *superant Angli*, *in conficiendis cerevisiis* medicatis: Hi ipsi enim habent cerevisiam Cochleariæ, egregii saporis & elegantem in scorbuto, quo aliàs eorum regio epidemice est infecta: Item *habent cerevisiam* paratam *cum radice China*, quæ est potus usitatus iis, qui laborant lue venerea & Catarrhis, ratione ingredientis ligni sassafras: Habent cerevisiam medicatam *cum corticibus citri & limonum*, quam usurpant in morbis malignis & similibus, ubi vires sunt deperditæ & prostratæ.

HELMONT

In *suis scriptis* præcipit, ut fiat nodulus *ex cinnab. antimonii vera* istâ scilicet quæ paratur ex vero sulphure antimonii (præparationem docet TACHENIUS in *Hipocrate chymico*) cum mercurio vero antimoniali, ex his duobus paratur cinnab. antimonii vera, inque nodulo inclusa, si infundatur in cadum vini vel cerevisiæ, singularem virtutem & efficaciam medicinalem communicari illi ex iisdem asserit, uti videri potest in scriptis.

Possunt etiam fieri alio modo *potus* Vinosi medicati, qui æmulantur vinum, non verò sunt revera tale. Sic v.gr. *ex succo pomorum* borsdorffianorum, cum *passulis* potest fieri elegans vinum medicatum, modo legitimè paretur, instar vini malvatici: Potus est egregius *in morbis chronicis* & *contumacioribus*, uti dixi de succo pomorum borsdorffianorum. Sic *ex passulis & saccharo* affusâ s. q. aqu. per fermentationem *fit* suavissimum *vinum* instar Petri simonis: Cœterum talia vina & tales cerevisiæ medicatæ non possunt fieri, nisi ab iis, qui habent occasionem hæc ipsa parandi: propterea usitatum jam est, ut ex tempore fiant vina medicata infundendo simplicia vegetabilia super vinum, ut per digestionem vinum imprægnetur his ex simplicibus, & ut quotidiè semel vel bis accipiatur bonus haustus. Tale *vinum ex tempore* quod *fit*, est vel *alterans*, vel *purgans*, vel utrumque simul. Posterius est usitatissimum, in primis *tempore verno, aut autumnali*, quibus temporibus *pro purificanda massa sanguinea*, ex purgandis quibuscunque heterogeneitatibus, & restituendâ naturali, crasi in iis, *qui chronicis affectibus* sunt obnoxii, commodissimè instituuntur tales curationes præservatoriæ ex alterantibus & purgantibus simul, ut & alterantia alterent crasin sanguinis vitiatam, & præcipitent separata excrementa vitiosa, purgantia ècontra sensim sensimque, vel uti vocant per epicrasin, evacuent, atque ita sine molestiâ & difficultate corpus purificetur. In *morbis chronicis melancholicis, uterinis* & in similibus insultibus usitatè præscribuntur: adde etiam *ut* à futuro morborum insultu *præcaveant*. Hinc res nota est, quod recipiantur simplicia incisa & contusa aut etiam nodulo inclusa, qui nodulus immittitur in lagenam vini, ut vinum impregnetur, de quo diebus singulis æger semper duabus horis ante pastum, aut etiam sub introitum lecti bonum accipiat haustum, qui potus usque ad 8. imò ad 14. non raro diem continuatur. Imo tale vinum medicatum non tantum præservationis instituitur gratia tempore autumnali & vernali; d. etiam nonnunquam curationis gratia in morbis chronicis, v.gr. in cura quartanæ, scorbuti & similibus morbis, paratur tale infusum vini beneficio simplicium nodulo inclusorum.

Fit tale vinum medicatum *in affectibus melancholicis* & CRONICIS, in *nervorum affectibus paralysi & tremore*: Item pro cura *Epilepsiæ* inveteratæ pro cujus radicali exterminatione solent institui vina medicata: Ii qui laborant *affectibus oculorum* commodissimè verno aut autumnali tempore talibus utuntur.

Modus præscribendi est *idem atque in decoctis* & Infusis aliis, tantum modo præcipitur, ut incidantur & contundantur. D.S. Species pro vino. Mulieres postmodum includunt sacculæ & infundunt in vinum pro potu. Res ut pateat, sit præscribendum *Vinum cuidam qui* laborat *diuturna quartana*, ut exinde die intermissionis duos bonos hauriat haustus.

℞. *Herb. fumariæ.*
cardui benedict.
Comar absinthii ana Mj.
Rad. armorac.
Helenii ana ℥vj. l. m. ana ℥j.
(vel quoniam armoracia est potens, potest præscribi armoraciæ ℥ß & helenii ℥j.)
Flor. Cent. minoris
borraginis
buglossæ
Cichorii ana p.j.
Limaturæ martis depuratæ ℥iß.
(Nam mars valdè ponderosus est.)
Cremor. tart. ʒvj.
Cinamom.
Galangæ
Zedoariæ ana ʒj.
passular. minor. ʒj.
(pro gratia saporis & pro temperamento.)
incisa & contusa D.S.
Species pro vino absintho.

Hæc includuntur sacculo & infunduntur in vinum.

Quod si velim, *ut fiat* vinum blande *laxans* & alterans, subitò post radices & flores ponerem.

Folior sennæ s.st ℥vj.
rad. Hellebor. nigr. præpar. ℥j.
Sem. Carthami contusi ℥vj.
Rhabarbar. electi ʒiij.

Et hæc unà cum reliquis permisceantur, & ita fiat Vinum medicatum, quod esset & digestivum & evacuativum: Digestivum ratione martis & tart. unà cum simplicibus febrifugis antiscorbuticis: esset evacuativum ratione purgantium: aromata & passulæ ingrediuntur pro gratiâ saporis, pro gratiâ stomachi, & 3. pro temperandâ acrimoniâ humorum acidorum in 4tanâ abundantium, ratione inprimis passularum. *Interdum* potest fieri tale *vinum passulatum* elegans *in affectibus epatis* cum rhabarbaro passulis & pauco sacchari, vel tart. & cremor. tart. in vinum infusis: in *imminuto* mensium *fluxu*, in *Ictero*, *Cachexia*, *anasarca*, *leucophlegmatia* & similibus.

Dabo aliud *exemplum*, ut facilius sit negotium. Ponam mulierem, quæ obnoxia est subinde *hystericis passionibus*, *cum* accedente *imminuto* mensium *fluxu* non omnino obstructo: Huic tempore verno præscriberem tale vinum medicatum.

℞. *Comar Absinthii.*
herb. Marrubii albi.
Artemisiæ.
Rosmarini ana Mj.
Rad. Angelicæ ℥j.
Levistici.
Gentianæ
Zedoariæ ana ʒij.
Cortic. malor aurantiorum
Citri ana ʒiij.
Rad. Mechoacannæ ℥j. (sit moderate & blande laxans)
Foliorum Sennæ ℥vj.
Rad. bryoniæ ℥iß.
Ellebor. nigr. præpt. ℥ß. (sunt 7. doses purgantium.)
Flor. Calendulæ.
Cheiri.
Centaur. minor
Croci ana ℈j.
Sem. Cicer. rubeor.
Baccar: Lauri.
Juniperi ana ʒij
Sem. Erucæ.
Nasturtii.
Cumini ana ʒj.
Cremoris tart. ℥vj. vel potius.
Salis tart. (perinde esset.)
Cremoris tartari ana ʒiij,

(pro stimulo menstrui ut facilius & felicius extrahat.)
Incisa & contusa D.S. Species pro vino contra passion. histeric.

Potuissem addere Cinnamomum, Zingiber, Zedoariam &c. sed non opus est, quoniam jam satis habebit saporem aromaticum.

Interdum quando talia Infusa sunt minus efficacia, sive sint cum vino, sive cum succis, sive cum sero lactis, quocunque modo parata, si scilicet metus est, ne in subjectis fortioribus minus moveant, & assumantur sine alteratione: in tali casu usitatum est ut *singulis haustibus addatur vel spiritus, vel Essentia, vel Tinctura, aut Extractum appropriatum* &c. v. gr. in hypochondriacis additur Elixyr proprietatis: qui laborant scorbuto, iis singulis haustibus infusionis aut decocti adduntur gutt. X. ad XX. spiritus Cochleariæ, vel spiritus Cochleariæ cum spiritu rad. armoraciæ conjuncti, item spiritus aperitivus, Penoti, Mulieribus, qui laborant præter affectus chronicos, aliis affectibus uterinis, haustibus singulis admiscentur gutt. X. XII. aut XV. Elixyris Uterini Crollii: Iis, qui laborant Epilepsiâ, eorum haustibus medicatis adduntur aliquot guttæ spiritus vitrioli Epileptici s. spiritus vitrioli cephalici, spiritus cranii humani, aut spiritus sanguinis humani. Iis, qui laborant febribus chronicis, singulis haustibus additur spiritus sal. armoniaci, vel alius spiritus febrifugus usitatus: vid. cap. AUTORIS de vinis medicatis, in quo est satis prolixus & omnia accurate pertractat, sive loquatur de vino alterante, sivè etiam purgante.

Post ingredientia & etiam menstruum in decoctis & infusis, inprimis adhuc considerandum venit *an determinanda sit quantitas liquoris* vel menstrui? *In* decoctis & infusis *alterantibus raro vel nunquam* hoc solet fieri d. tantum præscribitur, infundantur in s. q. aquæ, vini, &c.

Cæterum observatur *nihilominus* hoc quod *quando* simplicia decoquenda (de decoctis loquor, non de infusis) sunt crassioris substantiæ, & difficilius aut tardius suas virtutes medicamentosas communicant liquori, & propterea *longius veniant decoquenda*, quod *tunc temporis* præscribatur major quantitas menstrui, & *determinetur*, ut decoquantur, *ad casum tertiæ partis*, *ad casum quartæ partis* sive tamdiu sunt decoquenda, donec tertia vel quarta pars sit evaporata:

Item præscribuntur: coquantur ad unam tertiam partem, ad duas tertias partes sive tamdiu, donec una vel duæ tertiæ partes sint evaporatæ.

Hic est usitatus modus præscribendi decocta alterantia.

In purgantibus solet determinari dosis liquoris, propterea, ut sciat æger quantum bibere debeat, ne unâ vice plus vel minus hauriat decocti vel infusi. Sic v. gr. esset præscribendum decoctum pro 5. dosibus, tunc præscribitur ita, decoque in s. q. aquæ simpl. usque ad ℔. ℥viij. vel colaturæ ℞. ℔j. ℥viii. ut sic pro haustu sint ℥iv. & sic in similibus, Sed, uti dixi superius, *rara* sunt *talia decocta* propter ingratum saporem. vid. m. AUCTOR in decoctis, ubi habet de quantitate liquoris.

Sequuntur DISSOLVENDA *in decocto* vel infuso à Medico ex tempore præscripto: Hæc dissolvenda *sunt* partim *propter gratiam* saporis, partim propter *augmentum virtutum*. Propter *gratiam* saporis, recipitur inprimis *saccharum*: loco sacchari huius simplicis pro virtutibus simul augmentandis dissolvitur *Syrupus appropriatus* proportione ferè eadem, sicut habuimus in Julepis: In minore quidem dosi, ubi decoctum non est ingrati saporis, in majore, ubi est nauseabundum additur *interdum succus appropriatus*: v. gr. succus fumariæ in affectibus diuturnis succus nasturtii & cochleariæ in affectibus scorbuticis succus acetosæ & acetosellæ in affectibus calidioribus à bile ortis, succus limonum & pomorum redolentium in morbis scorbuticis. *Non rarò* additur *mel* in morbis pectoris, & aliis, inprimis senum, in quibus est suspicio mucilaginis crassæ & viscidæ quæ ob id resolvenda incidenda & attenuandâ, omnibus his usibus egregiè satisfacit mel, quod tunc temporis omnem istam mucilaginem mirè dissolvit.

Denique post edulcorationem in quibusdam locis *solent CLARIFICARI decocta*, id quod inprimis solet fieri in decoctis magistralibus & maioribus. In talibus, ut secedant ad fundum partes, quæ reddunt ingratum decoctum, solet fieri clarificatio, *vel per residentiam*, quod rarum, *vel cum ovo*: quod frequens. Modum præscribit SENNERTUS *in institutis* in fine de decoctis.

Sed

Sed hæc clarificatio non rarò *rejicitur* ab auctoribus, quoniam virtutes medicamenti decidunt ad fundum & ita defraudetur decoctum.

Raro quidem etiam apud nos talia apozemata Magistralia usurpantur.

Frequentior est AROMATISATIO, ut corrigantur ingredientia, purgantia, & sapor ingratus, ut eò lubentius ab ægris assumantur; *Modus variat. Nunc* enim aromata præscribuntur *cum reliquis* ingredientibus decoquendis vel infundendis: *Nunc posi* factam infusionem & decoctionem aut *calaturam* denuò solent permisceri.

Modus cuivis est in arbitrio positus, quoniam parum refert, & vid. in AUCTORE de decoctis.

Quod si infusum fiat cum vino, & tale vinum postmodum cum aromatis aromatisetur, solet tunc appellari.

CLARETUM.

Quod juxta Scroderum vinum est aromatum infusione impraegnatum atque eum Saccharo dulcoratum.

A modernis quibusdam solet vocari VINUM HIPPOCRATICUM ex eo, quoniam vinum hippocraticum *Veterum fuit* paratum *ex aromatis*, in specie ex Cinnamomo & Zingibere *cum saccharo in vino* infusis. Hoc est vinum hippocraticum veterum. *Moderni* verò pro potandis vinis hippocraticis *transcolant* vinum virtute infusorum impugnatum per manicam Hippocratis, quæ *manica Hippocratis est saccus* coriaceus aromatis impletus, dum enim per hunc saccum cum specibus aromaticis repletum vinum colatur, fit ut sensim sensimque vinum impraegnetur aromatis: prout E. magis vel minus aromatisatum postulamus vinum, eò sæpius vel parcius imponitur, talis per manicam Hippocratis colatio: *Modus* præscribendi est hic. Coletur per manicam Hippocratis vel bis. vel ter. D.S.

Dabo *Exemplum* Hippocratici sive *clareti pectoralis*: quoniam in talibus affectibus talia dulcia expetuntur; Ponam v. gr. *Tussim à lympha tenui* & acri, *cum mucilagine crassa* oriundam.

Hîc tale præscriberem Claretum pectorale,

℞. *herb. hyssopi.*
Marrabii albi.
Mentha aa. Mj.
Rad. helenii.
Ireos Florentini.
Glycyrriz. aa ℥ß. vel ʒvi.

(hæc debent esse basis, propterea in majori dosi præscribuntur.)
Caricarum vel ficuum pinguium N. 8.
Passularum minorum ℥ß ad ʒvi.
infundantur in s. q. vini & hydromelitis, colatura trajiciatur per manicam Hippocratis bis vel ter. D.S. claret. pector. pro plurib. Dosibus.

Vid. AUCTOR *de vinis medicatis* ubi habet de vino Hippocratico.

Hæc est Aromatizatio vinorum vel decoctorum, quæ nunc fiunt, uti dixi, injiciendo aromata, nunc trajiciendo per manicam Hippocratis. Plura de Apozematis, Infusis seu vinis medicatis, quoniam sunt declarata satis ab auctore MORELLO vide in eodem capite.

Jam quæ decocta etiam sint usitata in officinis, paucis !sunt adhuc delibanda. Sequitur E. in SCHROEDERO.

CAPUT
DE
DECOCTIS.

ET quidem rectè dicit AUCTOR, quod fieri possint decocta ex rebus omnibus quæ elixari possunt, & dari pro brodio &c. vid. quæ habet SCHRODERUS, qui est satis clarus & non valdè prolixus.

Coctio in diplomate: DIPLOMA.

Est vas *duplex clausum*, cum in finem, ne quando fit decoctio, vires facilè exhalent, sed ut cum minori medicamentosarum virtutum jacturâ institui possit. Commodius tamen est *inventum Zwoelferianum*, dum cucurbitæ suus imponatur alembicus rostratus, uti paulo ante dixi.

Quæ habet de *dosi* videantur: *ordo* etiam est satis *clarus*, quem habet. Pro singulis dosibus adduntur sacchari pro gratiâ saporis ʒvi. ad ℥i.

Decoctum usitatum in officinis est

I. DECOCTUM ALTERANS.

Hoc decoctum frequenter adhibetur *loco corporis in Julepis, in febribus malignis & ardentibus*; refrigerat enim ratione hordei, & ratione succi citri simul resistit malignitati. Descriptionem habet AUCTOR. Santalum Rubeum quod ingreditur hanc compositionem, prædicatur inter cordialia & Epatica, & etiam elegantem ac suavem colorem attribuit tali decocto.

II. DECOCTUM ANTIMONIALE.

Ex antimonio crudo cum ingredientibus. De his decoctis superius dixi, quod commendentur talia valdoperè *in lue venereâ* & similibus aliis, ubi habebimus de diætis. AB AUCTORE commendatur *in catharis in scabie* impuriore, aliisque cutis impuritatibus, ratione ligni sassafras. Tale est decoctum pellucidum, quod habebimus ubi de diætis. DECOCTUM ANTIDYSENTERICUM vid. in A.

DECOCTUM CLYMASTICUM.

Non usurpatur internè, tantùm adhibetur *loco baseos in Clysteribus*, de quo ubi de clysteribus.

4. DECOCTUM EPATIS VITULI.

Valde commendatur in *fluxu Epatico* alvi, item in *hydrope* ex imminutâ sanguini, fermentatione, ubi etiam in Hydrope ex nimiâ refrigeratione partium & similibus. Circa finem hujus decocti addit AUCTOR: possunt. h. m. decoqui &c. Nam hoc DECOCTUM PULMONUM cum appropriatis pectoralibus valdè commendatur, *in phthisi & corrosione pulmonum* in *asper tate faucium*, & in specie in *atrophia* ex pulmonum vitio obortâ. Sicum fiunt ex pulmonibus vituli decocta, pari modo etiam possunt fieri ex pulmonibus vulpis, lupi, apri & similibus. *Rejiciuntur* quidem talia decocta *a quibusdam*: Sed hæc res jam non est nostri negotii.

DECOCTUM FLORUM ET FRUCTUUM.

Solet præscribi & adhiberi partim *loco digestivi* ante purgantia: partim solet usurpari *loco corporis pro dissolvendis* Electuariis aut extractis *purgantibus*, & habetur potens digestivo laxativum.

DECO

DECOCTUM HYSTERICUM.

Ab AUCTORE descriptum, cuinam usui inserviat, facilè patet tam examinanti ingredientia, quam legenti quæ infra scripta sunt ab AUCTORE.

DECOCTUM MAIALE.

Ita dicitur, quod soleat tale decoctum præscribi tempore verno in Maio pro curâ præservatoria: unde ipsa constant ex crasin sanguinis corrigentibus. nunc quibusdam laxativo purgantibus. Talia possunt fieri frequenter *pro purificando sanguine.*

DECOCTUM PECTORALE.

Usitatum est in *affectibus pectoris*; Possunt dissolvi in eodem syrupi appropriati; item Electuaria appropriata, tam Alterantia, quam purgantia, pro scopo à Medico intento. *Interdum* ex decocto pectorali *fit Glysma* partim pro infantibus, partim pro adultis, in affectibus pectoris.

DECOCTUM SPLENIS BOVIS.

Ultimo loco descriptum valdè convenit *in affectibus lienis* in ejusdem *scirrho & infarctu*, in *scorbuto & Ictero*, in primis *nigro*. Commendatur specificè in *ciendis mensibus*, in quibus ciendis in casibus desperatis Essentia splenis bovis & decoctum ejusdem sunt egregia.

Præter hæc decocta in officinis etiam prostat DECOCTUM HORDEI Cum C. C. æstum & *calorem* massæ sanguineæ *sedat* & temperat *effervescentiam* ratione hordei, præterea ratione C. C. sensim sensimque *disponit* corpus *ad* lenem *diaphoresin*, quæ unicè expetitur in malignis.

DECOCTUM C.C. CUM RADICE SCORZONERÆ.

in *febribus malignis* solet præscribi.

DECOCTUM PRIAPI CERVI & priapi TAURI in *dysenteria* non minus quàm in *pleuritide* est usitatum. Miscetur commodè cum syrupo de Coralliis Quercetani: Item cum syrupo de Rosis siccis quoniam adstringunt, & acidum dysentericum corrigunt.

Non inelegans decoctum alexipharmacum de C. C. habet SIMON PAULI *Medicus Regis* DANIÆ in παρεκβάσει s. *digressione de febribus malignis*, cujus hæc est descriptio.

℞. *Rasuræ C.C.* ℥ß.
Rad. fœniculi.
Contrayervæ.
Scorzoneræ.
Carlinæ aa. ℥ij.
Sem. aquilegiæ.
Fœniculi aa. ʒj.
Cibebarum exacinatarum s. *passularum exacinatarum* ℥ij.

Coque in s. q. *decocti hordei*, sub finem coctionis adde:

Conservæ Rosarum Rubearum ℥ij.
borraginis.
buglossæ aa. ℥j.
℞. hujus decocti ℔ij adde
Syrupi Rubiidæi ℥ij.
(parum additur propterea, quoniam conservæ & passulæ dant gratum saporem.)

Succi citri ℥j.
Spiritus salis ℈j. vel q. s. m. f. pot.
Corrob. cor. pro plu. dos.

Est elegans in febribus malignis, & ardentibus malignitatem sapientibus.

Post decocta officinalia sequuntur infusa officinalia.

In quibus infusis species infundendæ adsperguntur non raro uti superius monui, cum spiritu appropriato, item cum tincturâ appropriata pro affectu à Medico destinato.

Pertinet huc *Infusum Sennæ & Rhabarbari* grati saporis BARTHOLETI quod describit in *lib. V. de respiratione cap. III. p. 414. b. m.*

℞. *Sennæ sp. Rhabarbar.* aa. ʒj. hæc infundantur in ℥iv. juris pulli vel alterius liquoris convenientis cum suis corrigentibus, inprimus *aromatis* & cum x. vel xii. granis salis tartari, vel, ℈ij ol. ejus p. d., stent ita in loco calido: deinde cola & exprime per linteum, in quâ expressione solve *sachari fini* ℥j, & ita habebis infusionem gratam, & ratione coloris & saporis, tartarus n. duo præstat: extrahit vim purgantem, & saporem ac colorem immutat. [rubrum]

Exempla infusionum quæ habet AUCTOR sunt;

1. INFUSA CHOLO PHLEGMAGOGA.

pro una dosi. Cum attentione hæc sunt perlegenda, ne quis erret in dosi ingredientium. Pensitetur qq. benè vinum purgans pro æstimandis dosibus. Habet qq. AUCTOR vinum aromatisatum s. claretum per manicam Hippocratis.

Pertinet huc quædam *potio vinosa* alterans *ex passulis*, cujus supra feci mentionem.

℞. *Passularum minorum* ℔. ℥xvi. benè abluantur & infundentur in aquæ fontanæ puræ ℔iv. addatur *tartari albi pulverisati*. ℔ß. imponantur simul in B. M., & digerantur benè per 3. horas, removeantur ab Igne, & infundatur fermentum commune nodulo inclusum, ad quantitatem nucis castaneæ, permittentur fermentare moderato calore per 24. horas: hinc ponantur in cellam pro refrigeratione: post 3. vel 4. dies est potus saporis vinosi & mustei, egregiè sitim compescens, propterea *in morbis calidis & ardentibus* egregiè prodest: Possunt præterea addi simplicia morbo appropriata alia pro scopo Medici.

Ad liquores, in quos fit infusio, pertinent etiam

ACETA.

Hinc etiam *fiunt aceta medicata*, si in acet. convenientia vegetabilia s. simplicia infunduntur.

In genere quidem hoc notum est, quod quando à Medico præscribitur acet. intelligatur acet. vini, ceu ex omnibus optimum & convenientissimum.

Hoc tempore *m. ex melle fit* acet. non tamen ita commendatur hoc pro *usu* Medico quam pro *alchymistico*, pro solutionibus metallorum ac aliis operationibus Chymicis.

Aceto, in primis vini, infunditur unum alterumve vegetabile & fit acet. Medicatum.

Quoad modum infundendi observetur *Enchirisis*, quod nempe *ingredientia per parvum* temporis *spatium* in aceto sint *relinquenda*: Flores v. gr. Rosarum Tunicæ, Calendulæ, &c. vix per 3. horæ quadrantes sunt in aceto ponendi: tunc enim, floribus exemptis, novi infundendi, & aliquoties repetendum: fit enim per hujusmodi macerationem, ut partes tantùm volatiles & efficaciores ex floribus deponantur in acet. *terrestrioribus* & crassioribus *relictis*: Quoniam ab his metus est, ne *aceta fiant rancida* & mucilaginosa. *Hoc*, ne aceta ita crassescant, & multum de viribus amittant, *possumus præcavere*, observata *hac enchirsi.*

Quoad

Quoad E. ingredientia variant eadem, & *sunt* nunc aceta *simplicia*, nunc aceta *composita*. Quoad aceta SIMPLICIA est

1. ACETUM ANGELICÆ.

quod fit ex infusione radicis: Commendatur *contra pestem* Cum enim *aceta optimè prosint* in peste, commodè talia aceta adhibentur ex infusione simplicium antipestilentialium.

ACETUM ANTHOSATUM.

prodest in affectibus capitis, in specie in lethargo, & similibus capitis affectibus soporosis & Comatosis.

ACETUM CALENDULATUM.

ex floribus, prodest in affectibus cordis *in syncope hipothymiâ & palpitatione cordis*, in *affectibus uteri* in syncope & hipothymia ex utero, utut aliàs acet. utero sit noxium, uti superius monui sub aceto.

ACETUM CORTICUM CITRI.

Specificatum est in *stomachi affectibus*, imprimis *flatuosis*. item in *peste*. In peste quidem usurpantur talia aceta Bezoardica, de quibus paulo post.

ACET. MENTHÆ.

Ex infusione foliorum, est egregium *in affectibus stomachi* inprimis in *apepsia & appetitu prostrato*.

ACETUM RUTACEUM.

Est unum ex primariis antipestilentialibus uti m. SAMBUCINUM.

Quoad acata COMPOSITA, in usu est.

1. ACETUM BEZOARDICUM s. ALEXICAÇUM.

Qualium acetorum Bezoardicorum & prophylacticorum *varia* & diversæ prostant *descriptiones*: Aliquot videantur in AUCTORE, qui diligenter est legendus pro repetitione materiæ Medicæ, & pro meliori examine proportionis. Talia aceta diversimodè *usurpantur* externè & internè. *Externè in peste*, in *Syncope & Lipotimia*: Item qu. ægri minimum sudant in *febribus malignis* & pestilentialibus. Applicatur cum linteis pulsibus item naribus: attracta enim vis acet per spiritum sensim sensimque alterat massam sanguineam eamque munit quo minus venenum pestiferum possit suam ludere tragœdiam. Conveniunt aceta, ne *in sudore* deficiant ægri. Fit enim non rarò, ut ex nimis copioso sudore oriantur lipothymiæ, syncopes &c. Unde optimum est applicare aceta Bezoardica, quo coaguletur massa sanguinea & ejus crasis restituatur. Temporibus illinuntur & fronti pro restituendis viribus. *Internè* adhibentur pro præservando à *peste*, singulis horis matutinis cochleari vel alterum. In cura *permiscentur* convenienter *cum sudoriferis* appropriatis talia aceta, & ita hauriuntur non sine successu. Nam licet aliàs *acida* soleant *impedire sudorem*, acet. tamen *est de materia volatili*, ut adeò non noceat. His acetis Bezoardicis commodè pro temperamento, in iis inprimis, qui *non possunt perferre aceta*, ut sunt *senes & mulieres hystericæ*, potest addi spiritus Juniperinus, spiritus de baccis sambuci. spiritus corticum citri. Sic n. temperatur vis acet. non tamen tollitur, sed, ne nocere possit corpori, temperatur à spiritu vol. &, magis fit appropriata.

Quod dixi de aceto *carpis & naribus* applicato, propriâ experientiâ confirmat BARTHOLINUS *Cent. 4. obs. hist.* 13. dum *refert*, per acet. rosaceum carpis & naribus admotum, per aliquot dies fugitivæ vitæ remoram injectâ fuisse, se aliquoties vidisse.

Interdum infusione lignorum m. solet fieri *acetum* DIAPHORETICUM elegans, cujus hæc est compositio.

℞. *Ligni sancti* ℔ß.
sassafras ℥ij.
Rad. sarsaparill. ℥j.
Flor. sambuc. Mj.
Passularum major. ℥j.

invisa & contusa coquantur in aqua simplici fontanâ pro decocto usitato, uti solet fieri v. gr. in lue venerea: Vel species cum aceto fortissimo macerentur & coquantur, donec rubini instar tingatur acet. postea filtretur & usui servetur. Cujus aceti dosis est cochlear j. ad cochlearia duo.

Ad decocta, quæ hactenus habuimus, pertinet etiam DIÆTA quam vocant, de quâ satis prolixus est MORELLUS.

Est scilicet *diæta* nihil aliud nisi *decoctum*, paratum *ex ignis* sudoriferis ceu basi, *additis aliis* acet. convenientibus pro scopo Medici præscriptis. Dicitur diæta quoniam usus talis decocti *ad aliquot septimanas* solet continuari, quo tempore imperatur ægris, ut strictissima & accuratissima utantur diætâ, si velint esse liberati à suis morbis chronicis & contumacioribus.

Solet esse in usu talis diæta *in cura morbi Gallici*. Nam *duplex* est *modus curandi* morbum Gallicum, utroque tamen fit evacuando materiam crassam & viscidam, *acidam*, *in quâ* ipsa, ceu causa, fundatur *malignitas luis* venereæ. *Evacuatio* hæc - præmissis universalibus, in primis, per inferiora evacuantibus, *fit per duas vias*. Vel enim *per sudorem* exhauritur venenum viscidum & acidum luis venereæ vel *sub formâ salivæ* copiosissimæ idem profunditur per os.

Modus curandi per salivationem morbum Gallicum *fit per mercurium* & à mercurio: Et *solus mercurius* est, qui adhibetur *pro cienda salivatione* pro curâ luis venereæ. *Usitatius* est *hic modus in Gallis*: in aliis regionibus vix ac ne vix quidem potest usurpari, in primis *in nostris regionibus* septentrionalioribus, *est periculosus*, propterea quoniam in talibus regionibus patientes subinde solent affligi scorbuto, cujus *scorbuti* cum *insensissimus hostis* sit mercurius, metus est, ne si instituatur cura luis venereæ per salivationem materialem, exinde scorbutus fiat efferacior & pejor. Præterea cum in scorbuto non raro soleant affligi dentes, & gingivæ, adeò ut gingivæ sint ulcerosæ & dentes cariosi, & facilè excidant; in salivatione verò mercuriali gingivæ admodum soleant intumescere; imò totum os & totum caput intumescunt, & dentes omnes vacillant; Facilè patet, quod in scorbuticis, si talis instituatur, curatio salivalis sit periculissima, & per se difficillima curatio soleat inducere ulcera gingivarum. Cum E. in Galliis rarus sit scorbutus, & in tota regione raro vel nunquam reperiatur; propterea optimè possunt uti tali medicamento & tali methodo.

Tribus a. *modis instituitur* talis *salivatio*.

1. *Per mercur. intrinsecus assumptum*: v. gr. mercur. dulcis si ad aliquot doses usurpetur, prima die ℈j. altera ʒß. & 3tia ʒ1. 4. vel 5. die subsequetur salivatio.

II. Modus est *per suffitum mercurialem*, institutum per cinnab. Hæc enim cum constet ex Mercurio vivo (uti superius monui) si fiat suffitus, ægro in machina appropriata clauso, per cinnab. candelas vel medicamenta alia facta ex cinnab. fit ut pars Mercurii, per ignem volatisata, subintret ægri corpus omnesque ejus penetret partes, ut post suffitum talem æger incipiat salivare.

III. Modus est *per inunctionem* ex Mercurio, qui cũ ol. Laurino vel pinguedine porcina vel alio appropriato corpore redigitur in unguentum, quod illinitur, plantis pedum aliquoties, vel juncturis pedum & manuum, vel denique illinitur spinæ dorsi.

Uno ex his tribus modis si fiat illinitio Mercurii in loco calido solent intumescere os & gingivæ, & subsequi salivatio.

Hic autem modus curandi luem veneream cum apud Italos, Germanos & alios, non sit usitatus

propterea solent, uti *sudoriferis*, ita tamen, ut *in unâ regione curatio* sit *facilior, in altera difficilior*, Itali longè facilius curantur quam Germani, quoniam eorum corpus est rarum & non adeò succi plenum, uti corpora *Germanorum*: Corporis enim nostri *habitus est crassior*, durior & compactior, & succi sunt magis viscidi & crassi, ut ita *Germani longiorem* & perfectiorem *requirant curationem quam Itali*. Quicquid sit, apud utrosque modus est idem: *Fit* scilicet talis cura per diætam sive *per decoctum sudoriferum*, paratum ex lignis, *præmissis universalibus*, digestivis, & aliquoties per alvum *purgantibus*: item aliquoties *balneo aquæ dulcis tepido* per 8iduum singulis diebus bis reiterato ut aperiantur pori, fundantur crassi succi, attenuantur coagulati, & fiant fluxiles inspissati, ut eò promptius postmodum per decocta sudorifera possint expelli & evacuari. Præmissis hisce satis, instituitur curatio per diætam s. sudoriferum, dum *ægri* scilicet singulis matutinis horis, vel *singulis diebus bis*, manè & vesperi ante pastum *accipiant* ℥vj. vel ℥viij. pro varietate circumstantiarum, talis *decocti* sudoriferi ex lignis, & post haustum istius doseos copiosus *elicitur sudor*. Qui sudor nunc longius nunc brevius *continuandus*, pro varietate. & *ratione ægri*, interdum sufficiunt 7. interdum 14. dies, interdum ad 3. vel 4. septimanas talis evacuatio instituitur per sudorem.

Interea temporis, *utitur* æger *alimentis assis*, non elixatis, datur *pro potu decoctum secundarium*, elicitum ex lignis, quod vocatur BOCCHETUM, ex remanentia post decoctionem primam. Et dum fit curatio per sudorem, interpositis *diebus* 3. *ve*. 4. instituatur *lenis evacuatio*, & qu. talis fit evacuatio, per diem solet cessare æger ab usu decocti sudoriferi.

Quæ sint *ligna sudorifera*, notum est iis, qui habent notitiam materiæ Medicæ, & repetierunt, quæ dixi superius de ligno Guajaco, sassafras &c. ubi monui, quod quoniam sunt exotica, commodè possint *substitui* lignum *Juniperinum*, lignum *buxi* &c. istis lignis & radicibus sudoriferis.

Decoquuntur in aqua simplici habitâ hâc *proportione*, ut ℥j. ingredientium talium lignorum respondeat ℔j. aquæ, ut quidem decoquntur sæpius ad *absumptionem 3tiæ partis*, interdum usque ad dimidias: ex eo, quoniam talia ligna & tales radices sunt compactiores & duriores, & non possunt facilè penetrari ab aqua, neque facilè exhauriri decoquendo earum virtutes, propter quam rationem etiam solet præmitti maceratio in aqua calida per 24. horas, sive per diem ac noctem, ut quasi mollefacta; promptius decoquendo subministrent suas virtutes isti menstruo.

Decoquuntur E. ita ligna, & decoctum hauritur pro potu sudorifero; Istud, *quod remanet* ex tali decoctione, assumitur, & *denuo additur* ℥j. vel ℥ij. de quodam simplici sudorifero, unà cum passulis & radice Glycyrrhizæ, *& coquuntur denuo* in aqua simplici: & hinc colatur per manicam Hippocratis, & fit decoctum istud, quod vocatur BOCCHETUM, destinatum pro potu ordinario.

Ut dem *exemplum*: Decoctum sudoriferum *simplex* usitatum *in lue venerea* sit tale: quod etiam habet HORSTIUS *in obs*.

℞. *Ligni Guajaci* ℥vj.
Cortici ejusdem ℥iß.
(℥ß. enim hujus plus facit, quam ligni ℥ij. quod observetur in præscriptione corticum)

Rad. sarsaparill. ℥ij.
Aqua communis, mensuras VI.

assumendo pro mensura j. ℔iij. medicinales Fiat decoctio ad medietatem pro decocto sudorifero.

Possunt etiam species has decoquere multoties.

℞. *Remanentiam decocti* hujus superioris, adde.
Ligni sassafras ℥j.
Passul. minorum ℥iß.
radic. Glycyrrhiz. ℨvj.
Mensur. aqua vj.

decoquantur ad absumptionem 3tiæ partis: Colentur per manicam Hippocratis, & sic fit bocchetum pro potu ordinario: Sin verò non velimus trajicere per manicam Hippocratis hoc posterius, addimus in fine decoctionis hujus aromata: v. gr. in fine decoctionis posterioris addantur.

Seminis anisi ℨiij.
Cinnamomi ℨvj.

& ita non opus est, ut fiat trajectio per Manicam Hippocratis.

Hic est *modus præscribendi* decocta sudorifera Observatur proportio I. Corticum & lignorum, deinde proportio liquoris, Videndus qq. venit MORELLUS, qui in his declarandis, est satis fusus Hujus decocti hauriuntur ℥vj. VII. aut VIII. ut fortis sequatur sudor.

Si non velimus tantum haurire, *possumus instillare Essentiam lignorum* ad aliquot gutt. aut ℨj. vel singulis haustibus instillare *spiritum lignorum* ad s. q. item singulis dosibus posset instillari vel 7*inct. antimonii*, vel *Essentia viperarum*, vel etiam potest misceri cum singulis dosibus hauriendum *sal. vol. viperarum*, & alia medicamenta sudorifera, in tali casu experta. HORSTIUS solet admiscere aliquot grana *sulphuris aurati antimonii diaphoretici* singulis haustibus hujus decocti.

De modo vivendi superius monui & potest etiam videre idem in MORELLO: item quod sit interea temporis post 3. vel 4. dies instituenda purgatio, quo die desistendum est à potu sudorifero.

Debet fieri hæc *purgatio* per medicamenta evacuantia appropriata qualia sunt mercurius & *antimonium*. Certum enim est, quod *non detur appropriatius* remedium pro cura morbi gallici *quam mercurius*,

Potest E. pro purgante interjecto talis fieri formula.

℞. *Extracti catholici*.
mercurij dulcis. ana ℈j.
gummi guttæ gr. vi.
c. s. q. Syrupi appropriati.
F. l. a. pilulæ: vel

℞. *mercurij dulcis* ℈j.
diagrydii præpar gr. vj.
Conserv. rosar. ℈. ℨ.
M. fiat Bolus.

Et *cum* tales ægri sunt *difficilis purgationis*, interdum *augenda dosis*, ut.

℞. atur *mercurii dulcis* ℨ. ß. &
diagrydii X. & c.

Conserva appropriata in Bolum redigatur Permisceri etiam possunt cum ℨ ß. mercurij dulcis gr. VI. vel VIII. mercurij vitæ, & benè teri: sic enim sequitur fortis purgatio per inferiora.

Hæc *cura* per reiteratum haustum de cocti sudoriferi & per interjectam per mercurialia evacuationem *continuanda* est tamdiu donec æger antiquam sanitatem suam feliciter obtinuit.

Hic *modus præscribendi* decocta sudorifera pro diætâ est omnium *simplicicissimus*. Moderni ZUDOELFERUS & PERICARDIUS etiam *addunt mercurium vivum & antimonium crudum*: duo hæc singulatim ligantur in petiâ & suspenduntur in decoctum sudoriferum, dum fit decoctio, & *ita* propinant tale decoctum, ceu

ceu *magis efficax*, & magis appropriatum remedium.

Decoctum sudoriferum ZUVOELFERI est tale.

℞. *Ligni sancti*. ℥vi.
Cortic. Ligni sancti ℥iij.
Ligni sassafras ℥ii.
Mercurii vivi ex cinab. nativa vel
Mercurii resuscitati : (modum dedi supra in petiâ ligat. ℔j. ubi de antimonio)
Antimonii crudi & integri in petia ligat. ℔j.

Coquantur in ollâ cum aquæ mensuris Xij. ad 3tias : prius verò etiam inde ollæ.

Pumicis lapidis ℔j.

Coletur postmodum, & de colaturâ detur singulis horis matutinis ℥vj. pro potu sudorifero, per 14. dies & ultra. Quod remanet coque iterum cum aqua & uvis passis & coriandri præpti ℥ij. & detur pro potu ordinario s. bocheto. Delicatioribus hoc bochetum potest præparari etiam cum rad. chinæ, quæ saporis est suavioris & elegantioris.

Hic est *modus præscribendi* decocta sudorifera *modernorum* c. antimonio & mercurio. Modus *utendi* est *idem* cum modo veterum, saltem, uti dixi, moderni solent instillare Essentias appropriatas, Tincturas, l. Extracta & similia singulis haustibus pro promovendâ haustuum virtute sudorifera.

Interdum à quibusdam unà cum lignis *solent addi alia* ingredientia, nunc pro scopo *alterante*, nunc *evacuantia* per inferiora, utut modus talis apud modernos ferè in desuetudinem abierit. Nihilominus tamen, apud quosdam adhuc est in usu. Et quidem qu. instituitur talis *diæta sudorifero-evacuativa*, vel sudorifero-*alterativa*, non tàm *instituitur* pro curâ luis venereæ, quam *pro curandis* aliis *morbis contumacioribus* : In febribus *quartanis* diuturnis, uti & aliis solemus ut talis diætâ compositâ. Item in *affectibus pectoris*, in specie in *phthisi*, uti etiam in copiosâ lympha acri, irrigando pectus inducente Tusses, asperitates faucium & similes affectus, solent talia fieri decocta ex lignis & plantis pectoralibus, & solent esse usitata in curâ phthisicorum Galenicâ.

Interdum talibus decoctis solent permisceri *purgantia*. Cum autem, non possint perferre longam coctionem, propterea *in fine adduntur* purgantiâ, *ne* eorum *vis evaporet* in diuturna coctione : Et quidem in talibus diætis pro purgatione *supputandæ doses*, pro quibus præscribuntur talia decocta, & cum iis supputandæ Doses purgantium, ut sibi invicem respondeant, sicut fieri dixi in aliis decoctis catharticis.

Decocta similia lignorum *sudorifera pro morbis pectoralibus* & pro *alis* contumacioribus, fiunt, qu. decoquuntur cum lignis simplicia appropriata morbo : & quidem inprimis solent decoqui sub finem decoctionis lignorum, qu. ferè absoluta est coctio, tunc injiciuntur simplicia alterantia, ne diuturna coctione eorum vis pereat.

Talia decocta ex lignis cum appropriatis, instituuntur *in affectibus Cattharalibus* : item in *cura arthritidis* : in præservatione ejusdem singulis autumnalibus & vernalibus temporibus, repetitur usus talis decocti Sudorifero cathartici, vel alterantis. Imò ex methodo Galenicorum in *quam plurimis aliis* affectibus solent præscribi talia decocta, sudorifero-alterantia.

Sic v. gr. contra *phthisin*, in qua simul est Tussis, copiosum sputum, & lympha abundans acida, præscribo tale.

℞. *Rad. Chinæ in taleolas incisæ* ℥ij.
flor. papav. rhæadas.
Betonicæ.
Scabiosæ ana Mß.
passularum Majorum enucleatarum minorum ana ℥j.

Coquantur in s. q. aquæ simplicis : Colatura edulcoretur syrupo flor. papav. Rhæad. & trajiciatur aliquoties per manicam Hippocratis pro clareto contra phtisim & contra Tussim.

Pro *Catharris* potest fieri simile decoctum ex ligno *sassafras*, quod est *appropriatum alexipharmacum* Catharrorum. h. m.

℞. *ligni sassaphras rasi* ℥ij.
infunde in s. q. Aquæ *flor. papav. Rhæad.* & *Betonic.* stent in infuso per 24. horas in vitro clauso in loco calido, postea coquatur, sub finem decoctionis adde.

Flor. papav. Rhæados piij.
betonicæ pij.
Herbæ serpill. Mij.

coquantur & colentur : Colaturæ adde
Syrup. de hyssop. q. s. m. f. decocto pro catharr.

Cœterum diætæ contra luem Gallicam sunt rariores nostro tempore : Legatur interim cum attentione caput MORELLI de diætis quoniam non ineleganter est conscriptum, uti subsequens in quo habet de Bocchetis.

Decoctis vicinum est quod Vocatur decoctum galli.

MORELLI CAP. XIV.

De decocto galli cum.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

NOMINIS ratio plana. Inventio verò veterum fuit Usus recentioribus hodie admodum confirmatus. *Est autem* DECOCTUM GALLI *Jusculum quoddam & gallo vetere & sudorificis quibusdam alterantibus, vel etiam num catharticis, ad alterandum vel purgandum comparatum* hinc *duplex* decoctum ejusmodi *alterans* vel catharticum.

DECOCTUM GALLI ALTERANS.

In ALTERANTE considerantur *materia* proximè & *aliquor*. In utraque *qualitas* & *quantitas*.

Quod ad MATERIAM, ratione QUALITATIS, *Gallus vetus* pro basi, veluti assumitur. Huius venter farcitur deinde, vel etiam ad finem tantùm decoquuntur alia, quæ sunt tùm *sudorifica* passim, ut *China*, *Salsaparill. Sassaphr.* sola mixta, in asthmate & melancholia hypochondriaca, usitatissimè præscribenda, tum *alterantia* rad. fol. sem. fructus. plura, pauciora.

Quod ad QUANTITATEM, *Sudorifica* ad ℥ij. præscribuntur ; *Alterantia* verò dosi fere Apozematis Alterantis paulò minore.

LIQUOR, ratione QUALITATIS, passim *Aqua*.

Ratione QUANTITATIS, q. s.

USUS quod ad QUANTITATEM, ad ℥vj. vel viij.

Quod ad TEMPUS, manè continuando per 15. dies, vel spatium mensis unins.

Hæc autem FORMULA. ℞. *Gallum veterem rufum, decrepitum: vel 4. aut 5. annorum, cursu, verberibus fatigatum, deplumetur vivus, juguletur, & exenteretur, hujus venter repleatur sudorif. fructibus, seminibus dictis consuatur, coquatur deinde in olla vernisata, vel stannata, cum aqua sufficienti quantitate perfectè, donec carnes contabescant & separentur ab ossibus, ubi autem jusculum despumatum fuerit. adde radic. &c. sub finem verò decocti, folia, flores, &c coquantur, usque supersint jusculi* ℔iii. *exprimantur fortiter, colentur, servetur decoctum in ampulla vitrea, in loco frigido, omni pinguedine detractâ ; cape de co jusculo* ℥viij. lib. ß. *mane, addendo si volueris, maxime in affectibus thoracis, Sacch. vel Syrup. idonei* ℥j. *continuando per* 15. *dies, vel spatium mensis unius.*

UTILLITAS summa in obstructionibus contumacibus, hinc passim præscribitur in melancholia hypochondriaca, in qua usitatè adsumuntur pro ejusmodi jusculo, *Radic. Petrosel. Cichorii, Gram. Aspar.* folia *Caterach, Meliss. Bugloss. Pimpitell. Agrim.* Uvæ *Corinthiacæ* : aliquando *China* & *Lignum sassaphr.* in quavis etiam pertinaci viscerum opillatione ; item & in affectibus pectoris, asthmate

præsertim, ad quæ usitatè china ferè usurpatur, cum fructibus thoracicis, in doloribus arthriticis cum ligno *Sassaphras*, pallidis coloribus, &c.

Decoctum Galli purgans.

Non differt à superiori, nisi quòd præter dicta adduntur etiamnum cathartica ferè hæc: *Senna*, *Polyp. Carthamus*, horum an. ℥ij. ℥iiß. *Agarici* ℥j. *Epithymi* tantundem quæ ventri Galli includuntur, præscribiturque, fiat decoctum ad lib.ij. in quo *Sacchar.* dissolvitur si volueris, ad ℥iiij. aromatizaturque etiamnum pro 4. dosibus, matutinis, singulis mensibus usurpandis.

Hujus USUS & UTILITAS, præcipuè & passim & in melancolia hypochondriaca, obstructionibus viscerum, pallidis coloribus, arthritide, colicâ, vix autem usurpatur in astemate.

DECOCTUM GALLI,

Veteribus magis *in usu* quam modernis, quoniam tale à ZUUOELFERO non sine ratione est *rejectum* & ridicula ejus compositio detecta: ut tamen sciamus, quid voluerint veteres. Decoctum *fit ex Gallo* pro basi. Recipiunt gallum veterem, quem interficiunt cursu & verberibus agitatum: hunc *exenteratum implent vegetabilibus appropriatis*, & quidem, si debet esse sudoriferum, implent herbis & lignis sudoriferis, si debet esse alterans, implent vegetabilibus alterantibus, scopo prædestinato convenientibus: infarctum denuo consuunt, & *coquunt in aqua appropriatâ* tamdiu, donec caro abscedat ab ossibus galli: decoctum *percolant* & colaturam *servant* pro usu, cujus dosis est ut semper assumantur ℥vi.

Interdum loco alterantium insuuntur purgantia, & ita fit *decoctum Galli purgans*: In quibus præscribendis eadem observanda dosis, & supputanda c.s.q. liquoris, in quo debet coqui gallus, atque factum fuit in decocto simplici purgante.

Tale decoctum Galli veteris à veteribus solet usurpari *in morbis chronicis*, *malo hypochondriaco Cachexiis* & aliis, pro alterantis sensim sensimque humoribus, & temperanda eorum acrimoniâ.

Cæterum talia decocta *sunt* valdè *ridicula*: recipitur Gallus *decrepitus*; cur non potius junior, cum hujus decoctum sit magis nutriens quàm veteris? 2. decoctum Galli, *si* ad aliquos dies *stetit*, *incipit acescere*, & hinc plus nocet quam prodest. Hinc pinguedo quæ est in decocto, & partes quæ separantur potum dant ingratum, & quæ sunt alia vitia, quæ perstringit in decocto Galli ZUUOELFERUS, qui vid. *in animadversionibus*.

Vicina ferè sunt decoctio Galli, juscula alterantia & quæ vocant consummata.

MORELL. CAP. XVI.

De Jusculis.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

SÆPIUS etiam Medicis JUSCULA præscribenda, hoc fine, ut alterando simul nutriamus, & vis medicamentorum hac ratione hauriatur avidiùs à partibus ipsis, sub specie alimenti, atque ipsis minùs sint molesta.

Sunt autem *Alterantia*, vel *Restaurantia*.

ALTERANTIA varie fiunt pro scopo Medici, cum pullo sæpiùs, ut Monspelii usitatissimè jusculum pulli, alteratum foliis hepaticis, & radicibus etiam frigidis in febribus. A Medicis minutim non præscribuntur, imperatur tantùm, *utatur jusculo pulli alterato foliis talibus*, *&c. duobus, tribus, quatuor manè vel etiam circa vesperam: in calidis morbis maximè usitata.*

RESTAURANTIA, ad vires instaurandas comparata, quæ aliàs ab actionis modo, & consumptione *Consummata* appellantur, *Fiunt ex Gallina pingui* (vel Capone exenterato,) *qua in partes minutas concisa, in olla vernisata, vel alembico conclusa accuratè, ne quid expiret, coquitur in Mariæ Balneo ad putrilaginem; colantur omnia, succus exprimitur, ab eo pinguendo separatur, asservaturque in ampulla vitrea ad usum, in loco frigido: in hoc jure al quando & passim alia dissolvuntur, in ejus nempe libris singulis, vini albi si scopus ferat, vel succi cardiaci, aut liquoris idonei* ℥iij. *sacchari* ℥ij. *cinamom. & confect. alkermes* ʒj. *Fervent omnia, dum saccharum dissolutum fuerit, colantur, servantur ad usum.* Frustrà qui auri folia, & ad pompam sine fructu, in ejusmodi consummatis jusculis usurpant. a

USUS qui destillati. UTILITAS eadem, nisi quod ejusmodi consummata sint πολυτροφα, & solidam ipsam substantiam copiose resarciant, nutriantque.

A *Huc & jusculum spectat quod contusum dicitur, cujus præparationem vide in Medicinâ nostrâ.*

JUCULA ALTERANTIA, quæ vocant consummata, scil. coquunt pullum vel Gallum, una cum quibusdam plantis alterantibus, & talia juscula postmodum propinant. Et quidem præscribuntur talia juscula inprimis *in declinatione morborum chronicorum*, inquibus ægri valdè sunt debilitati, pro rectificandâ Massæ sanguineæ crasi, & naturali temperie sensim sensimque restituendâ.

Modernis est in usu ut *præscribant* ægris *species decoquendas cum* tali *gallina* vel pullo. Sit verbi gratia, parandum tale jusculum *post* declinationem *Febris 3tianæ curatæ*, ex cujus diuturnitate & contumaciæ incipiat fieri æger *Cachecticus* h. m.

℞. *Herb. Endiv.*
Cichocii.
Lactuc. ana M ß.
Rad. Cichor. ʒvj.
Sem. anis.
Fœnicul. ana ʒj.
Flor. Cordial. ana pj.
M. D. S. Species pro juscul. gallinac.

Coquantur cum pullo, & jusculum commodè in pastu ab ægro assumatur pro leni ac blando alterante.

Pertinent huc *Iuscula consummata* aut etiam JUSCULA RESTAURANTIA ita dicta à restaurandis viribus & à consummatâ virtute nutriendi.

Fiunt hæc juscula apud nos *ex Gallinis pinguibus* & benè nutritis: in aliis regionibus fiunt ex *caponibus*. Has Gallinas aut capones exenterant, & postmodum contundunt omnia ossa & carnem, & ita *coquunt* in BM, aut more consueto alio in aquâ, tamdiu, donec caro abscedat ab ossibus, & virtus nutritiva ac restaurativa gallinæ omnino sit deposita in aqua in quâ coquitur, postmodum *addunt vel* ℥ias aliquot *vini*, vel *Saccharum*, imò sub finem interdum *Cinnamomum*, aut *Caryophyllas* aliave aromata, postmodum colant ac servant ad usum. Hujus jusculi consummati aut restaurativi *usus* est *in ægris debilibus*, & qui non possunt coquere solidiores cibos *pro nutriendo corpore*, refocillandis viribus, & ne stomacho nimius fiat labor in concoquendis alimentis solidioribus. Raro parantur talia juscula nisi à mulieribus.

Pertinet huc DESTILLATUM INSTAURANS, in quo ipso etiam magna simplicitas veterum est observanda.

MORELLI CAP. XV.

De destillato instaurante.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

VBI ægrotantes, propter vires summè attritas à morborum vi, longitudine, aut evacuatione insigni, quosvis alios cibos difficulter & digerunt, & in deperditorum spirituum locum restituunt, aut etiam alia quævis cum nausea recusant, vires tamen & augeri instaurarique, & conservari debent, usitatè hodiè passim Aqua destillata ex carnibus euchymis, & πολυτρόφοις, præscribitur, ex recentiorum invento, quam ab affectu *Destillatum restaurans*, sive *instaurans*, ut aliquando, à materia præcipuè usitata, *aquam caponis* appellant.

Est autem DESTILLATUM INSTAURANS, *aqua destillata, sive liquor per alembicum elicitus, vi & facultate carnis, caponum maximè, alimentaria, & medicamentosa simul conservarum, pulverum, aquarum, succorum variorum, imbutus, ad vires spiritusque resarciendos maximè comparatus.*

In COMPOSITIONE duo maximè considerанda, *Materia* ex qua, & *Dissolvenda*.

Quod ad MATERIAM, erit ea duplex, una est, *Alimentaria*, altera *Medicamentosa*.

Quod ad *Alimentariam*, ratione QUALITATIS; & QUANTITATIS, etiamnum usitate *Capo* optimus assumitur, (potest & *Gallina* assumi) isque solus, vel etiam ipsi una *Perdix* additur, aut *Armus vitulinus*. ut & si ejusmodi destillatum pro hectico & phthisico instaurando præscribatur, *Caro testudinis* nemoralis unius, duarum; *coxæ* etiamnum aliquæ *Ranarum* usitatè præscribuntur.

Hæc materia, alimentaria coquitur in aquæ s. q. adduntur que ipsi (pro *Medicamentosa*) variæ stirpium partes, (ut vulgo etiam in jusculis condiendis alterandisque fieri solet,) *rad. fol. sem. flor.* gratiora fere odore, sapore, quæ affectum, causam istius dissipationis virium, maxime respiciunt, idque dosi ferè Apozematis alterantis, paulò tamen minore, quâ ratione, & virium instaurationi, & alterationi simul unâ & eadem operâ consulitur. Ubi omnia sunt percocta ad putrilaginem, ut carnes ab ossibus abscedant, colatur jusculum, reliqua fortiter exprimuntur, & ubi omnia fuerint refrigerata, concreta in superficie pinguedo aufertur.

Serveturque jusculum, *materia propinqua* futura destillati, quod comparatur ex hujusce *juris* ℔iij. iiij. *Aquar. cardiac. idonearum* ℥viij. xij. in quibus miscentur posteà *Conservarum*, *Conditurarum* idonearum, ℥iiij. v. vj. (aliquando & *Confectiones* assumuntur; ut alkermes in summâ debilitate, ut & *Theriaca* ubi malignitas; ad ʒiij. ℥ ß.) *Pulverum cardiacorum* simplicium, vel *Electuariorum officinal.* ut diamargarit. frigidi ℥ß. ℥j. ubi minùs pretiosi.

Ubi notandum obiter est, frustrà *Perlas, Fragmenta pretiosa, Bolum, Terram sigillatam, Auri folia*, & similia admisceri: quandoquidem in ejusmodi destillatione levi, per balneum Mariæ, nullam de se vim energeticam seu spiritum efficacem dant; cùm nec urgentiore calore vix haberi possit, eoque sicco, adhibitâ etiamnum diligentissimâ præparatione. Ista omnia permixta alembico committuntur, destillanturque posteà in balneo Mariæ, ut vocant.

Obiter nota, quod si *ambræ* vim, vel *moschi* desideres, hæc ad gr. v. vj. ℈ß. in nodulo ligata, & alembici naso alligata, esse appendenda, ut liquor transiens eorum vim secum ducat, quæ hac ratione commodiùs & certiùs habetur, quàm si cum aliis permisceas. Liquor destillatus in ampulla vitrea in loco frigido asservatur.

DISSOLVENDA licet rariùs usurpantur, tamen & aliquando *Succi* idonei cardiaci, ut de *limonibus*, in febribus, *granatorum acidorum* utiliter ad ℥iij. ℥iiij. pro liquoris destillati quantitate dissolvuntur, licet cum jure caponis & aquis cardiacis ante destillationem possint permisceri.

USUS. Quod ad *Modum*, vel per se ex cochleari usurpatur liquor ejusmodi destillatus, vel jusculis aliis, aut panatellis dissolvitur.

Quod ad QUANTITATEM, ad ℥j. ℥ij. ℥iij. assumitur.

Quod ad TEMPUS, ad lubitum; idque ter, quater, vel sæpius in die.

FORMULA. ℞. *Carnem Caponis unius optimi, vel Gallinæ*, (unâ cum carnibus aliis, ut dictum) *dissectam, ab ossibus vel pinguedine saltem purgatam, pone in olla vernisata, cum aquæ s. q. coquantur, addendo sub finem radic. &c. hoc est alterantia; ubi omnia fuerint ad putrilaginem cocta, colentur, exprimantur fortiter, pinguedine omni ablatâ, cape de hoc jure* ℔iiij. ℔. v. *cui adde (conservas, &c.) destillentur omnia in balneo Mariæ; liquor exceptus reponatur in ampulla vitrea in loco frigido, de quo capiat, &c. per se ex cochleari, &c.*

UTILITAS eadem quæ analepticorum, ad vires nempe, spiritus subitò instaurandos reficiendosque, à morbi diuturnitate aut inedia, vel vacuatione nimia absumptos exhaustosque: partium nobilium robur languidum recreandum: in quibusvis affectibus sive cordis, sive partium aliarum, non tantùm calidis, ferè usitatum, sed & frigidis, vulgaribus, malignis, febribus continuis, hecticis, phthisicis. In *summa*, ubi vires effœtæ admodùm & languidæ quævis alia alimenta ad vitæ conservationem non possunt digerere; resarciri tamen volunt subitò, unde & destillata ejusmodi restaurantia ad vires recreandas, & spiritus reparandos, potiùs, quàm ad nutriendum firmiter & solide, compara.

Recipiunt Gallum vel Caponem Veterem, quem benè contundunt, & addunt simplicia *vegetabilia* & similia appropriata verbi gratia Conservas, succos, &c. hæc invicem c. sc. q. aqua perfundunt, indunt BM. & ita *destillant*, & vocant *destillatum instaurans*, ex eo, quoniam putant, quod vires medicamentosæ Galli aut caponis adscendant per alembicum.

Quidam decoquunt nudè cum radicibus, destillant per alembicum, pro destillato instaurante. Addunt interdum alia pro scopo intento. In destillato hoc magna veterum elucet simplicitas, cum sufficienter demonstratum sit à modernis, quod vis alterans & instaurans carnium non adscendat per alembicum ex animalibus, sed nudum phlegma. Laboriosum & *pretiosum est* hoc destillatum, d. simplex, & *nullius momenti*: vid. SENNERTUS in *institut.* & ZUUOELFERUS *in animadvers.*

Iterim tamen *non confundenda* sunt cum *hoc* destillato *aqua destillata ex Cochleis*, aquæ destillatæ ex *testudinibus* & ex *porcellis junioribus*. Tales enim aquæ imprægnatæ sunt subtili sal vol. temperato: propterea conveniunt *in atrophiâ & Hectica*, quatenus beneficio salis temperati blandè absumunt & corrigunt acidum vitiosum hecticorum in partibus solidioribus residens. Huc pertinet *aqua destillata ranarum.* Has aquas non volo intellectas, qu. rejicio destillatum instaurans. Vid. de destillato restaurante, decocto Galli & jusculis MORELLUS: ut ut apud modernos ferè exoleverint, nihilominus legenda sunt, ut sciamus in lectione Auctorum, quid sibi velint cum his destillatis & decoctis.

Habuimus hactenus decocta & Infusa Galenicorum cæterum cum talis medicamenti forma non sit præscribenda ad longos usus, propterea quoniam facilè fermentationem concipit, putrescit & vitium contrahit.

Ut E. talia conserventur, & à putredine præserventur, Galenicæ Scholæ ea miscent cum saccharo ad consistentiam talem, quo præserventur à putredine & fermentatione, & talis liquor saccharatus vocatur tunc temporis.

MORELLI CAPUT IV.

De Syrupo.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

SIMPLICIA varia, herbæ radices, semina, fructus, flores, & cætera, aut horum Succi, urgente necessitate, semper, quovis tempore, hyemis & autumni præsertim, non prostant, ex quibus decocta, infusa, aut alia medicamenta parentur, aut etiam satis integra, vel viribus indelibatis semper asservari diutiùs non possunt, sine labe, vel si suppetunt intemerata, affectus urgentia, aut alia incommoda non dant perpetuò illas inducias, quibus facilè aut promptè apparari possint utiliter in varias formas, aut facultates

eorundem elici: Syruporum occasio hinc & necessitas? vires stirpium namque diversæ sic asservatæ, reconditæque, sacchari vel mellis beneficio, forma syrupi, premente necessitate in promptu ad usum præstò sunt, explendis indicationibus variis, eæque integræ sine vitio conservantur, saporis gratiam habentes sibi comitem, ita ut syrupi sint conditura veluti quædam liquoris medicati, succi, decocti, infusionis, in quorum sinu latent medicamentorum facultates.

Syrupus autem Arabum medicorum inventum est, & Græcis veteribus vix innotuit: *Oxymellitis* solius, & *Mulsæ* mentio apud Galenum, & Hypocratem, quorum exemplo Mauritiani suam Pharmaceuticam Syruporum supellectile varia exornarunt. Recentiores Græci, ut *Actuarius*, *Serapinm* vocant eum.

Nominis verò rationem, alii Græcam faciunt, quasi τῆς ξηρίας ὀπ., alii Arabicam; sed res est non magni momenti.

Quidquid sit, sumitur hodie etiamnum *Syrupi* nomen, vel *propriè*, pro eo, quem describemus, & qualis passim varius extat in officinis, vel *impropriè*, pro decocto humores coquente, seu Apozemate, ut Rondeletius & Joubertus scripserunt, vel pro Julepo etiam alterante, ut & hodiè passim in italia *Serapium* appellant, quòd fortè Juleporum basis syrupus, Monspellii vero jam

SYRUPUS est medicamenti forma fluida, ex decocto, vel succi, aut infusione conflata, saccharo, vel melle condita, atque in eam consistentiam cocta: ut gutta in marmore non diffluat, ad alterandum, vel purgandum, comparata.

Duplex statuitur in præsentiarum: *Alterans*, qualem veteres, & nuperrimi ævi Medici maximè usurparunt, *&* *Purgans.*

Syrupus alterans.

ALTERANTIS SYRUPI *definitio* repetenda ex iis, quæ suprà diximus in Apozemate alterante, ut & *differentiæ* ibidem relatæ.

Est autem lucidioris methodi, usus, præscriptionis gratia *Officinalis & Magistralis.*

OFFICINALIS *seu* USUALIS est, qui passim prostat apud Pharmacopœos, cujus hic mentionem faciemus, quia in ejus usu, & ratione præscribendi, multa occurrunt scitu necessaria, post deinde enumeranda.

Hic autem variè *dividitur*, tum ratione virium, tum ratione compositionis.

Differentiæ sumtæ à viribus, considerantur VEL *In genere*, quod alius sit *calidus*, *frigidus*, *humectans*, & *siccans*, *temperatus.* VEL *in specie*, respectu ad *humores*, aut *corporis alias partes.*

Ratione Humorum, nos alterat VEL *in Primis*, quò, pro ipsorum specie varia, pertinet Alterans, coquens, Digerens, Præparans bilem, pituitam, melancholiam, sanguinem; VEL *in secundis*, quo sensu continetur Incidens, Attenuans, Incrassans, Detergens, Adstringens: VEL *in Tertiis*: quò referuntur Bechici, Lenientes, Expectorantes, Diuretici, Sudoriferi, Saxifragi, Menagogi, Pycnotici, Alexiterii, Corroborantes.

Ratione partium, quas proprietate magis affectant, alii Cephalici, Cardiaci, &c. *quos in materia medica penu licebit inquirere.*

Officinalium divisionem proponemus jam secundùm compositionem & facultates, secundùm genera solummodò consideratas: quia reliqua ad materiam medicam spectant magis: usitatiorum catalogum simul exhibituri, & quia alii hîc in usu sunt, qui alibi obsoleti, & contrà, nec idem apud omnes in usu numerus, notandum erit obiter, quibus affixus erit astericus, illos Monspelii ex recepto more usitatiores esse.

Syrupus officinalis alterans, componitur vel ex I. Succis solis, *& hic vel est* Temperatus, *de Succo borraginis h* * *de Buglossa*, * *Byzantinus Mesuai*, *de Fumaria simplex*, *Oxymel simplex* Refrigerans, * *Acetosus simplex*, *seu oxy-saccar.* * *de Agresta*, *seu de omphacio*, *acetosæ succo*; * *Alexandrinus*, *seu Julep. rosatus*, *de Acetositate citri*, *Berberis*, *id est oxyachantha*, * *Cydoniorum*, *Chicorii succo*, *Endiviæ succo*, * *Granatis acidis*, *Granatis dulcibus*, * *Limonibus*, * *Pomis redolentibus*, *Ribes. Violarum.* Calefaciens, *de Betonica simplex*, *Miva cydoniorum* moderatè, *Miva cydoniornm aromatica*, *Oxymel scylliticum*, moderatè.

II. Infusione, *estque* Refrigerans, *de Nymph. simpl. Papaveris rhœas*, *de Rosis siccis.*

III. Decocto, *estque* Refrigerans, *de Cichoreo compos.* * *de Jujubis* moderate, *h.* * *Papaveris albi*, *h.* Calefaciens, *de Althea Fernelii*, *de Betonica compositus*, *de Corticibus citri*, *de Calamintha*, *Hyssopo*, *Prassio*. *Duabus radicibus*, *quinque radicibus*, *de Stœchade*, *de Tussilagine*, *h.*

IV. Infusione facta in Succis *&* Decoctione *simul estque* Refrigerans, *Oxysacch. compos. de Portulaca*, Calefaciens, * * *de Absynth.* * *Mentha*, *Oxymel comp.*

Liquore alio *&* Decoctione, *estque* Temperatus, * *Capillorum veneris.* Calefaciens, *de Arthemisia.*

V. Decocto *&* Succo, *estque* Temperatus, *Byzantinus compositus.* Refrigerans, *Acetos. comp. de Endivia compositus*, * *Martinus*, *de Nymph. compositus.* Calefaciens, *de Eupator. de Fumar. compos.*

Cæterùm, ut ex his simul elucescit, quomodo se habeant syrupi alterantes in primis qualitatibus activis, ita & notes obiter, ratione passivarum omnes exsiccare simul, paucos verò quibus affixa litera *h.* humectare, quàm autem ex his partes varias respiciant, aut humores diversos concoquant, ex materia medica repetendum.

MAGISTRALIS est, *qui in rem præsentem*, *ex paucioribus*, *aut pluribus simul*, *pro indicationum varietate*, *quibus satisfaciant*, *à Medico recenter præscribitur.*

Hujus *divisio*, ac *differentiæ*, ex illis quæ in syrupo officinali, tum suprà in Apozemate alterante, diximus, petenda.

In COMPOSITIONE ejus quatuor consideranda, *Materia* ex qua, seu *Liquor*: *Dissolvenda*: *Clarificatio*: & *Aromatizatio.*

MATERIA ex qua ratione QUALITATIS duplex est, *Remota*, simplicium scilicet variæ partes, dictæ in Apozemate: & *Propinqua* triplex, *Decoctum*, *Succus*, *Infusum* aliquando, ex priore vario modo comparata, de qua agendum in præsentia.

α DECOCTUM hic idem est, quod Apozematis alterantis, ratione eadem, ex iisdem, eodem modo, ac formula conflandum, atque præscribendum, de quo plura hoc loco non disseremus.

SUCCUS ex foliis, fructibus, & floribus contusis, expressis, elicitur, isque depuratus efficaciter, & utilissimè assumitur, ac uberiore cum fructu, quàm decoctum, sive sit roborandum, sive alterandum vario modo.

Trifariam autem pro syrupo conficiendo venit in usum.

β VEL enim merus assumitur, sive solus, sive ex variis depromptus, idque aut *ex Foliis*, (*Borrag. Bugloss. Lupul.* in melancholic. *Acetos. Cichor. Endiv.* in biliosis, &c. & aliis, pro varietate quorumvis indicantium,) aut *ex Fructibus*, ut ex *Limonib.* in biliosis, *Pomorum*, in melancholicis, estque calore blando, ac residentiâ accuratè depurandus à fæcibus, à quibus occasio corruptionis.

γ VEL in eo, ad majorem efficaciam, aut alium scopum, alia decoquuntur, & usitatè ferè Succorum depuratorum ℔iij. ℔iv. pro quantitate syrupi comparandi, assumuntur decoquenda verò, partem, affectum, humorem respicientia, dimidia dosi Apozematis.

δ VEL commodius, in eundem finem, specifica idonea in eo tantùm infunduntur, Radic. Sem. Flor. Aromat, maximè, & ferè (pro syrupi quantitate) Succi ℔iß. sive ij. præscribuntur, infundendorum verò pro eorum efficacia, ℥ij. ℥iij.

ε INFUSUM, aliquando, pro materia liquida syrupi assumitur, comparandum ex idoneis, agendi vi insignibus, Aromatis ferè, (cujus ratio ex superioribus, in potione purgante, petenda.)

Ratione QUANTITATIS Materiæ, dosis Decocti colati, ac Succi, depurati, vel Infusi, est ℔j. ℔iß. prout usum syrupi volumus esse brevem, diuturnum, rariorem, & frequentiorem.

DISSOLVENDA in jam dictis, ad eorum conservationem, adde & saporis gratiam.

Ratione QUALITATIS, sunt VEL *Saccharum* solum, quod quidem omnibus affectibus aptius, & ægrotantibus acceptius efficitur; Vel *Mel*, in affectibus frigidis capitis maximè & thoracis, ubi magis calefaciendum, incidendum, detergendum, recreandus languens calor nativus.

VEL, simul *cum saccharo*, *Syrupus* officinalis, sed tum tum minuendum saccharum, syrupus enim saccharum solutum est, præscribiturque tunc sacchari q.s.

Quibus dulcorantibus eâdem ratione ut in Apozemate alterante, quandoque & *Succi depurati* folior. fructuumve, nec non *Liquores alii*, *Acetum*, *Vinum*, &c. quæ omnia ibidem videre licet.

Ratione QUANTITATIS, *Saccharum* dissolvitur pari cum liquore quantitate, vide adversiones: *Mel* etiamnum, ubi assumitur, aut *Syrupus* ad ℥v. ℥vj. sacchari verò q.s. *Succi* ad ℥vj. plus minùs pro decocti vel infusi quantitate.

De CLARIFICATIONE & AROMATIZATIONE vide quæ in Apozemate diximus.

USUS & FORMULA PRÆSCRIBENDI.

In Usu Syrupi tum Officinalis, tum Magistralis tria methodicè considerabimus. 1. *Quomodo*, sive quanam *consistentia*, an per se, an verò, liquore diluti. 2. *Qua quantitate*, seu *dosi* & 3. *Quo tempore* præscribi debeant, & exhiberi.

Quod ad MODUM, quandoquidem syrupus *per se* sumtus, nec ullo liquore solutus, minùs altè penetrat, nec subitò aut facile, cum virium eodem servato tenore, vel in partes, affectus,

ctus, aut humores alterandos tardiùs agat; syrupus verò *forma Julepi dilutus*, contrà altius, faciliùs, ac promtiùs se insinuat ad partes, & humores noxios, visciditate nil morante, atque viribus integrioribus ad distantiores, recessus perveniat, ac penetret, pro partium affectarum, affectuum, causarum alterandarum vicinia, ac distantia, ac discrimine, ac vel illa forma præsertim erit utendum.

Hinc *syrupi synceri per se præscribuntur* passim, sumunturque I. Ad intercipiendas, inhibendasque crassando Fluxiones, impetu in fauces, pulmonum, ventriculum irruentes, lentoris enim ope diutiùs in ore cunctantes, nec præterlabentes, subitò humorem illapsum facilè sistunt.

II. Ubi Gutturis raucedo, & lenienda Tracheæ asperitas: quod lentore suo oblinente commodissimè præstant.

III. Ad Expectorationem, & materiæ in pulmonibus infarctæ, ac collectæ ἀνακάθαρσιν.

IV. Ad Tussim mitigandam.

V. In Ventriculi morbis, frigidis maxime, licet & usitatiùs soleat dissolvi liquore parciore, si syrupum de absynthio ferè excipias, & ubi præsertim adest roborandi, & astringendi consilium.

VI. In partibus etiam ventriculo vicinis, ad quas sine vehiculo facile perveniunt. a

Dilutus verò, *solutusque* forma julepi adhibetur ad omnis generis vitia partium à ventriculo magis remotarum, ut sunt hepar, lien, mesenterium, caput, cor, pulmones, renes, vesica, uterus, habitus corporis, artus: ad quæ syrupi virtus vel vix, vel tardiùs, vel admodum refracta aliàs perveniret.

Præscribitur autem *dissolvendus cum liquore* idoneo, & appropriato, qui vel humorem, vel affectum, vel partem, vel omnia simul respiciat? usitatè verò cum *Aqua stillaticia* idonea, cum *Decocto* appropriato, quod aqua longè efficacius, cum *jusculo carnium pulli*, eoque simplici, vel ad majorem vim & effectum, radicibus, foliis aliisve convenientibus alteratum, ut infra.

Quod ad QUANTITATEM, considerari poterit tum *continua*, tum *discreta*.

Quod ad *continuam*, seu *dosin*, syrupus omnis alterans præscribitur ab ℥ß. ad ℥iß. ℥ij. ad summum, circa quam dosin strictius definiendam, hæc sequentia maximè perpenduntur.

I. *Partis affectæ, & alterandæ situs*, atque *distantia*: ubi enim syrupi vis ad dissita remotaque meare debet, dosi majore erit præscribenda: aliàs vix fructum ullum ex operatione percipies, quòd itinere longo vires ipsius admodum franguntur, nisi liquor, cum quo dissolvitur, efficax.

II. *Affectus ipsius*, *Causarumque* morbificarum *actio*, *qualitas* intensa, vel remissa, illa mediam vel summam dosin postulat, hæc minorem.

III. *Ætas*, infantulis enim minima ℥ß. pueris minor ℥j. erit pro summa.

IV. *Syrupi* ipsius *efficacia*, & vis agendi insignis: hinc *syrupum de papavere* ab ℥ß. ad ℥j. satis fuerit præscribere, ob vim ipsius narcoticam: *Insuavitas* etiam minorem postulat, ut passim in *syrupo de absynthio*, ad ℥j.

V. *Modus utendi*: qui enim sensim lambendo, ad varios asperæ arteriæ, pulmonum, affectus deglutiendus, quia majore quantitate non possunt assumi, & illicò præterlabuntur, sine multo effectu, ideoque sæpius iterandi in frequentem usum, sæpius repetendum, ad ℥iv. v. vj. præscribuntur, ita ut non contineantur tunc sub ista regula tradita. Idem dicendum de iis, qui ad sitim, per morborum æstum, extinguendum, quia eorum usus frequens, ideò & ad ℥iv. v. vj. præscribuntur. b

Liquoris verò *quantitas*, pro iis dissolvendis, se habet ad instar juleporum, ad ℥iij. ℥iv. *minus* tamen præscribere poteris in ventriculo affecto, & partibus vicinis, *plus* verò ad sitim moderandam, ut per febres, & in calidis quibusvis morbis, æstate maxime.

Quod ad *Quantitatem discretam*, digestivi possunt assumi, mane & vesperi, qui verò ad sitim, ad tussim, ἀνακάθαρσιν, c sæpius & frequenter, qui ad somnum, semel hora somni, neque, nisi urgente necessitate, repetendi. Cæteri rariùs sæpius, assumuntur, prout indicantia ferunt.

Quod ad SUMENDI TEMPUS, Syrupi Præparantes, & ad humorum digestionem compositi, mane 4. vel 5. horis ante cibum sumuntur, ne ipsorum vis à cibo recenter assumto, vel nondum confecto, obtundatur; possunt & circa vesperam sumi, ubi humorum digestio acceleranda, sed longè à pastu, ventriculo inani: qui ad Tussim, quavis hora ipsa molestat; d qui ad Somnum, & sistendas Fluxiones, hora somni; qui ad ἀνακάθαρσιν, sive Expectorationem, manè; qui ad Sitim ipsa urgente; cæteri quivis, e quantum fieri poterit, vacuo ventriculo exhibeantur.

Hæc autem FORMULA PRÆSCRIPTIONIS.

I. Si ex decocto. ℞. *Materiam Apozematis alterantis, fiat decoctio in &c. q. s. cape de colatura, &c. in quibus dissolve, &c. fiat syrupus perfectè coctus, clarificatus, & aromatizatus cum &c. reponatur in ampulla vitrea, in loco tuto. Capiat de eo syrupo* ℥j. ℥iß. ℥iij. *per se, vel cum &c. tali hora, toties in die, &c. vide suprà.*

II. Si ex succo, eoque mero, ℞. *Succi de tali re contusa, recenter expressi, rectè depurati, &c. in quibus dissolve, &c. fiat syrupus.*

III. Si ex succo, cui alia decoquuntur, vel infunduntur. ℞. *Succi recenter expressi, ac depurati, &c. in quibus decoque vel infunde, &c. cape de colaturâ, &c. in quib. dissolv. &c. fiat Syrupus.*

IV. Si ex infuso. ℞. &c. *Infundantur, in talis liquoris q. s. cape de colatura, levi expressione adhibita, &c. dissolve.*

UTILITAS *Syrupi* jam *in genere* satis supra declarata, sive Officinalis existat, sive Magistralis: universim enim institutus ad conservandas varias vires stirpium, quibus decocta ex iis parata, succi expressi, infusiones fuerint imprægnatæ, quò ad manus esse possint, urgente necessitate, integræ, & efficaces, ad varios usus.

Officinalis etiam *in specie* inservit variis medicamentorum formis effingendis, constituendisque; sic & Apozemata ingreditur, & Julepos, ac Potiones, ad dulcorem, gratiam, & vires etiamnum, sic & ad Opiatas, Pilulas, Condita, Eclegmata, Trochiscos assumitur, ad formam, consistentiam, & unionem compositi medicamenti, atque ejusdem conservationem.

Magistralis verò, ut olim, sic & hodie, & in usu maximè, ad præparationem humorum, & corporis, pro καθάρσει felici necessariam, ad alterationem itidem variam tum corporis, ipsarum intemperies varias partium emendando, tum humores vario modo peccantium, de utroque vide alterans Apozema.

In *summa*, ad omnes internos affectus, ad causas eorum procreatrices, ad partes ab ipsis vario modo afflictas alterandas, & roborandas, idonea & specifica quævis medicamenta, ab indicantibus suggesta, in syrupi formam reduci possunt: ita ut ipsius utilitas quàm latissimè se extendat. Præscribi autem maximè potest ubi diutiùs alterandum, vel vires fovendæ perenniter, cùm aliàs iste labor nova Apozematis, Julepi, Potionis, præscriptione, sæpius esset, cum molestiâ, repetendus. Hinc in affectibus chronicis qui jam altè radices egere, ita ut continuò sit alterandum, utilissimus. Tamen, quia usualis ferè prostat in eum finem, nisi putaveris vel minùs efficacem esse in eo vim, aut exoletam, vel non constet ex iis, quæ specificæ indicationes postulant, vel speres posse haberi efficaciorem, rariùs præscribendus novus, Magistralis.

Syrupus Purgans.

SYRUPI PURGANTIS *definitio*, ac *divisio*, pro humorum varietate, etiam ex Apozemate repetenda.

Est autem *syrupus purgans* duplex in præsentia, *Officinalis*, & *Magistralis*.

OFFICINALIS dividitur hîc maximè, ratione tum compositionis, tum virium præcipuarum, ut patet ex hac tabula.

Syrupus officinalis purgans componitur vel ex
- *decocto* facto in
  - *Succo*, & purgat melancholiam, ut *Syrupus de Fumaria comp.* *
  - *aqua*, & purgat
    - melancholiam *de Epithymo*
    - bilem * *de Cich. comp.*
    - mixtos humores *Diasereos.*
- *infusione*, in
  - *Succo*, & purgat, Melancholiam *de Pomis regis Sabor.*
  - *aqua*, & purgat
    - bilem, *Rosar. solut.* * *Violatus*, ex *novem infusionibus.* *de Flor. persic.*
    - pituitam, *mel rosat. colat.*

MAGISTRALIS in COMPOSITIONE quatuor consideranda. 1. *Materia*, ex qua fiat catharticus. 2. *Dissolvenda.* 3. *Clarificatio*, & 4. *Aromatizatio.*

MATERIA

MATERIA ex qua *remotior*, ratione QUALITATIS, unt *Cathartica simplicia*, *cum suis correctivis*, eaque decocta, vel infusa, unde *propinqua* duplex statui potest, *Decoctum purgans*, & *infusum simile*.

α DECOCTUM PURGANS nihil aliud est quam decoctum cathartici Apozematis, ex iisdem tum alterantibus, tum purgantibus, pro scopo diversis, eodem modo, & ordine præscribendis, adhibitis conditionibus ibidem recensitis.

Hoc *advertendum* solummodo, circa dosin catharticorum decoquendorum, Monspelienses pro syrupo purgantia Apozematis ferè duplicare, sat fuerit apud nos quantitatem illam simplicem assumere, vel me suadente etiam duplicem, perinde namque est, si vel etiam triplicem: sic enim minore dosi erit exhibendum, & minore cum fastidio ægrotantium, modo dosin ex arte & legitimè, & accuratè definias, non dubitanter, ut passim. *vide usum.*

Quin & *Notandum*, ubi succi idonei suppetunt, efficaciter etiam in eorum ℥ iv. v. vj. decoqui ista cathartica, cum suis correctivis.

β INFUSUM PURGANS quomodo sit parandum, ex iis, quæ suprà diximus in potione purgante, facilè erit colligere, quomodo autem decocto sit præferendum, *vide in Animadversionibus.*

DISSOLVENDA in decocto, vel infuso, ratione QUALITATIS sunt in DECOCTO quidem, VEL *Saccharum*, VEL *Mel* aliquando; vide alterans Apozema, VEL unà cum saccharo, *Syrupus aliquis* officinalis, isque aut alterans, aut catharticus.

Præter quæ dulcorantia, perpetuò ad conservationem dissolvenda, etiam aliquando, in finem suprà dictum, adduntur.

1. *Succus* idoneus, herbarum, florum, & fructuum depuratus *alterans*, aut *purgans*.

2. *Infusio Rosar. pallidarum completa*, veris tempore maximè, quo suppetit & efficax est.

3. Aliquando *Infusio* ipsius *Rhabarbari*, si ferat indicatio, seorsim facta, ad finem tantùm addenda, aliàs si initio, antequam syrupus perveniat ad consistentiam, vis ipsius exhalat, coctione diutina.

In INFUSO verò, eadem, si succos jam dictos excipias, quos præstabit, pro infusione facienda, statim præscribere ab initio.

Ratione QUANTITATIS, *Saccharum*, *Mel* æquali cum colatura quantitate, quæ ad lib. j. lib. j ß. sæpius præscribenda:

Hoc *advertendum* solummodò, sacchari vel mellis quantitatem exactè esse definiendam, contrà quàm vulgò Medici male faciunt, neque relinquendam arbitrio pharmacopœi, alias de dosi certò nunquam poteris decernere, quæ alia, ubi parum sacchari, alia verò, ubi multum. Hinc titubant passim practici, ubi dosis præscripti à se carthartici definienda, & jubent à minore semper quantitate esse inchoandum, ut experiaris sine errore.

Si *Syrupus* admittitur, id ferè ad ℥ v. ℥ vj. viij. & quia hic pro saccharo habetur, subtractione ab hujus quantitate facta, facilè erit tunc dosin sacchari definire. Perinde autem est, sive alterans, aut purgans existat, modo hujus rationem, pro dosi invenienda habeas in supputatione.

Succi ad ℥ iij. vel vj. si carthartici memineris, & in dosi constituenda.

De CLARIFICATIONE & AROMATIZATIONE vide in Apozemate.

USUS & FORMULA PRÆSCRIBENDI. In *usu* Syrupi purgantis, tum officinalis, tum magistralis, etiam tria breviter considerabuntur, *Quomodo* præscribi, & exhiberi debeat, *Qua dosi*, & *quo Tempore*.

OFFICINALIS quod ad *Modum* Vel per se ex cochleari, vel dilutus præscribitur: illud rarius, omnis enim ferè dissolvitur, idque liquore idoneo, ut suprà dictum.

Quod ad *Dosin*, in universum hæc constituitur ab ℥ j. pro minima, ad ℥ ij. ℥ iij. ℥ iv. quæ summa, consultis interim circumstantiis illis, quæ in Apozemate purgante dosin catharticorum diximus legitimè limitare.

Tempus autem exhibendi idem, quod aliorum purgantium, matutinum, ventriculo inani, ne vis ipsorum obtundatur, cibo vel chylo præsente, vel tardetur eorundem operatio.

MAGISTRALIS quod ad *Modum* usurpatur etiam *vel* per se, *vel* ex cochleari, *vel*, quod usitatiùs, cùm liquore idoneo solutus. Vide suprà.

Quod ad QUANTITATEM, eamque *Continuam*, dosin ipsius vulgò ab ℥ ij. ad ℥ iij. malè definiunt: catharticorum quidem quantitatem inspiciunt, sed per transennam, nescii forsan interim, quo pondere saccharum Pharmacopœus addiderit; hinc & circa dosin incerti. Ego in genere statuo, istam esse posse, ℥ ß. ℥ j. ℥ j ß. ij. iij vj. prout catharticis copiosis vel validis, liquor, cum quo saccharum in syrupi consistentiam coquitur, fuerit impægnatus; sic autem se res habet. Purgantium decoctorum, infusorum, dissolutorum doses numerandæ, & notandum, quot vicibus sint purganda ista omnia cathartica simul: v.g. suffecerint pro octo vicibus; jam verò liquoris istorum catharticorum vi imbuti lib. j. addas sacchari puri lib. j. decoquas in syrupum; si illas ℥ xij. in viij. partes diviseris (nam sunt viij. doses purgatrices:) habebis pro dosi ℥ j ß. addideris tantùm sacchari ℥ viij. pro syrupo conficiendo, habebis pro dosi ℥ j. &c.

Quod ad *discretam*, semel vel bis in mense usitatè exhibetur, ut sic sensim illuvies, quæ cumulari solet, evacuetur, neque aggeri in mollem morbificam possit.

Tempus verò sumendi matutinum, ut suprà.

UTILITAS in morbis chronicis maxima est, in quibus præcautio perennis, vel evacuatio sensim per ἐπικρασιν facta necessaria, ne alias in intemperatis illis corporibus, & cachecticis visceribus, humores excrementitii congerantur, parituri varios affectus, quibus hac ratione obviam itur, & rescinditur occasio futurorum affectuum.

ANIMADVERSIONES.

Circa Sacchari quantitatem *passim controvertunt admodum*, & *vix ullum præceptum reperias firmum, ac rei naturæ consentaneum. Mesvaus ipse artis parens varius: aliàs enim ex* Syrupis frigidis, *ex succis maximè, pro liquoris* lib. j. *sacchari præscribit* ℥ viij. *ut in* Syrupo de agresta, *ut saccharum tertia parte liquor superet: aliàs liquor duplus ad saccharum, in* Syrupo de pomis sabor: *aliàs triplus in* Syr. acido ex prunis, *quadruplus*, in acido de pomis, & *quod mirum, vulgo sextuplus*, in acido ex cydoniis: *aliàs etiam saccharum liquorem superat*, *dupla ferè parte: ut liquoris sint* ℥ vj. *pro sacch.* lib. j. *aliàs liquoris* ℥ ix. *sacchari* xij. *alias liquoris* & *sacchari ana partes æquales præscribit.* In calidis *autem* syrupis. *Mesvaus sæpius sacchari* & *liquoris ana partes æquales, paulò minus, paulò plus, præscribit.*

Recentiores *rixantur valdè inter se*, *modò enim liquoris* & *sacchari ana constituunt*, *pro regula syruporum*, *modo verè sacchari vel liquoris plus, quantitate diversa præscribunt, præcipui pharmaciæ authores*, *Sylvius*, *Fernel*. *Joubert*. *Rondelet*.

In Syrupis *enim ex* Succis, *in genere liquor saccharum superat*: *in specie verò*, *pro liquoris* ℔ j. *aliàs ponuntur sacchari* ℥ vij. ℥ viij ß. viij. ℥ viij ß. ix. *aliàs eorundem ana.*

In Syrupis ex Infusione, *passim infusi* & *sacchari ana. In syrupis verò* ex Decoctione, *eorum passim ana, vel etiam usitatissimè, ut semper liquor una parte saccharum superet.*

Mihi verò negotium habere videtur sed indifferenter. Syrupi natura accuratiùs solummodo perpendenda, in quo duo maximè consideranda. 1. *saccharum*, (*aliquando* & *mel*) *quod in syrupo se habet tantummodo ut subjectum essentiam simplicium ad vires conservandas excipiens.* 2. *vis illa, seu essentia in succo, infuso*, & *decocto delitescens, à qua syrupi vis* & ἐνέργεια, *ut à saccharo essentiæ in syrupo conservatio, ab utroque syrupus, ex eorum unione, resultans, aquositatis evaporatione.*

Iam verò norunt omnes, *Sacchari* ℔ j. verbi gratia, *quacunque humoris copia* ℔ ij. iij. *pluribus*, (*ut Joubertus pro suo julepo in* Syrupo de agresta,) *dissolveris*, *in illam consistentiam syrupi coctione facilè esse abituram. Illud etiam conspicuum*, & *apud eos qui extractorum rationem norunt expertum*, *menstrum ut vocant Spagyrici*, *seu liquorem*, *per quem essentia diffusa*, *aut in quo fuit elicita*, (*cuique respondent succi*,) *sive sint ipsius* ℔ ij iij. *sive* vi. viij. &c *balneo Mariæ*, *vel cinere calido*, *evocari posse totum*, *essentia paulatim crassescente in consistentiam, quam volueris*, *syrupi puta*, *vel solidiorem: quæ cùm ita se habeant*, *de utriusque proportione frustra tam anxiè disceptant*: *quandoquidem ex quacunque syrupi forma facilè resultet*, *namque si syrupum componentia*, *saccharum nempe liquore solutum*, *succi*, *infusa*, *decocta*, *quacunque demum eorum fuerit quantitas*, *coctione* & *evaporatione partium aquearum in illam syrupi vulgarem consistentiam sola* & *seorsim deduci possunt*, *quidni hac simul juncta sub quavis demùm quantitate? Si Jouberto*, & *Sylvio* ℔ j. *sacchari cum liquoris tribus in syrupum rectè decoquitur*, *quidni* & *cum liquoris medicati*, *succi infusi*, *decocti tantundem*, *illud idem fieri poterit?* & *contrà*, *si sacchari* ℔ ij. *cum* ℔ j. *liquoris*, *ut Rondel. in* Syrupo de limonibus, *quidni* & *illud idem fieri poterit*: *Ita ut in saccharo pro Syrupo definiendo*, *non tàm liquoris quantitas sit æstimanda*, *quàm ipsius vis*, & *Medici propositum ac intentio*; *virtutis enim seu essentiæ*, verbi gratia ℥ iii. ℥ iv. *quas simplicium decoctorum vel infusorum* ℔ j. *profuderit*, *si in decocti*, *vel infusi colati* ℔ iiij. verbi gr. *diffundantur*, & *istius liquoris* & *sacchari ana* ℔ j. *præscripseris*, *ut vulgò pro syrupo*, *syrupum quidem conficies*, *sed virtutis exiguæ*, & *in cujus* lib. j. *sit tantum essentiæ* ʒ j. *ad summum*, & *in* ℥ j. *tantum* gran. iv. *sin verò ista* ℥ ß. *essentiæ per liquoris* lib. ij. *tantum diffundatur*, & *ex hujus* & *sacchari* lib. j. *syrupum præscribas*; *conficies etiamnum*; *sed efficacem*, & *in quo sint essentiæ*

essentia ʒii. *& in quaque uncia* ℈ß. *Si liquoris istas* lib.ii. *in quibus latent* ʒiv. *istius essentia, cum sacchari* lib.i. *dissolveris, habebis efficacissimum, in quo nempe sint essentia* ʒiii. ʒß. *in quavis uncia* ℈i. *& efficaciorem adhuc, si pro liquoris istius* lib.ii. *sacchari tantum* lib.ß. *in hoc enim etiam erunt essentia* ʒii. ʒß. *sed in qualibet uncia erunt ipsius* ʒß. ℈ii.

Ergo non tam inspicienda liquoris, quantitas major minorve, quàm virtutis, seu essentia in ipsum trajecta, aut in eo delitescentis moles, qua à pauca materia quantitate, quocumque demum humoris pondere decoxeris, infuderisve lib.i. lib.ii. lib.iv. &c. *Hoc advertendum sedulò, quò certior de syrupi viribus & efficacia esse possis, & pro scopo debiliores efficacioresve praescribere, semper vim & quantitatem ipsius facultatis considerandam potius, quàm ipsum liquorem: sequere rationem jam dictam, vel viam communem, qua ferè liquoris & sacchari ana partes aquales praescribuntur.*

A *Et in his omnibus legitimus usus exigit, ut vel cochleatim exhibeantur, vel baculo liquiritia rasa lambendo.*

B *In genere qua lambendo usurpantur certam dosin non habent, cum pro placitu usurpentur.*

C *Aliosque faucium affectus.*

D *Qui ad faucium affectus, singulis horis.*

E *Ad interiora deferendi.*

α ℞. Rad. Glycir. ras. ℥ii.
Herb. Tussil. Miv.
Capill. ven. M.i.ß. ℥i.
Hyssop. M.i. ℥ß.

Macerentur horis 24. in s. q. aq. commun. deinde coq. ad consumptionem partis dimidiae. Colaturae adde
Mellis despumat. Sachari albi an. ℔.i.
Fiat *Syrupus de Glycirryza dictus.*

β ℞. Succi Beton. depur. ℔iii.
Sachar. alb. ℔iß.
Coq. in Syrupi consistentiam.
dicitur *Syr. de Betonicâ.*

VEL.

℞. Succi Apii, Intybi sativi an. ℔.ii.
Bugloss. Lupuli an. ℔.ii.
Coquendò purgentur dum clarescant, & cum Sach. ℔.iii.
Coq. in *Syrup. Byzantinum.*

γ ℞. Succi Menth ℔.i.
Cydon. Granat. acid. depur.
Infus. Ros. rubr. an. ℔ß.
Sachar. alb. Mell. despum. an. ℔iß.
Pulv. Diarh. Abb. in nod. lig. ʒß.
F. *Syrup. de Menthâ dictus.*

δ ℞. Succi Cichor. Endiv.
Acetos. Limon. an. ℥ii.
Infunde iis Margarit. praepar.
Corall. praep. an. ℈ii.
Adde Sach. q. s. F. *Syrup.*

℞. Flor. Borrag. rec. ℔ii.
Affund. iis Aquae calidae ℥viii. stent in Infusione per horas 24. Deinde Floribus his (facta prius expressione) abjectis, infusio, reassumptis novis floribus, secundò atque tertiò iteretur. Postea.
℞. Colaturae hujus ℔v.
Sachar. clarif. ℔iv.
Coq. ad formam *Syrupi.*

ε ℞. Rad. Cichor. Borrag.
Foenic. Cappar. an. ℥i.
Herb. Hyssop. Serpill. Meliss.
Beton. au. Mi.
Borag. Scolopend. Fumar.
Absinth. rom. an. Mß.
Flor. chamom. Centaur. min.
Chamoedr. Chamoepit. an. P. ii.
Fol. Senn. ℥iii.
Agarici, Jalapp. an. ʒß.
Sem. Anis. Foenic. Dauci an. ʒiii.
Spicae. Caryophill. an. ʒß.
Coq in aqu. com. ℔i. Colat. adde
Succi pomor. redol. acidor.
Rosar. Boragin. an. ℥ii.
In quibus omnibus dissolve Sachari ℔iß.
F. *Syrupus* perfectè coctus & Aromatizetur cum Cinamom. pulv. ʒii.

Servetur in vase vitreo, de quo capiat ℥ii. bis in mense cum jusculo, foliis borag. bugloss. & capill. ven. alterato.

β ℞. Rhabarb. opt. Fol. Senn. an. ℥iiß.
Flor. Violar. M.i.
Cinna mom. ʒiß.
Aqu. Beton. Cichor. Bugloss. an. ℔i.
F. Infusio per noctem, manè ebullitione & expressione factâ Colatura decoquatur in Syrupum, addendo Sacchari albi ℔j. Syrup. Ros. solut. ℥iv.

SCHRODER. CAP. LXXXIV.

De Syrupis, Mellibus, & Robis Syrupisatis.

Syruporum materia principalis est liquor quidam medicamentosus; decoctum, infusum, succus, aqua stillatitia, acetumvè. Servilis, est saccharum, clarificatum, melle depuratum, cum quibus liquor ad consistentiam mellis liquidiusculi coquitur.

N. Saccharum & mel adduntur praecipuè ut liquorum corruptibilitatem arceant, tum quoque ut qualitatem ingratam mittigent, saporemque medicamento gratiorem concilient. Hinc non abs re foret, loco sacchari aut mellis aliquando gratiores alias adhibere melligines, cum liquore syrupisando qualitatibus conspirantes, quales sunt, verbi gratia, mel passularum, rob pomorum redolentium, succus glycyrrhiza depuratus, &c.

Syrupi sunt simplices vel compositi.

Simplices, qui utplurimum ex simplici, unaque re medicamentali cum saccharo aut melle parantur.

Compositi, qui ex pluribus.

Modus fiendi.

℞. Liquorem clarificatum (decoctum, infusum, succum expressum, acetum,) adde saccharum, vel mel, & simil. coque, clarifica, (si opus,) inspissa ad mellis consistentiam, ac repone pro usu.

N. *Guttulâ in tabulam frigidam effusâ consistentiam experiri licet.*

Proportio liquoris ad saccharum aut mel est ferè dupla vel tripla.

Verbi gratia:

℞. Decocti ℔iii. sacchari ℔iß.
vel 1. prout crassior, vel dilutior syrupus expetitur, vel prout durationi longiori, breviorivè destinatur.

Virium ratione sunt syrupi alterantes & purgantes.

Syrupi alterantes usitatiores.

Syrupus de absinthio major, A. C.
Acetositatis citri, s. è. succo citri, A. C.
de succo acetosae.
acetosellae.
Acetosus simplex, id est, ex aceto & aqu. A.
Acetosus compositus (è radicibus) aceto & aqu. A.
Acetosus Diarrhodon, A.
Adiantinus Fernelii, A.
de Agresta, A. C.
de Althaea Fernelii, A.
Renod.
Anisi simplex, Querc. *inf.* 1.
Antepilepticus Querc. 2.
Aquilegiae flor.
Arantiorum è succo.
è corticibus.
è floribus.
de Artemisia Fernelii, compos. 3.
è succo Betonicae.
de Betonica compositus.
de succ. Berberum.
Bizantinus simplex. s. Dynari.
è suc. Endiv. aqu. Lupul. Bugloss.
Bizantinus compositus, A. C.
de Borragine, s. Infusionis.
de Buglossa è floribus.
de Calamentha Mesue, A. C.
Calendulae Quercetani, fit è succ. vel infus. flor.
è succi Chamaemeli.
Capillorum Veneris simplex,
ex decoctione.
Capillorum Veneris comp.
Cardiacus, 4.
de Carrdui benedicti succo.

[*Catarrhalis cum herba Theè D. Vvitzelii.*]

Cerasorum acidorum è succo.
Cichorii simplex è succo.
de Cinamomo, A.
N. *Quercetanus parat cum Vino malvatico. Augustiani cum aqua cinamomi.*

de Cortice citri.
N. *E succo citri dicitur syrupus acetositatis citri.*
Corallorum, *v.lib.3.c.6.*
Cytoniorum è succo.
Cytoniorum Vinosus simplex, s. Miva cytoniorum, quæ simplex & aromatica.
de Endivia simplex,
compositus.

[*Epilepticus ex stercore pavonis, D. Vvitzelii,*

de Erysimo Lobelii, 5.
de Eupatorio Mesue, A.C.
de Farfara, è succo.
N. *Renodæus compositum exhibet.*
de Fragis è succo.
de Fumaria simplex, è succo.
[Gemmatus.]
de Glycyrrhiza Mesue, A.C.
Granatorum dulcium: è succo.
Granat. acidorum: è succo cum aceto.
Oxysaccharum composit.
Antihecticus. 6.
de succo Hederæ terrestris.
de succo Hyperici.
de Hyssopo Mesue, A.C.
de Jujubis Mesue, A.C.
de Limonibus: ex succo.
de Lupulo: è succo.
[Mastichinus.]
de succ. Melissophyll.
de Menta minor: è succo Menth. granat. dulc. vel acid.
de Mentha major. Mesue, A.C.
de succ. Mercurialis.
Myrtinus compositus Mesue.
Nephrocatharticus Jouberti, A.
Nicotianæ seu de Peto simplex, Quercet. 7.
Nicot. compositus 8.
de Nymphæa: è florum infusione, A.
de Nymphea compositus.
Pedemontani, 8.
de Papavere albo simplex, A.
de Papav. alb. compositus, A.
de papav. erratico, è florum infus. A.
de Floribus Paralysis.
de Pede cati, s. Hispidula: sive
de Æluropo simplex: fit ex infusione summitatum.
de Æluropo compositus, 9.
Flor. Pœoniæ.
de Pilosella: ex infusione summitatum floridarum.
de succo Plantaginis.
de Pomis è succo.
de Portulaca Mesue.
de Prassio Mesue.
de duabus radicibus.
de quinque rad.
Refectivus Cord.
Ribium è succo.
Rosatus Regius, seu Julepus rosatus.
de Rosis siccis.
de Rubo Idæo.
de Scabiosa.
de Scordio, è succo.
compositus Mercurialis, A.
de Scolopendrio Fernelli, A. C.
de Sempervivo è succo compositus.
Siliquarum.
de Stœchade simplex, A.
compositus, A.
Fernelii, A.
de Symphyto Fernelii, A.
de Testudinibus, 10.
Flor. Tunicæ.
de succo Veronicæ.
Violatus simplex.
compositus Mesue regius, scil. Julepus violatus ex succo.
Hujus loci sunt & Syrupi melliti, mella vulgò dicti.

Ut

Mel Anthosatum.
Emblicorum, id est, mel in quo Emblici myrob. conditi, vel decoctum Emblicorum inspissatum.
Mel Menthæ, è succo & mell. ana.
Mercuriale è succo & mell. semiss.
Rosarum simplex, ex infusione triplici, & mell. quart.
Rosarum citratum
Mesue, ex gemmis & mell.
Violatum simplex ex infusione triplici & mell. quinta parte
Sic Oxymel simplex, compositum, diureticum, scylliticum simpl. compos.
} Disp. vide

Huc pertinent & Rob composita.

Rob de Agresta
de Berberis
de Cornis
de Ribib.
} ex succ. & sacchar.
Diamoron simplex, ex succ. & mell.
compositum.
usitatum Gal.
Nucum è succo cort. virid. jugl. & mell. semiss.

Syrupi purgantes usitatiores.

Syrupus Flor. Acaciæ, Aug.
de Carthamo, A.
de Cichoreo cum Rhabarbaro, A.C.
Diasereos, Andern. A.
de Epithymo.
de Fumaria comp. s. major.
Syrupus Hellebor. minor. Querc. 1.
Helleborat. major.
Cholagogus, 2.

[*De Lignis Laxativus D. Vvitzelii.*]

Flor. persicorum.
de polypodio, A.C.
de pomis regis Sabor, A.
cum sena Querc.
de Rhabarbaro solutivus, Aug.
Rosatus solutivus simplex, s. Moschatum, è Damascenarum 3. infus.
Rosatus laxativus compositus, scilicet Helleboratus.
Rosatus compositus, sine Helleboro.
de Senna.
Violatus solutiv. s. infusionis.
Vomitivus, 3.
Mel Rosatum laxativum,
Violatum laxativum.
} ex infus. & mell. semiss.
Oxymel Helleboratum Gesner, A.C.
Oxysaccharum vomitivum, 4.

1. *Syrupus Anisi, cum Vino, Quercetan.*

℞. Anisi conquassati, ℥iv. maceretur in vini generosi ℔ij. per tres dies, coletur: Colaturæ adde Sacchari ℔ii. & coque ad syrupum.
N. *Eodem modo concinnari possunt Syrupi & ex aliis seminibus, veluti ex semin. fœniculi, pœoniæ, ex baccis lauri juniperi, & simil.*

2. *Syrupus antiepilepticus Quercetani.*

℞. Rad. pœoniæ.
Visci querni, ana ℥ß.
Cinamomi opt. ʒii.
Flor. calendulæ.
Lilii conval.
Tiliæ.
Lavendul. ā. p. I.
Rosar. rubr. p. ii.
F. Extractio cum spiritu Juniperi, vel Spirit. Vini, ad eminentiam digit.
Decantetur.
℞. Tincturæ ℥x.
Sacchari candi pulveris. ℥iii. aut iv.
M. & accendantur, flagrentque continuò agitando, donec syrupus satis coctus, aut plus minusvè fortis videatur.
Tum enim extinguendum erit incendium.
Vires. *Præstantissimus est Syrupus, tam præcautioni, quàm curationi inserviens.*
Dosis Cochlear. ß.

[*Syrupus*

[*Syrupus Antiepilepticus e stercore Pavonis D. Ioh. Lud. Vvitzelii.*]

[℞. Rad. Scorzoner. ℥iß.
Fraxinellæ ʒii.
Herb. Galeg. Mj.
Thee p.ij.
Visc. Corylin. ʒß.
Fl. cheyri Mj.
Gran. chermes ʒß. ℈j.
Stercoris Pavonis ℥iß.
Coq. leviter in aqua flor. cheyri s. q. hanc col. cum sacchari ℔j. redige in Syrupum.]
[Vires. *Proficuus admodum in Epilepsia infantum compertus.*]

3. *Syrupus de Artemisa Fernelii.*

℞. Summit. Artemis. M.ij.
Rad. Iridis.
Helenii.
Rubiæ.
Pœoniæ.
Levistici.
Fœniculi ā. ℥ß.
Herb. Pulegii.
Origani.
Calaminth.
Neper.
Melissophyl.
Sabinæ
Sampsuchi
Hyssopi
Prassii
Chamædryos
Chamæpityos
Parthenii
Betonicæ, ā. Mj.
Sem. Anis.
Petrosel.
Fœnicul.
Ocymi.
Dauci.
Rutæ.
Nigellæ, ana ʒiij.
Contusa macerentur horis 24. in hydromelit. ℔viij. Coquantur ad ℔v. cum sacchari ℔.v. F. Syrupi qui condiatur Cinam. ℥ I. Spic. ʒiii.
Vires. *Insignium est virium in uteri affectibus à viscida mucilagine subortis, promovet menstrua, uterumque repurgat.*

4. *Syrupus Cardiacus, F.F.*

℞. Vini albi generos. ℔ii.
Aqu. Rosar. ʒiiß.
Cinnamom. ʒß.
Zinziber.
Caryophyll. ana ℈ii.
Ligentur omnia in petia, addanturque Sacchar. ℥ IVß.
Coque ad consistentiam syrupi, postea adde
Ambr. grys. gran. iii.
Mosch. gr. I. in syndone.
Vires. *Convenit in lipothymia, aliisque cordis affectibus.*
N. *Præstat solâ infusione, vel in MB. parare.*

[*Syrupus Catarralis cum herba Thee, D. Vvitzelii.*]

[℞. Rad. Chin. Orient. ℥j.
Fœnic.
Pœon.
Ireos Florentin. ā. ℥ß.
Herb. Thee, ℥i.
Flor. Beton.
Trinitat. ana Mj.
Gran. Chermes, ℥ß.
Infund. in s. q. aqu. Betonic. hor. xii. & col. hinc coq. addit. sacch. ℔iiß. in formam Syrupi.]

5. *Syrupus de Erysimo Lobelii.*

℞. Erysim. totius recent. M. VI.
Rad. Enul.
Tussilag. succo adhuc prægnantium.
Glycyrrhiz. ana ℥ii.
Herb. Borrag.
Cichor.
Capill. Veneris ana Miß.
Flor. Cordial.
Antos.
Stœchad. vel Betonic. ana M.ß.
Sem. Anis. ʒVI.
Passular. mundatar. ℥ii.
Incisis & contusis f. omnium decoctio s. a. in s. q. aquæ hordei, hydromelitis, & ℥ VI. succi Erysimi, ad ℔. ii. vel iii. exprime, inque colatura dissolve sacchar. q. s. F. syrupus.
Vires. *Efficacissimus est ad mucilaginem pulmonum incidendam, & educendam, adeoque ut beneficio ejus juvenculas decennio raucedine laborantes, se percuravisse testetur Author lib. observat.*

[*Syrupus vel potiùs Julepus Gemmatus Mag. Ducis Hetruriæ, paratur ita:*

℞. Sach. fin. ℔j. dissolv. in s. q. Aq. flor. aurant. f. Julepus, cui adde El. de Gemmis, Conf. Alcherm. ana ʒj. stent in MB. hinc trajice per manicam Hipp. sine expressione, aromatizetur Ambr. grys. ʒj. Moschi gr. xij.]
[Quidam lapides pretiosos calcinatos infundunt in Vini Spirit. & Julepo extractum sive melliginem jungunt: quidam mali citrii succum Julepo addunt.]
[Nostrates parant ita ℞. Spec. de Gemmis frig. ℥ß. Hyacinth. ʒj. Succi citri ℥viii. F. Infusio per triduum in vase vitreo, additâ aquâ melissæ, filtr. per chartam, add. sachar. ℥ XXIV. mosch. ambr. ana gran. V. M. Syrupus.]

6. *Syrupus Antihecticus Riverii med. Regii.*

℞. Testud. lacustr. aut fluviat. in frusta dissect. ℔ii. cancror. fluviat. vivorum confract. ℔iß. sem. quat. frig. major. ℥ IV.
Limacum per medium sectorum Mii.
Succi verou. mar.
Melon. ana ℔j.
Vini alb. ℔vi.
Succi nicot. ℔. ii.
Uvarum Corinth.
Passul. ana q. s.
Ponantur omnia in magno matracio benè obturato, & sinantur digeri per dies 2. postea destillentur ex cineribus, & ex liquore destillato & sacch. cand. ℔. IV. F. syrupus. Cap ℥j. pro dosi paulò ante pastum bis aut ter in die: adde usus tempore
Lactis sulph.
Perlarum an. gutt. vii. M. & exhibe.
Lac perlarum fit terendo eas super marmor in Alcool, irrorando aqu. rosar. paulatim, deinde iterum terendo in mortar. marm. cum succo limonum: statim perlæ dissolventur, filtra, colatura servetur.

7. *Syrupus Nicotianæ, s. de Peto simplex. Quercet.*

℞. Succ. Peti ℔. IV.
Hydromelit. simpl. ℔. I.
Oxymelit. simpl. ℥ IV.
Omnibus simul mixtis, fiat digestio in MB. per dies 2. vel 3. ut defæcetur; hinc decanta, ac digere iterum ut suprà, donec materia ab omni fæculentia depurata fuerit, adde postea sacchari ℔. ii. & coque in syrupum.
N. *Succus Peti opus habet perexquisitâ & ingeniosâ digestione, qua vis vomitiva, ac dejectiva corrigitur, atque in syrupum abit præstantissimum, adversus omnes affectus asthmaticos, in quibus pulmonum bronchia pituitâ crassâ ac viscosâ adeò infarciuntur, ut interceptâ respiratione suffocationis periculum immineat, in quo casu syrupus hic ritè præparatus, & administratus mira præstat. Cerebrum insuper à catarrhis, sive fluxionibus serosis & frigidis liberat, simulque per inferiora educit.*
Dosis cochlear ß. ubi tamen à principio summâ opus est circumspectione, postea verò dosis augenda erit.

[*Syrupus mastichinus C. Peuc.*]

[℞. Uvar. Passar. enucleatar. ℥ v. ʒii.
Sem. anisi, fœnic. ana ʒ VI.
Mastich. ℥ii. ʒii.
Aqu. fontan. q. s.
Coq. & Cola. Colat. adde.
Sachar. ℔iii.
F. Syrupus.
Vires. *Insignium est virium in sputo sanguinis, & Fluxibus alvi.*

8. Syrupus de Nicotiana compositus Quercetani.

℞. Succi Peti (Nicotianæ) depurati (ut supra) ℔iiß.
Hydromelitis simpl. ℔. I.
In quibus macera per dies 2. vel 3. MB.
Fol. Hyssop.
Polytrich.
Adiant.
Flor. Tussilagin.
Stœchad.
Violar.
Buglosſ. ana p. ij.
Sem. Bombad.
Urtic.
Card. bened. ā. ℥. I.
Follicul. senæ ℥iij.
Agaric. rec. trochisc. ℥ I.
Cinamom.
Macis.
Caryophyllor. ā. ʒ I.
Dein fortiter exprimantur, digerantur denuo ad perfectam fæcum depurationem. Colaturæ ℔iiß. adde tantundem sacchari, coquantur in syrupum.
Vires. *Ad anhelosos & asthmaticos, aliosque affectus omnes pulmonum à frigidis & crassis humoribus subortos, qui pulmonum bronchiis inhærentes, vel tussim antiquam, vel ipsam dispnœam pariunt, excellentissimum est remedium, alvum leniter solvendo.*

Dosis ℥iß. vel ℥ij. ad summum.

9. Syrupus de pede cati compositus.

℞. Dactylor. mundat.
Jujubar.
Sebesten.
Ficuum recent.
Passul. major. enucl. ā. ℥iv.
Vngul. caballin. c. toto.
Pulmonar. maculos. c. flor. ā. Mij.
Pedis cati.
Ceterach. ana M. I.
Glycyrrhiz. ras. ℥ I.
F. Decoctio, & exinde cum sacchari ℔ij. F. syrupus perfectè coctus.
Vires. *Pectoralis est ac nutritivus, unde his qui phthisi laborant, solamini magno esse poterit.*

10. Syrupus de Testudinibus Λαχιλοτα̃ Resumptivus Renodæi.

℞. Carnis testudinum, ℥iv. (abjectis caudâ, collo & pedibus.)
Hordei mundat. ℥ij.
Carnis dactylorum, ℥ I.
Passularum damascenarum.
Glycyrrhiz rasæ, ʒvi.
Sebesten.
Jujub. ana num. XIII.
Sem. Bombac.
Melonum.
Cucum.
Citrull. ana ℥ß.
Sem. Lactuc.
Papav. alb. ana ʒij.
Herb. Vngul. caballin.
Pulmonariæ ana M. I.
Flor. Violar.
Nenuphar. ā. ℥ß.
F. Decoctio. In colatura clarific. ad ℔. Iv. adde Sacchar. alb. ℔. ij. sacchar. rosati & diatragacanth. frig. ana ℥v. F. syrupus.
Vires. *Confert his qui à morbo chronico resurgunt, macie confectis, tabidis, phthisicis, & simil.*

Syrupi purgantes.

1. Syrupus Helleboratus minor Quercet.

℞. Fibrarum hellebori nigri ʒij.
Agaric. rec. trochisc. ℥ij.
Fol. sen. mundat. ℥iij.
Turbith.
Hermodactylor. ana ℥ I
Sem. anisi.
Fœnicul.
Cort. Citri ā. ℥ß.
Caryophyll.
Macis.
Cinamom. ā. ʒij.
Macerentur in Oxymelitis simplicibus, Vini malvatici, & aquarum Melissæ ac Fumariæ ana q. s. vase vitreo clauso, hinc leviter bulliant ac exprimantur. Depuratæ per digestionem colaturæ addantur.
Syrupi de pomis redolentibus solutivi.
de succis rosarum palliadarum.
Sacchari rosati & violati ana ℥Iv.
F. Syrupus.
Vires. *Omnibus morbis à materia tartarea, crassa ac tenace, à plegmate adusto, bile aut melancholia dependentibus, in capite, thorace, ventriculo, hepate, utero, ipsisque articulis mirum in modum confert.*
M. *Habet & idem Quercetanus Syrupulum helleboratum majorem, sed sufficit hunc in Officinis paratum asservare.*

2. Syrupus Holagogus F.F.

℞. Rad. Polypod. querc. rec.
Cappar. ana ʒ I.
Fol. Scolopendr.
Ceterach.
Meliſſ.
Betonic.
Rutæ murar. ā. M. I.
Fol. Trium cordial.
Cuscut. ana M. ß.
Sem. Limon.
Fœnic.
Anis. ana ʒij.
Carthami contus. ℥ I.
F. Decoctio in s. q. aquæ, ad remanentiam quantitatis, cui species infra scriptæ infundi queant. Decoctio hæc ita stet horis 24. tum fiat colatura, & in hac infundantur.
Fol. Senn. mundat. ℥vi.
Agaric. Albiſſ. ʒij.
Hermodactil. alb. ʒvi.
Rad. Hellebor. nigr. in aceto præparat. ℥ I.
Epithymi.
Zinzib. alb. ana ʒij.
Caryophyllor. ℈ij.
Macis. ℈j.
Bulliant parum & stent in infusione horis 24. hinc exprimantur.
℞. Expressionem integram (ad ℔. j. & ℥iij.)
Succi rosar. incarnatar. ℥Iv.
Sacchari albiſſ. ℔iij.
Coque ad ℔. Iv. circiter.
Vires. *Convenit omnibus humoribus expurgandis, præcipuè atra bili, ac exinde morbis oriundis.*

[*Syrupus è Lignis laxativus D. Vuitzelii.*]

℞. Limatur. Lign. Sancti ℔ß.
Sarsæ parillæ ℥iij.
Cortic. L. Sanct. ℥iß.
Infund. hor. 24. loco calido in s. q. Aqu. hinc coque & cola. In colaturæ q. s. infunde per noctem.
Rad. Polypod. qu. ʒvj.
Fol. Senn. s. Stip. ʒx.
Sem. Carthami conquaſſ. ℥iß.
Epithym. ʒiij.
Passul. min. select. ℥Iv.
Sem. fœnic. ʒiiß.
Ligni Santal. citr. ʒj.
Manè coq. denuò ad consumptionem medietatis. Adde Colat. sacchari ℥xij. f. s. a. Syrupus.
[Vires. *Sanguinem mundificat in Catarrhis, & scabie, pueris etiam utilis.*]

3. Syrupus Vomitivus.

℞. Aqu. Vomitoriæ, s. benedictæ:
(sive illa ex croco sit, sive ex vitro Antimonii,)
℥vI.
Aq. Rosar. fragrant. ℥iß.
Pulv. cinamom. ʒij.
Digerantur vase clauso horis 24. postea cola. In colatura dissolve Sacchari ℥viij. coque ad consistentiam syrupi.

Dosis à ʒj. ad ʒiij.

4. Oxysaccharum vomitivum.

℞. Vitri Antimonii pulver. ʒß.
Acet. vini albiſſ. ℥viij.
Infundantur in MB. l. Ign. per horas xv. Colaturæ adde sacchari albiſſ. ℥Iv. reduc in patina vitrea ad consistenciam.

Vires.

Vires. Uti eo possumus pro vomitorio adversus febres continuas, pestilentes & intermittentes, paulò ante paroxysmum: item contra venena, Exanthemata, antequam scilicet prodierint.

Dosis à ℈ij. ad vj. Sala.

N. Loco Vitri antimonii in his compositionibus sumere quoque licet crocum metallorum, vel etiam flores antimonii.

SYRUPUS.

Cum enim veteribus tam GRÆCIS, quam ARABIBUS, & tandem LATINIS ROMANIS ad quos pertinet GALENUS, *ignota* fuerint elegantiores & efficaciores *spagyricorum operationes*, Essentiarum Tincturarum &c. & nihilominus tamen plantas non semper habuerint virides, & similiter in exsiccatis, magnam jacturam virium deprehenderint, & ipsas exsiccatas etiam non commodè diu ad potiones adhibuerint: propterea receperunt decocta, Infusa, succos, & liquores, & ut in quantitate & copia elaborati præserventur, sacharo miscuerunt, & coquendo in formam crassiusculam, redegerunt & syrupum concinnarunt. Cœterum cum hi ipsi *Syrupi* propter Sacharum copiosum *non* sint adeò *magnarum virium*, & si velimus, ut aliquid operentur, necessum sit, ut præscribantur ad ℥IV. V. VI. pro dosi una assumendi: *saccharum* verò propter vim fermentativam *paucissimis subjectis*, consentientibus omnibus, sit *utile*, quin potius in febribus, in affectibus hypochondriacis & similibus chronicis soleat esse nocivum, quandoquidem effervescentias auget, inflationes hypochondriorum inducit, ventriculi tonum dejicit, & denique intumescentias & infarctus viscerum abdominis inducit: propterea *non in tanto usu* solent *apud nos* usurpari, atque veteribus fuit in usu: utut ab Italis adhuc interdum soleant nimis excessivè præscribi, quibus tamen morem suum relinquimus.

Potius jam *usurpantur* Syrupi, ut misceantur cum reliquis *pro gratia saporis* conciliandâ: aliàs rarioris solent esse usus.

Syrupus E. ex AUCTORE est Vel OFFICINALIS, qui semper in officinis prostat; vel MAGISTRALIS, qui ex tempore à Medico præscribitur: uterque est vel ALTERANS, vel PURGANS: de omnibus conjunctim.

In omni autem *Syrupo* sunt *Consideranda*: LIQUOR in Syrupi formam redigendus, & additum SACCHARUM quod coquendo dat consistentiam.

LIQUOR *est* vel *decoctum*, vel *infusum*, vel aliquis *succus*, interdum horum unum solum, interdum hæc invicem mista, qu. scil. confusa cum aliis decoquuntur, antequam in succum redigantur, qui ex additione sacchari fit Syrupus.

Præscriptio ingredientium syrupi est *eadem*, *quæ in decoctis* & infusis solet usu venire: utut, quoniam syrupi pro longiore tempore præscribi solent, etiam major copia & liquoris, & addendarum præscribenda sit. Differentiam magnam non habent. Usus Syrupi magistralis solet usque ad VIII. vel X. dies præscribi, quoniam diuturnior solet esse decoctio.

Sive recipiatur succus depuratus, sive Infusum, sive decoctum, semper postmodum additur saccharum, usque ad consistentiam Syrupi, Et quidem, prout volunt vel crassiorem, vel fluidiorem Syrupum eò plus vel minus addimus sacchari.

Ordinaria *proportio* solet esse ut *dimidium sacchari* recipiatur *ad liquorem* v. gr. si liquoris sint ℔iij. additur ℔ß. sacchari, quæ invicem coquantur ad spissitudinem syrupi.

Quod attinet Syrupos officinales, in iis solet esse accuratus AUCTOR, sicut etiam in ipsis magistralibus.

Cœterum cum, uti dixi, Syrupi *magistrales* sint *rarioris usus*: nihilominus tamen interdum usurpari soleant, ut adeò necessum sit, ut sciamus formulam.

Et quidem *usus* Syruporum *magistralium* est *in affectibus pectoris & faucium*, in quibus interdum solet præscribi ad leniendam *asperitatem faucium*, ad promovendam *Tussim*, ad *raucedinem*, *asthma* & similes affectus: Ita sit v. gr. talis *Syrupus* parandus *contra phthisin*, qui debeat consolidare ulcus pulmonum: tunc enim fit tantum nudum decoctum; istudque post aromatisationem redigitur in consistentiam syrupi, imò etiam decocto magistrali *loco sacchari* additur *Syrupus officinalis*, ut fit efficacior, & sacchari minor quantitas addatur: formula potest esse talis.

℞. *Rad. Symphyti majoris* ℥iß.
Chinæ ℥ß.
Herb. heder. terrestr.
pulmonar.
pyrolæ.
Saniculæ ana Mj.
Summitat. hyperi.
Foliorum tussilaginis ana Mß.
Rad. Glycyrrhiz. ʒvj.
Passular. major. ℥ß.
Ficuum pinquium no. vj,

Coquantur in s. q. aquæ simplicis, vel quod in affectibus pectoris est convenientius hydromelitis q. s. Colatura recipiatur, & aromatisetur infusione Cinnamomi q. s. cui adde
Syrup. de Nicotiana.
Erysimo Lobelii
Sacchari fini ana q. s.

F. l. a Syrupus pectoral. pro plurib. dosib. dosis ßIV. V. VI. matutino tempore ad consolidanda ulcera pulmonum.

Non est magna differentia in præscribendis Infusis, decoctis & *Syrupis*, nisi quod hi sint *rariores*, & *in affectibus pectoris tantum* præscribuntur.

Post Syrupos alterantes, est etiam PURGANS, isque similiter tam qui præscribitur *ex officinis*, quam qui *ex tempore* præscribitur.

Hic idem quod dictum est de alterante, quod sit rarioris usus, etiam intelligendum de Syrupo purgante. Nihilominus in eodem observandæ *cautelæ* eædem, quæ in dictis purgantibus: *observanda* est *dosis* purgantium: & quidem non tantum supputanda est quantitas liquoris; d. etiam sacchari & ingredientium, ut scilicet sciamus, quot ℥tiæ syrupi possint sufficere pro una dosi ad sufficientem purgationem, ne vel excedamus, vel deficiamus.

Quod dixi, rari sunt tales Syrupi, propterea, quoniam saccharum eos ingrediens dat tormina & flatus. Nihilominus cum pro delicatulis aut adsuetis sunt præscribendi tales syrupi, necessum est, ut sciamus compositionem.

Supputanda est dosis sacchari & liquoris, in hoc totum consistit artificium.

Ut pateat modus præscribendi vel in decocto, vel infuso: sit talis *Syrupus purgans in affectibus chronicis* & melancholicis, & quidem per infusionem.

℞. *Succi pomorum redolentium* ℔j.
in quem infunde:
herbæ fumariæ.
Lupuli.
Cichorii ana Miß.
Rad. helenii ℥iß.
Epithymi, polipodii quercini ana ʒvi.
Fol. Senn. s. st.
rad. helleb. nigr. præpt. ana ℥ß.

(sunt 4. doses purgantium

Flor. IV. *Cordical.* aa. p. j. (pro stimulo convenienter & frequenter adduntur hi flores in affectibus melancholicis.)

Seminis Carthami contus. ℥iij. est purgans
Passularum minorum. ℥j.

Stent in loco tepido pro 24. horas, & sub finem leniter ebulliant potest etiam addi stimulus pro menstruo ex cremore tart. sal. tart. & similibus. Colaturam ℞ (præsuppono quod sit ℔i) cui adde *sacchari fini* ℔ß.

Coquantur ad consistentiam syrupi, & sic tota compositio ex liquore & saccharo non transcendet ℔j. vel ℥xIV. multum enim in coctione evaporat: Et ita dosis erunt ℥IV. vel V. pro tribus vicibus: si volo pro 4. dosibus propino ℥iij. vel IV.

Hoc ergò modo supputandæ sunt doses & liquor in præscribendo syrupo purgante magistrali. Quæ habet AUCTOR de dosi sacchari cum animadversionibus, merentur, ut legantur uti m. ea, quæ habet ulterius AUCTOR, sunt satis clara & perspicua, ut non habeam opus, ut plura addam.

Quod attinet Syrupos officinales, in SCHORDERO est.

CAPUT DE SYRUPIS.

IBidem in genere m. loquitur de usu & præparatione Syruporum: ubi rectè monendum videtur quod *syrupi* sunt *meliores quominus* additur, *sacchari*, quoniam, uti sæpius dixi, vim obtinent fermentativam.

Syrupi sunt vel *simplices* l. *compositi*: SIMPLICES sunt, qui constant ex uno vel duobus ingredientibus: COMPOSITI sunt, qui ex pluribus ingredientibus fiunt.

Signum sufficientis decoctionis habet AUCTOR: *si guttula in tabulam frigidam effundatur & habeat consistentiam debitam ita ut non diffluat*, signum est sufficientis coctionis.

Quod attinet SYRUPOS ALTERANTES, usitatus est.

SYRUPUS DE ABSINTHIO.

In affectibus *ventriculi* & intestinorum: vid. descriptionem in A.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

Ex succo citri cum saccharo: Hic frequenter adhibetur in Julepis ad *febres ardentes & malignas*, destinatis, *sitim* n. & *effervescentiam compescit*, suavem habet acorem, & ratione succi Citri valdè convenit in talibus febribus, cum una resistat malignitati. In potionibus interdum vel solis decoctis solet admisceri, pro gratiâ saporis. Quod etiam intelligendum volo de

SYRUPO ACETOSÆ & ACETOSELLÆ.

Qui subacidi in *ardentibus* solent præscribi usitatissimè, præparat. vid. in A.

SYRUPUS ADIANTHINUS FERNELII.

Convenit in *affectibus pectoris & stomachi*, ubi tam partes in pectore, quam ipse stomachus sunt infarctæ & refertæ copiosâ mucilagine crassâ & viscidâ; hanc enim incidit & attenuat, & incisam expectorare vel expurgare facit.

SYRUPUS DE ALTHEA FERNELII.

Paratur ex radice altheæ, & convenit valdè, ubi *lenienda est acrimonia* humorum, & *temperanda* eorum *salsedo*.

Unde hic syrupus de Altheâ in *affectibus urinariis* est usitatissimus, v. gr. in *dysuria*, in *stranguria* in *exulceratione* aut etiam *corrosione Renum* & *Vesicæ*, it. in *mictu cruendo* & similibus dolorificis partium Urinariarum affectibus; Potenter enim confert, ad emendandam acrimoniam humorum, & pro tali usu convenienter miscetur *cum ol. amygdalarum* dulcium recenter expresso. it. cum *oculis cancrorum* præparatis quoniam hi nimium acidum absorbent & præcipitant. Optimè hic potest *propinari in decocto Cicerum* rubeorum qui & diuretici sunt urinam promovent, Quod si E. permisceatur hisce talis syrupus abstergens, in primis si cum oculis cancrorum conjungatur, remedium erit valdè proficuum.

Formula sit hæc.

℞. *Decocti Cicerum Rubrorum in aqua petrosel.* ℥IV.
Oculor cancror præparator. ℈j.
Syrup. de althea Fernelii ℥iß. l. ij.
(tam ratione syrupi quam efficaciæ)
ol. Amygdal. dulc. Recenter express. ℨß.
Laudani opiati gr. ij.

M. Fiat potio, quæ & leniter abstergit vias urinarias, & temperat acrimoniam urinæ & humorum. Convenienter potest misceri *cum Emulsione ex Terebinthinâ* & vitello ovi, de quâ superius ubi de Emulsionibus: sed quoniam est nauseabundi & tetri saporis propterea permiscetur cum syrupo de altheâ Fernelii, ut corrigatur ejusdem sapor, & intendantur vires.

SYRUPUS ANT-EPILEPTICUS n. 2.

Ab AUCTORE descriptus: hic examinanti ingredientia facilè patet, quod non sit inelegans *in affectibus Epilepticis*. Et quidē *præparatio ejusdem singularis* est, quoniam cum Spirit. vin. elicitur prius ex ingredientibus tinct. quæ cum saccharo redigitur in consistentiam syrupi. Hic modus parandi syrupos singularis, uti dixi convenientior est reliquis syruporum præparationibus: præparatur ad eundem modum ad quem ol. sacchari, de quo superius, ubi de saccharo habuimus monui.

SYRUPUS DE SUCCO AURANTIORUM.

Qui quidem non ubivis prostat, conveniens est in *affectibus* intestinorum *colicis* & cum torminibus conjunctis: quod *etiam* facit *Syrupus* decoctione *ex corticibus* paratus.

SYRUPUS de ARTEMISIA FERNELII.

N. iij. valde commendatur in *affectibus uteri*, tam *veris* mensium vitiis &c. quam *putalitiis*, ad *suffocationem uterinam*, utut *in concinia ejus sit præparatio*, demonstrante ZUUOELFERO: Nihilominus, si ex his ingredientibus fiat decoctum sine saccharo, non erit inconveniens, vel m. Syrupum cum saccharo possumus recipere.

SYRUPUS DE SUCCO BETONICÆ.

dissolvitur in *potionibus vulnerariis*, in primis *ubi caput* simul sit læsum.

SYRUPUS DE SUCCO BERBERUM.

Est subacidus; & ingredi solet Julepos & potiones

tiones in *febribus continuis* & *intermittentibus* etiam *malignis*, propter gratam aciditatem, quam obtinet.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

Solet usitate præscribi in *affectibus pectoris* & *Renum*, ubi scilicet hæ partes sunt infarctæ, mucilagine & pituitâ crassâ & viscidâ, hanc enim extergit & mollefacit, ut possit facilius expurgari, permiscetur commodè potionibus & decoctis pectoralibus & nephriticis.

SYRUPUS DE CARDUO BENEDICTO.

In *pleuritide* obtinet suum usum, uti etiam in *ardentibus*.

SYRUPUS CORALLIORUM QUERCETANI.

Tam modo communi præparatus, quam modo Zvvoelfferiano ex sale Coralliorum, convenit, ubi opus est adstrictione, & in primis, ubi adest hæmorrhagia cujusdam partis v. gr. in *dysenteria*, *influxu hepatico* & *Uterino* non sine usu solet præscribi, in primis *si origo* mali sit *ex acido* corrodente oscula vasorum, absorbendo acidum, & oscula adstringendo ac claudendo: in *disenteria*, *diarrhæa*, & aliis affectibus *Scorbuticis* valdè convenit.

SYRUPUS CYDONIORUM.

Est stomachicus convenit in *roborando stomachi tono* quoniam valdè adstringit, & tonum naturalem ventriculo restituit.

N.V, SYRUPUS DE ERYSIMO LOBELII.

Valdè convenit in *affectibus pectoris*, in specie in *raucedine*: Unde ad quibusdam κατ' ἐξοχὴν vocatur SYRUPUS ad RAUCEDINEM, in quâ est specificus, in primis, si hauriatur cum decocto passularum & radicis Glycyrrhizæ: Cum hoc m. valdoperè conveniat in raucedine. LOBELIUS dicit, se curasse puellam, quæ 10. annos laboraverat Raucedine, hoc ipso Syrupo. Convenit in *Asthmate* & *affectibus respirationis*, item in *Tussi* & similibus pulmorum affectibus ex infarctu brachiorum asperæ arteriæ, facto à materia viscidâ ac tenaci. Hanc enim attenuat, resolvit & incidit ratione, Erysimi, quod est de natura Syrupi, uti superius monui, hoc enim abundat sale vol. acri, quod incidit, attenuat & resolvit ista mucilaginosa excrementa: quod ipsum etiam præstant reliqua ingredientia, capilli salis & stœchas Arabica. Potest *meliorari* hic Syrupus, *si* scilicet decocto adhuc *infundatur recens herba* Erysimi, & inprimis ejus *semen* contusum, & huic infuso colato addatur, *succus* Erysimi saccharatus, & in cucurbita suo alembico munitâ decoquantur ad consistentiam syrupi, qui syrupus potest convenienter in vehiculo istius aquæ, quæ in coctione per alembicum descendit, hauriri, quoniam erit impraegnatus succi & seminis Erysimi sal vol. Ubi opus est expectoratione tam *in Tussi* & *asthmate*, quam *in pleuritide exulcerata* & *Empyemate*, permiscetur cum Syrupo de Nicotiana, qui est expertus in tali casu, uti postmodum habebimus.

SYRUPUS DE FARFARE S. TUSSILAGINE.

Similiter solet adhiberi in *pectoris affectibus*.

SYRUPUS GRANATORUM.

Tam DULCIUM, quam in specie ACIDORUM. Usurpantur hi, ut di'uantur in Julepis & potionibus ad gratiam saporis *in febribus*, & ubi *stomachus* est *affectus*: item in potionibus dictis *cordialibus*, impedit enim sanguinis effervescentiam, roborat stomachum, & nimiam illius dissolutionem corrigit.

N.VI, SYRUPUS ANTIHECTICUS RIVERII.

Non est inelegans in defectu meliorum Remediorum, ex testudinibus, cancris, & similibus, quoniam subministrant succum sale alcali occulto impraegnatum, cujus ratione absorbet subtile acidum in *hecticis* prædominans.

SYRUPUS DE SUCCO HEDERÆ TERRESTRIS.

Est *vulnerarius*, valdè conveniens in potionibus traumaticis, in specie in *affectibus pectoris* & *sputo sanguinis*, in *phthisi* & *ruptione vasculorum* pulmonum à nimio clamore in *casu ab alto*, in *pleuritide* suppurata, & similibus convenit, non minus, quam in *exulceratione renum* & *mictu cruento*, in quibus affectibus hedera terrestris plantula est nunquam satis decantata.

SYRUPUS DE SUMMITATIBUS HYPERICI.

Est similiter *vulnerarius* & *antinephriticus*: propterea optimè possumus hos invicem permiscere in talibus casibus.

SYRUPUS DE HYSSOPO.

Convenit *in* incidenda crassâ & *viscida materia*, qualis non raro *in stomacho* & *pectore*, stabulatur, in primis cum hyssopus sit planta pectoralis.

SYRUPUS DE JUJUBIS.

Solet dissolvi in liquoribus & potionibus, ubi opus est temperare *Urinæ* & *humorum salsedinem* interdum etiam *aciditatem*: in *Catharris Salsis* ad fauces & pectus ex glandulis decidentibus: ad *excorationem faucium*, & *aphtas*, & *affectus Urinarios* ex urinæ acrimonia ortos, & ad similes, ubi opus est temperare acrimoniam humorum.

SYRUPUS MYRTHINUS.

Est adstrictivus, & solet præscribi, ubi opus est adstrictione, in *vomitu*, *diarrhæa*, *dysenteria*, *cholera*; item in *hæmorrhagiis* dissolvitur in potionibus contra hæmorrhagias partium.

N.VII. & N.VIII. SYRUPUS DE NICOTIANA.

Tam SIMPLEX quam COMPOSITUS. Excellentissimus est in *affectibus respirationem lædentibus*, quoniam sal vol. Nicotianæ mira facit in *Asthmate* & similibus affectibus. Cæterum quoniam notum est, quod Nicotiana *soleat inducere vomitum* & non levem *diarrhæam*, propterea rectè dicit AUCTOR, quod *exquisita opus sit digestione* in syrupum, ut ad fundum secedant partes vomitoriæ: Et ubi legitima digestione est præparatus, *est certe* excellens remedium in *Asthmate*, *Tussi*, & similibus, in specie in EMPYEMATE vix satis potest commendari ab EPIPHANIO FERDINANDO in *Consiliis*, qui in expurgando pure Empyematicorum & quocunque alio mira præstitit hoc ipso, vid. Præterea in morbis infantum est egregius, in *dyspnæa* & *asthmate infantum*, inprimis *ubi metus* est *suffocationis* in tenellis infantibus: item *qu.* auditur *sonitus in bronchiis* pulmonum,

monum, in tali casu legitimè præparatus est *omnibus* reliquis *præferendus*.

In Empyemate præter hoc quod *expurgat*; etiam *consolidat* virtute vulneraria ulcus & abscessum pulmonum. Convenienter dissolvitur, cum syrupo appropriato, vel solus in decocto hederæ terrestris, scabiosæ & similibus, & tale decoctum in expurgando pure Empyematicorum & pleuriticorum est egregium vid. m. AVCTOR. Et quod dico de simplici, m. intelligendum est de composito.

SYRUPUS DE PAPAVERE ALBO.

Simplex virtutem habet papaverinam, somniferam, anodynam & dolorum sedativam: Vnde *loco laudani opiati* ℥ß. vel ℥j. commodè potest dissolvi tam in potionibus, quam in Julepis, in febribus ubi adest *agrypnia* vel in specie *cephalalgia*.

Nam in talibus casibus, quoniam disponit ad somnum, est egregius, & *in febrium principio* effervescentiam compescit, & simul materiæ morbificæ coctionem adjuvat, & ubi præscribitur hic syrupus, non opus est, ut præscribatur Laudanum opiatum & contra.

SYRUPUS DE PAPAVERE ERRATICO.

Ex infusione florum, notum est, quod conveniat in *pluritide*, *sanguine congrumato*, & similibus partium internarum & externarum affectibus cum *inflammatione Erysipelaceis* conjunctis.

SYRUPUS DE SUCCO PLANTAGINIS.

Est *adstrictivus* & *vulnerarius*.

SYRUPUS DE V. RADICIBUS APERIENTIBUS

Convenit in *affectibus chronicis, cachecticis* & *hypochondriacis*. Cum autem *præparatio communis* sit *ridicula*: correctior vid. in ZVVOELFER. *animadvers.* in *digestivis* medicamentis *febrium* intermittentium conducit, in *cachexiis, scorbuto*, & similibus morbis.

SYRUPUS DE ROSIS SICCIS.

Est adstrictivus & convenit in *sputo cruento, mictu cruento, dysenteria* & similibus.

SYRUPUS DE RUBO IDÆO.

Præscribitur usitate in Julepis contra *febres malignas*, in his enim præfertur Gemmis & perlis omnibus à GENERO in resistendo malignitati.

SYRUPUS de SCABIOSA.

Traumaticus, & in specie convenit in *abscessibus* & *ulceribus* partium internarum, *in pulmonibus & renibus*: Solet interdum adhiberi *in inflammatione suppurata stomachi*, pro rumpendâ, abstergenda & consolidendâ eadem. Convenit in *variolis* & *morbillis*, dum *præservat*, ne ex variolis in partibus internis oriatur *abscessus* & ulcus in quibus m. jam factis decoctum scabiosæ adhibetur, vel exinde paratus Syrupus dissolvitur in eodem, vel usitatè dissolvitur in decocto ficuum vel milii.

SYRUPUS DE SUCCO SCORDII.

Resistit *malignitati*, *venenis*, & inprimis *vermibus* & lumbricis intestinorum.

SYRUPUS DE SUCCO SEMPERVIVI.

Convenit valdè in *ardore faucium*, in *inflammatione faucium & linguæ*, uti etiam *in prunella* & principio anginæ: dissolvitur in aqua prunellæ, & additur aliquid nitri depurati, estque egregius in affectibus faucium.

SYRUPUS DE SYMPHYTO FERNELII.

De hoc notum est, quod sit *vulnerarius*, & conveniat egregiè in potionibus vulnerariis.

SYRUPUS FLORUM TUNICÆ.

Convenit in *affectibus capitis*.

SYRUPUS DE SUCCO VERONICÆ.

Est *vulnerarius*,

Sequuntur syrupi vel succi melliti: Hæc ipsa MELIA raro usurpantur, nisi interdum loco syruporum in decoctis pectoralibus soleant dissolvi.

MEL VIOLACEUM, RUTACEUM & MERCURIALE solent dissolvi *in clysteribus* pro abstergendis intestinis: reliqua non item.

OXYMELITA omnia, in specie SCILLITICUM conveniunt, *ubi mucilago* est *crassa* ut in intestinis & ventriculo, Unde solent permisceri cum potionibus vomitoriis ad incidendam, pituitam item *in affectibus pectus infarcientibus*, in quibus oxymel scilliticum est egregium.

Post SYRUPOS alterantes sequuntur PURGANTES, inter quos 1. est.

SYRUPUS FLORUM ACACIÆ.

Egregius in expurganda *colluvie serosa*, tam in *morbis catharralibus*, quam *hydrope*, in *depuranda massa sanguinea* ab excrementis hinc inde collectis. Unde in potionibus maialibus s. præservativis, non rarò solet præscribi.

SYRUPUS DE CARTHAMO.

Convenit in *expurgando pectore* à mucilagine crassa in eodem collecta & congesta, cum Carthamum sit pectorale.

SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

Est blandum & lene purgans, unde convenit *infantibus*, & solet m. in usum vocari ad expurgandos recens natos, *ut præserventur* ab *Epilepsia*, in quo usu à quibusdam pro secreto habetur.

SYRUPUS DE FUMARIA & HELLEBORO.

Valdè conveniunt in *morbis melancholicis*, pro expurgandis melancholia afflictis.

SYRUPUS FLORUM PERSICORUM.

Convenit *pro expurgando sero* abundante; item in *lumbricis* abigendis.

SYRUPUS VOMITIVUS.

Paratur ex aqua *benedicta* RULANDI, s. aqua infusionis vitri antimonii, dissolvitur ad ℥ß. inconvenienti aqua simplici, v. gr. in Hyssopi, Centaur. minoris &c. Hic syrupus Vomitivus & syrupus Emeticus s., *saccarum Emeticum* MYNSICHTI, instar catholici Vomitivi possunt inservire. Num uti notum est, ex superioribus, Vomitoria antimonialia omnibus reliquis sunt præferenda.

Pertinet

Pertinet huc OXYMEL *cum* AGARICO ALTENBURGENSIUM in incidenda, attenuanda & expurganda *mucilagine crassa* pituitosa egregium. Cum notum sit, quod agaricus præ cæteris sit dicatus pectori.

Compositio est talis.
℞ ; *herb.hyssopi.*
Prassii.
Origani.
Card.benedict.
Pulegii.
Veronicæ.
Scabiosæ aa.Mi
Rad.Ireos Illyricæ ℥j
agaric. albi ℥j.
Zingiberis ℥ij.
infunde in aceti ℔iß.
Aquæ Veronicæ.
Cardui benedict. aa.℔ß.
digere triduo, tunc coque & exprime: Colaturæ ℞. ℔iß. adde
Melli despumati ℔j.
F.l.a. Syrupus,
cui injiciatur petiâ continens
Pulveris Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Calami aromatic. aa.℈ij.
M. pro potiuncula pectorali.

Habuimus hactenus decocta & infusa eorumque usum internum: sequitur, ut videamus, cui usui inserviunt eadem decocta externè intra quos 1. est quando sub form âliquidâ injicitur in anum & dicitur Clyster.

MORELL. CAP. XIV.

De Clystere.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

ABlutionem significat ἀκλύζω, abluo, Græcè κλυςὴρ, κλύσμα κλυςήριον, & ab injectione *Enema*, ab ἐνίημι, injicio in genere *significat quamvis ablutionem aut injectionem in partem quamlibet*, privatim verò *quæ in anum.*

Triplex autem statui potest: *Purgans, Alterans vario modo, & Roborans.*

Clyster purgans.

COMPONITUR ex *Liquore* idoneo, in quo unà cum *Melle, Saccharro Oleo*, purgantia etiam varia dissolvuntur. Unde] etiam totidem in ipsius compositione sunt considerandа: summatim verò duo; *Liquor* ex quo, & *Dissolvenda.*

Quod ad LIQUOREM, ratione QUALITATIS VEL est *decoctum commune clysteris* in officinis usitatum, à VEL *decoctum magistrale*, quod è renata, pro intentione, ex idoneis præscribitur. Estque *Alterans*, vel *Purgans.*

Alterans (quod usitatum fere tantùm) componitur ex idoneis Emollientibus, Calefacientibus, Refrigerantibus, pro intentione, Radic. Fol. Sem. Fruct. Floribus, hac ferè proportione: ut *Radicum* unc.ij.iij. *Fol.* Miv. *Sem.* drach.vj. unc.j. unc. iß. *Fructuum* paria viij. flor. P. iij. præscribantur.

Purgans si volueris efficere, quod tamen rarius, quia postea purgantia usitatè dissolvuntur, quæ sufficiunt,) id facies addendo pro pituita *Semin. cartami contusi* drach. vj. unc. j. *Agaric. in nodulo* drach. iij. *Turbith. el. &c.* drach. ij. pro melancholia *Polipod.* unc.i. *Sennæ* drach.vi. quæ omnia post radices, aut etiam semina præscribenda & decoquenda. Cæterum ista omnia decoquuntur in liquore idoneo, vel in aqua tantummodo.

Quod ad QUANTITATEM *liquoris*, varia est, pro ætatis ratione maximè, *infantulo* v.g. 4. 5. mensium, si admittant clysterem, unc.iii. sufficient, *adultiori* ℥v. ℥vj. *adultis* plerunque ℔i. in *vastis hominibus* ℔iß. c.

ADVERTAS obiter, in gravidis, hydropicis, flatulentis, senibus, infrà subsistendum, ut totus clyster libram non excedat, item ubi diutiùs volumus retineri.

DISSOLVENDA ratione QVALITATIS, sunt *alterantia*, vel *purgantia.*

Alterantia, quæ passim dissolvuntur, sunt *Mel*, & *Saccharum*, item & semper *Oleum*, à quo tamen commodissimè poteris abstinere, ubi expultrix acriter erit solicitanda, vel ubi revellendum potenter. His aliquando & *Sal* additur, *Sal gemmæ* usitatè, ubi magis est irritandum, in soporosis maximè.

Purgantia verò sunt *Opiatæ officinales*, lenientes tantùm, vel catharticæ pro varietate humorum purgandorum & temperamenti corporis diversæ. Aliquando harum loco *pilulæ* dissolvuntur.

Quod ad QVANTITATEM, alterantia; *Mel, Saccharum*, in adultis ad ℥ii.iii. ad summum dissolvuntur: in infantibus quarta sufficiet & minor. *Oleum*, in adultis ad unc. iii. D *Sal* ad drach.s.drach.i. *Opiatæ* dosi dupla ad eam, qua per os assumuntur, usitatè autem ad unc.i s. nisi admodum lenientes, vel agendum validiùs, tunc enim unc.ii. præscribentur, in infantibus quartam præscribas. Quod si *pilulas* præscripseris, (quod rarissimum) ad drach.ii. drach.iii. id feceris.

VSUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat decoctio, cape de colat. &c. in qua dissolve, &c. fiat clyster.* injiciatur longe à pastu vacuo stomacho: tamen & quavis hora, urgente necessitate, poterit præscribi, ut in soporosis, &c.

VTILE quidem ad intestinorum fæces & humores excrementitios varios, undecunque fuerint cumulati, expurgandos. Etiam qui hærent. in remotioribus, expurgatis enim inferioribus consecutione quadam superiores exonerantur, ideò & pro revellentibus remediis habentur.

Clyster alterans.

COMPONITUR etiam ex *Liquore* idoneo, & *Dissolvendis* propriis.

LIQUOR, ratione QUALITATIS, varius admodum est pro scopo, *Simplex* vel *Compositus.*

Simplex, ut aliquando, *Lac*, aut *decoctum capitis* vel *intestinorum vervecis* pro liquore anodyno, ut in dysenteria, colica, &c. Aliquando *Oleum solum*, ut in flatibus, colica, *Vinum generosum* aut *Hippocraticum* in iisdem. *Lac ferratum*, pro astringente, *Decoctum hordei*, vel simul *Furfuris*, *rosarum*, pro detergente, quod passim fit, iis tribus ad P. j. præscriptis *Iusculum carnis, Pulli, Caponis, &c.* pro nutriente.

Compositus liquor, qui passim in usu est pro eiusmodi clystere, est *Decoctum variarum partium* stirpium suprà dictarum, plurium, pauciorum, quæ respiciant partem affectam, & affectum, dosi dicta in purgante.

Quod ad QVANTITATEM liquoris, vide ibidem.

DISSOLVENDA in alterante, ratione QVALITATIS, varia omninò sunt: pro varietate indicationum, licet rarò alterans sine purgante, nisi indicationes omnino dissuadeant, ut in anodyno, nutriente, &c. passim, *Mel Sacchar. Oleum*, dosi dicta. Aliquando *Oleum* nullo modo, sed tantùm *Mel & Saccharum*, ut in detergente: & contrà in emolliente *Oleum* præpollet, ut & *Butyrum*, si volueris & pinguia eiusmodi.

Præter hæc vel etiam sine his, pro indicationum præsentia, aliquando *Succi* dissolvuntur, ut in adstringente, ex foliis, (qui obiter etiam in catharticis utiles ex vellicantibus sc.] item & *pulveres & adstringentes*, ut passim fit in alvi fluxibus & dysenteria maximè. Aliquando *Sevum hircinum* in dysenteria, ad dolorem & oblinendam veluti faciem internam, ne acres humores magis exulcerent; obiterque nota, *Olei vitello* dissolvendum, aliàs statim congelascit. Aliquando *Vrina*, ut in ascite: sic & *Philonium*, pro narcotico.

Pro NVTRIENTE verò prosunt *Conservæ* idoneæ, *Sacchar. album*, *Consummata* E *Confectio* etiam *Alkermes*, ubi maximè corroborandum, *Theriaca* etiamnum, de qua obiter notetur, in hypercatharsi & dysenteria epidemica recentem mirè operari, & subitò. F

Quod ad QVANTITATEM, varia etiam omninò est, pro dissolvendorum diversitate, *Mel, sacchar.* ad ℥ii. ℥iii. *Butyrum* & alia pinguia, ad ℥iii. *Succi*, ad ℥ii. ℥iii. *Pulveres*, ad ʒvi. ℥j plus minus, pro efficacia *Sevum*, ℥ß. ℥j. loco cuius & candela vulgari usurpari potest, cuius litu videmus etiam excoriationes statim persanari. *Vrina* ad ℥ii. ℥iii. *Philonium*, ad ʒii. à ʒi. *Conserv.* ab ℥ß. ad ℥iß. *Sacchar, album* ℥ii. ℥iii. ut & consummata *Confect.* ʒi. ʒii. pro ditioribus. *Theriaca recens*, à ʒß. ad ʒi. vel paulò post *Vitelli ovorum* numer. 1. 2. in anodyno leviter detergente, nutriente.

VSVS & FORMULA, Vide Iniicitur autem hora commoda quacunque, urgente necessitate.

N.B. Nutrientes maiore copia præscribi, sæpiùs reiterari, diutiùs asservari debere, contra de aliis.

UTILITAS. Primò quidem in vitiis & affectibus intestinorum, crassorum maximè, pro eorum diversitate varia &

deinde vicinarum, usurpatur, utilis ad emolliendas fæces, humorum acrimoniam leniendam, dolores demulcendos intestinorum, renum, vesicæ, uteri, ad flatus discutiendos, detergendum tum humores excrementitios tum ulcera dysentericorum, ad ea consolidanda, ad fluxus alvi sistendos, ad vermes eliciendos, enecandos: ad nutriendum, & nulla ferè affectio, vel corporis pars, quæ à clystere solamen non percipiat, maximè eo, qui alvum expurgat, qui Ideò etiam omni purgationi utiliter præmittitur, ut facilior fiat & expeditior viis patentibus purgatio, sine tormine vel vomitu, cùm aliàs impuritates variæ retineantur, quæ vel ipsæ remeant in varias partes, vel tetris inde expirantibus vaporibus vario modo Ipsas afficiunt, succos bonos, spiritusque contaminant, calorem obfuscant, opprimunt.

A *Et hoc ferè ordinariò adsumitur, etiam ubi emolliendum, dolor sedandus, &c.*
B *unc. ix, aut*
C *Rarissimum hoc, & insitatum.*
D *Præstat, nisi necessitas exegerit, vix unc. j. addere, quò meliùs retineatur Clyster.*
E *Ovorum vitella.*
F *Imò & opiata ejusmodi in usu sunt cum dolores nimis urgent,*

R. R. Rad. Alth. Lill. alb. an. unc. s.
Herb. Malv. Bismalv. Parietar.
Mercurial. Brancæ ursin. an. Mj.
Sem, Lini. Fœnugræc. ad unc. s.
Ficus. n. 10.
Coq. in s. q. Aq. comm. an. ℔j.
Colatura usurpetur pro *Clystere emolliente*.
Quod si eum purgantem aliquo modo volumus, addimus
El. Diaphœn. Diaprun. sol. an. unc. s.
Ol. Viol. Chamom. an unc. j.
Sal. comm. drach. j. F. *Clyster*

Exempla alia vide in Medicinâ nostrâ.

I. R. Hord. integr. Furfur. an. P. j.
Fl. ros. sicc. Chamomill.
Melilot. an. P. ß.
Sem. Anisi Fœnic. an. ʒj.
Coq. in aq. comm. an. ℔ij
Colaturæ adde Mell. ros. Sach. rubr. an. unc j.
Vitell. ovor. n. 1.
M. f. *Clyster detergens*

II. R. Rad. Tapsi barbat, Symphit.
Bistort, an. ℥iß.
Cort. mali granat. ℥j.
Fol. Plantag. Verbasci, Myrti.
Caudæ equin. Herniar. an. M. j.
Sem. Sumach, Portulac.
Acinor. uvæ an. ʒij.
Fl. Rosar. sicc, Salv. Balaust. an. Pj.
Coq. in aq. ferratæ s. q. in Colat. ℔j. dissolve
Syrup. de Ros. sicc. ℥. ij.
Vitell. ovor. n. ij.
M. s. *Clyster adstringens*

III. R. Malv. Parietar. Veror. an. M. iij.
Coq. in aq. simpl. in Colat. ℥xv. Dissolv.
Ol. Amygd. dulc. Amar. an. ℥iß.
Sachar. unc. j.
M f. *Clyster. in Calculo.*

IV. R. Juris carnium. ℔. j.
Sacchar. ℥ß.
Vini. Rhenani ℥ij.
Vitell. ovor. n. ij.
Conf. de Alcherm. ʒii.
F. *Clyster, nutriens.*

SCRODER. CAP. XLV.

De Clisteribus.

Clysmus, Clysma, Enema, est liquor imprægnatus facultate medicamentali, per syphonem in intestina intromittendus.

Duo ergo continet, 1. Liquorem, 2. Facultates, quibus liquor imprægnatur.

Liquor est decoctum (plantarum, pisorum, carnis, &c.) vel similis humor Medici intentioni commodus. E. gr. Urina: lac, serum lactis. oleum, & simil.

Facultates Clysterum variæ esse possunt, purgantes, alterantes, anodynæ, lithontripticæ, carminativæ, abstergentes, adstringentes, &c. Inter cæteros tamen usitatiores sunt clysteres purgantes, qui ut plurimum compositi sunt, fiuntque ex partibus (4. 5.) decocti alicujus emollientis, partibus (1. 2.) olei, additis insuper purgantibus ac stimulantibus, v.g. Electuariis, speciebus & similib.

N. *Purgantium dosis duplo major esse potest in clysteribus, quàm in assumendis: oleum additur ubi emolliendum erit, omittitur ubi fortiter purgandum & revellendum.*

Dosis est ab ℥iij. in infantibus, ad xii. vel xv. in adultis.

Modus purandi liquescet uno ac altero exemplo.

1. ℞. Urinæ ℔. 1. F. Clysma, *in Hydrope.*

2. ℞, Oleum Olivar. ℥v. vi. vii. F. Clysma ad leniendam alvum. [vel ol. Lini.]

3. ℞. Herb. emoll. ana M. j.
Rad. Alth. ℥j.
Fl. Chamomil. M. ß.
Fic. ping. N. v.
Vitell. ov. N. 1.
Coque in s. q. aquæ ad ℔. 1.

In colatura dissolv. cass. pro Clysteribus ʒvi. Bened. laxat. ʒß. Ol. Chamæmel, ℥iii, Sal. gemmæ ℈i. vel Sacchar. rubr. ℥ß. ad ʒi. F. Clysma.

N. *Sunt qui sal commun. vel gemma ad ℥i. usque injiciunt. Verum podex locus maxime sensibilis est, præstat dosin hanc imminuere.*

Huc referendi quoque sunt Clysteres uterini (μητρέγχυτα) qui itidem sunt liquores, medicamentales per syphonem (μητρεγχυτην) in uterum fundendi. Liquor itidem, hic varius adhiberi potest, aqua stillatitia, decoctum, succus vel simile quid cui pro rei ex gentia admiscentur pulveres, Electuaria, olea & simil.

Dosis pro vice una sufficiens est ℥iij. vel v. præter propter.

Exemplo sint.

1. ℞. Decocti. Equiseti & Tormentill. ℥iii. Olei Myrrin. ℥iß. Trochisc. de spod. ʒj. M. F. Clyster, in mensium fluxu.

2. ℞. Hydromell. ℥iij. vel mell. ℥ß. F. Clyster ad eluendum uterum.

3. ℞. Succi mercurialis; depurati, vel decoct. rubiæ tinct. Eryng. aut cyclaminis, vel radic. aper. vel salviæ, matricariæ, nepetæ ℥iij. Pulv. myrrhæ ʒii. Clyster ad promovenda menstrua.

Ad hunc locum pertinent & Injectiones Penis, quæ itidem ex liquore conveniente fiunt, sive decoctum is sit, sive aqua stillatitia, vel similis.

Qui Clysteres communiter & ut plurimum fiunt ex decoctis appropriatis. Propterea de iisdem nobis hac vice agendum erit.

In genere E. quod attinet CLYSTERES à *voce Græca Latinis abluitio* dicitur clyster, uti m. videri potest in AUCTORE. Iste est *duplex* vel ALTERANS, vel PURGANS: quod attinet & alterantem & purgantem, uterque *perficitur* communiter *ex decocto appropriato, in quo* colato postmodum *dissolvuntur electuaria*, ol. *Mella*, & similia appropriata & scopo medico præfixa. Unde duo in omni Clystere *consideranda* 1. quidem LIQUOR, qui dat corpus clysteri. 2. quæ in isto liquore DISSOLVUNTUR: quæ duo pro varietate scopi omnino variant.

LIQUOREM, quod attinet, 1. *Usitatissimè* accipitur loco illius DECOCTUM appropriatum.

Sic v. gr. quando in Colica adhibendi Clysteres, hi ipsi fiunt ex Clysteribus Carnimantibus & flatus discutientibus. Quando in dysenteriâ adhibendi Clysteres, hi ipsi fiunt ex medicamentis vel leniter adstringentibus, vel vulnerariis consolidantibus. Ubi adhibendi Clysteres in alvi obstructione & fœcibus induratis, fiunt decocta ex emollientibus blandis & fœces s. scybala indurata fluida facientibus & similibus. *Quantitas* talis decocti pro varietate & normâ ipsius corpusculi *variat*. In *infantibus* 1. vel 2. annorum ℥iij. sufficiunt. In infantibus ex 3. vel 4. Mensibus ℥j. vel ℥iß. est satis. In *adultioribus*. hominibus & staturæ justæ Veteres rarò substiterunt infrà ℔j. imò interdum infuderunt ℔iß.

Cæterùm

Cæterùm moderni jam à nimiâ quantitate abstinent, & ultra liquoris ℥viii. raro imò nunquam præscribunt, ita ut liquoris sint ℥viii. quibus postmodum superadduntur dissolvenda. Ponam *exemplum* talis Clysteris carminantis ex decocto parati, *in Colicâ aut in flatulentiis* nimiis intestinorum. Modus præscribendi est idem atque in decocto, quando ad ℥viii. solet præscribi. Compositio sit talis.

℞. *Chamomillæ Roman.*
Menthæ aa. Mj.
Flor. Chamomill. Roman.
Sambuci aa. Mß.
Baccar. Laur. ℥j.
Juniperi ℥ß.
Sem. anisi.
fœniculi aa. ʒij.

(quoniam istæ baccæ sunt basis totius decocti.) incisa & contusa coquantur in s. q. aquæ simplicis: Colatur. ℞. ℥viii. in quibus dissolve

Electuar. de baccis Lauri ℥j.
Mell. Rutacei ℥ß.
ol. rutæ destillati ℥ß. quod est egregium carminativum.
Vitell. ovi N. 1.

M. pro clysmate injiciendo tepidè. In colica flatulent.

Hic est *modus* præscribendi *vulgarem Clysterem:* Cæterum liquor iste non semper est tale decoctum; *interdum* etiam *simplicior liquor sufficit*: Ita v. gr. pro leniter molliendâ alvo fiunt interdum Clysteres EX JUSCULO pulli, ex jure carnis hædinæ, vitulinæ, carnis pulli, carnis caponum & similibus. Quæ ipsa juscula etiam adhibentur in *Clysteribus nutrientibus* & qui nutritionis gratia infunduntur per anum, uti fieri solet interdum in iis, qui aut nihil deglutire aut propter vomitum nihil possunt retinere in gravidis: de quibus Clysteribus nutrientibus postmodum.

Interdum accipitur tantum simpliciter LAC, qui clysteres ex lacte egregiè prosunt *in dysenteria*, in primis si sit lac extinctionis Chalybis, sive in quo Chalybs ignitus aliquoties fuit extinctus, in quâ loco decocti assumitur tale lac, inque eo dissolvuntur interdum appropriata & injicitur. Ex lacte simplici Clysteres valdè etiam conveniunt *in doloribus abdominis* sopiendis, qui cum sint interdum Mesenterii convulsiones & contorsiones, excitatæ ex succo Pancreatico nimis acido atque austero, tunc usitatissimè injicitur talis clyster ex lacte ad leniendum dolorem. Item *si* percipiantur *phlogoses* & incalescentiæ *in abdomine scorbuticæ*, in tali casu clysteres ex lacte sunt convenientes, cum lac blandè abstergat, & phlogoses ex excessivo acido obortas compescat.

Exemplum talis clysteris ex lacte *in* scorbuto *& affectibus quasi scorbuticis* similibus scorbuto, *in inflammatione intestinorum*: item in inflammatione *Mesenterii*: sit tale

℞. *Lactis Caprini* sin minus vaccini ℥viii. vel ℔j.
in quo dissolve *mellis Mercurialis*, *Rutacei* aa ℥iij.
Vitell. ovi n. 1.

M. pro Clysmate refrig. & purgat. injiciendo tepidè

Interdum m. *in lacte* vel m. cum sero lactis *possunt coqui* appropriatæ *plantæ*, quod in affectibus quamplurimis valdè est conveniens & valdè proficuum.

In genere *ubi dolores* urgent *intestinorum*, talis clyster ex lacte est egregius.

Interdum m. *in intestinorum doloribus*, in specie in *dysenteria* loco liquoris *accipitur DECOCTUM Capitum ac pedum VERVECIS*: quæ decoquunt per longum tempus, & decoctum infundunt, pro sedandis doloribus, & compescendis convulsionibus & contorsionibus intestinorum, quales sunt in *Colica* & *dysenteria*, sive fuerit Colica vera sive notha ex Calculo s. nephritide, quæ longè acerbior est, quam vulgaris à flatibus & stercoribus oriunda.

Interdum solum OLEUM accipitur loco materiæ pro clysmate: in specie usurpatur ol. lini pro emolliendis *fœcibus induratis*, in laxanda *alvo* nimis contumaciter *obstructa* Interdum recipitur loco ol. lini lini simul ol. & ol. raparum ana. Tali enim ol. ex semine rapi desperatam alvi obstructionem curatam fuisse observatum fuit.

Item PRÆVOTIUS etiam quendam nobilem contumacissimæ alvi denuò fluxilem fecit beneficio Clysteris ex ℔j. ol. communis confecti, Et RULANDUS curavit rusticum quendam, cujus alvus & abdomen ob scybala diutius retenta omnino dura & infarcta fuit, ita ut cum dispnæa, febri quotidiana & anorexia, desperatus habitus fuerit, Clysmate cum ℥v. ol. lini, infundendo hoc ol. nunc solum, nunc simul ʒj. Trochiscorum alhandal.

Pertinet huc *Clyster*, quem *quidam* Medicus *habuit* ceu secretum in contumacissimâ alvi obstructione, paratur *ex passularum* ℔j. quas coxit *in jure vituli*, quo decocto postmodum usus fuit pro clysmate.

Cum talibus oleis expressis interdum in flatulentiis *possunt addi ol.* appropriata *carminativa destillata* quæ potentius tunc possunt discutere flatus.

Aliqui, dicit AUCTOR, fiunt m. Clysteres ex VINO generoso aut Hypocratico. Cæterùm in hoc casu *sit cautus Medicus*: Refert enim BORELLUS in observationibus; quod aliquando *ex vino* aromatisato *loco clysteris* injecto *ebrietas* fuerit secuta; non secus atque æger fuisset inebriatus. Pertinet huc, quod habet SALMUTH *Gent. 2. obs. 97.* de quodam, cui propter dolorem ex lue venereâ præscriptus fuit *Clyster cum* ʒj. *opii*, ex quo clystere propter excessivam opii dosin *coma secutum* fuit, qui tamen curatus fuit ex comatoso affectu injecto Clystere ex vino Malvatico.

Ulterius liquor inserviens clysteri *non rarò* m. DECOCTUM HORDEI, l. simplex, l. decoctum hordei cum furfuribus, ubi intentio est abstergendi & purificandi intestina.

Sapius etiam loco liquoris assumitur URIN. PUERI pro clysmate, qui Clyster ex urin. pueri est valdè expertus in *morbo hypochondriaco passione hysterica*, & in specie in *Tympanitide*, in qua Tympanitide & similibus gravioribus flatulentis affectibus, tale Clysma ex urin. pueri non potest satis commendari à VALLERIOLA. *Nunc* quidem *ipsa* injicitur urin. calefacta, *cum dissolutis* appropriatis; *nunc* v. *in urin. hac* pueri *coquuntur appropriata*. Sic v. gr. in Tympanitide VALLERIOLA Commendat insigniter Clysterem ex urin. pueri, in qua parum fermenti coquitur, unà cum semine anisi &c. & in quibus dissolvitur Mellis despumati certa quantitas: & talis Clyster est expertus in Tympanitide & similibus in flatulentiis: vid. lib. 2. obs. 2.

Hæc de liquore, sequuntur DISSOLVENDA in Clystere alterante quæ similiter *variant* pro varietate scopi à Medico præfixi.

Ubi enim scopus est purgandi, dissolvuntur PURGANTIA: ubi alius est scopus, *alia* dissolvuntur. Nunc quidem dissolvitur *Electuarium lenitivum*, quod solet dissolvi, qu. volumus leniter alvum laxare, & unam alteramve promovere evacuationem. Dissolvitur etiam in clysteribus. *Unguentum*

tum clysmaticum, quod prostat in officinis,& abstergere partim, etiam consolidare solet intestina.

Usitatè etiam dissolvitur *Electuarium de baccis lauri* ad ℥i. ad discutiendos flatus. Nam talia Electuaria ultra ℥j.ad ℥iß.vel ad summum ℥ij.non sunt dissolvenda.

Præter hæc etiam sœpius unà additur SACCHARUM aut etiam MEL, ubi opus est abstersione intestinorum: Et quidem loco mellis simplicis sœpius recipiunt mel rutaceum vel etiam mel mercurialis,uti dixi.

Ita pro abstersione intestinorum *in Dysenteria* valdopere commendat hunc clysterem simplicem AMATUS LUSITANUS *cent.2.obs.44.*

℞. *aqua hordei* ℔j.
vitell. ovor. No ij.
Sacchari Thomæi ℥ij.
M.pro Clysmate.

abstergente intestina ratione sacchari.Item *Clysterem mellitum* pro abstersione intestinorum & etiam leniendo dolore *in eodem affectu.*

℞. *decocti vel juris Galli* ℔j.
Mellis rosati ℥ij.
Vitell.ovor. No.ij.
F.l.a.Clysma.

Dissolvuntur non raro etiam OLEA, tam commun. quam appropriata, nunc *sola*, nunc *cum aliis* mista: ol.dissolvuntur,qu.opus est, lenientibus intestina & blandè demulcentibus.

Observetur autem hoc quod *quando volumus stimulare intestina*,omnino *omittenda* sint *olea*,quoniam oblinunt & demulcent acrimoniam stimuli, & sic impediunt quominus sentiatur.

Ubi E. opus est stimulo, omittantur, *ubi* vero opus *blanda* ac leni alvi subductione & *evacuatione*, tunc *ol.* commune aut ol. Rutaceum & alia appropriata solent *permisceri*. Solum *ol. Colocynthidos* QUERCETANI est, quod ratione Colocynth *stimulat*.Unde etiam tale ol.Diacolocynth: Quercetani *permiscetur* in Clysteribus *in lumbricis* intestinorum & in specie in *ascaridibus*. Dissolvitur etiam hoc ol. Diacolocynthid. Quercetani in Clysteribus *fortiter stimulantibus*, quales requiruntur in *paroxysmo Lethargico*, in paroxysmo *apoplectico*& aliis, ubi forti stimulo opus est.

Loco ol. *non raro* etiam BUTYRUM pro lenitivo & abstergente potest dissolvi.

Dicit AUCTOR, quod etiam debeant addi pulveres pro dissolutione in Clysteribus: d. tamen hoc aut *nunquam, aut raro* admodum usurpatur.

Usum obtinent Electuaria, ad quæ Electuaria m. pertinet *Diascordium* FRACASTORII, pro adstrictione & doloris sedatione à ʒj.ad ʒiß. aut ʒij.potest dissolvi. Cœterum in dysenteria & diarrhœa pro leniendo dolore *etiam* OPIATA dissolvuntur: sic commodè *Philonium Romanum* dissolvitur in Clysteribus à ʒj.ad ʒij. ad summum,ubi opus est, ut sedetur dolor intestinorum.

Loco hujus philonii etiam commode *Syrupus papaveris albi* potest dissolvi ad ℥j. qui abstergit, & ratione papaveris dolorem lenit. Item potest etiam dissolvi *opium* in talibus Clysteribus, non tantum *ubi* opus est; ut sedetur *dolor* intestinorum, in quo gr. IV. opii ad summum possunt Clysteribus addi: d. etiam *in febribus malignis cum* pertinaci *Agrypnia* conjunctis: item in febribus malignis cum *deliriis* & similibus affectibus Capitis complicatis.

In tali casu commode *Laudanum opiatum* potest addi Clysteribus, inprimis *in virium debilitatibus, in quibus non* commodè potest propinari *per os* opium, in tali casu potest ad gr. VII. Clysteribus adde,

Cauto tamen hic *opus est*,ne ex nimia dosi somnus inducatur perpetuus. Quale exemplum refert Gatinaria scil. se novisse mulierem nobilem,quæ cum per plurimas dies stetisset insomnis, suppositoriis tamen opiatis admotis somno perpetuo correpta fuerit. Quod hic valet de suppositoriis, valet etiam de clysteribus. Dissolvitur hoc pro scopo non raro *Theriaca* in Clysteribus à ʒj. ad ʒiß.ad ʒij. ad summum.

Pertinent huc etiam *Clysteres* TEREBINTINATI in *Colica* nephritica & *dolore nephritico* aliisque his cognatis morbis.Dissolvitur terebinthina ad ʒj. ad ʒij.aut etiam ad ʒiij.aut in decocto appropriato,aut in lacte, aut simili alio liquore,v.gr.sit *Clysma* anadyno-consolidativum *in dysenteria* expertum.

℞. *Lactis Vaccini* ℥viij.
Terebinth.Cyprini.l.Veneta ℥ij.
Diascordii Fracastorii ℥iß.
*Vitell.ovor.*No.I.
M. Fiat Clysma,

injiciendum tepide: valdopere *expertum* est hoc Clysma *Belgis* in talibus casibus: in *exulceratione intestinorum*: item in *Tenesmo* ex excoriatione ani. Commode etiam *ol. Terebinth.* item *Balsamus sulphuris Terebinthinatus* potest permisceri Clysteribus uti etiam ʒj. *ol. Ceræ* commodè potest dissolvi in Clysteribus appropriatis, in tali intestinorum exulceratione: ol.vero Terebinth. à ℈j. ad ʒß. uti m. Balsamus sulphur.terebinthinatus potest addi.

Pertinent huc etiam *Clysteres ex cancris* fluviatilibus parati, qui egregiè conveniunt *ad præcipitandam materiam acidam* aut corrosivam in intestinis, ad consolidanda intestina *in ulceribus* eorundem valde etiam conveniunt tales Clysteres ex cancris fluviatilibus: in *abscessibus mesenterii* & similibus morbis, ubi opus est medicamentis vulnerariis, inter quæ excellunt cancri. Sic v. gr. sit tale Clysma.

℞. *juris s. decocti cancr. fluviatilium* ℥viij. in quo potest dissolvi.
Electuarii lenitivi ℥ß.
Cassiæ pro clysteribus ℥iß.
ol. Nymphea,
Chamomillæ ana ℥ß.
nitri *antimoniati* ʒß.
F. Clysma.

Vel alio modo & efficaciori præscribitur ita:

℞. *Juris cancrorum fluviatilium* ℥vj.
succi cancror.fluvi,contusor: ℥ij. Colatur. ℞. adde.
Electuarii lenitivi.
Syrupi de Symphyto Fernelii.
(pro consolidatione) ana ʒvj.
(Nam Syrupi commode etiam possunt dissolvi)
Nitri antimoniati ℥ß.
M.pro clysmate.

Nitr. *antimoniatum* commodissimè dissolvitur in Clysteribus, in primis in iis, qui infunduntur in Febribus, ubi opus est præcipitatione & compescentia ardoris febrilis. Notum enim est, quod nitr. antimoniatum specifice conveniat in talibus morbis,sive ore assumatur,sive cum Clysteribus infundatur.

Non rarò etiam & satis convenienter SOEVUM HIRCINUM dissolvitur in Clysteribus idque in *dysenteria* pro consolidatione intestinorum, & commodè cum ℥viij. Lactis Caprini, *sevi caprini*, vel etiam; quod melius est, *sevi cervini* ℥ß.vel ʒvj. potest dissolvi.

In quo rectè adhortatur AUCTOR, quod *tunc* temporis sit *omittendum vitellum ovi*; quod non rarò additur, quoniam hæc se invicem coagulant. vid.de hoc MORELLUS.

Non raro cum Clysteribus injicitur aut dissolvitur SAL GEMMÆ quod est excellentissimum & omnibus præferendum, *ubi* intestinorum *fæces ex* nimi-

nimiâ *duritie* non possunt excerni: In quo casu clysma in quo SALGEMMÆ ad ℥j. dissolutum est mirifice commendatur à FORESTO, quod potenter emolliat fœces nimis duras, easque emollitas foras evocet. In cujus usu *observetur, ne addatur ol.* uti dixi superius, ne stimulus inhibeatur.

In *Clysteribus nutritivis*, quod vocant, præter juscula Caponum & pullorum, dissolvuntur vel *vinum* vel *vitellum*, vel etiam *Confectio alkermes*, & similia *alia confortantia* & corroborantia.

Modernorum inventum est, addere clysteribus etiam SALIA VOL. pro fortiori penetratione, & excellentiori operatione. Et quidem talia salia vol. non tantum commodè dissolvuntur in Clysteribus ad *passionem hystericam* & *hypochondriacam* destinatis, n. etiam in *Epilepticis* & *Apoplecticis* Clysteribus: ubi omnino fortes requiruntur Clysteres: Item in doloribus & *Torminibus infantum* ab acido lacte corrupto ortis commodissime talia Clysmata cum salibus voli possunt injici.

Formula talis Clysmatis *in suffocatione uterina* sit talis.

℞. *herb. Matricariæ.*
Rutæ.
Chamomillæ ana Mj.
Rad. Levistici ℥j.
Brygoniæ ℥ß.
Baccar. Lauri.
Iuniperi ana ʒvj.

Coquantur in s.q. aqua communis: Colaturam.
℞. adde
Electuar. hier. picr.
cum agaric. ℥ß.
(alias præscribitur ad ℥j. considerentur circumstantiæ.)

Castorei ʒj.
Sal. vol. C.C. ℈j.
Vitell. ovor. No. j.
M. F. Clysma.

applicetur mox tepidè. Dico mox. ne exhalet C. C. sal. vol. vel quod convenientius est, sub ipso applicationis puncto facilè & promptè potest addi sal. vol.

Pertinet huc singulare inventum, quod habet BACO DE VERULAMIO, *in hist. vit & mortis pag.* 126. qui Clysteribus refrigerantibus in *morbis calidis addit* etiam *Camphoram* ad aliquot grana *pro refrigerio*. Quod inventum est egregium *in febribus malignis*, ubi opus est, ut infundatur Clyster: Cum Camphora per se sit excellens alexipharmacum. Alias in talibus Clysteribus febribus malignis destinatis dissolvitur *tryphera persica* à ʒvj. ad ℥j.

Pertinent huc etiam *Clysteres ex fumo* TABACI, qui valdè conveniunt *in affectibus intestinorum*, quoniam promptè & citò expurgant. Et talem Clysterem *cum instrumento singulari* unusquisque sibi potest applicare. Cujus instrumenti delineationem & etiam modum fumum Tabaci applicandi describit BARTOLINUS *in Cent. 6. histor. anatomic. 66.*

Hæc de Clysteribus alterantibus: Sequuntur *Clysteres* PURGANTES & *evacuantes*.

In quibus componendis interdum liquor est purgans, interdum ea quæ dissolvuntur in eo, vim habent purgantem & stimulantem: interdum utrumque vim laxativam obtinet.

Quando liquor est *purgans*, tunc recipitur decoctum alterans, cum quo simul *decoquitur semen Carthami* in petiâ ligatum à ℥iij. ad ℥ß, aut etiam solum ad ʒvj, vel etiam *agaricus* in petiâ ligatus incoquitur ad ℥ß. (dosi ferè decocti) vel *Colocynthis* in petia ligata ad ʒj aut ʒij, sive coquatur nunc cum reliquis appropriatis & alterantibus, sive sola decoquatur, perinde est, supputandæ enim hic sunt doses. *Non coquitur Colocynthis in substantia*, ex eo, quoniam partes mucilaginosæ Colocynthidis adhærent intestinis, & inducunt exulcerationem, uti monui superius de Colocynthide.

Usitatius tamen loco Clysteris purgantis *dissolvuntur purgantia in decocto* verbi gratia, in specie quidem *mella* saccharata, Mercuriale, violaceum & rutaceum, de quibus paulo ante dixi. Dissolvuntur etiam *Electuaria* purgantia: Electuarium lenitivum ab ℥j. ad ℥iß. Tryphera persica ad ℥j. Electuarium de hiera pict. à ʒiij ad ʒvj. Electuarium de hiera picra cum agarico ℥ß. ubi vero fortius stimulandum, dissolvitur ad ℥j. Ingenere rectè dicit AUCTOR, quod dissolvantur electuaria *purgantia in dosi dupla* ad eandem, quæ per os assumitur.

In parte anteriore habet AUCTOR omnium Electuariorum doses, quæ videantur ibidem.

Fit etiam *non raro*, ut *massa pilular.* in Clysteribus dissolvatur pro purgatione, idque à ʒß. ad ʒj. adsummum ℥ij. Vid. elegans AUCTOR, ubi habet de quantitate purgantium observanda in clysteribus.

Modernis in usu etiam est, recipere aquam *benedictam*, vel infusionis vitri Antimonii, vel Croci Antimonii, vel Mercurii vitæ, quam *addunt* Clysteribus *in* contumacissimis *ani obstructionibus* in *passione Iliaca* & *Colica torminosa* cum alvi retentione: In tali casu frequenter moderni, reliquis purgantibus omissis, ℥iij. ℥iv. hujus aquæ benedictæ solent addere liquori ceu Clysmati infundendo.

Aliquando *Colica* quædam à RULANDO fuit curata, aliis multis irritis hoc *Clysmate*.

℞. *Iuris pisorum* ℥viij.
Sacchari ℥ß.
Aqua benedict. ℥iiß.
ol. Communis ℥iv.

M. & injiciantur quavis horâ, quamdiu recrudescunt dolores. Vid. *in Thesauro p.* 227.

Simili clysmate à RULANDO cuidam PUERPERÆ per 24. dies *alvum obstructam tenenti* & stercora jam per os evomenti, eadem aperta fuit.

Sed, ubi talia fortiora præscribuntur, ibi necessum est, ut habeatur accurata ratio ingredientium: uti *interdum* observatum fuit, quod talis aqua *benedicta*, *cum clystere* infusa, soleat *excitare Vomitum*.

In paroxysmo *Apoplectico*, *Epileptico*, *Catarrho*, ut vocant, *suffocativo* & similibus aliis *fortissimi requiruntur Clysteres*, uti etiam *in omnibus affectibus soporosis* qui fortiter stimulant, qui purgant, & maturam à superioribus partibus ad inferiores revellunt. *In Catarrhis*, item in *Pleuritide* & *affectibus pectoris* tales *clysteres acres* & fortiter stimulantes similiter usurpari debent.

Exemplum talis Clysteris fortis *in affectibus* præscribendi sit hoc.

℞. *Herb. serpili.*
origani.
rutæ ana Mj.
Flor. lilior. convall.

Stœchad. Arab.
Cent. minor. ana pj.
(hæc omnia sunt acria & aspera)
Sem. Cartham. in petia ligat. ℥ß.
pulp. Colocynthid. in pet. lig. ʒj.
Rad. pyrethri ʒij.

(quæ fortissimè stimulari solet, & in talibus tantùm affectibus adhibetur, modo plus, modo minus, prout reliqua ingredientia sunt vel fortia, vel debilia)

Coquantur in s. q. aqua communis:
Colaturæ ℞. ℥viij.
dissolve *Electuarii hier. picr. cum agar.* ℥j.

Extract. Castorei ℈ß.
Fell. tauri inspissat. ʒj. ad ʒij.

(Hoc fel tauri fortiter solet stimulare, & etiam rectè permiscetur Clysteribus, ut fortius revellere possint naturam à partibus superioribus, interdum solum sufficit:)

Ol. Rutæ still. gut. vj.
Vitell. ovor. No. I.
M. F. Clyster.

Quod *si* obstarent *flatus*, & Clyster unâ vice non possit injici, tunc *partitis vicibus*, secundus vel tertius est injiciendus una vice unâ vel dimidia hora post alterum.

Hæc de modo componendi & præscribendi Clysteres: *sequitur* illorum USUS.

In genere moneo, quod propter *valvulam* Coli, quæ est in principio Coli, ubi intestinum cœcum cohæret cum colo, non possit transcendere *Clyster ultra colon*, obstructâ enim hâc valvula, nihil omnino, ne guttula quidem potest remeare. Fit quidem *interdum*, ut Clysteres injecti per anum, ejiciantur *per vomitum*, d. non nisi *in desperatis casibus* morbi Iliaci s. miserere mei dicti, in quo cum omnium intestinorum motus sit inversus, deorsum sursum, etiam hæc valvula inverso modo movetur, & deorsum sursum potest admittere Clysterem. In aliis casibus, ubi naturaliter constitutum est corpus, ut guttula potest penetrare ultra hanc valvulam circa intestinum colon. Nihilominus cum *clysteres*, ceu aliquid extrinsecum, infusi, *irritent* & stimulent tam *intestinum* rectum, quam in specie intestinum Colon, tunc *ex* irritatione *istâ* continua oritur *contractio*, & propter continuam substantiæ cohesionem simul irritantur reliqua, quâ irritatione intestina *contracta* contenta *excrementa propellunt*, & inferiora versus detrudunt.

An verò etiam *partes* quædam *subtiliores*, quales sunt salia vol. possint *penetrare per valvulam coli*, *res* est incognita, & ignota, & omnino *dubia*. Cæterum cum *lacteæ* qq. venæ derivantur *ad intestinum colon: per has* ipsas quædam ex Clysteribus derivari *in Mesenterium*, nullum est dubium, imo per mesenterium ulterius per ductum Thoracicum infundi Massæ sanguineæ.

His præmissis facilè constat, quid de usu clysterum habendum sit, quod *conveniant in* quibuscunque *intestinorum affectibus*, in specie si intestina crassa simul laborent. Ulterius conveniunt valdè in *affectione hypochondriaca & hysterica*, quarum sedes solet esse vel in stomacho, vel in intestino duodeno, ubi succi pancreaticus & biliosus confluunt.

In Malo hypochondriaco quotidianus vel alternans usus, aliquot desperatos sublevavit. In *dolore Nephritico* Clysteres terebinthinati: item Clysteres ex urina pueri cum sale vol. succini, multum præstant in sublevando dolore, & demulcendo furore intestinorum.

In affectibus *Mesenterii*, quales sunt *inflammationes*, *infarctus* & in similibus, forsan etiam in *tumoribus glandularum* Mesenterii *scirrhosis* & similibus aliis insigniter conducunt Clysteres. *Ante paroxysmum febrium* intermittentium injecti hi ipsi insigniter prosunt: in *asthmate* & *Tussi*; item in *Capitis* periculosis *affectibus* ut beneficio talis intestinorum irritationis massa sanguinea uberius influat, & sic quæ adsunt excrementa ibidem deponat. Valdè conveniunt Clysteres in affectibus Capitis *Vertigine*, *Epilepsia*, *Apoplexia* & similibus, in quibus, uti superius dixi, fortiores & acutiores Clysteres omnino sunt injiciendi. D. MICHAEL curavit hic aliqu. famulum mercatoris horrendo *hydrocephalo* laborantem solum beneficio Clysteris ex hydragogis parati.

Quæstio est, AN CLYSTERES etiam confortent & NUTRIANT? Cæterum *res* est *ridicula*, & parum subsidii ex illis expectandum & promittendum. Cum enim nihil possit nutrire, nisi quod fuit subactum in stomacho, & à quo heterogenea s. scybala per præcipitationem in duodeno ex admisto succo pancreatico & bilioso fuerunt saparata; item cum nihil nutriat, quod non tinctum est sulphur. bilis rubineo, facilè patet, quod tales clysteres, cum non adscendant ultra colon, non possint nutrire, multò minus confortare, d. ceu inania & ridicula figmenta anilia sint rejiciendi. Reliqua vid. in HELMONT: *tract. de Febribus* qui est infensissimus Clysterum hostis it. vid. HOFFMANNUS in *Methodo medendi*, ubi de clysteribus.

Habuimus Clysteres & injectiones in anum, sequuntur considerandæ variæ injectiones, quæ instituuntur non rarò in alias partes, & sunt injectiones variæ, uti inscribitur AUCTORIS.

MORELLI CAP. XV.

De injectionibus variis.

PRæter *injectiones*, quæ in anum fiunt, aliæ etiam in varias corporis nostri partes præscribuntur: *In aures, Uterum, Vesicam, Penem, Sinus, Fistulas maximè*, quæ generis nomine *Clysteres* etiam appellantur.

In Aures

COMPONUNTUR, Ratione QUALITATIS, VEL ex solis *oleis*, *succis*, *aquis*, *decoctis* idoneis, pro varietate affectionum.

VEL ex horum duobus, tribus, simul mixtis, in quibus aliquando varia scopo inservientia *dissolvuntur*; sed parca dosi, quæ ferè etiam sunt liquida.

Quod ad QUANTITATEM liquidorum, *Oleor.* unc. s. unc. j. drach. vij. sufficiunt, pro ejus efficacia & usus longitudine, *Succi*, *aquar. decoct.* unc. j. unc. ij. sive sola, sive mixta, sat erunt, pro usu & efficacia.

Quod ad QUANTITATEM solvendorum parca est, propter exquisitum sensum & parvitatem partis, & si sint *pulveres*, ad ℈ s. scrup. j. si *pinguia*, drach. ij. *mel* ad unc. s. &c.

USUS & FORMULA. ℞. *&c.* instillentur in aurem gutt. 2. 3. plures, pro medicamenti facultate, aliquando & liquore auris poterit adimpleri; sed paulò post reclinato capite expurgari, ut maximè, cum decocto utimur: si *Oleum* sit solum, guttæ quædam infunduntur, obturatur dein auris cotone muscatellino, maximè si affectus frigidus.

UTILITAS maximè ad inflammationes, dolores, ulcera, tinnitum, surditatem, vermes, & alios aurium particulares affectus: vide materiam.

In Uterum.

Vocantur alias Clysteres uterini, *Syringa verò per quam liquor in uterum infunditur, Græcis dicitur* μητρεγχύτης, *unde & ipsa medicamenta* Metrenchytica.

COMPONUNTUR, Ratione QUALITATIS, ex *Decocto* Radic. Folior. &c. dosi clysteris, de cujus colatura cape unc. iij. iv. fiat injectio: servatur tamen ℔j. pro pluribus injectionibus, aliàs verò etiam huic liquori usitatè addi possunt varia pro scopo, ut dictum in alterante clystere, eaque dosi dimidia vel potiùs subtripla.

VEL ex *Succis* herbarum depuratis.

VEL ex *Aquis destillatis.*

VEL alio *Simplici liquore*: vide Clysterem.

VEL ex iis mixtis, ita ut unc. iij. iv. pro injectione sufficiant, in quibus, ut dictum, si quæ faciant ad intentionem, dosi dicta poteris dissolvere.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat* injectio in uterum tepidè per metrenchytem.

UTILITAS ad varios uteri affectus, ad inflammationes, ulcera, dolores, flatus, calefaciendum, refrigerandum, menses movendos, sistendos, secundinas, uteri prolapsum, impuritates varias detergendas. Materiam vide in hystericis & aliis tabulis.

In Vesicam & Penem.

COMPONUNTUR ratione QUALITATIS ex *Liquore* idoneo, ut sæpiùs dictum, simplici, composito: vide Clysterem alterantem: fiunt & ex Emulsionibus, ut passim in gonorrhæa, ad ardores.

Quod ad QUANTITATEM, ℥iij. ℥iv. sufficiunt.

NOTA, in hoc alias aliquando dissolvi *Mel* præsertim, vel *Syrupum* idoneum ad ℥j. nonnunquam rerum variarum *pulverem*, sed lævigatum in Alcool, ad drach. j. drach. ß. drach. ij.

USUS. ℞. *&c.* fiat injectio per syringam: aliquando, ubi via in vesicam præpedita, illud cum cathetere perficiendum imperatur.

UTILITAS maximè ad detergendum tum mucum vesicæ orificio adhærentem, tum ulcerum sordes, ad dolores, exulcerationem, carnis excrescentiam, &c. ad ardorem & inflammationem, ut passim in gonorrhæa virulenta, ad ulcera exsiccanda, &c.

In sinus & fistulas

COMPONUNTUR ex *liquore* idoneo, cujus dosis pro fistulæ amplitudine, in quo dissolvuntur idonea, idque dosi liberaliore: ubi injectiones alias privatas imitare quod ad QUANTITATEM liquoris & dissolvendorum sc.

USUS. Fiat injectio per syringam.

UTILITAS. Ad callorum obscurationem, maximè detersionem, carnis generationem, ad cicatrizandum, quorum materiam vide suo loco.

R. Ol. Viol. Nymphææ. an. unc. s.
Instilletur sæpius gutta una vel altera.

R. Succ. Lactuc. Portulac. Viol. ana unc. s.
Aqu. Rosar. Nymph. an. drach iij.
M. & f. *injectio in aurem.*

R. Rad. Fœnic. Ireos. fl. an. unc. j.
Rubiæ tinct. Cyclamin. an. unc. i. s.
Herb. Matricar. Artemis.
Salv. Mercurial. an. Mj.
Puleg. Origan. Calaminth.
Chamœdr. an. Mj.
Sem. Fœnic. Dauci, Nigell. an. ʒj.
Fl. Stœchad. Centaur. min. Genist.
Spicæ nard. an P. ß.
Cinnam. ʒij.
Coq. in æquis part. aq. com. & vini alb. ad ℔j.
Colaturæ unc. iij. injiciantur calide per vices, cum metrenchyta in *Uterum*, ad eum calefaciendum.

R. Rad. Consol. ℥j.
Caud. equin. Pilosell. an. Mß.
Fl. rosat. hyperic. an. P j.
F. Decoct. in aq. chalyb. in Colaturæ ℥iij. dissolve.
Mell. rosat. colat. ℥j.
Injiciatur per Siphonem in *vesicam* ad consolidandum.

R. Vini destil. ℥ij.
Malvat. ℥j.
Mell. rosar. unc. is.
Myrr. ʒij.
Sarcocoll. Aloës. an. ʒiß.
Coq. leniter, injiciatur *Utero* per syringam, ad abstersionem.

SCHRODER. CAP. LXI.

De Gargarismis, Diaclysmatis & Dentifriciis liquidis.

Diaclysmata, (Collutiones oris) sunt liquores, qui in ore detinentur, iterumque exspuuntur. Hi si gargarisando adhibeantur, dicuntur Gargarismi seu Gargarismata, quod tamen vocabulum etiam generaliter pro diaclysmate non rarò usurpatur. Eadem si phlegmati è cerebro eliciendo destinantur, Apophlegmatismi nomen assumunt.

Liquores hi in Officinis pro usu nulli extant, sed ex tempore, ad præscriptiones datas, dispensantur. Fiunt utplurimum ex aquis (simplici vel destillata,) succis, decoctisve convenientibus, in quibus pro libitu diluuntur syrupi, mella, sapæ (℥ij. iij. iiij, ad ℔. i. aquæ) tantillum aceti, aluminis usti, Sal. nit. crudi, præparati, spiritus Sal. nitr. Vitrioli, & simil. In summa, omnis generis liquores, & quicquid in his dissolubile est, diaclysmata ingredi non nequeunt.

Exempla sint

1. *Diaclysma Odontalgicum & apophlegmatizans.*

℞. Piper alb.
long.
Cubeb.
Staphisagr.
Cort. mori.
mandrag. ā. ʒj.
Rad. pyrethr. ʒij.
Contundantur, & ex vino albo f. decoctum ad ℔. i. In colatura dissolvatur tantillum aceti.
F. Diaclysma.

2. *Diaclysma refrigerans.*

℞. Cancros viv. N. v. vj. vel viij.
Sedi major. M. iij. vel iv.
Contunde & exprime succum.
Vires. *Maximè prodest in inflammatione oris & faucium.*

3. *Diaclysma ad gingivas.*

℞. Aqu. Chelidon. min. bis destillat. ℥ iv.
Aluminis usti ʒj.
M. & si libet f. filtratura.
Vires. *Insignium virium est in gingivarum putredine.*

4. *Aliud.*

℞. Aq. Chelidon. min.
Plantag. an. ℥iß.
Cochlear. ℥j.
Extr. Chelid. min. ʒj.
Mell. rosat. ℥ß.
Spirit. Vitrioli g. vi. M.
Vires. *Vires easdem cum pracedenti obtinet, sed feliciores, præsertim in gingivarum putredine scorbutica.*

5. *Diaclysma seu Gargarismus antiscorbuticus, S. Closs.*

℞. Herb. cochlear.
Pyrol.
Becabung.
Nasturt. aquat. ā. Mj.
Rad. aristol. rot.
Enul. camp. an. ℥j.
Rhabarb. opt. ℥ß.
Beccar. laur. ℥vi.
Croci ℈j.
Zinzib. alb. ℥ij.
F. pulvis grossus: Maceretur per biduum in ℔ij. cerevis. veter. idque in diplomate, decoctum coletur.
Vires: *Valet ad gingivas scorbuticas & sanguinifluas. Patiens eo os colluat, ac mane & vesperi ℥ij. de eodem hauriat.*

6. *D. ad faucium inflammationem.*

℞. Aq. Plantag. ℥ij.
Rosar.
Acetos. ā. ℥j.
Prunell. ℥ij.
Rob Diamor. ℥ß.

Sal.

Sal. nit. præparat. ℨß.
M. F. Gargarismus.

7. *Diacl. apophlegmatizans.*

℞. Cort. rad. sambuc. ℥j.
Rad. Galang. ℨß.
Pyrethri. ℈ij.
Fol. Betonic.
Origan.
Majoran.
Meliss. ã. M. j.
Cubebar. ʒiß.
Sem. Sinap. ʒi.
Vvar. passar. M. i.
Coquantur in vino vel aqua.
℞. Colatur. ℔iß. præter propter.
Oxymel. scyllit. ℥iii.
M. F. Gargarismus.
Vires. *Phlegma à cerebro elicit.*

8. *Huc referendi sunt* LIQUORES *fricandis dentibus, gingivisque destinati.*

℞. Aqu. Prunell.
Plantag. ana ℥iii.
Rob Diamor.
Syr. rosar. siccat. ℥ß. vel ℥i.
Spir. Vitrioli ℨß. M.
Inservit ad dentes dealbandos, extergendos, stabiliendos.
N. *Spiritus acidi prosunt maximè ad dentes dealbandos, sed & stuporem eorum inducunt.*

FIUNT scil. liquores ex appropriatis, qui liquores *injiciuntur* in quandam *cavitatem* pro usu destinato. Et quidem CAVITATES istæ *sunt* vel NATURALES, vel PRÆTERNATURALES, Quoad cavitates *naturales*, sunt istæ vel OS, AURES, PENIS & VULVA. Interjectiones *præternaturales* in cavitates sunt; quæ fiunt in ABSCESSUS, FISTULAS, ULCERA CAVA & SINUOSA.

Inter injectiones in cavitates *naturales* I. se offerunt ratione situationis, quæ injiciuntur in AURES. Id quod injicitur est liquor quidam.

LIQUOR qui est injiciendus *in affectibus aurium est varius* in genere SUCCUS vel simile appropriatum auribus instillatur, ut verbi gratia injicitur *succus absinthii* vel solus vel permistus cum syrupo absinthii, vel permistus cum melle rosato, instillatur *in ulceribus* aurium; Instillatur una alterave gutta, & denuò exterguntur aures.

Vel assumitur in loco liquoris non raro

AQUA.

appropriata verbi gratia, *in surditatibus* aurium valdè commendatur aqua *Cardui benedicti* & *Castorei*, si aliquot guttæ instillentur; Item si *Essentiæ castorei* & Essentiæ *Cardui benedict.* una alterave guttula instilletur auribus. Quo pertinet *spiritus acuisticus* MYNSICHTI, vel *spiritus acuisticus* MINDERERI, quæ sunt instillandi ad aliquot guttas in aures.

Non raro loco liquoris assumitur

URINA.

pueri l. *phlegma* ejusdem elicitum per alembicum, quæ urin. uti & phlegma spirituosum scilicet salinum, sunt egregii usus *in affectibus aurium*: instillantur aliquot guttæ *pro abstersione* & *mundificatione* aurium.

Item quidam LACTIS communis ℥ij. miscent cum mellis ℥j, & instillant, vel cum instrumento injiciunt in aures purulentas & sordidas in infantibus, in quibus sunt frequentes, inprimis post variolas solet sequi surditas infantum. Sic FORESTUS habet exemplum de puero post variolas surdo facto, qui cum per 3. annos sordida & fœtida per aures excreverat, curatus fuit cum succo ceparum & Rhodo melite, instillato vel injecto.

Sæpius adhibentur DECOCTA *appropriata* pro aurium affectibus: ut qu. verbi gratia in *Vermibus* aurium recipitur, decoctum *absinthii*: it. decoctum *Card. benedict.* & in tali aliquo decocto dissolvitur *hier. picr.* l. species hier. picr. & hæc mistura injicitur vel instillatur in aurem, tunc facilè & promptè solent expelli vermes. Item quando in *tinnitu* aurium, vel etiam in aurium *surditate* injicitur *decoctum* RONDELETII expertum, cui, hæc est compositio:

℞. *Rad. hellebor. alb.* ℥iij.
Fol. Laur.
Rutæ aa. Mß.
fraxini. Mj.

Fiat decoctum in vino Malvatico vel in vino albo. Vel fiat decoctum in ol. amygdalarum amararum quod decoctum colatur, postmodum injicitur per aliquod instrumentum per siryngam, vel instillatur in aurem ad tollendam surditatem & corrigendum Tinnitum quod si postmodum tale fuit injectum, semper *auris munienda* est apposito *Cotone* vel bombace, eoque repleto vel aliquot granis ambræ, vel aliquot granis moschi. Est enim talis *bombax* vel *moschatus* vel *ambratus*, in quibuscumque *aurium affectibus*, si semper eodem aures muniantur, *conveniens.*

Quoad *quantitatem* talium injiciendorum in aurem, cum parum & saltim aliquot guttæ injici queant: propterea ad ℥j. vel ℥ij. raro præscribuntur, d. in ʒvj. vel ℥j, subsistitur, habito tamen respectu, an rarius, an vero frequentius repetenda injectio, quod relinquendum est judicio Medici.

His ipsis *in decoctis* & aquis *infundendis* interdum *dissolvitur mel*, pro abstersione *in ulceribus*: interdum *Castoreum* in *gravitate auditus* & *Tinnitu*: interdum dissolvuntur *Essentiæ* quædam *acouistica* ex asaro, helleboro nigro, Colocynthide & similibus, quæ ipsa pro varietate effectuum scilicet efficaciæ, prout sunt vel fortiora vel minus fortia, in minori vel majori *dosi* præscribuntur. Essentiæ ʒi. ad ʒij. commodè dissolvitur in ℥j. liquoris: item Mellis in ℥j. à ʒj. ad ʒij. & sic m. de succis & similibus. Sic *in inflammatione* aurium commodè instillatur, vel injicitur *succus* expressus *sedi majoris*, in quo dissolutum fuit tantillum nitri depurati, dico tantillum, quoniam impossibile est, omnia determinare: Undè pro varietate circumstantiarum judicium ferendum est à Medico. Sed hæc pertinent ad specialem materiam Medicam de effectibus aurium.

Post ea quæ injiciuntur in Aures, sequuntur ea quæ injiciuntur in OS.

Et tales injectiones in os vel simpliciter detinentur in ore, & tunc vocantur DIACLYSMATA; sin verò non simpliciter detineantur, d. beneficio aëris ex asperâ arteria exspirati agitantur & moveantur, & ita gargarisando usurpentur tunc vocantur GARGARISMATA.

MORELLI CAP. V.

De Gargariſmate.

Cum commentar. Gerard. Blaſii.

MEDICAMENTUM *liquidum eſt, affectibus oris, gingivarum, faucium, laryngis, aliquando & capitis dicatum, gargariſando,* ut vocant, *fauces, colluens, ſine deglutitione.*

α COMPONITUR ex *Aquis & Diſſolvendis* idoneis.

AQUÆ ſunt *Aquæ deſtillatæ,* quæ ferè ad ℔j. ℔iß. uſurpantur.

DISSOLVENDA, ſemper *Syrupus* idoneus ad unc. iij. iiij. aliquando, pro ſcopo, *Diamoron, Dianucum, Mel, Succus idoneus,* ut & *Acetum, Omphac.* in repellentibus: ad unc. ij. unc. iij.

β VEL ex *Aquis & Succis* maximè frigidis: illarum unc. viii. x. horum unc. iiij. cùm diſſolvendis dictis.

γ VEL quod paſſim, ex *decocto* variarum partium ſtirpium pro ſcopo, paucarum, plurium, doſi ferè clyſteris, facto in liquore idoneo, in cujus colaturæ ℔j. ℔iß. jam dicta diſſolvuntur.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat gargariſma,* quo colluat os ſæpè, per horam ante prandium & cœnam, vel etiam omni hora ſi opus, frigidè ſi repellamus, tepide ſi digeramus.

UTILITAS varia pro affectuum varietate, ad repellendum initio inflammationum, ad omnem intemperiem calidam oris, ad defluxiones, ad detergendum, ad digerendum in inflammationibus, oris fœtorem, & varios ipſius & faucium affectus. Aliquando (etſi rariùs) fit ad pituitam è capite purgandam, ex decocto incidentium, detergentium & tenuium cephalicorum; ſed maſticatoria præſtant.

α I. R. Aqu. Stillat. Plantag.
Solan Roſar. an. unc. iij.
Aceti unc. i. s.
Syrup. Granat. acid. Myrtin. an. unc. i.
M. f. *gargariſma.*

II. R. Aq. Prunell. ℥ii.
Acetoſ. Roſar. an. unc. i.
Syr. Diamor. unc. iß.
Nitri præp. ſcrup. j.
M. f. *gargariſm. ad anginam.*

β R. Succi Cydon vel Granat. ℔ s.
Aq. comm. unc. iii.
M. f. *gargar. adſtringens ad tonſillas inflammatas.*

γ R. Fol. Acetoſ. Portulac. Plantag. an. M j.
Corr. granat. Sem. Sumach. an ʒii.
Roſar. rubr. ſicc. P. ij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. Colaturæ adde
Syr. Diamor. Dianuc. Aceti an. ʒj.
M. f. *Gargar.*

Tales *in Os injectiones,* & infuſiones quæ fiunt per ſiphonem, denuò *conſtant,* ſicut aliæ injectiones & clyſteres, *ex liquore* appropriato *in quo quædam diſſolvuntur.*

Quoad *liquorem* interdum tantummodo ſumuntur AQUÆ DESTILLATÆ ſcopo præfixo idoneæ. Ut qu. verbi gratia *in ſcorbuto oris* detergendæ ſunt gingivæ & dentes, & curandæ earundem exulcerationes, & firmandæ dentes vacillantes, tunc recipiuntur *aqua antiſcorbutica.* In *inflammatione faucium* & tonſillarum & in principio Anginæ recipitur *aqua prunellæ,* ſempervivi, plantaginis & ſimiles: præter aquas *interdum* cum iis ſumitur SUCCUS *quidam,* qui cum aquis diſſolvitur & ad os vel gargariſandum vel ſimpliciter abluendum adhibetur: ut qu. recipitur *in inflammatione faucium* unà c. aquæ prunellæ *ſucci* cancrorum fluviatilium & *ſucci ſedi majoris,* ita quidem, ut ad ℔ß. aqua ℥iij. vel ℥iv. ſuccorum poſſint aſſumi. Vel denique *uſitatiſſimum* m. eſt, ut fiat DECOCTUM inſtar ejus, quod fieri ſolet in clyſteribus ex herbis, foliis, radicibus & ſeminibus &c. & hæc decoquuntur in ſ.q. aquæ ſimplicis, non nunquam m. decoquuntur *in ſero lactis in affectibus oris ſcorbuticis:* interdum *in aqua & aceto* inprimis *in* doloribus dentium & *odontalgiis.*

Colaturæ poſtmodum poteſt injici in os ſive ut *diacluſma,* ſivè ut *gargariſma.* Interdum m. recipere ſolent LAC pro gargariſmate *in ulceribus oris* cum inflammatione conjunctis; item in *ſcorbuto oris,* in ore mundificando.

Talia decocta *fiunt ex appropriatis,* ut verbi gratia, *in* principio *Anginæ* & inflammatione *tonſillarum* ex blandè *adſtringentibus,* in progreſſu ex *diſcutientibus,* in ſtatu vel ſuppuratione anginæ aut inflammationis tonſillarum ex emollientibus & *ſuppurantibus, in ulceribus* oris & faucium, in ulceribus Columellæ ex *detergentibus* & *conſolidantibus* & ſimilibus aliis.

In his liquoribus, ſive ſint aquæ, ſive ſucci, ſive decocta, *diſſolvenda* m. veniunt *appropriata:* ſic verbi gratia *in inflammatione faucium* convenienter diſſolvitur vel *nitrũ fixum* vel *nitrum,* benè depuratum, in quidem, ut in ℔j. decocti vel liquoris diſſolvatur ʒß. ad ʒj. & raro plus. Sæpius m. diſſolvitur Rob *nucum* & *Rob diamoron,* uti ſuperius monui, in ℥VIII. vel ℔ I. iſtorum liquorum, horum Rob ℥j. ad ℥ij.

Interdum m. diſſolvitur *alumen uſtum* in talibus liquoribus appropriatis, d. in parva admodum doſi, propter vim nimis adſtrictoriam: ita ut ad ℔ j. vix ultra ℈j. adſurgere liceat. In talibus liquoribus *in inflammatione faucium* & ariditate linguæ, & cum iiſdem ingredientibus *febris malignis,* convenientius diſſolvitur *ſal armoniacum,* ita tamen ut ad ℔j. liquoris injiciendi, vix ultra ʒj. adſcendere liceat. Non raro etiam *Mel* ſolet diſſolvi in talibus liquoribus, inprimis *in exulceratione faucium,* ubi opus eſt deterſione ulceris, ut in *aphthis* & ſimilibus.

Hujus in ℔j. liquoris commodè ℥ij. ad iij. poſſunt diſſolvi. *Cum melle interdum* aliquot guttæ *ſpiritus ſalis* ſunt addendæ liquori in os injiciendo, idque inprimis *in ulceribus* oris & faucium *ſcorbuticis.*

Exempla talium injectionum in os poſſunt præſcribi varia pro varietate liquorum verbi gratia, ſit 1. *Gargariſma* aut m. *Cataclyſma* oris *in amiſſa loquela* ex inſultu apoplectico. h. m. & quidem ex decocto.

℞. *herb. ſalviæ,*
pulegii,
roſmarini aa. Mj.
Rad. pyrethri ʒß.

(quoniam eſt fortis & admodum acris, propterea in parva doſi præſcribitur.)

Sem. Naſturtii.
Sirupi aa. ʒiß.

(etiam ſunt acria hæc ſemina)

Coquantur in ſ.q. aquæ communis; Colaturæ

℞. ℥VIII. cui adde
Mellis anthoſati.
Syrup. flor. tunic. aa. ℥ß.
Spiritus lil. convall.
Ceraſor. nigror.
Flor. tiliæ aa. ʒj.
V. Eſſ. Matthioli ʒiß.
M.F. *Gargar.*

In amiſſa loquela ex inſultu apoplectico.

Hinc apparet, quod pro varietate affectuum & cùm varia & appropriata ſint diſſolvenda. Et ita in ſimilibus

milibus aliisque affectibus talia sunt relinquenda judicio Medici, ut non sit semper Joannes ex libro. Hoc gargarisma pro *amissa loquela*, *diu detinendum* est *in ore* postmodum gargarisandum, si fieri potest & exspuendum.

Gargarisma adstringens *ad prolapsu Vvulæ* potest esse tale.

℞. *herb. Vvulariæ* Mij. (hæc specifica est)
Plantag. Mj.
Flor. balaustior. p.iij.
Cortic. Granator. s. malicor. ʒiß.

Coquantur in q.s. aquæ communis: Colaturæ.

℞. ℥viii. cui adde
Syrup. de Ros. siccis ℥iß.
aluminis ℈j.
M.F. Gargarisin. In prolasu. uvulæ.

Gargarisma aut potius diaclysma *expertum in putredine* aut m. *gangrænâ* incipiente *gingivarum scorbutica est hoc*, quod sequitur factum ad imitationem tincturæ Laccæ Mynsichti.

℞. *lapid. Medicamentos. Crollii* ℥j,
(constat ex alcalibus.)
Sed. minoris.
Cochlear. aa. q. s.

(assumi possunt ℔j. vel ℔iß. aa.)
Coquantur & colentur Colatura infundatur.)

Gumm. Laccæ. ʒiß.
aluminis Usti ʒj.
Floraquileg. p.iij.

Stent in infuso per 24. horas, postmodum filtrentur. M. F. aq. dentr. fica.

Commendatur valdè & singularis est effectus in affectibus dentium scorbuticis.

In quo ipso *scorbuto dentium* & oris affectibus convenientissimè *decoquuntur plantæ* antiscorbuticæ *in lacte vel siro lactis*, & hoc decoctum diutius in ore detinetur vel eodem colluitur os. *Similes effectus habet nasturtium*, si coquatur *in Vino* unà cum floribus ligustri addito, l. etiam omisso, tantillo alumine: Tale enim decoctum dentes mirabiliter juvare dicitur.

Diaclysma refrigerans habet auctor SCHRÔDERUS ex cancris vivis & sede majore, quod est *singulare* & efficacissimum *in Angina* & inflammatione oris & faucium, & multum commendatur in talibus affectibus internis.

Exprimitur succus, in qui in ore detinetur & gargarisatur; adhibere etiam possumus *in inflammatione* & exulceratione *in febribus malignis*.

Habet m. *diaclysma apophlegmatizans*, quod est egregium *in dolore dentium*.

Eodem modo atque decocta talia gargarismata & diaclysmata solent præscribi.

Simplicius *contra scorbutum oris* potest fieri tale *diaclysma*.

℞. *Aqu. Cochleariæ.*
Nasturtii.
Sedi minoris aa. ℥iiij.
Tinct. Laccæ ℥ß.
Flor. aquileg. ʒij.
Syrup. Flor. aquileg. ʒiij.
M. F. Gargar. In scorbut.

Præscriptiones in SCHROEDERO non sunt inelegantes d. satis clarè & accuratè descriptæ, & merentur quæ videantur.

Dixi de sale ammoniaco, quod conveniat contra rubedinem & ardorem faucium in febribus malignis. In tali affectu qui est difficilis, & benè proinde notandus, convenit tale *gargarisma pro refrigeratione faucium, & linguæ*, & est singulare.

℞. *Aqu. semper viv.* ℥ß.
Prunell. ℥iij.
Salis ammoniaci depurat. ℈ij.
Syrup. de succ. semper viv. ʒiß.
Iulep. rosar. ℥j.
M. f. Gargar. in Febribus malignis.

In inflammatione faucium, item in aphtis faucium, in prolapsu & *affectibus Vvulæ* in incipientibus *anginis* & *inflammationibus* Tonsillarum, & ferè *gangrænosis. Catholicum*, si non in omnibus, tamen in quamplurimis affectibus faucium potest esse *tale.*

℞. *Flor. Malv. arboreæ* Mj.
rosar. rubrar.
herb. prunell.
Veronic.
Salviæ aa. Mß.
Rad. polypod. quercin.
Sem. sinapi contusi aa. ʒij.
Coquantur in aqu. *simplicis.* ℥iiß.
acet. vini ℔ß.

ad casum transversi pollicis, cola cum levi expressione. Colaturæ adde

Sacchari &
Mellis aa. ℥iß. vel additur colaturæ.
Rob dianucum ℥ij.
diamoron. ʒj.

M. D. in omnibus affectibus faucium imò in ulceribus faucium & tonsillarum ubi opus est consolidatione. Nam *decoctum Veronicæ & salviæ* est *expertum* remedium *in affectibus faucium*; si instar gargarismatis usurpetur.

RIVERIUS & SCULTETUS expertum habent Gargarisma in inflammatione tonsillarum incipiente, quod fit ex aqua plantag. Sacchāro, semin. sinapi contuso, uti videri potest in SCULTETI *armamentario Chirurgico obs.* 32. & in Riverii *cent.* 4. *obs.* 76. ubi habet exemplum anginæ desperatæ tali gargarismate curatæ.

In angina & inflammatione faucium, *ubi fit suppuratio*, ibi emollientia & *suppurantia* diaclysmata sunt in usu, & etiam necessitate urgente præscribuntur.

In talibus casibus valdè conveniens est addere gargarismatis *succum cepæ* item *album Græcum*, quæ in talibus casibus sunt egregia: Sic verbi gratia, in tali casu sit tale gargarisma.

℞. *Rad. altheæ.*
lilior. albor. aa. ℥j.
(quæ emolliunt & etiam suppurant)
herb. Malvæ.
succisæ.
scabiosæ.
betonicæ aa. Mß.
Caricarum pinguium. N. IV.
Passularum minorum ℥ß.
albi græci ℥ß.

Coquantur in s. q. lactis l. potius seri lactis, Colaturæ ℞. ℔j. Cui adde
succi ceparum recenter expressi ℥j.
Rob dianucum ʒiß.

M. F. gargarism. pro inflammatione faucium, & quidem pro suppuratione & emollitione.

Observetur hîc quod *in Angina* & similibus faucium inflammatoriis affectibus, *gargarisationes* non

semper

semper sint proficuæ c. *interdum periculosæ*, ne scilicet per motum faucium: inflammatio ex stagnante ibidem sanguine augeatur & intendatur. Convenientius E. est, si possumus continere tale decoctum in ore corpore supino, & deinde exspuere & interdum beneficio siryngæ aut per aliud instrumentum instituere talem gargarisationem, non verò adeò frequenter. Vid. m. MORELLUS de gargarismatis item SCHROEDERUS, qui habet aliquot egregias præscriptiones. Meretur ut legatur caput de Gargarismatis & diaclysmatis.

Post injectiones in OS sequuntur *injectiones in* UTERUM, quæ pro varietate scopi etiam vel maximè variant: sic verbi gratia *in excoriationibus & exulcerationibus* uteri vel etiam ejus colli tales injectiones non sine fructu instituuntur inprimis quidem ubi tales excoriationes fiunt ex acrimoniâ nimiâ humoris, in fluxu albo per istam vaginam transeuntis, tunc fiunt injectiones *ex vulnerariis detergentibus & consolidantibus* decoctis *in lacte*, ubi est simul inflammatio; item decoctis in *decocto hordei*, ubi scopus est blandè detergendi & demulcendi humorum acrimoniam. Inprimis autem in talibus decoctis vel aquis appropriatis destillatis dissolvitur *succus Mercurialis*, qui est *appropriatus* pro purificando & detergendo *utero*: item Mel Mercurialis & syrupus ex Mercuriali paratus. In *exulcerationibus* uteri *Gallicis* in vagina uteri, conveniens est, ut cum decocto appropriato, plantaginis, Mercurialis, decocto ligni sassafras, scilicet ligni sancti admisceatur simul, unâ cum melle Mercurialis aliquantulum *Mercurii dulcis*, ceu medicamentum *appropriatum contra exulcerationes Gallicas*.

Tales injectiones in Uterum unâ vice ad ℥iij. ad summum ℥iv. sufficiunt, in quibus appropriata dissolvuntur. Sic *in inflammatione Uteri* in inflammatione *Vaginæ* Uteri, quæ interdum solent fieri post partum, ex stagnantibus in iisdem locis lochiis, commodè injicitur *decoctum flor. Chamomillæ*, decoctum *sempervivi*, flor. *sambuci*: in aqua appropriata, in quo decocto aliquantulum *sacchari Saturni* dissolvitur pro dissolvendo sanguine congrumato & discutiendâ inflammatione istius partis, datis simul internè menses & lochia promoventibus.

In *prolapsu uteri*, scil. potius prolapsu sinus pudoris, *uterus enim nunquam prolabitur*, ex laxitate Nympharum scil. alarum, commodè injicitur post repositionem injectio adstringens parata *ex decocto rad. bistortæ* cum Rad. *tormentill. fol. plantaginis*, *florum balaustiorum*, *Corticum Granatorum*, *seminis sumach & Myrtillorum* in aqua ferrariorum scil. extinctionis Chalybis. Quibus decoctis interdum aliquantulum aluminis potest addi cum syrupo de rosis siccis, & ita per vices injiciantur.

Præscribuntur talia decocta ad ℔j. vel ℔ß. Cujus decocti singulis vicibus calefacti ℥iij. vel ℥iv. injiciuntur, nunc sæpius, nunc rarius, prout necessitas urgebit.

Non omittendum nec reticendum hîc in singulare *inventum* GLAUBERI, qui habet *instrumentum* quoddam ligneum: quod est canalis quidam oblongus; interius cavus, in anteriore parte cum foramine angusto, ita ut possit in cavitatem uteri commodè immitti: Huic canali applicatur corpus rotundum pomiforme, quod aperiri &c. claudi potest: quique tali instrumento in corpore anteriore rotundo intrudit spongiam plenam spiritu salis ammoniaci, vel in corpus rotundum indit Misturam ex sale quodam alcali, verbi gratia ex cineribus Clavellatis, cum sale ammoniaco, & ita applicat instrumentum ad uterum, ut beneficio salis vol. ex sale ammoniaco vol. penetrantis in uterum, subtili suâ penetratione menses remoratos & subsidentes promoveat: Est inventum GLAUBERO proprium, & illi multi usus in affectibus mulierum.

Injici etiam *possunt* tales *spiritus vol.* ex C.C. urina vel etiam *salia* hujusmodi, ut ex effervescentiâ ortâ subintrent uterum, & menses provocent.

Post uterum non raræ sunt *injectiones in* PENEM & VESICAM.

In vesicam in ejus *excoriatione* vel colli *exulceratione*, factâ vel ab internis, ab acrimoniâ Urinæ acida, ut in stranguria, vel facta ab externis, qualia sunt applicatio cantharidum: sive enim hi applicentur, sivè assumantur, non raro solent inducere, aliis partibus illæsis, excoriationem Vesicæ. In talibus partim *fiunt injectiones*, in Vesicam ex remediis quæ partim dolorem leniunt, partim consolidant & detergunt: quæ *dolorem leniunt*, sunt inprimis *lac*, vel propriè sic dictum, vel *Emulsiones* ex papavere & similibus seminibus anodynis & dolorem lenientibus: Item *decoctum hordei* commistum cum lacte aut cum emulsionibus lacteis commodè potest injici. Ad *consolidandum* & detergendum injiciuntur *decocta ex vulnerariis* ex *agrimoniâ*, *hederâ terrestr.* ex *summitatibus hyperici*, quæ decoquendæ sunt ab ℥viii. ad ℔j. *Additur* his vel *mel rutaceum* pro detersione; vel *Syrupus de Symphyto Fernelii* pro acrimoniæ attemperatione. Et quidem in ℥viii. ad ℔j, dissolvitur talium ℥j. ad ℥iß. plus minus, prout sunt efficaces vel minus efficaces.

Adduntur non raro *Trochisci de alkekengi* cum opio & sine opio: Cum opio injiciuntur in dolore excedente, ubi opus est nudâ attemperatione acrimoniæ humorum & detersione excoriationum ut exulcerationum.

Commode m. potest institui *injectio Emulsionis ex therebinthina*, l. m. *decoctum* appropriatum *cum* aliquot guttis *ol. therebinthinæ* destillati & optimè rectificati potest injici.

Et ubi suspicio est inflammationis Vesicæ concurrentis, m. *lacti* vel sero lactis *sacchari Saturni* aliquantulum potest addi. Item aqua *ferrariorum*, f. extinctionis Chalybis, in quâ radix Symphyti, Myrrha & aliquantulum aluminis decocta fuerunt commodissimè injicitur.

Ut res pateat, *exemplo* me declarabo: sit nempe talis *injectio* abstersiva *in exulceratione Vesicæ*.

℞. *Rad. liquirit* ℥ij.
Cort. fabar. ℥j.
Cicer. rubror. p.ij.
Fol. plantag. Mj.

F. Decoctio in aqua simplici, addendo parum lixivii, ne nimis fiat acris, & in ℔j. decocti, dissolve.

Terebinth. Laricea cum melle in mortario dissolut. ℥ij.

& adservetur pro usu injectionis.

Sin ulcus sit contumax, aut inveteratum, aut m. sordidum; simul in hoc decocto potest dissolvi aliquantulum de *unguento Ægyptiaco* quod est acre tantum scil. quantum ferre potest æger.

Post hanc injectionem abstersivam sit hæc *Consolidativa* in *ulceribus Vesicæ*.

℞. *Ramulor. æquiset.*
folior. plantaginis.

Summitatum hyperici, an. Mj.
Rad. consolid. major.
bistort. aa. ℥iß.
Cort. granator. ʒiij.

Coquantur in s. q. aqua ferratæ, & in Colaturæ ℔j. dissolvatur.

Trochiscor. albor. Rhasis s. opio ℥ß.
Boli Armenæ ʒj.

M. pro injectione consolidativa.

Post injectiones in Vesicam commodè etiam fiunt *injectiones in* PENEM, ubi urget *Gonorrhæa Gallica*, & incipit fieri *in pene* propè prostratas *Ulcus*, vel *quando meatus Urinarius* in incipiente Gonorrhæa *excoriatur* & exulceratur, ita ut metus sit, ne in tali exulceratione exedatur & in medio perforatus meatus Urinarius, vel etiam ex tali Ulcere excrescat caruncula. In talibus casibus fiunt injectiones in Penem, pro detergendo tali ulcere, tam prostatarum quam meatus Urinarii, uti m. pro destruendâ virulentiâ veneni gallici.

Tales injectiones *fiunt explantis vulnerariis* decoctis cum *aloe* in aqua appropriatâ, *in quo* decocto dissolvuntur nonnulla (Mel verbi gratia,) *appropriata*: Et quidem unâ vice ℥j. vel ℥iß. injecta sufficit (in Vesicam injiciuntur ℥iij. vel ℥iv.) *Vel fit mistura*, ex succo plantaginis & aqua plantaginis, quibus additur aloe rosata, & dissolvitur aliquantulum Mercurii dulcis pro injectione in Penem m. in prostatarum exulceratione in virulentiâ Gallicâ: qualem misturam habet SCULTETUS *in obss. Chirurgicis obs. 79. ubi* periculum est exulcerationis, aut *malignum* est *Ulcus* ibi simul *potest injici* aliquantulum de MERCUR. sublimato qui est acrior & magis corrosivus quam Mercurius dulcis.

Post injectiones in cavitates naturales sequuntur injectiones in *cavitates præternaturales* quæ sunt SINUS & FISTULÆ.

Quantitas liquoris injiciendi, pro ratione Ulcerum & aliarum circumstantiarum, potest esse nunc fusior, nunc parcior.

Injectiones *hæ fiunt* ex decoctis vulnerariis, in specie *ex decocto Nicotianæ, aristolochiæ rotundæ hyperici cum myrrha, aloe* & VS; talia enim decocta mirificè depurant sinus & fistulas iisdem commodè admiscetur aqua *calc. vivæ*, quæ est singularis & experta in talibus casibus: *Decoctum hederæ terrestris* cum Vulnerariis, in quibus dissolvitur Mel rosatum vel aliquantulum aluminis singulare est in talibus casibus.

Injectio est vel frequentior vel rarior, prout urget affectus: & hæc ex speciali Chirurgia discenda sunt.

Post decoctorum usum externum qu. scilicet, in certam cavitatem injiciuntur, & Clysteres, item diaclysmata appellantur, m. externus usus est decoctorum, ut illis partes externæ foveantur, & tunc appellatur communiter FOTUS vel FOMENTUM. Quod *est qu. pars externa* aut partibus externis vicina, aliquo affectu doloroso laborans tali *decocto fovetur* & fomentatur.

MORELLI CAP. III.

De Fotu.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

FOMENTUM *aliàs. eò quod suo calore partes quibus admovetur, foveat, sic dicitur*: omnia enim fomenta ferè calida sunt effectu, raro autem frigida.

Est autem duplex: *humidus* & *siccus*.

Fotus humidus.

HUMIDUS *liquor est, partibus variis, lintei, filtri, spongiæ, vesica bubulæ beneficio, applicandus ad varias intentiones.* Est rursum duplex: *Simplex & magis compositus.*

SIMPLEX liquor, pro fotu aliquando usitatè præscribi solitus, ratione QUALITATIS, est *aqua* calida vel tepida, ubi relaxandum, in doloribus à tensione, *vinum*, ubi discutiendum, roborandum, *aqua & vinum*, ubi utrumque simul, vel temperatè agendum, lac in doloribus, oleum commune vel aliud, ubi Emolliendum, ad dolores, digerendum pro scopo, *hydraleum, oxycratum*, quo referri potest & *Oxyrrhodinum* in calidis affectibus, *Lixivium sarmentorum* in frigidis, ubi digerendum, siccandum fortiter.

Quod ad QUANTITATEM, usus longitudine, vel partis amplitudine definienda, sic *pro oculo* ℥iiij. v.g. sufficiunt, *pro ventriculo* ℔j. ℔iß. *pro hypochondriis*, & *abdomine*, ut in obstructionibus, ℔iii.

a COMPOSITUS fit ex DECOCTO variarum partium plantarum, & liquore idoneo, in quibus consideratur *Qualitas & Quantitas.*

Quod ad QUALITATEM *materiæ*, præscribuntur *Rad. Fol. Fruct. Sem. Flor.* modò omnia simul, ubi major quantitas paranda, modò quædam tantùm.

Quod ad QUANTITATEM, varia pro partium diversitate, pro oculis verbi gratia, præscribatur dosi potionum, seu quarta parte Apozematis; pro ventriculo dosi media Apozematis, aut paulò majore: pro abdomine integra dosi Apozematis.

LIQUOR, in quo decoctio facienda, ratione QUALITATIS, est *Aqua* simplex, *Aqua & Vinum* simul, *Lac* aliquando, ubi leniendum, *Lixivium*, ubi digerendum, *Aqua fabrorum*, ubi adstringendum, &c. pro scopo: quod ad QUANTITATEM, præscribitur q. s.

NOTA, aliquando decocto facto colatoque varia addi, ut *Vinum album* in obstructionibus viscerum, ad ℔ij ℔iß. *Acetum* aliquando in lienis affectibus ad ℥vi. vii, viii. ad penetrationem, *Aqua vitæ*, pro ventriculo ad ℥ii. ℥iii. ad roborandum simul, *Olea* idonea ad ℥iv. ℔ß. &c. Passim etiam in usu practico, in obstructionibus viscerum, post usum præscripti apozematis statim præscribi, ℞. decocti Apozematis præscripti ℔iii. iv. adde vini, &c. fiat fotus abdominis.

USUS & FORMULA. ℞. *fiat decoctio pro fotu*, quo foveatur locus affectus, linteo duplicato, filtris, spongia imbutis, & leviter expressis, vel etiam vesica suilla semiplena, mane & serò, vel urgente necessitate, calide per horam dimidiam, unam: vicissim ubi refrixerit applicandum.

NOTA, in fotu hypochondriorum dici, *foveatur regio hypochondriaca, mane 1. 3. horis ante prandium, vel etiam ante cœnam per triduum, aut quatriduum, frequenter mutando, ne frigescant*: præcipitur autem passim post fotum, *pars deinde ungatur tali oleo, linimento, unguento calidè. Usus* autem post purgationes universales, aliàs urgente necessitate.

UTILITAS latè patens, ut nulla fere pars, quæ ut foveri potest, sic & fructum inde non percipiat, ut adeò præscribatur, dolori, inflammationi, obstructionibus variarum partium, ad movendos menses, &c. laxandum, emolliendum, digerendum, siccandum, astringendum, roborandum, calefaciendum, aliquando & ad refrigerandum, sed tunc potiùs usus est epithematum, ut in inflammatione biliosa.

Fotus siccus.

Sic appello ab effectu *sacculos*, qui ad resolvendum maximè præscribuntur; unde & *Sacculi discutientes* vulgò dicuntur, de quibus postea.

I. ℞. Herb. Menth. Absint. an. M ij.
Fl, Chamom. Rosar. rubr. an P ij.

Galang.

Galang. Nuc. Mosch. an ℥j.
Nucis. Cinam. an. ℥ß.
Balaust, ℥j.
Coq. in f. q. vini rubr. pro *fomento ventriculi*.
II. R. Rad. Alth. Lill. alb. an. ℥ij.
Sem. Lini Fœnugr. an. ℥iii.
Ficuum ping. n. vi.
Fl. Chamœm. Summit. aneth. melilot. an. P. i.
Summit. majoran. M. ß.
Bulliant. ex vini & aq part. æqual. vel in lixivio sarmentitio vitis ad tertias. F. *fomentum emolliens & discutiens.*

In genere rectè dicit AUCTOR, quod fotus sit vel *humidus* vel *siccus*, qui dicitur sacculus de quo suo loco. Hâc vice considerabimus fotum humidum.

In omni *fotu humido* consideranda duo. 1. LIQUOR in quo fit decoctio, & 2. res f. MATERIA in liquore DECOQUENDA.

Liquor interdum est *simplex*, ut nihil in illo decoquatur, *interdum aliquid decoquitur*. Estque 1. aqua *calida, quando* quædam *pars dolens*, aut pars quædam quasi contracta aut corrugata fovetur cum aqua calida, ut fiat denuò laxa & flaccida. Talis fotus cum aqua simplici *cum linteis* duplicatis, triplicatis aut quadriplicatis l. *cum spongiâ* l. *cum Vesica*, *aqua* calida repleta, *applicatus*, usitatus est *in affectibus* abdominis *flatulentis*: cum aqua calida soleat discutere flatus & fovere calidum insitum quod discutiantur flatus.

Interdum cum aqua *permiscetur vinum*, ubi opus est, *ut pars corroboretur* unà cum fotu dum enim aqua blandè laxas efficit partes duras vinum f. partes vini subtiliores sese insinuant & partes confortant.

In doloribus partium quibuscunque usitatissimum est ut *foveantur* partes *cum lacte*, inprimis si haberi potest cum *muliebri*. In genere, omne *LAC vim habet anodynam* & dolorum sedativam, propterea tale lac calefactum, usitatè cum linteis duplicatis aut 3plicatis applicatur, & sic partes dolentes foventur. Et lac vel solum sufficiens est in doloribus artuum, in quibus instar fomenti applicatum solet compescere dolorem.

In doloribus capitis scorbuticis fotus *ex lacte Caprino & muliebri* præscribitur, ut subinde singulis dimidiis horis admoveatur capiti: In talibus enim casibus non tantum Cephalalgia & acrimonia seri scorbutici temperatur, Sed præterea à lacte muliebri suavis somnus inducatur. Et cum alias *Cephalalgiæ* soleant *intendi ab usu lactis*, in talibus tamen *scorbuticis compescitur dolor* & è contrario sistitur.

Ubi pars tensa est & indurata & qs. contracta, tunc usurpatur OLEUM pro fotu, sive simplex, sive permistum cum aqua, & tunc vocatur HYDROLEUM.

Non raro pro fotu usurpatur LIXIVIUM, externè, *ubi fortiter discutiendum* & attenuandum est. Hoc enim cum constet ex salibus alcalibus fixis, ratione istorum salium facilè penetrat & collectas humores reserat reseratas dissipat & fortiter discutit. Talia lixivia commodè usurpantur *in tumoribus serosis* & *œdematosis* discutiendis: in tumore *scroti aquoso*: it. etiam *hernia aquosa*. Tale lixivium commodè applicatur abdomini *ascite Tympanitide*, in qua potenter discutit flatus. In specie autem usurpantur lixivia *pro* fotu aut *lotionibus capitis*, de quibus postmodum: Et *fiunt* talia lixivia communiter *ex cineribus sarmentorum* vitis, ex cineribus *genistæ*, ex cineribus *stipitum fabarum*, ex *fimo columbino* calcinato & similibus aliis.

Quoad *quantitatem* consideranda est pars formentanda, & deinde considerandum tempus pro fotu, an crebro an rarò fomentatio instituenda.

Sic in oculo non tanta requiritur quantitas liquoris pro fotu quam in ventriculo aut abdomine: item major requiritur quantitas pro fotu sæpius reiterando, quam quando de die semel vel bis repetitur applicatio. Pro fotu oculi usitatè potest præscribi ℥j. ℥ij. ℥iij. ℥iv. ad ℥vj. Pro fotu ventriculi, abdominis & similium partium majorum, præscribitur ℔j. ℔iß. interdum ℔ij. usque ad ℔iij. quoniam in talibus partibus majoribus sæpius reiterandus est fotus.

Cœterum præter hos liquores simplices usitatissimè accipitur liquor compositus sive certum decoctum, qu. v. gr. in aqua vino, aceto, lacte, lixiviis & simili alio decoquuntur certa vegetabilia composita.

Modus præscribendi est idem atque in decoctis, nisi quod in talibus, qu. præscribuntur ad ℔iij. tantum augmentetur dosis ingredientium, alias eodem modo atque *decocta* usu interno præscribuntur usurpanda. Ut pateat modus, sit v. gr.

Fotus in Colica,
℞. *herb. Rut.*
Folior Lauri.
Flor. Chamomill. Roman.
centaur. minor.
Sambuci.
Summitat. anethi.
(ita enim præscribitur anethum) aa. Mj.
Rad. angelic.
Levistic. aa. ℥iß.
Baccar. Laur. ℥j. (pro discutiendis flatibus.)
Iuniperi ℥ij.
Sem. Cumin.
carvi.
anethi aa. ʒiij.
Concisa & contusa M. D. S.
Species pro fot.

Tales species coquendæ postmodum sunt in aqua simplici, aut m. addendum est ipsis aliquid vini, in fine præprimis decoctionis.

In acrioribus doloribus additur 3tia vel 4ta pars *olei* decocto: Postmodum in decoctionem factam intingenda sunt lintea duplicata aut quadruplicata, & sic singulis horæ quadrantibus, aut singulis dimidiis horis applicanda abdomini & subitò applicatio reiteranda.

Commodè m. *in doloribus gravioribus*, in specie *dysentericis*, tales species decoquuntur in lacte, & explicantur externè. v. gr. *Exemplum* talis fomenti *in dysenteria* sit hoc.

℞. *herb. centum nod. f. polygoni.*
Equiseti.
anserinæ.
Folior. symphyti majoris,
plantaginis aa. Mj.
Sem. plantagin.
sanguisorb. aa. ʒiij.
Conquantur in f. q. lactis. Colatur. f. fotus pro dolor.

Vel si non volumus, ut coquantur in pharmacopolio.

D. S. Species pro fot.

& coquendæ sunt à domesticis ægri. Commodè etiam talia *fiunt fomenta decoquendo in aqua & aceto* aa, & talis institutâ aquæ & acet. anatica dicitur POSCA communiter. Et quidem aqua cum aceto usurpatur *in affectibus splenis & stomachi*: in affectibus stomachi, quoniam aciditas grata stomacho eundem roborat, & blandè adstringit. Unde in *Nauseâ vomitu*, *cholera* & similibus ventriculi morbis convenienter instituuntur tales fotus: Item *inflationibus splenis* in *infarctu & dolore ejus* gravativo. Et: in splenis *intumescentiâ*, ubi & alia symptomata concurrunt, possumus usurpare tale fomentum.

Exemplum talis fotus *in affectibus ventriculi* sit hoc:

℞. herb. menth. crisp.
puleg.
Meliss.
Comar. absinthii aa. Mj.
Flor. Chamomill. Roman
Rosarum aa. p. iij.
Rad. Calami aromatici ℥ß.
angelic.
Levistic aa. ʒij.
(in primis ubi adsunt flatulentiæ.)
Mastiches ʒiij. (quod est egregium)
incisa & contusa D. S,
Species pro fot.

Vel incisa & contusa coquantur in s. q. poscæ pro fomento Ventriculi: In tale decoctum intinguntur vel spongia v. linteum duplicatum, calidè applicatur regioni stomachi & singulis dimidiis horis repetitur. Valdè conveniens est talis fotus in talibus stomachi morbis.

Interdum determinatur quantitas liquoris & præscribitur ita: Coquantur in s. q. Poscæ. Colaturæ ℞. ℔j. ℔ij. &c.

Tale *exemplum* sit Fotus *in affectus Splenis.*

℞. herb. scolopendr.
Ceterach. ana Mj.
Cot. Tarmarisc.
Fraxini ana ℥ß. l. m. ʒvj.
Flor. Genist.
Tamarisc. ana pij.
Rad. filicis ℥ij (quæ est basis)

Coquuntur in s. q. aqua communis: Colaturæ ℞. ℔j. cui adde aceti cappari. ℥iij. m. f. fol. exter. pro splen. affect.
applicatur l. cum spongia, l. cum linteis in se invicem convolutis.

Fomenta talia *in affectibus hypochondriorum flatulentis* sunt satis usitata, & tunc cum linteis oblongis *applicantur* utrique lateri *sub hypochondriis*, & præscribuntur ad ℔ij. vel iij. ut sufficiant pro convenienti tempore à Medico proposito.

De fotu sicco habebimus suo loco. Vid. auct. MORELLUS, quæ habet de fotu humido, qui est satis accuratus.

Post fotum pergit AUCTOR ad INSESSUM & SEMICUPIUM.

MORELLI CAP. IV.

De insessu & Semicupio.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

INTER fotum, & balneum medium est, hoc minus, illo majus, cujus usus, quando fotu tota pars tegi nequit, à quo aliàs materia & utilitate non differt: ita ut sit dimidium balneum, cui ægri insident à feminibus, cruribus ac tibiis extrà porrectis, vel etiam ab imis pedibus, usque ad umbilicum vel ventriculum; unde Græcis, ἐγκάθισμα, Latinis *Insessio* dicitur; & si insessio fiat in sella perforata, hanc quidam *Vaporiarum* vocant, affectibus ventris inferioris aut partium infernarum dicatum.

Duplex statui potest: *Semicupium propriè dictum, & Insessio,* quam vocant *Vaporiarum.*

SEMICUPIUM, *quòd non sit integrum balneum, sed dimidia veluti cupa, sic dictum*, COMPONITUR ex iisdem, quibus fotus, dosi Apozematis summa, duplicata, vel balnei dimidia: ut nihil advertendum præterea.

USUs & FORMULA. ℞. *&c. fiat decoctio pro semicupio*, ubi æger insideat à pedibus ad umbilicum, mane & vesperi, longè à pastu, exonerata alvo, per biduum aut triduum, prout opus, tepidè, sine sudore: mora autem sit in eo per duas horas, & deterso madore lecto se componat, uncto deinde loco affecto, si volueris, linimento idoneo.

NOTA, in affectibus ani, uteri, vesicæ maximè; materiam sacculo, cui insideat, commodè includi.

UTILITAS eadem quæ fotus, maximè autem in affectibus partium abdomini contentarum, aut etiam inferiorum, cum balneare non audemus corpus universum, ob varias causas: ferè autem & utiliter ad dolores sedandos colicos, &c. (quod usitatissimum in nephriticis, ex emollientibus idoneis,) hæmmorrhoides tumidas cum dolore, dysuriam, tibiarum etiam, & coxendicum dolore, uteri, intemperie, menses movendos, sistendos, alvum emolliendam.

VAPORARIUM, quod aliàs *Insessum* etiam vocant, *paratur, cùm non in liquore sedet æger sed vapor* (unde vaporarium vel suffitus dici potest] *ex sella perforata exhibetur, olla subdita, decocto calente idoneo plena, quo frigido aliud inditur.*

MATERIA & DOSIS ipsius pro decocto ut in fotu: QUANTITATE clysteris aut paulò majore, præscribenda.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat decoctio, cujus vaporem excipiat ex sella perforata, ollâ subditâ decocto isto plena, &c.*

UTILITAS. Tantum fere ad uteri & ani affectus, dolores, intemperies varias, hæmorrhoides, menses movendos utilissimum. Possunt & ad vesicæ varia vitia præscribi. Vide suffitum humidum.

℞. Rad. Brion. Imperat. Valerian. Ireos.
Helen. an ℥iij.
Fol. Majoran. Artemis. Nepeth. Puleg.
Mercurial. Salv. Laur. an. Miv.
Bacc. lauri, junip. an. ℥j. Coq. pro *Semicupio ad sterilitatem*

℞. Artemis. Mercurial. Puleg. Calaminth.
Rutæ Rorismar. an. Mj.
Salv. Mß.
Cort. arant. ℥ij.
Fl. Chamom. Sambuc Stæchad. an. Pj.
F. Decoct. in Aq. & Vin. q. s. Cujus vaporem mulier è vase diligenter concluso in mensium suppressione utero excipiat.

Insessus & semicupium *in balneo totum corpus* Intingitur, & *in semicupio dimidium corpus* à pedibus usque ad umbilicum præter propter.

Rectè etiam dicit AUCTOR MORELLUS quod *semicupium* sit *medium inter balneum & Fotum.* Nam quando non opus est, ut totum corpus intingatur: fotus autem non sufficit, tum præscribuntur semicupia, ut iisdem insideamus usque ad umbilicum & regionem stomachi.

Instituuntur insessus *ex decoctis* variis vario scopo destinatis inprimis quidem *ad affectus abdominis*, in specie ad affectus *Nephriticos*, ad affectus *Colicos* & ad affectus *uterinos*, ad hos 3. affectus usurpantur inprimis insessus.

Usus est *ut* beneficio plantarum decoctarum in ista aqua, cui insidet patiens, *partes* vel blandè *laxentur*, unde incoquuntur emollientia & attenuantia: *usurpantur* aliquot dies vel septimanes *ante partum*, ut laxentur partes uteri pro facilitando partu. Similis laxatio est in usu in *alvò* contumaciter *obstructa* & in *metu volvuli* s. miserere mei, ut blandè laxentur intestina, & in legitimum positum redeant, ut molliantur fœces, & per inferiora debitum exitum inveniant. Instituuntur balnea emollientia in *herniis*, tam *intestinalibus*, quam *umbilicalibus*, in quibus scilicet intestinis sunt prolapsa vel in scrotum, vel foras propendent in umbilicum: in talibus casibus intestina fiunt mollia & facilè flexibilia, ut iterum possint reponi in suum naturalem ac debitum locum. Usurpantur m. talia. laxantia semicupia *in doloribus Nephriticis* qu. scilicet Calculus hæret in renibus & ureteribus, & himios inducit dolores, magni enim sunt usus quoniam leniunt dolorem, laxant fibras & promovent motum & protrusionem calculi. In *colicis doloribus* contumacioribus & sœpius recurrentibus commodissimè instituuntur talia Semicupia ex carminantibus & specificis intestina respicientibus.

In *dysenteria* contumaci cum tenesmo conjuncta etiam fiunt talia semicupia ex adstringentibus & anodynis.

Modus præscribendi est tantum ut simplicia præscribantur in s. q. quæ decoquenda postmodum

veniunt

veniunt in aqua simpl. s. q. & in isto decocto ponatur æger usque ad umbilicum vel regionem stomachi. In tali Semicupio qu. insidet æger, non râro recipiuntur species decoctæ, & vel nudè applicantur parti affectæ, v. gr. Vulvæ, qu. ante partum instituuntur; vel inclusæ sacculo parti affectæ, admoventur, ut in dolore abdominis. Sit E. *exemplum* instituendi talis semicupii *in doloribus Nephriticis* & *calculo* renum, in quo & dolor sistendus, viæ laxandæ & calculus blandè promovendus est:

℞. *Herba saxi frag.*
Fragar:
parietariæ.
Folior. Malvæ ana Mj
herb. hederæ terreste.
mercurialis ana Mij.
Flor. Chamomill.
Melilot. ana Mß.
Rad, lil. alborum ℥ij.
ononidis ℥j. (propter Calculum)
Baccar Juniperi Mij l. m. ℥ij.

incisa & contusa D. S. Species tum habe quæ coquantur in aqua, & insideat æger: l. m. species possunt applicari regioni renum, l. insui sacculo oblongo, & applicari dorso ac regioni renum.

Insessus talis semicupii *semel interdum instituitur in dic. interdum*, ubi dolor urget, instituitur singulis diebus *bis*, manè & vesperi ante cœnam, & *continuatur* interdum *ad biduum*, interdum ad *triduum. Mora* in illo est *ab hora* 1. ad horas 2. hinc detergatur corpus benè *post detersionem* solet *inungi ol.* appropriato.

Sic commodè post modo dictum semicupium potest corpus illini cum Unguento dialtheæ & ol. scorpionum, ponatur hinc in lectum æger, ut quiescat. In insessu uterino pro facilitando partu coquuntur uterina, & inungitur Vulva cum Unguento dialtheæ cum ol. lilior. alborum, ol. amygdalarum dulcium.

Pertinet huc *semicupium* quasi qu. scilicet in *dolore Ischiatico* & similibus ægri insident VINACEIS, quod etiam commodè sit in *dolore Colico*, sæpius repetendo: item in *doloribus arthriticis pedum*. singulare enim quid latet in aciditate volatili Vinaceorum ad tales dolores compescendos: vid. quæ de Vite diximus. In *Mensibus movendis* solent usurpari talia semicupia ex plantis uterinis & menses provocantibus.

Ad semicupium pertinere etiam videtur.

VAPORARIUM.

qu. scilicet non ipso decocto fovetur *pars*, d. qu. *vapore sublimato* aut elicito ex decocto appropriato, pars malè affecta *fovetur* Talis fotus ex decocto appropriato quidem *fit ex liquore* & hinc *Speciebus appropriatis* affectui, uti reliqui fotus & decocta, & usitatissime *instituitur in uteri & ani affect. bus*: v. gr. in Uteri affectibus, in *dolore uteri*, in *mensibus obstructis* & similibus: in Ani affectibus, in *Tenesmo*, in *dolore ani*, in *hæmorrhoidibus cœcis*, tumentibus & dolentibus, & similibus aliis fit tale decoctum quod calidum ponitur in sellam probè tectam, & æger vapori istius decocti insidet, ut ano insidentis recipiatur vapor qui exhalat.

Sit v. gr. Tale *Vaporarium* præscribendum *in dolore hæmorrhoidum.*

℞. *herb. Linariæ* (est appropriata in tali casu) Mij.
Flor. Verbasci Mij.
Sem. Lini.
Fœnu Græc. ana ℥j.

M. D. S. Species pro fot.

Coquantur in s. q. aqua fabrorum, & vapor excipiatur per sellam: fit scilicet tale decoctum, quod calidum imponitur sellæ, & vapor recipitur in partem affectam.

Quod si velimus, possumus recipere species decoctas, eas includere sacculo & post vaporem parti affectæ admovent: sic enim est eò melius & efficacius.

Interdum ut eò melius exhalent vapores, quando incipit frigeferi, *injiciuntur frustula silicum ignitorum* l. candefactorum, *vel frustula ferri Ignita*, sic enim copiosissimi exhalant Vapors, & efficacius ac diutius est vaporarium, inprimis si applicetur sacculus cum speciebus. Sit *exemplum* vaporarii *in Tenesmo dysenterico* qui, affectus est horrendus.

℞. *herb. plantag.*
Fol. quercus.
Flor. Verbasc, ana Mj.
Sem. plantag. ℨiij.
Thuris ℨij.

Coquantur in s. q. aqua ferrariorum, l. coquantur in lacte, & excipiatur Vapor per sellam perforatam, istæ species postmodum insuantur sacculo, qui adspergatur aceto, & applicetur ano post exceptum vaporem: Ubi talia vaporaria instituuntur, *pro usu Mulierum*, præcipitur *semper*, ut vapor excipiatur *per infundibulum in partes genitales* s. naturam.

V. gr. sit tale Vaporarium, efficacissimum pro promovendis mensibus.

℞. *Scoriarum Reguli antimonii* ℥iv.

Coquantur in aqua simplic. ℔j. Vapor decocti excipiatur per infundibulum pro stimulandis mensibus: Commode *possunt* simul *addi Vegetabilia* v. gr. *Sabina, Matricaria, Nepeta pulegium*, *radix bryoniæ*, *Levistici* & similes aliæ plantæ.

Observetur, ut fiat per infundibulum in affectibus uterinis.

Pertinet huc, caput de lotionibus.

MORELL. CAP. II.

De Lotione.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

NOMINIS ratio & *definitio* patet: *Est privatum veluti quoddam balneum, capiti, pedibus, maximè dicatum*, unde & duplicem *facio*, Cephalicam, & pro Pedibus.

Lotio Cephalica

COMPONITUR ex *Decocto* cephalicorum, in quo duo considerantur, *Materia* & *Liquor.*

MATERIA ratione QUALITATIS & QUANTITATIS; *Radic.* ad ℥ij. iij. *Fol.* à M. iv. ad viij. *Sem.* ℥j. ℥ij. *Flor.* P. iv.

NOTA, addi aliquando aromatica, ad ℥ß. ℨvj. ubi siccandum valde est, *Sulphur vivum* ad ℥ß. item & usitatè ubi caput purgandum privatim, post universalia, *Folior. senn.* ℥j. *Agar albi* ℥ß.

LIQUOR ratione QUALITATIS *Lixivium* sarmentorum, vel barbitonsorum vulgare, addito *Vino albo*, si volueris, & ad vinum etiamnum *Aqua*, ad ℥iiij. Quod ad QUANTITATEM sumitur q. s. *Vini* verò una pars, vel ana part. æquales.

USUS. Quod ad MODUM, hoc decocto caput ex alto irrigatur a sub radiis solaribus, sereno & tranquillo cœlo, vel loco calidiore; caput deinde probe exsiccandum cum spongiis *Aqua vitæ* maceratis, & stupis cannabinis obtegendum, suffimine aliquo prius suffitis.

TEMPUS, mane lavatur, duabus horis ante prandium, alvo prius exonerata.

FORMULA. ℞. &c. *fiat decoctio*, &c. *lavetur caput*, &c.

UTILITAS

VTILITAS post purgationes maxima, ad materiæ conjunctæ dissipationem, & absumendas reliquias, ut passim, caput simul corroborandum, affectibus ipsius, frigidis fere, tantùm dicata: fieri etiam ad alios usus possunt, ut ad capitis affectus externos, tineam, furfures, pediculos, sordes, ex detergentibus acrioribus cum urinâ & lixivio, additis semper cephalicis.

Lotio pro pedibus.

COMPONITVR ex *decocto simplicium* calidorum, frigidorum, in aqua vel lixivio facto, pro intentione, Ingredientia decoctum eadem dosi, qua in lotione cephalica.

NOTA obiter, quod ad QVALITATEM materiæ, quandoquidem ejusmodi lotio usitate fit ad somnum conciliandum, cephalica frigida esse præscribenda, commode addi capita *papav. albi* numero iiij.

NOTA etiam, ubi siccandum, calefaciendum, roborandum, ut in affectibus tibiarum œdematosis, utiliter *Sal*, *Alumen*, *Sulphur vivum*, misceri.

VSVS & FORMVLA. ℞. *&c. fiat decoctio pro lotione pedum, mane vel vesperi, ante cibum, vel etiam ante somnum*, si fiant ad ipsum conciliandum.

VTILITAS vel ad proprios affectus ipsorum emendandos, tremorem ipsum, humores ex superis evocandos, ex cephalicis calefacientibus; ad lassitudinem discutiendam, vel quòd passim in febribus, & æstuantibus quibusvis affectibus capitis, ad somnum conciliandum.

A Lavatur potius, de irrigatione in sequentibus particulatim agetur.

℞. Herb. Majoran. Rorismar. Meliss. an. Miß.
Fol. Lauri Mj.
Fl. Chamomill Stoechad. Lavend. ana P. ij.
Coq. in lixivio, sacculo condita, ad lotionem capitis.

℞. Fol. Lactuc. Salic. Vrtic. Malv. Violar. an. Mj.
Summit. Aneth. Fl. Chamom. an. Mß.
Capit papav. alb. n. vij.
Coque in s. q. aq. f. F. *lotio pedum* ad somnum conciliandum.

Quando scilicet *lavatur caput*, aut etiam qu. lavantur *pedes*, ut fit in pediluviis: Vid. MORELLUS qui satis est accuratus.

Tales I. LOTIONES CAPITUM *fiunt* similiter *ex decocto*, qu. v. gr. coquuntur appropriata pro scopo *in aqua simplici*, l. quod usitatius *in lixivio*, quo lixivio postmodum lavatur Caput, & qu. sufficienter fuit lotum, tunc detergendum est benè linteis calefactis, debito suffitu suffitis.

Lotiones tales capitis *instituuntur* tempore *matutino*, & destinatæ sunt pro affectibus Capitis, tam internis, quam externis: internis *pro roboranda memoria*: quo pertinet *lotio capitis* LAURENBERGII, quam habuimus ubi de aqua Magnanimitatis: Et talia lixivia vocantur LIXIVIA SAPIENTIÆ, uti videri potest in MYNSICHT, qui habet aliquot talia lixivia. *In comatosis affectibus*, præmissis universalibus, instituuntur tales lotiones Capitis: deinde externos Capitis affectus, *ad tineas capitis*, ad *furfures* capitis: item ad *gravedinem* capitis ex poris obstructis, ad *sordes* capitis detergendas & similes alias.

Et quidem talibus lixiviis *interdum additur Senna*, aut *agaricum* album, aut *helleborus* niger, *ubi* simul q. s. *purgandum est caput*: sicut pro usu externo similiter decoquitur sulphur. pro purificando & *detergendo Capite*: Item in *pediculis* capitis convenienter fiunt decocta s. lixivia ex appropriatis.

V. gr. sit *lixivium* pro lotione capitis.

Confortativa.
℞. *Herb. Rosmarini.*
Majoran.
Meliss.
Origani.
Serpilli.
Betonic.
Fol. Lauri ana Mj.
Flor. Stœchad. arab.
Anthos.
Lavendulæ.
primul. ver.
Lilior. Convall.
Rosarum.
Betonic. ana pij
Rad. Ireos Flor. ℥j. (propter gratum odorem
Sem. Nigell. ℥ß. (quod est appropriatum in catarrhis.)

Affundatur s. q. Lixivii, coquantur & cum colaturâ lavetur caput, quod postmodum exsiccandum linteis, succino, Thure & Mastiche suffitis: Hinc decocto possumus etiam addere folia Sennæ l. helleb. nigrum & agaricum album, qu. volumus purgare caput quasi per nares.

aut *alia lotio* Capitis *pro tinea capitis*.
℞. *Herb. Nicotianæ*,
Comar. absinth. ana. Mij.
Summitat. hyperici.
Centaur. minor. ana Mj.
Rad. helleb. nigr. ℥ß.
Flor. betonic.
Saponaria ana piij.
sulphur. vivi s. communis ℥ß. ad ℥vj.

Coquantur in s. q. Lixivii pro lotione Capitis. *Vbi fortius* est faciendum in tinea capitis convenienter *additur* aliquid nitri, aliquid calcis, viv. quæ solvit. sulphur. & detergit, & si quæ est malignitas, illam corrigit.

Denique *lotio* valdè necessaria pro enecandis *pediculis* sit hæc:
℞. *Nicotianæ* Mij.
Sem. staphis agriæ ℥vj.
Colocynth. ℥iij.

Coquantur in s. q. Lixivii, addendo in coctione mercurii vivi ℥ß. vel suspendendo in coctione mercurii vivi in petia ligati ℥ß. Lixivio lavetur caput, quod abiget omnes pediculos ratione mercurii.

Post lotiones etiam sunt.

PEDILUVIA,

ad varios usus destinata, quæ similiter *fiunt ex decoctis* appropriatis: sive decoquantur ingredientia in aqua, sive in lixivio quodam. Sic v. gr. *post paroxysmum arthriticum* instituuntur commodè *pediluvia* pro roborandis pedibus. *Post morbos chronicos* & periculosos exantlatos *pro roborandis partibus* tremulis commodè instituuntur pediluvia. Instituuntur etiam non raro pediluvia *in affectibus capitis*, quoniam magnus est consensus plantarum pedum cum capite, de quo consensu: vid. PAULI in *digress. de Febr. malignis*. Unde instituuntur pediluvvia pro *agripniâ* abigendâ & inducendo blando ac suavi somno & incoquuntur tunc temporis capita papaveris cum seminibus. No. IV. vel VI. item in *Cephalalgia*.

Modus præscribendi est item atque in lotione capitis, nisi quod interdum loco lixivii recipiatur alius quidam liquor. d. parum refert.

Exemplum talis pediluvii pro roborandis articulis *in tremore*, l. *pro roborandis articulis* post paroxysmum arthriticum, potest esse tale.

℞. *herb. serpilli.*
pulegii.
Chamomill.
Chamæpyt. ana Mj
Flor. anthos.
Salviæ ana. pij.

Baccar.

Baccar. Juniperi ℥ij.
Lauri ℥j.

Coquantur in aqua simpl.sub finem addendo urinæ ℔j.& inColaturâ dissolve alumnis ℥ij.pro adstrictione.M. pro pediluvio.

Possunt auperi ingredientia:possunt etiam imminni pro lubitu Medici : Nam in hac parte non est adeò adstrictus.

Pertinent huc LOTIONES AXILLARUM in *birco*, quales *fiunt ex adstringentibus*, ex *fol. plantaginis* foliis *quercus bistortæ*, *equiseti* & similibus addendo lixivio decoctionis aluminis vel nitri parum: non raro etiam sulphur. interdum sulphur. & nitri simul pro abstersione ac lotione axillarum,uti etiam pedum olentium.Cœterum de his vid. AUCTOR qui est satis accuratus.

Habuimus de Fomentis humidis, habuimus de insessu & semicupiis,pergendum E. est in similitudine materiæ ad integrum.

MORELLI CAP. V.

De Balneo.

Cum commentar. Gerard.Blasii.

AD delitias, olim romanis usi tatissimum : hodie tantùm ad custodiam sanitatis & morborum expurgationem, *quid sit*, clarum Duplex autem est, *aërerum*, quod *laconicum*,vocant de quo postea,& *aqueum*, cùm in vase seu cupa sedentes lavantur & dicitur *balneum*, lotio nempe totius corporis,ad affectus cajedos, siccos ferè rariùs ad frigidos, ad ques convenientius laconicum.

Fst autem duplex : *simplex*, & *compositum.* SIMPLEX fit ex *aqua sola Tepida*,Inhecticis maxime, & ubi marcoremaciatis squali disque corporibus, quæ bènigno madore erfundit, & intemperiem simul alterat, cui aliquando *oleum Butyrum*, *lac* ad majorem humectationem additur. ut In nephrectico dolore convulsione : lac solum pro ditioribus in eundem finem : *lac & aqua,oleum solum.* In doloribus partium nervosarum,ne phritide, convulsione à siccitate, puncturæ urinæ suppressione,&c.*Hydrelæum* ad eadem,&c.

COMPOSITUM fit ex *decocto*;in quo perpenduntur *Materia,Liquor*,& aliquando *Dissolvenda*,

MATERIA ratione QVALITATIS & QUANTITATIS sunt.*Rad.* à ℔iii ad v.vi. *Herba* singulæ ad M. xx. xxx. vel privatim herbarum vi.vii.viii. ana fasciculus unus : *semin.* ad ℥iv.ad ℔i.*fructus* aliquando idque ad ℔iß. *flor.* quatuor. ana P.iiii. vi.

LIQUOR ratione QUALITATIS, & QUANTITATIS, aquæ dulcis q.s. pro balneo.

DISSOLVUNTUR,vel adduntur, aliquando ; in decocto facto, utiliter pro varietate indicationum, quæ dicta sunt in fotu, dosi tripla, quadrupla, sic usitatissimè pro hecticis, *Olei,Butyri* ana ℔iii.*Vini albi* ℔iiii. ut & aliquando ad finem decoctionis in affectibus frigidis,in quibus rarum balneum.

USUS & FORMULA.℞. *&c,fiat decoctio pro balneo*, quod ingrediatur manè & vesperi longè à pastu, (vel etiam urgente necessitate,ut in doloribus,)exonerata priùs alvo,per biduum aut triduum, tepide sine sudore, mora autem sit per duas horas,vel pro viribus,& deterso madore post egressum balnei usitatè imperatur:ungatur regio hepatis, renum, &c. unguento refrigerante.

UTILITAS non tantum ad effectus externos cutaneos. scabiem,cutim squalidam,pruritum, &c. Sed etiam ad internos,utilissimum,& præsertim balneum aquæ dulcis hecticis convenientissimum,humectans simul, & intemperiem illam calidam emendans : conveniunt maximè ad hepatis A æstum, in humida eorum usus ferè obsoletus, ut & ferè in frigida : solemne namque Laconicis pro causæ continentis expugnatione usi. Fiunt tamen etiam calefacentia ad roborandum, ut passim ad conceptum juvandum ex uterinis; ad menses movendos ex aperientibus & emollientibus hystericis : ad viscerum obstructiones,hydropem, dolores colicos, nephriticos,vesicæ,ex laxantibus emollientibus : ad lassitudinem,ad omnem affectum denique,qui eget refrigeratione & humectatione,vel calefactione, & humectatione simul.

A omniumque interiorum.

a 1. ℞. Rad.Lapath. acut. ℔ii.
Helenii ℔ß.
Herb.fumar.Pariet.Betæ, Sapon.
Scabios.an. Miv.
Sem.4 frig.maj.an.℥i.
Tartari ℥iß.
Farin.fabar.in sacculo inclus ℔j.
Coq.pro *Balneo* in scabie & cutis affectibus.

2. ℞,Rad.Bismalv. ℔ij.
Herb. Malv. Branc. ursin. Bugloss. cum rad. an M.iij.
Fl.viol Bugloss an. P.iv.
Rosar. rubr.Pii.
Coq.in aq.pulv.q.s.F. *Balneum pro Hecticis.*

BALNEUM.

Et quidem notum est, quod *Romani in usu frequenti habuerint Balnea uqua dulcis*, uti in his singularem illorum luxum *describit* GALENUS, & m. SENNERTUS *in parte diætetica.* Nos in præsentiarum considerabimus balneum ceu Medicamentum quoddam, quo totum corpus lavatur ad usum medicum destinatum:Hoc ipsum *balneum* ratione liquoris *est vel simplex*, vel *compositum.*

Simplex qui in aqua simplici calidâ lavantur. ægri : quando autem liquor e. vegetabilibus decoquendis est impræגnatus est compositum.

SIMPLEX *est* AQUA *simplex calida*,quæ propter virtutem blande laxandi, resolvendi & etiam blandè emolliendi,in quamplurimis, inprimis iis affectibus, de quibus,ubi de semicupio, locutus sum: in usu est *ante partum*, in *doloribus Nephriticis*, &c. Item tale balneum aqua dulcis sæpius instituitur *in emaciatis : ut atrophia, Tabe* à quibuscunque causis oriantur : *qu.* partes externæ, & *habitus corporis* : externus corrugatur, & quasi est *in rupas concretus*, aut cutis contorta & contracta videtur, ita ut alimentum affluens pori recipere & retinere non valeant : In tali casu balneum aquæ dulcis ratione humanitatis relaxat fibras, tunc facit partes subcutaneas, apertis ac reseratis poris, tandemque commodè præparat corporis habitum externum,pro recipiendo ac retinendo alimento affluente.

Unde uti dixi,in altrophiâ,hecticâ & Tabe, balneum aqua dulcis est usitatum. Hinc *aqua* non raro *additur*, OLEUM in iis locis, ubi olei est abundantia : cum notum sit, quod vis laxandi, emolliendi & anodyna sit copiosior in oleo quàm in aqua & talia dicuntur HYDROLEA : Frequentis hoc usus est in Italiâ & Hispaniâ. *Hispani* enim *utuntur Balneis ex ol. simplici* s. communi, quod longè melius est, quam id, quo nos utimur in cibo, *in morbis nervorum convulsivis*, in *contracturis* partium & articularum ; item in *doloribus N ehriticis* & similibus aliis. In talibus casibus tale balneum olei est valdè conveniens.

Loco olei potest commodissimè usurpari LAC : cum balneum lactis dulcis sit maximè *celebratum* remedium jam *a* GALENI *tempore* in *phthisi* & *hecticâ*, inprimis ex ejus sententia *lac asininum*, quod in Italia copiosè haberi potest, ubi asini in copiâ aluntur. Tale balneum ex lacte in hectica pro tabe curandâ & corrigenda remedium est egregium.

Et credo, quod in *Atrophia Scorbutica*, it. in tabe Scorbuticâ tale balneum ex lacte futurum sit egregium : Cum lac alias sit appropriatum scorbuti alexipharmacum.

Cæterum *balneum* COMPOSITUM *sit ex vegetabilibus* simplicibus copiosè *incoctis* in aqua *simplici* vel *alio liquore* appropriato, in tantâ quantitate, ut sufficienter imprægnetur balneum : in tali decocto appropriato æger balneare solet in stupha, toto corpore, & quando balneatur fit sacculus ex speciebus coctis, qui applicatur parti præ cæteris affectæ, sicut dixi de semicupio : Et m. *post egressum* ex balneo potest fieri *innuctio* : ex unguento appropria

appropriato parti affectæ: uti qq. dixi, ubi de semicupio.

GALLI qui curant morbum Gallicum uti superius monui, per salivationem à mercurio inductam, *antequam* autem *aggrediantur* talem *salivationem solent instituere balneum aquæ dulcis*, repetendum singulis diebus bis, & continuandum sæpius per octiduum, propter ea *ut* beneficio talis balnei *habitus* corporis *fiat rarior*, porosior & spongiosior quasi pro faciliori penetratione mercurii, vel ut balneo talis aquæ dulcis Massa sanguinea in lue venereâ viscida attenuetur, fluxilis fiat, & mobilis, & simul materia pituitosa acida & viscida partibus externis, inprimis ossibus adducens, & ibidem Gummata ac nodos inducens, attenuetur, liquescat & Mobilior fiat, quo postmodum sit facilior operario mercurii, & facilitetur Salivationis proventus, cum Massa sanguinea sit attenuata & dissoluta, humoresque facti fluxiles & mobiles, sicque summo cum fructu tale balneum instituitur.

Cæterum *balnea composita*, uti dixi, quæ fiunt ex decoctis, in quibus decoquuntur appropriata, *instituuntur* tam *pro affectibus externis* quam *internis*: Pro affectibus *externis* utiliter præscribuntur in *scabie* contumaci, in *lepra, pruritu* corporis, in *ulcusculis fœdis* corporis, in *cute squalida* & similibus aliis externis corporis habitum imprægnantibus affectibus.

Exemplum potest esse tale si prius observatum fuerit ex AUCTORE, quoad qualitatem ingredientium, quod ad ℔iij. vel IV. radicum, recipiantur aliquot manipula florum & foliorum: vid. MORELLUS, qui proportionem ingredientium satis sufficienter declaravit.

Exemplum E. sit hoc.
℞. *herb. saponariæ.*
Scabiosæ.
Fumariæ.
Parietariæ.
Folior. helenii aa. Miij.
Nicotianæ Mv. quæ est ferè basis.
d. bryoniæ.
Lapathi acuti (quæ est egregia)
Helenii aa. ʒvj.
sulph. crudi ℔j.
Nitri depurat. ℔iß.
M.D.S. Species pro balneo.

Potest m. addi alumen. ad ℥iii. vel IV. inprimis si scabies sit manans aut humida, vel etiam ulcuscala cutis sint manantia. In hoc ipso balneo potest assumi Mj. vegetabilium ingredientium, & benè fricari cutis ac partes cutaneæ.

Huic post expressum ex balneo, detersa benè cute, potest fieri inunctio cum Unguento ex ol. Nicotianæ & ol. tartari l. cum balsamo sulph. præmissis universalibus internis aut aliis appropriatis, vel simili aliâ inunctione appropriata.

Conveniunt talia balnea etiam in *doloribus Nephriticis & affectibus mulierum.* In Nephritide, ubi est dolor diuturnus ac per consensum nervorum, cum non solum abdomen, ventriculus & diaphragma, uti & Mesenterium spasmo afficiantur d. præterea talis contractio interdum prorumpere soleat ad membra externa, ad manus & pedes, ut patiantur convulsiones, de quo nuperrimè audivi. In talibus casibus pro resolvendis & leniendis membris spasmo affectis & contractis commodè instituitur *balneum compositum.*

v.gr. sit præscriptio talis.
℞. *Fol. Malvæ.*
parietariæ.
brancæ ursinæ.
hederæ terrestr.
Virgæ aureæ.
Flor. Chamomill. aa. Mj.
Malvæ.
bis malvæ aa. p. VI.
Rad. alteæ.
ononids.
lilior. albor. aa. ℥ij.
Sem. lini.
fœnugrec. aa. ʒij. vel ℥j.

incisa est contusa. f. species pro baln. dolor. ferè s.d.

Quæ conveniunt ad affectus uterinos, facilè fieri possunt simili modo ex simplicibus ingredientibus. Uterinis: sicut dedi formulam semicupii in mensibus suppressis, ut facilè pateat, quomodo præscribendum balneum, duplicata saltim dosi semicupii.

Pertinent huc m. artificialiter institutæ.

THERMÆ.

Dum ars operosa medentum etiam naturam imitari decet, in præparandis Thermis, quæ *fiunt ex* ingredientibus primariis calce viva *&* *sulphure*. Dixi namque superius de Thermis naturalibus, ubi de aquis medicatis, quod fiant per effervescentiam internam, qu. minera quædam calcinata effervescit instar calc. vivæ, & effervescendo solvit mineram sulph. vel bituminis, & isto modo fiunt aquæ calidæ ab effervescentiâ, & medicatæ ab admisto sulphure & salibus ista effervescentia solutis. *Simili* ratione artificiales præparantur Thermæ, quando nempe in aquam simplicem injicitur, s.q. calc. vivæ unà cum sulphure pulverisato, & effervescit tunc temporis calc. viva ex quâ insigniter incalescet aqua, sicque salia calc. vivæ fiunt sui juris, & agunt in se invicem, aggrediendo simul sulphur istudque resolvunt, & ita Thermas medicatas ægris substituunt.

Quales Thermæ commodè *possunt substitui in locum* Thermorum, *naturalium*, si pro balneo per dies subinde reiterentur, idque non tantum *in affectibus cutaneis* supra nominatis, ut pote in quibus calc. vivæ vis est singularis, uti m. sulphuris magna vis est in cutaneis affectibus: Sed præterea qq. convenienter tales Thermæ artificiales possunt institui *in doloribus partium chronicis*; subinde namque dolores ingrediuntur partes: & cum in talibus partium chronicis doloribus, artuum inprimis *Ostocopis*, Thermæ naturales sint in magno usu, aut m. luta Thermarum naturalium, convenientissime in *doloribus* partium sive *scorbuticis* sive *aliis* instituuntur Thermæ tales ex calce viva & sulphure præparatæ. Quod si in ebullitionis actu *addantur vegetabilia* appropriata v.gr. saponaria & similia, quæ vim habent abstersivam, *erunt efficaciores* & meliores. Res est facilis, & praxis nuperrimè inventa. Vid. ZUUOELFERUS *in mantissa Hermetica* ni fallor *ad pharmacop. Regiam annexa edit. ultim.*

Post balneum humidum sequatur.

MORELLI CAP. VI.

De Stupha, vel sudarolio.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

ALIAS appellant *Laconicum* quòd ea Lacones maximè uterentur, ut Balneo Romani, alii *Vaporarium* appellant: *hic æger nullo liquori immergitur, sed solo vapore calido sicco, vel calido humido, incalescit, & sudat*, unde nomen.

Stupham autem *duplicem* statuo, *Humidam, & Siccam.*

Humida.

Fit *cum vapore alicujus decocti, quo conopeum incalescit.*

COMPONITUR autem erecto cum cupa conopeo, orbe ligneo imposito, & huic linteis aut stragulis.

A vapore autem vario modo incalescit.

VEL enim super lamina ferri disponuntur 10. 12. lapides fluviatiles candentes, in quos decoctum dicendum conjiciatur,

VEL decoctum priùs infunditur: ita tamen, ut æger non tangat, & in hoc silices candentes injiciuntur.

VEL, quod commodius, paratur decoctum in duobus lebetibus, qui vicissim calentes cum materia decocti in cupam immittuntur.

Decoctum autem paratur ex *Rad. Fol. Sem. Flor.* idoneis, calidis ferè, cephalicis odoratis, tenuium partium; *dosi* summa Apozematum præscribendis cum aquæ q. s.

VSUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat decoctum, cujus vaporem capiat æger sub conopeo bene clauso, sudet ad placitum*: bis ingrediatur in die longè à pastu, alvo exonerata, idque per biduum: mora autem sit in balneo pro viribus, post egressum detergatur sudor, lecto se componat, &c. Hujus autem usus hyeme & vere, ut balnei æstate.

Sicca.

Talis appellatur, *quæ ignis solo calore incalescit.*

COMPONITUR autem, seu fit,

VEL per viam hypocausti & fornaculi, ut in Germania, & *Laconicum* vocatur propriè.

VEL Silices candentes sub conopeo jam dicto super laminam ferream disponuntur.

VEL, ut hodie usitatum, pro lue venerea, ex textura lignea fit, instar caveæ cujusdam, quâ ægri obducuntur, stragulæ imponuntur subditis lapillis aliquot igneis, donec sudor eliciatur copiosissimus exhibito Guajaci aut alterius sudorifici decocto. A

VSUS ut aliorum est, mora pro viribus, quæ maximè dissipantur, & vix horæ quartam partem ferè vel dimidiam sustinere valent.

VTILITAS materiam diffusam per corpus calefacit, attenuat absumit per sudores, obæsis proficua valde cacochymis maxime, si humorum Illuvies circa habitum vel in venis. In lue venerea passim usurpatur sicca, non Interdum nisi vacuato corpore, sic enim reliquiæ faciliùs per sudores eliminantur.

A *Commodiùs capsula, ex ligno & chartâ crassiore ita parata, ut æger sellæ insidens eâ comprehendatur totus, capite excepto, huc mas cum Spiritu vini una parte imponatur, accendaturvè.*

STUPHA s. SUDATORIUM.

Quod *est balneum, siccum*, VAPORARIUM m. commodè appellatur, quoniam ægri Vapore calido & sicco solent affici.

Talis *stupha est* vel *humida*, uti rectè habet AUCTOR, vel *sicca*; *Humida* est, qu. *ex Vaporibus* ex quodam liquore simplici vel quodam decocto elevatis *incalescit* ipsa *Stupha* & ægri, in eâ positi, beneficio talis vaporis copiosè incipiunt sudare.

Talis *vapor* humidus *excitatur irrigando* quodam *decocto vel aqua calida lapides* silicum *igneos* in stuphâ positos. *Vel* decoctum infunditur in stupham, & in istud *injiciuntur*, *lapides & ferramenta ignita*: *vel* decoctum *in duobus ollis* præparatur, ita ut hoc decoctum fervens imponatur, qu. autem refrigerari incipit, subitò altera olla cum fervente decocto immittitur & hæc denuò Igni admovetur ut incalescat, pro ulteriori usu, idque tamdiu reiteratur donec sufficiens tempus sudaverit æger ut ita vapores intrent poros corporis, & copiosus exhalet *sudor*, idque eò *promptius*, *si* ante ingressum *hauserit decoctum ex lignis*, vel medicamentum aliud Chymicum vel Galenicum, ut copiosus sequatur sudor.

Decocta lignorum hic sunt usitatissima.

Decocta quæ usurpantur pro exhalandis *vaporibus* in stupha, *sunt* illa *varia* pro varietate morborum præscribenda: alia sunt in lue Gallicâ, alia sunt in scabie &c. Dosis est tantum apozematis cujusdam, quoniam non tam liquor quam vapores expetuntur: *ingreditur* hanc stupham æger *semel vel bis in die*, pro varietate morbi & necessitate, semper *longè ante & post pastum*, ut ventriculus sit vacuus, detergitur corpus post egressum, & ante ingressum in balneum benè unâ vel alterâ inunctione inungendum.

Hæc est stupha, quæ est humida, SUDATORIUM est siccum, qu. non *vaporibus*, d. nudis exhalationibus *calidis Ignitis disponitur corpus*, *ut sequatur sudor*. *Modi* sunt *Tres*: *Primus* est in hypocausto. *Secundus* est, qu. nudi silices ponuntur in stupha: ita enim ex calore talium silicum exhalante copiosè incipiunt ægri sudare, & in sudorem prorumpere.

Vel *denique* injiciuntur tales silices candentes in Conopeum: ita tamen, ut prius hauserit æger decoctum appropriatum ex lignis, uti rectè instituitur in cura Luis veneræ ab Italis & Belgis. *In tali* tamen sudatorio *ad horam dimidiam vix possunt perdurare* ægri, cum in humido diutius possint subsistere: valdè enim exhalant spiritus, & exinde dejiciuntur vires.

Usus horum videantur in AUCTORE qui eos sufficienter declarat.

Habuimus fotus & fomenta, quæ sunt decocta ex appropriatis cum linteis duplicatis vel 3plicatis applicata: in cujus capitis fine habet auctor MORELLUS, quod quando videre velimus fotum siccum, videamus.

MORELLI CAP. XV.

De sacculis.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

AB effectu varii, & multiplices statui possunt, *discutientes* enim, sive *resolventes, corroborantes, anodini, Emollientes, &c.* In COMPOSITIONE, consideranda *materia ex qua* usitate sacculi parantur, & *excipiens* materiam seu *continens.*

MATERIA *ex qua*, ratione QVALITATIS, sunt varia, *simplicia* scopo præsenti convenientia, concisa & conclusa *radic. cortic. ligna fol. flor. semin. aromat. gummi*: unum, duo, plura pro scopo.

Ratione QVANTITATIS, mensuram ac pondus totius materiæ definiet partis, cui applicandus sacculus, magnitudo & moles: *pro corde* enim v. g. ℥j. ℥iß. sufficit: *pro Capite* ℥ii. pro *Ventriculo* ℥ii. ℥iiij. pro toto *Abdomine* maior copia requiritur. Singulorum ergo doses ita moderandæ, ut tota compositio non excedat molem parti affectæ convenientem.

EXCIPIENS seu CONTINENS hanc materiam est

est, *Pannus*, *lineus*, vel *Sericus*, præsertim pro partibus nobilioribus. Ex quo postea effinguntur sacculi variis formis, quadrati, oblongi, vel alterius figuræ, pro partium idea. Qui capiti imponendi, pilei formam habere debent, qui pro ventriculo parantur, scuti formes sunt, qui pro hepate, lunæ crescentis, qui pro liene, linguæ, bubulæ figuram exprimunt.

NOTA Materiam nonnunquam antequam includatur sacculo, torrefieri in sartagine, sensim affundendo vini generosi, vel aquæ vitæ q. s. præsertim ubi discutiendum. Pulveres pretiosiores & tenuiores; aut pro partibus nobilioribus præscriptos, bombaci aut cotoni expanso inspergi, ut molliùs corpori insideant. Ne materia in unum locum labatur & conglomeretur, acu interpungi atque intersui.

USUS. Quod ad MODUM, sacculi aliquando ita aridi & sicci parti adhibentur, ut qui capiti vel cordi imponuntur, aliquando verò priùs humore persusi, idque duobus modis. VEL enim vino, aceto, aut alio liquore idoneo irrigati, ad eorum operationem accelerandam, lapidi vel lateri ab igne calefacto imponuntur, ac subinde calore contracto parti admoventur: VEL in liquore idoneo parum decoquuntur, & postmodum compressi loco admoventur. Sæpius duo parantur sacculi, ut alternatim calentes adhiberi possint.

Quod ad TEMPUS, quando & quamdiu gestandi sacculi aut usurpandi, ipsa affectus ratio docebit.

FORMULA ex præcedentibus patet.

UTILITAS. In *genere* ad calefaciendum prosunt, siccandum, extenuandum, discutiendum, attrahendum, & corroborandum, dolores minuendos, humores evacuandos, & absorbendos, flatuumque copiam consumendam.

In *specie* Sacculi *cephalici* usurpantur ad varios capitis affectus, imprimis frigidos & diuturnos, ac flatuosos, destillationes inhibendas, &c. *Pectori* admoventur in pleuritide notha & flatulenta, ac aliis thoracis doloribus. *Hypochondriis* in obstructionibus ac tumoribus hepatis, lienis. *Regioni renum* in cruciatu nephritico. *Abdomini* in passione colica, iliaca, &c. *Partibus* denique quibusvis applicantur sacculi, ad tumores earundem scirrhosos, œdematosos, flatulentos, & ad dolorem, ut in arthritide.

A Qui hinc Cucupha vocari solent atque pileoli, de quibus mox specialius.

R. Cort. citr. sicc. Macis. Fl. Chamœm. an. scrup. ij.
Bacc. Junip. Thuris. Caryoph. aq. rosar. maceratorum & exsiccator. an. drach. j.
Rosf. rubr. Myrtill. Succini, an. scrup. j.
Pulverisentur & cum floccis panni coccinei, ex serico fiat *sacculus capiti applicandus.*

R. Flor. Boragin. Rosar. Buglos. an. P. iij.
Santall. omnium an. únc. s.
Rad. Redoar. Diphem. alb. an. drach. iij.
Croci Camphor. an. drach. s.
F. Pulvis gratus *pro sacculo cordiali.*

SCHRODER. CAP. LXXVIII.

De Sacculis.

Sacculus fomentarius fieri potest ex vegetabilibus quibuscumque, incisis scil. crassiusculeve contusis, sacculoque insutis.

Applicatur tepidè, sive siccum sacculum velis, sive humidum, id est, in liquore aliquo coctum & expressum.

Exemplo sint.

1. Sacculus stomachalis.

℞. Herb. Menth. crisp.
Calament.
Origan.
Betonic.
Absinth. an. M. 1.
Majoran.
Fl. Rosar. rubr. ā. M. ß.
Camomill odorat. p. j.
Rad. calam. arom. ʒiij.
Nucis moschat. num. 1.
Baccar. Laur. ʒiß.
Sem. anis.
carv.
cymin. ā. ʒj.
Ex conquassatis & incisis F. Sacculus stomachalis cancellatim intersutus.

Vires. *Confortat mirè Ventriculum. Crato.*

2. Sacculus cordialis.

℞. Fol. Meliss. 1.
Basilic.
Card. bened. an. Mß.
Santal. citrin. ʒij.
Cort. citri.
arantior. ā. ʒiß.
Flor. Laur. ʒ1.
Cinamom.
Galang.
Nucis Moschat. (Nucist.
Macis ana ℈j.
Lign. Aloës ℈ß.
Sem. citri.
Meliss. ana ʒß.
Fl. Borrag.
Bugloss.
Anthos.
Meliss. ā. p. 1.
Rosar. p. ß.
Ex his crassiusculè contusis F. Sac. interceptus serico.
Vires. *Confert in palpitatione. Crato.*

3. Sacculus Nephriticus, seu Paregoricus.

℞. Herb. Malv.
Heder. ter.
Bismalv.
Cerefol.
Parietar. an. M. ß.
Rad. Alth.
Lil. alb. ā. ℥1.
Sem. Fœnugr.
Fl. Camomill.
Melitot.
Saxifrag. ā. p. 1.
Contusis & incisis, F. Sacc.
Incoctus pluviæ, lactivè applicetur renibus in dolore nephritico.

Huc pertinent & Cucupha, cujus exemplum sint.

4. Species pro Cucupha, F. F.

℞. Rad. Ireos. fl. ℥ß.
Cyper. rot. ʒiij.
Fl. Lavendul.
Anthos, an. ℥iij.
Fol. Menth.
Majoran.
Ocym. ana ʒij.
Storac. cal.
Benzoin. an. ʒiiß.
Sem. Nigell.
Coriandr. præp.
Summ. Thymi,
Stœch. Arab. ana ʒ1.
Mosch. gran. ij.
Ambr. gryf. gran. ij.
F. Pulvis grossus, qui in gossypio susceptus insuatur pileolo serico, interpassando.

Ad sacculos E. nobis est progrediendum qui *sunt* nihil aliud, quam *vegetabilia* contusa & concisa *in sacculos* lineos *conclusa*, qui vel ita sicci applicantur parti affectæ, vel prius humectati aut decocti in liquore conveniente applicanrur convenienter.

1. *Materia* ex quâ fiunt sacculi, sunt *vegetabilia* quæcumque, quæ incisa & contusa præscribuntur, & quidem *quantitas* vegetabilium pro quantitate sacculorum majori vel minori *variat*: deinde attendendum, an Unus vel duo præscribendi veniant sacculi: ut ita pro horum varietate sacculorum, etiam rad. plantarum præscribendarum sit determinanda. Sic pro sacculo magno in parte affecta magna ℥iv. vel v. possunt præscribi: in parte parva & sacculo parvo ℥j. vel ℥ij. sufficiunt: sicuti etiam duplicanda venit dosis, ubi duo conficiendi sunt sacculi.

Materia

Materia hæc inditur *in sacculum interpassatum*, scil. interpastatum seu qui hinc inde est intersutus: propterea, ne species, in sacculo mobiles, hinc inde possint relabi, sed sit æqualiter repletus sacculus.

Qui etiam sacculi *variæ* sunt *figuræ*, non tam in quantitate quam in *figura*: *Quidam* sacculi sunt *quadrati*, qui applicantur *ano* in Tenesmo; quidam rotundi, qui applicantur *abdomini* in Colica, dysenteria & aliis intestinorum affectibus, quidam *triangulati* in *stomachi* affectibus & sic pro aliis partibus applicandi.

Rectè monet AUCTOR, quod *materia*, si includenda, interdum sit *torrenda*, id quod inprimis locum habet in sacculis cephalicis confortantibus ex Milio & sale communi, qui cum efficaces sint per se, efficaciores tamen solent esse, si torreatur sal & Milium, antequam includantur sacculo.

Altera *cautela* est, ut si pulverisari debeant minutè ingredientia, pulveres tales *excipiantur bombace*, vel inspergantur cotoni, (uti habebimus de Cucuphis) & sic talis coton pulveribus repletus, includitur sacculo, vel linteo obducitur, ut fiat sacculus confortans. Hic sacculus interpassatus & consutus, sivè sit simplex, sive duplex, *applicatur vel siccus*, vel *humidus*: *siccus* applicatur *fasciâ* convenienti: Sacculi *humidi* prius *irrorantur* vel irrigantur in liquore appropriato, aut in aqua calida, ubi opus est, ut emolliatur, & discutiatur, vel in aqua aceto mista, ubi opus est penetratione & adstrictione: sacculi stomachales, antidysenterici, contra tenesmum non raro nudi in acetum immerguntur calidum, aut cum aceto coquuntur ut ebulliat, liquor, & ita sacculi applicantur calidè stomacho affecto. *Non raro* sacculi *nudè* à calore ignis *incalescunt*, & succi *applicantur* partibus affectis, uti fit in sacculo applicato capiti in cephalalgia.

Usus sacculorum est *varius*, pro varietate enim ingredientium variat: *In genere* possunt præscribi pro usu *calefaciendi* partes, pro usu *attenuandi*, *resolvendi* & *dissipandi* flatus; item *ad robur* parti conciliandum, ad *leniendos dolores* & similes alios usus. Sacculi qui applicantur *Capiti* convenientes sunt *in affectibus catarrhalibus* in *dolore Capitis*, à causa frigida, inprimis in senibus: in *inundatione cerebri* à copiosa lympha & inde orto torpore & operationum animalium cessatione. Sic applicantur, *lateri pleuritide* affectæ sacculi emollientes & discutientes, & quantum fieri potest sanguinem congrumatum resolventes. In affectibus *flatulentis hypochondriorum*, item in *Colicâ* & similibus morbis convenientissimè applicantur sacculi.

In *dysenteria* applicantur sacculi cum appropriatis adstringentibus coctis in aceto. Item in *Tenesmo dysenterico* fructuosè applicantur sacculi.

In genere varii sunt sacculi, sicuti simplicia, ex quibus fiunt, sunt varia.

Quantitatem sacculi præscribit magnitudo partis, sicque quantitas sacculi, quantitatem ingredientium vid. MORELLUS.

Sit Ergo I. *Sacculus* præscribendus capiti *in Cephalalgia contumaci* aut hemicrania in sene, aut etiam, quæ orta sit à causa frigida: item in *contusionibus* aliqualibus capitis, usitatus & satis commendatus est hic.

℞. *Milii cocti* ℔ß.
Sali communis tosti Mj.
Flor. Chamomill.
Summitat. anethi.
herb. Verbenæ aa. Mj.
pulveris rad. Rhodiæ ℥j.
Zedoariæ ℥ß.

Ex incisis & contusis fiat Sacculus interpassatus in forma rotunda pro dolore capitis.

Hic præscriptus sacculus commendatur valdoperè in dolore Capitis fixo, sive occiput sive synciput occupet, inprimis si orietur à causa frigida: vel si non sit à causa calida, à calore solis, sicque intemperies sine materia, in febre ardente, & affectibus similibus.

Differentia facile patet: Nam *dolor*, qui est à *causa calida* ex mora sub sole, solet esse *pulsativus*: Cæterum dolor Capitis, qui est *à causa frigida*, est *gravativus*, distendens & lancinans, *caput è grave* & dolorosum: in tali casu præscriptus sacculus non potest satis commendari à LINDANO *in suis scriptis*.

Quod si habere velimus *duos* sacculos, *præscribenda* sunt ingredientia *in dupla dosi* h. m. Ex incisis & contusis fiant sacculi duo interpassati in formâ rotundâ D. S. &c.

Sacculus in dysenteria & *Tenesmo* quam nuperrimè felicissimè præscripsi, & quidem RULANDI est hic:

℞. *Foliorum Quercus.*
Furfuris communis aa. Miij.
Flor. Chamomill. Roman. Verbasci aa. Mij.

Fiant sacculi interpassati N. ij. unus major rotundus, alter minor oblongus. Hi sacculi coquuntur in aqua & acet. mistis, donec ebulliat liquor, & ita calidè sacculus major admovetur abdomini contra dysenteriam: Minor ano, contra Tenesmum, & talis sacculus *in dysenteria mira* facit, uti testari possum: singulis horis sunt renovandi, ita ut denuò incalescant in aqua & acet. & applicetur.

Pro stomacho affecto sit applicandus *sacculus.*

℞. *herb. Menthæ.*
Comar. absinthi.
Flor. Rosarum aa. Mj.
Rad. Calami aromatic.
Levistici aa. ʒiij.

(præscribuntur sacculi in formâ apozematis scil. decocti.)

Cyperi.
Galangæ aa. ʒj.
Flaved. cortic. citri ʒij.
Mastichis ʒiij.
Caryophyllor.
Macis.
Nucis Moschat. aa. ℈j.

F. l. a. sacculus interpassatus in forma triangulari vel oblongâ, qui sacculus applicatur, vel per se calidus, vel calefactus cum Vino Malvatico irroratur & applicatur vel calefactus irrigatur leniter aceto calefacto; & applicatur in affectibus stomachi.

In debilitate virium non raro solent præscribi *sacculi ad pulsus*, qui immersi in vinum generosum, vel in aquam cordialem, applicantur pulsibus: Aqua Carfunculi &c. aut irrigantur spiritu lil. convall. acet. lilior. convall. spiritu Melissæ &c. Tales cum in parva dosi soleant præscribi, præscribuntur saltim flores h. m.

℞. *Flor. boraginis.*
buglossæ.
Calendulæ aa. p. j.
Flavet. Cortic. citr. recent.

Specier. Cordial. temperatar. aa. ℥iß.
Rasuræ ligni Rhodii ℈j.
Ligni aloes ℈ß.
M. F. Sacculi N.ij. ad pulsus.

qui applicantur vel immersi in aqu. Carfunculi, vel impragnantur sacculi aut irrigantur aceto lilior. convall. spiritu lilior. convall. spiritu Melissæ, &c. pro varietate affectuum.

Tales *sacculi* usitatissimè applicantur *in affectibus* abdominis *flatulentis* & torminibus *Colicis*. Sit E. adhuc unus sacculus contra Colicam.

℞. *Milii torrefacti.*
avenæ torrefactæ.
Salis communis torrefacti aa. Mj.
Flor. Chamomill. Roman.
Fol. Lauri.
herb. Calaminth.
Menth. crispæ.
Summit. anethi.
Flor. sambuci aa. Mß.
Cortic. aurantior ʒvi.
Bacc. Laur.
Iuniperi aa. ʒiij.
Sem. Cumini.
Carvi.
fœniculi.
anisi aa. ℥ij.

F. l. a. sacculus inter passatus, qui immergendus est in aquam calidam, & ita admovendus: Vel aspergendus cum Vino Rhenano aut Spirit. Vin. & ita applicandus abdomini.

De sacculis etiam tractat SCHROEDERUS in *sua pharmacopœia* utut *non prostent in officinis* parati, nisi sacculi ad pulsus: d. *præscribuntur*, uti rectè monet AUCTOR, à Medico *magistraliter*.

Habet SCHROEDERUS *sacculum stomachicum*, qui pro faciliori operatione potest aspergi cum ol. Menthæ: ol. anisi: fœniculi, calami aromatici, vel cum aceto, ubi ventriculus est laxus.

Sacculi cordiales & *sacculi ad pulsus* semper *prostant* in officinis, & præscribuntur ita.

℞. *Sacculor. ad pulsus.* N.ij.
adspergantur ol. Carbunculi, Melissæ, vel irrorentur aqua apoplecticâ communi, pro faciliori penetratione & fortiori operatione.

Sacculi cordiales etiam prostant *in officinis* & præscribuntur ita:

℞. *Sacculi cordiales* N. j.
adspergatur spiritu lilior. convall. aceto lil. convall. aqua carbunculi & similibus &, ita applicetur cordi.

Sacculi nephritici usurpantur, qu. æger nephriticus insidet semicupio, contra nephritidem parato: in tali enim accipitur sacculus antinephriticus, & benè calefactus applicatur parti affectæ, ut unà cum balneo vis sacculi penetrans, dolorem demulceat & compescat.

MORELLI CAP. III

De Cucupha.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

ALIAS *pileolus* dicitur, *affectibus cerebri frigidis & humidis dicatus* a,

Materia itaque ex qua COMPONITUR sunt *Radic. Folia sicca, Flores, Ligna, Aromata* (*Caryph. Cinam.*) rarò *semina Gummata*, ut *Benzoin*, aliquando & *styrac*, quia facilè pulverantur; *Moschus* & *Ambra* pro ditioribus addi possunt.

Hæc autem eorum dosis & PROPORTIO. *Radic.* unc. j. *folior. siccorum* M. ij. iij. b quæ & pondere, unc. sem. drach. vj. præscribi possunt: *flor.* P. ij. iij. qui & pondere, drach. ij. drach. iij. *Aromatum* drach. iij. unc. sem. *Gummat.* drach. j. drach. ij. *Moschi* scrup. sem. scrup. j. &c. ita ut tota compos. unc. iij. unc. iv. non excedebat.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat pulvis, qui excipiatur cotone, vel bombace moscatellino, c & cum panno serico interpuncto, seu interbastato, ut vocant, fiat cucupha supra caput gestanda, vel pileo assuenda.* Aliquando duæ præscribuntur, tumque pulvis duplicandus, diciturque, *fiant duæ cucuphæ, quarum unam gestet de nocte, alteram pileo assutam interdiu, & quando erunt pinguedine delibuta removeantur renoventurque.*

UTILITAS insignis in affectibus cerebri frigidis, humidis, unde manam in inferiora varii morbi maximè autem præscribuntur post purgationes universales, ad exhauriendas materiæ morbiferæ reliquias, ad dolores capitis frigidos diuturnos, ad catarrhos, & fluxiones omnes detinendas, absumendas, sistendas, spiritus animales recreandos, robur capiti, cerebroque conciliandum ne de novo impuritates suscipiat aut generet, &c.

A Ex rebus Cephalicis suaviter fragrantibus paratur.
B Hæc quantitas nimia, sufficient tot pugilli.
C In eo nil situm est.

R. Rad. Acori, Calami aromat.
Cyperi. Irid. Fl. an. ʒij.
Fol. sicc. Rorismar. Meliss.
Salv. Origan. an. M. s.
Fl. Stœchad. arab. Lavend.
Lill. convall. Spicæ nard. an. P. s.
Cinnam. Nuc. mosch.
Macis, Caryophill. an. ℈ij.
Storac. Benzoin. an. ʒß.
F. Pulvis qui excipiatur cotone Moschato: & cum panno serico inter puncto. F. *Cucupha.*

Sacculi capiti, applicandi in specie vocantur

CUCUPHÆ.

quæ *sunt* nihil aliud, nisi pulveres *ex* vegetabilibus parati, in specie ex aromatis & *cephalicis* non tantum vegetabilium partibus; d. m. effectis, gummatis, resinis, similibusque, interdum apud ditiores Moscho & Ambra: Hæc omnia benè pulverisata, & pulveres *excepti cotone vel bombace induuntur serico rubro*, & fit sacculus rotundus intus paulisper concavus, ita ut totum capitis peripheriam ambiat.

Proportionem ingredientium habet auctor MORELLUS satis accuratam quæ vid. in eodem.

Species E. præcipiuntur pulverisandæ, & pulverisatæ excipiendæ cotone, qui coton postmodum excipitur panno *serico* rubro: sicque die noctuque gestantur.

Interdum excipiuntur, mitrâ s. capitio, ut continuo in capite gestentur: & tales cucuphæ multum in subjectis frigidis, item *Conveniunt* in affectibus senum, sicuti *in senibus* tantum præscribuntur iis, qui laborant *Vertigine, Catarrhis*, &c. iis qui laborant *mentis* & *memoriæ hebetudine* & similibus affectibus senilibus, sc. qui senes solent ingruere. *Ad dolores capitis* demulcendas valdè conveniunt. *Caput refocillant*, & in species spiritus animales *roborant*, item in *Cephalalgia diuturna* valdè prosunt.

Ut *exemplo* res fiat clarior, sit verbi gratia *Cucupha seni præscribenda* h. m.

℞. *Folior. Majoran.*
betonic.
rosmarin.
origani ana pij.
Flor. anthos.
Lavendul.
Stœchad. arab.

Rosar.

Rosar. Moschatar. ana p ij.
Gumm. juniperini ℥ß. (appropriatum contra Catharros.)
Succini præpar. pulverisati ʒij.
Thuris.
Mastichis ana ʒj.
Benzoes
Styracis ana ʒß.

(suaveolentia & penetrantia, quæ hic præprimis adhibenda.)

Nuc. Moschat.
Caryophill.
Cinnamom. ana ℈j.

incisa & contusa ac grosso modo pulverisata excipiantur cotone & fiat cum panno serico inter passato Cucupha. In capit. fluxionib.

Interdum nudè tantum præscribuntur species à domesticis ægri præparandæ, ut ita usurpentur.

Habet etiam *species pro Cucuphis* SCHROEDERUS, quibus in doloribus capitis inveteratis *addit pt. tacamahaca*, quæ est valdè efficax & elegans.

Sit unum adhuc *exemplum* præscribendum *seni Catarrhoso* : ubi observetur 1. quod cucuphæ *melius* conveniunt, *si abrasis capillis* Capiti imponantur 2. quod *ante usum Cucupharum vertex irrorandus* veniat aliquot guttis *ol. still. succini*, quod est miraculosum in affectibus Cephalicis.

Sit E. exemplum tale :

℞. *Flor. anthos*
Lilior convall.
Lavendul.
Salviæ ana p ij.
Succini pulverisati ℥ß.
Gumm. Iuniperini ʒij. (egregium hoc est.
Thuris.
Mastichis ana ʒj.
Benzoes.
Syracis optimi. ana ℈ij.
Nuc. moschat. ʒj.
Cubebar. ℈ij.

incisa & pulverisata grosso modo.

D. S. Species pro capit. cucupha.
adspergantur ol. still. majoran.
Succini ana gutt. VI.
ligni Rhodii gutt. iij.
quæ cum serico fiunt Cucuphæ inter passatæ.

Species quas habet SCHROEDERUS semper debent prostare in officinis pro Cucuphis, unde qui non vult præscribere magistrales sc. extemporaneas, potest præscribere hoc modo.

℞. *Spec. pro Cucuphis usitatar.* ℥ij.
Gumm. Iuniperini ʒij.
Succini ʒiß.
Benzoes.
Styracis ana ʒj.

M. irrorentur cum ol. Majoranæ : excipiantur bombace, & cum panno serico fiat Cucupha. Vel :

D. S. Species pro cucupha.

Cæterum observetur, quod *Cucupha exsiccent caput* : Unde *non* solent *præscribi iis*, quibus *caput est siccius, aut* qui laborant *agrypnia*, & quibus *ob siccitatem cerebri* memoria vacillat : saltim in affectibus capitis ex humiditate, in Catarrhis, in memoriæ lapsu ex inertia spirituum, ex abundantia lymphæ ; in his satis elegantes & efficaces Cucuphæ.

MORELLI LIBER SECUNDUS.

De remediis externis.

SECTIO I.

De Remediis communibus pluribus partibus.

CAPUT I.

De Epithemate.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

SI vim *Nominis* spectes, dicetur in genere *omne remedium externum, quibusvis partibus applicandum.* Hodie verò privato quodam jure appellatur *medicamentum, partibus corporis nostri nobilioribus Cordi & Hepati præsertim, admovendum, ad ipsas alterandas corroborandasque.*

Est autem duplex, *Liquidum* & *Solidum.*

Epithema liquidum.

Ratio nominis clara. Est autem *aqua vel Iulepi instar fluidum, ex Liquore idoneo, & Pulveribus, cardiacis maximè, compositum.*

In hoc tria consideranda. *Compositio, Usus, Utilitas.*

Quod ad COMPOSITIONEM *Materia* ex qua triplex *est, Liquida, Sicca & Media.*

LIQUOR ratione QUALITATIS, pro basi passim & ferè semper *Aqua destillata* est parti & affectui respondens, eaque vel sola, vel huic insuper alia adduntur, ad penetrationem maxime, aut majorem efficaciam, ut passim & fere semper, *Vinum album*, pro corde, *Acetum* pro hepate; sic & aliquando ad majorem vim, *Succi* fructuum, ut *Limonum*, vel foliorum idoneorum. Quin & aliquando *decoctum* liquidissimum est, ex idoneis, sed rarò.

Quod ad QUANTITATEM, dosis epithematis ℔j. ℥xv. unde si aqua assumatur, ad istam quantitatem præscribenda, si verò alia liquida simul addantur, hæc proportio, *aqua* ℥viii. *succi*, ℥ii. ℥iii. *vini* vel *aceti* ℥ß. ℥i.

PULVIS ratione QUALITATIS, vel *simplex*, rerum cardiacarum, hepaticarum, lignorum maximè, corticum, florum, semin. vel *Compositus*, electuariorum roborantium, aliquando & trochisci aromatici.

Quod ad QUANTITATEM, pro *liquoris* ℥i. *pulv.* ℈i. aut ʒß. ad summum sufficiet : ita ut summatim ad ℥ß. vel ʒvi. sit præscribendus : ita tamen, ut *specierum* electuariorum ʒi. ʒii. tantùm assumantur.

MEDIÆ constitutionis Materia quando, præter liquorem & pulverem, (ex quibus semper epithema,) præscribitur, Opiata est corroborans, vel Confectio cardiaca, ut *Alkermes*, ad ʒi. ʒii. præscribenda.

USUS. Quod ad MODUM, panno scarlatino, vel linteo, imbuto & leviter expresso applicatur tepidè, & ubi exaruit aut refrixerit, renovatur, vicibus repetitis, continuando per horæ quadrantem, bis in die.

QUANTITAS nulla definitur.

TEMPUS mane & vesperi, si affectus frigidus, vel hyems, aliàs ter quater in die, ubi calidus, aut æstas, & nota obiter, post usum liquidi solidum postea utiliter admoveri, viribus admodum collapsis.

FORMULA PRÆSCRIBENDI. ℞. *&c. fiat Epithema liquidum, in vase vitreo reponendum*, usus tempore pannus scarlatinus, &c.

UTILITAS. Ferè tantùm fit ad corroborandum sed refrigerandum simul *à* rarius ad calefaciendum : ad hoc enim solidum usitatius : æstate maximus eorum usus in febribus.

NOTA *obiter*, liquida etiam ejusmodi toti pectori posse utiliter admoveri, in febribus ardentibus & hecticis, ex humidis & frigidis aquis, aut decoctis majori quantitate præscriptis : item & in capitis ardoribus, phrenitide, &c. *Vide oxyrrhodinum.*

Aliquando & testiculis applicanda, in ardoribus magnis ob consensum enim cum universo, & universus corporis habitus, & sanguis maximè refrigeratur. Hinc & in hæmorrhagia

morrhagia utilissimum. *Ad hoc oxycratum* ferè usurpant. Eodem fine aliquando carpis manuum applicantur refrigerantia, ad æstum cordis, & interiorum viscerum, sic & ad erysipelata faciei, &c. In *summa*, ista omnia epithematis nomina comprehensa, possunt utiliter usurpari, parte inflammatâ, aut affectu calido obsessa, licet epithema propriè de corde vel hepate audiat.

Epithema solidum.

Appello, *quod instar aqua fluidum non est, licet varia consistentia, & molliore etiam præscribatur.*

Quod ad COMPOSITIONEM vario modo conformatur.

α VEL enim, quod usitatissimum, *Opiata* formâ, ex *Conservis* florum, *Pulveribus* electuariorum, rariùs verò simplici, & *Confectionibus* suprà dictis, cum idoneo liquore, *Aqua destillatâ* simplici, compositâ, *Succo* appropriato, &c.

Quod ad QVANTITATEM, in genere ℥iiii. vix excedit, speciatim verò sint *Conservarum* ℥iii. *Confectionum* ʒiii. *Pulverum*, ʒi. ʒli. ad summum, *Liquoris* q. s.

β VEL *Linimenti* forma, maxime in cordis & hepatis affectibus calidis, possunt & in frigidis, ex *Vnguenti rosac. Cerati santalini* ℥ii. *conserv. idonear.* ℥ ß. ʒ vi. *pulv. Cardiac.* ʒß. ℈ii.

γ VEL cum *Pipione* per medium dissecto, quod usitatissimum, qui conspergatur deinde ʒj. *pulveris cardiaci* aut ʒii. pulveris pro epithematibus ordinariis. Huc referri possunt *Catelli dissecti* capiti applicandi, in declinatione phrenitidis maxime, aut aliàs conspersi pulvere digerente & roborante, ex *flor. Rosar. Camomillæ, Granis tinctorum*, & similibus ad ℥ß.

VSVS. Quod ad MODVM, Solidum *Opiata forma* extendatur suprà pannum scarlatinum liquore idoneo imbutum, ac leniter expressum, ac tepide regioni cordis admoveatur, idque vel post liquidi usum, vel aliàs etiamnum.

TEMPVS indifferenter se habet, & bis, ter in die poterit renovari.

FORMVLA patet ex compositione. ℞. *&c. fiat Epithema*, &c.

VTILITAS Solidi *opiata forma*, pro corde, ad corroborandum, & calefaciendum maximè, ut & linimenti formâ atque cum pipione comparatum: possunt & ad cor refrigerandum cum conservis, & forma linimenti, fieri.

In *summa*, fiunt ad alterandum & corroborandum maximè, ubi vires admodum collapsæ.

A *Malignitatemque resistendam.*

R. Aq. Meliss. Scabios. Card. bened. an. ℥iv.
Acet. ros. Vini alb. an. ℥j.
Spec. Diasmoch. Diambr. an. ℈ii.
Troch. de Spodio. Sem. citri. an. ʒß.
Conf. Alcherm. Hyacinth. an. ʒi.
Croci. gr. v. M. f. *Epithema liquidum Cardiacum.*

α R. Conf. Fl. Boragin. Rosar. an. ℥i.
Conf. d'Alch. de Hyac. an. ʒi.
Theriac. ℈i.
Pulv. Elect. de gemmis. Diambr. an. ʒß.
Lign. Aloës Santal. citr. Croci. an. gr. v.
Cum Aq. Meliss. q. s. M. *Epithem. Cordiale*, formâ *Opiata.*

β ♃. Vnguent. rosar. ℥ii.
Confess. Violar. borrag. aa. ʒiv.
Spec. diatrion santal.
Diarrhod. abbat. aa. ℈i.
Aq. ros. aut syr. Limon. q. s.
F. *Epith. formâ linimenti.*

γ Modus hic ex compositione patet.

SCHRODER. CAP. LVI.

De Epithematis.

Epithema etsi etymologicè omne id sonat, quod parti alicui imponitur, sive liquidum id sit, sive durum: attamen in praxi denotat recentioribus (veteribus enim malagmata, unguentaque notabat, mediæ corporis regioni accommodata) medicamentum liquidum, quod spongiâ, panno, linteo, stupâ susceptum parti alicui imponitur.

Fiunt Epithemata ex aqua stillatitiis, succis, decoctis, emulsionibus, aliisque liquoribus convenientibus, sive solis, sive cum pulveribus, speciebus, electuariis, & similibus commixtis.

N. *Penetrationis ergo additur nonnunquam aliquid vini odoriferi, aceti, spirituum, seu aquarum spirituosarum.*

Proportio { Liquor. ℔ß. / Pulver. ʒj. ad ℥ß. & ultra. / Vini vel spirtus ʒ j. plus minus.

Adhibentur ferè tepidè, præcipuè capiti & cordi; artub. v. etiam frigidè applicari possunt.

Epithemata in Officinis parata nulla extant, sed ex tempore miscentur, cujus rei gratia species certæ in promptu haberi solent.

Vt

Species pro epithemate Cordis, Epatis: quibus & alias substituere licet.

Exempla erunt:

I. *Epithema Cordiale.*

℞. Aqu. Rosar. ℥iv.
Nympheæ.
Violar. ā. ℥iii.
Bugloss.
Meliss. ā. ℥ß.
Vini alb. odorif. ʒi.
Pulv. sem. acetos.
Corall. rubr. præpa at.
Santal. citrini.
albi ā. ʒß.
Cort. citr. ℈i.
Croc. ʒß.
M. fiat Epithema.

Vires. *Cordi refrigerium adfert, syncope correptos excitat, panno scarlato susceptum, cordisque regioni tepidè impositum.*

II. *Epithema Epaticum.*

℞. Aqu. portulac.
Rosar.
Plantag.
Acetos.
Intyb. ā. ℥iv.
Sem. portulac.
acetos.
Endiv. ā. ʒi.
Throch. de camphor.
Santal. citr. ā. ℈ii.
Aceti parum.
M. F. Epithema.

Vires. *Epatis & sanguinis æstum demulcet, & hinc sistit hæmorrhagiam narium Epati tepidè impositum.*

III. *Epithema in febribus malignis.*

℞. Aqu. Rosar.
Sambuc.
Lactuc.
Acet. rosac.
rutac. ana ℥ß.
Spec. Diatr. Santal. ʒi.
Sal. nitr. præparat. ʒj.
Theriac. Andr. ʒiß.
Croci ℈ß.
M. F. Epithema, cui & tantillum camphoræ admisceri poterit.

Vires. *Carpis & fronti applicatum æstum febrilem mirum in modum, in febribus malignis præcipuè mitigat, Cephalalgiam lenit, somnum conciliat.*

Habuimus hactenus de fotu & Fomentationibus, de Balneis & sacculis: his ferè cognata sunt

EPITHEMATA.

quæ ex vi nominis *in genere* significant *quæcunque Remedia externè applicata*, & ita latissimè se extendit vox Epithematis. Nihilominus *hodierno* & quidem specialiori usu *Epithema* hoc tantum *appellatur*; quod sub forma liquida & aquosa partibus nobilioribus, vel ad alterandum, vel, uti vocant ad corroborandum adhibetur: Et hac ratione excluduntur

excluduntur Epithemata quæ vocantur sicca l. solida: quoniam hæc ad alias formulas pertinent, uti postmodum videbimus: Propriè ergo Epithemata, de liquidis quæ fiunt, dicenda sunt.

Quod E. attinet formulam Epithematis, in ea consideranda est inprimis materia scil. *liquor*, qui scil. cum linteis est applicandus parti appropriatæ affectæ. Nam *Epithema* consistit in hoc, ut *cum linteis applicetur*, ceu fomentum humidum, nisi quod usu & frequentiori applicatione differant.

Materia sunt *decocta liquidissima* seu quæ ingrediuntur pauca Vegetabilia, eademque coquuntur cum copiosa aqua, & usitatius aqua destillata adhibetur, tam simplex, quam composita, tam una quam plures parti affectæ accommodatæ: *interdum* his ipsis additur etiam *Vinum*, ubi opus est aliquali refocillatione & restauratione uti etiam *aquæ spirituosæ* pro eodem scopo *interdum* pro penetratione meliori additur etiam *acetum*, d. tantum istud in Epithematis quæ capiti sunt applicanda *in moderata dosi* debent misceri, propterea quoniam odor aceti solet inducere agrypniam, & arcere somnum. Unde notum est, quod *in lethargo* & nimis somnolentiis *applicetur acetum naribus*, ad arcendum nimium somnum. *Interdum* recipiuntur etiam alii *succi* verbi gratia *succus cancrorum fluviatilium* expressus, qui inprimis applicatur fronti *in febribus ardentibus*, *ubi* adsunt nimiæ *vigiliæ*, item ubi adsunt *deliria*, ubi adsunt *Cephalalgiæ* & similia mala febrium ardentium malignarum, qui succus non raro aliis permiscetur. Item *non raro* recipitur *succus sempervivi* majoris contusione expressus, qui similiter *pro refrigeratione* & compescendo æstu, ac exinde ortis affectibus commodè usurpatur.

Lac muliebre vel solum non raro *loco Epithematis* inservit: sive sit demulcenda *Cephalalgia scorbutica*; sive sit inducendus somnus in *agrypniis* nimis pertinacibus.

Proportio & quantitatis Epithematis est in AUCTORE, qui vid. ubi noto, interdum Epithemata tantum ad ℔ß. præscribi.

Cæterum huic liquori, ceu basi Epithematis, *non raro adduntur* quædam *sicciora*, pulveres, & alia quæ facilè possunt conjungi cum liquore. Cæterum taxandus hic est *error* eorum, qui promiscue *varios pulveres* variis *addunt* Epithematis, cum tamen optimè sciant, quod in hac applicatione externa talium pulverum vis & potestas, cum sæpè sint fixi, duri & aliæ modo qualitatis, non possit penetrare ad interiora, adeoque frustra & sine successu non raro talia permiscentur: ita verbi gratia, sæpius in Epithematis Epaticis solet addi *pulveris Coralliorum* rubeorum, solent addi *cortices citri*, cortices *Aurantiorum*, solent addere *lignum aloës* & similia, quæ ipsa sunt sine successu, & sine fructui applicari externè per se patet. Ea E. qui dissolvi & *permisceri debent Epithematis*, *debent esse* subtilia & *penetrantia* qualia sunt verbi gratia *Camphora*, quæ potenter penetrat, & utiliter permiscetur Epithematis quarumcumque partium, ubi opus est refrigeratione, discussione, & ut resistatur malignitati: item *Crocus*, qui & ipse est penetrans & valdè volatilis, non sine successu potest permiscere Epithematis: sicuti etiam *Opium*, ubi opus est lenire dolorem, & ut inducatur somnus, commodè permiscetur cum Epithematis. *Theriaca* nonnunquam aut etiam *Confectio alkermes* dissolvitur non inconvenienter in Epithematis, quæ pulsui aut cordi applicantur in febribus malignis: Convenientius tamen est, ut recipiatur *spiritus Theriacalis Camphoratus*, vel *Essentia Theriacæ*, quoniam sunt penetrantiores quam Theriaca ipsa, nisi febris nimis ardens obstiterit: aut si respondeatur Theriaca vel confectio alkermes non inconvenienter additur aceto, ut inserviat loco vehiculi ratione penetrationis, ut promptius & melius operentur Epithemata. Sunt etiam qui aquis istis & liquoribus addunt *pulveres ex seminibus contusis* paratos: Cæterum *convenientior* modus est iste, ut *ex istis* seminibus cum aqua appropriata fiat *Emulsio* admodum tenuis & fluida, & eadem postmodum instar Epithematis applicetur, Talis E. liquor applicatur, dum ipsi immergitur linteum 2plicatum aut 3plicatum, & ita frigidè aut saltim tepidè admovetur parti, idque subinde repetitur, nunc singulis horis, nunc singulis dimidiis horis, nunc singulis 2bus vel 3bus horis, pro varietate circumstantiarum & urgentiæ.

De *Epithematis Cordi* applicari solitis observetur, quod talia *in morbis malignis* sive cum expellenda malignitate conjunctis verbi gratia in *variolis & morbillis*, in febribus *petechialibus*, imo ipsa *peste* raro, aut certè *caute* sint *usurpanda*, ne scil. admonitione eorum nimis crebro detegatur corpus, aut etiam iis non satis calidis impediatur expulsio, obstructis ab aliqualem refrigerationem poris. Quod E. attinet formula, sit 1. *Epithema in nimio calore* aut inflammatione *Epatis* valdè commendatum à BARTHOLETO *tract. de respirat. p. 294. h. m.*

℞. *Aqu. hyosciam.*
Nymphea.
Flor. lilior. albor.
plantaginis.
Rosar. rubrar. ana ℥iß.
Sacchari Saturni.
Camphoræ in Vini Spir. dissolut. ana ℈j.
Nitri fixis. lap. prunell. ʒß.
M.

& applicetur tepidè cum linteolo duplicato regioni hepatis subinde repetendo.

Epithema ex succo cancrorum fluviatilium est valdè conveniens *in affectibus capitis* ex præscriptione RULANDI, uti superius monui, est tale.

℞. *Cancris fluviatil. vivor.* No. XX.
Aceti rosacei. ℥v.

Contumantur in mortario, & exprimatur succus, qui adservetur pro Epithemate. Capitis.

quod tepidè admovetur sæpius affecto capiti, valdè conveniens in Cephalalgiâ. Idem RULANDUS habet *exemplum* cujusdam viri quadragenarii, in *insaniam* cum *vigiliis* conjunctam incidentis, cui suprà frontem admovit similiter succum talem ex cancris fluviatilibus vivis expressum, temporibus vero & naribus adhibuit hoc *Epithema*.

℞. *Aqu. Rosarum.* ℥vj.
Opii ʒj.
Croci momentum.
M. benè pro Epithemate.

Commode talis succus cancrorum fluviatilium etiam permiscetur cum ana succi sempervivi majoris expressi, & hæc invicem permista applicantur fronti, pro Epithemate, in deliriis & insomniis febrium malignarum & aliarum ardentium.

Idem succus sempervivi majoris expressus permistus cum aceto, & cui additur parum nitri, constituit elegans Epithema, applicandum testibus & scroto

scroto *in nimia ebrietate*, subito enim ebrios *facit sobrios*, ubi tale experimentum habet HEER *in observationibus rarioribus obser.19. Idem Epithema* applicatur eodem modo convenienter *in nimia hæmorrhagia narium*: mirum namque est, quam sistat hæmorrhagias, sive in viris applicetur scroto; sive in mulieribus regioni pubis, idque propter mirandum consensum testium cum toto corpore.

Formula potest esse talis.

℞. *Succi semperviv. major recenter. expressi* ℥viii.
Aceti Rutacei vel rosacei ℥ij.
Nitri depurati ʒij.
M. pro Epithemate. refrig. capit.

Idem succus cancrorum fluviatilium utiliter etiam permiscetur cum aliis, in specie c. aqua spermatis ranarum, quæ *in phrenitide & quacunque partium* tam internarum, quam externarum *inflammatione* est elegantissima: Præscribi E. possit tale Epithemata fronti ac temporibus applicandum scil. admovendum *in phrenitide* cum *Vigiliis* & *Cephalalgiis* conjuncta h. m.

℞. *Aqu. spermat. ranar.* ℥vj.
Succi cancrorum fluviatil. recent. express. ℥iij.
Croci ʒj.
Opii aceto correcti ʒß.
Camphoræ ℈ß. ana ℈j.
M. pro Epithemate.

fronti ac temporibus admovendo. Epithemata quæ fiunt ex Emulsionibus, similiter in iisdem scopis capiti ac fronti admoventur. Sic verbi gratia *Epithema* mihi familiare valdè *in febribus malignis* cum *agrypnia* est hoc, quod sæpius non sine successu adhibetur.

℞. *Sem. papav. alb.* ʒij.
hyosciam. ʒß. cum
Aqu. spermat. ranar. ℥iij.
Solani.
Semperviri.
Endiviæ. ana ℥j.
F.l.a. Emulsio extern.pro capit.aplicat.cui additur.

Succi cancrorum fluviatil. expressi dimidium
Misceantur & addatur.
Camphoræ ℈ß.

Dixi etiam, quod *interdum* fiant talia *Epithemata ex decocto* maxime diluto: sit E. tale *Epithema* applicandum hepatis regioni in nimio *hepatis fervore.*

℞. *flor. rosar.*
Nymphææ.
Violarum ana pj.
herb. semperviv.
Lactuc.
*portulac.*ana Mß.
Sem. lactuc.
papav. alb. ana ʒiß.

Coquantur in aqua Fontanæ ℔j. Colatur.
℞. D. S. Epithem. extern. hepat. applic.

In febribus malignis & virium imbecillitate applicantur talia *Epithemata pulsibus* & etiam *regioni Cordis.*

Pulsibus admovetur communiter vel acetum lilior. convall. aqua Carbuncul. permista c.aceto,ol. Vino aut similia.

Pro Regione Cordis verò præscribitur extempore h. m.

℞. *Aqua borraginis.*
Melissæ cum Vino ana ℥ij.
Cinnamomi.
Carbunculi ana ʒj.
*Spiritus Theriacalis Camphorat.*ʒiij.
Confect. alkermes ʒj. l.ʒiß.
Croci ℈j.
Camphor. gr. V.
M. pro Epithemate corrobor.

Inter Epithemata hoc est *singulare quod* non raro *in affectibus calidis* applicata *Epithemata* Epati; item in hæmorragia narium eidem hepati applicata, interdum *soleant inducere diarrhœas.* Effectus est singularis, & ulteriori pensiculatione dignus. Uti talia exempla habet HORSTIUS *lib.IV. obs. p. m.* 230.

Dum loquor de hæmorrhagiâ: *Epithematis* contra hæmorrhagias destinatis non inutiliter *potest addi sperniola* CROLLII de qua superius inter pulveres habuimus.

Quæ habet Schroëderus de Epithematis, videantur in eadem, quoniam sunt parvi momenti.

Hæc fuerunt Epithemata, & quidem liquida. Auctor MORELLUS etiam facit mentionem Epithematum solidorum: Cæterum hæc Epithemata solida melius inter unguenta & Cataplasmata: referuntur, quam inter Epithemata: nisi forsan hic locum haberet, quod *in deliriis & phrenitide applicantur* Capiti & Syncipiti, *animalia viva per medium dissecta* adhuc calentia: sic verbi gratia in tali casu in phrenitidis declinatione adhuc in Italia usitate recipitur *pullus*, & per medium dissecatur, itaque dissectus, calide admovetur Capiti, pilis prius abrasis, pro sistendâ phrenitide, qua ratione applicatæ gallinæ *non raro singulares* & admirandos *præstant effectus*: Non raro enim *columbæ* eodem modo dissectæ applicantur plantis pedum pro eodem usu contra phrenitidem.

Sicuti de hoc ipso etiam potest videri AUCTOR, qui plura habet de eadem: alias Epithema solidum non est amplius in usu.

MORELL. LIBRI SECUNDI.

SECTIO II.

De Remediis propriis partium quarundam.

CAPUT I.

De Frontali.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

IN genere vocari potest quævis forma medicamenti externè fronti applicata, privatim tamen *significat topicum refrigerans & hypnoticum, ex cephalicis frigidis contusis, sacculo lineo, lato 4. 5. digitos, exceptis,* Græci vocant ἀνακόλλημα: etsi hoc propriè notet *medicamentum, quod ex emplasticis, ut farina volatili, & adstringentibus, ut* Bolo, Sanguine Draconis, Acaciâ, Aceto & Ovi albumine *exceptis fronti applicatur, ad hæmorrhagiam, humorumve impetum, & fluxiones in oculos sistendos.*

Nostrum FRONTALE.

COMPONITUR VEL forma SICCIORE, quæ propriè frontale est, ratione QUALITATIS, passim ex Floribus &

& Semin. cephal. frigidis, ut *Flor. viol. rof. nymph. Sem. pap. albi lactucæ.*

Ratione QUANTITATIS, Flor. pugill. 3.4. Semin. ℥ß. præscribuntur.

NOTA his addi aliquando ad robur & discutiendum. *Flor. Camom. Melilot.* an. P. ß. *Semin. Coriandr. Anethi.* an. ʒß.

Etiam utilissimè ex solis *foliis lactucæ, hyosciami* ad Mij. iij. contusis, *oleo violar.* & *aceto* imbutis fieri ejusmodi frontale, ut & aliquando priori modo horum M.j. addi.

VEL forma HUMIDIORE, idque instar LINIMENTI, ex *Unguenti, populei* verbi gratia aut *Rosar.* ℥vj. *ol. viol. &c.* ʒß. aut solo unguento populeo. Forma CATAPLASMATIS ex *Foliis, Flor. Seminib.* dictis, contusis, addito pauco *oleo* & *aceto*.

USUS & FORMULA SICCIORIS. ℞. *&c. contundantur & includantur panno lineo raro, fiat frontale*, quod vapore aceti perfusum aut irroratum; fronti & temporibus admoveatur, hora somni.

LINIMENTI. ℞. &c. illinantur frons & tempora, hora somni, atque 4.5. horis elapsis abstergatur renoveturque.

CATAPLASMATIS. ℞. *&c. fiat instar cataplasmatis*, quod duplici linteo exceptum fronti & temporibus applicetur.

UTILITAS præcipue ad refrigerandum, ad capitis ardores, ut per febres, phrenitidem, ad somnum conciliandum, in vigiliis, quæ per istos affectus vires admodum dejiciunt, & mentem exagitant; ad vapores compescendos in febribus, ad repellendum aliquando, ut & ad capitis dolores, &c.

R. Boli arm. Terræ Sigill. Thuris an. ℈iv.
Sang. dracon. Aloës. Mastich. an. ʒj.
Farin. violat. & Pilor. lepor. incis. an. ʒj.
Album ovi. j.
F. *Anacoll. fronti & temporib. applic.*

R. Boli armen. Farin. violat. an. ʒij.
Aceti rosar. Aqu. rosar. an. ℥j.
M. f. *anacollema.*

R. Semin. 4. frig. maj. Papav. alb. an. ʒj.
Fl. Rosar. Viol. Nymph. an. P.j.
Chamomill. Melilot. an. Pß.
Spec. Diatrion Santal. ʒj.
F. pulvis grossus, qui includatur sacculo lineo, pro *Frontali*, quod vapore aceti irroratum applicetur fronti, hora somni.

R. Unguent. popul. ʒvj.
Ol. Rosar. ʒij.
Album. ovi, part. mediam.
Agitentur omnia simul & excipiantur stupis cannabinis, ac duobus linteis inclusa applicentur *fronti*.

R. Capit. papav. alb. cum Semin. n. iij.
Fl. Nymph. Melilot. an. P.ß.
Semin. aneth. ʒß.
Amygd. amar. Nucl. persic. an. n. ij.
Contund. & cum aqu. rof. & lactuc. q.s.
F. *instar Cataplasmatis* quod fronti applicetur duobus linteis inclusum.

MORELLI CAP. II.

De oxyrrhonido.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

ALII ad Epithema, alii ad Embrocationes, referunt, ex aceto & oleo rosato nomen habens, tamen cum sit forma medicamenti, quæ videtur capiti propriè dicata, frontali liquidiori subnecto.

α COMPONITUR VEL simplicius ex *Olei rosati* partibus tribus, *Aceti* parte quarta, simul agitatis, ita ut tota compositio unc. ix. vel ℔j. ad summum non excedat. *a.*

β VEL compositiùs, ex *Oleo Rosato*, & aliis cephalicis *Oleis*, *Aceto Rosato*, & *Aquis* cephalicis frigidis, hac proportione: *Oleor.* unc. j. drach. vj. *Aceti* unc. ij. unc. iij. *Aquæ* unc. iiij.

γ VEL aquarum loco ex *Succis*, cum iisdem, eadem dosi præscribitur.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. agitentur omnia fortiter simul. & huic mixtura linteola immersa imbutaque admoveantur capiti, fronti, & temporibus, mutando sæpius.*

UTILITAS. Insignis in phrenitide & deliriis, ad repellendum humores tenues, & fumos à capite arcendo: in febribus etiam ardentibus, ubi metus deliriis.

A Imò sæpius vix in totum unc. ij. præscribuntur.

α R. Ol. Rosar. unc. iij.
Acet. rosar. unc. j.

M. f. *Oxyrrhod.*

β R. Ol. Viol. Rosar. Nymph. an. unc. iij.
Acet. rof. drachm. j.
Aq. rof. Plantag. Lactuc. ana unc. ij.
M. f. *Oxyrrhod.*

γ R. Succ. lactuc. Portulac. Solan.
Umbil. vener. aa. ℥ij.
Ol. rof. ℥iij.
Acet. rof. ℥j.
M. f. *Oxyrrh.*

Epithemati affine est.

OXYRRHODINON.

quod etiam à quibusdam ad Epithemata refertur, & est similiter *medicamentum ex aceto & ol.* ceu basi compositum, *fronti & temporibus applicatum*, medicamentum *Veteribus* admodum *usitatum*, quod vero apud modernos ferè in desuetudinem abiit.

Componitur ceu ex basi ex aceto Rosaceo & ol. Rosaceo, applicatur cum linteolis capiti & temporibus contra deliria, contra *Cephalalgias* & similia mala, *in febribus*, in specie *ardentibus*, aut etiam in aliis affectibus, in quibus per consensum hoc modo afficitur Caput: *simplicissima* talis *oxyrrhodini formula* est hæc.

℞. *Aceti rosacei* ℥j.
ol. rosacei ℥v. vel VI.
M. simul per oxyrrhodino.

Interdum hisce duobus primariis ingredientibus *addi solent aquæ appropriata*, &c. *Succi* expressi appropriati, inprimis qu. moderni tale medicamentum d. raro in usum vocant, atque tunc temporis dosi ac modo Epithematis solent præscribere, ita ut aquis ac succis appropriatis admisceatur postmodum acetum & ol. Fiunt talia in Cephalalgiis delendis & imminuendo delirio, d. raro. Obiter noto: AUCTOR dicit, quod ℥iv. vel vi. sint assumendæ de aquis, quod tamen non fit, uti apparet ex hac formula.

℞. *Aquæ Verbenæ.*
flor. persicor. ana ℥iij.
ol. Chamomill.
anethi ana ℥ß.
Aceti rosacei ℥ß. vel ʒvj.
M. pro oxyrrhodino.

Potentius oxyrrhodinon. cum succis est hoc.

℞. *Succi semperviv.*
portulac. recent. cyprep.
ana ℥iij.
ol. Nymphea.
rosarum ana ℥iß.
Aceti rosacei ℥j.
M. pro oxyrrhodino:

in Phrenitide: Cæterum, uti dixi, talia oxyrrhodina & Epithemata cum oleis ferè in desuetudinem abierunt.

Epithemati & oxyrrhodino affine est

FRONTALE

quo nomine *nominantur omnia* illa *quæ fronti applicantur* quocumque modo: Ex quo patet, quod *non sit specialis remedii formula*, d. vario modo, cum remedia possint fronti applicari, etiam frontalia possunt fieri varia: adeoque non opus esset peculiari Capite: insistendum tantum vestigiis AUCTORIS.

Rectè hic in principio Removet vocem ANACOLLEMATIS, quod *Græcis idem* est *atque Germanis*, ein Dorbandt, *Cataplasma* valdè *adstringens*, quod applicatur à Chirurgis in principio luxationum & fracturarum: nihilominus *ut Græci anacollemata fracturis ita* eodem usu applicant etiam *Germani fronti*. Applicantur varia remedia fronti *inprimis tantum* in forma *sacculorum*: Et quidem *fiunt* tales sacculi *ex Vegetabilibus* instar aliorum sacculorum, moderatâ tamen dosi, ne nimis aucta impediat convenientem applicationem.

Formula sit talis *in Agrypnia*.

℞. *herb. Lactuc.*
Nymphæ ana Mß.
flori Nymph.
papav. Rhœad. ana pij.
Sem. papaveris albi.
Lactuc. ana ℨij.

Ex contusis fiat saccus irrorandus aquâ *hypnotica* DORNCRELLII. F. saccul. hypnotic. capit. applicand.

Ex quo patet, quod non sit singularis formula frontale. Talia *Frontalia etiam sunt* remedia, quæ *sub forma Unguenti* & Linimenti applicantur fronti. Tale *linimentum* contra *dolorem Capitis* & *vigilias* est hoc.

℞. *Unguent. somniferi usitat.* ℨij.
ol. papaveris expressi ℨß.
Seminis hyosciani expressi. ℈ß.
M. F. linim. hypnotic. capit. applic.

quo inungantur tempora & frons. Item solum Unguentum populeum: it. Unguentum alabastrinum cum ol. anethino, aut etiam cum ol. papaveris, applicantur eodem modo fronti, & vocantur frontalia: *interdum sub forma Cataplasmatis* applicantur remedia fronti, & vocantur frontalia quoniam fronti applicantur.

Formula sit talis.

℞. *Nucleor. persicor.* ℨß.
Sem. papaveris albi ℨij.

c. q. s. lactis muliebris *fiat Cataplasma* contundendo & miscendo. Capit extern. applic. in dolor. capit.

Tale Cataplasma *duplici excipitur linteo, admovetur* & applicatur *fronti* pro varietate subjecti. Ut ita appareat, quod omnia medicamenta applicanda fronti dicantur frontalia, ut non opus habuissemus peculiari capite.

Ex cognatione & affinitate materiæ consideranda est etiam.

MORELL. CAP. IV.

De Embrocatione.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

PROPRIE non est certa forma medicamenti; sed modus utendi tantùm, *cùm partem nempe liquore aliquo vel oleo perfundimus, idque vel altè diffundendo, vel blandè tantùm fricando.* Utroque enim modo Practici hodie usurpant nomen Embrocationis, & passim confundunt cum irrigatione: ἐμβρέχω enim significat pluo, irrigo, & immergo. Quicquid sit, distinctionis gratia distribuemus in *Irrigationem* seu perfusionem; & *Embrocationem.*

Irrigatio.

PERFUSIO est *liquoris ex alto, pluviæ instar, in partem aliquam, (* maximè in caput *) copiosè facta destillatio, ex proboscide vasculi, à fotu modo utendi tantùm differens.* Aliàs *Instillatio* vocatur, & *Impluvium*, ut & Græcis ἐμβροχή.

COMPONITUR autem vario modo.

VEL ex *decocto* variarum partium stirpium, calidarum, frigidarum, pro scopo, dosi lotionis, in aqua vel vino facto (pro indicatione) ad tertiæ partis consumptionem: in quo colato adduntur aliquando, ipsius nempe libræ uni, *aceti* vel *vini*, aut *Aquæ vitæ*, prout affectus calidus vel frigidus, ℥ii. iii.

VEL ex *Oleo solo*, sed præstat linteis immersis embrocationem facere in convulsionibus & nervis affectis præsertim.

VEL ex *Oleo, Aquâ destillatâ, Aceto* in affectibus capitis calidis. Vide Oxyrrhodinum.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. decocti* ℔i. ii. iii. *fiat irrigatio ex alto, cùm gutturnio in partem affectam, &c.* Vide Lotiones.

UTILITAS. Calidis affectibus maximè dicatur, capitis præcipuè, utilis hinc ad somnum conciliandum, etsi hodie lotio pedum magis sit usitata. In febribus præsente delirio. Valdè enim refrigerat, quia ex alto altiùs penetrat: quia etiam perpetuò novus liquor impluit, & pars refrigerata subinde magis eventatur. Potest etiam ad ipsius affectus frigidos fieri utilissimè, ut ad lethargum ex calidis. Vide Lotiones, cum quibus hæc irrigatio in materia, dosi, &c. convenit.

Fieri etiam possunt ad aliarum partium affectus tum frigidos, tum maximè calidos, ut inflammationum initio ex decocto refrigerante, oxyrrhodino, in erysipelate ex oxycrato sed rariùs: fotu enim potiùs utimur. In fracturis etiam & luxationibus, ubi vincula solvere non est tutum, tamen dolor urget, cum *oleo violaceo*, vel revellendum cum *rosaceo, &c.*

Nota, STILLICIDIUM AQUARUM THERMALIUM huc esse referendum.

Embrocatio.

Non *sumitur* hîc pro irrigatione ex alto: sed ut hodie usitatum, *vel pro blanda partis frictione cum oleo facta, vel etiam pro lana, aut lintei, in oleo aut liquore idoneo, immersione, & applicatione;* ἐμβρέχω enim significat etiam immergo, ut suprà, pluo, irrigo.

COMPONITUR inde, fitque.

VEL lana aut linteo (aliàs vocant Splenium) immerso (inde nomen Embrocationis,) imbutoque oleo solo, vel liquore idoneo partique imposito instar epithematum, sæpiùs renovando.

LIQUOR autem, Vel *Oleum* solum, Vel *Succi* soli, Vel *Aqua* destillatæ solæ, Vel omnia simul, hac proportione ad *Olei* ℥iiii. sumantur, *Succi, Aquæ*, an. ℥iiii.

VEL ut hodie usitatissimè sumitur embrocatio, pro blanda frictione, facta cum oleo idoneo, stupis deinde cannabinis, linteo vel cotone, eodem imbutis, vel non imbutis superimpositis. Fit etiam cum solo *succo*, vel ex his mixtis. *Dosis* autem eorum simul, vel seorsim, ℥iv. vi.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. pro embrocatione, fricetur pars leviter, tegatur postea linteo, cotone, stupis, imbutis eodem oleo, vel non imbutis.*

VEL secundum priorem modum. ℞. *&c. intingantur stupa vel lintea, applicentur, sæpiùs renovando.*

UTILITAS embrocationis ex oleis post balneum & fotus frequentissima: utilis etiam ad repellendum in inflammationibus, erysipelate, phrenitide, vigiliis, capitis doloribus, ad omnes corporis partes externas, internasque calefaciendas. Maximè autem conferunt in affectibus externis.

R. Majoran, Beton. Meliss.
Rorismar. an. Mj.
Flor. Stœchad. arab. Pii.
Nigell. ℨii.
Coq. in Aqu. q. s. ad tertias, irrigetur eo caput.

EMBROCATIO.

Veteribus sæpius *in usu*, quæ adhuc *in Italia & Gallia* usurpatur, apud nos verò in usu esse desiit. AUCTOR distinguit inter *Embrocationem* & *irrigationem. Irrigatio* est, *qu.* liquor *ex alto guttatim decidit in caput*: Exempli gratia, quandoquis sedens sub gutturnio excipit sensim guttas aquæ decidentis in verticem. Et hæc est irrigatio.

Veteres

Veteres E. qu. usurpant talem irrigationem, & adhuc Itali *recipiunt fasciam* lineam, eamque *circundant capiti*, & ita Capite superius *denudato*, inferius vero fascia circumdato, *excipiuntur* syncipite aut vertice sæpius *destillantes liquores* pro affectibus capitis. inprimis contumacioribus.

Liquor qui hic est adhibendus, & cum quo fit talis irrigatio, inprimis *est decoctum* quoddam ex cephalicis appropriatis: verbi gratia, si instituenda esset talis irrigatio in sene, qui non possit dormire, & cui ex nimia Cerebri exsiccatione labilis sit memoria, tunc fieret decoctum ex herbis Cephalicis blandè somnum inducentibus & humectantibus eo modo atque præscribuntur decocta verbi gratia.

℞. *Herb. Nymphea.*
Violarum.
Lactucæ ana Mj.
Flor. sambuc.
Sumitat. anethi.
Flor. papav. albi aa. Mß.
Capit. papaveris semine repletorum. N. VI.

incisa & contusa coquantur in s. q. aquæ simplicis pro Embrocatione.

Hujusmodi decocto moderatè calido impletur gutturninum, & æger irroretur in syncipite. *Loco* hujus *decoctum* interdum *ol.* vel *ol. aceto mistum* adhibetur instar oxyrrhodini loco liquoris, & hæc mistura ita decidens excipitur Capite denudato & inferius fascia munito, id quod fit *in deliriis*, & apud Italos in *Maniis: Interdum* fit mistura *ex aqu. ol. & spiritu* ac *liquore appropriato*, eademque ita irrigando excipitur capite in *affectibus nervorum*, quas vocant, frigidos, ut sunt *paralysis*, *tremor* & similes. Cæterum tales *irrigationes non* amplius *apud nos* sunt *in usu*, uti apud Italos & Gallos.

Huic irrigationi contra distinguit AUCTOR Embrocationem utut sui generali Embrocationis nomine ambo veniant. *Est hæc* blanda ac lenis *partis frictio cum ol.* quodam, *aut Linimento, aut m.* quodam *liquore* appropriato.

Satis *fricatio* lenis eundem ferè interdum *habet usum atque fomentum* humidum, ut qu. verbi gratia *humores* sanguinei Erysipelacei aliæque inflammationes blandè *fricantur* aut foventur cum *lanâ* siccatâ, cum liquore appropriato *imbibita*: item *in herniis* scroti qu. intestina propter fæces induratas sunt valdè dura vel inflammata: Commode etiam fiunt frictiones vel blandæ fomentationes cum ol. amygdalarum dulcium, ol. Chamomelino, anethino aut m. cum decocto carminante & emolliente appropriato: Et talis blandus fotus & fricatio potest vocari *embrocatio irrorativa*, magis tamen ad fomenta hæc pertinent: vid. AUCTOR qui satis est prolixus.

MORELLI CAP. VIII.

De Linimento.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

LINIMENTUM, aliàs LITUS, *medicamentum liquidum est, quod extrà illinitur, consistentia oleo crassius, unguento verò liquidius, ad varios usus comparatum, cujus basis oleum est.*

Quod ad COMPOSITIONEM, conficitur.

α VEL ex *Oleis* & *Butyro*, liquatis simul sine cera ulla, (quam quidam linimentum non ingredi malè volunt.) *Dosis* autem totius linimenti ℥iiii. vi. viii. pro partis & usus amplitudine *A*. Hæc autem ingredientium proportio. *Olei* sint tres partes vel duæ. *Butyri* una, raro pondere pari.

NOTA. His aliquando, si ferat scopus, *Axungias* addi, & *Pinguedines*, recentes, veteres, *Medullas*, *Mucilagines*, unum, duo, plura simul, quæ cùm habeantur pro butyro, proportione etiam ipsius præscribenda.

Etiam, licet rarius, *Pulveres* addi ad ʒß. pro olei ℥j.

β VEL, contra opinionem plurium, qui ceram non admittunt, cum qua commodissimè conficitur, fit ex *Oleo* idoneo, & *Cera*, ut *Olei* ℥j. *cera* ʒj. habeat, vel, quod vulgò, q. s. passim autem *Oleor.* ℥iiii. vi. præscribentur, *cera* q. s. fiat linimentum, cui & *Pulvis*, ut dictum, usitatissimè addi potest.

γ VEL præscribitur *Unguentum Officinale*, duplum ad oleum; addito etiam pulvere, si vis, ut dictum. In summa linimentum ℥iv. vj. vij. non excedit.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat linimentum*, quo illinatur pars affecta, post fotum, si præcesserit ut sæpe fit, vel aliàs.

UTILITAS. Ferè paregorica ad dolores sedandos, ex intemperie frigida aut calida, ad laxandum densa, dura emollienda, tumores, lassitudinem, unde ἄκοπα veteribus dicta, ad duritiem splenis, hepatis, partum difficilem, calculum.

A Et benè, sæpè enim vix unc. ij. præscribuntur.

α R. Ol. Amygd. amar. Lill. alb. an. ℥ii.
Butyri vel. loti ℥i. M. f. *Linim.* pro affectu Thoracis frigido, cui addi possunt pulv. Galang. Ireos. an. ʒß.
Atque etiam Axung. Anat. Gall. an. ʒß.

β R. Ol. absinth. Mastich. Menth. an. ℥ß.
Spec. Aromat. rosar. Ol. nuc. Mosch. express. an. ℈j.
Ol. Caryoph. dest. gr. ii.
Ceræ parum, f. *Linim.* pro Ventriculo frigido.

γ R. Vng. pomat. ℥ii.
Mucilag. sem. psilly cum Aq. Rosar. extr. ℥j.
Camphor. ℈j.
Ol. Amygd. dulc. ℥ß.
M. f. *Linim. refrigerans.*

SCHRODER. CAP. LXXXVII.

De Balsamis inunctoriis, Linimentis, Unguentis.

BAlsami inunctorii, Linimenta & Vnguenta, vix præparatione, & ferè non nisi consistentia inter se differunt, quam illi liquidiorem habent instar mellis; ista pauiò duriorem, ac vix fluidam; hæc crassiorem adhuc, minusque fluidam: ubi tamen notari velim, in praxi plerumque Linimenti ac Unguenti nomina confundi.

Materiæ, ex quibus parantur, sunt olea, butyrum, adipes, seva, medullæ, resinæ, mucilagines, succi, ut & res aliæ, quæ aptæ sunt dictis materiis, vel sub forma pulverum immisceri, vel in iisdem colliquari, &c.

N. 1.
Sumitur ad Olei ℥j. pinguedinis ferè.
{ ʒj. *vel* iij. *in linimentis.*
ʒj. *vel* iß. *in balsamis.*
ʒiiß. *vel* ℥ß. *in unguentis, additâ insuper pulveris* ʒj. *&c.*

N. 2. *Balsami ob molliusculam consistentiam Cera carent. Linimenta vel nihil, vel parum admittunt (scil. ad Olei ℥j. Ceræ ʒj.) Unguenta verò uti consistentiam requirunt crassiorem, ita & materiam volunt puriorem, adeoque Ceram copiosiorem, & nonnunquam gummata.*

Modus parandi.

Recipiuntur Olea, hinc adduntur quæ crassiorem inducunt consistentiam, idque vel solâ misturâ, vel si opus sit, liquefactione interveniente.

N. 1. *Fieri potest quoque linimentum unguentumve ex pulveribus, melle, oxymelite, syrupo, & simili susceptis in forma scil.* Electuarii.

N. 2. *Succi aquei si addendi sint, coquendi illi sunt cum oleis ad humiditatis illius aqueæ consumptionem, cujus indicium est, si instilletur guttula super prunas sine strepitu.*

Balsami usitatiores sunt.

Balsamus Balsaminæ, 1.
Hispaniæ, 2.

Hyperici magistralis, 3.
Mirabilis, s. compos. 4.
Uterinus, 5.
Vulnerarius, 6. 7. 8. 9. 10.

Linimenta usitatiora sunt.

Linimentum saturni, id est Balsamus saturni dictus, 11.
Linimentum de Amianto, 12.
dentifricium, 13.
Errhinum, 14.

Unguenta usitatiora.

Unguentum
Agrippæ Mesue. *Aug.*
Ægyptiacum, A.
Alabastrinum. A.
Album Avicen.
Album Camphoratum, A.
Unguentum
Althex simplex. Dialthæa, 1.
compositum, A.
Anodinum, Cord.
Anodinum, 15.
AnadoninumPodagricum, Croll. 16.
Apostolicum Avicen. A.
Aregon. A.
Arthanitæ majus,
minus.
Aureum Mesue.
Basilicum.
de Bdellio.
Butyraceum nervale, 17.
de Calce
ad Caruncula penis.
de Cerussa Avicen.
Citrinum.
Clysmaticum.
Comitissæ.
Cardiacum, 18.
Cordiale, 19. 20.
de Cyclamine.
de Cynoglossa.
Fuscum.
de Glycyrrhiza.
ad Hæmorrhoides.
Noribergense.
Infrigidans Galeni.
Jovis, s. de verbena.
de Lithargyrio.
Martiatum magnum.
parvum.
Mercuriale.
de Minio camphoratum.
Narcoticum, 21.
Nervinum.
Unguentum
de Nicotiana.
Nihili ad Oculos.
Ophthalmicum, 22.
Pectorale.
Pediculorum.
ad Perniones, 23.
Pomatum.
Diapompholygos, s. Nihili
Nicolai. A.
Populeum.
Potabile.
Resumptivum.
Rosatum.
Rubeum camphoratum.
ad Scabiem, 24.
Spleneticum.
de Succ. Arantii.
Sympatheticum, 16.
Terebenthinæ, 27.
ad Tineam.
de Tuthia.
ad Vermes.
Violatum.
Viride Reginæ.
Viride potabile. Butyrum Viride, 28.

1. Balsamus balsamina sic fit.

℞. Fol. florum & fructuum balsamin. ana ℥iv.
Rad. consolid. major.
Ophiogloss. an. ℥ij.
Aristol. rot.
Zedoar. an. ℥ß.
Visci in folliculis Ulmi reperti ℥iß.
Succi astacor.
Fol. pervinc.
Sanic. an. ℥j.
Infund. in Ol. oliv. q. s. & insolentur. Colato oleo ad libr. sing. adde Ol. vernic. liquid. ℥j.

Hic Balsamus inservit nervosis partibus vulneratis aut ambustis, dolorem hæmorrhoidum sedat & mamillarum inflammatarum, addito camph. tantillo, cicatricibus delendis prodest cum ol. vvorum mixtus.

Balsamus Hispaniæ.

℞. Olei vetustiss. ℥iv.
Hyperic. ℥ij.
Terebinth. puræ, ℥viij.
Frumenti integr. ℥iß.
Rad. card. bened.
Valerian. ā. ℥i.
Thur. pulverisat. ℥ij.

Radices & herbæ crasso modo contusæ ponantur in olla, infundanturque in Vini albi generosi q. s. ut omnia in vino mergant, per dies (2.) hinc adjiciantur oleum & frumentum, coquanturque omnia ad Vini consumptionem. Mox facta forti expressione, addatur Terebinth. & Thus, & & iterum parum ebulliant, serventurque in vase vitreo.

Vires. Sanat vulnera partium etiam nervosarum spatio, ut aiunt, viginti quatuor horarum.

Modus utendi talis est.

Abluto priùs vulnere Vino albo frigido, statim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente: quod si hoc commodè fieri nequeat, per syphonem intra vulnus, tanquam per clysterem immittitur, & confertim labra vulneris ad mutuum contactum adducantur ligaturâ, aut suturâ, aut glutine: deinde partes circumstantes prædicto oleo similiter inunguntur. Supra verò vulneris labia jam reducta, linteum imponitur prædicto oleo madens, & supra hoc aliud vino nigro, expressum, mox alia lintea sicca: deinde fascia superligatur. *Vide Hieronymum Fabricium ab Aquapend. secundo Opere Chirurg. part. 2. c. 7.*

3. Balsamus Hyperic. Magistralis, s. oleum hyperici magistrale.

℞. Ol. oliv. ℔ i.
Vini rubr. odos. ℔ß.
Lumbricorum sale communi aspersorum ℥iv.
Terebinth. Venet. ℥ij.
Granorum matur. Matris sylv.
Septembri collect. Mij.
Florum hyperic. p. iv.
Insolentur per æquinoctium æstivum aut paulò post, colato liquori adde spiritus thereb. in quo salis saturni quantum capere poterit solutum sit, ℥ij.
Ol. Myrrh. ʒj. M.

Per se vulnera curat.

4. Balsamus mirabilis, sive Compositus.

℞. Balsam. Momord. seu Balsamin. sequent. ℥iv.
Sulph. per spiritum thereb. extract. ℥iß.
Ol. hyperic. magistral. seq. ℥ij.
Tinctur. martis.
Magnetis alb. pulveris. ana ℥ß.
Digerantur per mensem. Instillentur guttulæ aliquot in vulnus calidè, apposito desuper Empl. diasulph. Rulandi.

Ex communicatione S. Closs.

5. Balsamus Uterinus.

Galban. puriss.
Seraphin. elect. ana ʒvi.
As. fœtid. ʒß.
Ammoniac. ʒi.
Dissolve in oleo destillato Iuniper. & Terebinth. addendo olei Lauri stillat. ℈ß succin. ℥ß. M.

Vires. Uteri suffocationes insigniter sistit, menstrua ciet, si umbilico inungatur, vel abdomen deorsum eo confricetur.

6. Balsamum vulnerarium Crollii.

℞. Flor. Hyperic. ℔ 1.
N. *Colligantur cum Solis ortu, balsamico tempore in exaltatione, videlicet circa Festum Iohannis ante novilunium.*

Flor

Flor. Chiri.
Centaur. min.
Chelidoniæ.
Prunell.
Chamomill.
Rad. Aristoloch.
Consolidæ mediæ vel majoris, ā. ℥iß.
Mumiæ transmar.
Myrrh.
Thuris ā. ℥iß.
Mastich. ℥1.
Storac. liquid. ℥ij.
Incisis incidendis, & tritis terendis F. infusio in Vini Spirit. boni ℔. viij. per dies aliquot, hinc decantetur cum forti expressione. Spiritui huic tincto (nisi velis majoris efficaciæ ergò reiterare infusionem florum,) addatur olei olivarum recentis, quod supra ramenta pinguia abietina per octo dies in digestione stetit, ℔v. Terebinth. claræ commun. & resinæ laricεæ lutæ in aqua hyperic. ℔ß.
Iterum per dies 14. omnia digerantur: ultimò abstrahatur Spirit. Vin. in MB. tunc balsamum manebit in fundo rubeum, instar sanguinis.
Vires. *Balsamum est ad vulnera & punctiones sanandas efficacissimum. Confert in omnibus tumoribus, inflammationibus, contractis & contusis membris, ruptis ossibus.*
Usus idem qui pracedentis esse potest.

7. *Balsamus vulnerarius.*

℞. Galbani.
Ammoniac.
Bdell. ā. ʒß.
Macerentur in aceto per dies 3. hinc colentur per dies 3. hinc colentur & inspissentur ad consistentiam mellis.

Postea

℞. Myrr. rubr.
Mastich. el. ā. ʒß.
Oliban. ʒj
Pulverisata solve coquendo igne lento in Ol. Olivar. ℔. 1. oleum sc. per vices affundendo, semperque agitando, donec posteriora hæc benè fuerint eliquata.
Tandem gummata illa priora inspissa (uti dictum,) admisce simili modo agitando, & dein recens oleum olivarum per vices affundendo, donec & altera quoque ℔. olei adjecta fuerit, & Balsamus aliquid flavedinis contraxerit.
Vulnera recens punctim & cæsim facta citissimè curat.
Usus idem est qui pracedentium.
N. *Fortior erit in mundificatione vulneris, si ærugninis ʒj. addideris, & per mensem insolaveris, qua ratione fæces subsidentes rejici queunt. Hartm. in praxi.*

8. *Alius Balsamus Vulnerarius.*

℞. Ol. Olivar. ℥iv.
Terebinth. ʒvi.
Mastich. ʒv.
Thur. ʒj.
Myrrh. ʒvi.
Galban. ʒj.
Ærugin. ʒiij.
Camphor. ʒi.
Acet. opt. ℥iiß.
Sp. vini ʒß.
Coq. ad consumptionem aceti. Colatura servetur pro usu

9. *Balsamus Vulnerarius Metensium.*

℞. Ol. oliv.
Sem. lini purif. ā. ℔ß.
Laurini ʒj.
ole Baccar. junip. still. ʒß.
Garyophyll. ʒj.
Aloës succotr. ʒij.
Thereb. Venet. ℥ij.
Virid. æris. ʒiij.
Vitriol. alb. ʒiß.
Pulverisanda pulverisentur & coquantur simul igne lento dum virorem acquirat oleum. F. Bals.
Lavetur vulnus recens sive cæsim, sive globulo sclopetico inflictum vino repente, deinde Balsamus ex tomento lineo quantum fieri potest calidè instilletur, & Empl. stiptico Croll. obtegatur pars vulnerata, Brevi admodum tempore curat, symptomata vulnerum, imprimis verò Synoviam arcet, morsuum venenatorum malitiam corrigit ex communicatione S. Closs.

10. *Balsamus vulnerarius Samaritanus.*

℞. Ol. Olivarum, vel hyperic.
Vini alb. generos. vel rubri, an.
Coquantur ad ignem ad consumptionem vini.
Vires. *Insignis est ad vulnera recentia mundificanda, & consolidanda.*

11. *Linimentum de saturno Balsamus saturni.*

Solve Sal. saturni in aceto destillato, ut optimè eo imprægnetur, hinc abstrahe aliquantulum aceti destillati, misceque hujus ℥viij. cum olei rosat. ℥iv. vi. &c. agitaque ut f. Linimentum.
Vires. *Confert Inflammationibus, & Ambustis illitum.*

12. *Linimentum saturni compositum, seu Linimentū de Amianto.*

℞. Amiant. ʒiv.
Plumb. ust. ℥xij.
Tut. præparat. ʒii.
Calcinentur, deinde pulverisata macerentur cum aceto destillato, ac quotidie per mensem materia agitetur semel: post mensem ebulliendа est unius horæ quadrante, ac quiescere sinitur donec clarescat.

Deinde,

℞. Aceti hujus clari.
Ol. Rosac. ana.
Misc. optimè, donec F. Linimenum.
Vires. *Miraculosum est ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum sananda. Inungitur scil. pueri caput totum ad scabiem, Ulcera vesperi inunguntur. Boëthius de Boodt.*

13. *Linimentum dentrificium.*

℞. Rad. Ireos ʒ1.
Pumic. ʒiß.
Alum. ust. ʒß
Oc. cancr.
Corallor. rub. ā. ʒi.
Pulverisata excipiantur melle rosato. F. Linimentum

14. *Linimentum Errinum.*

℞. Succ. Ireos.
Cyclamin.
Majoran.
Betæ, ana ℥ij
Ol. Irin. ʒvi
Elaterii gran. vii. cum Cera,
F. Linimentum. *Crato.*

15. *Unguentum C. C. Anodynum Guilhelmi Simonidis.*

℞. C. C. dimidium minutim incisum, ponatur in cacabo vino pleno addito semper vini q. s. bulliant ad vini consumptionem. Deinde abjecta crassiore C. C. parte, medulla remanens fricetur manibus: adde postea
Ol. Abrotan.
Hyperic.
Aneth.
Scorpion.
Lumbricor. terr.
Nucum.
Laurin.
Rut.
Spic.
Sabin. an. ʒß.
Axung. human. ℥iß.
Castor. ʒii.
Mitri ʒiß.
Euphorb. ʒß.
M. F. s. a. Unguent.
Vires, *Summè prodest in doloribus scorbuto-colicis atrocissimis, tum & in pareticis & podagricis, alisque torminibus.*

26 *Unguentum Anodynum in Podagra.*

℞. Flor. Rosar. sylvestr. M. x.
Herb. & Cortic. exterior. hyoscyam. recent. M. vi.
Concisa coquantur in Vini mensur. s. hinc exprimantur &, colentur. Colaturæ l. Igne ad mellis consistentiam inspissatæ, adde pingued. suill. castrat. ℔. ij. misce optimè ad Ignem, tandem ubi parum refrigerata fuerint, admisce
Opii in vino solut. ʒ1.
Croci pulv. ad magnitudinem avellanar. duarum.
Extract. flor. verbasci ʒß.
F. Unguentum.

Vires.

Vires. *Singulare est in sistendo dolore Podagrico & Nephritico, si calidè affectus ille inungatur.*

N. *Ubi dolori nephritico velis applicare, operaprecium feceris, si manipul. duos vel tres baccarum Juniperi ab initio compositionis cum hyoscyamo teras & exprimas. Croll.*

17. *Unguentum butyraceum nervale S. Closs.*

℞. Herb. absynth. virid.
Majoran.
Sisymbr.
Hyssop.
Meliss.
Calamenth.
Orig.
Basilic.
Hyperic.
Rut.
Calend.
Sabin.
Tanac.
Arthemis.
Abrotan.
Flor. Chamæm.
Melil.
Hyperic.
Beton.
Agrimon.
Centaur. min. ā. M. I.
Concidantur minutim & in magno fictili bull. in butyr. Maïal. ℔. VII.
Vini Spir. ℔. VI.
Percoctis herbis & consumpto Vini Spir. exprimantur per torcular, & coquantur simul cum butyro, admiscendo succi nicot. depurat. ℔. ij.
Thereb. lot. ℔. I.
Ceræ ℥ VI. F. Unguentum.

Vires. *Valet ad omnes affectus frigidos nervorum, spasmum cynicum, præsertim si spondyli cervicis & partes illæ quæ movent musculos faciei eo inungantur: si verò totum pectus & cartilago Xyphoindes, tunc sedat singultum, tuncque sic præscribitur.*

♃ Bals. Peruvian. ʒj.
Butyrosi nostri ℥ II.
Vini Spirit. ℥ I. M. omnia ad exhalationem usque Vini Spirit.

18. *Unguentum Cardiacum, Hertzgespan. Salb.*

℞. Herb. Cardiac.
Chamædr.
Malv.
Senecii.
Jaceæ.
Amar. dulc.
Scabios.
Semperviv.
Morsus gallin. ana M. ij.
Incidantur & coquantur in ℔. viij. butyri recentis ad consumptionem aquositatis: dein exprimantur, & F. Unguentum.

Vires. *Frequentis usus est in affectu infantum, quem Cardiacam appellant. Fricant eo hypochondria & locum cardiæ, &c.*

19. *Unguentum Cordiale, D. D. Arnoldi Vveickhardi pro Officinis F. F.*

℞. Ung. rosat. Mes. ℥ iij.
Ol. Scorpion. simpl. ℥ iß.
Nucist. express.
Stillat. cort. citri.
Camphor. ana ʒ I.
Antidot. Matthiol.
Theriac. Andr. ana ℥ iß.
Aloës rosat. ʒij.
M. F. Linimentum.

Vires. *Corroborat Balsamum vitæ, languidisque viribus subvenit, Cordi inunctum.*

20. *Unguentum Cordiale Cl. Ludovic. ab Horning.*

℞. Ung. ros. opt. loti ℥ iij.
Balsam. Apoplect. ℈j.
Ol. nucist. express. ʒj.
Still. cort. citri ℈ß.
Cinam. g. V.
Rosar. g. VI.
M. optimè.

Usus idem qui prioris.

21. *Unguentum Narcoticum.*

♃ Sacchar. Saturni ʒij.
Opii ʒj.
Camphor. ℈j.
Olei express. nuc. mosch. ℥j.
nucleorum persic. ʒij.
Ambr.
Mosch. an. ℈j. F. s. a. Unguentum.

Vires. *Non tantùm tolluntur ardores & dolores Capitis, sed etiam suaviter conciliatur somnus, si utraque tempora eo illinantur.*

22. *Unguentum Ophthalmicum FF. D. D. Spina.*

℞. Tut. præparat. ℥ß.
Camphor. ℈j.
Aq. rosar. Alb. ʒ I.
Butyr. rec. ℥ I.
Virid. æris parum.
M. F. Unguent.

Usus. *Applicatur ciliis, in inflammatione ac rubedine oculorum.*

23. *Unguentum ad perniones mirandum.*

℞. Cer. flav.
Picis.
Resin. alb.
Ol. Olivar.
Sem. lin. an. ℔ß.
Sævi bovini.
Vervec. liquat. ana quart. iij.
Thur. albis. ℥ij.
Minii Saturni officinarum ℥ IV. F. Ungentum.

De quo illinatur calidè cum pluma pernio ulceratus, supposito linteolo mundo. Non ulceratus v. fortiter petreolo ante ignem confricetur. Tantæ utilitatis est, ut quotannis plures istius Ung. libras in pauperes eroget S. Closs. Fissuras insuper mammillarum & Erysipelata leviora sanat, præcedente fotu cum Vini Spirit.

24. *Unguentum contra scabiem.*

℞. Lithargyr.
Cerus. alb. an. ℥iß.
Acet. rosac. ℥iß.
Ol. rosar. ℥ VI.
Sulphuris viv. ʒ VI.
Sal. comm. ʒiij.
Butyr. ℥iij.
Terebinth. ℥iß.
M. s. a.

25. *Unguentum somniferum, F. B.*

℞. Opii thebaic. ℈ij.
Croc. ʒß.
Ung. rosat.
alabastr. ana ℥ ii.
Ol. nucist. ʒ V. ℈j.
Acet. sambuc. parum.
F. s. a. Unguent.

Vires. *Inungitur temporibus, fronti, & cervici pone aures, ad concilianaum somnum.*

26. *Unguentum splenеticum.*

℞. Ol. Amygdal. amar. ℥ I.
Cappar. ℥ij.
Nucl. persic. expressi ℥ß.
Succ. Rad. Bryon.
Cyclamin.
Cicut. ana ℥ij.
Gumm. Ammoniac. in aceto dissolut.
Bdell. ana ℥iß.
Pulv. Cort. cappar.
Tamarisc. ā. ℥ß.
Fraxin. ʒ VI.
Ceterach.
Summ. centaur. min. ā. ℥ß.
Sem. Cymin. aceto macerati, & iterum exsiccati, ʒij.
Ceræ novæ q. s. F. Unguent.

Vires. *Vim habet calefacientem, emollientem, resolventem, aperientem, roborantem.*

N. Pene

N. *Penetrandi gratiâ potest addi ℨj. vel ij. Ol. spic. vel Ol. stillatit. absynth. ℈ß.*

17. Unguentum Sympateticum Crollii.

℞. Adip. Veteris aprugn.
Ursin. ana ℥ iv.
Bulliant per horæ dimidiam in Vino rubro, fundanturque super aquam frigidam, colligaturque pinguedo supernatans.

Dein,

℞. Lumbricorum lotorum pulveris.
Cerebri aprugni,
Santal. rubr.
Mumiæ.
Hæmatit. ana ℥ i.
Usneæ è cranio hominis interempti, ℥ i.
F. s. a. Unguentum cum pinguedinibus illis.
N. 1. *Animalia illa quo seniora, eo adeps mellior.*
N. 2. *Usnea colligenda Luna crescente, & in bona domo existente, veneris, scilicet si fieri possit, non martis, aut saturni, Parandumque, Unguentum sole in libra existente.*
N. 3. *Sunt qui omittunt Usneam & Mumiam.*

Usus.

Hoc Unguento sanantur omnia Vulnera (modo nervi, arteriæ, &c. non sint læsæ.) Ungatur telum, quo vulnus inflictum, quotidie semel, si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens, alioquin secundo, vel tertio die inunxisse sufficit.
N. 1. *Telum servetur in linteolo mundo, & loco non nimis calido, ne dannum inferatur Patienti. Cavendum etiam ne pulvis super telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin Patiens mire affligeretur.*
N. 2. *Si vulnus punctim inflictum, ungatur telum versus mucronem descendendo.*
N. 3. *Si telum desit, sanguis ex vulnere lignello suscipiendus, quod dein ut de telo dictum, tractandum. Hac ratione dolor dentium mitigari quoque potest, si nimirum lignellum sanguine gingivarum imbutum, eodem unguento inungatur.*
Operatio hujus unguenti perficitur identitate Balsami, sive spiritus illius Balsamici, qui in homine & cruore idem est. Inter hos enim spiritus non alia est differentia, quàm quod in homine Spiritus ille adhuc vitali actu vigeat, in cruore autem coagulatus sit. Quare cum experiamur affinitatem sanguinis tantum posse, ut uno fratre vel consanguineo proximo peste correpto, & alter etsi longo viæ intervallo absit, eâdem afficiatur; quid non fieri posse autumabimus sanguinis identitate.

28. *Unguentum Terebinthinæ, vulgò Hintersalbichen.* Onguent qui facilite, ou qui ayde la suppuration des ulceres.
℞. Terebinth. ℔ ij.
Vitell. ovor. num. vi.
Mastich.
Myrrh.
Oliban. ana ℥ i.
F. Unguent.

Vires. In vulneribus generationem puris promovet.

29. *Unguentum Viride potabile: Butyrum viride F. F.*

Herb. Salv.
Hyssop.
Prassii.
Menth.
Betonic.
Scolopendr.
Scabios.
Cichor.
Fœnicul.
Meliss.
Veronic.
Matrisylv.
Aquileg.
Rut.
Petrosel.
Millefol.
Centr. min.
Agrimon.
Aristoloch. rot.
Plantag. c. toto, ana M. ij.
Butyri Maialis ℔ viij.
Infunde herbas omnes recentes suo quamlibet collectionis tempore in Butyro, stentque donec omnes collegeris & infuderis, postea exprime, expressam coque ad consumptionem aquositatis. F. s. a. Unguentum.

Vires. Expetitur à vulgo, assumiturque ad sanguinem coagulatum resolvendum, dolores leniendos, pulmonum mucilaginem demulcendam & expellendam. Quia & extrinsecus ad dictos affectus adhibetur.

Pergendum est ad medicamenta quæ externè inunguntur & illinuntur, ad quorum classem pertinent omnia linimenta. Unguenta, omnia cerota.
Emplastra & similia alia. Primas obtinent,

LINIMENTA.

Quæ *dicuntur ab illinendo.* quoniam illinuntur parti, atque dum ita illinuntur, suo fotu aut illitu confortant vel alterant partem. Hinc facile patet, in quanam consistentiâ sint præscribenda, quoniam instituuntur pro illinitione.

Basis est ol. & quoniam debent illiniri, non dura & spissa, d. fluida & mollia esse debent: adeò ut omnia ol. si præscribantur pro illitu, possint vocari Linimenta: Nihilominus, quoniam ol. per se sunt valdè fluida, *solet ipsis addi aliquid pro corpore, quod det* aliqualem *consistentiam* atque ita in crassiorem aliquo modo vel Linimenti consistentiam abeant.

Id quod *additur*, sæpius solet esse *parum ceræ* ita quidem, ut ad ℥j. oleorum addatur ʒj. Ceræ, & hæc subacta, dant medicamento consistentiam debitam, nonnimis fluidam, sicut ol. nec nimis crassam, ut Emplastrorum: usitate enim ita præscribuntur c. s. q. Ceræ fiat Linimentum.

Hæc duo ingrediuntur Linimenta. Nam qu. sola ol. præscribuntur, tunc vocantur olea, & præscribuntur, F. ol. extern.

Oleis ceu basi in Linimentis *adduntur alia,* quoad consistentiam & materiæ, modum *oleis conformia*: qualia sunt *butyrum, axungia & pinguedines* animalium, item *medullæ animalium*, & similia alia. Hæc enim ipsa, cum similiter obtineant consistentiam olei, & facilè permisceri queant cum oleis, propterea commodè inter linimentorum ingredientia referri possunt.

V. gr. si ego præscribere deberem *oleum contra lumbricos* infantum præscriberem ita.

℞. *Ol. diacolocynth. quercetan. ʒi.*
amygdalar. amarar. express ʒj.
absinthii destillati ℈j.

M. Ol. extern. contra vermes vel h. m.
M. & c. s. q. Ceræ F. Linimentum. eod. usu.
Aliud *Linimentum* quod ingrediuntur axungiæ & pinguedines animalium sit v. gr. hoc *antipleuriticum.*

℞. *Ol. Chamomill. ℥i.*
amygdalar. dulc. ʒß.
pinguedinis muris montan.
f. murment. ℥i.
Sevi hircini. ʒß.
Ol. Teribinth. destillati. ʒiij.

M. f. ol extern. antipleuricum. Vel.
M. & c. s. q. Ceræ F. Linimentum. eod. usu.
Cæterum in compositione horum linimentorum pro majori efficaciâ *nonnunquam* etiam *aliquid pulverum* vel pulverisandorum *solet admisceri: modo* observetur, quod talia addenda in linimentis *sint penetrantia & subtilia*: quoniam linimenta, debent penetrare, & propterea subtilia & penetrantia eorum debent esse ingredientia, ne infarciantur pori; atque sic impetus olei & ejus penetratio impediatur: in tali enim casu ad ʒj. ol. vix ʒß. pulverum potest admisceri.

Dabo *exemplum* pinguedinis vel linimenti, à me experti *in* quadam *Pleuritica*, quod tale est.

℞. *Ol. Chamomill.* ℥ij.
absinthii ʒj.
Cumini destillati ʒß.
Croci ℈ß.
Camphoræ gr. v.
M. pro Linimento. anti-pleuritic.

Camphora enim & Crocus potenter penetrant.

Sit adhuc unum *exemplum* Linimenti ex mucilaginibus. v. gr. *Linimentum emolliens* & blandè discutiens,

℞. *Mucilaginis sem. altheæ Psyllii* aa. ℥ß.
ol. lilior. albor.
Chamomil. aa. ℥iij.

cum pauco Ceræ F. Linimentum. emolliens & blande discutiens.

Cæterum cum Basis Linimentorum sit ol. uti dixi, *oleorum* verò non levis sit *differentia*: cum *triplicia* habeamus *olea* 1. ol. *destillata*. 2. olea *expressa*, & 3. olea *infusa* aut *decocta*. Et horum *oleorum* in operando *diversa*, admodum sit *efficacia* & *inertia*, propterea etiam *præscribendi modus* quoad dosin in his oleis *variat*: Hic tamen ut plurimum habetur respectus, ut v. gr. ℥j. olei per decoctionem vel infusionem parati respondeat ʒß. vel ℈ij. olei expressi, ℈j. ol. destillati quoniam *olea destillata* sunt *penetrantissima*, ol. *infusa* sunt *inertia*, ol. *expressa* sunt *media naturæ*.

Hoc autem observetur, quod interdum *specialis* olei alicujus *dosis* hanc proportionem observare prohibeat: sic v. gr. in ol. hyosciam expresso specialis omnium pensitanda est dosis, & sic. in aliis:

Sit v. gr. *Linimentum discutiens*, in tumore ex contusione.

℞. *ol. Chamomill.* quod fit per infusionem ʒß.
amygdalar. amarar. express. ℥ij.
Cinnamomi.
anethi.
fœniculi destillatorum aa. ℈j.

(ita ut pro ℥ij. ℈j. sit sufficiens: potest tamen etiam pro varietate circumstantiarum præscribi; ut ʒj. respondeat. ℈j.)

M, F. c. pauco Ceræ Linimentum. Cæterum *raro* & non semper *præscribuntur olea* h. m. miscenda *pro Linimento*, sed *potius* recipitur *unguentum* quoddam *officinale*, quod habet consistentiam crassiorem linimento, & huic unguento *additur ol. quoddam*, ut ita ol. diluat consistentiam unguenti & ambo invicem abeant in consistentia linimenti. gr. sit *Linimentum antinephriticum* pro sistendo dolore renum & laxandis ac emolliendis viis h. m.

℞. *Unguent. dialtheæ* ℥j.
ol. lilior. albor.
amygdalar. dulc. aa. ℥ij.

(proportio enim unguenti ad olea debet esse dupla.)

scorpion. simplici ʒj.

M, Fiat Linimentum antinephreticum.

Posset addi *ol. papaveris expressum* pro dolore sistendo: item aliquot grana *Laudani opiati*, quæ & ipsa sistunt.

Ad hæc olea, quæ ingrediuntur Linimenta, pertinet etiam *balsamum sulphuris*, quod quia inefficax remedium propterea instar ol. destillati in dosi aliis permiscetur.

Ad mucilagines & sera animalium etiam pertinet *Zibethum*, quod non raro additur etiam Linimentis *ad sistendum dolorem*, imprimis *Colicum*, v. gr. ol. Nucis Moschatæ expresso. ol. Chamomill. vel ol. sambuci adduntur; aliquot grana, estque sic præstantissimum remedium, *Observetur* aut ut aliquot tantum grana permisceantur aliquot ʒis s. ℥ß. oleorum, quoniam est pretiosum & valde potens remedium.

Quoad *usum* Linimentorum, unguentorum & Emplastrorum *in genre*, observetur elegnas HELMONTII in his externis *applicandis modus*, quem habent in *tr. pharmacop. & dispensat. modern.* §. 58. Cum delectu scil. applicanda esse Unguenta, Linimenta & Emplastra, nam horum eadem est ratio, & distinguendum, si fiat Medicatio s. sanatio à centro foràs, ubi est *in vulneribus*, *puncturis contusionibus*, *ambustionibus*, *fracturis* & similibus, ut in talibus casibus *tepide applicetur* Linimentum, Unguentum, Emplastrum & similia. Cæterum affectus internus externum Petit subsidium, v. gr. *dysenteria*, in *Colica*, *Cardialgia*, in *spasmis Nephriticis* & similibus, tunc *unguenta* &c. *applicare* & foràs *lapidè calefacto*, vel *saeculo*, *arena* calida *pleno fovere* jubet, quoniam tali potenti, lapidis vel arenæ calore, super Unguento positæ, eadem minuantur, uti dicit, & ita malum foràs eliminatur, impulsionesque symptomaticæ sistuntur: Dicit enim later pellit, ut vires Emplastri intrent, attrahitque foras, quæ aliàs pigriora hærent &c. vid *cit loc.* Et hoc ipsum observetur in praxi, & sæpius felix succedet successus: idque si facienda medicatio foràs, uti dixi, cum latere: sin vero à centro foras in vulneribus fracturis &c. tunc Linimenta, Unguenta & Emplastra sola sunt applicanda calida.

SCRODER. CAP. XVIII.

De Oleis & Balsamis.

Olea, & balsami in Officinis pro nativis habita sunt:
Oleum olivarum,
Petroleum.
Oleum terræ.
Balsamus de Tolu.
de Mecha, sc. balsamus verus.
Peruvianus.
Liquidambar.
Styrax liquida.
Vires: *Vide singulatim lib.* 4.

SCRODER.

SCRHODER. CAP. XL.

De Balzamis odoriferis.

Balsami significationes varias dedimus lib. 1. eorum tres sunt, quæ peculiarem sibi in officina vendicant locum balsami scil. odoriferi, Balsami destillati, & Balsami unguentarii: de prioribus hic loci agere convenit, de posterioribus infra.

Balsami odoriferi sunt medicamenta, cum unguentis crassitie certantia, imò plerumque duriora, parata ut olea odorifera corpore crassiori retineantur quo minus exhalent.

Corpora, quibus olea illa incorporantur, sunt 1. Cera alba depurata; [tenacia nimis facit balsama cera.] 2. Oleum nucis moschatæ expressum, tùm per se, id est; non depuratum [præstat, secundâ vice expressum spiritus Vini & aqua. rosaru n odore privatum, uti mox dicetur] 3. Medulla vituli lota. [Hæc tamen ut & sevum agninum mox rancorem conciliat.[4. Manna depurata. 5. mixturæ tenues & liquidiores, ut ex Theriaca tempore pestis Balsami parari possunt; ex confectione Anacardina Apoplecticus. Balsamus etiam Peruvianus corpus præstare potest.

N. Quercetani Cœlestem Mannam, quam in Pharmacop. Rest. cap. 26. maximopere deprædicat, alii Saccarum depuratum interpretantur, alij aliter. Verum enim vero nihil aliud à Quercetano intelligi, quam ceram depuratam, ex scriptis ejus parallelis liquet. Nimirum in tetrade, acetum Philosophicum ex acido liquore Mannæ Cœlestis parare docet, id quod de melle intelligi, cera scil. germano fratre, demostratur in condatione menstruorum, cap. 57. infra.

Depuratio ceræ & olei Nucistæ fit per spirit. vini, inprimis Tartarisatum, ejus beneficio color & odor s.a. extrahitur, relicto corpore albo, hujus loci idoneo.

N. *Alij ℞. Ceræ alb. p. vj. Ol amygdal. d. recent. p 1. Spirit vini ad emmentiam digiti unius. digerunt dies (3.) hinc abstractâ humiditate in MB. corpus reliquum balsamis conficiendis adhibent.*

Modus vulgaris. ℞. Corpus requisitum, admisce olei q.s. ut instar linimenti, quod tingunt colore debito,

[Cavendum ne quæ Balsamis pro colore conciliando adduntur, virtutem illorum minuant, conglomerationem corporis, & oleorum dissolvant, pretiositati detrahant aut noceant.[

[Pro bacca Bolo, viridi æris, & curcuma, &c. Extracta seu Tincturæ analogæ præstarent.]

Modus præstantior. ℞ Corpus (Ol. Nucist. depurat.) adde extractum rei, cujus Balsamus experitur, hinc admisce quoque oleum.

N. *Proportio inter extractum & oleum est ferè tripla Olei scil. tertia pars, Extracti tertia pars.*

Balsama usitatiora sunt.

Balsam. Angelicæ.
Anisi.
Apoplecticum. *vide infra 1. 2.*
Arantiorum.
Bezoarticus pestilent. *vid. 3.*
Caryophyllorum
Cephalicus D. Spir.
Cinnamomi
Citri
Cubebarum
Lavendulæ
Maceris
Majoranæ
Menthæ
Nucis moschatæ
Rorismarini
Rosarum
Rutæ
Succini
Zedoariæ.
De his vide suis locis, libr. 4.

1. Balsamum apoplecticum Crollij secundum F.F.

℞. Ol. Nucist. expr. ℥ij.
Ambr. nigr. ʒiiß.
gris. ʒij.
Mosch. opt. ʒiß.
Zibeth. ʒiß.
Ol. Cinnam ℈ß.
Majoran.
Lavend. ana ʒß.
Caryophyll. gr. vi.
Succin. ℈ß.
Cum Balsamo Indico q.s. F. Balsamum.

2. Aliter.

℞. Confect. anacard. ʒij.
Ol. succin.
Lavendul. ana gutt. iij vel plures.
Zibeth. ℈ij.
M.F. Balsam.

Vires. *Confortant caput, frigidosque humores discutit. adeoque in apoplexia, Syncope, Paralysi, & similibus affectibus convenit, naribus inditus, vel quoquo modo applicatus.*

N. *Mulieribus ob suavitatem minus commodè adhibetur.*

3. Balsamus Bezoarticus pestilentialis.

℞. Ol. Rut st.
Citr.
Angelic. ana ℈ß.
Succin. rectif. g. v.
Camphor. ℥iij.
Ol. nuc. Moscat. exp. ℥ß. M.

N. *Oleum nuc. moschatæ lavetur aqq. Rutæ, Angelic. Citri, donec fiat album.*

SCHRODER. CAP. XLI.

De Balsamis destillatis.

Balsami destillati nihil sunt aliud quam destillati Spiritus cum Olei portione ex resinis, gummatis, aromatibus & similibus, interveniente Vini Spiritu profecti.

N. *Habes plurima balsama destillata in Antidot. Renodæi, pag. 296. Item alia præstantissima Olea Balsamica in Pharmac. Spagyr. Poterii, pag. 141. & sequentib.*

Balsamus simplicissimus est spiritus albus thereb. in corpus viscidum rediens dum veterascit, ex plumaceolis admotus, vel ol. garyophyll. inspissatus (℈ß) cum gr. iv. salis saturni itidem vulneri instillatus. Magis compositus sic fiat.

♃. Sulph. flavi ℔i. resolvatur in tantundem ol. oliv. tamdiu bulliendo, spatulaque ligneâ agitando, donec sanguinis colore tingatur: eum remove ab igne & adde cer. alb. ℥ij. & cum refrigerari incipit, adjice pedetentim, tincturæ rad. aristol. rot. ℔ß.
Tincturæ martis [ut est cap. de marte] ℥j.
Olei myrrh. ℥ß.

Agitentur extra Ignem ad consist. Unguenti rubentissimi, quod perditum vulnera tam simplicia quàm compos. persanat.

Tinctura aristol. rot. ♃. rad. aristol. rot. in pulv. redact. ℥ij.
Terræ foliat. Sal. nit. [ut est in cap. de Sal. nit.] ℥j.
Spirit. vini ℔i. Digere super cineres calidos, filtra & serv.

Usitatiores sunt.

Balsamus vitæ: *vide infra.* 1. & 2, nervinus, 3.
anti-arthriticus, 4.
antiparalyticus S. Closs. 5.
mneme-cephalicus, 6.
Petri de Ebano, v. in dispensat.
August. Oleum Balsami.
Huc pertinet & liquor, seu Balsamus Saponis, *v. infr.* 7. 8.

1. Balsamus vitæ.

℞. Myrrh. el.
Aloës epat.
Oliban.
Balsam. Indic.
Bdell.
Ammoniac.
Sarcocoll.
Mastich.
Gum. arabic.
Storac.
Ladan.
Baccar. laur.
Axung. Castor. ā. ʒvi.
Croc. ʒiß.
Nucist.
Cinnamom.
Caryophyll.

Gumm. animæ.
Zedoar.
Galang.
Spic. Roman.
Cardamom.
Cubebar. ā. ʒij.

Pulverisata & mixta infundantur in Spiritus vin. rectific. ad eminent. digiti 1. digeranturque aliquamdiu. Hinc destillentur per retortam (vitream) in cineribus, Igneque lentissimo lampadis rectificentur.

——— Dein adde

Ol. Anthos:
Majoran.
Chamomill.
Puleg.
Hyssop.
Salv.
Rut.
Spic.
Lavendul. ā. ʒj.
Thymi.
Saturejæ.
Cubebar.
Zedoar.
Nucist. expr. ā. ʒß
Cinnamom.
Caryophyllor.
Rosar.
Citri.
Arantior.
Fœnic.
Anis.
Carvi, ana ʒij.

M.F. Balsamus digerendo aliquamdiu.

Vires. *Cordiale est insigne, balsamumque nostrum mirabiliter recreat, putredinem arcet, sopitos spiritus vitales & animales excitat, cerebrum humidum ac debile confortat, flatus discutit, adeoque commendatur in Apoplexia, uterinis affectibus, lypothymia, &c. Quinimò adeo celebre hisce moris audit, ut instar Panaceæ in omnibus ferè morbis à magnatibus expetatur; usus ejus tam internus, quàm externus est.*

Dosis gutt. iij. iiij. & plur. 2. Aliter.

℞. Serpilli M. iij,
Santali alb.
Citrin. ana ℥ß.
Fl. Sulph. ℥j.
Benzoini ʒij.
Corr. aurant.
Citr. ana ℥ß.
Ambr ʒij.
Mosch. ʒiß.
CC. ℥vi.

Pulverisata inde retort. affus. spir. vin. rectificat. ℔ vIII. Digere per 14. dies postea adde

Opobals.
Myrrh.
Aloës epat.
Olibani.
Bdellii.
Ammoniaci.
Sarcocoll.
Styr. liquid.
Mastic. opt.
Gummi Arabici
Ladani.
Tacamah.
Galbani, ana ℥ß.
Bacc. lauri.
Axung. Castorei ana ℥j.
Croci ʒiij.
Nuc. M.
Cinam.
Caryoph.
Gummi Animæ.
Zedoar.
Galang.
Spic. or.
Card.
Cubeb. ā. ʒiß.

Spirit. Terebint. in quo per mensem macerati sint ʒii. troch. de vipera. Hæc mixta cum superioribus digerantur per 8. dies, destillentur, Spiritus separetur, oleo verò adde

Ol. stillat. Iunip.
Succini
Ceræ ana ℥j.
Anisi.
Fœnic.
Cumini.
Rorismar.
Majoran.
Thymi.
Satureiæ.
Spic.
Cam. rom.
Cubeb.
Zedoar. ana ℥ß.
Cin.
Caryoph.
Cort. aur.
Rosar. Angel.
Puleg.
Salv.
Rut.
Lavend.
Serpill. ana ʒiß.
Camph. ʒj.
Jasmini ℥ß.

Adde ℔ vi 1. Spir. vini rectific. Spir. separetur: oleum constituit Balsam. vitæ.

3. Balsamus nervinus.

℞. Ol. Terebinth. ℔. 1.
Lauri ℥ij. Misce
Hinc adde Gum. Galban.
Elem. ana ℥vi.
Heder.
Oliban. ana ℥ij.
Mastich. ℥j.
Myrrh.
Aloës epat.
Laudan.
Castor. ana ℥ij.

Pulverisata admisce oleis, stentque per dies aliquot [3.] Dein

℞. Galang.
Caryophyllor.
Cinnam. ana ℥ß.
Nucist.
Zedoar.
Cubebar. ana ℥ß.
Diptamn. alb.
Consol. maj. ana ℥ij.

Pulverisata infunde in ℔iß. vel q. s. Spirit. vin. Hinc misce cum prioribus, ac destilla per alembicum vel retortam vitream in carena; primò prodibit Spiritus, dein oleum flavum, ultimo nigricans: collige simul oleum flavum ac spiritum pro balsamo.

Vires. *Calefacit, confortat nervos, Paralysin & Contracturam sanat extrinsecus illitus.*

4. Balsamus antiarthriticus.

℞. Mumiæ.
Mastich.
Thur.
Myrrh. ā. ℥ij.
G. ammoniac.
bdellii.
opopanac.
Tartari ana ℔iß.
Mellis.
Vitri, roman. ana ℔ij.
Spirit. Vini ℔. vi.

Destillentur per alembicum in receptaculum amplum, cum quintuplici cohobatione.

Corroborat articulos, eorumque defluxiones exsiccat, dolores arthriticos lenit.

N. *Paulo aliter habet Vveickard. Thes. Pharmac. libr. 6.*

5. Balsamus Antiparalyticus S. Clossæi.

℞. Blepharum sive Taxonem tempore vindemiarum præpinguem, evisceretur & impleatur sequentibus:

℞. Galban.
Ammon.
Sagap.
Opopanac. an. ℥j.
Laudan.
Benzoin.
Styrac.
Olib.
Myrrh.
Bdell. an. ℥ß.
Gumm. Carann.

Tacamach

Tacamah.
Elem.an.℥ii.
Granor. Junip.
Laur.
Heder.arbor.
Cardamom. major. an.j.
Herb.Chamædr.
Chamæpyth.
Beton.
Salv.
Absynth.
Majoran.
Origan.
Ormin.
Thym.
Spicænard.
Ivæ arthrit.
Puleg.regal.
Menth.
Hyssop.à.M.ß.
Florum Beton.
Chamæm.
Aneth.
Lavend.
Hyperic.an.p.ij.
Sem. Anis.
Fœnic.
Dauc.
Carvi.
Ammeos.
Apii.
Bardan.maj. ā.p.1.
Axung. Ursi.
Vulp.
Anat. ana ℥ii.
Medull.Crur.vitul &
Bubuli, ana ℥ii.
Sal communis Mi.

Concidantur, tundantur, & Spirit. Vin. irrorentur, adde
Thereb. Ven.
Cer. nov. ana quart. 1.

Consuantur fortiter, & lento igne in veru assentur, & liquor inde stillans supra carnem rejiciatur, idque tamdiu, donec caro tota torrida sit: substillatus liquor vel adeps recondatur, cujus partibus duabus admisceatur Balsami Sulph. Rulandi pars una.

Vires. *Mira præstat in morbis frigidis & Ischiadicis.*

6. *Balsamus Mneme cephalicus.*

℞. Succ. fol.Meliss.
Flor.myric.
Lilior.
Primul. ver.
Rorismarin.
Lavendul.
Borrag.
Genist.ana ℥ii.
Aq. Vit.
Nymph.
Rosar.
Violar.an.℥i.
Cubebar.
Cardamom.
Gran.paradis.
Santal.Citrin.
Carpobalsam.
Ireos.
Croc. or.
Satureiæ.
Pœoniæ.
Thym.an.℥ß.
Styrac. liq
Calamit.
Opopanac.
Bdellii.
Galbani.
Gum.heder.
Ladan.an.ʒvi.
Rad aristoloch. long.
Pœon.
Ol.Terebinth.
Nardin.
Costin.
Juniper.
Laurin.
Mastichin.
De been.
De spica an.ʒv.

Pulverisanda pulverisentur & misceantur omnia. Destillentur per alembicum sc. gradus igne aqua & oleum separentur.

Vires. *Tanta efficaciæ esse scribunt, ut perpetuam rerum memoriam pariat.*

Usum ejus hunc esse ferunt, ut primis 3. mensibus nares, & aurium meatus quotidie magnitudine pisi illinantur. sequentibus 2. mensibus tertio quoque die, aliis 2. mensibus bis in septimana, deinceps singulis septimanis semel. Hinc 14. diebus semel, ita ut annus compleatur; tandem annis sequentibus, singulis semestribus semel.

Aqua in capitis affectibus frigidis ac catarrhosis utilissima est, uti & balsamus.

N. *Ferunt Carolum Ducem Burgundiæ à Doctore quodam Anglo decem millibus florin. emisse. Vide Sennert. pract. lib.1. part.2. cap.5.*

7. *Liquor seu Balsamus Saponis.*

℞. Saponem Venetum incisum, affunde Spiritum Vini, atque semel ac iterum destilla; affunde denuo eundem, & relinque in loco calido, postea per chartam filtra: est instar olei brunnei, seu spadicei coloris.

Vires. *Sublevat podagricos dolores, si locus affectus eo illinatur.*

8. *Oleum saponis alio modo.*

♃. Saponis Veneti aut Hispani scabendo probè imminuti, & argillæ communis āā. partes æquales, formentur globuli instar nucis moschatæ & conjiciantur in retortam magno Recip. Instructam, pelle in Reverber. clauso primo lento Igne postea Validiori ad totalem usque spirituum expulsionem, tandem oleum fuscum prasinum ab acutissimo spiritu separa, quod per rectificationem in citrinum mutabitur.

Vires. *Detergit & resolvit potentissimè, ratione ingredientis lixivii, dolores juncturarum à causâ frigidâ compescit, coacta digerit, contusa dissipat, urinam præpeditam movet, colicam flatuosam solo umbilici situ resolvit excommunicatione S. Closs.*

Talia olea, ex quibus fiunt Linimenta, si sint destillata, & benè olentia aromatica, & compingantur in consistentiam Linimenti, tunc vocantur.

BALSAMA.

Aliàs *triplicia* sunt *balsama*, uti rectè habet SCROEDERUS, qui vid. nempè Balsama *odorifera*, Balsama *destillata* & denique balsama *Unguentaria*, quæ *conveniunt* in natura scil. *consistentia*, & *differunt* & *modo præparandi*, & *effectu*, & *ingredientibus*.

De singulis seorsim.

BALSAMA ODORIFERA.

Apoplectica Cordialia simul etiam *parantur ex oleis* destillatis *aromaticis*, quæ ipsa olea aromatica *excipiuntur*, *corpore* appropriato, ut ex fluidâ consistentiâ oleosa debitam balsami consistentiam acquirant: Et quidem *olea* propterea *compinguntur cum corpore crassiore*, *ut* ejus quasi irretita amplexu *retineatur vis volatilis*, nimis promprè exhalans, & ut hoc modo coercita sine virium jactura persistere queant.

Talia *corpora pro balsamo sunt varia*: *quidam* recipiunt *Ceram albam* puram: Cæterum hæc ipsa *balsama* non raro *reddit duriora* & minus gratia: *alii* recipiunt *medullam vituli* lotam, d. hæc *reddit* balsama *rancida* & malè olentia.

Optimum ergo *corpus*, quod hactenus per experientiam fuit cognitum, est *ol. Moschatæ expressum*, quod ipsum quidem *pro balsamo*, *stomachali recipitur* tale *quale est*, sive suo odore & colore adhuc constans: quoniam per se est egregium stomachicum: sin verò accipitur tq. corpus *pro aliis balsamis*, tunc necesse est, ut *prius depuretur*, hoc est, ut *suum odorem* & etiam suum *colorem deponat*,

 ut

ut tq. corpus inane alia olea facilè possit recipere, neque eorum efficaciam suo colore aut gravi odore suffocare.

Modus depurandi hic est: ut *abstrahatur* ab hoc ol. aliquoties *: Vini Spirit. tartarisatus*: hic enim odorem & colorem Moschatæ olei expressi haurit secum, ita ut corpus album omni odore destitutum in fundo remaneat: Et hoc est optimum corpus:

QUERCETANUS.

Pro corpore *eligit Mannam depuratam*, huic mannæ depuratæ solet addere ol. & tincturam, uti postmodum monebo: & *falsus est* AUCTOR, dum dicit, QUERCETANUM *intelligere per mannam* depuratam *ceram* lotam & depuratam: d. reverâ intelligit Mannam Calabrinam benè lotam.

BARTHOLETUS *tract. de dispn. lib V. cap. 12.* pro corpore balsami *recipit mediam substantiam* mellis ab omni impuritate secretam, & quæ amplius non effervescit, h. m. paratum corpus irrigat cum oleis destillatis aromaticis, donec habeat in consistentiam balsami. Et *hoc modo parata* sunt *Balsama officinalia* pro usu externo, qualia ab AUCTORE recensita sunt:

1. BALSAMUM ANGELICÆ.

Quod externè applicatur abdomini *in Colicâ & suffocatione Uterina*: Commodè etiam potest permisceri balsamis *antipestilentialibus*, quibus tempore pestis muniuntur nares & tempora cum pulsibus.

BALSAMORUM APOPLECTICORUM.

Variæ prostrant *præscriptiones*, inter quæ tamen ferè *primatum obtinet* CROLLII.

D. MICHAEL m. habuit elegantem balsamum apoplecticum, cujus hæc est *compositio*.

℞. *Ol. Cinnamomi* ℈ij.
Caryophyllor. ℈iij.
Ligni Rhodii ℈ij.
Balsami Peruviani. ℥ß.
Mosci.
Ambræ aa. ℈j.
Ol. Moschat. per express. ℈ij.
asphalti q. s. pro Tinct. nigrâ.
F. l. a. Balsamum.

Moschus & Ambra subtilissimè terantur cum oleis, aliâs non benè permiscent, & non benè effluvia odorifera exhalant.

Valet hic Balsamum in *omnibus capitis affectibus, paralysi & Apoplexia* cum notum sit, quod balsamus Peruvianus conferat sensui & nervis: ol. vero ligni Rhodii sit cordiale & stomachi cum.

Balsamus apoplecticus præter hoc, quod externè convenit in apoplexiâ & affectibus cordialibus, etiam commodè illinitur vulvæ in *passione hysterica*, modo observetur, ne odor penetret ad nares: talia enim fortiter olentia uti per nares excitant suffocationem uterinam, ita Vulvæ admota eandem compescunt. Unde etiam quidam præcipiunt, ut in desperatâ hystericâ mas inungat Penem cum balsamo apoplectico, & ita coeat cum hysterica, sic enim tutò & cito curatur. imò hoc modo applicatum Peni Balsamum Apoplecticum coitum utrique sexui longè jucundiorem & elegantiorem facere dicunt.

BALSAMUM AURANTIORUM.

Quod etiam habet AUCTOR, in *Colica* solet præscribi cum ol. vel balsamo anisi pro externo illitu, uti etiam *in inflammatione stomachi.*

BALSAMUM PESTILENTIALE scil. BEZOARDICUM.

habet SCHROEDERUS, cui tamen meritò *præfertur ol. pestilentiale* HENISII, quod factum est, *ex ol.* destillato *succini*, *citri* & *Camphora*, uti aliquoties monui.

Qualis etiam Balsamus antipestilentialis potest fieri ex ol. scorpionum cum ol. destillato citri.

BALSAMUM CITRI.

Convenit in *febribus malignis* pulsibus & regioni cordis applicatum.

BALSAMUM MAJORANÆ.

In *affectibus capitis catarrhalibus*, in specie in *Coryza* & obstructione narium est elegans.

Hoc modo parantur balsama pro usu externo. Parantur tamen etiam *balsama pro usu interno*, *in quibus* cum solis oleis etiam *adduntur Tinctura & Extracta*, ubi etiam *salia* simplicium; & ita tota q. s. plantæ crasis in balsamum cogitur, ut pro usu interno efficax habeatur remedium.

Tale *exemplum* sit verbi gratia *balsamum Fœniculi* pro usu interno, scil.

℞. *Tinct. sive extracti fœniculi* ℥vi.
Ceræ albæ benè depuratæ pro corpore ℥j.
ol. fœniculi destillati ℥ß.
M. hoc modo.

Ceram leniter rasam leni ignis calore funde, fusæ adde ol. & extra ignem tamdiu agitando spatulâ ligneâ misce, donec consistat; adde postmodum Tinct. sc. Extractum cum Vini Spirit. factum, semper cochlear unum post alterum affundendo & diligenter movendo, donec omne Extractum adjectum fuerit: Extracto additur salis fœniculi fixi ad singulas ℥as compositi ℈ß. plus minus pro quantitate compositi: Sic totum hoc compositum ingrediuntur salis ℈iiiß. vel ℥ß. Et sic adservetur pro usu. Valde convenit in affectibus stomachi, abdominis & intestinorum, & etiam in affectibus Thoracis. Loco Ceræ in talibus casibus etiam potest sumi ol. Moschatæ destillatum, sumuntur aliquot guttæ internè pro feliciori successu, & tantum hîc præstat, quantum fœniculum, quoniam omnia ejus principia hic sunt permista.

QUERCETANUS *eodem modo procedit* cum Mannâ pro corpore: dum scil. Mannæ electæ optimæ, depuratæ & percolatæ quoties fieri potest, addit Extractum vel Tinct. v. g. amoraci sc. majorani, miscet & agitat multoties, postmodum addit ol. destillatum, stentque in lenissimo calore, donec coagulentur.

His balsamis h. m. paratis *singulis mensibus affunde* de novo *proprium ol.* & durabunt ad multos annos.

Interdum *ex tempore præscribuntur* misturæ ex oleis aromaticis suaveolentibus quæ vocantur Balsama, eodem modo atque præscribuntur Linimenta:

Si v. gr. *Balsamus stomachicus* præscribendus *in vomitu & diarrhæa* sit talis.

℞. *Ol. N. Moschatæ express.* ℥ij.
Balsami Peruviani ʒj.
Ol. Macis destillati ℈ß.
M. D. S. Balsam. pro stomach.

Omnia enim sunt penetrantia: item *alio modo*,

℞. *Ol. destillati Macis.*
anisi.
fœniculi aa. ℈ß.
Balsami Peruviani ʒj.
Ol. Caryophyllor. destillati gutt. v.
Cinnamomi destillati gutt. ij.
M. c. s. q. corporis pro balsamo in stomach. flatul. qu.

illinatur stomachus, & applicetur later calefactus.

Hæc sunt balsama odorifera, quæ partim externè partim internè adhibentur: Sequuntur quæ in officinis prostrant.

BALSAMA DESTILLATA,

quæ non possunt extempore præscribi à Medico: exempla habet auctor SCHROEDERUS, qui vid. *Sunt* autem nihil aliud nisi *spiritus compositi destillati oleosi*, scil. ol. destillata composita spirituosa, quoniam res aromaticæ, item Gummata, ac resinæ & similia permiscentur cum Vini Spirit. & ita destillantur in corpus oleosum, cui postmodum convenientia olea vel alia adduntur, & ita fit Balsamum, quod vocant destillatum.

Modus aliquot habet SCHROEDERUS, qui videantur & *usurpantur* inprimis usu *externo* pro illinitione *permista* aliis oleis destillatis, inprimis BALSAMUS VITÆ, cujus compositio uti est elegans, ita effectus non est contemnendus. Vid. ea quæ habet AUCTOR: quoniam, uti dixi, non semper præscribuntur à Medico, d. permiscentur cum ol. destillatis, & ita usitatè possunt præscribi. Pertinet huc etiam ol. scil. BALSAMUM destillatum SAPONIS Venetæ, cujus descriptionem sub finem subministrat AUCTOR, quod est *egregium*, ubi opus est potenti discussione, resolutione & maturatione: in *Colica flatulenta* mirè commendetur, uti etiam in *contusionibus*: it. in *dolore articulorum podagrico* certissimum est remedium, inprimis si permisceatur cum spiritu lumbricorum terrestrium per fermentationem parato quâ ratione etiam potest fieri *balsamus antipodagricus* si sapo Venetus dissolvatur in spiritu lumbricorum terrestrium per fermentationem & Vini Spir. Camphorato ana, solutio filtretur, & liquor filtratus illinatur parti dolenti in arthritide: mira enim facit in eâdem.

Pertinet huc etiam *balsamus per assationem* paratus, qui valdè conducit *in affectibus membrorum paralyticis*, in *tremoribus* artuum, & similibus aliis affectibus: *Fit qn.* anseres, vulpes, canes, aliaque *bruta* aperta, & exemptis intestinis *implentur* simplicibus *nervinis*, & denuò consuuntur *& assantur*; & liquor pinguis, qui in assatione destillat adservatur pro balsamo pro inunctione artuum paralyticarum.

Præparationes aliquot horum balsamorum vel linimentorum habentur in RIVERIO *cap. de paralysi* & AUCTOR num. v. *balsamum paralyticum* similem præscribit.

Hæc sunt balsama item Linimenta: Cæterum quoniam ex superioribus patuit, quod omnium basis sit ol. Propterea nunc consideranda veniunt.

SCHRODER. CAP. LXXX.

De oleis Stillatitiis.

Olea propriè sic dicta, triplicis generis in Officinis veniunt. 1. Destillata. 2. Expressa, 3. Infusa cocta.

Olea destillata.

Olea stillatitia ex singulis simplicium familiis parari possunt, mineralium, vegetabilium, ac animalium.

MINERALIA, quæ oleum fundunt, maximè sunt ex genere sulphureorum, ut succinum, carbo petræ & simil.

Destillatio illorum eadem est, quæ resinarum vel gummatum.

VEGETABILIA primaria, ex quibus olea destillantur, sunt *herbæ, flores, fructus, semina, radices, ligna, cortices, aromata.*

Secundaria sunt *olea, resinæ, gummi.*

Modus destillandi olea ex primariis, eâdem operâ perficitur, qua aquas ac spiritus destillari diximus, & utplurimum per vesicam.

N. 1. *Felicius oleum ascendit, 1. Si non nihil Sal. com. vel Tart. immisceatur.*

2. *Si digestio fermentatiove præmittatur, cujus promovendæ gratiâ nonnihil facum cerevisiæ, vel & Sal. com. Tart. addi poterit.*

3. *Si oleum præcipuè expetatur, statim auctiore igne destillatio incipi potest.*

I. Ex herbis. ℞. Herbas virides, vel siccas, q. v. contunde ac affunde aquam (additoque Sal. com. manipul. uno ac altero, colloca ad putrescendum) hinc destillata per vesicam.

N. *Herbæ siccæ plus olei suppeditant quam virides.*

II. Ex floribus, (siccis præcipuè, olea ad eundem modum destillantur, præcipuè si contusi dies aliquot (14.) adjectâ parte Sal. com. sexta (vel hujus loco sacchari,) cum aqua fuerint macerati. Sic fiunt oleum chamomillæ, lavendulæ, rosarum, &c.

III. Ex seminibus. ℞. Semin. e. gr. fœniculi grosse contusi, lb. 1. affunde aqu. font. ferventem, q. s. addendo Sal. com. M. 1. (vel insuper, si libet, Tart. ℥j. aut ij.) digere dies (. 8. 9. 10.) hinc destilla igne mediocri per Vesic.

IV. Ex fructibus, e. gr. baccis juniperi, lauri, & similibus simili ratione, uti dictum, oleum educitur.

N. *Fermentatio promoveri potest addito tantillo facum cerevis.*

V. Ex radicibus. ℞. Radices, conquassa ac digere cum aqu aliquandiu, hinc destilla per vesicam.

N. 1. *Præstant siccæ, uti & quæ collectæ fuerint, antequam in stolones abierint.*

2. *Majorem olei copiam si expetas, destillationis residuum cum aqua illa destillata macera ac destilla iterum.*

VI. Ex corticibus non lignosis oleum ad eundem cum radicibus paratur modum, verbi gratia ex cort. arantior. citri.

N. *Præstant cortices nondum exsiccati.*

VII. E lignis, & viscis. ℞. Segmenta lignorum arida, q. v. imple retortam terream (lutatam,) ac destilla in excipulum sat amplum, igne nudo gradatim adhibito, sic exstillat primùm liquor clarus, continuato hoc igne post horas (4. 5.) sequentur spiritus nebulosi, tandem auge ignem, ut fondus retortæ candescat, sic ascendit oleum nigricans & fœtidum, quod à liquore separa ac rectifica. Sic fiunt olea è ligno guaiaci, agallochi, buxi, coryli, ebeni, juniperi, santali, serpentariæ: sic & viscorum coryli, querni, & simil.

N. 1. *Fieri quoque possunt per descensum, sed nostratibus inusitatum est, oleumque crassius exhibet.*

2. *Cautè procedas, nec nimium properes, spiritus enim impetuosi receptaculum disjicere proclives sunt.*

3. *Elici quoque possunt olea hujus sortis ex resinosis lignorum Extractis, ad modum resinarum aliarum destillatis. Kest. cent.* 86.

4. *Sunt, & ligna, sed pauca, quæ oleum suum (quod subtilius ac volatilius est) per vesicam cum aqua fontana destillata tardè licet, profundunt, ut sassafras, lignum rhodium, cypressinum. Videlicet lignum serratum vel minutim incisum, maceretur in aqua aliquandiu, dein destilletur per vesicam; destillatione dies aliquot continuatâ, procedit tandem oleum.*

Rectificantur olea, tum ex cucurbita, tùm ex vesica cum aquæ copiosa quantitate destillando. Nonnunquam tamen, si ponderosiora sint, arenæ immixta per retortam rectificari opus habent.

VIII. Ex

VIII. Ex aromatibus. ℞. Aromata grossè contusa (pulveres minus olei fundunt;) macerentur cum menstruo idoneo, per aliquot dies (4.5.6.) hinc destilla per vesicam: sic prodit oleum & aqua.

N. 1. *Poterit itidem & aliquid Sal.com. vel Sal.nit. vel Tart. admisceri.*

N. 2. *Alii in ejusmodi oleis eliciendis amygdalas rebus addunt, ut majorem copiam nanciscantur, sed fraudulenter; etenim partem majorem ejusce olei amygdalæ sibi meritò vendicant.*

N. 3. *Alii digerunt primò aromata in spiritu Terebinthinæ cohobato aliquot vicibus supra Sal. com. calcinato. Verum nec hi purum oleum aromaticum nanciscuntur.*

N. 4. *Separatio olei ab aqua fieri potest 1. Subsidendo. Nimirum si aliquamdiu mart. (dies 14.) destillatum immotum in cella steterit, subsidet oleum. 2. Firtlando per chartam. 3. Per gossypium. Vid. lib. 1. cap. 14.*

IX. Ex resinis. ℞. Resinarum ℔. 2. vel 3. affundatur aquæ quantitas copiosa, destillenturque per vesicam.

Sic prodibit Oleum, quod primo clarissimum stillat aquæ supernatans (dicitur vulgò Spiritus.)

Hinc incipit paulatim flavescere, muta itaque receptaculum, & suscipe flavum hoc oleum (si placet seorsim,) continuando destillationem, donec nihil olei amplius exstillet, (dicitur Oleum.)

Tandem exime materiam in vesica restitantem, (quæ colophonia dicitur,) eamque destilla ex retorta in arena, & exstillabit oleum crassum rubrum, (Balsamus vulgò.)

N. *Possunt quidem Olea hæc Balsamus unâ eâdemque destillatione per retortam elici, igne scil. gradatim adhibito; verum enimverò præstat per vesicam priora illa elicere, tum ut præcaveatur ἐμπύρευμα, tum quoque ne eorum æstu labor irritus reddatur, quod aliàs facilè accidit. Si nihilominus volupe sit per retortam ea simul destillare, exæstuatio præcaveri potest, si arenam resinæ liquefactæ immiscueris.*

Sunt autem resinæ usitatæ Lentisci (Terebinthina cypria,) Laricis, (id est, Terebinthina vulgaris,) pini.

X. Ex gummi resinis. ℞. Gummi resin. ℔. 1. inde retortæ vitreæ (ventre capaci,) ut saltem tertia pars impleatur, destilla per arenam in receptaculum, aliquota parte aquæ adimpletum, primo igne lento, & prodibit oleum, dein auctiori, & extillabit Balsamus.

N. 1. *Ut fervescentiam præcaveas, arenæ aliquid admiscere poteris: Alii loco arenæ addunt triplum silicum grosse contusorum, vel salis aliquid, quo ascensionem olei promoveant.*

N. 2. *Rectificari potest hoc oleum per cineres cum aqua destillando, vel & laterum fragmenta ignita de imbibendo, atque ita destillationem peragendo non secus, ac destillatur oleum de lateribus.*

Sic fit oleum è Gumm. Animæ, Elemi, Tacamahaca.

XI. Ex gummatis, (præcipuè ferulaceis) Olea elici possunt ad eundem modum quo ex resinis. Nimirum oleum subtilius per vesicam cum aqua destillando elicitur, crassius ac ponderosius per retortam. Vel si mavis destillatione una eademque utrumque per retortam elicere, destilla initio calore leniori, ac suscipe oleum subtilius seorsim, dein collige crassius igne auctiori. Præstat tamen per vesicam, ut de resinis dictum.

N. *Felicius eliciuntur hæc olea ex Extractis resinosis, ad modum quem in resinosis dedi.*

Reliquorum oleorum præparationes, si qua ab hisce discrepant, specialiùs in singulis edocebimus.

EX ANIMALIUM familiâ exhibent Oleum, *cornua, medulla, cerebra, ossa, ungulæ, pinguedines, sanguis, stercora.* (*Vide de aquis.*)

Cornua, ossa, ungulæ, igne nudo per retortam [terra lutatam] pelluntur, funduntque uno ac eodem labore liquorem seu spiritum acidum [phlegmate commixtum,] oleum ac sal volatile. Oleum id rectifica.

Medulla cerebri ac spinæ fundit oleum, si admisto Sal.com. per retortam vitream ex arena destilletur.

Pinguedines (*axungia, sevum, butyrum, cera,*) destillantur aliis rebus commixtæ, ex cucurbita vel retorta vitrea, idque per cineres aut arenam; commiscentur autem, vel cum lateribus pulverisatis, vel cum silicibus calcinatis, vel cum cinere arenave, ut eo faciliùs oleum ascendat.

N. *Quantitatem rei adjiciendæ edocebit pinguedinis destillandæ consistentia, quæ in aliis mollior, in aliis durior: plerumque autem sumitur pars tertia vel quarta, interdum pondus æquale.*

Sanguis destillatur igne nudo ex cucurbita figulina alta ac spatiosa, ad remanentiam terræ nigræ, levis ac spongiosæ. Destillatum liquorem filtra per chartam, & transibit liquor, remanente in charta oleo fœtente [in parva quantitate.] Liquor hic exhibet spiritum, Salque volatile hinc inde vasis destillatoriis adhærescit.

N. *Præstat sanguinem calentem recipere [metretas scil. 2. vel 3.] eumque in MB. clauso vitro digerere mar. [dies 9. vel plures,] hinc per gradus destillare.*

Olea destillata usitatiora.

Oleum Absynthii.
Anethi.
Angelicæ.
Anisi.
Aurantiorum.
Benzoini.
Butyri maialis.
Calami aromatici.
Camphoræ.
Cardamomi.
Carvi.
Caryophyllorum.
Ceræ restificat.
Chamæmeli.
Chærefolii.
Cinamomi.
Oleum Citri cort.
Coriandri.
Cornu cervi.
Cranii humani.
Cubebarum.
Euphorbii Cymini.
Fœniculi.
Fuliginis.
Galbani.
Guaiaci.
Hyssopi.
Juniperi è baccis.
ex ligno, August.
Laterinum Philosophorum, A.
Lavendulæ.
Lauri ex bacc.
Levistici.
Macis.
Majoranæ.
Mastichis.
Melissæ.
Menthæ.
Myrrhæ rectific.
Nucis moschatæ.
Origani.
Piperis.
Pulegii.
Rorismarini.
Rosarum.
Rutæ.
Salviæ.
Saponis.
Sabinæ.
Serpilli.
Smegmatis.
Spicæ.
Styracis Calam.
Succini albi.
flavi.
Tartari.
Terebinthinæ.
Thymi.
Zedoariæ.
Zopissæ.

SCHRODER. CAP. LXXI.

De Oleis expressis.

Exprimuntur Olea ex seminibus ac nucleis nonnullis oleosis.

Modus.

℞. Nucleos siccos [e. gr. amygdal.] non rancidos, excortica ac contunde in mortario lapideo minutissimè, hinc inde sacculo, ac exprime fortiter sub prælo.

N. 1. *Præstat ut plurimum massam illam tritam in sartagine torrere, vel vapore aquæ calidæ tepefacere. Exemplo sit vulgaris ille modus exprimendi olea ex semine Lini, papaveris, & simil.*

N. 2. *Eliciuntur quoque Olea, sed pauca, per decoctionem rei in aqua, quæ decoctione pars oleosa supernatat: sic fit Balsamus Peruvianus, oleum lauri, & similia.*

N. 3. *Olea sine aqua expressa sunt saporis gratioris.*

Usitatiora sunt

Oleum amygdalarum amararum, dulc.
Avellanarum, A.
Balanium è balano myrepsica.
Cannabis.
Oleum Carthami, A.
Cerasorum, ex nucl. A.
Citri è granis, A.
Erucæ sem.
Hyoscyami, ex semin.
Juglandium, ex nucleis.
Lauri, A.
Lini sem. A.
Macis.
Nigellæ, ex sem.
Nucis moschatæ, A.
Olivarum ex olivis maturis.
N. *Hoc Oleum intelligitur, quoties Olei simpliciter mentio fit.*
Omphacinum ex olivis immaturis.
Ovorum, ex vitellis.
de Palma, s. de palla.
Papaveris.
Persicor. nucleor.
Pinearum.
Pistaciorum, A.
Raparum sem.
Ricinum, s. de Cherva.
Sesaminum, A.
Sinapios.

SCHRODER. CAP. LXXII.

De Oleis per infusionem & coctionem, &c.

Olea hæc cum simplicia, tum composita officinis usitatissima sunt.

Modus parandi.

1. *Simplicia* recentia incisa coquuntur oleo mixto aquæ, vino, aliive liquori convenienti, idque tantisper donec humiditas aquea exhalarit.
2. *Sicca simplicia* in oleo mero macerantur.
Commodior modus hicce est.
Herbis exsiccatis ac pulverisatis affunde oleum, digereque in MB. horas (12) dein exprime fortiter, expressionem expone calori leni, ut fæces subsideant, quas separa.
N. *Oleum communiter adhibetur olivarum, interdum omphacinum, vel aliud, de quo peculiaris semper occurrit admonitio.*

Usitatiora Olea insolata simplicia.

Oleum Absinthii, cum Oleo Omphacino.
Abrotani.
Anethi.
Chamæmelinum.
Cheyrinum.
Cydoniorum, c. Omphac.
Enulæ, c. Ol. Sesamin.
Euphorbii, c. Ol. Cheyrino.
Febrifugum. 1.
Formicarum.
Hederæ terrestris.
Hyperici comp. Goleri, 2.
Ellenberg. 3.
Jasminum.
Irinum.
Ligustrinum, Cyprinum de alcanna.
Lilinum.
Liliorum convall.
Lumbricorum, c. Ol. Omph.
Mastichinum, c. Ol. Omph.
Menthæ, cum Omph.
Melilot. ex fl.
Momordicæ, ex fruct.
Myrtillorum, c. Ol. Omph.
Myrtinum, c. Ol. Omph.
Nardinum simpl.
Nicotianæ.
Nimpheæ alb. c. Omph.
Pestilentiale. Bartol. 4.
Populeum.
Purgans comp. 5.
Ranarum.
Rosatum vulgare
Omphacinum.
Rutæ.
Sambucinum.
Scorpionum simpl.
è Styrace.
Verbasci.
Vernisum. Vernis, ex Ol. Lini: *vide lib. 4. Juniper.*
Violarum ex fl.

N. *Huc pertinet & Balsamus Sulphur. Lythargyrii, & simil. quæ nihil aliud sunt quam Oleum, scil. spiritus Terebinthinæ mineralibus illis impragnatus.*

Olea cocta composita.

Oleum de Capparibus.
Castorei.
Costinum.
Croci.
Hyperici
Liliorum
Majoranæ, s. Sampsuchinum.
Mandragoræ
Moschellinum
Nardinum comp.
Papaverinum
de Piperibus
Resolutivum
Rosarum Mesue.
Scorpionum compositum magnum.
Stomachale Cratonis.
Vulpinum
Zanetinum Melichii.
Cord. in append.

1. *Oleum febrifugum Strobelbergeri.*

℞. Ol. Nympheæ unius saltem anni.
Lumbricor.
Rosar.
Hyperic.
Amygdal. am. ā. ℥j.
Mixtis impone scorpiones vivos N. IX. Exponantur soli (paretur si possibile in ingressu solis in signum ♏, vel cancror.) donec moriantur scorpiones, tunc etiam adde
Theriac. Andr. opt. ℥ß.
Relinquantur insolari per dies 14.
Vires. *Easdem vires cum aliis scorpionum oleis lib. 5. descriptis obtinet. Inprimis tamen inservit Emplastro febrifugo conficiendo.*

2. *Oleum Hyperici compositum, s. Balsamus Hyperici, Nobiliss. Georg. Goleri à Rabenstein. Balsamus Magicus etiam dictus.*

℞. Olei Hyperic. opt. ℔. I.
Vini generos. sextar. tres.
Ol. Terebinth.
Laterin.
Lumbricor. ā. ℥ij.
Ceræ ℥j.
Pinguedin. human. destillat.
Ol. de medulla (hum. vel cerv.) destill. ā. ℥iij.
Theriac. Andr.
Mithridat. ā. ʒj.
Visc. querc.
Til.
Coryll. ā. Mj.
Fol. Persicar.
Rut. murar.
Pyrol. an. M. iij.
Flor. Antirrhin. M. VIII.
Hyperic. M VI.
Verbasc. M. ij.
Betonic.
Centaur. min.
Prunell.
Consolid. aureæ.
Ptarmic. Austriacæ.
helidon. ā. M. I.

Sem. Antirrhin. ℥ß.
Hyperic. ʒiß.
Rad. Dracuncul. maculat.
Aristoloch. rot.
Symphyt. ā. M ß.
Scrophular.
Fabariæ, ſ. Craſſul. maj. ā. Mj. Bulliant, ſive coq. in diplomate vaſe optimè clauſo ad conſumptionem Vini. Exprimantur fortiter; poſtea imponantur.
Croc. Martis.
Mumiæ.
Maſtich.
Thur.
Myrrh. an. ʒij.

Denuo coq. leviter, dein pro circulatione ponantur ad ſolem, hyeme ad fornacem.

N. *Non opus eſt prædictum oleum vel Balſamum de novo ſæpius conficere, ſiquidem Balſamus iſte ad ſolem collocatus facilè ex novis floribus ſuperiùs annotatis & foliis Perſicariæ & Pyrolæ, necnon de ſemine Hyperici augeri poteſt, & de novo reſtaurari, & tantum injiciendo & ad tempus aliquod in ſole digerendo, poſtmodum hyeme colando & ad fornacem collocando. Quo enim vetuſtius hoc oleum fuerit, eò efficacius & nobilius evadet.*

Uſus & Applicatio; i. e. *Hoc oleum ſive Balſamus excellentiſſimus exiſtit contra hauſta venena, introſumptus: Hac tamen conditione, ut priùs concitetur Vomitus per lixivium vel oleum olivarum calidè bibitum, vel quod melius, per aquam Nicotianæ ſ. Tabaci.*

2. *Calculum & arenas pellit, ſæpiùs in ovo coctò aſſumptum.*

3. *In magna quantitate exhibitum vermes ventris necat & expellit, præſertim ſi in aqua Perſicariæ exhibeatur.*

4. *Prædicto modo uſurpatum, corpus ab omni corruptione & multis ulceribus præſervat, ut planè nulla in corpore humano ſive interius, ſive exterius naſci queant.*

5. 6. *Auriginem quoque & Hydropiſin diſcutit.*

7. *Interna itidem vulnera, & quæ contuſa ſunt, mirabili effectu curat.*

8. *Vomitum ſanguinis & Dyſenteriam vi compeſcit atque conſtringit.*

9. *Vulnera omnia externa, qualiacumque ſint, etiam ea quæ venenatis armis inflicta fuerunt, mirâ celeritate Balſamicâ vi contrahit atque conglutinat, omnia alia vulnerum ſymptomata prohibens ac tollens, ſi linteola raſa in eo madefiant & vulneribus imponantur, illa ſæpius lavando & extergendo. Poſſunt inſuper hæc olea omnia Emplaſtra Stiptica, quemadmodum & reliqua in ſua virtute & efficacia ſolâ malaxatione confortari, ut majoris inde virtutis & energiæ ſint.*

10. *In capitis v. vulneribus ubi cranium quoque ad duram vel piam matrem læſum fuerit, optimè & ſtudioſè cavendum, ne prædicta linteola nimis humida vulneribus ſupponantur, ſed antea perquam benè expreſſa ſint: Si vel una gutta ſola ſuper duas illas membranas caderet, jam de vulnerato actum eſſet & inſaniam incurreret.*

11. *Præterea omnes impreſſiones magicas, ab imaginatione, jaculatione, imprecationibus & lamiarum præſtigiis inflictas ſtupendo planè modo irritas facit, & perſanat, tam interius aſſumptum, quam exterius illitum, applicatumve.*

12. *Quod ſi alicui cultri, ligna, vitra, ſetæ, panni lacerati, fila, acus, crines, teſtæ & quæcunque alia intra corpus & ſtomachum vel & gulam, unde ſuffocationis periculum incurrat, per incantamenta & præſtigias impacta fuerint, ſique nullis aliis medicamentis cedere velint, hoc oleo inungantur, ac ipſis quoque ad bibendum exhibeatur, quantitate trium cochlearium, admirabilem vim experieris: Vel enim prædicta omnia per aliquod magnum ulcus exſiccatum, tanquam aliquod emunctorium protrudet, vel per vomitum rejiciet, aut tandem per inferiora coget, ac tandem æger penitus incolumis citra omnem perditionem evadet: Balſamum hunc mecum communicavit Clariſſ. Dn. D. Johan. Chriſtophorus* Eiſenmenger. *Phyſicus Imperialis, Reip. Hellbronnenſis, Amicus ac Fautor meus honoratiſſimus.*

3. *Oleum Hyperici compoſitum, D. D. Erhardi Ellembergii.*

℞. Fol. Hyperic. recent. M. iij.
Contunde modicè, deinde ſuperfunde.
Ol. de Scorpion. ſimpl. ℔. iij.
Ponantur in ſole per dies 4. poſtea in MB. per menſes 24. coque & fortiter exprime. Cola oleum per Colatorium vino albo lotum. Deinde adde
Flor. Hiperic. recent. contuſ. M. iij.
Relinquito denuo ad ſolem per dies 4. & mox coquito in MB. cola ut ante. Idem repetendum cum florib. ſemper recent. bis terve, donec oleum ſanguineum acquiſiverit colorem. Hinc

℞. Cymar. (ſemin.) Hyperic. immaturarum, modico vino albo generoſo madefactarum ℔. iij.
Coque in MB. per dies 3. poſtea exprime ut ante, & hoc reiterandum quater, ſemper cum cymis recentib. Poſt hæc,
℞. Card. ſancti (benedict.)
Meliſſ.
Verben.
Scabioſæ.
Betonic.
Chamædr. ā. M ß.
Contunde modicè & coq. in MB. per triduum: deinde cola. Colaturæ injiciantur.
Sum. Galeg.
Scord. rec. an. M. i.
Centaur. min.
Diptamn. Cret.
Roris marin. ā. M ß.
Coq. in oleo priùs herbis contuſis per dies 3. in MB. F. colatura. Deinde
℞. Rad. Zedoar.
Diptamn. alb.
Angelic. gummoſ.
Ariſtoloch. utriuſque.
Carlin.
Valerian.
Gentian.
Tormentill.
Vincetoxic.
Cort. citr. ana ʒiß.
Contuſa infundantur & coq. per dies 4. in MB. exprim. fortiter ac interim injiciantur
Caryophyllor.
Macis.
Schœnanth. ā. ʒiß.
Santal. rubr. ℥ß.
Bacc. Junip.
Laur. an. ℥ij.
Cinnam. ac. ℥j.
Benzoin.
Storac. cal. an. ʒvi.
Contuſa & hæc ponantur in MB. per dies 3. dein colentur. Poſtea
℞. Bufon. N. ij.

Natricem N. I.	Serpentem, nobis *Unck* dictam, ſeu boam. Une maniere de Serpent d'eau, ou une eſpece de Serpent Venimeux. V. infra.

Aranear. viv. N. C C.
Injiciantur in oleum prædictum, & coque per dies 2. poſtea abjiciantur & imponantur.
Rhabarb. el.
Myrrh. fin.
Aloës Epat. an. ʒiij.
Croc. ʒj.
Spic. nard. ʒiß.
Theriac. Andr.
Mithridat. an. ʒvi.
Coque in diplomate per dies 4. nec ampliùs coletur, ſed conſervetur pro uſu.

Uſus *Valet præcipuè contra omnia venena. Illinitur arteriis manuum, pedum & cordis, repetitur illitio tribus alternis horis. Peſtem tam curat quàm præſervat. Febriles inſultus arcet (inunctum dorſo, & metacarpis manuum, pedumque plantis.) Dolores colicos demulcet. Urinam provocat. Vermes per ſeceſſum expellit (illitum umbilico.) Valet ad vulnera venenata, quæ vel ab animali venenato, vel ferro infecto ſunt inflicta. In paronychia nihil præſtantius, ſi ſtatim ab initio, antequam inflammatio venenoſa ſupervenerit, facta fuerit inunctio.*

Hoc oleo fruere ex communicatione Jacobi Hortzapffel *Pharmacopœi noſtratis diligentiſſimi, Affinis mihi dilectiſſimi.*

4. *Oleum antipeſtilentiale Bartol. Bonacurſii, Itali.*

℞. Flor. Hyperic. ℔j.
Rad. tormentill.
Carlinæ.
Ariſtol. rot.
Centaur. maj. an. ʒvi.
Stant. omnium.
Spic. nard.
Celt.
Dictamn.
Bacc. juniperi.
Zedoar.
Gentian.
Imperat.
Card. ben. an. ℥ß.

Carpobalſ.

Carpobals.
Doronic.
Cort. citri.
Fol. persic.
Artemis.
Rutæ.
Beton.
Scord.
Chamædr. an. ʒiiij.
Radic. Pimpin.
Valerian. major.
Vincetox.
Been utr. an. ʒiiß.
Anthor.
Scorzon.
Bistort. an. ʒvi.
Moschi.
Maceris an. ʒij.
Caryophyllor. ʒiß.
Macerentur per 3. dies in vini malv. ℔. v. coq. exprim. expresso adde recentes species supradictas, ac
Bufonem magn. vivum.
Viperam vivam.
Ranam.
Lacertas.
Cochleas an. v.
Scorpion. L.
Ligni aloës ʒß.
Theriac.
Mithrid. an. ℥ii.
Benzoin.
Galbani an. ℥iß.
Laudani.
Succini.
Myrrh. an. ʒj.
Ol. hyperic. ℔ij.
Oliv. vet. ℔v.
E Cineribus destillentur omnia, fiatque ter cohobatio, tandem oleum decantetur, quo inungitur cordis regio, sub axillis, & inguine ad arcendam pestem.

3. Oleum purgans compositum S. Clossæi.

℞. Ricini American. & vulgar. ana ℥iij.
Sem. catapot. minor.
Ebuli mundat. à. ℥ß.
Rhabarb. pulveris. ℥j.
Santal. citrin. ℥ß.
Contund. fortiter, donec abeant in pastam, ex quâ per expressionem fortem eliciatur Oleum.
Dos. gut. vj. in jusculo præpingui, aliàs ardorem in gutture excitat, quamobrem à nonnullis, pilula unica ex micâ panis, duabus guttulis hujus ol. imbriatâ fingitur, vel inter duas oblatas concluditur. Purgat ἄνω καὶ κάτω hydrope affectos.

OLEA.

Quæ sunt in 3plici differentia: *quædam destillantur* per retort. vel alembicum, *quædam* sunt, quæ forti torculari *exprimuntur* & *sunt expressa*, *quædam* sunt, qu. simplicia infunduntur, in ol. olivar. sc. commune, vel in ol. lini, & ita vel in infuso relinquuntur, vel etiam decoquuntur, & sunt *olea per infusionem & coctionem.* Hæc olea sunt vel *simplicia* vel sunt *composita.*

Quod attinet OLEA EXPRESSA, hæc *eliciuntur ex seminibus ac nucleis* mucilaginosis, oleosis & pinguibus: qualia sunt verbi gratia amygdalæ, nuclei persicorum, semen papaveris: semen hyosciami, avellanæ, semen lini, Moschatæ, pineæ, &c. Imò ipsum ol. commune nostrum olivarum ad hanc pertinet classem: expressum scil. est ex fructibus oleæ.

Talia *simplicia* in mortario *bene contusa*, postmodum *cum torculari*, vel in sacculo *exprimuntur*, ut tandem suum concedant ol.

Talia *ol. expressa sunt aquosa & mucilaginosa*, & utut primâ fronte dulcedinem quandam repræsentent, nihilominus tamen satis *acri acidum in recessu habet*, ob suavitatem temperatam tamen *à pinguedine* blanda aquosa ipsa acrimonia istius acidi *palliatur*, quo minus gustu percipiatur: Cognomentum hujus rei satis evidens est, quod *ol.* commune OLIVARUM *omnia metalla* excepta, aurum *corrodat.* & ferrum in eo positum, vel ol. in vasculis argenteis adservatum, sensim sensimque illud in rubiginem exedat. Hinc etiam est, quod seræ & claustra illita ol. communi, ut fiant tractatiora, progressu temporis nigredinem contrahant, quoniam acidum occultum ol. corrodit ferrum in talem crocum subnigrum: Et *ol.* istud *nigrans anseris desumptum, egregium est anodynum* & dolorum sedativum ratio, quoniam acido ejus à ferro absumpto, pars superius pinguis temperata, & forsan sale vol. alcali non destituta, temperat acrimoniam humorum, unde dolores solent oriri in corpore: d. hæc TACHENIUS sunt tamen hæc olea unum plus alterum minus acidum: ol. olivarum est satis acidum:

OL. AMYGDALARUM DULCIUM.

Non adeò copiosum acidum habet, d. plus olei, quod tamen & hoc non sit destitutum simili acido, patet ex eo, quod Emulsiones ex his seminibus paratæ, tam facilè acescant, & in loco calido acorem contrahant.

Inter hæc olea expressa est etiam

OL. BALANINUM *s. de* BEEN

cujus nucleo parantur per stratificationem *ol.* quorundam *florum odorifera:* verbi gratia ol. Jasmini, ol. flor. aurantiorum, ol. florum Citri &c. qu. nempe flores hi stratificati cum fructibus Been, sæpius reiteratâ stratificatione, donec fructus sufficienter imbiberunt atomos odoriferos istorum florum, postmodum fit expressio. & ita h. m. ol. odoriferum ex fructibus Been elicitur, modus videri potest in *horto Farnesiano* TOBIÆ ALDINI.

Ol. HYOSCIAMI

Expressum ex semine hujus est fortiter *narcoticum* & Hypnoticum, nihilominus tamen, interdum Urgente necessitate, ad ejus usum progrediendum est, *in atrocissimis scorbuticis doloribus,* cum vix sit aliud simplex, quod promptius compescat dolores scorbuticos:

Ol. Seminis LINI

Est egregium in *combustionibus,* si misceatur cum vitello ovi: Vel si oleo lini expresso infundantur fructus Momordicæ maturi, tunc enim fit elegantissimum ol. vel *linimentum ad ambusta.*

Ol. N. MOSCHATÆ

Est *Stomachicum.*

Secunda species oleorum sunt ol. PER INFUSIONEM & COCTIONEM, quando scilicet *simplicia* sicca *in ol. infunduntur* & macerantur, simplicia v. humida recentia permista aquæ vel Vino in ol. communi *coquuntur,* & *separatur* postmodum *ol. per colatorium* scil. filtrum, quod est ol. Medicatum, quod imbibit nonnullas virtutes simplicis infusi. *Modus* vid. in SCHRODERO olea hæc sunt varia.

OL. ABSINTHII

In affectibus *stomachi*, inprimis in *Vomitu* & *Cholera* confert: in quo casu commodè permiscetur cum

cum ol. Mastichino vel etiam cum his oleis in tali casu subiguntur & malaxantur Emplastra stomachica.

OL. ANETHI.

Est *Carminativum*, & temporibus illitum *ad somnum disponit.*

OL. CHEIRINUM

In usu est mulierculis cum ol. liliorum alborum, quibus illinunt abdomen & vulvam pro *facilitando partu* futuro, & pro *laxandis viis.*

OL. MASTICHINUM

Egregium est, ubi opus adstrictione in, *dysenteria, diarrhæa Cholera* & *Vomitu* externè illitum.

OL. MOMORDICÆ

Excellens est *Vulnerarium*, uti notum est, cujus vim superius fusius decantavi, ubi de Momordica.

OL. MYRTINUM

Valdè adstringit, Unde in *fluxibus alvi* illinitur: Mulieres solent illinire *ad præcavendum abortum.*

OL. POPULEUM

Inungitur temporibus, *pro temperando æstu* in febribus, & *sedanda* hinc orta *Cephalalgia*: moderatè etiam *disponit ad somnum.*

OL. SCORPIONUM SIMPLEX

Ex infusione scorpionum vivorum in ol. commune: usurpatur *pro pellenda urin.* remoratâ, si inungatur regioni pubis cum Unguento dialtheæ. Item usurpatur cum Cataplasmatis ex parietaria & Cepis hoc ol. contra eandem urinæ suppressionem. Regioni Renum illitum oleo scorpionum *promovet Calculum* eumque pellit.

OL. VERBASCI,

Anodynum est & dolores sedans, it. est specificum in *tenesmo.*

OL. de CAPPARIBUS.

Usurpatur pro *malaxatione* Emplastrorum *Spleneticorum*: ita pro subigendis & malaxandis. Emplastris *ad* emolliendos *scyrrhos* destinatis.

OL. CASTOREI

Convenienter illinitur externè in *suffocatione Uterina*: in *doloribus colicis* tam veris, quam per consensum Nephriticis, & etiam in aliis spasmodicis abdominis affectibus. Etiam externè solet commendari *contra Tremores, paralysin*, & etiam *convulsionem.* In quibus tamen casibus potiùs spirituosa præferuntur quam talia olea spissa:

OL. LILIORUM ALBORUM

Valdè est *emollitivum*, & dolorum *sedativum.* Præterea egregium est *Vulnerarium* quod recentia vulnera ad promptam consolidationem disponit.

OL. STOMACHICUM CRATONIS

Est egregium in quibuscunque *Affectibus Stomachi*: si malaxetur cum eo Gummi Tacamahacæ, fit egregium Emplastrum stomachale.

OL. FEBRIFUGUM STROBELBERGERI,

Quod habet AUCTOR, non est inconveniens, inprimis si cum Scorpionibus infundantur etiam araneæ, quarum vis antifebrilis est singularis uti postmodum habebimus.

OL. HYPERICI

Quod habet AUCTOR, est compositio Theriacalis, & est dubio procul in multis affectibus proficuum, uti apparebit examinanti ingredientia, & legenti ea, quæ habet AUCTOR, qui vid.

CROLLIUS

Etiam habet *ol. Pestilentiale*, quod valdè convenit, si vel solum, l. cum ol. succini illinatur carpis manuum, temporibus & naribus vid. CROLLIUS.

Hactenus olea expressa & infusa, restant OLEA DESTILLATA. Quæ omnia destillata *eliciuntur ex* singulis *tribus regnis*, ut ut non sine varietate.

In genere tamen omnia olea destillata cum sint penetrantissima, subtilissima & valdè volatilia *constant ex salibus volatilibus simplicium concentratis*, sive mutuo congregatis: quæ concentratio salium volatilium in corpus oleosum fit per subtile quoddam acidum, temperatum tamen à quadam adjuncta pinguedine. *Modus* est hic.

Si res talis, quæ dat ol. destillatum, immittitur in ignem, tunc salia volatilia incipiunt erumpere. d. sub isto motu accedunt partes acidæ subpingues, & partes salis volatilis amplectuntur, coarctant, & ita figunt, & isto mutuo amplexu se uniunt, ut conjuncta in vas destillentur, atque in corpus olei forme abeant. Et propter hoc, quod olea destillata sunt salia volatilia concentrata, adeò magnarum sunt virium in medicina, dum extrinsecus adhibita potenter penetrant, & interius sumpta cito adjuvant: Et propterea quoniam sunt salia volatilia destillata, sunt nonnulli, qui volunt *ex illis* elicere *salia volatilia Modus est iste.*

Recipiunt ol. destillatum v. gr. succini, vel ol. destillatum Viperarum, aut ol. destillatum C. C. quod cum spiritu unà prodiit. Hoc ol. miscent cum aqua simplici, benè invicem agitant & confundunt: postmodum aquam istam, celeri manu ab ol. supernatante separatam, per phiolam longam & altam destillant lentè, sic enim leni igne adscendit sal. vol. quod scil. aqua absorpsit in agitatione cum ol. destillato *Hæc* res adhuc *per experientiam* Ulterius est *examinanda.*

Dixi *quod concentrata sint salia vol.* per subtile *acidum*, id quod *patet* ex eo, quod *Vegetabilia* v. gr. *in quibus parcum* est tale *acidum, non* soleant *dare olea per destillationem*, qualia sunt plantæ refrigerantes dictæ, lactuca, Endivia, portulaca, sempervivum, &c. Hæc namque destillata non dant ol. propterea quoniam constant tantum ex subtili sale volat. eoque temperato & pauco, præsente paucissimo acido, quod non est sufficiens, ut concentret sal. vol. in ol. E contra verò tales *plantæ, in quibus copiosum est sal. vol. acre, in iis* tamen simul reperitur *acidum* quoddam *pingue*, tales, inquam, plantæ levi destillatione *copiosum dant ol. destillatum* propterea quoniam sub ignis tortura acidum & salinum volatile se mutuo amplectuntur, & ita transeunt in corpus olei forme. Unde etiam tales plantæ, quæ dant copiosum ol. destillatum, per fortiorem ignem, & per fortiorem cremationem *copiosa dant salia fixa*, propterea quoniam, uti superius dixi, salia fixa cinericia fiunt per ignis vim ex colliquatione acidi cum alcali volatili.

Et

Et tales plantæ quæ dant copiosum ol. & quæ dant copiosa salia fixa, fiunt v.gr. absinthium Salvia, Rosmarinus & similes plantæ acriores & fortiter olentes, & quamplurimæ aromaticæ v.gr. Mentha & similes

Ut ulterius pateat Metamorphosis Chymica: *observetur*, quod *hæ plantæ* impregnatæ copioso sale vol. & acido copioso *si sine* præparatione *fermentatione* præmissa *destillentur*, *dant* ol. & *si concrementur*, dant sal *fixum*: sin v. *præmissa fermentatione* destillentur, tunc dant *spiritum Volatilem inflammabilem*, *paucum* verò aut nullum *ol.* & sal *fixum*: Ratio est. quoniam, per fermentationem recluso mistionis vinculo; ista salia, alcali nempè volatile & acidum vol at. mutua in se invicem actione se coniunxerunt & abierunt in spiritum oleo-volatilem, qualis est spirit. vini. absinthii menthæ &c. Et propterea quoniam ita volatilisata dant spiritum talem, paucum aut nullum dant ol. neque sal fixum: Contrarium fit, si sine prævia fermentatione & nude destillentur.

Sunt E. ol. destillata. salia volat. concentrata: ita tamen, ut in iis præponderet sal vol & maximè abundet, ipso acido existente pauco aut admodum temperato: Unde etiam *ol*, *destillata valent destruere acidum*, istudque temperare, *imprimis*, *si* fuerit *volatilisatum* ulterius *beneficio salium volatilium &* beneficio spirit. vini, & ita abierint in spiritus salinos volatiles oleosos.

Prout destillantur ol. ex tribus regnis, etiam in omnibus regnis singularis est *observanda enchirisis in destillatione*.

EX MINERALIBUS

V.gr. subjectis sulphureis, ut sunt succinum, Carbo petræ, *destillantur olea per arenam ex retorta*: & *hæc* sunt *propriè* sic dicta *olea*. Nàm etiam spiritus vitrioli rectificatus vocatur ol, vitrioli: it. spiritus sulphuris acidus per campanam vocatur ol. sulphuris, d. impropriè & valde abusivè: Cum olea non sint acida. Ex mineralibus tantum sulphureis eliciuntur olea propriè sic dicta, uti dixi ex succino, carbone petræ & similibus.

Quod attinet VEGETABILIA: cum ea sint varia, etiam *varias* in destillatione olei *requirunt Enchirises*:

I. quidem *folia*, *flores*, *herbæ*, *Semina* & similia, ut etiam *fructus radices & cortices* oleosi fructuum v. gr. aurantiorum, citri &c. Hæc omnia *destillantur vel per Balneum M.* vel quod melius est per, *vesicam*: *contusis* nempe his simplicibus *affunditur*, s. q. *aqua una cum tantillo salis communis* Mj, ijbus, & pluribus pro quantitate herbarum destillandarum: *alii addunt* loco *salis* communis *saccharum*: *alii* addunt *aliquantulum tartari* contusi, & ita aliquandiu *mittunt in locum calidum*, ut beneficio macerationis ab aqua, & penetrationis ab adjuncto salino corpore, sensim sensimque resolvatur mistionis vinculū, quo postmodum facilior succedat ol. destillatio. Hinc destillant per vesicam, uti dixi, & perdit ol. cum aqua, quod per tritorium ab aqua separant. Ponunt, uti dixi in digestionem ut aperto magis mistionis vinculo in majori copia destilletur ol. non tamen perfectæ fermentationi permittunt, quoniam tantum spiritus fermentatione; paucum verò vel nullum ol. habetur.

Cœterum *ex lignis & Viscis*, item ex *corticibus lignosis destillantur olea per retortam terream Igne aperto*: prodit scil. tunc spiritus acidus, & postmodum ol. crassum, nigrum & fœtidum. *Similiter* destillantur etiam ex modo dictis speciebus olea *per descensum*: per cucurbitam n. inversam inferius versus recta descendit istud ol.

Olea horum *lignorum*, utut fœtida & graveolentia, nihilominus tamen non destituuntur *efficacia in medicina*: Sic *ol. Guajacum* est excellens *sudoriferum* in *morbo Gallico*, & etiam *in ulceribus & tumoribus Gallicis* ol. Guajacum valdè est conveniens. Unde cum hoc ol. malaxatur Emplastrum de Ranis Vigonis cum mercurio, & ita imponitur postmodum *bubonibus & Gummatis Gallicis*.

Ol Coryli destillatum est OL. HERACLINUM RULANDI, expertum Remedium in *Epilepsia*, *partu difficili*, in *pellendis vermibus*, & in sedando quocumque *dolore*, & in specie *dentium*. Simile ferè huic est *ol. buxi*.

Ulterius destillantur etiam *olea ex Aromatis* post prægressam macerationem in *aqua addito sale nitri*, *vel tartar.* idque imprimis *per vesicam* vel *per balneum*,

In destillatione horum oleorum *observetur* quod *aromata* si minutissimè pulverisantur, parum admodum soleant *præbere olei destillati*, *plus* verò *si crasse contusa* cum tantillo salis misceantur, & postmodum l. a. *destillentur*.

Ulterius quidam non sine ratione præcipiunt, ut omnia *aromata in plenilunio debeant destillari*, ex eo, quoniam copiosiora tunc dent olea, & etiam aromata tunc temporis astralium quasi sint virtutum:

Ulterius destillantur *olea ex resinis*, quæ *destillantur* cum *aqua per vesicam*, l. etiam per retort. si. acquiritur ol. in duplici differentia s. consistentia I. quidem *ol. clarius* & subtilius, quod dicitur *ol. destillatum*, à quibusdam etiam dicitur spiritus: postmodum verò aucto Igne, imprimis si destillentur per arenam. per retort. prodit *ol. crassum* & graveolens quod vocatur tunc *balsamus*. Resinæ tales sunt Terebinthina, resina pini. resina laricis & similes.

Quod attinet Gummata, *gummata* omnia *sicciora*, ut Mastiche, Myrrha & similia, destillantur, *si prius in aceto destillato* vel *Vino soluta* & digesta, cū ana arena, l. silicum aut laterum calcinatorum *misceantur* & sic *per retort. destillentur* arena & silices adduntur, ne, nimis effervescant, & vel vitra diffringant, l. sub antiqua forma in receptaculum penetrent: *ol. quod procidit*, si est turbidum, *rectificatur* per retort, *Vel injectione* pauxilli *salis* communis mox *depuratur*.

Hæc sunt Gummata sicciora, *Gummata* v. *liquidiora*, uti sunt Styrax & reliqua similia, sine prævia solutione, *adjectione* solius *arenæ l. sabuli destillantur*, *& dant triplex ol.* si rectè procedatur, per legitimum Ignis regimem adscendendo sensim sensimque I. *album* 2. *flavum* & 3. *rubrum*,

Eodem modo *ex spermate Ceti* solent etiam destillare *ol.* recipiendo spermata Ceti part j. & arenæ part. iij. & ita per retor. destillando.

Cœterum *Vegetabilia* in Ignis tortura, cum sint facilè inflammabilia, non raro *patiuntur empyreuma*, ut ex tali empyreumate ol. ipsorum, uti etiam partium animalium destillatarum, adustionem sapiant, & horrendum saporem ac fœtorem obtineant. Pro corrigendo E. tali *empyreumate*, quod nihil aliud *est*, quam sal *vol. nimis colliquatum cum acido oleoso*, recipitur ol. destillatum empyreumaticum & acetum dest. q. s. hæc invicem destillantur per M. B. & sic obtinetur ol. sine *graveolentia* quæ cum *aceto dest. commista recessit*.

GLAUBERUS idem *tentat* in *suis scriptis per spiritus salis*, tollendo simili modo empyreuma.

Ex ANIMALIUM

Familia similiter destillantur ol. concentrata: *quando* enim animaliū, l. partes animalia *destillantur* 1. *prodit spiritus* phlegmaticus 2. *sal volatile* 3. *ol. crassum* subnigrum ac fœtidum, id quod patet, qu. destillatur sanguis, cornua, ossa &c. animalium. Hoc *ol. animalium* propter fætorem ac graveolentiam non rarò, imo communiter solet adjici, d. perperam, quoniam in his adhuc magna *latitant arcana*. Nam hæc ol. destillata animalium, sive ossium, cornuum, crani i,

cranii.&c,nô minus quam ol.tartari destillatum *sunt excellentissima sudorifera*, quæ ad gutt.3,1.4. copiosissimum & fœtidissimum proliciunt sudorem. Deinde externe hæc olea imposita, *bubonibus* & *Carbunculis* pestilentialibus valdopere *conveniunt* pro maturatione, sicuti etiam postmodum *abscessus* maturatos egregiè *purificant*, sive etiam *ulcera maligna* ac *fœtida mundificant*.

Pinguedines, axungia, seva, adipes & similia, *destillantur per retort. vitream permista cum arenulis*, & acquiritur *ol.* admodum *fœtidum*, *quidam* ut elegantius acquirant ol. ex adipe & pinguedinibus, recipiunt adipes, easque *sacculo* claro *includunt*, & ita *lenissimo Igne destillant* in receptaculum. *Adipes* verò quæ sunt *tenuiores*, h.m. *ad solem postunt destillari per* infundibulum chartaceum in subjectum vitreum: *item* possunt etiam tempore hyberno *circa fornacem* leniter ac blandè destillare adipes, sicque acquirunt colorem aureum, restitante crassamento turbido ac fætido.

Quod attinet VIRES *oleorum* destillatorum usitatorum, 1. *ol.* ABSINTHI. *destillatum* est egregium *stomachicum*, si inungatur regioni stomachi & scrobiculo Cordis.

OL.ANETHI.

Est egregium *carminativum* & flatus discutiens.

OL.ANISI

Est similiter *carminativum*, & in specie *convenit in affectibus pectoris, Tussi, raucedine, asthmate* & similibus. Unde quidam *balsamum sulphuris* pro usu pectorali præparant beneficio *ol.destillati anisi* loco ol. Terebinthinæ.

Ol. destillatum *aurantiorum* est egregium *in stranguria* quoniam mortificat acidum, quod urin. imprægnant, & dolorem producit: item egregium est in *suffocatione uterina*, & in *colica* interno usu.

Obiter hic *noto*, quod *olea destillata raro* sic possint *usurpari nudè*, quoniam difficulter permiscentur cum liquore: propterea *fiunt* ELEOSACHARA: scil. permiscentur ol.destillata *cum Sacharo contuso* & pulverisato, quod saccharum prompte imbibit ol.destillata, & tunc loco ol.destillati præscribitur Eleosacharum ut qu.v.gr.volo præscribere guttas 2. vel.3.ol. destillati, præscribo ℈ß. vel gr.Xij.Eleosacchari OL. CARVI est egregium in *Cardialgia* s. dolore stomachi: item *inflatione stomachi*: Teste hujus rei THONERO.

OL. JUNIPERI

Ex baccis est singulare *diureticum*, quodque præstat mirabilia in præcavendo *Calculo*: Præterea *balsamus sulphuris* paratus *cum hoc ol.* egregius est in affectibus & *ulceribus renum & vesicæ*.

OL. MAJORANÆ

destillatum valde convenit in *affectibus narium Coryza olfactus læsione, obstructione narium* &c.

OL. MASTICHINUM destillatum prodest in *affectibus stomachi* ex resoluto tono. in *Lienteria Cholera & vomitu*.

OL.MELISSÆ extrinsecus permistum ol. Citri & rutæ, fit *balsamus* c.s.q.corporis pro balsamo, qui illinitur scorbiculo cordis, pulsibus & temporibus *in morbis malignis*.

OL.destillatum ORIGANI *Cretici* est specificum summum in *odontalgia*.

OL.SABINÆ est unum ex potentissimis *menses cientibus & abortum procurantibus*: assu muntur aliquot guttæ, vel fiunt exinde pilulæ

OL. SPICÆ convenit ad pellendos *pediculos capitis*, vel aliarum partium, sub alis l.regione pubis Hæc de oleis occasione Linimentorum.

MORELL. CAP. IX.

De Unguento.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

ARABES *cerata & unguenta*, sæpè eodem nomine vocant *unguenta*, & hodie etiam sæpe linimenta & unguenta confunduntur, licet propriè unguentum, *Topicum sit inter linimentum & ceratum medium, consistentia mellis, ex oleo, pulvere, cera, ad varios usus confectum.*

Quod ad COMPOSITIONEM in genere, ex tribus maxime comparari volunt *Oleo, Cera, Pulvere*, hac quantitate, ut tota massa ℥iiii. ℔ß. ℔j. contineat, pro partis amplitudine, & longitudine, usus. Hanc autem proportionem statuunt, ut *in genere* quidem *Olei* sit ℥i. *Cera* ʒii. *Pulver.* ʒi.

In specie verò, conficitur

α VEL *sine igne*, ac cera, contra opinionem, sola nutritione, ac subactione ut *Unguentum de Lythargirio*, vel *de Bolo*, vocantque *Nutritum*.

Fit autem *nutritum* ejusmodi ex *Oleo*, *Liquore & Pulvere*.

OLEUM vel solum sumitur, pro scopo varium, vel simul olei analoga, unum, duo, plura simul adjunguntur.

PULVIS ferè & passim mineralis ustus, lotus, &c. de quo postea.

LIQUOR, succus foliorum aliquis, acetum, si ferat intentio.

Ex illis tribus constat nutritum, quorum dosis aut proportio reticetur sæpiùs; ferè tantùm exprimitur dosis pulverum, v.gr. ad ℥i.℥ii. olei verò & liquoris q.s.quantum sc. pulveres possint absumere.

Hæc autem FORMULA nutriti obiter. ℞. &c. *h.e.pulver. cum olei aut analogorum uno, duobus, &c.q.s. agitentur fortiter in mortario marmoreo, cum pistillo plumbeo, sensim affundendo liquorem idoneum. fiat nutritum.*

β VEL *cum igne*, quod usitatissimum in praxi, ex *oleo* (solo aut etiam addito analogo,) & *cera*, illo definito ad ℥ii. iii. iiii.&c. hujus verò q.s.

γ VEL, quod erit compositius, & more receptissimum, & statim initio indicatum, ex *Oleo*, *Cera*, *Pulvere*, proportione dicta, quæ in calidis unguentis valet, in quibus etiam aliquando pulveris ʒiß. pro olei ℥i. præscribi poterit. In frigidis verò, ut & in *Vnguento de tuthia*, & *desiccativo rubro* videre est, ℥i. olei, pulv. ℥ß. contra regulam adsumit.

NOTA, huic rationi unguenta aliquando officinalia admisceri ad ℥i. ℥ii.

δ VEL, quod etiam usitatissimum & efficax admodum, ex *Oleo & Succis*, quæ simul ad succorum consumtionem bullierint, hac ferè dosi, ut Olei sint ℥iv. vi. viii. pro usu & parte, Succorum tantundem vel minùs, quibus additur postea vel Cera sola q.s. vel unà cum hac Pulvis idoneus proportione ad oleum dicta, vel insuper aliquando & unguentum officinale ad ℥ii.

ε VEL, quod etiam usitatissimum, ex *Vnguento officinali, Pulvere, Oleo, Cera*: unguenti ℥ii.iii.iiii. pulv. ℥ß. ʒvi. olei & ceræ q.s proportione ad pulverem.

ξ VEL, quod usitatum quandoque, sine ulla alia additione *Vnguentum officinale* solum ad ℥iiii. vi. &c. præscribitur.

VSUS & FORMULA, ut linimenti: quod ad MOdum tamen tepide, calide, frigide, pro intentione, administratur, & sæpius præscribitur, addatur unctionis tempore aceti parum, in frigidis maximè ad penetrationem, ut & potest in calidis *aquæ vitæ* etiam parum addi.

TEMPVS utendi varium omninò pro indicationibus existit.

VTILITAS patens latissimè est, ut ad omnes partes & affectus se extendat, qui alia remedia non ferunt facile, vel ubi etiam efficaciùs operari volumus, quàm cum oleo fieri possit: ad alterandum vario modo inprimis & secundis qualitatibus, emolliendum, digerendum, detergendum, &c.

ADVERSIONES.

NOTA, circa communem illam regulam, *qua pro olei ℥i. sumuntur cera* ʒii. *pulv.* ℥i. *ut & Galenus statuit, valere eam in unguentis calidis, ut supra, in quibus etiam pulveres ad* ʒiß. *excurrunt, in frigidis verò unguentis non observatur in antidotariis, quod pauci adverterunt, ut & in unguentis, quæ ad ulcera detergenda, exsiccanda, ad σαρκωσιν, ἐπουλωσιν, quæ constant ferè*

ferè tantùm ex mineralibus, in quibus si examines, reperias pro pulver. verbi gratia ℥i. *olei* ℥ii. *ceræ* ℥ß.ʒß.ʒvi. *Ejusmodi autem pulver. minerales passim.* Minium, Tuthia, Plumbum, Terra sigillata, Bolus, Lapis calaminaris, Cerussa, Lythargirum, *quæ duo postrema basin veluti constituentia dosi ferè tripla ad alia præscribuntur.*

Cæterum, in unguenti compositione pro oleo *censentur, suntque ipsi analoga pinguia varia, ut* Axungiæ, Medullæ, Butyrum, Æsypus, Mucilago, Mel, Terebinthina, & similia; *unde & ad ea cæterorum dosis proportione mensuranda: quod si oleum & analoga simul præscribas, id fit pondere pari, majore vel minore, si volueris.*

Cera *in calidis flava, in frigidis alba seligatur. Illi analoga censentur* gummata, *ut* Ammoniac. Bdellium, Myrrha, *&c. atque eorum in compositione ratio ideo habenda; & obiter adverte, æstate plus, hyeme minus ceræ præscribendum esse, quam ferat regula.*

Quod ad Pulveres, *ex omni rerum genere, frequentius tamen ex vegetabilibus, desumuntur, Radicibus, Lignis, Herbis siccis, Succis densatis, Resinis, & Gummatibus pulverabilibus: rarius ex Mineralibus, nisi in frigidis unguentis, ubi siccandum, detergendum, in externis maximè, &c. ut ulceribus. In calidis forsan nunquam: rarissimè ex animalibus quia vix pulverabilia: quæ enim ex illis desumuntur, potiùs liquabilia: ut Axungia, Medulla, &c.*

α R. Lythar. aur. tenuiss. lævigat. ℥iv.
Ol. ros. Aceti vini an. q.s. Nutriendo in mortario f. l. Vnguentum.

β ℞. Ol. Chamœm. Rosar. Mastich. an. ℥ß.
Thereb. Vermium terrestr. an. ʒii.
Sevi Vitulini, Hircini an. ʒß.
Pingued. Vulp. Canis an. ʒi.
Ceræ q.s. F. *Vng. discutiens.*

γ R. Ol. Nardin. Mastich. de Absinth. an. ℥i.
Pulv. Caryoph. Spec. arom. ros. an. ʒß.
Ol. Nuc. Mosch. express. ʒiß.
Ceræ q.s. F. *Vng. pro Ventriculo roborando.*

δ R. Succi Cyclam. Cuc. asen. Ebul. an ℥iii.
Ol. Sesam. Irin. an. unc. ii.
Ceræ parum.
M. f. *Vng. refrigerans.*

ε R. Ung. alb. camphor. Rosar.
Lytharg. aur. Tutiæ lotæ. an. ʒi.
Plumb. ust. loti. ℈i,
Ol. omphac. de Vitell. ovor. an. ʒii.
Ceræ q.s. M. in mortario plumbeo.
F. *Vng. ad ulcera narium maligna.*

ζ R. Vng. popul. de Alth. Fern. an. ℥ß. F. *Linim. anodynum.*

MORELLI CAP. X.

De Cerato.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

NOMEN à Cera habet, vocant & *Ceroneum*; licet vulgò hodie emplastra Chirurgi sic appellent. Fiebat olim ex oleo & cera tantùm. Cæterum confundunt cum unguento sæpiùs, ut *Ceratum album refrigerans, Ceratum santal.* (quæ sunt unguenta) Cerata appellentur.

Propriè tamen *medicamentum est consistentia medium inter unguentum & emplastrum, illo durius, hoc mollius.*

COMPONITUR autem in *genere* ex *Oleo*, *Pulvere*, *Cera*, hac proportione: olei ℥i. pulv. ʒiß. ceræ ℥ß. *In specie* verò fit.

α VEL propriè, ut olim, ex *Cera & Oleo*, unde nomen, proportione jam dicta. Quod autem Galenus in *Cerato refrigerante* pro *olei* unc. j. ponit *ceræ* drach. ij. tantùm, unguentum revera facit: vel si vis, *Ceratum liquidius* appelles: vocat etiam ipse ceratum liquidum. Quod autem idem 10. Meth. med. pro *olei* unc. j. *ceræ* unc. iij. ponit; *ceratumque solidum* appellat, reverà emplastrum est, materiam forsan potiùs, hoc est ceram, quàm formam attendens. Res autem dicto modo se habet: pro olei unc. j. ceræ unc. sem. vel drach. v.

Quod ad QUANTITATEM obiter præscribendi cerati; totius massæ dosis, ut in unguentis, à partis amplitudine, aut usus diuturnitate definienda, ad unc. viij. ℔. j. &c. & privato in usu pro magno cerato unc. iij. sufficient, pro mediocri unc. ij. pro minore unc. j.

β VEL, magis impropriè, cera & oleo (ex quibus ceratum veterum) adduntur. VEL tantùm *analoga ceræ* solius, *Olei* solius, utriusque, cautione & dosi ibidem dictis. VEL *Pulveres* tantum adduntur, ex quibus cum oleo & cera Ceratum vulgò fieri diximus, hac dosi: pro *olei* unc. j. *pulver.* drach. j. drach. j. sem. aliquando drach. ij. drach. iij. sed tantundem tunc de cera fere detrahendum est. VEL *Analoga* dicta & *Pulveres* simul.

γ VEL etiam ex *Emplastris officinalibus*, oleo liquatis, ubi scil. illæ partes dolentes aut aliàs affectæ non ferunt: *emplastri* unc. ij. iij. iv. &c. q.s. Fiat Ceratum.

VEL etiam uno verbo fieri potest ex his omnibus, ex quibus unguentum, modò observetur durities & proportio jam dicta.

USUS & FORMULA ut emplastrorum est, extenditur super alutam, &c. Vide.

UTILITAS varia, in genere, ne oleum scil. diffluat sine fructu, aut vis ipsius dissipetur, vel ubi partes dolentes maximè duritiem emplastri, quod postularent, non ferunt, ut in fracturis usitatissimè; vel ubi partes molliores ob flexuram emplastrum non admittunt, ut in hepate affecto, ventriculo, pro quibus fiunt usitatissimè, liene obstructo, utero, ossibus fractis, luxatis, viscerum scirrho, hernia, &c. ubi calefaciendum, humectandum, laxandum, emolliendum, coquendum, digerendum, maturandum, siccandum, adstringendum, vix ubi refrigerandum, usurpatur.

α R. Ol. Anethin. Irin. Chamœm.
Laurin, ana unc. j.
Ceræ unc. ij. M. f. l. a. *Ceratum emolliens.*

β 1. R. Ammom. in aceto sol. unc. j,
Ol. de Cappar. Lill. alb.
Ceræ an. q.s. f. *Ceratum splenet.*

2. R. Pulv. Mastich. Cort. Thuris an. ℈ij.
Gumm. Junip. Corall. rubr.
Rosar. rubr. Balaust.
Myrtill. Cort. granat. ana drach. s.
Ladani q.s. cum Ol. Ros. comp. & Cera F. *Ceratum* ad suturam coronalem, latitudine manus, operiendum syndone rubro, pro hæmorrhagiâ sistendâ.

3. R. Ol. Rosat. Viol. Chamœm. an. unc. j.
Axung. Gallin. Medull. crurum vituli. an. unc. s.
Vermium terrestr. in vino lot. ℥j.
Butyri rec. ʒvj.
Mucilag. Altheæ ℔ß.
Bulliant omnia ad consumptionem mucilaginis, Colaturæ adde
Lytharg. ℥iiß. Minii. ℥iij.
Ceræ alb. q. s. F. *Ceratum ad vulnera partium nervosarum, addendo* Therebinth. ʒx.
Mastich. ℥ß.

γ R. Empl. de melilot. Diachil. an. ℥j.
Ol. Chamom. Irin. an. q.s.
F. *Ceratum emolliens.*

MORELLI CAP. XI.

De Emplastro.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

VNGUENTA, Cerata, Emplastra, ut materia & viribus conveniunt, sic differunt maximè consistentia. a

Est autem EMPLASTRUM *topicum illis* b *consistentia crassius, sed viscidum, quod linteo vel aluta inductum cuti applicatur, & tenacius adhæescit*: Arabes Cerata ferè vocant, Græci veteres *Emplastra* ἐμπλάττω, formo, malaxo, aut ab effectu & vi emplastica tenacique.

Est autem duplex, *Officinale*, & *Magistrale*, de quo potissimum in præsens.

Magistrale COMPONITUR, ut summatim dicam, ex iisdem, ex quibus unguentum *oleo, cera, analogis, pulvere*, horum aliquibus, pluribus, omnibus, hac *proportione*, quæ anceps admodum apud authores, qui pro olei unc. j. pulv. drach. ij. ferè ceræ unc. iv. præscribunt, cùm tamen nullum omnino exemplum reperias. Sic autem habe.

PRO EMPLASTRO MINUS DURO, legitimo tamen, *olei* ℥j. *pulver.* ℥ß. *ceræ* ℥j.

PRO DURIORE *olei* ℥j. *pulver.* ʒvj. *ceræ* unc. i. s. ut passim est usitatissimum.

PRO DURISSIMO *olei* ℥j. *pulver.* ʒvj. aliquando ℥j. *ceræ* ℥ij. quod enim triplum statuunt, audias, si absint pulveres: quod autem quadruplum præcipiunt, non reperies ullum exemplum in antidotariis. Totius autem massa pro usu, ut sæpe dictum, definienda; & pro privato usu se habet, ut in cerato.

In specie autem fit:

α VEL ex ol o, pulvere, cera, ut dictum in unguento, additis passim (si ferat scopus) quæ maximè viscidâ; ut *Resina, Terebinthina, Pix, Gummata*, in quorum dosi & proportione definienda

definienda videndum, ceræne an olei sint analoga, sic facilè æstimabis. Quicquid sit, ubi *Terebinthina* poterit admitti, quia glutinosa, quòd requiritur in Emplastro, præscribatur, ut gummata, si scopus ferat.

β VEL ex *Oleis, Succis, Pulveribus, Cera*, & hujus *analogis*, si opus. Vide unguenta.

γ VEL ex *Emplastro officinali, Pulveribus*, & *Oleo*, atque passim *Terebinthina*; hac proportione, ut emplastri ℥iß. ℥ij. præscribantur, pulv. ℥ß. ʒvj. ceræ & olei q. s. addendo parum terebinthinæ, vel illis omissis præscribitur, incorporentur cum terebinth. q. s.

δ VEL etiam *tantum Emplastrum officinale* præscribitur, dosi pro parte, &c.

ε VEL aliquando *Gummata sola*, pistillo calido liquata, extensa super alutam ad ʒvj. ℥j. ut passim in suffocatione: addi possunt *Pulveres & Olea*.

ξ VEL etiam aliquando *Pulveres* rerum idonearum ad ʒvj. possunt præscribi, qui *Picis navalis* ℥i. ß. excipiantur, vel Terebinth. q. s. addique etiam possunt *Gummata* ad ℥j.

USUS & FORMULA. ℞. *cum &c. fiat emplastrum, quod extendatur supra alutam, & applicetur oleo illitum, vel pulvere conspersum*, si nolis tenaciùs adhæreat: figura autem ipsius præscribitur pro partis ratione. Pro capite instar literæ T. pro ventriculo scuti, pro splene oblonga, utero rotunda, renibus quadrata.

UTILITAS. Inventa ut vis remedii diutiùs hæreat, nec evanescat: utilia ad corroborandum, calefaciendum, exsiccandum, emolliendum, glutinandum, coquendum, maturandum, calorem enim augent, dum cutis spiracula stipant, ad digerendum etiam valent, & infixa pertinaciter in partibus evocant, rarò ad refrigerandum, nisi ex adstringentibus & repellentibus, aliquando ad sistendas fluxiones præscribuntur.

a Hinc est, quod mirè adeò confundantur à Practicis, & nunquam exactè satis distinguuntur.
b Scil. jam explicatis, Linimento, Vnguento, Cerato.
c Officinalia quæ & quot in usu sint, ex dispensatoriis specialibus hauriendum.

α ℞. Lythar. aur. ℥iiß.
Plumb. ust. ℥iß.
Tut. præp. Minii. an ʒvj.
Ol. Ros. ℥viij.
Ceræ nov. ℥iv. *F. Empl.*
Quod extendatur super linteis & ulceribus antiquis adhibeatur.

β ℞. Succor. Sempervivi domest. ℥iij.
Hyoscyam, Cicur: Rorism.
Verben. an. ℥iß.
Ol. lill. alb. Chamœm. an. ℥j.
Medul. cervin. ℥ß.
Coq. l. a. ad consumptionem succorum, posteaadde
Ceræ virg. Colophon. an. ℥j.
Cerus. ʒvj.
Opii præpar. ʒj.
M. f. l. a. *Emplastrum anodynum.*

γ ℞. Gumm. Ammon. in Aceto sol ʒv.
Empl. de Melilot. Mucilag. an. ℥ß.
Ol. de Cappar. q. s. F. *Emplastr. aperitiv.*
Quod in corio extensum lieni exterius applicetur indurato.

δ ℞. Empl. de Melilot. Diachyl. an. ℥j.
M. f. *Empl.*

ε ℞. Gumm. Galb. Bdell. Ammon. an. ℥ß.
Liquentur in mortario, pistillo calido; adde
Mastich. Thuris an ʒiß.
F. l. a. *Empl. ad ulcera mundificanda & consolidanda.*

ξ ℞. Ceræ citr. ℥iv.
Bdellii pulv. Coloph. Picis. nov. an. ℥j.
Succi citri, ʒvj.
Gumm. Ammon. ℥ß.

F. Empl. malaxando cum. Ol. ovorum.

MORELL. CAP. XII.

De Spanadropo.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

TELAM sic vocant utrinque *emplasticam*, vulgò *Telam Gualteri*, forsan, ab autore: *nihil autem est, quàm linteum vetustate detritum in modum fasciæ effictum, vel alia figura, immersum in emplastrum liquidius, exemptum, extensum deinde, & ubi refrixerit ad usum lævigatum.*

α COMPONITUR autem 1. VEL ex *Emplastro* idoneo liquato addito, si volueris pauco *oleo*, si durius, in quo tela vetusta immergitur; &c.

β VEL, pro indicatione recenter præscribitur, idque cum ferè fiat ad fluxiones inhibendas, & siccandum, ex astringentibus, *ut Bolo, Terra sigillata, Sanguine draconis, Balaustiis, Rosis, Mastice, Oleo adstringente, Myrtino, &c. Cera*: aut si ad ulcera detergenda, ad incarnandum, cicatrizandum, fracturas, ex idoneis, *pulveribus sc. oleo, cera, analogis*, ex quibus hoc emplastrum constat. *Proportio* autem horum emplastro molliori respondeat: ferè autem olei ℥. viij. pulver. ℥iv. ceræ ℥. viij. si analoga dicta admittas, facile est definire. Pannus imbuendus paretur in fascias latas digitos 3. 4. longas debitè.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat spanadrap. in brachiis, cruribus, tibiis, instar ligaturæ expulsivæ*: his enim partibus maximè accommodantur: possunt & aliis applicari, ut ulceribus quibusvis: sed forma plana idonea.

VTILITAS ad ossa fracta solidanda, partes roborandas, ad ulcera detergenda, glutinanda, cicatrizanda, ad fluxiones in tibias, &c. maximè ulcerosas prohibendas, qua ratione intercipientia remedia vocari possuut propriè, & pro ligaturis expulsivis proponi.

Huc referri possunt TELÆ MEDICATÆ, ad fucum, & ornatum manuum, faciei, ad gratiam juvencularum aucupandam, ex idoneis, ac maximè elegans erit, ex *Talci lævigati* unc. j. *Olei, papav. alb.* unc. iij. *Camphor.* drach. j. *Borracis* drach. i. sem. *Ceræ albissimæ sæpiùs lotæ* drach. iij. vel q. s. fiat tela ad nitorem faciei, ad ruborem ejusdem & albedinem.

α ℞. Empl. diachyl. ireat. ℥j.
Liquetur in mortario. pistillo calido: adde
Ol. Rosar. q. s. F. *Spanadrap.*

β ℞. Mass. Empl. Diacalcit. ℔ß.
de Sulphure ℥j. Styr.
calam. Bensoin. an. ℥ß.
Gumm. Tamahac. ℥ij.
Ol. Hyperici. Lumbric. an. ℥j.
Styrac. liquid. ℥iß.
Ceræ novæ q. s.
Liquefactis omnibus infundatur *tela* bis aut ter, quæ polita & siccata servetur ad usum.

℞. Farin. volat. Thuris, Mastich.
Boli. arm. Picis an. ℥ij.
Adipis Ariet. Ceræ an. ℔ß.
Cera & adipe liquatis reliqua addantur, & *tela* sæpiùs immergatur.

SCRODER. CAP. LIII.

De Emplastris, Ceratis & Dropacibus.

CErata [cerota,] nihil ferè ab Emplastris differunt, nisi quod paulò sint molliora & tractabiliora, adeoque non rarò inter se confunduntur.

Fiunt ex rebus pinguibus, oleis videlicet, resinis [quæ faciunt ut cuti tenaciùs adhæreant] axungiis, medullis, gummatis, iisque cerâ q. s. susceptis, additisque nonnunquam & pulveribus.

Modus fiendi.

℞. Liquabilia, fundeque ad ignem, hinc immisce sensim pulveres, agitaque continuò donec refrigescant.

N. 1. *Proportio ceræ ad olea est pars quarta, vel tertia: ad resinas 6. 8. 12. pars.*

N. 2. *Proportio pulverum ad olea est 8. pars.*

N. 4. *Gummata addenda si qua purganda prius fuerint absolvenda, in aceto similive liquore aqueo, vel si alias humor aqueus*

aqueus (acetum, decoctum, succus, mucilago) addendus fuerit cum oleis, initio tantisper solutio illa vel liquor coquendus erit, donec planè exhalarit.

[*Gummata etiam in Terebinthina optimè solvuntur, ratione consistentiæ, quæ paulò mollior inde evadit, ut in diachylo composito videmus. Ex Hofm.*

Emplastra modo fiunt eodem.

1. Funditur cera cum oleo, hinc admiscentur resinæ, adipes, gummata, ut similiter liquescant: tandem subducto igne admiscentur pulveres, continuoque agitantur donec refrigescant.

N. 1. *Antequam planè refrixerint, malaxari solent aqua frigida, inque cylindros s. magdaleones redigi.*

N. 2. *Si lythargirium addendum sit, primum id in oleo erit coquendum.*

N. 3. *Proportio exactè definiri nequit, recipiuntur tamen fere ad aridorum ℥j. olei, pinguedinis, vel mellis ℥iij. ceræ ℔.1. resinarum ℥viij.*

N. 4. *Loco ceræ alia nonnunquam recipiuntur, e. gr. laudanum & simil.*

Cerota usitatiora sunt.

Cerotum è Betonica.
Capitale.
Cerinæ Ctesiphontis.
Diachalciteos.
Dipalma.
de Galbano, s. matricale.
Infrigidans Galeni,
Oesypi,
Diapiper,
ex pelle arietina
pro Herniosis.
Isis.
Sacrum l. Diadictamnum, s. Emplastrum diadictam.
Santalinum
Sparadrappum Vigonis
Stomachale.

Emplastra usitatoria sunt.

Emplastrum
Album Coctum, *Aug.*
Apostolicum, A.
Arthriticum, N. 1
Asclepiadis, *Vveck.*
Barbarum majus, *Vveck.*
minus.

Dissaldeus in Cordum.

Basilicum majus, Aug. Vveck. minus, A.
è lapide calaminari, *Zeltempflaster.* Emplastre de la pierre calaminaire. *Cicatriceing or skinning Playster. Pleyster om te droogen en de vvonde met velte doeken.* A.
Cephalicum, 2.
Ceroneum, A.
de Cerussa *Renod.*
Diachylon simpl. s. album, A.
composit. s. empl. de mucilaginibus, A.
magnum, A.
parvum, A.
cum gummis, A.
Citrinum, A.
de crusta panis, A.
Diaphoreticum, 3.
Divinum, Renod. Vveck.
Febrifugum, 4.
ad Fonticulos, F. F. 5.
ad fracturas ossium, Ren.
de tribus farinis Vveck.
Gryseum è lapide calaminari. A.
Gummatum Paracel. s. 6.
ad Herniam, 7.
ad Hydropem, A.
de Janua, Ren.
Ischiadicum.
Isis flavum. *Dissaldeus in Cordum.*
de baccis Lauri, A.
Mastichinum Renod
Magneticum, 8.
de Meliloto, A.
de Minio, *A.*
Mundificativum, 9.
Nervinum, *A.*
Nigrum stricticum, *A*
Norimbergense.
Oppodeldoch, 10. 11.
Oxycroceum commun. A.
Vigonis. A.
Diaphœnicum calidum, A.
frigidum, A.
è ranis, Vigonis, Renod. cum & sine Mercurio.
de Rhabarbaro, A.
Saturninum. 12.
ad Scyrrhos. 13.
Sparadrap. Renod.
de stercore canis, Vigonis
Vveck.
Spleneticum, 14. 15.
Sticticum, 16.
Stomachicum. Vveck. aliter habet Renod.
ad strumas.
Diasulphur. 17.
Tetrapharmacum, A.
de Tacamahac. 18.
ad Tophos, 19.
Viride, Cord. Vveck.
Vesicatorium, 20.
Filii Zachariæ, *A.*
Dropaces, 21.

1. Emplastrum Arthriticum F. F.

℞. Emplastr. Diachyl. magn. ℥vi.
Oxycroc.
Diapalm. ā. ℥ij.
Medull. cervin.
Axung Ursin. ā. ℥iß.
Tacamahac. in vino dissolut. ℥ii.
M. F. s. a. Emplastrum, quo oleo vulpino malaxetur.

Vires. *Doloribus arthriticis maximè proficuum est, lenit, discutit, resolvit.*

[N. *Hofm. loco Diachyl. Magn. Emplastrum de Minio Vigonis ritè præparatum adhibendum putat pro majori efficacia.*]

2. Emplastrum Cephalicum F. F.

℞. Resin. pin. ℥ij.
Ladan.
Myrrh.
Mastich. ʒvi.
Gum. Tacamahac.
Galban.
Opopan. ā. ℥ß.
Visc. Tiliæ ʒv ℈ij.
Sem. Pœon. mar. ʒij. ℈i j.
Cubebar. ℈iv.
Ol. Succin.
Nucist. ā. ʒß.
Gummatis in aceto dissolutis, f. s. a.
Emplastrum, addendo Terebinthinæ ℥iiß. M.

Vires. *Capitis catharros exsiccat, idemque corroborat, prout confert in Apoplexia, Epilepsia, & similib.*

3. Emplastrum Diaphoreticum.

℞. Cæræ citrin. ℥xvi.
Bdell. pulver. ℥v.
Colophon.
Pic. naval. ana ℥iv
Succin. citrin. ℥iij
G. Ammoniac. ℥ij.
F. Emplastrum s. a. malaxando cum Oleo ovorum.

Vires. *Discutit, serosam humiditatem elicit & absumit.*

Usus est præcipuè in Ischiatica, intumescentia pedum, & simil.

4. Emplastrum Febrifugum Strobelbergeri.

℞. Terebinth. cypr. opt. ℥iß. liquescant in vase cupreo super Igne moderato; hinc injice.

Aranear. vivar. in hypocaustis vel locis mundis captar N. xv.

Misceantur & agitentur cum pistillo ligneo, usque dum color Terebinthinæ fiat cinereus & vix aliquid de araneis deprehendatur. Tum iterum tepefactæ mixturæ adde

Telar. aranearum mundarum quantum prædictæ araneæ texêre,

texêre, vel harum loco adhuc 19. araneas mediocres: iterum fortiter agitentur, interea etiam immiscendo.

Asphalti opt. pulverisat. & * albiss. ana ℥iß.

Terantur usque dum refrigescat materia & acquirat consistentiam Emplastri nigerrimi. Reponantur per 14. dies tandem rursus ad Ignem mollescat, & manibus oleo febrifugo inunctis malaxetur modice.

Usus. Formentur inde Emplastra instar 4. partis Thaleri, quæ auro vel argento obducta, corioque tecta, imponantur pulsib. utriusque carpi horâ unâ ante paroxysmum, relinquendo per 9. dies Tunc eadem hora in profluentem aquam projiciantur.

N. *Oleum febrifugum vide cap. 27.*

Emplastrum hoc est de quo Strobelbergerus introductionem typis expressam omissâ descriptione Anno 1626. divulgavit: descriptionem itaque transmisit mihi Clariss. D. D. Iohan. Christoph. Eisenmenger, *Physicus Ordin. Imperialis Heilbrunnensis, amicus meus integerrimus, cujus verba, ne de genuina descriptione dubites, hic subjungo. Et sunt: Hanc descriptionem mihi communicavit illustriss. Comitis Caroli à VVolckenstein (qui non solum à quartana hujus beneficio liberatus, sed & 100. Thaleris, à D. Strobelbergero emit:) Frater Adamus Comes à VVolckenstein. Ph. Ord. Teuton. Commendator in Heilbrunn.*

5. *Emplastrum ad Fontinellas. FF.*

℞. Cerus.
Lithargyr. ā. ℥vi.
Ol. Rosar. ℔. j.
Aq. Rosar. ℥viii.
Coque l. igne in fine adde ceræ alb. ℥iij.
F. s. a. Emplastrum.
Vires. *Arcet inflammationem.*

6. *Emplastrum Gummatum Paracelsi.*

℞. Gumm. Serapin.
Bdell.
Opoponac.
Galban. ā. ℥j.
Solve in aceto cola, colaturæ adde Mastic.
Thur. masc. ā. ʒiij.
Ceræ alb. ad pondus omnium.
F. Emplastrum.
Vires. *Mundificat vulnera & consolidat, discutit tumores.*

7. *Emplastrum ad quamvis herniam, exceptâ hydrocele.*

♃ exuvias anguillarum non salitas & in aq. calcis lotas, coque in lixivio donec crassescant, & F. instar glutinis, quod effunde super mamor.
♃. hujus glutinis trajecti ℥iv. adde
Lapidis hæmatit.
Sacchari saturni.
♃ usti an. ʒiij.
Gumm. ammon. in aceto acerr. solut. & cum ol. Myrrh. confusi ℥iij.

M. Omnia in fictili super cineres lentos, ut coëant in massam Empl. tenuis, extendatur super alutam. Hoc gluten adeò tenax est ad hernias glutinandas, imò ad solutum peritonæum, ut omne aliud impar sit, superponendo levissimum subligaculum, & diætam congruam observando.

8. *Emplastrum magneticum.*

℞. Gumm. Serapin.
Ammoniac.
Galban. ā. ʒiij.
Solve in aceto cola & inspissa.
Hinc
℞. Terebinth. laric.
Ceræ ana ℥ß.
Liquefac ad ignem, atque subducto igne admisce exactè gummi, &
Ol. Succini ʒij.
atque tandem
Lapid. seu magnetis arsenicalis drach. iij.
Terræ vitrioli ʒj.
F. Emplastrum ac malaxa cum Ol. Scorpionum.

Vires. *Viceribus aut carbunculis pestilentialibus applicatum subitò rumpit, venenum ex imo instar magnetis potenter attrahit, nec apertum ulcus coire patitur ante perfectam extractionem omnis venenositatis. Hartmann. in Pract.*

[*Imponitur quartanariis regioni Lienis, in Iliaca passione, Prolapsu uteri & intestinorum in scrotum*] vid. *Hofm. Clav.*

N. *Lapidem s. magnet. Arsenic. Vide in Lapidibus.*

9. *Emplastrum mundificativum.*

℞. Ceræ ℔. i.
Resin. alb ℥iv.
Terebinth. laric. ℥i
Ol. bufonum.
Scorpion. ana ℥ij.
Styrac. liquid. ʒvi.
Suc. chelidon. expr. ℥iv
Aristoloch. rot. ℥ß.
Gumm. ammoniac. in aceto solut. & inspissat. ℥ii.
Myrrh.
Sarcocoll. ā. ʒj.
F. s. a. Emplastrum.
Vires. *Mundificat vulnera venenata ac fistulosa. Hartman. in Pract.*

10 *Emplastrum Oppodeldoch, secundum Fel'VVurtz.*

R. Ceræ Virgin. ℔ij.
Terebinth. ℔. 1.
Ol. commun. ℥iv.
His liquefactis adde
Succi Chelidon.
Fol. querc.
Alchimill.
Veronic. ā. ℥iß.
Coque ad consumptionem humiditatis, dein admisce
Gumm. cum aceto depurat. & inspissat.
Ammoniac.
Galban.
Opopan. ā. ℥vi.
Colophon. ℥iß.
Succin. ℥ß.
Mastich.
Myrrh.
Oliban.
Sarcocoll. ā. ℥iii.
Omnibus benè mixtis & paululum refrigeratis adde agitando,
L. Hœmatit. præparat. ℥iß.
Croc. martis. ℥ij.
Veneris ℥j.
Tut. præparat. ℥iii.
Lap. calaminar. ℥x.
Tandem in fine admisce
Terræ vitrioli edulcoratæ q. s.
ad colorem brunnum, i. e. purpureum conciliandum.

F. Emplastrum.

Easdem vires ac applicationem cum stiptico Crolli obtinet.

N. *Terebinthinam addere præstat ante pulveres.*

11. *Emplastrum Oppodeldoch Paracelsi.*

℞. Gumm. Galban.
Opopan.
Ammoniac.
Bdell. ā. ℥j.
Macerentur per dies (8. vel plures) in aceto destillato cola & inspissa ad consistent. mellis: Dein.
℞. Lithargyr. pulv. ℔. ß. (alii ℔. iß.
Ol. commun. ℔iß.
Coque lento igne continuò agitando, donec brunnum sive spadiceum colorem acquirat; hinc adde
Ceræ ℔. 1.
Qua liquefacta, immisce etiam superiora gummata, & paulò post,
Ol. Laurin. ℥iij.
Move diligentissimè, donec nimirum omnia exactissimè fuerint mixta, remove ab igne, & adde
Croc. veneris
Mum. transmar.
Magnet. præparat.
Magist. corall. alb.
rubror. ā. ℥ß.
[Magisteria hæc possent omitti.]
Lapid. calamin. præp.
Myrrh. rubr.

Thur.

Thur. Masc.
Mastich.
Rad. aristoloch. rot. an. ʒii.

Hos pulveres. infunde pedetentim in liquefactum Emplastrum, omnia exactè miscendo.

Postremò,

℞. Balsam. succin. ʒj. (ol. crassioris.)
Ol. laurin. ℥j.
Terebinth. ℥ß.

M. & liquefac seorsim, solve in eodem.
Camphoræ ʒi.
& tandem Croc. or. ʒß.

Solutionem hanc seorsim factam, cum Emplastro calido misce exactissimè, ut fiat Emplastrum, quod malaxa oleo hypericonis.

Vires. *Curat omnia vulnera, punctim & casim inflicta sine omni pure. Excrescentiam carnis impedit, ejus tantum, quantum opus est producendo. Vlcera antiqua priùs mundificata similiter curat.*

N. *Si fortius desideras & ad sananda quævis æsthiomena & corrodentia ulcera proficuum,*

℞. Croci metallor.
Colchotar.
Mercurii per se præcipit. ana q. v.

M. pulverisando, atque pulveris hujus ʒß. misce ad liquefacti Emplastri ℥ß. superaddendo aliquid Terebinthinæ. *Hartm. in Croll. & in Practica.*

[*Colchotar. probè sit liberatum sale suo vitriolico, ne Mercurius præcipitatus degeneret & sublimati naturam induat. Hofm.*]

12. *Emplastrum Saturninum expertum à S. Closs.*

℞ albi plumbi ℥iv.
Cretæ albis. ℥ß.
Myrrh. rubr. ʒii.

Amalgamatis ex part. ii. Mercurii, & parte una Saturni, ʒvi.

Axung. verris q. s. ad formandum Emplastrum in mortario calido.

Vires: *Vlcera callosa & maligna, imò pessima unâ solâ admotione curat, abluendo ea primò (si sordida sint) aquâ dissolutionis lapidis Salutis Crollii. Mox. Empl. in aluta lat. spisse extensum admoveatur Vlceri, & si opus sit Emplastro Diachalciteos contineatur, superinductâ fasciâ lineâ (Gallicè du lain,) satis strictâ, neque removeatur ante 15. dies.*

13. *Emplastrum ad Scirrhos S. Clossai.*

℞. Gumm. carann.
Tacamahac. an. ℥j.
Ammom.
Galban. an ℥ij.

Liquentur in aceto & per linteum colentur, deinde admisce
Ol. liliorum alb ℔ß.
Axung. taxi ℥ii. M. & adde
Cinnab r. mineral. v l aquilæ alb. dulcificat. ʒii.

R dige ad formam Empl stri, & adjunge.
Lita g. subt liter pulveris. ℥ii.
Rad. hell. b. nigr.

Hoc Empl. omnes tumores contumacissimos & crudos vel suppurat in partibus suppurabilibus, vel ex toto resolvit, si flatus prædominentur.

14. *Emplastrum Spleneticum de Cicuta, F. F.*

℞. Cicut. cum toto incisæ & pulveris. ℥ix.
Succ. expressi. ejusdem ℥iv.
Ol. cappar. ℥xviii.
lini ℥vi.

Misce, digereque in MB. per dies 4. dein quoque. Hinc colentur cum forti expressione.

In hac dissolve:
Ceræ novæ ℥ivß.
Gumm. ammoniac. in succ. cicuc. sol. ℥iß.
M. F. emplastrum.

Vires. *Lienem obstructum aperit, roborat, duritiem emollit, &c. sed & ruborem inducit.*

15. *Aliud Empl Spleneticum Foresti, Ceratum de Ammoniaco dictum.*

℞. Ammoniac. in aceto dissol. ℥j.
Ung. Dialth.
Empl. de melilot. an. ℥ß.
Furfur. frument. cribrat. ʒ. j.
Pulv. rad. Bryon.
Ireos ana ℥ß.
Pingued. anat.
Anser.
Gallin. an. ʒiij.
Bdellii.
Galban. a. ʒ. ss.
Ol. irin. an. ʒiß.

Bulliant leniter in mucilaginibus sem. lini & fœnugr. ã. q. s. & ut in formam debitam cerati coëant, adde
Ceræ ℥ß.
Terebinth. &
Resin. pini ana ℥iß.
F. Emplastr.

Vires. *Plurimum emollit & resolvit duritiem scirrhosam, eoque nomine arcanum Foresto fuit. Obs. 20. 21.*

16. *Emplastrum Sticticum Crollii.*

℞. Minii.
Lap calaminar. ana ℔ß.
Lithargyr. auri & arg. ana ℥iii.
Ol. Lini.
Olivar. ana ℔iß.
Laurin. ℔ß.
Ceræ.
Colophoniæ an. ℔i.
Vernicis.
Terebinth. ana ℔ß.
Gumm. Opopanac.
Galban.
Serapin.
Ammoniac.
Bdellii ana ℥iii
Carabe citrin.
Oliban.
Myrrh. Alexandr.
Aloës epat.
Aristoloch. long.
rotund. an: ℥i.
Mum. transmarin.
Magnetis.
Hæmatit. ana ℥iß.
Corall. albor.
rubeor.
Matr. perlar.
Sanguin. Draconis.
Terræ medic. Strigens.
Vitriol. alb. ana ʒi.
Fl Antimon.
Croc. martis ana ℥ii.
Camphor. ℥i.

1. Gummata 5. solvantur & depurentur solvendo in aceto, exprimendo & rursum inspissando.

Præter Bdellium.

N. *Dosis potest augeri propter faces abjiciendas.*

2. Oleo lini & olivarum admisceatur Lithargyrium utrumque, coquendo & agitando, donec oleum coloretur, postea addatur lapis calaminaris, & paulò post minium. Coquantur ad sufficientiam (horas duas] cujus proba est, si supra unguem gutta concrescat & condensetur.

3. Tandem addatur circa finem Vernix, Oleum Lauri, cera, colophonia; omnibus benè mixtis & liquefactis affunde successivè gummata liquefacta, diligentique agitatiane misce, idque calore lentissimo (cave ne bulliat) postea admisce pulveres: ultimo Camphora resoluta in oleo Juniperino addatur.

N. *Si fortè nimis durum esset, addatur adhuc aliquid ceræ & colophoniæ [præstat terebinthina,] Proba justæ decoctionis hæc est, guttulæ aliquot frigescant, [in aquam sc. frigidam stillata, vel suprà tabulam metallicam,] hæ refrigeratæ si digitis adhæserint nimis molles, signum est imperfectæ coctionis: coquatur igitur alterius ut durescat. Tum affunde in frigidam, ac malaxa bene [hor. 3. vel 4.] manibus inunctis oleo ex chamæmel. rosar. juniper. lumbricor. hypericon. ana. q. v. mixto.*

Vires. *Prodest contra inveterata ulcera & vulnera recentia, consolidando, mundificando, putredinem arcendo. Maturescere facit apostemata cuncta.*

17. *Emplastrum Diasulphur.*

Rulandi.

℞. Balsam. Sulph. Ruland. ℥. iii.
Cære ℥ß.
Colophon. ʒiii.
Myrrhæ ad pondus omnium.

Omnibus præter myrrham liquefactis & benè commixtis,

tis inspergatur myrrha subtilissimè trita, lenteque Igne coquantur [quarta parte horæ] semper agitando. Hinc ab igne remove, agitaque donec refrigescant.

Vires. *Curat omnis generis ulcera, Sennert. in Institut.*

18. Emplastrum stomachicum de Tacamahaca.

Tacamahac. ℥iij.
Storac. ℥j.
Ambari momentum.
F. Emplastr. cum oleo aliquo appropriato, v.g. mastich. &c.
Vires. *Emplastrum est stomacho longe utilissimum, siquidem roborat, appetitum ciet, concoctionem juvat, & flatus discutit. Monard.*

19. Emplastrum ad Tophos & gummata venerea S. Closs.

♃. Empl. Opodeldoch, Penoti aut Croll. rec. cinnabar. vulgar. aut antimon. an. part. æqual. Malaxentur simul cum pauxillo gumm. guaiac. & ex aluta nodis admoveantur.

20. Emplastrum Vesicatorium, Clariss. D. D. Petri de Spina, pro usu F. F.

℞. Betharid. sine alis & cap. ℥ß.
Myrrh.
Mastich.
Camphor.
Assæ fœtid. ā. ʒß.
Butyr. recent.
Terebinth. lot. ā. ʒij.
Ol. rosar. ʒiß.
Ceræ ʒj.
F. s. a. Emplastrum.
Vires. *Supra corium crassiuscule extensum hor. 8. vel 10. Vesicam excitat.*
N. *Vide idem apud Gregor. Horstium lib. 4. observ. part. 1. ubi omittere suadet Assam fœtidam.*
[*Omitti etiam possunt Myrrha, & mastiche, & loco Camphora Vnguentum Camphoratum cum Cantharidibus, oleo ros. & Terebinthina misceri.*]

21. De Dropace.

Ad emplastra pertinent & Dropaces, qui sunt Emplastra à pice, ut nomen, ita & substantiam sortita, licet interdum quoque malagmatis instar fiant.

Modus fiendi.

Liqua picem. addito tantillo olei, & simil. hinc immisce immiscenda materialia.
N. *Materialia sunt piper, pirethrum, rosmarinus, euphorbium, castoreum, bitumen, Sulph. salpetra, sal commune, cinis sarmentorum.*
℞. Picis aridæ ℥j. Olei ʒii. F. Dropax simplex.
℞. Picis ℥ii. ol. citon. vel mastich. ℥ß. M. Confert in vomitione ventriculo impositus.
℞. Picis siccæ, ceræ nov. ana ℔ß. axung. suillæ ℥vi. Sulph. vivi ℥j. Liquentur in crassitiem Emplastri.
℞. Picis, ceræ, colophon. ana ℥iii. Sal. com. ℥iß. bitum. ℥j. Sulph. vivi ʒiij. piper. euphorb. ana ʒii. cantharid. ʒß. castor. ℥i. F. Dropax.
Vires. *Inserviunt Dropaces præcipue membris calfaciendis, sanguini alliciendo, & consequenter atrophia emendanda.*
Adhibetur calfactus (derasis antea capillis) avelliturque antequam omnino refrigescat, iterumque calefit, & applicatur, idque toties, donec pars rubescat.

Pergendum est ad.
De Unguentis Vid. Scroder. cap. LXXXVII.

UNGUENTA, CEROTA & EMPLASTRA.

Quæ tria distinctis capitibus pertractantur à MORELLO. cum tantum facillimè sub unum caput possint reducit: Idem enim est eorum præparandi modus, eadem sunt ingredientia, differunt tantum consistentiâ, quæ in unguentis est mollis, in Emplastris est durior, in Ceroto est media.

In genere hæc Unguenta Cerota & Emplastra *fiunt ex 3bus* principalioribus ingredientibus, nempe *ex ol.* ceu *bas. ex pulvere*, ceu *adjuvant.*, & *ex cera*, ceu ex eo, quod corpus & *consistentiam* largitur. Unde *quanto plus* accipitur *Ceræ*, tanto crassiorem habet consistentiam, & *erit Emplastrum* vel *Ceratum*, *ubi* vero *minus* accipitur *Ceræ*, mistura *erit* mollior, *instar unguenti.*

Proportio vid. in AUCTORE, in qua satis est clarus, ut non opus sit multa addere; Hoc noto; *sub nomine olei* compreheduntur *pinguedines mucilagines, mel, terebinthina, butyrum, adipes,* & similia; sic *mel* sæpius *ingreditur ungenta*, quæ usurpantur *ad* mundificanda *ulcera*, quoniam potenter detergit & abstergit sordes. *Terebinthina usitatum est ingrediens* Emplastrorum vulnerariorum & ulcerariorum, quoniam *est balsamum qs. nostras*, quod valdopere consolidat & quamcunque corruptionem ac alterationem arcet; Circa *Ceram* observetur, quod *ad illam pertineant* omnia ea, quæ sunt ejusdem consistentiæ, uti sunt omnia *Gummata, Galbanum, ammoniacum bdellium, Myrrha, Benzoë* & similia.

Pulveres verò, qui admiscentur, *sunt varii* pro varietate scopi, *imprimis* tamen *ex regno minerali* solent desumi, & maxime *ex saturno*, vel *ex venere*. Superius n. dixi, quod saturnus sit qs. columna chirurgiæ, ex eo, quod *Ulcera & Vulnera*, quæque subsunt manui Chirurgi; *peccant* ut plurimum *subtili acido*, *quod* subtile acidum *absorbetur* prompte à pulvere *ex saturno*, aut *ex venere*, cum notum sit, quod eadem prompte ad se alliciant acidum. Sic v. gr. *ex plumbo* qui ingrediuntur pulveres, sunt *ustum, Cerussa, saccharum Igni, mixtum, lithargyr.* &c. *ex Ære* sunt imprimis *vitriol.* egregie detergens & abstergens ulcera maligna & putrida. Unde unguentum Ægypt. cujus basis est vitriol. commune est refugium Chirurgorum in ulceribus cacoethicis, & in imminente jam gangræna item *æs ustum, tutia & pompholyx*: Quo pertinet etiam *lapis calaminaris*, qui lapis, & ex eo paratum Empl. egregitum est in consolidandis & incarnandis ulceribus & vulneribus.

Cœterum observetur hanc esse communem methodum *permiscendi pulveres cum* oleis & pinguedinibus cera, inter quæ ingredientia nulla omnino est proportio, adeo ut difficulter & non benè invicem uniantur, d. *unum impediat alterum, pulveres* impediunt *oleosa, & oleosa* impediunt efficaciam *pulverum.*

Propterea *magis consultum* est ex modernorũ methodo, qua *tantum miscent* ea *quæ sunt miscibilia*, & propte *umbilia, omissis* !. parce admistis iis, quæ sunt *sicciora* & pulverisabilia propterea *miscent Terebinth.* cũ *oleis* & *addunt Gummata* ac similia, quorumvis in unum conspirans elegantissimum dat Unguentum *Non raro* etiam permiscent *succos* vegetabilium, sive expressione, sive decoctione paratos, & hos *miscent cum vino & Terebinthina*, lente *coquendo*, donec exhalent humiditates superfluæ, ita mutuo se jungunt partes succulentæ cum pinguibus & fiunt Emplastra & ungenta valdè efficacia & penetrantia. Imo non pauci *sunt*, qui *destillant res destillandas in ol.* & *his* oleis destillatis postmodum *infundunt* vegetabilia *sicciora*, digerunt, & tandem *filtrant*, *post cum Terebinthina* (quæ est qs. basis Emplastr. & unguentorum Chirurgicor.) redigunt jn Emplastra & Unguenta, valdè convenientia in usu Chirurgico in morbis externis. Et tales misturæ posteriores vocantur BALSAMA UNGUENTARIA & VULNERARIA. Nam *quo magis* & melius *sese iniunt ingredientia* Emplastror.| & Unguentor. *eò meliorem* & efficaciorem habebunt *usum.*

Dabo

Dabo *exemplum* unum alterumve Emplastri præparati cum succis: Sit verbi gratia: *Emplastrum l. unguentum spleneticum* D. NIEMANNI.

℞. *fol. nicotianæ veræ* ℔iß.
Cicutæ Mij.
Hyosciami alb. Miß.

infundantur in s. q. Vini, in quo radix filicis & cortices frangulæ ferbuerint, stent in infuso per 24. horas, coqu. ad consumptionem aquæ vel Vini: contusis & cribratis adde.

ol. de Capparibus ℥viij.
amygdalar. amarar. ℥ij.
Irini, in quo radix ari bullivit ℥iiß.
pinguedinis anseris
gallinæ ana ℥iß.

Succi depurati nicotianæ ℥iij.
Bryoniæ.
cyclaminis.
polypodii.
verbenæ ana ℥j.

Coquantur iterum lento igne, add.
Gummat. Ammoniac. ℥iij.
Galbani. ℥ij.
Bdellii.
Opopanacis. ana ℥j.
Pulvis rad. asari. ℥ß.
Seminis genistæ ʒij.
urticæ ʒiß.
Cumini ʒj.
Rutæ. ʒij.
Ceterah.
Tamarisci ana ʒij.

c. s. q. *Ceræ & Therebinth.*

In hoc emplastro adsumitur pauca sera, quoniam adsunt Gummata: & parum olei, quoniam adsunt succi: quando ex his volo unguentum, augeo dosin oleorum & succorum, & minuo dosin Gummatum & ceræ.

Emplastrum de Cicutâ SENNERTI, ad *Scirrhos & Tumores lienis*, est hoc.

℞. *herbæ Cicutæ.* Mij.
flor. Genistæ. Mj.
ammoniaci ℔iß.

affundatur & in s. q. aceti bulliant tamdiu, donec ammoniacum dissolutum sit, postmodum coletur: adde

Succi Nicotianæ veræ. ℥vi.
Ebuli ʒiv.

iterùm bulliant: tandem adde
resina pini.
Terebinthinæ ana ℥iij.
Styracis Calamintæ ʒvi
Myrrhæ ℥iß.
Oleo de Cappar.
Ceræ. ana q. s.

Hoc Emplastrum SENNERTI longè elegantius est priori. Artificium consistit in hoc, quòd ingredientia sese optimè uniant. Nam acet. uti solvit ammoniacum, ita extrahit cicutam & genistam, & cum his solutis facilè sese jungunt succi aquosi, & propter istam conjunctionem melius se apprehendunt, & ita meliùs in se invicem agunt.

Cæterùm hic est *modus parandi* Emplastra & Unguenta *officinalia*. Verum enim verò *raro ita præscribuntur à Medico*, quoniam multum temporis requiritur ad eorum præparationem, nisi in rarioribus casibus. Sed *modus præscribendi* talis est, ut recipiatur Unguentum officinale vel simplex vel cum aliis mistum in formam unguenti, vel præscribitur Empl. officinale vel nudum, vel cum aliis mistum, quod præscribitur: Malaxetur & subigatur cum oleo appropriato, inducatur super alutam, & obducatur Syndone rubrâ, in formâ vel determinatâ, vel in formâ transmissa.

Dabo *exemplum*: sit præscribendum *unguentum emolliens & anodynum*: tunc sumo unguentum officinale, & præscribo hoc modo.

℞. *Unguenti dialtheæ.*
alabastrini ana ʒij.
Olei papav. expressi.
anethi destillati ana ℈j.

(quoniam sunt efficacia, non in magna dosi sed usitata præscribo.) cum s. q. Ceræ F. l. a. Unguentum.

D. S. Emoll. & anodynum.

Sit præscribendum *Unguentum contra scabiem*: tunc præscribo h. m.

℞. *Unguenti Enulati*
de Nicotiana
de Tutiâ ana ℥ß.
Olei Tartari p. d. ʒiß. pro scopo præfixo.
Mercurii dulcis ʒiij. (si sit scabies maligna, vel subsit aliquid Venerei.)
flor. sulphuris ʒj.

c. s. q. *Olei Nicotianæ & Ceræ* F. l. a. Unguentum.
vel *alio modo*

℞. *Unguenti diapompholygos* ℥j.
Olei Nicotianæ. ℥ß.
balsami sulphuris ʒiij.
M. f. linimentum

vel c. s. q. Ceræ F. Unguentum. D. S.

Hoc modo præscribuntur unguenta, & necesse est, ut sciamus vires eorum ex SCHROEDERO, & aliis. Quoad *Emplastra*, ea etiam *præscribuntur ex officinalibus*, verbi gratia. Sit præscribendum *Emplastrum contra Cephalalgias* inveteratas, applicandum capiti. Hoc præscriberem ita

℞. *Cerat. pro bregmate usitat.*
de betonicâ. ana q. s.

Malaxentur c. s. q. *balsami Peruviani & olei succini*, inducantur super alutam & obducatur syndone rubra in formâ orbis medii. Emplastr. pro capit. vel inducatur super alutam, & obducatur syndone rubrâ in formâ transmissâ: Hoc est: Recipio chartam, quam incido in figuram & magnitudinem talem, qualem volo, ut ad magnitudinem talem fiat Emplastrum.

Aliud *Exemplum*: Sit præscribendum *Emplastrum stomachale*: h. m.

℞. *Empl. stomach. de Ladano Craton.*
Gumm. Tacamahac. ana q. s.

malaxentur c. s. q. *Balsami Peruviani & olei Nucis Moschatæ* expressi, inducantur super alutam in formâ scuti stomachalis, obduc. syndone rubrâ.

D. S. Emplastr. stomach.

Præcipitur: *obducatur syndone rubrâ*, ne scilicet Emplastra, suâ glutinositate adhæreant partibus cutaneis, inprimis ubi adsunt pili: quando verò volo, ut continuò portetur Empl. & ita firmiter adhæreat, tunc præscribitur, ut sine syndone inducatur super alutam, &c. Dabo *Emplastrum Spleneticum sine syndone*, posito, sive aliquid operentur, sive non, de quo jam non disquiro: habemus enim talia Emplastra.

℞. *Emplastr. Cicut. usitat.*
Gummi ammoniac. in aceto soluti ana q. s.

 malaxetur

malaxetur c. s. q. *olei Capparum*, inducatur super alutam in formâ usitatâ Emplastri Splenetici.

D. S. Emplastr. Splenetic.

vel etiam inducatur super alutam

F. Emplastrum in formâ transmissâ.

Deficit hîc syndon, quia volo ut semper portetur.

Sæpius adduntur *Gummata*, quoniam sunt *egregia in Emplastris*: dum incidunt & attenuant tumores: sicuti scutum stomachale superius est expertum in cardialgiâ, anorexiâ, & similibus stomachi affectibus.

Non raro sola recipiuntur *Gummata*, ut liquescant in mortario calido, & subigantur cum pistillo calido, & inducantur super alutam, & fiant Emplastrum, verbi gratia sit faciendum *Empl. emollitivum Scirrhos* tunc

℞. *Gumm. ammoniaci*
Bdellii ana ℥j.
Caranne ʒvi.

subigantur in mortario calido, super alutam inducatur in forma transmissâ: vel inducatur super alutam in forma quadrata.

D. S. Emplastr. Eras.

Adhuc unum *exemplum*. Sit præscribendum *Emplastrum*, quod vocant *Matricale*, in *suffocatione uterinâ*: Potius Emplastrum contra convulsiones & spasmodicas contracturas partium nervosarum abdominis ex modernorum hypothesi.

℞. *Empl. matrical. usitat.*
Galban. ana q. s.

Malaxentur cum Ol. *Castorei*, vel cum Ol. *Cheirino*, vel cum Ol. *succini & balsamo Peruviano*, inducatur super alutam, in formâ rotundâ

D. S. Emplastr. uterin.

applicetur Umbilico.

Interdum istis Gummatibus, de quibus modò dixi, *adduntur* nonnulli *pulveres*, & ita *fiunt Emplastra extemporanea*. Exemplum sit *Ceratum* (quod idem est ac Empl.) à me *expertum in Enterocele & Epiplocele*, seu in Herniis.

℞. *Gummi Caranæ.*
Seminis Nasturtii ana q. s.

F. c. albumine ovi Ceratum vel Emplastrum in formâ transmissâ.

Tandem, quod rarò tamen fit, *ex tempore* possunt præscribi *Emplastra* ex pulveribus appropriatis, qui excipiuntur pice navali, addita, vel etiam omissa terebinthina. Exemplum subministrat Emplastrum expertum *POTERII ad malum Ischiaticum*, quod habet in Cent. 2. Cap. 85.

℞. *Picis navalis.* ℥iv.
Terebinth. communis. ℥ß.
Mastichis. ʒiij.
Sulphuris communis, subtiliter triti. ℥ß.
M. pro Empl. D. S.

Unum adhuc moneo de unguentis in genere: *non rarò permiscetur Theriaca cum oleis vel cum unguentis* appropriatis, idque inprimis in *affectibus abdominis & stomachi*, ubi opus est vel doloris sedatione, vel nimii motus inhibitione, uti est in *vomitu & diarrhæâ*.

Exemplum sit hoc:

℞. *Theriacæ Andromachi.* ʒij.
Olei nucistæ expressi.
Balsami Peruviani ana ʒiß.
M. F. Unguentum. extern.

Quin imò *interdum sola Theriaca* præcipitur inungenda, sed quoniam propter pulveres difficulter fit, propterea cum oleis fit unguentum: Tale unguentum valdè convenit in *hypercatharsi*, in *Cholerâ & diarrhæa*, in quibus illitum regioni stomachi, vel scrobiculo cordis valdoperè est conveniens.

Legatur præterea *MORELLUS* de Unguentis. Emplastris & Ceratis.

Hactenus de Unguentis & Emplastris, &c. & quidem dixi, quod modus præscribendi hæc rarò sit magistralis, sive ut præscribantur ex tempore paranda à pharmacopœio, sed quod præscribantur officinalia additis specificis, &c. & redigantur in formam Unguenti vel Emplastri. Necesse ergò est, ut considerentur unguenta & EMPLASTRA OFFICINALIA, de quibus *SCHROEDERUS* consulendus venit. Quod attinet Linimenta usitata est 1.

LINIMENTUM SATURNI.

Sed *rarum est*, describitur ab *AUCTORE* in loco XI; apud nos non est in usu; *substitui* autem illi *potest Unguentum de Cerussa*, & quidem Camphoratum. Convenit hoc valdè *in vulneribus & ulceribus cum inflammatione* conjunctis & cum *dolore*: ratio est: quoniam omnia Ulcera inflammata & valdè dolorifica oriuntur ex fermento subtili acido, quo fit, ut alimentum ulceris proprium degeneret in succum acidum, vel acrem, qui reddit ulcera dolorifica: deinde dum coagulat sanguinem parti læsæ vicinum, inducit inflammationem Erysipelaceam. In tali casu optimum est hoc Emplastrum, quoniam Saturnina absorbent subtile acidum & imbibunt, ut sic remoto fermento acido citò & jucundè subsequatur curatio.

LINIMENTUM DE AMIANTHO.

Primus, qui hoc descripsit, fuit *BOOT. in tr. de Gemmis & lapidibus*, & post hunc *WORMIUS in Musæo*, ubi de amiantho. Unguentum vel linimentum ex eo est excellentissimum *contra tineam capitis*, si misceatur cum oleo Tart. p. d. & subigatur cum oleo Nicotianæ. Nam oleum Tart. p. d. valdè conveniens est in ulceribus & morbis externis ex acido oriundis, quoniam est sal. alcali Tart. dissolutum.

LINIMENTUM ERRHINUM.

In quibusdam officinis est in usu: *AUCTOR* describit: loco XIV. Hoc linimentum usus tempore potest malaxari cum oleo Iridis, & addi aliquot guttæ olei Majoranæ destillati, sic enim valdè convenit *in affectibus narium*.

Est etiam in officinis usitatum EMPLASTRUM DIACALCITIDIS seu *diapalma*, quod præter elios usus etiam est singularissimum pro *præservandis fonticulis*, ne fiat putredo aut corruptio in iisdem, neve qualitatem malignam induant, singulis diebus post purificationem in formâ thaleri applicatum.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

Describitur *in August.* de quo supra dixi, quod sit commune refugium Chirurgorum in *ulceribus & vulneribus malignis, putridis & cacoëthis*, it. in iis, quæ jam desinunt *in Gangrænam*: vel ubi jam Gangræna partem affecit. Ubi enim Gangræna partem occupat, tunc incidendo separatur pars mortua à sana, & hoc facto applicatur Unguentum Ægyptiacum, quod *separat à sano mortuum*, & postmodum *ulteriorem corruptionem inhibet*.

UNGUEN

UNGUENTUM ALABASTRINUM.

VId. in A. singularissimum est in *affectibus capitis* in specie in *doloribus capitis* nimiis, qui sæpius *in febribus*, uti etiam in *morbo Ungarico* præstò sunt, qui ipse morbus Ungaricus propter exquisitissimum capitis dolorem vocatur cerebr. excrem- In talibus casibus inungitur temporibus ad sistendos dolores, & promovendam placidam quietem: *Malaxari potest* pro varietate circumstantiarum cum oleo *lil. alborum*, *oleo papav. expresso*, *oleo Chamomillæ*, *oleo anethi*, *anisi*, &c. partim discutientibus, partim anodynis ac dolorem sistentibus seu sopientibus. A *FORESTO* commendatur singulariter in *dolore dentium* extrinsecus applicatum. In specie solet hoc commendare *FORESTUS contra* quoscumque *dolores ex contusione*, *compressione*, vel *casu* obortos: *lib. ix. obss. obs.* 33. & 61. Hinc in febribus solet applicari in doloribus capitis.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

PAratur ex *Cerussa* cum *Camphora*, & prodest in *Inflammationibus*. Nam Cerussa & *omnia ex Saturnino* parata remedia *dicuntur refrigerare*. Rationem subministrat *TACHENIUS*, quoniam scilicet omnia ex plumbo absorbent acidum, omnium inflammationum auctorem. Camphora potenter penetrat, coagulata dissolvit & discutit: Item est egregium hoc *in scabie*. v. g.

℞. *Unguenti albi Camphorat.* ℥vj.
flor. sulphuris. ʒij.
Olei tart. p. d. ʒj.
nicotianæ q. s.
M. F. Unguentum. In scabie.

Hoc obiter quoad Unguenta contra scabiem noto, quod nempe *Ol. tart. p. d.* sit egregium *in scabie* & aliis *affectibus cutis*, in *serpiginibus*, *gutta rosacea*, & omnibus affectibus cutaneis. Deinde etiam Mercurius d. est egregius *in scabie contagiosa* inprimis & aliquo modo *maligna*, aut etiam si sapiat quodammodo naturam luis Venereæ.

Observetur autem, quod *Ol. tart. p. d.* & *mercurius dulcis* non possint simul in uno eodemque unguento præscribi: ratio, quoniam *se invicem præcipitant*; nam cum Mercurio d. vel etiam Mercurius sublimatus sit coagulatus à salibus acidis, fit, ut ex adjectione Ol. tart. p. d. ista salia acida imbibant sal. alcali lixiviale ex sale tartari, & ita dimittant Mercurium vivum. Hoc ne fiat, unum tantum sine altero est præscribendum. Prodest etiam hoc *unguentum album Camphoratum contrà ambustiones*: it. contra *pruritum* & contrà *pustulas*. Cæterum quoniam *in præparatione* & coctione multum *de Camphora deperditur* & avolat, cum sit substantia volatilissima, propterea post coctionem Unguenti hujus præscribitur, ut addantur aliquot gr. Camphoræ: vel etiam tempore usus addi possunt aliquot guttæ Olei Camphoræ: cum Camphorâ enim auctum est egregium *in rubore*, *calore* & *ardore* quocumque.

UNGUENTUM DIALTHEÆ.

TAm *simplex* quàm *compositum* est *emollitivum*, *dolorum sedativum* & lenitivum; Hinc usitatissimum est, ut inungatur renibus *cum oleo scorpionum in affectibus nephriticis*, aut cum eodem oleo inungitur regioni pubis & perinæi *in suppressione urinæ*, &c.

UNGUENTUM ANODINUM.

IN *dispensatorio* CORDI obvium, prodest in *doloribus Podagricis*. Cæterùm *melius* substituitur huic unguento anodyno *unguentum anodynum MYNSICHTI*, cujus compositio est elegantior, vel potest ex tempore fieri unguentum anodynum ex oleo Verbasci, oleo Hyosciami & opio.

UNGUENTUM APOSTOLORUM.

COnvenit ad *vulnera* & *ulcera sordida* etiam in casibus desperatis: corrodit enim potenter, uti facit unguentum Ægyptiacum, ex Virid. æris, in partibus sordidis & putridis.

UNGUENTUM DE ARTHANITA.

MAjus & *minus*, externè applicatur abdomini vel regioni umbilici *ad promovendam purgationem* per inferiora: unde à quibusdam solet præscribi *in hydropicis* ad movendam alvum, & evacuandum serum ex alvo, inprimis si malaxetur cum oleo sambuci & Ebuli.

Talia unguenta purgantia vocantur etiam EPOMPHOLICA: cujus non inelegans *descriptio* aliàs est hæc

℞. *aloës* ʒij.
fellis tauri ʒj.
scammonii ℈j.

Butyri. q. s. M. & umbilico imponatur, quod præstat ad laxandam alvum, inprimis quidem infantum. *Aliud* unguentum purgans *fortius* sit hoc.

℞. *Helleb. alb.*
nigri.
sem. cataput. minoris.
Colocynthid,
aloës hepatic. ana q. s.
pulverisentur subtilissimè, & addatur
axungiæ porcini. q. s.
M. f. Unguentum.

si eo inungantur *manus* purgat *per vomitum*, *si* verò *plantæ pedum*, purgare dicunt *per secessum*, sit fides penes experientiam.

UNGUENTUM DE CALCE.

DUplex fieri solet vel *ex aqua calcis vivæ cum oleo appropriato*, uti superius monui, vel etiam *ex calce lota cum* oleo appropriato, *rosarum* nempe, mixtâ.

Quicquid sit, *conducit* hoc unguentum ex calce vivâ *contra scabiem* contumacissimam, it. contrà *ambustiones*, it. contrà *carunculam penis*: In talibus casibus, inprimis in scabie, malaxetur cum oleo nicotianæ, & valde convenit.

UNGUENTUM DE CERUSA.

QUæ dicta sunt de unguento albo Camphorato, omnia dicenda veniunt de hoc: *paratur* enim illud *ex cerussa*.

UNGUENTUM CLYSMATICUM.

PRæscribitur *in Clysteribus*: dissolvitur scil. in decocto appropriato pro Clysmate, v. gr. in decocto emollitivo ad blandè laxandam alvum, & quia dissolvitur in Clysteribus, propterea vocatur unguentum Clysmaticum.

UNGUENTUM

UNGUENTUM COMITISSÆ. A.

PRo usu mulierum reservatur : regioni enim pubis & ossis sacri applicatum commendatur ad *abortum* præservandum : it. ubi *nimius* est *fluxus mensium*, uti etiam in *nimio fluore albo* : similiter potest præscribi pro inunctione abdominis in *nimio fluxu dysenterico* : malaxatur semper cum oleo Masstichino, oleo *Cydonior*. Ol. *nucista* & alio simili.

UNGUENTUM AD HÆMORRHOIDES NORINBERGENSIUM.

IN tumoribus & doloribus hæmorrhoidum cœcarum usu est, quarum symptomata mitigat.

UNGUENTUM INFRIGIDANS GALENI.

VEteribus & adhuc Italis & Gallis in usu est ad inunctionem dorsi in *Hectica*, item in *inflammationibus renum*, addi potest Oleum Nympheæ & tantillum sacchari saturni.

UNGUENTUM JOVIS seu DE VERBENA.

COmmendatur in *inflammationibus & tumoribus calidis* : aliàs commendatur succus verbenæ inspissatus, & cum Oleo Hyosciami in parvâ quantitate in unguentum mistus : estque expertus in *doloribus capitis* contumacissimis, in specie *Scorbuticis*.

UNGUENTUM DE LYTARGYRIO.

COnvenit in *scabie & pruritu*, inprimis si cum floribus sulphuris misceatur, vel etiam cum unguento enulato, in quo casu & usu etiam contrà *serpiginem* commendari solet.

UNGUENTUM MERCURIALE.

CUm Mercurio paratum contrà *Luem Gallicam* prodest : Unde etiam à quibusdam appellatur UNGUENTUM NEAPOLITANUM. Pertinent huc omnia unguenta ex Mercurio vivo parata, quæ extrinsecus inunguntur vel articulis, vel etiam spinæ dorsi pro excitanda salivatione in cura luis Gallicæ. Aliàs etiam *loco Mercurii vivi* commodè in lue Venerea permiscetur *mercurius dulcis*, vel *arcanum Corallinum*, seu mercurius cum spiritu nitri fixatus: item mercurius cum spiritu Vitrioli fixatus : sed observetur, quod semper debeant esse præmissa universalia sive talia, quæ servant corpus spirabile & poros apertos.

UNGUENTUM DE NICOTIANA.

MIra præstat in omnibus *vulneribus*, quæ ipsa valdè consolidat : item contrà *tineam capitis* : contra *scabiem capitis*, & ad abigendos *pediculos* valdè convenit. Nam notum est, quòd solum decoctum nicotianæ vulneribus infusum, vel si cum eo vulnera fuerint abluta, valdè conveniat in earum consolidatione. Optimum *fit*, si Nicotiana coquatur cum ligno Guajaco, & decoctum iterum de novo cum Nicotiana coquatur : tale decoctum est valdè proficuum *in fistulis*.

UNGUENTUM NIHILI.

COnvenit *ad oculos*, inprimis in eorum *tumore & rubedine*.

UNGUENTUM PECTORALE.

A Quibusdam commendatum *ad dolorem pectoris* : item ad *expectorationem*, quam promovere dicitur : it. in *Tussi* sedanda : subigitur cum Oleo lil. alborum, & inungitur pectori.

UNGUENTUM PEDICULORUM.

VId. in AUGUSTAN. Convenit ad abigendos *pediculos*. Aliàs quod obiter moneo, ad abigendos pediculos valdè convenit linteum vel pannus quo aurifabri solent abstergere vasa aurea & argentea post inaurationem, quo panno fricentur capilli & caput.

UNGUENTUM AD PERNIONES.

Vid. in SCROEDERO A.

UNGUENTUM POMATUM.

Dicitur ita, quòd fiat ex succo pomorum.

UNGUENTUM RESUMPTIVUM.

ITa dicitur, quoniam adjuvat corpus, ut resumat denuò & crassescat : propterea in usu est in *Atrophia*, in *Hectica*, it. post febres, si eodem illinatur spina dorsi.

UNGUENTUM SPLENETICUM.

MAlaxandum est cum oleo cochleariæ, de quo unguento notum est, quòd valdopere commendet HILDANUS in *Observationibus* : & erit egregium in *scorbuto & affectibus splenis*, ortis ex malo hypochondriaco.

UNGUENTUM SYMPATHETICUM CROLLII.

ESt istud, quod fit ex usnea cranii humani. Vocatur aliàs etiam ARMARIUM. *Descriptio* potest videri in AUCTORE.

UNGUENTUM De TUTIA.

ADmodùm prodest in *cruribus ulceratis*, quæ ulcera crurum aliàs sunt difficillima curatu, uti etiam in aliis ulceribus applicatum egregiè prodest : de quo vid. GABELCHOV. *Cent.* 3. *Cur.* 69.

UNGUENTUM AD VERMES.

VMbilico illinitur & toti ventri, miscendum inprimis cum oleo Colocynthidis, uti etiam cum oleo stillatitio absinthii.

Unguentum ad VERMES *à me expertum* sequens præscripsi ita.

℞. *aloës epatic.* ℥ij.
fellis tauri inspissati ℥j.
Olei Colocynthid. ℈j.
absinthii q. s.

M. F. Unguentum, quod parti vesicæ magnitudinis palmæ illinitum applicatum umbilico, *si fortiter adhæret, vermes adsunt*, iis verò absentibus, non adhæret, & dum adhæret, relinquendum est tamdiu, donec decidat sponte, & interdum solet expellere vermes, interdum instar mucilaginis liquefacti vermes exeunt.

UNGUENTUM VIRIDE POTABILE, seu BUTYRUM VIRIDE.

COnvenit internè in *casu ab alto*, in *sanguine congrumato* & similibus casibus.

His

His unguentis affinia superius dixi BALSAMA UNGUENTARIA seu *Balsama inunctoria*. Unde etiam de iis tractat *AUCTOR* in hoc capite, & aliquot egregias subministrat formulas.

Fiunt hæc balsama vulneraria duplici modo, vel *ex destillato*, vel *infuso*. Uterque convenit in hoc, quod sint sub formâ liquidâ vel fluidâ instar oleorum, ita ut possint applicari vulneribus, iisque instillari: Quæcumque *vulnera* sanant, & uniunt promptè citrà suppurationem, citrà dolorem & alia symptomata, idque brevi tempore & tuto, id quod vocat *HELMONT sanare vulnera per primam intentionem.*

Communis aliàs *Chirurgorum* lucrifera, quia diuturna, *methodus* est talis, ut 1. *applicent digestiva*, quæ pus promovent: 2. applicant *abstergentia*, quæ pus factum abstergunt & ulcus purificant: 3. applicant *incarnativa*, quæ carnem generare faciunt: 4. applicant *cicatrisantia* & fortiter consolidantia, quæ partem ad cicatricem perducunt.

Cæterum qui habet balsamum inunctorium, is mox in principio post sedatam Hæmorrhagiam illud calidè applicat aut instillat, quod aliquoties repetit, & ita vulnera citò, tuto, & jucunde curat: interdum sine vestigio cicatricis, cum labia promptè & subtiliter coëant.

Fiunt talia *balsama*, uti dixi, *vel destillando, vel per infusionem.*

DESTILLANDO, quando recipiuntur Gummata aut resinæ, eaque mista per destillationem dant oleum, huic oleo adduntur postmodùm convenientes pulveres, ex *aloëm, Myrrha, Mastiche, Tutia, Sacchаro Saturni* & similia, ac cum tantillo terebinthinæ vel olei Terebinthinæ miscentur in formam liquidam balsami.

Vel fiunt per INFUSIONEM, quando scil. vulneraria Vegetabilia, in specie *hypericum* ejusque summitates infunduntur in oleo, post infusionem exprimuntur, & novorum florum infusio denuò repetitur, idque aliquoties, donec oleo benè sit impregnatum: Huic oleo postmodùm adduntur pulveres appropriati, & post digestionem & lenem ebullitionem cum terebinthina conjunguntur in consistentiam balsami cujusdam liquidi, pro vulneribus curandis exoptatissimi. Talium balsamorum aliquot habet descriptiones *SCHROEDERUS*, quas inter 1. est.

BALSAMUS BALSAMINÆ.

QUi factus est *ex* balsamina seu *momordica*: est arcanum contrà *vulnera* & *ambusta*, in specie, quod benè observetur, contra *ulcera mammillarum & mammarum*, quæ sunt corrosiva & in cancrum abeunt. Anodynum est præterea Momordica: & propterea etiam balsamum vim habet sistendi dolorem. Ingreditur hoc balsamum simul viscus in folliculis seu vesiculis Ulmi repertus. Hic liquor singularem habet virtutem vulnerariam, adeò ut vel solus vulneri instillatus mira præstet in consolidatione. Præ cæteris omnibus *in vulneribus oculorum* est mirabilis, & in *Obs. HENRICI AB HEER* etiam prostat exemplum cujusdam, cui ex læsione oculi totus humor aqueus effluxit, qui postmodum fuit restitutus applicatione hujus liquoris in vesiculis ulmi reperti. A quibusdam hic liquor habetur pro magno arcano.

Pertinet huc *balsamum vulnerarium HENRICI AB HEER in obs. x.* quod mirè commendat tàm *ad Vlcera*, quam ad Vulnera, & habet observationem hæmorrhoidum ulceratarum hoc ipso curatarum. Fit ex

Flor. Verbasci

Hyperici &

Foliis Prunellæ ana. incoquuntur in oleo *seminis hyperici* expresso, & vino veteri ana, ad vini omnimodam exhalationem, quod si sæpius infundantur & coquantur novi flores, erit eò efficacius: His additur *lapis calaminaris*, septies in vino, & demum in hoc oleo post ignitionem extinctus, & ita in balsamum vulnerarium miscetur. Cæterum perfici potest hoc ulterius hoc balsamum, si scil. cum vino & oleo simul coquatur *succus Nicotianæ*, *Millefol.* & *bistort.* & post talem decoctionem loco lapidis calaminaris potiùs *Terra Vitrioli dulcis* accipiatur, & etiam simul addatur *pulvis aloes*, *Myrrhæ* & *cancri fluv.* cum *Gummi Elemi* & *Terebinth.* quibus si simul addantur *balsamus peruvianus* & *muci aurium*, erit balsamus vulnerarius magis efficax. Post Unguenta *pergendum* est *ad Emplastra*, *Cerata*, & similia, de quibus *SCHOEDERUS*. Et quidem inter Cerata usitatum 1. est.

CERATUM DE BETONICA.

IT. CERATUM CAPITALE, quod etiam alias appellatur CERATUM PRO BREGMATE. *Ceratum de betonica* valdè est conveniens in *affectibus & vulneribus capitis*. Ceratum pro bregmate verò valdè cōvenit in *affectibus capitis Catarrhalibus*, uti etiam in *doloribus* & affectibus capitis *senu*. Hæc cerata si misceantur *cum Empl. de Ranis Vig.* cum Mercurio, mirabilia præstant *in* contumacissima *cephalea* quacumque, sive sit ex lue Gallica, in quo casu commendatur à *BARTHOLINO*, sive etiam oriantur ex aliis quibuscumque causis tales Cephaleæ contumaces, uti videri potest *in obs. PLATERI*, qui aliquot habet exempla. Imo *D MICHALE* curavit aliquando *Principissam*, cui ex nimis diuturna Cephalalgia & capitis dolore suturæ capitis à se invicem discesserunt, idque cum strepitu, uti referebat. Talem suturarum discessum cum horrendo capitis dolore curavit beneficio horum Emplastrorum ita præscribendo.

℞. *Empl. de Ran. Vig. cum Mercurio.*
Cerat. de betonica, *ana* ℥iß.
pro bregmate usitat. ʒvı.

malaxentur invicem Unguento Alabastrino, inducantur super alutam & obduc syndone rubra, postmodum adspergantur cum oleo destillato succini D. S.

Commodè etiam Emplastris capitalibus, seu cerato pro bregmate usitato *misceri potest Gumm. Tacamahaca*, & hæc invicem malaxari cum oleo succini, & sic valdopere conveniunt in *affectibus capitis Catarrhalibus*, inprimis senum.

CERATUM DE GALBANO.

VSitatum est ad *affectus abdominis spasmadicos*, uti etiam in specie contra *passionem Hystericam*, quæ ad hos affectus pertinet, si malaxetur cum oleo *castorei*, cum *oleo succini* & *balsamo Peruviano*.

CERATUM DE LADANO CRATONIS.

EST insigniter *stomachale*, quod valdè convenit in *affectibus stomachi*, si malaxetur cum oleo *stomachico composito Cratonis*, & ita applicetur, uti moris est. *Optimum* etiam est, si permisceatur *Gummi ana Tacamahacæ*, & invicem malaxentur cum *balsamo peruv.* fiatque Empl. seu scutum stomachale, irrorandum pro ditioribus cum oleo *Caryophyll. Mastichino*, it. *Macis*, postquam scil. jam syndone est obductum.

CERATUM DE LAPIDE CALAMINARI.

Convenit in *ulceribus dyſepuloticis* & difficulter in cicatricem coëuntibus.

EMPLASTRUM DIACHYLON.

TAm SIMPLEX quàm COMPOSITUM cum Gummatibus: uſitatum eſt Chirurgis in emolliendis *tumoribus duris*, convenit etiam egregiè in emolliendis *ſcirrhis* & *ſtrumis*, item in maturandis *abſceſſibus* & *tumoribus*, ut facilè abeant in pus & promptè ſub cute aperiantur. Deſcriptiones omnium Uid. in *AUGUSTAN.*

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

Convenit in *affectibus ſtomachi*, inprimis in *vomitu*, it. in *Dyſenteria*: applicatur etiam commodè gravidis, ubi vomitus eas infeſtat, ut metus ſit ſubſecuturi abortus, malaxatur cum oleo Maſtichino.

EMPLASTRUM AD HYDROPEM AUGUSTANORUM.

IN uſu eſt, ut applicetur abdomini pro expellendis aquis per alvum. Quidam uſitatius in tali caſu applicant *cataplaſmata*, facta *ex Stercore caprillo* cum equa & aliis: qualia Cataplaſmata inprimis conveniunt in tumore ſcroti ex nimia aquarum coacervatione.

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

ESt in uſu contra *flatus* & *tormina infantum*, potenter enim flatus diſcutit: it. contrà *inflationem ventriculi*: *Miſcetur* etiam interdum *cum Empl. contra hydropem*, ubi ſimul adſunt flatus, & malaxantur cum oleo Chamomill. deſtillato, & ſimul adduntur aliquot guttulæ oleo Macis deſtillati.

EMPLASTRUM DE MELILOTO.

ESt unum ex primariis emollientibus: unde applicatur externè uſitatè in *tumoribus tonſillarum*. item in *angina*, dum valdè *emollit* & *ſuppurationem promovet*.

EMPLASTRUM DE MINIO.

VSurpatur ad *ulcera antiqua* & *corroſiva*, inprimis *tibiarum* & partium nervoſarum.

EMPLASTRUM NERVINUM.

IN uſu eſt pro *corroborandis nervis* & partibus nervoſis, in *paralyſi* & *tremore*, in quibus applicari poteſt ſpinæ dorſi: malaxatur cum oleo nervino compoſito.

EMPLASTRUM DE RANIS VIGONIS CUM MERCURIO.

PRodeſt contrà MORBUM GALLICUM, ubi ſimul adſunt dolores: Convenit etiam in *affectibus nervorum*, item in *affectibus capitis*.

EMPLASTRUM SPLENETICUM.

HUjus variæ dantur deſcriptiones præ cæteris tamen nicotiana ſeu ſuccus tabaci, it. Cicutæ ſingulariter conveniunt, inque *ffectibus ſplenis* applicantur, inprimis ſi addatur Gumm. ammon. in aceto ſolut. ſicque fiunt Emplaſtra in affectibus ſplenis valdè uſitata.

EMPL. FEBRIFUGUM STROBELBERGERI.

DEſcriptionem habet *AUCTOR*, quæ tamen non in omnibus eſt perfecta. *STROBELBERGERUS* enim in *tract. de febb.* deſcribit Empl. quod ſit parandum ex aqua, terra, aëre, & igne, *Araneæ*, quæ adduntur non ſunt illæ, quæ reperiuntur in hypocauſtis, ſed ſunt *majores* degentes in collis: & certum eſt, quòd *in araneis ſit magna vis febrifuga*. Empl. *applicatur pulſui*, relinquitur *per 9. dies*, & eâdem horâ quâ fuit applicatum, denuò reſolvitur, poſtmodum ſepelitur: Nam ſi quis alius idem Emplaſtrum contingat, is ipſe extemplo febri quartana laborare incipiet. Quidam ſolent commendare idem Emplaſtrum *in febribus malignis*.

D. MICHAELIS aliàs etiam *habuit Emplaſtrum*, à ſe expertum *contrà* quaſcumque *febres*, in ſpecie *quartanam*. Nam tali Emplaſtro aliquando ſenem ſeptuagenarium curavit, ſine ullius medicamenti adhibitione: id quod mirabile eſt. Compoſitio eſt hæc.

℞. *fuliginis furnis ſplendentis.* ℥iß.
Terebinthinæ ʒvj.
Telar. aranear. ℥j.
Camphoræ ℈ij.
Olei aranear. q. ſ.

M. f. Empl. applicandum carpis manuum.

Pertinet huc CERA CATHOLICA BURRHI, de qua multa multi fabulantur, dum laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Deſcriptio eſt talis.

℞. *Gumm. Opopanac.* ℥ij.
Bdellii.
animæ.
Carannæ.
hederæ.
Tacamahac.
Elemi.
Sagapeni.
Thuris ana ℥iv.
balſ. Indici. ℥iij.
Ceræ ad pondus omnium.
Terebinthinæ ℥v. M. f. Emplaſtrum.

leni igne. In uſu internè ſub forma pilularum valdè convenit *in ſtomacho*: ubi etiam ſi *externè* applicetur ſcrobiculo cordis: *arthritidem* præſervare & curare dicitur. In *dolore dentium* vel pilulæ applicantur, vel Empl. in forma thaleri ex eadem applicatur loco dolenti: valdè enim convenire dicitur ad ſiſtendum dolorem dentium.

EMPLASTRUM MAGNETICUM ANGELI SALÆ.

ESt excellentiſſimum, quo non habetur melius, & præſtantius non datur *in bubonibus* & *carbunculis peſtilentialibus*. Deſcriptionem habet *ANGELUS SALA* in *ſcript. ſuis Chym.*

Ejus *baſis eſt Magnes arſenicalis*, qui paratur, uti ſuperius monui, ex antimonio, ſulphure & arſenico ana, invicem in crucibulo fuſis & calcinatis. Hic magnes arſenicalis *vim habet corrodendi, anodynam*, & *eſt cauterinum potentiale* anodynum, quod corrodit fontanellas ſine dolore: it. cum Emplaſtro (cujus deſcript. habet ejus *AUCTOR*) applicatus mira facit *in eliciendo veneno ex bubonibus & Carbunculis*, adeò ut pars nigreſcat, & cruſta decidat, quò facto, illius reſiduum facillimè conſolidatur per balſamum ſulphuris. Idem Magnes arſenicalis eſt mirabilis *in ſphacelo & gangrana*, in ſeparanda parte putrida & corrupta à ſana, ſine dolore ac ſine ferro & igne. Empl. Magneticum præſtantius in morbis malignis non datur quàm hoc. Plura qui vult, de hoc vid. *SALAM*, & poſt illum

BARBETTE

BARBETTE, *tract. de Peste*, ubi per experientiam propriam confirmat, quid valeat hoc Emplastrum in peste.

EMPLASTRUM OPEDELDOCH PARACELSI.

Commendatur hoc à Paracelso in quibuscumque ulceribus etiam antiquis si applicetur: vid. etiam auctor. Descriptio non adeò concinna correcta fuit à *D. ROLFINCKIO* ita:

EMPL. OPODELDOCH CORRECTUM.

℞. *Ceræ Virgineæ* ℔ij.
Terebinth. ℔.j.
Balsam. sulphuris Rulandini ℥vi.
Coque postea adde:
Ess. Caryophyllor.
Veronicæ.
alchymillæ.
flor. papav. errat.
Hyperici ana ℥ij.
Gumm. opopanacis.
Galban.
Serapini.
ammoniaci.
hederæ.
Bdellii ana ℥j.
ebulliant, facta mistione ab igne remove & adde
succini pulverisati ℥ß.
aloës epatic. ℥iij.
Colophon. ℥j.
Sarcocollæ.
Myrrh. Alexandrin. ana ℥ij.
Thuris.
Mastichis ana ℥ß.
Aristoloch. longæ.
rotundæ ana ℥j.
cum parum refrixerint, adde
Magnetis in oleo antimonii dulci extincti.
Hæmaticis.
Corallior. rubror. ana ℥iij.
Mumiæ.
Sanguinis Dracon. ana ℥ß.
Boli Armen. oriental.
Croci metallor.
Croci Martis.
Veneris. ana ℥ß.
sub finem adde *lapid. calammin. præparat.* ℥x.
lithargyrii aurei.
argentei ana ℥ij.
cum ferè refrixerint, immisce.
Terra vitrioli dulcis q. s. ad rubeum colorem.

EMPL. SPLENETICUM DE CICUTA.

Est egregium: uti etiam Ceratum de ammoniaco. Habuimus Linimenta, Unguenta, Emplastra, Cerata. Sequuntur.

SPARADRAPI.

De quibus autem noto, *non esse amplius in usu*, legatur saltim auctor *MORELLUS*. Nos interim pergimus ad

MORELL. CAP. XIII.

De Cataplasmate.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

VETERUM *Malagma topicum molle est, pultis ferè consistentia, ad varios usus comparatum.*

COMPONITUR autem vario modo.

α VEL, quod usitatissimum, ex *Mucilagine* variarum partium stirpium, cui adduntur postea vel *Olea* tantum, vel etiam usitatissimè simul *pulveres*, a hac proportione: Sint mucilaginis seu materiæ contusæ & trajectæ ℥x. ℔. j. pulver. ℥iij. unc. iiij. olei aut ipsi analogorum unc. iij. vj. vel expressa tantùm analogorum dosi, olei q. s. ita ut totum cataplasmata ℔iß. non excedat; multò minus, pro partis & usus amplitudine.

Quod ad *Mucilaginem*, fit ratione QUALITATIS, ex decoctis radicibus, pinguibus maximè, *Altheæ, Lilior.* &c. *foliis, seminibus, fructibus* præsertim, dosi quod ad QUANTITATEM fotûs præscribendis, coquendis deinde in liquore idoneo *a*, perfectè contundendo deinde omnia, trajiciendo per setaceum, cribrandoque *b*; vel summatim, quia cataplasmata passim post fotus præscribitur, residentia decocti facti præcipitur contundenda in mortario, & hujus ℔j. addenda, quæ dicta sunt.

Pulveres ratione QUALITATIS ferè leguminum sunt *Farina Hord. Fabar. Lini, Fœnugræc.* iique soli, vel etiam aliarum rerum, ut ad discutiendum, *Ireos, Cumin. flor. Camomill. &c.* iique etiam soli: vel ambo simul, *dosi* dictâ.

c β VEL aliquando ex *Fructibus* maturis, immaturis, ut sunt *Poma, Pruna, Cidonia, &c.* coctis sub cineribus, vel in liquore idoneo, ac contusis, additis *pulveribus* idoneis, dosi dicta, ut in alvi fluxu & dysenteria, cum pulpa cydoniorum, & pulveribus adstringentibus, sic ad oculos ex pomo. Vide Collyrium.

γ VEL aliquando in alvi fluxu, vomitu, ventriculo roborando, *Crusta panis* vino macerata, tosta, præscribitur, quæ pulveris adstringentis roborantisque ℥j. ℥ij consperg atur, & ventriculo admoveatur. Pertinet huc *mica panis* albi macerata in lacte ad ℔ß. cui *vitelli ovorum* numero 2. *croci* ℥ß. *olei* idonei q. s. additur, pro cataplasmate ad dolores.

VEL, ut Chirurgi, ex *pulveribus* solis *adstringentibus*, ad ℥j. ℥ij. *ovi albumine* exceptis, quos cum stupa macerata in aceto vel vino, instar cataplasmatis, vulneratis admovent, ut Medici in alvi fluxibus abdomini applicant.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat cataplasmata*, extendatur in linteum, admoveat. & nota, quòd ante ipsius usum utilissimum sit, partes priùs fovere decocto ex cujus residentia paratum cataplasma, admovetur autem semel, aut bis, in die.

UTILITAS. Fiunt præsertim ad dolores leniendos in partibus inflammatis & aliis: ad duritiem emolliendam utilissimè, ad humores maturandos, suppurandosque, ad eorundem causam digerendam, resolvendamque, ad discutiendos flatus: calefaciunt potiùs quàm refrigerant, tamen & usitatè ad repellendum, & humorum fluxiones inhibendas ex astringentibus præscribuntur. Fiunt & utilissimè ad urinam movendam, ex *Parietaria cum oleo de scorpionibus* pectini admovenda: laxant enim, emolliunt, evacuant valde.

Ad Cataplasmata referenda quoque.

PULS.

A cataplasmate differens ferè tantùm, quòd illud usitatiùs fit ex mucilaginibus decoctorum: hæc autem ex farinis coctis in consistentiam pultis, unde nomen.

COMPONITUR autem,

α VEL ex *farinis leguminum* idoneis, ad unc. vj. coctis in liquore idoneo, quibus adduntur postea *Olea*, vel si scopus ferat *axungia*, aut olei aliquod analogum, ad unc. iij. unc. iv.

VEL ex *mica panis*, ut suprà, pro anodyno veluti cataplasmate & maturante, ibidem.

β VEL ex *mucilagine idonea* cum pulveribus & oleosis; sed reverà potiùs est Cataplasma. Vide suprà.

USUS & FORMULA, ut in cataplasmate.

UTILITAS maximè ad dolores, ad digerendum, resolvendum. Vide cataplasma.

A Nonnunquam & unguenta.
B V. gr. Cerevisiâ, aceto, vino, aquâ, lacte.
C Hæc trajectio & cribratio non semper necessaria est, ut exemplis probatur.

D *Quandoque mixtione solâ paratur, ex dictis, sine praecedente coctione.*

α ℞. Rad. Helen. Alth. Lill. alb. an. ℥j.
Fol. Tapsi barbat. Absinth. Rut. an. Mj.
Fl. Chamœm. Melilot. an. P.ß.
Sem. Anis. Fœnic. Dauci. an ℥ß.
Bacc. Lauri, Junip. an. ℨiij.
Coq. in Aq. com. & Vini alb. part. æqual. ad justam mollitiem. post contundantur in mortario, & per setaceum trajiciantur, ac addantur. Ol. Aneth. Chamom: Rosar. an ℥iß.
Farin. Lupin. Lini an. ℥iß.

F. Cataplasma partibus ex causâ frigidâ dolentibus adhibendum.

Exempla alia huc spectantia Lector habet in Medicina nostra universa.

β ℞. Micæ panis assat. & in aceto chalybeato infusæ.
Carnis cydonior. sub cineribus coctorum an. ℥iij.
Thuris, Mastich. Sang. drac. an. ℨij.
Syr. de absinth. Cydon. an. q. f.

F. Catapl. ad Dyarhœam.

γ ℞. Micæ panis albi in Lacte maceratæ ℔ß.
Vitell. ovor. n. iij.
Croci ol. ℥ß.
Ol. Chamœmill. q. s. F. *Catapl. ad dolores.*

δ ℞. Boli arm. ℥j.
Thuris. ℥ß.
Sang. dracon. Mast. Mumiæ an. ℨij.
Pulveris. cum Alb. ovi & aceto in *Catapl.* redigantur, *ventrique sub umbilico ad dysenteriam applicetur.*

L. ℞. Farin. Hord. unc iij.
Coq. in Oxycrato, adde
Vitell. ovor. nij.
Croci scrup j.
F. Catapl. pro Arthritide.

II. ℞. Rosar. rubr. Mj.
Farin. Hord. Fabar. Fœnugr. an. unc. j.
Santall. rubr. ℨiℨ. flor. chamomill. p. i. coctis contusis, & cribatis, adde vitell. ovor. nu. ii. acet. ℥iv. ol. vol. q. s.

F. *Catapl. pro arthritide.*

SCHRODER. CAP. XLIV.

De Cataplasmatis.

Cataplasmata fiunt ex rebus medicamentalibus, quæ vel pulverisata, vel quoquo modo in pultis consistentiam, sive per se, sive adhibitâ humiditate redigi possunt: præcipuè tamen parantur ex herbis (viridibus siccisve) radicibus, floribus, seminibus, oleis. fructibus, axungiis, farinis, micis panis, & similibus.

Modus fiendi adhibetur pro re nata; cum, vel sine igne. Sine igne fit ex herbis viridibus, contusis aut earum succis expressis, aliisve liquoribus convenientibus, quibus reliqua admiscentur, ut fiat pulticulæ instar. Ignis beneficio coquuntur res cum liquore conveniente ad cataplasma: vel fructus succulenti, ut mollescant elixantur, hinc exprimitur pulpa per setaceum, eique reliqua admiscentur.

N. 1. *Liquor pro rei necessitate varius est, aqua, lac, vinum, & simil.*

N. 2. *Sicca, præstat optimè pulverisare, viridia conquassare & ad putrilaginem coquere.*

N. 3. *Cataplasmata tepidè ferè imponuntur, exceptis anacollematis & sinapismis, &c.*

Officinalia nulla extant.

Exemplo ergò sint.

Cataplasma resolutivum Foresti. 1.
contra cruorem, *Terband.* 2.
de nido hirundinis. 3.
Antifebrile. 4.
Anacollema. 5.
Sinapismus. 6.
Vesicatorium. 7.

Cataplasma resolutivum Foresti.

℞. Flor. Chamæmel.
Stœchad.
Sum. Absynth.
Rut.
Caulium, & stipitum eorum.
Salv.
Sabin. ā. Mj.

Coque omnia simul in lixivio ex cinere quercus vel sambuci, vel vitis albæ, deinde pistentur, addendo pulverem qui

℞. Alumin.
Sulphur.
Gallar.
Cypress.
Sal commun. ā. ℥ß.
Aloës.
Baccar. laur.
Pyrethr.
Sem caul. ā. ℥ij.

In fine addatur stercus recens columbarum vel caprarum.

Vires. *Resolvit crassos humores, ac tumores inde ortos, ut varices, elephantiam Arabum. Forest. lib. XXIX. observat. 25.*

2. *Cataplasma contra Cruorem, vulgò, Terband.* Emplastre contre le sang épanché. *A Pultess against blood congealed or dropping out, of a buisedvvound. Pap tegen geronne bloet in een vvonde.*

℞. Bol. armen. ℥iij.
Prunor. Sylvestr. sicc. ℥j.

Pulverisa quam minutissimè & coque cum aceto acerrimo, hinc admisce
Radic. symphit, pulverisat. parum.

In fine adde Farinæ avenac. q. s. ad consistentiam cataplasmatis, subinde instillando nonnihil olei myrtillorum.

Vires. *Cruorem ex casu vel contusione collectum resolvit & siccat. Felix Vvirz in Chirurgia.*

N. *Ejusce farinæ cataplasmata inter Chirurgos usitatissima sunt, fiuntque ex terra sigillata, bolo armeno, sanguine draconis: cerusa, pice, resina, succino, lapide calamin. succo acacia & similibus adstringentibus & exsiccantibus.*

3. *Cataplasma Laxativum.*

℞. Rasuræ rad. bryon. rec.
Mell. comm. liquid ana ℔j.
Fellis taurin. ℔ß. M. F. Catapl. quo venter inferior vesperi in introitu lecti per noctem, emplastretur. Puerulis ad alvum bis terve movendam lumbricosque tum necandos, tum excludendos sufficit. In adultis verò

℞. succorum cucum. agrest.
Panis porcin. ana ℥j.
Lactis ricin. &
Tithym. ana ℥ß.
Pulv. hier. picr. ℨiij.
Pulp, colocinth.
Helleb. utriusque ana ℈ij.
Cass. rec. extract. ℥ii. aut iii.

Nutriantur omnia simul F. Catapl. quod ventri admoveatur ab umbilico ad pubem, vel cum butyri vetusti putrefacti q. s. incorporentur in Unguentum.

4. *Cataplasma de nido hirundinis Mynsicht.*

℞. Nidi hirundinis num. 1.
alb. græci ℥iß.
Rad. Alth.
Lil. alb. ā. ℥i.
Caricar. ping.
Dactylor. an. num. iii.
Coque in Aqua ad remanentiam pultis, postea adde
Ol. Violar.
Farin. Chamæmel.
Fænugr.
Sem. Lin.
Tritic. ana ℨvi.
Cerebr. cati ℥ß.
Pulv. noct. combust.
hirund. combust. ana ℨii.
Vitell. ovor. num. ii.
Crot. orient. ℈i. M. F. Catapl.

Commendatur in angina desperata collo sæpius tepidè applicatum.

5. *Cataplasma antifebrile.*

℞. Fol. urtic. mai.
Solan.
Semperviv. ana Mi.
Tel. aran. ℨii.
Sal. q. s.

F. Catapl. applicandum pulsib. in feb. Petr. Hisp.

Huc pertinent & *Anacollemata*, quæ nihil aliud sunt quàm

quam Cataplasmata frontalia, Intercipiendæ defluxioni consecrata, adeoque: fiunt ex adstringentibus, quæ ut plurimum albumine ovi subiguntur, E. gr.

6. Anacollema frontale.

℞. Mastich.
Thur.
myrrh. ãã. ℈ 3.
bol. arm.
pulv. later. ãã. ʒ ß.
Croci ℈ i.
Cum albumine ovi, ol. rosac. & pauxillo aceti. f. frontale.

Vires. *prodest in lippitudine allisque affectibus oculorum fronti impositum.*

Aliud.

℞. Argillæ ustæ.
Farinæ volatil. staubmeel in franc.
Folle farine.
Boli armen. ãã. ʒ ß.
Succ. acac. hypocist. ãã. ʒ ii.
Cum album. ovi. & modic. aceto. f. frontale.

Vires *convenit In hemorragia narium, huc referendi sunt & sinapismi, vesicatoriaque in forma cataplasmatis.*

Hæc fiunt ex sem. sinapi, nasturtii, urticæ, radic. thapsiæ, cyclamin. bryon. Scillæ, alii, Euphorb. catilli arid. & similibus, susceptis pulpa ficuum, fermento, melle, oxymelite, sapone, & similibus.

7. E. gr. Synapismus.

℞. Pulp. caricar. (In aceto coctar.) ʒ ii.
sem. sinapi, ʒ 1. m.
Ruborem cuti inducit.

8. Vesicatorium.

℞. Cantharid. præp. Ci. est alis & capitibus abscissis, num. xxx.
fermenti veteris ʒ I
Cantharides pulverisatæ suscipiantur fermento, humectando si opus sit aceto acri.

CATAPLASMATA.

CAtaplasma autem nihil aliud *est* nisi *remedium in forma pultis crassioris quod applicatur externè* partibus pro usu Chirurgico imprimis.

Præscribuntur cataplasmata instar decoctorum, nisi quòd *in decoctis assumitur liquor, in cataplasmatis pulpa* seu materia trajecta. Quoad medium componendi talia Cataplasmata 1 *solent fieri* ex decocto simplici, & quidem *ut vegetabilia decoquantur* in s.q. aquæ simplicis, idque præscribitur usque *ad putrilaginem*, sive donec omninò fatiscant, & instar pultis tenuioris & mollioris fiant: quando ita decocta fuerunt simplicia ad putrilaginem, recipitur materia cocta, & *trajicitur per setaceum*, materiæ trajectæ, *adduntur pulveres, item olea* convenientia.

Proportio horum *ingredientium* Definita est ab *AUCTORE*, ita quidem rectè, ut ad ʒ x. vel ℔ j. pulvæ aut materiæ trajectæ addantur pulver. ʒ iij. vel IV. tertia nimirum pars & Oleor. tantundem, & ita conjunguntur in remedium liquidum cataplasmatis, quod calidum linteo exceptum admovetur parti

Quantitas simplicium decoquendorum ad mucilaginem *variat pro magnitudine partis*, cui applicandum venit cataplasma: uti etiam pro crebriori usu ipsius cataplasmatis, quando vel rariùs vel frequentius est applicandum: sic v.g. major requiritur quantitas pro cataplasmate contrà anginam & tonsillarum inflammationem singulis diebus bis applicando, quam pro cataplasmate ad oculos, vel etiam ad digitum gangrænosum. *Quantitas* ergò *definienda* venit *ex judicio Medici.*

Obiter noto: ex *vegetabilibus* fiunt decocta seu *Mucilagines*: pulveres qui adduntur sunt *varii*, pro varietate scopi. Nunc *farina seminum*, nunc *pulvis albi Græci*, nunc *stercora* animalium, nunc alia: ta etiam pro oleis *interdum* adduntur *succi*, in specie *ceparum*, vel etiam Olea tàm infusa quam expressa:

Dabo *exemplum* v. gr. sit præscribendum *catapl.* quod frequentius fit, *in angina seu inflammatione faucium*, quod debet emollire, tumorem aliquantisper discutere, & etiam materiam inflammationis seu sanguinem congrumatum ad suppurationem perducere: debent ergò esse emollientia, resolventia & discutientia seu maturantia: præscriberem ita.

℞. *rad. altheæ.*
lib. albor. ana ʒ ij.
flor. Chamomill.
Malvæ. ana M j.
sem. fœnugreci.
altheæ.
psyllii. ana. ʒ ij,
nidi hirund. n. j.
albi græci ʒ j.
ficuum pinguium. n. 12.

incisa & contusa coquantur in s.q. aquæ. simplicis, vel coquantur in s.q.q. seu lactis, quæ emollit, suppurat & dolorem lenit, ad consistentiam pultis seu pulpæ.

℞. Pulpam trajectam per setaceum, vel
℞ Pulpam (simpliciter, non trajectam) adde
olei lil. albor. ʒ ij.
Rutacei. ʒ v I.
Pulveris Noctuæ combust. ʒ ij.
Croci oriental. ʒ j.
Vitell. ovi. n. j.
M. pro cataplasmate.

NB. oleorum quantitas potest augeri, est enim nimis parva.

Simile est ferè & elegans *cataplasma contra* eandem *Anginam BARBETTE in prax.* & in *Chirurgia*

℞ *rad. altheæ.*
lil. albor. ana ʒ j.
Nidi hirund. n. j.
ficuum pinguium. n. 12.
albi græci ʒ ß.
Cepar. ʒ IV.

Coquantur in decocto hordei, vel etiam in aqua. simpl. q.s. ad putrilaginem, pulpæ adde

Farinæ tritici.
seminis lini. ana ʒ j.
sem fœnugræci.
altheæ. ana ʒ iß.
vitelli ov. loco olei. seu instar olei. n. ij.
Croci oriental. ʒ ij.
(discutit, emollit, maturat, anodynum est)
olei. *Chamomill.* ʒ ij.
M. pro Cataplasmate.

Obiter moneo, in Cataplasmate adsunt cepæ, quæ simul coquuntur cum reliquis: potest tamen etiam addi in fine coctionis, seu potest addi pulpæ trajectæ succus ceparum ab ʒ ß. ad ʒ j. idque non sine singulari efficaciâ; dum enim ita succus additur pulpæ trajectæ, non metus est, quod in coctione avolet sal, vol. ceparum quod potens est in discutiendo & maturando.

Sæpius *fit*, ut *post* ineptam *venæ sectionem* institutam *brachium intumescat*, *rubescat & livescat*, ex sanguine intra spaciola musculorum affuso congrumato: *in tali casu*, in tumore scil. ac dolore brachii post phlebotomiam præscribitur tale *Cataplasma expertum* & valdè egregium h.m.

℞. *herb. agrimon.*
cerefol.
flor. Chamomill. ana mj.
rad. Symphyt. ℥iij.
(quæ est basis, & propterea etiam augenda dosis)
rad. sigill. Salomon. ℥iij.
sem. lini.
fœnugræci ana ℥ß.
Coqu. in s. q. aquæ simpl. ad consistentiam pultis.
Cataplasm. pro tumor. ac dolore.

Non semper necessum est, ut addantur Olea, propterea quoniam oblinunt poros partium eosq; obducunt & infarciunt: & ob id *non rarò omittenda* sunt *Olea*, idque imprimis *ubi* opus est discussione, in quo casu *pori debent aperti esse* & patuli, ubi verò opus est suppuratione & emollitione, ibi additur, oleum, non verò *in nimia quantitate*, quoniam *in inflammationibus emolliendis* & suppurandis, ex obstructione pororum nimiâ per cataplasmata oleosa, à Chirurgis sæpius, locò puris *inducitur gangrena.* Quæ cautela summè est necessariâ in correctione Chirurgorum.

Non incommodè præscribit *AUCTOR*, quod *Cataplasmata interdum applicentur post fotum*, & in tali casu post decoctionem vegetabilium pro fotu, etiam materia restitans coquitur pro cataplasmate, & ita unâ fideliâ duas dealbamus parietes. Dabo *exemplum.* Sit *Hernia scrotalis seu intestinalis*, in aquâ *ob fœces induratas* intestina non possint iterum reponi in locum naturalem, in tali casu sit præscribendus fotus humidus, emolliens & discutiens, & post hunc cataplasma similiter emolliens & discutiens ita.

℞. *herb. Malvæ.*
flor. Chamomillæ, Roman.
folior. laurin
pulegii ana Mj.
rad. altheæ.
lil. albor. ana ℥j.
Baccar. lauri ʒvi.
Juniperi ʒiij.
Stercoris Caprilli, vel
ovill. ana ℥iß.
Coquantur in s. q. lactis, colaturam ℞. adde
Succi cepar. ℥j. fot. extern.

Imponi potest cum linteis duplicatis tepidè postmodum. ℞ pulpam decoctum & per setaceum trajectam, cui adde:

succi Cepar. ℥i
stercoris ovilli. ℥ß.
sem. fœnicul.
anisi
farin. sem. fœnugræc.
lini. ana ℥ß.
olei lil. albor. ℥ij.
Chamomill. ℥j.
M. pro cataplasmate CROL. additis priùs ulteri*
Vitell. ov. n. 1.
Croci oriental. ʒj.

Hic est modus ordinarius præscribendi cataplasmata. *Fiunt* etiam *interdum* talia cataplasmata seu pultes *ex fructibus pulposis*, tàm *maturis*, quàm *immaturis* coctis vel in liquore appropriato, vel etiam coctis sub cineribus contusis, & cum pulveribus additis & Oleis appropriatis compinguntur in formam cataplasmatis. Talis cataplasmatis formulam dedi superiùs, ubi de pomis, ubi scil. poma cocta dant cataplasma appropriatum in ophthalmiis & occulorum affectibus: recipiuntur interdùm Cydonia mala, eorumq; sub cineribus coctorum pulpa, & permiscentur cum eadem pulveres adstringentes in affectibus stomachi & intestinorum, in quibus renum tonus est laxatus, & opus est astrictione.

Facit etiam mentionem *AUCTOR* CRUSTÆ PANIS, quæ *irrorata cum vino*, & conspersa cum pulveribus appropriatis confert *in* quamplurimis *abdominis affectibus*: quæ tamen non est cataplasma, sed quasi fomentum & medicamentum sui generis Si v. gr. *in vomitu* recipitur commodè *crusta panis tosta*, adspergitur *vino Malvatico*, vel etiam *aceto rutaceo*, &c. & ita madefacta & irrorata adspergitur *cum pulvere nucis Moschat. Caryophyll. Zedoar Galang. Cinnamom.* & similibus in moderatâ dosi, & applicatur regioni stomachi: est *egregium in* vomitu *remedium*: Eadem crusta panis eodem modo applicatur Umbilico *in diarrhœis* & similibus *intestinorum affectibus.* In gravidis pro *roborando fœtu* recipitur talis crusta panis tosta, vel quod quibusdam videtur convenientius, *panis mellitus* irroratur *cum aqua vitæ mulierum*, vel cum *balsamo Embryonum*, qui etiam est instar aquæ Vitæ, adspergitur postmodum cum pulvere *Nuc. Mosch. antophyllor, macis*, &c. & applicatur umbilico pro roborando fœtu, idque cum felici successu.

AUCTOR etiam facit mentionem *cataplasmatis ex mica panis albi cocta in lacte*, cui postmodum *additur Crocus* & similia: Hoc cataplasma est quasi generale & usitatissimum *in quibuscunque doloribus* compescendis: *potest addi* pro ratione circumstantiarum tantillum *flor. sambuci*, qui sunt anodyni, it. *florum verbasci*, sed tamen sæpius in genere tantùm præscribitur ita:

℞. *Micæ panis albi* ℔ß.
Cum s. q. lactis f. Catapl. pro dolor. cui adde
Vitel. ovor. n. ij.
Croci oriental. ʒij.
olei Chamomill. ℥ß.

Deniq; ultimo loco facit mentionem *AUCTOR* modi, quando *nudi pulveres* adstringentes *excipiuntur albumine ovi* & applicantur, id quod fit, ubi opus est, ut sistantur *hæmorrhagiæ*: ut impediatur nimius humorum affluxus, in recentibus *vulneribus*, *rupturis fracturis.* &c. ubi solent Chirurgi, perperam tamen, applicare tale cataplasma, cum liquore acri, aceto, vino austero, vel etiam aqua. simplici frigidâ, idque, uti dicunt, pro repulsione, ne nimis effluat sanguis: maledicta methodus.

Deniq; *modernis inusu* est, ut in conficiendis cataplasmatis, pro usu partium internarum destinatis, *loco pulpæ* ex vegetabilibus decoctæ, recipiant *fermentum pistorium*, & *huic addant appropriata.* & invicem miscent in formam cataplasmatis, ut ita applicentur. Qui modus usurpandi talia cataplasmata ex fermento pistorio confecta valdè *proficuus* est in quamplurimis morbis: sic v. gr. *in nimio singultu*, in nimio *vomitu* & *Cholera* ex stomachi affectibus expertissimum est cataplasma factum ex fermento cum pulveribus appropriatis, & applicatum externè regioni stomachi, quod convenienter applicatur cujuscunque sexus & conditionis personis: *si gravidas vexet vomitus* in ultimis mensibus, quod non fit rarò, usitatissimè, & cum fructu applicatur istius modi cataplasma. Compositio est talis.

℞. *fermenti acerrimi* ℥ij.
pulveris Menth. crisp. ʒj.
flor. Chamomill. ℥ß.
Baccar. Juniper. ℥ij.
lauri ℥iß.
rad. Zedoar. ℥ß.
aceti flor. tunicæ. vel
sambucini q. s.
M. f. a.

Cataplasma.
irrorandum cum oleo *Cumini*, *Carvi Zedoariæ*, *Chamomillæ* destillatis ana gutt. applicatur externè, estque egregium in istis affectibus stomachi. Sicuti notum est, quod fiat *Cataplasma convenientissimum ex fermento cum succino* applicandum syncipiti *in Catarrhis*, quas vocant falsò, suffocativis, utut hæc praxis sit valdè ridicula, fit tamen, quicquid sit, sequens Cataplasma.

℞. *fermenti veteris* ℥vi.
succini præp. ℥i.
acet parum.
F. Cataplasma

applicandum suturæ coronali cum linteo.

Simile *Cataplasma*, cujus basis est fermentum, applicatur commodissimè plantis pedum, *in deliriis, Cephalalgiis & vigiliis nimiis* febrium ardentium, & in specie malignarum, quod multum commendatur, & aliquoties ego ejus usum felicem vidi.

℞. *fermenti acerrimi* Mij.
rad. raphani n. ij.
fol. rut. recent. Mij.
salis communis Mj
aceti rutacei q. s.
F. l. a. Cataplasma.

dividatur in 2. partes æquales, & applicetur plantis pedum, si exsiccatum fuerit, de novo applicandum. Mira certè præstat in prædictis morbis *Loco folior rutæ* possunt sumi *folia sedi* seu sempervivi majoris: & quoniam raphanus malè olet, potest omitti, & recipi in majori dosi folia sempervivi & rutæ, nihilomnius valdè conveniens est si admisceatur raphanus,

Hi sunt modi, quibus fiunt Cataplasmata: Exactius hæc qui cupit, vid MORELLUM: Quando facit mentionem *AUCTOR* Cataplasmatis ex Parietaria cum oleo. scorpionum vid. illud de parietariâ

PULS, quam habet *AUCTOR*, est eadem cum Cataplasmate, propterea præscriptio ejus etiam erit eadem. *In officinis non prostant* cataplasmata, nihilominus facit eorum mentionem *SCHRODERUS*, propterea videamus, quid sibi velit. *Interdum* pro conficiendis Cataplasmatis *loco liquoris* recipitur acetum & *vinum*, vel *posca*, sive *aqua cum aceto mista*: sicuti dedi exemplum; ubi de fabis: quando in tumore testium cum inflammatione fit Cataplasma ex aceto seu posca cum fabis cocto. *interdum* pro liquore accipitur *urina pueri*, *ubi* adsunt *flatulentiæ*, & ubi opus est flatuum discussione: sic v. gr. *ex stercore Caprillo* cocto in poscâ, vel etiam subacto cum urinâ pueri, fit potens Cataplasma discussivum, pro discutiendis flatibus, & resolvendis tumoribus. Pro discussione inprimis conveniunt Cataplasmata ex stercoribus in tumoribus pedum ædematosis, in quibus stercora coquuntur in urinâ propriâ, & miscentur pro cataplasmate: it. in tumoribus scroti, qui non sunt rari

CATAPLASMA RESOLUTIVUM FORESTI. I.

Est egregium, quod valdè discutit, nam omnia ingredientia sunt potenter discutientiâ

CATAPLASMA CONTRA CRUOREM II.

Vulgò das Zeerband: *vid. in AUCTORE.*

CATAPLASMA LAXATIVUM. III.

Supra habuimus Empl. laxativa: hic est cataplasma laxativum, cujus descriptionem habet *SCHRODERUS*: Convenit inprimis, ubi metus est de *vermibus*: ibi enim commode potest applicari umbilico. Sunt nonnulli? qui pro laxandâ alvo faciunt Cataplasma ex Electuario purgante misto cum Unguento dialtheæ, & hanc misturam Cataplasmatis applicant plantis pedum pro purgatione alvi.

CATAPLASMA DE NIDO HIRUNDINUM MYNSICHTI.

Possunt coqui species in lacte, quoniam est convenientius pro emolliendo & suppurando: & ita coctæ loco Cataplasmatis applicari.

ANACOLLEMATA

Habuimus superius: *SCHRODERUS* habet hîc exempl. ana colematis seu frontalis adstringentis, quod solet esse in usu in hæmorrhagiis varium contumacibus, inprimis si subigatur cum aceto. Imò bolus vulgaris subacta cum aceto valdè etiam convenit in desperatâ narium hæmorrhagiâ.

MORELL. CAP. XIV.

De Rubificantibus.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

Aceratis, Emplastris, Cataplasmatis, forma quidem vix differunt *Dropax*, *Sinapismus*, *Vesicatoria*, *Phœnigmus*, discrepant tantùm effectu. Quæ omnia in genere *Rubificantia* dici possunt; licet hoc nomen privatum *Phœnigmorum*, de quibus breviter sic habe.

Dropax.

DROPAX, *picatio* propriè veteribus usitatissima, *topicum est, forma emplastri, rarò cataplasmatis, ad alimoniam partibus ac vitam conciliandum, vel etiam ad vitia antiquata, & contumaciora educenda comparatum.*

COMPONITUR autem,

α VEL simpliciùs ex *picis* unc. j. unc i sem. *olei* unc. s. drach. vj. liquatis simul & in alutam extensis.

β VEL compositiùs, simplici additis *Pulveribus* calidis gradu 2. 3. *Pipere, Pyretro, Zingib. Stercoribus* animalium, &c. ad ℥ß. ℨvi.

γ VEL, ut hodie in usu est, ad attractionem humorum & discussionem, bifariam 1 ex *Pulvere rerum calidarum*, aromatum tenuium partium, ad ℨvj. *Semine sinapi*, *Stercore columbino* ad ℥j. qui excipiatur *Picis* & *Terebinth.* q. s. fiat emplastrum pro syncipite. . Ad eundem finem ex *Emplastr. de Mucilagin.* ℥iij. cum jam dictorum *pulverum* ℥j. & *olei irini* q. s. formetur emplastrum, instar literæ T pro syncipite, aut incorporentur cum *terebinthin.* & fiat emplastrum, &c.

Malè vulgò Vesicantia vocant, cùm sine vesicis operentur, & fiant ante vesicatoria ferè, & post eadem aliquando, in affectibus capitis, maximè contumacibus, ad causas morbificas ex alto hauriendas, digerendas, vacuandas, quæ Dropacis ratio in praxi hodie est usitatissima, & utilissima simul.

USUS, DROPACIS VETERUM erat, ut applicaretur parti calidè, derasis capillis, repeteretur antequam fieret frigidus, idque sæpiùs, dum rubor in parte efflorescerct, qui terminus Dropacis: tùm removendus, quo remoto, si ad alimentum attrahendum fuerit admotus, aut calorem, ne utrumque expirer, pars *oleo camomillæ, &c.* illinitur, quo claudantur pori.

DROPACIS NOSTRI *Usus* ferè in effectibus capitis contumacibus, extenditurque super alutam, ut Emplastrum, instar literæ T. syncipiti admovendum, abraso priùs capillitio, ex quibus formula ipsius præscribendi etiam patet. Potest & ad alias partes formâ idoneâ applicari.

UTILITAS

UTILITAS DROPACIS VETERUM, ad partes extenuatas, languidas nutriendas, vivificandas, alimento, calore, spiritu ad ipsas evocato, idem & hodie nos in partibus refrigeratis resolutisque utiliter imitamur.

Usurpabant & ad corpora humidiora exiccanda, affectus frigidos contumaces, paralysin, catarrhos, affectusque hinc oriundos, phthisin, epilepsiam, cephaleam, &c. ubi humores discussione indigent.

NOSTRI *Vtilitas* his posterioribus respondet, usurpaturque maximè in affectibus capitis frigidis diuturnis, vel partium inferiorum, quæ inde scaturiunt, expugnandis. Discutit enim & exhaurit potenter, ut suprà, stabulantes in cerebro causas morbificas.

Vesicatorium.

Veteres olim habebant in usu *Sinapismum*, forma cataplasmatis ferè ex sinapi maximè, (unde nomen,) qui si mitior esset & rubificaret tantùm cutim, propriè *Phœnigmus* dicebatur; fortior verò & vesicas excitans, *Vesicatorium*.

SINAPISMUS obiter FIEBAT olim ex *Caricarum maceratarum pulpa, & pulvere sinapis*, hac proportione *Pro forti*, ficuum pars una, sinapi duæ; *pro mediocri*, ana part. æquales: *pro debili* ficuum duæ, sinapi una: admovebatur usque dum pars ruberet, unde nomen *Phœnigmi*, ut *Sinapismi* à compositione.

Hodie loco istorum Sinapismorum usitata sunt VESICATORIA, dicta ab effectu, quæ & quidam *Phœnigmos* appellant.

COMPONITUR autem hodiernum Vesicatorium in praxi usitatum.

α VEL forma emplastri, idque bifariam, VEL ex *Emplastro officinali Vesiccatorio*, si extet, ad ℥ i. ℥ iß. pro partis amplitudine.

β VEL sumuntur *Emplastri de mucilagin.* ℥ ii. ℥ iii. *A Canthar.* ʒ ii. ʒ ii. incorporentur cum *therebinth.* & super alutam, fiat Emplastrum vesicatorium.

γ VEL forma cataplasmatis, quod usitatissimum, ex *Fermenti veter.* ℥ ii. *Cantharid.* ʒ ii. cum *àq. vitæ* vel *Aceto* malaxatis, fiat Vesicatorium.

Dosis tamen hæc mediocrem respicit magnitudinem partis, quæ aliàs minuenda: si enim v.g. pone aures admovendum, ℥ i. sufficiet ad summum.

NOTA, aliquando addi præterea pulverum acriorum: ut *Piperis, Zingib. Euphorb.* ʒ i. ʒ iß. *sem. synap.* ℥ ß.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat vesicatorium magnitudinis debitæ, applicetur, &c. donec vesicæ excitentur*, quæ acu aperiantur, & sinantur diu fluere; imponendum *folium brassic.* torrefactum leviter, & oleo illitum, (ne exsiccentur,) sinantur autem apertæ, donec humor totus effluxerit.

UTILITAS. In genere ad humores varios vacuandos, revellendos, derivandos, ad humores infixos etiam valent tenaces, qui neque mollientibus, attenuantibus potuerunt discuti, sic enim liquati trahuntur resolvunturque: sic conferunt hydropicis, ischiadicis, capitis, articulorum contumacibus doloribus, omnibus frigidis affectibus pertinacibus, ac veluti deploratis, revellens insigne remedium est catharris eximium in varias partes, soporosis excitandis, lethargicis apprimè utile, venenatis puncturis, morsibus carbunculis, bubonibus malignis volunt conferre: Pituitosorum morborum remedium potiùs quàm biliosorum,

A Non tantâ quantitate præscribendum, ubi una tantum aut altera excitanda est vesica, suffecerit sic sæpe drach. j. aut unc. sem.

α R. Picis. ℥ i.
Ol. com. ℥ ß.
Liquentur & supra alutam extendantur pro *Dropace.*

β R. Ol. rutac. ℥ iii.
Picis. ℔ i.
Liquefiant in vase duplici, adde
Pyreth. Synap. Piper. alb. ʒ iii. M. f.
Dropax: extende in alutâ.

γ R. Piper. Pyreth. an. ʒ i.
Sinap. Euphorb. Castor. an. ʒ ß.
Pic. nav. Ol. com. q. s. F. *Dropax.*

δ R. Empl de mucilag. ℥ ii.
Pyreth. Euphorb. Castor. an. ℥ ii.
Ol. irin. q. s. F. *Dropax.*

α R. Cantharid. ʒ ii.
Tereb. ʒ i.
Ol. Myrrh. Camph. Mastich. an. gr. xv.
Ol. ros. ʒ i.
Ceræ ʒ iii. F. *Empl. Vesiccator.*

β R. Emplast. de mucilag. ℥ ii.
Cantharid. ℥ ii.
Incorporentur cum Therebinth. q. s.
F *Empl. vesic.* quod super alutam extendatur.

γ R. Fermenti acris unc. i. s.
Cantharid. pulv. ʒ ii.
Aceti scill. q. s. F. *Empl. vesicator.*

Post Cataplasmata proxima sunt

RUBIFICANTIA ET VESICATORIA.

QUod attinet vesicatoria, *sunt* illa *medicamenta molliora in forma Emplastri* & Cataplasmatis *externe applicata*: quæ, quoniam excitant vesicas, dicuntur vesicatoria. Veteres usurpabant *loco vesicatoriorũ* nostratium sæpius *sinapismis*, ita dictis à basi, quæ fuit semen sinapi permiscetur cum pulpa ficuum, & applicatur. Nam notum est, quod *omnia* simplicia, *quæ constant Sale valde vol. & acri*; uti est semen sinapi, ranunculus, flammula, pyrethrum, Zingiber. Euphorbium, &c. extrinsecus admota cutì *soleant inducere* & excitare ingentem *ruborem*, & ita facere quasi quandam attractionem: ubi E. opus fuit hâc attractione, veteres applicarunt sinapismum.

Moderni loco eorum adhibent *vesicatoria*, quæ sunt fortiora sinapismis, & *fiunt* ex basi *Cantharidum*, seu quarum basis sunt Cantharides: applicantur enim talia remedia externè. Cum autem permistæ sint Cantharides, solent excitare successivè vesicas, modo citius, modo tardius, prout vel copiosiores vel pauciores sunt Cantharides; aut etiam prout l. magis. l. minus sunt permistæ Cantharides cum aliis ingredientibus; aut etiam prout ingredientia permista magis l. minus sal vol. Cantharidum acre causticum vesicatorium corrigunt.

Applicantur talia vesicatoria *ad magnitudinem thaleri* variis in locis, v.g. *carpis, in statu febrium* malignarum apud Italos, item *tibiis*, item *temporibus pone aures*, ubi erumpere solent parotides. item in nucha, in affectibus oculorum, & similibus aliis morbis. Applicata ita vesicatoria, ex Cantharidibus parata penetrant sensim sensimque sale suo vol. & partem quasi adurunt, ut elevetur in vesicas aqua limpidâ plenas. Quod si in morbis periculosis *ex applicatis his vesicatoriis nulla* sequatur operatio, nullaque excitetur *Vesica, certissima* expectanda est *mors*. Hinc etiam in corporibus mortuis etiam fortissima vesicatoria applicata vesicam nullam excitant: Vnde in ægro si non operentur, felicissima expectanda non est ad mortem curatio.

Modus præscribendi ab AVCTORE insinuatur *duplex*; vel sub *forma Emplastri*, vel sub *forma cataplasmatis*.

Sub forma Emplastri, quando nempe *in officinis solet prostare* Emplastrum vesicatorium, quod præscribitur h. m.

℞. *Emplast. vesicatorii usitat.* ℥ *i. vel* ℥ *ij.*

& præcipitur, ut æger de hoc super alutam inducat magnitudinem thaleri, & ita applicet, aut manibus, aut pedibus &c.

Quod si tale Emplastrum non *prostet* in officinis, tunc *recipitur aliud Emplastrum*, in specie Emplastrum ex mucilaginibus, quod est emollitivum & attractivum per se: hinc *additur pulvis Cantharidum* ad ʒ ij. vel ʒ iij. pro singula ℥ j. Empl. ℥ j. Cantharidum, *malaxentur* invicem *cum Terebinthina*, & *applicentur* sub forma thaleri: *Vbi fortius agendum* vesicatoriis, *augenda est dosis Cantharidum*, *ubi mitius imminuenda.*

Modus præscribendi Cantharides est hic, ℞. Cantharid. ablat. alis & capitibus: reliqua pulverisentur & cum aliis pulv. misceantur, & vel præscribuntur, sub numero iij. vel iv. vel in pondere ʒ j. ij. iij. prout Medicus postulat. h. m.

℞. *Empl. de Mucilaginibus* ℥ ß.

Cantharid.

Cantharid. ablat. alis & capit. N. iv.
vel *Cantharid. ablat. alis & capit.* ℈j. ℈ij.

prout vel fortius vel mitius agendum est in corpore, vel magis crasso, vel delicatulo.

Terebinth. q.s. M. inducatur super alut.
Emplastr. Vesicat.
de quo q.s. decidendum, est & applicandum parti.

Usitatius autem applicantur vesicatoria *sub forma Cataplasmatis*, ita quidem, ut pulvis Cantharidum misceatur vel *cum fermento*, vel *cum pulpa ficuum*: cum fermento, ubi mitius agendum: cum pulpa ficuum, ubi fortius: rationem dedi, ubi habuimus de Cantharidibus, nempe quoniam acidum fermenti solet digerere sal vol. acre Cantharidum, propterea communiter dissuadetur, ut permisceantur cum fermento. Quicquid sit utroque modo praescribi possunt: His ipsis *pro stimulo potest addi* interdum pulvis *Euphorbii*: *sinapi* cum pauco *aceto destillato*. *Modus praescribendi* sit talis:

℞. *fermenti Veteris* ℥ij. vel ℥ß. plus minus,
pro varietate scopi,
Cantharid. ablatus alis & capitibus, No. iv.
Sem. sinap. pulverisat. ℈j.
cum pauco aceto destil. F. Cataplasma, Vesicat.

applicatur in quantitate thaleri, compactum in pultem.

cum pulpa ficuum praescribitur h.m.

℞. *pulpae ficuum* ℥ß.
Cantharid. ablat. alis & capit. ℈ij

malaxentur cum aqua vitae, vel cum spir. vini, vel cum aceto.
F. Vesicatorium.

Interdum, *ubi mitius agendum est, omittuntur Cantharides*, & ferè ex methodo Veterum in solo sinapi subsistitur.

Tale *exemplum* sit v. gr. Cataplasma applicandum Nuchae *in affectibus oculorum*, in specie in inflammatione, lippitudine & similibus oculorum affectibus, *in corpore delicatulo*. Nam corpora dura ferunt fortiora, delicatula non item: Unde in robustioribus semper miscendi cum fermento, vel pulpa ficuum Cantharides, in delicatulis saltim ècontra methodo Vaterum in solo sinapi subsistitur. Praescripto sit haec:

℞. *fermenti Veteris* ℥j.
succini ℥j
seminis sinapi flavi conquassati ℈iß.
c. s. q. aceti scillitici F. l. a. Cataplasma nuchae applicandum.

In corporibus autem, ut dixi, *crassioribus*, & robustioribus, item *affectibus soporosis* & comatosis *fortius agendum*, & fortiora praescribenda vesicatoria.

Tale *vesicatorium* pro una vice applicandum sit hoc *in lethargo* & similibus *comatosis affectibus*.

℞. *fermenti acerrimi* ℥ß.
pulveris Cantharid. ℈j.
Euphorbii gr. xij
Castorei ℈j.
F. l. a. Empl. in quantitate thaleri:

applicatur nuchae in lethargo & similibus affectibus soporosis, quoniam ibi opus est, ut concitetur dolor, & evigilet aeger: sin vero sint lenia, & non excitetur vesicae cum dolore, tunc sine fructu applicantur.

Quando applicatum est vesicatorium, tunc *excitatur vesica*, quae excitata aperitur acu, ut evacuetur humor contentus, & ne cito denuò exsiccentur vesicae, aut consolidentur, applicatur folium brassicae rubrae leviter torrefactum, & mirabile est, quantum soleat elicere continuo humorum. *Instar fontanellorum evacuant*: haec *folia* brassicae *quamdiu* manent *applicata*, vesica *manet aperta*, illis verò remotis, consolidatur: Nam sola cuticula sive Epidermis separata est à cute. Tales *vesicae sunt*, quasi succedaneum fontanellorum, & *quasi fontanella parva*, quoniam pura lympha seu serum exit.

Itali in morbis malignis & ardentibus *in statu* morbi *solent excitare* tales *vesicas*, non sic successu felici, in carpis manuum, vel in pedibus, ad promovendam expulsionem malignitatis, quoniam rarò usurpant sudorifera. *In arthritide*, *malo Ischiadico* & *similibus* morbis à lympha acida oriundis, conducunt optimè pro evacuanda tali lympha, & impediendo motu ad articulos: in specie *ad affectus capitis* multum conducunt tales vesiculae, si nuchae applicentur in saporosis affectibus, *in Apoplexia* & *vertigine*, & specialissimè in *oculorum morbis* optimè conveniunt vesicae in nucha excitatae. Ulterius in *tumoribus aperiendis*, imprimis *malignis*, *in bubonibus & anthracibus* commodissimè tales vesiculae excitari solent; ne materia venenosa introrsum versus regurgitet, & ita cum praesenti aegri periculo repellatur.

Caeterum *vesicatoria sunt dolorifica*: propterea à quibusdam habetur ceu arcanum *vesicatorium* Emplastrum, quod *sine dolore* operatur: Cujus descriptio talis secreta est haec:

℞. *Cantharidum* ℥ß.
Cerae ℥ij.
butyri ℥j.
terebinthinae ℥j.
ol. rosar. ℥ß.
pulvis Mastich.
Myrrh.
asae foetid.
Camphorae gr. xv

F. Emplastrum molle, excipiatur linteo, & in quantitate debita applicetur.

Sin debet esse fortius vel mitius, augmentanda vel imminuenda est dosis Cantharidum, pro constitutione aegri: sicuti in asa faetida potest omitti in iis, quibus ejus odor est molestus.

Vesicatoria dixi esse succedanea sinapismo Veterum.

Veteres etiam habuerunt in usu

DROPACES,

Qui apud nos *non amplius usitati* sunt.

Fuit autem dropax sive picale Emplastrum *paratum ex pice* ceu basi, cui postmodum additur oleum, quae fuerunt essentialia ingredientia uniuscujusque Dropacis. His tamen *interdum additur pulvis ex pipere, pyrethro, Zingibere &c.* quibus moderni addunt *semen sinapi*, *stercora &c.*

Usus fuit, ut applicatus dropax parti, haec benè incalescat, ut partes marcidae ac languidae & atrophia correptae denuò nutriantur, & *atracto nutrimento* denuò *fiant aucta & crassae*.

Praeterea usurparunt *pro attenuandis*, *resolvendis & ex alto derivandis humoribus frigidis* & *serosis*: Modus usurpandi vid. in AUCTORE, cum non amplius apud nos sint in usu:

Nihilominus, ut pateat formula, sit *Dropax contra atrophiam* ex modernorum praescripto,

℞. *pulvis pyrethri* ℥ß.

Seminis Sinapi ʒj.
Euphorbii.℈j.
Castorei ℈ß.
picis navalis cum oleo costino q.s.

F. l. a. dropax applicandus calidè brachiis vel etiam pedibus in eorum atrophia. Sed uti dico, usus eorum apud nos omninò exolevit: Vid. præterea MORELLUS, quæ habet de sinapismis & aliis. Superius ubi habuimus Emplastra & Cataplasmata, facta fuit subinde mentio. SCUTI STOMACHALIS.

MORELLI CAP. XI.

De Scuto.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

IN genere *topicum stomachicum est, solidius scuti forma effigiatum, quod cum emplastri effigie, & sacculi, formari soleat, usus fere invaluit, ut & sacculus roborans sæpius pro scuto usurpetur.*

α COMPONITUR igitur VEL formula SACCULI, ex *Pulverib. stomachicor. calidior.* iis observatis omninò, quæ in Cucupha, à qua etiam forma tantùm differt, in usu, ita ut dosis pulveris sit ℥ii.

β VEL forma EMPLASTRI, ex massæ *Emplastri stomachici, ut de mastice* ℥ii. *Pulver. stomachic.* ℥ß. cui aliquando gummata odorata ad ʒii. adduntur, excipiunturque *Terebinth.* q. s.

VSVS & FORMVLA. SACCVLI ℞. *&c. fiat pulvis crassiusculus,* qui excipiatur cotone muscatellino, vel floccis panni coccinei, & cum panno serico fiat sacculus scutiformis, interpunctus, vel interbastatus, qui collo appensus gestetur supra regionem ventriculi, irroratus aliquando si lubeat, pauca aqua vitæ.

EMPLASTRI. ℞. *&c. fiat emplastr. scuti formæ super alutam,* ventriculo applicetur, illitum, si vis oleo, aut pulvere conspersum ne adhæreat.

VTILITAS Insignis post purgationes ad ventriculum roborandum, intemperiem frigidam, robur, coctionem, vomitum, &c.

℞. Fol. Absinth. pont. Menth. Maioran. an. M.
Fol. Beton. Rosar. rubr. an. M. ß.
Cort. Citr. Galang.
Caryophill. ana drach. ii.
Calam. aromat. Nuc. mosch.
Bacch. Lauri ana drach. i.
F. Pulvis qui excipiatur cotone, & suatur inter duo linteola rara, ut fiat *Sacculus Ventriculum calefaciens.*

β ℞. Empl. de Mastice. unc. ii.
Cort. citri. Caryophill.
Calami Aromat. an. drach. ii.
Benzoin, Styrac. calam ana drach. i.
Thereb. q. s. F. *Empl. stomach.*

JAm vero cum hoc scutum non sit peculiaris quædam formula medicamenti, sed tantum Cataplasma, vel Emplastrum, vel sacculus applicatus stomacho, nihilominus tamen AUCTORI placuit singulare de hoc conscribere caput, sicut supra de frontali sine necessitate factum fuit.

Scutum dicitur *à figura*: *applicatur* anterius pectori *circa scorbiculum cordis*, ubi ad abdomen descendit gula, & residet stomachi orificium superius.

Usitatissima formula est Emplastri: & præscribitur F. l. a. Emplastrum in forma scuti stomachalis: quale scutum stomachale interdum *solet fieri rotundum*, interdum verò, quod usitatius est, solet fieri quasi *triangulare*: alio modo præscribitur, ut fiat sacculus h. m.

℞. Sacculus oblongus interpassatus applicetur stomacho.

Utriusque formulam dedi superius, ita ut non sit opus singulare, conscribere caput.

Talium *usus* satis erit cognitus in affectibus stomachi, quando quasi furibundus, modo per *lienteriam*, modo per *cœlicam*, modo per *vomitum & choleram* expellit contenta. Et in talibus casibus *paratur* scutum ordinariò ex *Emplastro, de crusta panis Motagnana*, vel ex Emplastro *de Mastiche*, quibus adduntur pulveres appropriati: *Si simul adsit Cardialgia*, additur etiam Gumm. *tacamahac*: & hæc excipiuntur oleo appropriato, & fit Emplastrum: nihilominus tamen dabo formulam.

℞. *Empl. de crust. pan. Montagnan.* q. s.
Caryophyllor,
Galangæ ãa. ʒj.
Semin. anis. ʒij.
Gumm. tacamahac. in aceto Ment. solut ʒiij.

Misceantur invicem & malaxentur balsamo peruviano, inducatur super alutam, & obduc. syndone rubro, & fiat stomachale, irrorandum cum oleo macis destillato.

D. S. Emplastr. stomach.

Quando debet adhærere, præscribitur sine syndone.

Hîc vel maximè *notandum* duco, quod talia remedia imprimis applicanda stomacho *debeant esse suaveolentia* & suaviter odora, propterea quod *stomachus* admodum *consoletur bene & suaviter olentibus*, adeò ut hoc ipsum non sine cura inculcet, *HELMONT. in suis scriptis*, qui refert, se aliquando contumacissimam & periculosissimam, Cardialgiam vidisse sedatam solummodo oleo quodam suaveolente, & hoc communis quoque testatur experientia, quod graveolentia non rarò soleant excitare nauseam, sicut è contra nausea & vomitus pro suaveolentia facilè compescitur: inter quæ suaveolentia vel primum locum obtinet *Cinamom.* cujus vel aqua l. ol. destillatum *internè* sumptum multum solet corrigere & emendare stomachum: *Externè* v. ol. *Nusista* sive ol. *Nucis moschat.* expressum, ol. *Macis* destillat. ol. *Caryophyllor.* ol. *Cinamom. Balsam. Peruv.* & similia suaveolentia, nunquam omittenda in affectibus stomachi. Nam sanè interdum vel *odoretenus* penetrare *talia videntur & corrigere* maximas *exorbitantias* in stomacho non rarò obvias.

Multa dicenda essent *de modo agendi* externorum: cum hîc non levem *injiciat scrupulum D. MAIOR* in scripto *de inunctione ventriculi*. Et verum ut fatear, non caret scrupulo, quo modo externa operentur per cutim, pinguedinem, musculos & per omnia talia interjecta impedimenta, adeò ut propterea *MAIOR rejiciat* ferè *externa*, nisi forsan ea, quæ inunguntur vertici, aliquid præstent, utpote quorum virtus in totum ferè corpus beneficio sanguinis circuli, dispergatur: Nihilominus *experientia* salutarem externorum *usum* egregie *confirmat*, & cum talia externa applicentur calida, &, uti jam superius monui, applicato desuper latere calefacto, hinc fit, ut aperiantur pori, laxentur fibræ, & meatus anteâ ferè occlusi fiant admodum patuli & aperti, ut ita spirituosa, atque solummodo odoris ratione medicamentum applicatum, promptè penetrare, ac interna subire possit: *vide citat. tr. MAIOR.*

Deinde ut scutum stomachale applicantur SACCULI, qui applicantur stomacho, quorum sacculorum ex vegetabilibus stomachicis præparatorum, adjectis aromatis benè olentibus jam supra dedi formulas: ut non opus sit repetere.

Potest in Cataplasma etiam fermento applicari cum pulvere appropriato stomacho, & appellari scutum stomachale, de quo tamen superius sufficienter actum fuit.

Pergendum

MORELL. CAP. IV.

De Collyrio.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

TOPICUM *est opthalmicum, oculorum affectibus, privato quodam jure, dicatum, à sistendis fluxionibus maximè dictum*, Græcis κολλόριον, παρὰ τὸ κολλᾶν τὸν ῥοῦν.

Est autem duplex, *Humidum*, recentioribus absolutè *Collyrium* appellatum, *Siccum* Arabibus propriè *Sief*.

Collyrium Vaporosum.

Duplex est: *Liquidum*, quod liquoris forma oculis instillatur: & *Crassius*, mellis vel linimenti consistentia, quod inungitur.

Vapor autem non dicitur collyrii species, qui tamen cum passim in oculorum affectibus præscribatur, de hoc primò agemus: ita ut collyrium, humidum triplex statuam: *Vaporosum, Liquidum, Melliforme.*

VAPOROSUM non tàm collyrium, quàm forma medicamenti, humores vel oculos præparans, ut aliorum vis majore cum efficacia recipiatur, ut in suffusione, maculis, &c. præscribitur tamen etiam per se ad discutiendum, quæ forma omnino optima. Item ubi visus clarificandus, &c.

COMPONITUR autem, seu fit VEL per *halitum* proprium, aut alterius, α ut pueruli, qui ore prius abluto mandat *semen fœniculi*, &c. inhalet deinde in oculum; qui sæpiùs diuque fovendus, prout opus.

VEL præscribitur *decoctum*, dosi clysteris ex Foliis, Sem. Flor. oxydorcicis, discutientibus, rarefacientibus, idque in *vino albo*, sæpius & *aqua*, additâ nonnunquam *urinâ pueruli*, ad ℥ij.

USUS & FORMULA *decocti*. ℞. *&c fiat decoctio in &c. pro suffitu*: hujus decocti vaporem vel fumum recipiat ex olla parva, vel per tubulum æneum, in oculum reseratis partibus, manè & serò longè à cibo, (per dies, quibus opus erit,) deinde per horæ quadrantem foveantur etiam oculi spongia decocto imbuta, vel sacculis simplicibus ipsius repletis, qui tepentes vicissim applicentur oculo laboranti, per horæ quadrantem, aut dimidiam.

UTILITAS expressa est. Fieri etiam possunt ad adstringendum, in dilatatione pupillæ ex idoneis: in fluxionibus lachrymarum, sed ille usus obvius passim magis est. *Hac de Vaporoso.*

Collyrium liquidum.

LIQUIDUM absolutè dicitur collyrium, etsi olim collyria propriè fuerint sicca, trochiscorum ferè forma, quos usus tempore diluebant liquore idoneo.

COMPONITUR autem vario modo, præscribiturque VEL *Aqua destillata* sola, quæ simplex, aut composita: *simplex*, idonea, una, duæ, plures, ad ℥iiij.

α *Composita*: quæ magistralis est, & maximè digerendo, discutiendo, detergendo, visui acuendo, delendis suffusionibus, &c. dicata, à Medico præscribenda, fit ratione QUALITATIS, ex *Oxydorcicis* Fol. Seminibus, tum etiam *Cephalicis* calidis, Foliis, Seminibus, Aromatibus quibusdam, ut *Zingib. pipere*: additis usitatè *B Felle, Vrina pueri impubis, Vino albo, Melle.*

Quod ad QUANTITATEM, *oxydorcicorum folior.* M. vj. viij. *sem.* ʒiß. ʒij. *cephalicor. folior.* M. ij. *aromat.* ʒß. vj. *fellis* ʒij. *Vrina* ℔ß. ℔j. ℔ij. *mellis* ℔ß. ℔j. *Vini* ℔ij.

FORMULA. ℞. *&c. macerentur per octiduum in vase vitreo, in loco calido, vel fimo equino: destillentur postea in balneo Mariæ, reponatur aqua in ampulla vitrea, servetur ad usum, qui* idem ut aliorum est.

β VEL Ex *solis Succis*, folior. maximè, depuratis, filtratis, infusis in oculum, vel linteo admotis.

γ VEL ex *Decocto solo*, Folior. Semin. Flor. idoneorum, dosi potionis præscribendorum: ℥iiij. enim sufficiunt pro collyrio.

δ VEL ex *Infusione sola* Metallicorum, ut *Antimonii* ʒj. in *aqua* ℥iiij. eximia ad visum clarificandum, sic & *Vitrioli* gr. ij. iij. in *Aqua rosar. & fœniculi*, ad ruborem & dolorem oculorum eximium: *vel* Vegetabilium idoneorum facta in aquæ destillatæ, succi, decocti, &c. ℥iiij. vj. liquore deinde colato, in ampulla reposito ad usum.

VEL ex *Aqua destillata, succo, infuso: decocto*: horum duobus, tribus, simul confusis pro intentione ad ℥iij. ℥iiij.

VEL *alii liquores* soli usurpantur, pro scopo: ut *Vinum Aqua, Albumen ovorum*, in doloribus &c.

ε VEL *pulvis* præterea jam dictis solis, vel mixtis, additur, scopo idoneus, ex ophthalmicis desumendus, sic ut ejus ʒj. ʒij. ʒiij. præscribantur ad summum: fortes ʒj. non excedant, cum liquoris ℥iiij. v. vj.

NOTA obiter, optimum esse colare collyrium, ob asperitatem pulverum, nisi ubi detergendum.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat collyrium*, cujus guttæ aliquot 2. 3. instillentur in oculi majorem canthum, vel præterea, quod mihi placet, linteolum eodem imbutum admoveatur, sæpiùs mutando, fiat veluti fotus aut epithema, vel ubi liquores benigniores, resupinus æger, collyrium ampulla conceptum, cujus extremitas oculum ambire possit, admoveat.

VTILITAS *liquidi humidi* maximè ad ardorem oculorum extinguendum, dolores, inflammationes repellendas initiò, deinde discutiendas, & fluxiones omnes inhibendas, siccandum, lachrymas absumendas, detergenda quævis eorum vitia, ad visus acumen, nebulas, humores crassos discutiendos. *Hac etiam de collyrio liquido*: sequitur

Collyrium Melliforme.

MELLIFORME Sic appello, *quod sit consistentia mellis*, idque trifariam, *specie Linimenti, Pultis, Cataplasmatis.*

α LITUS fit VEL ex *Pulver.* idoneis levigatis in Alcool, & *Excipiente* idoneo, quod varium pro scopo, *Mucilago idonea, Mel, Butyrum, Vnguentum, rosat. &c.* pro indicationibus. Sic ut tota compositio sit ℥j. pulver. nimirum ʒij. ʒiij. excipientis ℥ß. ʒvj.

β VEL sine pulvere ex *mucilaginibus* seminum idoneorum, ut *cydoniorum. &c.* prior ratio usitatior.

γ CATAPLASMA & PULS fiunt ferè tantùm ad dolores leniendos, idque ex *Medulla panis* ℥ij. maceratæ in *lactis* q. s. cui additur aliquando *mucilago psyllii* ad ℥ß. *opii* gran. ij. &c.

δ VEL ex sola *Pulpa pomi*, sub cineribus aut in lacte cocti, ad unc. ij.

ε VEL ex utroque

ζ VEL, ad repellendum, ex *pulpa cidonior. coctorum* ad ℥ij.

VEL, maximè ad discutiendum, more cataplasmatum, ex residentia decocti digerentis oxydorcici, contusa & trajecta ad ℥ij. Vide Vaporosum.

USUS & FORMULA. LITUS quidem ℞. *&c. fiat instar linimenti*, quo illinantur oculorum canthi, ut sensim penetrent ad interiora, vel etiam penicillo palpebris applicetur è regione affectus.

CATAPLASMATIS ℞. *&c. fiat instar pultis, vel cataplasmatis*, & linteolo madido liquore idoneo applicetur.

VTILITAS LITUS præcipua est, ubi palpebrarum vitiis occurrendum, ubi detergendum, ad quod omninò utilissimus, item ad siccandum, fieri etiam potest utiliter ad discutiendum. Item & ad dolores sed præstat forma pultis. Fiunt etiam hac forma collyria, ut pulveres hac ratione diutiùs hærentes in parte agant efficaciùs, tum, si quæ medicamenta acriora, sic demulceantur. CATAPLASMA, & PULS ad dolores ferè tantùm, possunt & ad discutiendum, repellendum, ut suprà.

Hactenus de collyrio humido: Sequitur

Collyrium siccum.

Hoc dupliciter fieri solet, forma *Pulveris & Trochisci.*

PULVIS ex lævigatis medicamentis idoneis in Alcool fit: diciturque Arabibus propriè *Sief*.

COMPONITUR ex *rebus ophthalmicis* idoneis lævigatis in Alcool, ad unc. sem. unc. j. ad summum, præscribendis.

VSUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat in cote cum liquore idoneo pulvis instar Alcool subtilissimus*, de quo parum v. g. gr. ij. insufflentur in oculum cum tenui calamo, deinde palpebra leviter diuque confricetur: vel istud Alcool liquore idoneo excipiatur, fiat collyrium, aut fiat *litus*, ut dictum suprà.

VTILITAS maxima & præcipua est ad detergendum, suffusiones, &c. si solus pulvis insufflletur, ut & ad cicatrizandum, vel si diluatur, ut dictum, ad varios usus fieri possunt, licèt hoc minus usitatum.

TROCHISCI usitatissimè FIUNT sine dicto in trochiscis, C ex pulverum variorum Alcool ad ʒvj. ℥ij. ad summum, qui liquore idoneo excipiuntur. Vide Trochiscos.

VSUS & FORMULA. ℞. *&c. cum &c. fiant trochisci lupinares vel pastilli pondere* ʒj. v. g. *siccentur in umbra*, teratur unus,

unus, solvatur pro collyrio, aut linimento conficiendo, cum jam dictis.

VTILITAS ad quasvis indicationes esse potest, cum hi trochisci sint tantùm forma pro servandis medicamentorum viribus: non enim per se usurpantur, sed diluti: passim autem ad siccandum, detergendum. &c. inflammationem oculorum cum opio. ut *troch. albi Rhasis*, qui & valent ad ruborem, ad digerendum, inflammationes, ad cicatrices extenuandas, & ejusmodi alias intentiones.

A Hoc in Catharractæ ablatione semper obtinet, ubi operator halitu ejusmodi pelliculas oculi emollire studet.

B Vbi detergendum, ut in ungue oculi, &c.

C Quo nimirum pulveres ad affectum hunc illumve utiles sic conservari possint, & ubi necessitas exegerit, solvi, atque applicari, ut mox addit author.

R. Rad. alth. unc. j.
Fol. Malv. Euphras. Chelid. maj. ana. M. j.
Sem. Lini Fœnugr. an. ℥iij.
F. Melilot. P. j.
F. *Decoct.* in Aq. font. cujus vapor recipiatur in oculum manè & serò.

α R. Herb. Euphrag. M ij.
Chelidon. Fœnic. Beton.
Verben. Rutæ an. Mj.
Siler. mont. Meliss. an. M ß.
Caryoph. Macis. Pip. long. an ℥ iij.
Macerentur per noctem in aq. rosar. & vini albi an. q. s. Et *destillentur*. usurpeturvè debitè pro oculo.

β R. Succ. Plantag. Solan. an. ℥ß.
Depurati applicentur oculo.

γ R. Fol Euphras. Puleg. an. Mj.
Fl Chamom Melilot. Rosar. rubr.
Paleæ avenæ. an. Pj.
Sem. Fœnugr. ℥iij.
F. *Decoct.* addendo sub finem parum vini albi, foveantur eo oculi.

δ R. Antimonii ℥i. vel Vitrioli gr. iiii.
Aq. Fœnic. Rosar. an. ℥iii.
F. *infusio*, Colatura usurpetur cum cautela.

ε R. Aq. Rosar. Nymph. an. ℥i.
Plantag. Solan. an. ℥ß.
Tutiæ præp. Sief alb. an. ℥ß.
M. f. *Collyrium*.

α I. R. Tutiæ Aqua rof. lot. ℥ii.
Vng. Pomadæ. Rosar. an. ℥iiii.
M. f. *Collyr*.

II. ℞. Aloës lot. Tutiæ præp. an. ℈i.
Sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri. gr. xvi.
Croci. ℈ß.
Cum mucilag. Tragacanth. q. s.
F. *Collyr*.

III. R. Butyr. majal. q. v.
Lavetur in vino malv. cochl. i. adde
Tutiæ præp. ℥i.
Camphor. ℥iß.
Misc. *pro Collyrio*.

β R. Mucilag. Sem. Cydon. Psyllii. 4. frig. mai. an. ℥ß.
F. *Collyrium*.

γ R. Medullæ panis alb. ℥ii.
Macerentur in Lactis q. s.
Adde mucilag. Psillii. ℥ß.
Opii gr. ii. M. f. *Collyrium*.

δ R. Pulp. pomi coct. ℥i.
Lact. muliebr. q. s. F. *Catapl*.

ε R. Medull. pomi dulc. sub cineribus coct. ℥i.
Micæ panis alb. ℥v.
Mucilag. sem. Psillii & Cydon. in aq. rof. extr. an. ℥ß.
Liquoris albuminis ovi, & lact. muliebr. an. ℥i.
F. *Cataplasma*.

ζ R. Cydon, q. v. coque in aq. simpl. q. s.
Hinc per setaceum traiiciantur & applicentur.

R. Ossis Sæpiæ. scrup. i,
Sach. cand, drach. i.
Vitrioli. scrup. sem.
Tutiæ præp. drach. sem.
M. f. *pulvis subtil. ad ungulam oculi*.

R. Tutiæ præp. ℥i.
Sarcocoll. nutrit. ℥ß.
Thuris. Mastich. an. ℈ß.
Spicæ nard. gr. vi.
Trochisci.

Pergendum est ad alias externorum remediorum formulas, inter quas ferè primatum obtinent

COLLYRIA,

QVæ nihil aliud *sunt* quàm *medicamenta, quæ applicantur oculis. In triplici* autem *forma* inprimis *solent applicari*.

1. In forma *liquida*, 2. in forma *unctuosa*, & denique in forma *sicca* pulverum.

Ad liquida pertinet etiam COLLYRIUM VAPOROSUM, qn. scil. *vapor* ex medicamentis excitatus *excipitur oculis* pro oculorum affectibus.

Vsum imprimis habet in discutiendis *tumoribus oculorum*, & in discutienda *inflammatione* & similibus affectibus.

Vsitatus est valdè *halitus ex ore jejuni* in oculos immissus, inprimis si talis halitus fiat ex ore, qui manducavit semen fæniculi. Hinc non raro mulieribus mandatur, ut scil. jejunæ masticent semen fœniculi, & halitum istum subinde in oculos puerorum inflent, partim *ad clarificandos oculos*, partim *ad curandos affectus oculorum*, id quod etiam solet præcipi, quando pueruli laborant *variolis*, & melius est, ne occupent oculos, ut nimirum masticetur jejunè semen fœniculi, idque infletur in oculos.

Non raro etiam præscribitur *medicamentum ex ophthalmicis* attenuantibus, resolventibus & discutientibus, quæ decoquuntur l. in vino l. in aqua, interdum etiam in urina pueri, ex quo decocto vapor exsurgens excipitur nudis oculis, l. immediatè, l. per infundibulum in oculos derivatur. *Exemplum* talis decocti *pro fomento oculorum* sit hoc:

℞. *summitat. aneth.*
fœnicul aa. Mj.
herb. Euphrasia Mij.
flor. Cyani
Calcatripp aa. pij.
sem. anis.
fœniculi aa. ℥ß.

infundantur in s. q. aquæ simplicis cum medietate urinæ pueri, coquantur, & ex decocto excipiatur vapor: excepto tali humido vapore, applicatur vel fotus humidus, l. collyrium liquidum, l. unctuosum, l. siccum. Nam hic vapor est quasi præparativum pro faciliori & meliori operatione sequentis collyrii.

Quod attinet COLLYRIUM LIQUIDUM l. aquosum. illud à variis *variè præscribitur*.

Nunc sola sufficit aqua. v. gr. *Euphrasia, Cyani, Calcatrip. fœniculi, chelidonii majoris* & similes.

Ad has aquas simplices *pertinent* etiam INFUSA, quæ his aquis infunduntur pro Collyriis, & pro varietate scopi *sunt varia*.

In genere, pro meliori intellectu sequentium, *noto* de affectibus oculorum, quod oriantur inprimis l. *ex humore lacrymali seu lympha lacrymali nimis acida*, & indè *oriuntur ferè omnes affectus oculorum externi*. De vasis his lacrymalibus, eorum cum glandulis connexione & excidente lympha pro oculorum humectatione, & pro lacrymarum in oculos derivatione potest videri STENO in tr. *de vasis oculor.* Cum verò *omnis lympha sub se* contineat *subtilem* quendam *acorem* detergentem & abstergentem; hinc fit, ut in naturali statu à lympha tali humectati sint facile mobiles, semperque detersi ab omnibus sordibus, simul verò atque hæc lympha lacrymalis *fit nimis acida*, tum variæ *oriuntur* oculorum imbecillitates & varia mala, inprimis quidem externa, scil: *oculorum corrosiones, lippitudines*, oculorum *rubedines, pustulæ, ulcera, scabies palpebrarum, fistulæ lacrymales, pruritus* & similia mala, quæ ferè oculi externum globum infestant.

Altera species affectuum oculorũ oritur imprimis *ex humore aqueo*, aut etiam ex *reliquis humoribus nimis* crassis, & exinde *minus perspicuis*: quando enim crassescit humor aqueus, tum expellucido & perspicuo fit opacus, & pro varietate crassitiei *varios acquirit colores*, nunc *glaucum*, nunc *album*, nunc *alium*: ita ut interdum pupillæ videatur quasi objecta nebula: quod dico de humore aqueo, *etiam intelligendum* est *de humore crystallino* & *vitreo*.

Hi sunt primarii oculorum affectus, & ex his ferè omnes derivantur reliqui.

Nam *si lympha* est *nimis acris* & corrodens solet facere *excrescentias* oculorum, uti sunt *Vngues*, *pannus* in externo oculi globo: quod si fiant corrosiones unguium & membranæ ciliaris, tunc excrescentes fibræ interius contexuntur in membranulam, ut ita dent *suffusionem*, De reliquis vitiis huc non pertinentibus, ut de vario situ pupillæ &c. nihil dico.

His consideratis facile erit invenire *remedia* pro talibus affectibus. Nam *mala*, quæ oriuntur *ex lympha acida*, *postulant ea*, *quæ acorem* & aciditatem præternaturalem *possunt corrigere*, *sive* constent *ex sale vol*. acidum temperante, sive constent *exfixioribus* acidum absorbentibus, *Mala* quæ oriuntur *ex crassitie* aut *depravatione coloris* humorum, postulant *subtilia*, *penetrantia* & *sal. vol.* subtiliter *impragnata*. in quibus excellunt in specie *fella animalium*, & sic porro.

His præmissis redeo ad *Collyria* composita *ex infusione*: quæ pro varietate scoporum sunt varia. *Vsitatissima* sunt, quæ fiunt *ex infusione antimoniali*. Ita enim *QVERCETANVS* paravit suam *aquam ophthalmicam* ex infusione *croci metallorum* in aquam ophthalmicam. *Alii* infundunt *vitrum antimonii* in aquam ophthalmicam appropriatam. *Alii* infundunt *caput mortuum ex butyro antimonii*, idque felici cum successu. *Alii* infundunt mercurium *vitæ*, & sic porro. Talis cujusdam *exemplum Collyrii compositi* sit hoc:

> ℞. *Vitri antimonii pulverisati* ℥ß.
> infunde in aqu. *flor. Cyani*
> *Euphrasiæ*
> *fœniculi* aã ℥j.

stent in loco calido per noctem, manè filtretur: f. Collyr. corrobor.

Hæc aqua. in quamplurimis & tantum non *omnibus oculorum vitiis est egregia* Huic ipsi tamem infuso catholico ferè *possunt addi appropriata* pro varietate oculorum affectuum variantia. Sic v.gr. in *rubedine*, *dolore*, *tumore* & *inflammatione* oculorum potest inter aquas infundendas recipi etiam aqua *spermatis ranarum*, quæ est egregia. it. *aqua fragorum* ex baccis destillata, in tali casu similiter multum commendatur: postmodum filtraturæ in hoc casu *potest addi saccharum saturni* ad ℈j. ʒß. vel ʒj. subtilissime pulverisatum, item potest addi *Camphora* ad gr. iij. vel IV. vel in fine infusionis sive mox antequam adhibetur filtrum, potest addi *Crocus* ad aliquot grana, qui crocus egregie penetrat, & multum in affectibus oculorum confert. Sed talia *acriuscula*, qualia sunt Camphora, aut etiã Crocus *in parva dosi* sunt *admissenda*, propter acutissimum sensum, quo *membranulæ oculorum* pollent, cum *sint productiones membranularum cerebri*. Quod si sit v.gr. *Vnguis* aut *nebula* oculi, sive *excrescentia* quædam super oculum, tunc commodissimè in his aquis appropriatis dissolvuntur *penetrantia*, & quæ absumere possunt concrementum membranaceum præternaturale.

In talibus casibus uti etiam *clarificandis* oculorum *humoribus* obscuratis egregia esse dixi *fella animalium*, inter quæ *fel lucii piscis* est excellentissimum, v.gr. formula potest esse talis:

> ℞. *aqu. Leucojibulbosi* ℥ij.
> *fellis luciipiscis* ʒ.

M. benè, stent in loco calido per noctem, manè filtrentur. f. collyr. pro occulor. macul.

Quidam destillant hujus modi fella & aquã destillatam recipiunt parum *Camphoræ addunt*, & ita *contra ungues & maculas* oculorum commendant: *secretum BVRRHI* in tali casu est *fel humanum destillatum* ex cucurbitâ vitrea per alembicum æneum seu cupreum, aqu. enim quæ prodit, cum aculeata sit sal. vol. fellis & imprægnata particulis æris cuprosi, valdè cõducit in talibus casibus. *Quidam* recipiunt vitriol. *album* quo *replent ovum ad duritiem coctum*, exempto vitello, (locum scil. vitelli replent vitriolo pulverisato) ovum hoc modo præparatum *suspendunt in cella*, & ita sensim sensimque *destillat liquor*, valdè egregius in talibus oculorum morbis.

Quidam promptius recipiunt aquam ophthalmicam: scil.

> ℞. *aquæ. Chelidonii Majoris*
> *Euphrasiæ* aa. ℥iß.
> *Vitrioli pulverisati* ℈j. plus minus, prout

æger potest vel facilius l. difficilius tolerare. Variant enim ægri in talibus: filtrentur per chartam bibulam, vel per pannum rariorem, & ita F. Collyrium.

Facit AUCTOR mentionem *urinæ pueri* impuberis: ubi inprimis nota, quod aqua *destillata ex vitriolo humectato* & irrorato *cum urina pueri*, sit experta *in albuginibus*, *nebulis* & *unguibus* oculorum absumendis. Modum parandi docet SCHROEDERUS, ubi de vitriolo,

MELLA *adduntur* interdum aquis ophthalmicis, ubi opus est detersione, *in ulceribus* aut etiam *vulneribus* oculorum. *Loco* ejus *mellis* non raro etiam recipitur *saccharum Candi* pulverisatum: quod etiam abstergit & detergit sordes, & adjuvat consolidationem. *Exemplum* habet FORESTUS *lib. XI. obs.* 29. de puero, qui ex variolis incidit in *pustulas* oculorum, quæ fuerunt *exulcerata*, & *unde* oborta est *nebula* oculorum. huic profuit remedium hoc modo præscribendum:

> ℞. *aquæ fœniculi* ℥iij.
> *fellis anguillæ* a. ʒj. ad ʒiß.
> *sacchari Cãndi subtiliter pulverisati* ʒj.

Stent in loco calido, filtrentur. collyr.

Pro gratiâ coloris potest addi tantillum Croci, antequam filtrentur.

Vitriolum ubi opus est detersione assumitur, ita quidem, ut ʒj. in ℥j. vel ℥iß. aquarum infundatur, præ hoc tamen videtur melius vitriol. in liquorem in ovo ad duritiem cocto in cellâ resolutum.

Hîc obiter noto, multos commendare *lac muliebre* pro Collyrio in *dolore* oculorum, it. in *inflammatione*, *in tumoribus calidis* ex lapsu ab alto, v.g. & similibus. Cæterum *pessimo consilio*, propterea quoniam *omne lac* sive sit muliebre, sive alius alterius animalis, applicatum oculis, ipsis fit inimicissimum, ex eo, quoniam lac tale applicatum propè oculos, *quando refrixerit*, *incipit acescere* & leniter coagulari: cum vero oculi sint exactissimi sensus, fit ut partim ex peregrino acido, licet subtili, partim experegrino coagulo, quo se oculus obducit irritentur oculi, & ex irritatione horum do, lores, tumores & affluxus sanguinis, simi-

liave multum augeantur, adeò ut plus mali quam boni ex lacte muliebri expectandum veniat.

Zingiber, cujus mentionem facit AUCTOR, valdè expertum est *in oculorum affectibus dolorosis*, penetratione & lymphæ acidæ correctione opus habentibus: id quod loquitur ista aqua *HARTMANNI ex Zingibere* parata in ejusdem *praxi Chymiatrica Cap.* 43. §. 3. *p.m.* 104. quæ vid. *Hanc* aquam mirabiliter *commendat LINDANUS*, & dicit esse Catholicum in omnibus oculorum affectibus, *vocat aquam divinam & benedictam*, & non potest sufficienter commendare: cujus beneficio aliquot suffusiones confirmatas se curasse gloriatur, quod credo, quoniam Zingiber multum valet in affectibus oculorum & præparatio etiam non est inelegans.

EX SOLIS SUCCIS FOLIORUM.

ITa est, interdum ad Collyria assumuntur foliorum succi: ita valdopere commendatur à *RIVERIO* ad discutiendam *albuginem succus fœniculi* recenter extractus, *cum gutta balsami Peruviani* succo permistâ. Item *succus anagallidis cœruleæ* instar Collyrii adhibitus seu applicatus multum similiter commendatur ad *albuginem* oculorum, inprimis si ad ℥j. v. gr. istius succi, *addatur* ʒj. præter propter *mellis rosacei*.

Pertinent huc *liquores* præparati per digestionem *ex flore Cyani*, *Cichorei calcatrippæ*, *&c.* præparat: horum liquorum exempla habet *SENNERTUS lib.* 1. *praxeos p.* 786. Talis liquor similiter vel solus pro collyrio sufficit. Pertinet huc etiam *succus* expressus *ex ovis formicarum*, quæ ova formicarum similiter sunt egregia in affectibus oculorum vid. *HOEFER. in Herc. med.* pag. 57. & *ex istis* formicis præparat certam *aquam ophthalmicam RULANDUS*, quæ aqua fuit stupendorum effectuum.

DECOCTUM.

VT decocta adhibeantur *loco Collyriorum* est *rarum*, imò jam ferè obsoletum, cum meliora prostant.

Interdum pro his omnibus plura adhuc usurpantur *sub formâ pulverum*, quæ simul faciunt ad scopum. Inter quos pulveres *Tutia* primatum obtinet, quæ *est favilla* quasi quædam *ex ære*, quæ promptè absorbet in se quodcunque, subtilissimum etiam, acidum excedens, corrigit acrimoniam lymphæ lachrymalis, & excrescentias absumit & detergit. Post Tutiam etiam sunt *ossa sepiæ præparata*: quæ similiter detergunt & abstergunt, uti etiam alia.

Quantitas pulverum respectu liquoris est determinanda, ex majori vel minori eorum acrimoniâ, Nam prout sunt acriores, eò minus est addendum, quo minus contra.

In genere quoniam collyria ad ℥iij. iv. rarò ulterius solemus præscribere, tum sufficit, si pulvis ʒß. respondeat ℥j. Collyri: sin verò pulveres sint fortiores, tunc ʒj. pulveris ad ℥iij. erit sufficiens.

Dabo *exemplum*. *Vnguis oculi* fuit curatus beneficio talis Collyrii.

℞. *Aquæ Chelidan.*
Calcatripp. ana ℥j.
ossis sepiæ præparat. ℈j.
Vitrioli ℈ß.
Tutiæ præparat. ʒß.
Sacchari Cand. ʒj.
M. probè, & agitentur pro Collyrio.

Simile est ferè *Collyrium LOTICHII in observat. descript. pag.* 208. qui unguem oculorum pterygium secundum motum lunæ, nunc accrescens, nunc decrescens curavit.

℞. *Lapid. hæmatit.* ℈ß.
Vitrioli albi calcinat. gr. xv.
Sacchari Cand. ℈j.
Myrrhæ.
Croci ana gr. v.
Aquæ appropriata ophthalmicæ ℥j. *vel* ℥iß.

M. F. Collyrium
applicandum cum plumâ, vitando pupillam.

Nam talia *Collyria*, quæ ingrediuntur paulo acriuscula, non libenter applicantur pupillæ, nisi ipsa sit afflicta, propterea, quoniam pupilla membrana est admodum tenuis, & non patitur, ut applicentur talia acriuscula.

Feci mentionem liquoris formicarum. *Modus usurpandi formicas* est *duplex*, *nunc* enim recipiuntur formicæ rubeæ, quæ habitant in arboribus, & ex iis exprimitur *succus*, qui oculto panno vel excrescentiâ membranaceâ affecto, instillatur: *Nunc* formicæ *lineo sacco* inclusæ *exponuntur soli*, ut ita quasi destillentur: *liquor decidens* inungitur oculo in similibus affectibus.

Ad succos oculorum Collyriorum loco usurpatos, pertinet etiam *succus plantaginis*, vel solus, vel cum albumine oculo applicatus, *in vulneribus* oculorum *cum inflammatione* conjunctis, vel etiam in *inflammationibus* oculorum *ab externa causa* provenientibus. Item vel maximè huc pertinet *liquor vesicularum Vlmi*: Hic liquor est expertissimum remedium *in oculorum vulneribus* instillatus, & cum linteis duplicatis in eo humectatis applicatus; *mira* facit in vulneribus, adeò ut etiam vulnera oculorum, in quibus humor aqueus omninò effluxerat, illo fuerint curatæ.

Dixi superius, quod rarum sit, ut ex decocto fiant Collyria: nihilominus tamen *in Variolis* ingruentibus, ut defendantur oculi, solet præscribi *decoctum corticum granatorum* in aqua appropriatâ, ut oculorum pori & membranæ adstringantur, & adstrictione tali impediatur variolarum proventus. Formula potest esse talis:

℞. *Cortic. granator.* ʒij.
infundantur in s. q. *aquæ plantaginis*
fœnicul. ãa.
ebulliant leviter, & filtrentur, adde
Croci gr. ij. vel iij.
Camphoræ gr. j. vel ij.

D. S. Præservativ. collyr.
Eodem modo solet etiam sumi *aqua decoctionis sumach.* seu seminis & fol. sumach decoctum, quod etiam *in præservandis variolis*, uti etiam in tollendo *pruritu oculorum*, & in *scabie palpebrarum* convenienter applicatur.

Hæc sunt collyria liquida, quæ fiunt vel ex infusione, vel ex decocto, &c.

Sequitur COLLYRIUM UNCTUOSUM, seu quod sub *formâ Vnguenti* vel linimenti solet applicari, aut etiam sub *formâ Cataplasmatis*, quæ tamen *rara sunt*, inprimis ea, quæ sub forma linimenti applicantur: nihilominus veteres illa usurpârunt, & prostat adhuc in officinis *Vnguentum nihili* quod paratur ex pompholyge seu Tutiâ. Hoc est *egregium in rubedine & dolore oculorum*; si externè inungatur palpebris: aliàs non facilè fit tale unguentum.

Interdum recipiuntur MUCILAGINES *seminum* verbi gratia, Cydoniorum Psyllii, extractæ cum

cum aqua appropriata, & applicantur cum linteis in tumore, dolore & inflammatione oculorum. Denique *sub forma cataplasmatis* fiunt *collyria*: inprimis primatum obtinent *Cataplasmata ex pomis coctis sub cineribus*: Dico sub cineribus coctis. Nam quidam etiam volunt coquere pomum *in lacte*, *quod* tamen propter rationes dictas est *inconveniens*: propter vitia lactis: quando coquitur mica panis albi in lacte, ut applicetur oculis, potius illa in aqua tepida est maceranda, & instar Cataplasmatis applicanda, cui interdum miscentur mucilagines verbi gratia.

℞. *Medullæ panis albi in aqua Euphrasiæ coctæ* ℥ij.
Mucilag. sem. psyll.
Sem. Cydonior. cum aqua Euphras. extract. aa ʒij.
M. F. Cataplasma occul. applican.

Dicit AUCTOR de *Opio*: *quidam in doloribus* oculorum addunt *opium*: sed hoc *est periculosum*, quoniam opium *inflammationes* oculorum *facit degenerare in sphacelum* vel gangrænam: E. potius est omittendum.

Ad hæc *Collyriorum modus* secretus & valdè probatus est *caro recens*: frustulum scilicet carnis nondum coctæ, sive sit caro bovina, sive vitulina, sive vervecina, magnitudine & crassitie thaleri *applicetur oculis* sub introitum lecti, ad multa *conducit*: *in tumore & rubedine* oculorum à causa externa: item in *contusione & lapsu*. Ulterius valdè etiam convenit *in præservandis oculis à variolis*, si applicetur & subinde removeatur.

In doloribus oculorum valdè etiam conveniens est, tale frustulum carnis applicatum, eodem modo *in pruritu & scabie* oculorum insigniter etiam convenit, imò habetur à quibusdam pro magno arcano.

Denique COLLYRIA SICCA *sunt pulveres* pro oculorum morbis destinati, qui pulveres minutissimi appellantur ab *Arabibus* SIEF, & tali nomine etiam prostant in officinis pro oculorum usibus. Hi ipsi pulveres sæpius *ex tutia ceu basi constant*, *quibus* inprimis modo *saccharum Saturni*, modo tantillum *Camphoræ*, modo aliquid *Vitrioli additur*, &c. *Applicantur duplici ratione*, vel enim *sufflantur per calamum* in oculum, vel tales pulveres *permiscentur* cum aqua appropriatâ, mutuò agitantur, & ita in oculos *instillantur*. Hi pulveres quocumque modo applicati, necesse est, ut *minutissimè sint triti*, ne dolorem aut pruritum inducant oculis. Ad hos pulveres, vel maximè paratus pulvis ex oculis cancrorum & exuviis serpentum pertinet, qui pulvis fuit secretum *KNOEPHELII in oculorum vulneribus*, inflatur oculis, & postmodum cum linteis duplicatis vel succus vesicularum ulmi, vel aqua Mynsichti ophthalmica ex cancris destillata, aut cum aqua ovorum destillata cum succino, quam describit *KESLERUS*. In suis 500. Processen, quæ aqua similiter est egregia. Hi *pulveres in officinis* prostantes *solent formari in trochiscos*, excipiuntur nimirum mucilagine tragacanthi, & ita formantur trochisci, qui usus tempore dissolvuntur in aquis appropriatis, & applicantur.

MORELLI CAP. VII.

De Apophlegmatismo.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

CAPUTPURGII ut vocant species est, ut & *Errhinum*, affectibus cerebri pituitosis dicata, & eliciendo ab eo phlegmati: unde ab affectu nomen *Apophlegmatismi*. Quod autem quidam *masticatorium* appellant, abusive, sit enim & Apophlegmatismus liquidus: licet hodie in usu practico ita sit receptum: quia Apophlegmatismi forma solida usitatior est, ut per Apophlegmatismum audiant simpliciter masticatoria: licebit discernere.

Quidquid sit, duplicem statuo, *Siccum*, & *Liquidum*.

Apophlegmatismus Siccus.

Hæc Caputpurgii forma *Masticatorium* aliàs propriè, vulgò etiam *Apophlegmatismus* appellatur.

COMPONITUR seu præscribitur. VEL ex *simplicibus* idoneis Apophlegmatizantibus, ut passim *Radic. pyrethr.* macerata per noctem in aceto ad unc.j. unc.ij. quam manè masticet.

α VEL ex *Pulvere jam dictorum* acriorum tenuiorum ad drach. iij. unc. s. qui excipitur *ceræ* q. s. vel sola *mastice*, alii aliter, cera magis convenit, sic enim pulvis cohæret magis.

β VEL ille idem *Pulvis panno lineo* raro, forti tamen, *excipitur*, & fit *nodulus*: pro quo passim mastices unc.j. pro basi, aliorum, acriorum drach. ij. drach. iij. præscribuntur, fiant noduli.

USUS & FORMULA *secundi modi*. ℞. *&c. cum &c. fiant pilulæ, vel formulæ salivales, vel globuli instar pilulæ majoris, vel formæ lupinar. vel trochisc. forma lupinorum, aut avellanarum, pondere* scrup.ij. drach.j. *fiant trochisci mansiles*, quorum unum masticet, & volutet sæpius in ore, manè jejuno stomacho, idque per semihoram capite prono, expuendo sæpius, quod dissolvitur, os deinde ablat *Aqua tepida, vino, &c*, ut reliquiæ hærentes eluantur. Poterit repeti etiam duabus horis ante cœnam.

UTILITAS Insignis est post universales purgationes ad κάθαρσιν cerebri particularem; reliquias nempe humorum pituitosorum, præsertim è cerebro, maxime circa basin ipsius & ventriculos priores exhauriendas. Purgat etiam vicinas partes, præcipuè gingivas, maxillas, dentes, (in quorum doloribus passim,) os, fauces, & quo vis caloris se diffuderit.

Apophlegmatismus Liquidus.

Est veluti gargarisma, quod Purgans poteris appellare.

COMPONITUR ex *Decocto cephalicorum attenuantium, incidentium*, Radic. Folior. Semin. Florum, dosi gargarismatis, additis apophlegmatizantibus, ad ℥j.℥iß.℥ij. facto in vino, hydromelite, &c.

NOTA, utiliter catharticum effici, decocta *senna Carthamo* aliquando, *Turpetho* ad unc. s. drach.vj.

QUANTITAS ipsius DISSOLVENDA, ut in gargarismate.

USUS & FORMULA eadem. Est enim revera gargarisma purgans.

UTILITAS quæ masticatorii; tamen, quia gargarisatus altiùs in fauces delabitur, longius quoque prolicit ex amygdalis, œsophago: videtur etiam potentius trahere ex ipso cerebro.

α R. Piper. alb. Pyreth. Zingib.
Cubeb. an. ʒj.
Trita excipiantur mastice & *pastilli mansiles formentur.*

β R. Cubebar. Piper. alb. an. ʒj.
Pyrethr. drach. ß.
Mastich. unc. s.
Contusa & commista *nodulo* includantur & masticentur.

R. Origani, Pulegii, Majoran.
Beton. an. unc. s.
Zinziberis, Piper. Pirethr. an. drach. iii.
Mastich. Sem. Pæoniæ an. drach. ii.
Staphid. agr. Nuc. Mosch. an. drach. i s.
Sem. Sinapi. drach. iv.
Contusa coq. in vini albi q. s. ad tertias.

Colatur

Colatura servetur pro *apophlegmatismo in Epilepsiâ*.

Post Collyria sequuntur

APOPHLEGMATISMI

ITa dicti, quoniam sunt *remedii formula destinata ad derivanda phlegmata ex glandulis oris*, aut certè iis, quæ sese in os exonerant: quando enim vel glandulæ palatinæ in summitate palati, vel glandulæ sublinguales in radice & lateribus linguæ, vel etiam glandulæ parocides juxta aures succum salivalem non sufficienter in os infundunt, fit, ut lympha restagnans in partibus capiti vicinis, aut etiam in ipso capite corrumpatur variè, ac varios affectus inducat.

Ne E. vel talis fiat lymphæ salivalis stagnatio, vel ut lympha ista promptius & copiosius eliciatur, propterea inventa est remedii formula, quam vocant Apophlegmatismum. Aliàs in specie ferè CAPUT PURGIUM vocari solet.

Hic *Apophlegmatismus* in genere vel *est siccus*, vel *liquidus*. Uterque *operatur*, *quatenus* ingredientia *sunt acria*, penetrantia & ita *irritantia*, quando enim talia in ore detinentur, tunc fit, ut eorum sal. vol. acre, hinc inde palatum pungat, vellicet & irritet, aut etiam partes vicinas, unde fit, ut ex tali irritatione copiosus lymphæ derivetur affluxus ad os in fauces.

Quod si præterea concurrat *motus oris masticatorius* per affrictionem partium ad se invicem, ut per continuam agitationem glandularum parotidum per maxillas ubi inseruntur, promoventur valdè, & valdoperè augetur istius lymphæ salivalis affluxus.

Monstrant hoc nobis mulierculæ, quæ linis dant operam, hæ enim, ut proventum habeant lymphæ pro irrigatione leni filorum, solent masticare crustras panis benè induratas, quæ cum sint duriores & renitentes, & hinc inde necesse sit, ut volvantur in ore, beneficio istius motus, copiosam solent promovere salivam: simili modo hoc fit in Apophlegmatismis.

Tales *apophlegmatismi* sunt vel in forma sicca, vel in formâ liquidâ. Ista *in forma sicca*, quoniam dentibus conteruntur, & quasi masticantur, solent vocari in specie MASTICATORIA.

SCHRODER. CAP. LXVIII.

De Masticatoriis.

MAsticatoria, Διχμασήματα, sunt apophlegmatizantia ita dispensata, ut dentibus masticentur.

Fiunt modis tribus:

1. Simplicia, vel integra, vel in pulveres redacta, concisave masticantur, ut Mastiche, uvæ passæ, pyrethrum, cubebæ, folia salviæ, agaricus, & simil.
2. Eadem contusa nodulo includuntur, qui ori inditus dentibus subinde comprimitur.
3. Eadem cum cera, mastiche, carne passularum ficuumve, terebinthina, melle, & similibus in massam subiguntur, dentibus submittenda. V. gr.

℞. Rad. pyrethr. ʒj. Nucist. Zinzib. ana ℈ii. Mastich. ℥i. Dissolvatur Mastiche in pista calida dum pistillo, hinc cætera admisceantur subigendo in massam, vel pastillos masticabiles pondere ʒß.

Item.

℞. Rad. pyrethr. Mastich. ana ʒß. subigantur cum cera in morsulos magnitudine avellanæ.

Componuntur triplici inprimis *ratione* ex AUCTORE, uti etiam experientia & consuetudine.

1. *Ex radicibus* paulò *acrioribus*, quales sunt verbi gratia radix *pyrethri*, quæ est primaria; radix, *angelica*, *acori*, *Cyperorum*, *Gentianæ*, *Galangæ*, *Zingiberis*, it. ex *corticibus aurantiorum*, *&c.* Talis radicis frustulum præscribitur *vel nudè masticandum* ad quadrantem vel dimidium horæ, *vel* præcipitur prius, ut talis radix infundatur & maceretur in aceto, & ita *macerata* dicto modo *masticetur* pro augmentandâ salivatione. *Ad has* ipsas radices commodè potest referri *nicotiana*; præparata eo modo, prout per tubulos solet hauriri: si enim frustulum tali modo præparatæ nicotianæ *detineatur in ore*, *masticetur* aut conteratur dentibus, mirum est, quantus soleat procedere affluxus: modo *observetur*, *ne* tantillum *deglutiatur de salivâ*, quoniam *aliàs* propter nicotianam graves *vomitus* ac *sedes concitat*: Et cum hæc nicotiana præterea, uti notum est, sit *narcotica* & dolores potenter compescat, propterea *in dolore* dentium talis nicotianæ apophlegmatismus est valdè conveniens, quoniam elicit lympham acidam corrosivam, & dentium dolorem inferentem, & præterea virtute stupefactivâ dolorem sedat. Alio modo solum *Gummi Mastich.*

Præscribitur, ut agitetur in ore: hoc enim valdoperè convenit *in elicienda* tali *pituita* salivali. Hic usitatissimus est modus præscribendi & ordinandi masticatoria.

Præterea tamen etiam secundo in usu est, ut *res* tales *acriores* modo nominatæ *pulverisentur*, grosso modo, qui pulvis ad ʒiij. vel ℥ß. præscriptus, *excipitur Gumm. Mastich.* dissoluto in vase calido: vel excipitur cera, & *fiunt pilulæ* majores & *globuli*, aut etiam *trochisci*, magnitudine & pondere avellanæ, ex quibus unius præscribitur masticandus, in ore benè volutandus, & saliva deinde exspuenda. Talis pulvis etiam *potest excipi* convenienter *syrupo* aut *melle*, & ita *sub forma Electuarii* præscribi: de quo Electuario contineatur in ore quantitas dimidiæ nucis castaneæ, subinde hinc inde volutando.

Vel *denique* 3. tales *pulveres permisti* cum pulvere Mastichis invicem *includuntur in* parvum *nodulum*, qui nodulus *masticandus* postmodum venit, & ista masticatione saliva promovenda. Ut *Exemplis* res fiat clarior, sit 1. Apophlegmatismus *secundum primum modum.*

℞. *Rad. pyrethri in aceto macerati* ℥j.
℞. *Rad. Zingiberis* ℥j. aut
℞. *Cortic. aurant.* ℥i.
F. apophleg. matior. detinend.

Sed hæc *rarò ita præscribuntur*, potius præcipitur à Medico, ut excipiantur eorum pulveres debito modo.

Secundò modo ita præscribuntur cum Mastiche & cerâ.

℞. *Rad. pyrethri* ʒj.
Lilior. convall.
Sem. sinapi. ãa. ʒß.
Cardamom.
Cubebar. ãa ℈ij.
c. s. q. Mastich. & ceræ liquefactæ.
P. pastilli seu Trochisci mansiles.
It. ℞. *Mastich. elect.* ʒij.
Rad. pyrethri ʒj.
Sem. sinapi.
Cubebarum.
Cardamom. ãa ℈j.

c. s. q.

c. ſ. q. *Rob Paſſular.* vel c. ſ. q.
Mellis anthoſati vel c. ſ. q.
Mellis anacardini (quod eſt valdè acre.)
F. Electuarium ori detinend. qui plurib. doſibus.

Tertio denique modo. ℞. *Rad. Pyrethri.*
angelic. aa. ʒj.
Cortic. aurant. ℈ij.
Maſtich. elect. ʒß.
Zingiber.
Galangæ aa. ℈j.

Excipiantur linteo forti. F. nodulus maſticand. vel cum vel ſine ſtylo. d. ſ. Hi ſunt apophlegmatiſmi ſicci, propriè dicti maſticatoria.

Sequuntur jam *Apophlegmatiſmi liquidi*, qui nihil *ſunt* aliud, quàm *decocta* ſeu gargariſmata parata *ex paulo acrioribus* irritantibus, vellicantibus & ſtimulantibus palatum parteſque vicinas: unde etiam *præſcribendi modus eſt unus* idemque *cum gargariſmate:* uſurpantur ſcilicet inprimis ingredientia Cephalica acria & aromatica, quæ valent craſſum phlegma faucium, in ſpecie tonſillarum, incidere, attenuare & elicere.

Formula eſt eadem cum gargariſmate, nihilominus poteſt præſcribi talis:

℞. *Herb. origani.*
Majoran.
Betonicæ.
Rutæ. aa mj.
Folior. nicotian. p. ij.
Flor. ſtœchad. Arab.
lil. convallium. ãa. p. ij.
Rad. pyrethri ℥ß.
Sem. ſinap. ʒij.
Cardamom.
Cubebar. aa. ʒj.
Maſtichis. ʒß.

Coquatur in ſ. q. vini in vitro clauſo: colatur. ℞. ℔j. cui adde

Mell. anthoſat. ℥ß.
anacardini. ʒij.

M. d. ſ. gargariſm. *Uſus* talium Apophlegmatiſmorum & Maſticatoriorum eſt, uti dixi, primarius, *copioſam derivare in os ſalivam:* unde iis, in quibus caput, fauces, aut etiam partes colli interiores, in ſpecie tonſillæ, ſunt] gravatæ copioſa lympha craſſa ac ſpiſſa aut etiam alio quodam liquore aquoſo & ſeroſo; in iis conveniens eſt maximè Apophlegmatiſmus ad derivandum in os humorem iſtum lymphaticum. Hinc non tantùm *præſervant odontalgias*, *tonſillarum inflammationes*, *oris* aut etiam *uvulæ exulcerationem*; & propterea qq. valdè commendari ſolent *in Apoplexiâ*, præmiſſis univerſalibus, in *affectibus ſenum* catharrhalibus & aliis. Et quidem *ubi ex partibus* tantummodò *ortis* elicienda eſt talis lympha, tunc conveniunt *apophlegmatiſmi in forma ſicca*; *ubi* verò adhibentur *pro faucibus* & *uvulæ glandulâ* (Nam *uvula eſt glandula* membrana obducta) vel in *tonſillis* aut viciniis glandulis expurgandis, & irritandis, convenientior eſt apophlegmatiſmus liquidus, ſeu *gargariſma* apophlegmatizans.

MORELLI CAP. VII.

De Dentifricio.

Cum commentar. Gerard. Blaſii.

REMEDIUM hoc etſi videatur tantùm coſmeticum: tamen & ſæpius à medicis ad alios eorum affectus præſcribitur.

α COMPONITUR VEL AQUÆ formâ, qua aut abluuntur dentes, aut linteo imbuto confricantur. Huc pertinet *Liquor vitrioli*, *ſulphuris*, paucus, aqua pauca dilutus, quo dentes fricantur. Mirè detergit, dealbat, vindicat à carie: cautè tamen; quia fragiles reddit.

β VEL forma PULVERIS præſcripti ad unc. j. unc. iß. &c.

γ VEL forma LINIMENTI, ex pulveris drach. vj. unc. j. cum mellis roſat. q. ſ. fiat inſtar opiatæ, pro litu.

δ VEL forma TROCHISCORUM, ſuppoſitorii inſtar, quibus reſiccatis & induratis dentes fricantur. Fiunt autem ex *Pulver.* unc. i s. unc. ij. cum *Mucilaginis* gummi tragacanth. q. ſ. fiant trochiſci, ſuppoſitorii inſtar, exſiccentur.

USUS & FORMULA. ℞. *fiat &c.* quo vel abluatur os ſæpiùs, &c. vel illinantur aut fricentur dentes, poſtea os ablatur idoneo, *aqua, vino, &c.*

UTILITAS præſcribitur maximè ad dentes dealbandos, detergendos, ſtabiliendos, vindicandos à carie, gingivas etiam firmandas, incarnandas, à fluxione defendendas.

NOTA obiter *circa materiam*, uſitatiſſimè, & utiliter, ad detergendum præſcribi *tartarum*, *coral.ia*, *cruſtam panis uſtam*, *ſal*, *os ſepiæ*, *pumicem*, b &c. quibus odorata pro ditioribus *moſchus*, ambra poſſunt addi.

A Intelligit Spiritum aut oleum eorum.
B Cineres tabaci.

α R. Aq. Prunell. Salv. Fragar. an. ℥ii.
Alum. uſt. ʒj.
Camphor. ℈ß.
Mell. roſat. col. Diamor. an. ℥j.
M. *ad dentes emundandos.*

β R. Corall. ʒij.
Ocul. cancri, Pumic. an. ʒj.
Rad. Ireos. Cinnam. Maſtich. an. ʒß.
F. *Pulvis dentifricius.*

ξ ♃. Rad. Ireos ʒi.
Alum. uſti ʒß.
Pumic. ʒij.
Ocul. cancror. corall. rubr. ãã. ʒj.
In pulverem redacta excipiantur mell. roſat. q. ſ.
F. *Liniment.*

δ ♃. Farin. latar. corn. cervi uſti,
Pumic. corall. rubr. præpar. ãã. ʒj.
Galliæ moſch. q. v.
Miſceantur cum Tragacanth. in aq. roſ. ſol. Forment. paſtilli *ad dentifricia exſiccandi.*

Dum verſamur in ore, vicina ferè his ſunt

DENTIFRICIA.

Vid. Scroderum capit. XLI. Jam citat.

M*Edicamenta dentibus deſtinata*, quæ partim *pro ornatu*, partim verò etiam *pro neceſſitate* ſolent præſcribi.

In genere omnia medicamenta dentifricia *ſunt vel in forma liquida*, qua abluuntur & abſterguntur dentes; *vel* ſunt in forma *ſicca*, quorum dentifriciorum *ſiccorum baſis eſt pulvis quidam*, qui poſtmodum pro additione aliorum varias medicamenti formas induit.

Quod E. attinet DENTIFRICIA I. in formâ LIQUIDA ſeu aquæ, uſitatè accipitur aquæ quædam appropriata verbi gratia, aqua *liguſtri* & aqua *Cochleariæ*, *prunellæ*, plantaginis, vel burſæ paſtoris, &c. Et talis aqua *acidulatur* c. ſ. q. ſpiritus cujuſdam mineralis acidi v. gr. ſpiritus vitrioli ſulphuris, nitri, ſalis, &c. quod ſi adhuc poſtuletur *gratia coloris*

coloris tingenda est aqua *cum Tinct. aquileg.* (quæ in specie in scorbuto oris est appropriata) aut Tinct. *Rosarum.* Tali aqua fricantur & abluuntur dentes, quæ fricatio & ablutio non tantùm adjuvat, ut *sordes detergantur* beneficio spiritus acidi detersivi, sed adhuc qq. tales aquæ acidulatæ adstringunt: valde ac *firmant dentes*, & eorum vacillationem aut casum præcavent. Cæterum *spir. vitrioli cautè*, imò rarissimè est *usurpandus*, propterea quoniam, demonstrante TACHENIO *in Hipp. Chym.* potius denigrat dentes, quam dealbat, *ratio*, quoniam in omni spirit. vitrioli est adhuc aliquantulum de metallo, quod tantillum præcipitatur circa dentes, ubi admovetur, & ita denigrat illos, *subsistendum* est potius *in spirit. salis*, quo acidulanda est aqua appropriata, quoniam valdè convenit, sed lenissimè, necesse est, ut acidulentur tales, propterea quoniam *nimio usu stuporem dentibus inducunt*, aut etiam eos corrodere possunt. Pertinet huc etiam sal ammoniacum in tali aqua appropriata dissolutum pro dentrificio liquido: quæ *aqua dissolutionis salis ammoniaci valdè confert in fœtore oris* ex fœtore dentium, si tali aqua dentes abluantur post cœnam & post prandium, & est valde egregium remedium.

Ulterius ad talia dentifricia liquida pertinet inprimis *Tinctura laccæ MYNSICHTI*, quæ descripta vid. in Auctore, expertissima *contra scorbutum oris*, etiam in gangrænam degenerantem, ubi non semper potest haberi talis Tinct. tantummodo recipiatur sal alcali verbi gratia sal tartari, l. cineres clavellati: dissolvatur tale sal in aqua appropriata, & *fiat instar lixivii* liquidioris: *in hoc* lixivium debite *infundatur Gumm. laccæ*, & exinde lixivium apparebit eleganter rubicundum, *addatur* tantillum *aluminis*, & postmodum filtretur, qui liquor filtratus est elegantissius *in* quamplurimis *dentium affectibus*, in specie *in scorbuto oris*, in quo non habetur per ipsi remedium.

Non raro etiam *nudi succi* vegetabilium expressi *usurpantur* pro dentrificiis liquidis: Sic verbi gratia usitatissimum est *in scorbuto oris* accipere *succum Nasturii & Cochleariæ*, & eosdem diluere *cum succo beccabungæ*, & his invicem mistis solent fricari & abstergi dentes.

Imò *fiunt etiam destillata* pro dentificiis liquidis verbi gratia ex *salvia & floribus ligustri* fit egregium dictum dentifricium, cui, *si adsit scorbutus*, permiscendus est *spir. Cochleariæ* ad subtilem acrimoniam: *Si* adsunt *ulcera oris & gingivarum*, miscendum aliquid *mellis rosati* pro detersione: *Si* adsunt *ulcera rebellia* in ore, tunc dicto huic *addenda* veniunt *folia plantaginis*, & postmodum *cum melle rosaceo* dissolvendæ aliquot *guttulæ spirit. vitrioli l. spirit. salis* ad subtilissimam aciditatem: quoniam hæc valdè abstergunt & detergunt ulcera, eademque mundificant.

Talia liquida dentifricia etiam *non raro* sunt acetum scil. *non adeò acre*, infusione herbarum appropriatarum imprægnatum: & sæpius usurpatur acetum tale *in dolore dentium*; si scil. aceto infundatur *radix bistortæ, lapath, acuti, iridis Florentin.* cum *Cypero* aut *fl. rosarum*, cum *persicaria* & similia acetum tale detinetur in ore, & fricantur dentes, *ad detergendas* & abstergendas *sordes*, & dolorem sedandum.

Phlegma aluminis l. solum, l. affusione cujusdam liquoris appropriati imprægnatum, elegans est *ad firmandos dentes* vacillantes.

Nasturcium decoctum in vino & Gargarisatum *dentes* vacillantes *firmat*, & etiam *fœtorem corrigit*.

Ruta in pino cocta similiter convenit *contra Cariem dentium*, etiamsi ea sit *ex scorbuto*.

Hæc sunt dentifricia liquida, succedunt DENTIFRICIA SICCA, inter quæ ipsa *usitatissima* est *formula pulveris*: qui pulvis sæpius præparatur ex pulveribus adstringentibus, acidum gingivas corrodens & flaccidas reddens absorbentibus & destruentibus ulcera gingivarum. Horum pulverum basis sæpius est *pumex & ossa sepiæ*, quibus pro gratia *odoris* additur *pulvis rad. Ireos* Florent. & pro gratia *coloris* rubri, sub quo sæpius expetitur, permiscetur pulvis *sanguinis draconis*, qui adstringit, hæc tria fere in omni pulvere dentifricio occurrunt, quibus adduntur reliqua à Medico præscripta & necessaria pro scopo. Præscribuntur ad ℥j. l. ℥iß. prout raro aut frequenter debent usurpari.

Sit verbi gratia. Elegans *pulvis dentifricius contra scorbutum oris*, quem describit BALTHOLINUS *Cent. 6. hist. anatom. hist. 54.*

℞. *folior. aquileg.*
semin. Cochlear.
Cortic. rad. cappar. aa. ℥ß.
rad. Ireos
Aluminis usti aa. ʒiij.
Mandibular. lucii piscis
Corallor. albor.
C.C. usti aa. ʒij.

pulverisentur subtilissimè & irrorentur cum ol. Caryophyllorum destillato. q. s.

M. F. pulv. dentifric. in scorbut. in scatula.

Potest persici hic pulvis, si irroretur aut imbibatur *cum spir. cochleariæ*, ubi scorbutus oris est contumacior aut certè periculosior. Pro ditioribus possunt *addi* aliquot grana *Moschi l. ambræ* pro gratia odoris.

Sit verbi gratia talis pulvis, pro ditioribus est *pulvis dentifricius* PRINCIPISSÆ ALTEMBURGENSIS:

℞. *ossis sepiæ*
C. C. usti
pumicis aa. ℥iij.
Moschi ℈j.
M. F. pulv. cui ad sperge
spir. rosar. ℥ß. & sicca interim
℞. *granor. Kermes*
Santal. rubri aa. ℥ß.
Spir. q. s. pro extrahenda Tinct.

qua irrorentur aliquoties prædicti pulveres & resiccentur. D. S.

Talibus pulveribus fricantur, uti notum est, dentes, & post frictionem absterguntur l. aqua simplici, l. quod melius, decocto l. aqua appropriata, sive post dentifricia sicca sæpius debent usurpari dentifricia humida.

Pumex, uti dixi, cum sæpius sit basis dentifriciorum siccorum, observetur, ut *rectè præparetur*: scilicet aliquoties ignitur, & lene calefit, & aliquoties *extinguitur in vino rubro*, sic tandem contunditur & benè teritur: alii bene calefactum pumicem extinguunt *in lacte* aliquoties, & postmodum benè contundendo pulverisant; *ut* a. hic pulvis contritus *rubescat*, si non volumus addere santalum rubrum, l. sanguinem draconis, tunc recipimus *Cocconellam*, eamque solvimus in aqua aluminis, & tali rubineâ solutione adspergimus pulveres, & ita suaviter rubescunt. Quidam mirificè commendant hunc pulverem *dentifricium*, *pro dealbandis & firmandis dentibus præstantissimum*, scil. si recipiantur, inquiunt, duo pumices, ex istis fiat pulvis

pulvis, quem infunde in aqua, in qua santalum rubeum fuit dissolutum, adde aliquid aluminis Rochæ, & pulvis omninò fiet ruber, qui postmodum exsiccetur, & adspergatur aliquot guttis aquæ rosar. in qua fuit dissolutum tantillum Zibethi, & ita servetur.

Reliqua *ingredientia*, quæ solent permisceri his pulveribus, *variant* pro varietate scopi: Nam *quando gingivæ* sunt *tumefactæ*, sunt *flaccidæ* propter copiosam lympham acidam, quæ eas imprægnat, (unde etiam sæpius sunt cruentæ) tunc recipiuntur commodè talia, *quæ imbibunt* istam humiditatem, *absorbent* istud acidum, & blandè *adstringunt*: quæ inter primum locum obtinent calcinata verbi gratia, *Pumex ustus*, *C. C. ustum*, *testæ ovorum calcinat. scilices calcinati. Farina Virginea Mynsichti*, *oculi cancrorum*, *osteocolla*, *alumen ustum &c.* *Cineres rorismarini*, item *Cineres nicotianæ* valdoperè commendantur. Tales pulveres postmodum, uti patet, permiscentur aliis dentifriciis liquidioribus. Nam *si* talis pulvis *excipiatur* c. s. q. *mellis rosati* vel *anthosati*, *fiunt* exinde *linimenta* valdè convenientia pro gingivis, ubi præterea est abstergendum & detergendum, & ubi necesse est, ut remedium dentifricium diutius hæreat in dentibus, talibus pulveribus cum melle aliquot *guttæ, olei ligni Rhodii* vel *caryophyll. possunt addi*, pro suavi activitate & conciliando suavi anhelitu.

Quod *si* est *affectus* scorbuticus *gravior*, tunc melli additur una vel altera gutta *spiritus vitrioli*, vel *salis* (valdoperè enim hi abstergunt) vel cum pulveribus permiscetur oxymel vel simplex, vel scilliticum. Imò *in ulceribus gingivarum* & ulceribus *oris*, & in harum partium corrosiva putredine solum unguentum linimentum factum *ex melle rosaceo*, *cum* tantillo *spiritus salis vel spiritus vitrioli* est excellentissimum. *Loco mellis* in pulveribus talibus non rarò sumitur *Rob diamoron.* vel *dianucum.* utpote quæ rob per se potenter adstringunt.

Prostat aliàs in officinis *unguentum de aquilegia*, quod ipsum est egregium *in dentium & gingivarum affectibus*, sive solum, sive admisceantur alia appropriata, & irrorentur cum spiritu appropr. verbi gratia spiritu cochleariæ in scorbuto, spiritu salis in vacillatione dentium, & similibus aliis.

Denique tales pulveres dentrifricii *excipiuntur non raro mucilagine tragacanthi*, & exinde *fiunt trochisci* oblongi, quibus exsiccatis postmodum fricentur dentes cum gingivis, quæ formula tamen est rarior.

Ad hanc trochiscorum formulam pertinet singulare *remedium FREITAGII*, quod describit in *auror. Medic. pag. 258.* scilicet vino permiscet spiritum sulphuris, ut leniter acescat, huic misturæ infundit radiculas polypodii per 24. horas, radiculas postmodum siccat, & iisdem utitur pro dentifriciis: quas valdopere & ceu singulare mundificativum & dealbativum dentium commendat. *Loco radicis polypodii* posset assumi *radix bistortæ*, quæ est major, vel *radix aristolochiæ rotundæ*, *Cyperi*, & cum his ita imprægnatis fricari dentes. Pergimus ad

MORELL. CAP. XIII.

De Suppositorio.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

TOpicum ano dicatum, *medicamentum oblongum 3. 4. digitos*, *figura tereti & rotundâ candelæ instar*, olim glandis forma unde Græcis βάλανος, hodiè vulgò *Suppositorium*, ad *alvum solicitandam maximè*, *& ad alios affectus, comparatum.*

Est autem vel *simplex*, vel *Compositum.*

Simplex.

FIT vel ex *caule ac radice Betæ*, *Brassicæ*, *Altheæ*, detracto cortice externo, quibus aliquando, ad augendam vim irritandi, *Sal* aspergitur, & oleo illita induntur: ex *Caule* etiam *porri*, butyro inuncto, *Sapone albo* in formam glandis acuminato, ut etiam *Mel solum* coctum in duritiem; sic enim acre evadit.

Compositum

FIT ex *melle*, ut basi, cocto, & indurato usque digitos ampliùs non inquinet, ac *pulveribus* ipsi cocto additis hac dosi: ut *mellis* unc. j. excipiat pulver. scrup. iv. ad summum, prout pulvis levior, aut etiam fortiùs agere volumus, quæ compositionis quantitas pro duobus, tribus, suppositoriis sufficiet.

Mel autem per se coquitur, vel cum succis, ad irritandum, aut alios scopos, idoneis: sit autem succi unc. j. unc. iß.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiant Suppositoria*, quorum unum oleo vel butyro illitum indatur urgente necessitate, ita ut, si sint purgantia, semel, bis, in die sufficiat: si ad alterandum, sæpius possint admoveri; si ex narcoticis, ad dolores, diutiùs ne morentur, ne paralisin inducant; (hinc & filo alligari solent, ut retrahantur pro lubitu,) nec sæpiùs immitti.

UTILITAS. In genere duplex, vel ad alvum & expultricem irritandam, vel ad proprios ani & recti intestini affectus.

Suppositorio autem alvus solicitatur, quòd sic ferat ætas, quæ clysterem facilè saltem non admittat, ut passim in lactantibus & puerulis: quia etiam consuetudo & morositas quorundam clysterem renuit, ut virgines. Item ubi clysteres tardius operantur, ut in colica sæpe: vel ubi medicamenta assumpta non operantur: ubi fæces in alvo hærent: ubi rectum ob fæces induratas clysterem non admittit: ubi facultas expultrix immemor officii.

Item ad revellendum, ubi humores ad superiora vergunt, ad caput, precordia, aut alias ubi revulsionis gratia à superioribus revellendi purgandique ut passim in affectibus capitis frigidis & soporosis, quibus hac ratione simul facultas sopita excitatur: ubi etiam à clysteribus, offenduntur ægri, &c. præter illum laxandi scopum fiunt etiam ad proprios ani atque recti intestini affectus, ex *melle*, ut basi, atque materia ad intentionem idonea modo suprà dicta: sic ad hæmorrhoides aperiendas cum acribus, ad sistendas cum idoneis, ad Tenesmum, ad ascarides, ulcera sphyncteris laxitatem, & paralysin, dolores.

ADVERTE *obiter* circa materiam in *suppositoriorum*, *alia esse* leviora, *simplicia*, *supra recensita pro infantibus*, *alia* fortiora, *quæ constant* ex sale, *pulveribus purgantibus simplicibus*, aloës, agar. sennæ, *compositis.* hieræ picræ passim, *alia insuper.* valida, *quorum usus maximè in soporosis*, sal. gemm. sal. ammon. nitrum, *purgantia simplicia*: colocynth. *composita*, hiera, diacolocyn. ad ℈ß. ℈j. *Item si ad dolores* opium *admittatur, cautè ob metum paralysis & via ad* ℈ß.

1. R. Mellis ad duritiem justam cocti. ℥j.
   Sal comm. Spec. Hieræ an. ʒß.
   F. *Suppositoria duo.*
2. R. Agaric. Colocinthid. an. ℈ß.
   Hieræ, Salis Gemm. an. ℈j.
   Mellis q. s. F. *Suppositorium.*

SCRODER. CAP. LXXXIII.

De Suppositoriis & Pessis.

SVppositoriorum formandorum ratio in hoc sita est, ut fiat ex materia duriuscula, glabra, adeoque in anum intrudi apta, sive illa aptitudo per se rebus insit, sive mixtione, coctionevè concilietur.

Prout igitur indicatio fuerit, ita suppositoriis materia eligenda, anodyna sc. detergens, consolidans, exsiccans, alvum irritans, &c.

Vsitatissima tamen sunt suppositoria deiectoria, eaque pro ratione operationis triplicia.

1. Lenia, quæ solo fere tactu materiali movent. Talia fiunt ex lardo, ficu inversa, sevo hircino, bubulo, (candela sevina,) cera, farina aquæ incocta, [ex qua fiunt suppositoria in sole exsiccanda,] caulibus, & radicibus, v. gr. betæ, brassicæ, bliti, mercurialis, petroselini & simil.

2. Mediocria, quæ aliquali acrimoniâ stimulant. Talia parantur ex melle ad crassitiem cocto, sapone, terebinthina cocta. Quibus adduntur interdum & alia, v.g. muscerda, sal, saccharum.

3. Fortiora, quæ vi purgante lacessunt. Talia fiunt ex purgantibus lenioribus, ac fortioribus, agarico, aloë, hiera picra, pulvere ad suppositoria, elleboro, scammonio, & simil.

Modus parandi.

Mel coquitur lente ad spissitudinem, ut digitis tractari possit sine inquinatione: experiri id licet guttulâ in laminam frigidam, vel stanneam effusâ, hinc effunditur in dictam laminam oleo illitam, dumque frigescit, formantur suppositoria, oleoque illinuntur.

Si qua addenda fuerint, ante effusionem ea pulverisata admiscere oportet, vel & formatos cylindros iisdem involvere, ut obducantur.

Portio mellis ℥ I. Pulver. [ad purgantia mitiora] ʒ I. præter propter [ad fortiora] ℈ß. ʒß. vel ʒ I. Sal. com. aut gemm.

Vt ℞. Mellis q.s. [℥ I.] salis gemm. ℥ß. aut Sal. com. ℈i. muscerd. ℈ß. F. suppositorium.

℞. Agaric. ℈i. sal. gem. ℈ß. mellis q.s. F. suppositorium.

℞. Pulv. ad suppositor. commun. ʒ I. mellis q. s. F. suppositorium.

De Pessariis.

Pessaria, pessi, nascalia ad digiti formam fere formari consueverunt, fiuntque ex rebus medicamentalibus uterinis, quæ vel suscipiuntur sacculo lineo oblongo, lanâ conceptâ, gossypiove, vel incorporantur cum melle, ladano. galbano, cera, succo, similive re, formanturque ad dictam formam digiti.

N. *Figurâ suppositoriis similia sunt, nisi quod longiora & crassiora.*

Exemplo sint.

℞. Myrrh. ʒj.ß.
Spec. hier. pic. compos.
benedict laxat. ana ʒi.

Cum melle cocto: F. pessarium, quod panno raro obductum, immitatur utero ad menses ciendos, *Vveickhard.*

℞. Stercoris asinini q.s. desicca & pulverisa, involvaturque pulvis panno de serico, pro pessario hæmorrhagiam uteri sistente, &c.

℞. Burs. Pastor. M. ß. contunde & inde panno pro suppositorio menses sistente, &c.

N. *Possunt itidem radices certæ, v. gr. rubia tinctorum, cyperi, iridis, & simil. loco pessarii adhiberi.*

Quid sint, omnibus notum est. Est scil. *medicamenti forma* in acumen desinens, *quæ ano intruditur.* Tale suppositorium pro quantitate subjecti recipientis debet esse *diversæ magnitudinis*: Nam in pueris parva conveniunt suppositoria, in adultis verò 3. vel 4. digitorum transversorum longitudinem attingunt: Crassities qq. in adultis debet esse major quam in junioribus.

Rectè dicit AUTHOR, quod *suppositoria sint* vel *simplicia* vel *composita.*

Quoad SIMPLICIA: recipitur *radix* vel caulis cujus dam plantæ emollientis, quæ ita intruditur ano, ut blandè laxet & emolliat alvum obstructam, quod *si opus sit stimulo, adspergendus* caulis vel radix, v.g. betæ, malvæ. altheæ &c. *salis* communis *tantillo*, quo stimuletur anus si fortiori opus est stimulo, recipiatur sal gemmæ, quod ipsum satis stimulat: ut a. sal melius hæreat, illiniri potest radix prius oleo emollitivo aut discussivo. Mulieribus nostratibus ferè usitatum est, ut faciant *suppositoria ex sapone* communi, imprimis pro usu infantum, pro emollienda alvo eorum, quo *si* debeat esse aliquantisper *acrius* tale suppositorium, *potest illiniri oleum amygdalarum amararum*, cui etiam pro varietate circumstantiarum potest aliquid admisceri *de oleo colocynthidis Quercetani*, quod se per etiam potenter stimulat.

Fiunt item suppositoria *ex lardo* vel *ex caseo Hollandico*, idque tantum in eo casu, *quando* adsunt *ascarides* in instino recto: tunc enim tales ascarides aggrediuntur caseum vel lardum, & istum devorant, & quando eidem adhærent, extracto suppositorio simul extrahuntur. Talia suppositoria ex lardo aut caseo Hollandico *illinuntur interdum cum lacte* quod valdè allicit vermes, interdum *melle*, quoniam omnia dulcia vermibus sunt amica, atque ita applicatis vermes adhærent, ut unâ forâs extrahantur.

De lardo adhuc moneo, quod desumatur vel ex *carne percina salita* & fumo indurata, vel ex porco recenter mactato, & nondum sale asperso. Si prius, cum tale lardum imbiberit copiosum sal, necessum est, u. *maceretur in aqua calida*, quô salsedo extrahatur, nisi enim hoc fiat, periculum est, *ne fortius stimulet*, & non diu possit permanere in ano: imò periculum est, ne ascarides propter acrimoniam salis non adhæreant, sed remaneant in intestino recto. Posterius si sit ex lardo nondum salito sive sale permisto, possunt ex tali sine maceratione fieri suppositoria.

Nonnunquam *solum* accipitur *mel*, istudque *coquitur ad consistentiam* crassam & spissam, quo fit, ut possit redigi in formam suppositorii satis crassam & & satis tenacem: in ista coctione cum mel contrahat empyreuma simul acquirit aliqualem acredinem, quâ talia suppositoria vel solo ex melle parata stimulant promptè anum.

Hæc sunt *suppositoria* simplicia, sequuntur COMPOSITA, quæ quoniam pro varietate scorporum etiam sunt varia, usitatissimè & ferè *semper usurpatur* suppositorium *stimulandi alvi gratia.* Deinde pro usu *consolidandi* aut *adstringendi* & *dolorem sedandi*, pro quo scopo nonnunquam solet præscribi in tenesmo dysenterico.

Modus parandi suppositoria composita, pro varietate scoporum *variat*: In genere tamen *observetur* imprimis *corpus* suppositorii, & ea *quæ adduntur. Corpus* suppositoriorum constituit *mel coctum* ad duritiem, cui postmodum inspissato *adduntur pulveres appropriati*, ita quidem ut ℥j. mellis utplurimum sufficiat pro uno suppositorio, cui postmodum adduntur pulveres à ℈j. ad ʒj. plus minus, prout pulveres vel sunt fortiores, vel sunt debiliores: & ita prout fortius vel debilius agere debent: *interdum* mel istud *miscetur cum succis* appropriatis v.g. cum succo *mercurialis*, succo *bryoniæ*, succo *altheæ &c.* & invicem mista coquuntur ad spissitudinem mellis pro suppositoriis.

Talia suppositoria semper prostant in officinis parata, tam pro adultis quam pro infantibus, eaque duplicia, lenia & aceria. Quando E. præscribuntur talia officinalia, præscribuntur h.m.

℞. *Suppositorior. communium* No. ij.
illinantur *ol. lil. albor.* D. f. supositor. mell.

Si vero volumus præscribere suppositorium acrius, præscribimus h.m.

℞. Suppo

℞. *Suppositor. acris* No.j.

illinatur cum *oleo Diacolocynth. Quercetan. f. supos.*

Talia suppositoria *quando applicantur* necessum est, ut in parte ultima cressiore iis *alligetur filum*, quo filo foras propendente commodè *possunt extrahi*, quoniam interdum ægri nimis profunde solent intrudere suppositoria, adeò ut interdum adeò sursum repant, ut non possint denuò eximi, imprimis si sint lenes: unde si postmodum volumus applicare clysma, hoc ipsum propter remanentiam suppositorii potius non tentandum, non enim intrare potest, Tale quidem contingit non raro *in contumaciori alvi obstructione*, in *Colica*, uti etiam in *malo Iliaco*, in quo testatur experientia, quod non raro ipsa *suppositoria* fuerint *per os rejecta*. Talia & majora mala ut præcaveantur, alligentur filo, quo ipso suppositorium, si diutius subsistat, potest extrahi.

Si verò non præscribantur suppositoria officinalia sed magistralia, præscribuntur usitatè pulveres ingredietes, ut c.s.q. mellis inspissati fiant supositoria. Tale *exemplum* acutissimorum duorum suppositoriorum, quæ sint præscribēda *in affectibus* capitis, *soporsis, lethargo, comate, apoplexia* & similibus sit hoc.

℞. *specier. hier. picræ* ℥ij.
fellis tauri inspissati ℥iß.
salis rutacei ʒß.
c.s.q.
mellis inspissati f. l. a. suppositoria acria N.ij.
illinuntur *oleo diacolocynth. Quercetani*.

Pulveres isti qui miscentur cum melle, pro parandis suppositoriis stimulantibus sunt varii, sumuntur imprimis; uti in formula dixi. *salia fixa* à ℈j. ad ʒß. vel ʒj. plus minus pro ratione aliorum ingredientium, nam ad hæc semper est habendus respectus:

Item sumitur *stercus muris*, quod ferè est usitatissimum, similiter à ℈j. ad ʒj. & tali modo fit suppositio:

℞. *Stercoris muris* ʒj.
Salis gemmæ ℈j.
c.s.q. *Mellis* F.l.a. suppositoria

Stercus muris, ferè est usitatissimum ingrediens suppositoriorum, interdum tamen etiam sumuntur pulveres *purgantes* & stimulantes v.gr. *species Hieræ, picræ*, item *pulvis agarici & sennæ* interdum in *specie diacolocynthid.* sive Hiera diacolocynth. aut etiam *pulvis* ipsius *colocynthid.* quæ cum sint fortiora, vel sola à ℈ß. ad ℈j. sufficiunt, item interdum additur *pulvis Hellebori albi* aut etiam *pulvis Ellebori nigri*, aut etiam *pulvis Esulæ* Imò in affectibus soporosis, & ubi opus est forti stimulo, nonnulli addunt aliquot grana *scammonii*. Talia supositoria ut facilius operentur, & ut aliquantisper leniamus intensionem, illinuntur cum oleis appropriatis. Ubi volumus emollire cum oleo amygdalarum dulcium, ol. lil. alborum, ol. Chamomill. ubi volumus stimulare cum oleo diacolocynthid. Quercet. cum oleo amygdalarum amararum & similibus

Fel tauri inspissatum etiam suppositoria ingreditur, ex quo solo cum muscerda & s. q. mellis elegantia fiunt suppositoria, nonnulli *in contumacissimis alvi obstructionibus* pro emolliendo & laxando faciunt *linimentum ex Butyro sale & vitell. ovorum*, & hoc illinunt linteo in formam suppositorii complicato, & ita applicant.

ANGELUS *Sala in suis scriptis Chymiatricis* multum commendat *suppositoria* acria, facta *ex alumine Rochæ*, tale alumen, rasione & incisione, fit suppositorium, quod intruditur ano, donec operetur: Foras extractum abluitur & denuò potest in aliis subjectis usurpari, idque ad longum temp[illegible]s. Nam alumen. tali intrusione non absumitur: *Præscribuntur usitate suppositoria numero ii*, ut scilicet si prius nimis cito rejiciatur & nihil operetur, alterum possit applicari, id quod usuvenit in casibus, ubi opus est forti stimulo, in specie in affectibus soporosis, aliàs non opus est, ut sint duo, vid. SCHROEDERUS, qui aliquot habet exempla & modum præscribendi suppositoria.

Quidam in cuspide suppositoriorum *addunt* aliquot grana *croci metallorum*, aut etiam *mercurii vitæ* pro forti stimulo. Cæterum observatum fuit, quod *non raro* ex talibus antimonialibus cum suppositoriis applicatis concitatus fuit *gravis vomitus* (quod *etiam dicitur de Elleboro albo*, cujus pulvis in summitate suppositorii pro stimulo fortiori reconditus dat vomitus) adeò ut talia etiam ano applicata non possint oblivisci suam malignitatem vomitoriam. Hæc sunt suppositoria stimulantia.

Nam *observetur* in genere, quod *anus* propter acutum *sensum*, quem habet à musculo sphinctere irrigato quamplurimis nervis, *facillimè irritetur*, adeò ut chartâ pulvere stimulante adspersa, si abstergatur anus, statim sentiatur stimulus ab irritatione. Unde joci gratia chartæ adsperguntur pulvere piperis, ut abstergentes iis annum sentiant stimulum, quod etiam faciunt chartæ, si illinantur cum succo Cucumeris asinini, & exsiccentur, hinc postmodum, cum illis detergitur anus sentiuntur miræ passiones.

Dum E. anus est adeò sensilis orificii, ex hoc facilè patet, *quæcunque suppositoria applicata semper stimulare* alvum & anum, unde etiam ea ipsa suppositoria, quæ tanquam *consolidantia & abstergentia* applicantur ano Tenesmo affecto, aut quæ applicantur in ulceribus ani ex dysenteriâ & similibus, licet debeant adstringere & consolidare, tamen semper irritabunt, ut consultius sit, aliis uti remediis quàm suppositoriis, utut ex consolidantibus & adstringentibus applicentur, Sic v.gr. *in Tenesmo* aut *exulceratione ani* solent applicari *lintea illita cum balsamo sulphuris*, quæ sunt egregia, nihilominus tamen non intermittunt stimulationem.

Quidam recipiunt *emplastra consolidantia*, eademque inducunt linteis *in forma suppositorii*, & applicant in talibus casibus: Nonnulli in gravi *dolore hæmorrhoidum*, item in gravi *dolore ex tenesmo dysenterico* aut etiam in *exulcerationibus ani* & similibus unum alterumve *granum opii addunt suppositoriis* v. gr. v. vj. ad viij Cæterum talia suppositoria ex & cum opio parata *cautè* sunt *usurpanda*, propterea quoniam melius est, ne ex stupore per opium sphincteri inducto oriatur paralysis ani, ut ita semper habeat os patulum, & nihil retinere aut etiam nihil excernere possit, quoniam laxatio & constrictio propter stuporem omninò impediretur.

Suppositoriorum *usus* est *multiplex*.

In genere, uti dixi. applicantur, *ut stimuletur* intestinum rectum & anus, quo stimulato, dum ejusdem fibræ blandè contrahuntur, etiam ipsum continuatum fibrarum tractum & adjuncta intestina ad tenuis coli principium irritant & contrahunt: quibus contractis, in intestinis crassis contentæ fæces expelluntur ad inferiora: propterea non raro, *quando clysteres applicatur irrito usu*, v.g. in colica, in Iliacâ passione, & fit, ut unà cum fæcibus pertinaciter retineantur, lenè vel fortiter stimulans post clysterem applicatur suppositorium: Sic enim fit, ut clysma in superiori loco emolliat, suppositorium in inferiore viam aperiat & motum concitet.

Quod dixi de Clysteribus retentis, etiam valet *de purgantibus*, quæ *quando operantur minus tarde* aut blandè, tunc ut anus irritetur, præter pulverem salinum stimulantem v.g. ex Tartaro, non rarò inferius applicantur suppositoria pro adjuvandâ medicamenti purgantis evacuatione. Item quando clysteres non possunt admitti, propter copiosos flatus distendentes colon ejusque cellulas, quod sæpius fit, tunc commodè suppositoria intruduntur, pro admonendâ alvo sui officii. In genere est *succedaneum suppositorium clysmatis*, inprimis in iis, qui non libenter admittunt clysteres, ut sunt *virgines* nostrates & *puerul*i, qui subitò rejiciunt clysteres, aut etiam alia subjecta, quæ clysmata non admittere volunt.

Præterea has ipsas *virtutes stimulandi* alvum, interdum etiam *in aliis* conveniunt *affectibus*: præprimis ex irritatione alvi solent habere fructum in *lethargo*, *Catalepsi*, *comate*, & similibus *soporosis*, *affectibus*, cum aliis medicamentis applicantur acria admodum suppositoria ad stimulandam & excitandam ejus naturam, ut facilius se colligat, quod fieri solet nonnunquam *catarrho* sic dicto *suffocativo* ad derivandum ad inferiora. Item quando in *malignis morbis* non sine suspicione applicantur clysteres, in specie in *Variolis* & *Morbillis*, ubi urgente necessitate unum alterumve applicatur suppositorium. lenissimum tamen. *Puerulis* etiam convenientissima sunt suppositoria, cum non commodè possint purgari per inferiora.

Hi quidem sunt usus suppositoriorum. Cæterum *gravidæ* non sine ratione *caveant* sibi à *suppositoriis*, propterea ne irritato ano ipsi connexus uterus simul irritetur, & ita stimulus ad abortum injiciatur, id quod cautè & sedulò est observandum ab iis, qui obnoxii sunt *tumori* ac *dolori hæmorrhoidum* cœcarum similibusve, ut parcius utantur suppositoriis, propterea quoniam talia valdè solent irritare alvum, & provocare ista mala. Denique ii, *qui* sunt *obnoxii procidentiæ ani* similiter sibi caveant à suppositoriis, cum periculum sit ne aut anus irritatus foras elabatur, & procidat. Hæc de suppositoriis.

MORELL. CAP. XII.

De Pessario, & Nascali.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

MEDICAMENTUM *sinui pudoris indendum, variis uteri affectibus expugnandis, à varia forma variè olim nominatum.*

Pessarium dicitur, quod figuram habeat longam digitum indicem, crassum pollicem, teretem, aliàs *Pessus*: quidam πριαπισκωτὰ, quod verò rotundum instar noduli, *Nascale*.

Duplex autem statuo ab effectu: *Purgans*, & *Alterans*.

Purgans.

α COMPONITUR VEL ex *Opiata laxante sola*, ad unc. i s. unc. ij. pro duobus nempe: (bina enim semper præscribenda, ut altero extracto, alterum indatur,) incorporetur cum *succo* aliquo: v.g, *mercurialis*,

NOTA, huic opiatæ addi aliquando *pulveres* vel *aperientes* acres uterinos, vel *purgantium* simplicium, aut compositorum, ad drach. ij. Item horum loco, *Gummi Ammoniacum*, & *Myrrha*, adduntur sæpiùs, ad drach. ij.

β VEL *ex pulvere simplicium catharticor. aut compos. electuar.* ut, *hierapicra ad* rach. vj. unc. j. unà cum alterantium uterinorum drach. iß. 3ij. cum *mellis*, vel succi, vel utriusque q.s. incorporentur.

γ VEL ex *succis cum melle coctis* ad opiatæ consistentiam, additis *pulveribus catharticis*, hac proportione: Succi unc. ij. unc. iij. Mell. unc. iß. Pulv. unc. i s.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. cum santalo rubro, vel panno serico fiat pessus*, vel *cum cotone excipiatur, obvolvaturque panno serico rubro, fiat pessus, magnitudinis debitæ*, qui filo coxæ alligatus. [ut extrahi possit pro libitu, quod fit post 4. 6. horas, quo sordes eluantur, postea iterum idem vel alius immittitur, ideò duplex solet effingi,] indatur, vesperi maximè horâ somni.

NOTA, antequam indatur, dici passim, *ipse vel interiora vulvæ illinantur oleo idoneo*: *Usus* autem per triduum, quatriduum est.

UTILITAS. Post purgationes, maxime autem in intemperie frigida, quâ accumulantur excrementa pituitosa, & sordes, unde sæpiùs sterilitas, &c. item aliquando ubi instituta diæta, atque tunc toto ipsius decursu usurpantur: estque optimum, ut componantur ex purgantium & corroborantium ana part. æqual. Valent etiam ad menses movendos; mirè enim alliciunt, si *moschum* maximè & *zibetum* addas. Utilissimum etiam, & usitatum, conficere purgantia & roborantia simul, ut jam dictum, pro conceptione juvanda, quorum unum ante viri congressum indat, alterum postea, ex solis roborantibus, adstringentibus.

Alterans & roborans,

Pessaria quæ non purgant, bifariam præscribuntur, VEL ad *roborandum uterum*, VEL ad *alterandum vario modo*.

α COMPONITUR VEL forma OPIATÆ, ex *Pulvere idoneorum uterinorum*, Radic. Folior. Aromat. &c. quæ incorporantur idoneis. *Dosis* autem pulverum drach. vj. unc. j. aliquando. unc. i s. Incorporans *vel Mel*, q. s. *vel succus*, q. s. atque tunc usitatè coto ista mixtura imbuitur, fiat *pessulus* obvolutus; &c. nam ubi cum melle excipitur, quandoquidem consistentia crassior, non opus cotone, sed fit pessus, cum panno serico, Potest & *syrupo* excipi idoneo.

NOTA, utiliter etiam cum *succis*, coctis cum melle, in formam opiatæ. Aliquando præscribi *Opiatam officinalem*, ut *tripheram persicam sine opio*, ad unc. s. *pulv.* drach. ij. unc. s. more opiatarum.

β VEL forma LINIMENTI, ex *Pulver.* drach. vj. unc. j. cum *Olei nardini*, & *ceræ* q.s. fiat instar linimenti, quo imbuitur coto, vel lana carminata, formatur pessarium, tenui panno serico obvolvendum.

γ VEL forma SUPPOSITORII, ex *Mellis* unc. i. s. unc. ij. cocti cum *Succi* idonei unc. ij. unc. iij addendo, si vis, *Pulveris* unc s.

δ VEL ex *solis Unguentis* idoneis, qui cotone excipiantur, vel aliàs. ubi adstringendum, ex *Unguenti commitiss.* & *Pulver.* idoneorum ana unc. j.

ε VEL ex *Herbis viridibus* ad M. j, contusis, cum *Melle* vel *Succo* incorporatis, addito, si lubet, *Pulvere* ad drach. vj. unc. s.

ξ VEL ex *Cotone solo*, maximè in uteri suffocatione, *zibeti* drach. s. imbuto, aut moscho soluto, & aliis odoratis, statim indito.

ITEM, *coto* pro pessario utiliter, ad alios scopos imbuitur *succis* idoneis, ad unc. ij. unc. iij. quod efficax ubi adstringendum, quibus, & passim *pulveres* addi possunt ad unc. *s.* drach. vj. ut suprà, vel alia idonea, ut *butyr. axungia*, *pinguedo*, ad molliendum, &c.

USUs & FORMULA. Vide Purgans. Pessarium solidum præstat etiam semper panno serico, rarissimo involvere, ut commodiùs possit extrahi, liquatur enim: tum quia adstringendum, siccandum, sæpiùs renovari debet.

UTILITAS. Ad roborandum uterum, ut dixi, tum etiam alterandum vario modo, ad ipsius inflammationes, duritiem intemperies varias, ad omnem fluxum uterinum, prolapsum, suffocationem, fœtum excludendum, ad secundinas, ad menses movendos, sed talia ferè simul fiunt purgantia: quibus non utendum, nisi post purgationes universales; ad ulcera cervicis, ut ad uteri *suffitus*.

Hæc de Pessario, sequitur

NASCALE.

Alii idem quod *Pessarium* statuunt: alii habent pro *Nodulo*, ut vocant, *vel Penicillo*. Inventum vel propter virgines præ pudore pessaria recusantes, vel etiam cùm mulieres pessaria admittere nequeunt, ut quando adsunt ulcera, &c.

Quidquid sit, COMPONUNTUR Penicilli in nodi effigiem, suntque mollissimi ex *Cotonis* vel *Lanæ floculo aut hapso*, qui insuccatur vel *succo* idoneo, vel *unguento*, vel aliis suprà dictis, quorum dosis vix definitur: *hapsus lanæ* ferè v.g. præscribitur, qui imbuatur rei talis s.q.

Tales etiam fiunt ad suffocationem, cotonis flocculo *zibeto* leviter imbuto, vel *Moscho*, *Aloe nardino* soluto v. g. ut suprà.

USUS pessariorum.

UTILITAS in virginibus eadem quæ pessariorum, fiunt ad ulcera cervicis, ad dolores, &c.

a R. Elect.

α R. Elect. bened. laxat. unc. ij.
Succi mercurial. q. s. *Misce.*
Imbuatur eo lana pexa, & f. *Pesaria Panno sericeo involuta & filis alligata*, n. ij.

β R. Colocinth. Mechoacan. an. drach. j.
Sal. nitri. scrup. s.
Melis cocti q. s. F. *Pessarium.*

R. Hieræ picræ. Benedict. laxativ. an. ℨj.
Pulp. Colocinth. Agar. Trochisc. an. drach. s.
Spic. nard. Sem. nigel.
Fol. Sabin. an. drach. j.
F. pulvis, qui incorporetur cum Melle anthos, & includatur panno sericeo, ut, fiant, *Pessaria duo.*

γ R. Succ. mercurial. unc. ij.
Agar. trochiscar. Colocinthid.
Jalap. an. drach. i. s.
Mellis unc. i s. coq. ad consumptionem succorum in consist. Opiatæ.
F. *Pessarium.*

α R. Artem. Abrot. Dictam.
Rutæ sicc. Sabin. Styrac. liq. an. ℨj.
Myrrh. Sagap. Ladan. Castor. an. ℈iß.
F. Pulvis ex quo cum Mellis q. s.
F. Pessi aperientes.

β R. Myrhæ Castor. Selv. an. ℨij.
O. Nardin. & mellis q. s.
F. *Pessarium instar Linimenti.*

γ R. Succ. Plantag. Mercurial. an. ℥j.
Myrrhæ ℨß. Mellis. ℥iß.
F. pessus instar Suppositorii.

δ R. Vng. Comitiss. ℥.
Troch. de Spod. de Terra sig. an. ℨiij.
Boli arm. ℈j.
F. pessus adstringens.

ε R. Mercurial. rec. q. s. contusum instar suppositorii conglobetur, filoque obducatur, ut *fiat Pessus.*

ζ R. Moschi in aq. Cinnam. sol. ℈j.
Excipe cotone, & *immitte* in uterum.

Sequitur jam ex adversâ parte in mulieribus applicandum PESSARIUM. in virginibus verò NASCALE seu NASALE.

Pessarium est *medicamenti forma intrudenda Vulvæ muliebri*, unde fabricatur ferè ad imitationem membri virilis, *Est* scilicet pessus seu pessarium medicamentum *longum ad 3. vel 4. digitos tranversos crassitie pollicis*, quod obducitur syndone rubro, & immititur sinui pudoris in mulieribus.

Pro variis uteri affectibus commendatur & destinatur Hujusmodi pessaria *apud nos* sunt *rarioris usus*: applicant enim lubentius naturalia quàm artificialia pessaria. Nihilominus cum in talibus casibus sit necessum, ut præscribant, notetur eorum compositio, Inprimis usurpantur pro *purgatione*, pro *alteratione*, pro *aliis usibus* quibuscunque, utut pro purgatione res sit rara.

In genere recipitur *pulvis*, isque *excipitur* vel *cum melle*, uti factum fuit in suppositoriis, & coquitur ad crassitiem, *vel* recipitur pulvis, excipitur *succo appropriato*, seu inspissato, & formatur in formam pessarii: *vel* denique ipse pulvis excipitur *cotone vel bombace*, & ita applicantur beneficio syndonis Vulvæ.

Hæ sunt in genere tres formulæ pessariorum, in specie tamen variant. *Pulverum quantitas* rarò excedit ℥ß. plus tamen minus, pro quantitate in dosi, reliquum complent succi vel mel, quibus permiscentur.

Interdum quando pulveres sunt mitiores, vel quando fortius agendum, tunc etiam pulveres ad ℥j. possunt præscribi: ut dem *exemplum*, sit v. g. *Pessus* præscribendus mulieri *in suppressione mensium*: Nam in tali casu usitatè applicantur, ratio quoniam *menses* non *exeunt* per uterum, sed tantum *per vaginam uteri*, non minus menses quàm *etiam lochia post partum*: jam verò intruditur pessus, qui immediatè contingat vaginam uteri, irritet oscula venarum, & promovere possit mensium fluxum. Applicatur tantùm ex usitatis menses cientibus h. m. præsctiptis.

℞. *Aloës* ℨß.
Myrrhæ ℨj
agarici albi (purgantia)
Seminis nigell. an. ℨj.
Trochiscor. de Myrrh. ℨß.

cum succo mercurialis, & melle inspissando, miscendo & obducendo syndone rubro.
F. Pessarium cum filo.

Succus mercurialis egregius est *in uteri affectibus*: unde *ex solo hoc* succo excepto cotone fit *pessus* cum syndone, qui intruditur in vulvam pro purificando utero: & certè valdoperè commendatur in quibuscunque uteri affectibus, & à quibusdam habetur pro secreto: interdum cum succo mercurialis impægnatur bombax, & sic fit pessus: interdum mercurialis viridis contunditur, & ita cum syndone in formam pessi fingitur. *Dabo alium pessum* in tali casu minus acrem, non tamen minus efficacem.

℞. *Rad. Gentianæ-*
herb. pulegii an. ℨij.
Semin. nigellæ ℨj.
pulpæ seu carnis ficuum q. s.

ad incorporationem & cum succo mercurialis
F. pessus
obducendus syndone rubro cum filo & applicandus.

Ex solo cotone cum pulveribus fit *pessus*. Sit v. g. supprimendus sanguis nimium fluens, *in nimio mensium fluxu*, vel ante partum, vel post partum, tunc.

℞. *Stercoris asinini.*
suilli an. q. s. l. an. ℨiij.
Sperniolæ Crolli ℈j.
Laudani opiati. gr. ij.

M. Fiat pulvis, qui excipiatur cotone, & obducatur syndone rubro pro pesso, & applicetur. Sic habuimus pessos ex melle, ex succis ex pulveribus salis, ex herbis nudis ex mercuriali &c. SCHROEDERUS habet pessum *ex bursa pastoris* contusa, qui est elegantissimus *in nimia hæmorrhagia uteri. In stimulando utero* usitatissimè fit pessus *ex helleboro nigro*, in quo casu in obstructione mensium *ANGELUS SALA* habet egregium pessum. Cæterum quoniam Helleborus est acris, *non diu relinquendus* est in utero, quoniam metus est, ne inducantur exulcerationes & excoriationes uteri. *Fit talis Pessus ex Elleboro* 1. quidem *in substantia*, quando Elleborus niger pulverisatus ad ℈i cum pauco cotone excipitur, & applicatur utero, vel tantum *fit nodulus* ex ℈j. Ellebori nigri, qui nodulus cum filo munitus intruditur in vulvam, & potenter admodum ac acriter stimulat. *Vel* fit pessus *ex floribus persicorum*, & radice hellebori pulverisata, hi excipiuntur cum Gummi Tragacanth. solut. cum succo mercurialis, & in pessum compinguntur, Syndone rubra obducendum. Vel denique *Extractum Hellebori nigri permiscetur cum melle* & succo mercurialis, & compinguntur in pessum elegantem in uterum. His pessis *stimulantibus* uterum convenienter *additur Crocus*, qui singulariter in stimulando utero convenit. Unde post Balneum emollitivum aut aperitivum valdoperè commendat *HELIDEUS BADUANUS* pessum ex ℨß, Croci paratum vel potius nodulum. Elegans etiam potest fieri *pessus pro mensibus ciendis* h. m.

℞. *fellis*

℞. *fellis tauri inspissati* ʒj.
Croci ʒß.

Misceantur & subigantur cum succo mercurialis, in quo cocta fuit Colocynthis. F. pessus obducendus syndone rubro cum filo, & applicandus. *Loco fellis bovini* etiam usitate admodum potest sumi fel *hircinum* vel *vaccinum*, & fit talis pessus.

℞. *fell. Hircini* ℥ß. vel ʒiij.
asari
agarici
Cinnamom. ana ʒj.
Succi Mercurialis ℥j.

M. & inspissentur cum mellis q. s. & F. Pessus, *In suffocatione uterina* fiunt nudè tales *pessi ex suaveolentibus* exceptis nudè cotone & bombace, uti habet *AUCTOR*: si Zibethum vel Moschus cum cotone excipiatur, & fiat pessus, it. potest coton imbui oleo suaveolenti destillato; v. gr. oleo Caryophyllor. oleo ligni rhodii, aut oleo Macis, & unum alterumve granum Zibethi addi, & excipi cotone, & applicari in forma pessi. De *instrumento Glauberiano* sicuti Pessus formato superius dixi, quod fit ex ligno confectum, & quod in superiori parte habeat aliquot foramina, ut possint exhalare salia vol. in uterum: induntur enim sal fixum & sal vol., vg. r. sal Tart. cum sale ammoniaco, ex quorum mutua actione exhalant salia vol. ex parte, quæ intrat uterum. Adhiberi potest pro *ciendis mensibus*, *purgando utero*, & pro *fœcundandis mulieribus*. Adhuc unum *exemplum* pessi *in nimia uteri hæmorrhagia*,

℞. *Stercoris asinini* ʒvi.
succi acaciæ ℥iß.

c. s. q. *Mellis* F. Pessus adstringens, syndone obducendus & applicandus utero. *In inflammatione uteri* aut colli uteri post partum, aut etiam alia ex causa, applicantur Pessi *ex succo sempervivi*, ex succo *beccabungæ*, qui excipitur cotone, & ita applicatur: possunt etiam addi flores Chamomillæ, vel succus ex floribus sambuci pro discussione. *In prolapsu uteri*, qui nihil aliud est nisi nimia laxitas alarum vaginæ uteri, uti notum erit iis, qui legunt anatomicos: in tali laxitate etiam convenienter applicatur *pessus ex* fortiter *adstringentibus* paratus, ex quibus alæ & nymphæ denuo adstrictæ, non possunt prolabi in sinum: *ex hypocistide* vel *ex acacia*, *ex succo acaciæ nostratis* immaturæ ex radice *bistortæ*, quæ irrigantur, modicè tamen, aceto forti, & ita cum cotone excipiuntur & fit pessus. Hoc *pessarium* usurpatur *tantum in mulieribus*, in quibus via est aperta: in *virginibus* autem quibus adhuc res est angusta domi, applicatur NASCALE. Sicuti enim pessus factus fuit in formâ oblongâ, ita *Nascale fit in rotunda*, *instar* parvorum *nodulorum*, ut applicetur orificio vulvæ, & *ad eosdem usus* possunt præscribi nascalia in virginibus, *ad quos pessi* in mulieribus. Fiunt ergò nascalia instar nodulorum h. m.

℞. *Elleb. nigri pulverisati* ℈j.

Excipiatur cotone, irroretur spiritu urinæ, & cum syndone rubro fiat Nascale seu nodulus parvus, applicandus ubi fores sunt patulæ. Ulterius *in nimio fluxu mensium* etiam possunt fieri *Nascalia ex adstringentibus*, it. in *nimia laxitate vulvæ*, ex *succo symphyti majoris* expresso cum cotone vel bombace in linteo rotundo & conglobato, & ita applicatur externè uti naschale in forma noduli. Virginibus *uterinæ suffocationi* obnoxiis præscribuntur *suaveolentia* h. m.

℞. *Balsami Apoplect.* q. s.

Excipiatur cotone, & F. cum syndone rubra Nascale seu nodulus parvus applicandus vulvæ seu extremitati uteri. Vel aliquot granis *Zibethi* aut *Moschi* imprægnatus talis coton, & cum syndone obductus applicatur externè utero. Cæterum, uti dixi, *rarius applicare* permittunt Pessaria & Nascalia, nihilominus, ut pateat præscribendi modus, hæc observentur. Quod nobis restat considerandum sunt medicamenta naribus applicanda aut excipienda, quæ aliàs in specie vocantur ERRHINA.

MORELLI CAP. VIII.

De Errhinis.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

MEDICAMENTUM in genere *quod naribus inditur*, unde nomen, *vel ad capitis, vel narium proprios affectus comparatum*, priùs *ad purgandum*, posterius *ad alterandum vario modo*, ut duplex à me rectè statui possit. *Purgans & Alterans.*

Errhinum purgans.

Cerebro purgando à variis vitiosis humoribus dicatum, quod fit vel sine sternutamento, & *absolutè* tunc *Errhinum* appellatur, quod aliàs etiam *Caput purgium* vocant, vel cum sternutamento, & privatim vocatur *Ptarmicum* seu *Sternutatorium*.

ERRHINUM ABSOLUTE DICTUM.

Cerebrum evacuans sine sternutamento, ratione formæ triplex *Liquidum, Molle, Solidum.*

α LIQUIDUM COMPONITUR VEL ex *Succis solis caput purgiorum*, qui ex folior. M. iiij. incisis, contusis, cum *vini albi* etiam unc. v. exprimitur: Liquor servatur in ampulla vitrea ad usum

Hoc aliàs usitatè brevius sic præscribitur. ℞. *succi recenter extracti cum vino albo, ex fol. virid. herbarum, &c.* unc. iiij. viiij. *raro enim* ℔j. nisi pro diutino usu & in diætis ferè præscribitur.

NOTA, ut sit magis cephalicum, aliquando *Betonic. &c.* usurpari simul, vel parum decocti cephalici. &, ut magis penetret, *Aquæ vitæ* unc. j. permisceri.

β VEL ex *Decocto cephalicorum* omninò, ut Apophlegmatismus, admixtis foliis errhinorum, de cujus colatura unc. vj. unc. viij. præscribuntur, in quibus nihil dissolvitur, vel aliquando succi, idonei, ad unc. ij. unc. iij. *Aquæ vitæ, unc. j. &c.*

NOTA, quosdam ad purgandum magis opiatas dissolvere, præstat idoneum *purgans* cum aliis decoquere.

USUS & FORMULA ℞. *&c. fiat errhinum, seu caputpurgium, reponatur in ampulla vitrea*: hoc autem utatur tepidè, manè duabus horis ante prandium, vel etiam ante cœnam, ex vola manus, ore aquâ pleno, ter, quater. per triduum, quatriduum, aut, si diæta quædam fuerit instituta, toto diætæ tempore.

γ MOLLE COMPONITUR VEL LINIMENTI forma, ex *Succor.* idoneor. & *Ol. ireos* an. ℥ij. decoque ad succorum consumptionem, adde *Ceræ*, q. s. fiat linimentum, cui pulverum acriorum ʒiß. potest addi, vel, quod optimum, *Elaterii* ℈ß. ℈j.

δ VEL OPIATÆ ferè consistentiâ, ex *Succorum* dictorum ℥ij. *Vini* ℥iß. *Mell.* q. s. coque leviter in opiatæ consistentiam.

ε NOTA. 1. Addi insuper posse *Pulveres* acriores, vel etiam purgantes, ut *Elater. Colocyntis*, ad ℈j.

2. Opiatam hanc fieri posse sine succis, ex *Pulver.* ʒij. ʒiij. *Mellis* q. s.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat &c.* cum digito vel penna nares illinantur, & capite prono humores sic è cerebro proliciantur, optimum postea, nares abluere.

ξ SOLIDUM COMPONITUR VEL formâ PULVERIS ex rebus Idoneis, ad ʒii. ʒiij. ℥ß.

η VEL SOLIDA, quæ propriè *Nasale* dicitur, ex eorum *Pulver.* ʒij. ʒiij. excip. cum *Mucilagine* idonea, vel *Terebinth.* q. s. & *ceræ*, fiat Nasale formâ pymaridis.

VSVS

VSUS & FORMULA, PULVERIS ℞. &c. insuffletur parum, v g scrup. s. scrup. j. cum calamo, in nares, manè, &c.

NASALIS ℞. &c. fiat forma pyramidalis, quæ oleo imbuta naribus indetur.

VTILITAS post purgationes universales in capitis affectibus, frigidis, maximè, contumacibus, tum & qui à biliosis serosisque humoribus, à quibus sæpè acerrimi dolores, ad affectus omnes à cerebri illuvie originem trahentes; hinc in Diætis utilissimum & perpetuum, cerebri ventriculos anteriores, meninges maximè, expurgat: oculis affectis cautè usurpando.

PTARMICUM.

COMPONITUR ex *Pulvere simplicium ptarmicorum*, ad i s. drach. ij. quia valida.

VSUS & FORMULA ℞. *&c. fiat pulvis tenuissimus*, cujus vel vapor tantum, naribus attrahendo, inspiretur, vel maximè quando cephalica admixta pondere æquali) tantillum, v.g. gran. 1. 2. mediante calamo in narem insuffletur, tempore matutino. Possunt & quavis hora usurpari, sopito cerebro, & ubi excludendus fœtus.

VTILITAS Insignis ad cerebrum evacuandum à vapore crasso, muco, ex antica parte, diuturnis affectibus utile, soporosis, item ad fœtum excludendum, a haustis priùs, quæ partum juvant, potenter è meningibus trahit, hinc & affectibus earum à biliosis humoribus utile.

Alterans Errhinum

Appello, *quod privatim narium affectibus variis, vario modo percurandis, dicatum*, hocque etiam triplex statuo: *Liquidum, Molle, & Solidum.*

α COMPONITUR VEL ex *succis* idoneis Folior. extractis cum aqua, aut liquore idoneo, ad unc. viij. unc. viiij. in quibus dissolvuntur postea vel *Mel*, vel *Syrup.* idoneus ad unc. i s. unc. ij. aliquando & *Pulveres* ad unc. 6.

β VEL ex *Decocto* idoneo, dosi clysterum, Dissolvitur, vel *Mel*, vel *Succus* simul idoneus, ad unc. ij. unc. iij.

γ VEL forma *linimenti*, ex idoneis, ut suprà.

δ VEL forma solidiore *Turunda*, ut vocant, ex *Pulver.* maximè astringentium & siccantium ʒiij. (pro una sc.) *cum albumine, Succo idoneo, Melle* exceptorum, adjectis etiam aliquando *Pilis leporinis* minutim dissectis: Fiat veluti turunda, indatur.

USUS & FORMULA, quæ Erhini: tamen omni ferè hora usus esse potest, & privatim, dum ibit cubitum, turundam unam indat, alteram sequenti die.

VTILITAS summa in narium affectibus privatis, ozena, polypo, ulceribus, fœtore, hæmorrhagia, ad quam turundæ, vel forma linimenti maximè usurpantur.

A Sed cautè iis uti debet medicus.

α R. Succi anagallid. purp.
Betæ an. unc. j.
Mulsæ ʒiij.
Misce.

R Succi Rad. Betæ unc. j.
Decocti Beton. & Salv. unc. i s.
Aq. Vitæ ʒij.
Misce.

β R. Rorismarin. Salviæ an. M. ß.
Lavend. Beton. an. P. iij.
Flor. Stœchad. Rorismarin. an. P. j.
Rad Ireos ʒii.
Pyrethri ʒi.
F. Decoct. in s. q. Vini & aquæ ad ℥iii.
Colatura per se detur, aut in ea dissolve
Mell. rosat aut scillit. ℥i.
Vini albi ℥ß.
Misce.

R. Succ. Betæ, Majoran. Brassic. an. ℥ß.
Vini alb. M. f *Errhinum.*

δ R. Rad. Pyrethr. Ireos fl. an. ʒii.
Puleg. Origani, Beton.
Maioran. an. M. s.
Agar. trochisc. ʒi.
Flor. Stœchad. arab. P. i.
Coq. in s. q. aquæ com.
Colat. ℥ i v. adde
Mellis anthos. ℥ii.
Scillit. ℥ß. M. f. *Errhinum.*

γ R. Succ. Maioran. Betæ, Brass. an. ℥ß.
Ol. Ireos ℥i.
Coq. ad consumptionem succorum, adde
Ceræ q. s. F. *Linim.* cui addi potest
Elaterii pulverisati. ℈ß.

δ R. Succ. Betæ, Cyclam. Rutæ an. ℥i.
Vini alb. ℥iß. Mellis q. s.
Coq. ad *consist. Opiata.*

ε R. Pulv. Pyreth. Piper. alb. an. ʒß.
Elater ℈ß.
Mellis q. s. F. *Opiata.*

ζ R. Pulv. Pyreth. Elaterii. Piper. alb.
Maioran Salv. Betæ. an. ℈ß.
M. f *Pulvis.*

η R. Elleb. alb. Piper. alb. Maioran. Nigell.
ana ℈i.
Caryophill. Cinnam. ana scrup. s.
Mosch gr. ii.
Tragacanth. in aq. ros. sol. aut Ceræ q. s. F. *Nasalia.*

R. Pulv. Helleb. alb. Tabac. an. scrup. ii.
Piper. alb. Maioran. an. scrup. i.
Euphorb. gr. v. f. *pulv. sternutatorius.*

α R. Succ. Marrub. Millefol. Veron. an. unc. ij.
Mell. ros. unc. j.
Eluantur eo tepido nares ulcerosæ.

β R. Balaust. Cort. granator. an. unc. ij.
Fol. Plantag. Caudæ equin.
Pilosel. Herniar. an. M. j.
Rad. Bistort. Alum crud. an. unc. j.
F. *decoct. ad Ozœnam*, in aq. com.
dissolv. in eo Mell. rosar. unc. ij.

γ R. Myrrh. Thuris, Calcis ex testis concharum ustarum fact. ana drach. j.
Album ovor. & Ol. Hyperic. an. q. s.
F. *Linim. ad ulcera narium.*

δ R. Thuris, Aloës. Sang. dracon. Farinæ vol. ana scrup. ij
Telæ aran. Pilot. leporin. minutim incis. ana drach. s.
Excip. succo plantag. & gossypio.
Fiantque *Turunde in nares sæpè immittendæ pro hamorrhagia.*

SCRODER. CAP. LV.

De Errhinis.

ERrhina variis parantur formulis, videl. liquoris, extracti, linimenti, pulveris, &c.

Liquores tum simplices adhiberi possunt, verbi gratia, succus betæ, majoranæ, rutæ, &c. Tum compositi.

Errhini liquidi formula sit
1. Errh. Cratonis.

℞. Sem. nigell. 4. diebus in acet. ros. infus. atque pulv. ℥j
Aqu. majoran. cum succ. herbar. expr. ℥iij. M.
Purgat caput. Crato.

2. Errh. Montani.

℞. Succ. bec. recent. ℥iii.
Aq. majoran. ʒij.
Ol. amygd. ℥ 1.
Misc. cum brodio pulli.

Vires. *Commendatur admodum ad eliciendos catarrhos per nares. Usus que eximii dicitur in tinnitu aurium.*

Errhinon in formâ pulveris S. Clossai.

℞ Florum ptarmicæ ℥ii.
Beton. ʒi.
Nicotian.
Rad. angelic. ā. ℥iß.
Transmittantur per setaceum addendo
Scobis ligni S. ℥ii.
Cubebar. ʒ 1.
F. pulvis.

Vires & Dosis. *Hujus* ℈j. *attrahatur per nares ex tubulo incurvato. Evacuat per nares & os magnam muci liquidi salivaque copiam.*

Extractum Nasale P. de Spina.

℞. Succ. recent. anagall ℥iii.
bet æ
nicotian. fœm. ā. ℥ii.
betonic. ℥iß.
Turpeth. gumm ʒv.
Agaric. albiss. ℥. 1.

Infundantur in s. q. aq. scabiosæ, digeranturque in vase clauso per dies [8.] Hinc decantetur, abstraheturque ad consistentiam extracti mollioris.

Vires. *Potentissimè educit pituitam, & humores salsos à capite per nares; catarrhosque ad fauces & pulmones destillantes ad nares divertit, parum naribus inditum.*

Linimenta vide infra de Unguentis.

HÆC ipsa Errhina sunt *in duplici differentia*. quædam dicuntur in specie *Errhina*, quædam

PTARMICA.

Differunt tantùm quoad majus & minus, quod nempe *Errhina* sunt *temperatiora*, ècontra verò *ptarmica* sunt *acriora* & fortiora. Dicuntur aliàs etiam CAPUTPURGIA: quoniam usu Errhinorum imitamur consuetudinem naturæ, quæ ipsa uti ordinariò humectando nares, præterea tamen superfluam Lympham sub formâ muci eliminat, unde sordes narium: ita *per Errhina & Ptarmica irritatur naturæ motus*, dum irritando & stimulando nares, adjuvamus ut fortior & celerior & etiam copiosior lymphæ & muci per nares sequatur derivatio. *Vias*, per quas derivatur ista lympha & mucus per nares, quarum quædam sunt in confiniis oculorum, quædam sunt in naribus, descripsit *STENO de vasis oculorum & narium*. Quando ergò per talia Errhina & ptarmica irritatur membrana interior nares succingens, & beneficio istius irritationis simul concitatur acrimonia subtilis & penetrans medicamenti Errhini: tunc fit, ut incidatur mucus crassus & viscidus, & præterea ex irritatione hic incisus copiosius effluat, & ita per nares expurgetur. Quod *si* talia stimulantia *sint moderata*, ut *sine Sernutatione* proliciant mucum, tunc *vocantur Errhina*: *sin* verò sint *fortiora*, ut propter fortiorem irritationem etiam ad *sternutationem concitent* nares, de qua irritatione scripsit eleganter SchocKius, & vocantur *ptarmica* seu *sternutatoria*. Quod attinet modum usurpandi ac præscribendi Errhina, illa *sunt vel liquida vel consistentia pulveris*. LIQUIDA quod attinet, ea *sunt* ordinario *succi ex ptarmicis* expressi, & in vola manus in nares attrahendi. *Talis* succus *est* v.gr. succus *anagallidis purpureæ*, qui valdoperè conveniens est, & præ aliis ominbus commendatur: item succus expressus *ex beta rubra*, item succus *cyclaminis*, qui est paulò acrior, succus etiam *cucumeris asinini*: sunt etiam qui usurpant succum *radicis Ireos nostratis*; sed hic ipse, qui paulò est acrior, tutò usurpandus venit. Hos omnes succos *quando volumus acriores*: (nam *diversitas est in naribus* pro *ratione tenuitatis* vel *crassitiei* membranæ nares succingentis; *in quibus est tenuis*, à levissimis Errhinis *facillimè irritantur*, *in quibus est crassa*, spissa, humida & flaccida, *in iis acriora* & fortiora fiant sternutatoria: huc etiam facit *consuetudo*, ii enim, qui asueti sunt sternutatoriis, vel qui quotidie utuntur fumo Tabaci, non facilè à levi stimulantur Errhino. Sic Itali semper utuntur sternutatoriis, & inde non facilè etiam à fortissimo ptarmico irritantur:, quia à continua humectatione membrana omnem sensum amittit, ut pulvis haustus ne irritet quidem: Hac diversitate narium, observatâ præscribenda sunt Errhina vel acria, vel minus acria: quando ergo debent esse acria) *permiscetur oleum nicotianæ*, *majoranæ*, *pulvis euphorbii*, aut tantillum de pulvere *Liliorum convallium*, & ita humida Errhina fiunt acriora & fortiora in stimulando. *Loco succorum* humidorum horum sunt, qui adhibent *Decoctum*, utut rarius, *ex Cephalicis*, ex betonicâ, majorana, nicotiana, &c, quod decoctum cum vino paratum ex vola manus attrahunt in nares, & pro Errhino usurpant. Quod *si volumus* decoctum Errhinum *acrius* & fortius *radicis pyrethri* ℥j. simul *incoquitur*, quæ valdè stimulat. Quando ergo utimur talibus Errhinis humidis, impletur os aqua & tunc ex vola manus hauritur liquor, propterea ne Errhinum labens in fauces inferat noxam: Dum enim Errhinum labitur in os, imbibit aqua, & ita temperatur. Præter Errhina humida usitata sunt. ERRHINA EX PULVERIBUS: ita enim recipiuntur ptarmica simplicia, pulverisantur, & in formâ pulverum adplicantur. Talia simplicia ubique prostant, & debent esse cognita ex superioribus. *Præscribendi modus* est *idem* atque reliquorum pulverum à ʒij. ad ʒß. vel ℥j. & hauritur tantillum in nares. Exemplum sit v.gr.

℞. *Pulveris folior. Nicotianæ*
Majoran.
Hyssopi ana ʒß.
Castorei gr.xv.
Zingiberis
Caryophyllor.
Elaterii ana. gr.v.

M.D. irrorentur cum aliquot guttis olei Majoranæ destillati. f. Errhina. Non signantur pulver. sternutatori. quia non debent concitare sternutationem. Quod *si* talis quidam *pulvis excipiatur cum oleo appropriato* v.gr. cum oleo Majoranæ, Irino & q.s. *Cera*. tunc redigitur in formam linimenti, quod *linimentum* naribus illitum, stimulat similiter & mucum ac pituitam elicit. v.g. Tale linimentum sit hoc.

℞. *pulveris Nuc. Moschat.*
acori
Thymi ana ℈.
Elaterii
Rad. pyrethri
Zinigiberis ana gr.v.

c.s. q. oleum *Majoranæ* & ceræ F. Linimentum quo Illinatur.

Quod *si* his pulveribus *addantur succi & mel*, vel potius si melli cum succis inspissato addantur pulveres hi, tunc *fit* consistentia *Electuarii*, cujus particula in nares est intrudenda pro eliciendo muco. Quod *si* talis pulvis ex Errhinis excipitur *cum mucilagine Tragacanthi*, additâ vel omissâ Terebinthinâ, & *formantur in Trochiscos* pyramidales naribus intrudendos, tunc vocantur NASALIA. quæ oleo appropriato illita induntur naribus, pro stimulandis iisdem, & pro eliciendo muco. Dabo *exemplum*, ut ut rarius præscribantur talia, sed ferè in formâ pulveris subsistatur.

℞.. *Pyrethri* ℈ß.
Elaterii
Elleb albi ana gr.v.
Hyssopi
Majoran. ana ℈j.
Caryophyll.
Macis
Nuc. Moschat.
fol. nicotian ana ʒj.

c.s.q. *Mucilaginis Tragacanth.* cum aqua Majoranæ solutæ. F. Nasalia seu Trochisci pyramidales pro Nasalibus, illinantur oleo Majoran. oleo anis.

In talibus pulveribus vel remediis talibus *pulvis Majoranæ* & pulvis *nigellæ*, cum pulvere *nicotianæ* & denique *lil. convall utram que faciunt paginam:* Nam hæc 4. præ cæteris solent usurpari. Eodem modo atque præscripta sunt Errhina; etiam præscribuntur ptarmica seu sternutatoria: utut sternutatoria ut plurimum tantùm in formâ pulverum præscribantur. Sic v.gr. sit *pulvis sternutatorius* præscribendus h.m.

℞. *pulveris fol. nicotian.*
Majoran.
flor. lil. convall. ana ʒj.
rad. Elleb. alb. ℈j.
Castorei ℈ß.

oleo

olei stil. Majoran. gutt. iv.
m. f. pulv. sternut.

Hic *flor. lil convall.* sunt elegantes: *Loco eorum* interdum etiam sumi potest *rad. lil convall.* quæ est acrior & fortior quam flor. & fol. nicotianæ. *Pro gratia odoris* in ditioribus *solent addi suaveolentia* talibus pulveribus ex Ambra, Moscho & similia. Talis pulvis sit hic.

℞. *pulveris Tabaci Indici seu nicotianæ* ℥ß.
Majoranæ ʒß.
olei salviæ
rosmarin. ana ℈ß.
Caryophyllor. gutt. vi.
ambræ gr. iij.
Moschi gr. iv.

m. f. pulv. stern. corrobor. caput.

Alio modo pulvis hic potest reddi *odoratus* sine talibus impensis. *si addatur* odoris gratia pulvis *rad. Ireos Florent.* in tali formulâ.

℞. *pulveris rad. Ireos Florent.* ʒij.
Euphorbii ʒß. *ad* ℈j.
lil convall. ℈j.
olei destil. Caryophyllor, gutt. v.
m. f. pulv. sternutat.

Nam sternutatoria rarò præscribuntur in aliâ consistentiâ quam pulveris.

Quod attinet *Usum* Erhinorum & ptarmicorum, facilè patet, quod tantùm usurpentur primariò quidem *ad eliciendum mucum & derivandam lympham* ex naribus, & ita, dum derivatur lympha ex naribus, tunc vicina loca ab eâ onerata solent liberari, & quæ antea quasi erant inundatæ, sic denuò exsiccantur. *Quæstio* nihilominus est: *An etiam conveniant in affectibus oculorum?* ita quidem ut in lippitudine it. in defluxionibus oculorum, it. in suffusione nothâ & similibus commodè possint usurpari? *affirmat BARTHOLINUS Cent. 4. Epist & STENO:* ubi apertè affirmat *BARTHOLINUS* quod ex pulvere sternutatorio usurpato, mediocriter tamen, suos oculos, aliàs imbecilles, fortes fieri senserit: Affirmat etiam *STENO*: Hic enim dicit, quod quædam viæ, quæ derivant lympham in nares, oriantur ex oculorum glandulis, ita ut dum per istas vias derivatur lympha in nares, etiam hoc modo superfluitates eliciantur ex oculis. Cæterum dum econtrariò consideramus experientias & observationes ac exempla, ab *HILDANO in historiis & obs. Chirurgicis* recensita, de sternutatoriorum infaustissimo usu & successu, ita ut non rarò totalis cæcitas post sternutatoria fuerit insecuta: Sententia hæc admodum adhuc videtur paradoxa: adeò ut *potius in negativam* inclinem, quæ prohibet, ut talia in affectibus oculorum usurpentur, quam ut ægri proximi oculis noxam conciliem. Vid. *HILDANUS. Ubi* tamen sunt *usurpanda* sternutatoria in oculorum malis: 1. *Malum sit in principio*, non inveteratum. 2. *Oculi* sint *robusti*, non imbecilles. 3. *Æger sit junior*. Aliàs nunquam usurpanda sternutatoria. Et certè vidi Italos ferè in juventute uti perspicillis seu vitris specularìis, ex abusu nimio sternutatoriorum. *Usurpantur* inprimis talia ptarmica & Errhina *matutino tempore*, & *conveniunt* iis, qui laborant sæpius *Coryza*, aut qui obnoxii sint aliis affectibus Catharralibus: præterea quoque conveniunt *Senibus*, & qui *Vertigini*, vel *Apoplexia* sunt *obnoxii*, præcavent enim partim hos affectus, partim præmissis universalibus eosdem curant. Præterea *in paroxysmis Epilepticis*, *Hystericis*, *Apoplecticis* & *soporosis* conveniunt eadem sternutatoria, aliis præmissis, quoniam forti irritatione excitant ægros, & à paroxysmo liberant. Mulieribus *difficili partu* laborantibus similiter conveniunt, forti enim isto nisu & abdominis per diaphragma compressione enititur fœtus & promovetur partus. Ex à me dictis apparet, quod Sternutatoria & Errhina conveniant tantùm pro expurgandis naribus. Nihilominus tamen, uti habet auctor *MORELLUS interdum* tantummodo applicantur *pro alterando*, id quod fieri solet in primis *in affectibus narium*, in specie quidem in eorum *ulceribus* quæ vocantur *OZÆNÆ*, pro detersione & consolidatione: In *polypo narium* pro absumptione: In *fœtore narium* pro istius correctione: pro *amisso olfactu* restituendo & similibus aliis affectibus.

Talia medicamenta pro appropriatis affectibus *præparantur eodem modo* uti dicta Erhina & ptarmica: interdum in *forma liquida*, interdum in *forma sicca*. Sic in forma liquida *in Vlceribus narium* valdè conveniens est *succus Scarleæ* seu Hormini sylvestris, quoniam egregiè mundificat Ulcera. interdum huic permiscetur mel rosaceum, ut fiat linimentum, quo illinuntur nares in Ulceribus. *Præterea* in formâ liquidâ solent præscribi & usurpari *decocta ex manibus hauriend*, v.g. *decoctum Hormini sylvestris* vel solum, vel cum melle. it. *decoctum veronicæ & agrimoniæ cum Myrrha & Olibano*. Pertinet huc etiam *urina pueri*, quæ instar Errhini in nares attracta, egregia est pro purificandis narium *Vlceribus Alii aliud* Errhinum liquidum parant: scil.

℞. *agrimon. &*
Marrubii ana Mß.
rosar. rubrar. &
hordei ana p. j.

hæc bullire sinunt in hydromelite, & colaturæ ℔ß. recipiunt pro Errhino. *Sub forma unguenti* si usurpanda talia, recipiuntur usitatè, idque *in phlegmone* & inflammatione narium. *unguentum de cerussa*. Camphoratum vel unguentum nutritivum. *In abscessibus & Vlceribus* narium recipitur *Unguentum de Nicotiana*, cui permiscentur *myrrha*, *aloë & saccharum saturni* in Ulcere benigno: in Ulcere maligno & Gallico permiscentur ipsi mercurius precipitatus aut *etiam* mercurius *dulcis* q. s. ut sine acrimoniâ operari queat. *Sub forma pulverum* etiam usurpantur *alterantia Errhina*, si fiat pulvis v. gr. ex Nicotianâ, quæ consolidat, ex Olibano & Gummi arabico ex terra sigillatâ &c. quæ exsiccant & consolidant: sed sub unguentorum formâ sunt usitatiora. *Sub forma turundæ* inprimis alterantia possunt usurpari Errhina, si recipiatur pulvis *adstringens*, excipiatur ovi albumine, vel succo idoneo, aut etiam melle, quibus adjiciuntur pili leporini dissecti, ut turundæ fortius cohæreant. Ad medicamenta naribus applicanda ulterius pertinent etiam. SUFFITUS ET ODORAMENTA.

MORELLI CAP. IX.

De Suffimento.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

SUFFITUS differt ab odoramentis, quòd *hæc* sine igne suum odorem fundant, *illi* contra non nisi ignis contactu mediato, aut immediato.

Duplicem autem facio, alium *Voluptatis, Sanitatis* alterum. Vtrumque *siccum*, vel *humidum*. Ille *Suffimentum* dicitur, & θυμίαμα, hic *Vapor* potiùs appellandus.

Suffitus ad voluptatem.

Cultui aulico & deliciis dicatus, ex rebus suaviter odoratis constans.

α SICCUS COMPONITUR VEL forma PULVERIS, cujus materia tum Gummata odarata *Styrax, Benzoinum* maximè, tum Radices ut *Acori*, Ligna, *xylo aloë*, folia *Majoran. &c.* Cortices, *Citri, Arantiorum*, Flor. cephalici, Aromata, *Macis, Garyophill. Cinan.* item *Caphura, Ambra, Mosch. zibetum, &c.* plura, pauciora, ea.

QUANTITATE, ut ℥i. ℥ii. sit prout ex pretiosis, (si tamen pro suffitu operimentorum capitis fiat, ad ℥iiij. ex minùs pretiosis impetretur,) ita ut *Gummatum* sint ʒiiij. ʒvi. *Pulver.* ʒiii. vel ana part. æquales, *ambra, moschus, zibeta*, pro lubitu.

β VEL forma TROCHISCOR dicto *pulvere* excepto cum eliquatione α gummi tragacanthæ, facta cum aqua idonea, fiant trochisci, &c. ponderis ʒi. siccentur.

γ VEL forma AVICULARUM, CYPREARUM, ut vocant ex *Gummatis odoratis* ad unc. iii. *Pulveribus* dictis ad unc. s. drach. vi. *Carbonib. salicis* unc. ii. unc. iii. cum eliquatione gummi tragacanth. &c. aut *Ladani* liquati q. s. fiant aviculæ, vel candelæ odoratæ per fumum. *Moschus, ambra* additur pro lubitu, ad scrup. s. scrup. j.

USUS & FORMULA. PULVERIS. ℞. *&c. fiat pulvis*, qui coniiciatur in carbones ardentes, & fumus excipiatur cubiculo, vel vestibus. TROCHISC. ℞. *&c. fiant*, &c. conjiciatur unus, duo, in carbones, &c. AVICULARUM. ℞. &c. accendantur una ad odorem cubiculi.

UTILITAS. Etsi videatur ad voluptatem, tamen cum constent ex cephalicis, cardiacis pretiosis, non possunt non cerebrum, cor, & eorum spiritus reficere, recreare, vindicare simul à malignitate.

HUMIDUS hodie usitatissimus, *Cassoleta dictus.*

COMPONITUR commodissimè ex Gummatum, ut *styracis, benzoini*, verbi gratia ℥ij. & si lubuerit, *Pulver.* ℥ii. ℥iii. aqua odorata solutis & in pastam redactis, hinc Cassoletæ, ut vocant, induntur instar pastæ, ad longum usum: usus tempore conspergitur Cassoleta cum *Aqua rosar.* verbi gratia, igne subdito expirat vapor jucundissimus, qui, ut placeat tunc commodissimè *mosch.* gran. iii. iiii. adduntur.

UTILITAS eadem quæ siccioris.

SUFFITUS AD SANITATEM.

Suffitus sanitati dicatus ab affectu duplex statui potest. *Roborans* partes principes, spiritus reficiens, ex rebus ferè iisdem quæ ad voluptatem, & *Alterans*, ut cerebrum exiccans, pulmones expurgans, ad menses movendos, suffocationem, &c.

SICCUS in genere fit ex rebus, quæ vaporem exspirent, eumque suavem, ut *Ladanum, Storax, Benzoinum, &c.* suprà dicta, & aliquando δυσώδη, ut *Galbanum, Assa fœtid. Castoreum, &c.* quorum usus per inferiora, in uteri variis affectibus. Fit etiam ex *pulveribus* rerum scopo inservientium, Radicum, Lignorum, &c. Ergo in genere fit ex Gummatibus & pulveribus.

In specie verò COMPONITUR VEL forma PULVERIS ex jam dictis, ab ℥j. ad ℥iij. prout usus debet esse diuturnus: privatim autem sint gummatum partes 4. pulver. 3. v. g. Gummat. ℥ij. Pulv. ℥ß. &c. plùs, minùs, pro lubitu.

NOTA, in uteri affectibus inter pulveres passim assumi *Galliam & Alyptam moscatam* ad ʒß. ʒj. ut & aliquando Pulveres electuariorum roborantium ad ʒj.

Item, aliquando suffitum fieri ex sola *Nicotiana* injecta in carbones, vel fumo instrumento aut infundibulo excepto: cerebrum mire expurgat, & pectus à pituitosis & biliosis excrementis.

VEL forma TROSCHISCORUM, vide suprà.

USUS & FORMULA. PULVERIS. ℞. *&c. fiat pulvis*, de quo conjiciatur in carbones ardentes, fumus excipiatur: si pro capite, ore hiante, vel suffitis ipsius operimentis, quod passim in affectibus aliarum partium ab eo pendentibus, phthisi, &c. si pro pectore, ore patulo: si pro utero & aliis cavitatibus, per infundibulum, ut & cum sella perforata in utero: si pro doloribus juncturarum, suffiatur lana, bombax apponatur.

TROCHISCOR. verò *&c. fiant trochisc.*

UTILITAS vel ad roborandum, ut dictum, vel alterandum vario modo, passim ad cerebrum exiccandum, catarrhos adsumendos, ad pituitam pectore conceptam in variis affectibus, ad ulcera pulmonum siccanda, ex *nicotiana, tussilag. sulphur. &c.* ad menses movendos, sistendos, ex idoneis, ut alvi fluxus etiam, ut dysenteriam, ad suffocationem, ex graveolentibus per superiora, suavibus per inferiora, ad uterum siccandum, roborandum. Ad ulcera aurium, narium, oris, pulmonum, uteri, &c. ad luem ex *cinnabari* ut passim, (cujus fumus toto corpore conceptus in conclavi labem illam ptyalismo excludit:) & affectus simul inde pendentes. Fit autem passim, forma pulveris, trochiscorum; *cinnabaris* ℥iß gummat. ℥ß. ʒvi. pulver. roborantis ʒii. ʒiii, fiat pulvis, aut cum *terebinth.* trochisci.

HUMIDUS Vapor alias propriè appellatur, fitque *ex liquore ad scopum idoneo, vaporem vi coctionis expirante.*

COMPONITUR VEL ex simplici liquore, *Aceto, Vino, Aquâ vitæ, rosar. &c.* ex olla, &c.

NOTA, aliquando *Lapidem pyretem* ardentem injici in acetum, in tumoribus duris, œdematosis discutiendis, ut & laterem ignitum aceto extingui, & vaporem excipi, quod & tempore pestis fieri solet.

VEL ex *decocto* idoneorum, dosi fotus præscribendo, aut pro partis amplitudine: hinc auribus affectis tertia pars sufficiet.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiat decoctum*, cujus vaporem sumat in uteri & aliis affectibus, per sellam perforatam, & fistulam plumbeam aut infundibulum. Vide Insessionem. In aurium affectibus per tubulum aut infundibulum, quod Embotum vulgò vocant.

UTILITAS maxima, in uteri affectibus, præsertim mensibus sistendis, aut movendis, ex emollientibus & attenuantibus: in dyssenteria ex adstringentibus: in ani variis affectibus, procidentiâ, hæmorrhoidibus sistendis, leniendis: ad affectibus aurium & oculorum etiam præscribuntur. In summa, ad siccandum, adstringendum, laxandum, emolliendum, discutiendum, aperiendum, &c.

MORELLI CAP. X.

De Odoramentis.

Cum commentar. Gerardi Blasii.

PARTIM ad voluptatem, partim ad sanitatem præscribuntur, maximè verò cerebri restaurandi gratia, spiritus recreandi animalis, ad graves odores fugandos, ad auram pestilentem, ad cordis etiam vires & spiritus, vapore odorato per nares in fauces unà cum aëre, deinde in cor effuso. c

Fiunt autem ex suaviter fragrantibus d suntque *Sicca*, & *Humida.*

Odoramenta sicca.

α COMPONUNTUR VEL forma PULVERIS, vide suffitum: hujus autem dosis pro utendi modo: ferè sufficient pulver. unc. ii. unc. iii. ita tamen, ut gummatum dosis minuatur, vide suprà. Fiat pulvis, qui pyxide conclusus perforata, quoties videbitur, navibus admoveatur, vel nodulo aut sacculo serico includatur ad usum.

β VEL forma POMI ODORATI, ex Pulvere dicto e in suffitu ad voluptatē ad unc. i. unc. i s. unc. ij. addito f *Moscho, Ambra, Zibeta* ad gr. vi. scrup. s. scrup. j. ad lubitum: Excipitur autem vel *Gummi Tragacanth.* soluto in *Aqua rosarum*, fiant Poma odorata, numero, duo, manibus gestanda, odoranda sæpius, vel, quod melius, ladano soluto incorporetur, fiat pomum, quod illinatur oleo odorato g, & nota obiter, præstare *Ambram, Moschum, Zibetum* in compositionem non vocare: sed his solutis superficiem pomi illinere, ut & *Oleo cinam. caryoph.* solis, mixtis, ac sæpius renovare.

VEL

VEL forma GLOBULORUM, ex eadem pasta, ex qua pomum, dosi tamen pro eorum quantitate, quibus Pharmacopæi addunt ad molem h. *carbones salicis*.

VEL forma SAPONIS ODORATI, pro manibus & capite abluendis, ex *Saponis Veneti*, vel alterius albi unc. iiii. *Pulver. odor.* drach. vi. & si lubet i, *mosch. ambr.* gr. iii. iiii. cum *Aqua rosarum* q. s. incorporentur, fiant globuli seu pilæ majores.

VSUS. Odoratorum vapor sæpius *l* excipiatur, sapo verò ad manus abluendas aut caput à sordibus.

Odoramenta humida.

α COMPONUNTUR VEL forma AQUÆ ODORATÆ, hæc autem vel simplex, *Aqua napha*, quam aliàs Practici *Aquam citrangulorum* appellant, ad cujus verbi gratia unc. iii. *Ambr. Mosch.* maximè gr. ii. iii. addere potes. Composita fit ex rebus odoratis liquidis, ut *Aqua ros.* unc. *aq. cinam.* unc. j. *pul. odoratorum.* drach. ii. drach. iii. drach. iiii. *mosch. Ambr.* si vis, grana aliquot.

ß VEL forma LINIMENTI, *Balsamum* hodie vocant *odoratum*, ex *Cera albâ*, sæpius liquatæ, lotæ, unc. j. *Olei* idonei unc. j. & simul, si vis *Ambr. Zibetæ*, *Moschi* granis aliquot, vel crassius, ex *Pulv. odor.* unc. s. *Ceræ* drach. iii. *Olei de Been*, vel *amygd. dulcium* a q. s. fiat linimentum, addito *b Moscho*, *Ambr.* &c. ad grana aliquot.

VSUS AQUÆ pro lotione manuum, barbar, Capillorum.

BALSAMI usus idem, & utilitas, quæ odorum ante: possunt & tum manus leviter tumnarium interiora oblini, ad fœtorem maximè fugandum, cerebrum, cor confortandum, & horum spiritus.

A *Hoc est cum mucilagine.*
B *Odoratum.*
C *Fiunt & non raro ad vapores alios, in corpore pravos, ut epilepticos, hystericos, &c.*
D *Quandoque fœtidis magis, ut in affectibus epilepticis & hystericis.*
E *Pro rei exigentiâ suavi aut fœtente.*
F *Si permittitur, aliàs ingrato magis, ubi res exegerit.*
G *Ubi in usum ducenda sunt.*
H *Ad colorem nigricantem acquirendum.*
I *Et licet, alias enim omittenda hæc.*
L *Vel ubi res extgerit.*
M *Vel ubi affectus exigunt, Ol. succini, similisque fœtentis;*
N *Ubi permittitur.*
O *sæpius & ut diximus ad vapores alios pravos, malignos dissipandos.*

α R. Mastich. Thuris Benzoin. an. ℥ii.
Gumm. Juniper.
Rorismarin. ℥i.
Lign. aloes. Cinnam. an. ℈j
F. *pulvis ad Catharros.*

ß R. Ladan. ℥ii.
Styrac. Calam. ℥ß.
Benzoin. Thuris. Succin. alb. Lign. aloës an. ℈ii.
Rosar. rubr. Cinnam. Caryophyll. an. ℥ß.
Ambr. Mosch. an. gr. iv.
Tragac. in aqu. Ros. sol. q. s. *Trochisci pro fumo.*

γ R. Thuris, Ligni aloës, Styrac. calam. an. ℥ß.
Styrac. liquid. ℨvi.
Ladan. ℥ß.
Ambr. Mosch. gr. viii.
Carbon. Tiliæ ℥j.
Tragacanth. in aqu. ros. & pauxillo Spir. vini solut. ℥ß.
F. *Candelæ pro fumo.*

R. Pulv. viol. odor. ℥ß.
Trochisc. de Benzoin. ℨi.
Camphor. gr. ii.
Inundantur vasculo æneo, ac affusa aqu. ros. supra prunas in cubili leviter ebulliant.

α R. Irid. flor unc. vi.
Rosar. rubr. unc. iv.
Cyper. drach. s.
Majoran. Caryophill. Styrac. an. unc. j.
Bensoin, Santal. citr. an. unc. s.
Viol. drach. iii.
Mosch. drach. i.
M. f. *pulvis.*

ß R. Styrac. calam Ladan. ana drach. i s.
Benzoin. drach. i.
Caryophill. Macis Lign. aloës.
Fl. Lavend. an. scrup. s.
Mosch. ambr. an. gr. ii.
Tragac. in aqu. ros. ol. q. s.
Therebinth. parum.
F. *Pomum aut globuli.*

γ R. Sapon. venet. ℔ß.
Irid. 1 cc. Nucis myrist. Caryophill. ana drach. iii.
Menth. Majoran. an. drach. i.
cum aqua Lavend. incorporentur.
F. *Smegma odoratum.*

α R. Aq. ros. fragrant. ℥iv.
Cinnamon. ℥ß.
Pulv. Santal. citr. Ligni Aloës. Cort. citr. Caryoph. an. ℈ß.
Mosch. gr. ii.
M. f. *Aqua odorata.*

ß R. Ol. Mastich. ℨj.
Caryophill. gr. vi.
Succin. alb. gr. iv.
Lill. convall. gr. iii.
Ceræ virgin. parum.
F. *Balsamus aut Epilepticus.*

R. Caryophill. Cinnam. Nuc. mosch.
Laved. an. ℨii.
Ol. Caryophill. Angel. Spicæ, Lavend, an q. s.
Ceræ ℨiii.
Mosch. Ambr. an. gr. iii. *Balsamus. Apoplecticus.*

SUFFITUS ET ODORAMENTA.

VT ut suffitus non solum applicari solent naribus pro gratia odoris; sed etiam pro aliarum partium quasi fotu præscribuntur. Quare cum nonnisi usu differant suffitus, in genere de illo hic agemus.

Suffitus & odoramentum inter se differunt in hoc, quod *suffitus non spiret odorem, nisi ab igno* excitetur: contrarium fit *in odoramento*, quod *sine ignis* actualis *admotione* suaveolentem odorem suum exspirat. Quod attinet suffitum: *suffitus* igne excitandus *vel in forma siccâ, vel humidâ solet præscribi.* Suffitus *in forma humida* nihil aliud est, quam *fotus humidus*, de quo superius locuti sumus, seu decoctum sive alius liquor, qui injectione ferramentorum vel lapidum ignitorum subministrant suum vaporem.

Suffitus siccus fit *ex simplicibus faciie combustibilibus*, quæ dum comburuntur, exspirant suum odorem: præscribuntur usitatissimè *in forma pulverum*, quorum basis ferè est Benzoe, Styrax, Succinum, Gummi Juniperinum, Thus, Mastiche, &c. quibus adduntur pulveres ex vegetabilibus adduntur pulveres ex vegetabilibus aliis, & irrorari possunt oleo appropriato. Usurpantur vel ad sanitatem, vel ad voluptatem, vel ad utrumque simul. Utrobique est *eadem præscribendi ratio*, & propterea non est de necessitate, ut divisim de de illis agatur.

Talia simplicia præscribuntur, ut *pulverisentur grosso modo*, & pulverisata dentur in scatula. Modus v. gr. sit hic. Sit præscribendus *pulvis pro suffitu in Catarrhis*, quo æger seipsum, aut etiam suum conclave inficiat, aut etiam quo suffitu æger tegmina capitis imprægnet, & imponat, vel ut ore & naribus patulis excipiat in catarrhis faucium & narium, & qui sunt alii modi usurpandi suffitus: præscriberem h. m.

℞. *Succini* ℥ß.
Thuris.
Mastichis ana ℨij.
Benzoes.
Styracis calamit. ana ℨj.
Gumm. Juniperin. ℨß.
flor. Lavendul.
Majoran. ana pij.
rasur. ligni rhodii ℨij.

M. F. pulvis grossus pro suffitu in catarrh. D. in scatula.

pro ditioribus addi possunt Caryophylli, Cinnamom. Ambra, Moschus, &c. *Quantitas variat* pro usus ratione; scilicet vel crebrius, vel rarius sunt usurpandi, &c. *Ingredientia* etiam *variant pro varietate affectuum*: sic verbi gratia contra Catarrhos sunt modo dicta: alia omnino ingredientia in suffocatione hystericâ recipiuntur: sic in illa ordinaria sunt Galbanum, Castoreum, asa fœtida, Cornua combusta, succinum, &c. Item basis ferè suffituum hystericis convenientium solent esse verrucæ equinæ, de quibus in superioribus sub Equo. Sic *suffitus PARACELSI in hystericâ passione* usitatus fuit talis:

℞. *Verrucar. Equæ* ℥j.
Ungulæ caprinæ. ℥ij.
asæ fœtidæ ℥j.
M. F. pulvis grossus.

(Verrucæ & asa fœtida contunduntur, ungula caprina raditur) cujus ℈j. accendantur, & fiat suffitus per tubulum ad uterum. Nulla est suffocatio adeò pertinax, quæ ab hoc non excitetur: auctore *FONSECA*. Quod *si tales pulveres excipiantur mucilag. Tragacanth.* q. s. exinde formantur *Trochisci* irrorandi oleo appropriato, quorum Trochiscorum unus injicitur in prunas, & ita excitatur suffitus. *Loco Tragacanth.* etiam possunt fieri commodè cum *Gummi Tacamahac.* dissoluto in aqua appropriatâ cum qua postmodum fiunt tales Trochisci contra Catarrhos. Sic tales Trochisci pro fumo possunt præscribi h. m.

℞. *Succini pulverisat.* ℥ij.
Thuris.
Mastichis ana ℥j.
Gumm. Juniperini ℥ß.

M. & cum s. q. mucilag. Tragacanth. vel cum s. q. Gumm. Tacamahac. in aqua lil. convallium & Majoranæ dissoluti aut extracti F. Trochisci, qui irrorentur oleo still. succini & Majoranæ.

Quod *si tales pulveres excipiantur* à *carbonibus salicis* mistis cum Gumm. Tragacanth. aut cum Ladano, tunc exinde fiunt.

AVICULÆ CYPRIÆ.

Quas vocamus, die Raucher Kerxlein. Modus E. præscribendi est idem: præscribuntur pulveres, & postmodum cum s. q. carbonum salicis & Gummi Tragacanthi. F. Candelæ pro fumo, vel F. aviculæ Cypriæ D. S. Nulla est differentia hîc in præscribendo. Fiunt etiam *in aliis affectibus suffimigia* & fumi verbi gratia *in Ozæna* & Ulceribus narium malignis fit suffitus ex antimonio aliis admistis. In *affectibus pectoris & phthisi* valdè utiles sunt suffitus ex Nicotianâ, tussilagine, sulphure Benzoe. Pertinet huc *fumus Tabaci* haustus per fistulam, qui est quasi suffitus *contra Catarrhos*, *in specie* quidem, *si cum tali* nicotiana permistus fuerit *pulvis succini & anisi*, aut si ista nicotiana fuerit irrorata cum oleo destillato succini & anisi, & ita hauriatur per fistulam, erit suffitus conveniens in pectore & capite contra Catarrhos, pro discussione & incisione lymphæ acidæ. Nunc *contra ulcera partium internarum* pro detersione & abstersione fermenti ulcerum acidi. Nunc pro *exsiccatione humiditatum* & earum absumptione, nunc pro *affectibus mulierum uterinis*, nunc pro aliis scopis, &c. Fotum humidum superius habuimus. Post suffitus sequuntur ODORAMENTA, seu talia remedia, quæ *sine ignis ope* ex se *diffundunt odorem suavem &* penetrantem, & parantur tàm ad utilitatem quam voluptatem. Præscribendi modus utrobique est idem, unde & nos eadem conjungemus. Præscribuntur *Odoramenta* vel in formâ humida, vel in formâ sicca. *In forma sicca* usualis est 1. quidem *pulvis*, qui solet excipi nodulo, & ita admoveri naribus: vel etiam solet includi pyxidi perforatæ, & ita admoveri, vel alio modo. Sic verbi gratia. *Nodulus contra Coryzam*, contra *læsum olfactum* & contra *nares obstructas* fit hic

℞. *fol. Majoranæ* piij.
Sem. nigellæ ℥ij. quæ quasi est basis
Oleo still. Majoranæ gutt. iv.
succini gutt. ij.
Camphoræ gr. 1.
M. f. l. a. Nodulus contra conf. sam. &c. cum stylo.

Item pro tali casu:
℞. *herb. serpill.*
fol. majoran. ana pij.
Sem. nigellæ contus. ℥ij.
F. l. a. Nodulus cum stylo.

qui sæpius admovetur naribus: interdum hic nodulus, *ut eò melius odorem* suum *diffundat*, solet *humectari aqua aut spiritu appropriato*. & tunc talis liquor simul præscribitur, cui subinde immergendus venit. Tali Nodulo, uti est proximè progressus, interdum additur talis liquor:

℞. *Aqua Majoran.* ℥j.
lil. convall. cum vino ℥ß.
Ess. ambræ gutt. iij. vel iv.
M. S. D. aq. pro Nodul.

quâ nempe irrigandus est nodulus, & applicandus naribus. Quod si nodulus includatur pyxidi, vel eburneæ, vel perforatæ ligneæ, perinde est. *Tales* pulveres *si excipiantur cum gummi Tragacanth.* & formentur globuli rotundi, tunc fiunt POMA ODORATA quibus *si* ad gratiam odoris, & non tàm ad sanitatem, quam voluptatem *addatur Ambra*, Zibethum, Moschus, &c. tunc in specie vocantur POMA AMBRÆ, quæ sæpius scil. usurpantur pro voluptate, non pro sanitate. Denique tales pulveres *si excipiantur sapone Veneto* dissoluto in aqua appropriata fit SAPO ODORATUS de quo similiter vid. *SCHROEDERUS*, qui sapo præparatur partim pro gratia odoris, partim pro gratia coloris manibus ac faciei conciliandâ. Ita saponi Veneto in aqua appropriata dissoluto adduntur pulveres, verbi gratia Benzoes, styrax, ladanum, & si lubet etiam aliquot grana Ambræ, Moschi, Zibethi, exsiccantur postmodum lente, & sapo Venetus inspissatus & istis odoriferis imprægnatus formetur in globulos saponiformes, & fit sapo odoratus: Sapo elegans odoratus, qui simul nitidas reddit manus fit per Essentiam Benzoes: si scil. Benzoe dissolvatur, in spiritu vini rectificatissimo, sicque emergit tinctura rubicundissima: Huic tincturæ infunditur sapo venetus in aqua rosarum odoratâ dissolutus, sic enim fit, ut ista Tinctura Benzoes subitò lactescat, hoc facto, benè invicem miscentur hæ duæ solutiones, & leni evaporatione denuò (ne odor exhalet) inspissantur, & fit sapo odoratus, qui sub solutione & suavem Benzoes odorem spirat, & præterea cutim glabram, albam & nitidam reddit. Hæc sunt odoramenta sicca.

MORELL. CAP. VIII.

De Amygdalato.

Cum commentar. Gerard. Blasii.

COlore & sapore non multum differt ab emulsione, nisi quod spissius existat usitatius.

Duplex enim est, *aliud liquidius*, ex amygdalis elicita lactea quædam substantia, instar emulsionis, ut suprà sine ulla coctione, *aliud* verò *crassius*, coctione inspissatum, de quo in præsentia.

Est autem *Medicamentum Alimentosum Syrupi substantia paulò liquidius, lactis instar,*) unde & *Cremor* & *Lac amygdalinum* vocatur) *elicitum, saccharoque conditum, ad alterandum simul & nutriendum comparatum* A

Licet autem à Medico præscribi non soleat minutim B sed imperari tantum, Medicus in ipso tria considerabit: *Compositionem, Usum, & Utilitatem.*

Quod ad COMPOSITIONEM, conficitur passim ex *Amygdalarum excortic.* ℥ij. quæ teruntur in mortario marmoreo, affundendo sensim *Aqua ferventis* ℔ß. colantur deinde, additurque *Sacchar.* ℥j. ℥iß. ℥ij. pro lubitu, deinde parum coquuntur, exhiberurve.

Nota 1. quòd si ægrotans amygdalatum spissius expoter, amygdalarum plùs & sacchari esse addendum, & contrà. 2. c. ubi ad somnum consiliandum Instituitur, quod sæpè fit) *sem. papaveris albi, lactuca* recipere.

USUS quod ad *Tempus* exhiberi quidem potest quâvis horâ commodâ, sed passim horâ somni usitatè exhibetur.

FORMULA PRÆSCRIB.

℞. &c. Vide emulsionem.

UTILITAS eodem ferè quæ emulsionis, temperat, lenit, refrigerat, humectat, hinc passim in affectibus pectoris demulcendis expurgandis, in febribus & aliis calidis affectibus, in vigiliis, &c. vide Emulsionem.

A *Adde, quod coctio lenis debeat accedere, hac enim si non accesserit. Emulsio simpliciter dicitur, sæpius tamen &* Emulsio *generaliter sumitur pro omni modo dicto ex seminibus & fructibus extracto lacteo, excepto eo quod ex Amygdalis solis aut aliis additis est, utpotè cui* Amygdalati *nomen tribui solet, sive coquatur parum, sive non.*

B *Imò apud nostros ferè semper minutim præscribi solet.*

C *Prout usus est frequentior, habitâ itidem ætatis consideratione, majori minorive quantitate parandum.*

℞. Amigdalarum mundatarum, ℥ii. terantur. In mortario cum aquæ elixivitæ paulatim affusæ ℔.3. adde saccha. ℥vi. misc. & coque parum. Detur.

MORELL. CAP. III.

De Eclegmate.

Cum Commentar. Gerard. blasii.

QUOD Arabes LOCH, *Graci* ἐκλείγμα *ab* ἐκλείχω, lambo, Latini, *Linctum* vocant; apud omnes à lingendo, sensim lambendo, à forma utendi, nomine desumpto.

Est autem *medicamentum, consistentia mellis, vel media inter syrupum & opiatam* A, *ex variis thoracicis compositum, variis affectibus asperæ arteriæ, pulmonis, pectoris, dicatum, quod ore contentum lentore lubrico sensim eliquescens, vim suam bechicam partibus istis impertit.*

Est autem duplex, *Officinale & Magistrale.*

ECLEGMA OFFICINALE est
- *calidum* incidens & detergens.
  - *sanum & expertum.*
  - *de pineis.*
  - *de farfarâ.*
  - *de caulibus.*
  - *de pulm. vulpis.*
  - *de scyll. simpl. comp.*
- *frigidum* & incrassans.
  - *de papavere*
  - *de psyllio.*

MAGISTRALE quod ad COMPOSITIONEM, varium existit.

α VEL enim componitur ex *Pulveribus liquore*, vel potius *melligine* idonea exceptis, forma opiatæ.

PULVERES isti, ratione QUALITATIS, sunt Bechici, pro scopo idonei, iique vel simplices, Radic. Folior. Sem. Succor. siccorum, vel compos. Species nempè thorac. ut *diaireos*, soli vel mixti, quibus sæpiùs, si scopus ferat, *Sacchar.* vel *penidia* præterea adduntur.

Ratione QUANTITATIS, ad ℥j. ferè præscribuntur, cum excipientis rei quadruplo, ut jam dicetur, ita ut usitatè eclegma non excedat ℥iij. vel iv.

EXCIPIENS istos pulveres ratione QUALITATIS, usitatè est *Syrupus idoneus*, aliquando *Mel, Sapa, Mucilag. semin. convenientium, gummatum, Vinum dulce*, &c. prout feret indicatio; sed usitatiùs Syrupo excipiuntur.

Quod ad QUANTITATEM, non exprimitur, dicitur, q. s. potest tamen ita definiri, ut Syrupus sit quadruplus, vel etiam quintuplus, Eclegma enim opiatâ debet esse liquidius.

β VEL fit ex *decoctis*, quod vim bechicorum idoneorum, maxime autem Folior. Fructuum, Seminum, ebiberit, mucilagine, cum *Sacchars*, vel ipsi analago, *Melle, Sapa*, additis aliquando pulveribus idoneis.

Quod ad mucilaginem illam extrahendam, præscribitur primò decoctum, ex thoracicis suâ natura mucilaginosis, hac ratione, ut sint *radic.* (licet rariùs) ℥iß. ℥ii ℥iij. *folior.* M. iiij. v. *fructuum majorum*, par. 18. *minor.* 10. 14. ℥ß. *semin.* ℥i. ℥iß. sitque decoctio in liquore idoneo ad putrilaginem usque, exprimuntur deinde omnia fortiter ex torculari, cum tale nova, trajiciunturque. Recipitur hujus mucilaginis quartarium unum; (sufficiet namque:) idcircò ingredientia decoctum, pro illa elicienda dosi minore præscribenda quam enim tradidimus libram fere dabit. Huic mucilagini additur vel scachari soliùs ℥j. ℥iß. vel insuper pulveris electuar. aut aliorum rerum idonearum: ab ℥ß. ad ℥j. plùs pro consistentia mucilaginis.

γ VEL ex *Pulpa fructuum*, ad ℥j. *Pulver.* ad ʒj. *Syrup.* q. s.

δ VEL ex *Looch officinarum* ad ℥j. ℥ij. *Pulver.* ad ʒij. iij. *Syrup.* q. s.

ε VEL ex *Fructibus thoracicis, Seminibus, Succis* etiam, simul contusis, cribratis, trajectis, cum *syrupo, melle, mucilagine*, pro scopo, exceptis; hac quantitate & proportione, ut sint fructuum ℥ij. sem. ℥j. succor. ℥ß. syrup. q. s. & nota, pulverem aliquando addi ad ℥ß.

ζ VEL, quod usitatissimum, simplex *Syrupus pectoralis* pro looch præscribitur, ad ℥iiij. vi. cui insuper &, si volueris, pulveres idonei adduntur, proportione dicta in primo modo.

η VEL, sed maximè in phthisicis, ex *Conservis adstringentibus*, ut ex basi, ad ʒii. *Pulveribus* variis, ad ʒvi. ℥i. *Sirup.* q. s. potest tamen maior omnium quantitas præscribi, quia usus debet esse frequens & quotidianus.

NOTA etiam aliquando præscribi ex *Butyro*, cum *sacchari* aut *mellis* duplo, in tussi & tracheæ asperitate, cui aliquando adduntur *pulver.* ʒiii. *syrup.* q. s. & insuper in materia frigida detergenda, *Terebinth.* ℥i. vel loco huius etiam insuper *Olei amygdal. dulc.* ℥i. in pleuritide & phtisi.

USUS quoad MODUM, si Syrupus tantùm præscribatur, præcipitur, de hoc capiat sæpiùs ex cochleari, sensim lambendo; si fuerit Eclegma compositum, utatur cum baculo liquiritiæ contuso, sensim etiam lambendo.

Quod ad QUANTITATEM, Eclegma non debet excedere ℥iii. iv. vi. nisi pro exteris præscribatur, tunc enim etiam ad ℔i. si frequens debet esse usus, excurri potest, ut & cùm præscribuntur ad Phthisin. *Dosis particularis* est cochleare, vel quantum baculo liquiritiæ contuso excipi potest. Quod ad *discretam*, sæpiùs & frequentissimè usurpandum. Looch de papav. semel hora somni.

Quod ad TEMPUS, longè à pastu, ante, post cibum, vel etiam quavis hora urgente necessitate: manè, ubi expectorandum, post somnum: vesperi verò ubi humor fluens est incrassandus.

FORMULA. ℞. *&c. fiat looch, quo utatur æger capite erecto,* (vel potiùs prono ad pectus, ut epiglottis, quæ laryngi incumbit, magis dehiscat,) *cum baculo liquiritiæ, &c. vel ex cochleari.*

UTILITAS. Præscribuntur tantùm in affectibus pulmonum & pectoris, ut in asthmate, tussi, &c. catharris, vitiis tracheæ. Ita hodiè imperantur ferè, *vel* ad leniendam asperitatem ipsius ob humorum acrimoniam, vel aliàs oriundam, ex bechicis dulcibus gratis, *vel* ad sputum facilitandum, attenuando, incidendo crassos humores ex dulco-acidis; detergendo lentos, ex dulco amaris, his parcioribus, *vel* ad fluxiones in pectus sistendas, incrassandas si tenues, ex viscidis mucilaginosis; *vel* ad adstringendum in hemoptoë, ex agglutinantibus: & siccandum in ulceribus pulmonum, sed cautè: quia spiritus viam intercludit. Facilis autem spiratio sit ad vitam oportet.

Frequentissimus etiam usus est in affectibus quibusvis alteratione indigentibus, partium in faucibus sitarum.

Imò non rarò & Cardiaca omnimodo, alexipharmaca, sudorifera, Ecclagmata evadunt, siquidem syrupo uno aut altero pulveres, confectionesque eius virtutis addantur. v. gr.

A Imò sæpe solus Syrupus, unus aut plures, usurpantur, & sic hujus formam retinet.
B Plura in dispensatoriis exhibentur.

α R. Specier. Diaireos simpl.
Diatragac.frig.an.3i.
Pulv.rad.Helenii, Tussilag. an ℈i.
Sacchari candi, penidiat, an. 3ij.
Syrup.de Liquirit.q.s.F. *Linctus.*

β R. Rad. Liquir.ras.Fœnic.Petros.an. 3i.
Alth. Helenii.an.℥ß.
Herb. Hysop.Bugloss.an. Mi.
Tussilag. cum rad.Mß.
Flor.cordial. P.i.
Ficuum ping. n.vii.
Prun.Damasc.n.x.
Jujub.Sebesten.an.n.vi.
Uvar.pass.exacin.Hord.mund.an. ℥i.
Sem.Anisi.Carui.an. 3ii.
4. Frig.maior. & min.an. ℈iii.
F.Decoct.in ℔iii.aq.com.ad consumpt. medietat.
Maneant per noctem in infusione, manè forti expressione factâ adde Sach. Candi ℥iv. Coquantur in Syrupum.

γ R. Pulv. Junip. ℥i.
Spec.Diaireos simpl.℈ii.
Syrup.Jujub.q. s.F. *Linctus.*

δ R. Loch.de Caulibus, Farfara,
Pulmone vulpis. an. ℥ß.
Spec.Diaireos.Diatrag. fr.an.3i.
Syrup.de Jujub.Glycerryz. an. q.s.
F. *Lohoch.*

R. Passul. min.mund. ℥iii.
Caricar.ping.℥ii.
Glycerr. mund.℥i.
Coq.in aq.Hysop.& Vini q.s.ad mollitiem, & per cribrum traiiciatur. Pulpæ traiactæ adde
Loch.de farfarâ ℥ß.
Syrup.de Hysop.Capill.ven.ana q.s.
M. f. *Linctus.*

ξ R. Syrup.Juiub.Glycirhiz. Capill. ven. ana ℥i.
Sacchari penid.3vi. M.f. *Linctus,*
R. Syrup.d'Tussilag.de Prassio ana ℥iß.
Pulv.rad.Elenii, Tussilag, Liquirit. ana 3iß.
Sachar.q.s.M.f. *Linctus.*

ε R. Conserv.Rosar. ℥iß.
Diamarg.frig.Diapenid.ana 3iii.
Syr.d'Simphit. q.s.
M. f. *Linctus.*

R. Syrup.de Hysop. ℥i.ß.
Limon.℥i.
Spec.Diamarg.Frig.3i.
Confect.de Alcherm.3iß.
M. f. *Linctus pro apthis.*

SCRODER. CAP. L.

De Eclegmatis, Lohoch, Linctibus.

MAteriam præbent pectoralia: videlicet pulveres, conservæ, mucilagines, syrupi, decocta, mella, pulpæ, sapæ, & simil. *Modus parandi.*

℞. Pulveres convenientes, fructus, gummi arabicum, Tragacanthum, succum glycyrrhizæ, amylum, &c. incorpora [in mortario, piloque ligneo] cum mellis, syrupi, mucilaginis, decocti, & simil. liquoris glutinosi q. s. donec exactè mixta & mellis consistentiam nacta fuerint.

Ex tempore quæ præscribuntur, fiunt ex Eclegmatis usualibus, pulveribus, conservis, cum syrupi q.s. incorporaris, vel ex solis syrupis cum sacchar.candi vel penidiati q. s. mixtis.

N, 1. *Decocta itidem ac succi in formam Eclegmatis cum Sacchari coqui possunt.*

N. 2. *Proportio pulveris est ferè unc.ß. ad syrup. unc.ij.*

Eclegmata usualia sunt.

Lohoch, ad asthma, scillæ compos.
de Cassia *vide infra.*
N. 1.
De Caulib.
de Farfara.
de Papavere.
Passulatum, N. *aliud*, *vide infra* 2.
de Pino.
de Portulaca.
de Pulmone vulpis.
Sanum & expertum è succo scyllæ.
} vide August. &c.

1. *Lohoch. de cassia pro Clysteribus.*

℞. Herb. Malvæ.
Mercurial.
Parietar.
Violar.
Betæ.
Absynth. ana M. 1.
Coq. in s.q. aqu. ad ℔. IV.
Adde pari pondere Medull. cass. & mellis despumati ana. F. Lohoch.

2. *Lohoch passulatum, s. Electuarium passulatum.*

℞. Passular. minor. unc. IV.
Sacchar. cand. unc. ii.
Aqu. Scabiosæ,
Fœnic.
Farfar. an. unc. ii.
F s. a. Eclegma.
Vires. *Confert. in Tussi, acrimoniam Catarrhorum mitigat.*

MORELLI CAP. VI.

De Trochiscis.

Cum Commentar. Gerard. Blasii.

ALIAS etiam à forma Græc. κυκλίσκοι & ἀρτίσκοι: Latinis *Pastilli, Orbiculi, & Formæ lupinares.*

Medicamenti forma solida duraque, lupinorum figura similis, ex pulveribus variis A liquore exceptis, in pastam, quæ deinde in orbiculos effigiata, exsiccata, asservataque.

Sunt autem Officinales, *vel* Magistrales.

Utrique Interni *vel* Externi.

OFFICINALES B INTERNI *vel, sunt* Purgantes, *Agar. trochiscatus, Alhandal. de Violis.* vel Alterantes, sine opio theriacali, *ut de Viperis, Scyllitici, Cypheos, Hedychroi*, vel cum opio, *ut Alkekengi, Carabe* Cardiaci, *Gallia moscat. Alipta moscat.* Bechici *seu* pectorales, *albi nigri.* Aperientes, quales sunt *Diarrhod. de Rheo, de Eupat, Absynth. de Lacca. Myrrha.*

MAGISTRALES ut olim fuere usitatissimi, sic hodie vix præscribuntur, nisi ad suffitus ad quos receptissimi, ut postea, ut & ad tussim & d fluxionem, quales *pilulæ subling.* de quibus supra. Fiunt & usitatè ad ulcera vesicæ, & renum, ardorem urinæ, fluxum sanguinis, seminis & alvi possunt & ad corroborandum. In summa loco pulverum efficaciores præscribi possunt, quia vis medica non evanescit; sed asservatur hac ratione commodissimè.

COMPONUNTUR autem ex *Pulvere* rerum variarum idoneo C *liquore* etiam convenienti excepto, permixto, donec pillularum & pastæ formam acquirat, ex qua deinde orbiculi effinguntur, in umbra siccandi, reponendique, charactere sæpiùs impresso: fiuntque ponderis 3j. 3iß. 3ij. 3iij. ad summum, pro ingredientium vi & summa efficacia.

Ratione QUALITATIS, *Pulvis* assumiturà vegetabilium singulis, partibus, quæ pulverisari possunt. D

Q od ad QUANTITATEM, ad ℥j. ℥iß. ℥ij. pro usus necessitate & longitudine præscribentur.

EXCIPIENS ejusmodi pulverem, vel est tenue, *Aqua, Vinum, Aquæ destillatæ, Succi herbarum*: vel viscidum, *Mucilago gummi tragacantha, Arabici*, extracta cum aqua idonea.

Quod ad QUANTITATEM, præscribitur q s.

USUS & FORMULA. ℞. *&c. fiant trochisci lupinares, vel pastilli, ponderis, &c. siccentur in umbra, usus tempore teratur unus, duo, pro ponderis ratione, & efficacia, solvatur liquore idoneo.* Utatur & intra, & extra, fiunt enim, ut dixi, trochisci ad usus tum internos, tum externos.

NOTA tamen obiter, qui fiunt ad *Suffitum* non dissolvi, ut neque Hypoglottides appellari: de quibus suprà.

UTILITAS jam satis expressa: hac enim forma aptari possunt alterantia vario modo, corroborantia: trochisci enim potiùs inventi sunt ad conservandam vim pulverum infractam, quàm quòd sint privata quædam medicamenti forma: Integris enim non utimur, sed solutis priùs liquore idoneo, si hypoglottides, & quæ ad suffitum, excipias.

Ad trochiscos referendi sunt

MUSCARDINI.

Pastilluli enim *sunt, ab odore quem à moscho habent, sic dicti, ad halitus maximè comparati, suavitatem, & venereos complexus.* Tales extant *trochisci de Gallia* efficacissimi.

COMPONUNTUR autem, VEL simpliciter ex *ambræ, moschi*, gran. iij. iiij. &c. ut volueris, & *sacchari* soluti in *aqua ros.* q. s. cum *amylli* tantillo.

VEL fiunt compositius, ex *pulvere rerum aromaticarum* suavis odoris, ut *Cin momi santal.* 3i. *moschi, ambr.* gran. iij. iiij. pro lubitu, *sacch.* &c. fiant trochisci: quorum unum teneat sæpiùs in ore.

A Quando

A *Quandoque & Opiatis, Confectionibus, Oleis, similibusve,*
B *Certo ordine quoque & numero exhiberi non possunt.*
C *Confectionibus, Opiatis, similibusque.*
D *Radic. Semin. &c. Gummatibus itidem & succis inspissatis.*
Possunt & Trochisci officinales, & Species similes hic adsumi, pulverisandi.
Confectiones, optata, olea, sunt officinalia.

℞ Nuc. mosch. ʒi.
Gum arab. ʒß.
Redigantur in pulverem, & cum aq. rof. F. *Trochisci* qui caput roborant, & in Catharro tenui utiles sunt.

℞ Gum. Tragac. Arab. Thuris an. ℈j.
Amyli. ʒj.
Sem. papav. alb. ʒß.
4. frig. mai. an. ℈j.
Corall. rubr. Ocul. cancri. an. ℈ij.
Opii in vino generoso soluti g. vj.
Mucilag. radic. Altheæ & Consolidæ q. s.
Sach. penid. mediam partem ponderis reliquorum omnium.
F. *Trochisci* ʒß. Ponderis, quorum unum dentes inter & buccas ad tussim mitigandam contineat æger.

℞. Theriac. Elect. de ovo an. ʒij.
Lign. aloes ℈i.
Rad. angel. Petasit.
Cort. & sem. citri an. ℨß.
Ol. junip. angel. succin an. ℈i.
Sach. ℥ß.
Cum mucilagine Tragac. q. s.
F. Troch. sublinguales pestilentiales.

I. ℞. Moschi ex aqua Rof. dissol. ℈j.
Sach. Albiss. ʒvj.
Amyli. ʒv.
Atterantur pistillo, & cum mucilag. Tragac. [ex ℥j.] in aqua rof. fact. f. grana instar hordeaceorum, quæ exsicc. in umbra pro usu.

II. ℞. Mosch. Ambræ an. gr. vj.
Rad. Ireos alb. ℈iv.
Amili purif. ℥iß.
Sachar. alb. ℥. vij.
Gum. Arab. Tragac. an. ℈iv.
Cum s. q. aq. Rosar. F. *Trochisci.*

SCRODER. CAP. LXXXVIII.

De Trochiscis.

Materia Trochiscorum sunt omnis generis Medicamenta, quæ pulverisata liquore conveniente [viscoso,] suscipi, compilari ac impastari queunt.

Parantur autem in Officinis Trochisci, partim ut pulveres viscoso aliquo liquore compacti ab injuria aëris eò melius asserventur, exigenteque necessitate adhiberi queant, partim quoque, ut per se applicentur, e. gr. Trochisci bechici, sublinguales, prophylactici, trochisci pro fumo, & simil.

Modus fiendi.

℞. Medicamenta subtiliter pulverisata, redige in massam cum liquore conveniente mucilaginoso, e. gr. cum mucilagine aliqua [Tragac.] cum succo, syrupo, & simil.

Ex massa impastata formantur trochisci, seu parvi pastilli, [quibus character pro libitu imprimitur,] vel fiunt inde bacilli oblongi.

Trochisci usitatiores alterantis.

Trochisci.
de Absynthio, Mesue, *August.*
de Agno casto, Rhasis, *Aug.*
Alexiterii, s. contra pestem, 1.
Aliptæ moschatæ, cum ambra ac moscho, A.
Aliptæ moschatæ, sine ambra & moscho.
de Alkekengi, cum opio, A. sine opio.
de Aniso, Mesue, A.
Bechici albi, cum moscho, A.
sine moscho.
nigri.
rubri, sive è bolo.
de Benzoin.
de Berberibus.
de Camphora, Mesue.
N. *Renodæus alios è Myrepso substituit.*
de Capparibus, Mesue.
de Carabe, s. succino, Mesue.
de Corallio. Nicol.
Diacorall. Gal.
Cypheos, Democratis.
de Eupatorio, Mesue.
pro fumo vulgares, 2.
optimi, s. cum moscho, 3.
de Galla moschata
Gordonii
Hedychroi
de Violis, Nicol.
de Lacca, Mesue.
Moschardini, 4.
de Myrrha, Rhas.
Pectorales. Baculi pectorales, 5.
Prophylactici, cum mithrid. 6.
Ramich, Mesue.
Diarrhodon. Nicol.
de Santalis, Mesue.
Diaspermaton, Gal.
de Spodio.
de Terra sigillata, Mes.
de Vipera, Gal.
de Xyloaloë, Mesue.

Huc referendi sunt 1. Trochisci ophthalmici, quibus imponitur nomen Sief. 2. Candelæ pro fumo. 3. Sapo odoratus: ac 4. Poma Ambræ, de quibus partim suis locis, partim hoc loco.

[*Trochisci de Catech. muscerdæ minima formâ, moschati, qui sub lingua pro fragrantia & apophlegmatismo tenentur.*]

Collyria sunt usitatiora,

Sief album cum & sine Opio. album Galeni.
citrium Mesue.
de plumbo Mesue.
de rosis siccis.
de thure Rhasis.
} Vide Dispensator.

Trochisci purgantes.

Trochisci de Agarico, Mesue.
Agaricus Trochiscatus,
Alhandal, s. de Colocynthide,
de Rhabarbaro,
de Violis solutivi.

1. *Trochisci Alexiterii Renodæi.*

℞. Rad. Zedoariæ.
Gentianæ.
Tormentillæ.
Rad. Ireos flor. ā. ʒj.
Angelic.
Cinamomi.
Caryophyllor.
Macis, ana ʒß.
Zinziber. ʒj.
Coriandri præp.
Rosar. ana ʒj.
Cort citri sicc. ʒij.
F. Pulvis subtilissimus: & cum succi Glycyrrhizæ ℥vi. f. pasta mollis, de qua formentur trochisci, vel potiùs bacilli oblongi.

Vires. *Pesti præcavendæ multùm conferunt, si in ore detineantur, vel & in ventriculum demittantur.*

2. *Trochisci pro fumo vulgares,* FF.

℞. Santal. citrin.
Rosar. rubr.
Caryophyll.
Cinam. ā. ʒvi.
Benzoin. ℥iß.
Styrac. calamit. ℥i.
Sacchar. pulv. ℥xii.
Cum mucilag. Tragac. in aqua rof. fact. f. trochisci.

Trochisci pro fumo cum moscho, F. F.

℞. Benzoin. ℔ i.
Styrac. calamit. ℥vij
Rosar. rubr. ℥i.
Ligni aloës ℥ß.
Caryophyll.
Santal. citr. ā. ʒij.
Sacchar. alb. ℥viii.
Mosch.
Zibett. ana ʒß.
M. & cum infusione tragacanth. in aqua rosar. formentur trochisci.

4. *Trochisci moschardini, aliàs confectio moschardina: corpus sine anima.*

℞. Moschi ex aqua rosar. dissolut. ℈j.
Sacchari albiss. ʒvi.
Amyli ʒv.
Atterantur pistillo, & cum mucilagine tragancath. (ex ℥i.) in aqua rosar. fact. f. grana instar hordeaceorum, quæ exsiccentur in umbra, pro usu.

N. *Sunt qui sanguinis Draconis ʒij. addunt.*

Vires. *Graveolentiam oris emendant, si pastillus unus ac alter in ore detineantur.*

5. *Baculi pectorales* F. F.

℞. Spec. Diatragac. frigid.

Diaireos

Diaireos simpl. ana ʒ i.
Rad. Liquirit. ʒ ß.
Sacchar. albiss. ℥ vi.
Cum mucilagin. Tragacanth. F. Baculi.
Vires. *Tussim leniunt, asperitatem demulcent.*

6. *Trochisci Prophylactici cum Mithridatio, F.F.*

℞. Boli Armen. in succo citri infusi & exsiccati ʒ i.
Coral. rubr. præpar. ʒ ij.
Rasur. c.c. ʒ i.
Succin. alb. ℈ ij.
Rad. Tormentill.
Pimpinell.
Imperator.
Angelic.
Zedoar.
Cinamom. ā. ʒ ij.
Croc. ℈ j.
F. Pulvis subtilissimus
℞. hujus pulveris ʒ ij.
Mitridatii opt. ʒ i.
Ole. Cinamom.
Angelic. ana gutt. i.
Sacchar. albiss. ℥ iij.
Cum infusione G. Tragac. in aqua angelicæ facta, F. Trochisci.

Vires. *Frequenti hic in usu sunt ad pestem præcavendam.*

Hujus quoque loci sunt candelæ & baculi fumales, qui fiunt ex pulveribus odoriferis, impastatis mucilagini Tragacanth. Styrac. & simil. uti trochisci pro fumo, à quo non differunt quoad modum fiendi.

Sic sunt.

7. *Candelæ fumales, F.F.*

℞. Benzoin. ℥ xvi.
Lign. Aloës.
Axod.
Santal. citrin.
Ladan. ana ℥ iv.
Oliban.
Mastich.
Caryophyll. ā. ʒ iij.
Sacchar. alb. ℔. ij.
Carbon. tiliæ ℔. iv. ß.

F. Omnium pulvis subtilissimus, & cum mucilagine tragacanth. in aqua rosar. majoran. & cort. citri facta, formentur candelæ, addendo parum styracis liquid. & terebinth.

8. *Massa, seu baculi pro fornace.*

Benzoin.
Storac. cal. ā. ʒ vi.
Laudan. opt. ʒ vi.
Balsam. Indic. ʒ iij.
Lign. aloës ʒ iij. (præstat. Extract.)
Mosch. Alexandr.
Zibett. ana ℈ j. M. s. a. f. Massa.

Formenturque instar ceræ Hispanicæ baculi fornaci affricandi.

SCRODER. CAP. LVIII.

De Farinis.

Farinarum conficiendarum modus vulgaris est.

Sunt usitatiores in Officinis,

Farina Amyli, amydi. *Krafft-Meel.*
Farinæ d'Amydon.
Avenæ.
Fabarum
Fœni græci.
Glandium
Hordei
Lentium
Lini
Lupinorum
Oryzæ
Pisorum
Siliginis
Tritici.
Volatilis, *Staubmeol.* De la folle Farine.

SCRODER. CAP. LXV.

De Lapidibus.

Lapidis nomen hic sume non pro lapidibus nativis, sed pro medicamentis præparatis, quæ veniunt nomine Lapidis, ut unc. i. lapis vegetabilis dictus 2. medicamenta in duritiem terream ac lapideam excocta.

Lapis vegetabilis nihil aliud est, quam essentiales alicujus vegetabilis partes conjunctæ, ac in lapidem q. coagulatæ. Fitque.

℞. Plantam, siccam, digere cum menstruo proprio (aqua propriâ stilat.) destilla, ut habeas phlegma, spiritum ac oleum. Ex remanente ac superstite materia incinerata extrahe sal beneficio phlegmatis Ex eadem (seu ejusdem speciei planta) extrahe tincturam cum spiritu illo. Hinc impraegna Sal. com. tincturâ suâ s. a. ad sufficientiam. Postea adde olei quantum impraegnatum illud sal imbibere potest, & in lapidem quasi coagulantur.

N. *Hujusce medicamenti genus etsi in Officinis paratum non extat, opera-pretium tamen esset introducere; in quo autem notandum, quod lentissimo igne in lapidem paulatim convertere id oporteat.*

Alias lapidis nomine veniunt Lapis septicus, s. cauterium potentiale, tum quoque lapis Philosophorum [*de quibus Augustani,*] & præter hos

1. *Lapis corrosivus,*

℞. Lixivium, è quo sapo niger coquitur. Id sartagine exceptum coquatur in lapidem, qui tesserarum in formam scindatur, cum refrixerit, ac vitro rectè obturato servetur.

Vires. *Cauterium insigne est, dimidia hora spatio fonticulum inducere sufficiens. Heurn. in Meth. pract.*

2. *Lapis, s. magnes arsenicalis.*

℞. Antimon. crudi.
Sulph. flavi.
Arsenic. albi.
Pulv. subtilissimè lentoque igne liquefac. Vase refrigerato eximitur materia, quæ frigore indurescit.

Vires. *Usus ejus est in peste, ubi in forma periapti de collo suspenditur: ingreditur insuper Emplastrum magneticum Hart.*

3. *Lapis medicamentosus Crollii, s. Lapis salutis.*

℞. Vitrioli virid. ℔. i.
alb. ℔. ß.
Alumin. ℔ iß.
Anatron. id est, fel vitri
Sal. commun. ana ℥ iij.
Tart.
Absynth.
Arthemis.
Cichor.
Persicar.
Plantag. ā. ℥ ß.

Ponantur in olla vitreata, affunde parum aceti rosacei, ac coque igne l. sæpius agitando: ubi incipit spissescere, adde
Cerus. ℔. ß.
Boli armen. ℥ iv.

Diligenter misceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem massa concreverit, quæ postea fractâ ollâ eximenda, & ad usus reservanda.

N. *Si gummata, myrrham videlicet & thus, addere voles, instituatur coctio lenta, ne comburantur, nec vis illorum in igne evanescat.*

Vires. *Virtutes ejus variæ sunt, Tollit ulcera, & defluxiones, desiccat vulnera inveterata, curat erysipelas, scabiem, tineam, serpigines.*

Modus utendi.

Liquescat ejus ℥ j. *in aqua pluvial, mensura* i. *filtrentur, filtraturâ hac utere tùm lavando, tùm linteolum imbuendo atimponendo.*

4. *Alia descriptio Iohannis Greiff.*

℞. Alumin. ℥ iv.
Vitrioli ungar. vir. ℥ ij.
alb.
Tartari.
Borrac.
Mastich.
Thur.
Sal. ammoniac. ā. ℥ j.
Cerus. ℥ vj.
Boli arm. ℥ iij.

Crasso modo contusa coquantur in olla vitreata capaci, cum aceto fortissimo, ut supra. *Hartm. in pract.*

5. *Alia.*

℞ Vitrioli. ℔. i.
Sal. nit. ℔ ß.
Cerus.
Alumin.
Bol. armen. ā. ℥ iv.
Sal. ammoniac. ℥ ij.

Omnia bene trita coque l. igne cum aceto ad eminentiam digit 2. affuso in olla satis capaci, donec omnia redigantur in lapidem durum.

6. *Alius lapis salutis.*

℞. Alumin.
Myrrh. ā. ℥ iij.
Vitrioli alb.

Anatron.
Ceruſ. an. ℥ij.
Thur. ℥j.
Bol. armen.
Ærugin. an. ℥iv.
Tere ſimul, & cum aceto q.ſ. coque ac coagula in lapidem.

7. Lapis mirabilis.

℞. Vitrioli alb.
virid.
Sacchar. fin.
Sal. nit. ana. ℔. 1. ß.
Sal. ammoniac. ℥iß.
Alumin. crud. ℥iv.
Camphor. ℥i.
Minutiſſimè pulveriſata miſceantur cum muria, ſive brodio olivarum conditarum, ut fiat inſtar mellis. Coque deinde lentè, & coagula in lapidem.

Vires. *Eaſdem vires obtinet cum prioribus lapidibus ſalutis.*

8. Aliter: Lapis rubeus dictus.

℞. Vitriol. Roman.
alb. ana ℔. 1. ß.
Alumin.
Lithargyr.
Lap. calamin. ana ℥iv.
Tart. albi puri.
Sal. ammoniac.
commun. ana ℥ß.
Affuſo aceto coque l igne ſemper agitando, & cum incipit ſpiſſeſere, adde
Ceruſ. venet. ℔ß.
Boli arm. ℥iv.
M. diligenter, & coque in duritiem lapidis.
[De Lapide Burleri variorum morborum curâ famoſo, ex vitriolo venerii, cui Uſneam etiam addunt, legatur Hofmannus in Clav. ad pharmacopœiam hanc.]

SCRODER. CAP. LXXV.

De Pomis Ambræ.

POma ambræ fiunt ex odoratis pulveribus (addi & olea poſſunt,] qui cerâ, ſtyrace liquidâ, balſamo Indico mucilagine Tragacanthi, cum tantillo Terebinthinæ ad tenacitatem, ſi opus ſit, ſuſcepti, additaque aqua roſarum vel ſimili optimè incorporati, in globulos, prout viſum fuerit, rediguntur.

N. *Nomen mutuantur ab Ambra, non quod ea neceſſariò & ſemper ingrediatur, ſed quia odorem ſuavem ſpirant, adeoque ambram æmulantur.*

Exemplo ſint.

1. Odoriferum Crollianum.

℞. Macis.
Caryophyll.
Cinnamom. vel caſſ. lign. odorat. ana ʒii.
Moſchi ʒß.
Ziber. ʒii.
Gumm. arab. ʒ1.
Tragacanthi prius ſupra fornacem ſiccati ʒii.
Hæc duo gummata cum moſcho terantur.
Omnibus diligenter tritis, miſce Zibettam, & affunde aquam Naphæ [ideſt, è floribus aurantiorum,] ſeu Damaſcenæ odoriferæ, pro libitu (ex odoratis ſpecificis & aqua roſarum præparatæ, in qua prius per 8. dies in digeſtione modicum de Paracelſi carbone vel Zibetta occidentali admixtum ſit,) atque incorpora.

N. 1. *Carbo ſeu Zibetta occidentalis, quantum ex Paracelſi archidox, conjecturari poteſt, nihil eſt aliud quam ſtercus ſeu Sulph. humanum, in digeſtione aliquamdiu poſitum, & ex fœditiſſimo illo odore, ſponte ſuâ longâ digeſtione ſummam ſuaveolentiam nactum. Vide Hartmann. in Croll. ut & lib. 5. Claſſ. 1. ut & Agricol. in comm. Popp.*

N. 2. *Poterunt & parari, ſi pulveriſatâ illâ mucilagine Tragacanthi (in aqua odorifera ſoluti) ſuſcipiantur.*

Vires ac Uſus. *Adhibitum naribus odore ſuo ſanguinem movet [quod moſchum efficere putant] & cor ſupra modum refocillat, in Apoplexia, Epilepſia, Colica, Suffocatione matricis, peſtilentiali aura.*

N. *Miſceri poteſt tantillum cum oleo nuciſtæ expreſſo, ut fiat quaſi linimentum, & in ſupradictis morbis debito modo adhiberi. Croll. 2.*

2. Aliud pomum ambræ.

℞. Storac. calamit. ℥iß.
Benzoin.
Laudan. ana ℥ß.
Caryophyllor. ʒii.
Nuciſt.
Macis, ana ʒ1.
Rad. ireos fl.
Cyper. rot. ā. ʒiß.
Fl. Roſar. ʒ1.
Lavendul.
Maioran. ana ℈ß.
Storac. liquid. ʒ1.
Zibett. ʒß.
Moſch. ℈i.
Cum Balſamo Indico & aqua roſar. ana q.ſ.
F. Maſſa.

3. Aliud.

℞. Laudani pur. ℥1.
Styrac. calam. ʒij.
Benzoin. ʒ1.
Nucis moſchat.
Cinnamom.
Macis ana ʒß.
Coriandr.
Garyophyllor. an. ℈j.
Maſtich.
Oliban. ana ʒj.
Lign. Aloës, ʒß.
Ambr. gran. v.
Moſch. gran. x.
F. Maſſa

4. Aliud.

℞. Styrac. cal. ʒii.
Maſtich.
Thur. maſc.
Sandarach. ā. ʒiß.
Coſti.
Spic. ā. ʒ1.
Lign. aloës ping. ʒiij.
Moſch.
Ambr. an. gran. aliquot,
Terebinth. parum.
F. Pomum.

Fluxus inhibet.

N. *Videſis & apud Auguſt. pom. Ambræ, 1. 2.*

SCRODER. CAP. LXXVI.

De Præparatis.

PRæparata Officinarum communiter & in ſpecie ſic dicta, nihil aliud ſunt, quàm ſimplicia nonnulla duriuſcula in tenuiſſimum pulverem, accedente aquâ aliquâ cordiali, redacta.

Talia ſunt: Terræ, Lapides, Perlæ, Corallia, Ungulæ, Cruſtacea [teſtacea.]

Modus.

℞. Rem præparandam læviga ſuper porphyrite, lapide verſatili quam minutiſſimè, inter lævigandum aſperge aquam aliquam cordialem [ut plurimum aqua roſarum adhibetur, ut fiat inſtar pultis; hanc expone loco tepido vel aëri, ut in umbra exſiccetur.

N. *Quæ ſolidiora & duriora, adeoque minus lævigabilia ſunt, uſtione antegreſſa calcinari, friabiliaque reddi ſolent, ut cornua, oſſa, cruſtacea, & ſimil.*

Uſitatiora ſunt

Præparat. Cinnabaris.
Conchæ marinæ.
Corallia alba.
rubra.
Cornu cervi uſtum.
Cranium human.
Cryſtalli.
Granati.
Hæmatites.
Hiacynthus
Lapis armenus.
Judaicus.
Lazuli.
Magnes.
Mandibula Lucii piſcis.
Margaritæ.
Mater perlarum.
Ocul. Cancror.
Oſſa Struthii.
Percarum lapides.
Rubinus.
Saphirus.
Smaragdus.
Succinum.
Tuthia.
Ungula alcis.

SCRODER.

SCRODER. CAP. LXXX.

De Sapone Odorato.

SApo odoratus, Smegma odoratum, odoramenti formula est, constatque ex sapone [potissimùm Veneto, cui res εὐώδεις subtilissimè pulverisatæ immiscentur, adhibita, aqua fragrante, v.gr. rosarum.

Formulæ sint ex DD. Vveickhardo.

1. Sapo Moschatus

℞. Sapon. Venet. ℥ii.
Styrac. calam. ʒii.
Rad. Ireos fl. ʒi.
Nuc. moschat.
Cinnamom. ana ʒß.
Santal. alb. ʒi.
As. dulc. ℈ii.
Caryophyll. ℈i.
Mosch. gran. iv.
Incorporentur in mortario cum aqua rosarum.

Vires. *Habet vim abstergendi & conciliandi gratum odorem, simulque confortandi nervos.*

N. *Loco cinnamomi nucisque licet olea stillatit. adhibere.*

2. Alius.

℞. Caryophyll.
Macis ana ʒi.
Benz.
Rad. Ireos fl. ana ℥ß.
Mosch. gran. x.
Ambr.
Zibett. ana gran. v.
Sapon. Venet. ℔. ii.
Distemperentur cum aqua rosarum, adiiciendo Ol. stillat. cinam.

3, Sapo ad impetigines.

℞. Tart. calcinat ℥ß.
Alum. calcinat. ʒi.
Flor. Sulph. ℈ii.
Mercur. gr. v.
Asæ dulc.
Storac. liquid. an. ʒi.
Calamit.
Lithargyr. an. ʒß.
Rad. lapath. acut. ℈i.
Ol. Caryophyll. g. iii.
Saponis Veneti q. s.
F. Globuli.



DANIELIS LUDOVICI
MEDICI DUCAL. SAXO-GOTHAN.
DE PHARMACIA MODERNO SECULO APPLICANDA;
DISSERTATIONES III.
CUM COMMENTAR. UUOLFFGANGI UUedelii, & Michaëlis Ettmulleri.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SIMUL ac paulò contentius & ex conducto quasi Praxim medicam adoriremur; præsertim iis tum in locis; ubi Pharmacopoliorum apparatu plerumque, Chirurgorum adminiculo perfrequenter, frequentius autem adhuc sufficientibus Clinicorum impensis [pro curialium consueto cum complemento requisitis,] fere penitus destituebamur; atque adeo sæpissime, [quo in exemplum quædam referamus,] nec continuè Febricitantibus; Pleuriticis, Apoplecticis, Puerperis in suppressionibus, &c. [etiam plethora præsente, & morbi tempore adhuc commodo] venam secare; nec Colicis, Dysentericis, Apoplecticis, Nephriticis &c. Clysteres præscribere poteramus: nec ob externos illos defectus facultas suppeditabat, ut clientes nostros in languoribus querelisque suis, Extus quidem, tot totiésque (*a* pro satagentium quorundam more) variatis Topicis hinc inde perungeremus, aut involveremus: intus vero tot Remediorum generibus ac Formulis (etiam ad minoris momenti symptomata præter realem tamen necessitatem directis) quotidie tractaremus; aut ne nihil non egisse videremur, disposita saltem circa lectulum phalange minus morigeros obvallaremus: id est, quo [compendio methodicéque loquamur,] postquam hic non dabatur locus ut longas in præviis præparantibus, & pro primarum viarum saburra) subsequis internis vel externis Laxativis aut Purganti-

NOTÆ.

a *Pro satagentium quorundam more) variatis topicis hinc inde perungeremus aut involveremus. &c.*

Aut adeo de iis nobis nunc sermo est, qui decumbentium dignitate, singularitate, austeritate, impatientia, inconstantiave hodiéque nonnunquam confusi, licet alias rerum suarum satis gnari, nihilominus tamen sub ea nunc temporum iniquitate, salariorum parcitate, conditionum inter tot competitores raritate, existimationísque medicæ potissimo fere hinc decremento, nil non tentare, aut indies remedia accumulare coguntur: saltem quo impatienti, patienti satisfiat; ipsi vero non deserantur, præjudiciisve postmodum aggraventur. Verum cum autoritate (*vel olim, privatisque utplurimum de caussis*) perdita aut labante, nil tunc habetur reliqui; quo primitus alliciantur aliquandiu, aut obsequentiores serventur ægroti: Vel ob penitioris ad praxin Medicam manuductionis ab initio defectum, & surgentem hinc circa morborum complicationes, eorumve exoterica accessoria, Symptomataque urgentia, Criticorum dierum motiones, Prognosticorum applicationes &c. hæsitationem, ad quævis postmodum lamenta vel incommoda superficialia, quavis quasi hora, medicamentum præscribitur: quo fieri sane nequit, quin stomachus amplius aggravetur, Pharmacorum operatio impediatur, aut in ea miscella nesciatur sumptus multiplicentur, Pharmacopola ditetur, præscribens tandem si versatior supervenerit, vel tacite derideatur, fideque demum excidat. Nam qui recensita nunc, cum Medicamentorum agendi (*quousque quidem penetrari potest*) modo noverit; sua semper eum Medica prudentia (*utpote quæ æque ac oratoria Demosthenis hypocrisis, primum, secundum atque tertium in praxi est*) exhibuerit, Existimationi suæ, quomodocumque tandem, ac privatim quoque caverit; (*ubi diligentissimus D. J. Jonsthonus in Idea Med. Pract. sine legi meretur*;) eidemque porro per circumspecta prognostica curatioresque medelas confidentiam, inter divinæ benedictionis serias sollicitationes, successive per gradus, aut semel tantum apud eminentiorem quendam pararit; haud adeo difficulter, (*cæteris paribus,*) conciliabit sibi, etiam in aliorum medio, superiorive conclavi decumbentium obsequium; Picam quorumdam delinet, aut (*postliminio sæpe revocandus,*) tantisper contemnet Medicamenta interea non secundum seriem, sed necessitatem, (*uti quotidie unum è revera activis, morboque legitime oppositis, duove, raro tria dixerimus, sufficiunt, & interdum plane nullum, utinam Habitiores hoc crederent! oppido magna similiter est Medicina,*) disponet Resolventibus, figentibus, detergentibus, invertentibus, absorbentibus, anodynisque suis, & si quæ sunt præterea minus adhuc dum explicatæ operationis, secure confidat; Purgantibus Emeticisque haud difficulter moderabitur; Confortantia ac suscitantia pro re nata facile interponet &c. Utinam vero exurgeret alterius professionis eruditus aliquis, dum Medici, (*ordinarii præcipue,*) citra arrogantiæ cujusdam, vel ad consultationes insufficientis notam, sinisteriorisve tandem eventus imputationem tangere hæc privatim nequeunt;) qui Magnatibus saltem *dum alii oppido*

bus, (pro disponendo scilicet subjecto) moras secundùm consuetudinem magis, quam specialem affectus exigentiam necteremus: Aut post has vel illas venæsectiones; & inter unum alterumve Appropriatum, [b] tot insuper exoterica ac (genuinarum indicationum respectu) revera supervacanea, sæpeque magis noxia, Julebos, Emulsiones, Condita, Mixturas, consimilesque Trageas, Morsulos, &c. seu liberalioris alterationis, seu corroborationis aliarumque intentionum, (ac directè haut quaquam tum necessarium,) gratia, in aciem aut pro Colophone tandem produceremus: Vel demum in urgentiorum indicationum complementum diffusos in Solaria quoque Lunaria Bezoardica, Gemmea, aut in Analeptica Margaritis Gallia, Alchermes, præciosioribusve oleis præter rem turgentia, sumptus faceremus: Breviter, postquam sic quam plurima, quæ vel nonnullarum singularitas extulit, [c] vel Practicæ passim è Gallorum, Hispanorum, Italorum recensitis collatisque sententiis natæ,) nobis Germanis imitanda imperant, insuper habere cogeremur, ex adverso vero magnum illud oportet, necessitas nos ad necessaria tantum atque paucissima quædam, præsentiora parabilioraque compelleret, identidemque juberet, ut (siquidem officio pariter atque expectationi miserorum satisfacere vellemus,) non solum cito, tuto ac jucundè, verum etiam parvo compendioseque curaremus: Atque viam hanc), quam ab initio tot externæ difficultates in gratiis muniebant) incedentibus, & quæ necessitas (licet ob tot omissionis peccata trepidantes) docuerat, in regulas vertentibus, res nihilominus ex sententia, (divina benedictione) cederet, paucisque aliquot specificis, ac consimilibus affectus Mechanice quasi, debitoque tempore oppositis remediis, (etiam simplicissimis) idem efficeremus, quod alibi per multas circumitiones, aut varias pharmacorum accumulationes, sæpe minus feliciter) quærebatur: Observavimus tum, & satis intelliximus, quamplurima in actionibus nostris (varia quidem de causa varioque prætextu,) communiter imperari vel adhiberi, quæ tamen in rei veritate, plane sint frustranea vel superflua; quoque natura tantum toleret, dum postmodum egregie contulisse creduntur, (ceu in permultis Venæ sectionibus, Purgationibus, Alterationibusque videmus,) quæque curationis felicitatem aut celeritatem potius protelent; aut saltem instar Adiaphororum semet habeant; non noceant omissa, non juvent adhibita. Hæc tamen omnia cum nihilominus multis impensis, majoribusque palati sanitatisve sæpe (si ita loqui licet,) Vexationibus redimi passim cerneremus; commode vero lustrari vel concentrari posse, imo magno decumbentium emolumento debere viderentur: Conjecimus tunc temporis observationes & cogitata nostra in chartas; edituri fortasse; ceu juvenes solemus. At cum eodem tempore Helmontii, (Desidium nunquam satis laudati flagelli vel suscitabuli) lectio increbesceret: Glauberus porro in prioribus suis de quibusdam similiter haut inconvenienter moneret; ac postmodum Zuvolferianæ animadversiones locupletissimæ in publico sequerentur; abjecimus curam istam: donec paucis ab hinc annis nos non nemo denuo ad operis, (tanquam ex alio capite, aliumque in finem sua transigentis, (revisionem excitaret. Unde horis succesivis reassumsi-

NOTÆ.

ris Epitaphium paulo diffusius explicaret, & incommoda ostenderet, quæ in ipsos tandem è parili diffusiorum consultationum, congregationum consiliorum & consequenter etiam remediorum conservatione dum intimioris admissionis unus aut alter, (*ut pote constitutionis eorum, aliarumque externarum, potissimum quandoque conferentium circumstantiarum magis, artis suæ de cætero sat ignari,*) rem æquæ transigerent, redundant. Sane sub ejuscemodi morborum æstimationibus, remediorum collationibus, anteactorum pensitationibus aut (*nec raro*) taxationibus, notabiles quidem dissensus, contentiones, præjudicia, animorum (*ob vile sostrum, vel penitioris cognitionis aut accommodatioris curationis præsumptionem* ,) alienationes, rancorem, invidiam, arrogantiam, aut si sinisterius res cedat, ἐπιχαιρεκακίαν quod autem patientem in ampla hinc concepta spe attinet, circa executionem agendorum, procrastinationes lentioresve tractationes, circa delectum (*ceu inter cœnam duiam*) hæsitationes, competentis methodi confusiones, &c. forte plus vice simplici notavimus: singulariorem vero, feliciorem, facilioremve curationem profecto rarius: ut hæredibus sæpe id genus collectanea nauseæ postmodum, Autoribus præjudicio vel despicatui fuerint. Forsan vero totum hoc, (*præter merito quidem expetitam homini sanitatem,*) ab ægrotantium parte potissimum inde contingit, quod plerisque istorum Medicus tantummodo quasi quoddam sit experimentorum inventarium, quorum aliud alio existat uberius: non autem, quod sub rationis insuper directorio experimenta consequendo fini applicet, vel ubi id genus media deesse videntur, nihilominus invenire queat. Quod alteram vero partem concernit D. Jonstenus causas forte allegato loco satis recensuit.

b *TOT insuper exoterica ac revera, &c.* Remediorum hic & sequentibus recensitorum, suo modo, loco atque tempore circumspecte adhibitorum efficatiam, absit, ut indidincte elevemus. Complurimum saltem secundum ordinem solummodo, (*quo in generali Methodi designatione se invicem consequuntur,*) aut obsuccedentium sibi sæculorum consuetudinem, singulariora hactenus promissa, (*ponamus ab antecessoribus tantum*) Imperatorum necessitatem (*formato præsertim individuali casu,*) Superlativumque adeo effectu, seu negativus, seu ulterioris considerationi reliquimus: eoque magis, quod si solida, (*non Dialectica*) sæpe quæratur ratio, cur hoc vel illud, quove fine, compendio, præeminentiave commendetur, dari pluries tum, nequeat; intereaque curatio, si non invertatur, saltem (*nec raro sic*) protrahatur aut aggravetur. Indeque forsan est, quod dum ipsimet ægrotamus, adeo sæpe, circa selectum adæquati remedii luctemur, ipsisque in subsidium vocatis (*dum Aristoteles equidem ut Philosophus curari vult*), pariles hæsitationes injiciamus.

c *VEL Practicæ passim è Gallorum, &c.* Ab sit, ut in cujusquam Præjudicium hæc dicta sint, aut ceu absolute dicta accipiantur. Cum cultissimæ nationes sub præcedentis potissimum inclinatione & toto nunc sæculi nostri decursu, cultissima similiter habuerint ingenia, quæ neutiquam repetitis solum venæ sectionibus, clysteribus, purgantibus, Alchermes aliisque dilutis, secundum vulgares aliorum (*ceu alibi quoque invenias*) abusus, morbos tollere conata sunt: sed longe circumspectius per genuinæ methodi accommodatiora, etiam selectiora postmodum Chimica cum propagationis quoque zelo) *uti de Laz, Riverio, in Editionis Arcanorum ejus Præfatione, prius istius discipulus, nunc Religiosus Venetus P. Christini memorat,*) incesserunt; idque eo nunc liberius, (*vel manumissi nunc Antimonii exemplo*, quo præsentiora innocentioraque hucusque ista viderunt; totaque cultior Europa circa hæc quoque hactenus est occupatior.

Ita porro nec liberaliores v. g. complurium ibi venæ sectiones indistincte hic taxaverimus, &c. cum præ Septentrionalioribus nostris nonnullibi facilius ferre vel superare possint, æstuantior nonnunquam sanguis eas queat exigere, & jam post Poterium l. 2. de Feb. usque dum extiterint, inibi moderatiores. Saltem, quod ex exterorum observationibus, ad sertis ac consuetudinibus, suæ genti applicatis, nobis quoque formam atque leges eadem expectatione tenendas condiderimus, id quidem visum fuit inconvenientius; utut v. g. in Astrologicis circa tempestates longe certius quid prædicare deprehenditur, qui ad privatas quasdam, è locorum suorum planitierum conditione, saltuum situatione, fluentorum paludumque aëris, periodicorum ventorum, Paroledorum Helmont, &c. conditione formatas observationes, (*inter conjecturandum*, potius, quam ad exterorum, vel à Chaldæis petitas traditiones respexerit. Ita, cum viris hujus ævi versatissimis similiter asseruimus operæ pretia longe majora facturum esse Medicum, *si (ceu in ea nunc artis, quotidianæ inspectioni directionique coram exposita dilucidatione, prompte confidentiusque poterit,*) actiones suas, quoad ejus fieri queat, regionum districtuumque suorum naturæ atque requisitis, etiam antiquissimorum exemplo penitius accommodaverit: dum vel sola victus aërisque ratio ingentem alias hic mutationem infert. Notum est, capitis vulnera, contusiones, sedes, & si quid amplius ad trepanum usque illic extenditur, Germanos nostros haud difficulter superare; sique oleosis non balsamicis secundum famigeratiorum ibi quoque præscripta tractarentur, perlinerentur, deligarentur, contusiones (*etiam cruore turgentiores*) citra peculiarem necessitatem aperirentur, terebrarentur, recte urgerentur, officiose saltem morti dubiæve curationi dedi. An tibiarum ulcera alicubi, forsitan ob inconvenientiorem quoque tractationem chirurgicam adeo sint dyscpulotica, è vulgatis olim ibi locorum scriptis nunc non judicabimus. Erysipelatis curam atque Topica, in tædiosa ulcera plerunque ducentia, jam ante Sennertum nostrum, (*qui haud inconsiderate de venæsectionis in febribus catarrhalibus parili abusu monuit,*) notarunt alii.

mus

mus laborem, & cum recentioribus scriptis amplius eadem opera conferendo, hoc quod inde (pro parte quidem Pharmaceutica) natum est, divulgari nunc passi sumus: idque eo tandem lubentius, quod post laudati modô (& licet suppressis secretis ejus destituamur, in plerisque tamen consiliis suis practicis, sub accuratiore affectuum pensitatione nihilominus imitabilis) Helmontii, F. Sylvii, Knofelii, aliorumque versatiorum monita, ad compendiosiores curationes, aut mage fundatam Praxin (quamvis diversimode pro locorum aut intentionum ratione) ducentia, nihilominus videamus, difusissimos illos in curationibus processus, antiquarias sine probabili ratione traditiones, & ambages sæpe plus quam gladiatorias adhuc dum hinc inde, non sine multa decumbentium maceratione observari: Dum interim Empiricus forte superveniens, simplici specifico vel drastico, (ceu hodieque Emetica & opiata timidiusculis adeo exosa sunt,) affectum diu methodiceque sed incassum tractatum tollit: aut eundem alius Medicus, qui agendi modum, adhibendi tempus, &c. in remediis consideratius attendit, & naturam morborum curatricem, tunc tantum ubi deficit, juvat; neutiquamvero accumulatis indies pharmacis in lucta sua turbat, vel impedit, paucissimis, & sæpe vulgatissimis percurat; atque hinc Artis ignaris vel Tyronibus non nisi secretissimis sua perficere haut infrequenter creditur: quod proculdubio ansam postmodum dedit, ut isti (morbo hodie frequentissimo,) d tunc demum se consummatos fore credant, si hujus vel illius famigeratioris Practici, (præsertim suæ domi sidentis) Spiritus, Tincturas, Pulveres, Pilulas, &c. formularum descriptiones, sub speciali singularitatum expectatione collegerint, & empericas tantum, neglecta consumatiori Theoria, curatiorique methodo postmodum præscripserint. Suscepti laboris nos non pœnitebit, si vel horum saltem aliqui perniciosam istam persuasionem inde exuant, & vel incidenter comprehendant morbos etiam simplicissimis ac vulgaribus, æque feliciter curari, dummodo cum judicio, secundum subjecti naturam atque conditionem adhibeantur. De quibus alibi, (quasi altera tractationis hujus parte,) in observationibus forte nostris, si tempus & valetudo suppeditabit, diffusius dicemus. De cætero, quæ in libello de volatilitate Salis Tartari, ante triennium publicato, in interlinearibus fortasse nonnullibi obscuriora visa sunt, dissertatio hæc hinc inde similiter dilucidabit. Quæ vero de Taxis & privata Dispensatione, (materia equidem odiosissima) ingenue tamen, & in nullius præjudicium hic proposuimus, obnixe rogamus, ne unquam à quoquam sinistre accipiantur. Nemini suum invidemus commodum: nemini opinionem nostram obtrudimus. Nemo tamen nobis ex adverso exprobrabit, si Medici Medicis majus nonnullibi emolumentum ægrotisque levamen, (tanquam proximius nobis obstrictis,) hac tempestate voverimus. Et bene sit omnibus, qui forsitan consiliis hisce non indigent; optime autem, qui singula dextre interpretabuntur. Nec enim cum ullo temere super hac re unquam litigabimus, bonas horas melius locare gnari, & sufficientium responsionum, (sub singularum pagellarum inter se, & cum instituto hic nostro collatione,) probe memores. Si quæ vero concisius dicta, vel invicem minus contexta videbuntur, attendere talia (speramus,) desinet, quicquid vix binas sæpe lineas citra interruptionem, (pro conditionis nostræ ratione,) exaratas benevole intelliget. Quod aliena quædam, sive ad singulas Classes directe profecto pertinentia, in lustrationis decursu hinc inde inseruerimus, similiter ne Lectorem offendat, obnixe rogamus; cum ob materiæ, laborum, processuumve convenientiam, vel ob polychrestas talium vires aliter fere fieri non poterit. Principio totam materiæ medicæ considerationem per tria illa, vulgo sic dicta regna institueramus. Cum autem in Purgantium, censu cunctorum simultanea relatio, sub pagellarum harum recensione nuper bene succederet, in reliquis titulis idem, quamvis minori successu, tentantes, semel institutam tractationem de novo revocare per temporis brevitatem noluimus. Si quædam prætermissa fuerint, uti non dubitamus, materiæ vastitas procul dubio excusabit, quod de singulis ex instituto dicturi, quorundam obliti simus. De cætero qui mediocriter tantum (ceu incipientem quoque Practicum decet) usitatoria Dispensatoria Pharmacopœias, Chymias, Tyrocinia, Basilicas, Armamentaria, Antidotaria, &c. hactenus edita percurrerit; Taxas usitatiores paulum lustrarit; Manuali præterea exercitio singula vel potiora saltem, Vulcano experientiæque successive subjecerit, e atque sic præter confusam notitiam, etiam Odorem, Saporem, Colorem, Pondus atque

NOTÆ.

Comitem cum Plica scorbuticum, ad virum hunc suo tempore consummatissimum, tanquam in talibus versatiorem Patavio missum è l. 3. Pract. constat. Morbos alios, eorumque penes nostrates conditiones suo adducemus loco.

4. Similiter & hæc pro supina inconsiderataque cujuscunque *probatum est seu specifici (ita habiti)* exhibitione dicta noluimus: utut quidem empiricis vulgoque non adeo infeliciter nonnunquam cedere videantur, superflua tantum ab adæquata Methodo excesse voluimus. Utque bonus familiæ pater protinus non omnia quæ utilia forent, comparat, sed tantum necessaria: Ita multo magis accuratiorem Medicum putavimus selecturum, quæ cultiori methodo adæquata & quasi consanguinea sunt, ab iis, quæ in linea tantum collaterali affinia existunt, omittique citra omnem istius truncationem queunt; quamvis etiam aliquam necessitatis speciem præ se ferant. Sane paulo versatior dimidiæ quoque selectorum nostrorum parti secure acquiescere poterit, pro quarumvis intentionum suarum complemento; sive revera curativo quopiam, sive palliativo saltem terminetur. Nam cum Viscus principale quodpiam penitus & chronice à tono suo dejectum pessundatumque fuerit, quanta perfectæ restitutionis spes queat, etiam ex universalibus (*ita dictis*) acidulis, thermisve concipi, quotidiana docet experientia. Quod autem mechanicam remediorum applicationem attinet, similiter cum accuratione sua, & citra alienæ morborum causæ, alienæque partium functionis suppositione instituenda videbatur. Nam ex. gr. stomachi quasi salivalis liquatio, & oleosarum à salinis terrestribusque particulis quasi Alcahestina separatio forsitan à vulgaribus menstruis ac istrumentis haut parum differre poterit. Nec mirum, si v. c. accusatur ponticum istud Acidum in affectu hypochondriaco, neque insipidis (*etiam Martialibus*) pulveribus, neque urinosis volatilibus, (*etiam oleositati cuidam, picrocholis nostris haut adeo sæpe convenienti combinatis,*) fixisque cicurari semper queat; dum extrema potius ventriculi, (*per poculorum, Veneris &c. excesso,*) flacciditas aut fermenti mucilaginosa singulariorve corruptio peccat. Sed hæc in transitu. *Fr. Sylvii.*

5. Tum temporis, cum ea cartæ mandaremus, Practici sua tempestate famigerassimi editum, nil, quod quidem vidissemus, erat, præter privatum quoddam ab auditorum aliquo exceptum collegium, D. C. Hoffmanni libello de Ichoribus Francofurti annexum. Ubi cumprimis contractior quædam remediorum applicatio, præ omnibus autem insolita fere tritioribus tum Libb. Pract. Opiatorum frequentatio complacebat. Triumviratus enim illa postmodum extensio in acerrimas tandem contentiones desinens nondum adeo tunc advertebatur. Knoffelii vero in genuina febb. curandarum methodo defendenda eodem tempore libertatem quis non laudaverit. Viri sane vel è posthumis suis Excellentiss. Naturæ curiosorum Ephemeridibus insertis æstimandi. Reliqui deinceps parili in negotio usquedum satagentes alias erudito Orbi noti sunt.

d *TUNC demum se consummatos fore credant, &c.* 6. In exemplum superioribus annis, quo recentiora prætereamus, esse poterat privatorum medicamentorum D. J. Michaëlis, absolutissimi illius Medici ac Chimici catalogus seu descriptio. Haut paucos scimus, qui eam (*nec tamen una Viri genium ac consummationem*) nacti, post quădam Institutionum epitomes evolutionem, se totum medicinæ ambitum emensos esse rebantur, confidenter praxin medicam adoriendo; qua sufficientia? (*dum simplex vulgus, rite secum cuncta agi putans, id non intelligit,*) supervenientes ejuscemodi curationibus alii haud raro deprehĕdunt. Quot etiam sub primis studiorŭ annis universalibus (*vel quasi*) dictis, & unde exculptis abripiuntur; ut relictis sæpe manuductoribus merentissimis jactabundos ejuscemodi possessores, saltem quo Homeri opera in nuce compendioque cuncta habeant, sectantur. Lege meam methodum, & habebis mea secreta, recte olim retulit Capivaccius.

e *ATQUE sic præter confusam notitiam, &c.* 7. Quantum

Molem, realem insuper (non accidentarium aut putatitium è libellis vel traditionibus,) effectum cujuslibet sibi indies magis magisque familiarem reddiderit, defectus istos prompte supplebit, & simul sententiam nostram non solum in complicatioribus haut difficulter assequetur, verum etiam in nonnullis forsitan, pro tractuum ac circumstantiarum ratione comprobabit. Nec enim opinione tenus, se diutina experientia (hic locorum alias liberiori,) forte satis (in tantum) confirmati, quicquid horum est, scripsimus. Gaudemusque hinc apprime quod in recentioribus quoque versatissimorum quorumdam Virorum libellis haud pauca, f (ceu in eandem observationem in Chimicis Anatomicis atque Mathematicis plures incidere posse, novum nunc non est,) similiter relata reperiantur: siquidem alias nocentius nil existimamus, quam ex unica tumultuaria vel accidentaria annotatione, citra repetitu necessarias animadversiones & circumstantiarum pensitationes quidpiam (à particulari quasi ad universale) concludere, g cum uni sæpe nulloque in negotio succedere soleat, quod alteri nullatenus; aut non nisi post complures repetitiones. Sed hæc de instituti nostri ratione hactenus sufficiant.

NOTÆ.

in eo situm sit, quo quis gratiora remedia præscribat, vel aliorum secretius habita detegat & expiscetur, experienti haut difficulter constabit. Sane, omnes fere hinc ingratiæ, inconvenientiæque, quæ internis pariter atque externis accidunt. Impresso vero memoriæ potiorum odore, sapore, colore, nonnunquam etiam consistentia, cuncta prompte moderabitur, nec porro, facta collatione, & circumspecta postmodum experimentatione, in occultatorum istorum conjectatione adeo falletur. Ita v. g. cum sub primis praxeos annis plerique, quos noramus practicorum, circa Opiata, per quam essent timidi, alium vero famigeratissimum tinctura pulvereque secrete habitis plurimum præstare rescisceremus, utrumque nacti Opium facile deprehendimus, eoque exemplo, accedente Med. Ind. J. Bontii lectione, veterumque tam liberalium collatione confidentiores facti, polychresto huic medicamini magis tum adsuescere didicimus. Ut proin Medicinæ Studiosus equidem haut male sibi consulat, qui domicilium apud Pharmacopœum, Chirurgum hinc & Aurifabrum Academiis legit, materiam eorum & enchirises, ceu aliud agendo cogniturus. Quam vero publicum demereretur, qui dum Cartesium Boylæumque, Illustres Viros subsequosque aliquot conceptui aliquanto manifestior colorum est data ratio, odorum quoque, forsan & saporum, *(tanquam similiter quarundam tactus, vel Aristotele advertente specierum,)* naturam explicatiorem per observationes redderet. Ut vulgatissima tantum allegemus, quot inter destillationes, aliis innoxias, gratiam nativam perdunt, Cheyri, Hyssopus, Ocimum, Salvia; ipsa convalliorum Lilia vix dimidium referunt sui, ceu quoque Spiritus Rosarum abstractitius, dum fermentatitius ipsaque Aqua simplex adeo fragat. Rosmarinum per superabundantes tantum aliquot pugillos ingrate herbidas reddit: multaque inter se mixta tertium plane sistunt odorem; uti v. g. manifeste Sambuccinum, si Aq. rosar. unciæ tres cum Scrup. Opii aliquandiu reponatur, Cinnamomeum fere, si malum Cydonium cum aliquot spicæ nostræ spicis, vel in strophiolo gestetur, cum tamen fructus in conclavi tam putidum per se oleant, ceu quoque Myrtilli nostri comesti, Buxus in restagnantibus aquis putrescens. Cinamomum in acidorum liquorum miscella fatiscere alibi notavimus; forsanque plura alio tempore adducemus; Ut profecto versatioris Practici nota non sit postrema, si gustui adoratuique acceptiorem ex tempore *(dum domi certius miscere forsan non licuerit,)* præscribat formulam; adeoque hac in parte H. à Mynsicht laudem suam circa exquisitiorem proportionis ingredientium observantiam, *(utpote citra quam vel drachmam aut granum pervertere deprehendimus,)* oppido vel à ditioribus saltem meretur: Licet interea passim in ipso ingredientium delectu, pro more tunc, aut fortean etiam affectatione quadam, oppido titubarit: quod qui nunc evolveret, fortassis post Zvvelferi talium taxationes actum ageret.

f *CEU in eandem observationem, &c.* 8. Simul ac Verulamius, specialiusque postmodum Helmontius, generosissimorum Virorum par, Augmenta artis nostræ paulo pressius urserunt, increvit una denuo severior, illa de prioratu inventionis contentio. *Suum equidem Deo, suum Cæsari. suum cuique.* An autem vegeta, occasione sumptibusque quin etiam haut destituta ingenia, interdum quoque per accidens in idem incidere nequeant, id forsan pauci temere crediderint. Quod ansam è peregrinantium, præsertim aditum aut commendationem quærentium relatione, primisve quorundam inventis nonnunquam capere possint, capiantque nemo negaverit. Et jam ante Columbum, confusum quidpiam de Occidentalibus dictum atque scriptum est: nec tamen ante eum, ovum in mensa directum sistere quis poterat. Et dubitare forsan posset aliquis, an Hippocrates, Erasistratus, Aristoteles, P. Servita, Eust. Rudius aliique, semper dilucidationis saltem gratia recentiorum inventorum autoribus fuerit superallegati. Asellius sane ipsemet ingenue Eresistrati mentionem facit. Pecquetus inter accidentariam similiter inventionem, uti de re ipsa ita de Rudio quoque *(alias rariore)* haut adeo tum cogitasse videtur. Fabricius ab Aquapend. *(dum de P. Servita certiora nescimus,)* valvulas suas circulationi nondum applicuit; & istæ uni solum argumento postmodo fundamentum præstiterunt. An vero ex obscurissimis Hippocratis ipsiusque Aristotelis Physiologicis adsertis præ Harvejo serio quid prætendi queat, adhucdum fere hæsitamus. A. Cæsalpinus acutissimus posterioris interpres, at maximo genuinæ Philosophiæ Peripateticæ damno minus nunc *(cum L. Bonamico, Feder. Pendasio, J. Cæsare Cremonino, superiorumque annorum Scherbio, Sennerto, Piccarto, & si qui amplius, præter consummatissimum in hisce Conringium supersunt)* tritus, certe cum Cartesio in quam plurimis conciliabilis etiam huc accitus, longe aliud in Quæstionibus suis conjecturando egisse videbitur. Sique porro pari passu recentiora quatuor vel quinque hactenus lustrorum inventa per præcedentiam metiri vellet quispiam, eorum quæ de affectu Hysterico disputavit cultissimum Anglorum par, maximam partem jam ante 40. annos Jenæ pro Loco asseruit curiosissimus P. M. Slegelius: uti quoquo eodem tempore de Lactis ortu, è rarissimo tum Prosp. Martiano de usu Bilis nobiliori, forsan è Helmontii particulatim antea editis, &c. Sancte testari possumus, quod duodecennium haut adeo excedentes fortuito notaverimus in fabis, phaseolis, pirorumque majorum seminibus &c. quam postmodum in Academia apud benevolentissimum Præceptorem D. G. Rolfincium in Jos. ab Aromatariis de Hydrophobia tractatu legimus tenellam Plantulam. Quæ ante Zvvolferi austeriores sæpe taxationes in eadem materia conceperamus, viderunt Amicorum aliqui. Recentiora exempla, quia notiora data opera præterimus. Et cur alter eo, quo alius, deferri nequeat; cum plures hodie credantur Adepti; & tamen plerique à sola singularissimaque Divina gratia, *(ni forte communicationem faventiorem aliumve modum sub intelligant,)* sua sibi contigisse dicant. Nec tamen, quæ hactenus incipientium, multorum superioris ævi ignarorum causa diximus, in Excellentissimi Thomasii elegantissimæ Dissertationis de Plagio literario Augmenti *(oppido forsan continuandi,)* consummationem dicta voluerimus.

g *CUM uni sæpe, &c.* Revera hoc complurimum meritissimorum virorum est fuitque purgatorium, quo ad fidei usque & autoritatis elevationem asserta eorum processuumque veritas elevarentur, ab iis præcipue, qui uno sæpe die tot, uti vocant, probas conficere norunt. *Repete*, olim gladiatoribus acclamabatur: idque sub laborû Chimicorum exordiis eo magis est necessarium, quo versatiores quoque, præsertim post intermissionem aliquâ, aut memoriæ decrementum consequi sæpe nequeunt, quod antea levi brachio præstabant. Ceu minima nonnunquam circumstantia, neglectim habita, totum perdit aut pervertit. Imo processus quidam ita fere comparati videntur, ut propter variabiles fortuitoque cuidam simul expositas tot minutias, satis quasi describi nequeant, quo semper & cuivis adorienti protinus succedant. Exemplum, ut secundum institutum quædam adducamus, sit in Cinnabaris Antimonialis quantitate, olim etiam D. Sennerto, D. Rolfincio, quandiu ipsi adstitimus, Dethardingio *(contra D. Agricolam,)* aliisque drachmis tantum, postmodum nunc unciis computata: Variante tamen nihilominus in singulis destillationibus hodieque producti pondere: idque plerunque magis ipsius tractationis, quam solius forte materiæ defectu: Siquidem è viliori quoque Antimonio aliquando, quod satis erat, accepimus.

In Tincturæ Martis Tartarisatæ nostræ confectione ipsimet nonnunquam punctum istud, quo pauco residuo reliquum plenarie transeat, attingere nequivimus: sæpiusque quod filtrum permeare debebat & in fundo hinc *(ceu nimium)* in salinum, efficax sane coagulum concrescere solet, bonam partem remansit; Liquore tamen transeunte nihilominus satis adhuc saturato validoque. Nota est Mercurii cum Ærugine & sale com. vel solo saltem Vitriolo fixato, & per Tutiam atque Curcumam, *(hæc an omitti queat, necdum sufficienter experiri potuimus,)* auriformicis coloratio. *(Nam quod residunt hic sola Venus sit, expresso expulsoque Mercurio, præter pondus artuumque è gestatis annulis denigrationes ipsa reductio docet.)* De veritate interim processus contendebant in vicinia superioribus annis Chimici duo, famigeratissimi, fato nunc functi; quorum alter, quamvis alias adhuc versatior, negativam nihilominus sustinebat, donec coram elaborato negotio convinceretur. Quid Aurum fulminans anteactis lustris non concitavit, ut diabolicis tandem præstigiis adscriberet in Freitagii Anti-Sennertianis cæspitans hic, ut homines sumus, tum temporis A. Luchtenius, &c.

INTRO

INTRODUCTIO.

Quod per multa Pharmaceutices instituta medendique consuetudines, suis equidem de causis pedetentim superioribus seculis invectæ, moderno nunc Germaniæque nostræ quamplurimis, præsertim interioribus tractibus amplius haud admodum conveniant, adeo quidem in propatulo est; ut quotidiana Practicorum, (eas vel ingratiis interdum observantium, aut subductiori medendi ratione nonnullibi declinantium,) exempla, totiesque hactenus desuper quæsitas interpolationesdiffusius adducere, plane sit supervacaneum.

Quod autem nec istæ immutationes sub diversis pharmacopœiarum, dispensatoriorum, &c. item constitutionum taxarumve titulis ac variationibus hincinde usquedum propositæ, requisitis illis (præsertim nos, clientesque nostros intimius concernentibus,) adeo satisfaciant, aut tot desideria sufficienter undiquaque levent, similiter profecto diffiteri nequimus: [h] & in proclivi, ni odiosissimum (adeoque præter institutum nostrum) foret, id per specialiorum quorundam recensionem & collationem ostendere.

Breviter proinde solum & generaliori quasi in re liquida pertractatione, (de cætero ingenue ac citra cujuspiam vellicationem) impræsentiarum perquiremus numne insuper alia quoque accessoria, cautelæ vel compendia dentur, quorum (ad prædicta exercitatissimorum Virorum consilia) accessu & observatione, totum hoc negotium cum traditionibus consuetudinibusque suis, hodierno rerum statui, quamplurium districtuum exigentiæ, ac specialioribus proximius subterversantium conditionibus ac commodis forsitan adhuc aliquanto magis atque penitius applicari, seu ita (quoad ejus fieri posset,) informariqueat; ut (si compendio singula conjunctim eloqui voluerimus) *deinceps non solis saltem urbium emporiorumque affluentiis, aut confiniorum maritimorumque commoditatibus, vel aularum tantum opulentiis, ditiorumve crumenis passive respondeat: sed minorum quoque gentium oppidis, interioribus (pauciorumque hinc commerciorum redituumque) tractibus, & gregariorum facultatibus (suo quodvis in genere) quadret. Ne porro adhuc dum tot antiquiorum placita, modos ac media, (nostratibus nunc oppido inconvenientiora,) quasi præsupponere, aut tenebrarum superioris ævi reliquias,* [i] *& quæ amplius nunc, (è simplici quorundam assensu, vel invalescente postmodum componendi cacoëthe, nimiave Chymicorum laborum extensione) nata sunt, præter ullam necessitatem adhuc dum hinc inde retinere videatur; aut ex adverso Exterorum nunc consuetudines & topica adserta, in mediam quoque Germaniam indifferenter, (quamvis more morbove multis hodieque sat frequenti,) simul introducat, vel correctiones (compluribus equidem necessarias,) ultra modum tamen, & ad minutissima quoque, non sine frustranea laborum sumptuumque multiplicatione, & sæpe, gratiarum perditione, tantopere extendat; sicque vel accidentario in causa sit, ut per tot tædiosorum, cariorum, ingratiorum, languidiorum, in summa, tot supervacaneorum coacervationem, his vel illis de causis institutam decumbentium (alias satis afflictorum,) fortunæ vel palatum amplius præter rem affligantur; ipsæve curationes (magno Medicorum opprobrio & ægrotorum damno,) haud raro hinc protrahantur.* [l] *Ne denique passivis quorumlibet empiricorum abusibus indifferenter adeo pateat.* [m] *vel exotericorum privatos solum reditus necquiquam augeat, aut præconceptis istorum opinionibus nimium favere vel inniti deprehendatur. Sed (sub salubri nonnullibique laudabiliter cœpta permutatione,) recentiorum potius observationibus, cultiori methodo contractiorique Medicationi imposterum aliquanto intimius respondeat: sobriæ præterea, nec luxurianti Chimiæ, Polychrestorum & euporistorum sufficientiæ, nostratium denique constitutioni, specialioribusque eorum (pro territoriorum ratione) requisitis, ac teneriorum suspiriis, miserorum necessitatibus, professionisque nostræ gratiosissimis promissis proximius, & ita adaptetur, ut quod rei caput atque summa est, seculi moderni, & immediate magis hic implicitarum personarum (curantium aut curandarum (majorem aliquanto, quam alienigenarum hic consuetudinum vel persuasionum rationem habitam fuisse, indies magis magisque compareat.*

Magna equidem ea sunt postulata: nec adeo absurdi sumus, ut vota unquam perfecte consummari posse credamus; tantum abest ut accessoriis hisce cogitationibus vel observationibus simpliciter sic & insolidum responsura putemus: qui probe gnari sumus desultatoriæ vulgarium, vel terrenis nimis adhærentium animarum variationis seu circumsitationis, & quomodo communiter partim eant; qua (vel cum dispendio bursæ vel sanitatis) itur: partim vero salvatorem sibi unde unde quærant, qui pro concepta

NOTÆ,

AD INTRODUCTIONEM.

h *Et in proclivi, ni odiosissimum foret, &c.* Si quis, quæ superius & hucusque dicta sunt paulo distinctius expendere voluerit, equidem deprehendet, quod quantum recentiores correctiones vel substitutiones attinet, haut paucæ sint superfluæ, nisi misve curiosæ: ceu in peculiari causa circa permulta similiter ostendit diligentissimus D. L. Schrokius, inque aliis pariter, si opus foret, cum de similibus idem sit (*ut labor hic, ita &*) judicium, ostendi queat. Superflua præterea, non citra sumtus atque tædia sæpius quin etiam alterius utriusve jacturam, exsurgat hinc eorundem remediorum duplicatio; dum adhuc multi, sua quisque de caussa vel experientia, usitatorum hactenus plerisque passim aquiescunt

Constitutiones s. ordinationes in rebus pharmaceuticis generales, quales etiam D. L. Horniceus superioribus annis edidit, oppido prius ad cujusvis loci conditionem restringendæ veniunt. Et postquam id est præstitum, rari profecto inveniuntur, qui eas debite observent; aut nemini magis, (*quem stringant,*) quam Medicis, (*dum Pharmacopolæ Chirurgique & quodeo pertinet, sub severioribus quoque constitutionibus medicationibus tamen suis abstinere nequeunt Empirici vero in nidis suis ipsove foro tolerantur,*) dictatæ putantur: etiam boni Publici, quod tamen pluriumque inprivatos quosdam denuo recidit, prætensione:

De consultationum collegialiumque conventuum præstantia, nihilominus quæsitum haut semper adeo exhauriente, paulo ante diximus. Uti inferius de institutis Taxarum moderationibus, raro tamen semet tales ostendentibus: & quanta hinc incommoda miserrimi hoc in passu patiantur subditi, cum propter incongruam nunc consuetudinem, (*sensim nec sine contradictione tamen invectarum*) observantiam, aut quosdam in publicum quidem quadantenus redeuntes; consequentia vero incommoda profecto haut exæquantes reditus, vel privatissimas demum, (*sed non medicinales, verum culinarias aut ex area*) dispensationes à saluberrimo hoc, compendiosissimo atque adeo parabili medicandi (*per manualem Medicorum ordinariorum dispensationem,*) genere arceantur. Exempla, ut qui solvendo non sunt, inter istas arctationes luctentur atque crepent, hinc inde obvia, sed odiosa, habentur.

i *ET quæ amplius tunc, &c.* Sufficienter hæc post Helmontium, Sennertum, aliosque persecuti sunt D. Zvvolferus, D. F. Hofmannus, & nuper D. VVedelius noster. Inferiusque fusius attigimus tam præcipitem illam diligentiam, quidvis è quovis vel ingratiis petentem; quam nimiam alicubi singularitatē, se citra propriæ inventionis formulas officio haut satisfacere posse putantē. Quot vero hinc v.g. natæ sūt Aquæ Apoplecticæ, Hystericæ, &c.

l *NE denique passivis quorumlibet &c.* Ita, quo superiorum annorum inventa Polychresta protinus officinis, indeque Taxis quasi ex condicto illata prætereamus, non sine animi turbatione quispiam nunc viderit, comptiores quoque Vomitoriorū, Opiatorū Martialium, Cinnabarinorum, &c. recentioris inventionis & observationis modos atque formulas indifferēter eo passim conferri. eademque opera cultioris Medicationis compendia cuivis attentiori observatori in subsequos postmodum abusus inconsiderate propalari, saltem ut Medici, præsertim minorum gentium in locis nil habeant reliqui, quo emergente ibi Polypragmone quodam semet tueantur, aut super eas jactantias efferant.

m *VEL exotericorum privatos, &c.* Quotus est, qui ipsemet non

 opinione

opinione seu citius, seu jucundius, minutiorive precio curet, aut se curare posse strenue tantum mentiatur. n Nec inpunitam; & à nobisinetipsis sæpe per publicatos nostro idiomate libellos Practicos atque Chimicos, (egregio caritatis zelo) fomentatam licentiam, unquam (etiam ubi maxime cavetur) insolidum cessaturam speramus. Sufficiet nobis, dum ad exhauriendum tot requisitorum ambitum typus hic noster plenarie vix sufficiet, *si aliqua saltem è residuis incommoda hinc nonnullibi amplius impediantur vel detruncentur; & Medicis ægrotisque tantum aliquot emolumentorum quæsitorum manipuli ulterius accrescant : vel si tertius quispiam (uti dies diem docet; & quæ nostro nunc quadrant, sequiori forsan seculo haut adeo convenient,) instituta cujuslibet (publico bene volentis) cogitationum collatione, perfectius aut accommodatius quidpiam, pro temporum ac tractuum ratione, deinceps eruat : aut tandem si modo (ab una quidem parte) Incipientes solum aliqui, (in vasta tot remediorum confluge, hyperbolicaque complurium commendatione, circa potiorum aut contractiori praxi aptiorum delectum perfrequenter hæsitantes,) modum hinc qualitercunque saltem invenerint, qui per Euporista Polichresta debite securiusve incedere, vulgatissimas Secretorum jactitationes aut venaturas contemnere,* o *aut Myrothecium quoddam privatum, parvo constans, & compendiosum, ac sufficientissimum tantisper ordinare, aliisque præterea Eupraxias adminiculis actiones suas sæpius notatis districtuum ac clientum circumstantiis aut desideriis paulo penitius applicare queant : sique demum (& ab altera parte) secus sentientes, & vulgaribus medicandi modis consuetudinibusque nimium fere adhuc dum nonnullibi dantes, inde quavis ratione videant, eam nondum esse, aut unquam fuisse rerum ac traditionum Pharmaceuticarum perfectionem, aut absolutam quasi necessitatem, ut (licet istis hactenus autoritas pene authentica, cum ficta temporis præscriptione, nonnullibi, præsertim ab alterius ordinis aut professionis hominibus fuerit, attributa) immutari tamen inibi quidpiam, vel interpolari, detrahi aut (speciosiorum quoque) quædam penitus omitti nequeant, neve debeant.*

Proinde, (quo opinionem nostram aut postulata; experientia diutina haud destituta, pro qualicunque potiorum adhuc desideriorum complemento quasi, tantisper prosequamur :) *si primo è vasta illa officinalium, per ævorum aliquot decursus congestorum, aut hoc ipso seculo (variationis correctionisve causa Pharmacopoliis amplius propositorum, & adhuc dum indefinitorum sylva, tantum pauca quædam, at in quavis classe potiora efficacioraque, quousque licet gratiora, & vernacula, aliasve parabiliora simplicia, Simplicibusque propinquiora polychresta seligerentur : secundo, si (inter hæc) Composita, quæ revera certos in affectus aut circumstantias necessaria videbuntur,) ut numero haud adeo magna sunt, ita serio deinceps secundum compendiosiores nunc, & naturæ artique magis conformes modos atque processus, citra consuetas ambages & vanas sumptuum profusiones præpararentur : ac tertio, cuncta hæc tolerabiliori, quam hactenus passive factum est, Taxa seu precio venundarentur : sique quarto demum ista medicaminum, (proprie dictorum, & pro curationis decursu revera requisitorum) Præparatio ac Dispensatio, oculatis ipsius medici manibus ac præsentaneæ pertractationi (ni forsitan vulgaribus prægnantiores ab utraque parte rationes alicubi obstent,) insolidum relinqueretur,* atque adeo in paucis tantum hisce quædam immutatio, (publico tam proficua quam necessaria,) pro cujuslibet territorii ratione institueretur : (*æque ac tota nunc die Theoretica nostra, imo ipsa specialis Methodi medendi præcepta sub novis indies experimentis & observationibus,) interpolationi necdum finita similiter subjicimus; & Politicæ (Pharmaceuticis illis sane longe consummatiores, antiquiores, sanctioresque) constitutiones tempori publicæque saluti, superioribus annis immane quantum cesserunt, ampliusque cedunt* :) Omnino tum putamus, quod paucis hisce si, transactis, (simul tamen *quæ Medicum Christiano-Politicum decent, & ab aliis fusius, præsertim de fugienda morositate, negligentia, avaritia, & jactantia, in fine claudicante, traduntur, observatis;*) Totum hoc negotium cum difficultatibus suis, (* adhuc dum per quasvis constitutiones passi inemendabilibus) insigne plane sensurum sit levamen : quodque per isthoc medicandi genus quamplurimis; (hujusmodi accommodationis sperquam indigentibus) tractibus, plerisque similiter ac potioribus Temporum nunc, ac Clinicorum requisitis admodum hinc satisfieri queat. Nam, (quo potiora saltem expendenda proponamus,) *principio ægrotantibus (in notoria hodie Rei pecuniariæ angustia ac tantum non om-*

NOTÆ.

sentiat, præsertim interioribus hisce tractibus, quantum inde nunc habeat Medicus, quod in malignis aliisque improvisis perculsionibus tota die venalem circumferat animam, aliorumve præjudiciis semet haut raro exponat, vel in consultationibus cum alio in perpetuas sæpe animorum alienationes, sub vili forsan imperiali ejusve parte, conjiciatur: dum interea nihilominus per quotidiana sua præscripta aliorum censum, quasi conductitius auget:

n *NEC impunitam, &c.* Quanta hinc in Rempublicam redundarint damna, utut cujus commodum pietasque quædam prætendatur, practici non sine tædio notant. Nec satis erat, præter tot manualia Receptis, (*suspectis quoque periculosisque*) indifferenter farta, Conradum Kuhurad, Keslerum, Glauberum, aliosque germanice legi; etiam recentiores, Angli quoque, Galli (*ubi obiter monemus, Glaseri versionem in duodec. titulo Chnimifcher Degmeiser, longe accuratiorem videri altera, fusiori licet, in octav. Chnimische betened und Derch Schul*) Italique eo traducendi fuerunt. Cum cuncta hæc, (*ni abusui totque consecuturis noxis cedere debeant,*) omnino Med. directione indigeant, cur Medicorum manibus eruditorumque saltem linguæ non relinquuntur? Exterorum exemplum eadem ibi incommoda post se trahere videas. Et putare forte posset quispiam, ejuscemodi laboribus, ni à habitioribus vel animi grapia suscipiantur, domesticas utplurimum subesse causas,

o *AUT Myrothecium quoddam privatum, &c.* Plura hujus generis Myrothecia, labente præcipue hoc seculo, Peregrinantium, Militantium aut Magnatum usui seorsim, designata habentur. Quædam tamen nimis exuberantia; ex adverso alia curta nimis, nec (*ut circumstantiæ variant rem,*) singulis in necessitatis tempore debite satisfacientia; alia non nisi secretis vel quintessentialibus circumscripta, multa de cætero inter hæc, lucello saltem, (*ubi Turnhauserianum, olim publicatum, profecto inexcusabile fuerit,*) aut patrono quoque conquirendo destinata. Qui portatu facile, plerisque tamen requisitis in excursiones peregrinationesque obvenientes sufficiens voluerit, personarum naturam (*modo hoc modo illud magis admittentem*) numerumque (*nec tamen omnes statim ægrotaverint,*) tempus hinc præter propter præfixum, loci conditionem, medicamentorum denique destinationes, continuationes vel reiterationes (*quandoque necessarias*) expendens & inter se conferens, haut difficulter è polychrestis aliquot, debita nec frustranea quantitate selegerit. Exempli denuo & incipientium gratia, pro Vomitorio Tartari Emetici quidpiam. Pilulas porro laxativas Aloëticas : item purgantes, ex electivis quibusdam naturæ convenientioribus, aut tantum ad Panchymagogi modum compositas. Pulverem porro pro adultis laxativum, è quo, fructuum vulgarium succis aut sirupis, *uti passim obvii sunt,*) diluto breves nec ingratæ (*cum rosacea similisve aqua portiuncula*) potiones : sique Magisterii Jalapii quidpiam in angulo seorsim servare placuerit, dum omnes indifferenter non ferunt omnia, cum Amygdalis diluendo, vel in vini spiritu (*cum edulcoratione*) solvendo liquores haut inaccepti provenient Pulverem denique laxativum pro infantibus, qualem vel infra descripsimus. Et cum vomitoriis his nil sæpe magis necessarium proficuumque, Oxysacchari Emetici nostri Mynsichti quidpiam pro ætatis ratione, ut hæc persequemur alibi, didendum. Nec Mercurius dulcificatus commodè semper his defuerit. Ex Opiatis, quandoquidem non solum naturarum, verum etiam symptomatum, præcipue vomitus gratia variatio quædam est necessaria, suffecerint tamen massa Laudani pilularis, pulvis & Tinctura aliqua Anodyna : postremaque hæc, (*ni ex tempore placuerit,*) in liquore quodam non præcipitante, nec nimium acido, (*Tinctura Bezoartica armoniacali, Tinctura Theriacali, spirituve Epileptico,*) proportionaliter diluta pro infantibus; quemadmodum etiam pulvis pro iis similis; ceu inferius

nium

nium hinc plusquam quotidianis querelis,) complures excessivæ supervacuæque expensæ reduci sic, seu compendifieri, eademque simul ratione permulti Procrastinatores aut Medicorum aversatores, qui vel sola sumptuum communiter impendendorum, aut angustiorum facultatum causa, quidvis inde patiuntur, aut detonsoris, pharmacopolæ, vetularumve consilio experiuntur, prius, quam Medicum (re non raro demum desperata) adeant haud infrequenter magis allici ac devinciri possent. Eximerentur porro miseri tot ac tantorum Amystidum, Embammatum, Cuculorumque turgentissimorum aliorumque (præter ullam necessitatem) ingratiorum concursu plusquam creditorio, è nimia præscriptionum antiquiorum observantia hodieque nonnullibi frequenti: quemadmodum & frustranea illa Maceratione, quæ per curationem, (vulgatioribusque formulis ac modis, ad renitentiores quoque erraticos, complicatioresque sæpe nunc affectus, secundum Practicorum decreta tractis,) nequicquam attentatam, passim adhuc dum observatur, & decumbentibus tot nauseas, aversationes, planctus, aut plane conditionata (de non gravando) postulatâ exprimit; vel admodum p insuper causa est ut Medicos modo penitus negligant, modo re demum desperata vocent, aut tumultuarie alternent; vel in quavis Cinistonum, Chimicastrorum Ardelionumve consilia venaliave pharmaca, q imo nonnunquam in remedia plane prohibita præcipitentur. Præcaverentur sic permulti, sæpe funesti Pharmacopoliorum errores, per confusionem, per mutationem, aut insufficientem, inversam vel alias negligentiorem remediorum præparationem, &c. non solum ægrotorum sanitatem, sed Medici quoque famam ut plurimum simul haud perfunctorie affingentes. Præ-

NOTÆ.

designatur. E sudoriferis ponamus Tincturam Bezoarticam Mixturamve simplicem; alterutram vel cum Tartari vel Armoniaci spiritu. Spiritum porro salis Armoniaci simplicem, aut oleosis vel cornu cervi rectificato combinatum; undique, etiamsi vel Florum aliquid simul adservetur, polychrestum. Bezoarticum simplicem è præcipitantibus vel absorbentibus (*citra Antimonialia pro lubitu adjicienda,*) Pulverem. Bezoarticum minerale, vel prout quis adsueverit, Antimonium diaphoreticum s. aut ejus loco, vel pro superpondio Martiale cachecticum. Præterea vel sudoriferum maximum Fabri, vel antihecticum Poterii, præcipue pro plethoricorum muliercularumque teneriorũ ebullitionibus. Accedat insuper Sal aliquod antifebrile, quasi Mynsichtianum, aut ejus loco Arcanum duplicatum, eodemve fere nunc recidens Sal polychrestum: & cum Theriacalis quæpiam mixtura nullibi fere non habeatur, Camphoræ tandem polychresta essentia; proque puerulis interdum haut inconveniens cornu cervi Magisterium cum sp. Nitri paratum. Ex Aperientibus ac Dieureticis satisfecerint Arcanum Tartari æque polycrestum, Tinctura Martis aperitiva convenientior, pro cujusvis consuetudine; Limatura Martis sulphurata aliterve ad aperiendum præparata; Nitrum vitriolatum M. quod etiam ipsius spiritus loco esse posset, sed non incongrue seorsim servabitur ejus quidpiam, cum Elixirio Prop. vel communi saltem; oleo carvi, & Essentia Absinthii. Porro vero illa multi usus præparata, oculi Cancri, Conchæ vel consimile quid, atque corallia rubr. ejusque plumosum solubileve (*in Tincturæformam liquorem facile redigendum*) Magisterium. Hæmatites præp. Essentia Tormentilæ, ac quædam Vulneraria, Tinct. Martis adstringens. Hinc pulvis aliquis pectoralis sulphuratus, vel etiam Benzoinatus, pulvis specif. Pleuriticus; Essentia florum pectoralium epicerasticorum saccharata, sed ne fermentet spissior; imo forsan quidpiam de Oxy-saccharo scillitico, oleoque fœniculi aut Elæosaccharo simili. Amplius, polychresta succini Essentia, Cinnabaris nativa vel Antimonialis, & inde pulvis aliquis Antepilepticus, infantibus etiam proportionatus; (*Magisterium Lunæ cujusvis arbitratui cedat.*) Sequatur autem Essentia Castorei, & propter occurrentia sæpe subitanea, una alterave dosis specifici ad partum ex Anguillæ hepate; Sief ophthalmicum attemperans, cum vitrioli albi & polychrestæ pinguedinis viperinæ particula. Demum de aqua Cinamomi, Hysterica, Apoplectica vel Carfunculi, Menthæ, similive stomachica, & ad diluendum rosarum aut insuper flor. Acaciæ aliquantum; Vivitur parvo bene. Absit tamen, ut Lexicon hic quasi medico practicum condere voluerimus. Saltem è parabilioribus potiora, æquivalentibus singularioribus oppido permutanda, quin etiam ab altera parte, si (*pro circumstantiarum ratione*) succenturianda in vicinia præsto fuerint, præcidenda designavimus, quibus sub curatiori adhibendi methodo, & domesticorum euporistorum Chirurgiorumque (*si opus fuerit*) accessum, peregre degens facile forsan acquiescere posset. Sed hæc in transitu.

p *Insuper in causa est, &c.* Invitat huc salutis avidos moderna quoque illa Medicorum, non in civitatibus solum, sed etiam in neglectioribus sæpe oppidis frequentia seu affluentia. Unde, præsertim si de faciliori feliciorique curatione rumor, privata nonnunquam de causa increbuit, alterum in medio conceptæ sibi curationis decursu deserunt, quid alter possit experturi quo plerumque damno, palam est: commodumque foret, si isti præcavendo, exorientique hinc Medicorum tædio animorumve sæpius insuper collisionibusque præcidendis, præter alia, vel Opificum, (*semet aut sua, sub numero excessivo perdentium*) exemplo, certus forte inter ingenuum præcipue selectum determinaretur numerus, ne tot in uno loco Practici ab omnibus quidem aliquid, in toto tamen tandem habeant Nihil. Quam vero similiter deinceps si consulerent, qui animum arti primitus applicaturi, eam ex anatomicis quibusdam Botanicisque deliciis, conceptave nescio-qua majorum redituum facilitate æstimant; si amplius etiam expenderent molestissimos illos & simul periculosissimos labores, qui inter eam passim ægrotorum ingratitudinem eaque præjudicia, satagenti hodie Practico postmodum indies nec nocte quieta obveniant; qui tum revera servorum servi fiant, praxisque eorum quotidie circa quintum severi judicis præceptum versetur. Ut necessarios non in unum, sed plures studiorum annos, in libros fere cariores, peregrinationes quoque &c. sumptus, (*cum Deus pauciores etiam hic allevet,*) Animum vero patientem & ad quævis obfirmatum, cum agilitate judicii, memoriæque præsertim, in earei medicæ vastitate, vigore præsupponamus. Ne postmodo susceptam telam, privatissimo cum damno, vel non, vel perfunctorie saltem absolvant; aut cunctis licet rite peractis, nihilominus tamen passive nunc deficiente promotione, salario sostro inter supradicta tædia erogatos sumptus exantlatosque labores, (*ceu a permultis non sine dolore audivimus,*) fere detestentur. Et sane mage hac tempestate vilescentis fere existimationis medicæ inibi causa hæret inter alias haut ultima. Siquidem qui in illa paucitate olim rogabantur & invitabantur, hodie sollicitare coguntur & diu satis expectare, Salaria quoque, quæ consultius reticentur. Usque adeo ut nonnullibi eo, quod joco nuper (*exceptis tamen excipiendis*) invertimus, similiter jocabundus querelas suas forte posset concludere:

Nunc dat Baldus opes; dat Iustinianus honores: Æris
& æstimii nil habet Hippocrates.

q *IMO nonnunquam, &c.* Quæ & olim & superioribus annis (*inter quæ tamen D. Merreti insignis viri, labores Anglicæ linguæ peritia destituti nondum vidimus,*) de hisce edita sunt, supervacue repetere, ingenuisve per alienæ culpæ recensiones ægre facere nolumus: siquidem res alias in propatulo, diuque est ex quo vel Opium saltem cum Apio in proverbium abiere. Sicubi vero, quod aliquando objectum scimus, improvisi vel humani quidpiam, etiam in privata dispensatione non nemo passus fuerit, re cum circumstantiis suis penitius excussa longe alio ex capite id plerumque prodiisse deprehendetur; dum modo actionibus natura accidentarium quidpiam interseruit, & hinc v. g. dato revera sudorifero alvus fluere, à Laxativi consueta alias dosi, per humorum copiam vel acrimoniam plane diffluere cepit, huic vel illi pulveri Epilepsia, Arthritis, externusve tumor supervenit, aut æque ac Dysenteria, affectus uterini, Nephritis, &c. exacerbari visi fuerunt; & si quæ insuper per præjudicia, præcipue confidentium, & superciliose grandem adeo parecphasin exigentium muliercularum exagerãtur aut differuntur; Medicus vero generosus oppido contemnit, aut, quod factu apud ejuscemodi Sirones haut inconsultum erit, dupla vel diffusiori, pro re nata in collationem data dosi, prompte diluit. Dum porro hujuscemodi exoterica symptomata, vel si quid amplius, è vomitoriis præcipue, purgantibusque, ad grani dodrantem (*præsertim in minus ab initio familiaribus subjectis*) haut adeo semper (*etiamsi pharmacopoliis quoque præscribas,*) dimetiendis ex improviso nonnunquam, imprimis latitante febrili dispositione, instantibus mensibus, similibusque etiam curatiorem inquisitionem haud raro fallentibus exurgit, simplices quidem spontaneæ remissioni permiserunt, malitiosi vero vel refractarii apud alios extulerunt, implicitum autem medicum rite de iis certiorem reddere, quo exortas forte turbas sistat, noluerunt, &c. Vel demum, quod ut alias rarissimum, ita institutum hoc nostrum haud æque tangit, dum aliis negotiis laboribusque distracti, tertio cuidam nec semper satis versato (*in Pharmacopoliis tamen idem similiter sæpius, eadem de causa evenisse constat,*) demandarunt quod ipsimet coram oculatisque manibus expedire debuissent. Nam impræsentiarum hoc ipsum est nostrum Postulatum. Quod autem practicus, frequentatissimus quoque, ejuscemodi dispensationi, Ponderationi obsignationique, etiam citra adstantem aut, (*extra necessitatis casum, præsenti nihilominus directioni tunc subjectum,*) viliora saltem curantem aliquem, *utrobique sic secure satis*) sufficiat, experti nobiscum, qui vel hic solum, anno non uno, sub ex-

cideretur

ciderctur admodum occasio qua Empirici, (alias minus plerisque in locis coerciti,) r *imprimis autem polipragmones Pharmacopolæ, divulgatis & arreptis per vulgarem receptissimum elegantioribus aut præsentioribus specificis, polycrestis, eorumque formulis vel adhibendi modis, (quasi patentiorem adhuc fenestram nacti) eo elatius ac impudentius, per existimationis nostræ stragem, ad plebejorum plausus nummorumque capturas magis magisque imposterum grassari possent, Pharmaceutici apparatus Possessores, Provisores, aut (quiqui tandem) Dispensatores, tot supervacaneis expensis atque laboribus, (quos tædium tandem, negligentia aque confusio, imo nonnunquam damnum non unum sectatur,) admodum sic eximerentur. Ipsi tandem Medici magnam antiquæ autoritatis ac libertatis partem hinc recuperarent: ac amplius adeo Dispensatoriorum arbitrio formulisque inibi authentisatis, (sæpe non sine multis curationis incommodis) alligarentur; sed ad singularia quoque seu selectiora quædam (ex alio capite petita, nec exotericorum præjudiciis vel abusui indifferenter exponenda,) campo hic longe liberiori excurrere possent. Præterea patentissimam nanciscerentur viam ulterius in comptiorem Methodum, convenientioresque remediorum modos inquirendi Propriis non alienis hactenus oculis viderent; idque securius quam alienis manibus transigerent, quod caput rei intimiorisque Practices,* f *& (in præparatione sua) indicibili sæpe accessoriorum proportioni vel tractationi (non sine dubiis indoctorum aberrationibus) expositum est. Præterea haud adeo sic (vulgari exprobatione) luerent, tanquam acceptum aut paratum, quod cum vix obolos aliquot inde habuere, Pharmacopolia absumserunt, aut peccarunt, Medicis itidem tum insontibus. Nec opus foret permultis, doctissimis quoque, (quod non sine cordolio scribimus,) ut dum sostra hodie quasi ulla vel parcissima, stipendia vera raro (quo antiqua autoritatis tantum quandam quasi umbram tueantur,) sufficientia sunt; de privatis interdum quotis cum iis, qui olim pro Servis, nunc pro dextra habentur, indecenter transigerent; aut) contra propriæ conscientiæ testimonium,) è maledicta illa Uromantia lucellum quærere, vel quo nihil non egisse, videantur, adhuc inconvenientiora nonnullibi tractare, de misso sanguine quidpiam prædicere, aut supervacaneis visitationibus semet & ægrotos aggravare cogerentur, ni forte Deos, paterna hæreditas, aut exoterica rei familiaris ratio professionis sustentationem levet, &c.* Quæ tertia dissertatione fusius expendemus.

Sunt equidem nonnulla, quæ nobis quæsitoque hic nostro compendio opponi queant: sed istis seu Exemplis, seu minoris momenti inconvenientiis, in speciali nunc singulorum Postulatorum pertractatione convenientius respondebimus. *De cætero, quantum ea Medicos quidem concernunt, is qui gratiosi saltem titulum expendit, sic in omnibus prompte se gerit geretque semper, ne dissentientes quandocunque tandem inveniant de quo in uno forsan alterove commate, quæ magno numero vulgatis in consuetudinibus merito taxavimus, jure & citra calumniam conqueri possint.* Persequamur itaque institutum nostrum, & quid circa singula hactenus observaverimus aut opinemur, ingenue proponemus. Hauriat inde suo vase quilibet, quantum placuerit, aut ex usu conditioni Districtuique suo fore putarit: nam ut Theologi (sed alio in sensu (loquuntur. *Consilia saltem sunt, non Præcepta.*

NOTÆ.

tremo famigeratissimi felicissimique Practici D. Balthas. Glassii, Antecessoris nostri morbo, solitarij (*vel quasi saltem,*) viximus, affirmabunt. Quam vero publico hac in parte conduceret si Superiores Medicos practicos ordinarios aliis officiorum generibus, (*ob causas sæpe haud adeo graves, salariive aliunde sane emendabilem paucitatem*) intricari non finerent: dum alias vasta sua Professione sat sint obruti: & revera, quod expertissimus Crato ad suum Monavium alicubi scripsit: *Nemo multa simul agat, eademque recte.*

r *Imprimis a. Polypragmones, &c.* Hic nil addemus, nisi è Sacris illud: quod oculus Domini pascat equum: (*Nam in materia ea sontica nimium putamus: Mercenarium non curare oves,*) Et tamen plerisque Pharmacopoliis, quæ publice Publico præcipue destinata dicuntur, ejuscemodi Administrationis adsignatam cernimus rationem.

f *ET, (in præparatione sua) &c.* Hic vexatissimi istius ℞. q. s. fundamentum est. Et revera, ceu supra jam de odoribus ex parte notavimus, rarius per solam simplicemque extemporaneæ nec antea tritæ formulæ præscriptionem obtineas, ut quæsita in sapore, odore, colore vel consistentiæ gratia semper & exquisite respondeat; cum drachma sæpe, granum aut gutta, excedens aut deficiens totum notabiliter immutet, utut ingredientia methodo de cætero satis conveniant. Aliter verò longe res se habet, cum ista, & quidem à nobismetipsis parata coram, per additionem, subtractionem, gustando, odorando, &c. moderari possumus. In simplicioribus eorundem vegetabilium destillatis succis &c. pro temporum tractationisque diversitate multa passim notatur diversitas; Spiritus eorum modo ardentiores modo temperatiores, Minerales jam acidiores jam remissiores habentur; & si quæ amplius sunt plurima, quæ non tam gratiam, quam ipsum effectum operationemque hinc justo sæpe intensiorem vel remissiorem concernunt: v. g. validiorum purgantium opiatorumque Extracta liquidiora vel (*& tractu quoque temporis*) spissiora; Essentiæ liquoresque Antimoniati, Opiati &c. modo magis diluti, modo concentratiores &c. in menses sæpe mutabilia, aut repetita vice rarius vel difficillime eodem plane pondere; odore, sapore, vigore, consistentiave habenda.

PROLEGOMENA ETTMULLERI.

IN Praxi Ordinaria laboramus partim generaliorum remediorum luxuriâ, partim specificorum penuriâ. Hinc illa specialibus in casibus non sufficiunt, sicut contrà specifica nobis incognita ferè Medicos deserunt. Cæterùm sub specificorum nomine prodeunt arcana nominetenùs talia, in recessu verò minimè arcana; unde utrumque defectum *AUTOR* resarcire satagit, quoad generaliora selectum concinniorem, & quoad specialia horum applicationem ad casus speciales monstraturus. *Vid.* postea Rem exemplo declarabimus: Vocatur Medicus ad ægrum Epilepticum extra morbum malignum Epilepsiâ affectum, sanè pro hujus cura ex universalibus occurrunt aromatica nervina, sicut ex specialibus Cinab. nativa & Antimonii, Sulphura Antimonialia, Tinctura Lunæ, radix Pœoniæ maris, viscus corylinus, castoreum, spiritus Vitrioli volatilis vel recrementa pavonum, ex quibus omnibus selectum instituere, hoc opus, hic labor; Sub remediorum ergo farragine fluctuat Medicus, & dubitat quid eligere debeat: Interim hanc fluctuationem removemus selectu & genuino examine remediorum. Similiter vocatur Medicus ad hystericam, pro qua curanda partim generalia aromatica carminativa, partim specialia, ut castoreum, asa fœtida, Sulphur fuligo cum aceto assumpta, theriaca, Tinctura granorum actes, gentiana, succinum &c. At verò ex his selectum instituere, & quodnam horum huic ægræ conveniat, turbat multos.

DISSERTATIO I.

DE REMEDIORUM SELECTU, SELECTORUM sufficiente Præparatione, ac Myrothecii contractioris constitutione.

TEXT. LUDOVIC.

PAuló ante notavimus, quod Materia Medica, Pharmacopoliis, (per invectas consuetudines, ac toties variata Dispensatoria) hodieque injuncta seu proposita, indefinitis ferè supervacaneis, (ut compendiose loquamur,) exundet: exuberantia quoque illa, citra ullum reale commodum, quamplurima incommoda Comparantibus scilicet superfluos labores & expensas, Medicis in delectu penè confusionem, Ægrotis, (ceu in quos faba tandem cuditur,) quo expensæ redeant, mercimoniaque (qualia qualia) denuo distrahantur, damnum non unum in bursa vel sanitate, præter ullam necessitatem creet. Advertimus præterea illam superfluitatem non solum in antiquiori congerie, è Græcorum Arabumque commendationibus, subsequorum credulitate, vel negotiositate, Mercatorum relationibus, Magnatum affluentiis, &c. natâ; Verum etiam in plerisque recentioribus permutationibus, substitutionibus, correctionibus abbreviationibus, & aliis, (excessivis sæpe circa hæc) curiositatibus undiquaque inveniri. Notavimus similiter, quod ejusmodi cumulus, ceu laudabiliter alicubi decurtari cœptus est, ita penitius adhuc præcidi, sique verum fateri voluerimus, duo, tria vel plura adhuc (in instructiori Sc. Pharmocopolio) Millia illa, ad Centenarium fortè vel unicum, aut ad singulorum duodecimam vigesimamve partem commodè reduci possint; ac jure merito (tanto subterversantium emolumento) debeant.

Dum autem isti Contractioni studemus, & qui per paucissima quidem, at selectiora Euporista, (circumspectè solùm exhibita,) curabile quodvis facillimè, & æquè feliciter ac per passivam (in Pharmacopoliis aut formulis (remediorum conflugem, profusosque alios pro more modos aut abstrusissima nonnullorum Secreta, curari queat ostendimus; t neutiquam hinc Polychrestorum emperico penitus abusui patrocinamur. Nec dum tot, (in eadem Appropriatorum vel Symbolizantium classe) Decades, tantum pro theoreticis nonnullis (in Museo natis) compositionum legibus conquisitas, aut intra latitiarum Formularum, u sesquipedaliumve quorundam Receptarum complementum imperatas expungimus; unicum saltem aliquod (simplex aut compositum,) in quovis genere statuminatum seu canonizatum volumus: una quasi fidelia omnes parietes dealbaturi: Qui pro notabiliorum (in affectibus ac individuis) circumstantiarum ratione, variatione quadam medicamentorum opus esse oppido scimus: eam ipsam tamen in potioribus aliquot, (citra catalogum à tergo quoque scriptum) nihilominus (quantum quidem hæc rerum naturalium obscuritas permittit, largiterque inveniri, experientia diuturna confirmati scimus. x Nam qui præterea, ad neglectas quoque vel indicibiles istorum circumstantias, in Museo se ad superstitionem usque extendit; videat, nec cum ad executionem ratiociniorum veniendum, & imprimis absentibus, minus notis, delicatis aut tenerioribus Medicina facienda est, tota speculationum strues in Praxi collabatur; vel ne quidem in Miriade medicaminum respondentem sufficientiam inveniat.

Sic porro, dum parabiliorum notiorumque tantum Syllogen hic sistimus, Arcana versatiorum neutiquam hinc præcipitanter elevamus; qui hujuscemodi (incipientium saltem aut hæsitantium causa) Selectis, alia quoque ipsimet, pro re nata domi nonnunquam substituimus; & adhuc commodiora ab aliis, pro consuetudinis, experientiæ, vel locorum ratione, secundum intentiones nostras, pari libertate nunc aut olim surrogata suspiciemus. Schema saltem hic proponitur, cui securè quidem aliquis tantisper acquiescere, hinc inde tamen nihilominus quidpiam, pro re nata, detrahere vel immutare poterit. Quanquam profecto Secretorum sat & super habeat, quisquis vulgatiora quoque experientia confirmata, (prudenter tantum & circumspectè,) *privatim exhibet.* Et detecta tandem ista Eleusina sacra, plerunque postmodum idem, aut æque notum, sæpè deterius aut infidum, (cum divulgatione famam atque fidem perdens,) vel levem saltem Processus variationem, (sub fundamentali nihilominus convenientia) ostendunt.

De cætero singula, quæ nostræ nunc considerationis sunt, bonâ fide perpendemus: non per conjecturas, verùm certâ circa quævis experientia: liberè tamen in Republ. libera; sed ingenuè & citra cujuspiam traductionem.

NOTÆ.

t NEUTIQUAM hinc Polychrestorum, &c. *Talis fere* (ceu olim in Theriaca,) *erat sub studiorum nostrorum exordio circa Vitrioli salisque spiritum, Elixir. prop. Bals. Sulphuris similiaque magno sæpius æstuantium hypochondriacorum phthisicorumve damno. Postmodum septentrionalioribus præcipue in locis, circa Sal* (vel quasi) *viperinum, Tincturas solares, Balsamum vitæ, Emplastrum Norinbergense, &c. Et nunc passim,* (interdumque saltem ne nihil agatur,) *circa tincturam Bezoart. Anti-Tartaream, Solarem Nephriticam, pulverem nephriticum, sulphura solaria, Cinnabarim nativ. spiritum salis Ammoniaci oleosum, preterque Thee nunc & Chocolatam, alia.*

u SESQUIPIDALIUMVE quorundam, &c. *Quo similiter præcipueque pertinent illa alias insolita seu supervacua; officinis saltem, eo quod semel aliquando composito cuidam, Pulveri, Electuario, Sirupo, Ungenti, Emplastro eorum præter propter drachma una vel altera* (è paucis plusculum) *insumatur, pro complemento quasi illata, v. g. Concha venerea usta, Entali, Dentali, Umbilicus Veneris, Vitrum ustum, Rusci Orobique* (dum Scillinis trochiscis jampridem aliud adsignatum est,) *semen, Tribuli aquatici, Similacis asperæ, Baccæ, Anguriæ succus, Elaterii folia, pes columbinus, Millefolii Genistaque radix, & quid non amplius? Deficientibus sane Asphalti drachmis quatuor cum semisse, nemo Theriacam & trochiscos pro Mithridatio Cypheos hodie debiliores credet. De speciosioribus inferius agetur.*

x QUI præterea &c. *Ut in Anatomicis ejuscemodi conjectura rem, donec severius ad novaculæ aciem revocaretur, non expedierunt; ita si sufficiens & per præviam prius manuductionem firmata experientia, cum quadam in recensitis hic circumstantiis,* (quasi symptomatibus practicis,) *tolerantia defuerit, Practicarum collationes, instituta desuper speculationes, causarum è rariori quodam casu venaturæ, præcisæ temporum dimensiones, severiores exotericorum directiones, & si quæ sunt amplius, quibus naturam sibi, non se naturæ ægrotantiumque conditionibus accommodare instituunt* (quæque à necessaria Morbi potiorumque circumstantiarum perquisitione ac ponderatione, præsertim in Absentibus, confusa alias sæpenumero narratione referentium, oppido differunt;) *Medicationes profecto haud reddiderint feliciores, difficiliores potius ut plurimum, habitioribus raro obtemperantibus, plebejis etiamsi velint, non sufficientibus. Atque hinc haud infrequenter videmus, ut sæpè frigeant vel à scopo declinent eruditissimorum quoque de cætero virorum, solida tamen continuataque Praxi non confirmatorum de hisce judicia vel consilia. Imo exercitatissimi quandoque per nimias super contumatioribus singulariorive cuidam complicatis chronicis affectibus speculationes alioversum abripiuntur, ut relicta ordinaria causa curandique via aliam ceu è Schenckii observationibus, aut si rari quid ulterius semel in vita contigit, conquirant medicamentisque eo directis,* (at incassum) *persequantur, aut penitus incurabiles, contrario sæpe eventu, judicent.*

judicent. Exempla de præsupposito sic circa Menynges calculo infixove, uti Dn. D. Schneiderus aliquando observavit, ossiculo, de Polypo cordis, stomachi ulcere, uteri scirrho &c. adducere longum foret. Ita porro, cum ab anno 1635. Germaniam nostram usquedum ab universali Peste, divina gratia, clementer servaverit, quousque complures eorum, qui istius curæ interea haud præfuere, cognitiones, dissertationes, methodique ordinationes pertigerint, experti procul dubio erunt, quos particularium quorumdam Emporiorum miseria ejuscemodi labori involvit. Sic quid non de Dysenteria, saltem ab 1634. anno, quo desæviebat tum epidemia, usque ad 1666. à plurimis adsertum aut conjecturatum est? quod si quis absque opiatis & Theriacalibus, per clysteres saltem aut præcipue Laxativa, internaque abstergentia pureque stringentia persequi voluisset, ne ægrum, 50. sæpe una nocte surgentem, letho officiose tum dedisset. Quam damnata fuerint usque ac propiores hosce annos, D. C. forsan in Appoplexia vomitoria, notum est: & tamen quantum in plerisque circumstantiis, præsertim stomacho Hypochondriisque debitis, imo in ipsis capitis (citra fracturas, pungentiaque harum ad menynges spicula, ac contrafissuras, spontaneos alias cum periculo vomitus concitantes) concussionibus (cæteris tamen pro subjecti ratione semper paribus,) valeant, Experientia ostendit, & olim, cum alterius generis in ejuscemodi affectu remedium adhibitum ægrotus, evidenti angustationis præcordialis allevatione, sensuumque recollectione revomuisse, observavimus, exemplo hinc ducto; præsertim dum si scotomias è ventriculo, obtusumque ac fere comatosum in crapula, post deglutitum è furno recens calentis panis aut placentæ bolum, pyrumve adstringentius &c. conferremus. Plura deinceps alibi.

Occulta enim aut sane minus pervia, etiam in albedine sua (compositum aliquod præse ferente) magisque adhuc per diversas tincturas, præcipue rubificationes (ex. gr. Santalo, papavere errat. cochinillis, Torna Solis &c.) colorata permanent, quæ si è Pharmacopoliis nonnullibi petenda jusserimus, v. g. Coralliorum, oculorum Cancr. Concharum &c. præparatorum, simplicium aut Martis, Antimonii, Cinnabaris, Anodynive pulveris aliquantillo sociatorum dosin, de spiritibus acidulis Tincturis vel Essentiis contractioribus drachmam, riderentur, & tanquam præ aliis, (huc longe magis conferentibus, tot ingredientibus, constantibus adeoque hinc non numinis saltem, sed imperiali ejusve partibus aliquot redimendis) formulis elevarentur; ejus generis quinimo aliquo, cum plerisque in numerato sint, etiam sub fide silentii quandoque, substituto.

De horum perquisitionibus superius ex parte eximus: Revera autem, res hactenus tulere, (& dum Helmontiana genuina parilisve generis Secreta pauci usquedum viderunt,) præter) è Vegetabilibus quidem) opiatum aliquod, Arcanum Tartari s. aut Corallinis, Martialibus &c. sociatum, Myrrham essentificatam, Essentias Tincturasve accessoriis alcalinis vel acidulis sua potius debentes, è Museo elevato, Lunaria botryoide, fungo saligneo, Dentaria pulvisculum; (ex animalibus) Sal aut spiritum vol. urinosum, solitarium, vel sulphureo acidove volatili combinatum: præterve demum (è Mineralium censu) Antimoniale, præsertim sulphureum, aut Mercuriale diversimode (& vel seorsim vel invicem) fixatum, aut Martiale, vel tandem (ac sæpe nominetenus saltem) Solare aliquod, rarius insuper inventum est, quod Materiæ, Menstrui, singulariorisve elaborationis ratione potius, quam per solam occultationem, extravagantisve nominis cujusdam impositionem, ejuscemodi titulum jure suo tueatur; nec demum à curiosioribus talium indagatoribus tractu temporis sit exsculptum. Exempla, ut instituimus, è recentioribus adderemus, ni & odiosum id foret, & talium æque, ac v. g. Glauberianorum olim, tam Medici quam Magnatum non pauci, nec sine damno sæpe, adhuc probe recordentur. Haud infrequenter enim concepta primum de tantis (medicis ac Metallurgicis) Secretis, eorũque jactatoribus spe, interfrustraneos sumptus, Aulas nonnullibi ditioresque alias nihilominus postea excidisse, hactenus vidimus, autoribus sæpe longe refarctiore, quam ante adventum erat, Experimentis Mantica, (dum pro in audiendo eorum judicio quævis Bibliothecæ secretissimaque collectanea ipsis patuerint, semet subducentibus; quod Serenissimi nunc beatissimi Principis nostri de Extero quodam, Aulis hinc inde perquam superioribus annis familiari, sincerum tum erat judicium. Quod autem generosissimus Van-Helmont, vir nobis de cætero æstimatissimus, tantum suo tempore, , (ut hæc quoque attingamus,) præstiterit, forsan idem non semper Alcahestinis saltem similibusque quin essentialibus secretis factum fuisse colliget, qui vulgatiora quoque è Sulphure, Sale, Vitriolo, Marte &c. passim legit adhibita, contuleritque simul passivum ibi locorum ea tempestate medicandi modum, plerumque Clysteribus, purgantibus, venæsectionibus, Alchermes &c. (vid. Præfationem libri de Febb.) tandemque Aquis Spadanis circumscriptum: unde singulariorem & effectum & æstimationem polychrestorum talium paucas quoque guttulas tum fuisse insecutum nemo mirabitur. Nec tamen, quoquo etiam interea usus fuerit, præfixum sibi finem semper hinc obtinuisse vel è tractatu de Asthmate, (præter D. Franchipani ad D. O. Grembsium literas, hujus operi præfixas,) deprehendetur. Quod autem specialiora pleraque inter eas contestationes, publico nihilominus, (ni editori quidpiam hic è tractatu in Verbis, herbis, &c. item Indigesta in scripto imputare voluerit aliquis,) negarit, tot inde ut plurimum frustra deperditis sumptibus ac laboribus, id quidem, ut per Cardani decretum c. 7. De lithiasi relatum decidamus, absit; Potius persecutionibus suis fracto, à revisione Operum, (ut è nonnullorum Tractatuum, eodem recidentium, mutilorum, aut secundum ejus stylum non satis exasciatorum collatione patet,) impedito, vel sublimiori inter inæquales antagonistas animo, humani quidpiam sic forte passo, adscribentes. Harveiana enim, Asselliana, Sennertiana, imo Gallorum contra Scholasticam Philosophiam aliqua, (cum jam anno 1621. libros ediderit,) legere potuisset; multa proculdubio in Theoria ipsaque scribendi vehementia, (Theologica enim reliqua, forsan magnam partem Teutonico isti Jacobo Bohemo debita, huc non pertinent, (mutaturus. Hæc ingenue de Helmontio. Fuerint autem Arcana ejus potiora incipientium compendio ac præterpropter Liquor Alcahest, Mercurius corallatus, & Diaphoreticus, ignis Veneris, Aroph, (cum mixtura panis secalini, Lithiasis c. 7. sumptuosum tamen c. 8. de quibus inferius:) & quæ insuper vel è Paracelso laudavit: Tinctura Lili ab Electro minerali, (Tr. Arcan. Par.) Tinctura Lili Antimonialis, (Tr. Potestas Medic. & Arcan. Parac.) Mercurius vitæ Stibii proles, (Tr. Potestas medicamin.) eodemque Tractatu Lac perlarum antihecticum & antiparalyticum: Vel è propriis laboribus aut observationibus istis intermiscuit, Arbor vitæ tr. proprio, Substitutum lapidis Buthleriani, (cujus tamen ingredientia longe aliter hunc intellexisse, nec quæ nobilissimus Filius coram de Minera Vitrioli cum Ammoniaco sale sublimanda, cum spiritu vini rectificanda, & hinc in Sulphur Philosophorum olei forma per Retortam destillanda, postmodum cum sale vitrioli depuratissimo jungenda, & per Arcenicum semel sublimatum mortificanda perque ignis gradus denuo glorificanda Veneriis communicaverat, sufficere sibi visa refert ad curiosissimum, ea tempestate, Principem F. H. D. Anonymus tum in de Alcahest Epistola.) Porro Opii, (ut lethalia à papavere separentur, tr. de Duumviratu,) præparatio;) quam per cydoniorum succum (æque ac si cum Alcahest instituta foret,) transigi idem dictæ epistolæ autorem docuit, ac citra controversiam fermentatoria fuit; vix tamen majori hujus in praxi satisfactione; sed de his alibi egimus; & infra

infra similiter.) *Arcanum sedativum in Hydrope*; *cujus in fine tractatus proprii meminit*, *ut primus revelaturus*, *& tamen* (ni Mercurius corallatus, Bryonia Colocynthisque inversa intelligantur,) *non persequitur vir laboriosissimus. Bryonia proin*, *virulentia solutiva exuta*, *tr. de Hydrope*: *& Colocynthis*, *cujus* (secundum tr. Dispensatorium inscriptum,) *vis laxativa ac deleteria intro*, *quo resolutiva*, *emergat*, *versa. An Alcahestine hæc sint accipienda*, *nescimus*; *Fermentatio*, *in quam*, *dum circa Paracelsi Anodynum illud cum succo Cydoniorum occuparemur*, *olim accidentario incidimus*, *singularius nobis hic non contulit*, *Ludi Paracelsici solutio*, *libro de Lithiasi. Cujus expectationes an exolvant constantia notioribus acidis aut alcalinis liquoribus Diluta*, *vim talium perquam adhuc* (vel secundum ipsius Helmontii catalogum) *modificandam & plerunque coincidentem quadantenus experti*, *suo loco relinquimus. Est demum Emplastrum antiquartanarium Febb. c.* 14. *&* 17. *è Tabaci cum vino infuso atque Melle*; *laboriosissimo tamen D. Takenio in allegata sæpius epistola pariter haud satisfaciens*; *& Annulus contra Hæmorroides ac suffocationem uteri*; *id est*, *secundum factam communicationem*, *clavus equo ad vivum usque per ungulam adactus*; *ubi tamen æque experientiam quam equum claudicasse dicit*: *Et si quæ forte alia superesse poterunt. De cætero alia insuper hactenus à diversis locis & inventoribus*, *scripto quoque schedulisque commendata vidimus singularia*, *præcipue Antarthritica & Lithontriptica*, *Spiritus*, *Tincturas*, *Pulveres. Mirari fortè quispiam cur isti Bohemiæ*, *Austriæ*, *Moraviæque tractus adeo non frequentent*; *millia à tot contractis calculosisque lucraturi*; *sique perfecte siliceum Dulech totaliter eliquaverint*, *neminem non* (dum tandiu talia, à fœminis quoque, sumptuose quidem, at frustra sumpta vidimus, *inter admiratores habituri. Sed hæc tantum in genere dilucidationis gratia.*

TEXT. LUDOVIC.

y Atque hinc nec Autorum nomen libellosque speciatim allegabimus: ne sicubi horum quidpiam, (uti homines sumus,) minus proposito nostro commodum, vel ex adverso præ aliis aptius visum fuerit, hic (more nunc perfrequenti,) laudare alios quo similiter laudemur; illic verò contentiones & laureolam vel è mustaceo quærere videamur: ab utroque profecto alienissimi. Qui parum in authorum lectione versatus fuerit, sententiam, nostram & quo (cum veniæ tamen honorisque perpetua præfatione,) collimemus, haud difficulter assequetur. 1.

Ut itaque propositum nobis lustrum, à generalioribus ad specialia ritè pergentes, persequamur: cui bono primùm tot 2 *Exotica*? quorum æquipollentia (ni validiora sæpe,) passim nobis præ foribus nascuntur: viribus integris sicque præcio ubivis habenda; artis insuper beneficio, (sicubi heterogenei quid inibi, vel vis dispersa reperitur,) diversimodè depuranda, exaltanda, concentranda. Tot porro peregrini hujus generis, nominetenus saltem nota, in rei verò veritate, quamvis orbe pro-

NOTÆ.

y Aque hinc nec Autorum nomen, &c. *Cum haud parum obscuritatis è nominum subintellectorum autorum omissione legentibus*, *loco ac materia memoriæ non semper protinus succurrente*, *equidem oriri queat*, *addemus ea imposterum ubicunque pro majori dilucidatione seu distinctione opus erit*: *ingenue tamen*, *& Explicandi tantum animo*, *non traducendi*; *à litigiis cavillisque increscentibus nunc annis eo magis alieni.*

1. Tria in nosto *AUTHORE* sunt extollenda (1.) Ejusdem ingenuitas, & candor dum nullum *AUTHOREM* nominat ex eò, ne alicujus encomio sibi benevolentiam captare videatur, è contra alterius vituperio laureolam in mustaceo quærere. (2.) Ejusdem in judicando libertas, dum liberè suam sententiam rationibus munitam proponit. (3.) In selectu medicamentorum, dum ex pluribus symbolizantibus selectum instituit. Hoc adeoque Authoris instituto consulitur & Medico & ægro: illi quidem, dum occasione succinctioris suppellectilis Materiæ Medicæ minus fluctuat in seligendis remediis, sicque ad solidiorum experientiam pertingit. Ad hoc longè pacatiori conscientia hoc modô suam Praxin exercere potest. Ægro verò consulitur, dum sumptibus paratur modus, & internæ ejus viæ non adeò gravantur, quin imò tutius & jucundius, utut non semper citius sic curatur. Etenim putamus verissimum esse illud *ARNOLDI VILLANOVANI dolum esse* (inquientis,) *uti compositis*, *ubi simplicia sufficiant*: Cui assentitur *HELMONTIUS*. Et sane certum est signum vel ignorationis, vel animi fluctuantis in Medico, quando crebriùs in eodem morbo atque eodem statu mutat remedia, cumque plura subcontraria & contradictoria in qualitate ordinat: In quô casu ordinariô sumus dubii in natura morborum, aut quaque remediorum efficaciâ. Etenim verum est, modò cognoscatur morbus, agendi modus, & perfectus sit remediorum vigor, omnia facilè fore ordinatu.

2. *Pag.* 33. *Exotica &c.* luxum perstringit *AUTOR* & quorumdam in his tenacitatem. Et quidem exoticorum usus suspectus est (1.) quia plura eorum nobis sunt penitus quoad originem ignota, unde nec efficacia potest esse perspecta, nec usus tutus. Sic natura Ambræ adhuc dum latet, quicquid & sentiat de hoc *KLOBIUS*: Pariter Succini naturales sunt obscuri, utut id probabilius ad vegetabilia pertineat. Similiter Sperma ceti ignotum est quodammodò, quamvis curiositas nonnullorum eruat, id ex capite balænarum elaborari. Porrò Terra Catechu sive Japponica quid sit, ignoratur? Nativum quid non est, sed artificiale, & utut ejus ortus lateat, tamen paratur inde Tinctura styptica, quam tutiores ex Martialibus parare possunt. Sic lignum aloes Alexipharmacis annumeratur, quid sit, nescitur; nescitur non secus contrayerva (2) Cautius usurpanda sunt exotica, quia adulterata ferè omnia prostant. Ita namque scammonium genuinum rarum est, quod non succo vel tithymalino, vel esulino adulteratum sit, ut dubium enascatur, an MESSUES verum Scamonium adhuc prostet ullibi. Par judicium esto de Meconio, quod loco opii nobis protruditur. Similiter lapides bezoar apud nos reperiuntur in majori copia, quàm apud ipsos INDOS, unde eorum æstimationem rectè perstringit *ZUUELFERUS*: Præterea caryophylli aromatici nunquam genuini nobis offeruntur, sed ex ipsis vel in INDIA prius elicitur Oleum, quô sic nobis spes eos propagandi hic locorum præscindatur, vel ætate consumpti imbibitione vini decoctionis recentium caryophillorum renovantur; Inter centum pondo chiocolatæ vix unum genuinum continetur, sed quæ in scatulis & placentis offertur, est adulterata à BATAVIS, piper & saccharum eidem addentibus, cùm econtra vera ex ANGLIA aut LUSITANIA petenda sit. (3.) Subinde exotica sunt corrupta. Etenim cogitemus spatia locorum dissitorum & tempestates, quibus exposita sunt illa, antequam ad nos transportantur; hinc etiam est, quòd radix rhabarbari ferè cariosa, & radix chinæ instar ligni putridi omni virtute spoliata deprehendatur. It. lignum Sassafras suavi suo odore fœniculato se vix probat. (4.) Exotica sunt suspecta, quia nostratia subinde apparent vel æque valida, si non validiora, ad minimum nobis convenientiora; unde loco balsami cujuscunque, sive Peruviani sive Tolutani sufficere potest pro interno usu terebinthina nostras, sicut pro externo usu Oleum hyperici, imprimi

primis ex ejus semine expressum. Sic loco ligni nephritici ex India Occidentali petendi prostat nostra betula, ejusque Aqua præservativa & curativa calculi. Item loco Sassafras juniperus nostras, quæ melior. Pari ratione loco aromatum, quorum acrimonia caustica non omnibus internè æquè confert, tutiora sunt cumini, carvi & fœniculi semina. It. plantæ aromaticæ mentha, fœniculum. Quòd si acriora exoptas, loco Zingiberis esse potest noster acorus verus, sicut loco radicis Chinæ nostra tormentilla, vi sudoriferâ & alexipharmacâ æquè insignita, cùm extractum tormentillæ, ex succo inspissato cum spiritu vini in resinam siccam redactum, potens sit sudoriferum. Sic loco Guajaci prostat nobis lignum fraxini, cujus efficaciam vid. in *AGRICOL. Chirurgiâ Parvâ*: Imò lignum buxi, ex ITALIA transferendum, donatum est vi sudoriferâ & specialiter anodynâ, unde & Oleum ejus odontalgiam sistere solet. Non secùs egregii usus est lignum Corylinum. Porrò laudatur tantoperè Herba Thee ob vim stomachicam, nephriticam, & cephalicam, locô tamen ejus nobis sufficere potest rosmarinus, folia nempe hujus, vel, quod Chinenses testantibus *ephemerid. Gall.* facere solent, folia salviæ similiter præparata (5.) Suspecta sunt exotica, quia nostratia sunt nobis convenientiora, siquidem notum est, quòd pro ratione soli & climatum varient plantæ, quod apparet exinde, quia nobis septentrionalibus scorbuto affectis copiosè procrescit cochlearia, quæ tamen in Italia nullo culturæ artificio progerminare solet, *Conf. AMMELVNGUS in Apologia pro Chymia c. 2*

2. Non tamen penitùs *AVTOR* rejicit *Exotica*, sed suggillare quadamtenùs videtur *D. SIMON: PAVLI* hostem exoticorum infensissimum, hujusque *Commentar. de abusu thee*; unde laudat inter purgantia jalapium, rhabarbarum, aloen, ceu quibus Esulina & Tithymalina minùs respondent, cum minus temperata hæc sint. Sic eligit cinamomum pro cordiali, & corticem febrifugum Peruvianum pro 4 tanis fugandis.

TEXT. LVDOVIC.

be perlustrato, z adhuc dum incerta, prosapiam mentita, suspecta, mangoniis diversimodè, nec raro situ sentinaque corrupta, &c. quibus tamen sumtus aque sanitas, imprimis ditiorum, (ita volentium,) aut per nonnullorum ostentationem, indies (nec impune semper) exponuntur.

Sunt equidem aliquot, v. g. *Purgantia* quædam (ratione soli mitiora, vel respectu molis commodiora;) *Aromatica* nonnulla, (nunc alias vulgatissima, & quasi culinaria,) *aliqua insuper (re effectuque) singularia, quæ suum* (in contractiori quoque praxi) locum merito, sed citra consuetum hactenus dilapidationem, tuentur. Et qui *nuper in universum omnibus domestica sua substituere conati sunt, ingenii potius acumen aut conjecturas, quam seriam experientiam practicam ostenderunt.*

Quæ verò præterea seu superioribus seculis exterorum exemplum, aut meliorum defectus, seu sequioribus hisce nimia quorundam curiositas, credulitas, peregrinatis studium, Chimiæ neglectus, &c. superinduxit, & incircumciso quoque selectu adhuc dum servat; næ longè convenientius regionibus autoribusque suis, aut Doctorum museis, relinquerentur, quam publicis statim aut imposterum destinarentur usibus.

NOTÆ.

z Adhuc dum incerta, &c. *Exempla, cum inter eos, qui à J. Pravotio usque ad D. Derebeque nuper, pro Medicina domestica scripsere, præcipue J. Beverovicius in Autarkia sua compendiose ex Antiquorum,* (Dioscoridis Pliniique) *æque ac Recentiorum admonitionibus & desideriis super usitatiora famosioraque pleraque contulisse videatur pauca saltem in recentiorum lectione observata, vel sub manuali tractatione magis obvia adjiciemus. P. à S. T. Carmelita, itinerario paucis abhinc annis edito, Lusitanos refert, Piper* (alias in Sole jam ambustum) *onerariarum suarum seu Caraccarum, uti vocant fundo* (quasi ad sentinam) *condidisse; Cinamomum extus in saccis, per* 20. *puresve dies, donec evacuatis aqua asservanda destinatis compluribus doliis locum intus inveniat, appendisse: ut debiliores hujus è Malabar, China, ac Cochinchina species, evehi jam Linschotti tempore prohibitas quidem, nihilominus tamen* (telonio quoque eodem, quod pro Zeilano datur soluto,) *passive evectas taceamus. Cubebas in Java, ne alibi plantentur, prius decoqui insignis ille vir, O. VVormius Musæi p.* 197. *monet: mirum quod Jac. Bontius in suis de Judæorum Medicina opusculis præterierit! Quid non hodieque pro Rhapontico, Draconis sanguine, Amomo, Behen, pinguedine ac trochiscis viperinis passim divenditur! Quantum arenularum Ladano, exoterioorumque aliorum Aloi, Galbano; Opio intermixtum est? Olea aromotica, si vel Indiis Rhodoque petas, rarissime plane sua sunt; & quantum ipsa Aromata in illis quoque Emporiorum horreis perfrequenter alterentur, nemo non novit: Sicque centum alia aliis notata, in permultis tamen, cum vix declinari queant, toleranda, vel artis ope nonnunquam postmodum emendanda.*

Nam ut per exempla denuo eamus, adhucdum nobis, experimentis circa talia forsan sat confirmatis, nemo facile persuaserit, aut cum ad executionem ventum est, reipsa tum ostenderit, quod Jalapio v. g. effectu saltem & operandi modo, ut de sapore moleque nil dicamus, Iris nostras ejusque succus, aut semen Ebuli vel Sambuci æquipolleat. Quæ prioris sit violentia, duriora quoque Messorum ilia sentiunt; ipsaque Florentina, (quod in modica pectoralium quantitate equidem non percipitur) *paulo liberalius* (ipsis lactentibus ad grana quatuor) *data est emetica. Ut Ebulina, præcipue vero Sambucina aliquantillum mitiora sint; plerisque tamen omnibus adhæret vis vomitoria ac longe turbulentior operatio; sive corticum decoctum, sive semen concisum, aut in emulsionem* (ferino isti oleo expresso haud parum accedentem) *vel etiam Electuarium cum Sala* (oppido robustioribus hæc destinante) *Anat. Essentiarum Veget. s. redactum detur. Gemmæ in acetariis quoque, alvum quidem turbant, sed nulla cum Ialopio Senave comparatione, nec in paulo tenerioribus citra nauseam; quam etiam ex aceto conditis* (antequam flosculi expandantur,) *corymbis, ipsoque vino floribus pro conciliando sapore moschatellino haud raro infecto, per paulo liberaliorem haustum experiuntur. Et ne à transplantatione,* (tantisper hic supposita, per Orientaliorum quoque exempla, quasi possibili,) *parabilius quid expectetur; cum adhuc superioribus annis mirabilis Peruana idem cum isto crederetur, dedimus non cum Closseo, singulari viro, apud D. G. Horstium duas drachmas, sed pro tractus nostri conditione saltem dimidiam. Movit aliquid, sed parum in plerisque promovit. Quis vero hic excessivam molem istam sumeret? Atque eadem est hortorum nostrorum Rhabarbari, quod nunc pro vero habent curiosiores natalitium ejus perscrutatores, seu operandi seu naturalisandi ratio. Multo minus autem vulgaria Lapathi genera in notoria ea latitudine seu imbecillitate id exaquarint, aut Frangulæ cortex sustulerit. Nec in adversa ac turbatrice Bryonia invenerimus, quod in Mechoacana, utut congeneri æstimata quotidiana praxis ostendit. Senâ substituta sua è Sambucino cortice, Ebulino semine, Bryonia, Sodanella &* (è libro plerumque commẽdato) *Polygonato similiaque* (febricitantibus debilioribusque aliis, quo animo hic proponenda?) *manifeste excedunt; Epithymum, Fumaria, Polypodium ne quidem attingunt. Colutheam semper debilem invenimus. Sique per tot secula civitate quasi donata, plane nunc Excellentissimorum Virorum voto non uno, domestica fieri desideraretur, testari possumus, sub initia belli primi*

mi Germano-Suecici in pago Vinariæ, (patriæ) *propinquo*, *adhuc fuisse cultam*, *patrique hinc venditam*, *sed extera longe languidiorem*; *ceu quam ex isto postmodum*, *imo exotica interdum etiam semine produxeramus*, *parilem similiter* (cum Croco ibi collecto Austriaco per quam inferiorem) *invenimus*. *Sororia*, *ut de nostratibus purgantibus amplius aliquid addamus*, *collegerat olim pro acetario* Rapistri *arvorum sylvestris* (ndepherich vulgo,) *folia*, *loco sativi illius* (Rube Baat) *cujus semen oleo herbam lactucæ loco mersis nostrates destinant. Ut comedentes per noctem exercuerit, referre hic non attinet. Ita cum noti nobis Nobilis servus Dominum Coryzæ similibusque superfluitatibus extreme confectos equos cardui pratensis leucanthemi radice successive data feliciter expurgando curare videret*, *eandem & cum successu* (inter hypochondriacas præfocationes penitus fere consumptus) *sumpsit ipse*, *& aliis usquedum haud frustra propinat. Sed ejus generis Sennata ego nolim*: *uti nec pro Scammonio*, *adeo rodentia ac* (præparantiumque quoque manus atque faciem) *urentia Esulina. Adulterariis superiori jam seculo è copiosissimo proventu conjecit diligentissimus L. Rauvvolf Itin. p. 2. c. 1. Verum eo ipso colligi poterit, vel soli saltem ratione ibi mitiora existere Tithymallina, nostris in regionibus sub tertiata quoque dosi haud æque torpida. Sicque gutta etiam Cambodia*, *ejusdem* (ceu Boetius c. 9. M. M. indicæ refert,) *prosapia incorrecta quoque*, *nihilominus nostratibus*, (nisi forte longe sumptuosioribus laboriosioribus extractionibus varie repetitis penitus exhausta, vel excessivis acidis quasi combusta fuerint,) *remissior deprehenditur*, *liberaliorique hinc procul dubio pariter ibi ac alia ejus generis Esula Elateriumque Iavanum*, *in locis tamen alvi fluoribus adeo expositis datur. Certum ipsum TurbithEsulinis vulgaribus est mitius. Nec invenire possumus, quid Aloi demum, adeo polychrestæ substituatur*: *cum Manna Cassiaque succedanea tanta opera collecta deficiant*, *conjunctimque via ea commoditate effectuque eo præstent, quod istius duo vel tria*, *imo unicum sæpe granum. Ita quoad Aromatica*, *exæstuationis in sanguine hic concitatæ*, (sub porri tamen, cæparum, allii, Sinapi, raphanorum &c. pro condimentis commendationem,) *accusata*, *Caryophyllorum sub ea oleositate fragrantiam Caryophyllata*, *quandocunque etiam effossa*, *perfecto non æquabit*: *Multo minus Cnicus noster Crocum*, *aut Iuglans Moschatam nucem. Ut piper cum Zingibere per Sinapi*, *raphanumque exsit*, *quid tenerrimi penetratisque dulcoris refectivo*, *Cinamomo succedere queat, non videmus*: *non quid Aromaticotato Cardomomo*; *utut Carvi effectus partem forte præstet*; *æque ac juniperi bacca Laurinarum*; *saccharum si ad mellaginē simplicissime redigatur*, *Melle hodie*, *præsertim iniquiori aëris constitutione*, *plerumque minori pretio comparari potest*: *& revera in sapidis nunc per tot annorum decursum invectis*, *venter opido auribus carere*, *frustraque inter eos subditorum hinc*, *& inde ad Magnates reditus*, *de eo, quod endemium est*, *& mercium permutatione utplurimum parvo comparatur*, *disputari videtur. Chermes grana*, *Magni quoque Bartholini judicio*, *vermiculis auriculæ muris vel polygono adnatis potius*, *Rosarum*, *rubrarum Essentia* (similiter aliquantum stringente) *facilius quam mage diureticis Cochionilliis*, *alteriusque destinationis Sambuci Rubive Idai Rob supplenda*, *cum aliis quamplurimis infra dimisimus. Nec tamen Lignum Aloës ex hoc capite suspectum*; *quod cum Santalo citr. carius in China Iaponiaque*, *quam apud nos*; (teste Mullero in Cataja sua) *veniat*, *tanto ardore & forsitan non minoribus impostis idololatriæ ibi destinatum. Siquidem*, *ut diversas species*, *crescendi ac colligendi modos*, *mercantiumque invicem differentiam taceamus*, *Vina v. g. Franconica Rhenanaque hisce in districtibus pluries minori*, *quam in natalibus suis pretio bibimus*; *dum rei familiaris causa generosiora per dolia exteris mittuntur*, *oligophora v. retinentur*, (vel tandem quoque ista, non sine multis gravaminibus) *domi Asam fœtidam pariter expunctam*, *nemo tamen riserit*, *quod Indi piscibus præcipuè*, *pro condimento*, *Bontio referente addant*: *nam & allium nos Vervecinæ assæ*, *suillæ in farciminibus*, *Passeribus seu*, *ut Ausonius vocat*, *Platessis piscibus passim nec sine multorum delectatione adjicimus*: *ut cæparum*, *porri*, *raphanique rustici matutinos quoque*, (ut Asa avenæ intermixta totum equi corpus penetrat, (*fœtores prætereamus. Sed extra jocum, quodnam foret Camphoræ succedaneum*? *quod Opii dum eo fine adducta aut eo non adscendunt, aut quod D. Zvvelferus huic immerito impegit*, *vere dementantia sunt. Hyosyami semen ad pauca grana*, *in Hæmoptysi potest aliquid. Quid paulo largius pondus*, *radicesve comestæ*, *aliquoties hic experti sumus*; *comatosos hinc*, *& circa præcordia summe angustatos*, *Vomitorio*, (mucilaginosissima ejiciente) *indeque Tinctura Bezoart. Armoniacali non sine labore restituentes. Daturam Turcarum*, *præcedente anno dedit ancillis duabus*, *e Pharmacopolio quodam*, *nequam*; *optime quod ipsemet fuerat ebrius*: *nam secundum Itinerariorum Mandelsl*, *& Olear. consequentiam mire se devestierant*, *obdormescentes tandem*, *sed ob parciorem dosin non adeo protracto* (quem D. Dapperius Africæ suæ p III. ponit,)*termino. Guajaco Fraxinus*, *Buxus*, *aliaque secretius adhuc habita*, *in remissiori Lue haud adeo interdum infeliciter sint*, (ut ex parte novimus,) *substituta*: *Cur tamen vile hoc*, *interea tamdiu experimentis mage confirmatum*, *ac caduceatori tandem adolescentis Veneris Mercurio æque oppidoque cedens*, *penitus hinc exterminemus*, *in causa nondum liquente haud paucis adhuc dubia*, *vix videmus. Ita Theriacæ Andr. loco equidem quandoque suffecerit Electuarium aliquod è præsentioribus nonnullis alexipharmacis*; *etiam sine viperis*, *sine Opio &c. ceu Diatessaron quoddam*; *uti Zvvelferus quoque advertit. At cum ad maligniora ventum erit*, *Calendulæ conserva*, *&* (quo vulgus æque ac suo carduiben. pulvere Allioque miseros hic incassum saltem tunc debilitat.) *Rob. Sambuci vix satisfecerit*.

Plura supervacue adduceremus; *cum D. Primerosius jam l. 4. c. 7. aliisque*, *ista sufficientur ostenderit*; *& quæ* (*é tot polychrestis*) *civitate medica tamdiu donata sunt*, *indigenarum confidentiæ*, *adsuetudini imo* (*demus nonnunquam*) *persuasioni nemo temere per conjecturas novasque experimentationes exemerit*: *nec Sulphure Magneteve districtius carere hinc velle putaverimus*, *quod penes eos non inveniantur. Multiplicarentur insuper denuo*, *fere pro Ducatuum numero*, *sub domesticorum cujuslibet districtus particulari substitutione*, *cum Dispensatoriis suis composita*; *proculdubio non sine multa*, hoc vel illud expetentium ac citra ignota propriave experientia minus confirmata hæsitantium) *perturbatione dum noster hic delectus*, *siquidem id opponatur*, *utrique sorti communis sit*, *notoriisque constet*.

TEXT. LUDOVIC.

a Sic in *Vernaculorum* hodieque (per quotidianos experimentorum accessus) infinito cumulo, cui bono tot sub uno genere

NOTÆ.

a Sic in vernaculorum hodieque infinito cumulo, &c. *Ita v. g. in Vulnerariis saltem*, *iisque internis ac vegetabilibus tantum*, *præ Alchimilla*, *Pyrola*, *Bellide*, *Sanicula*, *Vinca pervinca*, *Hyperico*, *Consolidis*, *&c. directius agere creditis* [ut collateralia prætereamus,] *videmus numerum plus quam tricenarium*; *dum circumspectiores chirurgi vel tribus acquiescunt*.

TEXT. LVDOVIC.

3. *ſymbolizantia* ª cum pauca vel inter aliquot imbellia unicum alterumve generoſius ſufficeret b Tot hac tempeſtate ferè 4. *exoleta*, quamvis viribus quibuſdam haud adeò deſtinata c tot planè (in ſua claſſe,) 5. *inefficacia*, vel modernarum nonnunquam (in diverſis affectibus) circumſtantiarum reſpectu nimis imbecillia: tot odore, ſapore d moleve præter rem 6. *abominabilia*: tot jactata 7. *ſpecifica, & plane ſingularia*; notiſſimis tamen, cum ad examen ventum eſt, cedentia; e tot curioſiorum vel præjudiciis occupatorum 8. *minutia*: ejuſdem ſimplicis tres, quatuor, quinque ſpecies ſupervacaneæ; vel colore tantum figurave extus, intus parum aut nihil differentes: ejuſdem ſimplicis ſingulæ partes, (folia, flores, ſemina, radices, &c.) ſub ſpecie ac ſpe parilis effectus, qui tamen ſæpe diverſiſſimus eſt, aut penitus contrarius f tot exſicata quorum vires recentibus tantum conſtant, &c.

NOTÆ.

b Tot hac tempeſtate fere exoleta, &c. *Ita habemus Ruſci, Aſparagi Solanique baccas, Cicer, etiam album, Ervum, Juglandes, Avellanas, Longobardicas quoque ſeorſim Tribulos aquaticos, Caſtanearum, Avellanarum, Mori, Sambuci, Juglandis cortices, Propolin Oeſypum, volatilia reptiliaque aliquot uſta, nidos Hirundinum, Album græc. & quid non? peculiaris effectus antiquariæve cujuſdam compoſitionis gratia.*

c Tot plane inefficacia, &c. *Quo fine luſtremus ſaltem Antipodagrica, Antepileptica, aut Menſes moventia. Quid enim ipſa Iva, Chamedrys, Sarſa atque Saſſafras, ultra alia eo tracta ſtomachica, Hydrotica ac Diuret. uſquedum ſerio præſtiterint, notum eſt: Sic quid in Epilepſia, puerorum quoque, ipſa plerumque Pæonia, Viſcum, Cranium: ut eo magis ſecundaria hinc exceſſe poſſint. In Retentione* (ut parcè fluentes facilius quandoque ſollicitentur,] *Menſium atque Lochiorum, quid illuc relatorum pleraque ab Artemiſia uſque ad Sabinam queant, cum rubore ſæpè experimur; & quod alia eorum ac Purgantium ſit operatio; præſentanea hic, cæteriſque paribus certa breviſque periodi; dum per menſes illic annoſque incaſſum paſſim allaboramus. Sic Alimentariæ, præſertim temperatiores indeque Hepatica dicta herba, à Lactuceo genere ad uſque pecorum gramina, haud exiguo in officinis numero ſiccata profecto medicamentoſi parum, intus præcipue relinquunt &c. In reſpective vero,* ſeu peculiaris morborum locorumve reſpectu] *remiſſioribus Antiſcorbutica tantum nobis in exemplum eſſe queunt. & quam à ſuperioris ævi præſtantiſſimis Medicis commendata plurima, nunc(* invaleſcente paſſim quaſi per traducem illa ſanguineæ maſſæ corruptione,) *promiſſis ſtare partim nolint; partim vel ob domeſticam debilitatem,* (ut apud nos ex.gr. pene fatuum eſt Chelidonium minus;) *vel adſumentium* (ad plebejos quoque nunc extenſas) *adverſationes*, (uti in expreſſis talium ſuccis, ſimilibuſque ſat tunc commendatis Miſcellis cernimus,) *nequeant.*

d Moleve præter rem abominabilia &c. *Molem incaſſum utplurimum in Pulveribus compoſitis, trageis, pilulis &c augent plerarumque foliorum, ſummitatum, florum Julorumque, imo Radicum minus reſinoſarum mucilaginoſiorumve Pulveres. Et ipſa paulo antedictorum ſuccorum quantitas reddit eos ferè abominabiles. Addimus quidem noſtro quoque Selectui graveolentia quædam & minus Sapida: Sed præter Hyſtericum, aut amaricans adſtringentiuſve unum alterumque pauca: eaque per aliorum acceſſum*, (ut in Electuario Theriacali, *Extractionem*, (ut in Opio,) *condenſationem* (ut in Extractis pilularibus,) *Vehicula demum domeſtica mitigata, obnupta, commendatave: ut inſuper nulla forte neceſſitas adeo imperet Gratiolam v.g. Chelidonium* (utut alias ſatis efficax,) *majus, Imperatoriam, Cuminum &c. vel inter Graveolentiora Matricariam, Nepetam, Horminum, Calendulam, Valerianam, Allium &c. ne Cotulam, aut in fœminini ſexus contumeliam alicubi ſuperadditam attingamus.*

e Tot curioſiorum vel præjudiciis occupatorum minutiæ. &c. *Hic denuo in exemplum ſint à Talpa ad Sciuros & Ciconias uſque extenſa tot Antepileptica. Paucis abhinc annis in Vicina perquam ſe efferebat aliquis Lunaria botryoide, in ſomno ſibi* [ut olim iſti contra hydrophobiam Cynorrhodi radix,] *oſtenſa, Alius noſtras, granulis quibuſdam* (uti vulgus vocabat] *corallinis. Cum nacti eſſemus aliqua, Fumariæ bulboſæ ſemen, Effectus autem in Epilepticis* (quibus præcipue dicabatur,) *puſionibus nihili erat. Plura inferius perſequemur. Interea in hujuſcemodi ſingulariorum Sylloge, cui bono Orobanche inſuper, Pulſatilla vel Aſphodelus, Umbilicus Veneris, Ornithogalum, Amaranthus, Æthiopis &c. hortulanis convenientiora; item Flammula atque Raniculi* (vilibus tamen adeo Cantharidibus;) *& quorum nil aut tantillum aliquando uſui publico cedit. Aparine, Dulcamara, Convolvulus, Galium* [etiam utrumque ſeorſim;) *cum lacryma Cervi, Scarabæorum cornu, dentibus humanis, Tauri vulpiſque priapo, pilis hircinis, pinguedine urſæ ſeparatim, lapide Ceraunio, &c.*

f Tot exſiccata, &c. *Exemplo ſint 1. tot Conſolidorum, Geraniorum, Terrarumque hinc inde ſigillatarum genera. Roſarum cum ſylveſtribus & centifoliis nunc, quinque ad minimum numeramus ſpecies: & tamen alicubi luteas quoque ſuperadditas vidimus. Ita 2. in fruſtraneam ſaltem multiplicationem adſervantur Cydoniorum quoque, Citruli, Calendulæ, Enulæ, Caryophyllatæ, Tormentillæ, Elleborì albi &c. folia: Papaveris hort. Chelidonii min. Enulæ, dupliceſque Meliloti Meliſſæque &c. flores, Ericæ, Agrimoniæ, Verbenæ, Artemiſiæ &c. radices. 3. Perperam Siccata v. g. Antiſcorbutica pleraque Aquoſioraque alia pridem aliis notata ſunt, eodemque referri poſſent Fabaria, ſedum minimum, ipſaque Ruta hortenſis, antiquarum quarundam compoſitionum Berberes, imo Fraga nonnullibi, idæique rubi baccæ, &c.*

3. Symbolizantia &c. in Praxi ſelectiori obſervatur, quòd inter vernacula tot *ſymbolizantia* inveniantur, cum tamen ex omnibus his pauca ſufficere quidem queant. Sic inter mille carminantia vel ſola chamomilla vel cortices aurantiorum, vel aniſum vel caſtoreum uſurpari poteſt. Atque inter emollientia vel lac, vel ficus in Aqua coctæ & loco Cataplaſmatis impoſitæ; non ſecùs ac inter vulneraria hypericum. Internè verò hedera Terreſtris excellit.

4. *Exoletũ, &c.* Viribus tamẽ nõ deſtitutũ dat radix Ari arida inter ſtomachica non ultimum locum obtinens; ſic ſpir. ſinapi ob Sal volatile egregium eſt; acorus adulterinus quoque, cujus ſuccus cum ſaccharo in ſyrupum redactus, liquorem dat adſtrictorium.

5. *Inefficacia*) Talia ſunt ſtinci marini, quorumvis nulla, non ſecùs radix cichorii & Eryngii, ut & ungula alcis ad Epilepſiam, lepores juniores pro lithontriptico à *SCHRODERO*, hirundines ad Epilepſiam, talus leporis ad colicam ſiſtendam & partum promovendum, ſed ſine efficacia; imò nidus hirundinum ad anginam. cùm tamen ſtercus ſaltem vires ſperatas obſtineat.

6. *Abominabilia*) Talia ſunt ſyrupi Veterum compoſiti, ad quorum aſpectum labium tremit.

7. *Specifica*) Sic perlæ laudantur pro confortativo ex nullâ ratione, cùm oculi Cancrorum idem præſtant; mater perlarum ad abortum, ideò quòd perlas generet, verùm & illis ſubſtitui poſſunt oculi cancrorum. Pari ratione cranium humanum ceu ſpecificum ad Epilepſiam & affectus arthriticos extollitur, cùm tamen aliorum animalium oſſa vi abſorbendi acida pariter arthritidi medeantur. Sic proſtant tot Salia

lia fixa, cardui benedicti absynthii, quæ tamen omnia sunt ejusdem naturæ, idem esto judicium de Salibus volat. animalium.

8. *Minutiæ*) Tales sunt, quando v. g. usurpantur plura simplicia ejusdem naturæ, puta omnes piperum species, quarum tamen unica sufficere potest, item omnes petroselini species, ex quibus tamen vulgaris excellit. Sic sufficit abrotanum unum &c. Gallina mediocris pro gallo decrepito, nec non ex gummat. gummi ammoniacum.

TEXT. LUDOVIC.

g Et quo utriusque generis Præparata, (vulgò speciosius quam veriùs sic dicta, & pridem ab aliis ex parte satis traducta) similiter excutiamus: h cui bono adhuc dum hinc inde servantur, & à scientibus etiam, saltem consuetudinis complendæ causa nonnunquam imperantur 9. tot *lota*, 10. *Nutrita* 1. *usta*, 2. *tosta, cocta*, 3. *macerata*; quæ mitissima innoxiaque vulgus quoque novit; quæ per se & nil passa, satis efficacia deprehendentur; i per istas autem vexationes vires magnam partem exuunt; aut si quidpiam fuerit reliqui, (uti quibusdam denegari nequit,) usitatioribus tamen hodie, gratioribus

NOTÆ.

g. Et quo utriusque generis præparata (&c. *Huic enim Titulo inserta quoque videmus simpliciter tantum exiccata, v. g. Elaterium, Scillam fere, lumbricos, membranosas animalium partes, cruores, ac parenchymata, vino saltem prius s. vel myrrhato lota. Item Marina, lapides, duriores animalium partes & excrescentias Pulverata saltem vel levigata: nomen hoc in specie præ aliorum simplicium Pulveribus nata.*

h Cui bono adhuc dum hinc inde servantur, &c. *Nec enim indifferenter ejuscemodi Tractationes rejecerimus: & ut equidem hodie superflua habetur v. g. illa Sulphuris*, selectiore siquidem pulverisato tantum, tamdiu, florum quoque loco secure usi sumus,) *infusio, Magnetis Cobobatio; Asellorum imbitio*, (dum in crudo æque ac ipso Laurembergiano pulvere effectus differentiam vix aliquam, ab utroque vero pariter præcordiales quasdam in tenerioribus anxietates observavimus;) *Mirrhæ* (cribro à quisquiliis secure separabilis,) *Aloësque simultanea*, (cum experientia nunc teste gummea pars, etiam in exigua quantitate, præsentior sit minusque vellicet,) *Expressio; Sarcocollæ olim Nutritio; Olivi, Adipum lapidis Lazuli*, (centies post simplicem saltem levigationem, Emplastratione jam olim à Libavio Boëtioque diffusissime descripta, pictoribus relicta, à nobis circa aliquod incommodum exhibiti;) *imo paucarum*, (in Collyris sponte semet sparantium, in Emplastris unguentisque exiguæ profecto considerationis) *Impuritatum Cerussæ, ipsiusve* (alias rectificatissimum Vini spiritum exigentiis) *Lacoæ*, (dum grossa prius contusio, selectus hinc & tandem, æque ac in Terris sigillatis Cribrum plerumque satisfaciunt,) *Lotio; Salis decrepitatio; Serici, Avellanarum &c. Tostio; Æris* (si quis in usus chirurgicos Terræ Vitrioli dulcif. confidere voluerit;) *Tutiæ porro*, (experientia teste;) *Vitri*, (quando præcipue è negligentius fictis lagenulis elegans securiorque, post diuturniorem inibi spiritus Vitrioli vel Salis asservationem, exurgit pulvis) *Eboris*, (sive interni, sive externi, dum longe minori ex ossibus cornibusque exiccativum aliquod habetur, usus gratia,) *Ustio; Scillæ in pane*, (qua cruda tamen, ut hic locorum venundatur, tandiu in Aceto Oxysacharoque usi sumus,) *Coctio; Anacardiorum Coriandri, Cumini &c. olim Maceratio, &c. Ita ex adverso labores isti circa permulta sane Simplicia, vel accuratioris saltem Medicationis causa, omitti profecto nequeunt: v. g. Nihili*, (uti conglomeratæ massæ prostant,) *in ophthalmicorum excoriatorumque convenientiorem tractationem Lotio: Colcotharis vulgaris*, (cum omnes collectioni tantisper insipidi per protractissimas illas destillationes vacare nequeant,) *pro polychresta*, (stringentissimoque, cuivis inde circumstantiæ haud æque apto Vitriolo Vener. calcinato commodiori) *Vitrioli Terræ Edulcoratio. Sat enim efficax in suo genere deprehenditur, pariter atque Æs ustum, Crocus Martis & Veneris similiter fere quandoque tractata, inque salinis istis adhærentibus particulis in tantum & aliquandiu*, (siquidem ejusmodi Martis sulphurati Pulvis nihilominus potest diuturniorem in pyxide asservationem denuo semi-vitrioliter concrescere occipit,) *quasi multata: dum proculdubio acido-salsus ulcerum vulnerumque latex sive ichorea postliminio aggreditur, &c. ceu præter effectum, vel ipse mutatus hinc in Emplastris color ostendere poterit. Pertinet porro huc Aluminis*, (si semiphlegmatici spiritus caput mort. defuerit,) *Ustio. Limaturæ Martis* (quo magis attenuetur & splendor ejus obnubatur,) *Præparatio; per deflagrationem anatici vel plusculi Sulphuris de cætero, præ Magdaleonibus*, (ferrum non nisi extreme candens, ac subsequam nihilominus deflagrationem residui exigentibus,) *præque protractiore per Acetum dest. fortissimum* (sat laboriosum) *attenuatione facilior; præ urinosis Quercet. rubificationibus naturæ reri, convenientior, effectuque præsentior. Item Radicis Ari in vino acetove s. maceratio. Secedit equidem proculdubio sic aliquid; figitur tamen etiam eo ipso, in ipsa, pungens urensque illa substantia ceu in* [ad tactum conformis] *Scilla Aceto, si succo conferas; inque radicis pulvere, guttis aliquot spiritus Vitrioli consperso cernimus; nemoque temere, præsertim tenerior, eam simpliciter siccatam deglutiverit; cum post quadriennium etiam fauces satis impetat: ut hic quoque quod in loco negligetur, pro lucro habendum videatur.*

i Per istas autem vexationes vires magnam partem exuunt, &c. *Ostendunt passim hoc in Strumosis Spongiæ Pilæque marina, interdum à vulgo plusquam tostæ item vegetiora quædam animalia, cornu cervi ustum, Conchæ &c. de quibus inferius.*

V. g. Radices quinque aperitivæ majores, aliaque jam antea notata temperatiora, (hactenus annoxia;) *liberalius præcipue Aceto mersa; à pungentibus illis* (Scilla atque Aro) *in adhibitione practica per quam differentia. Et forsitan hinc pro diffusiori apparatu*, (dum nostro nunc sic non conveniunt,) *deducere posset aliquis Helebori, Esulæ, Mezerei, &c. ita maceratorum, plerumque tamen cum aliis potius quam solitarie exhibitorum*, (forte etiam ab Ari Scillæque particulis aliquantum insuper differentium) *tolerabilis tantisper exhibitio.*

9. *Tot Lota*) Ut Lotio in genere fiat, *vide in Disp. HORST.* Cæterùm si lotio sit sordium ablatio, laudanda venit, contrà si concretum sæpiùs lavetur, lotio est nociva & frustranea. Sic Saturnus frustrà lavatur, quippe hâc ratione nihil auffertur de eô, sed Ignis alterationem indroductam non potest Aquam eluere. Porrò nociva est lotio, quando aloë lavatur, quippe ita demitur ejus vis laxativa nec Terram sigillatam lavandam jubeam, cùm ea sic castretur, & Terra. mortua remaneat.

10. *Nutrita*) Ita nutritur aloe rosata, violata, qualis tamen nullam prærogativam præ simplici habet. Sic sarcocollæ nutritio est frustranea, cum cruda vi glutinandi & incrassandi satisfaciat expectationi. Pariter unguentum nutritum Chyrurgis dictum fit, quando lythargirium teritur cum triplo aceti & quadruplô Olei, cùm tamen compendiosiùs procedatur, si solutioni Saturni usti in aceto factæ addatur Oleum rapæ, & terantur invicem.

1. *Usta*) Cornua & ungulæ sunt cadavera mortua

mortua

tua omni Sale destituta, adeoque sufficit unicum horum nempe C. C. ustum.

2. *Tosta*) Rhabarbarum tostū spoliatū vi laxativa, sicut scylla tostione suo Sale volatili. incisivo defraudatur

3. *Macerata*) Maceratio etiam subinde frustranea est, & liquor abjiciendus, melior remanentia, unde rad. 5. aperientes, coriandrum, cuminum pro speciebus diacumini nullius usus sunt.

TEXT. LUDOVIC.

præsentioribusque merito cedunt: quæ re *per infusiones* exhausta potiori parte, *solum debilitantur*, l aut simplici saltem *pulverisatione, vel mucilaginis cujusdam agglutinatione superficie tenus*, aut nil minus quam corriguntur: m quæ *per Insolationes* frustra debilitantur, n vel *per insuccationes* accessoriis (ex tempore plerunque commodius adjiciendis,) nequicquam obruuntur, &c.

4. Ostracoderma, Marina, aliaque his affinia, (communissimè Præcipitantia, id est, absorbendo vel invertendo diversimode, quasi mechanice conferentia) o *Præparata*, equidem sunt præstantissima; & quicquid superioribus annis nimium Chimici jactitarint, cunctis horum (plumosis etiam, squammeis, butyraceis, aliisque solubilioribus) Magisteriis evidenter in suo genere præpollent: sanè complurimum morborum causas paulò penitius exigentibus, p & diversam istorum solubilitatem, solutorumque diversos similiter sapores attendentibus, sub accuratiori methodo, q privataque præsertim dispensatione, forte quartam indicationum partem compendiosè explent: non tamen protinus numerosa illa officinarum serie. Sufficiunt per pauca quædam, & omissis preciosioribus, parabiliora: sive solitaria dentur; sive Cinnabarinis, Antimonialibus, Mar-

NOTÆ.

l Aut simplici saltem pulverisatione; &c *De Pulverisatione ante diximus; ut autem Selectis quoque nostris pariter equidem in suo genere est necessaria: ita nihilominus ea v. g. Agarici ac Colocynthidis accomodatio abesse facile hinc poterit: licet pro diffusiori & in substantia usu, proque heterogeneorum ibi separatione promptiore vero hic attenuatione, radula tum aut gummi quoddam abesse forte nequeat.*

m Quæ per insolationes frustra debilitantur, &c. *Aloë cum conterraneis suis equidem ardentis Solis radios, sed breviori periodo perpessa est. Annon sine alteratione aliqua*, [ceu de Aromaticis diutius negligentiusve isti expositis supra notavimus, & in vegetabilibus nostris; fixioribus quoque præ culinarii ignis competente minusque sic suffurante Calore passim experimur;) *facta in loco proportionalibusque subjectis collatio ostenderit. Interea protractioris apud nos insolationis vice, convenientius videtur mite illud, suum tamen brevi absolvens vaporosum Balneum, aëris mutationibus sordibusque minus subjectum.*

n Vel per insuccationes, &c. *In exemplum huc adduci poterit non tam Aloë denuo; utpote inde haud quidem* [præsertim si gummea tanquam potior pars, & succi laxativi vel amaricantes magis, quam adstringentes aut diuretici adhibeantur,) *deterior; incertioris tamen determinationis, diffusiorisque dosis: quam scammonium Cydoniorum succo aliisque accessoriis* (pro Diagrydio;) *Euphorbiumque Amygdalarum dulc. oleo*, (cum desuper potum auxilio fit,) *olim præparatum; item radices illæ purgantes, &c. vegetiores Ari &c. cum superfuso aceto* (Zvvelferiano, per animadversionem tamen ad Gummi Gamandræ fere dubio instituto) *exciccata. Siquidem si parum hujus fuerit, parva quoque hinc videatur exitura correctio. Sin copiosius; evaporati magma, non sine exerente se denuo postmodum madore, frustra istis appingetur: guttaque aliquot spiritus Vitrioli, ut in gutta Cambodia ipsius D. Zvvelferi, Scammonioque rosato Mynsichti*, (quandoquidem omnino acidum hic quispiam exegerit,) *totum compendiosius expediverint.*

o Præparata, &c. *Quia magis hic absorbere vel invertere posse videntur. Licet interea magisteria plumosa ac solubilia Zvvelf. quod suum est*, (quamvis ex alio quasi capite adhærentiumve menstruorum copula,) *nihilominus agant.*

p Et diversam istorum solubilitatem, &c. *De ejuscemodi diversitate, in solutionibus etiam Aceto non destillato factis manifeste perceptibili, satisque*, (in oculis Cancri, Coralliis, Conchis &c.) *distinguenda alibi egimus. Indeque forsan ex parte provenire posset, quod lactentes adhuc Coralliis præp. exhibitis* (utpote quorum solutio aliis acerbius quid sapit,) *alterationem aliquam circa præcordia plerumque pati videantur: dum satis commodè conchas, oculos Cancri, Unicornu foss. &c. ferant.*

q Privataque præsertim dispensatione, &c. *Ita enim multa ægrotorum cum confidentia, minori vero nausea, effectu de cætero præsentaneo exhiberentur accisæ istæ, at polychrestæ talium doses; quæ in schedulis designatæ*, (℞ Concharum præp. drachmam dimidiam, ℞. Corallorum præp. scrupulum unum; vel oculorum Cancri scrupulum, Limaturæ Martis sulphuratæ grana quinque, &c.) *ab aliis non adsuetis aut diffusiores carioresque hinc Mixturas præferentibus vilipendio sæpius aut risu exciperentur.*

4. *Ostracoderma*) denotant Latinè testacea, qualia sunt conchylia, omnia testacea marina ut cochlea, ostreæ, Cancri fluviatiles, horum lapilli, It. Entali, Dentali &c. Sic spectant huc lapilli percarum, carpionum, putamina ovorum, tàm gallinarum, quàm Struthiocameli. Hæc omnia denotantur ab *AUTHORE* voce Ostracodermatis, eaque *AUTHOR* præfert omnibus magisteriis vulgaribus. Cæterùm inter allegata omnia sufficere possunt oculi Cancrorum & corallia rubra, quæ & usitatissima sunt pro absorbendo acido primarum viarum, idque per vias Urinarias abducendo. Equidem animalium duriores partes absorbent acida, interim marina præter hoc saporem Urinosum acquirunt, atque ita evadunt diuretica. Jam verò notum est, quod morbi hypochondriaci & chronici oriantur ab acido vitioso cruditatis enato, unde pro eodem auferendo Ostracodermata prostant: contrà cornua animalium absorbent quoque id, sed non evadunt diuretica, idque ideò, quia in se continent copiosam gelatinam, quemadmodum in C. C. videre est, impedientem, quò minus rodere id queat acidum peccans: Aliàs Marina, ut lapilli cancrorum, vino Rhenano sive aceto infusi, sub sui solutione ebullitionem concitant, & postmodum quoque saporem Urinosum contrahunt. Sic aliquando experimentum feci cum concha majori in Pleissâ reperta, quam infundebam in spir. Salis acidissimo, qui tamen parum illius potuit arrodere, utut saporem instar Urinæ acquireret. Atque dictô modô fiunt liquores illi Nephritici dicti ex lapide lyncis, calculo humano, lapide percarum, quæ solvuntur in spir. Salis vel simplici vel composito, hinc solutio abstrahitur, & Sal liquatur in loco frigido: Interim ex dictis liquoribus sufficere potest solutio concharum vel ostrearum in spir. Salis facta. Cæterum ratio, quòd Ostracoderma invertendo acidum fiant diuretica, est, quia illorum crustæ, dum calcinantur, relinquunt cap. mort. instar Calcis vivæ (cùm contra animalium partes instar cretæ post calcinationem se habeant,) cui, si affunditur, Aqua, ebullit,

TEXT. LUDOVIC.

tialibus, Opiatis, &c. exaltata. Prodigas cum aquis destillatis 5. lævigationes (nam quod de marmore sensim accedit, parum & innoxium est,) alii notarunt. r Cui verò subtilior pulverisatio non satisfacit, Elutriatio, (Metallicorum instar cum aqua simplici instituta,) teneriores particulas, alii è conchis radendo quærunt, facilius præstabit. f (Calcinationes horum, ut & lapidosorum duriorũque fossilium, (ut plurimum destructoriæ;) Terrarum præterea ac Mineralium quorundam vulgares seu deprædatoriæ *Lotiones* alias pridem hinc, sed hodie dum t (citra constantem sequiorem observantiam) sunt expunctæ. Et quamvis talium Insuccatio non inconsultum hodie (pro Extractorum sic exsiccatione & pulverisatione) sit inventum: cum tamen in aliis molem, in aliis colorem cum sapore mutet, & accessoria alicubi facilius superaddantur, alicubi interponantur, v contractior

NOTÆ.

r Cui vero subtilior pulverisatio non satisfacit, &c. *Ceu meritissim. D. Rolfincius olim solebat,* (splendentem Margaritiferarum pulverem vulgari perlarum Magisterio æquiparans;) *dum D. P. Müllerus in miraculis Chimicis per linteolum indita & aqua mersa excussit.*

f Calcinationes horum, &c. *Cum nil videremus seu necessarii*) cum facillime secus ac vulgo de plerisque traditur, pulverisentur) *seu adeo specialis, quod inde hodie expectaremus, ab ipsis Praxis primordiis non Calcinatis eodem effectu usi sumus, extus v. g. Tutia, Pumice,* (quem insuper in vaccino lacte) *silicibus,* (quos aqua Ammoniaco sale acuata extingui jussit Mynsichtius,) *&c. Crystallis intus, lapide Lazuli, speculari,* (contra Epilepsiam infantum quorundam experimento, ceu alii pro antifebrili, Chinenses referente Nichofio, Athanasiæ loco habuere:) *& si qui sunt præterea. Sic jam ante hos 60 annos Tenzelius in Exegesi, Commentatores Beguini, Mynsicht s. 4. Hellmont. c. 3. de lithiasi & tractatu 60. &c. Coralliorum, Margaritarum, Eboris, Concharum Crollii, cornu Cervi &c. calcinationes noluerunt, antea, quam superioribus annis mage confertim impugnari occiperent. Quod autem Terrarum Lotiones attinet, decedere proculdubio hinc quidpiam, non Potulenta solum ægrotantium, dum Sigillata Strigon iis injicitur; sed* (cum intimior solutio hinc aliqua, æque ac mersis inibi lap. Cancrorum, Creta, testis ovorum, Ovis integris &c. plus, quam absorbendo solum forsitan agentibus contingit, adduci queat,) *ipsa Aqua simplex, parce quoque ac citra externum calorem superinfusa ostendere videtur. Siquidem præter odorem, siccatorum Argillaceorum denuo madefactorum ex parte quidem æmulum, simul tamen singulariorem & quasi medicinalem, sapor ejus deprehenditur, ut in Agollocho fere uut Absinthii Rom. Extracto, amaritie quodam satis adstringens; Color aliquanto obtusior, ac postquam maxima filtrati prius liquoris pars in patella vitrea lente exalata est, spiceus; innatantibus atomis è flavo rubentibus, Remanentia post perfectam evaporationem, quasi viscosa, salinis particulis intermixta subrubens, linguam concentrato quasi prædicto sapore vellicans, pondere è libra una, cum fontanæ quadruplo, ad scrupulum unum accedens, alia vice eum excedens, cum si ab ipsius Aqua contentis deducatur, ejus ad prænotatam quantitatem triplum,* (ni sal com. tophaceive quidpiam liberalius admixtum fuerit,) *vix ac ne vix quidem grana duo concrementi pulveruleti, salis sulphureitatisque tamen notas aliquas simul præ se ferentis communiter simpliciique sub exalatione relinquat. Terra demum residua à pristino sapore longe recedit, compactaque licet denuo, ægrius cohæret: æque ac in venalibus illis, ex alba rubraque Sigillata paratis urceolis,* (ut pote haud adeo, atque præstantiores argillæ solent, vitrificandis,) *cernimus.*

Ulterius de cætero in ejusce modi superiorum annorum experimentationibus non perreximus, quo salinas quoque particulas, ceu laboriosissimus D. D. Schockius nuper seorsim colligeremus: cum equidem illarum tantillo, imo fere nec nostro, ex iis, & (cujate etiam) *accessorio composito coagulo totalis aut præcipuus effectus,* (siquidem fieri forte vix poterit, quin sub prima quoque præparatione ac efformatione, talium quidpiam quandoque subtrahatur; integræ porro Terræ alio insurper modo in stomacho ulterius, seu resolutæ s. saturatæ agere queant,) *simpliciter & insolidum adscribi forsitan vix possit: licet ut proin simplici solum Trochiscorum selectiorum contritione ac percribratione tantisper acquieverimus. Ceu etiam in Argilla cruda Coburgensi eandem diaphorisin absorbendique facultatem amicus noster aliquis observavit; & in Terra semiargillacea è vicino nobis, famosissimo alias monte Horrisono* (dem Bæselbera) *elata, item inter fortalitiorum hic reparatione nonnullibi effossa fere margæformi nobiscum notarunt alii.*

t Citra constantem sequiorum observantiam, &c. *Exempla forsan talium etiam in recentioribus adhuc,* (post superiorum annorum lustrationes) *pharmacorum dispensatoriis inveniri possent: ea vero hic adducere nostri non est instituti. Ita porro pro Chimicis destinationibus videmus alicubi triduanas illas, D. Hæfero l. 8. c. 4. relatas calcinationes, ab Antimonio, forte* (si compendia vel è Sala deforent,) *convenientiore, ad Corallia rubra tractas: an cum Vegetabilis illius Helmontiani,* (tr. de Conceptis,) *conservatione, aut effluviorum igneorum potius congregatione* (haud sæpe consimilium extractionibus deside,) *vel prætensa quadam extraversione, nunc quidem non determinaverimus.*

v Contractior apparatus istis pariter in tantum carere poterit, &c. *Ita jam olim Pulveribus, v. g. Griseo & Rubro Cæsaris contra Pestem, Theriacam ac Mithridatium Bezoartico N. species Diamargariti frig. Confectioni pectorali D. Zwelf. species Diaireos, & Pastillis pectoral. secundis Iridem denuo intermixta cernimus. Interea revera, tenuiores præcipue, lubentius admittunt hujus generis pulveres in natura, quam accessoriis in cochleari turgescentibus obnupta.*

ebullit; Acria nempe sunt in his marinis Salia acida & præprimis Urinosa. Vocantur autem illa præcip. quia effervescentias in primis viis sua miscelâ sistunt, absorbendo acidum pari ratione atque cerevisiæ recenti si additur creta; Ita ab hujus præcipitationis similitudine denominatur illa, utut rectius ab AUTORE nostro vocentur invertentia, nam invertunt acidum, vel in insipidum, vel in Urinosum: Alias & dicuntur febrifuga ob vim absorbendi acida & ad vias Urinarias deducendi. Hæc E. marina vel pulverisata saltem sufficiunt, vel lævigata super porphyrite, quâ ratione quidem aliquantulum de lapide iisdem accedit, interim verò mollioribus corporibus parùm deteritur.

5. *Lævigationes*) Hæ cum Aquis pulverisatis factæ sunt prodigæ, quia post exsiccari solent, adeoque Aquæ illius Oleosum avolat, vel affusa Aqua agitatur liquor, & lacteus redditur per filtrum transcolatur, hinc demum crassior pars remanens teri & elutriari potest; à quibusdam ejusmodi marina quoque calcinari solent, ad quem modum conficiunt etiam specificum febrifugum STROBELBERGERI & CROLLII, verùm istæ calcinationes sunt superficiariæ nec necessariæ. Prætereà Terræ quoque lævigan

gantibus sæpè & abluuntur, verùm laboris nocivus est, sicut & insuccatio earum cum decocto C. C. vel irroratio cum succo appropriato, hac enim ratione inviscantur, & in efficaciâ suâ impediuntur: Nam cum Terræ illæ in corpore texturam Aluminis acquirere debeant, hinc ex dicta insuccatione invertitur, adeò E. crudæ saltem in usum vocentur Terræ.

TEXT. LUDOVIC.

apparatus istis pariter in tantum carere poterit. Nec ipsæ (cum affinibus suis) 6. *Gemmæ* cur huc tantis impensis trahantur, videmus: non quidem ob porphyrii accessum, x aut (evitabile sane) æris inter tundendum consortium; vel ob adulterium falsationesque; y aut insolubilitatem, (è chimicis observationibus ad stomachi liquationem tractam,) sed quia parabilioribus, e.g. Coralliis, Conchis, Terra Sigillata, Succino, Cervinis, Martialibus, Opiatis, &c. idem quod cariora illa spondent, securius efficimus.

In *Compositis* eadem, ni major ferè deprehenditur exundantia permultis adhuc dum inconvenientiis hinc inde complicata: seu ea spectamus, quæ *simplicibus accedunt proprius*, & iis vel resolutis vel exaltatis parantur: seu alterum istorum genus, revera *Compositis*, (i.e. invicem commixtis) ac sæpè *Decompositis* constans. *Et priorum numero*, quidni deinceps undiquaque deleantur omnia principia, quæ è prædictis supervacaneis, æquivalentibus, incertis, imbellibus, &c. quamvis legitimo alias processu, in considerate tamen, (saltem ne vasculorum & variationum finis sit,) numerosissimeque consiunt aut proponuntur? z Et quidni eoque magis facessant hinc, quæ (numerosius adhuc,) ob solam peculiaris cujusdam subtilitatis, gratiæ vel efficaciæ persuasionem, è simplicibus alias haud inutilibus, præpostere nihilominus, tædiosissimè, sumtuosissimè, citra debitam principiorum æstimationem, aut præviam singulorum experientiam, vel necessitatem quandam, seu pridem inter notorios Chimicorum nonnullorum excessus ficta sunt, a seu hodieque nonnullibi finguntur b? Effectu postmodum naturæ prædestinationique simplicis reluctante, vel in eundem scopum vulgatissimis quibusque tandem, c (ceu manifestissima habemus in Antimonialibus, Mercu-

NOTÆ.

x Aut æris inter tundendum consortium; &c. *In antiquioribus purioris metalli, ceu passim adhuc habentur, Mortariis illis tale quid olim peragentes, per Helmontianam Aquæ fortis affusionem Veneris nil evidenter deprehendimus; quod forte è mage nunc consusanea æris caldarii* (quo passim longe ponderosiora cedentiaque fingunt) *massa facilius contingere, accto tamen etiam citra reliquorum dispendium separari posset Gutta cavat lapidem; & ut tantillum Veneris* (nec pure tamen talis) *sit adeo noxium, vel è ferreo secedens Martiale aliquid, insons erit &c. Obsequentiorem hic esse, etiam selectissimum porphirium pro præparandorum levigatione lapidem, passim in durissimorum quoque medio, circumcirca sat attrito cernimus. Sed & hoc accessorium equidem est innoxium, vidimusque aliquando non sine risu fœminam, quæ silices exiguos similesque lapillos quasi Gallinarum Indicarum more integre deglutiret, magno* (ut post semiconsumptorum excretionem notarat & adservabat,) *languentis stomachi solatio.*

y Aut insolubilitatè, *Forsan ne quispiã efficaciæ talium seorsim exhibitorũ contestationibus ductus, Irradiationem autem Helmontianam haud adeo concipiens, per membranosorum saltem* (in grandioribus ac quidvis sæpe concoquentibus piscibus) *ventriculorum collationem colligere hinc posset solutionem aliquam, vel aliquantilli solum, & quale forsitan Cinnabari, Antimonio diaph. aut in quibusdam infusis* (tractu temporis nihilominus corporale quidpiam tandem dimittentibus,) *ejus vitro Crocoque metallorum decedere nonnemo crederet, sat de cætero efficax.*

z E. quidni eoque magis facessant hinc, &c. *Exemplo sint ex ejus sortis simplicibus tot Aquæ s. cephalicæ & refrigerantes hepaticæ, ad Gramen usque & Cucurbitas; Item Herniariæ, Nigellæ, Melissæ Turc. & adversissimæ pro vehiculo, de cætero insufficientes graveolentium Alexipharmacorum Aquæ: tot Nervina infusa, &* (è plantis & pinguedinibus) *destillata olea; forsan etiam Rosarum verum, dum Rhodinum tantisper satisfacit: Essentiæ vegetabilium antarthriticorum; eo tamen non pertingentium, &c.*

a Seu hodieque nonnullibi finguntur? &c. *Adducamus saltem Essentias & Quintessentias illas, quæ v. g. è Tincturis plantarum cum spititu salis fortissimo, vel vice versa è Solutionibus Mineralium* (per eum factis) *cum spiritu Vini digestis, Glaub. F. 1. c 9.* (geminen tamen Vitis inibi F. 2. c. 82. agnoscente) *proponuntur: Quæ cum oleis è retorta* (ipsisque Rosis) *destillatis, empyreuma post quasvis etiam rectificationes penitus non exuentibus & Sale volatili hodieque in Aurora Chimica Bolnesti, ceu olim in Myrothecio spagirico Fabri parantur: quæ Extratis vegetabilium, sua tamen penitus sub exhalatione disperdentium* (qualis Melissa, Ruta, Mentha, &c.) *sociantur. Olea carminativa, antepileptica, stomachalia, nephritica D. Zivv. dum oleosæ basi destillatorum aliquid facile adjicitur, Pulvis ad generationem Lactis cum ubere vaccæ, Aquæ vivorum volucrium ac catellorum, &c. suo loco amplius expendenda.*

b Effectu postmodum naturæ prædestinationique simplicis reluctante &c. *Uti fere videntur Tincturæ & Essentiæ cum Alcahestino illo Glaub. Nitri fixo, Menstruisve volatilioribus, nimisve Incidentibus* (interea equidem quod suum est agentibus,) *è vegetabilibus marinisque, adstrictioni potius destinatis,* (uti v. g. sunt Corallia,) *Præparata.*

c Ceu manifestissima habemus in Antimonialibus, &c. *Ex Antimonio fit tota Diaphoretici vulgaris confraternitas: ut crudum modo simultaneè, modo per vices, cum & sine* (eoque varie addito) *Tartaro, imo cum Perlis atque Coralliis* (l. 3. Sapient. universalis P. J. Fabri aliisque) *calcinatur: Dilutum cum Aceto vel Vitrioli spiritu in Flores Diaphoreticos fixos præcipitatur: ut crudi loco Regulus,* (quo Mercurium vitæ Sulphur Antim. vulgare, Flores Crocum metallorum varie similiter fixata prætereamus,) *pro Cerussa Antimonii diaphoretica &c. recipitur, &c.*

6. *Gemmæ*) Rectè rejiciuntur, & quidem in illis duo consideranda (1.) Corpus earum, deinde corpori superveniens Tinctura. Quoad corpus sunt eæ Crystallus, qui prout variat ratione duritiei, & multiplicitate fluoris metallici imbuta est, eatenus acquirit diversa nomina: Jam E. cùm crystallus sit omnium gemmarum mollissima, solus is inter omnes gemmas sufficiet, & usus quidem ejusdem est temperare quodvis acidum, acrius, ratione cujus & corrigens audit bilis æruginosæ, adeoque in atrocioribus infantum torminibus proficua est, non secus ac in pavoribus eorum nocturnis per consensum abdominis. Reliquæ verò gemmæ cùm longè sint duriores, quàm ut alterationem in copore pati queant, hinc eadem ferè, quâ ingeruntur, egrediuntur forma: Quia (1.) Nisi exactè pulverisentur, metus est, ne instar adamantis, teste Zacuto LUSITANO, vel pulverisati vitri intestina rodendo & excoriando ad dolorosa pathemata abdominis disponant. Et utut juxta *BORRICHII* mentem *p.* 322. *Hermitic. Ægypt. sapient.* minutissima gemmarum tritura aliquid promittat, ea tamen non sola sufficit. Quoad colorem verò, is ordinariò est à fluore quodam metallico, qui ad corpus crystalli impingens, gemmam coloratam dat,

dat, atque hæc Tinctura gemmarum de Sulphure metalico participans tam pauca est, ut etiam vix mereatur laudem, & ℔j. gemmarum vix ʒß. Tincturæ Solaris contineat: Insuper fluor hic metallicus tam arctè combinatus est gemmis, ut nonnisi sublimiori Mechanicâ separari queat. Ut itaque species, pulveres & Tincturæ gemmarum ex Praxi selectiori proscribi debeant; conferatur interim de Tinctura gemmarum *BORRICHIUS* l.c. eandem ex *PARACELSO* allegantem per acetum radicis, quod est liquor alkahest. It. *HELMONT*. Interim ad hanc pertingere Phyllida paucis datur. Cæterùm de externo gemmarum usu, an amuleti instar se habeant, nihil de eo experti, judicium suspendimus. Adeoque *AUTHOR* rejicit Tincturam Smaragdi paratam ex Smaragdo in mortario ferreo vel æneo contuso, & per spir. Salis Armoniaci extractam viridiusculam, quia color viridis, quem deducunt à Smaragdo, est ab æneo vel mortario ferreo. Deinde & rejicit eas gemmas ob insolubilitatem, quia nisi pulverisatæ prius fuerint, vix à fortissimo menstruo solvi queunt, & quia parabiliora longè prostant, quæ vide in *Authore*.

TEXT. LUDOVIC.

bus, &c. exempla,) recidente, d aut præter rem care satis, inter tot euporista (redimendo; nec tanto, nec novo.

Sic porro in altero fœcundiorique (manifestius sc.) *compositorum seu commixtorum genere*, cui bono tanta eorum series, quæ licet genuinis compositionis legibus conformia videantur, e redundant tamen æquipollentium simpliciorum familiariorumque respectu? Ceu pura puta simplicia, vilia quoque nil passa, vel mediocriter saltem ad sanioris Chimiæ ductum præparata, indefinitis, (utut pomposis) hujus generis compositis longissime præstare, & in ejuscemodi mixturis, f ut plurimum unicum saltem aut duo, perceptæ operationis fundamentum substinere, ideoque solitarie, quoque data idem sæpenumero efficere, reliqua vero pro forma saltem superaddi, passive cernimus g Cui bono tot compositiones *actu & in promptu continuo servantur*, quæ longe consultius, & magno sumptuum, laborum vasculorumque compendio, secundum diversam circumstantiarum rationem ex tempore conferent? Cui bono tot *ejusdem planè speciei, consistentiæ, intentionis & effectus* remedia, titulo saltem, vel autoris nomine, aut parum per solum variato ingredientium ordine vel pondere, aut vili quodam supervacaneoque accessorio inter se differentia? Quo scilicet tot Apoplecticis, tot Sticticis, &c. in eadem officina prostantibus, ea instructior videntur. h Cui bono hodieque reponūtur aut proponūtur tot *ingratissima Miscellæ?* Sapore odoreque confusaneo & nauseabundo i imprimis autē abominabili mole (præter omnem necessitatem) alias languentem stomachum amplius molestantes, & in lucta sua naturam perturbantes. Sunt equidem in selectioribus quoque Tincturæ, Spiritus, Salia, &c. adversi quid olentia vel sapientia: Verùm exiguas horum doses facile commendat insuper domesticum vehiculum: in quo profecto libentius assumuntur guttæ quædam, quam ignoti liquaminis (desides sæpe) cyathi. Et si decoctis vel infusis omnino nonnunquam opus est, l (uti pro certis interdum circumstantiis in pectoralibus & vulneraris dilutiora hæc contractioribus dosibus commodiora depreundũtur,) sic quoque ita se gerit exercitatus, & non solum nominis adscriptiique effectus, sed etiam odoris, saporis, ponderis, colorisque suorum simplicium probe gnarus Medicus;

NOTÆ.

d Aut præter rem care satis, &c. *Ceu tam in Aularum nonnullibi, habitiorumque* (euporista passim proficua, longe infra dignitatem suam æstimantium) *affluentiis; quam in Consulentium quoque* (præconceptæ opinioni reditibusque suis, hac temporum præcipue iniquitate ægrotantiumque tenacitate) *sæpe ingratiis invigilantium commendationibus advertere qui volet, hinc inde poterit*.

e Redundant tamen æquipolentium simpliciorum familiariorumque respectu? &c. *V g. Species, Pulveres atque Trochisci officinales plerique, recentiusque Substitutorum haud pauci; ob vegetabilium* (sæpenumero parum conferentium) *accessum, magnæ molis ingrative saporis, perfunctoria insuper haud raro* (si accuratius quædam conferantur,) *compositionis. Dum interea pōderosioribus è cornu Cervi, conchiliis, Terrasigill. Coralliis &c. solitariis, aut minerali quodam diaphoretico specificove sociatis, idem profecto tamdiu* (præmissis tamen præmittendis, interpositis pro re nata interponendis,) *præstiterimus, quod alias in famosissimis quoque Pulveribus Pannonicis, Bezoarticis offic. Senn. Speciebus atque Confectionibus de Hyacintho, cordialibus, de Gommis Diamargariti trig. &c.* in quibus æque ac in Marchionis pulvere, collatis invicem ingredientibus, ejuscemodi præparata præcipitantia vel invertentia alias prævalent,) *quærebatur*.

f Ut plurimùm unicum saltem aut duo, &c. *Ita Trochisci de Alkekengi, Diacorallii Gal. Philonia omnia, Requies N. Electuarium D. Zvv. mitigativum, ipsa Tryphera magna ac confectio Archigenis, suppuratione instituta, Opio, alicubi quoque Hyosciamo simul, quod agunt, debent; vel potissimum saltem: æque ac si alius Laudani pulverisve Anodini debitam dosin vel in oculis Cancri exhibuisset*.

g Cui bono tot compositiones actu & in promptu continuo servantur, &c. *Pertinent huc pleraque pro usitatioribus substitutisque decoctis species; præsertim Dactylos, Caricas, Passulas &c. fructus pectorales*, (alias sub asservandi modo corruptionem adhuc facilius eo sentientes,) *in se continentes; usus tempore secundum proportionem haud difficulter confundendæ. Species sensim pro Cucuphis, Sacculisque cordialibus; Pessi uterini D. Zvv. post indurationem incommodiores. Julapia è Violis, Sambuco, ino, Rosis, etiam laboriosissimi in cunctis hisce Viri, D. Zvv. salutatius*.

h Cui bono hodieque reponuntur aut proponuntur tot ingratissimæ Micellæ? *Si quantum inter se differunt Electuarium de Gemmis frig. Confectio cordialis N. & fere de Hyacintho? multa interea Gemmarum Margaritarumque consumptione. Item tot Sirupi fructuum aciduli & acetosi, cum suis variationibus: cum istorum saltem* (præsertim ejusdem coloris) *aliquod conjunctim facilius dispensaretur*.

i Imprimis autem abominabili mole langentem stomachum molestantes & in lucta sua naturam perturbantes *In exemplum sint vulgatiora Electuaria, & Boli hinc cum accessoriis sæpe unciales; Looch Viscidioribus porro capisque* (utut subtiliorem partem inter præparationem perdant,) *hodieque constantia, Alliata; Pulveres atque species, præsertim mage vegetabiles, ad unam alteramve drachmam pro dosi excurrentes, graveolentibusve vel amaris* (alia rat one exhibendis,) *haud adeo sociata. Forsan etiam Epilepticæ aut Antarthriticæ è volucribus catellisque per Retortam destill. D. Zvv. Aquæ: dum utrobique Salis armoniaci, Urinæ, cornu Cervi, Fuliginis &c. rectificati Spiritus, idem, & quod hoc in genere obtineri potest, in æquivalentibus Aquis domesticisve vehiculis agunt: ceu paulo ante, & in superioribus quoque talia notavimus*.

l Uti pro certis interdum circumstantiis in pectoralibus & vulnerariis, &c. *In Phtisi* (vera, nec sicca hypochondriacorum teneriorum tussicula, collectionibusve matutinis circa excretoria faucium vasa, vel aliquandiu tantum deludente,) *sunt equidem Chimica nonnulla, Opiata præcipue, & quandoque Tinctura illa*, (è Saturno Marteque, pro hypochondriacis præsertim,) *antiphthisica. In Hecticis Corallina & Margaritifera raro tamen ad radicem mali pertingentia. Natura interea nihilominus præ Essentiis Extractisque pectoralibus, præque fauces in internis ibi ardoribus tantisper lenientibus*, (aut magis sæpe inviscatibus) *Morsulis, Trochiscis atque Mixturis anthiecthicis, antiphthisicis*, (recentioribus quoque,) *diffusius quidpiam & ad remotiora*, (quî quî etiam) *perveniens una utplurimum velle videtur: modo stomachus semper*

per in hisce, palliativa quoque ferre posset. Sic in inveterata Tussi (cum Sulphurea &c. desinunt,) *& circa Empyematum declinationem parilis est ratio. Vulnerariaque, licet Essentiæ Extractaque Traumatica oculi Cancri, vino infusi Osteocolla, &c. quod suum est præstent, nemo tamen in ea Praxis variabilitate simpliciter rejecerit. Quid Laxativa, parva quoque dosi, in durioris, nec* (repetitis etiam) *electisve una vice purgantibus obtemperantis alvi subjectis præstent, notum est, & veteranus tunc Practicus D. Thonnerus in observationum fine inter alios jam pridem monuit.*

TEXT. LUDOVIC.

dicus; m ne per inconsideratam minus convenientium consarcinationem, remedium ipsa ægritudine molestius proveniat. n Qui vero adhuc dum alicubi, seu simplicitate, seu misochimicorum aut Galenismum quasi quemdam data opera affectantium persuasione ducti, miscellas quales quales lubentius, quam comptiorem quandam medecinam, (venenum chimicum veriti) sumunt, iis, donec frugibus repertis glandes fastidire incipiant, hæc & sequentia tantisper scripta nolumus. Nam summatim, omnia hinc merito delenda, aliterve complenda putamus, quæ vel nulla vel exigua ingredientium proportione, genuinorumve componendi præceptorum ratione habita, cœlum terræ, frigida calidis, humentia siccis, stringentia aperientibus, aperitiva obstruentibus, incerta vel imbellia (specifici sæpe vel raritatis titulo) probatis & præsentaneis, culinaria medicamentosis, fera drasticaque (pari vel liberaliori nonnunquam pondere) debilibus atque benignis, preciosa vilissimis, durabilia horariis, & brevi fatiscentibus, vel corruptionem suam sentientibus, amarissima præ dulcibus, sapores & odores nequicquam vitiantia gustui olfactuique gratis, &c. citra solidam quandam (licet alicubi fictam) rationem, o & citra necessitatem aliquam, (sæpenumero non sine, tacita vel manifesta quoque repugnantia) invicem commixta hodieque perfrequenter ostendunt: sive per manus hactenus tradita, & ob utentium consuetudinem tantum non quasi naturalisata fuerint: sive passim adhuc dum immutationis, correctionis, variationisve titulo è recentioribus analectis superaddita vel substituta.

Atque quo generatim sic hucusque recensita magis illustrentur, *singulas potiorum Remediorum formulas* similiter, annexa breviter (retentionis hic vel manumissionis causa,) una alterave simul è propriis observationibus) nota persequemur.

Quod itaque inter sicca p principio 7 *Feculas* concernit; eas equidem haud exiget apparatus contractior. Non quod in universum omnes simpliciter sint effœtæ: q (nam acriorum radicum suæ, superstites quasquam vires experienti mon-

NOTÆ.

m Ne per incõsiderata minus convenientium consarcinationem, &c. *Ceu in ejus generis formulis, utut alias sumptuosior, & circa Ingredientium coacervationem vel delectum,* (pro temporis tum more, & ante Helmontiana fulmina) *inconsideratior, jampridem tamen selectum ibi quendam servasse cernitur Mynsichtius.*

n Qui verò, &c. *Hodieque forsitan nonnullibi inveniuntur, præsertim circa chimicorum polychrestorumque aliorum specialiorem accommodationem minus versati, qui majoris quoque Abollæ hominibus confidentiam,* (etiam in securissimis longeque convenientioribus,] *magno sæpè horum damno, nec si tertius quandoque superveniat, sine propria confusione, ejus generis persuasionibus excutiunt.*

o Et citra necessitatem aliquam sæpenumero non sine repugnantia, &c. *Exempla ante specialiorem recentionem præstare possent usitatiores seu superioribus annis seu nunc quoque, Species ac pulveres: ubi Myrrha cum Amygdalis, Dactylis, Liquiritia, Galbanum, Valeriana cum Ambra & Mosco, Pyrethrum æquali pondere cum Orobo, Pyrethrum, Capsicum atque Piper, longum cum Margaritis, Flores nymphea, Buglossæ semen papaveris* (ad scrupulos quoque expensum,) *aliaque oleosa cum iisdem reliquisque Gemmis sociata, hæque ipsæ cum Auri foliis Ambra & Moscho nimis largiter* [ceu alibi notavimus,) *hinc inde erogata deprehendetur; etiam in Mynsichtianis hujus generis, Rotulis insuper atque Morsulis. Trochisci Moschati oleisque saturati vulgares, & Mynsichtio cordiales vitaque dictæ pulveribus suis debite asservatis plerumque remissiores sunt. De Camphoratis dicere supervacaneum putamus, &c. Omnes vero hujuscemodi compositionis modi nihilominus excusabantur olim, & quo omnium* (hic saltem) *daretur ratio, ingredientium unum alterum attemperabat, conservabat, obnubebat, &c.*

p Feculas quod concernit; &c. *Uti nomen illud ab Amylo,* (*quo recentior*) expressitia Brassilianorum quorundam Yuccæ farina, ac semispontanea e Segumante Indorum arbore excussa, similiterque postmodum secundum Iversens Itinerarii c. 4. tractata pertinet,] *& a Serpentariæ seu Dracunculi bulbosi,* (cujus loco quidam cognominem, at inconvenientem Bistortam posuere,) *Gersa, ad sequiorum annorum amyliformes Pæoniæ, Bryoniæ, Ari &c. feculas proculdubio traductum; & curiosioribus posmodum, semimucilaginosis bolaribusque, minus plerumque albicantibus sedimentis, Liliorum alborum sc. Scillæ, à Quercetano in Pharm. Ref. cum spiritu vini digesta, Raphani rust. Iridis vulgaris &c. applicatum est. Ceu hujus sortis plura sed vegetiora è Sirupiformibus Pulmonariæ arboreæ ac maculosæ, Tussilaginis, Onodinis* (si novellæ fuerit, in arthritide vaga paresique alias haud evanidi,) *Plantaginisve Extractis; vel è cochleariæ, Nasturtii aqua &c. succis, pro conservatione majori, cum quarta spiritus vini parte,* (D. Brendelii in Chim. in art. for. redact. modo) *digestis colligere quis poterit.*

q Nam acriorum radicum, &c. *V. g. Si emplastica Amyli vis hic nil valuerit, Aro tamen id, Bryoniæ & Iridi,* (utut potissima ejus violentia in succulenta parte stabuletur,] *denegari nequit. Cæterum cum sub specifici anodyni Parac.* (l. 7. Archidox. alibique hinc descripti,) *digestione fortuito in fermentationem aliquando incideremus, eamque non solum in Opio, sed sub Helmontiani tum voti tractatu* Duum viratus, Ignoti Hydropis Dispensatoriique moder. ad Sal circulatum ubique forsitan directi) *succedanea expectatione, in Helleboro quoque. Colocynthide ac restante hic Bryoniæ succo persequeremur inde usitatis eorum* (sed tamen secundum cujuslibet naturam institutis) *Extractis nil adeo singularius aut in catarsi mitius habuimus; è Bryonia vero turbatorium potius hinc quidpiam: uti quoque est ingratum è prædicto succo* (simpliciter cum saccaro confectum) *melliforme Extractum.*

7. *Fæculas)* Harum præparationem vide in *ZUVELFERO pag. 446. animadvers. & in append. p. 64.* It. apud *ANGELUM SALAM, de essentiis vegetab.* Scil. dantur radices quædam, quarum succus farinam quandam absconditam gerit, quales sunt radix ari, serpentariæ, bryoniæ, irridos nostratis, pœoniæ &c. Harum succus evaporatione facta relinquit pulverem candidum fæculam dictum, quæ sanè est fæculentum remedium, cum quicquid virium habuerit succus, eæ omnes in fæculis evanuerint; ac quidem radix ari Sale volatili acerrimo prædita, integra filo in loco umbroso suspensa parùm retinebit virium; unde colligi potest, si hoc facit integra radix, quid sperandum sit de ejus fæcula. Rectè *E. à ZUVELFERO* fæculæ rejiciuntur, & miramur *AUTHOREM* nostrum docere, non in universum omnes esse effœtas, cùm ex integra ℔. fæculæ non tantùm, quantum efficatiæ ex ℥j. radicis cujusdam crudæ sperari queat, adeòque vel alia, vel pulveres radicum vel succi eorumdem commodius longè fæculis substituuntur.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

strant:) r sed quia aliquæ quidem justo sunt curiosiores: plerarumque vero loco præsentiora, (sique diffusam istarum molem spectes, commodiora dantur Succedanea: & sic præcise quidpiam hujus sortis vegetabilium requireretur, ſ simplex mitiorum pulvis efficatior, acriorum vero (necessario prius hinc parum alternandorum,) parabilior est.

Ita nec 8 *Magisteria vegetabilium non resinosa* necessitas quædam hic requirit. Simplicibus sane suis ut plurimum inferiora, mole nihilominus diffusissima, nec si cum Alumine præcipitata fuerint, (ceu alibi notavimus) t terræ ejus adeo experientia deprehendetur. *Resinosorum* autem, è fixioribus) Purgantibus vel etiam Alterantibus convenientioribus) simpliciter saltem paratorum unum alterumve sufficiet. v Nam qui pro *majori Magisterii copia* Spiritui vini sal vel oleum Tartari addide-

NOTÆ.

r Sed quia aliquæ quidem justo sunt curiosiores plerarumque vero loco præsentiora, &c. *Silla, Raphani &c. Et quis vel Jalapio saltem Iridis feculam certius atque securius, in unguento Basilico Gersam Amylo vel Ari fecula non suppleat? Stomachica, Pectoralia, Uterina & præsentiora vel æquivalentia, ceu nota, prætermus.*

ſ Simplex mitiorum pulvis efficatior, &c. *Ponamus in priorum exemplum, sed in sua tantum hic comparatione, Pæonia radicem cum corticibus, aut semen pulveratum: inter posteriora Arum saltem supradicto modo mitigatum, aut cum spiritus Vitrioli tantillo per Papaver errat: vel Santalum rubr. incarnatum: totum sic usibus suis aptum; dum è libra recentis verno tempore,* (uti è Bryonia autumnali, alias vix dimidium datura,) *parum ultra tres fecula uncias provenit.*

t Terræ ejus adeo expertia deprehenduntur. *Sunt enim & alii talium colligendorum modi, Simplicia sua interea equidē diversimode referētes; quidā vix amplius; quidā aliquanta, alii,* (ut Gūmi Guttæ &c. vegetiora eamque luctā facilius perferentia purgātia, quis enim innocēs imbelleque Rhabarbarum huc cum nonnullis traxerit:) *evidentius: Ita inter remissiora quoque, ex istiusmodi Lixivio vel oleo Tartari cum Santalo rubro digesto, præcipitavimus, per Vitrioli spiritum Magisterium brunnum quidem & originale suum, æquè ac Liquor residuus, satis resipiens. Nec tamen proin quispiam tam care temere mercabitur licet è dicto liquore Tartarus Vitriolatus queat colligi; præsertim cum ipsius Magisterii exigua sit quantitas. Sic cum semiresinosum quid per Alcalia omnino simul videretur extrahi, Acetum alia vice cum Rosis rubris tentavimus, pessundatumque post filtraturam est per oleum Tartari sedimenti rubicundi, secundum proportionem plusculum; rosaceum quandiu madebat; exiccatum nullius momenti. Perparum vero, ut adstrinctorium quid inibi distinguere vix potuerimus, cum alteri Aceti saturati parte Vitrioli spiritum instillaremus, Magisterium mage confertim,* (ceu in similibus Coralliorum, Oculorum Cancri, &c. solutionibus acetosis solet,) *secessurum expectantes. Quod autem nunc Aluminosa attinet, proculdubio Lacca pictoriæ, jam olim ita paratæ, debent originem, primusque forsitan Mynsichtius,* (siquidem pariles Balsamorum Tincturæ ante primam Armamentarii ejus editionem haud innotuere,) *ea proposuisse videtur. De Aluminis vero complicata innoxia licet terrestreitate in Dissert. de Volatil. salis Tartari jam diximus: Superpondiumque istud pro Aluminis accedentis quantitate haud difficulter forte computaverit aliquis, cum ejus unciæ duodecim parum ultra uncias duas cum dimidia dent Terræ, primitus & antequam exiccetur, levissimæ, diffusissimæ, ni superinfusi Aceti solutio, sapor, odor & coagulum plane fallat, simul Saturninæ. E Chermes autem granis, ut exemplo sint, secedat per lixivialem coctionem eorum dimidium:* (ceu Excell. quoque D. Schrochius notavit, & per simplicem quatuor unciarum extractionem, cum superadditi uncia una saccari Extracti spissi melliformis tantum tres unciæ habentur.) *Lacca vero denique inde confecta pondus, ceu diligentissimus D. Zwelferus advertit, duplo ipsis granis assumptis sit auctius. Quod autem indistinctius, etiam in majori Apparatu huic labori subjiciantur Cochlearia quoque, Nasturtium; atque Chelidonium min. Salvia, Majorana, Mentha &c. experientia postmodum ostendit, ipseque B. D. Rolfincius de partium volatilium tum conservatione dubitat, L. 5. s. 2. c. 3.*

v Nam qui pro majori magisterii copia spiritui vini sal vel oleum Tartari addiderit, &c. *Affinia his sunt sedimenta illa resinosa, fortuita, Scammonii sc. nigrum; dum secundum D. Brendelii modum Chim. in Art. Form. red. c. 4. cum aqua frigida parte teritur, majoris istius vehementiæ, ceu diligentissimus Vir ibi colligere videtur, caussa; in se tamen nil nisi resinosa substantia: uti manifeste si spiritu vini digerenda dissolvatur, indeque præcipitetur, deprehenditur. Sic alterum Gummi guttæ, in Magisterii hujus confectione subsidens subfulvum colophonia simile, ejusdem sortis est, & spiritu vini, rectificatiori tamen, integre fere hinc solvitur, licet candidissimus Sala Essent. veg. s. 5. c. 7. diffidat. Alias autem, quod ardentis Spiritus ad ordinariam Magisteriorum resinosorum confectionem selectum attinet, cum fecum iste, quem vini vulgo dicunt, etiam post rectificationem graveolentis quidpiam Resinis affricet, semper frumentato hic locorum venali, nec denuo interdum rectificato usi sumus; odore si quis post elotionem superfuerit, brevi disparente, quoad quantitatem vero pro succorum condensatorum e. gr. Scammonii, Gummi Guttæ &c. Extractione sextuplo vel septuplo, radicibus pulveratis ad summum decuplo* (citra supervacuas ulterius repetitarum affusionum insumptiones, istas) *sufficiente; ceu alibi ac infra notavimus.*

8 *Magisteria* (Quid sint *vide in* ROLFINCII *Chym. ubi de magist.* Hodiè denotant formam remedii siccioris, nempe pulverem saltem per concreti solutionem & soluti præcipitationem, atque talia magisteria ex simplicibus omnium regnorum parari solent. Cæterùm Vegetabilium Magisteria jam consideranda: Quoad præparandi modum sunt in duplici differentia, vel enim ea ex resinosis, vel ex non resinosis fiunt. Ex resinosis quidem v. g. ex radice jalappæ, turpethi, scammonio. It. ex aromatibus cum spir. vin. qui affusus tingitur à resina imbibita, hincque Tinctura illa affusa Aqua simplici lactescit, & dimittit pulverem colligibilem in vasis fundo magisterium vegetabile dicendum. Hâc ratione ex ligno Guajaco, ex caryophyllis, cinamomo canella per spir. vin. Tinctura elicitur, & cum Aqua simplici resinæ inde præcipit. solent. *Conf.* ROLFINC. *Chymiam p.* 329. 330. Ratio fiendi hæc est: Nemp. spir. vin. imbibit dictas resinas, quæ sunt Olea destillata concentrata, dum enim guajacum, & sassafras destillantur, suggerunt spir. acidum & Oleum empyreumaticum; quod si ramenta horum lignorum ante destillationem extrahantur, tunc destillata dant spir. acidum, non Oleum, (ratio est, quia materia Olei jam à spir. vin. est extracta) Olea autem confusa cum Aqua non sunt sociabilia, sed dimittuntur ad fundum vasis sub magisterii nomine. Altera classis Magisteriorum venit ex vegetabilibus non resinosis, ut petroselino, cumino, granis chermes, senna, rhabarbaro, gratiola. Nempe infunduntur hæc in lixivio Salis Tartari vel lixivio cinerum clavellatorum, hinc lixivium filtratur, & præcipitatur beneficio solutionis Aluminis in Aqua simplici factæ, sicque cadit magisterium. Modum taliter præparandi

magisteria invenit *MYNSICHT*, sicut posteà eundem descripsit *ROLFINCK*, *pag.* 319. *Chim.* & *ZUUELFERUS* magisterium ex granis chermes ita parat, testante ejusdem *Pharmac. Reg. p.* 180. Cæterùm ex his omnibus, resinarum purgantium vegetabilium magisteria, quale est jalappium laudem merentur, reliqua ex non resinosis nil valent, parùm enim virtutis retinetur: Cui accedit, quod ea Terra Aluminis non sunt expertia, nam Aluminis concretum constat ex spiritu Sulphuris acido rodente Terram cretaceam; quia E. alkali lixivii agit in acidum Aluminis, hoc demittit ex se Terram, quæ hic unà in magisterium præcipitatur, adeoque ejusmodi magisteria semper de Terra Aluminis participant, & ità adulterata sunt.

TEXT. LUDOVIC.

rit, x magnam partem aut totum disperdet, y etiam cum Acidis instituta postmodum præcipitatione. Modus exhibendi notus: & in sicciori forma competentibus equidem prius probè dilatanda sunt: in ardenti verò spiritu (instar Essentiæ) rite dissoluta dataque *Purgantia, fere duplo plus operantur.* Ex *Aromaticis autem consimilibusque volatilioribus*, (plerumque parce satis, nec citra gommea subtilioris ve partis elutriationem) z collecta ejuscemodi Magisteria resinosa, quidni curiosioribus (spirituosa talium vel sulphurea parte, siquidem omnino opus fuerit, contenti,) hinc remittemus. 9

NOTÆ.

x Magnam partem aut totum disperdet, &c. *Accidit id aliquando nobis in Jalapio & ligni Guajaci cortice, ut resinosis particulis, per alcalina semiaffines assumptis ac dilatatis,* (quemadmodum in saponariis massis vidimus,) *nobis nil esset reliqui. De cætero ipsa Filtratio, cum calidior quoque Liquor intra manum sensim refrigescat, multum quoque, præsertim in semigummeis,* (poros obstruentibus,) *subtrahit, lotione, quod extraneum est, satis separante.*

Ita cum Aceto vel ipsa Aluminis dilutiori solutione albicantius interdum provenit magisterium.

y Etiam cum Acidis instituta, &c. *Usque adeo, ut hypercatharses sæpe vix compescibiles insequantur, præsertim si quis hic paulo fuerit, pro cujusvis regionis ratione liberalior: uti de Magisterio Jalapii à* 17. *usque ad* 30. *grana temere extenso supra laudatus D. Thonnerus exemplum in observationum Appendice retulit. Alias vero sub considerata exhibitione non solum Jalapii, sed etiam,* (adeo tamen rodere crediti,) *Scammonii ipsiusve Gummi Guttæ pro more tincti, breves equidem tutæ & jucundæ,* (passivæ nunc, *habentur doses*; *ultra drachmam unam usque ad duas necessario non excurrentes*; *spiritu vini non tam Sirupus* (post paulo protractiorem moram totum pro præcipitantibus,) *quam Essentia Glycirrhyzæ, violarum, Papaverisve Errat. saccharata tantillo edulcato. Emulsiones cum Amygdalarum dulc. aut seminis Cucurbitæ vel Melonum excorticati drachma una, Magisterii Jalapii vel Scammonii; granis hic locorum octo vel decem & Aquæ Cinamomi tenuioris portiuncula aliunde notæ; colore tamen jejunis quandoque nauseabundæ sunt. Siccæ vero formulæ conveniet Tartarus selectior aut deputatus Arcanum dupl. ipsius Ialapii pulvis &c. uti passim constat. An autem separatarum sic resinarum purgantium Residuo evidentior quædam vis cathartica insit, occasione Observationis* 34. *Hecatost.* 2. *Celeberrimo nunc beatiss. D. Velschio aliquando relatæ quæsitum est. De gummea succorum seorsim condensatorum parte, Scammonii sc. Guttæ Chambodiæ &c. res videtur planior; eoque pertinet Scammonii quoque in aqua simplici vel phlegmatica quadam,* (citra supra notatum D. Brendelii tritum, tenuiorem gummosisque particulis mage implicatam resinam ex parte simul abripientem,) *Infusio, Aloësque notoria illa extractio. Nec ipsarum plantarum partiumque earum, simili separationi subjectarum,* (postquam resina hinc consueta præcipitatione separata fuerit,] *restans Liquor, per se, vel cum saccharo in melliforme coagulum redactus, in Jalapio v. g. ac Turbith plane deses deprehenditur: movet aliquid; non tamen ut ipsæ radices in substantia. An autem idem etiam agat residua* (præsertim suo modo insipidorum) *lignositas spiritu Vini sufficienter exhausta, hæsitare forte queat quispiam. Superiori anno facetus quispiam expressioni prædicti Jalapii superveniens, & nunquid remanentiæ adhuc posset aliquid; rogitans, abstulit aliquid, periculum facturus. A drachma dimidia quadam inde tormina, alii duo* (alias tamen uno radicis scrupulo facile movendi,) *nihil sensere. De Turbith, Mechoacanna, similibusque idem conjecturare posset quispiã, vel gustu nonnullibi eo ducente; & quod non solum Rosinosas, verum etiam gummosas simul,* (vel magna ex parte tantum) *inde separari notatus post Magisterii præcipitationem ostendat Liquor. Rhabarbarum post spiritus V. extractionem fatiscere constat, ut adstringentibus pene associetur. Agarici aut Colocynthidis remanentiam de pristino amarore quidpiam plerumque adhuc præ se ferentem, ulterioribus experimentis relinquimus: Siquidem & in nonnullis sensibilioribus Alterantibus vestigia quasi quadam nonnunquam similiter relicta videntur, v. g. in Sabina, Hyperico, Angelica &c. Succinique hic reliquiæ aliquid adhuc olent: dum ex adverso Cinamomum, Lignum Aloës, Guajacum &c. exhausta deprehenduntur: ceu post talismodi tractionem destillationi per retortam subjecta, nec Oleum,* (utut qualemcumque spiritum) *dare solertissimi quidam viri dudum observarunt; longeque parcius ex Incineratis Sal provenire alias constat. Quod autem remanentiæ Ialapii duo scrupuli sat valide tum purgarint, forsitan ob imperfectam resinæ extractionem contigit: uti plures* (propter menstrui paucitatem, digestionis insufficientiam, calentissimeve expressionis intermissionem) *de multò minori quantitate unciave questos scimus, cum è libera nobis ad minimum tres unciæ provenirent.*

z Collecta ejuscemodi Magisteria resinosa, &c. *Exempla quorumdam paulo ante adduxims: & v.g. Extractum Ligni Aloës, Rad. Angel. Enulæ &c. longe hic foret convenientius; siquidem cum gummosa parte etiam resinosi aliquid,* (ceu de Diagrydio Brendeliano superius notavimus, institutaque desuper cum spiritu Vini extractio ostendit,) *eluitur. Ita porrò Tinctura Succini, oleum Cinamomi, juniperi, sabinæ, &c. præ operosioribus, carioribus, parcioribus aut semiexhaustis talium resinositatibus oppido commodiora videbuntur.*

9 Porrò circa præparationem Magisteriorum ex vegetabilibus resinosis cautelam movet *AUTHOR*, nempe de essentia cum spir. vini simplici extrahenda; ubi quæritur quare? ℞. quia solus spir. vin. nihil assumit de Sale Tartari quippe hoc acidum quid poscit, unde quando spir. vini Tartareis acuminatur, non adeò benè extrahuntur. Quoad modum usurpandi resinosorum Magisteriorum: is est quadruplex, nempe in sicca vel in humida forma; In sicca quidem, quan

quando junguntur aliis salibus. Etenim cum sint viscosa, adhærescendo intestinis facilè hypercatharses excitant, unde optimè eadem sociantur cremori tartari aut tartar. vitriolat. v.gr.

℞. *Tartari vitriolat. gr.* xij.
Resin. jalapp. aut *Magist. scammon. g.* ix.
M. Dent. pro dosi. Vel concinnius.

℞. *Conserv. rosat.* ℥j. *Resin. scammon.* aut *jalapp.* aut *turpeth.* ℈ß.
Tartari vitriolat. gr. vj. M. pro *bolo.*

Quodsi verò in forma liquida, tunc juxta *AUTHORIS* monitum ea dilatanda sunt, h.e. diluenda & fluxibilia vel resolubilia reddenda, modus hic est: Propinantur nempe cum vitello ovi, vel cum semine melonum, vel cum spir. vini dissoluta ad ℈ß. ubi si cum vitello ovi exhibeantur, adjecta pauxilla aquæ rosarum duplò plus, quàm aliàs in antiqua sua forma faciunt, operantur, unde

℞. *Sem. melon.* ℥j.
Resin. jalapp. l. scammon. ℈ʒ.
c. s.q. aqu. Menthæ fiat Emulsio leniter purgans. Vel

℞. *Resin. scammon.* ℈ʒ.
Vitell. ovi q. s.
c. aqu. rosarum vel cinamomi fiat emulsio, est gratissima, & purgat validè. Præterea huc spectant omnes essentiæ purgantes, quibus tamen omnibus præstat essentia jalappæ, extracta beneficio spir. vini additis corticibus aurantiorum vel citri, item prodit essentia suavissima & egregii usus, cùm præsertim adjuncta corticum vis aromatica intestinorum pathemata arcere soleat, *confer. BARTHOLINUS, cent. 3. epist. 36. cap.* 34. Quoad tandem aromatum Magisteria iis carere possumus, ex eo, quod olea eorum destillata vel spiritus quoque meliora sint, sic enim gutt. j. olei destillati caryophyllorum præstat ℈j. magisterii eorum cum spir. vini extracti. Adeò E. nulla magisteria vegetabilia, nisi purgantium quorundam, in praxi selectiori locum inveniunt.

TEXT. LUDOVIC.

a Et cui bono cuncta *Animatorum Marinorumque Magisteria?* 10 *Vulgaria* sane, per oleum Tartari præcipitata, *b* quamvis non quidem in Acidis, in urinosis tamen Spiritibus quadentenus iterum sint solubilia; & quamvis seu ob solventis ac præcipitantis combinationem, (ut in Metalicis nonnullis,) seu ob singularem, nec vulgaribus solutionibus comparandam stomachi liquationem, nativæ virtutis quidpiam exerant, & præcipue quæsitam inibi diaphorisin vel diuresin aliqualiter adhuc moliantur: nihilominus suorum *c* simplicium vires maximam partem neutiquam attingunt, tantum abest, ut alia parabiliora polychresta superent *d Nitrosa* Animatorum nonnullorum (*per abstractionem*) speciosiora, & in se bona sunt; Diaphoretica ut plurimum, vel etiam

NOTÆ.

a Et cui bono cuncta animatorum marinorumque Magisteria? *Etiam è lapide Manati, Bezoar. Mynf. dente Castoris, Hypopotami, osteocolla, osse sepia, adeo alias solubili, testis ovorum Struthionis, cornu Alcis, dum hic Cervina, illic culinariæ nostræ sufficerent; è lapidibus percarum, lunari, non triangulari solum carpionum lapide, testis cochlearum, &c. Jam autem ante Glauberum quoque ex licet & alio fortè capite agentem Helmontium hisce præparata prætulit D. Sennertus, & subtilitatis præcipuè intuitu Ang. Sala Tartarologiæ s. 1. c. 2. & Synops. Aphorismorum n. 36.*

b Quamvis non quidem in Acidis, &c. *Quod tamen non absolutè nec de omnibus indifferenter intelligendum esse, talium digestiones, solutioni tamen ac retentioni sufficientes seu respondentes satis ostendunt: utut jam ante D.D. Zwelferum Glaubertus F. 2. c. 9. pro Magisteriorum per oleum tartari præcipitatorum,* (equidem præ Vitriolicis præcipitationibus minus albentium) *elevatione potissimum id fere urgeat: nihilominus tamen, cum ejus è Nitro fixo Alcahest omnibus subjectis non sufficeret, adeoque & Nitrum crudum illiusque spiritum, in Pharmaceuticis suis adjungere cogeretur, Animalia aliaque in prædicto spiritu soluta & inde per Nitrum alcalisatum præcipitata, per quam postmodum commendet. Subigit autem talia, imo* (Quod DD. Schrockius insuper observavit,) *plumosa quoque, seu per Vitrioli spiritum ex Aceto pessumdata non solum modo adductus Nitri spiritus: Verum,* (si paulo videretur respectu nostri corporis violentior,) *pro quadam sui parte obsecundant etiam mitioribus adhuc Menstruis, spiritui salis Vitrioli philosophico, Veneris Zwelferi &c. ceu* (in exemplum,) *præcipitatum per alcalia Magisterium oculorum Cancri in istis, item plumosum Corallorum Magisterium in spiritu Vitrioli philosoph. digestum, instillato denuo Tartari oleo ostendit; æque ac v. gr. Spiritus salis ammon. super cancrinum illud præcipitatum similiter leniterque saltem digestum, quidpiam per alcalia instillata deponit. Quis enim usque dum determinaverit, quid & quantum,* (ut *An & Qui,* circa talem liquationem & dispensationem, tanquam conceptu profecto, difficillima prætereamus,) *de istis in stomacho resolvatur. Siquidem pura suorum non sunt calces; sed uti Helmontius* (Solutiones tantum ejuscemodi simplicium in acido vulgariter factas, ante artificialem eorum præcipitationem intus in tractatu dispensatorium moder. inscripto rejiciens) *pridem monuisse videtur, Apertis iis* (etiam cum fæcum quandoque rejectione) *Archeus seminalis ibi adhuc præsidet, servantque aliquam concreti crasin:* (tr. Na-litura contrar. nescia; & tr. sextuplex digestio:) *licet in lucta illa equidem quid patiantur, aut per solventis præcipitantisve, qualem qualem quoque associationem,* (etiam A. Sale allegatæ tartarolog. loco agnitam, Medicique judicio permissam) *simul aliter modificentur, evidentioremve absorbendi invertendique vim pristinam tantisper tum semi quasi deponant. Interea tamen haud sunt penitus inertia; ceu vel in cervino, corallino cancrinoque per seculi decursum notatum est, hodie notatur: sique* (actioni solventis ac præcipitantis) *renitentiora hæc fortè putarentur, etiam in tenerioribus asellis, cantharidibus, lumbricis, viperis, &c. in spiritu nitri Glauberiano more solutis, ac cum nitro alcalisato præcipitatis, nativarum facultatum partem in praxi deprehendimus. Ut salis volatilis illud, quod* (secundum recentiorum solertiam) *addito saturatioribus animatorum Magisteriis ana alcali surgit, hic* (dum de tartareis agimus,) *prætereamus. Quod autem talia quispiam perdiu accumulata retinuerit, singulari forsan conductuum vasorum auferentium, musci intestinalis, &c. constitutione similive de causa factum esse potuit; cùm passim apud Magnates ista copiosissimè variis sub formulis assumentes, id haud adeo observatum sit; deglutitaque marina ac metallica post diutinam retentionem alios arrosa, alios illæso superficiei levore reddidisse videamus.*

c Simplicium vires maximam partem neutiquam attingunt, &c. *Antepileptica enim, v.g. proprietas in talibus è cranio, alcis ungula & cornu, &c. paratis perquam exigua deprehenditur; fortè quia nec in crudis semper tanta est. Evidentior in mandibularum Lucii, dentis apri, &c. antipleuriticis magisteriis, forsan quia diaphorisis hic alias magis necessaria.*

d Nitrosa animatorum nonnullorum speciosiora, *Ex. g. è talis leporinis, suillis, item è triangulari carpionum lapide cartilagineo, spiritu salis & vitrioli philosoph. alias non obediente. Sed mediocria saltem hæc inveniuntur eo in genere.*

10. *Ad animatorum marinorumque Magisteria AUTHOR pergit*, quæ duplici modo præparari solent, nempe

nempe solvuntur, v. gr. oculi cancrorum, corallia C. C. vel similia animalium ossa in aceto vel alio spiritu acido, vitrioli, salis, &c. hæc solutio præcipitatur cum sale tartari. Etenim universale axioma chymicum est, omnis solutio facta per acida præcipitatur per alcalia, ut sal tartari, nitrum fixatum: sal cinerum clavellarum & contra. Factâ E. tali modo præcip. pulvis cadens edulcoratus dicitur Magisterium. Secundus modus est, quando Magisteria animalium butyracea fiunt, de quibus *confer. ROLFINCK pag. 3. Chym.* e.g. hæ dictæ animalium partes solvuntur in spiritu vitrioli Philosophico, remanente à præcipitat. butyri antimonii: Vel etiam in spiritu salis communis, hincque præcipitantur cum sublimatu vitrioli probè rectificato, ita cadit pulvis, qui edulcoratus cum aqua dat magisterium candidum, facilè resolubile in aqua simplici: Tertius modus est *ZVVELFERI*, parantis magisterium perlarum & corallorum per spirit. æruginis, ex crystallis æruginis cum aceto factis prodeuntem; nempe solvit is subjecta animaliun in dicto spiritu & postmodum abstrahit acorem proprium, ita quippe parùm hujus solutis adhæret, *vid. ZVVELFER. p. 448. & append. p. 66.* Cæterùm magisteria primi modi cum sale tartari præcipitata nil valent, calces eæ enim sunt inertes, corrosæ ab acido, & concentratæ per alkali, sic namque emergit terra mortua insolubilis, & quæ assumpta eadem facie excernitur. Hoc probamus exinde, nam magisteria hæc suis simplicibus sunt ponderosiora, adeoque ita insolubilia, ut neque aqua fortis neque aqua Regis denuò ea solvere possit, unde assumpta dealbant saltem stomachi parietes; equidem dicit *AVTHOR*, Magisteria hæc per oleum tartari præcipitata, licet non quidem ab acidis, in urinosis tamen spiritibus quadantenus solubilia, interim dum dicit *quadantenus*, dubitat adhuc de facto; nos contrà putamus eadem nullo modo esse solubilia, sed potius calces inertes vocandas esse. Secundæ verò classis magisteria, utut non adeo sint intractabilia, v.g. quale est magisterium perlarum, epilepticum, cordiale, nephriticum, longè tamen ea à crasi simplicium recedunt, & dum saturantur ab acidis extrà corpus, non alterantur intrà corpus assumpta: Equidem dicit, elici posse ex his magisteriis per acida præcip. sal volat. miscendo ea cum ana alkali fixi, ita namque sal vol. emergit, dum alkali absorbet acidum, quo absorpto sale volat. fit sui juris: Interim hoc non procedit in corpore humano, in quo nullum alkali adeo fixum reperibile est. Porrò cùm levia sint quoad pondus, adeoque in majori copia pro 1. dosi propinari debeant, proin & hujus intuitu alia succedanea iisdem poterunt præferri. Cæterùm sunt, qui varia menstrua pro hisce magisteriis conficiendis ex sale marino, adjecto bolo & alumine destillant, sed & hæc minùs quadrant, cum talia magisteria vim suam invertendi amittant per quæcunque sal acid. pariter in magisteriis plumosis vitriolatis emergit sapor ingratus stypticus, licet edulcorentur; non secus ac magisteriis cum spirit. æruginis vel simplici, vel sulphur. h. e. ex ærugine & sulphure parato, confectis remanet post abstractionem menstrui sapor Semi-Venereus; etenim dum solvuntur concreta ab acido, demitur eorum sal vol. ac quoque omni vi medicamentosâ spoliantur penitùs. Ut itaque magisteria hæc animalium planè exulare debeant ex officinis, & potius magisteria corallorum & perlarum cum succo citri parata eligi, quippe succus vim invertendi minùs saturat: Vel parentur misturæ ex aqua & aceto appropriatis, quibus addatur vel mater perlarum vel ocul. cancrorum, sanè hæ misturæ plus præstant, quàm cara illa magisteria.

TEXT. LUDOVJC.

(pro subjecti ratione) Diuretica: levissima tamen & ingentis molis: ut contractiores, æquipollentes vel prævalentes doses infra in originalibus suis, aliisque præsentioribus quivis facilè inveniat, *e* (ni fortè pro infantibus unum, ad granulares doses, vel in emulsionum similes liquores servare patuerit,) *f Secretiora tandem* pleraque licet per diversa menstrua modosque *variè splendeant, promptiusve liquescant*; crudorum tamen suorum simplicium invertendi vel absorbendi vim nullatenus attingunt: quod

NOTÆ.

e Ni forte pro infantibus unum, ad granulares doses, &c. *Sufficeret fortè loco omnium cervinum eborino præsentius, Viperino parabilius: de cætero in malignitatibus eorum, procedentibus præcipuè diebus aut incommodum. Quod autem ipsa cornu solutio sub abstractionis vel exhalationis ferè finem, dum posterior spiritus nitri rubedo prodire incipit, totumque adhuc dum satis est liquidum flammam in cucurbita spontè facileque concipiat, & in cineres hinc fatiscat, notum est. Sed & bacillus, experiundi vel circumagitationis caussa immissus, ardere occipit; idemque nobis aliquando cum recentiori cervi cranio contigit; ut oleosiora proin talia imo minus quoque medullosa, v. g. Ebur, apri dentes, &c. abstractioni ad perfectam siccitatem postmodum haut adeo exposuerimus: præsertim cum ea in durioribus illis securius quandoque obtenta, inter necessariam magisterii edulcorationem nihilominus tertia sæpè hujus pars una eluatur, per instillatum tartari oleum, vel* (quo magis candicat) *spiritum vitrioli denuo hinc separanda. Per quandam itaque quasi præventionem dum crassamentum aliquod in fundo cum prædicto rubore sensimus,* (quod v.gr. in cornu cervi citius, in ebore tardius contingit,) *plerumque exemptum protinus, & frigidæ immissum vitrum, quam totum tum perdere maluimus: quod aqua solutum adhuc inhæret, & sæpè tertia soluti pars est, relato modo* (Magisterio interea in operatione sua satis adhuc valido,) *præcipitando. Nam cum solitaria aqua s.* (etiam maxima copia affusa, & tribus quoque spiritus nitri partibus subtractis) *tædiosissimè tamen quadam obtinetur præcipitatio; atque v. gr. ex eboris soluti quatuor unciis, post eam abstractionem & refrigerationem gelatinam potius quandam exhibentibus, vix drachmæ ana subsident: dum talia præcipuè solidiora, sub priori suo pondere denuo aliàs redeunt. Quod autem Branchiarum balenæ* (sartorum Fischbein, alia intentione huc tractarunt) *solutio planè per retortam transierit, inferius notavimus: idemque cum insecto quodàm minori* (quod tamen memoriæ excidit,) *nobis aliquando contigisse recordamur.*

f Secretiora tandem pleraque licet per diversa menstrua modosque variè splendeant, &c. *Quo fine diversa sunt observata, & à D. Schrodero ex parte proposita, jam vero D. Michaëlis & D. Rolfincii usitata menstrua. Istius plumosum, ex ana nitri, salis & aluminis cum bolo destillatum: cui alii simplicem vel cum alumine vitriolove destillatum nitri spiritum,* (exigua scilicet, cum sal petræ ubique prævaleat, differentia) *substituere, D. D. Rolfincius autem eligebat tum Cohob illud antimonii seu spiritum vitrioli philos. uti communiter post mercurii vitæ præcipitationem remanet; item phlegma vitrioli roridum acidulum; sed parum id hic agit, instabileque deprehenditur; aque ac ipse spiritus, clyssus nitratus, succus citri, betulæ, berberum, &c. præsertim diutius cum soluto suo repositi: aggrediuntur hoc,* (quodvis pro sua natura) *satis valide; at simul vel postmodo totum aut potissimum dimittunt, exiguo retento. De cætero amianthina talium è spiritibus nitrosis aut salinis per vitrioli* (præcipuè benè dephlegmatum) *aut sulphuris spirituum præcipitatorum facies & candor, è vitriolicorum horum accessu proculdubio provenit; siquidem si loco spiritus*

ritus vitrioli oleum tartari recipiatur, idem in substantia coloreque cum vulgaribus subsidet: Ex Aceto quin etiam simplici quoque (ceu inferius notavimus,) *aquè plumosum eleganſque per sæpè dictum vitrioli spiritum habetur; superstante liquore & intus Polychresto, & Ostracoderma similiaque denuo* (quae L. Crügneri in vere chymico c.5. & 6. fuit observatio,) *solvente, magisterium sane adhuc elegantius & flocciforme iterum per instillatum spiritum vitrioli reddente. Uti quoque amplius eleganter lanuginosum è coralliis* (quae hactenus nobis exemplo sit) *in clisso antimonii nitrato, cessante fervore subsidet, à corpulentia reliqua facilè eluendum. Incarnatum jucunde acidum è Berberum* (sed ultra biduum cum soluto suo, ne sponte recedat, haud asservando) *succo per præcipitationem cum spiritu vitrioli colligitur;* (ne tamen acor cum colore pereat, non edulcorandum) *Squammosum elegantissimum eadem ratio è magisteriis hujus generis solubilibus Zwelferi, aqua s. diluto, &c. Sed enim & nitrosum Glauberi Alcahest in hanc classem ab aliquibus tractum est: & licet sicca forma liquandoque marmorum lapidumque animatorum quadam solvat, via tamen humida, v. g. oculos cancri nec digerendo nec coquendo serio aggreditur. Et quid tandem primitus circa secretum Zwelferi monstruum in aceto, agresta, tartaro, &c. non tentabatur, donec altera editio V. Basilii D. que Schroderi illud, publico explicatius sisteret. Cæterum, si sibi de lacteis quoque constat Helmontii* (tr. Dispens. mod.) *assertio: quod* (etiam eo loci) *superata & transmutata peregrina illa venisque hostili dissolventium aciditate, soluti lapides pulvis maneant ut ante, &c. adeo magna præ aliis usitatioribus gaudere vix poterunt prærogativa ejusmodi solubilia hinc magisteria. Quod verò spiritum ipsum seu simplicem seu sulphuratum attinet, revera post aliquot adhibitiones debilitatus deprehenditur; imo in confectione tincturæ martis adstringentis Zwelf. sub prima abstractione per quam fatiscit: ceu alibi notavimus. Et sane, quo solubilia existant, salinas menstrui particulas,* (sive acetosæ sint, sive simul tartareæ volatiliores ex acinis inversæ, utrobique interea hic concentratissimæ) *Soluto proportionaliter adhærere oppido necessum est. Si porrò aceti destillati loco simplex recipitur, vini, pomacei, hydromelitis; procedit quidem etiam aliquousque: & dum v. gr. libra una semis æruginis in duodecim istius libris coquendo soluta, viridissimus liquor,* (remanentibus unciis novem feculentiæ,) *per filtrum trajectus, &* (ne penetrans aciditas simplici evaporatione frustra disperdatur,) *ad trium ferè librarum remanentiam per retortam lento cinerumve igne prius abstractus est, intensiori tandem libra dua unciaque tres vel quatuor spiritus una cum olei præterpropter drachma è vini pomaceique* (dum melleum hic nihil dat) *Aceto proveniunt, aceto destill. comm. longè validioris, quaque spiritui veneris quadrant, equidem solventis, sed longè parcius, ac vix* (hujus respectu) *dimidium post abstractionem demum debilissima, ac quendam mellis mannave spiritum tunc respientis.*

TEXT. LUDOVIC.

autem in sui generis alteratione, adstrictione, detersione, vel resolutione, (per accessoriorum combinationem ita disposita vel fortificata) præstant; id forsitan consultius tincturarum vel essentiarum forma habebitur; citra tantam pulverum multiplicationem; *g* quandoquidem alias compluribus sapor præter necessitatem adversior, & vix declinabilis (vel in futuro tandem) hinc exurgit: e. g. Magisteriis plumosis vitriolatis, ingratè stipticus; Solutionibus cum spiritu æruginis simplici vel sulphurato, semivenerius. Ut taceamus pervulgatissimos processus utplurimum soluto præcipitatoque simplici, Contraria planè naturæ ac prædestinationi ejus inconsideratè affricari: *h* v. g. Diaphoretico adstringentes particulas, stringendo roborantibus aperientes, &c.

i Cui bono tandem 1. *tot Mineralium ac Metallicorum magisteria*; *l* imprimis autem tot ac tantæ eorum *Variationes*? Licet enim usitatiorum menstruorum subactionibus minus in suo genere subjecta videantur; *m* & varias solum, sæpeque mirandas

NOTÆ.

g Quandoquidem aliàs compluribus sapor præter necessitatem adversior & vix declinabiles, &c. *Atque hoc etiam, v. g. magisterio corallorum rosato Mynſ. similibusque contingit, ut aut adversus* (nec jucundè acidus) *sapor relinquendus, aut color, qui etiam floribus papaveris errat. conciliari poterit, eluendus sit. Pariter se habet cum magisteriis spiritu veneris, rectificato quoque confectis, &c.*

h V. gr. Diaphoretico adstringentes particulas, stringendo roborantibus aperientes, &c. *Atque hinc proculdubio exemp. gr. Magisterium cornu cervi per spiritus nitri abstractionem purè vel maximam partem supra dicto modo paratum præ alia, simpliciter tantum ac totaliter per vitrioli spiritum præcipitato; item magisterium corallorum plumosum præ vulgari in competentis adhuc sibi operationis consecutione præsentiora deprehendimus.*

i Cui bono tandem tot Mineralium, &c. *Etiam hodieque è Magnete,* (inter tot martialia *lapide calaminari,* (dum antimonialia emetica securius satisfaciunt,) *Pisolitho, Thermarum concrementis, contumaci illo talco, Tutia, Lythargyrio,* (inter puriora saturnina alia,) *&c. proposita.*

l Imprimis autem tot ac tantæ, &c. *Cum supra de antimonio diaphoretico ejusque affinibus exemplum adduximus. Mercurius, saltem ex aqua forti,* (ut alios modos prætereamus) *præcipitatus apud laboriosissimum D. D. Schroderum alibique proponitur albus, flavus, incarnatus, ruber; turbith minerale Crollii, Mynsicti, cum liquore silicum Glauberi, &c. Pluresque talium secundum præcipitantium diversitatem in colore variationes curiosas superaddidit in Hippocr. Chymic. D. Tachenius. Hucque diversi Martis metallorumque croci pertinent. Ceu de cætero hos, præcipitatorumque seriem. Alii pridem ad hanc classem merito reduxerunt: D. Libavius autem, Logicæ Ramisticæ tum deditus, diffusioribus distinctionibus exotericorumque per eas insertionibus nimium in Alchimia sua auxisse videtur. Quod vero & hujus demum sortis solubilitatem attinet, antimonium diaphoreticum ex. gr. in spirit. salis, magisterium saturni, etiam sale commun.* (Lunæ corneæ modo) *præcipitatum in aqua forti, in eadem porrò aliquantum, largius vero in spiritu nitri* (cum sale) *composito Joviale illud, Fabro sudoriferum maximum dictum, Crocus metallorum vulgaris ipso aceto simplici,* (uti parati hinc Oxysacchari emetici subsidentia aliquandiu post testatur,) *Crocus Martis sulphuratus in quibuslibet acidis menstruis solvitur: & quod etiam in ventriculo,* (licet pro ejus elevatione insolubiliorem quoque Glauberus F. 2. c. 9. dicat) *vel Excrementa in plerisque inde nigricantia testantur.*

m Et varias solum, sæpeque mirandas mutationes inde subeant. *De prædicto antimonio notorium hoc est; & ut per simplicissimas præparationes modo emeticum modo diaphoreticum prodeat.*

1. *Mineralium & Metallorum Magisteria*) Sunt multiplicia pro multiplicitate ipsorum concretorum & solutione, itemque præcipitatione suâ. Talia sunt bezoardicum minerale, aurum fulminans, lac sulphuris, magisterium saturni, cosmeticum bismuthi, croci & similia. In his A N. perstringit variationem, cùm pauca eorum sufficiant & omne punctum ferant; superflua verò eorundem multitudo scil. variationes occurrunt in mille modis illa præparandi: Sic auri fulminantis conficiendi modum docet SCHRODERUS, solvendo aurum in aqu. reg. & cum sale tartari præcipitando, ita cadit aurum fulminãs. Ejusd. auri fulminantis centum aliæ prostant præparationes, quæ tamen unicè in croco auri producendo conspirant.

conspirant. Hæ verò variationes rectè ab *AVTHORE* taxantur, & optimus est præparandi aurum fulminans modus, quando aurum in aqua reg. solutum præcipitatur cum spir. salis armoniaci (hic namque exactè ferit sulphur auri illudque etiam extravertit) pulvis hic non adeo, præsertim rigorosè edulcoratus non inegregius in morbis infantum: Aliàs & solvitur aurum per salia in aqua simplici soluta, de quo *v. ZUVOLEER. in Mantissa Spagyr.* hincque solutio præcipitatur per sal tartari; item rediguntur salia in spiritum, hincque solutum per alkali præcipitatur: par ratio est cum sale mirabili *GLAUBERI*, in quo fuso solvitur aurum, & solutum præcipitatur cum mercurio vivo. Ex omnibus hisce præparationibus unica sufficit. Sic & in præparatione magisterii antimonii occurrunt mille modi; ita ex mercurio præcipitato & antimonio crudo conficitur butyrum, quod præcipitatum cum aqua dat magisterium album, vel præcipitatum cum urina humana dat magisterium flavum; alii antimonium crudum solvunt in spiritu salis, hinc destillant butyrum, cui infusa aqua communis prodit magisterium. Sic alium adhuc modum *SCHRODER. num.* x. item *num.* XXII. ex floribus antimonium habet, verùm emergit semper idem mercurius vitæ, adeo E. ex his mille præparationibus sufficiant decem. Pari ratione multi dantur modi sulphura epileptica ex antimonio præparandi, verùm sive scoriæ antimonii præcipitentur per acetum, sive solutio earundem fiat in lixivio tartari, & præcipitetur cum aceto, sive alio modo procedatur, sane idem antimonium catarcticum prodit. Sic & hoc facit antimonium illud purgans per inferiora, pro arcano mihi ab amico communicatum, v. gr. ℞. antimonii, tartari, nitri, ana, &c. *vid. Colleg. pract. sub tit. purgant.* Verùm & hoc est sulphur auratum antimonii. Origo autem harum variationum est, quòd superiores processuum scriptores non habuerint cognitam naturam simplicium & modum eorum agendi, quem si scivissent, aliter sensissent; unde rectè *AVTHOR* exclamat pauca sufficere.

TEXT. LUDOVIC.

mutationes inde subeant, quo permultorum præsentaneus, cum exigua simul jucundaque dosi, oboritur effectus: Is ipse tamen paulo hic versatioribus etiam in paucissimis, *n* ad summum forsitan quinque vel sex hujus generis pulveribus, affinibusque præcipitatis, crocis, calcibus, &c. simplicissimè tantum præparatis,) reperitur largiter: *o* nec opus est, ut ejuscemodi producta, eorumque æquè ac tot florum sublimatorumque variationes, utplurimum ab antiquiorum Monachorum aliorumque destillatorum orco tacitè revocatæ, vel parum saltem, (inter frustraneas sæpe numero ambages, interpolatæ, aliove solum nomine, titulo coloreque (maximam partem adscititio,) vestitæ, vel exotericis tantum circumstantiis differentes, intus vero penitus concidentes, tot laboribus atque impensis sic coacerventur, aut (instructiori sc. inde) Pharmacopolio, non sine maxima nostrorum, præsertim tyronum, (alias nil nisi secreta hodie conquirentium,) confusione, statim obtrudantur.

NOTÆ.

n Ad summum forsitan quinque vel sex hujus generis pulveribus, &c. *Imo diffusiori apparatui duo triave per nos superaddantur, ut v. gr. internos in usus ex antimonio hujus sortis duo, duo martialia, Joviale &* (inter solaris alicubi forsan optiones,) *Lunare unum, unumque* (maximam partem topicum) *Mercuriale habeatur.*

o Nec opus est, ut hujuscemodi producta, &c. *Etiam hinc inde excessivas. Nam è coralliis quoque atque Margaritis flores, etiam cum sale ammoniaco* (neutrius destinationi adeo quadrante) *conquisiti è camphora porro: quod tamen, secundum recentissimam colligendi præsertim curiosissimi D. Brynii Tomi 4. Eph. Germ. relationem, tenerrimi jam sublimati repetita tantum sublimatio est: ex Arsenico & Rubiniformes ex Auripigmento, exercitii Chimici potius quam serii usus Medici gratia. Tot diversicolores antimonii, apud D. Schroderum, A. Salam, &c. & quos R. Glauberus majoribus plerumque impensis ac promissis quam successibus in primo suo furno, è mineralibus atque metallis, non sine multis experientiis,* inter eas effumationes, dispersiones, prunarum suffocationes, separationes difficiles, *) molestiis conficere docebat; tandem etiam furni 2. cap. 26. ex ipso ceraunochryso. Frustraneas nonnullorum sublimationes repetitas, reliquorumque sublimatorum & corallinorum arcanorum seriem studio præterimus. Odiosum adeoque instituto superioribusque nostris de coincidentia in idem medicamentum adsertionibus contrarium foret, si à Basilio Valentino usque ad Cunradi medullam destill. Kesleri centurias, Tenzelii Exegesin, Hartmanni Praxin Chym. & commentaria, &c. secretissimè hactenus denuo habitorum plurima in ejuscemodi scriptis jam designata ostendere quis voluerit. Saltem in hujus classis exemplum sit mercurius præcipitatus vitriolatus fixus dulcificatus, in recentissima Kesleri editione bis, numer scil. 143. & 164. hinc à D. Schrodero c. 15. n. 14. descriptus. Cum eo secundum magni cujusdam amici communicationem plane idem est famigeratissimum illud celeberrimi notissimique hinc Medici antipodagricum, nisi quod ante spiritus vini cohobia, ter prius aqua albuminis ovorum abstrahatur: de quo pluribus forsitan inferius. Sic in D. Hartmanni notis ad Crollium alibique, & inde apud D. Schroderum c. l. numero* (inter præcipitata cum metallis) *primo habetur D. Riverii febrifugum; si sibi constat, meritissimi D. D. Rolfincii* (antiquitatem hujus pariter notantis,) *Chimia L. 5. s. 6. cap. 12. descriptio: Nostris hic locorum, cum in durioribus quoque experiri vellemus plerumque vehementior. Sin autem per tot contestationes certior deinceps fuerit superius laudati P. Christini compositio, l. 3. Arcanorum Riverii p. 69. relata: vitri hiacinthini, & florum antimonii cum ammoniaco ter sublimatorum ana unciam dimidiam, in aqua forti dissolutam, mercurii porro, è cinnabari revificati uncias sex, similiter in aqua forti solutas, & auri demum* (è Cechinis venetis aut ungaricis) *præterpropter unciam unam in aqua regia resolutam recipiens, ut à tribus hisce invicem mixtis Spiritus per retortam cum duodecim cohobiis abstrahatur, pulvis aquis cordialibus aliquoties abluatur, sexies hinc desuper spiritus vini rectif. cohobetur, residuum per trihorium in crucibulo igniatur, tandemque abstractus vini spiritus super id deflagret: Dosi à granis sex ad 20. etiam cum 12. granis, usque ad 25. magisterii vel sulphurum scammonii: larga sane similiter dosi, & quam nostratium quispiam temere vix aut non, ii vero, qui in chirurgicis quoque quidvis ibi sustinent, facilius forte tulerint, aut post sinisteriorem eventum pro Chimicorum remediorum indifferenti viruletia allegarint. Vt abstracti prius, adeoque acidis particulis,* (quarum tamen separatio intenditur,) *vix hinc destituti spiritus vini deflagrationem prætereamus. Cæterum quod reliquorum hujus classis circa titulos, colores, &c. variationem attinet, exempla passim in Chimicis nonnullorum designationibus inveniuntur; & generosiores quoque Medicos quandoque humani hic quidpiam passos cernimus. Calomelani cultissimi D. Riverii paulo ante facta fuit mentio. Antidotus Quercetani* (per

quam

quam hoc in genere liberalis) *Lysiponos antimonium est diaphoreticum paulo protractius calcinatum, aut cerussa antimonii diaphoretica D.Schroderi. Antidotus polycresta ejusdem, si secundum laudatum modo D. Schroderum sicca forma adservetur, vix aliquid ultra mercuriū vitæ; Anima vitrioli Mynsichti*, (per totum similiter hic nimii,) *croco vitrioli martis usitata longè inferior. Candidissimus alias à A. Sala, nihilominus in Scriptorum suorum appendice*, (de erroribus in præparatione Medic.) *de duritate & materia perlarum, sole diaphoretico per sanguinem draconis chimici præparato, thyro ab aquila rapto & à tartaro liberato grandius quid loquitur. Quod tamen postmodum D. L. Combach quaternione de istius antidoto pretioso pariter obscurata edito, intelligibilius fecit. Ut sequiorum seu nimis olim hic Paracelsizantium Arabicas mageve Barbaras inscriptiones, seu alias è titulis præter rem quid assectantium compositiones taceamus: v. g. Fioravantæ olim lapidem Philosophorum; id est, mercurium præcipitatum, particula croci martis*, (cum aurum additum aqua ejus fortis vix solide attinget,) *sociatum: Bovii Herculem, angelo Salæ per quam quidem commendatum, jam olim tamen notissimum, & a posterorum auro vitæ parum differentem: è recentioribus Azoth Heslingÿ parochi in vicinia officio depositi, adhuc dum hic locorum & in Ducatu VVurtembergico vel è mordaci scripto noti. Excellentiss. D. D. Michaëlis in prælectionibus pro mercurio cum sole & Luna præcipitato aliquando habuisse docebatur. Sed perquam de accessoriis hisce dubitamus, nota nobis paupertate hominis, in hoc quidem planè apostolici: aurum enim & argentum non habebat. Alia hujus sortis suo loco adducemus. Sic quoad colorationem ejuscemodi remediorum tincturas non rejecimus: siquidem contra incompetentes & à professione nostra alienos inquisitores ita obnubuntur, atque ægrotantibus semetipsa eo magis commendant: sed nimia tantum hinc promissa, majorem ve ob partis forte gravi accessum, expectationem. Nam v. g. Rosa vitæ mineralis A. Salæ peculiari quaternione adeo commendata, à D.Tenzelio* (circa colorem interea fere hæsitante,) *postmodum in Exegesi protracta. D. Rolfincio olim è Brendelii c. 7. in prælectionibus, & tandem l. 5. chimiæ, s.6.c.14. clarius tradita, post abstractionem additamenti quasi mentalem in essentialibus suis mercurius vitæ est; aque ac magisterium corallorum rosatum, pæoniatum D. Mynsichti, Rolfincii, &c ab ejus processus plumoso; pulvis Scammonÿ, polychrestus, santalinus, scammoniumque rosatum, gummi gutta santalinum aut rosatum. Eorundem ab ipsis simplicibus depuratis illorumve magisteriis parum in effectu differt.*

TEXT. LUDOVIC.

p Cui bono tanta 2. *Salium vegetabilium fixorum* series, etiam Adstringentium, Refrigerantium, Aromaticorum, aliorumque profecto hic ineptiorum) proventu nonnullibi aucta. Productionis modum, (ex essentialibus,) equidem in suo precio, 3. donec

NOTÆ.

p Cui bono tanta salium vegetabilium fixorum series, &c. *Nam in recentissimis quoque taxis ac dispensatoriis sal perfoliatæ, plantaginis, acetosellæ, borraginis, buglossæ, altheæ, malvæ, satyrii* (ad conceptum,) *Cinamomi reliquorumque aromatum, liliorum convall. ac consimilium volatiliorum, carminativorum, scorbuticorum, &c. item melissæ chamemelique utriusque sal seorsim legimus. Et quanta porro est cultissimi Mynsichtii etiam in compositis facilitas? dum præter panis triticei sal in speciebus Diasaturni, apoplecticum quoque* (ex eruca quoque, Cerasisque nigris,) *Epilepticum*, (è palma Christi, cineribus volucrium, &c.) *Pectorale*, (è liquiritia, althæa, consolida majori, &c) *Cordiale, stomachale ac Carminativum ex aromaticis, croco, cydonii, &c proponit: ni generalis vis incisoria in subjectis quibusdam una requiratur, promissis destinationibusque hic suis certe longe inferiore. Num scil. simultanea partium simplicis sapidarum, præcipue fixiorum*, (inter deflagrationem) *colliquatione, unione, alia configuratione, &c. prodeant. Quæ recentior doctissimorum virorum, & inter hos etiam VVedelii* (Pharmac. in art. for. l.2. s.4. c. 4.) *videtur sententia. An vero*, (quod post D. Takenium aliis quoque pariter doctissimis, etiam è Helmontii quibusdam locis complacuit,) *ligato potius sale volatili ab acido quodam; diversimode licet, & quandoque forsitan profundius requisito: dum obscurior adhuc appareret talium proportio; & producti per similem* (salsi acidique) *mixturam sapor foret alius; superficialiorque*, (ceu vel tartari oleo passivè disjiciuntur.) *consociatio; manifestior denique post disjunctionem restantis acidi deprehensio*, (ceu alibi de collecto per tartari nitrique deflagrationem alcali denuo monebimus;) *ac sulphuris insuper mineralis* (in accessorio suo acore) *oleosarumque vegetabilium particularum, salia sui generis volatilia promptius amplectentium haut exigua fortassis disparitas. Ut enixi experientissimi D. Barneri salis speciem quasi quandam tacitè hic supponi prætereamus. Aut demum & tertio, num alcalia ista, inter disgregantis ignis turbas, è salis votatilis parte, arrepto vicino sibi sulphure* (secundum Blas Humani Helmontiani §. 43.) *quasi ligata exurgant: perque sulphureas ibi particulas oleosa qua tales tantum intelligantur; quod è dicti tractatus* §. 38. (præter alcalinorum cum illis intimiorem præ acidis amicabilitatem,) *non sine specie quadam colligeret aliquis: utut interea complicatæ pinguedinis* (ceu l. c. loquitur] *proportio similiter indeterminata tantisper maneat: adeoque hinc nihilominus per destillationem multa residua oleositatis pars prodire queat aque ac in deflagrationibus cum alia salis volatilis portione*, (mage forsan perfunctoria, vel aliter proportionata his copula,) *in fuliginem abit. Imo ulterius hæc novi Luminis cap. 2. videri posset extendere Polemannus*, (Helmontianorum alias satis gnarus;) *scil. ad transmutationem usque sulphurearum in alcalinas particulas: ni paulo durius hic* (si Helmontii loca, salisque è Resinis consimilibusque paucitas conferantur,) *effatum c.5. modificaret, & plane secundum supra allegati Blas Humani §.38. explicaret.*

2. *Salia fixa vegetabil.*) Salia sunt in triplici differentia, nempe vel fixa, vel volatilia, vel mediæ naturæ essentialia dicta. Respectu fixorum *AVTHOR* eorum luxum perstringit, loco xxx. duo sufficere docens. Horum productionis modus est artificialis per ignem, unde non præexistunt in concreto, sed fiunt demum sub calcinatione, in qua ab igne sulph. vegetabilium, in occulto semper acidum existens, colliquescit, hinc eidem liquefacto occurrit sal volatil. in omnibus vegetabilibus copiosum, itemque sub hac colliquescentia simul aliquid aereæ substantiæ arripitur, adeoque ex his tribus novum concretum, nempe sal fixum emergit, quod ipsum corpus instar calcis vivæ est, quod in hac sit major substantiæ terreæ abundantia.

3. *Donec natura ignis clarius detegatur*) Sanè ignis natura non est ampliùs ignota, cùm sit motus concitatissimus & velocissimus particularum sulphurearum, ita ut etiam materia ignis sit sulphur in recessu acidum; forma verò motus velocissimus

substantiæ pinguis. Efficiens est sal aeris nitrosum, solvens pinguia, quæ solutio si sit concitatior, ignis adest, sicut flamma est ignis, cui multum aëris interspersum: *Conf.* MAYOUV *de spirit. nitr. aëreo*, & HOOCH *in Micrographia*, qui habet egregia de scintillis ex silice prolectis per microscopium observata. His præsuppositis, quæritur an salia fixa vegetabilium differant inter se, ita ut coincidant cum suorum simplicium viribus, & verbi gratia sal fraxini habeat vim diureticam, fumariæ antiscorbuticam, plantaginis adstrictoriam? ℞. in salibus his communiter præparatis per superficialem calcinationem nullam esse essentialem differentiam, sed quoad vires coincidere, utut in accidentalibus proprietatibus differant, demonstrante TACHENIO vitriolum & mercurium præcipitatum in aqua simplici soluta diversimodè per alkalia diversa præcipitari; non secus ac VVELSCHIUS *in Hecatost.* annotat, sal fixum centaurii minoris igni injectum crepitare, ac BOYLE sal fixum Nicotianæ nitriforme esse scribit, cùm tamen aliàs alkalia figuram cubicam habeant; unde tria illorum nempe absynthii cardui bened. & fumariæ, Pharmaciæ selectiori satisfacient, reliquis spretis. Ac quidem usus horum universalis est, quo (1.) potentissimè absorbeant quæcunque acida. (2.) Vi saponaria instar lixivii viscidas mucilagines in ventriculo resolvant. Et (3.) evadant in corpore nunc diuretica, nunc sudorifera, pro ambientis ratione; si corpus tegatur, sudorem concitant, sin minus, urinam. (4.) Omnia alkalia fixa in cura intermittentium febrium & morborum chronicorum polychresta sunt. Equidem virtutem horum specificam BORRICH. *Hermet.* p. 349. indicare vult, sed hoc non sperandum de salibus vulgò præparatis, sed ad modum TACHENII *in clave* confectis, quæ & spem palingenesias vegetabilium promittunt. Cæterùm loco horum salium fixorum sufficere etiam potest nitrum per pulverem carbonum, vel cum ana sulphuris in alkali fixatum, nam & hoc ejusdem cum illis naturæ est; aut in promptu etiam esse potest sal aliquod fixum catholicum, ex aliquot simplicibus calcinatis prolectum.

TEXT. LUDOVIC.

ignis natura clarius detegatur, tantisper relinquimus: q & multa inter se non solum copia, coagulo, figuratione, verum etiam

NOTÆ.

q Et multa inter se copia, coagulo, &c. *Ita vero Gramen, Borrago, Beccabunga, acrioresque* (forsitan liberiores sic salis volatilis) *herbæ splenetica, Tilia, Fraxinus, Abies, &c. respectivè parum dant. De ligno sancto, helleboro similibusque egit in Mantissa* (deducta ratione) è præpollente particularum salinarum nitrositate. *Zvvelferus: Et cum per unum alterumque annum animi gratia collegissemus hactenus è candelis pro fumo, ad imitationem Mynsichti* (sed simplicissime tantum,) *è styrace Benzoe ac Ladano cum mucilagine tragacantha formatis cinerum duas tandem uncias, vix habuimus inde crassamenti salini flavescentis Scrupulum dimidium, odore tamen ac sapore, præsertim primitus in lixivio, simplicia sua satis, referentem. Ex adverso, ex absinthio, carduo bened. Artemisia, Millefolio, Chelidonio, Ononide, &c. equidem copiosè provenit; ut id genus cinerum satis albentium,* (quo facit, si perfunctoriè saltem combusti, denuo arenæ loco capellæ in distillationibus indantur;) *Libra facile præbeat salis sat puri & alibi uncias præterpropter quatuor: ceu circa talia versatis alias notum est. Ita quod ipsum coagulum diversamque configurationem concernit, Onodinis, v. gr. quasi arenosius est, tenerrimum Borraginis, foliatum quasi Chelidonii majoris, unctuosius. Centauri minoris; quod insuper pulveris Pyrii instar accensum strepere notavit Hecatostea 1 observatione 25. Celeberrimus D. Velschius: ceu antea idem in extracto ligni Guajaci D. Zvvelferus in append. & nos aliquando in carduibened. decocto inspissato,* (post aliqualem asservationē nitrosis speculis affluētissimo,) *igni similiter per crucibulum postmodum exposito. Dum autem iste carduus, Absinthium ac consimilia,* (intus nitrosè salina, oleosis quoque particulis satis simul instructa,) *nihilominus plurimum salis fixi dant; circa universalitatem rationis, superius de paucitate aliorum à D. Zvvelfero data, hæsitare forsitan hinc posset quispiam, Ideales verò illas simplicium in congelato lixivio figuras, à Quercetano* (Herm. Med. defensionis c. 21.) *usque ad & ultra Borellum,* (Cent. 2 Obs. 21.) *nonnullis hodieque traditas, invenire hactenus haut quivimus; phantasia forte nostra non adeo extensibili. Advertit id pridem curiosissimus Boyleus Dissert. 2. de Experim. frust. nec ante cum Helmontius, cineribus Ens seminale figurativum, Archeo,* (qui inter deflagrationes hic ablatus est,) *debitum: denegans, cōcoquere potuit; toties* (in Tractatu formarum ortus, ad dispensatorium mod. inscripto,) *in Quercetanum invectus. Depinxit è cella januа accidentarium hujusmodi Phænomenon diligentissimus D. Regius Fundament. Phys. c. 6. Totaque die in conglaciata aliquousque urina videmus Filicis, Polypodii vel etiam abietis folia, picato tamen vase pro potu, lentis haut usi: Et in aqua f. superficie, cui non solum tartarus pulverisatus, verum etiam corallia, oculi cancr. Concha, &c. levigata superinspersa* (cum aliquali agitatione) *fuerint; imò in ludicro illo puerorum liquore pro bullis saponario, eosdem botros, ac qui è tartaro cum proprio sale cocto* (essentiali tum resolutione) *provenire dicuntur. Ita nec alcalium sementa unquam frugifera deprehendimus; utut sat pura millefolii, chelidonii & artemisiæ* (tanquam herbarum cujusvis fore soli,) *Salia terræ, ad id quoque præparata, hactenus aliquoties crediderimus; præcipuè recentiorum P. A. Kircheri in M. S. autoritate, & curiosissimi Dn. Rochas tract. de Aquis mineralibus, bina de urtica simplici saltem, vel inspissati combustique succi sale contestatione moti. Nam P. J. Fabri Alcali, in Panchymici c. 2. ad ignem fluens,* (indeque commodè à D. D. VVendelio Phar. art. l. 2. s. 2. c. 4. notatum,) *profecto singularius fuerit. Et quod serenissimo nostro superioribus annis Illustriss. Comes D. H. referebat: Cineres sc. radicum graminis offic. aut filamentorum turffis implicatorum terræ inspersos, tenerrimum dare gramen: aque quispiam* (dum in Pinetis fortuito, aut Frutetis alibi data opera, agrorum hinc formandorum causa combustis, tale resuscitativum temere vix deprehendatur) *ad primam quasi communemque terræ* (præsertim lætamine hoc, alias Pratis destinato, eoque penetrantiori suscitatæ) *inclinationem referre posset: ceu inter penitus accidentaria,* (in notoria variaque talium ad distantiora quoque delatione,) *Dn. le Fevre, mediam Helmontii vitam, formarumque incorruptibilitatem pro se part. 2. c. 9. Manud. Chim. hic adducentis, fœniculi ex ipso elutriato jam cinere germinationem. Cum diversissimorum seminum, simpliciterque saltem destillatorum residuum toties hinc inde dispersimus, nulla tamen talium pro pullulante hinc plantula: ut D. Highmori D. Anat. l. 1. pag. 4. c. 5. & ante cum aliorum decocta* (præteritis inter ebullitionem nonnullis) *superficialiora, & Nucistarum* (postquam ab avibus cum cortice devoratæ & iterum excretæ) *nihilominus* (Saar c. 5. Milit. Indicar. Neuhoff. Leg. Tart. p. m. 360.) *reviviscentium ad instar fuerint. Sed hæc, ceu quoque semina fortuita in aqua f. vel destill. saltis alte surgentia, tenerioresque mentha, melissa, &c. stolones radiculas tandem in ea agentes directè hic non pertinent.*

TEXT.

TEXT. LVDOVIC.

effectu quadantenus hinc differunt r Requisita tamen Alcalium adaptatio vel prædestinatio ſ nihilominus ultra duo diaphoretica & diuretica. t (præsertim in ea Nitri, eo varie facileque disponendi parabilitate) vix ac ne vix quidem requirit. Ceu alias laborum minus prodigi solitarie cuidam v *Catholico*, è symbolizantibus aliquot aperitivis ac sudoriferis junctim confecto, æque feliciter acquiescunt. Porro vero, qui hocce remedii genus (secundum enchirises, aliis hactenus sufficienter traditas paratum, x *simpliciter sic, & citra repetitas* 4 *fusiones*, (revera depredatorias,) asservare voluerit, haud inconsulte forsan

NOTÆ.

r Requisita tamen Alcalium adoptatio &c. *Nam Quercetani aliorumque de indifferente, eminentiore, imo resuscitativa specificarum virium possessione hyperbolen,* [Spag. med. def. c. 23.] *jampridem agnovit A. Sala, Tartarol. ſ. 3. c. 2. Quandam tamen nihilominus participationem ibidem admittens. Num è Helmontii Tractatu Blas Human.* (ubi suam Alcalibus ponit Rempublicam, & §. 42. Sal alcalisatum denuo volatilisari dicit, manente concreti proprietate,) *eadem similiter deduci quadantenus queat*; (cum Tractatu Potestas Medic. alibique saponaria ac resolutiva, seminali vero virtute orba ponit,) *inquirere nostri non est instituti: id vero tot annorum versatorumque in Praxi Virorum experientia certum, quandam inibi circa effectum*, (Alcalium tamen naturæ generalibusque proprietatibus conformem, *in Diaphorisi, Dieuresi, vi antifebrili, aperitiva &c.* [pro variantiũ hic, eoque declinantium simplicium ratione) *differentiam deprehendi. Ulterior enim extensio utplurimum ipsi eorum destinationi simul repugnat; & de proprie Antepilepticis, cordialibus &c. superius modo dubitavimus, ceu jam olim, cum Cichorii, Acetosæ, Acetosellæ Sal simplex*, (eminenter enim Vitriolatorum, ceu D.D. Rolfincius l. c. c. 6. habet, alias tum esse potest ratio,) *nobis ut attemperans aut rifrigerans Hepaticum cõmendaretur; quo titulo in Manuali quoque Practico materia Medicæ Schronc. legebatur. Purgantia, speciosa licet, pridem tamen alii, & novissime curiosissimus D. Rhedi tr. de Viperis notavit, cum in Adstringentium etiam alcalibus vim, ceu D.D. Rolfincius l. 5. ſ. 1 art. 1. c. 3. limitavit, abstersivam, si ad ℥iß darentur deprehendisset. Proculdubio autem* (uti quoque Excell. D.D. Dorrichius Sap. Ægypt. p. 2. c. 4. advertit,) *asserta hodiedum Aliquibus uniformitati ansam dedere excessiva talium*, (pro more acquirendoque majore candore,) *Calcinationes, quod è simplicis sui prosapia absorptum quasi restitabat, teneriusve erat, sub indifferente Impuritatum nomine dissipantes, ut facile quarta pars primo minusque albenti coagulo, vel prima vice decedat, & diversa insuper particularum invicem hic complicatio vel conformatio invertatur: quo equidem demum vulgari Tartari Sali, præcipue in acredinis intentione magis magisque accedant; ut tamen ne sic quidem disparitatem supradictam penitus exuisse videantur: ceu v. g. Mercurii atque Martis* (apud D. Tachenium H. C. c. 7. & 16.) *per vegetabilia satis*, (vel Absinthii ibi exemplo) *alcalisata salia nihilominus diversicolor præcipitatio* (proculdubio pro variante adhuc residuarum, præsertim sulphurearum particularum participatione intentior vel remissior,) *persuadere posset; quemadmodum & varians talium concretio, seu configuratio; ac supradicta in Gummatum quorundam cineribus observatio si forte supernatans, in Tartari Vitriolati confectione, qualiscunque sulphureitas accidentariæ retentioni, aut tantillum oleositatis, quod sub violentiori salis Tartari, Aceto destillato saturati destillatione plerumque provenit, Aceto absorbenti æque, ac ipsi Sali adscriberetur, licet posterius in pure acidis profecto difficilius ac tardius contingere videatur præ mixtis illis, urinoso volatili simul constantibus spiritibus, Tartari v. g. Mannæ, Mellis, Lignorum duriorum &c. post destillationem & diligentissimam Filtrationem nihilominus denuo*, (præcipue Tartareis,) *multum viscosæ oleositatis deponentibus. Experientia interea dictorum Alcalium disparitatem, quodque ex. g. sal Absinthii evidentius, antifebrile ad diaphoreticum quam* (quod alicubi opponitur) *Sal Tartari commune sit, ostendente.*

ſ Nihilominus ultra duo diaphoretica & diuretica &c. *Siquidem communes Alcalium Proprietates sunt incidere, abstergere &c. adeoque nec Affectus nec ipsa Medicatio, ubi qualitates istæ non quadrant; Salia ex appropriatis simplicibus scorsim exigent: nec per istorum admixtionem felicius tractabuntur: ut si v. g. Opium, in quo tamen vim incrassandi sistendi, ac demulcendi quærimus, stimulantibus hisce*; [præsertim in vomitu, vel diarrhæa symptomaticis, dysenteria, &c.) *pro usualium Liquorum vel Tincturarum confectione*; (quo Glauberi Alcahestina correctio e I. parti Operis miner. referri quoque posset,) *indifferenter sociaretur.*

t Præsertim in ea Nitri, &c. *Uti sunt Nitrum fixum commune ac Glauberianum, Antimoniatum è Diaphoretico, & mage fixum è Croco metallorum, Sal polychrestum è Sulphuris ac Nitri deflagratione Glaseri, Arcanum duplicatum &c. partim diaphoresin partim diuresin magis sollicitantia.*

v Catholico, è symbolizantibus &c. *Dum alias Tartari sal, Nitrum fixum similiave polychresta nomini non suos in usus quasi parergos proveniunt. Id vero pro lubitu combustis invicem aliquot parabilioribus Hydroticis & aperitivis spleneticis, Absinthio sc. Artemisia vel Millefolio*, (Sale jam Tartarol. c. l. æquipollente,) *Fumaria Chamædry fœm. Chelidonio maj. &c. facile tum forteque instituto nostro convenientius, quam si cum aliquibus indifferenter omnia, vel cariora quoque, parciorisve salis simplicia concremarentur; aut Aquarum spleneticarum, diureticarum, sudoriferarum, per Vesicam abstractarum Remanentiæ, ab affuso Liquore perquam exhaustæ*, (similiterque longe minus hinc, ac competentium particularum haud exiguo sic destituti Salis dantes,) *huc adaptata fuerint.*

x Simpliciter sic, &c. *Vel si aliquanto minus albens displicuerit, solutione tantum ac filtratione depuratum: utut hic quoque modus partem forsitan non adeo inutilem subtrahat; indeque eam candoris affectionem in privata Praxi semper neglexerimus: Ceu alii cum Crugnero in Vere Chim. post sufficientem exhalationem, plane hinc forma liquida Tincturæve instar adservare voluerunt: cum salia ipsa alias in vehiculo solvi debeant, ultimamque sui partem*, (communi via aut tandem effundendam, aut si una exiccetur, coagulum ad deliquium mage disponentem,) *ita perdant. Verum ejuscemodi* (necessario) *fusiores doses reipsa ingratiores sunt, ipsaque residua, minus coagulabilis pars, tanquam sale longe magis alcalisato constans, tantisper forsan posset negligi; vel eorum exemplo, qui Talia sponte repetitoque facilias testo statim vase, instillata spiritus Vini particulas, &c.) crystallisata colligunt.*

4 *Fusiones*) Salia hæc fixa vegetabilium purificari solent dupliciter, nempe solvendo ea in Aqua simplici sæpius, & denuo evaporando, vel repetitis fusionibus in crucibulo, & hinc solutionibus itidem in Aqua; interim fusiones nil valent, quia vis seminalis (si quæ residua adhuc est (prorsus perit.

TEXT. LUDOVIC.

(ob varios indicationum scopos ,) fecerit : *y* Nec tamen qui ad liquabilitatem eo magis impediendam , *ζ* sulphuris pulverisati v.g. cochlearia aliquot flagrantibus herbis inspergit potius , quam super sal jam confectum comburit , haud protinus *Diaphoreticam talium vim* , (ceu alibi quoque monuimus ,) *pervertet* *a* quamvis sal oppido hinc aliquantum ligatum vel alteratum adeoque (loco lixivialis saporis) potius amarescens , *b* admixtosque salis Armoniaci flores (secus ac purum Alcali facit,) perferens erat. *c* Qui denique specialius , in certas circumstantias , Alcali suum 6 *per sensibiliora additamenta* determinare intendet, per nos equidem , (v. g.) aliquod , magis Diaphoreticum , *d* *Nitri spiritu vel* (profecto hic innocenti) *Aqua forti* , pro more saturare poterit. Nec tamen *nitrosum hoc coagulum* indicationibus , *e* pure lixiviosum sal potius exigentibus , semper convenit : nec ex adverso cum nonnullis , (*Regenerationes Nitri* tradentibus ,) communis Nitri loco simpliciter æstimari potest ; aliud vel solis vasis stanneis , (si diversus operandi in medicinâ modus deforet ,) testantibus, *inter exhalandum enormiter hinc* (*abusuali vero Nitro neutiquam*) *denigratis* , *f* Nihilominus facilior præsentiorque est hujuscemodi ligatio seu

NOTÆ.

y Nec tamen, &c. *Nam & modo dicta , in vesicis desuper sat muniantur, humidiuscula tandem in udo fieri incipiunt ; præsertim si è vitis prosapia fuerint ; v. g. quod è Sarmentis eruderatisve eorum caudicibus consit.*

z Pulverisati sulphuris cochlearia aliquot flagrantibus herbis inspergit potius &c. *Siquidem sub anatica quoque Sulphuris ac Cinerum proportione nihilominus permultum non coagulabilis , aut in granulatum Sal redigendi Liquoris* , (quem dein communi Tartari oleo citra perceptibilem hujus huic variationem addidimus ,) *remanet, ut exiguo hoc herbis tenuiter hinc inde insperso semper contenti fueramus ; ceu olim Hartmannus aliique , inter secretiora tum habentes , aut pene hyperbolice commendantes ; D. Zwelfero quoque moderationem mixturam in notis ad mantissam p. 453. tandem admittente. Uti sane consumpta usquedum haud exigua talium quantitate , vim diaphoreticam & antifebrilem inde remissiorem non deprehendimus : imo nec ipsum ejuscemodi Sal , è primo nigricantique incineratarum herbarum coagulo cum ana Sulphuris)* inter erumpentes aliquas quasi nitrosas scintillulas) *ustulato extractu è dicti primi coaguli unciis duodecim , per præmissam hic filtrationem , sæpe vix uncia dimidia , ad summum drachmis sex crassamenti tunc secedentibus : quemadmodum absorpti quoque & in Lixivio hærentis Sulphuris* , (alias innoxii ,) *potissima pars inter hujus evaporationem* , (æque ac Nitri fixi , è Croco Metall. vel Antimonio diaph. superstitis coagulatione contingit ,) *sponte ac flocciformiter subsidet.*

a Quamvis Sal oppido hinc aliquantum ligatum vel alteratum &c. *Ut ad Enixorum classem sic pertingat. Sed horum saturatiora quoque nihilominus videmus diaphoretica : v. g. Arcanum dupl. Sal supra dictum polychrestum , aut Glauberi f. 2. c. 53. è pulveris Pirii remanentia separatum &c. quo longe profusioris mixturæ Tartarum Vitriolatum , Crollio aliisque , nec præter rem , expresse simul diaphoreticum , volatilia præterea salia , per Vitrioli quoque spiritum Glaubero jam fixata prætereamus ; & quod , qui Alcalia per Acidorum concursum produci statuunt, modum hunc eo minus rejicere posse videantur.*

b Admixtosque salis Armoniaci , &c. *V. g. in Sale antifebrili Mynf. simili ve recentius alicubi proposito : ubi sive simpliciter mixta reponantur , sive novum solutorum ingredientium coagulum tentetur , sal Volatile pro more per quam evaporare percipimus : dum inter sulphurata quiescit , præsentiori simul effectu.*

c Qui denique specialibus in certas circumstantias,&c. *In evidentiorem sc. Diaphorisin, Diuresin , aut aperientium attemperationem quandam in ebullitionibus.*

d Nitri Spiritu vel Aquæ forti &c. *Ceu plus vice simplici sal Cardui bened. vel Absinthii , sed cum domi destillata , aliasve per innocentes abstractiones emerita ita paravimus ; innoxium hinc sane ; uti si de Vitriolicis particulis quid una surgeret , accessio ejus pariter , vel Nitri Vitriolati Mynf. Salsve Nitri compos. antifebrilis l. 5. s. 1. artic. 2. c. 8. Chymiæ Rolfinc. exemplo foret innoxia. Licet indifferentem hinc , specialiorique destinationi seorsim non præscriptam Pharmacopolarum quorundam ejuscemodi combinationem merito interea taxet l. c. D. Zwelferus. Requiruntur autem pro dimidia Salis libra* (in s. q. aquæ s. soluta) *spiritus Nitri levioris unciæ præterpropter tres , fortiores duæ : atque sic de Aqua forti quoque & habentur inde coaguli nitriformis sicci* , (in charta tamen tractu temporis madentis ,) *unciæ septem , aut pro puritatis ratione paulo amplius.*

e Pure lixioviosum Sal potius exigentibus , &c. *Ita degeneres è Tertianis Quotidianæ Alcalia simplicia vel sulphurata , Arcanum duplicatum &c. facilius è salino genere ferre videntur. Nec in symptomaticis Malignarum Diarrhæis ac Vomitibus Nitrosa hæc* , (licet alias sat efficacia ,) *uti nec Nitrum ipsum in Mixturis refrigerantibus , adeo conveniunt.*

f Nihilominus facilior præsentiorque est , &c. *Alia proculdubio , & ceu Nobiliss. Boyleus quoque Tractatu de Nitro advertit forte superficialiori*(qualem etiam inter Tartarum Vitriolatum & Alcalia sulphurata comparationem similiter instituere forrasse posset quispiam ,) *Nitrosorum hic copula. De cætero quod prioratum inventionis hujus Regenerati Nitri attinet , jam ante Glauberum quoque, D. D. Rolfincius nobis in prælectionibus ac manuductionibus Chimicis Sal Cardui bened. spiritu Nitri saturatum ostendit. Utpote in diaphorisi penetrantiore , sique laboriosi Aceti destill. pondus* (adoctuplum sæpe , pro acoris ratione extensum,) *spiritui Nitri saltem cum Alumine destillato conferas parabiliore nitrato hoc sale, præ allegato , ab A. Sala in Essent. Vegetab. Appendice descripto, & perquam in deliquium prono Oxysaccharo. Vegetiora pro diaphorisi sunt Alcalia cum proprio vel analogi Vegetabilis Spiritu acido saturata, & à modo memorato Glaubero F 1. c. 26. aliisque postmodo admodū cōmendata: ni propter Spiritus empyreuma utplurimum ingratiora existerent.*

5 *Liquabilitatem* (Dicta salia facilè liquescunt in Aëre, unde pro hac liquatione impediendâ quidam sunt Authores , qui sub calcinatione inspergunt pulverem sulphuris , verùm hoc sulphur aspersum sub deflagratione vim suam acidam eructat, adeoque hinc emergit tertium salinosum, particulas Aëris non amplius imbidens ; alii cineres vegetabilium cum pulvere sulph. miscendo denuò fundunt , de quo vid. *Basil.* CROLL. *edit.* HARTM. verùm & hâc ratione salia alkalia destruuntur & sal salsum emergit, unde quoque ejusmodi nec dieuretica nec diaphoretica amplius sunt , imò si solutioni Sal Armoniacum addatur , omnis reactio avanescit ; adeoque in sal volatile urinosum non diriniitur.

6 *Per sensibiliora additamenta*) Hæc salia fixa quibusdam videntur nimis generalia , unde illa acidorum additione , ut Spir. Nitri aq. f. quæ tutò adhiberi possunt , specificare solent, sicque in corpora nitriformia transmutare, adeò ut & T A C H. dicat, perfectum Nitrum hinc resuscitari posse; interim aliqualis

lis adhuc intercedit differentia inter verum nitr. & regeneratum ejusmodi, cum Nitrum in vasis stanneis solutum post evaporationem nullam iisdem afficiat maculam, secus atque à Nitro regenerato conspicitur; ratio diversi hujus phænomeni est, quod in regenerato nitro adhuc terræ quid lateat, alkali adhærescens, hincque maculam nigram relinquens.

TEXT. LUDOVIC.

8 saturatio, quam quæ (7 *Oxysalis diaphoretici* cujusdam exemplo) cum Aceto destillato confit. Uti si (pro diuresi quoque) similem, *salis alicujus & Aceti destillati combinationem* quis quærit, solus terræ foliatæ liquor, (alias polychrestus,) instar omnium largiter satisfacit. *g* Saturatio vero cum Salis spiritu, nonnullis eodem fine instituta, inter tot acceptiora Diuretica profecto nil singulare, & salinam solum massam promit, quovis culinario *h* (ceu etiam de spiritus salis Ammoniaci, cum sale Tartari destillati residuo alibi notavimus,) acriorem. 9 *Alcali* denique quoddam, seorsim (alterationis ac roborationis causa) *i* per *Vitrioli spiritum*, sed copiose, *l* (ne tantum Tartari Vitriolati simile quid exeat,) *affusum acidulatum*, *m* in contractiori hoc apparatu vel solum Nitrum vitriolatum nostrum supplebit: aut extemporanea quasi nonnullorum *n* nec inefficax *Mixtura alterans*, quæ sale quodam diaphoretico, v. g. absinthii, cardui benedicti &c. in Aqua destillata soluto, & spiritus Vitrioli s. q. exasperato constat.

NOTÆ.

g Saturatio vero cum Salis spiritu, &c. *Talia etiam è Fraxino, Junipero, Mentha, Portulaca marina, Sarmentisque vitium, Magisterii Titulo* (libr. & sectione sæpius citatis c. 7.) *proposuit D.D. Rolfincius aperitiva in suo genere. Nimium vero tribuisse videtur ipsi Salis spiritui, super sal Absinthii similiter coagulato Mynsichtius, nemoque forsitan tantum renovativum ac Cordiale, præsentaneumve in Dysenteria, Apoplexia, Paralysi, Hernia &c. auxilium facile invenerit. De cætero supradicta, moderata tamen, consociatio ac imitatio interea quoque ad aliqualem constitutionis & naturæ Salis communis illustrationem facere fortasse posset; ac qui quantumque exotericæ quasi* (cujatis etiam) *corpulentiæ Aciditati volatiliori, hoc in genere, præter propter copuletur seu inhæreat. Uti quoque Gassendiarum Mixturarum occasione, ipsorum salium nativorum aut factitiorum* (ratione gravitatis) *inter se differentiam, nonnunquam ad confusorum distinctionem, contentorumve*, seu integrorum, seu phlegmatis saltem aut terrestrioris corpulentiæ) *quantitatem aliquousque determinandam tunc conferentem hanc aliquando notavimus. Soluta sc. in unciis quinque una Salis com. nostratis siccissimi uncia, vitrum præcise similiter quinque unciarum aquæ s. capax, muria ista repletum, uncia dimidia duobusque scrupulis ad lancem invenimus gravius restantibus equidem, , pro totius mixturæ complemento aquæ ita salitæ drachmis tribus cum uno scrupulo. At Nitri uncia in eodem aquæ s. pondere soluta, idem vitrum hinc repletum, tantum uncia dimidia unoque scrupulo præponderabat; remanente residua solutione præcise drachmarum trium duorumque scrupulorum. Salis Ammoniaci vero eodem dissoluto pondere, dictum vitrum solum duabus drachmis erat gravius: restantibus extus reliquis sex drachmis. Ex adverso Sale Tartari siccissimo eadem ratione tractato, è Vitriolo com. Goslariensi*, (ut hoc quoque addamus) *ut & ex Alumine superpondium diversum à dictis fuit. Residuo interea conjunctum pondus semper explente. Sed hæc obiter.*

h Ceu etiam de spiritus Salis Ammoniaci, &c. *Anatico adhuc passim tum temporis Ingredientium pondere*: (cum postmodum copiosius Alkali pro totali volatilitatis propulsione requiri oppido observatum fuer r.) *Sal è prioris modi residuo, volatilis pluscculum*, sive (Igne simpliciter sublimatorio, sive adjecto insuper sale Tartari denuo tentetur,) *adhuc dum retinente, D. D. Michaëlem olim, Rolfincium alioque pro singulari aperitivo atque nephritico adhibuisse notum est. Eleganter autem prius, & antequam invicem in coagulum striatum perfecte exiccentur, salinæ hic particulæ in liquore suo primitus plumarum instar, & earum quadam* (de sale culinario,) *ad latera vasis figura cubica concrescunt.*

i Per Vitrioli spiritum, &c. *Uti talia laudatissimus D. Rolfincius l. c. c. 6. è Cichorio & Absinthio proposita intellexisse videtur.*

l Ne tantum Tartari vitriolati, &c. *Cui accedit V. C. D. Hoffmanni, in Thesauri Pharmaceutici s. 25. Proportio è Salis Absinthii ℥ij, spiritus Vitrioli ℥ij: Aperitivo interea non contemnendo; ac vulgatiori Antifebrili Riverii Mixturæ è salis Absinthii ℈i vel ʒß. spiritus Vitrioli guttis sex vel decem*, (cum Aquæ cichorii s. q.) *simili.*

m In contractiori apparatu, &c. *Per Mynsichtii commendationem id magis tum frequentari noxaque suspicio, de Nitrosorum cum Vitriolicis mixtura*, (etiam ubi nitrositas ipsa abit, & fixa salina pars, quasi alcalisata remanet,) *eo tempore adhuc validior, sensim minui cepit. Usurpavimus autem usquedum simplissime saltem & citra repetitam in spiritu Vitrioli Mynsichti mersionem præparatum; sat interea acidum & efficax. Si sc. spiritus Vitrioli optimi libra una*, (alias dimid. ℔. re quirerentur,) *à Nitri, non tam in striis concreti, quam corpulentioris libra dimidia, in cucurbita curta divaporetur Arena igne, tandem sat valido, donec amplius nec Nitrosi spiritus exire, nec materia in fundo, per agitantem* (sæpeque sic sponte inibi accensam) *rudiculam ligneam fluere percipiatur; Coaguli albissimi pleramque unciis septem usque ad dimidiam fere remanentibus. Servari quidem poterit evolans alias* (pene unciarum sexdecim cum dimidia,) *Spiritus, ab Aqua forti tenuiorive Nitri spiritu, odore, sapore, & inter procedendum colore, effectu denique nil differens; Si labor per retortam instituatur; in tempore tamen*, (dum sub ultimo Nitri rubore recipiens jam refrigerari incipit, & materia in fundo quasi siccata apparet,) *ignem remittendo: ne propulsa simul*, (quæ cum fixa Nitri parte coagulata persistere debebat, (*aciditate Vitriolica, amarescens solum Nitroque fixo communi similis massa tum proveniat. Quo ipso insuper alicui Coaguli ratio, quâ secundum D. D. Zwelferum spiritus Vitrioli cum Nitro propter affine Acidum facilius combinari* (Mantissæ pag. 455.) *dicitur, quadantenus fieri posset dubia.*

n Nec inefficax Mixtura alterans, &c. *Convenientiori, si herbacei saporis aut inodora fere, vel è pluvia Martia Roreve potius, quâ sapidiorum odoratiorumve vegetabilium fuerit, ex. gr. Rosacea, Rubi Idæi, Frago um &c. ordinaria postmodum vehicula, jura, cerevisiam &c. ingratiora seu nauseabunda reddentes.*

o Et spiritus Vitrioli s. q. &c. *V. g Hujus partem unam. Alcali complacentis duas recipiendo: unde acor quidem remissior: quæsito vero per acidi spiritus pluscculum, intensiore, potior pars tum concrescit.*

7 *Oxysalis*) *AUTHOR SALA in præparatione essentiarum* Oxysal diaphoreticum ex sale cardui benedicti, & acet. destillato habet, verùm hujus loco terra foliata tartari, vel ejus liquor in frigido loco ex illa resolutus sufficit.

8 *Saturatio*) Saturari & à quibusqam alkalia fixa solent cum spir. salis, sed ità simpliciter sal commune aut idem ac sal antihypochondriacum accipitur.

9 *Alkalica per spir. Vitrioli*) Alkalia fixa cum spir. Vitrioli in salinosum tertium, quale est Tartarus

Vitrio

Vitriolatus, abeunt, loco cujus & Nitrum Vitriolatum sufficere potest juxta *LUDOVICI Tr. de volatil. sal Tartarri p. 72.* ex solutione Vitrioli in Aqua communi facta, & cum Nitro verè fixo praecipitata, factum, coagulando hinc liquorem in crystallos, qui dant arcanum duplicatum, ejusdem usus atque Tartarus Vitriolatus juxta *TACHENIUM*, ex Vitriolo Martis cum sale Tartari paratus & praecipit. Tandem loco hujus Nitri Vitriolati commendat *AUTHOR & pag. 52.* mixturam extemporaneam alterantem, quae ipsa est mixtura febrifuga *CROLLII*, & *HARTMANNI, ubi agit de febre tertiana*, sicut ejus quoque usus prostat in *RIVER. obs.* Nempe.

℞. *Aqua cichor.* ℥j. ad. ij.
sal absynth. ℈j. ad ʒß.
spir. Vitrioli gutt. vj. ad ix. haec mixta 2. horas ante paroxysm. & assumpta non contemnenda sunt.

TEXT. LUDOVIC.

p 10 Nec *Essentialia* porro *vegetabilium salia* (*q* superioribus annis satis hyperbolice depredicata,) *r* ulla requirit necessitas. *Nitriformibus* sanè, non quidem, (si ritè, quamvis taediosius, ex uno pluribusve symbolysantibus simplicibus parentur, inelegantibus, tot nihilominus sudorifera & detergentia parabiliora aequipollent. *E Tartareis autem acida illa crystallina*, sponte in condensatioribus sui generis succis concreta, *s* nulla specialis observatio supra communium crystallorum tartari contubernium

NOTAE.

p Nec Essentialia porro vegetabilium salia, &c. *Ita proculdubio Antecessoribus dicta, quod citra violentiorem simplicis sui analysim, inhaerentia jam, & Alcalium posmodum fundamentalia spicula, hic*, (licet uniformiter) *concentrata seu coagmentata, spiritum suum, oleum atque sal fixum ejusve* (ut bolaria) *analogum Cremorem, praebeant. Indeque forsan etiam impositum olim Volatilium nomen, à Beguini quoque Commentatore adhuc retentum est. Inter salium vero censum suo modo suaque latitudine relata videntur, quasi secundum aliquam Attributionis Analogiam, dum omne Sapidum à Salino deducitur Principio. Quamvis interea non pure salsa, nec in frigido*, (quod Sala Tartarol. s. 2. c. 4. potissimum urgebat,) *sint solubilia, oppidoque hinc infimum gradum constituant Bolaria, ipsa tamen salinis particulis* (vel spiritu teste) *intimius haud plane destituta; Atque per dictum modo Praesuppositum Dulcia quoque nonnulla à nonnullis huc relata sunt; utpote similiter in se Essentialia; sive spontanea de caetero fuerit*, ceu de saccharo Indo olim traditum, interea tamen secundum Neuhofii Legat. Tartar. p. 355. ad adultiores Bambustolones id quasi pumicosum saltem & nativo dulcore fere destitutum est:) *sive mitiori tractatione conquisita: v. g. Sacchari usualis species, & Sapa, Rob Iuniperi Mellisque*, (si referri huc poterit) *diutius adservatorum* (in Append. Furn.) *concrementa, saccari confectioni Glaubero superioribus annis destinata; nihilominus configurationis ratione*, (uti in canthisatorum coagulo, aliorumque fere cubica,) irregulari licet, (forma videmus,) *ad Tartaream naturam hoc in passu declinantia, eoque per competentem fermentationem haud difficulter*, (quamvis nobisquidem non in promissa adeo copia, *redigenda.*

q Superioribus annis, &c. *Proculdubio tam ob novitatem, quam, ob notatam aliqualem adhuc conconstitutivorum participationem: unde etiam illa* (v. g. apud Beguinum c. 17. & Mynsicht. s. 11.) *pro dosi adsignata paucitas. Interea, ut suorum simplicium vires equidem exacte ac indifferenter haud referant, nec temere quispiam in Tartaro, quam D. Zvvelferus Append. p. 68. pro exemplo reponit, cuncta Vini essentialia quaesiverit; quasdam tamen ejuscemodi coagulo competentes, ex istis hac, & quidem evidentius retinere experientia monstrat, etiam in Bolaribus nonnullis; quod ipse A. Sala quoque*(licet in Aphorismis. Alcalibus saltem aequipararit,)*l. c. conjectavit: Glauberus p. 1. Operis mineral. & f. 3. c. 23. generatim speciatimque agnovit: nec ipse D. Zvvelferus*, (in Pharmacop. reg. tit. de Pulveribus ac Speciebus alibique,) *Sal essentiale Acetosellae Stomachicis ac Hepaticis, Nasturtii è Spleneticis, & in prioribus Editionibus Scordii, Centaurii min. Cardui bened. Absinthiique è sale Theriacali*(ubi tamen postmodum p. 278, parabiliora Crystallisatuque faciliora istorum Alcalia substituit,) *&c. exesse voluit.*

r Ulla requirit necessitas. *Nam ad Tartareum genus, nisi forsan analogice*, (ob dictam principiorum participationem,)*indifferenter*, (quod jam ante D. Zvvelferum append. p. 74. contra Laurembergium volebat Billichius,) *cuncta referri commode vix poterunt, vel evidenti Coagulationis differentia. Et in Carduibenedicti decocto rite inspissato*, (dum Succi ad sextae tantum partis remanentiam exalati, & bolare saltem aliquid, in Tartarolog. s. 2. c. 5. A. Sale sic dantis, alia est ratio,) *striolas oblongas diaphanas plus vice simplici vidimus, quadoque tamen infeliciores, ut toto dissoluto, post filtraturam, sal illud postliminio haud semper seorsim recuperare potuerimus; ceu quoque circa Rob Juniperi. Sapa, &c.* (alterius licet speciei)*similiter pluries contingit. Pertinent autem huc, quae Extractis Lignorum nonnullorum, Hellebori, Chelidonii &c. inhaerere, supradicta deflagratio ostendit: Absinthii porro, Fumariae sociorumque diaphoreticorum sua; quamvis interdum inaequaliter granulata potius, quam in striolas concreta, nec tamen vere hinc Tartarea. Numne etiam D. D. VVedelii ex Opio: l. 2. saepius laudata Pharmacop. c. de Salibus? nobis enim in nostris quidem Extractionibus tale quid oblatum non est hactenus.*

s Nulla specialis observatio, &c. *Quidpiam enim nonnullis v. g. Acetosae, Acetosellae &c. dari posset. Quod autem in Citri succo nil tale concrescat, A. Sala jam l. c. c. 3. annotavit: ratione simul seu in subtilitate ejus*, (quo D. Zvvelferi de frustranea, pro intensiori acore, concentratione observatio pertinet,)*seu in aliqua viscositate quaesita. Ex adverso Tamarindorum copiosum est ac elegans; singulare Melissae, planta praesertim Citri aemula; vulgatior è Ribium, Berberum, Cerasorum, Mororum*, (quamvis etiam mucilaginosiorū,)*succis ad quartae vel sextae partis remanentiam exhalatis*, (Cydoniorum vero, quo tandem quid concrescat, satis inspissato;)*diutiusque singulis ita repositis. Fallimur autem, aut ejus generis quoque fuit, quod in terrae*) *Catechu* (per Acetum dest.) *extractione aliquando invenimus: siquidem è vegetabili prosapia*, (cum Mineralem, potissimum è Terrarum ibi natura, per Itinerariorum relationes tum crederemus,) *esse docuit peculiari Tractatu Cl. V. D. D. Hagendornen. quaeque ex Anguris, Asparagis &c. adduxit laudatiss. D. Velschius L. 1. Hecatost. obs. 78.*

10 *Essentialia salia*) Haec non sunt propriè dicta salia, sed saltem concreta salino formia, & parantur ex decoctis & succis vegetabilium, depuratis & nonnihil inspissatis, sic enim concrescunt haec cum sal. Horum parandi modum proposuit primus *ANGELUS SALA*, sicut post eum *ROLFINCK in Chymia.* Caeterùm haec salia essentialia vegetabilium sunt vel propriè vel impropriè sic dicta. Propriè dicta sunt iterum vel salinosa vel Tartarea. Impropriè dicta sunt saltem sedimenta impura & bolaria: Parantur talia ex lupulo, carduo bene. salvia, &c. Unde his missis propriè dicta salia essentialia considerabimus, quae ipsa, uti diximus, sunt vel Tartarea saporem acidum habentia, & parabilia, uti

est

est tartarus vini, succus acetosæ & acetosellæ, item tamarindorum decoctum, quæ omnia post blandam inspirationem coëunt in corpora ejusmodi salino-formia. Vel salia essentialia Nitrosa, qualia præparantur ex succis & decoctis vegetabilium amarorum & amarore penetrante præditorum, ut absynthio centaur. minore. Hæc si ritè præparata cum propriô alkali combinentur, fit inde nitrum perfectum inflamabile instar nitri mirabilis, quod mirandum. Porrò inter hæc mediæque naturæ sunt salia dulci sapore prædita, uti est saccharum, itemque ex musto nonnihil inspissato concrescens, non secus ac ex passularum succo proveniens; jam E. salia essentialia nitriformia & Tartari formia non sunt adeò in Praxi selectiori necessaria, quippe loco Nitriosor. vi detersiva & sudorifera insignium aliâ longè parabiliora prostant; Tartarea verò nullam prærogativam habent præ Tartaro communi, hinc & loco horum cremor Tartari sufficere potest. Impropriè dicta salia essentialia nil valent, sed quia fæces, aut parùm vel nihil de vi medicatâ obtinent, nec aliquid bezoardici inde sperandum.

TEXT. LUDOVIC.

usquedum magnopere extulit. Nec in *Bolaribus* vel *Arenosis* sedimentis, uti talia in inspissatis quorundam diaphoreticorum, *t* vulnerariorum diureticorumve succis vel decoctis, *u* nonnunquam etiam per accidens, (ob neglectas pro nitriformium conquisitione enchirises,) subside à quidpiam tantopere Bezoarticum vel Diureticum, *x* uti nos quidem aliqua tentavimus) invenire potuimus.

y 1 *E volatilium vero vegetab. salium* censu *z* suffecerit intentioni nostræ vel unicum ac parabilius; sed congrue *a* (inter tot

NOTÆ.

t Vulnerariorum diureticorumve succis vel decoctis &c. *Ita A.S. Carduibened. Scordii, Ononidis, item Salviæ ac Lupuli l.c. recenset: ac copiose similiter ex Alkekengi, Hederæ terrestris, pulmonariæ arbor. Plantaginis &c. spissamentis secedit.*

v Nonnunquam etiam &c. *Dum v.g. incrassatio succorum est insufficientior; indeque proculdubio bolare modo dictum A. Salæ concrementum, succo ad sextæ tantum partis remanentiam evaporatio.*

x (Uti nos quidem aliqua tentavimus &c.) *Nec tamen hinc plane sunt effæta; ceu in Ononide & Alkekengi deprehendimus. Item in Plantaginis sedimento simili, inter Hepatica &c.*

y E volatilium &c. *Dari enim* (plus minus, pro cujusve simplicis natura, seu aciditate forsan inibi prævalente, volatilesque sic particulas retinente] *talia, & quidem citra* (exceptionibus hic forsan expositum) *fermentationem aut incinerationem præviam, per simpliciorem saltem resolutionem, forsitan vel Fuligo ostenderit, & jam olim, circa summitates & semina non adeo aromatice oleosa occuparemur, etiam simpliciter tantum, & citra Calcis vivæ similiumve additionem ea destillationi subjiciendo, disjecta* (quasi per sylvestre quoddam Gas,) *sub Volatilis lanuginosi Salis eruptione, retorta non una didicimus. Sic usitatum* (sub liquoris forma,) *tunc quoque erat famigeratiss. D.D. Glasso, quod copiosissime è siccatis Vini fecibus per retortam provenit, imo expositis figulino furno, in olla tecta eorum frustis, desuper insigni quantitate sublimatum aliquando notavimus; alibi inter Salis Tartari Volatilis species relatum;* (quod qui Sal Tartari fixum hic præsupponunt, forsitan videbitur inconvenientius:) *alibi, quod etiam D.D. Schrockius refert, vermiculis in fecibus sita obsitis natis imputatum. Verum, qui recentissimas, statim post primam Musti s. novell. Vini* (circa quadragesimale tempus] *separationem, & ardentis spiritus abstractionem, ad Solem vel in furno siccari sivimus tale quid ea præcipue copia, è compactis hujuscemodi throlis concipere tantisper nequimus. Glauberianum modum per peculiarem Furnum prosecutus est D.D. Rolfincius Chimiæ l. 5. s. 1. Art. 1. c. 11. Et in Retorta paulo capaciori procedi opus similiter, præcipue in plātis amaricantibus,* (præsertim post compressionem aliquantum incalescentibus) *acrioribusve. Sique violentiora hæc æstimentur, etiam mitiori calore Salinæ Cochleariæ, Nasturtii, Sinapi, Piperitidis, Urticæ, &c. particulæ secedunt; gustu, ebullitione ad concentratiora acida, ac coagulo tandem perceptibiles. Et si quæ amplius in exemplū & cōtra D. Zwelferi,* (quod miretur aliquis, *sub Pharmac. Reg. p. 216. negativam,* (forsitan sub fervore disputationis contra fixorum simplicium Aquas) *adduxit ante aliquot annos Nobiliss. D.D. VVedelius, in peculiari tractatu de Glasti Volatili sale: quod cum per insignem Evaporationum Acredinem, nares & oculos perquam ferientem, primus hic observasset, amice adhuc ante abitum nobiscum communicabat; utrobique tamen non sine quadā circa universalitatem hæsitatione: quo, cum de Amaricātibus jamdum ex parte constaret, alia quoque inconveniētiora præcipue visa, ulteriori experientiæ similiter subjicienda putabamus. Serenissimo sumptuum ac laborum subsidia graciose offerente. At interveniens ejus Morbus cū recidivis, impedimento erat, quo minus vel circa Lilia cōvall.* (tanquam facillimæ post paulo duriores tractationes putredinis,) *ea quidem ratione, & ceu in Aprico,* (dum secretior fere tum temporis Liquor, post diuturnam in cella repositionem penetrantissimus D.D. VVedelio quoque l.c. 3. notatus, per enchirisis disparitatem æstimari forsan potuisset,) *quiquam tentare quiverimus: uti nec circa vulgare Gramen: cum Fœnum adhuc humidius, inconsiderate conditum & ad flammæ pene eruptionem incalescens animi olim gratia cum aliis bina vice distrahentes, nil urinosi, sed mucidum saltē vaporū odorē percepissemus. Quercus demum folia,* (tanquam sub adstrictione sua quasi Vitriolica ab ejuscemodi volatilitate perquam remota,) *Glasti modo in globos* (facilius quam siccius Absinthium,) *redacta, post justo quidem diuturniorem asservationem, in se accensa, expirarunt in superimpositum instrumentum Liquorem, herbacei quid olentē, simul tamen, inter diffusius phlegma, salini aliquid sapientem; ut pro obscuratiorum expeditiori manifestatione, spiritū Vitrioli rectific. ac concentratiorem,* (conjecturali nec adeo perceptibili proportione) *instillaremus; post lenissimā evaporationem coagulū aliquod salinū quasi ammoniacale nacti: ac dubio procul plusculum, si recentiores globos parili ratione tractare licuisset. Atque hæc sub observationis istius initia, quæ pluribus experimētis c.l. ampliavit ac dilucidavit postmodū Vir curiosissimus.*

z Suffecerit nostræ, &c. *Aut in contractiori Praxi, sufficientiūque Animalium intuitu, quandoque forte nullum: siquidem Sal Tartari volatile laboriosius fuliginis fecumve Vini* (citra tædiosas resuscitationes) *graveolētius videbitur, aut uniformia sunt omnia; quod de suis per extremam putrefactionem peculiari modo præparatis, concessit in Transactionibus Anglicis curiosus D.D. Cox; Evaporationes autem Glasti imitatione collectas odoranti ac gustanti, sub percepta diversitate aliqua, quadantenus fieri posset dubium: ceu D. VVedelii rectificatus quoque spiritus post annum non unum, Isatidis in areis suis odorem & in sapore simile fere quidpiam, inter urinositatem suam præ se ferebat: Oleosique aliquid forsitan hic quoque Salinis particulis, vel Fuliginis exemplo, sub prima præsertim separatione adhuc complicari posset; cum per artem hodie, alia licet enchirisi, tantisper tamen liberaliusque sociari queant.*

a Inter tot hactenus processus, &c. *Exemplo sint tot circa Sal Tartari Volatile conquirendum processus, quorum haud paucos Dissertatione peculiari tū retulimus; Materia inferius suo loco commodius consideranda.*

1 *Volatilia vegetabilium salia*) Notum est, quod salia volat. ex animalibus promptiss. & simpl. destillatione parentur; jam verò cùm & vegetabilia turgeant Salibus volatilibus, mirum est, quod illa non tam

am promptè, quam quidem animalia suggerant hæc. Cæterùm ratio differentiæ hujus, quod nempe difficilius vegetabilium Salia acquirantur, consistit in eo, quod in animalibus adsit parùm vel nullum acidum ligans Sal volatile, sed hæc vel moderato adhibito Igne spontè avolant; sed omnia vegetabilia habent acidum plus minus manifestum seu occultatum, quod, dum incipiunt fermentari, se prodit, sociatum semper Sulphuri plus minus abundanti; hoc E. acidum pingue in vegetabilibus ligat & qs. figit eorum Sal volatile. Quæritur autem, quâ ratione Salia volatilia vegetabilium sint parabilia? ℞. Fundamentum præparationis consistit in eo, ut destruatur acidum illud plus minùs pingue, sicque liberatum Sal volatile sui juris fiat. Hoc fit triplici modô (1.) per putrefactionem; nam dum putrescunt vegetabilia, sub ipso actu Sal volat. agit in Sulphur seu pingue concreti, in recessu semper acidum, quod ipsum destruit, hoc destructo fit illud sui juris, sicque emergit Sal volatile Urinosum. Et hic modus est *VVEDELII.* (2.) per combustionem seu calcinationem, quâ ipsa destruitur (nempe mediante Igne) Sulphuris textura, hincque Salia volatilia libera fiunt, & cum parte Sulphuris ab Igne intacti avolant in fuliginem concrescentia, quæ destillata dant copiosum Sal volat. simile animalium Sali volatili. (3.) Modus procedit ex oleis vegetabilium destillat, quæ nil aliud sunt, quàm Salia volatilia concentrata à pinguedine in occulto acida; nam inesse oleosis omnibus acidum, probatur ex eo, quòd ea cum alkalibus fixis combinata invicem coagulentur in corpus saponi-forme, unde ex oleis destill. fiunt Salia volatilia, quando illis additur Sal fixum, quod intercedente blandâ digestione imbibit eorum acidum, adeoque disolvitur oleum seu pingue, quô dissolutô, sal volatile in oleo contentum fit sui iuris, potestque inde destillari. Atque hâc ratione *HELMONT.* ex oleo destillato cinamomi sal volatile, sicut itidem ex oleo destillato terebinth. acquisivit. Jam. quæritur an salia volat. vegetabilium sint distinctæ, an verò ejusdem naturæ? ℞. Quæ componuntur per putrefactionem vel etiam calcinationem, omnia sunt ejusdem naturæ, neque pro usu Medico differunt, cum per putrefactionem pariter ac Ignis vim destructa sit textura vegetabilium seminalis, & sulph. concreti dissolutum, adeoque salia omnia uniformia emergunt; contra quæ ex oleis destill. prodeunt; Salia volatilia adhuc inter se differentiam aliquam habent, & sulphur concreti participât; interim & horum locô olea eorum destillata simplicium usurpari poterunt, ceu in quibus crasis seminalis est concreta. Hinc observavi sal volatile ex putrefactâ menthâ à sale volatile absynthii & chelidonii maj. paratô non fuisse distinctum.

TEXT. LUDOVIC.

hactenus processus, parum vel nil, aut inversum potius quippiam, post varios labores tandem relinquentes,) paratum, *b* idque forsan commodissime 1 *liquida seu spiritus* (uti vocant, consistentia. Nam solitaria quidem modo pro magna sui parte disparent, modo in seipsis saltem liquescunt, & ægrè utrinque dispensantur: *c* per Salis autem vel Vitrioli spiritum qualitercunque ligata, (licet insigni deobstruendi ac detergendi facultate sic quoque polleant,) à nativa tamen & nonnunquam expetita hic simplicitate, ad *Ammoniacalem* quasi naturam & saturationem, (ceu quoque in Diss. de Volat. salis Tart. notavimus,) vertuntur; *d* nec adhærens empyreuma insolidum ita deponunt.

Inter 2 *Volatilia regni animalis Salia*, *e* cum specificas (quamvis nonnullis adhuc præsuppositas (vires Vulcanus oppide præcidat vel alteret, nobis similiter satisfacient forsitan duo saltem, & præterpropter, Eaque pariter *liquidâ potius*, tanquam asservatu ac dispensatu commodiori consistentiâ, *f* *in proprio scilicet spiritu sive liquore*, cum aliquota spiritûs vini parte, super cineres

NOTÆ.

b Idque forsan commodissime &c. *Licet & sub hoc adservandi modo Salis Tartari Volatilis Facumque Vini aque ac Calcis vivæ urinosus spiritus, eo ipso fine mediocriter solum rectificati, semet* (quamvis vitro sat obturato,) *tractu temporis tamen subduxerint, vappæ quasi tantillo relicto. In Animalibus v.g. Cervino, Viperino, Ammoniacali &c. rectificatioribus solitariis vel Corallisatis Solive sociatis id alias quotidianum est.*

c Per salis autem vel Vitrioli spiritum qualitercunque ligata, &c. *Item per Acetum distillatum; quo famosissimum tum Sal Viperarum volatile figi superioribus lustris nonnulli judicabant. Spiritus Salis autem, vel Vitrioli,* (Glaubero etiam hunc in finem propositus) *hic quoque; secundum Zvvelferianum, circa sal viperinum, modum, p. 275. haud difficulter applicari poterit. Quod vero interea duo hac invicem saltem* (citra notabiliorem inversionem) *complicentur, per utrinsque recuperationem,* (Urinosæ sc. partis, adjecto Alcali; Acidæ, associato Marino vel Minerali aliquo solubiliori,) *satis nunc notum est: quemadmodam & experientia,* (præter faciliorem Evaporationem, materiæque cujusdam quasi sulphureæ, sub acidorum instillatione separationem,) *constat, quandoque simplicia nilque sic passa hujus generis Salia, inter penetrantiam evidentiorem, in Cephalicis atque Malignis inventa fuisse præsentiora.*

d Nec adhærens empyreuma, &c. *Nisi per tadiosas fixationes ac repetitas resuscitationes,* (cum multa interim dispensatione,) *ab adhærente, præcipitationique tum cedenti sulphureitate vel* (remissius licet,) *per simplicem solum solutionem atque coagulationem magis liberentur.*

e Cum specificas vires Vulcanus oppide præcidat vel alteret &c. *Deleri enim penitus similiter vix dixerimus simpliciter: dum Sali fixo disparitatem quandam hic suo pariter modo, absque tamen eminentia in certas destinationes tribuerimus: uniformem configurationem, complicationem; mobilitatem &c.* (per diversas præcipue caloris seu Ignis gradus atque species,) *deduci adeo credibile, vel differentiam istarum circa odorem, saporem, consistentiam &c. intuenti protinus probabile sit. Experientia ostendit, in Maglignis spiritus cornu Cervi & Urinæ,* (utroque licet penetrantissimo,) *diversitatem tamen aliquam in operatione reperiri, sicque forsitan Helmontio* (Tract. Sextupl. Digest. & tr. Aura Vital.) *Sal urinæ secundum species Animalium differt: & sanguinis humani ab Urina dicto sale non differt, nisi quod ille Epilepsiam curet. Plura pro more eleganter hunc in finem proponit Excell. D.D. Borrichius, Sapient. Ægyptior. l. 2. c. 4. Suffecerint nihilominus interea in cõpendiosiores usus duo illa: Cervinum & Armoniacale: cariore nec penetrantiore vel reipsa validiori, fœtentiore interea Viperino, curiosiori Eboraceo Monocerotis marini, Ungulæ & Cornu alcis, Cranij humani &c. tãtisper sepositis.*

f In proprio scilicet spiritu sive liquore, &c. *Sic enim* (pro ratione tamen Volatilitatis) *constantior ac durabilior plerorumque videtur unio, quam si solitarius, hic perquam se una subducens Vini spiritus reciperetur.*

1 *Liquidos spiritus*) Melius salia volatilia vegetabilium in formâ salini spiritus asservantur, cum ità non ideò facilè evanescant, & promptius dispensari queant; ut taceamus eadem in formâ sicca asservata facilè liquescere, pro natura alkalium omnium. Dicis, atque possunt ea coerceri fixatione, nempe per spir. salis vel Vitrioli? ast quid inde aliud emergit, quàm sal commune Armoniacum, adeoque ejusdem cum hoc detergentis puta & deobstruentis efficaciæ. Cæterùm monuimus per putrefactionem & calcinationem facta salia volatilia vegetabilium esse ejusdem naturæ, unde quæ crasin adhuc aliquam seminalem obtinent, aliò modo

modò præparanda; nempe non penitùs putrescant vegetabilia, sed sub medio putredinis sine motu Igne forti destillentur, sic enim spir. & Sal vol. de Oleo participans, & crasin adhuc quandam obtinens prodit, utut minùs spiritus hac ratione acquiratur; v. gr. ℞. absynthium, quod leviter exsiccatum reponatur ad putredinem incohantem, quâ præsente exsiccetur iterùm, & hinc in retorta Terrea forti Igne destilletur, sic Sal *volatile & spiritus Vrinosus* prodit. Adhunc modum præparat *D. N. ZITTMANN.* Conf. etiam *GLAUBER: Impref-Ofen.* Præterea in semine sinapi singulare quid latere videtur; quandoquidem mistum illud cum calce vivâ, & destillatum exhibet spiritum Vrinosum, saporem & odorem adeoque & crasin sinapi referentem. Huc spectat spir. piperis hortensis saporis acerrimi, quod vel solitariè, vel cum spir. vini per arenam destil. dat spiritum adeò acrem, ut tota vis simplicis in eo latere videatur, atque hoc unicum ferè simplex novimus, quod Sal volat. tam promptè dimittat: Interim liquor hic, utut sit acerrimus, nullam solutionem per acida factam, neque ipsam solutionem Saturni cum acetô factam, quod aliàs facilè fit, præcipitat, quod mirum.

TEXT. LUDOVIC.

vel alcali quoddam pro more, rectificato) dissoluta: missis sic tot tædiosis, nec parum dispendentibus (pro rectificatione) *sublimationibus* g supervacaneisve *prius Fixatorum* (per superadditum postmodo sal Tartari,) *resuscitationibus*; imo (ni certis planè de causis compositum aut mage portatile quidpiam hinc expetatur, ipsis *Fixationibus*, h diversimode pridem per Aceta tum vegetabilia tum mineralia institutis.

NOTÆ.

g Supervacaneisve prius; &c. *De quibus in exemplum D. Zuvelferi & D. Takenii concertationes circa adeo superioribus lustris decantatum æstimatumque Sal viperinum, vel primo saltem capite super Hippocrat. Chim. degi queunt. Sane ut laudatus modo D. Zuvelferus vulgaris quoque Salis* (per commune, s. marinum) *falsationes p. 274. Animad. alibique detexit: ita isto etiam tempore nimiam secretioris copiam diffidentiores quidam mirabantur, exoterici aliquid urinosi vel Ammoniacalis inibi suspicati: ceu postmodo de Sale Tartari Essentiali id c. l. Zuvelferus adseruit. De cætero semel ac considerate fixatum nacti, denuo ac citra specialiorem rationem levare nollemus; postliminio sic pristinæ disparentiæ exposito sublimato; sique major fuerit Salis volatilis figendi quantitas, perdito una tum spiritu acido figente; utpote cujus sextuplum aut amplius, pro acoris modo, facile requiritur. Frustraneus circa Sal volatile supra cornu Cervi ustum labor olim, alias notus est: & quantum D. Zuvelferus* (Animadverf. p. 276.) *aliique cum sale Fixo* (infido sane volatilium socio,) *Calce viva similibusque profecerint.*

h Diversimode per Aceta tum vegetabilia, &c. *Ita D. Zuvelferus in manuali sua communicatione, Anti Taken. c. 1. coram hoc, Vitrioli spiritum adhibuit: in publicatis autem postmodum Animadversionibus Salinum. Glauberus parte 6. Pharmac. Spag. similiter Vitriolicum super sal Urinæ; genuinum hinc Alcahest, etiam è quibusdam F. M. van Helmont,* (qui tamen talium inquisitoribus haud adeo erat facilis,) *verbis sibi promittens; in exemplum Elixir. propr. Essentias &c. trium Regnorum separationes adducens. Sed & D. Rumelinus jam pridem in Compend. Hermet. ejusciemodi coagula proposuit, ac in specie spiritum Urinæ volatilem, reliquumque è capitis mort. sale destillatum, acido cuidam conjunctum sociatum, salina forma ad grana aliquot commendavit. Oleoasa demum,* (interea temporis, postquam hæc forent edita, partim commendatiora, partim vulgatiora) *huc, quia ex Animali familia facilius copiosiusque habentur, pertinent; fereque se ut subsidiarium aliquod aut incitamentum Helmonianæ volatilisationis* (de qua inferius) *habere videntur. Fixa enim jam olim C. Conrad. part. 1. Medul. dest. p. 13. cum oleo & spiritu ardente,* (quibus post Crollium in Elixirio uterino, etiam Extracta propria, ceu in Zuvelferianis quoque Mantissæ p. 423. Essentiis, superaddita sunt,) *exibuit in Sylvianis vero Mixturis,* (quibus quasi præivere saturatissimæ Glauberi Part. 1. I. Pharm. Spag. ex Oleo saltem & spiritu ardente Tartarisato Essentiæ,) *cum adhuc secretiores essent, statim se prodebat spiritus salis Ammoniaci; & cum post menses aliquot, utut vitro sat obturato, plane se omnis subduxisset volatilitas, in fundo viscidam olei Citri guttam relinquebat; processu facile postmodum hinc exsculpendo; nec incommodo iis, qui Olea Saliave Volatilia ferre queunt, Medicamine, si prævalens utplurimum urinosus odor additione competentium Tincturarum vel Essentiarum,* (ubi præ Aquis quoque Cordialibus spiritus per infusionem Theriacales plerumque aptiores invenimus,) *ulterius obnubatur; ejusciemodique Formula, sive magis Nervina sive magis alexipharmaca, in ampliores apparatus, dum interea vel in Tinctura Bezoartica Mixturave s.* (loco spiritus Tartari cum spiritu Armoniacali urinoso, Vitrioli saltem rorido, Theriacali urinoso, Theriacalique infuso parata) *compendium inveniri poterit, & in paulo diffusiori vehiculo* (alias salis illa oleique copula ex parte solvi occipit,) *complaceat; sive simplici,* (v. g. spiritus urinosi fortioris unciis duabus, olei pro subtilitatis ratione dimidia usque ad integram spiritus ardentis rectif. quinque vel sex præterpropter) *constet; sive subsequa insuper horum Destillatione: Vel Aromaticus saltem salis Armoniaci spiritus per simultaneam abstractionem,* (qualem quoque D. Deckerus in Exercitat. Pract. c. 5. ex Armoniaci salisque Tartari ana libra dimidia, spiritus Vini quatuor, Vini generosi duodecim, & specierum Aromaticarum affiniumque cordialium, carminativorum ac pectoralium quinque fere unciis descripsit,) *præparatus substituatur. Ceu de Theriacalibus s. Viperinis vulgo venalibus, fereque sic Salium olim sacerdotalium æmulis, paulo ante è Zuvelfero notavimus. Remanere vero in plerorumque omnium Cineribus salsi quidpiam, ad minimum sapore,* (si propter parcitatem, oculis coaguli forma nequeat,) *distinguendum, negari nequit: & huc ipsorum Ossium ac Cornuum incineratorum elotiones apud accuratiores Metallicorum Probatores, præter alteratum sub prima talium extinctione Liquorem, forte referre posset aliquis: Licet ista ab ejusciemodi commercio,* (æque ac Mel, in quo tamen debite incinerato vestigia quædam alcalina percipiuntur,) *penitus quasi absolverit. Helmontius tr. Tria prima &c. 3. Lithias. Interea tamen evidentiorem virium in Compositis Essentiisve suis è Tantillo intensionem* (ceu vel inter recentiores P. I. Faber in Myrothecii libr. 1. (sæpe non sine aliqua excessu, & nuper Bolnest. in Auror. Med. p. 1. voluisse videntur;) *aut v. gr. vim sudoriferam hinc in Cornu Cervi usto* (uti variè olim disputabatur,) *præcipue haud expectaverimus? publicisve usibus vel sola parcitatis causa id destinaverimus. Ut enim ex. gr. è sanguine* (commodissime citra laticis proprii effusionem,) *destillato proveniat plusculum; è Carnosis congeneribusque partibus parce satis colligitur, & D. Zuvelferus è mille Viperis vix unciam satis hujus promittit: è viginti quatuor successive aliquando collectis, tandem forte grana ex*

na ex; è *Sciuris quatuor*, *quorum Sal formulis suis contra Vertiginem inserere solebat olim D.D. Rolfincius*, *vix totidem grana habuimus*: *curiosissimus*; *& qui de his Actorum Haffniens. volumine 2. observatione 60. &c. amplius oppido legi meretur*, *D.D. Borrichius ex Aquilinæ carnis unciis viginti*, *scrupulum unum. Ex urina similiter paucissimum*, *communi pene simile nobis sæpius provenit*, *quod pridem etiam Helmontius c. 3. de Lithiasi notavit*, *& suo modo quasi duplicavit*, *&c.*

TEXT. LUDOVIC.

3 *Fixa Animatorum Salia* partim mediocris saltem è plerisque, non sine tædio, (ni mangonium accedat,) proventus; *i* partim exiguus (si inter tot præsentioria euporista specifici quid quæritur,) effectus eo magis à selectu nostro secludit.

l 4 Nec in *Marinorum ac Mineralium quorundam Cremore calciformi*, (qui scilicet ex ustulatis & aqua simplici postmodum perfusis simplicibus, æquè ac olim è *calce vivâ communi*, nonnullis desuper colligitur) peculiare quidpiam invenimus, quod huc

NOTÆ.

i Partim exiguus effectus, &c. *Nec tamen plane nullus*; *præcipue Diaphoreticus aut Diureticus. Remanere enim in iis quoque*, *vel quale quale quidpiam*, *è tot differentibus subjectis*, *præter saporis coagulique diversitatem*, *haud penitus colligeret denuo forsan aliquis*: *Vi abstersive Laxativa*, *aliis Alcalibus in ea* (v. g. ℥iiß. D. Rhedi tract. de Viperis,) *quantitate*,) con*fertim sic aliorsum eunte*,) *communi*, *nihilominus persistente. Nec porro tamen hinc evidentiorem in compositis Essentiisve quibusdam*, (e volatilioribus Animalium partibus concinnatis) *ab accessorio capitis mort. tantillo*, (ceu vel inter recentiores J.P. Faber Myrothecii l.1. sæpe non sine excessu, ac nuper Bolnestus in Auroræ Med. p. 1. voluisse videntur,) *Virium intensionem expectaverimus*: *aut ex. gr. vim Cornu C. usti* (toties olim ex eo capite disputati,) *adeo deduxerimus*: *de promiscuo* (ut speciales quædam Sal Sanguinis humani aut Cancrorum voluerint,) *Officinarum usu vel injunctione*, *per eam ipsam quoque parcitatem alias forte securi.*

l Nec in marinorum ac mineralium quorundam cremore calciformi, &c. *V. g Coralliis* (cum specialiori nonnullibi expectatione,) *cochleis conchis similibusque Testaceis ustis*; *Batavis*, (ceu notum) *Calcis vivæ saxatilis loco passim usitatis. Et hujus quidem Cremor extus in ulceribus sordidis dyssepuloticis &c. haud ineficax*: *in exulcerato vero Cancro spina ventosa*, *Nattis &c. circonspectæ applicationis indigus*, *interque quæsitas separationes dolorem & fluorem haud raro magis irritans. E residuo autem Coralliorum*, (peculiari Tincturæ pridem à nonnullis sic destinatorum,) *Crystalli*, *Sylicum*, (cum sale Ammoniaco destillationi, usque ad urinosæ volatilitatis separationem subjectorum) *post qualecunque istius deliquium sufficientemque dilutionem*, *parile quoque concrementum*, (sed in fundo, & ut integri tantum solutio) *provenit*; (ceu in Schronderianis etiam D. D. Hoffmannus postmodum l. 3. c. 8. notavit:) *æque ac è Glauberianis* (Furn. 2. per capita aliquot sub Liquoris silicum nomine adeo tum commendatis) *salis Tartari dictorumque Silicum vel Arenæ colliquationibus*, *moderate* (alias affusa copiosori aqua quoddam potius Magisterium subsidet,) *dilutis aut deliquatis. E pulverato Talco*, *inter ejus cum Aceto destillato ebullitiones*, *tenuiores adscendunt eo apud D. Schroderum nomine particulæ*: *coagulatur desuper* (variegatum per actionem aëris) *Vitriolum in affinem Mynsichtio ita dictam Animam*, *& si quæ sunt amplius.*

2 *Volatilia regni animalis Salia.*) Hæc facilè parantur; & rectè notat AVTHOR, quòd specificas vires Vulcanus alteret, nam quæcunque animaliū Salia volatilia sive sanguinis humani, sive cranii ejusdem seu bubuli, reverà sunt ejusdem naturæ & coincidunt, cùm Igne crasis specifica alteretur & pervertatur, unde unum, nempe spir. aut Sal volatile C. C. vel Vrinæ sufficiat pro selectiori Praxi: & hæc quidem Salia volatilia asserventur potiùs in liquida quàm solidâ formâ Sublim. nempe ea & rectificata solvuntur in proprio spiritu, filtratione ab omni oleo separato, ità ad ℨß. vel ℨj. optimè poterunt propinari. Cæterùm additio spir. vini quam habet AVTHOR est frustranea, & sufficit proprius spiritus ab oleo separatus. Salia hæc volatilia animalium polychresta sunt, & non sæpius sublim. ea, nam quò sæpius subl. eò magis separata vi specificâ (si quæ superest adhuc) castrantur; equidem fœtent Salia hæc, dum de oleo participant, interim fœtor hic non est contemnendus, quippe qui sudoriferus, alexipharmacus, & detersivarum virium est. Fixationes autem Salium horum volatilium ex animalibus nihil valent, cùm ea non sint figenda, neque per spir. Salis, neque Vitrioli, secùs enim inde emergit concretum instar salis armoniaci, præ hoc nullâ prærogativâ obtinens. Equidem possunt Salia volatilia per acidos spiritus fixata additione Salis Tartari absorbentis acidum figens resuscitari, dùm hâc ratione Sal volat. iterùm prodit, ast labor hic inanis est, cùm taliter non differant planè à spir. Armoniaci. Alii tandem figunt dicta Salia animalium per acetum minerale, aut etiam acetum commune; verùm sic castrantur. Æquè alii spiritu æruginis figere ea tentant, sed par ratio subest, adeò E. potiùs in formâ nativâ asservari debent.

3 *Fixa animatorum Salia*) Hæc occurrunt parci proventus, hinc quidam negant ea elici inde posse, ast malè; interim commodius ex liquidis animalium partibus v. g. sanguine bubulo, quàm ex durioribus ut C.C. eliciuntur, ex quibus paucissimum & vix tantillum fixi Salis acquirere licet; ratio est, quia in animalibus parùm acidi invenitur, à quo tamen intercedente pingui aliàs emergit Sal fixum. Cæterùm, cum Salia fixa nō observata sint singularis fuisse effectus, propterea ex Praxi selectiori eadem exclusa volumus.

4 *Marinorum ac Mineralium quorundam cremores calciformes*: (Monuimus suprà, quòd Ostracoderma post calcinationem abeant imperfectam calcem, ex qua cremor calciformis colligi potest; par ratio est cum crystallo, ex quô calcinatione cremor elicitur, verùm hic cremor præ calcis cremore nullam prærogativam obtinet, unde in hoc cum AVTORE N. quiesc

quiescamus. Usus ejus est magis externus, utut & internè pro ulcerationibus partium internarum, phthisi, &c. ordinari à nonnullis soleat. Porrò & aliæ dantur solutiones, salium nomine venientes, quando nempe corallia, perlæ, oculi cancrorum solvuntur in aceto, & post aliqualem menstrui abstractionem crystallisantur, qui chrystalli salia dicuntur, sed & hi nullius sunt pretii; quin potius laudem merentur extemporaneæ istæ misturæ ex *SYLVIO* cognitæ quarum intuitu illis carere possumus in praxi selectiori. Tandem habet *AUTHOR* hæc verba: *Solutiones Marinorum cum aceto destill. factas,* quibus ipsis insultare videtur *ZVVELFERO*, eos *in append. animadv.* contemnenti, ideo quòd essent noxæ; verùm bene simul respondent, quòd dictus *ZVVELFERUS* & solutiones cum spiritu vitrioli factas & à se recommendatas noxias pronunciare debuisset.

TEXT. LUDOVJC.

conferri mereatur. *m* Certè, quoad ipsas, vulgò ita dictas,) *Solutiones*, diffusior quoque Praxis haud ultra duas hac tempestate exigit: licet omnis istarum series *plane conformi nobis simplicibusque menstruo parata fuerit*: quo reliquos vulgatioresque processus eorumque variationes, *n* per immerentium *torturas & calcinationes*, *aut menstrua penitus adversa* procuratas, pridemque satis traductas, eò confidentius tandem hinc expungemus. *o* Quod autem his nonnulli superioribus annis *Solutiones marinorum & ostracodermorum cum aceto destillato* factas tanquam corrosivas, (ob abusus noxas) annumerarint, constat quidem *p* eo ipso tamen suasmet & aliorum, eodem interveniente præparatas *Tincturas*, (hactenus innocentes,) *q* & ex parte ipsamet solubilia per spiritum æruginis magisteria eidem notæ immerenter involverunt.

NOTÆ.

m Certe quoad ipsas solutiones, &c. *V. gr. Martialem quandam aperitivam; ubi vitriolum Martis factitium facile præque aliis hujus generis salinis concrementis suffecerit: & saturninam; sive saccharum vulgare cum aceto solum destillato, sive Zvvelferianum cum æruginis spiritu fuerit. Ni alumen forte dulcificatum, ac vitriolum mart. calcinatum adstrictorium;* (dum ærugo crystallisata spiritus caussa potissimum paratur, & in chirurgicis ipsa ætugine vel vitriolica veneris solutione facile suppletur,) *superaddere placeat. Corallina enim, & siquidem placeat, oculorum cancri liquida forma fere videtur aptior; reliquorum, margaritæ,* (si licet) *crystall. lapidis lyncis, Judaici, Nephritici, &c. adhibitio in substantia plerumque præsentior.*

n Per immerentium torturas, &c. *Exemplo saltem sint corallina; & qui talium quidpiam jam olim diversimodè quæsitum sit per varias istas calcinationes, solutiones in spiritibus etiam salinis, nitrosis, &c. præ acetosis vulgaribus, eorumque* (è vegetabilibus nonnullis) *affinibus, longe ingratiora coagula relinquentes, aut in succis vitriolice-acidis, simplex arrosum tantummodo,* (vel maximam partem) *dimittentibus: item per alcalinas,* (Silicum instar) *Glauberi fusiones aut ejusdem cum tartaro* (F. 2. c. 77.) *coctiones, nitri in nitro corallisato associationes; vel super saturnum, cujus anima sic* (in nitro anodyno minerali Saturnino) *saturari inque refrigerando intendi dicitur, deflagrationes: processu tamen vel additamentis corallorum natura seu destinationi plerumque parum convenientibus.*

o Quod autem his nonnulli superioribus annis solutiones, &c. *Sali hoc perlarum superiori seculo contigisse, multotiesque Chymicis remediis à Billichio quoques* (Thessali redivivi, c. 15.) *nonnullisque postmodum objectum fuisse, notum est; observatione vel relatione de Episcopo quodam Vratislaviense, ac Marchionissa aliqua in Craton. l. 1. Epist. 2. ansam dante. Verum aceto, etiam plenariè destillato abstractivè phlegmatis residuo,* (alterutrum enim radicari nomine intelligendum videtur,) *aut paratis inde solutionibus vitra, etiam Abiegna tanium prosapiæ corrodi,* (quod ibi allegatur,) *hactenus quidem non observavimus. Et Paracelsista ejus temporis forsitan aut proculdubio alterius sortis menstruum adhibuit: ceu inter recentiores quoque variationes, v. gr. Saturni saccharum, aceto spiritu nitri exasperato confectum, à simplici usuali vel extus saltem & in topicis, per quam differre haud difficulter deprehenditur; nulla vero ex adverso è coralliorum solutionis acetosæ* (simplicis, aut in tincturæ-formem liquorem redactæ,) *considerata moderataque exhibitione noxa. At enim quid apud Magnates nonnullos frequentius, quam ut ob exotericas utplurimum commendationes singularioresve titulos cordialibus.* (ita laudatis,) *stomachicis, antihypochondriacis, nephriticisve quibusdam nimium adhæreant, & per abusus equidem stomacho molestiam non unam, majores in hypochondriis turbas, aut ad renes tartarum eo magis cieant.* (Quo Historia Zvvelferiana de restantibus Magisteriis forte pertinet.) *Ne fervidius tum temporis in Chimica odium allegemus; & quod ab æruginosa quoque bile vel acido pontico pariles in ejuscemodi personis macula aut arrosiones* (quales bis in Nobilibus vidimus,) *vel extremæ attenuationes stomachi,* (ceu de Imperatore Ferdinado III. D. Hæferus in Herculo suo refert,) *oriri queant.*

p Eo ipso tamen suasmet & aliorum, &c. *V. gr. Martis, Saturni, antimonii; crystalli porro vel oculorum cancri liquores ac coagula; ipsamve fere coralliorum cum spiritu salis proprii Hartmanno in croll. paratam aliisque postmodum haut parum æstimatam tincturam.*

q Et ex parte ipsamet solubilia, &c. *Siquidem præcipuum aceti quasi concentrati genimen habebitur. Cæterum & salia volatilia mineralium huc pertinent; uti ex gr. è sale com. ac gemmeo in destillationibus suis levantur; commodissime vero spiritibus prolectis reducenda. Ammoniacale quasi quoddam, à natura sublimatum, curiosissimo quoque D. VVormio notatum, & Anglicæ Regiæ societati, secundum Actorum philosoph. annum 1669. in frusto quodam missum, alterius considerationis atque classis est; nostræ vero potius succineum, olei parergon, adeoque tum pro lubitu destinati nibus suis accommodandum. Nam ipsum quidem succinum è minerali esse familia; cum hodieque haud pauci dubitarint, eoque luculentam quoque deflagrationem ejus negarint, post versatissimum in talibus* (utinam haud adeo, vitio seculi, affectatæ Latinitatis) *Agricolam & D. Aurifabrum, Archiatrum Prussicum,* l. 4. (Cratoniar. Epist.) *& nuper* (in Ephemeridum Gallic. Tom. 3.) *D. Schefferum atque Heselium recentissimè satis ostendit autoptis N. Hartmannus in sua Succini Prussi Historia lectu digna. Porro vero & salia quasi essentialia è marinis mineralibusque per coctiones, &c. quibusdam posse colligi, interea nunc similiter magis innotuit; ac D. D. Borrichius etiam p. 1. c. 4. Sapient. Ægypt. quædam proposuit: quantitate in se oppido quidem exigua, quæ tamen rei demonstrandæ, ceu in permultis aliis, tantisper sufficiant: ad Tophaceam autem aliquarum aquarum materiam, vel accidentario nonnullis admixtum sal com. vel seminitrosum reduci forsan nequeunt; uti similiter fortasse nec ad intimioris admissionis ipsius aquæ sc. salinas particulas, post digestiones seu putrefactiones, demum, copiosissimasve exhalationes* (quorum neutrum tamen hic contingit, & sedimenti simplicium divaporationum parcitatem supra jam notavimus,) *suo tunc modo deprehendendas. Explicatione interea hujuscemodi Actionis aut dissolutionis haut adeo prona; Incalescentiæque ac* (in rubiginem) *concidentia*

dentia limatura ferri Burrhiana, vel minerarum quoque salino sulphurearum accumulatarum ferè simili; nec in exigua ea (præsertim pro Burrhiano experimento,) *aqua quantitate, seu à salinis istis specialiter, seu ab ipso aqua intermixto*, quod etiam curiosissimo D. Tr. a. de nitro c. 15. placuit,) *aliterve hic intercedente aëre* (tanquam aliàs separatorio, fermentativo aut salsedinis promo condo quodam,) *citra multas adhuc difficultates adeo facile deducenda.*

TEXT. LUDOVIC.

r 5 Elæosacchara, ut portatilia nec magnatum Myrotheciis interdum incommoda sint; nostræ tamen intentioni & repositurae, (*s* ni forsitan quasi pro superpondio unicum aliquod Diaromaticum compositum placuerit) parum quadrant. Molem sanè tantùm, (aliis pulveribus adjecta) nequicquam augent: limpidis vehiculis soluta, liberatum & utplurimum instar telæ supernatans oleum postliminio ostendunt: per se incommodè dispensantur; si quibusdam remediorum formulis adjicienda fuerint, haud difficulter tunc confiunt recentia: & sanè oleum destillatum quodvis parili facilitate permultis compositis competentibus vel ex tempore miscetur; aut eodem loculo, qui penetrantiores aut corrosivos liquores servat, securè custoditur.

t De 6 *specierum ac pulverum officinalium* inconcinna profusissimaque (preciosorum cum vilissimis, durabiliorum cum fatiscentibus, &c.) compositione, aliorum quoque querelas, *u* & quæ supra de nimietate ipsa (per substituta hodieque magis adhuc excrescente,) adduximus, hic non repetemus, *x* Fallimur autem, an (uti experientia confirmari non fallimur; totum hoc octo

NOTÆ.

r Elæosacchara, &c. *Excogitata ab A. Sala,* (Essent. Vegetab. Appendice num. 20. & Saccharologiæ p. 2. c. 15.) *cum similes aliorum,* (ex oleo & sale proprio) *Mixturæ superficialiores, nec congruæ invicem; saccharum autem hunc in finem convenientius ac neutrale quasi foret. Quod autem hujus uncia olei distillat. scrupulus unus aut duo, pro expetita scil. consistentiæ vel subtilitatis oleorum ratione plerumque sufficiant, aliunde notum est Mynsicht. sect.* 1. *quatuor* (sed humidiore hinc mixtura,) *de oleo citri posuit; annexo modo, quo gratiora è succo hujuscemodi corticum expresso,* (subtiliori adhuc, si digitis eos complicando in saccharum explodatur,) *præparentur.*

s Ni forsitan unicum aliquod diaromaticum, &c. *Talis A. S. l. c. meminit, Ambra, Mosco, Essentiisve constante. Et aliquod D. D. Rolfincius l. 4. s. 4. Chimiæ proposuit, partim Sacchara ad imitationem Magisterii cochleariæ D. D. Michaëlis, cum succo proprio* (cui alii tritici vel avenæ pubescentis expressum substituere,) *vel tinctura aliqua aromatica, magisteriove quodam vegetab. Mynsichtiano tincto vel saturato constantia; partim insuper ad instar trageæ pulveribus vegetabilibus aut martialibus sociata; quæ tamen, ut & Moschardina, turbidiora & dispersis inibi pulvisculis vegestab. turbidiora, ingratiora reddunt vina similiave vehicula: haut adeo interea difficili hujuscemodi mixtura, etiam citra moschum atque ambram fragrantissima, proportionali saltem, adeoque manuali,* (tanquam in additione vel subtractione certiore) *Oleorum competentium,* (quo etiam spontanea aquarum apoplecticarum, carfunculi, &c. sua pertinent;) *consociatione.*

t De specierum ac pulverum officinalium, &c. *Ita qui v. gr. horum formulas ad literam secundum usitatissimum hactenus dispensatorium parare voluerit, supputatione facta facile margaritarum tantum, ut* (præter gemmas, unicæ saltem formulæ sufficientes,) *ambram atque moschum taceamus, uncias sex & amplius insumendas inveniat.*

u Et quæ supra de nimietate ipsa, &c. *Dum pro assuetudine vel confidentia, modo familiares & usitata hactenus nominatioribus dispensatoriis compositiones ac formulæ, modo Mynsichtiana, Zwelferiana aliorumve expetuntur; aut privata superadduntur vel subordinantur; plerumque tamen, ceu alibi jam notavimus, ordine saltem aut pondere ingredientium aliquantum, vel per grana quandoque variato; uti soli pulveres Bezoartici,* (quasi pro singulis olim scholis Logicæ atque Grammaticæ peculiares,) *exemplo esse poterunt. Ut v. g. sit pro infantibus quidem separatim pulvis quidam laxativus, Antepilepticus & Anodynus: pro adultis autem similiter pulvis quispiam purgans Catholicus, Bezoarticus, Anodynus, pectoralis, pleuriticus, contra vermes, & in diffusiores usus forte aromaticus Polychrestus, ambra, Moscho, oleorum destill. vel Essentiæ Castorei guttis aliquot, radice Aronis præparata, &c. ulterius Cephalicis, Cardiacis, stomachicis,* (instar Tragearum,) *Uterinisve applicandus. Quamvis & pro horum aliquibus simplicissima vel extemporanea mixturæ quædam intentionibus quamplurimis in contractioribus Myrotheciis æque vel utplurimũ satisfacere queant: magisque adhuc in reliquis nonnullis affectibus; ex. gr. Epilepsia; Bezoartico quodam per cinnabarim utramlibet, antimonium, aliave habita specifica, in febribus, specifico febrili per antimonium diaphoret. aut Joviale aliquod, &c.* (præter salina,) *haud difficulter alterando: Hepatico quodam roborante, ni in diffusiores usus seorsim placeat, per essentias vegetabiles tincturasve martis, coralliorum, &c. pariter supplendo: in dysenteria ingredientibus pro malignitatis ratione oppido variandis, nec tantopere sufficientibus solis quasi adstringentibus: in cachexia martis præparati dosi, pro subjectorum natura haut uniformi: in calculo, tot ejus.* (quousque quidem pertingere queunt,) *Euporistis solitariis aut opiatis: in partu difficili, vel anguilla hepate, borrace, &c. contra abortum, saltem coralliis cum opiato; in casu præcipiti, vel oculis cancri aliisve tonsorum experimentis sufficientibus: sternutatorii, alias passim venalis, & contra strumas eadem est ratio: ac cucuphæ Sacculique cord. longè commodius cuivis extempore aptantur. Cyprios vero & denttifricios aulica inter mundum suum aliàs satis norunt.*

x Fallimur autem, an &c. *Tadiosum enim foret, v. gr. magisteria pro singulis purgantium dosibus oleoso quodam subigere: pusioni quod è diaphoreticis, præcipitantibus, epilepticis anodinisve sumat granulatim aut grani particulis conquirere: in epidemiis malignitatibus morari decũbentes, &c. Præterquam quod aromatica subtiliora in compositionibus nonnullis vegetiora fore, quam si seorsim pulverata reponantur, servari videantur.*

5. *Elæosachara*) Sunt olea destillata c. s. q. sacchari mista, ut in forma solida ita dispensari queant, & proportio amborum est hæc

℞. *Sacch. pulverisat.* ℈j.
Olei destillat. aromat. gut. ij. *vel* iij.
M. exactè.

Hic quidem obstat, quo minus olea destillata horum simplicium adhibere queamus, cùm præsertim elæosachara pondus & molem augeant aliis remediis addenda; sicut contra in forma liquida si propinanda sint, dissoluto à liquore saccharo, oleũ iterũ supernatat.

6. *Specierum & pulverum officinalium*) Horum ingens numerus (compos. vid. in ZWELFERO) & commista sunt pretiosa vilissimis, adstrictoria & durabiliora fatiscentibus, sed cui bono? cum omnes ferè coincidant constantes ex seminibus carminativis, additis aromatibus, nisi quòd in una alterave horum pulverum specie aliqualis sit differentia; unde potius consultum foret, ut specierum harum electio sine saccharo tamen & pinguium additione asservetur, pro praxi concinniori: Vel misceantur, quod melius est, aromata cum sale armoniaco vel arcano duplicato MYNS. ita mille usibus sufficere possunt, e.g.

♃. Rad.

℞. Rad. ari in umbra siccat. & pulverisat. ʒ IV.
arcan. duplic. Mynf. ℥ij.
Sal absinth. ℥j. Rad. calam. aromat. ℥ij.
Cinnamom. Caryophyll. ana ℥j.
Mac. Piper long.
Zingib. Cubeb,
Cardam. Zedoar. ana ℥ß.

M. f. pulvis qui 20. imò 30. speciebus vulgaribus æquipollet; ubi loco salis absynthii aut arcani duplicati sal armoniacum recipi poterit.

TEXT. LUDOVIC.

vel decem ad summum formulis, pro dispensationis scilicet facilitate, *y* aut ætatis vel affectuum (eas omninò præcipitationis vel inversionis causa exigentium vel aliàs admittentium) ratione, securissimè transigitur: *z* paucissima solummodo, semet inter se ferentia, durabilia, & quoad ejus fieri poterit, *a* mole saporeque (tanquam potissimis vulgaris aversationis causis,) grata, proportionaliter miscendo; *b* etiam citra præviarum extractionum *insuccationes*, aut *Pinguium* (*emulsorum vel contusorum*) accessus, *c saccharive*, (intus data opera corrumpendi) condituras. Reliquum non sine magno sumptuum, laborum, pyxidum & nauseæ compendio, tota die, simplicissimis saltem, (præsertim vulgò dictis) præparatis, aut extemporaneis, (dum opus est,) compositionibus; vel (siquidem tum perinde fuerit, quod tamen in quamplurimis morbis non semper est,) Liquidis æquivalentibus, convenientioribus aut gratioribus expedimus.

NOTÆ.

y Aut ætatis vel affectuum, &c. *Pueris enim sua* (quæ paulo ante posuimus.) *Antepileptica, opiata atque purgantia peculiarem componendi rationem exigunt, ut pro annorum sorte; & novellis etiam sint divisibilia: quod Antelmintico quoque cuidam pulveri mercurii dulcificati respectu competit. Sic ex adverso senes exsucco minusque aptabili ore graviores & subsidentes pulveres minus commodè è cochleari exaurire cernimus. Quantum hac procedendi ratione, etiam in aliis extra stomachum affectibus, in stomacho tamen nihilominus praestetur, deducere hodie quidem est supervacaneum. Interea alios insuper agendi vel alterandi modos, ad praecedentem,* (citra nimiam subtilitatem) *haud adeo reducendos, non excluserimus. Et ut certum est* (pauloque post notavimus,) *Liquidis semper aut satis commodè, vel citra factum ægris fucum, omnia haud posse transigi, vel complurium stomachi affectuum, alvi fluorum, cachecticorum, febricitantiumve exemplo: ita quoque volatiliorum oleosiorumque nonnullorum partes etiam fixiores ipsave corpulentia quandoque requiri videntur, quo fugitivæ illa, citiusque aliorsum,* (ceu vel spirituosiores talium aquæ, in debiliorum capite ostendunt,) *euntes, aliquandiu quasi sistantur, moram agant, aliudve insuper contribuant. Ita apoplecticis, epilepticis & fere hystericis, in paroxysmis suis seu specifica, seu* (illic) *vomitoria ea forma vix aut non quadrant. In vomitu sub febrium malignarum initiis,* (ni volatile quoddam, aliquantum opiatum præmittatur,) *aliterve violentiore quamvis similiter opiati, nihilominus rejiciuntur. Et mercurius dulcis in pulveribus usquedum passim suspectus est; licet in tenerioribus quoque, nihil inde damni sic* (cum subito deglutiatur) *perceperimus.*

z Paucissima solummodo, &c. *Ne Theriacalis quasi Diaprassii mixtura, vel confusum olei scorpionum aut antidoti Matthioli imitamentum exeat. Nec prater rem, quo sapius delatus cernitur Mynsichtius, in inusitatioribus illis, oculis Lucii, faba marina, lapide stellari, bolo Norvag. sale panis, carne mamillarum cum rapunculis, &c. peculiare quidpiam ibi quari videatur, sal antifebrile Mynsichti è floribus ammoniaci salis, & alcalibus superius adduximus. Olei cinamomi gratia accedente vitrioli spiritu perditur; & hic pulveribus,* præparatis insolidum aut plusculum constantibus,) *instillatus ingratè perit; ceu moschi fragrantia per paulo largiora destillata olea etiam odorata; ut fœtida illa, v. gr. cornu cervi & ferè succineum, cum castoreo, isti in speciebus Dia-Lunæ Mynsichti, oleum lig. corylini in speciebus Dia-Mercurii ejusdem,* (pro pueris interea,) *superaddita; Nitrum* (stimulans, nec alvi floribus unquam adeo conveniens,) *pulveri dysenterico ejus insertum, &c. praetereamus. Nec quantum energia ambra, dum sacchar o ad Tabulati consistentiam cocto illiquatur, in speciebus cordial. temperatis, similibusque morsellis confortantibus Zvvelferi, accedat,* (cum nihil ita passa admisceri posset.) *tantisper deprehendimus.*

a Mole saporeque, &c. *Ne curiosior aut cultior quispiam temerè inveniat, in quo hasitet; si v. g. usitatiorem olim officinalium specierum ac pulverum,* (Solutivi magistralis, diamargariti cal. Diaprassii, E. Ducis, Diathamaron,) *exemplo, Diagrydium, Pyrethrum, Euphorbium, Anacardi, &c. cum mineribus, sena, iride, aniso, Fragacantha, margaritis, &c. anatico pondere misceantur, vel remissiora quoque semina quat. frigida, Glycyrrhiza, dactyli, carvi, anisum, tragacantha, &c. in allegatis modo speciebus,* (quo ambræ) moschi camphoræque granula inde hyacintho, liberantis, & Pleres Archonticon in scriptis referri possent,) *per grana computentur. Licet interea ipse compositi effectus equidem è granulari in quavi dosi pondere simpliciter & indifferenter astimari nequat;* (quo D. Zvvelferus animadversione ad Officinales species, a D. D. Schrockio fusius excussa, inclinare videtur,) *concurrentibus hic, ac in unum quasi desinentibus,* (dummodo alias conspirent, & revera cujusdam vigoris sint,) *ingredientibus. Nec tamen hinc prarogativam aliquam ob horum aliquod,* (sæpe satis exiguum, aut effectu non adeo excessivum,) *quavis sibi compositio* (quod theriacæ salique viperino vulgari contigisse alibi notavimus, & inscriptiones quædam v. gr. diabuglossæ, diasuccini, diaplantaginis, &c. Mynsichti præ se ferre videntur, *facilè vel indifferenter invenerit.*

b Etiam citra præviarum extractionum, &c. *De istis superius titulo de praeparatis egimus; & quod nec novum nec difficile, interea nec pro festinatori praxi expeditius sit, Electuaria, extracta, similiaque liquidiora pulveratis, praesertim porosioribus aut siccioribus viperinorum ac cervinorum epilepticorum & antipestilentialium Zvvelferianorum imitatione incorporare, Emulsa contusaque infrigidantium oleosorum semina in speciebus Diaireos P. R. similibusque ejusdem post paulo protractiorem asservationem* (nec enim parcior quantitas semper protinus consumitur,) *aque rancescere dies docet.*

c Saccharive, &c. *Quantum nullis non prater rem & modum passim affrictum,* (& jam pridem candidissimo sale sacchar. p. 1. c. 6. taxatum) *Hypochondriacorum nostrorum picrocholorum aut acido pontico vexatorum stomacho conferat. Cardialgia hinc, inflationes, tormina, &c. testantur. Inferiusque de hystericarum, lactentium, dysentericorum, &c. incommodis amplius agemus. In specie, ut pectoralia* (ireata vel tragacanthina;) *id sub lento ac moderato usu in tantum exigant, & nonnullorum simplicium* (v. gr. Tormentillæ, angelicæ, pimpinellæ, dauci, erucæ, zingiberis, piperis, semcynæ, myrrhæ, &c. amaricantior,) *acrior adstringentior*

gentior aliasve adversior sapor in elect. de bolo, pulvere contra calculum A. stomachali Birckm. aut D. D. Zvelferi, contra vermes ejusdem, &c. idem quadantenus equidem (cum excrescente hinc dosi) *excusent: cur tamen ex.c. Cachecticus Querc.* (pro Hypochondriacis,) *vel alicubi ipse Marchionis*, (pro pueris ad epilepsiam alias tum inclinantibus,) *pulveres in se non ingrati ita condiantur, vel confectioni liberantis sacchari pendii ac canthii ana scrupuli duo accesserint, solidiorem haut adeo invenimus rationem: uti forsitan nec pro usuali hysterico ac contra abortum pulvere: sumentibus alias tum temporis in tormina proclivibus.*

TEXT. LUDOVIC.

d Sic è magna 7 *Rotularum ac Tabularum* (*usualium aut denuo variè propositarum*) serie, vix ultra *Arteriacas* fortè quasdam, (variationis causa, comptior contractiorque praxis quidquam exigit; in dies parili felicitate, (sique quotidianas sacchari corruptelas earumque fructus spectamus,) majori securitate accisis genuinorum remediorum dosibus pueros fallens delicatulosque demulcens. *e* accedit in 8 *Purgantibus & 9 Antelminticis* drasticorum inæqualis interdum permixtio, *f* Mercurii dulcis in certis quandoque circumstantiis suspecta masticatio; numerus horum plerumque magnus, majusve pondus, adversius sapor, aliæque difficilioris ingestionis causæ. *g* Circa 10 Aromaticas vero alias notum est, quod vulgatis quibusque ni superiores, certè pares, curiosioribus autem, *h* (Extracta talium simplicium, utplurimum effœta superaddentibus,) neutiquam inferiores, quandocunque lubet, (extemporanea solum ac perfunctoria *i* olei simplicis vel compositi, super simplices aromatariorum *Manus*

NOTÆ.

d Sic è magna rotularum ac tabularum, &c. *Alias hac remediorum formula, præsertim inter privatas dispensationes, & cum ingredientia, imprimis cordialia ac cephalica, tam usualium quam Mysichtianorum ac Zvvelferianorum in se satis grata sumptuque facilia sint, fere nunc neglectiori. De saccharo pro stomachalibus, hepaticis, &c. de talium commodioribus succedaneis paulo ante diximus: Pluresque adhuc vidimus studiis præcipuè, curis, venere, ingurgitationibusve exhaustos, adeoque languidissimum pro more stomachum circumferentes, qui viriles morsulos atque Mynsichti cantharisatas quoque rotulas ac consimilia quasi succolatina noctu sumerent, mane vero multa,* (æque ac perfrequenter post stomachales ac hepaticos,) *suborta nausea, cardialgia, & perturbatione ventriculi, nil minus quam hoc tunc possent. Ambra illiquationes, oleorumque postmodum admixtiones superius & alibi similiter notavimus. Revera semper sic aliquid mage disperit. Pectorales vero satisfecerint, si fauces atque larinx inde humectemur: Plusculum sulphurea aliaque additamenta thoracica, minutim hac ratione deglutita, in phthisi, hæmoptysi, asthmate, &c. raro præstant; præsentiori cæteris paribus integra talium dosi, &c.*

e Accedit in purgantibus, &c. *De scammonii, jalappij, gummique gutta præparatis ac magisteriis nihil dicamus, & quod mercurius dulc. sic quoque suspectus sit. Rotulas sane, v.g. Zvvelferi è mercurio vita s. aut correcto, P.R. p.60 æque ac morsulos olim è vitro antimonij indifferenter, hisce præsertim in regionibus* (motu longè facilioribus) *uti nollemus.*

f Mercurii dulcis, &c. *Qualis oppido non potest è rhabarbaro, dauco, filice, Cyna, tanaceto, myrrha, &c. Officinalium Mynsichtianorumve ingredientibus non exurgere. Vidimusque praterea haud semel vel hac de causa, aut propter nimiam saltem* (ceu per id sacchari pondus aliter fieri nequit,) *quantitatem, integrè* (à pusionibus præcipuè, tenerioribusve,) *non deglutita dosi*, (adeoque mota tantum haud vero promota materia,) *solummodo aliaque incommoda*, (clysteribus postmodo lenienda,) suscitata.

g Circa aromaticas verò alias notum est, &c. *Ambra sæpe, moscho, confectione Alchermes, exhaustorum capita magis passim replentibus exuberantes, palatumque potius delicatorum*, (ut fere Imperiales ex. gr. Cordialesque Mynsichti rotulæ, forsan etiam regia cephalica prima, ac refectiva D.D. Zvvelferi confectio,) *delinire hinc visa.*

h Extracta talium simplicium, &c. *Uti in singularibus, nonnullis officinarum aut consiliorum formulis, circa cort. citri, aurantiorum, cinamomi, melissa, mentha, ruta, salvia, liliorum convall. &c. composita quoque*, (ex eorum parte, aut destillatarum aquarum compos. reliquis confecta,) *extracta, languidiora aut penitus fere exhausta deprehenditur. Nec adeo similiter percipitur, cur loco ipsius theriaca vel Mithridatij horum debilitata spissamenta haud raro, etiam post Mynsichtianas section. sept. rotulas, &c.* (dum diffusioris molis adversiorisque saporis alia nihilominus adduntur,) *in specie imperentur. Resinosiorum aut renitentiorum, v.gr. Ligni-aloës zedoaria, angelica, helenii, scordij, &c. si horum ejuscemodi additamenta insuper in pestilentiales confectiones, tanquam magis portatiles, diffusioresque in apparatus conferre placuerit, alia tum est ratio.*

i Olei simplicis vel compositi, &c. *Eodem scopo, minori vero dispersione, quam si olea ipsa cum saccharo recocto, usitato more miscerentur.*

7. *Rotularum ac tabularum*) Hæc utplurimum palato saltè inserviunt, unde ex omnibus illis *AUTHOR* quasdam saltem, nempe arteriacas pro faucium & pectoris affectibus à lympha acri, ut tussi sicca, quo varietur formula, eligit, reliquas removendo, ideo, quia saccharum, quo copiosè condiri solent, utplurimũ nocivum est, & corrumpitur in stomacho; adeo è nobis sufficere possunt species diatragacath. frig. quibus iij. vel iv. partes fl. sulphur. addantur, & cum saccharo in rotulas successivè deglutiendas cogantur. Vel ℞. Simpliciter species diatrios usitatas, quibus cum saccharo in rotulas redactis, aspergantur aliquot guttæ olei destillati anisi.

8. *Purgantibus*. Quibusdam in locis rotulæ purgantes ex speciebus cum resina scammonii mistis paratæ in usu esse solent: Verùm hæc rejicere videtur inæqualis mistio, quâ uni rotulæ plùs, quàm alii de purgante accedit.

9. *Anthelminticas*) Parantur ex semine cinæ contra lumbricos; sic prostant & rotulæ ex mercurio dulci & saccharo pro eodem scopo, interim in talibus cautela opus est. Nam (1.) mercurialia sunt nocentissima gingivis. (2.) Facilè salivationem excitant, cùm à pulvere cosmetico ex mercurio dentes fiant nigri: Inde qui ad salivationem sunt dispositi, vel excoriationes in lingua habent, vitent morsulorum usum cum mercurio dulci paratorum, secus enim salivatio dolorosa eos vexabit; quin potius exhibeatur pro scopo ejiciendi vermes mercurius dulcis cum pauco sacchari mistus in cochleari ligneo, (in metallico enim facilè mercurius adhæret) vel etiam in forma boli.

℞. *Conserv. fl. persic.* ℥ß.
Mercur. dulcif. gr. iij. vel iv. ad ℈ß.

Pro ætatis ratione (nam infantes ablactati non melius cum euphoria purgans inveniunt) m.f. bolus. Vel loco tabellar. ℞. mercurii vivi qui terendo in mortario vitreo subigatur cum saccharo, donec pulvis gryseus emergat, de quo ℈j. ad ʒß. propinari poterit; atque hac ratione omnibus morsulis anthelminticis carere possumus.

10 *Aromatica*,) Loco harum saccharum liquefactum,

ctum, & in justam consistentiam redactum aliquot gutt. olei destill. aromat. quodcunque lubet, esse potest, redacta hinc invicem in morsulos vel rotulas, ita haec tantum praestant, quantum aromata in substantia exhibita.

TEXT. LUDOVIC.

Christi illitione) habeantur: *l* siquidem omnino res alia ratione compendiosiori modo transigi nequeat.

m 1 *Confectiones communes & candisata*, *conserva recentiorum sicca*, (simplicis sui pulvere plerunque debiliores, *Martii panes*, *Panthaleon*, & antiquariae *aponea*, *confecturaeque* reliquae, Bellaria sunt, hujus nec loci, nec selectus. Et vae 2 hecticis tabidisque, quando tandem ad ejuscemodi Refectiva, sesamo atque papavere sparsa, pineis, *n* pistaciis & amygdalis, quoquo etiam modo comminutis, turgentia, *o* vel ipsis ranarum, testudinum, cancrorumque carnibus farta damnantur. *p* Arentes hinc fauces (quamvis difficulter interdum,) lenitas videbimus; curatum neminem; q quin potius intensiores inde depascentes febres, dejectum magis appetitum, festinatosque fluxus colliquativos.

3 *Tragea grossa*, etiam nunc *operosiores*, similiter ex eorum numero sunt, quae pro forma tantum aut superpondii loco, ne nihil non egisse videamur, praescribuntur, *r* vel (si quis omnino ciborum & aromatum saccharatorum miscellae magis, quam evidentiori debitoque tempore dato remedio confidat,) facili tunc negotio, *ad recentiorem imitationem*, *s* (at missis ambagibus supervacuisque sumptibus,) quandocunque libet; confiunt. *t* Ita quoque 4 *Moscardina*, vel eorum Analoga; si palliativum topici mali masticatorium, inter tot euporista simplicia, delicatulus quispiam expetat. *u* Cos-

NOTÆ.

l Siquidem omnino res &c. *Nam & ipsa masticatio, si caput per nervos aut serum subtiliorem ve evaporationem proximus* (vel potatorum, minutioribus vitris citius inebriatorum exemplo,) *afficere dicatur, per simplicissima nec ignota masticatoria* (ut bucellas Essentia succini, theriacali, camphorae, spiritu C. Cervi, aqua carbunculi vel parili cordiali humectatas, spiritum cephalicum Hart. ammoniaci s. & oleosum taceamus,) *suppleri poterit; parili sc. cordialium & alexipharmacorum ratione.*

m Confectiones communes & canthisatae, &c. *Gustu à simplicium vigore id facile discernente: speciosa de caetero, dum verbi gratia, primulae veris, lilia convall. &c. ita condiuntur: à Quercetano Pharmacop. dogm. rest. l. 1. cap. 21. jam olim descripta, vulgaribusque tum praelata.*

n Pineis, &c. *Incisis potius, quam contusis; in aquis appropriatis per noctem praviam maceratis.*

o Vel ipsis ranarum, &c. *Nam profecto, v. g. cultissimus Mynsictius nimium tribuere videtur morsulis suis refectivis de cancris; alias sulphureis huic scopo minus forsan convenienter sociatis. Et quantum è renitentiorum istarum carnium, vel etiam* (uti pariter aliis additae sunt,) *pulparum perdicum aut caponum uno alterove scrupulo cum saccharo comesto expectemus? ut cultiores talia* (nec omnium locorum, temporum palatique,) *merito antiquarint.*

p Arentes hinc fauces, &c. *Videmus id etiam in febribus ardentibus, variolis, &c. ubi consimilibus sirupporum conditorumque dulcoribus, ipsoque diamoron, dianucum, &c. mellaginibus paulo post fauces plerumque magis irritantur aut inviscantur: ut si collutiones caeteraque dilutiora lementia vel mundificantia,* (quovis tandem modo applicanda,) *non sufficerint, vel convenerint, olei amygdalarum dulc. tantillo per vices lingua ingesto, lenteque sic deglutito lenimen in pusionum variolis praesentius, inter alia quaesiverimus.*

q Quin potius intensiores, &c. *A sacchari oleosorum fructuum, ac carnium in stomacho, aeque tunc intus, ac reliqua extus, exausto corruptelis.*

r Vel si quis omnino ciborum, &c. *Aucto v. gr. Aromaticorum pondere, vel vegetiori quodam stomachali superaddito; ceu in Zvvelferianis nonnullis formulis videmus. Omissis quin etiam prostantibus jam usualium hic seminum confectionibus; utpote* (ni seorsim parentur.) *Amylo plerumque magis nunc, quam saccharo obductis.*

s At missis ambagibus, &c. *Acciso moschi ac ambra, inter & post cibos nescio quas insuper corruptelas* (nam de naturarum proprietate ipsoque pretio ipse D. Zvvelferus class. undecima Ph. Reg. monuit,) *nonnunquam ostentantium pondere. Revera porrò, praesertim in largioribus talium dispensationibus, nostraque intentionis intuitu, laboriosior videtur globulorum cum tragacantha* (dum vulgaris confectionis formulae ibidem, tanquam, uti sunt, aequivalentes proponuntur,) *efformatio; speciosior verò saltem cum saccharo desuper obducto, seu crispatura.*

t Ita quoque Moschardina, &c. *Mynsichtiana*, Zvvelferiana, *corpus sine anima Schroderi, l. 2. cap. 86. &c.*

u Cosmeticos moschati vel medicati globulos, &c. *Et sale tartari aceto s. vel destillato saturato, solutionibus Benzoes praecipitatis, Marcasitis, Saturninis in liquores medios vel extemporaneos redactis, & si qua praeter Talci fucos Cosmetica Aulicarum, Medicum generosum tantopere haud semper attingentia continent.*

1 *Confectiones communes*) Omnes hae prostant quidem pro bellariis, non medicamentis. Caeterum epiphon. *AUTHOR N.* est notatu dignum.

2 *Hecticis*) Scil. veteres hecticis amygdalata & pineata porrigebant, quando fauces siti affligebantur: Interim dicta remedia hoc incommodi habent, ut muco viscido stomachum per se debilem onerent, appetitumque prosternant, rancorem contrahendo: Ideoque rectius ad culinas relegentur.

3 *Tragea grossa*) German. *Pfaffenfutter*, sunt species grosso modo contusae & ex aromaticis paratae, dosi cochlear. j. ab omni pastu usurpandae. Usque harum dicitur esse promovere digestionem primam in aegris, stomacho frigido, h. e. crudidate ejus acidâ, & hinc natis flatulentiis laborantibus. Verùm variae sunt istae trageae, & parùm vel nihil commodi habent, quandoquidem necesse est, ut vigor stomachi vim eorundem medicatam eliciat: Unde rectius *SYLVIUS* loco talium salia volatilia oleosa propinat, quale & ipse in omni pastu solitus fuit assumere, e. gr. ♃. gutt. 30. vel 40. spir. salis armoniaci anisati vel caryophyllati, vel cinamomi, qui tantum praestabat, ac integra scatula trageae.

4 *Moscerdina*) Sunt trochisci cum ambra aut moscho parati, pro refocillatione capitis & spirirituum animalium inservientes, quorum compos. vid. in *SCHRODER.* & *ZVVOLFER.* p. 26. Caeterùm, loco horum longe succinctius res absolvi potest, si forte topicum oris malum, ab omnique halitus foetidus pulsandus sit; nempe formari potest globulus ex tragacantha, inungendus cum oleo aliquo destillato suaveolenti, aut cum vel sine moscho.

TEXT. LUDOVIC.

meticos, 5 *Moschati vel medicati saponis globulos*, præter passivè nunc venales, quænam Aula non novit? & quinam Medicus non novit commodiora salubrioraque sæpe succedanea? x Ejusdem sortis, & (inter tantum Balsamorum, aliorumque convenientiorum odoriferorum congeriem) exoleta præterea fere sunt *Poma 6 ambræ* z *Candelas pro fumo* institoribus hodie; & speciosiores contra subitanea, *Anfall-Brrtzen*, etiam conchiliis corallisque conspersas.,) medicastris relinquamus. z Uti quoque reliquorum *Sief ac 6 Trochiscorum*, (nisi *sublinguales in peste* forsitan excipientur,) pagmenta, jam pridem ab exercitatioribus inter supervacanea, a (quo nec *Pastas pro suffumigiis*, licet inter comburendum aliquanto renitentiores, exemerimus,) relata sunt.

b Et cui bono etiamnum tot 7 *Pilularum purgantium massæ*, (tum secundum consuetas formulas, tum secundum superinductas

NOTÆ.

x Ejusdem sortis & exoleta, &c. *Vel pro delicatioribus secundum Mynsichti, Zvvelferi aliorumque proportionales mixturas, sed enim & citra pretiosiorum odoriferorum nimium in his accessum, seorsim tunc fingi queunt; aque ac sequentia suffimentorum mage seriæ medicationi supervacanea.*

y Candelas pro fumo institoribus hodie; &c. *Ceu jam olim à negotiatoribus introductæ sunt, & in nominatioribus nonnullis Urbibus hodieque contra defluxiones, &c. adhibentur ulcus quoque vulnusve citra hanc in fine perfumationem ritè deligatum vix credatur. Directius quidem & minori adscendentis fumi dissipatione locum feriunt; Sed brevior vagantis candelæ mora, confertiora ex iisdem vel consimilibus haud adeo sane caris ingredientibus* (Sabina insuper, corticibus baccarum Lauri, Colophonia, Sandarachæ, &c.) *diversimodè accommodatis suffumigia,* (suum alias inter lentam concremationem magis quam per luculentam flammam agentia) *vix aut non* (inter frictiones, litus aliaque penetrantiora vel constantiora topica) *superat. Est vero istarum* (der Anfall Bertzen, *uti loquuntur,*) *ea antiquitus* (in collectaneis olim VVurtembergensibus Euporistis) *Descriptio.* ℞. *thuris masculi* ℥iß. *fœminini* ℥ij. *Succini alb. citrin. ana.* ℥. *Camphoræ* ℥ß. *Mastichis* ℥ij. *myrrh. rubr.* ℥j. *Benzoes, angelicæ, pimpinellæ ana* ℥ß. *cornu cervi rite pro more casi raspati* ℥iß. *ceræ libras duas: pulverabilia pulverisentur, liquata ceræ permisceantur, & è massa cum tribus cannabinis, sericeis, aureis argenteisque totidem, invicem ellychnij instar contortis filis candelæ usualibus pares formentur: quibus postmodum ornatus gratia corallorum rubr. matris perlarum, entali, dentali, &c. frustula extus impressa vidimus.*

z Uti quoque reliquorum Sief, &c. *Horum communiter 45. fere numeramus; in antiquioribus nonnullis plures: cum tamen subducta ratione, non tam in nostros, quam diffusissimos apparatus vel duo fortè,* (Pectorales, & Rotularum loco Alexipharmaci) *sufficerent. supervacuam* (plerumque dicamus,) *efformationem ac difficiliorem pulverisationem sub classe 12. adduxit quoque D. Zvvelferus: addamus, quod virium haud parum, præsertim in odoriferis, frustra sub exsiccatione divaporet: nam tragacantham in adstringentibus, cum ejuscemodi emplastica in acrioribus fluoribus haud raro simul demulceant, hic non elevabimus. Sief verò, dum octo passim eorum ponuntur formulæ, polycresta autem vitrioli albi solutio, croci metallorum infusio, pinguedo viperarum, colubrorum, anguillarum, mustelave piscis, inter alias extemporaneas ac simplicissimas siccantes vel detergentes mixturas, plerisque indicationibus satisfaciunt, unico sub schemate, ad Officinalis albi cum opio, vel pulveris ophthalmici Mynsichti* (sed accisam hic) *imitationem composito, pro attemperatione sufficerent; omissa singulari illa effiguratione; saltem quia frustranea est: nam prævia* (& revera indicto Sief albo tædiosa) *pulverisatione pagmentum tale non indiget, siquidem aquis injecta, per alias necessariam circumagitationem nihilominus brevi dissolvuntur ac diffluunt.*

a (Quo nec pastas pro suffumigiis, &c. *Nec repetierimus hic, quæ de vegetabilium saccharique additamentis ipsoque moscho prunis unà ingesto monuit; si delicatum potius, quam medicatum saltem suffitum,* (ceu è laminis etiam fideliisque fornacum plerumque fit,) *quærimus.*

b Et cui bono etiamnum, &c. *Ceu ejuscemodi variarum destinationum formulas jam pridem apud Quercetanum, indeque Mynsichtium, Zvvelferum, & passim in potiorum Civitatum Officinis privatas insuper* (ultra vulgatiores, ad 30 numerum ferè excurrentes,) *inveniri notum, idque cujuslibet delectus est.*

5 *Moschata autem Medicamenta*) Horum loco longè elegantior est essentia benzoes cum spiritu vini parata, de qua infundatur nonnihil in parum aquæ rosarum, ita lactescit, hinc abluatur facies, præter nitorem egregium fœtorem sedatura.

6 *Poma ambra*) His ipsis longè præstant, & efficaciora sunt ex oleis destillat. aromat. parata balsama.

6 *Trochiscorum*) Nempe pulveres cum mucilagine tragacanthæ in novam trochiscorum consistentiam incrustantur, qui labor vanus est; interim *AUTHOR* excipit trochiscos sublinguales in peste iis proficuos, qui cum ægris conversari necesse habent. Sublinguales hi trochisci ex camphora, aut quibus hæc ingratior, ex myrrha tanquam primario ingrediente componuntur, verbi gratia soluta in aceto myrrha incrustatur c. s. q. sacchar. & mucilagine tragacanthi, hincque ex hac mistura formentur trochisci sublinguales pro usu; vel impregnetur saccharum cum succo citri acido; denique teratur sacchar. cum corticibus citri vel aurant. tenuissimè incisis, sic illud horum oleum imbibit, dehinc.

℞. *Sacch. hujus* ℥j. adde
Myrrh. ʒj
Camph. ℈j cum mucilagine tragacanthi formentur pastilli invicem.

7 *Pilularum massæ*) Harum mirabiles compositiones prostant, numerum 100. excedentes ex crudis purgantibus paratæ, ac quoque in modernis pura *ZVVOLFER. P. R.* inveniendæ; ex omnibus autem his 2. vel 3. sufficiant pro mille hominibus. Origo autem hujus multiplicationis in compositionibus fuit, quòd veteres supposuerint tot varios succos in corpore varia remedia requirentes, quibus addiderunt sua corrigentia, imò quia humores nunc peccarent in capite, ut in apoplexia, nunc in pedibus, ut in podagra, nunc in pectore; hinc addenda autumàrunt specifica, quorum beneficio veheretur purgans ad noxium humorem in parte. Ast in genere & sine electu operantur purgantia, promiscuè colliquefaciendo, & noxium & utilem humorem evacuando, unde paucæ massæ sufficiant. quod autem attinet correctionem variam purgantis, ea non fit per addita aromatica; quin potiùs ita præparanda purgantia, ut per se mitiora sint, quod optimè fit per sal

TEXT. LUDOVIC.

interpolationes, correctiones, & surrogationes) passim asservantur, *c* aut per inaneis inter se commixtiones, accessoriorumve supervacaneorum adjectiones imperantur, vel multiplicantur? *d* dum duæ præter propter massæ, *e* è vegetioribus (in suo genere) minorisque molis aliquot ingredientibus, (simplicissimè debita tamen resinosorum dilatatione) compositæ, totum hoc negotium expediunt *f* & in rei veritate plerorumque Chiragogorum seu Dirigentium, Corrigentium, &c. additiones, (quo scilicet Cephalicæ, Stomachicæ, Arthriticæ, Lucis, Phlegmagogæ, Cholagogæ, Melanagogæ, Catholicæ, Panchymagogæ, &c. exeant,) infirmo talo persuasionibusque nonnullis maximam partem innituntur; nequicquam nihilominus hinc aucto non solum Massarum, sed etiam ipsarum Pilularum in quavis dosi numero; *g* ut è frustranea mole 20, sæpe vel 30. majusculæ quoque formentur; cum ægre tamen hodie vix novem aut undecim etiam mediocres, degluciantur, *h* 8. *E Laxativis* pariter per tot variationes, additiones, inventiones, æmulationes, &c, ad nauseam usque multipli-

NOTÆ.

c Aut per inanes, &c. *More, olim præcipuè & donec purgantium operatio indeque adaptatio paulo clarius proponeretur, haud adeo infrequenti; ut tres vel plures usitatæ massæ,* (Aggregativæ, verbi gratia Aurea;) *Assaireth, Cochiæ, sine quibus, &c. miscerentur invicem, aut extractum aliquod, pulvis, magisterium, &c. superadderetur: ceu in Authorum Consiliis,* (unde tamen temere nunc non æstimandis,) *passim exempla, item in Mynsichtianis pil. Catholicis cernimus.*

d Dum duæ prærerpropter massæ, &c. *Verbi gratia Vegetabilis forte una,* (vel pro robustioribus aut locorum ratione insuper altera;) *altera simul,* (è dulcificato) *Mercurialis. Uti Jalapium nunc est, magisteriaque compactiora, extractum hellebori, colocynthidis, &c. minus interea quadrantibus vegetabilium, præcipuè remissiorum pulveribus, Mechoacanna imprimis, agarico eorumque extractis.*

e Ex vegetioribus minorisque, &c. *Per competentes, quo jalapium similiter,* (præter oleosorum hunc in finem adjectionem aliquam,) *potissimum facere poterit, pulveres: quod Schroderus jam l. 2. c. 73. notavit De cætero pro totali massarum incorporatione, si gummosa vel resinosa aliterve viscidiora simplicia vel ex tracta recipiant, aquas quoque succos expressos, cerevisiam, vinum, &c. sufficere; minus verò, si pulverulentis solum constent, ex hinc inde habitis, v. gr. super pilulas de castoreo adsertionibus haud adducemus. De succino crat. de Bdellio simi esque, item cum melle quoque sirupisque* (ut tragacantham ibi prætereamus,) *subactæ massæ indurescunt tandem: ægerrimeque citra nova accessoria* (Opii modo) *in dosin efformantur. Extracta verò fermentata, ex. gr. colocynthidis, Hellebori, &c. molliores atplurimum relinquunt pastas: Unde quemadmodum nec tartarum vitriol.* (alias hic in permultis compositionibus frequentissimum,) *Zvvelferique flores martis ammoniacales vitriolum martis factit. &c. ita nec ipsa alcalia, sub moderato pondere, vel ea de causa exclusa optaverimus,*

f Et in rei veritate, &c. *Quibus tamen* (tanti olim habitæ, nec inertes) *cochiæ, de fumaria, Fœtidæ, de colocyntide, de hermodactylis, nitro, &c. admodum, æquè ac recentiores Mynsichti peruviana, polychresta, hydragogæ, benedicta Zvvelferi, magistrales, panchymagoga, tartarea Bonzii schroderiana, extracta catholica ac panchymagoga officinarum usualia, &c. pilularia, perquam destituuntur; penitus vero ex. gr. Extractum pilulare Zvvelferi P. R. cl. 7. aliaque nominatissimorum Medicorum formulæ; nihilominus satis hucusque in suo genere efficaces, & quod aliorsum ruit, vel incompetente loco colligitur, subducentes. De quibus inferius peculiari loco.*

g Ut è frustranea mole 20. &c. *Olim præcipue, ut sclopetorum quandoque globulos æmulari, deglutiri tamen, pueri adhuc miraremur. Cur autem impari plerumque numero, quasi per traditionem: præcipuè laxativæ imperentur, aliquoties à curiosulis rogati, expedire commodius tantisper nos nequivimus, quam versatissimi illius Philandri* ban Sittenmatum *septima,* (Libri sui visionum secundi) *relatione: quod dum inter milites egisset, ut furta latrociniaque sua sibi feliciter cederent, similiter non nisi impari semper numero exierint.*

h E laxativis pariter per tot variationes, &c. *Ita, dum ad minimum 14. Usuales aloëticæ simplices, & aliis purgantibus vel alterantibus diversimodè alteratæ in usitatioribus dispensatorii habentur, apud Mynsichtium insuper additæ sunt familiares, proprietatis, aleophanginæ propriæ; in Phar. reg. tres ad septem usque variationes: in D. Schrøderi l. 2. c. 73. ferè plures. Et quot circumlatæ formulæ, quibus Francofurtenses, Glassianæ, VVurtembergenses, Bavariæ, &c. nunc aut olim celebriores constare creduntur.*

sal tartari, & fermentationem cum succo vegetabili, ad instar opii. Directio tandem purgantium sed planè frustranea; potius si ea fuerint debilia, non penetrabunt ultrà primas vias; sin fortia, & in remotis corporis locis colliquationem inducent, sine illis dirigentibus additis. Adeo E. duæ pilularum compositiones sufficere poterunt, nempe ex antiquis mass. pillul de hierâ cum agarico: Ex Modernis vero extractum panchymagogum. CROLLII. Hæ duæ generales compositiones acui possunt diversis cum stimulis, verbi gratia, scammonio pro viscido humore, jalappæ resina pro seroso, cum extracto trochiscorum alhandal. Quin imò certis in casibus mercurius dulcis addi potest, & in quibus acidum viscidum peccat, gummi ammoniac. ut in hypochondriacis & scorbuticis. Sic

c. gr. ℞. *mass. pillul. de hier. cum agar.* gr. xv.
Gumm. ammoniaci in acet. solut. ℈ß.
Extr. troch. alhand. gr. j. vel ij.
c. s. q. essent. mart F. pilulæ.

Sic ponamus Lue venereâ correptum, ubi
℞. *Extr. panchym. croll.*
Mercur. dulc. ana gr. xi.
Resin. jalapp. gr. ij.
c. s. q. ole. destill. terebinth. f. pill.

8 *Laxativis*) Veteres pilulas laxativas usurparunt sine stimulorum additione, adeoque 50. vel 60. pysorum magnitudin. accedentes & ʒ i ß. pendentes: Verùm moderni consultius stimulos illis addunt. Cæterùm loco laxativarum pilularum sufficiunt aloëticæ Glassianæ, de quibus HOFFMANN. Harum j. vel alteram ante cœnam assumendo: Vel etiam pilul de gummi ammon. QUERCET. gr. xij. ad xv. vel ℈ j. vespertino tempore deglutitæ. Vel imitetur TILEMAN. qui pilulas aperientes sibi dictas, loco usualium præscripsit.

℞. *Aloës lucid* ʒ j.
gumm. ammoniaci in acet. sol. ʒ ß.
Tartar. vitriolat. ʒ iij.
c. s. q. Tinct. mart. f. pilulæ minores quarum num. x. xj. hora j. ante cœnam in cursu morborum chronicorum sumendæ.

TEXT. LUDOVIC.

catis, *i* vel unica forsan simplicissimaque compositio, in omne quod inde quæritur, suffecerit: ceu infra de purgantibus diffusius ostendemus 9 *Alterantes Martiales, Hysterica, Anodynæ, &c.* quando certis de caussis exiguntur, nec res per (ejusdem generis) Liquores, pulveres, &c. transigi poterit, *l* alias facillimè vel ex tempore, pro circumstantiarum ratione, citra vanam talium asservationem efformantur.

Cui porro bono tot 10 *Electuaria?* cum nostrates in plerisque tractibus, *m* ni propter consuetudinem *Theriacale* quoddam excipias, reliquas hujus generis, utplurimum, vel mole saltem ingratas] Miscellas, *vulgares ac correctiores*, tanquam manducum horreant, *n* cum *Lenientium*, pulpis saccharoque turgentium incommoda (in permultis affectibus, in effectus tarditate vel frustratione, &c.) alias notoria sint; *o* tutioribusque & acceptioribus idem nunc obtineatur. *p Electivè vero purgans, seu Bolus*, quan-

NOTÆ.

i Vel unica forsan simplicissimaque, &c. *Ni fortè Hypochondriaca quædam pro locorum, subjectorum apparatusve ratione, seorsim insuper complacuerit, accessoriis, non tam purgantibus semper,* (dum gummosa Aloës pars, citra mediocrium accessum, suum sæpenumero felicius hic transigit, drastica vero ante cibum haud rarò quidpiam turbant,) *quam alterantibus, & quidem vegetioribus Metallicis ac vegetabilibus nonnullis potius, quam remissiorum succorum pulverumve magnate tunc sociata. Et huc quoque quispiam terebinthinam coctam, s. aut* (ad impediendam colliquationem, vegetiorumve abstersivorum incorporationem, cicerum tartari, pilularumve terebinth. Mynsichti imitatione) *augmentatam; specialiores nonnunquam in usus laborisque extemporanei compendium forte referret. Dum pulveres cinnabarinos, martiales,* (in substantia tum magis proficuos) *opiatos, &c. per addita præcipitantia interea paulo diffusiores, perve hysterica quædam adversiores deglutire nequeunt, aut intercent inuatos vomitu liquida quoque rejiciuntur, mora quædam in nonnullis stomachi intestinorumque vitiis vel in odontalgia requiritur.*

l Alias facillimè vel ex tempore, &c. *Perquam enim exiccantur, præsertim si tragacantha,* (uti nonnullibi in pilulis de castoreo,) *accedat; Quo difficilius postmodum nec si nausea interdum vel gravamine liquescentes; ceu in ipsa etiam laudani pilularis massa tandem cernitur. Volatiliores insuper nonnullorum* (oleosæ vel salinæ) *partes successive hinc exhalant: Continuatioque ipsa* (uti si quis stomachales hepaticas, cephalicas, (præsertim mage vegetabiles, &c.) ad D. Zwelferi Mynsichtive imitationem magnatibus delicatioribusque præscribere voluerit,) *nauseam demum secum trahit. Diaphoreticas aut theriacales, etiam cœlestes,* (in ea pulvisculorum liquorumve exiguitate,) *reliquorumque specificorum ad hanc formam nonnulibi reductionem, uti superioribus annis ejuscemodi* (portatilium equidem Medicamentorum) *Thecæ præcipuè in Ducatu VVürtembergico, aliisque inde Aulis haud infrequentes erant, privatis authorum intentionibus oppido relinquamus.*

m Ni propter consuetudinem, &c. *Nam speciosius præ aliis pectorale quoddam liquidis mixturis revera cedit; per se inviscat, siccis* (vel applicationis ratione) *incommodius. Satyriacum inter æquivalentia nostra minus saccharata, aliaque analeptica, etiam simplicia, delectus hic adeo non exigit.*

n Cura lenientium, &c. *Quod etiam D. ZVVelferus in animadversionibus super Electuarium Diacassiæ ac postmodum in præfatione Classis 4. Phar. Reg. monuit. Quamvis in ejus quoque succedaneis purgantibus Cl. 4. & alterantibus spleneticis, hepaticis, &c. Cl. 15. quædam similiter ad dimidiam & integram unciam adscendentia, adversioribusque nonnullis interdum una constantia invenire forte posset curiosior. Interioribus vero hisce in districtibus didrachmales etiam bolos purgantes ægre deglutiri passim experientia docet.*

o Tutioribusque & acceptioribusque, &c. *Ceu superiori jam seculo vel Fernelius,* (à Foësio in Pharmacopœia sua) *hic fere tum liberiori attentior in Methodi Med. l. 5. & 7. cum perdocto Commentatore suo, Guil. Plantio, item Crato hinc inde, Sennertus postmodum l. 2. de feb. & passim in praxi, P. Morellus in materia med. aliique curatiores Practici successive usque dum circa febres, icterum, flatulentias, vermes, debilitates stomachi, pueros reconvalescentes, &c. monuerunt; acuereque hinc talia vel accisis vegetiorum dosibus supplere, magis magisque ceperunt.*

p Elective vero purgans, seu bolus, &c. *Uti è Rhabarb. agarico, senna* (ipsaque olim Colocynthide) *cum levistico, chelidonio, chicorio sylv. Gratiola, pimpinella, &c. etiam in recens substitutis, ipso hinc D. Zwelfero rob. cerasorum purgans,* (in Ph. Reg.) *Ribium ibidem,* (quo minus adhuc reliquæ compositiones eximi posse videntur) *præferente, non potest non viriri. Ceu, dum juniperinum quandoque hic est, fuerit inconvenientior, sambucina vulgi, cerasorum, prunorum, in viniferis quoque musti est. Revera tamen, v.g. limatura martis cruda vel præparata ex tempore sic magisque adhuc in* [diuturnioris asservationis, in gratioribusque hinc tandem) *Electuariis obnuta,* (quod etiam circa reliqua præcipitantia, s. absorbendo vel invertendo agentia, & interdum per id genus acidula, non sine quadam suborta prius effervescentia, jam semisaturata haud raro percipi poterit;) *utplurimum aliquando remissius agere deprehenditur. Uti alias pulverati tantum alius longè est actionis modus, præ substituto in recentioribus Electuariis, per martis saltem vitriolum chalybeatis. Gratia enim exigua usitatis plerisque omnibus, nonnullis quoque superadditis,* (quo absinthiacum Myns. de baccis Lauri. hepaticum calidum Phar. Reg. quispiam forte retulerit,) *in ea tamen diffusiori dosi insunt. Et quis stypticis vel dysentericis* (horum, aut antiquiorum,) *eo in affectu; item optico Myns. Opiatis insuper, Mitigativis aut Narcoticis Recentiorum allegatorum, æque ac superiorum seculorum Confectioni Archig. Philoniis &c. ob inæqualitatem mixtionis,* (quam intermoderna contractiora non immerito nunc veretur aliquis,) *simpliciter semperque confidat; Marmeladas interea otiosioribus domi, vel negotiosioribus Aulicis relinquens.*

9 *Alterantes*) Pilulæ etiam interdum requiruntur; quando nempe patientes sunt delicati, & remedia ingratioris saporis respuunt. Cæterum hæ ex tẽpore possunt præparari, nec opus est has mox habere in procinctu: Sic si desideres pilulas sudoriferas.

℞. *Extr. card. ben.* ℈ß.
theriacal. gr. v.
c. s. q. ol. succin. f. pil. quarum effectus egregius cum suavi somno.

Si martiales exoptes pilulas.

℞. *Extr. Helleb. nigr.*
Vitrioli martis ritè parat. ana ℈ß.
troch. alhand. gr. j.
c. s. q. syr. de pomis fiant pilulæ.

Sin tandem hystericas velis ordinare:

℞. *Extr. castor.* ℈ß.
As. fœtid. gr. iv.
Sal volat. succin. gr. v.
Laud. opiat. gr. j.
c. s. q. ol. destillat. chamomill. f. pil. hystericæ.

10 *Electuaria*) Horum seriem vide in dispensatoriis veterum. Cæteroquin Electuaria purgantia forma bolorum ab ℥ß. ad ℥j. porrigebant, quæ tamen exulare jubemus, & vix nisi in clysteribus usurpamus. Contra inter alexipharmaca Electuaria pro praxi contractiori commendamus solam theriacam & diascordium Fracastorii à SYLVIO lib. 1. Praxeos correctum, imò & theriaca diatessaron

ron, cui tamen opium addendum suademus. Tria hæc instar omnium pro alterandis & alexipharmacis sufficiunt. Electuaria verò stomachica pectoralia, &c. ex tempore melius fiunt, nempe ex conservis tanquam corpore, quibus addantur pulveres & extracta pro lubitu, v.g.

℞. *Conserv. ros. rubr.* ℥ij.
menth, ℥j.
Rad. Zingib. in Ind. condit. ℥vj.
acor. veri condit. ʒiij.
Spec. diatr. piper. l.
diamosch. ʒiij. *ad* ℥ß.

c. s. q. syr. fl. tunic. f. Elect stomach. Interim loco horum tincturæ & essentiæ stomachicæ & alexipharmacæ sufficere possunt.

TEXT. LVDOVIC.

docunque libet, loco tot horribilitum aut tantum supervacuorum magmatum habeatur simultanea saltem gratioris cujusdam Cathartici, & conservæ, (rosarum) aut domesticæ sapæ inter se mixtura. Qua ratione quoque *Alterans* aliquod, *Hepaticum. Stomachicum*, *&c.* siquidem præ Tincturis aliisque commodioribus remediis, omnino delicatulus sc. quispiam voluerit,) nunquam non consequemur. Ut proin totam hanc congeriem, (præter aliquod *Alexipharmacum*) non immerito rem suam sibi habere jubeamus.

q Ita nec ullo 1 *Loch* sano insanove, nec alia *Eclegmatum antiquorum vel recentiorum* specie, (seorsim reposita,) selectus noster indiget. Quippe, ceu lentæ moderatæque Arteriacorum deglutitiones ad vasorum excretoriorum orficia laryngisque confinia demulcenda, humectanda vel extergenda, adeoque ad tussim varieformiter hinc oriundam aliave defluxionum incommoda lenienda equidem sunt admodum proficuæ. *r* (sive de cætero quidpiam inde profundius descendat, sive non, *s*) ita Linctus quoque hunc in finem præsentanei, jucundi facilesque, quandocunque opus fuerit, prompte consiunt, perfunctoria solum Extractorum, Essentiarum, Tincturarum, *t* inter se & cum *Sacchari* (seorsim ac simplicissime, complures tamen in usus) *Sirupisati* mixtura: sine vel cum competentibus etiam acceptioribusque pulveribus.

v Cui bono tot 2 *Conservæ*, *&* (effœta, vel si muriam propriam reddas, maximam partem ingratiora hinc (3 *Condita*

N O T Æ.

q Ita nec ullo Loch sano insanove, &c. *Uti usitatis in frequentatioribus Dispensatoriis, Mynsichti saltem ac Zvvelferi seu Formulas seu variationes fere sexdecim superadditas invenimus*

r Sive de cætero quidpiam &c. *Quod pene videtur? diuturnisque, matutinis præcipue exscreationibus,* (sive materia è profundis, sive è præliminaribus, varia de causa provenerit,) *vexati,* (probe prius interea ex inanitis circumcirca faucium terminis ac plicaturis,) *haud raro nihilominus, evidenter tamen per Larygem tandem Arteriaci quidpiam,* (nam acriorum Detergentium, Exsiccantium, vel plane in Diacodiis v. g. Dysenterico ac contra Sputum sanguinis Zvvelf. Adstringentium equidem difficilior fuerit ratio,) *adscendere,* (post lentam prius insinuationem,) *etiam nobiscum quandoque percipiunt.*

s Ita Linctus hunc in finem præsentanei, &c. *Arteriacorum, & vel supernæ saltem Viscositatis, Incisivorum & Detergentium infra relatorum. Quid enim è Stypticorum, ni forte Emplastica simul vel oblinentia simul fuerint, accessu sibi quis hoc modo in Hæmoptysi, magisque adhuc in Dysenteria specialiter promittat?*

t Inter se & cum saccari (&c. *Qua ratione plurima compendiose, citra quoque coloris, ubi opus est, jacturam edulcorari, dilui, ad consistentiam suam redigi, efformari &c. queunt. De cætero & Mel Passularum sale modo Essentiarum instar paratum, ejuscemodi Linctibus similiter haud inconvenienter, tanquam mage leniens substituetur.*

v Cui bono tot conservæ &c. *Etiam per contradictionem quasi, ex Amaris illis, Absinthio, Carduo bened. Centaurio min. Scordio &c. ita saccharatis proposita; aliterve Mixturas, præsertim sub paulo liberaliori accessu ingratas* (quod Anthos quoque Lavendula, Ruta, Fumaria, Mentha, Botrys, Veronica, Hypericum &c. solent,) *reddentes; aut virium permultum sub ipsa Præparatione,* (ceu vel inter Embammatum è Cochlearia, Piperitide, Nasturtio &c. confectione percipitur,) *perdentes. Uti secundum laboriosissimi D. Zvvelferi super Classem 14. accurationem, in Enula, Calamo arom. Cichorio, Pimpinella, Mespillis,* (Juglandes enim adducere nimium foret,) *deprehendetur. Quodque similiter simultanea ejusdem Incoctio haud semper qualibet; v.g. Aurantiorum Citrique cortices & Radices minus* (ceu pleræque hic sunt,) *pulposas sufficienter & pro expetita teneritate emolliat: licet etiam protractior* (at non sine subtiliorum è nonnullis particularum dispersione, (*fuerit. Vase clauso enim eas excipere, crassamento reddere; idque sub* (plerumque necessaria) *talium recoctione seu incrassatione repetere, vix aliquis circa ejuscemodi Bellaria voluerit.*

1 *Loch*) Arabibus est Ecclegma, Latinis linctus, & ad affectus faucium & pectoris commendatur; Verum faucibus eadem, pectori verò & asperæ arteriæ medentur, quippe ad quæ loca illorum nullus est sine tussis exasperatione accessu; adeoque saltem faucium affectibus præscribi solent: Scil. (1.) ut fauces lubricitent, & phlogosim & inflammationem incipientem, vel conceptam, vel excotiationem à lympha acri in affectibus catharralibus oriundam, aut denique dolorem partium temperent, & blandè corrigant: Pro quo tamen scopo pauca looch sufficiunt; nempe ea, quæ fiunt ex papavere, & incrassare vulgò dicuntur, quibus addantur passulæ, quæ res etiam proficua videbitur: Hinc syrupus diacodii Montani gratissimus & looch passularum à *SCHROEDERO p.* 178. *Lib.* 2. descriptum; vel misceatur syrupus scabiosæ, diacodii, hique duo baculo liquiritiæ lambendo successivè deglutiantur. Secundus scopus verò looch præscriptorum est, ut interdum lympha mucilaginosa, & viscidior in isthmo faucium hærens detergatur & abstergatur, hincque per sputum promoveatur, pro quo tamen scopo unum alterumve iterum sufficit, nempe looch de squilla, vel ex gummi ammoniaco ad imitationem *RIVERII cent.* 3. *obs.* 21. ita præscript.

℞. *Gumm. Ammoniaci in vin. vel spir. vini solut.* ʒiv.
Oxymell. squillit. ℥j.
Syr. de marrub. vel helen q. s.
M.F. *Looch pro plurib. dosib.* aut
℞. *Præparat. ari exicc.* ʒiij.
Extr. helen. ʒj.
Syr. de marrub. q. s. pro reduct.

in consistentiam looch; adeò E. rectè dicit AUCTOR: nos neque sano neque insano indigere looch; cum ex tempore linctus tales parari possint.

2 *Conservæ*) Parantur mulierculis ex simplicium & horum florum foliis incisis & cum saccharo contusis. Cæterum cum hujusmodi conservæ nulli alii usui inserviant, quàm ut sint vehicula aliorum remediorum, propterea tantus eorumdem cumulus non erit necessarius, sed pro usu aliquæ sufficient; sic v. g. ex omnibus conservis rosarum rubrarum, florum tunicæ, buglosæ, anthos & hederæ terrestis asserventur, quæ reliquis omnibus abundè æquipollent.

3 *Condita*) ut radices cichorii: effœta autem

 sunt

sunt ideò, quia earumdem vis medicamentosa sub sui ebullitione maximam partem evanuerit, adeoque reverà effœta sunt; quod si autem propriam muriam iis velis superaddere ingratum hinc emerget remedium amaricans; adeò ut condita omnia ex Praxi penitus relegari queant.

TEXT. LUDOVIC.

negotiosioribus mulierculis aptiora? *x* Efficax Medicina horum paucissimis, & vel soli forte *Rosarum quarumlibet conservæ*, pro vehiculo vel additamentorum incorporatione, secure acquiescit.

y Nec si rem paulo acuratius expendimus, ullo 4 *Siruporum*, *Rob*, *Mivarum*, *Mellium medicatorum*, *Oxysaccharorum*, *Oxymelitium &c. usualium*, *vulgarium* aut (pro majori virium conservatione vel speciositate) *Correctiorum* tantopere indiget; cum tot non dicimus æquipollentia, sed præsentiora commodioraque passim nunc extent, semet parabilitate simul & contractioris dosis gratia nemini non commendantia: *z* cum porro, (siquidem alicubi sirupale remedium omnino requiritur,) prompta seu extemporanea competentium Extractorum, Essentiarum Tincturarumque dulcoratione vel dilatatione (per ad ectum Saccharum seorsim ad sirupi forman simplicissime coctum, *a* aut mel prius vel pro lubitu ad odoris qualemcunque obliterationem recoctum, vel passularum essentiam &c.) ejuscemodi consistentia, quandocunque libet, obtineatur: *b* quæ denique (numero for-

NOTÆ.

x Efficax Medicina horum paucissimis &c. *Nam & hic revera negotiosior foret Albarum, Incarnatarum, Rubrarum delectus.*

y Nec, si rem paulo curatius expendimus, &c. *Ex Amaris insuper, aliisve sub Sacchari quoque tegmine Ingratioribus, Viscidis, volatilioribus salinis aut oleosis &c.* cum commodior conservandi vel applicandi modus tum temporis vulgo nesciretur, *) paratorum. Chirurgis interea suo Melle rosato* (quod in Clysteribus, cum consimilibus, etiam Sirupis eo destinatis, simplici melle vel saccharo alias facile suppletur) *relicto.*

Ad præcedentia adhuc referri queunt sequentia. *Dum v. g. Mynsichtianorum complurium Compositio*, (si ingredientia haud pauca aquoso Liquori necessariæve Exhalationi conferimus, aut inutile Vini magma expendimus,) *fere inconvenientior; Destinatio, ut in Dysentericis, infida; Commendatio sæpe, ut in Hydragogo, Panchymagogo, nimia est. Circa recentiores vero Pharm. Reg. variationes*, (Mynsichtianis nonnullis, Perlato, Corallino, Nephritico &c. alicubi vicinas,) *adhucdum hæsitare posset aliquis, quod Volatiliorum complurium, Menthæ, Melissæ, Hyssopi, Cochleariæ, fl. Tiliæ, Aromaticorum affiniumque nonnullorum, Nymphea* (refrigerii causa) *&c. seu Extracta seu Spissamenta è residuo ad Tabulati consistentiam cocta, revera tamen exhausta vel debilitata nihilominus insint; Aromatica, ac vicina quadam Cephalica, carminativa &c. simpliciter & in aqua decoquantur; Succi non solum humidiorum herbarum, sed Radicum quoque sicciorum, Centaurii minoris &c. seorsim & operose collecti, minusque hunc in finem*, (etiam secundum annotationes ad Aperitivum Mindereri,) *habiles alias existimati novis Extractionibus destinentur; Cochlearia, Fœniculum &c. Acetosis extrahatur, Asthmatici ac Nephritici cœpis teneriorum plerisque adversis imbuantur, &c.*

z Cum porro, (&c. *Et sicca & liquida, Aquarum, Mixturarum, Tincturarum, Essentiarumve forma: quid enim Sirupalis in Cephalicis, Cardiacis calefacientibus, Diaphoreticis in specie conferat, tantisper non videmus; minusque adhuc in Spleneticis, Uterinis ac Dysentericis.*

Aut mel purius vel pro lubitu &c. *Ceu paulo ante notavimus. Circa Mel vero, quod jam ante Helmontium)* tract. Nutritio Infant. pro Essentia Roris cœlestis habentem) *Quercetanus in Pharm. l. 1. c. 10. Saccharo prætulit; si sponte, secundum C. Cunradi pridem tract. 6. p. 1. traditum, in Apicolis passim ignotum, processum stillans*, (equidem speciosius) *defuerit, curiosiores esse nollemus; vulgari, unica tamen, Albicantioris præcipue eliquatione contenti, ob planam usquedum*, (licet heterogenei quidpiam, non fortasse tam ex ipsa Cera atque Propoli, quam inviscatis utplurimum Apibus eorumque amarissimis excrementis arripuerit,) *Innocentiam; & inter subsequas ejus Adaptiones vix tum evitabilem conservatarum prius tenuiorum particularum Dissipationem; quas imo Glauberus ex adverso & quasi contrarius, ne ingrato illo melleo odore, etiam stillatitio Cunrandi adhærente, Hydromel Spiritumque ejus inficeret, data opera Recoctione aliqua, tantisper laboribus effectuique innocua*, (pluries enim repetitas ipsorum tandem Mel, quod etiam D. Zvvelferus S. I. P. R. hac in materia annotavit, perquam exhaurire certum est,) *detraxit, F. 3. c. 12. & in sequioribus.*

b Quæ denique (&c. *V. g. Violæ purp. Glycyrrhiza, Citrus, Scilla, si cruda recipitur; quibus addi forsan possent etiam Cydonia, inque diffusissimos apparatus Substitutionis aut Variationis in Refectivis caussa Rubi Idæi baccæ Fragave.*

4 *Syruporum, Rob, Myvarum mellium medicatorum.*) De his monemus, formulas eorum saccharo infectas, originem duxisse ex schola Galeni, nec in scriptis *HIPPOCRATIS* contenti tales reperibiles esse: Dehinc ex schola *GALENI* ad Arabes & Mauritanos derivasse, à quibus in immensum auctæ, omnes Veterum compositiones saccharatæ prodierunt: Sicut ab his ad Europæos pervenerunt eædem, & à *RENODÆO, QUERCETANO ET RONDELETIO* iterum ingens copia accessit, adeo ut hinc tandem eousque excreverit moles compositionum Galenicarum, ut ferè nesciamus, quam eligamus. Cæterum in specie huc syrupi pertinent, eam in gratiam inventi, ut partim decocta & succi vegetabilium melius conservari, partim specioso sacchari titulo gustui consuli queat, interim quot hominum, qui ferre nequeunt dulcia, ut hypochondriaci, & qui morbis ex cruditate acida laborant, horrent mellita seu flatulenta, non secus ac mulieribus saccharata nocent, utplurimum passionem hystericam incurrentibus. Similiter in febribus tam acutis quàm intermittentibus ceu fermentescibilia nociva sunt, & notat *HENRICUS AB HEER*, ex hac causa febricitantes divites pro pauperibus citius interire. Imò rejicit *PANAROLLUS* syrupos saccharatos in acutis consuetos, ceu peregrinum saporem contrahentes & in febricitantibus ad putrilaginem tendentes: Insuper cùm ex Chymia hodiè longè concinniora habeamus, proin syrupi pro scopo aliqualis saltem misturarum edulcorationis & præterea non usurparentur, adeoque pauci sufficiunt e. g. syrupus de succo acetosæ, de corticibus aurantiorum, rubi idæi de citro toto *SENNERTI*, cydoniorum, florum tunicæ, Nicotianæ, & violarum. Hi satisfaciunt abundè. Cætero quin decocta & syrupi longè melius in Pharmacia correctâ asservari possunt, si nempe sulphuris gut. impraegnentur, & hinc pro usu competenti cum saccharo misceantur. Alia & pro scopo laxandi infantes esse potest syrupus de spina cervina & syrupus rosarum solutivus. Similiter ex mellibus oxymel

mel simplex & squiliticum. Quod si autem propter saporis gratiam indigeamus syrupis, tunc facilè erit extracta & tincturas impraegnare ex tempore sacharo. Interim paucos excipit succos AUTHOR, qui propter sui, coloris facilem deperditionem in syrupi consistentiam redigi debent; ejus generis sunt succus violarum & florum tunicæ, qui sub sui inspissationem colorem perdunt & turpes redduntur, sicut & ipse succus fragorum & rubi idæi sub redactione in extractum fermentare incipiunt, unde cum saccaro condiantur in syrupum. Contra reliqui succi non debent syrupisari.

TEXT. LUDOVIC.

te tria vel quatuor, sub alia fere forma, *c condensatiora scilicet colorem, liquidiora vero*, (sub concepta fermentatione) *saporem aliquantum* mutant, adeoque *sirupalem in specie consistentiam* hinc requirere videntur etiam citra hujuscemodi lenocinia nihilo deteriora sint, *d* nec conservatoria talium enchirisi penitus destituantur, uti nec æquivalentibus suis succedaneis; tanquam alias selectui huic nostro haut absolute necessaria.

e Sic, *5* quamvis *extracta* quædam, è simplicibus aliquot polychrestis, extractioni revera subjectis, *f* ac parum inter

NOTÆ.

c Condensatiora scilicet colorem, &c. *Ita parata in vaporoso Balneo Essentiarum Salæ modo*, (sacharata quoque) *Extracta, Violarum quidem, post debitam inspissationem pristini caloris equidem minimum, si caliculi una*, (nec pro destinatione remedii inconsulto) *relicti fuerint, nil, quod nos* (secus ac laudatus modo A. Sala l. 2. c. 3.) *observare forsan potuerimus retinet. Liquiritiæ sat spissum ægre reliquis postmodo permiscetur; paulo liquidius aut mollius situm plerumque contrahit. Citri succus*, (præter Alborem, in Mixturarum variationibus interdum nonnullis quæsitum,) *per nimiam exalationem de Acore suo*, (uti D. Zvvelferus l. 1. Ph. Reg. & jam ante eum Helmontius de Litias. c. 7. non impertinenter monuit, & parile mitificationis exemplum in ipsis Liquiritiæ Succique ejus Extractis inter se collatis habemus;] *notabiliter remittit: nec inspissato Cydoniorum succo pristina adeo fere gratia inest; uti quidem* (tædiosæ tamen asservationis diffusiorisque dispensationis) *Vino, vel ad tertias tantum evaporata Remanentiæ: gratiori quidem, at*] sine saccharo quoque,) *facile*, (cum induto aliquo amarore,) *fermentanti. Scilla cruda porro, nobis tamdiu innoxia, in Aceto simplici*, (cum destillatum acrius modificante corpulentia destituatur,) *tandem mucilaginescit: & si Fructuum haud acidulorum Succi complacuerint, liquidiores similiter etiam sulphurati, tandem non sine saporis immutatione aliqua fermentant; per se vero corpulentioris cujusdam Rob instar condensati, v. gr. Fragorum, Mori, ceras. nigrorum situm vix effugiunt.*

d Nec conservatiora talium &c. *Nam in privata confirmatorique praxi Color primo plerumque tanti non est: nec per fermentationem mutatus aliquantum succi Cydoniorum* (ad tertias exalati, & pro lubitu sacchari quoque particula conditi,) *Sapor destinationi ejus officit, extempore insuper compendiosiusque in singulis dosibus per supradictum Sirupum immutandus. Ad præcavendum vero situm, servandam tamen interea reliquorum Subdulcium aut Acidulorum fluiditatem, post peractam ad quartæ partis remanentiam largioremve evaporationem, vel saccari saltem*, (at alia cum ratione) *Additio*, (dum Acidulatio per Vitrioli Salisve spiritum omnibus subjectis affectibusque haud semper convenit, & nonnullorum consistentiam denuo disturbat, Sulphuratio vero quasi Helmontiana, cum odoris adversitate quadam, expectationem hic interdum destituit,) *tantisper sufficit: longe sc. quam in usitata ista Syruporum diffluentia, parcior, & ut mellago tantum aliqua s. Sirupalis consistentia*) A. Salæ, saccharum tamen in Saccharol. p. 2. c. 14. fere nimis accidentis imitatione quadam,) *exeat: sicque Fermentatio etiam, cæteris interea*, (ratione repositionis, &c.) *paribus, in condensatioribus ejus generis succis impeditur: quemadmodum & Aceti scyllitici supra noti corruptio, si vel dimidium saltem inibi dissolvatur. Acidi Berberum, Ribium, Cerasorum &c. succi ad tertias vel quartæ partis remanentiam exhalati alias per se, & citra hujuscemodi condituram durant. Plura enim in ejuscemodi Epicerasticorum, incidentium, ac Roborantium temperatorum genere, parabiliora quoque suppetunt, quæ pro regionum tempestatumque ratione deficienti uni substituatur: v. g. tot Arteriaca è Papavere utroque, Passulis, Tragacantha, Seminibus mucilaginosis, vel* (in Emulsiones) *oleaginosis, Malvaceis &c. E Becchicis Ammoniacalia utraque, Arum, Nasturcina cū affinibus, Ireata. Hedera terrestria &c. Liquiritia vili pretio è media Germania ubique habetur: Cydonia similiter ad Septentrionaliora usque; aut sicubi defuerint, quia cū aliis nonnullis Acidis, hique inter se soli vel accessoriis magis accommodati, vel exasperati, invicem permutentur, obstare profecto serii nil deprehendimus, minusque adhuc peculiaremRuborum Fragorumve pro intentione nostra necessitatem.*

e Sic, quamvis Extracta quædam, &c *De hisce primus egit distinctius ingenueque A. Sala Anatomia Essentiarum veg. s. 1. c. 5. & s. 3. c. 3. Cum olim indifferenter tantum non omnia huc* (sive interea vegetabilium,) *traherentur, plane Volatilia, Aquosiora, Mucilaginosiora, Farinacea, fructus ac semina illa pinguia, culinaria, nec singularius aliquid revera præstantes vescorum Animalium partes, Lapilli, Testæ, aliaque Marina*, (in specicbus aromaticis diversimode Anodynis Purgantibusque Extractis destinatis plus minus contenta,) *ac Mineralia ad Martem usque ejusque Solutiones. Ceu vel in Quercetano saltem, toto Phar. dog. restitutæ c. 25. exempla habentur plurima; nec superioribus annis in Mynsichtio, P. 7. Fabro aliisque desunt Nec tamen proin nonnullorum inconvenientium è Destillationis per Vesicam collatione indifferenter æstimaverimus: siquidem ut oppido satis valida est*, (D. Zvvelfero quoque Phar. Reg. cl 15. monente,) *vaporosi Balnei actio; reipsa tamen per immediatam illam coctionem magis exhauriri ac separari Immersa simplicia videntur: indeque Caryophyll, Cinamomum flores Tunicæ &c. quæ prædicta, etiam remissior Destillatio effœta relinquit, de suo quidpiam vaporoso Balneo impertiunt.*

f Ac parum inter adæquati &c. *Tædiosiorem interea, alienoque sæpe sapore Vini spiritum, indeque Extractum etiam subsequum ex parte inficientem, nonnulla insuper ita debilitantem; ut nisi carissimus tunc fuerit, immorari istius collectioni nollemus. Idque non solum, cum naturæ simplicis inconvenientius fuerit Menstruum, indeque v. g. Croci, Absinthii, Rhabarbari, Senæ similiumve cum Vini spiritu parata Extrata, aliquanto magis debilitari partim Sala l. c. s. 3. c. 3. & 4. monuit, partim experientia* (utut purgantium horum major hinc correctio aut subtilisatio hodieque prætendatur,) *ostendit. Verum etiam, cum adæquatius adhibitum est Menstrum: ceu collectæ inter evaporationem humiditatis sapor odorque, ac tandem ipsum coagulum, etiam in fixioribus quamplurimis, Vulnerariis, Adstringentibus, &c. D. Zvvelferi hinc restitutioni per oleum proprium, difficillissime quoque per M. B. prius conquisitum, Append. p. 17. haud ita subjectis*, (si parili ratione liquidis adhuc talium infusis gustando odorandoque conferatur,) *quidpiam hic* (non tamen rejiculis ideo Extractis,) *decessisse testatur. Indeque, præter magis sic expansum Medicamen, fortassis insuper est, quod ejus generis infusa aliqua validius sæpe præ Extractis suis, proingredietiū tamē ratione operentur.*

5 Extracta) in extractis desideratur crasis medicamentosa & cōcreti simplex, separata à reliquā substātia

corpo

corporis, quâ anteà tanquam nucleus à reliquo corpore seu cortice involuta erat, sic e.g. cinamomi destillatum ol. ejus in se continet crasin, adeò, ut separato ol. cortex omni virtute sit exhaustus; similiter, quando ex eodem cinamomo cum spir. vini elicitur resina, quæ aliàs sub destillatione sub forma olei prodit, tunc spir. vini hinc rubicundus factus tinctura vocatur; quod si per spir. vini aliqualem abstractionem ad consistentiam melliformem inspissetur, vocatur extractum, imò si hujusmodi tincturæ & extracta ex concretis pluribus simul eliciantur, nominari solent Elixir. Jam verò in extractis ritè parandis duo consideranda. (1.) Substantia extrahenda. (2.) Medium extractionis. Substantia extrahenda est vis concreti medicamentosa seu crasis tota pariter & nativa, h.e. quæ nullam à menstruo vel ab Igne alterationem passa sit. Medium autem extractionis seu separationis, cujus beneficio crasis subjecti elicitur, aliàs vocatur menstruum; scil. Veteres sub elaboratione Elixier Magni seu alkahest duo subjecta & observationes habuerunt, inter quæ agens fuit sulphur quoddam solare; & patiens liquor Mercurialis, qui solvit sulphur istud; ita, ut liquor hinc fixatus, in Elixir transeat; jam verò sulph. istud Solare, nomine maris, liquorem verò solventem Mercurialem, nomine fœminæ denominarunt; cujus hæc ratio: Nempe dixerunt, quod quemadmodum in generatione animalium requireretur congressus maris & fœminæ, ità quoque hoc in negotio sulphur masculinum cum semine fœminino esse conjungendum, & sicut mas suum semen conferret, ita fœmina suum menstruum, quod hic esset liquor ille Mercurialis, adeoque ex hac analogia liquorem illum Mercurialem vocarunt menstruum, cujus usus est, ut solvat & color inde nascatur caput corvi dictus, atque sic factum, ut vox illa menstrui ad omnia solventia fuerit adaptata per abusum, *conf.* BECCHERUS *in Oedip. Chym. p.* 132. Cæterum in menstruo maximum latet negotium extractionis, cum illud esse debeat appropriatum crasi extrahendæ, secus enim facit negotium; h.e. particulis suis minimis subintrare debet menstruum particulas concreti, easdem penetrando, hinc crasin medicamentorum separare, ac in poros suos recipere; adeò E. requiritur, ut menstruum sit simile rei extrahendæ; sic enim quia vis jalappæ consistit in substantia oleosa seu resinosa; propterea pro hac extrahenda requiritur spir. vini, qui similiter est oleum resolutum; econtrà cum aqua res non procedit, cum hæc sit inepa, nec possit penetrare corpora oleosa, atque par ratio est in omnibus solutionibus. Jam porrò similitudo illa mutua consistit proximè in particularum menstrui & solvendi convenientia, ità ut se invicem potuerint liquifacere, solvere, imbibere & spatiolis suis continere: Sicut remotè in identitate texturæ materialis, quæ intercedit menstruum & rem extrahendam: etenim similes particulas & particularum similem actionem probat hoc, quod sulph. optimè per oleosa, contra mucilagines per aquosa solvantur. Insuper contingit, ut unum subjectum pro diversitate particularum diversa requirat menstrua; sic enim lignum sassafras & guajaci duplicia menstrua poscit, pro duplicitate substantiæ, resinosa nempe spir. vini, gummosa verò aquam simplicem, cum ambæ hæ substantiæ sint distinctæ naturæ. Similé locum invenit in Colocynthide, de qua *confer.* ZUVELFER *Ph. Reg. p.* 15. Prætereà in menstruo considerança est debita quantitas, quæ sufficiat extractioni, & qualitas quæ valeat extrahere, quibus adde, ut menstruum debitò modô ab extracto separetur. Vegetabilium extracta sunt mucilaginosa sive gummea seu resinosa, quorum illa aqueô, hæc Spirituoso eliciuntur menstruo: Animalium verò non dantur propriè dictæ essentiæ, sed saltem gelatinæ cum Aqua extrahendæ, suntque hæ instar essentiarum ex animalibus. Tandem in mineralibus, cùm se utplurimum gratia coloris commendent, propterea hæc tincturæ nomine venire solent. Vegetabilium extracta pauca sufficiunt, nempe extractum absynthii, castorei, cardui benedicti &c. Vel instar omnium extractum ex quibusdam compositum, quibus annumerandum est extractum opii vel laudanum opiatum, ac tandem extractum quoddam compositum purgans. Cæterùm considerandum probè est, ne extracta sub menstrui abstractione substantiâ subtiliori priventur, ideoque non benè volatilia extrahi possunt, quæ potius sub tincturæ aut essentiæ titulo retineri debent, præsertim si in liquida forma ea dispensare animus sit. Porrò extractis his addendum est saccharum, si ea scopo arteriaco inservire debeant; sine tamen saccharo reponi possunt, si loco spir. vini simplicis spir. vini tartarisatus tinctura tartari sumatur, qua ipsa essentiæ resinosæ elici debent; sic nempe commodè in forma liquida dispensari, & omnibus admisceri poterunt, quod sine Salis tartari commercio aliàs fieri nequit. Porrò contingit interdum, ut compositis extractis admisceatur quædam, quæ tamen extractis nihil communicant: Tale est extractum chalybeatum SCHROEDERI in spir. vini factum, ubi si vel tonna integra spir. vini per annum chalybi infusa permittatur, nihil tamen hæc illi communicabit; par ratio valet, quando perlæ, corallia &c. pro extractione producuntur.

TEXT. LUDOVIC.

adæquati Menstrui divaporationem vel abstractionem (oppido plerisque quidpiam subtrahentem,) *g* deperdentibus in vaporoso

NOTÆ.

g Deperdentibus in vaporoso &c. *Vulgari saltem; si Galeatum olim,* (D. Brendelio adhuc Chim. c. 3. commendatum, tardissimum tamen, & Coriandri semen aliquando nobis semet empyreumate inficiens,) *displicuerit, aut recentiori imitatione D. Zuvelferi clausum præsentiusque defuerit. Patina, uti notum, pure stannea, vel pro acrioribus etiam vitrea; ceu satis commode è Recipientium vitrorum diffissorum fundis habentur seu exscinduntur. Evaporatione,* (si Carbonum laborumque Compendium quandoque placeat,) *hyemali tempore super Familiæ in hypocaustis* (paulo amplioribus vel altioribus) *Vesicam aquariam, æque celeriter ac innoxie,* (ut de Opii Extracto plus vice simplicis scimus,) *instituenda.*

h Præ

TEXT. LUDOVIC.

balneo confecta, locum sibi merito hic vendicent, *h præsertim* [quæ liquida sunt; idque aliàs ferunt, *i* etiamsi vel semiresinosa & cum vini spiritu extracta fuerint) circa exhalationis finem, (pro faciliori dilutione, impediendove situ, exsiccatione, vel condensatione nimia,) plus vel minus, *l* secundum recentiorum inventum *Saccarata* : (plus scilicet Arteriaca, confortantia odorata quædam mucilaginosiora, aliave de caussa sitim facilius, citra hujuscemodi condicturam concipientia, &c.) Cui bono tamen hinc *reliquorum cohors*, *è residuis symbolizantibus*, *æquipollentibus aut debilioribus nonnunquam vel in effectu*, saltem pro more, & ne catalogo vel repositoriis desint,) licet *legitimo* cæteroquin *processu* congesta ? *m* Et quidni magis hinc expungantur, quæ majori adhuc numero è *simplicibus extractioni plane non subjectis*, *n viresve suas inibi disperdentibus adhuc dum* nonnullibi proponuntur ? quæve numerosius adhuc, propter inconvenientiorem procedendi modum *effœta, languidiora, aliena vel inversa deprehenduntur:* o quæ scilicet nimis Clarificationibus, aut longioribus Digestionibus debilitamus potius, quam exaltamus; aut concepta (tunc, vel inter protractiorē evaporationē) incōpetēti fermētatione, enormiter hinc alterari, vel penitus, perverti sinimus : *p* quæ nimis

NOTÆ.

h Præsertim quæ liquida forma danda sunt, &c, *Uti circa Sirupos notata spissamenta Arteriaca, Refectiva &c. V g. modo dicta aliaque Pectoralia, Epicerastica, succulenta Acida & Acidula, Vulneraria, moderate Adstringentia, Diuretica acceptiora quædam &c. Nam, ut Sirupis olim, nemo forsan nunc amara illa, aliterve adversa, Absinthiaca quasi, vel Opiatici saporis plurima amplius ita condierit, vel hinc è Tincturarū, Pilularum similive competenti forma excluserit.*

i Etiamsi vel semiresinosa &c. *Siquidem & hæc gummosis vel mucilaginosis pariter sociata, v. g. Ligni Aloës*, (quamvis D. Zvvelferus præfatione Cl. 7. Ph. Reg. diversum referat,) *Acori, Hyperici, item Consolidæ maj. Altheæ &c. saccharum amplectuntur; lii et plerumque minus inde diaphana, purpureis tamen* (v. g. Ess. Papav. errat. succi Liquiritiæ &c.) *haud difficulter obnubenda; ut laudatissimi A Sala percolatione* (c. 4. s. 2. de Polychresto Hyperico,) *vel spirituosioris liquoris nonnunquam minus convenientis additione, haud adeo hic opus sit. De cætero istiusmodi generis simul semiresinosa; jampridem & prædecessorum exēplo, citra laudatissimi D. Zvvelferi particulatim inibi dispensarum Resinarum*, (intimiorem equidem, vix tamen undiquaque perfectam) *separationem, in Vini spiritu solutionem, vel cum Amygdalis aut Melonum semine*, (quorum etiam rancorem subsequum D. D. Schrockius Cl. 7. p. 117. opposuit,) *sub actionem, ac reiteratam* (quæ denuo nihilominus inæqualior oriri poterit,) *conjunctionem*, (simultanea tantum ac continuatiori, circa exhalationis finem permixtione, vel pilularum Cordialium, Anodynarum, ac stomachalium ejusdem imitatione, contenti,) *secure nihilominus & citra inæqualis hinc operationis perceptionem, etiam in Purgantibus*, (Agarico, Mechoacanna, Turbetho, Gutta Chambodia &c.) *adhibuimus.*

l Secundum recentiorum &c. *Præcipue A. Salæ jam ductu Saccharol. s 2. c. 14. Poteriique l. 3. c. 6. postea commendatione Papaverina, Rosacea, violacea, quaque è Liquiritia, Consolidis*, (si alluberit,) *Satirio &c. superius sæpius allegatis habentur.*

m Et quidni magis hinc expurgantur, &c. *Ceu ipsa talium Simplicia inter superflua, in principio ex parte recensuimus: exemploque esse possent, alibi forte Carlinæ, Angelicæ, Enulæ, Zedoariæ, Petasitidis, Imperatoriæ, Levistici, Dictamni albi; alibi Fumariæ, Linguæ Cerv. Polypodii, Filicis, Cetarach, Cuscutæ reliquorumque* (quovis in genere minorum adhuc gentium) *Simplicium Extracta. Et fallimur, an* (si experientiam specialemve necessitatem conferimus,) *singularitatis tantum sunt quæ* (ni accessoria quid nonnullis conferant,) *è bubulo vitulinoque Hepate, ac* (Vulpino quoque dixerimus) *Pulmone Bovis, splene, Matrice, Leporis, Secundina Mulieris, Alcis Ungulis, humanis brutorumve Craneis*, (gelatini formia fere,) *ipsoque Marte, sub longe latiori vocis significatione, pro seculi tunc more huc relato, Tincturisque forsan* (cum Magisterium Martis aperitivum Mynsichti Artman. s. 1. nihilominus iterum dilui debeat, Vitriolum vero Martis factit. D. D. Sennerti, L. 3. Prax. c. 5. de Affect. Hypochond. imitatione, Hellebori extracto facile certiorique proportione permisceri eodem successu queat,) *parantur aut proponuntur.*

n Viresque suas inibi disperdentibus &c. *E Pipere, Cochlearia* (cum vegetior pro coloratione viriditas aliter aut aliunde, certius habentur,) *Liliis convall. Mentha, Melissa, &c. herbosum saltem, amaricans, aut remississimum magma*, (cujus intuitu, exemplorumque per singula persecutione, talia quoque teneriorum aliorum, nec tamen plenarie adeo volatiliorum, Croci, Rosarum, Caryopyllorum hortensium &c. Extractis A. Sala l. c. interposuisse videtur,) *præbentibus.*

o Quæ scilicet nimiis clarificationibus, &c. *Utrisque Poterio quoque Phar. Spagir. s. 4. l. 1. ac P. J. Fabro in Myrothecii p. 1. frequentatissimis : at ab ingenuo Sala s. 2. Essent. c. 1. 4. & s. 3. c. 4. Hydræleolog. s. 1. c. 5. haud sine ratione forsan improbatis : dum multæ simul, aque efficaces præsertim lenientes, item resinosæ, Tartareæ, similesque fixiores particulæ subtrahuntur, vinosi vel mucilaginosiores Succi quidam, v. g. Fragorum, Mororum, &c. Infusa Lysimachiæ spicatæ absorpto albuminis tantillo sæpæ turbidiores redduntur; Castorinus, in Essentia ejus, odor aut imminuitur, aut putido quopiam deturpatur, &c. Non tam ob copiosiorem Liquorem, Calorem remissiorem &c. equidem declinabilia;* (indeque Sala l. c. plures pro evaporatione Patellas recipit :) *quam ipsam Liquorum eo declinantium, Epicærasticorum vinosorum &c. naturam : antequam tales debitam consistentiam,*) nam fluidorum saccharoque conditorum succorum aliam esse rationem tolerabilioremque mutationem, superius Titulo de Syrupis notavimus;) *nanciscantur. Acerbo vel Acido, destinationi Simplicis incompetente oborto* (cum effectu per quam acciso) *sapore; præsertim in subdulcibus mucilaginosioribusque nonnullis; uti nobis circa Senæ infusum Sambucique succum aliquando accidit.*

p Quæ nimiis repetitisque menstrui affusionibus, &c. *Quod ipsis Zvvelferianis quibusdam Extractionibus eorumque in Agarico, Ialapio &c. Paradigmatibus impingere fortasse posset quispiam. Cæterum à primis manualis operæ exercitiis, hac in Materia ad planum A. Sala ductum institutis, post plures usquedum variationes, Productorumque ponderationes; familiarem ipsi Proportionem plane adæquatam & sufficientissimam esse deprehendimus pro Radicibus sc. Lignis &c. præcipue compactioribus, octuplum; levioribus, spongiosioribus, mucilaginosioribus, ac Herbis plerisque concisis decuplum; Floribus, præsertim tenerioribus, levioribus, mucilaginosioribus, v. g. Violis purp. Papaveris errat. &c. à decuplo usque ad duodecuplum; Succis inspissatis, Resinis ac Gummi resinis plerumque sextuplum, aut paulo plus. Ita Recentibus, ni sponte succulenti quidam Flores* (ut Borraginis) *diffluant, Fructusve acidi aut vinosi copiam per se præstent, facile, similiter tamen cum aliqua latitudine suffecerint, Floribus quidem anaticum pondus : ut & Herbis medio modo*

do hic se habentibus, Plantagini sc. Cichorio, &c. Succo enim abundantioribus, Fumaria, Acetosa, Carduobened. &c. (cum accedente calore externo prompte in pauco humido concidant, immediata vero talium expressio sit tædiosior, (*tantum hoc longe foret exsuperantius; Siccioribus autem, Veronica., Centaureo min. Hepatica nob.* (pro germinationis tamen & maturationis ratione) *dimidium insuper aut duplum oppido magis necessarium; præsertim levioribus mucilaginosioribusve, v g. Pulmonaria utrique, &c. Sicque in Radicibus etiam Liquiritia. Cichorii, Scorzonera* (*siccæ enim Salæ* s. 2. c. 13. equidem addit plusculum) *Tormentilla &c. ulterius & prout natura exuccæ fuerint, ulterius & ad triplum usque ascendendo: ceu Rencentium & Arefactorum* (debite asservatorum) *inter se collatorum proportio*, (dum v.g. è Liquiritiæ Bambergensis recentis libris quatuor, siccæ vix ultra unam, è florum violarum purp. recentius collectarum libris sex post ablatos petiolos & exsiccationem parum supra unam similiter, & sic de aliis consequenter habentur,) *talia amplius determinaverit.*

TEXT. LUDOVIC.

quæ nimiis 6 repetitisque Menstrui affusionibus (*dum unica simultanea infusio in octuplo vel decuplo liquoris sufficit*) obruimus & hinc præter rem modo notatis incommodis exponimus: *q* quæ 7 ex aquarum extremè destillatarum reliquiis admodum jam infractis colligimus; *r* vel vulgatissimo modò è magna Seplasiarum trulla, (igne violento] profecta tolleramus: *s* quæ diversimodo menstruorum reatui inconsideratius, hodieque nonnunquam subjicimus *t* ut dum resinosa Aquosis & vice versa aquosum saltem requerentia Ardentibus liquoribus infusa, tantum debilitantur, alterantur, aut incassum tentantur: *u* dum Aqua simplici (in suo genere sufficientissima,) neglecta, *x* Destillatis officinalibus vel Sero destillato precium solummodo, & la-

NOTÆ.

q Quæ ex aquarum &c. *Inducta jam olim, Sala tamen tum quoque*) s. 1. Hydræl. c. 5.) *improbata consuetudine; etiam ad compositas, postmodum vero* (inconvenientiam advertentibus) *ad earum* (Cephalicarum sc. Cordialium, Alexipharmacarum, Aperitivarum, Hystericarum &c.) *saltem species, perquam nihilominus inde plerumque exhaustas extensa: ut ordinis tantum exemplique causa, tale quid è Liliis convall. meritissimus quoque D. D. Rolfincius adjecisse videatur.*

r Vel vulgatissimo modo &c. *Sic inter studiorum decursum, plus vice simplici in vestibulo jam, ejus generis quid confici odore prius percipimus, quam ipsi furno Anemio, similive carbonum conceptaculo appropinquaremus. Unde nec Vesica A. Sala Ess. s. c. stanno intus hunc in finem obducta temere confiderimus: incrustatione sc. pluries variabili, & per Saturninum sæpe, tandem ad Venereum contagium ducente.*

s Quæ diversimodo &c. *Ceu in Quercetanicis passim olim factum est, & in Poterio quoque, l. c. Schrodero l. 2. c. 57. aliisque postmodo unum alterumve exemplum inveniri posset. Ipse D. Zvvelferus, qui tamen Extractum Querc. Phlegmagogum resinosa Turbith Agaricique parte ob Cinamomi* (haud dubio interea pro Officinarum more, spirituosiorem) *Aquam adhibitam destitui in Animadv. asserit, non ea solum, sed plura insuper ejus generis, etiam Aqua s. Succisque,* (alias saturatioribus) *pro Pilularum Panchymagogarum, Pestilentialium Spleneticarum constituendis massis in Pharm. Reg. subjicit: speciosiori fere,* (dum Rob cujusdam, v. g. Juniperi, ni corpulentia sua aqua s. transacti, alia est ratio, *nec Experientia adeo destituto A. Sala Schroderique l. c. modo*, qui (licet communis quoque Vini spiritus gummosas etiam particulas haud parce simul extrahat,) *pro faciliori tamen certiorive utriusque obtentione hunc diversa interim proportione cum Aqua s. vel* (pro more tum quorundam) *destillata miscent, spirituosam quasi aliquam, generosiorique Vino* (ut in Mastichinis Zvv. pilulis parem, ita nacti.

t Ut dum resinosa Aquosis &c. *Quemadmodum superius* (pro potiori saltem) *Absinthium, Crocum &c. è Sala, item Rhabarbari atque Senæ Debilitationem retulimus; etiam cum prima horum cum aqua s. confecta Extractio spiritu Vini denuo, labore Drastici, pro majori crassiorum seu* (Phar. Reg. tit. de Helleb.) *vehementiorum particularum separatione convenientiore, extrahitur. Aloën ita tractatam, longe diffusiori pondere,* (dum prætensa vis confortatrix aliunde commodius peti poterit) *dandam, in gummosa vero sui parte, exigua quoque, adeo præsentem, esse nemo nunc non novit. Non quod cum Beguini commentatore,* (c. 9.) *spiritum Vini penitus à Purgantibus, excepto Scammonio &* (aquosiori tamen) *Colocynthide adhucdum exesse velimus. Saltem & v. g. præter superius jam recensita, Calendula quoque, Melissa, Mentha, Scordium, Ruta, &c. in ipsius etiam laboriosissimi D. Zvvelferi binis illis, abstractionibus, & pro constituendis Pilularibus massis decoctionibus,* (Ph. cl. 6. atque. 7.) *inconvenientior forte curiosiori posset videri.*

v Dum Aqua simplici (&c. *Pura quavis,*) siquidem & Tophacea nonnullarum materia sub ipsa hic fervefactione digestioneque secedit: rigidior vero montanorum &c. vel aliquali asservatione pro lubitu infringi, & ad copiosiorem Extractionem disponi poterit.) *non Pulvia solum, aut Martia, Maiali, Tonitruali, ex alio capite hic quoque nimium aliquibus prælata.*

x Destillatis officinalibus &c. *Sala quidem etiam,* (post Quercetanum, proprias præcipue amplectentem,) *tum temporis, exemplo Rhabarbari s. 4. c. 2. adsumptis; ut circa D. Zvvelferi mentem, præfatione Classis 7. inque Rhabarbari ac Senæ Extractis eas admittentis, in Marocostinis tamen D. D. Mindereri, ac alibi reycientis hæsitare posset quispiam. Sapidiores interea ac graviori Oleositate imbutæ equidem relinquunt aliquid,* (vel Rotularum Manus Christi cum aqua Rosarum aut cinamomi exemplo,) *respective tamen carius id est, & atomoides,*

Vel sero destilato, &c. *Vel Lacte etiam. Talia vero, acido suo incisorio perquam privata, moris similiter aut ordinis saltem gratia D. D. Brendelium quoque, Virum suo tempore haud adeo innaccuratum, c. 4. Chim. in Art. Form. Red. inseruisse, non immerito suspicamur.*

6 *Repetitis.*) Hic AUTHOR consultum putat, una vice q. s. menstrui extrahendo affundere, unde erratum hac in parte vide Z. VVELF. in Pharm. R. ubi pro essentia castorei toties hic affundendum jubet menstruum, cùm tamen negotium in instanti possit peragi.

7 *Ex Aquarum extremè Destillatarum.*) Sic vanus est labor, quando quidam, aquas ex aromatibus compositas, aliquoties eas cohobando, cum vino Destillant, ac ità aquas vitæ acquirunt, dehinc remanentiæ affundere jubent spir. vini; Ineptiæ! hæc enim remanentia maximam partem viribus suis exhausta est.

TEXT

TEXT. LUDOVIC.

bores nequicquam intenduntur: *y* dum vini seu (graveolens) secum vini spiritus simpliciter & præcise exigitur, aut interdum præter necessitatem alcolisatur, *z* satisfaciente (parabiliori alicubi (frumentaceo quovis aut hydromelino, etiam pro quamplurimis extractionibus non vel haud adeo rectificato: dum Succorum expressorum Magmate, (extempore sæpe proportionalius adjiciendo) quæsitum sicExtractum potius obruitur: caseosa Seri parte pervertitur; aut Vino innoxio quidem, at in plerisque supervacuo 8 Tartaro aggravatur: dum 9 Aceti simplicis vel etiam operosius) Destillati rodētibus particulis teneriora quāplurima; (ut istas vegetiora quædā tolleret,) pene corrūpūtur; aut incassū (ni singularis inde expectetur determinatio,) prioris Tartareo sedimen-

NOTÆ.

y Dum vini &c. *Vini quidem*; *tantis* (etiam ad Maritima,) *è Gallico, Hispanico &c. ibi præ nostris Rhenanis Franconicisque equidem parabilioribus, & eo ultra quartam sæpe partem*, (de qua allegatus modo D. Brendelius l. c. p. 47. & ante eum A. Sala quoque Hydræleol. s. 4. c. 7. videatur.) *affluentioribus, impensis tamen declinandis collectus. Fecum vero, utut in modo dictis Locis, benevolentioribus annis, oppido parabilior & octavam earum partem sæpe superans aut exæquans, nihilominus tamen adulterinus*, (sæpe intermixtis uti scimus,) *etiā Cerevisiariis tincturis porro, Essētiis atque Extractis, post rectificationem quoque, ingrati quid affricans: item super tantillū saltē, quo vinosi quid spiret,*) cum nihilominus tantum frumentaceus sit) *abstractus; aut è superioribus versus nos Regionibus pro pure Rhenano Inferioribus divenditus. De cætero Abstractitium medicatum, Zwelferus etiam, pro Extracto Gummi Guttæ sive Juniperi spiritum* (ceu diu ante Sala proprium s. 2. Essent. c. de Hyperico,) *recepit, forsitan non sine aliqua quorundam circa Animadversiones hic hæsitatione: præcipue cum passim & super Extractum Diapæoniæ Mind. totum hoc in auras abire monuerit: æque ac Cinnamomi Aquam in Extracto Holagogo A. cujus tamen parem in P. R. cl. 7. dispersionem D. D. Schrockius ei postmodum opposuit: eoque quæ de Aquis destillatis s. paulo ante diximus, referri possent. Ab omni omni tamen phlegmate neutiquam hinc, licet lintea quoque seu stuppam, dispersis tum simul restantibus aquosis particulis, comburat*, id ut A. Sala. s. 4. c. 12. Hydræl. monente,) *liber*; *Gummosas interea, Mucilaginosas, Salinas Tartareasve particulas complurium Simplicium*, (ceu jam pridem quoque Boylæus curiosissimus (Dissert. de Experim. Frustr. advertit,) *satis una haud attingens*.

z Satisfaciente (parabiliori alicubi) &c. *Sive Triticeus, generosus sane, & cuivis fecum Vini spiritui*, [post competentem dephlegmationem, A. Sala olim similiter c. 9. s. 4. Hydræl. Glauberoque furno 3. c. 10. annotante) *in effectu par, præ aliis insuper uberior*; *sive communior Secalinus aut* (plane, super acceptioris tamen simplicis particulam, si vetustius fuerit, rectificatus] *Hordeaceus. Maltho saltem, sive omne frumentum ejuscemodi præparationi* (quod D. Kergero quoque præ simpliciter contritorum Fermentatione s. 2. c. 2. complacuit;) *sive pars tantum ejus vulgari passim more subjiciatur, rite confecto, nec peregrino odore inquinato. Nam oryza quidem Indis, eo in negotio* (jam à part. 3. Navig. Indic. tempore) *versatissimis, inque ea tam sementis, quam prodeuntis inde Spiritus affluentia prænostratis caritate aptior; ut ut sive singularis Proprietas* Bontius Dialogo 2. & F. Bernier pag. 364. *sive rodentia, istique Dialogo 3. & M. M. c. 3. adeo accusata Holothuria, sive demum Abusus potius* (profecto hinc in Indostanis interdicto, vel modo allegatus D. Bernier Mogolicorum parte 3.) *in causa sit, interea haud adeo sic commoda; è Pisis, etiam post negotiosam Vesicæ* ((Tract. Testimonium veritatis inscripto, Articulo 39.) *Glauberi duplicaturam, empyreumati nihilominus expositus*; *Avenaceus vegetus quidem, ob farinaceæ tamen substantiæ paucitatem admodum parcus est*; *& cum ex. gr. è Modio nostrate, quod 256. libras secalis, hordei, 220. præter propter capit, subtractis per molendinam subtrahendis, hordeacei 65. aut paulo plures libræ, secalini vero spiritus ultra 90. sæpe habentur, hic ultra 18. se extendit rarius: ceu alibi quoque Tom. 4. Ephem. Germ. retulimus. Cerevisia per se, huic fini, ni infortunium quoddam extus*, adeoque saporem odoremve, ut in interna corruptela non mutans) *accedat* (ceu duas post Coctorum lamentabilem submersionem clam ita insumptas meminimus) *vix à patribus familiæ alias impenditur, curiositas minoris quantitatis robur. ita probat potius*; *& nostra recentior atque vegetior ultra octavam sæpe partem adscendit*; *uti Sala Bernburgensis Anhaltinorum ac Megapolitanorum Knisenack sextam, inferioris vero potissimum Saxoniæ Breuhan* (cujus tamen magna est, sentiturque bibentibus in robore diversitas,) *vix 15. spiritus ardentis rectif. partem s. 4. Hydræ l. c. 7. dedit. Laboriosior insuper ob cōtinuatiorem ebullitionem talium obvenit Destillatio*; *ut Fecibus potius, licet haud minus desidibus, plerumque tamen* (quamvis pro Regionum frumenti, tractationisque diversitate,) *ditioribus, & eas, quas Mustum* (cæteris tamen paribus) *deponit, in proventu ad minimum exæquantibus, solis, aut denuo Maltho novove Frumento sociatis, hoc in negotio occupari, præcipue hisce in tractibus, acquieverint. E Lentibus sat bonum superioribus annis privatos in usus distillari curabat Medicus nominatissimus. Qui vero priori tricennali bello sub ea tum annonæ caritate, è Loliaceis rejectamentis, viciis, similive farragine*, (æque ac ex Anisi quisquiliis pro Spiritu Oleoque hic locorum quibusdam solet) *imo præter Cynosbati acceptiores fructus prunaque sylv. autumnalia, è Rhamno insuper cathartico, Virga sanguinea Math. &c. parabatur, vulgoque nihilominus bibebatur, ingratior erat & faucibus plerumque adversior*; *præsertim Si Mecereo* (ut piper quoque nunc loco granorum paradisi) *malitiose nonnunquam acuissent. Pomacei pyra complectentis Spiritus, dum ad fructus quoque ita devenimus, è selectioribus* (uti notum) *satis vegetus ac copiosus est. Cæterum ex expressorum quoque remanentiis* (ceu succi haud parum retinente) *post fermentationem haud incommodè colligi poterit: quemadmodum & ex semiputridis, aut gelu aliquo usque tactis*, (per immersionem vero hinc pro more liberatis,) *confractis saltem aut concisis, fermentationi per fæcum partem in loco tepido, indeque destillationi* (adiectis etiam pro lubitu, & ad majorem facilitationem bovis fœcibus,) *submissis uti præcedente anno quispiam, nequid periret, experimentum cum emolumento faciebat. Sed hæc diffusioris familiæ sunt.*

8 *Tartaro*) Faciunt quidam extractiones cum vino, sed male subinde namque extractum sub sui inspissatione ab acido vini tartareo coagulo alteratur, adeoque novas vires acquirit.

9 *Aceti*) Nonnulli extractiones instituunt cum aceto, sed iterum malè, quod non quælibet simplicia, sed duriores saltem id ferre possint; unde si menstruum abstrahitur, sulphur aceti remanens immutat vires extracti.

TEXT. LUDOVIC.

to combinantur : dum 10 singularissimis hodieque Liquoribus, (quando curiosorum quisvis sibi nunc peculiare Alcahest, aut secretum aliquod, insipidum vel universale menstruum parat aut fingit,) vexantur magis quam extrahuntur expectatione plerumque inferius quidpiam postmodum relinquentia, &c.

Atque utinam, qui tot sinceratiónibus nil nisi apertam veritatem profitentur, quique tot obtestationibus alios (proximi saltem æque cogitantes) invitant, vel tot exprobrationibus æternarumque pœnarum comminationibus huc compellunt, tandem cum ad rem & seriam expectorationem ventum est, scapham scapham dicerent; nec nisi 1. ænigmata Sibyllarum foliis obscuriora loquerentur, secreta secretis servanda, nec perlas porcis projiciendas prætendentes. Quasi vero quivis nostrum, pro ejusce modi Eleusinorum evolutione, semet promeriis suis per aliquot annorum lustra includere queat! nihilo hinc feliciori Republica, sub parili, (postquam *Adeptus* aliquid fuerit adeptus,) silentio plusquam Pythagoreo. Negare non possumus, plures equidem hoc seculo apparuisse *Elias*, promissis graves veræ *universalis Medicinæ Menstruique* possessores fidelesque doctores; qui non unum solum, sed aliquot etiam in numerato quasi habebant promittebantque *universalia*, *Alcahestina*, 2 *Mercurios Philosophicos*, *Salia mirabilia* & quid non? Verum postquam (infeliciores forsan nos) permulata 3 circa *Roris quoque ac pluviarum æquinoctialium salinam substantiam*, *circa Nitri*, *Bismuthi*, *Antimonii Saturnique mineras*, *&c.* varie tentaveramus, atque hanc etiam Junonem amplecti volebamus, plerumque nubes erat.

Et sanè, quod Alcahestinum liquorem attinet, qui 4 parellela Authoris recentioris loca, paulo accurratius (in ea quidem obscuritate) consideraverit: *quid scilicet sit Sal circulatus major*, *Ignis Gehenna*, *corrosivum Sali lactique Perlarum debitum*; *quod citra diminutionem sui*, *quodvis fere corpus in sal aut liquorem suo simplici æquiponderantem*, *& in primum Ens*, *vegetabilia certe admodum & ipsos Carbones in liquores Diaphanos*, *sine omni residentia destillabiles solvat*, *quod à sole suo Compari subjugetur*, (æque ac *Mercurius virgo omnia excepto suo compari, consumere* in alio Tractatu dicitur:) *quod cujuslibet simplicis figuram*, *item quantitatem adepti solaris vel lunaris luminis ostendat*; *quod agat* (*in morbis æque ac in chimicis solutionibus absque reactione patientis*; *quod difficillimæ sit præparationis*, *solisque Duplatis*, *Adeptis ac specialiter à Deo doctis detur*; *quod denique qui eo pertingere nequeat*, *saltem sal Tartari volatile reddere*, *eoque solutiones suas v.g. Lunæ*, *Mercurii*, *Unicornu*, *oculorum Cancri*, *&c. tantisper perficere jubeatur*, *&c.* qui, inquam hæc inter se & cum experimentis circa *Mercurium*, *Ludum*, *Carbones*, *Elixir proprietatis*, *&c. ab auctore factis* contulerit, forsitan circa Mercurium quoque, secundum complurium nunc conjecturas, ex una alterave phrasi, (aliis tamen eadem facilitate applicanda,) desumpras, huic operi adhibendum non immerito hodieque aliquandiu hæsitabit, aut saltem circa tam difficilem procedendi modum: ni *superstes adhuc generosissimus Filius* facem quandam hic caligantibus accenderit; aut recentiora solertioris cuiusdam promissa, è 5 *terra Mercuriali similive principio* expectantes salutarint. Interea vitio forsan nobis non vertetur, si priusquam hæc propalentur, aut 6 *Mercurii vivi Liquorem*, per duo tabulata vasa successive destillatum reiteratis denuo experimentis recens ac diversimodè subjecerimus, assensum de eo, (alias non rejiculo) tamdiu suspendamus: cum ante duo præter propter lustra alios tum in usus, sed eodem modo, (ceu in Chirurgia cujusdem Parva alibique describitur) destillatus, æque ac *alius cum Jovis Amalgamate* 7 *collectus*, nuper præditorum subjectorum præparationibus secundum præscriptum adhibitus expectationem fefellerit. 8. Multo minus autem arcani tanti titulum sustinent *Spiritus Vitrioli Philosophicus*, à quodam inconsideratius huc tractus; aut *Clissiformis è Nitro cum Jovis Amalgamate* (*tædiose detonando*) *destillatus Liquor*, *Æruginisve crystallisata* aliive Aciduli (quamvis in suo genere sat efficaces spectabilesque) *Liquores*. 9. Nec ab altera parte *salis Tartari Nitrive fixi*, vel (affinis quidem laboriosioris tamen & aliis usibus consultius aptandi) *salis Terra concremata deliquium*, ut ad quorundam, (non indifferenter omnium) Extractionem facilitationem vel exaltationem quidpiam conferat, hic tamen operæ præcium facit: uti nec 10 *Sal mirabile*, inter nonnullas fusiones (evaporantibus aut scoriis additamentorum semet implicantibus acidis salium particulis,) quadantenus ad alcalinam quasi naturam transiens vel inclinans: nec recentius adhuc 1 *sal volatile urinæ*, *spiritu Vitrioli vel Salis fixatum*; quamvis sulphurea nonnulla secum:

NOTÆ.

10 *Singularissimis*) Hîc intelligit AUTHOR liquorem alkahest, qui est universale menstruum quælibet concreta solvens & extrahens, servatâ tamen vi eorum seminali & crasi integrâ, liquoreque sine ulla sui alteratione iterum separabili. Cæterum hoc alkahest non introduxit PARACELSUS, sed hoc menstruum universale exprimit per acetum radicis; item per circulatum majus. Contra HELMONT. vocabulo alkahest primò usus est.

1 *Ænigmata*) Tangit hic AUTHOR N. HELMONT. qui totam suam praxin unico liquori alkahest superstruxit, nec tamen ejus præparationem manifestavit, ut possit intelligi.

2 *Universalia*, *Mercuriosos Philosophicos Salia mirabilia*) His verbis GLAUBERI perfidiam rectè insimulat AUTHOR.

3 *Circa roris*) Fatetur hic AUTHOR, se frustra alkahest in rore quæsivisse; scil. varia prætendunt AUTHORES subjecta pro menstruo universali conficiendo: Sic enim sunt, qui in Sale aëris universali, sive avicula Hermetis, & filio Solis, alii in rore maïali; alii in nive; alii in pluviis Martialibus; alii in nitro, ut GLAUBERUS & BALDUINUS id quærunt, non secus atque alii hujus gratia bismuthi, Saturni & Antimonii mineras vexârunt, ubi tamen ex horum radice eruendum id foret.

4 *Parallela*) Hæc epitheta alKahest desumpta sunt ex HELMONTIO; occasione autem mentionis alkahest tria occurrunt investiganda: Nempe (1.) ex quo subjecto ille præparari debeat. (2.) Quomodo præparandus, & (3.) quô pactô asservandus is sit. Cum enim omnia solvat, dubitatur, in qua materia asservari possit? Quoad subjectum: A.N. dicit, HELMONTIUM præcipere, ut deficiente liquore alkahest saltem discamus Sal tartari volatisare, illi substituendum; quod tamen scopum non ferit, quin potius ipsæ proprietates injungunt suspicionem ex Mercurio vivo alkahest præparari debere, quantumvis A. N. adhuc dubitet, an HELMONT. eum ex Mercurio præparaverit; denique de Generoso filio, quem A. N. ità nominat, h. e. de HELMONTIO juniore nihil sperare hac in parte nobis licet, qui in Anglia degens Enthusiastam agit, nec est Eruditi Patris filius.

5 *Terra Mercuriali*) Innuit hic rectè BECCHERUM A. N. hanc sententiam foventem, *vid. ejus Phys. subterr.*

6 *Mercurii vivi liquorem*) Modus insinuatur ab AGRICOLA *in Chirurg. parva pag.* 146. & ZUUELFERO, *in Mantiss. ubi de Mercurio*, sed & hunc esse frustraneum, AUTHOR conqueritur; unde dubitat, an ex Mercurio alkahest procedat, contra tamen nos dicimus, si ex ullo subjecto parandus est alkahest, ex Mercuriali id fieri debere, *vid.* TACHENII *Echo ad vindicias*, similiter mercurius pro subjecto agnoscentis.

7 *Cum calcinatione collectus*) Hâc ratione acquiritur simpliciter Spiritus Salis.

8. *Multò minus arcani*] His ipsis ZUUELFERUM intelligit.

9. *Nec ab altera parte* (GLAUBERUS alkali quoddam compositum commendat, quod utut sit Sal alkali non contemnendum, non tamen alkaest titulum idem sustinet; Pariratione allegatus GLAUBERUS ex terra quadam pingui calcinata elicit Sal Nitriforme.

10 *Sal mirabile* GLAUBERI) fit, quando ol. vel Spiritus Vitrioli affusum Sali communi destillatur, sic prodit Spiritus Salis, ac in fundo manet Sal duplicatum, facile solubile & aurum solvens; ac si eidem spiritus nitri affundatur spiritus Salis, remanentiæ conducunt pro solvenda Lunâ.

1 *Sal volatile urinæ*) Sal armoniacum secretum GLAUBERUS ex Sale volatili urinæ & ol. Vitrioli parat, quod in sulphuribus metallicis elicendis multa præstare gloriosè dicit, utut saltem in metella calcinata efficaciam id habeat.

TEXT.

TEXT. LUDOVJC.

(sed parce satis) evehat aliave singulariter solvat; egregium de cætero, nobisque diu jam usuale aperiens; Nec demum *sal volatile* vel 2. *spiritus fuliginis*, è concentrato per extremum frigus potissimo liquore, facilioribusve modis collectus. Donec itaque felicior dies nos aut feliciores alios hunc sophiæ laborem clarius docuerit, apparatui nostro tantisper ad extractiones potiores sufficiant *candidissimi istius Chimiatri* duo illa parabilia, *aqua simplex & spiritus ardens*; siccioribus vegetabilibus octupla, levioribus nimiumque intumentibus floribus herbisve nonnullis decupla, ad summum duodecupla proportione (secundum cujuslibet naturam) una saltem vice, citra accurtatas illas repetitiones affusa: æque ac reliquas Tincturas & Essentias sat adhuc dum efficaces habemus, similiter *vulgatiores saltem spiritus atque liquores* adhibentes, citra *Minerarum Cœlestiumve Apospagmatum* tædiosos, quamvis in particulari de cætero curiosioribus non aspernendos latices.

Porrò vero, quod in lustro nostro *Fructuum succos* attinet, cui bono tot præter rem *cariores & exotici*, satis ægrè nonnunquam vel non sine supervacaneis aut discordantibus additamentis conservandi? dum in parabilioribus nostratibus eadem plerunque gratia, idemque effectus reperitur. Cui pariter bono in horum quoque *numero aliqualis adhuc excessus*? cum istorum nonnulli sapore, colore viribusque concordantes, (magno vasculorum ac dispensationis compendio,) invicem mixti sic asservari & cum paucis insuper aliquot, comparatu facilioribus, præsertim venaculis acceptioribus præsentioribusque sufficienter præstare possint, quod non solum in reliquis, verum aliis prætera remediorum generibus operose vel sumptuosè quæritur. Ita si *Acidi quidem* ad tertiæ vel quartæ partis remanentiam evaporant, (uti hac consistentia, acore in nonnullis æquabili persistente, in aliis vero intensiori, perdiu sine omni vel exigua solum sacchari conditura durant;) si porrò *subacidi, vinosi ac congeneres*, partim (post aliqualem in aquosioribus exhalationem,) addita octava præterpropter sacchari parte, in fermentata haud injucunda per spontaneam effervescentiam rediguntur, partim vero (dum unus forsan aut ad summum duo primitivi saporis speciem aliqualiter istac ratione exuunt,) *paulò liberaliori sacchari portione. (post moderatam concentrationem) condiuntur*; profectò compendiosè sufficienterque, (sub longè breviori jucundiorique dosi & faciliori adhuc edulcoratione) habemus inde, quod longa *Siruporum, Rob, Mivarum, &c.* hujus prosapiæ series (cum tanta sacchari dispersione) promittit. In contractiori quin etiam nec externi semper commoditatibus undiquaque instructo apparatu, præ usualibus diffusioribusque *fructuum vinis*, istac ratione dispensatu & asservatu sunt commodiores: *præ succorum conditurus*, (aliquibus per nitrum crudum aut spirituum acidiorum associationem institutis,) in compluribus affectibus (accessoria illa vix aut non ferentibus,) convenientiores: sique refectivum quoddam ex ejuscemodi vegetabilibus, tanquam hoc in genere naturæ nostræ propioribus quæritur, (ceu perfrequenter in teneriorum languoribus opus est, nec totum semper potui saltem instillatis aliquot Clissi, spiritus salis, aliarumve polychrestarum Aciditatum guttis insolidum, quorundam more transigitur;) compendiosa, brevis diffusisque julepis longè salubrior inde mixtura, (talium vicaria) nullo non tempore conficitur; aut siquidem omnino longius harum potionum genus exigeretur, facillimè per competentes liquores extenditur. *Aperientibus autem herbarum succis, cum tertia vel quarta spiritui ardentis communis, proprii, vel analogi parte digestis, & aliquibus Essentificatorum nomine* propositis, (dum parum à fixioribus sui simplicis particulis hoc in processu fortificantur, aquis prætera spirituosioribus haud adeo præsentiores, certè ingratiores sunt,) in selectu nostro facilè carebimus; uti quoque consimilium *aperientium & resolventium fermentatis*, prædictis aquis utplurimum adversioribus minusque vegetis.

Quidni vero magis adhuc expungamus 4 *Tincturas, Essentias 5 Quintessentias, Arcana, &c. purè tantum nominalia*, & pridem ab aliis ea de caussa satis traducta, nec dum tamen passim neglecta? tot *Tincturarum & Essentiarum variationes*, primitivis sæpe numero deteriores aut nihilo validiores, saltem externi quidpiam aut vanam in se coincidentium menstruorum variationem afferentes: tot inter se æquivalentes, & citra necessitatem, (dum una potiorque in sua forte classe sufficeret,) numerosè multiplicatas; vel data opera *Compositas*, quibus simplex quædam ni superior, par tamen existit: aut *è debilioribus simplicibus paratas*, integra postmodum coclearia pro dosi, (præter talium morem,) complentes: tot *Essentias atque misturas, ex ingredientibus semet invicem destruentibus, invisçantibus, filtro vel magmati residuo magnam partem adhærentibus, inæqualiter semet amplexantibus aut inconvenienter supernatantibus, &c.* hodieque nonnullibi conditas: tot *Florum congenerumque languidiorum vegetabilium tincturas, (simplices atque compositas,) in rei veritate* parum hinc præter colorationem afferentes, effectum assumpto spiritu vel mineralium phlegmati acidulo potissimum debentes: *tot tincturas adventitium tantummodo ruborem*, sub dissolutione vel digestione accidentario obortum, aut per accessoria supervacanea, ante necessitatem aut specialem intentionem conciliatum adhuc dum ostentantes: item *adhuc operosiores*, prævias metallicorum (levi tamen fusione sæpius ad pristinum statum denuo redeuntium) sublimationes aut florificationes, vel singularissima laboriosissimaque menstrua præsupponentes; plerunque tamen inde nihilo singulariores, cariores saltem vulgatioribusque rarius præsentiores aut copiosiores: tot *Tincturas*, perdita per superfluas abstractiones parte Simplicis volatili, aut subsidente non exigua soluti portione, necessariò *languidiores*, vel ob supervacuè præmissas innocentium mineralium ac marinorum Ustulationes, (etiamsi externi quid præter consuetas observationes calcinatis sic accresceret, totum nihilominus pervertentes,) aut propter inconveniens, imo destinationi simplicis sæpenumero penitus contrarium menstruum adhibitum, *planè perversas, evanidas vel ad minimum meritò suspectas: tot Elixiria*, sub ambitioso (etiam ad purgantia nonnullibi extenso) vocabulo postmodum nil nisi vini spiritum ostendentia, proletariè saltem speciebus quibusdam, interdum minus consideratè conglomeratis, tantum ut *Elixir cephalicum, ophthalmicum, pneumonicum, &c. calidum atque frigidum* habeatur) superfusum; eumque vel simplicem, vel per accessorios liquores compositum, aut acidis mineralium spiritibus (certè potissimis tunc perceptæ efficaciæ causis, exasperatum.

Quinimò quispiam, (frustraneorum laborum atque sumptuum minus prodigus) forsitan haud impœnitenter huc retulerit *istas quoque tincturas, parcissimas & operosissimas*, quæ absorptis aliquot guttulis, è fixioribus corporibus post tædiosissima cohobia tandem super alembicum vel retortæ rostrum evectis constant, & insumptum laborem sæpenumero vix ac ne vix quidem, (in ea parabiliorum paritate,) effectu compensant. Item speciosas aliquorum *Essentias aut Quintessentias, olei destillati parte una, & spiritus ardentis alcalisati partibus duabus vel tribus*, (desubito semet eleganter amplexantibus & absorbentibus) constantes, tanquam sub olei ratione, (licet vel spiritus proprius fuerit,) potissimum agentes, & solutâ per vehiculum istorum copulâ, facilè destructiles. Olea similiter subtiliora, *infusis metallorum convenientiorum solutionibus ipsisve metallis* (ceu inibi qualitercunque solvi quædam pridem constitit,) *alterata*, iisdem titulis, at majoribus promissis proposita; revera tamen parum ultra simile inalte-

NOTÆ.

2. *Spiritus fuliginis*) Hic GLAUBERUS intelligitur *lib. 2. furn. Philos.* recipiens fuliginem, furni, hunc coquit in aqua simplici tamdiu, donec aqua rubescat, deinde aquam hanc frigori rigorosissimo exponit, ita concentratur in medio liquor salinus oleosus, ex hoc elicit spiritum & sal volatile fuliginis quem putat singularem, qui tamen talis non est.

3 *Succos*) Triplices sunt succi inservientes usui Medico. (1.) Ex fructibus & cydoniis expressis, (2.) ex arboribus, horum nempe ramulis incisis, vel radicibus perforatis exsudans, ut succus betulæ, radicis juglandis, tiliæ, de cujus efficaciâ contra epilepsiam notanda habet TILEMAN *de materia Medica*. (3.) Ex floribus liquefactis seu semiputrefactis, extraverso scil. eorum alkali, confectis.

4 *Tincturas*) Scilicet genuinarum metallorum tincturarum δοκιμασία est, ut hæ vel in relictum caput mort. nulla arte possint reduci, unde quando spirit. salis extrahit aurum in tinctur. tunc quidem remanet corpus album, neque per alkalia reducibile, neque per borracem, interim fraudem latentem detegit antimonium cum quo illud tractatum reddit aurum, ut adeoque spirit. salis saltem incrustaverit aurum; quodsi verò spiritui illi salis addatur spiritus nitri, mox aurum solutum à menstruo illo imbibitur.

5 *Quintessentias*,) Harum conficiendi modus hic est: ℞. alkali vegetabilis volatile per putrefactionem inchoatam paratum, hocque jungatur spiritui proprio inflammabili, per fermentationem elicito; dein ambo, cohobatione finitâ, jungantur ol. destillato, sic emergit genuina Q. E. nullo liquore præcipitabilis.

TEXT. LUDOVIC.

ratum oleum agentia. Magisque adhuc *oleosum illud, quod infracto (per fortissimos aut concentratos spiritus minerales, aut solutiones metallicas) vini spiritui*, eique vel simplici vel aromatibus quibusdam oleosis prius saturato supernatat; utrobique parca satis quantitate, & parca pariter, si metallici quid accesserit ejus participatione; oleo vini (cujus potissimæ partes sunt,) aliunde tolerabilius habendo, vel aliis aromaticis destillatis, (placuerit,) alterando. Et si quæ præterea sunt, *curiosioribus, quam nostra nunc intentioni aptiora; non quidem in suo genere contemnenda, nec nova tamen (uti quibusdam habentur,) nec nimis extendenda; parabiliora sanè æquivalentia ubique invenientia.*

Interea nobis hic admodum suffecerint *paucissima quædam hujus sortis*, è potioribus aliquot & pollentioribus, ne pro *formatantum guttula nonnulla sumantur, sed parca dosi notabilis efficacia subsit*, iisque specificis, ejuscemodi separationi revera subjectis, ac competentem (ubi opus) menstrui (suo simplici correspondentis,) abstractionem ferentibus ritè præparata; *simplicia potissimum, aut tandem è symbolizantibus*, (at eidem menstruo parentibus,) *nonnullis composita*: sive postmodum tincturæ sive Essentiæ (apparentes tantum aut reales,) vocentur. Quo referri quoque poterit *Extractorum unum alterumve, per proprios aut analogos spiritus ardentes, aliosve liquores adæquatos dilutum seu quasi exaltatum*: ulteriori de cætero talium alteratione vel conditura (cum saporis aut odoris gratia sæpenumero hinc parum pervertatur, nec indifferenter omnibus conveniat) negotiosorum circa hæc lubentiæ vel subterversantium judicio selectuique relicta; sive solum salis proprii particulâ, aut olei insuper proprii (vel dum non omne simplex id æqualiter efficaciterque fundit.) Analogi tantillo, (post dissolutionem ac digestionem demum, ne magmati vel filtro inviscetur superaddito) instituatur. Referimus huc quoque *liquidorum inter se convenientium unam alteramve mixturam*; (dum ista extemporaneam conjunctionem, ob debitæ unionis, consistentiæ colorisve jacturam non ferunt,) secundum artis ac naturæ leges confectam atque selectam. De quibus omnibus inferius in specie commodius dicemus.

Porrò vero nunc, cui bono tot *Infusorum ac Decoctorum species, Antiquiores aut* (ingredientium naturæ, numeri ordinisve respectu) *Correctiores, vel nova denuo hinc inde superaddita?* cum nostrates in plerisque tractibus talia valdopere plerunque aversentur, & si necessitas diffusum hoc remedii genus in nonnullis affectibus nonnunquam exigat, simplicissima ac pergrata vix tunc admittant; atque ea quandocunque libet aut opus est, è selectiori quodam præsentiorique simplici, aut aliquot concordantibus consociatis facillimè vel domi conflant; reliquum autem tot acceptioribus contractioribusque remediorum formis nunquam non transigatur. *Potus Hippocratici hodie profecto sunt parum* Medici: & *Hydromel quodvis etiam diversimodè purgans* promptè supplent, aut (uti consuetudo fert) imitantur gratiora hujus ævi composita.

Sic, cui bono longissima *aquarum destillatarum series*, tantum non ex omnibus ferè vegetabilibus animalibusque, (quo scilicet officina dicatur instructior,) hodieque coagmentata? tot naturâ suâ, vel ob inconsideratiorem destillandi modum *imbecilliores; quibus fontana securè substituitur*, aut unica quædam, alterave paulo vegetior. *Imbecilliores* tantum dicimus; quia revera è quamplurimis vegetabilibus, rationi sensuique cuidam solitario, (fixiorem talium naturam æstimanti,) ad destillationem penitus ineptis judicatis, elevari inter illam ignis præsertim intensioris actionem) de subjecti disgregati particulis aliquid, quotidiana observatio monstrat, indeque non solum sedimentum inibi tractu temporis concrescens; verum etiam odor & sapor aliquis proprius aut saltem herbaceus, vel alias anonymus, una cum qualicunque nativarum quarundam proprietatum manifestatione: ceu passim in permultis inodoris fereque insipidi, acerbis, oleosis, epicerasticis, vulnerariis, &c. cernimus; & hinc vulgaris quoque emulsio (è seminibus fructibusque usitatis parata,) per Alembicū simpliciter destillata, (uti aulæ nostræ *Aqua alterantis* titulo pridem usualis est,) non solum odorem atque saporem emulsionis cujusdam haud injucundum: (cum aliquali vi epicerasticâ, præ se fert; verum etiam post menses aliquot manifestum rancorem induit, ut amygdalas vel semina frigida majora rancida te gustasse diceres. Nec proinde tamen propter efficaciæ, præsentioribus aliis commodius compensandæ) tantillum, in universum omnes istæ publicis usibus protinus erant destinandæ: multo minus adhuc tot manifestario effœtæ, aut jam olim nullitatis convictæ. Ita cui bono tot *æquipollentes*, è singulis symbolizantium simplicium, imo floribus sæpe colore tantum inter se differentibus, operosè destillatæ? cum unica parabilior aut selectior sufficeret. Cui bono *tot ingratissima*, saporisque vel odoris nonnunquam planè nauseabundi, in mixturis, &c. gratiam & appetitum præter omnem necessitatem, (in eo jucundiorum aquarum aliorumve liquorum polycrestorum proventu) enormiter pervertentes? Cui bono pertædiosissimum *Mariæ balneum solummodo & præcisè destillatæ*, vel interdum frustra saltem fatigatæ, quæ per intensiorem vesicæ (refrigerio suo circa stanneum alembicum instructæ) actionem, levatis copiosioribus subjecti particulis vegetiores exeunt? Et minutiæ sunt, quotidiana experientia facile subvertendæ,) *dum refrigerantes, ophthalmicæ, consimilesque aquæ*, ab ejuscemodi destillandi modo compendiosissimo excluduntur; aut domestico tantum Simplicis sui laticè constantibus, ob aquæ scilicet additionem minus præstantes creduntur. Cui bono *ex herbarum florumve succis*, laboriosè prius expressis collectæ? dum nihilo deteriores ex integris istis vegetabilibus agentur, & quamplurima seipsis longè debiliores succos fundant, in magmate residuo evidentius, quod suum est, servantia, sæpe plurimum inter contundendum disperdentia; ceu in Spleneticis, item Odoriferis nonnullis, Arteriacis, &c. manifestum est. Nec indigemus hic *Liquoribus* magnis olim promissis, at tardè satis & exigua quantitate *per Balneum Roris galeatum* conquisitis: essentialia compedentium simplicium faciliori extractione vel destillatione quoque comparantes. Et cum parili protractione liquores (aquei vel ardentes,) etiam per *Vesicæforme illud instrumentum, (ceu antiquius planè stanneum, seu recentius nunc æneum*, in roris Balneo ab inspissandis Extractis repetantur, aut è recentibus simplicibus destillentur; nonnulla porrò extracta inibi tum inter (moram istam) haud parum alterentur; è subjectis autem ejuscemodi destillationi *(pro residuo aliis usibus aptando)* commissis, alia quidem subtracta volatiliori parte nil aut perparum de cætero retineant internis necessitatibus notabiliter proficuum, alia verò in residuo potiorem efficaciam reservantes, aquas parvi momenti suppeditent, aut alias exiguo precio recentia potius simplicia ad extractiones comparentur; cum denique Spiritus ardentes hic locorum parvo plerumque veneant, & citra quandam impensarum jacturam, compendifactis laboribus divaporari saltem possint, hinc diu non adhibuimus *Stanneum illud (fundi plani) instrumentum*; in diffusiores apparatus alias haud incommodum. Amplius autem cui bono *aquæ*, caræ satis at præter realem quandam necessitatem, *cum vino destillatæ?* cum longè parabiliores, & nihilominus (neglectis tantum minutiis aliquot,) ejusdem roboris & effectus promptè habeantur, (præsertim in locis à vinetis remotioribus,) adjecta saltem sexta, octava vel decima spiritus ardentis parte; *pro assumendi scilicet vini proportione.* Cui bono *tot passim in eodem genere composita? Instructiori* scilicet sic Pharmacopolio, si aliquot numero *Hystericas, Apoplecticas, Epilepticas, Cordiales, &c. hujus vel illius inventoris ostendere queat*; dum vel simplex quædam ritè destillata, vel adjectis extempore tincturis aut essentiis competentibus alterata, plures istarum æquat aut præcellit; vel unica quædam consideratius composita, similiterque si opus fuerit exaltata, sufficit; imo magno sumptuum, laborum quæstusque gratiæ compendio, promptius certiusque è simplicibus Odoriferorum & Aromaticorum aquis, separatim prius & vel per accidens quasi (v.gr. inter oleorum destillationem primitus) collectis, ac *postmodum inter se proportionaliter confusis*, pro lubitu, ceu aliud agendo (in permultis generibus) haberi potest. Cui bono adhuc dum tot *inconsideratissimè per superiorum temporum tenebras composita*, à recentioribus satis traductæ ac correctæ, nihilominus officinis alicubi prætenso manifestario, sed ab uno duobusve saltem ingredientibus, inter tot supervacanea proficiscente,) quodam effectu occultiorisve conspirationis valore, hodieque à nonnullis injunctæ? tantum ut consuetudini vel persuasionibus satisfiat, & labores, impensæ, vitra ac precium (per tot fixissima Marina Mineralia, Metallicaque, nuper denuo satis ab aliis traducta addimenta, & tot indifferenter destillatarum excessus,) nequicquam augeantur. Nobis hic ex incondito horum omnium, *tricenarium sæpe excedente numero, decem forte aut duodecim sufficient*; & reliquum vel polychresta mineralium nonnullorum phlegmata subacida, Chymico sub manibus quasi per accidens nascentia,) item supranotati gratiorum fructuum succi, infusa, potulenta domestica, imo nonnunquam aqua simplex, (etiam non destillata) pro re nata, & mixturarum, vehiculorum, &c. ratione, jucundius aut æque securè supplebunt.

Sic inter *Ardentes vegetabilium spiritus (fermentatitios & abstractitios,)* cui bono tot *æquivalentes vel symbolizantes?* cum unicus forsan, acceptior, præsentior aut parabilior instar omnium foret: *tot supervacanei*, respectu certorum, (quibus promiscuè vel inconsideratius destinantur,) affectuum, nil minus quam igneos hosce liquores admittentium: tot præter rem *debiliores & specifici perparum* (æquè ac si guttulas aliquot olei saltem spiritui vini instillasses, *præ se ferentes*; seu propter simplicis naturam, ejuscemodi operationi non subjectam; seu ob præparantis incuriam, *abstrahendo tantum*, (cum intimior nonnullorum per fermentationem reclusio requiratur,) sibi quidpiam hinc conquirere conantis: tot (ex adverso) *justo curiosiores*, (per operosam sæpeque simul in aliquibus dispersoriam) *Fermentationem* collecti; dum ipsum simplex spiritum ardentem quemvis, vel semel inde debiteque abstractum sufficientissimè volatilitate sua saturat: aut *negotiosissimè eo usque rectificati*, ut gutta hinc decidua inter terram atque vitrum quasi dispareat; cum bona pars proficui adhuc laticis, imo *propriis nonnunquam olei particula* (residuo in phiola supernatans,) sic subtrahatur atque alias alcolisati hac ratione spiritus, ad internos usus liquore denuo diluente indigeant. Sane supputatione probe facta, contractior apparatus vix ultra tres quatuorve requirit, eosque plerunque saltem à simplicibus volatilitate potissimum pollentibus,] *Abstractitios*; ab odoratis verò compactioribus potius Fermentatios; qui, obiter notando, eleganter

&

TEXT. LUDOVIC.

& compendiosè tum parantur, *adjecto ad herbas floresve recentes subduplo vel subquadruplo, ad aromatica sicca vero ana sacchari vel mollis etiam cum aliquantillo fecum cerevisiæ recentis, &c. peracta præterpropter intra triduum vel quatriduum fermentatione, sufficientem quantitatem destillando, & supra recentium herbarum, &c. aliquod manépulos, si libet, rectificando.* Cui vero bono tot *Acidi lignorum ac congenerum nostratium & exoticorum ingrati spiritus*? cum Vulcanus specificas istorum vires oppido alteret, & nobis vel *unus è duriori*, etiam vernaculo ligno destillatus sufficiat, aut nullus: multominus autem operæ precium inveniamus in horum *aliquo, cum oleo saleque proprio prius* [secundum nonnullos] *digesto. De spiritibus volatilibus, seu salis volatilis vegetabilis & animalis* liquoribus supra diximus; quodque talium præterpropter tres summatim aut quatuor præsentiores ac parabiliores merito serventur, dimissis reliquis, quæsitæ variationis & curiositatis quam specificarum proprietatum plerumque plenioribus.

Ita jure merito quoque delemus hinc è fœcundissima *Volatilium spirituum mineralium classe*, tot frustraneis tædiosissimisque ortuis ægre tandem, inter faciliores versatiorum enchirises expressos; tot incompetentibus, rémorantibus, aut totum nonnunquam pervertentibus additamentis præter rem sollicitatos; tot è subjectis guttulas saltem aliquot, (inter æquipollentium exuberantium,) stillantibus è pumice quasi conquisitos: tot inter se quàm proximè (per sulphureo salinæ, vel tartareo-nitrosæ volatilitatis participationem) convenientes aut penitus, si minutias quasdam demimus,) æquipollentes, seorsim tamen reposito, vel specialissimè minus versatis commendatos, aut alias excedente hyperbole præter reale meritum protrusos: tot *Metallici nomen* (ob talium qualemcunque additionem, aut florum una levatorum, at inibi plerumque insolubilium, speciem) præ se ferentes, revera tamen postmodum nil aut parum hinc, si digerendo, abstrahendo, confundendo, &c. tentantur, ostendentes. Quemadmodum etiam ex *Acidorum fixiorum* excessivo (per tot processuum variationes, quæsitaque compendia vel attentatas exaltationes,) numero, libellos passim & inde persuasorum repositoria liberaliter interdum complente, non sine ratione tantisper hoc negligimus primò *Metallicos*, [*vulgò similiter habitos*,] è factitiis vitrolis communi saltem more destillatos, & pridem ab aliis satis notatos, metallici parum palato vel stomacho sumentium exhibentes: imò *speciosiores quoque complures, hujus nominis*, per ambiguas enchirises & diverticula hoc fine conquisitos, in rei tamen veritate, cum ad examen ventum est, & effectus metallicus, qua talis, inde speratur, facilioribus ac saturatioribus istorum tincturis vel essentiis longè cedentes: magis autem adhuc, supprimentium, absorbentium aut pervertentium additamentorum *vitio debiliores illos*, (& præter intentionem ac consimilium rationem,) *parum de expetitis salinorum particulis vehentes, aut justo parciores, tadiosiores*, [nihilo tamen hinc vulgatioribus præstantiores,] *vel plane tertio cuidam incompetenti contrariove latici inconsideratius complicatos spiritus*: item (& ex adverso) nimiis aquosiorum particularum subtractionibus variè per abstractiones usitatas, in gelu, super calaminarem, &c. institutis, (ad internos usus præter omnem necessitatem) *adeo concentratos*, ut sub difficili hinc dispensatione, sæpe ne vitra quidem ferant, & sumentibus ad minimum suspectis corrosivique [*nonnunquam non sine Medici nota*] videantur: aut per supervacaneas rectificationes vel evaporationes *penetrantiori subtiliorique parte* passivè, sed utplurimum nequicquam [cum sulphureus odor, toties data opera quæsitus, alias sponte cesset, *orbatos*: tot insuper *Compositos*, extemporanea usualium mixtura (ceu in aqua Regia, spiritu nitri composito, &c. videmus,] facile supplendos: tot *in eundem effectum*, [si titulum tantum & promissa demimus, & supervacaneas enchirises, additiones aut præjudicia seponimus,) apertè *recidentes*, tot *dictu quidem singulariores secretioresque*; nihilo tamen vulgatioribus, [sub accurata saltem methodo morborumque pensitatione exhibitis] præstantiores: *Ardelionum & laborantium* [uti semetvocant,] *venales*; raro mangoniorum expertes, vel *probi satis ac sufficientes*; & si quid amplius hujus census est. Delectui nostro è prioribus fortè *tres vel quatuor*, è posterioribus etiam vulgatiores illi *è vitriolo, nitro saleque usitati*, tantum cum judicio, citra diverticula, protelationes & incompetentia additamenta, manibus oculatis ritè parati consideratèque dati,] abunde adhuc dum satisfaciunt, satisfacientque deinceps, quibuscunque propter operarum aliorumque requisitorum defectum, ignis veneris similiumve liquorum, operosissimas Vulcani continuationes requirentium potestas nondum data est. Uti nec pro selectiorum nostrorum comparatione tantoperè exiguntur speciaIiores illi, *per fastigiata & sibimet invicem accommodata receptacula surgentes furni, aut retortiformia desuper operculata, vasa* adeo pronuper commendata, *Retortave trirostres*, aut per *infernum tubum folle sollicitandæ*, consimilisve (curiosioribus experimentis, quam simplici huic labori aptior) apparatus: Sanè *directus iste Furnus*, [cum affinibus] plerunque corpulentiores impurioresque spiritus acidos fundit, subtiliores dissipat, aliisque inconvenientiis, [ratione continuandi ignis, separandorum florum, &c.] subjectus est, ut pro nostra quidem intentione tot impensis erigi vix mereatur. *Vasa operculata*, satis dextrè quoque conformata, præterquam quod ferrea difficiliora comparatu nec omnibus materiis apta sint, terrea vero vix ignem repetitò ferant, utraque plurimum de volatilioribus particulis, etiam eliso nobis haud raro circumfluo plumbo, transmittunt, imbecillioresque hinc liquores linquunt. Et qui vulgarem quoque retortam, paulò circumspectius perforatam & circumcirca lutatam, receptaculis proportionaliter, usibusque suis pro colligendis volatilitatibus, ritè adaptaverit; variè tubulatis rostratisque reliquis in tantum haud difficulter carebit: Acidos autem & vulgò hinc tædiosiores spiritus nihilominus per antiquiores quoque modos, saltem inter viles aliquot enchirises, præcipuè subductam proportionalis ponderis materiæ situationisque vasorum observationem, vehiculi, ubi deficit, competentis associationem, &c.] sufficienti sibi quantitate per otium quasi nulloque penè negotio parabit aut reparabit: Præsertim cum oculatioribus nunc Practicis ea hodie copia in medicationes amplius non absumantur, ac superioribus quidem lustris vel adhuc dum nonnullibi inconsideratius factum est, *limitato talium effectu tandem in abusum indifferenter converso, indeque haud uno hypochondriacis, pulmoniacis, Hystericis, arthriticis, &c. conciliato per istiusmodi acores malo.*

Sed in recensione nostra pergamus: meritoque hinc similiter expungimus *Liquores* illos mixtos ad internos externosque usus *confusis aquis, succis, solutionibus, pulveribusque constantes*; magnam partem inconsultiùs compositos, & si genuinis artis legibus quidam in certos effectus respondeant, commodiùs, [citra vitrorum multiplicationem, aut facilem nonnullorum corruptelam,] ex tempore certiorique proportione, per debitam competentium mixturam conquirendos ac dispensandos.

Lixivia medicata, eorumque causâ servati seorsim *Cineres*, huc etiam non pertinent: cum matres familias quoque, è polychrestis nonnullis euporistis, (tot supervacanea & huic fini ineptiora ingredientia meritò omittentes,] domi talia passim parent; aut solutis ejus generis [in proportionali quantitate] salibus nunquam non habeantur; seu alias quidam alcalia elixiviata non sicca penitus, sed liquida potius consistentia, post debitam evaporationem servant; siquidem in residuo acriorique liquore, qui post istorum coagulum aut qualemcunque cryastallisationem, utplurimum tandem effunditur, peculiare quid sperandum foret. *Deliquia fixorum salium sub astris & dio uviddo quærere*, ferè sublimius, in cella verò [ni lentissima coagulorum quasi vitriolicorum quorundam resolutio requiratur,) equidem innoxium, attamen profecto supervacaneum est; Alcali quovis quandocunque libet, in exigua calidæ frigidæve proportione solubili.

Cui bono tot in universum *Olea destillata*? Cum pauci nostratium hypochondriacorum affectus hujuscemodi sulphurea, ceu diligentiores proculdubio observabunt, ferant, aut inde (citra alia incommoda, in isto remediorum, naturæ particularum morbificarum magis respondentium proventu,] tantopere leventur. Cui bono tot *invicem intimè convenientia?* quorum unicum præsentius aut parabilius sufficeret: tot tædiosissimè satisque sumptuosè *per guttas qs. collecta?* dum æquipollens drachmas vel uncias largitur: tot natura sua *ingratiora*, vel [per nimiam quodlibet è quolibet conquirentium curiositatem] *empyreuma præter rem aggravata* aliisve, sæpenumero parum quadrantibus accessoriis, [quo tandem oleum è corpore nil minus interdum quam tale quid stillante, vel ingratiis habeatur & prostet,) scienter combinata & multiplicata? dum jucundiora, paratu faciliora genuinaque æquivalentia præsto sunt. Eccur ingenuum *salis spiritum pro paulo majori aromaticorum resinorumque* [nihilo de cætero hinc, secus ac quidam prodiderunt, deteriorum] *Oleorum copia obtinenda disperdamus?* cum superpondium vix ac ne vix quidem labores compenset (spiritus ipse [largiter sanè simplicibus ad empyreuma impediendum superfundendus,) ægerrimè ad eandem gratiam vel puritatem, (etiam quæsitis per prunas compendiis,] redeat; & una magna Aromaticarum aquarum quantitas frustra sic pessum eat. Cum aceto acerrimo aluminisve crudi diluto, (si quis forsan eandem destillationem minoribus impensis tentare voluerit,) non procedit. Ita porrò supervacua sunt pleraque omnia *Olea composita* (ni majoris fortè copiæ causa, quispiam simplicia intimè concordantia receperit,] & inanes istæ *Balsamorum destillatorum variationes*, inconsiderata ingredientium consarcinatione, proportione parandique ratione plerumque insuper contaminatæ; dum simplex aliquod selectius idem utplurimum præstat, aut siquidem composito præcisè opus est, extemporanea proportionalique competentium mixtura consultius, compendiosius certiusque confit. Supervacua est plerunque destillatorum *Rectificatio*; cum *Graveolentium* quidem prior subtiliorque pars, [quibusdam ob salis volatilis combinationem aliisve de causis] plerumque æqué graveolens inde prodeat, sive per vesicam, sive per retortam super cineres, Colcothar, sal commune, &c. vel cum ipso salis spiritu, qui tamen frustra sic disperit seu pervertitur & sæpenumero inter ebulliendum olei sibimet supernatantis particulam haud exiguam per retoreæ rostrum propellit, rectificatumque sic denuo inficit,) res tentetur: *Crassiorum* vero [hinc requisita] *clarificatio*, nonnullorum temperatam lenientemque vim

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

præter rem exasperet, & in complùribus, facili quadam enchirisi, sub prima quoque destillatione obtineri, si volupe fuerit, queat? ceu alibi *de cera, pinguedinibus, butyro, sapone. &c.* notavimus, quod si horum, v. g. libra una vel una semis retortæ indatur, hujusque venter penitus usque ad collum cineribus desuper repleatur, subtilissimum per arenam prima statim vice transeat oleum, &c.

Balsamorum externorum ista series & variatio, uti exactiorem praxin nil juvat, ita nec selectus nostri partem constituit. Sufficiet vel unicumcompositum; cujus scilicet pretiosiora ingredientia, moschus vel ambra, ob disperditionem adhærentium particularum,) haud adeo admittunt mixturam extemporaneam, quæ in reliquis, siquidem expetenti necessaria fuerint, non est difficilis. *Colorem* undeunde petitum oculos tantum pascere alias constat: nec *Extracti salisque proprii tantillum* nonnullibi adjectum efficaciam qualitercunque adhibitorum tantopere intendit. Cui vero bono *Nucistæ oleum prius extrahitur?* cum nec per se ingratum spiret, nec oleorum aliorumque odoramentorum fragrantiam obscuret. *Saponiformes* aliquorum (*ex oleo, sale spirituque invicem digestis*) *massæ* superioris quoque seculi inventiones, nec inter parabiliora succedanea nobis hic ullatenus necessaria sunt.

Atque ut in *reliquorum Topicorum* recensione lustrum nostrum tandem finiamus: dum ex *oleorum officinalium* diffusissima serie oppido, & quidem numero paucissima sufficiunt, quæ natura ex oleosioribus subjectis sponte quasi fundit; quæque (si per se adhibita id, quod ex hujus generis remedii destinatione sperari potest non attingunt,) competentium & inibi solubilium subjectorum infusione vel decoctione, aut oleorum destillatione aliquali instillatione postmodum haud difficulter exaltantur: cui bono tantus reliquorum numerus, tot æquipollentibus, tot, ob vegetabilium sulphurei parum, aut violentiori Vulcano reservatum possidentium) naturam, parum inde medicaris, & expresso quovis vix efficacioribus, tot ipsi affectuum conditioni manifesto repugnantibus, tot, aliis euporistis non pinguibus apertè cedentibus constans? *Digestiva sanè, sarcotica, glutinantia,* (exceptis, cautelisque suis nihilominus, subjectis *Balsamicis, resinosis, mellitis vel etiam mineral'um aliquo convenienter alterati,*) item *propriè detergentia, adstringentia,* (sylvis tamen remediorum dispensatoriisque nonnullis inferta,) ipsa sanioris methodi lex vetat, & experientia, (si traditionibus magis, quam præsentiorum tutiorumque acervo fidas,) postmodum rejicit; Vulgaris *emollientibus & anodynis* olivum sæpe solum paria facit, expressa quædam alia palmam præripiunt; præter domesticas pinguedines, cataplasmata aliosque dolori sedando vel tumoribus emolliendis aptiores modos. *Infrigidantia, sic dicta,* quot affectus tolerant, aut siquidem ex usu esse videantur, quotus è vulgò tum sibi non parabit? versatiori interim seu Medico seu Chirurgo reliquum, indirectè agentibus (*liquoribus sale volatili prægnantioribus, pulveribus farinaceis, &c.*) securius expediente. *Resolventia, discutientia carminativaque* longè efficaciora, & ejusmodi liquaminibus acceptiora, eodem fere pretio, compendiosè, citra tantam olivi in singula profusionem habentur per paulo ante notatam oleorum destillatorum instillationem. Et quis temerè nunc *Alepharmacis compositis externis*, utut admodum deprædicatis insolidum confidat? aut exoticis plantis vel etiam infectis, ni vili prostent, vernacula nostra non substituat? Tota horum tantum non omnium Topicorum *in cucurbitis, &c. confectio* penè videtur curiosior; cum plurima pro olivi calefacta more gratiam sic quoque perdant, aut facilori additamento eam consequantur, certè matrum familias simplicissimas præparationes haud adeo superent.

Unguenta licet ob consistentiæ modum de competentibus additamentis equidem plus quam olea ferant, adeoque scopo corpulentius rememedium exigenti magis sic inserviant; cui bono tamen tantus eorum numerus? cum è *tot emollientibus, anodynis, &c.* vel unicum, aut simplex nonnunquam pinguedo (solitaria aut domi frigendo per convenientes herbas alterata) sufficiat; & pariter unum forte *refrigerans & siccans minerale. Sarcotica & glutinantia* pleraque vulgaria (nec balsamica,) sanior nunc Chirurgia rejicit; quemadmodum & *detergentia pinguia. Discutientia nervinaque* vulgatis oleis spiritibusque utplurimum cedunt, præterquam quod à sensibiliter resolventibus, *vesicatoriis, fonticulis, ptyalismo, &c.* in permultis affectibus evidenter superentur; quinimo mala quædam (generosioribus internis solis longè felicius cedentia) sæpenumero exasperent, contracturas, flacciditates, exulcerationes, &c. concitent. Reliquorum loco vel *unicum quoddam polycrestum*, & additamentorum debitorum quasi *basis* esse poterit. Plurima ex tempore commodius miscentur; multa nil minus quàm ejuscemodi consistentia aut formam admittunt; plura adhuc inconsideratissimè sunt composita; nec operosiorem correctionem, multò minus (cum aliis omnibus,) adeo curiosam recentiorem præparationem merentur. *Oculis præ Unguinum ea strue*, alterius generis Topica convenientiora, nonnunquam insuper securiora; *Potabilia*, muliercularum & fere circumforaneorum sunt, &c. quæ in speciali recensione commodius notabimus.

Emplastra tandem & Cerotasi hinc inde pensitamus, vix ultra sex forsitan in Chirurgicos aliosque usus in rei veritate requiruntur, è revera intimius miscibilibus legitimè composita. Cui bono enim vulgatissimæ (satisque hactenus taxatæ) innocentium ingredientium perversiones, ustulationes, superficiariæ invisationes, massæ (per præscribentium excessus) gypseæ vel unguentariæ potius, huc trahantur? Cui bono tot æquivalentia si minutias saltem aliquot, traditiones titulosve demimus, (seu compositionis, seu effectus respectu) *intimè convenientia?* tot, præter omnem necessitatem, (emplastro aliud emplastrum, unguentum, gummi, pulverem, &c. superaddendo,) in officinarum aut quotidianos usus, *innovata vel multiplicata? tot operculi magis*, quam sufficientis remedii locum (ceu vulgus quoque citra hujuscemodi emplastrationes sibimet diversimodè succurrere novit,) complentia? *tot exoleta hodie* vel modernorum euporistis longè posteriora: *tot digestiva, maturantia*, &c. unico saltem selectiori repræsentanda, vel vilissimo cuidam pulti aut cataplasmati cedentia: *tot particularia pro Interaneorum robore*, citra penetrantiorum accessum, aut realem convenientiam, sæpenumero pro forma tantum, & citra memorabile quoddam commodum, multo tamen cum tædio gestata, secundum Practicorum traditiones tantum (*ad uncias interdum aliquot dum drachmæ sufficiunt*) præscripta, grumescentia, semet corrugantia; litu competenti spirituosisve liquoribus nullatenus conferenda, &c.

Atque hæc in genere quasi, *de usitatioribus servarique consuetis officinarum Formulis. Extemporaneas reliquas Emulsiones, Fomenta cataplasmata, Clysteres, &c.* è præcedentium consideratione quivis haud difficulter judicabit, & nos quævis suo loco similiter expendemus.

Convertamur itaque nunc ad *specialissimum singulorum Simplicium & compositorum*, officinis aut olim imperatorum aut hactenus ulterius, majoris complementi vel correctionis caussa, diversi formiter oblatorum censum; ea tamen, (quoad ejus fieri per instituti nostri rationem poterit,) moderatione, ut *minus etiam contractiori medicationum generi hodiernum adsueti* habent inde quod variis affectuum diversitatibus & circumstantiis oppido sufficiat; nec rigidiores forsan queri possunt, nos rem pharmaceuticam pervertisse potius quam accidisse, vel Empiricis curationibus, per aliquot polycrestorum abusum fores aperuisse, vel tandem incipientes, minus versatos, nimis vero credulos *ad Universalium* præcipitia temerè sic deduxisse.

Sanè, quo multorum hoc diverticulum aut dissensiones lapidem statim ab initio removeamus, equidem credimus dari posse *Arcanum aliquod, insigne totius corroborativum vel mundificativum, complurium morborum solamen*: nec vires tot Secretis, quasi Alchestinis, maturis ac immaturis Electris, 6 Panaceis, Azoth, Phalagiis, Arboribus vitæ, Mer-

NOTÆ.

6 Panaceis) Scil. panaceæ seu remedii universalis nomen passim ob vulgi ignorantiam & ineptam applicationem sui adeò malè audire solet, ut ad ejus mentionem nunc pluribus risus moveatur; & quidem illorum plebeiorum ignorantia in panaceis extollendis exinde nata fuit, quod ipsi remediorum vires non satis æstimantes, nec eorum naturam à priori perscrutantes, hinc effectibus eorum singularibus in admirationem rapti, ejusmodi remedium ad universalitatis apicem elevarint. Sicut pariter inepta panacearum applicatio inde nata fuit, quod vulgus audito saltem nomine panaceæ illam mox indistinctim, quocunque tempore, sine ulla circumstantia adhibuerit, adeo non rarò plus noxæ quàm emolumenti concitarit. Inde potius vox Panaceæ sobriè interpretanda est, ita quidem, ut non dicamus, qs. eadem omnes morbosi corporis defectus valeat tolere, cum quæ manuali indigent operatione, v. gr. luxata, fracta, vulnerata malè per panaceam curari præsumantur. Quin potius remedium ejusmodi universale, maximæ morborum parti subveniens, extendendum erit ad ilos affectus, quos Hippocrates hoc pronunciato: Natura morborum medicatrix, intelligit, siquidem cujusvis panaceæ effectus vel in roborādis naturæ viribus, vel in corrigendis causis morborum occasionalibus terminari solet; unde sequitur, morbis ab internis

ternis causis saltem natis succurrere posse universale remedium; sic porrò, dum universalis remedii fit mentio, non intelligendum id venit exclusivè, qs. cujusvis remedii alius adhibitio excludatur, sed saltem inclusivè, ita quidē, ut præmittenda generalia præmittantur, & regulæ diætæ quoque ritè observentur, imò ipsæ panaceæ pro individui sexus, ætatisque ratione & additis particularibus qs. specificentur. Tandem ad mentionem remedii universalis non concipiendum sibi est, qs. illud necessariò omnes morbos curare debeat, quod ipsum nemo sanus dixerit, cum sic homo immortalis redderetur quin potius positis debitis requisitis & circumstantiis, iisque non infringentibus naturæ vires, nec remedii vim invertentibus, curet quosvis morbos. Non secus atque aliàs jalappa purgans præsupponit certa requisita, quibus negatis, erit illa sine effectu. Ut adeoque quoad specialem virtutem universalium observandum sit, quod morbus omnis gaudeat duplici causa, scil. formali & & materiali seu occasionali, quarum alterutra sublata, effectus seu morbus cessabit: Jam verò efficiens proximum quorumvis morborum sunt spiritus, seu principium illud vitale, tam sanitatis, quàm morborum prima & proxima origo, quo destructo per mortem, & morbus & sanitas cessat, nec utriusque horum particeps dici poterit cadaver; atque hoc principium vitale, rectè constitutum in œconomia bene ordinata, optimè omnia perficit, ast lacessitum & ex turbis œconomiæ corporis stimulatum morbosos insultus inducit. Pari ratione occasionali morborum causam constituunt contentorum vitia, quæ si temperata fuerint, bene inde valet corpus, sin in temperata, œconomiam corporis turbant. Ex quo observari licet, universalia, habito sic respectu ad duplex hoc causarum genus, duplici modo operari solere, nempe vel sedando morbosos spirituum impetus, & roborando eosdem, sicque efficiendo, ut hi spontè sua corrigant occasionales morborum causas, redeatque pacatus œconomiæ status: Qualis effectus illustrari potest per opium, omnium symptomatum urgentium sedativum, quippe hujus debito usu, supervenientibus superficialibus licet halcyoniis, & roboratur natura, & consequenter hujus vigore eliminatur nocivum. Sic quoque huc spectat efficacia sulphuris vitrioli, veneris anodyni, & illarum panacearum, quarum basis est cinnabaris vel nativa, vel antimonii. Vel & universaliter operantur respectu causæ materialis, temperando causas morborum occasionales, & mitigando sic Hippocraticas salinas potentias excessivas, sicque præcipitationes, coagulationes & effervescentias removendo, idque eo magis, si simul fuerint diaphoretica vi instructa, utpote cum diaphoresis naturalissimum correctionum illarum genus esse soleat; atque tale remedium universale fere est sal illud volatile oleosum *SYLVII*, temperans quodcunque acre, & humorum quosvis præternaturales motus compescens, blandaque diaphoresi corpus mundificans. Sic quoque ejus generis sunt mercurialia fixata, & temperantia ratione sui sulphuris extraversi quodvis acre, & diaphoretica ratione naturæ fixioris suæ. Tandem huc spectant salia aeris universalia ex rore & pluvia parabilia. Quod si autem utræque vires in uno remedio reperiantur, tunc illud universalissimi nomen tuebitur, quale quidem & sunt genuina sulphura metallica fixa, partim temperantia potentias salinas, partim vi anodyna spirituum impetus compescentia; item spectat huc lapis ignis *BASILII VALENTINI*, qui ratione virtutis suæ in cura morborum, & tingendis metallis ad naturam lapidis Philosophici proximè accedit.

TEXT. LUDOVJC.

curiis Philosophorum, quintessentiis Veneris, Auro potabili &c. modestè assignatas simpiiciter hic & præcipitanter elevamus; si talia ritè præparata & circumspectè, suo quodvis in genere data fuerint. Dum autem prius quidem ultra modum extenditur, & planè catholicum, (inter tot tamen præmatura magnatum, per haud ignota hypochondriorum, renum, pectoris, artuum, &c. vitia abreptorum funera,) dicitur an fingitur? reliquis vero similiter nimium plerumque tribuitur, præsertim ab alterius professionis hominibus, in arrepto quodam generosiori ac polychresto remedio præcipitanter exaltantibus, vel existimationis alicujus culmen nummorumve potius aucupium inibi constituentibus; dum mage porro proficua ex his, utplurimum data opera obscurantur, vel cum *Elia artista* adventu demum expectantur; dum ulterior talium inquisitio tyroni tædiosa & præter rem sumptuosa est; alia vero partim nihilo magis Catholica sunt, quam Ptisana, omnibus olim morbis indifferenter apta; & si persuasiones hyperbolemque demas, haud adeo notabiliter vel directè juvant; partim ad summum, commendatissimum quodque (detracta saltem percuriosiorem, inquisitionem singularitatis larva,) instar nudi tantum Diaphoretici, Aperientis aut figentis agit, cui paria sæpè in domesticorum vulgatiorumque serie, nullo negotio (saltem sub circumspecta methodo) invenias: proinde tantum abest, ut eam, per hujuscemodi quasi Catholica ad morborum interitus grassandi viam cuiquam hic commendemus, certè paulò licentiosius tandem ingredientes manifesto deserentem, aut in præcipitia ducentem; ut potius hoc ipso Euporistorum per varias classes selectu ostendere voluerimus. Alia aliis, (quo securius & cum ipsa natura incedamus,) omnino deberi: sique *istius Census quidpiam aliquis* adeptus foret, nihilominus illud ipsum tum consideratissima exhibitione, tum quam plurimis etiam *Intercalaribus & Interscenii*, reliquis totius Comœdiæ actibus & circumstantiis (quo istius generis Arcana profecto pertingere nequeunt,) ritè satisfacientibus indigere.

Et quo *specialius nonnulla* secundum aliqualem experientiam nostram consideremus: Quod ad normam & præscriptum *Unicornu mineralis* (toties anagrammaticè hieroglyphiceque descripti, olim paraveramus, egregium profecto & efficax erat præsertim in primæ ac secundæ coctionis, easque proximè sectantibus vitiis remedium; (nam ulterius & ad *Testamenti Hadrianei* executionem progredi nunquam ausi fuimus:) cum autem superioribus annis nos tandem destitueret, (vix aut ægerrimè nunc, ob tædiosissimos parandi labores repetendum;) & ad antiquum hinc rediremus, in considerata parabiliorum vitriolatorum, martialium, corallinorum, opiatorum, &c. exhibitione denuo nihilo nos infeliciores, ceu antea quoque observavimus Qui autem hoc in genere *Arcanum vitrioli*, tanquam pro compendiosiori supplemento parare voluerit, & ad literam tantum procedendo *commune saltem vitrioli sal & oleum condensatius* invicem combinare tentabit, loco proficui nec ingrati medicaminis profecto horribile secretum præmonitus) nanciscetur.

De 7 *Alcahestino liquore* medicos etiam in usus haud uni saltem commendato, paulo ante diximus; meritoque donec ipsa *Clavis* aptius manifestetur, producta ejus, variaque circumcirca (per spiritum Mercurii, Veneris, Roris, &c.) Tentamina tantisper præterimus.

Mercurius post præviam (communem, aut super imperfectiora metalla tædiosius institutam) *purificationem, solitariè, vel etiam cum salis antimoniive parte, inter lentam continuamque digestionem* (securius & consultius, quam per spirituum nitrosorum abstractiones) 9 *Præcipitatus* seu qualitercunque fixatus, (sive sublimi transmutatorum nomine 8 *Azoth*, sive modestiori titulo nominetur,) bonum est remedium diaphoreticum, (nam apage adhuc empiricorum quorundam vomitorium,) resolvens, mundificans; nec tamen protinus universale, vel bene ponderatæ considerationis (si aliquanto plus exhibiti incommoda declinare velis,) expers: sanè permultos affectus (experientia quotidiana teste,) ne attingit quidem; multos empiricus datus pervertit: de cætero nimium quantum à vero recentioris *Mercurio Diaphoretico seu auro Horizontali* differt.

NOTÆ.

7 *Alkahestino*) Liquor *HELMONT.* nomine salis circulati majoris venit; contra alkahest *PARACELSO* est hepatis restaurativum universale, sicuti videre est *in IONSONII Lexico Chymico.*

8. *Azoth*) *PARACELSI* est technicus terminus, varia denotans, & quidem (1.) mercurium metallicum ex perfecto metallo resuscitatum (2.) mercurium Philosophorum duplicatum seu Rebis, sulphure

Solari & Mercurio universali constans, de quo illud vulgare: Ignis & azoth sufficiunt. (3.) Denotat quibusdam remedium summum ex Mercurio, Solare & Luna paratum. (4.) Mercurium fixum in Igne non destructibilem, qui proximus gradus est ad Philosophorum lapidem, & fuisse talem suum azoth Heslingius olim affirmavit, sed falsò, cùm potius fuerit remedium suprà & infrà movens Mercuriale. (5.) in sensu Paracelsistico denotat summam Medicinam PARACELSI, in capulo ensis gestatam, ab omni particulari determinatione separatam, & vim omnium ol. in se concentratam habens.

TEXT. LUDOVIC.

Panacea (ut 1 *Famosum sub seculi initium* è Mercurii minera aliove coagulo, Argento rubro rudi, aliterve conquisitam prætereamus,) quot hactenus saltem propositæ, fictæ, & per Emissarios quoque vicatim hinc inde venundatæ sunt? Saniores & commendatiores si paulo penitius perquirimus, nihilominus 2 ut plurimum nil nisi *Mercuriale vel Antimoniale* quidpiam, (alias nec ignotum nec singulare) continent, eoque ipso prosapiam istorum bene noscentibus, quousque pertingere possint, monstrant. Speciosa illa, quæ etiam *Mercurii fixati titulo* in Pharmacopœis reperitur, & *ex Argento vivo, sulphure ac sale ammoniaco aliquoties sublimatis, &c.* consit, Cinnabarinæ naturæ est, atque adeo effectus, (in nervorum affectibus alias non contemnendus,) nativa vel antimonialis Cinnabari facile suppletur. Quæ nuper varie describebatur, è *minerali (primientis Auri, ut aiebant, saturatissimo) diversimode parata*, Sulphur aliquod Antimoniale, alcali tartareo vel nitroso, spiritibusve salsis volatilibus sociatum, atque hinc (pro talium more,) sub largiori dosi, Emeticum quoque erat; alias mundificans haud rejiculum æque ac alia sunt puriora mirificata hujus mineralis Sulphura, Tincturæ selectiores Rugulique, cum Metallicis etiam fixati, &c. circumspecte solum exhibita: non tamen hinc protinus pro Catholicis venditanda, vel per omnes à capite ad calcem affectus hyperbolice ducenda videntur. Ita quoque haud ita pridem 3 *Panaceam Solarem in pilulari forma* accipimus, manifeste opiatam tantillo forsan Cinnabaris nativæ vel Mercurii per se fixati Antimonialisve sulphuris (quæ exigua plane quantitas discernere non permittebat,) sociatam; effectu cum *Regiis Pharmacopœiæ regiæ Pilulis* suo modo coincidentem.

Circa Rorem, pluviasque Martias aut cum tonitru delapsas, circa sal Terræ profundioris, aut Cœmeteriorum, & circa ipsius Aeris collectanea, specioso 4 *Aviculæ hermeticæ* titulo allecti totque recentiorum contestationibus persuasi, forsitan haud adeo pauca tentavimus. Et sane *Roris pluviarumque illarum pars spirituosior*, per notorium destillandi modum minoribus primo guttis prodiens, tenerioribus subjectis non adeo incommodum attemperans præstat, (ceu perfunctoriè tinctam superioribus annis pro *Auro potabili* venditam alicubi scimus, & adhuc dum ad Extractiones inde, uti putant, secretiores ab aliquibus adhibetur.) *Putrefacti* (in doliolis pro more) hujus generis latices, aliquando striati Spiritus vestigia (sed utplurimum cum ingratiori sulphureo odore) ostenderunt: (ut nupera *fluvialium Aquarum concepta*; *inter navigationes Americanas spirituositas & Acetum cujusdam ex Rhodano* credi quadantenus possit.) Residuum post Exhalationes *Magma* verno tempore sponte fermentare, ac plus vice simplici oras vitri tum supergredi cœpit. *Sulphurea* (inde nonnunquam secedens) substantia Argentum extus adoritur stabili auriformique tinctura. *Sal* ibidem plerumque cubicum subamaricans, rarius stiriolis quasi nitrosis concretum, bonum est aperiens, detergens, & viscerum hinc inferioris ventris (in sano sensu,) roborans, &c. Totum tamen hoc Chronicos nobis (fortassis infelicioribus,) neutiquam restituit, vix aliquos incertis circumstantiis specialiter lævavit, aut in acutis præstitit, quod certius è parabilioribus experimentis non habeatur. Nec amplius quidpiam in 5 *Terra quasi Virginea salina substantia*, (quendam sublimius quidpiam haud impræmeditato inibi quærentem, incassum superioribus lustris occupante,) uti nec in decantatissimo illo 6 *Terra Sumine*, seu exigua illa Oleositate, in Medicina quidam, (quo per nos integra sit aliorum aurifera instillatio,) hactenus invenimus. Et licet *sub Dio quoque* in competentibus nonnullis 7 Magneticis (ceu vocant) Subjectis, præsertim per calcinationes aliosve modos prius debite dispositis, quidpiam concreverit, aut potius in nonnullis (dum copiam cum exiguo temporis spatio, aliisque in concluso similiter contingentibus conserimus) excreverit, & è quibusdam, interno usui aptioribus elutriatum, aliave ratione sub *Salis amaricantis nitriformis specie* sequestratum, medicis intentionibus diversimode adaptatum fuerit; nihilominus nec inde quidem majora operæ pretia hodieque facere potuimus: ut ejuscemodi *Mercuriorum & Phalajarum*, promissa tantum non catholica cogitantibus; facetus quispiam pro Phalaja forsan haud immerito Eulalala dixisse videatur. Fallimur autem an huc quoque referri posset *Talciformis cujusdam Panaceæ*: Ut & 7 *Perlata pro Hypochondriacis Materia*; si forte præter Præparata (eluentibus aut spiritus salinos superfundentibus haud obscura,) & præter Mineralis regulini quidpiam (in crucibulo restitans,) rorido quodam, quovis etiam modo (ceu Parallela nonnullibi suadere videntur,) saturetur.

NOTÆ.

9 *Præcipitatus*) Mercurius per se bonum est quidem remedium, interim diutius continuatus vi salivatoria similiter molestus.

10 *Mercurio diaphoretico*) Hunc HELMONT. parat mediante Sulphure Vitrioli Veneris fixo & Mercurio præcipitato VIGONIS, *conf. Tr. de febrib. c. 14. §. 9.*

1 *Famosum sub seculum*) Intelligitur hic Panacea Anhaltina ex mercuriis metallorum procedens, de cujus præparatione *conf. WELSCHII decad.*

2 *Utplurimum nil nisi*) Scilicet quælibet Panacea ordinariò præparatur nunc ex subjecto magis universali v. g. ex rore, Aqu. pluviali, Sal. æreo, nunc ex subjecto minus universali, ut Mercurio vel Antimonio.

3 *Panaceam Solarem*) Intelliguntur hic pilulæ WILDEGANS. constantes ex opido, ab hoc siquidem & Sulphure Salinô iisdem combinato mulier asthmatica ab illorum usu suffocata videbatur; interim præter vim anodinam egregiè sunt sudoriferæ, & pluribus morbis conferunt. *Vid. Miscell. curios. annô 3. ubi* aliqualis eorum descriptio.

4 *Aviculæ Hermeticæ*) Hoc est nitrum universale juxta SENDIVOGIUM ex rore præparato colligendum, *confer. Miscell. anno 3. p. 452.* Sic & novimus ex nive singularia menstrua fuisse parata, ac BECCHERUS Sal suum cœleste, in curanda peste egregium; inde habet, sicut videre est in ejus *Phys. subterr. p. 182.* Eandem originem agnoscit Panacea illa WOLFGANG. DINHELMII. Et cum ros & pluvia Martialis nesciant putrescere, indicium est hoc singularis Salis inibi latentis.

5 *In terra quasi virginea*) Scilicet dicunt vulgò Sal aeris universale, subjectum spiritus (ni ipse sit) Mundi, nunc variè in aere fluctuare, nunc verò terræ puræ se insinuare nullo speciali semine adulteratæ seu inquinatæ, sed indifferenter pro matrice vel vegetabilis, vel mineralis, vel animalis fovendi se habentis, atque tunc vocari Sal centrale terræ, item Sal naturæ *conf. ORTHELII Comment. in SENDIVOGIUM in Germ. Idiomate* seorsim prostans, sicut in Latino *Theatro Chym. Argentinensi* annexus.

6 *Terra sumine*) Nota hic AUCTOR examina illius terræ pinguoris sibi relictæ, quæ destilata daret Sal volatile & ol. *confer.* præter IOHANN. GEORG. *Rosentreuber Anat. infer.* LOESELIUM *de podagra editione in 12. pag. 262.* atque hujus originis est ille BECCHERI spiritus, cujus meminit *lib. 1. Phys. p. 87.*

7 *Magneticis subjectis*) Tale est terra illa magnetica ROCHAS, quam habet *cap. 1. scrutinii sui, theatr. Chym.* annexi. Sic quoque terra in nitr. latet, specificata tamen ab hujus semine & q. s. individuata.

7 *Perlata materia*) hujus AUCTOR CRUGNERUS *Inner.* qui tamen reticet, quæ & qualis illa sit; at ex amici ore habemus, præparare illum hanc ex lapide illo violaceo (ideo sic dicto, quod calefactus spiret odorem violarum) cui innascitur muscus subtilis, ex quô materia illa perlarum prodijt.

TEXT

TEXT. LUDOVIC.

8 *Electrum minerale immaturum* [Cui *Glauram & Metallum masculum* aliqui synonyma facere voluerunt,] si conjecturaliter rariorem illam Lunarem mineram, *sub Argenti rudis rubri titulo* metallurgis propositam connotat, *ut Lili vel consimile quoddam secretum inde ad vitam seu longam seu sanam* certo habeatur, proculdubio feliciorem hodieque cum menstruo manum,& ulteriorem [inter ea qualiumque Possessorum fata,] experientiam exigit: in qua deinceps pariter , recentiorum nunc ductu, [post simpliciorem olim nec rejiculam tunc adhibitionem] exercebimur ; haud tamen ignorantes, quod superioribus lustris cum non infimæ sortis quidam *secretissimum illud* haud pertunctorie inibi quæsivissent, concepta spes tandem decollarit. Sin autem parili sub conjectura quispiam *Mercurii splendentem saturateque tinctam Mineram* intelligeret, asseverare possumus , eam simpliciter elutriando solum præparatam, nilque amplius passam, effectu [qui tamen similiter uti polychrestus equidem , ita saltem particularis est ,] longe præcessisse tum Sulphur ejus solitarium , per Alcalia [licet ægerrime via humida siccave] citra destructionem extractum, tum ipsam Panaceam cinnabarinam, sub *Præcipitati Diaphoretici* nomine Pharmacopœis propositam , & per [in speciem] secundata iterumque combinata principia , secundum præscripti processus imitationem aliquando confectam. Quod vero *vicina nobis quadam Vitrioli Minera* [ligno fossili sulphureo intermixta ,] pro Tincturæ cujusdam [procul dubio elissiformiter paratæ] commendatione , hoc titulo empiricorum nonnemini proponitur , id quidem forte parum est Paracelsicum.

Ipsum *Aurum potabile consimiliaque Solaria* , secretiori quoque & amiciori menstruo catholicos in usus constructa , quantum hactenus in gravioribus , inveteratis malignisve morbis præ aliis singulariter præstiterint, quotidiana loquitur observatio, & nemini non paulo circa hæc curiosiorum constat : nec asserere veremur experientia sat confirmati , quod omne juvamen atque solatium , è *Solaribus* [ob nominis splendorem & precium] varie quæsitum , largiter & cum superpondio in longe parabilioribus *Martialibus, Antimonialibus, Cinnabarinis, Corallinis, Cervinis, Tartareis, aliisque vegetabilibus Analepticis , Alexipharmacis & Opiatis* , [quodvis horum considerate saltem exhibendo] inveniatur ; nihilque aliud hinc habemus amplius, quam ut habitiorum reconvalescentia , dimissis securioribus tot seculorum experimentis , magis tantum sit dubia, carior semper ; ut istius in superiori Germania , cujus febris continua lapide Bezoar. pro 60. florenis hausto curabatur , quæ totidem nummis albi pellitur. Non elevamus hic simpliciter Auratorum efficaciam , qui hujuscemodi liquores , [cum *Spiritu Microcosmico, Salis Tartari , Roris , Mannæ Crystallisatæ , minerarumque Saturni* , experiundi caussa successive confectos ,] item *Solares cum Mercurio vel Antimonio , aut utreque satis fixatos pulveres* , varie nec incassum tentavimus ; [sæpe tamen Menstrui bonitate , vel accessorii Mercurii vel Antimonii energia magis favente, quam Auri accedentis aut adhærentis tantillo.] Tantum , si vel maxime solius Auri tantopere reclusi iste foret effectus , assignatam tamen *Catholicam potentiam* hic removemus ; ostentatoriosque abusus reliquos , per suppositam necessitatem ac præcellentiam introductos , (dum nihilominus idem securiusque per parabiliora passim præstatur ,] notamus : si forte hæc quoque Auri sacra fames sisti queat. Reliqua suo capite diffusius expendemus.

Circa secretum *Veneris ignem* , [*à protractioris destillationis cohobiisque Spiritu Vitrioli longe differente* ,] quænam hodieque non superest obscuritas ? Autor qui *lapidi Buttleriano Driff suum* substituit, *pauperibus quoque communicabile , nec tantum arcanum esse* innuit. *Recentior autem , qui obscuritati horum Lumen accendere instituit* , æque difficilem nec vulgi cruminis occupatiorumque Practicorum temporibus parem procedendi modum profert. Tantavimus aliquando circa *Driff* , secundum qualescunque conjecturas] nonnulla cum Ammoniacalibus, &c. ac mediocre quidem aliquid , nil tamen absoluti ' sive lingeretur tantum , sive penitus deglutiretur , inde habuimus. Quod autem *posteriorem Ignis venerei explicationem* attinet : quamvis *Spiritum è sale Martii* [uti nominatur , *purgante* ' [è capite mortuo florum salis armoniaci Martialium extracto] paratum. Vitriolum Veneris adstringentissimum dare pridem per alia experimenta probe sciremus ; tentare tamen circa Hæmatitem quoque quidpiam statim tunc complacuit ; at [uti profecto aliter fieri nequibat ,] Spiritum hinc à prædicto parum aut nil differentem , de cætero Spiritui Salis communi plane geminum , [loco duplati saturatique illius ;] & Vitriolum inde dulcore suo scilicet , fere fauces intercludens nacti sumus , & nil amplius ; licet processus rationem haud pertunctorie sectaremur : donec tædio ducti spem cum liquore abjiceremus felicioribus inventionem relinquentes.

Et si fors fortuna nobis [ut aliis alicubi , *Transmutatorum* sisteret , [ceu *Lapidem illum* particularibus haud paucis convicti facile credimus, & particularum Plumbi vel Mercurii aliam hinc solaribusque similem dispositionem , complicationem aut figurationem, coloris, liquabilitatis, ductilitatis, &c. consectariorum autorum facilius adhuc concipimus ;] obnixe cum rogaremus , ut etiam in morbis hactenus revera incurabilibus edito specimine [magno inde decumbentium, præcipue integrarum familiarum hinc tantum non exhaustarum solatio , publice convinceret non solum de Catholica cunctorum affectuum medicina tantisper dubitantes , verum etiam moderatiores eos, qui Metallis saltem non verò homini datum esse in medelam hoc, [quicquid est,] naturæ superlativum genus, aperte fassi sunt.

Tamdiu proinde sepositis aut in pretio suo , quod singula in rei veritate mereri possunt , impræsentiarum relictis *Catholicis illis*, donec alia quidem manifestius explicentur , alia vero liberalioribus (quam credi nonnunquam queunt ,) promissis , inter simpliciorum aut terrestriorum Animarum, (mortem peccati salarium , Morbos autem mortis lictores sic elusuratum) expectationes *plusquam Chinenses* , semet exolvant ; institutum nostrum & *Particularium* tantummodo potiorum & præsentiorum euporistorum simpliciorumque selectum persequamur : præsertim cum his ipsis sublimiora quoque Arcana , si cui tale quid contigit aut contingeret , omnino circumscribi , & probe , pro variis affectuum requisitis ac circumstantiis modificari , (si quidem operæ pretia citra empiricas extensiones facere voluerimus] debeant : & quo Tyronibus denuo hinc quoque constet , etiam *Vulgatioribus , citra Secretorum mussitationes singulariorumque Venaturas, aeque ac citra Dispensatoriorum superabundantias Morbos pari li felicitate curari ; Simplicibusque [tanquam nil passis aut disperdentibus ,] vel simplicioribus saltem , certiores ut plurimum esse effectus , præ commendatissimis sæpe Compositis, ac Decompositis*, plerumque per Basis accessoria Mole tantum & Precio , [pro forma solum & citra necessitatem quandam] excrescentibus. Versatus [& ceu ab initio quoque notavimus, non nominis saltem adscriptitiique effectus , verum etiam saporis , ponderis, molis, odoris , coloris aliorumque sui Simplicis conditionum satis gnarus] Practicus , siquidem simpliciora quo vult , omnino non pertingunt , Compositum aliquod [sed utinam simplicissimæ naturæ semper conformius,] alias haud difficulter attexit : & nos talia hinc inde , ubi ex usu visum fuerit , inseremus. *Quæ vero circa potiorum usualium Præparationes nuper aut jampridem Solertiores Viri eleganter monuerunt* , operose non repetemus : cum Libelli sint in omnium ferè manibus ; & ista hic quasi præsupponantur. Ita nec Selectus nostri rationem diffusis ambagibus deducemus : quandoquidem caussas rite perpendentibus , & communi observationi conferentibus , etiam verbum satis est , nec nostra conditio excrescens fert volumen. De cætero ceu supra condiximus , de commodioribus Substitutis , de Territoriorum differentiis & ortis inde necessitatibus , de prioratu Inventionis , [cum fortuna multa prius aut multis simul ostenderit,] &c. cum nemine nunc aut postmodum litigabimus : sit sua cuique per nos liberrima applicatio , uti nobis liber hic census.

Atque quo singulas Materiæ Medicæ classes per *tria illa notoria Regna* distinctius tandem ordineque quodam perlustremus , primus cedat *Purgantibus locus*, adeo quidem per nullius non liberalitatem aut observantiam antiquis novellisque refertus , ut dubium pene reddat census nostri initium. Nam qui [exutis tantum præjudiciis quibusnam , in *Vegetabili primo Regno,* compluriurn manifestarium Languorem , aut ex adverso supervacaneam Violentiam , multorum insuper è novo orbe vel musæo , item tot interpolatorum , aut vix grano vel grani parte inter se differentium vanitatem , & appensarum deprædicationum frustrationes perfunctorie saltem advertit , qui corrigentium , Dirigentium , aliorumque superioris seculi accessoriorum hic [molem plerumque potius quam effectum intendentium] excessivas amplificationes, variationesque frustraneas ; qui consimilium Curialium, [ab ipsis tamen eorum Autoribus passive neglectorum] extensiones nimias, vel è sola simplicissimaque [tantum circumspecta] crudorum aut mediocriter solummodo Depuratorum vel coercitorum exhibitione didicit ; qui aliqualem quidem in nonnullis Diversitatem circa ca vitiosorum humorum colliquandi modum, colliquatorumque colorem, acredinem , ac consistentiam, at adeo specificam singulorum ad certos humores determinationem nec dum [cum paulo curiosioribus] observavit : quique idem sæpe simplex diversis humoribus per Alcalium , Tartareorum , Vitriolatorum , Nitrosorum similiumque detergentium aut stimulantium additionem accommodare, tot insuper Composita , [diffuse prodigeque reposita ,] extemporaneis mixturis & imitamentis , [evidenti compendio parilique successu ,] æquare vel superare novit : qui porro *Mineralium* [ab una quidem parte] rite præparatorum & exhibitorum nonnullorum insignem præstantiam & securitatem , ab altera vero nimiam nihilominus talium multiplicationem , aut penitus alienorum , suspectorum : præter rem vehementiorum aut [ob enchirisis aliorumque requisitorum variabilitatem] infidorum numerositatem & exorbitantias perpendit : qui denique paulo attentius in pro-

TEXT. LUDOVIC.

pria vel aliorum Praxi advertit, quantopere non quidem in omnibus, [uti solitariorum laxativorum & Saponariorum commendatores hactenus voluerunt,] sed tantum in compluribus Affectibus, multo securius faciliusque solis Aperitivis, Diureticis, Diaphoreticis, Anodynis aliisve Specificis,] vel empyricorum exemplo] cedentibus Ægroti Purgantibus diversimode vexentur, detineantur, imo magis adhuc interdum lædantur, saltem ob consueti medicandi moris ac ordinis observantiam, Is oppido nobiscum haud difficulter fatebitur, maximam Catharticæ phalangis partem, & longe plura quam hactenus factum est esse delenda; forsitan etiam in hoc ipso nostro selectu; tum seorsim sentientium aut de commodioribus substitutis cogitantium causa, vel pro forma quædam hic retinuimus.

9. PURGANTIA.

Sit itaque primo,] donec post famosam superiorum annorum *Mechacannam & guttam Cambodiam* sequiori seculo convenientius forsan offeratur,] polythrilleton nunc *Ialapium*; à quorundam nuper *Matulista* sane nondum expunctum: acre satis ceu tractantes varie, in erthinis quoque experiuntur: Hypochondriacis tamen nostris utplurimum haud inconveniens; nec mole nec sapore adeo adversum: dignum de cætero, quod plurimis incommodioribus ingratioribusque catharticis pridem substituissemus. Inde *Pulvis* in suo genere polychrestus, & diversissimo per competentia addimenta applicabilis. ceu alias notum est, & fusius hoc infra persequemur. Nec *Magisterium* (quamvis æquivalentium respectu paulo sumptuosius,) vel eorum causa, quæ ob *exoterica quædam Scammoniatum aversantur*, hinc penitus excludemus, si modo decenter dilatatum delicatioribus forte detur. *Mucaginosum autem Extractum*, (resinæ quasi parergon) languidum est; uti & ipsius *radicis infusum in Cerevisia Vinisque*, ni fortissima fuerint aut mediocribus Alcali aliquod in paulo majori pondere adjiciatur: ceu alii quoque pridem, seu usque dum incassum fere monuerunt.

NOTÆ.

8. *Electrum minerale immaturum*) Hujus primus mentionem fecit *PARACELSUS*, & post hunc *HELMONT Tr. hæc quæ sequuntur, reliquit imperfecta. It. Tr. arcan. PARACELSI* parans inde tinct. Lilii. Cæterum illius metalli masculi nomine varia intelligunt AUTORES, & alii mineram martis solarem, sed ineptè indigitatam volunt: Alii, ut *STARCKIUS* Zinckum sub nomine illo venditat, qui tamen rectè à *WEINSLERO in Metallographia* refutatur; alii aliud intelligunt, nempè mineram Cinnabaris nativam, selectiorem, in Hungaria reperibilem & instar rubini coloratam; sicut tandem Moderni intelligunt sub Electri immaturi nomine mineram argenti rubri, cujus *ZWELFERUS meminit Mantiss. pag.* 231. quodque arte parari potest, miscendo certa proportione Lunam & lapidem arsenicalem, verùm modò idiotismum *PARACELSI* consideremus, qui electri vocabulo misturam metallorum indigitavit, & electrum erit metallorum species, prout in ratione naturæ adhuc q.s. confusa hæret, quæque aliàs Saturnus Philosophorum vocatur, & de hoc dicitur esse illud Parentem vulgaris Saturni seù plumbi; ex quo dubium proinde enascitur, an *HELMONT*. cognoverit Electrū minerale immaturum, quippe cum cujus descriptio mineræ Cinnabaris nativæ competat.

9 *Purgantia*) Inter hæc euporista purgātia pro selectā Praxi excellit *jalappium*, utut huic à nonnullis *mechoacanna*, quæ tamen debilior; vel *gummigotte*, quod violentius, præponatur, interim nos meritò jalappio primas deferimus, utpote non solum vi purgandi, sed & sternutationem movendi prædito; scilicet commune hoc est nonnullis acrioribus medicamentis, ut præter vim stimulandi intestina & purgationem excitandi, exterius quoque nares vellicando pro errhino conducant. Jam E. cum inter illa emineat jalappiū, non mirum est, id eundem quoque effectum præstare. Præterea jalappium nostris subjectis hypochondriacis præcipuè conveniens est, cùm acidæ viscidæ cruditati oppidò medeatur, imò nec sapore nec odore molestum sit. Quoad modum utendi sumitur vel in sicca, vel in liquida forma; in sicca, dum radix pulverisata vel ejus resina præbetur, ubi radix imprimis salinô tartareô remedio, ut cremore tartari, vel tartaro vitriolato commodè combinari solet, ac in substantia per se ad ℈j. cum stimulo autem tartareo in minori dosi exhiberi potest. v.g.

℞. *Pulv. jalapp.*
Tartar. Vitriola. ana gr. xv.
Ol. destilat. macis gutt. ij.

f. pulv. pro pluribus appropriatus, nam & infantes tutissimè per jalappium purgantur, observando saltem seriem annorum, & præbendo tot grana, quot annorum sunt; sic v. g.

℞. *Pulv. jalapp.*
crem. Tartari anagr. *vj. vel vij.*

M. pro infante 5. annorum in jusculo calido, ita sine molestia purgat. Quod si autem in minori dosi velimus jalapam assumere.

℞. *Pulv. jalapp.* gr. xij.
scammon. sulphurat. gr. iij.
Nitri puriss. gr. vj. (hoc enim impedit flatuum potentiam) M. detur pro dosi. Deinde præter jalappæ substantiam usurpatur quoque ejus *magisterium* seu *resina* cum spiritu vini extracta & aqu. simpl. præcipitata; ac quidem magisterium illud ex eo usitatum, quia non paucis scammoneata sunt suspecta; unde horum loco, pro stimulo in usum vocare solent resinam jalappæ. Modus utendi est tàm in sicca, quàm liquida forma: In sicca quidem ita:

℞. *Conserv. rosar.* ℥ß.
Resin. vel magist. jalap. ℈ß. *ad* gr. xij.
Tartar. Vitriolat. vel arcan. duplic. gr. vj.

Hìc notanter additur tartarus Vitriolatus, quia resina est oleosa; inde facilè parietibus intestinorum adhærescendo, tormina & in prædispositis hypercatharses potest inferre. In forma liquida resina illa jalappæ cum vitello ovi aut semine melonum potest propinari; utut optimè succedat, si eadem resina sub forma essentiæ citratæ, qualem habet *BARTHOLINUS*, propinetur. Cæterum dicta jalappii radix è locis quidem peregrinis huc defertur; interim quædam & illius species apud nos sub nomine jelsemini s. mirabilis Peruviani prostat, cujus radix similiter ac illa purgat, & hæc saltem ambas intercedit differentias, quòd peregrina magis sit resinosa, nostra verò minus; adeoque hujus ratione dosis nonnihil augenda, ita ut dum peregrina ad ℈j. exhibetur, nostra ad ʒß. vel ℈ij. præberi debeat, cum sit idem effectus expectandus. Porrò, cùm in resina jalappæ hæreat vis purgans, propterea rara est radicis in vinum aut cerevisiam infusio, quibus liquoribus resina illa nihil suppeditat. Unde & dum quidam Modernorum nodulos laxativos, quos ingreditur jalappium, ordinant, scopo purgandi falluntur, quantumvis etiam vinum infusionis cum alchali tartari acuatum sit. *BORELLUS cent.* 2. *obs.* 25. ex hac arcanum contra hydropem habet, ubi beneficio aquæ Vitæ, & jalappii pulverisati nodulo inclusis, & ardoribus caniculæ expositis, extrahit substantiam purgantem, quod gummi, non verò extractum est; aqua vitæ calidè filtratur per chartam, in fundo relinquit gummi, quod ℈j. pilurari forma propinatum, miras facit evacuationes aquarum.

TEXT LUDOVIC.

10 Sit porro *Aloë* inter sui generis amaricantia peculiarem stimulum huc conferens: extra abusus,) aliis sufficienter notatos,) & quod in dispositis nimia continuatione hæmorrhoides tandem ,quicquid etiam *prætensæ correctiones* promittant) haut raro concitet : de cætero innoceas , *Socoterina* vel etiam *Epatica selectior* , à quisquiliis & Resinositate sua, præcipuo tenesmi illius hæmorrhoidalis autore ,) *Aqua solum simplici*) quid enim è destillatis , vel Sero aut Aceto, imo ipso quoque Rore hic expectemus ?) simplicissime (infundendo vel coquendo ,) sed tamen sollicite sequestrata ; & in Vaporoso Balneo denuo ad pilularem consistentiam exhalata ; in ejuscemodi laxativas & elect vè purgantes Massas (cum antiquorum *Hieras* nemo temere nunc lingat) sufficientissima; carius curiosiusque *per ardentem spiritum Extracta* indeque resinosiori , manifeste præsentior atque securior ; *Insuccata cuivis* utut famosissimæ, *violata, rosata, Fragata, &c.* par , imo [cum respective vel in effectu saltem parum sit, quod de succorum magmate singulis accedat dosibus ,] suo modo in actione sua ut liberior ita superior ; & ejus generis Essentiis vegetabilius ,' siquidem omnino conjungere placuerit , facile postmodum subigenda : præterea *in Liquorem quoque vulgatis Dilutis & Elixiriis Aloëticis,* [laxandi quidem causa] longe pollentiorem fereque acceptiorem, *cum Salis Essentialis vel saltem Alcali Tartarei aliquota parte* ceu infra plenius hoc persequemur,] promptè redigenda.

1 Accedat *Sena*, non titulotenus Alexandrina solum. sed bonæ notæ quævis, recentior, non exesa nec *deside Coluthea* falsata; suspicione torminum [directe vel per accidens consequentium ,] adjecta Alcali cujusdam, vel etiam Tartari puri particula facilè eximenda ; illo potius in Infusis , hoc in Decoctis, [quamvis hodie minus usitatis, aut saltem domesticis ;) utrisque de cætero merito , [accuratiorum hodie exemplo ;] saltem simplicissimis ; cum in rei veritate *Nodulus æque ac palatum* tot appropriantibus radicibus, floribus, foliis, seminibus , nequicquam tantum aggravetur : *Pulvis* vero foliorum per se mole saporeque perquam sit adversus. *Extractum simplex* num aliorum mediocrium loco huc referri, & non quidem in pilulares massas, [ubi molem atque numerum cum sui consimilibus admodum auget ,] sed *Mollioribus liquidisque* nonnunquam *formulis*, [*subtriplo vel sub quadruplo ad Folia Sacchăro conditum* servari mereatur , pro contractiori quidem selectu hic non determinabimus : cum alias notorie debilius sit ; & pueros longe securius , æque vero jucunde , citra ejuscemodi saccharata nunquam non purgemus. Libera sit cuivis optio.

Concludat vérò tandem selectum hunc vegetabilem , [si propter Eusulina aliaque Mangonia cum rigidioribus quibus-

NOTÆ.

10. *Aloë.*) Succus est Aloë Indiæ Orientalis expressus & inspissatus, jam E. in hac duæ substantiæ discriminandæ veniunt, nempe resinosa & pinguis, deinde gummosa. Vtraque ratione effectus & menstrui probè distinguenda. Etenim quoad effectum in substantia gummea vis aloë laxativa residet , sicut contra in resinosa ejus viscíditate vis torminum concitatrix & hæmorrhoidum , quam, jam Arabes observarunt , nempe hæmorrhoides excitare aloen , quod tamen non soli aloë proprium juxta *FVCHSII & MANARDI* sententiam , sed aliis & purgantibus substantia viscidiori præditis, hincque in rhabarbaro & dictus *MANARDVS*, itemque in sennatis & scamoneatis observavit similem effectũ *SCVLTERTVS in obs. Chir:* Utut idem de aloë magis observatum sit. Cæterùm in hac resinosa aloës substantia ejusdem vis balsamica consistit, & ejusdem ratione emplastris ea à Chirurgis admiscetur , cum & pulverisata eadem vulneri recenti inspersa ad promovendam ejus consolidationem faciat. Porrò intuitu menstrorum vis laxativa gummosa aloës menstrua requirit aquea, quippe in quibus gummi ejus dissolvitur & extrahitur, adeoque teratur illa cum rosarum aut succo cydoniorum in mortario lapideo vel vitreo , ita liquor imbibit substantiam aloës gummeam, propterea piceâ in fundo relictâ, nec ulla aqua resolubili ; quin potius resinosa hæc substantia requirit menstrua spirituosa seu oleosa, ex quo colligi potest, malè extractis catholicis per spiritum vini extrahendis addi aloen, cùm sic vis ejus torminum concitatrix eliciatur. Pro usu autem Medico sufficit *aloë succotrina*, aut *lucida*; vel si depurata aloë sit, recipiatur, quæ cum aqua simplici extracta blandè in B.M. inspissetur, ita habebitur aloës laxativa, atque hoc ipsius gummi facilè per se, vel additis aliis in consistentiam pilularem redigi poterit, *conf. AVTHORIS Tr. de Volatilisatione salis tartari pag. 79.* ubi habet egregia ex aloë parata. Sic E. dicta gummea aloës substantia extrahi poterit, vel cum aqua simplici vel appropriata acuatâ cum aliquot gr. salis tartari , aut guttis aliquot olei tartari per deliquium, ita namque dissolvitur magis illud gũmi, & activius minusque torminosum redditur , quod in pilulas redigitur. Etenim quia aloëtica nauseosa amara sunt, hac pilulari forma eadem exhibenda erũt, ubi sufficere possunt gr. vj. vij. viij. aloës extracti in forma pilularum pro usu domestico. Deinde & extracto huic aloës addi potest vel tartarus vitriolatus, vel sal essentiale tartari , vel pulvis radicis ari, in umbra siccati, atque hoc modò aloës , cum menstruo aqueo, acuato cum sale tartar. extracta, præstat longè Veterum compositionibus, quas hieras denominârunt, præferturque ab *AVTHORE* extractis aloës cùm spiritu vini factis, cum illa præsentioris sit, quàm hæc, auxilii. Pari ratione *insuccationes aleos*) vulgares cum succo rosarum ; ut aloe rosota , &c. Item cum succo fragorum fragata , quam *TIMEVS* habet, parùm habent in recessu ; est enim cruda aloe cum tantillo succi obducta ; & quantum quæso succi illius adhærebit aloe, quoniam hæc ad gr. vj. usurpatur ? Tandem aloe ita extracta alijs purgantibus & extractis additur , licet propter saporem sui nauseosum rarissimè diluti formâ adhibeatur.

1 *Senna.*) Colutheæ folia perquam similia sennæ Alexandrinæ, unde subinde hæc illis adulteratur, præsertim cum & Coluthea vi laxativa sennam æmuletur ; dicente enim *BARTHOLINO Cent. 5. hist. 60.* coluthaa in duplicata dosi idem præstat, quantum senna in simplici. Jam verò sennæ vix laxativa consistit in mucilagine quadam gummea , quâ separata à viscosa resina sennæ, sine torminibus intrò sumitur, adeoque pro extrahenda senna menstruum sit aut aqua simplex, aut vinum sale tartareo impræegnatum. Et quidem aqua simplex, ut promptius extrahat , & sennæ vis torminum concitatrix castigetur , additur vel sal, vel cremor tartari, nec unquam sine adjuncto stimulo tartareo senna præscribenda ; adeò , ut si in infuso ea usurpanda, sal tartari sufficiat ; contra , si cremor tartarei combinetur , aliqualis decoctio fiat, necesse est, secus enim hic cremor tartari non liquescit ; interim utrumque stimulum tartareum sociatum sennæ videbis in infuso Mannagettæ, Austriacis familiari, quod descriptum habet *ZVVELFERVS in Pharm. Reg. pag. 31.* Quodsi autem ex tempore in infuso sennam præscribere velis, tunc

♃. *Fol. senn. s.s.* ʒiij. [aut ℥j. quia menstr. non plus recipit, quàm recipere potest.]

salis tartari ʒß.

Zingib. [ceu appropriati stimuli]

℈j. ad ʒß. vel j.

Infunde s. q. aqua simpl. Colat. ♃. ℥j. vel iij. vel iv. adde

aqua *Cinnamom.* ʒij. & si placet

Syr. de pomis ʒiij. [alkali enim sal tartari jam corrigit saporem sennæ nauseosum] M.

Est potio suavis, quam, si libuerit, determinare poteris, & eidem prius addere vel rhabarbari ʒj. vel hellebori nigri ʒj. & hinc dicto modo procedere. In decoctis vero senna utplurimum sociatur, passulis, quibus & cremor tartari combinatur, sicque hypochondriacis convenit , quibus aliàs fortiora purgantia

tia non satisfaciunt: Dosis est haustulus ad ʒas aliquo t. Tandem & sub infuso in nodulis laxativis vino infundendis ordinatur senna. Pulvis foliorum sen næ est rari usus, quia in magna dosi assumendus est; unde & pulvis *MONTAGNANAE*, cujus dosis ʒj. rarius præscribi solet ob nauseam; similiter quia sennæ Extractum parùm operatur propterea in ejusdem decocto & infuso acquiescendum est.

TEXT. LUDOVIC.

dam haud adeo veremur,] 2 *Scammonium*; ob Magisterii copiam atque alias polychrestas destinationes haud adeò rejiculum. Sive jam *Pulvis inde Polychrestus* [*vulgo sic dictus*] placeat, Santali vel tantum Erratici Papaveris tinctura coloratus, compluribusque formulis mixtu præ Magisterio aptior, mucagineam tamen & ferè rodentiorem Scammonii partem una retinens: sive *commune Magisterium*, æquè profecto validum ac stimulans, si modo ardenti spiritu vel aliis additamentis non conglobantibus probe dilatetur. Reliquæ varieformiter institutæ *Præparationes* partim heterogenea, [haut sane pauca, præsertim in viliori massa, præter rem reliquunt. uti cum v. g *Mucaginosis Gummeisque* vulgato more tantum incrustatur; vel *Succorum* adstringentium aut acidorum, Citri, Rosarum, Cydoniorum magmate, &c. inviscatur; aut. *Sulphure* [ceu Alutarii loquuntur, *perfumatur*: vel exigua hinc differentia *spiritus Sulphuris aut Vitrioli guttis aliquot conspergitur*: Partim Resinosam substantiam, parce hoc modo medisque attactam frustra disperdunt: uti cum v, g. *acidulis Mineralium aut Vegetabilium liquoribus ac succis* extrahitur; vel [recentioris cujusdam commendatione) contusum *Aqua frigida quasi emulgetur*, & liquor subiacteus [relicta sub fœcum specie magna Resinæ parte, denuo coagulatur: partim denique supervacaneas, expensas, ambages & additiunculas usitatis aut in se utilibus formulis superaddunt: v. g. dum *Magisterium è Diagridio* paratur; vel exhaustis *Aromatum spissamentis* oneratur, &c.

Atque hæc quidem sub accuratiori & ab exotericis suppositis liberiori Praxi, inter dispositionem similiter liberam, quibusvis expectationibus modisque sufficienter satisfacere, & quod è tota Vegetabilium Catharticorum serie in rei veritate sperari potest, oppido præstare queunt, Si tamen omnino quispiam diffusiorem horum Materiam diffusiores in usus & variationes exigeret, accedat per nos, quasi pro superpondio sequentium unum alterumve: v. g Qui Antiquitatis consuetudini Melanagogique promissis nimium attribuunt, addere fortassis possent Paracelsi nonnullorum 3 Dauram, seu (quasi Antimoniatum illum] *Helleborum nigrum verum*, Stiriaci titulo communiter venalem; [dum tamen remissior iste *Ferulaceus* integris è Vicinia saccis ad Emporia nonnulla defertur, nec *hortensis noster* invenitur deterior;] sive jam *Radicem* ipsam à fœtore emortuali prius, [sed non tam exhauriente *Dispensatoriorum Maceratione*, *quam Recentiorum humida divaporatione*] qualitercunque liberatam, aut *Folia* quoque, (utraque vero subita proportione ac circumspectione) associare placeat: sive potius præferatur *Extractum è Redice*, aut speciosius mitiusve è *Foliis saltem confectum*, *Aqua tantum simplici*, [parum prius Alcali tartareo vel nitroso exaltata, æque sub cauta præcisaque potius [cum aliis] dosi securum, ac si laboriosioribus, [aliorum abusu forsitan deterritis aut teneriorum formulis in specie destinantibus,] ulterius cum *spiritu Vini fuerit Depuratum* seu mitificatum, vel cum *solo Ardente spiritu, aliisque ambagibus paratum*. Interea nihilominus ingenue fatemur, quod licet hactenus perdiu de Helleborinis hisce nil aut rarissime quidpiam adhibuerimus vel aliis associaverimus, nihilo tamen hinc fuerimus infeliciores.

NOTÆ.

2 *Scammonium*] Nostras non idem est ac Veterum, horum quippe scammonium ad ʒj. potuit exhiberi: Contra in nostro non licet ℈j. excedere; unde *FALLOPIUS* rectè sentit, scammonium ferè semper succo tithymalino aut Esulino adulteratum hodie prostare; nihilominus nec contemnendum est, usurpaturque id tàm in forma sicca, quàm in liquida; præ cæteris excellit pulvis polychrestus dictus egregius, cujus descriptio habetur in *ROLFINCII Chimiâ pag.* 334. estque scammonii magisterium seu resina, nisi quod sit cum santalo tinctus, adeoq; rubineus, [Rubini vegetabilis nomine hinc veniens; dosi ℈ß. ad gr. xij. adjungendo eidem semper stimulum tartareũ, & præsertim tartar. vitriolatum, aut sal vitriolatum. v. g.

℞. *Tartar. Vitriolat.* ℈ß. ad gr. xij.
Pulvis polychrest. vel Resin. scammon. gr. iij, vel iv.
M. pro pulv. qui septies purgabit. Aut
℞. *Arcan. duplic.* gr. xij.
scammon. sulphurat. gr. ij.
Extr. trochisc. alh. gr. j. M.

Porrò scammonii modum utendi in forma liquida *vid. AUTHOR*. In formâ Emulsionis autem *vid. apud ROLFINC. in Chym. p.* 333. ad imitationem *SYLVII lib.* 1. *Praxeos.* v. g.

℞. *Scammon.* gr. x. xij. xv.

affunde aqu. menthæ pro lubitu, terantur in mortario lapideo, ità lactescit liquor, qui cum aqua cinamomi s. q. propinetur, resina autem remanens abjiciatur. Aliàs magisterium scammonii paratur extrahendo scammonium cum spiritu vini & cum aqua simplici præcipitando; sic & nonnulli id cum succo citri aut cydoniorum [unde diagrydium venit,] solvunt & inspissant; sicut adhuc alii id cũ sulphuri fumo castrãt, destructâ hujus acidâ vi purgante; ast potius in formâ exclusionis liquidâ scammonium usurpari potest: Imò quibus displicet scammonium, ex tithymalis aut esulis succum eligant, & inspissent hunc succum lacteum, sic illi certò habebunt remedium non contemnendum. Tandem & scammonium cum succo cydoniorum admodum *LAGELOTTI de opio*, tractari felici cum successu poterit.

3 *Dauram*:] Prædictis sociat pro superpondiô A. *helleborum nigrum*, qui sane plus in recessu habet; etenim in morbis chronicis, hypochondriacis, melancholicis & pathematibus ex defectu mensium pronatis planè singularis est hujus radix, non tantùm pro scopo laxativo, sed & alterativo, quippe penetranti adeò sale volatili pollet, ut propterea salis fixi parùm [notante hoc *ZWELFERO*] in ejus cineribus reperiatur; atque hoc sal volatile est insigne alterativum morborum chronichorum, unde & rectè à *Paracelso* sub nomine Dosæ: & *TACKIO* Paset laudatur. Cæterùm modò sit genuinus helleborus, non saltem Styriensis expetatur, sed quoque sufficit communis radix. Et quidem modus utendi est tàm in infuso, & ex hoc parato extracto, quàm etiam sub formâ sicca, ubi pro sternutatorio inservit helleborus. Menstruum autem pro infusione & extractione hellebori non sit spiritus vini, quippe qui eum neque corrigit, neque extrahit, sed extrahatur potius cum aqua simplicici vel aqua anisi, acuata aliquot granis salis tartari: His infundatur helleborus in vase aperto, [quò fœtor hellebori exspiret] hinc filtretur, liquorque post evaporationem aliqualem sub formâ essentiæ liquidæ asservetur, cum syrupo rosarum edulcoratæ & ad ℥j. exhibeatur, vel etiam post totalem humiditatis evaporationem extractum sub formâ pilularum dosi gr. xv. ad ℈i. exhibeatur, utut præferendum sit infusum, subjectis hypochondriacis longè melius appropriatum ob liquiditatem, ut taceam sub totali menstrui evaporatione & aliquid de sale hellebori volatili perire, præsertim cùm & *BORRICHIUS* aquam hinc destillatam saporem acrem obtinuisse observârit. v. g.

℞. *Infus. hellebor.* ℥j. adde
aqu. cinam. ʒij.
syr. rosar. ʒiij. M. pro potione.

Vel in extracto pro ægro Epileptico confirmato:

℞. *Extract. helleb.* gr. xv.
mercur. dulc. gr. xij, adde
Troch. alhand. g. j. vel ij.
c. s. q. essentiæ myrrhæ f. pilulæ.

Porrò jam istud extractum cum aqua paratum non opus est, ut cum spiritu vini denuò extrahatur, secus namque ejus modificatio fit, impediens operationem speratam.

TEXT.

TEXT LUDOVIC.

Ita qui rusticorum Mucum aliter liquari, vel Purgantia quædam(neglecta fortasse Magisteriorum debita dilatatione,) sufficienter acui posse diffidit, supra positis addere forsan posset extremæ adversitatis. 4. *Colocynthidem*, pro *Extracto*, etiam odorantibus gravi; vulgaribus tamen & operosioribus *Trochiscis* pro Pilularibus Massis, [siquidem Pulveres & Electuaria sic condita, imò quoque Spiritum aureum quorundam comptior hodie praxis non admittit,] in suo genere commodiori; de cætero *Aqua saltem simplici* [ceu ipsa Fructus natura huc tendit,] (at commode, [præsertim si Alcali Tartarei tantillo prius alterata fuerit,] conficiendo; etiam *curâ subsequam repetitamque Spiritus vini extractionem*. Sec circa talia cuivis liber sit labor. Nos nec horum nec subsequorum insuper, [utut cuique suus constet effectus,] necessitatem quandam aut urgentiorem [cur huc trahi debeant,] causam invenimus.

5. *Mechoacanna* quidem, ut potiora primum lustremus, insipida quidem est, sed tamen Pulveris moles diffusissima, effectus interim contractiori Jalapio in substantia vix par, certe non superior, *Infusum solitarium* debile; *Extractum simplex* [quovis modo hactenus paratum] debilius; adjecto ad facilitationem extractionis sale Tartari vel Nitro fixo, vix à coriariorum fœtore vindicandum: *Compositum* alterius est prosapiæ: *Resinositasque seorsim servanda* præ Magisterio Jalapi longè parcior.

6 *Pulvis Hermodactyli*, alias pridem autoribus suspecti vel rejecti, (ceu superioribus annis simpliciorem rusticum *Colchici recentis radice* satis vexatum & purgatum vidimus,) iisdem inconvenientiis subjectus deprehenditur. Sane *Articulorum Theriacam*, seu intus dando seu extus quoque applicando, nemo hic inveniet, nec aliud eupraxias subsidium singulare: etiamsi vel *per se*, [licet farinacea radicis substantia hujus generis operationi minus subjecta videatur,] vel in *Formula quoque Composita cum aliis extrahatur*. 7 *Turbith* adhuc dum penè dubium, nec adeo speciale vel [iis etiam, qui puerulis & Aceto Bezoartico nihilominus ingessere fatentibus] mite est, ut [sive *in substantia sive Extractum ejus resinosum* spectemus,] parabiliùs præsentiùsque Jalapium aut Resina ejus, [inter alia] substitui nequeat.

Nec singulare quidpiam, quod præ acceptioribus famosus ille, [& jam olim Alexipharmacis aliisque alienis Compositionibus exclusus,] 8 *Agaricus* præstet, hodiedum observamus. Torquentur interim sine causa miseri, horrendi saporis *Infusis Decoctisque* & indefinito quasi *Pilularum hinc* numero, dum [quovis etiam modo] *Trochiscatus aut Rasus saltem*, [cum vel sine usitatis satellitibus,) istarum massis ingeritur, aut *Extractum* hoc fine fingitur, amplissimæ molis; sive *simplex* [filtratura quoque tædiosè damnoséque secretum] fuerit, sive *Compositum*, extemperaneæ potius, [siquidem adeo requireretur,] mixturæ.

9. Ipsum *Rhabarbarum* sit anima hepatis, & quicquid insuper Antiquitatis commendatio vel sequiorum seculorum [æquivalentia media modosque minus perquirentium] assensus esse jusserit. Qui obstructiones aperire, Dysenterias sistere bilem expellere, ac ventrem desuper roborare, venena dissipare &c. alia ratione nequit, nisi vel *solitarium crudum*, aut non sine litigiis *tostum vel decoctum* dederit, aut nullis non Electuariis, Speciebus, Pulveribus, Trochiscis, imò ipso Scorpionum oleo & supervacaneo ejus nominis *Emplastro* impertinentissimè admiscuerit, habeat sibi [seu mari seu terra] *Orientalis* [quamvis & *Monachorum nostrum* multis requisitis satisfaciat,] Radicem, equidem in suo genere sat efficacem & benignam. at redimentibus plerumque præter rem carissimam, bibentibus adversissimam: ut inde loco Pulveris *Concisam solum* (minuta tamen sic utplurimum efficacia, *cum & sine Tartaro* superioribus annis nonnullis propinarint. *Infusum* pariter nauseabundum, *Decoctum* isto insuper pene debilius, *Extractum* notorie languidum est; inque Pilulis molem ac numerum, in potionibus nauseam auget, Nec *Tinctura*, vulgato more cum Alcali sub triplo vel sub quadruplo & aquæ cujusdam hepaticæ spirituosioris sextuplo præterpropter confectæ, [solitariæ, vel per *Aloeticam aut Antimonialem alcalinam Tincturam*, quarta præterpropter parte exaltatæ,] speciosæ quidem, tanta tamen hinc observatur pollentia, parem sanè è *Nostrati quoque* nonnunquam paravimus, & in parabilioribus aliis Hepaticis invenimus; qui de cætero purgandi causâ hactenus perdiu Rhabarbari ne unciam quidem [continuis circa talia observationibus indies confirmatiores] absumpsimus, praxi similiter nihilo inde feliciori.

NOTÆ.

4. *Colocynthidem*:) Vulgò dicitur, quicquid non attingit Agaricus, hoc Petum attingit, & quicquid non Petum, illud Colocynthis; ac quidem præ cæteris in visciditate mucaginosa extenuanda & evacuanda colocynthis prærogativam habet. Cæterum colocynthis, ut gustui patet, constat resina & vicidissima, & amarissima, cujus ratione & tormina atrocissima causat, dum adhærescendo intestinis hæc in spasmos concitat; non E. solitariè danda est colocynthis, sed stimuli locô addenda, in casu ubi viscida fluxibilia facienda, in quo sanè illa par remedium non habet: Quin & vis illa torminosa corrigitur vel per sal Tartari, vel sal cum carbonibus fixatum, vel & terrest. foliatam tartari. Sicut alkalia omnia dissolvendo hac ratione ejusdem adhæsionem impediunt, & tormina præcavent, adeòque optimus parandi extractum modos est, si fiat extractum cum aqua sale tartari acuatâ, quæ post ebullitionem filtretur, & in extracti consistentiam inspissetur; ac sanè sal tartari optimè corrigit colocynthidem. Sic etiam observavimus, extractum colocynthidos ad gr. iij. vel iv. cum saccharo exhibitum graviter purgasse, contra cum sale mistum blandè. Similiter, si recipiatur lixivum sal tartari, & infunditur frustis pomorum colocynthidos, lixivium illud omnem horum amarorem extrahit, dein lixivium inspissatum cum spiritu vini extrahatur, ità obtinebitur essentia aliqualiter laxativa: Interim sufficiat nobis extractum colocynthidos cum simplici sale tartari acuatâ paratum, quod ad gr. ij. vel iij. aliis purgantibus pro stimulo addatur, saltem ubi visciditates morborum chronicorum expurgandæ. Contra cum trochisci constent ex colocynthide cruda cum gummi combinata, exulent. Hinc & spiritus vitæ aureus RULANDI rarius usurpari solet, similiter extractio colocynthidos cum spiritu vini est frustranea, quia tunc ejus vis castratur. Porrò colocynthis externè clysmatibus incoquitur, iisque tam simpliciter pro irritatione intestinorū, quàm pro mortificandis vermibus adhiberi, & pro illo quidem scopo addi solet pulpa colocynthidos in petiâ ligati ad ℥j. sic subtilior ejus pars elicitur, nec integra ramenta solvuntur. E contra pro lumbricis exturbandis in lacte coquitur, ità sapore lactis allecti, ejusdem esu mortificantur, & unà cum clysinate ejiciuntur.

5. *Mechoacanna*) Alba rarius usurpatur, cùm sit languida, & à ʒß. ad ʒj. imò ʒij. necesse sit propinetur, quod sane tædiosum; unde infusa nec extracta quoque cum ingenti commodo adhibetur, nisi quòd infantibus cum saccharo mista facili negotio adaptari queat, utut & his æque feliciter aut jalapa aut Tartarius dulcis propinari possit.

6. *Hermodactyli*:) Hermodactylus VETERUM quid sit, nesciunt MODERNI, sed his radix hermodactyli est radix saltem colchici, adeoque iisdem suspecta & rejecta. VETERES equidem theriacam articulorum hermodactylos denominârunt, ast cùm hodie quid sint nesciatur, propterea negliguntur.

7. *Turpethum*) VETERUM latet; sunt qui idem thapsiam, alii radicem pityusæ esse statuunt; incertæ conjecturæ! propterea nos illud negligimus penitus.

8. *Agaricus*) VETERIBUS usitatior fuit: MODERNIS minus est, unde extractum ejus raro, rarius autem infusum, pilulæ, ac denique trochisci usurpantur; utut enim à Veteribus multis alexipharmacis fuerit admixtus agaricus, cùm tamen scopum hujus non videamus, propterea eundem rejicimus.

9. *Rhabarbarum*) Propter tonum hepatis restaurationem anima ejus dictū; minus æstimat AUTHOR NOSTER, iterim non planè rejiciendum illud est, cùm non solùm vis laxativa in eadem consideranda sit, sed & vis specifica alterativa, ratione cujus omninò magni ducenda: Hinc & à PARACELSO laudatur, si sæpe dematur ejus vis laxativa, imò novi hic Mercatorem, qui calculosus aliàs rhabarbari usu solet se à calculo præservare. Non secus cōstat ex SCHOLZIO usum,

usum ejusdem hydropicis contulisse; his E. in casibus pulvis ejus commodè dosi ℈j ad ʒß. in vehiculo quoque propinari poterit. Cæterùm utut rhabarbarū exotica Chinæ radix sit, nostrum tamen Monachorū seu hippolapatū in duplicata dosi assumpt. eidem potest substitui, & hac ratione tantum quantum illa præstat: insuper pulvis rhababari tosti solet quoque esse in usu, quem nec rejicimus, cùm verum sit, quòd laxativa rhabarbarbari vis constat in volatili quadā substantia, levi calore dissipabili & pereunte; adeóque & decoctum & extractum rhabarbari sunt effœta & languida, quia sub decoctione, evaporatione, inspissationeque vis laxativa perit: Hinc ea hodiè non sunt in usu; quin potius sumitur rhabarbarum in substantia cum cremore Tartari, similique Tartareo stimulo commodius, sic & *MANARDUS* Emplastro, cujus descriptio exstat in *dispensatorio HORTII*, Rhabarbarum addidit pro dissolvendis gūmatibus venereis conducenti; ast cum meliora prostent, propterea etiam illo emplastro carere possumus.

TEXT. LUDOVIC.

Sic qui *Tithymallimorum Extractorum* commendatione, vel superiorum annorum consuetudine adhuc ducitur, præter suprapofita exigere fortè posset. 10. *Guttam Cambodiam*, tamquam tædiosissimis *Esulinis* nostratibus longè tractabiliorem ac suo modo mitiorem, de cætero sat vegetam innoxiamque, sive aliquorum more *per se* detur, paucis tantum *Olei destillati vel spiritus Acidi* guttis (in specie, ob causas paulo post dicendas) consultius, quam per operosioris *Gummi de Peru rosati*, alias que (totum haud raro per accessoriorum nimietatem perdentes) *Præparationes* aliquantillum alterata; sive potius *Magisterium* inde placuerit, (*Commune aut per Santalum Erraticumve Papaver Tinctum*,) aut potior adhuc *Pulvis* ad modum Pulveris polychresti scammoniati extractus, & utraque Gummi guttæ parte, resinosa scilicet & gummea constans; cum alias (ob inæqualem forsan in Indiis collectionem, exsicationem vel tractationem,) magisterij perparum inde nonnunquam proveniat, & altera non resinosa portio earundem virium deprehendatur, ipsumque Gummi guttæ paucioribus utplurimum heterogeneis (quo Colophoniæ-formem illam subsidentem in dissolutione particulam, paulo tamen copiosiori vini spiritu postmodum resolubilem retulerunt,) sit permixtum. Verum enim vero, qui ab altera parte in nostratium purgationibus seri satis, & æque feliciter per Jalapium quoque, & ejus ac Scammonii Magisterium subduci, Asciticosque tumores, qui vel hisce constanter non cedunt, nec isti perfecte cedere, imo ejuscemodi affectus Purgantibus plerumque frustra sollicitari novit; is proculdubio etiam hæc Tithymallina Indis suis secure relinquet.

Quod autem sequiorum conflugem attinet, profecto paulo gratiosior, mage providus conscientiorve quivis nobiscum fatebitur, in tanto tutiorum proventu. Medicum hac tempestate vix amplius decere violentissima illa, semivirulenta, viscerum tonum frustra tandem pervertentia, crudioribus sæpe mineralibus nequiora: v. gr. 1. *Euphorbium, etiam Extractione vel acidorum succorum aut spirituum illitione quadantenus coërtitum*; cum malignitatem (nisi corrosivorum abstractione aliisve modis quasi invertatur,) vix aut raro exuat Errhinis (*si Drachma semis in libra semis Aqua s. coquatur*, & de colatura, acri tamen, quidpiam illinatur vel attrahatur,) ut & chirurgorum inspersionibus (in corruptelis ossium) aptius tum, si diffusioribus apparatibus omnino in-

NOTÆ.

10. *Guttam Gambodiam:*) Hujus natales sunt penitus absconditi, utut *HORTIUS* & *HOFMANNUS in Officinis* putent, esse eam ex tithymalorum specie succum coagulatum, quantumvis sit aurei coloris; & sanè omnia attributa hujus cōspirant cum succo tithymalino, est enim Gummi Gotte subjectum acre & erodens; adeoque præter laxandi vim, non rarò vomitus immensos excitat. Decæterô cum scammonio convenire videtur, & easdem cum hoc præparationes sustinet, interim locô dicti gummi guttæ tutius scammoniô uti possumus; propinatur alias variis modis, nunc crudum, nunc præparatum, nec præparatione insigni opus est, nisi pro castigatione ejusdem; crudi autem dosis est ℈ß. sic namque *THONNERUS in sua praxi* loco vomitorii hoc exhibet, dum illius ℈ß. addit syrupi rosarum solutivi ʒvj. & aqua cinamomi borraginati ℥j. sic mixta pro una dosi propinat, hâc ratione ejus usu & vomitus & interdum secessus excitari solent. Interim, cùm existat acrius, propterea corrigi nonnihil solet, subigendo cum oleo amygdalarum dulcium, vel & eidem aliquot guttas olei destillati adjiciendo, pro acrimonia obtundenda; spiritum vitrioli impraegnant. Alii pulverem ejus, verùm sic castrant, non verò corrigunt guttam, Optimè autem ea corrigitur sale tartari more *CLOSSAEI*, quem habet *SCHROEDERUS Lib. 4. pag. 251.* Interim cùm operosus sit labor ille, propterea loco tartari sumatur spiritus vini probè tartarisatus, quò ipsô essentia aurea elicietur, sic namque gummi guttæ correctum propinari potest. Etenim in universum sunt duo generalia fortiorum purgantium correctiva, nempe acida & alkalisata, quorum illa sunt vel spiritus vitrioli, vel fumus sulphuris incensi, quæ ipse mitigant quidem purgantia, dum ea castrant, interim eorundem vim laxativam, figendo sal volatile acre, plus minus demunt, in quo primariò vis laxativa recondita hæret, quo destructo hæc cessat. Longè autem melior est correctio purgantium per alkalisata, quæ inter præferentiam habet sal tartari, cujus in locum & nitrum cum carbonibus fixatum potest assumi; illud autem sal tartari eatenus purgantia corrigit, quatenus resinam vel gummi eorundem laxativum alterat, i.e. texturam illorum pinguem resolvendo, eandem penetrantiorem, visciditatemque attenuando minus torminosam reddit, & hoc modo correctum præfertur gummi de Peru rosato, quippe quæ correctio est saltem superficialis ejusdem incrustatio. Tandem non incommodè cum spiritu vini magisterium, vel & pulvis polychrestus parari potest ad modum scammonii, interim cum iisdem viribus ferè polleat scammonium, ac adhuc fortioribus, imò & jalappium, utut mitioribus, propterea non opus est, ut nobis tædia ex gummi guttæ paremus, quin potius eodem penitus carere possumus.

I. (*Euphorbium*) Veterum quid sit, incognitum est; interim sufficit succum istum inspissatum, quem nos Euphorbium vocamus, esse violentissimum & accerrimum, unde & in desuetudinem ejus usus, abijt, quoque etiam modo per acida corrosiva invertatur idem; etenim quibus volupe euphorbium usurpare, solent id imbibere cum spiritu vini vitrioli aut aceto, sicque ac ratione penitus castrare; cæterum nunquam illud internè usurpatur propter nimiam violentiam, sed saltem externè: Nempe vice sternutatorii id naribus ferinis rusticorum inflatur, cùm inter errhina sit primarium Veterum, & hoc propter acrimoniam. In formâ tamen sicca in desuetudinem venit: ut taceam, quòd talia acerrima sternutatoria perquam sint nociva, quandoquidem referente *KERKRINGIO obs. 51. Spicileg.* hellebortina, quæ tamen ab euphorbio longè superantur, periculum nimiæ hæmorrhagiæ intulerunt; loco pulveris igitur decoctum ejusdem in aqua simplici factum attrahatur naribus, & iisdem illinatur pro sternatorio: Interim quoque hujus loco bina nobis securiora prostant sternutatoria, quor ūalterum siccum, alterum humidum est; siccum commendat *HELMONT. Tract. Tussis & asthma*, & paratur ex ana radicis hellebori nigri siccati (non verò situ correpti) & sacchari, quæ minutissimè pulverisata irrorentur aliquot guttulis olei destillati caryophillorū vel majoranæ aut lavendulæ, hinc serventur pro usu, est enim suave sternutatorium: Sicuti in formâ humida loco omnium esse potest, si ♃. vitrioli albi ʒj. solvatur

solvatur hoc in lib. 1. aquæ simplicis vel fontanæ, hinc probè filtrati liquoris parùm in nares insufflетur, aut cum linteolo in forma turundæ iisdem intrudatur: Hoc sternutatorium in usu fuit *B. D. D. LANGIO*, ac hujus laudes descriptæ quoque sunt in *Miscell. Naturæ curiosor. anno 3. obs. 14.* Porrò præter dictum usum externum euphorbium etiam locum habet in casibus Chirurgicis, nempe in ulceribus profundis cum carie incipiente affectis, quo in casu pulvis euphorbii vel solum, vel cum pulvere radicis ireos Florentinæ mistus, vel & spir. vini irroratus inspergatur; cum contra in confirmata ossium carie vel ferrum etiam rodendo, vel igne urendo in usum vocandum sit, atque dictum euphorbii fructum per experientiam confirmatum vide in *Hildani cent. 2. obs. 6.* *RIVERIO & KESLER. cent. 5. process. 442.*

TEXT. LUDOVIC.

gerendum foret. 2. *Elaterium*, aliquibus quidem excusatum, at acre satis ac virosum; etiam dum *correctum* aut (curiosius adhuc denuo) *Extractum* datur, 3 *Esula*, *transplantata quoque* vel subtus nonnullis effossa; *cruda*, vel per inviscationes, subtiliorum partium sequestrationes, aut acidorum instillationes vulgo *Correcta*; excoctiori sane tractabiliorique; siquidem omnino quis Tithimallina vellet, Gutta Cambodia; ceu paulò ante notavimus, 4 *Lathyridis ac Ricini vulgaris semina*, *Granatilli*, *Mezerei grana*, *cortices ac folia*, similiter (uti dicunt) *Correcta*. Et è *Compositorum* serie, (horum fœtus aut consanguineæ) *Pilulæ de Euphorbio*, *de Mezereo*, *Fœtidæ majores*, *Hydroticæ*, aliæque mortis catapultæ, antiquioribus etiam dispensatoriis suspectæ, nihilominus adhuc dum religiosè compluribus insertæ vel servatæ, ab uno demum alterove cordatiorum haud ita pridem sero expunctæ. Quo *Rustica* illa pertinent præsidia: 5 *Succus nostratis iridis & Bryoniæ*, 6. *corticum Ebuli atque Sambuci*, & 7 *expressum arillarum oleum*, *frangulæ cortex*, 8 *Nicotianæ infusum vel decoctum*; ac si quid amplius duris messorum iliis labrisve natum est.

Sic porrò, cui bono tot *Effœta*, præter rem *Ingrata*, vel jam pridem in paulo circumspectiorum praxi revera *Exoleta*, amplius tamen adhuc cum permultis (antiquitatis traditionibus dispensatoriorumque formulis justo severius inhærentibus, & elegantiora recentiorum inventa, monita atque compendia hodieque negligentibus,) retineamus, in tanto præsentiorum, gratiorum commodiorumque proventu?

9 *Effœta* desidiaque merito dicimus *Myrobalanorum quinque ista genera*; supervacanea profecto hoc in genere, eaque nostratium affluentia) prunella; cum satellitio suo, *Extractis scilicet*, *Conditis brodiisque*, ex hyperbolica Arabum commendatione natis. Sane quam ejuscemodi & rhabarbarata quoque purgantia plerisque dysentericis prosint, experti procul dubio nuper fuerunt, qui conjecturalibus autorum opinionibus, mutuo (citra oblatam experientiam) exscriptis nimium

NOTÆ.

2 *Elaterium*) Est succus cucumeris asinini expressus & inspissatus violentumque remedium, & specificè imprimis hydropicorum ex cavo abdominis aquis evacuandis dicatus; siquidem cum hortulano ascitico aliquando succum recens expressum ad cochl. j. commendarem, ille ab usu ejus copiosissimè purgatus fuit, cæterùm elaterium siccum rarò in usum vocatur, quin potius quibus placet pro leucophlegmatia & cognatis affectibus id usurpare, illi parent sibi essentiam & extractum ex radice cucumeris asinini recipiendo illius in umbra exsiccati q. v. cui superaffunde spir. vini tartarisatum, eliciatque essentiam, quæ sub extracti forma à ℈ß. ad ℈j. violenter hydropicorum aquas expurgat, interim quia jalappium hujusque resina in casu hydropicorum non minoris est efficaciæ, testante *BORELLO cent. 2. obser. 23.* proin non est, quòd huic illud præferamus. Tandem memini me ante aliquot annos succum cucumeris asinini recens expressum fermentationi subjecisse, hincque potum vinosum aurei coloris accepisse, quem inspissatum in extractum mite purgans observavi. Tanta vis est fermentationis.

3 *Esula:*) Hujus radicis cortex in usu est: Cæterum observatum refertur à quibusdam, quod pro ratione collectionis vegetabilium purgantium nunc suprà, nunc infrà purgent, ac de asaro narrant, quòd folia ejus & radix sursum avulsa vomitorium, deorsum verò simpliciter purgans fiant. Sic quoque de julis sambuci idem dicitur, necnon de aliis & esula quoque; aliàs cortex radicis esulæ propter igneam acrimoniam, quàm linguæ occultat, sed faucibus piperis instar affricat, præparari solet, vel subigendo eam cum mucilagine tragacanthi, adeoque inviscando, vel per infusiones cum acidis, ut succo citri, cydoniorum; ubi dein cortex ita præparatus in infuso aut extracto usurpari solet. Verùm melius adhuc cortex radicis esulæ recens infunditur in acetum vel succum citri, quò sic sal illius volatile mitigetur; dein fiat extractio ejus cum aqua absynthii sale tart. acuata, ita enim extractum hoc fortioribus subjectis pro viscidis succis evacuandis commodè ad imitationem RULANDI exhiberi poterit: Interim cum nobis scammonium obtigerit, hoc quoque esulæ vices explebit, nec hæc locum habebit, nisi pro setaceo aut fonticulo in auris lobo, ad modum radicis mezerii, instituendo; de quo vide *RIVERIUM cent. 4. obs. 24.*

4 *Lathiridis ac Ricini*) tàm multa vulgaris seu caputiæ majoris, quàm Americani semina, grana tilli vocata, bestiis quoque hostilia sunt, dum ejus ol. expressi gutta violentissimè evacuat; Hinc exulent ex praxi, non secus ac pilulæ de Mezereo hydroticæ vitentur.

5 *Succus radicis ireos nostratis*) Hic in hydropicis curandis multum habet in recessu, ac in specie si illi simul angustiis præcordium laborent, in quo casu ex incisa hac radice exprimitur succus, per residentiam depurandus, & cum succo violarum ana v. gr. ʒvj. ad ℥j. propinandus, sic namque puræ aquæ educuntur; vel quod commodius adhuc est, radix eadem incisa coquatur, vel in jusculo carnis vel gallinæ, dein jusculum pro lubitu propinatur.

6 *Cortices ebuli atque sambuci:*) Horum utrique interiores vino infusi conducunt pro sero hydropicorum evacuando, ast horum loco jalappium sufficit; aut quibus nostratium euporiston aliquod placet, ii tempore verno ♃. flores acatiæ nostratis recentes, quos cum ana absynthii mistos in forma noduli vino infundant, & sane vinum hujus noduli infusi revera conducit cachecticis & scorbuticis tumido ventre præditis, sumendo hujus haustum mane.

7 *Expressum arillarum oleum:*) nempe ex arillis sambuci baccarum conficitur ol. violentum vomitorium existens.

8 *Nicotianæ infusum vel decoctum:*) Efficaciter supernè & infernè purgat, præsertim cùm notum sit, tabacibibuli fumi illius tantillum deglutientes, & vomant & cacent; sic quoque extractum cum spiritu vini factum pro scopo apophlegmatisorio inservit, si nempe illius pilula unica in ore detinetur, cavendo probè ejus deglutionem, sic enim lympham salivalem copiosè elicit. Insuper qui volunt habere purgans ex Nicotianâ, imitentur Anglorum consuetudinem sub forma clysmatis fumum intestinis immittentium, quod vide in *BARTHOL. cent. 6. hist.* prodest enim taliter in torminibus colicis, sedat dolores & provocat alvum.

9 *Effœta:*) Talia rectè sunt myrobalani fructus exsiccati & ab Arabibus commendati, verum adeo ii non æstimantur: Equidem dicuntur laxare, & stomachum post laxationem adstringendo confortare, hincque in praxi communi in principio dysenteriæ propinantur, ast si dysenteriæ per specifica & opiata occurrimus, myrobalanis non indigemus.

TEXT. LUDOVIC.

exscriptis nimium sunt confisi. Porro vero pertinent huc ostentatorii fere *Senæ folliculi*, mucosum 10 *Carthami psylliique semen*, 1 *Epithymum*, *Cuscuta*, *polypodium*, *etiam quernum atque speciale nonnullorum vernum*; *fumaria*, *&c.* pridem à purgantium contubernio exclusa,

Inter *Exoleta* & neglecti hodie usus, jure (utut passim adhuc dum repositoria onerent,) referimus *Soldanellam*, diu alias permultis suspectam: *Gummi* (quatenus huc spectant,) 3 *Sarcocollam*, *Opopanacem & Sagapenum*: & è vulgatissimis 4 *Compositis tot tantasque numerosissimarum pilularum*, *ingratiorum pulverum ac specierum*, *adversissimorum Electuariorum*, *supervacuorumque syruporum formulas*, utplurimum nulla proportione constantes, aut extemporanea competentium mixtura longè commodius supplendas; per recentiorum animadversiones satis quidem excussas, nihilominus tamen aliquibus tralatitiam tot seculorum experientiam vel consuetudinem prætendentibus, adhucdum complacentes. Quasi vero colocynthis aut scammonium (potissimi scilicet procuratæ per talia purgationis autores; seorsim aut conjunctim, cum aut sine quadam (utplurimum minus proportionatâ) Turbith, Aloës, Agarici aliorumque accessoriorum particula, dari nequivissent, nisi tot *Pilularum*, *verbi gratia*, *Arthriticarum*, *benedicta laxativa*, *vel antiquartiarum stomachalium*, *de turbith*, *de opopanace*, *Sagapeno*, *sarcocolla*, *de agarico*, *de octo rebus*, *de lazuli*, (*tanquam parum huc contribuente*, *de quinque generibus myrobolanorum*, de colocynthide, &c. ipsis autoribus parum circumspectioribus exosæ massæ extitissent, vel non dicimus solum in Dispensatoriis in perpetuam rei gestæ memoiam, sed etiam in Pharmacopoliis (unius, intra decennium forte dosin exigentis causa,) hodieque passim prostarent. Aut quasi diagridium vel simile scammoniale quidpiam, solitarium aut turbith, agarici, senæ, hellebori, rhabarbari, imo (si volupe fuerit aut fecerit,) colocynthidis quoque tantillo sociatum, commodius, eodemque successu exhiberi nequeat, nisi sub ingratissimorum *Pulverum diasena*, *solutivi magistralis*, *de tribus*, *&c.* vel (ejusdem ferè proportionis atque jucunditatis) *Specierum benedicti laxativi*, *Diacarthami*, *Diaphœniconis*, *Indi*, *Elescoph*, *è succo rosarum*, *&c.* forma: vel nonnisi sub *Electuariorum* (nostratibus alias exosorum) *è modo dictis speciebus seorsim confectorum*, *aut amplius adhuc* (inconsideratiori compositione) *sub Diasena*, *Diacarthami*, *Indi*, *Hamech*, *de Psyllio & Diasebesten titulo venalium consistentia*; *aniliumve Holipparum aut Trochiscorum de violis specie*, *&c.* quæ bonam partem alii quoque, vanitatem & inconvenientiam talium nobiscum agnoscentes, collectaneis suis Pharmaceuticis merito exesse jusserunt; & ordinis potissimum gratia hic referuntur. Ita porro *Sirupus rosarum solutivus helleboratus*, & panacea illa plus quam antimonialis,) 5 *Oxymel helleboratum*, inter tot longè compendiosiora vel accuratius composita, jure nunc passim negliguntur. *Syrupus de rhabarbaro* (siquidem omnino requireretur) extemporaneæ tum (per dissolutum Extractum) imitationis foret: 6 nec quid in *Domestico*, *seu de spina cervina*, deside & nauseabundo singulariter quæramus, assequimur.

Ingrata tandem, ut seorsim nominemus, haud opus est: siquidem in ante recensitis paucissima invenias, quæ comptiori praxi respondeant. Et pertinent huc reliqui quoque 7 *Pulveres*, *ad drachmam sæpenumero excurrentes*, *livore suo totas penè fauces opplentes aut horribili saporum miscella stomachum ipsum prius*, *quam vel granum inde acceperit*, *subvertentes*; utut in recentioribus etiam Dispensatoriis fuerint nominatissimi: *Diatartari scilicet solutivus*, *Caryocostinus*, *Arthriticus*, *aliive phlegmagogi*, *Melanagogi*, *Cholagogi*, *Hydragogi* seu sub principium seculi hujus à satagentibus proditi, seu postmodum hactenus tum *iisdem nominibus*, *tum insuper Diasena grossa concisa*, *Solutivi de tribus*, *Solutivi magistralis*, *Panchymagogi*, *Catholici*, *&c.* titulis superadditi; inde forsan haud adeo commodiores, correctiores, aut proin invectis olim formulis consultius substituendi, quod pondera saltem usualium catharticorum inter se invicem parumper interdum mutarint, aut semet ipsis sæpe ingratiora, (haud adeo interdum competenti proportione) accerserint, v. g. Bryoniam, Ebulum, Agaricum, Asarum, Gratiolam, Soldanellam, Elaterium, Rhabarbarum, Turbith, senam ipsamve Colocynthidem. Pertinet huc passiva illa *numerositas*, aut (pro ea declinanda) sclope-

NOTÆ.

10 *Semen Carthami:*) Hoc tritum exhibere fertur emulsionem purgantem, ast languidam.

1 *Epithymum, cuscuta*) Hæc inter alterantia potius locum inveniunt.

2 *Exoleta Soldanellam*) Hanc Monspelii crescentem commendant in hydrope, verum alia prostant magis proficua.

3 *Gummi Sarcocollam*) Hoc dosi ʒj. pro scopo purgandi à quibusdam præscribitur, verùm non amplius est in usu; Imo loco omnium gummatum purgantium duo sufficere possunt, nempe ammoniacum nobile est in incidendo aut attenuando muco viscido in intestinis stabulante, pilulis sociatum, vel & per se in forma liquida usurpatum, quo in casu ructus quidem inducit, valde tamen efficax est; sic v.g.

℞. *Aqu. Menth.* ℥j.
Gumm. ammoniaci in aceto vel vin. solut. ℈j.
Tartari vitriolat. ℈ß.
Scammon. prap. gr. ij.
Syr. rosar. ʒiij. M.

Et quidem hæc potio amaricans est, interim tamen mirati sumus, quas ea sordes viscidas felicissimè evacuarit, & quam egregiè in dolore hypochondriaco lateris sinistri fuerit. Sic quoque idem ammoniacum sine additis stimulantibus incidit: interim pro scopo evacuandi eo non indigemus. Similiter gummi galbanum in abdominis doloribus, primariò convulsivis, ut colica hypochondriaca, passione hysterica, itemque torminibus scorbuticis emplastri forma vel & oleum destillatum adeoque oleum galbani regioni umbilici illinendum egregium est, utut pro scopo laxandi minus id usitatum sit.

4 *Compositis tot:*) Si inspicimus dispensatoria, prout quidem numerosissimis pulverum, specierum, Electuariorum compositionibus sunt infecta, facile observamus basin illorum omnium esse Scammonium & colocynthidem in pulveris forma crudè illis adjecta, quibus ceu columnis addita sunt varia purgantia, varia saltem hinc inde dosi; jam ergo optimè illis carere possumus, quia 1. ingredientia sunt cruda. 2. Ita non ritè correcta terminosa. 3. Dosis illarum compositionum inepta, unde rectè expurgantur ab Authore.

5 *Oxymel helleboratum:*) Propter ingredientem helleborum album superat omnem antimonialem vim, sic enim novimus, Nos nodulum præscripsisse mulieri, quem ingrediebatur præter alia helleborus niger, & nescio, quo errore albus sumptus erat, unde ex ejus usu patiens vomit, caccat, lypothymias incidit, adeo ut consilio hic opus, quo eriperemus morti ægrum.

6 *Nec quid in domestico:*) Rejicit hic Author syrupum de spina cervina, qui tamen in tenellis non negligendus, utut pro adultis minus sufficiens sit; nam in illis non ablactatis blandè evacuat Meconium, & si eidem pulveres acida absorbentes addantur, emendat tormina, v.g.

℞. *Syr. de Spin. cerv.* ℥j.
Rosa. ʒij.
Oc. cancror. præpar. ~~℈ß.~~ ʒ÷
Corall. rubr. præp. gr. xij.
Spirit. anis. parum. M.

Propinetur cochlear aliquoties interdiu; hac ratione blandè purgabitur infans, & si quæ tormina adfuerint, ea sistentur; ac cum subinde fæces excretas colore viridi aut ex viridi nigrescente tingat, hinc cave, ne hoc pharmaco decipiaris.

7 *Pulveres:*) Hic tria Author taxat, 1. Communia dispensatoria, quæ pulveres purgantes in *Pharm. August.* evolvendos, suadent sæpe ad ʒj. assumendos. 2. QUERCETANUM. 3. ZUUELFERUM antiquas compositiones novis nominibus subinde decorantem.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

torum globulos interdum exæquans *magnitudo* 8 *Pilularum officinalium pene omnium*, tum supra recensitarum, tum usitatiorum insuper sive mage Scammoniatæ fuerint, ut *Arabica*, *aurea incomptioresque aggregativa majores*, *de fumaria* (vulgatarum legum respectu alias incorrectissimæ,) *sine quibus*, scilicet esse possemus, ob nullam penè proportionem: sive magis Colocynthinæ existant: ut *Inda*, *Lucis inconsideratissima*, aliæque propter tot accessoriorum plerumque supervacaneorum copiam aut levitatem, (ceu per Agarici, Rhabarbari, Senæ aliorumque vegetabilium alterantium, Aromaticorum, succorum inspissatorum gummatumque associationem aliter profectò fieri nequit, incassum excrescentes. Nec eadem de causa *Recentiorum complurium substituta* requisitum hoc undiquaque declinant; adeo tot superfluis & ad effectum nil vel parum (si proportionem spectamus,) conferentibus passim exuberant: uti *formulas Magistrales, Catholicas*, *Panchymagogas*, *Cholagogas*, *Melanagogas*, *Hydragogas*, *&c.* perfunctoriè saltem inspicienti liquet. Pertinent huc, si plerorumque nostratium desideria fateri, & pueros teneriores que alios, parabilioribus quoque & æque ebnubendis decipere voluerimus,) totum ferè *Morsulorum Rotularumque cum ipsis confectionibus solutivis genus*: nam sive vulgares Dispensatoriorum formulas, (alias hodie maximam partem vilescentes, vel ipsis autoribus suspectas, utplurimum tantum Diagridiatas) spectamus, quæ quæso, *Diacarthamum*, *Elescoph. è succo Rosarum*, *Diaphænicum*, *Diaturbith*, *Anisum Zingiberque laxativum* masticantibus, singulariter percipitur jucunditas? seu vero recentiores modos præferre voluerimus, nec in *Morsulis de Rhabarbaro*, *de Mechocanna compositis*, *Confectione & Rotulis primis adversus lumbricos* (*simul Mercurialibus*,) *Pane Martio purgante*, *&c.* ea reperitur gratia, quæ refractarios detineat pueros, ut integram dosin semper deglutiant: quo inæqualem sæpe *drasticorum* Magisteriorum mixturam taceamus. Pertinent huc *unciales ferè Electuariorum officinalium Boli*, præsertim qui ingratioribus alias ingredientibus constant: ut (præter supra notata minus nunc usitata,) etiam adhuc tritiora *de Phyllio*, *diaprunum solutivum*, *diasebesten*, &c. purè scammoniata; vel insuper tantillo tantum turbith, hermodactyli, senæ vel rhabarbari (utplurimum neglecta proportione) sociata, *Caryocostinum sc. diaphænicum utrumque*, *benedictum laxativum*; *imprimis autem diabelzemar illud*, *& Hiera jucundissima*, *Composita*, *Pachii*, *Logadii*, & si quid aliud claudunt vulgares istæ gratiarum pyxides. Nec si fateri voluerimus, in quamplurimis hactenus *eorum variationibus aut substitutis*, equidem circa confectionis & dilutionis rationem comptioribus, eam semper invenimus jucunditatem, quæ verbi gratia *Electuarium commune*, *Panchymagogum*, *Magistrale*, *Hydragogum quodlibet*, *item Phlegmagoga aliorum*, &c. ingredientia tantum variantia, vel adversioribus aut supervacaneis additamentis alterantibus vel catharticis, Asaro sc. Ebulo, Soldanella, Rhamno, Gratiola, Helleboro, Rhabarbaro, Agarico, &c. amplificantia,) contractiori huic aliive selectui inferenda suadeat. 9 Pertinent huc *Sirupi de rhabarbaro*, *de tribus laxativus*, *de carthamo*, *rosarum compositus*, *ac reliqui Officinales*, ad uncias aliquot pro sufficienti dosi excurrentes; majorique liquorum copia diluendi; nec in parciori (cum aliis) quantitate adeo accepti. Ceu nec ob eandem ingredientium adversitatem recentiores quoque talium *Correctiones atque Formulas* (*Magistrales*, *hydragogas*, *de tribus*, *de rhabarbaro*, *&c.*) inter tot catharticorum compendia quispiam sic exegerit: ut ejuscemodi dulcorum fermentationes, indeque in hypochondriacis nostris oborientes nauseas, tormina, hystericarumque alia incommoda prætereamus. Pertinent huc tandem *Apozemata illa longa*, *hydromel purgans commune & tartarisatum*, *claretum laxativum*, *decoctum epithymi*, *sena officinale*, *infusa seri lactis*, dissolutorum Electuariorum & Extractorum, (quâ formâ quoque antiquum Panchymagogum præscripserunt,) haustus, aliæque nil nisi Pharmacopolium sapientes amystides: sique denuo,) probè subducta, & cum nauseabundo minusque adsueto nostratium stomacho collata ratione) fateri voluerimus, pertinent huc etiam recentiores, in isto hoc genere, modi *Seri lactis laxativi*, *aliorumque infusorum decoctorum*, & ingratioribus catharticis adhuc dum alicubi constantium *claretorum*, *hydromelitum*, *item aquarum laxativarum*, nec durabilium, nec cuivis (utut purgantia cum aqua simplici nonnullis sine noxa demus,) sic locorum congruarum, certè vel ob diffusiorem dosin minus semet commendantium.

Qui curiosi sunt, in reliquis hujus sortis simplicibus aliisque inventis, per nos exerceantur; syllogi nostræ, & publicis statim usibus adeo accommoda necdum (inter superiorem requisitorum collationem) invenimus. Atque huc meritò fortè referimus, inter *Simpliciora* quidem, neglectam hodieque *Malulistam*, *Curcas*, *sive Ricini Americani majoris fructuum membranulas*, sub exiguo pondere plus quam Antimoniales; *Nambu Guacu aliosque exterorum Nucleos catharticos*, à peregrinantibus invectos, *Emulsionem insuper & extractum arillarum ebuli atque sambuci & è concisis electuarium*; *infusum & extractum interioris sambuci medullæ*; *rob baccarum rhamni pictorium*, *& sirupum inde vulgari substitutum*; Sirupum Bryoniæ è superstite feculæ succo; *hippolapathum*, *rapistrum*, desidem *Iridis imo ipsius alicubi mechoacannæ feculam*; nec præsentioris operationis *rhabarbari consimiliumque magisteria*, è lixiviosis per acida, præsertim aluminosa præcipitata; (supervacuos *circa scammonii*, *gummi gutta*, *esula*, *hellebori*, *&c. correctionem labores*; *syrupum radicum & foliorum hellebori cum aqua propria* ingratiori, dum extractum satisfacit;) *Sirupum & conservam florum persicorum*; *item gummi gutta qualitercunque*, nec citra multam diminutionem *Albificatum*: & (ni ad ingratiorum classem potius referenda videtur) 10 *Gratiolam*, alias in suo quidem genere haud penitus contemnendam, proinde tamen huc operosius cum *Extracto suo* non conquirendam, &c. Inter *magis vero composita* 1 *Aquas destillatas purgatrices*, plerumque desides aut viroso hellebori, colocynthidis ac consimilium odore nauseam tantum, cum qualicunque stomachi perturbatione concitantes: 2 *Odoramenta nonnullorum purgantia*, è particulari temporariaque teneriorum quorundam aversatione excogitata: (ceu drastica quævis in hypocaustis exhalando, alii passim nullam hinc commotionem sentiunt:) Tartarum vitriolatum (inæqualiter & quidni ex tempore potius per pulverem Polychrestum) *Scammoniatum*: *syrupum herbæ mercurialis simplicem desidem*, *& compositum*: Infusa & Essentias purgantium cum nitro, per illa ipsa cathartica prius *combusto seu alcalisato*, dum vulgare nitrum fixum sufficeret,) extracta vel exaltata; ipsumque tandem *Diacydonium pellucidum quodvis*, toties (dum negotiosioribus mulierculis ejuscemodi Gelatinæ simplices superioribus annis complacerent,) quæsitum & interpolatum; inter successivam exiccationem dosin quidem haud raro, delicatiores vero vix adeo fallens: & si quæ insuper sunt alia artis (hic quoque nonnunquam aliquantillum fere inter prætensiones quasdam luxuriantis) inventa, vel alias adhuc dubia, suspecta, ulterioris experientiæ indiga, usitatioribus, fidis & æque jucundis longè cedentia.

Prodigorum est, ceu alii quoque nobiscum natarunt, etiam vegetabilium 3 catharticorum complura auro, perlis, lapide, Bezoar, moscho, ambra, gallia moschata, &c. frustra onerare, vel confectioni alchermes involvere; *quo scilicet catharticum Cæsareum*, *Regium aut Peruvianum liquidum preciosum exeat*; aut potius cariores fœtentioresve hinc sint assellationes: Vel vesperi

NOTÆ.

8 *Pilularum officinalium*) Has vel scammonium, vel colocynthis semper ingreditur, unde tantam earum coacervationem rejicit Author.

9 *Syrupi:*) Hodie reliquis saltem adjiciuntur saporis gratia, non autem ut olim ℥ rim propinantur.

10 *Gratiolam:*) Ex hujus floridus & herba cum saccharo conserva conficitur, dosis ʒj. ad ʒij. est vomitorium in febribus intermittentibus ante paroxysmum non inelegans.

1 *Aquas destillatas purgatrices:*) sunt qui dubitant, an vis purgatrix per alembicum duci possit, quam sententiam affirmativè defendunt BORICHIUS, *de Helm. Sapient.* & ZUUELFERUS, verùm quid opus, ut tantis acrioribus gulam exasperemus.

2 *Odoramenta nonnullorum purgantia:*) Exempla SCHNEIDERUS *de osse cribriformi* habet per odores purgatorum; & cum ex tritura purgantis nonnulli moverentur, proinde ad hujus imitationem globulos naribus applicandos nonnulli introduxerunt: Cæterum odorantia talia delicatioribus quidem satisfaciunt, est pro certa & robusta purgatione omnia sunt admodum dubia.

3 *Catharticorum complura auro:* Hoc faciunt nonnulli pro scopo confortandi naturam, aut & stomachum roborandi, sed utrumque frustraneum, stante enim purgantis efficacia hoc efficiet officium suum, & natura inde juxta HIPPOCRATIS effatum sublevabitur.

TEXT. LUDOVIC.

postmodum ad *reliquarum* præcipitationes *Margaritarum aut lapidis Bezoar pulverem* exhibere; cum siquidem omnino nonnunquam opus foret,) 4 Corallia, Mater perlarum, aut oculi cancri tum sufficerent: Vel 5. *Oleo cinamomi, aliisque carioribus aut acrioribus* prædicta purgantia excessivè interdum imbibere, cum fervor tantum & siticulositas una cum precio incassum inde intendatur; & pulveres præcipuè in majorem hinc molem (recens sumentibus) frustra exurgant,

Qui tandem specialem 6 *Supervacaneorum classem* præter hactenus aliis quidem sub titulis recensita, forsan hic desiderat, saltem iis omnibus superaddat tot inanes fere remediorum, alias in rei veritate satis commodorum, sufficientium & experientia constantium,) *Compositionum ac Formularum variationes aut interpolationes*, singularitatis solum gratia, & ne compositionum finis sit, invectas aut superadjectas: verbi gratia, *Trochiscorum Allandal Extractum*, quasi è cruda colocynthide parari nequivisset: *Extractum agarici (prius incassum) trochiscati: tot Phlegmagoga, Cholagoga, Menalagoga*, ab initio currentis seculi usque ad paulo oculatiores aliquot abhinc annos proposita, plerumque parum Chimica, & si opus foret, extemporaneæ potius commistionis, ceu esse quoque potuisset *Syrupus pentagogus M. & usualis* Dispensatorii *Extractum Holagogum*, (ejusdem cum vulgari Panchimagogo farinæ,) *& Catholicum*, (si paucitatem ingredientium excipias,) utroque deterius, *Electuarium Diabelzemar, &c.* ante jam recensita. Nec in *recentioribus substitutis* hinc inde desunt, quæ propter nudam solum ordinis ponderisque ingredientium variationem, supervacuorum improportionatorum, ingratiorum aliisve de caussis inconvenientiorum additionem aut complicationem huc non possint non referri: *sive pulverum, sive pilularum aut Electuariorum, Syruporum reliquarumve Formularum*, (meliorationis caussa à diversis hactenus diversimodè subordinatarum) *classes*, paulo ante satis forte lustratas, evolvimus. Atque huc similiter pertinent. 7 *Digestiva illa alcalina, tartarea, tartareo vitriolata, &c. plane improportionaliter* Catharticis passim adhuc dum adjecta: sive id in excessu fiat; quo pulverum bolorumque moles frustra increscit, ac sapor æquè ac in potionibus vitiatur, pilularum numerus incassum multiplicatur, & in specie per nimium alcalium accessum eo magis ad colloquationem disponitur, imo aloes purgatrix vis interdum aliquatenus per nimietatem eorum infringitur: sive in defectu: quo sæpenumero talium vix granum unum vel duo dosin ingredi cernimus: Fe annectere hic fortasse possemus ea ipsa *Digestiva*, multis hodieque indifferenter ante purgantium assumptionem alitata; cum plerisque (nec enim omnibus dicimns,] pro forma tantum & in consuetudinis complementum, (non sine majoris nauseæ ad subsequens mane pharmacum concitatione,) nihilo hinc feliciori catharsi exhibeantur; renitentiorque nonnullorum alvus sæpe numero ne sic quidem, aut per eccoprotica vel ipsas pillulas aloeticas laxativas, (*alias hunc in finem pracedente vespere percommodas*,) tantoperè facilitetur, multoque tum felicius per *Infusa laxativa*, (*simplicissima quoque & imbecilliora hic credita*,) *quæsita purgatio expediatur.*

Atque his breviter sic (tanquam in caussa minus dubia) excussis & tantisper hinc semotis, restat ut residua, *quæ in usitatiori hactenus dispensatorio, & diversis diversorum additamentis correctionibus vel immutationibus convenientiora, speciosiora, famigeratiora, & adhuc dum usitatiora* videntur, similiter expendamus; num scilicet ea tandem huc proin accersi, & quænam ex iis servari conveniat? num accessoria istorum, quæ selectum nostrum excedunt, aliis commodioribus parabilioribusque queant æquè com-

NOTÆ.

4 *Corallia:*) Usu receptum est, ut subinde purgantibus digestiva præmittantur seu præcipitantia, ideo ut impedimenta, quæ alias impediunt, vel difficiliorem reddunt purgationem, removeantur; jam verò impedimentorum sunt duo. 1. Succorum per purgans evacuandorum visciditas & glutinositas, cujus ratione difficulter sunt mobiles. 2. Eorum acrimonia nimis acida, vi cujus rodendo & vellicando intestina, hæc plus minus evacuantur; indeque fluxus dysenterici supervenirent, quales in hystericis observavimus: Ergo, ut hæc omnia præcaveamus, præmittamus digestiva, alias præcipitantia, abstergentia & incidentia dicta; nempe pro visciditate succorum evacuandorum corrigenda adhibeamus salina tartarea, pro eorundem acrimonia temperanda martialia, vel terrea, acidum absorbentia & invertentia; adeoque corallia aut matrem perlarum; unde pro scopo visciditatis temperandæ loco digestivi esto:

♃. *Tartar vitriolat.* gr.xv.
Sal absynth. vel tartar. gr.vj.

M. D. in duplo: Usurpatur dicto modo. Sic pro scopo acrimoniæ acidæ præparandæ:

♃. *Oc. cancror.* ʒß.
Corall. rubr. prap.
Croci martis aperit. ana ℈ß.

M. D. in duplo. F. pulv. usurpetur dicto modo, nam & martialia in prædictis subjectis hypochondriacis, hystericis, & melancholicis suum locum merentur, hinc tinctura vitrioli martis ZVVELFERI, essentia martis liquida, liquor martis solaris, egregia sunt: Item utrisque impedimentis evacuandis satisfacit hæc formula.

♃. *Lapis cancror. vel matr. perl.* ʒß.
Arcan. duplic. ℈j.
Sal absynth. ℈ß.

M. D. in duplo, & usurpetur uti dictum.

5 *Oleo Cinamomi:*) Ol. destillata ob sui fervorem & imminentem siticulositatem à purgantibus abesse docet. Interim quoque duobus in casibus iis rectè adjiciuntur: Nempe 1. quando æger cruciatur admodum flatibus, ubi olea carminantia ad gutt.ij. vel iij. adjicienda sunt purgantibus. 2. Quando purgantia sunt admodum resinosa, quo in casu terendo, iisdem aliquid olei destillati imiscendum est, quo sic dissolvatur resina laxativa & dilatetur; sic enim dilatata purgantia uberius longè & absque torminum molestia evacuabunt.

6 *Supervacaneorum:*) Inter hæc sunt compositiones vulgares, quarum tantum, quia omnes ferè coincidunt, 10. vel 20. sufficere possunt; hinc & agaricus non trochiscatus cum spiritu vini, addito pauco Zingibere in extractum redigi potest, non secus ac quoque extractum colocynthidos sine prævia trochiscorum formatione.

7 *Digestiva illa alkalina:*) Digestiva hic rejicit Author, sed cum respectu: Scilicet alkalia tartarea in debita proportione purgantibus adjecta suam laudem merentur; ast improportionaliter, hoc est, in excessu adjecta, v. gr. sal tartari, nitrum fixum, mitigant purgantia, ut hæc parum vel nihil operentur, quod idem & de salsis, de tartaro vitriolato verum est. Similiter aloe per alkalina penitus invertitur; ideo ergo mediocriter illa, hoc est, ad granul. j. alterumve purgantia ingredi deberent; promovent enim sic mire horum vim, ut & dimidiata dosis eorundem sufficiat, additis nempe cremore tartari, tartaro vitriolato, aut terra foliata tartari à gr. vj. x. vel xij.

8 *Felicius per infusa laxativa:*) Dantur scilicet subjecta, quæ non possunt laxari, præmissis licet digestivis, purgantibus forma pilularum aut pulvere assumptis; qualia subjecta sunt hypochondriaci & melancholici, interim illa benè per infusa sennata aut passulata moventur: Causa hujus rei est acidum austerum in primis viis prævalens, à quo non tantum purgativa remediorum vis figitur, sed & fibrarum stomachi & intestinorum adest quasi vigor, adeo ut fortiori etiam stimulo renitantur, & minus irritari illæ queant, sed saltem tormina excitentur, pauca verò vel nulla evacuatio. In tali casu dicimus blandiora humectantia & abstergentia esse optima, nempe serum lactis depuratum, lac ebutyratum infusum sennæ, &c.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

modè suppleri ? numne demum ex his ipsis nostris, 9 Formulæ remediorumque modi istis in præstantia, jucunditate aliisque eupraxiæ requisitis pares, aut in diversis circumstantiis nonnunquam superiores condi possint ? ceu profecto posse, quotidiana constat experientia.

Nam qui simplicissime tantum, (v.g.) *pulveris Ialapii partes quatuor cum Magisterii Scammonii vel Ialapii parte una, ac Olei Nucistæ expressi*, vel ipsius nucistæ pauxillo rite miscuerit : aut in febrilibus præsertim dispositionibus vel pro facile mobilibus, (si quidem Alcalinum vel Tartareum aliquod adjicere omnino placeat,) *Ialapii pulverisati partes duas, Antimonii Diaphoretici non edulcati partem unam : aut Tartari purissimi, Ialapii pulverisati ana partes duas, cum Magisterii Scammonii parte una : &c.* (uti pro lubitu vel extempore variabiles sunt Formulæ.) Is scrupulari saltem vel semidrachmæ dosi (sub circumspecta tantum exhibitione,) in morbis ejusmodi cathartica revera postulantibus aut admittentibus, amarum, acre, salsum, acidum viscosumve (& quid non ?) longe compendiosius, jucundiusque, certo sane, secure & æque feliciter expurgabit una harum vel altera saltem formula, quam si famosissimos selectioresque (*Diatartari, Phlegmagogos, Cholagogos & Panchymagogos*) omnes, è familiarioribus hactenus Dispensatoriis in utriusque bilis, seri, pituitæque internecionem, & palati (ceu supra notavimus) vexationem accerseret; aut *Recentiorum hic substitutos aliterve variatos*, at maximam partem (ob accessoriorum plerumque supervacaneorum molem saporemve adversum,) ingratiores (supra recensitos) Pulveres superadderet; aut si ex istis aliqui speciores elegantioresque deprehenduntur, (uti sane sunt Laxativus vegetabilis, Species Diajalapii, Cerberus triceps, consimilisque *Catharticus Antimoniatus*, aliique publicis usibus haud inconsiderate propositi,) horum tamen normam, proportionem & præscriptum insolidum citra necessitatem quandam, aut specialiorem effectum sectaretur; vel denique (passivo licet more,) adjectis hic ingratioribus istis Tartaro Vitriolato, Vitriolo Martis, sale Martis purgante, Nitro Vitriolato, &c. novos quidem, at rarius & ad Diuresin sœpe præsentiores, ingratiores semper, conderet.

Ita qui pro tenerioribus & hypochondriacis, v. g. *Ialapii pulverati & pulveris polychresti vel Magisterii scammonii ana cum Aloes depuratæ diluto in Massam* debite & hinc in * Pilulas redegerit : aut aliam in diffusiori apparatu, forte pro robustioribus, aut secus sentientibus, v. g. è Pulveris Jalappæ, Magisterii ejusdem aut Scammonii, Extracti Hellebori nigri & Colocynthidis ana, simplicissime composuerit, aut Extracto Hellebori Aloen depuratam (sed cum aliquali molis amplificatione,) substituerit, aliosve æque simplices ex his modos sectatus fuerit, sufficienter & cum superpondio habebit in Vegetabilium quidem classe, non solum quod præ aliis elegantiores istæ) Pharmacopœjæ recentissimæ *Formulæ, Extractum scilicet Panchymagogum pro pilulis, & Pilulæ Magistrales Panchymagogæ* præstant; verum etiam, quod in reliquis (correctionis, variationisque caussa, a diversis diversimode superadditis effictisve) *Extractis tot Catholicis, Panchymagogisque aliis, tot Polychrestis, Cholagogis, Phlegmagogis, Hydragogis & (nimio sæpe præsupposito) plane Hydroticis, Diasena, Melanagogis &c.* (*neglectiori* plerumque proportione, nimis vero additamentis in cassum constantibus; quod insuper in paulo negotiosiorum *Pilularibus Massis Peruvianis scilicet, Rosatis, Polichrestis Benedictis, Panchymagogis &c.* passim quæritur : quod denique tota (incondita certe) famosiorum hactenus *Pilularum Officinalium* (*sine quibus, Arabicarum, Aurearum, Aggregativarum, Cochiarum, Lucis, Indarum &c.*) series promisit; aut ejusdem sortis, (scammonioque tantum vel colocynthide remsuam transigentibus) *Extractis Pilularum de Fumaria, sine quibus. Aurearum, Arthriticarum ac congenerum item antiquiori Extracto Panchymagogo*, (sat profecto improportionato,) aliisque hujus seculi Compositis) seorsim tædiosè, sumptuosè at supervacuè imperatis, cum simplicia oppido certius compendiosiusque permiscerentur,) jam pridem adscriptum est. Nec si fateri voluerimus, similiter opus adeo habebit, ut Detergentia Vitriolata vel Martialia rem & massas sæpè, præsertim Magisteria resinosa sub paulo minori animadversione infringentia, indifferenter & undiquaque quasi superaddat. De Mercurialibus paulo post seorsim agemus.

Porro vero Morsulos si quis omnino esse vellet, quamvis *inter recentissima Substituta, Confectio Diacitri soluta solutive* perquam sit elegans, & *Confectione Anisi Anisoque solutivo composito* ejusdem Pharmacopœjæ, *delicatioribus Anisata plerumque aversantibus*, longe acceptior; æque tamen felix, accepta & facilior inveniretur Compositio, saltem è solitario, (sed rite æqualiterque subacto) *Scammonii vel Jalappæ Magisterio, ad normam proportionemque dicti Diacitri parata : vel ea (quæ ad Morsulorum Diatartari quorundam imitationem ex ana pulveris Ialapii & Acidi Tartari, cumquarta vel tertia præter propter Magisterii Scamonii parte* nullo negotio confit, oleoso corticum Citri succo desuper, si libet, postmodum conspergenda. Quo non solum *vulgaribus antiquiorum Dispensatoriorum Tabulis atque Confectionibus* supra jam notatis, sed etiam paulo ante dictis aliisque alicubi diversimode superadditis, imo sub gratiosioris Medici autoritate ac competentiorum insinuatione *toto hoc medicandi* genere, sine eupraxias detrimento quodam facile caruerimus.

NOTÆ.

9 *Formulæ :*) Mille concinnari possunt, & quidem pulveres purg. ib.

℞. *Pulv. jalapp.* ℥v.
Magist. scamm. ℈j.
Ol. nucist. expr. ℈ß. (*aut pulv. nucist* gr. xv.)

M. F. pulv. pro 5. vel 6. dosibus.

℞. *Ialapp. pulv.* gr. xij. ad xv.
Antimon. diaphor. non edulcorat. (*quæ scilicet Nitri partem retineat*) gr. vj. *M. detur. Aut.*

℞. *Tartar. puriss.* (*vel loco hujus Crem. Tart. vel Tart. Vitriolat.*)
Pulv. jalapp. ana ℈ß ad gr. xij.
Polychrest scamm. gr. v.

M. F. pulv. pro una dosi. Atque allegatæ formulæ sufficere possent loco pulveris laxativi vegetabilis (qui constat ex unâ cremoris tart. & pulveris jalappæ.) item loco specierum diajalappæ MYNSICHTII, nec non loco Cerberi triplicis seu pulveris CORNACHINI, cujus compositio est :

℞. *Resin. scammon.* p. iij.
Antimon diaphoret. p. ij.
Crem. Tart. p. j.

M. Dosis hujus ℈j. ad ʒß. Tandem & loco cathartici Antimonialis, cujus Author est ZUUELFERUS *in Ph. R. p.* 96. quodque coincidit cum pulv. CORNACHINO.

* *Pilulas* : (v. g.
℞. *Pulv. jalapp.*
Polychrest. scammon. ana ʒß.

c. s. q. diluti aloës gummosi cum Aqua simplici Sal. tart. acuati facti, fiat massa pilularum, quarum dosis à ℈ß. ad ℈j. & gr. xxv. sufficere possunt, aut si antiqua chorda oberrare gestias, tunc.

℞. *Pulv. jalapp.*
Magist. jalapp. aut scamnon.
Extr. helleb. nigr. ritè parat. ana ℈j.
Colocynth. cum spiritu vini tartarisat. fact. gr. xv.

M. F. Massa Pilul. cujus gr. xv. ad ℈j abundè sufficerent quibuslibet succis evacuandis ; pro sero nempe magisterium jalappæ, pro pituita verò viscida colochynthis. Vel

℞. *Magist. scammon.*
jalapp. ana ℈j.
Extr. helleb. nigr. gr. xv. ad ℈j.
Pulv. polych. ex scamon. gr. ij.
Extr. colocynth. gr. j.

C. s. q. Olei destillati anisi, fiant pilulæ. Porrò his massis combinari possent martialia, ut Vitriolum martis pro hypochondriacis Castorina ; ut extractum castorei, pro hystericis, Tartari Vitriolati pro aliis, non secus ac mercurialia pro venereis v. g.

℞. *Mass. Pill. cathol. supradict.* gr. xv.
Extr. colocynth. gr. j.

M. F. pilulæ in gonorrhœa virulenta ; vel similliter pro hypochondriacis.

℞. *Mass. pill. ejusd.* gr. xij.

Gumm. ammoniaci in aceto solut. ℈ß.
ad gr. xiij.
M. F. Pilulæ antihypochondriacæ.

Pag. 169. *Morsulos:*) Mulieres, quia uplurimum ansata ferre nequeunt, propterea loco confectionis anisi tales præscribere possumus morsulos:

℞. *Mag. jalapp. vel scammon.* ʒß.

Permisce probè cum corticibus citri recentis in mortario ad pulpæ consistentiam contusis, ʒj. addatur essentiæ citri saccharinæ, cujus descriptionem habet ZVVELFER. *in Pharm. Reg.* subige probe cum amygdalis dulcibus excorticatis, (ut resina dissolvatur) & cum saccari albissimi s.q. succo citri soluti ℥iij. redige in morsulos. Vel.

℞. *Magist. scammon.* ʒiij.

Subige probe cum amygdalis dulcibus excorticatis & incisis, hinc cum sacchari in succo citri soluti ℥iv. redige in morsulos, quibus asperge oleosum succum corticum citri, abunde ita hi morsuli dos. ʒiij. ad ʒß. laxabunt ægrum. Vel denique ad imitationem morsulorum dia tartari:

℞. *Pulv. jalapp.*
Crem. Tart. ana ʒiij.
Mag. scammon. ʒj. cum saccari
in Aqua rosarum soluti ℥iv. fiant morsuli, pro dosi ʒij. ad ʒß. purgabunt.

TEXT. LUDOVIC.

Sic si nostratium quispiam mordicus forsan 10 *Electuarium aut Bolum* præter spem expeteret, numquid facilius, quam *supra positorum Pulverum compositorum dosis, vel Ialapium solitarium aut Magisteriorum purgantium vel Pulveru Polychresti parte acuatum*, (sique placuerit, etiam aromaticis acidulisve additamentis conditum) item *Resina Ialappa vel Scammonii, Nucista parte vel Amygdalarum una alterave subacta*, conservæ rosarum aliive domestico quoque condito, vel matrum familias pulpis permiscetur? æque ac gregarii cum suo Rob Sambucino vel cerasorum solent. Ut proinde nec *vulgarium Dispensatorium Electuariis* (præter reliqua alio sub nomine supra satis excusa,) adhuc quidem alicubi nominatioribus aut in suo genere aliquantum acceptioribus, *Rosato, scilicet, (ipsique gemino (de succo Rosarum, de Citro, Diacarthamo, Diacydonio, Passulisve laxativis humidis ac siccis*, (etiam pro Pueris nonnumquam Esula conditis,) item *Extracto de Citro ac Diacarthamo, &c.* (maximam partem aut insolidum Scammoniatis,) ullatenus indigeamus: nec etiam opus sit, ut recentiora diversorum Substituta tantum in frustraneam laborum ac vasculorum multiplicationem adsciscamus; sive jucundiora quidem, at æquè tantum scammoniata vel Ialapina (extemporaneæque proinde imitationis interdum & suo modo) fuerint, ut *Rob Ribium Cydoniorum ac Cerasorum purgans, Diacydonium pellucidum, &c.* delicatiorum palatum ne sic quidem subterfugientia, & ni spiritus ardens ad Resinarum solutionem adhibendus probe sit rectificatus, inde quodue adversiora: sive per aperte ingratiorum & nonnunquam supervacaneorum (Hellebori, Asari, Ebuli, Bryoniæ, Soldanellæ, Rhabarbari, Agarici, &c.) accessum, alias selectui nostro incommodiora videantur: ut *Electuarium Rosatum purgans, Passulatum, Pulpa Tamarindorum purgans,* 1 *Passula purgantes sicca, Zibeba & Pruna purgantia, &c.* superius jam relata.

Si denique Potulenta quis velit, elegans habetur 2 *Liquor* è Magisterio Jalapii vel Scammonii (aut utriusque ana,) simpliciter salteni in spiritus Vini (mediocriter rectificati) duodecuplo præterpropter dissoluto: hujus drachma una ad duas, usus tempore per Essentiam Liquiritiæ vel Papaveris Erratici saccharatam; saccarumve satis spisse sirupisatum aut tantum pulverisatum prius parumper edulcata, largiter secure tamen (præsertim in difficulter mobilibus) præstat, quod longe diffusius in *Elixirio Panchymagogo officinarum vulgari vel correctiori, in Clareto Laxativo, & Hydragogo ac consimilibus recentiorum spirituosioribus Aquis medicatis, in spiritu Aureo Colocynthino, Elixirio proprietatis purgante*, (cum noster etiam liquor Essentia Absinthii vel Aloës facilimè alterari posset,) inque aliis hujus generis ingratioribus aut diffusioribus, & corpus inde magis calefacientibus Dilutis hinc inde quæritur. *Magisterium Gutta Chambodia*, (quod pro assuetis notanter addimus,) similiter quidem, at difficilius & in spissiorem consistentiam solvitur. *De Scammonii Emulsione* supra diximus; si forte nihilominus alicui singulas sic doses (v. g. grana decem vel duocecim recipiendo,) cum Aquis gratioribus & odoriferis frigide parare placeat. Verum qui lactescentibus ejuscemodi, sed jejunis fere ingratioribus liquoribus ducitur, etiam *Resina, Ialapii vel Scammonii singulas doses, cum duabus tribusve excorticatis Amygdalis & aqua Rosarum vel Acacia pauxillo in breves sapidasque Emulsiones* ex tempore redigere,

NOTÆ.

10 *Electuarium aut bolum:*) Sic bolus purgans esse potest:

℞. *Conserv. rosar.* ʒj.
Pulv. jalapp. gr. xv.
polychr. ex scam. gr. iij.

C. s. q. syrupi rosarum fiat Bolus, sacchari D. purg. pr. j. d.
Aut quibus non placet conserva rosarum, ejus loco Rob juniperi substituant, ita quidem:

℞. *Rob junip.* ʒj.
Magist. jalapp. gr. ix.
Pulv. scammon. Polychr. gr. iij.

M. F. Bolus inspergendus s. q. sacchari, purg. Sic si placuerit cuipiam Electuarium, is

℞. *Conserv. fl. tunic.*
rosar. ana ʒj.
hepat. rubei ʒi. ʒj.
Pulv. jalapp. ʒj.
scammon. polych.
Macer. ana ℈j.
Caryoph.
Cinamom. ana ℈ß,

C. s. q. syrupi rosarum. F. Elect. purg. pro 4. 5. vel 6. aut 7. dosibus.

Ejusmodi bolo vel Electuario instructi commodè aliis harum compositionum carere possumus.

1 *Passula purgantes sicca:*) Has quidem rejicit Author, interim tales passulæ laxativæ adhuc in usu sunt pro delicatioribus & hypochondriacis, sic enim v. g. ℞. passulas minores, easque donec tumescant coque, quo facto accipe scammonii in vino albo soluti & exsiccati ℈j. vel ʒß. hocque passularum tumefactarum, dum adhuc calent ℥j. asperge, hinc mistas exsiccata, ita purgabunt eædem pro 2. vel 3. dosibus, ubi & scammonio addi potest Tartarus Vitriolatus, aut Sal Vitriolatum digestivi loco; vel etiam ℞. Vinum blanda infusione sennæ imprægnatum, hocque filtratum teratur cum scammonio ut lactescat, mistura infundenda passullis, quo facto hæ reponantur in locum calidum, ut blandissimè ebulliant, sic enim impraegnantur vi purgante, dein exsiccentur in Sole, & supra dicto modo propinentur. Vel denique passulis ad tumescentiam ebullitis & adhuc dum calidis inspergatur modò allegatus liquor lacteus, ex scammonii tritura natus, hinc ad solem exsiccantur, repetendo hoc toties, quoties placuerit.

2 *Liquor:*) Si liquidam purgantis formam expetis, tunc.

℞. *Magist. jalapp.*
Scammon-ana gr. v.

Dissolve hæc in s. q. Vini generosi vel Spiritus vini ʒiij. hinc adde solutioni syrupi papaveris erratici ʒj. M. fiat potiuncula grata pro una dosi. Vel qui modus elegantior:

℞. *Cortic. citr.* ℥ß.
pulv. jalapp. ʒß.

Infunde, in s. q. v. g. ℥viij. Spiritus vini, stent in loco tepido ad extractionem Tincturæ Aureæ, hinc filtretur, detur pro dosi ʒij. vel iij. pro conditione scilicet ægri. Huc pertinent & emulsiones cum vitello ovi seu semine amygdalarum

dalarum dulcium aut melonum ex resinis & magisteriis purgantibus confectæ, ubi tamen gummi guttæ difficulter in spiritu vini solvitur; &c.

TEXT. LUDOVIC.

imo alborem Essentia florum Papaveris Erratici obtundere poterit. Sique porro 3 *Ialapii solitarii vel quarta Magisteriorum parte acuati dosin, Essentiæ Ribium, Cerasorum, vel Berberum saccarata duabus vel tribus drachmis* cum ana Aquæ Rosarum vel Acaciæ recenter permiscuerit, (ut Extractum Senæ saccharatum, etiam diversimode pro tenerrimis forte diluendum huc non trahamus,) nihilo infelicius, certe jucundius, clientes suos purgabit, quam si *Electuarium Rosatum, de succo Rosarum, Diacarthamum, de Psyllio, de Citro Extractumve de citro ac Diacarthami, aliave Officinalia*, commodiora hic credita, in amystide dilueret: aut his Recentiora illa, *Extractum Panchymagogum ad potiones, Hydragogumve, vel etiam Electuarium rosatum purgans, Passulatum, aut pulpam Tamarindorum purgantem, &c.* paulo ante recensita *substitueret*, imò elegantiora ipsa, seorsim operosius parata, *Rob Ribium aut Cerasorum, &c. hoc fine adhiberet.* Et cum vel 4 *sola quoque Sena ad drachmas aliquot, cum scrupulo vel semidrachma Nitri fixi antimoniati, & aromatum vel radicum alterantium acceptiorum tantillo*, (Vino solitario, vel aqua simplici aut destillata jucundiori) infracto, Cerevisiæ, vel ipsi (si tantopere placeat) Hydromeliti proportionaliter infusa, duriores (nec rusticis sæpe catharticis mobiles) alvos, aut ubi alias evacuatione per Epicrasin opus est, sufficienter, parilique (certè præ sesquipedalibus conglomeratorum semetque invicem suffocantium, alterantium ac purgantium saccis majori) gratia laxet: proinde nec *Vina Hippocratica* (*calidiora*) *vel Hydromel purgans commune, Tartarisatumve quodvis* nec (his quidem aquæ minus adsuetis in regionibus) *Aquas purgantes*, (facile tamen, etiam omissa Manna imitabiles, seorsim tantopere exigemus. Hellebori nigri (per divaporationem correcti,) aliorumque interdum additionem, hic data opera præterimus.

Atque hæc satis forsan esse poterunt de summario Catharticorum Vegetabilium validiorum censu & oppositione inter se invicem. Hoc saltem notanter, Incipientium causa addimus, quod in 5 *generalibus illi Dosium eorum Designationibus* omnino se circum specte gerere, nec eas indifferenter undiquaque sectari debeant: alias (quod alterius sui Territorii Practici manuductione vel observatione destitutis haud infrequenter accidit,) facile ab initio, (& donec quid indigenarum ventres valeant quid ferre recusent, experientia consequantur,) aut modum in talibus excedent; aut inter justam quidem meticulositatem, non tamen citra tædiosam sumentis frustrationem, deficient. Siquidem in rei veritate certi Tractus, uti (propter rerum non naturalium variationem) diversis sibique specialioribus aut frequentioribus affectibus subjiciuntur, ita quoque peculiarem, ad certas remediorum modificationes, indigenarum dispositionem offerunt. Atque hinc v. g. passive & ut plurimum in hac nostra Thuringia vicinaque Misnia, & superiori ferè Saxonia sufficienter purgantur ea dosi, quæ Inferioris & versus Balthicum, item Franconiæ incolas parum saltem & sæpe vix commovet. Ita Pilulæ Aloëticæ laxativæ Tractibus atque personis cerevisia potius

NOTÆ.

3 [*Ialappi solitari.*) v. c.

℞. *Aqua Rosar.*
Essent. ribium vel
Berberum saccarata.

h. e. succorum, horum depuratorum, saccaroque impraegnatorum ℥iij.
pulv. jalapp. ʒj.

M. p. j. dosi.

4 *Sola quoque senna*,) Insula liquida parandi modus est:

℞. *Herb. cochl. incis. m*ß.
Folior. Senn. S. S. ℥ß.
Nitri fixat. cum Carbon. vel
Salis Tartari ℈j. ad gr. xxv.

infunde in s. q. vini albi (sic hujus acidum concurrendo cum Sale fixo abit in concretum terræ foliatæ simile, corrigens sennæ) stent in loco tepido per noctem manè ℞. colat. ℔ß. ad ℥viij. adde
Aqu. Cinam. ʒv. ad ℥j.

M. pro duabus dosibus.

5 *Generalibus illi dosium designationibus:*) Has scil. doses purgantium cum cautelis administrandas vult. Nempe cum purgantia indiscriminatim operentur, i. e. tam sanos, quàm ægros eodem modo aut impetu afficiant (de quo conferatur KNOEPHELIUS *M. M. febr. epidem.*) hinc fit, ut purgantia non simpliciter humores noxios evacuent, sed aliqualis in iis latet impostura, ut utiles & nutritivos humores simul eliminent; adeoque, si æger purgandus sit, non plures eidem procuramus secessus, quàm 4. 5. aut 6. quod autem superest, inutile est. Ex his inferimus inter purgantia omnem selectum esse superfluũ, ita quidem, ut non confugiendum sit ad melanagoga, phlegmagoga &c. quandoquidem promiscue purgant; adeoque quodlibet supra dictorum tutò assumi potest. Interim tamen quotidiana Praxis varietatem expurgationis monstrat, propter quam omnino distinctio facienda in legitima purgationis administratione, idque duplici ex causa, tam propter purgantium remediorum, quàm expurgandi subjecti varietatem; ac quidem in remedio purgante præter vim laxativam & evacuativam, simul respiciendæ sunt ejusdem variæ proprietates alterantes, h. e. evacuandorum humorum qualitates (nam omnia Vegetabilia purgantia quoad venenum purgans coincidunt.) Hinc helleborus niger hypochondriacis, melancholicis &c. speciatim convenit, non quod contrarium humorem melancholicum evacuet, sed potius acidum peccans correctum exturbet: Pari ratione colocynthis propter sui acrimoniam insignem colliquantem & resolventem cruditatibus viscidis eliminandis dicata est, sicut contra jalappa iis, qui sunt succorum mobilium, conducit, & rhabarbarum magis illis, qui aliquali viscerum atonia laborant, confert, non quod *hoc speciatim bilem evacuet.* Atque hæc & similia si considerentur, inter ista pauca hactenus recensita purgantia selectum instituere facile erit. Ratione 2. subjecti expurgandi notandum est. 1. An illud sit facilioris vel difficilioris solutionis; an aliis simul affectibus obnoxium, qui vel irritantur, vel plus minus adhibitis purgantibus exasperantur. Quoad prius, sanè experientia constat, quædam subjecta facilius, quædam difficilius laxari & purgari, ubi ratio diversitatis ex triplici causa deducenda, quarum 1. est acidum stomachi esurinum plus minus validum; quò etenim vegetius illud extiterit, eò magis castrabit purgantia, & vim eorum medicamentosam in alimentosam convertet. 2. Causa cosistit in eo, quod succi corporis nostri nunc magis nunc minus fluxiles & resolubiles sint, fermentumque stomachi plus minus eosdem coagulet, hincque & plus minus evacuentur. 3. Est nervosarum partium in primis viis major vel minor sensilitas & irritabilitas, h. e. prout hujus vel illius subjecti stomachus & intestina crassioris vel tenerioris sunt texturæ, eatenus vel facilius, vel difficilius, copiosius aut parcius laxari solent. Quoad posterius sanè probè attendendum est, an subjectum patiens aliis morbis sit obnoxium, h. e. an purgandus homo mas ad colicam, fœmina ad hystericam sit disposita passionem; quod si sit, purgantium administratione facillè exasperari vel resuscitari pathemata illa poterunt. Cæterum ratio diversitatis subjectorum purgandorum petenda quoque est remotè ex rebus 6. non naturalibus, quæ prout variant ratione diætæ, climatis aëris, & diversam illis Idiosyncrasiam imprimendo eadem alterant.

TEXT. LUDOVIC.

utentibus plerunque convenientiores præsentioresque observamus, quam vicinorum districtuum puris quasi œnoporis. Similiaque alii aliis in Germaniæ nostræ territoriis passim deprehendent: æque ac exteris calidiorum regionum indigentis Venæsectiones suæ, (sub debita moderatione,) ex usu, vel nonnunquam necessariæ esse poterunt, quæ tamen nostrates maximam partem in plerisque (quibus revulsionis, minorationis attemperationisve gratia communiter opponuntur) affectibus, (etiam febrilibus continuisque, incassum vexant; in malignis utplurimum præsenti periculo exponunt; nî validior natura hujuscemodi excessus, (juvisse postea creditos,) tolerando superet. Atque parilis est Purgantium etiam mediocrium, (quæ minorationis, cruditatumve reliquiarum subducendarum causa, in continuis præcipue, ab initio vel in morbi decursu, à permultis indifferenter & quasi methodice exhibentur,) item tot Clysterisationum aliarumque ambagium, (ab exterorum consuetudinibus transumptarum) ratio; ceu in Præfatione quoque notavimus, & qui Naturam etiam hic simplicissime sectatur, & (documento ex ejuscemodi evacuationum symptomaticarum quidem incommoditate, criticarum verò, naturæ, non nobis relictarum proprietate sumpto,) per paucissima quædam appropriata, *diaphoretica & præcipitantia*, procedit; obstinatioremque alvum vel externis domesticis aut internis modestissimis; reserat qui porro vegetabilium catharticorum in Intermittentibus plerisque passivam desidiam, consimilesque vulgatiorem methodum notorie eludentes circumstantias paulo diligentius advertit, prompte nobiscum fatebitur. Sed de his alibi fusius.

LAXATIVA.

SEquuntur nunc 6 *Laxantia* in specie communiter sic dicta; quæ libera inter se, & cum ante propositis mediocribus quibusdam Catharticis facta collatione, similiter recensebimus. Siquidem in rei veritate *ter ata tantum vel subquadrupla, imo minutiores adhuc horum doses* suo tempore & cum judicio adhibitæ, idem præstant, quod specialibus illis diffusissimisque Eccoproticis simplicibus, aut (mediocrium accessui, quod suum est, plerumque debentibus) compositis vulgo tribuitur.

Et qui proinde 7 *Aloen selectam, supra dicto modo tantum cum aqua simplici Extractam seu depuratam*, inque Vaporoso Balneo coagulatam, 8 cum Elixirio proprietatis, (non aut parum saltem acidulato, vel potius cum Essentia Absinthii aut utriusque ana, subegerit, & quatuor præter propter ex uno grano pilulas formarit, ob singularem, (& in nostratis quoque foliorum succo, Epidermida quasi vellicante observabilem) stimulandi vim, in duabus, quinque, septem, novemve minutissimis ejuscemodi catapotiis, appositissime 9 brevi ante cœnam vel etiam decubitus tempore sumptis,) & mane simul Tincturis Essentiisve appropriatis Aperientibus vel Martialibus, Hystericis, Cephalicis, &c. continuatis,) sic profecto inveniet, quod longæ recentiorum variationum ac substitutorum seriei, quibusvis scilicet (diversorum Authorum vel locorum) 10 *Angelicis, Tartareis, Polychrestis, Proprietatis, Aloephanginis correctis, Spleneticis, Antihypochondriacis, Stomachicis, hystericis, de Eupatorio, de Ammoniaco, de Rhabarbaro, & consimilibus Aloeticis Massis*, (cum Gummeis, Chalybeatis, Vitriolatis, Armoniacalibus, imo debilioribus quoque & numerum tantum hinc ac magnitudinem, vix adeo effectum intendentibus Succis Extractisque varie consociatis aut aggravatis) passim tribuitur: & quod alii, (*quo æque minuta paucioresve pro dosi* 1 *Pilulæ proveniant*,) *in Aloë rosata & violata Scamoniatis aut Ialapinis acuata, vel* 2 *in Aloephanginis per trochiscos Alhandal exstimulatis, aliisque Helleborum insuper, Asarum, Agaricum &c.* (& si huc referre licet,) 3 *etiam Silla vel Aronis particulam* sub extractione Aloës recipientibus, *aut ex Aloe*, 4 *Cardui benedicti Absynthiique Extractis eorundemque Sale alicubi Fa-*

NOTÆ.

6 *Laxantia*:) Hæc sunt, quæ non propriæ sic dicta catharsi conducunt, sed blandè laxare solent, quorumque vis ultra primas vias non extenditur. Talia sunt v. g.

℞. *Tar. Vitriolat. vel Crem. tart.* ℈ß.
Pulv. polythr. scamm. gr. iij.

Mista propinentur ægro pro scopo laxandi, non autem purgandi. Cæterum studiosè addimus purgantibus sub minoratione doseos laxantia tartarea pro meliori abstersione & vellicatione intestinorum.

7 *Aloen selectam*:) Hic extollit Author pilulas Aloeticas cum Aqua Sale tart. acuata extractas, quorum granum in 4. pilulas formetur, hincque harum 5. 7. 9. 11. pro dosi exibendæ; ubi notamus in morbis chronicis subinde contingere, ut, dum propter conditiones subjectorum patientium radices illorum evelli non possint, iidemque morbi ordinario ex cruditate stomachi acida originem ducant, à priori saltem majora eorundem incrementa præcavere debeamus. Atque pro hoc scopo remedia laxativa seu primas vias evacuantia egregia sunt, quæ sub forma pilularum domesticarum capiuntur, quales sunt aloeticæ Francofurtenses, Glassianæ, quorum usus est, relictas à cruditatibus acidis sordes, à quibus foveri solent chronicorum radices, evacuare, sicque progressum morbi præcavere. Unde in malo hypochondriaco confirmato pilulæ Francofurtenses singulo 14. dierum spatio vel & menstruo capi poterunt.

8 *Elixirio proprietatis aut istarum non acidulatio*:) Spiritus sulphuris castrat aloen; hinc & Elixier proprietatis sine acido cum alkali paratum præstat.

9 *Brevi ante cœnam*:) Modus utendi est: ut assumatur laxantia vesperi hora j. ante cœnam, subsequente mane desuper capiendo essentias vel tincturas appropriatas. Sic hypochondriacus confirmatus assumere potest vesperi laxantes, pilulas altero vero mane tincturâ Martis cum succo pomorū, qua ratione corrigitur substantia per pilulas evacuanda: sicuti manè mulier assumere potest essentiam castorei vel myrræ. Manè autem non assumuntur laxativa, quia tunc temporis abeunt maxime & nihil operantur ob formenti activitatem, potius ante cœnam, qua sequente stimulus jam intestinis impressus est promovendi eorum contenta; purgantia vero non ante cœnam sunt sumenda.

10 *Angelicis*:) Id est Francofurtenses: possunt acuari vel scammonio, vel jalappio, & specificari per castoricum & Martialia pro hypochondriacis. Pilularum Francofurtensium descriptionem vide in HORSTII *Dispensatorio*. Sunt nil aliud quàm aloe infusa vegetabilium succis, expressa & inpissata. Pilulæ verò aloeticæ Authoris loco pilularum ex ammoniaco vel Tartaro adhiberi possunt, utut etiam non inelegantes sint in illis, qui facilis sunt solutionis, ubi cum extracto colocynthidos vel scammonio acuari possunt.

1 *pilulæ proveniunt In aloë rosata*) Sunt acuandæ, sunt enim languidiores.

2 *In Aloephanginis*) Sunt aromaticæ potius, & magis stomachum roborant, quàm purgant, acuendæ ergo.

3 *Etiam Scylla*:) Intelliguntur hic pilulæ Glassianæ, quæ constant ex aloe extracta atque à resina sua soluta, cui sub extractione parum scyllæ, nec non de aro aliquid adjici solet, quo nempe scylla stimulando intestina aloes virtutem excitet. *Vid.* HORST. *loc. cit.*

4 *Cardui benedicti*:) Sunt qui loco Glassianarum sequentes extollunt:

℞. *Extr. card. bened.*
Gumm. Ammoniaci ana ʒ j.
Mastich.
Succin. ana ℈j.

Aloes

Aloes succotr. ℥.i. ß.
Pulverisata omnia infundantur ollæ, quæ mens. j. Aquæ contineat, hinc blandissimo igne subinde agitandæ, ut ad debitam consistentiam fiat inspissatio; interim sufficere possunt pilulæ aloeticæ nostræ.

TEXT. LUDOVIC.

migeratioribus hic suppositis quæritur. Siquidem mediocres etiam naturas simplicissimæ hæ pilulæ, (præsertim inter continuationem & assuetudinem,) citra alterius stimuli accessum sufficienter movent; sique duriores vel alios quoque, alia de caussa, paulo sensibilius laxare, & primarum viarum saburram evertere voluerimus, datis trihorio præter propter post cœnam, quatuor, quinque vel septem *Pilularum purgantium suprapositarum* aut consimulium granis, idem æque feliciter salubriterque obstinetur, absque totidem Massarum multiplicatione. *Vt utroque hoc, in chronicis præsertim perquam conducibili modo,* sub Pilulariforma contentus, multominus adhuc indigeat ullis antiquiorum dispensatoriorum *Aleophanginis*, *arocostinis tædiose peregrinis, item de Succino*, (etiam superioribus annis alicubi interpolatis,) *de Aloë rosata* quasi extemporaneis; effœtis *Aggregativis* & (pura Hieræ simplicis innovatione) *Assaireth*; imo (cæteris paribus, & ni particulam Aloës purgantem ac condientem accessoriis consimilibus, data opera & vel extempore tunc associare placet,) ipsis 5 *Pestilentialibus vulgaribus, & quæ alicubi nunc iisdem ingredientibus cum Mithridatio compinguntur.* Reliquæ alias hac tempestate exoletæ sunt, aut apertè supervacaneæ: ut *de Hiera simplici, & cum Agarico, de Aloe lota, (& aliquantum colocynthina) de Hiera composita: item Mastichinæ officinarum, indeque vix differentes de Aloe & Mastiche; de Rhabarbaro & Eupatorio vulgares, similiter parum distantes; & neglectæ nunc imperiales.* Quo jucundissimas, Pharmacopœis tamen hodieque insertas *Hieras* referamus. *Simplicem & cum Agarico dictam, &c.* quæ valent ut vocabula & numni; hicque ordinis servandi caussa tantum nominantur. Sane si quis omnino 6 *Dilutum Aloeticum*, variationis aut certarum circumstantiarum caussa expeteret, solvat saltem paulo ante positarum Minutarum Pilularum massam cum suboctuplo Salis Tartari communis aut Essentialis, vel etiam nitri fixi, in sextuplo Aquæ spirituosioris v. g. Absinthii vel alterius competentis; (Aloe cum subduplo vel subquadruplo Alcalium in suff. quant. Spiritus Vini digesta, amarorem in filtrato Liquore insigniter statim, tractu temporis fere penitus, at vim catharticam notabiliter simul deponit;) & habebit insuper largiter, quod non solum in vulgari illo, lippisque ac tonsoribus noto *Elixirio proprietatis* cum spiritu Vini solum confecto, verum etiam in speciosioribus supraque jam notatis reliquis *Elixiriis laxativis*, ad imitationem Proprietatis compositis, consimilibusque liquoribus & *antiquario Hieræ Infuso* quæritur.

Ita si porro quispiam (longissimorum abominabiliumque Apozematum loco) simplicissimum saltem, nec tot alterantibus nequicquam obrutum *Infusum Sennæ*, supradicto parilive modo paratum, in aliis subjecti vel affectus conditionibus convenienter adhibuerit; si pauca quædam *v. g. quatuor, sex vel octo. Pulveris nostri laxativi vel Jalapii grana* solitaria vel Tartari puri aut deputati scrupulo præter propter, aliisve (siquidem placeant) salinis detergentibus pro lubitu sociata; si forte pro superpondio, & loco tot effœtorum ejusdemque fere generis Siruporum uncialiumque (inter vulgatissima matrum familias Eccoprotica aliaque sollicitantia) Electuariorum, *Extracti Sennæ*, (dum forte complacuerit) *diluium, aut aliquot Jalapii grana cum Rosacea vel Florum Acaciæ aqua & gratioribus acidulorum Fructuum Essentiis sub semunciali* præter propter pondere dederit: accedentibus & interdum solicitarie satisfacientibus Abstersivis illis Tartareis, Antimonialibus, Martialibus &c. certe parili facilitate debeliores per Epicrasin, obstructionesque etiam contumacioris alvi sufficienter laxabit. Ut proin nec 7 *Cassia quovis modo extractis indigeat Floribus*, alias jampridem non uno nomine suspectis, corruptu plerunque facilibus, per se nauseabundæ molis, pro involucro vero domesticis *satisfacientibus: Ne* 8 *Tamarindis*, sapore quidem non mole, (nam per se æque segnes sunt,) acceptioribus; parabiliori simul alio vehiculo acidulato, vel vini saltem (utpote cujus imitamento potissimum agere videtur,) Tartaro; ut eo magis supervacue *Tartarus inde* elegans quidem, seorsim colligatur; parabilioribus denique tot vernaculis (ad solutiones Martiales, Coralliorum &c.) acidis succis. Imo nec 9 *Mannam* (si referre huc pro more licet,) tantopere hic exiget; *seu simplicem, seu curiosius Tartarisatam.* Non dicemus, forte tantum bilescendo potissimum purgare, æque ac dulcium pene fructuum pulpæ: ignaros saltem copia assumendæ terret; & licet vel Originis caussa etiam in Chimicis laboribus haud sit inconspicua, Spiritus tamen (etiam repetenda destillatione colligendus, & in suo genere commendabilis,] Melleum (longe parabiliorem) hic parum superat; internis usibus, plerisque in affectibus, Tartari spiritu est posterior, nec 10 *in Sale quasi essentiali saccharino*, stiriis nitriformibus in sirupi

NOTÆ.

5 *Pestilentialibus vulgaribus:*) Duplices sunt, vel AVICENNÆ vel RUFFI, quarum has describit ZUUELFERUS. RUFFI sunt Elixier proprietatis siccum, & usurpantur pro puerperis laxandis, dum alvi sunt contumatioris, dum simul lochia promovent; dantur à gr. x. ad xij. paulò post à pastu; quod si autem myrrha, crocus & ana Mitridatii addatur, oriuntur pilulæ EMANUELIS.

6 *Dilutum aleoticum:*) Blandum in forma liquida laxans esto:

℞. *Extr. aloes super parat.* gr. vj. ad ℈ß.
Sal. tart. alkalisat. vel terræ fol. tart. gr. ij.

Dissolve in s. q. Aquæ absynthii ad ℈ij. pro haustu laxativo aloetico, & potest esse loco Elixier proprietatis cum Rhabarbaro parati.

Pag. 184. *Infusum sennæ:*) Loco cujus etiam

℞. *Aqu. fl. acac. vel rosar.* ℥iij.
syr. rubi Idæi ℥iß.
pulv. polychyr. scamon. gr. v.

Misce, vel

℞. *Aquæ fl. acac.* ℥iij.
Sal. tart. essent. ℈j.
jalapp. gr. vj.

M. pro potione, præferenda omnibus decoctis purgantibus.

7 *Cassiæ:*) Facit tormina & flatus ob id non in usu.

8 *Tamarindis:*) In febribus ardentibus prosunt; vis in Sale essentiali tartari consistit, cujus ratione sunt laxativum: Testante enim SALA, concrescunt in Sal essentiale tartareum, & cum sero lactis dant egregium laxativum, *vid.* BARTHOLIN. *c.* 3. *histor.* 21. Horum loco sufficere potest tartarus vini communis.

9 *Manna:*) Nonnisi pro infant. ad ℥ij. vel iij. alias de hac *vid.* BARTHOLIN. *cent* 1. *Epist.* 54. Participat de rore majali. Alias intercedente nunc putrefactione, nunc substantiæ resinosæ ex manna separatione, nunc cum roris majalis digestione Præcipitatus polychrestus pro solvendis metallis elicitur, & vocant Mercurium mannæ, spiritus autem ex manna & sero lactis est frustraneus, potius manna in alembico suspendenda, ita vapore Aquæ in cucurbita ex arena dissolvenda dat liquorem suavem, ad aliquot ℥as blandissimè evacuantem.

10 *Sale essentiali saccarino*) Hoc est syrupus, & si in copia habeatur, egregium est pro scopo alterandi & laxandi.

TEXT. LVDOVIC.

formi Mannæ dissolutione tractu temporis concrescente, nobisque per accidens aliquando (ceu aliud agentibus) oblato seu digerendo seu in parilem sane spiritum destillando, singulare quidpiam, (concentrati hîc salis macrocosmici persuasione ducti,) hactenus invenire potuimus.

Sicque sufficientiæ suprapositorum intuitu, primitiva hæc merito tantisper dimittuntur; magis adhuc cadent *earum Producta*, quæquæ præterea componendi variandique studium vel nuda antiquitatis observatio dispensatoriis & hinc officinis intulit, v. g. inconcinna profecto *Decocta illa, Aperitivum Majus ac nomen mentitum*) *minus*; *Epithymi, Fumaria, Capillorum veneris, & Sena cum Folliculis*; *Decoctum Majale quorundam*; *Infusa usitati Dispensatorii duo*, (quorum alterum tamen decoctum est,) *cum* 1. *Sero, lactis, &c.* hactenus ex præscripto officinalia: item supra jam notantum 2 *Hydromel simplex* (vere tale,) & in rei veritate tantopere non *Tartarisatum*. Quasi vero Senæ, Rhabarbari, Agarici &c. virtus commodius (extemporanea quoque pulveratorum, vel Extractorum mixtura vel imitatione) communicari nobis nequiret, nisi per diffusissima hæc (mellita quoque) vehicula: aut citra (multæ quidem molis, efficaciæ vero, ni laboriose corrigas, ut plurimum exiguæ) Sirupos: *de Cichorio sc. cum Rhabarbaro, Diasereos*, (ejus supervacanea interpolatione;) *de Tribus, de Pomis*; aut citra exolescentes nunc *de Polypodio, de Carthamo, de Epithymo, de Fumaria, & qui Rosatus solutivus sine Helleboro* inscribebatur &c. Aut denique citra nauseabundam Electuariorum (per Mannæ, diversarumque pulparum accessum nequicquam increscentium) consistentiam; *in Diacatholico scilicet, Lenitivo Florentz. de Manna & Diacassia cum Manna, in Cassia extracta delicataque illa Triphera, &c.* jam magisque vilescentibus: ipsum de *Tamarindis* commendatissimum, tandem Sennatum quid est. Nec porro, (tot compendiorum acceptiora vel extemporanea, pro lubitu facillime præbentium respectu,) opus esse videmus, ut hactenus *Officinalia adeo operosè corrigantur*; aut speciosioribus quidem, at nihilominus ingratiora vel ignaviora, (Myrobalanos, Agaricum, Rhabarbarum &c. sæpenumero cum adversioribus quoque alterantibus multiplicata) *adsciscentibus amplificentur*: v. g. *in recentiori Diacassia cum Manna & Cassia laxativa prima & secunda, Pulpa prunorum Seroque lactis purgante, aqua laxativa secundâ, Extracto Magistrali lenitivo*, item in alterius census *sirupo Dysenterico laxativo* (hujuscemodi tamen mediis raro veri juvamenti quidpiam, plerumque plus noxæ conferentibus; *Confectione Passulata M. aliisque formulis*, pristinis illis jam ab initio seculi adhuc dum à diversis diversimode, pro more superadditis, & imposterum procul dubio, ob leves sæpe circumstantias superaddendis. 3 *De Terebinthina integra, vel quavis ratione à subtiliori parte liberata*, utroque modo laxante, & extempore huc pariter applicanda, suo loco dicemus: ut interim nec *Cathartico Terebinthinato, nec Bolis inde laxativis purgantibusque Pilulisve hoc fine Terebinthinatis* (inter simplicissimas ejus extimulationes,) præcise tantopere indigeamus. Multo minus autem muliercularum *ex Acacia Floribus aut Sirupo, Diapruno simplici & aquè deside Laxativo, Conserva Rosarum cum Manna, vel Melle ac Sirupo Violarum aut Rosarum solutivo*, (etiam variis in Muchero compendiis quæsitis nihilominus) plerumque nominali, nec adeo innoxio, præsertim in febrientibus atque lactentibus, inter tot his colicisque longe tutiora abstergentia, alterantia ac subducentia.

Et sane quod in specie 4 *Infantes* attinet, equidem fallendis iis hodieque diversiformia Saccharina sunt proposita: sed ne de diffusa plerorumque dosi,) sæpe vix una vice completè ingerenda, neque de multorum adversitate adhuc dum, (inter varias obnuptiones) nihilominus satis perceptibili dicamus; dulcor saltem ille sacharinus in præternaturalem amarorem vel acorem lactentibus (præsertim febrientibus aut torminosis) prona inclinatione abiens, quantarum turbarum autor sit, convulsiones consensuales) non opinantibus & caussas longe altius petentibus,) hinc inter curationes, etiam sub ejuscemodi alterantibus passive obortæ, tota die testantur. Cum autem adultiores quidem, Pulvere laxativo supraposito utroque, (à grano uno ad duo præter propter dato,) sat commode secureque nobis evacuentur: Minutioribus vero, præter illa nupernorum Euporista (oleum scilicet Amygdalinum, Anisi Ireosve florentinæ pulverem, ac reliqua muliercularum Externa, imo præter sola plerumque sufficientissima Præcipitantia diaphoretica,) *Pulvere simplicimo, e cornu cervi Philosophice calcinati partibus tribus & Ialappii parte una parato*, & ad granum unum, duo, (trimestribus sæpe tria) exhibito, probe satisfiat; imo si quis in hac primorum mensium inanimadvertantia amaricantium adhibitionem haud adeo attendat, *etiam dimidia vel unica pilula Aloëtica in materno lacte soluta* longe salubrius tantisper succurratur; cum ablactatos denique ac (mage tum quidem refractarios) minorennes, tenerrimos quoque, supradictis (sub varia persuasione ocultationeque perfacili,) feliciter hactenùs (*citra tantum Morsulorum, Confectionum Conditorumque apparatum*) nihilominus fefellerimus; non videmus, cur hoc sine tot istius generis, tenellis compluries mage noxia, vel in accrescente ætate nauseam nihilominus præter rem concitantia, utrinque supradictorum intuitu tantisper supervacanea (quo totiens innovatas *Passulas, Zibebas ac Prunella laxativa, tot Rhabarbaratas Turbetinasque adversus lumbricos Tabellas, & rotulas Species ac Pulveres, Syrupum Magistralem pro infantibus, de Cichorio cum Rhabarbaro, Rosarum solutivum, aliosque referimus,*) contractiori huic apparatui seorsim inseri debeant. Quod autem subducto calculo 5 major sic pusionibus) ad consistentis ætatis proportionem,) Dosis ingeri videatur, is qui ventriculum lacte pappisque continuè ferè plenum cogitat, haud demirabitur.

NOTÆ.

1 *Sero lactis:*) Ob Salsum Sal volatile abstergit, laxat, compescit quoque phlogoses scorbuticas. Cum succo citri à concremento caseoso liberatur. v. gr.

℞. *Herb. recent. fumar. cochlear. nasturt.* ana mj.

Infunde in f. q. seri lactis, stent per noctem in loco tepido manè haustulum capiendo.

2 *Hydromel simplex*. Ob flatulentiam tartarisatam rejiciendum, quippe tartarus nonnisi in fervido liquore dissolvitur, & qui alias dissolutus refrigescente liquore vasis latera petit.

3 *De Terebinthina*) Quidam volunt substantiam laxativam secernere, & rectè: Parantur quippe ex hac & succo rhabarbari combinatis pilulæ pro usu nephritico utut alias parum laxet.

4 *Infantes:*) Hactenus dulcibus & saccharinis fuisse purgatos dicit Author, ubi tamen merito desiderat, quod dulcor ille saccharinus subinde sit noxius, & facile (cum dulcia omnia sint fermentescibilia) in amarorem præternaturalem facessere queat; simul ac eadem in stomacho acescunt, & sapore hoc lac corrumpitur, & hinc Epilepticos insultus superveniunt; ex adverso dum non acescunt, sed in loco humido sub involucro lactis hærent, ad nidorosam cruditatem ruunt, & putrescendo ad diarrhoeas & paroxysmos febriles infantes disponunt. Sic & inter ablactatos sc. & adhuc lactantes. HEURNII euporiston est, dum dat recens natis pulverem seminis anisi ad ℈j. sic & Iris Florentina pulverisata ad aliquot grana vomitum facit. Author commendat pulverem seq.

℞. *CC. S. igne* gr. ij.
Pulv. jalap. gr. iij.
Ol. anisi gut. iv.

M. pro 3. dosib. ratione ætatis, ita ut infanti unius septimanæ sufficiat pro 3. dosibus. Sin autem saltem mucus viscidus incidendus, sufficiunt Salia fixa v.g.

℞. *Ocul. Cancr.* ʒß.
Sal absinth. g. vi. vel ix.

M. Pro 3. dosibus; horum beneficio mucus abstergitur, & acidum torminosum optimè corrigitur. Denique & convenit syrupus Antimonialis combinatus, quem optimè ferunt, ut non opus habemus morsulis & conditis. Plura *vide in valetud. infantili sub hoc titulo.*

5 *Major &c.*) Mirum est tenellos adnunc lactantes respectivè purgantia fortiora ferre posse; *VVEDELIVS* dat rationem in *Opiolog. pag.* 24. quia stomachus eorum lacte & pulte continuò incrustatus quasi & hujus respectu generosa illis non nocent. Sic in ablactatis ob voracitatem generatur mucus viscidus acidus, hinc primariò respiciendum ad sordes

ſordes has, ubi nil melius pulvere jalappæ cum cremore tartari v. g. ſi infans 4. annorum:

℞. *Pulv. jalapp.*
Crem. tart. ana gr. iv. vel v.
M. detur in vehiculo calido.
Pro puero 6. annorum.
℞. *Pulv. jalapp.*
Cr. tart. ana gr. vj. ad 8. vel 10.
M. detur pro doſi: Antimonium tamen dulcem præferimus, incidit enim potenter viſcidum, ſimulque lumbricis reſiſtit, & variolas præcavere dicitur; datur v. g. doſi granorum ſeriei annorum reſpondente, ſic puellæ annorum duorum ij. grana ejus, gr. iij. vel iv. vero robuſtiori à 4. annis: Vegetioribus additur gran. j. pulveris jalappæ. Sic pro trium annorum puero.

℞. *Mercur. dulc.* gr. iij.
Sacch. albiſſ. totidem.
In *cochleari ligneo* detur, hoc modo ſæpè miratur mercurii effectum. Item in initio optime confert ad præcavendas variolas.

TEXT. LUDOVIC.

6 *Prægnantes* autem quod concernit, principio certum eſt, plerunque ſupervacue Purgantibus paſſim tentari, quod longe compendioſius ſecuriuſque ſolis Præcipitantibus, Anodynis, Hyſtericis aliiſque ſpecificis temperatioribus, ſub paulo circumſpectiori methodo tantiſper tranſigi poterat: Quod porro & ab altera parte, dum omnino laxativum quid neceſſarium eſſe videtur, negotium (ob particulares teneriorum obſervationes,) ut plurimum nimis intendatur: ſiquidem imprægnatas, ingravidationem ex ignorantia abjurantes, vel alias à verſatis quoque Medicis pro cachecticis, hyſtericis aut hydropicis per draſtica ſat valide ſæpiuſque, at nihilominus impune tractatas, nullibi non invenias. Atque hinc ut delicatiores pro cruditatum ſubſtractione apertaque ſervanda alvo, (etiam tuberculis illis hæmorrhoidalibus circa gestationis finem non obſtantibus,) *Pilulas ſupradictas Aloëticas*, imo neceſſitate ſic tandem jubente, *Sennata quoque Infuſa*, inter alia Eccoprotica huc quadrantia) ſat commode ferunt; ita nec v. g. *Jalapinis ſolis*, *aut Tartaro vel Scamonio quoque ſociatis*, robuſtiores (dum omnino opus fuerit) læduntur. Ut proin nec hac de cauſa *Rhabarbarata*, *Diacydoniata*, *Roſata*, *&c.* (per Sacchari, Mannæ Caſſiæque dulcorem tormina hyſterica plerunque magis concitantia,) item *Myrobalani aut Mechoacanna* cum congeneribus tantopere exigantur. Ac quæ hactenus diximus, etiam de Purperis intelligenda veniunt; factuque de cætero optimum, ut miſſa hic vulgatiorum legum obſervantia, totum utrobique per *Appropriata ſua* tantum tranſigatur.

PURGANTIA EXTERNA.

INter Externa tandem, quantum primo ad 7 *Clyſteres*; qui Remediorum revera conferentium, non ob conſuetudinem ſaltem conferre creditorum) effectum paulo curioſius attendit, facile nobis condonet, ſi dixerimus, in affectuum reapſe curabilium medelam vix ultra *Emollientes & Anodinos*, (pro diuturnis ſcilicet alvi obſtructionibus, immaniorique dolore nonnunquam ſic placando,) alios requiri; atque hos ipſos facilime ſufficientiſſimeque nunquam non parari poſſe ſaltem è domeſticorum miſcella, vel inſuper (ſiquidem Acumen quoddam alicubi exigatur,) incocto vel intermiſto ſuprapoſitorum catharticorum competentium aliquo; citra *Caſſiam Officinarum extractam*, *citra Diacathslicum*, *Mel Mercuriale Hieramve ſimplicem*, *ac citra recentiorem Caſſiam pro clyſteribus*, *citra Electuarium pro iiſdem*, *aut Pulpam Prunorum purgantem*, *ſirupos Mercuriales*, *&c.* ſeorſim repoſita. Eodemque extemporaneo quaſi, modo *Acriores* quoque confieri poſſent, citra omnem & veterinariam fere *Logadii Pacchiique*, *aut uſitatiorem hactenus Compoſitam Nicol. Hieram*, *citra Electuarium Benedictum Laxativum*, Oleum Diacolocynthidos, & conſimilia: ſiquidem omnino quiſpiam in vehementioribus affectibus operæ precia ſe talibus (vulgo hinc paſſim, ob ſubſequos etiam accidentarios eventus alias exoſis,) promereri crederet: licet nos quidem tamdiu vix ac ne vix quidem reale juvamentum inde plerumque obſervaverimus; imo Lenientes quoque, in capitis &c. morbis, (ſaltim alvi admonendæ aliarumve ſpecioſiorum indicationum cauſa infuſos,) novos tumultus, ſopores aut convulſiones plus vice ſimplici concitaſſe viderimus.

8 *Suppoſitoria* quænam materfamilias diverſimode non conficit? è lardo, ſapone, candelæ fruſto, adipe, ficu, & potiſſimum triviali melle; quod etiam, dum opus, vel *Ialappa pulvere* ſufficienter acuitur: ceu nec quæ ex Alumine formantur, in certis circumſtantiis fallunt: ut *Species pro iis ac Pulveres varie Colocynthinos*, *Aloëticos*, *Helleboratos vel etiam Antimoniatos* aſſervare ſit plane ſupervacuum: æque ac ſemiruſtica illa 9 *de Arthanita & agrippa &c. Off. Unguina*; *cum recentioribus etiam Subſtitutis*, & eleganter quidem è ſeminibus nonnullis, (fere rarioribus) atque arillis *expreſſis Oleis*. Cum Alvus ſimpliciori ſæpe ratione (per Cataplaſmata emollientia, Calidæve vaporem molliri, vel ſolo Sambucino expreſſo ſolicitari poſſet:) delicatulique tot internorum modis hodie haud difficulter fallantur.

10 *Odores* (ſupra quoque tacti,) indirecte tantum interdum aliquos, præ mollitie ad adſumptum olim graviuſve ſpirans medica-

NOTÆ.

6 *Prægnantes* non purgandæ, ne fœtus ex uſu purgantis vim laxativam experiatur, aut ne ob ſpaſmodicam contractionem abortus fiat; ſin verò purgandæ, jalappa cum Cremore tartari: item infuſa ſennata ſufficiunt; item pillulæ aloeticæ. Dulcia verò, & ſcammoniata vitanda; quæ verò non purgandæ, illis danda incidentia & præcipitantia. Pro puerperis ſufficiunt pilulæ peſtilentiales Ruffi, vel Elixier proprietatis cum rhabarbaro.

7 *Clyſteres*:) Author facit duplices; nos addimus tertiam ſpeciem, nempe pro ſcopo inteſtina fortius ſtimulandi; atque ob has rationes præſcribuntur clyſteres; contra rarius vulneraria & conſolidantia clyſmata in dyſenteria præſcribuntur. Pro clyſmate anodyno ſufficit lac cum ſacchari ℥j. vel mellis; item excellunt terebinthinata in vitello ovi diſſoluta ad ʒij. vel iij. It. additur theriaca ad ʒij. vel ij. vel opium ad ℈ß. vel ſyruptus papaveris ad ℥j. Pro fortiori ſtimulo additur colocynthis, item radix pyrethri & Antimonialia & ex hoc paratæ Aquæ benedictæ.

8 *Suppoſitoria*:) Fiunt vel domeſtica ex lardo, quod maceratur in aqua tepida, & hinc formatur ſuppoſitorium, quod convenit ad aſcarides, ſeu vermes inteſtinum rectum infeſtantes; item ex Sapone Veneto; Vel officinalia v. g.

℞. *Pulv. jalapp.* ℈j.
Sal. gemm. ℈ß.
c. ſ. q. mellis fiat ſuppoſitorium. Tandem *ex alumine* quoque *egregia fiunt*, cujus primus inventor. *ANGELUS SALA*, & poſt hunc *SYLVIUS in Praxi lib.* 1.

9 *Arthanita*:) Rejicit Author unguenta externa purgantia. Nonnulli modernorum utuntur ol. expreſſis ex ricini noſtratis & Americani ſemine umbilico illitis: Idem & præſtat ol. ex arillis ſambuci expreſſum.

10 *Odores*:) Saltem quoſdam purgant, hinc Medicus illis non poteſt inhærere.

TEXT. LUDOVIC.

mentum (vel visa pyxide) nauseantes movent: nos potentissimorum quoque catharticorum extractiones in hypocausto tamdiu exhalantes, (nec duri tamen,) haud quidquam unquam inde sensimus. 1 *Infusorum in venas* certior adhuc expectatur experientia: & quis nobiscum (etiam sat nauseantibus,) bis pharmacum per os quam semel ista via suscipere nollet, ? Ita quoque 2 *Tabacinus clyster* inter experimenta curiosa locum mereri quidem poterit; in praxi hujuscemodi suffumigium profecto foret hic semisordidum, aut petulantioribus pro deridiculo.

VOMITORIA.

VOmitoria proprie dicta, qui nunc in 3 Vegetabilium cohorte quærit, Antimonialium præstantiam & securitatem data opera ignorare velle videtur: siquidem & (aliquot tantum dierum aut septimanarum) 4 pusionibus suffocativi quid patientibus innoxie dantur, minusque hinc, proculdubio ob paulo ante dictam causam, præ adultis commoventur: (quamvis timidiusculis aut certis in circumstantiis, etiam 5 *Iris florentina pulverata, & paulo liberalius, ad grana tria, quatuor, exhibita* officium hic quoque suo modo faciat.) Qui porro duro nonnunquam nodo Mercurialem quendam, rite paratum cuneum considerate applicat, utroque sic contentus, ne 6 *Asarum quidem* (*in substantia infusoque* sumentes profecto satis exercens,) exiget, aut supervacuum sæpeque turbans tantum, parum autem promovens (ni Antimonio stimuletur,) *Extractum, quovis etiam modo paratum: Decoctum* alias deses, *Diasarum* (inter vana accessoria) antiquarium jam est: 7 *Elleborus albus* virulentus; *Correctio ejus* maximam partem superficiaria, vixque mitius *Extractum simplex*, æque ac confuse quorundam *Compositum*, & quod ejusdem sortis, *Extracti specifici Emetici* nomine venit, (simul Esulinum, improportionaliterque vitriolatum:) nec præsentius quidpiam in *recentiori Elixirio Emetico vegetabili secundo*, (utroque helleboro constante,) invenimus, aut in solitariis completisque (vel in speciem interdum postmodo exitiosis, (*Extracti Hellebori nigri* dosibus 8 *Esula, & utroque Ricino* interiora frustra exuruntur; adeoque neque istorum producta, *Species scilicet Diasula*, indeque (cum Theriaca adjecta constructum) *Catharticum vitæ, Elixir emeticum vegetabile primum, Sirupus purgans vegetabilis recentioris inventionis consimiliaque Tithymallina germina, Extracta atque Mixturæ*, superiorum intuitu huc referri merentur. Eademque de causa 9 *Oxymel de Peto simplex & compositum*, [superioribus quidem lustris tum non adeo rejiculum) nunc in exquisitiori Mineralium excolitione contractiorique remediorum apparatu supervacaneum; *Decoctum Infusumque Tabaci* semirusticum est, æque ac externi hinc *capitis ventrisque* 10 *Litus*, & medicastrarum 1 *Oleum arillarum Sambuci, &c.* ejus sane turbulentiæ, quæ in antimonio ritè præparato atque dato vel non invenitur, vel citius securiusque terminatur, *Reliqua* notorius languor ac perfrequens expectationis, frustratio aliàs hodie fère penitus, (nisi quod aliqui talium consarcinatione ingenium ostentent,) expungit: ut verbi gratia, *Raphani* (cujus integra radix incassum estur,) *succum atque semen, Atriplicis semen & radicem, melonum, cucumerum antiquariique Cyclaminis radicem, ebuli ac sambuci* plerumque nauseæ tantum, (etiam in acetariis) creatrices 2 *Gemmas, Flores*, (quibus vinitores nequam alicubi Muscatellinum saporem, at manè non

NOTÆ.

1 *Infusorum*] Hic author meminit Chirurgiæ infusoriæ per venas, dum infundi solent liquores purgantes; Vide. *Transact. Angl. pag.* 558. & 568. ubi prostant exempla, dum liquor ad ʒj. infusus aliquoties alvum excitavit, & quod curiosum vomitum movit.

2 *Tabacinus clyster.*) Bonum inventum est, dolores enim sistit, & alvus stimulatur; ut taceam commodum, quod nobis ipsis applicare possimus.

3 *Vegetabilium*) Vomitoria sunt violenta & tædiosa, Antimonialia verò tutissima & omnium optima.

4 *Pusionibus* :) Propinare vomitoria modus est sequens:

℞. *Syr. emet. concentr.* ℈ß. ad ʒß.
Aqu. menth. ʒij. vel iij.

M. detur non pro una vice ut adultis, sed saltem in cochleari parum ejus, deinde alterum, & si non supervenerit operatio, tertium. Ex his, si vomuerit sufficienter, abjice reliquum, si non, repetatur cochlear. j. donec speratus vomitus apparuerit; hac ratione non nocebimus infanti.

5 *Iris florentina.*) Hanc ad gr. iij. vel iv. pro vomitorio infantis recens nati, aut aliquot septimanarum commendari meminus, in adultis datur frustra.

6 *Asarum* :) Ad ʒj. in substantia est laboriosum, & in infusione per folia nauseosum est remedium; extractum quod habet ZVVELFER. languidum est: Decoctum ut diversimodè præparatur, eatenus & ratione virtutum variat, quippe in Aqua simplici factum vim vomitoriam exuit, annotante HELMONT. & ZVVELFERO & diureticum evadit; in vino verò decoctum vel infusum, vel cum vinosuccus expressus assumendo ℥ij. dat vomitorium, ast languidum. Diasarum FERNELII ad ʒß. vel ʒvj. effœtum se exhibet, rejicienda ergo ex asaro.

7 *Helleborus albus* :) Validissimum vomitorium & superat antimonialia; hinc in maniaco commendat LINDANUS, extractum non adhibendum, nimis enim virulentum est: Sic nec ullum extractum emeticum præscribendum; corrigitur acrimonia hujus Salis volatilis aceto.

8 *Esula* : Æstum stomachi & ardorem faucium causant, hinc eliminamus.

9 *Oxymel de peto simplex* :) Duæ sunt substantiæ in Nicotiana, Sal volatile acerrimum, insigne visciditatum resolutivum, cujus ratione pro apophlegmatismo inservit. 2. Oleum penetrantissimum narcoticum virulentum, in quo cum Sale volatili juncto vis consistit narcotica: Omne Sal volatile est expectorans, & in asthmate & orthopnœa laudatur. Oxymel de peto descriptum vide in HORSTII *dispens.*

10 *Litus* :) Ex Nicotiana supra & infra purgant, dum nempe regioni umbilicali externè illinuntur; sic Medicastri, dum ex Nicotiana minutim incisa, & permista cum butyro vel pinguedine anserina pro scabie ungenta suadent., observavimus ex horum usu puellas 10. & 12. annorum insignes præcordicorum anxietates, vomitus & copiosos secessus incidisse.

1 *Oleum Arillorum*) Est nimis potens, & fit ex arillis in baccis Sambuci repertibilibus expressione ad ʒj. datum.

2 *Gemmas* :) Has exsiccatas, & in lacte coctas nutrici exhibitas pro augmento lactis, novimus induxisse diarrhæam & nutrici & fœtui. Cæterum ut vinopolæ vinis saporem moschatellinum concilient, duplici utuntur mangonio, nempe vel sclaream, vel flores sambuci, vino recenti infundendo.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

sine crapula vino malitiosè conciliant,) & rusticorum *Cortices*; *Iuglandis item cortices*, *&* *diffusa molis Iulos*, quæque insuper in Sylvis medicamentorum hinc inde, vel ex aliis tantum recitando proponuntur. 3. *Lenia illa*, (*laxantia saltem*; *aggravantia*, *vel conatum naturæ facilitantia*,) alias in vulgus nota, infrequentioris nunc usus, ac revera parvi (ni paucos aliquot forte casus excipias,) momenti sunt.

Atque hæc de vegetabilibus Catharticis. Quæ ex *animali Regno* vulgò huc trahuntur: *Rasura unguium*, *saponis in jusculo frustum*, *ova formicarum barbique piscis*, (quæ tamen copiosissimè impunè nihilominus ingeri sæpe vidimus,) 4 *Stercora diversorum animalium*, *aut* 5 *proprii sympathetica* (*vanaque*) *tractatio*, *&c.* sordida sunt, aut tumulentorum vexationibus, medicastrarum vel superstitiosorum negotiationibus, quam comptæ Medicorum praxi aptiora.

CATHARTICA MINERALIA.

E *Mineralium vero prosapia* cum quamplurium effectus revera præsentaneus, parabilitas suo modo major, & dosis plerumque acceptior existat, merito hinc aliqua, (tanquam 6 tamdiu boni viri remedia, donec universalia vel alcahestina pandantur,) pro apparatus nostri complemento seligenda, seu vegetabilibus (dum evertendo malo haud raro imparia deprehenduntur,) associanda veniunt: similiter tamen ex usitatioribus tantum & experientia hactenus sufficienter probatis. Ut enim frustranea institutoque nostro contraria hic quoque foret Pharmacorum ejusdem naturæ & effectus accumulatio; qua tamen hodieque libros & Myrothecia hinc, (inter inanes eodemque tandemque recidentes 7 Variationes, ac novorum vel quasi modorum, menstruorum, extractionum, destillationum, volatilisationum, correctionum inventiones,) referta cernimus: ita nec adhuc dum minus probata infida, præter rem vehementiora crudiorave minus versatorum abusui temerè hic exponemus; aut ex scriptis citra præviam tentationem, vel inmuseo passivè natis, coram Vulcano expirantibus processibus, quæ paulo exercitatior vel è sola lectione dijudicat,) tyrones lactabimus; nimisve demum laboribus atque expensis (in speciosas quidem, at supervacaneas tot ambages, pro melioratione scilicet remedii excogitatas) necessariis, in praxi alias sat operosa nequicquam onerabimus.

Sit itaque primo, quod è progenie sua quidpiam contribuat, *Antimonium*; etiam 8 Exteris, post diuturnam condemnationem, haud ita pridem demum publicè adoptatum: 9 *selectius si datur*; sed nec minus striatum minusque rubens, (nisi quod nonnunquam in cinnabaris copia aliquantum deficere videatur,) officio suo deest, *Emeticaque*, primo dat (ceu notum nunc,) præsentissima, sufficientissima; passim tamen (ut invenientium ac colligentium genius forte tulit,) non sine luxuriante adhuc dum excessu. *Vehementiora crudioraque*, *&* *quæ ob circumstantias quasdam incertioris dosis sunt*, *aut alias præter rem operosiora*, (dum compendiosa enchirisis satisfacit,) intentio nostra hic non admittit, & è securioribus parabilioribusque vel unicum aut duo sufficient.

NOTÆ.

3 *Lenia:*) Talia potius vomendi conatum, quàm vomitum excitant.

4 *Stercora*) Hæc inter eminet muscerda, cujus globuli 3. vel 4. infantibus propinati in lacte materno eosdem laxant; delicati eorum 6. cum lacte subactos per linteum exprimunt, succum exhibendo.

5 *Proprii*,) Triplici modo per sympathiam purgare possumus, nempe proprium stercus calidum miscent cum cerevisia fermentante, fæce vel etiam flore vini itidem fermentante adhuc, hinc seponunt misturam in locum calidum. Sic quamdiu hujus misturæ fermentatio durat, tamdiu & blanda diarrhœa homo afficitur. 2. Recipiunt os humanum, replent stercore humano calido, & immittunt aquæ calidæ, quamdiu ista aqua calida, tamdiu homo is diarrhœa corripitur. 3. Stercus calidum linteo inditum suspendunt in flumine, in quo tamdiu illud manet, quamdiu homo ille stragula conspurcat.

6 *Tamdiu boni viri*:) Hisce notat Author HELMONTIUM dicentem, quamdiu antimon. vomitus moveret, & mercur. in remedio vivificari queat, tamdiu non esse boni viri remedia.

7 *Variationes*:) Hic suggillat superfluas illas processuum variationes, quæ tamen coincidunt, id quod in vitro & floribus antimonii parandis conspicuum est, ex ignorantia nostrorum prædecessorum Chymicorum, & simplicium agentium in se invicem & patientium.

8 *Exteris:*) Alludit hic Author ad FACULTATEM MEDICAM PARISIENSEM, quæ ex 120. membris Chymiæ ignaris constat, & anno 1566. publico decreto sancivit, infusa antimonialia in vino esse eliminanda, quia venenosa & corpori humano exitialia forent: Hoc decretum à PARLAMENTO confirmandum curavit; post seculum verò anno 1666. mutavit iterum sententiam, dicendo vina antimonialia esse tuta. Vid. *Epheme. Gall.*

9 *Selectius:*) antimonium striis notatum magis de substantia mercuriali saturnina participat; rubeum verò ex nigro promicans continet sulphur antimonii nobilius & fixius, si ergo pro remedio sulphureo, croco & floribus sulphureis solaribus inservire debet, eligendum rubrum: Sin verò ex illis & parte mercuriali parare vis remedia e. g. antimonium, diaphoreticum, regulum Bezoardicum, mercurium vitæ, &c. elige striatum; Videtur verò antimonium quod sibi saturnum admixtum habeat, siquidem striæ allegatæ saturninæ sunt naturæ, & reverà in antimonia nativo interdum aliquid saturni reperitur, cujus δοκιμασία est, quod si antimonium cum nitro detonetur, in reguli forma saturnina perfecta demittatur; contra si illud idem totum abeat in crocum, magis sulphureum est; adeoque in antimonio duæ allegatæ substantiæ sunt ejus partes, ex quibus constat, & mercurialis à sulphure separata regulus appellari solet. Jam quod sulphuream antimonii substantiam attinet, luxuriat ea in antimonio, estque duplex. 1. Sulphuri minerali simillimum, nisi quod ad viriditatem declinet. 2. Est sulphur fixius & intimius nonnihil regulo suo associatum, quod participat de natura auri; unde quando ex sulphurea antimonii substantia parare volumus remedia, necesse est ea per alcalia fixa & hinc per olea tractemus, quippe quæ duo optimè sufficiunt solvendis mineralium sulphuribus; adeoque & sulphur antimonii per alkalia fixa, & hinc per oleum extraverti poterunt. Quoad alteram substantiam mercurialem, hæc participat de natura saturni, utut volatilis adhuc, cum si fixata esset, perfectum esset plumbum, & parcior eadem reperitur respectu sulphuris, vultque præparandis hinc remediis per acida tractari. Porrò cùm duæ hæ substantiæ sub naturali sua concretione invicem adeò intimè coaluerint, hinc non tàm facilè à se invicem separari possunt, quin potius, dum alkalia in substantiam sulphuris antimonii agunt, & simul regulum ejus solvunt; sicut è contra dum acida menstrua abeunt in regulum seu mercurialem substantiam, eadem quoque solvunt sulph. antimonii una, & acidum cum regulo sulph. ejus quoque imbibit; unde ex hac ratione fit, ut subinde ex sulphuribus antimonii, sulph. v. gr. auratum, &c. in integrum antimonium reducibile fit. Cæterum in duabus his substantiis observare possumus duo illa mechanica naturæ instrumenta, nempe acidum & alkali; Etenim

acidum reſidet in ſubſtantia ſulphurea, alkali verò in mercuriali; unde ſicuti ſulphurea ſubſtantia, propter latens in receſſu acidum, per alkali tractari cupit, ita contrà, mercurialis per acida ſubigenda venit. Quod attinet vim emeticam, hæc non præciſè conſiſtit in ſulphure, nec præciſè in mercuriali ſubſtantia, ſed in ambabus junctim combinatis, cùm neutra harum ſola purgare aut vomitum ciere ſoleat, ſed utraque demum talem texturam conſtituit, quæ acrimonia ſua linguæ quidem inſenſili, ſtomachum tamen purgare, & ad ſpaſmos excitare poteſt. Cinnabaris tamen antimonii conſtans ex ejuſdem ſulphure ſolo cum mercurio vivo combinato, nec vomitus, nec ſeceſſus movet, ſed ſaltem diaphoreticum & anodynum eſt, non ſecus ac ſulphur illud mercurii ſingulare, quod habet *TACHENIUS in Hippochr. Chym. pag.* 182. cujus doſis quamvis ſit ℈j. nullos tamen vomitus movet, ſed vi anodyna hæmorrhagias uteri ſiſtit. Pari ratione mercurialis ſubſtantia per acida fixata nec vomitus nec ſeceſſus movet; vis tamen catharctico-emetica magis in mercuriali quàm ſulphurea ſubſtantia ſubſiſtere videtur; atque ex his obſervare licet elegantem purgantium analogiam, nimirum inter purgantia vegetabilia & antimonialia; nempe vegetabilium purgantia conſtant ex reſina h. e. ſulphurea ſubſtantia, ſociata ſali volatili acri, ex quorum amborum mutua textura in vegetabili emergunt particulæ illæ acres laxativæ; eadem ratione in antimonio particulæ ſulphureæ, in receſſu pingues & acidæ, cum mercurialibus ſeu alkali volatili coeunt in ſubſtantiam fortius purgantem, quando particulæ illæ antimonii rigidiores ſint, eædemque minus alterabiles, quàm vegetabiles. Sic purgantia vegetabilia corriguntur per alkalia fixa, eorum ol. liquefacientia, & per acida fixa, eorum ſal volatile figentia, ſicuti & purgantia antimonialia. Cæterum de ſalina ſubſtantia ne micam continet antimonium, & quicquid dicunt de hoc Authores, mendacia ſunt & impoſturæ, niſi quod additis corporibus à menſtruis ſalinis id acceptum ferendum ſit, ceu à quibus antimonium facile figuram ſalis formem acquirere poteſt: Objicis, atque ex minera antimonii deſtillata elicitur ſpiritus acidus ſeu acetum antimonii vulgi, falſò à quibuſdam acetum Philoſophorum dictum, ſicut & ex antimonio ipſo tale acetum, utut non in tanta copia prodit? Verum ℞. quod in omnibus mineris in fodinis adhæreſcat ſulphur univerſale, quod beneficio aquis ſeparatim ſub forma aceti prodit, non autem id ex antimonio ipſo procedit, niſi forte tantillum contineat ex ſulphure ejus combuſto, à cujus acido manifeſto reddito ſeparari poteſt; adeoque dictum acetum eſt ſaltem progenies ſulphuris, non verò ſic propriè dicti ſalis.

TEXT. LUDOVIC.

Cum proinde 10 *Crudum* aquoſos nec ſatis acidulos liquores, (incoquendo vel infundendo,) parum hunc in finem alteret; *in ſubſtantia* libellis quidem ſuſpectum, ab aliquo tamen hiſce diebus ad grana duo vel tria cum aliis Epilepticis præcipitantibus non ut Emeticum, ſed ut ſpecificum antepilepticum commendatum ſit; 1 *Vitrum verò commune ſeu intenſius ſeu remiſſius* (pro additamentorũ vel Enchiriſis ratione) *rubens*, profectò tædioſum, & ſi quis extemporaneum *Puniceum* aut quoque (mitius creditum) *Succineum* è ſuperfluo forte mercurio Vitæ paratu facile, excipiat; cuncta tamen per ſe admodum turbulentia exiſtant: cum 2 *Flores vulgares ex antimonio*, aut curioſius è *Minera* vel (carius ſaltem) è prævio *Regulo* diverſis compendiis ac (faſtigiatis quoque vel folle ſol-

NOTÆ.

10 *Crudum:*) Antimonium dicit Author non alterare infuſa, aut quoque incocta menſtrua aquoſa, interim tamen idem non inconſultò decoctis antivenereis miſcetur, imò quemadmodum notum, quod cinnabaris antimonii habeatur ſpecificum anti-epilepticum, ita non dubitandum, quin, ſi habeatur antimonium ſelectum rubicundum, illud ipſum crudum & eadem vi anti-epileptica polleat. Cæterum utut crudum antimonium coaleſcentia ſua integra manente, nullum effectum manifeſtum exhibeat, tamen equis ad ℥j. vel ij. datum, eoſdem per ſeceſſus purgat, adeoque pro uſu Medico ſi inſervire debeat textura ejuſdem materialis reſeretur neceſſe eſt, ſic enim apparet, quomodo, ignem ſi fuerit expertum, mox catharcticũ & vomitorium evadat, cum ſic particulæ ejus magis extravertantur, & antimonii corpus rarius evadat. Imò per alchalia fixa in igne tractatum antimonium, ſicque reſeratum, mox vis emetico-catharctica violenter ſe ſolet exſerere, non ſecus ac idemquoque effectus de antimonio per nitrum in igne tractato ſperatur & videtur. Alias vomitoria ex antimonio variis modis fiunt, nempe tam acidis præcipitando, quàm ſolvendo. Solvitur duplici modo, vel in via ſicca, quando cum ſalibus additis tartari & nitr. funditur in crucibulo; vel humida, quãdo idem per menſtrua liquida ſive lixivia, ſive ſpirit. acidos diverſimodè tractatur, ubi alchalia agunt in ſubſtantiam antimonii ſulphuream, acida vero in mercurialem.

Vitrum:) Rejicit Author, nempe fit vitrum per ſulphuris abundantis exhalationem, & hinc per reguli ſeu mercurialis ſubſtantiæ, cum ſulphure adhuc reſtitante, colliquationem, quæ ambæ ſubſtantiæ mutua ſui coalitione corpus tale vitriforme conſtituunt; adeoque omnia vitra antimonij conſtant ſulphure paulò fixiori colliquato cum ſubſtantia mercuriali; inde *BASILIUS VALENTINUS* rectè ex vitro antimonii tincturam ſuam antiepilepticam parare ſolitus eſt, ceu ex fixo antimonii ſulphure. Conf. *ZUUELFERUS, SCHROEDERUS, &c. KERCKRINGIUS Commentar. in currum triumphalem antimonii.* Cæterum parari poteſt ex antimonio igne forti colliqueſacto puniceum pyropi inſtar conſpicuum, de quo vide *KERCKRING. p.* 145. *l. c.* Similiter conficitur cum eodem borrace vitrum album viride.

1 *Vitra:*) non dantur in ſubſtantia, cum & infuſa turbulenta ſint, potius loco horum crocum ſubſtituimus.

2 *Flores:*) In genere in Chymia ſunt nihil aliud, quàm vapor quidam & halitus fumi formâ elevatus qui poſtmodum in fuliginem concreſcit, quæ in forma ſicca flores dicuntur, & parantur ex ſulphure, vel antimonio, vel ex aliis. Flores antimonii utut primariò conſtent ſale volatili, tamen nonnihil de regulo ſeu mercuriali ſubſtantia participant, hinc enim facile ſecundum *GLAUBERI* encheireſes denuo ii in genuinum antimonimm reduci poſſunt; præparantur vel ex antimonio crudo, vel ex antimonii minera, &c. *Vid. Auth.* vel additione ſalis armoniaci, ubi tamẽ ubique paratio. An autem totum antimonium aut flores res abire poſſit, quæritur, cum præſertim in receſſu habeat ſulphur fixius naturæ ſolaris ſublimationi repugnans? ℞. paulò nobilius nõ tantum in flores elevari poſſe, ſed potius partem ejus ex regulo & ſulphure fixo conflatam manere; contra vilius antimon. facile totum in flores faceſcere, qui per cucurbitam tubulatam optime parantur, vide de modo conficiendi flores *GLAUBERUM & ZUUELFER. Mantiſſ.* ubi docet modum parandi flores ſaturni.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

licitandis) furnis, variè 3 variisque coloribus (*albi, flavi, etiam cum* 4 *Ammoniaco sale, rubrique* tandem) conquisiti, adhuc tædiosiores; & si quis accidentarios, 5 (sub croci vel clissi detonatione prævenientes, neglectaque rejicula quædam retorta facilè retinendos) offerat, in totum tamen 6 nullatenus mitiores deprehendantur? cum 7 *Mercurius vitæ communus albus*, aut per violentiorem ignem disjecta cinnabari *luteus*, in substantia æquè vehemens, per accedentem 8 *Santalinum nostrisque similiter communicabilem) colorem* nihilo hinc mitior, Diaphoreticis autem usibus (magno Bezoartici mineralis compendio) præsertim luteus ille aptior; selectorum insuper nostrorum Præperationi ex parte inconvenientior; 9 *Regulus denique in globulos deglutiendos fusus* Empiricorum fere, inæqualis insuper operationis & fastidiosus sit; ex adverso vero cum 10 *Crocus metallorum, tantum vulgaris* (citra superstitiosam in hujus vel illius Autoris aut 1 *Terra sancta* inquisitionem,) cum solo nitro 2 absque sale communi, imo (cum sulphurearum particularum sat hic pro deflagratione reperiatur) sine 3 Tartaro quoque in neglectiori crucibulo, vel pro salvando clissiformi spiritu 4 in retorta perforata confectus, (dimissa insuper alchali 5 absinthiaci, nitri seorsim 6 prius fixati vel 7 arcani duplicati, aliorumque curiosius huc requisitorum perditione) admodum existat parabilis; Florum insuper & vitri vices in potioribus extractionibus, aliisque Chimicis laboribus sat commodè suppleat; cum porrò per 8 (appropriatum hic fere) nitrum aliquanto penè sit curatior, 9 Ophthalmicis aliisque Chirurgicis Topicis haud inutilis; & nitrum fixum præterea, quasi gratis suppeditet; forsitan proinde non immeritò hepar illud ante dictis in tantum præferimus, & syllogi nostræ inserimus, pro unius alteriusve hinc euporisti quasi fundamento. Nec enim in substantia, (æquè sat violentum,) hodie circumspectior quisquam dederit: siquidem nec 10 *tenerior ejus pulvis*, (è croco post detonationem statim cocto, per acida præcipitatus,) *nec crudiora prioraque post præcipitationem antimonii sulphura* adeo sunt sedentaria; sed si subjecta quædam competentia decenter imbuuntur ejus seu teneriori, & instar aloës (sub exigua

NOTÆ.

3 *Variis coloribus:*) Omnes flores ejusdem sunt naturæ, quo magis colorati, eò fixiores, & de nobiliore sulphure participant, adeoque flavi meliores albis, sicut rubri flavis.

4 *Sale armoniaco:*) Additur hoc interdum antimonio, melius tamen mineræ, sic acquiruntur flores intensè rubri, in instrumento terreo rectè parati. Sunt, quibus tinctura antimonii sicca audiunt, sine vomitu blanda saltem diaphoresi insignes; inde D.D. GANTZLAND Archiater Electoris Saxoniæ iis frequenter usus est.

5 *Sub croci:*) Sub detonatione in collo retortæ elevantur simul flores antimonii rubescentes saporis aciduli, qui edulcorati cum aqua simplici calida loco florum antimonii asservari poterunt.

6 *Nullatenus:*) Sunt suspecti ut vitra.

7 *Mercur. vitæ:*) Quia constat ex mercurio vivo, si de sulphure participat, luteus est, & paratur ex butyro antimonii, quod, si infunditur aqua communi, lactescit illud in momento, & dimittit pulverem candidum vel luteum vel flavescentem; hic cinnabaris dicitur mercurius vitæ, quem Majores nostri minus in Theoria Chymica versati putarunt esse prolem mercurii præparati, quod falsum, est enim is portio Reguli antimonii, ejus sulphurea scil. pars à spiritu salis acido corrosa, siquidem tum aqua simplex affusa diluit spiritum istum acidum, hinc infractus non potest amplius continere pulverem corrosum, sed dimittit eum sub mercurii vitæ nomine.

9 *Santalinus:*) SALA rosam mineralem nominat, quia tali colore tinctus; artificium consistit in hoc, nempe butyrum antimonii loco aquæ communis præcipitatur cum urina humana, ita cadit mercurius vitæ elegantis rosei seu rubeo incarnati coloris, cujus rei ratio hæc est, quia sal volatile urinæ sulphur antimonii in hoc mercurio vitæ latens extrahit, sicque color rubicundus evadit: Contra quia Authores alii nescīverunt hanc rosam mineralem ita parari, propterea a umpserunt spir. vini santalo rubro tinctum, eoque impregnarunt mercurium vitæ in colorem rubeum.

9 *Regulus denique in globulos:*) Usus horum est suspectus, & operatio inæqualis, quippe prout acidum stomachi ex tali globulo plus vel minus extrahit & resolvit, eatenus & effectus major minorve sperandus, rejicimus ergo hos.

10 *Crocus:*) Dicitur ita, quia quilibet pulvis in forma plus minus lutea comparens in regno minerali crocus vocatur; sic calx salis vocatur crocus, item martis: metallorum autem vocatur crocus, quia Veteres in Alchymia potius quàm Chymia versati & exercitati, putarunt antimonium esse radicem metallorum unde & crocum antimonij metallorum, nomine dignati sunt. Cæterum hic crocus est nihil aliud quàm antimonium per ignem & alcali fixum reseratum, quippe alchali hoc antimonio additum immediatè agit in ejus sulphur, indeque fit, ut ex actione alcali illius sulphuris emergat colore flavo rubescens, Ac quidem in multiplici illa crocorum præparatione res eò recidit, quod nempe per alchali mediante igne recludatur antimonii corpus, cujus sulphur cum mercuriali substantia extravertitur, quæ antea in intimis quasi antimonii reclusa erant. Præparatur hic crocus vel in forma sicca vel humida. In sicca dicitur detonatio, sub qua detonatione sulphur antimonii & nitrum incenduntur; hinc sub incensione nitrum transmutatur in alchali fixum, & hoc agit in sulphure antimonii in deflagratione adhuc superstes, illudque una cum regulo reserat & extrahit, sicque mistura rubescens emergit. In forma verò humida. ℞. Lixivium vel tartari, vel salis fixi, immitte pulverem antimonii, hinc in pyxidem aperto exponitur igni, ut bulliat, agit ibi alchali in antimonium, & extrahit sulphur simulque regulum, dehinc remove, filtra, sic prodit liquor aliquis tinctus, & pulvis remanens in filtro est crocus metallorum.

1 *Terra sanctæ:*) Est etiam crocus metallorum vulgaris, & sufficit, si solum antimonium & nitrum ana detonentur.

2 *Absque sale communi:*) Additione salis communis est labor inanis, sufficit nitrum & antimonium.

3 *Tartaro:*) Inanis labor est, dum addunt tartarum ut accensionem nitri promoveat, jam sat sulphur est in antimonio.

4 *In retorta perforata:*) Sic salia accipis volatilia ex tartaro & nitro; est spiritus polychrestus, clyssus urinosus dictus, remanente in retorta croco metallorum.

5 *Absinthiaci:*) Est pompa inanis, res eodem recidit, sive sal nitri sive absynthii sumatur.

6 *Nitri fixati prius:*) Est inanis labor, nitrum enim sufficienter sub ipso labore figitur.

7 *Arcani duplicati:*) Nonnulli addunt loco nitri puri antimonio nitrum vitriolatum, ast super tortura ignis, alchali quidem nitrum remanebit, acidum tamen sub flamma avolabit.

8 *Appropriatum:*) Hoc est, quando sub detonatione illa nitrū à sulphure antimonii figitur, tunc pars nitri abit in terrestrem substantiam croco metallorum adhærentem, de quo HELMONT exclamat, felices esse eos, qui nitrum in terram insipidam possunt redigere.

9 *Ophthalmicis:*) Est præparatio aquarum ophthalmicarum infusione croci vel caput mortuum in aqua euphrasiæ &c.

10 *Tenerior pulvis:*) Quando scil. crocus detonatione

nationе

natione factus abluitur pro nitro fixo separando, & aquæ huic instillatur acetum destillatum, præcipitatur tunc pulvis aliquis antimonialis magisterium croci metallorum dictus, qui ipse eundem habet usum ac crocus, nec enim cicuratior nec correctior est.

TEXT. LUDOVIC.

quantitate nihilominus semet exerente) substantia, seu (quod de integri viri infusis quis crederet) aliqua tantum irradiatione & peculiari hinc particularum adsumpti liquoris aut pulveris dispositione; remedia hinc pro evertendo stomacho sufficientissima securiora tamen & sat, ceu decet, mitificata, passim prodiisse hactenus. nemo nunc nescit.

Atque ut è talium indefinita ferè congerie scopo nostro convenientiora quædam producamus: si (quoad 1 siccam quidem formam,) Tartari emetici absinthiaci imitamento quispiam,) ceu alibi quoque circa elegans istud remediique genus notavimus,) *Crocum hunc metallorum pro more edulcatum, cum ana tartari depurati vel purioris in decuplo vel duodecuplo aquæ simplicis calidæ per triduum in loco calido infuderit, sæpius agitarit totum, & postmodum (ad tartari quasi dissolutionem) coquendo calidè filtrarit, filtratumque liquorem ad dimidium exhalarit, intra 24. horas crystallos haud inelegantes colliget*, à grano uno ad tria quatuorve, durissimis alicubi ad quinque vel sex felicissimè securissimeque expedientes, quod ex aliis omnibus variè paratis aut correctis) pulveribus emeticis antiquioribus aut recentioribus sperari poterit. Nam quo secundum propositum nostrum ea inter se & cum tartaro hoc conferamus,) tædiosum illud 2 *Vitrum cum aceto destillato vel spiritu sulphuris correctum*, (in se utplurimum hinc humidiusculum,) item 3 *Regulinum, & mercurius vitæ regulinus vel cum sale communi tritus* (hydropicis plerumque per traditiones saltem tantopere commendatus,] *aut aceto destillato impregnatus*, 4 *Flores porrò cum sale similiter triti, aut diuturniori digestione aliquantum mitificati*, 5 *Pulvis è spiritu salis*, (*vitro vel croco-metallorum probè saturato*) *per aquam simplicem præcipitatus*, & parùm à mercurio vitæ sic differens, item *consimilis* 6 *ex aqua Regis* (*antimonio vel regulo ejus impregnata*) *parili ratione pessundatus*, &c. passim & in plerisque longè vehementiora observantur. Præter omnem verò necessitatem operosiora carioraque, nec tamen mitiora sunt 7 *Antimonium crudum aceto proprio* (*parcissimo illo*) *rubificatum*, 8 *Vitrum* (ob auri aliquantillum) *Solare, pulvis è butyro Antimonii per nitrum in aqua calida* (quantum hæc fe re poterit,) solutum, (alias haud ineleganter) *præcipitatus*, & qui negotiosius adhuc ex 9 *Electricis quibusdam mixturis instar solitarii antimonii cum sublimato destillatis, ad modum mercurii vitæ petitur. In laxativo minerali*, seu 10 Mercurio vitæ, vel etiam vitro antimonii cum nitro aliquantisper (pro aliquali cicuratione) liquato, vel uti loquuntur (quamvis ægrè invicem accendantur,) detonato, lapsus exercitatis etiam est perfacilis, ut post leviculam sæpe moram intensioremve fusionem deses hinc exeat, cum incertiori diffusiorique dosi; æquè ac in (respectivè hic ingratiori) quovis 1 *Tartaro vitriolato emetico*, cum denique supradictus tartarus in se sat efficax sufficiensque, nec in tantilla dosi ullatenus sit adversior, aut siquidem necesse omnino fuerit, 2 ex tempore domesticis quoque pulpis, conservis, passulis, &c. includi vel occultari queat, non videmur cur amplius insuper *Electuaria antimonialia, antifebrilia, &c.* plerumque satis adhuc cruda & violenta, vel pilulæ trochiscique diamargariti vomitorii cum consimilibus variationibus exigantur; aut Mercurius vitæ simplex vel cum sale levigatus, aut laxativum illud minerale *in Confectiones anisatas vel citratas consimilesve rotulas* seorsim sæpe non sine inæqualis mixturæ suspicione,) fallendi causa redigi debeat. Ita quoque si placuerit, mediocris tartari istius dosis, granis sex vel octo jalapii pulverisve nostri laxativi facillimo negotio quandocunque quidem libuerit, permiscetur: ut nec *Pulveres emeticos vel antimoniatos catharticos* (è vegetabilibus purgantibus, &c. abstergentibus insuper compositos) actu atque separatim prostare opus sit.

NOTÆ.

1 *Siccam formam:*) In infuso propinatur crocus infundendo vino, ut sic substantia tenuissima, vel irradialis quædam juxta modernos, se insinuando vomitorium evadat; quodsi verò in forma sicca propinare velis imitandus *MYNSICHTUS* additione salis tartari in præparatione tartari emetici qui videatur; hic tartarus potest esse loco vomitoriorum omnium in forma sicca.

2 *Vitrum antimonii:*) Solent (uti ex *SCHROEDERO* patet) corrigere aceto destillato vel spiritu sulphuris, &c. ast *AUTHOR* præfert tartarum emeticum.

3 *Regulinum mercurium vitæ:*) Nempe quia ferocior est mercurius vitæ, debet is corrigi, id quod fit duobus modis, vel per acetum vel cum sale communi. *Vid. SCHROEDER.* quo figat acidum mercurium vitæ & ita præparatum mercurium vitæ dicunt esse specificum ad curandum hydropem; ubi quidem verum est, mercurium vitæ copiosas evacuare aquas, interim tamen is pro hoc scopo non est cum sale communi corrigendus, præsertim cum vomitoria omnia utplurimum in hydropicis saltem per secessum purgent, adeoque & mercurius vitæ eum effectum post se relinquat.

4 *Flores antimonii:*) Corriguntur vel digestione quâ ita volatilior pars evaporet, vel cum aceto, vid. *SCHROEDERUS* verum correctionibus his possumus carere.

5 *Pulvis ex spiritu salis:*) Spiritus salis affusus croco metallorum vel vitro antimonii extrahit regulum, cui spiritui affusa aqua simplici præcipitatur pulvis albus, mercurius vitæ dicendus.

6 *Ex aqua regia:*) Hæc affusa vel antimonio crudo vel mineræ, & præcipitata cum aqua simplici, dat mercurium vitæ.

7 *Antimonium crudum:*) Sunt qui hoc cum aceto butyro antimonii destillato prodeunte figunt, ast inanis est labor.

7 *Vitrum solare:*) Hoc habet *SCHROEDERUS*, ast malè illud ita correctum.

8 *Per sal in aqua calida:*) loco aquæ simplicis sumunt aquam in qua sal solutum, ita tamen meliori consilio instillatur guttatim oleum tartari per deliquium, sic namque mercurius vitæ edulcoratus, & cum spiritu vini deflagrato correctus, mite existit vomitorium, mox purgans.

9 *Electrix:*) Inanis est labor, dum parant electrum seu misturam plurium metallorum, unde quidam loco antimonii simplicis sumunt aurum, lunam vel martem, &c. & ita butyrum antimonii compositum habent, ast hoc cum aqua simplici præcipitatum dat æquè mercurium vitæ.

10 *Mercurio vitæ vel etiam vitro antimonii:*) Encheiresis hæc nullius est momenti, siquidem si plus quàm ana nitri sumitur, vel diutius in igne detinetur, loco cathartici evadit medicamentũ diaphoreticum, Sin verò minus in igne detineatur cum ana nitri ingesto, minus corrigitur vitium illud, aut ad minimum non sufficienter.

1 *Tartaro vitriolato:*) Nonnulli vitro antimonii oleum vitrioli ad solutionem, hincque hanc cum sale tartari in tartarum vitriolatum emeticum, præcipitant participantem quidem de substantia antimonii, interim in larga dosi propinandum, secus parum vel nihil operabitur.

2 *Ex tempore domesticis:*) Scil. præscriptio in forma solida esto:

℞. *Tart. emet.* gr. iij.
sacch. gr. v. Vel
Conserv. rosar. ℥ß.

Vel si simul purgare volumus:

Tart. emet. gr. ij.
Pulv. jalapp. gr. iv. M.

TEXT. LUDOVIC.

Multo minus autem in manifesta ea antimoniatorum longè acceptiorum sufficientia Medicus paulo gratiosior deinceps ulterius requiret abominabilem illam 3 *Gillam veneream*, *vitriolum album commune vel depuratum*, *vitriolum vomitivo purgans*, *factitium*, *regeneratum aut* 4 *benedictum vomitorium mannam*, 5 *Sal vitrioli vulgatius*, ut enim *ultimum* [post debitas calcinationes aut irradiationes stiriformiter plerumque nec injucundo sapore collectum,) haud rarò tamen post diuturniorem asservationem [ceu nobis aliquando post octennium demum accidit,] semivitriolescens, laboriosiorum arcanis aliisque 6 Visitationibus interiorum terræ, &c. lubentissimè linquimus: ita quod *Vulgare sal*, ita dictum attinet, non videmus, cur miserorum palatum atque stomachum vitriolicis illis [quamvis equidem innoxiis, efficacibus planeque parabilibus) amplius nequicquam adeo vexemus, præsertim cum sumentium plerosque haud minus quam antimoniatum quoddam exerceant. Excessivè 7 *Vitrioli Martis factitii*, 8 *Lunaris crudioris* (fortè tunc mage venerei,) & in eo nauseabundi dulcoris excessu adhuc adversiores *Saturnini coaguli doses* curiosiorum particularibus Observationibus, haudquaquam vero quotidianæ decentiorique praxi debentur. Nec cur 10 *Æris squamma vel croco*, *è vitriolo purè venereo* consimilive ratione conquisito, &c. naturæ perquam adversis ac semistrangulatoriis, ventres turbemus; aut interdum inanes tantum nauseas cieamus, (cum quoad cachexias quidem martialia longè commodiora sint;) necessitatem aliquam hucusque deprehendimus. Atque hæc de siccis.

1 *Liquida* quod concernit, cum ex antimonio sub ea quoque consistentia existere quidpiam similiter varios in usus conveniat; exhactenus autem usitatioribus permulta ob incertas & inæquales evaporationes aut abstractiones, incertiusve monstrui alteriusve liquoris aut sacchari pondus, &c. incertas hinc infidasque doses reddant; alia nimis sint violenta, vel è contra languidiora aut præter rem ingrata; è curatioribus proin, sistamus hic 2 *Oxysaccharum* simplicissimum at tutissimum, etiam infantibus; si v. g. trimestri grana duo præterpropter, anniculo grana septem, octo, &c. uti adultis (hic locorum) ad drachmas duas, tres vel unicam semis quoque detur: siquidem drachma ejus uni croci metallorum grano respondet; adeoque scrupuli octo ejus (tanquam præ vitro floribusque hic commodioris,) infunduntur per triduum in aceti communis (nec destillati, utpote nimium figentis) unciis decem, in loco calido, sæpius agitatus liquor, (qui de croco revera quidpiam dissolutum vehit,) filtratur, eique ana sacchari albi additur, vitro clauso in calida detinendo spontè solvitur, & si libet, Essentiæ papaveris erratici drachma tingitur. Ita *Oxycharis reliquis* Angelicam, Zedoariam, &c. frustra adsumentibus, longè erit jucundius; *cocturam vel exhalationem pro consistentia requirentibus*, in dosi certius; *Sirupis emeticis è Laxativo minerali*, *vel floribus antimonii* cum vino & aromaticis essentiis operosius confectis, nihilominus & ad minimum par & parabilius. Nec considerate id exhibens, vulgatissima nunc sed crudiori penè illa 3 *Aqua benedicta*, *tædioso terra sancta liquore*, *infuso emetico* 4 *cum spiritu vini* (at plures in casus hic calidiori,) facto, vel cum in vino Melicratove etiam, si opus foret, dari queat) *Vino vitæ*, *Hippocratico emetico* consimilibusque supervacuis variationibus amplius indigebit: multo minus 5 *Vino* vindemiæ tempore, quo simul deferbeant, *sulphure Antimonii crudiori hunc in finem alicubi medicato*, 6 *Annulis nummisve vitreis*, *aut calice intus ita incrustato*, *&c. curiositatibus*, difficillimè in præcisas doses præsertim pro tenerioribus) determinandis. Cujus generis etiam sunt 7 *Essentia è flori-*

NOTÆ.

3 *Gillam:*) Hoc ex vitriolo vulgari vel venereo paratur; scil. cum vitrioli corpus sit corpus minerale, compositum ex spirit. sulphuris embryonato acido & minera vel martis vel veneris constans, hinc & vitriolum vel martiale vel venereum, vel de utroque participans, & hoc est frequentissimum cum & Goslariense & Salisburgense & Romanum sint mista ex marte & venere, atque ratione veneris vitriolata sunt vomitoria, sed cum nausea & stomachi subversione.

4 *Benedictam:*) SALA sibi habeat hanc mannam, cum omnia vitriolacea abominabilia propter nauseam, quam pariunt, hoc habeant incommodi, quod rugis stomachi se insinuando tonum ventriculi ad plures septimanas penitus pessundent.

5 *Salis vitrioli:*) Ex capite mortuo vitrioli elixiviatur purum putum vitriolum, parum de spiritu vitrioli participans, unde & id in perfectum vitriolum regeneratur.

6 *Visitationibus:*) Alludit hic Author ad illud Alchymistarum: visitando interiora terræ, rectificando invenies optatum lapidem, veram medicinam. Veteres siquidem ad imitationem BASILII VALENTINI putarunt ex vitriolo parandum lapidem, ut initiales literæ indicant.

7 *Vitrioli martis:*) Hoc nunquam vomitum ciet, nisi per accidens in majori dosi sumptum; contra si minori dosi assumptum fuerit.

8 *Luna:*) Saporis sunt amarissimi, ex luna & aqua fort. parantur; interim cum in omni luna semper aliquid antimonii contineatur, hinc & illi crystalli venerei erunt. Vide BOYLE *in Philosoph. experimentali.*

9 *Saturnini coaguli:*) Sunt crystalli quasi vitriolacei ex aceto & saturno, seu saccharum saturni dulcissimum, quod in majori dosi sumptum nauseam primò, in delicatulis vomitum excitat; sic namque habui fœminam quartana laborantem, cui cum præscripsi [illegible]em lap. cancrorum ℈j. gr. xiv. ante paroxysmum, bene quidem fuit, interim adhuc semper nauseabunda est.

10 *Aeris squamam:*) Hanc quidem ex vitriolo mediante aceto parant; quia autem & illa stomacho hostilis, proinde potius ex omnibus vitriolicis pro scopo anticachectico sufficit nobis vitriolum martiale.

1 *Liquida:*) Ex antimonio vomitoria quomodo haberi queant, proponit Author in vulgaribus infusis & syrupis antimonialibus, taxando dosin incertam, adeoque hinc docet.

2 *Oxysaccharum:*) Parare sub dosi grata, cujus hic parandi modus: Nempe extrahit cum aceto crocum antimonii, hac essentiam cum ana sacchari quadantenus inspissat, sine tamen evaporatione, ita dos. ad ʒij. vel iij. vel iv. præfert Author omnibus.

3 *Aqua benedicta:*) Est infusum emeticum, quod nobis placet.

℞. Croc. metall. gr. iv.

Infunde in vino rhenano, stent per noctem in loco calido, filtraturæ per chartam ℞. ℥j. vel ℥iß. Minus autem figit vinum antimonii partem mercurialem, quàm acidum aceti. Loco infusorum Moderni laudant sapas vomitorias cum succis vegetabilium acidulis paratas, (per acida enim solum vis antimonii extrahi potest) adeoque vel succum citri, limonum vel cydoniorum recipiunt, & infundunt vitrum vel crocum antimonij, quæ instar omnium.

4 *Cum spir. vini:*) Languida sunt vomitoria cum spir. vini extracta, unde & vinum malvaticum nil elicit, nisi id in majori dosi affusum ratione phlegmatis aliquid sui arripiat.

5 *Vino vindemia:*) Recipiunt quidam sulphur aureum ex scoriis paratum, idque infundunt musto recentiti, defervere una sinunt pro vino purgante, at dosis incerta.

6 *Annulis:*) Sic ex vitro antimonii annulos, nummos & pocula (ut Hamburgi) conficiunt, infundunt vinum ad ʒß. vel ʒj. & pro vomitorio propinant,

7 *Essentia è floribus:*) Scilicet flores antimonii infunduntur cum sale saturni, vel sale essentiali; ast quia hic emergit tartarus emeticus, proinde supervacaneus est labor.

TEXT. LUDOVIC.

bus cum acido tartari, vel carius similiter è *floribus aut laxativo minerali cum essentiali sale tartari* (aliis usibus convenientiore) cofectæ: c udioresque è *crudo, detonato vel florificato antimonio per diversos processus liquoresque proposita* 8 *Tinctura*; nonnunquam tamen etiam nauseæ tantum cujusdam, (æquè ac mediocria quoque Antimonii sulphura interdum solent,) creatrices, nec nisi sub excedente dosi verè vomitivæ.

Qui verò præterea, forsan ob peculiares persuasiones, 9 *Aceta destillata*, propter saturni contagium potius, quam Thapsiæ vel asari accessum) vomitoria; 10 *Sapphirinam* quidem spectantium oculis at palato sumentium infestissimam *Gillam* (*è Vitriolo veneris factitio*) liquidam, *decoctum squammæ æris cum tartaro, &c.* penitus abominabilia huc insuper accerset, data opera sat alias afflictos amplius, affligere velle, non immeritò censebitur.

Atque hæc de antimonio, ciendis vomitibus accommodato. Num autem hinc progressus 1 ad *sola inferiora*, (quasi medium inter duo extrema,) certo perpetuoque detur, jampridem anxiè quæsitum est; & acquiesceremus etiam sua vegetius, (non solum, ceu quidam asseruerunt, Aloëtice vel Rhabarbariformiter tantum) expedienti: cum secessus Mineralia hæc vel per accidens nonnunquam subsecuti, profecto longè præsentius quid conferre videantur præ vegetabilium sollicitationibus. Et sanè antimonialia 2 paulo frequentius diversimodeque tractantibus, etiam fortuito interdum offeruntur, quæ modi cujusdam, sub certa ingredientium proportione legitimaque dosi huc tendentis spem faciant. Ita *puriora sulphura* tenerioribus, post levem prius nauseam, alvum interdum satis laxant. Idem *circa crudiores vel alchalium potius quam acetosorum accessu constantes* 3 *Tincturas* haud rarò observatur: quemadmodum nonnunquam etiam in *tertiatis vel subquadruplis Emeticorum mitiorum dosibus*; æquè ac in *vomitoriis*, seu stomachi renitentia seu studio (per odoramenta acida, &c.) impedita subversione, *deorsum euntibus*. Diu est, cum confectum *Oxysaccharum nostrum una præterpropter expressi oleosi illius corticum citri succi drachma condire institueremus*: omnes hujus ac singulæ doses, donec nos vitrum destitueret, indifferenter quosvis per inferiora saltem, citra notabilem perturbationem, de cætero sufficienter expurgat. Cum denuo id multotiesque tentaremus, effectu modo in croco, modo in aceto, (ceu alias, quo acrius est, eo mitius reddit Oxysaccharum,) modo demum in macerationis modo vel tempore incassum quæsito, 4 spes decollavit semper. Quemadmodum ea quoque, quæ magna commendatione hodie dum in hunc finem sunt proposita, haudquaquam promissis æquabiliter stare passim deprehendimus,

Quippe non solum notiora ista, v.g. 5 *Mercurius vitæ cum sale nitroque tritus*, (& è particulari forsan observatione eo extensus; 6 *in Regulum liquatus lenteque ac variè hinc digestus*; vel 7 *Tartaro vitriolato largiter sociatus*; 8 *Crocus metallorũ absinthiacus*,

NOTÆ.

8 *Tinctura variæ:*) Eliciuntur ex vitro antimonii, sed res eodem recidit.

9 *Aceta destillata:*) Vomitoria fiunt ita, nempe destilletur ex cucurbita vitrea per alembicum saturnum, ita ad ℥j. vel ij. propinantur pro vomitorio, JAPATA commendatore.

10 *Sapphirina gilla:*) Sicut vitriola ratione veneris sunt vomitoria, ita & hæc gilla; unde si caput mort. vitrioli menstruo urinoso solvitur, acquiritur liquor perquàm emeticus coloris sapphirini, cùm contra acida affusa colorem viridem præsentent, unico spiritu sulphuris excepto, qui vitriolo veneris affusus itidem colorem cœruleum sistit.

1 *Ad sola inferiora:*) Vt antimonium saltem per inferiora purget. Consistit hujus rei momentum in aliquali saltem correctione, qua acrimonia ejusdem nimia, ex textura materiali nata, & volatilitas penetrantiaque corrigitur; jam verò ratio, quare tantopere desideretur antimoniũ per inferiora purgans, insinuatur ab Authore p.214. Purgantia scilicet antimonialia per inferiora non comitantur secessus cum tanta violentia & diarrhœa colliquativa conjuncti, quales quidem ex vegetabilibus purgantibus sperari solent, quæ ex sui textura salina volatilia oleosa acerrima colliquant succos corporis nostri, eosque suo modo putrefaciunt, quod itidem non faciunt antimonialia per inferiora purgantia & vomitoria, utpote quæ saltem in stomacho & intestinis acrimoniam suam exserentes, nunc secessus, nunc vomitus provocant; cui accedit & hæc ratio; nempe in antimonialibus reperitur præter sulphur volatile & sulphur fixum naturæ solaris, ratione cujus pollent insigni vi temperativa & simul anodyna, ut adeo duplex habeamus commodum à purgantibus antimonialibus. Cæterùm quomodo hæc vis conciliari possit antimonio, quæritur? ♃. Necesse est fieri per acida, non per alkalia; per acida quidem, quatenus hæc magis agunt in vim catharcticam antimonii, quàm alkalica, quod probamus, quia per acida vis antimonii emetici extrahitur, v.g. per vinum Rhenanum, non verò per spiritum vini, unde colligimus eadem acida quoque correctura esse antimon. adeo ut inde evadant purgantia; deinde acida quoque figunt vim antimonii catharcticam; hoc patet ex spiritu vitrioli acidiusculo, qui antimonii vim figit, ut vitrum antimonii fiat inde iners & languidum: item spiritu vitrioli antimon. figit, ut fiat inde antimon. diaphoreticum. Scopus ergo antimon. vim emeticam corrigẽdi esto hic, ut nempe figatur illud ex parte, non autem ex toto, sic enim hoc fit diaphoreticum, & ex parte purgans per inferiora evadit; vix autem reperitur mediũ, cujus ratio hæc est, quod cum particulæ antimoniales sint rigidiores, nec adeo tractabiles in stomacho ægrorum, quàm quidem vegetabilia purgantia, hinc vix illa sine molesta irritatione operationem suam absolvunt, quæ tamen posita sequitur vomitus, sicut sudor supervenit penitus fixata vi emetica: sanè Phyllida hanc multi abierunt, ast saltem hoc in robustioribus observatum fuit; imò antimonialia per inferiora saltem purgantia tractatu temporis denuò vomitoria fiunt; hinc vix habebimus licet non planè negandum.

2 *Paulò frequentius:*) Scilicet contingit interdum, ut casu & per accidens sub varia antimonii tractatione inveniatur aliquid per inferiora purgans, interim tamen illud non est universale, sed hoc tempore hunc hominem purgat per inferiora, aliô contra spontè supernè operationem exserit.

3 *Tincturas antimonii:*) Circa has conficiendas nota, acida menstrua antimonium nimis figere, adeoque, ne purgantes evadant, parandæ per alkalia.

4 *Spes:*) Omnes eò recidunt, ut per acida antimonium figamus, sin verò deficiunt in fixatione, manet vomitorium, si excedatur, diaphoreticum fit.

5 *Vitæ:*) Hic cum sale communi tritus interdum facessit in hydroticum, vel in purgans per inferiora tantum, attamen simul in aliis movet vomitum.

6 *In regulum:*) Hoc est mercurius vitæ beneficio salis tart. in regulũ redactus, hincque in loco calido digestus fit quidem mitior, interim æquè vomitorius manet.

7 *Tartarus vitriolatus:*) Hoc est mercurius vitæ vel cum ana vel cum duplo tartari vitriolati tritus cicuratur; quemadmodum acidum vitrioli nonnihil figit dictum mercurium vitæ, sed tamen est labor superficialis cum hic delicatis æque vomitum cieat.

8 *Crocus metallorum:*) Cautelam MYNSICHT hanc habet, ut crocus metallorum absynthiacus infundatur pro scopo vomendi in vino Rhenano, non vero malvatico; contra alii sibi ex eodem croco vino malvatico infuso promittunt infusum antimoni per inferiora purgans, sed frustra; si enim aliquid vinum malvaticum extrahit, semper erit vomitorium.

TEXT. LUDOVIC.

etiam in Malvatico; 9 *Vitrum antimonii acetosis aut vitriolicis sat impragnatum*, *flores lentè quasi*, vel non sine dispendio, *per detonationem aliquanto magis fixati, &c.* in libellos mutuo transcripti modi, experientibus claudicant, & vomitus plerunque simul, non sine multa perturbatione movent, *quamvis catharcticis, quoque vegetabilibus admonita*. Verum insuper etiam speciosiora vel secretiora ista nos passive destituunt, eo, quo propinans nolebat, confertim eundo. Ceu v. g. sunt *Crocus metallorum spiritu salis aliquoties (per divaporationes) saturatus, hinc in butyrum per retortulam destillatus & aqua simplici pracipitatus*, duorum triumve granorum dosi: *Mercurius vita cum ana vel amplius*) *vitrioli martis* factitii subactus; *Terra sancta quorundam*, seu calx antimonii, ante vitrificationem vino infusa: *Sulphur antimonii prius & impurius*, *abstracto aceto destillato* (purum enim sic tractatum ad fixa penè diaphoretica transit,) aliquanto coërcitum) *vel sale tartari denuo pro parte dissolutum iterumque hinc pracipitatum*; *item* 10 *Salinum coagulum, quod si salis tartari partibus quinque butyri antimonii octo partes instillantur, subito provenit* & ad grana quinque vel sex, oleorum verò, (sed mitigante parte sic subtracta) ad duo vel tria alias non incommodè datur: *Spiritus vitrioli super vitrum vel croco metallorum, vitro* (cum difficulter alias pariat,] *prius ritè disposito è capite mortuo butyri antimonii perfecta destillationis, &c.* Taleque similiter ariolamur, quod dum hic revidimus, nobis obtulit quispiam, 1 *Sal à croco metallorum absinthiaco (aliquanto diutius liquato) elotum & coagulatum*; cum ejuscemodi effectuum in ejus compari, nitro fixo (è croco vulgari sequestrato, etiam cum ipsis absorptis sulphureis particulis coagulato) nullatenus observemus.

In silentio proinde supplementum hic aliunde tantisper expectantes, aliam interea quercum excutiemus; sitque porrò, qui comprobatioribus quidpiam huc contribuat. 2 *Mercurius*: non protinus quidem tantum *Metallicus* ille tædiosus, & plerumque pigrior, sæpe saltem larvatus, & subtractione accessoriorum, (particulas corporis quasi diluentium) ad pristinum minerale rediens: Diaphoreticis intensionibus (si legitimus, nec vulgari mercurio adulteratus fuerit, sublimioribusve forte cogitationibus aptior. Nec porrò, 3 (cum vel unica ad extrinsecarum sordium separationem sufficiat,) *lotionibus toties diversimodisque liquoribus repetitis*, at eo ipso inter continuatas concussiones, mercurii tantum particulas [postliminio subsidentes) secum abripientibus supervacuè vexatus; aut eodem fine 4 *per Corium* (cum absorpta metallica nihilominus magnam partem sic quoque secum revera trahat,) *expressus*; operosiusve adhuc 5 *ab aliis metallicis (precisioribus etiam*, nec sine tædiosis sæpe repetitionibus, (pro majori depuratione vel exaltatione, data opera, *prius abstractus*: cum, si venalis (elotus) adhuc tamen suspectus videatur, quantum internis Practici usibus quotannis sufficit, successivè quasi gratis habeatur *è butyri antimonialis vel* 6. *Amalgamatis jovialis* (pro sudorifero maximo,) *destillatione, mercurii dulcis* (applicato cucurbitulæ capitello,) *Sublimatione*, *aut simplicissima tandem sublimati per Martem*, (*ulterius tractabilem*) *reductione, &c.* Ex horum proin aliquo, cum *Mercurius* alias 7 infidus ille servus, & in vomitoriis præcipuè, (ceu hactenus proposita sunt,) plerumque nequam, in specificis è contra per competentia coagula vel accessoria profecto planè singularis, ad salivationes facile, sed cautè tamen applicabilis ad alvum de-

NOTÆ.

9 *Vitrum antimonii*:) Hoc imbibitur vel aceto vel spiritu vitrioli: verum sic figitur, aut nisi exactè punctum saturationis acquiratur, manet vomitorium.

10 *Salinum coagulum*:). Butyro antimonii si instillatur ol. tart. per deliquium mercurius vitæ præcipitatur, qui edulcoratus per inferiora purgat.

1 *Sal*:) Id est crocus metallorum sepositus, vel & caput mort. butyrum antimon. repositum efflorescunt in sal nitrosum, quod itidem tanquam purgans per inferiora obtruditur, ast est desidiosum illud.

2 *Mercurius*:) Hic triplex datur, vulgi scilicet corporum & Philosophorum. Vulgi mercurius est omnibus notus. Corporum verò mercurius est iste, quem aliàs mercurium metallicum vocant, h. est quando ex metallis mediantibus salibus resuscitativis producitur mercurius vivus, de quo mercurio non dubitamus, & consistit fundamentum præparationis in eo, ut nempe mercurius, à sulphure coagulatus in metallum, ab isto sulphure liberetur, adeoque menstruo solvente sulphur, Mercurius in forma liquida se sistat; jam vero sulphura illa metallorum sunt ferè pinguia, & occultè acidissima; hinc media resuscitandi seu redigendi metalla in mercurios vivos erunt salia alkalia, eaque tam fixa, quàm volatilia. Inter illa est sal tartari privilegiatum quasi, sicut inter volatilia urina, sal armoniacum, quod sal volatile continet cum sale communi, cum itaque hæc agunt in sulphure metalli, mutata ejus textura prodit liquidum corpus, mercurius corporum dicendus, atque hunc mercurium corporum Author noster reponit, dicendo, eundem sublimioribus arcanis inservire.

3 *Cum vel unica*:) Hic Author mercurii vulgaris depurationem superfluam taxat: nempe cùm mercurius ille adhæsione substantiæ arsenicalis & hinc saturninæ sit adulteratus, proinde duæ hæ sordes ut separentur, larvatur mercurius vivus seu depuratur, & alii hoc faciunt sale, alii aceto, alii spiritu vini, alii aliter; ubi tamen hæc cum aceto lotio simplex optima est, & sufficit pro auferendo arsenico & saturno, siquidem saturnus mox ab aceto solvitur & nigrorē contrahit unde & quādiu nigrescit acetum, tamdiu continuanda est lotio cum aceto pro saturninis sordibus demēdis.

4 *Per corium*:) Non sufficit, mercurius enim secum rapit, quod sibi adhærescit.

5 *Ab aliis metallis*: Alii ad depurandum mercurium vivum faciunt Amalganma ex mercurio vivo, sole & luna, hocque per retortam destillantes putant, sic prodire mercurium vivum ab omnibus sordibus liberatum: verum sufficere potest compendiosior modus, qui est optimus; ℞. mercur. sublimati ex spiritu salis acido & mercurio vivo constans, qui cum limatura martis ana mistus destillatur, sic enim mars absorbet mercur. sublimati acidum, quo imbibito, prodit Mercurius optimè purificatus. Vel ℞. Caput mort. butyri antimonii ex mercurio sublimato & antiomonio constans, quod misceatur cum sale tartari & limatura martis, sic alkali destruet acidum mercur. sublimati, quo destructō, prodit mercur. vivus optimè purificatus.

6 *Amalgama jovialis*:) FABER parat ex ana jovis & mercur. figendo cum nitro, jam si recipiatur hoc amalgama & additione salis destilletur, prodit mercurius vivus purificatus.

7 *Servus fugitivus*:) Aliàs dicitur ideo, quod etsi putent eum ligasse, pereat tamen. Ad usum internum mercurius vivus usurpatur in ileo, estque innoxius, potenter enim reserat obstructiones; diutius tamen intra corpus detentus salivationes excitat; Sic quoque mercurialia pro vomitoriis exhibita sunt nequam, cruciantia infidè & plus minus operantia in hoc quàm in alio; & posito fixatum eum esse tamen nisi in administratione cautelæ adhibeantur, sed sæpius sumantur mercur. fixati, salivationes itidē excitant. Ex mercurio præparata nobis hactenus nota sunt saltem sublimata & præcipitata, quorum ambo extrinsecus saltem larvant mercurium, utpote cùm per alchalia denuò resuscitabilis sit: hactenus nota sunt potissimum magisteria; Olea enim spiritus & essentiæ mercur. quidquid & impostores promittunt, nunquam sunt observata. Magisteria autem illa sunt vel in forma liquida, vel sicca, ubi fluida ex siccis originem ducunt; sicca ex mercur. sunt vel sublimata vel præcipitata: Erunt vel 1. per se simpliciterque per ignem, supervenien-te digestione diuturna; vel 2. per spiritus acidos salinos, horumque repetitam abstractionem, vel

denique mediantibus salibus alchalicis, præcipitantibus ea in acidis soluta : Iam porrò omnia hæc præcipitata sunt vel solitaria, adeoque mercurialia simpliciter, vel simul sociata metallis nobilioribus, v.g. præcipitata mercurialia solis & lunæ, &c. mercurialia autem sublimata sunt vel cum sulphure, vel cum salibus præparata : cum sulphure quidem uti est cinnabaris cum salibus verò ordinata præcipitata sunt vel corrosiva, vel dulcia aliaque similia. Atque his cognitis & consideratis, facilis erit de mercurialibus dicendorum intellectio. Cæterùm in omnibus his præparatis larvari dicimus mercurium, ita ut hic nequam, ubi maximè æstimatur vinctus, liberetur, & in forma nativa se sistat, idque inprimis, si per alchalia tractatur, cujus ratio hæc subest, quod ipsemet mercurius, TACHENIO *in Hipp. Chym.* consentiente, repræsentet quasi alchali metallicum, inde vix per alchalia, sed saltem per acida tractari potest, cum quibus se sociando in compositum tertium salsum, quale est mercurius sublimatus & mercurius dulcis, abit; sic quoque hic mercurius eatenus amalgamatur cum metallis, quod ille se horum sulphuri acido, à quo ipse saturari cupit, societ. Ut itaque mercurio more hactenus cognito per acida tractari & larvari possit, qui contra alias per alkalia saltem resuscitari vult, utpote quæ destruunt acida mercurium ligantia, quibus destructis, iterum subordinaria larva prodit mercurius.

TEXT. LUDOVIC.

nique laxandam [inter tot longè vehementiores vomitoriasque formulas,] attentionis & delectus [per experientiam directi] omnino indigus sit; cum porrò 8 *Corollatus secretior*, hydropis, phthisis podagræque victor, ob Alcahestinæ lagenulæ defectum nobis nedum quidem verè comparuerit; 9 *vulgares verò totiesque variati ejusmodi* (tandem tamen omnes in nitrum recidentes) istius promissa neutiquam exolvant: tantisper itaque nunc huic usitatiorum & experientiæ satis sic constantium) Syllogi adjiciamus saltem polycrestum illum hactenusque (citra abusus (præ aliis minus verendum 10 *Mercurium dulcem*, exanaticis scilicet sublimati vivique partibus semel tantum, (nisi quod jam ascenderit, sub ipso sublimationis actu compendios bacillo ferreo denuo detrudere placeat,) sublimatum, calidaque postmodum elotum. *Qui* 1 *venale sublimatum* probum (aut per olei tartari guttulam subsequa flavedine, non vero nigrore, prius ab Arsenicali contagio pro recepto more distinctum) hic adhibuerit, producto suo non diffidat. Sin autem omnino cum nonnullis laboriosior esse voluerit, loco venalis (ad butyri tamen antimonialis jovialisque destillationem etiam profecto sufficientissimi,) domi tantillum quod hic requiritur, per nos paret: sive jam 2 speciosior recentiorum modus, per solas salis communis ac (parum tamen huc reapse contribuentis) vitrioli particulas, citra frustraneas sublimationis repetitiones arriserit; sive vulgatior saltem, nitrum aut nitrosa insuper adsciscens; siquidem quod è nitro hic suspectum habemus ab initio sublimationis pro more avolat.

Atque sic quidem paratus *dulcis ille mercurius*, circumspectéque præsertim (ne reses inconvenientias quasdam excitet) Vegetabilibus mineralibusve competentibus exstimulatus, non solum aliorum quorundam catharcticorum mineralium (operosiorum aut vehementiorum (vicem sat commodè suo modo supplet, verum etiam facilè prompteque præstat, quod paulo ferè diligentiores *in toties repetito* (non sine laborum ac vitrorum jacturis) *Sublimato illo dulci, notoriè hinc enervato* quæsiverunt; aut 3 adjecta (exaltationis vel appropriationis gratia) *nobiliorummetallorum particula à Solari Lunarique* (similiter purgatorii hic parum contribuente) corpore intenderunt hic alii. 4 Nec opus insuper habemus, ut (inter blanda quidem purgansia in libellis relata, in rei vero veritate vomitus sat validos aliasve in corpore turbas & incommoda passivè scientia illa,) *Arcanum corallinum quodvis, flores mercurii argenteos*, sique his alia quoque parium promissorum *Præcipitata* adjungere licet, *Mercurium laxativum in Pharmacopœis dictum*, à præcipitato tamen vitriolico nihil differentem;) 5 *Præcipitatum per se* (minori ignis vigore continuationeque) quadantenus *fixatum*, vel per operosas *spiritus vini, vitrioli, acetive destillati abstractiones nomine tenus plerumque correctum*; aut consimilium vix promissis stantium quodpiam ullatenus isti adsociemus.

TEXT. LUDOVIC.

8 *Corallatus secretior :*) PARACELSUS meminit mercurii fixi, quem à colore arcanum corallinum vocat, quò hydropem, &c. curavit; interim modum præparandi reticuit. *HELMONT.* quidem manifestare voluit, fieri nempe illum abstractione liquoris alkahest, quippe ita fixatus dehinc edulcorandus esset mediante aqua albuminis ovorum, sed deficit nobis lagenula alkahestica.

9 *Vulgares :*) Loco corallini PARACELSI CROLLIUS aliud arcanum corallinum introduxit, *vide* SCROEDERUM & HARTMANNUM, quod à spiritu nitri rubicundum colorem acquirit, *vide* TACHENII *Hipp. Chym.* sub finem; interim mercurius ita paratus est adhuc catharcticus, & salivationem movet & vomitus, nec differt à mercurio præcipitato vulgari FIORAVANTÆ.

10 *Mercurium dulcem :*) Ex omnibus mercurialibus eligit mercurium dulcem ex mercurio sublimato & vivo ana sublimatione paratum, ita namque mercur. vivus corrigit corrosivam acrimoniam mercurii sublimati, evaditque hinc singulare purgans pro morbis chronicis. Cæterum pro hoc scopo semel tantum, vel ad summum bis mercur. sublimandum esse Author monet, idque ideo, nam quo sæpius is sublimatur, eò magis castratur, dum aliquo modo figi videtur per ignis vim, atque ita, amittendo vim purgantem, evadit diaphoreticus; rectè autem mercur. dulcis egregius est in dissolvendo & attenuando acido viscido, quale speciatim in lue venerea peccat; hinc est, quod is ei specificè conducat; Sic & hic mercur. sufficit præ omnibus pro arcendo fermento acido ulcerum, pro scabiosis purgandis, ulcerosis, leprosis, &c. non secus ac in morbis chronicis inveteratis ex viscido acido oriundis, ut epilepsia, item hemicrania, contra lumbricorum exercitum, cuiusque generis, hostis horum est infensissimus.

1 *Venale sublimatum :*) Mercurius sublimatus comprobatur, si cum eidem gutta ol. tart. per deliquium affusa sit, flavus fiat, cum contra, si de arsenico participet, fiat nigricans; modum autem præparandi mercurium sublimatum vide *in Hipp. Chym. TACHENII.*

2 *Vel speciosior cum sale communi :*) Vitriolo, nitro & mercurio vivo factus nihil singulare in recessu habet, cum ascendente solo sale communi, vitriolum & nitrum in fundo vasis remaneant : melius recipitur mercurius vivus, qui solvitur in spiritu nitri, hinc solutionem per sal commune præcipita, hoc sublima, sic namque mercurius sublimatus nitidissimus acquiritur.

3 *Adjecta nobiliora :*) Sunt nonnulli, inter quos ZUVELFERUS *in Pharm. Reg.* qui mercurium sublimatum dulcem cum alumine miscent, & ita, quo nescio successu, illum exaltare satagunt, verum scopus laxativus sic potius infringitur, unde illa exaltatio quoque est superflua sapientia.

4 *Nec opus habemus:*) dicere vult AUTHOR, si mercuriũ dulcẽ ritè adhibuerimus, nos non indigere variis mercurialibus, nã omnia nostra hactenus mercurialia sunt vomitoria, eaque satis molesta, sicut continuato usu salivatoria; hinc & rejicit arcani corallini per spiritũ vitrioli parati usum, utut locum id habeat externè in scabie & nonnullis casibus Chirurgicis, ubi forsan mercurio aliqualiter corrosivo opus habemus.

5 *Præcipitatum per se :*) Hujus præparationem haber

bet ZVVELFERUS *in Mantissa*: Encheiresis hæc est; nempe subministretur ignis quasi suppressionis supra vas cucurbitæ, cùm sic mercurius facilius per se præcipitetur. Cæterum utut hoc ZVVELFER. saltem per inferiora purgare dicat tamen pariter suprà & infrà purgat, quamvis corrigatur per spiritum vini, vitrioli, aceti, destillati abstractiones.

TEXT. LUDOVIC.

Nam [uti alias notum,] si jalappæ solitariæ vel scammonio exasperatæ, aut [mercurii in pulveribus ac tabulis masticationem non immerito nonnunquam declinantibus,) supra positarum similiumve pilularum mediocri dosi [æquabiliter & vel ex tempore saltem] permisceatur; abundè hinc proveniet, quod non solum è paulo ante notatis mercurialibus *cathartis* [infidis tamen & vehementioribus] *præparationibus, vel è tot mercurialis pilulis, pulveribus, aliisque compositis* hactenus alibi expectatum est; verum etiam, quod insuper [interficiendorum & rejiciendorum vermium intuitu,] in numerosa illa, maximam vero partem ingratiori *Morsulorum, Rotulorum, pulverumque contra lumbricos serie in speciebus Diamercurii ac consimilibus* jam pridem hodieque propositis, diversimodè hic quæritur. Quippe cum alias 7 *Mercurius crudus & per se*, in hunc finem suo modo tutus quidem, at paulo languidior sumentibusque profecto formidabilis, 8 *Decoctum ejus* (ni particulas mercuriales quaqua etiam ratione satis absorptas simul afferat] pariter penè deses, 9 *Mixtura denique cum duplo præterpropter sacchari Canariensis trituranda parata*, [in liquidis vehiculis admodum instabilis, si tamen nihilominus placuerit] extemporanea tunc fit.

Imo, si tandem Casus aliqui tanquam reservati, vel renitentissimi quidam duriorum naturarum affectus obtigerint, qui Mercuriale vomitorium revera & in specie [citra fictam interdum in quartanariis, psoricis, &c. quibusdam necessitatem] omnino requirant, nec longè sedatioribus minoribusque antimoniatis, vel absque ullis evacuantibus solis invertentibus, ac resolventibus, specificis, etiam mercurialibus, item ipsis aliquando anodynis. &c. res transigi posse putetur, cur ad evitandam laborum remediorumque (vix semel hic locorum in usum necessario venientium) multiplicationem, parabilis *Turbith* 10 illius (è *Sublimato in aqua calida soluto per oleum tartari præcipitati*, & post edulcorationem lento calore ad internos usus aliquandiu digesti) Dosin, adeoque pro duro nodo cuneum paulo duriorem reformidemus? cum alias 1 *Præcipitatum quoddam* in usus Chirurgicos (*Mercurio sublimato dulci superiori crudiorique, ad Extra proinde nonnullis dicto*, tamdiu nonnunquam haud sufficiente, requiri possit; & *Turbith hoc*, præsertim si (dum ad manum forte fuerit,) *cum Liquore silicum* præcipitetur, (exoriente quidem hinc majori copia,) eum in finem perquàm sit commodum; quod autem internam adhibitionem attinet, inter istum præcipitationis actum satis æquè subactum; etiam citra *spiritus vini simplicis vel camphorati divaporationes, aut spiritus mellis aciorumve acidorum abstractiones*: quo profecto non solum *crudioribus sæpe præcipitatis* 2 diversis sub coloribus (*per solutionem ammoniaci, urinam vel aquam salitam, aut difficilius tamen per simplicem copiosiorem) subsidentibus*, verum etiam *sublimatis emeticis paulo ante notatis* securius deprehenditur; *Præcipitatis abstractitiis, post olei sulphuris scilicet aut vitrioli, vel spiritus nitri aquæve fortis abstractiones*, (etiam pro intensiori rubore si *sulphuris deflagratio displiceat, nonnullis repetita*) restantibus, in parabilitate sua par aut nihilo inferius; 3 *Præcipitato denique ex aqua forti cum oleo tartari collecto* quadantenus efficacius. Imo si quis moderatiores vomitus mercuriali 4 consortio stipatos aut ex parte sollicitatos omnino voluerit, dimidia præterpropter tartari emetici vel mercurii vitæ dosis proportionali mercurii dulcis quantitati, (sulphuris aurati jam pridem ipsi permixti exemplo,) pro robustioribus addi poterit; quo *Panaceæ istius purgantis* è mercurii vitæ (forte potius dulcis,) & vivi sublimatione nonnullibi quæsitæ, aliorumque (alterius sæpe minera-

NOTÆ.

6 *Si jalappæ*) Modus usurpandi mercurium dulcem varius est, & quidem per se datus non adeo fortè fit laxativus, indeque rarissimè solitariè, nisi infantibus, propinatur, proin societur is aliis purgantibus vegetabilibus, stimuloque jalappæ vel scammonij acuatur, ubi vulgò & in tabulas redigitur; interim hoc non promiscuè faciendum, idque ex eo, quod si dentibus teratur, & ulcuscula in faucibus hæreant, periculum sit, ne ex mora mercur. ingredientis exasperentur illa, insignisque salivatio excitetur; contra optimè in forma pilulari una vice deglutienda, vel & in forma boli exhibetur, cum aut sine aloëticis, aut cum jalappio acuendus.

7 *Mercurius crudus:*) Tuto in casu affectorum intestinorum & lumbricis potest exhiberi; interim pro scopo purgandi is languidior.

8 *Decoctum ejus,*) seu aqua hermetica AUGENII, inservit tam usui interno pro lumbricis, decoquendo ℥j. mercur. vivi in ℔j. aquæ graminis vel hyperici. Quam externè pro lavandis lentiginibus *Sommersprossen*, scabiosisque manibus, nempe

℞. Hujus decoct. ℔j. adde
Mercur. dulc. ʒiij. ad ℥ß.

Hac mistura laventur.

9 *Mistura denique:*) Triplum sacchari cum una parte mercur. vivi teritur in pulverem gryseum ad vermes, qui tamen non antecellit mercur. vivum.

10 *Turpeth. minerale:*) Ex mercur. paratum optimum est, & hic modus concinnior eligitur; solvitur nempe mercur. sublimatus in aqua calida, hincque solutu præcipitatur vel sal tartari, vel ol. tartari per deliquium in pulverem ex flavo obscurè rubescentem, qui edulcoratus ad gr. v. vj. ad x. supra movet, si mitiorem velis, post edulcorationem lento igne digeras, sicque tutius propinatur, atque ita paratum turpeth. omnium instar sufficere potest, cum reliqua è cōtra præcipitata fiant vel per abstractionem acidorum omniū vel per præcipitationem ex his cum alchali factam.

1 *Præcipitatum:*) Quoddam pro usu externo nempe in casibus, quando corpus à sordibus putridis emendandum: aut callo absumendo, aut ulceribus venenatis venereis curandis; præstat id quod vulgo cum aqua forti præcipitatur, estque hoc VIGONIS; interim præfertur huic mercurius præcipitatus ex sublimato & ol. tartari factus, neque hoc cedit mercur. dulci, ad extra dicto, qui est, si mercurius non est purus, hinc enim non internè sed saltem externè usurpatur; sic & loco ol. tartari popotest sublimatus præcipitari cum liquore silicum, qui GLAUBERI est modus, & fit hic liquor per sal tartari cum silicibus mediante igne fusionis imprægnatum, quod ipsum in loco frigido repositum in liquorem fluit, præcipitantem mercur. sublimatum in turpethum minerale optimum.

2 *Diversis sub coloribus:*) Quando mercurius vivus solvitur in acidis, tunc potest is præcipitari, nunc cum urina, nunc cum sale armoniaco, nunc cum salita aqua forti. Interim præstat, si præcipitatur cum oleo tartari.

3 *Præcipitato:*) Denique sunt, qui mercur. præparant solvendo in aqua forti, hancque solutionem præcipitando cum ol. tartari; verùm hoc præcipitatum deses est respectu illius, quod ex spiritu paratur.

4 *Mercuriali consortio.*) Ex tempore possumus habere emeticum catharcticum ex mercurio & antimonio, recipiendo nempe mercur. sublimati dulcis gr. xij. ad xv. quibus addatur vel mercur. vitæ, vel crocus metallorum, vel sulphur. aurati antimonii gr. ij. hinc juncta ambo terantur in mortario lapideo, diutius continuando, sic namque acidum mercurii dulcis sub hac trituratione aggreditur sulphur adjectum antimoniale, quod figendo sua aciditate vim emeticam nimiam nonnihil castrat, adeoque emeticocatharcticum blandum emergit in morbis chronicis inveteratis.

TEXT. LUDOVIC.

lis prosapiæ, tædiosiorisve præparationis) promissa vel effectus, in isthoc genere haud difficulter habebuntur, Num 5 autem in reliquis Emeticis, v. g. in totiens [plerumque tamen frustraneis circumstantiis (variato vel sub aliis titulis producto *Auro vitæ, in Italorum quorundam Lapide Philosophico (etiam chalybeato,) vel Hercule, &c.* adjectum auri tantillum in rei veritate tantopere conferat, talia cum simplicissimis, (in tempore tantum & cum judicio datis) conferendo, nedum quidem pervidere potuimus. Et licet *Præcipitatus solaris (simul antimoniatus,]* profecto non inefficax nec contemnendum, quorundam quoque, si credimus, *Febrifugum, Anti venereum, Cachecticum, &c.* sit: revera nihilominus ne dicamus mercurio [solitario, vel cum antimonio tantum] decenter fixato, faciliorive modo præparato, sed etiam parabilioribus eundem scopum in affectibus verè curabilibus aliis quoque morbis fit, quibus fama speciosum quidpiam [saltem quia secretius, preciosius operosiusve videtur,] sub inimitabilis quasi effectus testimonio passim opponit; quos tamen alius, tantum sub accuratiori methodo & agendorum pensitatione, euporistis suis nullo fere negotio certiusve tollit.

Ipsum *Aurum 6 fulminans* [recens etiam, nec adeo subito repercussum vel nimiopere edulcatum,) in Chronicorum pedissequo tympanitide [pariter ac reliqua plerunque purgantia,] nil in hypochondriacorum torminibus, siquidem evacuantibus potius, quam Præcipitantibus Anodynis res tum exigenda credatur, parum profecto (quod vel sola Ialappa cum Tartaro non transigat,) successum paulo attentius notantibus præstat: utut in Ardentibus, ad Diarrhœam tacite inclinantibus inconsideratius (inter tot commodiora,)ad ciendos sudores datum, alvum præter intentionem satis, imo (ceu quidam hinc questi sunt,)funeste pene moverit.

Ita nec *Inargentatas* assellationes selectus noster exigit. 7 *Catharticum enim argenteum*, uti si è purissima, & (vel natura aut per repetitas sæpius cupellationes) à contagio Veneteo sufficienter liberata Luna paratum fuerit, admodum deses est:sic è tritiori,quamvis in speciem puriori massa confectum, præter rodentem saporem,ac (hactenus quidem innoxiam) vehementiorem tamen operationem, etiam pilulari forma datum, parum sane præstat in Ascite confirmato, alias si per purgantia curabilis fuerit, submissionis indicium statim ab initio vilioribus quoque ac mitioribus ostendenti. *Mercurio consociati hi Crystalli Lunares* justo vehementiores; *Vitriola (per oleum vitrioli, desuper instillato Ammoniaci spiritu, per spiritus Nitrosos consimilesve*, plerunque nimis venerizantes modos confectæ,) paulo ante jam notata; *Liquor inde cum Tartaro coctus, aliaque ventris incommoda*, privatæ potius curiositatis vel experientiæ quam publicæ dispensationis sunt. Quo referamus etiam 8 *Lapidis calaminaris* Magisterium. Turbatorios *è Venere vel ejus Vitriolo Crocos* supra attigimus. Quæ vero è *Marte vel 9 Martis Vitriolo* (genuino, nec mage venereo) *præcipitantur aut subsident Magisteria*, quamvis inter purgantia vel *Florum titulo* referantur, nil hic (etiam diffusiori sub dosi) agunt. 10 *Sal Martis purgans*, è capite mortuo Florum Antimonialium Martialium extractum, Acuens tantum est in communi dosi; ingratumque simul saporem catharticis accessu suo affricat. 1 *Nec Lapis Armenus vel potior Lazul.*, (alias quidem in se innocens, adeoque pridem supervacue *lotus vel ustulatus*,) expectationem nostram, secundum promissa tantopere hodiernum hic saturavit; ut inter cathartica (nam specificam corroborantem vim Lunarem in sequentibus expendemus,) huc referri, vel in *Vitriolicum quide*o fine redigi debeat.

De cætero profecto ventrem turbandi multæ, pluresque forsan sequiori seculo proditurae sunt artes. Sed enim qui paucissimorum sufficientiam, ac rariorem (quam communiter credimus, necessitatem intimius novit; eaque tum, cum opus demum fuerit, circumspecte administrat; nec denique specialissimæ isti appropriationi, (è collectiorum humorum diversa liquatione, indeque di-

NOTÆ.

5 *Non autem)* Dubitat AUTHOR, an præcipitata composita cum metallis aliquam præ vulgaribus prærogativam habeant, v. g. cum aurum præcipitatum, aurum vitæ dictum, ex SCHROEDERO notum. Item HERCULES BOVII. Item lapis Philosophorum beatus, quasi esset primum rudimentum lapidis Philosophici,) & an aurum his sublimatis aliquam vim tribuat, præsertim cum illi æque suprà ac infrà moveant; & quidem per præcipitatum Solare insinuat febrifugum antiquartium RIVERII, constans ex auro in aqua forti soluto, ex vitro antimonij hyacinthino in aqua forti soluto, & mercurio vivo itidem in aqua forti soluto, quæ omnia digesta & præcipitata dant suprà & infrà moventem: Interim & hujus loco sufficere potest mercurius dulcis. Ex regno adeoque minerali AUTHOR tria eligit. Tartarum emeticum, oxysaccharum emeticum & mercurium dulcem, quibus certis in casibus addit turpethum, & hæc sufficiunt.

6 *Aurum fulminans)* Hoc diversimode paratur, in genere tamen nullum parari potest sine additione Salis armoniaci, secus enim non fulminat, ex eo, quod Sal armoniacum ratione Salis volatilis urinosi extravertat sulphur, à quo cum nitro, in auro fulminante regenerato, concurrente emergit strepitus. Curiosa est præparatio GLAUBERI, qui scil. aurum depurat, solvit in aqua forti, hincque solutionem, instillando pedetentim spiritum salis armoniaci, præcipitat, ita namque cadit aurum fulminans flavi coloris & efficax; dum verò hoc nunc plus, nunc minus edulcorare solent, sic etiam per sudorem movet & curiosum est, quod ejus grana ij vel iij, vel iv utplurimum, excrementa colore nigro tingant. Idem aurum fulminans non adeò edulcoratum, utut pro hypocondriacis & tympanicis commendetur, tamen inibi est languidum; contrà verò infantibus epilepsia per consensum correptis ad gr. j. vel ij. datum, teste experientia nostra, suprà & infrà movet. Aliàs in adultis parum præstat, nisi quod in dispositis suaviter soleat laxare; conficitur ex hoc aurum diaphoreticum POTERII, in affectibus paralyticis proficuum, non secus ac idem quoque in mulieris febre petechiali purgationem induxisse observavimus. Tandem & aurum in spiritu salis solutum & ad gutt. 20. propinatum, solet ægris fæces nigerrimas inducere, interim pretiosiora hæc sunt.

7 *Catharcticum Lunare)* Luna raro aut nunquam sine consortio cupri, vel natura vel arte, reperitur, nam & vasa argentea participant de venere, & minera luna veneris sociata deprehenditur; hinc & à venere vulgares illæ Tincturæ lunæ sunt cœruleæ, adeò ut ejusmodi Tinctura sit supposititia & veneris filia, non verò lunæ proles. Cæterùm ex luna in aqua forti soluta per abstractionem fiunt pilulæ amarissimæ, asciticorum aquas per inferiora efficacissimè purgantes (quarum genuinam descriptionem vide in BOYLEI *Phil. experim.*) ad gr. ij. iij. vel iv. exhibitæ. Unde miramur AUTHOREM illas nominare defessum remedium, nam in, tantùm evacuant, ut ægri languescant, qui languor tamen per martialia corrigendus tunc est. Curiosum est, unde proveniat amaror ex Luna in aqua forti solutâ.

8 *Lapidis calaminaris:)* Hic est naturæ martialis, indeque præcipitatum magisterium est admodum hebes.

9 *Martis vitriolum)* hoc solutum in Aqua forti & præcipitatum cum venere dat pulverem, quem HOFFMANNUS contra vermes commendat.

10 *Sal martis purgans)* Quando Sal ammoniacum cum litura ferri sublimatur, tunc in fundo remanet materia quædam, ex marte & Sale acido armoniaci constans, Vitriolaceæ naturæ, & parùm præstat.

1 *Lapis Armenus)* vel potius Lazuli, horum ille coloris cœrulei non viridescentis, hic verò Saphyrini prodit, primariò de venere, secundario de Luna participat; hinc & lapis lazuli mediante ol. lini [quod copiosum alkali obtinet) colorem cœruleum ultramarinum reddit; adeoque quicquid virtutis purgativæ dicti lapides promittunt, eam veneri sociatæ, sive vitriolo Veneris debent.

TEXT. LUDOVIC

verso colore, consistentia &c. deductæ,) nimium ceu supra jam notavimus, adhæret; in selectis his olim quoque non solum ubertatem, sed etiam superabundantiam inveniet.

DIAPHORETICA.

Atque sic è Purgantium (hactenus notiorum) cœno emersi, divertamur ad 2 *Diaphoretica* quoquo modo sic dicta; amoliamurque primum hinc *Venerea*, plerisque Germaniæ nostræ districtibus alias per Dei gratiam, in specificas destinationes tantopere neutiquam necessaria; vel si maledictum contagium alicubi exegerit; in minori quoque numero, quod inde quidem obtineri potest, expedientia. Nam uti superioribus annis sola quædam crudiora, vel inordinatius aut inconsideratius fere opposita Mercurialia vel Antimonialia malum non semper extirpare constanter quiverunt; ita nec vegetabilia huc ab exteris tracta, (cuncta quoque vel conjunctim,) paulo magis inveteratam virulentiam semper extinguere posse fideliter, passivæ circa talia versatiorum confessiones etiamnum testantur.

Imprimis autem cum 4 *China* quidem, hic & ad alios morbos (ob accidentarium plerunque effectum, & è Bardana quoque vel Pentaphyllo, Scabiosa Miliive Ambrosiaco Decocto similiter habendum,) ad hyperbolen usque olim commendatissima, in Lue nihilominus profecto parum possit. Cum 5 *Sassafras* similiter in ea nil fere valeat; de cætero pro *Catarrhalibus quidem Tincturis atque Infusis* haud adeo ineptum, saltem tamen Antimonialibus, si vegetabilia deforent, hac etiam in parte posterius; *Extractum* inter vegetiora æquipollentia remissius; *Oleum* (quasi fæniculatum) tædiosum, utrumque supervacaneum sit; nec in *Spiritu* (*abstractio ardente*, vel per Retortam, utrinque ad Coralliorum, solutiones nonnullis seorsim experito,) ultra consimiles parabilioresque peculiare quid inveniatur. Cum 6 *Ebeni Decoctum*, post deprædicatorem Iudæum una cum ipso arculario *Ligno*, necdum satis exploratum; nec quod de ingratiori illâ 7 *Saponaria*, *de Iunipero* 8 *Buxo imo ipso* 9 *Fraxino &c.* alius utplurimum ex alio retulit, continuatiori experientia satis adhuc statuminata deprehendantur: (licet perquam conveniens foret, si dum nonnullibi major aliquando datur occasio, superioribus annis à curiosioribus chimiæque deditis laudabiliter

NOTÆ.

2 In his duo consideranda probè, nempe 1. ipsa vis diaphoretica, quâ talia subjecta vegetabilia potenter sudores ciere solent. 2. vis specifica huic virtuti adjuncta medicamentosa, singularis in singulis concretis. Sic Sassafras præter vim generalem est specialiter catharris dicatum: Sic buxus speciali vi anodyna antiscorbutica, ut & pinus ejusque strobuli scorbuto in specie succurrunt. Consistit autem facultas diaphoretica hæc ferè in substantia resinosa amara, eleganter aromatica, adeoque in Sale volatili oleoso temperato, nec adeò acri, imò nec adeò colliquativo, nec virulento ac purgantia vegetabilia; undè consequenter hæc vegetabilia diaphoretica ratione substantiæ resinosæ, in Sale volatili oleoso concentrato consistentis, præter vim diaphoreticam simul corrigunt & temperant acidum, incidunt & resolvunt viscidum, & lymphæ vitia emendant; quin imò tonum fibrosum viscerum roborant, quod omne patet ex oleo destillato Guajaci vel Tartari (quo & prosapiæ vegetabilis] quæ ad gutt. vj. vel ix. propinata sunt potentissima sudorifera, & in tantillis guttis tantum præstant, ác decocta sudorifera in tot haustibus; ratio est, sunt enim illa olea Salia volatilia concentrata, sive resinæ liquidæ, quæ ex his subjectis destillata, quasi concentrata vi operantur tam potenter per sudorem.

3 *Venerea*) Per hæc intelligit AUTHOR ligna & radices pro cura hujus morbi requisita; circumscribit illa quartanario numero, ut Guajacum, Sassafras, China & Sarsaparilla, quibus tamen Moderni addunt alia simplicia, v. g. radicem, periclymeni, bardanæ, ligna juniperi, fraxini & corili; atque ex omnibus his selectum faciendo, AUTHOR guajacum cũ cortice eligit. Interim tamen selectus hic nobis nimis angustus videtur: addendum E. putamus esse lignum sassafras, juniperi cum baccis. It. strobulos pini & cortices hujus recẽtis. Sic & loco sarsæ-parillæ radicẽ tormentillæ nostratis. Quamvis AUTHOR hæc non æstimet ideò, quod non semper satisfaciant, imò & mercurialia in confirmato malo sæpè frustranea reperiantur, adeoque loco omnium unum seligendum esse moneat: Interim tamen Moderni laudem merentur, in cura luis venereæ inveteratæ utramque conjungendo methodum, nempe decoctis sudoriferis remedia salivatoria superaddendo, quo sic vi istud malum ejiciatur, adeoque, præmissis appropriatis purgantibus & decoctis sudoriferis, salivationem mercurialem, nunc quidem externè, nunc verò internè excitant, subjungentes dein unum decoctorum sudoriferorum.

4 *China*) Radix ob vim aromaticam non inelegans est, & speciatim contra scorbutum valens; interim verum est, quod huic pro scopo sudorifero, extra Luem Tartaream, præsertim alia æquipollentia præstent, nempe radix bardanæ, insigni vi sudorifera pollens, adeò ut Practici illam ad pleuritides per sudorem curandas propinent. Ejusdem effectus est decoctum radicis tormentillæ amarissimum, sarsaparillæ substitutum; non secus ipsum milii decoctum, egregiè sudoriferum, uti non tantum in febribus intermittentibus curandis à vulgo adhibetur, & illud ANGELUS SALA ad variolas commendat.

5 *Sassafras*) Hæc in puncto curandæ Luis venereæ non quidem adeò valet, interim tamen in catharralibus affectibus egregium est, ut & alexipharmacum catharrorum audiat, sive jam in decocto, sive in Tinctura, sive infuso exibeatur; & quidem paratur ex eo essentia catharralis, vel aqua fort. benedicta serpilli, quam describit MYNSICHT. vel spiritus serpilli; illa assumpta ad cochl. j egregia est. Tacemus singularem vim aromaticam inesse sassafras, sapore fœniculato se prodeuntem, stomachoque gratam; paratur ex illo oleo duplici modo, nempe empyreumaticum per retortam; & aliud per vesicam, idque gratissimum instar olei fœniculi, internis usibus pro curandis catharris aptum. Similiter spiritus ex eo duplici modo elicitur, nempe vel per Spiritus Vini abstractionem, qui Spiritus Vini sassafratus audit, vel per ligni in retorta destillationem acidulus; horum ille non adeò pretiosus; posterior verò pretiosior, quippe is acido-volatilis existens, rodit, coralliaque solvit, ut hinc Tinctura corallorum sassafrata parari possit; vel & possunt solvi corallia in succo citri, deinde cum spiritu ligni sassafras ulterius extrahi in Tincturam corallorum spirit. lignorum paratam.

6 *Ebeni decoctum*) Commendatur ab AMATO LUSITANO religione Iudæo, interim dicit AUTHOR noster, non esse adeò exploratum, sed lignum id pro asseribus aptissimum.

7 *Saponaria*) Hæc à quibusdam decoctis venereis additur; sed vis ejus inanis est.

8 *Buxus*) Buxus anodyna & ferè narcotica vi se commendat, imò decoctum & ol. destillatum sudoriferâ vi quoque pollent, interim horrida sunt ea ob amarorem remedia.

9 *Fraxino*) Hunc nonnulli substituunt ligno guajaco, sed res non est adeò experta.

10 *Alio-*

TEXT. LUDOVIC.

cœpta, magis magisque pertexeretur, non solum circa penitiorem Vernaculorum Vegetabilium, quæ omnino dabuntur, explorationem & adoptionem; verum etiam circa selectiorum Mineralium, ceu Antimoniata quoque concinniore, considerate suo tempore adhibita plurimum similiter hic contulisse observavimus, circumspectam accomodationem;) Cum denique nunc pene ridiculum sit, 10 venereorum istorum syllogen aliorum quoque morborum causa, seu nonnullorum (superiori seculo ad catharros etiam, ad cachexias ipsasque putatitias forte phthises talia præcipitantes extendentium) exemplo, in eo hodie vernaculorum gratiorum certiorumque proventu requisivisse: Ponamus proin, (quod sub primordiis quoque cum Topicis &c. in tantum satis si sufficiebat,) 1 *Guajacum* cum *Cortice suo* fortuito intermixto; (cur enim scrupulosius seorsim asservetur? pro *Decocto*, tanquam magis perluente, at quot evanidis utplurimum cautionibus circumscripto? *Simplex* plerumque optimum, aut paucis tantum competentibus vegetabilibus sociatum: ceu ex tempore quoque Tincturæ vel Essentiæ Pulveresque chimici alterantes aut diaphoretici singulis dosibus pro re nata misceri queunt. Quo nec 2 *Sarsa* (alibi forsan prægnantioribus pullorum venereorum nidis tonsorumque persuasionibus dedicanda) hic indigebimus; multo minus autem (invalidioribus vel additamentis suum debentibus, (3 *Aquis destillatis Guajaci vel Salsaparillæ, nonnullibi etiam composita; aut hujus insuper, vel* (mage quidem polychresto, cum spiritu tamen vini præter necessitatem sumptuosiori, cum aqua simplici verò longe partiori ac tediosiori,) 4 *Extracto Guajaci simplici*, uti nec *Composito liquido*, (ob Sassaphras, Rhodini &c. accessum,) *Essentia Lignorum hodie dicta*, in temperaturarum frigidiorum cachexiis haud quidem evanido, at nostratium præsertim Vulnerariorum Essentiis, spiritu Tartari, selectiori Antimonii Tinctura &c. nihilo hinc supuriori. 5 *Sal Guajaci fixum vulgare* parcum aut *ex Extracto* paulo copiosius, (sed exigua præviorum laborum impensarumque compensatione,) paratum, inter tot Alcalia diaphoretica parabiliora, (cum specifica vis illic utrobique admodum desideretur, selectus noster vel necessitas quædam singularis alias non requirit. (Sic nec 6 *Spiritus ejus retortalis simplex*, (mage supervacaneo *Composito, quem Lignorum vocant*,) præstat in Lue, quod per se Lignum solet; in alios autem tum internos (hodieque fere controverso 7 *Heraclino*,) tum externos chimicos usus profecto satisfacit, seu (si omnino quis tale quid ad corralia sua &c. exigere,) æquipollet domesticorum quispiam, *Corylinus scilicet aut Fraxineus, Iuniperinus vel* (sed mage fœtens) *Buxeus*; *item qui* 8 *è Iuglandium viridibus putaminibus* haud inutiliter elicitur, &c. (Quod autem circa hujus sortis quendam miratur nuper quispiam, quod in abstractione à Soluto acris potius & salino-volatilis redeat in omnibus hisce acidulis, etiam Mannæ

NOTÆ.

10 *Aliorum quoque morborum venereorum.*) Decocta primariò ad Luem veneream usurpantur, à Modernis autem ad cachexias mulierum, phthises incipientes, & catharros ex lymphæ vitio natos.

1 *Guajacum cum cortice*) Cortices lignorum sunt resinosi, hinc & mos est, ut in præscribendis lignorum decoctis p. ij. vel iij. ligni guajaci, & p. j. corticis ejus sumantur, quò hujus additione sic stimuletur lignum. Ac quidem pro sudorifero forti præferimus decoctum guajaci, quod magis penetrat, & plus de Sale volatili participat, (Cum ejus essentia & extractum magis de oleo obtineant: spiritus saltem de Sale participet) ejusque modus præscribendi esto talis:

℞. *Ras. lign. guajac. vel lign. juniper.* ℥vi.
Cortic. lign. guajac. ℥ j.
Sassafr. ℥j.
Antimon. in pet. ligat.
mercur. viv. in pet. ligat. aa. ℔ß.

Coq. in mens. IV. vel V. hoc est ℔ xij. vel xv. aquæ simplicis (ita ut ℥j. ingredientium respondeat semper ℔ j. aquæ forti) vase clauso ad remanentiam terræ partis, vel medias: Colat. F. decoct. diaphor. proplurib. dosib.

Etenim sassafras quoque in nostro selectu locum habet, sicut & juniperus, in qua singularis vis balsamica latet, ratione cujus semper vexata est, ac in ejus baccis resina continetur, potenter sudorifera; unde & Rob baccarum Theriaca rusticorum audit; imò & vis aromatica egregia in junipero latet, respectu ejus à TAKIO *in Chrys.* ligno cedri HELMONT. pro remedio ad vitam longam procurandam commendato, substituitur; non secus ac quoque baccæ, ac lignum juniperi non cedunt vi catharrali ipsi ligno sassafras: Interim cum lignum juniperi exilem habeat corticem, hinc adduntur eidem baccæ, vel recentes vel exsiccatæ, recentes quidem contusæ adjiciantur decoctioni ad mediam ferè partem absolutæ, cum aliàs dulcor earundem amarescat; baccæ veræ aridæ unà cum ligno infundantur & decoquantur. Contrà AUTHOREM NOSTRUM & eligimus Pinum, cujus strobuli tenelluli adhuc, glutinosi, pingues vi balsamica & antiscorbuticâ pollent, adeò ut rectè pinus arbor antiscorbutica vocitetur. Jam verò cum scorbutus apud nos vernaculus morbus pathemata artuum diversimoda, paralyses, contracturas & dolores varios excitet, proinde inter alia appropriata pini strobulos & corticem commendamus, recipiendo strobul. Mj. vel cortic. ℥ij. vel. iij. incisis affundatur Mens. j. cerevisiæ decoquendo hinc ad medias vel ad tertias, & propinando subinde hujus decocti haustum.

2 *Nec Sarsaparilla:*) Loco radicis sarsa parillæ optimè sufficit radix tormentillæ nostratis.

3 *Aquis destillatis*) aquæ destillatæ ex lignis paratæ nihil valent, sunt pura phlegmata, & cùm vix decoctione lignorum vis elici queat, quid sperandum est de phlegmate illo?

4 *Extracto*) quidam extractum & essentiam ex lignis per spiritum Vini parant, liquescere facientes eorum resinam, quæ aliàs sub destillatione prodit: Hæc vero post extractionem essentiam constituit, si per evaporationem detrahatur Spiritus Vini: Jam verò essentiæ illæ suo modo non sunt contemnendæ; utut enim in radicata Lue Venerea minoris virtutis sint, tamen in cachexia muliebri ad anasarcam declinante, & ex sero crudiori nata, nil melius est ejusmodi extracto alterante, & simul evacuante, addendo eidem baccas vel lignum juniperi, quo sic concilietur vis diuretica.

5 *Guajaci fixum*) Guajacum parùm suggerit Salis fixi; extractum verò ejusdem per decoctionem paratum copiosum Sal fixum reddit, quod phænomenon sanè consideratu dignum est; interim nec hoc Sal fixum ullam præ aliis prærogativam habet, cum omni vi seminali exhaustum sit, unde & alia salia fixa eidem substitui possunt.

6 *Spiritus ejus*) nempe spiritus guajaci per Retortam destillatus in Lue venerea, minoris est efficaciæ, quàm quidem decoctum ejus ritè factum.

7 *Heraclino*) Spirit. & ol. Heraclinum sunt decantata RULANDI remedia, & paratum fuit reverà oleum hoc ex ligno corylino, sed certo tempore deciso, per descensum id destillando, egregium in Epilepsia, partu difficili & lumbricis, Vide *Curas Empir.* RULANDI.

8 *E juglandium*) Harum viridia putamina dant spiritum acidum, & ex addito sale communi Vitriolum vegetabile.

9 *Quod quispiam*) Hic insinuat AUTHOR BOYLEUM, qui in *Chymist. Scept.* hoc habet experimentum; nempe dum coralliis affudit Spirit. lignorum acido-volatilem, solutionem blandè abstraxit, in abstractione Salino volatilem acquisivit ipse, quod curiosum est, ubi particulæ spiritus manserunt in corpore solutionis corallorum, ac dum hoc

hoc factum est, blando interveniente Igne particulæ salinæ volatiles oleosæ abierunt in spiritum salino volatilem. Etenim spiritus lignorum est acidus oleosus, in recessu nonnihil de sale volatili participans, atque hoc sub ignis tortura adhæsit spiritui: Hoc inde patet? Quando enim destillatur lignum in vase clauso, prodit & spiritus & oleum; econtra quando illud concremo apertè, tunc acidum & ol. in forma fumi avolant, & flammam constituunt atque fuliginem; atque hæc destillata dat iterum sal volatile & ol. non secus ac lignum per retortam destillatum.

TEXT. LUDOVIC.

Mellisque spiritibus, imo ipso quadantenus Aceto destillato commune est, dum acidæ ejuscemodi liquorum particulæ magnam partem cum soluto corpore remanentes, salis volatilis intermixtam & arreptam antehac in sui destillatione portiunculam sic forsitan dimittunt: æque ac in dicto Aceto destillato absorptas interdum sub Mineralium vel Marinorum solutione istius particulas, suscipiendo igne aptas, denuo interdum prodire contigit. Sed hæc in transitu.) 10 *Oleum vero Guajaci*, vel in sola olei Tartari fœtidi (si gratiora punctum hic ferre nequeant) sufficientia, nec hujus loci, nec (si forte destillanti tanti tanquam parergon provenerit,) *rectificatione quadam* adeo indignum est. Mineralia huc pertinentia, & quod deest hic supplentia, suo loco inferius referemus.

Quod autem reliqua 1 *Diaphoretica simpliciter, aut simul Alexipharmaca*, (nam ob convenientiam & complicationem invicem ea hic, ne Dissertatio frustra excrescat, seorsim non trademus,) attinet; antequam inde selectum instituamus, (cum præsens talium, præsertim hisce in regionibus efficacia, additæque, ne abusus neglectusve delectus noxam secum trahat, cautelæ aliunde notæ sint,) id tantum impræsentiarum incipientium causa addimus: ne ab una quidem parte, (per Bezoarticos consimilesve titulos, promissa ac indifferenter nunc nonnullibi præscribentium exempla seducti) *volatilioribus calidioribus atque fumosis Liquoribus atque Mixturis* inconsideratius nonnunquam abutantur: ceu talibus circa malignarum statum (speciosa quidem de causa,) demum vel denuo exhibitis, haud raro novas angustias ac dissolutiones virium funestas; in Variolis ac Morbillis, (non adeo malignis,) frustraneas ebullitiones, intentiores æstus & insurgentis naturæ confusiones; præcipue vero nimis Camphorata in eruditis, debiliore capite, tenerioribusve fœminis cephalalgias incompescibiles atque deliria sæpe lethalia &c. (per circumspectam Temperatiorum, simul præcipitantium vel etiam figentium adhibitionem haud difficulter evitanda,) plus vice simplici concitata vidimus. Ne porro & ab altera parte citra Malignarum pleratumque, Pleuritide quoque aliterve comitatarum principia, vel etiam (uti diversimode consulimur,) augmenta, complicatos interdum intensissimos fervores, cephalal-

NOTÆ.

10 *Oleum verò Guajaci*) Tartari & ligni sassafras empyreumatica si rectificentur à C. C. usto, prodeunt penetrantissima, summè sudorifera & carminativa, pathemathibus hystericis & colicis, item febribus malignis dicata, utut loco omnium sufficere queat vel ol. Tartari vel guajaci.

1 *Diaphoretica simpliciter*) Alexipharmacorum legitimum usum hic injungit AUTOR, quem prosecutus jam est in *Tract. de volatilisatione Sal. Tart. pag.* 86. Item PAULI. *in digress. de febribus malign.* & quidem remedia hæc sudorifico-alexipharmaca in morbis acutis usitata sunt duplicia, nempe vel fixa vel volatilia, Fixa ut antimonium diaphoreticum bezoärdicum minerale terra sigillata, quæ ultra primas vias vix operantur, sed in substantia sua propria infernè redduntur: Alia verò volatilia ultrà primas vias in M. S. & intimos corporis recessus penetrant, & sunt iterum duplicia, nempe vel de natura Salis, ut spiritus C. C. Salia volatilia vegetabilium & animalium: vel de natura sulpurea pingui participant, ut v. g. spirit. vinosi, essentiæ lignorum, Extractum theriacale, camphorata, Salia volatilia oleosa, ubi quidem spiritus illi salini semper aliquid de oleo admistum habent, & quò magis hoc habent, eo magis de vi concretorum specificâ participant, sicut contra & oleosa aliquid Salis volatilis adjunctum sibi habent; interim prout alterum horum magis vel minus extraversum est, eatenus nunc salis volatilis; nunc olei nomen acquirit. Jam verò quoad usum diaphoreticum sudoriferorum, sufficiunt neque fixa sola, nec volatilia sola, sed utrorumque administrandorum rationem tribus cautelis denotat AUTHOR, quorum (1) est hæc, ne volatilioribus calidioribus atque fumosis mixturis, atque liquoribus abutamur; hoc est ne ista volatilia, præsertimque sulphurea & oleosa pinguia in statu morborum malignorum & febrium ardentium; sed saltem in principio & incremento acutorum adhibeamus; nam posteriori ratione vi suâ sudorifera in prima morbi hora multum proficiunt, præsertim ubi, pro morborum ratione, vomitorium fuerit præmissum. Contra si in statu morbi talia exhibeantur, mirum quantùm vires ægrorum prosternant, ac parum vel nihil sudoris movent, non secùs ac eadem volatilia in statu morbi acuti propinata, propter sui penetrationem ex M. S, agitata, novas corpori excitant turbas, scilicet vel cephalalgias, vel deliria, quæ omnia tamen minus timenda sunt, si in principio morborum præbeantur. Ex adverso camphorata, si dantur in statu morbi apud subjecta literata, raram spirituum animalium texturam habentia, & muliebria, nervosam texturam delicatiorem obtinentia, vel solo odore lædunt. (2) Cautela est, ne in febrium malignarum, item pleuritidis, aut febrium acutarum principio & quoque augmento volatilia diaphoretica nimis fugiamus. Etenim ubi tales ægri mox in principio fuerint anxii & æstuosi, præsertim in pleuritide maligna, tunc quidam Practici pestis instar illa volatilia horrent; interim his in casibus nec timidus, nec tumidus esto Medicus. Etenim in principio & augmento talium morborum, utut symptomata urgentia aliud videantur suadere, non negligenda tamen sunt salia volatilia, quippe quæ in principio febrium malignarum; pleuritidum epidemicarum & morborum acutorum, urgente malignitate pro scopo sudorifero commendanda sunt, subjungendo his blanda acida, M. S. nimis sub sudore dissolutam denuò condensantia, qualia sunt sulphurea, spiri. sulphuris, clyssus antimonij & spiritus salis dulcificatus. Tandem [3] Sola fixiora pro scopo sudorifero hisce in casibus rarò sufficiunt, adeoque in morbis malignis non solis antimonialibus aut bezoardicis confidamus, quin potius ejusmodi demum in statu morbi remediis utamur. Hoc observavimus in petechialibus in quarũ principio allegata fixa sine sudore operantur, unde ne antimonialia in talibus casibus quasi ad naturam suam redire videantur, affligentibus præsertim vomitibus complicatis, Tincturam anodynam nostram, aut mixturam simplicem adhibeamus, & postmodum his præmissis, in statu demum ad fixa antimonialia accedamus.

TEXT. LUDOVIC.

gias, hæmorrhagias, (præsertim in plethoricis cholerisque, magis quam par est veriti, nimium à volatilioribusque, præsertim salinis, (semet facilius resolventibus minoresque calores præ pure Sulphureis excitantibus) abstineant, & *fixioribus solum* (at rarissime tum sufficientibus,) semet expedire conentur; aut more hodieque non infrequenti, abusivis illis Venæsectionibus, imo Laxativis quoque vel Clysterisationibus commodiores cum viribus horas prius terentes, post festum demum Diaphoretica advocent. Ne demum in plerisque Malignis (ceu alibi quoque monuimus,) *solis Antimoniatis, etiam Bezoarticis simplicibus vel Metallisatis* nimium confidant: cum licet sudores largiter moveant, malignitatis tamen seminarium & fructus raro simul extinguant; imo (dum circa istarum principium alias vomitus vel nauseæ frequentissime complicantur,) quasi ad ingenium redeundo turbas istas qualitercunque secundent, aut saltem non, (quod vel Mixtura simplex sola, aut cum Tincturæ anodynæ guttis aliquot sociata facile præstat,) compescant. Atque hæc proculdubio ex causis una est, cur Antimonium Diaphoreticum illegitimæ confectionis aut diuturnioris asservationis postmodum passive accusetur. De quo pluribus inferius.

Nos ad censum nostrum pergentes, (deinceps autem ob polychrestas nonnullorum vires, aut coincidentes præparationes vel adhibitiones, alterius quoque classis remediorum mentionem necessario injicientes,) ponamus inter calidiora quidem primo 2 *Camphoram*; purissimam illam & sine pari, sed afflictissimam simul resinam. Siquidem non solum olim nulis fere non Pulveribus, Trochiscis, Electuariis & (eam plerumque respuentibus) Aquis similibusve liquoribus inconsideratius (brevi post evanescens vel supernatans,) sæpissime citra manifestam sufficientemve rationem adjecta; verum etiam sequioribus annis usque dum (quamvis alias sat penetrans) amplius varieque. (saltem ut omnia ex omnibus habeantur,) torta est pro eliciendo *Oleo*, quod tamen notorie hinc vel plane non, aut parcissime, debilius, compositum aut in Camphoram naturalem postliminio rediens prodibat; efficacioribus interim simplicissimis integræ *Camphoræ Solutionibus, sive cum Ollo quodam*, non tam (deside hic) *Amygdalino*, quam competenti destillato (*v.g. Juniperino, Succineove,*) in anatica proportione institutis, & communiter *Olei camphoræ vel etiam Elixiris hysterici nomine* cuidam venientibus; sive potiori nobis hic & mage polychresta ratione, (quo Camphoræ, non Oleorum, alias insuper undiquaque haud quadrantium sit effectus,) cum *spiritu ardenti probe rectificato seu Alcalisato*; qui ultra subtriplum ejus facile absorbet: saturatior sic quam *Vulgaris Essentia Camphoræ*, (parum secundum pro-

NOTÆ.

2 *Camphora*] Verum est eam esse singulare concretum, & cui simile in omnibus tribus regnis non reperitur; odore tenus totum penetrat corpus, sudoriferum potentissimum in morbis pestilentialibus, tam præservativè quàm curativè non habet simile; vis in malignis ex eo dependet, quod cum penetrantissimo suo odore corpus pervadat, proximè quoque spiritibus influis se associet, eosque tingat quasi & balsamo imprægnet quodam, atque hâc ipsâ vi & præservando & curando tantum præstat in morbis malignis; hinc certè remedium in pestilentialibus sine camphora, est instar bellatoris sine gladio; accedit, quod camphora sit purissima resina, commodè in substantia usurpanda, quæ tamen simul afflictissima, quippe cum sit concretum oleosum, hinc inflammabile, ideo sedulo occupati fuerint Chymici, ut illud in olei consistentiam redigerent; est autem nihil aliud, quàm alkali volatile, à natura propria pinguedine saturatum, ratione cujus texturæ contingit, ut camphora à vegetabilibus acidis sive congeneribus, & quorum respectu à simili pingui saturatum est, nullo modo solvi possit, quin potius fortiora acida, qui acidum ejus nativum superant, requirat, adeoque saltem in aqua forti; spiritus vitrioli & ol. vitrioli solubilis existat; interim præter hæc acida camphora & solubilis est per alkalia, speciatum volatilia: sic proprio didicimus exemplo, quod spiritus salis armoniaci additione Spiritus vini paratus quoque sufficienter penetiores resinas solvat, ut ambram, castoreum, opium, ut & camphoram, ita ut hæc in momento duglutiatur; verùm omnes hæ solutiones sunt saltem superficiales, quippe si iisdem injicitur aqua simplex, dictum factum camphora in forma nativa se sistat. Camphora in forma quia adeò fugax est, hinc in forma liquida nulli permiscibilis, propterea semper annisi sunt Chymici, quomodo camphoram in ol. proprie sic dictum, nec per aquam resuscitabile, redigerent, ubi tamen difficile est negotium ex eo, quod sal volatile camphoræ copiosa pinguedine largiter imprægnatum sit, unde cum sal illud, volatile ubique turgeat pingui ol. nullibi aquæ admittit consortium [pinguia enim & aqua insociabilia] sicuti aliàs quoque nullum corpus resinosum potest redigi in consistentiam olei, nisi attenuetur resina eorum; hinc cum & idem in camphora fieri nequeat, proptereà eadem etiam difficulter in ol. redigibilis, & utut viderimus aliquando ol. camphoræ in nullo liquore resuscitabile, ex terra sigillata & lacte prodiens, tamen hunc processum pro vero obtrudere nolumus. Ut ergò Veteres in substantia usurpârunt camphoram; ita Moderni ex ea elicere gestiunt oleum, ubi tamen paucissimum, acquiritur, quando camphora destillatur cum duplo boli, vel debilius idem quod per dissolutionem in ol. amygdalarum dulcium paratur. Denique oleum compositum conficitur camphoræ, solvendo hanc in ol. destillatis, & imbibendo, sic nempe illa his propter texturæ similitudinem associatur. Interim verum camphoræ oleum pellucidum, fluidum, quod aquæ supernatat sine reductione, rara est avis; adeoque olea camphoræ sunt vel expressa, vel destillata; illud cum oleo amygdalarum dulcium convenit in odontalgia & doloribus partium; pro interno usu potest esse si ♃. Oleum destillatum vel juniperi, vel succini, & horum alterutrum vel ana, vel in duplo mediante cohobatione per Retortam cum campora in oleo non inelegans pro pluribus externis scopis destillatur. Huc spectat oleum antipestilentiale HEINISII Medici Veronensis, ex mixtura olei destillati succini corticum & camphoræ cum bolo parati constans, quæ omnia miscendo, frequenter per retortam cohobavit in oleum antipestilentiale & sudoriferū in malignis insigne. Cæterùm utut camphora sæpius sit egregia in flatibus & flatulentis affectibus: Item in hysterica passione, tamen non omnes æque mulieres eam ferre propter penetrantem odorem possunt, cùm & propter camphoram ingredientem noscamus mulierem Tincturam bezoardicam abhorrentem; ac in THONNERO prostat exemplum hystericæ per usum camphoræ exasperatæ, unde habenda est ratio idiosyncrasiæ, præsertim in sexu sequiori.

3 *Spiritu ardenti alkalisato*] Rectè Spiritus Vini talis ratione salis alkali Tartari egregiè solvit camphoram, & eandem largiter imbibit, unde & talis essentia camphoræ sive spiritus camphoratus prodest insigniter. Eadem & variis Tincturis aliis facilè sociari potest, nec non misceri cum aliis subjectis spirituosis theriacalibus, tam pro, inquàm, externò usu.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

portionem recipiens;] compendiosior insuper nonnullorum *spiritu Matricali*, [qui camphora supervacuè prius in Amygdallino Oleo soluta, & hinc operosè super Alembicum per superinfusum Vini spiritum postliminio levata constat:] per se denique polychrestus est, & *Tincturas Succini atque Castorei*, [*ut longe præsentius Elixir vel Essentia Hysterica inde proveniat*,] haud inconvenienter exaltat; Aquis spirituosis hystericis insuper, spiritibus theriacalibus, Nervinis, vel etiam Simplici tantum, ad externos in defluxionibus usus, [sub debita tamen cuivis proportione, ne nimis infracta tantum supernatet, consulto permisce-tur. Reliquas cautelas alii tradiderunt, & præter jam dicta in Diaphoreticis Tincturis Hystericorumque classe ex parte repetemus. 4 Porro sunt 5 *Radices quædam, odorantibus aut* [*in substantia præsertim*] *gustantibus haud parum adversæ*, proindeque pulveribus, aliisque [graveolentiam illam citra temperamentum quoddam servantibus] formulis minus aptæ; majoribus tamen Antidotis, Tincturis Essentiisve compositis, &c. [ubi adversitatem suam admodum deponunt,] simpliciter hinc pro parte vix excludendæ. Nec enim tota eorum congeries intentioni nostræ quadrat: sed si v. g. 6 *Angelicam nostratem* [cur enim in sola *Helvetica*, vel insuper etiam, quasi oleracea *Sylvestri* hæreamus? aut ni leges nostras nimis excedere videatur, præstantissimam potius *Carlinam cum Enula* [alias polychresta] inde selegerimus, facile profecto carebimus tum *Petasitide* [quamvis *Costo* hic nonnullis pari,] *Levistico*, vehementiorique adhuc *Imperatoria*, *Olsintio*, *Valerianaque Pontica ac vulgari*, *hortensi*, & [nam instructiores scilicet officinæ omnes hasce species ostendunt,] *aquatica* magisque adhuc istorum omnium [alias inusitatis] *Foliis* ac separatim asservatis *Seminibus*. Posset enim forte quispiam necessitatis tempore, vel dum 7 *Angelicæ* semen in copia non suppetit, ex aggregatis reliquis aliisque symbolizantibus *oleum Alexipharmacum compositum* destillare. Verum cum præter rem ingratius sit, & ejusce modi pinguia, tanquam præ spirituosis præsertim salinis cum affinibus, longe minus resolubilia, angustias & ardores præcordiales in Malignis sæpe magis intendant; has denique aliasque necessitates [præter *Succineum*] vel *Rutæ parabile ac polychrestum oleum* facile suppleat; præter rem istorum *Olea seorsim, ut &* 8 *Balsamum Eleosaccharumque Angelicæ* inter tot acceptiora odoramenta vel condimenta, hic requirentur: quemadmodum etiam 9 *Extracta, separatim ex Angelica, Carlina, Levistico, Petasitide, Valeriana, &c.* parata & reposita; certe [si Tincturis & Essentiis spirituosioribus conferas, vel ni ea ipsa volatilioribus ac petrantioribus socies vel exaltes, in operandi modo curativè quadantenus languidiora. Sin autem aliquis [Electuariorum Theriacalium forte loco, vel aliis de causis aliasve in Formulas, imprimis præservatorias] Compositum ex istorum vel consimilium radicibus solidioribus rite paratum] *Extractum* velit; & [præsertim in solitarios usus] subtilioribus at correspondentibus accessoriis ex Animali vel Minerali regno simplicissime combinarit vel exaltaverit; contractior hujusmodi Antidotus apparatui paulo diffusiori haud erit inconveniens; & non solum *Extracta illa simplicia quasi singula* in suo genere repræsentabit, verum etiam operosissima *quævis diversorum Authorum* [superioribus annis utplurimum ingredientium volatilitatem dispergentium, aut fixiores partes parum vel non attingentium; hodie vero idem peccatum adhuedum haud raro circa ingredientia peccantium, vel ordinem tantum aut pondus istorum variantium, notoriave quædam saltem declinantium, aut labores solum inter nimiam curiositatem multiplicantium] 10 *Composita* largiter compensabit: tot puta superiorum lustrorum *Pestilentialia Bezoartica*, *Regia*, *Imperatoria*, (*effective numerantibus*) *Aurea, &c.* Terras fixissimaque mineralia incassum adsciscentia: tot 1 *Theriacalia*, ob compendiosiores valentioruma liquot simplicium æquivalentes extractiones magis, quam ob Mellis medicati, [per repetitas spiritus Vini affusiones oppido exhauriendi) præsentiam culpabilia: tot insuper recentiorum *Extracta Antipestilentia*, ingredientium processusque respectu raro meliora; vel labores tantum (ob portatilem quidem, at diaphoreticis communiter minus aptam Pilularem formam] *in Theriaca Benedicta Cœlestique* multiplicantia. Quo etiam *Pilulas Antipestilentiales recentissimas*, exiguam sane Aloës proportionem, [si laxare debuerint,] adsciscentes referimus. 2 *Aqua Angelicæ, Levistici, Imperatoriæ, Valerianæ*, [etiam in opthalmicis] *simplices* [ut efficaciam quandam cum supervacua adversitate servent,] alias nullius

NOTÆ.

4 *Porrò*) Hic præmonemus, quod selectum diaphoreticorum in regno vegetabili, quod lignis illis supra denominatis ex radicum diaphoretico-alexipharmacorum numero hæ adjiciendæ sint, nempe radices angelicæ tormentillæ, zedoariæ gentianæ, quibus etiam non inconvenienter sociari potest radix chelidonij majoris; hæ pro selectu ex omnibus sufficere possint: similiter ex herbis & folijs inter sexcenta sufficiunt pro scopo sudorifero herbæ cardui benedicti, sordium, & quibus placet centaurium minus. Sic ex fructibus baccæ juniperi & earum Rob: Ex resinis camphora, myrrha & opium, quod nobile: ex seminibus, utut hæc magis tenerioribus opem ferre soleant, accipiantur semen sinapi, napi, aquilegiæ, cardui benedicti in forma Emulsionis.

5. *Radices:*) Harum duas eligit AUTHOR, simul judicando eas vel usurpari crudas vel præparatas: Cruda quidem in forma pulveris vel infusi, item decocti; præparata verò in forma extracti, cujus præparandi modum inferius docet idem.

6 *Angelicam nostratem:*) Hanc eligit AUTHOR, eamque præfert Helveticæ, ubi tamen hoc reponimus, quod secundum soli diversitatem plantæ varient, ideoque & Helvetica est odoratior, penetrantior, & resinosior; unde dubitamus, an huic nostra semper æquiparanda sit. Post angelicam allegat carlinæ & enulæ radices, quæ tamen non adeò necessariæ.

7. *Angelicæ* (Ex hujus tam radice quàm planta oleum destillatur, præter carminativam etiam vi alexipharmacâ decantatum, interim dicit AUTHOR, hujus loco vel oleum succini, vel rutæ sufficere.

8 *Balsamum oleosaccharumque angelicæ:*) Hæc non necessaria rectè putat Author, cum ex tempore ea sint parabilia.

9 *Extracta:*] Extractis radicum singulariorum præfert extractum aliquod compositum, cum Spiritu vini Tartarisato paratum, quale, abstractione menstrui inspissatum, extractum loco omnium seorsim dispensandorum sufficere potest, cui & alia ut C.C. sine igne, antimonium diaphoreticum aut pulvis selectus viperinus, itemque camphora q.s. suô tempore combinari poterunt.

10 *Composita*] Extracta meritò hic taxat AUTHOR, utpote quorum descriptiones vide HORSTII *dispensat.* QUERCETANI & SCHROEDERI *Pharm.* & rectè in his duo desiderat, nempe (1) volatilium in tanta ingredientium farragine subinde inspissatione factam dissipatione. (2) fixorum non sufficientem extractionem.

1 *Theriacalia*] Paratur & theriacale extractum ex theriaca, in quo considerandum [1] quod multa ingredientia in theriaca inveniantur, quæ à Spiritu Vini non possunt trahi. [2] quod theriaca multum mellis contineat, quippe à quo in consistentiam debitam redigitur, unde ex melle Spiritus Vini multum extrahet. ex aliis contra nihil; horum E. intuitu potius theriaca in forma nativa usurpetur; loco autem extracti theriacalis illud extractum superius compositum substitui potest.

2 *Aquæ*] Singularum radicum diaphoreticarum parùm in recessu habent, aut si quid obtineant virtutis, habent eam à subtiliori oleo, ob cujus imbibitionem parùm de sapore sui concreti participant.

TEXT LUDOVIC.

hodie usus sum Nec comptior praxis in 3 *abstractio Angelicæ spiritu* peculiare quid inveniet, quod, si Curativum quid quærimus, in Tincturis vel Essentiis Bezoarticis, vel ipsa potius Mixtura simplici; sin Præservativum, potius in Infusis, domi quoque seu necessitatis tempore, [si regionis, naturarum, & malignitatis circumstantiæ revera; citra perfrequens damnum tolerent aut exigant.] paratis; sin demum puro tantum vehiculo pro abreviatis hodie remediorum dosibus opus fuerit, in longe acceptioribus ac domesticis vel temperatioribus liquoribus aut aquis destillatis [tantum alterantibus gratioribus] non reperiatur: ut *Aquis vitæ destillatis*, plerumque præ Infusis debilioribus nullatenus hic indigeamus; uti nec aliis *Aquis Bezoarticis, Theriacalibus, Antidotalibus, Stapedianis, de Bardana, spiritu Zedoariæ abstractio, Chilostagmate M. &c. De Sale supradictarum plantarum fixo* (etiam seorsim nonnullibi pro complendis repositoriis, in nullos tamen vel rarissimos usus asservato,) conjunctim paulò post dicemus. *Conditum & Confectio Radicis Angelicæ*, inter tot acceptiora præservatoria cui bono? quemadmodum & *Conditum Enulæ*; quod Phonascis matresfamilias per nos domi parent, aut in æquivalentem *Conservam* conscindant. Suffecerit (etiam diffusiori selectui,) si præter *Radicem*, (Tincturis & Electuariis Alexipharmacis aptandam,) extiterit hinc forsitan 4 *Essentia*, non quidem cum Vini spiritu simpliciter, aut è prævio Extracto per spiritum consimilem ardentem parata; sed si complacuerit, potius è *Magmate*, quod tantum Aqua simplici (Nitri fixi ad Radicem sub octuplo acuata) in Vaporoso Balneo colligitur, *per sextuplum spiritus Vini rectificati sequestrata*; *Extracto resinoso* tractabilior, aquosis vehiculis mixtu facilior; ac sine turbulentia jucundior, Vino parum edulcato paucis guttis *Heleniten* præstans, *Magisterium cum Alumine præcipitatum*, æque ac consimilia, Enulam parum refert: *Aqua simplex spirituosior* ingratior est præter necessitatem; ceu quoque Compositis alexipharmacis ac pectoralibus in paulo majori quantitate addita Radix, eas admodum adversas reddit. De cætero perpaucis in hoc genere suprapositis contenti, nec *Seseli Æthiopicum* huc trahemus; nec *Cervariam* (etsi vel Maslach præberet;) nec amaradulcem (*cum Extracto Pimpinellam*, vel cum *Minoris semine*) *Bardanæ radicem*, alias in sua destinatione haud adeo rejiculam, *Allium alliataque* (ceu *Essentias* inde & *Aquas* jam olim confecere,) rusticis aut Horatiano Pæani, *Victorialem* agyrtis relinquamus.

Nec 5 *è Ruta*, (*cujus Oleum destillatum* promtè in *Balsamum*, *ut* & *Oleum externum*, vel cum olivo tantum redigendum, paulo ante posuimus, quodque expresso oleoso recentium summitatum Succo durabilius est,) restat aliquid, quod è condigno huc referri mereatur: siquidem (alias adversiori) *Herba exciccata* haud parum deperit; *Viridis* vero cum summitatibus (quantum Aceta Bezoartica, Aquæ Hystericæ, &c. exigunt,) nullibi non habetur; excussum hinc Semen, inter valentiora carminativa & alexipharmaca, parum in se est rutaceum; *Acetum* matresfamilias passive parant; *Aqua simplex* per se ingratum sapit, sique exigetur, destillati olei parergon. *Extractum* penitus effœtum *Syrupus* in adversitate sua vix melior, multisque subjectis & affectibus ob sacchari accessum inconvenientior est.

Quod vero residua *Amaricantia* concernit, equidem pleraque omnia multum hic possunt; nobis autem nihilominus unicum hinc aut duo selectiora commode sufficient, præcipue & instar omnium, polychresta 6 *Myrrha*, ad usus internos, (quo vul-

NOTÆ.

3 *Abstractio angelicæ spiritu*] Scilicet Spiritum Vini post affusionem angelicæ taxat AUTHOR abstractum, & loco hujus pro curativo scopo Tincturas & essentias alexipharmacorum, sicut pro præservativo infusa simplicium requisitorum in vino, vel macerata eadem in aceto commendat; non secus ac quoque theriaca, Myrrha & camphora aceto infusa faciunt illud alexipharmacum commendatum; sicut tandem loco omnium esse poterit spiritus theriacalis camphoratus.

4 *Essentia*] Insinuatur hic modus elegans parandi extractum angelicæ, quod & in vegetabilibus omnibus aliis, quæ aqua tractari possunt, locum habebit, nempe ℞. aqua nitri fixi vel salis Tart. fixi ℥j. v.g. imprægnata, quæ affunditur radicis angelicæ extrahendæ ʒviij, adeoque specierum octupla par, respectu Salis fixi; hinc infusa hæc successive ebulliant ad extractionem, deinde extractione factâ & transcolatâ, inspissetur in Balneum Vaporis [nam in Balneo Mariæ inspissatio nimis lentè procedit, sicut in alio igne periculum est, ne extractum empyreuma contrahat] in extractum, sive potius in Elixier quoddam, quod affusa Spiritus Vini sextupla quantitate in formam essentiæ redigatur, sicut tandem hoc denuò in legitimum extractum inspissari poterit; atque ita, uti diximus, extracta ex omnibus vegetabilibus, quæ aqua tractari possunt, parari poterunt; è contra è subjectis vegetabilibus resinosis, quæ cum aqua tractari nequeunt, fiunt extracta beneficio Spiritus Vini Tartarisati, cujus rei ratio est, quod substantia vegetabilium resinosa, adeoque oleosa & viscosa, quæ in stomacho præcipitata ejusdem rugis adhærescit, à sale fixo addito solvatur, ejusdemque textura sic aperiatur, quæ reserata à Spiritu Vini & imbibita, dat essentiam in quocunque aqueo vehiculo resolubilem & penetrantem, Sale fixo & terrestreitate vegetabili à Spiritu Vini intactis relictis.

5 *E. Ruta*] Ex hujus omnibus Præparatis eligit AUTHOR recte oleum ejus destillatum, quippe in quo revera crasis totius concreti concentrata hæret, tamque interno, quam externo usui inservit: Herba autem rutæ exsiccata nobiliorem suæ substantiæ vim perdidit, sicut & ejus aqua parum in recessu habet; imò ipsum ejusdem extractum, propter oleosæ substantiæ evaporationem, nihil valet; interim recens ruta in infusis locum meretur.

6 *Myrrha*] Hæc post camphoram est nobilissima in morbis malignis cum cutis excretionibus conjunctis, febribus purpuratis, variolis, petechiis, tàm præservativè, quàm curativè proficua; quæ ipsa selecta saltem usurpatur, colore flavo non opus habens ulla depuratione, quam aliàs tradit SCHROEDERUS, sed rectè rejicit ZVVELFERUS. Cæterum datur myrrha vel in substantia, vel in forma liquida essentiæ; jam verò cùm myrrha sit resina oleosa, propterea non tam facilè solvi potest per Spiritum Vini, nisi cum rectificatissimo, qui tamen ipse saltem extrahit; sicuti contra acetum destillatum eam turbidè solvit, non secus ac Spiritus Vini cum spiritu salis acuatus idem præstat; ex adverso optima est essentia myrrhæ cum alkali fixo parata; h. e. sumatur myrrha, eaque cum octava parte alkali fixi teratur, hinc infunditur in Spiritum Vini rectificatissimum, sic namque alkali illud solvit pinguedinem myrrhæ, ut hæc facilius à Spiritu Vini sit extrahibilis; vel ℞. Spiritus Vini Tartarisatus, vel Spiritus Vini sale Tartari impraegnatus, isque affunditur myrrhæ, sic namque elicitur essentia rubicundissima, crasin myrrhæ optimæ continens, & LANGIO essentia salutis dicta; & hæc essentia tam in forma liquida, quàm extracti egregia est in malignis, item in variolis & morbilis, tàm præservativè quàm curativè. Item in passionibus hystericis & catharralibus est speciatim vi alexipharmacâ insignis. Tandem fieri posset experimentum, an num, quemadmodum aliàs spiritus salis armoniaci vinosus cum affusione Spiritus Vini factus extrahit essentiam elegantissimam polychrestam in puncto lochiorum & menstruorum; ita si misceatur ana salis armoniaci & salis Tartari & myrrhæ, & affundatur Spiritus Vini, hinc blandè destillentur per Retortam, aliquid prodeat pro spiritu myrrhato composito, sicut aliàs idem cum succino tentavimus non sine successu.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

garis dissolutio seu *Purificatio* sumpti fiat,) saltem selectior & mangonii (nonnunquam perceptibilis) expers Nec *liquidam ejus Essentiam*, cum quarta parte Nitri fixi vel alterius Alcali, & spiritus cujusdam ardentis octuplo paratam, amaroris bonam partem, at citra notabilem efficaciæ mutilationem sic deponentem, in paulo diffusiori apparatu (vel Hystericos in usus,) aversabimur: *Extracto* sane cum spiritu Vini facto, in diversas adhibitiones videtur commodior. 7 *Oleum* autem, quod adhucdum saltem nidorosum, effœtum aut potius compositum per vulgatos processus prodiit, curiosiores per nos eliciant: inter tot Balsamica nobis hic non erit usui 8 *Cardui benedicti mulierculárum pulvis* adversissimus, & in paulo malignioribus nimis languidus, *Semen* in pulveribus & emulsionibus quasi evanitum, *spiritus abstractitius* pro vehiculo sæpe præter rem calidior, per se remissior & in plerisque insufficiens, Oleum vix comprehensibile; famosissimum. 9 *Scordium*, nec omnium locorum, nec si fateri voluerimus (extus in Chirurgicis Myrrha vel Alliria quoque satisfaciente,) Carduibenedicto in plerisque adeo valentius, utriusque *Extractum* in hoc alexipharmacorum genere similiter remissius & nullius fere (sub gratiori quadam formula) dispensationis vel exhibitionis est. *Aquas* (quæ in seria hic medicatione vix ultra vehiculum sunt,] paulo post cum sui similibus conferemus, ut *unica forte* talium è parabilioribus hunc in finem, si placeat, prostet. Qui miseros amplius præter necessitatem affligere voluerit, *Cardui Scordiique Conservas atque Syrupos, etiam* 10 *è Scordio diversimode) Compositum, & quem de Centaurio minori* alicubi habent, exhibeat. *Nitrum in Succo vel decocto Scordii coagulatum*, parum hinc & aufert & intenditur. *Diascordii communis & Rosati* vires non elevamus; sed necessitatem saltem, cur inter tot temperatiora, (ipsum tot calidis pellentibusque nihilominus refertum) seorsim prostet: sane nec Theriaca (ni forte unicum Trochiscorum viperinorum granulum veremur,) nec Mithridatium cum aliis etiam spirituosioribus, (modo quodvis pro re nata & considerate detur,) gravidis obest, Et cum 1 *Cardui, Scordii, Centaurii minoris, Angelicæ, Levistici, Rutæ, Pimpinellæ, &c. Salia* in sufficienti copia haud undiquaque seorsim parari queant commode, nec necessitas quædam aut adeo specifica præcellentia singula efflagitat; sufficere credimus, si vel unicum à vulgatioribus v.g. *Millefolio vel alibi Absinthio aut Artemisia* solitarium, vel etiam è conjunctis horum ac consimilium aliquot paratum Diaphoreticum, quasi catholicum, in Alcalium vegetabilium genere extet: sive jam *pure lixiviosum* placeat: sive *mediocriter sulphuratum*, (addito Nitri & Florum Salis Ammoniaci singulorum subtriplo, ceu infra repetemus, facile in *Salis febrilis* formulam disponendum;) seu denique *cum spiritu Nitri vel Aqua forti communi crystallisatum*, satis, [sed ex alto tunc capite, alioque agendi modo] Diaphoreticum; ceu de ejus adhibitione supra monuimus. 2 *Essentiale è Carduo solo. vel congeneribus amaricantibus sociato*, non tam in succo aliquantum saltem evaporato subsidens, [inconspicuum ac semitartareum vel bolare,] quam in inspissato diutiusque reposito decocti magmate *Nitriformiter* tandem concrescens, curiosioribus seligendum relinquamus. 3 *Gentiana* demum & solitaria, & [vetus experimentum tentantibus,] tantillo nucis Vomicæ sociata nobis quoque in gregariis olim haud parum, certa æquivalens aut constantius: quidquam nunc carior illa *China China* præstitit. Verum cum acceptioribus certius & æquo feliciter rem transigere, vernaculisque porro [vel saltem *Zedoaria*,] idem quod 4 *Contrayerva* efficere possimus: cum porro *hujus & Corticis istius* pe-

NOTÆ.

7 *Oleum:*] Elicitur quidem aliquid olei ex myrrha, sed empyreumaticum, paucum & tædiosum, unde vix datur; paratur verò exinde oleum per deliquium, sed quomodo? Vide SCHROEDERUM. Interim hoc saltem inservit usui externo, non autem usui interno diaphoretico est conveniens.

8 *Cardui benedicti* :Pro dosi ʒj. ad ij. plebeis in usu existens, tædiosus est, & in malignis parum præstat; Semen verò ejus in infantibus locum invenit; sicut tandem decoctum ejusdem sudorem movet, ut & extractum, cujus ʒß. cum granulo j. extracti opii dedimus aliquando mulieri, ex cujus usu per totam noctem potenter sudavit, ut adeoque decoctum cardui benedicti ad imitationem RULANDI & ejusdem extractum supradicto modo paratum sit egregium. Oleum autem vix elicitur.

Scordium)Est egregium, nec semper eligatur Creticum, sed sufficiat nostrum; usurpatur verò externè & internè. Externè quidem in ulceribus putridis & arcenda gangræna, pro quo scopo tamen & myrrha, vel allium in defectu scordii adhiberi potest. Interim verò extractum & decoctum scordii satis sudorifica esse solent. Aqua contrà ejus parùm præstat; sic quoque scordii & cardui benedicti conservæ raro sunt in usu, nec nisi pro corpore Electuariorum ex tempore præscribendorum in usum vocantur, sicut contra syrupi inserviunt misturarum præscriptarum edulcorationi.

10 *E scordio*] Compositum frequentissimi usus est diascordium FRACASTORII, idque nunc cum copiosa rosarum conserva, nunc sine ea paratum; hoc ipsum dos. ʒj. in vehiculo acido pro scopo sudorifero in morbis malignis dari solet, & nos ejusdem usum laudamus? suademus tamen, ut præparetur illud secundum SYLVII correctionem, quam habet *Lib.* 1. *Praxeos*, sic enim longè potentius erit, utut & loco hujus theriaca vel Mithridatium sufficiat. Equidem FRACASTORIUS gravidis tutius id esse autumat, sed monet AUTHOR. nec theriacam his nocere.

1 *Salia Cardui Scordii:*] Fixa nonnullis in usum trahuntur, at sufficere potest loco omnium unum fixum, quippe Salia fixa in usu Medico nullam habent specialem differentiam; & utut tantillum de sulphure concreti participent, tamen illud intraversum est, unde vel salis artemisiæ, vel millefolii, vel absinthii sufficiũt, atque ita parari possunt dicta, vel sumpto alcalisato, sel etiam additione cujusdam acidi, quod HARTMANNI inventum est, in substantiam pro usu diaphoretico salsam mutando (ad imitationem salis febrilis MYNSICHTII, quod constat ex nitro & sale armoniac. ana ℥j. & salium fixor. ℥iij. & nonnihil salsum hoc est] v.g. ♃. sal. absinthii vel artemisiæ ℥iij. sal. armoniaci, nitr. ana ʒij. M. pro dosi ʒß. ad ʒj. expectando sudorem; Tandem alius adhuc modus superest mutandi alchalisata in salsum saporem, nempe per spiritum nitri vel etiam aquam fortem, quo modo tamen illa ita mutantur, ut loco salis fixi emergat sal purum regeneratum, magis diureticum quàm diaphoreticum existens.

2 *Essentiale*] Sal Essentiale cardui benedicti duplicem modum præparandi agnoscit, quorum alter procedit ex succo ejus expresso & nonnihil inspissato; ast sic emergit sedimentum bolare aut semitartareum nullius pretii; si verò sumatur ejus decoctum, & inspissetur ad 2. vel 3. partes, hinc in loco frigido reponatur, tunc crystalli Saliformes concrescunt, qui ipsi tamen nihil singulare in recessu habent.

3 *Gentiana* [Egregium diaphoreticum, & tantum præstat, quàm China Chinæ sive antiquartium Peruvianum, quippe quæ & acrior surrogatur illi, quæ vel in substantia à ʒj. ad ʒij. vel in infuso in vino vel cerevisia usurpata, idem operatur in febribus intermittentibus quàm China Chinæ gentianæ Indicæ Species. Cum igitur nostras Chinæ æquipolleat ratione amaritiei, semper putamus eandem huic substitui posse, tàm in substantia, quàm extracto.

4 *Contrayerva:*] Hanc rejicit AUTHOR, & rectè; nescitur enim, qualis sit ea radix, unde minus quoque tuta erit, quin potius ejus loco substituit Zedoariam; alii radicem caryophilatam nostratem, neque inconsultò.

TEXT. LUDOVIC.

regrini Extracto, *vel Gentianæ Extractum* æquipolleat; neque hoc tamen [cum 5 *Centaurij* ac congenerum] comptiori pra-
xi neceſſarium vel adeo competens ſit: ſiquidem [ni fortuito oblatum Eſſentiæ cuidam Abſinthiacæ compoſitæ aſſociare
placeat,] in aliis formulis horrendum ſapit, Pilularis verò conſiſtentia in ſudoriferis hic locorum; [ut alibi *Theriacam cœle-
ſtem ac conſimilia* ea forma facilius adſumant,] inuſitatum quidpiam, nec volatilioribus competentioribus adeo exaltandum vi-
detur: hiſce proin omnibus in ſeparatos uſus ac diſpenſationes facile caruerimus. Nam ſi omnino quiſpiam diffuſiſſimos in ap-
paratus *Scordij*, *ſaltem Germanici* (*Cretico* nequicquam poſtpoſiti] quidpiam, aut Gentianæ veræ radicem forte 6 Tonſo-
rum cauſa, [inter tot Fonticulorum dilatoria & attractiva, parergi inſtar reponere, vel inſuper exigua quidem gratia Electua-
rio vel Tincturæ cuidam alexipharmacæ pro gregariis adjicere voluerit: noſtra hic non refert.

7 Juniperi Baccæ, ſi forſan internis aut externis compoſitionibus ſimiliter adjiciendæ fuerint, nullibi non venales ſunt;
nec *Rob* hic locorum infrequens, ſi Melli communi pro Theriacali quodam Electuario aſſociandum videatur: de cætero inter
tot præſervatoria Alexipharmaca & [ſi credimus] Nephritica, comptior contractiorque praxis inibi adeo præſentaneum
vel exceſſivum quid non invenit, ſive in *Eſſentiam*, *ſeu ſimpliciorem* effectuſque tantum mediocrem, *cum ſpiritu proprio aut
Vino Malvatico*, *Iuniperino hinc nuper dicto*,] ſeu mage *Compoſitam* [injucundiorem, nephriticiſque plerumque calidiorem, per
ſuperadditum ſaturato ſpiritui ſal & oleum] redigatur; ſive alio modo vel in Bolis, muliercularum more detur. *Aqua ſimplex*
alias neglecti uſus; 8 *Spiritus abſtractitius* vicatim potatoribus venalis. *Fermentatitius* [ubi ſcilicet Baccæ in copia ſuppe-
tunt,] præſtantior quidem at delicatioribus utplurimum adverſus, ad Tincturas Alexipharmacas in ſe quidem non inconveniens,
ſed operoſior, plerumque ſimul debilior eſt vegetiori hic ſpiritu Vini Tartariſato, vel ab acceptiori quodam vegetabili abſtracti-
tio minus phlegmatico. 9 *Spiritum acidum*, [ſi quis forte ad Corallina vel odontalgica tale quid è lignis vernaculis durioribus
velit,] ſupra de Guajaco notavimus. Ut proinde 10 ſelectui noſtro vix inde quidpiam, præter polychreſtum illud *Baccarum*,
[nam ridiculum nunc *per deſcenſum* eſt,] *Oleum*, præſertim è non fermentatis deſtillatum quadret.

Quod autem amplius reſidua vegetabilia attinet, ſi pariter porro pro Compoſitis quibuſdam, inter 1 *Zedoariam*, [tanquam
vulgo alias uſitatam, geminaque *Anthora* hactenus frequentatiorem;] inter *Dictamnum album*, [cretico hic vix cedentem,
de cætero in Uterinis vel Pulegio facile ſupplendum; & demum inter [parabilius adhuc] *Vincetoxicum* optio pro cujuſvis diſtri-
ctus aut conſuetudinis ratione inſtitueretur; & horum unicum ſaltem, [infra amplius attingendis] Antidotis, Tincturis vel
Eſſentiis conſimilibuſve liquidis aut mollioris conſiſtentiæ formulis, [cum & hæ radices *in Pulveribus* ingratiores ſint,] adjice-
retur; neceſſitas profecto non foret, cur terræ illæ ſeparatim exiſtant; aut in ea gratiorum vehiculorum copia, vel ſelectiorum
tantum ſufficientia, invalidior *Vincetoxici*, vel [in polycreſtæ radicis perditionem] *Zedoariæ Aqua ſimplex*, [de ſpirituoſa enim
jam ſupradiximus;] aut *utriuſque ac Dictamni albi Extractum*, [*Compoſito* quodam, ceu paulo ante monuimus, oppido ſatis-
faciente,] ſeorſim exigantur: aut *Succiſa* [Scabioſæ alias congener,] *in radice*, *floribus & aqua*; vel *Ulmaria* [aliàs haud adeo
rejiculæ] *Radix & Herba*, cum nauſeabundi odoris *Floribus & Aqua* hactenus recenſitis ſuperaddatur.

NOTÆ.

5 *Centaurii*] Hoc, *minus* nempe, non adeò inconveniens videtur, interim ejuſdem extractum ſolitarium optimè in forma pilularum aſſumatur, pro febribus intermittentibus, vi ſuâ diaphoreticâ curandis. Vel

℞. *Extr. gentian.*
zedoar-
abſynth. ana gr. vj. vel viij.

M. F. pilulæ dandæ bihorio ante paroxyſmum. Hæ ſufficienter rigorem febrilem tollunt, utut æſtum contra intendant. Vel.

℞. *Dictor. extractor. part. aq. adde*
opii gr. ij.

M. in formam pilularem.

6 *Tonſorum cauſa*] Globuli ex gentiana facti proſtant pro conſervandis fonticulis in fluxu, ubi fluere nolint; non ſecus quoque gentianæ radix comminuta calloſo orificio fiſtularum abſumendo, inſtar turundæ intruſæ aliàs pro fonticulis apertis ſervandis, laudatur, ut & globulus ex ligno hederæ perforatus, & in balſamo Sulphuris maceratus.

7 *Iuniperi*] Uti lignum hujus optimum eſt ſudoriferum; ita & beccæ ejuſdem inter alexipharmaca & diaphoretica laudem merentur. Cæterum hæ ipſæ crudæ rarius, inter præparata verò Rob ſive ſuccus eorum ex recentibus baccis elicitus & inſpiſſatus, & à ʒj. ad ij. in aceto aſſumptus potentiſſimè ciere ſolet ſudorem, & effectibus peſtilentialibus egregiè ſuccurrit; ſic & Rob juniperinum loco mellis Electuario theriacali poteſt admiſceri, quod mel aliàs partim pro corpore firmando, partim pro ſpecierum ingredientium fermentatione promovenda additur: Hinc Arabes dictitarunt, nonniſi poſt dicennium compoſitionem theriacalem proſtare venalem; cùm verò theriaca vim fermentandi à melle habeat, quâ fermentatione reſolvuntur ſpecies aromaticæ, & ita reſolutæ evadunt penetrantiores, ſicque intenditur vix theriacæ; hinc non ſolum rob juniperinum ingreditur theriacam loco mellis, quia illud imbecillius per ſe in motu fermentativo, quin potius aſſociatur idem melli, præſertim cum ſic reſpectum potentiæ alexipharmacæ in triplo mel ſuperet. Porrò ex baccis aut Rob baccarum paratur eſſentia duplex, quarum altera eſt communis illa, Malvaticum juniperinum ob colorem coccyneum vocata, quæque paratur ex Rob juniperi cum ſpiritu baccarum proprio per fermentationem confecto. Egregia hæc eſt in uſu præſervativo nephritidis, itemque in affectibus ſtomachi ex acido viſcido natis, vi autem alexipharmaca non æque inſignis; altera autem eſt magis compoſita eſſentia, & paratur ex ſpiritu proprio, oleo deſtillato baccarum & Sale fixo, ex capite mortuo extracto, redactis omnibus in Q. E. quæ tamen omnia non adeò firmiter cohærent.

8 *Spiritus*] Ex baccis juniperi dupliciter paratur, nunc per ſimplicem Spiritus Vini à baccis abſtractionem, nunc verò ex iiſdem baccis per fermentationem, quorum hic egregiè inſervit Tincturis & eſſentiis alexipharmacis parandis.

9 *Spiritum acidum*] Ex ligno juniperi deſtillatur ſpiritus acidus volatilis, rari uſus, niſi quod ad ſolvenda corallia vocetur, pro quo tamen & alii ſpiritus ex vulgaribus lignis deſtillati ſufficiunt.

10 *Selectui noſtro*] Sufficiat ex baccis paratus ſpiritus per fermentationem & Rob eorundem.

1 *Zedoariam*] Ex quinque his recenſitis ſpeciebus meritò AUTHOR eligit hanc, ceu æquiponderantem reliquis quatuor, adeò ut eadem Zedoaria loco cujuſvis radicis anthoræ aut contrayervæ commodè ſubſtitui poſſit. Sic præfert & hanc rectè dictamno albo, ſive Creticus ſive noſtras fuerit, parùm tamen in uſu eſt, unde qui album in affectibus mulierum tam parturientium, quàm menſtruantium commendat, non novit vires pulegii, dictamno exotico longè anteponendi; ſimiliter nec vincetoxicum adeò ſingulare quid præſtat pro ſcopo ſudorifero, utut pro anaſarca curanda non ſemper contemnendum ſit; interim vincitur & illud à Zedoaria, utpote cujus pulvis in compoſitionibus theriacalibus frequentiſſimi uſus, & ſpiritus ejus per abſtractionē Spiritus Vini paratus egregiè fit carminativus; ſucciſa tandem & ulmaria non adeò ſingulare quid pollicentur, unde his optimè carere poſſumus.

TEXT.

TEXT LUDOVIC.

Sane, quo ad *magis temperatiora* hinc descendamus; si vel solam Cervinorum, Margarum & Antimoniatorum, [ubi scilicet fixiora locum habent) præsentem sub exigua quantitate vel mole effectum intuemur; ubi vero penetrantioribus calidiorum vegetabilium particulis res transigenda est, allatorum & paulo post addendorum energiam, (sufficientem varieque applicandam) experimur; Traditiones denique ac consuetudines, cum Qualitatibus (aliis potius classibus qualitercunque decretis,) tantisper suspendimus; nec 3 *Doronici* (de cætero insontis ac in capitis affectibus mediocris effectus) *radice* indigebimus; nec 4 *Vva versa*, quamvis signatura quoque nobilitata; ni copia quandoque forsan facta Tincturas diaphoreticas ista colorare, &c. placuerit: nam in inconcinniori *Pulvere Saxonico* proculdubio exiguæ illius, potiores Angelicæ sunt partes; & *folia* inter topica Hyoscyamus (præter Solana, fabariam, &c.) aquat. Imo nec famosissima 5 *Scorzonera*, *etiam nostras*, (quis enim insuper *ex Hispania* cariosam sæpe, nunc peteret?) adeo necessaria hic deprehendetur: quamvis enim gustui grata, hic locorum parabilior, & alias bonum Hepaticum, imo 6 *Galega* quoque (tantopere nonnullis in remissioris gradus Malignitatibus commendata, *Onobrichi* tamen nonnunquam nihilo infelicius nobis supleta,) præsentior sit; in exquisite tamen Malignis languidius & tantum instar accensorum semet gerit; in Morsu viperæ ((obscuriori effectu,) pulverem Viperinum aliaque penetrantiora superaddenda vidimus: *Infusa & Decocta* hinc vulgo composita, in Ardentibus vel chronicis Hepaticis, (alias satis nauseante stomacho,) quis vere hic locorum bibit? in *Infusis laxativis* mucilaginositate sua penitiorem principalium extractionem haud parum impedit, *in Pulveribus* molem nequicquam auget; nec *Extractum* (etiam ne mucaginescat, probe clarificatum,) excessivarum præ aliis familiarioribus virium deprehenditur; ni omnino quispiam *Saccharatum*, præ tot Alexipharmacis (varie è *Cyano quoque, Calendula, &c. simplicioribus* conquisitis aut amplius compositis(Syrupis, in exuberantiores forsan apparatus velit; liquoribus cordialibus (è fructuum gratioribus acidulis Essentiis, &c.) super addendum.

Vulgatioris 7 *Sambuci flores sicci*, (quibus vinitores nequam *Moschatellina* nonnullibi fingunt;) potius ad Topica pertinent: nauseabundum *illorum & Gemmarum conditum* inter vulgi condimenta: *Rob* pro plebeiorum sudationibus, aut aliorum remediorum involucro nulli ferè domui deest. *Tragea* in Dysenteriis non adeo malignis haud quidem rejicula, tot tamen æquivalentibus stipata est, ut tædiose pinsi, vel 8 *Tincturas Actes* inter tot Æysterica interi non requirat. 9 *Spiritus è Baccis* ad specificas destinationes languidus; *è floribus* melior quidem, per se tamen in ardentioribus inconventior, in malignis insufficiens, pro spirituosiorum Tincturarum vel Mixturarum vehiculo temperatioribus aut domesticis liquoribus profecto posterior; de cætero per se, & imprimis in compositionibus plerisque paulo delicatiorum palato ingratior est; æque ac *Aqua simplex* inde (potius matribusfamilias ad *Topica*,) destillata. Si omnino hujus generis 10 *temperatior* pro vehiculo, (siquidem per se, præsertim in paulo compactioribus subjectis insufficientes & invalidiores sunt,) extare debeat, nec jucundiori Alteranti, vel Vini, Cerevisiæ, jusculorumve haustulo acquiescere quis posset, missis (non omnium districtuum) *Scorzonera*, *Scordii vel Galega*, remissiorique Cardui Mariæ, imò (aliis usibus commodius impendendi) *Cardui benedicti aquis*, forsitan *Fumaria* destillatam, ceu nullibi fere non parabilem, inter selectus nostri accessoria reponeremus; præsertim si pro meliori conservatione & qualicunque penetrantia cum tantillo vini, vel compendiosius cum aliquantilla spiritus Vini particula, (nec hic nec in mage refrigerantibus quidquam incommodante,) parata fuerit.

NOTÆ.

2 *Magis temperatior*] Scilicet AUTHOR post lignorum consi[d]erationem videtur triplicem diaphoreticorum classem constituisse, quarum [1.] tractat aromatica diaphoretica [2] Amaricantia, qualia sunt gentiana, myrrha, zedoaria, [3] temperata, ubi præmonet, quod præsuperioribus longè præstent antimonialia, cervina & terræ minerales alexipharmacæ; unde fixa antimonialia habentes, carere hisce temperatis possumus, cùm ea saltem per traditiones adhuc in usu sint, atque talia sunt doronicum, uva inversa scorzonera, galega & sambucus.

3 *Doronici*] de hoc monet, quod non adeò amplius sit in usu, ob deficientem effectum alexipharmacum; sunt enim, qui putarunt radicem doronici malignam, interim malè; & conteratur VELSCHILUS *dissertatione de agagropylis*; contra alii eam commendant pro vertigine, utpotè cùm rupicapræ hâc ipsâ se à vertigine præmunire dicantur, unde & persuadetur funambulis, ut se præservent hac ipsa ab eodem morbo; ast frustraneus est ejus usus, cùm nec vi diaphoreticâ adeò polleat, proin exulet.

4 *Vuaversa*] sive herba Paris, est ex solanorum speciebus, ac externè quidem ea convenit in bubonibus pestilentialibus; non secus ac quoque in cancero exulcerato mitigando; signatura aliàs baccarum refert capitula rotunda, ut & pupillam oculi; attamen vi sudoriferâ parùm instructæ sunt; ingrediuntur simpliciter pulverem Saxonicum, cujus descriptionem habet *Dispent. August.* ubi tamen hujus quoque pulveris vim AUTHOR potissimum deducit ex radice angelicæ. Si objicis hujus ipsius solani vim anodynam, & huic rectè AUTHOR hyosciamum substituit.

5. *Scorzonera*] Hispanica non est melior nostrate, nec tanta vi, quanta putatur, insignita, suo tamen modo egregia.

6 *Galega*] Hujus vim alexipharmacam deprædicat FORESTUS *de indicio fallaci urinæ*; ubi testatur à morsu viperino se hac ipsa curasse serpentem; interim nec galega nec onobrygis ulla hactenus vi diaphoretica insignita innotuerunt, quamtumvis galegâ superstitiosè mulieres in Epilepsia utantur.

7 *Sambuci*] Hoc plurima quidem suggerit remedia, interim non adeò necessaria, utut flores ejusdem sicci in Erysipelate, itemque in quarumlibet partium inflammationibus, tam in forma pulveris quàm decocti, aut in forma cataplasmatis egregii sint. Præterea nonnulli ex floribus ejusdem recentibus cum saccharo conditum parant, sed nauseosum hoc est; rob ex baccis & usitatum est plebeis pro scopo sudandi, quod pariter in suo pretio relinquimus; porrò se offert tragæa granorum actes, quæ est pulvis crassus ex succo baccarum cum farina subactô & in furno coquendo paratus, de quo vide HARTMANNUS *in Pr. Chymiatr. cap. de disenteria.* Verùm cum similiter meliora prostent antidysenterica, ut Priapus ceti & cervi, ceu nobiliora, illi substitui, poterunt trageæ.

8 *Tinctura actes* :] Hæc paratur ex baccis sambuci exsiccatis cum spiritu earundem [de qua vide CHROLLIUM *in Basil. Chym.*] daturque ejus cochl. j. ad ij. ceu specificum in passione hysterica per sudorem curanda; interim rectè negligit AUTHOR, quia nobis alia prostant antihysterica v. g. castoreum, plus effectus habentia, quàm hæc Tinctura.

9 *Spiritus*] tàm ex floribus, quàm baccis sambuci inservit non tam sudori ciendo, quàm aliis simplicibus infundendis atque extrahendis.

10. *Temperatior* ;] Dicit hic aquas destillatas simplices diaphoreticas nullum usum habere, nisi quod loco vehiculi aliorum remediorum inserviant: adeoque non opus aquarum illarum tanta farragine; sufficere E. nobis aquam destillatam florum sambuci, cardui benedicti & aqua fumariæ, quaram hanc eligit cum pauco Spiritu Vini destillandam pro usu vehiculi loco omnium AUTHOR.

TEXT. LUDOVIC.

1 *Spirituosas* & ad Aquas vitæ accedentes, *simplices atque compositas usitatiores*, in hac ipsa pertractatione satis, quoad necessitatem aut convenientiam, [expendimus. Nec iisdem de causis opus esse videmus, ut recentiores quoque *Correctiones aut Substituta, Elixir vel Aqua vitæ Antipestilentialis, Liquor seu Essentia Alexipharmaca*, [appensum capitello Succinum, & immersa postmodum sulphurea parum adoriens,] cum consimilibus variationibus haud adeo sæpe jucundis, huc referantur. Sane *Infusa simplicissima quoque* cum ardenti communi, vel prius [à parabilioribus gratioribusque] abstractio spiritu rite parata, seu [dum Theriacales compositiones, repetito tamen satis extrahendæ, ob mellis accessum hodie quibusdam displicent, aut præter rem cariores existunt, saltem pollentioribus aliquot vegetabilibus extractionique revera subjectis debite saturata, destillatas omnes manifesto antecellunt; & tamen nihilominus in paulo vehementiori Malignitate per se parum præstant, ni salinis volatilibus v.g. spiritu Tartari, Salis armoniaci, Salis Tartari, Cornu Cervi [qui tamen æque ac aliquorum hic Guajacinus ingratiores reddit Mixturas,] & consimilibus, [præ Oleis destillatis plerumque hic convenientioribus,] exaltentur, ne Opii proportionali quantitate, [ni expressa Pestilentium narcosis moderationem suadeat,] destituantur: alias si [excessivo quoque] pondere dentur, sanguinem præter rem tantum magis inflammant, nauseas & anxietates præcordiales vix adeo compescunt, &c. utut *spiritus Theriacalis solitarii vel camphorati, aut Bezoartici, Tincturæ Diaphoreticæ, &c.* titulis [ceu largi variique sunt æquæ ac ipsæ formulæ,] veniant.

Qui missa tantum non omnium simplicium huc spectantium coacervatione, [moderno *Theriacali spiritui* ad fæmigeratissimam illam *Tincturam Bezoarticam* communiter destinata] paucas saltem antepositas radices cum Myrrha, Croco & si libet aliquota pulveris Viperini parte proportionaliter miscuerit; ac pro totius v.g. unciis decem, Opii præterpropter drachmam unam [cum Castorei quoque, si placuerit particula,] adjecerit; micellam hanc cum octuplo spiritus ardentis simplicis vel abstractitii [boni tamen nec adeo phlegmatici, decēter extraxerit; porro vulgatissimæ solum 2 *Mixturæ illius simplicis*, à Tinctura Bezoartica operosiori, & nimis fere, [licet multū inter accidorū accessum postmodū secedat,] nonnullibi cāphorata parum in fundamēto proportioneq; differētis imitatione, tantisper saltem inter se permiscuerit, paratæ istius Tincturæ, *spiritu Theriacali abstractitio vulgari* oppido præsentioris] un-

NOTÆ.

1 *Spirituosas*] Considerat hic AUTHOR aquas diaphoreticas, tàm simplices, quàm compositas, & refert huc essentias, itemque Elixiria alexipharmaca nota. Quoad horum autem præparationem insulsum ZUUELFERI nisum ridet, quô hic per aquas & phlegmata succinum elicere in essentiam alexipharmacam intendit; insuper circa essentias has spirituosas ex alexipharmacis elicitas tria taxat, nempe [1] Earum superfluam copiam. [2] Earumdem insufficientiam, & [3] ipsarum non semper tutum usum; sic sæpè v.g. prostat spiritus angelicæ, theriacalis camphoratus, aqua antipestilentialis, quorum omnium locô sufficere possent infusa quædam in spiritu ardenti, vel & spiritus theriacalis abstractitius ritè paratus, nempe ita: ℞. spiritus baccarum juniperi per fermentationem paratus, vel loco hujus spiritus florum sambuci, hicque affundatur selectis simplicibus diaphoreticis jamdum recensitis, & digerantur omnia, dein spiritus affusus per Balneum Mariæ abstractus aliquoties cohobetur pro spiritu theriacali. Vel ℞. idem spiritus sine abstractione per filtrationem saltem separatus à simplicibus infusis, hicque sub noimne essentiæ theriacalis vel bezoardicæ asservetur, & sanè sufficit; vel & dicti spiritus sambuci vel baccarum juniperi affundantur theriacæ, myrrhæ, croco & camphoræ in debita proportione, & hinc post digestionem debitam abstrahatur aliquoties spiritus theriacalis, qui sanè itidem loco omnium esse poterit (2) taxat horum spirituum ardentium non undiquaque tantum usum, cum præsertim Praxis ostendat, quòd ejus modi volatilia Tartarea, tàm præservativè, quàm curativè propinata, soleant excitare corporis æstuationes, & disponere ægros ad deliria, & anxietates præcordiorum intendere; nam observatum fuit, & solam theriacam, constitutione pestilentiali crebrius usurpatam; reddisse ægros proclives ad deliria, jam E. si hoc facit theriaca, quid non de Spiritu theriacali sperandum est; adeoque igitur ex omnibus alter dictorum Spirituum sufficit, qui tamen itidem in parca dosi aliis sociandus est.

2 *Mixturæ illius simplicis*] PARACELSUS *in tr. de arcanis* facit mentionem specifici cujusdam ad caducum mistura simplex vocati inque peracutis morbis egregii hocque parat ex 5. partibus Spiritus theriacalis camphorati, 3. partibus Spiritus Tartari volatilis & p. j. Spiritus vitrioli ejusque non vulgaris, sed itidem volatilis, adeò ut totus alembicum [verba ejus sunt summam volatilitatem indicaturi] ascendat; jam E. ex his tribus, quæ nobilis Medicina speranda sit, colligi potest; interim etsi Spiritus vitrioli volatilis sit rara avis, & nonnisi à sublimioribus Philosophis expectari queat, nihilominus vulgares Chymiatri, PARACELSUM imitaturi, destillārunt saltem Spiritus istos communi modò, miscuerunt hinc eos, & ex hac mistura simplici enata fuit illa Tinctura Bezoardica dicta, ubi nempe loco Spiritus theriacalis camphorati assumpsit D.D. MICHAEL Spiritus vegetabiles sambuci, salviæ, melissæ, juniperi, hosque affundendo theriacæ & simplicibus aliis, fecit inde Spiritum theriacalem, cujus 5. partes junxit cum tribus partibus Spiritus Tartari rectificati, ambobus addendo Spiritum Vitrioli rectificatum, quæ omnia destillavit per Retortam & univit, sub destillatione collo includendo aliquid camphoræ, v. g. ℨj. ad ℨß. Sequenti autem tempore, cum alii spiritus vitrioli formidarent, sumpserunt locô ejus spirit. nitri laudabiliori ex instituto, & in dicta proportione hunc reliquis admiscuerunt, quâ ratione etiam vel Misturam, vel Tincturam Bezoardicam nobiliorem acquisiverunt; sicuti & alii loco Spiritus Tartari rectificati urinosi assumpserunt spiritum & sal volatile C. C. alii spir. & sal. volatile viperarum, hæcque cum dicto spiritu theriacali miscuerunt pro Tinctura Bezoardica vel mixtura simplici nobiliori. Cæterum AUTHOR N. tribus his ingredientibus jungit adhuc opium & castoreum, & opium quidem laudabili cum instituto. Notum siquidem est, quod ægri in malignis propter anxietates se in lecto difficulter ad sudorem disponere queant, constringentibus se fibris cutis, ut in poris illis absit sudor; unde hæc impedimenta ut præcaveantur, addatur opium, cujus vi si non sistantur, saltem sufflaminantur anxietates præcordiorum, hincque quieti facti ægri, longè copiosius sudant; addit & dictis ingredientibus AUTHOR Castoreum, nempe pro mulieribus camphoram horrentibus; unde hujus loco castoreum addendum, & in purpura, petechiis, variolisque expellendis magni usus est; jam E. ut habeamus rationem componendi, partes 3, spiritus Vitrioli volatilis cum spiritu Tartari p. j. effervescant, mutuo scilicet commixti, quod signum est horum legitimè præparatorum, hinc ubi motus is cesserit, destillentur per Retortam pro perfecta unione, hic spiritus compositus misceatur cum 5. partibus essentiæ theriacalis [non ve-

TEXT. LVDOVIC.

cias forte decem ; duabus Eſſentiæ camphoræ drachmis prius exaltatas :) ſpiritus Tartari (tanquam diaphoreſis potiſſimi hic authoris ,) uncias octo ; etiam 3 non rectificatas ; & demum ſpiritus Vitrioli ſubtilioris (parum ſic præcipitantis , ſpiritu Martiali parabilioris & hic æquivalentis , præque 4 Cliſſo malignarum nauſeas magis una comprimentis,) uncias duas : compendioſe tum in percolamento hoc , & vel Eſſentia papaveris erratici aliquanto magis colorato Liquore ſufficienter habebit , quod non ſolum antedicta *Mixtura ſ.* & (ad abuſus uſque nonnullis familiarior) *Tinctura Bezoartica* pollicentur ; verum etiam quod in aliis iſtorum *Imitationibus , Variationibus aut ſubſtitutis* (invicem ſæpenumero ſemet perimentia adſciſcentibus ,) item *in Eſſentia Antidotali alexipharmaca* (ſimul Viperina ,) *precioſiri Vilioriqui , in* 5 *Liquore alexipharmaco Emulſioni formi* (cum Myrrha tamen ,) ac conſimilibus operoſioribus aut ingratioribus paſſive quæritur. Imo nec 6 *Elixir Peſtilentiale iſtud uſuale (ſeu vulgatius* , oleoſis ſupernatantibus nimis obrutum , *ſeu recentiori correctione* ſufficienter tantum ſaturatum ,) adeo neceſſarium erit iſtius ſufficientiæ intuitu , & quod competentium ſpirituoſorum acceſſu amplius, (quando revera opus fuerit ,) haud difficulter intendatur , vel plane una alterave Rutacei vel ſuccinei olei gutta proportionaliter inficiatur quaſi. Sit tamen hic quoque optio vel talium additio cuivis per nos libera.

7 *Tartari vero ſpiritu* (tanquam per ſe polychreſto , & potiori diverſarum Mixturarum baſi , quamvis graveolentiori , varie tamen obnubendo ,] neutiquam hic caruerimus : non quidem ardelionum iſto 8 *venali*, acido volatilioribuſque particulis enormiter ſpoliato , ſed genuino , acri , quaſi urinoſo , propriis manibus cum ſolicita 9 fugentis volatilitatis conſervatione , (quæ vero non tam in refrigeriis , ſerpentinis aliiſve diverticulis , quam in juſta inſuper , paſſive tamen negle-

NOTÆ.

rò ſpiritus theriacalis, nam ille reſina ſimplici volatili turget) paratæ , vel modô ſuprà allegato , vel ad modum ſpiritus theriacalis camphorati per infuſionem , digeſtionem & filtrationem ; miſta hæc omnia imprægnantur camphoræ ʒj. & hinc ad digeſtionem ſeponenda pro meliori unione , ita emergit miſtura ſimplex , ſive Tinctura Bezoartica pro variis uſibus. Si opiaticam deſideres , ſociabis ſpeciebus iſtis opium , loco eſſentiæ opii, ſic enim habebis eſſentiam anodynam , aut ſine opio miſturam ſimplicem , cui ſantalum addideris Tincturæ bezoardicæ nomen amanabit , atque hæc doſi ʒß. ad ʒj. polychreſta eſt pro ſcopo ſudatorio in genere; ſicuti in ſpecie in quibuſdã morbis malignis & in febribus continuis , præſertim in horum principio ; imò & intermittentibus , præmiſsô vomitorio, ante paroxiſmum uſurpatur.

3 *Non rectiſicatas*) Spiritus Tartari non rectificatus eſt phlegma non urinoſum , unde malè illum AUTHOR noſter aſſumere jubet , quin potius ille rectificatiſſimus baſis eſt hujus cõpoſitionis.

4 *Clyſſo*) Loco ſpirit. Salis in compoſitione miſturæ ſimplicis adhiberi quoque poteſt clyſſus ex antimonio , nitro & ſulphure paratus, quippe qui itidem multum habet in receſſu.

5 *Liquore alexipharmaco*) Cujus deſcriptionem habet ZUUELFER. *in Pharm. Reg.* egregius eſt, (ſpeciatim quod ſic myrrha in emulſionis formam redacta lacteſcat) in morbis malignis cum excretione cutanea conjunctis.

6 *Elixier peſtilentiale :*) Hoc CROLLIUM pro AUTHORE habens , & oleoſum exiſtens ; vix ſine tædio capi poteſt, & correxit illud ZUUELFERUS *in Animadverſionibus.*

7 *Tartari verò ſpiritu :*) Hoc prænotemus, Tartarum nihil aliud eſſe, quàm Sal eſſentiale , natum ex acido vini rodente fæces ejuſdem alkalinas, quas dum rodit, coagulantur ambo in ſal cryſtalli forme Tartarus vocatum; jam verò Tartarus eſt manifeſtè acidus, & occultè urinoſus, quippe fæces vini ſunt alkalinæ; interim præter hæc duo principia ineſt quoque Tartaro copioſum pingue, in vino luxurians, adeoque hæc tria Tartarum conſtituunt ; utut autem acidum ejus ſit manifeſtum, tamen ſi per Ignem, Proſectorem publicum dictum , examinetur , nullum aciditatis veſtigium adeſt , ſed prodit pars urinoſi Spiritus & oleum fœtidum, remanente terra nigra unà cum Sale fixo ; unde quæritur, cujus naturæ ſit prodiens Spir. Tartari : item ubi manſerit acidum Tartari ſubſtantiæ? equidem phlegma deſtillans eſt ſimplex aqua olei nonnihil adjunctum habens ; ſpirit. autem paucus urinoſus eſt ac ſpiritus C.C. vel etiam urina , & difficulter coërcibilis , imò fugaciores non dantur ſpiritus quàm Tartari & fuliginis. Sicut tandem acidum Tartari colliqueſcendo abit in Sal fixum , propterea illud ipſum quoque à pinguedine Tartari fuit inverſum , quippe quæ cum ſale volatilli ſe jugendo , conſtituit oleum Tartari empyreumaticum , eſtque hoc nihil aliud, quàm alkali volatile Tartari, à pingui in occulto acido concentratum , & colliquatum in oleo forme corpus , quod probamus ex eo: Si enim oleo deſtillato additur ſal Tartari fixum, tunc hoc imbibendo illius pingue liberat ſal volatile contentum , ſicque ſal Tartari volatile elici, poteſt confer HOFMANNI *Clavem de Tartaro.* Ut acidum adeoque Tartari partim cum alkali volatili liquefactum, mutatum ſit in ſal fixum penetrans , cum pinguedine inverſum in oleum Tartari; hinc nonniſi ſpiritus urinoſus & oleũ empyreumaticum ex Tartaro elici poteſt, quorum ille maximè eſt volatilis & difficulter coercibilis ; reſidere contra in oleo Tartari ſal volatile , probatur ex hoc, quod, ſi ex Tartaro & nitro paretur clyſſus per retortam tubulatam, tunc in momento materia à ſuo oleõ inceditur, nitrum autem figitur in Sal fixum, & ſal volatile tartari in forma ſpiritus urinoſi tranſit; Alias legitima ſpiritus Tartari volatilis præparatio, qua ipſe copioſior , quàm fieri ſolet, acquiritur , procedit hoc modo. Nempe tractari Tartarus debet more aliorum vegetabilium Salia volatilia urinoſa ſuggere debentiũ: jam verò modi illi ſunt triplices, quorum (1.) contingit per putrefactionem, ſub cujus motu ſolvitur ejus corpus oleoſum, infringitur acidum , & liberatur urinoſum, ſicque copioſior ſpiritus ex Tartaro elicitur , & ad putredinem quidem diſponi poteſt Tartarus cũ ſimplici aqua coquendo, & inſpiſſando ad certum terminum, nunc cum muſto, nunc cum urina humana, quorum hic modus nobis maximè placet ; utut enim ſic ſpiritus miſtus prodeat cum ſal volatili urina infectus, tamen & hic concinus eſt, imprimis pro mixtura ſimplici conficiendâ. Alter modus ſpiritum tartari urinoſum acquirendi, fit per concremationem, quâ ipſa deſtruitur oleũ pingue, in receſſu acidũ, ligans ſal urinoſũ; & quidem concrematur mediante nitro in Retorta tubulata , pro deſtillando ſpiritu Tartari clyſſiformi, addendo nitro & Tartaro ſimul al quantum ſalis fixi, nam ſic copioſior ſpiritus prodit. Tertius modus tandem peragitur mediante digeſtione olei Tartari fœtidi cum ſale tartari fixo, nam & ita ſublimatur ſal Tartari volatile. *Conf.* HOFFMANNUS *in Clave.*

8 *Venali*) Vulgaris ſpiritus Tartari eſt phlegma amaricans ſaltẽ; contra genuinus volatilis acris urinoſus eſt , ferè inſtar ſpirit. ſal armoniaci, hac ſaltem ambos hos intercedit differẽtia, quod ſpiritus Tart. ob ol. tantillũ admixtum fœtorem empyreumaticum præſeferat, in ſpirit. ſal armoniaci non obſervabilem.

9 *Fugientis volatilitatis*) Spiritus Tartari ſub deſtillatione tam ſubtiliſſimum gas eructat , ut vix coërceri queat. Aut igitur rimas penetrat , vel vas illud diſrumpit ; cæterum modus coërcendi conſiſtit in eo, ut Tartarus ſimpliciter per Retortam deſtilletur, appoſito capaciſſimo recipienti; quantus haberi poteſt , aliquid aquæ communis in ſe continente , ſub deſtillatione Ignem graduatim dirigendo , quò nempe ex Tartaro pedetentim liqueſcente ſpiritus eliciatur; interim neque hac ratione poteſt impediri , quin Spiritus illius magna pars effumet per rimas , licet nobis inſenſibiles.

TEXT. LUDOVIC

cta ipsius Tartari ad recipiens proportione debitoque ab initio ignis regimine fundatur,) parato. 1 In *Retortiformi*; *desuper operculato & circumfluo plumbo nequicquam munito vase*, 2 *inque Retortis tubulatis vel inferius apertis*, nobis omni modo renitentibus, item 3 *per cucurbitam* negotium (alembici respectu) instituentibus, potior nihilominus pars disperiit; æque ac inter recipientis & retortæ commissuras 4 *foraminulum vulgo*, (pro epistomio quasi) relinquentibus quo scilicet incensarum sex, octo, imo duodecim librarum, (destillatorio inconsiderate inditarum) vehementiæ patefacerent exitum. 5 *Cum Vitrioli crudi ana vel dimidio* nonnullis destillatus. (pauxillo tantum olei simul profluente,) copiosior quidem hec ad aperiendum & solutiones quasdam inefficax, at acidulus tamen, & in Diaphoresi paulo remissior habetur. 6 Cum *ana Aluminis crudi vel usti*, urinosissimus saleque volatili copiosè intermixtus, alterius capitis est. De cætero pro *usitati illius* destillatione profecto sufficientissimus adhucdum deprehenditur, 7 *crudus saltem Tartarus*, selectior & crassior, sive albus sive rubeus fuerit; nec quandam inde noxam observavimus, sive 8 *Spiritus simpliciter sic*, (modo in tempore & cum circumspectione, hujuscemodi volatilioribus debita) detur, sive prius pro tenerioribus forsitan, sine vel cum adjecto *Vini spiritu, super puros cineres aut Salis proprii particulam*, (tanquam *Acidis Vitriolicisque subjectis* longe commodiorem) prius, sed revera supervacue nec citra immutationem quandam rectificetur: nec etiam in iis, quæ depuratio pro parte separat, (in bolari puta materia, arenulis, implicatis assularum frustris atque fecum particulis) adeo invenimus, quod serio noxæ cujusdam autor fiet: siquidem *feces siccæ* alias bonum ac penetrantissimum dant spiritum; reliqua nil ultra tantillum aciduli innoxiique phlegmatis conferre possunt. Nec denique tanta hujus, & è depurato prius Tartaro parati, circa graveolentiam est differentia, ut (licet aliquanto plus salis, at ex adverso minus olei suppeditet,) tædiosus labor præmitti mereatur 9 *Infractionem fœtoris* per instillatos Acidos spiritus, alii jam pridem rejecerunt. Atque simplici hoc spiritu diversos in usus tantisper contentus, facile insuper 10 *Spiritu Fuliginis* caruerit, sive *vulgaris* fuerit, Tartareo sane longè post qualemcunque etiam rectificationem fœtentior sive, (*cum frigus hic rarissime ad novo-* Zemblicam *illam concentrationem* sufficiat, nec efficaciam hinc tantopere intendat,) *cum Alumine vel etiam spiritu Vitriolico*, (subsequa per Alcalia disturbatione) specifiori ratione paratus; extus respective para-

NOTÆ.

1 *In Retortiformi vase cum saturn. munito:*) Hoc est furnus GLAUBERIANUS, de quo hunc *vide*.

2 *In Retortis tubulatis vel inferius apertis:*) Hoc modo non plus acquiritur Spiritus, quàm aliàs solet, ubi Nitrum & Tartarus destillantur, addito, ut urinosior evadat aliquid Salis fixi.

3 *Per cucurbitam:*) Hac ratione difficulter res succedit, subtiliori Spiritus substantiâ ex rimulis evaporante, præter periculum fractionis metuendæ.

4 *Foraminulum:*) Scil. quando copiosior quantitas Tartari una vice destillationi subiicitur, periculum est, ne is omnia diffringat; unde pro evitando foraminulum inter Retortam & Recipientem relinquitur: Interim hoc cum jactura Spiritus penetrantioris conjunctum, adeoque paucum Tartari pro semel destillandum est.

5 *Cum Vitrioli crudi ana vel dimidio:* Sunt qui vel Vitriolum crudum cum colcothare ejus, sive Vitriolum calcinatum cum ana Tartari miscentes destillant, sicque compositum Spiritum acquirunt, interim acida Vitrioli substantia se associat Spiritui Tartari, hincque inde evadit Salsus, non secus atque aliàs Spiritus aperitivus PENOTI prodit acidus volatilis, sine ullo saporis urinosi vestigio.

6 *Cum ana aluminis crudi vel usti:*) Sunt qui cum additione aluminis Spiritum Tartari destillant, ubi tamen ex alumine usto & Tartaro crudo destillatus Spiritus parùm differt à vulgari Spiritu Tartari, nisi quod ille non æque phlegmaticus, sed penetrantior sit, quàm qui cum crudo est destillatus; copiosior est & penetrans, compositus tamen is ex Spiritu Tartari & Spiritu urinæ, præsertim cum ad aluminis confectionem addatur copiosa urina, qua ipsa promovetur illius crystallisatio in majores crystallos: Sic quidam ex alumine & Tartaro, ana mixtis, destillavit Spiritum urinosum, putavitque se accepisse Sal Tartari volatile, cùm tamen, uti diximus, illud sit ex urina alumini addita, idque confirmabamus, quod cineres clavellati additi eundem Spiritum volatilem redderent, adeoque prout Alumen plus minusve de urina participat, eatenus quoque plus vel minus hac ratione Spiritus urinosi acquiritur.

7 *Crudus saltem Tartarus:* (Pro Spiritu Tartari conficiendo vulgò ℞. Tartarus depuratus, quod tamen superfluum; duæ enim licet substantiæ Tartaro crudo, nempe materia terrea bolaris & frustra assularum, ceu in quibus Tartarus concrescit, adhæreant, tamen huic Spiritui destillato nulla noxa affigitur, quin potius terra illa boralis Spiritu Tartari turget; ut taceamus, nullam deprehendi differentiam in Spiritu ex Tartarò crudô & Tartaro depuratô confecto uterque siquidem æque fœtet.

8 *Spiritus simpliciter:*) AUTHOR noster exhibet pro usu Spirit. Tartari absque ulla rectificatione, quod tamen nobis non placet, sed potius cum rectificandum esse suademus, sive super proprios cineres; sive super Sal Tartari fixum, quo mars undique delitescens remaneat & acidum volatile absorbeatur.

9 *Infractionem fœtoris:*) Fœtor semper & rectificatissimo Spiritui Tartari adhæret, adeoque hunc, dicit AUTHOR, corrigere quosdam per acidos spiritus, ut spirit. Salis; ast hac ratione spirit. Tartari reverà infringitur, quin potius is per se aliquoties rectificatus adhibeatur pro usu Medico, quantumvis adhuc aliquantisper fœteat.

10 *Spiritu fuliginis:*) Quia spiritus Tartari dicta ratione paratus, est egregium diaphoreticum, propterea Spiritus fuliginis (præ quo & ejusdem Sale volatili post Tartari Spiritum & Sal volatile fugacius subjectum non datur) optimè carere possumus.

* *ZemBlicam:*) Pro Sale volatili fuliginis per Retortam Igne aperto destillando rectè adduntur cineres clavellati, quò eò magis horum activitate acidum infuligine occultum enervetur, &, sic spiritus & Sal volatile penetrantiores acquirantur; de cætero GLAUBERUS alium modum præparandi Spiritum & Sal volatile fuliginis habet, nempe solvit fuliginem in aqua simplici, usque dum hac rubedine tingatur, deinde coctum frigori intensissimo reponit, sic liquor in centro spissior colligitur, & ex hoc evocat Spiritum & Sal volatile cum alumine & Spiritu Salis: quidam fuliginem cum alumine & Vitriolo miscent, pro destillando illius Spiritu, verùm sic acquiritur Spiritus salsus, & utut beneficio Salis fixi additi Sal volatile fuliginis & Spiritum accipiant, tamen hic non differt à Spiritu Salis armoniaci.

TEXT. LUDOVIC.

biliori æquipollentique Armoniaci ſpiritu. Ceu nec 9 *Oleo*, agonizantium (forſitan Hyſtericarum aut ruſticarum) reſuſcitationi interius deſtinato hic locus aut uſus eſt : exterius, ſi pro gregariis balſamicum (in contuſionibus,) reſolvens atque nervinum fætidum interponendum videatur, ſufficientiſſimo *Tartari* (minus fætenti) *Oleo*, ſimiliter parergo, facileque tum inſuper in retorta cineribus repleta *rectificando. De ſpiritu ſalis Tartari* cum affinibus, , per ſe & in compoſitis, interea ſymbolum egregie huc conferentibus,) ſequenti claſſe dicemus.

10 *Aceta Diaphoretica vel Alexipharmaca* officium in mediocrium Malignarum curationis actu facere, præprimis autem præſervatorie in iis, [qui extra Hypochondriorum uterique peculiares repugnantias,] ferre queunt, haud parum poſſe certum eſt. Cum autem luctuoſiori [quod Deus avertat,] tempore nunquam non è ſimplicibus quibuſdam antedictis facillime parentur, ſique placeat & ad manus ſit, *ſucci citri parte* tum prompte quaſi condiantur, *Rutaceum* inſuper hic locorum paſſim familiariſſime reponant matresfamilias; urgentiorem hinc neceſſitatem non videmus, qua medicatum ſic Acetum, [ceu diverſæ *Rhizotici*, *Beoartici*, *Theriacalis*, *Mithridatici*, *&c.* formulæ, ſæpe inconvenientiora ingredientia aſſumentes, hinc inde proponuntur,] ſemper & præciſe in contractiori apparatu proſtare; vel majoris durabilitatis cauſa loco *communis*, (mediocriter tantum pro empyreumatis declinatione] *Deſtillatum*, (cujus differentiam tum elevatarum particularum acidarum, tum ſubtractæ Tartareæ ſubſtantiæ reſpectu alibi notavimus, laborioſius recipi debeat.

1 *De Oleorum Oleoſorumque*, præſertim *camphoratorum aut ſulphuratorum* effectu equidem contemnendo, aliquali tamen [in ferventioribus malignitatibus] inconvenientiæ complicato, ſimiliter paulo ante diximus. Sin nihilominus ejuſcemodi *Compoſiti quidpiam* certas in intentiones expetatur, ex tempore ſane conſultius, [iſtorum *Limicorum vel Alexipharmacorum loco* vel limitatione,) è Succineo, Juniperino, Rutaceove inter ſe, vel cum Camphora inſuper aut Balſamo ſulphuris mixtis, nullo negotio confiet. Atque ſic quoque *Elæoſaccharum* aliquod Alexipharmacum; ſi omnino [ſed ſupervacue] pro Præſervativo vel Mixturarum Bezorticarum, (ut *Elixeris iſtius peſtilentialis* ſpeciem hinc induant,) additamento expeteretur. nec *Balſamicilitus* convenientius, quam uſus demum tempore, ſub una alterave ad ſummam formula, (miſſa tanto *ſimplicium ac varie compoſitorum* ſerie) facillime ac circa aſſervatorum deteriorationes, parabuntur.

3 *Electuarium ſeu Bolum Diaphoreticum* noſtri, (proculdubio propter inveteratas Theriacæ Mithridiatiique commendationes, & domeſticum illud ſuum Rob Sambuceum ac Juniperinum,) adhuc equidem quadantenus admittunt; atque hinc ea antiquiorum vel recentiorum Antidotorum ſeries hodieque paſſim proponitur aut invicem ſibi ſubſtituitur. Sed forte conſultius foret, ſi iſtorum, (haut ſatis ſæpe adhucdum interdum exaſciatorum) loco, compendifactis admodum ſic labori-

NOTÆ.

9 *Oleo*) Oleum fuliginis, quod cum Spiritu ejuſdem prodit penetrantiſſimum quidam ad aliquot guttas propinant agoniſantibus, perſuaſi, ſi hi deſuper ſudent, eos evaſuros; ſin minus, morituros eſſe; verùm dicimus potius inſervire illud egregiè hyſtericis & viris colicis, non æque aliis, excitandis; prætereà idem oleum externè ad affectus nervorum, ut contuſiones, contorſiones & luxationes commendandum eſt, ceu quod penetrantiſſimum eſt, & Sale volatili copioſo conſtat, utut hoc loco ſufficere queat oleum Tartari volatile fœtidum quod deſtillandum tamen & rectificandum per Retortam cineribus lignorum vel C. C. uſtô repletam, ita hoc oleum Tartari omnia illa præſtabit, quàm quæ fuliginis, aut alia ſimilia propinata.

10 *Aceta diaphoretica alexipharmaca*) De his vera eſt AUTHORIS noſtri epicryſis, etenim ſiquidem acetum præſervativum in morbis malignis quibuſcunque & peſtilentialibus requiritur, eſſe illud poteſt acetum vini crudum, ceu unum ex optimis; nam & SYLVIUS, binas peſtes Amſtelodami perferens, ſe præſervavit hoc ipſo aceto vini; unde ſi hoc acetum vini impprægnetur ſubſtantia volatili quorundam alexipharmacorum ſimplicium, præſertimque myrrhâ & camphora, tunc habebitur acetum eò magis efficax; cæterum notanter dicit AUTHOR noſter, quod cum hypochondriacæ & hyſtericæ non æque ferre queant ejuſmodi acida, (nam in his ordinariò peccat acidum plus minus auſterum) proinde iiſdem ſucci citri & aliorum vegetabilium melius conveniunt. Porrò proficuum quoque eſt dictum acetum curativè; ſiquidem hinc eſt, quod remedia theriacalia mediante vehiculo aceti in malignis propinentur, nam hac ratione theriaca aſſumpta longè potentius ſudorem movent quàm aliàs; jam verò acetum vini longè melius eſt aceto ex eo Oleato, ex eo, quod illud plus de ſubſtantia fixa participet: Interim quia deſtillatum acetum durabilius eſt, propterea non deſtillatum recipiatur, ſi mox illud diſpenſandum ſit; adeoque ſufficiat unicum acetum per experientiam laudandum, illud nempe quod deſcribit KIRCHERUS *ſcrutinio peſtis Pag.* 346. & ſpeciatim cum camphora imprægnatum. Vel ℞. ſimpliciter acetum infuſionis theriacæ, huicque poſt filtrationem addatur camphora minutim triata, & utut hæc non ſolvatur ab aceto, tamen eadem acetum aliquo modo imprægnabit. Vel ℞. baccarum juniperi exſiccatarum, [ſi acetum aſſervari debet) vel recentium, (ſi id mox diſpenſandum ſit) p. iv. myrrhæ p. j. hæc infunde in acetum, hinc filtratum id imprægnetur camphorâ, & uſurpetur omni manè & veſperi cochl. j. pro ſcopo præſervativo; vel aſſumatur pro ſcopo curationis theriaca in hoc aceto. Tandem ſunt etiam, qui aceta alexipharmaca parant ex decoctis lignorum unâ cum paſſulis & floribus ſambuci, decoctumque in loco tepido aceſcere ſinunt, verùm pompa hæc inanis eſt, & ſufficere nobis poteſt acetum vini.

1 *De Oleor. oleoſorumq.*) Equidem efficaciſſima ſunt oleoſa alexipharmaca, præſertim camphorata; it. oleum volatile ſuccini, juniperi, rutæ, interim ubi complicati ſunt morbi maligni cum febre intenſiori aut ſymptomatibus capitis, deliriis, agrypniâ, in talibus caſibus ardentia iſta minus tuta ſunt. Aliàs ſi requirantur talia, inſtar omnium tam ſimplicium quàm compoſitorum oleorum nobis ſufficere poſſunt internè oleum antipeſtilentiale HEINISII, ex oleo deſtillato ſuccini, citri & camphoræ cum oleo per Retortam deſtillatis facto, uſurpatum, quippe quod ad guttas vj. ad x. vel in vehiculo Aceti aſſumptum, adeò potens eſt ſudoriferum, ut ſudor quoque camphoram redoleat; pro externo autem ſcopo loco oleoſorum omnium ſufficit, in ſubjectis delicatis, balſamus apoplecticus cum champhorâ imprægnatus, vel oleum deſtillatum baccarum juniperi; quod ſocietur probè camphoræ, & ita illud illinatur temporibus, carpis & ſcrobiculo cordis, non verò naribus, cùm camphora noceat olfactui: cumque haberet. Vel etiam ſi placuerit.

℞. *Oleum diſtill. juniper.* ʒij.
citr.
ſuccin. ana ʒj.
camph. gr. xxix.

Mixta dicto modo externè uſurpentur.

Pro olfactu tandem acetum blandè camphoratum, vel Spiritus Vini camphoratus cum ſpongia vel linteolo naribus applicetur, in caſu locorum fœtentium, aut ob malignitatem ſuſpectorum.

2 *Electuarium ſive bolum diaphoreticum* (Sanè ſi ullibi eſt luxus ingredientium hic erit in Electuariis diaphoreticis, quorum mater eſt Theriaca ANDROMACHI & Mithridatium. Cæte

Cæterùm origo tantæ farraginis ingredientium pro compositis, & ex his factorum decompositorum est duplex: Quorum 1. existit Authorum ignorantia de natura venenorum & horum nocendi modo, quæ themata hactenus usque torserunt Medicos theoreticos; hinc cum neque eorumdem varietas, neque modi læsionis perspecti facti sint, propterea universale aliquod alexipharmacum introducere necesse habuerunt. Altera verò occasio fuit, quod non satis habuerint perspectam naturam simplicum, & hinc prodeuntium compositorum Authores; quin potius quicquid fallax experientia docuit, sive casu, sive studio institutum, hoc omne ablegatum fuit in compositionem v. g. theriacæ, cujus basin, innuente licet etymo, non constituunt trochisci viperini, quippe qui minimum de viperis participant. Jam verò pro meliore intellectione horum Electuariorum observandam, quod v. g. in therriaca, Mithridatio, Electuario de ovo, diascordio FRACASTORII duæ primariæ operationes attendendæ sint; à Veteribus suppositæ harumque prima fuit, ut dicta composita impetum Spirituum influentium consopient. [2) Ut potenter sudorem excitent: Ratione prioris conduxerant illa in agrypniis, doloribus, vomitibus, dejectionibus alvi, anxietatibus præcordiorum, inquietudinibus, qui effectus tamen omnes oriuntur ab opio, theriacæ ʒj. ad gr. ij. vel iij. semper correspondente; posterior verò effectus notus est ab ingredientibus reliquis aromaticis & amaricantibus v. g. gummatibus, quippe quorum vis in resigna subtiliori, adeoque Sale volatili oleosô consistit, & hujus ratione illa sudores movent; tandem his omnibus superadditum fuit mel, & hinc nata fuit fermentativa turgescentia, cujus beneficio non tantum correctum fuit opium crudum, ut mitius & tutius id factum fuerit, sed & reliquarum ingredientium partes oleosæ & resinosæ resolutæ, indeque penetrantiores & magis activæ factæ, adeò ut mithridatium & theriaca sint misturæ salinæ, oleosæ, volatiles, anodynæ & sudoriferæ; jam verò si loco theriacæ reciperetur spiritus C. C. sale suo volatili turgidus, & imprægnaretur s. q. opii, sicque daretur à ʒß. ad ℈ij. vel ʒj. tunc sanè habebitur remedium ejusdem valoris atque est compositio illa theriacalis. Interim eô ipso, dum theriacæ præparatio continuata est usque ad hæc nostra tempora non rejiciendus, est ejusdem usus, utut ea correctione indigeat; quin potius adhibenda ea in maglignis, sudore & vi anodyna opus habentibus, tàm præservativè, quàm curativè, & nunc cum aceto, nunc sine eo; cum aceto quidem in febribus maglignis & febribus acutis, quibus insignis æstus & symptomata capitis conjuncta sunt; sine aceto verò in casu minoris æstus & minoris febris, contra majoris malignitatis per sudores eliminandæ, insuper adduntur his pro necessitate camphora & antimonialia, ita ut v. g. in febri ardente maligna sub forma liquida præscribatur.

℞. *Aqu. fumar* vel
fl. sambuc. ℥ij. ad ℥iij.
Aceti vini simpl. aut ruth. aut theriacal. ʒvj.
theriac. Androm. ʒj. ʒiß. *ad* ʒij.
Antimonii diaph. ʒß. *ad* ℈ij.
camph. gr. IV. *m. f. potio*

pro duabus dosibus, expectando largum sudorem. Vel in forma sicciori:

℞. *Conserv. pulp. citr. rec.* ℥ij.
theriac. ℥ß. *ad* ʒv.
Antimonii diaphor. ʒj. *ad* ℈vj.

c. s. q. succ. citr. f. Electuar. pro 4. vel 5. dosibus usurpandum.

Interim cum theriaca sit compositio Salina oleosa volatilis, propterea in malignorum & acutorum principio quidem & incremento, non verò in statu tutior est ejus usus. Porrò quoad correctiones compositionum theriacalium & hinc factorum decompositorum, videntur nobis jam Arabes harum inconcinnitatem respectu ingredientium prævidisse. Hinc MESUES, ille Pharmacopœorum Primicerius, evulgavit suam theriacam diatessaron, ex gentiana, myrrha, aristolochia rotunda & baccis lauriana, miscendo cum melle & subigendo, cui si adderetur opium in s. q. & reponerentur omnia ad fermentationem, tunc hæc compositio tantum valeret, quantum reliquæ omnes.

TEXT. LVDOVIC.

bus, sumptibus ac vasculis, vel 3 *unicum tantū*, debitos in usus & vel vulgi requirentis gratia, apparatui paulo fusiori insereretur; simplicissime at proportionaliter è paucis aliquot selectioribus Alexipharmacis,) vegetabilibus, animalibus atque fossilibus, è Cordialibus porro quibusdam & aromaticis & demum ex Opii, sane ob insignem figendi & hinc attemperandi vim, in ejuscemodi formulis, (quibus quasi per accidens tantum simul Diaphoreticum sit,) non negligendi particula confectum: v. g. si (recentiorum quoque nunc imitatione quadam,) Radicum aliquot, (tanquam compactiorum minorisque proinde molis,) Gummatum, imo pulveris quoque (si libeat) Viperini sive colubri, (sed liberaliori, quam granulari in Theriaca dosi,) Sulphuris, Terræ sigillatæ selectioris, aut consimilium invicem proportionaliter mixtorum unciis duodecim præter proter, adderentur Aromaticorum [croci, cinnamomi, caryophyllorum vel cardamomi) conjuctim unciæ duæ; Opiique tandem, etiam crudi selectioris drachmæ quinque, vel (negotiosus hic) Extracti spissi drachmæ tres, aut paulo amplius; ac totum hoc (citra Theriacalia vulgo complementa) exciperetur triplo Mellis communis solitarii, vel (si ad manum, vulgatissimum hic locorum, fuerit, (ana Mellis Juniperini suppleti: *Mixtura hæc* post aliqualem prius fermentationem, (vegetiorum vim in hoc remediorum genere manifeste temperantem, adeoque in Theriaca recenti olim haud inconsulto expectatam,) ac post subsequam sic adjecti Mellis essentificationem quādā, (sub quali quali quoque nomine tandem veniat aut dispensetur,) in Diaphoreticas expectatio-

NOTÆ.

3 *Vnicum tantum:*) Si AUTHORIS N. vestigiis insistere volumus, possumus nobis parare talem theriacam:

℞. *Rad. Zedoar.*
gentian. ana ℥j.
tormentill.
angel. ℥iß
Pulv. viperin. ℥iij.
myrrh. elect. ʒj. *ad* ℥iß.
terr. sigillat. select. ʒij.
flor. sulph. ℥j.
Croci ʒß.
cinam. ʒvj.
caryoph. ʒiij.
opii succo citr. expr. & inspiss. ʒiij. *ad* ʒß.

Quæ omnia cum triplo mellis & Rob juniperi ana mista, subigantur probè, & in debitam consistentiam redigantur, terendo & agitando; deinde ad aliqualem turgescentiam fermentativam seponantur: Ita hoc dosi à ʒj. ad ʒij. pari ratione atque alia theriacha capi potest, sufficitque loco omnium; atque similem ferè compositionem habet HORSTIUS *pag.* 319. *Dispens.* sub titulo theriaca Germanorum.

TEXT. LUDOVIC.

nes exhibebit se sufficientissimam; si 4 *Viperæ* adjectæ fuerint, nihilominus etiam tenerioribus & gravidis, (quoties extus & intus completa quoque dosi incassum tentatis!) innoxiam; citra Opobalsami substituta, etiam penetrantiora, [v. g. dum Nucistæ expressum hic ferè languet, & succineo rutaceo caryophyllaceoque apertè cedit,] sat tamen efficacem; 5 *Theriaca Diatessaron*, (alias in suo quidem genere haud adeo rejicula,) antiquario *Electuario Papæ*, *Electuario de ovo*, ob vitellum & nucem vomicam, (in aliis compositionibus minus tamen hic exagitatam) jampridem suspecto, innoxio tamen & sat efficaci, item *Conserva Hederæ terestris composita* (alias jam neglecta,) *ac consimilibus* singulorum olim, (ne eadem chorda oberrare viderentur,) *Compositionibus* invenietur in haud paucis circumstantiis superior; *Theriaca Romanâ*, & prælonga *Matth. Antidoto* profectò concinnior; *Theriaca* (uti vocatur) *communi*, & tot editionum) 6 *Orvietana*, *etiam selectiori*, dummodo peregrinas persuasiones exuimus,) reliquisque celebrioribus quoque hactenus *Antidotis* (utplurimum tamen, quasi sibimetipsis diffiderent, Theriacam in fine tandem arrogantibus; aut pondera parum saltem, vel ordinem ingredientium variantibus, aut indifferens accessorium superaddentibus) æquivalens, & interdum convenientior. Et cum 7 olea supradicta, siquidem certas fortè ob circumstantias mage proficuum visum fuerit, tam ab initio confectionis; (ad drachmas duas præterpropter,) quam etiam usus tempore singulis dosibus proportionaliter admisceri queant; quemadmodum & Extractum quoddam Alexipharmacum aut antidysentericum, competenti menstruo seorsim, (suos alias in usus) ante præparatum, vel Camphora quoque contrita, aut ejus potius essentia, vel salis armoniaci flores ac consimilia volatilia: facile sic electuarium illud, (hac ratione diversimodè, pro indicationum ratione, determinandum vel intendendum,] præstabit aut supplebit non solum vulgare superioribus annis *Camphoratum quod de croco dicitur*; verum etiam selectiores illas, sub *Theriacæ simplicis & antidoti primæ ac secundæ anti-dysentericæ* titulo propositas formulas, nostræ superiori de cœtero (quoad componendi rationem,] fere geminas; nisi quod laboriosius quoddam vegetabilium alexipharmacorum & aromaticorum, (aquæ tamen simplici haud æqualiter parentium aut pro parte vires deperdentium,) Extractum fortè præsupponant. Sic etiam antimonialibus vel jovialibus pro lubitu singulæ doses extimulari poterunt; quo facile nonnullorum *Theriaca antimoniata chimica* proveniet. Imo tandem, licet (per manus quasi tamdiu traditas alexipharmacas, (nec experientia in quamplurimis affectibus adeo destitutas, *Theriacæ Andr. Mithridatiique* vires neutiquam hic simpliciter elevemus, nec superiorum etiam annorum querelas de inconcinniori improportionalique, (utut multis ex adverso excusata) compositione, de exoticorum genuinorum defectu ac substitutorum insufficientia, de alterantium superpondio & purgantium inconvenientia sedeat repetere, vel amplius adducere, seu viperinorum (nobis præteritis annis jam notatam) in dosi paucitatem, seu siccatæ Scillæ quasi nullitatem; Scindi cupedias: aut vanas illas (variis falsationibus adhuc dum expositas) Expositiones, & (utinam Chimicis periculosioribus potius dicatas!) ingredientium inspectiones (liberalissima postmodum cœna ab ementibus pauperculis redimendas;) licet denique nec opium nobis inibi negotium aut alienationem quandam facessat, qui saluberrimum ejus concursum cum innocentia in his aliisque, (calidioribus præsertim aut volatilioribus) Diaphoreticis alexipharmacis copulatum, satis novimus; & talia, (Opii tantillo quasi condita,) etiam in malignarum illarum cephalalgiarum principiis atque augmentis ad diaphoresin, (nam in statu, contra vigilias atque deliria, laudana solitaria equidem plerunque frustra, sæpenumero funesta sunt,] securissimè magnoque cum juvamine exhiberi, tamdiu confirmati scimus; adeoque singularem necessitatem hic non invenimus, cur (præter alia insuper selectus nostri alexipharmaca] *Theriaca quoque sine opio* (quamvis citra id nihilominus sit diaphoretica] *vel consimile electuarium* extare debeat. Id tantum impræsentiarum, sepositis tantisper modo recensitis aliisque, (quæ vulgaris theriacæ ac mitridatii exclusionem forsan hinc inferre poterant,] inconvenientiis, hic addimus: quod simplicissimum Electuarium, supradicto (qui cum *Theriaca nuper magis restricta & correcta* ferè coincidit,] modo paratum & per mensium aliquot asservationem in seipso spontè quasi subactum, [quo opii quoque vis somnifera, primis diebus ac septimanis etiam in pondere vix gratulari quadantenus perceptibilis, evidenter supprimitur aut immutatur,) ad drachmam unam saltem datum sufficientissimè nobis jampridem in diversis malignarum speciebus præstiterit, quod *magnis istis antidotis* pro alexiteria diaphoresi adscribitur, & quod *è mithridatio atque theriaca*, [*tum vulgari & ad literam, tum compendiosiori quoque ratione parata*, in consimilium affectuum ac subjectorum collatione præsto labamur. Ut proinde vel ea de causa necessitatem non inveniamus, cur operosiora illa Electuaria seorsim hic extent. *Electuarium nucum* patres familias in præservatorium sibi parent: *Conditum pro familia*, ejus saltem interpolatio est; & talia domi cum rob sambucino, juniperino, &c. variè nulloque negotio usus tempore finguntur.

8 *Extracta antifebrilia*, alias è vegetabilibus præcipuè amaricantibus interdum contulisse perceptis, variè curiosiusque proposita, Quartanis vix aut rarissimè promissis stant; in Tertianis ac Quotidianis plerunque præcipitantibus seu absorbentibus insipidis, ac invertentibus salinis, [fixis aut volatilibus] cedunt; & si quis vel solam absinthii essentiam aut extractum his interposuerit, sub paulo consideratiori methodo nec hic *China Chinæ*, ut [per se totiens fidem in ea gentianæ parabilitate fallens,] cum aliis insufficientioribus, ejuscemodi extractionibus deinceps superaddatur, opus habebit.

NOTÆ.

4 *Viperæ*:) Communis persuasio est, viperina remedia fœtum pellere, sed inanis metus hic est, præsertim cum ℔j. trochiscorum de viperis genuinæ harum substantiæ vix tertiam contineat partem.

5 *Theriaca diatessaron*) Carere possumus, utut illius adhuc usus esse possit, si cum opio animetur.

6 *Orvietana*:) Hujus nulla certa est compositio, interdum theriacæ simillima est.

7 *Olea*:) Quod si misturam theriacalem acuere gestias per oleosa volatilia, tunc vel sub mistura ejusdem adde olei destillati juniperi & citri ana ℥j. ad ℥iß. vel tempore dispensationis & usus dosi ejusdem etiam aliquot guttas ejusmodi oleorum adjice. Sicut pari ratione sub dispensatione camphora etiam vel salia volatilia eidem combinari poterunt, adjiciendo misturæ ʒj. sal volatilis C. C. gr. vj ad ℈ß. vel etiam eadem mistura cum antimonialibus misceri poterit, jungendo ʒj. antimon. diaphoretici vel Bezoardici mineralis ℈j & camphoræ gr. iij. vel iv. sicque vel in liquida vel in consistentiori forma propinari. Et sanè parata ità hæc mistura idem præstabit, quod Electuarium camphoratum KEGLERI & de croco dictum alias præstat, in se scilicet satis efficacia.

8 *Extracta diaphoretica*:) Speciatim antifebrilia dicta, ut absinthii, centaurii minoris, gentianæ, & similia, eaque vel simpliciter cum spiritu vini, vel ad modum extractorum helenii in Authore *pag.* 246. descriptorum parata, quibusdam in locis adhuc in usu sunt, specialiter pro cura febrium intermittentium horum unum vel alterum ante paroxysmum usurpando, in forma præsertim pilulari.

℞. *Extr. card. bened.*
absynth.
cent. min. ana gr. vj.
Myrrh. elect. gr. iv.
Laud. opiat. gr. I. M.

Jam verò de his extractis monet AUTHOR unum alterumve horum sufficere, nempe absinthii, aut loco hujus gentianæ loco omnium, etiam ipsius Chinæ Chinæ famosæ, esse poterit: Cæterum ejusmodi extracta antifebrilia commodius propinantur in casu, quando majus frigus & rigor urget, quippe quæ syptomata hinc egregiè imminuuntur, non verò quando æstus major existit, nam hic eorum usu intenditur, unde quoque raro eadem usurpantur, & si usurpantur, tunc extractum absinthii vel gentianæ sufficit.

TEXT. LUDOVIC.

Quemadmodum nec [inter tot nunc acceptiores diaphoreticorum formulas) excogitatis olim *Morsulis*. Siquidem vegetabilia hic aut ingratum plerumque sapiunt, aut pondus habent diffusius; Animalia verò huic formæ apta, & imprimis 9 Mineralia antimoniata per se in domestico vehiculo jucundius sumuntur, aut si omninò quis expeteret, loco variarum, (in remissiores affectus hinc inde prostantium diaphoreticarum ac Bezoarticarum) Tabellarum, facile tunc formantur. Ceu usus quoque tempore *Trochisci sublinguales*; si simplicium (sufficientissimorum) loco, curiosiores tale quid singulariter eligerent, æqua facilitate è parabilioribus, (gustum magis ferientibus, nec odoriferas, pretiosorum aut oleosorum particulas præposterè disperdentibus (vice *Trochiscorum Antipestilentialium viliorum aut pretiosiorum quorumlibet*, (tunc efformandi. 10 *Pulveres* in hoc genere vel duo sufficiunt; & quidem longè convenientius ex animalibus aut mineralibus quibusdam, efficacibus scilicet, (non suspectis aut penè nominalibus;) parabilioribus, (non præter rem & notabiliorem effectum caris illis Gemmeis, Bezoardinis, &c.) insipidis denique ac contractioris, nec nimium (ceu vegetabilia pleraque ac magisteria animalia solent,) diffluentis molis simplicissimè parati. Sicque mediocribus quidem in 1 affectibus ad expulsiones, resolutiones & inversiones admodum sufficiens; in intensiori vero malignitate volatilioribus vegetioribusque præmissis consultius postmodum succenturiabuntur. Et si omnino vegetabile quoddam, aut de vegetabili participans istis adjiciendum videatur, præsertim pro gregariis; extempore id fiet convenientius: ceu pariter pro lubitu vel necessitatis ratione, singulis dosibus antimonialia, jovialia, sulphurea, cinnabarina, Colubrina, opiata, &c. proportionaliter tunc associari queunt. *Si itaque quis v. g. Cornu cervi phil. calcinati partes duas, & terræ sigillatæ selectioris ac unicorum illius fossilis*, si ad manum sit, (uti hic locorum concrementum illud frequens & tolerabili precio parabile est,) singulorum partem unam inter se simplicissimè miscuerit, & secundum dictas conditiones considerate suoque tempore dederit, aut tanquam basin insuper (dum opus,) ante notatis diversimodè exaltarit; profecto longè concinnius, nec rarò felicius assequetur, quod hucusque passim in tot ingratissimis vel inconsideratius compositis, (sub solitario usu rarò intensiori malignitati sufficientibus) *Pulveribus Alexipharmacis, Pestilentialibus, &c. inque pulvere Cæsaris rubeo ac griseo diffusè* quæsitum est. Imò nec usitatioribus nunc istis, (ceu alias præter rem carioribus aut minus aptè conjugatis, prætiosa durabiliaque vilibus minusque durantibus nequicquam miscentibus, vel pura puta solum ponderis aut ordinis variatione constantibus, aut supervacuum accessorium forsan adferentibus, maximam partem, si titulos & persuasiones demas, nihilo vegetioribus (seorsim indigebit: *Speciebus puta de Hyacintho, Liberantis, confectionis cordialis, contra pestem, &c. Pulvere* (alias non contemnendo, 2 *Pannonico rubro, consimilibusve camphoratis, inauratis, aliave ratione pretiosioribus, tot Bezoarticis majoribus minoribusque diversorum Authorum*; & si qui *recens nunc*, plerumque tamen ex amaricantissimis, item è nitro (Malignis cum vomitu sæpissimè vel cum diarrhœa complicatis neutiquam, utut in Alexipharmacis quoque succis concreverit, commodo,) vel demum iisdem nostris ingredientibus, tantum carioribus associatis] constantes, amplius *sub* 3 *Alexipharmacorum, Antipestilentialium & Bezoarticorum nomine sunt propositi*. Nec demum opus habebit, *ut Pusiones & Infantes* usitatis ingratioribus turbet, aut peculiares istis compositiones, saccharo (lactentibus, præsertim febrientibus tam inconvenienti) plerumque fartas condat: cum 4 pulvis *ille recens natis ad granum unum vel duo, provectioribus [usque dum anniculi fiant,) ad tria quatuorve datus*, sique opus Anodynorum vel Cinnabarinorum portiuncula exaltatus, in caloribus vagis æquè ac permanentibus, in Exanthematibus.

NOTÆ.

9 *Mineralia antimoniata:*) ut antimonium diaphoreticum in febribus diaphoresi curandis requiruntur, præsertim cùm verum sit illud HELMONTII axioma: Nullam unquam febrim tutò sine diaphoresi curare.

10 *Pulveres:*) Diaphoreticos minus commodè ex vegetabilibus parari insinuat AUTHOR, cum illi drachmatim propinandi sint, & stomachus demum eorum vim elicere debeat prius: Sicut nec magisteria animalium eosdem; sed mineralia potius, & ex animalibus desumpta efficaciora constituere debent.

1 *Affectibus:*) Insinuat hic tacitè AUTHOR N. remedia (1) in febribus continuis cunctis benignis solitariis. (2) In iisdem febribus cum inflammatione partium internarum. (3) in febribus ardentibus usitata, & quidem allegat pulverem aliquem polychrestum diaphoreticum, cum aliis pro lubitu specificandum, estque is

℞. *C. C. s. igne ʒij.*
terr. sigill. select.
unicorn. fossil. ana ℈j.

M. hujus dosis ʒß. esto, in quocunque vehiculo expectando sudorem. Et potest hic pulvis cum aliis sociari, v.g. cum volatilibus. Sic

℞. *Pulv. hujus diaphor. ℈j. ad ʒß.*
Salis volat. C.C. gr. vj. ad ℈ß.
camph. gr. j. Misce.

Vel etiam cum antimonialibus diaphoreticis ità:

℞. *Pulv. hujus diaphor. ℈j.*
Bezoard. min. ℈ß.
Camph. gr. ij. vel iij.
M. F. pulv. in malignis egregius.

Sic si pulvis ille vi anodyna impraegnandus est, tunc

℞. *Ejusd. pulv. diaphor. ℈j.*
Cinnab. antimon. gr. xij.
laud. opiat. ferm. gr. j. M. F. *pulv.*

Atque hi ipsi pulveres in febribus continuis benignis & malignis sufficiunt. Præter quos etiam nobis alius in frequenti usu est, nempe

℞. *C. C. s. igne ℈j.*
Bezoard. min. ℈ß.
Salis volat. C. C. gr. v. M.

Cui nunc de camphora, nunc de opio q.s. addimus.

2 *Pannonico rubeo:*) Hic pulvis dos. ʒß. ad ℈ij. in morbo Hungarico, itemque in febribus malignis cum alvi fluxibus conjunctis præstabilis aliàs est.

3 *Alexipharmacorum, antipestilentialium*) Notat hic AUTHOR ZUUELFERUM, pulveres introducentem hosce, quoad basin tamen eadem ingredientia habentes, quæ nimirum suprà recensitum pulverem constituunt, saltem iisdem ZUUELFERUS addit nitrum cum succo scordii crystallisatum. Interim nitrata talia in malignis cum vomitu conjunctis non conveniunt, quippe hunc augent, & quoque aliàs ægros tales ad excretiones alvi proclives reddunt.

4 *Pulvis ille:*) Suprà putà dictus, tenellis ab AUTHORE ad gr. j. ij. & grandioribus ad iv. in terroribus & caloribus vagis datus; interim dicimus nos, hanc dosin nimis esse exilem, ex eo, quod tenellorum ventriculi utplurimum pappis sint repleti, adeoque hæ, uti omnium remediorum, ita & alexipharmacorum horum vim obfuscent; potius E. tenelli, quoad omnium remediorum usum, tanquam trimuli puelli tractandi sunt, ob allegatam stomachorum obfuscationem, hincque pulveris illius gr. 6. 8. 10. ad 12. iisdem exhiberi possunt. Imò si idem pulvis sociandus esset anodynis, tunc assumatur theriaca ad gr. j. vel alterum. Opium siquidem pro iis est nimis generosum, & solitariè datum suspectum; aliàs pro pueris insultibus febrilibus vexatis præscribitur hoc:

℞. *C. C. s. igne ʒß.*
myrrh. el. gr. iij. vel iv.

M. pro 4. vel 5. dosibus. Sanè hic pulvis tam in malignis, quàm insultibus epilepticis sufficiet, cui, si minus urgeat febris, sed potius tormina, addantur aliquot guttæ olei destillati anisi vel caryophillorum: verbi gratia pro ℈ß. vel gr. xij. illius, hujus gutt. j.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

Variolis morbillisque non adeo malignis, in convulsionibus, Terroribus, Torminibus ac clamorosis inquietudinibus, revera se tota die sufficientem præstet. 5 *Ita porrò si diversorum Pulverum Antipleuriticorum etiam secretissimorum, ac Specierum Pleuriticarum loco, saltem* 6 *ossium capitis Lucii pulveratorum partes duæ* cum sanguinis Hirci (ritè tractati,) & sulphuris citrini singulorum parte una misceantur, 7. absque *aliis Tribulorum, Carduorum, Florum aut Radicum papaveris erratici, dentis apri, talorum, &c.* additamentis, 8 & absque omni venæsectione, pulvis hic bis vel ter, (sine, postmodum vel cum aliquantillo opiatorum) datus expectationem hic locorum sufficienter complet: modo 9 (si pleuritis ferocior, & quasi maligna fuerit,) Mixtura simplex (elegans hic ruptorium seu resolvens) præmittatur, Expectorantia quædam (in majori nisu aut calore) liquida forma interponantur, & invertentibus cancrinis atque corallinis pulveribus, (aliquantum, aut non opiatis,) cura concludatur; æque ac in 10 febribus continuis & plerisque malignis, citra venæsectiones quaslibet, rarissimè certis nonnunquam subjectis aut circumstantiis hic in curatione debita, ') citra laxationes, clysterisationes, aliasque alterarorias aut roboratorias ceremonias, felicissimè nihilominus absolvetur, si (cæteris quidem paribus, & cum prudenti concurrentium requisitorum arbitratione,) malum primo per mixturam istam polychrestam, solitariam, aut (in vomitu symptomatico) guttis aliquot tincturæ anodynæ fortificatam, vel etiam per spiritum cornu cervi ac consimiles volatiles infringatur; residuum una alterave pulveris supradicti, (qui tamen etiam in mitiorum nonnullorum initiis per se aut diversimodè exalta-

NOTÆ.

5 *Ita porrò:*) Adducit hic AUTHOR remedia pro febribus continuis comitatis, sive cum pleuritide aut reliquorum viscerum inflammatione conjunctis, & quidem loco tot pulverum & specierum antipleuticorum selectum eligit hunc:

> ℞. *Oss. cap. luc. pisc.* ℥ij.
> *Sangu. hirc. rit. parat.*
> *Fl. sulphuris ana* ℥j.

M. D. ʒß. ad ℈ij. pro dosi; Pulvis hic tempore usus, præsertimque in principio harum febrium cum inflammatione alicujus partis internæ (nam ubique eadem valet methodus medendi) conjunctarum, dari potest cum aliquot gr. salis volatilis C. C. magis specificè verò cum gr. Salis volatilis maxillarum lucii piscis, quæ copiosissimum sal suggerunt. Sic quoque exhiberi dictus pulvis potest cum gr. j. vel ß. opii singulæ illius dosi, præsertim in principio morborum addendo. Etenim singularis est encheiresis, hisce mederi mox in principio per salia volatilia & opiata, æstu, quamtumvis maximo, nihil obstante.

6 *Ossium capitis:*) Ordinariè aliàs in pleuriticis curandis præscribuntur maxillæ lucii piscis; verùm rectius integri capitis osse in usum vocantur, nec enim ulla maxillis, præ aliis ossibus capitis, tribuenda est prærogativa.

7 *Absque aliis tribulorum, carduorum:*) Hæc aliàs sunt specifica antipleuritica, quorum tamen loco sufficit suprà dictus pulvis.

8 *Absque omni V. S.*) Egregia sententia; equidem vulgò inflammationes internæ febribus comitatæ per ven. sect. tractantur, sed sic sine ratione debilitantur ægri, quin potius tutius per sudorem, quàm per ven. sect. morbi illi curantur, imò hoc certum est, quod si sine sudore per ven. sect. iidem curentur, nihilo secius ad suppurationem tendant.

9 *Si pleuritis ferocior:*) Scilicet ità se habeat methodus medendi in pleuritide maligna, ubi principium curæ fiat à penetranti sudorifero, v. g. mistura simplici, spiritu C. C. sale volatili maritato, unà cum opio plus minus sociando; quo facto pulvis suprà dictus aliquoties reiteretur; hinc tandem in declinatione morbi cancrina & coralliata præparata, item antimonium diaphoreticum absolvant curam. Et quidem opiata locum habebunt, si inflammationes pectus occupent, ità enim sistetur tussis, & inflammationes avertentur, in brodio propinata; contra in incremento & statu morbi, quando tussiendo multa expectorantur, opiatorum exhibitio periculosa; aliàs enim sisteretur tussis, & excretiones sufflaminarentur, excernendaque viscidiora redderentur. Cæterum dictis remediis expectorantia interponantur, & in incremento quidem temperantia pro incrassandi materiam scopo, quales sunt scabiosa, viola & papaver erraticum; in statu verò, ubi expectoratio materiæ incrassatæ supervenit, expectorantia, incidentia, nempe ex Nicotiana, hyssopo & erysimo parata.

10 *Febribus continuis & plerisque malignis:*) Docet hic AUTHOR methodum curandi febres continuas ardentes, benignas pariter ac malignas, discursum illum, quem *pag. 237. & 239.* habuit, magis applicando, & quidem ven. sect. in febre ardente continua benigna rarò locum habet: In maligna verò eadem periculosa est, ubi scilicet in benigna non adfuerit plethora ingens, aut æger sit juvenis, aut febris illa ex potuum generosiorum abusu fuerit nata, aut denique mulier ægra fuerit plethorica ex vitio mensium, opus erit in eadem venam secare. Malignæ autem ejusmodi febres per ven. sect. deteriorantur, quod observavimus, imprimis, si talis febris ex contagio fuerit nata, quò in casu ven. sect. est pessima, quippe hac ratione porta contagio aperitur, ut illud integram mass. sang. afficiat; sin verò febris illa sine contagio fuerit, tunc pariter ven. sect. labefactantur saltem vires, nec ullum commodum inde habetur; unde caveamus nobis in talibus casibus à ven. sect. Sic nec clysterisationes nec laxationes in talibus febribus requiruntur; equidem non rarò in principio tàm benignarum, quàm malignarum febrium vomitoria adhibita sunt tuta, imò necessaria, eaque sine intermissa mora, præsertim in juvenibus, aut quando à contagio extrinsecus hausto natus fuerit morbus, affligente sic contagio regionem stomachi, adeoque inquietudinem causante, in quo casu sanè nil melius est vomitorio, & quidem in principio primo adhibendo, à cujus usu quidem debilitantur ægri, sed cum euphoria, imò per totum morbi cursum quieti sunt, quod sanè magnum juvamen Medicis curantibus præstat; deinde & mox in principio talium febrium humorum motus juxta hypochondria observatur, itemque quando æger talis est nauseosus; his enim in casibus imitemur naturam, & adjuvemus per blandum vomitorium, quo præmisso vel omisso mox in principio ad sudoriferum aliquod volatile, v. g. misturam simplicem spirit. C. C. accedamus, exhibendo eadem vel solitaria, vel, præsente vomitu symptomatico, sociata opiatis, hinc sudore una alterave vice continuato, advocentur in usum fixiora, v. g. pulvis allegatus subinde variandus: Sicut juxta finem morbi exhibenda erunt cancrina, coralliata. Cæterùm quo magis ægri taliter constituti sudant, eò magis vires debilitantur, unde ut viribus prospiciamus, danda erunt intrà & post sudorem blanda acida cum potu ordinario, ita ut v. g. in mensuram ß. cerevisiæ instillentur gutt. 50. vel 60. clyssi antimonii, vel spiritus nitri dulcis, vel etiam roris mineralis, quod est phlegma vitrioli acidulum commodum julepis ex aqua fontana cum infuso rosarum, violarum, vel tunicæ factis, ubi ad gratum acorem instilletur, vel denique misceantur part. ij. cerevisiæ secundariæ cum j. parte vini.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

tus sufficiet,) dosi subigatur; ac tandem circa statum corallinis cancrisve (cum & sine cornu cervi phil. calcinato) quasi absorbeatur; interpositis pro circumstantiarum ratione, contra siticulositatem quidem vel solo spiritu salis, clysso, aut rore minerali (in potu,) vel etiam ipso nitro, (si vomitus ac diarrhœa absint:) 1 in anxietatibus verò illis malignis, etiam circa statum nonnunquam repullantibus, tertiata vel subquadrupla tantum, non completa (ne nimis commoveat;) repetita tamen si opus fuerit, Mixturæ s. aut spiritus volatilis, vel etiam Electuarii alexipharmaci dosi: in nauseis demum diarrhœis excessivis, vigiliis inquietudinibusque nimiis, &c. Laudani (quovis modo obnupti vel aliis associati;) grano præterpropter, ante & post statum urgente necessitate, uti perquàm proficuo, ita tutissimo; si modo Ungaricas axquisitas, opiata circa statum (inter ferventia deliria) vix commodè vel impunè, melius autem in declinatione demum, si necessarium fuerit, (ceu paulò ante quoque dictum est) admittentes excipimus. Quæ incipientium, clientes suos tanta Pharmacorum proluvie nobiscum vexare nolentium causa ingenuè referre voluimus Tandem verò quod 2 *Antifebriles (Intermittentium) Pulveres, species febrifugas, & similes compositiones attinet*, uti olim pulveratis quibusdam vegetabilibus (plerumque remissioribus,] aut postmodum è Diaphoreticorum, Præcipitantium alcaliumque improportionata complicatione constant, ita promissis (ni vegeti cujusdam perfecta dosis subsit,] rarò stant, aut ob (Amarorum vel confusi quid ingratissimè sapientium) molem difficillimè assumuntur, stomachove, præsertim in nauseam soluto retinentur. Quartanæ sanè potentiorem & ad spiritus volatiles imprimis opiato combinatos, (ceu laborosiores ad mercurialia fixa, &c. solent,] extensam manum exigentes, talia parum reverentur. In Tertianis plerumque (post catharticum, præsertim emeticum,] simplicissimus Concharum pulvis, (solitarius, aut cum nativa cinnabari vel pulvere anodyno,) item, [ceu quoque in quotidianis] notoria illa alcalia diaphoretica, simpliciter aut cum sulphure parata, sola [vel salis febrilis imitatione, tertia parte nitri & tertia parte florum salis antimoniaci (qui alcali sulphuratum commodè ferunt,] sociata, magis profecto satisfaciunt: Nec arcani duplicati, 3 Aluminis mitificati seu dulcificati, 4 Olei caryophyllorum, atque aliorum ejus generis antifebrilium ulterius hic mentionem faciemus.

DIAPHORETICA ANIMALIA.

POtius eo nunc deducti, ad 5 *Animale mineraleque regnum*, pariter in fœcunditate sua hic nimiopere extensum convertamur, & quæ selectui nostro potissimum covenire videbuntur facta inter se collatione, (ubi tamen propter polycrestorum affinitatem alterius quoque classis remediorum consideratio coincidet] è vastitate illa segregemus. Sit autem primus 6 *Cervo*, tanquam diaphoreti is [exotico pretiosissimoque quovis pollentioribus] exuperantissimo locus; Non quidem ut *sanguinolentas illas* 7 *Typhas* cupediis subtrahamus; *exiccandas forsan*, [at cruore orgasmi tempore siccato parum sic validiores; aut *vulgatiori more destillandas in aquam*, [inter alia tamen præsentiora] languidiorem sanè, si simplex, vel accessoriis suis, po-

NOTÆ.

1 *In anxietatibus:*) Malignarum febrium in statu existentium nunquam volatilia, vel tantum in imminuta dosi (v. gr. pars tertia vel quarta illius doseos, quæ aliàs datur) una cum paulò fixioribus exhibere necesse est, non secus ac quoque contra urgentia symptomata dicta ante & post sudorem cum laudano acuari poterunt, in ipso tamen statu omittendo.

2 *Antifebriles intermittentium pulveres:*) Sunt qui pro intermittentium curatione usurpantur. ℥j. pulveris cardui benedicti, sive pulveris florum centaurii minoris ℨj. sed minus efficaces hi sunt quin potius loco horum à Modernis diaphoretica & præcipitantia alkalia fixa usurpantur, quibus tamen nec ipsæ quartanæ cedunt, sed in his ad volatilia accedendum est, die intermissionis tractando patientes per martialia; adeoque præmisso vomitu, eoque interdum repetito, (quippe sine quo quartanam curare impossibile est) die invasionis bihorio ante paroxysmum exhibeatur spiritus salis armoniaci ritè paratus & fortificatus à ℨß. ad ℨj. vel quibus hic ingratus est, illi accipiant pulverem oculorum cancri, coralliorum & sacchari saturni ana gr. xij. atque hæc internè. Externè verò, quia in quartanis semper ferè subest vitium aliquod splenis, imponatur emplastrum de Nicotiana: Simili ratione pro tertiana curanda, præmisso vomitu instante paroxysmo, subsequentibus reliquis exhibeatur pulvis, ex marinis & salibus fixis constans, (utut & his præferendus sit spiritus salis armoniaci ad ℨß. vel ℨj.) verbi gratia, sit pulvis concharum, & conchis probè lotis, vel iisdem calcinatis, vel matre perlarum compositus, hujus ℞. gr. xv. usque ad ℨß. & salis absynthii gr. xij. ad xv. olei destillati caryophyllorum gutt. ij M.F. pulvis, hora j. vel altera ante paroxysmum propinandus. Vel

℞. *Oculor. cancrorum* ℈j. *ad* ℨß.
Antimonii diaphor.
Salis absynth. ana ℨß. *vel gr. xv.*
laud. opiat.

(scilicet in febribus inveteratis aliàs duplicatas eas reddit) gr. j. Vel si intensior æstus afflixerit in paroxysmo, & hujus quoque respectus haberi debeat, ut in febribus intermittentibus scorbuticis, tunc

℞. *Arcan. duplicat.* (propter *sal*) ℈j.
oculor. cancror.
salis absynth. ana ℈ß.

M. F. pulvis repetitis vicibus usurpandus, donec febris profligetur.

3 *Aluminis mitificati:*) Ex alumine præcipitari solet terra aluminis, saccharum ejus alias vocata quæ figendo intermittentes curat, non secus ac quoque tartarus aluminosus ROLFINCII id præstat: Interim minus tuta hæc remedia putamus, figunt siquidem & suspendunt paroxysmum, & si æger tantillum peccat, mox redit.

4 *Olei Caryophillorum:*) Externè scorbiculo cordis illinitum tollit rigorem intermittentium; pro alio autem scopo non conducit illud.

5 *Animale regnum:*) Hoc quemadmodum respectu purgantium est pauperrimum, ita quoad diaphoretica ditissimum, speciatimque AUTHOR elegit C. C. sine igne, hinc ejusdem spiritus & sal volatile. Cum illo accidentariò quoque se nobis offert gelatina. Sicut ex viperis pulverem illum viperarum, aliàs bezoardicum animale dictum, qui quò simplicior, eo melior.

6 *Cervo:*) Rectè dicunt, quicunque dicunt, quòd totus cervus sit alexipharmacus, cùm ex toto remedia parari queant.

7 *Typhos:*) Rejicit AUTHOR, qui in quibusdam locis sunt usuales, & quidem ex iisdem aquam, tàm simplicem, quàm compositam destillant, quarum illam sub nomine aqu. typhor. C.C. commendant ad mensium & lochiorum fluxum nimium supprimendum: Compositæ verò vires analepticas tribuunt. Verum omnes ex animalium partibus destillatæ aquæ sunt nuda phlegmata, adeoque inertes, omnique virtute Medicâ spoliatæ, nisi fortè per accidens quasi juvent, dum de sale volatili, animalium illorum participant; unde par judicium de aqua typorum quoque formandum erit.

TEXT. LUDOVIC.

tiorem effectus partem debentem ,si *composita* fuerit. Nec porrò ut 8 *Immaturius ac mollicellum hinc decutiamus cornu*, in vaporoso balneo (siquidem in perflatili quoque loco etiam detracta, cute suspensum intus brevi fœtorem concipit ,) exficcandum ; cum *Pulvis inde* diffusa quidem mole admodum , efficacia verò cervina vulgatiora non superet ; ceu alias cornu ipsum (immaturiorum fere lignorum more) remissiorem spiritum , parciusque dat oleum. Quinimo nec 9 *Sanguinem inde vel cor conquiremus* , sive pro *aqua cordis cervi* , ejusdem cum aqua typharum composita fortis , & hinc nobis animi gratia *ex Hircino* olim eodem effectu destillata ; sive pro utriusque spiritu ,) si maturi cornu spiritu conferas,) similiter dilutiori , & per æquivalentem istum facile compensando : sive *denique* pro 10 *oleo fœtido* è sanguine eo , quod è Cornu vel ipsa fuligine quasi per accidens habetur , aut (siquidem *humana* merito, forsan hic reveremur ,) è vulgatioribus equinis ossibus , hircino sanguine , &c. (si operæpretium foret ,) elici potest , & in *varios* 1 *liquores ac misturas antipodagricas* nonnullis redigitur , nihilo specialiori ; seu post diversas rectificationes cum spiritu vini alcalisato in olidam *Essentiam* , seu superaddito sale proprio volatili in *Balsamum illud antipodagricum* vertatur : oleosis ejusmodi aliàs vix decimo Arthriticorum nostrorum (utut fœtorem tolerantèr ferant ,) quadrantibus ; magisque tum proficuis salis armoniaci , calcis vivæ & urinosis spiritibus. Porro vero 2 *nec cerebrum* curiositatibus hic vindicemus ; quo *spiritus cerebri humani analogum* , (empyreumaticum , nec tanti momenti) *liquorem* , cum paucissimo sale volatili oleoque similiter in exigua quantitate simul prodeunte , (ut per expressionem animalium cerebella plus oleosæ pinguedinis dent ,) supervacuè nanciscamur. Sic nec 3 *Os de corde cervi* (ob venatorias persuasiones,) aut 4 *Sordes è Canthis* tædio è corrademus : certè harum , (largiter etiam exhibitarum) vis non est , ut sordidum & ferè hircum olens remedii genus tot præstantioribus parabilioribusque Alexipharmacis jure præponatur : ceu nec Cartilago ista Cordialis Corallia , oculos Cancri vel Cornu Cervi præparatum superat , in multis circumstantiis ne quidem æquat. 5 Selectui proinde nostro sufficiet cornu , si haberi potest ,*spontè (quasi complemento suo obtento ,) deciduum* , in complures præparationes , (ob majorem soliditatem seu corpulentiam extimarum partium] convenientius ; aut si defuerit, saltem satis maturum seu induratum , sive de cætero paulo ante vel in orgasmo , aut exigua fortè differentia brevi post cæsum fuerit,etiam post complures annos nihilo deterius, & 6 *Cervini quoque cranii* [quod alii alios in usus vel *Aqua rosarum identidem mollificare , vel etiam philosophicè calcinare solent,*) vices revera satis complens , imo

NOTÆ.

8 *Immaturius.*) Quidam in aqua destillant , atque in B. M. Philosophicè calcinant : Interim cùm hoc ita recens nondum ad perfectionem debitam pervenerit , nec sale volatili sufficienter impregnatum fuerit , propterea eidem meritò C. C. perfectum præferendum ,præsertim cum immaturioris illius dosis ℥ß. ad ℥j. magnam quidem molem referat , minus tamen efficaciæ promittat. Cæterum C. C. medium quid est inter animalia & vegetabilia concreta , quippe quod cum vegetabilibus hoc comune habet , quod unà crescere incipiat tempore verno , & cum iisdem decidat tempore autumni ; adhæc eorum stuctura perfectum lignum refert , tandem corneam acquirens consistentiam..

9 *Nec sanguinem inde vel cor*) Scil. sunt quidam , qui ex corde cervi aquam destillant ac spiritum , ubi tamen spiritus ille minus nobilis spirit. C. C. utut vana hominum persuasio imponat nobis, quasi vitalis vis esset cordi insita. Sic neque spirit. cordis cervi & spirit. sanguinis illam essentialem differentiam fovent , nisi quod ille sit dilutior. Cæterùm circa spirit. & salia volatilia ex animalium partibus liquidis destillanda , observetur hæc encheiresis , quod v. gr. sanguines & urinæ recentes præter copiosum phlegma parùm spiritus & salis volatilis largiantur ; contrà putrefacta eadem copiosum & acerrimum spirit. & sal volatile , (dicerem duplò quàm aliàs.) Atque eadem ratio valet & in quibusdam solidis animalium partibus , speciatim in secundina humana , quæ recens parùm putrefacta autem copiosum spirit. & sal volatile suggerit.

10 *Oleo fœtido.*) Ex sanguine cervi , speciatim no putrefacto , copiosum oleum elicitur , quod tamen vix prærogativam habet præ oleum C. C. aut fuliginis , unde hæc promiscuè loco illius adhiberi poterunt.

1 *Liquores & mixturas antipodagricas.*) Ex oleo & sanguine cervi has quidam parant , ut SCHRODERUS , & externè in podagra applicant : Verùm placet nobis hac in parte *AUTHORIS* epichrysis ; scil. in podagra nunc peccat acidum volatile & acre , nunc magis acre , sed obtusum & viscidum ; si acre acidum subest , tumor erysipelatodes adjunctus podagræ est ; sin verò id obtusum , adest tumor œdematosus , quem frigidum , tunc vocamus ; jam verò utroque in casu ; quando ab acido oritur podagra , eidem opponenda sunt salia volatilia urinosa ; interim in specie priori convenit sperma ranarum , sale temperato urinoso constans , spiritus salis armoniaci cum calce addito speciatim spiritu vini paratus ; spiritus lumbricorum terrestrium imò &c. quando tumor erysipelaceus adjunctus est , præter spirit. salis armoniaci illum cum spiritu vini paratum , locum etiam habet camphora sociata , ceu effectivè summum refrigerans existens ; contra in altera podagræ specie , ubi acidum viscidum peccat , dictis volatilibus subinde sunt jungenda oleosa quasi ferventia, verbi gratia olea destillata cum volatilibus illis combinanda , it. interdum balsamus sulphuris , sicut & tandem cujus mentio fit, balsamus antipodagricus locum invenit.

2 *Nec cerebrum.*) Cerebra animalium habent consistētiam aquæ eò pinguem,hinc copiosum phlehma, pauxillum contrà spiritus & salis volatilis exhibent, nec inde nobis singulare quid pro epilepsia curanda promittere possunt.

3 *Os de corde cervi.*) Est concursus tendinum circa arterias cordis observabiles , in bobus & hominibus temporis protractu cartilaginescentium ; non secus ac arteriâ magnâ in homine ossea, itemque larynx in cartilaginea forma observata fuit, unde & dictum os de corde cervi malè pro alexipharmaco proclamatur , quin potius æquali cum C. C. stat pretio.

4 *Sordes è canthis.*) Veteribus pro lapide bezoar habitæ sunt ; ast malè , cùm illæ nihil valeant.

5 *Selectu nostro.*) Eligit AUTHOR C.C. illudque spontè deciduum ; etenim ut autumno , quando illa cornua matura quasi sunt , spontè arescendo decidunt, suntque ea duriora & ponderosiora , adeoque copiosum spiritum & sal volatile suggerunt , quod si tamen illa decidua cornua habere nolimus , sumamus eadem paulò antè spontaneum casum , præprimis illa , quando cervi sunt in orgasmo , utpote jam matura , quæ à sanguine non alterantur.

6 *Cervini cranii.*) Hoc pro cornu ejusdem quidam substituunt, & res sanè perinde est.

TEXT. LUDOVIC.

nec 7 *Rhinocerotis* adeo commendato *Cornu* (ceu multoties & amplissima quoque dosi, tam *crudum levigatum*, quam *excoctum*, aut *in spiritum destillatum variè* tentavimus ac cervinis aliisque parabilioribus aut temperatioribus alexipharmacis contulimus) in rei veritate posterius; quod etiam in diversis, selectioribus tamen, nec eboris per aquam fortem excavati aliterve ficti, vel consimilium mangoniorum temere accusandis 8 *Vnicornu* frustis plus vice simplici deprehendimus: seu Cetacea (uti videbantur,) fuerint, seu (uti offerentes adfirmare volebant,) è *Quadrupede*, adhuc dum eruditis incerto, & ex Æthiopia secundum nupera promissa expectato. Ut proin missis his preciosioribus, nihilo tamen valentioribus, sæpe suspectis & confisos in præcipitia ducentibus, (etiam insuper 9 *Rupicaprarum*, quæ tamen nondum hactenus repetito experti sumus) cornibus, satis sit, si è *Cervino*, (parabili & sat in suo genere efficaci,) extet primo 10 *Mollificatum illud, quod vulgò Philosophicè calcinatum* dicunt: non quidem operosius in *peculiari vesica* vel simili apparatu, sed *vulgari solum coctione* (separata, siquidem fluidis in morbis adeo forsitan placuerit, *& acidulis spiritibus condita*, non verò alutariorum more vix sine glutinis fœtore *siccata Gelatina*,) paratum: simpliciter *Raspato*, (ceu ni per complures *aquæ Divaporationes friabilius* adeoque huic conforme reddatur, segniori (præsentius) longè (uti supra diximus,) minoris molis gratiorisque coloris præ molliculorum siccatorum pulvere: de cætero in debitis indicationibus, [tanquam temperatum, in exquisitè vero malignis, non tam primæ debellationi, quàm reliquiarum extinctioni potius cum sui similibus dicatum,) sat efficax; licet glutinosior & sanguinolentior substantia, cum aliquota [ipsi proportionaliter inhærentium] particularum salinarum, ac præcipuè sulphurearum parte sic subtrahatur. Nam in compluribus hujus generis subjectis, quibus illæ aliquantum aut quoque penitus demptæ sunt, nihilominus adhuc datur & observatur actio, ad Diaphoresin, Diuresin, &c. sat evidens, quæ tamen è principiis illis, aut eorum absentia vel diminutione, [alia Ignis, alia Stomachi resolutione, vel remediorum inibi adaptatione,] simpliciter æstimari nequit. Atque hinc *Vstum quoque, vulgare illud*, similiter revera & in se, [non ob vehicula tantum, strangula, aut creditum quoddum *Sal fixum*,] diaphoreticum nemini non hodieque observatur, æquè ac Conchæ [ipsissima sane complurium locorum Calx,] aliaque calcinata, & adhuc fixiora officium suum nihilominus faciunt. Nec tamen ea proin huc trahemus; 1 *Cornu cervi ustum* in specie [si referret,] facile è destillati spiritus residuo, leviter denuo calcinato, citra supervacuas omnes cum *aquis destillatis levigationes aut muliercularum restinctiones* habituri. Potius itaque nobis sit modo dictus 2 *spiritus*, [uti sal fluidum vocatur] super alcali, aut saltem super cineres cum affusa præterpropter quarta spiritus vini parte rectifica-

NOTÆ.

7 *Rinocerotis cornu.*) Hoc quia carius & rarius, propterea & in usum Medicum tractatum est, mera vanitate licet; imò putant nonnulli in scyphis ex cornu hoc tornatis infusum vinum nullum ferre venenum, ast vana hæc est persuasio, cum cornua illa sint ejusdem naturæ, quoad præparata medica, cum nostro C.C.

8 *Vnicornu.*) Ex pisce cetaceo, cujus potius dens est testante VVORMIO & KIRCHERO *in mundo subterr.* it. TVLPIO *in Observ.* circa provinciam Gronland repertibile, & ex hujus maxilla superiori enascens, structuræ firmioris existens desumitur; contra unicornu ex quadrupe dictum est non ens, nisi intellecta velis cornua asini Americani. Insuper datur & ebur per aquam excavatum sub titulo unicornu, sed hæc impostura est; aliàs unicornu illud marinum æque ac dens hippopotami dat spiritum ac sal volatile ad morem C.C. Horum tamen ratione non habent illa singularem præferentiam præ hoc, quippe in quo crudè raspato similiter vis antiepileptica reperitur, non secus ac dicta marina, quæ, quoad præparata, quoque cum C.C conveniunt.

9 *Ruprícaprarum.*) In montibus Tyrolensibus repertibilia cornua, quæ, quoad usum Medicum ejusdem sunt cum C.C. naturæ.

10 *Mollificatum.*) Scil. frustula majuscula C. C. vel in aqua communi blande ebulliunt, vel quod alii curiosius faciunt, in alembico, ex quibus aquam vegetabilium destillant, reponunt, ut ita successive mollescant illa; ubi tamen melius est, si in aqua simplici successive ebulliendo præparetur, sub nomine C.C. sine igne, actuali scil. igne calcinati, hac enim ratione crusta exterior abradi & interior medulla facile separari potest. Cæterum aqua illa decoctionis evaporata concrescit in gelatinam, in febribus malignis proficuam, quæ cum per se diutius asservari nequeat, cùm putrescat, hinc vulgò sed male, cum spiritibus acidis solet condiri gelatina; hæc scil. est succus nutricius C. C. sale volatili turgidus, quod probatur si gelatina illa destilletur, ubi reddit sal volatile & olei similia ole. C. C. & sal volat. unde & C. C. sine igne ebulliendo præparatum vix dimidium suggerit salis volatilis & olei quantitatem quàm quidem C. C. recens destillatum. At cùm C.C. raspatum sit durioris consistentiæ, atque resolvendum prius in stomacho, hinc illud præfertur. Huic interim C. C. Philosophicè calcinato in malignarum principio pro impetu malignitatis refrænando præfertur sal volatile C.C. in progressu autem earundem C.C. sine igne est optimum, utut gelatinâ suâ sit defraudatum: & quidem nobis in more positum est, nisi quod obstet, ut C. C. sine igne cum sale ejusdem, volatili combinemus, quò sic illud quasi acuetur, v.g.

℞. C. C. s. igne ℈j.
Sal. volat. C.C gr. vj. D.

1 *Vstum C. C.*) est adhuc diaphoreticum, & speciatim in fluxibus alvi locum habet, quo in casu adstringit, imbibendo acorem præternaturalem, & simul diaphoresin ciet, cæterum revera in C. C. usto est aliquid salis fixi, de quo quidem AVTHOR N. dubitat: Interim res est clara, & probatur, si C. C. ustum ignitum aliquoties extinguatur in aqua simplici, tunc enim huic vestigia saporis imprimit, adeoque paucum salis fixi illud obtinere necesse erit; interim idem C. C. non est adeo diaphoreticum, quàm quidem C. C. sine igne; contra conchæ calcinatæ, ex quibus constat specificum antifebrile CROLLII & STROBELBERGERI habent se instar calcis, vel qualia sunt calcinata ossa, animalium, unde & illa præ his magis sunt diaphoretica.

2 *Spiritus, C.C.*) Eligitur ab AVTHORE ceu potentissimum, sudoriferum, & consistit ejus vis in sale volatili, quod nunc in forma sicca habetur, nunc in forma fluida dilutum à phlegmate, sicque spiritus audit; nunc & in media consistentia nempe oleum quod est sal volatile ab acido pingui concentratum, ex quo oleo destillato tartari per atritionem salis fixi & intervenientem digestionem, elici potest sal volatile copiosum. Cæterùm malè spirit. C. C. cum spiritu vini ab AVTHORE laudatur, qui hac in parte fallit, utut super alkali rectificatus; etenim illa ratione fit nimis pinguis, sicuti hoc modo ipso oleo proprio adhærente privatur, quin potius post separationem olei crudioris per filtrum & chartam bibulam madefactam, per se ex cucurbita altiori rectificandus est, est, hac enim ratione spiritus limpidus, specifica adhuc vi sui olei turgidus prodit, cujus dosis ʒß. ad j. in febrium malignarum & epidemicarum principio, itemque in affectibus capitis justo tempore egregius omninò est.

TEXT. LUDOVIC.

tus: penetrantissimum (iis, qui residem graveolentiam, vehiculis tamen ex parte palliandam, necessitatis tempore speciali energia præ aliis compensari sciunt,) in plerisque malignis *Alexipharmacum*, & (in vertiginosis ac soporosis affectibus,) *Cephalicum*, extus quoque; in resolubilitate sua salina caput pro multis minus, quàm odorifera illa sulphurea replens: *Sicco*, (at nihilominus grave quiddam spirante] 3 *Sale*, *seu simplici & solitario*, [sed vix coercibili,] seu per acidos spiritus [at in armoniacale quidpiam] *fixato*, cum nihilominus in vehiculis denuo solvi debent, dispensatu commodius. His si omnino quidpiam, (*dum* 4 *Oleum* fœtentissimum, cum *Essentia* hinc nonnullis per affusum spiritus vini rectificatissimi sextuplum præterpropter parata, internis usibus haud necessarium ut,] superaddendum videretur, adjicerimus fortè & saltem propter refractarios nonnunquam infantes, [Præparata, tanquam inter deglutiendum sensibiliora, æquè ac misturas seu gravius seu suavius olentes, nullatenus interdum admittentes,) 5 *Magisterium*, *non tam vulgare*, *per alcali aliquod*, aut (carius tantum) *per spiritum salis ammoniaci* præcipitatum; quam *Abstractitium*, *per spiritum nitri*, denuo eum post solutionem, [at cautè, nec ad perfectam siccitatem,) abstrahendo paratum, & postmodum copiosa aqua simplici, (ubi quod adhuc solvitur, seorsim diversimodè pro more, vel complacentia præcipitari potest, (edulcatum; priori valentius, at mole quidem in adultorum doses majus, adeoque siccis præsertim formulis ineptius, verum fallendis pueris commodum, in potu eorum penè insensibiliter diffluens: de cætero ad diaphoresin præsentius eo, quod eleganter quidem è *cornu cervi Phil. calcinato* (*per spiritus vitrioli quadruplum præter propter dissoluto*,) *post mediocrem hujus abstractionem* copiosa aqua s. præcipitando conficitur, ad alterandum, & influidis affectibus ad subastringendum, quam ad evidentiores sudores directè ciendos aptius; licet hoc ipso plures in usus convenientius existat *communi cornu cervi vitriolato*, id est, usto, ana spiritus vitrioli (sed per retortam probè rectificati alias ponticus potius quàm jucundè acidus sapor orietur,) imbibito & spontè siccato.

Atque 6 Cervina hæc, solitaria vel fossilibus nonnullis (supradicto simili ve modo) sociata, aut antimonialibus, jovialibus, &c. fortificata decenter adhibens, amplius nec (famosissimo quidem, at merito nunc paulo circumspectioribus non una de causa suspecto atque neglecto) 7 *Lapide Bezoar* ullatenus indigebit; sive *Orientalis*, etiam genuini, (certius nunc in vetustioribus Magnatum arculis quærendi) deprædicationes cum effectu precioque contulerit: sive *Occidentalis* (proculdubio non ex una animantis specie) originem atque neglectum. Utriusque sane (licet vel è Panacis & Ambrosiæ tartaro coagulati fuerint, (vires, siquidem alia præsentiora deforent, nobis saltem (ut aliorum experientias non adducamus,) *Cervinus humanum Dulech*, *Aprugnus è Vesica*, & (Orientali ut ovum ovo, colore lamellisque similis) *Equinus è Ventriculo*, sufficienter æquarunt: ceu 8 *Rupicaprarum quoque glomi* (parili concremento haud rarò in *Vaccis Caprisque* repertibili) istis simile quidpiam movent: æquè ac solo Bezoartici pulveris vel tincturæ nomine, creduli majusque quidpiam inde sibi polliciti, passim nunc saturantur. Ut proinde lapillis illis in exquisitè malignis, etiam sub larga dosi, (ni in tenerrimis criticus, quasi naturæ motus coincidat,) revera claudicantibus, vitam atque sumptus frustra temereque exponi, magisque adhuc supervacuè (ea eorum teneritudine) 9 *Magisterii* 10 *Tincturæque* consistentiam affricari, vel (dum quovis vehiculo facilè sumuntur aut subiguntur, singularia hinc *Electuaria Bezoardica preciosa* proponi, nemo non videat. 1 *Viperas nostrates & Colubros utriusque sexus* jam olim Essentiis Electuariisque nostris Theriacalibus, loco

NOTÆ.

3 *Sal volatile C. C.*) Datur à gr. xij ad ℈j. quidam cum spiritu salis acido vel alio figunt; verùm emanat sic sal armoniacum, quâ additione fixum quidem redditur sal volatile; sed vi specifica destitutum, unde potius sal illud C. C. volatile vel per se, vel ejusdem spir. adhibendus est.

4 *Oleum*) Destillatum C. C. redigunt quidam in essentiam C. C. nempe quemadmodum spiritus vini rectificatissimus promptè imbibit & sibi unit oleum destillatum; ità & spiritus vini tartarisatus oleum C. C. rectificatum sive à C. C. ustô abstracto affusus, copiosum oleum, & sal volatile imbibit; interim habetur sic tantum sal volatile C. C. oleosum, vulgò essentia C.C. dictum.

5 *Magisterium:*) Præparari debet non per spiritus salis armoniac. præcipitationem, sed per abstractionem spir. nitri scil. solvitur C. C. in spiritu nitri, hinc à solutione abstrahitur spir. nitri ad dimidium, deinde diluitur reliquum aqua simplici hac ratione præcipitatur magisterium C. C. & cum acido se uniens abit in sal volatile, adeoque hoc est corpus salsum volatile, pluribus usibus in malignis conveniens; atque hoc magisteriũ præfert AUTHOR C. C. tam philosophico quàm usto vitriolatis, sive spiritu vitrioli imprægnatis, cùm hac ratione emergat quasi concretum semialuminosum; terrestris enim substantia in C.C. imbibit spiritum acidum vitrioli.

6 *Cervina:*) Remedia pro diaphoretico scopo eligit tria, nempe C.C. sine igne, spiritum & sal volatile, quibus tamen nos addimus gelatinam in febribus ardentibus vi analepticâ temperativaque sua magni usus, cùm & vi diaphoreticâ corpus in blando sudore conservet; modus utendi est hic; ut ℥j. ad ʒiß. in cochleari super ignem soluta injiciatur potus ordinarii mens. ß. ubi tamen non affundenda est gelatina cum spiritu aliquo acido adulterata; nam utut sic illa diutius conservetur, tamen simul castratur in vi sua figendi acidum quo ad spiritum & sal volatile C.C. in gelatina latitans, hocque in sal tertium cum virium defraudatione transmutante.

7 *Lapide bezoar:*) Conferatur de ejus putatitia efficacia ZUUELFER *in Pharm. August.* floccifaciens lapidem bezoar, idque (1.) cùm maxima illorum pars sit adulterina, ut in 100. vix duo genuini reperiantur. (2.) Quod vulgò in tam parva dosi gr. iv. ad ℈ß. nempe detur, cùm tamen ad ʒj. præscribendus foret; cæterùm si velimus, inquit AUTHOR adhibere bezoar, assumamus nostrates, nempe qui reperiuntur in ventriculis cervorum, quoad vires lapidi bezoar sive Occidentali, sive Orientali æquipollentes; non secùs ac duelech humanum probatum satis in morbis malignis & ultima peste Londinensi, dosi ℈ß. ad ʒj. assumptus; ut taceamus ejusdem vires insignes contra philtra; sic & aprugnus è vesica lapis est bezoardicus egregiè, utut rarioris sit; tandem & Hippolytus, bezoar Orientali simillimus, huic commodè potest substitui; cæterùm cum omnes hi lapides per ignem examinati suggerant salia volatilia & ole. simillima iis, quæ ex aliis animalium partibus destillantur, proinde & hæc loco illorum sufficere poterunt.

8 *Rupicaprarum glomi.*) Hos describit VELSCHIUS *in binis dissertationibus:* Interim si iidem ritè considerantur, sunt nihil aliud, quàm filamenta tenaciora graminum, radicum & fructuum, quibus vescuntur rupicapræ, inviscata muco quodam chyloso in ventriculo, hincque consistentiam mollem & friabilem repræsentantia; cæterùm horum globulorum vires paucæ sunt, præsertim cùm & non rarò in nostrarum caprarum ventriculis reperiantur.

9 *Magisterium.*) Sunt qui cum spiritu acido magisterium ex lapide bezoar conficiunt, ast sic destruuntur ejus vires.

10 *Tinctura.*) Hanc aliqui cum spiritu nitri ex bezoar parant, ast cùm is crudus sufficiat, quid opus ejus præparatione.

1 *Viperas nostrates & colubri.*) Utraque æquè bona sunt atque Apulejorum ac Lombardorum.

TEXT. LUDOVIC.

exoticorum Trochiscorum, (precium tunc potius, quàm alias recentioribus nunc notatas malitias veriti) addidimus. Et sanè 2 *Bezoarticum illud animale simplex*, seu pulvis è carne, corde, epate spinisque (citra caudæ mutilationem) paratus, uti contra sui generis venenum 3 præservatoriè, [nostra quidem, nec una tamen observatione,] plerumque parum nec adeo fidum, [contra Natricum morsus nil;] ita curatoriè illic multum, nec minus in venenis aliis quibusdam potest. Quid in peste queat, Divina Clementia non sumus experti. Sed ut sufficientem tum in tot clinicorum millia copiam taceamus, jam pridem æquè exercitatis in dubium vocatus est, qui hodie nonnullis de novo commendatur. In extremè malignis, & quasi pestilentialibus, (cum vibicibus, &c.) nos (ad præsentiora fugere coactos) haud semel destituit: sic quoque in intermittentibus licet antifebrilis nonnullis secreto habeatur. In inveterata 4 *Psora & leprosis dispositionibus* parum hucusque juvit; sæpe cutaneos ardores potius intendisse visus, & certè selectiore antimonii coralliorumque tinctura, præcipitantium insipidorum pulvere, nitro, &c. longè fuit posterior. Ne tamen penitus tantarum traditionum aut persuasionum insecto, (quasi nec cancer nec viliores vermes exuvias deponerent,) apparatus noster destituatur, per nos in feliciorum forsan hic usus, in majorum compositionum complementum, fortuitove demorsorum levamen sit, sufficietque 5 *Pulvis ille simplex*, aut ad corruptionem impediendam *Floribus salis armoniaci*, vel (si alios in fines placeat,) *Oleo quodam* destillato potius, quàm *suffumigiis aut nitro fixo*, (vix cum eo siccatas, ægrè sanè hinc pulverabiles conservante,) conditus. Curiosiores liquidum hinc quidpiam insuper expetunt: & sanè 6 *Essentia* inde ad recentiores ductus, brevi nulloque negotio extrahitur quidem, sed pariter in quamplurimis requisitis debilior, ni per accessoria, aut (non sine gratiæ immutatione,) per *sal volatile*, non tam (in ea hic locorum raritate) *proprium*, quàm analogum sufficienter condiatur; ut merito tantisper hic transeat: ceu quoque *Reliqua* potius exteris in 7 cupedias suas, (at, uti toties post frustraneam pulveris & essentiarum exhibitionem vidimus, pullis & juribus plusquam sybariticis cæterisque accessoriis magis, quàm viperinæ communicationi effectum debentes,) negotiosiorumque præterea furnullis securè relinquimus: siquidem quæsitæ peregrinitatis plusculum plerisque subest: atque ut 8 *Salia theriacalia* (*quanta vel qualia* tandem hinc sint,) nunc exoleta videntur; Salinæ verò sulphureæque particulæ quæ ignis interventu è viperis proveniunt, admodum à simplicis pulveris temperie proprietatibusque per multis abeunt; ita posteriora quidem cervinis nihilo valentius, saltem operosius parciusque Alexipharmacum præstant, sive *Sal volatile per se*, spiritus forma detur, sive prius in armoniacum quidpiam per *spiritus acidos* 9 *figatur*, aut adhuc operosius cum adjecto sale tartari *sublimando, in pristina for-*

NOTÆ.

2 *Bezoardicum illud animale.*) Paratur ex viperis pulvis viperinus, hoc nomine aliàs vocatus. Spiritus salis volatile & oleum destillatum ex iisdem nullam habent prærogativam præ illis, quæ ex reliquorum animalium partibus destillantur, cùm ignis virium specificarum sit destructor.

3 *Præservatoriè.*) Sunt qui pulverem viperinum præservatoriè commendant contra morsum viperarum, sed malè; interim in morsu jam facto, itemque in febribus malignioribus dosi ʒß. ad ʒj. assumptus, revera sat efficax est, utut non extremè malignis is sufficiat.

4 *Psora & leprosis dispositionibus.*) multi ex traditione veterum contra lepram & scabiem ferinam pulverem viperinum laudant ex eo, quòd jam GALENUS vina viperina & ELIDÆUS PADUANUS decoctum viperinum leprosis commendaverit; quin & TACHENIUS luem Gallicam hoc ipso se curasse testatur; & sanè verùm est, viperina in scabiosis ferinis & lepra Græcorum multa præstare, imò observavimus nosmet essentiam viperarum in casu retropulsæ scabiei per externa fuisse egregiam, utut aliàs viperina in perfectè leprosis vix sufficiant.

5. *Pulvis ille simplex.*) Hic cùm facilè ad putredinem ruat, proin præparandus hic est, de qua præparatione videatur M. S. SEVERINUS *de viperis*; interim verissima est VELSCHII epicrysis, dicentis, pulverem illum quò simpliciorem, eò meliorem esse; cæterùm optimum modum præparandi docet CHARRAS *Tract. de viperis.* Nempe truncantur viperæ capite, hinc detracta pelle (vel & ea integra servata utpote sal volatile continente) viscera eximuntur iisdem, abjectis saltem intestinis, hinc lenissimè in B. M. ex cucurbitula exsiccentur, vel & in loco umbroso calido suspendantur pro exsiccatione, sub qua avolante phlegmate sal volatile & oleum remanent; hinc eædem unà cum visceribus in mortario lapideo pulverisentur, irrorando eosdem sub pulverisatione spiritu vini myrrhâ probè impprægnato (vel quod meliùs spiritu vini camphorato utut hæc mox avolet,) simulque aspergendo aliquod gutt. olei destillati caryophillorum, & ita in vase probè clauso omnia asserventur sub pulveris viperini denominatione, sic hic ab omni corruptela immunis dos. ʒß. ad ʒj. exhiberi poterit; similiter & inter hæc viperina inveniuntur trochisci de viperis, veteribus pro basi theriacæ, ast falsò habiti, cùm illi parùm valeant, ac sufficienter eos culpaverit ZUUELFER. *in animadversionibus.* Cæterùm quibus placet trochiscos viperinos in usum vocare, illi præparent eos vel more ZUUELFERI, vel DNI FEVRE p. m. ita olim se eos conficere nobis dicentis; nempe ex viperis coquendo eliciebat ad modum C. C. gelatinam, cui ut parum phlegmatis adsit aspersit & immiscuit pulveris viperini q. s. & hinc trochiscos efficacissimos, & integram crasin viperarum continentes paravit.

6 *Essentia.*) Hujus præparationem cum spiritu vini sale volatili viperarum acuato docet ZUVELFERUS *in animadversionibus*; interim præter hanc ex inventione D. MICHAELIS alii eam parant cum spiritu salis, quem exsiccatis affundunt, hinc factâ eorum solutione menstruum in B. M. abstrahunt, (quod adhuc, acidum est) deinde magma extrahunt cum spir. vini, & ita fit essentia viperarum, nostris magni æstimanda in puncto scabiei retropulsæ expellendæ, aut aliis quoque affectibus cutaneis rite curandis.

7 *Cupedias.*) Alludit AUTHOR ad ITALOS vescentes carne & jusculis viperarum pro scopo sanitatis & longæ vitæ; imò & pro scopo sterilitatis corrigendæ, quò in casu jura & pulli gallinacei viperis nutriti laudantur Italis Magnatibus.

8 *Salia theriacalia:*) De his salibus Veterum quidem optimè agit TACHENIUS *in Hippocrat. Chym.* ostendens ea fuisse de genere salis armoniaci, constantia ex volatili viperarum & sale acido Cyrenaico, Cæterùm hæc ipsa veterum salia theriacalia in desuetudinem abierunt; interim de his sincera quoque prostat AUTHORIS epicrysis, quòd nempe eadem cum sale volatili & spirit. C. C. ejusdem sint naturæ, utut in radice sui essentialiter differant; dum enim ignis vi alterantur, specificam vim exeunt.

9 *Figatur.*) Sal volatile viperarum quidam nonnihil annixi fuerunt figere, ubi tamen fixatio illa sine acidis impossibilis est; contra per acida facta, volatile illud nonnihil castrat; proin consultiùs est, ut sal illud volatile in phlegmate dilutum h. e. in spiritu assumatur.

TEXT. LUDOVIC.

ma repetatur, vel denique *Acetosis* (*in* 10 *Essentiali Sali Tartari herentibus*) *particulis*, recentiori invento combinetur, atque sic remedium istud hypocondriacis nostris alias polychrestum, amplius tantum extimulet. Qui Viperarum (quarum equidem dimidiam, & ultra, pro completa dosi vorare, si libet, cogimur,) mactatione delectatur potius 1 *Pinguedinem* sine adulteratione quovis modo colligat, & moderate super ignem frigendo à crassamentis, durabiliorem sic separet: remedium (ut Nervosarum partium puncturas atque synovias, Auditus difficultatem &c. taceamus,) saltem in Oculorum (etiam rubentium) Pustulis profundisque Vulneribus, (si bis vel ter guttula in die instilletur,) habebit revera singulare, & omnibus *Collyriis ac Sief de Plumbo, de Rosis, de Thure, Mixturis ex Antimonio crudo ejusve Croco*, 2 *Infusis Veneris in Malvatico*, &c. superius; etiam citra alia quorundam olim (ut *Linimentum* exiret,) accessoria. Nec hujus tamen) diversimode orienti) defectui succedanea balsamica desunt: siquidem inter alia etiam 3 Hepatis Mustelæ piscis Liquor, non tam tædiose in vitro suspendendo, quam simpliciter super lentum ignem in semetipso liquando proveniens, idem largiter præstat: ceu ex adverso, quæ de illinenda 4 parturientium umbilico *Pinguedine*, *de Lingua vivis evulsa*, *aut Exuviis coctis* eidem imponendis, (& per accessorium forte calorem, vel imaginationis æque ac *in humani Corii Cingulo* concurcursum interdum quidpiam per accidens quasi conferentibus,) passive creduntur, nobis quidem raro, etiam fœtu bene situato, promissis steterunt: 5 *Oleum viperinum simplex aut compositum* morsicationum causa regiones hæ nostræ haud adeo requirunt; uti nec propter neglectiores *Aranearum* ictus aut *Bufonum* conspurcationes *horum seorsim Olea*. Neglecta consimilium venenatorum in vita antipathia, infudimus olim conjunctim ac successive quædam præstitit aliquid, at vix amplius quippiam, quod non præstaret triviale illud 6 *Scorpionum* (vili passim venalium (*Oleum*, *saltem Simplex*, (utpote *vulgari* oj. *composito* nihilo remissius,) tantum *cum Olivo citra Amygdalini disperditionem* confectum: ut longe commodiora extrahentia, abstergentia, alexipharmaca non-pinguia, præter chirurgica, taceamus. Quod autem amplius 7 *Aranearum Oleum* concernit, tota die Febres, citra ejuscemodi Topicorum (magnam partem per accidens solum aut absoluta demum periodo juvantium,) applicationem à paulo versatioribus felicissime curantur: aut si quis omnino in diuturnioribus eo deturbetur, litus aut cataplasmata è vulgatissimis (ad residui miasmatis elicium communiter destinatis,) nunquam non habebit, citra ullam *Oleorum vel Emplastrorum antifebrilium* asservationem actualem. Quoad 8 *Bufoninum*, Thersites fuerit aut profundus amator, qui nonnullorum commendatione Cosmeticum sibi hinc aut è similibus sordidis quæsiverit. 9 (De *Zenexto è Rubeta*, adeo hodie, plerumpue tamen per traditiones tantum commendato, nihil habemus; & avertat amplius à nobis Deus istius experientiam. In extreme malignis ac pestilentialibus febribus, &c. Deo vocationique nostræ confisi, citra ejuscemodi periaperta æquè securi fuimus,) Nec demum quod *Viperinum oleum* seorsim attinet, ei quamvis alicubi admodum commendato, nimium in reliquis venenis venenatisque morbis confidat quisquam: uti nec 10 *Caravitino*, *Scorpionum magno* (incondito,) aliisve etiam Hyperico therebinthinaque (inconsideratius) inviscatis, *aut nuper* (accuratiore quidem compo-

NOTÆ.

10 *In essentiali.*) TACHENIUS figit sal volatile viperarum cum Sale essentiali sive terra foliata tartari; interim hæc imprægnata acido aceti imbibit ex parte Sal illud volatile, adeoque nonnihil simul fugit.

1 *Pinguedinem*) Pinguedo viperarum separata & in vitro inclusa soli exponatur, depurata, ità egregia est in affectibus partium nervosarum à causa externa inductis, v. g. contusionibus, vulneribus, puncturis speciatim circa articulos; adhæc eadem pinguedo nobilis est quoque in affectibus oculorum v. g. pustulis, velneribus & ulceribus eorum, quemadmodum hujus rei experimentum exstat in *Miscellan. Academ. N. C. anno secundo.* Est autem ejus utendi modus, ut blandè illinatur oculo malè habenti, sic sufficit loco omnium sief sive pulverum istorum subtilissimorum Veterum ad oculos; præstat eadem, inquit AUTHOR, quæ infusa antimonialia, quæ in affectibus oculorum externis, nebula, cicatricula, panno, ophthalmiâ, imo & ipsa cataracta aliàs à RULANDO commendata sunt; rem nos experientiæ relinquimus an pinguedo illa infusis his præferatur quæ tam ex croco, quàm præsertim ex vitro & post hâc ex cap. mort. butyri antimonij ritè parata, infusa & filtrata, nobilia fuisse experti sumus.

2 *Infusi veneris* SALA *in septenario Planetar. Terrestri cap. de venere* habet infusionem vini malvatici in pelvim æneam, quâ ratione acquirit Tincturam ferè Sapphyrinam ax acido rodente venere emergentem, ac experimenti hujus remedium non contemnendum exstat *in Tom. 3. Hafn.*

3 *Hepatis mustelæ.*) Quod si non in promptu sit viperina pinguedo pro oculorum affectibus poterit eidem substitui hepatis mustelarum liquor; scil. tempore æstivo mustelæ hæ grandia magis hepata habent præ hyberno, quô eadem ob imprægnationem exsiccata quasi sunt, unde hepar transfigitur ligno, & in vitro radiis solaribus exponitur; sic enim defluit illud in oleum, proficuum per experientiam FORESTI in pano, cicatrice post variolas relicta; in ægylope & carne excrescente, conf. HARTMANNI *Pr. Chymiatr.*

4 *Parturientium umbilico:*) Illita pinguedo, & lingua viperis vivis evulsa, aut exuviæ earum coctæ, an conducant pro promovendo partu difficiliori, experientia consulenda erit.

5 *Oleum viperinum simplex & compositum.*) Illud paratur incoquendo viperas in oleo olivarum, & laudatur vulgò contra morsus viperarum, interim cùm nostrorum serpentium morsus sint minùs noxii, proinde illis carere possumus.

6 *Scorpionum oleum saltem simplex.*) Hoc sit instar omnium, loco nempe olei viperarum vel bufon. vel aranearum. E quidem illud vetus per repetitam recentium scorpionum infusionem quasi exaltatum.

7 *Aranearum oleum.*] Laudatur vulgò ad curandas intermittentes pulsui illitum, non secus ac ex majoribus araneis antefebrile suum emplastrum parat STROBELBERG & nos novimus rusticum, intermittentes quasque curantem per pulverem aranearum contusarum propinatum. Cæterùm si modum præparandi harum rerum indagemus, patet ex emplastro STAOBELBERGERI, quod illud soleat excitare post applicationem maculam rubeam, & continuato usu punctulas ad instar debiliorum ex cantharidibus paratorum vesicatoriorum, unde missis illis ex araneis paratis, omnibus Authores sumus, ut pro curandis chronicis intermittentibus die intermissionis pulsibus applicetur simplex emplastrum vesicatorium, sic enim certò subsequens paroxysmus erit mitior; hoc experti loquimur, præsertim cùm adhuc nuper intermittentem eum ophthalmiâ conjunctam applicando nuchæ vesicatorium curaverimus.

8 *Bufonum Oleum*) Cum Oleo olivarum paratum pro usu cosmeticô laudat SCHROEDERUS.

9 *De Zenexto è rubeta:*) Hoc commendat HELMONTIUS, *Tract. tumulus pestis* in pestilentiali constitutione, dum bufonem pedibus superioribus suspensum & ad mortem usque ità cruciatum pro Zenextô habet, nec esse hoc de nihilo suspicamur inde, quod iidem bufones appensi, vel axillis subligati, in malignis, periculosa hæmorrhagiæ symptomata stitisse experti fuerimus, unde non dubitamus, quin & in pestilentiali constitutione insignes sint bufones, quorum tamen loco & lapis magneticus arsenicalis ANGELI SALÆ adhiberi poterit.

10 *Caravitino*) Olei hujus scorpionum compositionem à GEORGIO CARAVITA ita

dictum, descriptum videmus in MATTHIOLO, sicut magni illius in Pharmachopæa Augustana; interim omnibus his præstat Oleum scorpionum simplex.

TEXT. LUDOVIC.

tione) diversimodè cum in finem *substitutis*. 1 Præcordiorum hic inunctiones supervacuæ, sæpe noxiæ, dorsi per spinam confrictiones nostratibus inusitatiores sunt; & si quis balnearium hoc remedium ad resolutiones vel expulsiones expeteret, cum & sine Nitro oleove rutaceo, per simplicissimum Scorpionum, quandocunque lubet, habetur: 2 *Coronam viperinam*, famosissimam illam cranii excrescentiam, (extus monticulis, intus venarum subjacentium cavernosis vestigiis, æque ac Bufonius verus conspicuam (plus una vice vidimus, credebantque possessores, uti Unicorum animalis apice Aquæ alicubi immersa, ita quoquo injecto hoc extuberante Cranio (bullas tum ob exiccationem præviam aëremque intromissum emittente,) Poculi haustum reddi Alexipharmacum. In Diariis, Erysipelate, &c. sponte subsequebatur sudor; alias se eo componentibus non item: ceu utrumque quoque *è Bufonii* tum immersione tum rasuræ tantillo accidit: & vel ipsa raritas talia ab ulteriori experimento inter manifestam hyperbolen, excludit; uti nauseabunda & accessoriis (potius, quam Sanguini vel stomachali Sali) effectum qualemcunque debens compositio, 3 *Alexipharmacum de Ciconia*: pariter huc non pertinet, quasi pinguia prius seorsim, aut præsentiora vomitoria & hinc Antidotalia dari nequeant; aut Ciconiæ caro, sanguis & ventriculus siccatus, ob escam accidentariam, majori jure huc trahi mereatur, quam alii serpentum hostes & manducones: inter quos & cochleas (delicias illas) ex interfectis commessantes plus vice simplici vidimus: 4 de Cervis autem adhuc dum dubitamus; novissimo forte Lapide, (anguem deglutitum referente,) parili naturæ lusu in ventriculo concreto, quo non solum diversis in regionibus inter margas &c. sed in nobis quoque hujusmodi concrementorum accidentariæ configurationes inveniuntur, *Ciconiæ senioris deplumatæ spiritus etiam rectificatus, siccatusque cruor*, cervina nobis hactenus profecto non æquavit. 5 *Ex homine*, ne Cannibales ullibi desint, multa similiter huc tracta sunt. asseverare tamen denuo possumus, quod post varia tædiose in *Sanguine recenti & siccato*, in 6 *Ossibus*, (ficta tantum appropriatione Arthriticorum purgantibus adjectis,) imo *in sordidioribus quoque* tentata, fabricata quinctiam 7 *Mumia tum vulgatiori, tum specialiori illa* (per macerationem in Salis spiritu ac frustulorum conspersionem cum Aloë, Myrrha, &c.] nihilo singularius aut præsentius inde habuerimus, quod similiter vel Cervina Hic cinaque non suppenditent; sive *Aquæ simplicis è Cruore* abstractæ [debiliorisque,] sive *spiritus*, *Salis volatilis*, *olei*, *Balsami*ve nomine veniant. *Mumiam exoticam* [teneriores revera offendentem,) alii jampridem exesse jusserunt: & tot habemus balsamica vulneraria, tot Essentias resolventes, præservantes, &c. ut 8 *Tinctura istius*, (sane ni Alcali sub sextuplum præter propter inter extrahendum adjiciatur, sat parca, nec simplices Myrrhæ Aloësque Essentias admodum excedente,] uti quoque *Oleo quorundam cocto externo*, quamvis in se haud inefficaci, commode carere possimus, æque ac *Pulvere vulgari contra casum ac speciebus Diamumiæ*, dum vel soli cancrorum oculi cum & sine Antimoniatis, funguis hirci aliaque domestica, vel ex tempore (citra actualem *etiam recentiorum formularum contra casum* asservationem,) commiscibilia abunde satisfaciunt Solus 9 *urinæ spiritus* sive salis volatilis liquor, ut asservetur hic, præ aliis meretur: neque hunc

NOTÆ.

ctum, descriptum videmus in MATTHIOLO, sicut magni illius in Pharmacopæa Augustana, interim omnibus his præstat oleum scorpionum simplex.

1 *Præcordiorum innunctiones.*) Sunt qui oleum viperinum per infusionem paratum externè præcordiis & carpo constitutione pestilentiali illinunt, sed imbelle hoc est remedium; alii verò eodem utuntur ad provocandas petechias febrium petechialium: Idque AUTHOR N. sufficere ait loco illius, testantibus BRUNERO, TIMÆO ET WITTICHIO in casu, quando nolint petechiæ illæ prorumpere, vel hoc.

℞. oleo. Chamon.
    ruth. vel amygd. amar.
    scorp. ana ℥ß.
  Nitri. ʒiij.
  Aquæ chamom. ℥j.

Coque ad consumtionem aquæ, mistisque hisce inungendo corpus largiter pro evocandis petechiis; vel substituendo huic composito simplex oleum scorpionum, utut ejusmodi litus in malignis ferè in desuetudinem abierit.

2 *Coronam viperinam.*) De hac duplex impostura viget, (1.) nempe datur dens ex porcello juniori evulsus, politus ab Empiricis loco hujus coronæ, de quo vide *Miscell. Academ. N.C. anno tertio.* Secundò obtruditur pro corona viperina chelæ squillæ marinæ interioris combinatio, interim fraus est, quicquid de hac corona fertur.

3 *Alexipharmacum de ciconia*) Hujus descriptionem habet SCHROEDERUS *cap. de Electuar.* & paratur illud cum oleo pini ceu nauseosissimo remedio; cæterùm occasionem suspicionis alexipharmacæ vis in ciconia dedit hoc, quod eadem vescatur serpentibus, ubi tamen dicimus potiùs, cùm serpentum vis specificâ in stomacho alteretur, viperina remedia loco ciconiæ excellere.

4 *De cervis*) Dicunt nonnulli cervum habere vim alexipharmacam ex eò, quod deglutiat is serpentes, quod testatur AUTHOR in *Miscell. Academ. N. C. observ.* 14 *pag.* 5. ubi allegatur serpens in ventriculo cervi cervi repertus; ubi interim, cum hoc fuerit potius concrementum lapideum, anguis formam repræsentans, dicimus, vim alexipharmacam cervorum ex propriâ suâ naturâ derivandam esse, non autem ex commestis serpentibus.

5 *Ex hominis sangine*) Hic in usu est internè pro scopo antiepileptico, & externè pro antipodagrico; at non præstat is remediis cervinis.

6 *Ossibus*) PARACELSUS habet pulverem artheticum, cujus descriptionem vide in HARTMANNI *Pract. Chymiatr. cap. 2. arthrit.* huncque ingrediuntur ossa humana, sed vano consilio; cum enim illa saltem acidum arthriticum absorbendo juvent, idem facient ossa alia, adeoque non opus erit ossibus humanis.

7 *Mumia*) Exoticâ exulet. Nostras autem rarius in substantia usurpatur, quæ aliàs artificialiter paratur, ut modum docet SCHROEDERUS, dum scilicet frusta carnis humanæ exsiccata spir. vini, aloë & myrrhâ irrorantur, vel quod meliùs, alii frusta illa exsiccata spir. salis aloë & myrrhâ condiunt.

8 *Tinctura mumiæ*) CROLLII parùm in recessu habet, & quidem paratur ea vel cum spir. vini, quæ tamen nihil valet, nisi spir. vini sit acuatus cum sale tartari, sic enim aliquid extrahet, utut maximum fuerit de myrrha; vel & paratur Tinctura cum spiritu vini & spir. terebinthinæ. Cæterùm cum pro scopo vulnerario in casu ab alto sufficiant tàm oculi cancrorum cum aceto sumpti, sociatis iisdem plus minus antimonnialibus; quàm sanguis hircinus, proin tintura mumiæ non habemus opus, neque speciebus diamumiæ.

9 *Vrinæ Spiritus*) Hunc pro scopo diaphoretico eligit AUTHOR, & paratur is duplici modò, nempè vel ex urina in consistentiam magmatis inspissata, ex quo postmodum addito sale fixo elicitur sal volatile & spiritus; vel & urina putrefactioni exponitur, dein ex ea sponte blando Igne spir. & sal volatile eliciuntur, cum contra ex urina recēti anteà phlegma saltem prodiret, ità putrefactâ illâ mistio urina dissolvitur, & acidum ejus pingue fatiscit. Conf. ZWOELFER. *in animandvers. & append.* Cæterùm præfert laboriosæ huic præparationi spir. urinæ humanæ AUTHOR N. Spir. armoniaci, qui pariter est spiritus urinæ humanæ, utut tantillum hic de spiritu & sale volatili fuliginis participet; nempe

pe præſupponimus, quod ſal armoniacum paretur ex urina humana, addito ſale communi & fuligine in debita proportione, quam vide ſis in *HOFFMANNI Clave*, ebulliendo omnia, ſub qua ebullitione acidum ſalis communis imbibit & abſorbet primariò ſal volatile Vrinæ; & ſecundariò fuliginis, hinc duo illa in loco frigido concreſcunt in ſal quoddam cryſtallinum Sal armoniacùm vocandum, quod eſt ſal ſalſum, vel tertium inter fixum & volatile conſiſtentiæ mediæ. Jam E. præparando ſpir. ſalis armoniaci vel urinæ modo quodam ſuccincto, addatur eidem aliquod fixum alkali, abſorbens ejuſdem acidum, ſic enim abſopto illo ſal volatile urinæ fit ſui juris, & abit in ſpiritum, ac quidem alkalinum; corpus illud quod additur, eſt vel calx, vel alkali Tartari; vel aliud, utroque enim modô imbibitur acidum; & liberatur ſpiritus urinæ diaphoreticus.

TEXT. LUDOVIC

tamen per *olidas fermentationes, tædioſas & protractiſſimas*, (donec magmatis copiam nanciſcaris;) *exhalationes* aliaſve ambages conquiremus, cum longe compendioſius in medicos uſus (etſi Fuligineum quid accedat,) æquivalens & ſufficientiſſimus habeatur ſaltem *è Sale Armoniaco*; *ſive cum Sale Tartari* (extemporaneo ſcil. nitroſoque) aqua ſimplici vel ſpiritu Vini diluto inſtituatur deſtillatio, ſive cum *Calce viva* ſolutione Ammoniaci decenter humectata, fortaſſis pariter volatilitatis ſuæ partem ſupperaddente. Interea nihilominus ſic longe ſaturatior præſentiorque liquor proveniet, quam 10 ſimplicis *ſpir. vini à Sale Armoniaco abſtractione*, nonnullis commendata; opidoque erit purior præ vulgatioribus libellorum modis, acidas Armoniaci particulas ſimul ex parte propellentibus, aut (minuta ipſius ſpiritus copia, Florum potius haud parum ſuppeditantibus: quo 1 *Zinckum quoque & Calaminaris lapis* pertinet. Nec ejuſmodi 2 *Deſtillationis reſiduum* plane reiiculum eſt: ſiquidem *cum calce viva* inſtituta, in capite mortuo relinquit *Fixatum illud operoſeque quaſi um ſal Ammoniacum*, etiam, ad internos uſus hinc elutriandum, ſeu *in Liquorem quorundam Nephriticum*, qui tamen in effectu ſaltem mediocris deprehenditur, de cætero vero nil eſt aliud, quam calcis in ſpiritu Salis ſolutio,) redigendum. Sin autem deſtillationi *Sal Tartari* fuerit adhibitum, caput mortuum (falſiſſimum) per ſe quidem, (ceu alibi quoque breviter notavimus,) elutriando & coagulando *ſal dat quaſi culinarium*, *ſed acerrimum*; & hoc retortæ inditum, non ſpiritum acidum, (uti expectabamus,) ſed poſt *Vrinoſi* (inibi occultati, (*pauxillum* 3 *acidum* (at in uſus ſuos haud inutile) *ſublimatum*: & ſi denuo hic reſtitans caput mortuum (ſaporis non alcalini, verum ſimiliter acidi, quaſi Nitroſi,) ſpiritu Vini rectificato extrahatur, & liquori huic ſalſiſſimo inſtilletur ſpiritus Vitrioli; 4 præcipitatur *Coagulum acidulum*, gratum & inſtar Magiſterii cujuſdam plumoſi ſplendens; bonũ aperiens, *& Sale nonnullorum Hypochondriaco*, (è florum Salis Armoniaci, cum Sale Tartari ſublimatorum capite mortuo extracto,) neutiquam inferius. Sin demum ſupradictum ſpiritus Armoniaci (cum Sale Tartari parati) reſiduum ſpiritu Vitrioli perfundatur, & totum per retortam deſtilletur in arena, *ſpiritus cuivis Armoniacali Acido* compar nec ineleglans exit: quæ non quidem ad ſelectum noſtrum, ſed tantum parergos, tantum unius loboris ſuperpondia, & ſaporis toties in eodem ſubjecto mutati documenta, adduximus. Nec ſimiliter præterire hic poſſumus, quod hodieque à compluribus ſubtiliſſimus ille, (& merito proin Armoniaci Urinoſo adiiciendus) ſpiritus, qui in quorumlibet Florum Armoniacalium urinoſorum ſublimatione primo prodit, inconſiderate profecto (impacto à libellis *Phlegmatis fœtidi* nomine,) abjiciatur. Qui hunc *Vrina vel ſalis Armoniaci ſpiritum Cervino è cornu vel corde parato*, per repetitam abſtractionem ſociare, & pro *ſecretiori Salis ſpiritu volatili* habere voluerit, eandem (graveolentiorem hinc) Mixturam etiam extemporanea confuſione nanciſcetur. Qui vero ob ſalis Tartari acceſſum, pro *Tartareo* æſtimat, tantillum quod hinc forſitan levari poterit, nimium extendere videtur. Qui denique Salis ſpiritu de novo figit, *ſubtilius tantum* nec proin inefficax, intentioni tamen noſtræ nunc haud adeo neceſſarium *Armoniacum reproducit*: ceu pariter è debita ſpiritus illius urinoſi & Vitrioli acidi mixtura, (ſæpe in præcipitationibus nonnullis acci-(dentaria, poſt deſtillationem provenit *ſpiritus, decantatiſſimo illo* 5 *Antepileptico è Vitriolo & urina prolecto*, nec (*dum recentior fuerit*) in certis circumſtantiis contemnendo, quo ad qualitates & effectum par; neuter tamen adhuc dum abſolutus mali iſtius domitor deprehenſus eſt. Quæ tantum obiter hic attingimus: ut & quod 6 *Tubuli illi uterini* (per ſpiritus Armoniaci ſimplici evaporationes &c.) revera bene faciant; ſed hucuſque vix tres invenimus, quæ

NOTÆ.

10 *Simplicis ſpir. vini*) Sunt qui ſpir. ſalis armoniaci parare intendunt affuſione ſpir. vini; ſed in vanum.

1 *Zinckum*) Aliqui ſpir. Salis armoniaci parare volunt addendo Zinckum vel lapidem calaminarem ſale armoniaco crudo, quæ concreta etiam abſorbent acidum, interim non tàm potenter quàm alkalia fixa, nam illô modô adhuc aliquid acidi de ſale armoniaco in forma nativa ſimul elevatur; imò deſtillatur ſpir. ſalis armoniaci cum additione ſalis Tartari, ubi acquirũtur ſpiritus & cryſtalli; ſin verò cum calce deſtilletur, nihil in ſicca, ſed omnia in liquida forma prodeunt; ac impoſſibile eſt, ex hoc ſpiritu cum calce deſtillatô per ſe ſal ſiccum conficere; interim ſi eidem oleum juniperi addatur, tunc cryſtalliſabitur, quod ſanè curioſum eſt.

2 *Deſtillationis reſidum*) Cap. mort. deſtillationis ſalis armoniaci cum calce ſi elixivietur, ſuggeri cremorem ſalinum, egregium liquorem lithontripticum, quem alii aliàs parant ex calcinatione calcis & ſalis armoniaci: contra cap. mort. ſpiritus ſalis armoniaci ex anà ſalis Tartari & ſalis armoniaci parati, eſt inſtar ſalis communis, & in cubos pyramidales concrevit, nec differt ab hoc, niſi quod ſaltem illud ſaporis acrioris & magis dieureticæ virtutis, adeoque loco digeſtivi hypochondriaci & antiquartii inſerviat.

3 *Acidum ſublimatum*) Nota, quod ſi ſal armoniacum pro ſpiritus deſtillatione debeat exactè exhauriri, illud requireret duplum ſalis fixi, (non verò ana) ſic enim cap. mort. illud non liquieſcet in loco frigido; contra cum AUTHOR ſaltem ana alkali fixi adiiciat, non mirum eſt, ſpiritus non penitus exhauriri, ſed intenſiori igne flores Salis armoniaci elevari egregii ſtomachales exiſtentes.

4 *Præcipitatur coagulum acidum*) Ratio hæc eſt; Spiritus nempe Vitrioli imbibit alkalia tartari, hinc cadit ſal commune armoniacale in forma ſolida; ſic & cap. mort. ſpir. ſalis armoniaci communis, (confer AUTHOR *de volatiliſatione Tart.*) quippe ſpiritus Vitrioli prodit in forma priſtina; par ratio eſt quando Sali communi affundimus ſpir. Vitrioli & deſtillamus, tunc enim accipimus ſpiritum ſalis & in fundo remanet ſal mirabile GLAUBERI.

5 *Antiepileptico*) Notum eſt ſpecificum illud HARTMANNI contra epilepſiam, nempe ſpiritus vitrioli epilepticus volatilis, conſtans ex ſpiritu urinæ affuſo vitriolo veneris, quæ digeſta deſtillantur, & acquiritur ſic ſpiritus volatilis; qui tamen ſpiritus parabilior eſt juxta AUTHOREM, ſi ſpir. Urinæ miſceatur cum ſpir. Vitrioli; interim hunc proceſſum AUTHORIS non facilè verum eſſe putamus, cùm ille ex Spiritu urinæ Vitriolo affuſo per digeſtionem paratus altioris ſit indaginis, ideò quod alkali volatile Urinæ ſub digeſtione cum Vitriolo veneris, agat in hujus ſulphur, quod rodendo ex parte diſſolvit, ſicque ſpiritus volatilis ſimul ſulphuteus acquiritur, qualis ex miſcela ſpiritus urinæ & ſpiritus vitrioli non habetur.

6 *Tubuli illi uterini*) Hi proficui ſunt in ſterilitate & fluore muliebri curandis; ſic habuimus ſub

cura

cura mulierem post emansionem diutinam mensium capitis dolorem patientis, quæ tamen hoc euporiston cum euphoria, omni septimanâ semel jam nunc sibi applicat.

TEXT. LUDOVIC.

ad ejuscemodi Nascalia rite depuduerint: quod porro 7 in Aurium affectibus loco instillationis (nonnullis consuetæ,) longe præsentior commodiorque nobis se stiterit *Vapor, qui spiritu isto & oleo Tartari*, (præsertim cum Aqua quadam cephalica odorifera parato,) subito per guttas aliquot confusis, in exiguo angusti colli vitro exurgit, & meatu auditorio excipitur: quod denique 8 Hypocondriacis præsertim plethoricis, præsupposito Acido præternaturali oppositus, raro expectationem saturet.

9 *Ebur.* quamvis huc communiter referatur, parvi tamen hic momenti vel effectus est: ceu quoque 10 *Magisterium quodvis, etiam abstractitium; aut cum Vitrioli spiritu è spiritu Nitri præcipitatum*: Nec singulare quid 1 *Philosophice quoque nuper nonnullibi calcinari captum*, in Hepaticis uterinisque præstat, quod Corallinis, Martialibus &c. non transigatur. Sic si 2 Gelatinis intestina inviscare referret, *Eboracea* (dum dens philosophice calcinatur accidentaria,) profecto præsentiorem haberemus Cervinam: *Ustum* alia ossa testæque non solum æquant, sed magis superant: ut totum proinde, cum *Testudinis cujus libet Scuto*, ac 3 *Hircino* in suffumigiis sane Cervinis præsentioribus,) *Bovinoque* (donec ejus 4 in Goa sc. germinantis radiculæ afferantur,) *cornu* Tornatorum manufacturis relinquamus.

Hic vero potius inseremus 5 *Concharum oblongarum (parvarum majorumve) saltem Aqua simplici* (6 *citra Acetum accessum, aut nigredinis rasuram) elotarum Pulverem*; *Calcinatis* olim (nec tamen penitus hinc invalidis,) præsentiorem, in Febribus præsertim Tertianis, in ebullitionibus ac præfocationibus præcordialibus, in morbis fluidis aliisque stomachi intestinorumque exotericis acoribus &c. (solitarie, vel inter Corallinorum, Cancrinorum martis, aut Cinnabaris nat. accessum,] plus nobis tota die præstantem, quàm alibi preciosissima quævis. *Cuilibet Matri perlarum aut Ostrearum (tædiose quoque nonnullis loco Magisterii subtiliter erasarum) testis*, alias par est: & 7 *Blatta Bisantina, Entali, Dentali, Favaginis, ipsius quoque Umbilici marini* (cui aliquando *cochlearum nostrarum*, in prædictos usus sat validarum Domunculas per signaturam æque feliciter substituimus] vices sufficienter supplet. *Magisterium autem seu vulgare seu plumosum*, (è conchis cochlearumque testis æque ac è Matre perlarum splendidissimum, & cuivis 8 Perlato simile] supra relatum effectum, ne quidem attingit, nec in aliis destinationibus singulare quid præstat.

Ponamus proin amplius 9 *Lucii (recentis) non quidem solas cum osse cruciformi Mandibulas, sed reliqua quoque capitis omnia, non cartilaginea ossa*, intermixtis (ubi dantur *Tructarum vulgo dictis* [*Linguis, aliisque congenerum prædatorum dentatis ossiculis*, pro simplici saltem *Pulvere*; cujus vis ad materiæ acidæ vel acris in primis viis, circa ipsam pleuram &c. præsuppositæ inversionem, notoria 10 *Magisterio proprio sive præcipitato sive* (elegantiori Diaphoreticoque] *abstracti-*

NOTÆ.

7 *In aurium affectibus*] Sunt qui in tinnitu, surdidate & obauditione spiritus salis armoniaci cum bombace auribus immitti suadent; interim commodius est, si vitrello colli oblongioris indatur sal Tartari huic superaffunditur salis armoniaci com. in aqua solutum, sic enim ex ambobus in se agentibus elevatur sal volatile in civitatem auris; vel etiam spiritus salis armoniaci vitro inclusus admoveri potest calori candelæ, ut sic elevetur.

8 *Hypochondriacis*) Spiritus salis armoniaci in morbis chronicis, febribus intermittentibus & aliis egregius est.

9 *Ebur*) Hoc cum ejusdem præparatis rejicit AUTHOR; & rectè; nam quæque ex his speramus, ea omnia reverà in C. C. obtinemus & sanè ebur ustum, itemque sine igne ejusdem est eùm C.C. naturæ & efficaciæ.

10 *Magisterium quodvis*) Eboris tàm per præcipitationem, quàm abstrationem, spir. nitri paratum æque est segne.

1 *Philosophicè calcinatum ebur*) Nonnulli speciatim hepaticis & uterinis affectibus dicare volunt, interim sine ratione, nam in præcavendo cervinum remedium idem præstat.

2 *Gelatinis intestina inviscare*) Sanè contra AUTHOREM gelatinam C. C. supra laudavimus.

3 *Hircino*) Alludit ad hoc, quod vulgò suffitus in passione hystericâ levâtla instituatur, genitalibus vel naribus suscipiendus ex cornu hircino, ubi sanè vis illa in sale volatili, & oleo figente & corrigente acidum illud austerum, in passione hystericâ peccans, quô tamen in puncto non est inter cornua differentia aliqua, sicut & pennæ & rasura succini eundem effectum hic obtinent.

4 *In Goa*) Subintelligit hic AUTHOR traditionem illam, quâ putatur in urbe Goa, Lusitanorum coloniæ in Indiâ Orientali, cornua bovina radices agere; cùm tamen efficta illa sit in maritos ut plurimum cornigeros

5 *Concharum*) Universum exercitum selegit AUTHOR, imò ostrearum & cochlearum nostrarum testas quoque huc refert, cùm omnia hæc testacea ratione effectus coincidant; interim tamen nobis si concederetur electio, seligeremus ostreas, quarum rasura aut pulvis singularissimum est præcipitans diaphoreticum, eaque vel cruda usurpata, vel in calcem usta multum valet; quin imò eadem B. D. D. LANGIO sub nomine præcipitantis magni venerunt; & sanè pulvis hic & calx salina ostrearum in febribus intermittentibus, corrigendo quodlibet acidum, proficuus est, & sufficiunt loco matris perlarum specificorumque febrifugorum CROLLII & STROBELBERGERI, & mirum est, pulverem illum vino injectum, acidum hujus imbibendo, illud in saporem sub salsum mutare, diureticamq; virtutem conciliare.

7 *Citra acidi accessum*) Præparantur vulgò conchæ ità, ut ablutæ aqua simplici infundantur in acetum, eliciens earum mucilaginem gelatinosam; hinc istud, quod post mucilaginem ablatam superest, calcinant; sed potiùs conchæ simplissimè saltem pulverisentur; *Confer* præter CROLLIUM MYNSICHTUM.

8 *Perlato*) Qui perlas possunt solvere in rorem lacteum, hi habent arcanum ad hecticos & phthisicos curandos; contra prout eædem vulgò prostant, vel præparatæ, vel calcinatæ, vel in magisterium redactæ non habent prærogativam ullam præ conchis.

7 *Blatta Byzantina; Entali Dentali*) Omnes hæ species sunt ex concharum genere, neque aliquid illæ peculiare habent; imò & nostrates cochleæ eundem habent usum.

9 *Lucii ossa*) Seligit, eaque capitis propriè dicta, nam omnia ejusdem sunt cum maxillis naturæ, sale quippe volatili & vi diaphoretica, acidi absorptiva & antipleureticâ speciali insignatâ, & satis laudata; interim hisce lucii ossibus, spinæ mustelæ ac lapides percarum & carpionum quoque surrogantur.

10 *Magisterio ossium capitis lucii piscis abstractitio nitroso.*) Præferendus ossium illorum crudus pulvis, utpote acido non saturatus, adeòque acidum potenter absorptivus.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

tio nitroso longe hunc in finem præsentior est & magis adhuc 1 *Suis Leporisque Talis.* 2 *Cervi Bovisque* (ad venerea quoque, sed utplurimum minori successu tractis) *Priapis* commodior; 3 *Pene quod ipse Leviathan nuper* (per nonnullorum curiositatem 4 *cum sartoria mucilaginosissimaque costa huc* cum qualicunque effectu contribuit, respective parabilior: ceu eadem de causa ægerrime (*ni frustra ustulentur*, pulverabilibus 5 *Verris aut Apri*, item pusionum *Lupinis rarioribusque.Castoris dentibus* [quibusdam pariter in *Magisterium redactis*, merito præfertur ? sive per se) secundum supradictas in Pleuritide cautiones, sive potius congeneribus nonnullis, etiam opiatis sociatus detur. 6. *Pavonum specula & calamorum scriptorum interiora* (Animæ nomine vulgo venientia) mulierculis hic relinquamus.

Accedat potius (ne plane incruentus sit noster delectus] 7 *Hircinus sanguis*: non quidem *Lanionum ille*, defusa [pro more] serositate oppido debilior ac friabilis, nec famosus saltem pauloque olentior, sed parcior, *è praciso miseri patrimonio stillans*, sed è collo tantum quidem inter jugulandum collectus, at *cum salso viscidoque illo sero, debite citra combustionem in Balneo vaporoso siccatus*; æque sic efficax, splendens renitensque, ac si Testicularis fuerit: sufficietque similiter nostros in usus simpliciter solum (dum *de Destillatis* supra diximus,) *Pulverisatus.* Qui ex *Anate, Ansere, &c.* quibusdam, (olim etiam in Antidotos) proponitur, tanquam infidus Culinis, *Ciconiæ* credulis curiosisve cedat. 8 *Columbinus* (ut cruores reliquos hic appendamus, [profecto sugillatos oculos alias nil aut perparum juvat; 9 *Asininus non è laciniis tantum*, sed ad drachmam quoque datus, vix unum alterumve per Philtra forte dementatum levasse visus est, alios vix notabiliter. *Suillus, Agninus, Bovinus, &c.* inter tot stiptica, Hysterica & [in aquis destillatis] refectiva, Lanionibus relinquatur: *ipse* 10 *Leporinus* [cum infantili suo, *cerebro febrientique corde*, extus in erysipelate Hircino, Cervino, &c. nihilo est superior, & ejusmodi linteamina menstruata alias nauseabunda sunt, inter tot passim commodiora euporista: intus verò in Dysenteria nuper nostra nil solide contulit, multumque fuit, si in uno altero ve per horas aliquot [non sine subsequis angustiis] secessus interdum suspenderet: Imaginem impressi timoris ipse, [qui in Taurino iracundiæ sigillum attulit,] alibi salse risit.

Diaphoretica & Alexipharmaca Mineralia.

Convertamur proinde ad *Mineralium classem*, præ reliquis hic pariter exuberatissimam, sive *Simplicia*, sive *Composita* (*antiquiora aut recentiora*, diversasque horum omnium Variationes, [utplurimum eodem recidentes, aut supervacui saltem aliquid processui appendentes, vel tacite è vetustissimorum libellorum orco reproductas,] intuemur. At qui compendiariæ Praxi nobiscum adsuevit, missis hujus generis coincidentibus, aut præter rem carioribus, tædiosioribus, &c. haud difficulter paucis aliquot sequentibus, aut (in libero convenientiorum selectu, consimilibus acquiescet.

Si enim primo quispiam è *Terrarum, Margarum confiniumque*, (huc usque dum tractorum) generibus, unicam saltem, non

NOTÆ.

1 *Suis leporisque talis*] Hi nihil singularis obtinent, quod non jam dum in C. C. vel ossibus lucii piscis reperiatur.

2 *Cervi bovisque Priapus* (Hi aliàs vi antipleuritica & antidysenterica laudantur, dando horum rasuram à ʒß. ad ℈j.; interim cùm in pleuriticis nobis hactenùs suffecerint maxillæ lucii piscis, illis hoc in casu non opus habemus.

3 *Leviathan pene*] Per hoc intelligit Priapum Ceti, qui in fluore albo & dysenteria aliàs egregius est.

4 *Sartoria costa*] quæ cocta dat copiosam mucilaginem; interim materia illa non prodit de costa ceti, sed est firmamentum maxillæ, ubi radicantur dentes, conferatur GOTTFRIED MERCHENS. Cæterùm os hoc maxillæ ceti est rarissimi usus.

5 *Verris, Apri & Castoris dentibus*] nonnulli utuntur pro scopo antipleuritico diaphoretico, interim his non cedunt maxillæ lucii piscis à ʒß. ad ℈ii. dandæ; quibus si combinetur maxillæ sal volatile proprium, juvabunt præsentaneè magis; cæteroquin castoris dentes specificè quoque pro alterandi scopo nimiam iracundiam perpessam laudantur.

6 *Pavonum specula*) Nonnulli in usum trahunt pro scopo diaphoreticô, & curandis erysipelatibus & inflammationibus mammillarum; ast vano cum instituto; non secùs ac ipsæ calamorum animæ.

7 *Sanguis hircinus*] Prout vulgò prostat collectus nubili suâ substantiâ defraudatus est; hinc HELMONTIUS *Tract. demens idea.* Item, *Pleuritis furens* commendat sanguinem ex hirci pedibus anterioribus ad cornua retractis, incisis testiculis prolectum, quem exsiccatum & pulverisatum pro usu asservat ad pleuritidem & sanguinis grumos ex casu ab alto genitos discutiẽdos. Cæterùm monet AUTHOR N. benè, quòd cùm HELMONTII modo parcus sanguis acquiratur, is ex jugulato hirco colligendus sit, & unà cum sero excipiendus, hincque in B.V. exsiccandus, quò factò, si splendeat instar vitri pulverisati, bonus est, cum splendor ille dependeat à seroso chylo sanguini combinato; jam E. ità paratus datur à ʒß. ad ʒj. pro validissimo diaphoretico in pleuritide & febribus cum inflammationibus internis conjunctis; ac præfert hunc ipsum AUTHOR reliquorum animalium sanguini. Etenim prostat compositio quædam in CROLLIO, antidotus de sanguine vocata, ex sanguine ciconiæ, anatum, anseris rubetis vescentis, &c. Interim hæc est nauseosa potius hinc sanguis hirci præferendus.

8 *Columbinus*] Sunt qui dicunt nihil melius esse pro sugillatione oculorum curandâ, quam sanguinem istum sub alis columbinis extractum, verum parum ille juvat, quin potius loco illius nobis sufficere potest Unguentum MYNSICHTI ad livorem, ex tragantha, radice sigilli Salomonis & camphora constans, quod externarum quoque partium levioribus contusionibus medetur.

9 *Asininus*] Alludit hic AUTHOR ad illud, quod pro cura maniæ & furoris sanguis mense Martio ex incisâ arteriâ asini collectus, & linteo exceptus commendetur: [de quo vid. HARTMANNUM *cap. de maniâ.*] Laciniam scil. 2. digitos longam sanguine imprægnat, haustui cerevisiæ infundendo, & expectando sudorẽ desuper; interim exclamat idem, vix drachmam illius aliquid præstitisse, utut in maniâ ex Philtro aliquando desiderio satisfecerit.

10 *Leporinus*] Sanguis ex lepore, præsertim à vertagis agito, & sub pavoris momento versante linteo exceptus singulare quid juxta HARTMANNUM in pleuritide & dysenteria præstare dicitur, pro quorum tamen hoc scopo sanguis hircinus, debitis adhibitis cautelis exceptus, parem relinquit effectum, utut HELMONTIUS leporinum in specie sanguinem pro scopo diaphoretico [quem tamen & alia præstant,] laudet, aliàs observavimus nosmet sæpius, linteum sanguine infectum convenisse in Erysipelate, applicatum parti illo obsessæ.

1 *Nil soli in dysenteria*] Contulisse sanguinem leporinum autumat AUTHOR, ubi tamen reponimus, eum ceu specificum opiatis jungendum; quô sic valentioribus viribus illi morbo resistatur. Ex his selectis diaphoreticis regni animalis mille formulæ concinnari possunt: E.g. esto sudoriferus pulvis talis:

℞. *C.C.f. igne* ℈j. *ad* ʒß. Detur in vehiculo calido, stomacho vacuo, & expectetur sudor Vel ℞. *Rob. sambuc. aut junip.* ʒj. *vel* ij.
C.C.f. igne ℈j. *ad* ʒß. M.S. elect. diaphor.

Vel in forma liquida sic
℞. *aqu. fl. sambuc.* ℥j. *C.C.f. ign.* ʒß.
sal. volat. C.C. gr.v. Syr. fl. tunic. ʒij.
M. pro potione sudorifera unius doseos Sic esto præscribendus pulvis sistens, & sudoriferus in dysenteria benigna.

℞. *C.C.ust.* ʒß. *ad* ℈ij. *Laud.hyster.gr.*v.
M. pro una dosi, & detur in vehiculo calido.

Porro si præscribendus est Spiritus & sal volatile pro scopo diaphoretico, tunc

℞. *Spir.C.C.rectif.& sal.volat.acuat,* ʒß. *ad* ʒij.
Detur pro duabus dosibus, capiendis quoque in vehiculo. Vel

℞. *aqu.fumar.* ℥j. *spir.C.C.sal.volat.acuat.* ʒj.
Syr.card.bened. ʒij.
M. pro potione unius doseos.

Ulterius quibus composita etiam diaphoretica placent, v.g. in diarrhœa maligna hodie familiari:

℞. *C.C.s. igne* ʒß. *terr. sigill.* ℈j.
*sal. volat. C.C.gr.*vj.
M. pro duabus dosibus. Vel

℞. *C.C.s.ign.gr.*xij. *terr.sigillat.* ℈ß.
*Extr.theriacal.gr.*iij.
M. pro una dosi: Capiatur in vehiculo calido ad sistendum fluxum illum.

Vel in forma magis liquida, v.g. in febribus malignis.

℞. *aqu. fumar.* ℥iij. *C.C.s. ign.* ℈ij.
bezoard. min. ℈j. *ad* ʒß. *Extr. theriacal.gr.*vj.
Syr. cott. aurant. ʒiij.
M. pro tribus dosibus; pot diaphor. Vel,

℞. *aqu. fl.sambuc.* ℥ij. *vel* iij. *C.C.s.ign.* ʒß.
*cinnab.antimon.gr.*xv. *sal.volat.CC.gr.* ix.
[salia enim volatilia exaltant cinnabarina illa]
Syr. fœnic. ʒiij.
M. pro tribus dosibus.

Vel in casu scabiei retro pulsæ pro scopo sudorifero,

℞. *Conserv.fumar.* ʒj. *Pulv.viperin.* ʒß. *ad* ℈ij.
C.s.q.syr.ros.simpl. fiat bolus. diaphor. sanguinem demulcens. Vel,

℞. *aqu. fl.sambuc.* ℥j. *pulv.viperin.* ʒß. ad ℈ij.
*sal volat.viperar.gr.*vj. *Syr.de fumar.* ℈ij.
M. pro una dosi.

Porrò pro scopo alterativo & diaphoretico in malo hypochondriaco.

℞. *Spir.sal armoniaci* ʒß.
Dentur pro dosi gutt. 30. in vehiculo non acido.

Sic in casu passionis hystericæ:

℞. *aqu. Menth. flor. sam.*
spir. sal antimoniaci. Ess.opii cum alkal.parat. ʒß.
Syr.cort.aurant. ʒiij.
M. detur ʒß. vel cochleatim.

Vel in casu intermittentis bihorio ante paroxysmū:

℞. *aqu. fumar.* ℥j. *spir.sal armoniac.* ʒß. *ad* ʒj.
Laud. opiat.gr. j. *vel* ij. *Syr.card.bened.* ʒij.
M. pro una dosi.

Vel in casu paroxysmi asthmatici convulsivi:

℞. *aqu.hyssop.* ℥ij *asthmat.* ʒß.
spir.sal armoniaci ʒß.
Syr.Nicot.vel loco hujus de hyssop. ʒiij.
M. capiatur cochleatim.

Sic quibus placet Spiritus conjungere, illi formare possunt talem.

℞. *aqu.fl.sambuc.* ℥iij. *spir.salis armeniaci* ʒj.
C.C.rectif. ʒß. *Essent.opii gutt.* xij.
Syr. de arthem. ʒij.
M. detur cochl. Ad hanc misturam pertinet liquor C.C. succinatus, & Spiritus armoniaci anisatus.

Porrò sit ordinandus pulvis præcipitans acidum primarum viarum:

℞. *Pulv.testar.ostrear.vel conchar.vel cochl.* ʒj.
[Quæ omnia in effectu coincidunt]
Oss.luc.pisc.pulv. ʒß. *olei destillat.caryoph.gutt.*vj.
M. pro tribus dosibus.

Sic si ordinandum est sudoriferum liquidum in casu pleuritidis:

℞. *aqu.fl.samb.vel pap.rh.* [nam aqu. sunt aqu.] ℥iij.
Oss.luc.pisc.pulv. ʒj. *sal.vol.oss.luc.pisc.gr.*xij. *ad* xv.
*Laud.opiat.gr.*iß.
Syr.cujusd. pro grato sapore v.g. *rhœad.* ʒiij.
M. pro tribus dosibus, expectando sudorem.

Vel in forma sicca pro eodem scopo:

℞. *Maxill.luc.pisc.pulv.* ℈ij.
Sang.hirc.rec.coll.& pulv. ʒß. *Laud.opiat. gr.*ij.
M. pro duabus dosibus, expectando sudorem.

Porrò pulvis ad casum esto hic:

℞. *Lapill. cancror.prapar.Sang. hirc. ana* ʒß.
M. pro duabus dosibus, in acet. sumendis expectando sudorem.

Aut esto in forma liquida mistura dissolvens sanguinis grumos hæc:

℞. *aqu. pap. rhead.* ℥ij. *Acet.* ʒvj.
Lapill. cancror.
Oss. luc. pisc. ana ʒß.
Syr. ros.simpl. ʒij.
M. pro duabus dosibus.

TEXT: LUDOVIC.

quidem præcisæ tantum 2 *Silesiacam Strigoniensem* (quamvis præ reliquis hactenus merito usitatiorem,) sed & aliam quandam, (ceu variæ nunc in Germania observatæ sunt, selectiorem, pinguem, imprimis 3 *Rubram*, & non tam annulo quam continuata experientia sufficienter signatam, nec deprædatoria *lotione* exhaustam habuerit; causam non videmus, cur alias insuper *è Turcia vel*] si credimus] *è Lemno plancentulas*, [sæpe suspectas,] aut Bolum vel è media nonnunquam Germania Armenum, (4 dum alias tot epicerastica atque sistentia Gummea, Opiata, Martialia, Corallina, &c. præ manibus sunt,] vel denique è *Maltha minores* (cum S. Pauli,) *aut majores* (cum Eremitæ signo) *pastillos S. Pauli Baculos, & Viperæ vel vermiformes Massas* (raritatibus aptiores,) *Samiam ac reliquas Terrarum cinereo albo, flaventeve colore variantium exoticas species* exigere necessum

NOTÆ.

2 *Silesiacam Strigoniensem.* Scil. cùm multiplices sint boli, terræ & margæ, sub metallorū generatione quasi per accidens natæ, hinc seligit AUTHOR inter terras Silesiacam Strigensem, quam præfert Lignicensi; ast sunt dicta concreta sulphure metallicô plus minùs perfecto imprægnata, jamque de sole, jam verò de marte participant. Et quidem bolus est martialis, rubrica verò fabrilis est quædam terra lapidis hæmatitis immatura; Sic terra Strigensis sulphurea pinguedine auri ebria eruitur ex auri fodinis, notante BECCHERO *Phys.subterran pag.*198. ubi dicit TABERNÆMONTANUM observasse in terram ejusmodi redigi posse ipsum solem, & seipsum scire similem processum. Ex quibus colligitur, terras illas habere suas vires à sulphuribus metallorū concentratis, nam in ferrifodinis reperibiles terræ quæ participant de natura martiali. Cæterùm terra hæc Strigoniensis usurpanda est saltē simpliciter pulverisata,] nam ejus lotio est frustranea, imò spiritus acidi in illa latitantes deprædatoria] ità absorbet quælibet acida inimica, & acquirendo hinc texturam quasi aluminis, vim stypticam relinquit, privativéque sudores movet, imò ratione immaturæ pinguedinis solaris temperat quoque ea quæque acria in corpore stabulantia, & datur à ℈j. ad ʒß.

3. *Rubram*] Quæque terra rubra participat aut de martiali, aut de auri natura, quorum amborū metallorū sulphur, puta aurum & ferrum, in radice coincidunt.

4 *Cum aliàs*]. Præsente terra Strigoniensi non opus habemus Turcica seu lemnia, plerumque apud nos adulterata, nec bolo Armeno, in mediâ Germania sæpè nato: Nec Melitensi, sive terra è Maltha candida illa, instar cretæ & alexipharmaci commendata, nec linguis serpentum, nec Samiâ, aliàs coloris cineritii.

TEXT.

TEXT LUDOVIC.

habeat: aut cur nostrates quoque residuæ ex ordine 5 *Marga*, sæpe nimium quantum limosæ, & (quod nec in Terra sigillatâ nunc infrequens,) impuriores, vel nedum satis comprobatæ seorsim existere debeant. 6 *Galactites & Lac Luna* potius curiosiorum hic museis quadrant; quoque alibi pro nominis ratione præstant, in Crystallo similibusque pariter invenitur. Sic est quidem aliquid *Terra Catechu*; [*nec essentia ejus*] cum ardenti acidulove Menstruo extracta,] inter sistentia rejicula est: cum tamen hactenus tot ei fere conformibus Martialibus vitriolaceisque, tot Corallinis, Succineis, Opiatis, &c. idem æque feliciter aut certius obtinuerimus, inter Alexipharmaca vero nil queat, eccur eo precio massam Metallici germinis vel atramentosæ analogiæ, Regionis naturam æstimantibus, proculdubio haud adeo expertem è Japonia usque redimamus? 8 *Magisterium Terra sigillata* [per præcipitationem, manifeste deses est; quemadmodum & famosus 9 *ille spiritus*, aliarum argillacearum vel bolarium terrarum extorto Liquore vix notabiliter præstantior; sane non is, cui soli in vere malignis, etiam sub larga, [quam exigit] dosi temere confidas. Ita 10 *Tinctura Terra sigillata* [cum Salis spiritu solutæ, & post hujus evaporationem vel abstractionem, spiritu Vini extracta,] tum originis tum coloris causâ speciosa quidem, aut pro simplici adstrictorio Martialibus, æque ac ingratus *istius Liquor*, [cum Terra aliquoties spiritu Vitrioli imbibitur, & hinc denuo quasi deliquando solvitur;] revera posterior, in Malignis autem alias [cum sui similibus stringentibus acidis] inconvenientior est; ac longe tunc securius res Alexipharmacis Opiato sociatis, ac Præparatis Præcipitantibus transigitur. Si quid hic superaddendum, potius [vulgare nunc passim] 1 *Unicornu fossile* videretur: non quidem quoad massam illam solummodò, quæ *Cornu* refert, sed etiam 2 quoad residuas partes, *dentes scilicet* per quam elegantes, *Mandibulas*, *Tibias*, *&c.* experientia nobis æque, [si compacta nec per subterraneorum alienorum accessum erosa vel corrupta fuerint, efficacia. Paratum hinc *Pulverem Polychrestum* supraposuimus, cum diversorum additamentorum variatione; inter quæ cùm vegetabilia solidiora & vegetiora [si quidem omnino pro gregariis placeat,] per extemporaneam mixturam haud difficulter esse queant, non videmus; cur tum superius relatos *Pulveres ac Species*, tum *Terram sigillatam*, *Bolum Armenum aut Cornu Cervi*, *seorsim per infusa vel decocta alexipharmaca insuccata*, syllogi huic associare debeamus: ceu quoad residua, *Ochra* Alutariis, *Creta* inter tot præcipitantia stomachica: domesticis usibus, *Smectis* in specie Fullonibus *Tripolitana* politoribus aptior est; nostrati forte *Bolo*, ceu alii 3 *Rubricam* volunt, ob Martiale consortium tonsorum cataplasmatibus relicta.

4 *E Talco rubro* extrahitur quidem per Aquam regiam pulvis mediocriter Diaphoreticus; sed istum inter tot æquivalentia, [etsi vel naturæ Solaris fuerit,] curiosioribus merito relinquimus. Uti colicorum aqualiculis 5 *Ophiten* suum imbricatum; intus à nobis, cum vix ultra sui generis absorbentia quid posse videatur, nondum satis tentatum, utut extus à circumforaneis ad mendacium usque deprædicetur. Ipsæ 6 *Gemma Orientales*, & [nescio cur adeo neglectim habitæ] *Occidentales* huc vel alios in usus

NOTÆ.

5 *Marga*] Ad quas & pertinet unicornu fossile, non præstant terra Strigensi.

6 *Galactites*] Cum aqua tritus hanc colore lacteo inficit, non secùs ac quoque lac lunæ, quod laudatur aliàs pro augmentando lacte, interim rectè dicit AUTHOR, eandem virtutem & in crystallo reperiri.

7 *Catechu*] Scil. non diu est, cùm foro Medico innotuit terra Japponica, saporem ex dulci adstrictorium præ se ferens, quæ tamen certò artificiale quid est, & paratur ex terra quadam vitriolacea & liquiritia. Cæterùm usurpatur internè tàm pro scopo adstrictorio, quàm leviter masticatorio. Imò VVEDELIUS ex hac parat essentiam stypticam in Diabete, mictu cruento & hæmorrhagiis alvinis usitatam, de qua vid. *Annus secundus Micell. Academ. N. C.* quô in loco effectus hujus Tincturæ contra hæmoptysin deprædicatur. Verùm si rectè rem pensitemus, inanis est hic luxus, cùm enim non constet, qui terra illa præparetur, mittamus essentiam illam stypticam, contenti aliis, ex coralliis aut marte, cum & sine opio datis remediis.

7 *Magisterium terra sigillata*] per solutionē in acido & præcipitationē factum est deses, sic namq; sulphur metallicum fuit adulteratum, & terra saturata.

9 *Ille spiritus*] [T]erra Silesiaca destillata per Retortā dat Spirit. acidulum sed parcum, quem commendant multi in febribus malignis, nec incōcinnè. Interim locô illius etiam sufficere potest spiritus suphuris per campanam, aut ex similibus subjectis sulphureis mineralibus paratus v. g. clyssus antimonii ex sulphure, nitro & antimonio prodiens.

10 *Tinctura*] [T]erra sigillata si per acida tractetur, texturā aluminis adquirit, quod patet ex illius Tinctura & liquore; neqe Tinctura ejus fit, quando solvitur in spiritu salis, dein abstrahitur hic, & postmodum extractio celebratur cum Spiritu Vini, sic habetur Tinctura adstringens. Non secus liquor terræ sigillatæ componitur cum Spiritu vitrioli vel nitri, quibus à terra sigillata largiter imbibitis, in loco humido, ut liquescat seponitur, hinc liquor asservatur, quibusdam de sulphure aurato participat, & auri potabilis nomine venit. Liquor stypticus & adstringens est, aliis nomine Tincturæ sulphuris vitrioli. Modò autem misceatur terra sigillata cum acidulis, tunc ambobus illis nempe liquore & Tinctura non habebimus opus.

1 *Unicornu fossile*] Scil. reperitur in mineris concretum quasi osseum, quod nunc figuram cornu, nunc dentis, nunc ossium animalium, nunc manuum præ se fert, omnia tamen sub nomine unicornu fossilis veniētia. *Conf. KIRCHERUS in Mundo Subter.* ubi habet historiam speluncæ Siculæ in qua itidem ossa figuræ variæ sunt reperibilia. Cæterùm unicornu hoc fossile est concretum paulò sulphureum sive Marga, & à quodam succo salino in osseam consistentiam mutatum; adeoque 1. margæ, hinc ossea sub consistentia conspiciuntur, ac in substantia quidem insipidum illud est; interim cum aliis debitis combinatum in febribus malignis, diaphoresi opus habentibus, speciatim in variolis & morbillis, cum cervinis sociatum egregium est. *Vid.* modus præscrib. *supr. in AUTHORIS p.* 280. ubi facta est pulveris cujusdam sudoriferi mentio quē pulverē si habemus, carere possumus aliis similibus.

2 *Quoad residua*] Carere possumus unicornu fossili, possidentes ochram naturæ martialis; item cretâ naturæ saturninæ, [quippe cum aceto combinata dulcescit ad modum saturni] existente, utut aliàs ad ardorem stomachi hæc commendetur.

3 *Rubricam.*] Rubrica fabrilis loco croci martis adstringentis à quibusdam adhibetur, nec incongruè. It. loco terræ vitrioli dulcis quippe vi styptica martiali omne illud in vulneribus & ulceribus eadem præstat, quod illa remedia aliàs præstare solent.

4 *E talco rubro*] Talcum rubrum est fluor mercurialis metallicus, rubedinem à sulphure solis juxta vulgarem participans, cùm & ex eodem genuinum aurum elici posse quidam dicant, nec incongruè; quippe infusa Aqua Regis eidem rubedinem omnem extrahit, & si hæc solutio præcipitetur, cadit pulvis naturæ solaris, utut mediocriter diaphoreticus, à nonnullis pro croco solis commendatus.

5 *Ophita*] reperitur interdum quasi squammosus quem AUTHOR imbricatum nominat, & datur quibusdam internè pro absorbendo acido colico; interim potius externè locum is inveniet.

6 *Gemma*] In his considerandum suprà monuimus esse corpus, quod est crystallus, & Tinctura, quæ dependet ex fluore sive sulphure metallico. Cæterùm in substantia eædem propinatæ æque stomacho ac Porphyrio reniti solent, adeoque in forma, quâ assumebantur; iterum egeruntur; unde sufficit instar omnium illorum Crystallus præparata pro acido p. n. invertendo. Quoad Tincturam autem gemmarum, cum è silice in vitrum combusto, addendo saltem metalla gemmæ parentur, hinc Tinctura illa maxima ex ipsis metallis, non verò ex gemmis istis, quæ parùm ejus continent, petenda foret.

TEXT. LUDOVIC.

tractæ, [ut conjunctim omnes expediamus,] profecto aurifabrorum officinis aptiores existunt: non quod *levigatis sive praparatis*, in sufficiente quantitate datis vires aliquas, etsi stomacho perinde ac Porphyrio reniterentur,] præter rem denegemus; sed [uti quoque in generalibus monuimus,] quia parilis inversio, præcipitatio, resolutio, adstrictio, & si quis insuper alius est earum operandi modus, è longè parabilioribus Præparatis, aut siquidem illarum tincturæ seu colorationes [Mechanicæ fere testimonio] sunt quasi metallicæ è symbolizantibus Mineralibus abundantibus, minores inter expensas habetur. Quod autem fere granulari tantum pondere in complurium doses assumantur, & utplurimum minus durabilibus logeque solubilioribus, [adeoque earum particulas intus quasi inviscantibus] Vegetabilibus obruantur, in 7 Alexipharmacis ac Cordialibus illis *speciebus de Gemmis calidis, Electuarii contra pestem Liberantis, Confectionis cordialis, de Hyacintho famosioribus Cordialibus, temperatis, &c. officinalibus, ut & in Pulveribus Pannonicis ac consimilibus variationibus* nemo non videt; & proin effectum maximam partem aliis potius ingredientibus adscribere posset. 8 *Calcinationes cum Sulphure vel Nitro, Solutiones* [jam saturatas vel inversas] *& Magisteria vulgaria* alii jampridem elevarunt; nec in *secretioribus* efficaciam curiositate majorem hactenus invenimus. In specie *sint Hyacintus &* 9 *Sapphirus* pestiferorum tumorum salutares interdum [dum 10 Succinum alibi æquipollet,] circelli intus tamen *tum per se, tum in Solutionibus deliquatis aut Essentia formibus liquoribus*, longe parabiliora certioraque Animalia vel fossilia Diaphoretica temperata non superant. *Topazius, Amethystus &* [omnium fere centrum] 1 *Rubinus*, alias per se hodie inusitatiores sunt, eaque de causa Vulcani quoque minores hactenus tentationes [præter labores forte *cum spiritu Æruginis, &c.*] subierunt *Granatus* [cujas cujas,] *Carneolus* [aliquanti quidem in hæmorrhagiis aliisque fluoribus effectus,] & famosior adhuc 2 *Smaragdus*, cum accidentaria sua [per urinosum, multa similiter sic exaltans Menstruum,] *Tinctura atque Sale* quod præstant, liberaliter sane vel in solis Corallinis ac Martialibus invenimus: nam pro Diaphorisi quantum in rei veritate valent?

Ponamus itaque in præsentiorum parabiliorumque sylloge ex antehac adserto] Stimmi, primo 3 *Antimonium illud Diaphoreticum*, alias vulgatissimum; simplicissime tantum cum Nitri [etiam absque Tartaro] illud sat subigentis triplo, *sed unica saltem ac simultanea* [eoque undiquaque validiori;] non trina [inæqualiori, ac tandem in candenti quoque crucibulo languidiori] detonatione cicuratum, citra alias ambages, diutius post deflagrationem *protractas calcinationes*, aut cum spiritu Vi-

NOTÆ.

7 *Species alexipharmaca*] cum his nonnunquam tantillum gemmarum ingrediatur, hinc effectus reliquis potiùs ingredientibus quàm quidem illis adscribendus erit.

8 *Calcinationes gemmarum*] Cum sulphure vel nitro sunt calces saturatæ, unde præter incrustationem stomachi juvabunt nihil.

9 *Saphyrus*] In tumoribus, carbonibus & anthracibus pestilentialibus singularis est sapphyri vis, quippe circumducto iisdem hoc circulo, enervatur virus carbunculi, ut hic ultra evagari nequeat, sed brevi post excidat, & omnes alios similiter excidere faciat. Conf. HARTMANNUS *de peste* & MARCUS MARCI *Phil. Veter. Restituta cap. de magnetismo Sapphyri*; denique nota, quod quò sæpius sapphyrus usurpetur, eò magis is fortificetur.

10 *Succinum.*] HELMONT. *Tractat. tumulus pestis*, annotat, succinum quotidiè septem pulsibus Planetariis affrictum, præservare à contagio pestifero, unde hoc loco Sapphyri in usum trahatur.

1 *Rubinis*] Est gemma coloris coccinei, de sulphure auri participans; & ità durus, ut eodem Adamantes poliri queant, unde hic unà cum granato & auro intractus hactenus mansit nisi quòd ejusdem Tincturam factâ calcinatione prius, cum spirit. æruginis, quamquam vanè, nonnulli extrahere annisi sint.

2 *Smaragdus.*] Est gemma martialis naturæ, proptereaque, sed malè, à quibusdam in dysenteriis commendatus; insuper alii Tincturam ex eo parare voluerunt, tundendo eundem in mortario martiali, & hinc pulverem cum Spiritu urinæ extrahendo; ast cùm hæc Tinctura supposititia sit; locô ejus martialia surroganda erunt.

3 *Antimonium Diaphoreticum.*] quoad hujus ut & bezoardici mineralis præparationis fundamentum quædam monenda; scil. antimonium diaphoreticum bezoarticum minerale sunt in radice unum idemque, saltem remedium, tantummodò in hoc distincta, quòd duplici via præparentur eadem, puta vel in forma sicca, ubi emergit antimonii diaphoreticum, contrà ex humida bezoardicum minerale, tàm simplex, quàm cōpositum; cæterùm sunt ambo nil aliud, quam regulus antimonii seu substantia antimonii mercurialis, ab acido nitri soluta, hujusque acidi adhæsione fixata, adeoque ex regulô antimonii mercuriali, quasi subjecto alkalino & acido nitri emergit concretum sal sum tertium fixum, indeque diaphoreticum, in recessu simul Sulphureum, quippe dum acidum nitri rodit regulum antimonii, sorbet simul huic sociatum Sulphur, idque figit, sicque emergit hinc illa antimonii diaphoretici & bezoardici mineralis vis, quâ eadem inserviunt. (1.) Temperando omni acri præternaturali in corpore, alkalino pariter ac acido. Secundò sudori expellendo. *Dicis*, sed crocus metallorum catharcticus etiam paratur cum nitr.? ast ℞. sumi ibidem p. j. nitr. contrà pro antimonio diaphoretico conficiendo p. iij. adeoque ratio effectus distincti amborum hæc est; nempè quando pro croco conficiendo pars j. nitr. sub detonatione à Sulph. antimonii incenditur, deflagrat illud & alkalisatur, hinc alkali hoc nonnihil aperit antimonij, & vires ejus catharcticas in apricum reducit; contra dū antimonium crudum tractatur cum triplo nitri, non potest tota nitri copia incendi, sed integrum ex parte manens, mediante acidô sui spiritus rodit regulum absorbetque Sulphur, & ità coit in salinosum tertium temperatum & diaphoreticum, atque hæc actio nitri manifesta est in præparatione bezoardici mineralis cum Spiritu nitri facta, occulta verò in antimonii diaphoretici confectione, quæ si attenduntur, plures processus hic occurrentes optimè intelligi poterunt; jam verò porrò bezoardicum minerale ad annos multos est immutabile; contra antimonium diaphoreticum mutationi obnoxium observatur, dum post aliquot menses vel annos evadit denuò emetico-catharcticum, cujus rei ratio hæc, quòd in antimonii diaphoretici confectione triplum nitri societur integro antimonio, hinc fit; ut nitri acidum agat in regulum, alkali verò nitri in Sulphur antimonii, sicque hæc omnia alterantur; ast postmodum successivè Sulphur Antimonii denuò coit cum suo regulo, quia naturalem inter se habent cognationem, & quasi extruditur nitrum, sicque associante se Sulphure antimonii ejusdem Regulo, emergit antimonium quasi renovatum, sicque illud prius diaphoreticum transit in catharcticum. Interim pro hoc incommodo vitando; & ut magis durabile acquiratur antimonium diaphoreticum, notandæ erūt tres sequentes encheireses, quarum (1.) est ut nempe antimoniū diaphoreticum præparetur ex Regulo sive puriore Antimonii & mercuriali parte, à qua superfluum Sulphur separatum sit, hac enim ratione illud constantiùs emergit: (2.) Fundatur Regulus antimonii cum triplo nitri exactè invicem mistis, hincque diutius infusione, ad horam quippe integram, relinquendis. (3.) antimonium Diaphoreticum ita præparatum, & cum aqua simplici edulcoratum & exsiccatū misceatur cum Spiritu Vini, ut hic accensus deflagret, deflagratio enim hęc, contra AUTHOREM, maximè necessaria est, cùm sic, si quid substantiæ adhuc Sulphureæ Antimonii in antimonio diaphoretico restet; illud separetur, & hoc durabile magis reddatur.

TEXT. LUDOVIC.

ni *Circulationes* &c. apertoque Vase; ni potius pro *Clissi Florumque* conservatione retortam tubulatum, aut perfunctoriè solùm inferius perforatam provenienti hinc emolumento impendere lubeat. Atque (ex ejuscemodi Massa, post edulcorationem, 5 (ni particulam pro purgantium stimulo, aut ulteriores in curiosiorum quorundam Extractiones servare placeat,) liberali aquæ quantitate, (ne crassior lixiviosiorque ejus dissolutio plusculum suffuretur (institutam, Pulverem nunquam non insontem tutissimumque, etiam post quadriennium habuimus: videnturque qui cum concitati postliminio Vomitus Anxietatisque præcordialis passim arcessunt, adeoque non nisi recentissimum, vel 6 denuo candefactum volunt, inter elutriationem 7 *Flores* superstantes nauseæque autores, una eluisse, aut terna illa detonationis repetitione *particulas quasdam minus adhuc attactas* reliquisse, vel etiam inter elutriationem *Reguli* (nonnunquam simul provenientis) grana simulpistillo contrivisse, aut potius propter hyperbolicam commendationem, Antimonium hoc *in vehementioribus Malignitatibus*, alias vomitibus, aut nauseæ saltem (levi occasione exasperandæ) complicatis indifferenter exhibuisse; ceu supra monuimus. De cætero in sua competentique destinatione sufficiens est, & idem, quod (ob Tartari accessum) 8 *Tartarisatum, aut cum Nitro Tartaroque diversimode cæmentatum, vel cum sextuplo quoque salis Petræ* supervacue, aut magis adhuc prodige *cum Corallis Perlisque calcinatum*, idem quod 9 *Cerussa Antimonij (e Regulo)* Pollicetur, aut subtilioribus (in speciem) 10 *Floribus Antimonii fixis*, ac similibus (post repetitam in suo Nitro fixo, vel Tartareo Alcali coctionem,) Præcipitatis adscribitur, præstat. Præterea 1 *Floribus vulgaribus, Mercurio vitæ Crocove Metallorum*, validioris ignis continuatione, vel fluente Nitro aliquanto magis *fixatis, ite Nive quorundam* (post spiritus Vitrioli abstractionem à Regulo vel Floribus (*diaphoretica, Floribus purpureis* a sabulo sublimatis, *Præcipitato* (*post abstractas Aquas regias*) *reverberato*, quinetiam *seipso crudo*, 2 *cum Cornu Cervi calcinato* partim certius, partim securius commodiusque que estimo à Bezoartico minerali haut adeo quidem effectu distat, ut in defectu contractiorique apparatu isti secure tunc acquiesci possit.

Ponamus tamen nihilominus paulo diffusiorum Myrotheciorum, & vel subtilioris nitrositatis accedentis gratia 3 Bezoarticum illud, saltem simplex: sive jam *communis è Butyro modus* placeat, sive commodior ille, quo 4 *spiritum Vitrioli Philosophicum spiritumque Nitri* (qui alias vulgari præparatione in Aquam Regiam, spiritui Nitri composito affinem abit,) compendiose servamus: dum scilicet 5 *à Mercurio Vitæ communi* (è Butyro prius vulgato more sequestrato,) sextuplum boni spiritus Nitri per arenam ad siccitatem perfectam abstrahimus; pulvere residuo citra consueta iilic cohobia ulterioresve ignitiones; ac citra nimias grati & innocentis acoris elutriationes sat valido atque securo. Cum aliquando levem quendam Nitri spiritum sic adhibuissemus, Diaphoreticus quidem erat, at post finitum sudorum plerumque *Vomitus quidam*, sed citra notabilem commotionem, sequebatur; effectu in quam plurimis, ubi circa præcordia vel ventriculi orificia exoterici quidpiam exitum merebatur, percommodo. Qui autem hoc nolit leviori suo spiritui, *Nitri crudi ad Mercurium Vitæ ana* addere, & hinc intensiori igne perfectam abstractionem instituere poterit, De cætero compendiosius adhuc *cum Croco Metallorum* similiter procedit, si pariter

NOTÆ.

4 *Clissiflorumque*: Dum Antimoniũ cum triplo nitri detonatur, magna pars Spiritus nitri avolat, cum Antimonii parte, quod ne fiat, instituatur detonatio in Retorta tubulata, sic enim acquiritur clyssus, & simul in collum sublimantur flores Antimon. aliàs avolantes.

5 *Ni particulam.*) nitrum ex antimonio diaphoretico facto vel penitus eluitur, vel tantùm aliqua ex parte; illic intenditur saltem scopus diaphoreticus Antimonij; contrà relinquitur aliquid nitri, si scopus sit alvum simul laxare, vel & miscere antimonium illud purgantibus aliis vegetabilibus, quippe hac ratione idem jucundius operari solent.

6 *Denuò calefactum*) antimonium diaphoreticum denuò catharcticum factum facilè corrigitur, si illud in crucibulô de novo candefiat, aut quoque cum ana nitri de novo fundatur, hac enim ratione obtinebitur pulvis diaphoreticus insons.

7 *Flores*) Quando non ritè miscetur Antimon. cum nitro, tunc in lateribus crucibuli flores comparere solent, qui si cum Antimonio diaphoreticô simul elutrientur, sunt iidem origo nauseæ & vomitus supervenientis; vel & in casu particularum Antimonij cum nitro ritè mistarum interdum cadit Regulus parvus sub detonatione, qui postmodum separandus est; si enim cum antimonio diaphoretico is una pulverisetur, evadit hoc simul vomitorium; interim nunquam Antimonium diaphoreticum migrabit in vomitorium, si illud diutius in igne relinquatur.

8 *Tartarisatum*) Antimonium diaphoreticum Tartarisatum prostat in SCHOROEDERO. *Lib. p.* 428. quô ipso processu Tartarum vitriolatum Antimonialem simul & acquirimus.

9 *Cerussa Antimonii.*) Est diaphoreticum ex Regulô paratum.

10 *Floribus Antimonii fixis*) Hi aliàs magisterii Antimonii diaphoretici nomine veniunt, & magni hoc æstimat TACHENIUS *in Hipp. Chym.* Interim perplacet nobis censura HOFFMANNI *pag.* 307. quô loco hoc magisterium, ceu calcem inertem meritò rejicit; quia enim sic saturatur Antimonium diaphoreticum ab acido & alkali, reverà inde calx irresolubilis emergit.

1 *Floribus vulgaribus*) Nulla est differentia sive è floribus, sive è vitro Antimonii sive ex croco metallorum paretur Antimonium diaphoreticum, utut quod ex Regulô procedit optimum sit.

2 *Cum C.C. calcinato*) Inventio hæc est POPPII (in quem commendatus fuit AGRICOLA) cum cineribus fructus calvariæ, h. e. C. C. usto calcinationem Antimonii diaphoretici instituentis; nempe Antimonium cum ana vel duplo C. C. usti in crucibulo calcinatur; interim hoc Antim. diaphoreticum cum C. C. calcinatum non adeò est tutum, utut multùm huic tribuat BARTHOLETUS *Tract. de dispnæ*, cum illud antimonium diaphoreticum cum nitro factum sit tutius.

3 *Bezoard. simplex*) Est antimonium diaphoreticum in viâ humidâ paratum; modum habet SCHRODER. quando sc. butyrum antimonii miscetur cum ana spir. nitri ita præcipitatur pulvis flavescens, hinc abstrahitur, omnis liquor, deinde novus affunditur spir. nitri demumque abstrahitur, & hoc tertia vice repetitur, pulvis residuus edulcoratur cum aqua calida, & in crucibulo planê igniatur, ut sic spir. nitri penitus avolet, atque hac ratione spiritus nitri figit Regulum antimonii in bezoardicum minerale.

4 *Spir. enim vitrioli Philos.*) Notum est aliàs quod ex butyro antimonii post præcipitationem mercurii vitæ acquiratur spir. acidulus, Philosophorum dictus; jam Etsi ex butyro antimonii cum spir. nitri paratur bezoardicum minerale, abstractione elicitur quasi duplicatus spiritus, qui singulare est BOYLE menstruum pro solvendo sole.

5 *A mercurio vitæ communi*) Ex hoc cum sextuplo boni spir. nitri (si enim hic non bonus sit, vomitus sequitur) abstracto mestruo per arenam cadit & bezoardicum minerale, quippe qui pulvis restitans est, & tunc non amplius igniendum esse AUTHORIS nostri est sententia; Interim si spiritus affusus fortiter abstractus ab eo si potest, Authoris sententia concedi, sin autem pulv. remanens adhuc acidus fuerit, is denuo igniendus erit.

6 *Cum croco metallorum*) Par hîc ratio est, ac quæ cum mercurio vitæ, quippe crocus metallorum cum triplo nitri detonatus dat antimonium diaphoreticum, cum sextuplo autem nitri solutus dat bezoardicum minerale.

TEXT. LUDOVIC.

boni spiritus Nitri sextuplum ad siccitatem inde abstrahatur. Pulvis hinc elegans, priori ponderosior, securissimus & eximiè diaphoreticus est. Elegantiorem autem adhuc habebit, *qui* 7 *Sulphur. Antimonii auratum aliudve quodvis*, (uti complurium laborum parergon est,) simili sextupli abstractione, (nam *detonatio cum Nitri crudi triplo*, ni in retorta tubulata instituatur, plurimum disperdit,) in albissimum pulverem fixarit. Quisquis ex his quatuor placuerit, (cum coincidant,) sudores quidem, ad scrupulum semis hic locorum per se vel cum Cervinis &c. datus, egregie movebit; 8 Bezoartici tamen titulum in permultis malignioribus, petechialibus, ungaricis &c. haud semper tuebitur: ceu jam monuimus de Volatiliorum hic præcedentia, ad intimiorem Malignitatis, (cujus potius Productum quam Causam esse credimus 9 *Vermiculos* in sanguine, hodie toties allegatos,) depulsionem. Nec enim, qui paulo accuratius 10 *Solaris* quoque operationem observat, & cum simplici Bezoartico (positis iis circumstantiis,) confert, præsentiorem adeo effectum ex Auri (plus minus, pro præparantium opinione dissoluti) imbelli granulo, istaque hinc coloratione (etiam *per Ignitionem nonnullis intensa*) deprehendet: æque ac si eodem fine *Antimonium quoque Diaphoreticum Solare* diversimode, & vel è Scoriis (post Solis depurationem desuper restantibus, nec semper à Veneris contagio immunibus,) quæsitum adhibuerit. 1 *Lunare* quantum dicto simplici præstet, alii nunc etiam observarunt: sive *per vulgatiorem*, tractu temporis ut plurimum venereum saporem induentem,) *modum*, *aut per subtiliores adhuc solutiones* confectum fuerit. Qui omnino tale vult, selectius aliquod Lunæ Magisterium, (si in diffusiori apparatu prostabit,) majori compendio & efficacia sensibiliori ex tempore Antimoniatis illis admisceat: aut utriusque loco, singulis Bezoartici vel etiam Antimonii diaphoretici dosibus, dimidium & ultra Cinnabaris nativæ adjiciat, elegantiorem ipsisque laboriosioribus 2 *Electris majoribus*, *detonandis*, *aut* (quamvis haud æquabiliter) *destillandis* præsentiorem Pulverem nanciscetur. Atque simpliciori hac mixtura etiam 3 *Ioviale* quoddam,) cum *Saturninum* existere vix referat,) æque efficaciter confiet. 3 *Venereum* in libellis quidem at in experientia satis commodum nondum vidimus, in Venerem hanc alias minus proni. 4 *Mercuriale* per adjectum Mercurium vitæ vitrificatum, aperte Antimoniale, nec semper hinc adeo fixatum est 5 *E Ferro*, tanquam intimiori Antimonii socio, convenientius hic quidpiam complicari videtur: Sique è Limaturæ Martis candefactæ, & Antimonii pulverisati ana, per continuas (Regulique concretionem sic præcaventes) agitationes, Scorias saltem quis conficiat, Massamque pulveratam cum triplo Nitri in crucibulo candenti successive detonet, remedium habebit sub scrupuli semis aut quindecim granorum pondere, non solum *Bezoarticum Martiale quodvis*) *sive Butyrum super Limaturam aut Crocum digestum, sive* operosiori, minori tamen quæsiti Martis participatione, *è Regulo Martiali cum Sublimato destillatum fuerit*,) æquas, in Cachexiis, Ictero, Scabie &c. superans. Notabile simul *incrementum*, quod in hac denotatione ultra primitivum Martis & Antimonii pondus, elutriato pulveri, (procul dubio è Nitro in terrestritatem fixato,) accedit.

Atque his quidem *inter sicca* facile quis acquiesceret: addamus tamen in paulo diffusiores forsan apparatus, etiam 6 *Sulphur Antimonii*, ceu parergæ ejus vel alias satis parabiles hujusmodi particulæ vocantur, licet in rei veritate ne purissimæ quidem

NOTÆ.

7 *Sulphur antimonij auratum*) Quælibet sulphura antimonialia, speciatim sulphur antimonii diaphoreticum cum spiritu nitri figi possunt in bezoardicum minerale, addendo scil. spiritus illius nitri sextuplum, eumque hinc abstrahendo. Non secus ac ex iisdem sulphuribus antimonii præprimisque aurato cum triplo nitri parari potest antimonium diaphoreticum interim cum sic dispendium fiat spir. nitri hinc in retorta tubulata detonatio instituatur.

8 *Bezoardicum tamen*) quemadmodum antimonii diaphoretici dosis est ℈j. ad ʒß. ità bezoardici mineralis gr. XII. ad XV. Cæterùm huic bezoardico fixo in morbis malignioribus non unicè fidendum est, sed hisvolatilia ex animali Regnô prius præmittenda, & hinc ad fixa bezoardica hæc tutò accedendum est.

9 *Vermiculos in sanguine*) Febrium Malignarum causam supposuerunt olim KIRCHERUS *de peste* & HAUPTMANNUS, quam tamen sententiam castigavit MARCUS MARCI; utut autem vermiculi tales in ejusmodi febricitantium sanguine non negandi sint, tamen controversia est solum, an illi sint causa, an verò productum febrium malignarum, quorum posterius nos quoque affirmamus, non autem formalem rationem febrium malignarum in vermiculis ejusmodi quærimus aut concedimus.

10 *Solaris*) Bezoardicum minerale simplex vocatur ad differentiam compositorum, v. g. cum sole vel luna factorum, & quidem solare fit, si aurum solvitur in aqua Regis, & hinc solutio miscetur cum butyro antimonii, deinde porrò proceditur more consueto cum spiritu nitri, sic emergit bezoardicum minerale compositum purpurei coloris; interim quia aurum huic corporaliter saltem est immixtum, quippe facilè illud quoque cum borrace educi potest, hinc bezoardicum illud solare prærogativam specialem præ simplici habet; conferatur SCHRODERUS, sub nomine cerussæ antimonii solaris bezoardicum solare describens.

1 *Lunare.*) Quemadmodum nuspiam tuta fides, ita nec in bezoardicô lunari, quippe quod sæpius nauseas & vomitus movet, ideò, quia ut plurimùm sibi sociatam habet venerem, unde nisi bezoardicum illud lunare ex luna purissima ingrediente paretur, vix tutum erit, nec & ulli Authores erimus, ut hoc utatur, quin potiùs magisterium lunæ cum præcipitatione spiritus urinæ factum, vel utriusque loco cinnabaris tam nativa, quàm præsertim antimonialis, quarum illam loco solis aut lunæ suadet bezoardicô minerali simplici adjiciendum AUTHOR, & rectè, ità namque in malignis obtinebitur, ut & in convulsivis morbis, insigne anodynum & sudoriferum remedium.

2 *Electris*) Electra vocantur compositiones metallorum; unde quando recipitur antimonium cum sole aut luna, prodit Electrum majus, sicut minus, quando miscetur antimonium cum Iove & marte; cæterum loco harum compositionum eligit AUTHOR N. bezoardicum simplex addita cinnabari nativa.

3 *Ioviale*) Bezoardicum fit, quando componitur regulus ex antimonio & Iove, hincque tractatur ille cum spiritu nitri.

3 *Venereum*) Bezoardicum, quod SCHROEDERUS habet, est minus tutum, sed vomitorium & periculosum.

2 *Mercuriale Bezoardicum*) Hujus præparationem SCHROEDERUS habet, ubi tamen vana est illa persuasio, qua putant, mercurium vitæ esse prolem mercurii sublimati; quod falsum, potius is est ex regulo antimonii à spiritu acido mercurii sublimati corrosus.

5 *E ferro*) Scil. martem & antimonium cum triplo nitri in antimonium diaphoreticum martiale figendo, processus hic est: 1. in patella aperta exponitur limatura martis carbonibus, ut ea candescat exactè, hinc successivè aspergitur eidem antimonii minutim pulverisati ana, agitando semper materiam bacillo ferreo, ut ambo in scorias abeant, aliàs enim sulphur antimonii rodit ferrum, & ita regulus separatur, factis ita storiis eædem cum triplo nitri calcinantur & figuntur, sic emergit pulvis obscurus, edulcorandus aqua, & ex hac aqua prodit nitrum antimoniatum martiale, remediumitidem non inelegans.

6 *Sulphur Antimonii*) Aliquod alterativo-diaphoreticum & ex hoc prodeuntem Tincturam antimonialem diaphoreticam elegit AUTHOR, cujus tamen ratione menstrui duplex differentia occurrit, dum vel per menstruum alkalino-volatile, vel per menstruum acidum elicitur.

TEXT. LUDOVIC.

à Regulino consortio immunes sint, & totum fere Antimonium per alcalia ita rubefieri seu sulphurari queat. Sit autem illud in internos usus oppido non *crudius istud*, quod semiemeticum, (inque ulteriores fixationes aut chirurgicas destinationes aptius,) primo ex Hepatis vulgaris vel Scoriarum Reguli &c. solutionibus per Acida, aut saltem Urinam crudam pessundatur; sed 8 *Vltimum* solummodo ac purius, post continuatam demum præcipitationem fidens: (ubi 9 *Liquor hinc collectus* & evanescente sic fætore exhalatus, si spiritus Vitrioli receptus fuerit, bonum *coagulum aperitivum*, *Tartaro Vitriolato conforme*; Sin autem Acetum simplex, massam in *Liquorem Arcano Tartari similem*, facile redigendam relinquit.) Vel etiam, quod 10 *è vulgari Tinctura Antimonii, sive Hepatis communis aut scoriarum Regulinarum*, vel potius(cum inter talium detonationem multum purioris Sulphuris dispereat,) 1 *ex Antimonii cum sale Tartari vel nitro fixo liquati Extractione*(per spiritū Vini rectificatū instituta,)sub Acidorum instillatione facile denuo sequestratur: parabilius sic præ parciori (nec tamen regulino consortio hinc exempto, quod in boni remedii perditionem 2 *è Cinnabari Antimoniali post liminio repetitur*; securius præ crudiori, quod (dum 3 Lixivia saponaria & tartarea crudum Antimonium plerunque parcius adoriuntur,)cum ipsius 4 *Calcis vivæ quadruplo* coquendo, copiose colligitur, at tractu temporis iterum griseam vestem induit; aut quod ex 4 *Aqua regia vel spiritu Nitri composito* nonnullis circa frustula, ulteriores in operationes provenit: De cætero, si præsertim 5 unica adhuc Aceti destillati abstractione magis aliquanto figatur, sive qualiscunque (in tenerioribus semet exerens) nausea , præcordialisque commotio sic

NOTÆ.

5 *A regulino consortio*) Quando Sulphur.antimonii eliciendum est, fiat hoc per menstrua alkalica, quippe quæ sola Sulph. antimonii eliciendo sufficiunt, sicut sola acida in ejusdem antimonii mercurialem substantiam agere solent: interim notandum semper Sulphurei aliquid regulo adhærere, imò totum antimonium unà cum regulo in Sulphuream rubramque faciem converti posse: & utut Sulphureæ & mercuriales particulæ in antimonio naturali misturâ non adeò firmiter sint unitæ nihilominus eædem per artem difficulter à se invicem separari possunt,quin potius Sulphur.antimonii semper simul mercurialis ejus substantia adhæret, sicut contra cum mercurialia parte Sulphureâ quoque nonnihil separamus.

8 *Vltimò*) Sulphura antimonii elicienda esse diximus per alkalia, ideoque vulgariùmè per præcipitationem ex scoriis reguli paratur Sulph. illud antimonii cæterùm regulus antimonii fit, quando ana nitri Tartari antimonii funduntur in crucibulô & detonantur,ità sub hac detonatione,dum deflagrat Sulphur. antimonii Tartar & nitr. mutantur in alkalia fixa, hæcque sub fusionis igne extrahunt Sulphur. antimonii, sicque pars ejus mercurialis & reguli à sulph. separata fundum petit, & seorsim potest colligi: suprà regulum autem reperiuntur salia alkalia unà cum sulphure, hæcque omnia tunc vocantur scoriæ reguli antimonii; jam verò porrò schoriæ hæ solute in aqua simplici dant liquorem lixivialem s. lixivium; quod ipsum per acida,v. gr. acetum destillatum vel spir. vitrioli præcipitatur in Sulphur.coloris aurei, indeque sulphur auratum antimonii; primâ enim vice cadit sulphur crudibs emeticum & catharcticum, ubi autem liquore per filtrationem separato instillatur de novo vel spiritus vitrioli, præcipitatur sulphur. melius catharctico-diaphoreticum existens? sicuti si tertia quoque vice filtratus liquor per acida alleguta præcipitetur, acquiritur sulphur ferè diaphoreticum; interim si loco acidorum illorum per urinam crudam (quod AUTHOR vult) præcipitetur solutio scoriarum, negotium non succedit, sicuti ipsimet tentavimus; quòd si autem ex liquoribus illis,ex quibus Sulphur per acida aliàs præcipitari solet, cum spiritu urinæ sulphur præcipitatur, tunc cadet hoc nobilissimi & singularis effectus, nec AUTHORI NOSTRO cognitum.

9 *Liquor hic collectus*) Quando solutio scoriarum reguli antimonii tertium præcipitata fuit per acida, tunc hæc acida se jungunt alkalibus, adeoque alkalia ista dimittunt sulphur Antimonii; jam E.si acidum hoc præcipitans fuerit spiritus vitrioli, tunc liquor separatus ex acido vitrioli & alkali tartari constans, post evaporationem debitam in loco frigido concrescit in crystallos, puta tartarum vitriolatum; contra si præcipitatio solutionis scoriarum facta est cum acido acet. destillati, tunc liquor separatus inspissatione concrescit in Terram foliatam tartari, qui ipsi crystalli ic loco frigido fluent in liquorem terræ foliatæ tartari.

10 *E vulgari tinctura antimonii*] Si scoriis reguli antimonii vel croco metallorum nondum edulcorato affunditur Spiritus Vini rectificatus, hic elicit Tincturam sulphureo urinosam concinnam.

1 *Ex Antimonii cum sale tartari*] Si Antimonium cum sale tartari vel nitri fixo crucibulo colliquescat, & massa horum colliquata infunditur in spiritum vini rectificatum, tunc hic absorbendo [illegible] Antimonii alkalibus istis extractum, elicior suum Antimonii vulgarem,ex qua parat [illegible] hæc dari sulphur antimonii; etenim pote[illegible] cum aceto vel spir. vel in formâ liquida; vel ea[illegible] Antimonii, ità enim vitrioli præcipitari in [illegible] & diaphoreticum atque habebitur hoc purum [illegible] sulphur, quod Author ex aliis hoc est illud ipsum [illegible] Sulph.seligit & [illegible] præfert.

2 *cinnab[illegible] Antimonii*] Paratur quoque Sulph. ex cinnabari antimonii etenim cinnabaris illa constat ex Sulphure antimonii & mercurio vivo,quæ duo sub destillat.butyri Antimonii se sociant,& in cinnabarim elevant,jam E.ex eadem cinnabari quidam per sequestrationem mercurii ab ea separant sulphur, genuinum sulphur.cinnabaris, sicque mercurius vivus in fundo subsidet; dein lixivio tinctura imprægnato instillant acet. destillatum, ita præcipitatur Surphur genuinum è cinnabari elicitum;Cæterùm cum cinnabaris antimonii sit optimum diaphoreticum & anodynum,indeque antepilepticum,contra Sul.collectum non sit adeò nobile, quàm dicta cinnabaris, proinde putat AUTHOR N. loco illius Sulphur aliud, &quidem ex Trinctura antimonii vulgari præcipitatum esse eligendum, quippe quod ipsum purius est, quàm quod ex crudiori Antimonio elicitur.

3 *Lixivium saponarium*) Vulgari more Sulphura antimonii extrahuntur per lixivium, interim quia hæc minus solvunt antimonium,omnia Sulphura illa, eò quod participent adhuc de regulo, sunt emetica.

4 *Calcis vivæ quadruplo*) Non nulli antimonium miscent cum quadruplo Calcis vivæ,deinde coquūt, sicque extrahunt copiosum sulphur,quòd tamen participat adhuc de regulô antimonii; sunt enim in calce vivâ bina salia, quorum acidum extrahit regulum antimonii alkali autem Sulph. ejus, hocque tractu temporis gryseam vestem induere dicit AUTHOR N.hoc est mutatur denuò in genuinum & perfectum antimonium.

4 *Ex Aqua Regia*] Genuinum Sulph. ex antimon. idque nonnihil viridescens, per Aquam Regis eliciendi modum docet TACHENIUS *in Hip. Chym. c.23.* quod quidem nonnihil est anodynum, interim vi diaphoretica ipsi æquale est suprà allegatum ex Tinctura Antimonii vulgari paratum Sulphur.

5 *Unica aceti destillati abstractione*) Quidam figere intendunt Sulphur antimonii; & sanè sic fixatum sulph.sine nausea & vomitu simpliciter est diaphoreticū & sanguinis mundificativum; adeoque in cachexiis egregium,

egregium, nempe Sulphura antimonii genuina hunc usum habent, ut singulari vi anodyna, eaque sine narcosi, quali alias opium] insignita temperent quodcunque acre præternaturale, crasimque humorum corporis in debita Symmetria conservent, sicque sponte sequestretur quodvis hæterogeneum è corpore, adeoque Sulph. illud corpus animale purificat, sicut & idem sulphur aurum purum reddit.

TEXT. LUDOVIC.

compescatur, & sub debita nonnunquam continuatione (cum judicio, ac citra empiricos modernarum Panacearum abusus) adhibeatur; in contumacioribus cachexiis, &c. remedium non est condemnandum, 6 *Panacea nonnullorum ex Antimonii Sulphure ac Regulo cum spiritu Vitrioli*, par; 7 nuperæ *cum nitro fixo è primo Ente Metallorum* diversimode quæsitæ, (modo appensam hyperbolen demimus,) plane alias simile; sive solitarie detur, sive cum Præcipitantibus, Diaphoreticis, Cinnabarinis, &c. combitum. Præterea quoque *vulgaris* (ex Hepate scilicet non edulcato Scoriisve Reguli, vel Clissi capite mortuo comparatæ 8 *Tinctura* loco esse poterit; dum alias hæc in vinosis acidulisque vehiculis cum aliquali fætore semipræcipitatur; & inter *consimiles, Alcalisato vel sulphureo menstruo paratas,*) quo ad *Liquida* simul nunc transeamus,) *quæ cum solo* (*quovis etiam*) *ardente spiritu è Sulphure Antimoniali quovis* exttahitur, parcissima est, & parcior adhuc, *quæ in hoc consimilibusque Processibus*, post tot tædiosissima cohobia, sub paucis tantum, nec virtutis adeo concentrationem aut reclusionem (uti in floribus Martis nigris contingit,) ostendentibus *guttulis* 9. *super Retortulæ rostrum saturatiori colore pellitur*: dum porro, quæ pariter per *solum ardentem spiritum* 10 *è communi Vitro Floribusq;* extrahi jubetur, ni tædiosissima prius ignis continuatione (cui quidam etiam *peculiares alicubi Furnos* condiderunt,) perdiu exerceatur, loco Lili cujusdam Liquorem potius purgantem vel Emeticum, (etsi vel *arcanum Tartari similiaquesalina adjiciantur*, præbet; 1 *Solaria vero Vitra Scoriæque, ad eandem incudem tracta, quemadmodum &* 2 *spiritus e Corallinorum Saturnique sale* (aliquantillum nonnunquam ardens atque striatus,) communi substitutus, nil effective excessivum conferunt, (ceu omnes hæ inter digerendum eundem quoque, *quasi semi-Nicotianæ odorem* de se spargunt:) dum denique per 3 Terebinthinæ *spiritum parata* intus compluribus indicationibus minus, quam extus chirurgicis quibusdam intentionibus convenit: Quæque insuper superioribus annis (per majores quoque ambages,) 4 quasi *à Cælo ipsaque Salute aliisve Diis titulo tenus missæ* prodierunt; coincidentes tantum sunt, & à triviali quadam, tam in processu quam in effectu nil aut parum dif-

NOTÆ.

6 *Panacea nonnullorum*] Hanc describit SCHROEphur. An cui tamen AVTHOR præfert suum Sul-
7 *Nuper*nii.
BERI, nempe Sul*nitro, fixo*] Est hæc panacæa GLAVtione antimonii cum ... antimoniale, paratum calcinaextrahendo cum spiritu v... ro, fixo, hinc hanc mixturam pulvis rubicundus vomitorie ... quo abstracto, remanet ... diaphoreticus. Cæterùm AVTHOR N. in hoc acutu... est, quòd per acida præcipitet suum Sulphur, ita nam ... ne illud diaphoreticum fit, adeoque absque abstractione Spiritus Vini suum parat Sulphur,

8 *Tinctura Antimonii*] Sunt Sulphura, &c. jam E. ne fiat inter Tincturas has confusio, fundamentū earum proponemus: Nempe Tincturæ Antimoniales [Sulphura antimonialia in consistentiâ liquidâ dicta] genuinæ & quæ revera ex Sulphure Antimonii constant, sunt in duplici differentia, nempe participant eædem vel in genere de Sulphure quocunque Antimoniali, vel in specie de fixiori Antimonii Sulphure de natura auri; illæ sunt communes Tincturæ antimonii ex Sulphure aurato ejusdem procedentes, item Tinctura antimonii tartarisata, nec non ista suprà dicta Authoris, ex qua præcipitat suum Sulphur antimonii; hæ verò tincturæ sunt altioris indaginis & ejusmodi est BASILII VALENTINI ex vitro antimonii parata, quam habet in *curru triumphali*, quamque indagant curiosiores Chymici. Porrò tincturæ antimoniales in genere duplici labore absolvuntur, quorum prior versatur in sul. tingentis extractione, posterior in Sul. extracti exaltatione per spir. vini fienda, in hoc enim, ceu menstruo sul. extractum illud sul. antimonii emergit; jam verò pro sul. tingentis extractione menstrua duplici generis in usu sunt, nempe vel alkalica, quæ immediatè magis Sulphura illa antimonii extrahunt; vel acida, quæ ipsa præsertim pro Sulph. fixiori antimonii, in vitro aut regulo ejus collocatô acquiruntur, etenim dum illa rodunt hæc antimonii præparata, fixius sulphur secedit pro meliori tinctura acquirenda conducens; porrò sulphura quæ per alkalia extrahi solent, extrahuntur vel beneficio nitri aut tartari alkalisatorum, aut quoque alius salis fixi, vel per salia volatilia, eaque tam ex tartaro, quàm urina parata; & quidem hic alkalia tā volatilia quam fixa solvunt sulphur antimoniale, & separant id à substantia mercuriali; deinde salibus illis sulphuribus hisce impræegnatis affunditur spir. vini, eliciens sulphuream tincturam; sicuti aliàs ex sulphure cōmuni, in igne intensiori cum sale tartari colliquato; per spir. vini extrahitur Tinctura sulphuris communis; ita par ratio est in tincturis antimonialibus extrahendis; quæ cùm spir. vini fieri nequeunt, nisi priùs sulphur per alkalica fuerit extractū; è contra menstrua acida eliguntur, quando vel sulphur antimoniale fixius, vel Tinctura fixior eaque magis diaphoretica desideratur, indeque saltem ex vitro aut regulo antimonii separabile illud est, [ceu è quibus sulphur antimonii volatile jam extractū quòd postmodùm cum spir. vini in Tincturam exaltant.

9 *Super retortæ rostrum*] Sunt qui Tincturas antimoniales per retortam pellere nituntur, sed labor est frustraneus, quippe paucissimū est, quod prodit, ut taceamus, quòd si sulphur antimonii fixius obtinere velimus, illud ex destillatione separare nequeamus.

10. *Ex communi vitro floribusque*] Ambo hæc vix dimittunt ex se aliquid sulphuris, nisi acidis menstruis tractata, quippe sulphur antimonii illud parcius cum suo regulo colliquatum est, adeoq. spir. vini parùm vel nihil, nisi post diuturnam digestionem elicit; quibus placet loco spir. vini simplicis assumant spiritum vini cum sale armoniaco acuatum, quem tincturam antim. eliciendi modum vide in *KERCKRINGII Cōmentatiô in Currum Trimph. BASILII VALENTINI p.* 41.

1 *Solaria verò vitra*] Sunt qui ex vitro antimonii solari cum spiritu vini Tincturā elicere præsumūt, ast laterem hi lavant, interim processus duos vide in SCHROEDERO, quibus tamen nihil singulare inest, præsertim cum antimonium corporale nihil in menstruum deponat.

2 *Spiritus è corallin.*] Loco spir. vini quidam pro Tinct. antimonii conficienda assumunt spir. è saccharo saturni & coralliorum sale prolectum; interim quia & hic est spiritus vini simplex regeneratus, proinde illa quoque Tinct. antimonii nihil habet in recessu.

3 *Terebinthinæ spiritum*] Quidem Tincturam antimonii eliciunt cum oleo Terebinthinæ seu spir. ejus *Conf. VVILLISIVS de fermentatione pag.* 59. & 60. & *SCHRODERVS*, & verum est, elici hac ratione sulphur antimoniale, interim crudum, hincq; pro balsamo sulphuris antimoniali Chyrurgicis scopis inserviente proficuus erit hîc labor, præsertim cū balsamus ille taliter paratus nobiliorsit illo, qui ex sulphure communi cum spiritu terebinthinæ paratur.

4 *Quasi è cælo*] Innuit hic AUTHOR tincturam antimonii illam θεόπεμπτος dictam, quam ex QUERCETANO habet SCHRODERUS; idemque elicit. Tincturas ejusmodi splendidis titulis prædita. Interim omnes hæ tincturæ non differunt à vulgaribus antimonii tincturis, sed præter illas nil promittunt, & res est eadem.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

ferunt: Et qui demum pro speciosiori acquirenda, 5 Alcalium loco antimonium cum arcano duplicato fundunt, Hepar in fundo nihilo melius nanciscuntur, atque sic egregium sal illud tantum disperdunt: sane qui in insigni talium variatione, urinosum sive lixiviosum *aliquod conjunctum* expetit, cum volatile plerisque circumstantiis hic videatur convenientius, majora operæpretia merebitur, si (donec *verum* 7 *Lili* propaletur,) cum *spiritu salis tartari* extractionem, (ceu alii etiam cum *spiritu tartari subtiliori solent*,) instituet: siquidem vel originis causa urinosiori salis armoniaci spiritu, qui itidem super Sulphur Antimoniale digeri, vel etiam inde (aut à scoriis Regulinis Nitratis vel Hepate Antimonii non edulcato, levata simul purioris hinc sulphuris, sed exigua plane particula abstrahi potest, accommodatior videbitur. Sed hæc non hujus loci sunt.

Qui verò potius 8 *Acidum quidpiam*, majoris fixationis gratiæ *Tinctura sua* complicatum cupit, elegantiorem præsentioremque vix habebit, quam quæ cum *Aceto destillato* (sed forti, aut cum *Æruginis spiritu* [*simplici vel sulphurato*,] *è croco metallorum aut sulphure aurato* (*potius, quam è renitentiori vitro simplici vel mercuriali aut antimonio diversimodè fixato, vel inter vitriolum laboriosè cæmentato*, aut per repetitas extinctiones *in aceto soluto*,) primum, & hinc cum spiritu ardenti denuò extracta fuerit. In humorum impuriatibus, cachexiis, scabie, &c. (nam ad morbos tantum non omnes extensio hyperbolica est,) ad guttas quindecim vel viginti data, partes suas satis, at insensibiliter fere, (æquè ac prædictum sulphur selectius, aut in robustioribus tertiatæ vel subquadruplæ correctiorum emeticorum antimonialium doses interdum solent,) agit: & aliarum *cum* 9 *acidis spiritibus è regulo floribusque* laboriosa prius subactione conquisitarum, aut *è butyri antimonialis capite mortuo* cum acetosis (coincidente fere ratione) paratarum, vel cum *mellis, mannæ, guajacique spiritu*, aut (si unquam aliqua,) tædiosissimè per *acetum antimonii proprium* imperatarum promissa vel expectationes sufficienter explet; efficacior 10 *Liquore quasi composito*, qui nonnullis cum *spiritu salis ex antimonio Diaphoretico non edulcorato* (quia ex edulcato post cessantem effervescentiam parum retinet,) extrahitur; cicuratior & tractabilior ea, 1 quæ *ex antimonio crudo ejusve regulo*, sed renitentiori, adeoque facilius quidem *è croco metallorum aut sulphure aurato cum eodem spiritu salis*, [solutione butyro antimoniali conformi] primum, & hinc cum ardente quodam conficit, in vehiculis tamen spontè semet [instar mercurii vitæ] præcipitans, pauloque diffusiori dosi vomitoria nauseæve creatrix: quod ipsum etiam in *Consimili, quam aliqui* 2 *à butyri magmate, potioribus salinis particulis* [per repetitas spiritus vini rectificatissimi abstractiones] prius orbato, conficiunt, haud rarò contingit; necessitatemque hinc aliis imposuit, ut Megmati isto edulcato denuo *spiritum vitrioli s. aut Philosophicum* affunderent, & post [protractiorem, vixque sine butyrosis stillis procedentem] abstractionem, ardenti demum menstruo eam supervacaneis ambagibus elicerent: siquidem mercurius vitæ compendiosius hac ratione, quo vel liquida vel sicca forma *Panacea illa* [*è butyro antimonii dicta*, superiorum autem quadam nihilo præsentior] proveniret, tractari seu magis, [secundum aliorum formulas] figi potuisset. Ita quæ ulteriius 3 *cum tartaro* diversimodè (digerendo coquendoque) *è floribus aut vitro, imò è crudo quoque* (in vase ferreo, symbolum suum tum satis conferente,) item ex 4 *oleo saccharato aliisque tædiosioribus*, aut Antimonium minus (quam per ipsi appropriatum quasi acetum) castigantibus modis proveniunt nullatenus similiter supradictæ mitissimæ tincturæ comparari queunt: ut 5 *multas manifesto hic emeticas aut menstruum orius*, (*solitarium & per accidens tinctum potissimumve effectus deprehensi autorem*) *sistentes*, prætereamus. Qui diffusiori apparatu delectatur, aut 6 *sali antimonii* (alias parcissimo, vel pariter per spirituum associationem composito & quasi vitriolato,) æquipollens aliquod securius desiderat, *eam*, (utpote sub paulo concentratiori consistentia in flocciformes massulas alias concrescentem,) *facile in extracti consistentiam coagulabit*, & pro lubitu ut *olim cornu cervi usto*, ita convenientioribus adhuc *pulveribus & spissioribus extractis, etiam opiatis*, aut difficulter, [æquè ac in liquida consisten-

NOTÆ.

5 *Alkalium loco.*) Sunt qui loco nitri antimonium fundunt cum ana arcani duplicati MYNSICHTI in corpus itidem nitrosum; interim quando ambo illa concreta funduntur, tunc nitrum à sulphure antimonii incensum abit in alkali fixum, sicque itidem crocum metallorum acquirimus.

6 *Vrinosum aliquod conjunctum.*) Vera est hic AVTHORIS epicrysis, dicentis, si velimus tincturam antimonii nobiliorem parare, fiat illud per menstruum urinosum: Sic ℞. Spiritus ex sale volatili tartari sive sal tartari volatilisati, cujus plures modos proponit *differt. de volatilis:* sal. tartar. sic enim egregiam tincturam antimonii accipimus; ubi & quidam loco spiritus salis tartari volatilis ℞. spirit. tartari communis, hincque ex scoriis reguli tincturam parant. *Vide AUTHOR loco cit.*

7 *Lili.*) Tinctura lili PARACELSO est tinctura antimonii beneficio liquoris alkahest parata, loco cujus AUTHOR N. sumit sal tartari volatilisatum, ac labor hîc ferè idem est, qui aliàs procedit, dum cum spiritu urinæ ex antim. crudo evocatur sulphur, postmodum cum spir. vini extrahendum: scil. irroratur spirit. urinæ antimonium, sic hoc adjuncto aëre efflorescit in copiosum sulphur, quòd item cum spirit. vini extrahi, & in convenientem antimonii tincturam exaltari potest.

8 *Acidum quodpiam.*) Pergit Author ad tincturas antimonii paratas per acida, ubi quippe vel sulphur auratum vel crocum metallorum infundit in aceto vel spirit. viridis æris, quæ eliciunt sulphur antimonii, deinde abstracto menstruo sulphur illud cum spir. vini in tincturam exaltatur, pro selectu ab Authore commendatam.

9 *Cum acidis spiritibus.*) Acida menstrua varia adhibent Authores, nunc nempe ex regulo floribusque vomitoriam tincturam, nunc eandem ex cap. mort. butyr. antimonialis affusione aceti parantes; verum hæc tinctura nihil in recessu habet; sic dum loco aceti spir. mellis, mannæ vel guajaci usurpant, nihil peculiare acquirunt, quod non similiter per acetum adhibitum potuisset obtineri.

10 *Liquore quasi composito cum spirit. salis exaltato.*) Extractum sulphur & ex hoc cum spir. vini prolicita tinctura nihil in recessu habent.

1 *Est ex antimonio crudo.*) Quidam antimonio crudo, vel regulo antimonii, vel croco metallorum, vel sulphuri aurato instillant spirit. salis, misturam hanc inde destillando, sic acquirunt butyrum antimonii, cui addendo spir. vini elicere volunt tincturam: Sed est labor inanis, cùm lactescant mista aliis & mercurius vitæ præcipitetur.

2 *Alii è butyro.*) Hoc est è butyri cap. mort. per alcalia elicere volunt tincturam; contra alii spir. vini eidem cap. mort. affundunt, sæpiùs hunc abstrahunt & per acida elicere volunt tincturam, verùm & labor hîc est rejectibilis.

3 *Cum tartar.*) tincturam taliter paratam describit SCHRODERUS.

4 *Ex oleo saccharato.*) De hoc item videatur SCHRODERUS; nempe antimonium & saccharum destillata dant liquorem acidum corrosivum, cum sacchari spir. acidus rodat regulum antim.

5 *Multas manifesto.*) Scil. plures inveniuntur tincturæ antimonii, ast plurimæ eorum sunt emeticæ, non verò diaphoreticæ.

6 *Sal antimonii.*) Sunt qui in sale antimonii parando sunt negotiosi; verùm non datur mica salis in antimonio. Imò si quid ejus acquiratur, erit illud ex additis spiritibus acidis. Cæterùm loco talis salis jubet AVTHOR tincturam suam antim. cum acido paratam inspissare.

TEXT. LUDOVIC.

tia nos per ejusdem generis additamenta solemus,) associabit. Qui demum 7 Aceti destillati robore vel æruginis spiritu quandoque destituitur, laborumve compendia quærit, non tam *vitro* (renitentiori & vehementiori,) *quam sulphuri aurato consimilive antimoniali, acetum saltem simplex* (vini vel mellis, tantum fortissimum) in duodecupla majorique proportione affundat, digerat & evaporatam massam spiritu vini extrahat, &c. sub guttarum duodecim vel quindecim (non vero excessiva) dosi remedium superiori quidem aliquanto inferius, nec tamen rejiculum (citra nauseæ concitationes) habebit; extus quoque proficuum. Atque hæc de 8 potioribus antimonialibus. *Cinnabarim* mercurio (cujus potissimum ligatura ac dispositione agere, videtur) reservabimus. 9 *Regulus* verò, uti facile & felicius quidem *per detonationem* [*cum brevi subitaque liquatione,*) *aut è mercurio vitæ fuso, quam per solam fusionem cum alcalibus tartareis nitratisque* paratur; uti quoque 10 *Martialis,* (ob qualemcunque participationem sic dictus, & nonnullis etiam pro *vitriolo quodam,* (quod è simplici regulo cum vitrioli sulphurisve spiritu non provenit,) destinatus, similiter haud difficulter confit, præsertim cum nitri tartarique accessu; citra repetitas deprædatorias *fusiones, aut* 1 *stelliformium* (è superstantibus sulphureis scoriis] *liturarum affectationes*, ita pro nostris nunc intensionibus ac laboribus, (sive Emeticam sive Diaphoreticam antimonii destinationem spectamus, ut reliquæ magis sulphureæ partis parilem præstantiam expendimus) neutrum in specie ac seorsim adeo necessarium invenimus: ceu quoque singulariora, (præ antimonio crudo, mercurio vitæ, croco metallorum aliisque substitutis, aut marte aliter magisque saturatis,) remedia per totam usitatiorum notiorumque classem profecto non præstat.

Sic nec in *Minera* separatim conquirenda negotiosiores hic erimus. Est quidem aliquid (cujus potissimum causa expetitur,) 2 *Acetosus ejus liquor*; nec complures mineras quidpiam haud adeo sæpe rejiculum, in liquationibus suis perdere diffitemur: *Istud* saltem uti medicis usibus hactenus minus cognitum est, ita per detonationes aut destillationes nostras pariter nihilominus magnam partem dissipabitur, aut alias immutabitur; *Aceto vero proprio* intus quidem vel Clissus antimonialis; ros vitrioli, &c. extra autem parabiliora adhuc menstrua æquipollent: ut parcissimam hanc sine additamentis (quo 3 *Liquatio antimonii crudi cum alcali tartareo* in retortula pertinet,) aquam, è pumice quasi petere, vel 4 *crudum, aut* (minus speciosius) *ipsum crocum metallorum cum crusta panis,* (liquorem spiritui vegetabilium acidulo parem conferentis) torrere pro *aqua illa insida antiepileptica*, hic non sit opus.

Quod reliqua *ex antimonio destillata*, (quo in iis conjunctim concludamus,) concernit; contractioris praxis necessitatibus abundè profecto satisfacit 5 *vulgare butyrum* illud; *Extus* tot (tædiosiorum minusque polycrestorum) 6 *Oleorum saccharatorum aut mellitorum* (acidis spiritibus,, ne fere simplex tantum sacchari vel mellis spiritus exeat, necessariò inter destillandum exasperatorum) locò æquè commodum, & nonnunquam præsentius; (utut similiter ejus compages inter illinendum à humente 7 car-

NOTÆ.

8 *De potioribus.*) Eligit adeoque AVTHOR primò sulphur antimoniale ex tinctura præcipitatum. Secundò tinctura cum urinosis. Tertiò tinctura cum acidis paratam.

9 *Regulus verò.*) AVTHOR hic obiter docet modum parandi regulum, qui est mercurialis & metallica antimonii substantia, à superfluo ejusdem sulphure sequestrata; scil. salis tartari, nitrum & antimonium simul mista pro una vice detonantur, hac ratione tartarus & nitrum in alkalisata mutantur extrahentia sulphur, adeoque regul. dimittit; compendiosiùs autem paratur, si mercurius vitæ funditur in crucibulo. Tandem malè componitur regulus ille, quando mistura successivè crucibulo ingeritur, cùm hac ratione multùm de tartaro & nitro deperdatur potiùs omnia simul detonentur.

10 *Regulus martialis.*) Ità fit: nempe marti candefacto additur antimonium, sic hujus sulphur rodit ferrum, regulusque separatur, huic regulo nonnulli spir. vitrioli affundunt, & ita vitriol. martiale postmodum acquirunt.

1 *Stelliformium.*) Nonnulli regul. stellatum accipiunt, id quod præterpropter fit antimonio puriori; interim stella illa non absolutè necessaria est, cum æquè sine stella regulus adhiberi queat.

2 *Acetosus ejus liquor.*) Ex minera antimonii destillat. prodit paucus spirit. acidus (minùs commodus existens, non secus ac ex antimonio crudo (ex hoc tamen parcior adhuc) qui est forsitan à sulphure antimonii superfluo incenso, non secus ac sulphur omnia incensa produnt acidum spiritum; cæterùm loco hujus ex antimon. destillati spirit. aciduli clyssus antimon. vel & ros, h. e. phlegma vitrioli acidulum in usum vocetur, sic enim hæc idem atque illud antimonii acet. parcissimum præstabunt.

3 *Liquatio antim. crudi.*) Nonnulli antim. crudo addunt sal tartari, ut hoc superfluum ejus sulph. absorbeat & acidum prodeat, sed aquam ex pumice queunt.

4 *Crudum autem ipsum crocum*) Sunt qui antimon. crudum aut quoque crocum metall. cum crusta panis miscent & destillant, sic spiritum acidulum, fœtidum acquirunt, aqu. antiepilepticæ nomine; sed infidum h. e. remedium, nam panis per se destillatus dat spirit acido volatilem, qui croco metallorum affusus exhibet tincturam rubicundissimam; interim & hoc imposturam sapit, præsertim cùm idem spirit. panis aræn. affusus hanc colore rubro tingere soleat.

5 *Vulgare butyrum antimon.*) Hujus essentiam enucleantes dicimus, illud esse nihil aliud quàm solutionem reguli antimon. cum suo sulphure, factam per spirit. salis concentrationem mediante destillatione, hac ratione enim crassus liquor prolicitur, liquor gummosus antimon. vocatus, vel butyrum antimon. & spuma secundum draconum; jam verò ingredientia pro butyro antimon. conficiendo sunt ana mercurii sublimat. & antimon. vel hujus regulus & mercurio sublimat. est concretum salsum tertium ex mercurio vivo & spirit. salis in eodem concentrato constans, qui coeundo cum mercurio vivo formam albam crystallinam repræsentat, puta mercurium sublimatum: Equidem vulgò paratur mercurium sublimatum ex nitro vitriolo, sale communi & mercurio vivo, at revera nihil de illis salibus præterquam de sale communi assurgit, hincque de hoc saltem participabit mercurius sublimatus; unde quando mercurius sublimatus destillat. com. antimon. tunc sub tortura ignis spirit. salis rodit antimon. & sulph. ejusdem, & ita invicem in concret. crassum, butyr. antim. vocatum abeunt.

6 *Oleum saccharatorum aut mellitorum.*) Antimon. loco mercurii sublim. solet & cum melle saccharoque destillari, qua ratione & spir. acidus sacchari, & mellis sub destillatione rodit reg. mercurii, & invicem in dilutum liquorem destillantur, *Conf. SCHRODERVS.* Interim omnia hujusmodi destillata sunt pariter acido corrosiva, ejusdem ferè naturæ cùm butyro antimonii, nisi quòd hic acidior & magis concretum sit.

7 *Absumendâ carne.*) Quando butyro antimonii vel oleo ejus instillatur liquor quidam aqueus, tunc pulvis albus mercurii vitæ nomine veniens fundum petit: Par ratio est, si eorumdem guttula j. vel altera cuti illita liquescit, nam & sic cadit mercurius vitæ, cuti adhærens. Cæteroquin externè butyri antimonii usus in duobus casibus locum habet, (1.) nempe in curandis anthracibus pestilentialibus & carbunculis, hinc & in arcendo sphacelo, 2. in excitandis fonticulis;

fonticulis; ac quidem pro cura sphaceli in confiniis sanæ partis & mortuæ circumducitur eo butyro antimonii circulus, sic enim separatur sponte & optimè sine ferro & igne sanum à mortuo; par ratio subest in anthracibus, speciebus itidem sphaceli; nempe pennâ butyro antimonii tincta illinitur circulus, sic illi toti excidunt; deinde pro excitandis fonticulis conducit butyrum antimonii, hac ratione: Nempe in calamo cavo tantillum butyri antimonii apponitur parti, in qua excitandæ fontanellæ, sic enim hoc coercetur, ne ultra locum destinatum operari queat & excitatur feliciter fontanella.

TEXT. LUDOVIC.

ne dissolvatur, antimoniique particulæ inde sic præcipitemur:) 8 *Internos vero in usus* planè polycrestum est; non quidem ut *immediatè* cum nonnullis adhibeantur, (quamvis in vehiculis dilatantibus, adeoque subsecuta præcipitatione nil nisi mercurii vitæ tantillum, cum spiritus vitrioli Philosophici particula inferentibus, in se sit innoxium;) aut pro supradictis tincturis, *spiritus vini repetitis abstractionibus semiedulcetur*: sed quia 9 tot quasi parerga, intus utilissima, (Cinnabarim scilicet, spiritum philosophicum, mercurium (præter vivum purissimum,) vitæ, (cum in vomitiones ea copia non absumatur, in Bezoarticum minerale, vitrum regulumve commodè redigendum,) una levique opera, fœnore vero permagno fundit: adeoque (postquam vera argenti vivi participatio satis hactenus refutata est,) longè consultius *cum mercurio sublimato*, 10 *quam renitentioribus mixturis salinis, fortificatove salis spiritu vel aquis causticis destillatur*; tantum è crudo antimonio: (mixturæ in retortula unum saltem alterumve cochlear simplicis aquæ, 1 loco cellariæ reposituræ superfundendo.] Quo etiam 2 *Butyriformibus croci metallorumvel sulphuris aurati solutionibus*, cum spiritu salis (lentè desuper concentrato (institutis merito præponitur: 3 *Rectificationis* de cætero haud adeo indigum, cùm à subsidentibus nonnunquam *Argenti vivi granulis, aut dejecta cinnabaris aliisque*, (propter vehiculi ferentis defectum) *subsidentibus innoxiisque particulis* seu decantatione, seu filtratura [per emporeticæ frustulum] facile separari queat. Ut autem modo dictus liquor, (quem incidenter hic tactum) vulgò 4 *spiritum vitrioli Philosophicum* vocamus, sat validus (citra consuetas & subtiliorem acorem revera subtrahentes *Evaporationes*) habeatur, sufficit pro perfecta totalique præcipitatione, aquæ simplicis frigidæ octuplum, aut (si butyrum crassiusculum fuerit,) decuplum. Quod verò de vitriolica volatilitate perparum, de antimonii acetositate adhuc minus, de nitrosa (si ad sublimatum recepta fuerit, substantia quasi nil participet, adeoque ni penitus, eminenter saltem sit Salinus, solutionem cum eo factarum sapor ac notoria per spiritum vitrioli præcipitatio, acetosi porrò ex Antimonio liquoris parcitas, vitriolicarum particularum deses gravitas, Nitrosarum in prima sublimati confectione consueta subductio, &c. sufficienter procul dubio ostendunt.

5 *Spiritus tartari antimoniatus* è solutione florum cum tartaro,) pro potissima sui parte saltem tartareus, adeoque cum *Eo pariter, qui è salino antimonii coagulo*, [diversis menstruis collecto] destillatur, nec rarò purum putum solummodo menstruum postliminio reddit, laboriosiorum ac curiosiorum est. *De Clysso* convenientius titulo de nitro dicemus. De cætero si quispiam non solum antimonialibus hactenus pro Diaphorisi (inter temperatiora (propositis, verum etiam supra.

NOTÆ.

8 *Interno verò usu.*) Sunt qui immediatè butyri antimonii gutt. ij. in aqueo vehiculo propinant, ita mercurius vitæ præcipitatus in stomacho nunc vomitus, nunc secessus movet, ad instar mercurii vitæ per se assumpti; non secus ac quidam idem butyrum contra quartanam pro scopo laxativo adhibent, verùm idem esset, si mercurius vitæ per se assumeretur, quippe parum spirit. Philosophici in una alteraque gutta butyri antimonii reperitur.

9 *Tot quasi parerga.*) Sub destillatione mercurii sublimati & antimonii dum acidum sublimati rodit regulum antimonii, mercurius ab acido liberatus fit sui juris, hincque prodit is partim cum butyro antimonii in receptaculum, partim cum sulphur. antimonii separato coëundo cinnab. constituit, in retortæ collo adhærentem, atque sit una vice & antimonium & butyrum & mercurius ex sublimato revificatus acquiratur; cæterùm butyro isti antimonii infusa aqua lactescit massa, caditque regulus corrosus sub nomine mercurii vitæ, liquor autem supernatans, qui intensè acidus est, post rectificationem dat spiritum Philosophicum seu spirit. salis rectificatum ex mercurio sublimato denuò sequestratum; tandem eligit AUTHOR butyrum hoc antimonio vulgari modo præparatum, nam & aliis modis id elici potest, interim sine cinnab. si antimonio non additur mercurius.

10 *Quam renitentioribus.*) Sunt qui antimonium crudum miscent cum spiritu salis & aliis salibus, quâ tamen ratione pariter acquirunt butyrum antimonii, adeoque omnes ejusmodi sunt pomposi processus, quales habet SCHRODERUS, verbi gratia, sub nomine magisterii antimonii, quòd ipsum si examinemus, est butyr. antimonii & mercurius vitæ; sic *IDEM pag. seq. num. XII.* describit oleum antimonii crystallinum ex floribus paratum; quod tamen itidem est butyrum antimonii; similiter *num. XIV.* habet oleum compositum antimonii ad vulnera, quod pariter est butyrum antimoni; non secus cum spirit. salis imbibitum, itemque balsamus ille vulnerarius BASILII est ipsum antimonii butyrum.

1 *Loco cellarum repositura*) Sunt qui misturam butyri antimonii destillandam reponunt in cellam, ut sic mercurius sublimatus imbibat aqueam cellæ humiditatem, solutáque in eo salia potentiùs agant in regulū antimonii; interim sufficit, & si mistura illa irrotur aqua simplici, nam & sic idem effectus obtinetur.

2 *Butyriformibus.*) Par ratio est, sive ex croco metallorum, sive ex sulphur aurato antimonii, seu ejusdem floribus, seu regulô, spiritus salis interventu, destilletur butyrum antimonii.

3 *Rectificationis.*) Rectificatione butyrum antimonii vulgare non indigere AUTHOR putat, interim regerimus nos, non inconsultam esse ejus rectificationem, cùm sic purius item tenuius liquidiusvè fiat, & salia magis sub rectificatione dissolvantur, imò tenerior mercurius vitæ & exactius bezoardicum minerale acquiretur; unde quo sæpius ejusdem instituitur rectificatio, eò melius est.

4 *Spiritus vitrioli Philosophicus.*) Hunc veteres dixerunt ita, ex eo quòd is se ex vitriolo in mercurio sublimato repræsentaret; ast falsum hoc esse demonstrat TACHENIUS, & ascendere solùm spiritum salis; potius E. est spiritus salis, ex mercurio sublimato in butyro antimonii revivificatus, quòd probant solutiones, & præcipitationes cum hoc spiritu Phylosophico factæ, ejusdem naturæ existentes, quàm quæ aliàs cum spiritu salis communis factæ; ut taceamus acidum antimonii parùm illi spiritui subesse, nihilque de acido vitrioli, ceu nimis ponderoso, ascendere posse, uti nec de nitro aliquid sperandum, quippe cujus acidum in sublimatione mercurii confectione per orificia vasorum aperta avolat.

5 *Spiritus tartari antimonialis.*) Hic fit, quando flores antimonii & tartarus in anaticâ portione miscentur, ebulliendo hinc misturam in aqua simplici & crystallos inde factos per retortam destillando; verùm hac ratione simplex tartari spiritus prodit, floribus in retorta sub reguli forma subsidentibus, unde falsum est, acquiri hoc modo spiritum tartari antimoniatum.

TEXT. LUDOVIC.

laudatis fossilibus aliis & animalibus, (vegetabilibus quinetiam competentibus,) *Cinnabarim seu antimonialem*, *seu* (potiorem nobis plerumque visam) *Nativam selectiorem* addiderit. 6 *Mercuriale quoque quidpiam*, tutum, efficax atque parabile in istorum consortio habebit; ceu alias non quidem directè & per se diaphoreticum, sed bonum saltem ac polycrestum hic exaltatorium, multorumque concurrentium symptomatum præsens est deleterium: ut æquè feliciter, imo securius revera curabilia, (inter competentium accessum: percurari tantisper queant, citra 7 vulgatiorum mercurialium, [plerunque saltem transcriptorum] remissas aut infidas experimentationes, vel secretiorum onerosiores perquisitiones.

Nam ut inter ista quidem oppido nonnulla inveniantur, quæ 7 *post diuturniorem assationem*, *aut spirituum acidorum vel acetosorum cohobia* quidpiam hic præstent, id tamen usitatiorum aliorum diaphoreticorum effectu haud adeo est superius, inque nonnullis processibus suspicioni ferè [vel de futuro, complicatum. Quot vero sunt insuper, quæ omnibus licet peractis, (ut faciles circa ea lapsus taceamus,) dum Diaphorisi destinantur, nauseas, angustationes aut saltem salivationes movent, vel pro exi-

NOTÆ.

6 *Mercuriale.*) Ex omnibus mercurialibus pro scopo diaphoretico sufficere, ait AUTHOR, cinnab. compositum illud nobile ex sulph. & mercurio vivo, sive jam illud sit commune in cinnabari nativa & artificiali (quarum tamen hanc pictoribus relinquimus,) sive sulphur antim. in cinnab. antimoniali. Cæterùm dum loquitur AUTROH N. de mercurialibus, adhuc de mercurio nonnulla præmonenda, & quidem ejusdem natura fuit in occulto posita, utut rectissimè dicant, qui putant, eum esse liquorem metallicum; cùm enim ex metallicis subjectis per se in forma liquida nonnihil deprehendatur, hinc mercurius vivus ad eorum solutiones, & inde nata decomposita metallica pertinet; constat quippe mercurius vulgi ex vapore isto humido, qui ceu altera pars cum sulphure metalla componit, quique sibi relictus humidiusculus & unctuosus in mineris constituit illum vaporem montanum venenosum, vocatum *der Schmaden*; jam verò dum vapor idem in mineris metallicis crudum aliquid dissolvit, cùm hoc coeundo facit, ut in liquidum hujusmodi, quale est mercurius vivus, fluidum & ratione metalli contenti ponderosum abeat, indeque amalgama quoddam liquidum emergat; (de quo *conf. Phys. Subterr.* BECCHERI mercurii natales egregiè scrutantis.) Porrò amalgama hoc liquidum seu mercurius vivus est corpus volatile, & vix ulla arte coercibile, naturæ in recessu alkalinæ, ratione cujus cum acido sulphureo metallorum coit in miscelam horum perfectam, non secùs atque aliàs mercurius vivus cum sulphure ceu acido in concretum novum, puta cinnab. transit, & sulphurea omnia alkalibus combinata rubescunt, ita & sulphur cum mercurio conjunctum constituit cinnabarim; imò quemadmodum ab isto vapore mercuriali metalla materialiter componuntur, ita ab eodem superabundante illa quoque dissolvuntur; hoc est, possunt comminui ulterius, quemadmodum etiam mercurius vivus cum sulphureis subjectis ratione horum coit in cinnabarim, ita & idem cum aliis acidis mineralibus diversimodè congreditur, à quibus alkalina mercurii natura saturatur; quare ideo ipse apparenter figitur, sicut in sublimato & præcipitato hoc patet, & mercurius sublimatus est opus ex spiritu salis acido & mercurio vivo concretum, salinosum tertium, ortum ex acido salis communis & alchali mercurii, demonstrante hoc TACHENIO *in Hypp. Chym.* Jam ergo cùm mercurius vivus sit alchalinæ naturæ, hinc est quòd in operibus artis acida eum saltem aggrediantur, non autem alchalia, & dum cùm illis acidis in sublimata & præcipitata coit, ab alchalibus denuò revivificatur, destructo his ipsis acido mercurio combinato; solus autem liquor alchaest ADEPTIS dicitur figere mercurium, taliterque fixatus ipsis sol horyzontale vocari solet; è contra autem metalla composita ex proprio sulphure & mercurio vivo, si in iis dissolvatur sulphur cum salibus resuscitativis, qualia sunt alchalia urinæ, tartari, salis armoniaci, denuò prodit mercurius vivus, corporum mercurius tunc vocatus. Etenim differentia Chymicis solennis est inter mercurium vulgi & mercurium ex metallis resuscitati, quorum hîc in se purus & defæcatissimus est; è contra vulgi mercurius est corpus impurum, quippe huic in mineris sulphur quoddam volatile superficialiter se associat, & ab hoc sulphure peregrino in se acidissimo (HELMONTIO labes originalis mercurii dicto) promanant nocumenta illa, quæ non rarò à mercurii vivi usu solent observari, vomitus puta, secessus, salivationes, idque eò magis, quò magis per adjumenta Chymica sulphur illud adhærens in mercurio vulgi extractum fuit, verbi gratia, per spirit. vitrioli sulphureum, extravertentem sulphur illud peregrinum, hincque in mercurio præcipitato vulgari mala allegata inducentem; Mercurius autem metallorum resuscitatus insons est, hincque nec salivatorius esse dicitur. *Conf.* TACHENIUS.

7 *Citra vulgariorum Mercurialium*) scilicet præparata ex mercurio vulgi sunt nihil aliud, quàm magisteria ejusdem, ex quibus tamen omnibus is resuscitabilis est, sic verbi gratia sublimata, olea, essentiæ & præcipitata sunt larvatus mercurius in additis vivus, cùm sub igne socius ille fugitivus avolet, relictis additis; jam verò larvæ illæ inducuntur saltem ab acidis, iisque nunc propriis, quale est illud sulphur extrinsecus eidem adhærens, à quo, & per simplicem digestionem extraverso, per se mercurius figitur in præcipitatum rubrum; nunc alienis, iisque iterum vel macribus, qualia sunt spiritus acidi, salis, vitrioli, nitri, quæ omnia mercur. ceu corpus alchalinum non saturatum minùs tutum, sed semper ferè nocivum relinquunt; vel acidis pinguibus, qualia sunt sulphura, tàm vulgare, quàm antimonii; redacta in formam cinnabaris, adeoque hæc cinnabaris est vel antim. vel nativa, nata ex coitu sulphuris seu martis, & mercurii seu fœminæ, quæ invicem generant fœtum rubellum hunc seu cinnabarim, adeoque hoc erit concretum temperatum, tertium salinosum, oleosum seu sulphureum, hinc resolutivum, anodynum, mediocriter diaphoreticum, & cujusvis acris præternaturalis in corpore temperativum, sicque frequenter proficua eadem erit singulariter in epilepsia & aliis convulsivis morbis. Cæterùm cùm allegati cinnabaris effectus omnes dependeant ex textura ejus concreti, propterea eadem sub hâc formâ relinquenda est integra, prout nempe vel naturâ cinnabarim nativam, vel ars antimonialem suppeditavit in usum Medicum trahenda.

7 *Post diuturniorem.*) Examinat hic AUTHOR successivè producta mercurialia, & rejicit ea dicendo, quòd quicquid & virtutis diaphoreticæ talia promittant, hæc tamen præstantiora non esse, quàm alia mineralia aut animalia diaphoretica, adeoque non opus est remedio minus tuto uti; & posito, apparenter fixatum mercurium in hoc scopo desiderio satisfecisse, tamen in alio nauseas, aut saltem salivationes excitare posset.

TEXT. LUDOVIC.

guolevamine noxam non unam tacite imprimunt ? Et qui nobiscum interdum 8 *Aquilas illas, Astra, spiritus albos, atque rubros Olea dulcia & fragrantia, Salina denique coagula &c.* experientiæ subjecerit, plerunque præ Præcipitato quodam (modo dicta ratione fixato,) nihil singularius inibi inveniet; aut plane loco Mercurialis remedii, tantum *Vini spiritum spiritui Vitrioli philosophico sociatum, aut Boli vel Arenæ, Saccahri, Aceti, Armoniaci,* (unde etiam consuetus ejus odor,) *vel Salis communis* (*concentratiorem interdum fumosioremque hinc*) *spiritum, solitarios aut diversimode mixtos, vel Martialibus potius aut Armoniacalibus particulis imbutos.* 9 *Miraculosus e Smiride* (diutius igniendus) curiosiorem, 10 *Aqua* (quam supra de Menstruis attigimus,) & quidam *etiam ex Amalgamate Ioviali in peculiari instrumento candefacto, vel cum arena* (symbolum suum probe contribuente,) parant, haud adeo hujus loci est. Et *pura puta Antimonialia, quia Mercurium vitæ simplicem aut Vitrificatum vel Regulinum recipiunt,* 1 *pro Mercurialibus nihilominus exposita*, data opera, (sed salva tamen circa recensita nunc vere Mercurialia confidentiorum experientiis) præterimus.

Quod autem *Secretiora vel singulariora saltem* attinet, sane 2 *qui lenta continuaque, sed perfecta fixatione,* (*etiam sine Sole vel Antimoniatis*) *paratur*, sub considerata nec abusiva exhibitione hic equidem per quam est proficuus, *Præcipitatoque quorundam Diaphoretico* (*per repetitas aquarum causticarum obstructiones & ignitiones,*] præsentior; ceu jam ante in Universalium recentione notavimus. Verum ni laborum quandoque prodigos nobiscum in experimentationem alliciat, vel sola saltem tædiosissima illa fixatione, à contractiori Practici (alias sat agentis) apparatu excluditur: Ita tentavimus etiam cum 3 Alcahestino substituto, *spiritu salis Tartari saturatissimo, circa Præcipitatum fixiorem*, ut & circa *sublimatum dulcem* (*diutius prius digestum* (hunc quoque in finem quidpiam; sed circa nova Mercurialia haud undiquaque securi, cicuriationisque insufficientiam veriti, absolutas observationes in iis non attigimus. Utinam vero 4 *veri Diaphoretici clavem atque modum* paulo planius manifestasset, quisquis ob tantas commendationes tot inquisitionum, sumptuum ac laborum, nequicquam à plerisque insumptorum Autor est. Nec enim loca Parallela (*quod scilicet entelechia sua scopum acquirat per ruborem Sulphuris ascendentis, cui Sulphur Mercurii indissolubiliter nectatur: Quod Ignis Veneris dulcis sit, Diaphoreticumque illud aque dulce; dulcoremque hunc suum partim ex isto igne, partim à proprio suo extraverso Sulphure habeat: Quod equidem Ignis Veneris non sit Vitrioli spiritus, utut rectificatus; sed sulphur Cupri volatile, forma olei viridis, melle dulcius, in Cuprum irreductile planeque separatum à Mercurio suo, qui tamen in album anodynum Mettallum redeat: Quod porro alibi, ni alio forte respectu dicatur* 5 *Suphur Veneris sperari saltem è fece seu capite mortuo Vitrioli Veneris, quod Venerem actualem in se habet; idque per Ens peregrinum, fermentale, natura tamen amicum bis terve sublimando;*) & si quæ alia huc trahi possunt, rem (etiam mediocriter versatis & Venerem noscentibus) satis dilucidant, si vel maxime conquirendi illius Diaphoretici *processus* (*circa indeterminatum Sulphuris Venerei & Aquæ Regiæ pondus, &c.*) sufficienter foret declaratus. Quod 6 *sublimatione cum Armoniaco ejusve floribus, aque* 7 *ac solutione cum Duplicato istius spiritu* hoc fine frustra fuerimus, supra annotavimus; illic sulphureas quidem, at metalli non expertes particulas [ceu è Minera quoque Cupri cum diversis spiritibus acidis habentur,) nacti hic vero 8 tam dulce Vitriolum, quam Sal Martis purgans aut Flos Martis niger unquam est. Nec cum *Æruginis spiritu* [utut *Mercurium pro coloratione vel qualicunque fixatione, à crudioris quoque Veneris Tutiæque tantillo* admodum alterari sciamus,) 9 operæ pretia præ Aceto destillato fecimus, &c. Quid alii in *fugaci continuatissimaque destillationis spiritu Vitriolico*, quem contra potissimi Autoris verba alicubi hoc titulo proposuerunt, invenerint, ipsi scient, videturque *Aurum hoc Horizontale* nimium quantum adhuc sub Horionte latere.

NOTÆ.

8 *Aquilas illas*) Suggillat hic AUTHOR SCHOEDERUM & ZUUOLFER. in *Mantissa Spagyrica*, quorum ille aquilas, astra, spiritus, olea habet, qui tamen omnes processus examinati relinquunt aut commune præcipitatum, aut si aliquid per retortam prodeat, est illud spir. acidus, additus aliis acceptus ferendus, nihil verò de mercurio participans.

9 *Miraculosus è smiride*) Tangit hic SCHROEDERUM, qui mercurium calcinat diutiùs cum smiride, & habetur (præsertim cum smiris sit subjectum martiale) aliquo modo fixus, interim tamen hoc ipso non perfectè coagulatur.

10 *Aqua*) Hunc aqu. destillandi modum unà cum instrumento exhibet *ZUUOLFER. in Mantiss. p. 389.* Interim litigant inter se Authores, an liquor prodiens vasi, an aëri, an verò denique mercurio in acceptis ferendus sit.

1 *Pro Mercurialibus nihilominus*) Veteres scil. ut & BILLICHIUS *in observationibus Chym.* putat mercurium vitæ esse prolem mercuri sublimati, ast malè, cùm potiùs prodeat ex regulo antimonii.

2 *Qui lentâ continuaque*) Sil. indicat hîc AUTHOR mercurium per se præcipitatum, cujus modum docet *ZUUOLFER. Mantiss. Spagyr. pag. 353.* quô locô habet instrumentum, in quo mercurius figendus est; cæterùm in illo processu hæc adhuc encheirisis notanda venit, ut nempè Ignis suppressionis suprà illud instrumentum adhibeatur, sic enim mercurius nunc per se, nunc addito antimonio, vel etiam Sole figitur, habeturque remedium non inelegans diaphoreticum, præsertim si cum Sale illud factum sit; interim tamen præter tædiosam hanc fixationem, semper adhuc periculum subest, ne salivationes hic quoque Mercurius fixatus excitet, unde cùm alia præstantiora prostent, optimè eô carere poterimus.

3 *Alkahestino*) Innuit hic AUTHOR Mercurium diaphoreticum *PARACELSI* atque *HELMONTII*, tanquam horum universale; ac sanè non figitur perfectè Mercurius, à liquore alkahestino, h. e. sal. circulato majori *PARACELSI*; interim cùm hoc careamus, suadet AUTHOR tentemus aliquid cum ejusdem substituto puta, spir. salis Tartari, quod itidem facit ipse.

4 *Veri diaphoretici*) Nempe Mercurius vivus à liquore alkahest solutus dat pulverem dia celtatessom vocatum, mercurium scilicet diaphoreticum & aurum horyzontale, quod operatur quodcunque aut Medicus aut Chyrurgus desiderare ab eo valet, juxta HELMONTIUM.

5 *Sulphuris veneris*) Insinuat AUTHOR hic illum HELMONTII locum *Tr. Lap. Butleri*, ubi in fine lapidi Butler Drieff. suum substituit, parandum ex cap. mort. vitrioli veneris, beneficio sal. volat. urinæ à fœtore librati, conferatur STARCKEY. Cæterùm differt hoc Drieff à mercurio diaphoretico, & oleo vitriolo veneris.

6 *Sublimatione cum sale armoniaco*) Hoc ipso innuit *BOYLEUM*, qui in sua Philosophia experimentali proponit modum, quô beneficio sublimationis cum sale armoniaco ex cap. mort. vitrioli veneris succedaneum primi entis veneris parari queat, fateturque se ipsum hoc remedio magna, speciatim in quartana, præstitisse. Cæterùm paravimus idem remedium aliquando & successit, interim ejus non adeò insignes potuimus sperare effectus.

7 *Solutione cum duplicato*) Intelligit hic POLEMANNUM, impostorem illum, qui *in Tr. de Sulphure Philos.* docet parare spir. quendam duplicatum, hocque mediante solvere venerem, & ex hac solutione cum sal. tartari volatili spir. elicere; interim verremur ne processus hic in Praxi offendatur mancus.

8 *Tam dulce vitriolum*) Scil. sal martis purgans est mixtura acido styptica satis ingrata, indeque per ironiam AUTHOR dulcem nominat.

9 *Operæ precium*) Quidam ex mercurio parare volunt

volunt aurum horyzontale, loco olei veneris assumendo spir. vitrioli penetrantissimum, volatilem & rectificatum, conferatur HELMONTIUS, *Tr. de Lithiasi*, *p.* 351.

TEXT. LVDOVIC.

10 *Cinnabaris* autem quam diuturno (donec paucis ab hinc annis magis nunc increbresceret,) usu præstantissimum ac securissimum Mercuriale paulo ante laudavimus, non solum Diaphoretica, modò dicta notabiliter exaltat; ut v. gr. *simplex Bezoarticum minerale hujus debita proportione tinctum*, *sæpe pro Solari* æstimatum fuerit: nec Epilepticis tantum [etiam recens natis,) si unquam quidquam inter ejuscemodi Specifica, (in sufficienti tamen ubique dosi) benefacit; verum etiam Histericarum (ne Opiatis quidem placandarum] Colicorumque tormina, Vertigines, Vagas Arthitides, Dentium aliarumqueNervosarum partium Dolores, Cutaneosque affectus complures &c. [solitaria vel Præcipitantibus aliisve specificis sociata) evidenter lenit atque tolit; In Phantasiæ insuper vitiis morbilis, petechiis &c. plurimum confert: præcipue 1 *Nativa selectior*, aut à saxo adhærente per trituram & elutriationem separata; citra aliud Artificium: ut enim 2 vix in Stomacho, (vel pusionum observatione,) resolvitur, sed incomprehensibili fere nec dum determinato contactu, desubito sæpe (cum consimilibus aliis,) quod suum est agit; ita nec per nimiam curiositatem 3 divelli vult) : ceu neque *Sulphurea pars*, è selectiori quoque Minera, (cum è viliori, saxea potius substantia sic solvi videatur,) *per Alcalia fundendo vel digerendo*, (difficulter licet, & exigua plane quantitate,) extracta, neque ipsa Cinnabaris per principiorum suorum 4 syndiacrisin in famosum illum *Præcipitatum Diaphoreticum* redacta, seipsam nil passam (uti superius quoque circa universalia notavimus,] superat 5 *abstratione vero Acidorum*, alias non tam alteratur, quam pervertitur; æque ac *Materia*, *quæ post consuetam Mercurii separationem ibi restat*; meritoque proinde quæ natura hic conjunxit, homo non separat, etiam curiosioribus ex Alcalibus volatilisatis aut consimilibus menstruis; Sin autem in ejuscemodi nonnullos usus, imò pretiosarum istarum *Panacearum*, *aut è Sole*, *Antimonio*, *Mercurioque fixatiorum Massarum* loco, cuidam 6 *Cinnabaris Antimonialis* quoque insuper placuerit; uti tanquam parergon destillati Butyri haud difficulter; neque parva vulgo [nonnullis assignata] copia, sed 7 ex Antimonii crudi Sublima-

NOTÆ.

10 *Cinnabaris*) Tàm nativæ, quàm artificialis ex antimonio aut Mercurio paratæ usum hic præmittit AVTHOR, dicendo, quòd licet ea per se non sint diaphoretica, tamen aliis addita vim horum diaphoreticam exaltent & promoveant, hocque speciatim vi anodyna, quâ ipsâ cinnabari impedimenta diaphoreseos arcet & sistit, ita ut bezoardicum minerale simplex cum cinnabari debita proportione unita (nempe illius p. ij. hujus p. I. sumendo] exhibeat compositum præstantius remedium ipso bezoardico solari artificiali, & rectè; cùm enim cinnab. illa sit egregium temperativum, resolutivum, anodynum & diaphoreticum, hinc ratione horum effectuum erit quoque unum ex specificis antiepilepticis, adeoque tàm à modernis, quàm à veteribus cinnabarina fuerunt recommendata, non saltem specialiter in epilepsia, sed & in aliis morbis convulsivis, iisque tàm internis, v. g. colica virorum, & passione hystericâ mulierum, quàm partium externarum, morbis spasmodicis; dosis si solitariè propinetur à ℈ß. ad gr. xv. vel mista cum antimonialibus, bezoardicis fixis, vel tandem sociata aliis salibus volatilibus, ceu à quibus illius cinnabaris color valdè exaltatur; imò non tantùm cinnabarinâ internè adhibita prosunt, sed & juxta nonnullos cinnabaris nativa de collo dependens, vel carpis manuum applicata in convulsivis morbis proficuum observatum fuit; sicuti aliàs internè eadem ad quosvis partium externarum dolores est apta: It. in morbilis ante sui eruptionem cum epilepsia conjunctis, in petechiis cùm nervinis sociata. Conf. A. *dissert. de volatilisat. salis tartari p.*70.

1 *Nativa selectior cinnabaris*, Ab AVTHORE hic eligitur, & postmodum huic artificialis ex antimonio substituitur; interim quoad nativam illam notandum; non semper æque tutum esse illius usum, cùm subinde nonnihil de sulphure volatili arsenicali eidem adhæreat, tetra non rarò symptomata inferente, testantibus *Actis Haffn. Tom.* 1. *p.* 177. Unde depuretur illa prius, si in usum vocanda est, cujus depurandi modum optimum ostendit *HOFMANN. in Clave*, *p.*29. Ita depurata cinnabaris nativa vix cedit cinnabari antimoniali.

2 *Vix in stomacho:)* Occurrit hic AUTHOR objectionibus illis, quibus constat cinnabarim, non solùm infantibus tenellis, sed etiam adultioribus datam, eadem quâ ingerebatur facie egeri, ac observavimus ipsimet in malignis adultorum febribus post exhibitionem cinnabaris secessus illorum alvinos intenso rubore fuisse tinctos, eamque in substantia recedere. Interim & hoc concessô non erit illa sine usu, cum (utut nihil de vi irradiativa quorundam remediorum, quam introduxit *HELMONTIVS*, determinare queamus) opium adhuc in stomacho existens, somnum inducere constet; item pilulæ purgantes integræ non rarò excernuntur, subsequente tamen purgatione, ac acidulæ fœces nigras reddentes, usum nihilominus præstant.

3 *Nec divelli vult Cinnabaris :*) Hoc est, sulphur & mercurius conjuncta relinquantur, nec separetur sulphur; nam positô nos hæc ex Cinnabari posse separare, puta per alcalia addita, tamen solitarium id non præstabit, quod aliàs integra Cinnabaris præstat.

4 *Syndiacrisin)* Hisce innuit AUTHOR præcipitatum illud diaphoreticum. *HARTMANNI*, cujus præparatio exstat in *SCHROEDERO*, fitque per principiorum Cinnabaris separationem & novam compositionem. Hoc ceu panacea ab *HARTMANNO* laudatur, interim non superat id Cinnabarem nihil hujusmodi labori passam.

5 *Abstractione verè acidorum :* Sunt qui ex nativa cinnabari Tincturas parant, easque vel per oleum terebinthinæ balsamum sulphuris ejusdẽ naturæ existentem, ac qui ex sulphure communi pariter paratur; vel per acida; v. gr. cum spiritu nitri aut butyro antimonii; verùm hac ratione pervertitur Cinnabaris salsus sapor, & vis ejus alterativa corrumpitur, imò aliàs vires acquirit Cinnabaris illa.

6 *Cinnabarim antimonialem :*) Nativam & antimonialem sociandam esse rectè monet hic *AVTHOR*, insinuando simul multiplices panaceas ex concursu Antimonii & Sole paratas, quarum processus *vid. in SCROEDERO*, quæcunque tamen suo modo concreta cinnabarina sunt, quibus Cinnabaris Antimonii præferenda sufficienter. Et quidem origo Cinnabaris hujus antimonialis est, quod sub destillatione butyri antimonii acidum, mercuri sublimati rodat Regulum, hincque Mercurius revivificetur, & sic agat in sulphur antimonii, liberatum à suo Regulo ceu ab acido salis corroso, invicemque abeant in Cinnabarim talem antimonii.

7 *Ex antimonii crudi :*) Docet hic *AVTHOR* enchirisin acquirendi Cinnabarim antimonii in copia, nempe ex antimonii crudi & mercurii sublimati ãã. lib. haberi posse, dicit, ℥ij ad IV. Cinnabaris recti

rectificatæ, quòd ſanè multum eſt, *conf.* AVTHOR. Sic etiam acquiritur major illius copia in retorta à collo longiori prædita, ſi enim fuerit nimis breve illud, tota ferè cinnabaris in butyrum ſolvitur.

TEXT. LVDOVIC.

tique ana libra una, ad tres quatuorve uncias plerumque habetur; 8 *citra Capitis mortui* (*extreme non peruſti*) *repetitas cum novo ſublimato deſtillationes, aliaque quaſita hic Compendia*; modo *Ignis* ſaltem, (ſecus ac vulgares libelli habent,) non ſit nimis intenſus, ſed ſub modificatione quadam, (ne ſenſim concreſcere incipiens Cinnabaris diſſiciatur, Butyroque cum Mercurii granulis accedat,) etiam *citra Suppreſſionem*, tantummodo continuus; ita aliis adhuc modis æque feliciter v. g. 9 *Sulphur. Antimonii cum Argento Vivo* debite (ceu in Cinnabari factitia) miſcendo & ſublimando: item per duo *ſaltem inverſa Crucibula ſucceſſive collectam rectificando*, parari vel depurari poterit.

Atque hæc de Mercurialibus: quibus ſi (præter ſupra poſitum Antimonium Martiale cachecticum,) quis addiderit 10 Joviale illud non inelegans, *Sudoriferi Maximi nomine*, ſed non ſine multis ambagibus haud ita pridem deſcriptum; adeoque (his merito miſſis,) ſaltem Amalgama ex ana Jovis Anglici & Argenti Vivi paratum, pulveratum, & cum ana Sublimati probe mixtum in retortula Igni arenæ mediocri, & indito in recipiens Aquæ ſ. (ad pondus omnium ingredientium) ſub quadruplo, deſtillationi ſubjecerit; liquorem cum gummoſa quadam particula (ſtatim & vix horæ ſpatio tranſeuntem,) reſiduo in Retorta affuderit; totumque calefactum probeque agitatum (citra tot rectificationes) ſimpliciſſime tantum per emporeticam duplicem madidam filtrari; quod charta hic abſorpſit, una alterave Aquæ ſimplicis unica poſtmodum tranſcolata quaſi eluerit, novæ retortæ filtraturam hanc indiderit, adjecta pro ſingulis primitivorum Ingredientium (Argenti Vivi, ſed Sublimati & Iovis,) libris, Nitri crudi unica ſemis; & omnem liquorem Spiritui Nitri compoſito conformem, ad extremam uſque guttulam & totalem Nitri (*alias reſiduum denuo ſolventis*) exhauſtionem per arenam, Igne in fine forti deſtillarit; Pulverem (edulcorandum) in fundo habebit ad grana octo vel decem, (non tantum tria vel quatuor) ſatis, nec tamen adeo 1 hyperbolice diaphoreticũ, 2 *Bezoartico Jovialius, quibuſdã è Soliùs Stanni atque ſublimati butyro*, per aquam ſimplicẽ tantum præcipitato, longe convenientiorem; & (cum Antimoniatis diaphoreticis extempore pro lubitu miſceri queat,) 3 *Bezoartico minerali Ioviali cuivis* (ex Antimonii Stannique regulo, vel etiam è ſolo Stanno ac ſublimato, per diverſam Butyri deſtillationem & ſpiritus Nitri fixationem parato, aliiſque tædioſioribus adhuc operationibus parem; imo ſi (famoſo nunc nonnullibi) 4 *Antihectico*, (per ſimplicem Reguli, cum Antimonio præparati, calcinationem cum triplo Nitri confecto,) titulum per indirectum acquiſitum demimus, in reali diaphoreticaque ſua deſtinatione ſuperiorem; magiſque adhuc dicti abuſivi *Antihectici* 5 *ſuccedaneo*, quod ex ana Antimonii ac Jovis, agitatione in ſcorias redacto, & cum Nitri triplo in candenti crucibulo detonato, poteſt colligi. Quod reliqua concernit, profecto ſi 6 *Sale genuina Calce*, vel [nonnullis) ex ip-

NOTÆ.

8 *Citra capitis mortui*:) Sunt qui pro copioſiori Cinnabari acquirenda (poſtquam ſemel p.ij. mercurii ſublimati & p.j. antimonii crudi deſtillarunt, & butyrum cum Cinnabari acquiſiverunt) poſtmodum caput mortuum butyri ſociant novo mercurio ſublimato, & invicem de novo ſublimando, acquirunt copioſiorem Cinnabarim; nam Regulus antimonii in butyrum eſt ſolutus, hincque quod reſtat omne eſt ſulphur ſubſtantia, quæ coëundo cum Mercurio conſtituit Cinnabarim novam.

9 *Sulphur antimonii cum argento vivo*:) Accipitur ſcil. ſaltem ſulphur auratum antimonii, quod miſtum eſt cum ãã Mercurii vivi, deſtillatur tam in vitro cum alembico, quàm in acetabulis inverſis in Cinnabarim ſæpius rectificandam.

10 *Ioviale*,) Pergit nunc AVTHOR ad Iovialia diaphoretica, & quia Iupiter eſt metallum luxurians copioſiſſimo ſulphure, hincque ex eodem paulisper fixato ſalſa tertia egregia emergunt. Cæterum AUTHOR N. eligit ſudoriferum maximum ex Iovialibus cujus inventor *P. f. FABER* Midicus Monſpelienſis, qui *lib.* 3. *Vniverſa Sapient. cap. de febb.* hoc ſudoriferum ſuum prolixius deſcribit, coloris ex albo cœruleſcentis exiſtens, cujus tamen parandi ſuccinctiorem modum AUTHOR N. tradit: Nempè fiat ãã ex ãã Iovis & Mercurii vivi, quod pulveriſatum miſceatur cum mercurii ſublimati ãã, hinc miſtura hæc in retorta blando arenæ igne deſtillatur in receptaculum, cui aqua ſufficiens infuſa ſit, ſic prodit liquor acidus nonnihil gummoſus, qui affundatur denuò capite mortuo in Retorta relicto, hinc omnia digerantur, & poſtmodum liquor per filtrum ſeparetur, hinc ſeparatus miſceatur cum nitro; ſumendo hujus ſpiritus ℥ß. reſpectu uniuſcujuſque lib. j. ingrædientia deſtillantur omnia ex retorta, ſic prodit ſpiritus compoſitus bezoardicus ex ſpiritu ſalis & nitri conſtans, pulvis, autem remanens à nitro illo fixatus fuit in remedium diaphoreticum edulcorandum: Atque hoc eſt ſudoriſeum maximum *FABRI*, cujus doſis e ſſe poteſt ℈ß. ad gr. XVI.

1 *Hyperbolicè*:) Epicriſis eſt *AVTHORIS*, Sudoriferum illud *FABRI* eſſe quidem ſatis magnum, non tamen maximum diaphoreticum.

2 *Bezoardico Ioviali*:) Hoc *SCHROEDERVS* habet nomine diaphoretici BEGVINI, eſt que quando ex butyro Iovis aqua ſimplici præcipitatur pulvis candidus, quo ipſo tamen eſt præſtantius ſodoriferum FABRI.

3 *Bezoardico minerali Ioviali*:) Hoc duplex proſtat, cum & ſine antimonio, quorum hoc procedit ex ãã Iovis & antimonii Reguli, quæ colliquantur in butyrum, addito ſublimato, hincque hoc cum ſpirit. nitri in bezoardicũ minerale Ioviale fixandum eſt, quod habet SCHROEDER. Vel quoque idem butyrum ſpiritus nitri abſtractione figendum, quemadmodum facit hoc *ZVVELFERVS Mant. Spag. p.* 345.

4 *Antihectico*:) Intelligitur hîc Antihecticum POTERII egregii Medici Bononienſis, quo poſt HELMONTIUM & PARACELSUM nobiliorem Pharmaceutam non habemus, atque hic antihecticum ſuum deſcribit in *Pharmacop atque Centur.* Remedium excellens in febribus continuis benignis, & hinc quoque in hecticis, non quidem pro ſcopo ſudorifero, ſed alterante ſaltem. Cæterum præparatio ejus variat, interim genuina eſt, ſi ℞. Iovis ſelect. p. V. & antimonii p. IV. quæ duo fundantur invicem in regulũ compoſitum, hinc hic cum triplo nitri figatur; ubi tamen iterum notandum, non debere antihecticum paratum cœruleum præ ſe ferre colorem, quippe hoc eſt vomitorium, eo quod de Iovis ſulphure volatili adhuc participet, quin potius dum ſtat miſtura in fuſione agitetur eadem bacillo ligneo, ſic enim flammam eructat, & ſub hac, Sulphure jovis ſuperabundante avolante candidum acquiritur antihecticum, tutum uſurpatur, ſine omni periculo vomitionis.

5 *Sucedaneo*:) Hujus eadem præparatio eſt ac antimonii Diaphoretici martialis; nempè ãã jovis & antimonii in ſcorias redacta, & cum triplo nitri in crucibulo candenti detonata: Horum antihecticorum doſis eſt à ℈ß. ad g. XV. vel ſolitariè, vel cum aliis miſtorum.

6 *ſal è genuinâ calce*: (Sunt qui ſal duplici modo ex jove parare volunt, nunc quidem jovem calcinatum coquendo, nunc verò ſal cryſtalliſatione ex minera jovis eliciendo, quam tamen acetum non attin

tingit, nisi id acuatum fuerit cum spiritu nitri, hac enim ratione solvitur minera jovis, hinc blandâ exhalatione solutio abit in sal crystalli forme, quod in loco frigido abit in liquorem. Jam verò de illo Sale jovis manis fabula circumfertur, quòd in hysterica passione sit egregium, interim nullam id præ aliis antihystericis prærogativam habet; sic quoque liquor ille ex saccharo umbelico hystericarum applicatur, sed in vanum, cùm castoreum longè melius sit cum suis præparatis.

TEXT. LUDOVIC

a *Iovis minera per Acetum*, sed (ni frustra esse voluerimus,) fortissimum: aut *Nitrosis fortificatum*, vel etiam cum *Nitri Æruginisve spiritu* paratum experiemur; Diaphoresis inde Hystericarumque alleviatio intus haud tanta, *externa pro umbelico applicatio* (inter præsentiora Galbaneta & Castorina,) supervacanea 7 *Magisterium è dictis solutionibus, etiam Vitrioli spiritu præcipitatum*, (splendidum quoque ac crystalli forme,) æque ac 8 cum *Nitro crudo* (ægrius quidem] *Detonatum*, nimium deses; & parumper saltem validius deprehendetur *Abstractitium per Nitri spiritum. Tinctura* nonnullis usitata, tantum Salis istius Iovialis solutio est. 9 Nec in *spiritu, sive è Calcis Iovialis cum Tartaro cocta Magmate* destillato, (Tartareo,) sive per 10 *Solutionis Nitrosæ detonationem* collecto, (clissiformi que) singulare quidem invenire potuimus: uti revera, nec in [superioribus annis] adeo decantato, & per 1 Cygni plumas cantumque hieroglyphice descripto *Processu*; *ubi Iovis & Mercurii Vivi Amalgama cum Nitro* moleste, ac (ni sulphurei quid amplius accedat,] difficulter detonatur; Vaporum vix declinandorum noxas nec Floribus, [commodioribus quoque modis, si adeo in chirurgia necessarii forent, elevandis,) nec *Clissiformi* (simul tamen, ni rectificetur, semistiptico nec adeo miraculoso) *Liquore* compensantibus, &c.

Cæterum uti hactenus è Minerali regno sat numerose Proposita, Indicationibus (temperatum quoddam Diaphoreticum exigentibus] sufficienter satisfaciunt; atque hinc ne sociennos quidem consanguineosque suos, sibi hic sub efficaciæ, gratiæ vel parabilitatis ratione collatos, in contractiori sylloge tantisper exigunt: ita longe minus adhuc videmus, eccur Præciosiora illa 2 *è Sole* pro sudatione vel confortatione varie petita, huc insuper trahere debeamus. Non elevamus temere eorum, si bene præparata fuerint, efficaciam: saltem cum Cervinis, Tartareis, Antimonialibus, Cinnabarinis, Corallinis, Martialibus, Opiatis etiam & Analepticis parabilioribus, [ceu supra quoque notavimus] sub judiciosa applicatione idem obtinere queat, ad quid perditio hæc? Si parca dosi miscentur aliis, nihilo plus conferunt, quam forte Margaritarum atomus in Laudani perlati dosi; aut lapidis Bezoar granum in Alexiterio. Justas autem, & vel repetendas vel continuandas doses quotæ passim facultates hisce in Districtibus temporibusque ferunt? aut si habitiorum vel ingraciis ferant, aut inflatis Acherontaque moventibus exigant, quoniam tandem specialiori id fit effectu? Sane in Malignis (dum plebeji penetrantioribus euporistis suis felicius securiusque passim curantur,] vitam meorum his elocare nollem 3 *Aurum fulminans*, (ut potiora, seu Diaphoretica seu Cordialia reficientia conjunctim persequamur,.] alvum in Continuis nonnunquam periculose, [sive remissioris edulcorationis sive Affectus eo tunc inclinantis causa] movens, quia exhibentis potius error est, hic non attingemus. Sed nec debite tractati propinatique tanta singulariorque est Diaphorisis: quemadmodum nec *ejusdem* (*per Acidos spiritus aut Sulphuris deflagrationem*] 4 magis cicurati: ut largam istius, æque ac 5 *Solis cum Cornu Cervi crudo vel usto straficati*, & [per salinas forte, residuas quoque, aut ipsius quoque Ignis hic forsitan particulas) friabilioris redditi, vel [post Menstrorum abstractionem, aut Mercurii divaporationem] 6 *cum*

NOTÆ.

7 *Magisterium:*) Sunt qui solutionem jam allegatam jovis cum acetô factam per spiritum nitri in magisterium præcipitant, ast hoc nullius est valoris.

8 *Cum nitro crudo:*) Scil. pulvis ex jove est cum nitri detonatione factus, adeoque ex nitro fixo & jove fixato constans utut deses; etenim jupiter est metallum admodum Sulphureum, & cui aliud quid ratione Sulphuris aperti non æquatur, hincque jupiter sociatum aliis metallis eadem irreducibilia aut admodum difficulter reducibilia facit ac propterea Diaboli metallorum nomen assumit, imò ob hanc Sulphuris proprii abundantiam cum nitro combinatum æmulatur virtutem pulveris pyrii, quippe dum detonatur, strepitus oritur.

9 *Nec in spiritu:*] Sunt qui spiritum jovis nitrosatum affectant, flores jovis in aqua cremoris tartari ebuliendo, & hinc crystallisando ac destillando, interim sic spiritus Tartari acquiritur, jove ipso in fundo manente.

10 *Solutionis nitrosæ:*) Sunt qui jovis cum nitro detonationem in retorta tabulata capacissima instituunt, verùm sic acquiritur spiritus acidulus, qui tamen parum de jove participat, nec adeoque prærogativam quandam præ spiritu nitri habet.

1 *Cygni:*) innuit hic *GLAUBERUM, in suo miraculo mundi* hunc hieroglyphicum processum habentem, quo in loco etiam figuram retortæ ferreæ cum duobus rostris describit; interim distillatur ex illo amalgamate cum nitro ingrediente liquor, qui est spiritus nitri soboles; quod autem remanet corpus, nullius hactenus fuit usus.

2 *E sole:*) Præponimus, his ex sole paratis nos vix habere opus; potius si velimus habere remedia ex eodem activa, requiri ad hoc negotium, ut ipsum corpus solare suo modo vel destruatur, vel saltem sulphur ejus sincerissimum cum mercurio suo sociatum paulo magis extravertatur, ut ita anodyna temperativa solaris vis exerceri queat. Jam verò hoc difficile est & facilius aurum construere, quàm destruere, ejusque sulphur extravertere, hinc inter mille præparata vix unicum alicujus est pretii.

3 *aurum fulminans:*) Probè edulcoratum verè diaphoreticum, magis verò edulcoratum laxativum existit, hincque hoc modo in continuis id non confert, utut aliàs sit diaphoreticum ritè aliis sociandum.

4 *Magis cicurati:*) Cicuratur aurum fulminans per acida, quibus sulphur solare extraversum, à quo cum nitro coëundo, fit fulmen; obtunditur & quasi obruitur ita, ut non magis id fulminare possit, indeque hoc aurum fulminans ab acidis ita semi revivificatum longè minoris est usus, quàm ordinariè aurum fulminans.

5 *Solis cum CC.*) Sunt, qui aurum laminatum cum CC. in taleolas inciso faciendo S.S.S. Igne fortiori per plures dies & noctes calcinant, donec pulvis quidam purpureus emergat, *vid.* SCHROEDER. Et tale CC. cum sole calcinatum commendadatur vi diaphoretica sui in malignis, & speciatim in Dysenteria epidemica maligna; interim quæstio semper fuit, an pulvis ille operetur magis ratione substantiæ servinæ, an verò ratione solis in pulverem conversi, & adhuc sub judice lis est, an verum sit, solutionem istam solis esse radicalem; conferantur lites inter AGRICOLAM & DETHARTINGIUM (cui spicula KIRSTENIUS facit) hanc in rem habitæ ex diversis scriptis petendæ; nos putamus illum pulverem plus de CC. participare, præsertim cù aurum corporale exin facile reducibile sit.

6 *Cum Sulphure:*) Innuit hic AUTHOR ZUUELFERUM, qui in *Mentiss. Spag. pag.* 310. hos habet processus, ex quibus emergit BASILII nempè solvitur aurum in; aqua regia, hinc solutio, mentruo abstracto cum Sulphure calcinatur repetitis vicibus, sic emergit pulvis purpureus. Vel etiam amalgama solis & mercurii retortæ inditur, hincque separato mercurio remanens pulvis cum sulphure calcina

calcinatus evadit purpureus, cui *B. VALENTINUS* superfudit spiritu salis dulcẽ, quẽ abstrahit, hinc spirit. vini desuper accendit, ita emergit. Cæterùm commendant aurum ita præparatũ inter analeptica, interim hanc laudem *AUTHOR* in medio relinquit, præsertim cùm remedium hoc raro usurpetur, imò rideatur ab iis, qui aurum irreducibile pro usu medico expetunt, quod est perfectæ ejus solutionis signum.

TEXT. LUDOVIC.

Sulphure (vix citra hujus scorias) *Purpurisati* requisitam dosin, precium largius, & eorum insuper de his ac reliquis fere omnibus Decreta taceamus, qui Solaria non adeo crasse pulverisata vel resoluta, sed tantum non *Irreductilia* volunt. Ejusdem verò diffusioris (in revera Solarem operationem) dosis est 7 *Solis quoque Crocus, qui cum Nitro; Sale & Alumine coquendo &c. conf*; Aluminis præterea (ceu alibi notavimus,) terrestrioris partis, (uti qui loco Olei Tartari *per Silicum Liquorem præcipitatur*, Magmatis istorum,) haud expers. Qui 8 *Tintura Antimonii repetito inceratur*; illius præ Auro longe potentiorem contractioremque energiam scientibus, Antimoniali vitula arare facile credetur. De *Bezoartico Solari* diversimode quæsito, quæmadmodum etiam de 9 *Antimonio diaphoretico Solari* 10 [è scoriis post Aurum transfusum restitantribus, aliterve comparato,] paulo ante inter Antimonialia diximus. Et licet nuper parcum *Solis pondus hic duplicatum, vel etiam triplicatum sit*, nihilominus qui ejus generis Solaria Magisteria &c. etiam ultra drachmam semis exhibent, id quoque (quemadmodum & in *Bezoartico Cervino aureo*) nimis adhuc parum putabunt. Quamvis præterea 1 *Solis* & Antimonii intimior in istius census remediis amplexatio, ea magis commendare possit; sæpius tamen experti scimus, quod *Pulvere extempore è Bezoartico minerali vel Antimonio diaphoretico & Croc. Solis bono*, proportionaliter composito, nihilo propterea sint valentiora. Sic 2 præcipitatus *Solaris Regulinus* (cum Regulo Antimonii confectus,) & imprimis famigeratior ille, *ac* 3 *Mercurio dulci solari, (diuturniori igne fixatiori)* fere specior, qui ex *Amalgamatis solaris spontanea præcipitatione* provenit, egregia profecto sunt Medicamina: 4 sed & absque Sole, (ceu cujus ut plurimum octava tantum pars in dosi est,) si modo sufficienter fixata, & postmodum circumspecte exhibita fuerint, viros se sistunt. Alterutrum horum, (præter parabiliora, renitentioribus affectibus nihilominus sufficientia,) forsan expetentibus. *Solarium* 5 *Incinerationes per propria*, 6 *Lunarisve aut aliarum Minerarum liquores* tædiosissimos, quo *unicornu aliquod Solare*, vel consimile quid habeatur; *Aureum vellus è Rore*, (tale quidpiam per se quoque è Sulphure suo nonnunquam deponente,) aliaque Solis aliquantillo plerumque saltem condita, curiosis relinquamus quemadmodum & toties repetitas ejus 7 *Volatilisationes*, tandem paucas aliquot, nec adeo excessivas guttulas, vel solum Vini Oleum, spiritui suo jam ante complicatum postliminio reddentes. Pertinet huc parcissima illa sæpeque vix notabilis *oleositas*, quæ Spiritui Vini (pro majori proin quantitate prius Aromaticis oleosioribus nonnullis condito,) & per hujus generis Metallicas solutiones infracto, post digestiones supernatat: Item quod 8 post reiteratas Salinorum spirituum abstractiones, *instar Sublimati cujusdam* sed perparci, rariusque Florum forma subsistentis, sed plerumque in oleosas guttulas semet resolventis ascendit; sapore vegeto seu semistiptico adeoque dilatationem quandam hinc oppido exigente. Reliqua abusive similiter sic dicta *Olea, Salia, aut Vitriola*, singulariora quoque, cum oculatioribus horum, & ad scriptitiæ pollentiæ æstimatoribus prius transigant. 9 *Gemina vita*, solutioni Solis cum salis spiritu factæ affinis; Floribus Salis, (po-

NOTÆ.

7 *Solis quoque Crocus:*) Intelligit hic *AUTHOR ZUVELFER. Mant. p. 369.* qui per solutionem salium puta nitri, Salis & aluminis in aqua facit crocum solis, vel etiam eadem salia impastantur cum Argilla & destillantur, sic prodit spiritus solvens solem, quod solutũ cũ Sale Tartari in Crocũ præcipitari potest; ubi prior de terra solis participat; quando enim solutioni illi instillatur sal tartari, tunc hoc absorbẽdo acidum salis, præcipitat ejusdem terrã cum Croco simul solis.

8 *Tinctura antimonii:*] Hunc processum habet *ZUVELFERUS. l. c p. 321.* & est is, quando Crocus solis cum tinctura antimonii crebrius insuccatur, quod incerare vocant, interim talis Crocus juvat ratione tincturæ antimonii, non autem solis.

9 *Antimonio diaphoretico Solari:*) Vires suas obtinet non quidem a Sole, sed ab antimonio.

10 *E Scoriis:*) Notum est ex aurifabrorum officinis, quod aurum corruptum purificetur per antimonium in Igne fusionis, quod exprimunt subtiliores & sublimiores Philosophi per devorationem Regis sive Solis à lupo sive antimonio; ita namq; Regulus Solis purissimus in fundo crucibuli remanet, scoriæ autem relictæ dant antimonium Solare, quod cum triplo nitri fixatum, exhibet antimoniũ Diaphoreticũ Solare, interim nec hoc magis præstat, quã vulgare antimoniũ.

1 *Solis & antimonii:*) Dubium oriri potest in sociatione antimonii & solis, annon, cum ambo de sulphure Solari participent, unum aliud exaltet.

2 *Præcipitatus Solaris Regulinus:*) Hunc processum habet SCHRODERUS, sed mancum; potius ita procedẽdũ est, nẽpe ℞ Reguli antimonii ℥j. solve aqua forti seu aqu. reg. dein accipe auri fini ℥ij. solve itidẽ in aqua reg. tandem accipe mercurii vivi ℥iv. (hoc omisit SCHRONDERUS,) itidem solve in aqua forti, cum solutionibus hisce omnibus denique procede more Schrœderiano.

3 *Antimonio dulci Solari:*) Hunc refert ZUVELFER. *Mantiss. Spag. p. 355. it. p. 353.* habet amalgama solare.

4 *Sed & absque sole:* Hæc citata remedia sunt egregia quidem, & speciatim diaphoreticã vi insignita; interim dicit AUTHOR eadem & absque Sole viros se sistere, quasi diceret horum exaltationem cum sole non esse necessariam, cùm mercurius dulcis per se, itemque mercurius præcipitatus per se, nobilia sint absque etiam sole.

5 *Incinerationes per propria:*) Hoc ipso intelligit AUTHOR Unicornu Solare MYNSICHTI, spiritu ex minera Solis parcissimo prolecto paratum.

6 *Lunarisve:*) ZUVELFER. sc. ex lunæ minerâ parat spiritum solventem.

7 *Volatilisationes:*) Nonnulli & inter alia è Sole præparata illud volatilisare, adeoque non per retortam solùm, sed etiam per alumbicum mirabilibus menstruis deducere voluerunt, promittentes hoc ipso oleo aliquod Solis; interim rectè AUTHOR notat SCHRODERUM allegantem oleum aliquod supernatans aquæ, dicendo talia olea nihil aliud esse, quam oleum spirit. vini, quod verissimum sanè est. Posito autem posse aurum in corpus olei forme redigi, illud tamen non esset adeò leve, ut supernatet aquæ sed cum oleo cinamomi quoque submergit aquæ combinatũ videamus, multò minùs oleũ Solis aquæ supernatare poterit. Potius ergò omnia ejusmodi Olea Solis aquæ supernatantia erunt. Olea ex spirit. vini addito resoluta, etenim si sumatur spirit. vini rectificatissimus, & hic infundatur aquæ simplici tunc lactescit mistura, propter spirit vini oleosũ aquæ impermiscibilem; quin imò si eadem mistura in loco tepido ad tempus steterit, tunc oleose paratum supernatare videbitur, à consortio aquæ exclusum; pari ratione dũ liquida Solaria præparantur cum spirit. vini emergit indè quoque oleum forme supernatans, ubi certa esto suspicio, illud à spirit. vini phlegmate suo separato, non verò ex oleo solis originem habere.

8 *Post reiteratas salinorum:*) Talẽ processum habet SCHRONDERUS, sub nomine auri potabilis per spiritũ salis, ubi jubet solutionem affuso spirit. vini per alembicum abstrahi; verum ita prodit simpliciter spirit. vini, Sole & spiritu salis in fundo vasis remanentibus. Et ejusdem valoris est illa *ZUVELFERI* correctio *Mantiss. Spargyr. p. 322.* Sic alius modus volatilisandi auri fit beneficio spiritus nitri bezoadici hoc est illius, qui ex bezoardico nimirali ex spiritu nitri & spiritu solis constans abstrahitur, quo ipso solutũ aurũ per retortam posse destillari putatur, apparentibus hinc in ejusdem collo floribus in forma rubinorum & crystallorum, quem admodum processum hunc insinuat *SCHROEDERUS*; at plenius habet *BOYLE Experim. 7. de origin. formar. & qualitat.* ubi tamen rubini isti sunt aurum corporale à menstruo impetu Igne raptum, hinc namque iidem quoque levi Ignis attactu resolventur in liquorem salinum.

9 *Gemma vitæ:*) Quam describit *MYNSICHT. p. 25.* maxima sui parte cõstat ex sale, indeque dubium est, an illa salina vi, an verò solari vim suam exerat.

TEXT. LUDOVIC

tioribus effectus autoribus,) præter modum turget : & quantum Solis in dosin afferat 10 *Elixir, per Saccari colliquamentum* specose alias institutum, tentanti docet experientia. Cui bono vero reliqui præterea tot *Solis discontinuandi modi*, utut expediti vel etiam secreti : dum interim prædestinatione ejus, (tanquam pariter certis proprietatibus circumscripti simplicis,) vix aut non respondent? 1 Quærimus in Auro temperatum quidpiam, Diaphoreticum, aut Corroborans mitigativum; (quavis etiam id fiat ratione, aut quovis Archei speculo.)At qui animo manuque, paulo liberiori hisce requisitis experientiæque confert 2 *Tartarum vitriolatum solarem* 3 *Rubinum solarem cum nitro fixo*, *aliisque eodem recidentibus salibus confectum*; *item Liquores Solares per* 4 *vehementiores Acores*, (resolutioni haud raro adhibitos, stipticum aut vitriolicum quidpiam, sæpe non sine rosionis nota induentes; 5 *Oleosas insuper extractiones* sat quidem [vel Aromaticæ virtutis causa,] Analepticas, at quamplurimis affectibus, refectivum temperatum exigentibus neutiquam quadrantes, &c. Cuncta hæc multum, multum profecto à supradictis nostris & naturæ quoque intentionibus abire haud difficulter deprehendet. Qui *Solares Tincturas etiam* 6 *è Carbonibus, Antimonio, aliisque sulphureis subjectis alicubi per Alcalina* quærunt, rem nimis longe, & ab ovo fere repetere videntur. Speciosiores sane, ceu alibi notavimus, pro fortunarum nostrum tenuinatate plus vice simpliciter per 7 *Mannam, Rorem*, 8 *spiritum Saturni*, 9 *Microcosmicum*, *salis Tartari*, *Olea subtiliora aromatica*, *&c.* tentavimus, faterique cogimur, vires earum aut tantas non fuisse, uti passim excessive talium commendatores præsertim Monopolia hinc extruentes simplicioribus (auro nihil non tribuentibus,) persuadere conantur; aut in permultis à concentratorum vel integre servatorum Menstruorum beneficis particulis potius, quam à Solis soluti tantillo prodiisse. Quo ipso cautius mercari docti, aurique minus hinc prodigi, vilioribus adhuc, aut oculatæ manui (inter cõsimiles enchirises,]merito suspectis, præter rē tædiosioribuscũ nostris vel adhuc simplicioribus in eumdē scopū recidẽtibus, si multum est, æquivalentibus aut magna quidem(subtilioris processus efficaciæve respectu)promittentibus, circa congenera vero versatum, ac procedendi modum naturæque vires atque possibilitatem penitius noscentem, vix seducentibus, sumptus atque labores tantopere hactenus impendere noluimus: supra laudatis parabilioribus nostris, & *crudi quoque auri subtilissima rasura*, (si hujus solitariæque tantus, non vero in Mixturis accessoriorum potior foret effectus,) æquipolentibus, satis nunc contenti. Idemque nobiscum alii quoque forsitan, etiam per singulariorum, secretiorum, aut [ob parcitatem proventus, impensarum autem excessum) cariorum observantiam, & inter præmaturos incuratorum obitus, atque spem ad vitam mage sanam longioremve nequicquam extensam, procul dubio experientur; prompteque tandem, fatebuntur satius esse, si Medicus Pract. hoc ævo sibi *è Medicamentis aurum*, *quam ex Auro medicamenta paret*. Quisquis præterea (seu majoris efficaciæ seu subtilioris præparationis causa,) nihilominus diffusioribus his aut variegatis laboribus manum admoverit, observabit insuper, revera (primo) supervacaneam, & plane prodigalem esse 10 *Solis*, (*imprimis repetitam*,) *per Antimonium fusionem, ali-*

NOTÆ.

10 *Elixir:*]Intelligit hic AUTHOR illud *anonymi de Tract. auri sacchar.* scriptum; & quidem hujus scripti Author TACKIUS docet modum parandi aurum potabile colliquescendo solem cum saccharo, & cum spirit. vini extrahẽdo; interim parum illud de sole participabit, utpote cùm saccari acidum non sufficiat auri solvendo.

1 *Quærimus in auro:*] Scilicet remedia solaria non habent alium usum medicum, nisi ut blanda diaphoresi ventilent liquida corporis nostri, aut quoque vi anodina spirituum impetus sistant; ubi generale attributum Sulphurum nobiliorum metallorum est, vi anodyna excellere, (quod itidem facit Lapis Philosophorũ in fluida adhuc constitutus forma) nec alium effectum positivum obtinere, quod si ergò hac vi non insignita fuerint solaria, nihil erunt. Adeoque ergò justum judicium de solaribus ferre volens tres conditiones ratione usus Medici probè consideret, quarum prima est, ut observet, an corpus solare magis vel minus sit reclusum, adeoque substantia ejus Sulphurea extraversa, secus enim aurum in corporali substantia est sine efficacia, aut si eam habet, nulla erit alia, nisi ut saturet alia acida se solventia, quod sanè non impossibile, cùm hypochondriaco- melancholicis id observatum sinit. (teste MOEGLIN in scripto suo *Aureum Vellus* intitulato, in quo Tincturam solarem ex terra solari parandam habet] Interim cùm eundem scopum, nempe saturandi acidum peregrinum suppleant martialia, hinc non opus erit ad Solaria confugere. Adeò ergò genuina est PARACELSI epicrisis, primum dicentis gradum præparandi aurum ita ut reddatur volatile, esse, reddere illud irreducibile. Secunda cõditio observanda est, ut consideretur, quale menstrum & quomodo id adhibitum in præparatione solis fuerit; pro indole namque menstrui; itemque pro apparenti hinc Tinctura, præparationes & vires solarium variant, & Tincturæ solares non tam ex sole, quàm plerumque ex spiritu urinæ, salis &c. originem ducant. Tandem tertia consideretur, nempe ipsorum menstruorum, à quibus sol tractatur ingressus in corpus solis, exque hoc emergens nova textura novumque concretum, quæ textura in causa est, ut Solaria subinde vires peculiares distinctas à menstruorum pariter ac Solis viribus habeant, & nunc in corpus aluminosum transeuntia stypticа, nunc ratione salis, cum quo tractatum est Sol, laxantem, qualem & habet aurum fulminans, potestatem acquirant.

2 *Tartarum vitriolatum solarem*) Sic simpliciter fit per crudi cum tartaro vitriolato combinationem, conf. *HOFMANNI Clav. p.*610.

3 *Rubinum solarem:*] *GLAUBERUS* Solis crocum cum nitro fixo tractando in rubinum redigit, continentem tamen aurum crudum.

4 *Vehementiores acores:*) Scil. ordinaria menstrua pro Sole solvendo sunt aqua Reg. spirit. nitri bezoardicus &c. quæ dum solvunt aurum coagulantur in hoc, hincque nunc stipticam, nunc corrosivam vim acquirit.

5 *Oleosas insuper extractiones:*] Talem auri Tincturam habet *MYNSICHT p.*7. & *B.D.D. GANZLAND* cũ oleo distillato cinamomi paratã, quæ ipsa solaria potabilia egregia sunt propter oleũ destilatũ cinamomi, quod est analepticum per se, color autem promanat ex oleo isto, coëunte cum sale Solis.

6 *Ex Carbonibus:*) Ex his & similibus Tincturam solarem nonnulli parare volunt, non secus ac BALDUJNUS ex aura solis capere gestit, habentque omnes pro fundamento hoc, quod omnia regna in radice conveniant, & in sulphure quoque cõmuni lateat sulphur Solare; interim posito, sulphura ista in radice convenire, non tamen sequitur eadem quoque in specie convenire, unde relinquamus & silices Solares Salfeldianos GLAUBERI, Tincturam ex iis Solis prolicere conantis: Sic & AMMELUNGIUS Tincturam suam vocat Solarem, quæ transiret ex silicibus istis dictis cum spiritu, ubi tamen iterum probetur, an eadem sit Solaris, an verò Martialis naturæ.

7 *Mannam, rorem:*) Hæc plus in recessu habent, siquidẽ paratur ex manna menstruũ, mercurius mannæ dictũ, cujus beneficio quidãCalcem Solis in Tincturæ corpus redigunt. Sic de rore propter participationem salis universalis, *conf. BORELLUS cent.*1.

8 *Spirit saturni:*)Cùm hoc paratur aurum potabile FRANCISCI ANTONI sive Londinense, de quo *vid. BORRICHIUS de Hermet. Ægypt. Sapient p.* 290. & *HOFMANNUS p.*213. Interim quia saturni spiritus non multum differt à spirit. vini, propterea nec forma ipsa tanti valoris est.

9 *Spirit. Microcosmicum:*) Hic constat ex spiritu urinæ & spirit. vini imbibitque crocum Solis.

10 *Solis Vexationem:*) cum triplo antimonii institutam pro purificatione Regis per Lupum, putat AUTHOR esse prodigalem, quæ tamen purificatio

catio Solis optima est, cum antimonii copiosum sulphur rodat, absorbeat & imbibat quælibet heterogenea tam metallica, quam non metalica Soli admista; idem fit, quando in capella beneficio saturni purificatur Sol; nam & hic saturnus quælibet alia metalla inbibit.

TEXT. LUDOVIC.

amve per Cineritium vexationem (in nostras quidem destinationes) præviam: cum simplices illi, vel paulo vetustiores ac bonæ notæ Regionum auriferarum 1 Ducati, nihilo deteriora vel invalidiora hoc in genere Medicamenta præbeant; tantillo Lunæ in plerisque solutionibus alias prius subsidente, aut si remaneat, aperte innoxio. Supervacuas deprehendet *plerasque, toties repetitas Calcis*, alias per competentes enchirises solubilioris 2 *Calcinationes (communiores aut cum Mercurio;)* 3 *Sublimationes cum Ammoniaco sale, vel* quasi singularius esset, 4 *cum Salis & Urinæ spiritu*, utrobique non sine multa Solis perditione, etiam inter elutriationem institutas, aliasque protelationes: cum qualitercunque quidem sic magis attenuata vel florificata Solis substantia, (quantum nos quidem inter competentiorum Menstruorum adhibitionem notare potuimus,) in genuino effectu vix præsentiores vel exaltatiores, sed (ob variam Auri dispensationem:) cariores saltem Tincturas fundat; diversimodeque sic tentatum ac per vulgatiores hactenus quidem processus circumactum Aurum, utplurimum nihilo difficilius per 5 usitatas reductiones redeat, quam simplicissimum quodque aut primitivum aliquod ejus Præcipitatum. Imo si *Irreductilitas* horum tanti est, ceu Solem suo modo destrui posse vel modos dari, (*qui Saturnum Antimoniumque spernant, aut hujus saltem Tinctura postliminio reficiantur*,) credimus; quærere nihilominus nobiscum posset simplicior aliquis, an Aurata ea tunc agant, ut Aurata? & quænam tandem (oculatiori hoc, nec jactantiis aut vulgi rumoribus tantum hodie dante seculo,) revera observetur inibi præeminentia? Sic *repetitas toties abstractiones cum subsequis suis dilutionibus ac Filtrationibus*, majoris depurationis aut subtilitationis causa institutis, plerumque similiter frustraneas esse, Solemque manifesto magis magisque, (subtractis semper Menstrui particulis solutum ferentibus,) secedere, quivis qui pretii gnarus est, aut saturatius hinc medicamentum expetit, facile advertet. Et si quæ amplius circa hæc laborum ac sumptuum minus prodigi, finitis curiositatibus suis annotabunt.

De *Bezoartico Lunari* superius inter Antimoniata diximus. Sique 6 reliqua, plerunque tamen minus directe ad Diaphoreticorum titulum pertinentia, per Lectoris indulgentiam hic post solaria considerare licebit, principio varias liquidorum siccorumque formulas earumque effectum diversimode experti, diffiteri profecto similiter nequimus, quod ubi Invertentia vel Absorbentia præparata, spiritus volatiles urinosi, Salia similia volatilia, Cinnabarina, Succinea, & cætera præsentiora Cephalica Opiataque defuerint, plerunque frustra assuantur. Quod porro (quibusdam huc tractus aut substitutus) 7 *Lapis Lazuli, etiam citra supervacuas Lotiones, semidestructorias Calcinationes, pictorias è Emplastrationes*, quantum è plerisque istorum sperari potest, haud infeliciter nonnunquam & in tantum supleverit, sive in (innoxia de cætero) substantia; sive in genuinis, [nec exoterica tantum aut potissimum arripientibus) Extractionibus, Lunarium imitamento institutis, sed proin nec huc protinus huc trahemus. Sane si omnino quispiam in diffusiori forsan apparatu Argentei quidpiam (tanquam præ solaribus minus prætiosum) exegerit; vel simplicissimo saltem 8 *Lunæ finæ, ex Aqua forti cum Muria præcipitato Magisterio*, tanquam præ eo, quod *cum Alcalibus præcipitatur* (ni admodum edulcoretur,) longe acceptiori, subtiliori atque alios etiam in usus singulariori, secure tantisper acquiescet; seu per se seu cum Antimonialibus &c. dederit: nec adeo præsentiorem inveniet 9 *Tincturam quorundam sicca, aliosque consimiles subsidentes*

NOTÆ.

1 *Ducati*:] Optimi sunt Corvini, ex puro Sole Hungarico confecti; qui si habeantur, non opus est purificatione solis. Etenim siquidem Luna iis adhæret, hæc, dum solvuntur in aqua regia, spontè separata fundum vasis petit.

2 *Calcinationes*:) Subinde bis quidam menstruum cohobant à soluto Sole, ut hoc eò magis dissolvatur; interim hoc labore supersedere possumus, si sumamus triplum menstrui, & solutio in diuturniori digestione servetur; sic hæc tantum præstabit, quantum frequens illa cohobatio.

3 *Sublimationes*:) Harum una cum triplo salis armoniaci instituta sufficit.

4 *cum salis & urinæ spiritu*:) GLAUBERUM notat, qui scil. solvit aurum cum spiritu salis, & præcipitat cum urinæ spiritu.

5 *Usitatas reductiones*:) Scil. hoc vult AUTHOR, quod quemadmodum proletariæ Solis solutiones facilè sint reducibiles, itaquoque secretiores reducantur tribus modis, nempe 1. per alcalia v. gr. borracem, sal Tartari, cum quibus si fundatur præparatum ex Sole, tunc post post fusionem aurum prodit, imbibentibus alcalibus illa acida, cum quibus tractatum est Aurum. 2. Per saturnum, fundendo præparatum ex Auro in capella; sic enim sitibundus saturnus quælibet acida absorbendo Aurum corporale sistit. Tandem 3. par ratio valet & cum antimonio ita procedendo, quælibet heterogenea Auri adhærescentia absorbente, unde si Auro refinato affunditur spiritus salis rectificatus, hic extrahet colorem citrinum ex corpore Solis, remanente in fūdo corpore Solis instar calcis. Solutio hæc tincta assumitur ad guttas aliquot intra corpus, tunc excrementa alvina nigerrimo colore inficientur, simili ratione atque ex remediorum Tinturalium usu Jam porrò si pulvis ille in fundo sub lunæ fixæ nomine, hujusque tinctura extracta, tractetur cū borrace, aut aliis salibus fixis, irreducibilis manebit; sin verò is antimonio combinetur, antiquum prodibit Aurum; unde putant sulphur antimonii tingere illam Lunam in solem, astres & dubia quæritur, an hoc fiat propter Tincturā ex Auro extractā, per antimonium verò denuò accedētem non verò ob corpuscula salis, intimius se illi jungentia, ut adeò hujus nativus color hic conspici nequeat. Ex quo patet, quod posito solutionem aliquam Auri non posse per borracem reduci; tamen illud per antimonii regulum præstabitur, absorbentem spiritum salis, & ita Aurum pristinum sistentem.

6 *Reliqua lunaria*:) Præmonemus hic circa lunam, eandem dicatam à Veteribus fuisse capiti ex vana hypothesi, ubi scil. Tincturæ lunares contra vertiginem, deliria &c. iisdem fuerunt commendatæ, quæ tamen omnes sunt supposititiæ, & venereæ potius, ex venere latente in luna prodeuntes. Et sanè quemadmodum aliàs metalla inter se affinitatem habent, ita luna & venus in radice adeò convenire videntur, ut in rerum natura vix ulla Luna per se sine contagio veneris habeatur; jam verò venus per alcalia ista volatilia tractata semper intensè cœrulescit, & colorem ultra-marinum præ se fert, quem nunc in luna, nunc ex lapide Lazuli productum putamus esse. Et licet luna non semel, sed etiam ter in capella cum saturno purificetur, non tamen hac ratione omnis venus separari potest, hincque BOYLE in *Phil. experim.* fatetur, Tincturā lunæ genuinam non esse cœruleā, sed albā, quin imò nosmet à Chymiatro quondā audivimus, se ita posse lunā à venere separare, ut illa cū urinosis menstruis tractata neutiquā cœrulescat, sed obscurè rubescētem Tincturam sistat, *conf. Vol. I. Act. H ff. p.* 123.

7 *Lapis Lazuli*:) Et qui ejusdem frater lapis Armenus, inprimis participant vitriolo veneris, de luna parum, imò sunt, qui & Aurum ex Lazulis elici posse contendunt, quo de *vid.* BOETIUS *de gemm.* Interim dubitamus hîc, an iste sit verus lapis Lazuli. Qui lapidem Lazuli in Tincturam cogunt, hi nauseam illa ipsa concitantes, nihil efficacis ejusdem usu in Praxi Medica præstant.

8 *Lunæ finæ*.) Posito non concesso lunam usum habere in corpore humano, AUTHOR bina selecta ex eadem ponit, unum siccum; estque hoc magisterium cum aqua forti ex soluta Luna & præcipitata cū muria factum; ita melius hoc fit, si luna cum alcalibus præcipitatur, cum alcali acido aqua fortis adhærent; contra alcalia lunam puram præcipitent.

9 *Tincturā quorundā siccā*:) Hæc fit ita: ℞ sal. urinæ hocque pyxidi argenteæ inde, sic illud successivè rodit pyxidem in colorem cœruleum: Hoc sal extrahatur cum spirit. vini, ita dicunt prodire essentiā lunæ, cùm tamen sit simpliciter ea Tinctura ex venere.

TEXT. LVDOVIC.

Pulveres, Ita si 10 *Liquidum* quoque quidpiam, *Tinctura* nomine hactenus veniens, omnino voluerit è *prædicto Magisterio cum Salis Armoniaci vel etiam Salis Tartarri spiritu*, tanqum plerisque intentionibus præ aliis conformi,] Liquorem simplici quidem procedendi modo habebit, qui nihilominus operiosiori isti, 1 *è Nitrosis Lunæ Christallis cũ ammoniacali & hinc Vini spiritu conquisito* si, que *viror ejus* displicet, pauxillo spiritus istius Ammoniacalis facile in *cæruleum* denuo vertendo; item 2 *volatilisationibus, per Armoniaci additionem* adhuc tædiosius,) ac parva *à simplici sublimato Lunari, per idem Sal levato*, differentia) institutis, aliisque speciosioribus minusve suspectis Processibus, [in suo genere & operandi modo,) ad minimum par erit, 3 *Extractionibus* autem non solum inconsideratius *in Argento cuso vetustiori, vel Calce vulgari* (per Venerem præcipitata) quæsitis, verum etiam (non sine frustranea variatione, laborum multiplicatione, residuæ Veneris suspicione, vel præsentiori concentratarum Menstrui particularum effectu,) passim imperatis, magis probus, præsentior aut parabilior deprehendetur; utut vulgares vel curiosiores quoque, *per Vrinæ* [*in specie*) *spiritum* (*solitarium, aut spiritui Vini vel Acetosis nuptum,*) *per Alcalia aut Acetosa, vel Æruginosa*, sui simile inibi plerumque amplexantia, &c. hodieque nonnullibi proponantur; 4 *aut Luna prius tot prævius*, (Venerem tamen insolidum raro sequestrantibus] *vexationibus, tædiosis per Sulphur aut Mercurium calcinationibus, Acetosis* (*pro Lunar dicto Sulphure*) *Menstruis, operosioribus exotericisque Crystallisationibus, aut exigui proventus sublimationibus Ammoniacalibus*, (qualicunque de causa vel prætextu] subjiciatur. Multo minus autem opus erit, ut præter hæc, (plane pro superpondio annexa,) ulterius adhuc 5 *Florum* (*inter Nitrosorum Crystallorum detonationes, aliasve rationes*) comparandorum causa, vel pro *spiritu quodum quasi Lunari* (*per dictam detonationem, aut solutionum, cum & sine Tartaro institutarum*, 6 *destillationem, dum vulgaris* 7 *Vitrioli Lunaris spiritum* alii pridem meritoque taxarunt,) acquirendo, Argentum disperdamus, aut tædiosius è fecibus cum dispendio repetamus 8 *Oleum è digestis cum Vini spiritu* (*simplici vel aromatisato,*) *Solutionibus Lunaribus*, alias magis Vini genimen est: *Sal Lunæ vitriolica* ac plerunque semivenerea mixtura. Nec quid in *Tartaro vitriolato Lunari* seorsim quæratur, videmus. Ejusmodi Metallica diversimode quidem discontinuari queunt; num autem modi isti Naturæ nostræ ipsiusque simplicis, semper conveniant, alii experientia talia nobiscum conferentes, haud difficulter deprehendent. Atque hæc in transitu de Argento, crumenis hodie forsan consultius quam destillatoriis includendo.

Sequitur in ordine 9 *Sulphur*; bituminosorum primas; extra vulgares [in quibuslibet malignis, tabidis; obstructis, &c.) abusus, euporiston polychrestum; saltem 10 *crudum selectius*; ceu id jam olim Floribus aliquando destituti, & antiquitatis exemplum, æque præterea facilem Arsenicalium, (si intermixta forent,] in sublimatione ascensum expendentes, secure dedimus: citra *Præparationem* istam Dispensatoriis in specie sic dictam, aliterve per *Extinctiones, Incerationes, &c.* (cui bono, dum pingue hinc; aut oleosum istud aliàs operosè quærimus?) institutam circa curiosiorem 2 *cum Salis spiritu*, [integrum sæpe Sulphur in recipiens protrudente (*cocturam*; & citra *qualibet etiã* 3 *Sublimationẽ*, noxia [ceu monuimus) vix subtrahentem, totum potius quadãtenus

NOTÆ.

10 *Liquidum:*) urinosa hic allegata lunam puram non attingunt, sed si aliquid eliciatur, erit illud ex venere, adeoque hinc Tincturæ venereæ prodibunt, qualis Tinctura & hæc AUTHORIS est. Imò observavimus aliquando, cùm puero sub omnibus Lunæ mutationibus epilepsiâ correpto daretur Tinctura Lunæ, hunc toties vomitum passum esse, quoties illam assumeret.

1 *E nitrosis lunæ:*) Processum hunc *vid. l. 2. Furnor. Philos* GLAUBERI, ubi crystallos lunæ cum aqua forti factos beneficio spiritus salis armoniaci redigit in Tincturam cœrulescentem.

2 *volatilisationibus:*) ZUUELFERUS sc. Lunam in aqua forti solutam cum sale armoniaco sublimat in crystallos venereos, hosque cum spiritu vini in Tincturam reverà veneream extrahit.

3 *Extractionibus:*) Extractiones Lunares semper sunt simul venereæ.

4 *Aut prius luna:*) Innuit hic AUTHOR vitriolum lunæ, quod SCHRODERUS habet, estque quando luna cum floribus sulphuris calcinanda, solvitur spirit. vini in solutum vitriolaceum.

5 *Florum inter nitrosorum:*) Innuit hic GLAUBERUM, qui Crystallos Lunæ cum aqua forti compositos miscet cum āā nitri, deinde misturam carbonibus injicit, sic transit spiritus nitri, remanente Luna sub florum forma.

6 *Destillationem:*) GLAUBERUS Crystallos Lunæ cum aqua & Tartaro solvit, hincque iterum crystallisatam destillat, ita prodit spirit. tartari volatilis, de luna nihil participans.

7 *Vulgaris vitrioli lunaris:*) Hoc fit, Lunam in aqua forti solutam in Crystallos inspissando; minus autem vulgare vitriolum Lunæ paratur solvendo Lunam cum spiritu nitri & præcipitando cum spiritu urinæ, juxta GLAUBERUM

8 *Oleum è digestis:*) Scil. reverà corpus oleiforme supernatans aquæ è solutionibus prolectum est proles spirit. vini in ol. redacti.

9 *Sulphur:*) In hoc duæ substantiæ excellunt, quarum prima est oleosa, secuda acida mineralis, Inter has pinguis præponderat, cui quasi pro corpore associatur acidum minerale primogenium hinc porrò in præparandis ex sulphure duo scopi attendendi sunt; vel enim ex eo paratur substantia pinguis temperata, diaphoretica, & in specie balsamica existens (hujus enim ratione quoque suphur balsamum pulmonum ordinario vocari solet;) item ad febres malignas & pestilentiales expedita: Vel substantia ejusdem sulphuris acida in febribus ardentibus, item solutionibus & extractionibus Chimicis usitata. Atque hæ duæ substantiæ sulphuris ad oculum patent in ejusdem incensione, ubi quod flagrat est pingue resinosum, quod verò nares ferit, & in liquoris forma colligitur, est cruda saltem pars sulphuris.

10 *Crudum selectius:*) Tale sulpur pro usu Medico eligit AUTHOR nempe purum illud, nec quisquiliis alienis mistum. Atque studio hoc facit, cùm notum sit, sulphur aliàs pro usu Medico depurari; idque ideò; quod subinde sulphuri minerali communi quoddam volatile arsenicale miasma & venenum sulpureum adhæreat, pro cujus separatione variis modis depuratur Sulphur; nihilominus tamen crudum sulphur præfert ejusdem floribus, eò, quod æquè sub horum sublimatione illud arsenicale sulphur ascendere queat.

1 *Citra præparationem:*) Hâc nempe tritura sulphuris cum aqua non opus est, sicut & nec extractione, neque inceratione, quas habet *ZUUELFERUS in Mant. Herm. parg.* 379. Dum liquefactum sulphur nunc in spiritu vini extinguit, nunc cum cera liquefaciendo illud depurare intendit. Verùm his præparationibus defraudatur magis sulphur suâ pinguedine, quæ tamen maximè desideratur.

2 *Cum salis spiritu:*) Hanc habet *GLAUBERUS part. 1. oper. pag.* 105. præparationem, quâ flores pariter ac sulphur ipsum purificare intendit: sicut & alii recipiũt sulphur crudum, huicque affundunt spiritum salis, ut instar pastæ concretum emergat, quæ destillata suggerit liquorẽ lacteũ constantẽ ex spiritu salis & sulphure. ac admodum laudatum ad hydropẽ.

3 *sublimationem:*) Solent communiter pro purificando sulphure id in flores sublimare, quæ sublimatio à præsente Sulphure est superflua, cùm quicquid volatile eidem adhæret, hac ratione non corrigatur. Cæterùm quemadmodum si flores expetimus ejusdem, iidem simplicissimè ex sulphure crudo præparati sunt optimi; ita qui per addita varia acida fiunt, utplurimùm sunt nullius pretii, quippe cum communi aut vitriolo calcinato sublimati flores sulphuris corrosivam vim acquirendo magis sic castrantur, quàm exaltantur, & sulphur ipsum patitur jacturâ, annotãte *HOFMANNO, Cl. p.* 370. Par ratio ergò, si sublimatio florum sulphuris cũ corraliis additis instituitur, quasi nẽpe aliquid sulphuris ex coralliis unà in sublime veheretur, vana est persuasio; non secus inanis est operatio, quando flores sulphuris unà cum gummatibus v. gr. myrrha, thure, mastiche, croco sublimantur, quippe sub sublimatione florum sulphuris, intensiorem Ignem

requi

requirente, gummata illa addita comburuntur, & empyreuma contrahunt, inde flores sulphuris empyreumatici surgunt, deterrimi saporis & odoris, imò & virtutis destructæ existentes.

TEXT. LVDOVIC.

mutilantem; sive cum *sale communi* [forsitan ob ea ipsa præsupposita arsenicalia, superioribus annis nimium suspecto] perficiatur, sive tardius cum *sabulo, aut Colcothare*, vel adhuc protractiori frustraneove labore, cum *albificato saltem vitriolo*, [exigua utrinque florum ascendentium acidulatione: sive tædiosius *per se*; aut cariùs tantummodo cum *Corallis*, inconsultiusve demum, nec sine empyreumatis contagio, cum *Gummatibus, etiam minuto horum pondere*: ceu id alii quoque, æquè ac frustraneas *sublimationum repetitiones* notarunt. *Diuturnas florum* [*per se vel cum alchalibus*] *Digestiones* laboriosioribus; prælongas è sulphuratis, [inter aromatum oleorumque, plerumque composito graveolentiam quandam imprimentium, vel magis adhuc exiccantium; aliorumque supervacaneorum aut extemporaneorum consortium,] extructas 4 Formulas, *species Diasulphuris, pulveres alexipharmacos* [myrrha, angelica, nitro, &c. indifferenter complicatos,] *& pectorales* libellis suis relinquamus; simplicissima quadam polycrestorum, & quousque licet gratiorum aliquot compositione, vel extemporaneâ tantum admistione satis hic contenti: ceu sanè [præter supra positum 5 pulverem pleuriticum,] bezoartico nostro, vel consimili cuidam acceptiori, [in febribus catarrhalibus epidemiis, ungaricis nonnullis, aut mage pestilentialibus;) quandocunque videtur, sulphur seorsim levigatum haud difficulter additur; & idem forsan in pectoralibus observari posset, ni frequentatior ferè talium usus præsens hic quidpiam, vel quasi pro additamentorum fundamento exigere videretur. Quo fine si quis *sulphuris, radices Ireos flor. & Aronis*, (cum vino vel aceto mitificati) ana permiscuerit, pulverem habebit non solum adultis, sed etiam infantibus adhuc dum sufficientissimum; & pro utrisque per opiatorum, antimoniatorum, jovialium, aut saturninorum (utplurimum tamen hic claudicantium) particulam, amplius haud difficulter alterabilem.

6 *Lac sulphuris* in bronchiorum infarctu crudo ac florificato revera præstantius perdiu experti sumus, (quamvis magisterij ratio in specie repugnare posset;) & hinc cujuslibet complacentiæ committimus, si placuerit, non (carius tantum) *è floribus, sed è crudo* saltem, nec tædiosius parciusque *cum alcali tartareo nitrosove*, sed longè copiosius, revera tamen innoxiè, cum calce viva percoquendo; aut solum (exoterici vel adversi quid nequicquam veritis) *alcalibus illiquando, &* postmodum urina, vel rejiculis quibusdam acetositatibus, (ne vinum frustra disperdatur,) præcipitando facile comparandum; sicque 7 *Florum* (ut occultationis causa, de cætero profecto frustra & citra exaltationem quandam,) per repetitas spirituum acidorum aliosve modos, extus *albificatorum* (quales etiam in præparatione spiritus æruginis sulphurati tandem ascendunt,) locum consultius tunc supplens.

Quod 8 *Balsamicorum* indefinitam ferè seriem, fætoribus plerumque complicatam attinet (internis usibus contractiorique apparatui oppido satisfacit *Terebinthinatum, sive simplex* fuerit, sive (quo exosum penè nunc per ardelionum deturbationes & fallationes nomen obnubatur,) *aliquota olei fœniculi vel anisi parte* inter extrahendum alteratum: purè *anisato vel fœniculato sulphuris balsamo* sic parabilius, at æquè nihilominus in suo genere efficax: *succineo & juniperino* (nisi certas in circumstantias solitarium aut parili ratione alteratum quis velit, acceptius, & in quibusdam intentionibus penetrantius 9 *Tincturis illis, quæ cum ardendi spiritu è crudo sulphure, vel evaporati aut præcipitati Balsami colophonia* vel residuo, (parca impprægnatione) confiunt, saturatius, & sub contractiori dosi præsentius, quorundam 10 Vi-

NOTÆ.

4 *Formulas:*) Quia sulphur crudum selectius & flores ejusdem possunt ex tempore aliis remediis admisceri, hinc non opus habebimus compositionibus ex sulphure prælongis.

5 *Pulverem:*) Pectoralem polychrestum hic intelligit AVCHOR, constantem ex ãã sulphuris puri, radicis ireos Florentiæ, & radicis Aronis, quæ tria sunt pro pulvere pectorali aliis admiscendo. Prodest hic pulvis in affectibus pectoris à lympha acri oriundis, & si combinetur cum opio, medebitur tussi catharrali; sicut cum antihectico POTERII in metu hecticæ; & cum antimonio diaphoretico in metu pleuritidis suppuratæ, aut quoque empyematis egregius erit.

6 *Lac sulphuris:*) Circa hoc in genere notetur, sulphur ratione pinguedinis solvi per alchalia, operantia in pinguia acida; è contra menstrua acida non agere in susphur, indeque præparare Authores ex sulphure remedium, dum illud cum alchalibus, nunc quidem in forma sicca, nunc verò humida, diversimodè solvunt, ita emergit concretum rubrum (nam alchalia cum sulphureis ex pinguibus combinata rubescunt) quod ab acido præcipitatur in lac sulphuris vocatum. Cæterùm prout variant alchalia, ita multiplex datur modus præparandi lac sulphuris, & quidem in via humida recipi solet lixivium ex sale tartari, vel vitriolo fixo, vel calce viva paratum; quæ lixivia omnia solvunt sulphura in rubicundam tincturam, præcipitandam per acida atque urinam recentem: ita calx præcipitata vocatur lac sulphuris; vel in via sicca ℞. ãã salis tartari & sulphuris crudi sive florificati, hinc sali in crucibulo fuso ingeratur sulphur, sic ambo coëunt in corpus rubrum excellenter fœtidum; dein concretum hoc solvatur in aqua, & præcipitatur per acida, ut vinum vel & per spiritum vitrioli, sic cadit pulvis candidus. Interim cùm hoc lac sulphuris per præcipitationem acidorum paratum participet simul de acido præcipitante & alchali solvente; hinc rectè ZVVELFERVS in MS. p. 400. & 401. hoc lac sulphuris rejicit, imò nos eodem nunquam hactenus usi fuimus.

7 *Florum extus albificatorum:*) Sunt quidam ita operosi ut sulphuris floribus per acida, nempe nitri vel salis spiritum eosdem tractando colorem albicantem concilient; ubi tamen loco ipsorum lac sulphuris sufficere potest.

8 *Balsamicorum:*) Balsamorum omnium fundamentum hoc est, quod præprimis olea destillata, & hinc expressa quoque turgeant sale volatili urinoso (cum verissimum putemus, olea destillata esse salia volatilia concentrata) sicque eorum oleorum salia agant in pinguedinem sulphuris occultè acidam, hancque pro more omnium alchalium solvant, ut adeoque ab oleis istis denominentur balsami sulphuris, interno pariter pro usu quàm externè egregia. Cæterùm præfert AVTHOR balsamum sulphuris terebinthinatum, qui in phthisi specificus est, itemque in nephritide, & speciatim in mulierum affectibus, obstructione mensium & torminibus ex acido viscido natis, sicut loco olei terebinthinæ cum oleo fœniculi vel anisi paratus balsamus sulphuris dicatus est pectori; it. cum succini oleo pro affectibus nervosarum partium, & tandem cum juniperi oleo pro renum affectibus, ac dos. omnium est gutt XX. ad summum XXij.

9 *Tincturis illis:*) Sunt qui ex sulphure crudo per spirit. vini parant tincturam, interim tamen parum spirit. vini, nisi imprægnatus is fuerit sal tartari, elicit. Alii à balsamo sulphuris terebinthinato abstrahunt spiritum vini, hincque ex magmate extrahere volunt tincturam, ubi tamen hæc parum de sulphure participat.

10 *Vitæ balsamo sulphureo:*) De hoc CORNERVS Tr. specialem ejusdem nominis edidit, interim modò habeatur balsamus sulphuris, tunc is ex tempore cum myrrha misceri poterit.

TEXT. LUDOVIC.

tæ 1 Corallisato, Martiali, in speciem 2 Antimoniato, vitriolato, aliterve (per frustraneas variationes) quæsito *Balsamo*, [dum menstruum utplurimum additamenta parum aut vix attingit, vel adjecti spiritus acidi vitriolici, &c. filtro absorbentur, aut postmodum subsident,] ad minimum æquipollens; facile pro lubitu *Camphorandum*. Sit autem 3 è *Crudo* tantum, non ex *operosioribus floribus, sub proportionali*, (non vulgò excedente,) *ad solvens pondere*; per simplicem saltem in retortula *Dissolutionem* (quid enim aliud est?) paucas intra horas, vel etiam 4 è *sulphuris hepate*, (ad illius tamen perfectam solutionem plus quam ana salis tartari requirente.) simpliciter sic (citra notabilem alia adversitatem,) præparatum: siquidem cum *spiritu vini è dicto hepate extracta tinctura* indicationibus haud paucis (propter alchali magis liberatum minusve obtusum,) ferè incommodior videtur, minusque saturata est; æquè ac quæ 5 cum *armoniaci consimilive urinoso spiritu* super alembicum levatur, pariter permultis intentionibus inconveniens; (utut equidem 6 Lunam, inconstanter sanè nec speciosè rubificet; & si qui alii modi sunt, etiam metallicis, (inter præcipitandum,) vel propriæ quoque mineræ, (dum sulphuri substituitur,) particulis supervacuè combinati. Est aliquid 7 *Oleosus ille liquor*, qui (citra nimiam olentiam) per spiritus therebinthinæ vel olei cujusdam debita cohobia, non verò subitaneam extremamque (inter intolerabiles fætores,) destillationem exit, & concentrari quoque haud difficulter potest; nihilominus assumptæ oleositatis majores in actione partes sunt, & laboriosiorū saltem Myrotheciis loco vulgatis Balsami, quadrare videtur. 8 Reliqui communes *cum colcothare, sale, pumice, &c.* processus, partim flores potius liquoremve acido sulphureum, partim fætentissimam, oleositatem fundunt, intus adversissimam, extus vel externo quodā sulphuris balsamo in plerisque circumstantiis, (nam solitarius ob inviscationem in litus, utplurimum est incommodior,) facile supplendam. Paretur autem hujusmodi 9 *externum balsamum* convenientissimè forsitan cum *Hyoscyami, vel papaverino*, ubi suppetunt, aut saltem 10 *Amygdalino oleo*, (dum alii sambucinum ex arillis, alii nucum, Rapistri, rosatum, vel cannabinum, inter supervacuas hujus vel illius Authoris inquisitiones præferunt;) *è crudi, non florificati prius, nec etiam alchali quodam* (extus nonnullibi inconvenientiore, *dissoluti sulphuris* proportionali pondere; per simplicem tantum (sine vino, opus oppido protrahente, liquationem seu dissolutionem; citra lentam illam, parumque sulphuris assumentem digestionem. *Camphora* pro lubitu postmodum facillimè alterari poterit. Cur autem *cum lini oleo viscidum illud*, (nec destillationem, seu solitariè, seu cum colcothare, inter tot tædia promeritum,) *Hepar* seorsim confici debeat, non videmus: dum *Diasulphuris Emplastrum* per aliud quoque hujus generis balsamum æquè efficaciter, auctiori solum additamentorum pondere, (ne unguentum penè, per *vulgatioris descriptionis* observantiam emplastri loco exeat,] conficitur; ceu 1 *consimile è sutoria quoque pice pulveratique sulphuris inspersione* Chirurgi quidam ex tempore, nec sine fructu parant. *Aqua calcis vivæ*, *sulphure* [ceu de lacte hujus diximus] *saturata*, bonum quidem, attamen circumspectionis indignum est topicum; ne in sui similes salinos humores incidens, æquè ac *Oleum tartari cum Amygdalino concussum*, *&c.* malum potius augeat.

2 *Spiritus*, etiam genuinus & venali certior, quamvis in præcipitationibus, fixationibus, vitriolisationibus, &c. ob exter-

NOTÆ.

1 *Corallisato:*) E coralliis taliter nihil extrahitur.

2 *Antimoniato:*) Hic balsamus paratur more consueto loco sulphuris communis sulphur antimonii auratum sumendo, & sanè egregius est hic pro usu externo, *Conf.* POLEMANNVS.

3 *E crudo:* Si è sulphure parandus est balsamus, ad part. j. sulphuris solvendi vulgò, duplum olei solventis assumitur, cùm tamen potius part. IV. vel VI. olei, uni parti sulphuris respondere debeant, & quidem non per digestionem, sed simplicem dissolutionem procedendo.

4 *E sulphuris hepate:*) Præparatio hepatis procedit via sicca, ita tamen sal tartari & sulphur āā. liquefacta in crucibulo exhibent corpus rubrum, ejus hepar dictum. Huic adhuc calido affunditur spiritus vini, sic emergit tinctura sulphuris elegans intensè saturata. Vel & affunditur hepati illi ole. terebinthinæ, vel hyosciami, vel raparum pro usu externo; sic genuinus paratur balsamus sulphuris, quippe dum alchali illud fixum dissolvit pinguedinem sulphuris acidam, hincque spiritus vini vel ole. superfundatur, radicaliter fit ejusdem solutio.

5 *Cum salis armoniac:*) Taliter parata tinctura sulphuris alius est usus, & *conf.* BOYLE *Tr. de Coloribus*, ubi docet hunc modum; nempè ♃. calcis vivæ & salis armoniaci āā. his addatur dimidium sulphuris, hinc destillantur per retortam, ita prodit spiritus rubicundissimus instar sanguinis. Cæterùm hanc tincturam non adeo æstimamus, quippe si tantillum aquæ eidem inspergatur, crudum denuò præcipitatur, vel etiam si aliquamdiu asservetur, sulphure volatili spontè exhalante, crudum in fundo subsidet.

6 *Lunam:*) Mineralia & vegetabilia sulphura in alchalibus soluta, si iisdem calidis intingitur luna, hanc instar solis superficietenus rubificat.

7 *Oleosus ille liquor:*) Hunc SCRODER. habet sub nomine olei sulphuris veri, cujus processum tamen rectè, hic AVTHOR corrigit.

8 *Reliqua communes:*) Præparationes sulphuris cum pumice, sub nomine sulphuris olei veri, it. cum colcothare factæ sunt saltem lusus.

9 *Externum balsamum:*) Docet nunc AVTHOR parare balsamos sulphuris ad extra cum oleo hyosciami, vel papaverino, quæ si deficiant, oleum nucū expressum assumi poterit. Talis balsamus in mammarum affectibus & omnibus recentibus vulneribus egregius est; imò nobis consuetum, ut recipiamus oleum infusionis florum hyperici, cui addimus sextam vel octavam partem olei terebinthinæ. Dein in retorta vel cucurbita addendo balsamum sulphuris, componimus balsamum vulnerarium ad extra.

10 *Amygdalino:*) Cùm hoc oleo paratur sulphur externum RVLANDI, cujus descriptionem habet ROLFINC. *Chym. p.* 224. Interim cum sal tartari nimis sit acre, potius solvatur sulphur in oleo illo, hincque addatur camphora, quæ in casu inflammationum, absorbendo acidum, est nobilissima.

1 *Consimile è Sutoria:*) Ita ♃. pix. Sutoria, cui liquæfactæ inspergatur sulphur minutissimè pulverisatum vel myrrha, cerussa & alia, pro diversis intentionibus, hinc bene agitata redigendo in formam emplastri, extendendo super lintea & ita factum ex tempore emplastrum diasulphuris RVLANDI loco potest adhiberi.

2 *Spiritus:*) Acidum hujus sulphuris per se collectū dicitur spiritus, ubi tamen notandum, quod spiritus sulphuris & vitrioli sint unum & idem, cùm acidum sulphuris in mineris venam martis & veneris rodendo in vitriolum coëat, quod & destillatum exhibet spiritum. Hoc probatur: Si enim recipiantur sulphur & limatura ferri, & invicem calcinentur in crucibulo, tunc sulphuris spiritus acidus rodit martem; hinc mistura extinctam aqua simplici & evaporata dabit vitriolum, quod destillatum exhibet spiritum vitrioli acidum: Ut itaque præsente spiritu vitrioli rectificato carere queamus spiritu sulphuris, interim si non fuerit spiritus vitrioli rectificatus, & participet de substantia martis & veneris, tunc melior est spiritus sulphuris, præsertim cū ejusmodi spiritus vitrioli post aliquot septimanas in vitro asservatus & custoditus evadat obscurus; contra spiritus sulphuris semper maneat immutabilis. Jam verò fundamentum spiritus sulphuris parandi consistit in hoc, ut pinguedo ejusdem à substantia acida separetur, adeoque seorsim habeatur spiritus sulphuris. Hoc autem optimè fit, si pinguedo inflammetur, sic enim acidum seorsim acquiritur, nec deflagrat illud contra BECHIVM.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

nas quasdam conditiones vegetius se gerat, apparatui tamen nostro, [cum vitriolicus, longè parabilior hujusce modi postulatis nihilominus satisfaciat,) incassum superaddetur; per tot tædia laboresque *seu* 3 *è campanis patinisve refrigeratoriis*, *seu aqua mersis crucibulis*, *aut retortis tubulatis*, *vel* (diffusius alteriusque potius destinationis,) è 4 *Perfumationibus aqua simplicis*, aut exotericis è *spiritus nitri cohobiis*, aliisque suspectis, molestis, aut sæpe penitus; vel expectatam solum quantitatem fallentibus modis perquirendus. Ita nec modicum illud, (ni singulariter prius per instillatum spiritum inceretur,) è residuo capite mortuo *Sal* extrahi vel reponi meretur; acido quodam vitriolato parabiliori & abundè satisfaciente. 5 *Liquorem in florum confectione* (*sulphureum*, & modo dictæ aquæ simplici, sulphure nonnullis, perfumatæ parem,) Rori minerali adjicere possent, qui istorum sublimatione occupantur.

Atque hæc de sulphureorum selectu eadem opera & conjunctim. *Nitrosa* huc spectantia sub Diureticorum, *Aluminosa* sub stipticorum titulo considerabimus. Supersunt è (communiter huc relato) 6 factitio *Ammoniaco*, *quæ sicca consistentia* hinc parantur: siquidem de spiritu paulò ante sub urinosis egimus. Si quis autem inde reposuerit 7 *Flores* tantum, eosque saltem simplices non quidem *à sale communi*, *aliisve additamentis*, equidem integrum penè ammoniacum, aut quidpiam *vulgari ammoniaco purificato* simile, refundentibus, vel precium solummodo (uti 8 *Corallia*, nisi tincturam è residuo quæras,) incassum intendentibus; sed (recentiori quoque monito) cum *alcali quodam tartareo vel nitroso*, *similibusve* (acidam partem retinentibus) modis sublimatos & verè urinosos: facile profecto caruerit cum *Martialibus*, tum ipsis quoque *Hæmatitinis*. Nam 9 *Martiales*, ex iis *primi* quidem (perpauci,) alias ferro minus infecti, reliqui verò *flavi ac rubentes*, *seu limatura seu battitura vel Stomomatis* (exigua circa ipsum laborem differentia,) particulis saturati, simplicibus ingratiores, & in splenecticis inter tot præstantiora Martialia rarò efficaciores aut penetrantiores, *Nigri* demum, excessivè Stiptici, alterius destinationis sunt. *Hæmatitini* verò colore quidem ac sapore, haud verò in efficacia specialiores (toties promissa expertis) deprehenduntur. 10 *Subtile illud ammoniacum*, *è spiritus urinosi & acidi cujusdam fixi miscella*, (sæpe accidentario nec interdum circa finem, citra subtiliorem particularum dispersionem colligibile, superius attigimus, quemadmodum & *Capitis mortui*, post spiritus urinosi destillationem restitantis *Producta*, *E simplicium florum*, cum sale tartari sublimatorum residuo, *Sal neutrale* quoddam provenit: 1 *E Martiali vero vel Hæmatitino* jampridem *massam*, *quasi vitriolicam*, in deliquia pronam) separavimus; & cum è *Ferro* quidem, non tam verè purget, utut 2 *Salis martis purgantis* titulo alicubi proponatur,) quam (seu per se, seu cum sirupis aliisque saccharatis,) abstergeat tantum aut extimulet; vitriolo martis porrò saporire affectuque revera sit posterior, proinde per arenam ex ejusmodi liquamine, (ante perfectam sui exsiccationem) destillavimus *spiritum flaventem*, jucundè (ni florum adstringentissimorum, tandem ascendentium inconsiderata permixtione pervertatur,) acidum & congeneribus 3 *ex ammoniaco acidis spiritibus*, *diversimodè cum charta*, *farina aliisque additamentis*, (vehiculum præbentibus, aut urinosa sequestrantibus, &c. conquisitis, revera elegantiorem; parergon præterea sublimatorum Florum, & 4 non nemini nuper aliquantillum forsitan martialem: nihilominus cum salis communis spiritus, præsertim propriis floribus saturatus, pariter splendeat, idem post peractam destillationem oleat, idemque tum extus, tum intus, sub circumspecta adhibitione præstet, tincturæque martiales longè præsentiores saturatioresque sint; nec iste proinde statim ob præsuppositum aut inhærens martis tantillum publicis usibus seorsim vendicandus videtur; pariter atque *Hæmatitinus*, è sale ex capite mortuo (per aquam aut ardentem spiritum) extracto conquisitus: siquidem intus prædictis nihilo deprehenditur præsentior; extus ut in jucundis illis veneris solutionibus jam olim; infeliciores forsan) nos fefellerit, supra no-

NOTÆ.

3 *E campanis:*) Si paulò copiosum spiritum sulphuris per campanam habere velis, incende in eodem conclavi, ubi est campana nitr. hac enim ratione acidum hoc nitr. instar magnetis se habet, aëris acidum allicientis, adeoque acidum sulphuris intendentis, in se parcissimum. Sal ex capite mort. spir. sulphuris parat item SCHRODERUS, interim nisi illud denuo spiritu sulphuris irroretur, parum aut nihil accipietur.

4 *Perfumationibus:*) Aqua simplex sulphure acidulata & perfumata prodest vel per se pro corpore juleporum, vel rectificatè pro spiritus sulphuris collectione.

5 *Liquorem:*) Sc. dum sublimantur flores sulphuris in supremo alembici foramen reliquendum est pro phlegmatis, vasa aliàs rumpentis, prolectione, quod ejusdem naturæ est, cum phlegmate vitrioli acidulo.

6 *Factitio sali armoniaco:*) Sal sc. armoniacum est compositum quid ex animali & minerali regno.

7 *Flores:*) Nempe salis armoniaci purificatio ita instituitur: solvitur sal armoniacum in aqua, hincque solutio immittitur cucurbitæ altæ superna sui parte angustæ, evaporaturque per arenam, sic phlegmate evaporante, sal armoniacum purissimum lateribus vasis adhæret, quod sufficere potest internè pro scopo diaphoretico. Interim communissimus modus est, si ℞. sal armoniacum & sal tartari ana & destillentur, ita prodit spiritus urinosus & volatilis, hinc caput mortuum recipiendum est, inque cucurbita alembico suo munita paulo intensiori igne urgendum: Ita ascendunt flores salis armoniaci candidi & egregii pro scopo diaphoretico & stomachico.

8 *Corallia:*) Sunt qui miscent anaticam, aut duplicem partem salis ammoniaci cum 1. parte coralliorum, hæcque probè trita sublimant, sic acquiruntur flores salis armoniaci nonnihil incarnati coloris, ex quibus quidam tincturam coralliorum, utut parcissimam parare gestiunt; sicut ex adverso alii ex capite mortuo relicto eandem quærant, at itidem parcissimam.

9 *Martiales:* (Ex sale armoniaco cũ limatura ferri sublimato triplices acquirũtur flores, nempe in sublimiori vasis loco apparent cãdidi; in medio verò flores flavescentes & sale aliquantulũ imprægnatæ, in capite mortuo verò nigri. Cæterùm quemadmodum priores in affectibus hypochondriacis præ martialibus aliis nullam prærogativam habent, ita nigri flores sunt stiptici, & in liquorem intensissimè stipticum, præ tinctura tamen vitrioli & martis nihil peculiaris obtinentem, resolvuntur.

10 *Subtile illud sal ammoniacum:*) Si spiritus acidus quoque miscetur cum aliquo sale volatili, obtinetur inde sal armoniacum, quod tamen nullam præ sale communi prærogativam obtinet.

1 *E Martiali:*) Remanentia ex sale armoniaco & marte aut hæmatite in deliquium prona, facile in liquorem intensè stipticum fluit.

2 *Salis martis purgantis.*) Hoc non purgat, quin potius eidem meritò substitui potest vitriolum martis, idque præcipuè ex minera martis Solari paratum.

3 *Ex sale armoniaco acidis spiritibus:*) Sunt qui volunt ex sale armoniaco acidum spiritum parare, præsertim cùm huic combinatum sal commune adhuc habeat suum spiritum acidum, indeque ZWELFERI modo, inde prodit liquor acidulus quidem, qui tamen est ex farina; sicut quem habet AUTHOR *pag. præced.* ex sale, cujus spiritus acidus secum simul rapiendo particulas subtiliores martis flavescit, hincque aliquali sapore subdulci præditus est.

Nonnemini nuper:) ZWELFER. sc. spiritum salis martialem ex marte & sale armoniaco parat, qui tamen prærogativam nullam præ spiritu salis communis habet.

TEXT.

TEXT. LVDOVIC.

savimus 5 *Nitrum fixum armoniacale, per utriusque detonationem*, curiosorum est: quæque amplius ex ammoniaco supersunt consultius Pyrotechnicis opificumque laboribus remittuntur.

Atque hæc quoque de potioribus Diaphoreticorum & Alexipharmacorum materiis, eorumque diversimodis productis. Convertamur nunc ad Diureticorum, Lithontripticorum, affiniumque reliquorum aperientium seriem.

Diuretica, Lithontriptica, aliaque Aperientia & Detergentia.

Sint autem è *Vegetabilibus* quidem, similiter pro sylloge intentioneque nostra tantum pauca quædam, temperatiora, abstersiva, aut simul mitigativa: siquidem calidiora malum in præservatione, & accidentia in curatione frequentius augere reliquorum verò pleraque, (præsertim cum ad vesicam itur,) expectationem fallere, de cætero commodioribus sane vel præsentioribus ex animalibus mineralique regno cedere, oppido deprehendimus.

Primas proin (cum progenie sua) esto 6 *Tartarus*; *sique selectior & quasi per se crystallisatus fuerit*, quid obstat, quo minus lotus saltem, (ceu diu secureque, etiam cum *Rubro splendidiore* consuevimus,) detur? citra ullam hactenus (per nimiam quorundam satagentium invectam, *Depurationem* subtilissimam partem, (ceu *residua*, multorum dissolutionibus inserviens *Aqua* docet,) manifestè, vix autem Arenositates, (cum ipse tartarus corallia similiaque coquendo solvat, insolidum subtrahentem; aut si omnino quispiam feculenti quid, (volatili tamen sale refertissimum) vereatur, *semel tantum considerateque depuratus*; uti communiter *Acidi tartari* nomine venit; citra vanas (adeo nivei) *Candoris*, 7 *cremoris ac crystallorum* (seipsa indifferentium) affectationes, aut separatas repositiones. *Tinctura* huic è santalo, vel potius ex papavere erratico, (seu in substantia admixto, seu spiritu vini, à tartaro postmodum abstrahendo extracto,) cum spiritus vitrioli tantillo superinducta, oculos delectat, & hactenus sub 8 *Pulveris digestivi aut hepatici rubri titulo* tartarum jucundius, quam in novellis aliquot ejus nominis compositis occultavit; de se nil aut parum confert. Quemadmodum nec recentior *acidi tartari in* remissiorum istorum 9 *Vegetabilium succis aut decoctis concretio*. Ita nec 10 *Tartarus aluminosus* seu saporem seu intentionem remedii spectes, tanti est; præstantior vero in tartareos scopos 1 *Chalybeatus*; sed hic quoque extemporaneus est, per facilem *vitrioli martii factitii*, (etiam tantum pulverati, nec *prius in succis dissoluti*) admixtionem; missa incomptiori debilioríque infectione, quæ nonnullis *per aliqualem cocturam aut immersionem martis fit*.

NOTÆ.

5 *Nitrum fixum armonicale:*) innuit hic AVTHOR fixationem nitricam sale armoniaco factam, cujus modum docet *VVEDEL. ann. 2. Miscell. Acad. N. Curios. pag.* 298. qui partibus ij. vel iij. nitri fluentis in crucibulo ingerit part. j. salis armoniaci, sic inflammatur nitrum & alcalisatur; interim fixatio hæc non est adeo laudabilis, cùm tardè inflammatio fiat, flammaque non continuetur, indeque acquiratur nitrum semifixum, saltem magnam partem ex nitro crudo & aliqua tamen nitri fixi constans; potius ergò nitrum figatur per subjecta sulphurea.

6 *Tartarus:*) De hujus nativitate & natura indeque parandis remediis diaphoreticis supra diximus, unde hac vice saltem considerabimus tartarum depuratum, & ex eo paratum sal fixum; dehinc tartarum vitriolatum, it. tartar. tartarisatum & sal essentiale tartari, nec non tartarum martialem, quæ omnia sunt egregia remedia; sicut in forma liquida pro selectu esto tinctura ex tartaro diuretica, hæcque ex tartaro tartarisato, æquè ac ex tartaro cum calce viva subacto peracta, & hinc spirit. volatilis tartari ex sale fixo elicitus; ac tandem oleum destillatum tartari hisce, utut aliis usibus conveniat, quoque simul alligatum sit. Si selectior & quasi per se crystallisatus fuerit, multis laboribus circa depurationem ejusdem requisitis supersedere possumus. Etenim per hanc subtilissima ejus pars tartaro solet subtrahi, posteaquam ordinariò observamus sub ebullitione tartari acidum aliquod volatile nares ferire, ut taceamus, separari hac ebullitione saltem recrementa ex tartaro lignea, quæ tamen in selectiori illo & per se crystallisato non inveniuntur, cujus crassiores arenositates hac ratione ex tartaro non separantur, cùm si acidum tartari potest solvere corallia, multò magis solvere possit quoque has arenulas. Diceres, atque inest tartaro terrei quid separandum? ℞. fæcem illam terream esse sale volatili refertissimam, adeoque potius retinendum, utpote à qua maxima diureticæ virtutis pars promanat. Si autem depurandus tartarus fuerit, semel tantum id fiat; nam quo sæpius depuratur, eò magis castratur tartarus.

7 *Cremoris ac crystallorum:*) Horum singuli non speciatim colligantur, sed semel depuratus spontè crystallisari permittatur. Cæterùm in crystallis non rarò impostura est, quippe grandiores illi parari solent additione aluminis, cujus tamen usus abstersioni & detersioni repugnat.

8 *Pulveris digestivi:*) Notus est pulvis hepaticus rubeus dictus, constans ex cremore tartari, tinctura santali & spiritu vitrioli, de quo *conf. ROLFINC. Chym. p.* 289. interim ille nil peculiare obtinet, nisi quòd acidior sit propter spiritum vitrioli, adeoque magis amicus, minus tamen abstersivus. Cæterùm *B. D. MICHAEL* ana eboris sine igne & pulveris hujus hepatici ægris phlogosibus ex primis viis laborantibus; item in casu ardoris à crapula & vini abusu propinare fuit solitus, pro scopo abstergendi, cui tamen cremor tartari cōmodè substitui potest.

9 *Vegetabilium ZVVELFERVS pag.* 411. *M. S.* habet tartarum cum fragis insuccatum, reverà tamen parum de succis vegetabilium ejusmodi tartari participant.

10 *Tartarus Aluminosus:*) Hic pro febribus fugandis ex *ROLLFINC. p.* 289. constat, & curantur quidam febres eodem, ast palliativè, nec adeo tutò, quin facilè recidivent, unde potius alchalia & terrea loco illius sufficere poterunt.

1 *Chalybeatus:*) Ex tartaro & marte præ cæteris in usu est, & in morbis chronicis, cachecticis & hypochondriacis, spleneticis variant, sicut videre est ex *SCHROEDERO & ZVVELFERO M. S. pag.* 412. paucis tamen fit, verbi gratia, ℞. Cremoris tartari part. ij. vitrioli martis ritè (& imprimis ex minera martis solari:) parati, part. I. huic solutioni vitrioli Martis calidæ immittatur tartarus vel & cremor ejus, ebulliendo invicem blando igne; hinc omnia soluta permittantur concrescere in loco frigido, aut quoque ebulliendo inspissantur in mellaginem, ut consistentiam duram acquirant: Ita factus inde pulvis commodè dos. gr. xv. ad ℈j. & robustis ad ʒß. dari potest. Vel & alio modo (quo emergit tinctura vitrioli martis, *ZVVELFERI* sidcæ simile) parari potest tartarus chalybeatus ita: ℞. nempe salis essentialis tartari, (quod est reverà tartarus regeneratus:) part. ij. vitrioli martis ritè parati part. j. Hæc trita in mortario lapideo liquescant in pulverem rubicundum, sub tritura blando igne siccandum & pulverisandum; ita emergit pulvis obscurè rubeus in morbis chronicis dos. gr. xv. ad ℈j. nobis usitatus.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

Porro licet multis dissolutionibus, præcipitationibus, &c. solus sæpe *Cinis clavellatus* sufficiat, ponamus tamen ex ejuscemodi prosapia 2 *Sal quoque Tartari*, tanquam destillati spiritus aliarumque nonnullarum operationum parergon, ac certis intentionibus præ aliis vegetabilium Alcalibus aptius, Cui regionis ratio suppeditat, *Sarmentitium (aut Lixivium inde spissius,)* per nos oppido substituere poterit; at uti in certas applicationes subtilius, ita in acredine requisita aliquanto remissius invenieт. Sufficiet nostræ quidem nunc destinationi *Sal illud tantum è spiritus (totaliter prolecti)* 3 *capite mortuo, etiam ulterius non calcinato*, notorio more secretum, citra ulteriorem cum 4 *Calce viva vel supra Martem* acuationem; curiosioribus laboribus relictam; & 5 citra figulorum tum primitivas, (polychrestum spiritum frustra disperdentes, tum *ulteriores ad Cæruleum usque Calcinationes*, teneriores & internis usibus præcipue nonnunquam expetitas particulas incassum disperdentes. 6 Qui fixius tale quid ad certas, solutiones præcipitationes, &c. (præsertim sicca forma) de subito vult, *anatica saltem Nitri Tartarique detonatione* facile. (ceu passivum hodie est,) habet; verum, (ut alibi monuimus,) acidarum fixarum Nitri particularum haud expers; & subtilioribus proinde productis inconvenientius, Quodlibet horum aqua simplici calida prompte solvitur; aut post debitam exhalationem, spissioris lixivii forma, post filtraturam, servatur; ut profecto 7 *Oleum tædiose per Deliquium*, (de cætero tamen innoxium,) frustra similiter conquiratur.

8 *Tartari hinc vitriolati* empiricos superioribus annis (in Hypochondriacorum ebullitionibus, &c.) abusus alii sufficienter notarunt. Reponi tamen aliquid forsan in diffusiores apparatus inde posset: ceu diversarum solutionum (vitriolatarum vel Alcalinarum) præcipitationibus) nobis sæpe non advertentibus; & totum inconsiderate effudentibus,) sufficienti copia ceu parergon nascitur; *aut* 9 *elegantior adhuc* habetur, si Tartaro Tartarisato in s.q. aquæ s. dissoluto, parili consuetoque modo Vitrioli spiritus instilletur, & totum hinc debite coaguletur; acore tamen Vitriolico in utrolibet aliquanto magis, quam vulgo [non sine subsequa adversitate) solet, exuberante, & Vitrioli spiritu hic (propria substantia aliterve) intaminato; 10 alias noxas, si quæ revera, extra abusus (è libellorum commendatione natos,) observatæ fuerint, huic potius quam *impuritati Salis Tartari*, (quid enim hic accederet, quam fœcum ligneorumq; frustulorum innoxiũ Alcali?) adscriberemus. In Vegetabiliũ catharticorũ remissioribus 1 *succis*

NOTÆ.

2 *Sal Tartari*:) Eligit *AUTHOR*: utut enim nulla specialis alcalisata intercedat differentia, indeque cinis clavellatus sæpius satisfaciat intentioni, tamen quia sub distillatione spiritus tartari sponte se offert Sal illud, hoc commodè in usum adhiberi potest. Cæterùm loco hujus ex tartaro eliciti, in locis ubi vitis copiosius crescit, & sal sarmentitiũ ex sarmentis calcinatis factum adhiberi potest, quod ejusdem cum illo est naturæ & usus, nisi quod sarmentitium subtilius & minus acre præ sal. tartari communi esse soleat.

3 *Capiti mortuo etiam ulterius non calcinato*:) Sunt qui caput mortuum tartari semel elixiviatum de novo calcinant, & iterum elixiviant, interim hoc labore opus non est.

4 *Cum calce viva*:) Sunt qui pro acuendo sal. tartari fixo illud cum ana calcis vivæ in crubiculo fundunt, aut saltem calcinant, hinc que elixiviant materiam; ita sal causticum acquirunt, quale itidem obtinetur, si sal tartari cum dimidio limaturæ martis calcinatur.

5 *Citra figulorum*:) Sunt qui ex ignavia tartarum figulis calcinandum in sale commendant; interim quia hac ratione spiritus deperditur, propterea potius post destillationem ejusdem sal elixiviatur. Tandem aliqui sal tartari paratum denuò calcinant, usque dum cœruleum colorem illud acquirat; interim nec hoc necessarium est, quippe hac ratione sal tartari tandem in terream & cineream fœculentiam abit, adeò ut quantum per diuturniorem calcinationem quoad colorem cœruleum accedit, tantum idem in terreum ferè mutetur, quod cuncta & alia salia fixa toties calcinata experiuntur, accedentibus, imprimis eorum in qua extinctionibus.

6 *Qui fixius tale quid desubito*:) Hoc est qui sal tartari ex tempore facere vult, is ℞. ana nitri & tartari, hæcque in crucibulum candentem injiciat; interim tamen non est id purum alcali, sed de Nitri acido semper aliquãtulum participat, & occultè acidum manet. Hoc probamus ex eo, quippe ante annum calcinavimus antimonium crudum cum ana hujus salis tartari ex nitro & tartaro facti in via humida: ita alcali hoc compositum solvebat antimonium in colorem croceum, huic lixivio filtrato instillabimus acetum destillatum pro sulphure antimonii præcipitando; ast nihil cadebat, ex hac ratione, quod Nitri acidum in alcali illo composito intensius esset quàm acidum aceti; è contra recipiebamus & sal tartari solutum, idque permittebamus ebullire cum antimonio, lixivio facto instillantes acetum, & ecce mox cadebat sulphur antimonii; adeò ergò ad subtiliora producta chimica sal tartari purum, non verò hoc compositum fixum recipiendum est.

7 *Oleum tædiose p.d.*) Alcalisata quælibet, qualia suo modo, ut *TACHENIUS* loquitur, vacua sunt corpora, hinc facilè humiditatem ex aëre attrahendo in liquorem crassiusculum solvuntur, oleum tartari p.d. vocatum; ubi tamen si solvatur sal tartari, v.g. in aqua idem præstabit solutio, quod oleum tartari p.d.

8 *Tartari vitriolati*:) Sunt qui tartarum vitriolatum pro catholico digestivo commendant; ast malè, cùm observaverimus tartar. vitriolatum acrioribus suis salibus varia symptomata excitasse. Cæterum paratur hic ita: ℞. sal tartari in aqua solutum, huic guttatim instilletur spiritus vitrioli usque ad punctum saturationis, ita cadit substantia terrea, liquor autem filtratus & evaporatus concrescere permittatur in crystallos, tartari vitrioli vulgaris nomine venientes. Vel etiam genuinior est modus *TACHENII in Clave sua* non ex spiritu vitrioli, sed vitriolo martiali eum parantis; Ita enim prodit pulvis salino amarus polycrestus, cadente simul croco aliquo martis, internè loco tincturæ martis adstringentis: item externè in ulceribus inserviente.

P *Elegantior*:] Tartarus Vitriolatus esse putatur ab *AUTHORE*, si ℞. tartari tartarisati solutio in aqua facta sit, huicque instilletur Spiritus vitrioli, dein clarus ille liquor in locum frigidum ad crystallisandum reponatur, ita emergit Tartarus vitriolatus majore acore præditus, loco cujus tamen nos tartarum vitriolatum *TACHENII* recommendamus.

10 *Alias noxias*:) Si quæ noxæ è tartaro vitriolato surgunt, debent illæ Spiritui vitrioli non debitè rectificato, adeoque de liquamine venereo participanti originem; nam hac ratione sæpè vomitus ejus usum insequuntur, qui tamen non sunt ex sale tartari, sed ex Spiritu vitrioli derivandi.

1 *Succis concretus*:) *ZUUELFERUS M. S. p.* 417. Tartarum vitriolatum purgantem ex ingredientium vegetabilium catharticorum succis introduxit; interim tamen ille parum de vi purgante participat, cùm hæc tam ab acido, quàm alcali adjunctis castrata sit.

TEXT LUDOVIC.

concretus parum hinc validior; 2 *Mineralibus autem aut Metallicis particulis* per recentiores inventiones imbutus, partim nil minus quam istorum propietatibus quadrat; (ceu supra de Lunari Solarique monuimus:) partim elegantioribus acceptioribusve Præparatis apertè cedit; præterquam quod etiam ex tempore nonnullis eodem effectu, certiorique ponderis participatione, (ut in Emeticis,) associari queat. *Tartarus Vitriolatus* 3 *ex Essentiali sale Tartari* (alias laboriosiori) hic preciosior, 4 *Nitratus* Nitrum est, Alcali Tartarei tantillo extus quasi illitum; & facilius tum extemporanea utriusque mixtura, tum 5 *in ultimo Nitri* (per Olei Tartari particulam depurati) *coagulo*; si opus foret, haberetur. Præstantior existit 6 *Tartarisatus quorundam Tartarus*, è duabus saltem Salis & tribus (purioris aut semel depurati) Tartari partibus præparatus, sive per se detur, sive potius (alias facile humescens,) cum spiritu Vini solvendo in Tincturam diureticam & interdum semilaxativam (ad imitationem *Balsami Tartari* quorundam,) redigatur: (ceu alii 7 *Nephriticæ titulo*, liquorem ex una Tartari & duabus calcis vivæ partibus excoctum, & post filtraturam inspissatum, similiter cum spiritu Vini extrahendo, non penitus rejiculam parant.) Atque hic *Tartari Tartarisati Liquor seu Tinctura*, à Balsamo Tartari rec. parum differens, si cui in paulo diffusiores apparatus placuerit, etiam loco cujuscunque *Tincturæ Tartari* esse poterit. Nam 8 *Vulgata* quidem, sive è spiritus destillati capite mortuo cum nonnullis, sive è sale Tartari simplici, aut (cui bono?) ad cæruleum, &c. prius calcinato proliciatur, cum spiritus ardens, & (alias sponte superstrans,) divaporetur hinc aut abstrahatur, parum ab Oleo Tartari per deliquium differt. Reliquæ verò *subtiliores* visæ, salis perquam exiguum in dosi vehunt, aut largam dosin exigunt; sive (cum aliquibus, 9 *spiritus Vini rectificatior simpliciter saltem super sal illud digeratur*, & aliquantum inde alteretur; sive compendiosius *spiritus Vini communis tantum isti superfundatur*, & cum statim in duas partes secedat, (subtiliori superstante, phlegmatica cum potissima salis quantitate subsidente,) ista prior per tritorium separetur, & vulgaris Tincturæ loco usurpetur. *Quæ* 10 *è sale Tartari cum Silicius liquato* confit, quamvis stabilior sit, supradictâ Tartarisata ob silicei tantillum, etsi vel auratum fuerit, revera præsentior non deprehenditur. *E crudo Tartaro cum spiritu Ammoniacali urinoso* prolecta præter rem carior & operosior est.

Si operæ precia mereri voluerimus ponamus 1 *Arcanum illud*, seu (uti nonnullis vocare placuit) *Sal Essentiale Tartari*, ob

NOTÆ.

2 *Mineralibus*:] Sunt qui Tartarum vitriolatum cum mineralibus [sicut de antimoniali & martiali supra diximus] & metallis imprægnant, interim tamen ille de his participat parum, cùm sub sui coalitu pars metalli maxima excludebatur; potius ergò Tartaro vitriolato ex tempore martialia vel antimonialia addi poterunt.

3 *Ex essentiali sale Tartari*:] Ex hoc instillatione Spiritus vitrioli potest & Tartarus vitriolatus confici, interim idem est corpus.

4 *Nitratus Tarturus*,] Describitur à *MYNSIHT pag.16.* qui tamen parum de sale tartari participat.

5. *In ultimo nitri*:] Scilc. nitrum solvitur in aqua simplici, hinc addatur olei tartari parum, ita ebulliendo nitrum optimè depuratur: Postmodùm mistura in loco frigido recondita concrescat in nitrum, & in spissatione redigatur in Tartarum nitratum.

6 *Tartarisatus tartarus*: [ita conficitur: ℞. sal tartari part. iij. ad iv. Tartari crud. vel semel depurat. part. iij. his mistis affundatur aqua fervida, invicemque nonnihil in loco calido ebullire permittantur, sic effervescunt nonnihil; tandem filtratus liquor per phlegmatis evaporationem in Tartarum tartarisatum redigatur, ita est egregium detersivum & blandum laxativum; interim rarò per se ille Tartarus tartarisatus potest asservari, quin propter alcali copiam liquescat, undè potius crystalli illi infundi solent in spiritu vini, solvente eos, adeoque postmodum sub forma Tincturæ diureticæ exhiberi; sic & alii lixivio salis tartari inspergunt tartarum crudum, continuando hoc donec cesset effervescentia: Dein filtratum liquorem per martialis evaporationem in crystallos concrescere sinunt Saliformes, qui tamen itidem sunt Tartarus tartarisatus in spiritu vini solubilis.

7 *Nephriticæ titulo*:] Hujus Tincturæ AUTHOR est *DD. SULTZBERGIUS* Archiater Saxonicus, qui ℞. calcis vivæ part. ij. Tartari crudi. p. 1. hæc perfundantur copiosa aqua, probeque ebulliant ad ignem, ita enim perfectè alcalisatur Tartarus à calce viva, quo facto liquor filtratione separatus inspissetur in consistentiam salis, cui adhuc calido affundatur spiritus vini rectificatus, tincturam rubicundam saporis urinosi hinc extrahens.

8 *Vulgata*:) tinctura tartari est, quando ℞. sal tartari ritè paratum, huic calenti adhuc affundatur spirit. vin. probè rectificatus, vaseque clauso in igne arenæ materia diu digeratur, hac enim ratione spirit. vini imbibit aliqualem alcali tartari partem, quod sapor urinosus docet simulque spirit. vini textura sua alteratum rubescit; dos. hujus est ℈j. ad ʒß. vel ʒj. resolutiva existit, acidi destructiva & diuretica. Cæterum proindè est ex quocunque sal tartari tinctura hæc paretur: Utut enim verum sit, non adeò multum sal tartari spirit. vini imbibere, aliquid tamen ejus imbibit sapore restante; interim hujus tincturæ loco & tartari tartarisati liquor usurpari poterit.

9 *Spiritus vini rectificatior*:] sal. tartari affusus intercedente digestione illius aliquam partem imbibit, vel etiam spiritus vini communis sali tartari affusus ratione martis sui hoc imbibit & solvit, parte illius spirituosa supernatante, & parum vel nihil de sale tartari participante.

10 *E sale tartari cum silicibus liquato*: *GLAUBERUS* multa pro more suo fabulatur de liquore silicum ceu subjectorum admodum sulphureorũ; hinc & nonnulli, dum funditur in crucibulo sal tartari adjiciendo pulverem silicum vitrum acquirunt, in loco, frigido p.d. facilè fluẽs; sicut alii *Tartaro crudo, pulverisato affundunt spiritum salis armoniaci urinosum*, Tincturam extrahentem in loco calido, & aliquid de acido imbibentem, ubi tamen loco tartari crudi potius Sal essentiale tartari sal. armoniaco solvendum est.

1 *Arcanum illud sive Sal essentiale Tartari*:] Scil. terram foliatam tartari tradit *ZWELFER. in M.S.* sicut eandem jam olim in lingua. Italica describit *LOCATELLI.* Cæterum constat ea ex sale tartari acido aceti ad saturationem usque imprægnato, quæ soluta in spiritu vini, & abstracto hoc, exhibet Sal instar foliorum, quod terræ foliatæ tartari nomine venit, quæ terra nihil est aliud, quàm tartarus regeneratus; etenim quod in destillatione tartari crudo decedit, hoc sali tartari ex aceto redit. quod probamus: Si enim recipimus sal essentiale tartari & destillamus per retortam, acquirimus spiritum & Oleum; nullo modo à spiritu & oleo tartari communi differentia: Jam verò quia sal hoc tartari essentiale facilè liquescit, propterea solvitur illud cum spiritu vini. tincturam, in malo hypochondriaco & affectibus nephriticis egregiam; interim quando hunc liquorem terræ foliatæ tartari cum aliis miscere desideramus, seligamus ea, quæ ferunt consortium alcalinum, secus enim præcipitatio accidit, quod patescit, si recipimus vitriolum martis, hujusque in aqua solutioni addatur liquor salis essentialis tartari, tum emergit quidem essentia rubicundissima, quæ tamen ab alcali tartari præcipitante, post unam vel alteram horam mutatur, undè hoc circa coralliorum & alias solutiones cum aceto factas itidem observandum erit.

TEXT. LUDOVIC.

facile deliquium in duplo præter propter, Aqua cujusdam destillatæ vel spiritus ardentis simplicis aut appropriati, vel etiam Elixiris proprietatis [simpliciter sine acidis parati,] &c. dissolutum: efficax sic *sub Tinctura consistentiâ Spleneticum, Nephriticum, &c.* sive per se detur: sive aliis, Alcalinum consortium ferentibus combinetur: nam ut reliquas Tincturas acidulas Martiales, Corallinas, &c. exigua quantitate instillatum, post aliqualem amplexationem in colore quadantenus equidem exaltat, ita liberaliori paulo pondere complures earum disturbat aut invertit. Parabitur autem 2 *longe compendiosius* unica saltem Aceti destillati affusione, ad perfectam usque Salis Tartari saturationem, [quod duodecuplo vel sedecuplo, pro istius robore & aciditate sit;] & unica similiter spiritus Vini rectificati abstractione; citra tot supervacuas [ceu alibi jam monuimus, repetitiones. Imo rudimentum ejus in vulgaris, [Aceti destilati & Olei Tartari] præcipitationibus gratis quasi sæpe numero nanciscimur, & inconsideratiùs plerumque rejicimus. Nec inefficax medicamentum provenit, si *cum Aceto non destillato & sale Tartari* eodem modo procedant, & Magma residuum [nam salis sicci consistentiam non assequitur,) spiritu Vini solvatur. 3 *Abstractus in illa salis Tartari saturatione Liquore* [spiritui Mellis, Guajacino, vel consimilibus, in acrimonia suâ aciditati cuidam sociari conformis,] haud inconveniens *pro Opii aliisque vegetalibus ac Marinis, &c. Menstruum* præbet, si protractiori tamen labore, per alembicum colligi placuerit. Ipsum verò 4 Arcanum Tartari *Sali Viperino, Cornu Cervi*, &c. ulterius per nos associet. qui volet: extemporaneâ si opus foret, salis cujusdam volatilis urinosi, per acetosa pro more ligati mixturâ [cum eodem recidat,] idem assequi poterimus.

Superest famosissimum 5 *Sal Tartari volatile*, sive [cum ægræ sicca consistentia per se servetur,] *Spiritus Salis Tartari*? remedium, licet genericè cum sui similibus volatilitatibus conveniat, specialibus tamen, destinationibus neutiquam hic destitutum; bonum diureticum, diaphoreticum, atque resolvens, in paulo diffusiori apparatu haud contemnendum, præsertim cum dimissis ambagibus per diversa compendia possit colligi. Publicavimus de eo paucis ab hinc annis in peculiari libello nostras observationes, aliarum quasi solicitatrices; & revidebimus proinde propediem totum, cum aliquali auctario, è versatissimorum virorum publicatis interea experientiis nato. Interim ne manca hic sit Pertractatio, qui *Vrinosum quid*, [ceu Alcalina natura eo potius, quam ad acidum quidpiam propendere videtur,] hinc expetit, primo quod ipsum 6 Salis Tartari selectum attinet, convenientissime assumet huc è spiritus destillati capite mortuo, secundum paulo ante dictas limitationes segregatum; ulterioribus ad virorem vel cœruleum calcinationibus neutiquam exhaustum, si mora datur, mediocri calori [quo insigniter rarefieri deprehendetur,] per menses aliquot expositum, aut ubi suppeditat, id potius, quod mediocriter in figulino furno ollaque tecta *calcinatis Vini siccis fecibus* [*den VVeindrusen, seu crassamento post spiritum, ardentem à vini fecibus abstractum restitanti*] *candidissimum, urinosissimum & jam quasi semivolatile largiter superstat.* Extemporaneum è *Nitri Tartarique detonatione*, propter adhærentem adhuc aciditatem quandam nitrosam, ejusçemodi laboribus incommodius videtur. Quod autem 7 *modos ipsos* pro colligenda volatilitate ista concernit, sunt equidem plures in odore saporeque, [præsertim si mage phlegmatici]

NOTÆ.

2 *Longè compendiosius:*] Vulgò in præparatione liquoris terræ foliatæ Tartari jubetur, ut accipiatur sal tartari ℔ß. huic affusa ℔j. aceti destilati, phlegmatis fiat abstractio, affundendo remanentiæ novum acetum, abstrahendo & continuando hoc, donec acetum destillatum eodem sapore, quô affundebatur, redeat; verum sumatur potius duodecuplum aceti vini respectu salis tartari, hæcque mediante digestione uniantur, deinde quoque unica similiter Spiritus vini abstractio administretur, sic bino labore confectum habebimus sal essentiale tartari.

3 *Abstractus in illa salis Tartari saturatione liquor:*] Hoc est, quando ab aceto destillato saturatum est sal tartari, tunc prodit phlegma quoddam acidulum, quod instar spiritus mellis, vel guajaci inservit solutionibus opii, & purgantium vegetabilium, item marinorum, oculorum cancrorum & corallorum.

4 *Arcanum Tartari sali viperino:*] Illustrat hic AVTHOR locum illum *supra p.* 300. obvium; nempè sunt qui salia alcalia figere volunt, vel per acida, vel per Spiritum vini, ac quidem per illa fit *TACHENII* fixatio salis viperini, ita acidum aceti imbibit hoc & apparenter figendo retinet. Cæterum loco hujus ex tempore salia volatilia cum ejusmodi acetosis combinari poterunt; hinc *ZVVELFER.* ℞. sal essentiale Tartari, illudq; in s. q. spiritus salis armoniaci solutum commendat in malo hypochondriaco. Sicut & præscribere possumus loco digestivi in morbis chronicis, ℞. *Liquor terræ foliatæ* tartari ℥ij. spiritus sal. armoniaci ℥j. mista dentur à gutt. 30. ad 40. 50.

5 *Sal tartari volatile:*] Nempè ex omnibus vegetabilibus vix meliora, nobisque vino abutentibus magis proficua, diuretica prostant, quàm ex tartaro parata, utpote quæ in radice cum vino symbolizantia acidum optimè corrigunt, & per urina evacuant. Cæterum fiunt propterea vel ex tartaro crudo, vel ex ejusdem sale fixo; de illis cùm jam supra sub Diaphoreticorum titulo egerimus, proindè hac vice, qua ratione sal volatile Diureticum, illudque urinosum, præsertim ex Sale ejusdem fixo parandum sit, docebimus, subjungendo huic deinde Sale volatile quoque acidum ex & cum eodem sal tartari fixo proliciendum.

6 *Salis tartari selectum:*] Proponit AUTHOR hîc dicendo illud ex spiritus destillati caput mortuum assumendum esse, nec calcinationem ejus ad cœrulitatem usque instituendam, utpote oriundam ex concrematione Salis istius & in terream Substantiam destructione, quin potius causticum illud sive acuatum, & mediante mediocri calore exaltatum sumendum est, aut quoque ex calcinatis vini siccis fæcibus abstractum restitante illud evacuandum esse; etenim notum est, quod ex fæcibus vini post fermentationem relictis, perque vesicam destillatis eliciatur copiosior spiritus vini; hôc ergò abstractô, fæces in libero loco exsiccatæ & destillatæ exhibent spiritum & volatile sal, quod in magna copia instar nivis alembico cucurbitæ adhæret, Pariter & ex hisce fæcibus destillatis emergit caput Sale fixo urinosissimo etiam semivolatili ditissimum, quod eligendum proin est pro salis tartari volatilis confectione juxta AUTHOREM, ergò contra non conducit pro scopo Sal illud tartari fixum, ex tartari & nitri detonatione paratum, quippe remanet illo nitri quædam acida pars impediens Salis volatilis ascensionem.

7 *Modos ipsos:*] Si omnes ab AUTHORE adductos modos volatilisandi sal tartari fixum in Spiritum aut Sal volatile urinosum consideremus, nil minus acquiri videmus, quam Sal volatile potius processus illi suggerunt vel nullum, vel illud adulterinum, vel ex aliô subjecto originaliter derivandum; vel denique Sal volatile tartari commune, non autem id ex Sale fixo desideratum; cùm tamen scopus curiosorum sit Sal tartari fixum volatisandi, hoc est, jam alcali volatile urinosum, jam verò acidum volatile ex eo separando; reliqua terra figente illa in fundo relictâ.

TEXT LUDOVIC.

seu diluti per rectificationem super alcali Tartareum concentrentur,) in effectu coincidentes : sed enim cum nostra hic intentio in specie ad parabiliora quævis brevioresque processus, quousque licet, directa sit, ex adverso vero 8 *cum Bolo* plerumque debilissimus, *in fastigiato superiorum annorum Fornace* per directa Receptacula, aut nullus aut invalidus; 9 *cum Silicibus*, ut & 10 *post subastrationes*, item 1 *per Vini super Alcale Tartarei abstractiones* æque parcus, & in ultimo hoc processu spiritus Tartari communis haud expers, (ceu quoque 2 è Tartaro Tartarisato similis colligitur,)proveniat; cum porro qui *per* 3 *spiritus Vini Incerationes super Sal Tartari* (vulgare vel Aceto destillato saturatum) institutas laboriosior 4 *per Digestiones autem cum ipso spiritu Tartari* (alias tædiosioris conquisitionis, & per se sat polychresto justo preciosior; qui demum è *Salis Tartari, Calcis vivæ & Salis Armoniaci mixtura* nonnullis alicubi conquiritur, totus aut maximam partem Armoniacalis sit : non immerito proinde, [missis tantis pro suspicionibus ex Accessorio hic natis,] laborum minus, prodigus penetrantissimo validissimoque 5 *Liquori, qui ex anatica Salis tartari & Aluminis seu crudi, seu potius Vsti destillatione*, vel per Arenam provenit; aut si pure Tartarea ingredientia desideraverit, isti acquiescet, qui 6 *ex Oleo Tartari nigro* [alias accidentario,] *cum Sale Tartari aliquandiu negligenterque quasi digesto*, haud difficulter habetur. Parillis quidem in effectu, sed paulo graveolentior & neutralis aut nimium Tartareus est, 7 *ex anatico Tartari crudi Aluminisque pondere destillatus* ; nec adeo ab eo, nisi nonnunquam majori Salis volatilis copia differt, qui similiter per arenam è *dictis ante* 8 *fecibus vini siccatis* [*ous den Deindrusen*] elicitur, & post rectificationem super Sal Tartari cum spiritus Vini parte, graveolentiam nonnihil exuit : ut uterque horum supradictis [pro cujuslibet lubentia & delectu,] surrogari queat.

Qui vero Solutionum, [hinc forte faciliorum,] respectu in *Acidam* [9 *è vel cum Sale Tartari*] *volatilitatem* potius inclinat; licet Urinosi prædicti [præsertim concentratiores) spiritus, circa competentia vel prædisposita subjecta profecto haud sint desides ; & à Sale pure lixivioso, (naturam ejus, & autoris adeo commendantis loca parallela considerantibus,) ad Acetositatem exigua sit consequentia ; nihilominus dimisso fortasse 10 *Liquore, è Metallicis solutionibus* (*cum aceto paratis, & in massam vitriolicam coagulatis,*) *ultimo extremeque tandem destillato*, æque forsan speciosius occupari circa parabiliorem & accidentarium illum, qui in præparatione 1 Arcani Tartari, (sive destillatum, sive commune Acetum receptum fuerit,) haud difficulter sub abstractionibus colligitur, & jam pridem Salis Tartari quidpiam secum abstulisse creditus est : quemadmodum alii quoque de 2 *Liquore, qui de Tartaro Vitriolato communi* [mediocriter tantum citra extremam destillationem] abstrahitur, putarunt. Sic 3 *Alcali Tartareum cum certo Bolo* destillantes aliquando, spiritum acidulum spurium accepimus. Sed de his

NOTÆ.

6 *Cum bolo:)* Sunt qui sal tartari cum ana boli miscentes destillant pro Spiritu Sal Tartari volatili acquirendo ; ast prodit phlegma iners, odoris urinosi tantillo insignitum.

9 *Cum silicibus:)* GLAUBERUS liquorem silicum pro volatilisandis Salibus fixis commendat ; verum nec hac ratione præter martem aliquid acquiritur.

10 *Post subastrationes:)* Hic *ZUUELFERI* modus est *Pharm. Reg. p.* 247. de quo *BECKIUS* judicium rectè fert, nempè hac ratione Salia fixa fatiscere in aquæ elementum.

1 *Per vini:)* Sunt qui pro sale Tartari volatilisando, illud cum vino incerant, ast hac ratione acidum vini in Sale illo fixo concentratum dat regeneratum tartarum.

2 *E Tartaro Tartarisato:)* Hisce petit *AUTHOR LANGELOTTI* modum in *Epistol. ad Curios.* descriptum; quo tamen spiritus tartari simplex nec aliud quid prolicitur.

3 *Spirit. vini incerationes:)* Sunt qui imbibitione salis tartari cum spirit. vini illud volatilisare intendunt, ast tantillum ejus est, quod hac ratione prolicitur.

4 *Per digestione:)* Prodit se spiritus tartari rectificatus, de sale autem nihil ascendit.

5 *Liquori ex ana aluminis:)* Sunt qui destillant sal tartari, fixum cum ana aluminis crudi acquiruntque spiritum urinosum copiosum, qui tamen spirit. urinæ humanæ ex alumine regeneratus est, quippe pro faciliori aluminis, crystallisatione, & pinguedinis vitriolicæ separatione additur eidem urina humana. Sic si ustum alumen cum sale tartari destilletur, acquirimus, nisi alcalisata illa corpora alterata ab aëere fuerint, nihil ; aut si fuerint alterata, phlegma iners tantillum urinosi præ se ferens.

6 *Ex oleo tartari nigro:)* Scil. oleum tartari fœtidum cum sale ejus fixo digestum abit in picem, quæ destillata tartari, *conf. HOFMANN. Clav. cap.* 604.

7 *Ex anatica Tartari crudi ;)* Hac ratione spiritus tartari simplex elicitur.

8 *Fæcibus vini siccatis:)* Hæ post spiritus vini abstractionem exsiccatæ dant elegans sal volatile tartari & spiritum, quæ nil differunt à spiritu & sale tartari crudi ; interim ex omnibus hactenus allegatis processibus hunc modum eligeremus ; vel etiam eos, qui spiritum tartari volatilem urinosum & diureticum optant, juberemus, sibi pararent spiritum clyssiformem ex tartaro & Nitro, primariò de tartaro, secundariò & parum de sale tartari volatili alcalino participantem ; nempe ℞. tartari & nitri āā, quæ additione alcali mista agantur per retrotam tubulatam receptaculo nonnihil spiritus vini tartarisati includendo. Atque sic paratum spiritum hunc de tribus præferimus tincturæ nephriticæ *AMMELUNGII* ex āā tartari, nitri, mineræ antimonii, & Silicum Solarium Salfeldianorum, *die gelbe glettenhaben*, quasi obtinerent aliquid de Auro, prodeunti, quippe hæc destilla per retortā tubulatā in clyssum, præ se ferunt saporē & odorem urinosum, coloremq; Aureo rubescentem, ubi sapor ille primariò dependet ex tartaro, secundariò eò nitro, color verò ex Sulphure antimonii ab alcali soluto, & simul in receptaculum, & recepto. Atque ob hunc colorem tinctura hæc non rectificanda est, secus enim Sulphure antimonii in fundo vasis remanente Spiritus albidus prodit, Est tinctura hæc remedium laudabile in affectibus urinæ, tàm præservativè, quàm curativè, item scorbuticis, hypochondriacis & hystericis, dos. gutt: 20. 30. 40. ad ʒß. in vehiculo appropriato, nempe juxta AUCTOREM in aqua fragorum propinanda,

9 *E vel cum sal tartari in acidam volatilitatem:)* AUTHOR hic parandam docet ; præsertim postquam loco liquoris alkahest deficientis pro solutione margaritarum, coralliorum suadet, ut discamus Salia fixa in specie tartari in acidam volatilitatem redigere.

10 *Liquore è metallicis:]* Scil. ex Sale coralliorum & Saccharo saturni cū Aceto destillato paratis elicitur spiritus vini vel liquor crassus, qui tamen est saltem spiritus vini regeneratus ex Aceto à Spiritu Aceti rectificatus singularem prærogativam præ Aceto destillato non obtinens.

1 *Arcani tartari:)* Sunt qui postquam Acetum destillatum crebrius à sale Tartari abstractum fuerit, hocque saturatum, acquirunt phlegma acidulum parum acrimoniæ obtinens, quod tamen peculiarem solvendi vim non obtinebit.

2 *Liquore qui de Tartaro vitriolato communi:)* Hac ratione spiritus vitrioli phlegmaticus, nec aliud quid acquiritur.

3 *Alcali Tartareum cum certo bolo:)* Scil. quia terræ bolares per se destillatæ dant spiritum acidulum volatilem ; hinc non mirum est Authorem nostrum, sal tartari cum bolo destillantem, acquisivisse spiritum boli.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

alisque, qui trahi huc possent, v.g. 4 *Spiritu è Terra foliata* validiore igne prodeunte, *Liquore à Tartaro Vitriolato* (*è Terra foliata cum spiritu Vitrioli parato*,] *abstracto, &c. acetosis*, hic non est dicendi locus.

5 *Oleum Tartari nigrum* intus gratiosiores jampridem noluerunt; eoque multo minus, inter tot acceptiora, *Rectificationem* quovis etiam modo, promeretur; utut de cætero salis volatilis quidpiam, consimilium destillatorum more vehat. Extus cum ... itus sui parergon sit, pro lubitu repositum gregariis adhibeat, qui volet; potens, resolvens & balsamicum, etiam in contusionibus carnosarum nervosiorum partium, &c. Nec rejiculum olim hinc paravimus 6 *Emplastrum*, ad imitationem Diasulphuris: Verum de Tartareis satis forsan nunc actum est.

Sequatur 7 *Terebinthina, saltem nostras, exoticæ cujusvis* [nomen insuper nonnumquam mentitæ] loco, quosvis in usus; [missis solummodo minutiis] sufficientissima, intus quoque, si certi casus Diuresin cum laxatione alvi exigant: etiam 8 absque *Lotione* aut curiosiori *per pyxidem ligneam transcolatione*, si per se [quamvis profecto sic ingratior,] in notoriis Vehiculis, Emulsionibus aut Mixturis extemporaneis omnino exhibenda foret: nam quæ 9 *Cocta* communiter vocatur, ad occultationem sui, diversis in formulis aptior existit. Nec proin tamen opus est, ut cum frustranea spiritus jactura seorsim vulgo coquatur; siquidem quod post vulgarem spiritus destillationem in vesica remanet, non solum istius, verum etiam ulterius [in Topicis,] *venalis Colophoniæ*, *Resinæ siccæ*, *maritimorum Zopissæ*, *imo* [cum gratis sic habetur,] *communis Picis*, & [dum ipsi *resinosi* 10 *Myrmeciorum grumi*, *der Dalrauch*, & si perperam Mastichi collati, aliquanti tamen nonnullis æstimantur, exoticorum aliquot Gummatum locum satis commode supplere potest; Internis usibus, [si placet vel opus esse reperitur, tum per se, tum adjecto diuretico catharticove stimulo quodam extempore [sine 1 tot *Pilularum*, *Cicerum*, *Marmelatarum*, *Electuariorumque Terebinthinatorum* asservatione, prompte destinandum. 2 *Oleum autem flavum atque rubrum* inter tot resolventia & Balsamica, tanti non est, ut ulterius hinc destilletur; multo minus Sylvanorum *Abiegnum Templinumve*, ut seorsim reponantur; vel *resinosius istud è seminaturis Abietum conis* (in molendinis instar Olei lini) exprimatur, 3 *Spiritus Terebinthinæ* nihilo debilior, at intus sumptu gratior *per Vesicam*, quam tædiosius (licet una alterave drachma pro Terebinthinæ libra una copiosior) *per Cucurbitam* habetur; restitansque illic *Colophoniæ* exiguum in Spiritus pondere defectum facile compensat. *Ex immaturis Abietis conis* plane quidem similis destillatur, at parcior proventus operæ precium non præstat. 4 *Aquam* inspiritus Terebinthinæ abstractione (*primò per Vesicam, aut omnem per cucurbitam*) una profluentem exhibeant Acetove destillato, (dum alii Terebinthinatum seorsim parant,) aliterve admisceant, qui acceptiora aptiorave remedia menstruave nolunt. *Tinctura Terebinthinæ* supervacua in nostro delectu Terebinthinatorum multiplicatio est.

5 *De Juniperinis* inter Diaphoretica paulo ante egimus. *Veronicæ*, Extractum inter Pectoralia sequetur. Ubi verò

NOTÆ.

4 *Spiritu è terra foliata*) Hic spiritus est phlegma acidulum, & præterea nihil.

5 *Oleum tartari nigrum:*) Fœtidum est generosissimum remedium, rectificatum quippe cum CC. usto istud prodit aurei coloris minus fœtens, adeò, ut ad guttas aliquot propinatum, potentissimum sit sudorificum anticolicum & antyhistericum. Contra fœtidum externè reverà egregium est pro malaxandis emplastris tumores durissimos discutientibus, ita quidem ut v. gr. in mammæ tumore duro ex lacte coagulato nato proficiat emplastrum de galbano crocatum *MINSICHTI* malexatum cum oleo tartari fœtido, quod impositum resolvit lactis grumos; Sic & prodest id oleum tartari pro resolvendis tumoribus Gallicis.

6 *Emplastrum* :) Hoc fieri potest dissolvendo sulphur in oleo tartari fœtido, hinc cum aliis in emplastrum ad imitationem diasulphuris *RULANDI* compingendo.

7 *Terebinthina* :]Ex hac eligit AUTHOR spiritus sive oleum subtilius pro interno usu; sicut pro externo magma post spiritum destillatum relictum, colophoniæ instar apparens; Cæterùm rectè Terebinthina à *STARCKIO* videtur balsamum Septentrionale sive Occidentale, cùm quicquid in opobalsamo quæritur, hoc in puncto balsamationis cadaverum, testante *SCHROEDERO* in nostra terebinthina inveniatur: equidem vulgò Cypria eligitur, ast malè; nostras siquidem è larice elicita ejusdem est pretii & valoris.

8 *Absque lotione* :] Cruda aliquando, utut rarò usurpetur terebinthina, nisi sub forma emulsionis nephro-catharticæ, fermentum lithiaseos destruentis cum semine violarum, aut quoque forma misturarum, addito vitello ovi in substantiam lacteam redigendo, v.gr. ℞. *Terebinth. vulg. purioris aut Cypriæ* ℥ß. dissolv. cum s.q. vitelli ovi, adde paulatim *Syrup. de alth. FERNEL*, ℥ij ß. *Vin. malvat.* ℥vj. M. detur dos. ℥j. ad ℥iß. ita laxando alvum & urinam movendo, in affectibus renum & vesicæ optimè convenit. Cæterùm lavant aliqui prius terebinthinam: ast hoc labore non opus est; quin potius per colatorium simplex eam trajiciendo sufficere potest.

9 *Cocta* :] Sunt qui terebinthinam cum aqua igne blando coquunt, sicque in consistentiam spissam pro pilulis redigunt, vel & aliis additis pilulas nephriticas compositas inde formant, ast hac ratione olei volatili exhausta quasi inanis redditur, unde potius destillanda est terebinthina, cum copiosa aqua in vesica, sic enim 1. prodit parum martis aciduli. 2. Spiritus sive oleum subtilius, hinc 3. oleum flavum crassius; porrò 4. oleum spissum & nigricans, balsamum terebinthinæ vocatum: & tandem 5. in fine crassamentum aliquod colophoniæ instar remanet.

10 *Myrmeciorum grumi* :] In cubilibus formicarum acidum spirantium, & sylvas resinificas inhabitantium, reperiuntur grana perspicua & acidulata, ipsarum sudore impregnata, & comparantur à nonnullis mastichi [quæ tamen melior,] itemque præferunt terebinthinæ.

1 *Sine tot pilularum* :] *MYNSICHT* occupatur circa plura terebinthinæ composita remedia, interim ex tempore illa ex terebinthina cocta addito scammonio, rhabarbaro & simil. parantur.

2 *Oleum flavum terebinthinæ* :] Loco hujus sufficere potest oleum hyperici.

3 *Spiritus Terebinthinæ* : Hic nunc per cucurbitam ex arena, cum duplo vel triplo arenæ miscendo terebinthinam, destillatur, qua ratione prodit oleum terebinthinæ, quod addita aqua destillatur per vesicam; ubi tamen, dum illa aqua imbibit multum salis volatilis terebinthinæ, oleum inertius ac parcius prodit. Cæterùm oleum datur à gutt. v. ad vj. malè in vehiculo calido pro scopo diuretico, & præservatorio nephritidis & colicæ; imó & in scabie; sic & balsamus sulphuris terebinthinatus prodest tam in vesicæ & renum, quàm pulmonum læsionibus, itemque in declinatione dysenteriæ pro scopo consolidando à gutt. 8. 10. ad 15. Magma autem residuum à spiritus destillatione externè ingredi potest emplastra loco Colophoniæ & picis.

4 *Aqua in spiritu terebinthinæ* :] phlegma terebinthinæ acidulum nonnulli pro solutione Ostracodermorum commendant, interim hoc nullum præ Aceto communi prærogativam habet.

5 *De Iuniperinis* :] oleum destillatum baccarum Juniperi non cedit oleo terebintinæ, nisi quod hoc magis balsamicum, & corruptelæ renum, magis resistere videatur.

TEXT. LUDOVIC.

6 *Baccarum Alkekengi*, etiam ritè siccatarum datur copia, [missa insipida quidem, sed languente *Aqua*, inconcinnisque inter tot Anodyna *Trochiscis*,] *Extractum liquidum*, sine saccharo quoque durabile, de cætero non inefficax & simul [pro Solanorum natura,] mitigativum, haud inconsulto hic adjiceretur :aut in defectu, vel si magis placuerit, polychrestum illud 7 *Hederæ terrestris Extractum* saccaratum, supervacanei *Sirupi Conservæque* vicem satis supplens: *Aquam enim simplicem æque ac spirituosam* adversus odor, aliàs hinc excludit; & si fateri voluerimus, nec reliquorum simplicium v.g. *Apii*, *Petroselini*, *Saxifragiæ*, *Asparagi*, *Fregariæ*, *Ononidis*, *Parietariæ*, *Linariæ*, *Lithospermi*, *Genistæ*, *Raphani utriusque*, *Bardanæ*, *Pimpinellæ*, *Dauci*, &c. pro superioris seculi more 8 *Destillata*, (utpote vel peradversæ vel languidiores, muliercularum medicationibus aut turgentioris receptismi ampullis aptiores,) ullatenus huc referri merentur: nisi omnino quispiam pro paulo diffusiori apparatu forte *Fragorum aquam*,] non ut inter congeneres præsentiorem, sed tantum acceptiorem) velit; seu per se, seu durabilius cum exigua spiritus Vini particula, (nam gratissimus refrigeransque fructus pro *fermentato spiritu* acquirendo frustra disperditur,) inde abstractam; quasi pro aliorum remediorum, (sed domestici Liquores hic quoque satisfaciunt, ipsaque Aqua minus in universum est durabilis,) Vehiculo. Sane similiter haud adeo multum est, quod ultra hoc, etiam in plerisque (operosius quoque, & præ Antiquioribus considerátius interdum nunc, aut ob Dauci, Cæparum, Porri, Raphani &c. accessum sæpe minus jucunde) *compositis Aquis tot sc. Nephriticis*, *Lithontripticis*, *contra Calculum*, &c. reperimus: nec ipsa famosior, 9 *è Persicorum*, *cerasorum* &c. *fructuum nucleis*, (destillatum quidem alterantibus, Emulsioni tamen aptioribus,) diversimode (*cum & sine acetosis*) præparata, eas tantopere præcellit; nisi omnes hæ seu præsentioribus specificis exaltentur, seu epicerasticis anodynisve [in alio quoque vehiculo sufficientibus,] consocientur. Præservatoriè quantum calculosam Diathesin, [aliàs plerumque indebilem] alterent, miseri indies tandem nobiscum experiuntur: 10 calidiores ejuscemodi Aquæ vel liquores dispositionem istam potius intendunt; ejusque noxæ pariter haud expertes sunt *vulgares Tincturæ atque Essentiæ liquidæ*., *seu spiritus Vini medicati Iuniperini*, *Nephritici*, &c. *cum Infuso recentium Fragorum*, *in eodem spiritu*, potatoribus profecto aptiori, quàm contractiori nostro delectui, Quanta quæso, copia nonnunquam ingerimus sine notabili quadam alteratione, [si continue febricitantes, præsertim Variolis Morbillisque laborantes excipimus,] Fraga? ut *Sirupus* profectò, multoque magis *Essentia è succo liquidior*, [concepta de facile fermentatione gratiam aliàs perdens,] dum plures æque jucundi durabilioresque dantur succi refectivi ac refrigerantes, sint frustranea; multo magis ipsa *Fraga nonnullibi siccata*.

Porrò verò si quis Tartareis Nitrosisve salibus, [simplicibus aut Vitriolatis,] Arcano duplicato, &c. acquiescere nequeat, superaddat hic forte 1 *Ononidis* non tam *Extractum*, [bolari Tartaro affluentissimum, nec si è tenella planta fuerit, in nonnullis aliis affectibus aspernandum;] quam *Sal fixum simplex Sulphuratum*, *aut amplius pro lubitu Vitriolatum*: simulque forsitan comburi possent *Fabarum insuper stipites*, *Vrtica*, *Genista*, *aliave*, pro districtuum ratione parabiliora vel salis majorem copiam suppeditantia: quo *Sal quasi Catholicum* seu polychrestum exeat, nec operosius singula v. g. *Iuniperinum insuper Sambucinum*, *Petroselini*, *Hederæ terrestris*, *Pimpinellæ*, *Tamarisci*, *aliorumque infrequentiorum*, *aut in salis proventu parciorum*, seorsim reponere, vel etiam diversimodè è talibus *Composita contra Calculum*, *Nephritica*, *Diuretica*, [sæpe è minus parabilibus aut nomine tenus solum variatis,] superaddere necessum sit; cum prædictum reliqua facilè suppleat, & competentibus Mineralibus, &c. haud difficulter amplius alteretur.

Atque hæc quidem è Vegetabilibus, suo quovis modo ac tempore, [præsertim inter præsentissimum Mineralium Animaliumque proventum; & debitum Anodynorum atque Epicerasticorum quorumdam accessum] adhibendo, oppido sufficient: ut talium intuitu, neque delectus noster, neque accuratior Praxis ullatenus è reliquis numerosissimis, [quamvis ex parte non semper contemnendis, ex parte tamen etiam nimis tantum speciosis, desidibus, adversis, ingratioribus, rarioribus, &c.] ullatenus exigat sive 2 *Saxifragiam albam*, [aliàs permultis districtibus infrequentiorem,] cum perlevi squam-

NOTÆ.

6 *Baccarum alkekengi*:) Ipsa planta est ex solanorum genere, adeoque non secus ac Nicotiana, hyoscyamus & solanum furiosum vi anodyna & vi narcotica pollent, interim tamen fructus alkekengi sapore nitroso diuretico & abstersivo constant, indeque ex iisdem trochiscos, cum & sine opio, pro exulcerationibus renum & vesicæ ordinariò confecerunt, *vid.* ZUVELFERUS. Nos verò horum loco recommendamus eorum extractum, h.e. succum expressum. & post transcolationem blando igne in consistentiam mellis inspissatum, qui dos. ʒß. ad ʒj. nunc solitariè, nunc cum aliis mistus pro scopo diuretico egregius est.

7 *Hederæ terrestris extractum*:) Planta hæc magnum Dei donum; præter vires pectorales & antipleuriticas in sputo sanguinis, phthisi &c. imprimis quoque diureticum habet usum, adeoque conducit tam præservativè, quàm curativè in mictu cruento, itemque renum & vesicæ ulceribus. Sic habemus hîc mulierem Professoris conjugem, quæ creberrimè ex calculo, passione hysterica, itemque mictu cruento laborans usu hederæ terrestris decoctæ se curavit, & etiamnum præservat. Adeoque ergò duplex hederæ terrestris est usus; nempe vel in decocto, decoquendo cum aqua vel cerevisia (quo pacto saporem herbaceum refert: indeque melius est, si decoctio illius fiat cum āā cerevisiæ & aquæ, condiendæ pauco melle) vel in extracto, ebulliendo eam in aquam sive in succum exprimendo & colatum saccharo condiendo; contra ejus aqua iners est, sicut & Syrupus ob sacchari copiosioris ingressum.

8 *aquæ destillatæ*:) aqu. diureticorum simplicium pro scopo medicamentoso præstant id, quod alias aqu. simul pro scopo alimentoso; nempe sunt vehicula saltem aliorum remediorum, indeque rectè AUTHOR eligit aquam frugorum destillatam pro vehiculo, recipiendo fraga contusa, eaque addita aqua parcè spirit. vini acuata, per vesicam vel cucurbitam distillat, sic emergit aqua illa durabilior.

9 *E persicorum*, *cerasorum*:) Nonnulli semina oleosa aqu. diureticis destillandis addunt, sed justa est ZUVELFERI censura, nempè talia parum virium suppeditare, quin potius ex eis emulsiones blandè diureticas parandas esse, quæ si addatur semen violarum purpurearum, fiunt magis præsentaneæ.

10 *Calidiores ejuscemodi aquæ*:) Sunt qui pro scopo præservatorio in nephritide usurpant Spiritum Juniperi, quod & bonum est: Sicut alii capita alliorum spirit. vin. infundunt; interim tamen ejuscemodi remedia non semper æquè tuta sunt, cùm fumosa existentia ardores renum soleant intendere in illis, qui aliâs iisdem vexantur. porrò alii adhuc fraga recentia spirit. vini infundendo, hunc subinde hauriunt pro scopo præservandi & curandi nephritidem, sed de hoc idem judicium ferendum erit; nempe non semper euporiston hoc, præsertim in junioribus, locum habebit.

1 *Ononidis*:) sal fixum, idque nunc simplex, nunc cum aliis compositum eligit AUTHOR, & quidem Ononis triplex existit, nempe alba, flavescens, & incarnato colore. Calcinatione copiosum Sal fixum suggerit, præter sal tartari pro scopo diuretico commendandum, modò non nimis illud calcinetur, annotante hoc *TACHENIO in Hipp. Chim.* Etenim Salia illa fixa ex diureticorum calcinatione facta non sunt simpliciter lixivialia, sed ferè salsa, adeoque ex sulphuroso & acido sapore conflata; imò stipites fabarum, urtica, genista ritè calcinata fient moderatè salia, absquequoque sulphuris aut vitrioli additione, dos. gr. XV. ad ℈j. imò ʒß. usurpanda.

2 *Saxifragiam albam*:) Hæc in se raro usurpata est, quia parum prodest; cùm pulvis ejusdem radicis minoris virtutis diaphoreticæ sit. Cæterùm distincta est hæc saxifragia à pimpinella saxifraga, quæ est Tragoselinum propriè dictum, utut & hujus radix vulgò ad diureticum usum trahatur.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

meoque Radicularum *Pulvere & Extracto*, vulgatiori quovis neutiquam validiore; sive semilignosam, illam Agyrtarum *Alpinam vel* ingratiorem *Pimpinellæ radicem*, (*siccatam, aut supervacue Extractam*, *Conditam vel Confectam*) *aut herbam insuper, semenve, ac tædiosum inde Oleum*: Non (adhuc magis) adversum (ac circumforaneos olentem) *utrumlibet* (siquidem & hic hactenus frustra *Cretissavimus*,) 3 *Daucum*, *in semine Oleoque suo*,) aliàs equidem haud invalidis:) Non exoticam penè *Ruscum*; aut alias infrequentiorem *Filipendulam*. Quemadmodum nec quæ è 2 *Genista* insuper seorsim proponuntur, nauseabundum *semen Floresve sicci*, *vel conservati*, *aut* dum Cappares adeò vili veneunt,) *conditi*. Non quæ pectorales quoque; aliosve in usus supervacue passim ex *Vrtica majori minorique*, petuntur; *Radix scilicet*, *& Romana semen*, Nec 5 *Eryngii* indigebit *Radice*, *seu siccata*, *seu* (pro enervatis potius, sed exiguo plerumque irritamentò,) *Conditâ*. 6 *non Lappæ utriuslibet*, (dum *Folia* extus ad muliercularum experimenta pertinent,) ingrato *semine*, *vel majoris Radice*, utut in diversis affectibus multis exoticis præstantiore: Non inter tot præsentiora crustacea, *Lithospermo quovis, aut arillis Cynosbati*, *vel Mespilorum*, *decantata Spina alba*, speciosioribusque (in aliis quoque requisitis vel signatura ducente,) *Dactylorum ossiculis*, *Hederæ baccis*, *Glandiumque*, (quamvis inter domestica vulgo haud rejicula) *farinâ*.

7 Ita nec *Apii radicem vel semen* necessaria ulterius invenimus; inter congenera nostratia, cuivis *Seseli Ligustico*, *Massiliotico*, *Cretico*, *Oreoselino*, *Macedonico*, *Alexandrinoque Petroselino*, *Ammi vero*, (sed vano Cantharidum correctivo,) aliisque multo magis, supervacaneis, hircum olentibus, & frigidorum cœnis aptioribus, vel ab antiquorum consuetudine solùm pendentibus exoticis, facile hîc conferri vel etiam nonnullibi præferri queat. 8 *Succi Apii inspissati*, adeò superiori seculo commedati æquivalentia versatiores hodiè Chirurgi alias norunt. Nec denique seorsim sic servari merentur 9 *Amygdalæ potatorum amaræ*; rari rancidive sæpe *Tr[illegible] quoque*, *Persicorum*, *Armeniacorum ac Cerasorum nuclei*; *vel Raphan præterea Violarum Martiarumque semen*, in non quidem adeò languidas, at vomitus interdum mage tunc proritantes *Emulsiones*: nam *Aquas* ex his supra attigimus: 10 *Olea verò ex id genus nucleis* seorsim, vel Nephriticorum titulo conjunctim eum aliis *expressa*, profecto vel *Amygdalinum* usitatissimum intus, extus Hyoscyaminum, Papaverinum, Nucum, &c. æquat, aliquando superat.

Mensis cedant 1 *Petroselini folia atque radices*, *semen* hortulano, deses *Magisterium* negotiosioribus. Sic quoque *Sisarum* 2 *Asparagique* (aliàs nonnullis suspectos) *turiones* linquamus delicatulis, *semen* vanis exoletisque compositionibus; *radicem* (inter tot æquipollentes) hortis; imbelles *Cicéres*, *Raphanum utrumque & Cynosbati fructum* Culinæ: *Conditum hinc & Rob Cynosbati* mulierculis satagentibus; quemadmodum & quæ 3 è *Fabaceis* supersunt, *Aquam florum gynaceis*, *fructum ipsum* Pythagoricis;

NOTÆ.

3 *Daucum*:) Hujus semen præ cæteris nobilitavit *HELMONTIVS Tr. de Lithiasi*, in quo hinc inde ostendit, illud aquas petrosas sui in coctione corrigere, cerevisiasque contra lithiasin præservantes reddere, & rectè, cùm & illud inter diuretica balsamica, quale quoque est terebinthina, referendum sit, & fermenti Renum corruptelam præcaveat. Cæterum daucus est duplex, vulgaris & Creticus: Utriusque eadem ratio, & prætertim semen magis appropriatum pro scopo diuretico erit.

2 *Genista*:) Hujus flores conditi, quia magis pro scopo alterativo quàm diuretico, in hypochondriacis & spleneticis locum inveniunt, illorum loco sufficere possunt Cappares cum aceto conditi, nullam enim prærogativam obtinent; sic nec sal fixum genistæ à Sale ononidis singulare quod habet; unde illud cum hoc mutari potest.

5 *Eryngii*:) Radix præter usum diureticum, qui nonnullius est, si non exiguus, commendatur pro scopo stimulandi venerem; pro quo tamen pariter languidum admodum est.

6 *Non lappæ*: Hujus folia mulierculæ in phlogosibus Erysipelaceis tibiarum commendant, dicendo *quod calorem extrahat* quod effectivè verum est; interim tamen ejus semen contra phthisin non amplius est in usu, contra radix lappæ majoris substituta supra est ab AUTHORE Chinæ & sarsaparillæ pro scopo sudorifero & antipleuritico, in taleolos eam incisam decoquendo, & decoctum usurpando.

5 *Ita nec apii*:) Apia quælibet, cujus species quoque petroselinum est, diuretica sunt decantata; quam vim tamen satis mitem habent, quod probatur, cum petroselini usus communis ostendat, quam præstet id sine ulla alteratione sensili, unde nec in statu therapeuticô aliquid valebunt illa.

8 *Succi apii inspissati*:) Hic inter remedia mundificantia, hoc est, fermentum ulceris acidum corrigentia, & sordium ulcerosarum proventium præcaventia numeratur, & præter absynthium centaurium minus, myrrham, aloën, & terebinthinam illô pro scopo solet ordinari, de quo *conf. SENNERT. Lib. V. p. 2. c. 5. De ulceribus sordidis*, quo loco unguentum genuinum inter alia ex succo apii prostat; interim cum & concinniora, nempè ex Nicotiana & hyperico ad manus sint, plus præstantia quàm apium; proinde hujus succo carere possumus.

9 *Amygdalæ*:) Scil. celebria sunt 4. semina frigida majora, aliqualiter diuresin moventia; ita & amygdalæ amaræ si quid in potatoribus præstant; perrarum id erit, quin potius præstantior in tali casu est spirit. salis ammoniaci, præservans à crapula. Ad hæc his seminibus præferendum est meritò semen violarum, etenim curavimus ante quadrienium mulierem ex calculo ad aliquot dies suppressionem urinæ patientem, cui circa finem die decimi dabamus emulsionem seminis violarum, & ecce ab hujus usu cœpit urinam emittere, utut cum insultu epileptico; hincque restituebatur; tandem verò post aliquot septimanas recidivam incidens peribat; Modus præscribendi esse potest talis.

℞ *Sem. Viol.* ʒiij. ad ℥ß.
adde si placet
Sem. lithosp. ʒj.
c. s. aquæ fragor. f. Emulsio diuretica.

10 *Olea verò ex id genus*:) Interdum contra nephritidem adhibetur oleum amygdalarum dulcium; pro scopo laxandi vias calculi, ceu quidem vulgus sibi persuadet, & temperando urinæ acrimoniam; contra externè pro sistendis doloribus nephriticis optimum est petroleum album, cum oleo papaveris vel hyoscyami expressis mistum, v. gr.

℞ *Petrol alb.* ʒiij.
olei pap. exp. ʒiß.
hyos. exp. ʒß.
M. Pro linimento
anodyno nephritico externè adhibendo, *conf. PANAROLLVS* ex quo Petrolei efficaciam didicicimus.

2 *Petroselini*:) Hoc tam parum in recessu habet ac Magisteria MYNSICHTI è lumbricis.

2 *Asparagique suspecto*:) Subinnuit hic HELMONTIUM, qui in se ipso expertus est asparagi noxam, levatam tamen per semen dauci, potui ordinario incoctum. Et sanè ex spiritu asparagi urina redditur fœtida, quod argumento est, corrupto sic fermento renum lithiasi ansam præbere.

3 *E Fabaceis*:) Fabarum stipites calcinatæ dant sal salsum diureticum egregium; aqua florum fabarum inservit scopo cosmetico, sicut farina earum pro scopo discutiendi, & resolvendi tumores glandulosarum partium inflammatos, cum aceto instar cataplasmatis imposita proficua est.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

farinam hinc domesticis epithematibus; 4 *Linariam* hæmorrhoïdum tuberculis, ut Taurum ea lucrentur, qui vulgatiori hyoscyamo vel verbasco, &c. nequeunt; *Dipsacum* (aliàs quidem haud adeò rejiculum,) Pannifici, *Echinorum istorum vermiculos* iis, qui nauseabundis miseros incassum vexant 5 *Betula* ut speciali cuidam potûs vitio alicubi contulerit, tantum tamen & indifferens Nephriticum experientibus profecto non invenitur, ut *Gemmæ cum Corticibus* euporistis scabiosorum linimentis atque balneis aptiores videantur: *Extractum earum* sapore quasi fatuum, effectu deses plus vice simplici reperimus, & magis adhuc *Succum destillatum: Crudus*, quamvis interaneas impuritates (quali quali tandem attemperatione vel modificatione) segreget, & Corallia similiaque obstracoderma solvat, in hac tamen classe, ni Acidularum more potetur, languidior est, etiam *è superioribus ramis* (supposita majori alteratione) collectus; in 6 Cerevisiam Magnatum quorundam cura nuper cum Maltha & Lupulo (pro more) coctus, sapidam quidem, sed in Nephritide haud adeo præservatricem reddit; ceu per se quoque Septentrionalibus (sponte facileque) Fermentatus, potui quam solidiori medicationi aptior est. 5 *Nephritico ligno* quis inter effectum æquè ac colorem instabilem seu variabilem, sumptus hodiè præ tot parabilioribus impendat? aut in 8 *volatico Musci clavati semine*, alias quidem extus bono desiccativo, & in pyrotechnicis, (Moschorum etiam observatione) sine fumo eleganter, (si ellychnio insuffletur) flammante, nimium maceretur? 9 *Cynosbati fungi in Extracto* præstant aliquid; sed hoc ipsum in selectis nostris largiter aut abundantius invenitur: in substantia domesticum potius frontale pro gregariis, cuivis radici Rhodiæ par exhibent, *Aquas verò destillatas* accessione sui notabiliter validiores haud reddunt. Atque hæc de vegetabilibus simplicioribus. Pergamus nunc ad ejusdem generis remedia, quæ ex Animali (Diureticis, præsertim in 10 insectis affluentissimo) Regno numerosissimè huc similiter relata sunt, paucis tamen nihilominus atque selectioribus apparatum nostrum sufficienter complebunt.

Sint primò 1 *Cancrorum* polichresti, (quamvis nec *Chelis, cum induratis suis Tendinibus, nec ipsis Exuviis, imo ipsis Cosichlearum testis ac tectoriis*, in defectu congener efficacia desit,) *Lapilli*; quivis, non religiosius è *vivis tantùm* exempti; post simplicem solùm *Pulverisationem* solitariè, vel cum opiatorum aliquantillo dati, quovis eorum 2 *Magisterio*, (*seu ex Aceti, Nitri, Salis, aut Vitrioli Philosophico spiritu* diversimode præcipitato, seu per 3 *spiritus Nitri abstractionem* confecto, magisque sic diaphoretico,) ad absorbendum, invertendum & detergendum tum hic, tum 2 in Pleuritide, febrilibus ebullitionibus,

NOTÆ.

4 *Linariam:*) Hæc decantata est pro doloribus hæmorrhoidalibus, prostatque hinc unguentum de linaria HARTMANN. *in Pr. Ch.* Cujusdam Taurum hoc euporisto lucrantis descriptio habetur in HORSTIO, & laudatur illud à HOEFERO; internè loco linariæ sufficere nobis potest liquor ex floribus verbasci contusis & in cucurbita putrefactis, hinc volvendo vas continens massæ panis, in clibano coctis, paratus, cùm sic emergat liquor insigniter anodynus, & tam in arthritide, quàm hæmorrhoidibus proficuus.

5 *Betula:*) Hujus succus non saltem est diureticum & præservativum lithiaseos, annotante HELMONT. *c. 8. Th. 24. de lithiasi*, ac Anglis testantibus curativum nephritidis, sed & craseos Massæ Sanguineæ scorbuticæ purificativum, adeoque in scabie ferina proficuum, sicut aliquot exempla curatorum scabiosorum hujus usus novimus. Cæterum succi hujus spiritus destillatus nil prodest; etenim aqua elementaris prodit; contra remanet post destillationem parum gummatis, in quo primaria residet vis antinephritica præservativa. Succus betulæ coralliis affusus, si aliquandiu stet, rubescit; adeoque corallia rodit; idem succus, notante HELMONT, ex superioribus ramis collectus, præstantior est præ eo, qui ex trunco colligitur, interim usus ejus consistit in hoc, ut instar acidularum graduatim potetur, dosin quotidie augendo.

6 *Cerevisiam:*) *HELMONTIUS* docet parare cerevisiam medicatam antinephriticam ex succo betulæ cum semine dauci; & sanè potum hunc egregium contra Autorem æstimamus magni, & novimus exempla præter *BOYLEUM* in *Philos. Experim.* hujus usu levatorum, & præservatorum; sic idem succus per se fermentatus dilutus in potu haud incongruum antinephriticum est.

7 *Nephritico ligno:*) Hoc ab effectu ita dictum hodie est rari usus; & cum sit illud de fraxinorum genere, loco ejus ex India occidentali petendi, sufficiet nobis fraxinus nostras, Cæterum quemadmodum Color tincturæ nephriticæ est instabilis (cùm si ejus Mj. grosso modo incisi aquæ, aliquot ℥iis. infundatur, vasque inter oculum & lucem ponas, appareat tinctura coloris aurei, contra si idem vas ita à luce obturetur, ut hoc inter & lucem oculus tuus sit; tunc comparebit coloris cœrulei:) ita & effectus ejusdem est incertus; *conf.* HOFMANN. *Cl. p. 510. & seqq.*

8 *Volatico musci clavati semenine:*) Lycopodium sive muscus clavatus terrestris præter alios usus continet saltem tempore æstivo farinam flavam: (sulphur vegetebile aliàs dictum, ex eo, quod levi ignis attactu incendatur & strepitum edat) quæ non est semen illius, cùm hoc figuræ semi lunaris in floribus, clavis similibus, contineatur, sed sulphur; simileque habent juli corylini, item strobili pini juniores. Cæterum illud sulphur lycopodii vulgo & inter Diaphoretica numeratur, & verum est, pro scopo curandi infantes epilepticos id mirificè prodesse; imò ischuriam eorum quoque tollere, nec non ipsorum hecticam sedare, sicut etiam externè in vulneribus, dictis manantibus, inspersum mederi; interim tamen coryli sulphuris optimum est post hoc lycopodii dandum ℈ſ. ad gr. XV. *Confer. Miscell. curios. ann. 3. observ. 13. pag. 21.* hocque *D. D. GANZLAND* vocavit *puerorum pulv.* propter usum in epilepsia, & morbis infantum.

9 *Cynosbati fungi:*) in his latent vermiculi sudoriferi; ex fungis autem ipsis HARTMANNUS spiritum & essentiam parat, quæ tamen nihil in recessu habent.

10 *Insectis affluentissimo:*) Scil. ut quælibet insecta sunt potentissime diuretica, ita Cantharides, aselli, scarabæorum totus exercitus & lumbrici scatent sale volatili nitroso, in quovis diuretica consistit.

1 *Cancrorum:*) Totus cancer est egregiè medicamentosus; & lapilli, chelæ, crustæque ejusdem sunt omnia naturæ, præsertim cùm ex lapillis instar liquoris lactei resolutis novæ chelæ regenerentur. Ad hæc Anglis in usu est pulvis præcipitans ex chelis cancrorum marinorum; interim instar omnium nobis sufficere possunt lapilli cancrorum sive ex coctis, sive non coctis cancris desumti, isque saltem pulverisati, quippe qui pulvis annotantibus *Act. Hafn. p. 240.* præparatis anteponendus. Sic & totus cancer valet contra abortum instantem, & rabiem caninam curandam; ex iisdem scil. in plenilunüs collectis & contusis in M. B. Phlegma eliciatur, quo in substantiam siccam pulverisabilem redigi queant; ita pulvis hic à ℈j. ad ʒſ. & ʒj. datus conducit pro diuretico, abortum præservativo, & rabiem caninam curante remedio, cui & addi potest opii aliquid; in casu dolorum nephriticorum.

2 *Magisterio:*) Quælibet oculorum cancrorum magisteria, quæ fiunt corrosione cum spiritibus acidis & cum alcalibus præcipitatione, hincque extra corpus saturata, inefficacia erunt intra corpus assumta.

3 *Per spiritus Nitri:*) Magisterium oculorum cancrorum per spiritus nitri abstractionem paratum remanet salsũ, adeoque magis Diaphoreticum) quàm diureticũ.

4 *In pleuritide:*) Lapilli cancrorum in hoc tantum præstant, quantum ossa lucii piscis.

TEXT. LUDOVIC.

machi angustationibus, aliisque 5 vicinis acoribus, ardoribus, &c. longè præsentiores. Idemque *de solutionibus quoque* 6 *cum aceti, vel ipsius etiam Æruginis spiritu* hoc fine paratis, affirmare possumus: 7 *cum oleo tartari* (quamvis parciùs oculos illos aggrediente,) vel vulgatiori modo 8 cum *salis spiritu confecta*, ob accessorii particulas adhærentes præstant quidem interdum aliquid: sed dum (ab una quidem parte,) tinctura tartari, tartarisati, arcanum tartari, &c. evidentius operantur; aut alcali quoddam ipsis facilè associari, vel prius volatilisatum feliciùs surrogari potest; dum (ab alterâ,) nec solitarius salis vel etiam vitrioli Philosophicus spiritus deses, de cætero sumptu jucundior, nec extemporaneæ mixturæ (post levem moram & subsidentiam) expers est, cur Entia præter rem multiplicemus? Adeoque nec 9 *compositos illos Lithontripticos, Nephriticosque liquores, cum eodem spiritu* (amarorem quendam hinc induente,) *è nullis non animalium marinorum & subterraneorum crustis aque testis*, passim conquisitos huc referemus. Multò minus autem vulgares cartilagineos (spiritu salis haud adeo seorsim obtemperantes,) aut duriores *semilunares carpionum, item percarum, tincarum ac quorundam alburnorum lapides*; 10 *Ovorum (vel post ipsam pullitiem) testas*, & si quid aliud pro euporisto, vel in *pulveres lithontripticos*, (simplicibus suis plerunque propter ingredientium inconvenientiam deteriores, aut in prædictas salinas simplices aut compositas *solutiones* tractum est. Quo pariter *Manati lapidem* mercatoribus, (1 *Struthionis ova* magnatum raritatibus, & (ut reliqua cancrina eadem opera expediamus,) ingratum è frixis 2 *Butyrum* mulierculis, 3 *spiritum* curiosioribus, integrè combustorum 4 *Cinerem*, ni amaricantibus alexipharmacis exaltetur revera debiliorem, (uti mixtura primo simplici, hinc invertentibus Bezoarticis de morsis longè majora operæ precia fecimus,) exoletis experimentis relinquamus. 5 *Aqua vero cancrorum analeptica, simplici vel* cum sui similibns *composita*, quidni decoctum aut collisum (licet nec talia solidi sint momenti,) præferamus? 6 in ophthalmicis *famosissima isti (alias diversimodè à diversis proposita) destillata*, jam olim parem deprehendimus solitariam chelidoniæ aquam; ut 7 *Galaturas, pinguedinem serpentinam, mustelinam*; &c. præsentiora taceamus: In vulnerariis siquidem omnino liquidum quid desideraretur, 8 *Oculorum in vino infusam* oppido præsentius se sistit. Qui autem eos *speciebus vegetabilibus*, (affusam aquam

NOTÆ.

5 *Cum aceti:*) Scil. oculi cancrorum commodissimè pro scopo diuretico; & sanguinis dissolutivo adeoque in pleuritide & febrium intermittentium ardore corrigendo propinantur cum aceto; interim tamen iidem non penitus ab hoc dissolvantur & saturentur, sed saltem quodammodo aperiantur, assumendo, v. gr. pro ℥ij. aceti vini oculorum cancrorum ℥ß. hac enim ratione acetum emergit urinosum amaricans diureticum & diaphoreticum.

6 *Vicinis acoribus:*) Lapilli cancrorum assumpti, quodvis acidum in primis viis absorbendo, fiunt salsi & diuretici.

7 *Cum oleo tartari:*) Sunt qui ex oculis cancrorum affundendo oleum tartari p.d.& hinc coagulatum spirit. vini extrahendo & abstrahendo, parant oleum diureticum, de quo *SCHROEDER vid. l. 5. p. 326.*

8 *Cum spiritu salis:*) Sunt qui oculos cancrorum in spiritu salis vel vitrioli Philosophico solventes solutionem coagulant, quam in cella resolutam sub nomine liquoris nephritici circumferunt; verùm cùm dicti spiritus per se sint diuretici, non opus erit tali combinatione; interim si loco aceti lapillis cancrorum pulverisatis parum spiritus salis addatur, emergit mistura diuretica extemporanea.

9 *Compositos illos lithontripticos:*) loco horum oculi cancrorum cum spiritu salis assumpti sufficere possunt, ubi coagulum hujus prius per deliquium fuerit solutum; utut *D. D. MICHAEL* & in usu habuerit hoc. ℞. Oc. cancrorum lap. Judaic. Lazul. Lync. spong. glaciei, testar. ovor. struthiocamel. āā. q. v. soluta hæc in oleo salis decrepitati, coagulavit levi calore, hinc coagulum reposuit in cella, ut fluxerit.

10 *Ovorum:*) Sunt qui testas ovorum, ex quibus pulli exclusi, majoris æstimant prædiis, quod tamen an. hinc vis alcalina fuerit aucta, in medio relinquimus.

1 *Strutionis ová:*) Horum testæ, parem cum nostrarum gallinarum testis habent efficaciam.

2 *Butyrum cancrorum:*) Hujus descript. *vid. in SACHSII Gammarologia p. 812. & 828.* Mulierculæ id commendant pro phthisi, ast in confirmata parum præstat.

3 *Spiritum:*) Aquam cancrorum fluviatilium *POTERIUS* commendat contra rabiem caninam, ast huc præferimus *A. D. MICHAELIS* enchirisin, qui miscendo partes quasdam hujus aquæ cum part. j. misturæ simplicis demorsis à cane rabido medicatus est. Aliàs cancri destillati exhibent 1. phlegma. 2. spiritum urinosum. 3. parum salis volatilis oleosi. 4. oleum fœtidum. 5. caput mortuum quod affusa aqua simplici instar calcis vivæ effervescit; contra toti cancri de sale volatili alcalino participantes, ratione hujus & vi vulneraria & diuretica pollent.

4 *Cinerem:*) Cinis cancrorum fluviatilium *GALENO* & veteribus pro rabie curanda commendatus legitur; interim pro hoc scopo debilior hic est; quin potius ad imitationem *HENRICI* recipiamus pulverem cancrorum in M. B. calcinatorum part. ij. huic addamus myrrhæ & gentianæ à p. j. quæ invicem mista dos. ℥ß. ad ℥j. propinemus à cano rabido demorsis.

5 *Aqua cancrorum:*) Sunt qui phthisicis aquam cancrorum tam simplicem, quàm compositam commendant, ast potius decoctum cancrorum his præferatur.

6 *In Ophthalmicis:*) Insinuat hic *AUTHOR* egregiam illam aquam ex cancris fluviatilibus & herba chelidonii recentis constantem quam habet *CROLLIUS* & adhuc perfectius *MYNSICHT pag. 269.* conducentem in inflammationibus, vulneribus, ulceribus & pustulis oculorum; equidem concedimus chelidoniam per se esse ophthalmicam, cùm *BURRHUS* hac ipsa quoque deperditos oculi liquores restituere asserat: interim tamen ante biennium destillavimus ex cancris phlegma & sal volatile, quorum illud in oculorum affectibus, puta doloribus & inflammationibus per quam efficax deprehendimus.

7 *Galaturas:*) i. e. mucilagines seminis cydoniorum aut psyllii cum aqua cancrorum vel spermatis ranarum factæ polychrestæ sunt in oculorum affectibus.

8 *Oculorum in vino:*) Scil. lapilli cancrorum internè cum aceto vel vino propinati, non tantum in oculorum vulneribus, sed & aliarum partium sunt egregii, v. gr.

℞. *Aqu. Hyssop.* ℥ij.
Menth. ℥ß.
Acet. vini ℥ß.
Ocul. cancrorum. ℈ij. *ad* ℥j.

M. Pro potu j. vel ij. dos. in casibus Chirurgicis propinandus.

TEXT. LUDOVIC.

simplicem longè citius saturantibus,) 9 *pro diuretico decocto, imo alicubi oleis thraumaticis infusis* hodieque addunt, nescimus qui sint excusabiles. Qui verò 10 *è Morsulis, Gammarorum caudis* (*similibusque deliciis*, sanorum mensis aptioribus) *fartis*, in Phthisi hecticaque tantum expectant solamen, vespillones sudificare velle videntur: idque similiter circa prædictas illas *Aquas antihecticas antipthisicasque* ni ex accessoriis quædam (v.gr. Ros, herbæ ac flores refectivi, &c. aliquantillum refrigerium aut levamen afferant, indies verum esse experimur. *Sanguinem hircinum* supra quidem alios in usus posuimus: at in hac, (quo communiter etiam refertur,) classe plerumque languet; ceu quoque *Leporis siccatus cruor, & è toto cum pelle pilisque cinis*; *Lucii mandibula, troglotides tostus*, consimiliaque alia, quæ miseri ex relationibus, vel accidentariis aut individualibus observationibus excogitarunt. *urina hirci, etiam embryonis* (rarior,) semel in Iscuria conferre visus est, postmodum nos aliquoties deseruit; remedium aliàs sordidum, æquè ac 1 *stercoris Columbini* solitarii vel cum fragis in vini spiritu *infusum. Cicadas* non tentavimus: at cum 2 *vesiculas, quæ in calamis scriptoriis* reperiuntur, concisas & cum aceti tantillo sumptas, sudore modo pleuritides spurias tollere plus vice simplici vidissemus, num *Halecum vesiculæ* similiter pro diuresi quidpiam (secundum cujusdam commendationem,) possent, aliquando sed frustra experiebamur.

Ita 3 Lapides non solum in *Apri bovisque sed hominibus quoque vesica* reperti, nil aut perperum, interdum expellunt: & quot scatulas *Excretorum Nephreticorum* denuò deglutitas, at sine ulla mali emendatione, novimus? Sanè qui 4 *Ludum* hic quærit, cum *Fossili recentiorum* prius transigat; de cætero deprehendet, quod in tanta tartareorum (simplicium aut acidulatorum,) affluentia, hujuscemodi sordes, quamvis *è matula quoque* supervacuè tamen corradantur, aut per 5 *Calcinationem* (*sal complicatum* quadantenus saltem quasi alcalisantem, aut additamenta potius attingentem,) tententur, elixivientur, *salificentur*, aut in (vulgarem illam operosioremque præter rem) *Tincturam* redigantur.

6 *Cantarelli* nobis quidem vernaculi, nec interdum (semper enim, ob sæpius hinc, at incassum quæsitum vomitum ac diuresin, non dixerimus,) desides sunt. Dum tamen inter tædiosam talium venaturam, scorpionum sufficientem numerum hodie tolerabili precio passim haud difficulter comparamus, nec ob eorum *generationem*, (adeo sancte calidioribus nonnullis tractibus adhuc dum assertam,) 7 *Ocyma verna cantare* hic locorum cogimur; posuimus proin superius eorum *Infusum oleum*, *saltem simplicissimum*; hic quoque extus, (intus enim cum *ustis etiam scorpionibus* innoxium quidem, at potius veterinarinorum est,) satis hactenus proficuum; sive per se, sive pro circumstantiarum ratione terebinthinæ, ceræ, &c. penetrantioribus oleis interdum permixtum aut obnutum, ceu notum est, adhibeatur.

8 *Asellos* autem (modo simplicissimè, nec vulgò destructoriè potius) *Præparatos* cujuslibet hic delectui remittimus. Certum est nobis, quod arenosas in vesica conglobationes interdum expulerint, tum per se tum aliis resolventibus sociati. Cer-

NOTÆ.

9 *Pro diuretico decocto:*) Intelligit hic *POTERIUM* & *MYNSICT*, quorum ille in *pharm.* habet decocta diuretico nephritica & vulneraria, quæ præter alia ingrediuntur cancri fluviatiles in substantia, & rectè; contra *MYNSICHT*, oculos cancrorum huc trahit, qui tamen nec in decocto, nec in infuso aliquid dimittunt., adeoque illum potius sequemur.

10 *E morsulis:*) Morsuli sc. ex carne cancrorum fluviatilium & cochlearum.

1 *Stercoris columbini:*) Hoc per quam nitrosum spontè in aëre efflorescit in nitro: Hinc & ex eodem ritè calcinato potens diureticum nitrosum acquiri potest; interim tamen in spirit. vini infusum illud parum præstat, nisi potius in vino maceratum exprimatur.

2 *Vesiculas quæ in calamis:*) Pennæ combustæ, quia operantur ratione salis volatilis oleosi, proinde verisimile est, & vesiculas calamorum nunc habere usum.

3 *Lapides non solum in apri bovisque, sed hominis quoque vesica reperti:*) Hi, speciatim humani, præter vim diaphoreticam, diuretica nonnullis commendantur, nec id immeritò, sunt enim concretum tertium salsum, ex sale urinæ volatili & acido stomachali aberrante coagulatum, sicut anatomen calculi humani hanc docet *TACHENIUS in Hipp. Chyn. c.* 14. Ut ut autem verum sit, pulverisatum calculum humanum urinam pellere, si assumetur, tamen superstitio est, quando dicitur proprios calculos devoratos præservare ab ulteriore eorum generatione, cùm præservativè & curativè parum ii præstent.

4 *Ludum:*) *PARACELSUS* hunc commendat ceu singulare contra calculum tam præservativè quàm curativè, hincque suum *AROPH* facit per idem; interim varia sub ludi nomine intelligunt AUTHORES alii nempe lapidem humanum, Alii ut *HELMONTIUS Tr. de lithiaſ. c. 7. Th.* 23. nomine illo insignit speciem calcarii prope littora reperibilis.

5 *Calcinationem:*) Quemadmodum alii ex calculo humano plura parant remedia, de quibus *conf.* SCHRODER *l.* 5. ita quoque ludum ipsum calcinatum & p. d. solutum cum spir. vini extrahendum jubet, ubi tamen spiritus urinæ omnia ea præstat præservativè & curativè, quæ aliàs ex calculo humano exspectantur.

6 *Cantarelli:*) Scil. Scarabæi omnes conspirant suo modo interno & externo usu, ac quidem externè Cantharides sunt vesicantes, interne autem urinam cientes. Cæterùm omnes inter eminent cantarelli Italorum, sive scarabæi unctuosi Latinis denominati, quod attactu sui liquorem unctuosum acrem, fortiterque olentem emittant. Atque liquorem hunc vomitus, secessus atque urinam movendo, chronicos, nephreticos & arthriticos affectus curare *GLAUBERUS* affirmat, cùm tamen per se semper urinam moveat, *confer. BORELLUM cent.* 7. *observat.* 37. qua dicit, hoc nomine liquorem hunc ad lithiasin & podagram esse commendatum; interim loco cantarellorum AUTHOR N. scorpiones eligit, quorum oleum simplex rite paratum extra in usu est pro promovenda urinæ supressione, &c. illitum renibus. Equidem sunt, qui pulverem scorpionum tam mortuorum, quàm calcinatorum usurpant interne pro scopo diuretico, & calculi stimulativo, interim rarissimi ambo sunt usus; potius in suppressione urinæ vitio vesicæ præscribatur externe oleum scorpionum taliter:

♃. *Vng. dialth.* ℥ß.
Ole. scorpion. ʒij.
M. &

illinantur pubi & pectini: Sic pro renum linimento

♃. *Vng. Dialth.* ʒiij.
Ole. scorp. ij.
dest. Tereb. ʒj. M.

Vel denique ♃. *Petr. olei alb.* ʒij. *olei destillati juniper.* vel *terebinth.* ʒj. M. pro litu blando in affectibus renum nephriticis.

7 *Ocyma verna cantare:*) Insinuat hisce vulgarem istam traditionem, quâ ex semine aut herba ocymi contrita, & radiis solaribus exposita scorpiones generari putatur, quod tamen falsum est, licet contrarium asserant HOEFERUS, HELMONTIUS & D. MICHAEL.

8 *Asellos:*) Hi vulgò præparantur cum spiritu salis, ast male, cùm sic ab acido istius generoso illi castrentur; quin potius recipiantur eorum ʒß. ad ʒj. qui macerati in vino Rhenano contundantur

&

& conquassentur, hinc exprimantur, & expressus liquor hauriatur; ita vi diuretica, præsertim in calculo vesicæ, quàm attrivisse observatum est, conducit, (non secus quoque in asthmate convulsivo æquè ac humoroso) *conf.* LAUREMBERGII *scriptum de calcul. vesic.* in quo se ipsum per asellos curatum fatetur; item SENNERT. *lib. 3. de calcul. vesic. pag.* 84. quo loco usum asellorum per experientiam confirmatum ex HORATIO AUGENIO habet, non secus atque quoque LINDANUS *in coll. super Ch. Pr.* HARTMANNI confirmat, se bis curasse calculum vesicæ, resolvendo cum mediantibus asellis; contra iidem aselli in fortiori concreto vesicæ calculoso invalidi sunt, interim calculo per accidens conferunt, absente scil. ureterum crispatura, quâ supposita pellentia omnia in vanum adhibentur, cùm aliàs dolores exasperentur. Cæterùm cùm acres sint aselli, hinc in delicatis præcordiorum angustias solent ciere, ob quem metum vix & pulvis eorum est in usu.

TEXT. LUDOVIC.

tum tamen & hoc est, quod in compacto siliceoque Dulech nil valeant; nil aut parum in propellendo renum calculo, præsertim vehementiori ureterum crispatura; quod porrò singulares præcordiorum angustationes; sæpe cum deliquiis in tenerioribus cieant: ipse *Pulvis* squammeus quasi, & vel originis causa (inter tot acceptiora palliativa, dum nihilominus ipsa dispositio inemendabilis passivè deprehenditur,) ingratior est, Paravimus aliquando è 9 *Cantharidibus Magisterium*, cum nitri spiritu & oleo tartari, &c. nec ad urinæ mucorisque sollicitationem adeo deses erat, *sub circumspecta inhibitione:* sed nec tale quidpiam (forte curiosius) selectus noster exigit. Sufficiet hic, si ex iis, (*seu consueto seu simpliciori adhuc modo enectu*,) tanquam inter sui similia insecta ac vegetabilia vesicatoria revera præsentioribus, atque alias vili venientibus, 10 *Emplastrum* habuerimus, saltem simplicissimum, verbi gratia ex ana cantharidum pulveratorum, ceræ, & olei, vel (ubi per accidens suppetit,) pinguedinis Leporinæ, cum pauxillo terebinthinæ: citra *Flammulam*, *Ammi*, *Gummata*, &c. ut in aliis permultis affectibus ad revellendum, evacuandum, &c. sufficientissimum, ita nobis præcipuè 1 in doloribus à colluvie serosa in corpore artubusque obortis usitatissimum, ob citam operationem Fonticulis quorundam more ad aliquod tempus hoc fine excitatis, tædiosissimisque Setaceis, & ob sensibilem evacuationem omnibus frictionibus cum aquis catarrhalibus aut nervinis spirituosis, armoniacalibus, aut oleis linimentisque resolventibus longè passim præsentius; præsertim si pro necessieatis ratione 2 successivus humorum fluor per dies aliquot sollicitetur, ejus exigua quantitate, verbi gratia *quarta vel quinta parte Defensivo cuidam, vel Saturnino Emplastro* admixta, & (interdum cum *Emplastro de Hyoscyamo*, si pruriat locus, alternando) applicata. Ceu alii data opera, (hunc in finem, ut & ad tophorum resolutionem,) consimile ex oxycroceo, nervino, medulla vitulina, terra vitrioli, & cantharidum particula componere *secundum Itali cujusdam præscriptum* consueverunt. Tutissimum de cætero quodvis horum, nec inter quotidianos usus atque continuationes, 3 circa ductus urinarios noxam, hactenus quidem deprehendimus; 4 de interno frigidorum hinc stimulo, & supervacuo 5 num *Caput, ala, atque pedes* detruncari debeant, necne,) litigio securi, qui minus suspectis irritantibus & refectivis idem usque dum obtinere potuimus.

Supersunt 6 *Lumbrici* tralatitia quidem commendatione famosissimi, in se tamen abominabiles, in calculo pellendo pro-

NOTÆ.

9 *Cantharidibus:*) Cantharides sunt potentissimùm adeò diureticum, ut & vesicam exulcerando mictum cruentum inducant; interim veremur, ne in magisterio cantharidum Dn. AUTHOR à spiritu acido nitri & alcali tartari in universâ earundem texturâ vis cantharidum destruatur, indeque potius loco illius magisterii recommendamus essentiam diureticam ex cantharidibus, cum tinctura tartari paratam, quam habet VVILLIUS *Pharm mat. p.* 154. vel & infusum cantharidum, quod tradit BARTHOLINUS *cent. 5. hist. Anat. p. 2. p. 160. & cent. 4. epist. 21. p. 93. epist. 53. p 343. & epist. 65 p. 400.* quibus jungantur & *Miscell. Acad. N.C. an. 1. obs. 133. p. 296.* Atque hæc tuta sunt remedia. Quod si verò præter spem superveniret mictus cruentus, tunc huic convenire potest liberior haustus lactis sale tartari impregnatus.

10 *Emplastrum:*) Notum est, quod usus specialissimus & frequentissimus sit cantharidum externus, pro scopo vesicandi, hinc basin ferè constituunt emplastrorum vesicatoriorum, quæ quo sunt simpliciora respectu compositionis, eò magis præsentanei effectus. Atque tale est, quod proponit hic AUTHOR, pro quo si magis extemporaneum adhuc expectas: ℞ Emplastri albi camphorati p. iij. pulveris cantharidum p. ii. M. Aut si magis correctum aut artificiosum exoptes, sumere potes illud, quod habet SCHROEDER. *lib. 2. cap. 53. p.* 201. quodque recensetur quoque ab HORSTIO *in obs. lib.* 4. Quod si autem mitius adhuc procedere velis in delicatis, tunc pro scopo rubificando adhibeatur saltem Sinapi vulgare; verbi gratia ℞. Sinapi pulverisat. q. s. contusum misceatur cum spirit. vini in consistentiam pultis, admovendæ carpis manuum aut nuchæ, ita rubefacit blandè cutim, aut in tenerioribus vesicas excitat.

1 *In doloribus à colluvie serosa:*) Dolores artuum vagi & fixi scorbutici difficillimæ sunt curationis, & tractantur hinc per frictionem, nunc cum sulphureis spiritibus, nunc volatilibus, hac ratione resolutâ lymphâ dolor non rarò cessat; interim si illæ non sufficiant, applicari solent fonticuli; quibus tamen omnibus præferenda est vesica in pedum suprà & infra genu parte internâ, in nucha, imò & interdum præsentibus doloribus podagricis acerbioribus in talo excitata.

2 *Successivus humorum fluor:*) Scil. hæc est inscitia & inertia Chirurgorum, ut vesicæ semel excitatæ mox applicent vel folia brassicæ; vel emplastrum de spermate ranarum, cùm tamen non rarò diutius servanda sint loco vesicatorio aperta, & nos in infante ultra mensem hoc ita præstiterimus. Cæterùm hoc fit optimè, si quartæ parti emplastri vesicatorii combinetur vel emplastrum spermatis ranarum, de cerussa, vel Saturninum aliud.

3 *Circa ductus urinarios noxam:*) Vesicatoria externa interdum quoque mictum cruentum excitasse patet ex SENNERTO, interim rarissima hæc sunt.

4 *De interno frigidorum stimulo:*) Sunt qui inter remedia venerea pulverem cantharidum commendant, ast minus tutò, cùm sic egregiè debilitentur bellatores: & referat SALMUTH, senem juvenculam ducentem ex abusu veneris, usu hujus pulveris concitatæ, tertia nuptiarum die mortuum repertum esse.

5 *Num caput, ala atque pedes:*) Litigium hoc est de lana caprina, cum quælibet pars in cantharidibus excitet vesicas, unde sumi poterunt integræ.

6 *Lumbrici:*) Hos quidem damnat AUTHOR, interim nos laude afficiendos putamus Origo condemnationis ab AUTHORE factæ videtur esse, quod ipse destitutus sit modo alchalinum spiritum lumbricorum parandi, qui tamen fit recipiendo lumbricos vivos, & eos coacervando in vase vitreo amplo benè clauso, sic putrescendo in liquorem fœtidum abeunt, pelliculis supernatantibus; hinc liquor decantatus destilletur, sic acquiritur post phlegma spiritus urinosissimus, rectificatione intercedente proficuus internè pro scopo diuretico & antiscorbutico; sicut & externè in doloribus artuum vagis pariter ac fixis lancinantibus. Adeo ergò magni is est æstimandus, præ-

 sertim

sertim cùm & D. D. *MICHAEL* mediante hoc & spiritu CC. essentiam suam paraverit, præmissis præmittendis contra arthritidem vagam egregiam. Cæteroquin dosis spiritus illius est à ʒß. ad ʒj. sicut externè cum aqua articulari ad extra ana calidè artubus affricari is poterit.

TEXT. LUDOVIC.

fecto haud magni momenti, pro diuresi in reliquis affectibus, Hydrope, Ischuria, & (cui tantoperè in specie opponuntur,) Arthritide vaga, tot acceptioribus imò præsentioribus Diureticis atque specificis revera posteriores: ceu spiritus salis tartari, calcis vivæ, tincturæ martis, arcani tartari, cinnabarinorum, opiatorum, ac præcipitantium usu æquè felices progressus in vagabundo isto dolore, (plerunque etiam citra purgantia, citra quævis topica & insessus, contracturarum utplurimum authores,) fecimus; absque semirustico illo 7 *expresso succo*, 8 *absque præparatorum perlevi pulvere*, leviorique (tam in pondere, quam in effectu,) *Magisterio* è nitri spiritu cum oleo tartari præcipitato: *Terrea* circa scorbiculos eorum *sordes* sordidæ, *spiritus per se inde destillatus*, phlegmaticus paucoque sale volatili conditus, (inter supradictos aliosque æquivalentes,) curiosiorum, *Abstractitius* specifica vi parum imprægnatus, (sique validior spirituositatis suæ ratione fuerit illitus sæpe non sine noxa,) 10 *Lumbricorum denique infusione*, (*cum vel sine alchali particula*) alteratus, saturatior quidem, at (si insectorum istorum potiorem destinationem cernimus,) uterque minus isti conveniens est: ut proinde solum 9 *Oleum, idque simplex* tantum, (cum *compositum officinarum* additione olei rorismarini supervacanea extempore haberi queat,) hic superstit, si diffusiori forsan apparatui associare placeat, nam ab altera quoque parte unctuositas, emolliendi causa vulgò quæsita, permultis affectibus vel circumstantiis haud convenit. & in vegetabilium etiam infusis oleis, domesticisque pinguedinibus pariter habetur.

1 *Bufones* tandem, eorumque per tot abominabilia tædia (qualicunque quantitate.) coquirendum *Sal quodvis*, & alia horribilia secreta, plerumque (si verum fateri voluerimus,) per traditiones tantum, absque privata repetitaque experientia, (saltem ne nescire videamur,) commendata, iis relinquamus hic, qui experimentationes forsan ultra modum extendunt.

Atque potius hinc ad securiorem fœcundissimamque *Mineralium* convertamur seriem, indde similiter colligendo, quæ parabiliora præsentioraque simul fuerint. Unde non immerito forsitan 2 *Nitro* primum tribuimus locum, saltem *nostrati*; *Barbarico* 3 *Niliacove*, cum remissiori (in nostras hic intentiones,) parciorique 4 *Murario ut & regenerato*, (è spiritus ac nitri fixi mixtura, nitriforme, sed longè acrius sal reddente,) curiositatibus relicto. E nostro vero, si internos quidem in usus primò habuerimus 5 *Selectiores primoresve stirias*, ab accidentario sale communi sufficienter pro more secretas; non est, cur ulterius in nimiis istis, ac Pyrotechnicis plerumque mage necessariis 6 *Depurationibus*, per lixivii saponarii oleive tartari

NOTÆ.

7 *Expresso succo:*) Sunt qui lumbricos cum lacte contusos in succum exprimunt, scorbuticis arthritide vaga laborantibus proficuum; interin hoc utut bonum sit in se remedium, est tamen crassum nimis,

8 *Absque præparatorum:*) Sunt qui lumbricos in M. B. exsiccatos & pulverisatos in Ictero, cachexiis, & dysenteria commendant; interim remedium hoc, sicut nec magisterium eorum magni æstimendum.

9 *Oleum:*) Lumbrici putrefacti sicut dant oleum, ita recentes destillati multum olei; tandem adhuc duplex ex iis prostat oleum quorum prius fit per infusionem eorum & coctionem in oleo communi; alterum verò per pistationem in furno; illud insinuat AUTHOR, commendando id in luxationibus, doloribus, contusionibus, & suffusionibus artuum, quod & alii additione oleorum nervinorum redigunt in oleum compositum ex tempore parandum. Hoc nempe per pistationem fit, quando lumbrici aliquamdiu putrefacti, unà cum vase vitreo continente massa panis incrustantur & coquuntur, ita in liquorem crassum flavum & oleosum facessunt, qui filtratus antipodagricus est, & dolorum lancinantium sedativus internè autem rari usus.

10 *Lumbricorum infusione:*) Sunt qui lumbricis spiritum vini infundunt, digerunt & cohobant, quâ ratione & spiritum pro usu externo satis, pro interno autem minus efficacem acquirunt.

1 *Bufones:*) Hi sunt potenter diuretici ex alimento; vescuntur enim parvis muscis de genere cantarellorum, quos suspensi è stomacho (quod insignius habent) vomitu rejiciunt. Atque hinc beneficio pulveris bufonum, testibus *SOLENANDRO & WIERO* hydropes curati fuerunt. Cæterum præter simplicem pulverem exhibent bufones duplex sal volatile & fixum, quorum illud destillatione tam ex crudis, quàm putrefactis bufonibus prodit; fixum verò ex vivis calcinatis, atque hoc ipso novimus amicum jocosum febres intermittentes curasse, exhibendo illud ante paroxysmum, ubi sanè vi alchalina auxilium tulit. Tandem curiosum est, bufones nitro fuso injectos intumescentes disrumpi magno crepitu; aliàs *PETRUS J. FABER cap. de pest.* commendat & sal bufonum mirè pro usu antipestifero, loco cujus tamen nos potius commendamus eorum sal volatile utut nec hoc præ aliis animalium salibus præferentiam obtineat; aut magis adhuc bufones pro amuleto appensas.

2 *Nitro:*) Nitrum est sal salsum duplicatum, constans naturaliter ex sale volatili oleo & spiritu aëris acido universali: Et quidem sal volatile oleosum obtinet illud ex excrementis animalium, puta stercoribus & urina, quibus associat se sal universale hermeticum, indeque ex his duobus concretum sal novum emergit. Hoc autem quando tractatur cum sulphure, tunc spiritus illius universalis auras petet, & colliquatum acido sulphuris aut carbonum fixatur in sal fixum. Aliàs artificialiter nitrum producitur ex spiritu sulphureo-acido affuso sali volatili vel sali fixo, ita semper nitrum perfectè regeneratum inflammabile amaricans habebimus.

3 *Niliaco:*) Genuinum veterum nitrum vix reperitur, nisi in Ægypto circa confinia nili, quo in loco quædam striæ efflorescunt ceu flores, nunc rubescentes, nunc blandè cœrulescentes.

4 *Murario:*) Nitrum murarium dicitur aphronitrum sive flos nitri, estque lanugo illa, quæ ex muris efflorescere conspicitur, cujus origo dependet ex calce viva, cum qua muri constructi, quippe in illa latet alchali cum mediocri acido, quorum illud saturatum ab acido aëris sal in nitrum compingit.

5 *Selectiores primoresque strias:*) Eligit AUTHOR, scil. in aqua nitri solvitur, & coagulatur, tunc ex prima coagulatione colligendæ striæ pro usu interno; nam quo sæpius solutio evaporetur, eò magis de sale communi participat, ex excrementis animalium oriundo; etenim sal esculentum, quo quotidie utimur ferè immutatum excernitur; atque hoc ipsum sal est, quod nitri refinatores *den Schalst* vocant.

6 *Depurationibus:*) Optima nitri depuratio est, quando id solvitur in lixivio tartari, vel alio acri; hinc solutio ebulliendo evaporetur & coaguletur; sic enim omne sal peregrinum ab alchali illo separatur, & nitrum purissimum emergit, *Conf. TACHENII Hipp. Chym. & Horst. in problemat. medic.*

TEXT.

TEXT. LVDOVIC.

inſtillationes, aliterque (pro innoxiæ mucilaginis tantillo, aut ſuperflua ſalis terræ, toties tamen quæſiti parte) ſequeſtranda inſtitutis, tantoperè occupemur: aut *pro repetitis coagulis* operam & 7 *Roſaceam quoque*, dum aqua ſimplex pariter ſufficeret diſperdamus; vel nihilo præſentiores 8 *Flores* ex ollarum tranſudationibus, aliiſve modis tædiosè conquiramus: aut potiori, nitri ſubſtantia copulave inconſideratius disjecta, 9 *cum ſulphure vel* (carius ſaltem) *cum floribus ſulphuris* ſemialcaliſemus quo tonſorum ille *Prunella*, (inflammata vel quaſi excoriata ſæpè magis exaſperans) *Lapis* proveniat; cum haud diſſimile quid etiam poſt antimonii diaphoretici confectionem, aut ex ultimo nitri (per lixivium prænotato modo depurati) *Coagulo* haberi poſſit. Multominus autem indigebimus *ſaccharo, vel etiam ſolutionibus corallorum, perlarum, ſaturnique nitratis*, ſiquidem præter inæqualem improportionatamque utriuſlibet participationem, longè certius compendioſiuſque ſingula extempore, æquè ac 10 *Nitrum martiale aperitivum* recentius, dum opus fuerit, miſcentur. Qui verò occultationis cauſa voluerit, longè ſpecioſius cum ſuccis ceraſorum, Myrtillorum, &c. 1. *Nitrum* (in particulis ſuis circumcirca) *Tinctum* inveniet, quam ſi idem per ſantali, violarum, roſarum, vel papaveris erratici tincturam comparare conetur: nam alterativi profecto parum ex his, ut & è ſcordio acetoſa, &c. Nitro accedit. De cætero quod cum metallicis quibuſdam ſulphureis 2 *in terreſtreitatem* haud inefficacem figatur, & al[illegible] adverterunt, & in præcedente claſſe antimonium martiale Diaphoreticum exemplo fuit

3 Nos autem porrò hic è parabilioribus ponamus 3 *Nitrum fixum*; non quidem ſolum ac ſeorſim, quod poſt *ſimultaneam antimonii diaphoretici detonationem* colligitur, 4 Nitro crudiori (ob deflagrationem haud undiquaque conſummatam) aliquantum affinius, & anodyni aliiſve profecto exceſſivis titulis inconvenientius inſignitum: nec etiam, quod 5 per *Carbonum, Segmentorum, &c. admixtionem* data opera paratur, & haud ita pridem (æquè ac quod poſt reguli antimonii, Silicum, calcis, martiſque cæmentationes vel deflagrationes provenit,) *pro univerſali ſolvente ipſoque* 6 *Liquore alcaheſt* nimis hyperbolicè propoſitum eſt; ſed tantum accidentarium illud, ac inſtar parergi, quaſi gratis 7 poſt *croci metallorum, cliſſi ſulphurati vel antimoniati ac conſimilium* confectionem reſtitans, amaricans & granulatum, ſulphuratis hinc vegetabilium ſalibus non ſolum conforme, verum etiam in effectu pro diureſi ac diaphoriſi, (licet arreptas quoque ſulphuris vel antimonii particulas, ſub lenta evaporatione maximam partem deponat, (in permultis affectibus æquivalens ac ſimul parabilius: cui qui velit, paulò ante dictum antimonii diaphoretici nitrum (minus) fixum, per nos aſſociet, minori tamen pondere, quo mage alcaliſatæ partes prævaleant.

Tandem(cum *Tartarus Nitratus* circumcirca tãtum alchaliſatus & extemporaneæ potius imitationis ſane ultimo nitri per lixiviũ depurati coagulo nihilo valẽtior ſit, accedat polychreſtũ illud 8 *Arcanum duplicatum*, id eſt nitrum fixũ, vitrioli, cujus metallicã ſubſtantiã ſepararat ſeu præcipitaverat,) acetoſis particulis ſufficiẽter ſaturatũ. Atq; hinc ſi forte defuerit *aqua fortis caput mortuũ*, (9. pro-

NOTÆ.

7 *Roſaceam:*) Sunt qui nitrum cum aqua roſarum depurant, aſt cui bono hæc perditio?

8 *Flores:*) Nitri habet *MYNSICHT p.* 26. ejuſdem ſunt cum nitro ipſo naturæ.

9 *Cum ſulphure:*) Nitrum fixatum parum valet, utut illud ſub lapidis prunellæ nomine commendetur; ratio eſt, quando enim ingeritur ſulphur, tunc ſub incenſione hujus ingens nitri ſubtilioris ſubſtãtiæ portio avolat, hincque quod remanet ſub lapidis prunellæ nomine, eſt ſal ſalſum ſemi-alcaliſatũ, nullius uſus exiſtens, eique nitrum per ſe depuratum præferendum; ut taceamus, ejuſdem notæ nitrum fixum ex antimonii diaphoretici confectione parari poſſe; itemque ex depurationis nitri, ſolutione ſc. hujus in lixivio facta, inſpiſſando in cuticulam; ſic enim prima, ſecundaque vice nitrum elegans acquiritur; quod autem poſt tertiam coagulationem concreſcit, eſt nitrum compoſitum, ex nitro partim puro, partim alchaliſato nonnihil, ejuſdem cum lapide prunellæ virtutis.

19 *Nitrum martiale aperitivum:*) Hujus deſcriptionem habet *ZVVELFERVS M. S. p.* 405. loco hujus tamen ex tempore martis cum nitro mixtus ſufficere poteſt.

1 *Nitrum tinctum:*) Optimè fit juxta *ZVVELFERVM in Mant. Spag.* per ſuccos myrtillorum aut ceraſorum per reſidentiam depuratos, ſolvendo id, dein ſolutionem evaporando, ita nitrum coit in cryſtallos quidem egregiè rubicundos, in ſe tamen nihil aut parum hac ratione exaltatos.

4 *In terreſtreitatem:*) Sc. HELMONTIVS dicit, ſi nitrum figi & converti in terram inſipidam poſſit, emergere inde egregium remedium; jam verò fit hoc per ſulphura metallica inflammabilia, hincque pondus nitro accreſcit.

3 *Nitrum fixum:*) Scil. perfectè alchaliſatum fit, quando nitro fixo fuſo adjicitur ſubjectum ſulphureum, ita enim hoc deflagrando ſimul exhaurit ſpiritum acidum; contra ſulphuris acidum pingue cum alchali nitri colliquatur in nitrum fixum, ut adeoque nitrum figi poſſit, vel per ſulphur commune, vel per antimonium, vel per nitrum, vel per cruores animalium exſiccatos, vel per martem, vel per plumas, vel per raſuras cornuum, vel per carbones.

4 *Nitro crudiori:*) Scil. quando edulcoratum eſt antimonium diaphoreticum, tunc ex lixivio per inſpiſſationem prodit perfectum nitrum, particulis martialibus imprægnatum; contra poſt cryſtalliſationes lixivii hujus aliquot peractas tandem remanet lixivium alchalinum, in nitro non amplius reducibile atque hoc ſaltem eſt nitrum fixum.

5 *Per carbonum, ſegmentorum:*) Scil. nitri cum carbonibus fixationem primus docuit *GLAVBERVS*; ſic pariter procedit cum ſegmentis, quæ quando cõburuntur, ſimul incenſum hinc nitrum alcaliſatur.

6 *Cæmentationes ſive deflagrationes:*) Innuit hic *AVTHOR* quorundam modum nitrum alcaliſatum magis adhuc alcaliſandum, idque cum regulo antimonii, ſcilicet miſcendo nitrum alcaliſatum fuſum cum hiſce ſubjectis ſulphureis, ſic namque ab horum ſulphure deflagrante magis adhuc colliqueſcunt ſalia in nitro fixo, acquirunturque hinc acerrimum nitrum ſalis, quod pro univerſali ſolvente *GLAVBER in miracul. mũd. ejuſque continuatione* venditat, inſinuãdo ſimul præter hoc nunc ſpiritum nitri acidum.

7 *Poſt croci metallorum:*) Scil. quando antimonii & nitrana funditur, tunc ſulphur antimonii nitrum alcaliſat, hincque ex aqua ablutionis poſt inſpiſſationem acquiritur nitrum fixum; ſicut & quando clyſſi ſulphurati deſtillantur, tunc præter ſpiritum acidum in receptaculo excipiendum remanet in fundo retortæ corpus fixum, conſtans ex croco metallorum nitr. ſimul alcaliſato. Utrumque autem nitr. fixum eligit ſibi *AVTHOR* doſ. gr. XV. ad. ℈j. exhibendum.

8. *Arcanum duplicatum:*) Sive nitrum vitriolatum famoſum eſt, ejuſque præparandi modum docent *MYNSICHT.* & *SCHROEDERVS.* Cæterum fundamentum illius præparationis hoc eſt, ſcil. dum aqua fortis ex nitr. & vitriolo deſtillatur, prodit tunc ſpirit. nitr. qui conſtat ex alcali nitr. abſorbente acidum vitrioli, & ita fundum petente vitrioli parte metallica. Ac quidem oritur alcali nitri, quando ſub deſtillatione aqu. fort. ſpiritus nitri prodit ſolitariè, poſt ſe relinquit nitr. fixum, quod acidum vitrioli arripiendo in ſale ſalſum emergit, mediæ naturæ inter vitriolum & nitrum exiſtens.

9 *Probè exuſtum:*) Hiſce *AVTHOR* oſtendit errorem *ZVVOELFERI*, rejicientis arcanum hoc duplicatum; aſt malè; ſcil. caput mortuum aquæ fortis elixiviatum probè adhuc

in crucibulo calcinatur & elixiviatur, idque tamdiu repetendum donec nitr. extractum nullum amplius virorem (quod alias vestigium adhuc veneris adhærentis est) præ se ferat, & quoad gustum nitrosum amarorem referat absque vitriolico sapore; cùm ergò hoc negligat ZUUOLFERUS, non mirum est, eundem quoque nitr. vitriolatum rejicere.

TEXT. LUDOVIC.

bè exustū, 10 alias extractum Sal vitriolescit, vel residua pars Metallica nova Nitri fixi vel Salis Tartari solutione ulterius præcipitanda est,) 1 *è simplici quoque Vitrioli Dissolutione* parari poterit; huic scilicet tantum Liquoris Nitri vere fixi seu alcalisati, (ceu gratis nonnunquam post Antimoniales quosdam labores habetur,) aut Salis Tartari cum Nitro parati instillando, (donec Metallica Vitrioli substantia perfecte separata seu præcipitata fuerit,) & coagulatum hinc Sal denuo pro more fundendo: quo idem provenit remedium; revera de cætero (toties pridem expertis (2 innoxium, at utrobique in multis affectibus, præsertim in omnibus Lymphæ (per vasa vel renes,) abundantiis præsentaneum? ut *Marte* insuper, aut 3 (*in Nitro cachectico chalybeato*] Vitriolato Martis, [inter tot hujus Tincturas, & Vitrioli seorsim dati præstantiam,] vel (carius adhuc) 4 *Auro* supervacue alterari videatur. 5 Antimonium colliquatum, alia tantum superstat & *in Hepar* quoddam redigitur.

Quantum autem nunc ad *Nitri destillationes*, & primo quidem (cum 6 *Aqua ex ejus solitarii, vel cum Manna mixti diluto*, per Vesicam aut Balneum destillata nobis olim promissa parum sarvarit,) *Tonitruantes*; Medicus 7 *tot Clissiformium liquorum variationibus*, jampridem (non tantum è Tartareorum, Sulphureorum, Salinorumque, miscella, verum etiam cum lapidum, Mineralium ac Metallorum, crudorum, vel prius solutorum aut amalgamatorum, vel adhuc in Mineris suis hærentium associatione) conquisitis neutiquam indiget; siquidem plerorumque inter se (quoad effectum) exigua, potior vero in capite mortuo floribusve simul ascedentibus [ni solubiles & intus tuti fuerint,) est differentia; ac quantum hinc quotannis (*Solutionibus*, nonnulla tamen simul præcipitantibus, *vel extractionibus* quibusdam seorsim adhibere placeat,] internos in usus consumitur, sufficiente quantitate tum in Salis Tartari nitrosi, tum [jucundiore simul sapore odoreque) in Croci Metallorum Antimoniique Diaphoretici confectione quasi gratis habetur; etiam per Retortam saltem, inferius perforatam, si tubulata, vel recentius (trirostre illud ingerentibus inferius patens) instrumentum defuerit, aut potius noluerimus.

Quod verò *communem Nitri spiritum* concernit, profecto similiter potioribus usibus [8 loco Tantilli *è solitario Nitro*, vix citra vasis rupturam curiosius collecti vel *clissiformiter Sulphurati* (sicque heterogenei,) sufficiet, qui missa 9 nunc *Arena*,

NOTÆ.

10 *Aliàs extractum Sal. vitriolescit:*) Nempe hoc tunc fit, quando alcali nitri non exactè saturaverit acidum vitrioli, hincque hoc metallicas martis aut veneris partes adhuc detinet, pro quarum separatione vel nova calcinatio instituenda, ve aliquid liquoris alcalisati salis soluti affundendum.

1 *E simplici quoque vitrioli:*) Scil. AUTHOR hic in defectu cap. mort. aquafortis ostendit modum (ferè similem illi, quo TACHENIUS tartarum vitriolatum ex alcali tartari & vitriolo martis solutis parandum docet) ex tempore præparandi arcanum duplicatum, nempe si liquor nitri fixi instillatur in vitriolum solutum, hinc coagulum iterum in crucibulo fundatur.

2 *Innoxium:*) Arcanum duplicatum polychrestum est remedium in quavis febre intermittente, itaque & in ardentibus, & si in malo hypochondriaco, & speciatim scorbuto, in mensium affectibus, melancholiâ hypochondriaca, & aliis quibusvis chronicis morbis, imò illud lymphæ vitia & copiam nunc diaphoretica, nunc diuretica vi corrigit.

3 *In nitro cachectico chalybeato:*) Si volumus arcano duplicato vitriolum martis combinare, fiat id ex tempore in arbitraria proportione, nec adeoque opus erit nova illius cum hoc fusione.

4 *Auro supervacuè:*) Sunt qui arcanum duplicatum cum nitro miscent, injiciendo illi fuso nonnihil sulphuris carbonum, quo ita quadantenus alcalisetur hac ratione, adeoque aurum additum solvit & absorbet.

5 *Antimonium colliquatum:*) Sunt qui nitr. vitriolatum cum antimonio miscendo calcinant, quâ ratione antimonium suo modo calcinatum abit in crocum flavescentem.

6 *Aqua ex ejus solitarii vel cum manna mixti:*) Utraque est inutile remedium, manna enim & nitrum in fundo destillatorii remanentia nihil suggerunt.

7 *Tot clyssiformium:*) Cum clyssi parentur per nitrum, nec deflagrando melius queat fieri, quàm si nitrum & sulphurea subjecta tubulatæ retortæ candenti inciantur, proinde ex omnibus clyssis duo nobis sufficiunt, nempe acidus & urinosus, quorum ille optimè ex sequenti ingredientium proportione destillatur: Recipiendo sc. nitri part. j. antimonii part. ij. sulphur. p. ß. quæ omnia mista per retortam tubulatam detonatione pellantur in spiritum acidum sulphureum. Equidem sunt qui āā nitri, antimonii & sulphuris recipiunt; ast malè, sic enim non potest nitr. figi. urinosus clyssus nomine spiritus carminativi venit, & prodit ex āā tartari & nitr. Hujus dos. est ʒß. ad ʒj. vel solitariè dati, vel aliis misturis addendi, Clyssi verò acidi ʒß. ʒj. ad ʒiß. instilletur in mens. ß. potus ordinarii. Cæterùm hic clyssus acidus ex tempore parari potest, si Sal. tart. nitrosum, vel crocus metallorum, vel etiam antimonium diaphoreticum in retorta tubulata, vel etiam communi (inversa tamen) & perforata, vel etiam trirostri demum instrumento detonentur, & rostris receptaculum ingens applicetur: Si namque abiens alias in auras spiritus acidus excipi potest.

8 *Loco tantilli:*) Scil. conf. SCHROEDERUM ubit agit de spiritu nitr. *num.* 2. & 4. *p.* 426. ubi tamen in priori processu parum spiritus acquiritur ex nitro fluente; contra ex posteriori sulphur. injecto clyssiformis obtinetur.

9 *Missa nunc arena:*) Scil. modus communis spiritum nitri conficiendi est, ut nitrum misceatur cum argilla, & ita vel per se, vel in globulos formatum destillatur, interim modum hunc rejicit AUTHOR N. insistens hac in parte vestigiis ZUVOELFERI *in Animadvers. p.* 425. ob hanc rationem, quod subjecta illa siticulosa addita multum de acido nitri spiritus absorbeant, quod & verum est; ast ne hoc fiat, & plurimum spiritus amittatur, circa finē destillationis detur Ignis reverberii, hoc enim pacto nihil spiritus remanebit in subjectis illis addiiis; sed notandum est, quod ubi adhuc omnia fervent, removeatur receptaculum cum spiritu prodeunte, sic enim hic acrior acquiritur, & secus spiritus à refrigeratione retrogreditur in capite mortuo, quod ob magnetem nitri retentum animatur de novo in nitro.

TEXT. LUDOVIC.

Argilla, Bolo aliisque supprimentibus vel invertentibus, 10 *cum Aluminis crudi duplo* præter propter habeatur; Vulgari de cætero (dum innoxium saltem vehiculum hinc mutuo sumitur, & caput mortuum Aluminosissimum restat, nihilo inferior. Est autem huic fini Retorta pro destillatione longe aptior Operculato illo, (haud parum etiam inter circumstans plumbum eructante) recentioris cujusdam instrumento. *Fortissimus* vero iste, qui phlegmate vel ab initio vel per tædiosas 1 *Rectificationes*, (utrobique non sine dispersione,) subtracto comparatur, quid Medicis hic usibus selectuique nostro, (nam de Metalicis nunc non loquimur, [speciatim conferat, non videmus; siquidem *Fumigantissimus sic* ægrius dispensatur, & nihilominus adsumenti diluendus est; uti jampridem etiam 2 *cum spir. Vini communi vel abstractitio quodam*, [imposito hinc *Pleuritici vel Anticolici Liquoris titulo*,) consuere: si tamen uterque spiritus rectificatior fuerit, quod post validissimas invicem excandescentium evaporationes surgit, residuo postmodum qualitercumque tandem reduniendum est; alias præter adversitatem stipticam, debilis in effectu Mixtura remanet.

3 *Tinctura Spiritui Nitri per Vegetabilia eorumve Extrata* conciliata, brevi plerumque disperit. Quæ vero ex *ejus* (*cum Alumine destillati*) 4 *capite mortuo*, seu potius ex hujus (aluminoso) Sale hinc Extrato, & ulterius calcinato, pro Diaphorisi paratur, equidem potius Diuretica, de cætero æque ac quæ (specialia propter promissa,) 5 *ex Olivo cum spiritu Nitri digesto, &c.* prolicitur, curiosioris intentionis est. Nec videmus, cur *prior volatiliorque spiritus* seorsim hic servari debeat: Qui à *Croco Metallorum, Mercurio vitæ, sulphure Antimonii, &c.* abstrahitur, ob volatilitatis istius dispersionem debilior tantum existit, & facilioribus quorundam Dissolutionibus consultius denuo insumitur: qui verò à Bezoartico minerali communi; 6 *Spiritum illum Nitri compositum* gratis præbet, ut *cum Sale com.* seorsim destillari haud mereatur; quemadmodum nec *aliæ Aquæ Regiæ* [inter tot tædia ac pericula proliciendæ,) dum extemporanea Salis, Nitri vel Ammoniaci in spiritu Nitri vel Aqua forti dissolutione, *similæ* 7 *Chrisulca* pro lubitu nunquam non habeantur. *Gradatorias, Pugillatorias, & ipsum Gehennæ ignem*, ceu vocant, Metallurgicis negotiis, (nostra hic blandioribus securius perficientes,] relinquamus; quemadmodum 8 Aurifabrorum persuasionibus *Depurationem usitatam Aquæ fortis*; quam à vulgari Nitri spiritu parum in effectu differre, pridem alii notarunt; & licet 9 de subtiliori Vitrioli spiritu, aut toties quæsito ejus Sulphure quidpiam participaret,) hodieque tamen innoxiam, nec fixata per competentem ejus proportionem (loco spiritus Nitri,] 10 Antimonialia, ullatenus deterioraostendit experientia: ceu alias, solo Vitriolisve Sulphuris spiritu nonnullis ad Diaphorisin tandem disponuntur. Atque hæc de Nitro: cujus nuperi 1 *productionis vel accidentariæ collectionis* modi, uti haud

NOTÆ.

10 *Cum aluminis crupi duplo:*) AUTHOR nitrum in spiritum destillandum juber, cujus tamen nihil in receptaculum transit.

1 *Rectificationes:*) Sunt qui spiritum nitri destillatum rectificandum esse monent, quo sic habeatur spiritus acris probè; interim hæc rectificatio pro usu Medico superflua est; imò sic subtiliori sua substantia defraudatur, nec dari potest ægris absque dilutione; sicut & quo magis concentratur spiritus ille, eò magis fumat.

2 *Cum spirit. vini:*) Innuit hic spiritum nitri dulcem AUTHOR, sc. cùm spiritus nitri per se acrior sit quàm ut possit assumi, propterea cogitarunt alii de spiritu nitri dulci parando ex part. ij. spirit. vini & p. j. Spiritus salis, quæ digesta aliquoties per retortam destillantur. Cæterùm sumuntur interdum hi spiritus ambo rectificati; quod ipsum si fiat, intensissimè effervescunt confusi, indeque ut omne periculum evitetur, instilletur spir. nitri rectificatus spirit vini in cucurbita contento per alembici superius foramen, & applicetur rostro ejusdem recipiens aliquod, quò sic per effervescentiam concitati spiritus excipi possint, nec iidem deperdantur, sed potius postlimino reduniantur spiritui nitri dulci; deinde loco spirit. vini recipitur non rarò spirit. vini à vegetabilibus carminativis, vel antipleuriticis abstractus, indeque illâ ratione spiritus nitri dulcis anticoli; hâc verò spiritus nitri antipleuritici nomen sibi acquirit. Atque dictus spiritus nitri dulcis egregius est præ cæteris in morbis acutis, in quibus præferimus illum reliquis mineralium spiritibus dosi ℨß. ad ℨj. assumendum, prout nempe plus vel minus rectificati fuerint spiritus ante sui combinationem.

3 *Tinctura spiritus nitri:*) Sunt scil. qui colorant spiritum nitri, nunc quidem per santalum, nunc verò per rad. rub tinctor. interim cui bono? utut curiosum sit spiritum dictum fieri rubrum, si sub destillatione aliquid camphoræ collo retortæ includatur.

4 *Capite mortuo:*) Sunt qui caput mortuum spiritus nitri cum alumine destillati calcinant; sicque sal nitrosum acquirunt pro scopo diuterico; loco ejus tamen alia præstant.

5 *Ex olivo:*) Innuit hic AUTHOR tincturam nitri, aliàs animam nitr. vocatam, prodeuntem ex oleo olivarum cum spiritu nitri digesto; sicut hanc habet SCHMUCKIUS *in Secret. Chymicor.* Cæterùm hujus Simia est GLAUBERUS, aliam ex spiritu nitri mediante oleo destillato anisi proliciens, quippe olea spiritu nitri condensata quasi ruborem inducunt; interim an tales tincturæ vi aliqua singulari polleant, à nemine adhucdum expertum fuit.

6 *Spiritum illum nitri compositum:*) Hoc ipsô spiritum nitri bezoardicum innuit, qui est egregia aqua, annotante BOYLEO.

7 *Chrysulca:*) Scil. spiritus salis per se aurum non solvit, nec spiritus nitri per se; misti verò utrique solvent id; interim sive spiritui nitri addatur spiritus salis, sive sal commune, sive nitrum sive sal armoniacum, perinde erit.

8 *Aurifabrorum:*) Scil. hi aquam fortem communem ex vitriolo & nitro destillatam non possunt in usum suum trahere, nisi ea depuretur; dum enim nitro communi semper aliquid adheret salis communis, (*der Schalef dictus*) excrementis animalium in acceptis ferendi, hinc illud impedit aqua forti in Lunam actionem, propterea ℞. ℥ias aliquot, hincque infundunt Lunæ fixæ in laminas tenues redactæ ℥iam unam vel alteram, dein solutionem hanc addunt reliquæ aqua forti, ita Sal istud commune præcipitatur in fundum: Hoc repetatur tamdiu, donec aqua forti amplius non turbetur.

9 *De subtiliori vitrioli spiritu:*) Lis est inter AUTHORES anno in destillatione aqua forti & aliquid de vitriolo ascendat? ℞. Esse saltem spiritum nitr. quod prodit, hincque aqua forti ne guttulam quidem spiritus vitrioli continere. Et posito aliquid spiritus vitrioli unà elici, hoc tamen spiritus nitri usum non reddit deteriorem; adeoque sive per hoc aqua forti sive spiritus nitri sumatur, perindè est.

10 *Antimonialia:*) Pro his figendis loco spiritus nitri & spiritus sulphuris tutò assumi potest.

1 *Productionis:*) Nitri sunt plures modi, & ex lignis vulgatis nitrum parare rusticos docet GLAUBERUS; sicut alii remanentias à nitro depurato cum calce viva miscendo aëri exponunt pro eodem scopo.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC

paucos, (*per Cinerum cum Aceto proprio insuccationes*, *fecum salinarum*, *des Zchloders cum Calce viva combinationes*, *fossas pro rejectaneis animatorum retrimentis*, *&c.*) tentavimus, partim parum procedunt, partim operæ prætium profecto non rependunt.

Quod autem in ordine nunc 2 *Sal culinare* (*in speciebus suis*) *attinet*, principio per factam in singulis experientiam liquido convincimur, revera severiorem atque frustraneum esse strictum istarum ad has vel illas formulas delectum; medicationique nostræ oppido intus & extus satisfacere, quod cuivis territorio parabilius existit, v. g. Interioribus hisce, (ceu dicitur,) *Fontanum vividius*, [sive de cætero siccum perstet, sive in deliquia vergat:) Confiniis autem alibi modo *Fossile sive Gemmeum*, (quorundam, non omnium respectu, aliquanto quidem subtilius, eorundem tamen productorum;) modo *Marinum*, Emporiis maritimis frequentius; ut propter [graviorem quidem, at haud adeò hinc fontano vel gemmeo, sub proportionata dosi præsentiorem] *Spiritum*, *aliave promissa* seorsim afferri, vel è *Muriis hic tadiose recoqui* profecto non mereatur. Ita similiter certum est, quod [*Destillationis* ceu frequentioris operationis respectu, [vulgaris illa, pro remissiori acredine quibusdam instituta *Purificatio* tantùm curiosior, & exotericorum Salium, (uti nonnunquam permiscentur invicem,) infida separatrix, 3 *per Raphani succum* [ab Asthmaticis fortè petita,) liquatio nimis simplex; propter (nescio quos) sylvestres spiritus exoticasque sordes instituta *Fusio*,) inter quotidianos innoxiosque culinæ usus] planè supervacanea, & subtiliorum simul partium deprædatrix sit; æque ac vulgatissima ista 4 *Decrepitatio*, sale denuo si granuletur, nihilominus crepante.

Quot autem ampliùs ex hisce speciebus, per aliàs insuper ambages, variationes aut multiplicationes passim prostant aut proponuntur Formulæ atque remedia? unde tamen, si solus saltem 5 *salis spiritus* seligeretur, (ut ejusdem originis, & sufficientissimum in medicatione vel defectu, succedaneum 6 *Spiritum Vitrioli philosophicum*, taceamus;) diffusior etiam apparatus haberet, cui hoc in genere satis acquiesceret: & quidem similiter missis circa eum reliquis curiositatibus, diverticulis, frustraneisque laboribus. Nam primò, quod 7 destillandi Spiritûs istius *Additamenta* concernit, cur in defectu peccantes, tantillum ejus è *solitario sale* (raro citra vasis rupturam) petamus? dum *Muria sponte* (à nonnullorum Specieciebus) è *carrhis*, *vel ipsis Selinarum*, (ubi propiores fuerint,) *Metis stillans*, ad quartas præter propter exhalata, (siquidem omninò per se destillatus plucuerit,) Spiritum subtilem & perquam elegantem è retorta per Arenam fundit. Aut cur nosmetipsos in *destillati pondere*, *protractiori labore*, *intensiorive nequicquam pretio* inconsideratius defraudantes, 8 *Corallia vel Terram sigillatam*, (singularioris efficaciæ spe;) aut saltem pro invecto more 9 *Bolum*, *Argillam*, *Arenam*, *Lateres* (etiam prius alicubi pro muriæ imbibitione candefactos,) aliave aliis quoque damnata invertentia, obruentia vel salinarum particularum ascensum, ob vehiculi defectum remorantia, pro salis incorporatione addamus? dum per 10 *Aluminis quidem caput mortuum*, præsertim udo aliquandiu expositum, longè compendiosior; per ipsum verò *Alumen* [in anaticâ vel dupla proportione adjectum, [propter vehiculi phlegmatici exuberantiam copiosior insuper, & medicationibus, æquè ac mage necessariis Solutionibus sufficientissimus, innoxius de cætero, & (Capitis mortui residui, seu integri, seu in Sal quoddam & Terram albissimam sequestrati, aluminosam adstriictionem noscentibus,) inculpatus provenit: adeo ut insuper) præcipuè in privatas remediorum dispensationes,) 1 *Fastigiato illo*, [caro satis, nec uno no-

NOTÆ.

2 *Sal culinare:*) Hoc materialiter constat ex acido universali, concentrato in aqua fontana alcalina, quippe est illud sal salsum. Jam verò probatur illud ex eo, quod spiritus salis attactu cujusque alcali fixi regeneretur in sale commune, & in parvos cubos, qualis genuina est salis communis figura. Cæterùm triplex datur salis illius differenti, nempe marinum fontanum & gemmæ, quorum hæc duo consistentia saltem differunt; quippe quando sal gemmæ in aqua dissolvitur, sal fontanum constituit, sicuti & ex hoc defectu coagmentatum sal gemmæ repræsentat, cujus ferax est alioquin Polonia. Atque horum amborum matrix quoque est sal marinum in recessu pingue nonihil, & magis defœcatum existens; interim has inter tres differentias, quoad Medicum nullam prærogativam habere, sed promiscuè ex iis spiritum elici posse, rectè statuit *AUTHOR*.

3 *Per raphani succum liquatio:*) Alludit hic AUTHOR ad euporiston asthmaticorum, quo raphanum in taleolas incisum sale communi aspergunt, hoc dictâ ratione in deliquium redigendo, ita liquor hic expectorans est, asthmate humoroso tam pectorali, quàm stomachali proficuus, incidens viciditates, easque ad sui expectorationem promovens.

4 *Decrepitatio:*) Observatu hìc dignum est, quod sal marinum longè magis crepitet, quàm fontanum, ac est hujus cræpitationis origo hæc, quia sali communi adhæret parum salis nitrosi, unde quemadmodum nitrum quodvis strepitum edere solet, ita & propter ejusdem annexum illud phœnomenon in sale communi reperitur.

5 *Salis spiritus;*) Hic immediatè ex sale paratur.

6 *Vel & spiritus vitrioli Philosophicus:*] Qui ex butyro antimonii præcipitato separatus nihil aliud est quàm reverà spiritus salis communis ex mercurio sublimato resuscitatus, hinc malè pro spiritu vitrioli habitus, cùm nihil de vitriolo vel & nitr. mercur. præcipitatum ingredientibus, participet; attamen sufficere pro usu Medico potest.

7 *Destillandi spiritus:*) & Scil. destillatur spiritus salis vel per se vel cum additis; per se distillatum sal pariter spiritum dare insinuat AUTHOR, cujus rei ratio hæc est, quod sal commune Igne intensiori tractatum fluorem concipiat, adeoque in consistentiam quasi crystallinam abeat, non secus ac aliàs sal per se destillatum in Igne fluit; unde ut fluor hic impediatur, solent ubique particulæ salinæ decerpi per addita terrea.

8 *Corallia:*] Sunt qui addendo sali corallia spiritum salis coralliatum acquirere intendunt; verùm hac ratione corallia acidum salis spiritum absorbendo, eum debiliorem reddunt. Eadem ratio est, quando terra sigillata sali adjicitur, cùm tamen sic nihil peculiare acquiratur, nisi quod nobilis terra pereat.

9 *Bolum:*) Hos destillandi spiritum modos taxavit *ZUUOELFER*. in animadvers. Dum nempe terrea hæc copiosum salis acidum absorbent, hincque is Phlegmaticus prodit, aut ad minimum fortior Ignis requiritur pro acido illo evocando.

10 *Aluminis caput mortuorum:*) Hìc vel āā aut duplum aluminis crudi loco terreorum pro spiritu salis destillando recipit, ac sanè non est quod metuamus, quasi nempe alumine adulteretur spiritus ille, cum cap. mort. ejus nil dimittat de spiritu; sicut nec urinosum illud in alumine hic considerationem meretur, quin potius integrum alumen ex cap. mortuo denuò haberi potest.

1 *Fastigiato:*) Hic monemus rectè anonymum illũ statuere, quod mediante hocce primo furno Glauberi nullum minerale subjectum tractari queat, cùm horum spiritus miscerentur cum carbonibus, texturã eorundem immutantibus; ut taceamus fuliginem acido-pinguem adulterantem ex carbonibus prodire, undè nobis furnus communis sufficere debet.

TEXT. LUDOVIC.

mine expertis incommodo, impuriorem præterea Spiritum plerumque eructante] *Furno* ; alio quæsito hunc in finem Apparatu neutiquam indigeamus.

2 *Tinctura* per Papaveris erratici essentiam consimiliave conciliare, solitario, quo dictis in dispensationibus aliquantum obnubatur, haud sane inconveniens est. At pro intentione quidem nostra necessitatem vel specialibus emolumentum non videmus, cur *Spiritus* [*sulphurei*] *volatilis particula à recens destillato* seorsim denuo abstrahi, vel aliis operosioribus quoque modis comparari ; item (cur ipse *Spiritus integer* ad tollendam flavedinem sit subtrahendum evectæ, (at innoxiæ & parumper saltem adstringentis] terrestreitatis tantillum, repetita destillatione 3 *Rectificari*, vel amplius, sæpe non sine subtiliorum partium perditione, *concentrari*, aut, exercitii potius curiositatisve causa, super recens Sal abstrahendo, nonnihil 4 *augmentari*, vel hermaphroditico capitis mortui aluminosi Sale [calcinato,] aut [convenientius] Tartaro depurato ulterius *alterari debeat*. Ad externos usus, si solitarius, vel parabiliora adhuc solventia non sufficiunt, numquid facilius *sale proprio vel petra*, extempore dissoluto acuatur ? Et loco decantati illius 5 *cum Nitro*] *compositi*, gratuitos istos Liquores, qui à Bezoartico minerali communi, Sudorifero maximo Joviali, &c. abstrahuntur, (siquidem simplex proportionalis spiritus Salis Nitrique mixtura, ad interna nonnullis consueta, extus interdum haud satisfacit, adhiberi posse, paulo ante monuimus. Violentas autem 6 *è lapide calaminari aliisve solutionibus Repetitiones* [*quasi concentratas*,] *tadiosas Incerationes*, *&c*. quidni circa Metallurgica nimis occupatis, & *qualitercunque* 7 *dulcem*, [cum per Alcalia injecta pervertatur, per laboriosas salis, ante destillationem, solutiones parum mitigetur, simplici porro Digestione nihilo infelicius, quam negotiosis *pro Aqua illa temperata* cohobiis, sub Spiritu Vini occultetur, per se denique sumptu haud sit ingratus,] curiosioribus ad certas nonnullibi Solutiones, [parabilioribus tamen vix adeo præsentiores, hinc remittamus ? 8 *Spiritus Salis vitriolatus* quanti est ? cum parum ab abjecto Vitriolo transeat ; & alius forsan istius loco Spiritum Vitrioli Philosophicum, ceu loco stiptici 9 *è Sale cum limatura Martis destillati Liquoris*, consultius selectiorem quandam Martis Tincturam, [dum gratioris istius 10 Spiritus è Florum Ammoniaci Martialium residuo sale parati tanta tamen non est Martialitas, & in praxi sua adhiberet. 1 *Spiritus Salis per Alcali Tartareum aut nitrosum communi modo seu mediocriter Fixatus*, supervacaneum hic phæbet coagulum, sive sal ultra modum fixum, & accerrimo cuivis culinari compar ; ut alibi cum ulterioribus horum productis notavimus.

2 *Flores* autem una surgentes commodissimè Spiritui profecto pro ejus fortificatione adjicientur. Ut enim in suo genere *spiritus salis coagulati* speciem haud rejiculam sistant, ejus tamen necessitatem in contractiori apparatu non videmus ; & la-

NOTÆ.

2 *Tinctura:*] Sunt qui spiritum salis beneficio succi depurati florum papaveris rhœados impraegnant ubi quidem gratior aspectu, sed non eminentior usui medico evadit.

3 *Rectificari* :] Ordinariò solet spiritus salis, quam tamen rectificationem nocivam putat ex eo *AUTHOR*, quod sic subtiliori & sulphure volat. defraudetur, nam Phlegma præcedere solet paucus spiritus subtilior, ut taceam laborem istum superfluum, quia denuò diluendus est spiritus ille ; etenim spiritus salis non adeò intensè acidus pro usu medico requiritur, sed quia mineralium quorumcunque spiritus acidi nimis graduati, ob sui particulas nimis rigidas membranas corporis molestè afficiunt, rodunt & corrodunt ; hinc loco talium acriorum concinnius est, ut temperati ii usupentur, hoc est, mediante spirit. vini dulcificati; ita namque spirit. vini in recessu sal volatile oleosum rarefactum existens, ortum ex oleo vini fermentatione attenuato, & Phlegmate diluto habens, in dupla proportione spiritibus his, nitri, salis & vitrioli additus, hos constitutioni nostræ magis accommodatos reddit, ut adeoque loco spiritus salis communis, ejus spiritum dulcem, ceu magis diureticum & stomachalem, commendemus misturis q. s. pro grato acore, solitarie autem dosi gutt. 20. ad 30. addendum.

4 *Augmentari* :] Notat hic eos *AUTHOR*, qui, uti & facit *SCHROEDERUS*, spiritum salis paratum denuò è recenti sale fuso abstrahunt, item qui caput mortuum destillatum, post elixiviationem sale redactum, miscent cum jam profecto spiritu, sicquè de novo destillant ; uterque enim labor est vanus ; non secus ac eos, qui spiritum salis tartaro depurato affundũt pro sui exaltatione, qui tamẽ potius sic destruitur.

1 *Cum nitro compositi* :] Scil. inter alia menstrua corrosiva excellit & spiritus ille compositus ex nitro & sal aurum ipsum solvens, quẽ vid. in *SCHROEDERO*, qui & pro usu externo Alchymistico egregius est ; interim monet *AUTHOR*, loco hujus & spiritum nitri bezoardicum, sive qui à butyri antimonii affusione spiritus nitri abstrahitur, *BOYLEO* menstrui peracuti nomine *experim. 7. de orig. formarum* veniens, sumi ; vel & ex tempore spiritus salis & nitri misti in ejusmodi spiritum destillari posse.

5 *E lapide calaminari:*] *GLAUBERUS in Tr. fa-Eli Titulus navigantium consolatio*, mediante lapide calaminari docet concentrare spiritum salis; ejus fundamentum hoc est ; nempè lapis calaminaris, martialis naturæ existens, omne acidum spiritus salis absorbendo, saltem Phlegma superstes relinquit, hinc illum de novo destillando, spiritum acidissimum concentratum salis acquirit, pro usu medico non adeò magni usus.

7 *Dulcem* :] Cum spiritus salis acidus suspectus sit, hinc alii studuerunt dulcem acquirerent, idque variis modis: Quidam sc. per sal tartari aut alia alcalia ; verùm hac ratione acidulum Phlegma acquiritur ; alii salis ante destillationem solutionibus id præstare fuere conati, ut *SCHROEDERUS pag. 467.* ast hac ratione quoque acquiritur spiritus salis communis. Alii simplici digestione (in suis centum mendaciis quibus fides adhibetur) spiritum salis dulcificare voluere, attestante *SCROEDERO cit. loc. N. 2.* ubi tamen falsum est, hac ratione illum tantillum edulcorari posse. Tandem optimè res procedit cum duplo spirit. vini cum aliquoties cohobando. Et hunc spiritum salis dulcem *BASILIUS VALENTINUS* nominat aquam suam temperatam, quamque pro solutione calcis salis adhibet.

8 *Spiritus salis vitriolatus:*) Hic fucus inanis est, cùm vitriol. fixioris naturæ existens, ne tantillum quidem cum sale mistũ & destillatum reddat, nisi quod Phlegma vitrioli rectificetur, & si affundatur is sali communi, & destillatur, tunc procedit spiritus salis, remanente spiritu vitrioli, qui cum alcali salis communiter coëundo, abit in sal mirabile *GLAUBERI*.

9 *E sale cum limatura martis:*] *ZUVOELFER, in Mant. Sp. p. 340.* Spiritum salis martialem ex limatura martis & sale destilat, cui tamen tantillum substantiæ martialis inest.

10 *Spiritus è florum:*] *ZUVOELFER cit. loc. p. 139.* ex martis & salis armoniaci aurei coloris floribus spiritum salis martialem elicere docet, qui tamen spiritus, est spiritus salis communis non nihil dulcis, qui de marte aliquid participat, interim non tanti æstimandus.

1 *Spiritus salis per alcali* : [Innuit hic spiritum salis coagulatum, qui fit, quando spiritus salis acidus miscetur cum sal tart. vel nitri, aut & secundum *MYNSICHT, pag. 26.* cum sale absynthii, qnibus modis omnibus sal commune paulò acrius acquiritur.

2 *Flores* :] Scil. quando destillatur spiritus salis communis paulò intensior, tunc simul aliquid in formam florum elevari conspicitur ; sicut alii ex sale communi fuso mediante retorta tubulata cui adaptatus est follis, parant spiritum salis per se, aut quoque crystallos salis dulces, quos processus vide apud *KESLERUM process. 24. & Theatr. Chym. vol. 6.*

*vol.6.pag.*473. pro usu Alchymistico; interne tamen hi flores nihil aliud sunt quàm sal commune paulò subtilius factum, vel & spiritus salis coagulatus, undè spiritui salis propriè possunt addi pro majori acrimonia concilianda. Tandem quibus placet, loco spiritus salis coagulati, vel florum salis communis recipere possunt illud sal, quod post Spir. salis ammoniaci urinosum, ex ana salis tart. & salis ammoniaci factum, intensiori igne acquiritur; sic enim ex spir. salis ammoniaci acido imminente, & in alcali fixo coagulato elevantur in collum retortæ crystalli salis communis.

TEXT. LUDOVIC.

borum minus prodigus forsan haud incongrue *ultimum & infimum Salis Ammoniaci*,) post sequestratos per sal Tartari Flores urinosos, *Sublimatum* ejuscemodi coagulis substitueret. Qui vero utrumvis horum amplius *Crystallisare* conantur, *aut Solaribus vel* [stringentissimis tunc) *Martialibus* saturant; qui *spiritum ipsum* (exigua sane participatione, difficilique dispensatione;] *super depuratum Tartarum aut Saccharum*, vel] manifesta cum inversione] 3 *Super Silices*, aut [maxima istius dispersione, donec tandem aliqualis acor sentiatur,] *cum Alcali quodam vegetabili concentrare* laborant; vel post tædiosas Acetosorum 4 Incerationes, operoseque repetendas Sublimationes, &c. tædiosa quædam *Coagula*, 5 *Gemmas vitæ, &c.* quærunt; laudabili quidem exercitio, sumptuosæque sæpe experimentationi, haud vero contractiori firmatiorique Praxi symbolum, [uti nostram nunc intentionem concernit,] conferre videntur.

E Vitriolo Spiritus, & alia vulgatiora communiter huic classi inseruntur: sed enim cum Salis culinarii, &c. productis utplurimum segniora reperiantur, paulo post inter Alterantia considerata, & relatu huc postmodum haud erunt difficilia,

6 *Sal Anatron, Allembrot*, ac cætera terrifica Nomina. Metallurgis, 7 *Vitri* [ceu vocant,] *cineres*, quoquo etiam modo hujuscemodi minutiæ comparentur, Lurconibus ne frusta manducent, relinquamus. Qui non solum istud Alcohol, sed curiosas quoque [*per augmentatum Alcali, aut per Salis, Vitrioli, Nitrive Spiritum*. Vitris, ex & cum Abiegno Pineoque ligno paratis instillatum,] comparatas *Solutiones atque Magisteria* nobiscum expertus; est talia haud exiget remedia.

Sic 8 *Lapidem Nephriticum*, etiam selectiorem, plus vice simplici tentavimus; at frustra plerumque, vel circumstantiis effectus causam dubiam reddentibus: ut proin, si nihilominus habitatioribus pro periapto placeat, & integer quidpiam nonnullis præstet, inconsideratior tamen sit *Comminuti vel acidis Spiritibus corrosi* exhibitio. 9 *Crystallū* alia postmodū in classe ponemus, unde revocari huc poterit (si cui temperatioribus Nephriticis interdum adjicienda placeat. Sed enim mediocres tantum ejus hic vires offendimus; magisque adhuc *Silicum*, & quæ in libellis inde passim proponuntur. Nam ut *per se*, & citra inutilem illam *Calcinationem*, [Dentifriciis forsan, loco vexatissimi, & tandem etiam *in lacte extincti Pumicis*, aptiorem,] præcipitans quoddam seu invertens stomachale nonnunquam præstet; ut quoque *solutio ejus salis spiritu* facta,] acerba & ingratior,] *Liquoribus Nephriticis* per eundem spiritum ex omni pretiosiorum etiam Lapidum lithontripticorum genere vulgo paratis revera æquipolleat exiguus tamen hic, etiam *selectioris & vel Metallici quid spondentis* deprehenditur effectus, sive *in substantia* detur; sive *dicto aliove acido liquore solutus*, aut plane in *salinum coagulum*, redactus. Siquidem quod decantatissimus nuper 10 *Silicum ille Liquor, aut Tinctura*, [è Massa cum sale Tartari per fusionem proveniente,]pro more extracta, & ad colorationem equidem reale quid sic conferens, hoc in genere & certis circumstantiis præstant, inter Silices tamen tantillum potius Salis Tartari est: indeque vulgaris etiam Tartari [quamvis accidentarii ruboris] Tinctura haud minus tunc efficax, ipse vero Silicum Liquor Mechanicis forsan aptior, levissimus autem pulvis, qui *Cremoris* titulo hinc elutriatur, & *Magisterium per spiritum Vitrioli*, (cum elegantis Tartari vitriolati proventu,) vel (è Solutionibus cum Spiritu Salis factis) *per Alcalia* præcipitatum, profecto deses deprehenditur. Atque hinc semiaffinem istis 1 *Ludum recentiorum fossilem* hactenus per usitata illa Acida vel Alcalina solventia reiterato tentare noluimus; nihilo aliis silicum molliorumve adhuc Lapidum Solutionibus vali-

NOTÆ.

3 *Super silices*:] GLAUBERUS spiritum salis à silice abstrahendum jubet, verùm hac ratione silices, imbibendo spiritum salis, hunc magis enervant, quàm exaltant.

4 *Incerationes*:) Hic duos processus illos, quosque SCHROEDERUS *num* 9.*p*.468.& *num*.14.*p*.470. habet, insinuat; dum nempe sal commune imbibitur nunc cum oleo salis, nunc cum aceto.

5 *Gemmas vitæ*:] Gemma vitæ *MYNSICHTI p*.28. est spiritus salis concentratus, & cum auro corporali impraegnatus, quo tamen & similibus modis nihil aliud obtinetur, quàm spiritus salis plus minus concentratus.

6 *Sal anatron*: Quid sit *vid. in SCHROEDERO p*.219. Sunt sc. salia fusioni metallorum inservientia.

7 *Vitri cineres*:] Vitrum constat ex alcali cinerum & terræ silicum calcinatorum invicem colliquatis, sub qua colliquatione sal alcali illud acidum silicum imbibendo, & in salsum abit reliquæ massæ supernatans; *fel vitri* vocatum. Cæterum vitrum quidam pro usu diuretico adhibent, contusum scil. illud, & cum ana salis ejusdem fixi subactum & de novo fundendo. Ita massa emergens, in aëre humido propter alcali abundans facilè liquescit. Ex hoc & instillatione spiritus salis vel vitrioli pulvis silicum præcipitari potest, quem ceu magisterium vitri commendant pro scopo diuretico; quod tamen non magni æstimandum,

8 *Lapidem nephriticum*] Hic vel per se usurpatur vel antea præparatur; per se quidem amuleti instar curare & præservare à calculo dicitur, *conf. BARTHOLINUS de lap. neph.* Præparatus verò adhibetur vel solus in spiritu salis sub forma solutionis, vel & præcipitando hunc cum alcali, in magisterium ejusdem texturæ sub forma pulveris.

9 *Crystallum*:] Hæc ut & silices paulò puriores usurpantur duplici modo, externè pro dentifriciis, pulverisati scil. vel & calcinati, & in aqua communi extincti, donec friabiles reddantur, ubi tamen genuina est *ZUUOELFERI* censura, dicentis, ejusmodi substantias lapidem non esse adeò tuta dentifricia, sed asperiores illas vim inferre gingivis, & has successivè absumere; indeque loco ejusmodi terreorum cineres Nicotianæ aut tartarum calcinatum longè cōmodius adhiberi: internè verò, utut verum sit, crystallum esse invertens acidorum præternaturalium, hincque infantibus pro acido horum æruginoso prodesse, sicut & dysenteria benigna laborantibus; ea tamen pro usu diuretico non adeò singularis est. Deinde crystallus calcinata solvi potest in aceto, vel in spiritu salis, & hinc vel solutio talis in forma liquida propinari, vel post coagulationem sui per deliquium iterum solvi. Et hac ratione quoque alii lapides, vulgò lithontriptici vocati, tractari poterunt, ubi tamen omninò istorum præparata pariter saltem urinam propellendo prosunt.

10 *Silicum illè liquor*:] Scil. *GLAUBERI* inventum hoc est, recipientis ana sal. tart. & silicum pulverisatorum, hinc sal. tart. fluenti in crucibulo successivè immitentis pulverem silicum, [qui subjectum admodum sulphureum sunt] ita invicem coëunt in liquorem vitriformem, qui in loco frigido repositus propter alcali abundantiam fluit per deliquium, parū in recessu habens; vel & massam illam cum spirit. vini in tincturam extrahit *GLAUBERUS*, tincturam silicum eandem vocans, quæ tamen non est ex silicibus, sed ex sale tart. adeoque præ tinctura tart. vulgari nihil in recessu obtinet. Porrò si dicta mistura per deliquium fluat, emergit magisterium præ pulvere silicum nil peculiare obtinens; contra liquor cum spiritu salis præcipitato in sal commune, vel cum spirit. vitrioli, in tart. vitriolarum abit.

10 *Ludum recentiorum*:] Innuit hic ludum *HELMONTII*, ex quo cum liquore alcahest parat suum aroph, solvens calculum humanum jamdum concretū.

TEXT.

TEXT LUDOVIC.

dius, dum Alcahestino reclusio deerat, inde superioribus annis obtinentes. Nec inter tantum euporistorum lithontripticorum proventum (etiam accidentarium,) referemus huc *Lyncis*, *Iudaicum*, *aut Spongiæ*, gutturosis apud institores venalis; & 2 *Pila marina* plerumque tum præsentioris,) *Lapidem*, consimilesve Massas, etiam inconsideratius *Vstulatas*, vel in *Salia*, *Liquores*, *aut Magisteria*, majoris adhuc (quæ tamen non est, efficaciæ vel singularitatis causa redactas. 3 *Ceraunius* (rarus nec fidus semper,) in hydrope simul, ut & ictero nonnullis commendatus, item 4 *Glossopetra*, similiter etiam inter Stomachica, Antepileptica & Hydropica relatæ, (sive revera fossiles, sive Canis Carchariæ dentes fuerint, curiosiorum Museis cedant. Et si omnino quid superadendum, consultius fortasse foret 5 è *Calce viva*, tractantium manus æque ac ingenia adhuc dum, (in eo tamen similiter exæstuantium, nihilominus duplex illud recentiorum Sal haud possidentium numero,) exercente.

Esset autem forsitan, (si spiritui Salis Tartari associare placeret,) ille fumosus & polychrestus *Spiritus* urinosus (nec adeo tamen ingratus;) quem quidem per nos alii modo *cum Armoniaco*, *Cornu Corvi*, *Tartaro*, *&c. sub Antipodagrici quoque titulo* quærunt; Compositum, additamentisque potius vires suas debentem liquorem, (quem extemporanea insuper mixtura imiteris) nacti; modo vero per tædiosissimas 6 *spiritus vini alcalisati incerationes* exercitatis quoque inter bifidos tubulos nihilominus sæpe semiphlegmaticum quid proferentes, aut *per peculiares Serpentinas*, intus hamulis seu retinaculis quibusdam phlegmatis ascensum impedientes, aliterve colligant. 7 Nos *Spiritum Salis* etiam venalem tantum, aut *Spiritum vitrioli philosophicum* (cum Aceto destillato non procedit,) anatico pondere Calci vivæ recentissimæ (in cucurbita in Arena calida locata) superfundendas, per Alembicum de subito applicatum, subtilem & copiosum Spiritum magno sic laborum compendio nanciscimur; Capite mortuo; post elutriationem & massæ Salinæ cum vini spiritu extractionem,) *Liquorem istum Nephriticum* decantatum, (at effectu revera saltem mediocrem) quem alii data opera *è Spiritus Salis & Calcis vivæ seorsim facto coagulo*, *vel Spiritus Salis Armoniaci cum Calce parati Capite mortuo* petunt, (si placuerit,) suppeditante. Sin vero nimia videatur Spiritus hujus insumptio, exiguarum impensarum modum haud ita pridem aliud agendo invenimus: si scilicet Calcis vivæ recentissimæ contusæque ana, (vel etiam minus,) 8 *cum Alumine* desubito misceatur, & per retortam aut cucurbitam aut in arena destilletur; quo spiritus sat penetrans & urinosus provenit; Aciditate aluminosa terream calcis partem interim adoriente vel amplexante. Quæ vero præterea è viva Calce supersunt, Matresfamilias vel domi, quando necessum fuerit, parant; at profecto (ut alterius quidem classis euporistorum præstantiam ingenuè hic fateamur,) quam plurimis Officinarum ac Tonsorum oleis Unguentisque refrigerantibus, resolventibus, item de Calce viva, &c. Miscellis nihilominns præsentiora, ceu verb. gr. polycrestum & volatili salsedine (citra corpulentioris acredinis post exhalationem vestigia,) prægnantissimum est 9 *Lixivium*; *sive per se*, *sive cum Oleo communi vel Anodyno quodam in Linimentum*, concussum applicetur. item

NOTÆ.

2 *Pila marina*:] Est concrementum, annotante *VVORMIO in Musæo*, ex fibris algæ marinæ petrefactæ tenacioribus confecta, quæ tamen si vim aliquam diureticam obtinent, habent eam à sale marino sibi adhærente.

3 *Ceraunius*:] Ex hoc *D. D. MICHAEL* cum ana exuviarum serpentum misto præparavit suum specificum antictericum, cujus tamen effectus rationes videmus; sicut & *POLEMANNVS* & *AGRICOLA* laudant ceraunium pro hydrope curando, nunc in pulvere, nunc in potu infusum; sed veremur ne & hîc spe frustremur.

4 *GLOSSOPETRÆ*: [Sunt qui corpora triangularia in Insula Malta reperibilia, alii fossilia, alii marina statuunt: ubi tamen notandum, in mari mediterraneo reperiri piscem Cauhariam dictum, rictu canino quadruplici dentium serie circumvallato præditũ, qui ipsi dẽtes ex mortuo pisce decidentes, appellunt ad Insulam Malthæ, ibique se speluncis insinuando induratione lapidis speciẽ acquirũt, *conf. STENO in Myolog. Spec.* ubi anatomiam ejusmodi piscis habet.

5 *E calce viva*:] Hæc est famosum subjectum diureticum & lithontripticum, lapidosumque artificiale suo modo concretum, constans primariò ex terra fixa, unà acido & excessivo alcali abscondito: Equidem quoad bina hæcce salia latẽtia in calce viva dubitare videtur *AVTHOR* N. terẽs vestigia *ZVVOELFERI*, indeque negat dari eadem in calce viva; interim quod illa huic insint, sufficienter demonstravit *MEROVV de nitro*. Et sanè cum calcẽ viva tam fortia salia possideat, hinc factum, ut semper vis diuretica in ea quæsita fuerit, & præprimis spiritus diuretico-nephriticus; utut autem verum sit ex calce viva cum sale ammoniaco, vel CC. vel tartaro combinata semper acquiri spiritum nitrosum; tamen ille est compositus, & præsertim additamentis hisce originem debet, adeoque sic genuinus calcis vivæ spiritus non paratur; quin potius videri posset pardoxum, ex calcinantis ignis violentiis vexata petere velle spiritum nitrosum; cujus tamen aliquid reverà inest.

6 *Spiritus vini alcolisati*: Innuit hisce processum *BASILII VALENTINI*, quem & habet *SCHROEDERVS KESLERVS* ac alii; est sc. quum cum spirit. vini repetitis vicibus impregnata calce viva fortissimo igne pellitur; sic enim prodit ex retorta spirit. vini aliqualiter acris salinus, utut parcissimum sit, quod recipit spirit. vini.

7 *Nos spiritum salis*,] Curiosus est labor ille, quando nempe ℞. spirit. salis & affunditur calcis vivæ recenti, vel & quæ aliquid humiditatis aëreæ attraxerit, in quo casu hæc potenter spiritum salis imbibendo effervescit, hinc ex destillata mistura prodit spiritus volatilis urinosus instar spiritus urinæ, quantumvis non adeo copiosus; interim dubium est, an hic spiritus urinosus reverà ex calce viva prodierit an verò ex spiritu salis, in superficie sua acido? deinde ex capite mortuo hujus spiritus remanente, mediante aqua elixiviatur sal alcalino salsum, quod post evaporationẽ Phlegmatis cum spiritu vini extrahitur in liquorum salso urinosum diureticum; quem alii ex tempore parant, imbibendo calcem vivam cum spiritu salis, hinc inspissando & per deliquium fluere sinendo, Sic alii adhuc recipiunt caput salis armoniaci cum ãã calcis vivæ post spiritum prolectum remanens, & ex hoc parant cremorem saliformem & liquorem diureticum, coëunte sic acido spiritus salis cum alcali calcis vivæ. Tandem alii sal amoniacum elixiviant, quod per deliquium fluens liquorem diureticum constituit.

8 *Cum alumine*:) Scil. calx viva recentissima cum alumine mista post destillationem dat quidẽ spiritum urinosum; interim tamen dubium hic occurrit, annon sit hic spiritus urinæ in alumine delitescens; sanè longè probabilius est, ex alumine cum quàm quidem ex calce viva prodire.

9 *Lixivium*:) Scil. aqua calcis vivæ (in qua nempe calx viva effervescendo extincta quasi est,) vocata aliàs aqua benedicta Chirurgorum, egregia est in affectibus Chirurgicis quamplurimis, est enim corpus lexiviale urinosum prædominante in eodem alcali; hinc ea vel solitaria, vel acuata cum tertia parte spiritu vini (quo sic sal oleosum prædominetur) præstans erit in inflammationibus discutiendis, vi absorptiva acidi, inflammationis causæ. Eadem aqua excellit in ulceribus sordidis purificandis, eluendo eadem; in incipiente gangræna, promovendo simul separationem partis sanæ à mortua; item in scabie & serpigine curandis. Sic cum ante menstruum tempus haberemus scabiosum, suasu alius ignorantis medicastri solutionem mercurii sublimati in aqua factam loco litus adhibentem, & hic contraheret in dolorem, tumorem & inflammationem manus jubebamus ut ℞. aquæ calcis vivæ lib. j. addendo, spirit. vini ℥j. ceruss.

russ. ℥iij. Hujus misturæ usu externo brevi à malo suo libarabatur. Pariter ante biennium accipiebamus mulierem puncturâ acus in imo digiti tendinè lædentem, hincq; lituras rubras ad cubitum protensas (quod signum erat increscentis gangrænæ) monstrantem; unde suadebamus huic digitum læsum tractare balsamo sulphuris; ipsi verò brachio applicare aquam calcis vinæ, quô factô convaluit. Tandem & in ambustionibus citò curandis excellit aqua calcis vinæ. ℞. eam probè impregnatam, inque eam infunde oleũ rosarum, hinc agitando, ut in consistentiam butyri quasi abeant, alcali calcis vivæ acidum olei rosati imbibendo. Hoc sanè remedium vix sibi in ambustionibus & aliis casibus par aliud habet.

TEXT. LUDOVIC.

10 *Cremor calcis vivæ*, ad dysepulotica, &c. nunquam non collectu facilis. Ità securius & efficacius usque dum non invenimus 1 *Cauterium*, quam quod eadem prosapia è *Lixivio saponario* [citra opiatorum, Saturninorum, &c. actuationem plerumque magis retardantium accessum) simplissime confit, & à liquatione caute præservatur: siquidem *recens Fraxini cinis* non cujusvis loci ac temporis; *Spiritus Vitrioli concentratus* tædiosior, & æque ac *Antimonii Butyrum* inæqualis interdum extensionis; magis autem adhuc *Mercurius sublimatus* turbulentus est, præsertim in Cachecticis: quemadmodum & Globuli in istius Solutione macerati: ut diversa hinc (sæpe promissis vix adeo stantia) *Composita* data opera prætereamus: nam recensita hactenus nec directe hujus classis, nec præter dictum simplicissimum Cauterium, selectus nostri sunt.

Quo itaque residua *Compositi generis Diuretica ac Lithontriptica* similiter nunc perlustremus, & facta tantæ coacervationis collatione, unum hinc alterumve pro instituti nostri ratione seligamus; sane qui pincipio nobiscum advertit, quod [uti ab initio quoque ex parte monuimus,] in Nephritidem revera vel ex persuasione proni, commandatissimorum quoque continuatione nimia; malum potius accelerent vel intendant; aut propulso reside postmodum granulo, vesicæ calculum sibi nonnunquam procurent: quod porro Dulech hoc, ceu alias extra Sphæram activitatis medicamentorum admodum positum si quasi siliceum fuerit, Pharmaciæ non obtemperet, & arenosa saltem, præsertim hypochondriacorum conglomeratio incidentibus Salinis aliisve specificis interdum cedat: quod denique 2 Renum Calculus neutiquam diffusos apparatus & formularum variationes exigat; sed paucissimis appropriatis, eoque cum activitate quadam pertingentibus æque feliciter aut felicius, si per naturam potest, propellatur; quod in continua illa nausea vel complicatis plerumque vomitibus diffusæ potiones, magmatum boli, ingratioris molis saporisve pulveres, &c. hic perquam inconvententes, Clysteres [utut evacuando levare vel demulcere dicantur,) nisi in rarissimis circumstantiis, de cætero revera supervacanei, Laxativa adhuc majores tunc turbatores, Topica vero operosiora [dum externus calor & illinentis frictio potissimum hic paragit,) plane frustranea sint; quod demum temperata & simul præcipitantia Diuterica, anodinis [ni contumax Ischuria attentionem quandam circa talia exigat;] & antispasmaticis exaltata, præ aliis ut plurimum præsentiora in ejusmodi turbis & ureterum crispaturis reperiantur; salina vero, [acida vel pro circumstantiarum ratione, alcalina,] consultius tunc istis tantum succenturientur: qui inquam hæc & similia pro comptiori compendiosiorique praxi considerat, quantum primo quidem *Pulveres*, jampridem magno numero in Dispensatoriis, [at plerumque sine Gratiis concinniorive compositione] propositos, aut recens hinc inde [sub nuda tantum variatione] super additos, concernit, si supralaudatorum Oculorum Cancri v. g. scrupulum unum vel drachmam semis, cum pulveris Anodyni nostri granis octo præterpropter semel aut bis dederis; vel (complacente forsan præ extemporanea dosi, actuali Compositi asservatione,) sub parili proportione reposuerit: in-

NOTÆ.

10 *Cremor. calcis vivæ*:) Scil. crusta quædam moderatè salsa & pinguis aquæ calcis vivæ supernatans, præter usum quem habet in cancro exulcerato, nisi is nimis fuerit exasperatus) convenit & ulceribus dysepuloticis, h. e. quæ nolunt cicatrisari. Sicut & calx viva lota, h. e. corpus illud terreum post aquæ elotionem superstes redigi potest in linimentum contra ambusta, & ulcera alia remanentia.

1 *Cauterium*: Cauteria potentialia pro natura salium corrosivorum sunt in duplici differentia, nempe alcalia, & acida; quorum illa sunt omnia lixivialia acria salia, & ex his sal præprimis ex lixivio saponariorum coagulatum, quæ præter alia & ingreditur calx viva, atque hoc in loco calido sicco asservatum, ne per deliquium fluat, eligit *AUTHOR*. Interim tamen alcalia hæc cauteria non adeô commodè usurpantur ex eo, quod illa solvendo putrefaciant locum, cui applicentur, moxque maculam nigram fœtentemque crustam gangrænæ quasi initium inferant; è contra acida salia plus minus concentrata præsentiora sunt, cùm rodât hæc saltem, & rodendo partem profundius saucient, imò rubram, hinc albam escharam inducant. Jam verò inter hæc acida eminet Luna in aqua forti soluta, quæ solutâ inspissatione dat pulverem ex albo obscurum, lapis Infernalis dictum, de quo ad quantitatem ipisi mediocris applicetur loco, imponendo desuper emplastrum, ita hic pulvis ob aquam fortem in ipso concentratam operari incipit, quasi puncturæ pulicum affligerent. Idem pulvis locũ habet in casu carnis excrescentis ulcerum, quam mortificat & erodit. Tandem post hunc pulverem pro cauterio optimum est butyrum antimonii tubulo calami coërcendum.

2 *Renum calculus*:] Scil. in paroxysmo nephrico, & dum calculus urget, duæ occurrũt indicationes aut enim calculus communiendus est, aut, si id fieri nequeat, maturè ejiciendus per diuretica, quo sic præcaveamus majora ejus incrementa. Jam verò priori scopo obstat paucitas remediorum calculum positivè frangentium, indeque ob horum defectum ad secundam indicationem accedendum est, ubi tamen in hac quoque obstat, quod in nephritidis dolore fibræ ureterum convulsivè crispentur, hincque meatus angustentur, adeoque difficilis sit labor pellendi calculum renum, cùm si fortiora diuretica exhibere velimus, dolorem intensiorem paremus. Quid ergò in tanta perplexitate consilii? Resp. *AUTHOR* N. jubendo, ut sistatur dolor, quo remittente, & crispaturâ ureterum cessante, sponte sic sua prodeat calculus, hincque suadendo temperata, simulque præcipitantia diuretica anodynis & antispasmodicis exaltata. Nempè suadet diuretica blanda [non acriora] & præcipitantia, h. e. acriora salia primarum viarum absorbentia & invertentia, præsertim cum urina ferè acrior & dysuria urgere soleant; quibus anodyna pro sistenda crispatura & tandem superaddit antispasmodica. Et sanè anodyna sunt bona, quorum in usu suspicio quidem oriri potest, malè ea dari, cùm interdum disponant ad urinæ suppressionem, quod nobis in febribus malignis obtigit, in quibus cùm misturam ex theriaca cum aceto & antimonio diaphoretico compositam exhibuissemus, ægrum ad nychthemeri spatium Ischuriam incidisse observavimus, cujus causam postmodũ collegimus fuisse vim opiatorum & theriacalium, quatenus renalium fibrarum tonus labefactatus urinam non transire permisit; unde in hoc casu vitentur opiata; interim tamen tantum abest, ut in paroxysmo nephritico hoc periculum metuendum sit, ut potius blanda anodyna reliquis addita hic in usum vocentur. Cæterùm *AUTHOR* N. pro scopo temperativo & simul præcitante diuretico eligit Lapides cancrorum sicut pro anodino pulveré suum anodyũ ex opio constantem & inferius descriptum. Tandẽ pro anti-spasmotico cinnabarim nativam, vel in ejus defectu antimonii, adeoque ordinat ex his talem pulverem compositum. *℞. oc. cancrorum ℈j. ad ʒß. pulveris anodyni opiat. nostr. gr. iij. antimonii nativ.* gr. viij. M. in formam pulveris subinde usurpandi ab ægro nephritico, interponendo usui ejusdem vel spiritum salis, vel tincturam tartari tertarisatam.

TEXT

TEXT. LUDOVIC.

ter Spiritus Salis aut Tincturæ Tartarasati, vel consimilium supra memoratorum debitum consideratumque accessum, facilè præstabit, quod *Lithontribon*, *Ducis*, *Justinique Species*, *ac tot antiqui recentesque contra Calculum Pulveres*, *etiam Cantharidibus diversisque Cineribus*, *Nephritico lapide &c. stipati* curative pollicentur. Ut Tartarum, Nitrum, Alcalia diuretica &c. per se vel cum Cancrinis, aut (infra ponendo, sed molem haud parum ungente) Succino, varie pro lubitu miscenda, & extra paroxysmum (inter alia euporista) nonnunquam (si è re esse videantur,) danda hic non repetamus.

Sic cum sapidiores è Diureticis pulveres, Essentiæ, Tincturæ, Extracta, &c. Conservæ cuidam vel Rob domestico nunquam non (in competente tamen proportione ac conspiratione) involvi (siquidem omnino bolari consistentia expeterentur,) queant; non deprehendimus, cur tot (ut plurimum inconsideratius composita) *Diuretica & Lithontriptica Electuaria*, speciosiresque licet) *Marmeladæ* præstare debeant. Sane hoc remedii genus in universum hisce affectibus videtur inconvenientius. 2 Nec *Sirupos* (olim inconsulto coacervatos, sæpeque e culinariis solummodo confectos.) v.g. *de duabus*, *& de quinque Radicibus*, aut (parva hinc differentia *Acetosum compositum*, *de Raphano F. Oxymel compositum*, *vel quod in specie* (ob Raphanum forte, qui tamen ad uncias estur, & ob Asparagi Ruscique baccas,) *Diureticum* dicitur, *aut Oxysaccharum compositum* alias nunc vilescens, vel (pridem satis excussum) *Sirupum Nephrocatharticum*, secundum usitatata Dispensatoria requiret, aut operosiores talium *Correctiones*, *vel novas Sirupi Acetosi compositi*, *& Oxymellis compositi*, *item Siruporum Nephriticorum Formulas*, *etiam cum Aceto destillato* ex aliquot vegetabilium, si recentia siccentur,) Manipulis, Raphano, ingratioribus cæpis, &c. aliterque paratas alternando superaddet, qui saccharum hic haut adeo conveniens, aut saltem supervacaneum esse, vel si omnino dulcor in quibusdam exigeretur, Saccharo seorsim Sirupisato 5 Essentias, Extracta, Nitrum, Spiritus, similesque Liquores mage polychrestos & concentratos facillime dilui seu temperari posse, sub contractiori Praxi novit.

Et cum prædicta *Liquida*, (quodvis in suo genere & destinatione,) tam per se, quam sub competenti mixtura, tot (superioribus annis utplurimum inconsideratius coagmentata, aut supervacue saltem usque dum multiplicata) *Elixiria Nephritica*, *liquores Nephriticos*, *Lithontripticos*, *contra Calculum*, *contra Arenulas*, *Essentias Nephriticas*, *Mixturas Diureticas*, *&c.* partim longe superent, partim evidenter æquent, non videmus, cur talia quoque seorsim reponi mereantur; præsertim cum horum quædam extemporaneæ imitationis sint; multa ob ingredientium parcitatem aut languorem, [ni assignata dosis admodum multiplicetur,] aperte debilia; alia propter graveolentium aut fumosorum accessum, nauseabunda & [præcipue, quibus tamen una commendantur, hypochondriacis] perquam adversa; alia ob fossilium, testaceorum, ostracodermorum &c. manifestam inversionem vel saturationem justo remissiora: ceu paulo ante quoque de Liquoribus istis acerbis, [*Nephriticorum titulo*,] è fossilibus, vel animalium lapidibus aut testis cum spiritu salis diversimode paratis, atque gratis nonnunquam inter alios labores provenientibus notavimus? Et qui *Philosophorum Aroma* cum antiquioribus olim etiam in Sale culinario quærit; forsan 6 *Aroph suum* similiter hinc expectaret: præsertim cum simplex istius Spiritus, in & extra paroxysmum, quam plurimis [secretioribus quoque] Compositionibus præstantior sit; & hinc occultationis causa Essentia Papaveris erratici, &c. coloratus, aliterve medicatus 7 *Tincturarum singularium* titulo haud paucis dispensetur; æque ac alibi tantillo Salis Tartari infractus ac Torna Solis coloratus, &c. pro speciali *Tinctura Aperetiva* venisse, aliis autem è Nitri, Vitrioli, Salis, Tartari &c. consortio [ceu mixturæ variabiles sunt] destillata & colorata fuisse videbatur. Famosa nuper illa *Nephritica*, ex Antimonii, Sulphuris, Nitri ac Tartari consortio pro more parata, nec nova est nec supra positis Alcalinis Tartareis &c. evidenter superior: gratuito de cætero post consimiles istorum detonationes habenda. 8 *Lixivia Diuretica*, *Tartarisata* &c. solutis tantum ejus generis Salibus, [quid enim aliud sunt] quandocunque lubet, ex tempore consiunt, aut Matri familias ex euporistis æquipollentibus parantur. Quemadmodum & reliquæ Diureticorum Formulæ, variationis, emendationisve causa passim Pharmacopoliis propositæ, extemporaneæ potius mixturæ vel imitationis sunt. Atque hæc de tertia sensibiliter evacuantium Classe.

NOTÆ.

3 *Lithontribon*:) Hi pulveres omnes sunt inconditi & nihil ferè operantur.

4 *Nec Syrupos*:) In paroxysmo nephritico cùm stomachus per consensum ut plurimùm insigniter simul laboret, hujusmodi saccharata tantò magis prosternunt, quo magis saccharum superat vim ingredientium medicamentosam.

Essentias nephriticas:) Hæ cum spiritu vini paratæ ex aromaticis præsertim calculum frangentibus.

6 *Aroph.*) PARACELSO est specices medicamenti, quo calculum humanum confregit, quod admirati sequaces putârunt illud explicare, & denotare aroma Philosophorum.

5 *Tincturarum*:) Innuit hic AUTHOR tincturam aperitivam MOEBII duplicem, quarũ vera est ℞. spir. salis communis, eumque quater super caput mortuum proprium cohobatum ex M. B. rectifica, ita prodit spiritus striatus volatilis acidus, quem abstractum à sale tartari tinge cum torna, urinis, h. e. cum succo baccarum heliotropii infectis, vel etiam baccis ipsis exsiccatis, in tincturam aperitivam egregiè diureticam; quoad alteram tincturam, illa nil valet.

8 *Lixvia diuretica*:) MYNSICHTI sunt nihil aliud, quàm salia calcinatorum vegetabilium in aqua vel vino soluta ita propinata.

Atque ita ex hisce selectis diureticis hactenus allegatis, vel mille FORMULÆ pro diuresi concitanda præscribi poterunt, v. gr. in forma pulveris:

℞. *Tartari vitreolat. rit. parat.* ʒß. vel
℞. *Cremor. tartari* ℈j.
Sal. tartari vel
ononid. gr. XV.
M. divid. in 2. part. æq. *Pulv. diureticus* vel
℞. *nitri vitriolat.* ʒß.
Sal. stipit. fabarum vel
stercor. columbin. cum
genista ℈j.
Ol. destill. terebinth. vel
juniperi gutt. IV.
M. divid. in 2. part. æq. D.
℞. *tartari puri vel cremor. tartari* vel
Nitr. purif. vel nitr. antimoniat. ℈ij.
Sal. tartari ℈j.
Ol. destill. terebinth. vel
juniperi gutt. iij.
M. divid. in 2. part. æq. D.
℞. *Cremor. tartari* ℈ij.
vitrioli martis rite parat. ℈j.
M. divid. in 2. part. æq. D. S.
℞. *Sal. essential. tartari* ʒj.
vitrioli martis ʒß.
M. in mortario lapideo; hinc Massa humido prægnata exsiccetur, & de novo trita diu, in 4. part. æq.
Sic in forma liquida.
℞. *Tinctura tartari* ʒij.
Clyssi urinosi ʒj.
M. D. 40. gutt. vel
℞. *Solut. s. tinct. tartari tartarisati* ʒß.
D. dosis 50. gutt. vel
℞. *Liq. tart. foliat. tartari* ʒiij.
Spir. Sal. armoniac. ʒiß.
M. D. 40. gutt. vel
℞. *Aqu. fragor.* ℥ij.
Tinct. tartari tartarisati ʒij.
Syr. heder. terr. ℥ß.
M. usurpetur cochleatim, vel
℞. *Aqu. frago.* ℥iij.
Sal essential. tartari ʒiij.
Clyssi urinosi ʒj.
Syr. heder. terrest. ℥ß.
M. usurpetur cochleatim, vel
℞. *Aqu. petroselin.* ℥iij.
Aceti vini ʒvj.
Ocul. cancr. præparat. ʒj. ad ℈iv.

Syr. papuv. alb. ℥vj ad ℥j.
M. D. vel
℞. *Aqu. fragor.* ℥iij.
Lapid. cancr. praparat. ʒj.
Spir. Sal. dulc. ℈j. ad ʒß.
Syr. fragor. ℥vj.
M. D. vel
℞. *Canthariḋ. pulveris.* ℈j.
in fund. in *vini Rhenani* ℥ij.
stent in loco tepido per noctem, manè filtrentur
F. vin. diuretic.
Dos.10. 15. 20. guttæ, ascendendo paulatim indies in haustulo jusculi tepidi.
℞. *liquor. betula* q. v.
evaporetur ad mediam remanentiam; imprægnetur s. q. *extracti alkekengi liquidi* cum vel sine saccharo parati. D. cochleatim.
℞ *Rob. juniper* ʒj.
Lapid. cancror. gr. XV. *tartari vitriolat.* ℈ß.
cum s. q. *spirit. juniperi* F. Bolus.
Quibus denique electuarium placet ij.
℞. *Conserv. violar.* ℥j.
Rob. juniperi ℥ß.
Lapid. cancror. pulveris. ʒij.
Arcan. duplicat ʒj
cum s. q. *syr. heder. terrestr.* F. Electuarium irrorandum aliquot guttis *spiritus salis.*
M. D. quantitas castaneæ vel nucis juglandis.

TEXT. LUDOVIC.

Aperientia, Incidentia, Detergentia, Splenetica, Hepatica, Uterina, Pectoralia, &c.

Fortassis autem haud præter rem fecerimus, si Isti reliqua nunc Aperientia. Detergentia, Incidentia, &c. ob affinitatem materiæ, subjunxerimus: & primo quidem, (quando sic vocare licebit) *hypochondriaca & 9 Antiscorbutica.* Nam operæ pretia profecto mereretur, qui quod Affectum ipsum attinet, quævis ejus mala vel symptomata secundum loca sua affecta paulò penitius atque distinctius digereret; quo medicamenta singulis accuratius accomodarentur, nec generalissimo saltem vocabulo, ac cura plerumque vix dissimili quicquid incommodi à pube fere usque ad præcordia extenditur, vulgatissima consuetudine comprehenderemus; aut v. g. 10 Spleni, (non quidem semper adeo, secundùm nupera quorundam placita insonti,) indifferenter tamen imputaremus, quod ut plurimum intestinum vicinum patitur; atque similiter sic de reliquis. Quod autem Remedia, si unquam alicubi, sane hic) pro nutricula sc. nostra) usque dum coacervata variegataque concernit, 1 quisquis Mineralium Tincturarum, Vitriolorumque, aliterve præparatorum præstantiam, interpositorum Crustaceorum &c. Marinorum absorbentium seu invertentium Pulverum energiam, præterea Volatiliorum Liquorum, Amaricantium, Tartareorum &c. in quamplurimis circumstantiis longe majorem præcellentiam quæ vulgatis (& olim hinc profecto in abusum versis) Spiritibus acidis fixis vitriolicis, (simplicibus vel compositis, aut in Elixiria redactis) nobiscum observavit: qui porro tamen volatiles istos, præsertim ardentes Spiritus magna nihilominus circumspectione, præprimis in interaneorum exæstuantibus, debilitate capitis, &c. indigere; & simul plurimarum Traditionum de plerisque Digestivis vanitatem hodie, adeoque tot inconvenientissimorum Apozematum, Siruporum magistralium, Electuariorum &c. tædia noxas aut insufficientiam expertus est, quique tandem in accuratiorem effectus Specificorum rationem ulterioraque experimenta amplius inquirit, is oppido, (quantum primo quidem ad *Vegetabilia,*) 2 paucissima hujus generis [in tanta eorum inter se convenientia, imbecillitate, adversitate &c.] præsertim pro contractiori sylloge requiret.

NOTÆ.

9 *De Antiscorbuticis:*) In antecessum hîc præponendum, remedia Pharmaceutica causas morborum materiales sive occasionales corrigentia facere illud vel insensibiliter easdem saltem alterando, vel sensibiliter simul evacuando; etenim ex omnibus supra recommendatis evacuantibus non datur ullum, quod non simul corrigit & alteret humorem illum, qui evacuari debet. Contra alterantia videntur ea, quæ insensibiliter causas materiales seu succorum corporis sub nutritione ex perverso rerum 6. non naturalium usu degenerationem corrigunt; & speciatim illa alterantia vel viscidam humorum texturam incidendo vocantur incidentia, vel aperientia & detergentia, hincque prout variant nutritiones particulares, hincque prout variant nutritiones particulares. hincque nata sunt vel vitiosa contenta, vel transmissa, eatenus & remedia nunc aperientia pectoralia, nunc splenetica, nunc uterina appellari solent. Adeò ergò latus est campus alterantium, utut contra notum sit, ubivis ferè, speciatim in chronicis, obstructiones viscerum abdominis vulgò allegatas post se trahere fabulam de aperientibus; frequentissimè in ejusmodi casibus primariò peccat acidum, hærens in subjecto viscido, & occasione cruditatis acidæ è stomacho natum; unde acidum potius illud absorbentia, viscidum verò incidentia requireret. Et sanè quam vana sit ejusmodi accusatio obstructionis, probat qq. Mars, qui vulgò dicitur pollere vi aperiendi, cùm tamen reverâ ratione texturæ suæ naturalis simpliciter adstringat, & vi vitriolica spisset, potius quicquid Mars in chronicis præstat, illud facit visciditates imprimis absorbendo, easque per alvum eliminando. Porrò eminet inter morbos chronicos malum hypochondriacum, quod itidem simpliciter originem ducit ex stomachi cruditate acida, cujus vi obtunditur simul vis balsamica bilis. Jam ergò pro occasione materiæ productæ circa varias partes stabulantis, emergunt multiplicia symptomata, adeoque sunt qui malū hypochondriacum pancreaticum, stomachicum &c. allegant. malè tamen, cùm prout in hac vel illa parte fixius hæret materia, eatenus multiplicem larvam induat morbus.

Spleni:) Sunt qui malum hypochondriacum originem ducere dicunt ex splene, idque ideò, quod symptomata dolorosa maximè in hypochondriaco sinistro obvia sint; ast ut plurimum est insons splen, ut taceamus dubium esse, an splen affectus sit radix, an verò productum morbi; quin imò ut plurimùm curvatura coli accusanda.

1 *Quisquis mineralium:*) Innuit hic AUCTOR remedia in cura mali hypochondriaci & aliorum chronicorum usitata; nempè primatum ducunt martialia, acidum præter naturale absorbentia, & sub fæcum nigrarum forma illud eliminantia; tandem marina acidum invertentia, & illud salsum factum per vias urinarias educentia: Quibus porrò subjungit salina volatilia amaricantia hepatica & stomachica volatilia. Cæterùm ex illis volatilioribus imprimis spiritus inflammabiles non sine cautione usurpandos esse monet, idque ideò, quod hypochondriaci utplurimùm phlogosi torqueri & facillimè cephallalgiâ per consensum affici soleant.

2 *Paucissima:*) Ex omnibus vegetabilibus antiscorbuticis crasin succorum acidorancidam emundantibus seligit cochleariæ aquam, spir. & essentiam AUTHOR, alia susque de què habens, quod quidem possemus concedere, interim cùm & alia quævis idem præstent, putaremus dictis socianda simul esse raphanum rusticanum, trifolium aquaticum sive fibrinum & nasturtium aquaticum. Cætera ut piperitis, vermicularis & sinapi semen non æquè videntur necessaria, dum certis in casibus acetosa & acetosella, atque in artuum affectibus scorbuticis strobuli pini in usum vocari possunt.

TEXT. LVDOVIC.

Ponamus tamen vel variationis gratia, & ne hæretici forte videamur, principio 3 *Cochleariam*, & quidem [dum *Siccata*; *cum omnibus ſuis affinibus Spleneticis*, utut paſſim in medicos uſus longo ordine repoſitis, evanida eſt] *recentem*; *Naſturcina* quidem & ſimilia pro ſubſtitutis oppido ferentem; facile tamen, [dummodo eadem, quæ fugaci cuidam Flori impenderetur cura,] Germanis noſtris paſſim excolendam; ut inde 4 *Abſtractitius* (*Fermentatitio* cautioribus merito nunc neglecto) confiat *Spiritus* volatili herbæ ſale probe ſatur; quo ſeu per ſe [cum ſupradicta tamen circumſpectione] datus competentibus Extractis [potius, quam ipſis Simplicibus, non ſine multa ejus diſperſione infuſis] 5 *in Eſſentiam antypochondriacam* compendioſe exaltatus, *vulgari Cochlearia Eſſentia* [*ſimplici*, vel è reliquis quoque Antiſcorbuticis, & acidis, at invertentibus ſic ſpiritibus pro more *Compoſita*] adſuetis longe erit commodior: 6 *Liquore recentiori Hepatico ac ſplenetico*, cum abſtractiva olei Tartari Aqua &c. [dum ſpiritus ſalis Tartari quidpiam addi poſſet] effectu par, jucundior ac durabilior: *Sirupo quovis*; *ſive ſimplici Ejus*, *ſive compoſito* [*Antiſcorbutico*, *Sceletyrbicove*] *communi*, *vel* pro ſervanda volatilitatis parte,] *Sorrecto*, aut non nemini ulterius [unde & cur quæſo?] *baccis Rubi Normagici* medicato, hoc in genere præſentior: ſiquidem facilis eſt Alterantium [7 Extractorum vel Eſſentiarum vegetiorum,] ac Edulcorantium [modo innoxia hic forent,] additio: & terreſtriorem hujuſmodi plantarum ſpleneticarum partem, æque ac *Cochlearia Extractum*, & *inſpiſſatum Naſturtii aq. ac Becabunga ſuccum* alias languere conſtat: ut proin alterutricus inconvenientiæ [& tot extractorum vel Eſſentiarum potiores ſuas vires adhuc ſervantium] reſpectu, nec Sirupos Aperitivos *ſpleneticos hepaticoſque* diverſimode è prædictis volatilioribus & fixioribus [ſed ut plurimum ingratioribus] vegetabilibus, aliquali oculorum cancri cum vino ſolutionibus &c. uſquedum, in ea ſeculi ſolertia ſuperadditos hic requiramus. Sique quis potiora Tartarea, Martialia, Antimonialia, ammoniacalia Præcipitantia, aliaque paulo ante laudata debite interpoſuerit, profecto nefamoſiſſimo quidem 8 *Cochlearia Succo*, alias citra volatilioris ſubſtantiæ mutilationem [ceu nares reſiduumque magna probe teſtantur,] haud exprimendo, & in ſe ingratiori, uti affinium quoque plantarum ſunt omnes,] pro comptiori vel contractiori praxi adeo indigebit. Quem admodum nec languentibus, aut [inter acceptiora domeſtica vehicula adverſis *horum* 9 *Aquis deſtillatis*: *ſive Simplicibus*] *v. g. Naſturtii utriuſque*, *Chelidonii minoris*, *Anagallidis*: *aquat. Vermicularis*; &c. *ſive compoſitis hujus vel illius Antiſcorbuticis*, partim inconſiderate ex inconvenientioribus coagmentatis; partim è ſupervacue prius expreſſis ſuccis prolectis; aut operoſius ſaltem è ſimplicibus ſeorſim primo deſtillatis, denuo confectis; *vel* 10 *Raphani ruſtici* gravedine, aliiſque ſub deſtillatione ingratioribus, [quo etiam *Naſturtium* aq. pertinet,] nequaquam aggravatis. Unde nec dicti *Naſturtii aqua* quaſi ſemi fætentem, aut debiliorem *Becabunga Spiritum* huc referemus. Quoad ipſa vero ſimplicia; *Naſturtium utrumlibet*, 1 *Chelidonium minus*, & *eſculentum Dracunculum*: Acetariis; *Raphanum ruſticum* inter condimenta; *ſemen* 2 *ſinapi* [*Eruca* hoc in genere par, *Thlaſpi ſemine vividius*,] Moſtardis, aut dum *oleum inde expreſſum* inter æquivalentia vel penetrantiora paſſim eſt infrequentius,] rubefacientium domeſticorum ſocietati 3 *Trifolium fibrinum* hic locorum rarius, ſeptentrionalioribus; *Becabungam* & [alias inuſitatius *Sedum minus* fomentis forte] Conſervam *cochlearia recentem* quidem [ſi dum placuerit] extemporaneis, de cætero potius Exteris; *Semen ejus* [dum *Naſturcinum* pro Trageis, ſi expeterentur; parabilius ac pollentius eſt] hortulanis, 4 *Oleum deſtillatum* aut inde cum Spiritu proprio [rectificatiori] paratam *Eſſentiam*; vel etiam *Elæoſaccharum*] nonnullis nativo, vel potius *Triticei germinis ſucco* tinctum,] curioſorum Myrotheciis, *Chama rubi Norvagica* ſuccum [iis, qui omnia ſpecifica coacervare ſolent, hic quoque in formulas ſuas tractum,] incolis iſtis ſecure relinquemus. Atque hæc de Cochlearia & ejus affinibus, ſalina præcipue 5 volatilitate pollentioribus.

NOTÆ.

3 *Cochleariam*:) Hanc recentem ideò eligit AUTHOR, quod in omnibus vegetabilibus ſcorbuticis ſub exſiccatione pereat ferè totum ſal volatile, in quo tamen vis antiſcorbutica conſiſtit; & ſanè probamus hoc eò, quia ſi guſtentur are facta illa, ſine ulla acrimonia ſalina deprehendunt.

4 *Abſtractitius*:) Spiritus cochleariæ colligitur ab AVTHORE; etenim duplici modo ſpiritus ex cochlearia paratur, quorum alter ex fermentato, alter ex ſimplici abſtractione prodit. Illum rejicit AVTHOR N. eam ob cauſam, quia ſub fermentatione dum recluditur textura miſti, Sal volatile auras petit, quod verum eſſe teſtatur odor penetrans perceptibilis. Abſtractitius autem ſpiritus fit per crebriorem ſpir. vin. à recenti cochlearia abſtractionem, & tandem in M. B. rectificationem, qua ratione penetrans ſpiritus acquiritur; qui ſi ſemel tantùm à piperitide abſtrahatur, mirè exacuatur, præſertim cùm & hujus aqua acerr ma fit. Cæterum ſunt qui adhuc generoſiorem ſpiritum exoptant, hunc affundendo recenti cochleariæ, & ita ſæpius abſtrahndo, tandemque ex M. B. rectificando.

5 *In eſſentiam*:) Scil. ſpiritus cochleariæ abſtractitius affuſus extracto martis dabit eſſentiam hypochondriacam; idem verò miſtus cum ſucco cochleariæ expreſſo evadet in eſſentiam antiſcorbuticam, *conf. PAVLI Quadr. Bot. Claſſ. 3. pag. 268.*

6 *Liquore recentiori*:) Hic notat *ZVVOELFERVM p. 211.* Phar. Reg. inaniter liquorem parantem, ſub ſpecie, quaſi ſic volatiliſetur Sal. Tart. cùm tamen ſimplex potius aqua acquiratur.

7 *Extractorum*:) Extracta omnia antiſcorbuticorum ſunt languida, quia ſub inſpiſſatione ſubſtantia horum nobilior periit.

☞ 8 *Cochlearia ſucco*:) Hic per ſe non incongruum eſt remedium in ſero lactis ritè depurato exhibitus, contra AVTHOREM, & poſito, illum aliquid virium ſuarum perdidiſſe, non tamen omnes aberunt.

9 *Aquæ deſtillatæ*:) Antiſcorbuticorum vegetabilium parum in receſſu habent, & ſufficere poſſunt aquæ cochleariæ, & ſi haberi poterit; piperitidis.

10 *Raphani ruſtici*:) Hic uti & naſturtium aquaticum in ſuccis expreſſis & infuſis rejiciendi adeò non ſunt, ac quidem liquor infuſionis pro ſubjectis temperatis eſto vinum dilutum: Pro ſubjectis autem acrioribus ſuccis præditis ſerum lactis.

1 *Chelidonium minus*:) Hoc duplex occurrit, quorum alterum eſt ſine ſapore, alterum verò cum ſapore acri junctum, atque hoc ſeligendum.

2 *Sinapi*:) Hujus Sal. volatile nobile eſt ſcorbuto curando, præſertim hyemali tempore, quo varia antiſcorbutica non proſtant. Sic & ex hoc cum calce viva ſpiritus acerrimus elici poteſt, qui tamen non adeò frequens eſt in uſu; contra inſervit idem ſemen ſinapi optimè pro rubefacientibus, loco veſicatorii in tenellis applicandis, conquaſſatum ſcil. illud, cumque ſpir. vin. vel aceto ſubactum; loco corporis debito imponendum.

3 *Trifolium fibrinum*:) Saporis acris non eſt rarum, imò quantum hoc valeat; & vel cochleariam ſuperet *vid. in SIM. PAVLI Q. B. Claſſ. 1. p. 159.*

4 *Oleum deſtillatum*:) Hujus, ob craſin in eo concentratam, gutt. j. prævalet eſſentiæ ℥j. & optimè fit, ſi accipiatur cochlearia florens & in incipiente ſeminis generatione conſtituta. hæcquè dum vim ſuam concentrare vult in ſemine, deſtilletur, & novæ plantæ florenti affundatur prolectus liquor, hac ratione major olei copia, utut adeò non tanta acquiritur, Cæterum fit ex hoc magiſterium cochleariæ dictum, dum eo ipſo imprægnatur ſaccharum, & hoc iterum irroratur ſucco cochleariæ recenter expreſſo; ita paratum magiſterium acquirit omnes vires cochleariæ, hocque *D. D. MICHAELIS* in crebriori uſu habuit.

5 *Volatilitate pollentioribus*: Sunt quædam ſubjecta bilioſa & ſiccis acoribus prædita, quæ ejuſmodi acria ferre nequeunt, cùm hæc non ſine phlogoſi operentur; hinc in talibus cochleariæ acetoſam combinari dicit, quo ſc. ſalſum volatile tertium emergat, *conf. Vol. I. A. Haff. p. 35.*

TEXT. LUDOVIC.

Quod autem residua concernit, certe, qui reales præscriptorum remediorum operationes hac tempestate paulo accuratius attendet, facile observabit, pleraque horum, quæ ad Lacteorum, Cholidochorum, Pancreaticorum &c. conductuum reserationes & deoppilationes per aliquot seculorum decursum operose commendantur, languere nunc, aut ob ingratiorem saporem molemve, vel nimis saccaharatorum noxam comptiori contractiorive praxi esse inconvenientiora. Et licet primo semiculinaria hodie 7 *Scorzonera* huic, quam superiori hydroticorum Classi aptior videri, & hinc (utpote haud ingrata,) non solum ipsius *Cichorii* (*tam hortensis, quam* præsentioris *Arvensis*) *Radici*, alias ob parabilitatem quoque non aspernendæ,) magisque adhuc *Foliis* supervacaneis ac (quantum huc spectant, *Floribus*, verum insuper etiam reliquis *Intybacciis, Endiviæ scilicet* (tam vili passim *Lactucæ*;) *Scoriolæ, Taraxacis ac Herbæ costæ* (quæ similiter *Radices, Folia vel semen* officinali strui pro more conferunt,) surrogari præsertim pro infusis, posset: ea ipsa tamen (in mucilaginositate sua) hic quoque est remissior: Et si quispiam, pro diffusiori saltem apparatu, tantum *minorem* vulgatissimamque (dum *Hortensis* non datur copia) *Bellidem*, aut ubi suppeditat, ejus loco *Trifolii* nobilis (misso parco flore) folia selegerit, exiguo minutiarum neglectu procul dubio habebit, quod hoc quidem in genere (in aliorum præsentiorum Essentiarum, Tincturarum, Spirituum &c. proventu,) non solum è paulo ante dictis, sed insuper etiam *ex Hepatica pratensi alba*, (alias, adhuc fere rariori) *è Fontana*, (*à pulmonario Musco* parum differente,) nauseabunda pene *Matri sylva, Fragaria* aliisque pridem derisa *Graminis radice, Eupatorio* porro, seu *vulgari*; seu (quamvis commendatiori) *Cannabino* sperari poterit. Non quidem ut per se addatur formulis? sed quo *Extractum* [aliquanto saccharatum,] inde conflat, inter paulo ante laudatorum Liquorum accessum, tum adversi *Cichorii ac Matrisylvæ*, tum quoque *Taraxaci Eupatoriique cujusvis Extracti*, item antiquariorum, empyreumate haud raro contaminatorum *Succorum Eupatorij, Endiviæ &c. officinalium* locum facile supplens. Cumque porro talium Acidulatio per longe gratiores Fructuum Essentias, aut pro re nata, per Spiritus minerales acidulos sit perquam facilis, æque ac (si referret,) Tartari ipsius associatio, ne 8 *Acetosæ* quidem hic, minusque adhuc *Acetosellæ* (infrequentioris) urgentem necessitatem cernimus: sive tædiosos hujus *Flosculos*, sive *utrique, item Hispanicæ quoque Folia, vel istius* (Decoctis olim adeo vindicatam (*Radicem*, semestipticumve *Semen*, aut ipsum demum tartareum *Acetosæ Extractum, simplex*, vel nonnullis *Compositum Tamarindinatum* (extemporaneæ si opus foret, imitationis,) aut effætum *Officinarum succum* intuemur. Ita, cum prædictorum Simplicium 9 *Aquæ simplices* propriæ energiæ plerumque parum saltem ostendant, adeoque potius vehiculum qualecunque præstent; idem vero tum in domesticis Liquoribus, tum (si nonullibi haud adeo quadrent,) tantum in longe sapidiori *florum Acacaciæ* consimilive polychresta *Aqua*, ut ipsam Simplicem crudam aut destillatam quibusdam usualem prætereamus,) inveniatur: quæ proin necessitas. *Endivia* insuper *ac Scariolæ, Taraxaci, Graminisque Phlegmata, vel Agrimoni, Bellidis, Matrisylvæ, Eupatorii vulgaris aut Cannabini, Epaticæ fontanæ, Pratensis, ipsiusque nobilis Aquas* exigit? Sane (ni quis data opera forte, speciosiorum alterutra abundare velit) nec 10 *Cichoracea è toto* herbidiori (dum è *Floribus solis* destillata fere curiosior *Ophthalmica* è prævio frustraneoque istorum in vitro clauso, liquamine haud tanti momenti est, (nec *Acetosæ* (dum *Acetosella* non ubivis locorum provenit seorsim opus habet. Multo minus autem (hodieque restitantibus ex antiquario isto medicandi genere) quibuscunque 1 *Sirupis de Cichorio simplici, Vulgari, vel nuper* per Radicum infusionem saturatiori, aut inconsultius adhuc superiori seculo *Composito, de Acetosa, de Acetosella, Byzantino simplici*, aut per vana additamenta *Composito,*) inconsideratiorique hujus interpolatione constante) *Acetosa Diarhodon, Adianthino, de Endivia*, &c. liberalissime hic pridem coacervatis operosiusque hactenus, dum non merentur è solertioribus *correctis*: siquidem in rei veritate raro, hinc spectabilis quædam hac tempestate observatur curatio & numquid facilius edulcoratur, quam Extracta, Essentiæ, Tincturæ, Spiritus, consimilesque Mixturæ competentes! modo Saccharum (ceu supra jam notavimus, & accuratiores tum ejusmodi remediorum, tum ipsarum Regionum, circa Saccharata excedentium observationes abunde testantur; lactibus non plus damni, quam palato delectationis afferret. Exhaustum, vel si liquorem post macerationem reddimus, in gratum *Cichorii Conditum*, cum *Confectione* potatoribus hepaticis, *Florum ac Radicum*, quemadmodum *Agrimoniæ* quoque, & licet acceptioris *Acetosæ vulgaris aut peltatæ &c. Conservæ* [inter tot contractiora vel acceptiora mineralia ac vegetabilia vitriolica, aliave aperientia, negotiosiorum muliercularum repositoriis aptiora sunt, quam compendiosiori nunc Praxi. *Acetosæ, Acetosellæ, Pampinorum &c. Tartarum* curiosiores seorsim parent; & qui infrigidans ac roborans Hepaticum alicubi putant, *Endiviæ, Cichorii & Acetosæ* 2 *Sal.* Nos nil tale inibi invenientes, misso quoque *Eupatorii vulgaris ac Cannabini Alcali* vel soli Nitro Vitriolato secure acquiescere possumus.

De cætero paulo post in alia classe ponemus polychrestam *Scabiosam vulgarem*; item unam alteramve *e Vulneraris*, egregie simul in resolvendo & detergendo semet gerentibus: his si cui 3 *Veronicam*, (herbidam tamen nimis, adeoque in dosi tum &

NOTÆ.

6 *Residua*:) Splenetica aperitiva hodiè non sunt adeò usitata propter martialium, marinorum & volatilium ex animali regno præstantiam, undè inter illa selectum *AUTHOR* N. instituit, quemque & nos sequemur, sicuti ex hepaticis & spleneticis (vulgò quidem, ast malè, aperientia dictis, cum potius sint corrigentia) eligemus cichorium sylvestre, hujusque tam plantam quàm radicem, item herbam & radicem taraxaci, cujus herba urget succo lacteo amaricante abstersivo, ad modum omnium cichoraceorum, bilis correctivo, hepatico, & ratione amaroris sui quasi nitrosi alterativo. Porro selectui huic accedant radix Rhabarbari Monachorum, radix caryophyllata, helenii & angelica,; item herba centaurii minoris, herba & radix Chelidonii majoris, herba fumariæ. Item absynthii & bdellidis minoris, ut & hepatica nobilis porrò ex gummatibus speciatim ammoniacum. Jam verò parantur ex dictis speciebus recentibus infusa, ex arefactis autem decocta, ubi tamen præ cæteris excellunt earundem extracta succosa, juxta *ANGELI SALÆ* præscriptum paranda; contra quæ Veteres Practici ex his parare soliti fuerunt decocta & infusa, & hodie negligi solent, præsertim cùm vegetabilia illa in se sint admodùm languida; ut taceamus quoque horrido sapore esse prædita, quem si corrigere per saccharata studeamus, evadunt nociva.

7 *Scorzonera*:) Hanc ex omnibus intybaceis quoque eligit *AUTHOR* pro infuso; loco hujus tamen nobis placet substituere cichorium sylvestre & taraxacum.

8 *Acetosæ*:) Scil. inter hepatica ad calidam intemperiem hepatis, vulgò sic dictam, corrigendam excellunt acetosæ omnes & oxylapathum, sapore acido blandè incisivo prædita, tamen si quid valent, faciunt id temperando acrimoniam alcalinam bilis loco juleporum, cujusmodi remedia ex acetosis parata suum locum inveniunt; hinc eligeremus vel succum ex acetosa recenter expressum, vel & ex radice facta arida decoctum; utut quoque spiritus minerales acidi guttatim præstent, quod aliàs, talia ex tempore parata cochleatim solent præstare.

9. *Aquæ simplices*:) Ex omnibus spleneticorum & hepaticorum vegetabilium aquis pro vehiculo sufficere possunt, vel aqua fumariæ, vel aqua florum acaciæ, vel cochleariæ, vel tandem tanquam maximè energeticæ aqua piperitidis, aut si pompa placuerit, & aqua veronicæ.

10 *Cichoracea*:) Præter aquam ex herba tota cichorei in usu est liquor ex floribus per putrefactionem (extraverso sic eorum alcali blando) & per pistationem in furno paratus; qui teste *SENERTO* & *HARTMANO de Ophthalmia*, egregius est in inflammationibus & vulneribus oculorum.

Syrupis:) Quia corpora nostra Septentrionalia non benè ferunt saccharata, ut pote effervescentia & mucum in lactibus reliquentia, hinc syruporum loco, saltem edulcorationis gratia addendorum, unus alterve sufficere possunt.

2 *Sal*:) Quia sal. ex simplicibus refrigerantibus parata non sunt itidem refrgerantia, hinc loco omnium sufficere potest nitrum vitriolatum.

3 *Veronicam*:) Veronicæ simplicis temperatæ extractum eligit AUTHOR.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

per additamenta modificandam) superaddere placuerit ; habebit hinc, præcipue sub *Extractorum* forma, quod illic quidem *Succisa insuper & lacea* hic vero *Chamædris quoque* [quamvis *Fæmina* Veronicæ haud inconsulto expertis substituatur ,] *Teucrium* alias rarius , & infida podagricis *Chamæpitys* perse vel per supervacanea (superiorum respectu) *Extracta* , *Conservas* maximam partem adversas , languidioresque vel ingratiores *Aquas* (unde nec *Veronicæ* (speciosam licet nec suo modo inefficacem huc adeo trahimus) vulgo pollicentur. Quibus si bonum aliquod *Proprietatis Elixir* paulo post diffusius excutiendum supperadimus , næ commode deinceps carebimus tum (quæ huc quoque refertur) *Aquilegia herba* , *Floribus & Aqua* ; tum 4 *Abrotoni summitatibus* , pro Gynecæis imberbique grege , [dum *aqua oleumque destill.* alias neglecti usus sunt ,) ex hortis vicinis in fomenta aut *Olei tunc infusi* litum , (plerumque tamen frustraneum ,] facile conquirendis ; item *utrovis* & toties disputato 5 *Rhapontico & ejus Extracto* supervacaneo (dum Myrrha Galbanumque suppetit , *Bdellio*, odonticis ac suffitibus aptiori 7 *Luca* & ingratis *ejus* , *ac Diacurcumæ dictis* 8 *Speciebus* : imo ipso , quamvis alias non contemnendo) : *Agerato , cum succo illius* vulgariter condensato , *Extracto* , & (ob quinque herbæ drachmas inde sic vocato) *Sirupo* , inconcinnioribusque adhuc *Trochiscis* , ac eorum (quid enim aliud fere sunt ?] interpolationibus , v. g. *De Laccade Absinthio* , *de Rhabarbaro* , *de Aniso* , *de Croco* , similibusque supervacaneis *Pastillis*.

9 *Centaurium minus*, ubi per accidens oblatum est, Absinthiaco Extracto associare consuevimus. De cætero verò necessitatem non videmus , cur hoc quoque ; (alias fere rarius ,) seorsim requiratur ; per se vel pro solitario *Extracto* ; multo minus pro *aqua simplici* per quam jucundo *Syrupo* , Saleque fixo. Imo nec commendatiori adhuc peradverso tamen 10 *Chelidonio majori* , [excepta saltem ejus *aqua* , verno tempore citra alias ambages destillata , & Ophthalmicis præ compositissimis sæpe Liquoribus diffusiores in apparatus aptiori ,) opus sic habemus , quo seu *inspissatus* vulgo (inter tot detergentia) *Succus*, seu *Extractum* , aut *Alcali* (quamvis inter congenera forte speciosius , dum tamen vel Arcanum duplicatum hic satisfacit ,) inde conflat : minusque adhuc istius conformi , ac Indis hodieque usitatissima 1 *Curcuma* , *Essentiave ejus* cum sale quodam fixo , ad imitationem Tincturæ seu sanguinis Rhabarbari) quandoque præparata.

Sique demum è residuis *Spleneticis* (solidi tamen quidpiam per se raro hic præstantibus,) vel superpondii loco 2 è *Fumaria* (*cuivis Epithimo ac Cuscutæ* hoc in passu pari , ni superiori ,) adjecerit quispiam supra notatum *Extractum* , aliis simul usibus, [ceu *Aqua simplex* , missa ineptiori *Composita* , Carduhenedictinæ loco esse posset ,) destinandam ; adversam interea *Conservam* , *Syrupum simplicem* , *inspissatum Offic. Succum*, antiquariumque *Decoctum* exæquans aut superans ; iniquius profecto cum paulo ante laudatis Essentiis , Spiritibus , Tincturis &c. vegetabilibus ac Mineralibus egerit , si ulterius hinc requisiverit , seu 3 *Filicem* (jampridem variæ adversitatis accusatam ,) *Marem* , pro frustraneo *Extracto* , vel tonsorem alicubi (ad perusta] *Mucilagine* ; aut agyrtarum , (interna venularum , J. C. exprimentium signatura plebeculam fascinantium ,] *Fœminam* : seu (undecunque , *Quernum* tamen) *Polypodium in Infusis & Extracto* nauseabundam : seu porro pro tantillo *Salis* , aut supervacuo *Extracto*, *Tamarisci* 4 *Capparum ve corticem*; dum consimilia vel *trita* passim, si opus foret, promeret; ipsi vero

NOTÆ.

4 *Abrotani* :) Hoc commendatur vulgò pro alendis capillis & barba ; interim pro hoc scopo sufficit unguentum BUCRETII (cujus compositio nota) quod aliquoties experti sumus.

5 *Rhapontico* :) Scil. hoc est nomen generale multis plantis tributum , & est vel barbarum vel ponticum. Rhabarbarum ex India , à Græcis Barbaria dicta , allatum iterum duplex est , vel Rhabarbarum verum Chinense , vel Monachorum, quod verum hippolappathum est ; sic quoque rhaponticum , ex Ponto Asiæ regione allatum , pariter est duplex , nempe idem quod describit *ALPINUS in. alegant. differt. de rhabarb.* vel idem quod reperitur in Moscovia juxta flumen Bulgæ & vulgare, quod idem est ad centaurium majus. Jam ergò hoc Rhabarbarum pro scopo alterativo Ponticum ALPINI conducet , sicut pro laxativo Chinense.

6 *Myrrha* : Ex gummatibus omnibus eligit AUTHOR pro hac classe myrrham & Galbanum, ubi tamen loco posterioris nos gummi ammoniacum certas ob causas usurpandum monemus.

7 *Lacca* :] Ex hac prostat tinctura laccæ MYNSICHTI , egregia in cruentatione gingivarum , ulceratione & fœtore oris ex scorbuto natis , quæ tamen si valida fuerit, accipiatur ejus loco unguentum illud DECKERS , quod habet *p.* 151. *Pr. Barbett.* quod itidem præter alia lacca ingreditur.

8 *Speciebus* :) Species dialaccæ quidem pro cachexia diacurcumæ pro hydrope , & ictero curando commendantur ; interim loco illarum accipiantur potius earum tincturæ.

9 *Centaurium minus* :) Absynthio optimè jungi potest , cùm ambo in crasi & virtute Medica sibi respondeant.

10 *Chelidonio majori* :) Hoc egregium est, vix sibi in regno vegetabili habens par pro ictero curando. Cæterum usurpatur ejus succus per se , vel idem terendo cum cerevisia prolectus , vel quoque infusum in vino factum ; his euporistis aliquot ictericos fuisse curatos meminimus ; imò in decolorationibus corporis post chronnicos relictis, adeoque ex inertia bilis ortis , huic chelidonio laudem tribuimus ; non secus ac illud quoque appropriatum est ophthalmicum , quemadmodum BURRHUS inde liquorem paravit , humorem oculi aqua eum expressum restituentem , quo de *conf. BURRI Epistol. de cerebro ad BARTHOLINUM* , imò ex eodem chelidonio & cancris CROLLIUS & MYNSICHT. aquam suam ophthalmicam parant.

1 *Curcuma* :) Radix Curcumæ Veteribus usitata scrupulum movet , an nostras cum hâc sit eadem , quæ aliàs flava amaricans diureticum est non inelegans ; contra Arabum fuit Chelidonii majoris radix, sicut DIOSCORIDIS & Græcorum Cyperus indicus nostràs. Ergò ex India Orientali allata in loco natali dicitur Crocus sub terraneus; *conf. BONTIUS* , *comment. in GARCIAM* ab Hortô & ERASM. FRANCISCI , & ex hac paratur cum Sale fixo & spirit. vini essentia proictero curando , loco ejus tamen & radix Chelidonij majoris sumi potest.

2 *Fumaria* :) Ex hac , nitrosa in recessu, commendatur ab *AUTHORE* Extractum de succo , totam plantæ crasin continens , utut nec conserva rejicienda sit in affectibus scorbuticis juxta nonnullos.

3 *Filix* :) Veteribus pro splenetico commendata hodie est rari usus. Datur ejus mas & fœmina , ubi mucilago ex radice maris incisa exsudans ad ambustiones à nonnullis commendatur ; sicut fœminæ per transversim dissecta radix imaginem aquilæ representare , utut falso , dicitur. *confer. VELSCHIUS Hecatost. pag.* 505.

4 *Capparum* :) Hi & eorum radicum cortices ab antiquis interne pro usurpatione commendati quidem , sunt , interim utut quodammodo sint nitrosi , tamen imbellia remedia suggerunt,

TEXT. LUDOVIC.

Capparum Fructus, (utut aliquibus ad formulas tracti ,) per macerationem istam fere nil nisi condimentum *Oleum* inde *vulgatius*, si quis delineri adeo gestiat, parabilioribus resolventibus haud quaquam præsentius , certe Hyoscyamino, verbascino , &c. (ut Fomenta actu calida , & applicatos Spiritus ardentes taceamus ,] longe posterius , *recentius Substitutum*, [salis & gummi Ammoniaci quoque particula sociatum ,) accessoriorum potius (in leviculo talium effectu) productum ; *Trochisci ac Pulveres diacapparum* ejusdem cum superioribus Hepaticis notæ adversitatis sint. 5 *Scolopendrium vulgare*, (*Vero* cum *Lonchitide*, alias rariori ,) pro cerevisia alteranda institores sibi habeant : in medicationes evidentiores, cum *Aqua* (licet non adversa ,) *Extractoque* suo profecto speciale quid non infert ; uti nec ipse *Fraxinus* ; quo seu *Cortice*, *ejusve Extracto*, seu supervacaneè destillato *Ligni* (patrum familias, citra omnem collectionis superstitionem nihilominus Vulnerarii, ridicule vero in pocula pro Spleniticis tornati ,) *Spiritu acido*, collectoque simul fætenti istius , aut parcissimo urentis (inter tot Irritantia ac Diuretica) *Seminis Oleo*, vel *Sale Fraxini Fumariaque fixo*, (dum æquivalentia copiosius , *Semen vero Fraxini*, incoercibile fere *Sal volatile* præbet ,] citra Eupraxiæ detrimentum deinceps carere ; vel *Lupulum* cerevisiæ coctoribus , aut anicularum saccusis , *Turiones* mensis, *Aquam*; 7 *Sirupum simplicem* , aut (cum fumaria ,] *Compositum* , æque ac inconsideratum illum *Magistralem aperitivum* Off. & (inter tot commodiora ,) *de Scolopendrio quemvis, etiam Correctum* , *aliosque Hepaticorum* , *Spleneticorum* , *Hypocondriacorum* , *Hydragogorum &c. titulos* hactenus (haud rarò è simplicibus extractionem, vel coctionem non admittentibus , aut è nauseabundis Irinis, Sambucinis , Ebulinis, Absinthiacis, &c.) à diversis diversimode superadditos , supervacaneorum classi nunc relinquere nequeamus.

Sic *Aqua* (superiori seculo plerumque inconsiderantius] *Composita* , *Hepatica* , *Splenetica* , *calida frigida* , (imò plane) *Hydropica* , &c. quantæ quantæ , sunt , in rei veritate intensiorique Affectu pene nil nisi nomina sunt teneriorum (ubi quædam gratiores extiterint) spei, ac mediocri saltem alterationi potius , quam restitutioni nata. Atque idem in recentioribus quoque , *Polychrestis Aperitivis &c.* observamus : siquidem Ingredientia pleraque , per se languidiores Aquas fundentia, Vegetiores sub sua coacervatione haud præbent : sique [pro more) Alia his tantum diluuntur , idem simplicissima quadam destillata , vel domestico quoque acceptiori vehiculo tunc præstiterimus. De *Antiscorbuticis* in specie paulo ante diximus nec si *Cochlearia* , *Absinthi que Spiritus* suppetit, cur residui , v. g. *Centaurii minoris* [pro *fermentatitio* plerumque rarioris , in *abstractitio* debilioris ;) incompetentium plane *Capparum* , consimilesque , nihilo singulariores *Spiritus* seorsim exigantur , deprehendimus. 8 *Essentias off. liquidas Custuta* , *Agrimonia* , *Chamedrios* , *Chamæpityos* , *Scolopendrii* , *Centaurii minoris* , *&c. vulgares* , aut (aliorum more] è succulentiorum *Plantarum Succo expresso*, & cum quarta Spiritus ardentis (communis vel abstractitii cujusdam) parte digesto paratas , Spiritus Cochleariæ Extractis Competentibus supradicto modo essentificatus , Essentia Absinthii composita , Extractum aliquot aperitivum ex tempore dilutum , Tincturæ insuper minerales , &c. longe superant. *Infusa Antiscorbutica* patresfamilias septentrionaliores sibi domi parare norunt : *Reliqua* ut & *Decocta* hic passim in Dispensatoriis commendata , quotus hodie ad curæ (si parari hinc , sine novis stomachi incommodis poterit ,) complementum usque bibit ? aut si emptorem inveniant , num quid facilius , [at utinam è paucis saltem aliquot convenientioribus solertiorum nunc monitu moreque] paratur ? ne hodieque 9 in tot *Decoctis Aperitivis Majoribus* , *minoribus*, *Fumaria* , *&c. officinalibus* , aut amplius quandoque *superadditis Antihypochondriacis* , *Aperitivis* , *Hepaticis* , *Spleneticis* , *Antiscorbuticis* , *&c.* inveniatur supervacanea ingredientium coacervatio , ad extrahendum , [dum solidiora mucilaginosis obruuntur, macerationibus exhausta jam recipiuntur, &c.) inhabilitas, volatiliorum particularum dispersio , aut nauseabunda , (tantum non omnibus communis ,) adversitas ; præsertim si eleganti illo *Lactis caprini sero* , *Gallinaceorumve jure* mergantur.

Ita quis hodie 10 *Electuaria Aperitiva vel Confectiones Hepaticas* , *Spleneticas* , *Antiscorbuticas* , *&c.* maximam partem à

NOTÆ.

5 *Scolopendrium vulgare* :] Semisanos in cerevisia infusum juvat , & præterea non.

7 *Fraxinus* :) Hujus cortex , spleneticis aliàs recommendatus , internè rarioris pronunc est usus : spiritus autem ligni & oleum hinc destillatum nil singulare habet ; cùm illa vix à spiritu ligni querni aut guajaci differant , adeoque unus horum sufficiat ; interim vis externa sympathica ligni fraxini non est de nihilo , dum affrictu sui non solùm vulnera recentia, sed etiam nobis observantibus , hæmorrhagiam narium curet ; ubi tamen legitimo tempore illud colligendum venit , jam verò tempus hoc docet BORELLUS *Cent.* 3. *observ.* 73. & HEERBORD. in tartaro *mastiche Moravia p.* 18. Porro seminis fraxini oleum per vesicam destillatum GLAUBERUS ceu nephriticum aperitivum commendat, ejus denique seminis sale volatile se apud AUTHOR. N. vidisse VVEDEL. *tr. de sal. vol. p.* 14. fatetur.

7 *Syrupum* :) Ex omnibus Syrupis possumus Syrupo de fumaria vel & de cichorio esse contenti.

8 *Essentias* :) Modus parandi essentia & extracta vegetabilium est hic elegans : sc. sunt earum subjecta quædam volatilia , quædam minus volatilia ; & hæc iterum sunt vel simpliciter resinosa. Jam ergò si ex volatilioribus , qualia sunt antiscorbutica parare velimus essentiam , tunc ad imitationem cochleariæ essentiæ ex succo depurato cum spiritu proprio , secundum PAULI *in Quadr. Bot. p.* 268. paravimus eandem nunc antiscorbuticam , nunc verò hypochondriacam; quæ verò sunt naturæ paulo fixioris, & quasi gummeæ salinæ, ex illis jam recentibus exprimitur succus. Jam verò ex iisdem exsiccatis decoctum cum aqua fit , & ad imitationem ANGELI SALÆ hinc proceditur adeoque si essentiam vel extractum alterativum ; vulgò aperitivum dictum, in chronicis morbis proficuum desideramus , tunc Ramus absynthium, centaurium minus , chelidonium majus, fumaria, taxacum & radix helenii, hæcque vel recentia vel exsiccata infundamus cum sub octupla parte salis fixi in aqua hinc macerata ebulliant in M B. clauso ; deindè expressione validâ eliciatur succus , per residentiam sui depurandus , & inspissandus successivè in extractum ; quod ipsum vel cum spir. vini vel spirit. fumariæ, vel absynthii vel cochleariæ vel cum omnibus hisce simul extrahatur in essentiam sive Tincturam , quæ aliquali menstrui evaporatione denuò in debitam extracti consistentiam redigenda & asservanda est ; ubi & loco dictorum spirituum spiritus salis armoniachi cum spir. vini paratus sumi pro Tinctura eliciendâ potest. Tandem vegetabilia resinosa , v. gr. ligna & radices laxativas quod concernit , ex his optimè conficitur essentia cum Spiritu Vini Tartarisato , pro re nata postmodùm inspissanda & asservanda.

9 *In tot decoctis* :) Scil. mille decocta apud Veteres prostant jam rarioris usus, eò quòd ea ex tot simplicibus composita parùm de singulis contineant , imò nec sine labe stomachi assumi queant. *Conf.* ZVVELFER tàm *animadvers.* quàm *Pharm. Reg.*

10 *Electuaria* :) De his & confectionibus idem esse judicium : nempe Saccharata hæc nocent, & nauseosa sunt.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

vegetabilibus mole saporeque per quam adversis, & saccharo onustis, in ejuscemodi chronico malo citra nauseam, & frequentissimam expectationis frustrationem continuat? aut quis talia, (ceu in curæ declinatione, sub confortationis titulo, nonnullis pro complemento quasi sunt usualia,] dilutis vel cum Rosarum Conserva, acceptioribus Extractis, Essentiis, Tincturis &c. extempore saltem, (citra frustraneam horum repositionem vel multiplicationem, dummodo reale quidpiam hujusmodi mixtura superadderet,) non fingit? aut si omnino *Bolus* exigeretur, vel domestico Rob tum non subigit competentia? ubi sane saporis molisque respectu *Martialia & ostracoderma Præparata* longe commodiora invenientur. Proin 2 nec *Pulveres nimium vegetabiles* ad selectum nostrum trahemus, utut *Hepaticarum, Spleneticarum, Deoppilativarum &c. Specierum* nomine commendentur: quis enim Absinthiaca, Cichoracea, 3 Ammoniacum &c. adversissima, salinisque nonnunquam magis adhuc nauseabunda reddita, vel alias mole tantum abominabilia, in ejus generis tractoriis curationibus continuabit? sane ni hodie Insipidis illis ac parvæ molis, præsertim mineralibus &c. negotium ex parte committatur, exigua operæ pretia hoc in genere merebimur. Adeoque nec *Pilularum* forma, (dum alias ægrotantium plerique nil nisi Purgantes norunt,] huc tãtopere quadrant: nisi forsan exiguæ quædam curativæ, è Marte consimilibusque concentratioribus interdum tenerioribus placuerint; missis tot *Digestivus Hypochondriacis, Epaticis, Spleneticis &c.* è vegetabilium genere diversimode compositis, nauseam solummodo inter curæ protelationes concitantibus, aut si laxativis acuatæ fuerint, stimulo [ceu vel Aloëtica &c. hic per se sufficiunt,) tantum non totum debentibus. Sane famosum in isthoc genere *Ammoniacum*, in proportionali pondere molem saltem [inter alia tot Aperitiva lidepuquantia) frustra auget; sive pro festucarum separatione nunc consultius *Pulveratum*, aut superiorum annorum more varie *Depuratum*, vel denique *Extractum*, [*in gummea vel resinosa sua substantia seorsim, aut utraque conjunctim*) addatur *Essentia ejus liquida* cum spiritu vini tartarisato confecta, alias ingratissima, *Oleum*, etiam subtile primum, vix interni usus est. Ut totum consultius antiquariis, [commodioraque resolventia vel emollientia nescientibus] Tonsoribus, Cerotis suis (cum Terebinthina illiquandum consultius relinquatur. *Podagrica de Chamepity, consimilesque* ab afflictis olim autoribus ad commiserationem usque excogitatæ] *Pilulæ* solamen atque fidem jampridem perdiderunt.

Ut itaque totum hoc 4 *Aceto* tandem concludamus; abusus ejus noxæ aliunde notæ sunt. Qui vero hactenus naturæ 5 Vitriolicæ communiter fecere, præter medicos effectus, in Chymicis saltem operationes istius haud adeo attendisse videntur, à Vitriolicis longe alienas; unde his quoque Acetosæ solutiones præcipitantur, Acetum destillatum Spiritu Nitri acuatur, &c. ceu alibi notavimus. Quod autem ipsum in substantia attinet sufficit nobis, ubi *Vini* carius est missa præcepti severitate, *Pomaceum* quoque, *Melleum*, aut alicubi *Saccharinum* si 6 *Cerevisiarum* [in destillatione præ aliis nimium ebulliens, & in cupyreuma magis pronum,) displicuerit; aut 7 *Accidentarium* illud, quod post destillatos Spiritus fermentatitios provenit, ob impressum specierum saporem, ærisque è Vesica contagium forsan non immerito rejecerimus; vel circa [viliorum 8 *Fructuum Succos, aceti naturam* per usitata vulgo Additamenta, suspensasve Vini [expressas prius. sponteque hinc incalescentes] feces, aliosque modos, (quos omnes tamen *Citri, Berberum, Ribium, &c. acidiores Succi* hactenus aspernantur,) *induentes*, tædiose occupari noluerimus. Dat autem quodvis horum [per simplicem solutionem & Spiritus Vitrioli præcipitationem, 9 Magisteria (si cui placuerint,) plumacea, æque splendentia, æque bona, ac si Destillatum foret adhibitum: quamadmodum ipsa quoque 10 Antimonialia, Crocos, Vitra, &c. sæpe validus adoritur & dissolvit. De cætero tot inde *Officinarum* 1 *Infusa simplicia*, v.g.

NOTÆ.

1 *Nec pulveres:*) Horum loco essentiæ & extracta vegetabilium illorum sufficere possunt.

2 *Nec pilularum:*) Veteres in usu saltem pilulas purgantes habuerunt, quibus alii postmodum pilulas pro scopo alterativo sociarunt. Hodie verò saltem laxativæ in usu sunt horumque basis ut plurimum est Aloë cum gummi ammoniaco, illa nempe pro laxativo, hoc pro incisivo scopo.

3 *Ammoniacum:*) Hoc rejicit AUTOR, quod sanè miramur, cùm contra illud nobile pro visciditatibus incidendis & resolvendis in formâ non tantùm liquidâ, sed & pilulari usurpatum sit. Ut taceamus ejusdem usum externum in Scirrhis discutiendis. Cæterùm illud non crudum adhibetur, sed solutum in aceto vel vino, propter festucas sibi admixtas, & inspissatum; & potest ex ejusmodi gummatibus dulplex substantia elici, gummosa & resinosa, cujus modum vid. in ANGELO SALA *Tract. de Essent. Vege.* Interim tamen extracta horum separata non tantùm valent, quantùm integrum gummi; aliàs Spirit. Vini extrahit resinosam eorumdem substantiam, hinc multò magis spir. vini tartarisatus. Tandem ex his gummatibus per vesicam primò oleum blandum prodit, deinde fœtidum, quod ipsum utrumque egregium est pro usu externo.

4 *Aceto:*] Acetum est sal vini acidum tartareum fermentando resolutum, adeoque in fluorem redactum, quod ad hunc statum reductum figit partes vini alcalinas & simul Spir. vin volatil. in recessu alcalinum; scil. mustum abundat alcali, vinum aci ô.

5 *Vitriolica:*) Sunt qui aciditatem aceti dicunt esse vitriolicam, sed malè, quin potius illud est aliûs naturæ præ acidis mineralibus, hincque suo modo acidum vitrioli & aceti sibi contrariantur. Etenim solutiones perlarum, Corallorum &c. cum aceto factas spir. vitrioli præcipitat, interim si illud cum acido quodam minerali conciliari debet, fiat illud cum acido nitri, qua ratione acet. cum spir. nitri mistum solet acuari.

6 *Cerevisiarum:*) Scil. quo magis oleosum est acetum, eò minus generosum existit; unde, si illud agitatur, in bullas effloreſcit, hæc signa sunt Visciditatis oleosæ, atque cum cerevisia lupulo pingui condiatur, hinc acetum Cerevisiarum præ cæteris ebullit, & empyreuma contrahit.

7 *Accidentarium:*) Sunt qui ex Vegetabilibus fermentatis post spiritum abstractum, extendendo ulterius fermentum, acetum postmodùm parant, interim tamen vilius hoc sic fit.

8 *Fructuum succos:*) Scil. aceta artificialia ex succis Vegetabilium fiant, quando scil. pruna, aut poma sylvestria nondum matura exprimuntur in succum, & in hoc deinde suspenduntur fæces vini in nodulo contentæ, ita propter harum alcali per fermentationem in acetum succi illi abeunt, quibus tamen acetis succus Citri, Berberum &c. æquipollent.

9 *Magisteria plumacea:*) Sunt inventum ZVVELFERI *in app. ad Phar. Ang.* reperiendum.

10 *Antimonialia:*) Hæc acetum simplex fortiùs solvit, quàm destillatum, id quod patet: Vitrum enim & Crocus metallorum aceto crudo infusa magis Emetica deprehenduntur, quàm si aceto destillato fuissent tractata.

1 *Tot. infusa simplicia:*) Scil. instar omnium acetorum infusorum esse potest Rutaceum, vel illud Bezoardicum, quod supra *page.* 269. dedimus, cujus ingredientia erant baccæ juniperi, Myrrha, & Camphora.

TEXT. LVDOVIC.

Rubi Idæi, *Fragorum*, *Papaveris errat. Caryophyllatum*, *Rosatum*, *Violatum*, revera mensis potius, & *Liliorum convallium*, *Citratum Lavendulatum*, *Calendulatum*, (ut ridiculum pene *Passulatum Nucumque* taceamus,] negotiosorum muliercularum repositoriis aptiora sunt. Loco *Aceti Zedoariæ*, *Scordii*, & *congenerum*, Alexipharmacum quodam è simplicibus, [acido menstruo parentibus, nec illud invertentibus) compositum, in Diaphoreticorum classe, necessitatis præcipue tempore posuims; & posset interea (Patrum familias alias) *Rutaceum* vices ejus sustinere : quo si Aqua Apoplectica anatico præter proter pondere, cum paucis aliquot Essentiæ Castorei guttis ex tempore saltem permisceretur, amplius *nec* 2 *Aqua illa Apoplectica amara*, *nec Aceto Hysterico* [*ad extra*] *composito* graveolenti seorsim indigebimus. *Odoriferum quoddam Compositum*, [equidem alias præsens in penetrantia sua refectivum,] diffusissimo tantum apparatui aliis suaveolentibus contenti, relinquamus. Cui bonno vero 3 *Sirupus Acetosus simplex & Oxymel simplex*, [nam *Compositorum* frustraneas variationes paulo ante expendimus,) seorsim exigitur, *aut immutatur* : cum totum ut exoletum nunc, ita extemporaneæ permixtionis sit; pariter ac *Oxysaccharum simplex*; succo Citri, Cydoniorum, Ribium, Berberum, &c. loco Granatorum, hic & alibi, si videatur, additu perfacili. Ceu alius, qui Magisteriorum confectione forsan occupatur, his substitueret 4 *Liquorem*, qui post Coralliorum (ex Aceto per spiritum Vitrioli) præcipitationem remanet, & curiosis aliquoties denuo injecta Corallia vel Conchilia ex parte (per acetosas particulas) solvit, ex parte verò, [propter intermixtum Vitrioli Spiritum] in Magisteriforme quidpiam præcipitat, & ab aliquibus alias in *Sirupum* [*Vitriolati Rosati titulo*,] sed supervacue coquitur; cum per se & absque saccaro sive è crudo sive destillato Aceto fuerit,) sat duret.

Atque ut ad 5 *Acetum destillatum* nunc convertamur, quantum à crudo recedat vel Antimonialium Vomitoriorum infusio, longe hinc remissior seu cicuratior docet: ut proin alteratior ejus ac penetrantior acrimonia, quibuslibet simplicibus atque subjectis loco crudi indifferenter vix applicari, vel à tenioribus vegetabilibus, (quo tamen in residuo commodi quidpiam, denuo cum fructu extrahendum remaneat,) ad siccitatem usque abstrahi posse videatur; licet equidem quorundam infusorum Tinctura inde sit durabilior. De cætero plerisque medico-Chymicis usibus oppido satisfacit 6 *communi tantum more*, [at verò *copiose facileque* si tædiosæ cucurbitæ retortæve loco, Vesica cuprea cùm vitreo Alembico & recipiente magno recipiatur,] *destillatum*; vel pro renitentioribus quisbusdam Subjectis affinis 7 *Æruginis Spiritus*, tanquam aliqua præpollentium inibi particularum Acetosarum Concentratio. Ut proinde operosius *Radicatum*, aut supervacue *Terebinthinatum*, 8 *cum Melle destillatum*, *aut super Sal commune vel Petræ rectificatum*, &c. extemporaneæ mixturæ & vel imitationis modos, antiquariis Simplicium vexationibus aut perversionibus; *Abstractitium à Sale Tartari*, [& multum hinc alteratum) nonnullie curiosorum Extractionibus 9 *Vomitorium* denique, seu simpliciter seu cum Thapsia quoque per plumbeum Alembicum destillatum, iis, qui Saturni Saccharum eodem effectu sub largiori dosi dari dubitant, aut commodiora Antimonialia negligunt, merito requamns 10 *Crystallos* specialiter ex Aceto Vini, post ejus moderatam per vitrea vasa destillationem in residuo liquamine resides, si separare libuerit, communi Acido Tartari non sine ratione forsan, permiscentes. Atque hæc de Aperitivis vulgo Spleneticis atque Hepaticis dictis.

Antequam autem ad residuorum recensionem pergamus, interseramus tanquam polychrestum, si *Acidalatum commune*, vitriolica potius vi sua peragens, & aliquale simul fluidorum restrictivum huc referre licuerit,] 1 *Elixir Proprietatis* : non quidem

NOTÆ.

2 *Aqua Apoplectica amara* :) Ex tempore fieri potest, si aqua apoplectica cum ana aceti rutacei misceatur, additis guttis aliquot Essentiæ Castorei.

3 *Syrupus acetosus simplex* :) Ex aqua, aceto, & Saccharo prodit. Sicut Oxymel simplex ex aceto, succo granatorum, & Saccharo. Ubi tamen loco hujus ex tempore Succus Citri aut Ribium cum aceto conditus esse potest.

4 *Liquorem* :) MYNSICHT habet magisterium Corallorum rosatum, paratum solutione corallorum cum cum aceto & præcipitatione cum Spiritu vitrioli, remanenti, potest præcipitationem factam, succo addit saccharum, sicque vocat syrupum vitriolatum rosatum. Cæterùm nota, quod quando tale ostracodermum per acetum solutum per spiritum vitrioli præcipitatum fuit, si liquor remanens novis concretis affundatur, tunc ab aceto solvantur eadem, & à spiritu vitrioli ajuncto præcip. quorum hoc negotium si non succedat, addatur saccharum.

5 *Acetum destillatum* :] Scil. in aceto simplici acidum tartari fixius hæret, contra in destillato est illud volatilius; hinc inter utrumque hæc differentia est, quòd pro scopo figendi sumendum sit acetum simplex; pro solvendi verò & penetrandi acetum destillatum, utut vegetabilia cum aceto destillato præparata sint durabiliora; cùm contra in aceto crudo lateat quoddam fermentum alcalinum, disponens Vegetabilia ad sui corruptionem.

6 *Communi tamen more* :] Si destillandum est acetum, fiat hoc ex Vesica cuprea, (nam in cucurbitâ partim ebullit, partim empyreuma contrahit) cum refrigeratorio suo instructa. Equidem hic objici potest, particulas venereas sic simul elevari; sed est inane periculum : Siquidem cum spir. salis ritè rectificatus nihil de cupro participet, proin neque ejusmodi periculo cum aceto destillato elevabuntur.

7 *Virid. æris spiritus* :) Hic est reverà acetum destil. concentratum, ab aceto vulgari destill. nihil differens, nisi quod pauciori Phlegmate insignitus sit.

8 *Cum melle destillatum* :]Ita prodit acetum magis oleosum, nullius prærogativæ aut pretii, utut à sale communi vel Gemmæ abstractum acuatur.

9 *Vomitorium* :) Acetum sive aqua vomitoria fit, destilandado acetum per alembicum saturninum hac ratione acetum rodendo saturnum complectitur inse saccharum saturni in formâ liquidâ, sique vomitorium evadit; non secus ac, ac idem vitriolum saturni, sive saccharum ejus per se assumtum in paulô largiori dosi, v. g. à ℥ß. ad gr. xv. vomitum quoque excitare solet.

10 *Crystallos* :) Scil. acetum post sui destillationem relinquit magma, quod inspissatum reddit tartari crystallos, qui ceu subtilior vini tartarus cremori addi & ita dispensari cum his poterunt.

1 *Elixir proprietatis* :) Hic præmonemus, Auctorem hujus Elixiris esse PARACELSUM, ex aloë, Myrrha & Croco, mediante sale suo circulato id parantem, indeque eidem mirabiles attribuere vires, dicendo, quod sicut aloë & myrrha, cadavera possit à corruptione præservare. Jam verò cùm Sal illud circulatum majus sit liquor alcahest, hinc alii idem Elixir cum succedaneo menstruo parare intendunt, & quidem cum spir. vin. magis circulatus, ejus ingredientia omnia non queat ex voto penetrare, hinc addiderunt Auctores nunc stimulum eidem acidum, nunc alcalinum, & urinosum : Inter acidos, sunt spiritus salis, seu vitrioli Philosophicus, spir. sulphuris sal. quibus spir. vin. ad subtilem acoris sensum impraegnarunt; inter alcalia (cum omnia subjecta acida ferre nequeant) fixa sunt vel sal tartari, vel sal illud ex tartaro & nitro ana paratum, in quorum lixivio solvuntur aloë, myrrha & Crocus, hincque inspissata in extractum rediguntur, & per affusionem spir. vin. in Elixir af-

fectibus

fectibus mulierum & infantum dicatum. Ubi & alii loco salis fixi assumunt spiritum salis ammoniaci vinosum, qui affusus ingredientibus dat Elixir proprietatis volatile itidem in affectibus mulierum & infantum egregium. Insuper HELMONTIUS ubique urget, Elixir proprietatis cum liquore alcahest parandum, sed quæ ejus est invidia, liquoris hujus præparationem reticet, interim succedaneum aliud Elixir paulo album ex commiseratione per simplicem digestionem conficiendum docet, quâ in parte tamen fraudulentus est, cùm album hoc jam descriptum à PARACELSO *lib.* 8. *Archid.* resolvens ingredientia per digestionem in oleum essentiale, & hinc mediante aqua cinamomi per alembicum evocans Elixir album. Verùm parum hoc Elixir album in recessu habet, cùm sit saltem oleum ingredientium essentiale de crasi illorum participans in effectu vix superans Elixir vulgare, ideque nobis ob periculum vitrorum diffringendorum sufficiat Elixir vulgare acidum & urinosum; acidum quidem mediante spiritu sulphuris paratum in affectibus stomachi, nonacidum verò mediante sale tartari paratum in defectibus bilis. Etenim quicquid quærimus in bile naturali, hoc invenimus in Elixir proprietatis sine acido.

TEXT. LUDOVIC.

Album nuper divulgatum, abstractitium & exigui hic valoris, aut si aliud insuper secretiori adhuc modo ita effectum fuerit. Sanè quamdiu clavis in obscuro est, Alcahestini genuini efficacia (penè miraculosa) votis saltem circumscribitur: nec in aliorum *Rorido*, 2 *Terebinthinato, vel cum aqua à nitro & manna conjunctim abstracta parato*, adhuc dum singularius quidpium ininvenire potuimus: sufficietque proinde, (siquidem roborantem quandam vim simul intendimus,) quod (loco *sulphurei*) cum æquivalentis *spiritus vitrioli* sufficiente, & semet mediocriter prodente quantitate, (tanquam hunc in finem præ *Æruginis simplici aut sulphurato, item salis communis,* & ipsi congenere *salis armoniaci acido, vel vitrioli philosophico spiritu* convenientiore, conficitur; eo, quod aliqui cum eodem vitrioli spiritu, sed *à colcotare prius abstracto*, 3 *Elixiris Cephalici titulo* præparant, effectu nihilo inferius. Sin autem aperitivam dstinationem magis quæsiverimus, 4 præ *Nitro fixo*, (nonullis extractioni adjecto, at Aloën & crocum admodum pervertente,) præsentiorem tunc se sistet *Terræ-foliatæ liquor*: sive de cætero spiritit vini simplici, sive abstractitio cuidam appropriato, (& ejuscemodi additamenta ferente,) accessoria ista associentur; aut ipsæ species conjunctim, vel recentiori more seorsim infundantur. *Purgans* ab initio notavimus; & *Pectorale* postmodum expendemus. Ipsa *tinctura proprietatis* nil nisi supervacanea alchermes perditio, & contractiorum dosium dilatatio est. Quemadmodum nec (in extemporanea quasi, nec adeo concinna vel aurifera,) *Diapentè aliisque mixturis*, affinibusque quorundam *liquoribus & Elixiri apertivus*, sic abusivè dictis,) peculiare quidpiam invenitur.

Jam inter ea, quæ 5 è *Stomachalium* serie huc suo modo referri poterunt, sit primo polycresta 6 *Ari radix*; & quidem (cum etiam vetustior deglutientium fauces lacessere haud desinat,) necessario prius, uti vocant, *Præparata* sive cum *aceto* (*s. præ vino*,) aliquantum bulliendo, sive dilutioris (sique placet, tincti) *spiritus vitrioli inspersione* quasi adnubendo, 7 *Fecula*, (eadem de causa sequestrata, remissior quidem, non tamen penitus effœta; 8 *Mixtura* è superstante primo ejus liquore, (spirituosis & acidulis, &c, alterato,) curiosiorum, herbida recentis *ari aqua simplex* exigui momenti, *Spirituosa* nonnullibi in stomachales & pectorales usus *Composita*, hinc quidem alteratior est; at inter tot æquivalentia, aliena potius ingredientium vitula arat: ut proin satis contenti esse possimus prædicto *Præparato*, quo (præter alias destinationes,) per simplicissimam tantum aliquot aromaticorum, &c. (in substantia, vel oleositate sua,) additionem, & vel extemporaneam saltem mixturam, etiam 9 *Stomachalis* hinc habeatur *Pulvis* vulgari *Tragea aromata*, (per ingredientia quædam minus accepte,) longè sit gratior.

NOTÆ.

2 *Terebinthinato:*) Sunt, qui loco spir. vin. nunc alcalisati, nunc acidulati assumunt spir. terebinthinæ, aut quoque illum inertem à nitro & manna abstractum; ast ubique sic minùs succedit negotium.

3 *Elixiris Cephalici:*) Sunt qui accipiunt cap. mort. vitrioli ex aere imprægnatum, seu vitriolum regeneratum (cùm tamen sic efflorescat illud sal mediæ naturæ inter vitriolum & sal nitrosum) huicque affundendo spiritum vitrioli abstrahunt, & tandem mediante hoc Elixir proprietatis cephalicum inde dictum parant. Ast & hoc parum in recessu habet cùm commune acidum hoc idem præstet, quod illud.

4 *Præ nitro fixo:*) loco alcali tartari vel nitri AUTHOR monet pro Elixiris proprietatis sine acido confectione recipi posse terram foliatam tartari, cujusmodus hic: Nempe aloë, myrrhæ, croci terr. foliat. tartari ana, vel illorum trium ana, cum hujus dupli terantur invicem probè in mortario, hincque affundatur spir. vini, ita post blandam digestionem prodit Elixir proprietatis tartareum egregium, mediæ naturæ existens inter acidum & sine aciditate, quod aliquatenùs inspissatum dosi ℥ß. propinari poterit.

5 *Stomachalium:*) Ex alterantibus appropriatis stomachalibus AUTHOR N. eligit radicem Ari, herbam absinthii radicem Zingib. & piperis vulgò nigrum, quibus tamen nos rectè addenda esse monemus herbam menthæ & radicem acori nostratis seu calamum nostratem, ut adeoque hæc 6. simplicia nobis sufficiant.

Ari radix:) Acerrima est, & acrimoniâ quasi causticâ insignita, sicut & ipsa ejus folia; & utut baccæ sint dulces, tamen semen itidem acerrimum deprehenditur, & in hoc sale volatili acerrimo consistit ari virtus, cruditates viscosas, plus minùs acidas, ex deficiente stomachi digestione & cruditate relictas resolvens, corrigens, detergens, & intensè appetitum provocans. Unde frustranea quæcunque radicis ari præparatio, & per acida correctio, miramurque Auctorem nostrum hac in parte; hæc enim sive infundatur in aceto, sive ebulliat in vino, sive in umbra exsiccata imprægnetur spiritu vitrioli, ubique superfluus est labor, quia castratur sic virtute suâ; quin potius assumatur vel recens & integra, vel excorticata in umbra exsiccetur; nam & sic hyberno tempore usurpatâ acrimonia sensibili fauces ferit. Cæterùm usus recentis radicis est, ut minutissimè incisa ad cuspidem cultri cum spirit. vini hauriatur, qua ratione medetur apepsiæ; contra siccata in pulv. dos. 2. aut 3. cultri cuspidum & sic manè in vehico calido assumi poterit.

7 *Fecula:*) Contra AUTHOREM est fex iners ari, nullius usus, & omni sale destituta.

8 *Mixtura:*) Scil. liquorem feculæ aronis præparandæ supernatantem quidam dum pauco saccharo & aceto in consistentiam syrupi inspissant, ast vano cum successu cùm sal omne volatile avolarit.

9 *Stomachalis:*) videtur hic AUTHOR subinnuere pulverem stomachalem BIRCKMANNI ex QUERCETANO, cujus basin itidem constituit radix ari, & descriptio habetur in SCHREDERO *de pulveribus num* 20. Unde pro pulvere stomachi.

℞. *Rad. ari exsicc.* ℥j.
Oc. cancror. ℥ß.
Salis absinth. ℈j.
Ole. destillat. caryoph. g. iii.
M. Div. in 3. part. æqual. D.

TEXT. LUDOVIC

Accedat 10 *Absinthium*, & quidem præ abrotoniformi *Romano*, (*Aquam* ingratiorem, sed *Extractum* haud evanidum Aloëticique ligni ferè compar laborisioribus præbente,) saltem *vulgatissimum*: ut primo inde confiat *spiritus* (nostro tantum in talibus modo) *fermentatitius*: dum scil. sacchari non refinati vel etiam mellis ana vel dimidium cum aliquali fecum cerevisiæ rec. parte summitatibus selectioribus additur, & post finitum ferè fermentationis fervorem spirituosior pars inde abstrahitur; *Aqua simplici, etiam per vap. Balneum* destillata, longè validior, *spiritu abstractatio* saturitior, empyreumatico quorundam 1 *per retortam* aptior. Amplius sit hinc 2 *Extractum*, saltem (dum spiritus ardens inde multum subtrahit,) cum aqua simplici; associata quin etiam, (si fortè præsto fuerint & libuerit, aliarum hujus generis herbarum amararum parte:) conficiendo postmodum inde cum octuplo prædicti spiritus *Essentiam*, saltem simplicissimam; ni salis proprii vel ejus loco tantum nitri fixi modicum sub digestione, aut post ejus filtrationem, *Olei destillati* (quando fermentationis parergon est, aliàs enim tædiosè parare, vel adulteratum coëmere nollem,) guttas aliquot instillare placeat. Quaqua harum ratione non solum *communi* Seplasiariorum cum spiritu vini diversimodè conquisita, & nupera cujusdam 3 *Alcahestina* longè acceptior, verum etiam 4 *recentioribus formulis*, sal proprium fixum copiosius præter remedii destinationem assumentibus, oleum vero destillatum in ea quantitate vix absorbentibus, sed residuo potius post filtraturam magmati inviscantibus, &c.) parabilior & ad minimum æquivalens existet: multo minus in ea hinc sufficientia, indigebimus, insuper tot inconsideratius olim è *vulgari Romanove paratis*, aut operosè *substitutis sirupis atque conservis* supervacuè glycipicris; aut paulo ante notatis *Trochiscis de absinthio* 5 *Sal essentiale* curiosiores seorsim sibi parent: nos *Fixo* facile contenti esse possumus; aut ubi Sufficiens herbæ non datur copia, *Artemisia, millefolii, &c.* æquipollentibus parabilioribusque *Salibus*, æquè ac illud, si specialis intentio exigere videatur, *acidis nitrosis aut vitriolicis saturandis*: ut nitrum (satis) fixum antimoniatum, (v. gr. è croco metallorum aliisve modis, sal petræ magis quàm in antimonio Diaphoretico fit, concremantibus,) taceamus; siquidem laborum minus prodigis, & intimiorum istorum convenientiam noscentibus, idem in contractiori apparatu præstat. 6 *Oleum externum* coquere passim mulierculæ norunt; sique sacculis, cataplasmatibus, &c. topicis actu calidis conferas, cum congeneribus hujus sortis *Oleositatibus*, (etiam pro majori virium conservatione vel communicatione *negotiosius paratis*,) profectò hic languet, ni destillatis penetrantioribus excitetur: atque hinc satius erit, si (multo vasculorum & expensarum compendio) *Vnicum* saltem, ex infuso forte quodam, & expressis ac destillatis aliquot parabilioribus simplicissimè *Compositum* prostet; quod non solum *menthæ*, *mastichini*, *nardini*, *moschelini*, imcomptioris *de piperibus*, *ac compositi stomachalis offic.* verum etiam *recentiorum* (elegantiorum quidem, at plerunque præter rem operosiorum, diffusiorum, cariorum, si resinæ stomachales inibi dissolvuntur, viscidiorum, ac minus penetrantium, &c. *Balsamorum & oleorum stomachalium*, *confusorum*, *infusorum*, vel ex aliquot seminibus ac fructibus, (quorum destillata tamen expressio cuidam æqua facilitate permisceri poterant) conjunctim *Expressorum* locum sic sufficienter explebit.

7 *Zingiber*, missa (dolosa sæpe) differentia, saltem *usuale*; vulgareque (satis mordax, ut *Albo*, *longo*, *Æthiopico*, *capsico*, *aliisque Americanorum varietatibus* commodè careamus,) 8 *Piper* nullibi desunt; & vulgi fere nunc habentur remedia; ut cultior praxis nec *Diatrion pipereon*, nec exoletas *Diazingiberis species*, in ea æquivalentium, pollentiorum, vel etiam extemporanea mixtura facile producendorum copia, temerè hac tempestate imperet. *In Bengala Chinaque* (cum viciniores quoque Regiones possent,), *vel communi* (sæpius enervante) *modo conditum Zingiber* ditiores, ceu animi gratia comedant: Medico vel pulveris modicum in Trageis Tincturisque compositis satisfecerit, etiam *Extracti* loco. *Piperis* (de cætero haud adeo stomacho tantum circumscripti, sed ad vesicam quoque semet extendētis,) *Oleum*, alicui refrigerans, [forsan ut Indis ipsum Piper) creditum, vel sola parcitas hinc excludit. Reliqua ob variam inter se complicationem sequente classe lustrabimus.

NOTÆ.

10 *Absynthium:*) Nostrum præter usum quem recens præstat, crudum id comedendo, exsiccatum aptum est in infusis & vinis medicatis parandis; sicut & ejusdem spiritus usui medico inservit. Vbi tamen cùm absinthium sit subjectum vegetabile paulò fixius crassumque summam vim in oleo paulò fixior habet; hoc oleum fermentatione prius resolvendum est, quò sic in spiritum abeat.

1 *Per retortam:*) Destillant spiritum fermentativum & abstractitium alii ex absynthio sibi coacervato & seposito, quò aliquantisper per putredinem resolvi incipiat, destillando absynthium hoc aliqualiter resolutum in spiritum urinosum amarore turgentissimum, & sale volatili absynthii præditum, adeoque exactè crasin absynthii referentem.

2 *Extractum:*) Absynthii fiat hoc modo scil. decoctum ejus in aqua simplici factum inspissetur in consistentiam mellis; hinc ex eo cum spiritu proprio fermentativo eliciatur Essentia per digestionem, sub qua nonnihil salis tartari & nitri fixati addi poterit, hac enim ratione prodit Essentia absynthii crasin integram continens, & cuilibet alii miscibilis. Sic & spiritui illi alcalisato absynthii in Essentiam redacto addantur aliquot guttæ olei absynthii destillati, ille mox imbibendo hoc exaltatam faciet eandem Essentiam.

3 *Alcahestina:*) Notat hic GLAUBERUM, absynthium cum nitro fixo subactum per spir. vini in Essentiam red gentem.

4 *Recentioribus:*) Insinuat *ZUVELFER. P.R. pag.* 217. Ex extracto, sale & spiritu propriis absynthii farraginem potius remedii quàm essentiam parantem.

5 *Sal essentiale:*) Absynthii nitri ferme reverà propter oleum multum propriæ craseos continet, non tamen ob id præferendum erit.

6 *Absynthii:*) Per coctionem cum oleo olivarum paratum vix prodest, nisi illud actuetur oleis aliis destillatis, indeque potius unum aliquod oleum stomachale compositum sufficere poterit, v.g.

℞. *Ol. absynth. per infus. & coction. parat.* ℥ij.
Nucistæ expr. ℥j.
destill. menth. ʒß.
macis
Caryophill. ana ℈j.

M. pro balsamo stomachal. Vel quod concinnius adhuc

℞. *Ol. nuc. moschhat. expr.* ʒiij.
destill. acori veri nostr. ʒß.
macis ʒß.
bacc. juniperi. ℈j.

M. pro balsamo stomachali.

7 *Zingiber:*) Usuale saltem in forma pulveris usurpatur, præsertim si illud & ingrediatur Electuarium stomachale, quod habet PARACELSUS *in consil.* ex rob. juniperi zingibere, cubebis, &c. conditum etiam zingiber in India prius coquendo emollitum & enervatum est.

8 *Piper:*) Recens rubet, exsiccatum verò nigricat, sicut tandem idem detracta pelle album conspicitur, indeque saltem vulgare piper nunc solitariè, nunc unà cum aliis sufficere poterit loco Diatrion Pipereon. Cæteroquin idem Piper cum spir. vin. rectificato extractum dat essentiam acerrimam, mirè appetitum provocantem, & apepsia ægros correptos restituentem, oleum verò hujus destillatum præter parcitatem sui vix sine empyreumate acquiri potest, unde loco hujus pulverisatum piper sufficere poterit.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

Quod autem ex 9 *Uterinis* huc spectantia concernit, qui fallacia plerorumque Aperitivorum promissa & tædiosissimas obstructarum (ad talium continuationem tandem nauseantium,) reserationes, sæpe ne Tartareis quidem, Myrrhinis, [loco ingratorum *Trochiscorum* comptioribus,) Martialibus, Succineis, Crocatis, Sulphureis, &c. utut passim commendatis, cedentes expertus est; facile 1 *Cicer* jumentis, *Lupinum* hortis, *Cyclamen* (alias suspectum,) antiquitati, *Rubiam* haud adeo rejiculam tinctoribus, *Abrotonum fœminam* muliercularum fomentis remittet? non ipsi, famosæ licet, 10 *Artemisia alba rubrave* temerè fidet, sive fœminarum (domi, nam cui deest?) parabile *Decoctum* proponas, sive exiguæ hic virtutis *aquam*, aut operosissimum, at nequicquam adeo (cum exoleto nunc *Calamenthino*,) dilaudatum Offic. *Sirupum*, *Exstractum* profecto per se sat est languidum; & in Elixiriis essentiisque uterinis, quæ plerunque simul ingrediuntur, accessoriorum potiores sunt partes. *Sal fixum* quod absynthiaco consimilive, in defectu queat substitui, paulo ante notavimus: in mensium verò promotione parum præstat, Omnia hæc, quemadmodum & reliquæ hactenus recensitæ radices ac herbæ aperitivæ, si circumstantias quasdam, aut naturam alias in procinctu stantem (ceu verno tempore, præcipuè circa Majum, sponte fieri cernimus, interdum levent, multum est: inveteratum Ponticumque malum sola non pellunt. Ipsa semicathartica 2 *Bryonia*, cum commendatissima sua, sæpè tamen (ni domi pares,) adulterina *Fecula* (mitigandæ adversitatis causa hinc secreta,) claudicat; ni accessoriis, Martialibus, &c. nonnunquam suscitetur: Ut, (misso quoque quorundam perquam ingrato, è superstante succo; ejus *Sirupo*,) siquidem omnino medicos in usus, & pro compsitorum infusorum [uti recentiorum *ad menses suppressos decoctorum* imitatione facile, modo simplicius, citra tot ingratiorum coacervationem confiunt,) additamento, quidpiam è consimilibus seligendum foret, diffusiores tunc in Apparatus, & gregariorum usus, 3 *Aristolochia radicem* aliquando forsitan poneremus; saltem [nam cur *vera* decipiamur?) *Vulgarem, rotumdam, longa*, Chirurgorum variationibus, eleganti *Fumaria istius bulbosa semine* ulterioribus curiosiorum experimentis, *utriusque aqua* solitarioque *Extracto*, (cum illa debilis, hoc autem ipsa radice cruda vel infusa sit inferius) inter supervacanea relicto. Vel si Aristolochia illa displicuerit, dum *Calcatrippa* quidem hactenus promissis rarius stetit, *Aqua* vero inter Ophthalmicas frustra accumulatur, *Conserva* nescio cujus usus, *Extractum* decolor, & ni probè saccharetur, corruptu facile, nec (quavis etiam in destinatione,) tanti effectus est; 4 *Anthera* demam *alborum liliorum* haud adeo, ac vulgò creditur; pellunt in substantia, & minus adhuc infusæ vel decoctæ: horum proin loco poni forsan possent, pro usualibus nonnunquam nodulis compositis, non tam suppressum quàm minutum fluxum promoventibus,) in paulo amplioris, (sed vix nostræ nunc) sylloges superpondium, (mediocres hoc in genere) 5 *Cheiri flores*; *semina*, (donec ulterioribus observationibus magis firmetur;) item *Aqua* hic languida, debiliori *Extracto, essentiaque simplici*, seu communi modo, seu cum nitro alcalisato confecta, (dum pollentiores, aliorum autem Elixiriis & Essentiis uterinis compositis ad minimum æquivalentes spiritus atque tincturæ in selectu hoc nostro præsto sunt,) tantisper omissis. Et ne quis validiora ex hujuscemodi prosapia expectet, ipsum polycrhestum 6 *Pulegium*, (quo è sequenti potius classe; huc referatur,) urente Matricaria supervacuè nonnullibi in *Aquam*, [*Oleum & Sirupum* insuper & coacta] equidem gratius, & multis aliis Uterinis resolventibus aut nervosas partes demulcentibus præsentius, tantum tamen non est expulsivum, ut (nisi quis pro vehiculo, vel pro stomachali insuper aut nervino euporisto *Spirituosam* tunc potius quàm *Simplicem* velit,) *Aquam* seorsim nunc reponi singularis quædam exigat necessitas. Nam 7 quod parturientes interdum juvat, dubio procul, [modum attendentibus,] non tam peculiari quadam expulsiva, quàm cor roborante ac nervosa deliniente vi, pariter ac cum aqua cinamomi, carfunculi, balsamo Embryonum aliisque fragrantioribus adhuc, [modo Hysterica dispositio adsit,] tum temporis accidit: atque hinc pulegii illa gravidis etiam pro carminativo, cinnamomi pro confortante passim sine noxa datur *Oleum*, quod istam animi gratia destillantibus una provenit, pro vasculorum compendio, menthæ vel consimili destillato haud inconsulto adjecerimus; herbidiori *Conserva* effœtoque *Extracto* interea demissis. Sic 8 *Sabina* quoque bonum quidem est in Chirurgia Topicum; nec in propulsione, &c. nonnunquam, æquè ac consimilia sulphurea graveolentia solent, aliquid posse negatur: revera tamen tum per se, quàm cum ipso Helleboro aliisve [meretricularum potius] additamentis datæ, vel *Decocta* suspicio vel expectatio plerumque major est, quàm effectus: & magis ad-

NOTÆ.

9 *Uterinis:*) Per uterina aperientia veniunt nobis tàm menses quàm fœtum mortuum pellentia, aut potius in omnibus excretionibus uteri deficientibus usitata. Ex tam multis omninò nobis cum AUTHORE eligere placet radicem aristolochiæ vulgaris rotundæ, herbam pulegii, rorismarini, sabinæ, flores cheiri, quibus pro majori penetratione addendus venit crocus vegetabilis, & myrrha. It. pulvis hepatis anguillæ cum felle siccati quippe qui in partu difficili multum præstat, & tandem borrax, ceu mensium apperitivum egregium.

10 *Artemisia:* Hæc nisi aliis societur, pro scopo aperitivo vix sufficit; potius pro usu epileptico commendandi sunt ejus carbones.

1 *Cicer:*) Hoc decoctum in partu non incongruum; pro mensibus pellendis minùs congruum est.

2 *Bryonia:*) Hujus radix in se laxativa ad promovendos menses & vulgò laudatur ubi tamen nihil, nisi martialia interveniant, præstat. Interim succus vel solitarius, vel cum succo radicis Iridis nostratis mistus egregius est in curatione hydropicorum, & ejiciendis insectis, bufonibus, E.gr. in intestinis stabulantibus.

3 *Aristolochiæ radicem:*) Ex 4. Aristolochiarum differentiis magis parabilem, puta rotundam, seu radicem fumariæ bulbosæ pro infusis & decoctis seligit AUTHOR.

4 *Antheræ liliorum alborum:*) Cùm odore nonnihil crocum spirent, hinc quasi per analogiam ad menses & fœtum pellendum, sicut & ipsi flores lavendulæ ob eandem rationem commendantur. Ast his omnibus longè præstantior est crocus; indeque antheris illis optimè carere possumus, quantumvis iis utatur TIMÆUS & VVELSCHIUS *Hecatost.* 2. In partu difficili unà cum oleo Sabinæ; in quo tamen remedio huic oleo primæ operationis partes debentur.

5 *Cheiri flores:*) Hi si exactè considerentur, & crocei odoris quid spirant, ideoque pro infuso Emmenagogo AUTHOR eos eligit. Quo in casu & eorum essentia tàm simplex cum spir. vini, quàm prævià digestione cum nitro fixo, & hinc cum spirit. vini parata excellit.

6 *Pulegium:*) Est unum ex nobilissimis uterinis, quod tamen adhuc rosmarinus antecellit, utut Matricariæ illud præferendum sit. Ac quidem egregia est aqua. Pulegii cum vino destillata pro mensibus & partu promovendis, sicut & oleum destillatum oleo menthæ combinandum.

7 *Quod parturientes:*) Remedia parturientibus succurrentia sunt vel spirituosa adeoque nervina, motum partium beneficio spirituum promoventia, vel uterum speciatim irritantia. Jam ergo ex posteriori classe sunt remedia ex cinamomo, spirit. vini & vinum generosum, item castoreum; ex priori verò & quæ uterum & spasmos concitant, sunt myrrha, borax, item hepar anguillæ, pulegium, & sabina.

8 *Sabina:*) Hanc minoris quidem æstimat AUTHOR, in se tamen satis valida; quppe herba ejus recens potenter menses stimulat, ac speciatim oleum ejus destillatum, ceu crasin totius concreti continens. Insuper conducit Sabina usui Chirurgico, cùm non saltem internè aquis & decoctis vulnerariis pro rebus heterogeneis ex vulnere ejiciendis additur, quo de *Vid. de Medicina vulnerum*; sed & externè succus ejus, ceu nobile mundificativum ulcerum fœtidorum

rum & manantium commendatur. Cæterùm quod in omnibus remediis tam generalibus quàm specialibus observandum, nempe in horum usurpatione respectus ad subjectum patiens habendus, cum ad ejus habitudinem variet subinde illorum effectus, & sicut verbi gratia, Gialappa in se purgans remedium pro varietate subjecti nunc plus, nunc minus operatur; ita par ratio est in Sabina, quæ in se est validum uteri stimulans, in infuso, decocto vel oleo propinatum, variat tamen in effectu hoc plus minùs, prout nempe subjectum nunc est debilioris, nunc fortioris naturæ.

TEXT. LVDOVIC.

huc in *Extracto*, ingratoque *oleo seu simplici*, seu quorundam (insuper aliquantum) *Crocato* ingratiorique inde *balsamo sulphu-*
rato; dum aliàs 9 vix decima obstructarum hujusmodi oleosa, propter complicatam interiorum effervescentiam ferre potest.
Aquam destillatam quota & quo successu bibit?) *nec sal* undiquaque parabile, (vel una cum aliquorum *uterino composito*) speciale quid
hoc in genere præstat. Adeo totum hoc renitentissimum negotium 10 alterius ferè directionis est; pariter ac in enixu, præ (in-
consideratius effecta) 1 *Dominarum aqua*, aliisque permultis profusioribus Authorum *ad partum mixturis*, [Liquidis atque siccis]
modo hysterica tantum aliqua vulgatior, modo [pro subjectorum dispositione) prædictarum confortativarum aquarum quædam,
[cum vel sine probatiori specifico suscitante] plus præstat.

His itaque secundum selectus nunc nostri rationem sepositis 2 *Pectoralia* tandem, ad hanc classem pertinentia persequemur. Et
cum supra posuerimus enulam; item pro adsuctorum lubitu 3 Hederam terrestrem aliaque cum essentiis extractisque suis, acce-
dat porrò hic (è toto conciso,) 4 *Scabiosa*, [cur enim *Radix*, *herba*, *floresque* seorsim serventur] salem pro Extracto, præser-
tim aliquantum saccharato, *Sirupi conservaque* locum facile sic supplente. Si quid propter polychrestam vim aliqualem adversita-
tem hic non adeo veremur, aut moderata proportione, [præter accessoriorum delinimenta] temperare voluerimus, accedat insu-
per 5 *Veronica*, vel ejus loco, paulò acceptior *Chamedris fœmina* similiter pro *Extracto saccharato*; *conserva*, *sirupo*, &
aliquorum olim superaddito *Rob* ejus omissis. *Aquam veronica spirituosam*, (solitario *spiritu & aqua phlegmatica* commo-
diorem,) è planta ipsa potius, quàm (tædiosè prius) *expresso succo* destillatam, vel color insuper commendat: sed sapor præ-
ter rem est ingratior; paulo verò acceptior *Hyssopi spirituosa*; ut siquidem omninò quædam, (nauseabundè dulci *spiritu vini*
anisato penetrantior) huc referenda videatur, substitui forsitan tunc posset non solum prædictæ veronicæ, verum etiam langui-
diori *Aaianthi & Scabiosa*, per adversæ *Marrubii atque Hedera terrestris*, inusitatior *Caprifolii*, & (minus aliàs parabili, quam
æquè colorantis) 7 *Rorella*, (cujus adscriptam singularitatem, sub ea decussi sine fuco *Succi* raritate, nec in *Essentia liquida*
nec *in Extracto* hactenus deprehendere potuimus,) similibusque aquis: Sed enim *Infusum aliquod cum ardente spiritu simplici*,
vel [laborisioribus aliunde prius] *abstracto*, è convenientibus nonnullis *simplicibus pavitum non tantum simplices istas*, verum 8 Com-

NOTÆ.

9 *Vix decima:*) Scil. quibus deficiunt menses propter impedimentum venarũ uterinarum, contra in quibus super est adhuc motus & turgescentia sanguinis ad excretionem apti; tales phlogosi vagâ simul solent torqueri, hincque iisdem minus dari convenit volatilia oleosa, secus enim intenduntur phlogoses, unde & iis saltem prodest Sabina, in quibus tales phlogoses non observantur.

10 *Alterius ferè directionis:*) Scil. in mensibus promovendis semper habeatur respectus ad martialia, quô scil. his præmissis removeatur impedimentum turgescentiam sanguinis sufflaminans; deinde ad vegetabilia uterina fiat accessus pro cõplemẽto curæ.

1 *Dominarum aqu.*) Hujus loco sufficere potest aqua quædam spirituosa, cui additum sit aliquod promovens partum: v. gr.

℞. aq. *flor. cheiri* ℥ij.
puleg. spirituos. ℥j.
apoplect. usitat.
(si absit metus passionis hystericæ) vel
cinamom. spirituos. ℥ß.
borrag. venet. ℈j.
pulv. hepat. anguill. cum fell. ʒß.
syrup. cujuscunque, v. g.
de puleg. vel
artemis. ʒij. vel ʒiij.
M. capiantur aliquot vicibus.

2 *Pectoralia:*) Sunt hæc in duplici differentia, alia nempe sunt incrassantia, alia verò incidentia, seu expectorantia. Priora sunt saltem temperativa lymphæ acris, & salso-acidioris, unde tussis sicca nocturna, ceu princeps Phthiseos, & affectus pectoris catarrhales dependent, de quibus nihil hic AUTHOR loquitur; sunt illa potius lubricantia, temperantia & sistentia; quàm incrassantia dicenda, uti opium & quæcunque papaverina, tragacantha, amylum, ficus, passulæ, jujubæ, &c. benè tamen agit AUTHOR de pectorabibus incidentibus, & consequenter expectorantibus, hoc est, quæ productum morbosum, puta succum viscidum ex degeneratione alimenti partium proximi enatum attenuant, incidunt, resolvunt, & per tussim exscreari faciunt. Jam verè ex quamplurimis iis AUTHOR seligit herbam & radicem enulæ, hederæ terrestris scabiosæ, veronicæ & chamædrios fœminæ; quibus adhuc addenda suademus hyssopum pro saccharato, & simul cum veronica pro aquis spirituosis: Item semen anisi propter ejus oleum & radicem scyllæ recentis pro parando aceto, & oxymelle scyllitico. It. simplicem iridis Florentinæ radicem, unà cum aliis usurpandam.

3 *Hederam terrestrem:*) Hæc præter diureticam vim insigne est vulnerarium pectorale in pleuritide suppuratâ, empyemate, & omnibus pectoris affectibus egregia, non secus ac quoque in hæmophtysi, tàm à causa externa, quàm ab interna nata.

4 *Scabiosa:*) in usum vocetur pro extracto succoso, decoctionem ejus in aqua simplici ad imitationem ANGELI SALÆ, conservæ, syrupique locum supplente, & ratione effectus simul nonnihil incrassante & attenuante.

5 *Veronica:*) Hæc nobilissima est in tussi & asthmate humidis pro extracto succoso saccharato inde conficiendo. Sic & curiosum est, aquam veronicæ tàm per se, quàm cum vino destillata tam apparere intensè viridem; qui color quidem in illa minùs durabilis; in hac verò nempe spirituosa ultra annum sospes manet.

7 *Rorellæ:*) Hujus folia in summis quoque ardoribus phlegmate rorido turgida conspiciuntur, indeque de hoc multi dicunt, esse spiritum mundi concentratum, ac propterea singularem vim analepticam ex eodem venantur, ast fides penes auctores esto.

8 *Compositas:*) Ejusmodi aquas pectorales parant ex plantis incidentibus mediante spir. vini, qui si abillis aliquoties abstrahitur, emergit hinc aqua antasthmatica; sin verò infunditur saltem, dabit Elixir, vel essentiam. Cæterùm hîc notamus, malè illis speciebus adjici fructus, ut amygdalæ, dactyli Sebesten, passulæ quippe cùm nihil quicquam de his transeat, sicut in infuso illorum ne tantillum quidem imbibant, quin potiùs sufficiat loco omnium ex supradictis cum spiritu appropriato, v. gr. fœniculi eoque vel fermentatitio, vel abstractitio parare essentiam, vel aquam compositam cum Rob passularum, vel saccharo edulcorandam.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

positas quoque, sub *pectoralium*, *pneumonicarum*, *Asthmaticarum*, *Catarrhalium*,&c. titulis hactenus (sæpe non sine inconsideratiori mixtura vel minori adhuc gratiarum participatione, seorsim propositas, aut post immutationes aliquas usquedum hinc inde *superadditas* longe superat : præsertim, si sub actu curatorio aliis insuper Essentiis, Extractis, vel Liquoribus, [quod etiam cum prædicta Hyssopi consimilive Aqua, sub contractiori adhuc apparatu fieri posset, amplius exaltetur. Nam 9 Stomachales quoque vel Carminativas quasdam gratiores, parili ratione per incidentium & epicerasticorum accessum accommodatas, idem in propriè dicto Asthmate, (præcipue post Vomitorium præmissum) plerumque præstare, passim experientia docet, Ut tanta *Pectoralium destillatorum* congerie neutiquam hic indigeamus ; imprimis cum longue frequentior 10 Hypochondriaca illa præfocatio è diversissimo capite per Martialia sc. &c. Periodica verò Collectio, (quæ forte per alia vasa & glandularum commercium accidit, atque his quidem ad Asthmatis genus refertur, istis vero Phthiseos, vel successive ruptorum Apostematum suspicionem creat,) longe consultius accisa Opiatorum dosi curetur.

De Juniperi, Anisi, Fœniculi 1 *Oleis*, aliisque *productis* modò superius egimus, modò paulo post dicemus. Et si cui *Aqua Hyssopi* prædicta placuerit, *Oleum* simul copiose profluens istis aut aliis, (sæpe per accidens provenientibus) pectoralibus, &c. multo Dispensationis compendio fortassis adjiciet.

Sin autem amplius quidpiam è Vegetabilium sylloge, superaddendum videatur, paulo diffusiori apparatui forsan haud inconveniens foret Bulbus, qui sive *Pancratium sive* 2 *Scylla* vocetur, *Porro* culinariisque *Cæpis*, ob Aroniformem quasi vim non solum superior, sed etiam, (ista passim aversantibus aut non ferentibus,) commodior erit, ut *Acetum è cruda* saltem, (ceu jam olim impune consuevimus,) citra Eburneum paganismi cultellum, & citra præviam (satis hodie traductam) *Præparationem* (quo *Trochiscatio* quoque pertinet,) inde constat ; si intra annum præter propter dispensari poterit, saltem cum *culinario seu usuali*, quod pro operationis modo semper hic *Destillato* observavimus commodius, & sub ista præparandi ratione præ *Officinali Aceto Scyllitico* acceptius. *Oxymel & Loch* (*seu simplex*, seu cum cæpis quoque nonnullibi *Compositum Asthmaticum*,) extemporanea dulcorantium & symbolizantium mixtura vel imitatione, (dum *Fecula* & cum Lacticiniis quoque paratum aliquibus *Extractum* alias inconvenientiora sunt,) pro lubitu hinc nunquam non fingi queunt. De cætero supra mentionem fecimus *Essentiæ*, quæ è 3 *Nicotiana* non tam (nominali sæpe) *Indica*, quam triviali nunc *nostra* consit ; *Extractum vulgare* cum Nitri fixi particula paratum, (utpote in Topicis quoque nonnunquam turbas vel nauseam ciens,) cum ardenti Spiritu denuo extrahendo, & ad sirupalem consistentiam inspissando : quo Errhinis, Lavamentis, aliisque externis usibus, loco *Infusi vel è semine Expressi*, (utrobique infidi febrifugi, & pro resolutione Hyoscyamino expresso haud adeo validioris,) *Olei*, *Balsamici* nonnullorum *Liquoris*, & (domi alias citra supervacuas additiones parabilis, nec omnibus adeo convenientis) *Vnguenti* inserviat. Qui Petinis proin intus quoque hic adsuevere, sub debita dosi habebunt, quod *Sirupus aut quodvis de Peto Oxymel*, (dum *Aqua* alias ingratior, & rari usus, *Oleum vero distillatum* curiosorum est,) communiter pollicentur. Sed Pectorales infarctus etiam citra turbulentiorem hanc herbam per circumspectum prædictorum usum, alius æque feliciter curaverit.

Multo minus autem in ista sufficientia indigebit insuper sive *Hyssopi* seorsim siccatis *sumitatibus, aut Conserva* ; sive ingrato *Marrubio*, vel *Vrticalibus quibusvis vulgaris*, *aut Romana* (ad Emulsiones quoque nonnullis tracto) *Semine* : non antiquario *Peucedano*, vel alias rariori, utut speciosiori *Botry & Ambrosia cum Conservis suis* : non peregre delatis *Veneris Capillis*, in *Conservam* etiam alicubi, & inconsideratius *Decoctum* propositis : dum compar *Odianthum* vulgatius, nec inde tamen in pectorales nephriticosque usus (inter tot præsentiora) adeo necessarium, *Trichomanes* infrequentius, *Polytrichum* demum non quidem in se adeo rejiculum, superstitiosarum tamen nunc fere vetularum est. Nec porro è culinis petet, ob exoletum *Loch de Caulibus Brassicam* ; aut dum vulgus *Sinapi* cum melle lingit, affini inhærebit *Erysamo*, pro quorumdam (licet alicujus in suo genere effectus) *Syrupo* ; uti nec textorii *Gossypii semini*, ob supervacuas Antiquitatis compositiones ; aut (stomaticis forsan aptiori) 4 *Caprifolio*. Debile Marrubii *Hissopi & Adianthi cujuslibet*, item tot *Pectoralia Autorum*, plerunque inconcinnius *Composita Extracta* similiter haud exiget ; cum supradicta & inter se & Arteriacorum Sirupisatique Sacchari accessu pro diversis, jucundis extemporaneisque Mixturis ac Linctibus perquam sint sufficientia : ut nisi data opera ollulas & entia Seplasiariorum multiplicare voluerimus, nullus insuper *Sirupus*, sive de *Hyssopo fuerit simplex*, aut aliis satis traductus *Compositus*, sive de *Prassio* ejusdem sortis, de *Capillis Veneris simplex*, aut pariter *Compositus*, de *Liquiritia*, &c. Officinis hactenus usuales, vel ulterius solertiorum opera *correcti*, *aut recens hinc inde*, (*sub Pectoralis Hyssopi, Asthmatici, &c. titulis*) superadditi, (sæpe tamen perquam exhaustis Extractis constantes, & ab Infuso quodam aut Aqua Pectorali edulcata parum hinc differentes) requirantur ! Uti nec *Loch* aliquod ; sive exoletum *de Prassio* ; sive (ob quatuor Pæoniæ drachmas simul antepilepticum,) *de Passulis*, tædiosiusve *Sanum & Expertum usuale*, *vel recens (cum Diacodio quodam Asthmatico consimilibusque operosioribus Mixturis,) substitutum*.

5 *Decocta Pectoralia* incidentia, &c. quamvis ob largiorem forte distributionem equidem in hoc genere haud adeo nonnunquam sint incommoda ; nec ingrata per Simplicium acceptiorum & competentium delectum, epicerasticorumque accessum parari queant ; revera tamen hodie raro alias expetuntur, rarius admittuntur. Et si emptorem forsan è gregariis invenerint, tam è prædictorum aliquibus, quam etiam è domesticis haud difficulter parabuntur ; citra actualem *Specierum*, fructibus corruptionem brevi sentientibus plerumque permixtarum asservationem, *Tincturam seu Infusum quoddam Pectorale, cum Spi-*

NOTÆ.

9 *Stomachales*] Hîc intelligit AUTHOR Asthma propriè sic dictum, sive humorosum, ex succis viscidis oriundum, hocque tàm pectorale quàm stomachale dicit levari non saltem per pectoralia sic dicta, sed quoque stomachalia imò aromatica quæcunque.

10 *Hypochondriaca præfocatio*] Dari dicit AUTHOR Asthmata Hypochondriaca, seu Passionem Hystericam à spasmis nervosarum partium ab acido præternaturali concitatis oriundam, quæ optimè per martialia sufflaminantur & eradicantur ; sicut aliud Asthma humorosum periodicè recurrens per opiata maturè, sic præcavendo nutrimenti degenerantis collectionem, curari poterit.

1 *Oleis*] Inter olea pectoralia excellit oleum destilatum anisi, cui oleum fœniculi quoque substitui poterit : Juniperi autem aliûs est classis.

2 *Scylla*] Ex hac paratum acetum & oxymel Scylliticum veterum fuit in usu pro scopo aperitivo ; sicut enim Ari radix inter pectoralia incidentia non est ultima ; ita scylla ex porrorum genere eidem proximè accedens cæpas & porra quæcunque antecellit. E Fiat acetum ex scylla recenti in taleolos concisâ, rejiciendo ejus exsiccationem : sicut & hujus in trochiscos prius redactionem, & quidem sumẽdo acetum culinarium, si intra annum acetum illud scylliticum dispensari debeat ; sin verò ultra annum id durare debeat, destillatum accipiendum ; ita emergit egregium incisivum stomachicum, & pectorale in casu muci viscidi partes dictas obsidentis, & respirationis negotium turbantis. Exque hoc aceto ex tempore oxymel & loch scylliticum confici queunt.

3 *Nicotiana*] Ratione salis volat.. acerrimi vi inciva pollet, indeque EPIPHANIUS FERDINANDUS, Medicus Neapolitanus. Nicotianam in pleuritide suppurata evacuanda expertus fuit. . Et quidem paranda sunt ex Nicotiana essentia & extracta cùm dimidio nitri fixi, eam coquendo & inspissando hinc ; sic namque ab alcali hoc destruitur virulentia & textura olei Nicotianæ, cujus vi aliàs nocet. It. Prodest essentia pro Errino, & ulceribus sordidis evacuandis, sicut extractum una cùm aliis unguentis pro tineâ curandâ adhiberi poterit ; utut nec syrupus de Peto QUERCETANI contemnendus sit. *Conf. MAGNENUM de Tabac.* in quo nonnulla præparata egregia sunt.

4 *Caprifolio*] Hujus decoctum aliàs famosum est in prunella & ardoribus faucium.

5 *Decocta pectoralia*] His ex tempore pro renata præscribendis præstant tincturæ seu infusa pectoralia, cum spir. vini, vel alio appropriato parata.

TEXT. LUDOVIC.

ritu Vini s. vel abstractitio (v.g. Fœniculato forsan, aliove acceptiori ,] non tam è Conservis , inconvenientioribusve Speciebus , quam ipsis paucisque aliquot competentioribus Simplicibus simpliciter infusis , aut Extractis eorum proportionaliter dissolutis confectum , paulo ante compluribus Aquis Compositis merito prætulimus ; sive per se , sive novis Essentiis, Extractis , &c. amplius exaltatum & dulcoratum detur ; *Vulgatiores* sane aliorum , utplurimum operosiores , sæpe inconcinnius *compositas Essentias* , *Tincturas balsamicas* , [cum oleosi quoque quidpiam ipsi facile combinari possit ,] similesque Mixturas , ad minimum sic exæquat & compodiose exprimit : quemadmodum & *Elixiria quorundam Pectoralia* ; nomine ad simplicem quandam Tincturam abusive tantum tracto , vel si 6 *Elixir propriatatis pectorale* audiat [cum simplex illud Elixir in pectoris affectibus vere talibus , plerumque haud adeo multum præstat , ipsique saltem species diffusioris dosis , aut à præcipitatione sæpe vix immunes superaddantur ,] parum ultra accessoria [aliter etiam exhibenda ,] conferente. *Olea destillata* in quantum Thoracis morbis [citra persrequentes , ad majorem compactionem vel exsiccationem ducentes abusus ,] quadrant , partim supra jam attigimus , ut *Juniperinum* , *&c.* partim cum reliquis *Anisatis* , *Fœniculatis* , *&c.* sequente Classe perlustrabimus , quo unum alterumve , [è parabilioribus & notabiliori copia stillantibus , hic haberi , vel insuper quoque , si omnino hoc in genere placuerit , *Elæosaccharum* aliquod extemporaneum parari queat: De cætero famosum id è 7 *Benzoe* , etiam genuino modo , inter Florum sublimationem aliterve , citra nitorem vel prævalentia addimenta quæsitum ,] majora operæ prætia , præ aliis euporistis non facit ; uti nec ejus *Essentia*, sive negotiosius è *Floribus* , sive potius *è crudo Gummi solitario, vel adjecta Styracis parte dimidia*, cum rectificatissimo Vini Spiritu , citra notabiliorem, [ne *vulgaris Essentia* more turbetur ,] abstractionem confiat : ut siquidem Benzoini quidpiam pulveribus , &c. pectoralibus permiscendum foret, ipsam Asam [revera tamen Suffumigiis, Aulicarumque Liquoribus aptiorem,] resinosiori *Magisterio*,simultaneave aliorum *Depuratione* tantisper dimissis, mallem.

Proin ponamus potius, [quæ nunc superest , 8 *Iridem* , liberaliori *Illyrica* titulo neglecto , *Florentinam* ; ut infusis, ita præcipue Pulveribus & quæ hinc rite consiunt , [dum *Extractum* effœtum est,] per quam convenientem : sive Epicerasticis gummosis ac confinibus, rancorem tamen vulgari hodieque malo, non sentientibus loco *Specierum Diaireos s. & Vsitatarum* [*officinis dictarum* ;] sive *Bechicis* , [Aronatis scil. Sulphureis, Antimoniatis,&c.] quando & quomodocunque libet misceatur ; aut potius inordinaria quasi , [Dispensatoriis plerisque rariori hactenus] formula seorsim in suos usus,[vice tot ingratarum , inconciniusque compositarum , publice nihilominus hinc inde propositarum *specierum Diahyssopi* , *Diaprassii* , *Diathamaron* , *Dianisi*, *Diaireos Salomonis* , *Diatragacanthi calidi*, imo quoque *Diapenidii* :] actu asservetur. Ceu vel tantum pro Infantibus , *Pulvis* ex anatica radicis Aronis præparatæ , Ireos fl. & Sulphuris crudi proportione constans , & istis ad grana aliquot , pro ætatis ratione datus , præcipue vero Opiatorum tantillo , Cinnabari nativa , &c. prius exaltatus , adultis insuper , [si placeat , & ex usu esse videatur , ,] saccharo oleove gratiori conditus , Antimoniove diaphoretico , &c. sociatus , revera abundanter præstat, quod his quidem tot Dispensatoriorum *Pulveres atque Tragea* , [nullo non pectorali constantes ,] promittunt ; quod *Catarrhales aliique speciosiores* præstant ; & quod pro Pusionibus in tot *Pectoralibus ac contra Tussim Pulveribus* , Sesamo atque Pavere [varie contuso , vel in Pastas emulsioniformes prius redacto] conspersis quæritur , præsertim si in confluxu quasi Suffocativo 9 correctiora Emetica [pro renata] præmittantur. Et hanc ipsam vim pro recens natis, etiam in Iride flor. pulverata observari , supra notavimus. *Cyprios vero Pulveres*, cum Musco, Amylo , aliisve , [corpus aut colorem subministrantibus,] Gynæcea sibi parent.

Quod autem numerosam 10 *Morsulorum ac Rotularum Pectoralium* detergentium vel expectorantium seriem , & usque dum institutam *Variationem* attinet ; qui intentionem Remedii considerat , & talia delicatioribus Adultis potius , quam Pueris, [omnia desubito vel inordinate deglutientibus] convenire. 1 Opiataque præterea, [post expeditum pro re nata vomitum] ad matutinas angustatorum vel spumefactorum humorum expectorationes, [sub accisa nocturnaque adhibitione ,] plus quam

NOTÆ.

6 *Elixier proprietatis pectorale*) Fit adjiciendo speciebus ordinariis alia adhuc simplica , ubi tamen nec hoc multum in recessu habet, cùm ejus loco simplex Elixier proprietatis cum essentia quadam pectorali mistum sufficere possit.

7 *Benzoe*) Famosa est vi pectorali , nec cedit Iridi Florentinæ. Cæterùm inter præparata ejus sunt flores, quorum præparationem cum charta pyramidali docet ROLFINCK. *in Chym*, Hinc & prostat essentia tàm ex eâ solitariâ, quàm una cum dimidio styracis calamitæ mista, cum spiritu vini rectificatissimo paranda, suavis saporis & odoris. Externè usui cosmetico inservit, si ejus parum aquæ instilletur. Tandè aliqui in conficiendo oleo destillato Benzoes operosi sunt, quorum tamen plures modi fallunt, cùm illud vel empyreumaticum, vel ejus suaveolentiæ tantillum, operæ pretium vix æquans impetrent. *Conf.* VIGENERUS *Tract. de sale & igne p.* 49. Aliàs in compositis pulveribus egregiè Benzoe per se locum invenit.

8 *Iridem*) Hæc in recessu blandè aromatica est, lympham in affectibus pectoris temperans, & simul mucum viscidiorem respirationem turbantem incidens, & quidem pulveris formâ usurpatâ. Et utut officinis in usu sint pulver. pectorales multiplices, quia tamen omnes in hoc coincidunt , ut temperent lympham acriorem, hinc loco omnium AUTHOR suadet usurpandum pulverem hunc pectoralem , nempè ex ana Iridis Florentinæ sulphuris, & radicum Aaronis crudarum , quibus addit pro scopo incrassandi in certis circumstantiis , nempè affectibus catarrhalibus nocturnis temperandis, blandum opiatum, & vel cinnab. nativam in casu, si pulmones convulsivi quid patiantur, sicut & antimoniatum aliquod diaphoreticum, ubi nempè in partibus respiratoriis læsio subest, quò sic proventus uberior muci impediatur. Atque similis ferè pulvis D.D. MICHAELI fuit in usu qui

℞. *Rad. Aron. crud. pulveris.* ℥iv.
Irid. Florent. ℥ij.
sulph. pulver.
benzoes ana ℥j.
Antihect. Poterii ℥ij.

M.F. pulvis pectoralis cujus dosis esto ʒß.

Huic pro lubitu adjici poterit q.s. sacchari vel etiam olei cujusdam destillati appropriati.

9 *Correctiora Emetica*] Scil. in affectibus suffocationem minantibus, & qui non sunt à spasmis convulsivis, aut impedito motu sanguinis, potiùs à succis viscidioribus pectus ; vel stomachum obsidentibus, præmisso vomitorio pulvis allegatus pectoralis proficuus erit.

10 *Morsulorum & Rotularum*) Hæc pluribus in usu esse solent, parata ex speciebus supra dictis, cum saccharo invicem in consistentiam desideratam redigendo , ac intentio horum est , ut sordes pulmonis & asperæ arteriæ per degenerationem nutrimenti proximi oriundæ expectorentur citius. Interim supra dictus pulvis Pectoralis omne id præstat, quod à Rotulis & Morsulis hisce expectari potest. Vel ex tempore ex eò cum saccharo confici possunt Morsuli , vel Rotulæ manus Christi imbibi poterunt oleo destillato anisi vel fœniculi , vel balsamo sulphuris anisatho , ita illæ eundem ac morsuli habebunt effectum.

1 *Opiata*) Quælibet sistendo motum spirituum animalium influorum & sensum , impediunt expectorationem, indeq; incrassantia & catarrhū sufflaminantia audiunt, minusq; in ejusmodi casibus, ubi expectoratione paulò largiori opus est, v.g. in Phthisicis cōfirmatis conveniunt, sed hostilia potius sunt; sicut contra eadem in principio & incremento morbi, cùm nempe à lympha salso-acida eroduntur & excoriantur vel fauces, vel larynx , vel pulmonum parenchyma , sicque noctu ægri continuò tussiunt, mucum copiosum, utut laboriose rejicientes, in tali casu pro tussi sistenda, & præcavendo sordium mucosarum proventu , opiata sunt

ſunt optima, ſub nocturna exhibitione. Ita namque lympha acido ſalſa temperatur, irritationis ſenſus in pectore ſiſtitur, uberior ſuccorum effuſio ſufflaminatur, hincque ſordium proventus impeditur. Summatim quemadmodum Loch confectionesque ſaltem productum morboſum, nempè mucum promovent; ita opiata magis radicem morboſam feriunt.

TEXT. LUDOVIC.

longa *Aſthmaticorum Apozemata, Lohoh, Confectiones,&c.* conferre nobiſcum obſervavit: Item, quod Sulphureorum ac conſimilium fixiorum energia, ſub lenta deglutitione admodum impediatur: Is procul dubio nec *Diſpenſatoriorum Dianiſi, Diahyſſopi, Diaireos, Diapenidii, &c.* paſſim nunc vileſcentes, *Rotulas, Confectionem communem pectoralem, Trochiſcos Becchicos albos,* (*à Pectoralibus Off.* ſi odoramenta demas, vix differentes,) *de Benzoe, de Alipta moſchata,&c. communes aut correctos vel immutatos,&c.* exiget; nec in *recentioribus Morſulis, Rotulis ..ac Trochiſcis pectoralibus*, conſimilibuſque (moſchatis etiam & ambratis (cuilibet fere propriis variationibus ſeorſim quæret quidpiam; epiceraſtica potius hujus generis formula, (ad humorum, convenientioribus remediis præparatorum expectorationem ſupra demulcente,) contentus; vel ſolis etiam *Rotulis Manus Chriſti, oleo quodam vel Balſamo pectorali illitis*: præterquam quod omnino tale quid exigentibus, per extemporaneam inſuper Pulverum, Extractorum,&c. accommodationem gratificari poſſimus.

Alcalia è Nicotiana, Scabioſa, Veronica, Hedera terreſtri, &c. Thoracis ſeorſim, vel cuidam etiam, [pro *pectorali Sale*,) conjunctim (cum Arteriacis quoque) combuſtis facta, & (quaſi neceſſario quod in toto, Aqua vel Extracto eſt, etiam in Sale fixo eſſe debeat,) vulgari ſyllogi communiter aſſociata, quantum huc quadrent, quantumque queant, nemo non videt, & ſi lixivioſum quid eo quidpiam conferret, idem in aliis incidentibus Alcalibus, aut ſolo Nitro fixo inveniri poſſet. Atque hæc de Vegetabilibus.

Quæ ex *Animali regno,* (præter ſuperius in Diureticorum & Diaphoreticorum claſſe è Cancrinis, Cervinis,&c. recenſita,) referri inſuper huc poterunt, pauca ſunt, & exigui profecto momenti. Nam qui 2 Decoctum *Splenis bovis*,(dum pauperculi vix *Vitulinum Suillumque* attingunt) etiam *cum additamentis ſuis*, (potius interdum alterationem quandam afferentibus) confectum expertus eſt, nec *Mumia ejus* præterea, ſeu perfumando ſeu inſpergendo paratam; nec *Extractum* diverſimode, (ſaltem 3 ob antiquiorum de uſu partis placita,) conquiſitum exiget: ipſum 4 *Aſininum*, ſi vivo quoque impune exſcindi poſſet, cum jumento molitori linquet. Sic 6 *Anſerculorum*,(aliis jam deriſum) *Gallinaceum, Caprillum,&c.* 5 *ſtercora* non ſolum ſordida ſunt, ſed etiam, (ſi empiricas Cachecticorum & Ictericorum curationes obſerves,) parvi plerunque effectus. Batavorum ſane militibus incurſantes in Java Indos ſuperioribus annis merda depuliſſe laudi fuit; Medico gratioſo non item. Et quo totam hanc ſordiciem eadem opera eliminemus, 7 *Pavonis ſtercus* curioſiores Epilepticis Vertiginoſiſque plus vice ſimplici, ſed fruſtra dediſſe vidimus. 8 *Hirundinaceum* cum ipſo emplaſtico *Nido* trivialium Tonſorum, 9 *Canino* eorum eſt, qui libellorum præſcripta ſectando, commodiora reſolventia, aperientia, expectorantia, &c. & loco 10 *Lupini* (cum ipſo *Inteſtino*) *ſtercoris*, acceptiora Anticolica negligunt. 1 *Humanum*, ceu contra morſus commendatur, Calumniatorum ori, vel 2 *Occidentalis Zibethi factoribus*(ſi 3 *Martis ſtercus* illuc haud inconvenienter ducendum deforet;) *Aquam* inde & *Oleum* horribilibus Secretis, 4 *Paſſerinum & Muſcerdam*, etiam(pro menſibus obſtructis,) *Majorum murium* vetularum medicationibus & laxativis, 5 *Vaccinum* ſi vel ipſis Benjanorum officioſis manibus inter decidendum exceptum & hinc ſeu *toſtum* ſeu(jucundius adhuc contra convulſiones) *expreſſum* fuerit, experimentis nimium extenſis, calentibus Podagricis, & iis qui ex 6 *omnium Florum aqua,*

NOTÆ.

2 *Decocta ſplenis bovis*) Hoc uti & ejus eſſentia juxta *CROLLIUM*, vel & mumia ejuſdem in infarctibus ſplenis & cachexiis vulgô commendantur: quæ tamen niſi addita aliquid præſtiterint, vix conſiderationem merentur.

3 *Ob Antiquorum placitum*) Scili. veteres putarunt, partes animalium uſurpatas idem præſtare, quod noſtri corporis partes, ita ut pulmones eorundem conferant noſtris, & ſic porrò. Aſt ô Vanitas! Uſus ſiquidem partium eſt vel Mechanicus, ex ſtructura earundem dependens, vel alterativus, beneficio fermentorum ſpecialium exequendus Jam verò quicunque horum in partibus corporis noſtri læditur, eorum nulli occurri per animalium partes poteſt, præſertim cum & harum ſtructura mechanica ſub ſtomachi digeſtione, & fermentum earundem ſub morte intereat.

4 *Aſininum*) De hujus ſplene calido inanis circumfertur fabula, quaſi ſpleneticis mederetur; aſt ſi ille aliquid præſtat, fit illud ratione caloris, qui tamẽ itidem ſacculo ab arena calefacto expectari poterit.

5 *Stercora*) Animalium omnium participant de natura ſalis ammoniaci, conſtant quippe ex acido & alcali oleoſo volatili indeque auræ beneficio alterantur in nitro, præſertim avium excrementa, quicquid igitur præſtant, operantur ea vi ſalis ammoniacali.

6 *Anſerculorum*) Stercora menſe Martio collecta, cõmendãtur Ictericis & Cachecticis, ſicut ipſe QUERCETANUS in Pantheo Æygiaſt, pulverem habet anti-ictericum, cujus baſis eſt ſtercus anſerculorum; interim loco hujus alii gallinaceum aſſumunt.

7 *Pavonis ſtercus*) Præter BORELLUM, VVILLIS ad vertiginem commendat; ad cujus imitationem nuper egregium noſmet effectum videntes, illud non rejiciendum putamus.

8 *Hirundinaceum*) in Angina & Tonſillarum inflammatione inter Europiſta externa numeratur cataplaſma ex nido hirundinum, quod tamen ratione ſtaminis cùm parum præſtat, potiùs ratione ſtercoris ammoniacalis reſolutivi & diſcuſivi non contemnendum eſt, præſertim è lacte paratum.

9 *Caninum ſtercus*) Subigendo cùm melle ſub forma linctus commendatur, internè pro faucibus inflammatis curandis, nec id immeritò.

10 *Lupinum ſtercus*) Pulveris formâ aſſumptum laudat PANAROLUS pro Anticolico.

1 *Humanum*) Stercus in ſuo genere non rejiciendũ eſt remedium, dicente rectè *HELVETIO p.112.&113. Diribitorii*: quippe quòd in eo lateat ſingulare ſulph. anodynum & deſtructivum acidarum ſordium, indeq; non tantùm ambuſtionibus medeatur, ſed & inflammationes quaſvis ſiſtat & diſcutiat, adeò quidem, ut ante 50. annos graſſante peſte hic locorum plebs ad bubones ſuos apponendo, illos maturaverint non ſine effectu. Præterea Auctor eſt SAAR *in ſeinen Oſt-Indianiſchen Kriegs Dienſten*, in Inſulis Boriis dictis, genus quoddam ſerpentis reperiri, cujus morſum mors ſequatur, niſi ſtercus proprium demorſi mox aſſumatur. Tandem aqua ſtercoris humani coſmetica, ab aliis ophthalmica cenſetur, ſicut & ejuſdem oleum contra cancrum mammarum ſpecificè commendatur.

2 *Occidentalis Zibetki*) *PARACELSUS* ſcil. mediante digeſtione ſtercus humanum ad odorem Moſchi redigere voluit.

3 *Martis ſtercus*) De hoc videatur *CASTELLUS de Hyæna odorif. p.12.& 13.*

4 *Paſſerinum*) Et Muſcerda, utraque hæc revera laxant, ſi nempè hujus 1. vel 3. Pilulæ in lacte aſſumantur; ſicut & majorum murium muſcerdæ pilulæ num. 9. deglutitæ, menſes mulierum expellere dicũtur.

5 *Vaccinum*) Calidum certè podagricis pedibus levamen affert propter ſui pinguedinem oleoſam anodynam. Cæterùm Benjani, ſunt ſecta Orientalium populorum indolis Pythagoricæ, qui putant, animas de mortuorum cognatorum migrare in domeſtica animalia, quæ proinde ſanctè colunt, ac horum excrementa quoque manibus tractant pro conſervatione.

6 *Omnium florum aqua.*) Putatur Coſmeſtici uſus eſſe contra lentigines; interim qui aqua ſpermatis ranarum habet, illa carere poteſt.

TEXT LUDOVIC.

præ congeneribus refrigerantibus ac lenientibus peculiare quippiã nequicquam expectant; 7 *Equinum denique ac* 8 *Suillum* millitaribus pleuriticorum, colicorum, aut hæmorrhagiis vexatorum haustibus & odoramentis, (utrovis tamen modo cruentationes per internas effervescentias continuantes vix aut non sistentibus,) imo totum hoc *Magma* Ægyptiis pro foco legendum siccandumque relinquamus, ad ea, quæ nostræ potius hic considerationis sunt, reversi.

Inter quæ 9 *Loch de Pulmone Vulpis quod vis etiam* infarctus bronchiorum interdum quidem aliquantum juvat, sed etiam citra parenchymatis istius accessum: Tabidis magis officit: uti quoque ipsis *Vulpis & Erinacei Pulmonibus seorsim siccatis Mumialiterve conditis*, & in *Trageas vel Essentias* redactis horum neminem curatum vidimus. Et si referre huc licuerit 10 internas *stomachi Gallinacei Pelliculas*, quoties etiam (pro adhærentis forte fermentalis substantiæ conservatione) non elotas largiter plane, ex *Urogallis quoque, Perdicibus, Attagenibus, &c.* at incassum, dedimus; ut talium dilaudatores dubio procul lenta solum illa lapillorum, (in Urogallis interdum quasi gemmeorum) colliquatione ducti, citra specificæ differentiæ colliquantis humoris, & investientis insuper musculosæ carnis æstimationem, ea huc indifferenter traxisse videantur.

Fel quod attinet, equidem quid non solum in statu sanitatis ad chyli condituram, inversionem, &c. (jampridem aliis tradita,) revera præstet; vel quantum in præternaturali, Affectibus inde perperam aut hactenus non deductis contribuat; verum etiam quid in Medicina specialis (& nescio qui secreta) hæc amarities queat, ulteriori indagine dignum credimus.

1 *Catulorum* interim ob privatas commendationes, Epilepticis frustra datum plus vice simplici notavimus; aut si ab Infantum lacteo coagulo oriretur, pilula Aloëtica, aliove competente laxativo, vel emetico, (succedentibus specificis eo quandrantibus,) exhibito, idem obtinuimus. Multo minus inter tot æquivalentia præsentiorave, (pro Ophthalmicis, Acoristicis, Anterysipelaceis, Cosmeticis, &c.) *vulgata istius Species Liquida, Siccata vel penitus* 2 *Extracta* seorsim requiruntur; aut dum omnino Biliosum detersivum quis expeteret, missis saltem hic Præcedentiæ minutiis, curiosiori adeo 3 delectu opus est, ut ubi *Lucii, Carpionis, Perdicum Gallinarum, Aprcrum, &c.* deest, *Fel è Bove quoque, Sue, Ove*, sedatior quispiam, plerosque in usus vel à vicino Lanione petere, aut specialioribus intentionibus, (ceu alicui præsupponuntur, alicubi vero suo modo sunt,) commodiora substituere nequeat:

3 Inter Uterina tandem (huc quoquo modo pertinentia aut tracta,) si supradicta fœtus justa situatio, & 5 obstetriciæ enchirises (sæpe tamen aliquibus in Museo nimis extensæ,) defuerint, profecto 6 *Serpentum pinguedine* frustra vel totus venter inungitur, *Lingua, viva* quoque evulsa Umbilico imponitur; 7 *Exuviæ coctæ*, (ni aliorum Cataplasmatum Uterinorum vegetabilium more caloris intercedentis ope naturam interdum sollicitent,) superilligantur, aut 8 *cingulo ex humano corio*, (Arthriticorum sandaliis à quodam nequicquam adsuto, abdomen totum qualitercunque stringitur: frustra 9 *Martii Leporis oculus* vertici imponitur, aut 10 antiquaria *Viri Urina*, non sine Zelotypia bibitur, vel ipsa à ventre nuper rapta (instar Equarum olim 1 Hippomanis) 2 *Secundina*. Liberalioribus sane (in interdictis Exercitiis, (eam haud parum præstare scimus; æque ac abstru-

NOTÆ.

7 *Equinum*] Succus stercoris ex pila ejus recenti expressus nobile est Anglorum, quâ sæpius iidem vexantur, euporiston contra pleuritidem, non secus ac quoque contra colicam convulsivam & passionem hystericam, expectando desuper sudorem.

8 *Suillum*] Stercus in substantia naribus sub forma pulveris insufflatum, vel & ejusdem succus expressus cum syrupo myrtino mistus, conducit contra narium hæmorrhagiam, nisi hæc fuerit ab impetu sanguinis, cùm hoc in casu nitrata meliora sint.

9 *Loch de pulmone vulpis*] Quicquid præstat, hoc facit ratione additorum.

10 *Internas stomachi gallinacei pelliculas*] Hæ exsiccatæ præ se ferunt speciem vitri, & vi stomachali laudantur, idque eò magis, quo vorax magis est animal, ex quo desumptæ fuerunt. Nempè origo hujus hypotheseos est, quasi hæ digererent lapillos; ast ô vanam persuasionem! cum potiùs ad fermentum liquefaciens, & partes ventriculi musculosas hoc in passu respiciendum esset.

1 *Catulorum*] Scil. origo epilepsiæ apud infantes, si non est ex dentitione, est ex meconio retento. Jam verò pro hac epilepsia curanda commendatur fel catuli nigri exsiccatum, & in potu exhibitum, ast frustra! Cùm si epilepsia fuerit ex stomacho, vomitorium excellat; sin verò ex intestinis, pillulæ aloëticæ, advocatis simul procurâ vel salibus volatilibus, vel fixis absorbentibus.

2 *Extracta*] Scil. Essentiæ fellis lucii piscis per crocum cum spir. vini paratæ, oculisque instillatæ commendantur vulgô pro deleñda nebula eorum, sicut cum bombace auribus inditæ tinnitui earum mederi creduntur: tandem fel carpionum contra erysipelas extra illitum laudatur.

3 *Delectu opus est*] Nempè bilis turget sal volatile alcalino, & insigniter oleoso, adeoque detersivo usui apta est. Interim tamen non opus est ejusdem selectu speciali, sed sufficit unum fel, quòd si dilutius fuerit, acuatur mediante aliquali inspissatione, sin acrius, diluatur quodammodo.

4 *Inter uterina*] Ex animali regno pro fœtu pellendo, aut promovendo fluxu mensium, lochiorumque excellunt testes equi castrati, anguillæ hepar cum felle suo exsiccatum, & secundina humana, singularis existens in pellendis à partu excernendis.

5 *Obstetricea Enchireses*] Scil. fœtum pellentia, non sunt in usum vocanda, nisi ubi fœtus est ritè situatus, omniaq; ad partũ disposita, ac dolores partus, *die Mehen*, deficiunt; nam si fœtus non ritè situatus fuerit, quæcunque propinaveris, frustra erunt; non secus ac tempore dolorum urgentium, in quo casu cum naturâ ipsâ sufficiat labori, quid opus erit stimulantibus?

6 *Serpentum pinguedine*] Hæc ut & viperina, tanquam fœtum pellens commendatur inuncta umbilico, ast nisi debita illius situatio accesserit, frustranei erunt conatus hi.

7 *Exuviæ*] Duplici modo pro promovendo fœtu applicantur: 1. scilic. instar cinguli ædem abdomini parturientis circumligantur: deinde coquuntur in aqua simplici, sicque cocta instar cataplasmatis abdomini insternuntur, non secus atque aliàs eædem cum lumbricis & aliis cataplasma compositum constituere solent.

8 *Cingulo ex humano corio*] Parturientes & hystericæ sublevari dicuntur, ubi tamen quodcunque assumatur cingulum, par ratio est, adeoque vana est illius determinatio.

9 *Martii leporis oculus*] à MACASIO parturientis nuchæ applicandus suadetur, cujus tamen successus sit penes experientiam.

10 *Antiquaria viri urina*] Scil. HARTMANNUS commendat, ut difficulter pariens bibat haustum urinæ mariti sui, & ita, si hic fuerit genuinus fœtus, parientem illam ex partu solvi putat; ast si urinæ hic aliquid subest, erit illud sali volatili ad morem aliorum omnium volatilium, attribuendum.

1 *Hippomanes*] Ad conciliandum amorem commendatur, quid sit, lis adhuc est, & dicunt quidam, esse in secundinis, quas excludunt equæ.

2 *Secundina*] Humana contra AUTHOREM, duplici scopo inservit, nempè tam ad partum, secundina & lochia promovenda, quàm ad curandas epilepsias consensuales, seu ex utero oriundas. Et quidem modus eam adhibendi duplex itidem est nempè vel in spiritu, vel in pulvere; ubi spiritu paratur ex secundina minutim concisa, & ad putrefactionem reposita: sic enim tota, exceptis membranis, resolvitur in liquorem aquæ similem, qui destillatus dat spiritum, singularem lochiis & partu promovendis, in doloribúsque post partum dosi ℨß. ad ℨj. usurpandum, qua dosi adhibitus &

epilepsis

epilepsiis consensualibus medetur. In sicca verò forma adhibetur secundina, dum in MB. abstracto phlegmate siccata pulverisatur, pulvisque quo minùs verminescat, irrotatur aliquot guttis olei cujusdam destillati, hincque datur ad ℥ß. ad ℥j. Cæterùm utut spiritui secundinarum & C. C. tartari successivè succenturiari queant, tamen ille singulare quid in hoc puncto allegato obtinere videtur, utut pro varietate circunstantiarum is & omninò fallat.

TEXT. LUDOVIC.

sum illud 3 *Juvencularum Zenith*, Malitiosis etiam aut saltem minus competentibus intentionibus &c. adhibitum, At cum Pelliculas illas solas aut convenientius cum ipsa Placenta medicos in usus ad novos partus ciendos dolores infido plerunque successu,& adhuc mage frustranea expectatione in Epilepsiis consensualibus mystericis, &c. diu exhibuissemus, abjicimus nauseabundum hoc Magma, cum *Extractione sua & Compositis inde Pulveribus*, additamentis specificis (refectivis vel expulsivis,) quod interdum conferunt, potissimum debentibus. *Spiritus Secundinarum* ex alio potius capite, licet & id rarius sit, agere cernitur, vel Spiritus Cornu Cervi exemplo, nonnunquam ad promotionem Menstruorum, &c. cum sui similibus & Tartareo, haud adeo desidis: ut his aliisve parabilioribus quoque contentus obstetrices aut castratores neutiquam adeo sollicitaverit, quo illinc quidem Hominis ab homine devorandum primum Involucrum, hinc autem *Emissariorum* 4 *equorum Patrimonium*, alias ad Menses & Hystericas suffocationes inhabile, nec adeo (ac nonnullis dicitur,) in Partu & ad Secundinas semper præsens habeat. Sane ipsum 5 *Castoreum*, etiam recens ac genuinum, (quoties sane & qua copia, rebus quoque bene stantibus, nequaquam tamen sumptum?) si quid nonnumquam confert, id indirecte potius (aliorum quorundam graveolentium hystericorum more,) conferre quotidiana docet parturientium experientia: in Mensibus ciendis passive claudicat. Et si novum dolorem, sub justo fœtus pondere, suscitativum volumus, sit potius 6 *Anguillæ (cute Messoribus relicta,) Hepar cum felle* inter se calore mediocri siccatum; non quidem in Cenethliaci dispendium & Horoscopi ipsius præventionem; sed ut remedium cæteris paribus haut deses; præsertim si Aqua nostra Hysterica vel Cinamomi, aut Essentia Succini sola vel cum Castorina mixta interponatur. De reliquis in posterum.

Hic vero *Mineralia* cum affinibus, ad Hepaticorum, Spleneticorum, Pectoralium, Stomachicorum & Uterinorum hoc quidem genus pertinentia persequemur; & sit primus polychresto 7 *Marti* locus: qui cum duplici adhuc dum intentione (magis scil. astringendi vel magis aperiendi) detur, nec sola laxatarum Ventriculi fibrarum adstrictione,sed manifesta rodentium humorum imbibitione seu quasi Vitriolisatione, ac subsequio hinc orificiorum ductuumve, tam excretoriorum quam lactiferorum detersione, &c. Hypochondriacos levet, & Obstructis (eidem malo consequenter implicatis) eadem proculdubio parilive, vel accidentaria etiam ratione conferat; quantum proin hanc extergendi aperiendive vim ac destinationem concernit inde revera suffecerit, primo 8 *Sulphuratus Martis Crocus*, e 9 limatura venere non infecta, vel prius magnesiata, cum (anatico tantum (sulphure deflagrando potius, quam *Magdaleonibus diffusius aliquando* paratus, simpliciterque postmodum ci-

NOTÆ.

3 *Juvencularum Zenith*) Malitiosè pro philtro conciliandoque amore certo adhibetur.

4 *Equorum patrimonium*) Ex ZACUTI LUSITANI loco, ubi de casibus mulierum loquitur, curiosa exstat observatio singularis testium equi pulverisatorum effectus in fœtu mortuo propulso,unde pulvis testiculorum equi in lamellas concisorum, & in clibano exsiccatorum, isque vel solitarius, vel quod malumus, cùm cinnamomo aut borrace adhibetur, singulare quid obtinere debet in partu & secundinis promovendis.

5 *Castoreum*) Hujus usus excellit aliàs in omnibus nervinis affectibus ab acido austero originem ducentibus, indeque pro promovendo impetu uteri contractivo ad fœtum expellendum non inconcinne adhibetur, idque eò magis, si ex difficiliori partu passiones hystericæ superveniant.

6 *Anguillæ hepar cum felle*) HELMONTIUS contra partum difficilem insigniter exsiccatum scilicet illud & pulverisatum commendat; non secus ac PANAROLLUS quoque,sicut & BOYLE ejusdem euporisti egregium usum *in Philos. sua Experiment.* à se observatum annotavit.

7 *Marti*) Hic omnium aperitivorum meritò Antesignanus erit, quamvis alii de modo operandi ejus solliciti sint, uti v. g. *HIGHMORUS TR. de Pass. Hyst.* putat martem saltem conferre ventriculi fibras adstringendo; interim hoc non sufficere rectè AUTHOR noster dicit.quin potiùs eum operari imbibendo rodentes humores: Scil. vulgò dividuntur martialia in adstringentia & aperientia, ast malè; mars enim per se semper adstringit, per accidens verò saltem aperit. Et quidem adstringit ex eo, quòd scateat copioso sulphure minerali imbibito a terra ochrea & pauco mercurio; cujus respectu saltem adstringit, agitque absorbendo sapores acidos, & acidò austeros præternaturales in corpore, ceu à quibus, tanquam materiis morbificis, fibrarum oritur strictura & pororum corporis occlusio, & consequenter digestionum turbatio, hincque illis absumptis, ex horum concursu enata sic sui vitriolisatione mars abstergit sordes primarum viarum, easque blandè evacuat, tonum partium & fibrillas simul roborando: *Conf. TACHENII Hippocr. Chym.* Cæterùm pro scopo alterandi mars triplici modo usurpatur, nempè vel crudus, vel præparatus, nunc quidem per alkalia, nunc verò per acida. Ac quidem limatura martis non est inconcinna, si robustum habeat ventriculum & potens acidum; secus is oneratur hinc, & nisi mars ritè dissolvatur; destruitur vigor stomachi digestivus, ut adeò nonnisi robusto stomacho prædítis limatura cruda exhibenda sit. Deinde præparatur mars per alkalia, ita ut lixivium salis fixi quodcunque eum corrodat in crocum; aut & spir. urinosus volatilis, v. gr. salis ammoniaci affundatur eidem marti, hac enim ratione non sine fermentationis motu aggreditur illum; & in crocum transmutat, interim tamen hi croci parùm videntur valere, cùm mars ita tractatus abeat in salsam terream calcem, & quasi Magisterium insolubile & inalterabile; alkalia enim agunt in acidum martis, se intra hunc abscondunt, sibique simul terream ochram uniendo, abeunt in Magisterium calciforme pauci usus. Hinc potiùs optima est præparatio martis per acida facta, & ita quidem ut ab iisdem superficietenus saltem rodatur mars, hujusque compages reseretur; haud verò per concentrationem acidi penitùs saturetur, secus hoc in primis viis facile separari, & ab alkali occurrente in salsum tertium mutari potest. Jam igitur inter martialia præparata excellunt cum tartaro & spiritu vitrioli in affectibus chronicis facta; sic namque imitamur naturam, adhibendo loco acidularum naturalium martem superfitietenus solutum.

8 *Sulphuratus martis crocus*) Scilicet AUTHOR Noster eligit martem cum sulphure tractatum, cum aliàs notus sit crocus ille martis aperitivus, quem describit SCHRODERUS, dum accipitur lamina martis candefacta, eique affricatur Magdaleon sulphuris, sic enim martis crocus cadit in pelvim subjectam. Interim crocus hic nihil valet, præcipuè cum GLAUBERUS demonstret, talem nunquam ab aqua forti dissolvi posse. Potiùs igitur assumitur una limaturæ martis & sulph.quæ mista in crucibulo incendantur; ita namque acidum illud sulphuris rodit hunc martem in corpus quasi vitriolaceum, quod non elutriandum est aqua simplici, secus enim terra cruda restabit, quin potiùs pulverisetur illud ceu inchoatum quoddam vitriolum martiale.

9 *Limatura veneris non infecta*) Pro usu medico mars assumatur purus absque ullo veneris contagio, secus enim vomitorium dabit.

TEXT. LVDOVIC.

tra (aliis etiam notatas elutriationes) pulverisatus : 10 *Limatura cruda* equidem præstantissima, at plerumque minus subtili minusve, ni Pilularem in formam [cum Aloëtica quadam massa & Tragacanthæ mucilagine, redigatur occultanda ; in tantum tractabilior ; de cætero si cum judicio in præfocationibus istis præcordialibus, &c. symptomatibus, [non tam à privativa ventriculi & consequentium partium debilitate, quam positiva humorali causa ortis,] & quidem non ad granula saltem aliquot, [ut inplerisque *Cachecticis Pulveribus*,] sed debito pondere, ad scrupulum unum vel duo hic locorum detur, 1 in se plane innocens, nec nauseæ tum, [quàm vix sic in teneriorum centesimo prima secundave die observaveris ;] concitator ; revera 2 sat resolubilis, [ceu vel excrementa testantur ;] rodentium & effervescentium humorum inversioni 3 præsaturato jam *factitio Martis Vitriolo* [nonnullis substituto, convenientior ; eoque ut & præstantioribus Tincturis ipsis in renitentiori malo præstantior 3 uti revera quoque præ plerisque omnibus hujus prosapiæ Pulveribus ac Crocis deprehenditur ; v. g. [dum 4 purior etiam Martis Minera heterogeneis nihilominus perfrequenter intermixta 5 Terra vero rubra bolaris, circa mineras quasdam, elegans quidem aperiens. & quasi flos quidam ferri, nec tamen undiquaque obvia est,] 6 *Alcohol illo*, certe pigro, *per Vrinam Aquam salitam, aut Acetum inspersum* corroso, vel etiam cum *Aqua simplici* post aliqualem effervescentiam tractu temporis collecto, aut *Aceti spiritumve Acidorum vaporibus* elicito, vel è *Vitriolo Martis cum sale Tartari* præcipitato, aut diversimode *ex Aqua forti secedente, vel post hujus Spiritusve Sulphuris abstractionem* [citra vehementem tamen calcinationem] remanente, *Cachecticove* 8 *post Nitri deflagrationem residente Croco*, item *Limatura* 9 *cum Aceto* levigata, vel post 10 acidulorum *Succorum Extractiones seu Dissolutiones residua* ; aliisque semiexhaustis, semiinversis, semistringentibus, tædiosioribus, &c. in parabilitate sane commoditateque sua palmam præripit: præsertim si pro adversi coloris infractione sub duplo præterpropter Coralliorum, Oculorum Cancri, vel similium præcipitantium [potius, quam saturatis jam Magisteriis, diffusiorisque molis ac præter rem internas exæstuationes intendentibus Aromaticis 1 lixiviosisque Salibus vulgari in *Pulveribus Cachecticis* more, misceatur, & vel ultra octiduum continuetur, interpositis vesperi 2 [si alvus fuerit siccior, nec adeo descendat,] Pilulis Aloëticis laxativis ; rarius præmisso vel subsequo elective Purgante. Et cum insuper non solum in perpaucas pro dosi *Pilulas*, modo dicta ratione redigi, verum etiam *Conserva vel Rob cuidam domestico* [quandocunque libet & ex tempore] haud difficulter queat involvi ; certiori sic citra subsidentiam dosi : proin nec antiquiora ingratioraque illa 3 *Chalybeatum & de ferri scoria*) *Electuaria*, nec quod è *Martis Vitriolo cum oleis aromaticis* alibi substitutum est ; hic exigentur.

Ponamus tamen nihilominus, tanquam ex alio capite agens & bonum abstersivum, aliosque in usus 4 *Martis illud Vitriolum factitium* ; non quidem à certorum locorum *Metallurgis petitum*, [plerunque quidem tutum, interdum tamen non advertentibus Venerei vel alias exoterici quid inferens ;], sed majori securitate domi confectum ; non per laboriosam *Camen-*

NOTÆ.

10 *Limatura cruda*) Martis ut rectè præparetur, enhcireses notentur. scil. mars promptè ab aëre resolvitur in rubiginem, ceu inversum corpus, unde potiùs terenda erit recens limatura martis in mortario ferreo, vel lapide prophyrite durissimo, hincque irrorentur aliquot guttæ olei destillati sassafras vel cinnamomi, ita enim impeditur, ne ab humiditate aëris acidum martis dissolvi in rubiginem queat. Atque hæc limatura ita præparata loco crudæ Dos. gr. xv. a ℈j. nostri præsertim climatis habitatoribus exhiberi poterit.

1 *In se plane innocens*) Martialia per se non sunt nauseosa, sed si nauseam excitant, suspicio esto de veneris cujusdam adjuncta substantia.

2 *Sat resolubilis*) mars crudus in cachecticohypochondriaco satis resolvi potest, quod testantur excrementa tincta.

3 *Præsaturato jam factitio martis vitriolo*] Scil. quo minùs mars saturatus extra corpus, eò melius operatur intra corpus ; hincque qui ferre eum possunt, crudus in substantia exhibeatur : sic enim meliùs hic operabitur, quàm vitriolum martis jam extra corpus à spiritu vitrioli saturatum.

4 *Purior martis minera*) Hanc vulgò caput vitri dictam pulverisatam nonnulli propinant, sicut alii lapidem hæmatitem ipsum; interim non rarò heterogenea illi admixta usum ejusdem prohibent.

5 *Terra rubra bolaris*) Loco crudi martis quidam terram ejus in mineris martis reperibilem ; & vi martiali imprægnatam adhibent, quæ itidem instar lanuginis apparens abradendo egregia est. Interim saltem alicubi, nec undiquaque offenditur.

6 *Alchohol illo pigro*] Scil. mars attactu cujuscunque humidi effloresc it in crocum seu rubiginem ; quippe aqueum hoc agendo in acidum martis manifestum rodit eum in rubiginem ; sicuti è contra gladii oleo tartari p.d. illiti difficulter in rubiginem fatiscũt. Iam verò si urina cum sale imprægnata, sive urina sive acetum affunditur, mox ille in rubiginem abit. *Conf. POTERIVS Pharm. Spagyr. c.7.* Interim rubigo hæc non adeo conveniens est, ideo quòd à proprio acido martis degeneraverit in rubiginem ejusmodi terream.

7 *Ex aq. forti*) Scil. nil reserat martem magis quàm spir. nitri aggrediens illum tam potenter, ut fervor hinc insignis oriatur. Interim hac ratione à nitro penitùs saturatur mars, & in corpus adstringens convertitur.

8 *Post nitri deflagrationem*) Hæc præparatio ZUVOLFERI curiosa quidem est, interim præparatum nihil valet; scilicet si nitro in acet. fuso adjicitur Limatura martis, tunc sub sulphuris incensione vitriol. alkalisatur, remanente Croco inerti.

9 *Cum aceto :*) Limaturam martis quidam terunt, & hac ratione saturatur ea, præsertim cum post nitrum nil magis martem quam acet. penetret.

10 *Acidulorum succorum :*) nempe si cum succo citri, Tamarindor. vel cydoniorum affusis fiat extractio martis, tunc quod remanet de marte, est corpus exhaustum : hinc extractio ipsa usurpanda.

1 *Lixiviosis salibus :*) Non combinandus est mars, nec cum ipsis præparandus; secus enim emergit corpus calciforme iners & nullius usus.

6 *Si alvus siccior :*) Scil. in legitimo usu martialium duæ cautelæ observandæ sunt, nempe 1. sub horum usu corpus apertum servandum est, quòd si non fuerit, omni octiduo sub vespera pilularum aloeticarum usus interponendus est. 2. ab usu martialium blandus instituendus est corporis motus, pro meliori illorum operatione.

3 *Chalybeatum, & de ferri Scoria Electuaria :*) In hæc animadvertit ZUVOLFER. & substituit aliud ex vitriolo martis cum oleis aromaticis paratum, quod tamen itidem AUTHOR Noster taxat, dicendo, sufficere potius vel Limaturam martis crudam, vel vitriolum martis, vel sulphuratum martis Crocum.

4 *Vitriolum martis factitium :*) Huic præfero vitriolum martis nativum, ex minera martis aëri exposita paratum, & efflorescendo conspicuum factum, hinc solutum & inspissatum, in cujus tamen defectu & factitium proderit. Cæterùm pro hoc parando non requirit AVTHOR tædiosam cum sulphure cœmentationem martis, quam suadet SCHROEDERVS, nam & sic tædiosum vitriolum acquiritur, sed spiritum vitrioli acidum, cui tamen nos præferimus spiritum sulphuris quippe adhuc puriorem illo, & sine contagio metallico, cùm contra ille vitriolum martis ex albido virescens constituat. Atque hic spir. vitrioli rectificatus affusus mars hunc non rodit, propter concentratas sui particulas, sed potius aqua s. q. diluatur ipse ; contra si per se spiritus ille fuerit phlegmaticus non opus erit dilutione cum aqua simplici.

TEXT. LUDOVIC.

tationem , verum *Vitrioli ſaltem* , (*Sulphureo-parabiliorem*) *Spiritum* ; largam ſatis copiam præbentem, dummodo (quamvis
contra communè præceptum) non dilutus recipiatur, & ſolutio per ſeptimanas aut quoque menſes aliquot reponatur , non vero
ſtatim elutrietur. Polychreſtum 5 hoc Vitriolum ſeu per ſe certis in circunſtantiis datum , ſeu potius competentibus v. g. Tarta-
ro (pro Magiſterio Chalybis Vitriolato ,) Purgantibus , (ingratioris Salis Martis purgantis Ammoniacalis loco) ſolitariove Sac-
charo Canario vel diverſimode rubificato (*Siccæ Tincturæ* inſtar) permixtum , præ tantillo *Salis poſt* (ſemicauſticam pene) *Mar-*
tis in Nitri ſpiritu ſolutionem reſtitante , aptius hic eſt; *Crocum Martis Saccharinum* , per ſpiritus Sulphuris illitionem ſurgentem
effectu æquat , ſtipticum & ſublimationibus aliiſque deſtinationibus convenientius 6 *coagulum* (*e ſolutione cum ſpiritu Salis fa-*
ctum ,) in quæſita intentione atque gratia longe antecellit : uti quoque collecta alios in uſus [per *ſpiritum Mellis aut repetitas*
Aceti deſtillati validoris affuſiones ,] 7 *Magmata* , ſi præter commodiores adaptationes & præſentiorem efficaciam ; ſaltem pa-
rabilitatem ſpectamus.

8 Inter Liquida nunc , cum *Vina Chalybeata per ſimplicem Infuſionom* , moras poſcant ; *per Extinctionem* véro parata , bo-
nam partem perdant , & ſæpius hinc corrumpantur , viribus ſimul utrobique latius præter rem diſperſis ; quod etiam *Solutionibus*
accidit *cum Fumariæ vel potius acetoſæ ſucco* , [*nonnullis per Tamarindes exaſperato* ,) *cum ſucco vinoſorum Pomorum, Berberum,*
Limonum & adhuc cariorum Granatorum , *Muſto* , *&c.* (quidni & Ananas Indorum ?) inſtitutis ; non minima inſuper ſoluti par-
te , [etiam dum ad *Extracti* conſiſtentiam rediguntur ,) denuo tandem ſubſidente : Cum porro 9 *Liquor Martis* [*per coctionem*]
Tartariſatus in operatione ſegnis , *Nigricans* [*limaturam cum Aceto deſtillato levigando,*] quaſi pene ſuperficiarius, *Eſſentiarum,*
cum vegetabilium Succis paratarum 10 reiterata *Extractio* horum , quam Martis particulis prægnantior ſit; & ea conſimiliaque
omnia vel unica quædam ſelectior *Tinctura* , [uti vulgo dicitur] vincat aut ad minimum in aliquibus æquet ; Vino quin etiam
[ſolitarie vel cum Vegetabilium concordantibus Eſſentiis] diluta, Calybeatum quodvis , cum Aqua ſimplici vero 1 *Artificiales*
iſtas [ceu creduntur ,] *Acidulas* ſimiliter exprimat : non videmus , cur in talium confectione vel repoſitione ſeorſim quis occu-
pari debeat. Quemadmodum nec opus eſt, ut proin oſtentationis tantum gratia , 2 diverſæ diverſorum aliquot autorum Tinctu-
ræ , ſæpiſſime [poſt dempta acceſſoria exoterica , atque ambages plane fruſtraneas ,] eodem recidentes , [uti hoc Acetoſis Extra-
ctionibus frequentiſſimum eſt , [aut Menſtruis naturæ haud adeo amicis confectæ , vel ſuperficiariæ ſaltem , remiſſiores , extraneis
ſolventibus turgentiores, de ferro parum participantes , &c. paſſim vulgari more aſſerventur : ceu v. g. huc referri poteſt , quæ
ſolo nec ſalinis prius ex aſperato 3 *Vini ſpiritu è Calcinatis* , *Præcipitatis* , *aut* 4 *florum Armoniacalium particulis Martiali-*
bus nimium elutriatis varie & [ultima hæc] laborioſe quæritur , dum *Armoniacalis vulgatiori faciliorique proceſſu confecta* idem
præſtet ; & ſi quæ primarum viarum dolores ab hypochondriaca acredine profectus interdum levet , id peculiari ſedativa vix, ac
potius irritantium humorum ſubductione , attemperatione , inverſione , vel in aliud ſaporis genus commutatione contingere
videatur : nec alia procul dubio *Sulphuris Vitrioli anodyni Martialis* , ſive [ſæpius hactenus notati] ex *Ammoniacalibus Martis*
floribus elutriati Pulviſculi ſit ratio, ſubeffectu alias [ceu alii quoque obſervarunt,] rariori. Pertinet porro huc ſuſpecta 5 *Pumico-*
ſa , ſuperficialis] 6 *è diſſoluto ſaltem Martis Vitriolo*, in fundo denuo concreſcente; curioſior 7 ex *ipſa Martis Minera cum Pro-*

NOTÆ.

5 *Hoc vitriolum* :) Cum ſpiritu vitrioli factum rarò per ſe datur , ſed combinetur ana Cremoris tartari v. g. vitriolum & tertarus ſolvantur in aqua ſimplici fervente, & hinc ſolutio inſpiſſata ad mellis conſiſtentiam in frigido loco concreſcat in lapidum duritiem pulveriſandam , & ſub Magiſterii chalybis nomine doſ. gr. xv. ad ℈j. exhibendam.

6 *Coagulum* :) Scil. ſolutus mars cum ſpiritu ſalis, hujus abſtractione relinquit coagulum ſalino ſtipticum , ex quo flores nigricantes poſſunt ſublimari. Interim tamen illud vi ſuâ alterativâ parùm operatur.

7 *Magmata* :) Scil. omnia acida rodunt martem & ſui abſtractione relinquunt vitriolum martis dulce adſtringens. Cujus tamen loco vitriolum martis vel nativum , vel artificiale ſufficere poterit. Atque hoc de ſiccis martialibus.

8 *Inter liquida* :) Sunt vel infuſa (uti proſtant in *HARTMANNI Pr. chym. cap. de obſtruct. & imbecillitat.*) martialia , quæ parantur duplici modo, nempe vel Limatura martis vino infunditur , quod hinc turbatur , & ad tempus reponitur , vel candefacta in vino repetitis vicibus extinguitur , nam & ſic vitriolum martis ſubſtantiâ vino ſoluta elicitur ; interim tamen ejuſdem vitrioli vis eſt admodùm diſperſa , vinumque taliter paratum propediem corrumpitur. Sic præter vinum alii aſſumunt ſuccos vegetabilium acidulos , itemque muſtum ut *MYNSICHT.* & *ROLFINCK. pag.* 217. *Chym.* Magiſterium aliquod martis aperiens habet. Interim tamen nobis ſufficit ad imitationem D. MICHAEL. ſuccus pomorum Bors dorffianorum qui limaturæ martis recenti affuſus intenſè ſaturatur ex marte , hinc ſolutio filtrata nonnihil evaporet, ne ſitum facile contrahat. Ita eadem Hypochondriacis, Spleneticis & Cachecticis data ad Cochlear. ß. multùm efficit æſtimamuſque hanc magni contrà AUTHOREM.

9 *Liquor martis tartariſatus* :) Dum nempe mars cum duplo tartari in aqua fervida ebullit, & ſolutio filtrata ad debitam conſiſtentiam inſpiſſatur , quæ tamen non adeo valet , dum ſucceſſive mars iterum præcipitatur.

10. *Reiterata Extractio* :) Sunt qui ſolutiones per acidula factas ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatas , denuò cum ſpiritu vini extrahunt, aſt cum ſic minor martis pars includatur , proinde ſolutionem primam hiſce præferimus.

1 *Artificiales acidulas* :) Loco harum nil melius eſt quàm liquor ſolaris martialis cum aqua roris maſalis paratus ; hic enim guttarum doſi idem præſtat , quod ille ſub hauſtibus.

2 *Diverſæ*) Martiales dantur , nominetenus ſaltem tales.

3 *Spiritus vini* :) Hinc perſtringit AUTHOR illam tincturam , quam habet SCHROEDER, *num.* 4. Ex Croco martis , cum ſale ammoniaco tracto , unde fruſtrà per ſpiritum vini parare tentat tincturam.

4 *Florum ammoniacalium* : Hic proceſſus iſte inſinuatur, quem habet ZUUELFERUS *Mant. Spagyr. p.* 339. ſub nomine Aroph. Paracelſi & ſpiritu martis acidi ſedativique Archæi , cùm tamen iſte qui cadit pulvis, quemque ZUUELFERUS ſulphur anodynum vocat, ſit terra martialis, quæ quia itidem nonnihil abſorbere valet acida hypochondriaca , iiſque abſorptis ſymptomata levantur, & quies ſupervenit, hinc male putat ZUUELFERUS , eam vi anodyna ſopire ſpiritum. Cæterùm laborioſus hic proceſſus compendioſior ad methodum MYNSICHTI fieri poterit.

5 *Pumicoſa* :) martis Tinctura quam affert *SCHROEDERUS num.* 13. ſuſpecta eſt ; paratur quippe eadem ex marte in pumicem quaſi redacto,&c. aceto deſtillato in tincturam extracto.

6 *E diſſoluto ſaltem martis vitriolo* :) Sunt,qui vitriolum martis diſtolutum cum ſpir. vini in tincturam extrahere ſatagunt , aſt inanis eſt labor, cum ſic vitriolum illud in fundo concreſcat , *vid. SCHROEDERUS n.* 9. ubi habet hunc proceſſum.

7 *Ex ipſa minera martis cum proprio liquore* :) Intelligit hic AUTHOR tincturam illam Mannæ martis nomine SCHRODERO *num.* 10. venientem , ſcil. minera martis deſtillata ſuggerit phlegma acidulum in pauca quantitate , quo ipſo mars ſolutus tincturæ nomen accipit, cùm tamen ſulutio hæc tantùm ſit ſuperficialis.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

prio (tædiosissimo parcissimoque (*Liquore* extracta , &c. diversorum Tincturæ ac Variationes. Nec 8. *Balsamum Martis oleis destillatis confectum* , Ferri destinationi Hypochondriorumque potioribus requisitis tantopere quadrat, Carminativis Nephriticisve (pro istiusmodi Oleorum natura (aptius. 9 *Essentia cum Nitri spiritu ac Phlegmate Vitrioli bona est* & innocens quidem , aliquanto tamen (præter hujus classis requisitum) stringentior, ac (ceu reliquorum quoque *Martialium Nitratorum* pleraque solent,) nescio qui vehementior ; & ni Spiritu) per quasvis etiam enchirises) fuerit fortissimus , post adjectum Vitrioli phlegma albus saltem ferruginemque ingrate sapiens Liquor prodit. 10 *Quæ cum Essentiali sale Tartari & Martis Vitriolo crudo , vel aliquantum albificato conficitur* , & pridem aliquibus in secreto habita est sive illiquatione sive simplici tantum mixtura prius uniantur utraque , bona tamen Martis pars in dissolutione postmodum secedit , & ni paulo auctius fuerit Vitrioli pondus , aut præcipitatum illud denuo solutum Tincturæ postliminio uniatur , effectus(sat quidem notabilis , pro majori tamen parte à dissoluta Terra foliata Tartari dependere videbitur. Si memoratæ jam 1 *Essentiæ Martis Tartarisatæ* , sive Solutioni cum Tartaro crudo (per simplicem coctionem) factæ & ad mellis consistentiam inspissatæ, *Acetum destillatum superfunditur*, Liquor de subito quasi provenit Martialis haud injucundus ; relicto in fundo Tartaro , &c. Nihilominus duobus hisce Martialium modis adhuc 2 *præsentiorem* observavimus , si Vitrioli Martis & Tartari depurati vel purioris , si loco hujus Saccharum recipitur, non procedit ,) ana v. g. libra semis . in *A*quæ s. libris sex coquatur , & inter agitationem sic lente exhalet ad Mellis consistentiam , quod coagulum spiritus Vini communis saltem libris sex extrahatur , & post filtraturam , (citra notabile sedimentum) abstrahatur hinc libra una , aut nil interdum , Efficax sic habetur *Essentia* (Papaveris errat. Extracto pro requirentium lubitu amplius tingenda ,) in hypochondriacarum partium obstructionibus , effervescentiis , præfocationibus , cachexiis , &c. Icterum , ni Ascitis consummati , concreti Calculi , aliorumve tantisper immedicabilium malorum consectarius fuerit , citra omnem consuetorum Purgantium (affectum plerumque in deterius præcipitantium) accessum , (ceu alibi superioribus annis monuimus ,) passim , sub aliquot dierum continuatione secure curat sola, vel Antimonii Diaphoretici Martialis una alterave dosi tandem interdum superaddita ; rarius, si alvus præter morem renitentissima fuerit , Aloëticis saltem Pilulis laxativis tunc , pro una alterave vice requisitis.

Spiritus Mineræ Martis in parcitate sua inter curiosiora potius quam usualia locum meretur : simileque quidpiam acidulo sulphureum è supra dicta quoque *Terra Martiali bolari* provenit. De 3 *Spiritu Vitrioli Martis factitii* cum affinibus brevi post agemus. *Odor inibi sulphureus* , (qui deposito foliati Sulphuris exiguo omnibus ejuscemodi destillatis tandem alias decedit , equidem tamen inconsultius utut singularum dosium efficacia haud adeo inde exaltetur , abstrahendo vel divaporando pro more hinc secernitur , & 4 *temperata porro ista Aciditas* , etiam in alterius venalis Vitrioli viridantis Spiritu, (rite destillato) est observabilis ; eodem interim effectu , at minoribus impensis aut laboribus. Nec adeo singulare quid , quod selectior quædam Tinctura largiter (pro martiali quidem destinatione) non præstet , invenire potuimus in 5 *abstractitio Liquore : qui postquam Ferrum in Spiritu Salis solutum est* , & fætor cessavit , inde postliminio repetitur , moderataque sub destillatione per ultimas potissimum guttulas, (æque ac *Spiritus* adhuc speciosior , 6 *è Sale capitis mortui Florum Ammoniacalium Martialium*, Aqua vel Spiritu Vini diluto collectus ,) aliquantillum quasi martialescit ? ni scil. validiori postmo-

NOTÆ.

8 *Balsamum martis :*) Habet ZUVOLFERUS *in M. sp. pag.* 340.

9 *Essentia cum spiritu nitri :*) Hisce ZUVOLFERI ille processus insinuatur , quem habet *in append. ad animadvers. Ph. Aug. p.* 58. dum parat Essentiam martis cum spiritu nitri & phlegmate vitrioli , ast quemadmodum pro tractatione martis inter acida nulla sunt meliora quam tartarea & vitriolacea , ita acida nitrata simplicitatem affricant marti , huncque vehementiorem faciunt , quam ut à corpore humano perferri possit.

10 *Quæ cum Essentiali sal tartari :*) Hic sincerum prostat AUTHORIS judicium de famosa illa tinctura vitrioli martis ZUVELFERI quam habet in *M. sp. pag.* 337. *nempe* sub hujus præparatione evenit, ut donec sal essentiale tartari & vitriolum martis jungantur mars quo ad sui partem ex vitriolo cadat, sicque tinctura magis tartarea, minusque martialis prodeat. Unde alii hoc videntes , loco ejusdem tincturæ ana terræ foliatæ tartari , & vitrioli martis terunt in lapideo mortario , ita rubescit mistura instar pultis apparens , quæ in loco calido exsiccata pulverisetur in pulverem ex nigro rubescentem, sal martis compositum, it. Magisterium martis vitriolatum vocandum. Et sanè hic pulvis præstantior est ipsa tinctura vitrioli martis ZUVELFERI.

1 *Essentia martis tartarisata :*) Scil. superius p. 526. mentionem fecit AUTHOR liquoris martis tartarisati, sumendo tart. p. j. & martis p. ij. & in aqua fervida ad consistentiam mellis coquendo. Jam igitur mellagineo huic magmati si affunditur acet. dest. absorbet hoc martem solutum, tartaro crudo in fundo remanente. Atque hæc solutio dulcis est & grata bonaque , utut aliis ex tartareis prodeuntibus solutionibus cedat.

2 *Præsentiorem :*) Modum conficiendi tincturam martis AUTHOR hic clare refert , ac *conf. Misc. Acad. Curios. Ann.* 3. *p.* 41. ubi occasione historiæ Atrophiæ infantilis processum hunc recitat. Hanc paratam ita tincturam martis præfert ZUVELFERUS vitriolo martis : Nempe terantur probè vitriolum martis & cremor tart. hinc trita affusione aquæ simplicis ebulliant & coquantur ad mellis consistentiam , quod refrigeratum in lapideam consistentiam facile pulverisabilem abit. Vel & antequam magma prædictum in duritiem convertatur , affundatur spiritus vini, & blando calore eliciatur , & solvatur concretum illud martis tartareum in essentiam tartareo-martialem ; ita hæc erit potioris usus , quam tinctura vitrioli martis , & dos. ℈ß. ad ʒj. usurpata locum habet in quibusvis morbis chronicis ; remediis tartareis indigentibus : non secus ac eandem AUTHOR commendat pro Ictero curando , nisi is insequatur Ascitem consummatum , aut calculos in folliculo fellis hærentes. Etenim in Ictero curando martialia primatum tenent, purgantia contra nil valent hic nisi in principio Vomitorium adhibitum excipiatur , sicut in progressu & statu morbi martialia , & præsertim hæc tinctura erit optima.

3 *De spiritu vitrioli martis factitii :*) Hisce taxat tacitè ZUVELFERUM *in M. Sp. pag.* 336. magno conatu illum elicere docentem , simul rectè addendo, talem spiritum parum aut nil differre à spiritu vitrioli communi , nam & hic non reperitur sine contagio martis aut veneris.

4 *Temperata aciditas :*) Scil. spir. vitriolacei non sunt rectificandi, quasi nimirum eorum partem volatilem seorsim habere vellemus , Potius rectum hac in parte ZUVELFERI judicium , dicentis ; rectificatione hac potius destrui , quàm exaltari spiritum vitrioli.

5 *In abstractitio liquore :*) Intelligit hic AUTHOR SCROEDERUM *num.* 3. ol. martis album afferentem *Conf. & HOFFMANNUS in h. l. p.* 227. *clav. SCHRODERIANÆ* scilicet spiritus salis marti affusus , & abstractus sub ign. gradu ultimo , de dulcore martis participat , qui tamen cum tantillus sit . hinc potius aliæ martis tincturæ eum superant.

6 *E. sale capitis mortui florum :*) Intelligitur hic *ZUVELFERUM pag.* 334. *M. Sp.* ex capite mortuo martis cum sale ammoniaco tractati spiritum acidum elicientem, qui quidem aliquantillum de substantia martiali secum rapit , interim tamen ob id non præferendus is erit aliis tincturis martis.

TEXT. LUDOVIC.

dum igne ſtandentibus utrobique 7 Floribus adſtringentiſſimo ſapore inconſideratius inquinetur. *Volatilis* 8 *ille ſpiritus*, è *Tartari cum limatura Martis cocti ſpiſſamento*, parum profectò eſt Martialis. Et cur *Olei vinoſi, digeſtis cum ſpiritu vini concentratioribus quibuſdam ſolutionibus nonnunquam ſupernatantis guttulas*, in tanto parabiliorum proventu tædioſiſſimè conquiramus? 9 *Flores per ſolutionum nitro combinatarum detonationes, ſupradictas ſalis* 10 *Armoniaci Martialis eluatricationes, aliterve collectos*, & interdum abuſivè ſic dictos vel commendatos, faciliorem limaturæ præparationem in quamplurimis præcellere, jam ante notavimus; reſidua curioſiorum experimentationi, quæ verò ex Marte adſtrictioni potius deſtinantur, ſuo inferius titulo relinquentes.

1 *E Venere*, (ſi vel Amorum ſuorum cauſa huc referenda fuerit,) vel etiam *cum Venere tantum præparata*, quia pauca hodieque prodierunt, quæ commodè citra nauſeabundam illam, ſuffocativam ſimilemque adverſiorem qualitatem iſtis plerumque adhærentem, internis uſibus ſpecialiori effectu majorique præ aliis fructu aptari poſſint; & dum *verum Veneris Ignem ſeu volatile dulciſſimumque ſulphur* ſubtiliori modo, (quam hactenus quidem *per Hæmatitina ſublimationis ſpiritum duplicatum*, item per proprium 3 *Mineræ venereæ, vel ſeparati hinc alicubi ſalis acidoſalinum ſpiritum ipſi Mineræ ſuperfuſum*, & crocum ſulphureum inde extrahentem, aut per ſimplicem *tantilli, quod poſt rectificationem ſpiritus* 4 *Æruginis cryſtalliſatæ reſtat, extractionem* aliosque adverſiores crudioreſque rationes tentari potuit, aut per *protractiſſimam* 5 *vitrioli venerei deſtillationem* quæſitum eſt,) adhuc dum colligendum expectamus: ſuffecerit proinde nobis hic ſaltem 6 *Æruginis elegans ille ſpiritus*, 7 *præſertim è cryſtallis* (tanquam inter alia forſan acceſſoria, præcipuè concentratis aceti deſtillati particulis affluentioribus,) deſtillatus; ſubtiliſſimus, & licet in ſolutionibus oppido quidpiam, (quo ipſo ſolubiles fiunt,) de ſe ſemper relinquat, adeoque tandem planè fatiſcens ſpiritum mellis præ ſe ferre videatur, repetitis tamen illis in Chimia uſibus diutius, (præ reliquis ejus ſpeciebus) applicabilior. Nam qui 8 ex *ipſa æruginis ſubſtantia, aceto deſtillato prius humectata* prolicitur, revera aliquanto eſt remiſſior citiuſque enervatur; quemadmodum etiam qui cum 9 *duplo præterpropter ſulphuris*, (tandem cum aliqua *Florum albicantium acidulorum* parte) prodit; præſertim ſi una alterave vice à Marte (pro comparanda tinctura) abſtrahatur: qui *ex Æruginis extractione aceto ſolum ſimplici parata* & ad mellaginem uſque inſpiſſata deſtillatur, adhuc debilior eſt, & vel poſt ſecundam adhibitionem fatiſcit. Omnes hi, pri-

NOTÆ.

7 *Floribus adſtringentiſſimo*:) Scil. Mars cum ſale armoniaco, vel ſale communi, vel ſpiritu ſalis tractatus ultimo ignis gradu abit in flores nigros ſaporetenus ſtypticos.

8 *Ille ſpiritus*:) Scil. Mars tartariſatus ſi deſtilletur, acquiritur ſpiritus volatilis participans quidem de tartaro nihil verò de marte, quippè qui arripiendo acidum tartari liberatum dat ſpiritum & ſal volatile tartari.

9 *Flores per ſolutionem*:) Inſinuatur hic crocus martis cachecticus cum nitro paratus ZVVELFERI *ex M. Sp.* nempe ſi in illo proceſſu loco crucibuli aperti recipitur retorta tubulata, tunc ſub detonatione vitrioli & martis flores nitroſi acquiruntur parum martiales.

10 *Salis armoniaci martialis*:) Intelligit hiſce ſulphur anodynum ZVVLFERI, qui tamen eſt crudus ſaltem martis pulvis, cedens aliis tincturis martialibus. Jam verò ex omnibus his eligit AUTHOR tincturam martis tartariſatam, in cujus locum & ſal martis compoſitum ſubſtitui poteſt vel & ſolutio martis ſolaris, ita tamen, ut harum omnium mitiſſima ſit tinctura illa martis tartariſata. Fortior verò ſolutio martis cum ſucco pomorum Borsdorfianorum & omnium fortiſſima liquor ſolis martis, quippe qui teneriora ſubjecta, ſenſibilioriquе ſtomacho & textura primarum viarum prædita, moleſtia afficit præcordiorum unde in talibus potius ſolutio martis cum ſucco pomorum locum habebit.

1 *E venere*:) Mirabilis eſt hujus tantillæ effectus; nam & accidentariò cum martialibus ingeſta nauſeam, vomituriendi conatum, & inſignem ventriculi proſtrationem infert, indeque horum nocumentorum intuitu pro interno uſu nulla ex venere proſtant medicamenta.

2 *Verum veneris ignem*:) Inſinuat hic HELMONTII de ſulphure vitrioli vener. volatili dulci jactationem, quaſi nimirum hoc vi anodyna ſua, & ſedativa Archei tantum præſtet quantum Medicus & Chirurgus hinc expectare queat; imò illo ipſo fixetur mercurius in aurum horizontale.

3 *Mineræ venereæ*:) Ex minera veneris parum phlegmatis aciduli per deſtillationem prodit, cujus medio ſulphur illud veneris dulce quidam elicere conantur, aſt fruſtra, cum ille crocum obſcurè eliciat.

4 *Æruginis cryſtalliſatæ*:) Scil. ex capite mortuo ſpiritu æruginis è cryſtallis parati cum ſpiritu ſalis armoniaci elici poteſt tinctura cœruſea, quod ipſum negotium quoque ſucceдit. Interim eadem tinctura in parca doſi parùm præſtat, in liberaliori contra data eſt egregiè vomitoria.

5 *Vitrioli venerei deſtillationem*:) Hoc proceſſu HELMONTII TACKIUS per experientiam accepit ſpiritum vitrioli veneris, vitrum quaſi auro incruſtantem, quo ipſo tamen prolici poſſe ſulphur venereum, falſum eſt.

6 *Æruginis ſpiritus*:) Inſinuatur hic famoſus ille ſpirit. æruginis ZVVELFERUS quem habet hic *in append. ad animadverſ. & M. Sp.* cuique tantùm non vires alkaheſtinas tribuit, ex eo, quòd ſpiritus ille affuſus margaritis & oſtracodermis, denuoque abſtractus ſub aliqua ſui corroviſitate prodeat, adeoque pluribus ejuſmodi ſolutionibus adaptari iterum queat. Interim non putandum eſt, ZVVELFERI ſpiritum dictis concretis affuſum prodire planè ſine ulla ſubſtantiæ ſuæ ſalinæ corpori ſoluto adhæſione, cum repetito negotio deſtillationis tandem ſaporem ſpiritus mellis ſaltem ille præ ſe ferat.

7 *Præſertim è cryſtallis*:) Scil, ærugo cum aceto deſtillato ſolvitur, & in cryſtallos redigitur, qui deſtillati dant juxta TACKENIUM acet. deſtillatum concentratum.

8 *Ex ipſa æruginis ſubſtantia*:) Deſtillatur ſpiritus acido-nitroſus volatilis ex relatione olim BOYLEI ita: miſcentur nempe ærugo cum ana arenæ, ita prodit parcus nitroſo volatilis ob acidum aceti & ſal volatile urinæ, quo ipſo conſpergebat in æruginis præparatione æs. Atque hic ſpiritus pro uſu aperitivo medico magis quidem egregius, quàm qui ex cryſtallis prodit, interim hic magis uſui chymico inſervit.

9 *Duplo ſulphuris*:) Quando partes ij. ſulphuris & j. æruginis recipiuntur, ita prodit tunc & acquiritur per deſtillationem ſpiritus acidus ſulphureus una cum floribus ſulphuris albidis, ob acidum æruginis iis adhærens. Interim ſpiritus ille pro uſu chymico eſt remiſſior.

TEXT. LUDOVIC.

mus quoque, 10 *intus immediatè diversimodéque dati*, nobis quidem inter tot commodiora hypochondriisque convenientiora specifica stomachica, pectoralia, cephalica, &c. singulare quidpiam haud adeo præstiterunt: Sique omnino hujuscemodi prævalenter acetosi quidpiam complacuerit, acceptior existit paulò ante notatus cum sulphure. Et si vel acetum scylliticum cum sui generis expectorantibus & edulcorantibus essentiis, item spiritum salis armoniaci urinosum, in pectoris infarctu haud postremum, aliave præsentiora consideratè quis dederit, nec eo qui aliquibus nuper *cum gummi ammoniaco*, reliquis ingratior destillari consuevit, admodum indigebit. Ut pro in hoc liquorum genus convenientius aliis Chimiæ laboribus ac resolutionibus destinari videatur; scilicet non tam 2 Marinorum animaliumve magisteriis sive solutionibus, vires sui simplicis, (ceu alibi jam notavimus,) plerumque non attingentibus, æquè jam saturatis, & interdum exoterici quid, (ut in perlarum, verbi gratia destillatione cernimus,) cum venereæ stipticitatis vestigiis quibusdam, (præsertim si spiritus haud adeo rectificatus fuerit,) sic induentibus: quàm pro tincturis essentiisve nonnullis mineralibus, e. gr. Martis, Saturni, &c. præ aliis reverà hinc elegantioribus. Superstes 3 *Caput mortuum* (ut uno tenore materiam hanc, licet producta ejus ad Topicorum classem pertineant, absolvamus,) per se, si æruginis crystalli fuerint adhibiti, aliàs verò post sordium sequestrationem, aut sulphuris combinati (ni prius partem quandam per ulteriorem sublimationem sequestrare placeat,) deflagrationem, parergôs *Puverem* dat, qui per se vel post repetitam calcinationem, (pariter ac terra vitrioli dulcis,) cujusvis *Æris per diversimodas cæmentationes aliterve usti*, *Squammæ utriuslibet*, *calcis per extinctionem*, *similiumque* sæpè saltem nominalium variationum, *Crocorum* insuper variè præcipitatorum, aliorumque seorsim in frustraneas illas alternationes Chirurgicas, (intus enim *Squammas & turbulenta præcipitata* temerè quis hodie dederit?) excogitatorum *pulverum*, imo 4 *florum quoque*, impropriè quibusdam sic dictorum, *propriè dictos enim per solutionum detonationes*, *armoniacalesve sublimationes* quis operosè quærat aut huc saltem referat?) locum extus sufficienter complet: quemadmodum *ipsa* 5 *Ærugo*, à heterogeneis liberata, vel pro circumstantiarum ratione parumper prius quasi calcinata tot variegatis *Æris in topica Solutionibus atque Coagulis*, præter rem sæpè vehementissimis, aut ex tempore quasi, (siquidem opus foret,) per *vitrioli aut salis fortiorem spiritum* (convenientius, 6 quam *nitrosis armoniacalibusque menstruis*,) etiam sub *liquida oleive forma* comparandis, imo simplici potius vitrioli communis dissolutione tunc exprimendis, haud incongruè præfertur vel substituitur. Et cum simplicissimo cuidam Decocto mundificato vel consimilium Essentiarum (veronicæ, scabiosæ, &c,) Diluto vis ejus facile combinari, aut æquivalens euporiston parili successu surrogari queat) nec 7 *Aquæ viridis diversis* (ac sulphur aliaque inconvenientiora sibi nonnunquam adsciscentibus, *Formulis* nimium inhærebimus; nec dum in solitario vitriolo ejusve sale, 8 Lapide Medicamentoso, aliisque (pro affectarum partium ratione) idem largiter sub Diluti forma vel ex tempore invenimus. 9 *Sapphirinam Agyrtarum solutionem*, utut aliàs neutiquam rejiculam hic superaddemus; aut vehementioribus adhuc *Liquoribus atque Mixturis* miserorum oculos, Palatum, aut crura te-

NOTÆ.

10 *Intus:*) Fatemur spiritum æruginis ex crystallis paratum in affectibus hypochondriacis non valere, quia in his notoriè peccat acidū, quomodo igitur per acidum superveniens curabuntur? interim in affectibus pectoris, v.g. asthmate humoroso, & muco brōchiis inhærente idem spiritus est egregius, adeoque non penitus negligendus, utut & loco illius ille cum duplo sulphuris destillatus assumi queat juxta Autorē.

1 *Gummi ammon.*) Notat hic AUTHOR spiritum illum fœtidum quidem, sed efficacem D. D. LANGELLOTTI, & D.D. MICHAEL, qui est ♃. crystall. æruginis & gummi ammoniac. destillentur in spirit. acido-volatil. qui rectificatus vocatur spiritus asthmaticus, resolutivus in affectibus pectoris humorosis egregius. Equidem per se datus asperior est, temperatur tamen cum quadam essentia vel liquore spirituoso aromatico pectorali. Et utut acet. & oxymel Scyllitica, itemque spiritus salis armoniaci, hoc in casu etiam sint efficacia, tamen ob id spiritus hic asthmaticus non rejiciendus est.

2 *Marinorum:*) Scil. spiritus æruginis non conducit pro solutionibus marinorum, quia hæc per acida ejusmodi castrantur, & vi sua præcipitativa enervantur, quin potius eadem per se præparanda sunt.

3 *Caput mortuorum:*) Scil. venerea pro usu interno sunt suspecta, hinc pro usu saltem externo Chirurgico requiruntur; absorbent enim fermenta acida vulnerum, & texturam hinc nitrosam acquirentia ad debitam consolidationem illa redigunt, sicut & apud Veteres occurrit usus æris usti, squamæ æris, æruginis, &c. Loco horum tamen omnium sufficere potest caput mortuum spiritus æruginis ex crystallis parati, quod revera est crocus aliquis veneris, & unguentis emplastrisque admixtum idem præstat, quod aliàs Chirurgi in æris præparatis quærunt.

4 *Florum:*) Sunt, qui ex venere flores, tàm impropriè dictos, quos habet SCHRODERUS, quàm propriè dictos parant, nempe cum sale armoniaco, vel detonatione nitri, interim quemadmodum ejusmodi flores pro interno usu periculosi sunt, ita pro externo sufficit caput mortuum crystallorum æruginis.

5 *Ærugo:*) Scil. præter crocos æris absorbentes vulnerum & ulcerum acida, alii rectè æruginem in usum vocant, quippe quæ veterum & unguentum Ægyptiacum, hoc quæ tam commune, quàm magistrale FABRICII HILDANI ingreditur, ubi hujus æruginis usus est, ut in ejusmodi ulceribus putridis, & gangrænam minantibus; itemque incipiente gangræna post separationem partis mortuæ sub unguenti Ægyptiaci tegmine illinatur, quo sic beneficio acidi sui destruatur ulterior putredinis progressus, dependentis ab alkali prædominante & destruentis acidum partis vitale. Atque pro hoc scopo sufficere possunt vel ærugo simplex, aut crystalli ejus loco solutionum illarum scil. cum spiritu salis paratarum.

6 *Quam nitrosis:*) Indigitat hic AUTHOR oleum æruginis causticum, quod habet SCHROEDERUS.

7 *Aquæ viridis:*) Scil. notæ sunt aquæ virides, basis est ærugo cū aceto, quibus associata sunt cerussa, colcothar. alumen. it. vegetabilia, de quibus *conf. HARTMANNI Pr. chym.* ubi formulæ harum prostant. Ac quidem aquas has virides formosas reddit *PLATERUS in praxi sua* recommendans illas in ulceribus partium, præsertim glandulosarum, in quibus lymphæ acidioris effusio præsens est, ex qua ulcus depascens provenit, per dictas aquas coercendum. Cæterùm harum omnium loco, suasore AUTHORE N. sufficere potest & ærugo in decocto mundificativo, vel simili diluto soluta.

8 *Lapide medicamentoso:*) Hic ex CROLII scriptis notus est, concretum salsum tertium saporis austeri adstringentis, adeoque in affectibus gangrænam minantibus conveniens.

9 *Sapphirinam Agyrtarum solutionem:*) Hæc aqua sapphirina Chirurgorum ex calce viva & sale armoniaco dissolutis, & in pelvi ænea asservatis constans, & ob alcali calcis vivæ colorem hunc obtinens, nobilis est in palati & oris ulceribus Gallicis, itemque crurum nec non oculorum, ac præsertim horum pterygio, panno & pustulis vix præsentius datur remedium. Et quidem basin ejus constituit sal calcis vivæ salso-alcalinum, una cum substantia cupri, ex pelvi æneâ erosâ. Interim tamen hujus quoque aquæ loco esse poterit dilutum aliquod æruginis simplex.

TEXT. LUDOVIC.

mere, vexabimus. Famosum illud 10 *Vnguentum purpureum* præstans est, & fratre suo uterino, *Ægyptiaco*, plerumque præsentius; dum tamen jampridem supervacuas inibi ambages expenderemus, & dicto Ægyptiaco non quidem *Magistraliter*) per ammoniacum & alumen plerunque inconvenientius exasperato, sed tantum simplicissimo, (puriori solum & interdum certas in circumstantias prius aliquantum super prunas calefacta ærugine constante,) vulgarem terram dulcem vitrioli, cum extracti veronicæ particula (in aceto vel etiam rore minerali acido dissoluta) proportionaliter adjiceremus, idem citra operosiorem & supra jam alios in usus adductum æruginis extractionem obtinuimus. Sique circumspectior Chirurgus 1 Lavamenta insuper myrrhata, aloëtica, theriacalia, &c. plagularum aut penetrantiorum syphunculorum ope, item aquam calcis vivæ, saccharum, iridem, euphorbium, aliaque non pinguia, &c. pro partium ratione dextra adhibuerit, etiam 3 *Apostolico unguento* facile, facilius adhuc (dum ejusce modi mixturis mundificantibus mitius temperatiusque aliquod emplastrum desiccans & defensivum consultius superimponitur,) *Emplastro ejusdem abusivi nominis*, & conformi (nunc vero exolescente) *Isidis* carebit. *Tractivum viride* ut istorum locum interdum suppleat, aliàs tamen vulgi tantum, nec alicujus hic necessitatis est. Et quo lectoris pace eadem opera metalli nostri affines, producta, vel 4 Apospagmata percurramus, sane inter supradictum, aliosque exustæ veneris, aut ejusdem sortis edulcati colcotharis (accidentarios saltem) pulveres, quis *Diphryges* amplius exigat? imò quis *Tutiam* insuper, etiam *per species* supervacuè distinctam, 5 *ab Alexandria* usque petitam sc. ampliusque repetito igne *calcinatam*? dum per se promptè levigatur, & aliàs sat ustulata est; dumque (si curiosam 6 Mercurii fixati colorationem hic negligimus,) vulgatius 7 *Nihili*, (misso gryseo, saltem) *Album*, lotura vel cribro potius *depuratum*, tanquam *Venereorum aliorumque metallicorum florum desiccantium* (operosissimorum) compendium aut vicarium, tam per se, quàm lapidi calaminari, (paulo ante notatæ) veneris calci, vel terræ vitrioli dulcificatæ, mercurio dulci, aliisque pro circumstantiarum ratione combinatum, in mixturis liquoribusque extemporaneis pariter, ac in unguento quodam saturnino, (ista partim sub confectione, partim usus tempore proportionaliter excipiente,) largiter intentiones istas complet: dum demum præter dictas *Mixturas*, (simplicius adhuc quàm *Liquor tutiæ vel cerussæ est in armamentoriis*,) compositas, alia insuper non pinguia diluta & epithemata, è solutione camphoræ, vitrioli, lapidis medicamentosi, &c. vel aqua calcis vivæ, 8 Lacte inde aureo, 9 Decocto nigro, (at citra supervacua tonsorum additamenta parato,) &c. constantia, ad desiccationes, attemperationes, incarnationes, &c. æquè feliciter, plerumque securius adhibentur, quàm 10 *Diapompholygos*, (cum suo uvæ versæ succo, & *de Tutia*, (cum duabus drachmis succi solani,) aliaque hunc in finem servata vel proposita, etiam famosissima *unguenta*, Sique *Liquorum è cerussa, nihilo, matre*

NOTÆ.

10 *Vnguentum purpureum* sive fuscum VVURZII:) *unguent. fusc.* Chirurgis dictum, *vid. in ejusd. Chyrurg.* Constat enim illud ex colcothare vitrioli sæpius cum aceto imprægnato. Cæterùm cum laboriosa sit hujus præparatio, proinde AUTHOR N. ex tempore illud parat, sumendo unguentum Ægyptiacum MESUES (quod constat ex æruginis aceto, & melle, quod HILDANUS addendo sal ammoniacum & alumen correxit in suum magistrale) illique combinando terram vitrioli dulcem, & paucum extracti veronic. in aceto, vel rore minerali acido dissoluti; ita namque unius horæ spatio parat unguentum fuscum magistrale, quod aliàs septimanæ integræ laborem requirit.

1. *Lavamenta:*) Scil. quia pinguia nocent quibusvis ulceribus, non quidem præcisè propter acidum in iis non adeo sensile, sed potius propter sui glutinositatem, qua obliniendo poros transpirationem insensilem sistunt, atque hinc transpirabilia corrosivitatem contrahunt. Hinc potius acidorum absorbentia & alcalina vegetabilia, ut aqua calcis vivæ, euphorbium externè adhibeamus, vel etiam epithema ulcus mundificans applicando, de hinc emplastrum diasulphuris Rulandi. Hæc enim meliora erunt, quàm si pinguia illa diutius gestarentur, indeque nec emplastro Isidis indigebimus.

3 *Apostolico:*) Scil. in gravioribus casibus Chyrurgicis pro curandâ Gangræna famosa sunt duo remedia, puta unguentum Ægyptiacum & Apostolorum, quorum tamen utrorumque basis est ærugo.

4 *Apospagmata:*) Scil. in VETERUM scriptis sæpe sæpius occurrunt nomina tutiæ melanteriæ, mysii, sorii, sub quibus tamen omnibus delitescit volatilis cupri substantia, cum præsertim post Jovem non volatilius detur metallum ipsa venere. Jam igitur cum hæc funditur sub tortura Igni, fuliginem suggerit variis nominibus insignitam. Cæterùm in omnibus his speciebus sufficiunt pro interno usu præprimis Cadmia factitia VETERUM, quæ Chyrurgis est tutia Alexandrina, ex fuligine æris concrescens; & tutia propriè sic dicta, seu genuina, nihil aliàs vocata, & favillæ subtiliori sub aurichalci præparatione elevatæ originem suam debens. De quarum ambarum differentia *conf.* MERETTE. *Comment. in Art. Vitrar. Neri.*

5 *Ab Alexandrina:*) Tutia ALexandrina rarò est in usu, nisi quòd sub nomine Pompholygos in unguento diapompholigos occurrat. Est tamen eadem in recessu arsenicalis, & hujus ratione gangrænosis affectibus medetur illa.

6 *Mercurii fixati:*) Subinnuit hic AUTHOR eam mercurii fixandi rationem, quam habet ROLFINCK. *pag.* 384. *Chym.* beneficio nempe æruginis fixatique colorationem cum radice curcumæ & nihilo gryseo, seu tutia, quam pag. seq. habet idem. Et sanè est illa vera mercurii fixatio, utut superficialis tantum.

7 *Nihili album:*) Scil. Veteres inter remedia ophthalmica adhibuerunt tutiam, idque non sine consilio, cùm ea sine ullo sensu in aqua diluta oculis applicari debeat; Sic enim absorbet acidum lymphæ peccans. Eadem Cadmia veterum unguentis quoque & emplastris ophthalmicis; itemque ulceribus eorundem superficialibus fuit adhibita, cujus tamen loco AVTHOR commendat nihili album.

8 *Lacte aureo:*) Scil. lac virginis parandum ex solutione lythargirii in aceto cum pauxillo gallarum transit in lac aureum flavi coloris.

9 *Decocto nigro:*) Decocta nigra, in inflammationibus gangrænam minantibus Chirurgis usitata, constat ex basi gallarum & vitrioli, addendo iisdem vulneraria vegetabilia.

10 *Diapompholygos:*) Pro scopo cicatrisandi, & de tutia pro consolidandi adhibetur, quorum tamen loco, uti & liquorum in affectibus oculorum propter illorum rancorem istis partibus inimicum, sufficere poterit aqua rosarum communis vel fœniculi, in qua parum vitrioli solutum sit, & aliquid tutiæ additum: v. gr.

℞. *Vitrioli alb.* ℈ß.
aq. chelidon. maj.
fœnicul.
rosar. ana. ℥vj. *ad* ℥j.
Solutioni filtratæ adde
Tutiæ præpar. ℈ß.

M. calidè instillentur, vel linteo applicentur oculo in ophthalmia serosa, ita hæc post infusa antimonialia ophthalmica erit optima.

TEXT. LUDOVIC.

perlarum (Margaritarum, & umbilici marini locum satis supplente,) vel *Lapide calaminari & particula thuris atque opii*, [cum vel sine camphora,] paratorum, vel saltem solius rosaceæ aquæ, vitrioli cujusvis tantillo conditæ sufficientiam; ex adverso vero Axungiæ, unguenti rosacei, butyrive majalis facilem rancorem, oculos, quos demulcere & siccare hic intendimus, magis [ceu alias corpulentiores ejuscemodi pinguedines solent,] irritantem cogitamus, *Nihili quoque & alia recentiorum ad oculos unguenta*, ad detersiones sanè consultis accommodanda] merito hinc dimittemus. Atque hæc junctim de potiori veneris sobole: nam quod 1 *Vitriolum ejus* attinet, dum *dulce philosophicum* [inter armoniacalis istius menstrui insufficientiam, secretiorisque defectumque] hodieque expectatur, reliqua *Factitia* nunc eadem opera in sequente vitriolicorum recensione persequemur.

Et quo proin appareat, quæ ex iis, quave expectatione referri huc queant; principio quod ipsum *vitriolum* [tanquam ejuscemodi productorum fundamentum] concernit, dictis *Factitiis* [ceu per cæmentationes aut solutiones domi præparata vocant,] æquidem sua variè constat efficacia; nec *Distillata* eorum, si laboriosior quispiam circa talia exerceri voluerit ex eo vilipendimus, quod quandam de fixioribus participationem ratio haud adeo apertè assequatur, aut aliqui specialiorum destinationum respectu ferè pigriora dixerint. Quinimo reliquæ eorum *Extractiones*, *Præcipitata*, *&c* vires suas (secundum magis & minus,) nihilominus produnt. Saltim, dum (uti paulo ante quoque sub martialium titulo notavimus) 2 *-è venali* potiorum tritiorumque hactenus locorum *viridiori aut magis cæruleo* (pro intentionis ratione,) idem sub parili procedendi modo, minoribus interim expensis atque laboribus, æquè securè, (per destillationes quidem, imo aliàs etiam usitatiores operationes) prolicitur, & præter saporis, odoris colorisque (disputabile fortè) suffragium, idem experientibus præstat, aut si quid (per singulares enchirises tædiosissimasque protractiones, incerationes, cohobia, &c.) supervenisse videatur, tincturarum essentiarumque longè saturatiorum vel concentratiorum, sæpenumero æquè exaltatarum accessu, ad minimum semet compendiosè suppleri sinit; non invenimus, cur contractiori apparatui studens, tempora evidentioribus utilitatibus aut negotiis hoc fine subtrahat: præsertim cum non sit idem, dum duo faciunt idem; & (qui v. gr. mercurii saltem mineram factitiæ antimoniatæ communique cinnabari confert,) credere forsitan haud sine ratione posset, hic quoque longè aliam esse naturæ in spontaneis quidem coagulationem, aut (per supervenientium operariorum diversas adaptationes) postmodum coagulandorum dispositionem, quam, dum sulphuris fumo destillatove vitrioli spiritui eliquata jam metalla combinamus; Vel etiam 3 *facta cum spiritu salis* vel aceto destillato massa (non vitriolica, sed tantum vitrioliformi) non tam vitriolicum quam salis qualitercunque (ut in Hæmatitino vel martiali armonicali) alteratum spiritum, aut ex acetosis solutionibus liquorem spiritui mellis similibusque, (interdum cum phlogista particula,) conformem nanciscimur. Constat equidem, 4 venalia è nominationibus hodie scaptensulis locisve vitriola quandam inter se differentiam, & interdum exoterica quædam, nec tamen adeo hactenus exitiosa, aut (varias etiam extractiones tentantibus) convincibiliter arsenicalia, quin potius innoxia, parallela, imò interdum aliquam nobilitationis speciem præ se ferentia, complicata habere: & vidimus, verbi gratia, aquam fortemquoque, communi saltem modo destillatam, constantem interdum ruborem retinuisse, aut ex eodem argento plus solaris magnatis reliquisse, aliasque (dum enchirises coincidunt,) à vitriolo proculdubie potius quàm à nitro profectas 5 observationes. Vidimus tamen etiam, fortuitas tantum fuisse oblationes istas, & (quod aurificibus quibusdam similiter contingit,) cum vitriolo (oculatioribus etiam non distinguendo (tandem desiisse. Vt proin, quemadmodum *Venale quidem aliquod* selectus nostri intentioni hactenus satisfacit, ita tamen nec *Cyprio* tantum, *Romano*, *alitsve* nominalibus, interdum aut carioribus, vel ob locorum (sæpè conjecturalem solum) rationem *solaris planè lunarisve naturæ habitis* adhærebimus; cum insuper quod hinc seorsim vel superlativè quæritur, modo dicta de causa haud semper certo compareat, nec adeo tunc excessivum sit, ut sumptuum atque laborum minus prodigus parabiliori sibique *viciniori speciei* acquiescere nequeat: ceu nostræ passim regiones sat bonum, intentionibus è vitriolo directè hic quæsitis sufficiens, innoxiumque sub vulgatiorum quidem & usitatiorum productorum, methodicè tantum exhibitorum parili effectu,) suppeditant; & ipsum 6 *Minutulum ilud*, *remissio-*

NOTÆ.

1 *Vitriolum:*) Nihil est aliud quàm minera martis embryonati erosa, & sub actu erosionis in formam illam coagulata, adeoque sunt duo ejus ingredientia naturalia consideranda, puta subjectum materiale & patiens, quod est minera martis aut veneris, aut utraque, & causa efficiens, seu activum, quod est acidum illud esurinum sulphuris embryonati, hoc est, acidum universale omnium metallorum & mineralium, quod dum adhuc in forma nativa existit, rodendo mineras dictas coit cum his in vitriolum, differt hoc acidum (quod BASILIUS sub nomine spiritus vitrioli alibi adeo quærit) à spiritu communi sulphuris, ut radix à producto, it. ut universale à speciali & specificato sulphuris & vitrioli, quorum illud reperitur in acidulis naturalibus sub loco natali, indeque hæ ab eo vires suas habent. *Conf. HELMONT. Paradox. de spadanis.* Jam porrò constare vitriolum nativum ex duobus allegatis substantiis, vel inde probatur, quod ex acido sulphuris aut vitrioli & marte aut venere emergat factitium, sive per cœmentationem, sive & per solutionem.

2 *E venali:*) Venale nativum vitriolum præfert AUTHOR factitio, eo quòd illud coagulatum sit ex acido embryonato primigenio, hoc verò ex spiritu sulphuris aut vitrioli, sicut cinnabaris nativa longè volatilior est, quàm factitia, tàm vulgaris, quàm antimonialis. Equidem sunt, qui nativum vitriolum ob contagium arsenici adhærens metuunt, interim ob hoc illud potius est nobilioris constitutionis.

3 *Facta cum spiritu salis:*) Scil. vitriolum propriè dictum fit aut arte per spiritum sulphuris aut vitrioli. Cæterùm sunt qui ex venere cum spiritu nitri tractata corpus vitriolicum, item ex marte cum spiritu salis combinato quasi vitriolum martis acquirunt, ubi tamen ejusmodi producta rectè loquendo non sunt corpora vitriolica propria, sed potius crystalli-formia, non secus atque aliàs cum spiritu salis, vel aceto destillato ex marte massa vitrioli formis paratur, quæ destillata exhibet spiritum acido subdulcem, nonnihil de marte participantem, qualem spiritum acido martialem, & ex marte & sale armoniaco, item Hæmatite & sale armoniaco parant.

4 *Venalia vitriola:*) Intercedit quædam differentia pro ratione contagii metallici adhærentis. Sic enim Hungaricum dicunt esse naturæ solaris, Salisburgense pariter venereo lunaris, Romanum martialis, Cyprinum venereum, Goslariense ex venerea & martiali natura mistum; ad summum, quo viridius est vitriolum, eò magis de marte, & quòd cœruleum, id de venere participat; interim pro usu medico nulla horum differentia observanda.

5 *Observationes:*) Scil. luna plus minùs de sole participat, & aqua fortis quoque ipsa ob vitriolicum contagium parùm de sole continet, indeque GLAUBERUS putat, lunam aqua forti solutam & aurum dimittentem, hoc generare propter sulphuris purioris vitriolici accessum, non verò saltem præcipitare, de quo tamen Paradoxo conf. *BECCHER. Phys. Subterran. l. 1. c. 3. pag. 159.* Cæterùm non negandum, vitriolum id aureum habere aliquam vim, præsertim cum post purificationem auri per antimonium non sit alia magis conveniens purificandi encheirisis, quàm si aurum in aqu. regia solutum præcipitatur cum vitriolo in aqua simplici soluto.

6 *Minutulum:*) Scil. vulgò suadent eligendum esse vitriolum crystallinum splendescensque; ast ejusmodi minutula inservire usui probat hoc, quòd hæc soluta in aqua, & post filtrationem inspissata, iterum exhibeant egregios vitrioli crystallos.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

ris coloris, unctuosum, compluribus pro rejiculo habitum, sane pluries expectationem nostram æque saturavit, ac selectius vel operose domi paratum quodvis. Qui vero (consuetos quidem in usus,) 7 *Purificationis titulo* novam dissolutionem præmittunt, dum simplex intermixtorum heterogeneorum *Selectio* tunc sufficeret, Ochreæ substantiæ [inter cujus reclusionem procul-dubio peculiaria illa apospagmata, etiam è vernaculo viliorique ad sensum Vitriolo, insensibiliter quasi, vel per cohobia aut continuati ignis instantiam interdum communicantur,] haud parum præter rem frustraneoque labore sic subtrahunt.

His itaque tantisper præmissis, seligamus nunc nobis hinc primo 8 *Rorem illum Mineralem*, seu subtilioris acoris, sulphureique odoris Liquorem, qui è Vitriolo crudo [potius, quam lentius etiam concidente,] per arenam ad ultimam usque guttulam destillando prolicitur; polychrestum & elegans attemperans, etsi vel tractu temporis (subsidentibus quasi foliolis rubentibus [sulphureus odor cessarit]; sive de cætero per se, non solum complurium Aquarum ac dilutiorum istarum Tincturarum vegetabilium refrigerantium Juleporúmque, verum etiam subtilioris è *Rore Majali destillati*, *item Mixturæ quorundam Alterantis* [Spiritu Vitrioli, per Salis Cardui vel Absinthii tantillum infracto constantis,) loco detur: sive prius Essentia 9 Bellidis, Hepaticæ, &c. proportionaliter saturatus vel alias permixtus adhibeatur. Ut dum recentioris & satis adhuc sulphurei haud adeo notabilior energia deprehenditur, aliorum quasi 10 *Striatum*, per repetita cohobia [*Nono* tamen quorundam *Alembico*, ad literam posito & herbis quoque 1 Craniove farto convenientiora,) laboriosioribus securè hic relinquamus: quemadmodum & solam speciosioremque 2 *Sulphuream partem*, [infuso pro meliori sequestratione Spiritus Vini tantillo, (seorsim à collecta hujus Roris copia, correspondentibusque Liquoribus, [v. g. in confectione Vitrioli Martis, Florum Sulphuris cum Colcothare, &c. provenientibus,] item à recens destillato Vitrioli Spiritu simili ibulque, sed exigua ubique quantitate,] abstractam, & nònnullis insuper cum Castorinis, Tartareis, &c. *in Antepileticum* [hystericæ præcipue complicationi haud adeo incommodum,] *Elixir* redactam; item 3 *Spiritum ardentem* (à Cephalicis pro lubitu abstractum, [*crudo Sulphure* [ceu Viva solemus,) per quamplurimas repetitiones sufficienter *persumatum, &c.* parabilioribus, æque Volatilibus aut semet resolventibus, (Spiritu Cornu Cervi, Salis Tartari, Armoniaci urinoso, Essentia Camphoræ, Succini, &c.] satis contenti.

Potius proin nobis sit Roris istius consectarius, 4 *Spiritus acidus communis*; & quidem (cum Venalis utplurimum dilu-

NOTÆ.

7 *Purificationis:*) Scil. vulgò depurant vitriolum solvendo in aqua simplici, & solutum post inspissationem ad cuticulam usque reponendo. Ast sub omni ejusmodi solutione semper aliquid terreæ substantiæ, ochra puta, separatur, manentis in fundo, estque eâ minerâ, martialis, subsolutione secedens; unde separatâ ochrâ, illâ specialis vitriolorum differentia cadit; contra aqua fortis cum qua copiosiùs aurum ex luna fuit sublimatum, virtutem hanc habet ab Ochra illa scil. vitriol. perspicuum evadens, quòd illa in spiritum volatiliorem paulò, qui per alembicum potest destillari, remanente pauxillo capite mortuo.

8 *Rorem mineralem:*) Scil. vitriolum integrum per alembicum in M B. vel arenæ destillatum dat liquorem aqueo acidulum odoris sulphurei penetrantis, idque eò magis, si à novo vitriolo ros ille destillatus cohobetur, nam sic exaltatur in sua efficatiâ sulphureâ. Equidem diutiùs hîc asservatus quasi foliâ sulphureâ dimittit infundum, interim cum odor nihilominùs supermaneat, proinde illud phlegma vitrioli internè egregium est in morbis acutis. Sapit namque acidulas nativas. Sic & externè ambustionibus idem medebitur phlegma vitrioli.

9 *Bellidis:*) Scilicet extractum succosum Bellidis, vel etiam hepaticæ nobilis dilutum phlegmate vitrioli inservit loco analeptici Julepi.

10 *Striatum:*) Spiritum vitrioli parandi rationem tradit *HOFFMANNUS in Clav. Phys pag.* 357. spiritum nempè vitrioli à capite mortuo ejus per reiteratam cohobationem abstrahendo, scil. enim subtilioris & quasi striatus prodit. Cæterùm cum Ros vitrioli ejusdem sit usus, quàm spiritus hîc vitrioli volatilis HOFFMANNI, & de novo per alembicum juxta *PARACELSUM cap. de Caduco*, traductus, labore novæ cohobationis supersedere poterimus.

1 *Cranio:*) Scil. quidam spiritum Epilepticum parant, spiritum vitrioli à cranio humano, visco quercino abstrahendo; verùm ita prodit spir. vitrioli salsus compositus ex acido vitrioli & sale volatili cranii.

2 *Sulphuream partem:*) Scil. quidam ex phlegmate vitrioli, itemque ex aliis ejusmodi liquoribus, (dum scil. vitriolum martis paratur sub effervescentiæ actu, non secus atque quando sulphur & colcothar in illius flores præcipitantur, sicque per superiùs capitellum halitus acidulus prodit) partem sulphuream vitrioli, imò ex ipso quoque spiritum vitrioli recenti, affundendo ubique spiritum vini, tanquam symbolizans sulphureum subjectum, recipiens sulphuris vitrioli substantiam, separatione intendunt: quæ tamen non habenda tanti ponderis, præsertim cum potiùs sulphur vitrioli anodynum prodeat.

3 *Spiritum ardentem à Cephalicis* Hîc persumatus licet crudo sulphure in Epilepsia forti non exhibet tantum, quantum exspectatur hinc remedium, quin potiùs in illa volatilia magis erunt efficacia.

4 *Spiritus acidus communis:*] Circa hunc præmonemus, vitriolum quodcunque propriè dictum esse concretum novum ex minera martis vel veneris per spiritum acidum sulphuris eu bryonati corrosa in formam coagulatam; hocque quando Igni subjicitur, phegma volatile acidum prodire, quòd insequitur, spiritus sulphuris acidus & antea rodentis mineram, qui vi Ignis speratus se sistit in formâ liquidâ sub odore sulphureo, & spiritus vitrioli vocatur. Cæterùm acidum illud rodens non solitarium prodit, sed rapit secùm particulas quasdam sulphureo minerales corrosæ mineræ, atque hoc est, quòd HELMONTIUS dicit, spiritum vitrioli participare de liquamine metallico; item TACHENIUS, de sulphure minerali crudo austero. Jam prout acidum prodiens plus vel minùs de minerâ metallicâ participat, & illud in minera plus minusve concentratum est, ita nunc spiritus, nunc oleum vitrioli dicitur. Et quidem quod 1. prodit, spiritus est, reliquum verò liquamine metallico & consistentia crassa, coloreque rubro præditum oleum ejus audit. Tandem caput mortuum, quòd post destillationem remanet, colcothar, technico PARACELSI vocabulo, vocatur, hocque aqua simplici calida elixiviatum sistit corpus sali forme, sal vitrioli emeticum existens. Sic idem colcothar aëri expositum effloreſcit de novo in lanuginem salsformem. Quòd verò ex capite mortuo hoc aëri expositò elixiviatur, nomine salis vitrioli regenerative

ti venit, & quibusdam salis vitrioli ultimum audit; imò ex hoc capite mortuo in aëre impraegnato elici potest denuò spiritus, spir. vitrioli regeneratus vocandus.

TEXT. LUDOVIC.

tior, sæpe falsatus aut impurior, & hinc internis immediatis usibus, citra tædiosas rectificationes aut digestiones fere sit ineptior,) domi è Vitrioli supra restitantis & satis 5 sic albificati, [nam ad *perfectam flavedinem vel: rubedinem instituta calcinatio* profecto multum frustra disperdit; *crudum vero Vitriolum* destillationem incassum protelat, aut vasa nonnunquam vel commissuras disjicit,) proportionali 6 nec nimio pro more pondere, [quo Igni totum quasi pateat, Residuumque sat brunnum exeat,) destillatus. Ita inter leves aliquot (circa vasorum posituram, ignis modum, &c.] enchirises, etiam 7 è vitreis lutatis Retortis, citra consuetas laborum 8 protractiones & curiosa [Metallicam partem sequestrantia, prolectum vero Sipiritum plerumque alterantia] 9 *additamenta*, diei præter propter spatio habebitur privatis Dispensationibus, ac potioribus internis compositionibus, in nostram nunc intentionem sufficientissimus; manifesto non calefaciens, quin potius (sive invertat, figat, aliave nondum satis circa primas vias comprehensa ratione agat,) 10 attemperans, & simul aliqualiter restrictivus; minus profecto quam Salis Spiritus est, diureticus; de cætero sub hoc præparandi modo sat bonus atque purus; ut tantillum evectæ corpulentioris, aut forsitan rectificatione demum denuo Vitriolescentis substantiæ per experientiam haud veritis; citra communem quoque 1 *Rectificationem*, aut quandam (violentioris destillationis. Emptitio, pontici quid subtrahentem] *Digestionem*, tuto (& vel eorum exemplo, qui talia quidem imperant, tota die tamen Venalem saltem simpliciter adhibent, aut dispensari vident,] usurpari queat; sive per se. vel occultationis causa, [cum vires inde parum intendantur) *Vegetabilium* 2 *Floribus aut Essentiis colorantibus tinctus*, aut *Spiritu quodam abstractitio*, (post simplicem mixturam aut levem, sub repositura, digestionem potius, quam operosam aliquorum distillationem) *sociatus* detur. Qui *domi* tædiose vel sumptuose 3 *facta Vitriola* parili ratione tractat, nil amplius hinc, nec è *Martiali* mage Hypochondriacum, è *Venereo* pollentius Esurinum acetosum, ex utriusque recentiorum quorundam miscella, sub *Hermaphroditici titulo* proposita, nil nisi opiniotenus singularius, ex ipso vere *Lunari* haud mage cephalicum, [acidis Vitriolicis alias non nisi consensuali ex Inferioribus malo quidpiam interdum conferentibus,) inveniet. Sique *protractiori destillatione vel cohobiis vulgatioribus* 4 pro speciosiori forsan participatione occupari voluerit, (dum *dulce Veneris Vitriolum* adhuc expectamus, *Factitium autem usitatius* exercitatiores ab ejuscemodi laboribus alias fere, tanquam pigrius excluserunt,] eodem sane, [quamvis utique haud adeo æstimabili metallisatione) *Venale*, *mage Martiale vel* [*frequentius adhuc*] *Venereum*

NOTÆ.

5 *Si albificati*: (Scilicet vitriolum crudum purum & nativum non comittendum est destillationi pro spiritu acquirendo, secùs enim necessariò frangitur retorta, & totum salinæ substantiæ in auras avolat; quin potiùs recipiatur vitriolum de phlegmate, hoc est, à Rore acido volatili sequestratum, qua ratione album acquirit colorem. Etenim colores in vitriolo destillando ita variant, ut illud primò albescat, deinde flavescat, hinc rubescat, postmodum brunescat, & tandem obscurissimè viridescat.

6 *Nec nimio*:) Scil. vitriolum de phegmatum destillandum non recipiatur in nimia copia, secùs enim non sufficit Igne idem pervadendo, quin potiùs tertia retortæ pars maneat vacua.

7 *E vitreis lutatis retortis*:) Ordinariè destillatur vitriolum ex retorta terrea, ast male: Vasa enim illa sunt porosa nimis, hinc potiùs vitrea sumantur, angustissimis porulis prædita. Interim cùm hæc intentiore Igne vel dissiliant, vel liquescant, proinde loricentur mistura ex limo, calce viva, & limatura martis conflata, idque successivè, ut lamina alia alii superimponatur.

8 *Protractiones*:) Plurimi spiritum vitrioli urgere solent per 5. vel 6. dies Igne; ac sanè nebula in recipiente ad 6. Menses compareret, modo Ignis tàm diu continuaretur, quod tamen Phænomenon neminem fallat; quin potiùs post 24. vel 36. horas ad summum removeatur recipiens à retorta, sic enim tunc caput mortuum satis exhaustum remanet; Sin verò diutius protrahitur destillatio, spir. remeat in caput mortuum illud.

9 *Additamenta*:) Sunt, qui vitriolo destillando addunt limaturam martis, & alii sal tartari, quo sic separetur substantia illius metallica, & spir. purior prodeat; labor iste vix operæ pretium meretur, cum spiritus paucus destilletur, quin potius vitriolum per se destillatum pro usu medico sufficiat.

10 *Attemperans*:] Scil. spir. vitrioli ritè paratus. acore suo blando stomacho amicus, sitim sistit, æstuationesque temperat, blande simul adstringendo, ratione substantiæ metallicæ simul propulsæ, quæ cum acido sulphuris coëundo transit in aliqualem aluminis texturam, indeque sapor spir. vitrioli blandè adstrictorius enascitur.

1 *Rectificationem*:) nempe spir. vitrioli dicta ratione destillatus non opus habet rectificatione, sed mox potest dispensari pro usu medico. Ac terit hoc in passu AUTHOR vestigia ZUUELFERI, itidem spir. vitrioli rectificationem vetantis. Equidem dicunt contra alii, separari rectificatione illa magnam partem liquaminis metallici, interim tantillum hujus, præsertim ex vitriolo martis procedentis, insons est, nec potest turbare corpus nostrum. Deinde alii rectificationem ejus recusantes substituunt digestionem blando Igne peragendam, quâ ipsâ itidem separatur & sponte præcipitatur substantia metalica crudior, indeque simplici decantatione potest spiritus secerni.

2 *Floribus*:) Usurpatur spiritus vitrioli vel per se in Julepis, vel medicatus diversimodè floribus bellidis, Aquilegiæ, Tunicæ, indeque sub nomine spiritus vitrioli tincti venit. Præterea alii spiritum vini à Vegetabilibus cephalicis ac stomachalibus abstractum in duplo addunt uni parti spiritus vitrioli, amboque digerendo, vel cohobando jungunt sub nomine spiritus vitrioli cephalici, vel stomachici, nec id inconsultò, utut spir. vitrioli per se datus pariter non rejiciendus sit.

3 *Facta vitriola*:) Ex vitriolis destillati spiritus recipiunt aliquid metalli, quòd gestant in ventre secum, utut parùm, ut propterà non opus sit, ut vitriolum artificiale assumatur, præsertim cùm ex martiali vitriolo destillatus spiritus non magis sit hypochondriacus, nec ex venereo vitriolo magis stomachicus, contra sentiente quantumvis PARASELSO. Sic dum HARTMANNUS ex vitriolo martis & veneris sociatis spiritum vitrioli Hermaphroditicum parat, singularem non obtinet à vulgari spiritu vitrioli, imò nec ex lunari vitriolo, singulari præ spiritu vulgari est, præsertim cum vitriolum illud ut plurimùm magis venereum quam lunare, sit, adeoque sufficere potest è vitriolo Goslariensi destillatus spiritus pro usu Medico.

4 *Pro speciosiori*:) Scilicet vitriolum factitium præ nativo nullam prærogativam habet, quamvis HELMONTIUS ex artificiali vitriolo veneris singularia sibi promittat, v. gr. sulphur vitrioli dulce.

TEXT

TEXT. LUDOVIC.

adhibebit, ceu supra jam notavimus. Interea merito 5 gratulamur illis, qui (sub operarum & reliquarum commoditatum copia,) *Caput mortuum profecto liquore inceratum amplius, quam vulgo solent*, per sex, octove dies continuato igne exercere poterunt; quo non quidem Ignem illum Veneris, [uti Autorem hoc aperte negare alibi monuimus,] sed efficaciorem saturatioremque hinc Spiritum nanciscantur; etiam pro 6 *Unicornu istius Mineralis* initamento, [genuini *Arcani Vitrioli Clyssi Vitriolici, & consimilis Essentiæ*, per tædiosas, nec semper succedentes profecti *Liquoris crystallisationes* quæsitæ, consobrino,] sufficientem; 7 licet illa *Veneris per Martem Vitriolisatio*, seu præsuppositum *Rebis* haud adeo stricte observetur, modo non *Vulgare*, (utut negotiose *purificatum*, siquidem nihilominus metallicis particulis adhuc infectum, indeque in Ophthalmicis Ptarmicis, &c. Crudo cuicunque, etiam Albo Vitriolo æquivalens,) 8 sed ultimum ceu communiter loquuntur, sive *Regeneratum Sal* accedat: quod num *ex Aëre inter subastrationes* illas simpliciter sic ab his aliisque famelicis subjectis attrahatur; 9 an vero (*ejuscemodi coaguli copiam, proventum etiam in concluso, notabilem saporis ac configurationis diversitatem, facilem & diutinam salinarum particularum occultationem, pronam complurium Metallicorum, Præcipue Martialium Venereorumque corporum, Pyritidum, consimiliumque fossilium, &c. nativi salis quidpiam habentium, aut salinis quovis modo tractatorum naturam, post sufficientem quoque calcinationem vel istorum expulsionem, denuo quasi salinescendi; item promptam Aquosi principii huc accommodationem, &c.* cogitantibus,] potius inibi propinquiori è principio tantum *renascatur*, id quidem hic temere non determinaverimus. Insipidum sane & extremæ calcinationis Colcothar, in museo pyxideque lignea satis conclusum siccumque, post paucos annos sat salinum visum est: & Limatura Martis cum sulphure supradicto modo præparata, dataque opera prius elota, bienni tractu simili, late diffissa pyxide internam sui amplificationem cum aliquali Vitriolescentia, nobis plus vice simplici ostendit. Sed hæc in transitu. Qui autem [ut institutum nostrum persequamur,) modo laudatis commoditatibus destitutus est, aut tempora, sumptus atque labores operosissimo sæpeque infortu nato eventui elocare nequit aut veretur; versatissimorum, tot medicorum [sua æque feliciter sub accuratiori Methodo, citra hujus generis 10 singularitates, transigentium) exemplo, secure nihilominus, (modo passivus olim in Spleneticis, Stomachicis, Hystericis, Pulmoniacis, Ungaricis Febribus, Idiopathicis Capitis affectibus, &c. 1 abusus absit, & tot præstantissimi parabilioresque Spiritus atque Liquores nunc interponantur vel hyperbolicis promissis substituantur,) communi nostro Spiritui acquiescet; quanquam

NOTÆ.

5 *Gratulamur illis:*) Hîc notat *HELMONTIUM in Tract. de Lithias. cap.* 8.§. 19. docentem modum laboriosissimum parandi spiritum vitrioli, cum quo *conf.* *HOFFMANNUS p.* 359. ubi habet *TACKII* modum destillandi spiritum vitrioli aureum cum HELMONTII ferè coincidentem, utut hujus adhuc efficacior sit spiritus, quia is saturatior est.

6 *Unicornu:*) Hoc arcanum vitrioli & clyssus vitriolicus consobrini sunt, procedunt enim singuli ex spiritu vitrioli ex sale ejusdem regenerati, quemadmodum conferendus quoad arcanum vitrioli MYNSICHT. *pag.* 23. & quoad Clyssum vitriolicum *ZUUELFER. M. sp. pag.* 393.

7 *Licet illa veneris per martem*] Scilicet spiritus vitrioli, quem habet HELMONTIUS vel supra citat. sufficere potest, nec necessaria est veneris per martem vitriolisatio, unde MYNSICH. elicere vult Mercurium suum Philosophicum duplicatum, seu ex duplici substantia constantem.

8 *Sed ultimum:*) Pro parando scilicet unicornu minerali, arcano vitrioli, & clysso vitriolico recipiendum est pariter sal vitrioli ultimum, post abstractiones in colcothare regeneratum, hoc enim est aliùs naturæ, quàm quod immediatè ex capite mortuo vitrioli elicitur.

9 *An verò, &c.*) Scilicet quæritur, an, dum caput mortuum vitrioli aëri expositum imprægnatur, sal illud regeneratum, sit ex aëre attractum an verò ocultiùs vitriolum ab aëris humiditate resolutum & manifestatum? AUTHOR N. inclinat ad eam sententiam, qua statuitur, caput mortuum illud resolutione vitrioli sui concentrati regenerari. Scilicet semper adhuc in substantiâ metallicâ concentratum hærere aliquid substantiæ esurinæ, quæ propter vehiculi defectum non potuit resolvi in spiritum; contra tamen eâ ab aëris humido resoluta rodendo mineram abit in novum vitriolum. Interim non negandum, ex aëre aliquid accedere, præsertim cum mediæ naturæ sal inter vitriolum & nitrum prodeat, quæ sanè nitrosa participatio est ex aëre, vitriolica verò ex resoluto ab aëris humiditate sale esurino rodente mineram. *Conf. ZUUOELFERUS M. sp. p.* 343. & *Animadver.* 405. Cæterùm AUTHOR probaturus potiùs ex vitriolo quàm aëre dependere regenerationem illam, ütitur 6. potissimum argumentis, quorum 1. est coaguli illius copia, quòd tamen in aëris ambitu laxè dispersum est. Jam cùm illud copiosè ex capite mortuo eliciatur, non probabile est, ex aëre id provenire. 2. Est proventus coaguli illius etiam in concluso, hoc est, caput mortuum vitrioli in loco conclusissimo ab omni aëris appulsu præservatum, nihilominùs efflorescere. 3. Est notabilis saporis & configurationis diversitas, dum pariter ac caput mort. vitrioli, nitri, solis capita mortua aëri exponuntur, tunc eadem regenerantur itidem in diversi saporis salia, quæ tamen diversitas non est ex aëre, sed ex corporibus illis mortuorum, adhuc vim quasi regenerativam continentium, deducenda. 4. Est facilis & prompta salinarum particularum occultarum successivè per aërem in vitriolum conversio. 5. Est prona complurium metallicorum nativi salis quidpiam habentium, aut salinis quovis modo tractatorum ratio, post sufficientem quoque calcinationem vel istorum expulsionem, denuò quasi salinescendi, hoc est, metallica exoticis salibus sociata, uti verbi gratiâ est caput mortuum ex marte & armoniaco, quod mox in aëre liquescit. Sextum tandem est prompta aquosi principii huic accommodatio, hoc est promptissimè salia quæcunque solvuntur in aqua, & hinc & in aëre humido, ex quo tamen simul reverâ aliquid accedere probatur, quia emergit sal quasi nitrosum. Interim notandum, si vitriolum ad nigredinem usque destilletur, quod tunc aëri expositum non ampliùs efflorescat, deficiente sic acido ceu magnete.

10 *Singularitates:*) Innuit hic AUTHOR hoc, quòd qui arcanis vitrioli MYNSICHTI supra citatis careat, ipsi sufficere queat spiritus vitrioli vulgaris, præsertim cum non semper felix praxis sublimioribus ejusmodi arcanis suffulta sit, sed vulgaria quoque remedia sub circumspecta methodo laudem mereantur. Rectè enim dixit CAPIVACCIUS cuidam: Disce meam methodum, & habebis meâ arcanâ. Sic cum Praxis Medica duplex: vel Empyrica, remediis sublimoribus peragenda, vel rationalis, vulgaribus remediis sub exacta methodo acquiescens, hinc in prioris defectu hæc nobis sufficere poterit.

1 *Abusus:*) Hîc subinnuit AUTHOR quibus noceat spiritus vitrioli usus, nempè 1. ple-

neticis

neticis vel veris, vel in quibus aliàs luxuriat acidum præternaturale. 2. Hystericis, cùm in his peccet acidum, spasmorum causa. 3. Pulmoniacis, quippe pulmonibus debilibus nil magis nocet, quàm acida, eosdem vel corrugantia, sicque Asthma siccum inducentia, vel erodentia, hincque in Phthisin præcipitantia. 4. Hungaricis febribus laborantibus, nam & in his ob malā diætam acidum præternaturale in primis viis luxuriat. 5. Idiopathicis capitis affectibus laborantibus, systema quippe nervosum, acidum vitrioli respuit.

TEXT. LUDOVIC.

in *specifica sua*, nec adeo [citra supervacuam alterationem ;) 2 *delebili*, *vel saltem tantillo injecti Saccari in Limonatum saporem jucunde convertenda aciditate*, haud ingrato ; in competente sibi efficacia sat prompto vegetoque : 3 ut ab una quidem parte, nec *immersa Ferri paricula* (vitriolificante,)nec laboriosis *Acetu incerationibus, urina conbinationibus*, aliisque *infringentibus*, *vel compositum* potius præbentibus viis, nec ipsa *super Martem, aut edulcatum Colcothar Abstractione*, (equidem cum remissiore acore mage sulphureum fundente, necdenique toties *reiterandis (ad copulandum Vini Spiritum] Destillationibus*, cum lentæ Digestiones Vitriolicum similiter qualitercunque occultent.) pro *Dulcoratione* illa, seu remissiori modificatave aciditate indigeat : nec insuper opus sit, ut 4 *Vitriolum purè Martiale quodvis* [in ea Tincturarum Martialium prævalentia,) paulo *protractiori destillatione*, quo gustans majorem in fine gratiam concipiat ; aut quælibet 5 *Colcotaris communis Extractio*, [æque Vitriolica,) inter Aluminis usti accessum validiori igne hunc in finem fatigetur. Quemadmodum nec ab altera parte, quæsitæque singularioris efficaciæ causa seorsim hic requiritur super 6 *Sal Gemmæ Essentificatus*, compositus Salinus, concentratior & hinc equidem, sicuti Jovis cum Sublimato Destillatum, isublimati cum sabulo rite paratus Spiritus &c. solent fumigans. eoque ipso insuper dispentatu fere difficillior ; uti nec qui 7 *super Sal proprium denuo aliquibus ægre abstrahitur* ; aut ægrius adhuc è *Colcotare cõmuni non edulcato*, sed Aqua s. prius vel potius Vini spiritu humectato, curatiusve aliquandiu extra Solares radios, [humidiori saltem in loco, reposito repetitur, 8 *Cephalici nuperorum alicubi titulo*. Verum ut in singulariora experimenta *Salis Ultimi sive Regenerati Spiritus* (diversimode destillabilis,) curiosiorum Myrotheciis suo modo quadret ; Ita 9 peculiare quidpiam, quod parabilioribus Essentiis Tincturisque non compensetur, in utroque deprehendere non potuimus. 10 Sulphureus est prior iste : sed hoc cum omnibus hujus generis commune habet ; ipseque Vitrioli Spiritus simplici saltem rectificationi per Retortam subjectus. Sulphur denuo olet admodum ; brevi præterea disparet vel subsidet exigua ista quasi metallica sulphureitas in cunctis issis ; nec (quod in adstrictoriis Martis similibusque concentratioribus Tincturis alias contingit,] tantum singulis dosibus contribuit ; sique placuerit, paulo ante dicto modo laboriosioribus in pugno quasi habetur : ut profecto supervacue 1 *Elixiria propriet. cephalica, &c.* quidam excedentibus promissis illinc concinarint. Famosissimus usquedum 2 *Spiritus Aperitivus P.* similiter in rei veritate peculiare nil præstat, sive remissiori gradu vel continuatione Acidulus saltem Tartareique quid spirans, (communi 3 *Dianæ dicto Liquori*, & languido, minus tamen adverso *Spirit. Vitrioli cordiali cum Cornu Cervi usto*, item isti, qui è *Vitriolo crudo cum adjecto Sale Tart.* elicitur, hac in parte compar] destilletur ; sive 4 extrema potius ignis violentia, ab Acido communi, æque ac qui è Taataro Vitriolato parili vehe-

NOTÆ.

2 *Debili* :) Si piritus vitrioli acrior fuerit assumentibus, tum vel dilui poterit is, vel additione sacchari attemperari.

3 *Ab una quidem parte* :) Dulcificationum spiritus vitrioli processus I. cum marte videri potest in SCHROEDERO *p. m.* 487. *num.* 5. sub nomine spiritus vitrioli volatilis. II. aliter verò per crucib. *num.* 7. III. per combinationem urinæ procedens *num.* 14. sicuti tandem IV. super martem abstractione contingens *num.* 8. Ubi tamen omnes hi modi, acidum vitrioli infringendo, spiritum illum apparenter dulciorem reddunt.

4 *Vitriolum purè martiale* :) Ex hoc *ZWOELFER. in M. sp. p.* 463. spiritum vitrioli martis anthypochondriacum destillare satagit, & dulciorem, qui tamen hypochondriacis non magis appropriatus est.

5 *Colcotharis communis Extractio* :). Notat hic AUTHOR *ZWOELFERUM p.* 393. *M. sp.* Colcothar cum alumine usto tractantem pro blando spiritu vitrioli eliciendo.

6 *Sal gemmæ essentificatus* :) Hîc indicatur *ZWOLFERUS p.* 55. *App. in Animadvers.* docens modum essentificandi spir. vitrioli, abstractione ejus cum sal. gemmæ. Et curiosum, h. m. acquiri spiritùm fumigantem odoris intensè sulpurei, actione salis gemmæ in liquorem metallicum in acceptis ferendi, non secùs ac similis spiritus fumigans acquiritur ex destillatione mercurii sublimati cum joue, vel & ejusdem mercurii sublimati cum sabulo.

7 *Super sal proprium* :) Intelligitur hic *ZWOELFER. in M. sp. p.* 39. processum hunc habens, quo tamen modò sumptus inanes fiunt sine emolumento.

8 *Cephalici nuperorum* :) Scil. spiritus ex vitriolo regenerato destillatus spir. vitrioli cephalicus dicitur. De quo verum est, magis eundem acrem esse non tamen hinc sequitur illum exin prærogativam præ spiritu vitrioli communi habere.

9 *Peculiare quidpiam non* :) Hoc est : Posito & spiritum vitrioli regenerati esse subtiliorem, non tamen is Essentiis & Tincturis martialibus erit præferendus.

10 *Sulphureus est* :) Scil. cùm omnia sulphurea & ipse spir. vitrioli spirent odorem talem sulphureum, præsertim cum de marte aut venere participant, quid mirùm, ita & spiritum vitrioli cum marte, crucibulo, aut urina combinatum similiter talem odorem referre ; qui tamen spiritus vitrioli sulphureus, si asservatur diutiùs, turbatur, deinde rufescit, & tandem sedimentum substantiæ metallicæ dimittit, sicque odor sulphureus perit, qui præsens parùm vel nihil exaltat spiritum illum vitrioli.

1 *Elixiria proprietatis Cephalica* :) Nonnulli sibi promittunt, sumendo loco spiritus acidi sulphuris communis spiritus vitrioli martialis cum spiritu vitrioli regenerati ; ast inanes sunt impensæ hæ, & sufficit spir. sulphuris.

2 *Spiritus Aperitivus Penoti* :) Hujus descriptio exstat in SCHROEDERO nihil habet in recessu : nam ab addito tartaro ad albedinem calcinato figitur acidum vitrioli, hujusque tantillum volatile prolicitur, parùm de tartaro participans, præsertim si Igne remissiore destillatio fiat.

3 *Dianæ liquori*) Est spiritus vitrioli tartarisatus, quem habet SCHRODERUS *p.* 480. *num.* 10. qui itidem habet spiritum vitrioli cordialem *num.* 13. Sunt interim hi liquores spiritus vitrioli ab alkali tartari infracti, adeoque phlegma spirituosum acidũ vitrioli.

4 *Extrema Ignis violentia* :) Si destillatur spiritus aperitivus PENOTI extrema Ignis violentia, nihil aliud acquiritur, quàm acidum commune vitrioli, quale quoque in spiritu hujus communi, vel etiam in tartaro vitriolato extremè destillato reperibile est. Cæterùm si volumus habere spiritum compositum ex tartaro & vitriolo, tunc sociare possumus spiritus tartari urinosi ℥iij. cum ℥j. vitrioli invicem miscendo, vel & per retortam destillando, sic prodit spiritus salsus egregius. Vel ℞. tartari crudi ℥iij. & vitrioli crudi ℥j. quæ destillata dant spiritum salso acidum fœtidum, longè præferendum spiritui illi aperitivo PENOTI.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

mentia tandem pellitur, hoc in genere haud adeo multum differens: Mixtura ſane Tartariſata, ſiquidem omnino opus foret, longe faciliùs & efficacius per proportionalem Spiritus Tartari Vitriolique confuſionem, aut ipſam Vitrioli Tartarique rudi recentiorum deſtillationem habenda.

5 *Oleum illud grave* acerrimumque, *vulgariter* vel etiam per operoſam *ſuper fixiora corpora concentrationem, aut extremum interdum Frigus*, (Ignem quorundam frigidum,) productum ſelectui noſtro vix aliqua imperat neceſſitas; vili ſane paſſim venale, ſi Metallicis quibuſdam ſolutionibus, fixationibus, vitrioliſationibus, &c. quiſpiam experierit: in Diſpenſationes conſuetas, licet vel optimum fuerit, incommodum, guttarum ſaltem numerum, non ſine ſumentium diſputatione varians, & nihilominus in vehiculo diluendum: ceu commune ſane à Spiritu communi vix aliter, quam externis tantum accidentibus differt; & hinc per repetitas [addito ſemper pro vehiculo, debito Aquæ ſimplicis pondere,] deſtillationes. in illum ipſum Spiritum prompte redigitur, æque ac Spiritus vulgaris per lentas in vaſe altiori evaporationes in rubens acerrimumque Oleum denuo redit: 6 *Rubrum è Vitrioli* [*per Spiritum Salis Armoniaci perfecte præcipitata*) *Terra per ſe* nanciſci non potuimus, (imo nec *Sulphuris* quidpiam, ſed tantum Armoniacale aliquid foliorum inſtar collo vaſis circumcirca adhærens, 7 Cum *Acetoſis Additamentis* Compoſitum quaſi parent, qui in contractiori ſylloge Tincturæ Martis acquieſcere nequeunt. Quod è *Vitrioli, Cremoris Tartari & Spiritus Salis* 8 *mixtura* tandem ſtillat, Tartaro potiſſimum fere debet; ut extemporaneam imitationem taceamus, 9 *Viridis Vitrioli ſpiritus per deſcenſum* jam pridem rejectus; qui *cum ſublimato* inſtar Butyri Antimonialis vel Jovialis deſtillatur, ulterioribus potius curioſiorum exercitiis convenientior: vulgari more 10 *à Vegetab. abſtrahendo* quæſitus, fruſtra perverſus nec tanti viroris, infundendo vero ſaltem tinctus, (ni forte plane draſtica fuerint,) nihilo hinc præ ſimplici Vitrioli ſpiritu valentior eſt 1 *Lapillorum atramentoſorum, der dieren, in Argillis* alibi repertorum reſiduus (poſt confectum prius hinc Vitriolum,) *Liquor*, adeo nuper cuidam dilaudatus, ſive *viridis* ſervetur, ſive aperto vaſe repoſitus, obſcurior & *quaſi rubens* evadat; tam dulce ſapit ac Gillæ ſolent.: 2 *Compoſitus autem, dum ſcil. Spiritus Nitri ſuper in deſtillatur Vitrioli Spiritus*, ſi ſecundũ Autoris placitũ rectificetur, mage Nitroſus prodit; faciliorque ejus loco foret ſpiritus 3 *Cornu Cervi & Vitr. mixtu-*

NOTÆ.

5 *Oleum:*) Quod eſt ſpiritus vitrioli in metallica parte concentratus; paratur tribus modis: Nempè vel poſt prolectum vitrioli ſpiritum, augendo ignem; vel ſuper fixiora corpora ſpiritum vitrioli concentrando; ſic enim quando affunditur ille veneri, aut colcothari & deſtillatur, tunc poſt phlegma prodit ſpiritus in metallo ſecum abrepto concentratus. Vel denique exponendo ſpiritum vitrioli intenſiſſimo frigori, quo ipſo juxta GLAUBERUM phlegma conſtringetur, acidum verò non conſtringibile ſeorſim ſe ſiſtit. Cæterùm hoc oleum vitrioli pro uſu medico non indigebimus.

6 *Rubrum è vitrioli:*) Proceſſus hîc eſt curioſus, & ferè illi ſimilis, quem habet SCHROEDERUS *num.* 5. Scilicet vitriolum in aqua ſolutum beneficio ſalis ammoniaci, ſeu urinæ præcipitatur, ſic alcali urinæ imbibendo acidum vitrioli dimittere facit mineram martis, vel veneris ad fundum. Jam equidem ex hac terrâ præcipitatâ per ſe deſtillatâ nonnulli rubicundum oleum ſibi promittunt, quale tamen non prodit bene; interim cum terræ illi adhæreat adhuc aliquid acidi, ligantis alxali urinæ, hinc ex eadem aſcendit aliquid ſalis ammoniacalis, ſic ex liquore terræ præcipitatæ ſupernatante, blandoque Igne coagulato, prodit ſal quaſi ammoniacale obſcuri coloris, emergens ex ſpiritu urinæ & acido vitrioli, ſimileque ferè armoniaco illi ſecreto, quòd parat GLAUBERUS ex oleo vitrioli, quod tamen non ſecretum, quamvis hoc ita vocitet dictus GLAUBERUS.

7 *Cum acetoſis additamentis:*) Innuit hîc AUTHOR proceſſum illum parandi oleum vitrioli ex colcothare cum aceto imprægnato, quem habet *KESLER. Proceſſ.* 789. quo tamen pacto nihil aliud acquiritur, quàm ſolutio martis cum aceto, & deſtillatione intercedente ſpiritus acidus martialis fœtidus, non verò oleum propriè dictum vitriolaceum.

8 *Mixtura:*) Innuit proceſſum illum, quem habet *SCHROEDERUS num.* 7. ſub nomine oleum vitrioli dulce, quo tamen modo, quicquid prolicitur olei, illud tartaro, non autem vitriolo debet originem.

9 *Viridis vitrioli ſpiritus:*) Eſt unum ex primariis arcanis, ejuſque primus mentionem fecit PARACELSUS, & poſt hunc HELMONT. quorum hic *Tract. de Duum Viratu dicit:* Oleum vitrioli dulce ex ſpiritu hoc vitrioli viridi parandum eſſe, quòd itidem repetit POLEMAN, dicens: Ex hoc ſpiritu vitrioli viridi ſulphur vitrioli veneris dulce parandum. Cæterùm jam olim præter DETHARDINGIUM annotavit ZUVOELFER. inprimis falſum eſſe, ex vitriolo poſſe elici ſpiritum viridem, ſed procedere talem vel ex additamentis, vel ex ſimplici vitrioli liquatione. Scil. ſpiritus vitrioli eſt vel albidus, vel ex liquamine metallico impr(æ)gnato rubens; contra dum alii per ſpiritum vitrioli deſtillatum liquant vitriolum, cruda venere vel marte eum impr(æ)gnantes, virorem eidem præter intentionem deſideratam conciliant. Sic & alii ♃ ana, vel dimidium Mercurii ſublimati & vitrioli, ex iiſque deſtillatione eliciunt ſpiritum ponderoſum nonnihil virideſcentem, quippe acidum Mercurii ſublimati rodendo Venerem, vel in vitriolo, illarum particulas ſecum rapit, ſub ſpecie ſpiritus viridis, quem rectificatum fruſtrà adhibent ſublimioribus arcanis.

10 *A vegetabilibus abſtrahendo:*) Scilicet ſunt, qui ſpiritum vitrioli per nuces juglandes, aut ſpinam infectoriam in virorem colorare ſatagunt, nunc quidem infundendo hunc illis, nunc verò eundem ab iſtis abſtrahendo; aſt quemadmodum potiori ratione inermis ſpiritus elicitur, ita infuſione ſaltem ſpiritus vitrioli vulgaris acquiritur.

1 *Lapillorum atramentoſorum*) Nota hic AUTHOR GLAUBERUM, qui recipit mineram martis ſalarem Haſſiacam [quæ venerea tamen eſt maximam partem, ad pagum *ulmerobt* reperibilis, ſicut Salfeldiana & Naumburgenſis ferè purè ſunt) ex eaque Igni expoſita ſolutione in aqua parat vitriolum, ſupermanente liquore non coagulabili, ſed craſſo & ſpiſſo, atque hunc vocat & venditat pro oleo vitrioli dulci, quod tamen eſt horridi & nauſeoſi ſaporis.

2 *Compoſitus autem:*] Hîc GLAUBERUM notat, qui ſpiritum vitrioli compoſitum parat inſtilando ſpiritum nitri, ſpiritui vitrioli ad ſaturationem ferè; verùm abſtratione accedente prodit ſpiritus nitri, relicto in fundo ſpiritu vitrioli.

3 *Spiritus C. C. & vitriolici mixtura:*) Scil. curioſum eſt, quòd ſi miſcetur ſpiritus vitrioli ſpiritu urinæ, vel ſpiritu C.C. vel denique juxta HOFFMANNUM, qui hac in parte ſimiam agit D. MICHAEL cum ſpiritu ſanguinis humani, emergat poſt blandam agitationem mixtura, nunc virideſcens, nunc verò cœruleſcens, quippe alkali horum ſpirituum volatilium præcipitat reconditum in ſpiritu vitrioli metallum, quod ſi fuerit venereum, cœruleſcit inde mixtura, ſin marte, virideſcit.

TEXT. LUDOVIC.

ra, similiter qualitercunque viridescens, 4 Antepileptico (ex Urina & vitriolo destillato, vel etiam saltem confu-
so,) Spiritui suo modo conformis; eo 5 qui olim *multis Spiritus Vini a Crudo Vitriolo cohobiis parabatur*, & cum Theriacali mixtus eo nomine veniebat, hoc in genere præstantior: Sed hæc frustraneæ curiositatis aut 6 variationis sunt.

Ponamus nobis potius: diversarum circumstantiarum causa, 7 *Spiritum Vitrioli*, [etsi non sine aliquali alteratione,] *Coagulatum* & portatilem. 8 Non quidem *cum terra sigillata aliisve lutosis*, ponticum: 9 nec cum *Cornu Cervi usto* similiter (ni Spiritus per retortam rectificatus fuerit,) adversum, nec in operando adeo præsentem? non cum *acetosæ vel absinthii*, [suas in destinationes consultius insumendis 10 (*alcalibus*, eo eminenter (ne solum Tartari Vitriolati vulgaris conforme quid exeat,) saturatis: 1 nec quem alii è *vulgari vitrioli sale etiam depuratiori* ponunt, adversissimum, ceu alibi jam monuimus: sed (dum speciale illud, in Capite mortuo extreme calcinato repullulans, per quam quidem conveniens, nec tamen cujus libet Laboratorii est,) 2 saltem simplici *Spiritus Vitrioli boni a dimidio* [*vel paulo minus*) *Nitri crudi abstractione* (cum simultaneo Aquæ fortis una colligendæ proventu,) confectum? polychrestum &(cum Nitrosi Spiritus hinc abeant, Vitriolici vero residuo quasi fixato copulentur) in se & citra abusus tutum, nec injucundum (nisi quibusdam in Pulveribus Purgantibus;] sive de cætero simpliciter sic dispensetur, sive operosiori cujusdam modo *recenti spiritus parte amplius*, (sed missis reliquis ambagibus, *saturetur*.

3 *Anima Vitrioli*, è cuticula hujusmodi solutionionibus superstante, inter tot faciliores pureque Martiales Crocos aliaque Roborantia, supervacaneo tædio colligitur; aut quibusdam insuper (dum nonnullis è *vitrioli capite mortuo probe cæmentato Tinctura* per Salis & hinc Vini Spiritum extracta, alias, utut Venerei contagii suspicio accedat, experientiam haud destituens satisfacit,) Spagirice extrahitur. 4 *Colcotar* ipsum ut extreme calcinatum atque recentius Chirurgicis chimicisque laboriosorum usibus haud incommodum est; ita communis quo-

NOTÆ.

4 *Antepileptico:*) Innuitur hic spiritus Antipilepticus HARTMANNI cujus descriptionem habet SCHRODERUS *num.* 14. quo ipso processu præter alia parerga aquiritur spiritus volatilis salsus, in Epilepsia juniorum non rejiciendus, utut loco ejus ex tempore miscela spiritus vitrioli & spiritus C. C. institui possit.

5 *Qui olim multis:*) Hic insinuatur processus spiritus vitrioli antipileptici PARACELSI, quem folso tradit SCHROEDERUS *num.* 17.

6 *Variationis:*) Scil. qui desiderant spiritum aliquem vitrioli compositum seligant illum HARTMANNI, ex vitriolo & urina destillatum egregium.

7 *Spiritum vitrioli coagulatum:*) Scil. spiritus vitrioli prostare etiam solet in forma sicca. Jam verò modi spiritus acidos per se coagulandi non innotescunt, & vix iidem coagulari poterunt, nisi interveniat corpus aliquod, cujus insinuatione particulæ spiritus vitrioli acidæ concentrentur.

6 *Non cum terra':*) Innuitur hoc ipso liquor ille Stypticus, quem tradit SCHROEDERUS, *num.* 19. ex terra sigillata, & spiritu vitrioli prodeuntem, qua ratione tamen aluminosus liquor acquiritur.

9 *Nec cum C. C. usto:*) Scil. quidam spiritum vitrioli coagulant, impraegnando C. C. istum cum illius s. q. in consistentiam siccam. Ast ingratum sic prodit coagulatum, quippe dum C. C. imbibit acidum vitrioli, præcipitatur liquamen ex eo metallicum, unde propinatum istud nauseam parit.

10 *Alkalibus:*) Notatur hic MYNSICHT pag. 27. spiritum vitrioli coagulatum conficientem cum sale acetosæ vel absynthii, cum tamen hac ratione emergat revera tartarus vitriolatus.

1 *Nec quem alii:*) Intelligit hic ZVVELFERUS *p.* 392. *M. Sp.* spiritum vitrioli coagulatum parans beneficio salis proprii, ex capite mortuo elixiviati. Verùm & hac ratione prodit corpus vitriolicum horridi saporis, indeque loco salis vitrioli communis recipiatur potius sal regeneratum in capite mortuo vitrioli, quod impraegnatum spiritu vitrioli coagulari poterit, utut illud sit naturæseminitrosæ.

2 *Saltem simplici:*) Hunc modum parandi spiritum vitrioli coagulatum obscurè insinuat SCHROEDERUS *num.* 29. dicendo enm non satis esse tutum, contra AUTHOR N. tutum, eum, sine abusu scil. pronunciat. E. ℞. pj. nitri crudi, eique affundatur duplum spiritus vitrioli, ita destillatione interveniente prodit spiritus nitri seu aqua fortis remanente in fundo sale quasi mirabili GLAUBERI, (hic enim affundit spiritum vitrioli sali communi, & sic per destillationem acquirit aquam regiam, subsidente in fundo sale suo mirabili) & est illud nitrum quoddam vitriolatum, eo quod in alkali ipsius nitri concentratus hæreat spiritus vitrioli, cujus dos. esse potest à gr. XV. ad. ℈j. usque. ʒß.

3 *Anima vitrioli:*) Notat hic MYNSICHT pag. 23. eam parare docentem: nempe colligendi modum cremorem istum tradit ille quod vitriolo in aqua soluto supernatat, estque ille cremor terra pinguis, lutosa, mineræ vitrioli adhærens juxta DETHARDINGIUM. Porrò jubet MYNSICHT hanc animam vitrioli extrahere, ast male, quin potius substituatur eidem tinctura martis adstringens) hac ratione paranda. Nempe ♃ caput mortuum vitrioli martis, ab omni sale elixiviatum eique affundatur spiritus salis, vel quod adhuc melius, spiritus nitri, deinde solutio per alembicum abstracta ad consistentiam mellaginis, extrahatur cum spiritu vini in tincturam rubicundam, seu aurei coloris, quæ ipsa tinctura sulphuris vitrioli vocatur vulgò, cum tamen revera sit tinctura martis adstringens in Hæmorrhagiis. Dos. gutt. 30. 40. in quovis vehiculo.

4 *Colcothar.*) Hoc est caput mortuum vitrioli extremè calcinatum & recens, per cæteris externè locum invenit in ulceribus, quod quibusdam pulveretenus vel sub Linimentorum aut Emplastrorum forma in usum vocari potest. Interim tamen tunc recentius id assumendum venit; sin vetustum illud fuerit, regeneratur in illo vitriolum, hincque corrosivum evadit. Deinde & elutriata illa post commune vitriolum destillatum terra, quæ nullo modo in vitriolum regeneratur, huc etiam advocari poterit, sufficitque hæc loco omnium crocorum adstringentium.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

que, sat tamen brunni elutriata *terra*, (gratis loco *Veneris Ferrique usti*, vel in diversos *Crocos* conversi proveniens,) extus debitè adhibentes haud destituit; & resistanti (post Spiritus Æruginis destillationem] purificato Capiti mortuo haud inconsulto suos in usus admisceri potest. 5 Quod intus vero *Crocus è vitriolo nativo*, *mage Martiali*, diversimode præcipitatus vulgatis Purgandi promissis non stet, è *Factitio paratus* cruda quoque Limatura in aperiendo segnior sit, è *Venereo quovis*, aut recentiori *Veneris per spiritus vitriolicos solutione* proveniens, incomptus corporis turbator sit, [licet *Florum* etiam cognomen induerit,) paulo ante notavimus,

6 *Anodynum* ex hisce Præcipitatis dulcissimumque *Sulphur*, [dum ærosis vel atramentosis Mineris supervacuum, plane tamen communi simile, Excoctoribus nonnullibi copiose surgit,) etiam Prædecessores nostri per vulgares *cum Laminis ferreis*, *aut Acetosas coaguli Vitriolici Extractiones*, 7 consimilesque sulphureo metallicum quidpiam promittentes modos, haudquaquam comparuisse, ingenue fassi sunt; longe alia ratione illud conquirendum esse, recentiores quidam satis, sed inter obscurationes suas pro more monuerunt. 8 *Foliatum*, quod Vitriolici Sulphurei vulgatiores Spiritus sponte deponunt, sanè perexiguum, & si (per operosiores etiam infractiones conquisitum] tentes, in sua hac separatione haud ejus effectus est, quem Gas tale semisylvestre ante odorans sibi promitteret. 9 Nec circa operosiorem quoque, (*per incerationes* protractioremque destillationem conquisitum) *Spiritum*, *post Armoniacalis Spiritus accessum*, *& subsequam cum Spiritu Vini edulcorationem*, operæ pretia mereri potuimus; ut felicioribus similia tædiosa [pro aliquali Sulphuris istius copia [tentamina relinquamus. 10 Ille ipse *urinosus Armoniaci Spiritus à subtilioribus nonnullis Ochris abstractus*, tantum atomos quasi quasdam secum avehit: 1 nec *Terra Vitrioli coquendo, fundendo, imoetiam destillando cum Sale Oleove Tartari* nobis hujus generis notabile quid dedit: æque ac *Ammoniacale potius quidpiam è terra illa, per Spiritum istius Vrinosum pessundata* surrexisse, paulo ante notavimus. Et ut per *Salis Armoniaci* 2 *Sublimationes* sulphureo-metallicæ particulæ, exigua tamen in quantitate elevatæ, [sive eluendo, sive Vini Spiritum hinc pluries abstrahendo, vel cum eodem extrahendo separentur,) medicamentum dant, non quidem (inter tot parabiliora] nostri selectus, alicujus tamen, pro Martialium natura, effectus; & ut *Vitrioli Martis* simplicis, vel super limatularam ferri pro more siccati, & hinc (sive simpliciter sive Aceto destillato) soluti *Præcipitatus Crocus*,) per se, aliorum Martialium respectu, etiam post rubificationem pigrior,] convenientibus tamen Menstruis extractus 3 Tincturam præbet non contemnendam: ut denique è permultis *Ferri Ærisque mineris* per acidos quoque nonnullos Spiritus *substantia semisulphurea ardensque*, ceu alibi jam monuimus, extrahitur; ita in omnibus hisce nil vere soporiferi deprehenditur; licet quædam invertendo, detergendo, &c. levamentum quoddam certis in circumstantiis afferant. Venam 4 *Vitrioli crudi vel albificati per similem cum sale armoniaco tentationem sublimatoriam* alij jam perstrinxerunt: & 5 ipsa *Vitrioli Ochra simplici sublimationi* per se subjecta, quantum det quantique momenti, publicatos ejusmodi processus nobiscum incassum tentantes fatebuntur. Speciosior sane (præ multis) 6 *Vitrioli Essentia anodina*, ex Albificato siccissimoque Vitriolo cum alcolisatissimoVini Spiritu, [alias brevi vitriolescit,]extracta, aliis quidem in circumstantiis haud adeo rejicula, ubi tamen sopiendum est, ni opiatis exaltetur, plane languet. Et qui proin reliquorũ insuper modorũ sive processuũ tædia atque frustrationes, assignatæ efficaciæ hyperbolè, Laudanorũ Mineraliũ (uti nos quidem circa non unum observare potuimus,) 7 ostentationem potius quam realem effectum, ex adverso verò Vegetabilis planam certamque vim cogitat, *Pulvisculis*, *Liquoribus atque Mixturis* eum in finem hinc propositis, donec forte secre-

NOTÆ.

5 *Quod-intus verò crocus*:) Indicatur hic ille SCHRODERI *num.* 3. processus, sub nomine sulphuris vitrioli purgantis, quod vitriolo in aqua soluto, & cum oleo vel sulphure tartari præcipitato falso imponitur, cum illud sit substantia vitrioli metallica, & è factitio vitriolo venereo præcipitatum revera purget, sed nonsine violentia.

6 *Anodynum sulphur*:) Hujus ex vitriolo eliciendi primus mentionem fecit PARACELSUS, & verum est, sulphura metallica fixiora quæcunque esse anodyna, adeoque & hoc, non secus atque aliàs in cinnabari antimonij, ceu sulphure ejus fixo revera anodyna vis reperitur. Cæterùm præ cæteris famosum est sulphur veneris & martis, tanquam metallorum à spiritu sulphuris embryonati magis apertorum, adeoque sulphur quasi extraversum magis habentium non tamen id Narcoticum, quo infame aliàs est opium, sed revera anodynum.

7 *Consimilesque*:] Scil. infiniti sulphur hoc anodynum impetrandi prostant processus: sed nullus genuinus est, nam & illo, quem ex HARTMANNO habet SCROEDERUS *num.* 4. per acetum ex vitriolo Hungarico procedentem, acquiritur saltem Crocus martis simplex, non verò genuinum aliquod sulphur inflammabile & anodynum, quæ duo prædicata sunt ejusdem notæ propriæ.

8 *Foliatum*:) Spiritus vitrioli cum tempore quasi deponens folia, non exhibet sulphur vulgare, quod cum illo spiritu ascendit.

9 *Nec circa operosiorem*:) Obscurè hic insinuatur modus HELMONTII quem habet *Tr. de Duum v.* §.19. procedentem ex spiritu vitrioli viridi coagulato, cum spiritu vini extrahendo.

10 *Ille ipse urinosus*:) i. e. si recipitur terra sulphurea ex vitriolo præcipitata, & extracta cum spirit. salis ammoniaci, tunc hic abstractus rapit secum aliquid substantiæ illius martialis, utut exiguum.

1 *Nec terra vitrioli*:) Innuuntur hic processus, quos habet SCHROEDERUS *Tom. II. Part.* 3. *num.* 1. 2. 3. sc. sunt qui ex substantia metallica vitrioli præcipitata per sal. Tartari volunt elicere sulphur quippe alkali agendo in sulphur, hoc extrahit. Interim certum est STARCKIO consentiente, sal tartari nihil tum sulphurei fixi ex terra illa extrahere.

2 *Sublimationes*:) Innuit hic processum BOYLEI *ex Philosoph. Experim.* AUTHORN. ex terra vitrioli per sal ammoniacum sublimando parantis primum Ens salis. Interim flores ex terra hac vitriolica salis ammoniaci parati in magna *dosi* exhibiti sunt Vomitorii.

3 *Tincturam præbet*:) Alluditur hîc ad processum illum, quem habet ZVVOELFERUS *pag.* 398. *M. Sp.* sub nomine sulphuris vitrioli anodyni qui quidem exhibet subtiliorem crocum martis aperitivum, non tamen anodynum.

4 *Vitrioli crudi*:) Nempe ex vitriolo crudo cum sale ammoniaco elevantur juxta SCHROEDERUM N.3. flores vitrioli crudi, qui tamen sunt sal ammoniacum, marte vel venere impraegnatum.

5 *Ipsa vitrioli Ochra*:) Hic processus est idem cum allegato SCHROEDERI, cum par sit ratio sive terra vitrioli dulcis sive Ochra cum sale ammoniaco sublimetur.

6 *Vitrioli Essentia anodyna*:) Hanc habet SCHROEDERUS *num.* 1. quæ tamen revera languida per se est.

7 *Ostentationem potius*:) Scil. quantum hactenus ex processibus constat, nondum genuinum sulphur vitrioli anodynum parare scimus. Equidem Belgæ affectant oleum vitrioli anodynum, ex oleo vitrioli, cum oleo Terebinthinæ misto: quem modum m. describit BARTHOLINUS, *in Epist. Cent.* 4. *par.* 344. ast fides hoc in puncto sit penes Auctorem & experientiam, & veremur, ne preveniat subtilis Crocus martis ex oleo vitrioli cum oleo Therebinthinæ præcipitatus.

TEXT. LVDOVIC.

tior præsentiorque Sulphuris hujus anodyni præparatio pandatur, in contractiori Praxi secure carebit. Atque hæc de potioribus Vitriolicis.

8 De *Elixiriis quorundam spleneticis*, *hepaticis*, *stomachicis*, *pectoralibus uterinis*, *calidis & quoque frigidis*, superius jam diximus; quodque si ad imitationem *Elixiris Sulphuris vel Proprietatis communis* confiant Acidorum Spirituum vitula potissimum arent, simplices vero hujus nominis *Tinctura*, (sæpe inconvenientissima nec vere extrahibilia, aut adversissima adsciscentes,] citra supervacuam hujusmodi Liquorum multiplicationem, paucis polychrestis vincantur, quædam ad minimum æquentur. De cætero qui istiusmodi [è Vegetabilibus) Elixiria nihilominus, & quidem loco vitriolici, *cum salis vel vitrioli Philosophico Spiritu* paraverit, acceptiores acoris respectu plerumque minus grata inveniet: utut ex adverso Salis ille vel Vitrioli Ph. Spiritus in Pectoris Splenis, imo Uteri affectibus, Vitriolicum haud adeo commode ferentibus, convenientior sit atque securior:

Quæ vero præterea ex *antimonio*, *nitro*, *sale &c.* huc pertinent, materiæ Medicæ parumper saltem gnarus facile huc referet: uti quoque quæ è *Succino* huc efficaciter spectant, è sequente classe.

Superest *Borax*, quem licet è salinorum subjectorum combinatione, vel capitibus quibusdam mortuis in medicas, & magis adhuc aurifabrorum destinationes sufficientem diversimode habere possimus, haud incongrue tamen, uti vulgo venalis est, [sive è cremato Fossili, sive aliunde quoque sit,] selectui nostro tandem appendemus, tanquam positis potioribus requisitis, [uti nec reliqua commendatissima indifferenter agunt,) irritans haud postremum; etiam solitarie, præsertim in Secundinis exhibitum. Ut tot *ad Partum & ad Distokiam Pulveribus. Speciebus Diaboracis &c. vetustioribus recentioribusque* seorsim non indigeamus: siquidem Succinum, Crocus, Cinamomum aliaque usualia pro adhibentis arbitrio vel persuasione facile supperaddi, aut præ languidiori nobis hic quoque 10 *Rupicaprapila*, Glacici Mariæ [si alicubi præsto fuerit, & fossile quidpiã, Anguillæ tamẽ hepate lõgeposterius omni-

NOTÆ.

8 *De Elixiriis:*) Scil. elixiria composita præter spiritum vini, fiunt cum spiritu salis. vel vitrioli, vel vitrioli-Philosophico (qui tamen itidem est spiritus salis] convenientia affectibus splenis, pectoris, & uteri laborantibus.

9 *Borrax:*) Habetur duplex, vel naturalis, refinata saltem, vel artificialis, facta ex salibus quibusdam conbinatis, ut videre est in SCHRODERO. Cæterùm hodie pro usu medico assumitur nativa Borrax, ex regno magni Mogol Indiæ Orientalis allata, & Amstelodami per alkalia purificata, ita emergit sal salso-alkalinum, liquationi metallorum, & pellẽdis Mensibus, fœtui, supposito ejusdem debito situ) imò secundinis quoque & Molæ, fœtuique mortuo dicatum.

10 *Rupicaprapila:*) Hanc ad partum difficilem commendat VELSCHIUS *Dissert. 2. de Ægagropil.* Interim quia ea languidior est, proinde minerale aliquod desideratum, assumant potius glaciem Mariæ eamque in specie calcinatam, quæ Borraci addita conatũ parturiendi promovebit insigniter, utut & sine illa hepar anguillæ Borrax, sal volatile & oleũ succini sufficere in tali casu poterũt, si quicquã expetatur.

FORMVLÆ Hactenùs tractatorum alterantium, vulgò aperientium dictorum, possunt fieri tales, v. gr. Incipiendo ab Anti-Scorbuticis.

℞. *Spir. Cochlear. essentif.* ʒiij.
sal. armoniac. vel.
de tribus carminat. ʒj.
M. D. 40. 50. gutt. mane, à meride, & sub introitu in lectum in vehiculo.
vel ℞. *Essent. cochlear.* vel *aliùs compofit. anti scorbut.* ℥ß.
fumar. ʒij
M. D. 40. ad 50. gutt.
℞. *solut. martis cum succ. pom.* ʒiii.
spir. cochlear. ʒiß.
M. scorbut. Essentz, bis vel ter de die 40. 50. gutt.
℞. *aq. fumor.*
cochlear. ana ℥ij.
spir. sal. armoniac. ʒj.
syr. sceletyrb. Forest. ʒvj. M.

Similiter si quis succos antiscorbuticos in vehiculo appropriato propinare voluerit, is.
℞. *herb. recent cochar.* Mij.
tri. fol. aquat.
nasturt. aquat. ana M.
hæc cum s. q. aq. simpl. conquassentur in mortario lapideo, & experimantur in succum, lento igne & vase clauso per residentiam depurandum, hinc sulphurandum, & pro usu asservandum. Dos. ℥ij. vel ℥iij. imò & cum s. q. *seri caprilli* diluendum, & hoc capiatur omni mane, continuando aliquamdiu.

Porrò si sit præscribendus in morbo chronico nodulus hepaticus & spleneticus vulgo dictus, conveniẽs in cruditate stomachi acida & defectu bilis, tunc v. g.
℞. *herb. rec. fumaria*
absynth. ana mj.
chelidon. maj
summitat. centaur. min. aa. mß.
rad. rhabarb. Monach. ℥j.
caryophillat.
helenii. ana. ℥ß.
fol. senn. s. s. ʒvj.
rad. hellebor. nigr. non præp. ℥ß.
cortic. rad. esulæ crud. ʒij
sem. sinap. vel erucæ contus. ʒj.
cinamomi ʒij.
caryophillor. ʒj.
sal cinerum clavellat.
vel nitri. fixi alcalisat. ʒiij.
Incis. & contus. includantur nodulo, qui infusus s. q. vini, capiatur omni mane ad lubitum pro scopo alterativo & laxativo.
℞. *Essent. aperitiv. comp.* ℥ß.
Tinct. antimon. ʒj.
M. S. Essentz. sang. depur. 40. 50. gutt. bis in die,
Sic in forma potionis.
℞. *aq. fumariæ*
flor. acac. ana ℥ij.
essent. aperit. comp. ℥ß.
spirit. cochlear. ʒj.
sacchari cujuscunque parùm.
M. D. Usurpetur, cochleatim.
℞. *Magist. martis Vitriolati* ʒij.
[martis tartarisat. seu salis martis comp. aliàs dicti)
corall. rubr. præparat. ʒj.
ol. stillat cinamom. gutt. viij.
M. divid. in 8. part. æquales. Conducit, si pulvis cachecticus præscribendus.
℞. *Tinct. martis tartaris.* ʒiij.
spir. cochlear. essent. ʒj.
M. Dos. 40. 50. gutt. mane jejuno ventriculo in vehiculo calido, à meridie verò in frigido.
℞. *aqu. fumar.* ℥iv.
solut martis in succo pomor. ʒß.
magist. corall. cum succo citri ʒj
sacchari parum
M. usurpetur cochleatim.
℞. *Pulp. passular. min.* ʒj.
martis crud. præparat. ℈j.
cum s. q. *aqua cinamon.* F. Potus agur. usurpetur aliquandiu mane.

Si sit electuarium alterans præscribendum, tunc
℞. *Conser. cochlear. ruc.* ʒvj.
lapid. cancrorum præpar.
matr. perlar. præparat.
coral. rubr. præp. ana ʒj.
Vitrioli martis ritè parat ℈ij.

cum

cum s. q. *scyr. cichor.* F. Electuarium bis vel ter in die dos. ʒij. vel ʒiij. usurpandum.

℞. *Conserv. fumar.* ℥iß.
Martis crud. præp. ʒiij.
magist. corall. cum succ. citr. ʒj.
Confect. alkerm. ʒß.
cum s. q. *syrup.* cujuscunque F. Electuar.

℞. *Liquor martis solaris* ʒiij.
D. Essent. aper.
de quâ primo die capiantur guttæ vj. Secundò viij. Tertiò xij. ascendendo sic ad xv. usque, ad modum acidulatum naturalium in morbis chronicis.

℞. *Roris vitriol. sulphurei* ℔j.
Liquor martis solaris ʒiij. vel loco hujus.
Vitrioli martis solaris ʒj. M.
de quo omni mane cochlear unum vel alterum capi potest, & edulcorari cum pauco *syrupo violarum* vel *saccharo*; nam si horum nimium adjicitur, præcipitatio fit.

Porrò pulvis stomachalis loco plurium compositorum esse potest.

℞. *Rad. aron. non præp.* ℥ß.
Piper, nigr. ʒiß.
Zingiber. ʒß.
Salis armoniaci in flor. elevat. ʒij.
ol. destill. Acori nostr. ℈j.
M. F. pulvis.

Sic vinum stomachale esse potest tale.

℞. *Herb. absinth. rec.* Mij.
menth. crisp. Mj.
Rad. acori rec. ℥j.
cinamom. acerr. ʒiij.
Incis. & contus. includantur nodulo infundendo vino. D. vin. stomach.

℞. *Elixir. propriet. sine acid* ʒiij.
spir. salis armoniaci anis. ʒj.
Dos. gutt. 40.

Ulterius esto ad menses essentia præscribenda.

℞. *Essent. sabin. comp.* ʒiij. *vel* ʒiv.
myrrh. cum spirit. vini tartarisat. parat. ʒij. M.
Dos. gutt. 50. bis vel ter de die.

℞. *Vitrioli martis tartarisat.* ℥ß.
myrh. elect. ʒj.
croci ℈j.
S. pulv. aperiens.
vel sic pro partu promovendo.

℞. *Pulv. hepat. anguill.* ʒj.
borrac. venet, ℈ij.
myrrh. ℈j.
M. pro 3. dosibus quorum vehiculum esto.

℞. *Aqu. puleg.* ℥iiß.
cinamom. ʒiß. vel ℥ß.
Spir. secund. human. ritè per putrefact. parat. ʒj.
sacchar. parum m.
pro vehiculo dictorum pulverum.

Porrò si sit præscribendum decoctum pectorale aperitivum & incisivum quodammodo vulnerarium tunc.

℞. *Herb. scabios.* mij.
heder. terestr. mj.
rad. helen. ℥iß.
ireos Florent. ʒvj.
sem. anis.
fænicul. ana ʒiij.
coq. in s. q. aq. simpl. collaturæ.

℞. ℔iß. adde *oxymell. scillit.* rit. parat. q. s. pro gratia saporis D. hauriatur pro lubitu.

Similis esto mistura pectoralis.

℞. *Aq. hyssop.* ℥ij.
veronic. spirituos. ℥j.
spir. salis armoniaci vel simplic. vel anis. ʒj.
syr. hyssop. ʒiij. *m.*
Mistura pectoralis expectorans in tussi & asthmate humido.

℞. *Aq. hyssop.* ℥ij.
veronic. ℥j.
asthmatic. comp. ℥ß.
Oxymel. scillic. ℥j. ad ℥iß.
syr. nicotian. ʒvj. m.
Julepus alterans in morbis acutis.

℞. *Roris vitrioli sulphurei acidi* ℔j.
infunde *flor. violar.* vel
rosar. vel
papav. rhœad. mß. aut q. s.
stent in vase clauso in loco tepido ad extractionem tincturæ suavissimè colatur.

℞. *Adde syr. rosar.* vel
rub. id. q. s. vel ℥j. ℥iß. ad ℥ij.
M. D. pro julepo vel

℞. *Aq. fontan.* ℔j.
spirit. vitrioli ʒj. ad ʒij.
sacch. alb. q. s. ad grat. saporem vel loco hujus *syr. violar,* vel *papav. rhœad.*
Tandem in morbo benigno & maligno.
Spirit. vitrioli cum nitro coagulat ʒj.
bezoardic. mineral. ℈j.
M. pro 3. dosibus. D. S. alterativ. pulver.

TEXT. LUDOVIC.

no placuerit,) completior dosis exhiberi posset. Sed nobis modo dicta duo, (interposita nonnunquam castorei succinique essentia, vel aqua hysterica cinamomive cordiali,) intus abundè, licet simplicissimè satisfecerunt, aut nihil satisfecit.

Resolventia, Carminantia, 1 Roborantiaque particularia calida, cum affinibus.

Sed hæc de longa aperitivorum, incidentium, detergentiumque serie sufficiant. Reliquæ, quæ alio ex capite partibus & affectibus hactenus recensitis similiter conferunt, aut conferre creduntur, *Resolventia*, *Carminativa*, *Roborantiaque cordialia*, *cephalica*, *Stomachalia*, *Histerica* (seu fragrantia seu fætentia,) cum residuis hujus temperiei specificis cujuscunque Regni, deinceps nunc, at una eademque opera, (ne polychrestorum subtilior distinctio majorem potius confusionem pariat,) expendemus; ab *Aromaticis* inter Vegetabilia exorsi.

NOTÆ.

1 *Roborantia:* Circa hæc notamus, quod sint illa, quæ vires vitales reficiunt, & conservant; Jam verò vires proximè & immediatè adeoque formaliter consistunt in spirituum influorum impetu & vigore, sicut remotè & mediatè, adeoque fundamentaliter in sanguine, & ex hoc cæteris derivatis succis, ita ut prout hic se habet, & generentur ex sanguine, per ejusdem motum fermentativum, multum simul eo conferente aëre inspirato; hinc prout motus ille plus vel minus deficit vel depravatur, & spirituum & virium variat ratio, adeoque defectibus hisce spirituum & sanguinis fermentativo motui occurrentia remedia dicuntur roborantia, de quibus *conf. VVILLIS Pharm. Ration.* Sunt autem

illa remedia corroborantia respectu motus illius fermentativi vel ea, quæ fermentationem vitalem intendunt, vel quæ eandem exhorbitantem in morbis v. gr. acutis refrænant & sistunt; ubi priora ab effectu dicuntur corroborantia calida, posteriora temperata, seu frigida. Et quidem calida sunt aromatica sale volatili oleoso indeque blando temperato turgida, & propter hanc sui temperaturam universo corpori & partibus nerveis amica; frigida autem corroborantia sunt acida plus minus manifesta. Calida oleo suo salino temperato sanguinis motum fermentativum ejusque spiritualscentiam promovent & augent, spiritualscentiæque effectum, puta calorem, intendunt; frigida verò effervescentiam sanguinis sistunt inspissando, & quasi volatilia salia figendo, sicque calorem coërcendo. De prioribus AUTHOR N. pro nunc agit, dicunturque aliàs Nervina, quatenus duobus nervorum hostibus abjuratis, puta frigido & acido resistunt, horumque nocumenta optimè delent; imò eadem aromatica internè usurpata ab effectu simul vocantur Carminantia, sicut externè eadem adhibita resolventium & discutientium nomine veniunt. Et carminantia quidem nominantur, quatenus acidum viscidum, ex quo materialiter per fermentationem elevantur flatus, incidendo & temperando corrigunt, proventumque eorum inhibent; Resolventia verò quatenùs eadem externè sale suo volatili oleoso penetranti coagula p. n. resolvunt, adeoque per poros corporis evanescere faciunt.

TEXT. LUDOVIC.

Sit itaque primum hic 2 *Cinnamomum*; per se, si selectius fuerit, præ curiosiori *Magisterio* longè aptius, nam ad aquæ destillationem, quod periodicè saporem perdit, tum nihilo est inconvenientius. *Aqua* vero hac, sive *communi modo*, (cum spiritus ardentis parte,) sive adjecta insuper *Rosacea*, (dum *Buglossata* quorundam herbida & extemporaneæ confusionis, *Cydoniata* vero penè frustraneæ profusionis est,) per vesicam destillata, cætero mediocriter saltem, (quo calentes etiam impunè recreare queat,) spirituosa, nec consuetis filtrationibus exhausta idem compendiosè, imò respectivè tutius aut jucundius, (sub facili dulcorandum vel essentiarum exultantium mixtura, assequentur, quod insuper tum *Tinctura seu simplex* cum vini spiritu, *seu Cydoniata, vel Elixiris titulo*) *Santalina* quoque, tam *Sirupus vulgaris aut correctior*, [cui *Extractum*, in terrestreitate tamen sua effœtum & lignosum, cum vini magmate superadditur; nam qui *ex aqua ipso cinamomo satura* confit; speciosior est,) hoc in genere promittunt. Accedat autem isti *& oleum*, si domi citra majores impensas cum emolumento destillari nequit, saltem perfrequentium sophisticationum minus suspectum; pro aliorum conditura, & (si delicati experant, facile tunc parabili) *Balsamo Eleosaccharo* omisso vel extemporaneo. *Sal cinamomi*, uti & reliquorum *aromaticorum*, *caryophillorum*, *nucistæ*, *&c.* cum *alicujus composito*, (*cordiali & cephalico*,) in generaliori censu jam dimisimus, & nemo versatus exiget.

Sequantur potius 3 *caryophilli cum oleo* suo, & *aqua* primo prodeunte, per adjectam spiritus ardentis partem) aliquantum spirituosa. *Extractum* enim, ni olei tantillo animetur, est remissius; & loco simplicis *Balsami compositum quoddam* cordiale & cephalicum seu *apoplecticum*, cum aut sine pretiosis odoriferis (sc. pro captu auditorum,) consultius asservari videtur,

Sit porrò 2 *Moschata Nux*, (inconsideratè nonnullis aliquando *testa*,) cum *oleo expresso*, tanquam *stillatio* parabiliori, fragrantiori & *Balsami* sui locum facile supplente; ceu minus sumptuosis etiam carioris *Macis* (eccur aliquibus *aceto macerata*?) vice, ut in cibis ita etiam in plerisque compositorum formulis esse poterit. *Utriusque aqua* per ardentis quoque spiritus adjectam partem spirituosior, aliarum aromaticarum respectu remissior; *Oleum è Maci* simul carè destillatum, (dum nobis hic Nucistæ satis fragrat,) tantisper supervacaneum; *Magma*, quod post utriusque destillationem residuæ in vesica aquæ supernatat unct[illegible]sum, exiguæ profecto (extus etiam) virtutis, & nihilo melius est frustra exhaustum per vini spiritum illud *Balsamorum corpus*. Nec in enervata *vulgari*, cariorique *Indorum conditura*, si delicatorum delectamentum demas, invenimus, quod cruda nec ingrata Nux non præstet.

His si paulo diffusiores in apparatus superaddatur fortè 5 *Galanga*, præ *majori* saltem *Minor*, pro infusis aut destillatis quibusdam; siquidem *Extractum* aliquanto est debilius; si porro sequentium alterutrum, 6 *cubeba*, vel (nostra quidem optione, cum *oleum* earum aliàs tædiosius, *Species verò Diacubeba* dubiæ ferè compositionis, & vulgatarum effectus haud adeo notabilis sit,) potius *cardamomum*, solummodo *minus*, consimiles in usus; at *oleo* parcissimo dimisso, certè nec 7 litigiosa pridem *Cassia*, (nisi copiosioris olei spes aliquem, sed inconstanter invitaret,) seorsim opus foret, de cætero in substantia plerunque remissiori, & ostentatoriè saltem iisdem formulis cum cinamomo adjecta: nec relictorum in arbore 8 *Antophyllorum* tuberculis, quasi decussis caryophyllis adeo præsentioribus: non 9 *Cypero seu longo*, seu inani penè differentia *rotundo*, factitiæ canitiei hodie conquisitis: non usquedum dubio vel effœto, jam olim sanè succedaneis suis dotato *Amomo ac Malabatro*: non piperis fortasse falsatoribus aptioribus 10 *Granis paradisi*: nec ob superfluas nunc superiorum seculorum compositiones, (inter tot jam olim substituta,) *Carpobalsamo ac Kylobalsamo*, (nudis penè hodie nominibus) nec *Amaricariè vel (unde unde) Dulcescen-*

NOTÆ.

2 Hoc eligit AUTHOR tam in substantia, selectius nempe illud, quam in aquam spirituosam, imò & oleum destillatum, quæ tria ex omnibus præparatis cinamomi sufficere possunt. Ac quidem præferenda est aqua. Cinamomi cum vino per vesicam destillata cum contra reliqui conatus cum buglossa aut cydoniis instituti sint vani, nec nisi phlegma iners ex iisdem pro scopo analeptico non conveniens surgat.

3 *Cariophylli:*) In substantia, aqua cum vino destillanda & oleum sunt egregia.

4 Usurpatur tàm in substantia, quàm in duplici oleo, expresso nempe & destillato; quæ sufficiunt loco oleorum ex mace præparandorum imò oleum macis expressum præstat idem, quod balsamum Moschatæ sicut perinde est, sive ejusdem nucis oleum destillatum sive macis assumatur. Interim cum oleum moschatæ concentratius sit quam caryophyllorum hinc illud per alembicum non deducibile reddit aquam destillatam remissiorem. Porrò magna in destillatione nucis moschatæ vel macis aquæ supernatans instar saponis, commodè pro corpore balsamorum aromaticorum in usum vocari potest, nam eadem ejus ratio atque coporis illius cum spiritu vini aliàs extrahendi, vel expressum nucis moschatæ oleum assumatur pro balsamis compositis ita. ℞. Hujus q. s. adde olei destillati cinamomi, caryophillorum, cubebarum (à quibus placet, quod tamen non laudamus:) Zibethi, Moschi, M. Tandem conditæ nuces moschatæ benè quidem sapiunt sanis, ast non conferunt ægris, utpote quibus magis convenit cruda nux in pulvere.

5 *Galanga minor:*) Acrior majori, & magis aromatica, prodest in affectibus flatuosis hypochondriacis, & hystericis pro scopo carminativo, tàm in substantia, quàm in infuso.

6 *Cubebæ:*) Has longè superat Cardamomum minus, ratione virium aromaticarum, utut & illæ exhibeant paucum olei destillati penetrantissimi?

7 *Litigiosa cassia:*) Scil. de Cassia lignea, seu de xylocassia quæritur, an eadem sit cum cinamomo? Ast FEHR, *pag. 157. Tractat. de Scorzon.* differentiam inter hæc monstrat; interim cinamomum cassiæ locum facile supplere poterit.

8 *Antophyllorum:* De his vana est persuasio, quasi præferendi essent caryophyllis.

9 *Cypero:*) Loco hujus galanga esse potest.

10 *Granis paradisi:*) Sunt hæc cardamomum majus, sicut minus κατ᾽ ἐξοχὴν cardamomum dicitur.

TEXT. LUDOVIC.

te veterum 1 *Costo*, seu nuperorum (totum orbem in Europam comportantium (2 *Canella alba*: imò nec ipso, præstante quidem, (sit genuinum vegetumque habetur,) nimia tamen inter tot parabiliora stomachia & consequenter cephalica pretioso 3 *Ligno aloes*, *ejusve essentia* vel concentratiori *Extracto resinoso*: etiam ex albido quorundam leviorique caudice sat bono? ut vel eo ipso suspicax animus ad succedanea (ex *absinthio caryophyllata*, *Mastiche*, *ladano* similibusque petita) vergere discat; aut si omninó vel Indorum æmulatione hoc lignum calambac selectis nostris adjungat, tàm prodigè tamen temereque in tot, incompetentes formulas, epithemata, cucuphas, *aquas Diaxylaloës* aliasque ejus generis compositas, etiam per Mar. Balneum (cum parum per vesicam, & solitarius vini spiritus inde abstractus adhuc minus alteretur,) destillari præceptas, item in tot inutiles hodie pulv. species atque Trochiscos, haud profundendum esse cogitet.

Ex adverso si laici nostri è tot similiter pomposis pulverum ac specierum, plerumque parum in rei veritate differentium titulis, nil nisi magnifici secretique sibi promittentes resciscerent, quod sub *Specierum Aromatici rosati*, *Caryophyllati*, *Diaxylaloes*, *Pleres aschonticon*, *Datiscantis*, *Diagalangæ*, *Diazingiberis*, *Diacinamomi*, *Diambos*, *Diamargariti calidi*, *de Gemmis calidi*, *Diamoschi dulcis*, *Diambræ*, *Trochiscorum Diaxylaloes*, *Trageæ Aromaticæ*, *Cephalicæ*, *Cordialis*, *&c.* inscriptionibus, sibi tandem ferè nil nisi cinamomum, Piper, Zingiber, Caryophylli Rosmarinum, rosæ, &c. (aliquando cum rancescentium fructuum, effœtorum simplicium, aut pretiosorum quorundam aliquantillo, ex tempore consultius adjiciendo,) hactenus fuerint ingesta, ad minimum Seplasias saltem nominibus ludere dicerent: Et nos unico alterive ad summum *Pulveri*, (citra inanes illas, ipsisque præscribentibus sæpè non satis cognitas Dispensatoriorum variationes,) seu *stomachali*, (v.gr. ad imitationem simplicissimarum *Specierum Imperatoris sine moscho*, *recentiorumve specierum Imperatoris grossarum*,) seu insuper mage *cephalico aut* (si pote,) *cordiali*, è Verè miscibilibus contractissimo, & ex tempore potissimum composito, (ampliusve similiter tum per odorifera pretiosiora aut usitatiora Præcipitantia exaltato) acquiescere possumus, ubi invecta forsan consuetudo vel particulares interdum circumstantiæ exigerent. Namejusmodi *Species ac pulveres* etiam *usitatis Officinalibus* sub *apoplecticorum*, *cephalicorum*, *cordialium*, *analepticorum*, *stomachalium Dia-Tart. stomach.* &c. nomine, (cum operosioribus interdū extractionibus, aut multis ambræ moschique insumptionibus) superadditi, profecto passim à valetudinariis ægrè assumuntur, ægrius (uti tamen necessarium est,) continuantur: permulti præsertim 4 hypochondriaci, fumosa illa odorifera (caput magis interdum opplentia & volatilibus spiritibus urinosis longè posteriora) haud adeo commodè ferunt; ceu nec in universum calida ista arcendæ apoplexiæ causa tituloque proposita, (frequentioribus) 5 Plethoricis biliosioribusve quadrant, *Siler*, *apium*, *cuminum*, *anisum*, *fœniculum*, *&c.* tenerioribus remedii gratiam incassum perdunt; nec cremor tartari, magisque adhuc tartarus vitriolatus (speciali demum sub dispensatione consultius adjiciendi) in ejuscemodi formulis adeo jucundi, aut indifferenter necessarii sunt: ceu has aliasque talium inconvenientias frequentatiores Practici nobiscum passivè deprehendent. Ita tot istius sortis *Morsulis Imperatoriis*, *Regiis*, *cephalicis antiquioribus aut recentioribus*, *pretiosis aut vilioribus*, *pineolato viridi*, *confectione post pastum*, *placentis stomachalibus*, *&c. tot rotulis diambræ*, *diaromatici rosati & caryophillati*, *diamoschi*, *diaxylaloës*, *pleres archonticon*, *diagalanga*, *&c.* tot totiesque variegatis *speciebus incisis*, *trageis cephalicis & stomachalibus*, *pretiosis & vulgatioribus trageis grossis* diversimodè nec ineleganter sæpe confectis *cum & sine tabulatis*, *&c.* (quæ cum multa sæpe Ambræ, Moschi, Galliæ, & Alchermes, exoticorumque conditorum ac Nucleorum perditione, æquæ ac Aromaticorum confecturas simplices, similiaque Bellaria delicatiores revera pro forma tantum aut animi gratia, sæpe non sine subsequa noxa comedunt, solidior etiam, pauloque diffusior, (hinc nihilo infelicior) Praxis facile caruerit; aut omninò adsuetis harum *Formula vel unica*, (etiam illis oleis extemporanea, vel si corpulentia aromatica magis placeat, secundum *recentioris trageæ aromaticæ communis* modum informata) satisfecerit, aut nulla. Et si masticatorium, vel lambile quoddam hic pariter exigeretur, quidni loco tot *Electuariorum conditorum marmelatarum aromaticarum*, *regiarum*, *&c.* utplurimum (per specierum numerositatem, adversitatem, aut inconsideratam conjunctionem] simul ingratiorum, magisque adhuc loco *Aureæ Alexandrinæ*, *& Saracenicæ*, *minorisve* (Chalybeatæ) *Tryphera*, consiniumque merito nunc exolescentium massarum, sufficeret facilis quædam mixtura, & vel sola rosarum conserva gratiorum pulverum, essentiarum, extractorum, oleorum, &c. competenti quantitate medicata, Quod *Eleosacchara* è prædictis supervacuè seorsim serventur, & hic tandem *Compositum* aliquod, ad imitationem *Diaromatici S.* sine vel cum moscho factum intentiones nostras explere possit, ab initio notavimus.

Atque inde pariter diffusius haud repetemus 6 *Aquarum hujus generis destillatarum* evidentes excessus; sive ingredientium destillationi minus convenientium consarcinationem; (hactenus aliis satis excussam;) sive saporis odorisve (sub ipsa quoque compositione accidentario nonnunquam satagentioribus emergentem) adversitatem, vel ex adverso apertam (cum ipso effectu coincidentiam seu conformitatem sive tædiosos secundum præscriptum, aut languidiores sæpe (verbi gratia per M. balneum hisce passim præscriptos) destillandi modos, supervacuos sumptus, inutiles ambages, Vini Cretici, Hispanici, Rhenani, &c. spirituosiorum, multoque magis oligophororum, (dum debita spiritus ardentis, etiam frumentacei quantitas satisfacit,) frustraneas profusiones concernant, Et sanè modo dictam gratiam quidni pleræque famosiores quoque hujus generis aquæ perdiderint aut usque dum perdant? dum hodieque nemo subsecuturæ fragrantiæ, vel expetiti saltem (è vegetabilium animaliumve nonnullorum miscella) odoris saporisque proportionem sufficienter per pondera mensurasque adnotavit: & sub privata saltem dispensatione similive exercitio curiosioribus innotescit, qui ex iisdem modo jucundus, modo herbibus vel alias adversus, modo planè tertius (alii simplici penitus naturalis) odor saporque in aquis mixturisque (variata tantum proportione, &c.) prodeat. Si quis labores atque sumptus [cum insumptis immerentibus quamplurimis ingredientibus] frustra disperditos inficiabitur? inanes tantum aquarum illarum *Regiarum*, *Imperatoriarum*, *Ducalium*, *hujus vel illius Cephalicarum*, *Apoplecticarum*, *Antapoplecticarum*, *Cordialium calidarum*, *Aurearum*, *Vitalium*, *Catharrhalium*, *Arthriticarum ad extra*, *spirituum apoplecticorum moschatorum*, *Elixirium vitæ*, *cephalicorum*, *& stomachalium* similiumque, ordine tantum, aut aliquali ingredientium variatione, vix autem effectu notabiliter inter se, vel à vulgari saltem *Aqua vitæ alba* differentium coacervationes, expositiones, aut [ultra jam *usitatas*] superadditiones [sæpe vix meliores, tantum operosiores aut cariores] cogitans. Siquidem in hoc genere vel *Unica* tantum sufficit, sive simultanea destillatione, ad sobriam modo dictæ *aquæ vitæ albæ*, *vel virtutum*, *aut carfunculi*, sed omninò his dimissis ingredientibus & accessoriis inconvenientiori-

NOTÆ.

1 *Costo:*) Costus Arabicus est duplex, dulcis & amaricans, interim quare dicatur alteruter dulcis, dilucidat VELSCHIUS *Hecatost.* 1. *pag.* 18.

2 *Canella alba:*) Sive cinamomum album inservit Medicis sub visitatione ægrorum in morbis contagiosis linguæ subdita.

3 *Ligno aloës:*) Hoc resinosum & genuinum cum rarò ad nos afferatur, propterea ejus usu carere possumus omninò.

4 Hipochondriaci:)His uti & phlogosi vaga nunc à pastu, nunc intermedio tempore correptis, per consensum stomachi, & primarum viarum scil. oleosiora aromatica minùs conferunt, eo quòd phlogoses tales exacerbentur quin potiùs volatilia macra seu salia volatilia non oleosa, uti est spiritus salis armoniaci, vel carminativus de tribus aptiora sunt.

5 *Plethoricis:*) Scil. si quis plethoricus est, & pronus ad apoplexiam, tunc non fert salia volatilia oleosa internè, sed potius macra volatilia, utut illa externè optimè ferat.

6 *Aquarum destillatarum:*) Inter spirituosas aquas omnes una selectior omnium vices potest supplere, quippe cùm illæ nihil sint aliud, quàm olea destillata mediante spiritu vini resoluta, indeque pro illarum varietate variant; hinc una ex composito quodam selectiori cum spiritu vini ritè destillato sufficere potest, nempe in arena repetita cohobatione cum eodem abstracta.

7 *Carfunculi:*) Aquæ parandæ non addi debent aliæ destillatæ aquæ phlegmaticæ.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

bus, aliundeque satis constantibus,] paretur; sive per compendium confusis saltem inter se solitariis aliquot, (ut parergis inter Aromaticorum oleorum destillationem habentur; singulas pro certiori gratia mensurando. uti si verbi gratia aquæ cinamomi bonæ & rosaceæ ana libra una, cum quatuor Aq. Apoplecticæ nostræ unciis miscetur, sicque placet, grana sex moschi inibi suspenduntur, præstans ad complures usus provenit. Atque harum alicui si *Infusum quoddam è Nervinis* penetrantioribus, (etiam animalibus,) cum spiritu ardenti sat forti paratum, externos in usus diffususque Apparatus (siquidem contractiori 8 Essentia Camphoræ variè diluta, aliæque extemporaneæ mixturæ, vel Apoplecticarum 9 per olea urinososve spiritus exaltationes, (*Catharrhalium* quoque loco oppido sufficiunt,) pro lubitu superadderentur; (æquè *Aqua acovistica etiam correctiori*, Tinctura è competentibus aliquot simplicibus ad imitationem *Otalgicæ M* confecta convenientior hic est;) largiter sanè sub considerata solum, (præsertim in æstuantibus & talia rarò sat commodè ferentibus hypochondriacis nostris haberemus, quod in (quorumvis hodieque dispensatoriorum & Pharmacopæiarum) variè, *compositis cephalicis, nervinis, cordialibus, mineralibis, virtutum, aquis vitæ compositis aliisque* supra jam dictis quæritur, quodque ostentatorium penè *Elixir vitæ vulgare, & stomachalis Off. aqua aromatica* promittunt. [Certè qui apoplecticæ nostræ, aut *Serpilli saltem spirituosa*, Olei succini, juniperi, terebinthinæ, &c. quidpiam instillaverit, *Anhaltina* illa innatans oleum aliàs ostendenti, inferiorem non habebit. Et ex aquæ cinamomi bonæ (aroma, non ardentem spiritum satis sapientis) partibus duabus, aquæ menthæ spirituosiori parte una) apoplecticæ demum nostræ [de qua paulo post,] parte dimidia inter se confusis liquor præveniet, quod cuivis (jampridem doctioribus correctionis indigere viso,) 10 *Embryonum balsamo* à libellis & abutentibus sæpè mulieribus adscribitur. Similique modo per convenientium aquarum odoriferarum, præparatorum prætereà & cinnabarinorum vel essentiarum competentium mixturam, *Liquorum cordialium temperatorum vel calidiorum*, seorsim propositorum vicarii nunquam non parabuntur: multoque minus opus erit, ut *Aqua vel liquores pro epithemate cordis* extent; cum tot simplicissima languentes, (quantum quidem topicorum istorum effluviis sub aliquali concursu, sæpe tamen inter humectationes & repercussioues subsequas non sine noxa datum est,) satis (siccioraque securius) reficiant; & odoriferæ inter se vel cum acetosis usus tempore haud difficulter confundantur.

Porrò potius ponamus in secunda quasi classe, primò *mentham crispam quamlibet*, aut potius odorationem illam *Palustrem rotundifoliam*; per se vel cum pulego aut serpillo; *Saracenicam, calamentham quamlibet*, olentem *cattariam*, imò medicastraium, parabiliora (præ *unguento* quoque hinc parato & *destillata aqua*) negligentium *cardiacam*, similiaque in suo genere sat exequantem; ceu etiam *Aqua ejus* (non *simplex*, hic cum *calaminthæ aqua* inutilis,) sed 1 *spirituosior* (ita tamen, ut calidioribus quoque quadret,) solitariè vel *cum galanga parte* destillata, planè polychresta, operosiori *spiritu fermentatitio* parabilior, sæpeque haud debilior est; liquoribus aromaticis, aliisve resolventibus vel anodynis facile exaltanda; *Carminativis quibusvis, Physogonis antiquioribus recentioribus, de chamomilla composita, Anticolicis similibusque contra tormina*, nostratibus frequentius ab acri potius materia contingentia, incassum multiplicatis & utplurimum (ob chamomillam, cuminum, &c.) ingratioribus, ipsi insuper *vulgari essentiæ par*: *Decoctis carminativis* hactenus propositis, (dum *Vinum carminativum contra flatus* extemporaneæ infusionis seu imitationis est,) licet spirituositatem per alembicum serves, admodum tamen adversis, in suo genere (tanquam per accessoria haud difficulter alterabilis,) nihilo inferior; ut eadem de causa nec adversiorem adhuc *conservam, aut sirupum seu simplicem seu compositum, antiquiorem* nostris operosum, aut *recentiorem, Melvè vulgatius vel correctius* sibi associanda exigat: siquidem ut *Extractum* hinc aliàs est evanidum, ita (conforme ipsi) *Succi spessamentum* sirupalibus istis exigua fortificatione superadditur: Cydoniata verò, Rosata, Aromatica æquè ac dulcorantia nullo negotio aquæ nostræ admiscentur. *Oleum* una [præsertim 2 deflorescente ferè herba] profluens [nam de *Infuso* superius conjunctim talia perlustrando diximus,] commodius tunc affinibus adjicietur, quàm seorsim in ea pareitate, per destillationem conquiretur. De cætero menthæ forsan, qui paulò diffusiori apparatu ducitur, superaddere posset transmarini nunc *calami*, ipsiusque (huc aliquibus tracti & in Electuarium seorsim coacti) *Gladioli* loco *acorum nostrum*; pro *aqua* fortasse, non *simplici*, sed (radice debitè prius reclusa,) *spirituosa*, solitaria, aut menthæ sine vel cum galanga compositæ proportionaliter associanda. *Extractum*, saltem (pro radicis natura,) loco ardentis spiritus cum aqua s. paratum saccharatumque, haud planè est rejiculum, ut *conditum* quoque simplex ac *confectionem* negotiosioribus mulierculis, vel inter Bellaria, *Electuarium diacori acorumque conditum* iis, qui aromatica citra amygdalas, carettas, rancescentesve pineas esse nequeunt, securè quis relinqueret: sed inter tot elegantiora stomachalia è cunctis hisce vix uni hic extat locus.

Quin potius è *seminum* 3 *carminantium* censu sequatur vulgatissimum 4 *carvi* pro euporisto, polychresto tamen *oleo* neglecta *herba* & insuitatiori [licet *spirituosa* haud inefficax, sed adversior sit, *aqua simplici*, Accedat 5 *præ aniso*, [ni parabilitas interdum præferendum jusserit;] acceptius *Fœniculum*, similiter pro *Oleo*; *Aqua* simul profluendis [dum *anisi* quasi fatui saporis est] particula ophthalmicos forsan in usus reposita; planè verò dimissis supervacanea utriusque *Herba & Vmbellis*; item *Fœniculi* [inter tot vulgatiora diuretica,] *radice* effacto *utriusque extracto, & anisato* potatorum *spiritu*; cujus ac juniperini vice, si simplex vini spiritus displicuerit, pro pectoralis cujusdam tincturæ confectione *Fœniculatus* tandem quasi gratior assumi posset *fermentatitio* laboriosioribus, *confectione carvi, anisi, fœniculi mensis secundis*, 6 *balsamo fœniculi*, [etiam superioribus annis *salito*,] nescio quid singulare intus quærentibus securè relectis. Quinimò si alibi posita rutacea, zedoarina serpillina, hyssopina, pulegina, &c. intuemur nec adversiori *cumino*, *crudo vel aceto macerato*, *cum aqua oleoque* suo indigemus; nec *Vmbellis seminibusque anethi*, [ni parabilitas ad *Oleum*, parcius tamen destillandum invitet;] *Aqua* hisce locis alias insuitatiori: non tragearum [penè supervacanearum,] patre vel basi *coriandro, crudo vel maceratione enecto*, aut institutorii *Confecto*, nec ejus *aqua*, vel inter fœcundiora æquivalentia *Oleo*; non olente vetularum *Meu*; *aut lauri foliis corticibusque* seorsim, imò nec ipsis [in clibano quoque quibusdam tostis] *Baccis*; ni polychrestum hinc *oleum expressum* domi [at parciori pro-

NOTÆ.

8 *Essentia camphoræ*:) Loco hujus pro usu externo convenit spiritus vini tartarisatus, & camphoratus.

9 *Per olea exaltationes*:) Aqua Apoplectica spirituosissima promptè absorbet olea destillata; aliàs phlegmatica eadem existens non est hisce miscibilis.

10 *Embryonum balsamo*:) Hujus compositio quidem famosa est, dum crusta panis eidem intincta umbilico gravidæ imponitur pro fœtu roborando in puerperio, itemque pro doloribus post partum, attamen & risum meretur.

1 *Spirituosior*:) Aqua menthæ paratur saltem cum spiritu vini, aliquoties hunc ab illa abstrahendo, sic enim oleum menthæ dissolutum continebit.

2 *Deflorescente ferè herba*:) Scil. qui volunt olea destillata ex nostratibus herbis habere, destillent has, dum flores decidunt, & semina incipiunt generari, tunc enim in his quasi concentratur oleum.

3 *Carminantium*:) Ex his eligit AUTHOR N. carum & fœniculum, horum nempe semina, tàm in substantia, quàm in spiritibus abstractitiis & oleis destillatis; interim hisce nosmet adderemus simul ab eo neglectam chacomillam seu simplex nervinum, uterinum & intestinale anodynum, cujus aqua destillata, & oleum sapphirinum, imò & ipsum decoctum egregium est.

4 *Carvi*:) Carvum simplex est egregium aromaticum, & penetrans singulare in acido nervorum corrigendo, & flatibus discutiendis.

5 *Præ aniso*:) Hujus tamen oleum pro scopo pectorali oleo fœniculi præferendum est.

Balsamo fœniculi:) scil. sunt, qui ad imitationem earum essentiarum vegetabilium combinant horum oleo sal extractum in balsami consistentiam, quo de *conf. HARTMANNUM in Pr. & HORST. in Observ. p. 558.* quo loco prostat & præparatio & usus balsami fœniculi; interim cùm maximâ talium balsamorum vis dependeat ab oleo ingrediente, proin hoc in illorum vices substitui poterit.

TEXT. LUDOVIC.

ventu) præ emptitio parare placuerit; siquidem *Destillatum* paucissimum tædiosumque 7 *Electuarium è baccis* exoletum, nec (inter nostrorum aversationes extemporaneamque imitationem,) adeo Substituti indigum, *Emplastrum* vero cum congeneribus Off. quasi-semicataplasmatibus (v.g. *de crusta Panis*, *Diaphanico utroque*, *&c.*) inferius est Resino quodam; utpote quod longe commodius gestatur, & præ *vulgari stomachali* elegantius per recentiorum compendia, secundum *correctioris* 8 *de Baccis Lauri, reliquorumque Emplastrorum pretiosiorum* imitationem confit; saltem Tacamahaca, arenoso Ladano, Styrace, Gum-Animæ, Benzoc, Balsamo Peruviano, carioribus Oleis, & recentium herbarum impastationibus tantisper hic dimissis: nam omnis profecto hæc gestatio in stomacho revera flaccescente, parum solummodo confert: in subitaneis, à Spiritus ardentibus abstractitiis, per se vel cum sacculis calide applicatis, calefactisve penetrantiorum Illitionibus plerumque vincitur: ut Fermenti pro gregariis 9 *Cataplasmatis de Fermento* imitatione, simplicissimam applicationem taceamus. Nec denique sic opus habemus separatim asservatis *Chamomillæ Romanæ herba*, *floribus Aqua Oleoque*, *cum Vulgaris* hæc in parte, siquidem opus foret, satisfacere posset. Sed nec hanc Internis formulis adeo necessariam. Topicis sane aptiorem deprehendet, quisquis *Aqua s. & abstracti Spiritus* imo Aquarum tantum non omnium, quibus associatur, 10 balneatorium pene odorem, (*Olei* si Terebinthina vel Abietis segmenta absint,) sub eleganti quidem colore paucitatem tamen *Extracti* manifestum languorem, & supervacaneum hinc tandemque ad Clysteres damnatum *Sirupum* pensitaverit, & quod 1 *Infusi Olei*, æquipollentiumque ei; *Anethini sc. Legustrini*, &c. (quantæ quæso jucunditatis?) *vulgaris Iasmini*, imo suo modo hic *Irini* quoque ac *Sambucini*, seorsim prostantium loco, contractiori Praxi aptius & nihilominus, sufficiens esse queat *Oleum*, ad imitationem ejus, quod *de Septem floribus* dicitur (sed simplicissimis tantum infusionibus) compositum, tam solitarium, quam usus tempore alio Expresso resolvente vel Destillato competente alteratum.

2 *Elixiria Stomachalia.* (Proprietatis germina) *Sulphurata*, *Vitriolata*, *Tartarisata*, *&c.* paulo ante attigimus. Et si referret, (dum nostris Amaricantis præ aromaticis oleosis calidioribus longe convenientiora observantur, aut tandem parabilior & æque jucunda Aquarum destillat. convenientium Mixtura, vel simplicium aliquot Infusum Spiritu præsertim abstractitio quodam paratum satisfacit,) numquid de cætero facilius, quam contractioris Chimichorum quorundam *Elixiris vitæ majoris aut minoris*, *primitivi vel correctioris* loco conficeret compendiosa quædam *Essentia Stomachalis*, è Menthæ, Calami, Fœniculi, Absinthiive hunc aliosve in usus tum parato Spiritu, analogo nec (uti complurimum ejus generis sunt) effœto Extracto Oleoque competente saturato: quibus Salis quoque fixi cujusdam particulam superadderet; qui istud ejuscemodi Mixturis Intentionibusque adeo quadrare persuasus erit. Sed enim speciale quid è *Chamomilla*, *Mentha Calamintha*, *Carvi*, *Anisi Fœniculi*, *Anethi*, *&c.* seorsim multiplicatis *Salibus* hic quidem frustra, expectatur: nec cur præter superius jam allegatos *Pulveres &* 3 *Species*, etiam *Diacalaminthæ*, *Diacumini*, *Dianisi*, *&c.* (licet præ aliis præsentiores fere) 4 *Diaspoliticon Galeni*, taliumque in *recentioribus Pulveribus Stomachalibus*, *Speciebus carminativis*, *&c.* (dum vel unicum alterumve Seminum quatuor calidorum majorum minorumve grosse concisum plebeiis satisfacit.) Variationes, item *antiquarii Dianisi*, *Diacorallii N. similesque Trochisci* prostent, ulla est necessitas. Sane non solum horum, (in exsiccatione virtutis multum dispergentium,) verum etiam tot *Rotularum ac Morsulorum Stomachalium*, *Carminativorum*, *&c.* imo quoque supra notatarum *tenuiorum grossarumque*, *officionalium vel* (non ineleganti quidē enchirisi) hactenus *superadditarū Tragearū* vice sufficere 5 *Tabulas vel Rotulas*, (citra dissipatorias fusiones) illitione saltem oleorum acceptiorum paratas, sæpius jam notavimus; & ni *Sacerdotale antiquiorum Sal* potius condimentum quasi quoddam, (æque ac 6 *Sal quorundam contra navigantium Malaciam*,) cum extemporanea præparatione foret. Trageis istis in permultis circumstātiis sæpe convenientius diceremus: ut Pulveres præcipitantes insipidos, hypochondriacis nostris ad humores amaros, acidos & acres, (inter se vel cum assumptis ebullientis, & hinc tot ardorum, angustiationum usque ad gulæ principium, inflationum, præfocationumque autores) longe commodiores, item si Oleosa, & quidem præcise sub hac forma placuerint, Elæosacchara, extem-

NOTÆ.

7 *Electuarium de baccis.*] Notum hoc, & modernis vix in usu est, nisi in clysmatibus pro usu carminativo & hysterico; ubi tamen ejus locum quoque oleum destillatum terebinthinæ supplere potest.

8 *De baccis lauri.*] Commendatur vulgò in inflatione stomachi, cui tamen AUTHOR N. præfert illud ZUVOELFERI correctum, subjungendo simul ἐπίκρισιν suam respectu horum Emplastrorum stomachalium, Scil. hæc in affectibus stomachi positivis non adeò multum prosunt, exceptis ex Tacamahaca paratis, utpote quæ in cardialgia laudem merentur. Reliqua verò superantur ab oleosis volatilibus, sivè jam spiritus menthæ vel simplex, vel compositus cum linteis calefactis stomacho aplicetur, imponendo desuper laterem calefactum, seu olea calefacta, ceu penetrantiora illinitione, v. gr. oleum destillatum acori, vel menthæ, vel fœniculi, (intendendo alterutrum horum per oleum destillatum macis) regioni stomachali illinantur, & hinc lintea calefacta superimponantur.

9 *Cataplasmatis de fermento*:] Ad hujus quasi imitationem aliud parant ex fermento cum aromaticis misto, imò fermentum per se in diarrhœis & vomitu insigne est; interim præferendi sunt his litus tam oleosi, quàm spirituosi.

10 *Balneatorium penè odorem*:] Alludit hic AUTHOR ad pediluvia vulgaria, quæ vulgò chamomilla ferè semper ingredi solet, quorumcunque odorem spiritus & aqua chamomillæ repræsentant; ast esto, hoc tamen pro stomachali usu decoctum ejus est quoque egregium, nec minùs oleum ipsum sapphirinum, quòd alii addita terebinthina, vel adjectis segmentis parant, cùm tamē illud sine his quoque acquiri possit.

1 *Infusi olei*:] Scil. plura olea prostant, per infusionem & coctionem parata; interim illa contrahi possunt, parando aliquod compositum oleum externum per infusionem, saltem ex chamomilla anetho & verbasci floribus, exaltandum pro re nata per oleum destillatum macis.

2 *Elixiriaria stomachalia*:] Scil. luxuriant Auctores, uti patescit ex HORSTII disp. in horum descriptionibus, combinando iisdem semper aut spiritum sulphuris, aut vitrioli, interim illa non sunt adeò necessaria, imò sæpiùs suspecta, eò, quod hypochondriaci in nostro climate frequentiùs ejusmodi oleosa pinguia ferre nequeant, sine phlogoseos invasione, unde potiùs loco eorum eleganter vulgaria alterantia amara, puta absynthium, centaurium minus, cichorium, gentiana, ex quorum extractis ritè paratis facilè per spiritum abstractivum mentæ, vel calami, vel absynthii Essentia stomachalis fieri potest, dissolvendo in eorum alterutro extractum quoddam efficax ex stomachalibus alterantibus paratum, & oleo competente saturatum, addendo tandem sal quoddam fixum, ita parata essentia sufficiet loco omnium Elixirium stomachalium.

3 *Species*:] Harum omnium basis sunt semina 4. frigida carminantia majora, unde horum unum sufficere potest.

4 *Diaspoliticon.*] Ex cumino & nitro egregium est in malo hypochondriaco.

5 *Tabulas, vel Rotulas*:] Harum omnium loco sufficere potest. Elæo-saccharum ex oleo destillato, vel menthæ, vel fœniculi, vel macis, addito cinnamomi oleo & s.q. sachari paratum.

6 *Sal contra navigantium malaciam*:] Hoc habet HARTMANNUS *in pr. chymiatr. c. de nauf.* sub nomine salis peregrinantium.

7 *Pulveres præcipitantes*:] Scil. pulveres hi insipidi ex marinis constantes præ speciebus aromaticis ideò laudem merentur, quòd nostrates ex horum usu in phlogoses incidant, imò licet eosdem præferant, tamen sufficere etiam poterunt oleosa; vel si omninò speciem ejusmodi desideremus ℞. pulv. cinam. ʒiij. *cardam.* ʒij. *caryoph.* ʒj. irrorando cum oleo nucis mosch. M.

TEXT. LUDOVIC.

poranea tunc, (pro delicatioribus) prætereamus. Sed de his satis sic forsan actum est.

Sit nobis amplius 8 *Melissa*, saltem *vulgaris*, (quo pereginæ Species, destillationi tamen similiter sat aptæ, hortorum exornationi, *H orminum* extus etiam Hystericis interdum illitum, Moschatellini Vini fictoribus cedant, pro *Aqua* non quidem *simplici*, sed *Spirituosa*, sive solitaria placeat, quavis *corticum Citri Aqua*, item *Conserva Milissæ*, & cum *Extractum* effœtum, nec dulcia hic adeo amica sint, *Sirupo de Melissophyllo communi vel correctiori* commodior: sive potius *Composita quadam*: ceu Aromaticarum quarundam v. g. Cinamomi, Caryophyllorum, Apoplecticæ, Menthæ, &c. simplici saltem at proportionali confusione haud inconveniens, adhuc tamen præsentior per simultaneam destillationem habetur, si (præstantissimæ præ aliis) *Aqua Hysterica Vlmensis imitatione* copiosæ Melissæ recenti, unus alterve Manipulus Salviæ, Rutæ, Spicæ, Cinamomi præterea, Caryophyllorum, & Zedoariæ aliquid sub debita proportione si peraddatur, & per Vesicam cum aliquota Spiritus Vini parte. Aqua mediocriter Spirituosa (quo etiam calentibus, siticulosis, hæmorrhagiis nimiis, &c. in & extra puerperium quadret,) abstrahitur: cujus dimidium simpliciter sit, vel etiam competentium accessu exaltatum, prompte præstabit, quod *Aqua vitæ mulierum antiquiores recentioresve* pollicentur: alterum vero dimidium infuso (potius, quam toti destinendæ aquæ addito, rostrove alembici appenso) *Castoreo*, *instillatave ejus Essentia* sufficienter alteratum, efficaciter supplebit tantum non omnes toties interpolatas, aut frustranea simplicium conglomeratione vel alteratione variatas (hujus illiusve) *Hystericas*, sæpe calidissimas, item de *Panace Heraclio*, *&c.* (*Aquas Tincturas liquidas Hystericas*, *Ebulinas*,) *Spiritus* cum Allio quoque, Cæpis, Valeriana, Galbanoque, *Hystericos aliosque castorisatos vel indifferenter camphoratos Liquores*; siquidem ubi quædam hanc ferunt, Essentiæ ejus guttæ quædam in istiusmodi Aqua consimilive vehiculo haud difficulter sumuntur; ut profecto supervacua sit *Spiritus Matricalis*, (è solutione cum Amygdalino Oleo parata) *camphorati* præparatio. *Oleum Melissæ* vel ipsa paucitas) in ea Succinei, Rutacei, &c. sufficientia)excludit; ceu tot euporista vulgoque nota odoramenta *Acetum cujusdam hystericum*; intus alias minus conveniens; sique acetosum quid omnino & in specie placeat vel requiratur, extemporanea tunc *Aqua Apoplectica*, uti vocant, *amara*: de qua mixtura alio loco diximus. *Extracta Hysterica composita* plerumque viribus (dum Volatilia dissipantur, fixiora vero non attinguntur) orba certe simplici, simplicium huc (ex Alexipharmacorum, &c. classe) spectantium Extracto quovis superiora vix aut non deprehenduntur. Et cum Polychresti *Succini*, *Essentia*, (*Elixiris Vterini* nonnullibi nomine) hic quoque multum possit; quemadmodum Castorei quoque Camphoræque (in iis qui hanc ferunt,) Essentia, solitaria quævis, aut proportionaliter inter se (ceu alibi jam notavimus,) mixtæ, vel Olei Rutacei Succineive modico, non modio, (uti in *Vulgari Elixirio* factum est,) insuper exaltatæ, Anodynis præterea, Cinnabarinis, ac Præcipitantibus interpositæ: non videmus fere, cur diversorum hactenus autorum 9 *Hysterica* (sæpe non satis concinne intimiusve composita, aut nil novi præter mixtum aliquem Liquorem afferentia) *Elixiria* imperari, vel seorsim ex iis quoddam asservari debeat. Quemadmodum (modo dictorum Pulverum præsentiorum, acceptiorum, sique Jovilia tantum hic posse credimus, facile iis combinandorum intuitu,) nec *Speciebus*, *Trageis Pulveribusque Hystericis*, etiam Gemmis alicubi (dum nobis Mater perlarum aut vulgatiores Conchæ sufficiunt,) vel Sali Jovis sociatis, aut supervacaneis adversissimis ingredientibus miseras interdum magis commoventibus, *antiquioribus*, *recentioribusque* hic opus est: præsertim cum ejuscemodi consistentia paroxysmo non aut raro quadret, extra eum præservatorie, continuatio perquam sit difficilis. Nec in *Melissæ*, *Matricariæ*, *&c. Sale* peculiare hunc in finem quidpiam, in *Sirupis Hystericis compositis*, *Conditis*, *Marmeladis* similibusque dulcoribus plus noxæ reperimus. *Pilulas Hystericas laxativas* supervacue fingi, parilis simplicissimarum Laxantium, (dum specificæ Tincturæ, Aquæ, &c. commodius interponuntur,) effectus monstrat: 10 *Alterantes* solum, [diffusiore hujuscemodi Extractorum mole istas admodum multiplicante, quota passim continuat? sique referet, eodem effectu saltem è suprapositio *Extracto Alexipharmaco*, *cum Castoreo vel ejus Essentia subacto*,*&c* haud difficulter fingi possent. Atque hæc eadem opera de Hystericis.

1 *Citrum*, [ceu Mala ista hic locorum indifferenter vocantur,] tam quoad *extima quam interiora* parabilioribus Alexipharmacis Refectivisque collatum, in contractiori sylloge vix aliqua quidem requirit necessitas: ne tamen in ea hodie commerciorum facilitate famosum hoc ægrotantium solamen penitus tantisper exclusisse videamur, si primo *Cortices* (pro Infusis Tincturisve compositis (domi potius debite siccati, quam *aliunde coëmpti*, (utplurimum effœti) reponantur; *Conditos*, *Cantisatos*, *&* *Confectos*, uti & *Integrum cum Corticibus conditum pomum*, (acceptioribus sane vegetioribus *Recentis*, si præsto fuerit taleolis,) item *Morsulos de Citro* (subitanea illitione quibusdam alicubi repræsentatos,) inter Bellaria vel Aulicarum labores; *Flores solitarios*, *Conservatos*, *cum sacharo* (*præter Sal aut Acetum*) *Conditos*, *vel Destillatos*, (certe haud adeo jucundos) inter supervacanea, & attentioribus Dispensatoriis jampridem expuncta *Aquam vitæ & Elixir Citri quodvis*, (si libuerit prompte imitabile,) potatoribus inter similes eorum delicias matutinas, *Balsamum* (inter tot fragrantiora) supervacaneorum ordini relinquendo. Si porro prædestill, etiam non putrescentis *Citri Oleo*, (utplurimum è Malis à mediterranea huc delatis, minus vegeto, tractuque temporis hinc declinante, & in Mixturis complurium tunc gratiam pervertente, è Galeato vero vel vaporoso Balneo per quam pauca,) longe commodior acceptiorque reponatur *Liquor oleosus*, qui è derasa flavedine exprimitur, & postquam ab aquoso copiose subsidente succo per tritorium quadantenus separatus fuerit, diversimode adhiberi potest, tum per se solitariusque, tum pro impediendo tandem situ, cum Saccharo in molliculam, *Essentiis citri*, etiam oleum destillatum assumentibus, in fragrantia parem, aut potius in *Elæosacchariformem fere consistentiam* redactus. Ita nec *Sirupo de Corticibus*, *seu vulgariter*, seu per elegantiora *recentiorum compendia*, modo haud uno parato, Moscho quoque & Rosarum Essentia (cum hæc isti quoque, associati queant,) exaltato, (dum alias præ *Aqua Corticum citri*, Melissæ parabilior & æque sufficiens est,) indigebimus: minusque adhuc accidentariis, nimium hodieque inter Alexipharmaca tractis *Seminibus* aut *Expressi hinc Olei* admodum extensis promissis. Imo ipsa insuper 2 *Aurantia*, (ægrotantium delectationi vel navigan-

NOTÆ.

8 *Melissa*:] Inter uterina confortantia ferè primatum obtinet, eaque vulgaris eligitur ab AUTHORE, (utut horminum quoque internè egregium sit anti-colicum, & anti-hystericum, præsertim spiritus vini ab eodem abstractus in passionibus hystericis mirabilis est; sicut eadem Sclarea cum butyro subacta laudatur pro hystericis & fluore albo laborantibus umbilico illita) & quidem in spiritum abstrativum destillatum, qui vel per se, vel cum aliis mistus, cõfusione aut abstractione, esse potest loco misturæ antihystericæ & aqua vitæ mulierum, præsertim si addatur (quæ eam ferre queant) essentia camphoræ.

9 *Hysterica Elixiria*:) Plura dantur, & præsertim CROLLII, interim loco omnium sufficere poterit essentia succini, camphoræ & castorei combinata, vel etiam liquor C.C.; denique paretur ad imitationem BARBETTE *de Hyst. pass.* essentia hysterica ex sale volatili C.C. succini & castoreo.

10 *Alterantes pilulæ*:) Non sunt inelegantes; eò quod Laudanum nostrum hystericum ferè referant.

1 *Citrum*:) In citro habemus quasi generale confortativum; quippe in cortice flavo ejusdem invenimus vim confortantem calidam; contra in pulpa & succo ejus virtutem similem frigidam. Jam notandum, quod oleosa corticis substantia cum sacharò in desideratam consistentiam reducta sufficiat loco mille præparatorum ex eorum cortice; ita quidem ut liquor ille oleosus ex serosa corticis flavedine expressus, & per residentiam depuratus esse possit loco olei, essentiæ, & spiritus citri, de quo *conf. ZUVOELFERUS Phys. R. p.* 119. ubi refert Essentiam saccarinam citri non secùs ac ipse succus citri acidus vel recens expressus, vel sulphuratus pro diuturniori asservatione atque pulpa citri esse possit loco syrupi acetositatis citri.

2 *Aurantia*:) In his itidem duplex latet confortavium, nempè calidum in cortice, & frigidum in pulpa ejus, ita quidem ut ex recentibus corticibus ejusdem compressione elicitus succus oleosus esse queat loco olei destillati & conditi; contra succus acidus pulpæ vel recens, vel sulphuratus, loco aliorum ex eodem succo præparatorum.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

tium refectioni aptiora,] præter ullam rei medicæ mutilationem hinc dimitti poterunt; sive *Corticum* [Colicis domi] *siccatorum*, aut per *Confectionem vel Conditaram*, [æque ac Citriis vulgo contingit,] semitruncatorum, sive languentis *Extracti*, nec præsentioris [ni præter necessitatem, laboriosius viribus aliqualiter conservandis insistamus, *Sirupi*, item [licet forte speciosioris] *Tinctura seu Essentia, simplicis vel Composita carminative, aut Aqua Oleive* [tædiose cariusque inter parabiliora] destillati, & hujus extemporanei *Eleosacchari Balsamique*, sive demum *Immaturorum Fructuum* [pusillorum, & nonnullis specialiter commendatorum,] vim Alexipharmacam, Cordialem & carminativam spectamus: sive *Florum* tandem, modo *Vini* [pro destillatione] *Spiritu*, modo *saccharo Conditorum*, modo in *Sirupum*, [exteris potius] decoctorum, modo in famosæ *Napha Aquam* destillatorum gratiam atque fragrantiam, qualem nauseabunde dulcem odorem, [misso solum Peregrinitatis circa talia, *Jasminum, &c.* studio] etiam in Veprium Dumetorumque nostrorum floribus revera invenias, serio expendimus.

3 Ita nec *Croco* paulo compendiosior selectus adeo indiget, Anodyna sane citra ejus [alias haud admodum proportionalem, accessum, nihilominus sat bona sunt ac tuta. Verum ne famigeratissimarum, ac satis cararum Antherarum, omissione, Materiam medicam nimis mutilare dicamur, accedat per nos diffusiori apparatui, [citra curiosiorem secundum exteras Regiones delectum,] saltem sat fragrans, non mucidus notabiliterve falsatus; ut non quidem indifferenter, in quælibet fere Remedia, etiam incompetentissima Topica dilapidetur; sed Majori forte quidam Antidoto Tincturæve pro more, [verumtamen ibi citra perversam *Tosturam* pulveratus, adjiciatur; aut *Extractum* inde confiat, non [deprædatorio & ingratum quid affricante; Vini Spiritu, sed longe vegetius sallem cum Aqua simplici: missa Rosaceæ perditione, missaque simul *Vulgari*, vel [si pro majori exaltatione Alcali nitrosum addere volueris, languidiori & fere spicea tantum *Essentia*: ceu reliquas quoque Chimiæ curiositates flos tenerrimus & in suo genere sat essentialis, haud adeo tolerat; & inconsideratissime hinc [tantis impensis] in tantillum *Olei* destillatur; aut pro *Cocto illo Off*, [dum vilioris Vegetabilis Oleum extus satisfacit, æque ac pro destillato Sabinæ, cujusdam crocato, Galbaneto crocato, Oxycroceo, &c. consumitur; Vel exoletis ingratisque Trochiscis, item *speciebus diacurcuma* appingitur. Multo vero magis hic hortorum forte areis relinquetur [inter Uterina aliqualis, inter Cordialis sane hospes & ingratior] 4 *Calendula*, cum *Aqua & Conserva* sua, nonnullis hyperbolica. Nec inter tot pariter fragrantia exigemus 5 *Basilicum* [dum recens suaviusque Viridariis, aut Scorpionum, si in calidis regionibus felicius quam hic locorum procedit, Venatoribus aptius est,] siccatum, cum *Semine suo*, antiquariis quibusdam Compositionibus destinato: vel 6 *Syriacum* denique [ceu olim vocabatur,] *Balsamum*; cum nostra medicatio & Theriaca hac in parte ob Mahumetani istius donarii defectum, & ipsi proin substituta etiam Europea Opobalsama, deterior non fuerit: uti nec ob *Peruani Tolutanique cujuslibet* [etiam in *Oleum* prodige destillatorum] accessum, [quandoquidem intus Sulphurata, Succinea, Mastichina, &c. extus vel Therebinthina aut vile Hypericum nobis, satisfaciunt,] aliis perigrinitatis studiosioribus hactenus felicior extitit.

7 *Vini*, ut in eo finiamus, frustraneam in tot Aquas destillatas consumptionem supra jam notavimus; ceu alii supervacaneum illud, quod pro Aromaticis nonnullis diluendis, Oleisque coctis præparandis frustra hactenus insumitur. Pariter autem & specialis ille, [pro hac Aqua *Malvatici*, alias raræ in mediterraneis hisce aquis pro illa *Hispanici*, pro ista *Rhenani*, *Neccarini, &c.*] *delectus*, [procul dubio à diversorum in bibentibus effectuum observatione ad destillationes extensus,] justo curiosior; præcisa *Spiritus Vini Rhenani*, postulatio pene ridicula est quasi æque validius aliunde haberi nequeat; aut remotiorum quoque locorum *Spiritus*, [*etiam* 8 *è fecibus Cerevisiæ vel frumentatio* pro parte constans, & inter destillandum *è Vini admissis fecibus odorem assumens*,] eo titulo passim non divendatur. Sane qui præcise specialiores in usus, *ipsius Vini Spiritu*, [tanquam eo, qui è Fecibus, post varios quoque & operosas rectificationes provenit, aliquantum acceptiore] omnino indiget, bibitorum noxas, præsertim volatilem Vinorum, [Arthritidis Paresisque alicubi autorem] Tartarum, [nonnullis suppositum] nil veritus, sufficientem, è parabiliorum generosiori quovis secure habebit. Sed 9 *Quintarum subtilissimarumque Essentiarum* nimia superiorum seculorum promissa] forsan insuper accedente potatorum, æque ac circa Tabacum consuetudine,] admodum nunc claudicant, ut talia cum *vegetiore Liquore, per extremi frigoris concentrationem* quasi ad novam Zemblam collecto, huc referre non sit opus. Quod autem externos (in Chimicis laboribus ipsisque subtilioribus Incerationibus, &c.) usus attinet, si denuo præcise Vitis genimen requireretur, parabilior hinc inde 10 *Fecum*, (post destillationem etiamnum, si exsiccentur, polychrestarum,) *Spiritus* nihilo invenietur inconvenientior: at qui Ardentium istorum omnium naturam & applicandi vel agendi modum hic expendit, (licet particularum volatilium persertim sulphurearum aliqua inibi sit diversitas, a Viniferis tamen regionibus remotior, pro ejuscemodi laboribus, Aquarum spirituosarum destillationibus, Tincturarum, Essentiarum vel Extractorum præparationibus, &c. *nec Frumentaceum* (vulgo venali Fecum Spiritu allas jucundiorem,) *aut Hydromelinum*, (ceu in generalibus etiam notavimus.) aspernabitur: sive simpliciter sic Subjectis minus resinosis salinisque nonnullis, &c. in specie minus de phlegmatum ferentibus aut exigentibus, adhibendus fuerit; sive denuo *super Cineres vel Calcem vivam rectificatus*; aut amplius *per Sal Tartari*, istud inibi *dissolvendo*, (quo multa Phlegmatis pars, instar Olei deliquati, fun-

NOTÆ.

3 *Crocus*:] Est simplex aromaticum, & penetrantissimum quidem in sui superficie, sed tamen quoque fixioris naturæ, adeoque quasi neutrum, tàm volatile quàm fixum, unde & hujus extractum cum spiritu vini paratum non est genuinum, quia sic fixior pars saltè remanet, quin potiùs rectè *ZUUOELFERUS p.232. Ph.R.* illud parat cum aqua simplici, spiritus vini enim resolvit olei texturam; contra aqua quasi gummosum extractum elicit, indéque sub hujus abstractione non tantum experimur dispendium. Sic cùm alcali, verbi gratia, nitri fixum aquæ additum oleum croci dissolvat, hinc languidum extractum provenit. Deinde loco destillati croci parcioris & adversioris propter empyreuma flos ejusdem pulverisatus efficax est satis.

3 *Calendula*:] Croci spirans aliqualem odorem superatur ab hoc.

5 *Basilicum*:] Recens nullius usus, exsiccatum & pulverisatum, naribúsque insufflatum, nunc Errhinum, nunc sternutatorium evadit.

6 *Syriacum Balsamum*: [Scil. Opobalsamum huic pro ingressione in theriacam præfertur oleum destillatum succini, sicut idem suadent *Acta Haffniens. vol. 2.*

7 *Vini*:] Scil. in Vino pro scopo corroborante duæ substantiæ considerandæ sunt. nempè oleosa resoluta, hoc est, spiritus vini, & dein substantia acida, materiâ existens aceti, terræ foliatæ & salis essentialis: Jam verò quoad primam partem, spirituosam puta, vinum est cordialium calidorum non ultimum, constituitque illud quorumcùque liquorum spirituosorum & aqua vitæ, &c. basin. Cæterùm substantia acidâ naturâ volatilis præbet virtutem confortativam frigidam in morbis acutis, malignis, febribúsque continuis admodum laudandam, ut insanire nobis videantur omnino illi, qui vini generosioris Rhenani usum ejusmodi ægrotantibus recusent exhibere, cùm acidum illud vini analepticum ad sudorem, & somnum hos disponat, non sine εὐφορίᾳ insigni; adeóque dixerimus penè quæcunque media cum vehiculo vini in talibus casibus ægris propinanda.

8 *fecibus cerevisiæ*: Ideoque ex cerealibus paratos spiritus præter illum ex vino præcisè destillatum AUTHOR N. pro usu medico seligit, dicendo, hos æquè validos esse, ac spiritus vini.

9 *Quintarum*: [Scil. *PARACELSUS l.4. de vit. long.* tradit, ex vino posse elici Q.E. vini in forma olei, sic quidem ut ex vini ℔j. vix acquiratur ℈j. supernatante reliquo nil nisi phlegmate, ast quemadmodũ dictus PARACELSUS in re facti est verissimus, ita alii hinc decepti acquisiverunt saltem oleum vini, de quo *conf. SCHROEDERUM de vino.*

10 *Fecum polychrestarum*:] Vini nempè feces post destillationem spiritus remanentes exsiccatæ dant adhuc spiritum volatilem & sal volatile egregium.

TEXT. LUDOVIC.

dum petit;) vel potius desuper *abstrahendo*, (ubi per retortam quidem, post aquositatem quoque extillatam, ultimæ guttæ manifesto salinæ exeunt, *dephlegmatus*. Saturatio vel 10 *combinatio cum Salis* (præ Vitriolico fere convenientiore) *Spiritu Armoniacali urinoso*, (præsertim si ardens hic non fuerit extreme dephlegmatus,) etiam citra destillationes vel singulares digestiones in æquivalentia sua haud difficilis, sed non hujus loci selectusve est. Tantillum 1 *Oleositatis* vero, quod rectificatiori Vini Spiritui cum Salis concentrato Spiritu digesto, nonnunquam (ceu sponte quoque è generosioribus fecibus destillato contingit,) supernatat adeo singularis efficaciæ non deprehenditur; & si curiosior expetat,) facilius à destillatoribus, (istud rectificati Spiritus Vini residuo supernatans colligentibus,) levi pretio Viniferis in regionibus; emitur, paucis [dum Spiritus alcolisatus hoc nomine passive venit, aut oleosi quid post secretiores adhuc infractiones vel digestiones inde quæsitum est,] notatum, nec proinde tamen, [uti intus inter cordialia, & pro 2 *Vini quoque melioratione*, tam *super Alcali aut Salis Spiritum*, quam convenientius *per vesicam rectificatum*, vel in *Essentiam* cum triplo Spiritus Vini alcalisati redactum varie tentavimus, [pro meritum, ut alias minus jucunde, etiam post rectificationes olens,] huc referens. *Musto* una pro melioratione illa additum, (præter exoterici fere quidpiam in sapore & odore,) parum de cætero conferre videtur; dum in quæsita hinc qualicunque fortificatione potiores Spiritus ardentis partes sunt: æque ac alii *Vina jam fermentata flaccescentia* 3 *Saccharatis sollicitare* conantur; licet in utroque artificio haud æquo semper Gratiarum aspectu. *Tartarus in Vini*, data opera destillati *residuo* concrescens, utut à nonnullis admodum, (ceu è Salis Essentialis prosapia) commendetur, experientibus tamen vix quidpiam ultra vulgare Acidum vel Crystallos Tartari præstat: nec *Iulepi de Vino communi* effectus tantus, ceu *Correctus* quasi quædam Aqua Vitæ est, ut præ vulgari quoque Jusculis Analepticis ac Panatellis, extemporaneis Limonatis, aut per duorum inversorum Vitrorum, (inferiore Vino, superiore Aqua repletorum,) reciprocationes infractis, fructuumve alterantium Essentiis attemperatis Vinis, aliisque Aulicarum Dilutis item (ab altera parte,) Claretis similiter extemporaneis, Vini cum Aquis aromaticis, Essentiisve competentibus, &c. mixturis, huc referri mereatur.

Quin potius residua, quæ inter 4 *Cephalica Nervinaque* magis recensentur, jam persequamur: & quidem si primo hic posuerimus 5 *Lilium Convallium*, non tam (oriente tunc quasi Nicotianæ odore,) solitarie, vel cum ipsa *Radice*, (inter tot usitatiora & polycresta Ptarmica,) *siccatum*, quam recens potius in *Spiritum*, (citra damnosam sæpe Fermentationem,) abstrahendo, sub mediocris tamen temperiei observatione destillatum, & ut Florum flagrantia sic quidem non attingatur, nihilominus sat jucundum: missa *Aqua simplici*, effœto *Extracto*, adversa *Conserva*, & 6 *Oleo* profecto tædioso. Si porro accedat 7 *Spica nostra*, *utralibet*, *in Herba Floribusque* conjunctis: aromatica vi non solum *Celticam*, sed exuta saltem peregrinorum complacentia,) ipsam *Indicam*, (cui tamen Celticam parem, ceu huic Valerianam in Substitutis fecere,) expertis alibi superans, alibi exæquans, etiam dum Rhabarbarum hodie cum Spica dari desiit,) in magnis istis Compositionibus. Sique dimissa herbita *Conserva* abstractitii Spiritus, (cum ardente quovis parati) tertia vel (pro roboris ratione) quarta pars, (*Oleum* copiose simul profluens aliis Cephalicis adjiciendo, emptitium vero, raro falsationis expers, veterinis mechanicisque nonnullis relinquendo,) dictæ Liliorum convallium Aquæ spirituosæ misceantur, *Aqua Apoplectica sive Cephalica* (post paucorum dierum repositionem) proveniat fragantissima: tam solitarie, quam superiorum Aromaticarum etiam extemporaneo accessu sufficienter in hoc genere præstans, quod tot (inconsideratæ compositionis, aut frustraneæ saltem variationis,) *Spiritus & Aquæ* (diversorum autorum) *Apoplecticæ, Cephalicæ Mirabiles, Aureæ, Salviata, Lavendulata, contra Vertiginem, &c.* in divulgatis hactenus libellis largiter promittunt, at perfrequenter (cum judicio quoque datæ,) parum servant; dum sæpenumero intensiori [per accessoris, aliterve affectatum acumen,] caliditate, vel incompetenti [Lactantius, Hystericis Hypochondriacisque haud paucis] Dulcoratione, [quo *Epileptica puerorum cum Rotulis perlatis* pertinet,] rem potius pervertunt, aut affectus exasperant: vel herbido saltem adversorioque odore [inter inconcinnam ingredientium proportionem] refectivam jucunditatem expectantibus confundunt; aut labores, Vitra atque expensas supervacue tantum multiplicant. Ita quod *vulgares Picarum*, & 8 *tres Hirundinum Aquæ*, [quo merito loco hoc recenseantur,] præ se ferunt, solitarium reliquarum saltem Specierum Destillatum, aut Mixtura nobis jam olim, citra omnem pullitiei associationem præstitit; nec [dum circa recentiora additamenta vel imitationes postmodum occuparemur,] *vivorum* semianimati quasi *Latices* solidi & præ parabilioribus quibusdam, [ceu *Lamii*, *Ia-*

NOTÆ.

10 *Combinatio*:] Scil. usurpatur spiritus vini nunc solitarius, nunc junctus cum spiritu salis acido, qua ratione emergit aqua temperata F. BASILII VALENTINI; nunc cum spiritu aut sale volatili urinæ, atque hac ratione spir. vini microcosmicus *conf. SCHRODERUM l.c.*

1 *Oleositatis*:] Scil. sunt, qui multum virium cordialium oleo vini tribuunt, quòd tamen tanti pretii non est, cùm illud sit spiritus vini concentratus, & facile beneficio spiritus vitrioli parari queat, sicut hunc modum habet WILLIS. *p.162.Ph.Rat.* & ejus ratio est, quod spiritu vitrioli absorbente phlegma spir. vini, hic coëat in corpus oleosum supernatans.

2 *Vini melioratione*:] Notat hîc GLAUBERUM parantem ex oleo vini vel triplo spiritu vini animam suam vini, pro melioratione vinorum, & in generosissima transmutatione, itemque pro cordiali; ast quemadmodum spiritus vini vino infusus hujus mutat saporem, ita & anima illa vini musto addita.

3 *Saccharatis sollicitare*:] Sunt qui vinum laudius meliorare gestiunt per saccharum, putantes illud de novo fermentativum; ast inanis labor; deficit nempè nervus, nempè tartarus, de quo *conf. BECHER. Phys. Subterr. de ferment.* ubi distinguit vinum in substantiam summam & infimam, hoc est, tartaream.

4 *Inter cephalica nervina*] Eligit AUTHOR lilium convallium pro spiritu abstractitio, hinc spicam nostratem utramque pro spiritu itidem abstractitio & oleo destillato, majoranam, rorem marin. respuit, sed immeritô, cùm & hunc pro spiritu & oleo destillando asservandum esse nos arbitremur.

5 *Lilium convallium*] Rore matutino madidum [ros enim hîc est quasi menstruum promovens spiritus illius elevationem:] destillatur cohobatione frequentiori in spiritum abstractitium, præsertim cùm ejusmodi aromatica nervina non opus habeant fermentatione, quia substantia illorum est avolans, & spiritum inertiorem sic reddens.

6 *Oleo tædioso*:] Scil. mirabile est, integrum cophinum liliorum convallium vix dare ℈j. olei, cujus rationem dicunt vulgò, esse quòd polleat illud sulphure mercuriali volatili. Et sanè ejusmodi nervinorum oleum nunc est à sale volatili juncto magis concentratum, nunc verò à phlegmate dilutum, quorum illa, quò magis fricantur, eò magis olent, & exsiccata odorem fortiorem retinent, v.gr. mentha, spica, dantque olea destillata. Econtra quæ sulphur odoriferum minùs à sale volatili concentratum, sed â phlegmate dilutum obtinent, illa post frictionem perdunt odorem, sicut & post exsiccationem sui, neque ex his oleū destillatum potest acquiri; ac talia sunt lilium convallium, rosæ, hyacinthus, jasminum, narcissus.

7 *Spica*:] Excellit, eaque tàm mas seu vulgaquàm fœmina seu lavendula. Ex utraque fit spiritus abstractitius, & oleum destillatum, & quemadmodum hoc oleum tàm externè senibus in paralysi artuum, quàm internè in hystericis affectibus est polychrestum, ita si misceantur spiritus liliorum convallium piij. cum pj. spiritus spicæ, prodit aqua apoplectica seu cephalica Auctoris, basis quarumcunque aliarum aquarum compositarum.

8 *Tres hirundinum*:] aquæ famosæ sunt pro usu hysterico & epileptico; interim si aquæ nostræ apoplecticæ addiderimus spiritum cum sale volatili C.C. vel etiam pro mulieribus castoreum, vel tandem acetum rutaceum vel phlegma vitrioli, habemus eundem finem.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

oea hortensis, germinis Avenæ, &c. *Aquas*, *Succum Sedi majoris*, *&c.* mulierculæ cum qualicunque interdum alteratione propinant,) specialioris quidpiam tantopere conferre visi sunt; utut residuorum ingredientium *Sale fixo*, *volucrumque Volatili*, (in notoria tamen amborum repugnantia,) secundum præscriptum saturati essent. Idem sane obtinuimus, si modo dictæ consimilive excitatoriæ Aquæ, (per temperatiorem aliquam etiam prius, si opus fuerit infractæ,] *salem Cornu Cervi rectificatus*, vel alibi *Salis Armoniaci Spiritus*, alibi *Essentia Castorei*, (solitaria vel *cum Rore minerali*, *Acetove medicato*,) permiscebantur, quo non solum *correctiorum è Pullis*, *reliquarumque Apoplecticarum & Cephalicarum*, (*cum & sine Castoreo, cum & sine Acetosis, &c.*) *propositarum Aquarum* succedaneæ, verum etiam *singularioribus*, *è Mineralium prosapia potissimum petitis*, haud adeo tamen interdum satisfacientibus æquivalentes aut magis polychrestæ Mixturæ prodibant vel ex tempore. Ceu pariter loco *decantata Apoplectica amara* mulierculárum Aquæ, citra peculiarem destillationem sufficientissimus habetur Liquor, dummodo (ceu alibi quoque notavimus,) prædictæ Aquæ nostræ Apoplecticæ simplici, Aceti rutacei dimidium cum guttis aliquot Essentiæ castorei addatur.

De cætero si hactenus nunc positis omnino quidpiam pro diffusiori apparatu agglomerandum foret, esse forsan posset 9 *majorana*, [*Maro vero* jam pridem sanioribus expuncto *semine* verò *conservaque Amaraci* interea dimissis,] herba; ut Aquis mage compositis adjiciatur, vel potius aliquantum *spirituosa inde seorsim*, *ut & Oleum*, [è quo ex tempore, pro lubitu *Balsamum* aut ipsum *Elæosaccharum* confiet,] destilletur. Sique tandem pro superpondio accesserit, in fragrantis [non quidem *Cretici*; sed tantum *nostratis*] *Thymi* vel æquipollentis *Satureja* defectu, valgatissimum saltem 10 *Serpillum*, præcipue pro *Abstractitio*, [*simplicique* potius, quam aliquorum *Composito*, *Benedicto* [*Spiritu*, extus imprimis non contemnendo, aliis destillatis, Tincturis. &c. competentibus, [*Aqua catarrhalis* quorundam imitatione] haud difficulter exaltando; satisfieri sic (ut probe scimus,) poterit omni quæ è reliquorum insigni congerie vulgo concipitur, expectationi; nec indigebimus insuper [præter jam expuncta] seu *Cretico nostrove* [balneario fere] *Origano* seu *Sthœcado* [etiam è Gallis] *Arabica*, [inter tot succedanea, & vulgari *Citrina* nonnullis requisitis, siquidem opus foret, satisfaciente;] cum exoletis inde *triformibusque vulgaribus correctisve* [inter tot penetrantiores Tincturas & Essentias cephalicas,] *Sirupis atque Conserva*. Non insuetatiori alias *Polio*, vel depastis ut plurimum *Schœnanthi* culmis, ob aromatici tantillum afferti certe vix promeritis; non inconsiderate hic *siccatis Tilia vel Conservatis floribus*; aut (eleganti ori quidem] *Veris primula* post exsiccationem magis adhuc languente; ejusve *Conserva simplici* vel aulicarum alicubi *Sicca*, *Extracto* admodum effœto *Fermentato*, *Sirupo*, *Melle*, & si quid aliud inde, expectationem etiam dum *recens*, *æque ac Tiliæ flos* fuerit, intus in plerisque fallens, vel additamentis potius effectum debens] una cum supervacaneis *Foliis radiceque* petitur. Non *Thymi Satureiæve oleis*, *aut* [*Origanique*] *Aquis*: imo [ni compositarum quarundam causa manipulos aliquot, nullibi tamen non habendos, seorsim reponere placuerit, de cætero ne *Salviæ* quidem adeo, seu lotis seu illotis *foliis ac floribus*, solitariis vel *Conservatis*, aut [non sine multa debilitatione] *Extractis* vel *in Essentiam liquidam* dilatis; uti nec tædiosiori *Salvia Oleo*: nec ipsa [quamvis olim decantatissima,] cum *floribus suis Betonica*, indeque parata *Conserva*, [cephalicorum conditorum matre vulgo seu basi,] *Extracto* languido, ejusdemque sortis [ni præter necessitatem operosior instituatur confectio,] *Sirupo* [dum *Compositus* alias eviluit,] *simplici quovis*, aut ob dimidiam unciam dicto *ac* 1 *Betonico Emplastro*, inter tot affecto capiti satisfacientia, destillationesque securius impedientia; ut nec operosiora carioraque recentiorum *Substituta Cephalica*, nec antiquorum ex parte huc pertinens *Gratia Dei &c.* pro expeditiori Praxi exigantur. Sane nec Chirurgorum *cephalici Sacculi* sine Betonica deteriores sunt; dum alibi solus cum calefacto Vino fotus, alibi unum alterumve è vegetabilibus hactenus se lectis consimilibusve Euporistis, [etiam è fæni, Trifolio exuberantioris retrimentis subter colligendis,] apprime satisfacit: quo nec [laudatissimi quidem] 2 *Rorismarini hortensis*, [nam *sylvestris* in ea raritate nunc fere circumforaneorum est,] necessitatem videmus, ut ejuscemodi Topicis, minusque adhuc internis usibus adeo vindicentur *Folia*, *sola*, vel (ubi tolerabiliter suppetunt,] *Floribus* interspersa; aut *Oleum*, præter rem care satis destillandum, herbidave *Conserva*, vel supervacaneæ [inter tot aromatica] *Dianthos species*, aut rari usus *Mel officinarum antiquius recentiusve quodvis Extractum* alias effætum, *Essentia liquida* languida, *Aqua simplex ipsaque spirituosior* adversi saporis est, Compositasque alias sub paulo liberaliori herbæ florumve accessu similiter tales reddit: sane præ Cephalicis Odorisque nostris hinc inde positis, præsentius quidpiam non præstat; uti nec frequentatiores adhuc, [sed opinioni traditionive plerunque potius quam realitati cuidam innitentes,] *Betonica*, *Salvia*, *Primula veris*, præque reliquis mulierculis commendata *Florum Tilia &c. simplices* [raro primitivi sui gratiam attingentes] *Aqua*; ac horum aliquod *Abstractitii*, quemadmodum & *Cerasorum nigrorum* diversimode [sed fama effectu, ni *Spica* tunc adjiciatur particulo, passim majore,] conquisiti *Spiritus*,

Ipsa 3 *Pæonia tum maris tum fæmina*, etiam ad superstitionem usque collecta *Radix*, [in taleolis] *appensa*, *pulverata*, *decocta*, *condita*, *imo destillata quoque*, quantopere expectationem curative fallat, hinc inde non sine tædio observamus. Nec adeo præsentius est *Florum* utut speciosiorum; *Destillatum*, [Aquis aliis excitatoriis, etiam citra eorum accessum, præter efficaciora nonnulla specifica, sufficientibus;] uti nec *Extractum* [parumper de cætero ad impediendum situm saccharum; sive è dictis *Floribus recentibus aut siccatis*, *sive è Radicum exteriori cortice*, vel superstante [effætæ) *Facula succo* paratum fuerit; licet alias *Sirupi* [varie usquedum propositi,] *conserva Tincturaque* [*è floribus vel extimis corticibus confecta*,] imo ipsius *Extracti Diapæonias* locum evidentius complere posset: siquidem hic citra alias correctiones, Essentiæ quædam similiaque competentia haud difficulter, si opus foret, adjicerentur; æque ac tot *Extractorum Cephalico epilepticorum vegetabilium*, [ut plurimum desidum, vel exi-

NOTÆ.

9 *Majorana*:) In spiritu abstractitio pro catarrhalibus capitis affectibus est egregia, sicut & oleum ejus destillatum prodest affectibus narium, obstructione, polypo, coryza odoratuque deficiente, tàm per se usurpatum, quàm cum corpore in formam balsami redactum.

10 *Serpillum*:) Rore matutino madidum inservit affusione spiritus generosioris pro spiritu abstrahendo, cum quo hinc D. D. MICHAEL ex ligno Sassafras paravit Essentiam suam catarrhalem dos. ℨß. ad ℨj. imperando desuper sudorem, egregiam.

1 *De betonica Emplastro*:) Scilicet Betonica inter vulneraria cephalica recensetur vulgò, illam tamen minoris æstimat: AUTHOR, substituendo vel sacculos cephalicos alios, sine ingrediente Betonica ex recentis fœni semine, & capitibus trifolii prægnantibus confectos, pro scopo nempè discutiendi, vel emolliendi.

2 *Nec Rorismarini*:) Hunc contra AUTHOREM seligimus, eò quod præter usum nervinum speciosissimè conferat in fluore albo, mensibus suppressis, sterilitate, & morbis post partum uterinis, tam in spiritu abstractitio, quàm in oleo destillato usurpandus, non secùs, ac ejus cum ligno sassaffras factum in vino decoctum egregium est in affectibus catharralibus chronicis.

3 *Ipsa Pæonia*:) Hic observandum, quòd quemadmodum optima reverà simplicia in effectu non semper convenire possunt, ita nec mirum sit, Pœoniæ radicem interdum in epilepsia fallere, utut aliàs radix illa ritè collecta, & de collo suspensa epilepsiam curaverit, & viderimus in Angliâ quendam hujus usu à desperata vertigine liberatum fuisse. Cæterùm hæc sunt collectionis illius appropriata tempora, nempè mensis Julii, cum sol ingreditur Leonem, hoc est, 12. 13. vel 14. ejusdem dies, & quidem decrescente lunâ, cum accrescente lunâ capitis affectus inimica sit, eosque exasperare soleat. Deinde colligenda est Pœonia mas quæ instar juglandis conspicitur, & respectu thyrsi quoque differt à Pœonia fœmina) cum sol est in signo arietis, hoc est, mense Martio adulto, decrescente luna. Neque enim superstitio subest huic collectioni, cùm noverimus & lignum quoddam de collo suspensum, & certo tempore collectum abigere erysipelas. Præterea semen Pœoniæ exhibet emulsionem non inconcinnam pro incubo & infantum terrore nocturno, minante epilepsiam ipsam. Tandem oleum ex hoc semine destillatum parcum provenit, & expressum oleum illius vix exiguum habet.

TEXT. LUDOVIC.

gua ingredientium inter se proportione, aut ad extractionem aptitudine usquedum constantium) vice, parilis *Mixtura* eodem modo conferet. Sed parelca hæc nostri nunc non sunt selectus. *Semen Pæoniæ* majorem aliquibus præ se ferret speciem: verum etsi Cephalicis quibusdam Pulveribus adjiciatur, in se tamen antepileptici parum contribuit, puellarum Armillis tantisper aptius; ceu *Oleum destillatum vel expressum* iis, qui otium citra tædium ejusmodi minutiis impendere consueverunt. *Aquam Panaceis Heraclei* paulo ante inter Hysterica adduximus; & si quæ ulterius in specie *Epileptica* dicuntur, (hujus illiusve Autoris olim aut nuper nomine;) saltem inter ponderum variationes, ingredientiumve transpositiones parum præterea vel nil amplius præstant, quod in *Aqua Liliorum convallium s. vel cinamomisata, Apoplectica suprapposita s. vel castorisata, &c.* similiter exsuscitantibus aut stomachi nervos demulcentibus non inveniatur. Ejusdem vero sortis & 4 *Viscum* est, sive (pro prescribentium opinione,) è *Quercu, Pyro, Pomo, Cynosbato*, sive speciosius adhuc è *Tilia, Corylo*, ipsave (infidi *Periapti Sambucini* matre) *Salice* recisum & *Pulveratum vel appensum, aut in Spiritum* quoque (acido è Corylino, Guajacinove ligno nihilo hic pollentiorem, destillatum fuerit. *Extractum* solitaria stolonum raspatura [forsan interdum aliquid absorbente vel invertente,] adhuc debilius deprehenditur, *Aucuparium*, (bonum alias, sed pene neglectum malacticum, epispasticum & intermixto sulphure resolvens,] sociis istis linquamus; *Squammariam cum Aqua sua, Lunariamque botryoidem* [hic tamen interdum non contemnendam,] in ea talium raritate, quemadmodum & *Pulsatillarum Vrsique*, [sed nostra quidem observatione *Doronico* remissiorem) *Auriculam* curiosiorum experimentis; *Nigellam*[dum supervacua est ejus *Præparatio*, & *Aquæ Oleique* collectio,] villicorum periaptis ac suffitui: *Antirrhinum* manifestioribus circa incantatos comprobationibus: *Anacardos denique crudos* aut frustra *Præparatos, cum Melle suo, Confectioneque vulgari* perpetuæ oblivioni; promissis enim haud adeo se exolvit, ut proin nec *Liquidam* inde *Essentiam Confectionesve correctiores, &c.* exsuscitatricem vim accessoris potius debentia, huc trahenda videantur. Quemadmodum nec *Euphrasia*, toties caliginosos, vertiginososque [etiam in *Pulvere, Conserva Infusoque* continuata,] fallens, ejusve *Simplex* vel composita *Comunitatis* [inter tot detergentia balsamicaque Topica] *Aqua Spiritusque* ad internos aliquibus usus *Compositus*.

Qui diffusiori apparatu dicuntur, forsitan *Verbenæ* (missa obstetricali *Aqua*) vel potius *Anagallidis Phæniceæ Cæruleave Extractum*, (similiter neglecta ejus *Aqua*,) super addere possent. Sed utrumque Simplicio suo (gregariis nonnunquam conferente) deprehenditur debilius, posterioris vero loco polychrestum *Nypericinum* sufficit. Quantum autem ad residua, revera pleraque superiorum annorum *Extracta cephalica composita, Majora atque* (ceu inventoribus dicebantur) *Minora* deperdita ingredientium volatilitate languent; quique è paulo ante positis sequentibusve Aromaticas Aquas, Spiritus volatiles, Olea destillata, Tincturas Theriacales, Anodynas, Essentiam Succini, consimiliaque alia per se, vel respective cum analogis Extractis &c. in essentiales Liquores inter se vel ex tempore, simplicissimeque mixta convenienter adhibuerit, non solum istorum *correctivis aut substitutis*, à diversis diversimode multiplicatis, verum etiam aliorum *Diapæoniæ reliquisque Cephalicis Epilepticis Elixiriis atque Mixturis*, & magis adhuc (pro forma tantum, citra notabilem effectum, sæpe non sine manifestaria noxa in eam consistentiam redactis) *Sirupis. Cephalicis Epilepticisque* facillime carebit. *Salia Pæoniæ, Salviæ, Verbenæ Euphrasiæ, Origani, Majoranæ, &c. fixa simplicia*, vel cuidam etiam *Composita Cephalica*, alias specifici parum huc conferunt. Et *Pulveres* è supradictis vegetabilibus Antepilepticis, varie (cum Aromaticis quoque & Pretiosis, imo ipso raspato, foliato, vel ulterius resoluto Auro (per magnis promissis *Compositos vulgares, Epilepticos, Diapæoniæ Marchionis &c.* solitarios nil pene, aut accidentario saltem interdum quidpiam hactenus hic potuisse, sane palam est; quique solum qualecunque saltem solamen potius ab accessoriis Præcipitantibus; in sympathico fortasse malo profectum notaverit, nec *recentiores usque dum substitutos*, nucleorum seminumque Massis, Magisteriis, aliisque pretiosioribus, item permultis exotericis, molem (in Paroxismo inconvenientissimam,) augentibus varie constantes 5 *Epilepticos Pulveres ac Species* seorsim requiret, solitario euporistoque quodam Invertente, è Minerali Animalive regno petito, & Cinnabarinis Anodynisve competentibus exaltato, secure contentus: ceu amplius in istarum classium recensione postmodum hæc persequemur. Eadem vero dubio procul est *Præservatoriorum* quoque ratio ac fundamentum; præsertim in Infantibus, quibus pauca 6 Pulveris nostri *Bezoartici albi suprapositi* grana plus conferunt, quam magna *Pæoniatorum, Olibanatorum, &c.* quantitas: Ireosque potius esse videtur, quod [præter alia matrum familias usualia,] *Pulveri puerorum communi* adscribitur, Residuos *Cephalicos, Apoplecticos, Mnemonicosque Pulveres*, & è supra recensitis huc spectantes *Species* partim expectantes vota notabiliter deserere, partim si specificis seu Appropriatis quibusdam Involucrum quasi quoddam [ex Aromaticorum & similium remissiorum vel alienorum vegetabilium genere] omnino requireretur, in diffusissimo quidem apparatu vel *unina sub formula*, [diversimode sic applicabili,] sufficere, in contractiori vero sylloge, extemporanea talium, [siquidem exigeretur,] Mixtura consultius compensari posse quis hodie diffitebitur?

Sic loco tot *Simplicium varieque Compositorum* 7 *Balsamorum Cephalicorum, præcipue Apoplecticorum* confiniumque loco, nostris quidem nunc intentionibus *Vnicus* similiter satisfacit simplicissime sub debita genuinorum aliquot Oleorum proportione mixtus, sicque [dum Moschus ac Zibetha defuerint, languidioris vero Ambræ pretium merito declinare voluerimus,] nihilominus sat fragrans; uti hujus generis Formulæ tritioribus libellis familiarissimæ existunt. Quantus autem 8 *Destillatis istis Nervinis, Vitæ Mnemonicis, Antiparalyticis, &c.* decantatissimis quoque, sed utplurimum incomptioribus, vel Em-

NOTÆ.

4 *Viscum:*) Visca contra AUTHOREM non contemnimus, ac vidimus corylini dos. ʒß. ad ℈ij. effectus nunquam exspectatos in epilepsia chronica, & tiliaceum ut quercinum suam laudem mereri, BOYLE probat *in Philos. Experimentali*, cui tamen palmam præripit corylinum. Sic utut amuletum illud ex sambuco in salice crescente contra epilepsiam non raro infidum sit, hoc ipso non est rejiciendum, cùm ejus insignem dicto in casu effectum præter HARTMANNUM referat *BARTHOLINUS in cent. Anatom.* Interim spiritus acidus Viscorum non tantùm præstat, quantum visca per se, cùm crasis seminalis eorum per Igneam vim mutetur, utut oleum & Spiritus Heraclinus RULANDI antiepileptica sint paranda ex ligno coryli certo tempore reciso.

5 *Epilepticos pulveres:*) Ex his pauci sufficerent, nempe ad epilepsiam puerorum duo imprimis prostant remediorum genera, utramque itidem paginam facientia, eaque sunt vel fixa absorbentia, vel volatilia positivè magis fomitem morbosum corrigentia; quibus utrisque jungenda sunt anodyna, impetum spirituum sistentia. Jam verò inter fixa excellit sulphur antimoniale fixum, quale est cinnab. antimonii, cui ex animali regno præter C.C. unicornu marinum & margaritæ jungi poterunt; sicut contra inter volatilia eminent sal volatile succini & sal volatile C.C. quibus combinandum est tantillum camphoræ, hincque egregiùs existit liquor C.C. succinatus ritè paratus; quia adultioribus & epilepticis annos 15. ad 18. natis specificatus cum camphora & opio prodest.

6 *Pulveris Bezoardici albi*) Hujus descriptionem tradit AUTHOR *supra p. 280.* constatque ille ex C.C. Philos. terra sigillata & unicornu fossili, indeque hunc commendat pro epilepsia puerorum ex consensu abdominis natâ præservativè.

7 *Balsamorum Cephalicorum*) Alia sunt voluptuosa Zibethum, Moschum & Ambram recipientia, quæ tamen nihil ad nos, alià medicamentosa, quorum plurimorum loco seligantur olea pauca destillata appropriata, v.gr. instar primarii corporis esse potest oleum destillatum succini, (utut hoc sanis delicatioribus ingratum videatur) cui addatur dimidium olei destillati spicæ, Lavendulæ, hæcque ambo acuantur oleo destillato Majoranæ, ita emergit balsamus apoplecticus; cui pro scopo confortandi adjici poterit q. s. olei destillati cinnamomi, & parùm olei destillati caryophyllorum, hincque omnia sub debita proportione olea nucistæ expressa excipiantur, &, si color balsami flavus inimicus est, cum C.C. usto minutim pulverisato in nigredinem tingi poterit.

8 *Destillatis*) Scilicet olea destillata penetrantissima sæpè internè minùs conveniunt, eò quod sint nimis graduata & generosa, nervosque nimium irritando iisdem inimica; non secus ac eadem externè

ne interdum contracturas artuum inducunt, quale Phænomenon aliquando ex usu externo oleum petroselini misti cum destillato oleo spicæ & terebinthinæ ipsimet vidimus in quodam; unde mutato consilio præscribebamus & ordinabamus potius spiritum formicarum, lumbricorum terrestrium per putrefactionem paratum, mistum cum spiritu salis ammoniaci ex calce facto & aqua articulari ad extra.

TEXT. LUDOVIC.

pyreumate infectis *Balsamis* effectus superest, quem Olea quædam convenientium simplicium inter se mixta, imo solitarie solum adhibita non compensent? Memoriam hisce raro auctam, phantasticum potius hinc incrementum, & post siticulositatem quandam supervenientes Epilepticas tandem convulsiones vidimus; ceu Contracturæ aliæve noxæ, etiam citra Agyrtarum in artubus abusus, haud infrequentes inde sunt. Qui vel facilioris dispensationis causa hujuscemodi (alias equidem extemporaneam) *compositionem* reposuerit, v. g. 9. Olivarum aut Nucum Oleum, tanquam è *persicorum nucleis vel amaris potatorum Amygdalis* (quibus *Prunorum Cerasorumve nucleos* alius substitueret,) aut insolentius adhuc è *Nigella*, *Carthamo*, *Eruca*, *Ricinove expressis* parabilibus, & nihilominus diversimode sufficienterque accommodandum vel exaltandum, Destillatis aliquot medicando, vel infusis Simplicibus sulphureis convenientioribus, (ne Terebinthina, Styrace liquida, Balsamo Peruviano, &c. poros inviscantibus intimior penetratio impediatur,) saturando: profecto non solum prædictis. 10 *per destillationem Compositis*, verum etiam reliquis Externis resolventibus, olim inter penetrantiorum defectum profusissime infectis, (v. g. *Costino*, *Nardino s. ac composito*, *Resolutivo excellenter sic dicto*, *Sampsuchino*, *Enulino*, *Castorino*, *Piperino*, *Liliorum alb. composito*, imo quoque *de Euphorbio*, Infusis spirituosis aptiori, *de Styraca &c.*) prompte carebit; nec cur talium *Variationes*, *penitiores Correctiones*, aliasve (*sub supra dictorum Simplicium*, *vel compositorum Nervinorum*, *Antepilepticorum*, *Antapoplecticorum*, *Moschelinorum*, *Carminativorum*, *Polychrestorum*, *&c*, *Oleorum ac Balsamorum titulis*,) propositas formulas, (in *Expressitiis* ut plurimum debiliores, *Infusa* per resinosiorum dissolutionem quasi inviscantes, utrinque per extemporaneam mixturam facillime supplendas, superaddere debeat, necessitatem aliquam inveniet. Quemadmodum amplius, si *Vnguenti* consistentia fortasse videretur certas in circumstantias commodior, & vel à patrefamilias, aut usus demum tempore 1 malacticum simulque resolvens quidpiam, familiarior scilicet quædam, *Pinguedo*, ceu ipsum *Butyrum*, *simplex herbisve nonnullis alteratum*, haud immerito, vel ortos sui causa huc trahi posset, supradictis Oleis solitariis aut inter se confusis proportionaliter admisceretur; compendiose sic & æque feliciter habebitur, quicquid in (vilescentibus nunc alias) *Aregon*, *Martiato*, *Nervino*, *de Bdellio*, *Dialthea composito*, *&c. Officinalibus. vel è Veru insuper* (fartis, taxis, Canibus, Anseribus,) *destillatis unguinibus* quæsitum est: nam reliquam longe evidentius faciliusque Vesicatoriis, Rubicantibus, &c. item saponariis plebejorum mixturis, Sacculis Fomentisque transigi versatiores norunt? ut nec (diversimode his hactenus superadita) *Paralytica*, *Resolutiva*, *Carminativa*, *Nervina*, *similiaque* præter rem sæpe cariora vel operosiora) *Vnguenta* pro curatiori Praxi ac Pharmathecio tantopere requirantur: ceu pariter quod è 2 Resolventium residuis communiter huc relatis, aut seorsim reservatis, *Loto* (etiam *in Aquam* destillata: *Trifolio*, *Logapo*, *Galilo Martiati unguenti* assecla,) imo ipsis, (ni vulgaribus tonsorum persuasionibus *Emplastroque* suo dare voluerimus,) *Meliloti albi luteave Summitatibus* (misso præ *Fænugræco*, *Semine & Aqua*,) hic expectatur, in *Fœni saltem retrimentis minutiisque* supra jam notatis, Seminis nomine venientibus, [ut Matrum familias *Chamomillas*, *Hyoschyamtum*, *&c.* taceamus,] largiter invenitur; 3 vix autem in *Abietis Piceave vel Pinastri*, *strobilis cortice & Summitatum* glutinositatibus (siquidem è *Pinu Cupressove* talia seu roborandi, seu insuper stringendi causa petere profecta supervacaneum, uti *Oleum è Cupressi raspatura* destillatum, odorum at curiosius, nec hujus loci est;) quod secundum consuetas commendationes Arthriticos Resolutosque singulariter fideliterve juvet.

4 *Emplastra resolventia*, *tam usitatiora* hactenus, quam per *aliorum variationes aut correctiones* diversimode superaddita; tot sc. *Nervina*, *Arthritica*, *Antipodagrica*, *Ischiatica*, (malum per accessoria pinguia, resinosa similiaque tractiva plerumque magis exasperantia, vel licet Hyoscyamina quoque & alia Anodyna accedant, pro forma tamen tantum modo & opiniotenus, donec dolor interea cum impotentia cessarit, gestata,] tot operosa sæpe (dum simplicissimum è *Colophonia & Succino compositum* sufficere posset,) *Diaphoretica* ac reliqua hujus sortis opercula, vel solum *Diasulphuris vulgare*, [competentiori tamen quam communiter præscribitur, ingredientium proportione compositum) æquat aut superat; ceu tonsorum quidam euporistum è *Sice su-*

NOTÆ.

9 *Olivarum aut Nucum oleum:*) Pro litu externo oleoso pro emolliente, & nervino suadet AUTHOR. Interim tamen diceremus, potiùs loco illorum tanquam viscidorum, adeoque in recessu acidorum, sumendum esse petroleum, præsertim album, & huic jungendum oleum destillatum juniperi, terebinth. spicæ, &c, Vel etiam recipiatur loco allegati petrolei oleum lumbricorum terrestrium paratum, ex iisdem vivis oleo olivarum infusis, & mediante diuturnâ digestione resolutis, quòd per filtrum hinc separatum acuatur cum oleo destill. tereb. vel spicæ.

10 *Per destillationem compositis*) Quicunque tandem olea quædam composita desiderant, ii sibi parent Galbanetum illud PARACELSI (quod habet SCHROEDER 9 *l.* 5 *p. m.* 196.) sive oleum compositum ex galbano & terebinthina, hocque pro re nata oleo spicæ destillato acuant.

1 *Malacticum simulque resolvens:*) Unguentum si volumus habere, tunc recipiamus oleum destillatum spicæ, terebinthinæ, juniperi, majoranæ, hisque sociemus pinguedinem familiarem, nempè vel anserinam, (quæ penetrantior,) vel caninam, (quæ resolutiva magis & calida) vel humanà, (quæ magè temperativa existit) denique butyrum majale simplex, h. m.

℞. *Ol. Terebinthin.* ℥iij.
destill. juniperi ℥ij.
spicæ ℥ß. M. His combinetur *pinguedo humana vel anserina* nonnihil calefacta à ℥iij. ad ℥ß. & ℥vj. qui horum consistentiam viscidiorem optat habere, addat sub calore ignis *Resinæ*, vel *Terebinthinæ* parum, hac ratione impetrabitur ad extra unguentum pro resolutis, luxatis & contortis membris sufficiens.

2 *Resolventium:*) Sic pro scopo resolvendi & discutiendi seligatur Melilotus chamomillaque tota, & his subinde addatur hyoscyamus, rediganturque omnia in formam cataplasmatis vel epithematis sufficientissimi: non secùs, ac simile ex fœni recrementis, trifoliò, seu loti specie abundantibus parari potest.

3 *Vix autem in abietis*) Scil. loco oleorum ex hujus aut pini strobilis destillatum sufficiat pro solutis arthriticorum partibus nobile oleum destillatum vel balsamus terebinthinæ, præsertim cùm illud balsamum Occidentale à STARCKIO salutetur.

4 *Emplastra Resolventia*) Hæc omnia pariter aromatica ex pinguibus constantia, quia v. gr. malum Ischiadicum & arthriticum exasperant, hinc AUTHOR N. aliud seligit. Et quidem vulgò talium emplastror. resolventium in tumoribus dolorosis duo sunt ingredientia, nempè vel pinguia, olea, mucilagines, & resinæ, vel gummata paulò acriora, aliàs attrahentia dicta. Jam verò sicut priora nihil valent, dum poros cutis inviscando impediunt, quò minùs tumor insensibilis transpirationis beneficio resolvi queat; ita gummata tumores nervosarum partium dolorosos exasperant; equidem diceres, hyoscyamum esse addendum, quòd verùm quoque interim dubium emergit, an tunc emplastrum an verò naturæ motus juvet? unde potiùs loco diaphoreticorum emplastrorum pro tumoribus artheticis sufficiat hoc. ℞. *Colophon. pulv.* p. ij. vel iij. cui super Ignem liquefactæ inspergatur sensim *succinum* minutissimè *pulv.* ad part. j. hincque cum pauco *Terebinth. & Cera* F. Empl. quòd subusus tempore cum oleo destill succini vel petroleo malaxatum applicetur. Vel sufficit quoque empl. diasulphis RULANDI, quod ex HARTM. describit SCHROEDERUS *l.* 2. *p.* 200. in cujus ingredientibus tamen Myrrhæ abundantis proportio culpanda venit, indeque potiùs loco hujus ad pondus omnium sumptæ accipiatur

tur myrrhæ & terebin. ana. q. s. pro empl. molli & tractabili. Sic egrium quoque est emplastrum, quod fit ex pice sutoriâ liquefactâ, inspergendo eidem pulv. sulphuris; loco cujus tamen & commendamus empl. illud POTERII quod habet *Cent.* 2. *obs.* 13. cum hoc in malo ischiadico reverá sit egregium, sicut & in luxatione vertebrarum supra os sacrum. Equidem difficulter hoc detrahi potest, si tamen lapis calefactus priùs applicetur, tunc facilè cedit emplastrum.

TEXT. LUDOVIC.

toria cum Sulphuris polline subacta parili successu adhibent;] alibi [pro affectuum ac circumstantiarum ratione, quamvis sub alio operandi modo;] 5 præstantissimum illud *ex Oleo seminis Hyoschiami expresso* [*simplici*, quidam enim *sulphuratum* quoque adhibent,] *cum succo proprio cera & terebinthina tantillo* paratum elegantis viroris & effectus, [cuivis insuper 6 *Splenetico, de Ammoniaco, Sicuta vel Tabaco, &c.* teneriorum persuasioni datis, aut accidentariis, sæpe plane vomitoriis Emplastris par vel superius;] longe magis benefacit: ut denuo præsentiora, alibi quidem Vesicatoria, alibi vero Nitrata, 7 Alcalisata vel Medicamentoso Lapide alterata Topica, præstantissimos Spiritus volatiles urinosos, item [dum affectus certi interdum admittunt,] Olea destillantur parabiliora & Balsamica, vel solitaria (cum illiquata saltem Terebinthina extensa] Gummata resolventia [magis usitata, &c. prætereamus *Febrifuga è Seto*, 8 *Araneis similibusque hactenus nota Emplastra.* Quotidianas Tertianasque, sub accuratiori nunc methodo vix exigere, Quartanas autem non, aut vix aliquando tandem revereri, alibi notavimus; extemporanea interea ejus generis *Cataplasmatum*, æque tum sufficientium compositione. *Hydropica*, [quanta etiam,] vanum veri perfectique morbi [nam perfunctoriæ lympharum restagnationes internis aliis commodius solvuntur,] solamen, *Ceroneum Cerineque*] haud inepte quidem Nitratum,] *Cerata* hodie exoleta, famosissima demum 9 *Oxycrocea, seu vere seu citra cum* [diversimode nihilominus aliumque in scopum] confecta, quamcunque etiam Indicationem aut assignatam virtutem spectamus, [inter superiorum sequentiumque resolventium ac roborantium collationem] profecto superflua. in Fracturis [nonnullorum more, præter reliquos abusus,] mage ab initio plerumque noxia sunt.

Ita qui laudatum modo *de Hyoscyamo Emplastrum*, solitarium vel aliis malacticis aut resolventibus, pro scopi ratione convenienter exaltatum, ubi vero suppuratio festinanda fuerit, *Cultes ac Cataplasmata domestica*, [longe nunc præsentiora] considerate adhibet, ne quidem [tot editionum] 10 *Meliotinum* huc arcesset: ni forsan diffusissimos in apparatus, antiquariorum tonsorum, [mordicus Magistrorum suorum modis mediisque inhærentium] persuasionibus tale quidpiam, sed exotericorum Resolventium Gummatum respectu probe prius circumcisum dare, sicque *Cerati de Ammoniaco, Diachyli compositi, Diachyli cum gummis antiquiorum aut recentiorum, Emollientis sedantis comp.* conformiumque locum, imo [per facillima malacticorum additamenta] *ipsa* 1 *Emplastra ad Tophos, & utrumque de tadiosissimo Oesippo*, [licet citra Saturniorum Mercurialiumve Amalgamatum aut Malagmatum, vel alibi citra semivesicatoriorum Emplastrorum, aut plane Cathæreticorum accessum: revera spem fallant aut protelent,] supplere voluerit. 2 *Matricale quoddam* mage commodum, & præ *Unguentis Balsamisque quorundam Hystericis*, ob contactum quasi conclusum aptius videtur; at simplicissime tantum, v. g. è Galbano & Castorei oleive Succini particula [citra gummatum reliquorum, Iovialium, Opii, aliorumve vegetabilium superfluorum accessum, & citra *Moschi Zibethique* in medio seu Emplastri seu abdominis sepulturam,] paratum: ceu laborum minus prodigis solum quoque *Galbanum, Cerati modo extensum* abunde satisfaciet.

Atque quo ipsa proin hactenus attacta 3 Gummata pro classis hujus complemento persequamur, profecto hinc sufficiet[è Gra-

NOTÆ.

5 *Præstantissimum illud emplastrum ex oleo seminis hyoscyami*) Commendat hic AUTHOR & sanè noBilis est illius compositio, dum ♃. Succum hyoscyami ad consistentiam mucilaginis inspissatum, huicque calido addit oleum sem. hyosc. expressum, hinc invicem benè agitando, sub finem addit paucum ceræ & terebinthinæ, & ita in consistentiam emplastri anodyni, & resolventis tumorum duriorum redigit.

6 *Splenetico*) Hoc sc. empl. & hyoscyami allegatum specificari potest, nunc cum gummatibus v. gr. gummi ammoniaci dimidio, vel galbano, loco splenetici Emplastri in casu tumorum scirrhosorum viscerum, in quo Narcotica ejusmodi, affirmante hoc *DORINGIO de Opio*, pro scopo emolliendi sunt optima: itemque in quartana febre cum affectibus splenis comitata: Nunc cum succo Cicutæ, in casu tumorum duriorum partium nervinarum nunc cum mercurialibus, v. gr. mercurio in saliva jejuna extincto vel āāāte ejus, in casu nempe Tumorum & Gummatum venereorum.

7 *Alcalisata*:) Hæc externe in Tumoribus oriundis ab acido egregia sunt pro discussione illorum, adeoque & aqu. calcis vel spiritu salis ammoniaci cum calce parata in tumoribus mammarum ex lacte coagulato excellunt, ut miremur hanc usurpari adeò rarò, cum tamen optimè resolvat stagnationem contentorum. Cæterùm potest & spir. salis ammoniaci misceri cum oleis in consistentiam unguenti, quod inventum fuit BURRHI, ex relatione BARTHOLINI dicentis, nullum talium altero manè vestigium remansisse, indeque Terebinthina cum Sale volatili urinæ in pauxillo aquæ soluto trita in mortario dabit unguentum candidum proficuum.

8 *Araneis*:) Intelliguntur hic Emplastra febrifuga, quale est illud SCROEDERI è STROBELBERGERO mancè descriptum; indeque loco ejus melius fiat ex fuligine furni splendente, Terebinthinà. Camphora & oleum aranearum quod formâ Emplastri carpis manuum applicatum, in febribus intermittentibus non inconcinnum, interim & hujus loco commodiùs blanda vesicatoria assumantur, in Tertianis & Quartanis chronicis nuchæ, vel carpis applicanda.

9 *Oxycrocea*) à Chirurgis externè usurpantur, quando à causâ externâ locus nerveus est læsus, pro discussione scil. Tumoris; Interim illa non æquè in fracturis tuta sunt, *confer.* HILDANUM *Cent.* 4. *obs.* 99. & 100. ubi legitimum habet horum Oxycroceorū usum.

10 *Melilotinum*:) Emplastrum non rejiciendum est, præsertim cùm ejus concinnior descriptio habeatur in *PAULI Botanic. Quadrip. p.* 392. Interim tamen pro suppurandi scopô parabiliora prostant v. g. pultes, & Cataplasmata domestica, ex N. herbis Chamomillæ, Malvæ & Meliloti in lacte coctis paranda Non secus euporiston quoque est, quod paratur ex sapone communi in lacte calido dissoluto, nam & hoc insigniter emollit, & maturat tumores.

1 *Emplastra ad Tophos*:) Scil. cùm tumores intensiores neque communibus Emplastris, neque etiam alkalibus cedant, hinc mercurius, repræsentans alcali metallicum ac absorbens acidum Tumorum coagulans, resolutivus & penetrantissimus advocandus erit, isque nunc vivus in saliva extinctus, nunc cum Saturno maritatus, de quo āāāte *conf.* SCHROEDERUM *n.* 2. & DEKERS *in Prax.* BARBETTIANA *p.* 16. HOFFMANNUM *in Clav. p.* 261. atque hoc āāā putamus intelligere POTERIUM per mumiam suam mineralem, quàm ad ulcera desperatissima adhibuisse se fatetur.

2 *Matricale*:) Emplastrum in Suffocatione hysterica usitatum videri potest in *Ph. August.* sub nomine Emplastri matricalis de Galbano usitati; interim loco illius sufficere potest Galbanum simpliciter liquefactum, & malaxatum cum p. iij olei destillati Succini & parte olei spicæ quod inductum super alutam, imponatur regioni umbilicali, præsertim cum olea allegata scrobiculo cordis vel umbilico illata, imponendo de super laterem calefactum in eadem Passione hysterica non sint infructuosa,

3 *Gummata*:) Inter hæc graveolentia pro scopo resolvendi externè ac internè AUTHOR eligit

Gummi

Gummi Galbanum, quod & pro usu externo concedimus; interim quia illud prægummi ammoniaco internè assumptum magis ingratum & nauseosum est, hinc hoc loco illius commendamus, præsertim cum idem pro scopo incidendi gummati galbano palmam præripiat. Cæterùm si galbanum internè assumendum, solvendum illud est pro sui depuratione & quisquiliarum separatione in aceto vel vino, & denuò inspissandum; contra si idem externè adhibendum sit, dictâ ratione non depuretur, sed saltem blando igne in terebinthina liquetur, ne secus oleum hujus volatile avolet & exhalet, & postmodum pro extemporaneo adhibeatur.

TEXT. LUDOVIC.

veolentibus quidem, modo dictum *Galbanum* omnibus promissis, quæ seu intus in magnis antiquorum Confectionibus, seu extus in topicis digerentibus,) *Opopanaci Sagapenoque* (sibi jam olim aliàs substitutis, aut invicem degenerantibus,) passim assignantur, vel hoc quidem in genere ex ipsa (penetrantissima licet) 4 *Asa*; (inter tot uterinos muliercularum fœtores, Indorum condimentis, veterinatiorumve praxi, aut curiosiorum specialiori contra veneficia in 5 *Fætidis emplastris* indagationi securè relinquendo,) provenire queunt. Imò qui loco *Ammoniaci*, (intus aliàs tam in substantia, præsertim ea vulgò dosis exiguitate, quàm in diversimodis destillatis haud adeo excessivi] insuper id adhibuerit, se non peccasse videbit. De cætero si electuario cuidam theriacali, &c. adjiciendum fuerit, per nos (qui selectiori hic quoque acquiescemus; (prius *depuretur*: exterius compendiosa illa cum terebinthina *liquatione* (citra consuetas tonsorum *solutiones*, ni certum topicorum genus id specialiter exigere credatur,) dilatum, oppido sufficit; aliquorum 6 *Galbanata diversiformia emplastra* extempore quasi hac ratione satis exprimens. 7 *Olei* verò inde destillati, (quamvis tædiosorum adhuc ex *Opopanace & Sagapeno* locum explere, subque facili spirit. therebinthinæ oleique cujusdam cephalici proportionali mixtura, laboriosa nonnullorum *Galbaneta* compendiosè referre queat,) necessitatem quandam non videmus. *Ceræ pinguedinisve* alicujus aut potius *saponis oleo*, (dum 8 graveolentiora è tartaro vegetabilibusque nonnullis, item ex animalibus eorumque productis, data opera, etiam post rectificationem nolumus,) undi quaque contenti.

Inter 9 *Suaveolentia nunc gummata* convenientius accedat primo fortassis *Olibanum utrumlibet*, saltem selectius: & ipso *Thymiamate*, in gratiisque nata *Thuris manna* facile carebimus; ceu Ophthalmicis 10 *Sarcocolla* quoque, (aliàs supervacanea,) sive *cruda*, sive (pro acrimoniæ suppressione sc.) incongruè *Nutrita* (Sief album sanè sine ea, vel adjecta tantum thuris particula, nihilo est debilius. Pulveribus cephalicis istud per nos addat, qui volet: *species* tamen *diaolibani* uti exoletæ, ita tanti momenti non sunt: *recentiores* verò cinnabari suum debent. *Oleum* autem tam *clarum* ac subtile, (etiam citra nidorem, modo non uno destillatum,) quam subsequum nonnullibi *crassius*, quænàm indicatio vel specialitas exigit? Sic porrò potius 1 *Mastiche* tum in topica quædam ac suffumigia, (quando sylvanis quidem 2 *Formicarum massa* æquè jucundè spirare, experientibus autem parum ultra vulgarem resinam agere videntur;) tum, pro diffusiori tamen apparatu, in *Essentiam liquidam*, cum spiritu vini alcalisato communi vel etiam aromatisato stomachali confectam, cuivis ligni aloës cæterisque carioribus essentiis parem, *Aqua Mastichina* (*communi vel correcta*,] *spirituque abstractitio*, (dum simplici destillatione profluens *Liquor* quasi therebintinatus, nec in effectu adeo stomachalis est,) atque *Decocto quorundam* extemporaneo saturatiorem, præsentiorem; imò parciori aliàs *Oleo*, (seu per vesicam seu facilioribus adhuc modis destillato, residuoque ibi *crassamento* externis usibus vendicato,) non uno nomine, præsertim quæsitæ adstrictionis respectu, commodiorem. De reliquis *Topycis mastichinis* paulo ante egimus: *Lignum* autem quæ, quæso, exigit necessitas (Sanè qui fragrantiam in horum similiumque gummatum productis tantisper negligit,) qui viliores domesticasque Resinas, &c. idem respectivè olere, vel idem præstare nobiscum observa-

NOTÆ.

4 *Assa*:) In usu Medico est vulgò contra passionem hystericam, ubi tamen observavimus, hystericas illius fœtore non secus ac moschi odore fuisse læsas, adeoque unicuique hystericæ sua quasi est idiosyncrasia, cujus ratione huic incensum sulphur, alteri pix incensa, paucissimis Assa fœtida arridet.

5 *Fætidis emplastris*:) MYNSICHTII contra veneficia commendatis usi sumus aliquando in fascinata quadam noviter nupta, ast sine efficacia.

6 *Galbaneta diversiformia emplastra*:) MYNSINCHTII inter hæc emplastrum de galbano crocatum egregium est pro discussione Tumoris mammarum, ex lacte coagulato dependentis, illinendo prius mammam spiritu salis armoniaci cum calce parato, & hinc illuc emplastrum applicando desuper sacculum Oryzâ vel avenâ repletum, & calefactum imponendo. Præterea alterum MYNSICTII emplastrum de galbano egregium est in clavis pedum auferendis, liquescunt enim illi ex hujus impositione, hinc iis abscissis denuò imponatur.

7 *Olei*:) Oleo scil. destillato galbani præferimus galbanetum PARACELSI. idque tam simplex, quàm compositum, à SCROEDERO descripta, ceu nobile topicum in affectibus nervorum, tàm à causa interna quàm externa enatis. Et quia galbanum in specie affectibus abdominis spasmodicis dicatum est, propterea eo magis galbanetum illud PARACELSI in passione hysterica, colica, convulsiva, paresi ex colica, contusionibus nervorum, & luxationibus egregium est.

8 *Graveolentiora*:) Tartari & guajaci egregiè resolventia sunt pro tumoribus duris & quasi venereis, (ita ut horum gutta æquè penetrans sit, ac ipsa camphora) & rectificata à C. C. usto vel calce coloris aurei evadunt. Interim tamen qui talia horrent, externè usurpanda recipiant juxta monitum AUTHORIS oleum ceræ, vel pinguedinis alicujus, vel saponis, (Veneti inprimis pro doloribus podagricis) quorum destillandi modum AUTHOR dedit *supra p.* 104. egregia quippe hæc sunt in affectibus nervorum & articulorum.

9 *Suaveolentia gummata*:) Ex his eligit AUTHOR Thus, Masticher sandarachamque quibus & nos monemus accensendum esse tacamahacam.

10 *Sarcocolla*:) quæ est gummi temperans & emplasticum, quam veteres usurpant inter Collyria sicca, Sief dicta, eamque nunc crudam, nunc in lacte extinctam, i.e. nutritam, ast incongruè, cùm æquè Sief album sine hac egregium sit.

1 *Mastiche*:) Gummi notabile est ex arbore Lentisci spontè exsudans, cujus grana deglutita sicut stomachalia sunt, ita & similia topica præbent, & in essentiam liquidam stomachalem, intra & extra usurpandam anticatarrhalem redigi possunt, & residuum ad instar Colophoniæ pro recentibus vulneribus egregium est, præsertim cum rusticus ille Borussus, post excisionem cultri deglutiti, balsamo ex oleo Mastichis internè & externè adhibitis fuerit sanatus.

2 *Formicarum massa*:) Scil. formicæ inhabitantes sylvas resiniferas pino & abiete luxuriantes, istæ in specie, quæ grandiores apparent, & attactu sui spirant acidum, vescentes solummodo granulis resinosis ex arboribus illis transudantibus, quæ proinde in acervos colligunt. Atque hæc grana acidum spirantia à quibusdam loco mastichis usurpari assolent, sicut ea recommendat GLAUBERUS *part.* 1. *oper.* interim tamen ea ultra vulgarem resinam nil in recessu habent.

TEXT. LUDOVIC.

it, vel sola 3 *Sandaracha*, [exoticis pretiosisque permultis longè præsentiori] in suffitibus, &c. contentus foret: nec cum su-pra jam tacta Benzoe 4 *Styracem* insuper requiret: ni diffusiori selectui *calamitam* saltem, licet impuriorem, dum *in Granis* plerunque falsata est,] hisce usibus dare placeat; misso inter tot cephalica sistentia. *Extracto resinoso*, magisque adhuc *Essentia liquida*, si cum alcolisato vini spiritu paretur, haud adeo singulari; sin cum terebinthinæ spiritu, alterius tunc prosapiæ. Est aliquid 5 *Ladanum*, intus etiam, si ab affluentissimis heterogeniis extrahendo, licet exigua quantitate sequestretur: quemadmodum nec *Pilulæ cephalicæ in praxi illa chimiatrica* non sunt de nihilo, vertiginosis exhaustisque senibus præsertim adhibitæ. Verum cum moschi inibi potiores ferè sint partes, & vel Cinnabarinorum cum fragrantioribus aliis cephalicis consociatio idem præstet, extus autem tot præsentiora euporista stomachalia suppetant, nec illud huc trahemus: multo minus autem *Styracem liquidam*, *Liquidambram* & reliquas persumatoribus aptiores massas, aut nidorosa ingratioraque (ni cariores modos ne quicquam tentare placeat,) *Styracis calamitæ Ladanique olea*; & quæ curiosiores laboriosius adhuc à *Tacamahaca*, *Copal*, *Animæ elemique gummis* (inter tot parabiliora nervina ac diuretica,) destillant. certè si suffitus aliaque topica æquè jucundè efficaciterque è nostris quoque selectis, (ceu tot *pulverum ac suffimentorum catarchalium*, *cephalicorum*, *&c.* loco *unicus simplicissimus*, vel ipsum saltem *simplex* aliquod, evidentiori concurrentis calidæ frictionis effectu sufficit,) confieri cernimus, nequidem in substantia istud *Animæ quodvis gummi*, *vel carannam*. *Copal*, 6 *Tacamahacam*, *&c.* ipsa barbariè terribiliores *Resinas*, dubiumve hodie dum *cancamum*, aut (decantatissimum licet) 7 *Elemi*, (quando jam olim capitis vulnera sine eo, vilioribusque adhuc curata sunt,) tantum ob incongruum illud peregrinitatis singularitatisve studium, simplicemve præscriptarum formularum observantiam, hic exigemus. Sed satis fortè sic de hujus classis vegetabilibus.

Dispiciamus nunc, quæ (præter supra jam aliis sub titulis relata, cervina scil. urinosa, &c.) ex *animali regno* amplius huc referantur, indeque syllogi nostræ superaddi mereantur. Nam, ut ab 8 *Epilepticis* ordiamur, *Alce primo* revera hic claudicat; & *Vngula*, (tot penè superstitiosis circa lectionem litigiis vexata, tandemque per succedentem debilitationem nuper excusata, quantopere cum *Lyncis* (sæpe adulterino) *Vngue*, *truttarum lingua*, uti dentatum dicitur ossiculum, *carpionum singulariori super oculos semilunari lapide*, *hirundinum*, *urogallorum*, *&c.* volatilium deglutitis lapillis, *Humore* diversorum animalium *crystallino siccato*, *hirundinum*, *turturum*, *ciconiarum siccatarum vel perfumatarum pulvere*, *&c.* idiopathicum vel alias validiorem affectum profligat, quotidianæ observationes, magnatumque, (nil intentatum hic linquentium) luctus passim testantur. In consensuali (ab inferioribus, &c.) leviorique malo, nobis quidem, vix quicquam ultra *cervinam ungulam*, (quam, ut alii *asininam*, intus & extus pro periapto, ignaris eodem successu persuasioneque perfrequenter dedimus,) aut ultra *cervinum cornu vel* (famosius adhuc) *cranium*, *post aquas. s. divaporationes aliquot levigatum*, aliaque invertentia, vel sexti (ceu vulgò vocarunt) paris nervos (ubi ubi tandem, & quoquo modo) demulcentia, aliterve circa stomachum occupata agere visum est: minusque adhuc in isto genere præstat *Magisterium ungulæ alois*, *cornuve ejus*, *seu simplex*, *seu philosophicè calcinatum*; Cervinorum instat potius diaphoretica. Nec alterius penè conditionis deprehenditur 9 *Humanum cranium*, *sive è respondente sexu sive ex ipsis saturarum complementis derasum*, varieve levigatum fuerit. Commendationes talium maximam pratem nudis transcripsionibus innituntur, æquè ac pleraque muliercularum hic hupòrista, Si unus interdum, sæpeque per accidens tantum inde levatur, multum est, & statim id, (in ea morbi causarumque obscuritate) appropriatorum strui adjicerunt. Sique pro penitiori adhuc accommodatione vel efficacia, *Crania philosophicè quis prius calcinaverit*, *aut usta* vel è sagarum rogis petierit, aut in *Magisterium* [*diversimodè præcipitando*, *vel nitri spiritum desuper abstrahendo*,] redegerit, aut destillando *spiritum inde & sal volatile* legerit, habebit inde quidem, quod se diaphoreticum, sed rarissimè verè antepilepticum sistat. Ita *oleum fœtidum*, cervino, simileve, [cum excitatoria graveolentia salis volatilis quidpiam conferente,] commodè suppletur; *Galreda* languet; ipseque *compositus cerebri humani spiritus* adversior, mixturæ s. spirituosisque aquis accedentius vim aliqualem suscitatricem potius, quam parce volatilitati propriæ debet; & hinc è *cervino cerebro eodem modo parati*, idem deprehenditur effectus. Quod verò residua ex humano corpore in officinas tracta concernit, *de ossibus & cruore quovis*, *amborumque destillatis* superius jam egimus: quemadmodum & de *urina atque secundis*. 10 *Lac* autem humanum topicis resumptivis, [dum aliud quodvis æquè sufficit ac inibi acescit,] per nos addat, aut quolibet modo bibat, qui volet. Verè phthisicos nec hoc nec æquè horribile *asininum caprillumve*, quantum nos quidem vidimus, constanter juvit, aut citra majorem sæpe putredinis intensionem levavit; uti quidem è venere vel vi-

NOTÆ.

3 *Sandaracha:*) Est duplex Græcorum, nempe arsenicum rubrum *Rauschageel*, & Arabum, sive *Gummi juniperi*, quarum hæc loco ligni lentiscini pro basi suffituum catarrhalium quarumque accipitur, additurque ei, *rasur. succini* ℥ij. *Mast.* ʒj. *Benzoes* ℈j. M. pro suffitu, adaptando beneficio calidæ frictionis pro meliori sui penetratione.

4 *Styracem calamitam:*) Hæc egregium est nervinum, stomachalibus affectibus conveniens, hincque DIGBÆO & HARTMANNO in emplastro de Styrace usitatum; interim tamen loco illius sufficit Benzoë.

5 *Ladanum:*) Ex hoc prostant apud HARTMANNUM pilulæ analeptico-cephalicæ, it. Emplastrum stomachale de *Ladano* CRATONIS *in Ph. Aug.* Interim loco hujus euporiston habemus gummi tacamahacæ, malaxandum cum balsamo peruviano pro eodem usu.

6 *Tacamahacam:*) Rejicit AUTHOR, quod quidem pro scopo suffitus concedimus, at pro anodyno temperato blandè discussivo & resolutivo nobilissima ea est, hincque emplastrum ex illa cum terebinthina subacta, & balsamo Peruviano in vitello ovorum soluto malaxatâ paratum, egregium est in cardialgiâ, doloribus artuum, & malo Ischiadico.

7 *Elemi:*) Vi suâ balsamicâ ad capitis vulnera commendatum est, indeque ARCÆUS unguentum & emplastrum habet, quorum basis est gummi hoc elemi; interim eidem in capitis affectibus egregio aliàs terebinthina substitui potest.

8 *Epilepticis:*) Scil. epilepsia est vel idiopathica, vel sympathica, ex alia parte affectâ originem ducens. Jam ergo in idiopathica commendatur ungula alcis ab unico LEVINOLEMNIO, *in occultis naturæ miracul.* testante, se beneficio annuli ex hac confecti, ceu amuleto quodam epilepticum restituisse; ex quo tamen planè dubitamus, an ungula illa alcis antipileptica sit, sive internè, sive externè adhibeatur. Sic eadem neque in consensuali epilepsia præ C. C. prærogativam quandam habet.

9 *Nec cranium humanum:*) Hic observanda est differentia inter cranium quod ex homine successivè; &, ut dicunt, naturaliter mortuo, & quod ex eodem violenter interempto desumitur; quorum illud, sicut & ossa, non habent prærogativam præ cranio cervi & ossibus tauri; ast quod ex suspenso & rotâ fracto homine desumptum est cranium alteri substituendum, eò quòd in tali habitet adhuc spiritus insitus partis unâ cum rore, sive spiritu influo, qui sub morte concentrari reverâ aliquid efficient, id quod & usnea ostendit, ceu specificum Epilepticum, unde par ratio habenda de rasura cranii hominis violenter interempti, quippe quòd ob mumiam sibi inhærentem sub pulveris formâ datum antiepilepticum est non ignobile, non secus ac spir. cerebri hominis violenter mortui aliquid in recessu habet.

10 *Lac humanum:*) Ceu analepticum laudatur quidem, interim phthisici confirmati non curantur ex ejus usu; contra mediocriter sanos pro temperandis humoribus scorbuticis juvat, sicut & juvenes à venere delassatos mirum quantum reficit.

TEXT

TEXT. LUDOVIC.

norum (crassioris alicubi tartari) ingurgitatione nimia marcentes & tussientes, juvenes præsertim, sub circumspecta adhibitione nonnunquam restituisse fatemur. Nauseabundum inde *Butyrum* mammosioribus, 1 *Lumbricos* revivisecentiæ quibusdam accusatos sordidis, *Vnguium* (supra jam notatam, & umbilico licet incassum aliquibus illigatam) *rasuram* parantis, his & *equorum sudamine* se invicem vexantibus relinquamus,

Nos ad epileptica nostra redeuntes, nec in *Corvi cerebro*, *Lyncis lingua*; *ovis coturnicum*; *Vegetabilium echiniferorum vermiculis*, &c. in autem interdum commendatis solidi constantisque quidpiam invenire potuimus; imò nec solitario *Ranarum Hepati*, utut famoso specialiusve siccato, nimiopere fidendum: minusque adhuc *Volatilium* paulò ante adductorum *Aquis*, spirituositati & additamentis (suave vel graveolentibus, sali volatili, aliisque,) quod nonnunquam præstant, equidem debentibus. Nec præsentiores deprehenduntur *Pulveres*, è specialioribus hisce compositi, si mage specificis cinnabarinis, &c. item Invertentibus (Cervinis, Corallinis, &c. suscitantibus Castorinis, aut pro re nata anodynis destituantur. *Qui* 2 *Pulveres nostri Bezoarti albi, Succini albi pp. Cinnabarisque nativæ selectioris ana miscuerit*, & adultis quidem ad dragmam semis, infantibus autem anniculis ad grana quatuor, quinque vel sex, natu minoribus dimidium horum, &c. curative repetendoque dederit, ac pro indicationum ratione (præmissis vel interpositis emeticis aut laxativis,) modo volatilia urinosa (spiritum C. C. armoniaci s. vel compositum, &c.) modo essentiam succini, camphoræ, castorei, tincturam corralliorum, antimonii, &c. modo præcipitantia alia, imprimis autem ligantia illa ex opio circumspectè superadiderit; ceu adultorum dosi *grana tria pulveris nostri anodyni* commodè tunc adjiciuntur; Lactentibus autem non solum hic, verum etiam in reliquis inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhœis, &c. admodum confert *pulvis antepilepticus anodinus*, è pulv. bezoartici albi nostri, drachmis sex, succini albi pp. drachmis tribus, cinnabaris nativæ scrupulis quatuor, & laudani opiati nostri scrupulo exacta mixtura compositus, trimestrique ad granum unum, &c. exhibitus, vel aliis alterantibus, præcipitantibusve, (ubi tamen Corallia præparata in caloribus febrilibus complicatis minus commoda inveniuntur, associatus:) is sub hac similive procedendi ratione sufficienter obtinebit, quod reliqui omnes (*Lapide Bezoar quoque, Auro, Margaritisque stipati*,) plerumque diffusioris & hinc incompetentis hic molis *pulveres*, &c. cum ipsa vulgari methodo passivè spondent. Atque hæc de Epilepticis.

3 *Hysterica tot è sulphure, Pice, Corio, Pilis, Allio, &c.* parabilioribus fœtores norunt, ut 4 *Lichenes* insuper, (etiam inter hyperbolicas *Extracti* præsumptiones,) vel *Equarum* (haud quoque lascivientium) *Vngulas* (intus haud adeo fideliter antidysentericas,) aut *Perdicum pavonumque* (inter resolventia euporista alias supervacaneas) *pennas* ustulandis addere frustraneum sit. Suffecerit potius præter succinum, galbanum, &c. (*Castoreum genuinum*, recentius, nec adeo exsuccum, per se, intus quoque citra noxam, si citra adulterationes & abusus;) & pro *Essentia liquida*, *non tam simplici infusione*, (tractu temporis alieni quid olente,) *vel acetosorum* (enervantium) *abstractione*, quam abjecto spiritui ardenti (extractioni destinato) salis tartari ad 5 Castoreum sub quadruplo sub sextuplo confecta: si paulò laboriosior at *elegantior modus*, (per spiritus vini abstractionem, & residui inibi dissolutionem,) displiceat. Eaque usus tempore longè consultius convenientes *aquæ alterabuntur*, quam totæ castoreo nequicquam sæpè inficientur: misso sic languidiori *extracto vulgari, destillato* (perpauco vel perverso (*Oleo &* 6 *Pilulis officinalibus*, quas vel mulieres deglutitis Castorei particulis, infusisque uterinorum aliquot resolventium, (sine omni margarita, tribusque hyoscyami granis,) æquare sciunt.

7 *E fragrantibus* autem, quamvis vegetabilium aquæ, spiritus vel olea, sub debita (necdum tamen autoribus sufficienter pertractata) proportione, liquidas sicciorisque mixturas etiam absque *Moscho*, (complutibus alias adversissimo, totque falsationibus, ubi quoque maximè cavetur exposito, (fragrantissimas satisque valentes præbeant: nihilominus *selectior* paulò diffusiori apparatui dari posset, aut citra temerarias illas profusiones, quibus non solum olim præter specialiter hinc dictas *dulces amarasque*, haud adeo concinnas *diamosci species*,)tot pulveribus confectionibusque, nil minus sæpe exigentibus adjectus, in *Gallia Moschata*

NOTÆ.

1 *Lumbricos:*) Humanos quidem internè exhibuerunt sub forma pulveris pro ejiciendis vermibus intestinorum; sed aliter sentit TABERNÆMONTANVS, dicendo, lumbricos inde generari potius adeoque falli nos, ut ergo mercurialia loco horum sufficere queant.

2 *Pulveres:*) Scil. suggerit hic AUTHOR binos pulveres cephalicos, unum pro adultis, alterum pro infantibus lactantibus, quorum priorem ʒß. dos. usurpandum constituit pro basi quorum vis antiepilepticorum, & loco cujusvis specifici, non secus eundem dos. gr. iij v. vj. anniculis infantibus præservativè pariter accurativè, præmisso vomitorio antimoniali, aut quoque laxativo mercuriali ex helleboro nigro aut mercurio dulci parando exhibet, interponendo subinde salia volatilia urinosa, & subjungendo castorei, succini, camphoræ, &c. Essentias, nec non pro minori spirituum impetu opiata sociando. Deinde alterum suum pulver. antiepilepticum anodynum suadet lactantibus epilepticis, pariter ac inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhœeis, &c. afflictis, specificandum contra tormina per olei destillati anisi parum, aut etiam additione salis volatilis C. C.

3 *Hysterica:*) Scil. quemadmodum paroxysmi hysterici per suaves odores subinde excitantur, ita iidem per contrarios fœtores, ex animali regno præprimis petitos, ceu in quo regnat sal volatile oleosum, sopiuntur.

4 *Lichenes:*) Equorum *die grosse Pferdemagen*, primitus à PARACELSO introducti sunt pro suffitu hystericarum intra genitalia, addendo iisdem cornu capræ.

5 *Castoreum:*) Hoc genuinum recens eligit AUTHOR N. internè vel per se in substantia, quâ ratione mirificè sudorem movet, cum euphoria hystericæ) vel in essentia liquida usurpandum, quam essentiam vulgò parant cum spirit. vini, ast melius fit si ℞. castorei part. iv. vel vj. salis fixi tartari vel vitriolati part. j. hisque mistis superfundatur spirit. vini q. s. hac ratione exacta solutio castorei succedit, cuilibet liquido sine præcipitatione miscibilis. Deinde potest & eadem parari cum spiritu salis armoniaci vinoso ex tempore solvente castoreum in essentiam reliquis commiscibilem.

Pilulis offi inalibus:) Pilulæ de castoreo sunt vetustæ, & earum ingredientia cruda, non tamen inconcinna, præsertim cum constent ex appropriatis & anodynis. Atque cum his coincidit, utut magiartificiosè paratum, laudanum hystericum usuale CONERDINGII, ex extracto castorei, calami aromatici lapide bezoar laudano opiato, &c. constans.

7 *E fragrantibus:*) Fragrantibus antihystericis ex animali regno pro praxi succinctâ non simpliciter indigemus, præsertim cùm præparata ex cinamomo, cardamomo & caryo phillis habeamus; interim pro diffusiori praxi locus esse potest moscho & ambræ, illi quidem pro externo, huic pro interno usu analeptico.

8 *Moscho:*) Moschus est liquor sui generis, in peculiari capsula prope inguina animalis Moschiferi rari repertus, qui adulteratur hac ratione, dum animalis occisi sanguinem congrumatum eidem una admiscent. Cæterùm usus Moschi genuini convenientissimus est, pro quo subigatur is cum duplo vel triplo sacchari, sic enim mistura fragrantissima emergit; vel, quod melius adhuc, (cùm moscus ab

ab oleis destillatis mirè resolvatur, & in fragrantia sua exaltetur) subigatur cum Elæo sacchari alicujus parte quadruplâ, & sic habebitur Elæo saccharum elegans moscharum, quod solidis & liquidis compositionibus facilè misceri, & distribui potest.

TEXT. LUDOVIC.

aliisque planè trochiscatus est; verum etiam hodiedum nullis non internis externisque formulis (frustra saltem intenso pretio, frangrantiaque ejus per accessoria sæpe obscurata, vel per inconvenientiorem tractationem expirante vel fatiscente,) prodige permiscetur: haud difficulter analepticis competentibus, (nam *delicatulorum confectiones, trochisci, pasta, &c. moschata* nostræ nunc considerationis non sunt, usus tempore seu per se, saccharo vel Elæosaccharo Diaromatico dilatando, aut diversimodè infundendo sociandus; si *Liquor*, si aqua odorifera spirituosior istius sufficienti copia medicata selectus nostri terminos forsitan alicubi excedere videatur. Quod autem ex adverso 9 ejuscemodi Moschata multis in affectibus, quos exasperare credi possent, securè nihilominus exhibeantur, alii alibi, & nos vel in parturientium defectionibus plus vice simplici notavimus. 10 *Ambra* vero, sive volucrum nuper excrementum, sive denuo secundum recentissimas anthyllarum descriptiones, bituminosum concrementum fuerit, necessitatem quandam hic, non cernimus. Sanè fragrantia ejus persuasionibus minus obnoxiis haud tanta de cætero uti vel nucistæ oleo, &c. in certis proportionatisque mixturis facile imitabilis, ita odoratiorum complurium accessu obscuratu adhuc facilior est; effectu denique (inter eum parabilorum cephalicorum & analepticorum proventum) eousque non excurrit, ut dum granulare pro more pondus tantum pro forma bibitur, ad scrupulos & drachmas usque justè quidem, at intensissimo sæpè pretio adsumatur. 1 Teneriorum & exhaustorum hypochondriacorum caput, æquè ac Moschata, Zebethina, oleaque fumosiora alias magis plerumque replet; sicque *Species Diambræ, &c.* nihilo inefficaciores sunt, ut sunt, dempto licet (pro non ferentibus (istius è singulis dosibus grano præterpropter: & si seorsim 2 cum saccharo oleosisque levigata, (*Essentia ambræ sicca, Galliæ Moschata, & Ambræ Moschata* more locoque,) competentibus remediis ex tempore longè commodius promisceri potest; eccur in (usitatoris Dispensatorii) Species, Trochiscos, Liquores, reliquasque formulas ad uncias duas & amplius, (quamvis complurium dosis vix dimidium granum inde participet,) frustra profunditur? Cui *Liquor moschatus* supra notatus ex aqua spirituosiori, (verbi gratia ad imitationem *Carfunculi aureæ* destillata, vel è confusis solum, verbi gratia Rosaceæ & Cinamomi ana parte una & apoplecticæ nostræ parte dimidia) paratus placuerit, *è solo Moschi*, etiam haud adeo magna quantitate, [citra consuetas aliis *Trans-destillationes*,] immerso nihilo debiliorem inveniet; quo nec carior *Ambræ Essentia, seu simplex*, cum vini saltem spiritu, [cui non immeritò odoriferum quendam abstractitium nunc substituerunt,] extracta, seu (inter inconsiderationem Amygdalini accessum) nonnullibi *abstracta* requiretur: Multo minus autem mollicellorum 3 *Zibetha*, (donec curiosiores *Occidentalem* maturent,) usualis, ab accessoriis gratiam revera hauriens: dum in privatos quidem usus ac dispensationes (nam delicatulorum speciales formulas jam non consideramus,) æquè fragrans efficaxque *Balsamorum cephalicorum* genus citra eam diversimodè confit.

De cætero, qui Odoriferis è horum vegetabiliumque classe variè petitis, in capitis æquè ac 4 Febrilibus, [vires simpliciter, aut cum malignitate quadam exolventibus] affectibus, se demum intus ac extus constanter refici vel refecisse credunt, videant, ne insuper interea habito appropriatorum, utut adversiorum suscitantium, alexipharmacorum vel invertentium, [è cornu cervi, tartaro, &c, usu repetitioneve, malum potius foveant quam percurent. Ceu idem per juleporum similiumque Apozematum haustus in febribus passivè contingere, oculatiores tota die notant, dum consuetudines vulgarium tractationum intuentur. Atque hæc de analepticis.

NOTÆ.

9 *Ejuscemodi Moschata* :) Scil. notum est, quòd talia fragrantia concreta subjectis delicatioribus & histericis sint perquàm adversa, ac viris quoque spiritus animales volatiliores habentibus nimis generosa; quid ergo tunc consilii? sanè reverà nocet hisce Moschus, ast adoretenus tantùm; contra si is hac ratione exhibeatur, ut nares sumentium non feriat, tunc commodus est. *Conf.* BARTHOLINUM *in Cent. Anat. &* HORATIUS AUGENIUS, quorum hic habet pilulas hystericas, ex moscho, ambra, oleo destillato caryophyllorum una cum cautela, ne propinentur eadem itaut nares sumentis illarum odor feriat.

10 *Ambra* :) Hæc contra AUTHOREM reverà est insignis vi analeptica, in spiritum animalium defectu, tàm morboso post morbos, quàm naturali, puta in senio, adeoque inter confortantia calida nervina cephalica singularis, utut ratione originis occulta; licet enim KLOBIUS *Tr. de Ambr.* 8. opiniones congesserit de ortu ejus, tandem concludens, esse eam excrementum avium quarundam, in Orientali India reperibilium, tamen nulla earum satisfacit, sicut nec Gallorum, eandem compositum ex melle & cera statuentium. Cæterùm duo in ambra desiderat AUTHOR, 1. Fragrantiam. 2. Effectum. Quod fragrantiam ejusdem concernit, facile oleum Nucistæ imitabilem, alia olea aromatica fragrantia eandem superant; interim si teratur illa beneficio oleorum, & oleosorum, verbi gratia Zibetho, aut oleo quodam destillato, tunc hac ratione resoluta penetrantissimum odorem spirat, & animatur quasi hinc ambra, de quo *Conf.* TACHENIUM *Hip. Chym.* 269. Quoad ambræ effectum, quod nempe eadem in granulari dosi, qua vulgò datur, parum vel nihil operetur; verùm illud est, ast modo cum oleo cinamomi animata ejus plures tales doses dentur, tunc quoque ita erit singulare refocillativum facultatis animalis.

1 *Teneriorum* :) Scil. Literati spiritibus animalibus subtilioribus, & tenera nervorum textura prædici non fuerunt Ambrata, Moschata, Zibethina, aut quælibet aromatica penetrantiora, eò quod hæc illis nimis generosa sint & caput eorum repleant, h. e. hi ab illorum fortiori impressione in spiritus animales, affectum quasi inebriatum incurrant, undè cautè ejusmodi generosa talibus subjectis exhibeantur, præsertim caveantur, ne illa horum nares feriant.

2 *Cum saccharo* :) Scil. duplex est modus usurpandi ambram, in forma sicca terendo eam cum saccharo in pulverem ambratum; vel, quod melius, cum Eleosaccharo Cinamomi vel Caryophyllorum; aut quoque in liquida, parando ex ea essentia cum spiritu Rosarum, vel Melissæ, vel Liliorum convallium abstractitio, gratam gustui; & effectu efficacem, idque internè; sicut externo scopo inservit liquor moschatus ex solutione moschi, in spiritu quodam volatili, verbi gratia Rosarum factus, ceu à quo mirè moscus dilatatur.

3 *Zibetha* :) Hoc rarò usui interno inservit, nisi quod balsamis apoplictis addi soleat.

4 *Febrilibus* :) Scil. odorifera in morbis acutis non æquè locum inveniunt, nisi quòd observaverimus, confectionem Alkermes ægris ejusmodi datam ipsos agrypnos ad aliqualem somnum cum euphoria disposuisse.

TEXT. LUDOVIC.

Quod verò 5 Pinguia resolventia Nervina, & simul utplurimum anodyna attinet; equidem primo 6 *Butyrum* matrisfamilias usibus linquimus: nihilominus tamen, uti plus vice simplici solitarium Olivum; guttula saltem olei cujusdam destillati obnuptum, eodem effectu adhibuimus, quo tot Pectoralia, Splenetica, Lenientia, &c. adhibita fuisse putantur; ita Vegetabilium hic Flos, aut (vernale præsertim] Magisterium inter peculiarem & semialcahestinam quasi ventriculi liquationem productum, (alias præ Olivo Simplicium incoctorum corpulentiam magis ambiens,) tanquam euporiston, nobis [animi gratia sæpe tentantibus,) tum per se, tum aliorum competentium accessu alteratum, plus præstitit, quam numerosa illa *Officinarum Unguenta & olea composita* totque, [ni domi recentes suppetant, olidæ non raro, *Caponum*, *Gallinarum*, *Anseris*; *Anatisque utriusque &c. Pinguedines*, aut ipse (hoc in genere] 7 *Oesipus* tædiosissimus: etiam in novorum substitutorumque Linimentorum & Emplastrorum confectionibus. Sic porro dum diffusissimis quidem repositoriis, ac certis nonnunquam circumstantiis forte *Taxi*, (*Canina* commodior,) *aut Leporina insuper Pinguedo*, (peculiare tractivum aut renitentium suppurationem ruptorium,) abunde satisfacit, contractior comptiorque Praxis ejuscemodi ollulas haud adeo attendit, æquivalentibus potius Oleorum communium destillatorumque proportionalibus Mixturis, extemporaneis forte fortuna oblatorum additionibus aliisve [convenientioribus sæpe] Topicis, aut tutius insertum solis Internis sua transigit; nec *Cati sylvestris, nec Castoris, cuniculi, Alpinive agyptarum Muris, nec Vulpina, Ursina, ipsa ve*[fracida utplurimum vel fallata) *Humana Axungia*, *cum Catellorum* satagentium *Balsamo* similibusque(frustraneis, interdum noxiis) *Unguinibus* tãtopere requiri poterit. Piscosã *Lucii Asciaque*, (si pusiones ita perlinere referret,] vel Amygdalinum Oleum, aliaque parabiliora Linimenta (Inspersiones, &c. æquant: & *Ardea Pinguedo* potius Piscatorum, *Erinacei*, *Coturnicum*, *Anguilla* (ni Serpentinæ surrogare nonnullibi libuerit, *Oloris* &c. nimiæ ferre singularitatis, quod autem hæc in serie restat, Equisonum est. De *Suilla* [*Aprugna* vicaria: (item de *Sevo Hircino Bovinoque*, quandoquidem pro speciali interdum Topico undiquaque inveniuntur, *Agninum* vero delicatulæ reponunt: *Cervinum* præstantius habitum Tabellionibus Peditibusque magis quadrat,] quemadmodum insuper de tantis 8 *Medulla Cervina*, *Vitulina*, *Bovina*, *Hircina*, *&c.* inter se præcellentiis aut necessitatibus vel verbum addere piger. 9 *Sapo*,] non solum revera Venetus, sed vegetior quivis] consultius selectui nostro quidpiam contribuet. Nam uti [præter exotericos hic *Aulicarum Globulos odoriferos aut emaculatorios*,) perfricta hinc *Linteola*, & *Mixtura* cum Spiritu Vini, (ab aliorum *Saponis Balsamo* parum differentes,) vulgi haud semper rejicula sunt euporista: ita *Oleum* inde cum cineribus nostro modo destillatum præstans est resolvens, cumpluriumque *Pinguedinum ipsi usque Butiri*, (non sine propriæ temperici permutatione) *Destillatis*, decantatissimis quoque, par, aut si compagem Subjecti sui intuemur, superius: ut in externos quidem usus (ni diffusior apparatus placeat,] nec 10 *Ceræ olum* insuper tantopere requiratur; sive vulgatiori modo *butyraceum* temperatiusque, dispensatu tamen simul fere incommodius fuerit, sive *limpidum*, idque vel per Rectificationem, vel per peculiarem destillationem, tam Olei Philosophorum more, quam supradicto potius per Cineres modo institutam, at ubique non sine intensiori hinc empyreumate. De cætero reliquis intentionibus *Cera flava*, (curiosiori magis quam præsentiori *Virginea*, exucca *Alba*, supervacua *Propoli*, negotiorumque, *Magisterio* dimissis,) oppido sufficit, Atque quo hunc Animalium censum 1 *Spermate Ceti* [siquidem denuo è Cetaceorum Craniis Inguinibusve fuerit,) tandem concludamus, efficax sane est tam intus quam extus; ibi tamen nauseabundum, utrobique in tanto parabiliorum durabiliorumque resolventium proventu, præter rem carius, in rancorem proclive, ad *Essentia* formam (si corruptionem sic impedire vel remedium nobiscum obnubere quispiam voluerit,] induendam pene inneptum, etsi extractio vel dissolutio rectificatissimo Vini Spiritu, (cum vel sine addito Alcali,) tentetur. *Emplastrum* [etia extemporaneum, nec in se inefficax] viliora nihilominus passim æquant; ut toto hoc concremento facile hic caruerimus:

NOTÆ.

5 *Pinguia:*) Scil. substantiarum pinguium ex animalibus desumtarũ generalis usus est, ut blandè relaxent fibras nerveas, hinc duras emolliant, itemque spasmum earum dolorosum sistant, adeoque hinc anodyna sunt, sicut porrò crudiores & acriores succos hebetant & obtundunt, itemque tandem penetrando coagulata contenta modicè solvant, interim tamen singulis earum non adeò omnis vis specifica deneganda est.

6 *Butyrum:*) Majale præprimis subtilius, delicatius & penetrantius, magisque alcalinum est, quàm quorumcunque animalium pinguedines, unde illud sale depuratum pro usu asservandum est; interim quibus placet pinguedines animalium asservare, illi eligant Taxi, ceu temperatiorem, quàm canina, vel leporina, quarum hæc infantium gingivis illita, potentissimè elicere dentes creditur; sicut eadem Vulneribus applicata promovet heterogenea iis inhærentia ad exitum; sic quoque abscessibus tardantibus apertionem sui illita, eos maturat & ad Eruptionem disponit.

7 *Oesypus:*) Sumunt lanam pinguem, & ex hac coquendo eliciunt pinguedinem, quam vocant Oesipum. Pinguedo muris alpini commendatur ad pleuritidem, hinc Ungentum pleuriticum MYNSICHTII hanc pro basi habet, & Ursina ad Hernias commendatur. Humani vi consolidativa laudatur. Pinguedo lucii, laudatur pro infantum tussi, illinendo pedes, ut sic ad somnum disponantur. Asciæ pinguedo ad cicatrices Vulnerum absumendas. Erinacei præfertur ursinæ in herniis, si lumbis illinatur: Anguillæ foliis lauri excepta laudatur ad surditatem & subauditionem. Suilla temperatissima, & maximè mollitiva est: Hircinum sevum umbilico illitum ad stranguriam commendatur. Cervinum ad fissuras pedum.

8 *Medullæ:*) Ex cruribus animalium desumptæ, & illitæ disponunt ad blandum somnum in acutis morbis ægros.

9 *Sapo:*) Duobus modis in usu est: Primò per se ut subjectum alcalinum temperatum, indeque anodynum externum exhibet solutum in spir. vini; vel spiritu lumbricorum terrestrium addendo interdum pauxillum Camphoræ, ita Podagricorum pedibus dolentibus cum optimo successu applicatur. Secundò oleum ejus, quod plurimis modis, ast optime juxta AUTHOREM N. destillatur, est resolutivum potens, cùm sit aut oleum olivarum, aut oleum pinguedinum animalium saponem ingredientium, præprimis Venetum penetrantissimum.

10 *Ceræ oleum:*) Penetrans est internè ad affectus diureticos, & Tenesmum; externe ad ulcera & ambusta expertum; interim loco illius & oleum saponis sufficere potest. Cæterum modum destillandi oleum Ceræ quod concernit, optimus est, qui fit cum duplo ossium animalium calcinatorum; sic namque illud penetrantissimum acquiritur; contra cum arena destillata Cera flava dat oleum quasi butyri forme.

1 *Sperma Ceti:*) Est concretum ex cerebo Phocæ piscis, incolæ maris Septentrionalis, mediante lixivio acri confectum, & virtute resolvendi sanguinem congrumatum anticolica, antihysterica, & antipleuritica præditum. Cæterùm illud in vehiculo frigido non potest assumi, & in calido non, nisi sit fervidum, ubi labia incrustat. Unde Essentia ejus desideratur, quæ fiat cum Spir. vini rectificatissimo, fereque quasi toto oleoso, ubi tamen hæc & hoc tædii habet, quod vehiculo aqueo combinata mox genuinum sperma Ceti sistat. Emplastrum tandem de spermate Ceti MYNSICHTII egregium in lacte coagulati

gulari incipiente, mammis applicatum, superimponendo sacculum calidum avena repletum; De quo *conf. TIMÆUS in casib.* interim loco hujus Galbaneta æquæ efficacia sunt.

TEXT. LUDOVIC.

Inter *Fossilia Marinaque* proin nunc potius ponamus polychrestum 2 *Succinum*, saltem *vulgare*, (dum *Fossile* rarius & quantum nos quidem in diversis frustis notavimus, minus suaveolens, operose nonnullis *Regeneratum* curiosius quam venali raspatura præsentius est,) idque solummodo *flavum* pellucidum, cariori *Albo* pridem vel ob Artis imitationes prælatum. Sitque præter *Suffitus*, è nostris quoque selectis sufficientissimos, & per additamenta competentia, [siquidem permulta folia floresque gratiam obscurant,) haud difficulter ulterius alterabiles, primo 3 *simplex Pulvis*, citra frustraneam *Spiritus Vini deflagrationem* levigatus; ni paulo diffusior moles, [specificorum tamen cephalicorum, nephriticorum, uterinorumve accessu prompte minuenda,] fortasse displicuerit. Sic porro 4 *Tinctura*, cum Spiritu ardente Tartarisato vel alias rectificatissimo, (nam ipsa *Salis Tartari additio* extractionem hic parum promovet,] parata. *quovis Magisterio*, (*seu per præcipitationem cum Aqua s. Vitriolive Spiritu, seu per exhalationem tantum post liminio compacto*,) convenientior, Oleorum aromaticorum tantillo pro lubitu facile condienda, consimilibus (cum Alcalisato Spiritu, aut ipso simul Alcali Tartareo confectis) Tincturis prompte m scenda. Ceu tam per se, quam Castorinæ, Camphoreæ, &c accessu bonum est *Uterinum*, (*Elixiris* nomen hinc alicubi nactum, Nephriticum, Cephalicum, &c. modo in vehiculis calidis, nec adeo præcipitantibus adsumatur. Sit demum 5 *Ol um Succini* saltem per se & sine additamentis destillationem protelantibus, aut Salis volatilis (si forsan experiatur,) partem infringentibus, vel pretium frustra, efficaciam parum, [*ut Corallia*) intendentibus collectum. Qui sub privata rectaque sic Dispensatione, *Albi statique coloris* rationem non adeo habere tenetur, simpliciter sic [quamvis aliquanto obscurius,] secure adhibere poterit, aliquoties solummodo ablutum & aliquandiu hinc repositum, citra laboriosiorem, alias plerumque Residuum minus graveolens relinquentem *Rectificationem* quandam; sive *super Cineres*, *Colophoniam propriam*, *aut Alcali aliquod*, sive sumptuosius adhuc *super Salis Spiritum*, sæpe superstantis olei partem per bullas elidentem,) aut *super Salismuriam* utplurimum Totius rectificationi una vice non sufficientem, vel commodissime demum *per Vesicam* (*crassamente* aliis Unguentis & Emplastris pro lubito relicto,) instituatur; ceu nonnulli hoc fine prius Olei destillandi Dimidium, ante erumpentem fumum, (at pariter cum aliquali Salis Volatilis perditione, nec adeo evidentiori destillati gratia,) olim separare consuerunt. 6 *Balsamum* hinc uti vulgati usus, ita promptæ extemporaneæque [cum Nucistæ expresso, mixturæ, 7 *Sal vero volatile* parergon est isti, qui data opera quærit. Nam. in renitentioribus Ischuriis infidum, in reliquis destillationibus, congeneribus nec singularius nec præsentius est, utut modo per se sublimatum, modo ardente Spiritu *in Urinosum liquorem* resolutum, vel *Acido quodam Spiritu fixatum detur*. Unde illud huc tantopere non trahemus. Multo minus autem *Fixi* tantillum (ejusdem saporis, à laborum fere prodigis collectum ex accumulatis successive. *Capitibus mortuis*: quæ si per destillationem haud penitus exhausta seu combusta fuerit, ceu alias mulierculis intus tuto dantur, ita quoque *Asphalihi & Gagatis*, (siquidem ipsum Succinum, & ejus præ *Gagatino* Oleum invectis persuasionibus satisfacere nequeant,) locum sufficienter supplent; 8 *Petroleum* vero per nos his addat, qui volet: compluribus destillatis equidem parabilius, & penetrans est naturæ genimen: nihilominus quod contractior Praxis Terebinthinæ Spiritu, Saporis vel Ceræ, Juniperive Oleo similibusque domesticis, familiarioribus aut mage Polychrestis Topicis non transiget, nec hoc, (sæpe nimis exsiccativo) transiget: ut specialem ejus necessitatem non videamus; minusque adhuc periculose à negotiosioribus *Rectificati*, ratiorisve (absolute sic dicti) 9 *Terræ Olei*. *Carbones fossiles* operariis, aut cum *Torfa* adsuetorum foco; quodque hinc quidem *Salinum*, *illinc Oleiforme* secernitur, curiosioribus relinquamus, nitroso Alcali, Succinique congenerive Oleo satis contenti.

De *Sulphureorum*, huc pariter spectantium selectu in Diaphoreticorum classe egimus. Et cum in destinatione sua hodieque sufficientissima, experimentis confirmata, sat tuta, nec (extra abusus, alterius), olim subsequæ noxæ suspecta vel convicta sint, causam non deprehendimus, cur Pectorales insuper in usus, imo Sudoris Vomitusque ciendi ergo [præ exploratissi-

NOTÆ.

2 *Succinum*:) Vulgare eligit AUTHOR ex Borussia ad nos advectum, hocque præfert fossili in maritimis locis, & Moravia reperibili, itemque hic loci ex fossa limosa aliquandò extracto, & regenerato ex sale succino, quod habet BOYLE. Cæterùm sunt; qui minerale succinum proclamant esse, ast nobis semper vegetabile visum est de natura terebentinæ. Et quidem prima ejus origò videtur esse ex Suecia nempe ex hujus promontoriis multis abietibus consitis, ex quibus tempore æstivo resudat liquor terebinthinaceus, qui in mare destillans, hujus fluctibus mutatur in succinum. Et argumento nobis esse possunt producta & effectus succini, non adeo à therebinthina distincti.

3 *Simplex succini pulvis*:] Levigatione cum aqua appropriata factus eligitur ab AUTHORE, ubi tamen ille semper nobis ideo suspectus visus est, quod succinum sit subjectum à nullis menstruis solubile, unde dubitamus, an in pulvere datum, illud aliquam positivam in corpore habeat efficaciam, quin potius seligimus in affectibus catharralibus ex lymphæ vitio prognatis semper loco ejus oleum destillatum, & sal volatile.

4 *Tinctura succini*:) Seligitur ab AUTHORE at vix spir. vini etiam rectificatissimus aliquantulum saltem succini solvit, indeque si tali tinctura aqueus liquor combinetur, cremor succini iterum supernatat, atque ita non præstabit quippiam præ pulvere succini; hinc potius contra AUTHOREM fiat Tinctura illa cum liquore alcahest GLAUBERI ex nitro fixo; ita enim solutum hoc, ipso succinum digeri poterit cum spiritu vini in Essentiam, præferendam illi, quæ cum spir. vini Tartarisato aliàs paratur.

5 *Oleum succini*:) Fit optimo consilio per se; blando Igne; E contra oleum coralliorum succinatum parùm vel nihil de Corallius participat. Cæterum oleum dicta ratione destillatum rectificandum est, tam propter odorem suum empyreumaticum, quam propter resinam adjunctam crassiusculam. Ac quidem rectificatio ejus optime fit ex vesica: Vel & olei nondum rectificati pars j. abluatur in part. iij. aquæ simplicis sæpius agitatæ, ita aqua illa suscipit empyreumatica olei excrementa salina, supernatante oleo puro, quæ aqua blando Igne destillata dat partem salis volatilis succini.

6 *Balsamum*:) Succini cephalico-catarrhale fit vel miscendo olei destillati Succini part. q. s. sal volatilis succini.

7 *Sal Volatile succini*:) Præter vim dieureticam, quam quidem non æstimat Author; è contra laudat HELMONTIUS:) hic Diureticorum apex nobis egregium est Cephalicum, Nervinum, & Antepilepticum, cōpositum ex urinoso succini sale, phlegmate ejusdem acido, & oleum facile depurando, subigendo id cum ana salis tartari, & destillando, hac enim ratione putū alcali succini volatile sal acquiritur. Deinde alii aquā ablutionis olei per se destillati sale volatili impræg natā sumunt, & sal hoc ab aqua separant, iterumque affusione Spir. vini sublimant in sal volatile depuratum pro usu diuretico. Juxta VVILLISII verum assertum semper una cum nitro propinandum.

8 *Petroleum*:) Album & rubrum nobile est, & penetrans fervidumque resolutivum, conveniens in multis cū oleo destillato Succini, indeque calide lūbis illitū in Nephr tide egregium. Atque hoc Petroleū recentiorum est Naphtha Veterum, flammam facilè concipiens.

9 *Terræ Olei*:) Oleum terræ, ex India allatum, est petroleū sui generis, ast penetrātius & subtilius præ illo.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

mo nunc Antimonio,) iſtis ſuperaddi debeant 10 *Arſenicalia*, *Auripigmentina Sandarachinave Sublimata*, *Rubini*, (dum in Sulphure Arſenicale quid tantopere veremur,) *Præcipitata è Liquore Gummoſo*, *Reguli*, *Vitra*, *Flores*, *Magiſteria*, per nitroſam detonationem Fixata, &c. quæ ſecundum Recentiorum præcipue proceſſus ac compendia elaborari poſſe, inter odioſiſſimas effumationes equidem didicimus, at ſolidorem [per domeſticas obſervationes, haud vero per conſuetas tranſcriptiones firmatam,) experientiam, de talium (plerumque pro forma ſaltem repoſitorum, aut animi gratia elaboratorum] ſecuritate, etiam ultra Pſoram, (ubi aliquando fixum ſeorſim Arſenicum tuto datum novimus,) extenſa, adhuc dum expectamus. Extus ſane *vulgare Fixatum* Chirurgis peculiare quidpiam haud adeo præſtat; abuſus aut alcalibus adhuc combinati noxas alii retulerunt. Solus 1 *Arſenicalis Magnes* mereri videtur, ut diffuſiores in apparatus pro *Emplaſtro* (per ſimpliciſſimam liquationem, cum vel ſine Vitrioli Terra, Fuligineve conficiendo, & nihilominus circumſpecte continuando,) præparetur.

Solaria Lunariaque huc forte pertinentia, è ſuperioribus repetantur: Nos ad novam polycreſtam que claſſem pergimus.

HYPNOTICA, ANODYNA, EPICERASTICA

Sit inter hæc jure primum, præſtantiſſimum 2 *Opium*; maſſa [dum domi, decenter licet, collecta exoticæ acumen eadem doſi neutiquam attingit,] equidem aliunde comparanda; innocens tamen, utut hodieque permultis, empyricos forſan olim

NOTÆ.

10 *Arſenicalia:*) Notus ſcil. eſt arſenici & productorum ejus effectus, dum internè parva doſi & vomitus lethales concitent; externè vel ſuffitus ex arſenico pro Phthiſi, & pectoris morbis curandis Veteribus in uſu fuiſſe, de quo *vid.* RIVERIUS *caſ. ult.* ubi proſtat exemplum Phthiſeos hac ratione curatæ; interim omnia præparata Arſenicalia negligi poſſunt, & loco illorum tutiora proſtant. Equidem Arſenicum fixum cum nitro factum internè & externè laudatur in Pſora & lepra, it. in malo venereo confirmato à nonnullis, nec non pro Philtris, & ad ulcera deſperata, ſpeciatim cancroſa mammarum; aſt & hoc minus tutum eſt, præſertim interne datum.

1 *Arſenicalis Magnes:*) Qui paratur ex ana Arſenici, ſulphuris, & antimonii, ejuſque auctor eſt ANGELUS SALA; Præter uſum, quem habet in anthracibus Peſtilentialibus, de quibus *vid.* BARBETTE *in obſ.* & excitandis fonticulis, de quo *vid. id in Anat. Pract.* It. in peſte pro amuleto, ingreditur quoque Emplaſtrum Magneticum quod egregium eſt in quartana, regioni lienis applicatum, it. in herniis, lumbis appoſitum, pro retractione inteſtinorum prolapſorum, nec non in parotidibus pone aures in febribus malignis erumpentibus.

Sequantur jam FORMULÆ hujus claſſis: Sic eſto v. g. aqua Analeptica in ſubitaneo caſu quodam.

♃ *Aq. Meliſſ. ſpirituoſ. cum Vino* ℥ß.
apoplect. (AUTHORIS p. 609.) *compoſ.* ʒvj.
cinamom. ſpirituoſ. ʒiij.
Eſſent. Ambræ ʒj.
M. S. aq. corr.

Sic in pathematibus muliebribus.

♃ *Aq. hysteric.* (Auth. p. 593.) ℥ij.
Eſſent. Caſtor. ʒij.
Aceti rutac. ʒj. vel ʒiß. aut q. ſ.
M. S. aq. antihiſtoria.

Porrò in puncto Colicæ convulſivæ:

♃ *Aq. menth. commun.* ℥ij.
compoſ. (Author. p. 583.) ℥j.
Eſſent. Caſtorei ʒiij.
Laudan. opiat. gr. iij.
Eleo ſacchar. Citr. vel aurant. ſuccin. (Auth. p. 590.] q. ſ.
M. capiat cochleatim.

Ulterius pro curanda Epilepſia loco vehiculi eſſe poteſt.

♃. *aqua Lil. convall. commun.* ℥iij.
apoplect. Auctor. ℥iß.
Eleo ſacchar. citri ſuccin. q. ſ. pro grato ſap.
M. pro vehiculo pulveris cephalici AUTHORIS p. 642. & 643.

Loco quorum pulverum & in Epilepſia hic eſſe poterit.

♃. *Raſur. cran humani violenter mortui pulveriſ.* ℥j.
Cinnab. vel antimonii vel nativ. ſelect. ʒß.
Sal. volat. ſuccin. gr. ij.
C. C. gr. vj.
Laud. opia. gr. iß.
M. F. pulvis pro 3. doſibus in præfato vehiculo ſumendus.

Porrò ſit mixtura contra paſſionem hyſtericam.

♃. *Aq. puleg.* ℥ij.
hyſteric. cum caſtoreo ʒij.
liquor C. C. ſuccin. ℥j.
Laudan. opiat. gr. ij.
M. capiat cochleatim, quæ miſtura & in paroxiſmo apoplectico & epileptico locum invenit, omiſſo ſaltem Laudano opiato, & loco Eſſentiæ caſtorei ſubſtituendo aquam apoplecticam AUTHORIS.

Porrò ſi eſt præſcribenda Tragæa aromatica tunc

♃. *Cinamon. opt.* ʒv.
Zingiber. ʒß.
Caryophillor. ʒij.
Cardamom.
Macis ana ʒj.
Ol deſtill. Cinamom. ℈j.
(AUTHOR & hujus loco in pathematibus generis nervoſi *Ol. deſtillat. ſuccini* ℈j. ſubſtituit.)
Eleoſacch. citrat. ʒß.
M. pro tragæa bis quotidie mane & veſperi uſurpanda, quæ & cum ſ. q. *Conſerva roſarum & aq. menthæ* in Electuarium analeptico: ſtomachico: cephalicum redigi poteſt.

Ulterius ſit præſcribendum Eleo ſaccharum confortans pretioſum pro ſene divite.

♃. *Ambræ gr.* viij. ſolve in
Olei cinamom deſtill. gutt. xj. &
cardamom gutt. vj. adde
ſacchari albiſſ. ℥j. ad ℥ij.
M. F. pulvis ſubinde uſurpandus.

♃. *Eſſent. ſtomach.* Auth. p. 591.) ʒiij.
Maſtich. (ejuſd. p. 634.) ʒiß.
M. S. ſtomachi Elixir.

Tandem pro uſu nervino externo.

♃. *Galbaneti Paracelſi* ʒij.
ol. deſtill. ſuccin. ℈ij.
ſpicæ. ℈ij.
M. pro lubitu in variis abdominis doloroſis affectibus nuchæ & aliarum partium nervinarum ex lymphæ acidioris vitiis prognatis.

vel ♃. *Emp. de hyroſicam.* (Auth. p. 628.) p. ii.
Gumm. Galbani vel
ammoniac. in acetoſolut. p. j.
lique facta M. hinc malaxata cum *oleo deſtillat. ſuccin.* vel *ſaponis*, induc. ſuper alutam F. Emplaſtrum in forma tranſmiſſa applicandum locis nervoſis nonnihil carnoſis in doloribus chronicis.

2 *Opium:*) Eſt ſuccus Papaverum ſativorum in regio

regionibus Asiæ Orientalis incisione elicitus; cujus fœtus nunc prostans opium est ut plurimum meconium, saltem ex integra illius planta presto elicitum. Cæterum insons est remedium, nec nisi perverso usu nocivum; quin Orientales vix sine eo vivere possunt, sed eidem assueverunt, ita ut id a ʒ. integras assumant.

TEXT. LUDOVIC.

(in agonizantibus, aut morbis ejusmodi suflamen vel plane non, aut temporum respectu nondum admittentibus,] abusus spectantibus immerito neglecta, ad semidementationem, (dum non solum in Indiis *Affionii illi atque Pousti*, verum etiam hisce in regionibus assidui ejus frequentatores oppido diversum ostendunt,] injuste damnata, suspecta, aut tandem longe parcius, serius dimidiusque attacta: quanto Infantum, Gravidarum, Puerperarum, exhaustorum, (nec solis semper spirituosis odoriferis analepticis sopiendorum] Senum, item Phthisicorum, Epilepticorum, aliorumque ferina tussi, defluxionibus, hæmorrhagiis, profluviis, superpurgationibus, colliquationibus, diversis humorum aut sanguinis effervescentiis, plerisque vagis fixisque doloribus, &c. pene enectorum damno, hic non dicemus: nisi quod (ad hæc fere tempora) atque multos 3 ob meticulosam Opiatorum & Emeticorum intermissionem, quam per Empiricorum manus occubuisse credamus. Dum autem occulatiores alii polychrestum hoc remediis genus quasi postliminio reducere, seu frequentiori usui vindicare conati sunt, ab altera parte (inter tot theoretica litigia nimiumque Chimicas tractiones] denuo enormiter vexari cepit. Siquidem experientia docet, quod 4 *Crudum* necessitatis tempore nihilominus secure, modo (ceu ejus generis omnia,) competenti subjecto, morbo, tempore dosique detur; innoxieque similiter Extractionibus, &c. subjiciatur, 5 citra prævias *tosturas* aliasque ambages; aut si (disparentem tamen sub plerisque his laboribus) graveolentiam minuere voluerimus, quod tunc *Aqua*, superfusæ saltem *Divaporatio* æquè satisfaciat, & tostura insuper certior, *Sulphuratione*, ceu quidam Scammonii instar istud perfumare consueverunt,] suo modo facilior sit: quod porro simplex 6 *crudi in spir. Vini solutio* pariter innocens: innoxiusque nec vere hinc narcoticus existat *Abstractus inde ille ipse Spiritus*: quod Opii natura revera magis *ad Ardens quam Acetosum* (simultaneæ cujusdam correctionis causa, inter suppositam salinarum partium eminentiam, huc adeo tractum) menstruum vergat; quodque hinc (dum *Topicis* quidem partim frustra adjicitur, v. g. cauteriis potentialibus, Antarthriticis, &c. partim crudum, v. g. in *Sotirella cujusdam imitatione* sufficit,) *Extractum* internos in usus paratum, *cum Vini Spiritu*, uti copiosius, (resinosa sc. parte magis simul attacta,) ita de cætero undiquaque sit tutissimum: quodque demum hoc, solitarium quoque, Laudani cujuscunque loco, sub qualibet forma, æquali securitate atque effectu nihilominus exhibeatur. Accedit, quod si omnino tanti momenti judicaretur hic *Acidulatio*, nullo negotio *Spiritus Vitrioli* (tanquam plerisque Opiatorum destinationibus convenientioris, drachma una præter propter, pro singulis Opii unciis, Spiritui Vini ante extractionem instillari, vel potius [cum acidulata hæc Phthisici minus commode ferant,) Extracti simpliciter sic, etiam absque tostura parati parti seorsim diversimodeque sociari queat, vel Vitriolatorum quoque loco *Spiritus Salis cum aut Vitrioli Philosophicus*; nobis (sub liquida præsertim forma) præ *Aceto destillato, imo ipso à Sale Tartari* [sub Terræ foliatæ confectione, (*abstracto. Æruginisve sulphurato Spiritu* sumper convenientior hic habitus. Nam incompetentia *Fructuum acidulorum, Aceti rosacei congenerumque liquorum*, extractioni olim adhibitorum Magmata, hodie his neutiquam agglutinabimus.

At quo selectus noster nunc procedat, licet equidem minus prodigus, operationis vero fundamentum & accessoriorum improportionatas utplurimum minutias rite expendens, solitario dicto *Extracto* acquiescere possit, 8 ponamus nihilominus (ne in fami-

NOTÆ.

3 *Ob meticulosam:*) Scil. plures sunt nostratium Medicorum, qui nunquam magis tremunt, quàm quàndo ægris Opiata aut Vomitoria exhibenda sunt, cum tamen Opium in quibusvis ingentibus symptomatibus dolorosis sistendis sit præstantissimum, modo id dextre & cum debitis circumstantiis adhibeatur.

4 *Crudum:*) Opium hodie vix, uti olim quidem VETERIBUS in usu est; interim in quibus acidum primarum viarum excessivum offenditur, illis, crudum commodè poterit dari, cùm ab acido illo hoc castretur; contra tenerioribus idem exhibere nobis sit religio propter funesta præcordiorum symptomata. Atque hinc Opiata VVILLISIO malè audiunt, cum Angli delicatiores sint; è contra nobis, ceu subjectis durioribus, & acido primarum viarum magis activo gaudentibus, tàm crudum quàm præparatum opium convenit, extractum scil. nunc in forma liquida, nunc sicca propinandum; ubi tamen quemadmodum crudum non omnibus exhibendum, ita simplex ejus extractio cum spiritu vini facta dat remedium sane stuperfactorium, indeque cauto hic opus est.

5 *Citra previas tosturas:*) Scil. notum est, quod AUTHORES præparaturi remedia ex Opio, doceant ab eo separare Gas illud fœtidum virulentius inibi hærens, quippe in quo vis narcotica inprimis residet. Jam ergò fit hoc vulgo opium in tenues lamellas divisum blande torrefaciendo, quò sic evaporet illud Gas noxium; alii contra sub tostione hac opium incisum submergunt aquæ simplici vel leniter coquunt usque ad evaporationem aquæ.

6 *Crudi in Spiritu vini solutio:*] Scil. redacturi opium in Essentiam aut extractum 1. de menstruo appropriato cogitent, & 2. quod illud corrigant? hinc prioris ratione, præsertim cum opium sit succus resinosus, accommodatus esse videtur Spiritu Vini solvens resinam; ast verò pro correctione opii aliud quoddam menstruum affundendum requiritur, & quidem crasis materialis opii consistit in substantia pingui oleosa, viscida, fœtida; & narcotica, & sociata sali alcalino acri, fortiter sudorifero; ex quibus duabus substantiis sapor amarissimus quoque opii dependet. Jam ergò pro harum correctione adduntur nunc salia alkalia, v. gr. sal tartari; nunc acida, illa quidem ut visciditatem opii corrigant, & resolvendo eam vi narcotica castrent. Econtra respectu salis acerrimi in opio contenti advocantur pro correctione acida, & vel acetum vel succus cydoniorum, vel spiritus vitrioli dulcis, vel salis, quæ sociata spiritui vini extrahenti suo modò opium corrigunt. Interim excellit correctio illa opii, quæ fit per alkali tartari ita: ℞. Opii & sal tartari ana ℥j. quibus invicem tritis superfundatur vini Rhenani generosi (acetum non probamus] ℔j. stent invicem in digestione, & solvantur, hincque extractio filtrata evaporetur ad consistentiam mellis spissioris, ita superfundendo spir. vini elicitur postmodum tinctura seu essentia opii correcta facilè, evaporatione spiritus vini, in consistentiam extracti pro formâ pilulari redigenda. Atque modus hîc corrigendi opium est BOYLEI. Quòd si quidam velint præparare opium per acida, ij. ℞. Opii ℥j. spiritus vini ℥iij. spiritus Vitrioli (aut qui elegantior; spiritus salis.) ℥j. ita parata essentia elegantior, & tuta magis est illa, quæ cum simplici spiritu vini paratur, imò eadem cuilibet liquori sine præcipitatione permiscibilis est.

8 *Ponamus:*) Scil. tria præparata ex opio habet AUTHOR: Laudanum scil. suum, pro consistentia pilulari; Pulverem & tincturam seu essentiam.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

geratioribus polychrestis nimis deficere videamur) 9 *Laudanum aliquod*, sed simplicissimum, utpote sic optimum: *sique v.g.* Extracti illius partes duas cum Extracti Croci (tanquam vegetioris simplicis) & Cinnabaris nativæ, (corpus quasi dantis, (aut saltem Coralliorum p.p. ana parte una quis probe miscuerit, largiter profecto habebit, quod *Perlata*, *Gemmea*, *Bezoartica*, *Mumiata*, *Ambrata*, *Solaria*, *&c.* (majoris pretii opinionisque, non vero effectus,] item compluribus intentionibus magis adversa *Moschata*, *Oleisve destillatis obruta*, hyperbolicè sæpe promittunt : ceu superioribus jam annis postquam quilibet sibi (per inanes Extractionis, ponderum & additamentorum variationes) *Laudanum quoddam*, *Nepenthes*, & quid non finxisset, versatiores similiter observarunt. Amplius autem nec *Antepileptico*, *Hysterico*, *Pectorali*, *specialiori ve* quodam seorsim indigebit : siquidem simplicissimum quoque sæpenumero, citra omnem accensorum conventum, quæsitam intentionem sufficienter, sub indifferentia sua complet ; alibi vero sub *Pulveris vel Liquoris* forma, morbi simul simptomatumve Ratio æqua facilitate, extemporeque, ac sub ista remediorum accumulatione habetur ; aut si omnino *Pilularis* exigatur consistentia, convenientium Oleorum, Tincturarum Essentiarumque illitu vel interpositione, imo solius vehiculi conformatione, desideriis reliquis providetur : quæ residuorum quoque hujus generis *Pilularum*, *de Cynoglossa scil.* (*antiquorum* exoletarum ; *& recenentiorum diffusiorum*,) *Hystericarum*, (opio & Oleis suum apérte debentium,) *Anodynarum M.* (*cum Aloë*, consultius ante cœnam præmittenda,) *Narcoticarum*, *Pectoralium*, *&c.* cadit necessitas. De cætero 10 *Hyoscyamum* hinc saniores alias hactenus excesse jusserunt ; utut mitificari, semenque insuper, vel antiquorum exemplo, tuto at minutiori pondere dari queat. Certè citra hujuscemodi suspectorum accessum sat vegeta deprehendimus Laudana.

Atque hæc de *Pilulari* potissimum consistentia. Ponamus autem amplius, (cum forma ista vulgo quoque nimis innotuerit, quibusdam fere per abusus suspecta facta sit,) 1 *Pulverem anodynum* ; non tam *saccharo*, (sub sui dissolutione Opium inequaliter dimittente,) aut in molem coacervatis *tot specificis Magisteriis* constantem, quam (quo pulveris saltem species cum parca dosi exeat, (*è Laudani prædicti parte una & duabus Coralliorum præparatorum* : vel aliter è *Extracti Opii parte una*, *Sanguinis Draconis Santalive rubri duabus*, *& Coralliorum rubbr. tribus partibus compositum*; utrobique in tribus sui granis, Laudani granum unum continentem seu referentem ; 2 *Magisterio* è Solutionibus cum Acidis, per Oleum Tartari alteriusve Alcali præcipitato, (licet *superstans Liquor Alterans & figens*, haud adeo sit contemnendus,) vel dispensatu saltem longe commodiorem : ubi opus Specificorum Epilepticorum, Nephriticorum, Hystericorum, vel Anticolicorum Præcipitantium accessu facile ulterius accommodandum : ut *speciales* hunc in finem *Pulveres atque Trageæ* nullatenus seorsim requirantur ; minusque adhuc antiquarii illi ingratioresque *de Alcakengi*, ob unciam semis ita dicti,) *Carabe*, *Diacorallii*, *Diaspermaton*, *&c.* sistentes lenientesque (sub prompto imitationis modo) 3 *Trochisci*. Et si fortasse *Electuari vel Boli* formula cuidam seorsim complacuerit, Conservæ Rosarum, Rob domestico, Extractive jucundioris tantillo haud difficulter tunc subigitur ; ut abunde sic, imo totius compendiosiusque habeatur, quod seu *Recentiorum variæ* ; *pratiosæ*, *operosioresve Confectiones Narcoticæ*, *Mitigativæ*, *&c. seu Antiquiorum* (utplurimum urentibus aliisque inconvenientioribus præter rem referta) *Philonia*, (*Persicum*, *Romanum*, *Tarsense*, *Mesueum*, *Tryphera magna*, *Requies*, *Confectio Archigenis*, imo quod ipsa *Athanasia magna*, *ac recens* hoc fine expetita *Theriaca* diversimode promittunt.

Tandem vero *Anodinus* quoque huc accedat *Liquor* ; isque (dum *superioris hujusque Seculi Hypnoticæ Narcoticaque Aquæ* ingratæ ac levidenses, *Specifica* vero, ceu vocantur, *Anodyna* diffusioris interminatiorisque dosis sunt,] simplicissime quidem [citra Ambrata, aliaque exoterica, imo ipsa Crocata additamenta,] *vulgaris* tamen paulo proportionalius compositus : v.g. Opii seu crudi, seu [si seorsim placeat, [per Divaporationem in graveolentia sua prius mitificati partem unam, cum Aquæ Appoplecticæ nostræ & *Spiritus Vitrioli roridi* supradicti, aut. ejus loco, *Spiritus Vitrioli Philosophici* 4 ana partibus quatuor per dies aliquot digerendo ac filtrando ; quo medio, tanquam *Aceto destillato, vel à Sale Tartari prius abstracto*, *imo Spiritu Æruginis sulphurato, ipsoque Cydoniorum*, , [reliquis haud ita pridem singulariter prælato, at 5 post fermentationes quoque, semet specialius non exolvente] *succo* præsentiori. Tinctura habetur elegans, quæ in Malignarum complurium principiis vomitibus ac Diarrhæis complicatis, aliisque affectibus, ordinariis remediis ad guttas sex vel octo sociata, per se vero in Reumatismo, vomitu, Diarrhæis, Nephritide, &c. ad guttas decem, duodecim, vel octodecim noctu data plus præstat, quam integra remediorum vulgo opponendorum phalanx : præsentior quinetiam & saturatior est *Liquore* alias in ebullitionibus inquietudinibusque *Attemperante & Alterante* haud contemnendo, qui soluto in Aceto destillato [aliisque acidulis menstruis] crudo tosto, divaporatove, & hinc per Oleum Tartari præcipitato Opio superstat, papaver erraticum olet, & si Præcipitatum ulterius edulcorare coneris, id denuo [sub operatione ista solutum,] arripit. Nec sub circumspecta istius adhibitione indigebit quis insuper seu *Essentia capitum Paparis Erratici immaturorum*, per Spiritum Vitrioli roridum, aut Acetum à Sale Tartari abstra-

NOTÆ.

9 *Laudanum:*) Extractum opii cum aliis mistum vocatur Laudanum, & quidem cum cinnabarina anodyna vi sint instructa, & quietis cociliativa, proindè merito adduntur ab AUTHORE extracto Opii pro suo Laudano, quod Laudanum variis admisceri poterit Tincturis ; sic v.g. misceatur illud cum extracto Castorei, Calami aromatici, vel pulvere analeptico, vel pulvere præcipitante, aut etiam pulvere cranii humani, C.C. Unicornu verò, vel etiam pro scopo pectorali, cum extracto Helenii, & Hederæ terrestris, ita idem diversimodè specificari poterit.

10 *Hyosciamum :*) Hic succus expressus & inspissatus ingreditur quidem Laudanum Opiatum CROLLII, at quia hoc est vehementissimum, externis usibus inservit.

1 *Pulverem Anodynum :*) Hunc optimè ingrediuntur corallia propter sui vim præcipitantem. Cæterùm si nobis optio hic daretur, adderemus Laudano Auctoris cinnab. antimonii. (& loco coralliorum vel matrem perlarum vel lapides cancrorum.) Exque his tritis in anatica proportione conficeremus pulverem anodynum ; vel & reciperemus extracti opii part. j. & cinnab. antimonii, part. ij. & ocul. cancrorum vel matris perlarum, vel marini cujusdam part. iij. hæc mista dos. gr. vj. ad ix. daremus, & irroraremus vel oleo destillato succini pro scopo nervino, vel oleo cinnamomi pro aliquali analeptico simul, vel oleo Terebinthinæ pro scopo nephritico.

2 *Magisterio :*] Hoc Opii Magisterium est maximam partem castratum, cujus liquor ab ejus præparatione residuus dos. gutt. 10. 20. ad 30. remedium est têperativum, & quasi liquor quidam terræ foliatæ tartari sociatus Opio, hincque diaphoreticus, temperans, & simul anodynus ; interim & loco hujus alia prostant, hinc illo in specie non indigebimus.

3 *Trochisci :*] Omnes animantur ab Opio, indeque illis non est opus, sed modò in promptu habeatur pulvis anodynus, tunc ex tempore pro scopo diuretico Alkekengi loco trochiscorum ejusdem nominis, vel succinum loco de Carabe dictorum, vel denique corallia, loco Diacorallii adjungi poterunt.

4 *Ana partibus quatuor :*) Hic putamus sphalma subesse, etiamsi proportio hæc conferatur cũ illa ; quæ legitur *pag.* 663. tunc quidem aquæ apoplecticæ proportio potest esse quadroplex respectu opii vel crudi, vel evaporatione mitigati, ast spir. acidi tantùm ʒj. concedi poterit ; secus enim mistura nimis acidulo emerget.

℞. *Opii cujuscunque* ℥j.
Aq. apoplect. nostr. ℥iv.
sp. vitrioli rorid. vel philosoph. ʒv. quæ digesta & filtrata sint pro liquore anodyno.
(Vel secundum aliud exemplar)

℞. *Opii* ℥j.
aqu. apoplectic. ℥iv.
spir. vitrioli ʒj. M.

5 *Post fermentationes :*) Intelligit hîc extractum opii cum succo cydoniorũ paratum LANGELOTTI, quòd itidem egregium, cum postmodum illud cum spir. vini extrahi queat.

TEXT. LUDOVIC.

cto confecta; bono incrassante; seu aliis *Opii Essentiis liquidis anodynis*, solitarium Sal Tartari, Amoniacum, &c. condensati Opii destinationi haud adeo respondentia, varie pro hujus reclusione recipientibus.

6 *Hyosciamus* autem; quamvis Alcalinis Acidisque aliquantum mitigari visus sit, ob restitantem nihilominus turbulentiam consultius Topicis nonnullis, [efficacissimis inde anodynis, mollientibus ac resolventibus,) destinabitur. *Semen* sc. [*Radice, Aqua destill. Succo inspissato, ampliusve Extracto* interea dimissis; ut *è solitario*, vel potius feliciusque cum *Papaveris* parte mixto, *Oleum* præstantissimum exprimatur, per se reliqua hujus generis, *Mandragoræ, Papaveris Infusum, Populinum, &c.* in destinatione sua facile præcellens, in *Balsamum quorundam Hypnoticum*, [prompta Olei Nucistæ expressi additione,] nunquam non redigendum; imo [ni variationes, Tonsorumve talibus interdum inærentium causa, vel pro aliorum accessoriorum quasi corpore 7 *Vnguentum è floridis*,] 8 Cataplasmata haud inefficacia insuper constituentibus] *Summitatibus*, simpliciter tantum in butiro frixis seorsim parare placuerit, [Officinalia superadditaque ista, *de Cynoglossa, Anodynum, Iovis utrumlibet*, famosissumque *Populinum quodvis* sufficienter exprimens. *Emplastrum hinc viride, bruno* [ob Oleum prius sulphuratum,] magis polychrestum, supra jam posuimus; & merito *Diachylis magnis atque parvis, Spleneticis quibusvis, de* 9 *Cicuta, &c. malacticis aut demulcentibus*, ipsique nonnunquam *Melilotino* [inter alia resolventia] prætulimus. Ut proin quod residua huc spectantia Simplicia concernit, *Cicutam* Atheniensibus vel Sturnis, 10 *Cicutariam* mulierculis ablactantibus, *Mandragoram* alias rariorem Agyrtis, *Essentiam ejus*, ac aliorum circa *Lolium, Pseudomelanthium*, 1 *Strammoniumque* tentamina curiosioribus, ingratioris & hoc in genere debilioris *Cynoglossa herbam, Radicem, Flores*, [alicubi etiam *conditos*] vilescentibus nunc aut supervacaneis formulis. *Petum* denique [post Vomitus, vel insuetorum fumigationes somniferum quidem, at huc non quadrans,] alterius intentionis Classi, cum productis suis relinquamus.

Papaver seu album, seu 2 [nimio tamen delectu] *nigrum. si* 3 *immaturorum Capitum Extractum*, [ad præcavendum situm prius saccharatum] in ampliores apparatus suppeditarit, præserim pro Infantibus; [quibus tamen accisæ Opiatorum quoque doses tutissime dantur, & imprimis commodus est suprapositus antepilepticus Pulvis, solitarius aut Pectorali nostro sulphurato sociatus;] profecto non erit; cur 4 è residuorum insigni luxurie accedat amplius sive *Sirupus simplex* aut inconsideratius *Compositus, vulgaris vel correctior*; sive [parum ab iis differens] *Diacodium off. simplex*, paulove acceptius de *Siliquis* & exolescens nunc, [stringensque potius quam epicerasticum] *Actuarii, cum recentiorum Stipticis ac Dysentericis*,] siquidem hic dulcia alias majores utplurimum turbas cient:] aut *Solidum tam antiquius*, [ejusdem cum Extracto nostro fundamenti;] quam *modernorum* [elegantius, at papaverina vi haud saturatius;] sive demum *Loch de Papavere*, linctuum istorum complemento. Siquidem in rei veritate nocturna Laudani, vel Tincturæ Pulverisve Anodyni dosis, sola plerumque, bis terve repetita, longe compendiosius, præsentius, nec raro [dum Sirupi papaverini dosis & operatio, ob diversam capitum maturitatem haud infrequenter inconstans deprehenditur,] certius præstat, quod tota dictorum, [stomachum utplurimum magis pervertentium] series promittit: interponi quinetiam interdum possunt Mixturæ è selectis nostris Extractis arteriacis fere jucundiores. Et quid similiter notatis Essentiis pectoralibus Saccharoque seorsim sirupisato facilius extemporeque diluitur, Morsulisve epicerasticis additur, quam dictum Capitum Extractum? *Emulsionum Papaverinarum*, [si accessoriorum attemperantem vim ac delicias demimus,] quanta sit potentia, experientia testatur, vulgusque passim, nihilo inde incautius aut somnolentius, in placentis suis 5 ad liberas; [dum nos religiose ad drachmas & scrupulos formulis diversimode adjicimus,] innoxie ac citra notabilem alterationem comedit. Ut *Semen* proin exprimendo hinc *Oleo* convenientius, *Flores* autem & *Capita* [pro pediluviis aliisve palliativis Topicis [siccata, cum inacceptiori *Aqua*, nostroque in specie parato *Meconio*. supervacanea existant.

Ita nec 6 ex *Erratico* præter [elegans diffusiorisque cujuslibet *Sirupi* vicarium] *Extractum*, in Vap. Balneo rite paratum & saccharatum, requiri posse videtur seu [gravis illa, inque utilissimi floris perditionem] *Destillata Aqua*, seu mucaginosiori *Conserva*, vel [cum Extracti illus melliformis dilutio facilis sit, *Tinctura vulgaris*, aut aliis negotiosius è *Conserva* insuper prolecta. Florum *Pulvis*, aliasque undique nauseabundæ molis est. De *Liquore vero immaturorum capitulorum* paulo ante diximus.

NOTÆ.

6 *Hyosciamus:*) Cùm internè datus sit perquàm violentus, & somnia turbulenta, levia deliria: imò in paulo majori dosi symptomata maniaca quasi concitet, utut à PADUANO & HEVRNIO Electuariis contra Hæmoptysin semen ejus admisceatur, propterea potiùs externis usibus ille sit accomodandus. Et quidem pro oleo externo generali anodyno sit illud flavescens, ex semine ejus cum āā seminis papaveris misto expressum, ita hoc, præter cephalalgiæ sufflamina temporibus illitum, & somnum infert.

7 *Vnguentum:*) Fit ex summitatibus floridis hyoscyami incisis, & in butyro majali, vel alio non salito frixis, valideque expressis.

8 *Cataplasmata:*) Optima fiunt ex Hyoscyamo recenti & viridi cocto in lacte, vel aqua simplici hæc uti in scorbuticis abdominis affectibus dolorosis; teste DRAVVIZIO, ita quoque in aliis non rejicienda sunt.

9 *Cicuta:*) Apud nos non æque narcotica est, quam apud occidentales.

10 *Cicutariam:*) Hæc vel etiam decoctum ejus impositum mammis conducit pro lactis copia ablactantium coercenda.

1 *Strammoneum:*) Vel datura Turcarum mirandi effectus est; cùm eo fruentes ratione privet saltem, sensibus reliquis intactis, de quo *conf. MANDELSIO.* Interim ex hoc *BARTHOLETVS Tr. de asthm.* suum remedium Phantasticum parat, pro deliriis melancholicis in melius phantasma transmutandis.

2 *Nimio delectu nigrum:*) Papaver nigrum contra *AVTHOREM FORESTVS l. 9. obs. 14. in Schol. dicit*, longè magis præ altero esse narcoticum, quod itidem POTERIVS confirmat.

3 *Immaturorum capitum extractum:*) Intelligit hic illud QVERCETANI papaverinum extractum, quod describit ex eo *SCHROEDERVS l. 4. p. 17.* atque hoc pro infantibus seligit AVTHOR, quippe quibus pars quarta granuli opii nocet, offenditque, & quasi semi mortuos reddit; interim neque illius tanta necessitas est, præsertim cum anniculis quasi gr. j. Theriacæ pro ℈j. l. ij. dosibus reliquis additis sufficere queat.

4 *E residuorum:*] Papaverinorum luxuria retinemus, & contra AVTH. syrupum papaveris simplicem & diacodii *MONTANI*, & syrupum de siliquis; & quidem illum potiunculis in forma liquida pro usu sudorifero anodyno addendum jubemus, præsertim cùm *VVillis in Phar. Rat.* papaverina (quæ sunt opiata dicta) præferat in tali casu ipsis opiatis dos. ʒvj. ad ℥j. exhibenda. Econtra diacodii *MONTANI* usus est magis arteriacus, in asperitate scilicet & phlogosi faucium bacillo liquiritiæ recenti assumendus, sic enim præstat omnibus Loch incrassantibus atque expectorantibus.

5 *Ad libras innoxiè:*] Scilicet cùm videamus ea, quæ sanos non alterant, ægros nihilominus afficere, v. g. particulam carnis gustum febricitantium; poindè sicut hoc procedit in Diæteticis, idem statuendum eò magis erit in pharmaceuticis, adeoque par ratio locum habebit respectu seminis papaveris, quòd in emulsionibus exhibitum contra AUTHOREM non est sine effectu.

6 *Ex erratico:*] Papaver erraticum laudatur in pleuritide, casu ab alto, & grumis, indeque prostat pulvis florum papaveris erratici, qui tamen in magna dosi usurpandus, aliâs exiguæ est efficaciæ. Potiùs hinc seligit AUTHOR rectè extractum florum ritè paratum, ebullitione scilicet in aqua simplici & repetitis infusionibus, hinc in V. B. inspissatum & cum saccharo in extractum redactum: Dosi ʒij. egregium.

TEXT. LUDOVIC.

Proin è residuis Epicerastis ponamus hic 8 *Passulas*) citra tædiosam & alterationis parum conferentem exacinationem, *Majores* aut promiscue, *Minores* (dum in 9 *Arillarum Spiritu* peculiare nil hactenus invenimus ,) saltem pro melliformi in Vap. Balneo parata *Essentia simplici* , vel si libuerit , adjecta *Caricarum parte Composita* , *vulgari Passularum Melli* acceptiori ; magisque adhuc *Sapa* illa tartarea, quam Vinicultores passim coquunt. Ceu quoque *Sirupo Jujubino simplici* aperte æqualis ; in *Compositum* æque ac *Loch Passulatum quodvis* convenientibus additamentis, si necessum foret, transformatu haud deprehenditur difficilis: Accedat *Glycyrrhiza* polychresta (*sylvestri* contra tormina mulierculis relicta) *Radix cum Extracto* suo melliformi , ad imped[illegible]dum situm saccharato. Quamvis etiam è vulgari institorum *Succo* , (si empyreumate non fuerit infectus ,) fere jucundius , (magno tamen heterogeneorum successu ;) & ex alterutro istorum , (per congenerum arteriacorum additionem ,) Mixturæ Pectorales , *Sirupo de Liquiritia composita quodlibet* præstantiores , aut æquales saltem parabilioresque levi negotio habeantur. Destillatio radicis per se quasi fatuam , in Compositis vix adeo pollentiores magisve epicerasticas reddit , *Aquas* 1 *Vnguento ab aliis aliter parato* . Saturnium aliquod alicubi , (etiam ad Diapompholygos imitationem conformatum) alicubi ac plerumque tutius , *Pulvis saltem Erysipelatodes quidam* (uti v. gr. è Cerussæ partibus duabus vel tribus , Myrrhæ parte una , & aliquot Farinæ domesticæ coclearibus sufficientissimus consit ,) sat commode substituitur , ipseque *Liquiritia pulvis*, (siquidem omnino quippiam inde placuerit ,) isti tum haud inconvenienter additur. De cætero , qui nunc super sunt 2 *Dactyli* , (dum Exteris olim ficta hinc , alibique jam tacta *Composita* hisce Regionibus speciale nil conferunt , *Palmeam vero Radiculam* jam olim querna æquat , ceu *Officulorum* lithontripticum sistentemque Pulverem nostri ad minimum Nuclei & vel Glandium farina ,) item specialiter aliquibus requisitæ. 2 *Zibeba* , ac (prodigi Filii cibus) Carnubi sive *Siliqua* inter Bellaria , *Pruna Damascena* & (in media Germania) *Vngarica* , (quandoquidem istorum *Pulpa* & *Essentia simplex* ac saccharata corruptionem haud ita diu declinat ,) culinis , *Jujuba* , similiter perfrequenter corruptæ & (vermium illud internecinum sc.) *Sebesten*. Exterorum usui deliciisque secure sic relinquentur.

Quemadmodum è *tot Sacchari* (secundum operarum, Regionum , figuræ , &c. diversitates etiam in Officinis supervacue multiplicatis) *generibus* , *Penidium* Infantum gesticulationibus , *Rubrum* exoletis (crudo vel melli frustra , ob exiguam differentiam præferentibus) Formulis , *Manus Christi simplices* (nec illitu alteratæ) & *Canthium utrumque* , (quamvis pro lenta liquefactione ac deglutione commodius ,) Institorum distractionibus , *Syrupus* denique , absolute sic Recoctoribus , alibi Malazzo dictus , pauperculorum condimentis consultius cedet. Hic nobis (obscuriorem interdum liquidorum colorem , faciliorem in siccis liquescentiam , proniorem que ad fermentandum , quo tamen optimum quoque Resinatum similiter tendit , naturam & residuas minutias , inter graviorum neglectum olim exaggeratas , tantopere non attendibus ,) mediocre *in Metis* sufficit , etiam *non adeo finum*, Absit autem , ut istud , (communi hodieque profusione , tot tantarumque Liquidarum Siccarumque Formularum confectaria ,) temere tantopereque dispergamus , plerisque commodius imo consultius , (pro subjectorum circumstantiarumque ratione) extempore , Liquidis sane præcipue (*si modo Aqua s. in Sirupalem consistentiam solutum seorsim reponatur* ,) ubicunque libet addendum : ceu alibi , aliis in requisitis , modo Melle , (recocto quoque ,) modo Passularum Liquiritiæve Essentiis , &c. penitus suppleri poterit : ut perfrequentes , supraque jam tactas ejus in Spleneticis compluribus , Hystericis , Dysentericis , Infantibus epilepticis , &c. noxas , & haud minimum ejuscemodi dulcores (nullibi non affrictos) alias aversantium numerum taceamus , Penidii Canthiique speciales pro Pulveribus , &c. requisitiones alii rejecerunt ; ceu jam olim quoque hyperbolicas illas *Tincturas* ; & perfunctorie sic dictum 4 *Sacchari Oleum* , *simplex* aut per adjecta quædam (inter deflagrandum,) Pectoralia *Compositum* ; dum convenientioribus Aquis destillatis Essentiisve solvi, Spiritusque ardentis communis vel abstractitii quidpiam superaddi potest. *Spiritum* acidulum, (præ congeneribus quidem jucundiorem & ex essentiali quasi Sale destillatum ,) *simplicem aut* (ascendente forsitan simul ab adjectis Corallis . liquoris proprii particula) *Corallisatum* , inter tot Aperientia & Solventia Curiosiorum repositoriis ; uti quoque *Spiritum ardentem* per fermentationem Simplicem, (nam *Compositos* abstractitiis quibusdam supra prætulimus,) item 9 *Hydrosaccharum* seu pariter 4 *simplex s u* (jucundius) *Compositum Passulatum* , maritima incolentibus, taliaque sic toleralibus (exercitii vel animi gratia) parantibus remittemus.

NOTÆ.

7 *E residuis Epicerasticis* :] *AUTHOR* eligit passulas, amygdalas & glyzyrrhizam.

8 *Passulas promiscue* : Passulæ egregium dant laxativum pro hypochondriacis & scorbuticis in forma vini passulati TIMÆI exhibita, non secus ac eædem inserviunt scopo lenitivo & epicerastico. Et quidem excellit in passulis succus temperatus dulcis, & in recessu insigniter oleosus , ratione cujus fermentant passulæ laxativæ ; sicut ratione dulcoris epicerasticæ ; & paratur ex iis in B.V. simplex, vel etiam composita Essentia , nempè ex part.ij. passularum & pinguium caricarum p.ij.

9 *Arillarum* :] Arillæ passularum destillatæ dant spiritum acidulum cum copioso empyreumatico oleo, ex quibus & exprimi potest aliud oleum olivarum non absimile ; imò sunt, qui ex iisdem fortiori igne sal vol. paraffe asserunt.

10 *Glyzyrrhiza* :] Ex hac eligit AUTHOR coctione elicitum succum , & cum saccharo in extractum inspissatum ; hocque præfert succo vulgari impuro Et sanè, si quis scire desiderat, quantæ impuritates isti adhæreat, tunc solvat illum in aqua simplici, sic namque illæ in copia fundum petunt.

1 *Unguento* :] Scil. prostat in *Pharm. Aug.* unguentum de Glyzyrrhiza ad arcenda erysipelata externè illitum; ast cautissimus hoc in passu esto usus unguentorum , periculum enim est, ne deducant ad suppurationem ; quin potiùs loco ejus (quod tamen in hæmorrhoidum dolore nunc per se , nunc mistum cum quartâ parte olei Hyperici non contemnendum] præferendus erit pulvis Erysipelaticus Auctoris , in quo tamen loco farinæ domesticæ recipiantur potiùs pulveris *fl. sambuc.* part.vj. *Cerus.* part.iij. & *myrrh.* p.j. irrorentur cum spiritu vini *tartarisato* , & calidè applicentur erysipelati tutò resolvendo.

2 *Zibeba* :] Quod de his promittitur , abundè habemus in passu s ; item loco jujubarum & sebesten, quæ ex Italia afferuntur, sed plerumque cariosa, passulæ esse possunt.

3 *Dactyli* :] Hos rejicit AUTHOR ; prostat inde emplastrum diapalma dictum , ideò, quod species baculo palmæ soleant misceri. Officula dactylorum lima in pulverem redacta laudantur à quibusdam in Dysuria , sed nuclei alii nostrates sufficiunt.

4 *Sacchari oleum* :] Est illud, quando saccharum solvitur in spiritu vini non rectificato , (alias non solvitur) hinc spiritus vini incenditur, & deflagrat, ita enim remanet syrupus , quem oleum vocant simplex , vel etiam compositum , factum loco simplicis cum spiritu vini anisato, vel juniperino. Et dicta olea sacchari recommendant pro usu linctuum in asperitate faucium ; idem potest fieri abstractione spiritus vini, vel & dilutione sacchari in spiritu vini soluti & inspissati. Imò datur & oleū compositum olei antimonii saccharati nomine veniēs, si ex antiminio & saccharo mistis destiletur; sicut corallisatum parant ex p.iij. sacchari, & part.j. coralliorum ; interim tamen quod de coralliis prodit, non meretur operæ pretium.

5 *Simplex* :) Sufficit simpliciter saccharum commune in metis in aqua solutum, & in consistentia syrupi variis addendum formulis. Nunquam usurpetur saccharum in medicamentis, nisi ubi necesse est, ut acquirant consistentiam spissiorem; præferantur ergò extracta vegetab lium succosa , Pauci sacharata ferre possunt, nec morbi chronici hypochondriaci, cachectici, hystericæ, quilibet alvi fluxus, febricitantes, &c.

TEXT. LUDOVIC.

Porro vero nobis sint *Dulces* [expunctis inter congeneres nucleos *Amaris* potatorum,] 6 *Amygdala*, etiam minus gratorum *Pistachiorum Pineorumque* loco. Sit insuper *Cucumerum &* [ubi suppetit,] isti intermixtum *Cucurbita* [dimissa fatua hujus *Aqua*,] *Semen*, æquivalente sæpeque rancido è *Citrullis ac Melonibus* parabilius, pro Emulsionibus, teneriores [per Alterantium variationem] interdum demulcentibus, inter competentia accessoria, [quo Nitrum quoque, tanquam aliquod earum condimentum pertinet] sufficientissimis, licet vulgatis [per tot Aquarum, &c. coacervationem formulis] longe simpliciores fuerint. De earum *Destillatione* superius, inter generaliorem Aquarum censum egimus. *Oleum frigide*, , vel tantum citra violentam illam frixationem è *dulcibus Amydalis*, *Magmate residuo* 10 cuticulæ curatoribus relicto,] *expressum*, & per se Polychrestum est, [citra tamen consuetam, ubi vel Olivum intus extusque sufficit. profusionem; & reliquorum è *Pistachiis, Pineis*, *Nuce nunnullibi Indica* 7 *Balanoque*, [dum odoratissimi Litus sine rancore nunc nemini non parantur,] item è *Sesamo* [si hodie referret,] congeneribusque collectorum locum Medico facile supplet: imò Unguinum insuper quorundam, v. g 8 *Resumptivi*, [siquidem Hecticorum pori adeo salubriter invisçantur,) *Anodyni*, *Pectoralis cujuslibet*, *&c.* levi aliorum vel domesticæ quoque pinguedinis accessu, inter præsentiora sæpe Topica, promissiones æquat. *Loch de Pino* [pene ridiculum] *Confectiones fructuum*, *Martius Panis*, *Pineolatum commune & album*, *&c*, *antiquiores recentioresque Massa ac* [oleosis sæpe haud adeo consulto constantes *Pastilli* in rei veritate Bellaria sunt; & supra Hecticis Phthisicisque ad talia, [etiam cum Cancrorum caudis Ranarumque coxis,] damnatis condoluimus.

1 *Amylum* comptui culinæque quam Ophthalmicis, [brevi post acoris quidpiam plerumque contrahentibus,] Pharyngisque incrustationibus, [sæpe tamen ejus vix grana aliquot improportionaliter recipientibus,] aptius videtur; & è Mucilaginosis, in diffusiores apparatus, præ *Arabico Gummi* [cui æquivalens satque purum vel è *Ceraso Prunoque nostro* legitur,] *Tragacantha alba*. Qui vero Cydoniata sibi remedia parat, [gratuitis sic & sat efficacibus *Seminibus*, nec *Istam* nec *Psyllium* insuper (dum vulgatissima *Tilia* passim hoc fine deliberari potest,] cum exoleto ejus *Eclegmate* temere postulabit. Quemadmodum nec è *Violis purpureis seu seorsim evulsa* siccata recentiave, [nisi quo vulgi oculos cœlestino Præparatorum colore pascat, *Foliola*, sive fatui saporis [in perditionem utilissimi Floris] *destillatam aut è Toto* magis adhuc supervacaneam *Aquam*: non *Solutivum* [inter tot tutiora, sub minore mole. Laxantia]: *Syrupum quamvis*, aut [frustraneum in Clysteribus abstersivum] *Mel quodlibet*; non antiquarios *Diajon Trochiscos*, aut [alias quidem non inefficax [*Semen*, de quo inter Diuretica. Sufficient *Flores cum ipsis* epicerasticis *Alabastris, recentes vel rite siccati*, vim haud adeò brevi, ut colorem exuentes; indeque debite [citra disperosorias Infusionum repetitiones,] parata in Vap. Balneo *Essentia* melliformis saccharo præ aliis paulo liberalius condita; minus quidem sic speciosa, efficacior tamen tam *Violarum communi*, quam *Foliolorum quovis operoso Syrupo*, *composito vulgari*, *ac Melle Violato aptior*; ipsius *Conserva* loco contractiori Praxi sufficiens, dilutuque (si brevior dosis non satisfaciat,) facilis etiam communis tunc *Julebi Tincturaque simplicis vice* licet hæc, [cum Vitriolica quoque exasperatione,] numquam non necessitate vero haud adeo notabili præparari queat *Oleum vero violarum* laborum sumptuumque prodigi destillent.

2 *Decoctum Pectorale*, ut ad reliqua nunc devolvamur, item *Florum ac Fructuum*, [dum Hordeata vulgus optima cum simplicissima domi parat,] profecto hodie sunt quasi Antiquaria, ab aliorum Infusione [tanquam saturata jam,] alibi pridem rejecta, sive certas in circumstantias placuerint, è paucis aliquot extempore secundum Recentiorem formularum imitationem, [æque ac *Decocti contra calculum* F. æquivalens,] haud difficulter parabilia. Sed hisce, usque dum contractioribus remediis contenti, non indiguimus; 3 nec vere Phthisicos ejusdem nominis usitatioribus *Decoctis* [etiam Cancris Limacibusque, præter Consolidas, Veronicam, Nasturtiumque, &c. constantibus,] solide [nam de facilitata hinc, per abstergentia vel incrassantia expectoratione non est nunc sermo, curatos vidimus: minusque adhuc [magnificorum promissorum, inconsideratioris vero compositionis frustraneæque tandem expectationis] *Aquis Antiphthisicis & Antihecticis*, eodem lavamento faucibus arentibus è simplissimæ cujusdam edulcoratæ, consimiliumve Lenientium vel Attemperantium deglutiotitione [citra omnem Sanguinum Carniumque accessum] suboriente. *Malva & Althea* Nephriticorum quorundam *Aqua* saporis fatui, *Verbasci* & aulicarum cosmetica,] *Liliorum alborum* adhuc ingratiores & domestico quovis (vehiculo posteriores sunt. De *Sirupo Dialthea* supra: sane Epicerasticis Anodynisque Essentiis Tincturisve, debito cuivis affectui Specifico sociatis, idem [citra toties tentatam ac disputatam præparationem, substitumve leve *Radicis Decoctum s. aut compositum*] passim à versatioribus obtinetur. *Antiphthisici & Antihectici Syrupi* communiter propositi, plerunque jurulenta infidaque, sæpe magis noxia sunt magmata: sique speciosiores quidam è *Substitutis* Pulmoniacos, [de Hecticis enim nemo credat,] aliquantillum levant, id utplurimum Vulneratorium congenerumque ingredientium fit exuperantia: [ceu idem evidentius securiusque per extractorum Traumaticorum, Pectoralium, Anodynorumque mixturas, inter succenturiata Præcipitantia, citra tantam Sachari affluentiam, quantum quidem morbi conditio permittit, habetur: *Conserva florum Malva & Liliorum alb.* hodie nimis delicata sc. *Essentia Althea cum aqua s.* confecta, tantum tenerior situique subjectissime Mucilago; *cum ardenti Spiritu è Radice vel ipsa Mucagine spissiori* extracta durabilior quidem est, sed emplastrini quasi quidpiam sapit, quale é vulgatiori quoque Malva paraverimus; uti curiosiores per Vini Spiritum è Gummi Arabico.

4 *Electuaria Pectoralia*, *Arteriaca*, *&c. vulgaria* raro nunc, nisi à desperatis tandem expetuntur, tædiosius adhuc continuan-

NOTÆ.

6 *Amygdala*:] Nuclei pini, cucurbitæ, cucumerum, &c. semina suggerunt, vel oleum aquosius quidem, sed æquè temperans, ac amygdal. dulcium oleũ Frigidè ex amygdalis dulcibus expressum eligit AUTHOR, quia hoc durabilius est, ex calidis enim paratum facilè rancescit.

7 *Balanoque*:] Insinuat oleum de Been, cum quo paratur oleum Jasmini, faciendo S.S.S. vid. *PROSPER ALPINUS in horto Exoticor.*

8 *Resumptivi*:] Vanum, quòd inungant dorsum hecticorum hocce; par ratio est, si etiam in affectibus pectoris, asthmate, tussi, phthisi, unguenta pectoralia pectori illinuntur, ridiculum enim & vanum est; horum loco si interdum insanire cum vulgò volumus, sufficiat oleum amygdalarum dulcium.

9 *Hydrosaccarum*:] Compositum passulatum Potersimenes æmulum potest parari ex saccharo, passulis, & aqua, mediante fermentatione, & cum santalo tingendo.

10 *Cuticula*:] Loco magmatis expressionis amygdalarum dulcium sufficere potest *Sapo ex benzoë* in spiritu vini soluto, *farina Fabarum*, & pulvis *Iridis Florentina*.

1 *Amylum*:] A quibusdam eligitur ad temperandas lachrymas acriores, sed malè, quia brevi acorem contrahit; jam si collyriis additur, & hocce lympha oculorum diluitur, acescit, & affectus oculorum asperiores reddit. Par ratio est, si commendatur in lymphæ affectibus, tanquam incrassans, præstantiora enim prostant.

2 *Decoctum pectorale*:] Hujus scopus est duplex, vel enim constat ex vulnerariis, noxam ex lympha acriori introductam corrigentibus, atque, talia sunt scabiosa, alchymilla, hedera terrestris, pulmonaria, symphytum, plantago: Vel dulc. ex temperantibus, incrassantibus & per consequens expectorãtibus. Utrique scopo ex tempore præscribere possumus, adeoque speciebus officinalibus illis pro decocto pectorali non indigebimus.

3 *Nec verè phthisicos*:] Scil. Phthisis est vel vera, à visceris alicujus exulceratione prognata, & hæc decoctis nullis pectoralibus existit curabilius; vel notha, cui tamen decocta prædicta mederi poterunt, vel noxam inductam à lymphâ tollendo, vel lympham attemperando, & hinc expectorationem promovendo superveniente postmodum ipsâ consolidatione.

4 *Electuaria arteriaca*:] Vid. ZVVELFER, SCHROEDER, &c. considerat AUTHOR & respuit, nam in illis conservæ propter Saccharum in morbis pectoralibus plus nocent; sulphurata non omnes ferre possunt, v.g. qui sunt dispositi ad febrem hecticam. Modò igitur extracta misceantur temperantia ex passulis, glyzyrrhiza, &c. quibus adde extracta vulnerariorum hederæ terrestris, alchymillæ & erunt optima.

TEXT. LUDOVIC.

tur. *Surrogata passim*, modo quidem ratione præparationis speciosiora, modo jucundiora, præter rem tamen, vel Ambræ, Moschi, aut Alchermes accessu cariora, vel ingredientium exoticorum adversiorum respectu ingratiora, vel demum ob Saturnina, Sulphurisve Spiritum, Lac atque Flores minus undiquaque applicabilia, sæpe noxia, certe propter accumulatas Conservas nihilo valentiora sunt. Nec in *Antiphthisicis*, dum affectus vere talis & confirmatus est, certi quid invenimus. Utrisque, [è calidis frigidisque, humentibus atque siccis sæpe numero coagmentatis] acceptiora nonnullibi Medicastræ parant: nobis autem Linctus tunc, aut Mixtura quædam leniens, temperans & incrassans, suprapositorum Pectoralium, item vulnerariorum Extractorum, & vel solius Aquæ Acaciæ consociatione, tantum] ni Dispensationis facilioris gratia *Extractum* pariter *Compositum* seorsim reponere placuerit, extemporanea constans, Abunde satisfacit.

Anonymi & Hali (aliquoties hactenus interpolatos,] congeneresque *Pectorales*, *Antiphthisicos*, *Catarrhalesque* [rancori per oleosa illa *quovis etiam modo* contusa semina ac Fructus admodum expositos] *Pulveres*, quotus est, qui præservatorie quidem, inter præsentiora Opiata aliaque euporista sistentia, & dum Morsuli vel Rotulæ huic intentioni multo aptiores sunt,) hodie(quo de effectu singulariori non dicamus,) continuando sumat; curatorie vero revera salvificos sentiat? ni specialiora quædam, sed pro circumstantiarum ratione associentur: nam indifferentem Sulphureorum Saturnorumque accessum paulo ante notavimus; nec siccantiora Gummata cuivis subjecto quadrant: 5 *Fungos salignos* ad grana quinque vel octo, bubonibus præcipue, nonnunquam cum effectu, de cætero sine noxa dari vidimus. Sed commendatiora quoque hic claudicare cœmeteria docent. *Species autem Diatragacanthi frigidi* (in rancorem pariter proclives] parum profecto hinc singulas in doses conferunt, per se sub cita illa deglutitione stomachum potius quam pharyngem invisçant, ut lenta frusti Tragacanthæ in ore liquatio foret tunc commodior, æque ac pro aliis [quibus frequentius expetuntur,] Compositis, integræ vel Mucaginis ejus (sine vel cum concisis Seminibus frigidis] additio: ut *novis harum Formulis* haud adeo sit opus.

6 *Morsuli* vero quidam arteriaci seu *Rotulæ*, tanquam præ *Trochiscis* aliorumve hujus intentionis *Baculis Pilulisque Pectoralibus* elegantiores, fluidis epicerasticorum Mixturis, ut pote magis portatiles, interdum aptiores,] paulo dufffusiori apparatui consultius aptari videntur; simplicissimæ saltem compositionis, v. g. ex Iride, Extracto Liquiritiæ vel Succi ejus, cum Tragacantha vel ad *Trochiscorum Bechicorum nigrorum off.* [*primorum, secundis decompositis* concinniorum, aliis minus operosorum] imitationem fusi, tantumve compacti, sub debita Extracti Liquiritiæ proportione gratissimi, ac citra Sulphuratiorum, [inter lentam deglutitionem fauces parum levantium, in completa dosi seorsim plus conferentium,] reliquorumque gratiam saltem pervertentium accessum sufficientissimi; quo *aliis Pectoralibus Antiphthisis; &c.* contractior Praxis non indigebit.

7 E reliquis autem Anodynis, Mollientibus ac Lenientibus si quid amplius in Topica seligendum foret, esse forsan posset trivialis 8 *Malva*, cum toto, tam per se, quam in *Mucagine* sua largiter complens; quod insuper infrequentioris *Althea Radice, Foliis ac Semine*, seorsim pro more servatis, in [periaptis nonnullibi aptioris] *Alcea herba & radice*, imo in hortulanorum *Arborea rubra albaque*, *completa vel incompleta Malva* [inter tot æque parabilia efficaciaque Gargarismata,) quæritur. Esse porro posset 9 *Liliorum alborum*, dum *Anthera* claudicant, *Radices* autem in Cataplasmata paterfamilias è vicino eruit, aut sæpè cæpe cocta supplet, è *Floribus recentibus* [dimissis *siccatis*] *Oleum*, *simplex*, levi solum aut nulla insolatione aliave [gratiam perdente] calefactione vel *operosiori encherisi* confectum, aut potius, immersis eadem opera, [ubi placuerit, & successive suppeditarint,) *Violarum*, *Rosarum*, *Sambuci*, *Chamomillæ*, *Verbasci &c. floribus*, quasi extra ordinem aut aliud agendo saturatum, sive ad imitationem *Olei septemflorum* [missis tamen ambagibus,] *Compositum*: largiter sic citra tantam Vasculorum multiplicationem complens, quod è singulorum illitu, seu temperatiorum horum coacervatione sperari, vel potius in rei veritate obtineri potest. Nam *Vnguentum Violatum* alias nunc exoletum, reliqua vero Anodyna ac Lenientia paulo ante vel per Hyoscyamum suppleta sunt, ut ne 10 *Linaria* quidem *communis cœruleave herba floribusque*, nec ipsius (alias haud rejiculi) 1 *Verbasci floribus aut foliis simpliciter siccatis*, aut alibi *plane*, *tostis* [dum *Radix* nonnullorum Amuletis, *Liquor* auteminsolatus comptioribus puellis magis quadrat,] seorsim tantopere indigeamus.

Fœnugræci Semen aut Farinam huc trahi forte posse supra circa Lotum ac Melilotum notavimus. At enim quod quæsitam hic emollitionem attinet, in vulgatiori adhuc *Lino*, imo expressi tantum *Olei*] quod cum *Rapistrino*, *Fagino*, *Cannabino*, *&c.* lucernis nunc, quam internis præsentioribusque externis remediis aptius putamus,] *Magmade residuo*, idem nullibi non invenitur.

Ita Clysteres æque Lenientes, citra ullum unquam *Clysmaticum Vnguentum*, vel domi confiunt: ut formularum circa talia multiplicationes demiremur. Et dum vel Nucistæ [pro fissuris) oleum, alibi vero Lapidis medicamento si Solutio Sulphuris Balsamum &c. imo tandem alibi triviale *Agnorum* [simplex, aut extempore, citra vulgarem putrilaginem Cosmeticis pulveribus sociatum] *Sebum* delicatioribus satisfacit, cur 2 *Pomatum Pomataque* insuper exigantur [aut *Vnguentum Dialthea*? dum vel solum cum Hyoscyamo frixum Butyrum sufficit. Sane hujus & Polychresti hinc Emplastri intuitu, nec olidas Pinguedines, nec ipsum antiquariorum Tonsorum *Emplastrum Diachylum simplex* firmatior quispiam adeo requisiverit; parabile tamen vel è Malva nostra, si opus foret; æque ac Unguento hyoscyamino mucaginosorum aliquod haud difficulter associari posset.

Oleum tandem, [ut in eo concludamus,] sit nobis ubique recentius, nec pro calefactoriis olidum *antiquius*, aut *Omphacinum* (pro stringentioribus,) dum pinguia rarius, aliæ vero formulæ magis quadrant, vel extemporaneis plusque crassamenti ferentibus Unguentis totum consultius suppletur,) stricte curiosiusque hic requiremus, *Lavare* quodvis fere ridiculum, laboriose variisque modis in *Philosophicum* destillare, (quando Terebinth, Saponis Iuniperi, &c. Olea sufficiunt,) pene supervacaneum, 3 *Nitri denique spiritu*, cum aliquibus *saturare*, curiosioris intentionis est. *Folia Olivæ* (inter tot paraboliora stringendo roborantia,) exteris, *Olivæ mensis* (quas immatura Corna similiter condita haud injucunde supplent,) è delectu nostro cedant.

Atque hæc de Vegetabilibus qualitercumque huc pertinentibus. Ex *Animali regno Vrina vel Salis Ammoniaci urinosus Spiri-*

NOTÆ.

5 *Fungos salicis:*) Hi inter muliebria euporista dos. ℈j. ad ʒß. commendantur vulgo cum Conserva Rosarum assumpti ad phthisin; interim non videmus hujus effectus rationem, nec quoque sufficientem experientiam.

6 *Morsuli arteriaci seu Rotulæ:*) Harum scopus est, oblinire fauces, & temperare lympham acrem indeque optima est simplicissima earum compositio juxta Autoris methodum hæc. *Extr. liquirit.* ʒ j

sacchar. albiss. ℥iß.
pulv. rad. ir. Flor. ʒiß.

cum s.q. mucilag. Tragacanth. in aq. Veronic. dissolut. formentur Rotulæ quasi Catholicæ pro scopo temperandi, incrassandi & expectorandi.

7 *E reliquis anodynis ac lenientibus*) pro usu externo eligit AUTHOR malvam, oleum liliorum alborum & Oleum Olivarum commune.

8 *Malva:*) Vulgaris tota inter Emollientia, temperata anodyna; maturantia & suppurantia primatum obtinet, ratione mucilaginis cum aqua extractæ, aut quoque Cataplasmatis formâ.

9 *Liliorum alborum Oleum:*) anodynum & emolliens, item Vulnerarium, fiat per simplicem florum recentium in Oleum Olivarum infusionem.

10 *Linaria:*) Commendata est ad hæmorrhoides, & præprimis unguentum; sed sufficit unguentum de Hyoscyamo.

1 *Verbascum:*) Aliàs anodyni sunt hujus flores, & ad Tenesmum Dysentericum optimi, sed sufficit Hyoscyamus, aliàs est Amuletum Catarrhale, *vid.* HARTMANNI *Pr. Chym. l. 2. c. 2. §. 5.* Quidam recipiunt flores flavos, & contusos in vitro Soli exponunt, ut in liquorem abeant, quo humectant capillos pro aureo colore conciliando.

2 *Pomatum:*) Vulgò recommendatum ad fissuras partium, loco cujus tamen sufficere potest Oleum Nucistæ expressum vel etiam illud sudamen, quod coqui ex cochleari suo mucido ligneo igni admoto colligunt; sicut in graviori malo solutio lapidis medicamentosi; vel etiam Balsamus Sulphuris ad extra cum Oleo Nucum paratus locum invenit.

3 *Nitri spiritu saturare:*] Intelligitur hisce extractum seu balsamus nitri ex hujus spiritu & Oleo olivarum, quem SCHMUCK. *secret. 7. p. 45.* habet.

TEXT. LUDOVIC.

tus 4 sine febre furores & inquietudines equidem interdum felicius sopit, quam summa quædam Opiatorum plerumque hic evanidorum dosis. Sed hæc alterius classis & considerationis sunt.

Mel quod attinet, (dum enectas *Apes Muscarumque* mucores, siquidem adeo placeant, Calvastri nullibi non inveniunt, sit nobis non foris *Lithuanicum*, *aut Virgineum* saltem, sed *quodvis* bonæ notæ: ad internos usus, in certas circumstantias, & 5 vel naturæ suæ intuitu Saccharo à quibusdam haut incogitanter interdum prælatum,) citra quæsitas olim, & nuper alicubi reductas, (dum tamen in compluribus adhibitionibus supposita illa tantique habita *subtilitas* nihilominus disperit, servataque nil evidenter hactenus contulit,) ambages, consueta colatura 6 *depuratum*, aut quandoquidem ex adverso nonnullis, etiam medicinam professis, cerosus iste odor displicet, (quovis ex parte, sed oppido tum cum volatilitatis istius consumptione pereat,) denuo ad consistentiam *Recoctum*. *Melicratum* hinc, siquidem opus foret, prompte, & 7 *Hydromel spirituosum*, ubi potui vehiculoque tali adsueti fuerint, secundum recentiora Monita facile optimumque, (quo *Liquonico quoque Moscovicoque* singularitatibus dediti careant,) nemo non conficiet *simplex aut Compositum*. De *ardenti* vero hujus *Spiritu & Aceto* supra diximus. *Tinctura Mellis* mel est, Spiritu Vini dissolutum; *Quinta Essentia & Elixir* libellorum quousque produnt, tantum (inter nimia promissa,) supervacuus labor. *Aquas antipodagricas cum Vitriolo vel Tartaro destillatas*, similiter vix uni alterive levaminis aliquantillum attulisse vidimus 8 *Spiritus* autem, utut cum conformibus acidulis, è Lignis durioribus, Manna, &c. distillatis admodum conveniat, illic tamen ortus & majoris quantitatis, hic parabilitatis causa, forsitan ad selectum nostrum in solutiones quasdam trahi posset: at citra frustraneas *Digestiones*, repetitasque (sine multa particularum inversione,) *Rectificationes*, quamvis multis in secreto quasi, pro *Philosophicis* habitas; magisque adhuc citra curiosiores aut cariores *Coralliorum* vel *Antimonii*, (interdum in fine tantillum communicantis) combinationes.

9 *Limacum* (pro levi nonnunquam Podagricorum solamine) *Liquorem*, post nauseabundum mucorem tandem colligat, qui Verbasci, Lumbricorum, Catellorum, Ranarum, &c. liquaminibus nimium tribuit. Uti quivis hic suas patitur manes, ita singulare sibi remedium similiter invenit, aliisque postmodum commendat? Nec de 10 *Lactis* delectu disputationes nostras faciemus. Phthisicis liber esto: utinam vero & sperata inde restitutio. De cætero totum in Topica Medicique directiones Matresfamilias habeant, cum suis, (haud postremæ tamen considerationis) *Coagulis*, alibi à Venatoribus quoque, (inter tot æquivalentia acceptiora,) petitis; & 1 *Caseo seu recenti*; seu antiquorum *putido*, ab accidentaria inventione ad Cataplasmata libellis hodieque hyperbolice tracto. De *Axungiis* autem eorumque affinibus jam ante egimus: quemadum etiam de *Sulphuris Vitrioli narcotici* [hodieque Laudanis nonnullibi adjecti) sufficientia, titulo de Vitriolo & Martialibus aperientibus. Ut proin institutum nostrum persequentes pergamus ad

Roborantia temperata., Analeptica, Refrigerantia, &c.

Sitque primus (post Monitorii, supra de Refectivis positi repetitionem, Acidulorum Fructuum Succis locus; utpote quibus (ubi revera opus,) Refectorii quidpiam, ob naturam vegetabilem nobis propinquius, nec mineralibus Ace-

NOTÆ.

4 *Sine febre furores & inquietudines*:] Scilicet pro variis gravioribus paroxysmis in morbis chronicis non Febrilibus, uti melancholicis, & semimaniacis opiata sunt frustranea, quin potius Spiritus & Sal volatile Urinæ, vel & Spiritus de tribus in talibus casibus optima remedia.

5 *Vel natura sua intuitu*:) Scilicet mel juxta effatum HELMONTII, *Tr. Infant. nutrit. ad vitam long. pag.* 72. continet in se gloriam roris, & extractum florum, hoc est constat ex Sale saccharino roris, quô ceu menstruo extracta est florum substantia gummosa, & utraque ab apibus colligitur.

6 *Depuratum*:] Scilicet optimus modus depurandi mel est, quem habet ZUVELFER *pharm. Reg. pag.* 24. & utut in tali supersit adhuc odor ceracus, tamen hic sponte successu temporis perit, vel quoque inspissatione mel ad blandum ignem exhalet.

7 *Hydromel Spirituosum*:] Paratur ex part. v. vel vj. Aquæ & part. ij. mellis, repositis omnibus ad fermentationem, vel additis etiam prius aromaticis nonnullis, sic namque emergit potus generosus & suavis, Septentrionalibus locum vini supplens.

8 *Spiritus acidulus*:] Scilicet Phlegma acidulum spirituosum datur ex melle per se absque fermentatione, quod rectificando, & digerendo subtilius reddere conantur, ast in vanum: nam quò sæpius destillatur, eò aquosius redditur.

9 *Limacum liquorem*:] Hic suo modo est congener spermati Ranarum, adeoque ob vim alcalicam non ineptum anodyno antipodagricum.

10 *Lactis delectu*:] Scilicet inservit lac tam pro scopo temperandi acidum scorbuticum & podagricum, (in quibus casibus sub decocti usu egregium est) quam pro nutritivo antiphthisico, ubi tamen cum à confirmatè Phthisicis non digeratur, sed in stomacho eorum coaguletur, parùm in recessu habet. Contra lac externè ob sui pinguedinem temperativam ac relaxativam, modo eidem tantillum sacchari, vel alcali, ne acorem illud contrahat, admisceatur, excellit.

1 *Caseo*:] Caseus tàm recens non salitus solamen affert Podagricis phlogosi Erysipelaceâ correptis, ob alcali volatile contentum acidum podagricum têperans quàm putridus, ceu in quo Sal volatile est magis extraversum, cujusque ratione non saltem sitis ex ejus usu intensior enascitur, sed & magis resolutivus existit, etenim si societur caseo ejusmodi putrido Sal fixum, vel calx viva, tunc interveniente destillatione acquiritur Sal volatile spirituosum urinosum satis.

FORMULÆ
hujus Classis.

Pilulæ antihystericæ.

℞. *Extract. Castorei Zedoaria ana* gr. iv.
Laud. opiat. AUTHORIS gr. iv.

c. s. q. *Ol. destillat. succini* formentur pilulæ quæ itidem Colicæ convulsivæ symptomatibus medebuntur.

Pulvis antidysentericus in statu morbi conducens.

℞. *C. C. ust.* gr. xv. *bezoardic. martial.* ℈ß.
pulv. anodin. AUCT. gr. iij. vel iv.
ol. destill. macis gtt. ij.

M. F. pulvis, detur in vehiculo calido.

Pulvis anticatharralis contra Tussim nocturnam, ex lympha acriori oriundam:

℞. *Flor. sulphuris* ℈j. *pulv. anodin.* AUCT. gr. iv.
ol. dest. succin. gtt. v.

M. Pulv. antichatarral.

Potio contra Vomitum:

℞. *Aq. menth. comm.* ℥iß *cinamom. spirituos.* ℥iij.
Essent. Opii AUCT. ℈j. ad ʒß. *Sacch.* parum.

M. F. potio cochleatim assumenda.

Balsamum hypnoticum:

℞. *Ol. Hyosciam. cum ol. papav. comp.* AUCT. ℈j.
Nucista expr. q. s.

M. pro lubitu illinendum temporibus, in Agrypniis aut Cephalalgia.

Pulvis pectoralis:

℞. *Flor. sulphuris.*
rad. Ireos. Florent. aa. ʒj.
Antim. diaphoret. ʒß.
Extr. Opii (scil. *Laud. opiat.* AUCT.) gr. ix.
Elaosacchar. fœnicul. q. s.

M. D.

Looch ad faucium pathematha dolorosa ex lymphæ vitio:

℞. *Mell. passulat* ℥ij.
Extr. glycirrhiza AUCT. ʒj.
Diacodii. MONTANI. ℥vj.

diluatur

diluatur cum pauco *aqua scabiosa* in consistentiam Looch. utatur.

Decoctum pectorale.

℞. *herb. recent. Veronic.*
heder. terrestr.
scabios. aa. mj.
Cherefol. miß.
rasur. lign. sassafras ʒj.

Coq. in s.q. *aqua simpl.* in vase tecto, adde in fine *passular. minor. conquass.* ʒij. *resura rad. liquirit.* ʒj. ebulliant iterum leniter, hinc dum fervent adhuc, suspende in nodulo *cinamomi elect.* ʒiij. Colat. refrigerat. ℞. ℔iß. de S.
pot. putor.

Cataplasma ex speciebus domesticis.

℞. *herb. Malvæ.* Miv.
hyosciam. Mj.
Capar. M. ij.

Ebulliant in s.q. *aq. simpl.* vel *lacte vaccino*, trajiciantur per setaceum, pulpæ adde
sapon. Venet ʒiß.
ol. lil. alb. comp. AVCT. ʒij.

M. pro cataplasmate.

XXI.

TEXT. LUDOVIC.

tositatibus (reliquas quidem destinationes felicius sæpe faciliusque expedientibus,) adeo exprimendum, haud immerito subesse videtur. Ponamus autem è Nostratibus (parabilioribus, sat jucundis atque præsentaneis,) primo *Cerasorum acidorum Succum*, (si libet immaceratis *propriis aut Persicorum nucleis* alteratum,) non tam solitarium, (ni certas in compositiones, aut extemporaneas Vini, cum pauxillo Aquæ Acaciæ, mixturas seorsim placeat; (quam ubi copia datur, *Succi Ribium* subquadruplo, *Berberum* suboctuplo amplius alteratum, post spontaneam residentiam 2 in Vap. Balneo ad tertias exhalatum; perdiu sic, (seu solitarius solet, & *Tartari Crystallini* aliquantillum simul deponit,) durabilem; & quod in *Cerasorum, Ribium Berberum, Rob*, ac spissioribus (non sine multa gratiæ diminutione) *Essentiis, in Diamarenatis*, diffusiori *Ribium Vino*, &c. quæritur, compendiose præstantem; dilutu cum aliis, dulcoratuque facilem; ut nec muliercularum vulgaribus talium, aut in specie exacinatorum *Berberum Conditis*, institorumque *Rotulis*, multo minus autem ob antiquaria quædam Composita *siccatis* (non sine perversione) *Berberibus*, aut propter supervacaneum Electuarium Rosatum, compactis hinc *Trochiscis* indigeamus; cùm succi aliquantillum, contusarum Arillarum loco, longe jucundius isti aliisque instillari potuisset; & in specie *Cerasa acida siccata* hordeatis æstuantium adjecta, vel per se aut cum passulis decocta, Conditis parabiliora salubrioraque sint; ceu inverminosorum *Dulcium Sapa*, ipsaque purificatiori *Essentia* gratiæ haud ita multum, multam vero in mucores proclivitatem invenimus; si *Aquam* quidem, non ut (in tanta, post quaslibet etiam destillationes fallacitate) Epilepticam, sed pro aliorum solummodo vehiculo, tanquam gratiorem diffusiori forsan apparatui vel adsuetorum variationi quis largiretur.

Sit potius, ubi per Regionum Annique clementiam habentur, *Cydoniorum Succus* ad quartas parilli modo exhalatus sat sic in frigidiori loco durabilis, alias vero in fermentationem (nativæ gratiæ quidpiam dementem) proclivior: quo tale quid per loci incommoditatem veriti, cum Saccharo Sirupalem (ita concentrati, consistentiam interdum data opera quæsivimus. De cætero spissiori *Rob* simplici, (tanquam denuo nihilominus ægriusque diluendo,) quemadmodum & vulgari, [ac ni communiori modo reposituraque servetur,] minus contractiori Myrothecio tractabili Vino commodior; simplici [vinoso magmate cum sui similibus hodieque nequicquam infecta] *Miva* aptior; quo *Aromatica* cujuslibet repræsentatione per leve Aromaticarum Aquarum, Elæosacchar, Diaromatici vel Essenticæ competentis additamentum prompte alterabilis, quandocunque lubet invenietur. *Spiritus* [injucundissimi Fructus Succique perditionem excogitatus,] destinationi ejus revera contrarius, *Semina* pro [non adeo rejiculo] superpondio, *Siccatorum frusta* [potius culinaria,] *Condita, Marmelata*, diversimodeque hodiedum *Dyacidonia* mulierum negotiosiorum teneriorumque sunt deliciæ, extempore quoque, si complacuerit, citra vasculorum multiplicationem Aromatisandæ; Purgantibus sane, utut diversimode, per Magisteriorum quoque solutiones, &c. id peractum sit,] fere frustra perversæ; si nostratium ad ejusmodi masticatoria nauseam, & elegantiora Catharticorum compendia spectamus. Atque hæc è venaculis: quibus, ubi tolerabiliter comparari nonnunquam queunt, accedere tunc posset 3 *Citri Limonumve* [indistincta hic] *Aciditas* [post *residentiam aut filtraturam*] 4 non tam intensiori *calefactione divaporationeve* infracta, [ceu singularis ejus hic natura curiosioribus pridem observata est,] quam, si *Sirupalis consistentia*, [succi corticibus prius alterati, vel potius simplicis parte una, & una semis sacchari constans] nimis saccharata videatur, ana selectioris sacchari condita; diu sic, præsertim in loco paulo frigidiori durans, nec suboriente interdum [fermentationis cujusdam indicio deterior vel ingratior; si placuerit, instillata [ipsi plane congeneris] Spiritus Vitrioli particula, haud inconvenienter tunc intendenda; vulgaribus varieque [pro impedienda aliquali flavedine] tentatis *Siruporum Acetositatis Citri Limonumque modis* præsentior, seu in nativo suo acore minus persuasa; 5 *Vino* quorumdam *simplici* penitusve nonnullis prius *fermentato* asservatu dispensatuque commodior; *Conserva, Gelatina, Conditoque* [dum recentes, ubi suppetunt taleolæ salubrius exsuguntur] contractiori praxi longe utilior: De cætero Cinamomi Aqua hinc similibusque acidis succis & Essentiis gratiam gustanti in lignosum quid, *Destillatio Succi* per Retortam, Vitriolicam ejus naturam in Acetosam, [è parabilioribus æque proliciendam] cum empyreumate incassum pervertit. *Aqua* inde per Alembicum abstracta exigui momenti, *Morsuli* ditiorum delectamentum sunt.

Atque his ita pro loci temporumque ratione tantisper positis, nec *Aurantiorum Conserva, Condito, acidulorumque Succo vel Sirupo*, [quasi feliciori hinc medicatione, nec cariorum adhuc facilius que prætermittendorum *Granatorum Vino, aut Acetosorum* multove minus [inter epicerastica,] *Dulcium utrolibet Sirupo* indigebimus insuper; ni data opera Antiquos, vernacula sua merito adhibentes, per cæcum obsequium data opera sectari voluerimus. Non culinari exterorum *Agresta, ejusve Rob*, aut [acidulis aliorum Succis neutiquam gratiori, inter sistentia per multis compendiosioribus, præsertim mineralibus, posteriori] *Sirupo*, vel subsidente laboriosiorum *Tartaro*. 6 Non *Myrtillorum nostratium* [nisi forsan tincturæ causa, præ *Essentia liquida* saccharata, præ que *Fermentato* colorem utrinque facillime perdente, *Sirupalis* hic in specie consistentia diffusos in apparatus placeat,] *sapaformi quorundam Crassamento, siccatisve* in plebeiorum fluores (at infidis sæpeque novam fermentationem excitantibus) *Baccis*. Non *Rubi vulgaris Fructibus*, aut mucaginosam, sambucinique quid sapiente *Essentia*. Non *simplici* (flatulentiori) 7 *de Pomis* (certe dum ægrotamus comestu acceptioribus culinæve aptioribus,) *Sirupo*, facillimique mucoris, etsi probe saccharata fuerit, *Essentia inspissata*, de cætero haud profecto tantis, ac communiter deprædicantur, *Cordialibus*, ut *Compositos* quoque hinc *Sirupos*, olim hodieque inter divaporandum odorato-

NOTÆ.

2 *In V.B. ad tertias:)* Exhalari Jubet AUTHOR. Succos vegetabilium fructuum acidulorum pro sui conservatione; ast cùm tali ratione ab igne mutetur illorum textura, iidemque nescio quid gummosi contrahant, proinde melius est, ut expressi fumigentur Sulphuris Gas, sic enim in locum frigidum repositi sponte se depurant.

3 *Citri Limonumve:)* Citra sc. hic venalia sunt simpliciter saltem Limonia, & genuinum Citrum majus est ad naturam Citroneti ferè accedens.

4 *Non tam intensiori:)* Scilicet succus Citri hoc peculiare ferè sibi habet, ut sub ignis tractatione suam nativam aciditatem stypticam perdat, unde succus ille potius cum ana sacchari, condiatur, vel quod melius est, fumo Sulphuris alteretur, pro sui asservatione. Sic & tantillum spiritus Vitrioli, vel Nitri eidem instillatum impedit fermentationem ejus metuendam, obtuso scilicet principio alcalino, fermentationis auctore.

5 *Vino:)* Vinum citri est succus ejus per spontaneam residentiam depuratus.

6 *Non myrtyllorum:)* Syrupus interim horum rite paratus est egregiè rubicundus: aliis pro coloris comparatione addendus.

7 *De pomis:)* Ex omnibus Borsdorffiana vi sua temperativa & blandè laxativa (jejunè præsertim ab hypochondriacis levioribus comesta) laudem pro usu medico merentur.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

rum accessoriorum gratiam plerumque perdentes, in solitarios aut Chermesinos usus parare referat. Non *Syruporum quorumvis* [sub sirupali consistentia) *Succo*, per se & cum *Pomaceo* in Aceti vel Cidre Normannorum confectionem aptiori; ceu *Moschatellina condita & canthisata* ad Bellaria delicatiorumque delicias pertinent. Imo nec iis adeo, quæ tamen quasi per condictum è *Moro* [omnibus districtibus alias haud æque frequenti,) vel 8 ex *Ideo Rubo* communiter imperantur. Hujus puta *Sirupo*, quamvis in Dispensatorio super aurum & uniones commendato; vel istius vexatissimis *Diamoru, seu simplici, seu* (uti vocant,] *Usitato*, seu denique [extemporaneo potius,] *Composito*; siquidem æquivalentibus stringentibusque succis, decoctis atque mixturis longe parabilioribus fauces nihilò infelicius perlini vel elui tota die cernimus: ut nec *Rubi Morique folia* huc trahi debeant; ceu pridem cunctis his substituta sua adsignarunt. *Siccare* vero utrumlibet *Fructum* fere simplicitatis cujusdam, *Acetum ex alterutro*, culinare, *Aqua utriusque* [licet è *Rubo Ideo* non injucunda,] inter alias pariter gratas, corruptu sunt faciles: ut proin quandoque, dum ejuscemodi fructuum fieret copia, *Essentias liquidas* hinc animi gratia paraverimus; & vel superiori è Cerasis compositæ addiderimus, vel decumbentium, [variationem in ejus generis refectivis nonnunquam quærentium] causa seorsim servaverimus: 9 *Mori* quidem succum, ad tertias post residentiam exhalatum, simpliciter quoque, & citra Sacchari, [fermentationem in vinosis hisce cum deterioratione interdum promoventis] accessum; *Rubi vero Idei spontaneum*, [cum ad tertiæ partis remanentiam & ultra exhalatus per se nihilominus haud duret, fermentatus autem similiter sit ingratior,] ad sirupalem fere consistentiam redactum. Sed hæc extra delectus nostri scopum sunt.

Accedant potius 10 *Rosa*: non pro more *singula species* seorsim. *Alba*, *Incarnata*, *Rubra communes & saturatiores*, *Sylvestres*, imo [cum exuccis *Placentis*, accidentariisque inter tot stringentia *Antheris*,] ipsæ hortulanorum *Lutea*; sed [missis tantum minutiis, ac nimiis claudicantium traditionum observationibus,] *Hortenses quævis* parabiliores, aut ubi penitus defuerint, etiam *Sylvestres communes* vel si dantur, *cynorrhodi*. *Aqua ex arvensibus* equidem remissior, in Completarum defectu tantisper tamen sufficiens est: qui vero ex *Albis*, [alias hunc in finem convenientioribus,] *Incarnatis*, *Rubris*, & quam *Seculi rosarum* [diversa scopi prætensione,] dicunt, separatim singulas destillant, labores incassum, præ excessiva circa minima quædam curiositate multiplicant, dum fragans quævis [modo pro Ophthalmicis rosæ non nimis fermentatæ, vel majori Vini spiritusve ardentis quantitate ante destillationem humectatæ fuerint, [satisfacit. *Damascena* [etiam extemporanea,] delicatiorum, *Acetum* culinarium, *Julep* saltem 1 Aqua rosarum edulcorata, 2 *Spiritus abstractitius* parum rosaceus, *fermentatius* per se paratus [in ea requisita florum copia] non cujuslibet loci, *cum Saccharo* [alibi dicto modo collectus] parabilior, diffusiorum tamen potius apparatuum est; ceu denique 3 *Oleum*, etiam antheris capitulisque adjectis, [quod in Oleosissimo, si per se cucurbita è retorta destilles, flore oppido mireris,] parcissimum aut suspectum; ut illud è *rhodino ligno* [dum *rhodiam*, haud alias rejiculam Semper viviformem *radicem* vel *Cynosbati spongia* æquant,] tantisper petendum veniat; quousque datur recens falsationisque expers; siquidem *raspatura privatim destillata* raro sumptus compensat; 4 adjecto vero ana saccari post fermentationem *Spiritum* haud injucundum curiosioribus promit. *Conserva è rubris quibuslibet*, [sed in defectu *nec Alba nec Incarnata*, nonnullibi *seorsim* sic, sub frustranea tamen ejuscemodi saccharatorum multiplicatione servatæ; quæsitas intentiones deserunt: secure nobis parabitur, ususque demum tempore *Vitrioli Spiritu* convenientibus alterabitur citra supervacaneam *Vitriolata* asservationem. Accedat insuper potius 5 melliformis *Essentia*, è *rubrarum Albidarumve* [*recentium aut rite siccatarum*] infuso clarificato Per Vap. Balneum conquisita, sacchara; *Fermentato rosarum* commodior, in *Tincturam* [*Vulgari* corruptu facili] simultanea Mixtura prompte redigenda; *Melli* quinetiam [si opus foret,] aut oleosæ Citri Essentiæ haud difficulter, quo *Mel rosatum quodlibet*, aut olim nequicquam *Citratum* exeat, confundendum; profuso *de rosis siccis Syrupo* superior; Ipsi [paulo amaricantioris] *hermes Essentia atque Sirupo*, [rosis aliàs haud raro saturato, viribus revera par: ut competenti confortantium & suscitantium adjectione profecto Mixturam cuivis 6 *Confectioni Alkermes*, [I Nostratibus Exterisve, seu secundum *Arabum*, seu quasvis solertiorum *recentiorum* designationes compositæ] præsentiorem, adminimum [persuasiones dimittentibus, & quantillum Antiquior compositio de Grano tinctorio participari; item quod *Analepticus Mynder Pulvis* aliaque Confortantia, citra Chermes accessum nihilominus præsentanea habeantur cogitantibus,] multo minoribus impensis nan iscatur, quisquis solummodo hoc hæsitantium aut desperabundorum Asylum nobiscum aliquanto penitius, & in quibus potissimum effectus fundamentum consistat, excusserit. *Floccos Chermesinos* sacculis & epithemathibus addere, alias saltem ostentatorium, *Filis* cruentantes ligare, vel *panno*, viliori quoque, Morbillos sollicitare, mulier-

NOTÆ.

8 *Ex ideo rubo*:) Hic dat contra AUTHOREM N. egregium remedium, non cedens ulli acido fructui, nec ipsis Citris, præsertim cum præter saporem gratum exhibeat odorem suavem, simul quasi aromaticum, indeque acutis tam benignis quàm malignis laborantibus pro Julepis non omittendus. Cæterum succus ejus sulphuratus, aut fermentando in vinum mutatus, præter gratiam coloris evanidam acquirit saporem aliquem aromaticum, ut proinde hinc syrupus Rubi idæi cum saccharo factus asservari potius debeat.

9 *Mori*:) Sumuntur fructus immutari, & paratur cum melle Rob in affectus faucium in morbis acutis commendatum, præstat tamen acetum cum aqua.

10 *Rosæ*:) In Rosa Panacea illa juxta PLINIUM Pharmacopæorum, tam adorata, quam incarnata duplex substantia consideranda, nempe 1. Substantia volatilis odorifera analeptica, sive mercurialis, consistens in subtili & volatili sulphure, sive Oleo admodum tenui, dilutò à phlegmate nimio, nec in verum oleum concentrati. 2. Ejusdem fixior substantia styptica & adstringens, in recessu alcalina, in floribus exsiccatis præsertim observabilis, & coctione elicienda, in qua etiam, ceu blandè adstringente fibras partium, consistit vis Rosarum hepatica refrigerans. Ac quidem alcalinam hanc esse substantiam, probatur ex eo, quod beneficio decocti Rosarum rubrarum solutioni Vitrioli instillati produci queat atramentum, non secus ac aliud fit ex addita solutione Vitrioli decocto gallarum, quod sane phænomenon dependet ex absorptione acidi Vitrioli, ac alcali Rosarum cum aliquali martis præcipitatione ex Vitriolo; ita enim nigredo emergit; cui atramento si denuo instilletur Aqua fortis sive spiritus Nitri, omnis nigredo perit, acido illorum iterum resorbente martem præcipitatum; ast si denuò addatur aliud alcali volatile v. gr. Spiritus Urinæ, novus color ater prodit. Tandem inter has allegatas binas substantias mediæ quasi naturæ est extractum Rosarum succosum, per repetitam infusionem in aqua simplici & blandam evaporationem paratum, utut hoc ad stypticam facultatem magis inclinet.

1 *Aqua Rosarum*:] Eligitur ab *AUCTORE* ex rubris suaveolentibus sine additione aquæ per V. B. & à novis floribus cohobata.

2 *Spiritus fermentativus Rosarum*:] Ritè paratus inservit Essentiæ Ambræ conficiendæ; sicut & Spiritus Rosarum conficitur ex rosis contusis fermentantibus, addendo Ambræ q. s.

3 *Oleum*:] Rosarum elicitur, nisi modus *BILLICHII obs. Parad. Chym. pag. 29.* beneficio lintei sub destillatione Aquæ vitri orificio superexpansæ copiosius comparet, secus Oleum ligni Rhodii eidem substituitur.

4 *Adjecto verò ana, Sacchari*:] Qua ratione rasura ligni Guajaci cum copiosioribus vini fecibus combinata & tractata abit in spiritum.

5 *Melliformis Essentia*:] Hujus conficiendi modum exactiorem tradit *AUTOR SALA de Essent. Vegetab. parand.*

6 *Confectioni Alkermes*:] AUCTOR *est* MESUE Arabs Monachus, & hujus vis analeptica cum maximam partem sit ab Ambra, parum vero à grano tinctorio, hinc loco illius præparat AUTHOR Essentiam Rosarum addendo eidem ambram, margaritas, &c.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

cularum est. Antiquariam 7 *Sirupi* (quot modis hodieque temerè profusarum ?) *rosarum solutivi*, *rosati simplicis*, *mellis solutivi*, similiumque è stringentibus hisce catharsin, variè usquedum procuratam tutioribus nunc passim, dum opus est, feliciusque (citra exoticas dulcorum effervescentias) procurari, supra notavimus. Nec *saccharo rosato*, licet vel extempore sat commodè concinnetur, opus hic habemus, nec pridem Dispensatoria: siquidem cum aliis potius Compositionibus quà in solitario usui serviat, ubique adjecta proportionali pulveris aut essentiæ rosarum particula compensari potuisset. De cætero cum superioribus lustris adsuetis alicubi Hepaticis, præsertim potatoribus simplicissimum è rosis, coralliis, Sentaloque rubro, (Essentia berberum aut vitriolicis moderatè saturatum) 8 Pulverem sive trageam, etiam rotulas morsulosve (plus tamen sacchari quàm solidioris efficaciæ sic ingerentes,) redigendam daremus, facile, famosissimis licet, *Diarhodon*, & (nomen illud majori jure promeritis) *Diatrionsantalon*, *rosata novella*, &c. inconsideratè è contrariis superabundantibusque conglomeratis) *Speciebus*, ac ejusdem sortis *Trochiscis de rosis atque de Cantalis* carebamus. Atqui liquidarum è rosis, bellidemarte, coralliis, &c. longè majorem gratiam, nitri vitriolati insuper, Clissi, &c. sufficientiam considerat, facilius adhuc cunctis istis, varieque sub *Tragearum*, *Morsulorum confectionumque Hepaticarum temperatarum* titulo hucusque superadditis carebit. *Oleum rosarum simplex*, (dum per ambages *compositum* nihilo est saturatius,) imo negotiosius ipsum *Omphacinum* quovis modo parent, qui traditionibus cum damno quoque, inter simpliciorum tonsorum persuasiones adhærescunt. Quod ex oleositatibus hoc in genere sperari securè potest, supra ad imitationem olei septem florum propositum nobis præstat: quemadmodum Farinacea quædam, Saponaria, Saturnina, vulgarissimaque Epicerastica, aut domi ad infrigidantis Unguenti modum paratum, in suo quodvis genere longè tutius commodiusque efficiunt, quod *vulgari rosato unguini*, (dum inibi nequicquam olim quæsitæ deliciæ tanti non sunt, *operosiores* autem ambages amplius vix meretur,) adscribitur.

Cæterorum, ubi 9 *Caryophyllorum hortensium*, cujuscunque coloris aut (in ea hodie nominum vanitate, amplitudinis, nobis facta fuit copia, intermiscuimus rosarum floribus essentiæ earum destinatis; quo nec dictorum *caryophyllorum essentia* (ferri contactu aliquantum alterabili, pro diuturniori vero conservatione satis saccharanda, (seorsim indiguimus: utut in Vap. Balneo ritè parata alias non sit inelegans, diffusiorisque *sirupi* (dum *aqua dest.* inusitatior, *Acetum* culinarium est,) & *Conserva* (licet simpliciter haud ingratæ) locum promptè suppleat. Multo minus autem Myrothecium contractius 10 *Cyani flores* [plebejorum cachecticorum infusis forsan aptiores,) hic exigit, aut nimis alicubi commendatum *sirupum*, satisve parcam evanidique coloris, (dum Ophthalmicas *Aqua* destinationes vel rosacea complet,) *Essentiam*. Sanè qui 1 *Borraginis* speciosiorisque *Buglossæ vulgaris* aut ipsius *Italicæ in floribus* haud tantam vel potius accidentariam, in *Radicibus*, *foliis*, expressove, (quovis modo) *Succo* putatiam tantum (per traditiones) vim cardiacam deprehendit, nec ista hoc tum *utriusque sirupo* mucaginosioribusque *Conservis* huc trahet: ceu olim *Echti flores* paratamque hinc *Essentiam sive Extractum* melliforme(sat tamen adversus situm saccharatum) illis eodem successu substituimus. Sed hoc non nostræ nunc intentionis, *Sal vero borraginis* tenerius quidem, at extra herbæ destinationes, præque aliis in effectu nihilo singularius, *Aqua* demum seu è *floribus* seu *è toto* destillata aliàs deses & quasi fatua, corruptuque (ni præter plantæ naturam *Spirituosa* ingratiorque paretur,) facilis est. Ita nec 2 *Santali species* adeo, cordiales inveniuntur. *Citrini* remissiorisque *albi* fragrantiam propinquiora è *cupresso*, &c. æquare *Rhodinum* superare posset: *Rubri* vero adstrictionem etiam in vulgatiori *Brasiliensi ligno* invenimus quemadmodum *Tinctura* (alicubi hinc petitæ,) paria in magno nostratium Hæpaticorum sistentiumque numero. Si tamen omnino quisquam vel ob 3 Timorenses, (istius effluviis ex parte non nemini adscriptas) febres aliquod hinc velit, forsitan *Rubrum verum*, [*sylvestri* Afrorum litui relicto,] esset; pro gregariis *in Decocto* præcipuè, haud planè deses; ceu in 4 dispositionibus phthisicis ac hæmoptoicis macilentorum, pro salsuginosioris sanguinis aut feri attemperatione haud incongruum deprehenditur: ut ex adverso equidem (cum aliis fixioribus & inodoris,) Topicis aut *Speciebus pro Epithemate cordis atque hepatis* non quadrat: sique exiguum speciosiorum quoque vel correctiorum levamen,) muliercularum euporistis, item odoramentis, &c. æquè facile & utplurimum securius compensandum] expedimus, totum [hujus intentionis] Compositorum seorsim propositorum genus excesse hinc poterit: quemmadmodum [inter tot attemperantia ac stiptica] *Cerotum* quoque *de santalo*, *incognitumque* [utinam !] *emplastrum*: dum pro forma saltem, & satis incommodè, vel accidentario solum effectu gestantur, etiam artis pharmaceuticæ regulis magis applicata, at nihilominus paucorum effluviorum ingredientibus, resinosis inviscantibusque constantia Santalina atque Hepatica. Podagrici qui lenimentum quoddam è raspatura ligni cum resina subacta sentiunt, emplastriforme magma nunquam non inde habere queunt. *Utramquevero pimpinellam* 6 *sanguisorbam*, Santalo licet quadantenus affinem, iis qui vina coronant, *Aquam* autem, *conservam sirupum & extractum*, inter tot sistentia & vegetabilia, Corallina, Martialia, &c. diffluentioribus repositoriis, quemadmodum & *Caryophyllatam*, infusis olim tantopere vindicatam, (præsentioribus contractioribusque catharrhalibus & anodynis contenti,) 5 Cerevisiarum alterationibus, 7 *Rosam Hierichunticam* demum incertis tenellarum persuasionibus, cum aliis supervacaneis hic remittemus.

NOTÆ.

7 *Sirupi rosarum solutivi*.) Vis laxativa sc. rosarum consistit in succo subtiliori è rosis rore matutino madidis parato; nam in tali casu acquiritur blandè laxativi & abstersivi quid, secus non.

8 *Pulverem*:) Hic proponit AUCTHOR polychrestum hepaticum, contra æstus vagos, ebrietatem crapulamque insequentes, ubi tamen speciebus enumeratis putaremus addi posse cremorem tartari spiritu vitrioli santalo rubro tincto acuatum, ita:

℞. *Corall. rubr. præp.* ℥j.
Cremor. tartari spirit. vitrioli cum santalo rubro tincto impregn. ℈ij.
Rosar. pulver. vel ana *vel* ß. M.

9 *Caryophyllorum hortensium*.) Non indigemus his, sed si sunt in copia, possumus miscere cum rosis pro essentia conjuncta rosata caryophyllata. Ex floribus tunicæ parant essentiam per se, sed si ferro contingatur succus, vel essentia, colorem obscurum, & saporem ingratum recipit.

10 *Cyani flores*.) Quibusdam pro infuso cachecticorum in vino facto commendantur, & ob sui vim diureticam ad partum promovendum; ast iis facilè carere possumus. Aqua ophthalmica est.

1 *Borraginis*. Inter flores cordiales referuntur flores borraginis & buglossæ, hinc in affectibus hypochondriaco-melancholicis pro scopo temperādi, horum florum sirupus usurpant; ob vim, quod dicunt, singularem cardiacam, sed præstat succus pomorum.

2 *Santali*.) Lignum rhodium ceu præstantius potest substitui loco citrini, loco rubri Brasiliense: aliàs decoctum santali rubri in phthisi commendatur à *FONSECA in Consult.* Quod si volumus habere epithema penetrans alexipharmacum, sufficiat spiritus vini camphoratus: it. Vinum generosum, pulsibus & naribus applicatum.

3 *Timorenses*.) sc. est insula Indiæ Orientalis, timor dicta, cujus incolæ febres epidemicas per decoctum santali rubri profligant.

4 *In dispositionibus*.) In casu scilicet lymphæ acrioris salsæ, ad vitia pulmonis disponentis, præter decoctum radicis chinæ, egregium quoque est decoctum santali rubri, annotante *FONSECA in Consult.* & *RIVERIO in prax.*

5 *Cerevisiarum*:) Sicut hæc cerevisiæ infusa (radix scilicet caryophyllatæ) præservat eandem à sua acescentia, & corruptione, sic idem quoque in succis vegetabilium præstat. Commendatur etiam ad vina Medica catarrhalia *vid.* PARÆUS *Tom.* 6, & HARTMANNUS.

6 *Sanguisorbam*:) Vino infusa folia odorem & saporem suavem eidem conciliant.

7 *Rosam Hierichunticam*:) Hanc commendant mulieres pro partu promovendo, nempe vino infundenda tamdiu, usque se pandat.

TEXT. LUDOVIC.

8 *Nymphea* [aliàs haud omnium districtuum] *albi luteique flores* sive destillentur, [nam *utrarumque aqua* prostat;] sive *conserventur* inacceptiores, *siccati parvi momenti*, & *sirupi* [*simplex* sc. atque inconcinnior *compositus*, præ tot temperatis epicerasticis,] revera superflui sunt. Vis 9 Antivenerea & suppressoria in specie & hic, & in *Semine, radice, mucagineoque ejus extracto*, etiam per ardentem spiritum amplius *depurato*, pariter atque in castissimo [si calida affinitatis causa huc referre licet,] *Agno, Trochiscis* istius, & pomposis *aquis castitatis, cannabinisque emulsionibus*, [nonnullis etiam *compositis*,] plerunque claudicat; majorque sæpius inventa in nitro, vulgarique *salice*: ceu hujus *Extractum* [missa floridorum *julorum* ingrate-dulci *aqua*,] è *foliis* (Nympheinis commodè substituendis,) aut potius summitatum autumnalibus illis *glomis* quasi balaustinis confectum, quandoque non sine fructu dedimus. Verum (donec fortè emasculans 10 *Cahuvvea* frequentius coqui incipiat,) dæmonium hoc plerunque nec nive nec jejuniis ejicitur; ceu ab altera parte gonorrhœa legitima (sub cujus specie 1 aberrans proculdubio chilositas, in urina primo clara, postmodum copiosissimè subsistens. plures hecticè consumit.] hic locorum est infrequentior.

Quantum autem ad residua, *Lactucas & portulaceam recentes*, citra notabilem alterationem in dies largiter comedimus: atque hinc nec singulare quid in *siccatis* saccharove (refrigerii tamen causa) *conditis caulibus ac conservatis foliis*, uti nec *Sirupo de Portulaca* (dum *Compositus* fere magis intibacens est,) *simplici siccatove utriusque* (Lactucæ aliàs innoxio *Succo* invenimus, 2 *Fabariam* (gravidarum alicubi contra cæcas hæmorrhoides) periapton (*Solanum*, ac 3 *Sempervivum majus*, *recentia*,) siquidem inconsideratè *siccantur*, vagis & è mure, tunc (pro expresso *succo* quoque, si *sirupo simplicis* extemporaneique per ammoniacum *Compositi loco* magis placuerit,) legendis experimentis, *Lentem palustrem* lacustrium, *alsinem oscinum* ingluviei, vel cum recenti *Nummularia* tabidorum aliquando placentulis, *Violariam* (clysteribus hinc nihilo meliotibus,) pauperculorum oleri, *Erygerum* demum utrumlibet, tartarea *Vitis folia* & (omnibus forsan in virore suo præstantiorem) 4 *Anserinam* euporistis, nec interdum contemnendis topicis relinquemus. *Nummulariæ, senecionis, anserinæ*, imò *Lactucæ solanique aquas*, ac 5 *Vitis* (aliàs non cujusvis loci) simplicis vel (in singulare oculorum gravidarumque solamen) alibi *destillatas*, (inter diffusas earum præparationes largosque, effectu tamen plerunque minores haustas,) elegantiora præsentioraque in quavis destinatione æquant, ceu *Fabaginis portulacæ, ac sempervivi destillatas* sæpenumero vel aqua simplex expressit. *Trochiscis Gordonii*, (nam opiati & adstringentes reliqui alterius classis sunt,) competentium emulsio (interpositis sistentibus, &c,) longè est commodior; uti præ *Nymphea* [Violato alias comparato) *oleo* suprapositum illud, infusis temperatis aliquod floribus constans, ac Hyoscyamino pro lubitu ulterius alterandum: siquidem horum ac consimilium Unguentorum emplastrorumque infrigidantium effectus utplurimum magis accidentarint, sæpe nullus aut innoxius deprehenditur.

E venereis ponamus hic potiorum *satyriorum sacculentas* (emeritis seu *marcidis* paucum potius, quàm contrarium succum reddentibus;) *radices*, [cum *siccatæ* langueant] *recentes*, non tam *conditas*, quàm ardenti spiritu ritè [citra quoque Panismicam] *Extractas* seu in *essentiam saccharatam* melliformem, [sequestrata superflua mucagine, redactam; & dum *aqua simplex* ingrata languidiorque, *Aqua vitæ & essentiæ liquidæ* ob diffusiores spiritus vini doses exhaustis inconvenientior, *Sal* denique haud specificè venereum est,] reficientibus aut simulantibus additamentis, [si opus fuerit,] amplius modificandam; ut *extracto composito*, officinalique (culinariis quoque stipato) *Diasatyrio* aliorumve *Electuariis ac mixturis magnanimis, pacificis, satyriacis*, (testiculis etiam, priapis atque carnibus animantium variè constantibus,) separatim non indigeamus. *Morsuli* hujus census usitatiores, vel extemporanei vel remissiores sunt: & qui flaccidissimum emeritorum hic stomachum novit, turbata mane (nimium saccharatis formulis) præcordia inferiorem appetitum potius extinguere haud infrequenter deprehendet. De cætero flaccidarum sanguis sive serum non solo *Fraxini, erucæque semine, sed pipere quoque, sinapi, capis, javonorum cubebis, &c.* accenditur, seu acrimoniam irritantem induit; tripudiantemque vel trivialis cantilena juvat. Verè autem, præsertim præcocius emeritos, talia (sæpe non sine noxa, ceu stimulantia pleraque diutius continuata plures in lithiasin præcipitasse constat,) perfunctoriè saltem (æquè ac *Eryngium simplex ac conditum*,) erigunt; præsentioribus in isthoc casu (dum famosior Boletus cervinus rarius sat bonæ notæ, nec semper adeo præsens observatur,) flatulentioribus Analepticis, pro re nata aromatisatis; è culina quoque lascivientium quamlibet (per americanismum invectam,) potam comessamque 6 *Chocolatam* passim superantibus. Mirum autem, quod indostanorum 7 *Bange* tamdiu exesse potuerit, vulgares de *Cannabe* traditiones, (si verè nec per similitudinem solum tale est,) vanitatis imposterum convincens.

E Frumentaceis, uti 8 *Panis calidus, tostus, bis coctus, vino acetove humectatus*, 9 *Fermentum pistorium, millipecta, &c.* diversimodè adhibita euporista, multis operosisque sæpenumero Emplastris Unguentisque officinalibus præsentiora; ita *Panis destillatus*, & vel è clibano singulari (præter faciliores modos) comparatus *Vapor* curiosiorum, (pro jejunante forsitan Democrito;) famosæ verò *Essentiæ* (resinoso exhalantis *cerevisiæ magmati* quasi congeneris) vires citra cordialium accessum, adeo analepticæ non sunt, ut contractiori selectui superaddi mereantur. Ipsam *Tritici secalisque*. (& quo eodem tenore reliquas etiam percurramus, *Hordei, Avenæ, Fabarum*, imò *volatilem insuper farinam* plebs in Domestica experimenta nullo negotio sibi (citra publi-

NOTÆ.

8 *Nymphæa:*) Hæc & similia vegetabilia refrigerantia respondent ferè spermati ranarum, cum itidem constent temperatissimo alcali volatili urinoso, ratione cujus acidum sistendo in actione, compescere valent phlogoses; ac probat eorum alcalinam potentiam TACHENIUS *in Hippocrat. Chym. ex eo*, quod solutiones saturni cum aceto factas præcipitent.

9 *Anti-venerea:*) Inter hæc præter opiata & camphorata excellunt nitrum & salix, de quorum illius efficacia *Conf.* TIMÆUS; contra ex salice prostat aqua tempore verno è tenellis ejus ramis incisis prolata & extractum foliorum salicis AUCTORIS.

10 *Cahuvea:*) Intelligitur hic potus Caffe, ex semine Been parandus, de quo *Conf.* VVILLIS. *Pharm. Rat.* Ejus usus est exsiccans, calefaciens, somnum arcens, anti-venereus.

1 *Aberrans chylositas:*) Intelligitur hic mictus ille lacteus chylosus, *der Bieber* dictus, estque nil aliud quàm chylus aberrans ex primis viis per iter urinæ potus ad vesicam delatus, ex quo fiunt Atrophiæ.

2 *Fabariam:*) Commendatur radix à VVEDELIO in dorso appensa ad hæmorrhoides cœcas. *vid. Miscellan. ann. 2.*

3 *Sempervivum majus:*) sc. est experimentum PARACELSI, succi sempervivi, ℔j. cum ℥ß. salis ammoniaci miscentis & destillantis. Contra alii succum eundem cum saccharo in syrupum redactum ex tempore cum sale ammoniaco miscent, & asservant pro usu.

4 *Anserinam:*) Plantis pedum subditam commendant quidam pro curando Ictero, sicut fronti applicatam pro cephalalgia in febri ardente mitiganda.

5 *Vitis:*) Subtilissimo tartaro prægnans confert in casibus detersione aliqua opus habentibus, adeoque & in nonnullis oculorum affectibus.

6 *Chocolatam:*) Hæc verè temperat succorũ acrimoniam, adeoque præter usum antiphthisicum & antiscorbuticum egregia est pro usu augendi genituræ.

7 *Bange:*) Bengi est remedium in forma pulv. massæ, in India Orientali apud Indos Javanos regni magni Mogol incolas usitatum, pro scopo venerem stimulandi, & paratur ex cannabis foliis & semine; quod ipsum si verum sit, erit cannabis antivenereum. *Conf.* interim OLEARII *Itenerar.*

8 *Panis calidus:*) Vino generoso irroratus, & stomacho applicatus præstat in vomitu nimio & hypercatharsi, non secus ac in malignissimis febribus post propinata sudorifera frustum ejus calidum cum fovea in medio sui theriaca repleta & umbilico imposita venenum allicere creditur.

9 *Fermentum pistorium:* Cum aceto subactũ & mentha, caryophyllis, &c. imprægnatum dat Emplastrum contra vomitum, & singultum excellens.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

cam, 10 *Teredinis* quoque asservationem,) conquirit; antiquarii verò Chirurgi plerunque præter rem cataplasmatibus sui ingerunt. *Ptisanam* citra Dispensatorii præceptum mulieres sat bene coquunt; æquæ ac Septentrionaliores *Avenatum* suum, & quivis hinc inde *Aquam hordei*; optimam equidem, si simplicissima, nec ad alia decocta denuo recepta fuerit. *Phaseolos* mundo deditis culinæque relinquamus; quemadmodum & *Asparagi turiones*, *scolymum*, *sisarum*, *pastinacam albam*, *&c.* Delicatorum mensis & intentionibus magis, quàm comptiori medicationi aptiora. Uti profecto nec in *Napo*, (extusque epulotica) *Pastinaca lutea*, *Rapo recenti*, *vel* (pro tussientium decocto) *siccato*, florentisve pro asthmaticis(potius è *Rapistro*) *Aqua* fatua *Atriplice*, exoletoque ejus *semine*, *brassica quavis*, etiamsi Romana, & vel è Catonis commendatione fuerit,) ac similibus reale quidpiam in intentionem nostram invenimus.

Et si hinc ad Animale Regnum nunc descendimus, quantum primo Confortantia concernit, profecto 1 nec *Perlarum* inconsideratissime (præter *Diamargariti calidi* parciores hic, & *Frigidi* unctuosas species,) in tot Pulveres, Confectiones, Extracta, imo Destillata, in Manus Christi aliasque Rotulas, imo ipsa Epithemata profusarum, non solum *Occidentalium*, sed ipsarum *Orientalium*, speciosissimarumque quoque, *integrarum aut Foratarum*, provenitiumque inde *Retrimentorum*,(etiam genuinorum) tanta deprehenditur efficacia vel singularitas, quæ, dummodo præjudicia, potissimum ab exotericorum æstimio nata exuimus, & (si tenerior earum substantia vel ejuscemodi Solutionum diversitas alicubi obstat,) experimenta saltem in iis ac congeneribus seorsim facta, (levi cum minutiarum neglectu) conferimus propriis Testis aliisque Conchis, Oculis Cancri, Corallis, &c. invertentibus æquari nequeat: ceu solas Aquas aut Mixturas analepticas hoc titulo oblatas, citra quandam tamen Margaritarum Atomum, idem pluries (imaginatione sic delinita) revera præstitisse scimus. Et si omnino speciale quidpiam nonnullibi conferent, ex tempore sane commodius competentibus formulis adjicerentur, quam tot supera dictis (hactenus officinalibus) Speciebus ac Pulveribus, eorumque suffraganeis *Analepticis*, *Perlatis Cordialibus temperatis*, *de Gemmis calidis frigidisque*, *Rotulis Perlatis*, *&c.* fatiscentia sæpe vegetabilia nihilominus adsciscentibus, in solitariam asservationem immiscerentur. Ut taceamus quasi absorbentis Perlarum virtutis inversionem, data opera (pro majori plerumque exaltatione sc.) procuratam; dum modo per *Acetosorum*, *Salinorum*, *Vitriolatorum*, item (præcipitantis tamen *Succi citri*, consimiliumque qualemcumque combinationem in *Magisteria*, *seu vulgaria*, *seu* (speciosiora quidem] *Plumacea*, *Butyracea*, *Squammia*, *&c.* negotiosius quàm utilius redactæ, modo *Acetosis*, &c. (earum interim naturæ seu destinationi minus quadrantibus) particulis sub *solutionum siccarum communium secretiorumque forma* amplius complicatæ vel in solutionum deliquatarum aut dilutarum *Oleiformes liquores* redactæ sunt; aut per spiritus 2 Saliave (aliàs per se Diaphoretica,) alioversum in *Arcanis floribusque perlarum* tractæ, vel denique per *Calcinationes* penitus perversæ. Quo tota hæc congeries, *Sirupi* insuper, diversimodè (inter extemporaneas solutiones & præsentatiores earum in substantia mixturas,) quasi pro Cleopatræ mensas quæsiti, deterioresque adhuc *Spiritus*, in perditionem elegantis & per se longè magis proficui lapilli excogitati, *Liquores* denique ac *Olea perlarum*, quæ sæpenumero nihil nisi menstruum inde abstractum, aut ad summum, phlegmatis proprii particula saturatum, vel liquorem post digestiones aut præcipitationes notabili margaritarum commercio haudquaquam gaudentem exhibent,) Auri (nec rarò sanitatis simul) prodigis, nilque in culina sapidum, nil in medendo validum, ni earum fuerit, putantibus, aut potius matronarum monilibus tantisper secureque, donec *verum Perlarum lac cum clave sua* in tot tabitorum atque arthriticorum solamen reveletur, relinqui poterunt.

Aquis caponum, *de pulmone vituli*, *sanguinis serophæ*, *cochlearum*, similibusque diversimodè (tam olim à nimium-Chimicis, quàm à negotiosioribus mulierculis hodiedum) *Compositis*, (nam extremum valeant, qui *simplices* hujus generis etiam è rorido balneo petitas potant; & brodia. consummata, collisa, embammataque refectiva amplius nequeunt,] teneriorum aliquos è tabidis, squallentes arentesque [per actualem frigiditatem, aut accessoriorum fragrantiam, destinationem pectoralem] aliquantum adhuc refocillatos vidimus, restitutum verò neminem. Neminem Hepaticorum *Lupi*, [dum delicatioribus *Gallinarum vitulorum*, &c. indies jucundiusque vescimur, *Epate*. Stomachicorum neminem, supradictis *ventriculorum membranulis*. Et qui penitius arrigere voluerit, è Veru Jureque consultius *Volatilium* [quibus *Quadrupedum* quoque gulones nonnullibi superaddiderunt] *Testes ac cerebella*, *leporis renes*, *cochleas*, *ostreas*, *&c.* [inter conspirantium analepticorum & irritantium vegatabilium accessum, petet, quàm [non sine perversione] *siccato* nonnullibi *apri cervique patrimonio*, aut inter ipsam etiam *copulam confossorum veretro*, *cochlearum* sub amplexu præcisorum *Pulveri*, lascivientiumve passerculorum *cerebris*; inter comptiora refectiva Electuarii quoque nauseabundè invisceatis, &c. reverà, [ni inflammantibus periculosè exasperentur,] languidioribus confidet. Est aliquid *Succinus*, si exoticam lacertam, ut olim ad Alexipharmaca, ita ad venerea quoque, sed liberaliori [præ granulari vulgò] pondere trahere placuerit. Verum cuncta hæc mollicellos tantum alquantum juvant, emeritos parum ac rarius, ligatos, [quantum nos quidem observavimus,] solitariè nunquam. Sic *Leporis uterus* pariter languet, cum ipsis è *Horatiano delicio farciminibus*, *oleique formicarum* [ubilibet etiam instituto] litu: *Vice* 4 *Maslach illud*, *aqua magnanimitatis & abstractitius seu à bestiolis*, seu ab eorum [cui bono alicubi *siccatis*? *Ovis spiritus*, 5 aliàs intus quidem, præ aliis volatilibus salinis sulphureisque liquoribus, singulare quidpiam haud adeo præstat; extus utilior; sed si placuerit, sub aquæ cujusdam nervinæ ac resolventis destillatione *formicæ*, [in oticis solitariè neutiquam tantæ præcellentiæ,] compendiosius tunc adjicerentur: 6 *Myrmeciorum* autem insessus vulgi, nec infrequenter abusivi sunt.

NOTÆ.

10 *Teredinis:*) Farinæ pro exsiccandis ulceribus, & intertrigine palmam præripit cerussa vel creta.

1 *Nec perlarum:*) Scil. perlæ crudæ usurpatæ nullam habent prærogativam præ oculis 69. aut coralliis vel conchaceis reliquis, sed sunt itidem concretum salino alcalinum acidum absorbendo ad diuresin disponens; è contra vane vis analeptica in iis quæritur.

2 *Per salia:*) Scil. perlæ cum sale ammoniaco sublimata ab hujus acido intervertuntur, non secus atque eædem cum terra sigillata tractatæ ab hujus phlegmate acido rodente castrantur.

3 *Verum perlarum lac:*) Scil. ex PARACELSO HELMONTIUS allegat remedium genuinum ex perlis parandum resolutione earum in primogenium suum liquorem, ex quo coaluerunt, quippe hoc est genuinum solamen tabidorum, hecticorum & arthriticorum. Cæterum requiritur ad solutionem pro hoc negotio liquor alcahest, quò nempe hac ratione sine efficaciæ suæ alteratione in primogenium liquorem sive lac retromeent.

4 *Maslach:*) Turcarum quid sit, incertum adhuc, utut D. FOGELIUS *p. m. Tract.* de hoc promiserit; hoc certum, Turcas eo uti prælia adeuntes pro magnanimitate sibi comparanda; loco cujus tamen nobis sufficere potest aqua magnanimitatis LAVREMBERGII, quæ prostat in hujus *Mnemonica* denuò impressa ad *ann.* 5. *Miscell. p.* 605.

5 *Alias intus quidem.*) Spiritus formicarum cum spiritu vini vel alio aromatisato paratus per abstractionem, ratione suæ aciditatis volatilis contra AVCTOREM singularis est, nec habet alium sibi parem, & dos. cochl. mirè stomachalis & cephalicus est; non secus ac spiritus formicarum vel & lumbricorum spiritus aquis nervinis, & spiritibus articularibus ad extra in casu membrorum distortorum restituendorum, paralysi affectorum, & atrophiæ particularis post vulnera laborantium adjiciendus est.

6 *Myrmeciorum:*) sc. integrum cubile unà cum formicis & ovis immergatur in aquam, & post hujus ebullitionem fiat insessus pro malo Ischiatico, vel pediluvium pro debilitate pedum paralytica egregium. Sicut & ejusmodi semicupium non inconsultò suadetur sterilibus mulierculis. *Conf.* KUNRATH. *Medull. destillator.*

TEXT. LUDOVIC.

Quantum ad residua, quo in viam redeamus, *Os de corde cervi, cornu cervi, ebur lapides bezoarticos, oculos cancri, conchas, & perlarum matrem* supra jam attigimus: quemadmodum & *Lac* in præcedente classe. *Sartorium sericum*, aliàs satis hactenus (cum *Bombicum* pridem suspectis *Folliculis*,) traductum, satagentium virginum mundo; *Ovi* vero *Albumen*, (dum 7 *Vitelli oleum*, at citra nimiam tosturam, expressam Matresfamilias parare norunt, aut diffusioribus saltem apparatibus quadrat,) extemporaneis topicis, *Aquam* inde destillatam (medicastrarum *Expressitia* in Ophthalmicis posteriorem, (felicioribus pro 8 Mercurialis secreti edulcoratione, *Galaturam* demum, in nonnullis oculorum passionibus haud penitus rejiculam, 9 gravidarum de cætero vanis persuasionibus haustibusque remittemus.

Et quod tandem 10 (inter refrigerantia, remedia è *Ranis* petita attinet, cum *Spermatis liquor alumine saturatus* omnibus indicationibus non adeo conveniat, epidermida sanè in tenerioribus interdum separet, *Simplex* autem aulicarum diversimodè *siccato spermate* quidem commodior,) asservatu tamen ferè tædiosior, *Sperniola* denique *compositum* (cum ipso *ranarum cinere*,) inter tot sistentia supervacaneum nunc fit: suffecerit proin diffluentiori forsan selectui, (si quid omnino hinc reponendum foret,) sola non tam *animalculi*, quam *spermatis aqua* (post palustrem debitè secretam) destillata; extus (ceu interna quoque experientia testatur,) Simplicem inalterationis gradu aliquantum præcedens; compluribus intentionibus præ 1 *Oleo cocto*,) nam de emplastro de sperm. ranarum sub saturninis dicemus,) multis indicationibus convenientior. De cætero tot in nostra quoque sylloge habemus resolventia, sat citra omnem ranarum mucorum efficacia etiam emplastri formia, quibus Mercurius insuper variè dilatatus vel amalgamatus superaddi posset, ut inconsideratus complicato, *antiquiori*, recensve surrogatis 2 *Emplastris de ranis cum & sine mercurio* in specie neutiquam indigeamus. Vesicatoria sensibiliter plerunque magis conferunt.

Ponamus proin è tertio nunc regno, demissis supra tactis gemmis,) primo 3 *Corallia*; & quidem *Albis*, licet haud planè desidibus, & curiosis tincturam rubicundam pariter fundentibus, (sicque libet è rubro similiter parabilibus,) tantisper [è prædecessorum etiam sententia) neglectis, *Rubra*; [citra magis minusve *Rutilantium* minutias] saltem selectiora, ab albida nonnullibi crusta liberata, eaque cruda, nec vanis prius [*tam solitariis, quam inter punices*] *Ignitionibus, aut nitrosis sulphureisque calcinationibus* à nativo suo vigore dejecta, sed incassum vexata: satisfacietque nobis inde principio *simplex* [per sufficientem levigationem vel decapulationem, aut colatorias per linteolum excussiones subtilisatus] *Pulvis*; inter consimilia, [haud uniformiter tamen, dubio procul ob diversam particularum, vel oblatæ insuper materiæ rationem, semet intus æquè, ac

NOTÆ.

7 *Ovi vitellum:*) minus vi medicamentosa, contra magis vi nutritiva præ albumine pollet, indeque ex eodem vitello ad duritiem cocto citra assationem oleum exprimitur, quod externè ad hernias, vulnera, fissuras extremorum, & variolarum foveas est recommendatum. Ubi postmodum ex residuo olei expressi retortæ incluso destillari adhuc potest sal volatile cum copioso oleo empyreumatico. Porrò ex albumine ovi indurato destillando elicitur aqua ferè iners, contra ex eodem expresso acquiritur liquor egregiè ophthalmicus, in ulceribus, vulneribus, & pustulis oculorum proficuus ratione virtutis suæ alcalinæ; ut taceam, ovum ad duritiem coctum, & excempto vitello pauco vitriolo albo repletum, & in cellam repositum, liquescere in humorem ophthalmicum.

8 *Mercurialis secreti.*) Intelligitur hîc mercurii sublimati edulcoratio illa, quam ex PARACELSO mancè habet SCROEDERUS, paulò verò exactiorem unvenire licet in *Theatr. Chym. Volum* 6. *p.* 456.

9 *Gravidarum:*) Sc. mulieres gravidæ comestione gallaturarum ovi num. 9. se ab abortu præservari vanè credunt.

10 *Inter refrigerantia remedia:*) Excellit sperma ranarum sive ova earum copiosa genitura mucilaginosa circumvoluta, quæ separetur pro usu Medico & Cosmetico. Cæterùm turget idem sperma ranarum copioso sale volatili urinoso admodum temperato, ratione cujus destruendo acidum refrigerare dicitur, & convenit in inflammationibus podagris loco anodyni; sicut & medetur ambustionibus & maculis faciei. Porrò ut asservetur eò meliùs, illud variis enchirisibus subjicitur, ubi ZUUELFERUS *Animadvers. pag.* 409. illud per saccum lineum transcolatum sale impregnat, quod tamen hac ratione præparatum non æquè convenit, interim cum facile per se putrescat hinc potius vasi clauso inditum tempore æstivo soli exponatur; ita enim per incipientem putredinem alcali volatile ejus exaltatur, deinde per residentiam seipsum depurat, qua per filtrum separata, aqua remanens in loco frigido commodè asservatur. Similiter sperma illud, ranarum aliquot dies ante novilunium collectum, (quo minùs fœtorem contrahat) destillari potest in aquam, quæ cautè procedendo multum salis volatilis secum rapit.

1 *Oleo cocto:*) Scil. ranæ bullitæ in oleo commendantur pro inflammationibus externis, loco cujus tamen vel aqua vel liquor spermatis ranarum melior est.

2 *Emplastris de ranis:* Emplastrum hoc de ran. VIGONIS cum mercurio sine depravata correctione ZUUELFERI paratum, contra AUCTOREM N. egregium est in chronicis doloribus, & duris tumoribus, tam gallicis, quam aliis, hinc & cephalicis, & splenis affectibus confirmatis ob penetrativam mercurii vim, qui tamen mercurius vivus cum saliva, vel pinguedine porcina in mortario lapideo extinctus, & emplastro de meliloto, vel hyoscyamo, vel emplastro diasulphuris RULANDI sociatus, idem pro plurimis scopis præstat, quod ante dictum emplastrum VIGONIS.

3 *Corallia.*) Reverà sunt mediæ naturæ inter vegetabilia & mineralia rectè id statuente ANGELO SALA *Aphor. Chym.* 40. in se quippe sunt frutex marinus, adeoque vegetabile, interim dum deficit eorum vis vegetativa, & cessant crescere, substantia lignosa induratur in lapidem, cortice separabili, & in aquam fatiscente; non secus, ac perlæ sunt medium quid inter minerale & animale; quippe succus animalis sponte sua petræfactus est. Jam verò corallia in concreto suo materiali sunt salinæ prosapiæ, & de alcali pariter ac de acido participant, ita tamen, ut in compositione materiali natura terrea alcalina præponderet, ratione cujus quælibet acida cum iis effervescendo absorbent; item calcinata intensius calcem relinquunt, non secus ac eadem per se destillata phlegma acidulum præbent, cum pauco oleo empyreumatico, quæ posteriora aliquod vegetabile innuunt. Porrò quoad usum coralliorum, is habetur triplex. 1. Sc. sanguinem depurant eatenus, quatenus in primis viis præcipitant, & absorbent vitiosa salia sanguinis crasin inquinantia, quibus destructis ad debitam temperaturam redit ille, & hinc motu sui intestino feculentias deponit. 2. Eadem corallia roborare dicuntur, quia constant ex sulphure sive pinguedine tingente, naturæ solaris nonnullis æstimata, aliis aliter: Vbi tamen minùs dici poterunt participare de sulphure solari, utut post sui lapidescentiam rubicundæ in iisdem particulæ appareant; quin potius sulphur illud dicendum est Martis, idque ideo, quod lapidefacta corallia acidis tractata

... non secus ac Martialia fiant styptica & acido austera. 3. Denique dicuntur Corallia sistere hæmorrhagias & fluxus p. n. quod fit, quatenus hi dependent ab acriori acido uti v. gr. hæmorrhagiæ scorbuticorum, Dysenteriæ benignæ, hæmorrhoidum & Mensium immoderati fluores; in quibus Corallia absorbendo acidum illud acrius stypticam vim acquirunt, sicque fluxus illos sistunt.

TEXT. LUDOVIC.

in Chimicis solutionibus sistentia,) *Absorbentia* fere prima; (nisi quod, ni dissimulemus 4 lactentibus erratice febrientibus in progressu hoc fine data, minus profecto quam Concharum aut Matris pl. vel Oculorum Cancri pulvis, Cornu Cervi; Terra Sigillata, &c. quadrare deprehenditur,] De cætero non solum in Hypochondriorum immediatis, verum etiam confectoriis superiorum regionum Hypogasteriique permultis vitiis plane polychresta; sive per se, sive Cinnabarinis, Martialibus, Anodynisque, pro circumstantiarum ratione sociata dentur: ut præsentanei effectus intuitu, equidem nemo forte deinceps damnata pridem, & in plerisque sui speciebus desidia, vel alterius saltem aut accidentariæ actionis *Magisteria*, sive per *Alcalia* jam olim, sive (sub sequiorum annorum curiositate & emendandi cacoethe] per *Vitrioli Sulphurisque* hic compactiora reddentis) *Spiritus*; *&c. sub Plumaceorum*, *Amianthinorum*, *Squammeorum*, *Butyraceorum*, *&c.* titulis præcipitata, nihilo tamen hinc magis (etsi inter aliquanto majorem adstrictionem) Cordialia, utrobique sane jam saturata; vel Pulvisculi tantillum, ægerrime è Sale Ammoniacho una sublimato, *Florum inscriptione*] elutriatum exigere queat. Quod autem si omnino quispiam tale quid, *seu Vitriolicæ* (post elotionem quoque restitantis) *stipticitatis*, *seu accidentarii levoris causa*, in diffusiores forsan apparatus, intentiones aut persuasiones expeteret, è simplici saltem Aceto æque elegans, ac è Destillato præcipitari queat, supra monuimus. Nam qui eundem in finem *Spiritum Salis*; aut [simul aliquid sponte dimittentem (*Vitrioli Philosophicum*, imo nonnunquam ipsum *Æruginis* (instillato Vini Spiritu *squammeum Magisterium* dantem) *Roris*, *Mellis*, *Mannæ*, &c. cariores præstantioresque *Spiritus* hic adhibent, aut novos *Plumososque* prius, aperte tamen Nitrosos, aut nil à Spiritu Salis composito (gratis quasi è permultis operationibus proveniente] differentes destillant, polychrestos istius generis Liquores tantum disperdunt, laboresve frustra multiplicant. Sic pariter *Pulvis Coralliorum Vitriolatus &* 5 *Bezoarticum Corallinum* profecto tanti non sunt, ut (instillandus) ibi *Vitrioli Spiritus*; hic vero *Citri succus* [quorum uterque sub prima dissolutione seu ebullitione de soluto quidem aliquid tantisimittit, post brevem vero repositionem totum, quidquid Libelli dicant, deserit,] amaricantibus & semicuperosis sæpe istiusmodi Productis insumantur. Curiosior, qui acidulum simulque *Tinctum* vult *Magisterium*, loco vulgaris (ingratioris stipticitatis) *Magisterii Rosati*, & negligentioribus nonnullibi *per Albumen* præcipitati, [plane hinc compositi,] longe speciosius habebit è *Berberum*, ubi suppetit, succo, soluta inibi corrallia per Vitriolicum acorem pessumdando: restante Liquore æque ac qui post præcipitationem in Aceto destillato per Vitrioli Spiritum peractam remanet, alliis usibus tunc destinando *Solutiones* (uti vocantur,) ac similium *Extractionum Magmata* pleraque omnia alias sicca consistentia difficilius dispensari queunt; & nisi quædam per divaporatos, aut desuper abstractos ardentes Spiritus, (siquidem Aquæ inde destillationes frustra sunt,) aut per competentium Liquorum associationem (tanquam modum, simplici talium Deliquio aptiorem,) pro parte mitigentur, ingratum sapiunt: ceu hinc cum Aceto dest. *Solutio* præcedentibus annis aliquibus, abusus forte simul attendentibus, plane noxia fuit credita. Aliæ parum insuper de Coralliis participant: uti quæ cum Spiritu *roris vulgari, & Sassafras abstractitio*, sed nec *per retortam destillatus* peculiarius quidpiam ultra Guajacinum, Quernum, Putaminum Juglandium, &c. adhuc speciosiores confert;] item cum primo profluentibus *Terebentinæ Succinique Aquis*, cum *Succo betulæ*, (ea equidem adoriente,) cum *Clysso antimoniato nitroso*, potissimum inter ebullitiones præcipitante,) &c. comparantur. Quo Extractiones quoque 6 per *Olea destillata* curiosioribus interdum magni æstimatæ, item per (paulo ante desertionis accusatum] *Spiritum Vitrioli Citrique Succum*, *& Sal ustulatorum cum Sulphure Coralliorum* [dum *Cremor* calcinatis, ceu in Calce Viva solet, superstans, alias effœtus est,] pertinent: imo *Solutio cum Aqua in confectione Acidi Tartari* residua: licet hæc, æque ac quæ *cum Tartaro crudo* coquendo confit, [ni Magma denuo Aceto destiliato extrahatur,) à Coralliorum destinatione profecto nimis ad aperienda ac detergentia abeat; magisque adhuc *cum Sale Tartari* ad instar Liquoris Silicum præparata: *Cum Spiritu Salis* impense salsescit, & pene rodit: nec mitior (tanquam affinis isti) massa (ni repetitis Spiritus ardentis abstractionibus utraque infringatur,) *è Capite mortuo salis Ammoniaci super Coralia sublimati* (nonnullis ad Tincturæ confectionem adhibito,] secernitur. *Berberum succus* soluta post dies aliquot maximam partem (Tartarei formi consistentia) dimittit. Equidem vero elegans est cum 7 *Æruginis* (*s. aut crystallisata*, *vel etiam Sulphuri sociata*] *spiritu facta Solutio*; advertentibus tamen Venerei quid sapit; & si fateri voluerimus, potiores crudorum effectus revera non attingit. *Dulce autem Sal*, citra exotericorum, Saturninorum &c. accessum hactenus quidem invenire non potuimus uti nec *Viri*, (quibusdam ex immaturioribus Corallis, aut forte potius marinorum investitis circumcirca ramusculis, vel ex additamentis visi] Olei aliquantillum, quo experientia firmari potuerit.

His itaque tantisper sepositis, 8 de Liquido quopiam (dum consuetudo fere sic hodie postulat, ægroti horum interpositionibus haud parum capiuntur, fama denique vel sæpius persuasio, his in specie permultum huc usque tribuit,] deinceps erimus solliciti. Diffiteri enim de cætero non possumus, quod donec superlativi effectus *secretior ista* prodeat, Tincturarum (ceu ejus generis Solutiones pro more vocantur,) hactenus vulgatarum, selectiorum quoque, ac largiori Dosi propinatarum, nec dum ea fit in depurando sanguine, roborando, sistendo, &c. deprehensa efficacia, quæ firma-

NOTÆ.

4 *Lactentibus:*) Scilicet quia Corallia sunt dura concreta, indeque forte postulant acidum, hinc pro infantibus minus convenire videntur.

5 *Bezoardicum Corallinum:*) Hoc est Magisterium coralliorum cum succo Citri paratum ex omnibus Magisteriis adhuc minus saturatum existit; reliqua verò omnia magis styptica sunt, & in recessu vitriolacei quid sapiunt, pro quo tamen scopo non paranda illa sunt, cùm alia prostent.

6 *Per Olea destillata:*) Solutio Coralliorum cum Oleô destillato Citri, quam habet SCHROEDERUS parum de Coralliis participat, sicut & illa LANGELOTTI *in Epist. ad Curios.* cum Oleo anisi facta.

7 *Æruginis Spiritu:*) Cùm nonnunquam coloris viridis conspiciantur, probabile est de cupro participare eadem.

8 *De liquido quopiam:*) Scil. Auctores post PARACELSUM solliciti fuerunt de Sulphure Coralliorum martiali extrahendo, id quod duplicem operam requirit, nempe solutionem corporis Coralliorum, & hinc soluti ejusdem cum menstruo homogeneo sulphureo v. gr. Spiritu Vini extractionem; ubi tamen hactenus notæ Tincturæ Coralliorum sunt saltem plus minus subtiles solutiones eorum cum menstruo vinoso combinatæ, indeque quicquid efficiunt, illud præstant vel ratione Tincturæ novæ, quæ solutione sui acquiritur, vel denique ratione additorum aliorum. Interim tamen vidimus aliquando Londini apud Dn. Febure Tincturam Coralliorum cum Sale volatilili Tartari per retortam colorris rubicundi destillatam, quæ per retortam, vel quæ rarior, per alembicum evectio, & postmodùm hinc denegata Coralliorum præcipitatio; δοκιμασια est vere illius Tincturæ.

TEXT. LVDOVIC.

tioris experientiæ Practicum à Martialibus, antimonialibus, Opiaticis, & cæteris liquoribus præsentioribus, aut ad minimum alibi æquivalentibus, avocare queat: & in specie sane, quod etiam elegantiores attinet, *Solutiones cum quolibet Æruginis Spiritu facta Liquor seu Tinctura*, [ni dissolvens aliunde medicatum vel analepticum fuerit!,] ejusdem est cum (paulo ante notato) sicco suo Magisterio conditionis; *Solutionisque cum Aceto destillato* (à nonnullis per *Spiritus Salis aut Nitri* insuper associationem, alioversum inconsideratius detorto) communiter confectæ *Extractionem* debite digestam, idem nobis præstitisse, plus vice simplici notavimus: ut taceamus *Tincturam e Magmate Corallino*, [*per Acetum pomaceum non destillatum*, animi gratia quondam procurato) separatam, pro secretissima quibusdam effectum qualemcunque advertentibus æstimatam, Parca est cum *Clysso Antimoniato nitrato*, *vel Tartarisato*, & illic simul seminitrosa: parcior adhuc cum *Spiritu Coralliorum proprio* alias languidiori; item è *Floribus*, seu [uti alij vocant] *Sulphure*, id est Pulvisculo cum floribus Salis Armoniaci ascendente; ut & cum *Citri* (alterius simul contagii,) *Oleo* magisque cum *Roris majalis* acuato operosissimo *Spiritu*, cariorive *terra sigillata Liquore*. Et quantum inde separat *Tartarisatus*, *à Sassafras vel Antiscorbuticis abstractus*, *aut proprii Salis tantillo acuatus Vini spiritus*? Dum *Simplex rectificatior* quasi sponte, etiam super *calcinata* tingi cernitur. Speciosior licet *Manna*, *Melli* tamen hic æquivalet; atque ut cum utriusque his Tincturæ per *Querni*, *Gujacini*, *Sassafras*, *Rhodini*, *vel Lignorum aliquot* conjunctim, (etiam post *prævias Extractiones*,) adsumptorum, item *Panis aut Putaminum Juglandium spiritum* paratæ in sapore quadantenus, ita effectu quoque perquam conveniunt. Nec qui abstractiorum *à Saturni*, *Coralliorum & cæteris Solutionibus*, (*cum Aceto destillato factis*) *Liquorum*, item *Aceti dest. à Sale Tartari destillando repetiti*, similiumque naturam, saporem, & operandi modum paulo attentius examinat, ac congeneribus modo dictis Spiritibus, simplicibus, vel ab ejusmodi Subjectis, (cum notabili conformique alteratione) abstractis confert, è laboriosioribus carioribusque istis, (etsi vel phlogistis particulis interdum interspersa forent,) singularius quidpiam expectabit. Quæ cum *Tartari Vitriolique crudi* (variante proportione] *Combinatorum Spiritu* confit, à Melleo sapore effectuque similiter adeo notabiliter non distat; dum vero paratum hinc (ad extractionem] *Magma* denuo prius *Aqua temperata* extrahitur, si *Spiritu Salis* hæc constat, prævii labores frustra multiplicantur, simultanea ejus affusione eandem fere Solutionem, [neglectis tantum minutiis,) suppeditante; sin autem *Vitrioli Spiritus* ita temperatus fuerit, de solutione plus, quam ab initio poterat, remanet. *Vitriolatos liquores solitarie* huc pariter tractos, alias potius præcipitare supra diximus; & spissamentum inde post exhalationem remanens, revera extrahenti Vini spiritui Corallini parum contribuit; ceu *Citri quoque succi* post condensationem *Magma*, nonnullorum Tincturis destinatum. Cum *Nitri Spiritu* horribilis, cum *Salis communis*, & æquivalenti *Vitrioli Philosophico Spiritu*, quemadmodum ex *Ammoniacalis* quoque *sublimationis capite mortuo*, [eodem recidente,] æque ingratior [ni Guajacius Melleis,] Acetosisque, ex parte tamen hinc sidentibus solutionibus combinemus,) habetur. Per *alcalinum* autem *Alcahest*, per *Sal Tartari*, *ac Nitri calcinationes* quis insontia sistentia Corallia plane extra oleas naturæve intentionem duci, non cernit? nec ejusdem notæ expers est, [ni per Acetosa postmodum aliter tractetur,] dum *depurato Tartaro*, aut *residua ejus Aqua* instituta Solutio: quæque cum 9 *Cordis sanguinisque Cervi spiritu*, particulariores plane in usus confit. 10 *Guttulas* vero quasdam, ægerrime demum, vel ex additamentis, *super retorta vel alembici rostrum levatas*, (dum profecto aliter longeque levidensius, ac Martiales sic concentratæ se habeant, [secure, cum *Sacchari desuper destillati ultimo liquamine* relinquere possumus. De *Calcinatorum* perditionibus, sive cum *Sulphure* (parco proventu,) sive *Nitro* [hinc fixiori, aut inter *Pumices*, aliunde quoque rubentes aut *per se singuliarioribus quoque in Furnis* vexentur, modo communiter, modo *per Urinæ spiritum* (sed utplurimum sub virore] postmodum extrahantur, alii jam satis questi sunt. Ut merito in talium delectu quis tantisper hæreat, aut siquidem absque liquida Corallina manca videri posset nostra Sylloge, parabiliorem quandam 1 Tincturam interea huc ducat: v. g. cum *Mellis* sorte, [licet nec per *rectificationes digestionesve* amplius, cum immutatione sane quadam, *Philosophicetur*,) nihilominus innoxio spiritu, simplicissime tantum, citra prævias Coralliorum, solutiones, aliasve *spagiricarum* titulo dispositiones (paratam; vel quæ per *acidulum vegetabilis cujusdam supradicti Liquorem* confit, convenientiorive adhuc [siquidem plerunque hic permultum seu in substantia, seu in aborta saltem hinc modificatione contribuit,) Solvente, naturæ sc. Coralliorumque, (multis neglectæ vel indifferenter habitæ) destinationi magis respondente, aut solum minus adverso, vel per dilutiones digestionesve istas satis mitificando, solutum intimius amplexante, ad minimum tam subito facileque haud deferente, &c. Quo inter reliqua symbolizantia, nec *Sirupis*, *tam antiquiorum editionum*, [adversis, vel parum, aut nil minus ac Corallaria vehentibus,) quam postmodum à diversis, diversimode, per varias quæsitas encheireses, solutiones, &c. sub *calidiorum*, *frigidiorum*, *cordialiumque gemmatorum inscriptione superadditis*, (potissimum tamen adjectis analepticis debentibus, extemporaneæve dissolutionis,) indigebimus: uti nec *simplici Berberum*, [cum aliquali saporis perversione ea paulo post dimittente *succo*, *crudis*, (dum solutiones cum Aceto destillato Æruginisve Spiritu confectas constantibus ferre potest, saturato, aliisve hujus generis inventionibus. *Trocchiscos ac Species diacorallii* in præcedentibus, *Corallinum* vero *muscum* paulo post attingemus. Atque hæc de commendatissimo simplici sufficiant.

Accedat autem amplius *Crystallus*; haud rejiculum rodentium in primis viis humorum attemperans; inter alia, (per relationes sæpe tantum commendata) Lactifera, huc usque usualia, aut parabilius, aut præsentius; eoque ipso diversitatem resolutionis, aliterve subsequæ operationis in ejuscemodi Præparatis ostendens. Sit autem saltim (ceu facile potest,) *Pulveratus*; citra prævias frustraneasque *Ustulationes*: quemadmodum nec Salis Tartari perfusionem, combinati *Deliquium ac Cremor* peculiare quid super Silicum Liquorem, experientibus infert. Inter reliquas 2 *Solutiones* potiorem quidem, quæ cum *Salis Spiritu* fit, observavimus; tot tamen præsentiora extant diuretici Liquores, ut commode cunctis hisce careamus, & magis adhuc longe pigriori, quam crudus lapis est, *Magisterio salinisque* (difficilioris dispensationis) *Coagulis*, incassum sane ab adhærentibus Menstrui particulis per quæsitam *volatilisationem* liberatis.

De Solaribus Lunaribusque, quantum ad Temperatiora hæc spectant, in præcedentibus diximus. Restant forte saltem 3 *Satur-*

NOTÆ.

9 *Cum Cordis Sanguinisque Cervi Spiritu:*) Parata Tinctura Coralliorum addita essentia Ambræ & CC. Matthioli, non tam illorum, quam horum ratione aliquid præstabit.

10 *Guttulas:*) Corallia cum duplo sacchari trita & destillata dant Oleum rubicundum, saccharo maximam partem, paucum vero Coralliis in acceptis ferendum.

1 *Tincturam:*) Cum Spiritu mellis simplicissime paratam sibi eligit AUTHOR (cum Spiritus hic attactu concreti terrei sponte rubescat) vel & cum Spiritu quodam acido volatili, nempe vel lignorum composito, vel ligni sassafras confectam.

2 *Solutiones:* Crystallus cum aceto destillato post sui calcinationem, vel & cum Spiritu Salis tractatus, abit in liquorem diureticum post magmatis deliquium.

3 *Saturnina:* Saturnus est quasi mercurius quidam coagulatus, hicque præter naturam mercurii & de prosapia alcalium participat, ratione cujus alcali sui absorbet quælibet acida, & una cum iisdem in texturam tertiam quasi aluminosam abit, sicque sapor stipticus emergit, ut adeoque Saturnus conducat in morbis ab acido natis, & externe pro inflammationibus remedia ex minio sint usitatissima non secus ac in ambustionibus eadem prosunt relictum ab igne acidum absorbendo, itemque in Vulneribus & Ulceribus, quorum acidum inhibendo; & aluminis texturam acquirendo eadem simul ad consolidationem

nem disponunt. Pari ratione internè Saturnina pro correctione acidorum saporum sunt in usu, non tamen cruda, sed potius ab Aceto in formam salinam ita redacta, ne penitus saturata sint: Sic enim promptè acida sylvestria imbibunt indeque prodest saccharum Saturni quartanariis ad gr. xij. vel xv. cum ocul. cancrorum ℈j. pro j. dosi ante paroxysmum repetitis vicibus exhibitum, interim notandum, subjecta ægrotantia pro usu horum Saturninorum debere habere ventriculos robustos, h. e. fortiori acido præditos, secus enim saccharum Saturni usurpatum nauseam crebriorem concitat.

TEXT. LUDOVIC.

nina: quorum simpliciorum etiam, longa series, necessitas vero haud tanta. Nam cum *Cerussa*, *Lithargyrium*, *Plumbum ustum*, *Minium*, *&c*, (neglectis tantum circa colorem, subtilitatem, aliqualemve puritatem minutis,) in fundamento de cætero, [citra Præparata hinc quoque, etiam Chimica;) admodum conveniant, cur *singulæ Species* [nobis solum hic] reponantur? aut in eadem Formula (majoris effectus persuasione, deinceps pro invecto more coacerventur? vel certa quædam mordicus ac præcisæ, (ideque non tam superficiarii coloris, quam inferioris prævalentiæ causa,) requiratur? aut dum *Minium*, (præter *Cerussam*, sat bonum,) vili venit; viliusque adhuc *Litargyrium utrumlibet*; [siquidem ob exoterici quidpiam intus præter rem veremur,] extus tamen sufficit; cur *Plumbum ipsum*, alias in Menstruis suis sat solubile, *seu Officinarum seu figulorum* more insuper *uratur*? vel ob secretiora quorundam, (interdum Lunari participationi innitentia] promissa, aut quia nil passa, *ipsa frugifera Minera*, (*Plumbagine factitia* aliis artificibus relicta,) in vulgatiores quoque Processus imperetur? *Cerussam* supervacue plerumque *lavari* aliis jam notatum est. Et si, quoad internos Saturninorum usus, vim Antivenereaın quidem hic admodum claudicare, attemperantem vero vix decimo ferventiorum Hypochondriacorum aut tabidorum quadrare, Phthisicis autem perparum conferre, sæpe dejectos horum omnium Ventriculos magis pervertere, passive deprehendimus; quidni proin suffecerit vel unicum quoddam è prædictorum usualium (nobis hic indifferentium) aliquo, cura & [quousque licet) gratia mediocri concinnatum: v. g. *Solutio cum Æruginis Spiritu*; tanquam dulcoris, præ *communi Saccharo*, (alias inter tot insipida attemperantia Ophthalmicis extus haud adeo necessario,) aliquanto minus nauseabundi; uti similiter, (sed tamen paulo simul acriores] sunt *Crystalli cum Nitri Spiritu solitario*, *vel Aceto dest. adjecto* parati: Aut si communis his dulcor nihilominus displiceat, esse forte tum posset 4 *Magisterium illud* (*volatile*, ac inter additamenta sua sublimabile,) *quod è Nitrosa vel Aquæ fortis solutione cum Muria præcipitatur*; *Vulgaribus per Oleum Tartari*; majorive candore *per Vitrioli Spiritum* pessumdatis præsentius; *Saccharo Saturni cum dicto Vitrioli Spiritu* [non sine aliquali præcipitatione] quibusdam *insuccato*, in suo genere par; reliquis operosioribus (interdum segnioribus, nec extus adeo singularibus *Floribus* paratu facilius, & satis de cætero (quantum inde sub debita adhibitione sperari potest,] activum atque tutum. Qui vero præterea nihilominus *Liquidi quidpiam* desiderat, (licet & simplex *Magmatis*, *cum Aceto non destillato confecti Extractio* haud plane sit ineficax,) è prædicto [*per Æruginis Spiritum* proveniente) *Solutione*, ardenti quodam mediocri Spiritu diluta facili negotio *Essentiam* habebit, quæ *Sacchari communis in Acetosis* (siquidem aquosa istud præcipitant,) simplici *Dissolutione* vel per *Vini Spiritum Extractione* [utplurimum non sine inutilibus Aquarum diversorumque Spirituum abstractionibus, Circulationibus similibusque ambagibus instituta, (partim erit gratior, partim compendiosior: *Oleosis in Terebintino Juniperino Dissolutionibus seu* 5 *Saturnis Balsamis*, [inconsideratius quibusdam *destillatis*, arreptoque Plumbo sic denuo exutis,) plerisque affectibus Metallique ipsius destinationibus convenientior: operosissimis, (post prævias Solutionum *Fixationes*, Milii vel Lithargyrii cum silicibus *vitrificationes*, negotiosius adhuc vel altioris indaginis causa institutis) *Tincturis* intus, & in medendo, (si experientiæ conferatur,) par: Martialibus compluribus Tincturis, si cum aliquibus, (*è Saturni Saccharo & Martis Vitriolo* 6 *Antiphthisicam*, sed utplurimum infidam præparantibus) sociare lubet & è re fuerit, facile socianda: magis denique Saturnina, quam famosus ille *Sacchari*,) *vel* (majori compendio,) *Magmatis cum Aceto simplici tantum confecti* (utrobique citra Arenæ, Boli, Aluminis usti, &c. supervacaneorum additionem destillabilis) 7 *Spiritus*, nec intus adeo, (quamvis ardentis quoque Spiritus quidpiam post liminio ostendat) inter tot acceptiora certioraque singularis, nec extus [si hyperbolem demas, ortum ejus consideres, parabilioraque æquipolentia & æque placida Menstrua inter experiendum opponas,) adeo in Tincturarum quarundam præparatione specialis. Quemadmodum pariter tantopere Saturninum non est *Olei tantillum* una (si crudum ad solutionem adhibitum fuerit Acetum,) exiens; aut Tartareæ prosopiæ *Spiritus è Tartaro Saturninis per coctionem saturato*, cum *Olei* particula collectas; secretiorve [abstrusioris potius, cum *Capitis mortui Liquore* destinationis, quam firmatioris medicationis) *Spiritus è Sale Tartari Saturninique Vitro destillatus*, fumidus volatilis; at acidulus & aliquantum stipticus, si Sal Tartari cum Nitro denotatum fuerit: ceu in Diss. de Volatil. Sal. Tartari notavimus. *Sal verum è Capite mortuorum* Extractionum ac Destillationum cum Aceto dest. Spiritu Mellis, &c. protractum, *Cremorem Saturni* atque similia, tantum hujus Solutiones esse, alias nunc constat: & in fundamento profecto parum à communi Saccharo differunt.

Quod autem Topica specialiora jam concernit, equidem dum quivis peculiare quid hodieque invenit, aut ex antiquiorum libellorum orco reproducit, vel in Minio, Cerussa, Lithargyrio, solitariis, aut invicem copulatis, vel exotericis accessoriis nequicquam aggravatis, in albo, rubro, spadiceove Colore similibusque accidentibus quærit, ultra modum excrevere. Sed circumspecto, nec traditionibus aut consuetudinibus Magistri sine judicio adhærenti Chirurgo revera hinc suffecerit primo *Linimentum quoddam*, ad imitationem *Unguenti albi vel Saturnini recentioris* ex aliquo saltem (non tota congerie] Saturninorum simplicium, Aceto s. prius rite impraegnato, oleoque hinc secundum artem dissoluto: neglectis coloris lenociniis, (quas per Aceti destillati impraegnationes, & lenitissimas mixturas curiosior quærat;) *Ungento albo communi Off.* (è Cerussa butyro vel domi subacta parum differente,] præsentius, *& Camphorato* (cum usus etiam tempore adjici queat Camphora,] nonnullibi commodius; cum *Lithargyrino Off.* levi interpolatione symbolizans; sique seu sub prima confectione, seu postmodum, pro re nata, Nihili, Lapis calaminaris, imo Antimonium diaphoreticum, Thus &c. addantur, [uti Albuminis permixtio similiter extemporanea potius est,) haud difficulter *Rubrum quoque Unguentum*, aliaque Officinalibus varie *superadita* exprimens. *Primum* [Dispensatorii usitatoris] 8 *ad Membra perusta*, alias nulla, inter tot parabiliora securioraque Topica,

NOTÆ.

4 *Magisterium volatile:*) Sic. Spiritus nitri actione sua in corpora metallica hæc solet agere; contra Spiritus Salis commumis volatilia reddere; rationem dicit BECCHERUS esse hanc, quod in Spiritu nitri sit terra sulphurea; in Sale autem communi terra mercurialis, illudque de alcali mercuriali solvente participare; interim Sal hoc Saturni ejusdem est cum saccharo Saturni vulgari usus.

5 *Saturninis balsamis:* (Hæc balsama egregia sunt in abscessibus Mensenterii occultis Dysenteria benigna, hæmorrhoidibus exulceratis, ulcere Renum & Gonorrhoea.

6 *Antiphthisicam:*) Tinctura antiphthisica ex ana sacchari Saturni & Vitrioli martis invicem in Spiritu Vini solutis & digestis, in usu est quibusdam pro sputo cruento, & Sanguinis excretionibus à vasorum laceratione dependentibus; de qua *vid.* HOFFMANNI *Clav. pag.* 247.

7 *Spiritus:*] Insinuat hîc AUTHOR istum Spiritum ardentem, & Oleum flavum ex saccharo Saturni eliciendum, & Aceto in acceptis ferendum.

8 *Ad membra perusta:*) Sic ad ambusta fiat unguentum ex Minio Aceto simpliciter impræ

impraegnato, hincque solutioni nonnihil inspissatae adjiciatur Oleum Raparum, quae calide cocta omnia probè in mortario Saturnino calido misceantur.

TEXT. LUDOVIC.

requirit necessitas. Sit porro *Emplastrum* quoddam, pariter (ad *Recentiorum Albi cocti*, *vel de Minio*, *aut magis Triapharmaci* imitatione,) tantum v. g. 9 è Lithargyrio per Acetum saturato confectum; non solum singulorum modo nominatorum Officinalium diversimodeque *adjectorum vel correctorum*, eorum insuper, quae ab *Imperialibus aliquot civitatibus* pridem aut nuper tunc, (variantibus licet aut suppressis descriptionibus,] nomen per famam aut Dispensatoria nacta sunt, locum secure supplens; verum etiam si paulo ante notati Pulveres minerales, &c. pro renata superaddantur, reliquorum, pinguibus, tractivis, rodentibusve accessoris frustra combinatorum, v. g. *de Minio vulgaris*, *Minii cujusdam cocti*, *tot Saturninorum*, imo ipsius olim *de Piperibus*, *recentioris de Plumbo*, *&c.* promissa sufficienter tunc exolvens: ceu qui adhaerentis (cum Oleo) Liquaminis tantillum, aut [nonnullis solummodo receptae] Aquae spermatis Ranarum hic vanitatem, saturninae solutionis, Vitrioli, Aluminis, aliorumque (inter tot variationes) ingredientium praevalentiam, Gummatum alicubi non sine exasperatione inconsultius adjectorum inconvenientiam, &c. considerat, effectusque talium inter se citra praejudicium confert, nec *Emplastrum de Ranarum spermate* seorsim tantopere requiret. *Liquidum* vero quoddam, ut certis circumstantiis nonnunquam debetur, [dum *Aqua Lithargyrii* nullius momenti, *Liquor aliorum de Cerussa*, *de Tutia &c.* mixturae extemporaneae, sed una quasi superficiariae sunt,] sufficienter quandocunque lubet, invenimus in *Aceto de Lythargyrio*, non tam infusione, quam compendiosa concentranteque *coctione* paratum; siquidem opus, Aquis destillatis Solutionibusve (haud adeo contrariantibus) dilutu vel infractu facile; cosmeticis Magisteriis, Nihilo, Mercurio dulci, Myrrha, &c. imo Oleosis quoque similiter prompte permiscendum; sut quodvis etiam 10 *Lac Virginis*, passim in lixiviosis aluminosisve perversum, aliique hujus generis Liquores satis commode hinc exesse queant; nec *Saturni saccharum* vel pro ejuscemodi Dilutiis seorsim exigatur 1 *E Marcasitis* (si huc referre licuerit) multa

NOTAE.

9 *E litargyrio:*] Si Recipiantur Lithargyrii part. ij. Aceti & Olei ana p. iß. hisce inspergatur Myrrha, aut addatur Camphora, emergit inde Emplastrum Noribergensi simile.

10 *Lac Virginis:*) Lactis Virginis duplex est compositio, quarum una procedit per praecipitationem cum aqua aluminis, hancque describit *ZUUELFER.* in *Animadvers. pag. 299.* Altera verò per simplicem mistionem Saturninorum cum aceto & aquis appropriatis, omnium tamen basis est Saturnus.

1 *E Marcasitis:*) Hae dicuntur Bismuthum utut Bismuthum κατ' ἐξοχὴν Marcasita vocetur. Caeterum internus bismuthi usus nullus est, ex eo, quop sit validum venenum, & in radice sui venereo argenteum minerale, nondum perfectè maturatum, & arsenicali substantia impraegnatum. Usus autem illius externus est hic, quod Jupiter cum bismutho tractatum abeat in stannum Anglico fere simile, non secus atque aliàs in praeparatione antihectici Regulus Iovis additione Reguli antimonii melior fit. Quoad autem Zinckum *conf.* ERCKERS tentamin. una cum *Commentar.* CARDILUCII *pag.* 303. estque hoc in recessu saturninae & mercurialis naturae, indeque facili igne totum in flores abit, sicut adjectione picis in Regulum; non secus atque idem quoque prae cunctis subjectis metallicis in quovis acido facillimae est solutionis, atque soluta per acida facta optimè praecipitat. Interim flores illi Zinckii non sunt arsenicales, & corrosivi, sed dulces, indeque juxta BARBETTE commendationem in *Pr. c. 4. p. 42.* oculorum affectibus, defluxionibus v. gr. ophthalmiis, & lippitudinibus dicati. Aliàs Zinckum sub fusionis igne se Ioveo sociando hoc nitidius facit; imo idem Zinckium à Saturni consortio liberatum separatumque Veneri sociatum tingit hanc in orichalcum, avolante sub fusione ipso cum Saturno, nomine Cadmiae non fusilis veniente. Tandem hoc Zinckum propter sui solubilitatem arbitraremur prodesse ulceribus. sicut CARDILUCIUS suprà allegat. suspicatur, flores ejus interno usu convenire pro absorbendo acide hypochondriorum.

FORMULAE hujus Classis.

Esto v. gr. ex acidis vegetabilium succis Julepus suavis praescribendus in febris siti & aestu.

♃. *aq. fontan.* ℔j.
Succi ceras. nigr. com. AUTHOR ℥iij. vel IV.
Syr. rub. id. q. s.
M. hauriatur pro lubitu.

Vel compositus magis.

♃. *Decoct. rasur. C. C.*
(propter gelatinam) ℔ß. adde
Succ. cydonior. ℥iij.
Syr. papav. alb. ℥j.
rub. id. ℥ß.
Spir. nitri dulcis parum.
Misce pro julepo.

Vel. ♃. *Pomor. citr. in taleolas incis.* Nij adsperge
Sacchar. alb. hinc coquantur in
s. q. *aq. simplic.* colatur ♃. ℔iß. adde.
succ. citri recent ℥j. ad ℥iß.
hinc colatura vel per se, vel cum *pauco*, *Sacchard* ad gratiam saporis edulcoretur.
M. D. S. refriger. corrob.

Porrò sit Pulvis hepaticus refrigerans praescribendus.

♃. *Corall. rubr. pulveris.* ℥ij.
Cremor. Tartar. ʒj.
pulv. rosar. rubr. ℈j.
irrorentur cum *spiritu vitrioli* Tincturâ santali impraegnato.
M. D. S. pulv. hepatic.

qui & nondum irroratus excipi poterit dicto modo *Conserva Rosarum*, ex tempore *vitriolata* pro electuario grato, temperante phlogoses, & bilis acrimoniam obtundente.

Ulterius esto pulvis anti febrilis ante paroxysmum exhibendus hora una atque altera:

♃. *Corall. rubr. prae.* ℈j.
Sal. Absynth. ℈ß.
ol. destill. Caryophill. gtt. iij. vel. IV. M. D.

Vel ad Quartanam.

♃. *Corall. rubr. praep.* ʒß.
Sacchar. Saturni gr. Xij. ad XV.
Laud. opiat. gr. j.
M. D. ante paroxysmum.

Pulvis absorbens anthypochondriacus:

♃. *Pulv. Corall. rubr.*
Perlar ana ʒß.
Sal Absinth. ℈iß.
Sacchari Saturni gr. XV.
M. pro 4. vel. 5. dosibus.

Sic pro bile aeruginosa circa praecordia ebulliente temperanda.

♃. *Magist. Corall. cum succ. citr.* ʒß.
Crysta. praept. ℈j.
Laud. opiat. gr. j.
M. pro 2. dosibus.

Tandem esto Confectio Analeptica loco Alchermes:

♃. *Extr. Rosar. Sacchor.* AUTHOR. ℥iß.
Elaeo sacch. succos. Citri ʒvj.
Perlar. vel
lapid. cancrorum praep. ʒij.
Magister. Corall. cum succo Citri ʒj.

Pulv-

Pulv. Cardamomi ʒiß.
Ambræ gryſ. cum oleo deſtill. Cinamom. Salut. & cum ſ. q. Sacchar. ſubact. ʒij.
Hinc. c. ſ. q. aquæ *Cinamom. ſpirituoſ.* vel *lil. convall. ſpirituoſ.* M. D. S. Confectio

TEXT. LUDOVIC.

quidem , ad internos quoque uſus , inter varia promiſſa proponuntur , *Aqua* , *Liquores per deliquium &*
detonationes , *Flores* , *Eſſentia* , *&c.* Quædam etiam ut *Extractiones* , *Fixationes* , *&c.* in præparationis modo
procedunt : ut alii autem merito hic mage comprobatis fidiſque Antimonialibus acquieſcunt , ita nec nos ſoli-
diores circa talia obſervationes , (in ejuceſmodi ſuſpectorum experimenta alias haud proni ,) afferre poſſumus.
De cætero tamen mereri videtur Minerale hoc , (pro *Stanni* quæſita *induratione* Regulo Antimonii longe in-
terea poſterius ; quemadmodum & ſolubiliſſimum volatileque *Zinckum* , *ejus Flores detonatuſque Pulvis* , ut ulteriori
penitiorique Experientiæ ſubjicerentur ; nec in ſolo fere *Magiſterio Marcaſitæ* coſmetico , licet per ſe & cum Mer-
curio dulci, Saturninis , (ceu nonnullis cum Benzoe quoque) haud rejiculo , atque tunc per *Muriam vel Aquam ſim-
plicem* elegantius , quam cum *Tartari Oleo* , & certius quam cum *Vini Spiritu* præcipitando , hæreremus. Sed de hujus claſ-
ſis affinibus ſatis forſitan nunc dictum eſt.

VULNERARIA, ADSTRINGENTIA Detergentia, reſiduaque Topica.

IN Ultimo vero hoc capite reſidua conjunctim expendemus ; ducto in Vegetabili quidem regno 2 à *Vulnerariis* , communiter ita dictis , initio ; ſitque primum inter ea (*utralibet vel promiſcue*) polychreſta 3 *Plantago* , pro *Extracto ſaccharato* , tartareo quidem ſedimento perquam affluente , fruſtra tamen aliquibus in Hepaticis & cæteris affectibus multorum prætioſiſſimorum loco ſane non commendatum ; *Sirupum* , *inſpiſſatumque ſuccum* ſufficienter exprimens ; mixtu cum Bellidis , (ni potius laborum minus prodigus utramque plantam conjunctim extrahere voluerit,) Vulnerariiſque Eſſentiis perfacile. *Semen* commendatum quidem eſt , cum ſuis *Diaplantaginis* , (ſed oppido interpolandis) *Speciebus* ; vique ſimul leniente *Lapathi* conſimiliaque ſtipticorum *Semina* nonnunquam ſuperat : dum tot tamen æquivalentibus circumſcribitur , & in Dyſenteriis præcipue promiſſis profecto haud adeo ſtetit , quandam ejus neceſſitatem non videmus ; uti nec (ophthalmicarum , aliarumque , potiſſimum externarum formularum cauſa) *Aqua Plantaginis deſtillata.* Sin autem omnino quis , vel in internos uſus voluerit , è *Iulis floridis* longe præſentiorem vulgari , item *Polygoni* , *Prunellæ* , & cæteris aquis ,) majori olim expectatione , quam efficacia, præparatis) inveniet. Nobis porro ſit , at in diffuſiores ſolum apparatus , & pro gregariorum forte Decoctis aut infuſis pectoralibus , (ob liberiorem diſtributionem hic , dummodo ſimpliciora fuerint , interdum haud ineptis ,) 4 *Tuſſilago* , *in foliis aut toto* : cur enim *Radices* inſuper , atque *Flores* , (in *Conſerva* floſculenti ac Pataſitini quid ſapientes ,) ſeorſim ſerventur ? Atque ſic inter ſuprapoſitorum Becchicorum Arteriacorumque , item ſequentium Vulnerariorum competentium , & utrinque præſentiſſimorum Opiatorum Invertentiumque acceſſum exucca *Hiſpidula* , ejuſque (promiſſis ditiſſimo) *Simplici* , & alienæ potius efficaciæ *Compoſito Sirupo* , *Pulmonaria* præterea , ſeu (ſpecioſiori quidem & quaſi Symphytina) *maculoſa* , ſeu (parva *Lichenis* differentia ,) *Arborea quavis* , [dum utriuſque languor , vel è vulgi Decoctis Infuſiſque oppido cum tabidorum planctu manifeſtarius eſt ;) & magis adhuc imbellibus *horum & Hiſpidulæ Aquis* ſecure carebimus. *Extractum Tuſſilaginis Sirupi* & parum inde differentis *Lohoch de Farfara* loco ,) ſaccaratum bolari Tartaro affſentiſſimum , (uti eo adhuc ſaturatius eſt, quod è *Pulmonaria* arborea conſit ,) paret qui volet : nos dum *Aqua deſtill.* alias tanti non eſt , aliis hujus generis Eſſentiis acquieſcere poſſumus.

Accedat potius *Hypericum* , in *Extractum* polychreſtum , pro faciliori diſtributione aliquantum (ceu ſemireſinoſa quoque commoda poſſunt ,) *ſaccharatum*, *Sirupo Tincturaque liquida* , (ardens Spiritus alias permultis hic intentionibus non convenit ,) ſic commodius atque præſtantius , & multo magis *deſtillata Aqua* , fruſtraneoque hac in claſſe *Sale* 5 *Oleo* præterea cedat , *ſimpliciſſimo* ſaltem , (ceu vel Patresfamilias è proportionali ſummitatum maturarum pondere parant ,) ſine fruſtraneis Infuſionum incompetentiumque Specierum multiplicationibus , ac vanis in longe excedentiores affectus deſtinationibus : ſive per ſe , ſive correſpondentibus ſociatum uſurpetur. De cætero *Balſamicarum* (haud adeo unctuoſarum) *Mixturarum* , *Solutionum* , (ceu variæ magnoque numero è Reſinoſis , Sulphure communi & Antimoniali , Marte cum ſpiritu Nitri reſoluto , & cæteris hinc inde præpoſitæ , ſimpliciſſimæ vero ex euporiſtis utplurimum ſunt optimæ ,) item *Extractorum vulnerariorum* , *&c.* decenti applicatione extus plus , quam pinguibus illis *Vulnerariis* , *Mirabilibus* , *Magiſtratibus* , *Hiſpanicis* , *Samaritanis* , *&c. Oleis* , *Balſamis atque unguentis* effici , circumſpectores è Chirurgis alias jampridem obſervarunt.

Alchimillam , *Pyrolam* , *Saniculam Virgas aureas* , *Conſolidam Saracenicam* , *Pervincam* , *Hederæ* , (*Baccis* , *Aqua* , *Oleo* & incerto , ob vanas quaſdam compoſitiones , invecto *Gummi* alias ſuperfluis ,) *Folia* , *Nummulariam* , phthiſicis alicubi commendatam ,) & ejus generis alias in Vulneraria Decocta ſeparatim cumulare , ſimplicium hodie tonſorum eſt. Sufficit uncium aut duo : v. g. (*Pyrola* ubi datur , aut hinc *Sanicula vel Alchimilla* ; aliiſve pro diſtrictus ratione parabilibus. Paratum ex iſtorum uno alterove conjunctim polychreſtum *Extractum* , & ſingulorum loco eſt , & horribilibus inconſiderationibuſque *Potionibus* , *Pulveribus* , magiſque adhuc *Deſtillatis* (*cum Vino acidulave Cereviſia*) *Compoſitis Vulneraris* , *ſimplicibuſque* (*Saniculæ* , *Alchimillæ* , *Virgæ aureæ* , *Pervincæ* , *Geranii* , *Millefolii* , *Perfoliatæ* , *&c.*) *aquis* utique præſtat , parabiliori , accommodatiori , vel domeſtico vehi-

NOTÆ.

2 *A Vulnerariis* :) Vulneraria Vegetabilia in receſſu conſtant ſale quaſi nitroſo , ſed occultè alcalino ; inde enim præter ſaporem ex amaro nitroſum talia fere ſemper ſunt ſimul diuretica , deterſiva , item & reſolutiva ſordium in ulceribus enatarum ; ſicut contra ratione alcali ſui occulti, acidum Vulnerum corrigentis , Ulcerum conſolidativa dicuntur ; ut adeoque vis Vulnerariorum non in Subſtantia volatili neque in fixâ per ignem producta , ſed in mediâ & quaſi ſale eſſentiali plus minus tartareo nitroſo conſiſtere videatur.

3 *Plantago* :) Præter uſum internè temperatum , externe ſuccum ejus expreſſum inſtillandum exhibent , inſigne vulnerarium , Crurum ulceribus admodùm conveniens.

4 *Tuſſilago* :) Præter vim Vulnerariam eſt ſimul incraſſans ; indeque in floribus & foliis ſuis pro infuſis & decoctis pectoralibus ſeligenda , adjungendo eidem Pulmonariam maculoſam , ſymphiti ſpeciem.

5 *Oleo* :) Oleum Hyperici ſimplex præſtat quibuſvis balſamis Vulnerariis ad PARACELSI modum confectum , recipiendo ſc. Oleum ex ſemine Hyperici expreſſum , huic infundendo flores Sulphuris , & intercedente blandiſſima ebullitione conficiendum , redigen

TEXT. LUDOVIC.

culo dilutum. Inter ipsam *Herniarum*, *Auriculam muris* [in cephalæis aliàs haud rejiculam, *& perfoliatam* delectus pro experientiæ Regionisque ratione, per nos erit liber, ut ex his & æquivalentibus permultis unicum, (cum congruis Topicis ac Ligaturis, tanquam hic potioribus,) extet *Lunariam botryoidem*, (quorumdam epilepticum) *Ophyoglossum*, *Vnifolium*, *Bifolium*, &c. ulteriori curiosiorum experimentationi, *Lamium fœtens* & *inodorum* cum *Aqua ejus* Medicastrarum antepilepticis, *Polygonatum* aulicarum consuetis, *Equisetum*, (si signaturæ causa placeat, in quavis domo inveniendum, sterilitatis tamen concitatæ quibusdam accusatum.) ancillarum mundo relinquamus. Qui *Defensiva*, 6 *Catagmatica*, *&c. Topica* sua citra vegetabilium multiplicationes aut variationes parare vel adhibere nequeunt, sibi hinc aut *Persicariam* (*mitem* quoque, extus haud inefficacem) habeant, aut vulgatissimum, (7 hæmorhagiam quidem, sed improba narium vexatione concitans) *Millefolium*. Et si pro 8 *Stomaticorum*, forsan accessorio (dum *Vvularia* rarior, *utrumque Periclimenum*, *consolida bugula*, *Ligustrique uti Aqua inacceptior*, ita *Folia* inusitatiora sunt, *Prunellam* aliàs receptissimam, ampliori apparatui, (quando *Sambucifungos*, de cætero non rejiculos, mulierculæ domi servant,) quis adjecerit diversorum hinc inde positorum repellentium, stringentium, epicerasticorum ac resolventium intuitu, profecto pluribus non indigebit: contractior praxis ne his quidem. Quemadmodum nec 9 ad Coagulata, (in eo, ex animalium quoque ac Marinorum classe, Resolventium, mundificantium, sistentium, invertentium, anodynorumque proventu & effectu, rariori *Alpina plantagine*, vel ipso (aliàs tamen haud inepto) *Cerefolio*, cum decantata anicularum *Aqua*, fluido *Semine*, laboriosiorumque *Sale*: non tot ad *Casum Stipticisque*, (carbonibus etiam infectis, myrrhatis ac mumiatis) *Pulveribus potabilibusve*, (liquidis sæpe) Medicastrarum *Vnguentis Rubris, Viridibus*, & è solano *Aureis*: quasi competentis Extracti, Oculorum cancri, &c. dosis in jusculo probè butyrato, vel alternatim Olivum rusticorum sumi nequeat. Nec exiget hinc insuper, adversus Hœmorrhagias aut pro Vulnerariorum complemento, *utramque* (hortis decentiorem,) cum *Fructu Oleoque suo* 10 *Balsaminam, Amaranthum cujusvis etiam speciei* vel *Pastoris* pro periapto, (dum è Cichorio, Nigella, Carduobenedicto, Fraxino, &c. talia præsentioraque justo maturitatis tempore leguntur,) *Bursam*, aut *spicatam*, (in decocto Extractoque viscosam) *Lysimachiam*, Rhopopolarum diversi coloris *Gnaphalia*, vel *Geranii* (tonsoribus in illud propendentibus nullibi non legendi) *genera*, aut ipsum (forsan horum omnium potissimum) *Polygonum*, mulierculatumve panaceam *Quinquefolii cum Radice Herbam*; aliàs languidiori *ejus & Pilosellæ Aquis*; & si quid amplius, saltem ex eo capite quod prosit aut profuerit, in hanc reliquasque classes tractum est.

1 *Stiptica* tot nobis inter vernacula hinc inde proveniunt, ut profecto inconsideratius hodie agat, qui excepto forsan, (coloris, Extractione aliàs difficiliori, temerè non obscurandi causa,) *vero* selectiorique 2 *Draconis sanguine*, è longinquo insuper requisiverit seu incertum *Lycium*, raramve *Hypocistidem*, seu mangonisatam *Acaciam veram* rejiculosve *Granatorum cortices*, carioraque præter rem cum *Cytinis Balaustia*, coriariorum alibi cum *Succo Sumach*, & per substituta jam olim dimissum dubiumque *Behen utrumque*, *Myrti folia*, *Baccas*, & vel ex Italia *Sirupum simplicem*, Decrepitarum sandaliis 3 (citra *incinerationem*) aptius *Suber*, *vel coctura tostioneve* enectum *Rhabarbarum*. Infectorum, (nec tamen *Turcicæ* saltem) 4 *Gallæ* extus possunt aliquid: sed idem in vulgaribus ramorum *Quernorum*

NOTÆ.

digendumque in balsamum sulphuris nobilissimum.

6 *Catagmatica:*) Scil. fracturis ossium subvenientia remedia optimè fiunt juxta *VVULZII* methodum ex extracto quodam vulnerario cum resina misto.

7 *Hæmorrhagiam:*) Notatur hic LIPSIUS, jubens pueris variolantibus in principio harum hæmorrhagiam esse concitandam mediante millefolio vel radice crocodilii.

8 *Stomaticorum repellentium:*) Scil. pro prunella febrili conducit herba prunellæ in decocto, loco Gargarismatis usurpando, vel & Sempervivi majoris succus cum sale ammoniaco mistus, itemque nitri & salis ammoniaci ana. in crucibulo fusa, & in aqua soluta.

9 *Ad Coagulata:*) Pro sanguine coagulato ex casu aut plagis collecto dissolvendo sufficere potest vel Extractum vulnerarium ex Hyperico aut plantagine: Vel & oculi cancrorum cum aceto assumpti superaddendo diaphoretica, utut nec chærefolium propter vulnerariam vim in decocto usurpatam pro hoc scopo sit contemnendum.

10 *Balsaminam:*) Seu Momordicam - Hujus poma Coccinea spinosa maturata nobilissima sunt pro oleo parando per infusionem cum ol. communi, vel nucum ol. in ambustis mammarumque ulceribus mirabili, & pro lubitu sociando oleo hyperici, utut hoc per se & illi æquipolleat.

1 *Styptica vernacula:*) Sunt Gallæ, Tormentilla, terræ medicatæ, ærugo, Caput mortuum Vitrioli.

2 *Draconis sanguine:*) Huic contra AUTHOREM minus fidere possumus, idque ideo, quod is sanguie hircino utplurimum adulteratus sit.

3 *Citra incinerationem:*) Intelligitur hic *BORELLI & FORESTI* inventum, super incineratum contra Dysenteriam, & nimium fluorem hæmorrhoidum commendantium.

4 *Gallæ:*) Internè & externè potens dant stypticum alcalinum remedium, & excellunt, utut alias tota quercus, folia glandes, & cupulæ eundem effectum promittant. Cæterum usurpantur illa vel in substantia, vel decocto pro decocto nigro Chirurgorum, cujus specimen habet *MYNSICHT pag.* 193. procedentis ex vitriolo, alumine, & gallis, quæ illa præcipitent in atramenti formam, atque illud decoctum egregium existit in ulceribus putridis Gangrænam minantibus, itemque in inflammationibus contusiones sequentibus, ubi Gallæ additis Myrrha & Olibano sunt convenientes.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

tuberculis, *capulisque glandium*, vel si in specie ad *Decoctum nigrum*, (bonum, certè, si debita modificatione paretur, remedium,) aliave stringentia Topica præcisè quis exigat, eædem tunc apud institores inveniuntur. *Glandium*, (alterius ferè classis, primive seculi,) *Lentiumque Farina & siccata*, *Quercus Locustæ*, hic planè sunt supervacaneæ. Quemadmodum & *Castanearum*, *Juglandiumque*, (in *Conditura* contra suppressionem mensium frustra commendatarum,) item *Avellanarum* (Cephalicis & Alexipharmacis utrinque, nescimus qui, insertarum) *Putamina & Membranulæ*; Mensisque secundis sub debita maturatione aptiores *Mespili*, *Corni*, 5 *Sorbique fructus*, alicubi *conditi*, alicubi in *Rob* (mulierculis potius) *decocti*; tandem etiam penitus *siccati*. 6 *Muscus* undiquaque, si opus velli potest; & è *Quercu* quoque, vulgarique *Acacia*,) cujus *Aquam* quidem supra laudavimus, *Conditura* vero, communisque *Pulpa* vel *Immaturorum fructuum Extracti*, Acaciæ veræ substituti, necessitatem non videmus,) cuivis *Usnea*, (usque ad superstitionem etiam, vel è patibuli *calvariis* collectæ,) in Physicis remediis, (verbi gratia Pessis, Turundis, Unguentis, &c.] æquivalens, sane non inferior habetur: & si quid amplius subitanei casus, tonsorum variationes experimentaque vulgi hic accumularunt. Nam quod reliquorum quidem 7 Dysentericas in specie destinationes attinet, qui sub contractiori praxi hactenus nobiscum observavit, vulgaris (per Laxantia & Clysterisationes ad Styptica interna & externa decurrentis) Methodi (præsertim in epidemio malo, vanitatem; Dulcoratorum majores (è nova quasi fermentatione) turbas, Stipticorum vegetabilium & animalium frustrationes, aut subsequas, (si fluxum interdum aliquantum sufflaminent) anxietates, Martialium, & vel è Terra Sigillata paratarum Tincturarum insufficientiam, Acidorum spirituum non tam noxas quàm nullitates, Emplastrorum similiumque Topicorum, actu haud calidiorum penetrantiorumve ineptias, Enematum, (nisi nonnunquam Demulcentium,) insufficientiam, Laxativorum purgantiumque damna, & quod prætensa Intestinorum Exulceratio dubio procul non tam causa quàm productum morbi sit: quodque ex adverso totus hic fluor longè felicius per Alexipharmaca, (si major fuerit malignitas,) spirituosa calidioraque resolventia, (sin vero remissa,) per temperata simul invertentia seu absorbentia, succenturiatis postmodum vulgatis præcipitantibus utrobique vero polychrestis Opiaticis in mediocri dosi adjunctis curetur; is circa hanc classem tunc haud adeo erit laboriosus: & si aliorum potius affectuum intentionumque causa 8 Tormentillam, (in vehementiori Dysenteria pariter insidam, præ reliquis tamen accensis potiorem,) aut pro regionis ratione, ejus loco *Bistortam*, cum *alterutrius Extracto*, (non, aut si lubet, saccharato;) item in paulo diffusiores apparatus, *Simphyti* insuper *Radicem*, & inde (cum è separata hinc inspissataque *Mucilagine* ægrius procedat,) paratum cum vini spiritu *Extractum* aliquantum Saccharatum habebit, considerateque suo loco atque tempore, (interpositis pro affectuum ratione, alibi quidem Corroborantium fructuum, Rosarum, Bellidis, Plantaginis, Hyperici, & cæteris Essentiis, alibi Corallinis, Cancrinis, Conchinis, alibi Martialibus, aluminosis, Vitriolicisve competentibus; præcipuè vero Opiatis,) adhibebit; profecto nec inexpuncta hactenus recidet, nec hujus census vulgatiora residua, verbi gratia, *Sirupum* semiexoticum *Myrtinum compositum*, *de Symphyto*, *totque Recentiorum Stipticos ac Antidysentericos quoslibet*, *vel Conditas Radices*, *aut Coservam florum Symphyti*, *Tormentillæ*, *Locustarumque Quercus* exiget: uti nec inconsideratius olim ut plurimum conglomerata, vel supervacuè saltem (inter extemporaneas

NOTÆ.

5 *Sorbique:*) Hujus tam aucupariæ, quàm in specie torminalis fructus perquam stypticus dat nondum maturatus per coctionem Rob, præstans in fluoribus intestinorum & appetitu dejecto.

6 *Muscus:*) quilibet siccatus est stypticæ naturæ, indeque AUTHOR N. omnes pro eadem efficacia venditat, ubi tamen Usnea ex hominis cranio violenter necati petita prærogativam præ aliis ex eo habet, quod rore microcosmi, h. e. succo nutritio, & hinc mumia spirituosa latente per mortem imprægnata sit.

7 *Dysentericas:*) Scil. proponit hic AUCTOR legitimam curandi Dysenteriam methodum ubi vulgaris est, ut 1. laxantia per os, & sub clymatum forma abstergentia præscribantur: ast sicut hic modus in Dysenteria benigna ex Diætæ vitio contracta aliquo modo succedit, ita in Epidemicâ, & in qua fermentativum miasma utramque facit paginam, vanus est, nec in hac laxantia nec adstringentia proficua sunt; quin potius fermentum illud malignum, vel specificis corrigendum, vel sudoriferis alexipharmacis sociatis eliminandum; Etenim adstringentia, qua talia, in hac Epidemica nil valent, nec opus est iis, cùm adhuc urgeat irritatio, potius removenda est hæc spina; contra si stringatur alvus, anxietates præcordiorum & jectigationes superveniunt. Porrò externè applicanda in Epidemico hoc malo sunt calida, secus enim plus nocent; sic & sint eadem penetrantia, non verò styptica, aliàs enim saltem quoad cutim operantur, indeque acetum & qualibet ex hoc applicata propter sui penetrantiam juvant. Interim si in hac Dysenteria tenuina intestina affligantur, Enemata nil valent; contra in qua crassa, quod rarius est, sunt intestina affecta, cum hæc jam dum irritentur, cur eadem ulterius stimulemus? præsertim cùm videmus, & clysmata demulcentia ex lacte cum terebinthina parata dictum factum post sui applicationem ejici, adeoque nullum usum habere. Atque cùm exulceratio intestinorum in hac Epidemica non sit causa efficiens, sed saltem productum, adeoque & opiata doloris intuitu à posteriori saltem juvare videantur; propterea principium curæ fiat à sudorifero Alexipharmaco, quale dat Theriaca, Diascordium Fracastorii, Bezoardium minerale, terra sigillata, Acetum & Extractum Tormentillæ ceu pariter sudorifera. Vel recipiantur hepata viperarum cum cervinis, cinnabarinis, sociando iisdem semper in principio opiata, ita quidem ut spatio 24. horarum 3. 4. 6. gr. Laudani Opiati assumant; nam Dysenteri hoc dato, quod mirandum, nihilominus agrypni sunt. Porrò si major adfuerit malignitas, proderunt calidiora spirituosa, ut: Spiritus theriacalis Camphoratus, Essentia & extractum Croci, Aqua Cinamomi, ol. destillatum Cinamomi, sicut in minori malignitate martialia, Corallia, terrea, animalia usta, &c. unà cum opiatis, expectando desuper sudorem.

8 *Tormentillam:*) Hæc inter adstringentia aliàs primatum ducit, simul diaphoretica & Alexipharmaca existens, præsertim illius extractum duplici modo parandum; vel enim radix tormentillæ infusa coquitur in s. q. aquæ simplicis hinc decoctum inspissatur in Rob. hoc cum spiritu Vini extractum, denuo inspissatur in pulverisabile corpus, quod opiatis bezoardicis, terris sigillatis & Theriacalibus mistum non contemnendum dat remedium.

TEXT. LUDOVIC.

mixturas) hactenus superaddita *Electuaria Dysenterica* , *Stiptica* , *Diacodia* , *Dysenterica* , *contra sanguinis sputum* , *&c.* (emeritam *Micletam* , (fortuitumve olim , nunc primum tonsorum solamen) *Rob Dianucum* , dum totaque parabilia extant Stomatica. Quod autem è recensitis acceptioribus Essentiis & extractis similiter potiones quædam atque Haustus adstrictorii , item si tantopere placeant , etiam Boli , confortantia (siquidem alicubi expetant , aut ejuscemodi fermentantia commodè ferant ,) *Moreta* ceu vocant , (*sine Moris* quoque ,) & aliæ gratiores adhuc Formulæ fingi vel exprimi queant , tincturis tamen adstringentibus opiatisque , tam gratiæ quàm effectus respectu plerunque cedant , versatiores hic norunt : Nec *Tormentillæ* porrò , *Consolidarum* , *Bistortæ* , *Foliorum myrtilli* , *Quercus* , &c, ineptiusque *compositis* , adeo tamen commendatis *Dysentericis* ac *consimilibus* , (levem solum alterationem interdum patientibus) Aquis temerè nunc confidunt. Et; quis non videt *Trochiscos de spodio* , *de Terra Sigillata* , 9 *de carabe* , *Ramich* , *Diacoralli* , Myrobalanatas *de Bdellio Pilulas* , *&c.* frustra compingi : quemadmodum (quantum quidem ad oculos , 10 *Sief de thure* , *de rosis* , *&c.* extemporaneis mixturis atque liquoribus simplicissimis ophthalmicis passim superantur. Ita præ tot *Antidysentericis* , *Stipticis* , *Stegnoticis* , *contra aborium* , congeneribusque , (è nullis non simplicibus , etiam vices tractu temporis alternantibus confectis) *Pulveribus* , revera solitarium quoddam Præparatum , verbi gratia Corallia , Conchæ , Crocus Martis adstr. &c. (nam Vegetabilium moles atque sapor hic utplurimum est adversior,) Opiatorum parte exaltatum ; aut si *Stiptici pulveris* formulam , (at simplicissimam , & usus potius tempore variè alterandam ,) suo tempore in quotidianas dispensationes omnino asservare placeat , *unica* tunc sufficit. 1 *Externos* vero antiquorum *Adstringentes pulveres* , (inter alios compescendi modos,) vel solum *Lupi crepitum* , uti vocant , ritè prius constrictum atque pressum , vel inspersas alibi Gallas , Glandiumve capulas , aut Tormentillam , Colcothar , &c. præcellere, *Cataplasmata contra cruorem*, *Durrhande* , &c. (licet *Emplastrum ad fracturas* fere sit usitatius, sæpeque convenientius,) domi quoque per aliquam suprapositorum adjectionem fingi posse : *Myrtinum* denique *Myrtillorum* , *&* (disperditorum sic) *Cydoniorum* similiaque , (Stiptici profecto parum sub quavis etiam ratione vehentia , vel perlitis communicantia) 2 *Olea* corpulentiori adstringenti , imo sæpe tantum anodyno & resolventi Topico superari , alibi pro forma saltem & secundum consuetudinem magis, quam notabiliorem efficaciam (quo comitissæ quoque quodlibet , extemporanea sanè competentis simplicis frixatione imitandum unguentum pertinet ,) imo quædam , non sine noxa illini, quotidiana (talium effectum penitius attendentibus, & aliis euporistis conferentibus, (experientia monstrat.

3 *Unguentum de succis* , *Aureus* (*vulgare* , nam *Aurei vulnerarii rec.* commodior , aliis tamen polychrestis nihilominus supplenda est compositio,) *Fuscum* , (ut residuam topicorum è dispensatoriis conflugem hic appendamus,) quæ hodie inter pollentiora balsamica euporista requirit necessitas? aut quotus è paulo versatioribus Chirurgis 4 *Emplastrum basilicum majus* parumque à vulgi *Citrino* , vix à *Tetrapharmaco* differens *Minus*; dum hæc & congenera , cuivis ferè tonsori specialia Magmate, magnam partem tantum instar operculi , (naturæ subtus operationem velantis,] agunt, si quis reliquas circumstantias è recentioribus saturnium aliquod,(supradicta ratione aceto in succatum & fossilibus exciccantibus pro more sociatum;) item *Diachalciteos* quasi quoddam , sed admodum interpolatum , *Stipticum* denique , citra vanam tot adstringentium & exotericorum coacervationem,simplicissimè, v.g. è solo quodam extracto stiptico vel sanguine draconis , terra vitrioli edulcata, vel ubi suppetit, extremæ destillationis colcothare, &c. (cum aut sine gummis) confectum habuerit, & indefinitorum ferè, at in conside-

NOTÆ.

9 *De Carabe* :) Horum compositio ex omnibus veterum est optima ; inneque & iidem à ʒß. ad ʒj. cum pulvere hepatum viperarum combinati egregii sunt in casu Dysenteriæ ; interim si recipiamus quoque eorum ingredientia, qualia sunt Terra sigillata , gummi Arabicum succus Acaciæ , corallia CC. ustum , Tragacantha & hisce sociemus opium , tunc eundem effectum, quem aliàs à Trochiscis illis , similiter expectabimus.

10 *Sief* :) H. e. pulveres subtiles ophthalmici ex tempore fieri possunt ex tutia , saccharo , & osse sæpiæ.

1 *Externos adstringentes pulveres* :) inter hos excellit colcothar , quippe quod ad ipsas arterias incisas egregium est , recipiendo terram vitrioli dulcem & terram sigillatam , hæcque albumine ovi excepta , applicando vulneri arteriæ cum forti compressione. Sic etiam contra hæmorrhagiam narium egregius est pulvis ex alumine crudo pulverisato , & cum nonnihil laccæ Pictorum tincto , cum turunda ovi albumini intincta applicandus.

2 *Olea* :) Pro scopo adstringendi & roborandi quidam parant : Interim qui considerat olea quælibet , quatenus sunt pinguia , semper emollire, impossibiliter ea adstringent , quin potius magis resolvent. Atque par ratio est cum unguento Comitissæ.

3 *Unguentum* :) Loco unguentorum omnium ad vulnera recentia sufficere possunt balsamica quædam , verbi gratia , Balsamus hyperici supra memoratus , qui cum therebinthina & cera facile in unguentum redigi potest ; vel fieri potest balsamum vulnerarium catholicum hoc modo :

℞. *Ol. Hyperici* ℔ß.
Sulphuris ℥j.

Hæc sub blanda ebullitione redigantur in balsamum.

Sulphuris, hinc additis.
Ceræ novæ ℥iij.
Terebinth. ℥ij.
Olibani.
Myrrhæ.
*Terr.vitriol.dulc.*ana ʒiij.

misceantur probè , & usurpentur pro balsamo vulnerario facile in consistentiam Emplastri redigendo , imminutione scil. olei , & auctione Ceræ , & reliquorum ingredientium succorum.

4 *Emplastrum* :) In his luxuriant vulgò Auctores , cum tamen pro scopo vulnerario omnia basin agnoscant concretum saturninum , unde hoc ex tempore haberi potest , eidemque associari poterunt balsamica , verbi gratia Myrrha , Aloë , item martialia , ut Crocus martis præcipitatus , vel terra vitrioli dulcis , quæ omnia excepta cera vel melle dabunt emplastrum egregium tam pro vulneribus quàm ulcerib. Vel Recent ol. *Olivar* & *Lythargyr.* ana. ℔j. Coque invicem ad debitam consistentiam , spissam scilic. & donec nonnihil obscurum colorem contrahant , hinc successivè interea aspergantur *Aloës Succotr.* & *Myrrh. elect.* ana ℥ij. deinde liquefactis omnibus add. *Sev. hircin. Ceræ flav.* ana ℥iij. agitata postmodum ab igne remove, & adjice tandem *Camphor.* in ol. hyperic. solut. ℥ß. Mista compingantur in emplastrum in vesica oleo illita asservandum , & ubi discussione & emollitione opus est , usurpandum.

TEXT. LUDOVIC.

ratiorum, hyperbolicorum, præter rem operosiorum *Nigrorum*, *Stipticorum*, *vulneratiorum*, (tam universalium, quàm ob appropriatorum qualemcunque accessum, particularium, *Pectori, Hepati, Renibus herniisque* specialissimè dicatorum vice, cum judicio tamen, suo quodque loco atque tempore adhibuerit, naturæ rem sub ejusmodi tegmine circumspectè committendo: profecto non solum enumeratis hactenus, sed tot insuper usquedum superadditis, sæpenumero negotiosioribus, imo quantum huc spectat ipso famosissimo *Opodeltoch*, (cujusvis etiam editionis, dum aliàs emplast. Stictico congenerive alicui, gummi quoddam balsamicum, resolvens aut consolidans nullo quasi negotio associatur,) facile caruerit; idem quod alii inter tot variationes, & subsequas frustrationes vel naturæ perturbationes quærunt, æquè feliciter assecutus. Et quoties his ipsis, aut parabilioribus adhuc *Involucris*, *stuppis albumine alumineque infectis, &c.* (uti sub inflammatoria dispositione 5 *Defensivo* tonsorum *viridi*, correctionis tamen opido indigo, recentioribusque hunc in finem substitutis) fracturas nihilo sinisteriori successu tractavimus? Accedat tamen hic 6 *Catagmaticum aliquod*, non tam hodieque nihil non, secundum antiquiorum Chirurgorum, etiam Chimici quid sibi nonnunquam sapientium) imitationem congerens, quàm paucis aliquot, reverà necessariis constans, nec per frustranea accessoria nova nonnunquam symptomata, (ceu inconsideratioribus Oxycroceum sæpenumero solet,) concitans, Fallimur? aut (uti non fallimur,) allegatorum efficacia etiam 7 ad *Hernias*, sine sectione curabiles, dum subligaculorum conformitas primum, secundum ac tertium est in hac scena,) extenditur. Internorum quoddam suprapositimus; & tot aliàs suppeditant vulgi experimenta. Extus plerique *Litus atque unguenta ad hernias* tantum pro forma, sæpè Indicationibus potius inconvenientiora sunt, ut paucis parabilioribus hoc in genere contenti. Castratoribus *Magmata sua*, Officinis verò tot editionum *Cataplasmata ad hernias emplastraque de Arietina pelle*, aliaque gestatu plerumque difficillima topica merito reliquerimus: Ceu *Sparadrappum* similiter facillimè, ac præ vulgari compendiosius invenit, qui ejuscemodi tectoriis, ruinosæ profecto constitutioni subditis, tantopere confidit. *Stiptica emplastra* cordacior praxis alias negligit. Et hæmorrhoides dolentes vel solo oleo Hyoscyami, Septem florum, unguento anodyno, &c. è Verbasco Hyoscyamoque constantibus satis demulcentur; ut rariores in requisitiones *Linimenta* seorsim reponere, inter extemporaneas insuper talium imitationes, fortè sit supervacuum.

Quantum vero ad *Detergentia* residua, profecto *Beta alba*, (si tamen in specie expetatur, passim habenda,) tinctorumque *Rubra*, cum *Spinachia* & congeneribus, mensis est aptior: *Lupinus quivis*, (quamlibet etiam intentionem spectemus,) & *Acanthus vera* Hortis: *Branca ursina* iis, qui *Bartsch* suum alicubi hinc coquunt: nam injectionibus hæc, quemadmodum & rarior interdum *Mercurialis* cum *parietaria*, frustra (inter eum abstergentium stimulantiumque proventum, simplicissimarumque compositionum sufficientiam,) reponitur; aut *Mercurialis* insupra jam notatos *Sirupos aut mel* recoquitur. Nec aliqua *ejus & parietariæ aqua* reperitur necessitas; quemadmodum nec inusitatioris aliàs *Ptarmica*, pediculosorum *Staphisagria ac Paracoculi*, ipsiusve (cur Cephalico Sirupi M. adjecti? Dentibus sanè haud adeo amici) *Pyrethri*. Cum Polychresta è crudo tartaro, sale vitrioli, saccharo, ammoniaco, mastiche, & (ubi suppetit, ad drachmam semis in libra semis aquæ decoquendo, sat tamen nares vexante) Euphorbio, Peto, Jalapio pulverato, spiritu lignorum acidulo, &c. variè petita, aliave substituta euporista Apophlegmatizantia & Ptarmica requisitis nostris abundè satisfaciant; sive *Pulveris* cujusdam simplicissimi, loco profusissimorum & interdum nimis commoventium *vulgarium*, sive *Noduli*, *Collutionum*, *Masticatoriorum*, *Fumive forma*, (*Nasalibus* ferè nunc exoletis, aut certas in circumstantias facile tunc effingendis,) adhibeantur.

Inter ea, 8 quæ vermibus opponuntur, 9 *Santonico* recenti, nec *Macerationibus* exhausto primas dare cogimur; siquidem *ipso tanaceto* alisque huc tractis, (licet parabilioribus) vegetabilibus, ipsaque (toties commendata) *Corallina*, (largiter quoque citra salsuginis adhærentis elutriationem exhibita,) revera præstare deprehenditur: dummodo seu per se, vulgari more, seu paucis (mole saporeque haud adeo adversis) mortificantibus stimulantibusve permixtum, tenerioribus etiam, (quos Martis hinc

NOTÆ.

5 *Defensivo:*) Sic enim defensivè excellit alumen in albumine ovi absolutum, v. gr. Rec. album. Ov. No. j. ij. iij. hoc in scutella detentum agitetur cum frusto integri aluminis tamdiu, donec invicem abeat in consistentiam albam instar flocculorum, quibus stuppa cannabina, vel linteum intinctum & applicatum esse poterit loco omnium defensivorum ad arcendas inflammationes in casu luxationis; it. epithema in erypelaceis dispositionibus & ophthalmicis egregium est.

6 *Catagmaticum:*) Seu ad fracturas ossium emplastrum, optimum est illud *FELICIS VVURZII*, quod & instar omnium esse poterit; equidem vulgò & pro scopo hoc oxycroceum adhibetur, sed tamen illud per observationem *HILDANI* non usque tutum est.

7 *Ad hernias:*) Pro hisce curandis omnis labor est frustraneus, nisi vulnus debitis subligaculis firmetur, & unà cum his unguenta & emplastra adhibeantur, indeque egregium est externè ol. hyperici jam allegatum, quod cum floribus sulphuris in balsamum redactum pro litu adhiberi quoque potest, postmodum desuper imponendo emplastrum Saturninum aliquod, cui sociatum sit vel gummi galbanum vel caranna, & hisce tandem applicetur subligaculum; Contra internè præter plantaginem vel herniariam, vel pyrolam, vel alchymillam in decocto vel extracto usurpare possumus.

8 *Quæ vermibus opponuntur:*) Remedia eaque generosiora prodeunt ex marte & venere: Hujus nempe flos viridis dictus, quem habet *ZVVELFER in Mantiss. Spag.* cujusque effectum tradit *TIMÆVS in Casibus*: Interum tamen suspecta est ipsa venus cruda propter nauseam & vomitus læsionem stomachi, & contra tutiora sunt martialia, ac inter hæc limatura martis cruda præparata; quâ ipsa tamen melior adhuc crocus martis ex vitriolo martis soluto, ol. tartari per deliquium præcipitatus, qui edulcoratus & exsiccatus infantibus tutò datur. Ubi tamen pro his commendanda, ceu tutissima, sunt mercurialia, sive in forma sicca, sive in humida propinentur; in sicca quidem, dum recipiatur mercurius vivus, hicque cum s.q. sacchari tritus redigatur in formam pulveris dos. ℈ß. ad ℈j. usurpandi. Vel & mercurius dulcis præscribi potest, non quidem in forma pulveris, cum sic ori noceat, sed cum s. q. conserva rosarum redactus in consistentiam boli, aut pilularum majorum. In liquida vero prostat aqua hermetica *HORATII AVGENII* vel *HELMONTII*, dum nempe recipitur aquæ communis vel hyperici ℔j. huicque inditur mercurii vivi ʒß. vel ʒj. agitando probè, vel blando igne aliquamdiu ebulliendo, hinc aquam claram decantando, relicto in fundo mercurio, qui abjicitur, ipsa vero aqua cochleatim propinatur infantibus non sine efficacia pro ejiciendis vermibus. Sic externè pro eodem scopo optimè convenit Aloe hepatica cum s. q. fellis tauri recentis subacta, & frusto vesicæ palmam manus æquanti illita, sicque calidè regioni umbilicali applicata, id subinde repetendo.

9 *Santonico:*) VETERUM Santonicum ex absynthiorum genere nô obtinemus pro nunc, sed est nobis semen tanaceti loco ejus pro usu. *Conf. FEHR. de absinth. p.16. & BAUHINVS Tom. 3. Theatr Botan. p.38.*

TEXT. LUDOVIC.

limatura præp. vel Mercurialibus ingratiis sæpe sollicitare cogimur,) ingeri queat. Qui proin præ ejusmodi acciso pulvere *Confectionem* adsumptu faciliorem putat, contractiorem per nos fingere poterit. Sed ejuscemodi masticatoria similiter hic ægrius deglutiuntur; magisque adhuc usitatæ *adversus Lumbricos, Diacina & Diamercurii M.* (ni ingredientia quadantenus permutentur,) *Species*; item *simplex cina, communesque* (tot supervacaneis, imbellibus, præter rem æquè ingraris refertæ, & molem hinc cum adversitate frustra intendentes) *Confectiones. Simplex* (nec Mercurisatæ) *Tanaceti, Filicis, Graminis*, item *composita quorundam, super argentum vivum quoque destillata aqua*, curiosius *Corallina magisterium* & consimilia in libellis tantum commendata, aliàs frustra propinantur: ceu nihilo præsentiori effectu *Vnguenta*, (tam *Officialia*, alibique *superaddita*, quam insuper *extemporanea*,) atque alia hujus intentionis *Topica*, (si certum 10 vermium umbilicalium, è reside forsan sanguine, delatisve ad vasa, debitè nodum occlusa, superfluitatibus nascentium genus, & qui 1 in aut sub poris oriuntur, excipimus,) aplicari videntur.

2. *Scrophulariam* in externos usus (licet de cætero, si gregarium non adversantem inveniat, multa exotica operosaque remedia vincat intus,) Chirurgi sibi colligant; Aulæ in quæsitos ex *Aqua infusoque* nitores, *Polygonatum*; donec ulterioribus experimentis promissa exolvat: 3 *Sideritidem* cum *Filagine* (aliàs nulli non domui hic locorum familiarem,) mulierculæ, detergentem cum mucilagine tamen, (per acidum, è poris elicitum coagulabili,) Herbam in lotionibus suis superstitione deturpantes: 4 *Lapathi* demum *acuti atque aquatici folia & radices* ii, qui dum *Aqua* eorum tanti non est,) scabiosis hepaticisque Balnea, Epithemata, & unguenta hinc condunt. Comptior praxis & eo, & reliquis 5 *contra scabiem de Rhamno*, aliisque nitratis etiam, salitis, alcalisatis, &c. Officinarum olentibus sæpe magisve irritantibus *Linimentis* dimissis, vel sola dissolutæ Tabacinæ Essentiæ; Mercurialiumve infusorum lotione, aut compendiosiori extemporaneoque litu, secundum *recentiorem quandam*, (at pariter interdum præcidendam) formulam, è Saturninis, Mercurio dulci, &c. parato, sufficienter tandem acquiescere potest. Atque hæc de toto nunc vegetabilium acervo.

Ex animali deinceps Regno merito referuntur huc Oculi Cancri, Cornu Cervi, Sanguis Hirci, Mandibulæ Lucii, &c. item Mel solitarium aut detergentibus aliis axaltatum. *Turtures* autem, *Leporesque* (*cum pelle*) *siccati, pulverisati* cum assatarum *Avicularum pedibus officulisque* dati aliterve adhibiti, tot supra jam considerati, infidi supervacaneique *Cruores Talparum* extus inspersus, & ad speciale quoque *Emplastrum tractus cinis, cuticula ex anserinis pedibus*, (squammeæ, quisquiliis aptiores, quoties sanè frustra datæ?) inter tot sistentia & invertentia, non tam confirmatorum Medicorum aut Chirurgorum, quàm medicastrarum & eorum sunt, qui in accidentario sæpe experimento quodam fluctuant, vel (laudabiliori quidem consilio) aliorum traditiones quasi aliud agendo nobiscum experiuntur. Tonsoresque demum in persuasiones mixturasque suas exoptent 6 *Os sepia*: dum revera 7 vulgares Strumæ solis quoque *Spongiis* domi præparatis, aut si gregarii deglutire queant, polychrestæ de cætero Scrophulariæ, vernaculo alicubi vincetoxico. &c. cedunt; citra tot compositorum *adversus strumas pulverum variatio-*

TEXT. LVDOVIC.

10 *Vermium umbilicalium:*) Vermis umbilicalis mentionem facit *SENNERTUS lib. 3. prax.* & AUTHOR N. originem ejus duplicem agnoscit. Cæterum pro eo latente explorando applicetur fundulus vivus, quippe hujus applicatione ille inescatus allicitur, ut pisciculum depascatur, quo apparente certi sumus de ejus præsentia; hinc applicemus dimidium corticem juglandis repletum melle, vitro veneto & pulvere Sabin: Sic namque ab hujus misturæ comestione vermis enecatur, ut extrahi queat.

1 *In aut sub poris:*) Cutis diletescente Crinones optimè inescantur illitu mellis, hinc vel Volsella vel Novacula, vel crusta panis acuti abradendi, utut & suaserimus post affrictum mellis lavandas esse infantum scapulas & dorsi regionem aqua hermetica *AUGENII*.

2 *Scrophulariam:*) Hæc vulgò commendatur internè & externè usurpata contra hæmorrhoidum tumores, & certum est, quod radix ejus appensa, foliaque internè commesta egregia sint pro hoc scopo. Unde cum nuper haberemus femellam, secunda vice gravidam, & pessimo cum cruciatu hisce tumentibus hæmorrhoidibus afflictam, ita ut alvum intra annum sine dolore non dejicere potuisset, suasimus eidem, radicem scrophulariæ alligaret coxæ, folia vero ejus cum butyraceo pane omni mane comederet, aliamque radicem ejusdem nodulo inclusam potui infunderet, & felix inde effectus relictus est. Præterea eandem radicem scrophulariæ Chirurgi cataplasmatibus suis pro duris & scirrhosis tumoribus partium, præsertim glandulosarum, emolliendis, non sine successu admiscent.

3 *Sideritidem cum filagine:*) Scil. hisce duabus plantis nunc solitariè, nunc vero cum hyperico & Tanaceto mulieres utuntur pro balneo infantum, si sunt incantati, *mann Siebeschrnen sind*, fricantes eosdem una cum herbis; & cum hæ mucilaginem fundant, ab acido cutis per frictionem transpirantis coagulabilem, hinc comparent quasi copiosæ sordes extrinsecus, in quibus latere existimant fascinum illud, indeque nati æstus vagi, cum tamen per balneum istud aperiantur potius pori cutis, acidumque latens sub hac transpiratione coagulando dehinc mucilaginem herbarum in visibilem substantiam abeat. *conf. HOEFERI Hercul. Med. p. 207.*

4 *Lapathi acuti:*) Hoc, Oxylapathum majus aliàs dictum, egregium est pro scabiosis & serpigine laborantibus, teste *PAULI in Botan. Quadr.* Imò nosmet ipsi novimus hujus radicis cum aceto subactæ insignem effectum pro litu scabiosi insignis.

5 *Contra scabiem:*) In forma liquida prodest hoc: Rec. Aq. calcis ℔iß. infund. sulphur. pulverisat ℥ij. ebulliant invicem aliquandiu, hinc aqua hac eluantur membra scabiosa, & evanescet scabies. Quod si scabies illa fuerit malignior, & magis ferina, tunc loco sulphuris addatur aquæ illi calcis mercurii dulcis ʒij. vel iij. qui quidem in illa præcipitatur, interim eadem illius contagio erit impprægnata. Sic porrò in forma lituum prostant duo remedia, nempe

℞. *Vnguent. alb. Camph.* ℥j.
Mercurii dulc. ʒij. *vel* iij
M. & cum s. q. ol. Nicotiani F. litus, externè circa articulos manuum & pedum inungendus.

Vel quod melius & tutius:

℞. *Vngt. alb. camph.* ℥j.
flor. sulphur. ʒj.
Sal tartari ʒß.
cum s. q. ol. Nicotian. F. linimentum præmissis præmittendis usurpandum.

6 *Os sepia:*) Aliàs usu interno est insigne præcipitans, cancrina vincens, hincque præcipitantis Magni nomine quibusdam veniens, externè vero illud martialia & alia mineralia superat.

7 *Vulgares struma:*) Contra has *HELMONT. Tr. Tartarus non est in potu*: duo habet euporista, nempe pulverem internè, & oleum externè usurpandum.

TEXT.

TEXT. LUDOVIC.

nes; uti 8 Glandularum maxillarium, &c. successivè primo, hinc enormiter escrescentes tumores, nec talis modi (*recentioribus etiam varieque commendatis*, aut secundum Lunæ phases exhibitis.) *Compositionibus* intus, vel extus *Cataplasmatibus emplastrisve* emollientibus resolventibus, aut planè cathæreticis solidè cedunt; plerumque in tabem, (ceu Mesenterii glandulas in ejusmodi subjectis similiter induratas jam olim observarunt aliqui,) lentè desinentes. *Sartoriam*, uti vocant *Costam in Magisterium* eodem fine redigere conati sumus aliquando: sed in aquositatem quasi quandam abiens, tota penè cum Nitri Spiritu (inter hujus abstractionem) collum retortæ transiit; exiguis mucoris cujusdam vestigiis relictis. *Apri*, *Suis*, *Hirci*, *Ovisque vesicam* pro 9 Urinatoribus suis (haud adeo tamen succedente effectu, certè *Gutture Gallinaceo*, æquè facile colligendo, posteriore,) matresfamilias siccent: aut Hæmorrhoidales sibi *stercoreos* (nos sæpe deserentes,) 10 *Scarabæos* (inter tot usitatiora præsentioraque sistentia,) torreant. De 1 *Oleo Lacertarum solitario*, concurrentibus semper subligaculis, seorsim usque dum dicere nil possumus.

Quod autem residua mineralia concernit, jure primum huc referimus 2 *Martem*, *adstrictioni* similiter, ac superius majori apertioni per diversas rationes destinatum. Et quidem, quoad *siccam* formam, è consuetis tincturarum sedimentis, diversis vitrioli martialis factitii præparationibus, subitaneisve calcinationibus, aliisque 3 inter manus & experimentationes variè natis Crocis, equidem tantum quotannis colligitur, quod post sufficientem, adeoque nonnunquam repetendam calcinationem, internis usibus, cum aut sine opio, coralliis, &c. (dum extus Colcothar extremè perustum, aut dulcificata vitrioli terra satisfacit,) 4 *Croci Martis adstringentis* forma sive loco, eodem effectu inservire queat. Aut si quis copiosiorem forsan exigat, idem vel è vili *candentis ferri battitura*, (dum *Flos ferri nativus* fere rarior, perfecta *simplicis Limaturæ calcinatio* aliquanto protractior est,) repetitis ignitionibus examinata, quo trabecularum destillatoriarum abscedentes tessulæ similiter securè referri possunt,) facili negotio, neglecto saltem coloris lenocinio habetur, præstabiturque pariter, quod aliàs insuper è cariori *Aqua fortis Croco abstractitio*, 5 *capiteve mortuo Florum salis armoniaci Martialium*, *ulterius exusto*, è *Croci apperitivi* (hoc fine prius parati, vel penitus alcolisati) *repetitis Calcinationibus*, *Limaturave ferri*, *Urina*, *Sale*, *Aceto s. vel Destillato*, *&c.* (sæpè non sine reviviscentium salinarum particularum suspicione,) expectamus. Inter *Liquida* verò quemadmodum multæ passim proponuntur aut circumferuntur 6 *Tincturæ*, in se neutrales, sive (pro ratione menstrui, affectæ partis, materiæ peccantis, aliarumque circumstantiarum,) modo aperientes, modo leviori adstrictione roborantes: quales quoque sunt, quæ verbi gratia è *Martis*, (*unde sal ammoniacum per retortam levatum aut destillatum fuit,*) *residuo*, ab adhærente adhuc sale per ulteriorem calcinationem potius, quàm elutriationem liberato, item, quæ è *Limatura incoctionibus*, *incerationibus vel ignitionibus* aliisvè eodem recidentibus ambagibus vexata, *Ferrariorumve battitura*, *aut vitrioli Martis factitii colcothare cum aceto destillato*, (sed oppido forti,) consimilibusque modis, mediocri effectu parantur: ita longè consultius vel unicus saltem *Liquor*, qui intentioni nostræ hic satisfaciat, videtur. Et cùm rubicundus ille (nonnullis *Olei* nomine propositus,) & 7 è solutione Martis, Cremore tartari subacta, extremo igne, (ne Spiritus saltem tartareo-salinus exeat,) proveniens, ingratus compendiosioribusque modis posterior; *Oleum simul profluens*, Tartareum; *Oleum vero Martiale nigrum*, è florum armoniacalium ultimorum solutione vel deliquio, (per se aut diversimode dilatatum,) horribile; *Limaturæ* demum *crudæve sulphuratæ*, *aut croci è vitrioli Martis variè præcipitati solutio cum spiritu salis*, *vel etiam spiritu vitrioli philosophico* facta, & post evanescentem fœtorem, factoque coagulo, per spiritum vini extracta mitior quidem, sapori tamen nihilominus adversior sit; utut saccharinum dulcorem huic quidam adscripserint: merito proin tanquam inter omnes hactenus subtiliorem acceptioremque præferimus hinc *Tincturam è Marte crudo per* (recentem, nec aliquoties aliis adhibitum) *Æruginis spiritum s. aut sulphuratum* præparatam; compluribus corallinis opinatisque tincturis facile sociabilem; aliis, *è Scoriis quoque vel congeneribus Massis* cum aceto similibusve, (aperitivi haud parum interdum affricantibus,) menstruis paratis apertè superiorem; singulariori & quasi volatili illa, quæ è *florum*, è *solutione Martis* (cum spiritu salis facta & coagulata,) *sublimatorum*, (*vel etiam ultimorum Armoniacalium nigrorum*,) *diluto aut potius deliquato liquore*, per terræ foliatæ tartari solutionem, similiter deliquio potius procuratam, & s.q. instillatam infracto confit, suo modo parabiliorem, & (cum ista, sub levi terræ foliatæ excessu sæpenumero sit instabilior, Martemquæ dimittat,) dispensatu commodiorem. Reliqua superflua sunt, & curiositatibus viciniora.

NOTÆ.

8 *Glandularum Maxillarium tumores:*) Itemque Colli quasi strumosi affines sunt strumis propriè dictis, iidemque vix comparent, nisi pro existentibus similibus in mesenterio, in quo casu ad tabem universalem disponunt; interim si recentes illi fuerint, optimè tolluntur, præmissa internè purgatione ex helleboro nigro cum mercurio dulci, externè per emplastrum de ranis *VIGONIS* cum mercurio, ceu optimè resolvente tumores ejusmodi, sicut in contumaciori malo nescirem, an melius inveniri queat remedium, quàm salivatio mercurialis, ceu morbis ex acido viscido enatis optimè succurrens.

9 *Urinatoribus:*) Sc. pro iis, qui noctu stragula permingunt, commendantur vulgò vesicæ animalium exsiccatæ & propinatæ, sed potius est *SOLENANDRI* euporiston, guttur galli probè exsiccatum, seu tostum exhibentis, in quo invento etiam acquiescit AUTHOR N.

10 *Scarabæos:*) Pilulares in oleo præsertim violarum infusos commendat pro anodyno hæmorrhoidum cœcarum, non secus ac oleum asellorum.

1 *Oleo lacertarum:*) Hoc ex *SCULTETO* contra hernias laudat *ZUUELFERUS Ph. R.* quod tamen non sufficit, nisi subligacula apta concurrant.

2 *Martem adstrictioni:*) Sc. quò magis mars ad terream naturam redactus est, eò magis adstringit, atque hinc calcinetur pro Croco martis adstringente.

3 *Inter manus:*) Scil. per accidens quasi enascitur non rarò crocus martis adstringens; quippe dum juxta *TACHENIUM* ex vitriolo martis in aqua simplici soluto cum oleo tartari per deliquium (quò paratur tartarus vitriolatus) præcipitatur ad fundum minera illa martis antea soluta, sub croci nomine, qui ablutus pro croco martis adstringente optimè dari potest. Vel idem hic crocus in crucibulo aliquamdiu calcinetur, nam & hac ratione adstringens evadit. Sic & idem crocus præcipitatus, & non calcinatus solvi potest in s. q. spiritus nitri, (ubi minor æstus & ebullitio exsurgit atque comparet) & hinc soluto croco per retortam denuo abstrahatur spiritus nitri ad consistentiam mellis, (quod notetur) remanentem; atque hoc postmodum magma affuso Spiritu vini digeratur aliquandiu, sic namque emergit tinctura martis adstringens efficax & elegans, nec adeò dissimilis, si non eadem, tincturæ sulphuris vitrioli.

4 *Martis croci:*) Sc. solvitur mars in aqua forti, hinc solutio filtrata abstrahitur ad siccitatem usque, deinde calx relicta ignitur forti igne, ut omnis spiritus nitri exhalet, ut imperfectè hunc processum insinuat *SCHROEDERUS*.

5 *Capitis mortui florum salis ammoniaci:*) Hunc processum habet *SCHROEDERUS* sub nomine martis purgantis; in quo caput mortuum mediante spiritu vini extrahitur in tincturam; vel & illud forti igne exuritur, ut omne acidum salis communis abscedat.

6 *Tinctura in se neutrales:*) Fiunt scil. ex calcinatis quibuscunque martialibus aceto fortissimo infusis, illoque abstracto, per spiritum vini extractis.

7 *E solutione martis:*) Sc. *GLAUBERUS* martem cum duplo tartari ebulliendo in qua simplici in Rob redigit, hocque destillat in spiritum, uti putant, tartari martialem, & in oleum spissum, quod tamen productum similiter est tartareæ prosapiæ.

TEXT. LUDOVIC.

Sequatur hic potius 8 *Alumen*, & quidem miſſis **Saccharino**, *ac reliquis* incertus vel abuſivè dictis *ſpeciebus*, *Rupeum*; ſingulare profecto, nec uſque dum ſatis excultum Coagulum: 9 per ſe intus, ceu *ſanguine Draconis* quidem pro lubitu occultant,) pro gregariis quidem haud interdum inutile, adverſiſſimum tamen; & in Dyſenteriis nuper infidum Empiricorum ſufflamen; extus in Chirurgicis & 10 Chimicis utilius: dum deſidi non uno ſimplici innoxium, nec inconveniens, vel adeo fugax, (ac ſpiritus vini eſt,) vehiculum è Phlegmate ſuo, (uti reſiduum arreptam vel reſtantem aluminoſitatem ſatis oſtendit,) de ſe largitur; etiam volatilibus nonnullis urinoſis: ſiquidem licet alicubi pro ejus depuratione ſeu ſequeſtratione urina accedat, aut in ipſa aluminoſa ſubſtantia, ſeorſim extra ejuſcemodi additamentum conſiderata, falſæ volatiles particulæ ſupponi queant; hactenns tamen in acerbæ ſtipicitatis ſubjecto hoc, inter varia tentamina nondum deprehenſæ ſunt; quoad Urinamvero, ea proportione iſti ineſſe, vel ſi adforent, inter tot operariorum labores ſubſiſtere vix ac ne vix quidem queunt; ut accedentis poſtmodum ſimplicis ſal volatile præ ſe ferant. *Magiſteriis* de cætero *Vegetabilibus & Mineralibus*, (cum in ſolutione vel præcipitatione alcalibus opponitur,) terreſtreitatem ſuam oppido fruſtra inconvenienterque, per vulgatos proceſſus complicat. E præparatis vero tantiſper nobis ſufficere poterit vel unicus labor, in aliquot Producta polycreſtus. Si ſcilicet non tam *Spiritus ſulphurei*, (parciſſimi ſane, ſi ſeorſim abſtrahatur,) vel etiam *acidi Fixioris*, (pariter pauci, ultra Vitriolicum, aut ſelectiores adſtringentium tincturas parum præſtantis, adeoque ſpecialem ſecretionem ulterioremve *Mitificationem* aut promeriti,) cauſa; quam ob *Phlegmaticum acidulum*, (Rori minerali haud inconvenienter adjiciendum, vel ſubſtituendum,) *Liquorem* inſtituatur, & alumen (citra præviam *Depurationem*) deſtillationi, ſaltem per arenam, conſideratè tamen, (ne ebulliens recipiens diffringat, ut contentum ejus inquinet,) ſubjiciatur; intermiſſa collecti liquoris ſuper caput mortuum, (ni propter ſpecialem intentionem, qualemcunque ejus aciditatem revera ſic ſubtrahere libuerit,) *Rectificatione* vel redeſtillatione. Gratis ita ſimul proveniet *Alumen*, ſat 1 in externos uſus *Uſtum*, & (licet æquè ac *vulgare*, in humido acerbitatem ſuam quadantenus repetat,) ulteriori cuivis accommodationi pariter ſufficiens Si ſcil. *Dulcificatum*, ſeu qualitercumque ſub 2 *Sacchari* nomine mitificatum placuerit; per repetitas dixi phlegmatici Liquoris abſtractiones, & ſimplicem poſtmodo diſſolutionem, &c. citra reliquas ambages. Sin vero, (nec immeritò) potius *Magiſterium illud ſiccum*; per notoriam in aceto deſtillato diſſolutionem ſubſequamque cryſtalliſationem, cum aut ſine extranea quadam coloratione: quo conchis, alcalibus, Armeniacoque deſertus, Antifebrile, (etiam tertianarium,) itemque Siſtens quoddam in horum alterutro nonnunquam inveniat: Nam Corallinorum, Martialium, & Opiatorum intuitu, nec *Magiſterium illud liquidum*, olim in *veſicis animalium*, aut negotioſius poſtmodum per *repetitas ſolutiones abſtractioneſque* conquiſitum, nec *Tartarum* neſcio cui bono)(quibuſdam *Aluminatum*, aliave fruſtranea operoſioraque quis inde requiret?

3 *Hæmatiton* potius, ſed miſſo *exotico* ſaltem *noſtratem*, ipſumve, neglectiorem licet, *Sehiſtum*, ſimpliciter tantum *præparatum* ſive levigatum hic, præſertim in paulo diffuſiorem apparatum ponemus: ſiquidem in certis affectibus præter congenera, pariter nil paſſa aut immaturiora martialia, flores nativos (alias rariores,) ſemibolarem mineram, &c. interdum præſtat quidpiam. Variationibus enim vel accumulationibus remediorum minus adſuetus, etiam croco Martis adſtringente, Coralliis, Oculis Cancri, &c. Opio præſertim exaltatis idem plerumque intus tranſigit: ceu extus vel ſola Terra Vitrioli dulcificata. 4 Ut periaptum autem, in concitatioribus Hæmorrhagiis, aliorum Lapidum, [hic pariter commendatorum,] globorum plumbeorum, &c. infrigidationes raro ſpecifica quadam remorante vi ſuperare, [nobis quidem,] viſus eſt. *Flores* aliàs Martialibus quidem acceptiores, ſimplicibus tamen Ammoniacalibus longè remiſſiores; *elotus hinc* exigua quantitate *Pulvis*, colore quàm effectu ſpectatior; *Spiritus*, deſtillato è Martis minera compar, de cætero parcior; *qui verò è ſublimationum ammoniacalium capite mortuo, aliterve* diverſas in applicationes conquiruntur, ſuperius ſuo loco attacti, certè in univerſum hujus non ſunt delectus.

Ita nec 5 *Ætiten* cum *Geode* aliqua requirit neceſſitas: Nam Lucinarum noſtrarum hyperbolicæ ſæpe perſuaſiones etiam circa ſelectiorem claudicare paſſim experimus: ſique quidpiam interdum conferre viſus, forſitan inter circumſtantiarum ignorantiam per vulgatiſſimum in Medicina [non Cauſæ ut cauſæ] elenchum aut violentas Matricis præcipitationes ſimiliter factum, ad minimum incertæ eſt fiduciæ. Quod autem in Cardialgiis, Nephritide, Fluoribus, Immaturorum conſervationibus, in Stegnotico quoque pulvere, &c. præſtat, copiam olim in experimentationes nacti, in parabilioribus adhuc præcipitantibus, incraſſantibus, Reſtrictivis, ac Diureticis temperatis, Cancrinis, Corallinis, Martialibus, Opiatis, &c. ſupradictis largiter invenimus. 6 *Magnetem*, dum *Præparatus* equidem integri, [certam particularum poſituram aut conformationem exigentis] deſtinationes, vel in medendo ſaltem non attingit, Philtra ſolitarius, [abſque aliis Electuarii hic commendati ingredientibus, infringendique rationibus,] hodieque nobis quidem haud adeo fideliter & ultra Chalybeata invertentia tantopere ſubigit; tonſorum extractoriæ hernioſæque jactantiæ, [nonnullis etiam ad arthritidem extenſæ] fallunt, aut tantum ſunt accidentariæ; in Emplaſtris verò Martialia idem efficiunt, Mechanicis relinquamus: ceu *Ophiten* imbricatum, inter æquipollentia pauperculorum Opercula, Ditiorum aqualiculis: 7 *Alabaſtrum*, [nam quanti hodie inter tot commodiora

NOTÆ.

8 *Alumen rupeum:*) Eſt minera terrea ſaturnina, de natura cretacea, ſpiritu ſulphuris acido ſoluta, & in corpus tertium coagulata. Sicut enim ſpiritus ſulphuris rodendo mineram martis abit in vitriolum; ita rodendo terram ſaturninam coit in alumen; *conf.* JUNGII *Taxoſcop. Phyſic. cap. de Vitriolo & alumine.*

9 *Per ſe intus:*) Crudum vix uſurpatur, niſi quod aliquando illud in hæmorrhagia uteri nimia poſt partum cum fructu dederimus; èontra externè ſulphuris lacti, vel & epithematibus pro gangræna arcenda adjungitur.

10 *In Chymicis utilius:*) Sc. alumen admiſcetur aliis concretis deſtillandis, ut ratione phlegmatis ſui abundantis ſpiritus horum difficulter prodeuntes diluat, atque hinc Spiritus ſalis & nitri h. m. deſtillantur, non ſecus ac ſalia fixa additione alluminis in ſpiritum volatilem rediguntur, hacque ratione ſal tartari volatiliſatur, ubi tamen ſi loco ſalis factitii ſumatur alumen illud foſſile Moſcoviæ Luſatorum reperibile, nihil ſalis volatilis acquiritur, cujus rei ratio eſt, quod artificiale alumen pro ſui coagulatione recipiat urinam humanam vel animalis, ſicut alias pro cryſtalliſatione ſalis communis vel ſanguis vel fel bovinum adjicitur, ut adeò volatilitas in illo caſu ſalis aluminis volatilis quod habet, ingredienti urinæ adſcribenda ſit.

1 *In externos uſus:*) Scil. alumen uſtum convenit pro epithematibus ad ulcera manantia, non ſecus ac idem ingreditur lapides medicamētoſos, nec non melle ſubactum adhibetur pro faucium excoriationibus.

2 *Sacchari:*) Sc. ſaccharum eſt magiſterium aluminis, vi præcipitatoria pariter ac ſtyptica pollens, poſteaquam acida eorum vis penitus inverſa eſt, indeque antifebrilia ſe ſiſtunt, ante paroxyſmum ſc. data; interim tamen eadem minus tuta ſunt, quin potius niſi tales ægri cautius tractentur, febris facile recidivat.

3 *Hæmatitem:*) Hæmatites eſt concretum ex marte & aqua minerali martiali, indeque nunc purior in lapidea forma, nunc impurior martialibus ſtriis inſignitus conſpicuus, hicque Schiſtus Germanic. *vernis ferri, vel caput vitri* vocatur. Jam igitur quicquid hæmatites operatur, id facit virtute martis, hinc loco croci adſtrictorii adhiberi poteſt.

4 *Ut periaptum:*) Sc. hæmatites quidem nunc plus, nunc minus confert pro uſu ſiſtendi ſanguinis fluxū, ac *conf.* BOYLE *in ſpecim. de Gem. p.* 198. ubi ſingulare extractum habetur; interim quiſnam hæmatites hac vi excellat, nonniſi per experientiam cognoſci poteſt.

6 *Ætitem:*) Ætites qui fovet intra ſe terram ochream, ſive bolarem, vocatur Geodes.

5 *Magnetem:*) Sc. cum ex magnetis minera non raro mars eliciatur, proinde martialia pro uſu medico idem præſtabunt.

7 *Alabaſtrum:*) Hujus calcinati lixivium non differt ab aqua calcis, inde hæc illi ſurrogari poteſt.

TEXT. LUDOVIC.

est *Unguentum*, quantive congenera *Cataplasmata*, *usquedum supervacue variegata?*) Statuariis; 8 *Amianthum* curiosioribus, quo nexi tandem queat, experimentes; ignibus plusquam philosophicis, aut gradatorum haud rejiculis inde Cæmentis: *Lapidem specularem*, inter tot (è Stomacho) Epilepticos Dolentesque certius juvantia specifica, Moschorum fenestris; ad minimum ulterioribus explorationibus; congenerem denique his 9 *Talcum vulgarem*, (de *Rubri* enim Magisterio superius inter-Diaphoretica actum est,) delicatulis: quo scil. post *varias calcinationes*, institutas (cum Spiritu Salis aut Vitrioli, philosophico; vehementioribusque adhuc Menstruis) *Solutiones*, *Digestiones* cum ipsis inconvenientioribus Oleis, reliquasve cum Sale Tartari; (simplici vel Essentiali, alias in se hic non inepto, Nitro fixo, Ammoniaco, &c. vexationes, *Liquorem*, (rarius amplius quam per se solebat,) detergentem, *Oleum* interdum compositum; aut opinionetenus saltem *quidpiam cosmetici*, in quo sibi placeant, nanciscantur.

10 *Calaminaris lapis* consultius, nec uno nomine nostris usibus destinari videtur: non ut *Magisterium* similiave Purgantia, (inter tot usitatiora) curiosioresque *Solutiones*, *Liquores Oleiformes &c.* hinc eruamus. Sed in potiora saltem Topica: sive per se, vel in extemporaneæ mixturæ Liquoribus, etiam operosiotum (seu aperto igne seu detonando rem tentes,) *Florum* loco adhibeatur: sive Unguentum Emplastrumque quoddam Saturninum, ceu supra notavimus, una constituat; sicque famosa illa *Griseum*, *de Lapide Calaminari*, *& reliqua hujus sortis Officinalia*, varieque hactenus *pro fluidis*, *disepuloticis*, *Tibiarum ulceribus*, *&c. aliisve titulis superaddita*, sufficienter exprimat. 1 *Osteocollam* simpliciter solum *levigatam*, non supervacuis laboribus prius inversam, *saturatam*, *Magisterificatam*, *&c.* consores sibi per nos reponant. Præstare quidpiam interdum visa est; sed nil, ubi os effractum aliterve discessit, nil intus in Arthride aut Nephritide, quod polychresta alia hic nequeant.

De Antimonio, quatenus Diaphoreticum, item Croco Metal. & Sulphure istius suo loco diximus: quemadmodum etiam de minus adhucdum trito *Zincko & Marcasita*. 2 *Cadmia nativa metallica communis* curiosiorum nimisque securorum examinibus, *Ferruginea*; 3 *Chrysocolla nativi viridis*, *&c.* Opificum incrustationibus cedant.

4 *Lapis quidam medicamentosus* selectui nostro aptior est: simplicissime scilicet & dimissis tot inanibus, (sub *Rubri*, *Salutis*, *Mirabilisque nomine*, (variationibus, citra quodvis herbarum Alcali, citra Ammoniacum, Æruginem, imo ipsum Nitrum, &c. (magis interdum irritantia, aut usus demum tempore consultius adjicienda,) confectus: v.gr.e.Vitriolo saltem, Alumine, Cerussa atque Bolo, vel Dulcificata Vitrioli Terra: ad Varos quoque, gingivarum vitia, epiphoras, &c. in diluto sic quoque sufficientissimus.

Sed hæc demum 5 *Mercurialium ad Topica spectantium* repetitione concludamus, Nam de plerisque ab initio satis forsan egimus; & *Vivi* quidem per *salivalem*, (licet oppido singularis naturæ,) *laticem* (apud Hypochondriacos fortasse quærenda) *ligatio* sane hodie nimis superficialis, *lentum Sublimati deliquium* tædiosissimum; *cum Marte* similiterve institutum metallicæ magis sic prosapiæ; cum *Aceto destillato*, simplex quasi Præcipitati Solutio est: sufficietque proinde loco tot *Mercurialium*, utplurimum inconsideratius compositorum, aut frustra solum multiplicatarum *Aquarum Liquorumque externorum*, item tot *Unguentorum*, præter rem vasta olim ingredientium serie, viscositate, excedente calore, &c. exundantium, nec meliorum plerumque

NOTÆ.

8 *Amianthum:*] Amianthus ritè præparatus duci potest in fila, ex quibus linteamina confici possunt, & in hisce quicquid conclusum concrematur, illudque fit integro manente continente involucro. Tale marsupium ex amiantho confectum vidimus Mediolani apud Canonicum *SEPTALIUM*, artificium hoc præparandi amianthum callentem, servamusque adhuc nobis aliquot fila dono data. Porrò sunt, qui in furno Athanoris loco ellychnii vulgaris assumunt fila Amianthi, eaque oleo immergunt, sic enim flamma semper in eodem gradu persistit; interim tamen & tali modo ab olei fuligine alteratus Amianthus extinguitur. Tandem Metallarii Amiantho utuntur pro depurandis metallis, eo quod absorbeat quæcunque heterogenea, ipsis adhærentia.

9 *Talcum vulgare:*] Talcum album est corpus ex mineralibus fixissimis & igni resistentibus, nec menstruis quibuscunque domandum, nisi quod adjecto borrace interveniente extremo ignis gradu in crucibulo fusile evadat. Cæterum liquori seu Oleo Talci parando lucem aliqualem affert tritus ille *LANGELOTTI*, quo ipso forsan subigi, & in genuinum Olei corpus redigi poterit: Contra reliquas præparationes vulgares Talci sunt saltem ejusdem in minima redactiones, sine spe liquoris obtinendi.

10 *Calaminaris lapis:* à *CLAUBERO* solaris, ab aliis martialis naturæ habitus, quælibet acida & humida absorbet, indeque vel per se ulceribus manantibus pro imbibendis sordibus inspergitur, vel in forma liquoris applicatur.

1 *Osteocollam:*] Hæc igne invincibilis egregia est in promovendo callo, & ferruminandis ossibus; posito nempe, quod festucæ ossium ferruminationem impedientes non adsint, *conf. HILDANUM*.

2 *Cadmia nativa metallica communis:*] vocatur Cobaltum, ex quo Cœruleum istud, fit, estque in recessu naturæ venereæ, atque ob hanc crudam & volatilis arsenicalisque existentiam est virus enecandis muscis appropriatum; Equidem *GLAUBER*, ex eo quoque voluit elicere lunam, sed frustrà.

3 *Chrysocolla:*] est minera veneris in loco natali ab accido quodam rosa, & quasi in æruginem conversa.

4 *Lapis quidam medicamentosus:*] Hujus variæ sunt descriptiones, externè pro ulceribus & gangræna, itemqne faucium gravioribus exulcerationibus accommodati, ast seligit AUTHOR N. simplicem illius compositionem nempe: ♃. *ærug.* ℥iv. *aluminis* ℥ij. *Ceruss.* ℥iij. *Colcoth.* ℥iß. hæc pulverisata infundantur in pauco Aceto, incoquendo Myrrh. ʒj. usque dum evaporando omnia in lapidem quasi coagulentur: Cujus usus est, ut ℥j. dissolvi possit in aquæ Plantaginis ℔j. & colaturæ immitti spongiola applicanda ulceribus faucium pro sui mundificatione, & tibiarum depascentibus, desuper imponendo emplastra vel lintea. Sic tandem eidem colaturæ infundi potest Gummi Laccæ, & hinc liquore hoc gingivæ fricari in casu tumefactionis Scorbuticæ.

5 *Mercurialium ad Topica:*) Sc. mercurius vivus emplastris addendus, cum saliva eaque acidiore, quam hypochondriaci possident, extinguitur terendo sc. eundem in mortario lapideo cum pistillo simili; & successivè immittendo salivam, donec pulvis spissus evadat. Sic & mercurius dulcis superior, vel Turbith ex sublimato præcipitatum, vel cinnabaris huc advocari potest, subigenda scilicet singula horum cum pinguedine porcina, vel Terebinthina pro litu externo ad intituendam mercurialem salivationem.

Sequuntur tandem FORMULÆ hujus Classis.

Decoctum Vulnerarium:

♃. *Hebr. Plantag.* Mij.
Pyrol.
Alchymill. ana Mß.
Comar. Hyperic. florent. Mj.
Sacchari parum vel
Syrup. de Symphico FERNEL. q.s.M.

Hinc ♃. *Lapid. Cancror. præp.* ʒij.
Aceti Vini ʒvj.

Mista asserventur pro usu. Hujus misturæ Cochl. j. propinetur

propinetur una cum haustu calido superioris decocti vulnerarii.

Mistura vulneraria.

℞. *Aqua Iulor. præp.* ℥iij.
Extr. plantag. succo s. comp. AVT. ʒiij.
Lapid. cancr. præparat. ʒj.
Laudan. Opiat. gr. iß.

M.D. pro dos. cochlear. j. repetitis vicibus.

Mistura contra hæmorrhagias, & inspecie contra Hæmophysin.

℞. *Aq. plantag.* ℥ij.
Tinct. martis adstring. ʒj. ad ʒß.
Syr. papav. alb. ʒvj.

M.D. & capiatur cohleatim.

Vel ad imitationem illius *SYLVII* misturæ ad quasvis hæmorrhagias:

℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Aceti Vini ʒiij. ad ℥ß.
Terr. sigillat. ʒß.
Corall. rubr. ℈j.

(aut loco horum *Croci martis adstring.* gr. xv.)

Laudan. opiat. gr. iij.
Syr. portulacæ ℥ij.

M. pro aliquot dosibus.

Bolus antidysentericus:

℞. *Rob Sorbi Torminal.* ʒß.
Bezoard. martial. gr. xv.
Croci martis adstring. gr. vj.
Laudan. Opiat. gr. j.

M.F. Bolus.

Aut in forma Potionis:

℞. *Aq. plantag.* ℥iij.
Spiritus Theriac. Camph. ʒiij.
Extr. Tormentill. ʒj.
Corall. rubr. præp.
Croc. martis adstr. ana ℈j.
Laudan. Opiat. gr. iij.
Sacchari parum M.

Ubi & loco Corall. rubr. Croci mart. & Laud. Opiat. recipi poterint *Trochisc. de Carab.* ʒß.

Pulvis contra Lumbricos:

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv.
Sacchar. alb ʒß.

M.F. pulvis pro aliquot dosibus, dando plus minus pro ratione ætatis infantum.

Vel in forma Boli

℞. *Conserv. fl. persic.* vel
Rosar. ℈j. ad ʒß.
Pulv. mercurial. Saccharat. gr. xv. ad ℈.

M. pro j. vel ij. dosibus.

Gargarisma in prolapsu Uvulæ, fauciumque excoriatione & exulceratione.

℞. *herb. Prunell.* Mij.
Plantag. Mj.
Gallar. pulv. ʒß. ad ʒvj.

Coq. in s. q. AQ. COMM. *seu ferrariorum.*

Colaturæ. ℞. ℥xx. adde
Syr. Rosar. rubr. ℥iß.
Alumin. vel crud. vel ust. ℈j. ad ʒß.

M. pro colluendis faucibus.

Cataplasma ad Contusiones graviores:

℞. *Rad. consolid. maj.* ℥iij.
polygonat. ℥iß. ad ℥ij.
flor. Chamom. Mj.
Croci. ʒj.

Coq. in s. q. *aq simpl.* vel *vini* & vel hoc decocto foveatur locus contusus crebrius vel massa cocta applicetur instar cataplasmatis post prægressam cum Spir. Vini Camphor. inunctionem.

Litus pro scorbuto gingivarum:

℞. *Gumm. Laccæ.* ʒiß.
Aluminis Usti ℈j.

pulv. excipe cum *Mell. rosac.* ʒvj. adde *Salis parum*, & q. s. pro grato sapore, affricetur subinde gingivis.

Pulvis Ulceribus Tibiarum manantibus inspergendus:

℞. *Lapid. Celaminaris* ʒiij.
Croci martis adstring. ʒij.
Ceruss. ʒiß.
Pulv. flor. Macis ʒß. ad ʒj.

Mista successive inspergantur.

Emplastrum Mercuriale:

℞. *Emplast. Saturn. AVTH.* p. 770. ℥iij.
adde *mercurii vivi cum oleo lauri subast.* ℥ß.
vel *amalgam, ex mercurio vivo & Saturno* ʒv.
& cum *Axung. porcin.* q. s. F. emplastrum ductile.

Vel (quod Patavii in usu est) pro Tumoribus & ulceribus Gallicis.

℞. *Olei com.* ℔viij.
Minii opt.
mercurii præcipit. seu
Turpeth. mineral. ana ℔j.
Ceruss.
Ceræ ana ℔ij. M.

Coq. cum continua agitatione ad consistentiam unguenti vel emplastri.

TEXT. LUDOVIC.

Emplastrorum vice, modo *crudus* decenter simplicissimeque subactus, modo *Sublimatus*, [non tam communis, ut plurimum vehementior, quam *Dulcis* ille,] præsertim superior in cucurbitula impuriorque, *ad Extra* hinc quibusdam dictus: alibi præcipitatum quoddam mitius, v. g. *Turbith è Sublimato dissoluto*: alibi saltem *Vulgaris* [præsertim ubi epuletici quid simul quæritur,] *Cinnabaris*: quodlibet horum [vel extempore,] attemperantibus aut mundificantibus, [pro scopi ratione] Liquoribus, Succis, Pulveribus] infrigidantibus nec præcipitantibus,] simplici Axungiæ, Unguento, Emplastrove Saturnino, vel etiam resolventi cuidam, [ceu *Amalgama* quoque, si superimponere noluerimus, poterit,] commiscendo aut subigendo: seu quando seorsim aliquod omnino, [licet Regiones nostræ per Dei gratiam haud adeo exigant,] extare debuerit, ad imitationem *Emplastri antivenerei Mercurialis*, Solutionem cum Aqua forti factam competenti massæ per exhalationem sociando. In quo nunc tædiosissimum Materiæ medicæ censum finiemus. Quod superest, singula quæ vel pro redimenda vexa retinuimus, alius secundum summa Schonbornii Morellive capita digerat; [id enim nostri non est Instituti; & sub levi, [ceu circa ejusmodi Polychrestorum adhibitionem par est,] manuductione, prudentique affectuum pensitatione, sufficientiam undiquaque inveniet; atque hoc insuper: quod de Retentorum æque ac Dimissorum effectu nil temere vel opinionetenus tantum adseruerimus, sed quod cuncta hæc [saltem utplurimum,] ita se habeant: si forsan aliud interdum specialioribus é circumstantiis observetur, aut secundum Elenchum non Causæ ut causæ observari tantum videatur.

FINIS.

DISSERTATIO II.

DE TAXARUM MODERATIONE.

TEXT. LUDOVIC.

POSTQUAM itaque de Remediorum Selectu, & Compositorum in iis convenientiori Præparatione breviter quidem, at sufficienter forsitan egimus; consequens est, ut tertiam quoque Tractationis seu postulatorum nostrorum partem, de Taxarum scil. hinc inde Temperamento, cuivis Tractui (pro Mercimoniorum, Impensarum, Laborumque ratione,) competentiori, consideremus: quod similiter compendiose tantum ac simplicissime, ne data opera Camarinam movisse, aut ullius commodis invidisse videamur, deinceps persequemur.

Principio proin omnino æquum est, ut Rodhostimentum quoddam, ac debitum Solamen sibi inveniant tot Infortunia ac Detrimenta, non solum in Usualium Præparationibus, asservationibus, & [Liquidiorum præsertim ac prætiosiorum quorundam ,] dispensationibus, verum etiam in Novorum indagationibus, aut intentatorum , vel suspectorum examinibus diversimode contingentia; undiquaque sane haud paucis, incerti; sæpe vel (decollante experimenti spe,] penitus frustraneis, nec hæredi tandem quicquam conferentibus Expensis complicata: tot insuper Pericula, tædia & effluviorum, lenta demum noxa occupatiores hic ferientium inspirationes: tot Exoletorum , [licet cautiores horum pleraque aliis amplius usibus adaptare sciant, item tot per accidens nonnunquam confusorum memoriæve alios inter labores excidentium justæ omnino Exterminationes: quotidianæ Debitorum frustrationes, Onera alicubi privata, & si quæ insuper Negotiatoribus reliquis minus communia allegari queunt Incommoda. Imo, [quod nonnullis accidisse novimus,] ne Habitiorum interdum aliqui, curationis felicitatem, aut Medici doctrinam industriamve ex erogatis sumptibus fortasse mensurantes, quandoque pro insufficientioribus nulliusque momenti Remediis reputent, dum [in se satis rara , vulgariumque Taxarum respectu pariter cara ,] diobolari quasi pretio indifferenter divenduntur.

Atque his equidem sic stantibus, ex adverso nihilominus similiter conveniens , justum & è publicæ Rei commodo est , ut ejuscemodi temen Æstimia & Compensationes , præsertim in notoria hac Seculi complurium Districtuum Indigentia, vel naturali saltem Æquitati magis imposterum respondeant: nec dum minus passim estimata Mercimonia , æque inter varia dispendia , incommoda oneraque , per minutiora quoque pondera & mensuras successive distrahi cernimus , in hac nostra, Liberale quidpiam promittente Dispensatione, justæ usitatiorisve in reliquis compensationis modus excedatur , & alias sat afflictis major addatur afflictio.

Numne verò hoc in permultis passive contingat , etiam ubi Materialistæ Pharmacopolis ex adverso quasi habitant , aut Publico publice per Provisores saltem , prospicitur, nos non dicemus: illi tantum judicabunt, qui manus oculatas operi admoverunt, nec [quod superioribus Seculis, alia tunc rerum facie, fortassis accidit ,] solis subter versantium relationibus vel æstimationibus fidere coguntur; practica Laborum vulgarium ac Chimicorum , modi porro procedendi , temporis insumendi, impensarum , proventus, detrimenti, &c. notitia peniriori destituti.

Ita nec Taxationum istarum aliquam specialiter hic evolvemus; ne data opera quemquam pungere , vel novas aut certas alicui , [in ea Regionum , Mercimoniorum , Modorumque comparandi varietate , negotio Regalia Superiorum concernente ,] Taxas inconsiderate condere videamur. Saltem generaliter invectos hinc inde excessus debita moderatione notabimus; & si quæ in exemplum ex usitatioribus adducentur , istud quoque laxe satis , absque minutiarum æstimatione fiet: siquidem Æquitatem solum in omnibus intendimus , quam singulis pro circumstantiarum ratione quivis in ejusmodi Materia aliquantum versatus haud difficulter postmodum in specie, & ita quidem applicabit , ne ab una parte (præter supradicta postulata,] Operam insuper & Studium quovis tempore indifferenter impendendum , quotidianum in Contagiosis periculum . Asservatorum inæqualem aut nullam sæpe , vel exiguam Distractionem , & hinc Laborum per majora vasa copiosioremque materiam , [evidentiori alias emolumento instituendorum ,] inconvenientiam , difficiliorem necessariorum [dum Simplicistæ longius absunt , aut annuis usibus minora solum , sed intensiori plerumque pretio venientia pondera satisfaciunt ,] comparationem , levioris ponderosiorisque Libræ differentiam , &c. obvenientia vel prætendenda incommoda neglexisse; ab altera vero parte excedenti [quorum quorum etiam ,] Dispensantium Lucello inconsiderato connivisse , & postquam hi totius sæpe Districtus lumine saturati sunt , negligentiæ perfrequentique remissioni ad Ministro , fores aperuisse; gregarios autem simplicioresque vel attentiores alios , à Medicis salubrique Remediorum usu abalienasse; Viduas demum Orphanosque [dum morbus quidem curatus est , at æger periit ,] expensis , plus vice simplici deploratis subjecisse dicatur. Nam ut scapham scapham vocando , in recensione nostra pergamus , diffiteri profecto nequimus , quod ex usitatissimis ac polychrestis non solum triplum , quadruplum , sextuplum , sed octuplum quoque , duodecuplum & amplius ; è trivialibus vulgatissimisque non tam alterum tantum , quam triplum quadruplum , &c. redeat : dum citra ullum rei domesticæ , [debita moderatione circumscriptæ , [erogatorumque sumptuum damnum , magno vero Reipublicæ , præsertim pauperiorum commodo , sub triplo alicubi alibi dimio , vel in operosioribus altero tanto secure hac tempestate acquiesci posset : ceu sub hujusmodi moderatione incedentes nihilominus satis feliciter vixisse , nec aliis ita inserviendo temere consumptos , quin potius) parabilitatis Remediorum illicio ,) proventus in singulis mediocritatem frequentia compensatam ; raro vero Gazophylazia excessivis constructa , hæredibus stabilia fuisse, sufficienter scimus.

Nos quo Lustrum nostrum persequamur , & quo vulgatissimi excessus eo facilius computari queant , per Imperiales eorumque Partes , [tanquam Monetam notissimi , ac in quaslibet cujusvis Regionis Sortes facile resolubilis valoris ,] procedentes, perque Libram, civilem semper intelligentes , à Simplicium consideratione nunc ordiemur. Ubi licet alicubi nonnullis , Chirurgorum tamen potius opificumque usui cedentibus , [ob notorium forte apud Institores pretium ,] quadantenus sit parcitum : & licet alibi [inter Alternantium , secundum Æquum & Bonum , distractiones ,] moderationem quandam afferre videatur ad Arbitrium dispensantium remissio : utrumque tamen nec Catholicum , [uti v. gr. aliis in Taxis circa Metallica & Aromatica satis videmus ,] nec [una cum Residuorum longe tritorum plerisque ,] à multa adhuc inconvenientia exemptum est. Nam paulo difficilius interdum conquirenda , vel [pro Negotiorum fortuna , Proventusve differentia ,] pretium variantia , [ut Exotica pleraque ,] alibi nihilominus summo, quem unquam assequuntur valore passive divendi constat: & quibus difficultatibus utplurimum determinatur , observatur vel [remittente intensiori prius precio ,] ad antiquum redit illud Æquum & Bonum ; saltem in Oppidis, se severiores inspectiones in Urbibus insolidum cavent. Accedit , quod circa horum permulta , [tractu temporis corruptionis initia sentientia , semet in se consumentia , vel mage siccescentia ,] partim peculiari Repositura , seu competenti cuivis conservandi modo, partim cauta Quantitatis æque ac Qualitatis coemendorum pensitatione , Corruptionem minitantium alios in usus conversione, Viscidiorum curata dispensatione, aliisque notoriis compendiis evidentiora detrimenta, parumper hic versatus haud difficulter declinet ; quodque indeclinabilia in quibusdam dispendia(Exoterica carioribus nonnullis admixta , &c. moderatiori quoque Taxatione compensentur ; citra Valoris passim triplicationes, quadruplicationes , &c. vel plane extremum illud increscentium pretium : ceu exemplum in Rhabarbaro, Camphora, Castoreo, Spermate Ceti, Manna, Moscho, Croco, Sena, Fructibus Mollioribus vel Oleaginosis, &c. manifesta sunt.

Multo minus autem Vulgatiora , Vernacula , aliaque Euporista hic excusari poterunt. Sane nominetenus , polychresta . tamen , & in communi praxi usitatissima [præsertim cum negotium tantum inter nummos versetur , referre piget ; quæ puer nihilominus quasi aliud agendo , circa Mænia vel è proximis compitis gratis legit , aut vilissimo pretio ex Agris, ripis , dumetis , vicinisve nonnullibi sylvis aut nemoribus afferuntur ; oppido assignatæ taxæ dimidio & ultra multanda. Sique v.g. Liliorum conv. Cynosbati , Acaciæ, Tiliæ, Violarum martiarum [exceptis paucissimis alicubi districtibus ,] Flores , Fraga, Myrtillos, &c. cum productorum suorum [Aquorum , Siruporum, &c.] valore conferimus; quænam, [imo nonnullorum quoque, per se, venditorum & emptorum est proportio ? Multa locis suis vernacula pari dissitorum Districtuum Taxa haud raro divenduntur;

TEXT. LUDOVIC.

duntur; ut Scorzonera, Dictamnus alb. Rhodia, Bryonia, Chamæpitys, Scordium, Saxifragia alba, Polypodium, Tartarus, Fossilia non pauca, quæque ex iis confiunt, &c.

Et quid dicturi essent? si facetiores è vulgo rescíscerent, quanti passim per minutiora pondera venundarentur in ignotis ipsis Formulis atque Compositis Domestica illa vel culinaria, Carvi, Papaver, Cœpe, Allium, Lentes, Cicer, Sinapi, Cannabis, Petroselini, Lactucæ, Lini, Napi semen, Juniperi baccæ, uterque Raphanus, Farina volatilis, Hordei, Tritici, Fabarum, Teredinum, Sulphur, Pix Resina, Ovorum testæ, Nidus Hirundinum, Album Græcum, Mel, Butyrum, Adeps, Sevum, Acetum, Fuligo, Sal, Alumen, Martis Limatura, Calx, &c. Vel si Jalapii, Mechoacannæ, Gummi guttæ, &c. valorem nossent, forsitan (quasi per Decretum,) invectum illud, & consilium atque laborem plerumque excedens pro trivialibus Purgantibus pretium, Dispensatoribus haud adeò constanter numerarent: aut Delicatissima quæque penitus, aut maximam partem gratis eos esse pejerarent, qui Pinguedinibus nonnullis satis usitatis, Lapillis, ossiculis, talis, Mandibulis, Sanguini, &c. Taxationes istas assignarunt. Et quantopere hæ circa vulgatissima Hortensia, ab Enula Pœoniaque usque ad Odoriferas cordiales, Stomachales cephalicasque Herbas & Flores, circa acidulos vinososque Fructus, &c. Olitorum Matrumque familias merces excedant, in foro vel hortis licitantibus haud difficulter constabit. Quod autem magis est, omne hoc lucellum, (quantum quoque fuerit,) ex hujusecemodi Simplicibus perfunctorie solum distractis, levi tamen brachio ac citra pulveris cujusdam jactum acquiritur; saltem pro more reponendo, ponderando vel obiter (neque hoc nonnullibi gratis,) quodvis conscindendo, conterendo, conquassando. Nam simul ac horum aliqua paulo diutius versantur aut subtilisantur, continuo etiam pretium, non quidem (pro laboris aut fortuito dissipatorum compensatione,) ad alterum tantum, duplumve, sed ultra triplum ad octuplum, decuplum, extendi cernimus. Sic quo potiorum quædam in exemplum adducamus.

Corallia rubra vulgari modo præparata (reliquis adhuc utilissimis, expensas raro tantum quater, quinquiesve, plerumque sexies, deciesque refundunt; Mater perlarum insumpti precii triplum; sextuplum, octuplum.

Conchæ vulgares, simpliciter pulveratæ vel nonnullis calcinatæ pro libra semis, quatuor passim aut quinque Imperiales, & amplius.

Succinum præparatum valoris sui triplum usque ad quintuplum.

Cornu Cervi ustum, (destillati tamen Spiritus parergon,) è libra una semis, rarius saltem duos, plerumque quatuor Imperiales; dum sexta vel quarta unius parte, crudi, quoque tantum apud figulum calcinatur: Ipse Colubrinus pulvis, (pro regionum ratione,) plerumque quadruplum, sextuplum & ultra: ut Pinguedinem nonnunquam separatam (missis Exuviis,) taceamus.

Sanguis Hirci à lanionibus quotannis sæpe gratis aut levi redhostimento habetur: ceu quoque Asellorum Lumbricorumque quantum satis à pauperculis; Dentes Apri, Pulmones Vulpis, &c. à Venatoribus exiguo contentis. Si negligenter præparata vel exiccata Taxis conferas, æstimationis excessus statim comparebunt. Nec alia est, Eboris, Oculorum Cancri, Cranii, (unde etiam nonnunquam petiti, (Crystallorum, Lap. Calaminaris, Tutiæ, &c. ratio: rarius duplum, plerisque triplum vel quadruplum nonnullis superadditur:

Terebinthinæ coctæ, (Superpondii sane destillati per Vesicam Spiritus,) libra Semis imperiali & octava ejus parte passive prostat:

Radix Aronis præparata, seipsa non triplo tantum, sed quadruplo sextuploque carius; magisque adhæc, si loco Vini Acetum recipiatur.

De Helleboro nigro, Esula spontanea, aliisque fere inusitatioribus addere quidpiam supervacaneum est.

Ipsi simplicissimi Vegetabilium in Officinis Pulveres, ut equidem aliqui difficilius [v. gr. Altheæ, Fænigræci, Liquiritiæ, &c.) alii molestius, (uti Purgantium similiumque nares atque fauces vellicantium,) vel non citra quoddam detrimentum parentur, & hinc jure merito moderatum laboris aut dispendii redhostimentum sentiant; æque ac in Gummatum, v. g. Ammoniaci, Laccæ, &c. Depurationibus, item extraneorum corticum, stipitum, &c. sequestrationibus, (in Sena, seminibus quatuor frigidis maj. &c. par est:) numero tamen longe plures inveniuntur, quibus fere nil, aut residuum aliis adhuc usibus commode aptandum decedit, triplicato vel quadruplicato nihilominus pretio: ceu præter paulo ante notatas Farinas, in vulgatissimis Pæoniæ, Consolidæ, Enulæ, Carduibenedicti, Tormentillæ, Iris Florentinæ, &c. pulveribus cernimus. Ita quot sunt Gummata, quorum Residuum, aut Vilior saltem pars sufficiente vel eodem sæpe (quo Totum conjunctim comparatur,) valore non distrahitur; spectatioribus interea particulis nihilominus seorsim triplo quadruplove carius divenditis. Amygdalis sane excorticatis alicubi quarta assignati valoris pars, superaditur.

Sic porro Pretiosiorum polychrestorum Taxatio, quoad ejus fieri posset, merito deberet esse mitissima; vel egenorum aut debitæ complendæ dosis gratia. At (ne Gemmarum sæpe jure suspectarum sat caras, è difficiliori tritura atomos attingamus,) Margaritis (sæpe saltem titulotenus Orientalibus, aut suspectæ foratarum rasuræ;) plerumque duplum triplumve; (ceu Valor variat;) Lapidi Bezoar. Or. triplum, quadruplum, occidentali quadruplum & ultra, Ambræ Zibethæ (si humidiori nonnunquam pilosiorique Moscho aliquantum quis connivere velit,) duplum aut triplum passim assignatur.

Et licet inconvenientiam hanc Moderatio quædam nonnullibi excipiat, qua detracta id genus Pretiosis lucri pars, auctiori proletariorum Viliorumque Taxatione refunditur; id tamen vix aliquo Plebeiorum fit commodo: siquidem tum quod Reges peccant, plectuntur Achivi; miserique Vulgatioribus pulveribus, infusis, aliisque euporistis à Medico politico, (qui oppido iis damno, aliis derediculo esse nolit, & cariora interdum persuasioni saltem aut condimenti loco dat,) tractati bonam Moschatorum, Ambratorum, Auratorum, Bezoarticorum, Perlatorum, Alchermes, &c. ditioribus delicatulisque (talia plenis sæpe buccis ligurientibus,) tacite ingratiisque persolvunt.

Sed hæc de generali Simplicium censu sufficiant: nec enim singula, (in tanta Materiæ medicæ vastitate & districtuum proventusque differentia, accuratiori talium disquisitione tandem in minutiora, minus inibi versatum Lectorem turbantia Monetarum genera recidente,) seorsim resolvere fert animus Nihilominus quæ circumcirca passim peccari hactenus diximus, uti permulta ordinis solum servandi causa hic allegata sunt, ita Levia plane minorisque momenti videntur, si excedenti plerumque Compositorum, præsertim Chimicorum, (ubi nescio qui labores semper, at à particulari exaggerantur,) æstimationi conferantur; frustra in tenuioris fortunæ pauperem extensis Taxationibus: dum tamen in Anatomia cujusdam Simplicis, vel unicum solum Principium, aut Caput mortuum, neglectave quædam Enchirisis, (licet in sequentibus vulgares semitas data opera sectemur,) omnes expensas laboresque, cum magno plerumque superpondio rependit: & quotannis diversos in usus de Chymicis Polychrestisque haud parum consumit exercitatus, & aliquantillum saltem inclarescens Medicus: quo nec de majori forsan sequentium Quantitate, (Valvationis insuper gratia) resoluta quis queri poterit.

Et quo nunc Elusina hæcce Sacra planius detegantur, per potiora usitatioraque, (ne singulariora confusionem pariant,) similiter ibimus; ducto à Chymicis exordio.

Ubi quod primo Mineralia concernit, Butyri Antimonialis (polychresti illius plurimum productorum fundamenti,) libra semis & ultra, unico cum dimidio, imo per fictionem, duobus Imperialibus insumptis, de cætero haud adeo magno negotio destillatur: æstimatur aliquibus octo, decem & amplius, sique Cinnabaris una ascendentis pretium (unciam unam saltem & ad minimum, quæ quatuor tribusve communiter Imperialibus prostat, præsupponentes,) addimus; (Mercurii vivi purissimi, tot tædiis alias conquirendi, uncias quatuor, ut & ipsum sæpe non rejiculum destillationis Caput mortuum tantisper seponendo;) proveniunt inde nihilominus duodecim vel quatuordecim. Quod in suo genere haud parum est, id vero majus, quod dum equidem consumptionis ejus expectatio, (in Chirurgica aliave curiosiora Chymica,) nimis longa est, Mercurii vitæ (etiam citra rectificationem,) sat boni unciæ ad minimum quatuor nullo negotio hinc præcipitentur; superstite Spiritu Vitrioli Philosophico, in quotidianis usibus haud infrequente, ad libras tres & ultra: ut unicus sic Ungaricus, per duorum horum productorum Taxam, rarius tantum 20. frequentius 30. usque ad 40. fere Imperiales ferat. Et si denuo quidem hic Mercurius, (in ea parabilioris Croci Metallorum sufficientia,) utut insuper varie corrigatur, aut (citra omne Taxarum dispendium,) vitrificetur, tardius tamen distrahitur, Bezoarticum interea minerale (longe frequentius,) compendiose per Nitri (saltem venalem) Spiritum, aut Aquam fortem bonam abstrahendo paratum, majori adhuc lucri multiplicatione, pro quinque vel 6. Thaleris, (tanquam Mercurii vitæ Valore,) nunc 24. aut si pro Nitrosis, (denuo tamen alibi adhibendis,) Liquoribus, duos aut plane tres decurtamus, 21. præstat: adeoque Cinnabaris, Spiritus Philosophicus & Bezoarticum hoc conjunctim 50. usque fere ad 60. Imperiales.

TEXT. LUDOVIC.

Sin demum è prædicta Butyri quantitate: vulgare quis Bezoarticum malit, impensis (ad Liquoris gummosi destillationem supra requisitis, pro (licet pene frustranea,) Rectificatione, & Aquæ fortis vel Spiritus Nitri sufficiente quantitate, adjiciamus duos, imo plane tres (si opus foret, Joachimicos: adhuc tamen Pulvis iste Bezoarticus solus ad 10. vel 11. Ungaricos; Totum, per Valoris Cinnabaris & restitantis Spiritus Nitri compositi (hic abstracti) accessum, fere ad 30. Thaleros excurret.

Antimonii Diaphoretici libram semis, levi negotio, tertiam forte partem, vel alibi dimidium singamus duas tertias Imperialis impendendo nanciscimur: & simul decantati illius Anodyni mineralis uncias quatuordecim, plus minus. Secundum famosissimas Taxas Antimonium saltem, (si Nitri fixioris, per se, & in Vinis laxativis complurium salium, alibique ipsius Lapidis prunellæ vulgaris loco satis commodi, difficiliorem consumptionem prætendimus,) octo Imperiales, utrumque conjunctim duodecim, sexdecim, octodecim & amplius refundit. Sique rejiculam quandam, (indigenam solum) Retortulam perforatam negligimus, Clissi optimi libra una semis ad duas usque, simul proveniuut; passive sex, octo vel decem Imperialibus æstimatæ. Flores copiose surgentes, in Diaphoreticum Nitrosorum abstractione haud difficulter figendi,) transeant, ne navatæ operæ redhostimentum nimium & ultra 30. Imperiales extendatur.

Sic Croci Metallorum vulgaris (extus & ad aliqua quoque Composita commodi,) uncias sex, quasi aliud agendo paraverimus octava, sexta, ponamus quarta Imperialis parte: hinc inde tamen quartuor, alibi octo Imperialibus æstimantur. Sique Nitrum (hic mage) fixum addimus, & Clissum, si libuerit eodem modo (præter Flores,) collectum; Summa illic facile ad sex, octo, decem, hic ad quatuordecim Imperiales ascendet. Quid, si in Bezoarticum minerale redigatur? Florum Antimonialium, (licet sufficiens in id genus Vomitoria quantitas post Croci metallorum aliorumque præparationem prompte proveniat,) tantum tamen, quod 8. Imperialibus prostat, citra negotiosiorem peculiarium Furnorum apparatum, facili enchirisi modoque non uno, vix insumpto dimidio, (ut pro vulgari tædiosiorique integro fortasse,) colligitur.

Vitrioli Spiritus usitati, boni tamen & usibus medicis sufficientissimi libræ tres, circa talia exercitato ne unicum quidem Joachimicum, (fingamus tamen unum cum dimidio,) impendenti haud difficulter destillantur; duobus) passim, imo (ponamus pro concentratiori, fere tribus coëmuntur; at (præterquam quod externis nonnullis destinationibus interdum sufficiat,) ignarorum aut desidium hinc inde more haud adeo laudabili, Rectificationi per Retortam (licet propria manu destillatus ea non admodum indigeat, in emptitio autem vix decimus occupetur,) ob laborem & unciam unam semis præterpropter deciduam, assignetur Dimidius, aut per nos plane Integer. Nihilominus adhuc 20. 30. 40. Imperiales, secundum vulgatissimas taxas, pro navatæ operæ, vel si coëmatur, pro dispensationis solum compensatione supersunt: & simul (post propriam vulgaremque destillationem,) Caput mortuum; per se quoque, si externos in usus distrahatur, Vas aut Carbones exsolvens; sin autem unicum tantum interdum,) singula enim accommodari sic vix poterunt,) perfunctorie eluatur, vi Taxationis Terræ Vitrioli dulcificatæ, (nec versatioribus Chirurgis infrequentis,) appensæ, 8. vel 10. alicubi Imperiales & amplius superaddens; ceu Sal (quod Vitrioli albi loco precioque dari posset,) quinque sex aut octo. Vel si hujus plerumque tardior est distractio, è singulis prædicti ponderis destillationibus habentur ad minimum libræ quatuor polychresti illius Roris mineralis (prius à Vitrioli, aut postmodum à toto destillato abstrahendi,) uno alterove Ungarico haud raro divenditæ: ut proin è 12. Vitrioli libris, etsi pro diversa productorum accommodatione, communiter tamen 40. 50. usque ad 60. mitioribus & utut res cadat, 30. usque ad 40. fere Imperiales, intra haud adeo protractum temporis spatium redire queant.

Sulphur labore haud adeo magno libram semis Florum prompte fundit, insumpta forte tertia Thaleri parte, vel (ex ubundanti,) dimio. Prostant passim quatuor vel quinque. Ut Aciditatem sulphuream, Rori minerali haud ingrue associandam taceamus. Lactis sulphuris unciæ quatuor notoriis euporistis Solventibus diversimode octava Imperialis parte (vel si purum Salis Tartari lixivium recipitur, dimidio forte, imo (si Spiritus Tartari inde prius non est abstractus, adeoque per simplicem calcinatum acquisitum majori constat,) uno vel à muliercula parantur; venduntur 8. Joachimicis: Spiritus verò Sulphuris sexdecim: cum tamen hodie passim uno cum dimidio, duobusve complurium (sed de bonitate ejus securiorum,] more coëmatur; duobus, si quis perfumationibus istis occupari voluerit, domi præparetur.

Elixir propriet. usitati acidulati libra una similiter 16. Imperialibus prostat, cum duobus sat commode, vel per fictionem, & si quis modum ingredientium data opera negligere velit, tribus undiquaque confiat.

Nitri depuratissimi libra una & ultra, sexta vel quarta Thaleri parte, (nullo de cætero labore, residuoque amaricantiori Sale, si coaguletur, adhuc sui usus,) colligitur: at pretium pro dispensatione ultra duos cum dimidio passive extenditur. Ceu unciarum duodecim Lapidis prunellæ vulgaris taxatio ad duos Imperiales; cum iisdem impensis, (crudo quoque Sulphure sufficiente,) habeatur: ut secundum Nitri fixi, (ab Antimonio Diaphoretico elutriati,) coagulum, parum hinc differens prætereamus. Spiritus usitati optimi libræ duæ, uti duobus, ad tres usque, (si fidere voluerimus,) comparantur; ita, vase insuper plerumque superstite, vix integri impensa haud difficulter destillantur: taxantur passim 20. 30. Joachimicis. Et qui Aluminis additionem non veretur, pro uno & sexta forsan, istius parte, expeditiori adhuc negotio, 40. & ultra sic lucrabitur: Capite mortuo nihilominus sui usus, si circa seu Terram seu Sal aluminosum curiosior esse voluerit. Ipsius Aquæ fortis,) ut vel Arcani duplicati causa eam hic appendamus,) libræ tres, (bonæ de cætero notæ, & subito in Aquam Regis vertendæ, ut inconsideratius profecto, tunc duplicetur aut triplicetur pretium,) vix tribus quartis, rarius integro Thalero insumpto proveniunt, passiveque eodem comparantur; divenduntur quatuor, sex, vel octo nihilominus: & Sal illud polychrestum, vix tertiam unius partem (pro extractione & perfectione sua,) requires, frequentissime, (siquidem dimidium è capite mortuo pro more provenit,) 24. vel 30. Spiritus Salis libræ duæ, (quo laborem probe redimamus,) parentur unico; emuntur, si placet, duobus vel alibi duobus cum dimidio: accedat adhuc dimidius pro (supervacua tamen, & permultis Officinis haud adeo frequenti,) rectificatione, & unciæ unius semis præterpropter remanentia. Detractis sic detrahendis supersunt nihilominus (secundum Taxas,) dispensanti rarius duodecim tantum vel 15. plerumque 18. 20. 25. vel si Alumen addatur, copiosiori sic per easdem impensas profecto Spiritu, 30. Joachimici & amplius Flores, ni Liquori profecto adjiciantur, utrobique superaddunt alibi 4. vel 6. Nec in aluminoso Capite mortuo curiosior plane nil invenit; quod tamen cum Retorta interdum superstite, nostræ nunc considerationis non est.

Convertamur hinc potius ad Sal Ammoniacum, cujus genuini & urinosi (quovis etiam modo, cum Alcali Tartareo nitroso, &c.) sublimati Flores, ad quatuor uncias Imperiali præterpropter habentur Spiritus volatiliis, plerisque sub phlegmatis fætidi titulo neglectus,) primo profluens hunc, secundum vulgatas taxationes, ut plurimum rependit; ut 10. vel 12. reliquos, floribus istis assignatos, quasi gratis lucremur: quemadmodum & omne illud, quod è Sale medio acidiusculo, (Spiritum Salis coagulatum haud incommode referente;) item è fixiori, (è Capite mortuo extracto,) simplici aut Martiali (ceu vocant,) spurgante, (si Martiales Flores parati fuerint;) aut è Tinctura quoque Martiali è residuo confecta, diversimode acquiritur. Spiritus genuini sat boni lbj. cum Alcali Tartareo nitroso deliquato, integro Joachimico vix insumpto, cum Calce viva adhuc tolerabilius, cum puro Oleo Tartari unico cum dimidio, ad summum, (si data opera Tartarus alicubi seorsim prius calcinetur,) duobus colligitur; venditur sexdecim: præter Sal è Capite mortuo, intus & in Chimicos labores utilissimum.

Martis limatura & batitura quanti passim constat? & tamen Alcohol Quercetanico similive modo paratum, (vix nummos aliquot in libram impendendo,) rarius tantum 2. 3. vel 4. frequentius sub Croci Martis aperitivi nomine, 8. 12. & ultra rependit: quod sane pretium, si ipsi Croco saccharino, aliisque per præcipitationem, fumigationem, tædiosiusque adhuc confectis assignaretur, haud adeo forsan excusari posset. Æque ac dum libræ duæ limaturæ Martis sulphuratæ 3. 4. vel Thaleris; aut cum Aceto levigatæ idem pondus, uno, duobus, pluribusque distrahitur: cum hic quidem vix sexta, ibi raro tertia integri pars insumatur. Adstringentis Croci, quantum intus quidem consumitur, (dum extus Terra Vitrioli dulcificata satisfacit,) per intentius (apud singulos) ignis examen è limatura sulphurata, aliterve levigata vel alcolisata, (si rasuram è trabeculis capellisque adeo differre credimus,) levi negotio provenit: ut excedens sit quatuor Unciarum pro duabus tribusve Imperialibus taxatio: quibus sane libra una & amplius Croci adstrictorii cum Aqua forti similive operiosiori modo parari posset. Ceu quoque Vitrioli Martis cum Spiritu Vitrioli, [quippe tædiosum & longe parcius Cæmentum allegare piget,] libra semis & ultra, ne integro quidem erogato; quæ passive tamen duodecim sexdecimque venit: curiosiorique insuper Spiritus sulphurei volatilis quidpiam, sub præparationis initio suppeditat. Tincturæ Martis per acetosa illa, similiaque officinarum menstrua libræ duæ habentur, insumptis forsan tribus ad summum Imperialibus; condonemus adhuc unum; [ut eadem impensa idem pondus speciosioris quoque, v. gr. Tartarisatæ, vel è Vitriolo Martis Arcanoque Tartari, &c. producte

 parari

TEXT. LUDOVIC.

parari queat :) & nihilominus rarius 32. vel 36. sæpius 48. usque ad 62. hodieque in libellis æstimantur.

Mercurii dulcis optimi unciæ tres, vix dimidio constant; quatuor vel quinque Joachimicis, (præterquam quod sublimatum superius, externis sat sufficiens, Mercuriusque vivus in capitello, magnam partem expensarum redimat,) passive prostant. Uti Turbith minerale (per Sublimati cum oleo Tartari præcipitationem proveniens,) decem alicubi Thaleris, dum unciæ duæ semis vix unius dimidum pro confectione exigunt; & superstes Liquor, originem cogitantibus, alias haud est inutilis. Turbith vulgare per Spirituum acidorum abstractionem, vix adeo majori sumptu, at eodem pondere confit; quinque, sex, vel septem taxatur.

Saturni saccharum quatuor Imperialibus; ubi totidem unciæ similiter dimidio, ad summum integro præparantur: & Magisterii unciæ duæ, eodem pretio cum Vitrioli quoque Spiritu præcipitatæ; quatuor Joachimicorum valori pariter subjiciuntur.

Succini Oleum clarum ad uncias quartuor primo profluit, aut à toto destillato abstrahitur itidem dimidio, duabusve tertiis unius; ponamus penitus (pro rectificationis quoque compensatione,) integrum: quinque (sex, vel octo Thaleris per Taxas distrahuntur: præterquam quod aliæ unciæ quatuor (aut paulo minus,) Olei rubri crassioris, at odoratu gratioris extusque saltem polychresti restent: item uncia semis (ad unum usque) Salis volatilis, aliquota Spiritus Salis parte, &c. facile liganda, Ungarico plurisve divendi debere credita. Balsamum (cum Nucistæ Oleo,) optimum ad unciam semis, sexta Thaleri parte paratur; prostat dimidio vel duabus unius tertiis.

Coralliorum autem communis illa Solutio, ad uncias quatuor, octo Joachimicis; dum tamen una, aut tertia ejus parte insuper, prompte confit: æque ac unciæ duæ Magisterii, elegantissimi quoque, erogatis forte tribus unius partibus, aut (per suppositionem,) integra; quatuor autem taxantur: ut restantem Liquorem taceamus; qui si, (vulgo equidem paulo laboriosiori,) Aceto destillato & Oleo Tartari constiterit, Arcani tamen Tartari, (post aliqualem adhuc Aceti destillati abstractionem,) fundamentum aut partem præbet: ceu, si præcipitatio cum Spiritu Vitrioli facta fuerit, Liquor Acetosus Vitriolatus M. in medicis chimicisque usibus haud adeo rejiculus oboritur: idque majus adhuc, quod etiam Acetum non destillatum, eodem successuqueat recipi. Tincturæ Corallorum communis è prædicto Sale, aliisque vulgatioribus Officinarum hactenus modis comparatæ, libra una tres rarissime Joachimicos, (quibus speciosiorum hodie Solutionem ramosissimarum Tincturarum idem fere pondus paraverimus,) communiter exigit: cur autem 32. rarius 24. assignantur? adde quod Salis vulgaris residuum in Magisterium præcipitati, aliudve extractionis Magma nihilominus novis usibus accommodari queat.

Tolerabilior videtur Magisterii Perlarum taxatio,) dum (variabili alias istarum pretio,) duodecim Thaleris æstimatur uncia, ubi prior quatuor, vix quinque nonnumquam insumuntur. Sed Acetum destillatum hic quoque est supervacaneum; & paulo ante notatus Liquor Acetosus Vitriolatus expensarum partem interdum refundit: in universum autem, si tantum est refectivum, mitissima taxatione languentibus dispensari deberet. Quæ vero proportio, quod unciæ duæ Magisterii Matris Perlarum vulgatissimæ; quatuor Imperialibus prostant; dimidio, ad summum tribus integri partibus (plumacea quoque speciei,) præparandæ?

Atque ut reliqua nunc ex Animali regno desumpta similiter persequamur; Spiritus Cornu Cervi libra destillatur tertia forte parte, ad summum dimidio Imperialis: pro rectificationis labore, detrimento, Spiritusque Vini accessit assignemus idem majusve pretium: distrahitur uterque 6. 8. Thaleris. Oleum fœtidum, tribus æstimatum hic non attingemus; uti nec Sal volatile, Spiritu proprio ab initio non illiquatum, & (sive per se convenienter dilutum, sive Acidis fixum asservetur, facile duos per Taxationes suppeditans; siquidem satius esse putamus, si sub rectificatione isti combinentur. Tessulæ saltem (integro plerumque vasa eximendæ,) perfunctorie apud figulum albificatæ, unicum ad minimum Imperialem superaddunt; adeoque è rejectitio sæpe cornu 8.9. vel Imperiales levi negotio habentur. Cornu Cervi ph. calcinati libra, quasi aliud agendo paratur dimidio vel duabus tertiis Joachimici; venundatur quatuor integris: superstite adhuc Galatina, quovis, (si placuerit vel expectatur,) modo excepta, nihilominus impensarum duplum sic exsolvens. Magisterium Cornu Cervi cum Spiritu Nitri, ad unicias duas, (debita tamen intentione inter istius abstractionem,) collectum vix ultra dimidium constat, venditur tribus, quatuorque: & si edulcorantem Liquorem saltem Urina (si Sal Tartari displicuerit,) perfundamus, præcipitantur adhuc feré unciæ duæ, à residuis Spiritus, (qui ad perfectam siccitatem hic citra totius combustionem abstrahi nequibat,) particulis absorptæ, à vulgari Magisterio nil differentes; unde denuo duo vel tres, atque adeo ex unciis quatuor Cornu Cervi facile sic 5.6. vel 7. Thaleri redeunt: præsertim cum ambo haud inconsulto permisceantur, posteriori per prius intenso. Abstractus hic Nitri Spiritus, (sed & Aqua fortis citra noxam quandam adhiberi poterit, (diversas in dissolutiones satis adhuc sufficiens, pro lucri sit superpondio. Imo eadem solvendi ratione communis Magisterii unciæ quatuor parari poterunt, insumptis duabus tertiis, aut integro ad summum Imperiali; quæ nihilominus 4. vel 6. venundantur: & si quis Alcali quoddam Diaphoreticum, cum Nitrosis Spiritus crystallisatum desideraverit, instituta cum isto præcipitatione coagulum istud compendiose gratisque suppeditabitur: uti si Sal Tartari receptum fuerit, Liquor Nitrosus attemperans, diureticus, in Nitrum artificiale coagulabis restabit.

Solutionis Oculorum Cancri unciæ duæ habentur forte dimidio, distrahuntur quatuor; Magisteriique idem pondus similiter quatuor Imperialibus, dum etiam dimidio consit; imo leviori adhuc expensa, si Acetum solummodo simplex pro dissolutione adhibeatur.

Circa Castorei Extractum moderatio quædam interdum reperiri videtur, siquidem (in ea forte Valoris variatione,) unciæ uni præterpropter alterum tantum aut duplum assignatum est. Verum abstractus, sub præparatione, Vini Spiritus, (libræ unius pondere & amplius,) sumptus omnes ab altera parte liberaliter compensat; sive Hystericis, Cephalicis, Arthriticisque Aquis aut Mixturis extempore adjiciatur; sive potius (cum liquidum hic quidpiam praxi commodius minusque exhaustum sit,) in Essentiam redigatur; seu diluto inibi prædicto Extracto, seu (simplicius adhuc (infusa tantū Castorei recentis uncia una semis, cum aut sine tantillo salis Tartari. Ut cara nimis sit 12. Imperialium taxatio, cariorque adhuc, si loco abstractitii hujus, simplex saltem Spiritus ardens pro dicta essentia recipiatur.

Oleum Ceræ non rectificatum, (sufficientissimum, saltem ob butyrosam consistentiam dispensationi paulo incommodius,) vulgari modo ultra duodecim ancias colligitur, vix duas Imperialis tertias pro prima & secunda, (rectificatoria, ubi tantum Octo Olei clari uncias prodire ponamus,) destillatione insumendo: prius tamen integris octo, rectificatum octo, frequentius decem aut pene duodecim Thaleris æstimatur. Atque hæc ex usitatioribus Animalibus sufficiant.

E Vegetabilibus Tartari Spiritus libra una unico, ad summum uno semis; (etiam duabus eo fine Destillationibus institutis,) habetur; amplius quidpiam addat, cui Tartarus aut opera carior. Retorta iisdem usibus, eloto Capite mortuo, adhiberi potest, & rectificetur quovis modo & vel quatuor unciarum detrimento. Dispensatio polychresti hujus remedii nihilominus plerumque octo, rarius sex vel septem; omissa cum quamplurimis rectificatione 10. Joachimicos rependit; & Caput mortuum Salis usitatissimi tantum, (nam Oleum fœtidum, efficax quidem, at comptiori praxi minus commodum, nihilominus ridiculo pene ad quatuor vel sex Imperiales, etiam citra rectificationem taxatum, hic non adducemus,) quod passim octo cariusque prostat: ut destillationis tædium utroque probe compensetur. Sed enim è figulina quoque Calcinatione libra istius Alcali provenit, erogato alibi dimidio, alibi ponamus integrum aut amplius quidpiam: quæ tamen quinque Thaleris passim sed adhuc iniquius, si ex ana Tartari Nitrique detonatorum constiterit, æstimatur; aut octo vel decem, dum debita facileque dissolutum, Olei Tartari deliquari nomen induit.

Prosapiæ istius est Vitriolatus Tartarus vulgaris. Taxantur unciæ quinque, octo vel decem Imperialibus; tribus integri partibus, vel integro ad summum confectæ. Tincturæ Tartari communis, at satis bonæ libra, 12. 16. quæ unico cum dimidio, duobusve imo (demus) duobus cum dimidio, de cætero facillime paratur; & (præterquam quod Salis; novis usibus impendendi quidpiam interdum pro ratione processus relinquat,) Spiritus istius nominatissimi Tartarisati libris duabus eadem opera abstractis, duos tresve Thaleros æstimio isti superaddit. Ipsum Acidum Tartari, (à Cremore parum nisi tædii diminutione differens,) ad libram unam, Muliercula quoque vix quarta vel tertia unius parte conficit: ponamus alibi dimidium & amplius: Prostat passim sex octove: Et quo Mixturam simplicem hic annectamus, libræ 30. vel 32. Joachimicis, inter frequentissimas hodie distractiones divenduntur, quæ tamen facili negotio cum Spiritu Theriacali communi, infuso quidem tribus, Stillatitio vero 4. vel 5. ad summum insumptis confiunt. Tincturæ Bezoarticæ usitatæ eadem est ratio, siquidem ingredientia suo modo (& ni Spiritu Vitrioli Martiali, &c. singulariores sumus,) eadem, eademque fere est proportio; nec Spiritus Theriacalis majorem partem vulgatioribus constans, majus adeo pretium requirit, præ Infuso Theriacali communi proprieque sic dicto: ceu supputanti nunquam non manifestum fiet.

Nos ab Alcali Tartareo ad reliqua fixa pergamus. Ubi sane libræ semis Salis Millefolii, Ononidis, Stipitum fabarum, Chelidoniæ, &c. polychrestorum, (nulla tamen aut vili impensa comparandorum,) demus nihilominus impendi dimidium Thalerum: pro Cardui benedicti, Absinthii, Artemisiæ, &c. eodem pondere, secundum regionum ac proventus rationem, duas unius tertias, integrum, & amplius: distrahitur octo, rarius sex tantum: quo sane valore ne rariorum quidem, aut

parum

TEXT. LUDOVIC.

parum suppeditantium, Centaurii minoris, Fraxini alicubi,&c. Salia æstimari debebant. Crystallisatis pretium utplurimum duplicatur: at cum Sulphure quidem vix octava sextave pars integri; cum Spiritu Nitri vero dimidius forsan Joachimicus ulterius insumitur.

Aronis feculæ unciæ sex hinc inde exprimuntur vix quartam tertiamve unius partem erogantibus: nonnullibi raritati amplius quiddam demus: interea taxantur integris tribus.

Florum Benzoës unciæ fere duæ, vulgatiori quoque modo collecti, duodecim; dum uno cum dimidio vel duobus haud difficulter parantur; & eadem opera proveniens oleum facile quatuor aut quinque Imperialibus distrahitur.

Magisterii Scammonii unciæ tres vel tres semis proveniunt, vix, ni massa plane nequam fuerit, duorum in sumptione; aut si quid Spiritui ardenti (interdum cariori, sed tunc repetendo,) damus ulterius. Taxantur 9.10. rarius 11. aut duodecim Thaleris

Sic Magisterii Jalapii unciæ tres, novem, raro tantum septem: cum duobus, imo, (quo pulverisatio, insumendusque sed repetendus,) Spiritus probe compensetur, duobus cum dimidio haud difficulter præcipitentur. Extractum mucilaginosum, cum Sacchari particula in Essentiæ uncias quatuor redigendum; ob languorem ejus non attingimus.

Magisterii Gummi Guttæ ad minimum unciæ duæ, sæpius ad tres usque, tribus unius quartis acquiruntur; & hinc sub dispensatione quatuor, sex imo octo Joachimici.

Extractum Agarici pro unciis duabus, (puris satisque spissis,) uno præterpropter constantibus, quinque vel sex rependit. Uti Turbethini Extracti (resinosi ac pilularis consistentiæ,) idem pondus, sex Imperiales, uno dimidioque ad summum collectum, Spiritu insuper utrobique sub confectione separabili. Extractum Hellebori nigri communi more ad quatuor (consuetæ consistentiæ,) uncias paratum, tertiæ vel dimidia unius parte constet; addamus idem pro depuratione per vini Spiritum, magmatisque secedentis compensatione pretium: adhuc nihilominus tres, quatuor aut quinque pro locorum taxarumque more refundet. Uti unciæ duæ Extracti Colocynthini spississimi sex Imperiales; quæ uno cum dimidio sat commode comparantur. Extractum Aloës ultra pilularem consistentiam condensatum ad minimum octo, (nam ob successivam majorem exsiccationem plures allegare nolumus;) reddit; dum insumptis ad summum duabus Imperialibus habetur; sicque Spiritus ardens hic pro opinionum variatione assumitur, auctius Spissamenti semiresinosi pondus istius valorem prompte redimit: ceu Extracti foliorum Senæ unciæ duæ, (pilularis & à mucagine superflua satis liberatæ consistentiæ,) insumptas duas unius tertias, tres quartas, aut si amplius quid increscens interdum valor exigit; per assignatos tres quatuorve (nam Exteris viciniores duos tantum assignasse rarum est,) Imperiales, eademque fere invenitur unciarum duarum Extracti Rhabarbari conditio, si quatuor vel quinque nonnullibi dispensentur; siquidem usitatiores Taxæ sex vel septem ponunt, dum unico cum dimidio, duobusve, (præsertim cum remissius pretium talia suos postmodum in usus præparanda suadet,) sat commode colliguntur: æque ac Extracti Panchymagogi (usitati completique) unciæ tres & amplius duobus, vel alibi duobus cum dimidio Thaleris: quæ octo tamen novemque passim veneunt quatuor enim alicubi tantum compendiosiori cuidam Compositioni adscripti videntur; sicque Ambratas superfluitates in prædicto omitteremus, istius quoque competentiorem taxationis modum excederent.

Minus autem adhuc moderatus est vulgatissimorum (v. g. Absinthii, Scabiosæ, Hederæ terrestris, Agrimoniæ, Chelidoniæ, Cichorii, Plantaginis, Vulnerariorum, &c.) Extractorum valor; dum unciæ tres, vix ac ne vix quidem octava quartave unius parte constantes, tribus Ioachimici divenduntur: aut Cardui Benedicti, Veronicæ, Polypodii, Centaurii minoris, Gentianæ, Aristolochiæ Tormentillæ, &c. unciæ tres eodem pretio; dum sexta quartave Imperialis parte parantur. Liquiritiæ spissisimi Extracti unciæ quatuor totidem Thaleris æstimantur, sexta, quarta, rarius octava unius parte, pro districtuum ratione habendæ: Et Croci optimum ad unciam unam semis, unico, (sique vel dimidium addimus,) Imperiali; taxatur passive sex.

Atque quo eorum etiam nonnulla, quæ (præ jam dictis, Aquoso menstruo satis obedientibus,) consultius cum ardenti extrahuntur, similiter in exemplum producamus: usitatissimorum ex Angelica, Enula, Hyperico, &c. unciæ duæ totidem Thaleris prostant; passivè præsertim in mediterraneis hisce, duabus unius tertiis aut paulo amplius colligendæ; sique Spiritus ardentis valor interdum increverit, tres insuper imperiales, (è totidem Spiritus medicati libris, sub eorum confectione abstrahendis,) superaddentes: Sique Spirituum horum (v. g. Hyperici Enulæ, &c.) partem, in Essentiam liquidam amplius redigere libuerit, denuo singulæ harum libræ, (duobus Thaleris taxatæ,) etsi vel Extracto proprio saturentur, impensarum duplum, triplum, & amplius, (præcipue si consimilium Extractorum loco, parabilior eorum modus, per Aquam simplicem Sale Tartari sufficienter acutam, alicubi pro re nata observetur; aut ipsa saltem Simplicia infundantur,) præstant. Extracti Symphyti, nullatenus mucaginosi, uncias duas haud difficulter habemus, vix tertiam unius partem insumendo; prostant integris duobus; & Extracti resinosi ligni Aloës (satis boni) uncia una semis (pilularis consistentiæ,) sex, octo, imo 12. Thaleris, quæ unico cum dimidio probe præparatur: Ceu Opii (sine vel cum præviis quorundam ambagibus,) Extracti, (citra acetosa quædam alias plane innoxii,) unciæ tres Imperiali solo, vel interdum cum dimidio; aut si amplius damus quidpiam: taxantur 6. & inexcusabilior adhuc est proportio, qua Laudana passim distrahuntur; recentissimæ scilicet descriptionis uncia una semis (quam mediocris quoque Praxis intra vertentem annum facile consumit,) 20.25.30. Thaleris; (sive tota massa, sive dimidia tantum Moscho magis, aut plane non infecta sit:) conficitur autem ad literam, complete, missisque compendiis, duobus, duobusve cum dimidio ad summum.

Essentia Absintii optima, cum Spiritu fermentatitio Extractoque proprio parata, libram unam semis sex vel octo interdum Imperialibus æstimari vidimus; vulgariorem, (Extracto tamen proprio constantem,) tribus quatuorve; imo vulgatissima (per simplicem summitatum infusionem,) vix dimidius decedit: cum nihilominus & ad summum, prima quidem duabus unius tertiis; secunda tertia Thaleri parte vix insumpta, ultima nummis tantum aliquot constet. Ceu Extracti Theriacæ Andr. (de viribus; processusque convenientia hic non quæritur,) unciæ quatuor (totidem Joachimicis venales,) unico cum dimidio: superstite insuper Spiritu Theriacali abstractitio optimo, (soluta Camphora facile alterando,) ad libras tres & amplius, quod Ungaricis passim taxatas? Sane vulgaris descriptionis libræ tres 12.16.24. Thaleris prostant; cum ad literam insuper quinnetiam habito residui Extracti pretio, tribus commode destillentur: accuratoribus infundendo potius consiant, ne duobus quidem insumptis.

Spiritus lig. Guajacini lbj. colligitur duabus præterpropter tertiis unius Imperialis, venditur citra rectificationem aliquam, integris octo; rectificatus (detractis detrahendis (amplius adhuc quidpiam nihilominus, certe minus pretium non refundit: sique Oleum fœtidum pariter distrahi posset, è taxatione ejus adhuc quinque redirent, post rectificationem vix infra octo. Eademque est Buxi ac fere Coryllini ratio.

Circa Spiritus ardentes Abstractitios, (v.g. Anisi, Fœniculi, Calami, Juniperi, Menthæ, Veronicæ, Absinthii, florum Liliorum convall. Cochleariæ, &c.) ut alicubi moderatio quædam, nec excessus adeo ultra duplum, (præsertim cariore frumenti Vinive Spiritu,) observari videatur; Oleum tamen per vesicam simul profluens, expensas in nonnulla (v.g. Anisum, Fœniculum, &c.) factas redimit: plerique præterea alibi atque frequentius, care satis divenduntur: v.g. Absinthiaci, Liliorum Convall. Menthæ, &c. libræ duæ non tam duobus, quam 3. 4. pluribusque Thaleris; dum parati vix ultra tertiam unius partem dimidiove constent: æque ac fermentatiorum (utut in quibusdam simplicibus immerito prælatorum, similiter libræ duæ (è fl. Sambuci, Absinthio, Mentha, aliisque parabilioribus,) vulgatiori quoque more, (quo Sacchari Mellisve accessu nihilo inferiores taceamus,) destillatæ vix unico Imperiali; aut si quid ulterius varianti comparandorum pretio dederimus: prostant quinque, sex, octo, duodecim; ceu Spiritus Liliorum convallium, Cochleareæ, &c. libra una, uno, vel superaddito dimidio præterpropter parabilis, octo, Rosarum duodecim, sexdecim Thaleris: tantillum olei, quod è Mentha, Absinthio, &c. simul profluit hic non attendimus: quemadmodum nec (exiguo pretio, sed haud sine exotericorum accessu) venalem hinc inde Juniperi Spiritum: siquidem ut rariorum nonnullibi baccarum majus sit pretium, debita tamen compensatio eo non ascendit, ut libræ tres fermentatii quatuor Imperialibus æstimari queant: vel olei libra non tam duobus, quam quatuor, quinque, &c. dum (raro nunc destillantibus) sat bonæ notæ passim duabus unius tertiis, ad summum alicubi integro coëmatur.

Ita Spiritus Terebinthinæ libræ duæ, unico & tertia forsan unius parte comparantur: sin domi destillamus, & quidem per Vesicam, emptii istius pretium ne quidem insumitur, restitansque Colophonia, dummodo vulgaris Colophoniæ taxa distrahatur, aut ejus libra semis saltem Terebinthinæ coctæ loco usurpetur,) impensas liberaliter redimit. Si vero per Cucurbitam; Oleum subsequum flavum rubrumque, pro Imperiali nonnullis æstimatum, idem præstat; ut Spiritus qualecunque hic superpondium non allegemus. E Lateritio communi passive triplum, quadruplum, è rectificato sextuplum, redit; larga laboris [etiam citra vulgare tædium instituendi,] compensatione. Olei carvi unciæ duæ totidem Thaleris prostant; parantur hinc inde vix octava sextave unius parte, vel si amplius quid quispiam postulet, insumpta: ut priores aliquot Aquæ sat bonæ libras prætereamus. Anisi ac Fœniculi eadem est ratio. Uncias duas Olei paraverimus Imperiali præterpropter; quatuor divenduntur;

venduntur: & si Aquam per se nolumus, è residuo per fermentationem Spiritus tantum postliminio prodit, quod ad minimum omnes impensas ex solvit. Olea Aromatica cum affinibus, v. gr. Rhodino, Menthæ, Chamomillæ, &c. olei parum tardeque fundentibus, si ab ingenuis Destillatoribus ac Materialistis intemerata nonnunquam haberi queant, magno sumptuum alias impendendorum compendio, (præsertim ubi singulariores quædam Enchirises, vasave capaciora deficiunt,) coëmi posse fatemur. Cur autem per solam dispensationem è plerisque duplum, aut (licet quædam ob aquæ scilicet aut salitæ instillandæ defectum, crassescant, in se consumantur, aut per guttularum exstillationes disperdant aliquid, è drachma tamen, satis alias excessive in taxis æstimata, denuo in guttarum distractione statim duplum, triplum, imo quadruplum, quintuplum redire debeat, id quidem non videmus. In Cinamomi nihilominus, Rhodino, Caryophyllorum, Nucistæ, Macis Majoranæ, Menthæ, Rorismarini, Citri, Aurantiorum, Anisi, Fœniculi, Salviæ, imo Pulegii, Rutaceo, &c. Oleis, (ipso sane Juniperino, cujus drachmam octava Imperialis parte nonnullibi dispensari cernimus,) exempla passim sunt manifesta: æque ac in Spiritus Vitrioli, Salis, Nitri, Ammoniaci, &c. guttis. Vesicæ vitraque corrodantur; & inter extillandum semper dispereat aut elebatur aliquid; resarciri tamen, citra impositæ) singulis drachmis unciisque) Taxationis duplicatione, &c. minori adhuc redhostimento poterat. Sin autem prædictorum pleraque, vel mangonii evitandi causa, domi quis destillare voluerit, nihilominus circa quamplurima moderatiorem taxam, publici boni causa, citra privatum incommodum observari posse deprehendet. Nam ut Cinamomi, Nucistæ, Macis, Citri Aurantiorum, &c. Olea solitaria expensas haud adeo, præsertim per minora vasa rependere videantur; sunt tamen Accessoria, Aquæ, Succi, Spiritus, è residuo, &c. quæ sub facili distractione, reditus hinc satis superque exalt[illegible]. Ita Citriorum, imo ipsorum Aurantiorum succus per se duplum, triplumve, (Compositis adhibitus, plerumque magis adhuc multiplicatum,) reddit pretium, quo Mala illa, recentia quoque & selecta, (ne corruptionem minitantia viliori valore, licet haud adeo laudabiliter huc tracta allegemus,) passim comparantur. Qui Cinamomum destillat, v. gr. duabus libris Aquæ spirituosioris optimæque ad minimum libras octo, adeoque pro tribus præterpropter Imperialibus communissime decem nanciscitur; ut si vel scrupulum tantum Olei secerneret, (siquidem drachmæ unius ad Cinamomi libram unam tradita proportio, in quantitate Vesicaque minori non procedit,) gratis illud habeat. Rhodinum, (dum, nisi è majori raspaturæ pondere, profecto parce satis alias prolicitur, Rosarum autem verum, post quævis etiam tentamina, per quam est exiguum,) ementis nunc pro more argentum proculdubio satis compensat? idque eo liberalius, si vulgo Rosacei veri loco consumatur. Cariohyllorum olei uncia duobus, (vix majori,) prolecta, quinque Imperialibus distrahitur; dum prioris (data opera) paulo spirituosioris Aquæ v. gr. libræ duæ Aquis Compositis constituendis, (ceu præcedente Diss. notavimus,) per quam commodæ, impensas penitus, aut eorum saltem dimidium exsolvunt. Eadem est Macis ac Nucistæ circa ejuscemodi superpondium ratio: nam drachmas sex vel unciam unam Oleosi Magmatis, post destillati unciam semis, in Vesica restitantis, (quibusdam loco debiliorum adhuc liquaminum, Emplastris Linimentisque mixti,) hic non adducemus, Absinthii, Menthæ, Chamomillæ, & fere Rorismarini olea paulo difficilius colligi certum est: sed hu us ut & Chamomillæ, (pro iis, qui Phisogonas condunt,) priores vegetioresque Aquæ, illic vero diversimode collecti Spiritus, ea taxatione veneunt, ut olea tunc pene gratis alicubi haberi, vel secundum vulgarem quoque destillationis modum nihilominus moderatiori æstimio dispensari queant; Additamenta (vel ex Abiete,) cum adulterina nolimus, hic non attingimus; ceu nec quorundam certis in locis parabilitatem. Uti Majoranæ hinc, Rutæ, Pulegii, atque congenerum, (majorem horum copiam suppeditantium,] Oleis tertia vel quarta assignati pretii pars eo evidentius subtrahi posset.

E Balsamo, (supponimus autem optimum, citra viliora corpora, cum oleo Nucistæ puro confectum,) Cinamomi, Rhodino, Macis, Nucistæ, Majoranæ, Succini, Rutæ, &c. passim triplum; E Caryophyllaceo quadruplum vel quintumplum; ex Apoplectico A. Cr. alteriusve fragrantiori, (Ambra Moscho, Zibethaque sufficienter saturato,) triplum, quadruplum, & amplius (impensas saltem suputantibus, redit: ut hic alibique decedens sub distractione tantillum satis undiquaque compensetur. Balsami Sulphuris Terebinthinati optimi libra, ne integro quidem Imperiali erogato paratur; passive sexdecim venditur: ceu quod (externos in usus,) cum Oleo Nucum pro tertia forte istius parte, si Flores Sulphuris recipiuntur; dimidio præterpropter, cum Oleo Amygdalino, (ponamus,) integro consit; hinc inde tamen quatuor, quinque, rarius tribus tantum Joachimicis prostat.

Quod autem Aquas destillatas simplices concernit, mitius quidem cum compluribus actum videtur; dum v. g. Rosacea, Acaciæ, Fragorum, Carduibened. Pæoniæ, Majoranæ, Melissæ, Menthæ, Pulegii, Rutæ, Cochleariæ, Cherofolii, &c. vulgari modo elicitæ, ad liberas sex, Imperiali præterpropter ac successive distrahuntur. Permultis tamen nihilominus (severior forte aut potius æquior,) quispiam detrahere quidpiam posset: siquidem dictum pondus paucis horis, è minutiori quoque Vesica vel mulierculæ quasi aliud agenti destillatur: aliquas profluens simul Oleum largiter compensat: plures notabili quotannis copia, (seu quia debiliores, seu quia polychrestæ,) consumuntur: multæ parvo constant; uti Fumariæ quoque, cichorii, Betonicæ, Scabiosæ fereque (si cui placent,) Veronicæ, Acetosæ, Fl. Tiliæ, &c. Et è nonnullorum sedimentis, si quis curiosior, aut ampliori apparatui deditus esse voluerit, Essentialis Salis haud parum, nec parvo æstimatum provenit; multo majus autem quidpiam ex iis, quæ cum vino destillatæ communiter dicuntur. Nam v. gr. pro libris tribus Aq. Mentha Melissæ, Cochleariæ, Veronicæ, Pulegii, Lil. convallium, &c. vix ultra octavam, sextam, aut quartam Imperialis partem (phlegmaticarum respectu,) requiritur: pretium tamen passim duplicatur aut triplicatur. Aquæ Cinamomi libræ quatuor, fere sex, rarius quinque Joachimicis distrahuntur; optimæ notæ uno cum dimidio parantur; & qui circa subsidens tractu temporis oleum repetito occupari avet, hinc quoque impensarum partem aut dimidium nanciscitur. Si porro Aquæ Spermatis Ranarum libræ tres dimidio venundari poterunt, etiam tædiose per Mariæ Bal. destillatæ; cur totidem Aquæ Typharum Cervinarum simplicis libræ cum vino eodem modo collectæ quatuor Thaleris æstimantur? dum vinum atque ratiores etiam alicubi Typhæ dimidio, vix integro constans. Nec minor circa Compositas quoque deprehenditur excessus; etsi omnes indifferenter Species recipiantur, generosiorique vino quasi suffocentur. Quid si laborum sumptuumque (per Ingredientium delectum, substitutumque Vini Spiritum,) accedant compendia? Aqua Apoplecticæ selectissimæ libræ quatuor uno, rarius uno ac dimidio confiunt, prostant quinque; & Epilepticæ L. Hystericæ Off. & Aquæ Vitæ mul. tres libræ, quatuor Imperialibus, quæ unico, (vix quarta insuper parte) præparantur. Aquæ Anhaltinæ, (cum Moscho quoque,) Theriacalis usitatæ, ipsiusque Carfunculi aureæ, pariter cum Mosco. (omissis saltem ultimis, è Sole Perlis, &c. jam olim ineptiarum convictis additiunculis,) destillatæ, eadem est circa impensas atque reditus cum prædicta Apoplectica ratio sive proportio: Balsami Embrionum libræ sex tribus aut majori adhuc pretio (observatis omnibus hic, præter solam à Sole redestillationem, ceremoniis, habeantur: sexdecim tamen passive hactenus distractæ sunt, rarius quatuordecim aut duodecim Thaleris: sique nuper lucrum ad octo reductum est alicubi, etiam labores tum ac vana accessoria notabiliter simul præciderunt. Ex Asthmaticis usitatioribus, Carminativa vulgata, Antiscorbutica, &c. utplurimum triplum redit; amplius sane quidpiam ex Elixirio Vitæ M.

Sed hæc è priori classe sufficiant. Consequens est, ut è reliquorum quo congerie potiora similiter sistamus: singulorum enim resolutio Lectori forte tædium, certe in causa liquida frustraneum nobis laborem pareret: & satis erit unum vel alterum è quovis remediorum genere, tanquam in exemplum adduxisse.

Theriacæ Andr. libræ fere quindecim, uti in simplo describitur, legitime facilique negotio nullibi non præparari possunt, 11. 12. ad summum 13. vel 14. Imperalium insumptione. Imo septem vel octo sufficerent, si exuto saltem peregrinitatis aut antiquitatis studio, Pulveri colubrino, Terræ sigillatæ Silesiacæ, Terebinthinæ, Acaciæ, Spicæ, Scordio, Dauco, Dictamno, Seseli, Thlaspi, Bulbis, &c. nostratibus acquiesceremus. Polychresto huic remedio nihilominus excessiva profecto taxatio passim adsignata est; ut ex impensa ista rarissime tantum 60. utplurimum 70. imo 100 pluresve Joachimi redeant; & genialis illa Spectatorum cœna probe redimatur. Mithridatii Democrat. libræ fere decem, septem Imperialibus haud difficulter, etiam in remotioribus ab Emporiis opidis conficiuntur: ex adverso infrequentius 30. saltem, plerumque 40. 50. pluribusque divenduntur. Et tamen senescentium horum Electuariorum viribus, secundum vulgatas traditiones, nil aut parum decedit. Exsiccationem nimiam alias diversimode impedire sciunt Dispensatores: nec tanti est, quod inter quotidianam distractionem, (liberalissima hac taxatione,) decedit. E Theriaca Diatessaron quintuplum & ultra redire, profecto nimis multum est: è Diascordio sextuplum aut septuplum: Alchermes Monspeliensis, sive (qualis qualis etiam,) coëmatur, sive seorsim præparatur, in ea polychrestæ necessitatis persuasione, passive tamen triplum refundit; amplius autem iis, qui supervacuas additiones omittere didicerunt. Electuaria è succo Rosarum, Benedictum laxativum, Caryocostinum & alia ejus generis purgantia similiter hinc inde triplum. Lohoch de Pulmone Vulpis, sano & experto, &c. paulo æquiores videntur Taxæ, duplo fere hinc inde contentæ. Rosarum autem, seu Hortensium, seu quoque Cynorrhodi Conservæ libræ tres duobus Imperialibus passim estimantur, dum tamen duabus unius tertiis aut tribus unius quartis sat commode confiant: ceu libra una Conservæ rosVitriolatæ tertia Imperialis parte; divenditur integro & quarta unius parte. Reliqua hujus generis Bellaria potius,

quam

TEXT. LUDOVIC.

quàm genuina Medicamenta recensere piget; duplo nihilominus, sæpe majori, rarius tolerabiliori taxatione venalia.

Sirupi Violar. Rosar. Papav. erratici, fl. Pæoniæ, de Acetosa, Veronica Sceletyrbicus vulgaris, item ipsius Borraginis atque Buglossæ Cydoniorum, Ribium, Berberum, Ceras. acidorum, Rob Diamorum, Dianucum, &c. etiam ubi simplicis minus existunt parabilia, ad duplum nihilominus ampliusque adscendunt. De Liquiritia, Dialtheæ, (etiam negotiosius confectus,) de duabus & quinque Radicibus, Acetosus s. de Sena, de Coralliis [usitatoris hactenus Dispensatorii,) aliique hujus generis tritiores, illud passivè longiusque transgrediuntur; imo quidam & alicubi ad triplum, cum Siropo Rosarum solut. abeunt: quemadmodum & Sirupus de Cichorio cum Rhabarbaro de pomis Saboris, &c. ut Diasereos, in ea valoris simplicium variationè,] duplo aut paulo æquius nonnullibi tractetur: eademque moderatio circa Sirupum acetositatis Citri [vulgari modo proportioneque paratum,) observari videtur: sed Cortices residuos qui seu in Essentiam, [uti Liquor oleosus vocatur:) seu in Sirupum de Corticibus citri, (cum aliquali quidem impensa denuo, redigit, aut in oleum destillat, horumque pretium superiori addit, superabundantiam tunc facile comperiet: quemadmodum etiam, si recentiora compendia enchirisesque sectetur. Oxysaccharum vero emeticum octuplum aut decuplum reddere, planè est excessivum, nam libram semis facile dimidio Imperiali paraverimus: uti Mellis passularum, purissimi quoque, libram unam semis, eodem pretio, quæ tamen integrò cum dimidio Joachimico venundatur; & in subsidente tartaro eadem opera expensarum dimidium facile refundit, secundum usitatiores hactenus taxas.

Aceti Theriacalis communis libras duas vel materfamilias confecerit, quarta Thaleri parte; distrahuntur passim quadruplo carius: & totidem Aceti scillitici libræ quatuor Imperialibus; quæ vulgari quidem modò dimidio forsan, ad Galeni vero normam sexta vel quarta unius parte nullo negotio parantur: ceu unciæ quatuor & amplius Olei Nucistæ uno præterpropter cum dimidio; quatuor Joachimicis, rarius minoris æstimatæ. E polychresto Amygdalino, etiam frigidè vel citra intensiorem calefactionem expresso, pro dimidio in libram, (quam duabus unius Thaleri tertiis coëmas) undequaque insumpto, passivè unus cum dimidio, & amplius, (ubi major licentia,) redit: majus autem adhuc, si vehementiori igne, (pro complurium, gratias hic susque deque habentium more,) copiosius colligatur.

E Pulvere puerorum, absolutè sic officinis dicto, Iride Pœoniaque constante,) pro insumpta in libram semis sexta vel quarta unius parte, hinc inde integri duo cum dimidio Imperialis repetuntur: ex unciis tribus pulveris Marchionis, unico & quarta unius facile, [si perinde fuerit cornu Cervi an unicornu adsumatur,] conficiendis, non solum quinque vel sex, sed ubi ana sacchari addunt, etiam decem vel duodecim: quo senè æquior quispiam [hic requisitas] drachmas duas Rhinocerotis vel alterius ex interiori Africa ultimave Gronlandia periti Cornu haud invitus redimeret; si Fossile insufficientius crederetur. Pulvis adcasum non tam duplum quàm pro negligenti mixtura triplum reddit: & Stomachalis Birckm. pro tribus unius quartis in libram forsan erogatis, Imperiales duos cum dimidio, imo alibi quinque, sex, sæpeque superioribus annis plures, &c. quis enim Obsoletos jam, aut pro inventorum aut præscribentium lubitu miris modis variatos omnes sigillatim recenseat. E Diagridio vulgari æque, ac scammonio sulphurato, (si bene hic procedas,) rarius duplum tantummodo acquiritur. Et ut speciebus Aromaticis completis, præsertim pretiosioribus, v. gr. Diambræ, Diamoschi dulce, Diaromatici caryophyllat. Diamargariti frigidi, [nam Diaromatici rosº. Diarhodon, Diaxylaloës, &c. gravius æstimium est manifestum,) hinc inde, etiam ubi ficta illa moderatio haud ob servatur, quadantenus sit parcitum, ex incompletis tamen Diarrhodon, Diambræ, Diaromatici caryophyllati, rosati, &c. non tam duplum solum, quàm triplum quadruplumque præter rem redit: quemadmodum etiam è Speciebus Imperatoris, Diatrion Pipereon, Diazingiberis, & amplius adhuc è [paulo quidem tædiosioribus,] Diatragacanthi frigidi, &c. æque usitatis. Dia Ireos ad sextuplum passim adscendere cernimus. Nec mitius fere cum Sief albo, cum aut sine opio actum. Trochisci de Myrrha triplum ferunt; ut hinc in paulo tædiosioribus Alhandal, [Colocynthide tamen hodie facili compendio probè pulverabili,] & Agarico trochiscato duplum minus forsan elevari posset. Utque mitior adhuc nonnullibi sit Galliæ mosch. usitatiorum Rotularum, Morsulorum Imperatoris fructibus, ipsarumque manus Chr. perlatarum taxatio; reliquis nihilominus, v. g. Aniso laxativo, &c. passim triplum, rarius duplum assignatum est. Eadem vero tritiorum quoque pilularum, e. g. Aurearum, Cochiarum Arabicarum, &c. sine quibus, plerumque observatur ratio, seu à duplo ad triplum (post perfunctoriam mixturam,) ascensus; at in Angelicis communibus Tartareisque, ceu dicuntur, correctis amplius adhuc quidpiam: siquidem hic pro insumptis præterpropter in libram semis duobus, passivè decem vel duodecim redeunt; illic loco integri & duabus unius tertiis, Imperiales octo: quibus efformationis (otiosorum puerorum) labor satis forsan compensatur; æquè ac dum idem Extracti Aloës s. vel aliquantillo euporistorum vegetabilium alterati pondus, uno cum dimidio, (ponamus,) duobus constans, nonnullibi 32. Thaleris distrahitur. Et qui reliquas minus nunc usuales pilularum officinalium Formulas obiter saltem censebit, haud difficulter singularum, altero tanto haud contentarum, extravagantias deprehendet. Ordine enim eas recensere nostri non est instituti, qui per Topicorum usitatiorum lustrum, inter inspiratas pagellarum excrescentias ad finem properare cogimur.

Ita è vulgari Lumbricorum Oleo passim non solum triplum, sed quadruplum quoque aut amplius ultra expensas provenit: è Scorpionum simplici, cum Olivo parato, plerumque triplum; raro minus, si Amygdalinum receptum fuerit. Pro sola Laurini Petroleique dispensatione hinc inde duplum assignatum cernimus: nec tritiorum, v. g. Chamomelini, Anethini, Rosati, Violati, Verbascini, Liliorum alb. Hyperici, Rutacei, Absinthii, Mastichini, &c. labor & impensæ compensationi undiquaque quadrant: vulgatissimorum vero Lini, Cannabini, Juglandium Papaverini, &c. excessus etiam in parabilitate sua, adhuc sunt evidentiores: sique otiosior aut diligentior quispiam supputationem circa Composita quoque instituere voluerit, idem in plerisque deprehendetur. Unguentum album, Populeum, Dialtheæ, Ægyptiacum, Rosatum Pomatum, Potabile Resumptivum, Nervinum, Comitissæ, &c. etiam observantissimè, & in locis à facilitate mercimoniorum remotioribus parata, plerumque ad duplum ascendunt; alibi nonnulla, cum Ung. Nihili, suique similibus euporistis ad triplum evagantur. Et eadem fere est emplastrorum Diachyli s. de Meliloto, simplicissime confecti, de Baccis Lauri cum cera quoque, &c. Splenetici, Albi, Oxycrocei com. congenerumque ratio, utplurimum ad duplum ducta. E Vesicatorio, Matricali pro more extenso, Diasulphuris, R. Diapalma, Stictico Cr. &c. etiam nominatioribus in locis, triplum, rarius minus redit. Sed hæc in exemplum hucusque recensita procul dubio sufficient; non ut cuiquam ægrè hinc fiat, verum quo asserti saltem nostri constet veritas; quam non solum in allegatis tantum, sed in reliquis insuper, quæ resolvere penitius vel referre piguit, oculata manus haud difficulter observabit largiter, in plerisque cum superpondio: siquidem vel oppidorum minorumve Apparatuum gratia faciliores comparandi modos atque pretia utplurimum neglexímus; nec in Resolutionibus ipsis ad solidos, grossos, nummos, &c. minutias delabi voluimus; multo minus ad recentiora Compendia, quæ labores atque impensas in per multis haud perfunctoriè levant. Si quæ amplius in assertione ipsa supererit (è brevitate vel generaliori censu,) obscuritas, plana hæc cuilibet statim fiet, qui modo spectabit aut inquiret in Simplicium seu statum quasi, seu alternantem valorem; expendet modum dispensandi; observavit quid inibi singulis, tam integris quàm resolutis, varieve tentatis decedat vel accedat; quanti quævis Præparationes constent, quantis laboribus, quot horis, quibus vasis, quo tædio; quantum crassamenti subsideat, filtro adhæreat, quantum inter Digestiones, Abstractiones, &c. dissipetur; quinam sit districtus sui situs & natura, non solum (mage tum) necessariorum usitatiorumque remediorum, & hinc distractionis frequentiæ vel infrequentiæ, verum etiam in ipsorum Emporiorum, ac modi, per (variantes libras aut Centenariorum partes comparandi respectu. Qui hæc & alia forsan insuper, quæ vel Privati quid sapiunt, vel conniventia arbitratuque proprio in regularitatem quasi quandam nullibi fere non tandem transierunt, paulo penitius considerabit; Is diffusiorem hic determinationem, specificationem, & specialia Subtractionum aut Divisionum exempla neutiquam desiderabit, Excessus nullo negotio advertet, & tum demum pretium singulis conveniens, quasi aliud agendo statuet; non quo Privatorum unus aut alter, sed tota Respublica indifferenter, & citra ullam, (huc alicubi tractam,) pretiosiorum modificationem seu moderationem gaudeat. Nec enim, ut denuo hoc repetamus, sub relata hactenus determinatione, (generali sane,) Taxam quandam condimus; sed Excessus saltem, quasi per transennam subterversantibus ostendimus. Addat, detrahatve qui volet, ubicunque Loci, Distractionis, Processus, Laborum, Detrimenti, &c. modus & ratio postulabit, Qui sub competenti sibi moderatione, sua tolerabilius divendet, Religiosior esto.

DISSERTATIO III.

DE PRIVATA REMEDIORUM DISPENSATIONE.

TEXT. LUDOVIC.

RELIQUUM nunc est, ut pro Tractationis aut Postulatorum nostrorum Complemento commoda, quæ in Rempubl. simpliciter, aut inter aliqua hinc Professionis nostræ, (aliàs hac tempestate sat sidentis) Magmenta; plerisque præsertim Mediterraneis hisce minorumque Commerciorum locis, per privatam Remediorum, (revera sic dictorum & requisitorum,) dispensationem redundant, consideremus: at omnino sub Referentis saltem nullatenus verò Disputantis Persona; retro velum & præfiscine; ne hactenus diversimode quidem subterversantium, & per introductum passim receptissimum seu reditus suos tutantium, seu consuetudini (haud raro ingratiis, alibi verò ob præsupposita quædam,) litantium Contradictiones temerè in nos convertamus: aut Magistratus Constitutiones placitaque, quibus (pro referentium informatione vel judiciis,) Medicos atque Pharmacopolas (è liberrima olim favorabilique communicatione sua successivè colligentes,) partiri tunc negotia voluerunt, inconsideratius indistinctiusque intueri putemus. Ideoque nec de Jure quidpiam tantopere impræsentiarum quidem adducemus; sive intimiorum Medicinæ partium naturam, salutare hoc exercitium in se [præsertim hac seculi facie,] & exigentem admodum, & alio respectu satis oppido permittentem allegando; sive morem insuper diffusius referendo, qui non solum antiquitus ab ipsis artis primordiis observatus fuerit, & adhuc à Medicinam professis in Oriente observetur; verum etiam sub ipso postmodum contrariæ consuetudinis exortu, præcipuè vero simul ac liberaliores artes paulo cultius tractari inciperent, à diligentioribus, nec cuncta sua cuivis temerè concredentibus identidem custoditus est. Ceu plures sanè, sua sibi Medicamenta parantes & vindicantes, vel in decimo quinto saltem seculo harum rerum curiosiores invenient: & numerosiores adhuc versus decimum sextum nostrum: exercitio hoc postmodum famigeratissimis inde viris indies familiariori; ab aliorum prætensionibus, qui ex accidentaria olim cessione legale tandem quidpiam erigere conabantur, magis magisque exempto; & uti Protomedicis nonnullibi specialiter, ita (cum gregariorum salus Superiores non minus tangat, aliasque sit indifferens,) Reliquis quoque, diversis in locis, ob prægnantes hoc in genere rationes, usque dum liberè concesso. Nec insuper odiosius forsan inquiremus hic, num Concessiones olim illæ circa Medicinalia, (plerumque nunc vulgaria, maximam partem revera inusitatiora minorisque hac tempestate momenti,) tantisper factæ, ac successivè postmodum Privilegiis quibusdam (pro facilitanda Possessorum distractione,) sociatæ, ad subsequa Recentiorum, (ex alio capite euntia) Inventa, Remedia, modernasque medendi necessitates extendi queant? Numne porrò plæreque hujus sortis Confirmationes, etiam hoc seculo redintegratæ, Chimicum protinus commercium semper & undiquaque, (si particularissimis, nobisque forsan haud adeo necessario recensendis de causis alicubi quid datum est,) inferant? aut taxis cum reliquis conditionibus hinc inde præfixæ, Proprietarii quidpiam tantopere ex eo supponant, dum pretium saltem, (cujus æquitatem Medicorum quoque libera suis in locis dispensatio pariter observare jubetur,) singulis (in tantum, & pro referentium opinione (figunt; causæ pendenti, & ei quod in Quæstione est, interea nil inde detrahentes, imo clausulis reservatoriis nonnullibi hinc apertè munitæ. Non urgebimus adeo istorum etiam Locorum placita, quæ cum Medicorum (hac in materia,) Jus & Æquitatem insuper satis advertissent, ipsam suorum distractionem nullatenus prohibuerunt: alium saltem dispensationis modum, per Pharmacopolia, (cujus rationes & effectus infra distinctius considerabimus,) tantisper posuerunt. Nec amplius aliarum quoque Artium Professionumve exempla ac libertatem eo fine nimium exaggerabimus; vel quomodo non tantum Mathematum cultores, citra Metalla diversimodè honorificeque occupat, &c. potiora sua citra minorum gentium, (similia perficientium, aut inibi ministrantium,) contradictiones vel exprobrationes, laudabiliter varieque fabricent, aut effingant, verum etiam in nostra nunc materia, ipsi Chirurgi eorumque (diversorum titulorum) asseclæ, Medicis sanè longè inferiores, Remedia sua, multæ pariter conscientiæ, & circumpectionis æquè indiga, domi propriisque manibus tanquam ex condicto parent: quomodo personæ planè non huc pertinentes, ob arreptum polycrestum aliquod Pharmacum, (inter tot abusus & affectata Monopolia,) Privilegiis passim muniantur? Pharmacopoliis ob causas fortè haud semper publicas, certarum pilularum, mixturarum aliarumque Compositionum, (in aut pro Secretis habitarum) specialis planè distractio, spirituum aliorumque difficilius aut laboriosius præparandorum, Chimicorum æquè ac Vulgarium,) saltem aliunde & ad sensum coëmptorum dispensatio, passivè concedatur: & si quæ amplius adduci, suisque ab exceptionibus, quibus forsitan aliquibus elevantur, facili negotio, (ceu infra quoque circa potiora fiet,) liberari poterunt. Certè si ad Postulati nostri illustrationem solum, quasi nil conferrent, & Medici in universum omnes, vel ab Arabum usque tempore parilo exercitium usquedum neglexissent, aut per fictionem juris, ob complurium vel plerorumque concessionem illam. Unguentariis olim suis, Aromatariis Rhopopolisque, magis magisque, (præsertim inter Græcorum ultimos & delicatiores Mahumedanos, sequioribusque porrò seculis sub ea scientiarum caligine, necessaria studiorum cultura, concurrentium laborum multitudine, Pharmaceutices ignorantia, aut putata inconvenientia, aliisve adhuc minus excusabilibus de causis,) factam, per quandam hinc quasi præscriptionem, (si de temporariis consuetudinibus ita loqui possumus, jure suo penitus excidissent: Utilitas tamen, quæ seu directè, seu indirectè, evidentius interea diffusiusque per Suppositum nostrum, quàm vulgarium traditionum observantiam in publicum passim redit, tanta & ejus momenti videtur, ut velistius saltim, utpote supremæ Legis intuitu, salutaris hæc Medicamentorum tractatio, (utut alibi hactenus intermissa, alibi suspensa,) nihilominus plerisque locis, compendiosiorem parabilioremque Medicationem exigentibus, per plenitudinem potestatis denuò ni imperari, vel proprietariis olim, quasi è Pancirolli deperditis Tutoriove nomine restitui, liberè solummodo, & ne præ paulo ante allegatis Artificibus deterioris sic conditionis, minus pollentes minusve fidi sic videantur Medici,) concedi hac tempestate debeat: æquè ac longè majoris ponderis & consequentiæ consuetudines, statuta ac compacta communis boni causa, in publicis superiorum annorum necessitatibus, ad admirationem permutata, vel penitus abolita, ab initio diximus; & ne parva magnis imprudenter conferre videamur, data opera hic loci, tanquam notoria præterimus, potius ad Instituti nostri pertractationem properantes.

Prius autem quam istud persequamur, & ordine, (qualis quidem in hisce complicatis esse poterit,) potiora referamus, quæ decumbentium seu sanitatem atque vitam, seu fortunas solum, seu utraque conjunctim concernunt, cuncta tamen in publicæ salutis magmenta melioremque Civium conservationem tendunt; ingenuè monemus, nos dum saluberrimum hoc exercitium commendamus, neutiquam hinc indifferenter & continuo cuivis manum injicere, vel eorum semi Empiriæ protinus patrocinari, qui modum hunc præcipitanter involant aut arripiunt, citra quandam ordinariamque vocationem, aut saltem citra sufficientia realiaque specimina ac testimonia, non solum Theoriæ consummationem, (quia à posse ad esse hic non semper valet consequentia, & Præco jam olim notas fugitivi referens lateri adstantem ignoravit,) verum etiam positum jam (per serium Manuductorem,) Practicæ manualisque Chimiæ fundamentum satis edocentia, sed ex eo tantum capite, quod nomen aliquandiu inter Philiatros professi, libellos introductorios alicubi summariter evolverint, aliaque confectaria, (quæ practicum de futuro quidem informant, inde tamen protinus neutiquam sistunt,) tractarint, &c. vel speciosiori adhuc titulo, famigeratiori cuidam Chimiatro (sub multo interim solidioris Theoriæ neglectu,) saltem à Carbonibus fuerint, aut ejus aliorumve cultiorum Practicorum Processus, Formulas atque Euporista, suis sub titulis collegerunt. Ejusmodi extensiones & abusus, ab origine profundius utplurimum inquirenda profecti non nostræ hic, sed superioris considerationis sunt. Hæc, uti Regularis Postulati commoda facile deinceps, vel aliorum exemplis percipiet; ita irregularis, (donec majorem perfectionem sub ingenua versatiorum manuductione acquisiverit,) inconvenientias, cum competenti medela, similiter advertet; & quod (utrisque sic juxta se positis,) profecto nemini, etiam è quibusvis exotericis, qui Arti hoc in genere seu hodie semet agglomerare possent, seu per consuetudinem, nescio sub cujus dextræ titulo, (forsan vix sine Chirurgiæ contumelia,) gradatim hactenus associati sunt, saluberrima hæc Medicamentorum trectatio propriaque in singulos ægrotos adaptatio ea queat concredi fiducia eoque fructu; imo quod nemini hinc adeo debeatur magisque competat, quàm Ordinariis proximioribusque Practicis, supradictis requisitis debitè circumscriptis; qui vel solius Gratiosi nominis intuitu,

oppido

TEXT. LVDOVIC.

oppido nil in se desiderari patiuntur patienturque, quod secus in hoc negotio sentientium exceptionibus aut suspicionibus, (ceu plerasque successivè expendemus,) apprimè non satisfaciat, nec ex adverso alleganda nunc commoda satis superque comprobet.

Sit autem inter ea, quæ publicum directè magis spectant, primum; tot miserorum conservatio, qui vulgaris Medicationis sumptus veriti vel declinaturi, ipsos simul Medicos penitus, aut debito saltem tempore prætereundo, negligentissimè passim magno tamen Reipublicæ damno pereunt. Et sane nemo non novit aut persentiscit hodie epidemiam pene rei pecuniariæ Angustiam passivamque hinc illam in quævis expensarum compendia ac planè singularem tantum non omnium attentionem. Unde sane quamplurimi, mediocris quoque sortis judiciive, & qui è [quovis modo) personata ratione status nihil non de se pollicentur: nihilominus de cætero quidvis patiuntur prius vel pertentant, quam Medicum adeant: dumque Sostra cogitant, dum excurrentes in Pharmacopoliis impensas, eventum interea incertum, familiarem rem jacentem, Viduæ Orphanorumque certas alias miserias, &c. totum inde potius modo fatali fortuitæve Terminationi simpliciter committunt; modo sumptifacturi scilicet sic quidpiam, quaslibet Anus, Tonsores, Pharmacopolas, (in oppidis ad ejusmodi consilia perquam hinc inde promptos,) Agyrtas, aliosque è proprii officii desertione passim propullulantes Empiricos consulunt; sicque tandem (inter majores sæpenumero impensas,) aut moriuntur multi, aut nisi (spontaneæ nonnunquam) reconvalescentiæ spes affulgeat, tum demum Medicum, (saltem quo in personalibus sub exequiis recitari queant,) re desperata vocant, quidvis interdum pollicentur, rarius servant; imo fabam tandem penitus in actiones ejus cudunt, ni res cedat ex sententia. Quod autem hisce inconvenientiis eorumque consectariis, inter (supra simul quæsitam) Taxarum, & ipsius insuper præscribentis, quo necessaria solummodo nil vero pro forma tantum aut desultatoriè imperet,) moderationem, privata præcipuè dispensatio singulariter & apprimè, (idque non sine magno gratiæ & authoritatis Medicæ augmento,) medeatur, intimiorem ejus rationem paulo attentius expendens, experientiæque suis in locis conferens, haud difficulter deprehendet. Non repetemus hic antiquum illud: quod potest fieri per pauca, &c. nec cum aliquibus subtilius forsitan quæremus: eccur, dum clientes nostri satis hoc in genere juvamenti percipere queunt ex una, duas tamen separatas familias hunc in finem seorsim sustentare debeant? Saltem è nostris quotus est, qui ubi Sostra hodie honorariaque aliàs quasi nulla sunt, istorum, imo nonnullibi moderatioru quoque Visitationum loco, solitariæ (non dicimus usuali, sed temperatiori etiam) Taxæ pro deditis Remediis solutæ non sit acquieturus? Sub ea verò facilitate Simplices ac procrastinatores passim allici, Medicisque sæpenumero magis devinciri, profecto palam est: experiunturque complures in isto sumptuum compendio quidpiam, magno suo postmodum commodo, qui aliàs negligentissimè perirent: ut taceamus patentissimum hinc campum, qui ipsi Medico non solum in propriæ famæ & authoritatis, etsi vel aliquali nonnunquam redhostimenti debiti jactura,) verum etiam sub paulo protractioribus difficilioribusque morbis, in tot desperabundorum & circa remediorum continuationem tunc hæsitantium conservationem aperitur.

Atque ut hæc medendi ratio vitam hactenus ac sanitatem complurium ægrotantium, ita (quod secundum nunc est commodum) Fortunas quoque eorum seorsim, salubri levamento respicit: & sumpti sit sic non tantum pauperculis, sed (in ea temporum conditione, indifferentique personarum ac facultatum respectu,) reliquis quoque, quod alias communiter in honoraria, in Pharmacopoliorum (decenter etiam observatas) Taxas, in accessoria pro labore ac studio, imo penitus alicubi in taxationum extravagantias, privatas Quotas, Ministrorum additiunculas, &c. conjunctim erogandum est, & de cujus nimietate, præsertim in protractioribus curis, tum Hæredes postmodo, tum ipsi (utut hac ratione feliciter,) Restituti tantopere, nec immerito semper conqueruntur; totum quod insumptum est, Medicis, qui plerumque tamen vix nummos aliquot inde habuerunt,) indistinctè adscribunt; Sostra, sub tot expensarum aliarumque rei familiaris jacturarum æstimatione vel prætextu præcidunt; post (ortas hinc, & ex usitato Practicæ modo viventibus longè magis noxias,) frustrationes aut alternationes, malè volunt; alios per ejus generis Relationes à salutari Medicamentorum usu deterrent; vel (æquè ac nonnunquam semetipsos, post morbum denuo forte obortum,) in diversa Protelationum, Empiricorum, privatæ Medicationis, &c. Præcipitia inconsulto deducunt.

Fieri quidem poterit, ut sub privata quoque dispensatione sumptus in Chronicis gravioribusque affectibus aliquo usque nonnunquam excurrant, vel excurrere videantur: sed enim si totum, hoc tritiori medicandi rationi, (positis interea iisdem affectuum personarum & forinsecorum circumstantiis,) proportionaliter conferimus, dum receptismo quidpiam vel ingratiis, (adsuetorum scilicet, Vulgi & Pharmacopolarum causa,) dandum est, eo profecto non, aut vix excrescit: siquidem cultior hæc compendiosiorque praxis, simplicissimis quousque datur contenta, ceremonias illas ac curialia, quæ schedulam redemptu solum difficiliorem, neutiquam verò præsentiorem reddunt, & ne rem ignorasse vel neglexisse videamur, pro forma saltem superadduntur, ut impunè ita liberrimè præterire potest; sicque plurima sumptui faciendo, haud pauca, quin etiam, pro devinciendis clientum animis negligendo, parvis de cætero potius at crebrioribus reditibus (quo facilitas ejus frequentia compensetur,) acquiescendo, ita se in universum sistit, ut ei (post concreditam sanitatem) è Bulga demum, (quasi Empiricorum, miseros olim deglubentium, duriterve prius de pretio paciscentium gregi,) iis non nisi deposita fronte moveri, vel Ephemerides suas ordinarias Thomistis & Euclionibus in eventum tandem producenti minus, quàm repositis schedulis, aut Mercatorum (tot incertitudinibus subjectis, Libellis fidi queat.

Sequitur tertium nunc & majus quidem adhuc commodum, passivorum sæpeque exitialium in Pharmacopoliis errorum, & hallucinationum circa præparationem æquè ac dispensationem Remediorum diversimodè contingentium, longè facilior feliciorque evitatio; evidensque hinc ac salutaris illa in quibuslibet, considerationis cujusdam indigis, Chimicis præcipuè, vegetatioribusque aliis securitas, imperanti sumentique communis. Abusus equidem & particulares profitentium errores ipsi totique Arti haud imputandos esse satis scimus, Sed enim profecto nos Pharmaceuticam hinc, adeo Medicationi nostræ necessariam, & si forte quispiam Diæreticorum, (nemini tamen non tractabilium,) directionem saltem, obtendere voluerit, longè intimiorem ac specialiorem simpliciter aut undiquaque elevamus vel convellimus: dum in administranda tantum ratione, aliter (pro locorum exigentia,) qualitercunque modificanda occupamur: nec in personalia hic aut plus quàm individualia solummodo; vel quod hominis sanitatem irrevocabilemve vitam concernant; quod è dicta consuetudine, consequentia (tam objecti quàm subjecti tractantis intuitu,) vix aut non declinabili in solidum penè fluant; & alia haud nullius interea momenti impræsentiarum conjunctim adducenda, adeo devolvimur: dum tantum aut præcipuè, cunctarum vel plerarumque harum inconvenientiarum faciliorem longè felicioremque evitationem, saltem per qualemcunque forinsecarum circumstantiarum immutationem, parata hic, nec minori culpa (quàm Navarchus, Architectus, imò ipse Pharmacopæus & Chirurgus, &c. antiquum obstinate obtinentes possunt,) negligenda medela, rogamus & ostendimus. Et quo singula paulo planius compareant, principio quis sanè nostrum nescit, aut ingratiis interdum fortasse non persensit frequentissimas illas & enormes sæpe præscriptorum permutationes, confusiones, ponderum inversiones, scriptionis & ingredientium perfunctorias incompetentesve tractationes, &c. etiam circa vulgatiora, (trivialis notitiæ, diffusioris molis, minusque operosioris mixtionis,) Medicamenta diversimodè, nec tam inopinato, quàm sub obrepente [vel Ministris saltem;) nonnunquam negligentia, adhærenteve simplicitate vel in permultis Imperitia, (præsertim si ad Remedia singulariorem attentionem, arbitrationem & enchirisin undiquaque exigentia veniendum fuerit,) contingentes: pariterque ad ipsam insuper simpliciorum compositorumve collectionem, asservationem ac præparandi modos, &c variè extensas? Quis recensere ausit insuper & ea, quæ vix sine culpa, (ceu data opera) alicubi eveniunt? & nos ab altercationibus & exprobrationibus alienissimi, diffusius hic non persequimur: ne Heros forsitan aut Provisores, inter domesticas alienasve, sæpe minus quadrantes curas, &c. Ministris puerisve suis cuncta, vel potissima, inconsiderativs interdum concredentes; circa Medicamentorum debitas tractationes minus attentos aut versatos; quævis indifferenter dispensantes; sub aliquali nonnunquam acquisita medicandi notitia præscriptas (ignota sæpe sibi de ratione,) Formulas in aurem censentes, indeque pro lubitu addendo, subtrahendo, substituendo variantes, & si quæ amplius per illætabilem præcipuè cessionem illam oriuntur:) temerè in nos concitemus; aut, Ministros, talia superciliosius alicubi laudentes vel involantes, durius habere videamur. Quis denique non comprehendit, obiter hactenus (solummodo) ostensa, eo esse graviora, si in Drasticorum ac Chimicorum genere peccentur: ceu proin validiora; viresve (pro diverso Præparationis, Asservationis, imo levissimæ cujusdam circumstantiæ modo,) alternantia, præcipuè Mercurialia, Antimonialia, Martialia, Opiata, &c.) à conscientiosioribus sibique caventibus Practicis aut planè non, aut non sine multo angore diffidentiaque hinc præscripta, vix demiremur. Nam cuncta hæc ægroti jugulum semper, Medici verò famam plerumque intimeque petunt. Obviare quidem ejuscemodi inconvenientiis videntur (laudabiles de cætero) Visitationes inspectionesque, Urbibus ac Civitatibus quibusdam certo tempore solennes, aut ex insperato supervenientes. Verum quantum solitariæ sic caverint, etiam cum maximè cavetur, saltem impressæ Observationes docent; & curiosiores per nos amplius inquirant. Siquidem profecto circa vulgatiora plerumque, aut particulares quasdam particularium nonnullorum circumstantias occupantur; potiora vix undiquaque (in ea præcipuè materiæ Medicæ vastitate, circumstantiarumque varietate) attingentes, eave exhaurientes. Quid autem de reliquis Civitatibus Oppidisque dicemus, quæ hujuscemodi negotiorum sæpenumero admodum sunt secura, Pharmacopolæque sua liberrimè linquunt? Quid, ubi versatior animus atque manus circa supradicta solum

TEXT. LUDOVIC.

lum, ne singulariora & majus quid interdum exigentia adducamus, desideretur? Quo proin diligentiori horum omnium ac consimilium Observatori, jureque hinc inde meticuloso Medico, præsertim si Operarum suarum, [quamvis sub quotidiana etiam præsentia,] languore nihilominus attentionemque expectatione sæpenumero minorem, hic verò familiam penitus separatam, ad parile tamen quidpiam suo modo præstandum foris destinatum cogitat; vel si sperati è præscriptis effectus loco, contrarium potius aut diversum, exuberans aut deficiens quidpiam, [ceu pluries fit, contingat; equidem multus atque magnus hæsitandi dubitandique locus undique superest. Et in talibus paulo versatior nobiscum prius forsitan, quàm tot undiquaque sic, & longè numerosius, [ac communiter putatur,] requisitis inspectionibus & directionibus continuo quasi distringatur; imò prius dixerimus,) quam ipsam schedulam, cum requisitis vulgo curialibus consignet; longè lubentius, facilius atque felicius cuncta propriis oculatisque manibus transiget, parabit miscebit, didet. Nec enim pro iis hæc dicta volumus, qui alienis officiis foris continenter implicati, domi interea remediorum suorum elaborationes ac dispensationes conductitio cuidam, necessariisve suis (insolidum & indifferenter, absentes interim,) forsitan comittere possent: recluso sic in eosdem lapsus præcipitio. Qui secundum intentionem nostram tantisper procedit, meritoque quod suum est, saltem agit, quo hic etiam tam famæ quam conscientiæ caveat, inter subsidiariorum quidem, (abjectiora nullique periculo exposita secum transigentium,) accessum, cuncta de cætero, quæ realem Remediorum præparationem ac dispensationem quocunque tandem modo concernunt, aut cujusdam inibi momenti sunt, ipsemet perficit aut tractat: idque eo securius & expeditius, quo per contractiorem Myrothecii proprii apparatum, ista meteriæ Medicæ vastitate minus distringitur, minusque, (dum quæ anno hic, bienniove sufficiunt, ipsi similiter & in tantum sufficiunt; semet quotannis exsolvunt, nec hæredibus hinc post obitum, negotium adeo facessunt,) exhauritur; quo insuper singula exquisitius novit, æstimat atque tractat; usualia sua penitius dignoscit; suspecta vel confusa promptius (tanquam de proprio rejicit; complacitis jam, (dum nihilominus non infrequenter, sub ipsa dispensatione posterioribusque sic cogitationibus, convenientius quid incidit,) id tunc facilius substituit, addit, detrahit; si diversum aut speciale quidpiam circa Remedii effectum contingat, planius (quid, quale, quantum, datum sit,) novit, observatique rationes certius pervestigat; Elaborationes ipsas, cum suis, accidentarioque sæpe supervenientibus circumstantiis, securius moderatur; quamplurima non solum in (reposituræ vel successivæ distractioni destinatis,) Compositis, verum etiam extemporaneis quotidianisque Formulis vix aut ægre determinabilia, vierbi gratia, Analepticorum seorsim quæsitam in odore saporeve gratiam, manuali additione vel subtractione domi longe felicjus obtinendam, quàm conjecturaliter per schedulam determinandam, acidorum, (tantæ, nec succurrentis semper variationis,) spirituū, solitariorum aliave composita constituentium, item emeticarum, opiatarum liquidarum, &c. validiorum compositionum certiores doses distinctius salubriusque (ne de topicis dicamus,) dimetitur; & si quæ insuper sunt amplius, quæ (dum pariter quidem homo est, humani nihil ab eo alienum,) nihilo-minus actiones ejus, (eo modo facili negotio directas,) aliorum mussitationibus suspicionibusque (si forsan alicui cuidam inhisce exoterico diversum quid contingere potuit,) evidentius adhuc subtrahunt.

Posse verò practicum, etiam frequentatissimum, ejusœmodi Medicamentorum privatorum, tam præparationi, quàm dispensationi vocare admodum, manifesta docet Experientia; nec diffusioribus hunc in finem deductionibus opus est. Sane si supervacaneæ Pharmacopoliorum & Dispensatiorum congeriei semet inevitabiliter ingerere vel implicare cogeretur, equidem difficile foret hoc, & aliquibus forsan minus possibile. Sed hunc offensionis lapidem in prima Dissertatione, luxuriantisque tunc molis recensione, (negotium ad longe pauciora reducendo,) sufficienter removimus. Protractissimas vero Visitationes, & similes quorundam consuetudines, (assidendo, &c. peregrè præter necessitatem subsistendo, &c. constantes, versatioribus & ejusœmodi affectationum minus prodigis nemo hic prætendet. Asseverare possumus, quod Poliater vel potioribus saltem ab initio, tanquam apparatus sui fundamento instructus, exercitioque huic sensim adsuescens, de cætero suis intentus, exotericorum incurius, haud difficulter decuriam non unam sufficienter, (imo peregrè vicinos subinde simul) visitare, consilia formare, ea cum imperatis Medicamentis ephemeridibus suis inserere, successivas horas insuper quandoque novorum perquisitioni lectionive, vel correspondentiis, uti vocant, id promerentibus impendere, & nihilominus decuriæ similiter non uni, eodem respectivè die Remedia sua domi decenter dispensare, & interea quæ sensim deficiunt, vel adjicienda alternandaque videntur, cum ciniflone seu uno seu nullo, successivè nulloque fere negotio supplere queat; etiam in civitate solitarius: dum ampliorem plerumque plures partium laborumque divisionem inhabitant; Aularum vero alicubi distractiones, ipsaque militaris conditio, (vel Collonellorum quorundam, secretiori quoque Chimiæ superioribus lustris ea ratione vacantium exemplo,) quotannis, imo penitus intra biennium saltem, septimanas aliquot intercalariter suppeditant, quæ necessariorum quidem reparationi, (inter leves aliquot enchirises & operæ partitiones, dentur. Quod autem contagiosis malignitatibus luctuosiori tempore dejectos attinet, profecto qui eos tum seu (sub competenti moderatione,) visitat, uti forsitan nec ordinarii, nec praxin juxta istos exercentes, indeque salubriori Reipubl. statu commoda sua decerpentes, vel tituli Professionis suæ intuitu, castrensium insuper & ipsorum Aulicorum Medicorum exemplo aliter posse videntur;) seu tantum per Chirurgum aliosve referendarios, æquè contagii suspectos,) audit; is quoque loco schedulæ vel informationis ipsum Remedium dare; multa simul compendia (seu olim facilitandæ assecurandæque Dispensationis causa diversimodè, sub præservatoriis curatoriisque modis inventa, seu pro renata denuo superaddita) præsertim uniformi fere tunc in compluribus Medicatione, inibi sectari; necessariis (pauco tamen numero similiter comprehensis,) Apparatum supplere; sibi demum domesticisque suis parili, qua reliqui solent, ratione cavere potest oppido, speciali Numinis tutela comprehensus: aut si fatis forsitan eum cedere tunc temporis interdum contingat, haud adeo hinc major existit confusio, quàm si solitariis consiliis indigentibus inserviens, ipseve Pharmacopæus diem suum obiisset; pro locorum conditionibus hujusœmodi defectus restituendi vel potius præcavendi ratione non una; eaque status tunc irregularitate, [potiori sane stragis autore,) aliàs hic quoque variis confusionibus tentaminibusque (ceu olim hic implicati probè reminiscentur,) subjecta. Quod autem extra turbulentias istas ægrotantem attinet, notum est, quod in acutiorum permultis ne nobis sæpe, vix aliis in consilia saltem sufficiamus: ubi vero in aliquibus, ut & in Chronicis eorumque intervallis licuerit, exigentibus ibi qui Receptis & Informatione quiverit, etiam necessariis Medicamentis, sub Clinico intuentis directorio tantisper ponderatis, mixtis atque signatis inservire, (manifesto famigeratissimorum quorundam exemplo,) potest: & quid, si Pharmacopæus in oppidis præcipuè, surrogando ministro destitutus, eidem infortunio subjiciatur?

Quid autem, si Medici privatim ita dedita Remedia curandique ratio, (ceu accidentario quidpiam interdum, quod istis postmodum imputari possit, supervenit, aut commune nobis fatum hujus æquè ac aliorum conatus infringit,) ab impatientioribus aut singularioribus nonnullis, (propter seu rationem status, seu privatas affluentias, mordicus & ingratiis supervenire, seu volentibus, seu requisitis,) post eventum demum aut sub Medicorum alterationibus congregationibusve traducatur, vel (Thessalis olim, Themisonibus, atque aliis tum Empiricis dicta Lege) inter privatos saltem (mulierum, dicaciumve quorundam præjudiciis deditorum) confessus accusetur. Transigant primo hi istis cum Locis, quæ passim (Medico minus diffidentia, & æquius de ejus actionibus sentientia; (Remediorum privatim paratorum distractionem, ignotisque etiam sub titulis dispensationem, (modo in Pharmacopolis fiat, liberè secureque concedunt. Qui porrò è nostris, aut alieno in foro curiosioribus, tot intercalaria, intus & extus (occultè sæpe,) simul sub praxi Medica concurrentia, paulo attentius notarunt, & tritum illud, [si hic esses, aliter sentires:] cunctis suis pronunciationibus præjudiciisve, instar terminalis lapidis statuerunt; pro vel contra alterius innocentiam è schedulis, etiamsi vel ab incunabulis ægroti comportarentur, simpliciter & insolidum haud dicent, &c. Odiosum est relatu vel perquisitu, quot proculdubio forsitan intereant, planè nihilominus regulariter & examussim, (non solo Pharmacopola, Receptarum hic haud postremo semper judice,) tractati; violentia vero morbi, vel inter neglectiorem diætam, vini acetabulo, piscium pomique bucella, &c. saltem pessumdati; quos tamen versatior practicus superveniens, incompetentibus Venæsectionibus ac Laxativis inconsideratissimè prius debilitatos, Clysteribus tantum vexatos, Topicis incassum oneratos specificis longè serius & post festum tentatos, tot totiesque variegatis (Moschatis Ambratisque insuper,) Confortantibus, obortis novis ebullitionibus stomachique perversionibus,) solummodo magis confusos invenit taciteque gemit. Quot credimus passim vitæ suæ pausam fecisse, saltem inter Negotiosorum officiosiores Remediorum variationes, ac Confortantium vulgarium, Julepo rum, Apozematum, Mixturarum, &c. multiplicationes? Quot periêre, aut perire possent per tot, semet (tacitè, modoque minus sæpe cognito, (similiter perimentia, invertentia, expellentia, &c. haud adeo de cætero inusitata; vel solitarie insontia,) junctim aut consequenter data vel alternata inconvenientiæ non unius authores, &c. quæ tamen omnis Receptismi æstimatio proba dicet & innoxia. Ut tot intercurrentes indicibilesque sæpe circumstantias, optima quæque pervertentes denuò sileamus. Et quodnam demū testimonium Pharmacopola producit, quo non solum composita ejus (in ea nonnunquam libertate vel incuria) sed etiam formulæ insuper indies transmissæ, debitè semper & ad præscriptum indubitato parata fuerint. Asserenti vel interdum jurato creditur; Medico verò præter solenne suum, arctiori adhuc explicatiorique sub officii primordiis juramento (meritoque) obstricto, convocatis actitata sua ingenuè referenti, Diaria demum sua eventualiter producenti, non item? Certè generosus, ac præjudiciorum calum-

niarumque

TEXT. LUD OVIC.

niarumque undiquaque contemptor animus, uti quidem in (cujusvis etiam formæ,) Curationis decursu, Criticas aliasve imminentes turbas, ne salutaribus postmodum Remediis imputentur, aut (dum omnia post eventum disputari possunt,) Censori super sinistrum eventum dicenti, ansam præbeant, attentissime (inter manifestum sæpenumero tutelaris Numinis concursum) devitat, aut præmonendo ostendit: ita si nihilominus quidpiam secus contingat, conscientiæ suæ tunc semet involvit. Deoque suo cuncta liberrime remittit; donec tractu temporis, [dum alias sub quovis etiam Medicandi modo pleraque nihilominus Medicis imputantur,) vel affaniæ istæ, (sæpenumero inter feliciores aliarum Curationum successus, ceu Philippus nihilominus Alexandrum suum invenit,] dispareant, vel integritas tandem, ut plus vice simplici vidimus, in apricum producatur. Nam qui sub primo plerumque, vel declinante demum fervore irritatiores, tale quid per impressas innocentiæ suæ deductiones, rogataque suffragia obtinere conantur; profecto (dum quis inde, quantum inter tot ignotas circumstantias voluerit, credit,) majoribus sæpenumero traductionibus, contemptui præjudiciisque sistere se, (nobis quidem) etiam post busta visi sunt. Atque hactenus de tertio commodo, injiciendisque forsitan difficultatibus.

Videamus nunc quartum, idque magni similiter momenti. Quod scilicet sub ejuscemodi Pharmaceutices tractatione, rerum naturalium, non solum directe illud pertinentium, sed reliquarum quoque complurium cognitio manifesto hinc magis magisque excolatur; nova sæpe ac polychresta Remedia, novæ Enchirises atque cautelæ, praxi æquo ac laboribus Chimicis perutiles, (interdum quasi aliud agendo,) inveniantur; arti naturæque mage conformia remedia condantur, aut citra (risu à subterversantibus excipiendos,] lapsus præscribantur; probabiliores varie hic contingentium rationes eruantur; inter imitationes aut fortuitas miscellas, Saporum Odorumque, (adeo usque dum parum tacta natura, ac miscendorum consensus ac repugnantia aliquanto fiat manifestior, dissentientia felicius declinentur: Pathologica & Therapeutica quamplurima, per indirectum quasi, aut illustrentur, aut vanitatis, (ceu hactenus inde circa tot Medicamentorum coacervationem, circa Purgantium abusus, totque Alternantium Confortantium Topicorum que luxuriem, &c. feliciter factum est, & circa permultorum Symptomatum, causarum effectuumque rationes pariter fieri posset,) convincantur, &c. Imo quod in rei veritate æqua competensque Taxa condi, de aliorum Pharmacis parandorumque Processibus rite judicari, inconvenientiores emendari, Visitationes, rite obiri, &c. nequeant, citra intimam totius hujus negotii cognitionem continuatumque exercitium. Nec enim sufficit hic quædam in Museo acquisita notitia, Tyrocinii Dispensatoriive recentioris lectio, vel superficiaria olim Præparationis Antimonii Diaphoretici Spiritusve Salis, &c. inspectio; sæpenumero postmodum, cum imitari talia perfunctorie visa voluerit, claudicans: sed firmatus per continuationem [indies novi quidpiam, in Praxi præcipue, oblatisque tot occasionibus suppenditatem,] horum usus, firmatumque similiter in istas investigationes, deductiones, &c. judicium requiritur: unde profecto habent, quicquid pulchri commodique habent Pharmacopolia.

Atque ut hæc in se sint manifestissima, & Medicus perfectus exquisita, uti Chirurgicorum, ita Pharmaceuticorum quoque ac Chimicorum cognitione hodie profecto carere nequeat; eam vero non nisi per manuales continuatosque labores sufficienter consequatur, indiesque confirmet vel extendat: factos interea in (publico perquam salutaria] hæc exercitia sumptus, cum insumptis materialibus frustro disperdere, partave tot curis, impensis ac sudoribus compendia, aut singulariores remediorum modos cuivis exoterico, inde semet efferenti, &c. propalare nolit, nec teneatur; adeoque vel ea de causa Medicamentorum ita paratorum, aut una provenientium distractione, (pro erogati restitutione, navat æque operæ redhostimento,] abstinere arcerive jure vix aut non possit: nihilominus tamen, procul dubio ne Pharmaceuticæ consuetudines (tantæ necessitatis olim creditæ,] præter rem inde forsan confundantur, vel Medici fortasse plus quam Seplasiæ poscant, placitum est haud paucis, [cætera nobis hoc in negotio æquioribus,) locis, ut speciliora quidem sua Pharmacopoliis in usitatam dispensationem, certo hinc accepto pretio sistant. Sed alius, nec immerito hic quærat, cui usui reliqua, usualia quoque, varie inter labores provenientia, aut data opera, exercitationis, ulterioris perquisitionis, aliorumve respectuum causa præparata, destinanda sint? Et numne inter ejuscemodi suspiciones distractior quispiam, si vellet, etiam viliora, varie solummodo mixta, condita, tincta palliataque secretissimorum loco oculatissimo quoque Pharmacopolæ offerre nequiret? Saltem cur miseris decumbentibus expensæ sic duplicentur, non videmus: siquidem qui parat, suum hinc, & qui dispensat, repetit. Ut taceamus, quæ inter ipsam hanc cautelam (manifesto interim effectus sufflamine vel perversione,) sub vario lucello deditorum imitamento nihilominus nonnullibi fuere substituta. Quod autem non dedeceat Medicum pretii pro datis Remediis indicatio & acceptatio, aliarum honoratissimarum Professionum Officiorumque Sportulæ, Taxæ ordinariæ, solutiones pro studio ceremoniisve, &c. dicant. Certe diversum sentientes hic forsitan nimis pudibundi videntur; & tamen nemo non pro Consilio, Lotii inspectione, visitationibus, &c. sua libere (quo privatas quotas taceamus,) poscit. Sin vero privatorum Præparationibus occupati, cum Medicamentis Authoritatem quoque venundare, nec eos hujus sortis abjectioria decere putentur: quærat quispiam similiter, numne decentior jucundiorve sit Urinarum, Sputorum, Ulcerum, Cadaverum, missi Sanguinis, Evomitorum Excretorumque inspectio nauseabundaque versatio, hauriendorum Pharmacorum libatio, &c. Laudantur passim nec immerito, qui profusissimis Prosectionibus, curiosissimisque novissimarum quoque fibrillarum productionibus, (inter tot fætores licet, & fastidia,) pervestigandis, aut interitus causis ex ipsis putrilaginosis Cadaveribus eruendis indesinenter fere occupantur; vel prima etiam Plantarum germina, indefinitasve Synonymias per tædiosas tandem nulliusve hic usus comprehensiones norunt. Qui vero proximiori sanitatis causa, sub salutarium remediorum præparatione, manus interdum denigrant, vel inter Empyreumata nonnunquam versantur, minores inde æstimentur, nisi solis Dissertationibus, Formularum designationibus, ac ipsi ægro haud raro molestis visitationibus Praxin (circumscribendo,) quod caput & cardo rei est, in vere Chirurgicis æque ac Pharmaceuticis tertio cuidam, (utinam satis ubique sufficienti,) semper commiserint? Quin potius authoritati medicæ plurimum hinc accrevisse vidimus: confirmatioresque sic ac confidentiores facti sunt quamplurimi, imo (præter spem, aut longe facilius) per vulgatiora quoque, delinita imaginatione restituti, dum à Medici manibus suo proficisci cernerent. Laudatur Artifex, qui accessoria sua seorsim parare poterit: nec spectatissimis quibusque vitio vertitur, si securitatis aut feliciorisve expeditionis gratia, quæ Scriba solet, transegerint. Sique Chirurgia hactenus eadem ratione tractata fuisset quanta nunc ejus forent incrementa?

Expendamus proin hisce dimissis, potius quintum commodum: promptum scilicet & expeditum hinc sufflamen vel impedimentum nocentissimæ istius Empiriæ, quæ divulgata per Receptismum Remedia, si præsentiora polychrestave deprehensa fuerint, subsequitur; & non solum alterius professionis hominibus, talia ad Monopolium usque involantibus, verum ipsis etiam Pharmacopolis, (ea vel servitii tempore colligentibus, ac postquam oppidum quoddam insederunt, Medicis satis ægre inde facientibus,) haud raro familiaris est; familiariorque profecto deinceps, fiet, si pariter selectiora hodie specifica, elegantiores Remediorum formulæ, cultiora contractioris Praxis compendia, curatioresque præsentiorum Medicaminum (v. g. Cinnabarinorum, Opinatorum, Martialium, Emeticorum correctiorum, &c.) modi, id genus hominum, (alias hic curiosiorum,) abusui per schedulas ulterius prostituentur. Nec enim tanti est contra tectorum hic Remediorum Dispensationem præsumptio: quod suspicaces aut nauseabundi quidam, ignota sibi sic Remedia forsitan respuere vel declinare possent. Confirmatiorem aliorum sententiam paulo ante notavimus. Si vero revera quidam fluctuent, Magnatibus sane (quando & in quantum retulit,) talia nonnulli quadantenus & seorsim nec adeo semper inconsulto detegunt. Reliquos autem num lubentius majorique effectu bibituros credimus Theriacam aut Mithridatium? si serpentibus atque lacertis constare dicantur; aut, (dum sanitatis suæ conservationem, longe pluribus circumstantiis, quam nuda Medicamenti notitia, compluribus tamen locis haud expetita; circumscriptam, Medico interea concredunt,) Myropola obscurum per æque obscurum, (Tacahamacum puta, Carannam, Chocolatam, guttam Chambodiam, Jalappam, &c.) è Recepto prælegat atque commendet. Qui vero inter ridiculam Chimicorum adversationem per quorundam hic imperitiam aut affectationes equidem superioribus annis denuoque fotam, satis autem hactenus (Experientia saltem, aliorumque Districtuum superioribus annis ea similiter declinantium, imo exterorum damnatum olim Antimonium postliminio nunc reducentium exemplis,) convictam, nostra ex eo capite aversari voluerint, quod procul dubio in universum sint Chimica, ignea venenata, Mercurialia, Antimonialia, &c. habeant sibi Crateres suos, cucullos atque Mixturarum ollulas, donec aborta tandem nausea, perceptaque Spagiricorum, si rite, (ceu alia quoque debent,) tractentur & exhibeantur, præsentia, securitate atque gratia, senium hoc exuant; intelligantque non omnia esse Græca, quæ legi non possunt. De cætero quanta sit præterea obnuptorum aut saltim privatim sic diditorum Medicamentorum utilitas, rationi isti sensim adsuescentes facile percipient. Increscit inde denuo Medici Auctoritas & suorum æstimatio? Imaginatio quamplurimum magis excitatur ac delinitur: Supervacua seu toto genere, seu singulis in formulis, facilius uti deprehenduntur, ita & intermituntur; Parabiliora simplicioraque, [dum parum inferunt,) parvi plerumque habita, magno interea pauperculorum, majori adhuc habitiorum, toties pretiosis suis Mixturis pessundatorum euporistis autem (quæ si rescissent, insufficientia sibive indecentia di-

TEXT. LUDOVIC.

xissent, servatorum commodo, eo expeditius adhibentur; apud innovationum (in diuturnioribus morbis,) avidos, continuatu necessaria Remedia [quæ comperta è Myropoliis negligerent,) sub levi quodam accessorio felicius repetuntur; præjudiciis aut parili relatione vel censura præoccupatis specialiora quædam, v. gr. Opiata, Antimonialia, Mercurialia, item Emetica vel pusionibus, (opinione tenus saltem alicubi imparibus,) &c. præsentissimo levamine propinantur; inter tot impertinentes plane, & (utut Medicamentum empiricos in abusus tandem nanciscantur,) Methodi tamen prudentiæque expertes Inquisitores, ægre hinc & authoribus clientibus ipsis facientes,) Secreta Secretis competentibusque doctrinæ filiis, (siquidem noster quidem Medicus indifferenter aliis sua, tot sudoribus sumptibusve parta, vel demum famam ipsam cum usurpantium sanitate diversimode concernentia, prostituere haud forsitan tenetur nec Ambitionis inde, affectatique Monopolii accusari potest,) fidelius servantur: & si quæ insuper attentior quispiam supperaddet. Si vero privatam hanc Remediorum tractationem aliud Empiricæ genus excitaturam, & non solum complures, persuatione Titulove non uno, ei semet immersuros, verum etiam Pharmacopolas (quo Medicis, distractionem suorum minus sic facilitantibus, quasi par pari referant,) simile quidpiam passim & licentiose satis subituros esse prætendatur: existimabit forsitan alius, plenitudinem potestatis, quæ Ordinarios congeneresque Practicos à salubri hoc, & ipsis alias competentissimo exercitio tantisper alicubi suspendi, vel Authoritatem, quæ Medicastrorum, Ardelionunque negotiationes coërcere consuevit, etiam horum excessus sufficienter compescere: posse: accedentibus præsertim Collegii cujusdam Medici (in eadem, vel è vicinioribus civitatibus ac oppidis nullo negotio formati,) relationibus, judiciis aut attestatis. Ubi vero, (ceu compluribus equidem in locis,) ista Empyricorum, (per miserorum eviscerationes aut carnificinas publico tantopere nocentium,) inhibitio susque deque habetur; versatior ac generosior Medicus & hos quoque (istorum appendices) negligit, eodem (quo illi conantur aut consueverunt,) compendio sibi nihilominus, etiam interdum è resipiscentibus, ingenue hauriens, quod satis sit: præcipue dum multam Myropolarum partem alias à privatis Medicationibus Consiliisve vix ac ne vix quidem abstinere; haud paucos insuper (dum sub ipsius Receptismi observatione, merito continuatiusque circa singula attentior esse voluerit,) salutarem ejusmodi diligentiam vel tacite, & cum actore ipso tandem aversari; vel postquam secreta singulariorave quædam illud communicata seu manumissa fuerint, authorem obsequio æstimationeque longe sæpe minori prosequi cogitat. Quod autem hæc medendi ratio Pharmacopolia, (sane superiori jam seculo, inter eas tunc Artis nostræ conditiones,) per Imperialium Comitiorum constitutiones publico commendata, tollat hinc vel avertat, nihil est; & experientia constat, ea (ni sibimetipsis excedente illo inconsideratissimoque numero eodem in Oppido vel Civitate, impedimento sint,) in medio quoque privatæ Medicorum dispensationis, revera nihilominus satis commode subsistere; satisque, (Privilegiorum olim desuper conceptorum intentionibus atque contentis acquiescentibus,] vel ex Euporistorum, totque Adiaphororum, &c. Requirentibus indies libere divendendorum distractionibus, reliquisque (per consuetudinem) accessoriis aut consectariis, (dum alias vix decimus Officinales illas species, Sirupos, Electuaria, &c. hodie desiderat vel præscribit,) redit. Nec Medici forsan nonnullibi recusarent, Materialia sua sibi hinc, sub tolerabili redhostimento deprompta. Quid ni verò magis (per nostrum hoc institutum,) subsistant; ubi propter speciale quoddam, tam active quam passive ea frequentantium commodum, seorsim requiri, postulatave nostra minus iis forsitan quadrare videbuntur? Sane dum (curabiles quidem) sufficientissime, de cætero (nomine non uno) facilius feliciusque per privata quoque Medici experti remedia curari posse docemus, neutiquam hinc ipsa in universum Myropolia rejicimus: [eoque nec tot hinc inde Oppida, iis nihilo infelicius, Medico interea necessitabus hisce abunde satifaciente destituta; multo minus exteras Orientalium plagas, paucitatemve in Septentrionalibus provinciis adducimus:) dumque porro pariter excessus tantummodo circa Materiæ Medicæ quantitatem, qualitatem, statutum pretium, &c. diversimode commissos notamus, neutiquam inde protinus totam rem pharmaceuticam elevamus, quarundam saltem circumstantiarum inibi alternationem in istorum medelam quærentes: quæ certe permutatio uti Reipublicæ, Pharmacopolia [suis forsitan de causis.) omnino quibus libet frequentari volenti, emolumentum non unum manifesto nihilominus confert, ita (ubi Medicus prægnantiores ob rationes sua dedit,) eo ipso reliqua (proxima isti] Myropolia adhuc minus, (directe quidem) tangit. Quod vero consequenter quasi, privati nimiique horum reditus hinc ex parte minuantur, integrior intentionum nostrarum æstimator, publicique boni nobiscum studiosior ægrius profecto non feret; subinde expendens: quod plura passim hac tempestate inveniantur non oppida tantum, sed etiam civitates, ubi decumbentibus supradictis aliisve de causis, quidvis interea tolerantibus vel aliunde tentantibus, per septimam sæpe vix unum Recipe Officinis inseratur: quod è solis etiam, (indubitato concessorum accessorirumque) quotidianis distractionibus nihilominus plus passim hauriat, quam famigeratior quispiam Practicus (dum nunc ære merent parvo,) è cunctis suis alicubi sostris: & in universum perquam sit iniquum, ut per ejus tantum latus, (tot ab initio sudoribus & expensis, postmodum vero curis præjudiciisque undique expositum,) alieni reditus, (sub Receptismi Taxarumque vigore plerumque profecto honorariis decuplo duo decuplove majores,) frustra vel in abusus sæpe, coacerventur: quod porro is in salutari hoc exercitio saltem sibi propria & jam olim debita, nec continuatorum ab initio privilegiorum intentionibus adeo comprehensa, (siquidem recentissimæ, & aliunde singularioris alicubi concessionis super Purgantium etiam ordinationes, Chimicorumque indifferentem dispensationem factæ inconvenientiam, alii quoque, seorsim alias à nobis sentientes viderunt,) tractet: multaque quin etiam ex euporistis, Topicis, aliisque Officinarum institutionis propinquioribus (antiquo quasi more,) imperare queat; si dissidia, (plerumque sub privata Remediorum tractione illic subnascentia. Medicoque tandem, sibimet undique sufficienti, publicoque sic satis consulenti neglecta,) defuerint.

Confusiones aut Singularitates, quæ in Practico negotio diversimode hinc exorituræ fortasse dici possent, haud magni [quod genuinam Methodum & ipsius Finis intentionem attinet,) sunt momenti. Certe nec officinalibus adsueti uniformiter agunt, iisdemve vel eodem modo paratis Medicamentis utuntur. Alteri vero accito Medico, sub privata quoque, [isti forsan minus etiam familiari,) dispensatione tam observata Methodus, quam ipsorum Remediorum natura, destinatio, generalior præparationis ingredientiumve ratio, &c. parili modo facilitateque queunt exponi, exponunturque, eodem clinici emolumento, nullo vero (si indifferenter divulgarit,] proprietarii, (de cætero erga versatiores hic, atque abusui præjudiciisve minus hinc obnoxios haud adeo parci vel tenacis,) detrimento: siquidem satisfacientem sufficientemque Communicationem longe specialiorem, (quam hic quidem fieri necesse est,) expositionem in plerisque requirere, excercitatiores quoque (inter tot tentaminum & imitationum frustrationes) norunt. Quod autem in temerarias ignotorum vel intentatorum experimentationes, per adhibentium damna sub ea medicaminum tractatione iturus forsitan sit Medicus; id quidem nimis durum est, si ab aliis, quam alterius Professionis taxatoribus propriorumve excessuum sibimetipsis consciis de eo præsumatur. Practicus ob eruditionis pariter ac ingenuitatis testimonia, ad ordinaria hæc vocatus, aut proxime admissus, ut (æque ac quivis alius) famæ (tanquam actionum suarum condimento,) ita quoque conscientiæ suæ, (sub quotidiano quinto Præcepti exercitio & observatione,] satis meritoque cavet: tot aliorum quoque observationibus confirmata, (licet in speciem alibi secretiora media modosque, circa quæ similiter innoxieque occupetur) præter usualia habet: nec si quid amplius inibi, diversa ob decumbentium commoda, (ceu alius pariter in ipsis officinis potest atque v. g. in China Chinæ, Chocolata, Matulista &c. non solum extus illatis, sed etiam Vernaculis, sine nota, sine culpa, solet;) rescire voluerit, Venena tunc, adit; aut Empericas tantum sua tractat, sine judicio vel delectu, sine Analogia, sineque processuum, operationum, subjectorum æstimatione aliqua, &c. Certe melius de eo senserunt, qui tectas ejus compositiones per Pharmacopolia solum dispensari voluerunt. Sit itaque (vanis ejuscemodi suspicacium præsumptionibus dimissis,) sextum deinceps commodum. Subitaneorum Casuum, noctu quin etiam contingentium, in Apoplexia, Epilepsia, Deliquiis & Virium ex abrupto dissolutionibus, aff. Hystericis, Abortu Hæmorrhagiis, anxietatibus ac perturbationibus Criticis, aliisque, etiam Chirurgicis, præsentaneum inde levamentum: ceu qui in Praxi aliquantisper versatus est, & difficultates illas, (morte sæpe redimendas, aut occasionem melius agendi admodum præcidentes,) donec [inter alios necessarios,) etiam Medicus hic, illic Pharmacopola conquiratur aut vel expergefiat, nobiscum vidit, prompte fatebitur. Hac enim ratione non solum consilium, sed Remedium quoque eadem opera præsto est. Pariter vero res se habet cum peregre vocato, ubi sæpissime hujusmodi subitanea, totque insuper aliæ notoriæque circumstantiæ, præsentia postulant, & quidem variationi insuper ac singulorum accommodationi sufficientia Medicamina: siquidem eventualiter aut conjecturaliter quidpiam illud exportatum, sæpenumero tunc, cum statum ægri cum circumstantiis suis coram penitiusque intuemur, vel accidentariis nonnullis subjicimur, haud convenire vel sufficere, dubio procul plures nobiscum similiter observarunt: planiusque judicabunt, num Professionem nostram (ad minimum) deceat, ut ejus generis medicamenta tum, aut

in su

TEXT. LUDOVIC.

in futurum quoque, à Pharmacopola, (dimidiata etiam, vel tertiata Taxa,) coëmat; ejusve Merces aliter extrudat.

Sit potius in consideratione hac nostra septimum: Beneficentia erga Pauperes gregariosque, chronicos præsertim, impensis impares, medicationumque tandem pertæsos. Quibus num consiliis tantum atque votis, an ipsa Remediorum insuper suppeditatione præsentius liberaliusque succurrat Medicus, determinare forte fuerit ridiculum. Quid Myropolia hic undiquaque agant, nostrum non est perquirere: & ut Superiores alicubi vel Urbes, hac in parte indigentiæ publicæ succurrerint; reliquis tamen in Locis quam lenta insufficientiaque hic sæpe sint omnia, alii scient. Medicus autem & Deo suo, (largiori longe remuneratori) gratum facturus, & famæ suæ (à plerumque Cœlum versus surgenti seu à pauperculis ad Illustres tandem propagatæ,) consulturus, amplissimum hac ratione campum nanciscitur, realiter compluribus hujus generis [etiam cum aliquali, aliunde tamen, per Divinam benedictionem refuso) Detrimento benefaciendi.

Sic octavo, cum quamplurimi Amystidum tandem profusissimarumque formularum pertæsi, Chimicastrorum ac consimilium Empiricorum accisis, desibus [præsertim dum eam inibi energiam inter tot abusus, vel per accidens interdum salutem observant,) implicentur: His quoque in quæsita jucunditate, majorive (pro refractariis Affectibus [Efficacia, longe evidentius, nec sine multo noxarum, illinc [ex inconsiderata adhibitione] expectandarum impedimento, satisfacere potest Medicus sua privatim præparans atque dispensans: securius sane, quam si hujus generis formulæ ac medicamina Myropoliis, seu in Tertii demum tot abusus aut præjudicia indifferenter inferti; seu inde inter eos sæpe, talia præparantis, poderantis, miscentis, dedentis, &c. (ceu diffusius eos paulo ante deduximus,) lapsus efferri debeant: & si quæ insuper sunt alia, à Versatioribus huc ulterius referenda, quo è conjunctim (ceu par est,) sumptis, Publico magna illa ac saluberrima privatæ Dispensationis compareat utilitas.

Nam porro, quod nostræ nunc Professionis Commoda seorsim attinet, cum ea tum Dissertatione I. tum in præcedentibus Paragraphis satis attigerimus, diffusius hic, ne per Concessiones istas saltem, (aut potius) Privati quidpiam intendisse videamur, vel pagellæ tandem in quæsita alias brevitate, nimium excrescant, haud adeo persequemur.

Principio tamen, (quo potiora compendiose tantum quasi repetamus,) Medico ita procedentis non solum Famæ sic, sed Conscientiæ quoque, [dum quæ ipsemet transigere vel præcavere poterat aut debebat, aliis inconsideratius interdum concredit,] largiter consulitur, ne vulgato more isti tandem, seu (directe, seu indirectè) imputentur, toties sub simplici usitatiorum [Consuetudinum observantia] è Dispensatoriorum præceptis ac Constitutionibus, Apparatuum Officinalium defectibus Tractantium ac dividentium diversimodis, (sæp que postmodum satis suppressis) erratis, Taxarum extravagantiis, &c. suborti sinistri eventus, curarum protelationes, profusi sumptus; & si quæ insuper sunt, quam plures postmodum in desultatorias istas Medicorum alterationes; aversationes &c. inconvenientia præcipitantia. Authoritas porro ejus existimatio, (vel famigeratissimorum inde virorum exemplo,) magmenta hinc haud adeo obscura suscipit: dum Officinarum strui ac consuetudinibus minus sic adstrictus, ultra ea quidpiam adhuc, (magno clientum commodo] agere, Myropoliis minus quadrantia, sæpeque (non una de causa,) molesta vel damnosa, securius lubentiusve privatim tractare; ulterius in plurima tam Pharmaceutiva quam Naturalia inquirere; præsentiora acceptioraque indies excolere; convenientius adaptare, circumspectiusque dispensare; secreta ab alienigenarum hic abusu defendere, plurimos in morbis procrastinatores magis magisque allicere; tentores chronicisve detentos varie delinire; desperabundos alternationibusve deditos diversimode detinere; vel imaginatione per vulgatiora quoque suscitata evidenter sæpenumero levare; pauperculis demum, (Deo benedictionis duplum sic superaddente, ingratiorumque defectus, quos equidem severius aut Pharmacopoliorum more exigere nequit, largiter compensante,) longe liberalius benefacere hac ratione potest.

Et cum Sostra demum hac tempestate profecto perquam sint exigua; raro sane ea, unde passim, interioribus præcipue in Regionibus vel decimus Medicorum, [accisis simul admodum Stipendiis,) solitariè semet (mediocriter saltem] sustentare queat; Accessorii hinc quidpiam eadem opera, jure de cætero meritoque, (æque ac si cum clarissimis inde Viris Chirurgica quoque, parili modo tractaret,) habet, quod non solum paulo tolerabilius nonnullibi degere, verum etiam indigentioribus facilius succurrere, compendii factisque sumptibus, nec adeo consideratis honorariis, &c. acceptior, circa ulterioremvero Medicaminum aliorumque huc pertinentium perquisitionem diligentior esse queat: nec (dolendo profecto more) è putido lotio quidpiam divinando venari, vel quo sostra eo magts mereri videatur, adhuc indecentiora præter necessitatem tractare, frustraneis discursationibus semet cum clinicis sæpe suis fatigare, bonas horas præter rem assidendo perdere, aut penitus cum iis, qui Medicorum olim beneficio vivebant, inversa nunc ratione, privatim pacisci, vel exotericis è reditibus vitam tolerare cogatur: ceu Dissertatione I. diffusius questi simus: eosque (nunc pro clausula,) haud adeo demiramur, qui jucunditate studii primitus illecti, postmodum cum ad Praxin easque tunc molestias, quas abjectissimus interdum verna vix subiret, ventum est, inter nullam quasi tot tædiorum compensationem, facultates & labores isti insumptos, animumque huc unquam applicatum fere sunt detestati.

Atque hæc de odiosissima Materia impræsentiarum sufficiant: & glaciem sic forte fregimus ulteriori aliorum observationi, delectui atque culturæ, quo manifestius exinde publicum incrementum indigis ejusmodi mutationum locis compareat: Rogamus autem omnes, quos vel per indirectum hujus generis pertractatio concernere posset, ne quæ, (pro more) ingenue nullique palpantes disseruimus, sinisterius excipiant. Scimus esse, qui seu consulendo, seu consilia exigendo, officia sua realiter & maxima cum laude faciunt, nostrisque hinc non indigent; scimus esse, qui alienis de causis invectis consuetudinibus semet subtrahere, vel eas ex condigno permutare nequeunt: cur hi nobiscum litigent? Si vero quispiam extra hos, se per Dissertationum decursum forte tactum videat, quæso, ne dicat cum isto: quid est veritas? sique difficiliora inconvenientiorave quædam æstimabuntur, dilucidationem & responsionem in contextu vel aliis paragraphis inveniet siquidem, qui consilia tantum hic, non præcepta, (quæque Myropolia seorsim spectant,) ea forsan moderatione, (quam impatientiores etiam, & per superiorum annorum diversos Libellos aut invectivas irritatiores ferre queant,) scripsimus, diversum sentientium privatisve de causis nobis adversantium litigiis aut contradictionibus tandem in personalia odiose desinentibus, nos non immiscebimus; succesivas horas imposterum, si DEO placuerit, utiliori labori locaturi.

FINIS.

PRIVILEGE DU ROY TRES-CHRESTIEN.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des requêtes ordinaires de nostre Hotel, Prevost de Paris, Baillifs, Senechaux, leurs Lieutenans Civils & tous autres nos Officiers & justiciers qu'il appartiendra, salut; Nôtre bien Amé THOMAS AMAULRY Marchand libraire de nostre ville de Lyon, Nous a fait remontrer qu'il a en main un livre intitulé *MICHAELIS ETTMULLERI Philosophici & Medici Doctoris, & Quondam in Academia Lipsiensi Professoris Publici celeberrimi opera omnia Theoretica & pratica. In quibus Universa Praxis medica sive omnium, totius humani corporis morborum Dilucida descriptio &c.* Lequel étant fort utile au public, il desireroit l'imprimer : il nous a tres humblement fait suplier luy en octroyer nos Lettres sur ce necessaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traitter ledit exposant, Nous luy avons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes d'imprimer, ou faire imprimer ledit livre par tel Libraire ou Imprimeur, en tel volume marge carractere & autant de fois que bon luy semblera pendant le temps de douze années consecutives, à commencer du jour qu'il sera achevé d'imprimer, iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume : faisons deffence à tous Libraires Imprimeurs, & autres d'imprimer, faire imprimer vendre & distribuer ledit livre sous quelque pretexte que ce soit, même d'impression Estrangere & autrement, sans le consentement dudit exposant ou de ses ayant cause, sur peine de confiscation des exemplaires contrefaits, trois mille livres damande applicable un tiers à Nous, un tiers à l'hospital general des lieux, & l'autre tiers audit exposant, & de tous dépens dommages interêt, à la charge d'en mettre deux exemplaires en nostre bibliotheque publique, un autre en nostre cabinet des livres de nostre chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres cher & feal Chevalier Chancelier de France. Le sieur Boucherat côme aussi de faire imprimer ledit livre sur de bon papier & en beaux carracteres suivant les Reglemens sur ce intervenus : que l'impression s'en fera dans nostre Royaume & non ailleurs, & de faire enregistrer ces presentes sur le Registre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de nostre bonne ville de Paris : le tout à peine de nullité des presentes, du contenu desquelles, vous Mandons & enjoignons faire jouir l'exposant & ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire : voulons qu'en mettant au commencemêt ou à la fin dudit livre l'extrait des presentes elles soient tenues pour deüement signifiées, & qu'aux copies collationées par l'un de nos amez & faux Conseiller, Secretaire foy soit ajoûtée comme à l'original, Mandons Au premier nostre Huissier ou Sergent faire pour l'execution des presentes toutes significations defenses saisies & autres actes requis & necessaires, sans demander autre permission CAR TEL est nostre plaisir. Donné à Versailles le vingt-un jour d'Aoust l'an de grace mil six cens quatre vingt sept. Et de nostre regne le quarante cinquiéme.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL.

JUNQUIERES.

Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris le 23. jour d'Aoust 1687. suivant l'arrest du Parlement du huitiéme Avril 1653. Celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Avril 1665. Et l'Edit de sa Majesté donné à Versailles au mois d'Aoust 1686. I. B. Coignard Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiére fois le 5. Novembre 1689.

Les Exemplaires ont esté fournis.

MICHAELIS ETTMULLERI PYROTECHNIÆ RATIONALIS

LIB. I. SECTIO I. DE SALIBUS SIMPLICIBUS ET COMPOSITIS.

PROOEMIUM.

CHIMIAM in compendio tractaturus, nolo inhærere communi scriptorum methodo, qui certa *Chymiæ Tyrocinia* ordine Scholastico pertractarunt, quia in quibusdam incongrua, imo superflua continentur; Sed saltem ea tradam, quæ pro fundamento Chimiæ sufficiunt Medico, quibus ceu filo Ariadnæ ducimur ad perfectam ac intimam cognitionem corporum naturalium. Cùm autem primarium locum salia sibi vindicent, ideò primo loco sistemus doctrinam salium, ubi primò *de Principiis Chimicis in genere* quædam præmiserimus.

CAP. I. DE PRINCIPIIS CHYMICIS VETERUM.

THEOPHRASTUS PARACELSUS superioribus jam seculis *quinque* introduxit *corporum naturalium principia*, eaque distinxit in *Activa* & *Passiva*: *Activa* nominavit SAL, SULPHUR & MERCURIUM, *Passivorum* nomine insignivit PHLEGMA & CAPUT MORTUUM: Per *Caput mortuum* aliàs tamen propriè loquendo nihil aliud intelligitur, quam omne istud *residuum*, quod *post* virium & principiorum activorum *extractionem* remanet. Communissimè tamen *remanentiam Vitrioli* significat. Hæc principia passiva Paracelsi phlegma scilicet & Caput mortuum, tandem dicuntur eidem RELOLLEA, id est viribus insignibus destituta, quia omni activâ virtute spoliata sunt. Sic quoque invenimus hoc vocabulum Relolleum usurpatum de Aëre & Aqua, apud *HELMONT. Tract. Natura contrariorum nescia & alibi.*

Hæc principia activa, *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurius*, utut frequentissimè omnium apud *PARACELSUM* reperiantur, *eorum* tamen *non* existit primus primariusque *autor*, utpote qui ex se fuit indoctus, accuratioremque Philosophiam neglexit, sed à *BASILIO VALENTINO* tum temporis Chimico non contemnendo mutuò accepit, & cum jam *B. VALENTINUS* in metallurgicis probe fuisset versatus, statuissetque omnia metalla constare *spiritu, anima & corpore*, ea postmodum explicuit, scil. per Spiritum mercurium, per animam sulphur, per corpus sal esse intelligendum. Sic quoque ab *ISAACO HOLLANDO & RAYMUNDO LULLIO* non pauca subtraxit, eaque suppresso veri autoris nomine, sua fecit: Sed cum jam multa multi de his principiis, alij tamen sic, alij aliter de iisdem sentientes scripserint (nam per mercurium Veteres non intellexerunt Mercurium, quem dicunt vivum & vulgarem, nec per Sulphur crudum istud nativum Sulphur;) ideo non abs re facturi, si paulò accuratius adspiciamus principiorum salinorum naturam. Quid verò per Mercurium, Sal, Sulphur, ut principia, intelligatur, dicetur sub cujusque titulo proprio.

CAP. II. DE PRINCIPIIS SALINIS MODERNORUM, ET IN SPECIE DE SALE ACIDO.

PEr *sal* hoc loco nihil aliud intelligitur, quam tales *particulæ materiales*, quæ *facillimæ* sunt *solutionis in aqua*, & sæpius linguam afficiendo gustus passionem inferunt. Hæ particulæ magnæ sunt considerationis, quia ex his congruis materialibus corpora sunt naturalia maximæ efficaciæ. Jam cum latissimum sit *salium regimen*, ante tot secula divino illi *COO jam cognitum*, qui eadem salia *sub saporum no-*

mine (ceu cuilibet notum) vendidit. Hoc loco in genere dicemus, sal esse duplex : UNIVERSALE scilicet, & PARTICULARE: *Universale* est illud quod in primâ creaturarum productione per hoc universum mundi systema dispersū vulgariter audit SPIRITUS MUNDI, qui dum in aëre latitat, à quibusdam. AVICULA *HERMETIS* dicitur, in terræ visceribus dum latitat, pro vegetandis tam variis vegetabilium speciebus, vocatur SAL TERRÆ CENTRALE. De hoc mundi spiritu intelligenda venit secūdum nonnullos *Tabula* illa *HERMETIS Smaragdina*, ita sonans: *Quod est inferius, est sicuti id, quod est superius, & vicê versa. Et sicuti res omnes facere ab uno mediatione unius &c. vide NOLL. Phisic. Hermet. p.* 701. *Ab* hoc *sale universali* in diversis matricibus generantur *salia particularia*, de quibus hic paulò accuratius disquirendum.

Salia particularia sunt duplicis generis, vel ACIDA, *vel* ALKALIA *seu Urinosa*, & ex his duobus mutua conjunctione tertium compositum scilicet SALSUM emergit, neutrum ex istis, de utroque tamen participans. Sic v. gr. *spiritus Vitrioli est Sal acidum, sal tartari est Sal Urinosum, ex his duobus conjunctis Sal tertium exoritur salsum.*

Nota autem, quod nomine salis non semper intelligenda sint salia in forma salis sicca, *duplex* enim est *status salium*, nunc sunt RESOLUTA nunc COAGULATA. *Resolutorum nomine* veniunt *spiritus*, per *coagulata* autem intelliguntur *salia* in forma sicca.

ACIDA *Salia* in omnibus tribus regnis reperire facillimum est. Primum quidem IN REGNO MINERALI ante reliqua *acidum sulphuris eminet*, utpote ex quo reliqua mineralia suum habent acorem : Nam à Sulphuris acido vitriolum suum habet acorem. Ab hoc spiritu Sulphuris acido suo deducit natales (quoad acorem) alumen, sal commune &c. Inter metalla aurum suam habet aciditatem ab acido sulphuris, cujus aciditas hoc modò probatur: *Auro liquefactoseu fuso si extremitatem bacilli immiseris ferrei, ferrum in momento & vertitur in scoriam, seu rubiginem, non aliter, ac si cum Sulphure accenso concrematum esset. Confer TACHENII clavem.* In marte tam copiosum est acidum, ut in aëre resolutus humidô, suum proprium corpus corrodat in rubiginem, quæ Chimicis dicitur crocus martis. In venere consimiliter copiosum est acidum, nam per humectationem, internum acidum resolventem, spontè excrescit viride æs seu crocus viridis subtilis, factus per proprium acidum corrosivum. In Saturno quoque abundat acidum, id quod probat imprimis purificatio solis & lunæ cum Saturno in capella. Quæcunque enim metalla mixta cum sole & luna cum Saturno si conjungantur hic arripit reliqua omnia, excepto sole & luna, quæ subsident in fundo. Fundamentum consistit, in eo quia Saturnus abundans copioso acido cupit saturari, ast, cum sol & luna sint perfecta & nimis compacta corpora his intactis ignobiliora metalla aggreditur, imprimis martem & venerem.

In Regno Minerali multa acida dantur, uti videmus, & cuilibet, mineralia & metalla exactius examinanti, manifestum est.

REGNUM VEGETABILE quod attinet, *nec* hîc *vegetabilia sua destituuntur aciditate* Nam in fructuum maturatione natura procedit ab acido austero ad saporem subdulcem, tandem ultimò maturationis tempore ad saporem dulcissimum. Sic quoque vegetabilium acidum testantur varia aceta, ex fructibus mediante fermentatione producta : Ut nihil jam moneam de iis, quæ naturaliter tota sunt acida: v.g. ribes, berberes: sed urgeo tantum, quoscunque fere vegetablium succos beneficio fermentationis acetosum nobis exhibere liquorem. Sic succus pomorum, pyrorum, dulcis quidem est, sed dat acetum, quin & saccharum sal illud omnium dulcissimum, si destilletur in arenâ, dabit spiritum acidissimum. Quod maximè semina vegetabilium dent acidum, clarum certumque reddit panis ex seminibus confectus, hic enim moderato igne fundit spiritum acidum probabilem, brevi tempore, absque Vulcani adjumento, veneris aut martis tincturas aut coralliorum, aut hæmatitis solventem & extrahentem, & in nonnulla corpora mineralia potentius ferè agentem ipsâ aqua forte. Huc meritò refertur acetum, ex cerevisia aliisque quibuscunque ex infusis oriundum : Omnis enim planta decocta in aqua simplici, & in loco calido vel ad solem posita, acescit.

In omni maximè *ligno latitat acidum*; quodcunque enim lignum, si destillaveris, acidiusculum inde produces spiritum, qualis est spiritus juniperi, sassafras &c. Imò ipsa fuligo, si destilletur, per retortam, spiritum acidum præbet subtilem, & sal volatile copiosum.

In ANIMALI REGNO *pauca* sunt *acidorum vestigia quia* sunt acida *occulta*, & *sub tegmine eleosi* corporis seu sulphuris latent; hinc ex omnibus Salibus Urinosis cum pinguedine (ratione occulti acidi) conficitur sapo, *vide TACHENII Hipp. Chim.* Quare omnia oleosa ex animalium partibus de prompta fovent acidum concentratum, quæ cum Urinosis si conjungantur, dant tertium salsum.

DE ACIDO STOMACHI s.n. non est quod dicam multa cum de ejus præsentia nullus dubitet. Rejecta quoque præter naturam ex ventriculo, suam sæpè produnt aciditatem, pelvium ænearum substantiam corrodendo; ut taceam de ulcerum acido corrosivo, quod ipsa quoque ossa subinde corrodendo in cariem vertit. De urina alibi dicemus. Hæc fuere acida.

Hoc adhuc *notetur*, quod *ubicunque* dentur *acida*, *ibi* maxime sint *urinosa*, ita tamen, ut modo dominetur acidum subjugato urinoso; modo urinosum imperij fasces tenet suppresso acido.

CAP. III.

DE

SALE ALKALI SEU URINOSO TAM VOLATILI QUAM FIXO.

Videamus jam *salia Urinosa*, quæ ita appellantur, quia referunt urinæ saporem degustanti : Hæc duplicia autem sunt : *Volatilia ac fixa*.

VOLATILIA sunt, quæ aut spontè exhalant, aut levi calore in auras levata *avolant*, tale quid est spiritus salis ammoniaci.

SALIA verò FIXA sunt, quæ in ignis examine *non avolant*, sed illud cum consistentia sustinent, talia sunt omnia salia cineritia, seu ex cineribus elicita; v.gr. Sal tartari, sal absinthij, fumariæ, centaurij minoris &c. Hos terminos (Volatile scil. & fixum) quidam explicare conantur per τὸ leve & grave, sed qualitatibus his sine subjecto relictis, eorum rationem à rebus ipsis desumendam putamus.

Sal volatile imprimis in regno animali sui copiam facit, rarius in regno vegetabili, rarissimè (utut multi annitantur) in regno minerali comparatur. Salia volatilia omnium frequentissima sunt in regno animalium

malium, quælibet enim pars, etiam maximè abjectissima, v.gr. stercus, urina, pili, sudor, cornua, copiosum reddit sal volatile, relicto in capite mortuo aut nullo, aut paucissimo sale fixo, ut dubitem, an *ex integro homine* calcinato *drachma* una *salis fixi* haberi queat. Salia hæc in animalibus volatilisantur, partim per digestationem fermentativam, partim verò per continuam aëris inspirationem. Ast non solum regnum animale hâc laude claret, verum etiam *è vegetabilium regno proveniunt salia urinosa*, eaque *acria*, ex gr. in cepaceorum familia, nasturtio, armoracia, piperitide & similibus antiscorbuticis & antihypocondriacis: Quædam autem habent talia salia volatilia *temperata* ab adjuncto oleo, qualia sunt mentha, salvia, rosmarinus, omniaque aromata, quæ constant sale volatili urinoso ab oleo temperato. Quædam vegetabilia obtinent salia volatilia *occultata*, qualia sunt vulneraria, quæ ut plurimum insipida deprehenduntur, quorum tamen sal ab effectu nobis manifestum evadit: v.g. dum revivíscere faciunt mercurium sublimatum vel quoque præcipitatum: Transformatur enim mercurius in varias formas beneficio Salium acidorum; quod si ergo misceantur hi cum succis herbarum vulnerariarum, ebulliendo, acidum istud, mercurium in varias formas vertens, ab Alcali vulnerariarum plantarum absorbetur, quo destructo, mercurius pristinæ suæ libertati restituitur, &c. Verùm utut hæc maximè manifesta sint, *sunt tamen, qui dubitent* de horum *vegetabilum salibus volatilibus*, dicuntque, non dari in iis sal volatile simplex. Hos tamen sensus ipsi convincunt. Videmus namque, quòd ex fuligine sal volatile urinosum sibi acquirant quidam, *de quo vide HORSTIUM.* Alio modo ex absynthio exsiccato retortæ indito, aut quod præstat furno *GLAUBERIANO* indito ac incluso elicitur spiritus & sal volatile urinosum copiosum subtilissimum. Sic ex vegetabilibus putrefactis non fermentatis (nam ex plantis fermentatis accipitur spiritus ardens instar spiritus vini) elicitur spiritus urinosus. Ex pane per destillationem comparatur spiritus ardens, & si rectè procedas, sal volatile elegantissimum, ut nihil dicam de Tartaro ex vegetabilibus oriundo, ex quo sublimatur sal volatile maximæ efficaciæ, in specie si ex fecibus vini eliciatur.

Pergo ad *Salia fixa*, quæ *producuntur ex vegetabilium cineribus* & reperiuntur imprimis in regno vegetabili, nam *in animali regno* talia *sunt vel nulla vel pauca. In minerali* prostant *paucissima*, scilicet sal nitri fixum. In vegetabili regno sunt v.g. sal fumariæ, absyntij, rutæ, &c. Hæc *salia fixa vegetabilium non sunt nativa* qualia fuere acida in regno minerali aut volatilia urinosa; seu talia fixa salia vegetabilium non reperiuntur in concretis naturalibus, *sed sunt artificialia* & fiunt *ab ignis regimine* ex colliquatione & unione acidi & urinosi volatilis in planta, ita, ut clarior generandi modus sit hic. Sub concrematione plantæ, dum colliquescunt partes concreti, sal plantæ volatile partim inter avolandum arripit partem sulphuris concreti, cum eodem se unit & figit in alkali, partim quod colliquantis sulphuris amplexus aufugit, abit in auras, & constituit fuliginis corpus. Hinc est, quod vegetabilia oleosa copiosa dent salia fixa. *Modus* quo fiant ex lignis copiosiora salia fixa seu cineres clavellati sequitur. Lignum pini si crematur clauso vase aut loco, sal volatile sulphur ejus arripit, & fixantur in alkali artificiale copiosum: Sin verò cremetur in aëre libero, paucos dabit cineres, & per consequens paucissimum sal fixum. Sic ligna putrida, fortissimo quamvis urgeas igne, nullum dant sal fixum, quia in putredine omne sal volatile cum sulphure abscessit. Vegetabilia ergo multa habent salia fixa: Imprimis horum generationem ostendit sal nitri fixum. Si nitrum solum cremetur igne, abit in auras, sin verò addatur parum sulphuris, relinquitur perfectum sal nitri fixum, eoque copiosius, quo plus sulphuris additur. Fundamenta fixationis vide apud *HELMONTIUM in tr.* Blas humanum & *TACHENIUM in Hipp. Chim.*

Hæc *salia fixa dicuntur salia lixivia*, quoniam instar lixivij vel ex lixivio extrahuntur. *Alio nomine* & quidem Arabibus dicuntur *Alkalia*, à KALI herba Ægyptiaca, crescente secundum nitrosum flumen Nilum, sapore nitroso, quæ à veteribus Ægyptiis fuit concremata, & ex eadem copiosum elicitum fuit sal fixum, quod dixere Kali, & præposito articulo Al, ortum est ALKALI. Hæc herba hodie reperitur apud Seburgum, & est species sedi.

Hoc latius fuit extensum ad omnia salia vegetabilium, sed cum observatum esset, quod tam salia volatilia quam fixa Alkalia essent contraria acidis, factum est ut latiori adhuc sensu omnia salia contraria acidis, seu urinosa, tam volatilia quam fixa, dicta sint alkalia. Unde *vocabulo Alkali imposterum semper utemur pro omni sale Urinoso, tam volatili quàm fixo.*

CAP. IV.

DE

SALE SALSO.

PRædicta Salia, acidum nimirum & alcali dum invicem congrediuntur, constituunt compositum tertium nimirum *salsum*, quod *neque est acidum nec urinosum; sed uti dixi, compositum ex sale alkali & acido*, SALSUM appellatum. Hæc est genuina salis salsi natura, ut scilicet participet de duplici natura. Sed *ZUUELFERUS* usurpat sal salsum sæpius pro sale urinoso, quod tamen falsum, unde cautè legenda ejus sunt scripta; Hoc in genere.

Salsa pro natura Alkalium, quæ cum acidis combinantur, *sunt vel salsa volatilia vel salsa fixa. Salsum Volatile* est, quando cum acido sese unit alkali volatile, & tale est, quod in ignis tortura evanescit, e.gr. *ammoniacum*, hoc ammoniacum (uti postmodum dicemus) constat ex sale alcali ex urina, & ex acido salis communis; & hoc acidum, quia concurrit cum Urinoso, est Salsum. *Salsum fixum est*, quando cum acido sese conjunxit Alkali fixum. v.g. Spiritus vitrioli & sal tartari: hæc salsa sunt naturæ hermaphroditicæ, seu participant de utroque de acido, & urinoso. Ita tamen, ut acidum destruat alkali & regnet; aut alkali subjuget acidum, imperiumque gerat, unde ex amborum concursu fit tertium salsum, compositum ex his, neutrum, de utroque tamen participans. Quamvis autem videamus, quod *acida cum urinosis se sine effervescentia non commisceant*, nihilominus *salsa sine alia pugna atque activitate cum urinosis & acidis sese maritant.*

CAP. V.

DE

SALE AMMONIACO.

DIctum fuit ſuperius, quod *ſal Ammoniacum* ſit *ſal ſalſum ſed volatile*, noſtrum quidem Sal Ammoniacum non eſt idem cum ſale ammoniaco Veterum: Hoc enim fuit nativum; noſtrum verò artificiale eſt. VETERUM fuit enatum ſub arena in Regione Lybiæ juxta Ammonis Oraculum, unde maximè nomen ſortitur. Ibidem loci fertur in more fuiſſe mercatoribus ſub camelis iter ſuſcipere, unde cum urina camelorum confermentata terra produxit Ammoniacum nativum Veterum. NOSTRUM verò ammoniacum conſtat ex Sale communi, quod diſſolvitur in magna copia Urinæ humanæ, addita pauca fuligine, (ut ſit centeſima præter propter totius portio) hæc forti igne coquuntur ad certam conſiſtentiam, poſtmodum in loco frigido concreſcit ſal quoddam candeſcens, quod dicitur Ammoniacum.

Compoſitionis ſeu *generationis* MODUS eſt hic: Sal volatile urinæ & fuliginis ſub coctione iſta, dum evaporat phlegma (nam poſt phlegma debet aſcendere ſal volatile) ſe conjungit cum acido ſalis communis, & ambo concreſcunt in maſſam ſalſam, quæ dicitur Ammoniacum, & eſt ſal ſalſum volatile, natum ex ſale volatili urinæ & acido ſalis communis.

USUS *Ammoniaci* ſalis eſt *duplex*, vel eſt *Medicus*, vel *Alchymiſticus*. Quod attinet uſumMedicum *eſt ſtomachicum ſingulare*, detergens ſordes ſtomacho adhærentes, unde *in ἀπεψία ſi conjungatur cum aromatibus, cinanomo, pipere, ſpeciebus diatrion pipereon vel cubebis, vix datur melius ſtomachicum hoc ipſo.* Deinde quoque *eſt antifebrile nobiliſſimum* in febribus intermittentibus, ſi præmiſſis præmittendis, in ſpecie vomitu, ante paroxyſmum exhibeatur. Mitigat febres quartanas, & melior expectandus eſt ſucceſſus, ſi miſceatur cum oculis cancrorum v.gr.

> ℞ *Sal ammoniaci depurat. gr. XV. ad XX.*
> *ocul. cancror. gr. viij. ad X.*
> *M. F. Pulvis.*
> *Detur ante paroxyſmum.*

Rarò bis aſſumitur, niſi febris altas egerit radices, quin ceſſet febris quartana. Aliàs quoque *potens eſt diureticum cum oculis* cancror. aſſumptum, præcavetque calculi proventum abſtergendo renum tubulos. Unde *in iſchuria* tam à ſanguine congrumato, quàm ab alia cauſa quacumque egregium præſtat effectum. Præparatur pro uſu Medico depurando: DEPURATUR autem hoc modò: Solvitur in aqua ſimplici, filtratur, & poſt tenuiſsimi phlegmatis exhalationem in loco frigido concreſcit in ſtrias ſaliniformes.

Ammoniacum Solutum in aqua ſimplici vel ſolum SUBLIMATUR *in* FLORES, vel ut quidam volunt (ſed peſſimo conſilio) ſublimatur cum limatura martis, tunc enim in igne acidum ſalis ammoniaci rodit martem & in vitriolum conjungit ſe cum eo, Sal volatile verò vel Urinoſum avolat in auras; fortiori tamen igne aſcendunt flores ſalini, ſed acidi & Vitriolacei longè inferiores ipſo ammoniaco.

Vſus Alchymiſticus Ammoniaci *eſt pro volatiliſatione ſulphurum fixorum, metallorum & mineralium.* Docet hoc *BASILIVS VALENTINVS.* Unde etiam vocatur AQUILA ALBA, AQUILA COELESTIS, quia beneficio ammoniaci ſalis facilè res poſſint ſublimari, & ab eo inſtar aquilæ in altum evehi. Sic lapis hæmatites, qui eſt naturæ Martialis & ſaturninæ, ſi probè ſubigitur cum ammoniaco, ambo aſcendunt in flores rubeos, in uſu Medico excellentes, in ſpecie in omnibus febrium generibus. Sublimationem Solis cum Sale ammoniaco docet *ZVVELFERVS in mantiſſa Hermetica.* Corallia, quorum ſulphur aliàs fortiter miſtum eſt cum ſuo concreto, nihilominus tamē cum ſale ammoniaco ſublimantur in flores rubeos, ſubinde de nova ſublimatione magis fortificandos, ex quibus poſtea Tinctura elegans confici poteſt.

Sic quibuſdam ſingulare artificium eſt, dum Caput mortuum Vitrioli Veneris probè calcinatum & exacte edulcoratum miſcent cum Sale Ammoniaco & ſublimant in flores aurantij coloris, ſub quibus multa latent, in ſpecie virtus hypnotica in iis reperitur: Imo non abſimili modo *MARCVS MARCI* ſublimavit vitriolum pro lapide Buttleri *HELMONTII.* Ut autem *ſeparatio acidi ab Vrinoſo volatili in Ammoniaco fiat, adde Salia alkalia*, v. gr. ſal Tartari, aut ſal cinerum clavellatorum, aut calcem vivam. Sic enim fit, ut hoc ſal alkali fixum conjungat ſe cum acido ſalis communis, in ammoniaco contenti, ſal volatile ſe extricat ex compedibus, & in naturali forma aſcendit, vel in forma florum vel in forma Spiritus. *Quare autem acidum Ammoniaci libentius ſe conjungit cum alkali fixo, & ſal ſuum dimittit in aërem?* R. quod fixa fixis libentius ſeſe maritent, natura illorum ita jubente. Præterea quoque *alia ſubjecta preter alkalia* jungūtur acido, in ſpecie ſalis ammoniaci, v. gr. *Limatura martis, minium* &c. quia hæc corpora metallica acida quidem ſunt, ſed non ſaturata, unde abſorbēt acidum ſalis ammoniaci, & ejus ſal volatile liberæ relinquunt voluntati, ut vel in forma ſalis, vel ſpiritus urinoſi aſſurgat. Ordinariè SPIRITUS ſalis ammoniaci eſt coloris albi, facilè tamen ipſi poteſt conciliari color aureus cum ſulphure communi. Sic ℞ *ſalis ammoniaci & ſulphuris com. ana* ℥v. *& hæc ſubacta miſceantur cum calcis vivæ* ℥vj *Si deſtillantur per Retortam, prodit ſpiritus coloris aurei, odoris fœtidi, ratione Sulphuris.* Sed nota, quod *alkalia volatilia, ubi inveniunt ſubjecta Sulphurea, ex utrorumq; conjunctione oriatur color ruber,* unde quis rationem rubedinis in ſanguine facile reperiet. Porro *ſpiritus ſalis Ammoniaci excellens eſt ſudoriferum,* quia penetrat fortiter corporis intima. *Doſis ejus* prout fortis vel debilis eſt, erit à gutt. 30. 40. ad 50 habita ratione ſubjecti; & eo ipſo, dum eſt ſal volatile, *deſtruit omnia acida ſuperflua in corpore & mutat in ſalſa*, quæ partim per ſudorem partim per Urinam evacuantur. *Hinc egregium eſt nephriticum*, & præcavet calculum. Sua penetratione reſolvit maſſam ſanguinis, eamque fluidam reddit ac tenuem, unde *in quibuſcunque inflammationibus,* v. gr. in Eryſipelate Pleuritide, ubi acidum vitioſum ſanguinem coagulans dat inflammationes, *egregium eſt remedium, deſtruens acidum & reſolvens coagulatum ſanguinem.* Id quod confirmat experientia. Si cani ſpiritus ſalis ammoniaci injiciatur in venam, ſanguis fluidus evadit.

Dictum, *quod ſal ammoniacum ſit febrifugum*, & hoc *à ſale volatili obtinet*, & verum eſt, quod in febribus, præſertim intermittentibus, ſi per horam unam ante paroxyſmum, tempeſtivè præmiſſo vomitu, adhibeatur, infallibile exiſtat remedium. Unde etiam *D. N. D. MICHALIS Lipſienſis* ipſum vocavit ſpiritum antifebrilem & in ſpecie antiquartium. *In ſuffocatione uterina* in paroxyſmo non tam naribus admotus (ſic quidem potentius excitat, quam ex caſtoreo aut pennis incenſis petita remedia) ſed etiam internè in aqua meliſſæ, pulegij exhibitus, optimum eſt

est medicamentum, per sudorem causam eliminans morbosam.

In affectibus chronicis, scorbuto, malo hypochondriaco, & in spleneticis, aut in genere in iis affectibus, chronicis, vulgo ab obstructionibus derivatis: *egregium hic spiritus sæpè præstat effectum.* Si permisceatur cum spiritibus volatilibus appropriatis, v. gr. in scorbuto cum spiritu cochleariæ, in mensium obstructionibus cum castoreatis & mirrhatis, tam in forma sicca quam liquida, tam *externè quam internè. Non solum dolores podagricos lenit, destruendo acidum juxta articulos residens, si misceatur cum Spiritu vini camphorato, ita ut sumatur dupla pars Spiritus vini camphorati, & una pars spiritus salis ammoniaci, & applicetur*, sed etiam hic spiritus salis ammoniaci artificiosè à Glaubero *per certum instrumentum in mensium obstructionibus* cum successu adhibetur.

Spiritus salis ammoniaci, si conjungatur rite cum Spiritu vini, quod est artificium, *se coagulat in massam quandam*, seu, ut *HELMONTIUS* dicit, in offam crassam. Qui ergo ritè conjungere noverit, habebit menstruum egregium pro mirrha extrahenda, item pro Elixire proprietatis sine acido, fœminis destinato. Eadem mistura (sc. *Spiritus vini cum sale ammoniaco*) *solvit Terram foliatam tartari in essentiam auream*, optimam in malo hypochondriaco, teste *ZUUELFERO*. Hæc Mistura limaturæ martis affusa, dat essentiam martis optimam in morbis chronicis. CAPUT MORTUUM *spiritus salis ammoniaci si* solvatur in aqua calida, filtretur & coaguletur, *dat sal salsum*, optimum digestivum, in virtute tamen varians, pro ratione eorum, cum quibus sal ammoniacum junctum destillatur. Sic v. gr. Si sal ammoniacum cum cineribus clavellatis junctum destilletur, ejus caput mortuum dabit sal, qui optimum digestivum est in malo hypochondriaco, ad scrup. j. exhibitus, item in scorbuto convenit. SYLVIUS utitur hoc sale loco digestivi in quartana, inque omnibus intermittentibus cum successu. Si paratur spiritus salis ammoniaci cum Calce viva, ex capite mortuo paratur sal, quod optimum est lithontripticum ad scrup. j. in aqua appropriata propinandum. Idem *Caput mortuum si solvatur in aqua, & affundatur limaturæ martis, eundem rodit in crocum martis optimum*, & sanè meliorem eò, qui fit cum salibus.

CAP. VI.

DE TARTARO VITRIOLATO.

Diximus superius de Tartaro Vitriolato, quod sit sal salsum *ex sale Tartari & spiritu Vitrioli constans*, & si rectè saturationis punctum repertum, abeat in saporem vix sensibilem parum amaricantem. Hunc Tartarum Vitriolatum vocat *HARTMANNUS* digestivum universale, id quod verum est. Præterea *est stimulus optimus purgantium*, si enim conjungatur cum purgantibus, tunc vel quarta pars purgantium sufficiet.

v. gr. ℞ *Tartari Vitriolat. scrup.* ß *ad gr. XII.*
scamnon. Sulphurat. gr. II.
trochisc. alhandal. gr. I.
Olei anis. gutt. I. vel II.
M. D. pulv. purg.

Hic utut vix quarta vel quinta pars purgantium adsit, tamen movebit 6. vel 8. sedes, quia Tartarus Vitriolatus vim purgantium intendit, & promovet sine torminibus ventris. Hoc autem ut fiat, necesse est, ut spiritus Vitrioli sit probè rectificatus & separatus à particulis venereis metallicis, quas secum rapit in destillatione prima, aliàs nauseosus existit Tartarus vitriolatus. Hinc *optimum est diureticum & Vrinam ciens*, coagulataque ac latitantia circa vel intra vasa urinaria abstergens.

CAP. VII.

DE SALIBUS MINERALIBUS.

In genere *omnia salia mineralia sunt quadruplicia*, ut (1.) SAL COMMUNE, (2.) composita salia, ut NITRUM, (3.) VITRIOLUM, (4.) ALUMEN, Hæc salia mineralia pro natura mineralium sunt resolubilia in aquosis, nihilominus tamen unumquodque suum expetit menstruum, quo cum conveniat ratione conformationis. Testatur hoc *GASSENDUS*, qui exhibet experimentum, quo diversissima corpora salina in una eademque aqua resolvit: scilicet. ℞ *aquam communem, in eâ dissolvit (1.) sal commune, quantum potest recipere, hæc aqua saturata sale communi nihilominus adhuc recipit (2.) quantitatem proportionatam salis nitri, hæc mistura ulterius recipit (3.) quantitatem justam Vitrioli, cui si adhuc (4.) addas aluminis portionem, solvet illud.* Ideoque diversissima hæc salia insinuant se in poros Aquæ, citra hoc, ut unum alterū eliminet. Jam uti *magnam Salia cum aquis habent convenientiam, ita ingentem cū oleosis seu sulphureis è contra gerunt inimicitiam*, ut propterea *nullum sal possit solvi in spiritu vini bene rectificato*, qui neque sacharum concretum illud tartareo salinum hanc ob rationem solvere potest. Hæc *salia si destillentur, dant spiritum acidum*, varium tamen pro varia uniuscujuscunque Salis textura particularumque conformatione. Alius namque est spiritus vitrioli, alius spiritus salis, alius est spiritus Nitri, Aluminis. Prout verò coaluere cum variis corpusculis, inde pro diversa textura diversum quodlibet dat Spiritum, utut in radice seu acido in salis conveniant.

Quæritur, *quæ ratio subsit, quod salia sicca reddant Spiritum humidum*? R. hoc fit duplici modo: partim per salinarum particularum inversionem; partim per humoris in corpore adjecto & aëre ambiente admistionem. Quod attinet particularum salinarum inversionem, hæc in eo consistit, ut agitatæ particulæ salinæ sub ignis tortura à se invicem discerpantur, & motu impetuoso à se mutuo dissipentur. Hinc etiam est, quod in forma nebulæ aut fumi cum impetu irrumpant in appositum receptaculum, ibique invicem associatæ, cum humido seu aquosis atomis aëris, coëant tandem in liquorem. *Ad* istam salinarum *particularum inversionem confert corpus* illud *terrestre, rebus destillandis adjectum*, v. gr. argila, bolus, quod plerumque additur

ditur hanc ob causam, ne liquescant salia destillanda. Propter hanc particularum salinarum inversionem fit, ut sal commune per repetitas solutiones & coagulationes posit redigi in puram putam aquam, de quo vide elegantem Orationem de ortu & progressu Chimiæ OLAI BORRICHII.

CAP. VIII.

DE SALE COMMUNI.

Sal commune est triplex, aut est MARINUM aut FONTANUM aut MONTANUM. Quod attinet fontanum, illud est, quod ex fontibus salinis excoquitur, inspissaturque. In cujus coctione ut citius granuletur, Salinarij addunt fel bubulum vel sanguinem bubulum curiose satis. Fundamentum & ratio hujus consistit in hoc, quod sal volatile in bile bubula concurrat & se uniat cum acido in sale communi, acidum vero in aqua salsa latitans, ut alkali contrarium, statim accurrit ad alkalia, ac ita se invicem exagitant in particulas minores, ubi tandem ob copiam acidi alkali ab acido exsuperante coagulatur, ac cum eodem se unit, ex qua unione & mutua particularum adhæsione perfectè granulatur sal fontanum. *Sal Marinum* per similem aquæ admixtæ exhalationem paratum, granula longè majora habet, longéque duriora & crystallos elegantiores quam sal fontanum, quoniã *pater est & fontani & montani salis.*

USUS *salis marini* maximè ante reliquos omnes eminet, tam in Chimicis quam Alchimisticis laboribus, spiritus quoque salis marini longè præcellit spiritum salis communis & salis fossilis, præterea *reperitur sulphur vivum, perfectum, ardens & inflammabile in sale marino*, unde ejus quoque sulphureus percipitur odor in destillatione. Alchymistæ vocant hieroglyphicè hoc sal marinum, [das beste Chenvurbdas niemand entbehren tan.] Est itaque *sal marinum uti dictum, Pater & salis communis & fossilis.* Nam sal marinum cum aqua marina, seu per modum transcolationis centrum terræ petat, ibique in vaporem resolvatur, vaporque hic à centro terræ ad circumferentiam tendat, & in aquam denique (*quæ sententia est BECHERI*) densetur: seu per modum pressionis transcoletur per poros & meatus terræ, quæ aliorum est sententia & opinio, semper aliquid perdit de sua acredine, & hinc debilior redditur aqua fontana salsa ipsâ aquâ marinâ. Sicuti, *ubi hæc aqua marina in aliqua terræ cavitate subsistit, oritur sal fossile*, quod paulo præstantius sale communi. Hæc *salia communia sunt salsa, composita ex acido præpollente & urinoso.* Probat hoc resolutio salis, spagyrica. *Si recipiatur spiritus salis, & affundatur alcalibus aliquibus, v. gr. Sali tartari, vel cineribus clavellatis & convenienti proportione coagulata solvas, & debite inspisses, habebis perfectissimum sal commune.* Simile fit, si spiritus Salis communis affundatur Calci vivæ, si destilletur, habebis quoque singularissimum sal ex capite mortuo elixiviato, simillimum Sali communi.

Quod spectat PRÆPARATIONEM salis communis, destillatur hoc in spiritum acidum, sed ante destillationem decrepitatur seu CALCINATUR hoc modo. Immittitur sal commune in catinum, ubi à flamma exardescit, crepitus edit, qui *crepitus oriuntur à particulis aquosis concentratis in sale restitantibus*, quæ ubi Sal ab ignis tortura nimirum urgetur, cum impetu & sonitu prosiliunt. Cur autem *sal commune ante destillationem decrepitetur*, hæc est causa, ne scilicet in destillatione cum impetu erumpentes particulæ salinæ cum aquosis disrumpant vasa continentia. Ut autem destilletur SPIRITUS SALIS addi solet communiter bolus aut argilla, seu lutum, aut secundum alios alumen ustum, propterea, ne si diutius in igne subsistat, liquescat & fundatur. *Quidam ad promovendam partium salinarum separationem addunt vitriolum*, quamvis alij id improbent, ast sine causa, utut enim corpora diversa salina destillentur, unus tamen & solus prodit spiritus salis relicto propter gravitatem suam in fundo vitriolo, quod hoc modo probatur. *R. Salis communis, eidem affunde spiritum vitrioli, & destilla per alembicum aut retortam vitream, prodibit loco spiritus vitrioli spiritus salis perfectus & genuinus, ac remanebit in fundo sal album crystallinum saporis elegantis, GLAUBERO sal mirabile dictum, de quo alibi.*

Modus ille, qui fit cum folle per retortam tubulatam, est periculosus ex duplici ratione: (1) Periculum est, ne dum frigidus aër injicitur in vas valde calefactum, ex impetu spirituum erumpentium rumpatur vas vel retorta. (2) Quia sal dum fluit, interdum penetret fundum retortæ, & abeat ad carbones, indeque finem destillationi imponat. Longè convenientior modus est, quem commendat GLAUBERUS, qui recipit carbones ignitos, eos imbibit aqua in qua solutum est sal commune, hos exsiccatos carbones destillat in quodam furno peculiari (*in primo ejus furno, quem in scriptis ejus reperire licet*) unde sal resolutum in forma spiritus acidi intrat receptaculum præpositum. Sed *dupliciter culpandus est hic modus*, (1) quia fuligines sulphureæ carbonum cum spiritu ascendunt, & spiritum inquinant, (2) quia calcinatione ista emergit sal lixiviosum fixum, quod destruit acidum spiritus salis, unde debilior hoc modo acquiratur spiritus salis.

USUS SPIRITUS SALIS *communis medicus est, quod destruat omnia salia alcalia oleosa, vel bilem in corpore prædominantem, unde effervescentias febriles compescit* Hinc in julapiis quoque commodè præscribi solet: *Sitim* potenter *compescit* non tantum febricitantium, sed & hypochondriacorum. Insuper maximè *diureticum est medicamentum*, quapropter *in hydrope serum* per urinam eliminando non parum prodest: Hinc, *si hic spiritus cum alcali fixo concentretur* in sal salsum, *diureticum existit non contemnendum.* Convenientius additur elixiri proprietatis præ reliquis spiritibus acidis, v.gr. sulphuris aut vitrioli. Præterea *putredinem quamcumque tollit*, e.gr. gangrænam, si ducatur cum spiritu salis circulus in confinio partis sanæ, progredi ulterius prohibet, idque maximè quoque præstat butyrum antimonij.

Prodest quoque, si cum melle rosaceo ad aliquot guttas misceatur spiritus salis *in scorbutica gingivarum putredine.* Verum, quia ob nimium ejus acorem & metum rosionis intestinorum non semper tuto intus potest propinari, ideo Chimici parant *spiritum salis dulcem*, qui communiter fit ex spiritu vini rectificato, & spiritu salis communis anatica portione mixtis, & aliquoties, bis vel ter, cohobatis. Unde *horum ingredientium unio dat liquorem admodum suavem*, qui vocatur SPIRITUS SALIS DULCIS, & *egregium est stomachicum, appetitum dejectum, cruditates nidorosas, vomitum & nauseam corrigens* & compescens; datur in vehiculo appropriato ad gutt. X. vel XV. imò ad plures extenditur, ratione circumstantiarum variarum. Interdum *loco spiritus vini recipitur spiritus aliquis appropriatus, e.gr. theriacalis, quo cum fit egregius spiritus salis, in peste* plurimum valens.

Quidam

Quidam volunt, *spiritum salis simpliciter rectificare*, & per se absque additione alterius dulcificare per lentam & diuturnam digestionem in calore blando, quod tamen vix ac ne vix quidem potest fieri; ut enim per se dulcescat; necessum est, ut omnino invertantur ejus particulæ acidæ omnes, & mutata figura earum ac textura, novum oriatur concretum, ex quibus novæ quoque vires dependebunt. Sed quis non videt, si non impossibilitatem, saltem summam difficultatem.

Deceptoria quoque *est dulcificatio* ista, *qua sal tartari additur primæ destillationi salis communis*. Nam sal tartari absorbet acidos spiritus, unde loco spiritus salis dulcis habebis Phlegma limpidum acidulum.

Usus Alchymisticus non est exiguus. SPIRITUS enim *salis* CONCENTRATUS *seu rectificatus optimè menstruum dat pro solvendo auro* optimum: Imò si ita rectificetur, ut ne partes acidas deperdat, non solum solvet aurum, sed & secum in altum rapiet, ut quasi in spiritum abeat. *De qua re vid.* ZUUOLFER. *in mantiss p. 322. Concentratus spiritus salis* hoc quoque præstat. Ejus præparatio talis est. *R. lap. calamin. pulverisati, imbibe cum spiritu salis destilletur, & prodibit Phlegma insipidum (nam lapis calaminaris absorpsit omne acidum) quod si mistum caput mortuum cum arena igne fortiori urgeatur, prodibit spiritus salis acidissimus concentratus*, hic spiritus salis concentratus solvit omnia ferè corpora mineralia & metallica, excepto sulphure & Luna. Inprimis autem *solvis corpus solis superficialiter ac apparenter modo*, nam *nulla auri perfecta; sed saltim superficialis cum sale fieri potest solutio*; Lunam contra intactam relinquit, aut solutam præcipitat. E sale communi ejusdem spiritu elegans POTERIUS parat artificium, quando *ex capite mortuo post destillationem spiritus salis relicto parat crystallos, affundendo eidem spiritum vini ex uvarum racemis tempore vindemiæ collectis* destillatum, misturam fimo equino committit, & post hanc digestionem ad aliquot dies institutam, ponit in loco frigido, ubi elegantes oriuntur CRYSTALLI, dulces, grati saporis, quique sunt stomachicum magni momenti.

CAP. IX.
DE
SALE GEMMÆ.

SAl *montanum* seu *fossile* alio nomine dicitur *sal gemmæ*, vocatur ita, quia *sub forma gemmarum ut plurimum eruatur è fodinis*. De hoc notandum, quod *in fodinis sit leve, aeri verò expositum, insigniter grave*, ita ut quantum antea in minera ejus unus movere poterat, extra solum natale extractum quinque non possunt. Ut plurimum in forma dura apparet. In CALABRIA verò reperitur molliusculum, ita, ut eidem variæ figuræ imprimi possint, quod ubi aeri exponitur, indurescit in corpus salinum.

USUS eosdem habet hoc montanum, quos habet fontanum, nisi quod *virtutes sint efficaciores quàm salis communis*. Unde quoque *diureticum est egregium*, quòd *si cum sale communi beneficio salis gemmæ & salis volatilis succini mistura fiat cum aqua* aut *vino potus erit admodum diureticus*, quique fortiter pellet calculum & arenas renum & vesicæ. Aliàs quoque clysteribus additur ad drachm. j. ad emollienda scybala indurata, de quo FORESTUS videatur.

SPIRITUS SALIS COMPOSITUS paratur quoque ex ana nitri & salis communis aut gemmæ. Hic spiritus salis constat primariò ex spiritu nitri, (qui rubro fumo se quoque prodit,) hinc particulis spiritus salis communis. Unde patet, quòd sit vera aqua regis pro solvendo auro. Hoc *consideratione dignum*, quòd *spiritus salis nitri simplex probe rectificatus solvat omnia metalla, aurum verò non tangat. E contrario si acuatur spiritus nitri cum sale communi aut ejus spiritu, tunc perfectè solvit aurum, Lunam vero dimittit salvam intactamque*: Tanta est amicitia in sole & sale minerali communi, cum reliquis omnibus salibus verò inimicitia.

Occasione spiritus salis compositi, qui maximam partem constat ex *Nitro*, pergo ad hujus considerationem.

CAP. X.
DE
SALE NITRI.

NItrum *est sal* sane mirabile *sulphureæ naturæ, constans sulphure admodum volatili* ratione cujus nitrũ est facile *inflammabile*. Nam originem suam capit in terra quadam pingui, ex qua excoquitur & elixiviatur; Et talem pinguiusculam materiam seu terram pro matrice habet, quæ humectatur ab excrementis animalium, ab urina scilicet & eorum stercoribus. Hoc enim sal volatile urinosum cum copioso sulphure imprægnatum, sensim sensimque à sale acido terræ de naturâ salis centralis subigitur, alteratur, & immutatur, donec hæc duo salia concrescant in unum tertium sal, quod dicitur nitrum.

Tale *nitrum ex omni terra conficere licet*, si scilicet terra quædam coacervatur in cumulum, modò ab aere & pluvia arceatur, & imprægnetur urina vel animalium vel humana, fiat lixivium, & post humiditatis evaporationem conspectui se sistet perfectum nitrum. Sic quoque habemus nitrum efflorescens & adhærens lapidibus & muris. Nam *in muris istis antiquis ab exhalatione spiritus seu salis acidi ex terra sal calcis vivæ, qua cum incrustantur muri, sensim sensimque solvitur, alteratur & subigitur*. Et cum *sal calcis vivæ participet de alcali, spiritus acidus è terra, exhalans ex eo jungit & ambo uniunt se in sal nitrum*, unde non mirum videri debet, quod BECHERUS nitrum præparet ex lumbricis. Et singularis planè modus est, quo GLAUBERUS nitrum ex vegetabilibus parat per furnum pressorium, quem vide in ejus scriptis.

Nitrum est sal salsum, constans ex acido sulphuris, & sale alcali invicem junctis. Hoc exinde patet, si enim recipiamus sal fixum, aut cum carbonibus alcalisatum, hoc si cum spiritu acido conjungatur, abit in perfectum nitrum Sic quoque fit, *si sali tartari affundas spiritum nitri, exinde emergit verum nitrum*. Hoc nitrum componitur ex acido & urinoso sulphureo, quod sulphur est admodum volatile, ut cum acido simul in auras erumpat, adeò, ut ex spiritu acido cum alcali quodam fixo fiat nitrum inflammabile.

Nitrum

Nitrum hoc prout in Medicum aut Chimicum usum vocandum est, necessariò *liberandum est à sale suo* HETEROGENEO, quem nitri refinatores vocant heterogeneum & est sal commune quod cum urina & stercoribus animalium permistum, postmodum in generatione nitri nitro fuit permistum. Et hoc sal heterogeneum reperitur & datur in illo tantum nitro, quod eruitur & invenitur in illis locis ubi homines sua deponunt excrementa, in aliis locis non item. *Cur* autem *tale sal in urina detur*, est ratio, quia sal commune, quod cum alimentis assumitur, est invincibile à nostro corpore, unde uti assumptum fuit, ita rursus excernitur. Proba *autem, an nitrum multum habeat de hoc* heterogeneo, *consistit in deflagratione nitri*, v. g. R. carbones ignitos, impone iis nitrum, si purum sit, subitò deflagrat nitrum, nihilque remanet, si vero impurum, aliquid salis albi & caustici remanet, quod ceu dictum, ante quam nitrum in usum vocetur, removendum est. USUM verò Medicum quod concernit, Nitrum *crudum egregium est Medicamentum*, in omni salium genere par non habens. Si *nitrum depuratum* adhibeas, *proderit inprimis in febribus ardentibus, tam benignis quam malignis ad scrup.* j. vel nitrum antimoniatum à scrup. ß. adhibitum. Sic in potu ordinario nitrum depuratum ab ℥ß. ad drachmas vj. *in febribus continuis & æstuante massa sanguinea commode poterit usurpari.* Convenit quoque *in siti quacunque, à quacunque causa* etiam in siti hydropicorum, est namque causa diureticum optimum. *Ad compescendam satiriasin* singulare est remedium, si crebrius usurpetur, adeo, ut exinde totalem in re venerea impotentiam conciliare queamus. Dein *ad hæmorrhagias quascunque*, in primis ab anastomasi ortas, *expertum datur remedium, tam externè quàm internè administratum.* Hoc tamen *notari velim, quod stomachi & intestinorum tonum laxet atque debilitet.* Nitrum autem DEPURATUR communiter *cum sulphure*, & dicitur inde fixum vel LAPIS PRUNELLÆ. Verùm *hoc modo præparatus lapis prunellæ parum aut nihil valet* ut ut contrarium totus mundus Chimicus statuat. Ratio hæc est, quoniam nitrum fusum injectione sulphuris deflagrat, & tunc spiritus acidus sulphureus totus totus exhalat, & remanet sal alcali, seu nitrum fixum. Hoc nitrum fixum se saturat ab acido sulphuris adjecti, quod imbibit, & fit sal salsum tertium, inutile in angina aliisque affectibus similibus remedium, aliàs *nitrum cum sulphure purificatum semper amittit aliquid de viribus*, idque eo magis, quo sæpius cum sulphure deflagratur. Nam licet nitrum fluat in ignis tortura, nihil tamen exhalat: Ut primum autem addatur aliquid sulphuris, mox totum evanescit, relicto in fundo sale tertio. Quod si verò *nitro adjiciantur carbones, post deflagrationem remanet perfectum alcali fixum*, quia non saturari poterit à sulphure carbonum.

Optima omnium *nitri depuratio est*, quæ fit per *alcalia fixa.* Fit scil. lixivium fortissimum vel ex sale tar-Fit scil. lixivium fortissimum vel ex calce viva, cineribus clavellatis &c. infunditur in hoc nitrum, sic alcali fixum arripit omne acidum vitiosum, omneque corrosivum & excrementitium, quod est in nitro. Unde post levem humiditatis absumptionem seu exhalationem excrescit nitrum in crystallos depuratissimos.

Inter præparata est SPIRITUS NITRI, qui destillatur per retortam abjecto bolo communi vel argilla calcinata, ne fluat. Hoc tamen *observandum, quod quo plus addatur boli vel argillæ eo copiosior acquiratur spiritus*, v. gr. si 10. vel 12. partes boli unæ nitri parti admisceas, totum ferè abit in spiritum nitrum, è contra tertiam partem si addas, multum salis fixi remanebit in capite mortuo, & spiritus in minori copia acquiritur. Hic spiritus si cum sale tartari misceatur, perfectum exhibet nitrum.

USUS est *in febribus malignis, in julapiis*, & sane hoc loco magis præstat, quam reliqui spiritus acidi minerales. Convenit quoque *in colica flatulenta*, item *in tympanitide*, nec non *in nephritide & calculo* optatum dat effectum. Verùm *quia nimis est corrosivus spiritus nitri crudus, propterea misceri solet spiritu vini vel alio vegetabili.* V. gr. Recipiatur pars I. spiritus nitri optimè rectificati, cum tripla parte spiritus vini vel alterius mista destilletur per retortam in arena, præcedente aliquot dierum digestione, sic enim evadit temperatior & valde utilis in Medicina. Dosis SPIRITUS NITRI DULCIS est à drachma ß. ad drachmam j. in vehiculo appropriato. *Notetur* autem, quod mistura horum spirituum, *quando* scilicet *spiritus nitri & spiritus vini probe rectificati miscentur, ingentem excitet effervescentiam*, adeò, ut *nisi sensim sensimque permisceantur, vasa rumpantur.* Hoc medio innixi, sunt, qui tanquam per secretam enchiresin volunt SAL VOLATILE EX SPIRITU VINI elicere. Recipiunt scilicet spiritum vini, & permiscent pedetentim cum ℔j. spiritus nitri, donec cesset omnis strepitus & effervescentiæ impetus, tunc per retortam lenissimo igne (dico lenissimo igne) abstrahitur liquor, & remanebit sal saporis aciduli, quod est *sal volatile spiritus vini*, fixatum à spiritu acido nitri, quod sal *additione alcali fixi facile potest destillare in spirituum urinosum* spiritus vini. Sic *spiritus nitri cum spiritu vini paratus itaque dulcificatus vocatur* SPIRITUS ANTICOLICUS, *in specie si spiritus vini prius abstractus sit à chamomilla romana*, valde convenit in colica ad drachmam j. *estque* præterea *singulare antipleuriticum*, quam curat per sudorem. Prodest *in angina & omnibus febribus cum angina partiumque inflammatione conjunctis.* Denique *in nephritide* in ardore *& inflammatione renum* est expertum remedium.

Aliàs *nitrum & ejus spiritus est basis omnium* AQUARUM FORTIUM & REGIARUM. Parantur more communi aquæ fortes ex nitri parte j. vitriolique p. ij. hæc mista destillentur per retortam, & fit aqua fortis, quæ nihil est aliud quam spiritus nitri, utut enim additum sit vitriolum, tamen de vitriolo nihil prodit. Hinc *tantum præstamus cum solo spiritu nitri, quam cum aqua forti*, scil. spiritus nitri rectificatus solus solvit Lunam instar aquæ fortis: sique *permista sunt sol & Luna, & affundatur mixturæ spiritus nitri, solvit Lunam, aurum autem intactum relinquit.*

Aqua Regis fit, quando destillantur nitri p. ij. ammoniaci p. j. unde prodit spiritus nitri acuatus cum armoniaco sale.

Elegantiori enchiresi præparari potest *aqua fortis & aqua regis.* v. gr. R. vitrioli, adde nitrum in aqua communi solutum. Hæc mista destillentur in arena per retortam, prodit perfectus spiritus nitri, cui si quid addiderit salis communis erit aqua regis;

Dixi in aqua forti nihil superesse de vitriolo, ast hoc tamen certum est, quod *nitrum particulas metallicas veneris secum rapiat*, & probatur: Si aqua forti bullienti immittas cultrum, tunc mox rubedinem contrahit, quia particulæ acidæ & exhalantes ex aqua forti corrodunt ferrum, unde licet nihil de vitriolo in aqua forti adsit, ex mente GLAUBERI partes tamen metallicæ spiritui nitri se associant, & simul ascendunt.

Jam *de capite mortuo aquæ fortis notetur, quod constet ex vitriolo & spiritu nitri* quod *caput mortuum calcinatum*, inque ollis aqua communi elixiviatum, *dat sal album*, quod vocatur omnium rectissimè NITRUM VITRIOLATUM, hac in mistura alcali nitri simul aggreditur partem vitrioli metallicam, & extrahit aliquid de sulphure ejus fixo, unde notum est, quod hoc nitrum vitriolatum, vel ut alias quoque appellatur ARCANUM DUPLICATUM MYNSICHTII,

MYNSICHTII, ab inventore, *habeat blandam virtutem anodynam*, seu *somniferam in vigiliis diuturnis aliisque affectibus. Usus nitri vitriolati* est optimus in affectibus chronicis, in febribus intermittentibus, scorbuto, Datur ante paroxysmum ad scrup. j. & *est egregium stomachicum*; unde quoque fuit basis pulveris stomachi *MICHAELIS*. Si *in mensibus suppressis* misceatur granis vj. Mirrhæ, feliciter succedit operatio. In specie *in affectibus Melancholicis*, in mania si propinetur cum camphora, (nam *in* CAMPHORA *perfecta* CURATIO MANIÆ *latet*) non exiguum dabit commodum. Præterea quia somnum inducit, ratione sulphuris è corpore metallico vitrioli, in his maximopere conducit affectibus. Vocatur sal antifebrile, quia *in febribus extirpandis optimum est*, tam loco digestivi in diebus intermissionis, quam hora proxima vel una ante paroxysmum propinatum.

Dictum fuit, quod *aqua fortis secum rapiat particulas metallicas, hoc autem ne fiat, addatur loco vitrioli alumen*, quod talibus partibus metallicis plane caret, & sic puriorem melioremque habebis aquam fortem.

Aqua Regis constat ex nitro, sale communi vel ammoniaco sale, nam *quotiescunque additur nitro sal, semper evadit aqua regis.*

Aqua fortis dicata est solutioni Lunæ, è contra *aqua regis dicata solutioni solis*, non verò Lunæ, cui *aqua forti*, quæ tantùm *Lunam aliaque metalla præter aurum solvit* si sal commune addideris, solvet illud scilicet aurum, Lunâ intactâ relictâ.

CAP. XI.
DE
VITRIOLO.

Vitriolum generatur in terræ visceribus *per calcinationem quandam* quæ ita fit: Minera veneris vel martis corroditur à spiritu acido sulphuris, qui cum eadem coagulatur, & ita concrescit in corpus unum, quod dicitur *vitriolum*. Propriè vox vitrioli spectat vel ad martem, vel ad venerem. Nihilominus tamen alia metalla soluta impropriè & abusivè dicuntur vitriolum. Saccharum Saturni dicitur quibusdam vitriolum Saturni. Sic crystalli Lunæ optimè purgantes dicuntur nonnullis vitriolum Lunæ, & similes aliæ coagulationes, sed abusive.

GENERATIONEM *vitrioli* fieri dictum est per corrosionem martis vel veneris, à liquore sulphuris acido, unde prout variat minera corrosa, variat quoque ipsũ vitriolũ. Si minera veneris corrosa sit, oritur vitriolum flore cœruleo, si martis, elegãter viridescẽs. Si utraq; de minera cõstet participat quoque de duobus coloribus.

Alias CYPRINUM maximè est cœruleum, UNGARICUM item, quia de venere participant. ROMANUM viride apparet, quia de marte participat: Sic quoque viride est GOSLARIENSE, quod *ex marte potissimum constat*. Generationem vitrioli nativi egregiè illustrat *artificialis productio vitrioli*, nativo per omnia similis v. gr. R. spiritus (*sulphur* enim communiter *habet duplicem substantiam* (1) *bituminosam*, (2) *salinam*. In sulphure bituminosa deflagrat, & salina dispergitur & coit in spiritum acidum) miscetur & diluitur cum aqua additurque Mars vel Venus, unde spiritus acidus sulphuris corrodit adjectũ marte vel venerẽ, factâ hac calcinatione corrosiva, materiã hanc calcinatam evapora post filtrationẽ, & in loco frigido videbis crystallos vitrioli vel martis, vel veneris: Hoc vitriolum artificiale adeo est simile naturali in omnibus ferè, ut ovum ovo non sit similius.

Alio modo & quidem elegantiori & magis utili cõponitur VITRIOLUM ARTIFICIALE: Si recipiãtur laminæ martis vel veneris, fiat stratum super stratũ cum pulvere sulphuris, permista in crucibulo committantur igni, ut cæmentando fiat calcinatio. Nam in igne, dum inflammatur sulphur stratificatum, prodit spiritus acidus qui corrodit substantiam martis vel veneris, facta hâc calcinatione, mistura hæc committitur aquæ simplici, quæ nunc viridescit, si Mars corrosus, si Venus, cœrulescit, hanc post filtrationem evapora ad justam quantitatem, & in fundo videbis crystallos egregios. Hoc vitriolum artificiale idem est cum nativo, eundem habet usum, eosdem dat effectus seu producta quæ dat vitriolum nativum. Nam si recipiatur vel artificiale vel naturale, & præmissis præmittendis destilletur, acquiritur (1) Phlegma insipidum (2) acidus spiritus, simillibus spiritui sulphuris communi. Remanens caput mortuum cum borrace calcinatum sive fusum, verum dat martem aut venerem, unde rectè dicunt Chimici quidam, quod vitriolum constet ex minera metallica, in specie martis vel veneris, corrosa à spiritu sulphuris acido. Videatur *ANGELUS SALA in Anatomia vitrioli*, ex quo fidelissimo *KIRCHERUS* omnia fere exscripsit, quæ de vitriolo habet, suppresso veri autoris nomine. Vitriolum nativum reperitur in terra vel sub forma vitrioli, vel sub forma lapidis sulphurei, pyrites dicti. Lapis hic pyrites participat de marte vel venere, & simul de sulphure, ex quo Goslarienses suum conficiunt vitriolum, hoc modo: Contũditur hic lapis, calcinatur, & calcinatus ita aeri exponitur: Hoc dum fit, vel spontè florescit vitriolum vel cũ aqua elixiviatur. *Fundamentum* hujus *præparationis* hoc est. Dum lapides hi de marte vel venere participãtes calcinantur cũ sulphure, sub ignis vehementia sulphur inflammatum prodit suum spiritum acidum, qui aggreditur sibi junctũ metallũ, idque corrodit, unde, dũ postmodum aeri exponuntur, aeris humiditates, sensim simque insinuant se, cumque acido sulphuris se conjungunt, hoc resolvunt, & ita sensim in vitriolum abit.

Vitriolum aliàs *raro reperitur purum seu simplex*, subinde tamen Cyprinum & Ungaricum sua gaudent simplicitate. Romanum verò & Salzburgicũ ut plurimum mixtæ sunt naturæ. Jam ut pro usu Medico habeamus purum *vitriolum* interdum *cum venere vel marte conjunctum, ita solent separari.* Solvitur nempe hoc diversæ naturæ vitriolum in aqua simplici, & dum super ignem ebullit hæc solutionis aqua, eidem intrudũtur bacilli ferrei. Sic enim Venus præcipitatur ad fundum, quoniam acidum in vitriolo aggreditur martẽ & relinquit venerem, & sic oritur purum vitriolũ martis.

Vitriolum calcinatum exponitur igni, & *dat* (1) *Phlegma tenue*, aliàs ROS VITRIOLI dictum, quod subsequitur copiosius PHLEGMA dictum insipidum, eousque donec acescere incipiat, (2) dum acescit, aucto igne erumpunt nebulæ, quæ in spiritu proprio coagulatæ dant SPIRITUM (3) oritur OLEUM vitrioli, & sic finitur destillatio. *Oleum & spiritus vitrioli* non differunt, nisi ratione majoris & minoris aciditatis. Nam *oleum vitrioli* ultima vi ignis destillatum rapit particulas metallicas secum, unde crassities ejus & coloris obscuritas. *Spiritus* enim *vitrioli* mistus est copiosiori Phlegmate seu aquæ, unde aciditas ejus imbecillior est præ aciditate olei vitrioli, quia magis concentratum habet acidum, unde etiam rigorosiori ignis examine opus habet. *Hoc probatur exinde* si rectificatur fortiter & accurate spiritus vitrioli, ita ut levissimo igne Phlegma omne avocetur, tunc remanet

manet spiritus ejusdem acrimoniæ ac consistentiæ ac est oleum vitrioli, si verò oleo vitrioli corrosivo infundas aquam simplicem destillatam, & destilletur rectificando sicut spiritus vitrioli, tunc oleum sub forma spiritus habebis.

CAPUT MORTUUM est nigrum subinde, interdum fuscum, quando apparet nigrum, tunc omni privatum est spiritu, ubi verò est fusci coloris non omnis ex eo destillatus est spiritus. Ex capite mortuo calcinato soluta in aqua communi elicitur sal, quod est acidum, cum aliqua mineræ parte conjunctum. Istud caput mortuum vitrioli ex quo elixiviatum est sal fixum, dicitur terra vitrioli dulcis, estque nihil aliud, quàm crocus metallorum obstructivus, seu est pars mineræ metallicæ residua post separationem spiritus sulphuris, à cujus corrosione transmutatum fuit metallum in vitriolum, separato verò spiritu, remanet minera à spiritu corrosa.

Caput mortuum vitrioli si exponatur aeri libero, ita tamen, ut neque à pluvia, neque à radiis solaribus alteretur, post aliquot tempus novo imprægnatur spiritu: Hoc tamen fit certo tempore, mensibus scilicet vernalibus & autumnalibus, in æstate & hyeme nihil attrahit. Jam *quæritur, an spiritus* ille *in capite mortuo vitrioli* denuo *ex aere attractus sit unus* idemque *cum spiritu vitrioli, an vero* alius & *novus* EX AERE REGENERATUS? *Respondetur*, utraque sententia habet suos Patronos. Certum est, quod spiritus vitrioli vulgaris quodammodo ad naturam nitrosam inclinet, nam si perfectè extrahatur omnis spiritus ex capite mortuo, nihil ex aere attrahet spiritus. Mediâ nos incedimus viâ, dicentes, quod *spiritus vitrioli* REGENERATUS sit omnino acidum quoddam, quod latuit in capite mortuo, hoc tamen caput mortuum simul ex aere extrahit acidum nitrosum, unde spiritus regeneratus evadit ex his duobus tertius quasi, qui est naturæ intermediæ inter spiritum vitrioli & spiritum nitri.

Sed jam reliqua quoque præparata considerationi nostræ subjicere, non erit inutile, cum & *PARV. PARACELSVS* ex vitriolo *quartam partem Pharmaceutices* constituerit utut, eorum non imitemur phantasiam, qui ipsum lapidem Philosophorum ex vitriolo eruere laborant decepti Versiculo illo vulgari VISITABIS INTERIORA TERRÆ, RECTIFIFICANDO INVENIES OPTATUM LAPIDEM VERAM MEDICINAM: Horum litteræ initiales exhibent vocabulum vitrioli, qui tamen versus longè alio sensu interpretandus est.

Vitriolum dum igne examinamus, offert *Phlegma*, hinc *spiritum cum oleo*. Quod attinet *Phlegma vitrioli*, hoc, utut vulgo rejiciatur, elegans tamen & *perutilis in eo latitat medicina*: *turget enim sulphure vitrioli martis* non ineleganti, unde etiam saporem acidulum possidet, & *interno usu adhibitum*, *gratum est refrigerium in æstu visce um*, Massamque sanguineam rotulenda sua sulphuritate egregiè refocillat, undè *externè* in doloribus & ardoribus capitis instar epithematis fronti admotum, valde confert, cum paucum licet elegans tamen omnes dolores mitiget.

Phlegma hoc *cohobatum aliquoties à vitriolo & per digestionem exaltatum*, *optimum prædicatur remedium in phthysi & tabe* è corruptione viscerum enata, in specie *in vomica pulmonum*, quo in affectu cum successu usurpat *HELMONT. JUNIOR*, sic quoque omnes inflammationes viscerum, & inde ortos abscessus potenter tollit.

Pertinet huc AQUA COELESTIS *BASILII VALENTINI*, quam in testamento nobis reliquit, quæ *nihil est aliud quam Plegma vitrioli* sulphureum separatum ex spiritu vitrioli *cum sale tartari*. Quod utut tanquam inutile subinde rejicietur, in modo tamen enarratis affectibus laudanda est medicina. Quod spectat *spiritum & oleum vitrioli*, *sunt hæc unius ejusdemque naturæ*, & *non nisi ratione majoris & minoris aciditatis & consistentiæ differunt*, cum *oleū vitrioli sit spiritus concentratus*, & *spiritus oleum resolutum*. Præter varios USUS in Chimia in precipitatione Mercurij maximi usus est. In medicina optatum edit effectum *in affectibus stomachicis*, si in vehiculo approprιato ad aliquot guttas exhibeatur, imprimis *si immisceatur tertiæ vel quartæ parti elixeris proprietatis vel menthæ*, *ἀπεψία*, *ἀνορεξία*, aliisque affectibus *optimum est remedium*. *PARACELSUS* dicit, quod spiritus vitrioli veneris adeo roboret stomachum, ut ferrum struthiocameli instar concoquere possit. Hoc utut sapiat hyperbolem, verum tamen est, quod non sit contemnendum remedium *in febribus ardentibus*, *quo Julapia potusque ordinarij acidulentur*. Præprimis vi sua adstrictoria *viscera ac cor corroborat & firmat*, renum sordes abstergit, & sabulum nephriticum eliminat, teste *ANAROLLO* aliisque Practicis. Præstat tamen pro usu hoc si coaguletur, fitque si à quodam alcali absorptus in formam crassiorem coagulatur, (omne enim alcali absorbet acidum) & abeunt simul in salsum tertium diureticum, unde propter hanc vim diureticam magis convenit SPIRITUS *vitrioli* COAGULATUS. Interea tamen (ut quoque monui de *acidulis*) *pulmonibus nocet*, propter aciditatem & liquamen metallicum veneris vel martis pulmonibus inimicissimum. *Dentibus* porro nocet, hoc enim habet vitij, ut affrictus cum unguentis dentibus, emittat ex se mineras corrosas, quæ præcipitatæ, dentes nigredine afficiunt; unde loco spiritus vitrioli hoc in casu eligatur spiritus salis. Testibus inimicus quoque observatus est, *virilitatem enim extinguit*, unde crebro ejus usu masculi emasculantur, insigniterque debilitantur testes.

Dixi, quod spiritus vitrioli secum gerat mineras metallicas quam secum abripuit per retortam. *Hoc exinde patet*, quod nisi exactè rectificetur, utut primitus sit egregie clarus, si ad tempus steterit, flavescat, & terræ ochræ instar ad fundum dimittat materiam, quæ nihil aliud est quam pars vitrioli metallica præcipitata. Hæc tamen arctè infixa cohærent spiritui atque oleo vitrioli, ut vix ac ne vix quidem eandem separes, & tamen, si huic spiritui instilles spiritum urinæ vel sanguinis humani, protinus in colore viridi apparet, propter præcipitatas particulas metallicas venereas.

Spiritus è vitriolo eliciti differunt, prout vel ex vitriolo martis vel veneris ortum trahunt. Sic quidam, ut acquirant spiritum vitrioli hermaphroditicum recipiunt vitriolum martis & veneris artificiale, destillant, & acquirunt spiritum duplicis naturæ, qui vulgo commendatur in affectibus mulierum. Unde ab *HARTMANNO* ad præparationem Elixiris uterini *CROLLIJ* adhibetur. Hic tamen SPIRITUS HERMAPHRODITICUS non multum differt à spiritu vitrioli vulgari, ut credo, cum vitriolum vulgare raro sit simplex, sed ut plurimum participet de marte & venere. Spiritus, oleum, & Phlegma simul concurrunt in unum recipiens tempore destillationis, quæ solent vulgo à se invicem separari & rectificari: Hanc tamen separationem & rectificationem spiritus ab oleo & Phlegmate non vult approbare *ZUUOELFERUS*, quia cum Phlegmate vitrioli dum separatur, simul ascendat spiritus vitrioli volatilis sulphureus, quo ablato, relictus spiritus vitrioli nobiliori parte defraudatus est. Spiritus vitrioli vulgaris propter corrosivam suam vim quibusdam suspectus est, unde allaborant ut eum DULCIFICENT, id quod volunt *quidam præstare per se*, sed res est difficilis Quod verò sit prorsus impossibile vix credendum, nam digestiones & cohobationes mutando corporum texturas multum valent in alterandis corporum qualitatibus, unde digerendo & cohobando in tantum spiritus vitrioli immutatio fit, sed res est

multi

multi laboris. Vulgo palliative dulcificant spiritum vitrioli cum spiritu vini dirigendo & cohobando: Alij hoc præstant imbuendo caput mortuum proprio spiritu & iterum destillando, quod caput mortuum absorbet exactissime spiritum affusum & postmodum Phlegma saltem, non vero spiritum recipiunt, cum hic, ceu dixi, fortiter in capite mortuo concentretur. Alij recipiunt martem & urinam humanam, & super hæc destillant spiritum vitrioli, sed hæc operatio est deceptoria. Nam Mars in destillatione absorbet spiritum acidum erumpentem, urina verò mutat eum in salcedinem, unde Phlegma salso acidum acquirunt. Aliàs *certum est, quod quando spiritus vitrioli ex vitriolo martis artificiali paratur, habeat* aliquam *dulcedinem: Sapor* enim *adstrictorius à marte nativo, nauseosus vero à venere in spiritu vitrioli dependens* ut plurimum observatur.

Pertinet huc SPIRITUS APERITIVUS *PENOTTI, vide SCHROEDER p.m.489.* Paratur ex vitriolo calcinato cum silicibus calcinatis, & quartâ parte tartari ad albedinem calcinati, mista in cella reponuntur fermentationis causâ, postmodum rigoroso igne urgentur, destillanturque, quæ dant paucum spiritum acidum rectificando acuendum. Hic *spiritus PENOTTI mitior est spiritu vitrioli*, quia *propter admistionem tartari & silicum acor vitrioli destruitur nimius*, & est nihil aliud quam spiritus vitrioli, sed qui propter additum tartarum fit ex se debilis, nisi abstractione Phlegmatis roboretur. Spiritus vitrioli vulgaris minus arridet sublimioribus Chimicis, qui conantur eundem volatilisare. Hic SPIRITUS *vitrioli* VOLATILIS vulgo *commendatur à PARACELSO ad curam Epilepsiæ*; multisque laudum encomiis ab eo (suppressô licet laborandi modo) extollitur, diciturque quid novies fuerit rectificatum. Hic spiritus non *est non ens*, cujus notæ sunt, ut (1) facilli igne elevetur in altum, & striatim ut spiritus vini per alembicum descendat. (2) Cum spiritus vitrioli vulgaris non sit admodum sulphureus naresque non admodum feriat, hic spiritus vitrioli volatilis penetrantissimus est, naresque non sine gravi molestia afficit, quare propter suam volatilitatem à multis anxiè desideratur, ejusque tamen præparationes tot sunt, quot capita.

Attamen, *qui cupit eum præparare, has sequentes observet* ENCHIRESES: *Primo paretur è vitriolo non calcinato*, nam in calcicatione nobilior ejus pars cum Phlegmate avolat. *Secundo ignis non nimis sit vehemens*, ne spiritus vulgaris fixus prodeat, qui volatiles figit. *Tertio in præparatione dum calent vasa, removendum est receptaculum*, alias spiritus volatilis reintrat caput mortuum, figitur ibidem, & nihil postmodum acquiritur. *Quarto non omittenda est digestio* cum semel expulsus cum Phlegmate proprio aliquandiu sit digerendus, & à capite mortuo cohobandus, quia volatilisatur magis, idque tamdiu, donec tandem per vasa altissima destilletur. *Parum quidē dat, & aliquot ℔æ spiritus vitrioli vulgaris vix drachm. ij. exhibent spiritus volatilis*, ast est nobilissimi usus.

Aliàs *volatilisare conantur* quidam *spiritum vitrioli vulgarem cum spiritu vini*, hunc in modum *fit spiritus vitrioli epilepticus*: scil. R. caput mortuum quod ab incubatu in aere aliquandiu denuò fuit imprægnatum, hoc destillant, & acquirunt spiritum vitrioli volatilem regeneratum dictum, huic spiritui admiscent spiritum vini digestum cum speciebus epilepticis, postmodum misturam hanc destillant per retortam & prodit SPIRITUS ANTEPILEPTICUS. Sic quoque eodem plane modo præparavit *D. D. MICHAEL* Lipsiensis SPIRITUM suum CEPHALICUM. R. spiritum vini cum herbis cephalicis digestum, & ab iis abstractum, hunc affudit vitriolo martis ad albedinem calcinato, hæc destillavit blando igne per retortam, & prodiit spiritus cephalicus, qui *optimus est in morbis malignis cum convulsionibus*, item *omnibus capitis affectibus.*

Alius *modus volatilisandi est cum urina humana*, autore *QUERCETANO* qui quoque commendatur ab *HARTMANNO*. Caput mortuum vitrioli figitur cum octuplo urinæ & destillatur per retortam, prodit primò *Phlegma*, quod *est anodynum in podagricis doloribus*. Nam acuatum est sale urinæ & sulphure vitrioli, unde mire prodest hoc Phlegma primò prodiens. Succedit *Phlegma subtilius*, quod dicitur *optimum ophthalmiticum*, teste *MINDERERO* constans ex Phlegmate acuato cum sale volatili urinoso pauco, quod abiit in sal penetrans tertium. Hic liquor *ad omnes fere oculorum affectus* in specie ad catarractas, suffusiones, ungues oculorum, mirè deprædicatur. Succedit tandem *vitrioli spiritus, ab urina mutatus in sal tertium volatile, qui in epilepsia infantum egregium præstat usum.*

Post spiritus & olei destillationem remanet *caput mortuum vitrioli*, quod vocant COLCOTHAR ficto vocabulo à *PARACELSO* ita indigitatum, utut *caput mortuum* omnem remanentiam post destillationem significet, *propriè* tamen *id denotat, quod post spiritus & olei vitrioli destillationem remanet.* Hoc *caput mortuum si rigorosè destillatum sit*, ut appareat nigrum, tunc *nullum amplius spiritum continet*, sin verò brunei seu atro purpurei est coloris, tunc *affusa aqua communi calidi elixiviatur* SAL VITRIOLI, quod crystallisandum est. Hoc *sal vitrioli habet vim inducendi nauseam & vomitum*: Unde tanquam optimum vomitorium commendatur ab ANGELO SALA, adeò, ut vocitet id *Mannam vitrioli vomitoriam.* Dosis à scrup. j. ad drachmam ß. Verum cautissimus sis in hujus usu. Ego religioni mihi duco exhibere sal vitriol. vomendi causâ, quia hujus natura dependet à venere, quæ ventriculum debilitat, ejusque tonum destruit, imò, si plicis ejus se insinuet, nauseam pertinacissimam & inanes vomendi conatus per aliquot septimanas infert. Sic quoque periculum est, ut in ventriculo ex attracto forsan aere in perfectum redeat vitriolum, sicque totalem stomacho causetur ruinam. *Nocet* ipsis quoque *pulmonibus teste MINDERERO*, qui ejus usum omnibus dissuadet. *Notandum* autem, *quod solum sal vitrioli veneris vomitum cieat, sal vitrioli martis hoc nunquam* præstabit, & sine tali metu propinari potest. *Ubi* & hoc *sal ex capite mortuo sublatum est*, *remanet terra* inanis, *quæ dicitur terra vitrioli dulcis balsamica*, q.

TERRA VITRIOLI *hæc* DULCIS *balsamica nihil est alind quam crocus martis* (uti superius innuimus) vel est Mars, vel Venus, vel cuprum ad summum gradum calcinatum. Hæc terra *internè & externe adhiberi potest in affectibus omnibus*, *qui adstrictione opus habent.* Dicitur *terra balsamica*, quod quasi *balsamicam in se reconditam habeat virtutem ad curanda vulnera*, unde quoque cum balsamicis vulnerariis misceri solet utiliter. Sic unguentum fuscum *FELICIS VVURTII*, ratione hujus egregium est in vulneribus curandis. Fundamentum hujus operationis est, quod exausta hæc *terra vitrioli* (quæ ingreditur ungentum *FELICIS VVURTII*) omni acido evacuata sitiat, unde absorbet omnes acidos acores ac sapores vulnerum, eos edulcorat simulque adstringit, & labia vulnerum & ulcerum coarctat, ut promptius à balsamo naturali sanentur. *Externè* adhibetur *ad quascunque hæmorrhagias* quarumcumque partium. Aliàs ex hac *terra vitrioli balsamica paratur* communiter *tinctura adstrictoria*, quæ dicitur TINCTURA SULPHURIS VITRIOLI, *quæ nihil est aliud quam tinctura martis*, quæ itidem *in omnibus partium hæmorragiis certissimum est remedium.* Paratur ex capite mortuo vitrioli martis R. caput mortuum seu terra vitrioli dulcis balsamica, affunditur eidem spiritus salis communis seu spiritus salis cum alumine compositus, sol-

vitur dein, filtratur & abstrahitur per arenam, remanens materia extrahitur cum spiritu vini in tincturam egregiè rubentem adstringentem, quæ *in omnibus hæmorragiis, disenteria, item diarrhæa, sputo sanguinis optimi est successus.* Dosis a. g. 20. ad 30. in vehiculo appropriato. Dicitur tinctura sulphuris vitrioli, quia eidem inest sulphur. Hujus ratione quoque videamus sulphur vitrioli dulce anodinum, à *PARACELSO* primò, & post ab *HELMONTIO* commendatum. Dicitur vitrioli SULPHUR DULCE ANODYNUM, quia habet vim anodynam, dolores & furores inordinatos (ita loquente *PARACELSO*) archai sedandi. Hoc *sulphur ex vitriolo veneris nihil aliud est, quam sulphur veneris fixum.* Paratur non immediatè ex venere, sed ex vitriolo veneris, quando cuprum in corrosione à spiritu sulphuris acido in vitriolum fuit bene reseratum, ita enim promptius ejus sulphur extrahi potest. In marte & vitriolo martis analogum latet sulphur, sed non tam efficax in Medicina quam sulphur vitrioli veneris. *HELMONTIUS destillat hoc sulphur veneris in oleum viride melle dulcius*, quod vocat *elementum ignis veneris. Hoc oleum viride*, præcipitato rubro adjuncto Mercurio secundum artem (à quo alcahest liquor abstractus est) fixatur per liquorem alcahest, constituitque AURUM ejus HORIZONTALE: Videatur *HELMONT. tract. lithias. c.* 8.

Ex hoc vitriolo veneris & inde parato sulphure anodyno procedit DRYFF *HELMONTII*, seu *succedaneum* LAPIDIS *BUTTLERI HELMONTII*, dum lixivio microscomico sulphur vitrioli veneris elicit concreto. Vide *HELMONT.* Tr. *Buttler.* Verum cum non omnibus liceat adire Corinthum, vulgò parant *analogum* huic *sulphuri fixo vitrioli.* Alij enim per sal armoniacum sublimant caput vitrioli veneris & egregium acquirunt remedium. Inter alios est *STARCKIUS*, qui coquit sal tartari, & ebullire sinit cum colcothare vitrioli, sic maximè putat fore, ut alcali fixum propter convenientiam sulphuris in radice, attrahat ad se sulphur veneris quod postmodum volatilisat, & optimum prædicat remedium. Sed est hoc difficile, quia paucis datum est volatilisare salia fixa. *D. D. BOYLE* (qui tribuit multum fidei scriptis *HELMONTII*) *componit flores ex sulphure vitrioli veneris cum sale ammoniaco sublimatos*, quos ceu sacram anchoram in malis stomachi veneratur: R. scilicet sal ammoniacum, jungit cum capite mortuo vitrioli veneris exactissime edulcorato, (alias medicamentum præparatum habet saporem vitriolicum) sublimat, ac solvit in aqua, & edulcorat, atque ita acquirit flores aurantij coloris, quos vocat PRIMUM ENS VENERIS. Hisce floribus tribuit vim anodynam, dicitque quod sint antiquartium expertum, itemque *in rachitide certi effectus experimentum.* Alij aliter parant, scilicet recipiunt vitriolum veneris vel vitriolum commune, solvunt in aqua, & præcipitant cum sale tartari, & vocant sulphur vitrioli, sed falso. Nam est minera metallica; etenim *sal tartari absorbet acidum vitrioli*, & minera metallica pondere suo cadit ad fundum.

In capite mortuo vitrioli veneris latitat vis pulveris SYMPATHETICI, curans vulnera aliosque affectus magnetica virtute. *De quo vide PAPYNIUM DYGB. Modus præparandi* est hic R. vitriolum in primis veneris, exponunt diebus canicularibus radiis solaribus, ut calcinetur ad flavedinem, (*notandum, non exponendum est radiis solis nimis æstuantibus, alias vis* hæc *sympatetica*, quæ nihil aliud est quam sulphur veneris, *evanescit*: item non admittenda est pluvia, aliàs alteratur in verum vitriolum.) *Fundamentum curæ sympaticæ consistit in sulphure vitrioli veneris*, quo vulnera in distans sanantur.

CAP. XII.

DE ALUMINE.

Alumen vitriolo cognatum est, & ex hoc alumine cum sale communi destillatur *spiritus salis compositus*, pro magisteriis aliisque præparandis. Dico cognatum esse alumen vitriolo: Nam sicut vitriolum ex spiritu acido sulphuris & metallo corroso, ita alumen *ex* eodem *constat spiritu acido sulphuris & petroso terreo corpore, à spiritu sulphuris soluto, ac in aluminosam pellucidam substantiam unito.* Hinc est quod *ex alumine* quoque *destillari possit talis spiritus acidus, qualis prodit ex vitriolo* sub ignis tortura, *qui tamen non est adeo acidus ut spiritus vitrioli. Ratio est*, quia corrodendo corpus petrosum textura particularum spiritus acidi immutata fere est, ut primam qualitatem non amplius obtineat Hoc ut clarius pateat R. spiritum sulphuris per campanam paratum, solvatur in eo terra sigillata, & protinus concrescit concretum aluminosum, si dissolvatur eodem spiritu Mars, fit vitriolum: Hæc duo concreta per retortam destillata, non dant eosdem exactè spiritus, sed iste qui fit cum marte est paulo acrior quam qui è terra sigillata destillatur. Hanc *generationem aluminis ex spiritu sulphuris acido cum corpore petroso confirmat experientia* quorumdam. V. gr. R. spiritum sulphuris per campanam, hunc affundunt cretæ, solvunt, evaporatam massam inspissant, & fit exinde in loco frigido perfectum alumen. Hoc refero ut communicatum, an operatio succedat, experientiæ relinquo. Alij aliter procedunt, affundunt vel spiritum vitrioli vel salis, vel alius corporis mineralis terrestris alumini, & acquirunt alumen. Sit fides juxta autorem.

Sæpius fit, ut *ex pyrite calcinato generetur vitriolum ex eodem quoque subinde fit alumen*, dum sub corrosione pyritis spiritus acidus sulphuris corrosione metalli dat vitriolum, corrosione adjecti terrestris corporis dat alumen, & certum est, quod ibi plus reperiatur aluminis, ubi generatur vitriolum aut sulphur.

Dixi quod *caput mortuum vitrioli exaustum omni spiritu* (non tamen totaliter exaustum) *si exponatur aeri libero impregnetur novo spiritu ex aere.* Hoc quoque verum est de capite mortuo aluminis. SPECIES *aluminis variæ sunt.* Nimirum RUBRUM. Veteribus fuit incognitum, qui ars pyrotechnica iis fuit occulta: Alumen enim rubrum crebris solutionibus ac calcinationibus præparatur. VETERUM verò ALUMINA LIQUIDA *nobis sunt incognita.* Alias *alumen* PLUMOSUM vulgo datur blandum satis, *ac non tam asperum ac est alumen* ROCHÆ. Hoc sæpius confunditur cum Amiantho, hæc tamen inter ea est differentia. 1. *Alumen plumosum* est friabile & adstrictorij non nihil saporis. *Amianthus est insipidus.* 2. *Alumen plumosum ignis rigore examinatum comburitur*, & jacturam tandem in aere substantiæ suæ facit: *Amianthus* vero *est invisibilis ab igne. Ex* hoc *amiantho in fila textu fiunt marsupia*, in quibus sal liquescit *salvo* manente *marsupio in igne*, qualia marsupia videre mihi licuit apud *Ingeniosum SEPTALIUM.* Quod attinet ipsum *alumen* inprimis *Rochæ*, hujus vis est admodum nota, unde *in vomitu* admodum *pertinaci*, *diarrhæa* cum appropriatis aliis *convenit*, item *in mensium fluxu nimio* alumen rochæ *ad drachmam* ß. quotidie

quotidie usurpatum, comprobatum est. Sic quoque *in febribus* alumen singulare est remedium, præmissis præmittendis; *Paroxysmos* enim citius redeuntes *retardat* atque compescit. Verum *alumen hoc conjunctum habet pinguedinem quandam excrementitiam, quæ priusquam in usum medicum vocetur*, ab eodem *est separanda*.

DEPURATUR autem *hoc modo*: R. aluminis q. v. solve in aqua calida, huic affunde urinam humanam, sic fit, ut pingue illud alumini excrementum ad fundum secedat, & alumen purum reddatur. Aliàs *pro usu febrili præparant hoc modo*. Calcinant more consueto in olla, huic cum adhuc candet adjiciunt acatum ut ita solvatur, solutionem filtratam evaporant in loco frigido *in* CRYSTALLOS *elegantes*, quorum *usus* ad scrup.j. decantatus est satis.

De Phlegmate & spiritu dictum est superius. Ulterius paratur ex alumine SACCHARUM ALUMINIS, hoc est alumen crebris proprij Phlegmatis abstractionibus & imbibitionibus in tantum inversum, ut deposita omni acrimoniâ insipidum fiat. Vide *POTERIUS in Pharmac.* Hoc *saccharum aluminis est specificum in dysenteria*, item *in hectica expertum* ab Autoribus. *Externè* alumen dissolvitur in lavamentis vel lotionibus vulnerum, *in ulceribus sinuosis, profundis*, aut *malignis*. Hinc quoque *ad sophisticationem virginum & mulierum post partum* adhibetur: Sic *in uvula laxata* cum decocto prunellæ solutum alumen cum sale armoniaco *optati es successus* Item *in laxitate gingivarum scorbutica* decoctio cum appropriatis feliciter adhibetur. Ingreditur quoque tincturam Laccæ, quæ decantatissimi est effectus in ulceribus & gangræna gingivarum scorbutica.

Quidam *ex alumine* parant *suppositoria*, & omnium primus hoc tentavit *ANGELUS SALA*, & à Modernis continuatur hic usus, *Externe in ariduris membrorum*, quæ ex vulneribus partium nervosarum contingunt, valdopere laudatur. Scilicet R. alumen probe calcinatum, dissolvatur in aqua communi, sic præcipitabitur pulvis, qui cum spiritu vini edulcorandus, & postmodum cum unguentis appropriatis [mit Schvind. Salben] miscendus. Sicut idem alumen hoc modo præparatum *contra malum ischiaticum externe* cum successu usurpatur. Hæc de salibus tam vegetabilibus quam mineralibus sufficiant.

CAP. XIII.

DE ACIDULIS.

Dictum supra capite de vitriolo, quod *vitriolum si solvatur in aqua simplici, & dum super ignem ebullit, si intrudantur bacili ferrei venerem præcipitari ad fundum*, quoniam acidum in vitriolo aggreditur martem, & relinquit venerem, *& sic oriri purum vitriolum martis*.

Hæc manu nos quasi ducunt ad cognitionem acidularum naturalium. Hæ autem *acidulæ nihil aliud sunt quam vitriolum martis ab acido esurino resolutum. Fiunt* autem (uti quidam accuratioribus naturæ scrutatoribus observare licuit) *quando aqua, quæ cryptas & meatus terræ transit, impregnatur à spiritu quodam salino, seu* uti loqui amat *PARACELUS* & cum eo *HELMONTIUS*, quando dicta aqua impregnatur *à spiritu acido esurino sulphuris embryonati: Hæc aqua* ita prægnans, *quando fluit per venas metallicas*, inprimis *ferreas, redditur acida seu parum amaricans. Si verò à minera veneris impregnata, saporem communicat nauseosum.* Confirmat hæc propria experientia *ROCHAS* scriptor Gallicus tractatu Chimico, qui sane curiosus fuit indagandis aquis mineralibus. Hic, ut perveniret in perfectiorem aquarũ subterranearum seu acidularum cognitionem, videns aliquam aquam acidam, fodit terram, donec ad ejus originem perveniret, reperiitque, quod aqua salina subacida, quæ in transitu suo permeat per venam martis aut veneris, lambat illam, corrodat & absorbeat, & sic sub exortu aquam medicatam præstet. Ex quibus VIRTUTES acidularum patent: Nam *ratione spiritus acidi sulphuris embrionati* (quale acidum non datur in toto universo, utut varia diversa multaque dentur acida hæc sub varia præparatione variè in suas vertuntur texturas atque naturas) *sunt saporis penetrantis, incisivi, resolutivi, egregiaque sunt diureticæ, ratione venæ martis corrosæ vim habent salia sylvestria in corpore oberrantia, acida, austera aut alio modo corpori nociva corrigendi, inque viis primis stabulantia absorbendi in primis stabulantia absorbendi, inprimis in hypochondriacis & scorbuticis* & similibus *affectibus* Nam simul atque potantur acidulæ, accurrunt ad terram venæ martialis in acidulis existẽtem salia vitiosa corporis, cum ea se uniunt, absorbentur, perque alvum redduntur. Excrementa autem nigra rejiciuntur propter præcipitatam venam martialem cum salibus sylvestribus.

Porro acidularum aciditas penetrat venas mesenterij, omnesque earum meatus reserat, abstergit, corpusque universum purificat. Hinc in morbis Chronicis conducunt, in scorbuto, malo hypochondriaco, ictero nigro, in quibus deficiunt vires, ibi ad acidulas tanquam ad sacram anchoram confugimus.

POTANDI RATIO *requirit ut gradatim ascendamus*, & fiat progressus à parva dosi ad mediam, tandem ad maximam; saltim *observandum*.

(1) Quod acidulæ stomachum validum requirant, alias destruendo stomachi tonum nocent magis.

(2) Ratione vitriolaceæ naturæ *nocent iis; qui metuunt phtysin*: unde tales continuato usu acidularum hydropici moriuntur.

Dixi, quod *spiritus acidus acidularum rodat mineram martis*, quam absorbet, *& præcipitantur ambo ad fundum in venerem seu terram nigram*, & hoc contingit semper *ubi acidulæ in vase diu in loco continentur*. Hæc materia subsidens nihil est aliud quam minera martis, quæ absorpsit acidum, & præcipitatur ad fundum, ac superstes insipidum existit. Hoc quoque *notandum: Ne acidulę ex loco naturali transmittantur in alienum*, ratio ex superioribus patet. Et hæc de acidulis nativis.

Ubi deficiunt hæ, ARTIFICIALES substitui possunt. Harum variæ præparationes sunt *omnium* tamen *fundamentum* & basis *est* mars. Quidam extinguunt martem ignitum in vino Rhenano, & propinant in *cachexia virginum*. Alij R. limaturam martis, eamque miscent cum aceto destillato hydromellitis, cui admiscent parum vitrioli, & diluunt cum s. q. aquæ, adhibentque *in morbis chronicis*. *Elegantiores* longè sunt, quæ fiunt *ex Phlegmate vitrioli acidulo*, seu ex destillato vitriolo tamdiu, donec acescere incipiunt guttæ: Hoc Phlegma *affunditur limaturæ martis*, & propinantur cum successu. Optimus modus est, quo cristallos vitrioli martis in proprio Phlegmate diluunt cum vino & fiunt acidulæ egregiæ. Usus obtinuit, ut CLYSSUS *nomine acidularum veniat*. Nam utut nihil participet de marte; tamen cum habeat acidum esurinum, accedit fere ad puritatem aquæ acidularum nativæ, acidumque sulphuris embryonati.

Talis Clyssus componitur ex antimonij & nitri anatica portione cum dimidia parte sulphuris. Hæc destillata dant spiritum acidum gratum, qui in febribus morbisque acutis refrigerij est instar, est præcipitans medicamentum. Aliàs cum clysso conficiuntur tincturæ vegetabilium coloris sane perelegantis. *Tinctura nephritica* AMMELUNGIJ nihil est aliud quam clyssus quidam secundum se, cujus hic est modus. R. antimonij, tartari, & si cum aurum, ana q. v. pulverisentur omnia debito modo. Postmodum R. nitrum, solvatur in aqua tepida calida q. s. solutum addatur prioribus speciebus, ut fiat mistura in forma crassa quam reponas in cella per aliquot septimanas, & post destilletur per retortam tubulatam, inde acquires spiritum urinoso salinum, qui sane *egregium præstat commodum in calculo.*

SECTIO II. DE OPERATIONIBUS CHIMICIS.

PROOEMIUM.

NON miraberis Curiose lector, me operationes Chimicas postponere Doctrinæ salium, cum omnibus aliis communiter præponere autoribus arrideat, Desines enim mirari, si lecta jam curiose quoque perpenderis, quod nimirum nulla perfecta alicujus operationis ejusque effectus dari possit ratio, nisi particularum mistum componentium, inter quas eminent salinæ, ac à quibus in operationibus Chimicis maxime diversi dantur eventus, perfecta detur cognitio, ex qua longè facilius hujus vel illius contrarij vel optabilis effectus investigetur, ac in promptu erit ratio, quod ex jam dicturis clarius patebit.

CAP. I. DE SOLUTIONE ET EXTRACTIONE, ET AD HANC FACIENTIBUS MENSTRUIS

NOtum est omnibus communissimum illud Chimicorum dicterium: SOLVE & COAGULA, *quo enchireses totius artis Chimicæ innuuntur*, imò ipsius Lapidis Philosophici compositio intelligitur, quæ per frequentes solutiones coagulationes, & elixiviationes peragitur. Quod attinet in genere solutiones, peraguntur hæ liquore quodam, qui vulgo dicitur MENSTRUUM, quò ipso quoque fiunt extractiones, unde & alio nomine *Claves* dicuntur Menstrua, quia iis mediantibus recluduntur corpora, & ex iis essentia optimaque pars elicitur. Cum Menstruo fit extractio & solutio: Differunt inter se ut magis & minus. Nam in solutione totum concretum in sua minima resolvitur, in extractione verò non totum, sed nobilior ejus tantum pars beneficio menstrui extrahitur, v.gr. Lixivium cum sale tartari aloen solvit in sua minima, aqua verò simplex ejus tantum partem mucilaginosam extrahit. Posterior hæc operatio extractio est, prior verò perfecta solutio.

Menstrua sunt duplicia, Universalia, vel particularia.

UNIVERSALE MENSTRUUM *dicitur id, quod omnia corpora indiscriminatim solvit.* PARTICULARE *verò, quod quædam saltem sibi proportionata corpora solvere potest*: Quorum *Menstruorum operationem multum promovet ignis* Nam ab igne particulæ menstrui agitatæ, inque motum concitatæ, fortius se in corpus solvendum insinuant, illudque resolvunt. Unde digestionum in facilitandis solutionibus apparet utilitas.

Particularia Menstrua varia sunt, unum tamen potentius altero, v.gr. acetum destillatum probè rectificatum vel simplex est fortius aqua simplici; aceto verò destillato fortior est spiritus vitrioli. Dictum est, menstrua particularia esse varia: *Non enim omne corpus solvitur à Menstruo quolibet*, quia requitur certa proportio inter menstrua solventia & subjectum solvendum, ita tamen, ut hæc duo in radice conveniant, alias numquam hæc succedet operatio. *Ratio convenientiæ* in radice est, quod reperiatur *proportio* quædam *inter particulas menstrui* solventis & poros *subjecti* solvendi, ita ut sibi invicem respondeant, se se invicem insinuent & uniant, quod tamen in particularibus menstruis tantum locum habet, v.gr. *Saccharum* in aqua *solvi potest* quam promptissimè *numquam* verò succedit *cum spiritu vini. Ratio hæc est*, quia saccharum est naturæ salinæ, jam verò *quod natura salina est, facile se conjungit cum aquosis*, è contra *spiritus vini*, utut longe penetrantior & volatilior, *si sit rectificatus non solvit saccharum*; quia est naturæ sulphureæ, quæ repugnat salium conformationi. Item contingit tale in extractionibus v. gr. Gialappæ si infundas aquam simplicem, nunquam ejus virtutem purgantem extrahes; è contra si infundatur cum spiritu vini, citius in leni calore extrahitur tinctura rubicunda, quia virtus purgatrix residet in parte Gialappæ resinosa, quæ menstruum requirit sulphureum seu oleosum.

Non aliter se res habet in regno minerali, *Mercurius cum Auro se promptissime unit*, qui tamen *cum* aliis metallis in specie cum *marte aut non, aut difficulter se jungit. Ratio* videtur hæc subesse, quod *Aurum in se foveat Mercurium purissimum*, unde Mercurius

rius vivus propter proportionem & conformationem texturæ utrorum facile se cum Mercurio solis combinat ac unit, *martis* vero *corpus*, etiam quod *multum obtinet salis & minimum Mercurij* (*unde tam difficulter liquatur*) difficulter ingreditur. Porro MENSTRUA *particularia* sunt in triplici differentia, *aut sunt* AQUEA, *aut* SULPHUREA seu OLEOSA, *aut* denique SALINA.

AQUEA *menstrua* quod attinet, *inter hæc se offert* AQUA, *qua* inprimis *convenit solvendis* aut extrahendis *salibus & aquosis aut mucilaginosis*. Deinde conducit *pro solvendis* & extrahendis *vegetabilibus quibuscunque*, *modo non sint resinosa*. Unde hujus beneficio parantur decocta & infusa, item *Tincturæ vegetabilium felicius extrahuntur*, inprimis, *si* ex gr. *aqua* centaurij *cum sale tartari*, sive illud sit simplex, sive lixiviale, seu ejus cremore, *jungatur*. *Hoc modo* extrahuntur & *corriguntur* quoque *purgantia*, *quorum vis in mucilaginosa* non vero in resinosa *parte consistit* v. gr. Senna, Rhabarbarum. Ulterius aqua simplex usurpatur *pro extractione animalium*, inprimis *accedente coctura* Hinc fiunt omnia juscula animalium eorumque partium, hinc fiunt gelatinæ, hinc *instituitur beneficio ejusdem* aquæ appropriatæ *calcinatio Philosophica* sive *sine igne cornuum & ossium*.

Ad menstrua aquosa pertinet ROS MAJALIS, qui *turget sale volatili nitroso*, qui *Ros Majalis* destillatus, *dat Phlegma salinum*, quod *est egregium menstruum pro extrahendis essentiis* aut extractis *vegetabilium* præparandis, & præfertur non raro ipsi spiritui vini, cujus caliditas & inflammabile sulphur multis est suspectum, imò *Ros Majalis ritè præparatus aurum solvit*, elegantemque extrahit essentiam, hinc *ex Sale Roris Majalis deducenda est virtus vegetās vegetabiliū*.

Sequitur AQUA MARTIALIS, quæ *imprægnata est copiosissimis virtutibus seminalibus plantarum* aliarumque rerum terrestrium, prætereaque *acuata est* copioso sale volatili exhalante è rebus terrestribus, & inprimis ex vegetabilibus, propter vim progerminativam. Hæcce *destillata dat menstruum* elegans *pro extrahendis virtutibus vegetabilium*, unde sunt, qui ex aqua martiali volunt parare *menstruum universale* id quod in specie tentavit *BURRUS*, qui non tam menstruum universale, sed etiam lapidem Philosophicum voluit præpare ex eo, quod sit imprægnata influxu astrali, & fœta spiritu mundi universali seu Mercurio Philosophorum. Sed res non successit, sed accepit loco menstrui universalis menstruum salsum, quo potuit solvere solem.

NIX dicitur quibusdam inservire pro menstruo, quod tamen non facile concesserim. Error exinde est, quia putatur in se continere sal salsum, de quo tamen non pauci dubitant. Contrarium *quidam* exhibere volunt, dum *ex nive parare student sulphur*, *& quidam* etiam *oleum paucum*, sed curiosum. *Vide BARTHOLINI cent. 3. ep. p. m. 628.*

Aquea hæc menstrua uti promptè ingrediuntur corpora salium, ita nunquam sulphureis miscentur, nec eadem solvunt.

Quod verò spectat MENSTRUA SULPHUREA & *oleosa*, inter hæc eminet SPIRITUS VINI, qui est naturæ oleosæ seu sulphureæ spirituosæ, extrahens tincturas sulphureas & oleosas. Huc quoque faciunt SPIRITUS *vegetabilium* ARDENTES, *item olea destillata*, quæ sunt nihil aliud quàm salia volatilia beneficio pinguis acidi concentrata, & hæc quoque solvunt sulphurea. Huc verò spectant aromata, quia constant sale volatili oleoso seu sulphureo, quod promptissimam init cum menstruo sulphureo conjunctionem. Huc trahuntur resinæ, ut succinum, Benzoes, &c. quæ suas exhibent cum spiritu vini tincturas. Quin & *metallorum sulphura aggreditur spiritus vini rectificatus*, hac tamen cum conditione, ut hæc *prius per aliud menstruum fortius* (acetum destillatum nempe) *fuerint optimè corrosa*, & particulæ metallicæ intimè per calcinationem separatæ.

Ad hæc *menstrua oleosa pertinent* OLEA DESTILLATA, juniperi, anisi &c. hæc enim non solum *solvunt sulphur commune*, id quod apparet in præparatione balsami sulphuris; sed etiam solvunt sulphur antimonij calcinatum, cujus substantia admodum est sulphurea. Sic *cum oleo destillato anisi ex sulphure antimonij fit solutio elegans in balsamum antimoniale*. Itidem *cum oleo destillato anisi ex nitro tentant quidam extrahere sulphur volatile*. Vide *GLAUBERUM*.

Succedunt demum MENSTRUA SALINA, tam *acida* quam *urinosa*, sed diversi generis pro diversis regnis. *Ex regno vegetabili* usurpatur menstrui loco SUCCUS *citri*, *berberum*, *cydoniorum*, item *omnia ista ex succis istis per fermentationem parata*, *ut &* SPIRITUS *acidi* LIGNORUM. Hæc *menstrua* ACIDA *ex regno vegetabili sunt temperata*, *ac non tam corrosiva quam mineralia*, quare ut plurimum *ad subjecta porosiora adhibentur*: v. gr. ad oculos cancrorum, corallia, conchas, testas, item ad Martem. Horum enim porositas facile admittit menstruorum horum vegetabilium introitum, saliaque facile à similibus solvuntur.

Hæc *menstrua acida*, *quando solvunt* ejusmodi *porosa corpora*, plerumque *excitari solet effervescentia*, quia *in hisce*, ceu notum, *alcali latet occultum volatile*, quod accurrit ad menstruum acidum, excitatque effervescentiam.

ACETUM *primatum obtinet inter menstrua vegebilia*, adeo enim operatur, ut & metalla (calcinatione tamen prius paululum reserata) solvat. Sic *ex vitro antimonij cum aceto destillato fit tinctura antimonij*: Sic *acetum destillatum solvit Saturnum in sal saccharinum*. Similiter *acetum destillatum martem in crocum convertit* utilissimum. Idem *acetum destillatum venerem mutat in æruginem*, ex qua prodit æruginis seu VIRIDIS AERIS SPIRITUS, secretum *ZWOELFERI*, qui videatur. Ærugo namque fit, quando laminæ veneris miscentur cum vinaceis in loco calido, sic enim fit, ut vinacea fermentando eructent spiritum acidum, qui veneris laminas corrodit in æruginem. Hæc *ærugo cum spiritu tartari destillatur in spiritum acidum* egregie penetrantem, qui longè potentior quam alius quispiam. *Alio modo* hic spiritus destillatur *ex crystallis viridis aeris*, modus videatur *apud ZWOFERUM*. Hoc *de spiritu virid. æris notandum, quod agat in solvendo sine reactione*, cum tamen è contra alia menstrua solvendo suam amittant virtutem, ita planè, *ut possit sæpius pro tali solutione adhiberi idem spiritus*. *ZWOELFERUS* quidē vult, *quod* omnino *sine amissione virium operetur*, quod tamen *simpliciter non est verum*, semper enim de acido spiritus virid. æris adhæret subjecto corroso unde tandem debilitatur & inertior evadit.

Ex regno minerali desumuntur *menstrua salina*, qualia *sunt* AQUA FORTIS, *aqua* REGIS, SPIRITUS NITRI *&c.* quæ *sunt menstrua corrosivissima*, corpora etiam compactissima solventia, in specie aurum & Lunam aliaque pro diversitate solvendorum. Hoc autem considerandum, quod *aqua fortis licet corrosivissima, non tamen omnia solvat metalla*, propter diversitatem texturæ. *Aurum* enim *non solvit, nisi addatur sal commune vel sal ammoniacum*: Tunc enim aurum, non verò Lunam solvit, *Nullum* enim *menstruum solvit Lunam*, *nisi eidem admistum sit nitrum*, *& præcipitatur à sale communi. Stannum non solvitur aceto destillato* in saccharum vel sal, *nisi prius probè sit calcinatum*, contra citissimè Mars dissolvitur. Hæc menstrua sunt corrosivissima, & durissima enim corpora resolvunt.

Quæritur, *an dentur* MENSTRUA INSIPIDA? Sunt qui negant, inter quos *ROLFINCIUS*, *BILLICHIUS & ANGELUS SALA*. Ast affirmativa sententia

ſententia verior eſt, experientiâ munita. Nam *corroſivitas qua talis*, *non ſolvit corpora*, ſed eatenus, quatenus in menſtruo ſunt particulæ pungentes, quæ ſeſe inſinuant in poros ſubjecti ſolvendi. Jam quid repugnat, cur talis figura particularum in menſtruis inſipidis non adſit; quæ ſua penetratione ſolvenda reſolvant *Mercurius vivus guſtu* teſte eſt *inſipidus* attamen *ſolvit ſolem*. *Oleum commune ſolvit martem*, ſolvit quoque *Lunam*, ſi diutius in eo contineatur, eſt tamen ferè inſipidum. *LAVRENBERGIVS* per experientiam affirmat in aphoriſmis, ſe vidiſſe menſtruum inſipidum, in quo aurum liquefactum fuit inſtar nivis: Unde probabile eſt, dari talia.

Quod attinet MENSTRUA SALINA URINOSA hæc inter *ſunt* LIXIVIA *fortia*, lixivium calcis vivæ lixivium cum ſale tartari, *quæ omnia ſolvunt ſulphura*, imò & ipſa eliciunt metallorum ſulphura; *ut taceam* de ſolutione ſulphuris communis in præparatione lactis ſulphuris. Hoc autem præſtant, quia in radice conveniunt cum ſulphureis, *ſalia enim fixa, ex quibus ut plurimum lixivia conflantur*, *fiunt demum in calcinatione corporum ex ſale volatili, & ex acido ſeu ſulphure corporum*, quæ duo abeunt in ſal tertium ſalſum; unde propter hoc ſulphureum principium reliqua ſolvunt quoque ſubjecta ſulphurea. Sic *lixivium calcis vivæ ſolvit antimonium in ſulphur antimoniale, lixivium ſalis tartari ſolvit ſulphur crudum.*

Non infrequentia ſunt Menſtrua SPIRITUOSA, quæ, *varia ſulphurea & fixiora* etiam quodammodo *poſſunt elicere* Sic *ex ſpiritu urinæ fit menſtruum pro tinctura ſolis*. Sic *ſpiritus vini acuatus cum ſale volatili urinoſo dat egregium menſtruum tam pro vegetabilium quàm mineralium partibus eliciendis.* Huc pertinent plures alij ſpiritus vegetabiles naturæ ſulphureæ, ut *ſpiritus juniperi*; *terebinthinæ*, qui *ipſum ſulphur antimonij extrahere poteſt.*

Quæritur, *an detur* MENSTRUUM UNIVERSALE, *quod omnia corpora ſolvere poſſit?*

Multi negant; ii verò qui tamen in ſublimiori Chimia verſati ſunt affirmant. Primus omnium affirmavit *PARACELSVS*, quemque ſecutus eſt *HELMONTIVS*, *BECHERVS*, *STARCKIVS* & alij. *Hoc menſtruum* laudati Authores vocabulo technico *vocant* ALCAHEST, cujus derivatio incerta eſt: quidam ab alcali deducunt, quia *ex alcalibus præparandum* ſit. Alij volunt, quod dicatur [Mugeiſt] ſed utut ſit *HELMONTIO eſt liquor, qui ſolvit omne corpus viſibile uſque ad primam craſin ſeminalem*. Ob id *quoque vocatur* AQUA GEHENNÆ. Et de Alcaheſt vulgare ſonat proverbium illud Chimicorum: Vulgus concremat per ignem, nos per aquam. Hoc *Alcaheſticum Menſtruum hujus eſt virtutis*, *ut licet ſolvat omnia corpora*, *tamen agat ſine reactione*, *& ſeparari vel mille vicibus poſſit à ſolvendis ſeu ſolutis ſine facta ſui debilitatione*, operatur namque per ſolam penetrantiam; undè *corpora ſolvit ſine* κρασεως *ſeminalis deſtructione*, (Contrarium apparet in aliis menſtruis) imò ſummo artificio tandem *omnia corpora in aquam elementalem convertit*. Sed utut omnia diſſolvat corpora, *à Mercurio* tamen *abſtractus eum figit*, *ut mallei vehementiam ſuſtineat*. Liquoris hujus Alchaheſtici fiendi modus penè omnes latuit hactenus, propius tamen acceſſit *STARCKIVS* inſignis Chimicus, qui tanquam poſſeſſor hujus *docet*, *eſſe corpus ſalinum apparens in duabus formis*, *eſſe corpus neque volatile neque fixum totum*, *ex duabus naturis radicaliter*, *ſed unum apparenter*, hoc ipſo innuit eſſe liquorem Alcaheſt duplicem.

Clarior eſt *BECHERVS*, qui dicit eſſe corpus ſalinum ex Mercuriali Terra, tertio metallorum principio conſtans, quam Terram Mercurialem in ſale commune reperiri dicit, aſt rara avis: Ridendus interim eſt *GLAVBERVS*, qui ex nitro voluit componere menſtruum univerſale. *Qui non habet Alcaheſt, diſcat volatiliſare ſal tartari fixum*, *& habebit ſuccedaneum liquorem Alcaheſt ſeu menſtruum univerſale*. Volatiliſationis hujuſmodi dantur varij, alij *volatiliſant ſal tartari cum ſpiritu vini rectificatiſſimo*, *alij cum aceto deſtillato & ſpiritu vini*, *alij per aerem*. Vide *ZVVOELFERVM* & alios.

CAP. II.

DE

EFFERVESCENTIA.

Dictum eſt ſuperius in doctrina ſalium, quod *ubi acidum concurrat cum urinoſo*, MOTUM ambo ſeu EBULLITIONEM *cieant* non levem, quia in acidi & alcali actione duo veniunt conſideranda: (1) quod ſe mutuo deſtruant, (2) quod *iſte concurſus ſalium fiat ob inſignem motum & agitationem*. Primum quod attinet, non ita intelligendum eſt, ac ſi acidum ceſſet acidum eſſe, ac urinoſum amittat naturam urinoſi, ſed quod *ex mutua miſcella hæc ſalia ita ſe attemperent*, *ut acidum qua acidum non amplius ſeſe exſerat*, *& alcali quà alcali ſuas patefaciat actiones* quando *exambobus fit tertium compoſitum ſalſum*, neutrum ſimpliciter abſterſivum.

De ſecundo quod non ſine efferveſcentia agant acidum & alcali, ulterius diſpiciendum. Nam id videmus in *conjunctione ſalis tartari & ſpiritus vitrioli*, ex quorum combinatione *oritur* efferveſcentiæ motus. Hic motus *nunc* EFFERVESCENTIA, nunc FERMENTATIO vocatur, pro duplicitate ſalium in qua ſolent eſſe conſtituta. Nam quando ſalia ſunt pura & non permiſta cum aliis particulis miſtum componentibus, fit efferveſcentia; ſin verò ſalia ſint impura & aliis particulis materialibus aſſociata & contemperata, tunc *ſub iſta actione ſolet fieri fermentatio. Ratio* eſt, quia ſalia ſi non ſint temperata ab aliis particulis materialibus, propius ſe contingunt, & efficacius in ſe agunt, & fit efferveſcentia, ſin verò inter hæc ſalia aliæ particulæ materiales intertextæ ſint, impediunt ſalium proximiorem ſui concurſum & fit fermentatio. Efferveſcentiæ exemplum videre eſt in ſale tartari cum ſpiritu vitrioli, item ſi miſtura fiat ex ſpiritu acido quocunque cum ſale volatili, tunc enim inſignis oritur efferveſcentia. E contrà in muſto, dum ſalia ejus conſtitutiva intertexta ſunt multis particulis materialibus, conſpicua fit fermentatio, undè muſtum per illam alteratur in vinum. Generatio vini oſtendit modum efferveſcentiæ & fermentationis, nam acetum eſt ſal acidum vini purum, & ſal tartari etiam eſt ſal vini purum. Si combinentur, excitant efferveſcentiam, dum verò vinum degenerat in acetum, fit per fermentationem, dum acidum & alcali vini interpoſitione particularum aliarum muſtum conſtituentium in motu efferveſcentiæ impediuntur, ut minus liberè & citò in ſe invicem agere queant.

Propriè EFFERVESCUNT SALIA PURA; *acidum & alcali* v. gr. ſpiritus vitrioli ſi miſceatur oleo terebinthinæ deſtillato, efferveſcentiam dabit intenſiſſimam cum ardore ſummo, propter ſal volatile oleoſum in oleo terebinthinæ concurrens cum acido vitrioli Sic *oleum tartari per deliquium affuſum ſali*, in quo eſt acidum fortiter concentratum *efferveſcentiam*

tiam excitat non levem. In calce viva affusâ aquâ fit effervescentia, propter urinosum, quod acidum aggreditur, & se uniendo effervescit. Præter alcalia manifesta subinde quoque CORPORA TERRESTRIA dantur, quæ absorbendo acidum, *alcali habent occultum* aut plane nullum saltem absorbendo acidum, *acidisque affusa effervescentiam blandam excitant*, & ita etiam *ad alcalia referuntur*.

Quo pertinent corpora METALLICA, in specie *Martis & Saturni*, quæ *effervescunt propter partes terrestres, acidum absorbentes* Hæc si alcalibus annumeres, altioris erit indaginis. Hinc *corrallia affuso succo citri* vel limonum *effervescunt*: Sic *creta cum acidis effervescit*, item *marmor*, *si affundas spiritum salis* effervescentiæ motum præ se fert. Marti si affundas spiritum vitrioli cum intenso calore *effervescit*. Major *exorietur effervescentia*, *si spiritus nitri* seu terræ *affundatur martis limatura*, huic misturæ si affundas oleum tartari per deliquium, tanta fit effervescentia, ut vitra rumpantur.

Notum est, quod *partes animalium duræ* v. gr. dens apri, C.C. oculi cancrorum item conchæ perlarum, & *omnia conchilia cum acidis effervescant, quia in his absconditum est alcali volatile*, quod destillatione se prodit, dum ergo ab acido solvuntur hæc subjecta, occurrit sal volatile alcali, cum quo effervescit. Obiter hic notetur: In quibusdam effervescentiam oriri cum intenso ardore, in quibusdam verò frigidam percipi, vel non tam intensam. *Effervescentiæ calidæ* fiunt cum salibus fixis & subjectis sulphureis elicitis aut cum salibus volatilibus oleosis. *Effervescentiæ* verò *frigidæ* fiunt, quando sal volatile purum cum acidis puris concurrit. Sic spiritus salis armoniaci vel spiritus salis urinæ cum spiritu salis concurrit citra insignem effervescentiam, utut hic circumstantiæ quædam pensitandæ. Cur verò effervescant dicta salia, in causa est confirmatio mechanica particularum salinarum, dum ita sunt conformatæ, ut subjecto fluido permistæ, propter figuræ diversitatem & singulorum in æqualitatem in se impingant, unde unum rodit alterum, acidum rodit alcali, alcali absorbet acidum, & hoc tamdiu fit, donec tandem concurrant inæquali situatione, donecque mutuo cohæreant. Ut facilius percipiatur hoc, imaginandum est, quod salium acidorum partes sint conicæ & acuminatæ, partes verò alcalium sint quasi fissæ & concavæ, unde inter hæc pugna tamdiu continuatur, donec acidum subeat alcali fissuras, & uniant se in sal salsum tertium, neutrum ab his.

CAP. III.

DE FERMENTATIONE.

Dixi fermationem esse motum, in quo acidum & urinosum concurrendo, simul alias particulas mistum componentes in motum cient, nam *à sale dependet mistionis vinculum*, quamdiu enim *salia sunt unita & simul* in complexu suo *tenent alias particulas mistum componentes*, *corpora manent in suo naturali statu*: *Sin verò resolvantur* & reliquæ particulæ simul commoveantur, *fit* hinc FERMENTATIO. Sub ac fermentatione particularum vel motione *insignis fit alteratio*, quæ inde oritur, quia salia ista sub isto motu de novo se unire gestiunt, & dum ita se unire volunt, quasdam particulas in unionis consortium rapiunt, aliàs verò non bene unibiles separant, quæ si leves sint, supernatant, graves verò ad fundum secedunt, & fecum nomine veniunt. Totius fermemtationis ratio in unione salium consistit, sub qua unione partes unibiles consociantur, partes verò non miscibiles aut ratione ponderis, aut aliam ob sui dispositionem ex porulis corporis exclusæ, præcipitantur ad fundum, ex qua unione nova misti textura & insignis alteratio procedit. Sic in *musti fermentatione* dum *concurrit acidum & alcali*, nova fit alteratio liquoris, qui dicitur VINUM, quod *ulteriori fermentatione*, quando acidum exaltatur, urinosum verò supprimitur rursus alteratur, novaque fit miscela, quæ dicitur ACETUM, idque fit tamdiu, donec ex diuturna actione acidum & alcali suam perdunt naturam, & tandem in aquosa liquamina redeant, seu ens primum & ultimum *aquam*, nisi forsan accedente novo seminio fermentatio nova inchoetur.

In his operationibus AERIS *summa est necessitas*, adeò, ut *primaria* ferè *fermentationis* exstet *causa*. Certum est, quòd *mustum in dolio conclusum non fermentet* propter defectum aeris, aut si fermentet, ipsum continens deffringat. *Ratio* est vis aeris elastica, unde aër, dum se miscuit salibus, virtute suâ elasticâ se expandit, & salia magis magisque commovet, unde fermentatio acceleratur. Illustrat hoc *D. BOYLE* in tractatu *de vi elastica aeris*, quando coralliis affundit succum limonum, quem deinde posuit in recipiens ad aerem hauriendum, unde leves effervescentiæ factæ sunt, postmodum orta ingens effervescentia, quia aer, exhaustâ virtute elastica, liquores exagitare & effervescentiam excitare potuit vid. plura d. l. Ex his videmus, quanta sit convenientia inter hanc fermentationem artificialem cum ea, quæ fit in corpore humano.

Dixi, quod *acidum & alcali* seu *urinosum* se mutuo destruant, exinde illud nobis sese suggerit *PRINCIPIUM PRACTICUM*, quod si unum horum præter naturam corpus afficiat, contrario destrui & eliminari debeat. Sic ubi in corpore nostro peccat acidum, adhibentur commode alcalia, ubi alcalia corporis æconomiam turbant, acidis subjúgenda. Ita in ARDORE VENTRICULI, ubi peccat acidum cum bile resurgit ante aliove alcali effervescens, consilio usurpantur creta, oculi cancrorum, ebur ustum farina laterum, &c. quia hæc ipsa absumunt & absorbent acidum, & effervescentiam compescunt. Mulieres cerevisiarum medicatrices, quando cerevisia acessit, immittunt *cretam*, quæ non sine effervescentia *acidum absorbet & præcipitat*, unde dulcescit denuo cerevisia. *Sic in* DYSENTERIA ubi acidum vitiose effervescens exulcerat intestina, prosunt corallia, cryståli præparati, priapus Ceti cranium humanum præparatum seu calcinatum, quæ omnia acidum absorbent, & ulteriorem corrosionem impediunt. Hoc quoque facit crocus martis adstringens.

Dolores STRANGURIÆ sunt ab acido, quos compescunt oculi cancrorum ut qui & acetum dulcescere faciunt, quod maximè quoque præstant cortices aurantiorum, & oleum destillatum eorum, quia sal volatile oleosum acidum temperat ac corrigit. In PLEURITIDE peccat acidum, quod coagulat sanguinem, unde inflammatio, & effervescendo cum sale volatili febrem continuam excitat. Hic & prodeerunt salia volatilia v. gr. sal volatile C.C. sal volatile fuliginis, item mandibulæ lucij piscis, quæ acidum absorbendo affectum hunc sine venæ sectione curant. *In* MALO HYPOCHONDRIACO *acidum* omnium *optimè absorbet mars*, & inde parata remedia, hinc vitriolaceam vim acquirunt hæc remedia, & acida

absorpta per alvum aut per urinam eliminant, unde videmus excrementa nigro tincta colore ab usu talium. Ratio est, quod Mars absorpserit acida, quæ præcipitantur à bile, & sub forma attramenti rejiciuntur. In SCORBUTO peccat acidum rancidum, quod curatur per volatilia, ubi verò acidum hoc scorbuticum rancidum nimis contumax est, salia volatilia noxas inducunt, nempe ardores vagos, spasmodicas convulsiones, propter effervescentiam nimiam salium volatilium cum acido rancido. *Hoc* verò *ubi contingit*, deserenda sunt salia volatilia, & *fixa adhibenda*, nempe Martialia, cancrorum, eburacea, & similia. FEBRES *intermittentes* in quibus quoque *acidum peccat*, in specie *in quartana*, *spiritus salis armoniaci*, *item salia præparata vegetabilium*, ut absinthij, centaurij minoris cardui benedicti, *aut corpora fixa metallica calcinata*, item specifica febrifuga v. gr. *STROBELBERGERI*, item *CROLLII*, *acidum destruunt*, & per urinam eliminant. *In febribus ardentibus* ubi *sal volatile oleosum* seu bilis peccat, & vitiose effervescendo ardorem, sitim deliriaque causat ratione contrarietatis subacida conducunt. v. gr. succus ribium berberum, item acida mineralia v. gr. spiritus salis, spiritus nitri, vitrioli, clyssus. Hæc acida enim bilem seu sal volatile corrigunt & destruunt, quo destructo, cessat effervescentia. Prosunt quoque nitrosa, nitrum per alcali depuratum, ut ejus acidum maneat salvum. Non incommodè huc quoque trahi possunt *vulneraria*, quæ *acidum absorbent* (vulneraria enim habent in se alcali temperatum) sive inprimis viis, sive in massa sanguinea reperiatur, hinc etiam *Mercurium resuscitant*, & ex hac causa, *quatenus nimirum tollunt acidum*, *sistunt* quoque *effervescentiam*. Unde *vinum ratione acidi vulneratis prohibetur*, ne effervescendo in parte læsa dolorem & hinc majorem vulneribus inducat noxam, ast cum oculis cancri si exhibeatur, saporem urinosum referens, prodest. Vinum ab usu *infert* Podagram, arthritidem vagam, calculum, & alios *affectus à vitioso acido ortos*, quibus *optime convenit spiritus armoniaci*, *quia destruit acidum*, illudque modo per sudorem, modo per urinam evacuat, Notum est, quod *vinum Rhenanum cum spiritu armoniaci si misceatur*, *sapore suo privetur*, unde *ad omnes affectus ab acido propullulantes spiritus armoniaci est optimum conferens*, quia *destruit acidum*, illudque modò per sudores, modò per urinam eliminat.

Quod attinet fermentationem in corpore humano naturalem, notum est, quod eadem ad mortem usque vigeat *In stomacho fermentatio naturaliter ita procedit*: Acidum stomachi concurrit cum sale volatili alimentorum, quibuscum se maritat, & tandem ambo in salsum degenerant volatile, quod, si præter naturam instituatur fermentatio hæc, & chylus adhuc nonnihil acidus elabatur extra ventriculi limina (nam *extra stomachum omne acidum corpori est inimicum*) adest bilis, corrigens hunc vitiosum chylum, eumque mutans in sal volatile. Si ulterius processerit chylus adhuc acidulus ad intestinorum cameras, acidum concurrens cum sale volatili bilis excitabit flatus (nam notum est, quod in fermentationibus artificialibus semper præsto sit gas sylvestre) in corpore nostro, si vitiosè succedit fermentatio, ut fit in hypocondriacis, quos ergo ut curemus, in usum vocanda sunt aromatica, acidum corrigentia & effervescentiam mitigantia. Massam saguineam in continuo esse fermentationis motu, demonstrant exinde enati pulsus, undè, *si præter naturam effervescat*, *febres inde oriuntur*. In specie *effervescentiæ signum est in febribus ardentibus pulsus magnus*, *frequens & celer*. Contra verò *in cachexia est pulsus rarus & tardus ex defectu effervescentiæ naturalis*, unde etiam ex urina gradus fermentationis dignoscuntur: ubi enim particulæ excrementitiæ minus utiles cum urina rejiciuntur, urina erit crassa. Sic in principio febrium acutarum urina est clara, tenuis, successive verò turbida cum spe salutis evadit. Sub menstruationis tempus inordinatam sanguinis fermentationem declarant dolores circa lumbos, febres, aliaque tunc temporis fœminas affligentia symptomata.

CAP. IV.

DE

PRÆCIPITATIONE.

POst solutionem peractam fit separatio corporis soluti & dicitur PRÆCIPITATIO, quæ opponitur solutioni: Nam *solutio est absorptio & imbibitio objecti solvendi*, facta à menstruo solvente: *Præcipitatio* verò *est separatio* particularum objecti *soluti* ex menstruo solvente; *Ratio* propter quam denuo separatur seu præcipitatur corpus solutum à solvente *est duplex*: *Primò*, præcipitatio *fit propter porulorum seu spaciolorum in menstruo solvente angustiam*, ut particulæ non amplius possint contineri in iisdem, *Secundo*, præcipitatio *fit propter gravitatem particularum solutarum*, ut non amplius in liquore pendere aut se volutare queant. Utriusque modi sunt exempla sequentia & quidem exemplum præcipitationis, quæ fit propter angustiam pororum menstrui solventis sit sequens: Fiat solutio seu *extractio* vegetabilis cujusdam *cum spiritu vini*, hæc extractio *præcipitatur cum aqua communi*, quia affusa aqua se insinuat in poros spiritus vini, quibus angustatis, extruduntur particulæ resinosæ à spiritu vini solutæ & præcipitantur ad fundum. Sic *ex Benzoe cum spiritu vini tinctura fit inelegans*, quæ *egregium* est *pectorale*, Hæc *tinctura* seu essentia *Benzoes* si misceatur *cum aqua communi aut aqua rosarum*, fit liquor lacteus, quatenus aquosæ particulæ se promptè uniunt cum spiritu vini, ut exista impletione porulorum spiritus vini particulæ contentæ *præcipitentur ad fundum*. Exemplum præcipitationis ratione ponderis fit sequens: Solvatur *aurum in aqua regis*, *addatur Mercurius*, *mox ad fundum præceps ibit aurum* quia Mercurius se conjungit cum particulis solis, & ambæ ad fundum secedunt propter pondus nimium, Huc facit præcipitatio lactis cum aceto destillato.

Præterea *præcipitatio est vel spontanea vel violenta Spontanea* est, quando sua sponte secedunt particulæ solutæ ex menstruo. Sic si solvantur perlæ vel corrallia in succo citri, solutio est clara, postmodum fit recessio spontanea partium solutarum ad fundum. *Violenta* fit, quando solutioni aditur tertium quid. Exemplo fit *magisterium nephriticum*, quod fit ex specibus nephritis. quæ solvuntur in spiritu salis composito, quæ solutio accedente tertio, cum vitrioli spiritu violento modo præcipitatur ad fundum.

Præcipitatio porro est vel totalis, *vel partialis*. *Totalis* est, quando particulæ separatæ totaliter cum impetu præcipitantur ad fundum. *Partialis* quando partes solutæ non separantur ad fundum, sed tantummodò aliquantisper ex poris menstrui extruduntur. Sic si urinæ inspergatur parum salis, tunc partes salinas urina extrudit partialiter tantum; item si solutioni radicis Gialappæ cum spiritu vini (quæ dat *tincturam* rubentem) affundatur aliquantulum aquæ simplicis

simplicis non autem magna quantitas, tunc liquor seu *tinctura rubra*, antea perspicua, subito pallescit & albescit & resina præcipitatur in fundum. Ut notior fiat & clarior doctrina præcipitationis, notum est, quod lac per omnia *acida ac austera præcipitetur*; quia hæc omnia vim habet crassum lactis corpus coagulandi: unde angustantur seri lactis pori & agglomerantur: unde perfectam lactis ac casei faciunt separationem. Hinc omnia alcalia lacti permista impediunt ejus cógrumescentiam, ratio est, quia alcalia attenuant lacteũ humorem crassiorem, unde pori dilatati non permittunt, ut fiat sui coagulatio. Sæpè fit, ut tincturæ & essentiæ quædam vegetabilium in loco calido eleganter perspicuæ sint & coloratæ, ut primum exponuntur aeri frigido, fiant turbidæ & opacæ. Ratio est, quia calor attenuaverat poros menstrui, ut perfectè absorberet particulas soluti corporis in se, in frigore subit adstrictio poros menstrui, quibus adstrictis, particulæ solutæ aliquantisper extruduntur, unde hoc modo fit præcipitatio particularis.

Omnes SOLUTIONES *factæ* CUM ACIDIS, PER ALCALIA *præcipitantur*, *è contra* SOLUTIONES *institutæ* PER ALCALIA *præcipitantur* AB ACIDIS. Solvatur aurum in aqua regis, quæ acida est, si instilletur oleum tartari per deliquium, exinde præcipitabitur non sine strepitu in pulverem gryseum qui dicitur AURUM FULMINANS, hæc est solutio præcipitata per alcalia. Sic sulphur auratum antimonij solutum per alcalia, scilicet lixivium salis tartari, præcipitatur cum acidis, hinc pulvis lactescens subsidet, qui dicitur LAC SULPHURIS. Et hac ratione fiunt magisteria ex vegetabilibus. Sic fit MAGISTERIUM ABSINTHII ℞. absinthij q. v. coque in lixivio cum alcali impraegnato, colaturæ filtratæ inspergatur alumen pulverisatum, & sic præcipitantur partes solutæ ad fundum. *Ratio* præcipitationis est, quia acidum aluminis se conjungit cum alcali lixivij, unde necessariò partes vegetabiles solutæ præcipitantur. Verùm hic observandum, quod in hac præcipitatione ex alumine simul præcipitetur ejus terra fixa, quia *omne alumen ex sulphure acido & terra petrosa constat*, unde talia magisteria semper fiunt composita. *Ratio* autem *cur alcalia præcipitent acida* & contra, *est quia hæc salia mutuam sui exoptant unionem*, *unde facta hac combinatione, necessario partes solutæ vel pondere dilabuntur*, *vel vi præcipitantur*. Ex hoc fundamento fit ATRAMENTUM & omnes TINCTURÆ artificiales v. gr. Si solutioni vitrioli claræ addatur decoctum gallarum, clarum itidem, hæc mista invicem dabunt liquorem atrum inperspicuum, quia alcali volatile gallarum absorpsit & se conjunxit cum acido vitrioli, unde vitriolum ex se dimittit partes suas metallicas veneris & martis hinc talis turbidus liquor. *Si permisceatur spiritus vitrioli cum spiritu sanguinis humani*, exinde fit mistura viridis, quia alcali volatile in spiritu sanguinis *acidum vitrioli absorpsit & præcipitat particulas mineræ veneris*, *quæ extrusæ dant colorem viridem*. Porrò solvatur Luna in aqua forti aut spiritu nitri rectificato (solutio est clara) huic immitte laminas veneris, apparebit, quod cuprum aggrediatur nitrum, & dimittat ex se Lunam, Luna itaque instar pulveris albi præcipitatur, & aqua fortis intereà solvit venerem, venerisque se imprægnat particulis, quod si huic aquæ forti solutionique veneris immittas bacillum ferreum, veneris solutum iterum instar Lunæ ad fundum præcipitatur, & aqua fortis intereà solvit martem. Quod si huic martis solutioni injicias Zinckum, vel aliud corpus metallicum terrestrius, tunc mox aqua fortis arripit hoc corpus, & Mars præcipitabitur ad fundum sub forma pulveris.

Cæterum præter hoc, quod *acida præcipitent alcalia & vice versa*, etiam acida quoque præcipitant acida, nempe FORTIA ACIDA PRÆCIPITANT DEBILIA v. gr. solvantur corallia in aceto destillato, solutio præcipitabitur per oleum sulphuris. *Solvantur lapides cancrorum in spiritu nitri*, hæc *solutio præcipitabitur per spiritum vitrioli*, *ratio* hæc *est*, quia fortiora acida se insinuant in poros Phlegmatis, & hos replent, & adoriuntur particulas terreas corrosas, & pori fiunt angustiores, unde necessario insequitur præcipitatio. Hoc succedit, ubi fortiora acida debiliora præcipitant; nam fortia acida alia itidem fortia non solent præcipitare.

Hac ratione dictum est fieri MAGISTERIA, verùm talia *magisteria* nihil aut parum valent, quia ita simplicium crases per solutionem acrioris menstrui omnino destruuntur. Nam earum virtus esse debet, ut in corpore absorbeant vitiosos humores inprimis stabulantes viis, quos per urinam eliminant. Quod si hæc subjecta sint saturata ab acidis extra corpus, nullam sanè vim obtinebunt in corpore vitiosos absorbendi humores & sapores: Hæc namque subjecta per se satis utilia, omninò transmutantur in calces insolubiles, quæ nihil faciunt, quàm ut in stomacho desides jaceant, & mala non levia apportent eidem. Si propinentur sæpius hæc magisteria patienti, & post triduum exhibeatur vomitorium, excernetur pulvis albus, qui est magisterium illud antea assumptum Sanè præparata his hoc modo præparatis magisteriis præferenda, quia his semper particulæ acidæ menstrui corrosivi adhærent, & centies licet eidem magisteria elueres, eas tamen non separabis, & probatur harum acidarum partium præsentia, quia *magisteria post edulcorationem semper reperiuntur ponderosiora ipso medicamento simplici ante corrosionem*; unde est, quod talia magisteria à nullo amplius menstruo solvantur, nulloque igne calcinentur.

Quæritur, *cui usui sint Magisteria?* Respondetur, confortant, quæritur ulterius quid? ubi? cur? quomodo? quando confortant? Respondetur uno verbo, nullius sunt valoris nec momenti. Ex modernis *ZUUOELFERUS* introduxit MAGISTERIA SOLUBILIA, ita dicta, quod in quocunque liquore solvantur. *Parat ea sine præcipitatione, per solius spiritus viridis aeris affusionem ejusque abstractionem & edulcorationem.* Hæc magisteria præstant vulgaribus illis, quia sunt blanda planè acida, quibus destructa sunt solvenda, quamvis & hæc non parum destructa. Hæc sunt præcipitationes artificiales & mechanicæ, accedamus nunc ad NATURALES.

Videmus, quod *in fermentatione fæces ad fundum secedant ex liquore fermentante*, id quod fit, quando salia concurrentia intimius particulas terreas extrudunt, vel elabi sinunt ad fundum: Quod *si fiat*, *ut impediatur fermentatio*, *vel propter prædominans acidum*, *aut corporis heterogenei admistionem*, *mox oboritur præcipitatio* unde cerevisiæ acidæ factæ præcipitantur per cretam, aliaque. *Cerevisia nova fermentans addito sale cessat ab omni fermentatione*, ita, ut mox potari possit. Vinum ex tartaro superfluo interdum acescit, quod præcipitatur à putaminibus ovorum, propter acidum ponderosum. Sic *vini fermentatio læsa corrigitur per additionem fixorum alcalium*, v. gr. pumicis usti, aut per lixivia aliarum calcium, quoniam hæc *alcalia recipiunt acidum in sui amplexum & secedunt unà fundum versus*.

Præcipitationem talem, si non planè eandem, probabiliter *æqualem reperimus in corpore humano*, id quod *in febribus intermittentibus* apparet, *ubi massa sanguinea inquinata est scoriis heterogeneis, easdem per modum præcipitationis foras eliminas*. Hoc videntes, massæ sanguineæ afflictæ auxilio esse medicamentis solemus præcipitantibus, quæ heterogenea ex massa sanguinea separantia, vel per urinam, vel per sudorem, vel per alvum illa excludant.

A tali præcipitatione dependent SIGNA COCTIONIS URINÆ & PULSUS. Nam urinæ in incremento morbi claræ, in statu multum habebunt sedimentum quando verò *effervescentia fit in massa sanguinea à bile*, in febribus ardentibus adhibenda sunt acida, è contra ubi *effervescit massa sanguinea ab acido præter naturali, uti in febribus intermittentibus contingit, usurpanda sunt alkalia*, quæ acidum ex massa sanguinea absortum separent. Hæc sunt propriè præcipitantia. *IMPROPRIE PRÆCIPITANTIA* sunt quæ vim habent acores vitiosos invertendi, quia ab his *phlogoses* & variæ in partibus variis effervescentiæ oriuntur. Unde falsò dicuntur præcipitantia, potiùs *absorbentia* aut *figentia* dicenda, qualia sunt *Martialia* omnia, quæ tantùm *absorbent acidum in hypocondriacis & scorbuticis*, non verò propriè præcipitant. Sic *creta in soda* præcipitare dicitur, cum tamen *figat acidum vitiosè effervescens in ventriculo*. Sic *dens apri in pleuritide* dicitur præcipitare, cum tamen *corrigat massam sanguineam*, *absorbendo ejus præternaturale acidum*. Idem esto judicium de Antidysentericis aliorumque affectuum remediis.

CAP. V.

DE

CALCINATIONE.

Calcinatio est corporis compacti in minutissimas sui particulas corrosio & dissolutio. Omnis autem *CALCINATIO fit vel IGNE ACTUALI*, *vel POTENTIALI.* Calcinatio *igne potentiali* fit plerumque *per liquores acidos aut menstrua acida*, & succedit duplici modò.

Primò aut enim igne potentiali tantum SUFFUMIGANTUR calcinanda, aut eidem, scilicet menstruo acido, immerguntur. Exemplum calcinationis igne potentiali per suffumigationem exhibet præparatio illa maximè vulgo nota cerussæ. Porro *immersiva calcinatio est vel in via humida*, *vel in via sicca.*

Calcinatio IMMERSIVA in via humida fit, quando calcinandæ res immittuntur in menstruum solvens seu calcinans, v.gr. Si cuprum immittitur in spiritum nitri, aut saturnus in acetum, calcinatio est immersiva. *In via sicca* contingit, quando fit f. stratum super stratum cum re calcinanda, & dicitur propriè CEMENTATIO, locumque imprimis habet in metallis calcinandis, quæ in lamellas diducuntur, & cum salinis vicissim locantur, mistura hæc committitur igni, ut salia resoluta emittant suos spiritus acidos, qui rodunt additum metallum. Et hæc cementatio quoque in auro aliisque metallis adhibetur.

Calcinatio actuali igne fit, quando subjecta calcinanda vivo igni exponuntur uti hoc modo corallia aliaque similia præparantur.

CAP. VI.

DE

COAGULATIONE.

Altera Operationis Chymicæ pars est Coagulatio, fitque, quando res liquidæ ad solidam substantiam per humidi privationem rediguntur, *estque duplex*, *frigida* nempe *& calida* : *Res* enim quædam *in calido soluta in frigido coagulantur*, v. gr. salia essentialia in calido liquescentia coagulantur in locis frigidis, nitrum in aqua calida solutum, in frigido coagulatur ac crystallisatur iterum : *Quædam* verò *in frigido soluta concrescunt in calido*, v. gr. salia cineritia ex lixivio ex cineribus plantarum parata, in frigido aquæ instar fluentia, in calido concrescunt. *Fundamentum diversitatis consistit in spirituum præsentia vel absentia.* Sic *salia magnam spirituum copiam destillatione de se promentia*, *in calido solvuntur*, *& in frigido coagulantur*, v. gr. nitrum, vitriolum, alumen, sal commune, &c. & sic è contra. *Vide LIBAV.* lib. 2. Epistol. 7. de coagulatione.

LIBRI I.

SECTIO III.

DE

SULPHUREIS CORPORIBUS.

CAP. I.

DE

ALTERO PRINCIPIO PARACELSI ET CHIMICORUM, ACTIVO, SEU SULPHURE.

A*Lterum Paracelsistarum Principium* hypostaticum *Sulphur est.* Hîc non minores quàm de salino principio oriuntur disceptationes inter Chymicos, quæ non aliunde natæ sunt, quam ex PARACELSI Paracelsistarumque bonæ literaturæ ignorantia. Aliàs in genere PER SULPHUR *sulphureaque concreta nihil aliud* INTELLIGITUR *quàm* PINGUEDO *facilè* INFLAMMABILIS, quæ cum in sulphure crudo præprimis inveniatur, ab hoc tanquam à potiori facta est denominatio. Cum verò oleosa, tam naturalia quàm artificialia imprimis sint pinguia & facilè inflammabilia, factum est, ut olei vox pro principio sulphureo usurpetur, atque ita *oleum & sulphur* hoc in passu coincidant. *Pinguedo talis sulphurea nusquam est solitaria, sed cum aliis particulis variis concreta, & quasi in unum coagulata* est, unde non tam primum & hypostaticum erit rerum principium, quàm potius principiatum ex rerum virtute genitum. *Concrescit* autem *pinguedo sulphurea cum acido, quod in omni sulphure & corporibus sulphureis deprehenditur, & à parte sulphurea contemperatur*, ut ejus acor nimius subindè occultetur. Sic *in sulphurea communi acidum reperitur*, uti & in antimonio, nam & hujus sulphur ex acido & pinguedine est compositum. *Succinum & bitumina* (seu ad minerale referas regnum, seu ad vegetabile *suum habent acidum*, quod in destillatione prodit instar spiritus acidi, *Resinæ pingues*, pix, therebintina, *omnes cum pinguedine sulphurea habent aciditatem*, undè in picis & terrebintinæ destillatione primo loco prodit spiritus acidus, hunc subsequitur pinguedo sulphurea. Hinc sunt, qui volunt ex *fuligine*, quæ *nihil aliud est quam sulphur vegetabilium sublimatum*, evocare fortiori igne spiritum acidum, nec frustraneo conatu, operatio enim succedit. Undè ligna, quò pinguiora, eò copiosiorem spiritum acidum suppeditant & oleum.

Carbones constant sulphure ex acido pingui composito ut mineralia, undè per *alkalia fixa sulphur carbonum extrahitur*, quando alkali sulphur eorum attrahit & acidum imbibit, conveniunt enim in radice.

Mirrha utut amara, *destillata acidum tamen exhibet saporem.* Oleum commune fortem habet acorem, undè etiam ferrum in rubiginem corrodit, quin & Lunam & Venerem in lamellas diductam corrodit in rubiginem, ut taceam acidum penetrans ex oleo communi artificialiter elici posse. Præterea aciditas olei communis patet, si gutta j. hujus olei in oculum incidat vehementiores enim excitat dolores quàm ipse succus acidus citri. Nec oleum lini destituitur suo acido. *Olea* autem *destillata* (quæ *nihil aliud sunt quàm salia volatilia concentrata*) suâ quoque constant pinguedine, & *nova sunt producta*, concreta per ignem *materialiter* quidem *insunt subjectis, non autem formaliter.* Hæc, utut in radice sunt salia volatilia, tamen non destituuntur pinguedine sulphurea cum acido concentrata. Talis pinguedo concentratur quoque per salia volatilia in concreta nova. Hinc *olei acidum concentratur à spiritu salis ammoniaci*, quando hoc alkali volatile aggreditur illius acidum, & coagulantur mutuo. *Aromatum olea destillata suo nec destituuntur acido.* Sic cinamomum, si blando exactoque ignis regimine destillatur, phlegma acidum primò prodit, & postmodum oleum subsequitur. Hujus destillationis artificium consistit, ut dixi, in prudenti ignis regimine.

Animalium pinguedines suum quoque *habent acidum, si* enim horum *pinguedini conjungas alkali fixum, producetur sapo.* Notum est, quod *pinguia & aquosa misceri non queant*, quòd si verò alkalia cum pinguedine jungas, abeunt in corpus crassum saponiforme. *Cur* verò se conjungant olea vel pinguia cum alkalibus, ratio est, quia alkalia imbibunt acidum in pinguedine latitans, quæ ita conjuncta, vertuntur in saponem. Imò *credo, quod in spiritu vini acidum subsit.* Si enim recipiatur spiritus vini benè dephlegmatus, isque conjungatur cum spiritu salis ammoniaci, coagulantur invicem in corpus crassum, ratio est, quia subtilissimum alkali cum acido volatili spiritus vini concurrendo, cum eodem se unit in tale concretum crassiusculum. Huc facit, quod spiritus inflammabiles sint; quod olea fermentando volatilisari possunt; & quod olea sint salia volatilia concentrata ab acido: Verùm hæc non sunt extra omnem dubitationis aleam, quin per experientiam confirmanda. Interim hoc certum est, quod subjecta, quæ nullam sustinent fermentationem, dent copiosa satis olea, sin verò fermententur, exhibent spiritum ardentem, paucum verò vel nullum oleum. Unde probabile, olea subjectorum fermentatione volatilisari in spiri-

tum ardentem. Confirmare hoc videtur BECHERUS, dum profitetur, se scire modum olea vertendi in spiritum ardentem, ut nihil dicam de Chymicorum quorundam opinione, qua colores omnes de sulphure deducere conantur, imò & tincturas corporum ratione sulphuris efflorescere asserunt, quod confirmare videtur, quod spiritus vini tanquam subjecti sulphurei beneficio, eædem tincturæ extrahantur.

An verò in metallis verum detur sulphur, id affirmare nequeo, adeò, si forsan extrahatur sulphur inflammabile, hoc fit non nisi diuturnas post præparationes subjectorum, ubi dubium est, an non sit novum productum artis, an verò in ipso concreto ante sulphuris examen substiterit. Certum est, quod *corpora metallica* ut magis compacta *non prodant de se sulphur nisi aliis mediantibus*. Cum autem videamus, corpora quædam facilè fieri inflammabilia propter copiam sulphuris, & cum vicissim videamus, in præparatione antihectici POTERII, agitatione materialium paulò nimia, Jovem concipere flammam: Porrò cum deprehendamus in auro fulminante esse vim flammam concipiendi, cum nitro effervescendi, & in sonitum erumpendi, (quod proprium est sulphuris solaris) hæc inquam probare videntur, esse perfectum sulphur. in corporibus metallicis.

An verò tincturæ metallorum sint extractiones sulphuris veræ, an verò solutiones partium quarundam metallicarum, aliorum judicio relinquo. Ego posterius affirmarem. Vidimus generaliter hactenus sulphura tam vegetabilium, quàm mineralium, ut & animalium, quæ sub unò sulphuris conceptu comprehenduntur. Jam in specie de sulphure minerali dicemus.

CAP. II.

DE

SULPHURE COMMUNI.

Sulphur commune in duas dirimitur substantias, quæ tertium dant concretum, quarum *prima est pinguis, bituminosa, & inflammabilis. Secunda est acida salina*, utraque exhibetur in ignis regimine. Nam in igne ardet pinguis illa sulphuris portio, dum interea spiritus in forma vaporis acidus ferit nares, pectusque coarctat. *Per campanam* quoque *concentrari potest in verum liquorem spirituosum*, de quo inferius Hanc sulphuris constitutionem ex oleosa & acidâ parte confirmat & analysis & synthesis Chymicorum Quod ad synthesin, *potest componi sulphur artificiale, ex substantia seu subjecto oleoso, pingui, & subjecto acido*. Nempe si misceatur terebinthinæ oleum destillatum cum dimidia parte spiritus vitrioli: Hæcque destillentur cautissimè per retortam, & acquiritur per destillationem in collo Retortæ sulphur perfectum inflammabile, quod oleositatem suam habet ex oleo terebinthinæ, aciditatem ex spiritu vitrioli. Analysin porrò quod concernit, illa in præparatione spiritus sulphuris per campanam vertitur. Scil. ibi prima pars est substantia pinguis in igne ardens. Secunda substantia acida in spiritum acidum concentrata de quo inferius. Ratione originis *sulphur aliud est nativum, aliud arte productum*. NATIVUM sulphur quandoque datur (quamvis rarò) in fodinis quibusdam, & dicitur sulphur apyrum, quod in usu medico est optimum, quia integerrimum & simplicissimum est. ARTIFICIALE fit, quando vel ex pyrite sulphur excoquitur, vel ex aquis sulphureis inspissando elicitur. Pertinet huc *aqua sulphurea HAUPTMANNI*, de qua vide tractatum *de thermis VVolckenst.* ubi refert de aqua limpida ex petra destillante, quæ in aëre in sulphur abierit. Subinde contingit, ut, dum excoquitur vitriolum ex minera, tunc etiam verum sulphur effluat & emanet Pro usu medico sulphur eligendum purissimum. DEPURATIO autem sulphuris vario fit modo, imprimis autem cum lixivio calcis vivæ, in hoc sulphur probè ebulliens, ab omnibus sordibus depuratur. Sic etiam, si cum urina humana & aceti inspersione coquitur, brevi depuratur. Nec inelegans *depuratio* instituitur *cum cera*, dum sulphur permiscetur anaticæ portioni ceræ, quæ in vase ne flammam concipiant, funduntur, dumque adhuc fervent, infunduntur in aquam, ut purum ab impuro ibidem separetur. Huc pertinet sulphuris sublimatio per quam optime depuratur, de qua postea.

Depuratio quæ fit cum calce viva manu nos ducit ad *ortum THERMARUM*, *Fiunt* enim *ex mineris sulphureis beneficio effervescentia*, qua *ardor iste thermarum excitatur. Virtus* verò *Medica à sulphure dependet*, Hanc generationem thermarum eleganti declarat exemplo *ROCHAS in scrutinio thermarum* Hic enim effodiendo thermas pervenit ad originem earum, ubi deprehendit scaturiginem aquæ frigidæ saporis salsi, quæ permeando mineram sulphuris, eam excitat effervescentiam, ex qua postea calor & virtus thermarum. *THERMÆ ARTIFICIALES fiunt ex aqua calcis viva & sulphure*. Recipiatur nempè sulphuris & calcis vivæ q. pl. his mistis affunde aquam communem, bulliant, donec aqua rubescere incipiat, quod signum est soluti sulphuris, & hæc aqua commodissimè pro thermis naturalibus adhiberi potest, imprimis si vegetabilia nonnulla aromatica & nervina eidem aquæ incoquantur. Calorem ex effervescentia, virtutem verò ex sulphure dependere dixi: Hinc est, quod *thermæ conducant in morbis chronicis, externis ulceribus, fistulis, affectibus partium nervosarum, paralysi*; undè etiam in his casibus inserviunt thermæ artificiales, ut & *in erysipelate exulcerato*, in *gangrana imminente*. Elegans quoque est Cosmeticum, quod *scabiem contumacissimam*, herpetem, & alia optimè *curat*.

SUBLIMATIO sulphuris nunc sequitur, quæ *vel per se, vel cum aliis instituitur. Omnium optima est sublimatio florum sulphuris simplex*. Solent nonnulli addere sal decrepitatum, alumen ustum; caput mortuum vitrioli, ne scilicet in igne fluat sulphur, indeque pauciores exsurgant flores. Notandum autem, quod colcothar vitrioli exactissimè sit calcinandum, aliàs flores sulphuris fiunt corrosivi, tincti acido corrosivo vitrioli, cumque deberent balsamum esse pulmonum, fiunt eorum venenum. Sunt, qui faciunt *flores compositos cum Aloe, myrrha, benzoe*, sed *nihil valent*, quia solum contritum sulphur sublimatur, reliqua verò solent comburi in fundo, & acquirere empyreuma. Sunt qui componunt *flores suphuris saccharinos*, sed pessimo itidem consilio, ab ignis enim vi saccharum comburitur, unde flores sublimati foetorem spirant, saccharumque in fundo combustum relinquunt. Alij parant *flores sulphuris corralliatos*, miscent scillicet corallia cum sulphure trito, committunt igni, sicque fieri putant, ut acidum sulphuris corallia aggrediatur, & in sui sublimatione secum in sublime rapiat partes volatiles coralliorum, hocque modo fiant flores sulphuris coralliati in Medicina efficaces. Verum quidem est in sublimatione sulphuris, exhalare tantum acidi sulphuris, quantum sufficit

pro solutione coralliorum, sed tamen nihil de coralliis in sublime tollitur, quin frustanea hæc est florum sulphuris sublimatio.

USUM FLORUM sulphuris quod attinet, notum est, quod *sulphur optimum sit pectorale*, ut à Chymicis dicatur balsamum pectorale seu pulmonum. Verùm hoc intelligendum est de parte sulphuris pingui, acida enim pars sulphuris nocet pulmonibus. Verum ergo balsamum pulmonum in parte sulphuris oleosa & pingui residet, sed tamen ab acida parte difficillimè separari potest. Propterea fiunt infusiones variæ sulphuris cum oleis variis, ut indè balsama surphuris fiant. Sic fit balsamum sulphuris terebinthinatum. Nam certum est, quod pulmonum corruptelæ quæcunque sive in abscessus, seu exulcerationes degenerarint optimè curentur per vim sulphuris balsamicam, quia & aliarum partium præcipuè renum affectus felicissimè curat sulphur, non secus ac notum est, quod *in ulceribus cacoheticis*, in specie *mamarum, optimum sit remedium: In catarrhis* quoque *egregij est effectus sulphur*, corrigit enim *lymphæ acorem ac acredinem*, hinc *in tussi aliisque pectoris morbis à lympha acida oriundis optime prosunt flores sulphuris*, imprimis cum mirrha & benzoe præparatis, cum *præ* sulphure non detur melius remedium quam benzoe. In colica ab acido orta sulphuris effectus quotidie laudatur, ad drachm. ß. enim exhibitum Nobili cuidam colica ab acido orta afflicto expertum est præsenti fuisse remedio.

Quod attinet usum externum, sulphur optimè mundificat & curat vulnera & ulcera, tam maligna, quàm benigna. Et ex hoc fonte pestis veneno insigniter adversatur, ab *HIPPOCRATE* jam dum commendatum. Unde flores sulphuris omnium antipestilentialium possunt esse basis. Ulterius in morbis mulierum, & in mensibus movendis, foetu & secudinis provocandis suam confert opem. In scabie unicum ferè est remedium. Nec timenda est retropulsio veneni scabiosi, sed feliciter adhibetur balsamum sulphureum, imprimis si acuetur alkali quodam, in specie cum oleo tartari, & mistum unguentis applicetur, nunquam fallet, & licet malum scabiosum in lepram gravioremque degeneret salium affectum, si internè viperina aut antimonialia adhibeantur, externè sulphurata applicentur, nihilominus effectum videbis optatissimum.

PRÆPARATA *sulphuris* sunt SOLUTIONES. *Solvitur* autem sulphur. (1.) *per alkalia fixa*, quoniam hæc ex sulphure in concrematione oriuntur (2.) *per olea destillata*, qui sunt naturæ sulphureæ. Ex solutione sulphuris per alkalia prodit LAC SULPHURIS, scil. per lixivium calcis vivæ aut sal tartari per deliquium solvitur sulphur, fitque resolutio ruffescens, quæ aceto præcipitatur, & fit inde liquor lacteus, qui aqua ablutus, in pulverem colligitur. *Usus* hujus decantatur in quam plurimis affectibus, cum tamen nihil valeat, est enim *magisterium hoc nihi aliud* quàm *calx iners*: Nam destructa est sulphuris naturâ per conjunctionem salium cum sulphure, ipsoque sulphure partim cum alkali, partim cum acido unito, fit Ens novum fixum nullius ferè pretij, *& plus operatur drachma florum sulphuris quam uncia lactis sulphuris*. Alij imbibunt lac sulphuris cum spiritu salis, ut inde fiat massa consistentiæ crassioris, hanc massam pultaceam destillant per retortam, & acquirunt *lac sulphuris*, quod *prodest in hydrope & peste*.

§. 2. *Præter alkalia fixa solvitur sulphur in oleosis*, & dicitur BALSAMUM SULPHURIS. *Ordinariè fit cum oleo destillato anisi* pro pectorali. Alij *cum oleo destillato succini* pro usu cephalico & hysterico parant. Alij *compositos faciunt balsamos, addendo sulphuri mirrham & benzoen*, atque cum oleis destillatis balsamum sibi comparant egregium. Aliàs sumunt quidam loco sulphuris communis *sulphur antimonij auratum*, quod maximè *ab oleis solvitur*, & majorem quod credo sperant effectum. *RULANDUS* cum oleo raparum, vel lini suum fecit balsamum externum. Nonnulli his balsamis addunt camphoram, & habent penetrantiorem & *in affectibus malignis magis appropriatum balsamum*. Balsamum sulphuris si destillatur, prodit menstruum, manetque in fundo coagulum, quod cum spiritu vini probè rectificato extrahi potest in *tincturam sulphuris* non inelegantem. *Usus balsami sulphuri* est ad ulcera & corruptiones viscerum internorum præcipue pulmonum. Hinc *in phthisi* commodè *adhibetur* sed *cum cautione*. Hæc cautela autem observatur hoc modo (1.) *non solo aut crebro utendum est hoc balsamo, sed addito Peruviano & sacharo Saturni*, ex quibus fieri possunt *rotulæ*, quæ *in tussi aliisque inveteratis affectibus* prosunt. Si aliquoties *balsamum sulphuris cum dosi laudanti opiati* nocturno tempore adhibeatur, in tussi inveterata & pertinaci aliisque catarralibus affectibus laudandum dabit effectum. In specie in Dysenteria maligna valdè conducit. Ante quinquennium cum grassaretur dysenteria, optimè se curarunt & præservarunt patientes cum balsamo sulphuris. Ulcera namque intestinorum balsamum sulphuris cum saccharo Saturni certò & citò curare dicitur. *Externè ad ulcera & vulnera in casibus Chyrurgicis optime adhibetur. Tumores*, præcipuè carbunculos *mundificat & maturat*, ne degenerent in ulcera maligna. *Mamarum ulcera*, quæ alias periculosa sunt, *nihil melius curat quam balsam. sulphuris cum oleo momordicæ*, quod sibi in tali casu non habet par remedium. *Panaritium* satis molestum curat balsamum sulphuris, teste *RULANDO*. Cum balsamo Peruviano ana vulnera recentia citò curat inveterata ab exulceratione præservat. Hæc de parte sulphuris pingui dicta sunto.

Altera ejus pars substantialis dicitur SPIRITUS sulphuris, verùm hic *spiritus vix separari potest à parte sulphuris pingui*, nisi per flammam. Ut ergo fiat spiritus acidus, singulari enchiresi hic opus est. *Modus destillandi est* hic, R. sulphuris q. v. inflammetur, & super flammam interjecto spatio justo applicetur vas amplum, quòd dicitur campana, hæc omnes vapores ascendentes excipit, qui sensim concrescunt in guttas, decidentes tandem in subjectum vas vitreum, & abeunt in spir. acidum sulphuris. Verùm parùm acquiritur, ℔j. vix dat drachm. reliquum omne abit in Gas incoërcibile, uti loquitur HELMONTIUS. *In destillatione* hoc *notandum* (1.) *ut campana cum pauca aqua aliquantum humectetur*, ut promptè uniat se pars acida in spiritum, utut evadat phlegmaticus, potest enim rectificari, (2) *ut destilletur die nebuloso ac pluvioso*, sic citiùs atque copiosiùs colligitur. *Spiritus hic sulphuris est ACIDUM UNIVERSALE omnium mineralium*, estque cognatus salis terræ centrali utpote qui proximus est ab ejusdem origine. Cùm hoc & terra petrosa fit Alumen. *Cum minera martis & spir. sulphuris fit vitriolum martis*, & ita hìc spiritus certas accipit modificationes, pro varietate subjectorum quibuscum conjungitur. Hìc spir. sulph. cum spiritu vitrioli easdem habet virtutes, nisi quod *spir. sulphuris non habeat admixtas particulas metallicas, quas habet spir. vitrioli*. In destillatione ejus notandæ sunt cautelæ, quas antea adduxi. *Spiritus hìc in frigido loco aquâ dilutus dat crystallos saporis salsi*, teste BILLICHIO, quem penes sit fides. Notum est, quòd *fumus sulphuris vinum ab omni corruptione servet immune*. Hoc advertentes *Chymici, omnes succos crudos per fumum sulphuris à corruptione præservant:* Ab hac Enchiresi processit ulterius HELMONTIUS, *& commendat potus sulphuratos ad tussim & alios pectoris affectus*; sed modum pro more consueto reticet. Hìc tamen est modus: ℞ Lagenam potu semiplenam, postmodum tela sulphurea incenduntur,

duntur, indunturque lagenæ, ut ardeant, donec eorum fumus repleat omne vas, tunc protinùs claudatur & agitetur, ut liquor cum Gas sulphureo forti agitatione uniatur, unde postmodum Gas hoc disparet, & potus nil sulphurei sapit. Hîc potus *maximoperè valet in affectibus malignis.* Nam *in peste* nupera *Londinensi,* ubi uno die plus 900. succubuere, *hoc medicamentum magnæ fuit utilitatis. Post sulphur commune non datur in toto regno minerali magis sulphureum subjectum quàm antimonium,* unde ad ejus considerationem jam properabimus.

CAP. III.
DE
ANTIMONIO VARIISQVE EX HOC PRÆPARATIS.

EST *antimonium subjectum minerale naturæ metallicæ finitimum, compositum* secundum corporum metallicorum synthesin, *ex copioso admodum sulphure eoque minerali: Hinc ex mercurio metallico & hoc copioso,* denique ex substantia salina terrestri alkalina. Ex his tribus constituitur antimonium *Quod attinet* alteram *antimonij partem* substantialem, nempè *SULPHUREAM, est cognata sulphuri communi,* utut magis digesta, magisque ex parte fixata, ob id *ad naturam sulphuris aurati accedere dicitur* à quibusdam, ex eo, quod usu Chymicorum compertum sit, quod *aurum colore suo ac tinctura orbatum, fusione per antimonium denuò suum antiquum splendorem recuperet,* unde probant, quòd *antimonio insit sulphur naturæ solis.* Sed utut hæc dicant, probatio tamen non omnibus sufficit. Potest enim fieri, ut auro deficiat suus color propter varia heterogenea, quæ ejus tincturam & splendorem ad tempus occultant, postquam vero illud funditur cum antimonio, absorbet hæc hæterogenea, & sic redit sublato impedimento aureus color atque tinctura. Quicquid sit, tamen certum est, quod sulphur antimonij nobiliùs sit atque elegantiùs sulphure communi, & non parum ad sulphur solare accedat. Ex hoc enim virtus antimonij corroborativa, cephalica, epileptica, & variis venenis resistens. Sulphur hoc antimonij minerale probant omnes operationes atque præparationes istæ, quæ ex antimonio conficiunt. Hinc inflammabilitas cum odore sulphureo & Gas acido. Hinc cum *nitro & tartaro detonationis effectus.* Hinc tincturæ antimonij per alkalia extractæ. (*A kalia* enim *promptè attrahunt mineralium sulphura.*) Hinc *ex mercurio sublimato & antimonio oritur butyrum antimonij* quod maximè spirat sulphureum quid: Hinc *ex antimonio vulgari cum sulphure antimonij elaboratur cinnabaris perfectissima,* unde est, quod ex antimonio possit elici copiosissimum sulphur, sulphuri communi simillimum, nisi quod non adeò flavescat, sed nonnihil viridescat. Tale *sulphur minerale duplici modo elicitur ex antimonio* (1.) *per destillationem,* quando antimonium pulverisatum cum spiritu vitrioli ad tempus digeritur, & postmodum forti igne destillatur, sic in fine destillationis sublimabit se sulphur in collo retortæ. (2.) *per solutionem:* si solvas antimonium in aqua regis, (quod ex spiritu nitro in quo sal commune resolutum constat,) eique deinde affundas aquam communem, separabitur sulph. perfectum antimonij nonnihil viridescens. Ut taceam non secùs quàm cum sulphure communi per oleosa destillatâ, aut oleosa expressa extrahi sulphur antimonij, & cum eò fieri balsamum sulphuris, quod meliùs est vulgari. Dixi, quod *antimonio* quoque *insit MERCURIUS COPIOSUS* sed *METALLICUS, qui participat de natura Saturni,* estque is ipse, qui à sulphure separatur in præparatione Reguli antimonij, inque Regulum se conglobat. Dixi quod si naturæ Saturninæ, hinc est, quod BASILIUS VALENTINUS docet Regulum antimonij mutari in perfectum *Saturnum,* hinc *Antimonium* vocat *NATURÆ HERMAPHRODITICÆ,* quod sit *partim metallum,* propter Saturninam portionem, *partim mineralis naturæ,* propter sulphur aliaque salia superflua. *Aliis* propterea, quia sulph. participat analogum sulphuri solari, *dicitur SOL LEPROSUS,* nondum ad perfectam solis adductus fixitatem. *Aliis* dicitur *LUPUS,* quia instar lupi voracis omnia fermè metalla præter aurum devorat. Nam *sulph. antimonij minerale* abundans, *infusionis igne omnia metalla absumit,* seque cum iis saturat, cùm in proprio corpore nō saturetur, *aurum autem intactum relinquit* partim propter firmissimam compositionem, partim propter amicam sulphur. antimonij & sulphuris solis conjunctionem. *Voracius est sulphur antimonij ipso Saturno,* quia Saturnus absorbet reliqua metalla excepto sole & luna, antimonium verò solum aurum in capella relinquit, reliquis devoratis. Denique *dicitur PROTHEUS* propter sui mutabilitatem variam. *Omnes enim colores & sapores inesse antimonio affirmant Chymici omnes,* id quod testantur *flores* antimonij, qui modo albi, modo flavi, modo rubri sublimantur. Sic quoque fiunt *vitra* varij coloris ex antimonio. Pro usu Medico *eligendum* est illud antimonium, quod eruitur in aurifodinis. Tale enim est perfectissimum, habetque sulphur copiosius, magisque est naturæ solaris. Unde *mercurium UNGARICUM optimum est, cum* notum sit, quod *ibi dentur multa aurifodinæ. Nota* verò *BONITATIS est,* ut habeat strias albicantes, inter quas *dispersa* sint *puncta rubra,* quæ *indicant copiam sulphuris, striæ verò albicantes mercurium & Regulum.* Quod attinet *USUM antimonij* crudum internè adhibitum nullam habet efficaciam, nec vomendi, nec purgandi. Sunt quidam neoterici, qui antimonium crudum ad gr. iij. commendant ad epilepsiam imprimis si aliis præcipitantibus sit admixtum appropriatis. Alij de coquunt antimonium crudum in decoctis sudoriferis pro cura luis Venereæ, quale decoctum in nodulo ligato habet BORELLUS & ZUUOLFERUS. Brutis antimonium crudum aliquot vicibus cum pastu propinatur quod eorum sanguinem mundificat, unde porcellis leprosis ad drachmam ß. cum fructu propinatur, quod jam suo tempore observavit BASILIUS VALENTINUS. Moderni in Ephemeridibus Gallicis experimentum fecere in equis, & porcis, quos usu antimonij crudi pingues fecere. Accedamus nunc ad eorum operationes, inter quas primum locum obtinet *CALCINATIO:* *Hæc fit vel per se, vel cum aliis. Per se fit calcinatio,* quando antimoniū pulverisatum calcinatur in scutella argillacea super carbones ignitos, ita, ut successivè sulphur copiosum exhalet, & antimonium in forma pulveris grysei remaneat. Quod in tali calcinatione exhalet sulphur, inde patet, quod reperiantur copiosi antimonij flores in collo camini. *In hac calcinatione* quædam *notandæ* sunt *Enchirises.* (1.) *ut antimonium in crucibulo vel scutella continuè spatula ferrea agitetur, ne fluat & fundatur,* sic namque numquam calcinabitur. Ubi autem antimonium in forma pulveris apparet per calcinationem, tunc novum illi superaddi potest antimonium, sine alio fusionis metu. Præter hanc calcinationem est alia adhuc *calcinatio per RADIOS SOLARES instituta*

&,

& omnes consentiunt, quod gravius fiat ex hac per solem calcinatione quam communi modo calcinatum. Antimonium quoque per solem *calcinatum fit blandum vomitorium ac diaphoreticum*, quod BARTHOLINUS vocat Bezoardicum stupendarum virium. (2.) *In hac calcinatione antimonij* (item in omnibus ejus præparationibus) *vitandus est fumus antimonii*, quia corrosivus & sordibus arsenicalibus impraegnatus est, unde nocet valdopere laborantibus. Hoc *ut evitetur, assumendum est ante præparationem butyrum cum pane, hujus enim pinguedo temperat vim corrosivam fumi antimonialis*. Sic quoque *radix Zeodaria in ipso labore masticata, malignitatem antimonij solet coercere. Per se quoque calcinatur antimonium*, ut fiat vitrum, si scilicet antimonium priùs calcinatum in crucibulo fundatur, postmodum effundatur in patellam, tunc concrescit in *VITRUM hyacintinum*, hocque ex antimonio crudo conflatur. Hic autem observanda temporis tùm quantitas, tum qualitas; quantitas, ut sufficienter fluat antimonium, id cognosces, si intruso baculo ferreo non amplius fumet, tunc enim sufficit fusio pro vitro antimonij. *Qualitas, ut dies in hanc rem eligatur serenus & clarus*, sic enim vitrum pellucidum & elegantis evadit coloris, id quod non tam in vitrificatione, sed etiam aliis antimonij præparationibus probè observandū, nempè in præparatione reguli, sublimatione antimonij. Aliàs *si antimonium calcinetur* cum additione alicujus, v. g. *cum quadruplo borracis Venetæ, facilè* emergit antimonij *vitrum colore flavo*; si urgeas igne, colore *albo*, inde si cum octuplo borracis calcinetur antimonium vel vitrum aliud antimonij, exsurgit vitrum, *smaragdinum* nempe. Vitrum hoc in substantia minùs tutò usurpari potest, propter vim vomendi nimis vehementem, dum subindè gr. ij. vel iij. sufficiunt pro inducenda hypercatharsi lethali. Ob id *in infuso meliùs in usum vocatur*, & quidem vix crudum, quin potiùs correctum, ubi non ita attendenda dosis solvendi quàm solventis. *CORRIGITUR* autem vitrum antimonij imprimis per acida, si enim vitrum antimonij pulverisatum sæpius imbibatur aceto destillato, aut spir. vitrioli vel nitri, exindè cicuratur, ut aut catharcticum, aut blandum vomitorium evadat. Idem fit si cum spiritu salis misceatur. Nam si aliquot unciis affundas spir. salis ad eminentiam digiti, prodit beneficio ignis liquor crassus, qui nihil aliud est quàm butyrum antimonij, quod per fusionem in aquam dat pulverem, qui ad gr. III. vel IV. propinari potest. Optima est correctio, quando vitrum antimonij pulverisatum aceto vini extrahitur in menstruum rubrum, quo decantato, remanet pulvis, cui affundatur spiritus vini, digerantur aliquandiu, & spiritus vini, deflagretur super materiam, quæ in regulum seu vitrum ignis beneficio cogenda, sic retinet vitrum antimonij vim blandam vomitoriam. *Vitra antimonij optima dant infusa vomitoria cum vino*, hæc enim sunt potissima remedia in morbis chronicis. Modi infusorum antimonialium sunt varij. Notus est *CALIX* RULANDI, qui fit ex ligno juniperino, cui implicatur pix, & huic pulvis vitri antimonij, huic si affundas aquosa spirituosa, (calida autem sint) vim vomendi ex antimonio attrahunt. Pertinet huc *annulus vomitorius* ex particulis reguli antimonij annulo inclusis, qui vino vel alio liquori immissus, egregium dat infusum vomitorium, qui annulus vel millies infusus nunquam sua virtute privatur. Si itaque justo tempore & modo musum vocetur vitrum antimonij, eximios in variis affectibus præstat usus. Cum enim purgantia vegetabilia multa relinquant intacta, ea antimonium feliciter expurgat, in morbis inprimis melancholicis & aliis chronicis. Rigorosa nimis HELMONTII de usu antimonialium animadversio est, qui dicit, quòd quamdiu antimonium vomitum creet, non sit boni viri remedium. Cui enim vomitoriorum certis in casibus non perspecta necessitas; de multi juga ut taceam purgantium justo tempore adhibitorum utilitate. Neminem item latet, quàm *difficile sit antimonium eò deducere, ut per inferiora saltem purget*, & ut quidam magnam adhibuerunt in hujus elaboratione operam, optato tamen defraudati sunt effectu. Ratio est hæc, quia virtus purgandi consistit in sulphure antimonij non nimis volatili, quod dum figimus, evadit diaphoreticum, & quo magis figitur, eò magis per diaphoresin agit, quò minùs, eò magis purgat. In his enim medium invenire quia difficile, hinc rarus processus antimonij per inferiora tantùm purgantis.

Cum aliis maximè calcinatur antimonium, imprimis cum nitro & tartaro. Sic *si antimonium & nitrum ana in crucibulo denotentur, acquiritur* massa ad rubedinem vergens, dicta *HEPAR ANTIMONII*. In hac detonatione sulphur antimonij inflammatur à nitro, nitrum hoc cum sulphure antimonij figitur in alkali, & illud *alkali elicit* hoc sulphur *antimonij*, unde materiæ hujus rubedo. Hoc hepar antimonij si solvatur in aqua communi, dilabit sinit ad fundum pulverem obscurè flavescentem; qui dicitur vulgò *CROCUS METALLORUM*. Crocus *dicitur* ratione coloris metallorum, quia ex *antimonium (quod omnium quasi metallorum est mater)* oritur Hîc crocus antimonij cum ana nitri factus, est *verus crocus metallorum RULANDI*, ut alij dubitent, mitiùs operatur quàm vitrum antimonij, licet non destituatur sua malignitate. Citior & felicior est operatio. Si ℞ antimonij, nitri & tartari ana, sic *hepar antimonij* acquires optimum, propter tartarum, qui figit vim antimonij catharcticam. Quidam loco tartari vel nitri sumunt sal absinthij, ut MYNSICHTUS, sed frustra. BARTHOLETUS *Tract. de respiratione, mentionem facit croci antimonij sublimatione facti, qui moschi odorem referat & cum spiritu vini* radicaliter *solutus* ad scrup. j. propinatus *egregium fit purgans per inferiora*, sine ullius vomitionis metu. Nemo offendatur, quod BARTHOLETUS dixit, hunc crocum moschi referre odorem, Nam FINCKIUS in suo *Enchyridio Chymico* fecit flores antimonij similis odoris. Hinc *crocus metallorum si in infuso propinatur, vomitum ciet*, mitiùs tamen quàm vitrum ut tamen corrigatur, optimus est modus LOCALETI, qui recipit crocum, huic affundit spiritum vini, digerit aliquamdiu, & tandem deflagrat spiritum vini: Hæc sanè *correctio* est *optima*, nam in ea partes volatiliores croci insensibiliter dispergantur, & cum spiritu vini avolant, remanentibus fixioribus. *Vitrum & crocus antimonij sunt basis omnium infusorum vomitoriorum*, sive cum oxymellite, sive cum aliis instituatur. Hîc tamen *observandum, quod* dicit WALLÆUS, *in præscribendis infusis antimonialibus, non attendendum esse subjecti solvendi dosin*, prout ante dictum, *sed solventis seu liquoris, vis enim antimonij est inexhausta*. Pertinet huc *SAPA VOMITORIA* TILEMANNI & SYLVII: ℞ Succum cydoniorum vel mustum recens, infundunt hoc regulo vel vitro antimonij, post filtrationem inspissant ad consistentiam mellis, de quo ad grana aliquot cum successu exhibent. Aliàs *fusa antimoniata in oculorum affectibus sunt optima remedia*, verbi gratia, regulus aut crocus antimonij in aqua cyani, cichorij, euphras. dant opthalmicum optimum. Alij præferunt caput mortuum butyri antimonij pulverisatum, quod infundunt aqua aphthalmica, & adhibent feliciter. Quod attinet *REGULUM ANTIMONII miraculosissimum subjectum* à BASILIO VALENTINO dictus est. Ille *nihil aliud est quàm nobilior pars antimonij metallis cognata sive est Mercurius antimonij concentratus & collectus, ita tamen, ut adhuc sufficiente* suo

suo gaudeat sulphure, & cum iste Mercurius antimonij sit naturæ saturninæ, erit quasi imperfectum plumbum. Nam BASILIUS VALENTINUS cum sale Saturni (uti alibi dictum) parat ex regulo antimonij perfectum Saturnum. *Fundamentum præparationis reguli* consistit in hoc, ut sequestretur superfluum sulphur antimonij per addita alkalia, ut hoc separato, pars metallica Mercurialis possit congregari in unum concretum, nempè regulum. *Hoc* ceu dictum *fit per alkalia*, quæ intimè cum sulphuribus metallorum se conjungunt, (conveniunt, namque in radice cum sulphuribus) undè hæc saturata antimonij sulphure, alkali arripit sulphur antimonij, & mercurium ad fundum dimittit, & inde concrescit regulus. Lixivium illud præcipitari potest cum aceto in sulph. antimonij *Regulus antimonij* fit hoc modo: ℞. antimonij, nitri, tartari ana, detonentur simul in crucibulo, & in fundo coni fusorij se sistet regulus.

DETONATIO hæc est eadem actio ac est vis sclopetans pulveris pyrij. Nam ut in pulvere pyrio est nitrum, sulphur, & alkali carbonum, quæ conjuncta atque incensa, fragorem excitant, ita hîc habetur sulphur antimonij, nitrum, & alkali in sale tartari, quæ tria exhibent istam detonationem. Sub ista autem detonatione ingredientium reguli nitrum & tartarus comburuntur in *alkalia*, quæ *prout sunt acria corrodunt sulphur antimonij, quo absorpto regulus* præsens *in fundo coni fusorij se sistit. Scoriæ* quæ in suprema parte reperiuntur, *sunt nihil aliud quam alkalia sulphure antimonij tincta & saturata*.

Compendiosius quidam parant regulum, sumendo vel solum sal tartari, vel sal alkali, miscent cum antimonio, quæ in calcinatione rodunt antimonium pro separationis sulphuris antimonij. Verùm *hæc salia* sunt nimis caustica & corrosiva, & *nimis imbibunt de sulphure antimonij*, ut in præparatione reguli non tantùm omne absorbeant sulphur antimonij, sed & (nondum sc. saturata) ipsum quoque regulum suo spoliant sulphure, unde, ne hoc fiat, sunt qui addunt pulverem carbonum, ne salia nimis promptè arripiant sulphur, & ita *major acquiritur & efficacior reguli copia*, v. gr. ℞. *Antimonij* ℔iij. *salis tartari* ℔jß, *pulveris carbonum* ℥ivß. ex his more consueto præparatur regulus ponderosior & copiosior ob dictam rationem, utut hîc regulus sit feculentior & impurior reliquo communi modo præparato.

Dixi quod *alkalia rodant sulphur carbonum*. Hâc ratione notum fit, acquiri posse *SULPHUR CARBONUM inflammabile*, v gr. ℞. Carbones frustulatim concisi, fundantur cum sale tartari, postmodum dissolvantur in aqua, undè hoc alkali imbibit sulphur carbonum, quod beneficio aceti destillati præcipitatur ad fundum. Hoc *sulphur carbonum interdum acquiritur inflammabile, interdum minùs inflammabile. Ratio* est, quando sulphur carbonum cum aceto nimis acri præcipitatur, privatur inflammabilitate, quia nimis fixatur ejus volatilitas, sin verò acetum minùs acre adhibeatur, retinet inflammabilitatem suam. De regulo beneficio carbonum vide ZWOELFERUM, cujus *modus* est hic ℞. Antimonij pulverisati q. v. infunde in crucibulum cum justa pulveris carbonum quantitate, fundantur una, sic fiet, ut alkali carbonum rodat antimonium, suoque spoliet imbibendo sulphure, quo absorpto exoritur regulus in fundo, cujus scoriæ mistæ denuò cum pulvere carbonum exhibent regulum, sed quia istud alkali carbonum saturatum est quodammodo sulphure proprio, ideò non adeò promptè nec copiosè absorbet sulphur antimonij, unde copiosior quidē regulus, sed impurior & minùs defecatus acquiritur. *Alij præparant* regulum antimonij *cum pice vel colophonia*. ℞. Scilicet coloph. vel picis & antimonij ana, vel ut alij volunt antimonij p. iij. coloph. p. ij. fundantur in crucibulo, sic copiosus nitidus satis acquiritur regulus. Ratio est hæc, quia *in communibus reguli antimonij præparationibus pars sulphuris antimonij volatilior partem Mercurij antimonij simul absumit, & sic paucus acquiritur regulus*. In hac verò *pinguedo colophoniæ imbibit cognatum sibi sulphur antimonij*, undè fit, ut pars metallica antimonij in regulum secedat. Aliàs enim *solum antimonium probè calcinatum, & à sulphure separatum sine additione aliorum vi ignis abit in regulum*, sed uti dixi, antimonium debet esse probè calcinatum. Et hi sunt simplices reguli.

Sequuntur REGULI COMPOSITI cum aliis metallis, verbi gratia, *sunt reguli antimonij Martis, Jovis, Solis*. In cujuscunque præparatione quædam enchireses probè sunt notandæ, nempè in præparatione, reguli antimonij martialis observandum est, quòd *antimonium & Mars non possint benè simul fundi*, nam antimonium facillimè, Mars verò difficulter in igne funditur, quin potiùs diu satis candescit quàm funditur. *Ut autem regulus fiat legitimus, prius immittatur igni martis limatura* vel aliud corpus martis, hoc ad ℔j. vel uncias viij probè candefiat ad summum usque gradum, huic *tandem permisceatur antimonium pulverisatum* ad unc. XVI. vel XVIII. aliis tamen XII. *Hæc duo funduntur simul, ut habeant in unam massam igne aucto*. Ratio hujus conjunctionis est, quia sulph. martis cognatum est in radice cum sulphure antimonij, unde se uniunt, huic deinde massæ fluenti immittatur nitrum pulverisatum calefactum, (quod notandum) ad unc. IV. vel V. per vices injiciendum denuò, quando strepitus cessaverint, ita erumpente flammâ funditur massâ in regulum. Citò autem hæc massa effundenda in conum fusorium, aliàs scoriæ in densam abeunt crustam, quæ fusionem impedit. Hîc regulus non est probè purgatus, undè semel vel ter cum dicta nitri quantitate iterum est fundendus, ut fiat politus & elegans.

Pro regulo antimonij joviali ℞. *regulum antimonij, additur Jovis q. v. & fundatur in massam ferè argenteam*.

Pro regulo antimonij auri funde aurum cum sextuplo antimonij, sic regulus in fundo residebit.

Scoriæ quæ in reguli præparatione in superficie coni fusorij reperiuntur, *nihil aliud sunt quàm alkalia*, quæ absorpserunt sulphur antimonij. Jam *ut ex his scoriis separetur SULPHUR ANTIMONII necesse est, ut solutis scoriis in aqua, affundantur acida*, in specie acetum. Hoc tamen notandum, quòd *prima scoriarum solutio cum aceto præcipitata det sulphur obscuri coloris*, quòd purgat per *secessum*, & non sit inflammabile propter acida adjuncta. *Altera & sequentes præcipitationes exhibent sulphur magis fixum, & sicum spiritu vini deflagretur optimum diaphoreticum, vocatur sulphur antimonij auratum*. Huic scoriarum solutioni si affundas spiritum vitrioli, horrendum *excitabis fœtorem*, & sulphur acquires magis diaphoreticum, cum notum sit, quòd *acida corrigant vim antimonialium catharcticam*.

Solutio *scoriarum reguli* aliàs *lixivium* dictum, insigniter *prodest in mensium obstructione*, si suffitus formâ in genitalia excipiatur. Hinc *idem lixivium est egregium in lotionibus ulcerum cacoethicorum*, quæ purificat & sordes abstergit, unde commendatum sibi habeant Chyrurgi, nam *etiam in ea parte, ubi gangræna incipit affligere, mirè prodest*, si pars totaliter affecta immittitur semel vel bis tali lixivio, tunc extrahi dicunt materiam crassam, quâ extractâ, partem pristinam sanitatem recuperare. *In scabie ab acido* quoque *prodest*. Sed *notandum*, ne quid addatur acidi, aliàs cuti imprimet maculas flavas satis diuturnas? Sic quoque commendatur, *in clysteribus pro fecibus alvi emoliendis & reiiciendis* nec est infrequentis usus.

ANTIMONII DIAPHORETICI eadem est præparatio, quæ croci metallorum, funditur autem antimonium cum nitro, & figitur in medicamentum diaphoreticum

diaphoreticum. *Differentia* tamen est in eo; quod in præparatione croci metallorum sumatur anatica portio, in antimonij verò diaphoretici tripla nitri, & una pars antimonij, sic enim fit, ut figatur antimonium, unde amittit vim catharticam, & fit diaphoreticum. Massa fusa (processum vulgarem præsuppono) solvitur in aqua, in qua antimonium in forma pulveris fundum petit, nitrum verò aquæ permiscetur. Hoc *antimonium diaphoreticum* si steterit diu, & ultrà (ut dicunt) dimidium anni, attrahit ex aëre sulphur volatile, & fit emeticum. Hoc autem ne fiat, quædam observandæ sunt enchireses. (1.) Paratur antimonium diaphoreticum non tàm ex crudo quàm ex regulo antimonij, sic enim nunquam erit quòd timeas vomitus, sicque minus alterabitur ab aëre. (2.) Post paratum antimonium diaphoreticum probè eluendum est aquâ calidâ, ut omne nitrum separetur, postmodum affundas spiritum vini, quo cum digeras, & tandem super antimonium diaphoreticum deflagres, sic optimum habebis medicamentum.

Antimonium diaphoreticum ex regulo antimonij paratum alio nomine *dicitur CERVSSA antimonialis*, quæ præter vim diaphoreticam salivationem movere dicitur, quæ salivatio Mercurium assumtum aliàs subsequi solet.

Dum itaque calcinatur antimonium cum nitri triplo, tunc nitrum in igne deflagrando dimittit suum spiritum, undè *quidam præparant antimonium diaphoreticum in retorta tubulata*, in quam ingredientia cochleatim immittuntur: *Sic* enim candefactâ retortâ calcinatur, & *figitur* antimonium in diaphoreticum medicamentum; *& nitri spiritus capitur in receptaculo apposito, cum quo transit simul aliquid de sulphure antimonij*, ut fit spiritus clyssiformis. Massa exempta solvitur in aquâ eluitur ut supra, & servatur.

Nitrum ex aqua solutionis extractum dat NITRVM ANTIMONIATVM duplex: Nam maximâ pars abit in crystallos, in fundo autem remanet crassior materiâ; quæ est alkali, in medio medico foro parùm, in alchymico verò plus utilitatis ferens.

Vsus antimonij diaphoretici est insignis. *Dosis à gr. X. ad ℈j. vel drachmam ß.* Hinc *in malignis morbis, petechiis, item in febribus intermittentibus* plus confert quàm specificum febrifugum *STROBELBERGERI* aut *RIVERII*, imprimis cum sale ammoniaco si propinetur, unde cum acidum destruat, feliciter quoque in pleuritide, erysipelate, & morbis à grumoso sanguine ortis, item *in soda ructibusque* commodè adhibetur. Porrò *in scabie*, ut & *in lue Venerea* antimonium diaphoreticum non est contemnendum remedium, *nitrum* verò *antimoniatum*, de quo antea, *in febribus ardentibus tàm benignis, quàm malignis* in mensura cerevisiæ aut alius potus ad drachmam j. vel drachm. ij. per se verò ad scrup. j. non sine fructu adhibetur.

Unum adhuc moneo, quod *si lixivio, in quo soluta massa antimonij diaphoretici inspergas acetum præcipitabitur pulvis qui dicitur* MAGISTERIUM ANTIMONII, cujus dimidia dosis plus valet, quàm integra antimonij diaphoritici.

Ex regulo antimonij simplici cum aliis metallis variæ exsurgunt COMPOSITIONES, v. gr. regulus cum Jove dat ANTIHECTICUM *POTERII*. Proceditur legitimè hoc modo, (nam descriptio *POTERII* non procedit) ℞ Jovis partes V. reguli part. IV. fundantur in crucibulo, postea detonentur cum triplo nitri per integram horam, ut omne sulphur inflammabile separetur, fiatque album. Communiter cœrulescit, sed malè, hic enim color cœruleus oritur à sulphure Jovis nondum fixato, quod tamen levi enchiresi in igne separandum. Prodest in hectica, affectibus uteri, purpurâ, febribus ardentibus & malignis. Antihecticum interdum fit ex Marte, v. gr. ℞ limaturam Martis & regulum antimonij ad anaticam portionem, misceantur, hæc cum triplo nitri fundantur, calcinenturque per integram horam, tandem hæc solvantur in aqua communi, & pulvis antihecticus fundum petet, qui *valet in ictero, cachexia virginum & scabie.* Cremor ex hoc medicamento miscetur cum ana Mercurij sublimati, & fit liquor instar butyri antimonij. Caput mortuum hujus solvitur in aqua communi, fitque viridis & acidula, potestq; loco acidularum artificialium substitui, constat enim ex antimonio & sulphure à spiritu salis corrosis; undè viridis color à Marte, aciditas à spiritu salis, & optima sunt medicamenta.

Sequitur *Sublimatio antimonij* Sublimatur antimonium tum per se, tùm cum sale ammoniaco, seu in cucurbita cum multis alembicis si invicem applicatis, sive in cucurbita tubulata. Omne artificium consistit in legitimo ignis regimine, qui si debilior fuerit, non sublimantur flores, si intensior, funditur massa, quæ nil dat florum: Unde præstat per cucurbitam tubulatam, aut cum triplo arenæ miscere antimonium pulverisatum, sic enim sublimabuntur, *in summo flores albi*, qui admodum maligni, *in medio flavi, infima* alembici parte rubri, quæ sunt salubriores, quia fixiores. Hi flores cum sint partes volatiles antimonij, non sine noxa assumuntur, in specie flores albi, propterea corrigendi sunt per acida, uti alias corriguntur omnia salia volatilia.

Constant *flores antimonij* ex parte sulphurea, quæ secum extulit partem Mercurialem, parte salinâ alkalica in fundo relicta, unde cum sale tartari vel alio alkali fixo in pristinum antimonij corpus reduci possunt. Flores antimonij rubri per Sal ammoniacum singulari encheiresi sublimati sunt optimi in cachexia aliisque quam plurimis affectibus. *Dicuntur hi flores antimonij rubri tinctura antimonij sicca* qua feliciter fuit *D. GANTZLAND*. Apud *PARACELSVM* ejusque sectatores mentio fit *florum antimonij Cheiri*, à colore ita appellatorum, qui *nihil aliud sunt quàm flores ex antimonij regulo sæpius sublimati, atque ita fixati, ut in flavos & rubros abeant flores*. De quibus vide *BASILIVM VALENTINVM. Ex* hisce floribus rubris cum Sale ammoniaco sublimatis fit quoque tinctura illa antimonij Lilium antimonij dicta. De cujus virtutibus vide *PARACELSVM & HARTMANNVM*.

Ordine nunc proponemus DESTILLATA ANTIMONIALIA. *Destillatur* autem *antimonium vel per se, vel cum aliis*, ipsi loco vehiculi inservientibus. Per se destillatur minera antimonij nondum ignem experta ex Retorta in liquorem seu spiritum acidum, paucum, & vix consideratione dignum, utut in medicina perutilem. Vocatur aliis hic spiritus ACETUM ANTIMONII, *estque nihil aliud, quam spiritus sulphuris antimonij mineralis.* Dixi quod *ex minera antimonij nondum ignem experta destilletur hoc acetum antimonij.* In calcinatione enim hic perit spiritus acidus. *Semel destillatus hic spiritus nova iterum mineræ affundendus est*, digerendus aliquamdiu & denuò destillandus. *Sic copiosior & acidior acquiritur spiritus*, hocque repetendum, quamdiu placuerit. *Alij sine forti igne parant spiritum hunc*, dum mineram antimonij candefactam extinguunt in aqua, idque aliquoties repetunt, donec tandem exindè fiat aqua acidula, quæ dephlegmata spiritus antimonij exhibet parum.

Pertinet huc CLYSSUS ANTIMONII, dum nimirum *ex antimonij minera, Sulphure & nitro paratur* spiritus acidus, clyssus antimonij dictus, nam *ex minera antimonij cum vehiculo salino acetum copiosius elicitur.*

Vsus aceti antimonij est satis amplus. Commendatur *in febribus malignis ad æstum febrilem compescendum*,

dum, item *ad lumbricos enecandos*, sed tamen *loco me str... univer alis adhiberi nequit*, uti quidam volunt. Error exindè ortum traxit, quod putarint, antimonium esse omnium metallorum radicem, unde exinde menstruum universale elicere voluere, sed falso. Nihilominus *est optimum menstruum pro tinctura antimonij*, in specie ex vitro antimonij hyacinthino extrahenda. Nam canon Chimicorum dicit: quod menstruum cujusque proprium melius extrahat penetretque in sui substantiam, propter convenientiam in radice; & particularum menstrui cum porulis solvendis proportione.

Hæc fuit destillatio antimonij per se. *Cum aliis quoque destillatur antimonium*, nempe cum iis, quæ corpus antimonij corrodunt, resolvunt, & resolutum una dum per ignem ascendunt, secum rapiunt, & ita per Retortam antimonium vehitur. Modus communis est, quando saccharum additur, hoc enim sub destillatione dat spiritum acidum, qui rodit & secum vehit antimonium, unde oritur SPIRITUS antimonii SACCHARATUS.

Pertinet huc OLEUM antimonij MELLITUM, si antimonium miscetur cum melle & destillatur (quod noto) lento igne, alias enim mel ebullit, & cum impetu in receptaculum proruit, undè labor est frustraneus. *Usus horum est Chirurgicus, & externè in ulceribus carnem luxuriantem absumunt*. Vide plura apud *BASILIUM VALENTINUM* & *SCROEDERUM*.

Quidam antimonium pulverisatum cum pane mistum destillant per retortam, & SPIRITUM ANTIEPILEPTICUM acquirunt optimum. Ratio est, quia *panis dat spiritum acidum volatilem (hic spiritus acidus* præter alios usus Chymicos *promptè extrahit tincturam antimonij* quibusdam in secretis habitam) qui illud resolvit sub ignis tortura, secumque per retortam rapit.

Destillatur quoque antimonium cum additione salis communis aut aliorum ex sale communi præparatorum, v.gr. cum spiritu salis, aut Mercurio sublimato.

Destillata hæc per Mercurium sublimatum cum sint crassa & viscida, vocantur BUTYRUM ANTIMONII, item antimonii OLEUM GLACIALE, item SPUMA VENENATORUM DRACONUM, quo nomine antimonium & Mercurius sublimatus venire solent. Operatio est hæc: Antimonium & mercurius sublimatus anatica portione in lapideo mortario exactè misceatur & ex retorta ampli & longioris colli in arenæ primò igne mediocri destillentur, ut prodeat butyrum antimonij. Quod si fortè in collo retortæ concrescat, admodum cautè carbone liquefiat. Ubi autem omne butyrum exierit, augeatur ignis, deturque insuper ignis suppressorius, ut sublimetur, & in collo retortæ concrescat *cinnabaris antimonij*.

Fundamentum hujus operationis est hoc: Spiritus salis qui est in Mercurio sublimato (*constat* enim *Mercurius sublimatus è corpore Mercurij & spiritu salis, concentrato in Mercurio*) Ignis beneficio rodit partem mercurialem seu metallicam antimonij, & erosam secum rapit in receptaculum, & cum ea abit in liquorem crassum, odoris summè sulphurei, propter sulphur antimonij resolutum, qui liquor ob formæ convenientiam butyrum antimonij dicitur. Mercurius verò vivus sic à spiritu salis derelictus, partim in viva forma cum butyro antimonij prodit, partim conjungit se cum sulphure antimonij, & hæc duo abeunt in tertium compositum cinnabarim antimonio, à colore sic dictum.

Circa hanc tamen præparationem notandum (1) quod, si plus cinnabaris acquirere volumus quàm butyri antimonij, sumamus tunc duplum Mercurij sublimati ad unam antimonij partem, sin verò plus butyri cupiamus quàm cinnabaris, tunc anaticam portionem esse recipiendam. (2) Si fluidius butyrum antimonij volumus, massam compositam prius in cellam ad aliquot dies reponendam esse, ut species humectatæ butyrum liquidius exhibeant. (3) Mercurius sublimatus sit purus, non verò adulteratus arsenico. *Probatur* verò *hoc modo*: Mercurio sublimato affunde guttam unam vel alteram olei tartari per deliquium, si flavescit, est bonus, sin verò nigrescit, arsenico est adulteratus.

Quæritur, *cujus nam sit naturæ butyrum antimonij, an Mercurialis, an antimonialis?* *BILLICHIUS*, *ANGELUS SALA* aliique statuunt, quod sit *Mercurialis naturæ*, sed contra rationem, etenim (1) potest butyrum antimonij parari sine additione Mercurij sublimati, v.gr. si loco Mercurij recipiatur spiritus salis, & hoc imbibatur pulvis antimonij, vel si antimonium misceatur cum nitro & vitriolo, adjecto pulvere laterino, & destilletur, tunc spiritus salis communis in ignis tortura suscitatus rodit antimonij corpus in liquorem crassum, nempe butyrum antimonij. 2. *Mercurius vitæ* qui est productum butyri antimonij *in crucibulo fusus, abit in antiquum corpus antimoniale*.

Est itaque *butyrum antimonij nihil aliud, quam regulus antimonij à spiritu salino in liquorem crassiusculum corrosus*. Cur verò spiritus salis relinquat corpus mercuriale, & se conjungat cum antimonio, ratio est, quia *mineralia se libentius cum metallis conjungunt*. Cum ergò antimonium sit corpus semimetallicum, acida mineralia malunt ejus connubium quàm mercurij, quem relinquunt.

Ex præparatis quoque antimonialibus *parari potest butyrum antimonij*, nempe *ex regulo, ex vitro, ut & ex antimonio diaphoretico*, hac tamen cum differentia, quod si ex regulo antimonij cum Mercurio sublimato destilles butyrum antimonij, cinnabarim quoque elicere possis, si verò vitrum antimonij aut antimonium diaphoreticum cum Mercurio sublimato destilles, habebis quidem butyrum antimonij, sed nullam cinnabarim, quoniam in præparatione antimonij diaphoretici per detonationem, in præparatione vitri antimonij per calcinationem, sulphur omne deflagraverit, ut cum Mercurio in cinnabarim coire nequeat.

Usus butyri antimonij tum Chirurgicus, tum Medicus est, sive tam internus quàm externus. *Externè* commodissimè *adhibetur pro fonticulis excitandis*, si calamus scriptorius applicetur cuti, eidemque immittatur butyrum antimonij, & calamus ita commodè convenienterque dirigetur, sic enim fit, ut sensim sensimque subjectam cutim & carnem corrodat butyrum antimonij, & in fonticulum transmutet, qui postmodum lege artis tractandus. *In gangrena vel potius sphacelo laudandum præstat effectum*, pars quippe mortua butyro hoc illita, spontè sua à viva secedit, quo facto, locus affectus sulphure inungendus, aliaque ulcus purificantia adhibenda. *In bubone pestilentiali* in corporibus durioribus adhibitum mirum præstat auxilium. Illinitur summitati bubonis, unde fit eschara, facile postmodum aperienda & convenientibus tractanda remediis. In delicatis verò subjectis buboni applicatur magnes arsenicalis, exque eo *emplastrum arsenicale*, aperitur inducta eschara, & consolidatur.

Componitur autem *magnes arsenicalis* ex ana antimonij, sulphuris & arsenici in igne arenæ in crucibulo fusis, hæc optime uniuntur in magnetem arsenicalem causticum, qui quoque *amuleti instar in morbis malignis ipsaque peste adhibetur*.

Porrò commodissimè *butyrum antimonij applicatur abscessibus & ulceribus desperatis, putridis, & ubi jam imminet gangræna. Internè vix adhibetur butyrum antimonij, ob vim corrosivam ex adjunctis salibus acidis dependentem*. Nihilominus fuit quidam, qui in quartana ad gutt. ij. cum successu adhibuit. Factum enim

enim est, ut quartanarius ter vel quater purgaretur, hoc notato, propinavit gutt. V. & purgatus probeque sudans convaluit. Hoc mirandum sane, quod *butyrum antimonij internè exhibitum non moveat vomitus. Ratio* forsan est, quod acida in butyro coerceant vim volatilem, constat enim butyrum antimonij ex antimonij regulo & spiritu salis concentrato.

Dictum supra de præparatione antimonij, spiritum salis, qui est in Mercurio sublimato, cum parte Mercuriali in butyrum abire, mercurium verò cum sulphure antimonij in collo retortæ concrescere in cinnabarim. CINNABARIS *hæc* ANTIMONII *pro usu Medico aliquoties est sublimanda*, ut perfectè rubescat, ad *omnes sordes superfluumque de se deponat Mercurium*. Depurata ita cinnabaris antimonij est *remedium polychreston*, unde constituit basin *specifici cephalici* D. *MICHAELIS* Lipsiensis vel pulveris cephalici *HARTMANNI*. Nam *in hoc specifico cephalico omnis energia dependet à cinnabari addita*, magisteria nihil operantur, fecula adjecta ridenda, sed omnis à cinnabari efficacia.

Est hæc Cinnabaris singulare remedium pro partibus spermaticis seu nervosis, undè in *affectibus convulsivis* non habet sibi par remedium. Nam utut de morbis convulsivis à plerisque Practicis altum sit silentium, tamen sunt frequentissimi, *omnes enim dolores colici, nephritici, abdominis, sunt affectus convulsivi*, de quibus legatur *VVILLISIVS*, quorum *cura ex solis cinnabarinis petenda est remediis*. Quapropter etiam *CRATO*, felicissimus ille trium Imperatorum Medicus, suo jam tempore vocavit cinnabarim nativam MAGNETEM EPILEPSIÆ, quod elogium meliori jure cinnabari antimonij debetur, quia est nobilior. Unde *in tremore aliisque artuum affectibus optimum est remedium*. Sic quoque *illis qui in mineris & metallis laborant, morbosque incurrunt nervosarum partium, contracturas, convulsiones, tremores, vix potest melior exhiberi medicina*, quam ex cinnabari antimonij depurata. Porrò *in morbis malignis, in febribus malignis, ipsaque peste, non est contemnendum remedium. Potest* est suum *sudoriferum antipestilentiale*. à scrup. ß. ad scrup. j. exhibendum, quod per sudorem restituit ægros. Unde hoc medicamentum *in febribus malignis* tam adultorum quam infantum, in variolis cum Epilepsia, & ubi jam ægri delirant, adjunctis salibus volatilibus in specie C. C. aut succini, optato cum successu exhibuit, & præsentaneum promittit auxilium. In affectibus senum catarrhalibus capitis aliarumque partium, si ℞ partes duæ salis volatilis succini cum parte j. cinnabaris antimonij, mista exhibeantur, optatus inde sequitur effectus. Gravidis terrore affectis, unde frequentissimè oriuntur ab ortus, item morbis malignis laborantibus non tam ut curentur ipsæ, quàm ut fœtus præservetur ab Epilepsia, exhibetur. In lucem postea editum sæpius affligente, magni usus erit medicamentum exhibitum cinnabarinum.

Erysipelas capitis affectus periculosissimus, hujus enim levissimus error est lethalis, *in hac cinnabari antimonij, provocato cum salibus sudore; perfectam sui invenit curationem*. Id quod etiam verum est de *scabie maligna & lue venerea, imprimis verò scabie maligna*, quam provocato sudore *cinnabaris antimonij feliciter eradicat* Dolor vagus articulorum ex scorbuto ortus optimè curatur per cinnabarim antimonij. Hystericæ passioni aliisque doloribus abdominis atque nephriticis (qui sunt affectus convulsivi) vel sola, vel opiatis vel camphoratis mixta optato sucurrunt successu, imprimis in adultis, in infantibus non æque tutò exhibetur.

Depuratur autem optimè à Mercurio vivo beneficio alkalium, unde *si cinnabarim antimonij ebullire sinas in lixivio alkalico*, v. gr. lixivio saponis, lixivio salis tartari, tunc alkali arripit sulphur antimonij, & mercurium ad fundum dimittit; Sulphur illud antimonij postea cum aceto præcipitari potest. Ex butyro antimonij quoque præparatur pro usu interno tum *mercurius vitæ* tum & *Bezoardicum minerale*. Paratur BEZOARDICUM MINERALE communiter, si butyro antimonij affundas spiritum nitri, unde effervescentia & pulveris flavi ad fundum præcipitatio, à quo ter abstrahendus spiritus nitri, sicque remanet pulvis fixus, super quem spiritus vini deflagrandus. Si recipias spiritum nitri optime rectificatum, ita ut citra præcipitationem cum butyro antimonij sese jungat, tunc unica abstractio sufficere poterit. Nonnulli bezoardicum hoc minerale igniunt, ut omnis evanescat spiritus nitri; verum non opus est, tantillum enim spiritus acidi non nocebit sed potius proderit in morbis malignis. Spiritus nitri abstractus, cum Spiritu Salis in butyro antimonij existente unitus dicitur SPIRITUS NITRI BEZOARDICUS: habetur vulgo pro aqua forti, sed malè.

Brevius *minorique cum apparatu bezoardicum minerale* componi potest ex croco metallorum per tartarum cum nitro, calcinatione, in furno anemio igne forti. Sic quoque *si à croco metallorum sexties spiritus nitri forti igne abstrahitur, fit bezoardicum conveniens*. Et hoc est bezoardicum minerale simplex. Sunt & *composita*, quæ aliorum metallorum additione fiunt, in specie solis, lunæ, martis, Jovis, quorum compositiones videri possunt apud *CROLLIVM BEGVINVM*.

In compositione BEZOARDICI SOLARIS & LUNARIS notandum, ut ℞ sol & luna ab omni venere libera, nam si aurum adhuc participat de venere, bezoardicum non erit perfectè diaphoreticum, sed propter admixtam venerem excitabit vomitum, saporemque habebit vitriolicum.

BEZOARDICUM MARTIALE fit ex regulo martis & antimonij optimè: dum mars funditur, additur antimonium & secundum artem in funduntur regulum, qui cum mercurio sublimato destillatus, dat butyrum antimonij Martiale, quod cum spiritu nitri mistum, dabit pulverem rubeum, bezoardicum antimonij Martiale dictum.

Bezoardicum Jovis paratur ex butyro antimonij Joviali (quod fit ex regulo antimonij Joviali cum Mercurio sublimato,) miscendo cum spiritu nitri. Melius fit, si ℞ Jovis unciæ iiij, misceantur cum Mercurij sublimati unciis IV. indeque butyrum eliciatur. Hoc cum spiritu nitri fixatum dat bezoardicum Joviale, singularissimum in affectibus mulierum. In *passione hysterica*, in *purpura puerperarum*, in *affectibus mammarum* exterioribus *ex terrore* ortis, in *tumoribus earum*, item *ad impediendam lactis coagulationem*, item *ubi post hæmorrhagiam* narium copiosam *hydrops* aut *cachexia* metuitur, Bezoardicum antimonij Joviale laudandum est remedium. Bezoardicum Martiale optimum est in *hydrope*, *cachexia* indeque orta *scabie*, item in *diarrhæa* & *dysenteria epidemica*, quam sistit feliciter. Bezoardicum simplex est optimum remedium sudoriferum in *morbis malignis*, *peste*, *scabie maligna*. In nuperrima *peste Neapolitano* Bezoardicum minerale multorum cum commodo fuit administratum. *Dosis* à gutt. vj. ad viij. Quæ de Mercurio vitæ dicenda restant vid. c. de Mercurio.

CAP. IV.

DE EXTRACTIS ANTIMONIALIBVS.

POst *destillata antimonialia* sequuntur nunc *Extracta antimonialia*, quæ *extractiones* instituuntur; plerumque eum in finem, ut eliciatur SULPHUR ANTIMONII, quod quodammodo exaltatum & cum menstruo unitum, dat tincturam antimonij, quæ primarius est finis omnium extractionum antimonialium. Sulphur enim nobilitat non tam cinnabarim antimonij; sed ex ejusdem Tincturas. *Tales autem separationes atque extractiones sulphuris antimonialis* fiunt vario modo, communiter per alkalia nempe antimonium crudum seu ejus regulus vel crocus metallorum, aut similia coquuntur in lixivio acri, quod plerunque conficitur ex sale tartari, & calce viva vel cineribus clavellatis. Hoc in extractionis actu fit, ut alkalia extrahant sulphur antimonij, quod cum iisdem dat extractum rubicundum. Secus atque fieri videmus in præparatione reguli antimonij, qui beneficio calcinationis dat scorias, exque his exhibet mediante præcipitatione cum acidis, (in specie cum aceto destillato) sulphur antimoniale solare, colore rubicundi. In ebullitione Antimonij cum alkalibus fit, ut rodant alkalia antimonium, ejusque eliciant sulphur, partim, quia ipsa alkalia in radice conveniunt cum sulphure antimonij, partim, quia in sulphure antimonij latet occultum acidum, quo cum se conjungunt alkalia, sulphurque extrahunt, unde postmodum ubi acetum destillatum instillatur, hoc se combinat cum alkalibus, & sulphur antimonij fundum petit. Ex eodem fundamento ex scoriis reguli antimonij fit Sulphur auratum antimonij, de quo supra in præparatione reguli antimonij. *Hæc sulphura per alkalia extracta* non sunt pura & antimonij sola, utut extracta sulphuris antimonij per acida mihi magis arrideant, sed partim sunt mista cum particulis reguli antimonij solutis, partim cum salibus lixivij, partim cum sale acido menstrui præcipitantis. Hoc *probatur exindè* (1.) quia ex sulphure hoc, mediante fusione cum borrace, possit acquiri pristinum antimonij corpus in forma reguli. (2.) Cum sulphur antimonij sit diaphoreticum, hoc verò per alkalia paratum vomitus moveat, qui omnino partibus regulinis erunt adscribendi. (3.) Omni sulphuri competit inflammabilitas, qua cum hoc destituatur, manifestum est adjuncta sibi salia habere. Sic sulphur commune in se est inflammabile, quando verò resolvitur in alkalici liquore, & cum acido præcipitatur in lac sulphuris, tunc amittit suam inflammabilitatem, propter salia nimirum adjuncta, ejus volatilitatem figentia, ejusque inflammabilitatem immutantia. *Dum paratur regulus antimonij*, facillimo labore & una opera etiam præparari potest TARTARUS TARTARISATUS ANTIMONIATUS, si scilicet solvantur reguli scoriæ (quæ constant ex salibus alkalibus & sulphure antimonij) in aqua simplici calida, & loco aceti cum cremore tartari præcipitetur sulphur antimonij, tunc liquor inspissatus abit in crystallos, qui vocantur vulgo *tartarus tartarisatus*. Crystalli hi constant ex acido cremoris tartari, qui imbibit salia acida ex scoriis reguli antimonij, ex parte antimonij non exactè præcipitata.

Vsus hujus insignis est in febribus intermittentibus, si præmissis præmittendis ante paroxysmum exhibeatur *Dosi* à gr. XV. ad XXIV. Has scorias reguli antimonij non præcipitat *STARCKIVS*, sed alcalisat cum alcalibus volatilisatis, sicque acquirit sulphur antimonij exaltatum magnarum virium. Notum, quantæ sint existimationis salia fixa volatilisata.

Ex cinnabari antimonij purius acquiritur sulphur (utut non separasse præstat) *vel per alkalia*, *vel per limaturam Martis*. *Per alkalia* elicitur sulphur, si cinnabaris antimonij in lixivio acri ad aliquot horas ebulliat, sic enim fit, ut alkalia absorbeant sulphur antimonij, unde Mercurius ad fundum secedit, vel inspersо aceto facile præcipitatur ad fundum in forma grumorum.

POPPIVS novus scriptor quidam Chimicus *sulphuri antimonij præcipitato affundit spiritum vini rectificatissimum digerit, & per retortam destillat, sic acquirit primò spiritum vini menstruum affusum, postmodum oleum rubicundum saporis dulcis, magnarum virium, & majorum, quàm cinnabaris antimonij*. An procedat experientia, nondum probatum habeo.

Per limaturam Martis separatur sulphur antimonij (ut supra innuimus) si ℞ cinnabaris antimonij p. ij. limaturæ Martis p j. mista in retorta destillantur, prodibit Mercurius vivus, & remanet sulphur, junctum cum limatura Martis. Hoc quod relinquitur caput mortuum subigendum est cum sale ammoniaco, inque flores sublimandum, tunc enim sulphur antimonij cum sale ammoniaco simul ascendit in flores, qui solvendi in aqua, & præcipitandi cum aceto destillato, sic sulphur ad fundum secedet. hæc de sulphuris antimonialibus.

Quod attinet TINCTURAS ANTIMONIALES, *componuntur illæ* hunc in finem *ut sulphur antimonij fixius eliciatur*, (illud nempe quod est naturæ solaris, & à quo virtutes in medicum usum proveniunt) *&* cum conveniente menstruo conjunctum seu unitum, *sub tinctura forma promptius in corpus nostrum agere queat*. Sed veram hic & genuinam intelligo tincturam antimonij, *cujus labor si successerit, unus est ex optimis totius artis spagyricæ laboribus*, de qua tinctura refertur, quod ejus uncia ß. Lunæ uncia xx debeat tingere in aurum, quia sulphur antimonij dicitur participare de natura solis. *Ex genuina illa tinctura antimonij BASILIVS VALENTINVS parat suum* LAPIDEM IGNIS ANTIMONII *qui nihil est aliud quàm tinctura antimonij per retortam destillata & probè fixata*. Hic lapis ignis *BASILII VALENTINI* particularis (ad differentiam universalis Philosophorum) *Lunam in Solem mutat, reliquis omnibus metallorum corporibus relictis, & quidem quinque partes tingere dicitur*. Videatur *AVTHOR*, cui meritò tanquam fide dignissimo hisce in rebus fidem habendam censeo, veraque quæ de lapide ignis asserit esse crediderim. *Consistit* autem tincturæ antimonialis præparatio in duobus: (1.) ut fiat per decentem sulphuris solaris extractionem, & (2.) per extracti exaltationem debitam. Illa ut plurimum fit per menstrua acida, in specie per acetum destillatum, per spiritum virid. æris spiritum panis &c. Hæc extractio scilicet instituitur beneficio digestionis cum spiritu vini & subsequentis artificiosæ destillationis. Sic *extrahitur tinctura* antimonij vulgariter per acida, hæc fingunt sulphur antimonij, ut vim emeticam penitus amittat, cicuratur enim hoc modo ejus violentia emetica, quam optimè, ut fiat jucundum sudoriferum. Et si cum spiritu vini postea ad tempus digeratur, per inferiora purgabit, si verò cum spiritu vini prius exaltetur antimonialis sulphuris vis, digerendo virtus ejus emetica (quæ in volatilitate consistit)

consistit) potius exaltatur magis quam ut figatur & sudorem moveat.

Tinctura antimonij paranda præ reliquis inservit vitrum antimonij, à quo sulphur maxima ex parte evolavit, & tandem sulphur solare antimonij relictum commodissimè est extraversum, unde etiam colorem acquirit hyacinthinum. Hanc ob causam etiam *BASILIVS VALENTINVS vitrum antimonij pro sua Tinctura eligit, item pro parando suo artificiosissimo lapide ignis.* Sic & *HELVETIVS* qui quoque de virtute solis tractatum scripsit *ex vitris metallorum solet parare suas tincturas*, quas habet experientissimas; sed menstruum silentio involvit, putarem tamen, quod ex *spiritu veneris* ex crystallis procedat.

Meritò miratur *VVILLIS de fermentatione* concretum antimoniale analogum, dum ejus *partes aliquę sint adeo faciles extractu*, ut *fiant ex antimonio Tincturæ cum oleo terebinthinę, item cum oleo lini, è contra quadam sint adeo fixę, ut nec ab aqua forti solvantur*, ut opus habeamus aqua regis. Dicta hæc ad scopum nostrum collimant. *Tincturæ istæ vulgares sunt tantummodo artificiales, nihilque aliud quàm corrosiones superficiales totius corporis in partes minutissimas, & proinde exiguæ æstimationis.* Contra verò *legitimæ tincturæ nihil alind sunt quam portio aliqua substantiæ propriæ corporis idoneo menstruo extracta, cum concentratione coloris & virtutis.* In specie tincturæ metallorum, in quibus ipsum metalli sulphur essentiale idoneo menstruo solutum, à sublimioribus desideratur Chimicis, multumque effectus pollicentur. Tincturæ istæ *per olea destillata* v.gr.terebinthinæ *non sunt genuinæ, in sulphur enim antimonij fixum non agunt oleosa, sed salia*, quæ solem resolvunt. Vide *BASILIVM VALENTINVM* de tinctura sua antimonij, in cujus tamen descriptione singula probè attendenda, quia singularem quoque continent enchiresin. *PARACELSVS habet præparationem antimonij*, & quicertum modum *ejus flores fixandi, quibus fixatis extrahit tincturam*, sed autores in diversas abeunt sententias occulta namque est, uti quam plurimi *PARACELSI* arcana. Loco talis tincturæ sublimioris adhibendæ sunt communiores, quæ utut ignobilioris & non genuinæ, tamen non contemnendæ. Inter has est TINCTURA ANTIMONII TARTARISATI, *ex antimonio cum ana tartari calcinato, ita ut fluant in crucibulo* continuò autem calcinandum; *donec mistura exactè flavescat*, hæc postea eximenda & aqua calida solvenda, pulvis relictus cum spiritu vini extrahendus, & tinctura ad debitam consistentiam inspissanda. Prodest insigniter in *morbis chronicis*, in *cachexia*, in *febribus intermittentibus*, in *scabie*, *morbis cutaneis*, in *mensibus remoratis* & aliis fœminarum affectibus, *purificat sanguinem*, & sordes in Massa sanguinis præcipitat, easque per urinam educit.

Vulgò parant TINCTURAM EX SCORIIS *reguli antimonij*, quas contundunt & *cum spiritu vini rectificato extrahunt* mediante digestione, sed hæc tinctura potius est salium quam antimonij. Nam spiritus vini infusus super salia alkalia, promte se tingit colore rubro, quem habet solum ex digestione, ceu videre est in præparatione tincturæ tartari, unde parum de antimonio participat Omnium optima est, quæ cum spiritu vini & aceto paratur, & rectè dicit de hac *FREITAGIVS*, quod qui eam habeat legitimam, aliis non opus habeat.

SECTIO IV. DE MERCVRIO HUICQUE ANALOGIS CORPORIBVS.

CAP. I. DE MERCVRIO TERTIO PARACELSISTARVM PRINCIPIO.

IN genere notum est, quod *vox Mercurij sit ex tribus Paracelsistarum principiis desumta*, nihilominus tamen, ut in aliis seu reliquis principiis ingens est confusio, ita in mercuriali principio non minus est litigium, adeò, ut ipsi vix intelligant quid per mercurium intelligendum sit. Nam *in vegetabilibus phlegmata facili igne separabilia, in animalibus partes spirituosas salibus contradistinctas, in mineralibus, quod liquabilitatem, fusibilitatem, malleabilitatem iis largitur, pro principio mercuriali agnoverunt. In genere principium mercuriale est, quod concretis dat volatilitatem & facile alterabilitatem*, atque ex uno materiæ modo in alium transmutationem. v. gr. è duro in liquidum. Hæc est generalis mercurij acceptio, cum verò confusum adeo atque intricatum aut planè nullum sit principium mercuriale, operæ non videtur esse pretium, in extricando eo frustra tempus consumere, sed progressum potius facturi sumus ad tractationem de mercurio vivo seu argento vivo.

CAP. II.

DE
MERCURIO VULGARI.
SEU
ARGENTO VIVO.

MERCURIUS *Argentum vocatur*, tum ob colorem, tum, quia (ut quidam dicunt) luna est mercurius fixatus, & mercurius est Luna liquida, quod tamen alij de Saturno intellectum volunt, dicentes, quod *Saturnus* sit *mercurius fixatus*, & *mercurius* sit *Saturnus* solutus seu *liquidus*.

Vivum vocatur, ob mobilitatem, fluiditatem, & summam volatilitatem. Aliàs *triplex datur* mercurius. Primò *mercurius vulgi*. (2.) *Mercurius corporum*. (3.) *Mercurius Philosophorum*. Mercurius vulgi cognitus est & notus. MERCURIUS verò CORPORUM *est* nihil aliud, quam *mercurius ex metallis* perfectis & semimetallis (quale est antimonium) productus. Ingens lis est, imprimis inter non adeo peritos, *num ex metallis* perfectis elaborari possit mercurius vivus currens? Quidam *negant*, quidam *affirmant*. Illa sententia communior, hæc scilicet *affirmativa verior*, & veritati magis consentanea. *Certum* namque *est*, *dari mercurium vivum ex metallis extractum*, & ipse vidi ejusmodi mercurium vivum ex Luna extractum. *Dn. BOYLE* fatetur, se ex nullo metallo facilius acquirere posse mercurium quàm ex Luna. Major adhuc controversia est, *an mercurius hic corporum eliciatur ut pars componens atque constituens concretum*, *an verò ut novum productum artis beneficio generatum*. Prius *HELMONTIANI* credunt, statuentes, sulphur metallorum coërcere tamdiu mercurium, donec eo separato mercurius vivus prodeat. Sed hoc minus videtur verisimile, potius *artificialiter producitur* per varias artis præparationes.

MERCURIUS PHILOSOPHORUM est decantatissima illa materia pro lapide Philosophorum, cujus veritatem præsuppono. Hic mercurius Philosophorum ex nullo perfecto metallo elaboratur, sed proximè ex ente metallorum primo, seu ex radice metallorum producitur, ibique quærendus. Utut Philosophi dicant, materiam lapidis hujus esse ubique, latere in stabulis, quemlibet secum portare, hæc tamen *non de materia lapidis proxima sunt intelligenda*, *sed remota*, spiritu nempe mundi, hic enim in potentia remota consistit, dum metallicum semen disponit ad perfectionem metalli, & tunc est in potentia proxima.

Quod attinet MERCURIUM VULGI, hic nihil aliud est quam *liquor metallicus saturninus solaris*. Sed controvertitur, *cujusnam sit naturæ?* in specie, *an sit corpus simplex indivisibile & indestructibile an verò sit hæterogeneus exque distinctis particulis constet*, *in quas resolvi possit*. Prius affirmant Helmontiani ex tractatu ejusdem, Tria principia chimicorum dicto. Verum si cum hoc asserto conferamus, quæ *dicit BECCHERUS*, longè aliud apparebit, hic enim inquit, *quod omnis mercurius sit amalgama seu compositum corpus metallicum tam perfectum quam imperfectum resolutum à fumo subterraneo*, *undè mercurius vivus*. Et *hoc ejus assertum est valde probabile*, quo collimat vulgi probatio, an mercurius ut purus nec ne: *Dum enim mercurium effumare sinunt in cochleari*, *si relinquat obscuram maculam*, *dicunt mercurium participare de saturno*, *si flavam de auro*, *si albam de luna*. *Alias dicitur* SERVUS FUGITIVUS, propter ejus volatilitatem, *semper enim ignem expertus avolat*, *etiam si centies figas*. Interdum quidem ad tempus fixus manet, sed facile resuscitari potest. Distinguendum tamen est inter mercurium fixatum & coagulatum. *Mercurius fixatus est*, *qui constans permanet in igne*, ut instar metalli fundi queat & tractari. Mercurius coagulatus est, qui coagulatur in corpus duriusculum, quodammodo malleabile & non amplius apparet in forma fluida. Illum soli possident Adepti: Hic verò parari facile potest, nempe *coagulatur mercurius cum fumo saturni*, *v. gr.* ℞ saturnus, fundatur in crucibulo, postmodum reponatur in loco frigido, ut parum frigefiat sublata crusta huic imprimunt in medio foramen, cui immittitur mercurius, qui mox in substantiam coagulatur consistentem. Ast *hic mercurius coagulatus nihil aliud est quàm concretum mercuriale saturninum*, quia particulæ mercurij sese insinuant in saturni corpus, & fit tale concretum, idem præstat stannum, quanquam cum plumbo felicius procedat operatio. Alij recipiunt ovum, effuso albumine immittunt mercurium, obturant foraminulum, & huic ovo affundunt liquefactum saturnum, & hoc modo coagulatur mercurius. *Perfectè quidem figi nequit*, *nisi cum sulphure metallico fixo*. *Talem mercurium fixatum qui possident*, *vocantur ADEPTI*, cum habeant, quo se ad mortem usque lautissime sustentent. *Sæpè quidem eò usque figitur ut ignis examen sustineat*, *& in eo aliquantulum persistat*, tamen sæpius etiam avolat, & si non avolat, *resuscitari tamen potest in pristinam formam per alkalia vel etiam per limaturam martis*, nempe cum mercurius per acida coaguletur, reducitur, beneficio destillationis per retortam, per alkalia, item limaturam martis, quæ absorbent & destruunt acida, quibus separatis, mercurius, vivus apparet.

Eruitur mercurius vivus nunc in forma viva, in specie, *in Carinthia*. Mercurius fluidus reperitur, *dicitur* alias MERCURIUS VIRGINEUS, *quia nondum sulphure ab igne spoliatus est*: *Nunc & sæpius ex terra minerali*, (quam cinnabarim vocant) vi ignis evocatur, destillando scilicet additis alcalibus, *cinnabaris* enim *ex sulphure communi & Mercurio vivo componitur*, unde si adduntur alkalia, absorpto acido sulphuris mercurius vivit. Hic notandum, quod *fossores cinnabaris fiant plerumque tremuli propter mercurium*, *unde si contingant manu vas aliquod aureum*, *statim albescit*, hoc tamen mirandum, quod *non coquerantur de salivatione*, quæ alias assumta Mercurialia subsequi solet.

Magna mercurio cum metallis intercedit AMICITIA, maxima cum sole, minima cum marte. Talis est amicitia cum sole, ut licet sit metallum compactissimum & fixissimum, Mercurius mollissimus illud tamen subitò penetret & albefaciat, ita ut quasi calcinatum appareat. Aurum hoc modo à mercurio calcinatum dicitur AMALGAMA SOLIS, seu aurum à mercurio penetratum. Talia amalgamata fiunt ex omnibus metallis, hinc *BECCHERUS* dicit: *Metalla omnia nihil aliud sunt quàm talia amalgamata*, *resoluta à fumo terrestri*, *unde amalgamata talia non sunt tractanda in metallis cochlearibus*, quia mercurius se conjungit cum metallis, facilius cum hoc difficilius cum illo. *Mercurius* hic vulgò *variat ratione puritatis & alterationis*. USUS *ejus est* magnus & perfectus *in mundificatione sanguinis*, *in lue venerea*, *in scabie*, *aliisque affectibus cutaneis*, *in vermibus &c.*

In

In mercurio perfecta est *cura luis venereæ*, sive forma suffitus, sive forma linimenti, sive forma pulveris adhibeatur. Id tamen habet incommodi, quod semper SALIVATIONEM admodum molestam, nonnunquam etiam paralysin, tremorem artuum, dentium vacillationem inducat. Salivationem movet mercurius ob malignitatem arsenicalem; *Mercurius* enim *vulgi adjunctum habet Sulphur* peregrinum *volatile de natura arsenicali*, à quo exoritur salivatio, quatenus sua volatili penetrantia resolvit tam utiles quam inutiles humores, eosque subtilisatos per glandulas maxillares exterminat. Ab hoc sulphure, fit ut mercurius in igne abeat per se in pulverem rubicundum. Quod verò virus ejusmodi sit in Mercurio vulgi, exinde patet; quia *Mercurius ex corporibus metallicis extractus non inducit salivationem*, sed citra noxam adhiberi potest. Symptomata talia ab usu mercurii oriunda, curat *ZACUTUS LUSITANUS* cum unguento ex auro, quod applicatum vagabundum extrahit ex corpore mercurium, & hôc sublatô homo sanitati restituitur. Idem etiam præstat nummus aureus in ore detentus, qui ex tempore dealbatur. Sic *RIVERIUS* in dolore capitis gravissimo ex mercurii noxa oborto, aureum applicavit nummum, eumque curavit. Notum est quoque, quod in *scabie similibusque affectibus cutis tàm in forma linimenti, quam cinguli utilissimè adhibeatur*, *sed cautè hæc usurpanda*, ne præter hæc jam adducta symptomata (1.) cutis corrugationem inducat, (2.) vacillare faciat dentes. Præterea *vermibus maxime adversatur mercurius*, undè AQUA HERMETICA *AUGENII* valdopere in vermibus conducit. *SCROEDERUS* dicit mercurium *posse redigi in pulverem cum succo* aliquo *vegetabili*, qui nullus alius est quàm *saccharum*, qui *mercurium redigit in pulverem*, quod *certum est remedium in vermibus*. Mercurius enim per se *est innocuus*, adeò ut ad ℔j sine nota assumtus fuerit; si verò noceat alicui, fit ob adjuncta salia corrosiva, quibus cum præparatur, aut propter sulphur peregrinum de natura arsenicali. *Scorbutici caveant sibi à mercurialibus medicamentis*, cum enim mercurius per se infestus sit gingivis, & eæ in scorbuto sint corrosæ, propterea facilè malum exasperabitur, & ulcera maligna & cancrosa inducet. Mercurius utut in se ex sua natura sit maxime homogeneus, est tamen non omnino indivisibilis, *varias* tamen *atque diversas artis ope induit larvas*, *non* quidem quod *per se ex mercurio spiritus, oleum & sulphur elici possint*, id enim qui tentant, non immeritò Sophistæ *HELMONTIO* dicuntur, sed quod *aliorum additione in varias formas transmutari possit*, quibus tamen *per addita alkalia* in totum spoliatur, ut *redivivus iterum emergat*. Ut verò PRÆPARATIONES MERCURIALES in scenam redigamus, notandum:

Præparata mercurialia esse vel
- *sicca*, quæ iterum sunt vel
  - *præcipitata*, vel
    1. *per se* / *per additionem aliorum* salium nempe acidorum.
    2. *simplicia* / cum metallis *composita*.
  - *Sublimata*. Sublimatur autem mercurius vel
    - *Cum salibus*, quando cum his in concreta varia convertitur, v. gr. cum vitriolo, nitro, & sale communi fit mercur. sublimatus, sic aliter quoque fit mercur. dulcis.
    - *Cum sulphure*, sic enim ex sulphure & mercurio fit cinnabaris.
- *fluida*, & fiunt vel
  - per deliquium
  - per resolutionem.

In genere in horum *præparatorum Mercurialium usu cautissimi simus*, ne plus noceamus quàm prosimus, memores illius *HELMONTII*, qui, quamdiu revivificari possit Mercurius non sit boni viri remedium asserit, idque *propter virus malignum*, *de natura arsenicali*, aut *sulphur Mercurii externum arsenicale, quod sulphuri ejus nativo adhæret.*

Nervis Mercurius est inimicissimus, ita, ut tremores manuum, paralyses, contracturas, auri fabris subnasci quotidie observemus, ut nihil dicam de attenuatione corporis à salivatione nimia mercuriali excitata, aliisque symptomatis. Undè, *ut sine metu noxaque adsumi possit Mercurius*, *necessarium erit* (1.) *ut debitè præparetur*, præparatum autem (2.) *cautè & circumspectè in usum vocemus.*

Inter præparationes mercurii occurrit (1.) DEPURATIO *à sordibus* mercurio *adhærentibus*, *fitque communiter cum aceto & sale*, *vel expressione per corium.* Alias recipitur mercurius, eique affunditur in lagena spiritus vini, & agitatur bene, unde fit, ut tandem spiritus vini nigrescat, qui postmodum pro cingulo mercurii adhiberi potest. Operatio hæc toties reperitur, donec mercurius satis sit depuratus. *Melior modus est*, *si ex mercurio sublimato resuscitatur mercurius*, *destillando illum cum alkalibus sic enim purissimus mercurius se manifestat.*

Post depurationem mercurii sequitur PRÆCIPITATIO, *seu* ut abusivè vocatur, *Calcinatio*, *estque nihil aliud, quàm mercurii corrosio.* Ordinariè *præcipitatur mercurius cum spiritibus acidis*, spiritu vitrioli, sulphuris, nitri, item aqua forti, hæc mercurio affusa eum solvunt, solutio abstrahenda, & remanebit mercurius, qui dicitur præcipitatus.

Si fiat præcipitatio mercurii cum spiritu sulphuris, *fit mercurius* PRÆCIPITATUS ALBUS: Si cum spiritu vitrioli vel oleo vitrioli, FLAVUS, si cum spiritu nitri aut aqua forti, remanet mercurius præcipitatus in forma *pulveris rubicundi.*

Colorationes hæ mercurii non dependent à spiritibus, quibus cum præcipitantur, sed à proprio sulphure mercurii extraverso & separato à reliquo sui concreto, unde, si mercurius cum spiritu nitri præcipitatur, fit ruber, ratio est, quia spiritus nitri ut spiritus sulphureus admodum fert & extra vertit sulphur

phur mercurii separabile, unde rubescit. Idem fit cum aqua forti.

Ex hoc manu ducimur ad miram *præcipitationem mercurii per se.* Recipe nempe mercurium vivum, hunc immitte cucurbitæ plani fundi & strictissimi orificii, imponatur arenæ, undè lento igne successivè & longo temporis intervallo mercurius sponte abit in pulverem rubeum, qui dicitur MERCURIUS PRÆCIPITATUS PER SE.

Quæritur nunc, *à quonam in tam lenta digestione calcinetur mercurius, ut in præcipitatum rubeum abeat?* R. Beneficio externi sulphuris heterogenei separati contingit, quod mercurius tingatur colore rubeo: Unde quia *mercurius corporum caret isto sulphure externo heterogeneo separabili*, calcinari hoc modo nequit, utut diutius in igne digeratur. Sic alii præparant analogum *auri mercurium*, eundem hoc dicto modo tractant, unde acquirunt mercurium præcipitatum per se, sed solarem, qui postmodum cum spiritu vini digerendus est, & deflagrandus, datque *diaphoreticum mercuriale singularum virium in lue venerea, lepra, scabie* maligna, &c. *Reliqua præcipitata omnia mercurialia* seu per se, seu cum spiritibus mineralibus acidis præparata, violentos movent vomitus atque secessus, nisi figatur mercurius, sic enim postmodum ad aliquam diaphoreseos virtutem accedit.

Sic quoque *in dosibus mercurialium non simus nimis largi*, ne periculum famæ incurramus. *Hæc præcipitata fixantur, si aliquoties ab iis per cohobationem abstrahatur spiritus acidus antea affusus*, & postmodum itidem aliquoties *super ea* deflagretur Spiritus vini, licet hæ palliativæ tantum sint fixationes. *Optimus modus* est, quando mercurius cum aqua forti, quæ ex vitriolo, alumine usto, & nitro conflatur, præcipitatur, & ab eo dictum illud menstruum aliquoties cohobatur, postmodum septies cum spiritu vini digeratur, & toties deflagretur ab eodem, tandem cum aqua salis tartari probè edulcoretur, sic acquiritur mercurius RUBEUS FIXUS DIAPHORETICUS.

Alii præcipitant mercurium cum TINCTURA SMIRIDIS, magnum inde exspectantes miraculum. *Modum* vide apud *SCHROEDERUM.* Sed est impostura, falso enim nituntur fundamento, supponunt quippè, quod in smiride sit martiale quid, cujus ratione smiris aptus sit tincturam elicere ex metallis & coagulare mercurium, sed ignis examen hoc fundamentum subvertit, ut plurimum enim tali modo mercurius præcipitatus igni commissus avolat cum colore, pulvis verò residuus fixus est à smiride.

Cum mercurii præcipitati tam per se, quam cum spiritibus acidis internus usus sit periculosus, ideò quidam parant Mercurium PRÆCIPITATUM COMPOSITUM cum aliis metallis, & in specie sole; Nempe solvunt aurum cum aqua regis, mercur. verò cum aqua forti; solutione conjungunt, destilant, & aliquoties cohobant, sic exsurget pulvis, qui edulcoratus cum spiritu vini nunc tanquam *vomitivum in lue venerea*, nunc verò tanquam *catharticum in hydrope* summopere prodest. Vocatur aliàs AURUM VITÆ ab *HARTMANNO.*

Pertinet huc ANTIQUARTANARIUM *RIVERII*, quod est præcipitatus, compositus ex mercurio, auro, & regulo antimonii, quibus tanquam quartus athleta additur scammonium, quod compositum *per vomitum, secessum & sudorem egregiè*, utut non sine violentia, *operatur. Præcipitatur quoque mercurius cum venere*, unde oritur *Mercurius* PRÆCIPITATUS VIRIDIS, de quo vide *SCHROEDERUM.* Et hic *certum est remedium in gonorrhæa virulenta seu maligna*, cujus usus licet prima fronte exasperare videtur *malum, certo tamen curat.*

Huc quoque pertinet ARCANUM CORALLINUM *PARACELSI*, purgans optimum & febrium & podagræ certum remedium. Dicitur ita à colore rubeo, coralliorum faciem æmulante. *Præparatio* ejus clara est in scriptis *PARACELSI*, solvitur scilicet mercurius in liquore alkahestino, & abstracto rursus liquore abit in pulverem fixum sine alteratione aut immutatione; Pulvis relictus cum aqua albuminum ovorum elicitur & abstrahitur, sic tandem rubescit, & coralliorum formam seu potius colorem refert. Cum verò, ut supra monui, *mercur. vulgi à spiritu nitri calcinatus etiam rubescat*, factum est, ut & hic quoque arcani Corallini nomen acquisiverit, propter similitudinem, sed malè, toto enim cœlo differunt. Pertinet huc quoque CALCINATUM MAJUS *POTERII*, ut & CHAOS MAGNUM *ejusdem*: Illud est nihil aliud, quàm mercurius præcipitatus, in aqua forti solutus, & aqua salsa præcipitatus, ex quo deinde Chaos ejus magnum præparatur, singulare remedium. Vide scripta *POTERII.*

Mercurius præcipitatus vix tuto internè adhibetur, sed potius externè in affectibus cutaneis, *scabie, lue venerea, ulceribus cacoetheis* & iis quæ ad *gangrænam* inclinant, ubi meliora non dantur, quam mercurialia unguentis mista. Hæc de præcipitatis: Sequuntur *Sublimata Mercurialia*: MERCURIUS SUBLIMATUS fit partim cum salibus corrosivis, partim cum sulphure: Ibi mercurius sublimatus, hic cinnabaris oritur.

Cum salibus sublimatur mercurius sequenti modo v.gr. ℞. mercurii in aqua forti soluti, vitrioli exsiccati, salis decrepitati ana, M. exactè, & sublima ex cucurbita humili, ita ascendet mercurius sublimatus. Hic notandum, quod *si mercurius cum duplo nitri & vitrioli calcinati igne forti sublimetur, elevatur mercurius rubeus non corrosivus*, ejusdem ponderis atque fuit ante mistionem cum salibus, ita, ut adjuncta salia nihil ponderis eidem tribuant, sed sulphur nitri agit in mercuriale sulphur, à quo mercurius calcinatur in pulverem istum rubicundum: Quod si verò mercurius *cum adjuncto sale communi sublimetur, ascendit mercurius corrosivus, & pondere augetur*, quantum scilicet ipsi de sale communi accedit, *& ab hoc habet vim suam corrodendi.*

Si mercurio sublimato addatur mercurius vivus, fit exinde MERCURIUS DULCIS, nam cum mercurius vivus adiicitur, salia ista corrosiva in tantum disjunguntur, ut corrosiva mercurii sublimati vis temperata, remedium exhibeat dulce.

Vocatur alias DRACO MITIGATUS: item PANCHYMAGOGUM MINERALE, quia mercurius hic dulcis egregium est purgans minerale ad ℈j. aliis purgantibus additus: v. gr. extracto Hellebori nigri, extracto panchymagogo Crollii, hoc modo egregiè curat luem veneream, Lepram, Hydropem, catharros, &c.

Notetur hic, quod *purgantia Mercurialia melius* naturis *phlegmaticis* quàm biliosis *conveniant*, quin his potius noceant. Et contra *antimonialia medicamenta* conveniunt cholericis, nocent verò phlegmaticis & humidis, unde si mercurius dulcis cum extracto elaterii misceatur & exhibeatur in forma pilulari, in hydrope multi est usus.

MERCURIUS VITÆ fit, si butyrum antimonii rectificatum infundatur aquæ communi frigidæ, sic enim liquor antea limpidus lactescit, & successive in fundum secedit pulvis albus, qui communiter mercurius vitæ vocatur, *vomitorium nobilissimum*, utut satis violentum. Quidam præcipitant mercurium vitæ cum tartari lixivio, & acquirunt mitius vomitorium. *Injuriam faciunt mercurio vitæ, qui pro mercurio mortis eum proclamant*, eo innixi fundamento, quod *butyrum antimonii* sit productum mercuriale, est enim potius *productum antimoniale*, nempe reguli antimonii à spiritu salis corrosi ac soluti, unde, quando butyrum antimonii aquæ infunditur, hæc imbibit partes

partes salinas acidas, quibus separatis, regulus antimonii ad fundum secedit in forma pulveris. Vide supra de butyro antimonii quæ dicta sunt.

USUS *Mercurii vitæ* est nobilissimus. In febribus intermittentibus justô tempore exhibitus, insignem navat operam. In affectibus Melancholicis, in specie mania non sine fructu adhibetur. *BILLICHIUS* in partu difficili triduano felicissimum ejus expertus est usum. Hunc *BILLICHII* morem imitatus est *D. GANTZLAND*, qui in desperato pariendi conatu eundem summo cum successu adhibuit. Porrò *conveniens est vomitorium in paralysi linguæ*, difficultate deglutiendi, in apoplexia, (in quibus casibus vel poterit inflari ori, vel unum aut duo grana linguæ imponi) jucundum provocat vomitum, teste experientia. Verbo, *Mercurius est vomitorium nobilissimum, & facile omnibus antimonialibus palmam præripit.* Datur ad grana ij. in substantia in infuso ad gr. vj. Infunditur in vini unciis ij. vel unciis iij. per noctem, mane filtratur & exhibetur, & *tutius* quidem est in *infuso quam in substantia exhibere*, cùm metuendum sit, ne aliquid plicis ventriculi adhæreat, lethalesque inducat hypercatharses.

Est autem *mercurii vis ferè inexhausta*, eundem vel millies citra sui immutationem infundi posse dicunt. Sed quæritur, *unde hic in mercurio vitæ thesaurus?* Dicunt quidam operari per actionem radiativam, vix tamen hoc percipi potest, Certum est, aliquid ab ejus substantia (utut vix perceptibile) decedere, semper verò denuò impraegnatur mercurius vitæ ab aëre, id quod patet in antimonio diaphoretico, quod, si ultra semestre spatium steterit, vomitoriam vim assumit. *Violentum est vomitorium mercurius vitæ, sed mitior evadit si fiat ex regulo antimonii vel etiã ex regulo antim. martiali*, quia dum à salibus calcinatur, ejus sulphur subtile sublimando maxima ex parte separatur, & hoc *sulphur volatile antimonii à sulphure fixiori martis corrigitur*, quin *in tantum potest domari mercurius vitæ, ut per inferiora tantum purget*, si scilicet mercurius vitæ ex butyro (quod ex regulo antimonii martiali fuit destillatum) præcipitetur per lixivium tartari, & postmodum leniter edulcoretur, modo butyrum antimonii ritè fuerit rectificatum. Sic quoque *per inferiora tantum purgat mercurius vitæ, si ab eodem spiritus vini tartarisatus aliquoties abstrahatur.* Hinc clarum evadit, quod salia alkalia faciant mercurium vitæ per inferiora purgantem. Sic, *si nitri unciis iij. blando igne fusis adiicias uncias ij. mercurii vitæ, evadet catharcticus, si unica j. tantum evadet sudoriferus.* Sic quoque si sextuplum spiritus nitri abstraxeris à mercurio vitæ, acquires *bezoardicum minerale, optimum sudoriferum.*

Porrò, *si mercurii dulcis gr. XV. mercurii vitæ gr. ij. mista probè teras, fiet purgatio tantum per inferiora*, quia spiritus acidus in mercurio dulci figit mercurium vitæ, ut per inferiora tantum purget. Item, si mercurium vitæ teras probè cum sale communi, idque aliquoties repetas, evadit mercurius vitæ mitis, tutumque per inferiora purgans, utpote ab acido salis communis fixatus. Vnde *ratio* peti potest, *cur in hydropicis non operetur* mercurius, etenim aqua salsa hydropicorum corrigit figitque mercurium vitæ.

Paratur ex mercurio vitæ ROSA VITÆ MINERALIS *ANGELI SALÆ*: Si scilicet sumatur essentia Santali cum spiritu vini facta, ad mellis consistentiam inspissata, eidemque addantur guttæ aliquot olei caryophillorum, item aliquot grana ambræ atque moschi, tandem admisceatur mercurius vitæ, & probe subigatur.

Aqua illa, in qua præcipitatus est mercurius vitæ, si destilletur, & à phlegmate separetur, exhibet spiritum acidum, qui vulgo dicitur SPIRITUS VITRIOLI PHILOSOPHICUS, quasi in sublimatione mercurii aliquid de vitriolo simul ascenderit, quod tamen falsum est: Est enim spiritus salis communis particulis aquosis dilutus, easdem cum hoc habens virtutes.

Si mercurius *vitæ* cum duplo vel ana mercurii dulcis misceatur, blandum evadit purgans, utut in se sit vomitivus. Mercurius dulcis etiam externo usui dicatur. *Sic ingreditur* AQUAM PHAGEDÆNICAM *decantatissimam*, quæ fit ex aqua calcis vivæ, in qua solvitur portio certa mercurii dulcis, & adduntur pro ratione circumstantiæ aliquot unciæ spirit. vini, fitque indè aqua composita in curatione & præservatione gangrænæ utilissima. Si adsit fortassis ardor aut inflammatio, addi potest succus cancrorum fluviatilium optimo consilio.

Usus ejus *externè* est in scabie, tinea capitis, pediculis abigendis, in specie si cum unguento de nicotiana misceatur.

REVIFICATUR *mercurius sublimatus si in vase ferreo bulliat in aqu. cõmuni*, sic enim fit, ut mars absorbeat salia acida corrosiva, undè his absorptis, mercurius in viva forma se manifestat. Idem quoque fit *per additionem alkalium*, quæ rodunt ejus salia acida, undè dum hæc consortium mercurius vivus prodit. Hic *mercurius in quocunque acido solutus, insperso spiritu tartari abit in pulverem album*: *Si cum oleo tartari per deliquium præcipitatus, evadit in pulverem coloris flavi*, non secus, atque mercurius sublimatus. In aqua communi vel rosarum vel aqua destillata solutus, præcipitatur cum oleo tartari per deliquium in pulverem sub rubeum, qui vocatur TURBIT MINERALE, ad differentiam vegetabilis.

Ita, *si cum alkalibus volatilibus præcipitatur*, *emergit color candicans*, sin verò *cum alkalibus fixis* præcipitatur mercurius, *oritur pulvis coloris cineritii*, fusci, prout magis vel minus fuerint fixa.

Dictum, *HELMONTIUM* eos vocare impostores, qui ex mercurio per se volunt elicere aquam, spiritum, oleum, & sal, id quod verum esse statuo, utut sint, qui volunt elicere ex mercurio aquam instar liquoris alkahest, iste tamen processus non succedit, aut si acquiritur aqua, est illa ex aëre ambiente. *Modum destillationis* vide apud *ZUUELFERUM*, utut nihil unquam aquæ ex mercurio acceperit.

CAP. III.
DE
CINNABARI.

MErcurius *si sublimetur cum sulphure, dat Cinnabarim.* sublimatur autem si R. mercurii vivi ℔ß. sulphuris commun. unciæ iij. mista hæc sublimantur, & exsurgit CINNABARIS ARTIFICIALIS. *Res sanè mira, quod ex corpore mercuriali albo & sulphure flavo tertium oriatur rubicundum*, ita ut hujus phænomena optimè confirment doctrinam de coloribus Clarissimi *BOYLE* & aliorum, quod scilicet colores oriantur ex mutata textura, quæ recipit vim refringendi radios solares.

Fundamentum præparationis Cinnabaris est hoc, acidum sulphuris in igne corrodit mercurium, eumque secum unit & evehit in altum, ut exindè tale concrescat corpus cinnabarinum. Fieri hoc modò cinnabarim patet inde, quia *beneficio alkalium aut cum limatura martis ex cinnabari resuscitari potest mercurius vivus*, si

si scilicet recipiatur cinnabaris, & cum alkalibus destilletur, prodit mercurius vivus per retortam, quatenus alkalia absorbent acidum sulphuris, indè mercurius à compedibus acidis liberatus, in forma viva se sistit. Idem fit cum limatura martis.

Sunt qui volunt præparare CINNABARIM COERULEAM. Recipiendo sulphuris partes ij. mercurii vivi partes iij. salis ammoniaci p.j. hæc mista & sublimata dant corpus cœruleum, sicut mercurius cum sulphure communi dat corpus rubicundum.

Productio hæc *cinnabaris mechanica* & artificialis manu nos ducit ad considerationem & generationem CINNABARIS NATIVÆ, quæ eruitur ex minera propria. Hæc enim minera nihil aliud est quàm sulphur cum mercurio vivo & terra lapidosa ignis subterranei beneficio in corpus rubicundum concretum, quæ minera pulverisata & sublimata, dat cinnabarim nativam ejusdem planè naturæ cum vulgari. Hæc *cinnabaris nativa variat pro varietate minerarum ex quibus elicitur.* Prout enim variat sulphur in sua minera cum mercurio, ita quoque variat hinc præparata cinnabaris.

Optima minera est UNGARICA, quæ abundat auro & luna, unde quoque cinnabaris inde eruta participat de sulphure nobiliori, participante de natura auri. Viliores sunt omnes reliquæ mineræ.

Quæritur, *an Cinnabaris nativa possit tuto intra corpus assumi?*

Non immeritò dubitant nonnulli, quibus suspectum est sulphur arsenicale, quod plerumque in mineris se solet associare, propterea rejicitur cinnabaris nativa, præfertur artificialis cinnabaris & quidem tutius. Nihilominus *si placeat usurpare cinnabarim nativam, corrigas oportet eam de virulentia sua*, partim sublimatione, partim cum spirit. vini deflagratione.

Per repetitam sublimationem corrigitur cinnabaris, quando sulphur ejus arsenicale avolat, & feces nocivæ segregantur, uti quoque fit in cinnabari antimonii: Quod si verò non datur occasio sublimandi, recipitur cinnabaris nativa, coquitur in aqua fervente aliquoties, postmodum pars purior supernatans subigitur cum spiritu vini, & deflagratur. Sic quasi pura acquiritur cinnabaris nativa.

Alii parant CINNABARIM *artificialem* SOLAREM *ex amalgamate mercurii cum sole*, hoc cum sulphure communi sublimant, & legitimo modo tractant, & sic acquirunt *cinnabarim artificialem solarem*, de quo vide *GREIFF.* tract. *de Theriaca cœlesti.* Usum Cinnabaris nativæ vide in *cinnabari antimonii*, de quo superius capite de mercurialibus dictum, conveniunt enim in virtute.

LIBRI II. SECTIO I. DE METALLIS

CAP. I. DE METALLIS IN GENERE.

De metallis acturi, supponimus, quod *metalla sint corpora mixta, composita ex materiis distinctis, è quarum mixtione exsurgit corpus tertium*, metallum nempe, ita tamen, ut principia materialia coalescant in corpus maxime homogeneum, indestructibile, & essentialiter indivisibile.

CHIMICI ut exactius metalla eorumque phænomena explicent, *docent, quod constent ex* MERCURIO, SULPHURE *&* SALE, quæ doctrina est antiquissima, & jam olim à *RAIMONDO LULLIO* recepta. *Intelligenda* verò per *sal, sulphur & mercurium* non vulgaria illa corpora, sed ut res clarior fiat, *per sulphur* intelligenda venit substantia acido pinguis, à qua metalla facilem habent ignitionem & incandescentiam: *Per mercurium* humiditas radicalis metalli, seu principium tale à quo habent facilem fusibilitatem: *Nomine salis* substantia fixior, fere de natura alkalium, ligans sulphur & mercurium, & cum iis in substantiam metallicam fatiscens. *Hæc principia* inter se agnoscunt quandam proportionem justam, ita, ut sal sit principium passivum, quod det metallo corpus, *sulphur* largiatur formale, & τὸ esse specificum metallorum: *Mercurius* vero conferat, ut sulphur & sal hoc modo eo melius ferruminentur & coëant.

Convenit hæc explicatio cum illo Chymicorū, quando nimirum metallis *corpus animam, & spiritum* tribuere, *per corpus intelligendo sal, per animam sulphur, per spiritum mercurium, qui extrema quasi conglutinet atque confirmet constringatque.* Hæc si velim applicare ad PHILOSOPHIAM CORPUSCULAREM, tunc *per mercurium intelligendæ sunt particulæ, quæ in igne sunt facile mobiles*, inde facilis metallis fusibilitas oritur. *Per sulphur particulæ materiales, quæ in igne facile flammam concipiunt*, inde metalli incandescentia; Per Sal *particulæ illæ materiales, quæ sulphur metalli figunt, ne avolare possit.* Ita exposita Chimicorum principia, commodè nobis metallorum naturam sistunt. *Nullo verò modo ita intelligenda sunt, ac si verum aliquod sulphur tanquam pars essentialiter constituens* atque revera ante resolutionem existens, *& sal atque mercurius talis in metallis reperiatur*: Nam licet ex metallis sulphur inflammabile, item mercurius vivus nempe mercurius corporum, item sal perfectum aut etiam vitriolicum haberi per artem queant, ea tamen actu antè transmutationem non infuère, sed fiunt demum sub chimicis laboribus, atque sunt nova artis producta, sub artificiosis chymici manibus enata atque antea non existebant.

Sic quidam copiosum ostendunt sulphur solare, quod tamen non est ex sole, sed noviter productum ex conjunctione solis cum aliis. Sic mercurius, qui sæpe sub formaviva ex metallorum corporibus elicitur, est novum ens, ex conjunctione corporum aliisque corporibus productum. Eadem censura dignæ istæ vulgares metallorum & mineralium tincturæ, quas

Chimici quidã pro genuinis obtrudere non erubescũt.

Modum generandi metallorum quod attinet, certum est, *quod ex profundo terræ exhalent fumi quidam pingues volatiles qui in corpore quodam lapidescente (attamen tractabili) coërciti atque intercepti; abeunt succedente tempore in metalla.* Hi fumi in defectu terræ talis subindè abeunt in flores, item in strias varias pro varietate metallorum.

Inter *principia metallorum* præ reliquis considerari meretur sulphur, utpotè à quo nobiliores in Medicina derivantur virtutes. Hoc sulphur in se continet acidum, idque eò copiosius, quo magis metallum fuerit sulphureum. Imprimis *abundat* hoc *acidum in sole & marte*, quæ nobiliora habent sulphura. Hoc exindè probatur: *Si enim auro liquefacto intrudatur bacillus ferreus, hic corrosus apparebit ab acido sulphuris solaris excedente satis. Sic mars quoque abundat copioso acido*, solubili in quovis aquoso, undè etiam à sulphure corrosus abit in crocum. *Stannum insigniter est sulphureum, unde si cum nitro in igne agitetur flammas exhibet. Ab hoc sulphure est, quod metalla gustui communicent quandam acetositatem vitriolicam*, quæ omnibus metallis inest, teste *HARTMANNO.*

Omnia metalla conveniunt quidem *in radice*, & ex iisdem constant principiis, *differunt* tamen (1.) ratione majoris vel minoris *maturationis* (2.) ratione singularis *proportionis* principiorum, qua debite concurrunt. *Ratione maturationis* dividuntur in *fixa*, *matura* & nobiliora, quorum sulphur est perfectè fixatum & maturatum, ut sol & luna: & *minus fixata* seu *immatura* & ignobiliora, quæ fixitate & proportione debita principiorum destituuntur *Hæc* sunt vel *mollia*, vel *dura*: *Mollia* sunt, quæ constant Mercurio copiosiori, minusque temperata sunt à sale & sulphure, & hæc facile liquantur & funduntur in igne, sed minus facile igniuntur, talia sunt jupiter & saturnus. *Dura* sunt, quæ constant sulphure copiosissimo & pauco mercurio, facileque ob sulphuris copiam igniuntur, sed difficulter funduntur ob defectum principii mercurialis. *Distinguenda* probè *sunt densa à duris.* Ferrum & chalybs licet æque dura, non tamen æque densa sunt, mercurius quandoquidem sit densissimus metallorum, tamen mollissimus est. Aurum, quamvis densissimum, vitro tamen mollius, quod auro longè rarius & levius.

Ratione Proportionis quædam perfecta sunt, quædam imperfecta.

Jam videamus *quare saturnus in purificatione solis & lunæ reliqua metalla absorbeat, sole & luna intactis, ratio* est, quod saturnus copioso abundans acido sulphureo, cupiat saturari, verum cum sole & *luna habeant nimis fixum acidum sulphureum*, adeoque *nimis sint compacta, indeque inepta quibus saturnus saturetur*, aggreditur metalla potius ignobiliora, venerem, martem, & jovem, ceu magis terrestria, ea corrodit, corrosa absorbet, quibus absorptis, sol & luna tunc in testa probatoria relinquit in tacta.

Dixi quod *omnia metalla conveniant in radice*, quod inde patet, quia unum metallum de altero participat, & inprimis ignobiliora de nobilibus. Sic in saturno semper datur quid de argento. In luna rectè tractata semper aliquot grana solis reperiuntur. Marti inest sulphur solare, cum quo etiam nonnulli figere solent sulphur antimonii. *In cupro est primum ens lunæ*, unde semper venus & luna *simul reperiuntur & conveniunt in radice*, unde quoque est, quod ambo hæc metalla exhibeant tincturam saphirinam, amboque vomitus excitent sat violentos. *In venere est adhuc aliquod ens auri*, quod arguit convenientiam metallorum in radice. De convenientia macrocosmi, & microcosmi, (in quantum nimirum septem metalla conveniant cum septem planetis, itemque quinque principalioribus corporis nostri partibus applicentur à quibusdam) non est, ut quid adiiciamus, cum res nota sit.

Cum itaque *metalla* in radice conveniant, & *nonnisi gradu & perfectione differant*, facile patet, quid de TRANSMUTATIONE METALLORUM sit statuendum. Nempe *non repugnat, metalla imperfectiora, ignobiliora; & immaturiora ad majorem gradum perfectionis, nobilitatis, & maturationis perduci posse.* Notum enim est quod saturnus mutetur in aurum teste *HELMONTIO*, aliaque metalla in aurum transeunt teste experientia.

Res certa est, non enim differunt formaliter, sed tantum maturitate, indè si maturationis debitum acquirunt gradum, abeunt in verum aurum. Ita *luna si figatur perfectius, evadit in aurum, saltim ut eidem deficiat tinctura, quam mutuatur à venere, cum hæc de ente solis participet.*

Huc quadrant versiculi illi *BASILII VALENTINI*:

Album cæruleum intus me muricê
vestit.
Cypris cum fixo simili conveniat.

USUM METALLORUM quod concernit, quæritur *an metalla cruda aliquam in corpus nostrum habeant efficaciam?* ℞. Nihil operari effectivè, est enim eorum compages durior, ut sicut ingesta sint reiiciantur, sed passivè, *quatenus salia acida vitiosa irruendo in metalla assumpta eademque solvendo acrimoniam suam amittunt*: Sic v gr. *Mars crudus pulverisatus assumtus*, licet effectivè nihil juvet, *utilis tamen est in iis morbis, in quibus acidũ est in primis viis*, dum nẽpe salia hæc acida corrodendo martem, acrimoniam suam perdunt, eidemque adhærentia per alvum exitum quærunt. Dicta hæc valent quoque de saturno, qui *PARACELSO quarta Chirurgiæ columna dicitur*, ex eo enim præparata cancrosis ulceribus applicata, iisdem passivè medentur, quatenus *salia acida saturno sese associantia dulcescunt.* Idem valet de cupro, quod humores præter naturam per vomitum educit: Alia verò res est de Tincturis aliisque præparatis metallicis, quæ de essentiali metalli sulphure participant. Hæc stupendas effectus edere videmus. Ast quæritur, *quomodo operentur?* Modus operandi itidem est controversus. Vis illa IRRADIATIVA *HELMONTII*, qua archæum dirigat, est imperceptibilis. Vide *HELMONT.* Hæc ingenium speculationibus deditum quidem lactant & mulcent, sed Practicorum non explent desiderium: *Ergo, si quid dicendum*, assererem, metalla operari VIRTUTE ANODYNA, certum namque, est cuilibet metallorum vim inesse anodynam. Sic sulphur antimonii & veneris insignem habet virtutem anodynam, tam humorum vitiosorum, quàm spirituum irregulariter tumultuantium sedativam; qui sedati, naturæ præstant obedientiam.

Verùm, pro his genuinis tincturis separandis non sufficit mutua solutio per menstrua corrosiva vulgi, sed sublimior requiritur præparatio. Omnes *vulgares tincturæ sunt corrosiones superficiales* corporis totius in partes minutissimas, undè etiam facilè reduci possunt ita corrosa metalla.

Talis METALLORUM sub peregrino habitu latentium REDUCTIO *perficitur mediantibus alkalibus, in specie cum sale tartari vel borrace. Nam quæcunque tincturæ cum menstruo acido præparatæ reducuntur per alkalia*, hæc enim cum acido concurrendo tandem se uniunt, unde corrosum ex acidi vinculis liberatum, pondere suo fundum petit, & hoc modo institui potest δοκιμασία tincturarum. *Dixi*, quod alkalia reducant metalla: Nam *alkalibus vegetabilium* singularis inest vis reducendi metalla, in specie sali tartari, quod hunc ob usum dicitur *sal privilegiatum*, Medium itaque quo fit mercur. corporum, sunt alkalia fixa, imprimis sal tartari, ut paulò superius dictum, & hinc sal ammoniacum, quæ exindè Chimicis dicuntur SALIA RESUSCITATIVA. Et nulla fit perfecta mercurificatio, quæ non fit cum sale tartari, aut cum sale urinæ, aut sale ammoniaco.

CAP. II.

DE

MARTE.

Constat mars copioso sale acido , pauco mercurio & mediocri sulphure acido , eo tamen quodammodo fixo , unde proximè ex omnibus metallis mars ad solem accedit , & cum hoc sulphure martis quidam transmutationem particularem instituere volunt. *Paucus Marti* inest Mercurius , inde difficulter funditur , ut potius adjecto mercurio hunc defectum compensare possis. Cum hisce tribus principiis conjungitur terra fixa alkalina rubescens , à qua est, ut difficulter sit malleabilis , nisi prius bene fundatur. Ab hac terra est , quod malleo percussus in squamula facillimè abeat , ob firmam hujus terræ texturam. Ab hac itidem terra est , quod mars omnia acida tam promptè imbibat , ab hac oritur medicamentorum martialium vis adstrictiva , nec aliunde procedit medica vis martis , qua absorbet vitiosos acidosque in corpore humano oberrātes humores recentioriobus salia dicta. Convenit cum ferro CHALYBS , nec nisi duritie differunt. Fit verò chalybs ex ferro artificialiter, nempe mars in lamellas redactus , & cum carbonibus aut salibus alkalibus stratificatus , fortissimo igni committitur , ita mars depuratur & induratur. *Fundamentum hujus indurationis* consistit in eo , quod acidum copiosum in marte existens, in stratificatione arripiat illa salia alkalia tum fixa carbonum , tum volatilia ex cornubus , à quorum concursu constringitur magis principium terrestre , & in majorem duritiem excrescit martis corpus. Sic *quoque indurat martem aqua ex lumbricis & aqua radicis raphani & porri.* In his aquis , si extingatur mars ignitus , fit , ut salia volatilia , quæ impregnant hanc aquam , se insinuent in martem candentem , & sic acidum maximè saturatum duritiem marti conciliet.

Marti vulgo *duplex* attribuitur *virtus. Una adstringens* , altera *aperiens* , illam partibus terrestribus atque fixis , hanc volatilibus adscribunt. Unde crocum martis astringentem paraturi , eousque calcinant martem , donec absumptis partibus volatilibus remaneant fixiores. Sed falso innititur hæc vulgi hypothesis fundamento & principio. Mars enim est corpus homogeneum , perduratque sub æquali tenore in ignis tortura. Error & distinctio illa inde nata , quod Practici viderint , *martialia non exiguum usum* præstare in morbis , quorum causam ab obstructionibus & infarctu crassarum humorum deduxerunt , ut in cachexia , quartana , obstructione mensium , malo hypochondriaco &c. unde virtutem aperitivam illi adsignarunt. Cum verò etiam in dysenteria , diarrhæa , aliisque fluxibus præternaturalibus prodesse observaverint , exinde vim ejus adstrictoriam notarunt. Verum ex principio falso falsa proficiscuntur principiata. Falsum est , quod supra dicti affectus oriantur ab obstructione tali & infarctu humorum crassorum , certum contra est , quod mars semper astringat per se , & terra martis styptica adstrictoriam habeat virtutem , id quod omnia *ex marte parata demonstrant medicamenta* , quæ gustui saporem astringentem ministrant. *Aperit verò mars tantum per accidens*, quatenus nimirum intra corpus assumptus reperta in corpore salia sylvestria acida & facile coagulabilia (à quibus induci solent obstructiones) absorbet , absorptaque secum per alvum educit. Unde hoc modo sublata causa , tollitur obstructio : undè *rectè mars dicitur optimum melancholiæ digestivum* , cujus causa materialis modernis statuitur esse acidum vitiosum in primis viis hærens , quod ad martem assumptum accurrit ; eumque corrodendo suam amittit acrimoniam , & postmodum simul cum marte per secessum eliminatur. Hinc est , quod *post assumpta martialia feces ut plurimum nigro colore tincta sint , uti hoc ipsum à potu acidularum contingit. Et sane malum est si post assumpta martialia non tingantur feces colore nigro* , signum enim est martem non absorpsisse salia vitiosa corpori noxam minantia. *Ratio coloris fecum nigricantis est mars* assumptus , interna salia acida vitiosa intra primarum viarum limites hærentia absorbens , quæ , dum ad universalem portam tendunt, à bile , quam præterlabuntur, præcipitantur in colorem subnigrum.

Ob virtutes jam dictas *mars dicitur optimum MELANCHOLIÆ , ut supra innuimus* , DIGESTIVUM , item alexipharmacum mali hypochondryaci à *ZACUTO LUSITANO* , item *Panacæa cachexiarum , tàm virorum* quam virginum , tàm simplicium, quàm scorbuticarum. Hinc est, quod omnes pulvereres cachecticos ordinariè mars ingrediatur, qui, quo simpliciores , eò præstantiores. Sic pulvis ex solo croco martis cum pauco cinnamomo & aliquot granis ambræ magni est usus, utut simplex.

Notandum hic , quod *post assumpta martialia corpus* sit *movendum* , atque convenienter agitandum , item omnia acida postmodum sive in cibo seu in potu vitanda quia martem saturant , unde postmodum saturatus vitiosa salia relinquit intacta.

Quæritur , an limatura martis cruda commodè adhiberi internè possit ? R. distinguendo inter illos , *qui habent ventriculum validum*, & qui *debilem*. Illis conceditur , his verò negatur , quia periculum est , ne mars in ventriculi fundo subsistens , vim ibi vitriolicam & vomitivam acquirat , aut ructus nauseamque excitet , ac appetitum dejicat. Et refert *PANAROLLUS* se post mortem eorum , qui usi fuerint martialibus , in ventriculo limaturam martis adhuc crudam reperisse , quia ventriculus fuerat debilis.

PRÆPARATA martialia vel sub *forma liquida* exstant , vel sub *forma sicca* : Illa *tincturæ* , hæ *croci* nomine veniunt. Et sanè liquida martialia siccis vel crocis præferenda esse putarem, quia in iis magis mars solutus , in his magis compactus , majoresque ventriculo parat labores & dolores.

CROCUS MARTIS dicitur à colore quem exhibet subflavo , crocus , *Est* autem nihil aliud, quàm *mars in rubiginem solutus.* Dividitur vulgò in *adstrictorium* , & *aperitivum* , sed falso , mars enim per se semper adstringit ,aperit per acidens, vide *TACHENIUM* : & supra. CROCUS MARTIS ADSTRINGENS paratur calcinando martem in igne forti , in qua calcinatione abit in pulverem subrubicundum , qui dicitur crocus adstringens. *In hac calcinatione mars in pondere suo augetur* , ut ℔j. post calcinationem unciis ij. ferè aucta appareat. *Hoc augmentum ponderis marti accedit ab acido carbonum* sese in martem insinuante. Alij compendiosiori modo crocum martis paraturi , pulverem rubicundum baculeis ferreis adhærentem (qui in furnis chimicis adhibentur) *abstergunt cum pede leporino* , crocumque non incommodum acquirunt.

USUS HUJUS croci est in illis affectibus , qui opus habent adstrictione , in omnibus *fluxionibus* , tam *sanguineis* , quàm *excrementorum* , in *dysenteria*, *diarrhæa* &c. *Externè ingreditur pulverem* stypticum *CROLLII*,

CROLLII, item emplastra vulneraria & styptica Chirurgorum & Opodeldoch *PARACELSI*. Summopere prodest in ulceribus, in curanda eorum corrosivitate, quod præstat, dum absorbet eorum acidum.

Convenit cum hoc croco martis in omnibus terra vitrioli dulcis, quæ nihil est aliud quam crocus metallorum, seu martis, vel veneris, & haud immerito dixerim, terram vitrioli dulcem nobiliores adhuc quàm crocum martis simplicem præstare effectus.

CROCUS MARTIS APERITIVUS commodius forsan alterativus dicitur, quia post usum hujus crasis massæ sanguineæ vitiata ad naturalem redit; & quatenus absorptis salibus vitiosis, digestionum errores sponte curantur. Inde protinus patet, quod omnes croci martis aperitivi non sint parandi cum nimiis acidis, alias saturantur iis, & in corpore stabulantia acida linquunt intacta, mars enim facillimè ab omnibus acidis tam mineralibus quàm vegetabilibus corroditur, propterea pro scopo alterativo præparandus est vel planè insipidis, vel blandis, acidis, martis corpus durum leniter aperientibus. Magni æstimatur sequens præparatio. ℞. limatura martis, eique affunditur parùm aquæ simplicis, & exponitur radiis solaribus in diebus canicularibus, tunc intra paucos dies eadem limatura vertitur in crocum, ingens excitatur efferverscentia. *Fundamentum hujus operationis* consistit in eo, quod acidum copiosum in marte existens ab aqua dissolvatur, & postmodum accedente solis calore proprium aggrediatur corpus, & in crocum talem corrodat, qui est maximè aperitivus, quoniam nihil acidi externi accessit quo se saturasset. Sic quoque *mars aëri expositus ab eodem humectatus, abit in rubiginem*, ab acido enim in aëre existente & in martis corpus se insinuante, illudque in crocum seu rubiginem corrodente oritur crocus hic unde optimè præcavetur hæc rubigo per alkalia, in specie per oleum tartari per deliquium, quia *alkalia destruunt acida*.

Contra rationem verò gladij aliaque instrumenta ferrea oleo communi inunguntur, ut hoc modo à rubigine præserventur, notum quippe est, quod oleum commune scateat copioso acido, quod potius corrodit quàm præservat, unde potius *cum alkalibus talis cura instituenda erit*.

Quidam ut præparent Crocum martis aperitivum, aquam simplicem acuunt cum alkalibus, in specie cum sale absinthii fixo, eamque in loco tepido limaturæ martis affundunt, sicque aquirunt crocum martis aperitivum seu alterativum *D. MICHAEL* Lipsiensis paravit crocum martis aperitivum cum lixivio ex cineribus herbarum aperientium, ut fumariæ, absinthij, &c. affundendo hoc limaturæ martis. Verùm *crocus hic cum salibus præparatus parùm valet*, quamprimum enim salia in lixivio contenta cum marte miscentur, ea (dum cum marte concurrunt) abeunt in corpus calciforme, prorsus pro hoc scopo inutile, utcunque enim coquas martem cum salibus, nunquam tamen eundem alteratum deprehendes, sed in tali præparatione aqua tantum solvit acidum martis, salibus interea nihil facientibus. *Sunt qui præparant crocum martis aperitivum cum vino non inelegantem*.

Pertinet huc *TARTARUS MARTIALIS*; qui fit, dum solvitur tartarus in aqua ferrariorum, huic solutioni additur postmodum limatura martis, undè acidum tartari rodit martem, postmodum filtratur & evaporatur, solvitur denuo, & in loco frigido generantur crystalli, qui egregij sunt in *morbis chronicis*, in specie in *mensibus suppressis*. Huc vocari posset præparatio illa secretissima *WILLISII de fermentatione*, quam quoque videre poteris in *epist. BARTHOLINI*, & fit cum cremore tartari & spiritu vini.

Damnantur meritò *& exploduntur præparationes nimiis acidis factæ*, qualis est calcinatio illa fusoria cum magdaleonibus sulphuris, dum nimirum ferrum ignitum admovetur sulphuri, hoc inflammatur, acidoque suo spiritu martem corrodit, ut granulatim decidat in vas suppositum. Granula hæc postmodum subtilissimè trita in crocum martis evadunt, qui verò cùm jam sit acido sulphuris saturatus, nullas in corpore exserit virtutes, quin potius ventriculum onerat, est enim calx fixissima nullo liquore solubilis.

Pari ratione TINCTURÆ MARTIALES nimis acidis præparatæ intra corpus assumptæ parum aut nihil operantur: si verò cum alkalibus aut blandis acidulis præparentur, suam merentur laudem. Talis est illa *Tinctura vitrioli martis ZWELFERI*, quæ paratur ex vitriolo martis cum terra foliata tartari, quæ sanè multi est commodi. Vide *ZWELFERUM*, qui egregia & lectu præ omnibus aliis habet verissima.

Nec suo usu caret *ESSENTIA MARTIS TARTARISATA*, quæ fit vitrioli martis & crystallorum Tartari ana, solvuntur & inspissantur ad mellaginem, postmodum affuso spiritu vini extrahitur essentia martis tartarisata, optima in affectibus renum & vesicæ, item urinæ Pertinet huc quoque VITRIOLUM MARTIS *RIVERII*, qui ℞. vitrioli martis part. j. Spiritus vini part. ij. infundit in vas ferreum, digerit & in frigore ad crystallisandum reponit. Hi chrystalli magni sunt usus, quoniam acidum martis additione spiritus vini mitigatum & edulcoratum fuit.

Martialia liquida communiter *nomine Tincturæ veniunt. Dividuntur* vulgo *in astringentes & aperientes*, quamvis quid de hac distinctione sentiendum sit, ex præcedentibus videre est.

Aqua ferrariorum utrique scopo satisfacit, egregia est in dysenteria & diarrhæa, dum adstringit. In Cachexia, ictero, dum aperit. Sic quoque si mars ignitus in menstruis subacidulis vegetabilibus aut liquoribus alkalicis extinguatur, tinctura inde alterans prodit haud contemnenda. Melius proceditur, si limaturæ martis affunditur vinum, tunc enim fit, ut acidum vini rodat martem & imbibat, unde tale vinum cum pauco cinnamomo propinatum miros præstat effectus in cachexia & morbo hypochondriaco, aliisque fœminarum morbis. Vide *PANAROLLUS*.

Huc pertinent NODULI *alterantes ex vegetabilibus cum limatura martis vino infusis, qui valdè convenientes sunt in morbis chronicis*, in quibus quoque infusa martialia non sunt contemnenda. Aliàs tincturæ martis fiunt variis cum menstruis.

Quidam parant tincturam martis cum succo acetosæ, alij cum succo tamarindorum, alij cum musto vel succo berberum. *Optima tamen est, quæ fit cum succo pomorum borsdorffianorum*, solutio inspissatur, cui postmodum affunditur spiritus proprius vel alius conveniens, & fit elegantissima essentia martis, *conveniens affectibus chronicis contumacibus, in specie in quartana*.

PANAROLLUS cum succo cichorii solvit limatura martis, paratque exindè tincturam martis egregiam. Sic quoque spiritus panis acido volatilis promptè solvit martem in tincturam rubineam, miros in affectibus chronicis exhibentem effectus.

Denique ad præparata martialia in forma sicca maximè pertinent FLORES MARTIS, de quibus & exinde paratis medicamentis vide *ZWELFERUM*, qui lectu dignissima super hunc locum profert & ausim dicere, vix paria in toto volumine inveniri posse. *Mars nimirum cum sale ammoniaco sublimatur in flores rubeos*, dum acidum salis ammoniaci corrodit

corrodit martem, & partes martiales secum in sublime rapit.

Chimici curisiores conantor producere MARTEM FULMINANTEM, *qui*, utut à quibusdam in dubium vocetur, *revera* tamen *datur*, *modo enchireses quædam observentur. Fundamentum martis fulminantis* consistit in convenientia sulphuris martialis cum sulphure solis, conveniunt enim in radice mars & sol, nisi quod sulphur solare sit fixius martiali sulphure. *Paratur* autem *mars fulminans*, si mars solvatur in aqua regis, & præcipitetur cum oleo tartari per deliquium parato. In hac præparatione notandæ sunt sequentes enchireses.

(1.) *Observandum est exactè punctum saturationis*, hoc nisi fiat, omnis spes fulminandi perit. (2.) *Ne præcipitatio nimis sit subitanea*, si enim effervescentia oriatur nimia, vix fulminabitur. *Ratio fulminis martis* est eadem cum auro fulminante. Nam ut ex concursu sulphuris, & nitri cum sale fixo carbonum fit effervescendo fulmen, ita etiam in marte.

BEZOARDICUM MARTIALE paratur ex regulo antimonij martiali in butyrum destillato, & cum spiritu nitri præcipitato. Vide *ROLFINCK. Usus ejus* est in *hydrope*, in *cachexia* & *ictero*. In specie in *hydrope*, optimum esse testatur *ROSENKREUZERUS*.

CAP. III.
DE
CUPRO.

CUprum est metallum ratione principiorum & compsitionis *marti affine*, utut *nobilius*. Constat sulphure copioso, ex parte fixiori quam est sulphur martiale, hinc de mercurio plus participat quam mars, adeò ut sulphur & mercurius ferè sint in æquilibrio in cupro, terrestreque principium copiosius est in cupro, quam ferro. Nam quoniam plus de mercurio & sulphur habet, citius funditur quam ferrum, promptiusque inflammatur. Sic cum sale ammoniaco venus potest inflammari, quatenus sal ammoniacum extrahit internum sulphur Veneris, illudque extravertit, ut eò citius flammam concipiat. Item ratione mercurii copiosi Venus optimè misceri potest cum sole & luna, ita ut eorum fusibilitatem non impediat. Contrarium fit in marte & reliquis metallis, quæ non misceri cum sole & luna possunt, quin eorum impediant solubilitatem & ductibilitatem.

Imprimis *in cupro consideratione dignum est* SULPHUR, de quo *BASILIUS* dicit *quod tingat lunam in solem*. De sulphure Veneris elegantem scripsit tractatum *POLEMANNUS* libro *de sulphure Philosophorum* inscripto, qui sane jucūdus est in theoria, sed in praxi pauci momenti & certum est, quod ubi *POLEMANNUS* hunc tractatum scripsit, nondum illum scivisse volatilisare sal tartari, ceu ex ejus discursu de hac materia patet. *Quod* verò *in Venere sit sulphur illud benedictum*, *ex quo* *HELMONTIUS SOLEM seu IGNEM VENERIS paravit*, *extra omnem dubitationis aleam est*, *beneficio hujus sulphuris Veneris curationes magnetico-magicæ fiunt.*

Ex hoc sulphure Veneris fit, *ut caput mortuum vitrioli Veneris curet dysenteriam*, si scilicet excrementa dysentericorum super caput mortuum vitrioli Veneris emittantur, & mox fluxus ille periculosus sisteretur. Hoc secretum fuit *D. KNOEPHOELII.*

Sulphur & mercurius in æquali proportione sunt in venere, *inde emergit Veneris volatilitas* quæ tanta est, ut, si fortiori subjiciatur igni, exhalans pars mercurialis terream quoque secum abripiat, venere ferè tota in auras abeunte.

Insignis affinitas Veneri cum luna intercedit, adeò, ut rarò unum sine altero effodiatur, hinc quoque *utraque exhibent colorem saphirinum*, item ex hac convenientia radicali est, quod ambo vim habeant purgantem. Sic datur *luna hydragoga* in hydrope multum conferens. Ita & venus tam vim catharcticam quàm emeticam satis superque ostendit, unde *periculosum est venerea intus exhibere*, propter nauseam vomitus, & secessus lethales.

Cuprum cum lapide calaminari mistum, *constituit ORICHALCUM*, nempe Veneris partes centum & lapidis calaminaris partes triginta miscentur fortique igne agitantur ut fiat inde orichalcum.

Acida quæcunque si fuerint fixa & fortiora, rodunt Venerem in vitriolum, sin volatiliora & blandiora, in virid. æs Hic notatu dignum, quod alkalia volatilia solvant Venerem, martem verò relinquant intactum. Ratio est, quod promptius alkalia aggrediuntur sulphurea, jam verò Venus plus sulphuris in se continet quàm mars Sic v. gr. spiritus urinæ tingit venerem in colorem ultramarinum seu saphirinum, qui color est index sulphuris metallici: reliquæ verò veneris solutiones per acida factæ, sunt virides *POLEMANNUS* aliique ejus sectatores innuūt sulphur ex venere eliciendum esse per salia volatila, seu per alkalia fixa volatilisata. Fit verò ærugo seu viride æs, si cum lamellis veneris & vinaceis fiat stratum super stratum huic misturæ postmodum affunditur aceti p. j. urinæ puerorum part. IV. l. iij, reponuntur ad tempus in loco calido, tandem eximuntur, & ita laminæ omnes à volatili vinaceorum aciditate (quam aciditatem vinacea eructant propter blandam effervescentiam aceti & urinæ) *erunt corrosæ*, *& fatiscent in æruginem seu virid. æs* Hoc *viride æs destillatum*, *dabit SPIRITUM acidum volatilem*, *ex vinaceis*, *urina*, *& aceto ortum*, *quem pro liquore alkahestico vendicat ZUVELFERUS. TACHENIUS* nihil aliud hunc spiritum esse dicit quàm acetum destillatum, quanquam multum ab aceto destillato differat hic spiritus, plurimaque in eo latitant singularia. Fit verò hic spiritus duplici modo. (1) R. virid e æs, solvunt in aceto destillato filtrant & acquirunt crystallos virides, hos destillant, & acquirunt spiritum acidum multis affectibus proficuum. *Melior* tamen *modus est*. (2) quo R. viride æs, permiscetur cum ana arenæ, destillaturque, sic prodit spiritus volatilis præstantissimus, qui egregium præstat tàm in *medicina* quàm *alchymia* affectum. In specie valdè convenit hic spiritus in *lethargo* & similibus *affectibus soporosis*, Ex hoc viridi ære *cum gummi ammoniaco paratur spiritus compositus*, qui dicitur SPIRITUS virid. æris CUM GUMMI AMMONIACO. R. virid. æris part. ij. gum. ammoniac. p. j. misce & destilla, & prodibit spiritus acidulus optimus. Vel *melius* R. virid æris p. iiij. gum. ammoniac. p ij. sulphur. vulg. p. iß. misce, destilletur, & prodibit spiritus acidus volatilis, qui *in affectibus asthmaticis* optimum est remedium.

Aliàs viride æs *crudum nullam utilitatem & efficaciam habet in medicina*, *nisi quod externe in chirurgia adhibeatur*, unde basis esse solet unguenti ægyptiaci,

ptiaci, unguenti Hildami &c. quæ in ulceribus cacoæthicis aliisque periculosis magni sunt auxilii. Sic quoque externè pro basi concurrunt in compositione aquarum viridium dictarum in scorbuticis, ulceribus gallicis malignis &c. Aliàs *de Venere vix aliquid tuto adhiberi potest internè, nisi ejus sulphur anodynum prius ferè fuerit extractum.*

CAP. IV.

DE

PLUMBO.

S*Equuntur nunc metalla molliora; nempe Saturnus & Jupiter. Hæc multum possident principij mercurialis, unde facile fluunt.* In specie *in saturno seu plumbo mercurius, est copiosus, immaturus, & non ritè fixatus*, undè fit, ut calcinatus perdat quid de pondere. *Huic mercurio parum adjunctum est sulphuris*, quantum scilicet sufficit pro corrodendo mercurio, *nimirum verò salis* inest saturno, unde saturnus ratione principiorum in compositione contrarius est marti.

Ratione abundantis in saturno mercurij fit, ut omnia metalla præter solem & lunam absorbeat, unde ratio artis probatoriæ dependet. Nimirum *in capella probatoria saturnus omnia metalla absorbet, exceptis sole & luna*, quia mercurius ejus acidus esurinus cupit saturari terra salina reliquorum metallorum, cujus ipse saturnus minimum possidet. Cùm verò sol & luna nimis fixum habeant sulphur acidum, inepta sunt quibus saturnus saturetur, adeoque ea relinquit intecta. Aliàs *magnam habet convenientiam cum luna*, unde *in calcinatione saturni utplurimum reperitur luna.*

Quidam asserunt, quod, *si saturnus calcinetur beneficio speculi ustorii* per radios solares, loco lunæ aliquot grana solis exhibeat, ita, ut luna in solem mutata sit. Fides sit penes expertum.

PRÆPARATA *saturnina* quod attinet, *saturnus calcinatione reverberatoria abit in MINIUM*, de quo *notandum, quod minium augeatur in pondere* v. gr. Si ℞. saturnus crudus ad uncias xii, post calcinationem habebis uncias xiii. Ratio petenda est ex sulphure carbonum; particulæ enim acidæ sulphuris carbonum in igne exhalantes, jungunt se cum saturni substantia, ipsique adhærentes, augent minij pondus.

Cum acido se conjungit saturnus, & solvitur, imprimis autem expetit acidum aceti volatile, & à quo solvitur antea calcinatus, & acquirit saporem dulcem. Aliàs *si conjungatur cum acido, auge pondere. Per calcinationem immersivam redigitur minium seu calcinatus saturnus in calcem ut plurimum dulcem dictam* SACCHARUM SATURNI. Nimirum solvitur minium aceto destillato, solutio decantatur filtratur, & abstracta humiditate ad crystallisandum reponitur. *Crystalli hi depurandi crebris solutionibus, & tandem abeunt in saccharum saturni. In hac præparatione notandum*: quod non omne omnino acetum abstrahendum sit à soluto, quia aliàs periculum imminet, ne fulminet saturnus, quod non raro contingit, teste experientia propria. Similiter *crystalli fiunt ex minera saturni cum aceto destillato, acuato spiritu nitri*; hoc modo solvit mineram & in crystallos corrodit. *Saccharum* hoc *saturni interno usu quodcunque acidum absorbet*, propterea in malo hypochondriaco, in specie in melancholia hypochondriaca est singulare remedium. Item *in quartana contumacissima* ante paroxysmum quidam fuit qui propinavit, sed in dosi solita majori, scilicet ad scrup. ij Cæterum *cum oculis cancrorum ad gr. XV. in eadem quartana si exhibeatur, multi erit usus.* Porrò *in phlogosi ex effervescentia salium vitiosorum extorta singulare est experimentum saccharum saturni, item in erisipelate.* Hinc *in dysenteria ratione virtutis suæ aluminosæ & adstrictoriæ multum præstat.*

Quæritur; *an saccharum sine sterilitatis metu possit intra corpus assumi?* Negant qui saturni mineralis cum saturno cœlesti convenientiam magnifaciunt, quippè qui infœcundos dicitur reddere, sed vanum est & sine fulmine fulgur. *Ex saccharo saturni cum vitriolo martis vel veneris depuratissimo mediante spiritu vini extrahitur* TINCTURA illa ANTIPHTHISICA, quæ valdè adstringit, estque commodum satis remedium in consolidandis pulmonum ulceribus, renum aliarumque partium exulcerationibus.

Saccharum saturnicum vitriolo martis si destillatur per Retortam sublimatur HÆMATITES ARTIFICIALIS, hæmatiti nativo quam simillimus. Unde facile colligi potest, ex quibus principiis hæmatites constet.

Calcinatio saturni vaporosa dat CERUSSAM; *quæ nihil est aliud quam saturnus calcinatus vapore aceti*: & quidem pro usu medico saturnus cum aceto vel potius cum vapore aceti calcinatur in loco calido, pro alchymistico verò cum aceto destillato, in quo sal ammoniacum solutum fuit si enim pulcherrima & subtilissima habetur cerussa.

USUS SATURNI tantus est, ut *PARACELSUS quartam Chirurgiæ columnam constituere dixerit*, nec immerito, *absorbendo enim acidum vulnerum ulcerumque, egregiam navat operam*; undè plurimorum emplastrorum v. gr. albi, cærussæ, camphorati, de minio, basis est. Item *emplastrum de cerussa cum spermate ranarum absorbet acidum, quod inflammationem excitabat in erysipelate. In cancro occulto medicamenta saturnina* (quia absorbent acidum, mali autorem, *) valdè prosunt*, unde quoque Medici vulgares & chirurgi præcipiunt, ut præparentur omnia unguenta saturnina in mortario plumbeo, ut ramenta saturni mortarij commista unguentis, eò melius absorbeant mali causam. Sic in ulceribus scorbuticis & malignis, item in scabie saturnus & ex eo parata remedia multi sunt usus. Ad maculas faciei, in specie ad guttam rosaceam ac varios lentigines, & in genere ad omnes cutaneos affectus dicta saturni remedia post mercurium dulcem sunt optima, imprimis verò cerussa, quia corrigunt acidum sub cute ex prohibita insensibili transpiratione collectum.

Sic cerussa cum aqua spermatis ranarum, item aqua calcis vivæ, cum saccharo saturni in ambustionibus, absorbendo acidum, optimè conducunt. Porrò *si saccharum saturni* DESTILLATUR per retortam, prodit (1.) SPIRITUS *volatilis* ardens (2.) OLEUM duplex, primò nempe *rubrum*, post *nigrum* empyreumaticum. Hunc spiritum ardentem vulgo dicunt esse ex substantia saturni, sed est impostura, *revera est spiritus aceti*, quo cum præparatum est saccharum saturni, *nihilque aliud, quam spiritus vini reregeneratus. Certum* enim *est, quomodo in aceto inclusus lateat spiritus vini*, dum itaque partes fixiores acidæ rodunt

rodunt saturnum, eique adhærent, volatiliores in destillatione fiunt sui juris & leni prodeunt igne, ubi verò ignis intenditur, partes saturni simul rapiuntur per retortam, quæ abeunt in corpus oleosum. Patet itaque quanti spiritus hic saturni sophisticus sit habendus. Idem esto judicium de spiritu ardente coralliorum, qui itidem est sophisticus, nihilque aliud quam fœtus aceti & spirit. vini regeneratus. Nam *acetum fit, quando sal acidum vini figit particulas salinas volatiles spirituosas*, jam, quando corallia solvuntur acido sale aceti, iisque adhærent, partes volatiliores fiunt sui juris antea in aceto fixæ existentes, & levi igne sub pristina spiritu vini forma prodeunt.

Certum est, quod uti ex omnibus metallis ita etiam *ex saturno per se sine additione aliorum nihil liquidi possit destillando acquiri, quin potius si aliquid eliciatur ex iis, fit hoc additione aliorum*, unde hoc modo novum erit productum. Occasione hujus destillationis recensendus venit *modus destillandi* BUTYRUM SATURNI v. gr. ℞. mineram saturni, non vulgarem, sed volatilem quæ ex Ungaria apportatur, hæc pulverisatur, & cum ana mercurij sublimati miscetur, & destillatur per retortam, sicque acquiritur liquor crassiusculus, constans ex spiritu acido sal communis in mercurio sublimato contento, & particulis saturninis, quas spiritus salis una secum per retortam vehit.

Præterea in collo retortæ reperiri solet aliquid CINNABARIS, quæ constat ex saturno & mercurio. *Butyrum* hoc *saturni consueto modo* rectificandum est, postmodum cum aqua simplici eodem modo quo butyrum antimonij præcipitari potest pulvis albus saturninus, qui est ejusdem usus ac saccharum saturni, laxat blandè. *Fit* quoque *ex butyro hoc* BEZOARDICUM SATURNINUM, nimirum butyrum saturni præcipitatur cum spiritu nitri, & hujus tripla abstractione, edulcoratione & calcinatione, fit bezoardicum saturninum simlplex, utpote quod non participat de antimonio, uti alia Bezoardica metallica, & *est egregium remedium in peste, febribus malignis pestilentialibus, item in morbis suturninis dictis, v. gr. in malo hypochondriaco, scorbutico, arthritide vaga, melancholia hypochondriaca &c.* Solet in destillatione butyri Saturni aliquid simul de mercurio vivo prodire, sed est tantùm vulgaris, resuscitatus ex mercurio sublimato. Cæterùm butyrum hoc rectificatum si affundatur super novam mineram saturni, & denuò destilletur per retortam, tunc dicunt fieri, ut perfectus *MERCURIUS VIVUS SATURNINUS* acquiratur, quòd tamen novum erit productum antea non existens.

Butyrum hoc saturni si affundatur super saccharum Saturni & simul destillentur, dat *OLEUM* rubicundum admodum *DULCE*, egregiarum virium in *morbis chronicis*, in specie in *ulceribus corrosivis*, quæ difficilioris curationis præprimis si priùs aliquid de bezoardico saturni fuerit exhibitum.

Quod antea de spiritu saturni dictum, id valet etiam de floribus. *Saturnus per se nullos præbet FLORES*, quia ratione copiosi mercurij facile in igne liquescit. Vulgò faciunt stratum super stratum ex saturno & sulphure, (cujus acidum in igne rodit saturni corpus) post addunt ana salis decrepitati, & duplum boni communis, mixturam committunt retortæ duobus tubulis constante, uni apponitur receptaculum, alteri verò follis, sic destillatur spiritus, & fortiori *igne flores in retorta* collo colliguntur, qui nihil aliud sunt quàm pars saturni à spiritu nitri corrosa quique bene edulcorati, in medicina multi usus sunt. Ex hisce floribus cum salibus resuscitativis alkalibus potest resuscitari *mercur. corporum scilicet saturni.*

Dictum superius, quod *saccharum saturni valdopere conveniat in morbis*, unde sunt qui faciunt *BALSAMUM SATURNI ex hoc sacchαro saturni per extractionem*, nempè sacchαro saturni affundunt oleum destillatum therebinthinæ vel juniperi, digerunt, donec abeant in colorem rubineum. Sed hæc mistura invicem probè agitanda est, aliàs non colorabitur. Nec tamen hic color est à saturno, sed tantummodo beneficio digestionis super corpus saturninum extractus. Aliàs si debite oleum tale cum saccharo uniri posset, esset balsamum non inefficax in *morbis chronicis*. Quin ex hoc fundamento patet falsitas olei destillati saturni dicti, hoc enim nihil aliud est, quàm acidum concentratum saccharo saturni affusum, ex quo postea per destillationem fit oleum saturni falsum. Idem sit de Tincturis saturni judicium, spiritus enim vini probè quidem imbibit adjunctum oleum, sed nihil de saturni corpore recipit, undè *certum est quòd omnes TINCTURÆ SATURNI, quæ ubertim prostant in SCHRÖDERO, nihil valeant*, hoc enim metallum est nimis mercuriale, parùm verò *de Sulphure* participans, de quo *omnis tinctura oritur*, undè quoque parùm vel nihil cum spiritib. oleosi sulphureis extrahi poterit. *Si verò balsamica oleorum balsamicorum virtus cum saturno conjungi debet, cum nullo hoc alio saturni subjecto fieri poterit quàm cum saccharo saturni.* Et tunc maximè habebis balsamum sulphuris temperatum in affectibus internis multi usus, & majoris efficaciæ quàm vulgaris, qui in quibusdam pectoris affectibus, verbi gratia, phithisi, hectica &c. vix tutò adhibetur, cum tamen si cum saccharo saturni præparatus sit commodè illis prosit. Sic *externè* quoque si fortè *hic balsamus* sit nimis acris, commodè *misceatur cum cerussa, aut balsamo Peruviano, & erit remedium non inefficax.*

CAP. V.

DE

STANNO.

Stannum *cognatum est plumbo*, interim in multis ab eò discrepat, *dicitur quibusdam PLUMBUM ALBUM*, sed malè, nam apud Veteres datur metallum, quòd dicunt plumbum candidum, deindè quoque stannum, quæ tamen maximè sunt distincta. *Veteres per stannum intellexere plumbum cinereum seu Bismuthum*, (triplex enim datur plumbum, *nigrum* vulgò notum, *candidum*, stannum, & *cinereum*) quod statuitur metallum certi generis, quibusdam verò dicitur *semimetallum*, ut & *antimonij minera*. Argento statuitur bismuthum esse cognatum, unde à nonnullis vocatur *argento metallum*. *Constat* verò *Stannum* ratione principiorum ex Mercurio respectivè copioso & puriore, magisque maturato quàm est Mercurius saturni, non tamen perfectè fixato, unde mollior est & fugacior, quàm in metallis perfectis. Purior est, sed paucior quàm in saturno, unde est, quod saturnus sit ponderosior quàm stannum, hoc verò minus malleabille ob defectum principij mercurialis quàm ille. Contra vero luxuriat in stanno sulphur copiosum

sum, volatile admodum, & minus subactum, minusque cum terra salina mistum, adeo ut stannum sit omnium metallorum porosissimum, (utut mars satis porosus) propter deficientem intimiorem unionem. Quàm ob causam fit quoque ut cum aliis metallis mixtum, difficulter rursus ab iis separari possit, v.gr. cum saturno si misceatur, inque igne fundatur, difficulter postmodum ab eo separabitur, unde *à quibusdam stannum dicitur DIABOLUS METALLORUM*, reliqua metalla si non planè destruit, eadem tamen valdè alterat.

Præ cæteris insigniter alterat Venerem, quam friabilem reddit, quia utraque metalla sunt sulphurea, unde Jupiter cum venere mistus agitatusque in igne, flammam concipit.

A sulphure est quod stannum colorem præbeat cœruleum. Ab eodem est quoque, quod remedia Jovialia moveant vomitus, nisi omne sulphur eis sit detractum Ab hoc est, ut quidam dicunt, quod Jupiter in aqua forti accendatur, item quod Iupiter cum nitro accedente quodam alkali instar pulveris pyrij fulminet.

USUS *jovis crudi* rarior est, utut quidam eundem usurpent in *hysterica passione*, sed methodo modoque ridendo, unde *præparandus prius est, & postea in usum vocandus.*

CALCINATIONES Jovis varia in Chymicorum possunt videri libris, quæ tamen omnes non sine difficultate fiunt.

CRANULATUR Jupiter, si cum salis decrepitati ana indatur pyxidi cretæ illitæ & benè agitetur, sic stannum abit in granula minima, quæ ab acidis quibuscunque facilè corrodentur.

Ad eundem modum, quo ex minio saccharum saturni, ex jove quoque granulato *SACCHARUM* fit *Jovis* optimũ, in *affectib. hystericis* internè propinatur, ut & in quibuscunq; aliis, in quib. saccharum saturni cõmendatum fuit. *Ridiculum verò* est, saccharum jovis cũ oleo aliquo umbilico ad avertẽdã hystericæ passionis molestiã applicare, quod tamen quibusdã familiare.

Ex minera jovis præparantur *CRYSTALLI LAXANTES, in hydrope & cachexia mulierum perutiles.* ℞. Mineræ pulverisatæ q. v. solve in spiritu nitri, aut, quòd præstat, in aceto cum spiritu nitri acuato, solutio filtretur, & facta evaporatione justa, ad crystallisandum reponatur, optimè fiunt *crystalli* Jovis cum spirit. vitrioli aliquoties rectificato, si scil. spiritus hujus vitrioli ℔ij. mineræ Jovis ℔j. cum duplo aquæ fontanæ misceantur, sic solutione & evaporatione debita facta, crystalli prosurgent egregij, blandè educunt aquam hydropicorum per secessum. Dosis ad gr. iij.

Ex Jove cũ mercurio sublimato fit *BEZOARDICUM IOVIALE SIMPLEX*, quod *excellens est medicamentum in febribus malignis, item in purpura puerperarum tam alba quam rubra.* In his & similibus affectibus usurpari quoque potest *Bezoardicum Ioviale COMPOSITUM*, de quo in Chymicorum libellis. Hisce affine est *SUDORIFERUM MAXIMUM* PETRI JOH FABRI ex *Iove & mercurio sublimato* beneficio destillationis paratum *excellens remediũ, ubi sudore opus est*, de quo vide FABRUM *in Pathologia & Panchym. Celebre* quoque ex jove *medicamentum est ANTIHECTICUM POTERII*, cujus descriptionem vide apud AUTHOREM. Quæ aliàs præter jam dicta ex jove prostant medicamenta interna, *non merentur attendi.* In specie *TINCTURÆ IOVIALES quæ vulgo extant, nullius sunt momenti.* Et hæc de metallis ignobilioribus dicta sufficiant.

CAP. VI.
DE AURO.

SEquuntur nunc nobiliora, quæ *sunt Sol & Luna. Constat SOL* ex principiis metallicis defæcatissimis iisque maximè inter se unitis, & quidem ex terræ fixæ salinæ mediocri quantitate, sulphure defæcatissimo copioso satis, & mercurio itidem purissimo, arctissimo sibi invicem nexu unitis. Ex arctissima hac auri compage oritur ejus *indestructibilitas*, quàm vetus illud spagiricorum dicterium confirmat. *Facilius est aurum construere quàm destruere*, quòd Draconis effatum HELMONTIUS urget contra eos, qui sua crepant aura potabilia. *Licet enim vel centies sive igne sive menstruis tàm insipidis*, quàm acidis corrosivis calcinetur aurum, tamen reduci facilè potest. Stante hac auri indestructibilitate, manifestum evadit, nullum ex auro usum neq; in medicinam neque in alchymiam redundare. Medici quidem dum auri *FOLIA* variis miscent medicamentis majorem iis gratiam conciliant, & prætium augent, de virtutibus nihil addunt. Fabula illa de gallina concoquente alibi satis discussa. *Qui aurum CANDEFACTUM in aqua appropriata extinguunt*, id quidem obtinent, ut liquor inspissatus flavescat, & pulvis & flav. in fũdo subsideat, qui à LOCATELLO in ictero valdoperè cõmendatur. Verùm pulvis ille nihil aliud est quàm atomi aurei, ob compactissimã sui unionem nihil operantes, & facilè in aurũ reducibiles.

In Alchymia quoque est paucissimi *usus*, ut ideò *gravius errent, qui ex auri corpore metallico lapidem Philosophorum contendunt, qui tamen ex radice potius metallorum est quærendus. PRÆPARATA* solaria varia vulgo prostant nulla tamen Medici expectationi ac intentioni exactè satisfaciunt.

TINCTURÆ SOLARES vulgares nihil aliud sunt quàm superficiales corporis solaris in minimas particulas corrosiones, facilè reducibiles. Ast vero *ad veram & radicalem auri solutionem nulla admittuntur menstrua corrosiva, sed insipida*, qualia an dentur, in utramq; disputatur partem. Affirmativa videtur verior & experientiã munitã. *Sunt qui cum spiritu roris Majalis durissimam auri compagem solvere tentant.* Alii ex nive menstruum tale eruere conantur. MEYERUS testatur, Americanos menstruo quodã insipido aurum ita mollificare, ut ceræ instar digitis tractari, eiq; gemmæ inseri pro lubitu queant. Sic LAURENBERGIUS contra SALAM affirmat, se vidisse talem aquam insipidã, in qua aurum instar glaciei in aqua calida liquefactum fuerit. Novi Chymicum quendam cujusdam Archiepiscopi aquam albicantem insipidam habere, qua aurum spatio 6. horarum in liquore rubicundissimum in igne non gelabilem solverit. *Dantur* ergo menstrua insipida, sed non cuivis datur adire Corinthum. In præparatione medicamentorum solarium probè observandũ, ut aurum quantum fieri posit, purissimum & defæcatissimum recipiatur, ne forsan ob adiunctam venerem nauseam vomitusque detestandos creet.

PURIFICATUR aurum & à venere cumprimis liberatur: (1.) *Per saturnum*, qui cum auro fusus adjuncta huic metalla aggreditur, iisq; se saturare gestit, aurum vero intactum ad fundum dimittit. (2.) *Per calcinationem cementatoriam*, quando laminæ solares cum sale ammoniaco, sale comm. & sale gemmæ, &c. cum farina laterũ ad fluorem impediendum mixtis, stratificantur, iniq; committuntur, sic hæc salia metalla ignobiliora rodunt, auro intacto. (3) *Per antimonium*, cujus sulphur acidum omnia adiuncta metalla, etiam ipsam Lun. rodit & absorbet, ut postmodum aurum remaneat depuratissimum verbi gr. ℞ auri p. i. antimonii p. iiii. vel vi. mista fundantur in crucibulo, tandem adjiciatur nitri ℥i. limaturæ martis ʒiii. & apparebunt varii colores, qui dicuntur oculi perdicum: Post longam satisfusionem *regulus* remanebit in fundo. *Scoria* istæ iterũ fundẽdæ cum limatura martis, ut, num quid reguli superfit, percipiatur. Regulum hoc modo præparatum denuo fundunt igne fortissimo, sic omne antim. avolabit, remanente auro purissimo. *Hæc depuratio est optima, utpote qua color auri summè exalteratur, cum contrafusione cum saturno pallidior evadat.*

Vulgares auri SOLUTIONES menstruo corrosivo fieri solitæ, non nisi salis communis additione peragi possunt. Si aurum cum luna fundatur, tâm plenaria atque intima horum metallorum fit compactio & commixtio, ut vix parem concipere possis. *Separabis vero luna ab auro, vel in aqua forti seu in aqua regis solvendo massam illam*: Illa Lunam solvit, aurum verò dimittit: Hæc aurum, intacta luna. *Observari meretur, quod nisi lunæ partes iiij. & auri pars j. sumatur, aqua fortis massam non probè corrodat solvatque.*

Aurum solutum inque menstruo sic hærens, in pristinum corpus *reducitur* vel *per mercurium*, vel *per alkalia*, in specie cum spiritu Urinæ vel Oleo Tartari præcipitatur: Per mercurium verò reducitur, quatenus hîc omnes auri atomos ad se trahit, & beneficio amalgamatis in fundum secum rapit, igni verò admotus, in auras avolat, & aurum in fundo relinquit. *Solvit* quoque *autem spiritus salis concentratus*, ut videre est apud ZVVOLFERUM, *item spiritus nitri bezoardicus.* Nec solùm *salia* resoluta seu spiritus, sed *etiam sicca salia & coagulata aurum solvunt*, de quibus vide si lubet ZVVOLFERUM *in mantissa.*

Quæritur, *an salia volatilia Urinosa habeant vim calcinandi & dissolvendi aurum.* Affirmatur cum limitatione, si scilicet aurum debitô modô fuerit calcinatum, tunc *spiritus salis sale volatile urinoso impraegnatus optimè solvit solem*, quod etiam faciunt reliquâ salia volatilia. Sic paratur *C. C. SOLARE ope salis volatilis* C.C. si scilicet fiat stratum supra stratum cum bracteis solaribus & laminis C.C. donec adimpleatur crucibulum, quod in furno figulino reponitur, & eò usque calcinatur, donec appareat color purpureus. In hac calcinatione sal volatile C.C. rodit solem in pulverem purpureum, medicamentum in *febribus malignis* & *pestilentialibus*, in specie in *purpura mulierum* optimum.

Ad has calcinationes pertinet *AURUM FULMINANS*, scilicet solvitur aurum in aqua regis, præcipitatur cum Oleo Tartari per deliquium, & aliquantum edulcoratur. *In hac præparatione notandæ quædam sunt enchiresces*, (1.) *solvatur, aurum in aqua regis præparata cum sale armoniaco*, (2.) *ut in præcipitatione cum Oleo Tartari probè attendatur punctum saturationis*, hoc enim nisi fiat & plus debitô modô instilletur, vis fulminandi perit. *Fundamentum virtutis hujus fulminantis consistit in sulphure auri, ejusque cum salibus alkalibus concursu*, eademque est ratio, quæ cum pulvere pyrio. Vide TACHENIUM.

Quæritur, *quî fiat? quòd dum pulvis pyrius igni admovetur, fulmen superiora versus emittat, contra verò aurum fulminans deorsum ut plurimum fulminet.* Dico ut plurimum, nam ex VVILLISII observatione constat, aurum sursum versus etiam fulmen suum evibrasse. ℞. Hoc fieri propter gravitatem & pondus auri, quod verò pulvis pyrius sursum versus fulminet, hoc fit propter sulphur minerale nimis volatile, iflammabile superiora petens. Contra *aurum fulminans* non est inflammabile, sed saltim incandescit, & proinde solum fumum sursum, fulmen verò deorsum cum impetu emittit. Patet id, si in cochleari metallico aurum fulminans accendas, tunc pulvis flavus in cochlearis margine remanet, qui non potuit avolare. *Hic pulvis si intra corpus exhibeatur non edulcoratus, laxat, si vero optimè edulcoretur, sudorem pellit. Aurum hoc fulminans egregium est carminativum*, tàm in puerorum quàm adultorum flatulentiis. *Vis fulminandi eidem adimitur per acida*, imprimis per spiritum salis, sulphuris; item si ℞. *auri fulminantis* p. ij. *sulphuris commun.* p. ij. mista fundantur, tunc non fulminat, spiritus enim acidus in fusione se exserens, impedit, ne possit aurum fulmen suum emittere.

Ex auro fulminante & sulphure cicurato & spir. vini digesto POTERIUS suum facit *AURUM DIAPHORETICUM.* Ex hoc auro fulminante fiunt *FLORES auri purpuri* hoc modo: ℞. Auri fulminantis q.v. affunde spiritum vini ab omni phlegmate depuratum, impone campanæ vitreæ, ut fieri solet in destillatione olei sulphuris: Sic accenso spiritu vini fulmen, quod aliàs inferiora petit, ascendet, & sulphur simul aureum elevabitur in flores, qui optimum sunt sudoriferum. Ex eodem auro fulminante per retortam quoque tubulatam parantur *flores*, si scilicet in retortam tubulatam probè in capella candefactam imponantur gr. ij. auri fulminantis, sic fulminando elevabuntur flores, qui partim in recipiente amplo præposito, partim in retortæ collo colliguntur, idque repetitur tamdiu, donec florum sufficiens quantitas collecta fuerit.

Ad volatilisationem auri facit ejus *SUBLIMATIO.* Aurum per se non sublimatur, cum butyro verò antimonii elevatur supra alembicum. Sic quoque spiritus nitri bezoardicus aurum in altum vehit, item *sal armoniacum sublimat aurum in flores, qui denuo auro sunt miscendi, ut eò copiosiores & efficaciores acquiras flores.* Modum & enchiresin vide apud ZVVOLFERUM. Dantur quidam, qui cum spiritu fuliginis volunt aurum sublimare, sed res est altioris indaginis, nec cuivis obvia. PARACELSUS *requisita vera* TINCTURÆ *auri* proponit duo: (1.) Aurum debere ita fieri volatile, ut nunquam posteà sit reducibile, (2.) ita volatilisatum debere cum spirit. vini mutari in aurum potabile. *Certum est, quod spiritus vini sale volatili urinoso vel cornu cervi acuatus optimum sit menstruum pro solvendo extrahendoque auro*, aut parando croco solis, ex quo postmodum confici commodè possit aurum potabile. Hoc modo D. HAGEVVALD suam composuit tincturam solarem ex auro cum sulphure priùs calcinato.

Vulgares tincturæ per salia corrosiva parvi sunt momenti, quia superficialis tantùm sunt corporis solis corrosiones, quæ reduci possunt, quæque ut plurimum feces alvi, facta scilicet coloris solaris præcipitatione, & à menstruo in intestinis separatione, nigerrimo tingunt colore. Quod si verò quis tàm fortunatus existat, ut *veram* possideat *tincturam solarem*, quæritur, *quomodo operetur?* Certum est quod sit medicamentum analepticum seu virium restaurativum, anodyna facultate vires suas exserens, vis enim irradiativa HELMONTII vis imperceptibilis ol.

CAP. VII.
DE
ARGENTO.

ARgentum alterum metallorum nobiliorum: nobile respectu metallorum ignobiliorum; *ipso* tamen *auro ignobilius.*

Ratione principiorum argentum seu luna constat terra salina copiosa & maturata, cui se associat mercurius minùs copiosus & paucum sulphur. Ob horum principiorum minùs proportionatam inter se mistionem, fit ut luna minùs sit fixa & indestructibilis. Quòd si tamen figatur ita, ut ignis vehementiam sustineat, tunc facilè tinctura solis ei communicari potest, vel per venerem, vel per antimonium. Nam in luna semper aliquid solis reperitur.

Ob mercurialis principii inopiam minus fluida est, minusque ponderosa quàm aurum. Capiti dicata est luna, & cerebro sympatheticè respondet, undè *memoriæ debili, melancholiæ, epilepsiæ & apoplexiæ* medetur. *CRUDUM intra corpus assumptum argentum, vix ullius est efficaciæ*, sed potiùs continuò crudum rursus egeritur, quare *necesse est, ut ad usum Medicum præparetur. Cum verò sæpissimè luna & venus combinata sint adeò ut non rarò in una minera reperiantur, necessum erit, ut hæc duo probè prius ab invicem separentur*, nisi ab usu lunarium medicamentorum enormes exspectare velis vomitus.

SEPARATIO illa veneris à luna fit partim solvendo lunam in aqua forti, partim fundendo cum saturno. Priori modò aqua fortis aggreditur venerem, & lunam ad fundum dimittit. Posteriori saturn. metalla lunæ admista absorbet, ipsam verò lunam intactam ad fundum dimittit. Inter præparata lunaria se offert.

(1.) *CALCINATIO*, nunc fusoria, nunc cementatoria. *Immersiva* calcinatio *fit vel per spiritum nitri, vel per aquam fortem.* Per spiritum nitri benè rectificatum commodissimè solvitur luna, sicut per spiritum salis aurum. Maxima autem inter spiritum nitri & salis intercedit necessitudo, ita ut si lunam in spiritu nitri rectificato solveris, ea ab affuso spiritu salis præcipitetur ad fundum, diciturque *LUNA CORNEA*, quod cornu instar deflagret, & in auras abeat. Contra solutio cum spiritu salis præcipitatur cum spiritu nitri in præparatione bezoardici mineralis. *Luna cum spiritu nitri soluta concrescit in CRYSTALLOS, magni usus in excitandis fonticulis*, & Gallis cum primis familiares, qui vocant *LAPIDEM INFERNALEM.* Recipiunt nempè lunam, solvunt in spiritu nitri vel aqua forti, post solutionem menstruum abstrahunt, residuum fundunt in crucibulo magno, moderato igne, nam crystalli effervescunt, in qua effervescentia rumpitur crucibulum, nisi amplum satisfuerit, unde gradus quoque ignis accuratè observandi, ut successivè fluere incipiant, quando fluunt, infundunt in alveum fusorium, sicque paratâ materiâ est pro fonticulis eleganter excitandis. *Prosunt quoque tales crystalli Lunæ in ulceribus* putridis, in carne gangrænosa succrescente, nam putredinem corruptivam coërcent, ne longiùs serpat. Vis eorum maxima dependet à spiritu nitri in luna concentrato. Ex marte quoque & venere talis lapis infernalis parari potest. Simili ratione *purgantes* quoque *crystalli ex luna* præparantur, *seu LUNA PURGANS.* Solvitur scilicet luna in aqua forti vel cum spiritu nitri, solutio abstrahitur, inspissaturque successivè blando igne arenæ, instrumento quodam agitando, ut æqualiter evaporet spiritus nitri. Hi crystalli sicubi applicantur, maculam ei imprimunt per aliquot hebdomadas perdurantem. *Crystalli tales cum mica panis in pilulas redacti ad gr. IV. exhibiti, commodissimè aquam hydropicorum educunt; præterea cachecticis & catarrhalibus affectibus conveniunt.* Frequentissimo in usu sunt Anglis, & cum felici successu ab iis in usum vocantur. Hoc tamen *observandum, quod tonum laxent ventriculi*, undè *commodiùs his pilulis miscentur martialia*, quæ laxitatem & tonum ventriculi in integrum restituunt. Crystalli hi sunt grysei coloris.

Singulares sunt, quos habet TACKIUS, *viridis coloris ex luna*, beneficio nitri artificialis ex calce viva & sale communi. Mirum sanè, hos viridi se ostendere colore, cum tamen omnia alia medicamenta lunaria sint cœrulea.

CEMENTATORIA Calcinatio fit, si luna cum duplo florum sulphuris mista septies justo ignis regimine sublimetur, sublimatum semper restanti materiæ addendo, ultima verò vice sublimatum abiiciendo. In hac cementatione fit, ut acidum sulphuris lunam rodat, & quasi in corpus vitriolaceum transmutet. Huic affunditur aqua cephalica in affectibus capitis, in specie pro cura *maniæ* aqua hypericonis, in *memoriæ debilitate* aqu. Philosophorum CROLLII, quæ ad cochlear j. bis in die sumi potest non sine fructu. Dosis variat pro varietate ætatis, & copia menstrui.

Post calcinationes lunæ sequuntur *extractiones*; unde *TINCTURÆ LUNARES*, quæ *omnes eleganti colore cœruleo intuentium sese oculis commendant.* An verò hîc cœruleus color sit a luna, an potiùs à Venere, incertum. Posterius affirmaverim inductus intima Lunæ & Veneris conjunctione, & quia tales tincturæ lunares ut plurimum cum sale ammoniaco fieri soleant, quod venerem in cœruleum rodit colorem: Sic quoque *sal armoniacum vel sal volatile urinæ in forma sicca ex luna cœruleum producit colorem*, si scilicet sal volatile urinæ immittatur in pyxidem argenteam, sic fit, ut sal volatile urinæ argentum rodat in croceum quendam, qui spiritu vini extractus, dat Tincturam lunæ non quidem veram, sed quæ solummodo est extractio partium lunarium corrosarum superficialis.

Alii recipiunt lunam cum aqua forti solutam, & *cum spiritu vini sale armoniaco acuato extrahunt tincturam cœruleam. Alii sublimant lunam cum sale armoniaco repetitis vicibus, sublimatam extrahunt cum spiritu vini sale armoniaco acuato, extractum inspissant ad justam tincturæ consistentiam.* In hac extractione subinde fit, ut tinctura suam amittat colorem, qui eidem *restitui potest beneficio salis armoniaci. Omnes* verò *hujusmodi tincturæ superficiales tantum sunt corporis salini solutiones; quæ facilè beneficio alkalium reduci possunt, unde veræ tincturæ lunares, quàm solares adhuc desiderantur.*

CAP. VIII.
DE
GEMMIS.

OCcasione *metallorum* accessum facio quoque ad *gemmas*, ut quarum unica virtus à principio sulphureo metallico dependet. *Constant verò gemmæ* ex aqua simplicissima & depuratissima coagulata, vel à sale sibi proprio vel alio coagulante.

Sunt verò gemmæ vel coloratæ, vel non coloratæ. NON COLORATÆ constant ex aqua simplicissima à sale simpliciter coagulata, id quod docet genesis glaciei, quæ ex aqua simplicissima coit in gemmam glacialem elegantissimam, ut nihil dicam de illo HELMONTII, quo *beneficio alkali cujusdam omnes gemmas & lapides potuit reducere in purissimam aquam elementarem.* Talem quoque genesin esse credo lapidum reliquorum, *quorum particulæ comminutæ pulverisatæque per microcospium intuenti apparent maximè perspicuæ instar crystallorum. Gemmæ coloratæ colorem suum sortiuntur à principio metallico*, id quod patet, dum fluores tales seu vitra conjunguntur cum metallis, ex quibus in igne fusis emergit color varius, pro vario adjuncto, undè genesin coloratarum gemmarum hanc puto esse: Dum aqua talis salina transit per loca metallica, in quibus residet ens primum metallorum sub formâ liquidâ, eidem resistit, illud absorbet & secum coagulat ramenta metallica colorata, unde exsurgit color in gemma. Declarat hoc egregiè KESLERUS *in suis processibus*, ubi ostendit modum præparandi artificiales gemmas, & exindè deducit colorem gemmarum naturalium ex principio metallico, unde rutilantes gemmæ, v.gr. *rubinus, carbunculus, granatus* colorem suum debent sulphuri solis. *Sapphirus* colorem suum habet à luna, quæ in se continet colorem cœruleum. Gemmæ viridescentes colorem acceptum debent veneri, qualis est smaragdus. Gemmæ coloris fusci vel flavescentis, v.gr. *chrysolitus, topasius*, ex marte colorem suum nanciscuntur, & sic de cæteris.

USUM *gemmarum Medicum quod attinet*, variè torquentur gemmæ à pseudochymicis, ut ex iis volatilisatis tincturam eliciant. Quilibet jactat suam tincturam gemmarum, quod fatum maximè corallia experiuntur. Non equidem totaliter pernego tales *gemmarum tincturas, sed dico summè difficiles eas esse, CRUDAS gemmas intra corpus assumptas nihil operari*, sed eadem qua assumptæ forma vel per vomitum, vel per alvum reiici certum est, *excepto tamen* crystallo ob mollitiem suam, hîc enim adhibitus, omne acidum, quod effervescentias in corpore suscitat, absorbet & secum è corpore educit.

Ridicula est gemmarum super porphyritem LÆVIGATIO: Nam propter duritiem lapidum vel gemmarum abraditur simul aliquid de porphyrite vel mortario, hinc illæ lacrymæ, hinc illæ virtutes cordiales, quas faciliùs impetrabis miscendo cum gemmis arenam.

Idem *Judicium* esto de *TINCTURA ex gemmis calcinatis cum spiritu vini extracta*, quæ certè virtutes aut nullas, aut paucissimas obtinet. Nam *in gemmis omnibus paucissima est tinctura*, & si quæ inest, ea tàm intimè *arctissimeque coaluit cum principio salino gemmas coagulante, ut si non impossibile, certè difficillimum sit integram elicere tincturam. Nec tamen omnino gemmæ defraudandæ virtute*, utut internè adhibitæ parùm ægrotis afferant solaminis. *Experientia* quippe confirmatum est, eas externè *AMULETI* instar non rarò optatos præstare effectus. Sic *jaspis* in *hæmorrhagia* tùm narium tùm uteri appensus, optatum tulisse visus est auxilium. *Sapphiro* si ducatur circulus circa *carbunculum* pestilentialem, eundem brevi nigrefactum excidere facit, de quo vide MARCUM MARCI tractat: *de Philosophia Veterum restituta.* Præterà ophthalmicus est *sapphirus in lippitudine aliisque oculorum affectibus conducibilis.* Hinc *multi quoque usus est in variolis & morbillis, si cum eo ducatur circulus circa oculi περιφέρειαν, ne lædatur.* Lapis nephriticus externè appensus multum prodest in calculosis affectibus. Vide BAUHINUM tractatu *de lapide nephritico.* Unde apparet non esse de nihilo vim gemmarum amuleticam, quæ à gemmis exoritur per radiativam quandam operationem.

Sed *quæritur, unde vis illa radiativa in gemmis.* R. à sulphure metallico, à quo quoque gemmæ habent tincturam. Hoc sulphur metallorum purissimum multos adduxit, ut omni studio *tincturam gemmarum elicerent*, quod tamen *difficillimum* (1.) *quia sulphur tingens gemmis inest paucissimum*, ita, ut v.gr. granatus, utut sit rubicundus satis, si pulverisetur, albicantem exhibeat pulverem (2.) *utut quibusdam copiosum insit sulphur, illud tamen adeò est coagulatum & concentratum, ut vix separari queat.* Hinc apparet, *quod omnes tincturæ vulgares tantum sint superficiales, non verò totius essentiales solutiones.* (3.) Sic *tincturæ si quem exhibent colorem, eum menstruo debent*, undè pro varietate menstruorum varios mentiuntur colores. (4.) Aliæ quoque res tincturæ impertiri possunt colorem, quod falso sulphuri metallico adscribitur, v. gr. tinctura smaragdi ex smaragdo in mortario ferreo contuso cum spiritu extracta, mentitur colorem sulphuris metallici. Color enim revera est à particulis martis contundendo abrasis, quæ cum spiritu vini spiritu urinæ imprægnatò extractæ, colorem viridem repræsentant.

Sic quoque *quidam tincturas gemmarum faciunt sublimando cum sale ammoniaco in flores subrubentes, quas extrahunt cum spiritu vini.* Verùm utut aliqualis hoc appareat solutio, *sal armoniacum* tamen *radicaliter gemmarum sulphur extrahere nequit, sed superficialiter easdem tantum lambit, unde etiam hæ tincturæ non magnam promittunt utilitatem.*

SECTIO II. DE VEGETABILIBUS.

CAP. I. DE VINO, ET SPIRITU VINI.

ABsoluto regno minerali, accedimus nunc ad *REGNUM VEGETABILE*, in quo brevissimè ea solum pertractaturi sumus, quæ ad intelligenda principia Chymica sufficient.

Hoc autem in regno facilè primam & potissimam considerationem meretur *VINUM*, ejusque producta & cognata, unde ejus genesin & varias mutationes paulò uberius lubet perscrutari.

Quæ jam *de vino* ejusque spiritu, & insequentibus de ejusdem productis variis *aceto, tartaro*, dicemus, applicari & accommodari facilè tum ad reliqua vegetabilia, tum & cum primis ad liquores vinosos ex fructibus expressos, item *mel* ejusque *spiritum* poterunt, ut ita specialem singulorum tractationem hîc inserere à proposito nostro planè foret alienum.

Est autem vinum nihil aliud quàm *succus uvarum expressus, per fermentationem depuratus & exaltatus. Depuratur*, dum sub fermentationis actu deponit feces; *Exaltatur*, dum fermentando spiritualscit & volatilisatur. *Fermentatur* autem mustum, dum concurrentibus invicem acido & alkali partes heterogeneæ excluduntur, miscibiles verò retinentur, undè fit musti in vinum generatio, orta ex mutata textura musti per fermentationem.

Obiter hîc notanda *CONCENTRATIO musti, item quarundam cerevisiarum Glauberiana*, cujus scopus fuit, ut tales potus abstractione phlegmatis per navigia instar mellis in aliena loca possint transvehi, & ibidem affusa aqua rursum in pristinum transmutari potum. Verum *res non successit* GLAUBERO, sed massa talis dephlegmata in vermes abiit, nec fortè aliis item tentaturis succedet, dum enim phlegma musto vel cerevisiæ subtrahitur, particulæ reliquæ tàm arctè invicem uniuntur, ut nullâ aquâ dissolvi invicem queant, unde non potuerunt quoque rursus fermentari, quia *salia non agunt nisi dissoluta*. Potius *dicerem, uvas passas esse mustum concentratum. Ex his* quippe *affusa aqua & saccharo componitur liquor vinosus per fermentationem vino Hispanico non absimilis*. Ex uvis passis cum succo pyrorum moschatellinorum mediante fermentatione exsurgit *VINUM COMPOSITUM*, egregium ad corrigendam *Συγκρασίαν* massæ sanguineæ, *utile in affectibus cachecticis*. Sic *& cum succo pomorum Borsdorffianorum fit vinum artificiale* in affectibus hypochondriacis & melancholicis proficuum. Ut verò ad mustum ejusque fermentationem revertamur, dictum antea, quòd *fermentatione particulæ musti volatilisentur & exaltentur in spiritum*, unde patet differentia inter mustum & vinum.

Mustum intra corpus assumptum ob particularum heterogenearum pugnam facilè *diarrhœas, dysenterias, cholerasque inducit*, vinum verò in hoc non facit, sed assumptum, inebriat ob spiritum vini, qui partim figit, partim in anomolos motus spiritus nostri corporis concitat, contra mustum copiosè licet ingurgitatum, tamen non inebriat, quia particulæ in eò adhuc confusæ, & in spiritum vini nondum exaltatæ sunt.

Porò per fermentationem separantur quædam particulæ heterogeneæ & nonnihil miscibiles, unde *FEX VINI*.

Notatu quoque *dignum, quod injecta limatura martis mustum non fermentet amplius*, cujus *ratio* esse videtur, quod particulæ acidæ musti agant in corpus martis, illudque rodant, unde cum agant in martem, non congrediuntur cum particulis sibi contrariis vel alkalicis, & ita fermentatio cessat.

Hoc modo *non inelegans martis essentia cum musto præparari potest*.

Aliàs *anatome vini* circa *tria* occupata est (1.) circa *spiritum vini*, (2.) circa *terram tartaream* fixam, (3.) circa partem vini acidam seu *acetum*.

SPIRITUS VINI est nihil aliud quàm sal volatile oleosum copioso phlegmate dilutum, seu est nihil aliud quàm oleum fermentando exaltatum, & in spiritum transmutatum. Nam oleum arripit secum sal volatile, hæcque sub fermentationis actu volatilisata exhibent spiritum. *Hic spiritus* ratione partis oleosæ *continet in se acidum volatile, temperatum* tamen *ab oleositate*. Acidum hoc spiritus vini se manifestat, *quando spiritus vini cum spiritu salis armoniaci vel sali volatili urinæ confunditur, coagulatur enim cum iis in offam crassiusculam*, quatenus sal volatile salis ammoniaci arripit acidum volatile in spiritu vini latens, & cum eò abit in crassamentum tale. *Est itaque spiritus vini sal volatile oleosum dissolutum*, qualem spiritum omnia vegetabilia sale volatili prædita, & aromaticum odorem spirantia mediante fermentatione in ignis examine exhibent, sed parum aut nihil olei, unde verum est illud Chymicorum assertum, quod *spiritus inflammabiles volatiles, sint olea fermentando dissoluta*: *Olea* verò talia *destillata, sint salia volatilia ab acido pinguiusculo concentrata*, unde liquet, quod spiritus vini aliique sint novum ens per fermentationem productum ex vino vel aliis simplicibus, realiter jam differens ab illis, quibus antea uniebatur, adeò, ut *detur nullus spiritus ardens per se existens, sed fiat demum ex quodam corpore mediante fermentatione*.

Spiritus vini probè *rectificatus* vulgò vocatur *spiritus vini ALKOHOLISATUS*. Est verò probè rectificatus, si gutta supernè in terram effusa eandem non attingit, sed in auras evanescit, item,

item, si spiritus vini cum pulvere pyrio accensus totus deflagret, nec sui relinquit vestigium, ut & si linteum spiritus vini madefactum & accensum aridum planè & sine phlegmate relinquitur. Non verò confundendus est spiritus vini alkoholisatus cum spiritu vini tartarisato. *Solet enim, ut probè rectificetur & defectus fiat, abstrahi à sale tartari probè calcinato,* quòd sal phlegma (si quod adhuc cum spiritu vini conjunctum sit) retinet, & spiritum vini purissimum dimittit, quin & intercedente digestione spiritus vini particulas quasdam salis tartari secum rapit, fitque hoc modo efficacior, & vocatur *spiritus vini TARTARISATUS, estque menstruum optimum pro extrahendis vegetabilium virtutibus, longè spiritui vini simplici præferendus.*

Per vesicam *ex fecibus vini destillatus spir. vini* ob partes salinas volatiles, quas secum evehit, *vulgari* itidem *est penetrantior, adque extractionem vegetabilium commodior.* Nota est *DESTILLATIO spiritus vini SINE* IGNE PARACELSI, qui facit congelascere vinum in frigore, sic in medio repetitur spiritus vini simplicissimus, qui vocatur *spiritus vini PHILOSOPHICUS, vulgari longè præferendus,* vulgaris enim in destillatione facile empyreuma contrahit, unde mutatur ejus textura: Spiritus vini verò Philosophicus per congelationem paratus multo purior & volatilior est.

Post spiritum vini consideranda maximè venit altera vini pars nempè *acida.* Hoc *ACIDUM VINI est basis & fundamentum totius concreti. Ab hoc acido fit, ut mustum alteretur in vinum. Ab hoc est, quod vinum mutetur in acetum. Ab hoc acido dependet generatio tartari,* adeò, ut hoc acidum subtile sit basis totiùs concreti, *ejusque beneficio varias vinum subit alterationes.*

USUM VINI medicum quòd spectat, is certè nobilissimus & saluberrimus est. Cùm verò *duplex in vino sit substantia, una spirituosa & volatilior, altera acida paulò fixior. Ratione partis spirituosæ recreat spiritus* corporis nostri incolas, unde à nonnemine *AURUM VEGETABILE POTABILE* salutatur. PARACELSUS vocat vinum principem & nectar vegetabilium. Dein etiam *ratione partis suæ spirituosæ insignem vim habet temperandi humores acidos in corpore stabulantes,* uti videmus spiritum vini acidos minerales spiritus conjunctione sua dulcificare. Porro *propter substantiam suam penetrantem corruptiva resistit putredini,* unde in *ulceribus putridis* & ad gangrænam pronis, si cum theriaca vel aliis misceatur, insigne adfert levamen. Sic spiritus vini *CAMPHORATUS* in partibus *gangrænosis* valdè prodest, item in *doloribus podagricis* insigne est mitigativum. Sic & spiritus vini acidum resolvendo curat *erysipelas,* imprimis si cum rob sambuci mistus parti affectæ illinatur. *Nimio* autem *abusu vinum dissipat facultatem,* ut veteres loqui amant, animalem, *quatenus figit spiritus, unde somnolentia post nimium vini usum.*

Ratione partis acidæ vinum valdè gratum est stomacho, affectibusque stomachicis confert. Item ratione acidi conducit in febribus ardentibus, in quibus tutissimè potest propinari. *Vulgò* clamant vinum calefacere, sed quantulacunque pars est vini quæ calefacit? *Certè plus quandoque prodesse visum est in febribus tàm continuis quàm intermittentibus, quàm julepi & alia operosæ compositionis medicamenta.* Sit tamen modus in rebus, *abusu enim vini nimio non levis corpori noxa imminet. Ex nimio vini abusu oriundos videmus calculos.* Ab hoc acido immodicè ingesto *arthritis* producitur, quatenus acidum vini continuò sui usu ventriculum debilitat, quo debilitato elabitur ex primis viis, atque cum massâ sanguineâ ad partes nervosas sensilesque translatum, ibidem arthriticos aliosque dolores inducit. Ab eodem hoc acido dependet paresis *stupor membrorum, contractiones* partium, &c. nam *omne acidum nervis est inimicum.*

CAP. II.

DE

ACETO VINI.

Dixi supra, quod *acidum sit basis totiùs concreti,* & quod *hujus beneficio fiat aceti generatio,* quod contingere puto, quando in fermentatione vini partes salinæ volatiles non tàm exhalant, quàm sensim sensimque ab acido vini subiguntur, seu *acetum fit, quando acidum vini exaltatum subjugat atque figit partem propriam oleosam seu spirituosam, quâ subactâ, fit acetum. Non enim separatur ab aceto spiritus vini, sed tantùm subjugatur & figitur,* unde si in vase optimè clauso reponitur debile vinum, fit aceti generatio, utut nihil spiritus vini exhalare queat. *Ex aceto quoque fit spiritus vini,* quòd patet ex sacchara Saturni. Item, si affundas acetum corallis, fit ut dulcescat, quatenùs ab iis concentratur acidum, & pars volatilior emergit.

Quo generosius est vinum, eò fortius acquiritur acetum, sic ut fortius fiat acetum, quidam addunt subjecta quædam sale volatili copioso prædita, ut semen sinapi, erucæ, piper, & exsurgit acetum fortissimum.

Cum spiritus vini in aceti generatione ab acido fixatus sit, *in DESTILLATIONE aceti* primo prodit *phlegma,* subsequitur demum *spiritus,* contrarium fit in destillatione *spiritus* vini. Fit autem aceti destillatio in Mar. Baln. unicâ vice, quo sæpiùs rectificatur, eò debilius evadit. Lento opus est igne, ne spiritus empyreuma contrahat. *ACUATUR* acetum *pro extractionibus armoniaco sale,* si scilicet aceti ℔ IV. addas salis ammoniaci unciam ß. & destilles, & sic fit *acetum acerrimum pro dissolvendis metallis & mineralibus quibusdam convenientissimum.* Sic quoque si acetum abstrahitur à nitro & sale gemmæ, fit ut acetum secum rapiat horum spiritus, & in virtute sua insigniter exaltetur.

Acor aceti est volatilis, planè discrepans ab eo, qui est in spiritibus acidis mineralibus, qui concentrantur cum soluto, idque valdè constringunt: Contra *aceti acor est volatilis, penetrans & dissolvens, adeoque spiritibus mineralibus acidis præferendum omnino acetum.* Quod attinet *USUM Medicum ACETI,* est alexipharmacum optimum *in peste, cui magis fidendum quàm ipsi theriacæ,* unde tot prostant aceta bezoardica in peste maximè proficua. *Corrigit acetum vegetabilium virulentiam, in specie opii & purgantium: Si quis excessivam* opii dosin hauserit, post usum aceti in integrum evadet. Noxium gas corbonum aceti tollit usus.

Quæstio est supervacanea: *An acetum sit calidum an frigidum?* Acor stipticus aceti, item dum sanguinem coagulat, acetum refrigerare quodammodo probant, & cùm constet partibus spirituosis volatilibus inflammabilibus facilè patet: cujus sit naturæ. Præterea *acetum in sanguine coagulato resolvendo per celebre est remedium, imprimis si cum oculis cancror. propinetur,*

propinetur, nam oculi cancror. perlæ, corallia, commodissimè propinantur cum aceto, quia hoc concreta talia quodammodo aperit, ut commodiùs operationem suam exserant. Sed & *NOXA sua acetum non caret sine judicio adhibitum propter acidum penetrans*; nocet enim partibus nervosis, item hypochrondriacis propter acidum horum per se satis corrosivum nocet. Si quoque *hystericis minus convenire videtur*, quia effervescens in illarum intestinis paroxysmos solet inducere hystericos.

CAP. III.

DE

TARTARO VINI.

Restat in vinologia ut videamus TARTARUM, *fœtum vini* (effato PARACELSI) matre nobiliorem, cujus genesin optimè depictam videmus apud HELMONTIUM, *de tract. de tartaro vini* Dictum aliquoties, quod acidum vini sit basis totius concreti. *Hoc acidum uti vino suum dat esse ita quoque eidem suum dat alterare.* Nimirum acidum hoc dum fecem vini rodit postmodum cum particulis solutis salinis sese coagulat, & sub coagulatione ista partes fecum terrestres simul constringit, fitque ex horum unione tartarus vini.

FECES VINI, ut supra monitum, generantur, dum beneficio fermentationis pars terrestris heterogenea ad fundum præcipitatur. Hæ tamen feces in totum non sunt feculentæ ac terrestres, sed habent sua principia salina, copiosum scilicet acidum & alkali, quæ in complexu suo detinent partes terrestres fixas & copiosas, salis volatiles spirituosas. Nam *ex fecibus vini destillari potest spiritus ardens elegantissimus*, *item ex iisdem fecibus*, *si ritè procedas*, *acquiritur sal volatile in forma nivis*, *spiritus itidem volatilissimus*. Has feces vini dum rodit acidum, vini cum particulis illarum solutis coagulatur in tartarum, *vera namque hic regula est*, *quòd omne acidum solvens corpora*, *cum iisdem coaguletur. In ambitis* verò *dolii concrescit tartarus duplici ex ratione* (1.) *quia vinum circa ambitum dolii est magis acidum*, id quod patebit, si dolium vino repletum hyberno tempore exponatur frigori, tunc vinum in ambitu suo in glaciem conversum apparebit, spiritus vini à frigore ad medietatem pellitur, unde acor circa vasis latera erit major quàm in medio. (2.) quia *salia, quando debent cogulari necesse est, habeant sub subjectum firmum*, *ad quod concrescant*. Tale autem subjectum est lignum quernum, quo utplurimum constant cadi vinarij

Aliàs *vox tartari tripliciter sumitur*, (1.) *pro acido vini ab omni vino inseparabili, nunc magis nunc minus fixo, quorundam* enim *vinorum acidum transcendit alembicum*, *& liquorem insipidum relinquit*, uti fit in vino Hispanico *Quorundam autē vinorum acidum est fixius*, con retum cum partibus terrestribus fixioribus, inde fit, ut dum partes volatiles avolant, fixiores calciformes relinquantur in fundo, id quod patet *in vino Ienensi*, quod effusum in tabulam per noctem, manè monstrat tartarum in tabula, qui in vino fuit. Hoc acidum in vino se manifestat, si illi immittatur ovum, apparebit vitreis quasi crystalis tectum, quod fit, quatenus acidum vini rodendo testam ovi & imprimis ejus alkali, cum eò abit in salsum crystallinum. Hinc quoque fit quod *oculi cancror. infusi vino*, *ejus omnem fere adimant aciditatatem*, *imbibendo scilicet acidum.* (2.) *Pro fecibus vini*, de quibus supra (3.) *Propriè voce tartari illud venit* concretum salino crystallinum, *quod doliis circa latera adhæret*, de quo hic.

Tartarus talis est vel RUBER vel ALBUS, prout est vel vini rubri vel albi fœtus, *ejusque* tamen *utereque virtutis & efficaciæ. Constat autem* principiorum ratione *copioso ex sale acido vinoso plus minus fixo, juncto cum sale urinoso vel alkali itidem copioso, quibus duobus salibus intertextæ sunt partes terreæ fixæ*, *oleo quodam omnes concreti partes firmante & quasi ferruminante*, unde patet, quid de tartari virtutibus in Medicina sit habendum: *Cum* enim *constet ex acido & alkali*, *ita tamen*, *ut præpolleat acidum volatile*, *hujus ratione erit optimum incisivum & abstersivum muci*, *in stomacho & intestinis stabulantis.* Alvum blandè *laxat*, in specie si drachma ß. cremoris tartari jungatur cum gr. iij. vel ij. diagrydij. Hinc est, quod *si cremor tartari ante purgantia adhibeatur*, *commodissimè eorum promoveatur operatio.* Præterea insigne est *diureticum*, abstergens optimè tubulos renales.

Cæterum, *cum in omni tartaro sit pars terrestris & feculenta*, *quæ à stomacho nostro digeri nequit*, sed calcis instar in fundo præcipitatur & subsidet, *PRÆPARANDUS est prius Tartarus atque partibus terrestribus liberandus*, *quod fit per solutionē & iteratam coagulationem*, ex quibus consurgunt *CREMOR & CHRYSTALLI tartari.* Quidam ut puriores acquirant crystallo, crebrius solvunt & coagulant, sed malè nam, *quo sæpiùs solvas*, *eò debiliores nancisceris*, semper enim in aqua pars quædam volatilis acida remanet, *& multum virium hoc modo decidit.* Hoc ne fiat *unica solutio vel crystallisatio sufficit.* Alij ut acquirant majores & candidiores crystallos, in solutionem immittunt parum *aluminis*, sed pessimo consilio, quippe cum crystallos expetunt laxativos, aquirunt stypticos & adstrictorios.

Tartarus verò *non in omnibus convenit affectibus, propter acorem quibusdam nocivum.* In tali itaque casu adhibentur crystalli tales cum sale Tartari fixo, aut fermentantur cum proprio sale, cujus fermentationis beneficio tartarus abit in crystallos salsos, longè efficacissimos & magis fructuosos, quàm sunt crystalli tartari acidi. In fermentatione enim ista crystalli proprio sale probè saturati sunt, inde *abstergunt*, inque *affectu hypochondriaco*, *hydrope*, *cachexiis*, *scorbuto*, multi sunt usus. *Modum alterandi tartarum* cum vegetabilibus vide apud *ZUUELFERUM* in *Mantissa.* Aliàs *cum limatur à Martis* tartarus conjunctus abit in crystallos *in morbis chronicis* efficacissimos. Prostant in officinis *Cremor seu crystalli tartari rubicundi*, HEPATICUM RUBRUM DRESDENSE *dicti*, qui valdè conveniunt *in æstu æstivo tempore corrigendo*, *item in tertianis cum ardore multo conjunctis & siticulosis. In crapula pellenda discutiendaque* multi quoque sunt usus.

Tartarus si DESTILLETUR, aperto, igne, prodit SPIRITUS *phlegmaticus*, quem subsequitur *oleum fœtidum*, remanente in fundo retortæ *capite mortuo nigro*, ex sale alkali & partibus terrestribus constante.

Quæritur, *cùm tartarus sit naturæ acidioris*, *ubinam in destillatione maneat acor?* ℞. quærendus ille in oleo. Cum tartarus ex alkali & acido constet, ex horum in igne concursu excitatur gas sylvestre, quod nisi exitum inveniat, omnia diffringit. Sub hoc concursu ambo concentrantur, & accedente corpore pingui abeunt in oleum, id verò quod remanet aucto igne abit in sal alkali fixum. *Spiritus ab oleo separandus*,

& postmodum aliquoties rectificandus est, ut eadem repetita rectificatione abeat in spiritum volatilem. Nec tamen hoc modo perfecte volatilem acquirere poteris spiritum, qui scilicet constet ex alkali ab omni acipo liberrimo, id enim altioris est indaginis, & Chymicorum sublimiorum exercet ingenium.

Quidam, ut acquirant *spiritum tartari volatissimum*, rectificant spiritum tartari super caput mortuum proprium, alij super calcem vivam; Quidam miscent cum alkali proprio & destillant, sic enim *alkali fixum absorbet acidum* in spiritu adhuc residuum, & prodit spiritus alkalicus purissimus, satis volatilis, qui ex arena destillari potest. *Melior modus* est, si tartarus crudus fermentetur cum sale proprio, unde si rectè processeris, habebis spiritum volatilissimum, summarum in medicina virium.

Sal tartari cum calce viva igne legitimo destillatum, dat spiritum egregium, sed paucum. Porrò sal. tartari cum alumine crudo vel usto destillatus, exhibet spiritum volatilem urinosum, qui spiritus cum camphora est basis *tincturæ bezoardicæ PARACELSI*, quæ recipit spiritus tartari volapart. iij spiritus vitrioli volatilis p. j. spiritus theriacalis camphorati p. IV. vel v. Dum vulgares TINCTURÆ BEZOARDICÆ Pharmacopœorum spiritus satis phlegmaticos recipiant, patet, quid de iis habendum, hic enim *PARACELSUS* spiritus volatiles recipit ac eligit.

VIRTUTES *speritus volatilis tartari* tantæ sunt ut verbis vix exprimi possint, cum enim *constet alkali volatili urinosissimo*, *omne* acidum absumit ac dulcificat, unde in affectibus hypochondriacis, aliisque salutare est remedium. In arthritide, podagra curanda vix certius tartaro eiusque sale volatili datur remedium: Acidum quippe nervos infestans & tendines pungens absorbet, corrigit, emendat, coagulationem in tophos impedit, internè assumptus vel externè applicatus. Ita nempe provido naturæ consilio unum idemq; & pestem minatur articulis, & salutem promittit. *Tartarus* ex assumpto copiosius vino in stomacho cavo cumulatur, & ex eo in alias corporis partes delatus, si partes offenderit nervosas, dolores excitat podagricos. Idem tartarus à vino in dolio separatus si debitè præparetur, certa experientia doloribus arthriticorum medetur. Nec enim quolibet volatile cuilibet acido adversatur, sed hoc alkali illi acido specificè contrariatur. *Spiritus tartari volatilis* cum omne acidum destruere credatur, *in affectibus chronicis quibuscunque salutarem promittit operam*, in specie & in *malo hypochondriaco*, *paresi ex colica*, quæ in Moravia est endemia, item in *pleuritide*, *hydrope*, quos affectus partim per urinam, partim per sudorem, eorum eliminando causam continentem curat.

Post *spiritum* in destillatione tartari prodiit OLEUM FOETIDUM, *quod est alkali ab acido, pingui concentratum. Hoc aliquoties super* C. C. *ustum rectificando suæ claritati redditum*, summum est *sudoriferum*, cujus gutt. ij. vel iij. *in morbis malignis*, ubi sudor subinde difficulter promovetur potentissimè cum fructu movet sudorem, unde in *colica* quoque & *hysterica passione* est auxilij præsentis. Itidem in *doloribus podagricis*, ut & in *calculo renum* externè adhibitum, maximè convenit. *Bubones pestilentiales* optimè abstergit & curat. Sic *si oleo tartari fœtido spiritus vini affundatur, tetro squalori succedet odor roris marino similis.*

Superest adhuc ex destillatione tartari CAPUT MORTUUM, nigri coloris, *& in eo latitans sal tartari fixum, quod omnium fixorum princeps existit & dominus*, singulares tam in Medicina quam Alchymia præstans effectus Menstruorum egregiè intendit virtutem, si cum spiritu vini seu cum menstruo aquoso solvatur, unde in decoctis & infusis, purgantibus in specie, operationem accelerat & facilitat. Deinde est summum *diureticum & diaphoreticum*, in *febribus* apprimè conducibile. Inter *cosmetica* facilè primum locum occupat in specie *serpiginibus*, *varis*, *pustulis*, *guttæ rosaceæ*, egregiè medetur. *In scabie unguentum de cerussa cum oleo tartari per deliquium est expertissimum.*

In *Alchymia* est optimum menstruum pro solvendis ferè omnibus mineralibus, eorumque *sulphure extrahendo*. Optimè quoque convenit in resuscitandis metallis eorumque mercurium *elaborando*, unde dicitur SAL RESUSCITATIVUM.

Ex hoc sale Tartari cum acido volatili aceti, elaboratur TERRA FOLIATA TARTARI, quæ nihil est aliud quàm tartarus regeneratus. Ex hac enim terra foliata idem pariter ex tartaro produci potest spiritus, oleum & sal fixum. Idem quippe spiritus est in vino & aceto. *Terra hæc foliata* cum spiritu salis ammoniaci optimum est remedium in *malo hypochondriaco*, *affectibus urinæ*, *morbisque virginum*. Vide *SCHUUALBE de acido & alkali p.* 131.

Cæterum sublimiores Chymici non contenti sale tartari fixo, eò suum digunt studium, ut sal. tartari fixum volatilisent. *Aliud verò est sal volatile ex fæcibus vini, & aliud* SAL TARTARI VOLATILISATUM. Hoc anxiè quærunt Chymici, quia *HELMONTIUS* dicit, quod ejusmodi sal fixum volatilisatum sit loco menstrui universalis in alchymia: Item quod remedium sit penetrantissimum, usque ad limen quartæ digestionis (quam in arteriis HELMONTIUS collocat) penestrans, vi sua saponaria omnes totius corporis sordes abstergens, & illud purificans. *Modi volatisandi* instituuntur varii: *Sunt* qui cum aceto volatilisare tentant, ut fit cum tartari terra foliata. *Alij* cum spiritu vini per repetitas digestiones & cohobationes, uti fit *balsamus samech PARACELSI*, sed spiritus vini est insufficiens. *Sunt* qui *cum oleo tartari fœtido* periculum faciunt, secundum *HELMONTIUM*, sed *nec hoc procedit*. Alij *volatilisationem salis tartari fixi cum aëre tentant, qui modus multum habet in recessu*. Risum verò meretur ZUUELFERUS, qui in cella liquefacit sal tartari, putatque, hoc modo cum sale, quod est in aere conjunctum volatilisari, sed frustra: Nam *sal* tartari in totum alterantur, liquescēdo quippe attrahit sal aeris acidum volatile, & cum eo abit in sal salsum nitrosum, nullo modo volatile. Quod verò sal tartari attrahat acidum aeris, probatur exinde, quod liquor in aere solutus cum novo sale Tartari effervescat.

Ex sale tartari cum spiritu vini rectificato quidam *extrahunt* TINCTURAM TARTARI, *sed in consultè*. Nam in igne sal tartari transmutatur in corpus calciforme rubrum, quod affuso spiritu vini facilè largitur tincturam rubram: *Ea autem tinctura non est à sale tartari sed à partibus sulphureo terrestribus.* Quodsi tamen velis parare talem ex sale tartari tincturam, ea *cum spiritu vini phlegmatico extrahenda*, sicque adhuc aliquas merebitur laudes.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

DE HERBIS EORUMQUE VIRTUTIBUS.

PErgo jam ad reliqua *vegetabilia*, eorum crases atque virtutes summatim, quantum quidem propositi nostri ratio permiserit, perlustraturus, eaque ad chymicorum principia restricturus. Vulgò per *calidum*, *frigidum*, *humidum siccumque* plantarum qualitates experimuntur, ac si per gustum v. gr. per saporem mordentem varius coloris gradus dignosci possit. *Chimici verò commodius simplicium qualitates variis salium mistionibus adscribunt.* Ita quando GALENICI ea, quæ acria sunt, dicunt esse calida, CHYMICI dicunt constare sale volatili acri.

Quæritur, *an in vegetabilibus ante incinerationem detur sal fixum?* ℞. cum *SVVALVVE* de acido & alkali pag. 121. *Fixum reverà in nullo vegetabili sal est, sed fit demum in igne actuali per combustionem: Dum vegetabile ustulatur, unionis vinculum solvitur*, & tum demum acidum & alkali arctiori copula & promptiori mutua actione jungi possunt. Ex urente igne ambo fixantur in cinere, & sub eo in sal fixum transmutantur. Et paulo post: Ignis generat salia vegetabilium, non invenit fixa, promit eadem, non exprimit. *Ligna putrida nullum, vegetabilia arefacta in aëre non ita copiosum dant sal fixum*, quia sal volatile acidum & alkali avolavit, aut in totum, aut ex parte, ante incinerationem. *Si recentia exusseris, plus salis provenit, superstitibus pugilibus.* Nihil salis fixi præextitisse in ligno priusquam computruerat, exinde evincitur, quod aliàs remansisset. *Si ignis nimium urserit, alkali meracius exsurgit, si liquefactivo urgeas igne, exuberat alkali acido abacto.* Ut verò ordine procedamus, & paucis multa dicamus, plantas omnes in V. distribuemus Classes.

Classis I. continet *plantas aquosas* & ferè *insipidas*, quales portulaca, sempervivum, lactuca, endivia, &c. *omnes* ejusmodi plantæ constant *sale volatili temperato & occulto*, ratione cujus refrigerare dicuntur, quatenus scilicet phlogoses & inflammationes ex acido sopiunt. Plantarum harum occultum alkali inde patescit, quia *essentiæ earum saturnum in aceto destillato solutum præcipitant*, dum nimirum alkali refrigerantium talium herbarum se cum acido menstruo conjungit, & ita saturnum solutum exporis menstrui præcipitat. Prostant in officinis ex plantis his *aquæ destillatæ & succi* inspissati. Quæritur, *an Aquæ plantarum destillatæ sint alicujus efficaciæ?* R. *HELMONT.* nudos vocat herbarum sudores, quibus pauca insit virtus medica. Id quod verum est de insipidis & inodoris, illa autem *quæ odore & sapore simplex suum referunt, omninò alicujus sunt virtutis*, quales sunt, quæ per digestiones repetitasque cohobationes præparantur, *reliquæ verò nullius sunt valoris.*

Classis II. Comprehendit *Plantas aquosas* sed *acidas*, quales sunt omnes *species*, *acetosæ acetosellæ* & omnes aliæ, quæ *acidum habent saporem*, *quarum acidum tamen ab alkali oculto continetur. Hæ plantæ aquas dant, sed inertes Melius earum succi in usum vocantur*, imprimis succus acetosæ rubens, & gratum habens saporem. Plantæ hæ pergratæ sunt stomacho, & *in febribus ardentibus temperando bilis æstum, valdoperè prosunt.* Succus plantarum harum inspissatus dat verum tartar. seu *sal essentiale crystallinum*, ejusdem ferè saporis & figuræ, quale est tartarus vini.

Classis III. Eas exhibet *Plantas*, *quæ sunt saporis amari citra odorem.* Tales *in recessu habent sal subtile, de natura alkalium vel nitrosum*, quales sunt cichorium, carduus benedictus, carduus Mariæ, lupulus, fumaria, centaurium minus, taraxacum &c. *Ex earum*, quoque succis parari potest *sal essentiale* per coagulationem & inspissationem, quod per lixivium depuratum concrescit in sal inflammabile, unde ratione nitri plantæ hæ erunt *abstersivæ*, *diureticæ & sudor feræ virtutis*, convenientes in *affectibus chronicis*, dum sordes abstergunt, & crasin massæ sanguineæ restituunt. Ex his commodè parantur *decocta*, ut potè quibus promptè virtutes suas communicant. Item in nodulis alterativis, diureticis &c. felici adhibentur cum successu.

Classis IV. ostendit *Plantas acres & penetrantes constantes sale volatili admodum acri*, ut sunt nasturtium, cochlearia, sinapi, armoracia, raphanus, eruca, piper &c. *Vulgò hæ plantæ dicuntur* ANTISCORBUTICÆ *& adhibentur ad corrigendum in corpore acidum* v. g. in malo hypochondriaco, cachexiis &c. *Aquæ harum plantarum* in destillatione secum rapiunt aliquid de sale volatili acri, cujus ratione alicujus omninò erunt efficaciæ. Per fermentationem hæ plantæ dant *spiritum*, qui verò in simplicibus ante fermentationem re ipsa non existebat, sed fit demum artis opera per fermentationem, quatenus particulæ salinæ junctæ oleosis volatilisantur, & ulterioris fermentationis ope abeunt in spiritum. *Q. an tales plantæ sale volatili copioso præditæ pro eliciendo spiritu sint fermentandæ?* R. qui *negant*, dicunt, quod *in fermentatione* talium plantarum *nimium salis volatilis* reclusi *exhalet*, in quo tamen totius plantæ energia consistit. Nam antiscorbuticæ plantæ, dum fermentantur, earum odor ad aliquot ædes potest percipi, propter salia volatilia copiosè exhalantia. Qui *affirmant*, dicunt, quod fermentatione optimè recludantur mixta, & volatilisentur ea, quæ antea fuerunt fixa, quod verò sub fermentatione ista exhalat, paucum est, & vix consideratione dignum. Accedit, quod salia ista tàm firmiter invicem sint connexa, ut vix ac ne vix quidem avolare queant. Ita *spiritus cochleariæ per fermentationem paratus est accerrimus, acrior longè illo, qui fit per abstractionem.* Sunt tamen, qui dictas herbas destillando; destillatum à novis herbis abstergendo; relictas species fermentando; egregium acquirunt spiritum.

Classis V. *offert plantas odoratas & aromaticas*, quales sunt salvia, rosmarinus, pulegium, thymus, serpillum, levisticum, angelica, semina anisi, fœniculi, cumini. *Constat hæ plantæ sale volatili* Oleoso & dant destillatæ *aquam*, cui *oleum* supernatat in quo vis plantæ concentrata existit. *Sal fixum* in capite mortuo remanet. Plantæ hæ fermentatæ quoque *spiritum* exhibent, sed præstat oleum ex iis elicere, quia in his virtus plantæ minus est alterata. Sunt vero hæ plantæ quoad *virtutes cephalicæ*, *stomachicæ*, *nervinæ*, *uterinæ*, *cordiales*, unde omnes aquas apoplecticas epilepticasque baseos loco ingrediuntur, propter sal volatile aromaticum per spiritum vini elevatum, partibus nervosis apprimè conducibile. Ratione virtutis oleosæ conducunt in *affectibus flatulentis*, quia impediunt fermentationem præternaturalem indeque abortos flatus.

CAP. V.

DE

FLORIBVS.

POst herbas sequuntur FLORES, *qui in tres classes distribui possunt.*

Classis I. *continet flores inodoros*, ut sunt flores nymphæ, anthirrhini, aquilegiæ, cyani, &c. *Hi flores inodorati dant aquam sed inertem.* Post aquam exhibent *succum* inspissandum, qui non semper rejiciendus.

Classis II. *habet flores odoratos*, sed tantùm superficietenus, v. gr. flores liliorum convallium, rosarum, violarum, jasmini, hyacinthi &c. quorum odor facilè dissipatur. *Olei* ex his per destillationem odorati vel parum vel nihil acquiritur. Ergo *si quid odorati habere velis*, necessum est, ut *per infussionem id tentes*, v. gr. ex floribus Jasmini fiat stratum super stratum *cum oleo been*, sic hoc oleum imbuetur fragrantia florum. Olea hujusmodi majoris sunt in cosmeticis quàm medicina momenti.

Classis III. *odoratos aromaticosque prodit flores*, quorum vis est concentrata, ut sunt lavendula, thymus, serpillum. Flores hi ejusdem cum plantis aromaticis sunt virtutis, scilicet *nervinæ*. Destillari ex iis potest oleum; cum spiritu vini dant verum *spiritum vini aromaticum.*

CAP. VI.

DE

LIGNIS.

POst flores considerationem meretur LIGNA. Hæc omnia ejusdem ferè sunt naturæ, & sub ignis tortura exhibent (1.) *aquam* simplicem, (2.) *spiritum acidum*, (3.) *oleum* crassum, fœtidum, empyreumaticum, (4.) in *capite mortuo sal fixum* cum terra nigra.

SPIRITUS *lignorum* constat ex acido & spiritu volatili ardente, si enim illum coralliis aliisque corporibus fixis terreis affundas, tunc hæc arripiunt & & detinent secum acidum hujus spiritus, & in destillatione dimittunt spiritum ardentem volatilem, qualis fere est spiritus vini. Spiritus lignorum egregium præbet *sudoriferum*. Dosis à drachma ß. ad drachmam i. Nam in hoc omnia penè conveniunt ligna, quod sudorem moveant, seu *decoquantur*, seu ex iis paretur *essentia* aut *spiritus*. In *affectibus cutaneis* & *catarrhalibus* essentia lignorum multum valet.

Post spiritum ligna *dant* OLEUM, quod est sudoriferum potentissimum, multi usus in *bubonibus pestilentialibus*, *ulceribus*, *Lue Venerea* & similibus.

Ex lignis procedit FULIGO, *qui nihil est aliud quam spiritus acidus ex lignis avolans, compositus ex acido volatili & sale volatili urinoso.* Eadem dat producta quæ ligna, ex quibus producitur fuligo, scilicet (1.) phlegma, (2.) spiritum, (3.) sal volatile, (4.) oleum, (5.) caput mortuum. *Spiritus fuliginis movet sudorem, & est antipleuriticum optimum ad drachmam j. exhibitus.* Externè emplastrum ex therebinthina & fuligine egregiè convenit in *febribus chronicis*, pulsibus applicatum. Item in ulceribus cancrosis ratione salis volatilis optimi est usus.

CAP. VII.

DE

SEMINIBVS.

REstant denique *in Regno Vegetabili* consideranda SEMINA, quarum *alia nutritiva alia alterativa seu medica.* Illa sunt *temperata*, hæc vel *in sapore vel odore excedunt.* Commodè verò *semina omnia ad tres revocari possunt Classes.*

Classis I. *continet Semina*, *quæ* tùm *sapore* tum & potissimum *odore excedunt*, suntque CARMINATIVA, *quæ constant sale volatili oleoso*, ut semen anisi, fœniculi, carvi, cumini Sal hoc oleosum volatile interdum per vesicam destillando elicitur, interdum exprimi potest, & *ab hoc sale volatili oleoso vis carminativa dependet*, *unde hæc semina infusa in vino*, *optimè flatus in corpore dispellunt. Nervina* quoque sunt, & convulsionibus, vulgò in corpore halitibus acribus ascendentibus adscriptis, medentur.

Classis II. in hâc ponuntur *semina in sapore* quàm maximè *excedentia & gustui acerrima*, ut sunt semen sinapi, cochleariæ, piperis. Hæc gaudent sale volatili acri, copioso, acido, pauco tamen adhuc juncto, unde in *scorbuto*, ubi dominatur acidum illud rancidum vitiosum, valdè conducunt. Ex se nulla dant præparata, nisi quod *fermentando exhibeant spiritum.*

Classis III. In hâc se offerunt *semina temperata*, & sunt potissimum *nutritiva*, *quæ in se habent mucilaginem quendam*, *in qua vis nutritiva residet.* Ista mucilago nunc magis est aquosa, ut in semine petroselini, fœnugræci, seminibus 4. frigidis maioribus, & minoribus nunc magis oleosa, ut in semine lini, amygdalis dulcibus &c.

Ex seminibus his exprimitur OLEUM. *Et talia semina possunt subtilisari, seu volatilisari, ut exhibeant spiritum*: qui in potu inebriativo, ex hordeo vel tritico

eo parato, evadit manifestus. *Quin & ex iis beneficio fermentationis elicitur spiritus ardens inflammabilis, & insigniter inebriativus.*

Ex seminibus hisce nutritivis componitur PANIS; quando scilicet illorum principia fermentativa in volitilisando impediuntur, & acida fixa unà cum reliquis particulis coguntur in massam illam vulgò notam, scilicet panem

Panis præparatio in legitima cumprimis consistit fermentatione, qua adjecta fermenti acidi volatilis farinæ aufertur visciditas, & resolutæ partes salinæ & sulphureæ quædam aliarum particularum implexu aliquantisper se extricant, fermentando volatilisantur & in spiritum volatilem ardentem transmutantur. Antequam verò totæ hoc modo volatilisatæ fuerunt, clibano imposita massa torretur, unde *pars volatilisatorum in spiritum avolat, suavi* odore omnia replens, quibusvis perlarum aquis in virtute confortativa præferenda. vid. BECHER in *Physic. subterranea*, lib. 1. s. 5. c. 2. Thes. 144. modum colligendi docet KERGERUS de *fermentatione* s. 3. p. 181. cap. 1. Pars verò altera salium, nondum perfectè volatilisata, impedito fermentationis per exsiccationem motu, à reliquis particulis implicata detinetur, *facilè* tamen *Vulcano in spiritum subacidum volatilem per retortam separanda*, à qua subtilis panis aciditas dependet. *vide Medic. Hipp. Chymicam ETMULLERI cap.* 3. §.4.

Et hæ sunt virtutes vegetabilium generales, prout quædam horum sunt aromatica, alia acida, alia abstersiva. Hæ tamen virtutes non confundendæ cum specifica cujuslibet vegetabilis virtute, quæ in totius crasi consistit & fundata est. Sic *multæ plantæ in sapore acri conveniunt, quæ tamen ratione specificæ & individualis suæ virtutis, experientia teste, à se invicem differunt.* Ita *absinthium* & *centaurium minus* utraque amara sunt, in eo tamen differunt, quod illud languentem consoletur stomachum, hoc specificè febribus adversetur.

Quod *de plantis* dicitur, id quoque de omnibus earum partibus verum est. Sic *flores liliorum convallium* epilepsiam curant, *paralyseos* & *anthos* paralysin fugant, *crocus* mensibus fœmellarum dicatus observatur. *Ligna omnia in eo conveniunt, quod sudorem movent*, quoad specificam verò facultatem, lignum *buxi* est summum anodynum, *corylinum*, antiepilepticum, *sassafras* anticatarrhale, guajacum antivenereum. *Semina* anisi, fœniculi, erucæ sinapi in sapore quodammodo conveniunt, *specifica* verò virtute semen *sinapi* stomacho, *erucæ*, asthmati, *anisi* flatulentis affectibus, *fœniculi* oculis succurrunt.

CAPUT VIII.

DE CORRECTIONE VEGETABILIUM QUORUNDAM Malignarum Chymica.

QUod attinet *simplicium* quorundam *vegetabilium* malignorum *præparationem sive correctionem* Chymicam, quæ non tàm in regno vegetabili, sed maximè in minerali, in specie metallorum re publica locum habet, horum *cruda malignitas impeditur sive tollitur legitima PRÆPARATIONE. Eum autem in finem præparamus crudiora simplicia; ut eorum* ἐνεργία *per totum concretum dispersa concentretur*, ut ita vis unita fortior fiat, & hæc est præparatio.

Quod attinet medicamentorum correctionem, CORRECTIONEM dico, non castrationem, *quia interdum & nomine correctionis remedia castrantur potius, quàm corriguntur.* Deinde eligo correctionem *varam*, non verò *palliativam*.

Vera consistit in eo, ut sublata virtute noxia aut virulenta, vis medicamenti genuina maneat illibata atque salva. Notum alias est, quod correctionis ergo PURGANTIBUS misceantur aromata e. g. Scammonio Zedoria; Turbith Mastiche & Zinziber; Colocynthidi cuminum; Euphorbio amygdala dulcia & crocus, Gialappæ fœniculum &c. quæ tamen *correctio per aromata est pelliativa, sive non tollit malignitatem venenosam simplicis*, sed ejus noxam tantum quodammodo sedat, de *vera* nobis potius agendum est *correctione*, qua in genere *summopere indigent purgantia quædam, ut & opiata & narcotica nonnulla* ex se maligna, nam de Napello aliisque in specie tacebo.

Purgantia esse virulenta eorum operationes loquuntur, cum, postquam quis usus fuerit validioribus, is, qui erat sanus lætusque, redditur tristis, interiora abdominis dolent, genua tremunt; ut nihil dicam de aliis truculentis symptomatis, dum *Helleborus* convulsiones, *gialappa* lethales hypercatharses, maxima tormina, colicamque in Epilepsiam terminantem, & hystericam non raro excitantem passionem inducit. Simili effectu se produnt *opiata, hypnotica & narcotica*, maniacos morbos & stupefactiones sensuum variaque symptomata inducentia. Sic *opium incorrectum somnia inducit truculenta*, idque non tàm de opio, sed de omnibus simplicibus narcoticis, hyoscyamo, *solano*; *papapera*, *verum est.* Quod attinet SCAMMONIUM, *longè aliud hoc nostrum est à Veterum scammonio*, quo DIOSCORIDES usus est. *Veterum* enim *Scammonium* erat succus ex radice benè maturata & excavata collectus, remedium mite & blandum, utpotè quod ad drachma j. sine periculo, teste MESUE, dabatur; quod de nostro dici non potest, colligebatur in Syria. *Nostrum vero Scammonium est succus lactescens Tithymali* cujusdam *inspissatus & coagulatus*, non ex radice petitus, sed *ex tota planta expressus.* Purgans est admodum generosum & validum, quod cum impetu & non sine violentia expurgat humores tàm sanos quam ægros.

Notum est, quod *omnes TITHYMALI succo gaudeant caustico*, quod etiam de *scammonio* verũ apparet, hujus enim succus fundatur in sale quodam volatili admodum acri: Hoc sal causticum tam chylosos quam excrementitios succos fermetando sanos æque ac ægros evacuat, irritandoque intestina, tormina & hypercatharses inducit subinde lethales, quare *correctione opus habet. Correctio autem per aromata parum aut nihil valet.*

Vsitatissimè corriguntur per acida mineralia, quæ talia acida non tam destruunt sal illud acre purgans scammonij, sed & omni energia castrant & spoliant, id quod de omnibus purgantibus ferè valet; atque adeo hoc modo *Vegetabilia purgantia plus minus virtute sua exuuntur* v. g. Helleborus *per spiritum aut phlegma vitrioli sua* privatur efficacia. Sic quoque *Gummi guttæ, item esula scammonio vicina per acida* (in specie per spiritum sulphuris) *orbatur virtute purgante.*

Facit huc SCAMMONIUM SULPHURATUM, *quod mitigatur quidem quoad virulentiam suam hac correctione, sed non sine virtutis suæ purgatricis castratione.* Fundamentum in eo est, quod sulphur incensum emittat suum spiritum, qui se insinuat in scammonium, ejusque sal volatile temperat, admodum figit & successivè prorsus destruit. *Prout* verò *plus vel minus sulphuratur scammonium, etiam plus vel minus retinet de sua vi purgante. Hinc nota, ne in præparatione hac scammonium, liquescat*, dum enim liquescit, fumus sulphuris se insinuare nequit in ejus substantiam, unde in eadem vehementia subsistit: potius pulverisandum est, ut leniter se insinuet fumus sulphuris, & ita ejus virulentia quodammodo corrigatur.

Simili censura dignum est MAGISTERIUM *scammonij per acidum* præparatum, quando scilicet scammonio pulverisato affundunt, spiritum vitrioli rectificatum, solvunt, extrahunt, & extractum præcipitant cum oleo tartari per deliquium, huius enim Magisterii dosis est à ℈j. ad ℈iß, vel ut alii volunt, à ʒi. ad ℈iv, cum verum scammonium per se vix possit ad gr. 6. vel 9. propinari. *Si* nihilominus *per acida corrigendum, accipiantur potius succi vegetabilium acidi mitiores.*

Sic scammonium cum succo Cydoniorum dat DIAGRYDIUM. Alii solvunt scammonium in succo citri vel limonum, mitiusque obtinent scammonium.

Omnes hæ per acida imprimis mineralia mitigationes sunt castrationes, quia invertunt vim laxantem.

Unde est, quod purgantia pro diversitate subiectorum plus minusvè operentur, prout nempe magis minusve acidum est fermentum stomachicum in hoc vel illo subiecto, quod probatur exemplis: si in hoc individuo nimis acidum sit fermentum ventriculi, aut statim post assumptam purgationem hauriantur acida, exhibita purgantia minus operantur, idque in Melancholicis verum est, qui difficillimè à purgantibus moventur: item quod hypochondriacos purgantia parum moveant, propter excessum acidi in hypochondriis stabulantis, loquitur experientia. Cani fortissima quamvis infundas purgantia, parum vel nihil eundem movent, adeò, ut *vitrum antimonij* ad aliquot grana sine operatione assumat, cum tamen in venam canis incisam immissa citius operentur. *Ratio patet*, quia fermentum stomachicum canis nimis est acidum.

Quod dictum fuit de purgantibus, quod scilicet correcta mitius soleant purgare, valet etiam *de opiatis.* Hæc enim *per acida correcta* blandius operantur. Sic communiter *corrigitur* OPIUM per sulphurea & spiritum vitrioli aut repetitam cum aceto solutionem, quæ tamen acida opii virtutem plus destruunt quàm corrigunt. *Nam vis opii consistit in sale volatili oleoso*, vel sociatum est cum sulphure copioso admodum fœtido, unde quidam lento calore exhalare sinunt, ut sic sulphur eius hypnoticum evaporet ex parte, sed sal volatile & sulphur eius per acida insigniter destruuntur, & ita enervatur medicamentum nobilissimum, cum tamen opiata in multis affectibus sint exoptatissima, adeò, ut rectè dixerit SYLVIUS: *Se malle carere Praxi, quam destitutum esse opiatis*, uti verò opiata & purgantia per acida mitigantur, sic *per spiritum vini* eorum vires *exaltantur*. Sicut notum, quod spiritus vini eliciat & exaltet resinas purgantium, ut in pauca dosi purgent.

Sed missis *correctionibus* castrativis VERA potius attendenda, quæ *consistit vel in subjectorum fermentatione, vel in eorum per salia alkalia correctione.*

Quod attinet FERMENTATIONEM, in hac tota concreti crasis invertitur, undè *fermentatio dicitur clavis reserans venena vegetabilium, in specie purgantia* si consideremus, in eis quid præstet fermentatio patebit ELATERIUM *fermetando omnino cicuratur.* Superiori anno accepi succum cucumeris asinini, eumque recentem fermentavi & inspissavi; habui Roob amarissimum, prorsus innoxium, quia correctum erat per fermentationem, ita ut gr. XXII. sine noxa assumerentur, cum extractum Elaterii aliàs ultra grana XV. vix tutò exhibeatur. Sic COLOCYNTHIS *vehementissimum purgans legitimè fermentatum de sua virulentia multum amittit. Fermentatio* autem eius est talis: Poma Colocynthidis misce cum succis vegetabilium, vel in specie cum succo pomorum Borsdoffianorum, hæc mista bulliant, postea admisce parum succum cerevisiæ, ut commodius ad fermentandum disponantur. Ubi sufficienter fermentaverint, (id quod cognoscitur, si spirant odorem amarissimum) cum menstruo appropriato extrahantur & ad g. XX. propinentur, purgat hoc non tam violenter quàm alias ad gr. 10. adhibita, quamvis non sine torminibus.

OPIUM quoque *corrigitur per fermentationem, si* secundum HELMONTIUM *cum succo cydoniorum vel cum succo Borsdorffianorum fermentetur*, subigitur in illis succis, si prius parum evaporaverit, & postea fermentatur & inspissatur; Sic enim gr. III. mitius operantur, quàm aliàs vel gr. 7. *Dum ita opium fermentatur, spirat odorem instar papaveris*, idque facit etiam spiritus opii per fermentationem paratus.

Hæc *correctio* HELMONTII *est optima*: CONRINGIUS *utitur Laudano opiato hoc modo præparato.* ℞. opium, adicit extracti Castorei & cum speciebus Diacalaminthæ & pauco lapide Bezoardico miscet, & propinat in variis affectibus. In hysterica passione adhibet quoque scammonium cum succo cydoniorum præparatum. Vtut hæ *opii per fermentationem correctiones satis bonæ sint, tamen præstant quæ fiunt per alkalia: Nam colocynthis per fermentationem correcta, adhibita retinet vim venenatam, & tormina causatur, correcta verò per alkalia sine noxa est.* Alkalia talia nunc sunt fixa nûc volatilisata, non volatilia sed fixa, quæ sunt exaltata ad volatilitatis gradum, cum his optimè corriguntur quorumcumque vegetabilium malignitates, ita napellus cum sale tartari fixo vel volatilisato vegetabilia venenosa v. g. levi digestione corrigitur, ut in usum tractus, esset innocuus, teste BOYLE *experim. Philos. pag.* 136. Sed cum non cuivis datum sit adire Corinthum, nec omnibus sint notæ & cognitæ volatilisandi alkalia fixa enchirises, ea correctio, quæ cum spiritu vini tartarisato peragitur, sufficiat. Alias quoq; salia fixa corrigunt purgantia. Talia usitatissimè sumuntur ex tartaro & nitro. *Sal Tartari est optimum opii & purgantium correctorium.* Post hoc est nitri sal cum carbonib. alkalisatum. Hoc *vitri sal fixû in lixivii forma digestum cum vegetabilibus, virtutes eorum nocivas corrigit*: Melius est pro opii correctione, si sal tartari fixum coniungatur cum oleo destillato terebinthinæ. Denique ex tartaro oriunda *terra foliata* Tartari (ex sale Tartari impregnato cum aceto destillato) post tartarum optimum est correctivum vegetabilium, in specie scammonii:

Vel

Vel loco hujus vinum generosum Rhenanum cum tartari sale impraegnatum, pro opii & vegetabilium aliorum correctione etiam sufficit.

Virtus opii correcti est, ut ex opio narcotico tutissimum evadat *anodynum*, nunquam nocivum, in multis morbis asylum, si nunc cum fixis cinnabarinis antimonialibus, nunc cum salibus volatilibus, succini, cornu cervi, debite conjungatur, unde priori modo in malis malignis posteriori modo in morbis chronicis, in specie hysterica passione, Epilepsia, optima sunt remedia.

Purgantia hoc modo correcta quod spectat, haec deposita virtute solutiva, *subinde* evadunt *diuretica, sapius etiam diaphoretica*; *aut si aliquid de virtute* purgandi retineant, hoc tamen adeò cicuratum est, ut citra stomachi mordicationes & intestinorum tormina, cito & tutò operentur. Sic *Rhabarbarum* cum sale tartari digestum omnem purgandi vim amittit. *Asarum* verò aqua ebullitum diureticum evadit egregium quartanarum febrium remedium.



SECTIO III.
DE
ANIMALIBUS.

CAP. I.
DE
ANIMALIBUS PERFECTIS ET IMPERFECTIS.

IN Animalibus non magna in universum est differentia quoad producta eorum chymica, utpote quæ *in sale volatili eorum* omnia conveniunt, nisi quod insecta singulare quid præ reliquis habeant. In genere autem *animalia omnia* eorumque partes tàm solidæ quàm liquidæ, *constant copioso sale volatili*, cum primis *oleoso*, quod ignis beneficio elicitur. Ita ex pilis, cornibus, ossibus, sanguine, quin & excrementis, lege artis prolicitur sal volatile oleosum. Prædominans itaque in animalibus principium est sal urinosum, acido tamen suo saturatum, ita ut pauca sint, in quibus acidum prædominatur, quæ intersunt *majores formicæ*, quæ & ipsæ *contusæ saltim odorem acidum spirant. Per ignis examen formicæ hædant spiritum acidum*, qui ferrum rodit, & in rubiginem convertit, *aciditas enim hæc formicarum temperata est, ab alkali quodam sibi debito*, id quod exinde apparet, quia ex tali formicarum spiritu acido elici potest spiritus urinosus alkalicus, scil. *si spiritus formicarum misceatur cum calce viva, & addatur parum aquæ frigidæ*, oborta effervescentia *acquiritur spiritus urinosus*. Alia quoque ratione separatur spiritus urinosus ab acido, si in vitro clauso formicæ ad putrilaginem redigantur, tunc subiguntur acidum & alkali, alteranturque in urinosum spiritum de natura alkalium.

Sal hoc volatile animalium dum adhuc suo gaudent vigore, est salsum, ex acido & alkali & volatilibus constans, quæ duo conjuncta dant sal volatile salsum, ita tamen, ut prædominetur urinosum. Id quod apparet in specie in excrementis animalium, quæ constant acido & urinoso, ambobus volatilibus conversis in sal tertium, nempe salsum. *Modum separandi acidum ab alkali vide apud TACHENIUM.*

Si animalia eorumque partes ignis subiiciantur examini, prodit (1.) *PHLEGMA sed spirituosum.* Non verò simplex esse phlegma, exinde patet, quod, si destilletur, striatim prodeat, quas strias solis competere spiritibus vel tyroni in *Chymia est notissimum* (2.) Succedit *SAL VOLATILE copiosum receptaculi lateribus adhærens.* Hoc ipsum figura sua non rarò refert concretum, id quod non tantùm in cornu cervi videre licet, sed observatum quoque fuit in aqua spermatis ranarum, quod parvulas repræsentavit ranulas. Ita Chymicus quidam sal volatile absynthii exactè figuram absynthii referre vidit. Hoc *sal volatile animalium tàm ex duris* quàm mollibus eorum partibus elicitum variat pro varietate animalis. Sic in animalibus sylvestribus sal hoc acrius est quàm in domesticis, in maribus multò volatilius & penetrantius quàm fœminis. *In castratis* temperatius est quàm in non castratis propter fermentum testium deficiens, quod massæ sanguinis infusum, eam reddit acriorem. *Quæritur*, cùm sal volatile animalium viventium, ceu supra monitum, sit salsum, cur in destillatione prodeat sal volatile urinosum pauco acido stipatum? R. Acidum illud partium animalium sub ignis examine arripit sal volatile urinosum, & cum eo coagulatum constituit. Post sal volatile (3.) sequitur in destillatione *OLEUM*, quod *nihil est aliud quam sal volatile ab acido pingui concentratum.* Acidum verò inesse oleosis exinde probatur, quod olea destillata animalium cum sale volatili proprio conjuncta, tractu temporis abeant in corpus saponiforme, in signum conjunctionis mutuæ acidi & alkali, ex qua combinatione oritur *sapo.*

(4.) Remanet *CAPUT MORTUUM nigrum, terra iners, omni aciditate orbata, in quo capite mortuo nihil reperitur salis fixi*, quoniam per fermentationem & continuam aëris inspirationem omnia sunt volatilisata, ut ita nihil salis fixi haberi queat: *Si tamen quandoque salis fixi aliquid ex animalibus obtineatur, illud non est fixum sal animalium nativum, sed est sal esculentum, quod non potuit superari à fermento ventriculi*, id quod exinde patet, si sal tale fixum destillatur, prodibit spiritus acidus spiritui salis simillimus. *Caput mortuum ut plurimum est nigrum, forti tamen calcinatione evadit album*, uti quoque videmus carbones lignorum ulteriori calcinatione in cineres albos fatiscere, *quod fit ex varia textura in igne mutatione*, de qua vide *BOYLE* Tractatum *de coloribus, parte 2. experiment. 3. p. 139.* Hæc de perfectis animalibus eorumque principiis & productis.

Videamus nunc *INSECTA, quæ constant sale volatili sed non oleoso*, verùm nitroso. Certum hoc est, quod sal volatile insectorum multo volatilius sit & penetrantius, quam reliquorum animalium salia volatilia. *BECCHERUS ex putrefactis lumbricis nitrum* perfectum conatur elicere, unde talium insectorum præprimis, quæ in locis subterraneis, cellis, muris vetustioribus vitam degunt, præparata habent, insignem vim diureticam v. gr. *lumbricorum, asellorum, bufonum*, qui singulare sal diureticum in se continent.

Partes animalium molles totæ quandoque abeunt in liquorem spirituosum v. gr. *secundina humana*, si detracta cuticula incisa Mar. Balneo putrescat, destillando transit in liquorem spirituosum. Sic *cerebrum animalium* in digestione servatum sub ignis examine transit itidem in liquorem spirituosum. Lumbrici terrestres putrefacti

trefacti in totum abeunt in spiritum, exceptis pelliculis.

Quidam *lumbricos* in vase modestè clauso (ne scilicet vas rumpatur) exponunt calori solari, unde fit, ut lumbrici in *tres* resolvantur *substantias*. 1. In fundo subsidet *terra nigra*, (2.) in superficie innatant *pelliculæ* (3.) In medio pendet copiosus *liquor* coloris aurei, qui separandus à reliquis particulis, *pelliculæ verò illæ lumbricorum, si defodiantur sub terra, fit, ut denuò vivi enascantur lumbrici copiosissimi*. Similem *generationem lumbricorum* vide apud *MOLLENBROCCIUM de variis*.

USUM productorum Chymicorum ex animalibus quod attinet, (1.) *phlegma spirituosum*, quod primo prodire in præcedentibus diximus, *per se raro usurpatur, sed unitur cum sale volatili, & tunc vocatur* SPIRITUS ESSENTIFICATUS, v. gr. phlegma spirituosum C.C. si misceatur cum sale volatili cornu cervi, vocatur *spiritus essentificatus cornu cervi*. (2.) *Sal volatile* cum sit de natura alkalium, omni acido præter naturam erit contrarium, adeò, ut salia talia ratione suæ penetrationis maximè acidum præter naturale in partibus remotioribus absorbeant atque corrigant, & ita disponant, ut per corporis poros eliminari possint, unde in podagricis doloribus summi erunt emolumenti. *Sic quoque grumosum resolvunt sanguinem, & inde enatas inflammationes dissipant egregiè*. Sic quoque *sudorem movent*, unde in *erysipelate, pleuritide* aliisque affectibus per sudorem curandis in tempore adhibita, speratum certò certius præstabunt auxilium. Eadem ex ratione *in febribus malignis, in specie variolis & morbillis, item in purpura mulierum, multi sunt usus*. Porrò *in doloribus vagis scorbuticis, quatenus acidum dolorificum destruunt, egregiè prosunt*. In *epilepsia* verò *apoplexia, paralysi*, præmissis præmittendis, vix ulli cedunt remedio. In proliciendo sudore nullum convenientius certiusque datur remedium.

(3.) *Oleum*, utut insuave, non reiiciendum, sed aliquoties super caput mortuum *rectificandum*, ut absorbeatur aciditas, & odor saporque insuavis emendetur. *Ita præparatum in paralysi, tremore artuum, &c.* externè commode inungitur. Sic quoque in *tumoribus duris schirrosis*, multum præstat utilitatis. *Sudorem* egregiè *promovet*, & satisfaciunt huic scopo guttæ iij. vel 5. assumtæ.

(4.) *Caput mortuum* omni aciditate orbatum, adhuc tamen *hoc habet commodi, quod* seu vacuum & sitibundum corpus *omnes humiditates absorbeat, imbibatque, & ita per accidens egregios tàm internè, quàm externè præstet usus*. Quod verò caput mortuum *omne absorbeat acidum*, patet exinde, si spiritus vitrioli affundatur capiti mortuo C.C. omnem promptè amittet acorem. *In soda itaque ubi acidum vitiosum in viis primis redundat, ejusmodi caput mortuum v. gr. cornu cervi ustum insigniter proderit*. USTIO verò hæc non confundenda cum CALCINATIONE PHILOSOPHICA seu calcinatione sine igne, eaque vel vaporosa, quando partes animalium osseæ sine igne beneficio vaporis aquei friabiles redduntur; vel immersiva, quando per simplicem coctionem gelatina acquiritur. In tali enim *calcinatione Philosophica, utut jactura fiat alicujus salis volatilis, non tamen omne aufertur*, id quod patet, si C.C. tali modo calcinatum destillatur, tunc prodibit oleum, spiritus, & sal volatile in certa quantitate. Hæc in genere de productorum Chymicorum ex animalibus virtutibus, quando verb. gr. *Salia volatilia* omnium animalium in prædictis virtutibus, *v. gr. penetrativa conveniunt*. Sunt verò & aliæ VIRTUTES SPECIFICÆ dictæ, ob quas hoc *sal volatile* hujus animalis conducit in hoc affectu melius quàm alius animalis. *Ita sal volatile C.C. in febribus malignis, sal volatile viperarum in affectibus cutaneis* appropriatum celebratur remedium: *Sal volatile bufonum* optimum est & potentissimum *diureticum & antihydropicum*: spiritus & *sal volatile lumbricorum* optimum & certissimum *antiarthriticum* est, quod acidum arthriticum promptè absorbet, & per urinam eliminat. *Sal volatile salis ammoniaci* expertissimum *antiquartanarium*: *sal volatile lapidum* cancror. optimum *vulnerarium*, unde decoctum oculorum cancror. in vulneribus & ulceribus magno cum fructu propinantur.

Porro *medicamenta cancrina ambustis* mirè medentur, ut taceam de virtute eorum in *morsu canis rabidi*, jam tum GALENI tempore nota. *Sal volatile sanguinis humani in epilepsia. Urinæ in calculo* unicè confert. *Cranium humanum dysenteriæ* audit antidotus certissima. *Usnea cranii humani* omnem sistit *hæmorrhagiam*, & est veluti basis unguenti armarii. *Cerebrum humanum* per putrefactionem dat spiritum, teste GRASECCIO, optimum *epilepsiæ* remedium. *Secundina humana* beneficio putrefactionis exhibet spiritum in *pellendo fœtu*, tam vivo quam mortuo, certissimum: propinatur ad guttas 30. vel 40. in cerevisia miro cum successu: *Lochia* quoque pellit, inque *doloribus post partum* efficacissimum prædicatur remedium. *Sanguis menstruus* occulta gerit multa: certum namque est, quod linteum tinctum sanguine menstruo virginis applicatum *loco erysipelatico* magnum præstet commodum. Sic quoque externè applicatum *dolores podagricos* intensissimos mitigat. Retulit mihi amicus quidam, aliquot *tertianarios* ope talis modi lintei curatos fuisse: Plures sanguinis hujus admirandi effectus videri possunt apud PARACELSUM aliosque. Ita *priapus cervi in dysenteria* specificè confert, imprimis si ejus *decoctum* propinetur cum *hepate viperarum & crystallis* præparatis Priapus *ceti* est optimum *antipleuriticum*. In *stercoribus* animalium magna latet vis medica, ratione scilicet salis volatilis: In specie *stercus porcinum* omnes *hæmorhagias* ad miraculum sistit, sive in forma pulveris ad ℨj. sive in forma electuarii adhibeas: Annus, est, ex quo rustica quædam post abortum insigne patiebatur mensium profluvium, cui cum meo suasu maritus insciè propinasset stercus suillum, fluxus cessavit, & mulier pristinæ reddita sanitati. *Stercus equinum* summum est remedium in *passione hysterica & doloribus colicis*, si succus expressus cum cerevisia vel vino propinetur: Sic quoque conducit in *variolis & morbillis infantum*, propinatus cum cerevisia calida, qui optimè per sudorem expellit; ut taceam de effectu, quem præstat in *pleuritide*, laudando. Ut ita licet volatilia in uno puncto convenire videantur, diversis tamen, ratione diversæ & specificæ cujuslibet concreti craseos, medeantur morbos.

CAP. II.

DE LEGITIMA MEDICAMENTORUM QUORUNDAM PRÆPARATIONE.

PRæparationes *Medicamentorum hunc habent scopum,* (1.) *ut virtutes simplicium pura extrahantur*, separatæ scilicet à scoriis excrementitiis. (2.) *ut virtus eorum nociva aut auferatur, aut corrigatur, aut alteretur,* vix enim simplicia cruda pro usu medico sufficiunt, obstantibus in regno vegetabili excrementis terreis, in minerali sulphure arsenicali narcotico, præparatione itaque ubivis opus est.

Jam QUÆRITUR, *an præparata Chymica virtute adhuc nativa operentur, an verò novam artis beneficio obtineant?* R. Pauca sunt remedia Chymica, quæ post ignis examen virtutes simplicium incolumes servant, pleraque aut novos acquirunt operandi virtutes, aut nativas alteratas insigniter obtinent, quales *alterationes contingunt propter mutatam simplicium talium texturam nativam: partim propter addita: partim propter operationum varietatem, ita, ut quo magis composita sint medicamenta, aut magis operosa, variè mutatas habeant nativas virtutes.* Exempli loco sit aurum fulminans. Aurum per se nunquam fulminabit, sed id præstat per addita, non secus ac fit cum pulvere pyrio, cujus ingredientia seorsim nunquam sclopetabunt, sed conjuncta fulminis instar accensa tonant. Hinc *varia combinatio varias compositis largitur virtutes. Luna* per se non purgat, *conjuncta verò cum spiritu nitri in una hydragoga egregiè serosos humores expurgat*, & ab eodem rursus artificiosè separata ab omni purgante virtute cessat.

Sic *in Elixir Proprietatis virtutibus exponendis non singulorum ingredientium virtutes examinandæ sunt*, v.gr. quod *aloe* sit optimum abstersivum viarum primarum, *myrrha* sit balsamica, omnem arcens putredinem, quod *crocus* cor exhilaret: *Sed totum compositum considerandum, cum ingredientium virtutes à menstruo vel exaltari, vel alterari potuerint.* Communiter extrahunt Elixir Proprietatis, spiritu quodam acidulo v.gr. sulphuris, vitrioli, sed *præstat spiritus salis communis*, ita tamen, ut ingredientium singula seorsim extrahantur, postea conjungantur, & extractum ad justam consistentiam inspissetur. *Hoc Elixir valdè conducit in corrigendo* stomacho, si is copioso muco inprimis acido repletus sit, quem potenter abstergit, undè humidis magis convenit quàm siccis. A *putridine* tam interna quàm externa *præservat*, vermesque inde enatos *enecat. In affectibus mulierum* magis prodest, si *præparetur cum alkalibus*, quæ quoque promptè solvunt hæc ingredientia, seu sint fixa, seu volatilia. *Si fixa mavis*, tunc R. Salis tartari & nitri, ana detonentur una, sic fit, ut coeant in ignis tortura in alkali urinosum, ex quo cum aqua simplici fiat lixivium, cui affundatur aloe, myrrha & crocus, solvantur, solutioni ad justam consistentiam inspissatæ adde spiritum vini, ut species dictas extrahat. (*de sale tartari nihil extrahit spiritus vini si rectè sit rectificatus.*) Egregium hoc est Elixir *in affectibus mulierum*, in specie in *mensium & lochiorum suppressione.*

Per alkali volatile componitur Elixir proprietatis, si spiritus salis armoniaci cum spiritu vini artificiosè conjungatur. Hic spiritus salis armonici cum spiritu vini, prout solvit crocum & myrrham in *tincturam* egregiam *antiscorbuticam*; sic cum consuetis Elixir proprietatis ingredientibus solutis inspissatisque ad debitam consistentiam, medicamentum constituit optimum in morbis malignis; (ubi præprimis volatilia prosunt,) item in præservatione variolarum, in specie ad præservandam purpuram insigniter commendatur, ut & in scabie & aliis affectibus cutaneis luem Veneream comitantibus.

Placet præ omnibus iste, quando spiritus vini, loco spirituum acidorum acuitur per terram foliatam tartari (quam optimè solvit spiritus vini) *& speciebus affunditur, sic easdem optimè extrahit, fitque medicamentum convenientissimum in supra dictis affectibus.* Idem hoc menstruum est egregium diureticum elegantis saporis. Aliàs in præparatione *Elixir proprietatis varia Medici intentio consideranda*, prout vel alterans solum vel simul laxans aut purgans expetit. *Pro scopo alterativo sufficit extractio cum spiritu vini acidulato; sin verò laxare debeat, extrahenda venit aloe cum aqua, tantillo sale tartari acuata*, sic enim mucilago purgans commodissimè extrahitur. Reliqua postmodum ingredientia cum spiritu vini extracta cum priori conjungenda, & omnia ad justam consistentiam redigenda. Quomodo *HELMONTIUS Elixir proprietatis* præparet, & quantas eidem, debito modo præparato, virtutes adscribat, *ex ejus scriptis* videre licet; sed revertamur ad id, undè digressi fuimus. Diximus paulo ante, quod præparata chymica aut planè novas acquirant virtutes aut nativas insigniter alteratas obtineant, partim per aliorum additionem, partim propter artificiosam variamque præparationem. *Alterantur* autem ut plurimum *simplicia in solutionibus cumprimis atque extractionibus*, omnes namque solutiones aut extractiones cum fiant per menstrua, semper aliquid in extracto & soluto corpore remanet de menstruo, unde *mutatâ texturâ, mutatur quoque virtus concreti.* Obiter *circa extractiones vegetabilium notandum, quod eæ* communiter fiant per spiritum vini, sed minus commodè. Etenim *spiritus vini resinosas tantum & sulphureas extrahit particulas, salinis interim particulis extrahendis improportionatus. Melior longè modus est, cùm simplicia solvuntur, extrahunturque per aquam simplicem, acuatam cum alkali nitri vel alkali tartari.* Sic acuata aqua simplex omnia convenientissimè solvit vegetabilia, vel resinosa illa sint (qualia quidem spiritus vini non incommodè solvit) vel mucilaginosa vel salina, eaque in blando Balnei calore extrahit. *Extractio talis separanda & inspissanda in formam mellis vel Roob, ex quo ulterius cum spiritu vini extrahitur essentia, quæ postmodum nunquam poterit præcipitari, promptiusque suos dabit effectus.* Videmus hic varias mutationes, quæ omninò sine virtutis nativæ alteratione non contingunt. Hoc si fit in vegetabilibus, quid non fiet in mineralibus, ubi per menstrua corrosiva solutiones & extractiones instituuntur, talia enim vix ac ne vix quidem à soluto corpore separari perfectè poterunt, firmoque adhuc stat talo canon ille Chymicorum, quod *omnia menstrua corrosiva coagulentur & figantur cum corpore solvendo, à cujus proinde conjunctione non potest non alterari ejus virtus nativa.* Fermentatio quoque quas non in productis causatur mutationes? *Per hanc animalium textura prorsus invertitur, ut avolantibus volatilibus fixa in fundo subsideant*, virtutibus suis plurimum spoliata. *Purgantia satis vehementer alioquin operantia si fermententur, minus purgant, imò quandoque vix laxant.* Idem esto judicium de opio fermentato, hyoscyamo, aliisque, quæ fermentata nonnihil de virulentia sua perdiderunt. *Fermentatione fiunt spiritus,*

qui antea tales non extiterunt in concreto, sed sunt producta igne & arte, & eo ipso quo sunt producta nova, suam virtutem debent artis beneficio. *Olea*, quæ per ignis beneficium ex diversis principiis materialibus salinis coquuntur in corpus tale olei forme, actu antea in simplicibus non extiterunt, sed nova sunt ignis producta. Sic in acoro officinarum ne gutta olei invenietur, nisi ignis beneficio salina ejus principia concentrentur, ut in oleum coeant, unde *olea* talia quoque *differunt à simplicium suorum virtutibus*: *dum* (1.) *magis penetrant*, (2.) *stomacho molestiam creant*, id quod testantur ructus satis diuturni post talium usum, quatenus pinguedo eorum acida concentrat sal volatile, quo minus digeri possit. *Digestio tandem insigniter alterat simplicia eorumque crases, hæc figit volatilia*, uti v. gr. Mercurium figit in pulverem rubicundum, hæc *fixa volatilisat*, ut ulterius cum spiritu vini postea volatilisari queant, idque omne facit beneficio ignis, *qui mille artifex in varias simplicia transformat figuras*. Unde manifestum evadit, quod producta Chymica novam quasi induant naturam, quodque in medicamentorum virtutibus enarrandis non ingredientia singula seorsim sint examinanda, sed totum productum ponderandum, non neglecto interim menstruo, ut quod virtutem simplicium vel destruit, vel alterat, vel intendit.

Nunc pauca adhuc de *tincturis* dicemus.

TINCTURÆ nomen derivatur à tingendo vel à colore, quo tingitur menstruum in extractione atque præparatione, unde maximè *Lapis Philosophorum* dicitur tinctura, quia ignobiliora metalla tingit in nobiliora. Tales *Tincturæ sunt vel universales vel particulares*. UNIVERSALIS *est illud mysterium Philosophorum*, de quo vide Authores & defensores ejus: PARTICULARES, quæ in unum vel in alterum subjectum ingressum dant, tale quid est *lapis ignis BASILII VALENTINI*, in proportione quintupla tingens subjecta sibi idonea. Hæ *particulares scilicet tincturæ rursum vel in alchymia locum habent, vel in Medicina*. Nos illis missis harum considerationum ventilabimus, *dicendo tincturam esse extractum liquidum coloratum*; *vel est extractio nobilioris substantiæ concreti in tincturam*. De tincturis vegetabilium res facilis est, *sic ex aromatibus cum spiritu vini elicitur tinctura eorum*, (quæ subinde ESSENTIA dicitur) *omnemque imbibit* subjecti virtutem, ita, ut reliquum corpus omni nobilioris virtutis spoliatum maneat efficacia. In tincturis verò metallorum mineralium, & similium admodum desudant Spagyrici. Tales tincturas metallorum nihil aliud esse dicunt, quàm metalla in tincturam liquidam transmutata, & ita quidem, ut nequeant per artem reduci. Sic decantatissima est *tinctura Solis vera*, tinctura sulphuris Veneris *HELMONTII*; item *tinctura antimonii* per se, &c.

QUÆRITUR *autem*, *an possit vera & genuina tinctura ex metallis & gemmis elici*? Pro solutione hujus quæstionis notandum, quod *supponant Chymici*, virtutem & *colorem* metallorum consistere *in* ejus *sulphure*.

In præparandis itaque *tincturis metallorum* necessarium est (1.) ut sulphur purum metallorum eliciatur, & reliquium ejus metalli, cujus est tinctura, sulphure suo sit spoliatum (2.) ut nequeant in antiquum corpus metallicum reduci. *Hæc duo requisita* sunt regulæ, secundum quas omnes metallorum præparari possunt & debent tincturæ, & secundum hæc duo omnes omniumque tincturæ (quilibet enim suam jactitat tincturam,) *veniunt examinandæ*. *Multi* considerantes firmissimam metallorum concretionem, *negant* posse *genuinas ex metallis* extrahi *tincturas*, cujus sententiæ quoque *BECCHERUS* est. Sanè, non sufficit quod corpus residuum non sit ejusdem cum tinctura coloris. Deinde *omnes* tincturæ quæ cum acidis fiunt, facilè reducuntur per alkalia & vice versa. *Gemmarum* verò & nonnullorum lapidum tincturæ, si non planè impossibiles, *certe sunt difficillimæ*, ut non immeritò dixerim, *omnes hujusmodi tincturas gemmarum, corallio-esse meras sophisticas, ortas aut ex corporum beneficio digestionis transmutatione, aut à menstrui virtute*. Sic *tincturæ solis* sunt solutiones auri, ast non veræ, hoc enim, utut abeat in pulverem album, neque resolvatur ab aqua regis, non sufficit. In tantum enim in igne transmutatur, ut sustineat quæcunque, reducitur tamen in pristinum corpus metallicum.

Par est Ratio de *tinctura coralliorum*, quæ ut plurimum originem suam debet menstruo. *Sal tartari* calcinatum, *cum spiritu vini dat tincturam* rubeam, quam vocant *tincturam tartari*, sed falso. Spiritus vini enim super alkalia effusus, tingitur colore rubicundo: Deinde tinctura hæc tartari mera tantum est imbibitio, dum enim imbibit spiritus vini feces salis tartari, se tingit colore rubeo, forti enim calcinatione præcedente, sal tartari abit in feces sine ulla efficacia & usu.

CAP. III.
DE
NON ENTIBUS CHIMICIS.

PRiusquam laboribus hisce ultimam imponamus manum, non abs re erit, *non entium* nonnullorum obiter meminisse, quæ à Pseudo-Chymicis & Fumivendulis passim venditantur, quasi revera artis & ignis ope produci possint. *In non entium verò dignotione cautè admodum dispiciendum est, ne aliquid, quod tale non est, pronunciemus pro non ente.*

Etenim (1.) *non omnia possumus omnes, nec statim quod ego, iste, ille, non vidit, pro non ente proclamandum*, vel quod ista nobis forma non apparuit: Variant namque artifices in suis operibus, ut nova producant, nondum nobis in hac figura visa. (2.) Distinguendum est inter extractionem rei veram & novam productionem, e.g. *de mercurio metallorum quæritur, utrum ille haberi possit ex metallis tanquam pars componens, an verò artis ope* ipsum metallum transmutatum fuerit in mercurium vivum *per novam generationem*? (3.) Itaque in examine non entium illud fundamenti loco supponendum: *Non entia habere debent contrarietatem in radice* e. g. impossibilem convenientiam habet mercurius mineralis sive metallicus cum mercurio vegetabilium, unde hac ratione dico, quod MERCURIUS *vivus* EX SANGUINE *animalium sit non ens*: Nam utut ex sanguine elicitus fuerit mercurius vivus verus, is tamen non productus fuit ex sanguine, sed v. gr. infuit sanguini, quia homo cujus erat sanguis, fuerat aurifaber, unde facile mercurius manibus quotidie tractatus, potuit se in ejus corpus & sanguinem insinuare. Ita notum est, quod *qui mercurium tractant, nummos aureos, quos secum gerunt, argenteo colore obducant*, quatenus mercurius ratione singularis cum auro sympathiæ atomos suos ad aureos usque nummos diffundit, eosque argenteo obducit colore. Vidi vallem, juxta *Mediolanum*, ubi herbæ crescunt, ex quibus mercurius vivus facili artificio potest elici. Hic verò mercurius non constitutivum herbarum istarum

ſtarum principium eſt, ſed mineræ mercurialis, quæ intra vallem hanc reperitur, ſoboles. Sic & aurum, quo vites & uvæ in Ungaria reſplendere dicuntur, non eſt de eſſentia vitis, ſed de effluviis ſolaribus, quæ copioſæ ibidem mineræ ſolares emittunt, ſuam ducit originem. *HOMUNCULUS PARASELSI*, *quem ſine patre & matre artis beneficio producere conatur*, *eſt non ens* : vid. *ROLFINCII chym* : QUINTÆ verò ESSENTIÆ, utut paſſim pro non entibus proclamentur, à multis tamen Chymicis operosè & ſpeciosè ſatis adſtruuntur : Cùm nempe quælibet corpora naturalia ex quinque principiis conſtent, tribus activis, duobus paſſivis, ex his, imprimis verò activis, conantur partim ſimpliciſſimam puriſſimamque extrahere, quam vocant, quintam eſſentiam. Vidi talem apud Amicum quendam eſſentiam, cujus gutt. iij. integrum vini catharum imprægnabant.

TRANSMUTATIO *metallorum non eſt non ens*, quicquid in contrarium plerique omnes ferè Chymicorum aſſerant, etenim (1.) *Si metalla omnia ex una eademque radice trahant originem*, *& tantum gradu fixitatis & immaturitatis differant* (quod quidem probatum ſuperius) utique poterunt perfici, volatiliora fixando, & immatura artis beneficio ad maturitatem producendo. (2.) *Videmus quoque vegetabilia inter ſe transmutari*, ſicut triticum in uno eodemque degenerat ſæpiſsimè in avenam ; ſecale in lolium; ſiſymbrium in mentham tranſmutatur, quia in radice conveniunt inter ſe atque principiis materialibus : quidni *idem quoque de metallis affirmari poterit ? ut quæ eandem ſingula habent radicem*, *& ſolum maturitate differunt* ? Vidi ipſemet *lignum*, quo non ſuperficialiter tantum lapidea cruſta erat inductum, ſed *revera in lapideam tranſmutatum ſubſtantiam.* Hoc ſi in diverſis procedit generibus, ligno puta & lapidibus, quis negabit metallorum in uno principio ſeminali convenientium tranſmutationem ? Et quid denique experientiæ, quæ ubi vis fere terrarum luculentum exhibet teſtimonium, opponent.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM,

In quo numerus absolutè positus indicat Schroderum Dilucidatum: numerus cui additur litera c. Eumdem & Morellum de compositione remediorum: numerus cui additur litera L. aut E. Ludovicum ita ut L. textum ejusdem, E. Ettmuleri commentarium designet: numerus denique cui additur litera p. pyrotechniam rationalem. a. priorem columnam, b. secundam, ubique significant.

A

Antiscor

B

Bezoarticum

Cuculus,

D

G

H

Lactis

M

Mercurialis

N

O

habet

Tabella

T

V

Z

FINIS.